JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM,

BREVI METHODO AD DISCENTIUM Utilitatem explicatum,

SEU LUCUBRATIONES CANONICÆ

IN QUINQUE LIBROS DECRETALIUM GREGORII IX. PONTIFICIS MAXIMI,

IN QUIBUS PRÆCIPUÆ, QUÆ TUM IN THEORIA, tum in Praxi occurrunt, difficultates ſolvuntur, allatis etiam contra ſentientium fundamentis, & horum ſolutionibus.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER

SOCIETATIS JESU, SAC. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM DOCTORE, horumque antehac in Alma, & Electorali Univerſitate Ingolſtadiana Profeſſore Ordinario, & Primario, nunc Epiſcopalis Univerſitatis Dilinganæ Cancellario.

TOMUS QUARTUS.



NEAPOLI, MDCCXXXVIII.

Proſtant

VENETIIS,

APUD JOSEPHUM BORTOLI.

ELENCHUS TITULORUM LIBRI IV. DECRETALIUM.

TITULUS I.

De Sponsalibus, & Matrimonio.

SECTIO I.

De Sponsalibus.

SECTIO II.

De Matrimonio.

SECTIO III.

De Matrimoniorum Impedimentis in genere, & quibusdam in specie.

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

TITULUS IV.

De Sponsa duorum.

TITULUS V.

De Conditionibus appositis in Desponsatione, & aliis Contractibus.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.

TITULUS VIII.

TITULUS IX.

TITULUS X.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

TITULUS XII.

TITULUS XIII.

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ.

TITULUS XVII.

Qui Filii sint Legitimi?

TITULUS XVIII.

TITULUS XIX.

De Divortiis.

TITULUS XX.

De Donationibus inter Virum & Uxorem, & de Dote post Divortium restituenda.

TITULUS XXI.

De secundis Nuptiis.



SPONSA-



SPONSALIA
ET
MATRIMONIUM,
SEU
Decretalium Gregorii IX. Pont. Maximi.
LIBER IV.



A Statu Clericorum tum Sæcularium, tum Regularium, quorum Jura, obligationes, & actus Libro Tertio explicati sunt, Compilatio Gregoriana nos ducit ad Sponsalia, & Matrimonium. Materia hæc perutilis simul, & per difficilis est; nam causæ Matrimoniales in Jure inter causas graves, & arduas numerantur: nec aliæ ferè causæ Consistoria, ac Tribunalia Judicum Ecclesiasticorum frequentiùs occupant. Hinc meritò integer ei Liber tribuitur: qui in quatuor maximè partes commodè potest dividi. Harum *prima* ipsum Sponsalium, & Matrimonii contractum examinat. *Secunda* illa maximè Sponsalium, & Matrimonii impedimenta refert, quæ consensum ad hos Contractus requisitum afficiunt. *Tertia* ad ea Impedimenta progreditur, quæ ipsas contrahentium personas respiciunt. *Quarta* legitimarum Nuptiarum effectu, harum dissolutione, & quæ istam sæpe consequuntur, secundarum Nuptiarum contractu enarratis, Librum hunc quartum determinat.

PARS I.

De Contractu Sponsalium, & Matrimonii.

Contractus Matrimonialis inter cæteros, qui à Laicis ineuntur, universalitate, antiquitate, & dignitate primus est: *universalitate* quidem; quia plerique Laici in Statu Conjugali vivunt, vel ad eum tendunt: *antiquitate*; quia originem suam debet ipsi nascentis mundi primordio, quippe qui in ipso Paradiso à rerum Conditore DEO est institutus, & suprema ejus authoritate ad indissolubilis vinculi perpetuitatem roboratus: *dignitate* denique; quia illum naturæ lapsæ reparator Christus supra rerum naturalium ordinem elevavit, ut sanctificantis gratiæ imposterum esset fons, atque inter novæ Legis Sacramenta recenseretur. Unicum Titulum Pars ista claudet, sed multis aliis ampliorem.

TITULUS I.

De Sponsalibus, & Matrimoniis.

Duplici membro Rubrica hæc constat: unum Sponsalium, alterum Matrimonii meminit. Hinc diversis etiam Sectionibus istorum Contractus examinabuntur: quibus addetur tertia de Sponsalium, & Matrimonii Impedimentis in genere, & quibusdam in specie.

SECTIO I.

De Sponsalibus.

Hæc via sunt ad Matrimonium: hinc meritò de iis tractatur, antequam gradus fiat ad ipsum Matrimonium.

§. I.

De Sponsalium Natura, atque Contractu.

SUMMARIUM.

1 *Etymologia nominis Sponsalium.*
2 *Acceptio diversa istius nominis.*
3 *An rectè detur etiam Matrimonium rato?*

1 QUæritur 1. quæ sit Etymologia nominis Sponsalium, & quàm diversa ejus acceptio? Resp. Sponsalia à Spondendo dicta sunt, ut rectè *leg. Sponsalia* 2. *ff. h. tit.* monet Ulpianus; nam moris fuit Veteribus, ut uxorem ducturus, illam ab eo, sub cujus cura, & potestate erat, v. g. parentibus, tutoribus, in Matrimonium datum iri stipularetur, & nuptum daturus sponderet, id est spontè promitteret. Gell. *l.* 4. *Noct. Attic. cap.* 4. Hinc quæ spondebatur, *Sponsa*, cui spondebatur, *Sponsus*, qui spondebat, *Sponsor*, dies, quo spondebatur, *Sponsalis*, totus verò is apparatus, & contractus, *Sponsalia* appellabantur *l. unde* 3. *ff. h. tit.* & *l. Sponsio* 7. *ff. de V. S.*

Acceptio Nominis Sponsalium non una est. Nam 1. 2
& minùs propriè accipitur pro Arrha, & Muneribus, quæ à Sponso dantur Sponsæ *l. mulier* 5. *C. h. tit.* & *l. quidam* 1. *C. si nuptiæ ex rescript. petant.* Quem sensum etiam Sacræ Litteræ expresserunt 1. *Reg.* 18. *v.* 25. ubi Saul Davidi ob paupertatem suam tergiversanti inire Matrimonium cum Michol filia Saulis, eum quasi incitans, renuntiari jussit: *Non habet Rex Sponsalia necesse* i. e. munera, & opes Sponsi. 2. Pro Matrimonio rato, & nondum consummato; nam & in hujus contractu quædam fit promissio mutuæ traditionis corporum, saltem tacitè: imò matrimonium per sponsionem, seu stipulationem, sive interrogationem, & responsionem contrahitur *cap. si inter* 31. *h. tit.* Zoes. *hic num.* 2. Et in hoc sensu *Matth.* 1. dicitur: *Cum esset desponsata MARIA Mater JESU Joseph*; nam tum jam inierat Matrimonium, quippe cùm paulò post subjungat Evangelista: *Joseph fili David, noli timere accipere MARIAM Conjugem tuam; Conjux* enim dicebatur mulier ante consummationem, post eam autem *Uxor*. 3. Et magis propriè pro futuri Matrimonii promissione: & ut sic sunt præambulum quoddam Matrimonii, & dicuntur cum addito *Sponsalia de futuro* ad distinctionem Matrimonii rati, quæ appellantur *Sponsalia de præsenti*. Tertia hæc acceptio usitatissima est; nam in dubio, quando de Sponsalibus in Jure, vel aliàs fit mentio, sponsalia de futuro regulariter intelliguntur. Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 1.

Dubium moveri potest 1. an rectè Sponsalium nomen Matrimonio rato tribuatur? Videtur acceptio 3
ista, & nomenclatio *Sponsalium de præsenti* prorsus eliminanda. 1. Quia erubescimus sine lege loqui *Novell.* 18. *pr.* atqui nullus in toto Jure textus *Sponsalium de præsenti* nomen dat Matrimonio, si credimus Gabr. Vasq. *D.* 4. *de Matrim.* apud Basil. Pont. *de Sponsal. cap.* 1. *num.* 2. ubi hic fatetur, saltem in Jure Civili textum non suppetere: ergo &c. 2. Licèt in Jure Canonico videantur insinuari Sponsalia de præsenti, communiter tamen DD. dum loquuntur de his, & nomen hoc tribuunt Matrimonio rato, semper ostendunt hunc non esse verum, legitimum, ac proprium sensum sponsalium, ut videre est apud Abb. *ad Rubr. h. tit. num.* 4. & 6. Fagnan. *in cap. ad audientiam* 4. *eod. nu.* 13. & alios passim. 3. Hoc modo Matrimonium ratum erit quædam quasi Species Sponsalium genericè acceptorum: quod videtur pugnare cum Rubrica præsentis Tituli, quæ Sponsalia à Matrimonio contradistinguit. 4. Si in sensu Canonico Matrimonio rato tribui posset nomen Sponsalium Tridentinum, dum *sess.* 24. *c.* 3. *de reform. Matrim. Justitiæ publicæ honestatis impedimentum ubi Sponsalia quacumque ratione valida non erunt, prorsus tolli; ubi autem valida fuerint*, vult, ut *primum gradum non excedat*, meritò intelligi posset de Matrimonio rato; utitur enim termino generali *Sponsalia*; atqui ea verba S. Synodi nullo modo extendi possunt ad Matrimonium, ut declaravit S. Pius V. *Const. ad Romanum edita* 1568. ergo signum est, Pontificem cum Concilio Trid. supposuisse, per Sponsalia etiam in Jure Canonico non solere intelligi Matrimonium.

Sed his non obstantibus, retinenda omnino est nomenclatio Sponsalium de præsenti. Ita Interpretes Juris 4
Pontificii facilè omnes, & Civilistæ passim, non Orthodoxi tantùm, sed etiam Acatholici ex quibus acceptionem istam expressè defendunt Vvesenbec. *ad ff. de sponsal. n.* 3. Schneidevv. *ad Inst. de nupt. par.* 1. *n.* 4. Rittershus. *ad Novell. p.* 7. *c.* 17. *n.* 7. Tabor. *Thesaur. Locor. comm. Jurispr. V. Sponsalia axiom.* 1. Colleg. Argent. *in ff. de Sponsal. nu.* 5. multùm contrà strepitantibus Treutler. *vol.* 2. *L.* 6. *de nupt. thes.* 1. *lit. D.* Harpprecht *de nupt. num.* 5. Hothoman. *D. de Sponsal. cap.* 7. *princip.* Nam 1. pro hac nomenclatione stat clarus textus Juris Canonici *c. tertio* 13. *de præsumpt.* ubi dicitur *Sponsa*, in quam Juve-

Juvenis de præsenti consensit; & infrà dicitur eandem sibi *desponsasse*, ac tandem in fine *cap.* contractui sic inito adaptatur vox *Sponsalia*, licèt ista ob certum impedimentum dicantur fuisse nulla, & separanda. Concordant textus alii *can. qui desponsatam 12. caus. 27. q. 2. cap. accepisti 2. & cap. fin. de Sponsal. duor. c. sicut 22. & cap. si inter 31. h. tit.* ubi Conjuges vocantur *Sponsæ*, aut *desponsatæ*; & conf. in ipso Matrimonio, seu consensu conjugali dantur *Sponsalia*, seu *Desponsatio de præsenti*. 2. Hunc loquendi modum etiam non horret Jus Civile; nam ut testatur Pont. *de Sponsal. cap. 1. num. 2.* frequentissimum etiam in Jure Civili est, ut Sponsa, & sponsus dicantur tam de præsenti, quàm de futuro. Exemplum præbet *l. quidam 1. Cod. si nupt. ex rescript. pet.* ubi idem Contractus & *Nuptiarum*, & *Sponsalium* nomine decoratur. 3. Favent SS. Litteræ; nam ut testis est Sanctus Gregorius *canon. desponsatam citat. Divinæ Legis est mos Sponsas appellare Conjuges &c.* 4. Accedit communis, & jam inveteratus mos loquendi tam apud Juris Canonici, quàm Civilis Interpretes, qui in quæstionibus de nomine, qualis est præsens, vel maximè attendi debet, cùm in materia propria loquentibus semper sit adhærendum. 5. Suffragatur ratio; nam etiam in Sponsalibus de præsenti, ut *num. 2.* innui fit quædam sponsio, & promissio, non quidem futuri conjugalis consensus, qui jam tunc præsens est, sed in ordine ad effectus v. gr. ad cohabitationem mutuam, ad fidem thori servandam, ad consummationem Matrimonii, ad quam de præsenti Matrimonium contrahens alteri parti, si petat, præstandam sese obligat.

5 5. Ad Argumenta in contrarium allata facilis est responsio. *Ad 1.* esto, in Jure Civili nullus reperiatur textus, qui Matrimonium ratum expresse compellet Nomine Sponsalium de præsenti, hæc tamen compellatio, ut *num. præced.* ostendit, eodem Jure satis innuitur; & si istud quoque non fieret, versamur in materia Canonica, in qua modum loquendi, quo utuntur Juris Sacri interpretes, sequi deberent etiam cæteri, cùm cuilibet in sua arte credendum sit. *Ad 2.* licèt Sponsalium nomen Sponsalibus de futuro conveniat in sensu maximè proprio, sensus tamen adhuc genuinus, & legalis est, quando id nomen applicatur Matrimonio rato, cùm hæc acceptio apud Interpretes Juris Canonici sit usitatissima. *Ad 3.* in Rubrica præsentis Tituli Sponsalium nomen sumitur in sensu rigidissimo, & in hoc sensu Sponsalia contra distinguuntur a Matrimonio. *Ad 4.* meritò S. Pius V. *in Const. cit.* decidit in allegato Trid. loco Sponsalium nomine non venire Matrimonium ratum; quia Jura semper in dubio censentur uti vocibus in sensu obvio, & usitatissimo, qui in casu præsenti est, cùm vox *Sponsalium* sumitur pro Sponsalibus de futuro.

6 Dub. 2. quid intersit inter Sponsalia de futuro, & sponsalia de præsenti? Resp. primum, & principale discrimen in eo situm est, quòd Sponsalia de futuro multis modis dissolvi possint, de quibus *infrà à num. 151.* contrà Sponsalia de præsenti non nisi duobus, Professione Religiosa, & Dispensatione Pontificia. Ex quo sequitur discrimen.

2. Quòd in dubio, quando id habito Examine, vinci non potest, potiùs contra Sponsalia de futuro, quàm pro illis judicandum sit; tum quia Jura proniora sunt ad liberandum, quàm ad obligandum *l. Arianus 47. ff. de V. O.* tum quia Matrimonia coacta, & nolentibus imposita solent habere funestos, & difficiles exitus *cap. requisivit 17. h. tit* Contrà cùm dubitatur de valore Sponsalium de præsenti, seu Matrimonii, non pro libertate, seu pro Matrimonio standum est: idque ideo, quia forte tale Matrimonium est validum: quo casu si staretur pro libertate, sententia pro ista stans plurima post se incommoda traheret; nam. 1. daretur potestas contrahendi alias nuptias, quæ revera forent adulterinæ ob ligamen primarum nuptiarum non dissolutum. 2. sic contrahentes in usu hujusmodi Matrimoniorum paterentur perpetuas perplexitates, & scrupulos, quibus conscientia illorum angeretur. 3. maxima afferret incommoda educatio prolis, si qua ex priori sic dissoluto Matrimonio foret suscepta Engl *hic §. 2. nu. 11.* Vviest. *ibid. num. 37.* Magnif. P. Schmier *de Sponsal. p. 1. cap. 3. num. 86.*

3. Sponsalia de futuro contrahentes simpliciter vocantur *Sponsi*; contrahentes Sponsalia de præsenti secundùm communem, & frequentiorem usum *Conjuges*. *Secundùm communem, & frequentiorem usum*, inquam; nam aliquando nomen Uxoris, mariti, vel conjugum Sponsos quoque, aut Sponsas, aut vice versa comprehendit: quod maximè contingit, si materia sit favorabilis; contrà, si odiosa juxta *Regul. odia 15. in 6.* tunc enim voces istæ accipi debent in sensu stricto, & acceptione communi. *Excipitur*, nisi aliud ratio Legis, & mens Legislatoris, aut disponentium intendat Sic etenim licèt in favorem Matrimonii introductum sit, quòd conjux conjugi irrevocabiliter nihil donare possit per *l. moribus 1. & l. seq. ff. de Donat. inter vir. & uxor.* Id tamen in Sponsis non obtinet *l. cum hic status 32. §. siquis Sponsam 27. ff. eod.* Similiter quamvis uxor sortiatur domicilium, honores, & dignitatem viri, hoc tamen ad Sponsam de futuro porrigi nequit *l. ea quæ 32. ff. ad municipal.* Contrà in materia etiam odiosa ex mente Legis hujus dispositio ab uxore, & marito transfertur nonnunquam ad Sponsos; sic enim pœna infamiæ, qua notantur illi, qui simul duas uxores habent, extenditur ad habentes duas sponsas *l. Prætoris 1. ff. de his, qui notant. infam.* Item pœnæ Parricidii extenduntur ad illos; qui Sponsam, vel parentes Sponsæ suæ occidunt, etsi Lex Pompeja solùm loquatur de uxore, aut marito, socero, aut genero *l. sed sciendum 3. & l. seq. ff. ad Leg. Pompejam de Parricid.* 7

Dub. 3. quibus aliis nominibus Sponsalia de futuro in Jure, & à JCtis compellentur? Resp. præter nomen Sponsalium plura alia Promissio Matrimonii sortitur nomina; nam 1. vocatur *Fides Pactionis*. Ita Augustinus relatus *c. de duobus 1. de Sponf. duor.* ubi Matrimonium etiam vocatur *Fides consensus*. 2. *Spes Matrimonii*, seu *Nuptiarum*. Ita Ulpianus *l. si puella 6. ff. h. tit.* 3. *Præambulum*, seu *prævia dispositio Matrimonii*. Ita Anton. Cucch. *Inst. Can. l. 3. tit. 11. de Sponsal.* Pirh. *hic nu. 1.* Vvex *Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 1. §. 1. n. 4.* Hinc Petr. Gudelin. *l. 3. de Jur. noviss. c. 7. §. præter venditionem in fin.* aptè ait, in Sponsalibus quasi *concipi* societatem conjugalem, quæ deinde quasi *paritur* & ad perfectionem deducitur in Matrimonio. 4. *Sacramentalia Matrimonii*. Ita S. Thom. *in 4. distinct. 27. quæst. 2. artic. 1. ad 6.* quod intelligendum est, non quasi Sponsalia haberent sanctitatem aliquam, sicut habent Exorcismi ante Baptismum, & alia Sacramentalia; sed quia sunt dispositio prævia ad Sacramentum Matrimonii. Petr. de Ledesm. *de Matrim. quæst. 43. artic. 1. fol. 96. §. ultimò supponendum*, Sanch. *l. 1. de Mat. D. 1. n. 8.* Vvex *l. cit.* 8

Quæritur 2. quid sint *Sponsalia*? Respond. *Sponsalia* strictè *accepta*, seu, *de futuro* secundum Florentinum *l. Sponsalia 1. ff. hoc titul.* sunt *mentio, & repromissio futurarum nuptiarum*: quam JCti definitionem secutus Nicolaus I. Sponsalia dicit esse *futurarum nuptiarum promissa fœdera*, prout habetur *can. nostrates 3. caus. 30. q. 5.* Communiter definiuntur, quòd sint *mutua, & reciproca promissio futuri matrimonii*. Ita Valent. *D. 10. general. qu. 2. p. 1.* Tolet. *l. 6. summ. c. 2.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 1.* Pal. *tr. 28. D. 1. p. 1. nu. 5.* Pirh. *hic nu. 2.* Konig. *num. 5.* Vviest. *num. 10.* Explicatiorem ista affert P. Jacob. Vvex *part. 1. cit. §. 2. num. 3.* ubi Sponsalia definit, quòd sint *Promissio, acceptata, voluntaria, seria, deliberata, & libera, mutua, signoque sensibili expressa futuri Matrimonii inter personas determinatas, ac Jure habiles*: ubi dicantur requisita, ut obligatio Sponsalitia inducatur per promissionem futuri Matrimonii; nam primò debet esse celebrata inter personas habiles. 2. facta deliberato, ac liberè. 3. vera sine fictione. 4. determinata, seu respiciens personam certam. 5. mutua, seu reciproca. 6. expressa voce, vel alio signo externo. 7. denique à Promissario, seu eo, cui promissio istiusmodi fit, acceptata: quæ singula hic examinabimus. 9

Dub. 1. ob quas causas Sponsalia nuptiis præmitti soleant? Resp. quinque maximè afferri solent. *Prima*, & apud Veteres præcipua fuit, quòd cùm fœminæ non sui juris, sed in potestate essent parentum, fratrumve, & istorum consensus necessarius esset *l. in Sponsalibus 7. & l. in potestate 10. ff. h. tit.* dandum his fuerit spatium, 10

quo liberis, aut aliis suæ potestati subjectis optimo, possent, modo providerent.

2. Ut Sponsus Sponsæ, & hæc vicissim Sponsi interea experiretur mores, atque ingenium; cùm enim contractus Matrimonii inducat perpetuitatem, & indissolubilitatem vinculi, maxima circumspectione, & maturitate est procedendum, ne dispares moribus conjungantur, & sic infelices sint Matrimoniorum exitus.

3. Ut Sponsi parent ea, quæ subeundis conjugii oneribus, profectò gravissimis, necessaria sunt, nam idcirco etiam Divino Jure Sponsis indulta est à bello immunitas. *Deut.* 20. *v.* 7. & *Machab.* 1. *cap.* 3. *v.* 56. quam annuam fuisse perhibet Josephus *Antiq. Judic. l.* 4. *cap.* 6.

4. Ut ipsa Nuptiarum dilatione, quæ ducenda est, carior sit imposterum, magisque diligatur; ea enim de causa, ut *can. institutum* 39. *caus.* 27. *quæst.* 2. dicitur, *institutum est, ut jampactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirarit Sponsus dilatam.*

5. Ut interea Nuptiæ futuræ à Parochis publicè denuntiari Ecclesiæ possint, & si quod fortè obstare videatur, impedimentum opponi, probarique *cap. fin. pr. de clandest. despons.* & Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *vers. cui malo de reform. matr.*

11 Dub. 2. an Matrimonium contrahi valeat sine prævijs Sponsalibus? Negat Harpprecht *ad Instit. de nupt. num.* 2. ubi ait, quòd *nec fingi possit, ut contrahatur Matrimonium, si priùs de eo contrahendo conventum non sit.* Verùm hæc ejus sententia nec à Jure, nec à ratione adminiculum habet. Hinc dicendum absque prævijs Sponsalibus Matrimonium validè posse contrahi. Ita cum communi DD. aliorum Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *qu.* 1. *num.* 2. Gobat. *Exper. tract.* 10. *num.* 8. Pirh. *hic num.* 6. Schamb. *ibid. nu.* 7. Konig *n.* 6. *vers. ea tamen*, Vviest. *num.* 9. Magnif. P. Schmier *de Sponsal. part.* 1. *cap.* 1. *nu.* 24. & supponitur apertè *cap. ex parte* 9. *cap. sicut ex litteris* 22. *cap. si inter* 31. *h. tit. & l. quæsitum* 7. *ff. eodem.* Ratio est; quia, ut *infrà Tit.* 3. ostendetur, prævia pactio sponsalitia, & ipsa etiam denuntiationum solemnitas non pertinent ad Matrimonii valorem, & substantiam.

12 *Ex quo sequitur*, Adversarium vehementer decipi, dum existimat, casum fingi non posse, quo ad contractum Nuptialem perveniatur, nulla Sponsalitia conventione prævia; nam omnes fatentur, validum esse Matrimonium, in articulo mortis, præsente Parocho, & testibus celebratum cum concubina ad legitimandam prolem. Extra mortis articulum illicitè quidem contrahitur, non tamen ob Sponsalia, sed ob Denuntiationes omissas. Et hinc casu, quo absque prævia pactione, & obligatione Sponsalitia, propositum Matrimonii ineundi, quod duo habent, ter publicè Ecclesiæ denuntiaretur, his denuntiationibus factis, Matrimonium & validè, & licitè dein contrahi posset, cùm talis Contractus nullo Jure sit reprobatus: non *cap. institutum cit.* quia ibi dicuntur solùm Sponsæ pactæ non statim tradi, non tamen prohibetur eas sine pactione & obligatione, solo animi proposito destinatas, & denuntiatas ex intervallo duci: non Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *cit.* quia hoc solum præcipit Matrimonia contrahenda denuntiari, non tamen jubet Sponsalitiam pactionem præmitti.

13 Quæritur 3. quinam contrahere possint Sponsalia? Resp. generatim loquendo ab illis solùm contrahi Sponsalia possunt, inter quos aliquando Matrimonium consistere licitè, & validè potest. Ita communis apud Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *dub.* 2. *num.* 16. Pirh. *hic n.* 9. Schamb. *num.* 10. *Ratio est*; quia Sponsalia sunt promissio futuri Matrimonii: ergo, ut valeant, debent esse promissio liciti, & validi Matrimonii; quia promissio rei illicitæ, etiam Juramento firmata, non valet. Dixi, *aliquando consistere*; non enim respiciendum est tempus, quo contrahuntur Sponsalia, sed tempus, quo impleri debet eorum obligatio. Hinc, etsi impuberes tempore impubertatis contrahere Matrimonium nequeant, possunt tamen, si discretionem sufficientem habeant, contrahere Sponsalia: Item licèt ille, qui Castitatem ad unum, vel duos annos vovit, durante Voti vinculo, inire Matrimonium sine peccato nequeat, eo tamen tempore validè, & licitè promittit Matrimonium ineundum tunc, cùm Voti Religio non ampliùs obligat. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 1. Konig *num.* 16. Magnif. P. Schmier *de Sponsal. p.* 1. *c.* 2. *n.* 26.

Dub. 1. quinam in specie Sponsalia, vel Matrimonium contrahere nequeant? Resp. 1. *Infantes*, & qui nondum usum rationis ad hoc requisitum habent. 14

2. *Amentes & furiosi* ob eandem rationem, & ob defectum, qui inde sequitur, pleni, & deliberati consensus, prout constat ex *c. dilectus* 24. *h. tit.* Sanch. *l.* 1. *de Matrim. D.* 8. *num.* 15. *Excipitur*, nisi dilucida intervalla habeant; nam eo tempore, quo ista habent, contrahere saltem validè Sponsalia, & Matrimonium possunt, neque si postea furor denuo superveniat, Sponsalia, & Matrimonium ab eo contractum invalidum redditur. S. Thom. *in* 4. *dist.* 34. *quæst. un. art.* 4. Covar. 4. *Decret. p.* 2. *c.* 2. *num.* 5. Sanch. *D.* 8. *cit. num.* 16. & alii Passim. *Ratio est*; quia libertas, & discretio requiritur pro contractu Sponsalium, & Matrimonii tantùm, non verò post contractum jam initum. Addidi, *saltem validè*; nam regulariter furiosus, & amens, etsi dilucida intervalla aliquando habeat, illicitè tamen etiam eo tempore Sponsalia, & Matrimonium contrahit; quia si perpetuo furore laboret, ineptus est ad prolem educandam, nisi id muneris alii committere possit Sanch. *num.* 18. Pirh. *hic n.* 10. Schamb. *n.* 11. Si dubitetur, an actus sit gestus à furioso furoris tempore, an tempore lucidi intervalli, in tali dubio actus præsumitur gestus tempore furoris; quia hic præsumitur durare omni tempore. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 136. *num.* 3. Sanch. *in cap. delectus cit. num.* 5. Pirh. *l. cit. Excipitur*, nisi ex actus qualitate præsumendum sit esse gestum tempore sanæ mentis Menoch. *l.* 6. *præs.* 45. *n.* 68. cum *citt.*

3. *Ebrii* intellige, Theologicè, seu cum exilio mentis, & rationis; nam hi, si tempore ebrietatis Sponsalia, vel Matrimonium contrahant, nihil agunt, cùm libero consensu, & deliberatione & ipsi careant. Ad hoc etiam procedat de eo, qui ante ebrietatem voluntatem habuit contrahendi Sponsalia, vel Matrimonium, dubitari posset; posset enim aliquis existimare esse valida. 1. quia Baptismus eo tempore collatus valet, si antea petitus fuit. 2. quia tali casu non deficit deliberatio requisita ad peccatum mortale: homicidium enim tunc commissum, si tempore, quod sui compos erat, fuit prævisum, culpa lethalis est. *Sed dicendum*, non sufficere eam voluntatem. *Ad* 1. negatur paritas: ad Baptismum enim sufficit intentio habitualis in suscipiente; non autem in Matrimonio, ubi suscipientes sunt Ministri ejus Sacramenti, cujus actus debet esse humanus. *Ad* 2. homicidium illud fuit voluntarium in causa cui cùm adscribatur effectus, mirum non est, quare occisio tunc peccaminosa sit. Aliter res sese habet in Sponsalibus, & Matrimonio; nam voluntas illa contrahendi Sponsalia, vel Matrimonium non est causa Contractus Matrimonialis, vel Sponsalitii, esto, verba hunc significantia pronuntientur in ebrietate, cum humano modo pronuntiari debeant, & cum actuali advertentia ad id, quod agitur. 15

Dub. 2. utrum, qui sensibus destituti sunt, Sponsalia possint contrahere? *Certum est* quòd Sponsalia possit contrahere, qui surdus tantùm est, vel mutus tantum, imò etiam si surdus, & mutus simul, prout sumitur ex *c. cùm apud* 23. *h. tit. Ratio est*; quia tales sæpe sunt ita perspicacis, & acuti ingenii, ut multa explicatu difficillima facilè signis manifestent, aliaque ipsis significata intelligant, ut experientia testis est; igitur signis edoceri etiam poterunt, quid sit Matrimonium, & nutu, vel alio signo ipsi significare suum consensum. 16

Difficultas est, si quis simul sit mutus, surdus, & cæcus, an contrahere Sponsalia, vel Matrimonium possit? Negant Ancharan. *in c. cùm apud cit. nu.* 5. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 8. *n.* 13. Konig *hic n.* 13. Magnif. P. Schm. *p.* 1. *de Sponsal. c.* 4. *n.* 13. *&* 14. Rationem dant; quia non apparet, quomodo hic instrui possit, quid sit Matrimonium; non enim potest instrui signis, cùm cæcus sit, non etiam verbis, cùm surdus sit. Et extendunt hoc etiam ad mutum, surdum, & cæcum ex accidenti post Nativitatem; tametsi enim talis noverit, quid sit Matrimonium, & cum qua persona illud velit contrahere, attamen voluntatem suam intelligibiliter declarare, & vicissim alterius mentem intelligere non 17

non poterit. Ego judico, his argumentis rectè probari, moraliter loquendo, & ordinariè hujusmodi hominem Sponsalium, & Matrimonii contrahendi incapacem esse, quidquid sit, an fieri id possit physicè; de quo dubitare videtur Tann. *tom.* 4. *D.* 8. *dub.* 2. *n.* 32.

18 Quæritur 4. qualis requiratur deliberatio, rationis advertentia, & voluntatis libertas, ut Sponsalia valeant? Respond. ea requiritur, & sufficit, quæ requiritur, & sufficit ad mortaliter peccandum. Ita Navar. *Man. cap.* 18. *n.* 7. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 267. *nu.* 7. Gutier. *de Matr. c.* 7. *n.* 6. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 8. *num.* 5. Pirh. *hic n.* 4. Vviest. *n.* 11. & communiter cæteri. *Ratio est*, quia Sponsalia sunt actus humanus. ergo sine libertate, & deliberatione non consistunt, & quidem plena, sicut peccatum mortale, sub quo obligant, plenam deliberationem exigit. *Conf.* nam ea deliberatio ad Sponsalia meritò exigitur, quæ exigitur ad quamcunque aliam promissionem homini factam. atqui ad hanc ex communi DD. requiritur deliberatio plena, præsertim si illa sub mortali peccato obliget. ergo &c.

19 *Ex quo sequitur* 1. invalida esse Sponsalia contracta ante septennium, saltem si ætatem istam non anteverar usus rationis *c. litteras* 4. *c. accessit* 5. *& c. ad dissolvendum* 13. *de desponś. impub.* quia ante illam ætatem, regulariter saltem, non adest libertas ad mortaliter peccandum requisita. Idem dicendum de contractis in somno, ebrietate, amentia, furore juxta dicta *num.* 14. *&* 15. 2. Invalida sunt extorta per vim absolutam; quia voluntaria, & libera, ac proinde actus humanus non sunt. Dixi *per vim absolutam*; nam extorta per vim conditionalem, seu metum, etsi is gravis sit, & injustè incussus, probabilius tamen valent, licèt rescindi possint, ut *infrà* dicetur, & constat etiam ex eo, quia metus etiam gravis advertentiam rationis, & libertatem, ad mortaliter peccandum requisitam, non tollit. 3. Contracta errore circa substantiam personæ, aut etiam circa qualitatem, si hæc redundet in istius individuum, seu substantiam, ut iterum pleniùs ostendetur infrà, & patet ex eo, quia hujusmodi error tollit consensum liberum, ad substantiam, & valorem Sponsalium requisitum *l. si per errorem* 15. *ff. de Jurisdict. omn. Judic. & l. non idcirco* 9. *C. de Jur. & fact. ignor.*

20 Dub. 1. an valida sint Sponsalia, quæ ira, amore, aut alia simili passione impellente, sunt contracta? Negativæ patrocinantur Gloss. *in canon. si quis iratus* 5. *V. si quis caus.* 2. *q.* 3. *& in l. divortium* 3. *pr. ff. de divort.* Bartol. *ad Reg. quidquid* 48. *ff. de R. J.* Decius *ibid. num.* 1. Jason, *ad l. si filium n.* 5. *de inoffic. testam.* Felin. *in cap. Matthæus num.* 2. *notab.* 2. *de Simon.* Tiraquell. *de pœn. temper. caus.* 1. *n.* 24. *& de privil. caus. piæ privil.* 18. & alii apud Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 8. *n.* 4. Fundantur 1. *can. si quis cit.* ubi Fabianus Papa vult *convitium non habendum pro accusatione*, si ab irato dictum, & crimen alicui temere objectum sit, sed exspectandum, *an id, quod iratus dixit, se per scripturam probaturum esse fateatur, ut si fortasse resipiscens, quæ præ iracundia dixit, iterare, aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur.* 2. *can. divortium* 21. *de pœnit. dist.* 1. eique consona *l. divortium* 3. *ff. de divort.* ubi habetur, quòd *uxor, per calorem misso repudio, si brevi reversa sit, nec divortisse videatur.* 3. *Reg. quidquid cit.* ubi Paulus JCtus, *Quidquid*, inquit, *in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum est, quàm si perseverantia apparuit judicium animi fuisse.* 4. *Ratione*; quia ira incitatus furioso magis, quàm ratione utenti est similis juxta illud Flacci: *Ira furor brevis est*; & secundùm effatum Euripidis: *Nemo cum ira quidquam rectè deliberat.*

21 Sed dicendum, regulariter valida esse Sponsalia, quæ ira, vel alia simili passione impellente, contracta sunt. Ita Navar. *Man. c.* 18. *n.* 7. Sanchez. *l. cit. num.* 5. Coninck *D.* 21. *dub.* 2. *n.* 18. *concl.* 6. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 267. *n.* 1. Gutier. *de matr. c.* 7. *à n.* 5. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 2. *n.* 4. Perez *de Matr. D.* 1. *s.* 3. *nu.* 8. Konig *hic n.* 32. *&* 33. Vviestn. *nu.* 14. cum communi DD. *Ratio est*; quia tales animi affectiones communiter hominem non ita perturbant, neque adeo rationis usum, & voluntatis libertatem tollunt, ut non peccatum mortale possit committere. atqui juxta dicta *num.* 18. ad Sponsalia validè contrahenda ea libertas sufficit, quæ sufficit ad peccandum mortaliter. ergo &c. *Conf.* hæc libertas, & deliberatio sufficit, ut validum sit Votum, & Juramentum, ex communi doctrina. ergo etiam sufficiet, ut validè contrahantur Sponsalia.

Neque obstant Argumenta adversæ sententiæ. *Ad* 22
1. ibi jubetur exspectari tempus, ut habeatur perseverantia, quæ efficacissimum medium, & indicium est, an convitium dictum sit seriò, an joco, deliberatè, an indeliberatè. *Ad* 2. ibi aliud non statuitur, quàm tatum habendum non esse divortium mulieris à marito recedentis, si perseverantia desit, quòd ista deficiente, ob specialem Matrimonii favorem censeatur recessisse potiùs animo contestandi animi commotionem, & iram, quàm verè, & seriò divertendi. *Ad* 3. textus ille, & alii similes explicari possunt de calore iracundiæ, quæ rationis advertentiam adimit, & ad mortaliter peccandum non sufficit. Quodsi contendas, hunc textum ob generalitatem verborum intelligendum de calore iracundiæ, etiam non evertente usum rationis, non multùm contendam tecum, sed dicam dispositionem illius Legis non admodum attendendam, cùm sit in materia Matrimoniali, quæ Spiritualis est, & Ecclesiasticæ potestati subjecta. *Ad* 4. etsi furioso similis aliquo modo sit iratus, non tamen omnino; quia plerumque adhuc usum rationis habet, quamvis ita corruptum, ut nihil prudenter deliberet: quod tamen libertati, ad mortaliter peccandum requisitæ, non officit; igitur nec officiet libertati Sponsalium.

Dub. 2. quid dicendum, quando est dubium, num 23
iracundia, aut perturbatio deliberatione requisita privarit Sponsalia contrahentem? Videtur standum pro libertate contra Sponsalia, ex doctrina *nu.* 6. tradita. ubi dixi, in dubio, quando id, habito examine, vinci non potest, judicandum contra Sponsalia. *Conf.* nam ipse iracundiæ calor præsumptionem facit, quòd inconsultè gesta sint, quæ in eo calore gesta sunt.

Sed meliùs Abb. *in c. dudum* 20. *numer.* 8. *de convers. conjug.* Alex. de Nevo *in c. sicut ex litteris* 22. *n.* 18. *de jurejur.* Felin. *ibid. n.* 3. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 8. *nu.* 10. ajunt eo casu judicandum pro valore actus; quia raro contingit, ut in tantùm iracundia exardescat, ut rationis usum impediat, sicut rarissimè ex vehementi iracundia occidens alterum excusatur à mortali. *Conf.* nam qualitas, quæ naturaliter homini inest, semper adesse præsumitur, ut ex Alciato probat Menoch. *l.* 1. *de præsumpt. q.* 14. *n.* 3.

Ad Rationem dubitandi pro libertate contra Sponsalia, in dubio pronuntiandum est, quando libertas est in possessione: in nostro casu Sponsalia sunt in possessione; quia certum est ea fuisse contracta, & tantùm dubitatur, an contracta sint cum sufficienti rationis usu, qui tamen, ut dixi, præsumitur. *Ad Conf.* etsi præsumatur factum ex calore iracundiæ factum inconsultè, i. e. non maturo consilio, non tamen præsumitur factum sine deliberatione sufficiente ad peccatum mortale.

Dub. 3. quomodo intelligi debeat *can. nec furiosus* 26. 24
caus. 32. *q.* 7. ubi in fine habetur, furiosos, si Matrimonium contraxerint, non separandos: consf. videtur supponi, Matrimonium ab his contractum valere, cùm invalidè contrahentes indubitatò sint separandi. Resp. verba hæc intelligenda de furiosis, qui Matrimonium inierunt, dum essent sanæ mentis; cùm enim sic contracti vinculum non dissolvat furor, & amentia superveniens, hinc Fabianus Papa meritò vetuit, eos propterea separari. Fundamentum sic explicandi hunc textum præbet principium istius *can.* ubi disertè asseritur, *neque furiosum, neque furiosam Matrimonium contrahere posse*, quòd, ut ibi Glossa ait, *non possint consentire.*

Quæritur 5. qualis fictio Sponsalium valorem tollat? 25
Potest fictio in promissione Sponsalitia contingere dupliciter. 1. Quando promittens habet quidem animum promittendi, non tamen animum eam implendi. 2. Quando etiam non habet animum promittendi, sed verba solum pronuntiat, positivè excludens animum se obligandi. *Si primo modo* contingat fictio, convenit inter DD. ejusmodi promissionem verè Sponsalitiam, & obligatoriam esse, licèt ita promittens peccet. *Ratio est*; quia cùm de essentia promissionis sit obligare promittentem, ne infidelis existat, implicat, ut quis habeat animum promittendi absque animo se obligandi. Addidi *ita promittentem peccare*: quod sequitur ex ratione data; quia qui ad aliquid faciendum se obligat, sicut ad executionem, ita etiam ad ha-

ad habendam exequendi voluntatem obligatur. Controversia, &

26 Dubium 1. est, quando fictio contingit secundo modo, & promittens verba solùm pronuntiat, positivè excludens animum se obligandi? Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 43. *art.* 1. *dub.* 2. Vasq. *D.* 6. *de Matr. c.* 3. *n.* 27. Pont. *l.* 12. *de Matr. c.* 2. Gutier. *c.* 9. *de Matr. pr.* relati à Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *q.* 2. *n.* 2. putant etiam sic promittentem obligari tum ex fidelitate, tum ex justitia, ut promissis stet: ex fidelitate quidem; quia talis revera offert alteri fidem de Matrimonio contrahendo: ex justitia autem; quia sub ea fide data ab altero contrahente accipit veram, & absolutam promissionem, quam nullatenus ipse præstaret, si jus justitiæ non obtineret ad repromissionem sibi faciendam.

27 Sed veriùs Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 9. *nu.* 5. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 18. *n.* 5. Coninck *de Matr. D.* 21. *dub.* 2. *n.* 7. Laym. *L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Pal. *p.* 2. *cit. n.* 2. *v. cæterum*. Zoes. *hic n.* 8. & 19. Pith. *n.* 4. Schambog *n.* 29. Konig *n.* 30. Vviest. *hic nu.* 18. negant, hujusmodi promissione ficta Sponsalia, & obligationem Sponsalitiam contrahi. cons. is, qui promissionem hujusmodi fictam puellæ fecit, ex vi talis promissionis non tenetur eam ducere. *Ratio est*; quia ad substantiam promissionis veræ spectat animus se obligandi. Sponsalia autem sunt vera promissio futuri Matrimonii. ergo &c. *Conf.* 1. quia Sponsalia sunt lex privata, quam sibi promittens ipse imponit. ad Legem autem necessaria est voluntas obligandi in eo, qui eam imponit ergo &c. *Conf.* 2. actus agentium non operantur ultra intentionem illorum. atqui in casu præsenti non adest intentio se obligandi. ergo neque contrahitur obligatio. *Conf.* 3. qui Matrimonium contraheret animo se non obligandi ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis, invalidè illud contraheret *c. fin. de condit. apposit.* ergo etiam invalidè contrahit Sponsalia, qui illa contrahit animo promissione illa se non obligandi, nam ut prior intentio substantiæ Matrimonii; ita posterior substantiæ Sponsalium repugnat.

28 Addidi *ex vi promissionis*; nam sic promittendo committit mendacium perniciosum, & graviter peccat contra Justitiam, quæ præscribit, ut in quolibet contractu utrinque obligatorio, qualis est Sponsalium, uterque verè contrahat: proinde si is, cui facta est ejusmodi promissio ficta, patiatur inde damnum aliquod, quod aliter resarciri non potest, nisi contracto Matrimonio, ad hoc contrahendum tenebitur; ut rectè advertunt Laym. Schambog. & alii *supra citati*. Imò si ita fictè promittens fictionem probare nequeat, ad ita contrahendum compelli poterit in foro externo, etiamsi parti, cui talis promissio facta est, nullum accreverit damnum; quia fictio, cùm sit facti, probari debet, & donec probetur, præsumentur verba concordare menti, & sic facta promissio verba Sponsalitia.

29 Ad Argumentum adversæ sententiæ dico, etsi fictè promittens contra veracitatem peccet, ad implendam tamen promissionem eum nec ex fidelitate, nec ex Justitia obligari: non ex fidelitate; quia obligatio fidelitatis solùm oritur ex promissione vera: non ex Justitia; quia hæc non obligat vi promissionis; à qua animus se obligandi abest, cùm sine hoc non transferatur jus aliquod in promissarium, ex quo is petere impletionem promissionis possit. Neque obstat, quòd alter deceptus verè, & absque fictione promittat; quia eam promissionem decipiens non acceptat, etsi simulet se acceptare, & si acceptaret seriò, non tamen reciprocè promittit, quod ad Sponsalium valorem requiritur, cùm sit contractus ex natura sua reciprocus.

30 Dubit. 3. ad quid teneatur, qui sub spe Matrimonii fictè promissi Virginem defloravit? Facilè convenit inter DD. ad nihil eum teneri, si fictio, seu fallax animus ob nimiam inæqualitatem conditionis, vel ex aliis circumstantiis non difficulter advertit potuit: & ratio est; quia sic deflorata fraudi videtur consensisse. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 10. *n.* 5. Pont. *l.* 12. *de Sponsal. c.* 2. *n.* 16. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 2. *n.* 3. cum S. Thom. 4. *dist.* 28. *q. un. art.* 2. *ad* 4.

31 *Difficultas est*, ad quid teneatur deflorans casu, quo fictio facilè deprehendi non potuit? Sylv. *V. luxuria nu.* 5. Navarr. *Man. c.* 16. *nu.* 18. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 106. *n.* 4. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 10. *nu.* 20. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 10. *nu.* 3. Pont. *l.* 12. *de Matr. c.* 2. *circa fin.* Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 10. Dicastill. *de Sacram. tr.* 10. *D.* 1. *dub.* 9. *n.* 155. Pall. *p.* 2. *cit. n.* 3. *v. omnino*, Engl *hic §.* 2. *nu.* 13. Konig *n.* 31. *v. plerique*, Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. c.* 3. *num.* 61. cum multis aliis eum determinatè obligant ad deflotatam ducendam. Fundantur 1. textu *c. si seduxerit* 1. *de adulter.* quod sumptum est ex *Exod.* 22. ubi hæc verba leguntur: *Si seduxerit quis Virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem*: ubi textus utitur particula copulativa *Et* cons. deflorans non satisfacit, si dotet, vel ducat disjunctivè. 2. Justitia commutativa non tantum petit reddi æquale, sed ut reddatur idem, quod ex Justitia erat debitum, ut siquis equum furatus sit, non sufficit reddere pecuniam, cùm aliud pro alio invito creditori reddi non possit *l. mutuum* 2. §. *mutui* 1. *ff. de reb. credit.* sed decipiens ex Justitia tenebatur habere consensum in Matrimonium, quando altera pars vicissim consensit verè, & insuper corpus suum tradidit. ergo cùm possit restituere adhibendo dictum consensum, tenebitur ad id, & non satisfaciet præstando aliud. 3. In Contractu innominato *Do, ut des, facio, ut facias*, si unus contrahentium eundem implevit, etiam alter contrahens tenetur eum implere. atqui ita deflorans, dum acceptat copulam sub conditione nuptiarum oblatarum, censetur celebrasse talem Contractum. ergo &c. 4. Ita deflorans sub promissione ficta Matrimonii decepit injustè, & per dolum, sed injusta deceptio compensari debet saltem auferendo injustum dolum, quod hoc casu fiet præstando consensum verum. 5. sic deflorans in foro externo debet, ac solet cogi ad promissionem suam implendam: quod non fieret, si obligationem non contraxisset.

Sed etsi sententia hæc sit valde probabilis, probabilior tamen est, quæ docet, sic deflorantem non teneri ad defloratam ducendam, sed satisfacere, si constituta ipsi, vel aucta dote, defectum deflorationis suppleat. Ita D. Anton. 3. *p. tit.* 1. *capit.* 19. *pr. & supplem.* Gabr. 4. *dist.* 28. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 5. Barth. de Ledesm. *de Matrim. dub.* 19. *fol.* 1296. Bonacin. *de Sacram. q.* 1. *p.* 2. *n.* 9. Perez *D.* 2. *de Matr. s.* 4. *nu.* 3. Vviest. *hic num.* 20. *Ratio est*; quia si ad eam ducendam determinatè obligaretur, obligaretur vel ex promissione, ut contendit Pontius, vel ratione damni, ut vult Sanchez *Non ex promissione*: quia hæc promissio ponitur esse ficta; ex ficta autem promissione per se non nascitur obligatio implendi promissionem, ut probatum est *num.* 27. *Non ratione damni illati*; quia hoc constituta, vel aucta dote, aut alia ratione resarciri potest: unde tunc solùm tenebitur eam determinate ducere, quando dotem constituere, vel damna ex defloratione secuta aliter resarcire non potest. 32

Ad Argumenta Sententiæ contrariæ responderi hoc modo potest. *Ad* 1. dispositio *c. si seduxerit cit.* hodie ex consuetudine, & usu Tribunalium disjunctivè accipienda est: quod novum non est; nam ut *l. sæpe* 53. *ff. de V. S.* Paulus JCtus ait, *Sæpe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur*. *Ad* 2. decipiens casu, quo deceptus consensit verè, & corpus suum tradidit, ex Justitia tenetur habere verum consensum, si consensum decepti, & traditionem ab ipso factam sub ea conditione acceptavit, conceditur; secus, negatur. *Ad* 3. negatur, quòd copula à deflorante revera sit acceptata sub conditione, sub qua est oblata; hoc ipso enim, quòd promissio fuerit ficta, consensus defuit in conditionem. *Ad* 4. dolus injustus sufficienter jam aufertur, dum constitutione, vel auctione dotis cavetur, ne ille sit noxius. *Ad* 5. imprimis, ut *nu.* 28. dictum est, ad Matrimonium ineundum in foro externo compelli etiam solet ille, qui id fictè promisit absque defloratione. Deinde ratio hujus dari facilè potest; ideo enim sic promittentes Matrimonium compelluntur ad illud contrahendum, quia in foro isto præsumitur is, qui verbis aliquid promisit, etiam habuisse animum promittendi, & se obligandi. 33

Dub. 3. an vera sint Sponsalia, quando promittens habuit quidem animum se obligandi, sed venialiter tantùm? Sot. *l.* 7. *de Just. q.* 2. *art.* 1. *v. per hæc* cum quibusdam aliis videtur inclinare in negativam; quia in Voto, cum quo in hoc passu assimilantur Sponsalia, putat 34

tat non esse in potestate voventis obligare se ad culpam mortalem, vel venialem, sed ait id juxta materiæ qualitatem, vel gravitatem pensandum esse.

Sed etsi istud procedat, quando Voti materia levis est, ut sibi vovens imponere nequeat obligationem gravamen, quòd talis voluntas ut fatua, & irrationabilis non acceptetur à Deo; non tamen locum habet, quando materia Voti est gravis, cùm ad istam ex communi DD. se vovens obligare possit sub levi: & meritò; nam promissio est Lex privata, quam promittens sibi imponit. at Legislator potest sub veniali obligare in materia gravi. ergo &c.

Hinc judico cum Sanch. *l.* 1. *de Matr.* *D.* 9. *nu.* 6. posse aliquem in Sponsalibus se velle adstringere ad solam culpam venialem, & tamen contrahere vera Sponsalia; quia promissio ita facta est vera promissio, cùm adsit animus promittendi, & se obligandi; nec est de essentia, ut se obliget ad mortale.

35 Quæritur 6. an Sponsalitia promissio semper debeat respicere personam certam, & determinatam? Resp. affirmativè. Ita Gutier. *de Matr. c.* 16. *nu.* 1. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 26. *n.* 1. Bonacin. *de Sacram. q.* 1. *p.* 3. *n.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 2. *n.* 7. Konig *hic n.* 14. Vviest. *ibid. n.* 22. *Ratio est*; quia Sponsalia sunt via ad Matrimonium, & quædam istius inchoatio. ergo sicut Matrimonium contrahi non potest, nisi cum una, eaque certa, & determinata persona, ita nec Sponsalia. *Conf.* si Sponsalia, quæ certam, ac determinatam personam non respiciunt, essent vera Sponsalia, ex iis nasceretur impedimentum publicæ honestatis; contrarium autem decisum est à Bonifacio VIII. *c. un. h. tit. in* 6. ubi statuitur, quòd ex incertis Sponsalibus hoc impedimentum non nascatur.

Ex quo sequitur, non contrahere vera, & perfecta Sponsalia, qui promittit se unam ex tribus sororibus ducturum, etsi istæ vicissim polliceantur, quòd siquam ex ipsis elegerit, illa sit ipsi nuptura. Konig *hic n.* 14. Dixi *perfecta Sponsalia*; nam imperfecta Sponsalia sic promittentes contrahunt; tenetur enim sic promittens vi talis promissionis unam ex tribus eligere, & vicissim electa in Matrimonium cum ipso ineundum consentire: quo facto, Sponsalia reddentur certa, & publicæ honestatis impedimentum inducent. Sanch. *D.* 26. *citat. num.* 6. Bosco *de Matrim. D.* 11. *n.* 249. Vviest. *hic nu.* 91. Vvex. *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 1. *§.* 2. *n.* 12. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. c.* 3. *n.* 23.

36 Dub. 1. an ejusmodi promissio evadat certa, & verè Sponsalitia, si cum una trium Sororum superveniat copula carnalis? *Certum est* talem evasisse ante irritationem Matrimonii clandestini à Trid. factam: imò tunc præsumebantur non tantùm contracta Sponsalia de futuro, sed initum ipsum Matrimonium; quia eo tempore copula ex maritali potius, quàm fornicario affectu profecta præsumebatur *c. is qui fidem* 30. *hic.*

Difficultas est, hodierno tempore post Tridentinum, & postquam hujusmodi Matrimonia præsumpta sublata sunt. Negativam defendunt Sanch. *l.* 1. *de Matr.* D. 26. *nu.* 12. Barbos. *in c. ex litteris* 10. *nu.* 7. *in fin.* & alii ab his *citt.* Rationem dant, quòd post memoratum Concilium affectus fornicarius ab ejusmodi copula excludi nequeat.

37 Sed meliùs dicitur per ejusmodi copulam Sponsalia antè incerta fieri certa, & vera Sponsalia. Ita Sylv. *V. Matrimonium* 2. *n.* 11. Coninck *D.* 21. *dub.* 2. *nu.* 16. Rebell. *de oblig. Just. l.* 4. *q.* 4. *n.* 6. Perez *D.* 4. *s.* 5. *n.* 18. Vviestner *hic numer.* 24. *Ratio est*; quia talis puella non aliter, quàm sub spe suæ electionis ita determinandæ usum corporis concessisse, & deflorans exegisse censetur.

Neque obstat Argumentum sententiæ contrariæ; quia etsi nunc post Tridentinum affectus fornicarius ab ejusmodi copla excludi nequeat, tamen meritò præsumitur cum eo fuisse conjunctus animus unam eligendi, & cognitam cæteris præferendi. Ratio hujus præsumptionis est; quia unam ex tribus, ut *nu.* 36. dixi, necessariò debet eligere. nullam autem ampliùs eligere potest ex duabus reliquis; quia cum his per copulam cum deflorata habitam contraxit affinitatem, conf. ad eas ducendas factus inhabilis est. ergo &c.

38 Dub. 2. an casu, quo Titius promisit se ex tribus Sororibus ducturum illam, quam earum pater ipsi daturus esset, & pater vicissim, filiabus consentientibus, spopondit se unam ex illis daturum, si deinde Titius unam ex illis carnaliter cognoscat, teneatur pater aliquam ex ipsis eidem tradere? Resp. hoc casu Patrem non obligari ad ullam ex ipsis dandam Titio. Ita Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 26. *n.* 4. Perez *D.* 5. *s.* 4. *n.* 8. Bonacin. *de Sacram. q.* 1. *p.* 3. *n.* 5. Konig *hic n.* 15. Vviest. *num.* 25. *Ratio est*; quia si teneretur aliquam dare, teneretur vel dare cognitam, vel unam ex reliquis: non tenetur dare unam ex reliquis; quia cum his per copulam cum Sorore contraxit impedimentum affinitatis: non cognitam; quia pater vi promissionis suæ poterat eligere, nec delictum Titii potuit ipsum hac facultate privare, ne delinquens ex delicto suo referat commodum, & pater innocens patiatur damnum. Addidi in responsione, *Patrem non obligari ad ullam ex ipsis dandam*; nam si Pater velit ei dare cognitam, tenetur Titius illam ducere: quia implere promissionem suam debet eo modo, quo potest: non autem potest aliter implere, quàm ducendo cognitam. ergo &c.

Dub. 3. quid dicendum, quando Titius tribus puellis 39
promisit se illam ex ipsis ducturum, quæ certum ei obsequium præstiterit, si hoc præstatur à duabus? Resp. distinguendo: Vel enim una illarum conditionem implevit prior, vel ambæ simul. *Si primum*, illa determinata censebitur, quæ priùs conditionem impleverit juxta tritam juris Regulam: *Qui prior est tempore potior est jure*, quæ est 54. *in* 6. *Si secundum*, eligere Titius ex duabus, quæ conditionem implerunt, potest, quam vult; quia neutri illarum præ altera in specie, & absolutè quæsitum jus est, sed tantùm indeterminatè, & in omni promissione alternativa electio ad promissorem pertinet. *Reg. in alternativis* 70. *in* 6. Konig *hic numer.* 14.

Quæritur 7. an ut promissio futuri Matrimonii obliget, necessarium sit, ut à promissario, sive eo, cui fit, sit acceptata? Resp. affirmativè. Colligitur *arg. l. hujus edicti* 1. *ff. de pact.* & *l. consensu* 2. *ff. de O. & A.* juxta quos textus, ut contractu, & simplici etiam pacto obligatio inducatur, exigitur consensus mutuus, & conf. acceptatio promissarii. Matrimonium autem, & Sponsalia habent rationem Contractus. ergo nec promissio futuri Matrimonii obligat, nisi eidem accedat acceptatio promissarii. 40

Ex quo sequitur, hujusmodi promissionem, antequam illam pars altera acceptet, revocari à promittente posse; quia eo usque est simplex pollicitatio, quæ, antequam acceptetur, obligationem nullam inducit. Estque hoc verum, sive promissio hæc facta sit præsente Titia, cui facta est sive illa absente, coram amicis, vel consanguineis, nisi isti mandatum acceperint ad Sponsalia nomine Titiæ contrahenda. Engl *hic* §. 2. *num.* 10. Proceditque, ut laudatus Doctor *l. cit.* notat, licèt promittens mandaverit, ut promissionem suam absenti Titio insinuent, ejusque consensum desuper requirant; nihilominus enim, antequam Titia promissionem sibi factam acceptet, revocare promittens eandem potest: & ratio est; quia consanguinei in hoc casu non sunt plus, quam Procuratores ad contrahendum cum Titia destinati. Procurator autem in causa matrimonii etiam in absentia revocari potest.

Dub. 1. an ut promissio futuri Matrimonii Sponsalia 41
inducat, sufficiat, eam à promissario acceptari sine repromissione? Affirmant Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 4. Henriq. *l.* 11. *c.* 13. *n.* 2. Vasq. *D.* 4. *c.* 3. Pont. *l.* 12. *c.* 4. *n.* 2. & probare hoc etiam videtur ratio; quia Titius promissionem Matrimonii sibi factam à Caja acceptare nequit, nisi Matrimonium cum ea ipse inire velit. igitur acceptans ejusmodi promissionem, etiam acceptat, & approbat Matrimonium futurum, & conf. illud virtualiter repromittit, *Conf.* à paritate cum Contractu Matrimoniali, in quo acceptatio Juris sibi traditi in corpus ad actus conjugales, necessariò etiam includit traditionem Juris in corpus suum ad ejusmodi actus, quia Matrimonium claudicare non potest, nec una pars obligari ad actus conjugales, quin etiam altera obligetur.

Sed verius est, Sponsalia non induci, aut perfici so- 42
la acceptatione promissionis Matrimonii, sed necessarium esse, ut ei accedat præterea repromissio. Ita Abb. *in cap. nonne* 5. *de præsumpt. num.* 1. Felin. *ibid. nu.* 19.

Navar.

Navar. *Man. c.* 22. *n.* 28. Sot. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 42. *n.* 2. Gutier. *de Matr. c.* 5. *n.* 1. Sanchez. *l.* 1. *de Matr. D.* 5. *n.* 12. Perez *D.* 1. *s.* 10. *n.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 3. *n.* 8. Engl *hic* §. 2. *n.* 3. *&* 8. Konig *n.* 44. Vvieft. *n.* 46. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. c.* 3. *n.* 115. *& seqq. Ratio est*; quia promiffio Matrimonii cum aliquo ineundi poteft effe gratuita, & non repugnat, ut aliquis fe obliget ad ineundum cum alio Matrimonium, quin ad hoc obligetur promiffarius, ut cum *cit.* advertit Schambog *hic n.* 4. & probari poteft à pari; nam ita obligare fe aliquis poteft ad equum fuum vendendum alteri, vel cum ejus equo permutandum, quin viciffim ifte ad eum emendum, aut permutationem admittendam fit obligatus. *Subfumo*; atqui promiffio Sponfalitia nequit effe merè gratuita, & unam folùm partem ligare, ut patet ex definitione Sponfalium *n.* 9. tradita, vi cujus Sonfalia funt mentio, feu repromiffio futurarum Nuptiarum: proinde non fufficit, ut una pars acceptet promiffionem alterius, fed infuper requiritur, ut altera repromittat, five fe viciffim ad Matrimonium fuo tempore contrahendum obliget. ergo &c.

43 *Ex quo fequitur* cafu, quo Titius Berthæ promittit Matrimonium animo fe obligandi hac fua promiffione, fi Bertha eam promiffionem acceptet quidem, fed non viciffim Matrimonium eidem repromittat, hac promiffione, & acceptatione obligationem Sponfalitiam nullam contrahi, ut rectè Navar. *Man. c.* 22. *n.* 25. Henriq. *l.* 11. *c.* 13. *n.* 2. Molin. *tr.* 2. *D.* 263. *n.* 11. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 5. *n.* 4. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 2. Engl *hic* §. 2. *n.* 2. Pith. *n.* 3. Schamb. *nu.* 4. Vvieft. *n.* 26. *Ratio est*; quia fi obligatio Sponfalium induceretur, induceretur illa vel ex parte Titii, vel ex parte Berthæ: non ex parte Berthæ; quia hæc non voluit fe obligare Titio, acceptando promiffionem illius, fed hunc tantùm obligatum fibi habere; actus autem agentium non operantur ultra intentionem illorum *l. non omnis* 19. *pr. ff. de reb. credit.* Non etiam ex parte Titii, quia hic non cenfetur aliam voluiffe obligationem fubire, quàm contractus Sponfalitii, & fub conditione, *fi etiam Bertha repromiferit Matrimonium.* igitur cùm Bertha viciffim non repromiferit, & fe Titio obligarit, ex Titii promiffione, utpote conditione non impleta, obligatio non confurgit.

44 *Ex quo iterum deducitur*, in cafu dato Titium, ufque dum Bertha repromittat, poffe revocare fuam promiffionem, non obftante, quòd iftam illa acceptaverit; quia adhuc eft imperfecta promiffio, utpote cùm pendeat adhuc conditio, fub qua facta eft. *Excipitur*, fi Titius Berthæ tempus ad deliberandum dederit; tunc enim exfpectare debebit ejufdem lapfum, nec revocare antea promiffionem poteft. Similiter revocare promiffionem non poteft, fi hæc fit merè gratuita, & fine animo petendi, ut pars altera repromittat; nam per ejufmodi promiffionem contrahitur ex parte promittentis obligatio abfoluta, non quidem Sponfalitia (nam ifta, ut dictum eft, ex effentia fua eft mutua) fed ad modum promiffionis acceptatæ fimplicis. Dixi *ex parte promittentis*; nam ex parte promiffarii nulla oritur obligatio: & hinc ifte etiam poft acceptatam eam promiffionem ad Matrimonium cum promittente contrahendum compelli nequit; quia tantùm habuit promittentem fibi obligatum, ipfe verò ex defectu repromiffionis obligatus non fuit. Et hinc ex tali promiffione etiam non nafcitur impedimentum publicæ honeftatis, fed Titius Bertha, cui promiffionem hujufmodi fecit, mortua contrahere Matrimonium cum forore ipfius poteft. Engl *hic* §. 2. *numer.* 3. Vvex *Ariadn. part.* 5. *tract.* 2. *part.* 1. §. 2. *numer.* 9. *final.*

Ad Argumentum *numer.* 41. à parte adverfa allatum patet ex dictis, meram acceptationem promiffionis factæ non habere vim virtualis repromiffionis; quia poteft Bertha promiffionem Matrimonii fibi à Titio factam acceptare, nec tamen viciffim fe obligare Titio. *Ad Conf.* negatur paritas inter contractum Matrimonii, & promiffionem illius, nam in contractu Matrimoniali, cùm ille ex natura fua fit mutuus, traditio, & acceptatio Juris in corpus ad actus conjugales aliter dari non poteft, nifi conjuncta fit viciffim cum traditione Juris in corpus fuum, cùm fine hac traditio Juris in corpus fuum facta ab una tantummodo parte fornicaria fit. Non ita fe habet promiffio Matrimonii ineundi merè gratuita, & fimplex; nam hæc, ut oftenfum hactenus eft, dari, & acceptari poteft, quin viciffim acceptans Matrimonium repromittat.

Dub. 2. an nullo cafu acceptatio vim repromiffionis 45 habeat? Refp. id poffe, & debere colligi ex circumftantiis; nam fi in talibus circumftantiis detur promiffionis ab alio factæ acceptatio, ut inde præfumi poffit animus repromittendi, talis acceptatio pro repromiffione habebitur, & præfumetur contracta obligatio Sponfalitia. Et talis cafus eft, quando in præfentia amicorum, vel aliorum actum fuit de Sponfalibus hic, & nunc contrahendis; nam eo cafu poftquam una pars intentionem contrahendi Sponfalia fufficienter declaravit, & promifit Matrimonium, altera pars acceptando promiffionem cenfebitur Matrimonium virtualiter repromififfe. Engl *hic* §. 2. *numer.* 8. Ratio eft, quia promiffio non cenfetur aliter acceptari, quàm quatenus facta eft. fed præcisè facta eft cum intentione hic & nunc contrahendi Sponfalia. ergo hoc, & non alio modo cenfetur acceptata.

Dub. 3. utrum acceptatio ad inducendam obligatio- 46 nem ex parte promittentis requiratur etiam, quando promiffio Matrimonii eft merè gratuita? *Certum est* requiri, quando fit præfenti. Quando abfenti fit, dubium moveri poteft: & ratio dubitandi fumitur ex *cap. veniens* 5. *qui Cleric. vel vov.* ubi Matrimonii promiffio abfenti facta pro valida habetur fine ulla mentione acceptationis. *Sed dicendum.* ante acceptationem promiffionis in cafu propofito obligationem non induci. Ita Gloff. *in c. veniens cit. V. promifit.* Hoft. *ibid. pr.* Joan. Andr. *n.* 8. Abb. *n.* 7. & *in c.* 2. *de defponf. impub. num.* 2. Alex. de Nevo *in c.* 2. *cit. n.* 3. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 263. *n.* 11. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 6. *nu.* 24. & alii paffim. *Ratio est*; quia in materia Matrimonii, & aliis Ecclefiafticis, ubi Leges non funt SS. Canonibus contrariæ, judicandum eft fecundùm Leges *c. intellexi-mus* 1. *de nov. oper. nunt.* atqui SS. Canones in re ifta non divertunt à Legibus, fed utroque Jure ad inducendam obligationem ex promiffione acceptatio defideratur *cap. Antigonus* 1. *& c. qualiter* 3. *de pact.* igitur promiffio Matrimonii etiam gratuita ante acceptationem non obligabit, fed revocabilis erit. *Ad Rationem dubitandi*, ut rectè notant Gloff. Hoft. Joan. Andr. in cafu *c. citat.* contractui nomine abfentis intervenit Procurator cum mandato fpeciali: quo cafu confenfus novus non requiritur, fed antiquus fufficit, modò interea revocatus non fit.

Quæritur 8. an promiffio Sponfalitia poffit effe merè 47 interna? Refp. negativè; fed debet fignis externis exprimi. Ita communis cum S. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *Ratio est*; quia dirigenda eft ad alterum, à quo ipfa intelligi, acceptarique, & repromiffio fieri debet. hoc autem fieri non poteft nifi exprimatur figno aliquo externo internus mentis confenfus. ergo &c. Poteft autem hoc fieri per verba non folùm formalia, fed etiam virtualia, & quæcunque alia figna externa, quæ confenfum in Matrimonium contrahendum fufficienter manifeftant, ut clare fumitur ex *cap. cum apud* 23. *& capit. tuæ* 25. *h. titul.* Et procedit hoc etiam in iis, qui loqui poffunt; nam & hi, fi aliis fignis confenfum fuum declarent, validè contrahunt. Pirh. *hic num.* 11. Schamb. *ibid. num.* 14. *Ratio est*; quia fubftantia Matrimonialis, & Sponfalitii Contractus confiftit unice in confenfu contrahentium, qui etiam fine verbis formalibus haberi poteft.

Neque opus eft confenfum externum poni ab ipfo con- 48 trahente, fed hoc fieri poteft etiam per internuntium, vel Procuratorem *c. fin. de Procurator in* 6. quia Contractus Matrimonialis à Chrifto folum elevatus eft ad rationem Sacramenti, de cætero non recedit à ratione Contractus Civilis, qualis antea contrahebatur à Sponfis. atqui antea de Jure Civili tam Matrimonium, quam Sponfalia contrahi potuerunt per internuntium, & procuratorem &c. *l. final. ff. h. tit.* ergo &c. Parum autem intereft, quis conftituatur hoc cafu Procurator, mas, an fœmina; nam etiamfi Sponfalia à principalibus perfonis contrahenda defiderent virum, & fæminam, fi tamen contrahantur à Procuratore, is poteft effe fæmina, vel mafculus: quin & duæ fæminæ, vel duo mafculi ex parte utriufque principalis intervenire poffunt. Petr. de

Ledefm.

Ledesm. *de matrim. q.* 42. *art.* 1. *dub.* 7. Sanch. *l.* 2. *de matr. D.* 11. *num.* 15. Boss. *de matr. cap.* 3. §. 55. *n.* 277. Magnif. P. Schmier *de Sponsal. p.* 1. *c.* 2. *n.* 82. nec enim ex parte Procuratoris requiritur, ut ille sit capax juris, per suum ministerium acquirendi, sed tantum desideratur, ut ipse principalis, cujus ministrum agit, capacitatem illam habeat.

49 Dub. 1. qualia debeant esse verba, ut his expressus censeatur consensus Sponsalitius? Resp. debent esse talia, quæ significent ipsam promissionem Matrimonii contrahendi. Unde promissio de Sponsalibus contrahendis, quamvis obliget ad Sponsalia contrahenda, & videatur esse promissio Matrimonii, saltem mediate, nomen tamen Sponsalium non meretur, & ideo nec publicam honestatem, aliosque effectus Sponsalium proprios parit, sicut promissio venditionis non est venditio, neque titulum in alium transfert. Tusch. *lit. S. concl.* 402. *num.* 2. Covar. *l.* 4. *part.* 1. *cap.* 4. *pr.* Konig *hic num.* 24.

50 Ad dignoscendum, an verba, & alia signa posita promissionem Sponsalitiam significent, ex communi DD. sequentes ponunt Regulæ. 1. intelligenda sunt secundum modum loquendi in Provincia tali receptum *c. ex litteris* 7. *hoc tit. l. semper* 34. *ff. de R. I.* Covar. *l.* 3. *var. c.* 5. *num.* 1. Barbos. *in c. ex litteris cit. n.* 7. Pirhing *hic n.* 84. & 85. *not.* 3. Schambog. *ibid. n.* 16. Wiestner *n.* 47. 2. verba posterius promittentis, si significationem alias dubiam habeant, intelligenda sunt secundum verba promittentis prius, si hæc sint clara, Ledesm. *de Matr. quæst.* 45. *art.* 1. *dub.* 1. 3. si utrinque verba sint dubia, ex circumstantiis autem constet, qua mente ea loquens protulerit, secundum hanc intelligi debent *can. humanæ* 11. *caus.* 22. *q.* 4. 4. imo verba, & signa, qualiacunque sint, per se non obligant, nisi, qui iis sunt usi, revera consenserint in Sponsalia, quia hæc non verborum sonitus, sed consensus facit. Et hinc 5. quibuscunque signis, aut verbis quis usus sit, si tamen Iudici probare possit, quod alio, quam Sponsalia contrahendi animo usus iisdem sit, in foro etiam externo non tenebitur, ut cum Sanch. Less. Gob. Pith. recte advertit P. Wiest. *hic n.* 49.

51 Porro verborum formulæ diversæ à DD. afferuntur, quibus significari sponsalia de futuro possunt. Ex his aliquæ sunt certæ, quæ omnium judicio contractum Sponsalitium indicant, ut *Contraham tecum Matrimonium ducam te in conjugem, accipiam te in meam &c.* Aliæ vero sunt dubiæ, ut si quis Berthæ repromittenti dicat, *Accipio te in crastinum. Rationem dubitandi* facit verbum præsentis temporis *accipio*, ob quod Zoes. existimat non esse Sponsalia de futuro sed Matrimonium conditionate initum, quod adveniente die crastina, tanquam impleta conditione, sine novo consensu fiat absolutum *Sed dicendum*, in dubio censeri tantum inita Sponsalia de futuro; quia licet *accipio* sit verbum præsentis temporis, per clausulam tamen *in crastinum* impeditur de præsenti effectus, & tantum ea proferens videtur se obligare ad matrimonium contrahendum cras. Schamb. *hic n.* 20.

52 Dub. 2. an matrimonialem, an vero Sponsalitium duntaxat contractum importent verba *Volo te habere in uxorem*? Hodie quando post Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.* nullum matrimonium contrahi potest sine Parocho, & testibus, atque ex generali Ecclesiæ ritu contrahentes conveniunt in ipsa Ecclesia, ut non Sponsalia de futuro, sed matrimonium per verba categorica, interrogante Parocho, contrahant, vix amplius controversiæ hujus videtur esse utilitas.

Controversia est de Iure antiquo. Refert Zoesius, quod aliqui velint sub hac forma contineri matrimonium. *Rationem* dant 1. propter verbum executionis, scilicet *Volo te in uxorem*, cui additus infinitivus *Habere* ponit perfectionem actus. 2. Is, qui dicit, *Volo te in uxorem habere*, tacite dicit, *Non volo tecum inire Sponsalia*. ergo ita dicendo init matrimonium. 3. *c. ex parte* 9. *hoc tit.* dicitur per eam formulam initum esse matrimonium.

53 Sed plerique in hoc convenerunt, quod decisio sit principaliter desumenda ex circumstantiis, & mente contrahentium. an scilicet voluerint contrahere Sponsalia, vel matrimonium, juxta Regulas *n.* 50. datas.

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. qui dicit se velle emere, aut velle vendere, non potest censeri eam rem jam emisse, aut vendidisse, cum promissio contractus distet ab ipso contractu. Directe respondeo, etsi infinitivus verbo executionis additus ponat perfectionem actus, non tamen idcirco significatur præsens executio, sed potius futura, nisi aliud colligatur ex circumstantiis. *Ad* 2. Negatur *Ant.* quia dicit, *Ineo tecum Sponsalia, vi quorum te habeo postea uxorem*. *Ad* 3. in casu *c. cit.* proferentes ea verba addebant, *Ab hoc tempore te pro conjuge tenebo*, quæ verba addita faciunt, futurum *Tenebo* referri ad præsens.

Dub. 3. an Sponsalia ineantur per verba, *Nullam ducam præter*, vel *nisi te*, aut alia his æquivalentia. Affirmant Ant. de Butrio *in cap. ex parte* 9. *hoc tit. n.* 10. Abb. *ibid. n.* 8. Rosell. *V. Matrimonium* 3. *num.* 4. Sylv. *V. Matrimonium* 2. *quæst.* 10. *dict.* 4. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 3. *num.* 8. & alii plures apud Sanch. *l.* 1. *de Matrimonio D.* 19. *num.* 3. *Fundantur* 1. quia dictio *Nisi* (eandem vim, ac sensum Barbos. *Usufr. dict.* 279. *n.* 4. tribuit particulæ *præter*) ex sua natura semper contradicit præcedentibus, & propterea sicut, quando oratio affirmativa præcedit, ut cum dico, *Omnes currunt, nisi Petrus*, ipsa negant, ita quando præcedit Oratio negativa, ut cum dico, *Nemo currit, nisi Petrus*, ipsa affirmat juxta *l. actione* 4. *C. de transact. & ibi* Interpp. cum ergo in propositione, *Nullam ducam nisi*, vel *præter te* dictiones *Nisi, & Præter* præcedat oratio negativa, ipsæ affirmabunt, & consf. inducent obligationem Sponsalitiam. 2. Quando Judæi inclamarunt Pilato, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, sensus hinc erat, *Cæsar est noster Rex, & non alius*. ergo quando Sempronius Berthæ dicit, *Non ducam aliam, nisi te*, sensus erit, *Te ducam, & non aliam*. 3. Si quis dicat, *Te ducam, non aliam*: vel *non aliam, sed te ducam*, censetur contrahere vera Sponsalia, ut cum communi docent Sanch. *D.* 19. *cit. n.* 2. & Rosignol. *de Sponsal. præn.* 5. *f.* 17. *n.* 2. ergo etiam siquis pronuntiet formulam in quæstione allatam. 4. Qui dicit, *Nullam duco, quam te*, vel *nisi te*, censetur contrahere Sponsalia de præsenti. ergo qui dicit, *Nullam ducam præter*, vel *nisi te*, censebitur contrahere Sponsalia de futuro. 5. Ista formula est saltem dubia. atqui in dubio, sicut pro matrimonio, ita & pro Sponsalibus pronunciandum est. ergo &c. 54

Verum his non obstantibus, probabilius est non contrahi obligationem Sponsalitiam absolutam. Ita Alex. de Nevo *in c.* 9. *hoc tit. n.* 31. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 4. §. 1. *n.* 8. Henriq. *l.* 11. *c.* 12. *n.* 7. Gutier. *l.* 1. *qq. can.* 21. *n.* 13. *& seq.* Barth. de Ledesm. *de Matr. dub.* 9. Sanch. *D.* 19. *cit. n.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 2. *coroll.* 2. Rosign. *f.* 17. *cit. num.* 3. *& seq.* Zoes. *hic n.* 12. Engl §. 2. *n.* 11. Schambob. *n.* 19. Wiestner *n.* 35. Reiffenstuel *n.* 33. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. cap.* 3. *num.* 5. *Ratio est*; quia formula quæstionis est negativa, sicque promissionem futuri matrimonii non tam refert, quam excludit. Et licet per adjectas particulas *præter, & nisi*, tamquam exceptivas, limitetur antecedens negatio, attamen limitatio ista non est absoluta, sed resolvitur in conditionem, idemque significat, ac *Non ducam uxorem, vel si aliquam duxero, te ducam*. Idque de particula exceptiva *Nisi* deducitur ex *l. quibus* 40. §. *quidam* 2. *ff. de condit. & demonstr.* ubi probatur responsum Labeonis, existimantis, in utroque casu Legatum sub conditione relictum esse, sive testator dixerit, *Hæres meus pecuniam, si mater mea morietur, dato*; sive scripserit, *Nisi mater mea morietur*. *Conf.* quia in dubio, quando Jure aliquid dispositum non est. non facile inducenda est obligatio *arg. l. Arianus* 47. *ff. de O. & A.* præsertim ad contrahenda matrimonia, quæ, cum coacta sunt, frequenter difficiles exitus habere solent *cap. requisivit* 17. *in fin. hoc tit.* 55

Addidi, *Non contrahi obligationem Sponsalitiam absolutam*? nam conditionata illis verbis contrahitur, scilicet ducendi hanc, si aliquam ducere velit, vel disjunctivæ hanc, vel nullam ducendi. Quod si tamen formula sæpius memorata sic efferretur, *Ducam uxorem, & nullam aliam, nisi te*, per ea verba censerentur contracta Sponsalia pura, ita, ut ea proferens se censeatur obligare ad hanc ducendam, ut notat Zoes. *hic n.* 1. 56

n. 1. & ratio est; quia per verba illa, *Ducam uxorem*, sublata est disjunctio hanc, vel nullam ducendi. Imo si ex conjecturis, & circumstantiis deprehendi possit, quod Titius e. g. dum Berthæ dixit, *Nullam aliam ducam, nisi te*, voluerit actu contrahere Sponsalia de futuro, censebuntur contracta absolute, non obstante ambiguitate formulæ, quippe cujus incertitudo per circumstantias tali casu sufficienter determinatur. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 4. *num.* 3. Sanch. *lib.* 3. *de Matr. D.* 19. *n.* 7. Rosignol. *loc. cit. n.* 3. Engl *nu.* 11. *cit. in fin.* Konig *n.* 40. *vers. mihi videtur*, Magnif. P. Schmier *c.* 3. *cit. n.* 19. quia juxta dictum S. Gregorii relatum *c. secundo* 41. *de Appell.* non intentio verbis, sed verba intentioni accommodari debent.

57 Neque aliud evincitur ex Argumentis sententiæ oppositæ. *Ad* 1. dictio *Nisi* interdum, præsertim ad futurum tempus relata, conditionalis est, ut clare patet tum ex *l. quibus cit.* tum *arg. l. si sterilis* 21. §. *sed etsi* 5. *ff. de act. empt.* qua dicitur, siquis alteri fundum ita vendat, ex vendito actionem tum demum dari, si alteri vendiderit; & ex *l. Titia* 59. §. *fin. ff. de manumiss. testam.* ibi *Onesiphore, nisi*, h. e. si *diligenter rationes redditeris, liber ne esto?* *Ad* 2. Negatur *Cons.* Disparitas est, quia propositio *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, est concepta de præsenti; propositio autem, *Non ducam aliam, nisi te*, est concepta de futuro; atqui, ut optime cum aliis notat Magnif. P. Schmier *cap.* 3. *citat. num.* 15. & 16. particula exceptiva *Nisi*, vel *Quàm*, quando apponitur promissioni de præsenti, continet affirmationem absolutam; si vero concepta est de futuro, parit affirmationem conditionatam tantum. *Ad* 3. iterum negatur *Cons.* Ratio discriminis est; quia *Te ducam*, vel *sed te* est affirmativa continens promissionem futuri Matrimonii cum certa persona; nec illa destruitur per annexam negationem, *Non aliam*, utpote quæ cadit super objectum diversum, nec vim conditionis, sed majoris explicationis habet. At propositio *Non ducam aliam, nisi te*, est negativa, & annexa particula exceptiva *Nisi*, cum vim conditionis habeat, non limitat negativam aliter, quam conditionate, ut nempe eam pronuntians obligetur eam personam ducere, si ducere uxorem velit. *Ad* 4. patet ex hactenus dictis; discrimen enim inter utramque illam propositionem est, quod ea, quæ in *Ant.* est posita, sit concepta de præsenti, & pariat affirmationem absolutam, ea vero, quæ in *Cons.* concepta sit de futuro, & contineat affirmationem conditionatam. *Ad* 5. in dubio de valore Sponsalium potius standum pro libertate est, ut declaravi *supra n.* 6.

58 Dub. 4. an sufficiens Sponsalium signum sit taciturnitas Sponsi, vel Sponsæ ad oblatas sibi nuptias? Resp. hic distinguendi sunt tres casus. 1. Quando Bertha e. g. ad Matrimonii promissionem sibi à Titio factam tacet. 2. Quando tacet ad Sponsalia nomine ipsius contracta à parentibus. 3. Quando nomine ipsius Sponsalia contrahunt cognati ejusdem, fratres, aut tutores, & illa præsens non contradicit.

Ad 1. convenit inter DD. tenendam esse negativam; quia in iis, quæ præjudicium afferre possunt, taciturnitas pro signo consensus non habetur, nisi quando tacens, si dissentiat, loqui tenetur, ut *arg. l. filiusfamilias* 8. §. *invitus* 1. *ff. de Procurator.* advertunt Dyn. *in Reg. qui tacet* 43. *in* 6. *num.* 3. Covar. *pract. cap.* 15. *num.* 5. *vers. deinde*, Petr. Barbosa *in l. quæ dotis* 33. *num.* 153. & 164. *ff. solut. Matrim.* August. Barbosa *Usufr. axiom.* 217. *n.* 3. Engl *hic* §. 2. *n.* 8. Konig *ibid. n.* 44. *vers. sed negativam*. Vviest. *nu.* 39.

59 *Ad* 2. triplex sententia DD. est. Nam 1. aliquid apud Guttier *de Matrim. cap.* 13. *num.* 1. generaliter negant sufficere solam taciturnitatem, nisi alia signa interni consensus in filiis accedant; tum quia tacens non censetur consentire, cum de obligatione suæ personæ, & gravi præjudicio agitur, secundum dicta *n. praced.* tum quia essentia Sponsalium consistit in vero, & naturali consensu ipsorum contrahentium *l. sufficit* 5. & *l. Sponsalia* 11. *ff. hoc tit.* consensus autem ex taciturnitate non est verus, & naturalis, sed præsumptus tantum præsumptione Juris *c. un.* §. *fin. de desponf. impub. in* 6.

60 2 Alii cum Joan. Andr. *in c. un. citat. num.* 2. Franc. *ibid. n.* 4. Guttier. *cap.* 13. *cit. num.* 11. Sanch. *l.* 11. *de Matr. D.* 23. *à num.* 6. Dian. *p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 271. *in fin.* Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. cap.* 2. *num.* 53. distinguendum putant, an Sponsalia nomine filiæ à parentibus contrahantur, præsente filia, an ea absente, & ignorante. *Si primum*, concedunt ex taciturnitate ejusdem præsumi consensum in Sponsalia ob decisionem Bonifacii VIII. *cap. un. cit. Si secundum*, ultra taciturnitatem alia signa requiri volunt, nixi textu ejusdem *cap.* ubi exigitur, ut postquam filii de parentum contractu notitiam adepti sunt, ipsi hujusmodi contractum tacite, vel exprese ratificaverint. Disparitatis rationem dant istam; quia dum filius præsens est, & intelligit, quid nomine suo à parentibus agatur, magis præsumitur reclamaturus, si interne non consentiret, quam dum est absens, ubi ordinarie non ita aperte advertit suum versari præjudicium, & facile credit, se adhuc reclamare posse, ubi ad Sponsam, vel amicos ejusdem pervenerit.

3 Communior sententia cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 1. Paludan. *ibid. quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. *num.* 4. Sot. *ad eandem dist. quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 1. Ancharan. *in cap. un. cit.* §. *fin. num.* 3. Henriq. *lib.* 11. *de Matrim. cap.* 13. *num.* 5. Petr. à Ledesm. *de Matr. q* 43. *art.* 2. *dub. ult. concl.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *summ. edit.* 2. *c.* 234. *num.* 2. Conink *D.* 21. *dub.* 3. *n.* 38. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 4. *num.* 14. Perez *D.* 4. *sect.* 6. *num.* 15. Pirh. *tit. de Matr. contract. contr. interd. Eccl. num.* 5. *not.* 5. Konig *hic n.* 19. & 20. Vviest. *ibid. num.* 41. docet, utroque casu, sive filio, aut filia præsente, sive illa absente, ejus nomine parentes ipsius Sponsalia contrahant, ex sola taciturnitate præsumi consensum. *Ratio est*; quia in utroque casu filia, si non consentiat desponsationi sui, ne parentum dicta, aut acta contemnere videatur, ubi intelligit factum, mentem suam explicare tenetur; igitur quando tacet, & factum sibi displicere non exprimit, præsumitur consentire juxta *Reg. qui tacet* 43. *in* 6. 61

Proceditque hoc tam de patre, quam de matre; quia *cap. un. cit.* §. *fin.* non distinguit, neque ratio æqualitatis distinguere sinit, eo quod affectus teneritudo perinde, vel magis in matre, quam in patre reperiatur. Sanch. *D.* 23. *cit. num.* 9. Pal. *tr.* 28. *disp.* 1. *p.* 4. *n.* 12. Engl *tit. de desponf. impub.* §. 2. *num.* 4. Passerin. *in cap. un.* §. *fin. cit. n.* 24. Magnif. P. Schmier *c.* 2. *cit. num.* 39. Neque refert, an liberi illegitimi, an legitimi sint, sui, an emancipati; quia in *cap. cit.* non fit discrimen, potiorque videtur hic esse consideratio naturalis, quam civilis; atqui ratio naturalis non minus pro illegitimis, & emancipatis pugnat, cum etiam in hos parentum amor præsumatur ingens. Sanch. *loc. cit. n.* 10. & 11. Guttier. *de Matr. c.* 13. *n.* 7. & 8. Engl *nu.* 4. *citat.* Magnif. P. Schmier *n.* 40. 62

Dixi *præsumi consensum*; nam si liberi revera non consentiant, non inducetur obligatio Sponsalitia; quia Sponsalia requirunt consensum non qualemcunque, sed verum, & naturalem, qualis non est consensus præsumptus tantum, cum revera præsumptus consensus conjungi possit cum actuali dissensu interno, quem non audeant liberi explicare absterriti metu reverentiali. Item potest contingere, ut liberi quidem consentiant acceptando promissionem sibi factam, sed absque repromissione; nam juxta *Reg.* 44. *in* 6. *is, qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*. Quod si fiat, in foro interno, in quo creditur dicenti tam contra quam pro se, præsumptio hæc nullum habebit locum; imò nec in foro externo si puella dissensum probaverit, quod fieri per conjecturas, & præsumptiones alias, aut in earum defectum per juramentum poterit. Magnif. P. Schmier *num.* 51. 63

Argumenta primæ sententiæ *num.* 59. allata non multum urgent. *Ad* 1. etsi agatur de obligatione liberorum, tamen ex intentione parentum non tam de præjudicio, quam de utilitate tacentis agitur, siquidem paternus amor nihil in illis sinistri suspicari permittit: *Ad* 2. etsi concedendum omnino sit non fore Sponsalia, si liberi, quorum nomine contrahuntur, revera non consensissent, ut patet ex *n. præc.* in foro tamen externo absolute judicabitur, & præsumetur adfuisse consensum, adeoque Sponsalia reipsa, & validè fuisse contracta, donec præsumptio hæc per contrariam probationem, aut præsumptionem fortiorem elidatur. 64

Ad 3.

65 *Ad* 3. dubii *nu.* 58. propositi membrum *certum est*, si fratres, cognati, Tutores &c. ad sponsalia contrahenda instructi sint speciali mandato, ex taciturnitate præsumi consensum; cum enim matrimonium per Procuratorem contrahi possit, contrahi etiam sponsalia poterunt nomine puellæ præsentis, & tacentis. *Conf.* praxi Indiarum, & præsertim Americæ, in quarum pluribus provinciis in matrimoniali contractu verba consensum significantia proferuntur non ab ipsis contrahentibus, sed eorum nomine à loci præfecto.

66 *Controversia est* de casu, quo cognati, tutores &c. non habent speciale mandatum. Gloss. *in cap. un. V. sponsalia de desponf. impuber.* Host. *in c. litteræ* 1. *de matrim. contract. contr. inter dict. Eccl.* Ancharan. *ibi nu.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *cap.* 234. *num.* 4. Pont. *libr.* 2. *c.* 14. *num.* 17. & alii, præsertim antiquiores, putant etiam hoc casu taciturnitate puellæ induci sponsalia: quod quidam extendunt etiam ad extraneos, cum moderamine tamen, & distinguendo inter forum externum, & internum; nam ut in foro externo censeantur contracta sponsalia, putant satis esse, quicunque respondeat, in foro interno autem minimè, nisi tutores, aut cognati sint, ut videre est apud Sanch. *lib.* 1. *D.* 23. *num.* 6. *Nituntur* 1. Textu *c. litteræ cit.* ubi referuntur sponsalia, à fratre contracta pro sorore tacente, & consentiente. 2. *c. ex parte* 14. *de restit. spoliat.* dicuntur contracta nomine neptis à patruo. 3 si à parentibus contracta sint sponsalia, Taciturnitas pro consensu habetur, quia parentes liberos suos naturaliter valde diligunt, & propterea optimè ipsis consulere præsumuntur; idem autem præsumi potest de Fratribus, Cognatis, Tutoribus &c.

67 Sed melius negativam defendunt Paludan. 4. *dist.* 27 *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. *num.* 4. *& quæst.* 2. *art.* 3. *concl.* 4 *num.* 19. *&* 20. Covar. *de sponsal. part.* 1. *c.* 4. *pr. num.* 4. Gutier. *c.* 13. *de matrim. num.* 2. Sanch. *D.* 23. *cit. num.* 7 Palao *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 4. *num.* 17. Barbosa *in c. litteræ citat. num.* 3. Engl *tit. de desponf. impub.* § 2. *num.* 21. Pirhing *tit. de matrim. contract. contr. Interdict. Eccl. num.* 5. *not.* 5. Schamb. *hic num.* 14. Konig *ibidem num.* 21. Vviestner *num.* 43. Magnif. P. Schmier *de sponsal. part.* 1. *capit.* 2. *num.* 75. *Ratio est*; quia contractus matrimonii, & sponsalium de Jure naturali, & Divino ira personalis est, ut nemo, etiam pater, eo Jure præstare consensum possit pro filio, nisi speciale ab eo mandatum habeat; igitur dum parentum consensus, junctus cum Taciturnitate filii, sponsalia præsumpta facit, id habetur ex dispositione, & præsumptione Juris positivi tantum per *cap. un. cit.* quæ cum sit restrictiva Juris naturalis, ultra casum in Jure expressum extendi non debet; extenderetur autem, si procederet etiam in fratribus, cognatis, tutoribus; quia *capit. citat.* solorum parentum meminit; ergo &c.

68 *Ex quo sequitur*, licèt fortasse pupillus, aut soror reipsa complacentiam, & internum consensum sponsalia contrahendi, seque obligandi habeat, dum Tutor, vel frater ejus nomine contrahit, inde tamen sponsalitiam obligationem neque pro foro interno, & conscientiæ ullam exsurgere, ut bene advertit. Konig *hic n.* 21. *fin. Ratio est*; quia ut *n. præc.* ostensum est, ex Juris dispositione verba solorum parentum, non verò Tutoris, vel alterius quomodocunque conjuncti consensum internum in sponsalitiam obligationem significant; igitur etsi pupillus, vel soror ad promissionem Tutoris, vel fratris tacuerit, non tamen censebitur hoc ipso promisisse matrimonium; vel si illud internè promisit, hæc tamen promissio, quia signo idoneo ab ipso promittente expressa non est, & ideo ab altera parte acceptari non potuit, obligatoria nullatenus erit.

69 Neque vim aliquam habent Argumenta opposita: *Ad* 1. in casu *c. litteræ citat.* soror præsens non tacuit; sed ut textus habet, consensit, & quidem expressè; nam hoc agebatur, ut mediante fratre tanquam per Procuratorem sponsalia contraherentur secundum Gloss. *ibidem V. præsente*. *Ad* 2. ex textu satis colligitur sponsalia à patruo in casu ejus *can.* vel nulla fuisse contracta, vel si contracta sunt, fuisse invalida. *Ad* 3. ut minor est cognatorum amor, quàm parentum, ita etiam minus studium ac cura providendi sororibus; & cognatis: conf. etiam non est eadem ratio taciturnitatem pro consensu interpretandi.

Dub. 5. an sufficiens sponsalitiæ promissionis signum 70 sit anuli traditio, & receptio, sive, ut vocari solet, *subarrhatio*. Resp. ex se est insufficiens; quia ex aliis etiam amoris inhonesti causis, fieri potest ut rectè observant Abb. *in c. fin. de desponf. impub. num.* 7. Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 2. *a nu.* 1. Mascard. *de probat. concl.* 1024. *num.* 2. *& seq.* Sanchez *l.* 1. *de matr. D.* 22. *num.* 1. Konig *hic num.* 40. *Vers. quod attinet*. Unde, ut contractæ obligationis sponsalitiæ indicium præbeat, alia adminicula debent accedere.

Talia sunt 1. si consuetudo loci sit, ut anuli tradi- 71 tio significet sponsalia; censebitur enim facta secundum loci consuetudinem, 2. si verba unius, quibus animum sponsalia contrahendi expressit, præcesserint, & post hæc sequatur immissio anuli, & traditio; quia tacens consentit facto ipso, dum anulum recipit, 3. quando traditio, & receptio anuli facta est in ipso tractatu, inter sponsos, eorumve parentes, & amicos instituto de matrimonio ineundo. Quare hac in re circumstantiæ ejusmodi attendi debent.

Porro quod de traditione anuli & ejus receptione 72 dictum est, etiam dicendum de manuum porrectione, missione jocalium &c. quia talia signa præsumuntur exhiberi, & acceptari ea intentione, qua proferuntur, & acceptantur verba in tali tractatu, aut discursu *arg. l. semper* 33. *ff. de R. J.* Sanchez *D.* 22. *cit. a num.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 1. *part.* 4. *num.* 10 Dicastill. *D.* 1. *de matrim. dub.* 8. *num.* 147. Pirhing *hic num.* 8. Engl § 2. *num.* 8. Konig *num.* 40. Vviestner *numer.* 38. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. cap.* 3. *num.* 84. & alii apud istos.

Quæritur 9. an promissio matrimonii ineundi pos- 73 sit esse clandestina? Triplex est sententia. Prima vult sponsalia clandestina esse invalida. Ita Albornoz. *tr. de art. contract. lib.* 4. *tit.* 1. Matienz. *in Rubr. tit.* 1. *gloss.* 1. *num.* 45. *pr. & num.* 50. *tr. fin. lib.* 5. *nov. collect. reg.* Segura *D. rect. Jud. Eccl. part.* 2. *cap.* 15. *a num.* 6. apud Gutier *cap.* 4. *de matr. num.* 1. *Secunda* concedit quidem ea esse valida, negat autem licitè sic iniri. Ita Host. *in c. fin. de clandest. desponf. V. contrahenda*, Joan. Andr. *ibid. n.* 4. Anchar. *n.* 17. Abb. *n.* 6. Alex. de Nevo *num.* 15. Angel. *V. clandestinum num.* 3. Sylv. *V. matrimonium* 6. *q.* 7. *dict.* 5. *&* 6. Armill. *V. sponsal. n.* 14. Cajet. *in Summ. V. eod.* & videtur istud etiam probari posse ex *l. Oratio* 16 *ff. hoc tit.* ubi ex mente Modestini Jurisconsulti prohibitis nuptiis etiam sponsalia prohibita censentur; atq; matrimonium clandestinum prohibitum est, imò Jure novo Trid. nullum; ergo &c.

Sed hoc non obstante, dicendum, sponsalia clan- 74 destinè inita, & valida, & licita esse. Ita Petr. de Ledesm. *de matr. q.* 45. *art.* 5. *circa* 2. *punct. dub.* 4. Gutier *c.* 4. *cit. a n.* 1. Sanchez *l.* 1. *de matr. D.* 12. *n.* 2. *& disp.* 13 *n.* 2. Rebell. *de oblig. Just. lib.* 4. *sect.* 3. *n.* 56 Pont. *l.* 12. *c.* 5. *num.* 6. Perez *disput.* 5. *sect.* 2. *num.* 2. Vallensis *hic* § 2. *num.* 3. *v. aliam* Engl § 2. *n.* 6. Pirhing *n.* 26. Schambogen *n.* 10. Vviestner *n.* 50. Vvex *Ariadn. part.* 5. *tract.* 2. *p.* 1. § 5. *num.* 10. *Ratio est*, quia sponsalia clandestina nullo Jure sunt irritata, aut prohibita. Interim tamen, ut bene advertit Engl *loc. cit.* ad futuram probationem pro casu, quo forte alterutra pars sponsalia negare vellet, utique consultum erit vel testes adhibere, vel scripturam desuper conficere. Nunquam autem consultum videtur esse, ut contractui sponsalium de futuro cum cæteris testibus adsit Parochus, ob periculum, ne forte sponsi, omissis sponsalibus de futuro, & denuntiationibus, contrahant sponsalia de præsenti & ipsum matrimonium. Vvex *Ariadn. loc. cit. num.* 12. tamen monet, circa hoc consulenda statuta Diœcesana; nam in aliquibus Diœcesibus coram Parocho fieri sponsalia solent.

Neque contrarium probat Argumentum Adversario- 75 rum; quia *l. Oratio cit.* ut *ibid.* notat Brunnem. *num.* 2. solum procedit, quando eadem est ratio sponsalium, & matrimonii; atqui in proposito casu non est eadem ratio: quia matrimonium clandestinum à Trid. prohibitum, & irritatum est ob incommoda, quæ secum trahunt; hæc autem tam gravia, & tam frequentia post se non trahunt sponsalia de futuro clandestina; igitur cum Decretum hoc Synodale correctorium sit Juris antiqui, à matrimonio ad sponsalia extendi non debet, quod etiam declaravit *S. Cong. Card. Trid. Interpp.*

terpp. apud Rebell. *sect.* 3. *citat. num.* 49. & Perez *sect.* 3. *num.* 6.

76 *Dices*: juxta *Reg. cum quid* 39. *in* 6. *cum quid prohibentur ex illo*; & quod prohibitum est in termino, etiam prohibitum in via censetur. Menoch. *adipisc. remed.* 4. *nu.* 816. & Mascard. *de probat. concl.* 102. *num.* 1. atqui sponsalia sunt via ad matrimonium; ergo cum matrimonium clandestinum prohibitum sit, etiam sponsalia de futuro clandestina prohibita censebuntur. Resp. sponsalia sunt quidem via ad matrimonium, non tamen sponsalia clandestina sunt via ad matrimonium clandestinum; quia etsi illa clandestine sint celebrata, matrimonium tamen postea adhuc celebrari in facie Ecclesiæ potest.

77 Dub. 1. quomodo probetur contractus sponsalium de futuro? Resp. probari potest non solum per testes, & scripturam authenticam desuper confectam; sed etiam per Epistolam confessatam; quia hæc contra scribentem plene probat; ut dictum est *libr.* 2. *tit.* 22. *nu.* 77. ergo etiam plene probabit sponsalia. *Proceditque hoc*, tametsi talis Epistola careat die, loco, consule, inscriptione, subscriptione. Rot. *part.* 2. *recent. decis.* 772 *num.* 9. An eundem contractum probent etiam Litteræ amatoriæ, in quibus scribens puellam blanda oratione sponsam salutaverit, controversia est. Affirmant nonnulli argumento ducto à simili, quod Dominus, si apud acta servum filium nominaverit, eum liberum faciat *l. un.* § *similique* 10. *C. de Latin. libert. tollend.*

78 Sed etsi tales litteræ præsumptionem aliquam gignant, si personæ fuerint æqualis conditionis *can. dicat* 9. *caus.* 32. *q.* 4. & coadjuvent probationem sponsalium ac matrimonii. Rot. *decis.* 772. *cit. n.* 8. solæ tamen leviores sunt, quam ut in re tam gravi plenam probationem inducant; & sicut si in Litteris ad ancillam datis eam sororem quispiam appellaverit, id non efficitur, eam veram sororem ipsius esse *l. non Epistolis* 13. *C. de Probat.* ita nec fit sponsa illa, quam procus sponsam in Epistola sua salutavit.

Neque obstat textus *l. un.* § *similique* in contrarium allegatus; quia ibi non dicitur, quod servus, quem Dominus filium nuncupavit, hoc modo jus filii accipiat (nam hoc expresse negatur §. *fin. Inst. de adopt.*) sed asseritur duntaxat sic nuncupatum libertatem consequi; quod ob singularem libertatis favorem est constiturum.

79 Dub. 2. an si contingat, ut in solemni sponsalium contractu intersit etiam Parochus, & partes in illius, & aliorum præsentia *bey dem Handstreich* utantur verbis de præsenti, dicentes, *Ego te accipio in uxorem*, & *Ego te in maritum*, censeri debeat matrimonium initum? Resp. negative: quia præsumi non debet eos voluisse id cum peccato contrahere. Posito, quod habeant intentionem contrahendi, ea non sufficeret: quia hanc intentionem suam debuissent intimare Parocho, & testibus, alias isti testificabuntur solum de contractu sponsalium de futuro, ad quem celebrandum sunt convocati. Quodsi autem intimatio sufficiens facta esset, esset matrimonium, sed illicite contractum, & contrahentes puniri possent *cap. fin. de clandest. despons.* Et hanc ob causam *n.* 74. monui, non esse consultum, ut contractui sponsalium de futuro interveniat Parochus.

§. II.

De Effectu sponsalium.

SUMMARIUM.

80 *Qualis obligatio oriatur ex sponsalibus validis?*
81 *An gravis?*
82 83 *An ea oriatur etiam ex promissione matrimonii gratuita acceptata?*
84 85 *An fornicatio sponsi, aut sponsæ adversetur Justitiæ;*
86 87 *Et sit circumstantia necessario aperienda in Confessione?*
88 *An sit Adulterium;*
89 90 91 *Quando sponsalia implenda sint?*
92 93 94 95 *An ad instantiam unius sponsorum pars altera ad impletionem compelli pœnis Ecclesiasticis possit?*
96 *Quid sit impedimentum publicæ honestatis?*
97 *Ratio illius introducti.*
98 99 *Unde oriatur?*
100 *Quousque se extendat?*
101 *Quid requiratur, ut inducatur per matrimonium ratum?*
102 *An inducatur etiam per matrimonium invalidum ratione clandestinitatis?*
103 *Ex quibus sponsalibus inducatur hoc impedimentum.*
104 105 106 *An etiam ex sponsalibus fictis, aut ob aliud impedimentum occultum invalidis?*
107 *Utrum nascatur ex sponsalibus incertis?*
108 *Aut conditionatis?*
109 110 111 *An superveniens sponsalibus prius initis ea tollat?*
112 113 114 *An impedimentum hoc sit perpetuum?*
115 116 117 *Quis sit effectus sponsalium, quando post ea contracta sequitur copula carnalis sponsi cum sponsa?*
118 *An hujusmodi præsumpta matrimonia habeant de facto locum etiam nostris temporibus?*
119 *An jure antiquo præsumatur etiam matrimonium, quando copula solum est attentata?*

Effectus sponsalium triplex refertur. *Primus* est Obligatio inde orta. *Alter* Justitia publicæ honestatis. *Tertius*, qui locum maxime habet Jure antiquo, & ubi Tridentinum quoad reformationem matrimonii non est receptum, est ipsum matrimonium, quod contractum præsumitur casu, quo post sponsalia de futuro inita sequitur copula carnalis sponsi cum sponsa.

Quæritur 1. qualis obligatio nascatur ex sponsalibus valide initis? Resp. hæc Jure Civili minus fortis est, quam quæ Jure Canonico inducta est, nam Jure Civili is, qui sponsalibus obligatus est, permittitur conditioni renuntiare, & postea contrahere cum alia *leg. alii* 1. *Cod. hoc tit.* Si vero absque renuntiatione prævia sponsa alii nupserit, aut aliam sponsus duxerit, notatur infamia *leg. quid ergo* 13. § *item si* 3. *ff. de his, qui not. infam.* Canonico Jure, & quo hodie in sponsalibus, & matrimonio utimur, ex sponsalibus valide initis cum una nascitur impedimentum, non quidem dirimens, sed impediens, ne licite contrahere matrimonium cum alia possit, qui uni per sponsalia est obligatus. *Proceditque hoc*, sive hujusmodi promissiones sint Juramento confirmatæ, sive simpliciter factæ, ut patet ex *canon. desponsatam* 27. & *canon. fin. caus.* 27. *quæst.* 2. & clarius habetur *capit. præterea* 2. *cap. si inter* 31. *hoc tit. cap. de illis* 7. *de despons. impub.* & *cap. duobus* 1. *de spons.* Alex. Caretius *de spons. lib.* 1. *cap.* 11. Gutier *cap.* 15. *de matrim. num.* 1. Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 27. *num.* 1. Wiestner *hic num.* 53. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. cap.* 4. *num.* 1. Estque obligatio ista non tantum fidelitatis, sed etiam Justitiæ, qualem inducit omnis promissio mutua, & onerosa. 80

Dub. 1. an hæc sponsalium obligatio sit gravis? Gloss. *in loc. alii cit.* Dynus *ibid.* Abb. *in c. requisivit* 17. *hoc tit. n.* 6. existimant, etiam de Jure Canonico obligationem istam non esse gravem, nisi sponsalia sint jurata, & hoc ideo, ne conjugii ineundi libertas nimium restringatur. 81

Sed tanquam certum tenendum est, obligationem ex sponsalibus ortam gravem esse. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad* 2. Palud. *ibid. quæst.* 1. *art.* 2. *post* 3. *concl. num.* 14. Angel. *V. sponsalia num.* 21. Sylvest. *ibid. quæst.* 4. *dict.* 1. *&* *q.* 10. *dict.* 3. Covar. *part.* 1. *de sponsal. cap.* 4. *pr. num.* 2. Sanchez *lib.* 1. *de sponsal. disp.* 27 *num.* 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 3. Palao *tr.* 28. *disp.* 1. *part.* 7. *num.* 1. Zoes. *hic num.* 16. Pirhing *num.* 15. Schambogen *num.* 25. Wiestner *num.* 54. Krimer *num.* 168. *& seqq.* Magnif. P. Schmier *cap.* 4. *cit. num.* 3. & sumitur ex *can. desponsatas* 46. *can. Atho* 47. *can. de conjugali* 50. *caus.* 27. *quæst.* 2. *cap. præterea* 2. *c. ex litteris* 10. & *c. requisivit* 17. *hoc tit. Ratio est*; quia omnis contractus obligat ex Justitia, & quidem si materia gravis sit, sub peccato mortali; atqui sponsalia sunt contractus *facio, ut facias* inducens obligationem mutuam, & reciprocam & materia est gravis, cum magna injuria inferatur alteri, si non impleatur: ergo obligant graviter.

Neque obligatio hæc libertati conjugii obest; quia de eo ine-

eo ineundo fidem dans alteri, jam libertare ſua eſt uſus, ut proin ad promiſſionem, ſpontaneo illius uſu factam, adimplendam jure compelli poſſint.

82 Dub. 2. qualis ſit obligatio, gravis, an levis ad matrimonium contrahendum, quando hoc non uterque, ſed unus dumtaxat e. g. Bertha Titio gratuitò promiſit, & Titius promiſſionem ſibi factam à Bertha acceptavit? Pendet reſolutio hujus dubii ex ea quæſtione, an promiſſio ſimplex homini facta, & ab ipſo acceptata, obliget ſub mortali? In quo triplex ſententia eſt, ut videre eſt apud Sanch. *l.* 1. *de matrim. D.* 5. *num.* 18. *& duob. ſeqq. Prima* dicit ſolum eſſe veniale, quando ex promiſſione non impleta nullum aliud proximo damnum ſequitur, quam carere re illa notabili ſibi promiſſa; quia violatio talis promiſſionis ſolum opponitur Veracitati, & mendacii malitiam continet, quod mortale non eſt, quando perniciosum non eſt. *Secunda* putat hoc pendere ex arbitrio promittentis; nam ſi intendat obligare ſe ex juſtitia, ait eſſe mortale, ſecus, ſi ex honeſtate morali tantum, quod exiſtimant plerumque fieri, quando non conſtat, quod ſibi impoſuerit obligationem juſtitiæ. Rationem dant; quia talis promiſſio ex ſola promittentis liberalitate proficiſcitur, & eſt lex privata, quam ſibimet imponit, ut adeo in poteſtate ipſius ſit, illa ſe obligare ex honeſtate morali tantum, vel ex juſtitia. *Tertia*, & communior, quam etiam cum aliis à ſe *citt.* defendit Sanch. *l. cit. num.* 20. tenet promiſſionem acceptatam à promiſſario obligare promittentem ex juſtitia, & ſub mortali, niſi rei promiſſæ parvitas excuſet: quod colligitur ex *c. Antigonus* 1. *de pact.* ubi obſervantia etiam pactionis ſimplicis acceptatæ urgetur, propoſita in ejus violatorem excommunicatione. atqui pœna excommunicationis, utpote omnium, quas Eccleſia habet, pœnarum graviſſima, imponi non poteſt, niſi pro mortali crimine *can. nemo Epiſcoporum* 41. *in fin. cauſ.* 11. *q.* 33.

83 *Ex quo ſequitur* reſponſio ad dubium propoſitum, etiam hoc caſu Bertham, Titio id poſcente, graviter obligari ad promiſſionem implendam per contractum Matrimonii. Ita Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *quæſt.* 2. *artic.* 1. *concl.* 1. Barth. à Ledeſm. *dub.* 8. *de matrim.* §. *annotare*, Sanch. *D.* 5. *cit. num.* 26. Perez *de matrim. D.* 6. *ſect.* 5. *num.* 4. Wieſtner *hic n.* 55. Ratio eſt; quia eſt promiſſio ſimplex in materia graviſſima. *Ad argumentum primæ ſententiæ* dico, deceptionem hoc caſu eſſe graviter perniciosam; quia negatur, quod ratione promiſſionis eſt debitum promiſſario, in re aliqua graviſſima. *Ad Arg.* 2. *ſent.* etſi in poteſtate promittentis ſitum ſit velle ſe obligare, & ſub culpa mortali, aut veniali, ſi tamen ſimpliciter promiſit rem notabilem, non ignarus naturæ promiſſionis, cenſetur velle juxta naturam promiſſionis ſe adſtringere, & obligare ex juſtitia ſub mortali, ſi materia gravis ſit.

84 Dub. 3. an fornicatio ſponſi, aut ſponſæ adverſetur juſtitiæ? Negant Covar. *de ſponſal. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 13. Henriq. *l.* 11. *cap.* 18. *num.* 4. Ponr. *l.* 12. *de matrim. c.* 6. *num.* 8. exiſtimantes, illam intemperantiæ ſolius peccatum eſſe, hac unica ratione ducti; quia contra juſtitiam non peccatur, niſi quando jus alterius violatur. atqui per fornicationem cum ſponſa alterius non violatur jus ſponſi; hoc enim aliud non eſt, quam debitum, & obligatio cum ſponſo, aut ſponſa contrahendi Matrimonium, quæ ex parte fornicantis integra manet. *Confirmant* paritate cum Novitio, qui etſi voverit Religionem ſe profeſſurum ex vi tamen iſtius promiſſionis non obligatur præceptis futuri ſtatus; aut continentiæ vinculo. ergo nec ſponſa, quæ promiſit corpus ſuum ſe traditurum per futuras nuptias, ex vi hujus promiſſionis obligabitur ad continentiam, ita, ut fornicando contra juſtitiam peccet.

85 Verum hoc non obſtante, dicendum, ejuſmodi fornicatione peccari non ſolum contra temperantiam, ſed etiam contra juſtitiam. Ita Sarmient. *lib.* 1. *ſelect. cap.* 5 *num.* 3. Petr. de Ledeſm. *de matrim. q.* 43. *art.* 1. *dub. ult.* Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 73. *num.* 8. Sanch. *libr.* 1. *de matrim. D.* 2. *num.* 5. *&* 6. Gutier. *de matrim. c.* 1. *num.* 17. Conink *D.* 22. *dub.* 1. *num.* 6. Layman *l.* 5. *tract.* 10 *p.* 1. *c.* 1. *num.* 6. Bonac. *de ſponſal. q.* 1. *p.* 10. *n.* 12. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 7. *n.* 5. Roſignol. *de ſponſal. diſq.* 1. §. 2. *n.* 2. Pirhing *tit. de Adult. n.* 3. Wieſtner *hic n.* 57. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de ſponſal. cap.* 4. *n.* 10. & alii apud iſtos. Sumitur non obſcurè ex *c. quemadmodum* 25. *de Jurejur.* in cujus principio, ut ibi advertit Abbas *n.* 4. Innocentius III. ait, non minus ſponſæ, quam ſponſo innocenti alterius fornicatione juſtam præberi cauſam reſiliendi ab obligatione ſponſalium, utique quia ejus jus, & obligatio juſtitiæ violata eſt à fornicante. *Ratio eſt;* quia ipſo ſponſalium contractu ſponſus, & ſponſa fidem ſibi dederunt mutuò de corporis ſui uſu ſibi tradendo, & nulli alteri. atqui hoc jus non minus, imò magis violatur, ſi eorum unus fornicationem commiſit cum alio, quam ſi Matrimonium cum eo contraxit; quia fornicatio longè fœdior, ſemperque illicita eſt. ergo &c.

Atque hinc communiter DD. inferunt, circumſtantiam hanc neceſſariò exprimendam eſſe, utpote quæ peccato intemperantiæ novum addit peccatum contra Juſtitiam, & conſ. ſpeciem mutat. Quod verum eſt ſequendo ſententiam probabiliorem, & tutiorem; nam hoc non obſtante Layman *n.* 6. *cit. verſ. ſed retenta* advertit, in praxi adhuc probabile, & tutum videri, quod talis circumſtantia ſponſaliorum reticeri poſſit, ſi fornicatio occulta manſura ſit: idque non tantum propter authoritatem DD. ita opinantium, ſed etiam quia injuria, licèt aliqua ſit, non tamen tam gravis alicui videri poteſt, præſertim ſi ſponſus cum altera fornicetur, ut ad mortale crimen adverſus juſtitiam pertingat. Secus eſt, ſi fornicatio in publicam notitiam deventura, aut periculum ſit prolis generandæ cum dedecore, & contriſtatione ſponſæ, quæ fortaſſe idcirco à ſponſalibus reſilire cogetur. 86

Ad Rationem in contrarium allatam patet ex dictis, contractu ſponſalium non tantum promitti futurum Matrimonium, ſed etiam fidem dari de uſu corporis ſibi tradendo, non alteri; igitur etſi primum jus intactum maneat, cum tamen ſecundum violetur per fornicationem, hæc à peccato injuſtitiæ abſolvi non poteſt. *Ad Conf.* nego paritatem; nam Votum DEO ſit, nec Religio per illud aliquod jus in voventem acquirit, ſicut per ſponſalia jus ſponſo acquiritur in corpus ſponſæ. 87

Dub. 4. an hujuſmodi fornicatio ſponſi, aut ſponſæ cum alio ſit adulterium? Affirmant Gloſſ. *in c. quemadmodum* 25. *V. ſponſam de Jurejur.* Palud. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *pr. num.* 17. Sarmient. *l.* 1. *ſelect. c.* 5. *num.* 1. *& ſeqq.* & alii apud Sanch. *l.* 1. *de matrim. D.* 2. *numer.* 1. *Nituntur* textu *l. br. ſi uxor* 13. §. *Divi* 3. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* ubi permittitur vindicari concubitus cum alterius ſponſa, tanquam adulterium. Neque dici poteſt, id intelligendum de ſponſalibus de præſenti; nam eo textu ſermonem eſſe de ſponſalibus de futuro, manifeſtè patet ex eo, quod additur: *quia - - - nec ſpem Matrimonii violare permittitur.* 88

Sed adhuc dicendum, ejuſmodi fornicationem, licèt, ut *numer.* 85. dictum eſt, adjunctum ſibi habeat peccatum contra juſtitiam, non tamen eſſe propriè adulterium. Ita Covar. *part.* 1. *de ſponſal. capit.* 1. *num.* 11. Henriq. *libr.* 11. *capit.* 13. *numer.* 4. Sanch *libr.* 1. *D.* 2. *numer.* 2. Gutier. *capit.* 1. *de matrim. numer.* 16. Conink *D.* 22. *dub.* 1. *numer.* 4. Tann. *tom.* 4. *D.* 8. *de Sacrament. dub.* 3. *numer.* 40. Layman *libr.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *capit.* 1. *num.* 6. Pal. *tract.* 28. *D.* 1. *part.* 7. *numer.* 9. Pirhing *hic numer.* 5. *Ratio eſt*; quia adulterium propriè in nuptam committitur *l. inter* 6. §. *Lex* 1. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* atqui ſponſa de futuro non eſt nupta. ergo concubitus cum aliena ſponſa non eſt adulterium. *Conf.* adulterium eſt violatio alieni thori. ſed is, qui accedit ad alienam ſponſam thorum alienum non violat; quia hic non eſt permiſſus ſponſis ante Matrimonium contractum per verba de præſenti. ergo &c.

Ad Argumentum oppoſitum dico in *l. cit.* concedi vindictam ſponſo, non ex eo, quod fornicatio cum ſponſa alterius ſit adulterium, ſed quia eſt atrox injuria ipſi ſponſo illata.

Dub. 5. quando ſponſalia ſint implenda? *Certum eſt*, ſi impletioni ſponſalium, ſeu nuptiis certus terminus mutuo conſenſu præfixus eſt, eum terminum, niſi aliter poſtea inter ſponſos convenerit, obſervandum, quia eſt promiſſus *arg. l. trajectitiæ* 23. *ff. de O. & A. & l. magnam* 12. *C. de contrah. ſtipulat.* 89

Controverſia eſt, quando nullum impletioni conſtitutum eſt tempus. Navar. *Man. c.* 17. *n.* 97. Sanch. *lib.* 1.

de Matr. D. 28. *num.* 2. Gutier *cap.* 15. *de matrim. num.* 5. Tann. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 1. *dub.* 3. *n.* 35. Rofignol. *de fponfal. præn.* 8. *n.* 2. Pirhing *hic nu.* 16. Schambogen *nu.* 31. Konig *nu.* 52. & alii apud iftos exiftimant eo cafu obligationem implendi fponfalia non dari antè, quàm alter exigat: quod colligunt ex *l. debitores* 10. *Cod. de pignor: & hypoth.* & *ibid* Gloffa *V. conveniendi*. Sed revera textus ifte non favet adverfæ fententiæ; quia ibidem non tam de debiti folutione, quàm de pignoris diftractione agitur, ad quam à creditore procedendum non eft ante debiti exactionem *l. debitoribus* 18. *C. de adminiftr. tutor.*

90 Hinc dicendum, probabilius eo cafu obligationem implendi fponfalia de Juris rigore incipere à die, quo contracta illa funt. Ita Barth. à Ledefm. *de matr. dub.* 13. *pr.* Conink *D.* 22. *dub.* 1. *concl.* 2. Pont. *lib.* 12. *de matr. cap.* 6. *num.* 1. Perez *de matr. dift.* 6. *fect.* 1. *num.* 4. Palao *tract.* 28. *dift.* 1. *part.* 7. *num.* 2. Vvex *Ariadn. part.* 5. *tract.* 2. *part.* 1. § 6. *nu.* 6. & 7. Zoef. *hic nu.* 17. Schambogen *nu.* 31. Vviefiner *n.* 59. Reiffenftuel *n.* 143. Sumitur ex *l. in omnibus* 14. *ff. de R. J.* ibi, *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præfenti die debetur*; quod repetitur *l. cum qui* 41. §. *quotiens* 1. *ff. de V. O.* Ratio eft; quia non eft aliqua fpecialis ratio, ob quam poft menfem, & non poft diem impleri fponfalia debeant, cum eorum præfentanea executio utilis contrahentibus effe poffit; igitur debebitur ftatim, intellige, cum quodam fpatio, & temperamento temporis; nam obligatio hæc non eft alia, quam in reliquis contractibus, ubi non ftatim eadem die cum facco venire ftipulator debet *l. quod dicimus* 105. *ff. de folution.*

91 Dixi autem *de juris rigore*, & per fe loquendo; nam ut non male advertit Palao *num.* 2. *citat.* & confentit Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de fponfal. cap.* 4. *num.* 17 fponfus à fponfalium impletione, cum ifta non exigitur, regulariter excufatur per accidens; quia pars eam non exigendo (faltem fi hoc ex verecundia, oblivione, vel alia fimili caufa non omittat) in dilationem tacite confentire cenfetur. Bene tamen Gobat *Theol. Exper. tract.* 10. *num.* 124. Schambogen *num.* 31 *citat.* Konig *hic num.* 124. Vvex *num.* 6. *citat.* addunt, nihilominus omnino effe curandum Parochis, ut poft contracta fponfalia, quamprimum fieri poteft, contrahat matrimonium, ad vitandum periculum fornicationis.

92 Dub. 6. an fi unus fponforum exigat impletionem fponfalium, alter ad eam excommunicatione, aliifque Ecclefiafticis pœnis compelli poffit? *Rationem dubitandi* facit 1. *l. ftipulationes* 72. *pr. verf. Celfus ff. de V. O.* ubi deciditur in obligationibus facti neminem compelli, fed foluto intereffe liberari, 2. *præterea* 2. *hoc tit.* ubi refilientes, ut fponfalia exequantur, dicuntur *commonendi, & modis omnibus inducendi*, neque mentio fit coactionis per cenfuram, aut aliam pœnam, 3. *c. requifivit* 17. *eod.* ubi Lucius III. ait fponfam ad fponfalium impletionem *monendam potius, quam cogendam*, ex ratione, quod *coactiones difficiles foleant exitus frequenter habere*, 4. Si coactio fiat, intentata excommunicatione, matrimonium erit gravi metu extortum, & conf. irritum, uti dicetur *infra*, 5. matrimonia debent effe libera; talia non effent, fiquis ad ea ineunda cenfuræ, & aliarum Ecclefiafticarum pœnarum metu cogi poffet.

93 Sed his non obftantibus, dicendum, fi fponfus abfque jufta caufa, & altero infcio, aut invito refiliat, & monitio non proficiat, eum cenfuris, aliifque pœnis Ecclefiafticis compellendum ad fponfalia, etiam non jurata, implenda. Ita Abb. *in c. ex litteris* 10 *hoc tit. n.* 3. Alex. de Nevo *in cap. requifivit. cit. num.* 10. Rofell. *V. fponfal. num.* 3. Carter. *lib.* 1. *de fponfal. cap.* 11. Covar. *p.* 1. *de fponfal. cap.* 4. *num.* 3. Henriq. *lib.* 11. *c.* 13. *nu.* 4. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 29. *num.* 4. Conink *dift.* 22. *dub.* 2. Tann. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 1. *dub.* 3. *n.* 36. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. Pont. *l.* 12. *cap.* 6. *num.* 2. Palao *tract.* 28. *dift.* 1. *part.* 8. *n.* 2. Rofignol. *de fponfal. præn.* 8. *n.* 53. Vallenf. *hic* § 3. *n.* 2. Zoef. *nu.* 18. Honor. *n.* 13. Pirhing *nu.* 17. Schambogen *num.* 26. Konig *num.* 5. Vviefiner *num.* 62. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de fponfal. c.* 4. *n.* 20. idque Curiarum Ecclefiafticarum praxi receptum teftis eft Gutier *l.* 1. *can. qq. c.* 18. *n.* 10. *Ratio univerfalis eft*; quia Judex, præfertim Ecclefiafticus, ex officio, & munere fuo tenetur opportunis remediis procurare, ne fubditi officium fuum implorantes injuriam patiantur, & cuique tribuatur, quod fuum, aut fibi debitum eft; atqui is, qui fponfalia contraxit cum altera, ex Juftitia tenetur implere promiffionem, & fi non impleat, gravem illi injuriam infert, ut dictum eft *fupra num.* 80 *& tribus feqq.* igitur à Judice compelli ad illud poteft, & debet, etiam cenfuris, & excommunicatione, fi aliter, quod juftum eft, impetrare non poffit.

Dixi, *fi aliter hoc impetrare non poffit*; nam ut *loc. citt.* falubriter advertunt Gutier *num.* 31. Sanchez *num.* 7. Palao *num.* 3. Vallenf. *verf. non tamen*, Pirhing *num.* 19 Magnif. P. Schmier *num.* 24. & alii *fupra*, ita refiliens juxta *c. requifivit cit. potius*, h. e. prius, ut vox illa à DD. exponitur apud Barbofa *in c. cit. n.* 3. moneri debet, quam excommunicationis, aut alia intentata pena compellatur. Imo fi Judex advertat, excommunicationem ob nimiam refilientis pertinaciam nihil profuturam, ab ea abftinere, & jam inflictam, injuncta tamen parti nocenti pena, & fatisfactione debita, relaxare debet, ad evitanda fcandala, aliaque incommoda, quæ ex confenfu coacto, vel ficto folum oriri folent, & fæpe majus funt malum, quam fit violatio fidei, in fponfalium contractu datæ, ut *l. citt.* notant Covar. *n.* 5. Sanchez *n.* 8. Layman *n.* 4. & alii jam allegati. 94

Ad Argumenta in contrarium allata facilis eft refponfio. *Ad* 1. lex illa intelligi debet de factis, quæ æftimationem recipiunt; fecus eft de factis, quæ nullo pretio compenfari poffunt, uti funt fponfalia. *Ad* 2. textus *c. præterea* loquitur de cafu, quo à fponfalibus receditur mutuo contrahentium confenfu, ut patet ex verbis *fi ea ad invicem admittere noluerint*; hoc igitur cafu inconftantia recedentium, tanquam minus malum, eft toleranda, quamvis commonendi fint, ut non recedant. *Ad* 3. patet ex dictis *n. præc. in princ.* *Ad* 4. non omnis metus gravis, fed tantum injufte incuffus facit irritum matrimonium; talis autem non eft, qui ab excommunicationis, aut alterius Ecclefiafticæ pœnæ intentatione exfurgit, cum Judex, præfertim Ecclefiafticus, jufte poffit cenfuris cogere homines ad id, ad quod faciendum fub obligatione peccati mortalis tenentur. *Ad* 5. metus ifte libertati non obftat; tum quia injufte refiliens eo fe liberare injuriam removendo poteft; tum quia ita coactus ipfa promiffione matrimonii neceffitatem illud contrahendi libero voluntatis fuæ confenfu fibi impofuit juxta vulgatum quo contractus dicuntur initio effe voluntatis, poftea verò neceffitatis, propria voluntate inductæ *l. ficut* 5. *C. de O. & A.* 95

Quæritur 2. quid fit impedimentum publicæ honeftatis, feu publicæ honeftatis Juftitia? Refp. ita nuncupatur Impedimentum nuptiale, ex fponfalibus, vel matrimonio rato ortum. Definitur, quod fit *quædam quafi affinitas ex inchoatione matrimonii per conjunctionem non corporum, fed animorum orta inter fponfos, & conjugio cum ipforum confanguineis contrahendo obftans*. Introductum eft hoc impedimentum non naturali, aut Divino, fed Ecclefiaftico folum Jure *can. fiquis defponfaverit* 11. *can fiquis uxorem* 14. *can. fiquis defponfaverit* 15 *can. quidam* 31. *&c. cauf.* 27. *q.* 2. *c. Juvenis* 3. *c. ad audientiam* 4. *c. Sponfam* 8. *h. tit. c. litteras* 4. *de defponf. impub.* & *c. un. hic in* 6. Hinc Infideles valide tempore infidelitatis matrimonium ineunt cum confanguineis prioris fponfæ, nifi Legibus eorum hoc matrimonium irritetur. Sanchez *lib.* 7. *de Matr. Dift.* 68. *num.* 2. 96

Ratio Impedimenti hujus inducendi juftiffima fuit; nam æquum omnino, juftumque, & publicæ honeftati conveniens eft, ut propter inchoationem matrimonii, quæ fit per fponfalia, impediretur matrimonium fponfi cum confanguineis fponfæ, & viciffim fponfæ cum confanguineis fponfi, ita, ut ficut ex matrimonio confummato nafcitur vera affinitas, ita ex fponfalibus oriretur quafi affinitas. Sanchez *loc. cit. nu.* 1. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 9. *n.* 1. Palao *tr.* 28. *dift.* 4. *p.* 10. *n.* 1. Vivian. *in c.* 4. *cit. pr.* Gonz. *ibid. n.* 9. Pirhing *hic nu.* 30. Vviefiner *ib. n.* 263. 97

Dub. 1. unde oriatur impedimentum publicæ honeftatis? Refp. oritur ex duplici capite, videlicet ex fponfalibus de futuro, & ex fponfalibus de præfenti, feu matrimonio rato. Quod oriatur ex fponfalibus de futuro, patet 98

ex

ex textibus *citt. num.* 96. Quod vero etiam ex Matrimonio rato, non habetur clarus aliquis in Jure Canonico textus. Adducitur quidem in ejus probationem textus *can. ſiquis deſponſaverit* 15. *cit. & can. fin. cauſ.* 31. *q.* 3. Sed primus intelligi poteſt potius de ſponſalibus de futuro, ſecundus de Matrimonio conſummato. *Neque obſtat*, quod hoc poſteriore textu id impedimentum appelletur publica Honeſtas, cum revera ex Matrimonio conſummato non oriatur, niſi affinitas; quia etiam affinitas aliquando publica Honeſtas dicitur, ut patet ex *c. tuæ* junct. Gloſſ. *V. Honeſtatem*, & ex *c. diſcretionem* 6. junct. Gloſſ. *V. publicam*, *de eo qui cognovit &c.*

99 Quare dicendum, id colligi deducto argumento à fortiori; nam vinculum, quod exſurgit ex Matrimonio rato, longè eſt fortius, quam quod naſcitur ex ſponſalibus de futuro. igitur æquum fuit, ut ſicut iſta, ita etiam illud impedimentum Matrimonii contrahendi inducat: non autem inducit affinitatem veram, juxta pronuntiatum Benedicti Papæ *can. lex* 18. *cauſ.* 27. *q.* 2. ibi: *Propinquitas ſanguinis verbis dicitur, non verbis efficitur*; & declarationem S. Pii V. *Motu proprio* incipit, *Ad Romanum edito* 1568. ergo ſaltem inducet impedimentum publicæ Honeſtatis.

100 Dub. 2. quouſque ſponſalia, & Matrimonium ratum inducant impedimentum iſtud? Reſp. Jure antiquo dirimebant uſque ad quartum gradum incluſivè: quod quidem nullo juris textu expreſſum eſt, colligitur tamen *arg. c. non debet* 8. *de conſang.* ubi impedimentum affinitatis ad eum gradum reſtringitur. igitur nec publica Honeſtas ulterius extendi debuit. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 4. *qu. un. art.* 1. *quæſtiunc.* 4. *Corp.* Cajet. *V. Matrimonium c.* 1. *imped.* 10. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 68. *num.* 8. Konig *de ſponſ. duor. p.* 2. *n.* 4. Engl *hic* §. 6. *nu.* 2. Vvieſtner *ibidem n.* 265. & alii apud iſtos.

Novo Jure Tridentini *ſeſſ.* 24. *c.* 3. *de reform. matrim.* diſtinguendum eſt inter ſponſalia de futuro, & ſponſalia de præſenti, ſeu Matrimonium ratum. Nam impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex ſponſalibus de futuro inter ſponſum, & conſanguineos ſponſæ, & viciſſim matrimonium non dirimit, niſi ad primum gradum. At vero illud, quod inducitur per matrimonium ratum, in amplitudine ſua manſit, conſ. adhuc dirimit matrimonium contrahendum uſque ad quartum gradum incluſivè, ut olim. Sanch. *l.* 7. *cit. D.* 70. *n.* 16. Rebell. *de oblig. Juſt. l.* 4. *append. n.* 102. Pont. *l.* 7. *de matr. c.* 35. *n.* 3. Honor. *hic n.* 12. & communiter cæteri. Patet ex *Motu proprio S. Pii V. cit.* & declaratum eſt à Cardd. apud Joan. Gallemart *ad c.* 3. *cit. n.* 3. *verſ. item Congregatio cenſuit*. *Ratio eſt*; quia Trid. *l. cit.* expreſsè loquitur de ſponſalibus, & impedimento ex iſtis orto. igitur decretum illius, cum ſit correctivum juris antiqui, de his ad matrimonium ratum extendi non debet.

101 Dub. 3. quid requiratur, ut per matrimonium ratum inducatur impedimentum publicæ Honeſtatis? Reſp. duo requiruntur. *Unum* eſt, ut ſit purè, & abſolutè initum, nec aliqua conditione ſuſpenſum; nam ſi conditionatè initum ſit, ſicut per eam conditionem ſuſpenditur matrimonii valor, ita etiam publica honeſtas, ut *infra num.* 108. dicetur de ſponſalibus. Konig *de ſponſ. duor. part.* 2. *num.* 7. *Alterum*, ut matrimonium non ſit invalidum ex defectu conſenſus. Hinc ſi matrimonium irritum ſit propter metum cadentem in conſtantem virum, aut propter errorem in perſona, vel unus contrahentium ſit infra pubertatem, aut celebratum ſit à Procuratore, qui interim, licet ignoranter revocatus eſt, his, & ſimilibus caſibus nulla oritur publica honeſtas ex matrimonio ita contracto. Secus, ſi alio ex capite, e. g. ob impedimentum conſanguinitatis, affinitatis, impotentiæ, Religionis &c. irritum ſit; tunc enim impedimentum publicæ honeſtatis, non obſtante matrimonii invaliditate, contrahitur, prout patet ex *c. un. hoc tit. in* 6. & unanimiter tenent DD.

102 *Controverſia* inter eoſdem eſt, an impedimentum iſtud inducatur etiam per matrimonium ratum, quod nullum, & irritum eſt ob impedimentum clandeſtinitatis, quod videlicet non ſit contractum coram Parocho, & teſtibus? Negant Sanch. *lib.* 7. *de matr. D.* 70. *n.* 13. & Engl *hic* §. 6. *n.* 5. eo, quod talis contractus ex defectu aſſiſtentiæ Parochi, & teſtium non habeat formam, aut figuram matrimonii, ſicut tamen illam habet, quando contractum eſt cum alio aliquo impedimento. oritur autem publica honeſtas ex conjunctione animorum non qualicunque, ſed illa, quæ ſit in forma Matrimonii, & ſponſalium. ergo &c.

Sed adhuc dicendum, probabilius etiam hoc caſu impedimentum publicæ honeſtatis contrahi. Ita Gutier. *c.* 103. *de matr. n.* 9. Pont. *l.* 7. *de matr. c.* 36. *n.* 5. Perez *D.* 33. *ſect.* 3. *n.* 3. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 10. *n.* 3. Fagnan. *in c. ad audientiam hoc tit. n.* 20. Pignatell. *tom.* 4. *conſult.* 15. *num.* 2. Konig *de ſponſ. duor. p.* 2. *num.* 8. *fin.* Vvieſtner *hic num.* 270. & declaratum eſt à *Cardd. in Brixienſ.* 3. *Decemb.* 1667. *Ratio eſt*; quia impedimentum iſtud ſecundum Jus antiquum inducitur per quodcunque Matrimonium ratum, etiamſi irritum ſit, ſi irritum illud ſit aliunde, quam ex defectu conſenſus; & hoc Jus antiquum per Trid. non eſt correctum circa Matrimonium, ſeu ſponſalia de præſenti, ut dictum eſt *numer.* 100. ergo &c.

Ex quo cadit Argumentum ſententiæ oppoſitæ.

Dub. 4. ex quibus ſponſalibus oriatur impedimentum publicæ honeſtatis? Reſp. olim ut Matrimonium, ita etiam ſponſalia de futuro quæcunque, etiam invalida, modo invalida non fuerint ex defectu conſenſus, impedimentum hoc inducebant, ut patet ex *c. ad audientiam* 4. *hoc tit. & c. un. eodem in* 6. Atque hinc ſi Titius v. g. cum Caja contraxit ſponſalia de futuro in præjudicium ſponſalium antè contractorum ab ipſo cum Bertha ſorore Cajæ, uterina quidem, ſed ex alio patre, eodem jure non ſolum contraxit impedimentum publicæ honeſtatis per prima ſponſalia, ſed etiam per ſecunda invalida, quo quidem non arcebatur à Matrimonio contrahendo cum Bertha prima ſua ſponſa (quia impedimentum hoc non agit retrorſum, ut DD. loquuntur) prohibebatur tamen ducere quamcunque ex conſanguineis Cajæ intra quartum gradum, acſi primo cum illa, & ſine vitio celebraſſet ſponſalia. 103

Hodie impedimentum iſtud, quatenus ſurgebat ex ſponſalibus invalidis, omnino ſublatum eſt per Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 3. *de reform. matrim.* & ſtatutum, ut oriretur tantum ex ſponſalibus validis. An verò Decretum hoc S. Synodi extendendum ſit etiam ad ſponſalia, quæ invalida ſunt ex cauſa fictionis, quod ſimulatè contracta ſint, vel ex alio defectu ita occulto, ut in foro externo probari nequeat, controverſia eſt inter DD. Affirmant Sanch *lib.* 7. *de matrim. D.* 68. *num.* 14. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 19. Pont. *lib.* 7. *cap.* 35. *num.* 10. Layman *l.* 4. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 9. *num.* 2. Gonzal. *in c. ad audientiam* 4. *hoc tit. num.* 7. *in fin.* Schamb. *hic num.* 48. & videtur hoc etiam ſuadere ratio; nam impedimentum hoc ab Eccleſia inductum eſt ad evitandam publicam indecentiam, & ex hac provenientia ſcandala, ut habetur *c. juvenis* 3. *hoc tit.* atqui hæc non minus oriuntur ex ſponſalibus fictis, aut ex alio defectu occulto invalidis, ſi deinde contrahatur Matrimonium cum conſanguinea ſponſæ talis. ergo &c. 104

Sed melius tenetur negativa, quam etiam defendunt Navarr. *Man. c.* 22. *num.* 57. Petr. de Ledeſm. *q.* 55. *art.* 4. *dub.* 1. *circa ſolutionem tertii*, Rebell. *lib.* 3. *de oblig. juſt. q.* 14. Conink *D.* 32. *dub.* 5. *num.* 69. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 10. *num.* 7. Gobat *Theol. Exper. tr.* 9 *n.* 368. Konig *de ſponſ. duor. p.* 2. *n.* 9. Vvieſt. *hic nu.* 277. *Proceditque* hoc tam de jure antiquo, quam de novo: de antiquo quidem; quia hoc jure, ut *n.* 103. dixi, expreſsè excipitur, ſi ſponſalia invalida ſint ex defectu conſenſus. talia autem ſunt ſponſalia ficta, & ſimulata. De jure novo autem; quia Trid. *cap.* 3. *cit.* negat impedimentum iſtud induci per ſponſalia quacunque ratione invalida; neque diſtinguit inter cauſam nullitatis internam, & externam, occultam. & publicam. *Conf.* ex ratione; nam impedimentum publicæ honeſtatis eſt quædam quaſi affinitas. igitur ſicut iſta non ex attentata, ſed vera, & per carnalem copulam conſummata corporum conjunctione oritur, ita etiam impedimentum iſtud provenire ſolummodo debet ex vera, & mutua animorum conjunctione, non ſimulata, & ficta. *Ex quo ſequitur*, caſu, quo Titius, qui prius ſponſalia fictè contraxit cum Bertha, deinde Matrimonium per verba de præſenti contrahit cum Caja ſorore Berthæ, Matrimonium tale in foro conſcientiæ fore validum, licet in foro externo, niſi Titius fictionem probaverit, præſumatur nullum. 105

Neque obſtat ratio in contrarium allegata; quia, ut Pal. 106

Pal. *n.* 7. *cit.* observat, hac in respectanda est honestas, non quæ ex judicio hominum oritur, sed quæ ex contractu. atqui ex contractu sponsi cum consanguineis sponsæ, & vicissim solum oritur inhonestas, quando vera, & valida sunt sponsalia, non vero quando ficta, aut alio ex capite invalida. ergo &c. Neque refert, quod fictio hæc occulta sit; nam Impedimentum hoc nascitur, non quod publicè sponsalia pro veris, & validis habeantur, sed quod talis revera sint; alias ex sponsalibus validis, & occultis non oriretur, si illa inita fuisse nunquam innotesceret, quod falsum est.

107 Dub. 5. an publicæ honestatis Impedimentum nascatur etiam ex sponsalibus incertis, aut conditionalibus? *Sponsalia incerta* forent, si quis promittat se ducturum unam ex duabus filiabus Titii, & illæ consentiant: *Conditionata*, si promittat Matrimonium uni certæ, sed sub conditione in futurum suspendente consensum, e. g. si certam dignitatem sit consecutus &c. *Ex incertis* ante electionem non oritur Impedimentum istud; quia ante electionem, ut *num.* 35. dictum est, nondum sunt perfecta sponsalia, nec sponsalitiam obligationem inducunt: estque hoc verum etiam de jure antiquo, ut patet ex *c. un. hoc tit. in 6.*

108 *De sponsalibus conditionatis* distinguendum est; nam ante eventum conditionis per ea impedimentum istud non inducitur, inducitur autem post hujus eventum. Quod ante eventum conditionis non oriatur impedimentum hoc, patet ex *cap. un. cit. §. ille vero*, & ratio clara est; quia cum conditio suspendat consensum usque ad eventum sui, antequam ea impleatur, sponsalia non sunt valida ex defectu consensus. Atque hinc si quis contrahat sponsalia de præsenti, seu Matrimonium cum sorore sponsæ, conditione nondum extante, Matrimonium valet, non obstante promissione, qua se conditionatè obligavit sponsæ priori. Quod verò post eventum conditionis oriatur Impedimentum istud, colligitur argumento à sensu contrario; quia tunc sunt sponsalia pura, seu absoluta, & habent perfectum consensum. Henriq. *l.* 12. *de matr. c.* 10. *n.* 2. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 69. *n.* 2. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 3. Honor. *n.* 9. Pirhing *n.* 38. Engl §. 6. *n.* 7. Schamb. *n.* 44.

109 Dub. 6. an si v. g. Titius post sponsalia de futuro valida inita cum Bertha, deinde Matrimonium ratum, invalidum ob impedimentum publicæ honestatis ex istis ortum, contrahat cum Tullia sorore Berthæ, ex isto Matrimonio vicissim oriatur impedimentum publicæ honestatis respectu Berthæ, ut eam Titius non amplius possit ducere? Videtur respondendum affirmativè; quia tali casu supervenit impedimentum dirimens publicæ honestatis ex Matrimonio cum sorore Berthæ contracto. atqui superveniente impedimento dirimente dissolvuntur sponsalia prius inita, ut regulæ instar receptum est, & pluribus aliis exemplis patet. Sic enim 1. sponsalia cum una de futuro inita dissolvuntur per sponsalia de præsenti contracta cum alia ob impedimentum ligaminis *capit. duabus* 1. *de spons. duor.* 2. Si sponsus post sponsalia contracta cum Bertha, commercium carnale habeat cum sorore Berthæ, etiam Bertham non amplius potest ducere ob affinitatem ex commercio illo exsurgentem *can. si quis sponsam* 32. *caus.* 27. *quæst.* 2. *capit. ex litteris* 8. *& capit. veniens* 9. *de eo, qui cognovit &c.* 3. Idem dicendum, si superveniat impedimentum cognationis spiritualis, & Voti solemnis, aut susceptione Ordinis Sacri, aut Religionis Professione edita &c.

110 Sed dicendum, per hujusmodi Matrimonium invalidum non consummatum, initum cum sorore sponsæ, induci quidem impedimentum publicæ honestatis, per quod arceatur à Matrimonio contrahendo cum consanguineis cæteris Tulliæ usque ad quartum gradum, sponsalibus tamen prius cum Bertha validè initis per illud non derogati per expressum textum *c. un. hoc titul. in 6.* Aliud foret, si cum posteriori Matrimonium invalidè contractum consummasset; nam eo casu cum neutra posset inire validè Matrimonium: non cum prima ob impedimentum affinitatis consurgens ex copula cum sorore habita; non cum posteriori propter impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus contractis cum ejus sorore.

111 *Ad rationem dubitandi* negatur paritas; quia impedimentum publicæ honestatis retroagendi, sive prius initis sponsalibus præjudicandi vim non habet ex *c. cit.* hanc tamen vim habet affinitas, & cætera Impedimenta dirimentia. Angel. *V. Matrimonium* 3. *imped.* 14. *num.* 10. Navar. *Man. cap.* 22. *n.* 57. Gaeta *Repetit. can. ad limina caus.* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 495. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 68. *n.* 24. Perez *D.* 33. *sect.* 3. *n.* 5. Sporer *de matr. n.* 58. Konig *de spons. duor. p.* 2. *n.* 10. Vviest. *hic n.* 275.

112 Dub. 7. an Impedimentum hoc, ex sponsalibus consurgens, sit perpetuum, ita, ut non cesset, etsi sponsalia ex aliqua causa dissolvantur? *Certum est* 1. non cessare, quando sponsalia dissolvuntur per mortem alterius sponsi ob claros textus *can. si quis desponsaverit* 11. *can. si quis uxorem* 14. *caus.* 27. *q.* 2. *& c. sponsam* 8. *hoc tit. Certum est* 2. idem impedimentum manere, si dissolvantur, quod unus sponsorum professus sit Religionem, susceperit SS. Ordines, aut ob fornicationem alterius, vel aliam justam causam ab iis resilierit; id enim plerique videntur supponere, & expressè tradunt Layman *l.* 4. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 9. *n.* 3. Perez *D.* 8. *sect.* 2. *n.* 5. Engl *hic* §. 6. *nu.* 4. Vviest. *n.* 278. *fin.*

113 *Controversia* inter DD. est de casu, quo sponsalia mutuo consensu dissolvuntur. Quo casu impedimentum hoc tolli putant Emman. Saa *V. Matrimonium nu.* 12. Pont. *lib.* 7. *c.* 30. *num.* 9. Gutier. *c.* 103. *de matrim. num.* 11. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 10. *numer.* 9. Barbosa *de offic. Episc. alleg.* 51. *num.* 188. Engl *hic* §. 6. *numer.* 3. Fundantur 1. quia juxta Trid. *cap.* 3. *cit.* non inducitur impedimentum istud ex sponsalibus quacunque ratione invalidis. atqui sponsalia, quæ mutuo consensu dissolvuntur, invalida sunt, ut declaratum est à *Sacr. Congreg. Card. Concil. Interpp.* Teste Farin. *ad c.* 3. *cit.* & Rebell. *l.* 4. *de oblig. Just. q.* 4. *num.* 99. 2. Quia in dubio impedimenta Matrimonii, tanquam odiosa, potius restringenda sunt, quam amplianda *arg. textus Trid. sess.* 24 *capit.* 2. *de reform. matr.* 3. Quia quælibet res eo modo dissolvitur, quo modo colligata est *l. nihil tam naturale* 35. *ff. de R. J.* sed publica honestas nata, & colligata est ex mutuo partium consensu: ergo mutuo earum dissensu iterum dissolvi poterit.

114 Sed omnino tenendum est, Impedimentum istud, etiam dissolutis mutuo consensu sponsalibus, nequaquam tolli, ac proinde etiam hoc casu esse perpetuum. Ita Sanch. *lib.* 7. *de matr. D.* 68. *num.* 21. Layman *cap.* 9. *cit. num.* 3. Perez *num.* 4. Fagnan. *in c. ad audientiam* 4. *hoc tit. num.* 29. Sperell. *part.* 1. *decis.* 95. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *part.* 1. §. 6 *num.* 42. Gobat *tr.* 9. *nu.* 362. Schamb. *hic num.* 56. Vviestner *num.* 269. & stat pro ista sententia *Declaratio Cardd. Trid. Interpp. de anno* 1658. *die* 6. *Julii*, quam *sub die* 10. *ejusdem mensis* approbavit Alexander VII. jussitque in dubium deinceps non amplius revocari Teste Fagnan. & Gobat *citt. Ratio est*; quia impedimentum istud inducitur sponsalibus validis, h. e. illis, quæ semel valida fuerunt. talia autem sunt, quæ postea ob dissolutionem, mutuo consensu factam, evanescunt. ergo &c.

115 Ex quo cadunt argumenta sententiæ adversæ; nam declaratio hæc, ut sic approbata à Summo Pont. transiit in Legem Pontificiam. Plura vide apud P. Vvex *l. cit. à num.* 27.

Quæritur 3. quis sit effectus sponsalium, quando post ea contracta sequitur copula carnalis sponsi cum sponsa? Resp. hic distinguendum est inter Jus antiquum, & novum Trid. nam jure antiquo sponsalia de futuro per secutam copulam carnalem transibant in Matrimonium, prout sumitur ex *cap. veniens* 15. *& capit. is qui* 30. *hoc titul. Ratio est*; quia Ecclesia ex carnali copula præsumit in sponsis conjugalem consensum ad excludendum peccatum, quod scilicet sponsus, & sponsa non fornicario, sed maritali affectu se invicem cognoscere voluerint; quia delictum non est præsumendum.

116 Estque præsumptio ista juris, & de jure, h. e. omnino certa, & indubitata, contra quam non admittitur probatio: cons. ubi Jus hoc antiquum viget, non audiretur sponsus asserens, se sponsam non maritali, sed fornicario solum affectu cognovisse, & si Matrimonium postea contraheret cum alia, compelleretur ad hanc deserendam, & adhærendum primæ Covar. *p.* 1. *de spons. c.* 4. §. 1. *nu.* 2. *&* 3. Barbosa *in c. is, qui fidem* 30. *hoc tit. num.* 9. Pirhing *hic num.* 27. Schambog. *n.* 37. Vviest. *n.* 148.

Ha-

117 Habet autem præsumptio ista locum solum in foro contentioso, & judiciali, non verò in interno conscientiæ; nam in hoc judicatur secundum rei veritatem, & non secundum præsumptiones, si his aliud quid præsumatur, quam habeat rei veritas. Hinc si sponsus sponsam revera non maritalí, sed fornicario affectu cognovit, in foro pœnitentiali, & coram Deo non esset Matrimonium; quia Papa non potest facere, ut sine consensu expresso, vel tacito sit verum Matrimonium. Fagnan. *in c. is qui fidem cit. n. 6. & 7.* Pirh. *n. 27. cit. in fin.* Schamb. *n. 38.* Videtur tamen talis in conscientia obligatus esse, ut eam in legitimam uxorem accipiat, non solum ratione fidei in sponsalibus datæ, sed etiam quia cogerur in foro externo cum ea cohabitare, quod sine periculo læsionis conscientiæ nequit.

118 Dub. 1. an hujusmodi præsumpta Matrimonia habeant defacto locum etiam nostris temporibus? Resp. distinguendo; nam in locis, ubi Tridentinum non est receptum, defacto locum habent; at ubi receptum istud est, & promulgatum quoad Matrimonia clandestina, non amplius locum habent, adeoque sponsalia de futuro per copulam carnalem non transeunt in Matrimonium, nisi per verba de præsenti, sive per expressum consensum coram Parocho, & Testibus Matrimonium iterum contrahatur. Henriq. *l. 11. c. 3. num. 7.* Sanch. *l. 3. de matrim. D. 40. num. 3.* Barbosa *in cap. is qui fidem 30. hoc tit. num. 8.* Pirhing *hic n. 28.* & ita sæpius decisum est à *S. Congr. Cardd. Ratio est*; quia laudatum Concilium *sess. 24. c. 1. de reform.* prohibuit, & annullavit Matrimonia clandestina. talia autem sunt præsumpta ex copula carnali post sponsalia sponsi cum sponsa; neque enim legitimè constare potest Ecclesiæ de tali Matrimonio, cum licet de copula constet, non tamen constet de animo, quo copula sit inita.

119 Dub. 2. an jure antiquo præsumatur etiam Matrimonium, quando copula carnalis verè non fuit secuta, sed solum nisus, seu conatus ad illam? Videtur affirmativa sequi ex ratione resolutionis datæ *num. 115.* nam si ejusmodi attentatio præsumatur facta animo conjugali, excluderetur peccatum inter desponsatos. *Sed respondendum* est negativè, prout decisum est *cap. fin. hoc tit.* Ratio est; quia conatus, sive voluntas sine effectu non obest, neque conatus reputatur pro actu perfecto. *Ad rationem dubitandi* multo major causa est præsumendi Matrimonialem affectum ex ipsa copula, quam ex attentatione ipsius, & similibus actibus; tum propter majorem gravitatem culpæ, & injuriæ in illa intervenientis; tum vero quia per illam, si consummata sit, fit traditio usus corporis, non vero, si tantum sit attentata.

§. III.

De Accidentalibus Sponsalium.

S U M M A R I U M.

120 *An pactum de habitatione in certo loco sponsalibus quandoque appositum obliget?*
121 *Respondetur affirmativè.*
122 *Rationes dubitandi solvuntur.*
123 *An casu, quo Maritus contra tale pactum alio se confert, Uxor à loco convento recedere, & sequi Maritum debeat?*
124 *An Maritus tali casu, quo certus locus in pactum deductus est, satisfaciat obligationi suæ solvendo uxori interesse?*
125 *An vicissim valeat, & licitum sit pactum, ut vir in certo loco non moretur, eumque non ingrediatur?*
126 *Quid sint arrhæ, & quando restituendæ?*
127 128 *Exceptiones.*
129 130 *Quomodo differant à pœnis, quæ sponsalibus nonnunquam adjici solent?*
131 *An utrinque arrhæ pignora constitui possint?*
132 133 *An pactio arrharum traditioni adjecta, ut à sponsalibus injustè resiliens duplicatas, aut quadruplicatas reddat, locum etiam habeat de Jure Canonico?*
134 *An pœna hæc dupli, aut quadrupli à resiliente debeatur in conscientia? Prima Sententia.*
135 *Secunda Sententia.*
136 *Respondetur cum distinctione.*
137 *Solvuntur argumenta contraria:*
138 *An sponsalibus adjici possit pœna solvenda à resiliente justè?*
139 *Vel injustè? Argumenta sententiæ negativæ.*
140 *Concluditur pro affirmativa.*
141 *Ratio concludendi.*
142 *Respondetur ad opposita.*
143 *An validum sit Juramentum de pœna solvenda à resiliente injustè? Affirmatur.*
144 *An valeat, si sit de pœna solvenda à resiliente justè? Prima sententia.*
145 *Secunda sententia.*
146 *Respondetur non valere.*
147 *Solvuntur Argumenta primæ sententiæ.*
148 *Respondetur ad Argumenta secundæ.*
149 150. *An valeat pœna impropriè dicta adjecta sponsalibus, quæ solum consistit in lucro amittendo, aut non acquirendo.*

PRæter consensum in obligationem suo tempore contrahendi Matrimonium cum tali persona, qui ad Formam sponsalium substantialem pertinet, eidem contractui sæpe aliqua accessoriè adduntur. Ex pluribus hic tria consideranda veniunt. 1. Pactum de habitatione in certo loco. 2. Arrharum constitutio. 3. Adjectio pœnæ resilienti solvendæ.

Quæritur 1. an Pactum de habitatione in certo loco sponsalibus quandoque appositum obliget? Satis convenit inter DD. contra Dynum *in l. Titio 71. ff. de condit. & demonstr.* & Bartol. *ibid. n. 4.* ejusmodi pactum, & pœnam illi firmando adjectam obligare, si eo conventum sit de habitatione hujusmodi temporanea. 120

Controversia est, quando convenitur de habitatione in loco aliquo perpetuò stabilienda. Gotthofred. *in not. ad l. Titio cit. lit. L.* Alex. de Nevo *in c. quoniam 2. de conjug. lepros. num. 9.* Gomez. *tom. 2. var. c. 10. num. 24.* Cujacius *lib. 14. observ. c. 27. cum* Dyno, & Bartolo *l. citt.* tale pactum cum adjecta pœna rejiciunt tanquam irritum. *Fundantur* 1. *l. Titio 71. §. Titio 2. ff. de condit. & demonstr.* ubi rejicitur conditio Legato apposita, ut à defuncti monumento non recedatur, vel ut in certa civitate domicilium habeat Legatarius: & ratio additur; quia *per eam jus libertatis infringitur*. 2. *l. omnium 3. §. ne sit 2. ff. de Usufr.* ubi operarum locatio perpetua reprobatur, ne fit inutilis libertas eundi, quo voluerit, & in quo quis voluerit, loco commorandi, quæ cuivis ingenio permissa est *l. qui manumittitur 12. Cod. de oper. libert.* 3. *ratione*; quia necessitas in certo loco commorandi est instar carceris. atqui ut carcere quis constringatur, aut vinculis, obligatio inita non tenet; quia eundi, quo lubet, libertatem adimit.

Sed longè probabilius est obligatoriam, & validam esse pactionem, sponsalibus, & ipsi etiam Matrimonio additam, qua convenitur de habitatione in certo loco. Ita Host. *in c. 1. qui matrim. accus. poss.* Joan. Andr. *ibidem num. 2.* Ancharan. *num. 5.* Abb. *num. 5.* Rosell. *V. uxor. n. 3.* Sylv. *V. eodem num. 8.* Navar. *Man. c. 14. n. 20.* Philiarc. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. c. 19. vers. 6.* Rodriq. *tom. 1. Summ. c. 15. n. 2.* Sanch. *l. 1. de matrim. c. 40. n. 2.* Pont. *l. 12. de matr. c. 20. à num. 3.* Perez *D. 7. sect. 3. num. 3.* Wiestner *hic num. 65. Ratio est*; quia talis pactio, & conditio nullo jure rejicitur: non naturali, & Divino, quia illis libertas non adimitur, sed aliqualiter dumtaxat, & propriæ voluntatis spontaneo consensu restringitur: non civili; quia hoc jure potest aliquis adscribi fundo colendo, & Curialis constitui, ita, ut nec ille à fundo sine licentia Domini, nec iste à Curia sine licentia Præsidis possit recedere *l. originarios 11. & l. seq. Cod. de agricol. & censit. l. Decuriones 1. ff. l. si quis 16. & l. quidam 26. c. de Decurion.* ergo poterunt ea conditione etiam iniri sponsalia: non denique Jure Canonico; quia in hoc ne vestigium quidem reperitur hujus pactionis reprobatæ. Atque hinc sequens ducitur Argumentum: Sponsalia, & ipsum quoque Matrimonium iniri possunt quibusvis pactis, & conditionibus jure non reprobatis, & non contrariis eorum naturæ: atqui conditio, adstringens ad habitandum in certo loco, non est jure reprobata nec contraria naturæ sponsalium. ergo &c. 121

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad 1.* per *l. Titio cit.* 122

cit. solum rejicitur conditio commorandi in certo loco, quando vanè, & inutiliter apponitur Legato; non verò quando contractui, & utiliter adiicitur, sicut fieret, quando fœmina nuptiali contractui apponit conditionem, ne deserta patria; & procul à suis inter extraneos, & ignotos vitam cogatur exigere. *Ad* 2. eadem est responsio. *Ad* 3. diminutio hæc libertatis aliqualis tantum est, & qualem ex justa causa, & in gratiam alterius subire liberæ, & spontaneæ voluntatis electione nemo prohibetur.

123 Dub. 1. an casu, quo pactum de habitatione in certo loco adjectum est sponsalibus, vel Matrimonio, uxor à loco convento recedere, & maritum, alio se conferentem, sequi teneatur? Affirmat cum aliis Calderin. *in capit.* 1. *de conjug. lepros.* ex ratione; quia Lex Divina fortior est quocunque pacto. hæc autem adstringit uxorem ad sequendum virum. *Conf.* quia; ut ex *l. fin.* §. *item* 3. *ff. ad municipal. & l. un. Cod. de mulier. in quo loco &c.* sumitur, mulier domicilium mariti sequitur.

Sed respondendum est distinguendo: Vel enim maritus à loco convento contra fidem datam discedit injuste, vel justè, ob supervenientem novam recedendi causam; quia v. g. aeris intemperies sanitati ejus affert periculum, vel quia ob capitales inimicitias in illo loco securè commorari non potest &c. *Si primum*, virum ita recedentem sequi non tenetur uxor; imò ille ab ista vindicari, aut recuperandæ possessionis remediis repeti, & compelli potest, ut revertatur ad uxorem *c. intelleximus* 1. *de ord. cognit. c. ex transmissa* 8. *& c. ex conquestione* 10. *de restitut. spoliat.* Gutier. *in cap.* 23. *de Matr. num.* 18. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 40. *num.* 6. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 15. §. 2. *num.* 5. Vviest. *hic num.* 5. *Ratio est*; quia discessu suo uxori injuriam intulit, eamque spoliavit. *Si secundum*, tenetur uxor ipsum sequi in iis casibus, in quibus secluso pacto tenebatur; quia cum tunc pactum non adstringat, perinde judicandum est, acsi pactum non esset. *Proceditque hoc*, etsi pactum tale fuisset confirmatum juramento partium; quia hoc, cum sit accessorium pacto, induit conditiones pacti, cui adjicitur. habet autem pactum non recedendi à certo loco imbibitam hanc conditionem. *Nisi nova recedendi causa supervenerit*. ergo &c. Tiraquell. *leg. connub. Gloss.* 1. *p.* 1. *num.* 39. Gutier. *l. cit. num.* 17. Sanch. *num.* 5. *&* 6. Pal. *num.* 9. Vviest. *num.* 67.

Neque obstat Argumentum Calderini, & ejus confirmatio; quia Lex Divina, & civiles *citt.* solum procedunt, quando nullus locus habitationis certus in conditionem contractus venit.

124 Dub. 2. an Maritus tali casu, quo certus locus in pactum deductus est; satisfaciat obligationi suæ solvendo uxori interesse? Affirmat Covar. *p.* 2. *de sponsal. cap.* 7. *pr. num.* 6. Gomez *tom.* 2. *var. c.* 10. *n.* 24. Gutier. *c.* 23. *de matr. numer.* 16. Moventur ex eo, quod promittens factum, si solvat, quod interest, ab obligatione liberetur *l. in stipulationibus* 54. *& l. stipulationes* 72. *vers. Celsus ff. de V. O.* & aliis textibus. Sed si Argumentum hoc, & Leges *citt.* aliquid probant, hoc solum probant, tunc solum satisfieri solvendo interesse, quando paciscentis non interest ipsum factum præstari; secus dicendum, ejusdem referat, ut refert uxoris, ne maritus ex loco pacto discedat, cum fortè omnibus divitiis habitationem mariti eo in loco præferat. Dicendum igitur in casu dubii non satisfieri præstando interesse. Ita Pont. *l.* 12. *de sponsal. c.* 20. *n.* 7. Pal. §. 2. *cit. n.* 8.

125 Dub. 3. an vicissim valeat, & licitum sit pactum, ut vir in certo loco non moretur, eumque non ingrediatur? Negant Ancharan. *cons.* 75. *nu.* 3. Alciat. *l.* 5. *cons.* 34. *n.* 3. & ratio negandi esse potest; tum quia hoc pactum videtur Reipublicæ obesse, cui expedit liberis hominibus abundare *l. fin. Cod. de indict. viduit.* tum quia est quædam pœna, ad quam nemo, nisi per sententiam, obligari potest. Sed melius affirmant Gama *decis.* 63. Pont. *l.* 12. *de matr. c.* 20. *num.* 9. Pal. §. 2. *cit. num.* 12. Perez *D.* 7. *sect.* 3. *num.* 4. *Ratio est*; quia ejusmodi pactum neque juri publico, neque naturæ conjugii, neque bonis moribus adversatur: quin certi loci vitatio privatim, & publicè quoque utilis esse potest, cum sic excludi possit periculum perturbationis Reip. dissidiorum, aliorumque incommodorum, quæ ex commoratione, vel ingressu in talem locum timeri possent.

Ad Argumentum Contrarium imprimis Reip. nunquam expedit abundare hominibus liberis, qui pertubare pacem illius possent; deinde hæc privatio non est pœna propriè, quia spontè assumpta, non contra voluntatem inflicta est.

Quæritur 2. quid sint *Arrhæ*? Resp. *Arrharum* nomine veniunt, quæ sponsæ à sponso, aut vicissim huic ab illa in contractorum sponsalium signum, & Matrimonii contrahendi pignus dantur, ita, ut si nuptiæ fuerint secutæ, repeti possint; si verò secutum non sit Matrimonium, injustè resiliens suas amittat, & si quas ipse acceperit, duplicatas, h. e. acceptas, & alterum tantum, sive acceptarum æstimationem teneatur reddere *l. arrhis* 3. *& l. mulier* 5. *Cod. hoc tit.* 126

Excipitur 1. si aliud receptum sit consuetudine: vel obtineat alio jure speciali. Et ita Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *c.* 1. *num.* 8. *V. quin imò*, Pirhing *hic numer.* 25. Konig *num.* 8. Reiffenstuel *n.* 180. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 4. *num.* 35. Testantur, ex consuetudine Arrhas inter sponsalitias donationes numerari, ita ut nuptiis etiam secutis, repeti nequeant, sed earum contractu confirmentur.

Excipitur 2. si is, qui voluntate mutata, renuntiavit sponsalibus, sit minor 25. annis, & veniam ætatis non impetrarit; iste enim arrhas datas non perdit, & si eas accepit ipse, acceptas dumtaxat restituit, non vero præstat alterum tantum, ut habetur *l. mulier cit.* & docet Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 36. *num.* 8. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 12. §. 2. *num.* 1. Perez *in Cod. hoc tit. num.* 15. Brunnem. *in l. mulier. cit. nu.* 2. Gonzal. *in c. Gemma* 29. *hic num.* 3. Pirhing *num.* 25. Konig *num.* 9. Magnif. P. Schmier *l. cit. num.* 40. 127

Excipitur 3. si pater sponsæ arrhas tradidit sponso, & ipse filiam ad sponsalia implenda omni studio est conatus inducere; tum enim, etsi ista resiliat à sponsalibus, pater tamen arrhas datas non perdit, sed hæ eidem restituendæ sunt. Socin. *vol.* 1. *cons.* 3. *num.* 9. Sanch. *l. cit. n.* 13. Pal. *n.* 1. *cit. fin.* Perez *D.* 8. *sect.* 2. *num.* 9. Conink *D.* 22. *dub.* 3. *n.* 17. Vviest. *hic num.* 74. Magnif. P. Schmier *l. cit. num.* 43. *Ratio est*; quia arrharum amissio habet rationem pœnæ, qua punitur violatio fidei sponsalibus datæ. atqui tali casu pater fidem datam non violavit, nec ejus à filia violatæ causa extitit. igitur cum omnis pœna secundum illud August. *l.* 1. *retr. c.* 9. si justa est, peccati pœna sit, in hoc casu pater arrhas, pro filia sponso datas, non amittet. 128

Dub. 1. quomodo arrhæ differant à pœnis, quæ sponsalibus nonnunquam adiici solent? Resp. duplex communiter afferri discrimen. *Unum est*; quia, ut id, quod in signum sponsalium, & futuri Matrimonii pignus offertur, Arrha reputetur, necesse est, ut sit traditum; nam si Arrhæ promissæ solum, non traditæ sint, potius habent rationem pœnæ. Gloss. *in c. accedens* 10. *V. libera de procurat.* Bartol. *in l. Titia* 134. *pr. ff. de V. O. num.* 6. Abb. *in c.* 29. *hoc tit. n.* 8. Brunell. *de sponsal. concl.* 16. *n.* 3. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. §. 7. *num.* 7. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 35. *num.* 3. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 12. §. 1. *num.* 2. Vviestner *hic num.* 72. & sumitur ex *l. mulier* 5. *Cod. hoc tit.* quæ passim utitur verbo *Acceperit arrhas*, quod traditionem denotat. 129

Alterum est; quia licet per se Arrhæ in quavis quantitate, nec in pecunia numerata solum, sed etiam in fundis concedi possint, ut rectè aliis *citt.* advertit Pal. §. 1. *cit. num.* 5. *&* 6. quia tamen ex dispositione Legali, & non nisi cum magna animi deliberatione traduntur, plerumque in exigua quantitate traduntur; pœna autem, quia solum promittitur, facilè, incauteque, & plerumque in majori, sæpe etiam in magna quantitate offertur, cum ad promittendum proniores, quam ad dandum simus *argum. l. sed si ego* 4. *in fin. ff. ad S. C. Vellejan.* Hinc fit, quod pœna sponsalibus adjecta regulariter plus officiat Matrimoniorum libertati, quam Arrhæ, ut *in c. Gemma cit.* notant Joan. Andr. *num.* 9. Abb. *num.* 8. Canis. *numer.* 5. 130

Dub. 2. an utrinque Arrhæ pignora constitui possint? Negant Bartol. *in l. Titia num.* 9. *ff. de V. O.* Abbas *in cap. Gemma numer.* 8. Alex. de Nevo *num.* 25. Præpos. *num.* 10. Rosell. *V. sponsalia num.* 7. Angel. *n.* 13. Sylv. *quæst.* 9. *dict.* 3. Brunell. *de sponsal. concl.* 26. *num.* 3. & communiter alii Teste Sanch. *l.* 1. *de matr. D.* 35. *n.* 13. ex ratione, quod revera videatur nihil dari *arg. l. qui* 131

sic

sic 55. *ff. de solut.* ibi, *Non alienantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur.*

Sed probabilius est Arrhas posse utrinque constitui. Ita Covat. *p.* 2. *c.* 3. §. 7. *&* 8. Sanch. *D.* 35. *cit. n.* 14. Gutier. *c.* 18. *de Matr. num.* 8. Pont. *lib.* 12. *c.* 19. *pr.* Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 12. §. 1. *num.* 9. & alii apud istos. *Ratio est*; tum quia Leges mutuam Arrharum traditionem non reprobant; tum quia hæc mutuam Arrharum traditio utilis est, siquidem violans fidem perdit Arrhas datas, & restituit acceptas, alio recuperante datas, & retinente acceptas. *Proceditque hoc*, etiamsi datæ, & acceptæ sint ejusdem naturæ, & quantitatis; nam hoc probat ratio allata.

Neque obstat *l. qui sic cit.* quia hæc solum procedit, quando dans aliquid tantundem recipit absque obligatione reddendi illud; vel quando datur aliquid eo pacto, ut in continenti reddatur.

132 Dub. 3. an pactio Arrharum traditioni adjecta, ut à sponsalibus injustè resiliens duplicatas, aut quadruplicatas reddat, locum etiam habeat de Jure Canonico? *Ratio dubitandi* est, quia dupli, & quadrupli redditio habet rationem pęnæ. hæc autem à sponsalibus reiicitur; quia Matrimonii libertatem infringit, ut patet ex *c. Gemma* 29. *hoc tit.*

Sed melius affirmativam defendunt Host. *in c. cit. fin.* Joan. Andr. *ibidem num.* 7. Alex. de Nevo *num.* 21. Sylv. *V. sponsalia quæst.* 9. *dict.* 4. Sanch. *lib.* 1. *de Matr. D.* 36. *num.* 11. Gutier. *c.* 18. *de Matr. num.* 17. Conink *D.* 22. *dub.* 3. *num.* 14. Pont. *libr.* 12. *c.* 19. *num.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 12. §. 2. *num.* 3. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *c.* 1. *num.* 8. *vers. confirmatur*. Engl *hic* §. 2. *n.* 7. Vviest. *num.* 74. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de spons. c.* 4. *num.* 41. *Ratio est*; quia Leges *citt.* quæ dupli, & quadrupli pęnam permittunt, jure Canonico correctæ non sunt. igitur etiam de hoc jure locum habet talis adjecta pactio. *Conf.* quia si pęna dupli, aut quadrupli de jure Canonico locum non haberet, ideo non haberet, quia libertatem læderet. non autem lædit istam, quia plerumque, ut *num.* 130. dictum est, in exigua quantitate traduntur. ergo &c.

133 Neque obstat Ratio dubitandi; nam, ut *infra* 140. dicetur *capit. Gemma cit.* tantum reiiciuntur illæ pœnæ, quæ solvendæ essent etiam justè resilienti. Quodsi contendas, ut quidam volunt, omne genus pęnæ ibidem reiici à sponsalibus, disparitas erit inter Arrhas, & pęnas; nam pęnæ, ut paulo antea dictum est, cum non tradantur, in magna quantitate promitti solent: Arrhæ vero, quia traduntur, non nisi in exigua, quæ cum facilè contemnatur, periculum has perdendi Matrimoniorum libertati non oberit. Certè quod *l. mulier cit.* mens non fuerit, auctione ad quadruplum facta libertatem minuere, sufficienter colligitur ex eo, quod ultra quadruplum augeri vetuerit, ratione addita, quod *in contrahendis Nuptiis libera potestas esse debeat*. igitur auctione ad quadruplum existimavit non lædi libertatem.

134 Dub. 4. an dupli, & quadrupli pęna à resiliente in conscientia debeatur ante sententiam judicis? Triplex est sententia. *Prima* vult solvendam esse, etiam judicis sententia non exspectata: & hæc sententia iterum in duas scinditur; nam Felin. *in c.* 1. *de constitut. num.* 46. Decius *ibidem lect.* 1. *num.* 73. Paludan. *in* 4. *distinct.* 26. *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 13. volunt solvendam esse ante ipsam partis exactionem. Saltem post exactionem partis solvendam contendunt Covar. *p.* 2. *de spons. c.* 6. §. 8. *num.* 11. Menoch. *de arbitr. c.* 260. *num.* 40. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 97. *numer.* 8. Gutier. *c.* 18. *de Matr. num.* 19. *Nituntur* 1. quia cum contrahentes nullam judicis, aut judicialis sententiæ mentionem fecerint, procul dubio in id censentur convenisse, ut vel impleantur sponsalia, vel restituantur Arrhæ ad duplum, vel quadruplum auctæ. 2. Obligatio imposita contractu, & contrahentium libera voluntate urget, etiamsi judicis sententia non accedat, ut patet in Voto pęnali, in quo si principalis promissio violata sit, pęna illi apposita debetur in conscientia ante omnem sententiam. atqui obligatio solvendi pęnam dupli, vel quadrupli est imposita contractu, seu sponsalitia conventione, ergo &c. 3. Qui à sponsalibus injustè resilit, ante sententiam restituere tenetur Arrhas, quas accepit, & illas, quas dedit, amittit, ita, ut aliter, cui fides servata non est, justè illas pertineat, ergo etiam ante sententiam solvenda pęna dupli, vel quadrupli; nam si esset aliqua ratio, cur non esset solvenda, esset, quia est pęna: est autem etiam pęna Arrharum amissio respectu ejus, qui à sponsalibus injustè resilit; ergo &c.

135 *Altera sententia* vult à resiliente judicis sententiam exspectari posse. Ita Navar. *Man. c.* 23. *num.* 67. Sanch. *lib.* 1. *de Matr. D.* 37. *num.* 4. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. §. 2. *n.* 4. *Fundantur* & ipsi triplici Argumento. 1. Contrahentes in dubio, quia mente, & intentione apposuerint pęnam dupli, vel quadrupli, censentur habuisse illam, quæ conformis est naturæ pœnarum impositarum à jure; quia in dubio actus gestus præsumitur secundum naturam illius propriam, ut latè Menoch. *l.* 6. *præsumpt.* 10. *à nu.* 1. atqui natura pęnarum impositarum à jure est, ut ante sententiam non debeantur, ergo &c. 2. Dupli, vel quadrupli pęna multum recedit ab æqualitate servanda in contractibus; nam qui dedit, si resilit, solum amittit traditas, is contrà, qui traditas accepit, vi ejus restituere non tantum debet, quas accepit, sed insuper eas augere in quadruplum, igitur æquitas videtur postulare, ut ita auctæ non debeantur, antequam discutiatur, & cognoscatur, an resiliendi causa verè injusta sit, item an pęnæ multiplicatæ Arrhæ commensurata sit injustitiæ resilientis, ut si justa sit major arbitrio judicis temperetur, & reducatur ad æqualitatem. 3. In dubio pęnarum interpretatio benignior præferenda est rigorosæ *l. semper* 56. *ff. de R. J.* atqui in casu quæstionis saltem est dubium, an pęna debeatur ante, vel post sententiam; ergo &c.

136 *Tertia sententia* est inter utramque priorem media; quia distinctione utitur. Juxta hanc Arrhæ, etiam duplicatæ, & quadruplicatæ debentur ante sententiam, quando, ut ita restituantur, inter contrahentes expressè convenit; si vero istud in sponsalium contractu expressum non est, etiam post exactionem partis, ante judicis sententiam non debentur. Hæc sententia probabilior est, eandemque tenet P. Vviestner *hic numer.* 77. *Pars prima* illius patet ex *Regul. Contractus* 85. *in* 6. nam *Contractus in Conventione legem accipiunt*. *Partem alteram*, & non plus probant Argumenta secundæ sententiæ.

137 Neque contrarium evincunt Argumenta primæ. *Ad* 1. patet ex Argumentis secundæ sententiæ, de mente contrahentium præsumi non debere, quod velint auctionem istam deberi ante sententiam. *Ad* 2. in pœnis Voto adjectis speciale quid est; quia istæ ita promissæ, & à Deo acceptatæ eo ipso intelliguntur, quod plerumque nemo sit, qui pro iis Dei supremi omnium judicis nomine apud judicem humanum agat, aut agere possit: in cæteris pœnis, etiam propria contrahentium voluntate constitutis, si aliud conventum non sit, probabilius par est ratio cum Arrharum auctione, scilicet ut non debeantur ante sententiam. *Ad* 3. mirum non est, quod is, qui à sponsalibus resilit, Arrham acceptam ante omnem sententiam judicis restituere debeat, cum nullum titulum, & jus eam retinendi habeat. Quod verò Arrham à se datam amittat, & is, cui fides servata non est, justè illam retineat, patet, quia si solummodo fuisset promissa, per viam actionis potuisset exigi; igitur tradita retineri potest, & repetens exceptione repelli; nam *qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus*, ut habetur *Reg.* 71. *in* 6. Nulla similis ratio pugnat in nostro casu; ergo &c.

138 Quæritur 3. an sponsalibus adiici possit pœna, ex contrahentium conventione solvenda à resiliente? *Certum est* apud omnes, si ita adjecta sit, ut solvi debeat etiam à justè resiliente, ejus adjectionem nullam, & irritam esse, cons. illam à sic resiliente non solvendam, prout patet ex *c. Gemma* 29. *hoc tit. l. Titia* 134. *ff. de V. O. & l. mulier* 5. *fin. Cod. hoc tit.* Proceditque hoc, etiamsi pęna apposita levis sit; quia jura indistinctè prohibent pœnam in sponsalibus apponi, & quælibet pœna, quantumvis minima, ex se libertatem ad Matrimonium requisitam diminuit. Quodsi in aliquo casu ea libertas non minuatur, per accidens est, quod jura non attendunt, sed ea, quæ frequenter contingunt, spectant. Neque refert, an solvenda sit ab ipso resiliente, an ab ejus parentibus, consanguineis, tutoribus &c. quia horum damnum sponsorum damnum est, sponsosque mo-

vere potest ad contrahendum. Secus est, si inter extraneos motu proprio apposita pœna sit, ob contrariam rationem Sanch. *lib.* 1. *de Sponsal. D.* 30. *num.* 3. *& seqq.* Gutier. *cap.* 17. *de Matr. a num.* 2. Pal. *tract.* 28. *D.* 1. *part.* 9. *num.* 1.

139 Dub. 1. an prohibitio dictæ pœnæ locum habeat in resiliente à sponsalibus injustè, & perfidè? Negant adiici hoc etiam casu posse pœnam solvendam à resiliente Bart. *in l. Titia cit.* Ant. de Butr. *in c. Gemma cit.* Abb. *ibidem num.* 9. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. §. 7. *num.* 5. Sanch. *l.* 1. *D.* 30. *num.* 2. Tann. *D.* 8. *q.* 1. *num.* 44. Canis. *in cap. Gemma cit. num.* 2. Gonzal. *ibidem n.* 2. Zoes. *hic num.* 82. Pithing *n.* 23. Honor. *n.* 31. Schambog. *n.* 32. *&* 33. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 2. *contr.* 2. *per totam*. Fundant opinionem hanc suam 1. textu *c. Gemma cit.* ubi Gregorius IX. indistinctè, *Cum libera*, inquit, *Matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ impositionem sit merito improbanda, mandamus, quatenus, si est ita, eundem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, Ecclesiastica Censura compellas.* 2. *l. mulier* 5. *& l. Titia citt.* ubi pariter indistinctè reprobatur pœna adjecta sponsalibus, ex eadem ratione, quod per eam Matrimoniorum libertas impediatur, aut minuatur. 3. Pactio de restituendis Arrhis ultra quadruplum auctis est irrita, ut patet ex *l. mulier cit. vers. quæ omnia, & vers. fin.* non alia ex ratione, quam quod ejusmodi auctio libertatem Matrimoniorum tollat. atqui non minus libertati Matrimoniorum efficit pœna conventionalis adjecta sponsalibus; quia hæc plerumque in majori quantitate concedi solet, quam Arrhæ. ergo &c.

140 Sed etsi sententia hæc ob authoritatem DD. qui illam tenent, & momenta Argumentorum relata videatur esse secura in praxi, ita, ut possit Judex secundum illam procedere, & Confessarius possit absolvere pœnitentem, qui talem pœnam non vult solvere, & sponsalia jam per subsequens Matrimonium cum alia contractum evertit, speculativè tamen loquendo probabilius adjectio pœnæ, ab injustè resiliente solvendæ, valet, imponitque obligationem in conscientia, ut injustè resiliens, si pars altera petat eandem solvat. Ita Gottofred. *in l. Titia cit. lit. Z.* Suar. *lib.* 2. *de juram. cap.* 23. *num.* 5. Vasq. *opusc. de testam. c.* 3. *dub.* 2. *num.* 28. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 8. Pont. *lib.* 12. *cap.* 19. *num.* 8. Conink *D.* 22. *dub.* 5. *num.* 29. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 9. *num.* 3. Perez *D.* 7. *sect.* 1. *num.* 7. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *ref.* 21. Barbosa *in c. Gemma citat. num.* 10. Rosignol. *de sponsal. præm.* 5. *sect.* 10. *num.* 3. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 4. *num.* 364. Gobat. *Theol. Exper. tr.* 10. *num.* 172. Engl *hic* §. 2. *n.* 7. Vviest. *num.* 79. Reiffenstuel *num.* 588. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 3. *n.* 143.

141 *Ratio est*; quia hujusmodi pœna sponsalibus adiici nullo jure prohibentur: *non naturali*; quia invitant ad actum honestum, & suppositis sponsalibus ex justitia debitum. ad hunc autem sicut cogi aliquis potest à Judice per censuras, ita etiam pœna Conventionali sine libertatis diminutione. *Non Divino*; quia SS. Litteris nuspiam cavetur, ne contractui sponsalitio roborando adiiciatur pœna. *Non denique Ecclesiastico*; quia *c. Gemma citat.* sermo est de apposita pœna sponsalibus à puella septennio minore contractis; hæc autem aut omnino invalida erant ob defectum ætatis, vel talia, ut ab iis resilire puella, saltem pubes facta, justè potuerit. ergo &c. *Conf.* 1. à paritate cum conventione de Arrhis duplicatis, aut quadruplicatis ab injustè resiliente restituendis etiam de jure Canonico, ut dictum est *supra n.* 132. licet resiliendi libertatem etiam ipsæ, & aliquando non minus, quam pœna infringant. *Conf.* 2. quia injustè resiliens à sponsalibus ad fidem servandam compelli potest, & solet excommunicationis omnium, quas Ecclesia habet, gravissima, aliisque pœnis Ecclesiasticis. *Conf.* 3. quia, ut notat Gobat *l. cit. à num.* 177. antiqua plurium Germaniæ nostræ Diœcesium consuetudo, ac praxis est, ut injustè resilientes quandoque ad centum, ducentorum, aut plurium aureorum pœnam condemnentur, aut cum adversa parte cogantur inire ejusmodi compositionem. Quodsi hæc omnia Matrimoniorum libertatem non diminuunt, eidem etiam non obstabit pœna, ab injustè resiliente ex contrahentium conventione solvenda.

142 Neque obstant huic nostræ sententiæ Argumenta opposita. *Ad* 1. patet ex dictis, *c. Gemma cit.* reprobari non pœnam solvendam à resiliente injustè, sed à resiliente justè. *Ad* 2. in *l. mulier cit. vers. fin.* agitur de pœna Arrharum ultra quadruplum aucta, ut ibi notat Gloss. *fin.* & Haun. *loc. cit. à num.* 369. & *l. Titia* sermo est de sponsalibus, à parentibus nomine liberorum, non solum impuberum, sed etiam ignorantium contractis, cujusmodi sponsalia non solum obnoxia sunt liberæ renuntiationi liberorum, sed etiam omnino irrita *argum. l. filiof.* 13. *ff. hoc titul. & l. nuptiæ* 2. *ff. de rit. nupt.* Et esto, Legibus *citt.* reiici pœnam sponsalibus adjectam, etiam ab eo, qui injustè resilit, exsolvendam, imprimis Leges illæ videntur abrogatæ à Leone Imp. *Novell.* 18. ubi pœnarum appositio disertè permittitur, ut patet ex Rubricæ verbis, *Ut in sponsalibus constituta pœna exigatur*. Deinde prohibitio istarum Legum tantum procedit de antiquo jure Romanorum, quo licebat resilire non tantum à sponsalibus, sed etiam à Matrimonio legitimè contracto, & consummato, modo resiliens, vel divertens penam Legibus statutam subire vellet, videlicet Arrharum, dotis, aut donationis propter nuptias amissionem *l. alii* 1. *hoc titul. l. neque ab initio* 14. *Cod. de Nupt. l. divortium* 2. *& cap. ff. de divort.* Aliter se res habet in Lege Christiana, ubi contractus sponsalitius Matrimonii ineundi obligationem parit: à qua cum neuter contrahentium altero invito absque justa causa sine peccato resilire valeat, non inutiliter videntur adiici pœnæ, ut sic temere resilientium non tam libertas, quàm temeritas restringatur. *Ad* 3. imprimis causa prohibendi auctionem Arrharum ultra quadruplum potissima fuit, quod ejusmodi augmentum nimiam induceret inæqualitatem inter sponsos, cum licet utriusque sine causa resilientis temeritas æqualis sit, non tamen æqualis jactura; nam is, qui Arrham dedit, Arrham dumtaxat simplicem amitteret, cum tamen ille, qui accepit, si recedat, ad quantitatis ultra quadruplum auctæ restitutionem adstringeretur. *Accedit*, quia si pœna conventionalis permissa sit, jam satis occurritur temeritati resilientium sine causa, ut proinde nulla necessitas, vel utilitas suadeat recessum ab Arrharum Legibus.

Dub. 2. an validum sit juramentum de pena solvenda casu, quo quis resilierit à sponsalibus? Resp. hic distinguendum est secundum doctrinam *Dub. præc.* traditam, inter penam solvendam à resiliente injustè, & inter illam, quam solvere deberet etiam justè resiliens. Si juramentum addatur conventioni, qua inter sponsos conventum est de pœna solvenda à resiliente injustè, juramentum hoc validum est; ac proinde resiliens injustè eo casu ad illam solvendam obligabitur, non tantum ex virtute fidelitatis, & justitiæ, sed etiam Religionis, ut rectè Suar. *lib.* 2. *de juram. c.* 23. *n.* 5. Perez *D.* 7. *sect.* 1. *num.* 6. Vviest. *hic num.* 88. imò ipse Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 151. *n.* 12. quamvis promissionem pœnæ simplicem velit irritam esse. *Ratio est*; quia, ut ex resolutione *Dubii præcedentis* patet, juramentum istud est de re nullo jure prohibita. 143

Quodsi autem juramentum sit de pœna solvenda et iam justè resilienti, non pauci existimant etiam hoc casu illud validum esse: qui tamen non omnes ejusdem sententiæ sunt; nam aliqui relati à Sanch. *l.* 1. *D.* 32. *n.* 20. quos sequitur Conink *D.* 22. *dub.* 5. *nu.* 25. putant juramentum tale firmare simul contractum, ita, ut resiliens non solum ex virtute Religionis, sed etiam justitiæ teneatur pœnam promissam solvere. *Nituntur* triplici fundamento. 1. quia promissio pœnæ hoc casu non videtur primario prohibita ob bonum publicum, sed ob bonum privatum, ne resiliens pœnæ solutione ductus matrimonium minus liberè contrahat. at quoties ob bonum privatum primario prohibetur actus, juramento firmari potest secundum dicta *Lib.* 2. *Tit.* 24. *à num.* 85. 2. hæc promissio solvendi pœnam, esto, sit contra bonos mores civiles, non tamen est contra bonos mores naturales; non enim jure naturæ prohibita est. ergo firmari juramento potest. 3. promissio solvendi pecuniam ludo vetito amissam irrita est jure positivo, & tamen juramento firmatur; quia nullam turpitudinem continet. ergo similiter firmari poterit promissio penæ sponsalibus appositæ. 144

Contra alii cum Alex. de Nevo *in c. Gemma* 29. *hoc tit. n.* 10. volunt hoc juramento induci solum obligationem Religionis, non autem firmari contractum cum obli- 145

obligatione Justitiæ; *Rationem dant*; quia solutio talis pœnæ nullo Jure prohibita est, licet prohibita sit ejus promissio; igitur valebit Juramentum de ea solvenda; nam Juramentum, quando non est de re illicita, valet. *Conf.* 1. Juramentum de usuris solvendis usurario obligat; ergo etiam Juramentum de pœna solvenda etiam juste resilienti. *Conf.* 2. licèt, qui pecuniam promisit assassino, ut hic alterum o cidat, gravissime peccarit, Juramentum tamen promissioni adjectum de pecunia illa solvenda, valet, & post patratum scelus obligat ad solutionem præstandam: igitur etiam in nostro casu obligabit ad pœnam solvendam.

146 Sed melius contra utrosque Suarez *num.* 5. *cit.* Sanch. *num.* 21. Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 14. *num.* 24. Gutier. *c.* 17. *de Matr. num.* 21. Pont. *lib.* 12. *cap.* 19. *n.* 7. Palao *tract.* 28. *D.* 1. *part.* 9. *num.* 6. Vviestner *hic num.* 89. & alii apud istos docent Juramentum de pœna solvenda etiam ab juste resiliente non solum non firmare promissionem alias invalidam, sed omnino invalidum esse, & neque obligationem Religionis inducere. *Ratio est*; quia jus interdicens promissionem pœnæ interdicit non tam promissionem, quam solutionem illius, quippe cum ratio prohibitionis, scilicet libertatis ad matrimonium requisitæ diminutio procedat non tam de pœna promissa, quam de illa soluta.

147 Neque contrarium probant argumenta primæ sententiæ. *Ad* 1. talis promissio interdicitur ob utilitatem publicam, nam ratio prohibitionis est libertas matrimoniorum; atqui maximè Reip. interest libera esse matrimonia; ex coactis enim jurgia, dissensiones, mala liberorum educatio, & alii pessimi exitus consequuntur. *Ad* 2. imprimis promissio hæc, cum bono publico, ut mox ostensum est, præjudiciosa sit, merito dici potest etiam pugnare contra bonos mores naturales. Deinde esto, quod sit tantum contra bonos mores civiles, adhuc tamen juramento firmari non poterit; nam juramento non firmatur promissio, quæ in præjudicium boni publici cedit, ut dictum est *lib.* 2. *tit.* 24. *num.* 90. *Ad* 3. Ludi hujusmodi prohibentur ob utilitatem publicam; igitur ex modo dictis promissio solvendi pecuniam per tales ludos amissam firmari juramento non poterit, sed potius ipsum Juramentum erit invalidum.

148 *Ad Argumentum secundæ sententiæ* illud prohibitum censeri hoc casu debet, quod matrimoniorum libertatem diminuit; atqui libertatem istorum non tam promissio pœnæ, quam ejus solutio, seu obligatio solvendi diminuit; igitur Juramentum eam obligationem non potest inducere, cum sit de re prohibita, & illicita. *Ad Conf.* 1. disparitas est; quia pœnæ promissio irritata est ob favorem publicum, ob quam irritatis promissionibus adjecta Juramenta etiam ipsa sunt irrita. *Ad Conf.* 2. Promissio pecuniæ ob homicidium patratum non per se, sed ex accidenti, scilicet ex motione ad peccatum iniqua est; ac proinde sublata iniquitate, obligat ad sui executionem.

149 Dub. 3. an valeat pœna impropriè dicta adjecta sponsalibus, quæ solum consistit in lucro amittendo, aut non acquirendo? Resp. vel ejusmodi pœna additur ab ipsis contrahentibus, vel ab aliis. *Si ab ipsis contrahentibus*, e. gr. Titius dicat Berthæ; *promitto tibi* 100. *aureos, si mecum matrimonium inieris*, talis promissio irrita est secundum præsumptionem fori externi; quia præsumitur facta affectu libidinis, & ob eam causam reprobatur *l. si ita stipulatus* 97. § *si tibi* 2. *ff. de V. O. Excipitur*, si præsumptio turpitudinis cesset, ut si nomine dotis, aut donationis propter Nuptias aliquid promissum videatur; tunc enim valebit talis promissio, ut recte advertit Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. Palao *tract.* 28. *D.* 1. *part.* 10. *n.* 2. *&* 3. Honor. *hic num.* 32.

150 Si vero ejusmodi pœna improprie dicta adjecta sit ab aliis e. g. si Testator leget aliquid Berthæ, *Si Titio nupserit*, cui si nolit nubere, Legatum ipsa non acquirat, ejusmodi pœnæ adjectio non est irrita; quia non est vere pœna, sed potius invitatio ad certum matrimonium; & liberalis promissio, seu donatio sub conditione futurarum Nuptiarum, cum non agatur de pœna damni, cujus metu quis posset induci ad matrimonium contrahendum contra voluntatem, sed solum de non acquirendo lucro, per quod allicitur quis ad matrimonium, ut colligitur ex *l. Titio* 71. § *Titio centum* 1. *ff. de Condit. & demonstr.* ibi, *Aliud est enim eligendi matrimonii pœnæ metu libertatem auferri, aliud ad matrimonium certa lege invitari*. Sanchez *lib.* 1. *de Matr. Dist.* 33. *num.* 6. Layman *num.* 9. *cit.* Palao *num.* 4. Pirhing *hic num.* 24. Schambogen *num.* 34. & alii apud istos.

§. IV.

De Dissolutione Sponsalium.

SUMMARIUM.

151 152 153 154 *Modi, & causæ diversæ, ex quibus solvi possunt sponsalia.*
155 156 157 *An, & quando à puberibus contracta solvi possint mutuo horum consensu?*
158 *Utrum etiam jurata?*
159 160 161 *Præsertim quando juramentum principaliter præstitum est in honorem Dei?*
162 *Quomodo per fornicationem cum alio solvantur Sponsalia?*
163 164 *An solum sponso ob fornicationem sponsæ, an vero etiam sponsæ ob fornicationem sponsi à sponsalibus resilire liceat?*
165 *An, & cui resilire liceat, quando uterque fornicationem commisit? Prima sententia.*
166 *Secunda.*
167 *Tertia, quæ approbatur.*
168 169 *Solvuntur Argumenta contraria.*
170 *Utrum à sponsalibus resilire liceat ob copulam carnalem vi extortam?*
171 172 173 *Respondetur distinguendo.*
174 *Diluuntur Argumenta partis adversæ.*
175 *An sufficiens causa resiliendi à sponsalibus sit fornicatio commissa ante sponsalia, sed ignorata?*
176 *Respondetur id non sufficere, si sponsus eam commiserit.*
177 *Sufficere autem, si eam commisit sponsa.*
178 *Quid sentiendum de eo, qui sponsalia contraxit cum Vidua honesta, quam putavit esse Virginem?*
179 *Solvuntur Objectiones.*
180 181 *An sufficientem causam resiliendi præbeant tactus impudici, post sponsalia contracta admissi?*
182 183 184 *Quænam, & qualis probatio stupri, seu fornicationis requiratur ad hoc, ut ob eam sponsalia resolvi possint?*
185 186 187 *An justam resiliendi causam præbeat notabilis mutatio?*
188 *Quomodo ista probari debeat?*
189 *Triplex illa est, quarum una se tenet ex parte corporis.*
190 *Altera ex parte animi.*
191 *Tertia bona fortunæ spectat.*
192 *An si sponsorum alteri post contracta sponsalia supervenіant insperatæ divitiæ, nobilitas, dignitas &c. iste à sponsalibus resilire de jure possit?*
193 *An resilire sponsus adhuc possit, qui post detectam notabilem circumstantiam carnaliter Sponsam cognovit?*
194 195 *An, & quando sponsalia dissolvantur lapsu termini, matrimonio ineundo præfixi?*
196 197 *Quando censeatur tempus adjectum implendæ obligationi sponsalium, quando illi finiendæ?*
198 *An casu, quo finiendæ obligationi adjectum est, & alteri impedimentum incidit, ille, qui paratus est ad nuptias celebrandas, lapso illo tempore, deobligetur?*
199 *Respondetur affirmativè.*
200 *Solvuntur Rationes dubitandi.*
201 202 *Quando discessus sponsi, vel sponsæ in terras remotas præbeat alteri justam causam resiliendi à sponsalibus?*
203 204 205 *Quousque reditum illius alter exspectare debeat?*
206 207 208 209 *Quid in praxi observandum, ne absentiæ prætextu Sponsalia susque deque habeantur?*
210 *Utrum sponsalia dissolvantur ob superveniens juris impedimentum?*

211

151 SPonsalia, quamvis ad Sacramentum matrimonii via sint, pactionis tamen, & contractus humani limites vix excedunt. Hinc, ut alii contractus, ita & ipsa dissolvi possunt: & hoc non tantum morte naturali alterutrius sponsorum, quæ etiam est vinculi matrimonialis solutio, sed etiam utroque superstite. Causæ autem complures sunt; nam.

1 Si ab impubere contracta sint, solvuntur solo ejusdem, pubertatem adepti, dissensu *cap. de illis 7. de desponsat. impub. Excipitur*; nisi forte sponsalis Juramento confirmata essent; nam eo casu etiam alterius dissensus requiritur *c. ex litteris 10. hoc tit.* Vallens. *hic* § *4. n. 1. v. dixi.*

2 Si contracta sint inter puberes, vinculum eorum solvit consesus contrahentium mutuus *c. præterea 2. hoc tit.* quia generaliter omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur *c. omnis 1. de R. J.* & *l. nihil 35. ff. eod. Conf.* quia quisque potest remittere, quod sua interest, ac jure suo cedere; quamdiu non resultat vinculum indissolubile, prout resultat in matrimonio valide contracto.

152 2 Solvuntur susceptione Ordinis Sacri; quia isto initiatus ob Votum Castitatis solemne ipsi annexum ad matrimonium valide ineundum inhabilis redditur *cap. de Diacono 1.* & *capit. seq. qui Cleric. vel vovent.* proinde Sponsalia de futuro antea contracta non amplius possunt obligare; obligarent enim ad impossibile.

4 Professione Religionis à Sede Appostolica approbatæ; quia cum hæc solvat ipsum matrimonium ratum *c. ex publico 7. de convers. conjugat.* longe magis solver sponsalia de futuro, quæ minus arctum inducunt vinculum.

5 Votis simplicibus, in Societate Jesu post biennium Novitiatus edi solitis; nam & istis vovens vere Religiosus, & inhabilis fit ad matrimonium contrahendum ex *Constit. Gregor. XIII.* incipit, *Ascendente edita* 8. *Calend. Junii* 1584.

6 Si unus sponsorum contrahat sponsalia de præsenti cum alia valide *cap. si inter 31. hoc tit.* & *cap. duobus 1. de Sponf. duor.* quia sponsalia de præsenti, seu matrimonium sunt vinculum fortius; adeoque dirimit sponsalia de futuro, quæ sunt vinculum minus forte.

153 7 Fornicatione carnali alterius sponsi *capit. quemadmodum 25. de jurejur.* quia sponsus sub conditione matrimonium promisisse censetur, si & alter contra sponsalium fidem non egerit; nam alioquin fidem frangenti fides servanda non est. Item quæcunque causa ad divortium sufficit, ea multo magis sufficit ad sponsalia solvenda. Sufficit autem fornicatio conjugis ad faciendum divortium: ergo &c.

8 Sponsorum altero lapso in fornicationem spiritualem, sive hæresim, aut Apostasiam *arg. cap. fin. de convers. conjugat.* & *capit. quæsivit 2. de divor.* secundum quos textus ejusmodi fornicatio justam causam præbet divortio conjugum: igitur etiam dissolutioni sponsalium. Accedit, quia hoc casu fit notabilis mutatio, ut adeo obligatio sponsalium videatur cessare, cùm non censeri possint obligare cum periculo salutis, & tanto incommodo, quod fideli immineret ex hujusmodi matrimonio ut taceam probrum, & infamiam, quæ ex perfidia consortis etiam in innocentem redundant.

154 9 Superveniente, vel postea primum cognita notabili circumstantia ex parte alterius sponsi, qui illum deteriorem, & matrimonii contractum notabiliter difficiliorem reddat, ut colligitur ex *capit. quemadmodum citat.*

10 Deficiente, vel non impleta conditione, sub qua sponsalia fuerunt inita; quia eo casu deficit consensus, cum hic relatus sit in eventum conditionis *c. de illis 3. de condit. apposit.*

11 Lapsu termini matrimonio ineundo præfixi, si hic, ut *infra n. 195.* dicetur, statutus sit finiendæ obligationi *c. sicut te 22. hoc tit.*

12 Discessu sponsi in remotas terras, sponsa inscia, aut invita secundum communem sententiam Interpp. *in c. de illis 5. hoc tit.*

13 Legitima dispensatione superioris, nempe Summi Pontificis.

Ex his aliqua examinabuntur sub propriis titulis; cætera, quæ proprium locum non habent, hic discutientur.

Quæritur 2. an, & quando dissolvi mutuo consensu sponsalia à pubertibus contracta possint? *Et 1. quidem dubitatur*, an licite sic dissolvantur? *Ratio dubitandi* sumitur ex *cap. præterea 2. hoc tit.* ubi Innocentius, vel potius Alexander III. ut observat *ibid.* Gonzalez *num. 1.* dicit, Sponsos, *qui de matrimonio contrahendo pure, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendos, & modis omnibus inducendos, ut præstitam fidem servent; si autem se ad invicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat --- hoc posse in patientia tolerari*; quibus verbis aperte videtur indicari, hanc sponsalium dissolutionem permitti solum, tanquam malum de duobus minus; conf. ipso jure fieri non posse. Et ita sentiunt Glossa *ibid. V. in patientia tolerari*, Joan. Andr. *in cap. de illis 5. hoc tit. num. 1. in fin.* Lancellot. *Instit. Jur. Canon. lib. 2. de Sponf. V. tolerari.* 155

Sed respondendum est distinguendo: Vel enim nulla rationabili causa suadente, ex mera animi levitate, vel ex ira subitò orta, aut alia animi passione sponsalibus renuntiant sponsi mutuo, vel justa aliqua causa urgente. *Si primum* dissolutio culpa non vacat, ut recte Perez *D. 9. de Matr. sect. 1. num. 5.* Gobat. *Theol: Exper. tract. 10. num. 248.* Wiestner *hic num. 94. Si secundum*, mutuo consensu sponsalia licite dissolvi possunt; quod enim solo consensu contractum est, contrario dissensu iterum dissolvi potest, cum *nihil tam naturale sit, quam eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est*, ut ait Ulpianus *l. nihil 35. ff. de R. J.* Ubi tamen sunt tria observanda. *Unum est*, ut consensus in dissolutionem ex utraque parte sit liber, non metu, aut precibus importunis extortus; nam remissio, quæ ab invito extorqueretur, minime ab obligatione liberat. Sanchez *lib. 1. de Matr. D. 52. num. 3.* Palao *tract. 28. D. 1. part. 17. num. 2. Alterum*, ut remissio ista sit mutua; alias tantum illa pars liberabitur, cui facta est remissio, & non ea, quæ remisit jus sibi quæsitum. Palao *loc. cit. Tertium*, ut sufficienter sit nota partibus, & acceptata utrinque. Pont. *lib. 12. de Sponsal. c. 9. num. 1.* 156

Neque obstat *c. præterea cit.* quia ibi Pontifex non negat, quod sponsi à sponsalibus inter se contractis ex causa rationabili mutuo consensu resilire possint; imò id jure permissum apertè insinuat, dum ea comparat contractui Societatis, quam mutuo consensu dissolvi posse omnes concedunt. Cæterum quod addat monendos esse sponsos, ut fidem datam servent, id ideo factum credi potest, quia, si dissolutio fiat sine justa causa, culpa non vacat; si vero hoc sponsi justa ex causa quidem, sed publice ignota faciant, inconstantiæ notam dant, & aliquando etiam offensionis vulgi, quod hujusmodi recessum à sponsalibus, præsertim juratis, aliquando apprehendit, tanquam violationem fidei, & Juramenti. Et hinc plurium Germaniæ nostræ Diœcesium praxis est, ut dissolutio sponsalium, si hæc coram Parocho, & testibus celebrata, vel aliunde publice nota sint, non permittatur sponsis, nisi causa prius ad Ordinarium delata, & ab hoc approbata, ut testis est Layman *lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. num. 1. fin.* Gobat. *tract. 10. cit. num. 260. & 264.* Wex *Ariadn. part. 5. tract. 2. part. 1. § 7. num. 8.* Magnif. P. Schmier *part. 1. de sponsal. cap. 5. num. 9. & 10.* Pirhing *hic num. 43* Wiestner *num. 95.* Imò in Diœcesi Constantiensi sub casu reservato prohibitum esse, ne publicorum sponsalium dissolutio propria authoritate fiat, perhibet Gobat. *loc. cit. num. 262.* Dici etiam potest cum Layman *lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 2. num. 1. vers. mihi* Pontificem in tex- 157

textu *cit.* solum loqui de casu, quo unus sponsorum v. g. mulier cupiat sibi fidem servari, sed vir omnibus modis renuat, cupiatque sponsalium obligationem sibi remitti, quia abhorret à muliere; tunc enim sane est commonendus, & omnibus modis inducendus, ut præstitam fidem observet; si autem bonus exitus non speretur, toleranda erit remissio, & dissolutio, quæ ex parte mulieris fit non mera voluntate, sed admixto involuntario; idque non sine peccato viri, quod tamen permittitur non approbando, sed tolerando, ut majora incommoda evitentur.

158 Dub. 2. utrum ita remitti mutuo contrahentium consensu possint sponsalia etiam jurata? Et quidem, si Juramentum illud in partis favorem præstitum sit, conveniunt satis DD. mutuo consensu illa remitti posse. Ita enim expresse Abb. *in cap. 2. hoc tit. num.* 3. Covar. *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *num.* 1. Sanchez *de Matr. lib.* 1. *D.* 52. *num.* 6. Gutier. *cap.* 24. *de Matr. num.* 1. Conink *D.* 23. *dub.* 1. *num.* 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. *vers. addi*, Palao *tract.* 28. *D.* 1. *part.* 17. *num.* 4. Gobat. *Theol. Exper. tract.* 10. *num.* 240. & 297. Sporer *de matr. num.* 196. Vvex *Ariad. part.* 5. *tract.* 2. *part.* 1. § 7. *n.* 6. Vallens. *hic* § 4. *n.* 1. Zoes. *n.* 25. Engl § 3. 2. Pirhing *num.* 40. Konig *num.* 60. Schambogen *num.* 59. Vviestner *num.* 93. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *num.* 2. *Ratio est*; quia Juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, cui adjectum est *arg. Reg. accessorium* 42. *in* 6. igitur sicut simplex promissio matrimonii, ita & jurata mutuo consensu dissolvi potest. Imò omni Juramento, quod in favorem, sive bonum, & utilitatem hominis præstitum est, inest tacita hæc conditio, *Nisi ab isto remittatur*.

159 *Controversia* moveri potest de casu, quo Juramentum principaliter in honorem Dei est præstitum, ut si intuitu pietatis quispiam juret puellæ pauperi, se eam in uxorem ducturum. Negant eo casu sponsalia sic jurata dissolvi posse Abb. *in cap.* 2. *cit. fin.* Alex. de Nevo *ibid. num.* 28. Sylvest. *V. sponsal. quæst.* 10. *cas.* 1. Sot. *lib.* 8. *de Just. quæst.* 1. *art.* 9 *ad* 2. & alii apud Sanchez *loc. cit. num.* 7. Et probari videtur 1. ex doctrina S. Thom. 2. 2 *quæst.* 89. *artic.* 9. *ad* 2. ubi ait eum, cui aliquid promittitur intuitu pietatis, non posse remittere. 2. Juramentum, factum Deo intuitu pietatis, æquivalet Voto, ut tradunt omnes, in Voto autem nihil potest persona privata, cum soli Deo jus acquiratur, 3. id Juramentum præstatur Deo, cujus juri alter renuntiare nequit.

160 Sed dicendum, etiam hoc casu ipsius puellæ, & suo jurantis consensu sponsalia dissolvi posse. Ita Zabarell. *in cap.* 2. *cit. num.* 4. Brunell. *de sponsal. concl.* 9. *num.* 2. Sanchez *nu.* 8. Gutier *nu.* 1. *vers.* & *nedum*, Rosignol. *de sponsal. præn.* 14. *num.* 4. Magnif. P. Schmier *num.* 5. aliique *citt. supra*. *Ratio est*; quia hujusmodi Juramentum Deus non acceptat, nisi in utilitatem partis, scilicet puellæ, quæ cum promissionem non acceptare, & acceptam remittere valeat, etiam tali promissioni, & Juramento ei accessorio inest tacita conditio, *Nisi ista matrimonium respuat, aut ejus promissione acceptata remittat*. *Proceditque hoc*, quamvis per copulam sequentem sponsalia fuerint confirmata, prout *à S. Congr.* declaratum refert Pignatell. *tom.* 9. *cons.* 133. *n.* 15. cum enim sponsalia per copulam carnalem post Trid. Concil. non amplius transeant in matrimonium, majorem vim, aut insolubilitatem non consequuntur, quam antecedenter habuerint. Magnif. P. Schmier *loc. cit. num.* 7.

161 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. S. Thomas *loc. cit.* prout ex adductis ibi exemplis constat, expresse loquitur de casu, quo Juramentum, & res promissa non tota redundat, & cedit in utilitatem hominis, cui juratum est, quale est, siquis juret alicui se ingressurum Religionem. *Ad* 2. etiam quando res Voto promissa tota cedit in alterius utilitatem, ut si promittam me Petro pauperi daturum eleemosynam, obligatio Voti ab isto remitti potest. *Ad* 3. licet Deo per tale Juramentum acquiratur jus, & huic directe, homo renuntiare nequeat, potest tamen indirecte, & consecutive; nam eo ipso, quod iste cedat jure suo, ut potest, consequenter cessat jus Dei, quod annexum est juri hominis.

162 Quæritur 3. quomodo per fornicationem cum alio solvantur sponsalia? Resp. solvuntur solum ex parte innocentis, ita, ut hic ab obligatione illorum liberetur: non verò ex parte nocentis; nam iste adhuc, si innocens ita velit, obligabitur ad eorum impletionem, ne ex iniquitate sua commodum referat, & innocenti damnum, ac præjudicium generetur. Ita statuitur *c. quemadmodum* 25. *de jurejur.* & docent Sylvest. *V. sponsalia quæst.* 10. *cas.* 7. Brunell. *de sponsal. concl.* 8. *n.* 4. Sot. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 5. *vers. septimo dirimuntur*. Covar. *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *init. num.* 2. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 55. *num.* 6. Gutier. *cap.* 31. *de matr. num.* 2. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 10. Engl *hic* § 3. *n.* 11. Pirh. *n.* 60. Schamb. *n.* 96. Konig *n.* 72. Vviestner *n.* 104.

Dub. 1. An solum sponso ob fornicationem sponsæ resilire à sponsalibus liceat, an vero etiam sponsæ, si fornicationem commiserit sponsus? *Rationem dubitandi* facit *c. quemadmodum cit.* quod expresse solum loquitur de fornicatione sponsæ, ut adeo constitutio ejus *cap.* non videatur ad fornicationem sponsi extendi posse. *Conf.* quia in fornicatione sponsæ major turpitudo. 163

Sed dicendum, etiam sponsam innocentem resilire posse, si fornicationem sponsus commiserit. Ita Abb. *in c.* 25. *cit. num.* 4. Menoch. *de arbitr. cas.* 455. *nu. fin.* Covar. *part.* 1. *de spons. cap.* 5. *pr. num.* 2. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 6. Sanchez *loc. cit. num.* 4. Gutier *num.* 1. Layman *nu.* 10. *vers. deinde*, Conink *D.* 23. *dub.* 7. *nu.* 1. Palao *tract.* 28. *D.* 1. *part.* 25. *num.* 2. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *num.* 108. & alii *supra allegati*. *Ratio est*; quia quoad hoc mas, & fœmina ad imparia non judicantur, cum eadem sit utriusque ratio; nam uterque ob sponsalium contractum obligatus est suum corpus nemini tradere, sed compacti servare in matrimonii usum, quam obligationem violat ille, qui fornicatur. *Conf.* à pari; nam propter adulterium non tantum maritus innocens divertere, & divortium facere ab uxore nocente potest, sed etiam uxor innocens à marito nocente; igitur etiam utrique hoc licitum erit in sponsalibus.

Ad Rationem dubitandi in contrarium allatam, licet *c. cit.* expresse loquatur tantum de fornicatione sponsæ, rationes tamen ibidem allatæ locum habent etiam in fornicatione sponsi; nam & in promissione sponsi subintelligi conditio debet, *Si is contra regulam desponsationis non venerit*. *Ad Conf.* turpitudo illa major non obstat; non enim propter turpitudinem delicti tantum, sed magis propter fidem sponsalium violatam sponso innocenti divertere à sponsalibus permissum est: atqui fides sponsæ data pariter violatur per fornicationem sponsi; igitur ob hanc etiam sponsa à sponsalibus potest divertere. 164

Dub. 2. An, & cui à sponsalibus resilire liceat casu, quo uterque sponsus fornicationem commisit? Triplex est sententia. *Prima* vult eo casu neutri licitum esse recedere. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 17. *vers. quarto in compensando* Bonacina *de matr. quæst.* 1. *part.* 8. *num.* 8. Perez *de matr. D.* 9. *sect.* 16. *num.* 2. Rosignol. *de sponsal. II. prænot.* 9. *num.* 4. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *num.* 116. & *seqq.* Fundantur 1. quia quando utrinque concurrit æquale jus; activum, & passivum, inducitur mutua compensatio, etiam in delictis *l. si ambo* 10. § *quoties* 2. & *l. fin. ff. de compensat.* sed quando sponsus, & sponsa fornicantur, ex hoc delicto utrinque jus æquale activum, & passivum concurrit, nam si sponsa fornicetur, habet sponsus jus resiliendi, & si sponsus, jus resiliendi habet sponsa, ut dictum est ad *Dub. præc.* ergo &c. 2. si unus ex sponsis hoc casu à sponsalibus posset recedere, tunc ob violatam fidem: atqui dum uterque fornicationem commisit, nullus alteri objicere potest violatam fidem, cum uterque sit violatæ fidei reus; ergo &c. 3. si uterque conjux commisit adulterium, neuter agere ad divortium potest *c. intellex mus* 6. *Adulter.* quia uterque eodem se luto conspurcavit; ergo nec sponsorum aliquis à sponsalibus potest recedere, casu, quo uterque fornicationem commisit. 165

Secunda sententia recessum à Sponsalibus hoc casu permittit soli sponso. Ita Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 14. *num.* 6. Sanchez *lib.* 1. *de matr. dist.* 55. *num.* 9. Gutier. *cap.* 31. *num.* 4. Conink *dist.* 23. *dub.* 7. *concl.* 6. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 12. Pont. *l.* 12. *de sponsal. cap.* 17. *num.* 3. Pirhing *hic nu.* 62. 166

62. Schambogen *num.* 97. Konig *num.* 63. *dub.* 4. Nituntur 1. quia ubi delicta sunt imparia, non admittitur compensatio, sed ubi sponsus, & sponsa fornicantur, delicta sunt imparia; nam fornicatio sponsæ longe est fœdior, eamque viliorem reddit, quam sponsum, ut erudite ostendit Tiraquell. *lib.* 1. *connub. num.* 45. 2. quando sponsa post sponsalia tactus obscœnos admittit ab alio, potest resilire sponsus; at sponsa non potest, etiamsi sponsus oscula, vel tactus obscœnos admittat, ut *infra num.* 181. ostendetur; ergo idem de fornicatione dicendum, 3. Mater Luxuriose vivens non potest filiam ob ejusmodi causam exhæredare, potest tamen pater, esto & ipse luxuriose vivat, ut notant Covar. *in cap. Raynutius pr. num.* 15. *de testam.* Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 176. *num.* 15. cum aliis; & hoc non ex alia causa, quam quod fornicatio fæminæ sit longe gravior, quam sit fonicatio viri.

167 *Tertia*, & meo judicio tenenda cum Palao *tract.* 28. *dist.* 1. *part.* 25 *num.* 10. quem sequitur P. Vviestner *hic num.* 106. vult hoc casu utrique sponso recessum à sponsalibus permissum esse. Et hoc videtur probari 1. ratione; quia hoc casu utrique sponso datur sufficiens causa diffidendi de observatione fidei conjugalis, ob quam causam præcipue permissum est sponsis recedere à sponsalibus in casu fornicationis ab altero tantum commissæ, 2. à pari; quia, ut communis sententia habet, quando in executione sponsalium uterque sponsus culpabilis est, delicta non compensantur, sed recessus à sponsalibus utrique permittitur: ergo etiam non compensantur delicta, sed uterque à sponsalibus potest recedere, quando uterque fornicationem commisit, 3. quando sponsus prius fornicatus est, sponsæ jus absolutum quæsitum est resiliendi, & extincta obligatio standi sponsalibus; atqui jus istud per fornicationem sponsæ subsequentem non extinguitur, nec obligatio standi sponsalibus reviviscit: ergo &c.

168 Neque contrarium efficaciter probant Argumenta primæ sententiæ. *Ad* 1. Regula ibi posita procedit, quando æquali posito delicto, cessat causa, ob quam innocenti alias actio contra nocentem datur: atqui hoc non contingit in casu dubii; nam ut ostensum est, causa præcipua, ob quam resilire à sponsalibus ob fornicationem alterius licet, est deffidentia de observatione fidei conjugalis, quæ manet, etiamsi uterque fornicationem commiserit. *Ad* 2. Etsi hoc casu nullus alteri possit objicere violatam fidem, quia retorqueri in eum similis violatio posset; tamen uterque diffidere potest de alterius fide deinceps servanda. *Ad* 3 à matrimonio ad sponsalia hoc casu non bene ducitur Argumentum: quia sponsalia, quavis notabili superveniente mutatione, & aliis etiam modis dissolvi possunt: matrimonium autem quoad cohabitationem, & thorum multo difficilius, & ex causis tantum gravissimis.

169 Nec efficaciora sunt Argumenta sententiæ secundæ. *Ad* 1. Argumentum hoc nimium probat: probat enim, quod neque in adulterio compensatio detur, quando uterque conjugum ejus commissi reus est, cum adulterium uxoris longe turpius sit adulterio mariti. Sicut igitur in adulterio non consideratur major fœditas, sed fides violata, ita & in sponsalibus spectanda est ratio præcipua, ob quam licentia resiliendi datur. *Ad* 2. disparitas dabitur *infra num.* 180. *& seq.* *Ad* 3. in casu ibi adducto attenditur major turpitudo delicti: in sponsalibus quoad potestatem resiliendi suspecta fides, quæ, ut ante dixi, suspecta manet, etiamsi sponsus uterque fornicationem commiserit.

170 Dub. 3. utrum à sponsalibus resilire liceat ob fornicationem, sive copulam carnalem vi extortam? Negant Tabien. *V. sponsalia quæst.* 9. *numer.* 10. *cas.* 6. Armill. *V. eodem num.* 12. Et videtur istud probari, 1. quia sic fornicationem patiens non violat fidem, neque suspicionem ingerit, quod eam constante matrimonio violaturus sit, 2. oppressio violenta non facit locum divortio in conjugibus; ergo neque in sponsis dat causam resiliendi à sponsalibus, 3. Sponsa rapta, quantumvis à raptore per vim violata sit, debet sponso restitui *canon. desponsatas* 46. *caus.* 27. *quæst.* 2.

Sed respondendum est cum distinctione: Vel enim ita vi corrupta est sponsa, vel sponsus. *Si primum* potest illam repudiare sponsus, & sponsalia cum ea facta dissolvere. Ita Glossa *in cap. quemadmodum* 25. *V. oculos de Jurejur.* Abb. *ibid. num.* 12. Alex. de Nevo *n.* 17. Sylvest. *V. sponsalia num.* 10. *cas.* 7. Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 27. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 6. Covar. *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *num.* 2. Sanchez *lib.* 1. *de matr. dist.* 55. *num.* 7. Gutier *cap.* 31. *de matr. num.* 3. Conink *dist.* 23. *dub.* 7. *concl.* 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. Palao *tract.* 28. *Dist.* 1. *part.* 25. *num.* 5. Zoes. *hic num.* 41. Schambogen *num.* 96. Konig *nu.* 72. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *num.* 102. & colligitur ex *canon. raptor* 33. *caus.* 27. *quæst.* 2. ubi raptus violentus sponsæ non consentienti agnoscitur tanquam sufficiens causa, ut à sponsalibus recedere sponsus possit. *Excipit* Layman *loc. cit. num.* 11. *Vers. secundum*, si aperte constet sponsæ fornicationem sine omni ejus culpa accidisse, v. gr. in somno; tunc enim probabiliter putat dici, quod sponsus resilire non possit, cum exinde sponsa tam magnum dedecus non contrahat. 171

Si secundum, Glossa *in canon. sic quippe* 45. *V. quæritur caus.* 27. *quæst.* 2. Navarr. *Man. cap.* 22. *num.* 27. *Vers.* 9. Gutier *num.* 3. *citat. Vers. contrarium* putant non esse distinctionem faciendam inter sponsum, & sponsam, ita, ut etiam sponsæ recessus sit licitus, si vi corruptus sit sponsus; quod vir, & mulier quoad fornicationem ad imparia non judicentur. Sed quia principium hoc solum procedit, quando fornicatio sponsi est culpabilis, non verò, quando inculpabilis, ideo cum Sanchez *num.* 8. Layman *num.* 11. Palao *num.* 6. Pirhing *hic num.* 61. Vviestner *num.* 108. & aliis dicendum, non posse sponsam vicissim recedere à sponsalibus, quando sponsus vi corruptus est, & in hoc omni culpa vacat. 172

Ratio utriusque partis, & simul disparitatis est; quia sponsa vim passa multo fit vilior sponso, cui illam, postquam ab alio etiam per vim corrupta est ducere, probrosum simul, ac periculosum est, ne prolem alienam pro sua alat: contrà verò ejusmodi violentia sponso illata eidem aut nullam, aut exiguam notam affert, ac proinde cum eo etiam post factum ejusmodi inire matrimonium sponsæ nec probrosum, nec periculosum est. *Excipit* Palao *num.* 6. *citat.* si sponsus per vim Sodomitice cognosceretur; quia negari non potest eum ob prædictum stuprum viliorem redditum, & probrosum esse fæminæ sic stupratum ducere. 173

Neque obstant Argumenta *num.* 170. proposita. *Ad* 1. in hac quæstione recessus à sponsa non oritur ex violatione fidei sponsalitiæ, sed potius ex notabili mutatione, quæ non fuit antecedenter prævisa. *Ad* 2. Nego *Cons.* nam cum matrimonium arctius inducat vinculum, quam sponsalia, mirum non est ad matrimonii solutionem quoad thorum, & cohabitationem graviores requiri causas, minores sufficere ad dissolvenda sponsalia. *Ad* 3. ibi per sponsam intelligitur sponsa de præsenti: vel si sponsa de futuro intelligatur, illa tum solum sponso reddenda est à raptore, qui eam violavit, quando id sponsus voluerit, & petierit. 174

Dub. 4. An sufficiens causa resiliendi à sponsalibus sit fornicatio commissa ante sponsalia, sed ignorata? Negat cum quibusdam aliis Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *artic.* 3. *num.* 16. *Vers. tertio in opponendo*, & *num.* 34. & *supplem. eodem art.* 3. *dub.* 4. & videtur hoc colligi ex *cap. quemadmodum* 25. *de Jurejur.* ubi dicitur, quod sponsus non possit sponsæ objicere fornicationem præcedentem, sed tantum subsequentem. *Conf.* ob fornicationem subsequentem ideo licitum est recedere à sponsalibus, quia verisimile non est, quod sponsa in matrimonio sit servatura fidem, quæ sponsalium fregit; atqui hæc ratio deficit in fornicatione præcedenti; multi enim ante sponsalia incontinentes inveniuntur, qui iis initis continent, & ad hoc matrimonio junguntur, ut contineant. 175

Sed iterum distinguendum est inter fornicationem commissam à sponsa, & inter commissam à sponso; nam si sponsus fornicationem commisit ante sponsalia, quam ignoravit sponsa, etsi dein hoc illa resciat, à sponsalibus tamen ipsa resilire non potest. Sanchez 176

Sanchez *lib.* 1. *de Matr. Dist.* 63. *num.* 9. Bonacina *de Matr. quæst.* 1. *part.* 8. *num.* 1. Conink *D.* 23. *dub.* 7. *num.* 72. Zoes. *hic num.* 43. Schambogen *num.* 101. Konig *num.* 72. *vers. Sane* Vvex *Ariad. part.* 5. *tract.* 2. *part.* 1. § 7. *num.* 27. *Ratio est*; quia per hoc non fit sponsus notabiliter vilior, nec nota gravi afficitur sponsa, si tali nubat. *Excipitur* 1. si ejusmodi fornicatio antecedens sit frequentata, & propterea sponsam merito dubiam redderet de proniore in alias, quam se affectu, fideque conjugali non servanda; aut nisi prolem ex præcedente fornicatione habuisse deprehenderetur: tum enim sponsæ justam causam resiliendi præberi censent Conink *num.* 56. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *n.* 11 & reliqui *supra*. *Excipitur* 2. nisi sponsa sponsaliorum tempore ad ea non consensisset, si sponsum fornicarium esse scivisset; quia tunc defecisset consensus. Et hanc ob causam Magnif. P. Schimier *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *num.* 110. putat universaliter posse ob hanc causam à sponsalibus recedere etiam sponsam, quæ Virgo honesta est; quia talis procul dubio non æque intendit nubere viro impudico, quam pudico.

177 Quodsi sponsa corrupta fuit ab alio ante sponsalia, & id sponsus ignoravit, existimans eam esse Virginem, potest iste renuntiare sponsalibus. Ita Molin. *tract.* 2. *D.* 272. *num.* 4. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 63. *nu.* 3. Gutier *cap.* 34. *de matr. num.* 3. Conink *D.* 23. *dub.* 7. *num.* 57. Perez *sect.* 14. *num.* 3. Zoes. *hic num.* 43. Engl §. 3. *nu.* 11. Pirhing *num.* 62. Schambogen *num.* 101. Konig *num.* 72. *Vers. affirmativam*, Vviestner *nu.* 108. Vvex *Ariadn. part.* 5. *tract.* 2. *part.* 1. § 7. *num.* 27. *Ratio est*, quia est notabilis mutatio, & ignominiosum est viro fæminam corruptam ducere; quare sponsus graviter decipitur, & tantum consentit per errorem dante causam contractui, ideoque is rescindi à decepto potest. Idem dicendum, si sponsus contraxit cum Vidua, quam Viduam quidem esse sciebat, sed ignorabat eam commisisse fornicationem; nam & ipsa ratione istius facta est vilis, & impudica, & probrosum est viro ducere inhonestam, quam ipse putabat esse honestam Viduam Navat. *Man. cap.* 22. *n.* 17. Sanchez *de matr. D.* 63. *cit. num.* 4. Conink *num.* 58. *fin.* Konig *num.* 72. *citat. Vers. textus*.

178 Eandem resiliendi potestatem Sanchez *num.* 3. *citat.* cum aliis asserit sponso, qui contraxit cum Vidua honesta, quam putavit esse Virginem; quia vilior est Virgine, & vir talem ducendo fit Bigamus; quod videtur esse grave incommodum. Sed Conink *num.* 58. *cit.* id putat esse difficile ob duplicem rationem, quia hæc incommoda non videntur tanti æstimanda, cum in contrahente vix possit esse serius animus aliquando suscipiendi statum Clericalem; imò in pluribus ne quidem est aptitudo ad talem statum ob defectum doctrinæ, aut quia jam ante Irregulares erant, 2. quia sponsus sibi debet imputare, quod Viduam pro Virgine duxerit, nec de statu sponsæ prius inquisierit, cum id facile potuisset facere. Aliud est in fornicatione, quæ occulta est, nec tam facile potest sciri: quare sponso non est imputanda ejus ignorantia. *Excipit* Coninck, si aut sponsus actu gestaret habitum; aut ut Clericus alicui Ecclesiæ deserviret, atque ita cum notabili suo emolumento Clericali privilegio gauderet, quo per tale matrimonium esset privandus; aut si illa tanquam Virginem se sponso venditasset; quia tunc dolo videretur eum induxisse.

179 *Ad argumentum sumptum ex cap. quemadmodum citat:* dicendum, id intelligi debere, quando fornicatio præcedens non fuit ignorata à sponso; nam cum tali contrahendo, videtur mores ejus approbare: quod præsumi nequit in casu, quo fornicatio antecedenter commissa ignorata est à sponso; cum enim nihil sit volitum, nisi quod est præcognitum, ignorans non præsumitur approbare. *Ad Conf.* ratio ibi assignata est aliqua, sed non adæquata; nam præterquam quod fornicatio subsequens, faciat suspicionem de fidelitate non observanda in conjugio, etiam inducit notabilem mutationem, & circumstantiam, quæ, si tempore contractus sponsalitii extitisset, & fuisset cognita, meritò absterrere sponsum ab illo ineundo potuisset; hæc autem ratio pugnat etiam in casu, quo fornicatio sponsæ præcessit, sed fuit ignorata à sponso.

180 Dub. 5. An sufficientem causam resiliendi præbeant tactus impudici, post contracta sponsalia admissi à sponso, vel sponsa? Resp. si sponsa permittat se turpiter tangi ab aliis, licet sponso resilire, ut cum communi docet Covar. *part.* 2. *de sponsal. cap.* 7. § 6. *nu.* 3. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 55. *num.* 5. Gutier *cap.* 31. *de matr. num.* 2. Conink *D.* 23. *dub.* 7. *num.* 56. Pont. *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 3. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 10 Palao *tract.* 28. *disp.* 1. *part.* 25. *num.* 7. *Ratio est*, quia censetur impudicè vivere, nec potest vir eam sine gravi nota ducere.

At si sponsus hujusmodi oscula, & tactus impudicos exerceat, Ochagavia quidem *de sponsal. quæst.* 23. Palao *part.* 25. *cit. num.* 8. & hoc teste alii neoterici volunt idem tenendum, quod modo dictum de sponso est, nempe & sponsæ dari sufficientem resiliendi causam: in quam sententiam etiam inclinat Gutier *cap.* 31. de *matrim. num.* 1. *in fin.* 1. quia etiam vir talia faciens dicitur impudice vivere, & juste timeri inde potest periculum fornicationis, 2. quia prædictis osculis, & tactibus fides in sponsalibus data videtur violari; nam contrahentes sponsalia promittunt sibi invicem corpus suum reservare intactum, quod non observat sponsus committens tactus, & oscula impudica, 3. quia hæc committens suspicionem non levem ingerit minus se amaturum sponsam, quam alias.

Sed communis sententia cum Sanchez *n.* 5. *cit.* Conink *num.* 56. Layman *num.* 11. Zoes. *num.* 40. Schambogen *num.* 96. Konig *num.* 73. *dub.* 4. Pirhing *nu.* 61. Vviestner *num.* 108. negat ob hanc causam sponsæ permitti recessum à sponsalibus, ex ratione; quia per hoc non redditur vir ita infamis, nec id est dedecus sponsæ. *Excipiunt*, nisi ejusmodi tactus, & oscula essent ita frequentia, ut indicarent sponsus alteram magis amare, aut fidem sponsæ non servaturum. 181

Neque obstant Argumenta in contrarium allata. *Ad* 1. vita impudica sponsi, nisi sit contra fidem in sponsalibus datam, non præbet sponsæ sufficientem resiliendi causam, modo inde in ipsam non redundet speciale dedecus, quod communiter non contingit ex Nuptiis cum sponso, qui hujusmodi oscula, & tactus commisit. 2. Sponsalia contrahentes solum promittunt se corpus suum non tradituros ulli alteri, quam promissionem adhuc observat sponsus, licet oscula, & tactus impudicos committat. *Ad* 3. hoc solum verum est, quando illa committit frequenter secundum exceptionem superius datam.

Dub. 6. quænam, & qualis probatio stupri, seu fornicationis requiratur ad hoc, ut ob eam sponsalia resolvi possint? *Videtur* sufficere probatio semiplena *arg. can. dixit* 3. *caus.* 32. *quæst.* 2. ibi: *Ubicumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur*; nam si ob suspicionem fornicationis uxor dimitti potest, multo magis potest non admitti; quia *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*. *Conf.* ex *cap. præterea* 2. *hoc tit.* ubi affinitas ad rescindenda sponsalia satis probatur per confessionem consanguinei, confitentis se cum sponsa peccasse; si enim per unum testem, & quidem complicem satis probatur affinitas illegitima, cur non etiam fornicatio? 182

Sed dicendum, ut ad dissolutionem sponsalium ex causa stupri, aut fornicationis procedi possit, necesse esse, ut de ea constet vel ex indubitatis indiciis, puta deprehensione in rebus Venereis, uteri gestatione, partus exclusione, vel per ipsius vitiatæ propriam confessionem, vel per testes fide dignos, vel per alias plenas probationes *arg. l. fin. C. de probat.* Abb. *in c.* 1. *de Adult. num.* 5. Zypæus *de sponsal. cap.* 13. § 50. & 51. Schneidevvin *ad Inst. de Nupt. part.* 4. *num.* 61. Konig *hic num.* 74. *Ratio est*; quia sponsa præsumitur Virgo, donec contrarium plenè probetur. *Excipitur*, nisi sponsam vitiatam fornicatione cum altero commissa ferat communis fama, & sic illa facta sit infamis de isto crimine; tunc enim citra plenam probationem sponsalia dissolvi possent, quod hoc casu facta sit gravis mutatio ex parte sponsæ. Zypæus *hoc tit. consult.* 1. *nu.* 5. ubi tamen salubriter monet, ne Judex rumores, & detractiones illorum, qui progressum sponsalium malitiose impedire contendunt, pro fama, & infamia recipiat. 183

Ad argumentum sumptum ex *can. dixit cit.* ut textum istum interpretatur Glossa *ibid. V. suspicio*, Sanchez *lib.* 184

10.

10. *de matr. dist.* 12. *n.* 41. & alii ab hoc *citt.* id intelligendum est de suspicione violenta, & tali, quæ pro veritate habeatur, & plenæ probationis loco est. *Ad Conf.* negatur paritas: nam in *c. præterea cit.* agitur de peccato, & salute animæ, ne scilicet matrimonium contrahatur cum impedimento dirimente, ubi tutior tenenda via est, & semiplena probatio recipienda. At in casu dubii non agitur de peccato vitando, nec de valore matrimonii, sed tantum de jure privatorum, utrum scilicet per fornicationem extinctum sit jus sponsæ petendi adimpletionem sponsalium, ubi afferenti incumbit probatio, & si intentionem suam sufficienter, ac plenè probare nequeat, contra eum pro negante præsumetur, & judicabitur.

185 Quæritur 4. an justam à sponsalibus resiliendi causam præbeat notabilis mutatio, seu circumstantia, sponsalibus supervenient, aut etiam ea præcedens, sed post contractum sponsalium primum cognita? Resp. utroque casu parti alteri permitti recessum à sponsalibus. Ita Sylvest. *V. sponsalia quæst.* 10. *cas.* 17. Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. dist.* 62. *num.* 3. & *distinct.* 63. *num.* 2. Conink *D.* 23. *dub.* 8. Tann. *tom.* 4. *D.* 8. *quæst.* 1. *num.* 69. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 18. & 19. Palao *tract.* 28. *D.* 1. *part.* 27. 28. & 29. Gobat *Theol. Exper. tract.* 10. *num.* 293. Vvex *Ariad. part.* 5. *tract.* 2. *part.* 1. § 7. *num.* 23. & 24. Zoes. *hic num.* 46. Engl § 3. *n.* 11. *vers. octavo.* Pirhing *num.* 63. Schambogen *num.* 102. & 104. Konig *num.* 75. Vviestner *num.* 110. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *n.* 137.

186 *Ratio de primo casu*, quo notabilis mutatio supervenit contractui sponsalium, est; quia promissio non obligat ultra promittentis intentionem, nemo autem præsumitur se obligare voluisse ad talem casum difficilem, propter quem prævisum quivis homo prudens, & cordatus à matrimonii promissione fuisset absterritus, præsertim in sponsalibus, quæ cum amplectendi status perpetui obligationem inducant, magnam libertatem in contrahentibus exigunt, ita, ut etiam Juramento iis adjecto ex dispositione Juris insit tacita conditio, *Si reus in eodem statu permaneat*.

187 *Ratio de secundo casu*, quando scilicet circumstantia ejusmodi jam prius extitit, sed postea primum est cognita, est; quia in Jure paria sunt non esse, & non apparere *leg. duo sunt* 30. *ff. de testam. tutel.* item aliquid supervenire, & præcedere, sed ignorari *l. in lege* 77. *ff. de contrah. empt.* ergo perinde est, an notabilis mutatio primum superveniat sponsalibus, an vero ejusmodi circumstantia jam prius extiterit, sed fuerit ignorata; & conf. sicut sponsalibus inest conditio tacita, *Si res in eodem statu permaneant*, ita etiam iisdem inest ista, *Nisi notabilis, & matrimonii statum notabiliter difficiliorem reddens circumstantia appareat*. Extenditur hoc etiam ad sponsalia jurata; quia juramentum includit omnes conditiones contractus, cui adjicitur *l. fin. C. de non num. pecun.* ac proinde non est necesse tali casu relaxationem juramenti petere. Sanchez *lib.* 1. *D.* 67 *num.* 2. Pirhing *hic num.* 63.

188 Et debet hoc casu sponso, vel sponsæ, afferenti se non contracturum fuisse sponsalia, si talis causa à principio extitisset, in foro utroque adhiberi fides, si tamen perpensis circumstantiis verisimile sit non promissurum fuisse, si talis causa fuisset præcognita. Layman *loc. cit.* Sanchez *D.* 62. *num.* 6. Pirhing *n.* 63. *cit. in fin.* Schambogen *num.* 103. *Ratio est*; quia in his, quæ ad animum pertinent, ut sunt scientia, ignorantia, intentio &c. standum est cujusque juramento, si alio modo probari non possint, ut docet Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 10. *n.* 1. *vers. tertio.*

Addidi *Parti alteri*, scilicet illi, ex parte cujus nulla mutatio notabilis contigit; nam ex parte ejus, qui solvendorum sponsalium causa est, sponsalia non solvuntur; & hinc si v. g. sponsus huic favori suo renuntiare, & deformitate sponsæ non obstante, nihilominus velit illam in uxorem habere, non poterit id sponsa recusare. Engl *hic* §. 3. *n.* 11.

189 Dub. 1. quænam sit adeo notabilis mutatio, vel circumstantia, quæ dum supervenit, aut antea jam existens cognoscitur, justam causam alteri parti à sponsalibus resiliendi præbeat? Resp. generaliter est omnis illa, quæ talis est, ut si ab initio extitisset, vel fuisset cognita, prudentum judicio à conjugii ineundi promissione alterum merito absterruisset. In specie mutationes hujusmodi ad tria capita reduci possunt.

Primum se tenet *ex parte corporis*: & hoc duplicis maxime generis est, 1. *deformitas* magna superveniens alteri, uti est, si aliquis ex sponsis amiserit unum, vel utrumque oculum, truncatus fuerit naribus, auribus &c. *c. quemadmodum* 25. *de jurejur.* ubi tamen adverto, ad hoc, ut sponsa ob deformitatem sponsi resilire à sponsalibus possit, non sufficere deformitatem quamcunqne, sed requiri valde magnam; quia in viris non ita requiritur pulchritudo. Conink *de Matr. D.* 23. *dub.* 8. *num.* 66. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 18. Vallens. *hic* § 4. *num.* 9. Pirhing *num.* 64. Schambogen *nu.* 104. Konig *num.* 77. 2. gravis infirmitas corporis, ut si alteruter incurrat in lepram, morbum Gallicum, paralysin, epilepsiam, vel alium morbum incurabilem, & contagiosum; uti & si habeat graveolentiam oris, quæ arte medica superari non possit *cap. quemadmodum* 25. *de jurejur.* & ratio est; quia nemo cum talibus libenter contraheret. Sanchez *lib.* 1. *de Matr. D.* 57. *nu.* 1. & *seqq.* cum *citt.*

Secundum pertinet ad *defectus animi*; cum enim iste corpore præstantior sit, ejus deformitas validiorem causam præstabit sponsalibus dissolvendis. Proinde sponsorum alter justam causam resiliendi habet, 1. quando unus illorum passus est gravem jacturam famæ, ex hæresi, veneficio, latrocinio, furto &c. ortam. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 57. *num.* 2. Gutier *cap.* 32. *de matr. num.* 3. Palao *tract.* 28. *D.* 1. *part.* 27. *num.* 7. cum aliis; quia est gravis mutatio, quæ à contrahendo matrimonio quemlibet prudentem averteret, 2. si ebrietati scortationibus, rixis, aliove simili vitio reperiatur deditus; quia cum hujusmodi hominibus inita matrimonia difficillima, & tristibus, atque infelicibus casibus obnoxia plerumque sunt. Sanchez *D.* 63. *num.* 10. Conink *dist.* 23. *dub.* 8. *num.* 67. Palao *part.* 27. *cit. num.* 7. Vallens. *hic* §. 4. *nu.* 10. Konig *n.* 76. 3. ob morum asperitatem, vel ob sævitiam primum cognitam; quia hæc sufficit etiam ad faciendum divortium inter conjuges *c. litteras* 13. *de rest. spoliat.* Sanchez *dist.* 58. *n.* 1. Gutier *c.* 33. *nu.* 1. Conink *n.* 67. Palao *loc. cit.* *Neque obstat* textus *c. veniens* 5. *qui Cleric. vel vovent.* ubi mulier, quæ plura audierat de sponsi severitate, ideoque ei noluit copulari, dicitur fidem violasse; nam ut Palao *loc. cit.* cum aliis notat, ibi supponitur, quod mulier illa non certo, sed incerto solum rumore illud cognoverit, & crediderit nimis leviter, 4. si inter sponsos aut eorum parentes, vel consanguineos ortæ, vel metuendæ sint graves, & capitales inimicitiæ, præsertim si parentes, vel consanguinei alterutrius contrahentium matrimonio obstinate se opponat, ita, ut ex eo magna scandala, & infelices exitus timeantur. Tanner. *tom.* 4. *dist.* 8. *qu.* 1. *n.* 67. Conink *n.* 68. Layman *nu.* 8. Palao *n.* 7. *cit.* qui tamen *ibid. in fine* cum Sanchez *lib.* 1. *de matr. dist.* 14. *nu.* 3. *in fin.* advertit, cautè in hoc casu procedendum; sæpe enim variæ minæ jactantur, terroresque opponuntur, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamen, experientia teste, ubi deferbuit ille impetus, & matrimonium celebratum est, in nihilum recidunt. 190

Tertium spectat *bona fortunæ*. Ex hoc capite justa resiliendi causa est 1. notabilis amissio bonorum; ubi distinguendum, an unus solum jacturam hanc fecerit, an uterque. Si unus, alter solum, qui similem jacturam passus non est, resilire à sponsalibus potest. Si uterque, uterque habebit justam resiliendi causam; minus enim apti sunt ad onera matrimonii sustinenda, neque in hac parte est compensationi locus. Rebell. *l.* 4. *de oblig. just. q.* 8. *sect.* 8. *n.* 70. Pont. *l.* 12. *c.* 17. *num.* 8. Palao *tr.* 28. *dist.* 1. *part.* 28. *n.* 4. 2. justus, & probabilis timor exhæredationis; quia est timor cadendi à statu tempore sponsalium habito. Seraphin. *decis.* 1258. *nu.* 1. & 2. Riccius *decis.* 132. Pont. *nu.* 8. *cit.* Palao *nu.* 4. 3. si sponsa, aut ejus parentes vel non possint, vel nolint dare promissam dotem; quia sub illius conditione censentur sponsalia contracta *cap. de illis* 3. *de condit. appos.* & ratio est; quia tali casu novum onus subiret sponsus, si deberet ducere indotatam, & solus onera matrimonii ex propriis bonis sustinere. Sanchez *lib.* 1. *de matr. dist.* 59. *num.* 2. Layman *num.* 18. *cit.* Palao *part.* 28. *cit. n.* 1. Zoes. *hic n.* 48. Pirhing *n.* 64. Konig *num.* 78. Idemque est, si sponsalia sint inita sine mentione do- 191

tis,

tis, ut bene Sanchez *n.* 4. Palao *n.* 3. Vallens. § 4. *hic n.* 9. & alii *supra*.

192 Dub. 2. an si post contracta sponsalia sponsorum alteri superveniant insperatæ divitiæ nobilitas, dignitas &c. iste à sponsalibus resilire de Jure possit. Affirmant aliqui cum Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 5. *nu.* 149. & probabiliorem hanc sententiam dicit esse P. Jacob. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 1. § 7. *nu.* 29. quia tali casu putant sponsalium executionem notabiliter reddi duriorem, ita, ut merito præsumi possit, sponsum à principio non fuisse in sponsalia consensurum, si se ita divitem, aut nobilitate, vel honoribus auctum, augendumve videret.

Sed probabilius Sanchez *dist.* 59. *cit. n.* 7. Gutier *c.* 33. *de matr. n.* 4. Conink *dist.* 23. *dub.* 8. *n.* 69. Palao *p.* 28. *cit. n.* 5. Pirhing *hic n.* 64. Konig *num.* 78. putant non obinde posse sponsum sic divitiis, nobilitate, vel dignitate auctum resilire à sponsa, manente in suo statu, sed obligatum esse ad standum promissis; quia per ejus divitias &c. non est facta sponsa conditionis deterioris: neque per hoc potest dici deceptus sponsus in sponsæ conditione, aut per errorem in eam consensisse, sed circa propriam conditionem, circa quam consensus non fertur.

Ad argumentum sententiæ oppositæ dico, executionem sponsalium hoc casu non fieri duriorem per se, sed ex eo tantum, quod impediatur ab aliis sponsalibus ditioribus contrahendis: quod ad resiliendum à sponsalibus contractis non sufficit; alias quoties offerrentur sponsalia ditiora, minus ditia possent solvi, quod non est dicendum.

193 Dub. 3. an sponsus beneficio resiliendi uti etiamnum possit, si postquam notabilis mutatio accidit ex parte sponsæ, vel similis circumstantia præcedens ipsi fuit detecta, carnaliter eam cognovit? Resp. non posse. Ita cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 1. docent Sanchez *l.* 1. *de matr. dist.* 66. *n.* 2. Gutier *c.* 34. *de matr. n.* 9. Pont. *l.* 12. *c.* 18. *n.* 4. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *nu.* 20 Sporer *de matr. n.* 219. Engl *hic* § 3. *n.* 11. Pirhing *num.* 65 Konig *n.* 79. Vviestner *n.* 113. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 5. *n.* 152. *Ratio est*; quia juri suo renuntiasse censetur, fere, sicut qui accedit voluntarie ad conjugem suam post compertum ipsius adulterium, injuriam illi censetur remittere, ut ad divortium petendum amplius non admittatur; quod saltem verum est, si sponsalia non ipso jure fuissent nulla.

194 Quæritur 5. an, & quando sponsalia dissolvantur lapsu termini, matrimonio ineundo præfixi? Resp. cum distinctione: Nam duobus modis terminus, sive dies certus præfigi sponsalibus potest, 1. obligationi illorum implendæ, sive ita, ut promissas Nuptias usque ad diem præfixum, non ultra illum differre liceat, 2. ei etiam finiendæ, ut si nuptiæ usque ad statutum diem alterius culpa non sint secutæ, alter sponsalitia obligatione non adstringatur.

Si primo modo terminus adjiciatur sponsalibus, eo lapso sponsalia non dissolvuntur, sed ea implendi obligatio ex parte utriusque manet, *arg. c. cum dilecti* 6. *de dol.* & *l. Celsus* 23. § *idem ait* 1. *ff. de recept. qui arbitr.* Abb. *in c.* 22. *hoc tit. n.* 11. Alex. de Nevo *n.* 18. Sylvest. *V. sponsalia n.* 10. *vers. quinto*, Brunell. *de sponsal. concl.* 8. *n.* 4. Covar. *p.* 1. *de sponsal. c.* 5. *pr. num.* 8. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 53. *n.* 3. *& seqq.* Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 16. Becan. *p.* 3. *Theol. Schol. c.* 43. *q.* 28. *num.* 23. *&* 5. Palao *tract.* 28. *D.* 1. *p.* 24. *n.* 2. Zoes. *hic n.* 39. Engl §. 3. *n.* 9. Pirhing *nu.* 46. Schambogen *num.* 94. & 95. Konig *n.* 69. *vers. dixi autem*, Vviestner *n.* 115. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 5. *n.* 78. *Ratio est*; quia, ut Abb. *loc. cit. n.* 12. advertit, sponsalibus ita initis insunt obligationes duæ, una ineundi matrimonium, altera ultra præfixum tempus non differendi, quæ obligationes cum separabiles sint à se invicem, & prima principalis, altera lapsu temporis deficiente, manebit prima, sicut manet etiam obligatio solvendi debitum, quod tempore statuto solutum non est.

195 At si *posteriori modo*, nempe finiendæ obligationi statutus sit terminus, & nuptiæ non sunt secutæ, tunc distinguendum est: Vel enim per utrumque contrahentem stetit, quò minus nuptiæ sequeretur; & eo casu ex parte utriusque solvuntur sponsalia: vel contra per alterum tantum stetit, tunc hic obligatur adhuc, ne ex culpa sua commodum referat; alter vero liber manet, etiamsi sponsalia jurata sint, ut colligitur ex *c. sicut* 22. *hoc tit.* ibi *Nec per eum stetit*, & docent Sanchez *D.* 53. *nu.* 6. Layman *n.* 17. Palao *n.* 2. *&* 6. Rosignol. *de sponsal. II. prænot.* 12. *nu.* 1. *&* 4. cum *cit. Ratio est*; quia promissio, eique firmandæ adjectum juramentum non obligat ultra conventionem, & contrahentium intentionem *arg. Reg. contractus* 85. & *Reg. accessorium* 52. *in* 6. *Excipitur* 1. nisi sponsalibus terminus ita statutus esset, ut ultra eum, ex quacunque causa nuptiæ secutæ non sint, neuter alteri obligari velit; nam eo casu, lapso termino, uterque deobligaretur, ut *arg. Reg. contractus cit.* monet Perez *D.* 9. *sect.* 10. *num.* 2. *in fin.* Vviestner *hic n.* 116.

Dub. 1. quando censeatur tempus adjectum implendæ obligationi sponsalium, quando illi finiendæ? Resp. id colligendum ex verbis contrahentium. Si verba sint ambigua Conink *D.* 23. *dub.* 6. *n.* 42. & ex hoc Palao *tr.* 28. *dist.* 1. *p.* 24. *n.* 3. docent recurrendum ad causas, & motiva, ob quæ terminus fuit assignatus. Nam si utraque pars, vel saltem illa, quæ cupit diem adjici, apprehendit sibi omnino expedire, ut brevi sive cum hac, sive cum alia persona matrimonium contrahat, quia vel difficile ipsi est diutius à nuptiis abstinere, vel alia offeruntur matrimonia commoda, quæ postea frustra desiderabuntur, censebitur tempus adjectum obligationi finiendæ. 196

At si adjiciatur tempus non quia partibus per se incommodum est diutius abstinere à nuptiis, sed quia nuptias has apprehendunt ut sibi commodas, ideoque ratione postea impediantur, censebitur adjectum tempus obligationi intra illud tempus implendæ: & tunc eo decurso neuter liberabitur ab obligatione sponsalium (quia cupiunt hanc omnino utrinque perseverare, donec promissa impleantur) sed pars morem faciens cogi poterit, ut cito contractum impleat; quia terminus non finit obligationem, sed eam urget, atque sollicitat. 197

Dub. 2. an casu, quo tempus sponsalibus adjectum est finiendæ obligationi, & uni contrahentium legitimum occurrit impedimentum, ne tempore illo sponsalia implere possit, alter, qui ad nuptias statuto tempore contrahendas fuit paratus, ab obligatione sponsalium liberetur? Negant Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *cas.* 4. *n.* 20. Sanchez *l.* 1. *de matr. dist.* 53. *n.* 7. Gutier. *c.* 24. *de matr. n.* 10. Pont. *l.* 12. *c.* 16. *in fin. n.* 4. & videtur hoc etiam probare ratio; quia legitime impedito non currit tempus *c. quia diversitatem* 5. *de concess. præb.* & *l. super annali* 1. § *fin. C. de annal. except. Conf.* quia *c. sicut* 22. *hoc tit.* ad alterum ab obligatione eximendum requiritur, ut per eum non steterit, quo minus nuptiæ sint celebratæ; atqui in proposito casu per neutrum contrahentium stetit; ergo non est ratio, cur unus eximatur, si velit, alter vero obligare non possit ad standum contractu, nec hic videatur jure suo privari, & pœnam pati absque delicto suo. 198

Sed his non obstantibus, dicendum, etsi ob intercurrens impedimentum mora alterius inculpabilis sit, eum tamen, qui ad nuptias in tempore celebrandas paratus fuit, illo lapso, deobligatum esse. Ita Navar. *Man. c.* 22. *n.* 27. *cas.* 12. Conink *dist.* 23. *dub.* 6. *num.* 47. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 17. Palao *tract.* 28. *dist.* 1. *p.* 24. *n.* 8. Bosco *Theol. Sacr. dist.* 11. *sect.* 2. *concl.* 2. *n.* 52 Konig *hic n.* 69. Vviestner *n.* 117. Reiffenstuel *n.* 220. *Ratio est*; quia ita conventum est inter partes; ac proinde qui ad nuptias in tempore paratus fuit, si isto lapso resiliat, defendetur *Reg. contractus cit.* quamvis mora alterius sit absque culpa. *Conf.* 1. quia nuptiarum omissio illi, qui paratus est ad eas in tempore celebrandas, non minus incommoda, periculosa, & damnosa est, quam si mora fuisset culpabilis; ergo utroque casu eidem datur justa causa recessus à sponsalibus. *Conf.* 2. *à paritate*; nam ut *l. convenerit* 14. *ff. pro Socio* statuitur, Societati ob solum defectum conditionis, qua illa contracta fuit, renuntians actione non tenetur. 199

Ad argumentum contrarium, etsi legitimè impedito non currat tempus ad contrahendam pœnam legalem, aut conventionalem, currit tamen ad tollendam obligationem, si eo lapso deficiat conditio, cui promissio est alligata; talis autem conditio est tempus sponsalibus 200

bus implendis præfixum; ergo &c. *Ad Conf.* textus *secundi* potius est pro nostra sententia: dicit enim eum, per quem non stetit, quo minus nuptiæ secutæ sint, ab obligatione liberum esse, sine distinctione, vel exceptione, an alter fuerit in mora culpabili. Quod additur de pœna, negatur suppositum; nam obligatio sponsalium hoc casu in eo, qui paratus erat ad contrahendas nuptias, non cessat in pœnam, sed ob defectum conditionis.

201 Quæritur 6. quando discessus sponsi, vel sponsæ in terras remotas præbeat alteri justam causam resiliendi à sponsalibus? Resp. cum distinctione; Vel enim discessus hic fit animo mutandi domicilium, vel animo redeundi. *Si primum*, & ejusmodi discessus factus est absque licentia sponsæ, non tenetur sponsa eum sequi, sed libera est ab ipso, etiamsi sponsalia jurata sint. Ita Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 54. *n.* 14. Gutier *c.* 30. *de matr. n.* 5. *fin.* Conink *D.* 23. *dub.* 6. *concl.* 6. Layman *l.* 5. *tr.* 10 *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 15. Palao *tr.* 28. *dist.* 1. *p.* 23 *n.* 1. Vvex *Arïad. p.* 5. *tr.* 2. *p* 2. *contr.* 7. *n.* 4. Vallens. *hic* § 4. *n.* 4. Pirhing *n.* 58 Konig *n.* 70. Vviestner *nu.* 118. & colligitur ex *c. de illis* 5. *hoc tit.* ibi: *Dimittunt terram se ad partes alias transferentes*, quæ verba, ut *ibid.* notant Abb. *n.* 2. Canis. *n.* 1. Poni. *l.* 12. *c.* 15. *n.* 2. significant mutationem domicilii, neque enim qui studiorum, aut alterius negotii causa alio se confert, terram dimittit *arg. l. clam. possidere* 6. §. *fin. ff. de acquir. vel amitt. possess.* & *l. nec ipsi* 2. *C. de incol. Ratio autem*, cur tali discessu sponsalia, etiam jurata, solvantur, est partim, quod eo animo discedens, sponsalibus ipso facto videatur renuntiare; partim quod sponsa de futuro sponsum domicilium mutantem non teneatur sequi, sicut uxor sequi tenetur virum. Idem dicendum, si sponsa intelligat, sponsum esse vagabundum, quod ante nesciverat; quia est notabilis circumstantia, quæ cum difficiliorem reddat contractum matrimonii, non censetur inclusa in contractu sponsalium, ut ad eam sponsa se voluerit obligare.

202 *Si secundum*, & sponsi discessus fiat animo redeundi, iterum, distinguendum est; nam si discedat eo, unde reditus sit facilis, & non diu differendus judicetur, facile convenit inter DD. sponsam non posse idcirco recedere à sponsalibus, sed teneri ad exspectandum reditum; neque enim tali discessu sponsus renuntiasse censetur sponsalibus. At si discedit eo, unde difficilis est regressus, vel licet difficilis ille non sit, sponsus ex alia causa diu non rediturus moraliter certo sciiur, dissident inter se DD. Nam 1. quidam cum Joan. Andr. *in c. de illis cit. n.* 6. negant eo casu permissum esse recessum à sponsalibus.

203 Alii cum Glossa *in c. de illis cit. V. liberum*. Sylvest. *V. sponsalia num.* 10. *cas.* 4. Menoch. *de arbitr. cas.* 455 *n.* 7. Rebell. *lib.* 4. *de oblig. Just. q.* 8. *sect.* 3. *num.* 2. *&* 3. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *c.* 2. *n* 14. Canis. *in c. de illis cit. num.* 2. Vvagnereck *ibid.* Brunnem. *in l. si is* 2. *Cod. hoc tit.* Pirhing *hic n.* 48 Schambogen *ibid. num.* 91. *&* 92 putant quod hoc observandum jus Civile, ex cujus dispositione attendi debet, an sponsus ita absit ex causa necessaria, an voluntaria; nam si absit diutius ex causa voluntaria, eaque justa, si intra Provinciam versetur, exspectandus est biennio *l. si is cit.* si extra Provinciam triennio *leg. liberum* 2. *C. de repudiis*. Si vero causa absentiæ sit necessaria, v. gr. mors parentum, valetudo propria, negotium magni momenti; jubetur sponsa illum exspectare quadriennio, & ultra, donec causa cedet *l. sæpe* 17. *ff. h. tit.* nisi aliter conventum sit, vel incontinentiæ periculum matrimonium urgeat.

204 3 Denique alii, & probabilius existimant eo casu recessum à sponsalibus permissum esse, si fiat inscia, vel invita sponsa, sive deinde id fiat ex causa necessaria, sive ex voluntaria. Ita Alex. de Nevo *in c. de illis cit. num.* 15. Angel *V. sponsalia n.* 26. Alex. Carrer *l.* 1. *de sponsal c.* 15. Covar. *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *pr. nu.* 7. Sanchez *l.* 1. *de matr. D.* 54. *num.* 6. Pont. *l.* 12. *c.* 15. *n.* 4. Palao *tr.* 28. *dist.* 1. *p.* 23. *n.* 2. *vers. sed verius*, Gutier *cap.* 30. *de Matr. n.* 3. Perez *dist.* 9. *sect.* 9. *nu.* 9. Zoes. *hic num.* 38. Vviestner *n.* 119 Reiffenstuel *n.* 313. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 5. *n.* 90. *Ratio est*; quia inscia, aut invita sponsa discedens eo, unde difficulter, aut nonnisi post longum tempus est rediturus, juri suo renuntiasse, nec datam fidem, ut oportet, servasse censetur.

Neque curari in sponsalibus fidelium debent Juris Civilis quoad hoc dispositiones. Nam Jure Civili tempus Legibus statutum exspectandum fuit, non ut sponsa renuntiare posset sponsalibus (quia etiam ante hoc tempus renuntiare iisdem poterat, quippe cum liberam renuntiandi potestatem Leges concederent) sed tantum, ut ab iis recedens Arrhas à sponso datas retinere posset, quas amissura erat, si à sponsalibus ante hoc tempus recessisset. Aliter res se habet de Jure Canonico, quod liberam potestatem sponsalibus renuntiandi sustulit, etsi renuntians Arrhas vellet perdere; unde cum cessante causa, etiam effectus cesset, dicendum, quod hoc tempus, Lege Civili statutum, non amplius exspectari debeat. 205

Dubitatur, quid in praxi observandum, ne absentiæ prætextu sponsalia susque deque habeantur. Resp. hæc observanda sunt, 1. Si sponsus quacunque ex causa absit, sponsa consentiente, exspectare ipsa debebit toto eo tempore, quo inter ipsos conventum est, donec is redeat; cum enim volenti nulla fiat injuria, neque ejusmodi discessus haberi pro renuntiatione possit, nulla est causa, quæ ipsam tali casu à sponsalibus liberam faciat. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 54. *nu.* 13. Palao *tr.* 28. *dist.* 1. *part.* 23. *num.* 2. Quodsi tamen intra tempus conventum non redeat, sponsa potest alteri nubere, ut idem Sanchez *loc. citat.* cum Joan. Andr. *in capit. de illis cit. num.* 5. advertit, ubi tamen excipit, nisi constaret sponsæ, inculpabiliter sponsum non venire tempore præstituto; tunc enim deberet exspectare ulterius casu, quo tempus illud constitutum est obligationi implendæ, non finiendæ. 206

2 Si sponsus invita, aut inscia sponsa alio sese transtulit animo mutandi domicilium; ne momento quidem temporis exspectare sponsa tenetur, sed non obstantibus sponsalibus, ad alia vota liberè transire potest. Debet tamen sponsa esse certa de animo sponsi, quod voluerit mutare domicilium; alioquin sponsum exspectare debebit, ut bene notarunt Abb. *in capit. de illis citat. fin.* præposit. *n.* 5. Hentiq. *l.* 11. *c.* 14. *nu.* 5. Sanchez *l.* 1. *D.* 54. *n.* 12. Gutier *c.* 30. *de Matr. nu.* 7. Palao *part.* 23. *cit. num.* 3. 207

2 Si certo constat, quod sponsus discesserit absque animo mutandi domicilium, distinguendum est, an discesserit in locum propinquum, vel in remotum, unde non sit spes brevi rediturum. *Si primum*, & hoc sciatur, exspectandus est sponsus, vel requirendus, ut intra certum tempus sponsalia impleat. Sanchez *n.* 11. *Si secundum*, sponsa libera erit ab obligatione sponsalium, siquidem discessus ille factus est sponsa inscia, aut invita. 208

4 Si de absentis intentione, ac diuturnitate absentiæ non ita constet, absens per Epistolam, aut nuntium requirendus est, ut intra certum tempus redeat. Quodsi autem hoc loci distantia non permittat, aut tempestivi reditus spes certa non fiat, sponsa causam ad Judicem Ecclesiasticum deferre debet, ejusque arbitrio, ac pronuntiationi relinquere, an eidem liber ad alia vota transitus permissus, an contra sponsi adventus præstolandus sit. Covar. *part.* 1. *de sponsal. cap.* 5. *num.* 7. Sanchez. *D.* 54. *cit. num.* 11. Gutier *cap.* 30. *cit. nu.* 2. *&* 6. Palao *p.* 23. *cit. n.* 3. Gonzal. *in c. de illis cit. num.* 3. Gobat *tr.* 10. *n.* 353. Vvex *Ariad. part.* 5. *tract.* 2. *part.* 2. *contr.* 7. *n.* 11. Vviestner *hic n.* 121. 209

Quæritur 7. utrum sponsalia dissolvantur ob superveniens Juris impedimentum? Resp. cum distinctione, an illud Impedimentum sit unum ex dirimentibus, an verò tantum ex impedientibus matrimonium. *Si hoc secundum*, quidam apud Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 56. *num.* 2. volunt, eo superveniente, solvi sponsalia ex parte innocentis. Sed verius est oppositum, tum quia ejusmodi impedimenta non impediunt matrimonia, nisi re integra; tum etiam, quod probabilissimum sit, excepto Religionis, & Castitatis Voto, nullum aliud ex his, quæ tantum impedientia nuncupantur, matrimonium impedire, dispensationeque indigere, ut optime Sanchez *l. cit. n.* 3. Conink *D.* 23. *dub.* 5. *n.* 36. Palao *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 26. *n.* 1. 210

Si primum, certum est, obligationem sponsalium præcedentium cessare omnino, quando iisdem supervenit Impedimentum matrimonium Jure naturæ dirimens, verb. grat. impotentia perpetua; quia tali casu matrimo-

monium evadit impossibile; impossibilium autem nulla est obligatio *Reg. impossibilium* 185. *ff.* & *Reg. nemo* 6. *in* 6.

211 *Controversia* est de casu, quo super venit impedimentum Jure Ecclesiastico solum dirimens Matrimonium e.g. fornicatio cum consanguinea Sponsæ in primo gradu. Putant aliqui etiam hoc casu cessare obligationem Sponsalium prius contractorum, neque illum, cujus culpa contrahitur impedimentum tale, obligari ad procurandam dispensationem, altero exigente. Et videtur istud probari. 1. quia dispensatio est quædam Juris læsio, ad quam procurandam nemo videtur adstrictus. 2. dispensatio est gratia & favor Principis affinis privilegio, quo uti invitus nemo tenetur. 3. pendet à voluntate Principis, seu Pontificis, qui dispensationem impertiri potest; atqui ea, quæ pendent à voluntate Principis, reputantur quasi impossibilia *l. continuus* 137. §. *cum quis* 6. *ff. de V. O.* ergo &c.

212 Sed dicendum, hoc casu quidem cessare obligationem Sponsalitiam ex parte innocentis, suspendi vero solum ex parte nocentis, seu ejus, qui causa impedimenti extitit, ita, ut hic, si id absque incommodo, & damno suo multo graviori possit, quàm pars læsa ex appositione impedimenti patitur, teneatur dispensationem impedimenti petere, & eo sublato, si adhuc velit pars læsa, fidem eidem datam implere. Ita Sanch. *l.* 1. *D.* 56. *nu.* 4. Conink *D.* 23. *dub.* 5. *num.* 37. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 26. *n.* 4. Perez *sect.* 2. *à num.* 5. Rosignol. *de Sponsal. II. prænot.* 7. *n.* 3. Sporer *de Matr. n.* 214. Wex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 1. §. 7. *n.* 11. Konig *hic n.* 67. Wiest. *n.* 102.

Dixi 1. *ex parte innocentis cessare obligationem Sponsalitiam*; quod colligitur ex *c. quemadmodum* 25. *de Jurejur.* & ratio est; quia ex parte nocentis supervenit notabilis mutatio, quæ proinde justam causam innocenti ad resiliendum à Sponsalibus præbet.

Dixi 2. *ex parte nocentis eam obligationem suspendi*, quia æquum non est, ut qui impedimento malitia sua causam dedit, ex ea commodum referat, & ab obligatione contracta contra eum, in quem deliquit, cum præjudicio ejusdem liberetur.

Dixi 3. *eum teneri dispensationem impedimenti petere*; cum enim Nuptiis impedimentum ponendo Sponsi sui jus læserit, obligabitur hoc ejus jus reparare eo modo, quo potest; potest autem petendo dispensationem impedimenti; ergo &c.

Dixi 4. *si id absque incommodo, & damno suo graviori possit*; nemo enim tenetur reparare damnum alterius cum suo multo majori.

213 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. & 2. licet hoc per se ita sit, per accidens tamen ratione damni, & injuriæ, quam intulit alteri, obligabitur favore suo uti, si aliter reparatio ejusdem fieri nequeat. *Ad* 3. quæ pendent à voluntate Principis, reputantur quasi impossibilia, si difficulter, & cum magnis expensis, aut incommodis obtineri possint; secus si facile vel cum incommodo quidem, sed minori, quam pateretur is, qui læsus est, juxta principium generale, quod in pari causa potius favendum sit innocenti, quam nocenti.

214 Quæritur 8. an & qua ratione Sponsalia solvi possint Dispensatione? Resp. possunt dispensatione solvi, non tamen ab alio; quàm à Summo Pontifice. Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 14. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 61. *n.* 3. Wex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 1. §. 6. *num.* 9. *Ratio est*; quia per Sponsalia valide contracta est jus acquisitum tertio, quod nullus, præter supremum Principem, auferre potest. Exerceri autem potestas hæc à Pontifice potest tantum ob causas justas & graves; imo si Sponsalia fuerint Juramento confirmata, opus est causa gravissima concernente bonum commune. Wex *loc. cit.* cum aliis, quos allegat. Intellige, si pars altera renitatur; nam si utraque pars cederet jure suo non opus foret dispensatione Pontificis, sed Sponsalia solverentur solo mutuo consensu, ut dictum est *n.* 145. & *seqq.*

215 Quæritur 9. an ad dissolvenda Sponsalia ob hactenus allatas causas opus sit sententia, & authoritate Judicis? Affirmat Innocentius *in c. de illis* 7. *de despons. impub.* motus istius textu, ubi cautum est, ut impuberes, qui adveniente pubertate, reclamant, judicio Ecclesiæ ab invicem separentur. *Conf.* à paritate cum Matrimonio, à quo, etsi causa recedendi sit liquida, recessus tamen privatus non est concessus, ut patet ex *can. saecülares* 1. *caus.* 33. *q.* 2. & *cap. duo pueri* 12. *de despons. impub.*

Sed melius dicitur, justa causa certo subsistente, à Sponsalibus recedenti authoritatem Judicis, secluso speciali Jure, per se non esse necessariam. Ita Sylv. *V. sponsalia quæst.* 11. Navar. *man. cap.* 22. *n.* 28. Sanch. *l.* 1. *de matr. D.* 69. *n.* 2. Guttier. *cap.* 35. *de matr. n.* 4. Coninck *D.* 23. *dub.* 8. *n.* 70. *not.* 2. Pont. *l.* 12. *c.* 18. *n.* 8. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *n.* 23. Zoes. *hic n.* 49. Engl §. 3. *n.* 12. Pirh. *n.* 65. Konig *n.* 80. Schamb. *n.* 105. Wiest. *n.* 123. Magnif. P. Schmier. *p.* 1. *de Sponsal. c.* 5. *n.* 11. *Ratio est*; quia interventus authoritatis Judicis nullo Jure præscriptus est, & Sponsalibus tacita conditio inest, *Si res in eodem statu permaneat*, sive, *si non superveniat justa, jureque approbata causa resiliendi*; igitur superveniente hujusmodi causa, & conditione illa deficiente, Sponsalium obligatio jure cessat, & Sponso liber recessus permissus est.

Dixi 1. *justa causa certo subsistente*; quia quando causa sive de Jure, & quoad sufficientiam, sive defacto, & quoad existentiam dubia est, liber à Sponsalibus recessus non est permissus, nec facilè permittendus sine authoritate Judicis, ut recte Sanch. *loc. cit. n.* 8. Guttier. *n.* 7. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 31. *num.* 1. Perez *D.* 11. *sect.* 3. *num.* 8. Magnif. P. Schmier *n.* 17. cum aliis *supra*: & ratio est; quia in dubio jure suo nemo privandus est, & melior est conditio possidentis. 216

Dixi 2. *secluso speciali Jure*; quia speciali Jure aliquando, saltem cum Sponsalia publica, & notoria sunt, Ecclesiastici Judicis authoritate ad eorundem dissolutionem opus est. Pal. *n.* 3. idque prudenter, tum ut causa dissolutionis exactius investigetur; tum ut omnis suspicio mali removeatur: quam consuetudinem teste Laym. *c.* 2. *cit. in fin.* approbat S. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 1. Richard. *ibid. art.* 3. *quæst.* 3. Paludan. *quæst.* 2. S. Anton. *p.* 3. *tit.* 1. *cap.* 18. §. 1. Et ejusmodi Jus in Mechliniensi, & Constantiensi Diœcesibus vigere testatur Gobat *Theol. Exper. tr.* 10. *à n.* 260.

Dixi 3. *per se*; per accidens enim aliquando à Sponsalibus recedenti authoritas Judicis necessaria est, ut ad vitandum scandalum, cum Sponsalia publicè nota, causæ autem dissolutionis ignota est. Pal. *num.* 2. Boscho *de Matrim. D.* 11. *sect.* 2. *con.* 11. *num.* 175. Magnif. P. Schmier *n.* 18. 217

Ad Argumentum sumptum ex *cap. de illis cit.* ibi non dicitur, necessarium esse judicium Ecclesiæ, sed tantum jubetur, ut Judex Ecclesiasticus, si coram ipso impubes, pubertatem adeptus, reclamaverit, eum separet. *Ad Conf.* negatur paritas, nam Matrimonium ex natura sua est contractus insolubilis; indeque non videbatur expediens, ut in potestate sit partium, proprio motu à statu tam arcte obligatorio resilire.

Quæritur 10. quomodo de ejus modi causa constare debeat, ut à Sponsalibus recessus permissus sit Sponsis? Resp. cum distinctione; Vel enim dissolutionis causa talis est, ut dirimat, vel impediat Matrimonium; vel solum talis, ut jus resiliendi tribuat, non dirimat, vel impediat Matrimonium, uti est v. g. fornicatio alterius partis. 218

Si primum, ad Sponsalium dissolutionem faciendam sufficit Judici unius etiam testis, alias non idonei, depositio, fama publica, & propria confessio contrahentium, etiam unius. Menoch. *de arbitr. cas.* 103. *num.* 2. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 72. *n.* 2. Guttier. *c.* 36. *de Matr. n.* 18. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 32. *n.* 2. & 3. Konig *hic num.* 67. & 68. & colligitur *arg. c. attestationes* 10. *de despons. impub. c. super eo* 22. *de test.* & *attest. c. præterea* 2. *hoc tit.* & *c. super eo* 2. *de consang.* & *affinit.* *Ratio est*; quia hoc casu agitur de peccato, & animæ periculo vitando, ubi minor probatio sufficit.

Si secundum contingat, & causa dissolutionis non sit impedimentum dirimens, vel impediens, controversia est inter DD. nam Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 17. *in fin. arg. textuum cit.* contendit, etiam hoc casu unius testis depositionem, aliamve similem probationem sufficere. Sed male; quia textus isti procedunt favore animæ, cujus salus in casu nostro non adducitur in discrimen, sed de solo præjudicio tertii agitur; ubi autem de præjudicio tertii agitur, generalis est Regula, requiri duos testes omni exceptione majores, aut aliam probationem plenam. Quare ista etiam in præsen- 219

præsenti casu necessaria erit. Sanch. *l.* 1. *D.* 71. *num.* 7. Guttier. *cap.* 36. *n.* 17. Conink *dub.* 11. *concl.* 4. *num.* 81. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *n.* 12. *vers. dico tertio*, Pal. *p.* 32. *cit. num.* 8.

220 Eædem probationes, quæ in foro externo sufficiunt, etiam sufficiunt in interno, & conscientiæ. Imo in isto ad Sponsalium dissolutionem sufficit depositio unius testis fide digni, etiam non jurati, ut notat Sanch. *D.* 73. *num.* 2. Guttier. *cap.* 36. *num.* 17. Pal. *part.* 32. *cit. num.* 8. *fin.*

SECTIO II.

De Matrimonio.

POst Sponsalia justo ordine sequitur matrimonium; nam ad hoc illa tanquam via ad terminum à contrahentibus unice, & principaliter intentum deducunt. Sumi istud dupliciter potest: primo secundum se, & secundo, prout est Sacramentum. In utraque acceptione multa occurrunt dubia, quæ Examine digna sunt, Sit ergo

§. I.

De Matrimonio secundum se.

SUMMARIUM.

221 *Etymologia Nominis* Matrimonium.
222 *Alia hujus nomina.*
223 *Definitio.*
224 225 226 *Explicatio Definitionis.*
227 *Dividitur primo in Legitimum, Ratum, & Consummatum.*
228 *Requisita, ut Consummatum censeatur.*
229 *An consummetur per copulam primo bimestri vi extortam?*
230 *Defenditur Sententia affirmativa.*
231 *Solvuntur Argumenta Partis negantis.*
232 *Secundo dividitur in Verum, Præsumptum, & Putativum.*
233 *Quomodo probetur matrimonium?*
234 *Quibus casibus illud Jura præsumant initum?*
235 *Quænam requirantur, ut matrimonium putativum habeat effectus Juris?*
236 *Tertio dividitur in Canonicum, & Politicum.*
237 *Quo pertinet etiam contractum* ad Morganaticam.
238 *An licitum sit Pactum Morganaticæ.*
239 *An istud Pater Illustris, stante matrimonio, revocare, vel immutare possit?*
240 *An, & quomodo in bonis paternis succedant filii morganatici?*
241 242 243 244 245 *Quinam matrimonia contrahere possint?*
246 247 *An valeat contractum à parentibus nomine liberorum: si isti præsentes taceant, & non contradicant?*
248 249 250 *An matrimonium contrahi per Procuratorem possit?*
251 *Quænam requirantur, ut contractum per Procuratorem valeat?*
252 253 *An ad valorem mandati Procuratorii requiratur præsentia Parochi, & testium?*
254 255 *An matrimonium contrahi possit per Epistolam?*
256 *In quo consistat essentia matrimonii.*
257 *An consensus contrahentium semper sit necessarius?*
258 259 260 *Etiam de absoluta Dei potentia?*
261 262 263 *Utrum ad substantiam matrimonii pertineat consensus in obligationem alteri, si petat, tradendi corpus suum ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis?*
264 *Qualis debeat esse consensus ad matrimonium requisitus?*
265 266 267 *Quid dicendum de eo, qui cum una matrimonium contraxit ficte, dein cum alia vere?*
268 269 *Quomodo delinquat, & ad quid obligetur ficte contrahens?*
270 271 272 *An casu, quo matrimonium est nullum ob defectum consensus, ad hoc revalidandum requiratur consensus utriusque?*
273 *Quomodo consensus sit exprimendus?*
274 275 276 *An necessaria sint verba formalia?*
277 278 *Quid in his spectandum?*
279 *Quam fidem mereatur interpres, si per hunc celebretur matrimonium.*
280 281 *An validum sit contractum contra Legem, vel consuetudinem Regionis?*

QUæritur 1. quid sit *Matrimonium*? Resp. ut de quavis alia re, ita etiam de Matrimonio duæ circa hoc fieri quæstiones possunt. 1. quid nominis? 2. quid rei sit? Atque hinc. 221

Dub. 1. quid nominis sit *Matrimonium*, seu quæ sit Etymologia istius nominis? Resp. *Matrimonium* à Matre dicitur, non à Patre; cujus plures congruentias, adducit Nicol. Morius *de matr. in princ. n.* 1. duæ vero videntur potissimæ. *Prima est*; quia Matrimonium præcipue spectat procreationem prolis; prolis autem certa parens est mater, pater vero incertus, & ex Nuptiis sola Juris præsumptione ostenditur, non vera, certaque probatione *l. quia semper* 5. *ff. de in Jus vocand. l. filium* 6. *ff. de his qui sui, vel alien. jur. l. Lucius* 83. *ff. de condit. & demonstr. Secunda*, quia matris onus gravius est, quàm patris, cum illa prolem in utero & extra istum substantia sua alat: atque ut *cap. fin. de conver. infidel.* textus habet, *hæc ipsi ante partum onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa esse noscitur.*

Præter Matrimonii nomen tria alia eidem dantur, quæ tamen revera Synonyma sunt, licèt data ex causis diversis. 1. enim dicitur *Consortium* à communicatione, & communione ejusdem sortis, & conditionis eo, quod conjuges bonorum, & jurium inter se consortes sint *l. nuptiæ* 1. *ff. de rit. nupt.* 2. *Conjugium* ab effectu; quia duos, ut fiant una caro, conjungit, quasi sub uno jugo; quæ conjunctio initiatur per consensum animorum, qui datur in Matrimonii contractu; perficitur conjunctione corporum, quæ contingit in consummatione ejusdem. Quod explicans Sanct. Ambrosius *can. cum initiatur* 5. *caus.* 27. *quæst.* 2. relatus ait; *Cum initiatur conjugium conjugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis; denique dum jungitur puella conjugium est, non cum viri admissione cognoscitur.* 3. *Connubium*, vel quod crebrius est, *Nuptiæ* à nubendo, vel obnubendo; quia olim Sponsæ pudoris gratia, quando nubebant, velo se quasi nube tegebant *can. fæmina* 7. *& can. nec illud* 8. *caus.* 30. *quæst.* 5. Unde hodiedum nomine *Nuptiarum* ordinariè potius solemnitas, ac celebritas illa venit, quæ Contractui Matrimoniali conjungitur, ac certis temporibus per SS. Canones prohibetur, quàm Contractus Matrimonialis, qui nullo tempore interdicitur. Wesenbec. *ff. de rit. nupt. n.* 1. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 5. *num.* 1. Engl §. 1. *n.* 8. Konig *n.* 82. 222

Dub. 2. quid rei sit Matrimonium? Resp. Matrimonium duobus modis accipi potest. 1. pro actuali contractu, in quo legitimæ personæ consensu verbis expresso se invicem obligant ad vitæ Societatem, & generationis usum. 2. & frequentius pro permanente, ac quasi perpetuo jugo viri, & fæmina; quo sensu ait Gloss. *Inst. de patr. potest. lit. O.* idem esse Matrimonium quod Conjugium. In utroque sensu accepto Matrimonio accommodari potest Definitio, quam ex *cap. illud* 11. *vers. verum de præsumpt.* §. *nuptiæ* 1. *Inst. de patr. potest. & l. nuptiæ* 1. *ff. de rit. nupt.* communiter sumunt DD. & dicunt, quod *Matrimonium sit legitima conjunctio viri, & mulieris, individuam vitæ consuetudinem continens*; si scilicet dictio *Conjunctio*, dum definitio hæc applicatur contractui Matrimoniali, sumatur causaliter, & efficienter; dum vero applicatur ipsi obligationi Matrimoniali, accipiatur formaliter. Unde, quando Matrimonium *in prima acceptione* sumitur, sensus Definitionis erit, quod *Matrimonium sit contractus, quo mas, & fœmina nullo Jure impediti, se ad individuam vitæ societatem, & mutuam corporum traditionem in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis obligant.* Quando vero in *secunda acceptione*, hunc sensum pariet, quod *Matrimonium sit perpetua, & indissolubilis conjunctio, seu vinculum viri, & fæminæ, ortum ex consensu eorum, verbis, vel aliis signis expresso.* Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 1. 223

Dicitur autem 1. in Definitione *Viri*, & *Mulieris* 224 in nu-

in numero singulari; quo innuitur Polygamiam, & multo magis Polyviriam esse illicitam: de quo *Tit. 4. de Sponf. duor.* ex instituto. Imo nec cuicunque cum quacunque etiam una licet contrahere; quia Jure tam naturali, quam positivo Ecclesiastico certa constituta sunt impedimenta, quæ matrimonii contractum vel omnino irritum, vel saltem illicitum faciunt: hinc in explicatione Definitionis additur, *Nullo Jure impediti*.

225 Dicitur 2. *Conjunctio*, scilicet per consensum de præsenti animorum, non vero per conjunctionem corporum; nam conjunctio corporum non est de substantia matrimonii; quia matrimonium non concubitus, sed consensus facit *l. nuptias* 31. *ff. de R.J. Neque obstat* textus *can. non est dubium* 16. *cum seq. caus.* 27. *q.* 2. ubi dicitur, *Non est dubium, illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua commistio sexus non docetur fuisse*; quia ut advertit editio Gregoriana, textus iste non reperitur in Augustino, ex quo eum citat Gratianus, videturque esse Summarium *can. seq.* quem & ipsum depravate legit Gratianus, ut videre est in eadem Gregoriana editione. *Nec etiam obstat*, quod matrimonium efficiat, ut duo sint in carne una, quod non videtur efficere ante copulam; quia, ut notat Vallens. *hic* §. 5. *num.* 5. esse duos in carne una non est commisceri, sed haberi tanquam carnem unam, quod fit per hoc solum, quod uterque alterius corporis potestatem habeat. Porro potestas hæc, quam habet conjux in corpus conjugis, est quidem jus in rem, sed non proprie dominium, ne fateri cogamur alterum alterius mancipium, seu servum esse. erit igitur tantum jus utendi corpore conjugis ad opus generationis eo fere modo, quo jus utendi alieno horto alicui ad certum finem concedi solet. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 3. *n.* 7.

226 Dicitur 3. *individuam vitæ consuetudinem continens*; quo Matrimonium distinguitur à Concubinatu, qui tantum ad tempus initur quamdiu placuerit: & simul innuitur, Matrimonio majorem, quam aliis omnibus contractibus humanis firmitatem, & indissolubilitatem competere; nam alii omnes contractus, etsi mutuo consensu constituti sint, eodem iterum dissolvi possunt: Matrimoniorum non item; neque enim Matrimonium ad tempus contrahi potest *can. solet* 6. *caus.* 32. *q.* 2. *c. fin. de condit. apposit.* Porro hunc perpetuum, & indivisibilem nexum Matrimonium obtinet partim suapte natura, ob commodum prolis generandæ, meliusque, educandæ, partim verò, & multo magis ex Dei primæva institutione, & magni Mysterii causa, ut constat ex Apostolo *Eph.* 6. *&* notat Laym. *n.* 1. *cit. vers. posterior*. Hinc merito per Jus Canonicum abrogatæ sunt Leges Civiles, quibus præter Matrimoniorum naturam ista etiam quoad vinculum dissolvi poterant *ff. de divort. & C. de repud.* quod repugnarent Legi Evangelicæ, qua Christus, sublato libello Repudii, quo Judæis uxorem adulteram dimittere, & aliam ducere permittebatur, Matrimonia restituit primævo statui, & indissolubilitati suæ, potestate tamen relicta Ecclesiæ id dissolvendi tam quoad cohabitationem, & thorum, quam etiam quoad vinculum per Professionem Religiosam, & Dispensationem Apostolicam, si consummatum non sit; de quo suis locis dicetur.

227 Quæritur 2. quotuplex sit Matrimonium? Resp. triplicem maxime hujus divisionem invenio.

I. Dividitur in Matrimonium Legitimum, Ratum, & Consummatum. *Legitimum tantum* illud est, quod legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est, non tamen Ecclesiæ ratificationem, aut rationem Sacramenti habet: quale olim in Lege Naturæ, & Mosaica, ac hodie initur inter Judæos, & Gentiles *can. fin.* §. *item illum caus.* 28. *q.* 1. *c. quanto* 7. *vers. nam et si de divort. Ratum*, sive Ecclesiæ ratificatione approbatum est, quod secundum Leges Divinas, & Ecclesiasticas sanctiones contrahitur à fidelibus, seu Baptizatis, inter quos tamen post illud contractum nondum intercessit commercium, seu copula carnalis: & de hoc accipienda est Regula *l. nuptias* 31. *ff. de R.J.* quod *Nuptias non concubitus sed consensus faciat*. *Consummatum* denique, quod accedente carnali copula perfectum, atque completum est.

Ut vero tale, seu Consummatum Matrimonium dici possit, requiritur. 1. ut copula carnalis sit perfecta, & sufficiens ad generationem humanam; & hinc non sufficit imperfecta, etiam per penetrationem vasis muliebris, nisi seminis effusio consequitur; & multo minus sufficient tactus, oscula, vel etiam pollutio extra vas naturale *can. Lex Divina* 18. *caus.* 27. *quæst.* 2. *can. extraordinaria* 11. *caus.* 35. *quæst.* 3. *cap. verum* 2. *de convers. conjug.* Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 11. *n.* 5. Bosco *de Matr. D.* 11. *concl.* 10. *n.* 358. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 1. *num.* 50. *& duobus seqq.* 2. ut consensus legitimus, seu Matrimonium ratum præcesserit; nam si copula habeatur ante contractum Matrimonialem, ex ea non inducitur Matrimonii consummatio. *Ratio est*; quia, quod non est, consummari non potest, sed ante contractum Matrimonium non est Matrimonium. ergo &c. Erit proinde talis copula mere fornicaria, neque indissolubilitatem, aliosque effectus Matrimonii consummati operabitur. 228

Addunt aliqui 3. ut ejusmodi copula intra primum bimestre post Matrimonii contractum non sit per vim extorta; nam per ejusmodi copulam negant consummari Matrimonium cum Abb. *in c. de convers. conjugat.* in quam sententiam etiam inclinat Konig *hic n.* 88. *vers. hanc communem*, nixus his fundamentis. 1. quia Matrimonium cosummatum repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, sed istam unionem ea solum copula repræsentare potest, quæ est voluntaria, siquidem unio Christi cum Ecclesia omnino voluntaria est. 2. Matrimonium ratum, quatenus est repræsentativum unionis animæ fidelis per Charitatem cum Deo, necessario consensum requirit. ergo etiam Matrimonium consummatum, quatenus est repræsentativum unionis Christi cum Ecclesia. 3. tunc in esse consummati per copulam constituitur Matrimonium, quando per actum Justitiæ commutativæ conjux petit, & reddit, quod debet, atqui hoc non contingit, si intra bimestre à die contracti Matrimonii copula extorqueatur vi, cum unus alteri ante lapsum duorum mensium non debeat, & debitum tantum sit conditionate, sub hac scilicet conditione. *Nisi intra bimestre Religionem ingrediar*. 229

Sed dicendum, Matrimonium consummari; & fieri prorsus indissolubile etiam per copulam primo bimestri per vim extortam. Ita Angel. *V. Matrimonium* 4. *n.* 7. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 4. *num.* 10. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 8. *num.* 10. Rodriq. *tom.* 1. *summ. edit.* 2. *cap.* 239. *num.* 2. Petr. de Ledesm. *de Matr. quæst.* 61. *art.* 1. *fol.* 583. Barbos. *ff. solut. matr. part.* 2. *Rubr. n.* 109. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 32. *n.* 4. dicens esse certam sententiam. *Ratio est*; quia per copulam carnalem etiam vi extortam conjuges efficiuntur una caro, & ex tali copula nascitur affinitas, quæ ex matrimonio solum rato non nascitur. *Respondet* quidem P. Konig *loc. cit.* ad hoc Argumentum retorquendo in copulam fornicariam; nam etiam *qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*, teste Apostolo 1. *Corinth.* 6. *vers.* 16. & ex quavis copula illicita oritur impedimentum affinitatis *tot. tit. de eo, qui cognovit &c.* & Trid. *sess.* 24. *c.* 4. *de reform. Matr.* unde concludit requiri, ut talis sit copula, quæ fiat per debiti redditionem, & quæ repræsentet unionem Christi cum Ecclesia. Sed ampla disparitas est inter copulam fornicariam, & eam, quæ per vim extorta à conjuge est; nam illa initur extra matrimonium, hæc inter conjuges; ex illa orta affinitas se extendit ad secundum duntaxat gradum, ex hac consurgens ad quantum usque se porrigit &c. 230

Neque contrarium probant Argumenta *n.* 229. allata. *Ad* 1. Argumentum hoc nimium probat; probaret enim, quod neque per copulam post bimestre vi extortam consummetur matrimonium; quod durum videtur dicere. Dicendum ergo, quod etiam copula vi extorta à conjuge repræsentet unionem Christi cum Ecclesia, non quidem quoad modum; nam unio Christi cum Ecclesia spontanea est; sed quoad substantiam; quia per talem copulam conjuges fiunt una caro, sicut Christus per carnem est unitus Ecclesiæ. *Ad* 2. quod matrimonium ratum necessario consensum liberum postulet, tum natura Contractus postulat, quæ consensu contrahentium constituitur, tum Jure satis expressum est, quo constitutum est, ut matrimonia essent liberrima; nihil tale habetur de matrimonio con- 231

summato; unde in ratione cosummati constituetur etiam per copulam vi extortam à conjuge. *Ad* 3. Major Propositio asseritur ex suppositione sententiæ; ex hactenus autem dictis satis ostensum videtur consummari Matrimonium per copulam obtentam conjuge etiam per injuriam.

232 II. Dividitur Matrimonium in Matrimonium Verum, Præsumptum, & Putativum. *Verum* est, quod in veritate, & cum valore contractum, atque ut tale probatum est uno ex modis, quo cætera negotia probari solent. *Præsumptum*, quod à Jure præsumitur. *Putativum* quod putatur legitime contractum esse, cum tamen ob latens aliquod impedimentum à parte rei sit nullum.

233 Dub. 1. quomodo probetur Matrimonium? Resp. in specie probari potest 1. per attestationem Parochi, affirmantis illud in sua, & testium præsentia contractum fuisse; hic enim tanquam de re ad suum officium spectante attestans, plenam fidem meretur. Rot. *tom.* 1. *recent. p.* 4. *decis.* 610. *num.* 3. *& decis.* 661. *num.* 4. 2. per duos testes, etiam fœminas bonæ famæ: & admittuntur etiam parentes, & consanguinei, nisi ob disparitatem conditionis, aut divitiarum fiant suspecti *c. super eo* 22. *de testib.* 3. ex Libro Matrimoniorum, qui etiam mortuis Parocho, & testibus, plene probat Matrimonium, ut pote in re, ad officium Parochi pertinet, scriptus. Rota *part.* 1. *divers.* 750. *num.* 10. Mascard. *de Probat. concl.* 673. *n.* 18. 4. ex confessione conjugum, vel nominatione, h. e. quando vir, & mulier vel in communi colloquio, vel in litteris ad se datis se invicem appellant conjuges, & ista illum maritum, hic ipsam uxorem. Abb. *in c. lator* 5. *in* 6. *qui fil. legit.* Paris. *cons.* 55. *num.* 1. *l.* 4. Coras. *l.* 3. *Miscell. jur. cap.* 4. *num.* 7. 5. ex diuturna cohabitatione maris, & fœminæ honestæ *l. in libere* 24. *ff. de rit. nupt.* præcipue si accedant alia adminicula, puta, promissio dotis cum contractu sponsalium, licentia Ordinarii de contrahendo Matrimonio in domo privata, remissio publicationum, aut præstatio alimentorum. Rota *decis.* 444. *coram Card. Cavalerio*, Felin. *in c. illud num.* 19. *&* 11. *de præsumpt.* 6. si mulier usa sit vestibus, quibus aliæ nuptæ uti solent. Alex. *cons.* 151. *num.* 10. *l.* 5. aut vir ob mortem mulieris, quam aliunde cognatam esse non constat assumat vestes lugubres. Cephal. *cons.* 435. *n.* 66. *&* 67. 7. si publica vox, & fama ferat eos esse conjuges *cap. illud cit. & ibi* Abb. *num.* 4. *de Præsumpt.* Puteus *decis.* 173. *l.* 2. Rot. *p.* 4. *divers. decis.* 273. *num.* 11. Vide Mascard. *de Probat. concl.* 124. *& seqq.* qui *concl.* 1035. *num.* 22. bene notat, discrimen quoad probationem faciendum inter casum, quo agitur de matrimonio sustinendo, & inter casum, quo agitur de eodem dissolvendo; nam in primo casu sufficiunt probationes leviores, quod causa matrimonii sit favorabilis; in secundo autem concludentes, quia eatenus est causa ardua.

234 Dub. 2. quibus casibus Jura præsumant matrimonium initum? Resp. tribus maxime casibus. 1. quando post Sponsalia, inter duas personas habiles absolute inita, secuta est copula carnalis inter easdem; nam hoc casu consensus de futuro præsumitur transiisse in consensum de præsenti & copula admissa affectu conjugali *cap. veniens* 15. *& c. is qui fidem* 30. *hoc tit.* 2. quando post sponsalia inita sub conditione, ante hujus eventum inter sponsos intercessit carnale commercium; quia Ecclesia eo casu præsumebat sponsos recessisse à conditione, adeoque voluisse pure, & absolute contrahere matrimonium *c. per tuas* 6. *de condit. apposit.* 3. quando post sponsalia de præsenti ab impuberibus, in quibus malitia non supplet ætatem, adeoque invalide contracta, inter eosdem, ubi pubertatem adepti fuerint, interveniunt signa ratificari consensus, qualia sunt non tantum carnis copula, sed etiam oscula, amplexus, munera, cohabitatio *cap. un.* §. *idem quoque de despons. impub. in* 6. Verum hodie post Tridentinum matrimonia hæc præsumpta non amplius locum habent, ubi dicta Synodus quoad Decretum, matrimonia clandestina irritans, receptum est, prout dictum est *n.* 118. *supra*.

235 Dub. 3. quænam requirantur, ut matrimonium Putativum habeat vim legitimandi proles inde susceptas, & alios effectus Juris? Resp. duo apprime sunt necessaria. *Primum est*, ut contrahatur cum bona fide, saltem ab uno ex conjugibus ignaro impedimenti *c. ex tenore* 14. *qui fil. legit.* ita tamen, ut bonam fidem nec error Juris, nec dubitatio circa matrimonii valorem excludat. Covar. *part.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 1. *num.* 9. & in dubio hæc bona fides præsumatur Guttier. *c.* 71. *de Matr. n.* 4. *Alterum*, ut matrimonium contrahatur publice, & in facie Ecclesiæ, i. e. coram Parocho, & testibus, & præmissis, vel saltem legitime dispensatis denuntiationibus; alioquin, si matrimonium clandestine celebretur, scientia impedimenti præsumitur *c. fin.* §. *si quis vero de clandest. despons.*

III. Dividitur matrimonim in Canonicum, & Politicum, seu Civile. *Canonicum est* in quo concurrunt ea, quæ à SS. Canonibus ad matrimonium præscripta sunt. *Politicum*, in quo concurrunt etiam illa, quæ civiliter, & politice requiruntur ad matrimonium, variæ nimirum solemnitates, pacta dotalia, traductio in domum mariti, consensus parentum &c. sine quibus matrimonium initum validum quidem est, ut suis locis dicetur, illegitimum tamen reputatur. Indeque tantum illa vocatur Uxor, quæ ducta est in matrimonio prædictis solemnitatibus instructo; quæ autem est ducta in matrimonio iis solemnitatibus destituto, dicitur Concubina *can.* 15. *qui* 4. *& can. seq. dist.* 33. 236

Pertinet huc matrimonium ad *Morganaticam* contractum seu, ut alii vocant *Matrimonium conscientiæ*, quod nihil aliud est, quam legitima conjunctio viri cum fœmina inferioris conditionis, eo pacto inita, ut uxor, & liberi inde nati dono nuptiali (quod morgengaba, & corrupte morganatica dicitur) vel alia certa portione, tempore sponsalium destinata, contenti sint, & à cæteris bonis avitis, ac paternis una cum titulis, dignitatibus & insignibus abstineant per textum *l.* 2. *feud. tit.* 29. De hoc matrimonio. 237

Dub. 1. an licitum sit ejusmodi pactum, & conventio? Videtur tenenda negativa ex eo, quod ut *l. cum ratio* 7. *ff. de bon. damnat.* dicitur, ipsa *ratio naturalis*; *quasi Lex quædam tacita, liberis parentum hæreditatem* propter jus suitatis *addicat*; ut inde legitimam vitæ sustentationem habere possit. 238

Sed dicendum esse licitum. Ita myler, ab Ehrenbach *Gamolog. Person. illustr. c.* 6. *n.* 12. *&* 13. Konig *hic n.* 91. *q.* 1. & alii. *Ratio est* 1. quia nullam præfert turpitudinem, sed honestas ejus ex fine satis relucet; inventum enim est, tum ut maritus, non valens continere, sit extra periculum illiciti concubitus, quæ ratio innuitur *l.* 2. *feud. tit.* 29. tum ut liberis prioris matrimonii, aut Agnatis per divisionem bonorum præjudicium non creetur, sicque in suo nitore, & decore conserventur familiæ Illustres. 2. nec etiam contrarium est substantiæ matrimonii; nam ea, quæ ita ducitur, est vere uxor, & filii inde suscepti sunt legitimi, solumque amputantur nonnulli effectus Civiles, ut scilicet uxor non coruscet radiis mariti, ut filii ex ea suscepti familiæ paternæ insignibus non utantur; neque in dignitate, aut ditionibus patris succedant. 3. justitiam talis pacti confirmant exempla Virorum Illustrium, qui matrimonia *ad Morganaticam* ex justa Status ratione contraxerunt, quorum meminit Myler, *loc. cit.*

Ad rationem dubitandi, etsi sustentatio debeatur liberis, non tamen præscripta est certa quantitas: hinc si iisdem in morganatica, vel alio modo relinquatur tantum, quantum pro sustentatione eorum requiritur (quod in Pacto quæstionis fit) contra jus naturale nihil committitur.

Dub. 2. utrum Pater illustris Pactum *ad Morganaticam*, stante matrimonio, in præjudicium Liberorum primi matrimonii, & Agnatorum revocare, & immutare possit? sunt, qui cum Annæo Roberto *l.* 1. *rer. Judic. c.* 15. negant, eo, quod *mutare consilium quis non possit in alterius detrimentum*. prout dicitur *Reg. mutare* 33. *in* 6. *Conf.* quia Pactum hoc *ad Morganaticam* est omnibus suis partibus perfectum. actus autem obligatorii jam firmi pœnitentia retractari non possunt, *ne adversus conventionem suam paciscens veniat l. si quis* 29. *C. de Pact.* 239

Contra alii cum Mylero ab Ehrenbach *c.* 7. *cit. n.* 37. revocationem istam, & immutationem Patri Illustri concedunt, ex ratione, quod Pactum *ad morganaticam* respi-

ſpiciat futuram ſucceſſionem liberorum, & per conſequens revocabile ſit inſtar aliarum ultimarum Voluntatum *arg. l. fin. C. de Pact.* ubi Jaſon. *n.* 12. pro Regula ponit, quod conſenſus ejus, qui in contractum ſuper ipſius hæreditate per aliquos celebratum conſentit, ultimæ Voluntatis naturam ſortiatur, & efficiatur ambulatorius uſque ad mortem ex ſola voluntate conſentientis.

P. Konig *hic n.* 91. *quæſt.* 2. *in fin.* hanc poſteriorem ſententiam eatenus ſaltem veram eſſe exiſtimat, quatenus putat Patrem liberis Morganaticis in Teſtamento amplius aliquid poſſe relinquere, quam pacto proviſum ſit, ex illis ſcilicet bonis, de quibus teſtandi facultatem habet; nam hæc transferre in extraneum poteſt. igitur etiam in filium ex Matrimonio Morganatico natum.

240 Dub. 3. an ſi filii, aut nepotes prioris Matrimonii abſque legitimis hæredibus decedant, eo caſu filii, ex Matrimonio *ad Morganaticam* nati, eorumque deſcendentes legitimi ſuccedant in bonis patris, aut avi? Reſp. hic diſtinguendum eſt inter bona Feudalia, & Allodialia. *In bonis Feudalibus* non ſuccedunt, ſed ipſis excluſis, admittuntur proximi agnati, ut dictum eſt *Libr.* 3. *Tit.* 20. *n.* 113. niſi forte ex pacto quod ad Morganaticam fecit Pater, aliud conſtet. *In Allodialibus* omnino ſuccedunt, ut cum aliis notat Konig *hic n.* 91. *q.* 3. quia illorum jus ſolummodo ſuſpenſum fuit *biſs auf einen ledigen Anfall*, & quamdiu ſuperſtites erant liberi Matrimonii prioris, ergo his morte ſublatis, ſortietur effectum ſuum, idque ex præſumpta voluntate patris, qui voluiſſe creditur, ut aliis liberis non extantibus, filii ex Matrimonio Morganatico nati, tanquam legitimi, collateralibus præferantur, utpote in quo præ iſtis majori affectu ferri præſumitur.

241 Quæritur 3. quinam Matrimonia contrahere poſſint? Reſp. poſſunt omnes, qui ab eo contrahendo non prohibentur; eſt enim Edictum de Matrimonio contrahendo prohibitorium, ut quicunque non prohibentur, conſ. admittantur. Et procedit hoc, etiamſi Excommunicati ſint; nam licet ita contrahendo peccent. Valide tamen contrahunt, cum Matrimonia illorum nuſpiam irritentur. Zoeſ. *hic n.* 58.

Prohibentur autem 1. *ob defectum Judicii*. Infantes, furioſi, amentes extreme, ſeu cum temporario quodam mentis exilio ebrii, quamdiu infantia, furor, aut ebrietas durat; quia conſenſu libero, & debita deliberatione carent. Vallenſ. *hic* §. 10. *n.* 1. Konig *n.* 94. *ibid.*

2 *Ob vitium corporis* muti, ſurdi, & cæci ſimul, prout de Sponſalibus dictum eſt *n.* 17. *ſupra*; quia vel non intelligunt ſufficienter requiſita Matrimonii, & obligationes annexas, vel ſaltem conſenſum ſuum ſufficienter explicare, & ſecum contrahentis voluntatem percipere nequeunt. Vallenſ. *loc. cit.* Konig *num.* 95. Item impotentes, ſeu inepti ad copulam conjugalem, ut qui finem Matrimonii aſſequi nequeunt *c. ex litteris* 3. *& cap. ſeq. de frigid. & maleſ.*

242 3 *Ob defectum ætatis* impuberes, ſeu mas ante 14. & fœmina infra 12. ætatis annum; quia in his communiter deficit vis, ac naturalis poteſtas generandi, quanquam malitia nonnunquam ætatem ſuppleat: de quo *Tit. ſeq.* Senum, qui ſexagenariis majores ſunt, nuptias olim improbavit Lex Julia, & Papia, ſed Juſtinianus *l. ſancimus* 27. *C. de Nuptiis* iiſdem illarum contractum permiſit; eſtque Lex iſta conformis doctrinæ Eccleſiæ, quæ quantumcunque ſenes, modo ad actum conjugalem habiles ſint, à Nuptiis contrahendis non excludit.

243 4 *Ob perſonæ conditionem*, ac *Statum* 1. Clerici in SS. conſtituti, & Religioſi profeſſi juxta dicenda *infra Tit.* 6. *qui Clerici, vel vovent*. 2. Servi de Jure Civili *l. cum ancillis* 3. *C. de inceſt. & inutil. nupt. & l. ſervi* 23. *junct.* Gloſſ. *C. ad Leg. Jul. de adulter.* Sed hoc poſtea SS. Canones correxerunt, & inter eos quoque inita Matrimonia voluerunt eſſe legitima, niſi caſu, quo liber quidam ancillam duxit putans eſſe liberam; aut libera nupſit ſervo, quem talem eſſe neſciit; de quo *infra Tit.* 9. *de conjung. ſervor.* 3. eodem Jure Civili nuptiæ non contrahebantur, niſi inter Cives Romanos *pr. Inſt. de Nupt.* Sed hæc diſpoſitio ab uſu receſſit, dum ipſi Imperii Principes cum exteris Regibus, & Dynaſtis pro libitu Matrimonia contrahunt, & affinitates mediante Matrimonio ſibi firmant. Konig *n.* 96.

5 *Ob inæqualitatem Dignitatis*. Ob hanc olim Viris 244 Senatoriæ dignitatis non licebat in thalami conſortem ſibi adſciſcere fœminam vilem. v. g. libertinam, ſcenicam, aut ſcenicæ filiam *l. oratione* 16. *l. Lege Papia* 23. *Lege Julia* 44. & aliis paſſim *ff. de rit. nupt.* Sed ab hoc Jure receſſit Imp. Juſtinianus, dum *Novell.* 78. *c.* 3. *& Novell.* 117. *c.* 6. indulſit, ut etiam maximis decorati Dignitatibus cum libertis, & aliis vilioribus fœminis nuptias inire potuerint; quo ipſum approbant SS. Canones, & praxis ſequitur, qua conſtat, quandoque Illuſtres ad humiliorum ſe vota demittere. Zoeſ. *hic n.* 60. Konig *n.* 97.

6 *Ob utilitatem publicam*. Hujus intuitu Jure Civili 245 interdicitur Matrimonium Præſidis cum Provinciali, idque ob metum concuſſionis *l. ſiquis* 38. *l. qui in Provincia* 57. *l. eos qui* 65. *ff. de rit. nupt. l. in C. ſi quacunque prædit. poteſt.* niſi officio finito, aut deſponſatione ante munus ſuſceptum facta *l. ſiquis cit. & ſi contra* 6. *Cod. de Nupt.* Similiter eodem Civili Jure prohibebantur nuptiæ Tutoris, ejuſque filii cum pupilla, ne rationes tutelæ interciperentur *l. ſiquis Tutor* 60. *l. non eſt* 67. *& l. ſeq. ff. de rit. nupt. tot. tit. Cod. de interdict. Matr. int. pupill. & tutor.* niſi rationibus à Tutore redditis, & lapſo tempore, intra quod pupilla reſtitutionem in integrum impetrare potuit *l. quanquam* 62. §. *fin. ff. de rit. nupt.* Hoc tamen utrumque Jure Canonico, & hodiernis moribus non amplius obtinet.

7 *Ob Impedimentum quodcunque ſive impediens, ſive dirimens*; nam prius Matrimonium reddit illicitum, poſterius, ſi revera ſubſit, invalidum; de quo *infra*.

Dub. 1. an valeat Matrimonium à parentibus nomine liberorum contractum, ſi iſti præſentes taceant, & non contradicant? Affirmant Covar. *part.* 2. *de Sponſal. cap.* 4. *pr. num.* 7. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 23. *num.* 3. Boſco *ſect.* 3. *concl.* 6. *num.* 210. Zoeſ. *hic num.* 64. Schambog. *num.* 132. Fundamentum principale iſtorum eſt paritas cum Sponſalibus, quæ ſi à parentibus liberorum nomine contrahantur, & iſti taceant, nec contradicant, ſuſtinentur pro validis, ex præſumpto liberorum conſenſu, ut dictum eſt *n.* 61. & patet ex *c. un. de deſponſ. impub. in* 6. atqui hic liberorum conſenſus non minus præſumi poteſt, quando tacent ad Matrimonium, quod nomine ipſorum parentes contrahunt; nam eadem pugnat ratio, ſcilicet præſumpta filiorum confidentia erga parentes, qua judicant parentes pro iis conſilium ſemper ſuſcipere optimum. ergo &c. *Conf.* ex vulgata Regula. *Qui tacet, conſentire videtur*; quæ certiſſima redditur, quando, qui tacet, tenebatur non tacere, ſed reclamare, & contradicere. 246

Sed probabilius negatur habendum pro valido, ſi filii 247 conſenſum ſuum nullo alio exteriori ſigno demonſtrent. Ita poſt alios Pont. *l.* 2. *de Matr. cap.* 14. *num.* 3. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Matr. cap.* 2. *num.* 14. *& duob. ſeqq.* P. Konig *hic num.* 100. *verſ. huic ſententiæ*; ubi putat id ſaltem obtinere in terris, in quibus Trid. promulgatum, & receptum eſt; nam juxta hoc Sponſus, & Sponſa conſenſum ſuum exprimere debent coram Parocho, & teſtibus, ad quod taciturnitas liberorum vix poteſt ſufficere, niſi prius mandatum dederint, ut nomine ſuo contrahant Matrimonium. Sed ratio videtur probare univerſaliter; quia, quod parentes pro liberis ſine mandato poſſint contrahere Sponſalia, eſt aliquid ſingulare, & exorbitans à Jure communi. igitur juxta *Reg. quæ à Jure* 28. *de R. J. in* 6. hæc facultas in conſequentiam non eſt trahenda, & extendenda ad Matrimonium; præſertim cum inter Sponſalia, & Matrimonium non ſit modica diſparitas; matrimonium enim inducit obligationem arctiorem & vinculum indiſſolubile, ratione cujus plenam exigit libertatem, quæ non ita exacte deſideratur in Sponſalibus, utpote quæ multis ex cauſis diſſolvi poſſunt. *Ex quo* patet ad Argumentum ſententiæ affirmantis.

Dub. 2. an matrimonium contrahi per Procuratorem 248 poſſit? Reſp. Affirmativæ; nam ita habetur expreſſe *c. fin. de Procurat. in* 6. ex quo certum fit, id licuiſſe ſaltem ante Tridentinum. An vero hoc procedat etiam poſt Trid. controverſia eſt. Aliqui, quos recenſet Petr. de Ledeſq. *quæſt.* 42. *art.* 1. *dec.* 7. *& l.* 2. *de Matr. D.* 11. *num.* 1. putarunt *cap. fin. cit.* per laudatam Synodum fuiſſe correctum. *Fundantur* 1. quia ideo olim matrimonium

per procuratorem contractum valebat, quod eo tempore ad illud sufficeret mutuus nudus consensus, sed hodie non sufficit nudus consensus, sed is coram Parocho, & testibus præstari debet, prout habetur *seff.* 24. *cap.* 1. *de reformat. Matrimon.* ergo &c. 2. idem Trid. *loc. cit.* decernit, ut omnino coram Parocho, & testibus contrahatur, ita quidem, ut Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat, *Ego vos in Matrimonium conjungo &c.* ac proinde supponit, ambos contrahentes debere per se immediate, & præsentialiter exprimere consensum suum, non autem mediante procuratore, vel internuntio. 3. ab eodem Concilio præscribitur nova Matrimonio forma, quæ per æquivalens, aut æquipollens suppleri, atque adeo procuratoris ministerio compensari nequit. 4. Parochus, & testes debent posse testari de Matrimonio rite contracto, non autem testari possunt de isto, si consensus ante ipsos per solum procuratorem præstetur, quia nesciunt, an principalis mandatum dederit, vel an non interea eundem revocaverit. 5. ex Matrimonio per procuratorem contracto oriuntur multa non levia inconvenientia; quia contingere potest, & sæpe contingit aliquem ex contrahentibus tempore, quo celebratur, esse mortuum, vel consensum revocasse, vel cum non satis cognitam habeat personam, cum qua per procuratorem contrahit, compelli cum gravi sua displicentia eidem convivere.

249 Sed dicendum, & tanquam certum tenendum, quod Matrimonium etiam in illis locis, in quibus Trid. receptum est, per Procuratorem contrahi etiamnum possit. Ita Henriq. *l.* 11. *cap.* 2. *num.* 2. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 11. *num.* 20. Guttier. *cap.* 43. *de Matr. num.* 20. Coninck *D.* 24. *dub.* 9. *num.* 76. Pal. *tr.* 29. *D.* 2. *part.* 8. *num.* 9. Boico *sect.* 6. *concl.* 1. *num.* 17. Zoes. *hic num.* 75. Schamb. *n.* 133. Konig *n.* 11. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 2. *n.* 19. & alii plures apud istos, ex quibus nonnulli temeritatis notam inurunt adversæ sententiæ. Patet 1. ex notoria Ecclesiæ totius praxi; passim enim post Trid. præsertim inter personas Principes, Matrimonia per Procuratores celebrantur: in quæ, si irrita forent, Ecclesia sine intolerabili errore consentire non posset, prout tamen de facto consentit. 2. quia Trid. tantum irritavit Matrimonia clandestina, seu ita inita, ut in facie Ecclesiæ sufficienter probari nequeant. atqui tale non est Matrimonium per procuratorem contractum coram Parocho, & testibus; quia horum testimonio contractus celebratus sufficienter probari potest, ita, ut contrahens in foro externo teneatur eidem stare. 3. Decreta correctoria Iuris sunt strictæ interpretationis, & extra casus in propria verborum significatione comprehensos extendi non debent, atqui tale est Decretum Trid. quo Matrimonium clandestinum annullatur. igitur ab hoc ad contractum per procuratorem, cum clandestinum non sit, extendi non debet.

250 Neque urgent Argumenta opposita. *Ad* 1. discrimen inter Jus antiquum, & novum introductum per Trid. hoc est, quod olim Matrimonium per procuratorem potuerit contrahi nudo consensu absque Parocho & testibus; tunc vero requiratur istorum præsentia. *Ad* 2. imprimis interrogatio illa, & verba Parochi non sunt essentialia: deinde etiam Procurator interrogari potest de consensu sui principalis, & hoc explicato, Parochus dicere, *Ego vos, nomine procuratorio comparentes, conjungo*; vel *Ego vos Procuratores, quatenus repræsentatis vestros principales, conjungo*. *Ad* 3. Trid. præscripsit novam formam Matrimonio ex parte actus, & objecti, requirendo præsentiam Parochi, & testium, non vero ex parte subjecti, seu personæ contrahentium; & hinc præsentia Parochi, & testium per æquipollens suppleri non potest, potest autem suppleri præsentia contrahentium per ministrum, & procuratorem, quia cum ex vulgata Regula, *quod per alium quis facit, per seipsum censeatur facere*. *Reg. qui facit* 72. *in* 6. præsentia procuratoris æquipollet præsentiæ principalis. *Ad* 4. non requiritur, ut Parochus, & testes testentur de Matrimonio, quod reipsa sit validum (hoc enim impossibile est, cum illud invalidum reddi possit ex defectu consensus mere interni) sed sufficit, quod testari possint de Matrimonio, quod in foro externo habetur, & haberi debet pro valido. de hoc autem testari jam possunt, si procurator consensum suum nomine principalis coram iisdem rite explicaverit; quia tale Matrimonium in foro externo habetur pro valido, quamdiu non probatur defectus sufficientis mandati, vel ejus revocatio. *Ad* 5. Argumentum illud ad summum probat, quod ob illa inconvenientia Matrimonium per procuratorem contractum irritari potuerit, non vero, quod actu sit irritatum. Adde, omnem contractum humanum aliquibus incommodis semper expositum esse.

Dub. 3. quid requiratur, ut per procuratorem, seu internuntium valide ineatur Matrimonium? Resp. ex communi DD. sententia requiritur. 1. ut habeat mandatum speciale de Matrimonio contrahendo cum certa persona. 2. ut per seipsum procurator mandatum hoc exequatur, neque enim substituere alium potest, nisi expresse in mandato hoc ei concessum sit. 3. ut tempore intermedio mandatum non sit revocatum, Deo quo plura dicta sunt *Libr.* 1. *Tit.* 38. *n.* 19. 251

Addunt aliqui 4. ut procurator constituatur coram Parocho, & testibus in illis locis, in quibus Trid. receptum est. *Fundantur* 1. quia alias Parochus, & testes ignorabunt, an revera procurator mandatum habeat, vel non, & sic testari non poterunt de legitimo contractu Matrimonii; forte enim mandatum revera procurator non habet. 2. quia solemnitas, requisita ad aliquem actum, etiam est necessaria ad dandam commissionem faciendi illum actum: & hinc quando Statutum aliquod prohibet donationem fieri absque quinque testibus, vi ejusdem etiam censetur prohibitum mandatum donandi absque illis *l. oratio* 16. *ff. de Sponsal.* 3. mulier, quia nequit absque consensu viri contrahere, etiam nequit absque illius consensu procuratorem constituere. sed nullus potest absque Parocho, & testibus contrahere Matrimonium. ergo nec procuratorem constituere ad contrahendum illud.

Sed verius præsentiam Parochi & testium non requiri ad valorem mandati procuratorii, docent Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 11. *num.* 23. Guttier. *cap.* 43. *de Matr. n.* 13. Conink *D.* 24. *dub.* 9. *num.* 68. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 8. *n.* 5. *Ratio est* 1. quia si Trid. ad constitutionem procuratoris requisisset præsentiam Parochi, & testium, hoc expressisset *arg. l. un.* §. *ubi autem* 11. *vers. nam si contrarium C. de caduc. tollend.* expressit autem duntaxat præsentiam Parochi, & testium in ordine ad contrahendum matrimonium, non vero ad constituendum procuratorem. ergo &c. 2. Jure antiquo hæc solemnitas non petebatur. ergo nec novo Trid. quia hoc circa istam solemnitatem nihil innovavit, sed tantum aliquid addidit ex parte formæ, ut scilicet contractus Matrimonii fieret coram Parocho, & testibus, quod etiam fieri per procuratorem potest. 3. optima interpres Juris est praxis passim recepta. atqui praxis in Ecclesia passim recepta habet, ut post Trid. matrimonium contrahatur per procuratorem, & nunquam auditum est præsentiam Parochi, & testium servari in mandato procuratori dando. ergo &c. 252

Argumenta in contrarium levia sunt. *Ad* 1. etsi ad tollendos scrupulos, & dubietatem de consensu principalis, contrahentis per procuratorem, consultum sit, ut coram Parocho, & testibus exhibeatur Mandatum procuratorium, non tamen necessarium est, ut notat Sanch. *l.* 5. *D.* 8. *n.* 24. & pro hoc allegat praxim totius Ecclesiæ; & ratio est; quia etsi hoc casu testes, & Parochus deponere nequeant de valore mandati, utpote quod non viderunt, possunt tamen deponere de Matrimonii contractu exteriori; quod si fiat, jam evitantur incommoda, ob quæ Trid. matrimonia clandestina sustulit; neque enim qui ita per procuratorem contraxit, permittetur transire ad alia Vota, nisi postquam mandati nullitatem ostenderit. *Ad* 2. id verum est, quando eadem est ratio in actu & commissione actus; secus, quando diversa, ut in præsenti: neque enim ex mandato clandestino eadem incommoda exsurgunt, quæ ex Matrimonio clandestino. *Ad* 3. negatur paritas; quia principalis constituendo procuratorem ad Matrimonium contrahendum, non agit in præjudicium Legis, etiamsi constitutionem illius non faciat coram Parocho, & testibus, sicut tamen in præjudicium Legis ageret mulier prohibita sine consensu viri contrahere, si procuratorem sine hujus consensu constitueret ad contrahendum. 253

Dub. 4.

254 Dub. 4. an sicut per Procuratorem, ita etiam per Epistolam contrahi Matrimonium possit; *Certum est*, valuisse hujusmodi Matrimonium Jure antiquo; quia hoc Jure ad valorem Matrimonii plus non requirebatur, quam quod requiritur ad valorem Contractus. Contractus autem cæteri valide celebrari possunt etiam per Epistolam. ergo &c.

An etiam post Trid. id fieri possit, similis controversia est apud DD. qualis est da Matrimonio contracto pro Procuratorem. Negant Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 3. *dub. ult. ad* 1. Barth. à Ledesm. *dub.* 18. *de Matr. à fol.* 1286. Rodriq. *tom.* 1. *summ. edit.* 2. *cap.* 216. *num.* 1. *& cap.* 220. *n.* 3. & inclinat Veracrux *Append. ad Specul. dub.* 3. *in fin. Rationem dant*; quia ex Decreto Trid. consensus utriusque contrahentis præstari debet coram eodem Parocho, & iisdem testibus. non autem apparet, quomodo hoc fieri possit media Epistola: licet enim is, qui accepit Epistolam, consentiat coram Parocho, non tamen coram eodem consentit is, qui scripsit Epistolam, cum necessarium sit, ut acceptet etiam alterius consensum, cum quo intendit contrahere; hunc autem acceptare non possit, cum adhuc nesciat, an consensurus sit ad ablationem Matrimonii per Litteras factam. ergo &c.

255 Sed communis sententia est affirmativa, quam etiam defendunt Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 254. *num.* 1. *fin.* Henriq. *l.* 11. *cap.* 2. *num.* 6. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 12. *num.* 3. Gutier. *cap.* 45. *de Matr. num.* 4. Conink *D.* 24. *dub.* 9. *num.* 80. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 8. *num.* 11. & alii ab his *citt.* quamvis contraria negativa sit tutior, & in praxi tenenda. *Ratio est*; quia ut *n. præc.* dictum est, Jure antiquo traditio, & acceptatio fieri potuit per Epistolam. ergo cum non constet, quod Trid. in hoc aliquid innovavit, etiam fieri poterit post Trid. modo traditio, & acceptatio utriusque contrahentis fiat coram eodem Parocho, & iisdem testibus. Quod autem traditio, & acceptatio etiam per litteras fieri possit coram eodem Parocho, & testibus, per duo exempla ostendit Sanch. *loc. cit. Primum est*, quando Titius scribit Berthæ, quod non solum ille ipsi corpus suum ad usum Matrimonii tradat, sed etiam ex tunc traditionem sibi à Bertha faciendam acceptet; in hoc casu si Bertha Epistolam istam coram Parocho, & testibus legat, & traditionem sibi factam acceptet, utriusque traditio, & acceptatio facta erit coram eodem Parocho, & iisdem testibus. *Alterum*, Bertha, postquam accepit litteras à Titio, quibus scribit se accipere illam in uxorem, rescribat Titio, se acceptare ejus traditionem, & vicissim se illi in uxorem tradere; hanc Epistolam si Titius eam recipiens coram Parocho, & testibus legat, & simul coram iisdem in illam traditionem consentiat, jam traditio, & acceptatio coram eodem Parocho, & testibus contigit, Sponsæ quidem per litteras, Sponsi autem per verbalem consensum. Ex quo sequitur Responsio ad Argumentum oppositum.

256 Quæritur 4. in quo consistat essentia Matrimonii? Resp. In Matrimonio sex diversa inveniuntur. 1. mutuus consensus. 2. traditio corporum mutua. 3. vinculum quoddam ex hoc consensu, & traditione ortum. 4. obligatio mutua ad reddendum debitum, quæ nascitur ex isto vinculo. 5. Jus reciprocum ad hoc petendum, quod surgit ex obligatione hac. 6. denique usus, & consummatio Matrimonii. Ex his

Certum est, 1. quod per consummationem, & copulam carnis compleatur quidem, & integretur Matrimonium inter fideles, seu baptizatos contractum, ut fiat omnino indissolubile, ea tamen consummatio ad substantiam Matrimonii non requiratur, prout patet exemplo Beatissimæ Virginis, quæ cum S. Josepho verum contraxit Matrimonium. *Matth.* 1. & tamen ab eo non est cognita; & liquet ex *Reg.* 30. *ff.* ubi Ulpianus, *Nuptias*, inquit, *non concubitus, sed consensus facit*.

Certum est 2. ad Matrimonium, prout dicit Statum aliquem permanentem, essentialiter non pertinere consensum mutuum, traditionem, obligationem, vel jus conjugum, sed solum vinculum; quia consensus, & traditio mutua sunt aliquid transiens, & causa efficiens vinculi, obligatio autem, & jus ex hoc vinculo tanquam effectus sequuntur.

Certum est 3. ad Matrimonium, prout illud sumitur pro contractu, essentialiter pertinere consensum mutuum; quia sine hoc nullus consistere potest contractus.

Dub. 1. an ad valorem Matrimonii consensus contrahentium semper sit necessarius? Quod ad Matrimonium, prout de facto à Deo in Paradiso est institutum, necessarius ille sit, patet ex *can. sufficiant* 2. *caus.* 27. *quæst.* 2. *cap. cum apud* 23. *& cap. tua nos* 26. *hoc tit.* & aperte colligitur ex Florent. *Decret. Union.* §. *septimum*, *ac* Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matr.* Estque hoc ita verum, ut ejus defectus, nulla sive Ecclesiastica, sive Sæculari potestate suppleri possit, ut recte advertunt Sylv. *V. Matrimonium* 2. *quæst.* 15. Covar. *part.* 1. *de Sponsal. cap.* 4. *pr. numer.* 4. *& part.* 2. *cap.* 2. *numer.* 1. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 27. *num.* 2. Vviest. *hic num.* 135. *Ratio est*; quia nulli humanæ potestati concessa à Deo potestas est defectum istum supplendi; imo nec conveniens fuit eam concedi; quia si Matrimonium, mare, & fæmina reluctantibus, vel ignorantibus, constitui authoritate aliqua humana posset, sperari amor ille mutuus inter conjuges, ita contra, vel præter voluntatem suam conjunctos, nequaquam posset, qui tamen amor maxime necessarius est ad procreationem prolis, rectam illius educationem, & observantia fidei conjugalis. 257

An vero consensus iste maris, & fæminæ ita sit necessarius, ut sine illo Matrimoniale vinculum ne quidem per absolutam Dei potentiam possit consistere, magna apud DD. est controversia. Affirmant Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 26. *num.* 5. Pont. *lib.* 3. *de Matrimon. cap.* 3. *num.* 4. & alii DD. magni nominis. *Fundantur* 1. quia Matrimonium ex essentia sua est conjunctio animorum maris, & fæminæ ad individuam Societatem vitæ. atqui hæc animorum conjunctio nec consistere, nec intelligi sine consensuum unione potest. 2. Matrimonium est traditio ad Statum Matrimonialem, sicut Votum solemne est traditio ad Statum Religiosum, & Religionis susceptæ onera; ergo sicut nulla ratione fieri potest Votum absque voventis consensu, ita nec Matrimonium absque consensu conjugum. 3. si Deus mari, & fæminæ traderet jus mutuum in eorum corpora, ut istorum usus fornicationis culpa careret, ea traditio utique innotescere utrique, & ab iis coeuntibus acceptari, & approbari deberet. atqui hoc modo jam interveniret consensus mutuus supra descriptus. ergo &c. 258

Sed adhuc verius est per absolutam Dei potentiam absque consensu mutuo marem, & fæminam conjungi, & ad vitæ Societatem, & actus conjugales perpetuo obligari posse. Ita Sor. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 1. *num.* 3. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 3. Barth. de Ledesm. *dub.* 16. *fol.* 1265. Rebell. *l.* 2. *de oblig. Just. quæst.* 10. *num.* 26. Conink *D.* 24. *dub.* 5. *num.* 49. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *part.* 5. *num.* 2. Vviest. *hic n.* 137. *Ratio est*; quia Deus longe perfectus humani corporis, & membrorum, ac facultatum istius dominium habet, quam homo corporis proprii, quippe qui proprie solum est Usuarius ejusdem. atqui homo vi istius juris, quod ipse habet in corpus suum, potest conjugi tradere jus in illud ad vitæ societatem, & actus conjugales. ergo & Deus de absoluta sua potentia, ita, ut conjugium inducatur, non voluntate maris, & fæminæ, sibi invicem jus illud concedentium, sed Dei, illud uni tradentis in alterum. 259

Neque obstant Argumenta opposita, *Ad* 1. licet de essentia Matrimonii, prout defacto est institutum, sit consensus mutuus animorum, non tamen est de essentia matrimonii absolute spectati, & prout sumitur pro vinculo perpetuo, & obligatione ad actus conjugales; quia ut sic spectatum consistit, vel saltem supponit solam traditionem mutui Juris in corpora, quæ habetur, sive deinde illa fiat ab ipsis conjugibus, ut fit defacto ex institutione Divina, sive à Deo ipso, imponente eisdem obligationem ad perpetuam vitæ Societatem, & actus conjugales, prout imponere ipse de potentia absoluta posset. *Ad* 2. Negatur paritas; Votum enim ex essentia sua formali est promissio de bono meliore libere Deo facta, ut patet ex definitione illius *Libr.* 3. *Tit.* 34. *num.* 1. tradita; cons. absque libero consensu non potest concipi; contra ut modo ostensum est, Matrimonium absolute spectatum, & præscindendo à modo, quo defacto est institutum, concipi, & 260

esse de potentia Dei absoluta potest, quin ex libero consensu conjugium coalescat. *Ad* 3. etsi eo casu ad excludendum peccatum fornicationis mari, & fæminæ innotescere deberet, quod à Deo ipsis facta sit traditio Juris in corpora ad actus conjugales, non tamen opus foret traditionem istam ab ipsis acceptari; neque enim novum in Iure est, quod dominium alicui acquiri quandoque sine acceptatione possit. Deinde esto, acceptatio etiam necessaria foret, per hanc tamen non fieret traditio ab ipsis conjugibus, sed tantum à Deo prius facta acceptaretur.

261 Dub. 2. utrum ad substantiam Matrimonii pertineat consensus in obligationem alteri, si petat, tradendi corpus suum ad actus conjugales, ex se aptos ad generationem prolis? Negat Pont. *lib.* 1. *de Matr. cap.* 18. *à nu.* 7. Nititur 1. authoritate S. August. *lib.* 3. *de bono conjugii cap.* 1. *& lib.* 23. *contra Faust. cap.* 8. Matrimonium constituentis in sola animorum conjunctione amicabili, vitæque individua societate, etiam sine carnali corporum conjunctione. 2. paritate cum dominio rerum externarum, quod separari ab usu potest, illarumque dominium directum esse penes unum, licèt penes illum non sit dominium utile; igitur etiam in matrimonio haberi potest mutua corporum traditio quoad dominium directum, seu proprietatis, quin simul habeatur dominium utile, & in ordine ad usum ejusdem. 3. exemplo Beatissimæ Virginis, quæ verum matrimonium cum S. Josepho iniit, in copulam tamen carnalem non consensit, imo nec potuit consentire, quippe ligata Voto Castitatis, ut cum S. August. *lib.* 1. *de Virgin.* SS. PP. & DD. alii colligunt ex verbis, quæ Archangelo Gabrieli Verbi Divini conceptionem eidem annuntianti reposuit: *Quomodò fiet istud, quoniam Virum non cognosco? Luc.* 1. *vers.* 34. 4. conjugium initi validè sub conditione Castitatis servandæ potest, ut Abulens. *Num. cap.* 30. *quæst.* 32. Paludan. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 6. *num.* 6. & alii docent; atqui per ejusmodi conjugium non transfertur dominium in ordine ad actus conjugales, sed tantum ad individuam vitæ societatem; ergo &c. 5. ab impotentibus, cognita impotentia coeundi, validè initur Matrimonium, ut cum Palud. *loc. cit.* docet Medin. *de Sacr. Hom. Continent. lib.* 5. *à cap.* 14. atqui tales corpus suum ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis, utpote sibi impossibiles, non possunt tradere. 6. si conjuges post consummationem Matrimonii mutuo consensu profiteantur Religionem, perseverat Matrimonium, & tamen cessat mutua obligatio tradendi corporis ad usum generationis.

262 Verum his non obstantibus, dicendum, etsi ad substantiam Matrimonii non pertineat copula actualis, requiri tamen consensum in obligationem ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis, saltem implicitum, & virtualem. Ita Sanct. Thom. *in* 4. *dist.* 28. *quæst. un. art.* 4. Durand. *ibid. dist.* 30. *quæst.* 2. *art.* 2. Tabien. *V. Matrimonium* 2. *q.* 7. *n.* 8. Covar. *p.* 2. *de Sponſ. c.* 3. *pt. n.* 1. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 15. *n.* 1. Suar. *p.* 3. *q.* 29. *art.* 2. *sect.* 1. *fin.* Petr. de Ledesm. *q.* 48. *art.* 1. *fol.* 277. Vasq. *in* 3. *p. D.* 125. *c.* 7. *n.* 79. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 28. *n.* 3. *&* 4. Perez *de Matr.* D. 13. *sect.* 5. *à n.* 5. Barbos. *in can. institutum* 37. *caus.* 27. *q.* 2. *n.* 6. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 5. *num.* 5. Vallens. *hic* §. 8. *num.* 2. Pirh. *num.* 69. Vviest. *num.* 131. Magnif. P. Schmier. *p.* 2. *de Matr. cap.* 1. *n.* 13. cum communi aliorum. *Ratio est;* quia Matrimonialis consensus saltem implicitè, & virtualiter ferri debet in vinculum, & obligationem conjugalem. Atqui vinculum hoc, & obligatio essentialiter est non solum ad indissolubilem vitæ Societatem, & cohabitationem, sed etiam ad exhibendos, si exigantur, actus conjugales: quod ostenditur 1. ex ipsa Matrimonii institutione in Paradiso, & verbis Dei illud instituentis: *Qam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Gen.* 2. *v.* 24. 2. ex Apostolo 1. *Cor.* 7. *v.* 3. ubi cum finem conjugii, & obligationem ex ejus contractu ortam exposuisset verbis sequentibus: *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro*, ejus rationem subjiciens ait: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. v.* 4. 3. Ex ratione; quia si vinculum, & obligatio conjugalis essentialiter non actus conjugales, sed individuam vitæ Societatem tantum respiceret, consensus verè conjugalis, ipsumque Matrimonium consistere etiam posset inter patrem, & filiam, matrem, & filium, socerum, & nurum, &c. quia rationes, ob quas Matrimonium inter has personas nequit consistere, excludunt tantum obligationem ad actus conjugales, non verò ad individuam vitæ Societatem: sequelam nemo admittit. ergo &c.

Argumenta in contrarium allata non difficulter dissolvi possunt. *Ad* 1. Sanct. Augustinus *loc. cit.* solum dicit, quod Matrimonium consistere possit sine commercio carnali; non autem negat id constitui per consensum ad actus conjugales reciprocè exhibendos implicitum; imò nec negare potuit; cum enim Matrimonium intrinsecè ordinetur ad copulam, necesse est, ut is, qui in illud consentit, virtualiter, & implicitè etiam in istam consentiat, & jus ad eam tradat alteri, cum quo Matrimonium contrahit. *Ad* 2. Licet Matrimonium esse possit sine usu ejusdem, non tamen contrahi potest, quin contrahentes sibi invicem, saltem implicite, dent jus ad ejus usum: & in hoc dominium, quod per Matrimonialem contractum acquiritur, à dominio directo in aliis rebus distinguitur; & ratio differentiæ est, quod illud non constituatur in dominio utili, constituatur vero in Jure ad actus conjugales jus conjugale. *Ad* 3. licèt Beatissima Virgo, obstante Castitatis Voto, non consenserit, nec consentire potuerit in ipsum actum conjugalem, consentire tamen absque læsione Voti, vel periculo illud lædendi potuit, imo defacto consensit virtualiter, & implicite in obligationem tradendi corpus suum ad ejusmodi actus; quia, ut Gratianus *can. Beata* 3. *caus.* 27. *quæst.* 2. Layman *lib.* 5. *tract.* 50. *p.* 2. *num.* 3. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *p.* 1. *nu.* 3. Pirh. *hic num.* 69. Vviest. *num.* 133. cum aliis notant, ex revelatione Divina certo cognovit, S. Josephum nunquam usurum hoc suo jure, & sic nullum fore periculum violandi Votum. *Ad* 4. ut infra *Tit.* 5. *de condit. apposit.* ostendetur, Matrimonium initum sub conditione servandæ Castitatis non est validum; quia conditio hæc repugnat substantiæ Matrimonii. *Ad* 5. Impotentia, ut dicetur *Tit.* 16. *de frigid. & maleficiat.* Est impedimentum dirimens, & inhabilitans ad Matrimonialem contractum, si sit perpetua. *Ad* 6. Vinculum conjugale, seu obligatio ad actus conjugales in hujusmodi conjugibus manet radicaliter, sive quoad actum primum, licet per accidens impediatur quoad actum secundum. Et hinc si dispensatione Pontificia à Voto continentiæ absolverentur, sine nova pactione Matrimonio uti possent. 263

Quæritur 5. qualis debeat esse consensus ad Matrimonium requisitus? Resp. 1. debet esse *liber*, prout patet ex *cap. cum locum* 14. *cap. Gemma* 29. *&c. hoc tit.* idque propter arctitudinem vinculi, quod semel contractum non nisi morte alterutrius contrahentis solubile est. 2. *Verus, non fictus, aut simulatus*, prout sumitur ex *c. tua nos* 26. *& simulata* 30. *ff. de rit. nupt.* quia sine vero consensu non consistit Matrimonialis contractus, simulatus autem consensus non est verus. 3. *Mutuus*, ut uterque jus in corpus suum alteri tradat, & acceptet, ut diserte habetur *cap. ex duobus* 1. *de Sponſ. duor.* ibi, *Fides consensus est, quando mutuo se concedunt unus alteri, & mutuo se suscipiunt.* 4. *Simultaneus*, saltem moraliter, & ita, ut casu, quo unus consensum jam præstitit, iste interea, donec etiam consentiat alter, nec expresse, nec tacite revocetur *arg. cap. fin. de Procur. in* 6. 5. *Expressus voce vel aliis signis*, ut sunt nutus, scriptura, &c. prout sumitur ex *cap. cum apud* 23. *in fin.* & ex Concil. Florent. *Decret. Union.* §. *septimum*, ubi dum Concilii istius PP. dicunt Matrimonialem consensum regulariter per verba exprimi, non obscurè insinuant, eum etiam per alia signa, consensum de præsenti sufficienter significantia, posse exprimi. 264

Dub. 1. Quid dicendum casu, quo Titius primo verbis quidem, sed sine animo contrahendi Matrimonium init cum Bertha, postea vero, adhibito etiam consensu, contrahit cum Caja, vivente Bertha, & contra valorem Matrimonii secundo contracti agente? Resp. Cum distinctione; nam *in foro interno*, etsi nullam probationem fictionis afferat Titius, sed solum fateatur se fictè contraxisse, obligandus erit à Confessario, ut cohabitet Cajæ: Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 3. Ratio est; quia in foro interno, 265

terno, & conscientiæ nulli requiruntur testes, aut probatio, sed soli confitenti habetur fides.

266 Aliter proceditur *in foro externo*; nam in isto, nisi clarissimis indiciis & argumentis omnino indubitatis probetur fictio, præsumptio fiet pro Matrimonio primo, & in illius contractu præsumetur intervenisse consensus: neque credetur ita ficte contrahenti, etiamsi cum juramento afferat se ficte tantum contraxisse *arg. c. per tuas* 10. *de Probat.* Laym. *num.* 3. *cit.* Schamb. *hic n.* 144. *&* 145. Vviest. *num.* 140. Ratio est gravissimum periculum, ne Matrimonium valide contractum cum maximo contrahentium periculo, & injuria Sacramenti dissolvatur.

267 Et in hoc sensu, ut Sanch. *l.* I. *de Matr. D.* II. *n.* 1. notat, accipiendus est textus *c. is qui fidem* 30. *hoc tit.* ubi Gregorius IX. ad casum, quo aliquis post fidem datam de Matrimonio contrahendo, & secutam copulam, sicque contractum secundum Iuris antiqui regulam Matrimonium præsumptum, in facie Ecclesiæ duxit aliam, respondet eum teneri redire ad primam: & inde concludit, *quod nec verum, nec aliquod censeatur Matrimonium, quod de facto est postmodum consecutum.* Dicendum enim, id intelligendum secundum præsumptionem fori externi; nam in foro interno præsumptio locum non habet, sed sola veritas.

268 Dub. 2. quomodo delinquat, & ad quid obligetur sic ficte contrahens Matrimonium? Resp. Committit peccatum grave non solum Sacrilegii contra Reverentiam Sacramenti, sed etiam injustitiæ, quia alteri bona fide contrahenti gravem injuriam, & damnum infert; cum enim in foro externo, aut nunquam, aut difficillime probari fictio possit, decepta non permittetur transire ad alias nuptias, sed vel ingredi Religionem, vel in sæculo semper manere innupta. Quare cum damnum istud aliter plerumque tolli nequear, quam ut is, qui ficte consensit in Matrimonium, deposita fictione vere consentiat, regulariter ad hoc tenebitur, & si nolit, etiam in foro externo ad id compelli poterit. Ita Scot. *in* 4. *dist.* 30. *q.* 1. *vers. respondeo stante illo dolo*, Major *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. Sot. *ibid. quæst.* 1. *art.* 3. *vers. alia præcipua*, Petr. de Soto *lect. de Matr.* §. *primum agitur*, Navar. *Manual. cap.* 22. *num.* 76. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 11. *num.* 3. Petr. de Ledesm. *de Matr. quæst.* 45. *art.* 4. *dub.* 1. §. *in hac* Vasq. *de restit.* 3. §. 1. *dub.* 6. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 11. *num.* 4. *&* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *nu.* 2. Pont. *l.* 2. *de Matr. cap.* 5. *num.* 5. Pirh. *hic n.* 97. Schamb. *num.* 145. Konig *n.* 105. *vers. licet.* Vviest. *num.* 143. dicens, ita saltem tenendum in praxi.

269 Dixi *regulariter*; excipiendi enim sunt casus aliqui, quibus deceptor ad Matrimonium cum decepta contrahendum non obligatur. Et talis est 1. si deceptor Matrimonium jam cum alia vero consensu initit; tunc enim, etsi Judici de primo Matrimonio ficte contracto fidem nulla ratione facere possit, & conf. Judex, ut debet, pronuntiet pro primo illo Matrimonio, atque ad cohabitandum, intentata etiam Excommunicationis pœna, compellat, potius ejusmodi Censuram utpote quæ animam non ligat, sustinere, quam primæ Sponsæ per carnalem copulam conjungi debet, ut statuitur *cap. inquisitioni* 44. *de sent. Excomm.* 2. Si damnum deceptæ illatum alio modo compensari possit; quia hæc obligatio non oritur vi solius contractus, qui ob defectum consensus nullus, & irritus fuit, sed ob damnum deceptæ inde consecutum. 3. Si deceptor in longe altiori statu sit positus; quia Matrimonia inter dispares infelices solent habere exitus. 4. Si contrahens manifesta consensus ficti indicia præbuit; quia tunc fœmina seipsam decepit. 5. Si decepta Virginem se esse falso jactavit; tunc enim una deceptio per aliam tollitur, ac veluti compensatur. 6. Si ex tali Matrimonio timeantur secutura scandala, & infelices exitus. 7. Si decepta, cognita deceptione, aliam compensationem sponte recipiat. Videantur DD. *numero præc. citt.*

270 Dub. 3. An, quando Matrimonium irritum fuit ex defectu consensus, quia alter conjugum ficte, vel gravi metu coactus contraxit, tunc sufficiat, si hic solum postea consensum in Matrimonium renovet, an vero necesse sit, ut uterque denuo consentiat? Hoc secundum affirmant Felin. *in c. ex parte Decani* 33. *num.* 11. *de rescript.* Palatios *in* 4. *dist.* 27. *D.* 1. *fol.* 566. *col.* 2. Barth. de Ledesm. *de Matr. dub.* 19. *fol.* 1297. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 6. *numer.* 3. Rationem dant 1. quia defectus consensus non minus dirimit Matrimonium, quam aliud impedimentum dirimens. Sed quando contractum illud est cum alio impedimento dirimente, ut illo per dispensationem sublato, Matrimonium convalescat, necessarius est novus consensus ex parte utriusque. Ergo etiam, ut convalescat, quod invalide contractum est ex defectu consensus. 2. Si sufficeret suppleri consensum ex parte ejus, qui ficte contraxit; alterius consensus verus deberet habitualiter perseverare adhuc, quando suppletur defectus consensus à deceptore. Atqui non perseverat eo usque; quia habet annexam conditionem, si etiam alter conjux vere consentiat, quod cum non statim fiat, etiam evanescet consensus ab altero vere positus. 3. Matrimonium ex una parte claudicare non potest. Claudicaret autem, si consensus unius posset manere validus posito consensu ex altera parte invalido. Igitur ex utraque parte consensus invalidus erit. quando autem ex utraque parte invalidus consensus est, ex utraque parte repeti debet. Ergo, &c.

Verum hæc Argumenta licet probabilem admodum reddant sententiam, pro qua adducuntur, non difficilem tamen & ipsa responsionem patiuntur. *Ad* 1. Nego paritatem: nam quando consensus cadit in personas laborantes alio quodam impedimento dirimente, consensus ex utraque parte invalidus est; at quando unus contrahit ficte, alter vere, consensus ex una solum parte invalidatur. *Ad* 2. consensus alterius verus tamdiu perseverat moraliter, quandiu explicite, vel implicite non revocatur; ponitur autem non revocatus. ergo, &c. Ad id, quod additur, consensum nempe decepti habere annexam conditionem, si etiam alter statim vere consentiat, frustra additur, neque sine ratione supponi debet. *Ad* 3. Matrimonium claudicare nequit, ita, ut sit legitimum absque vero utriusque consensu; potest autem claudicare ita, ut consensus unius, dum non revocatur sufficiat ad Matrimonium, quando postea ulterius consensus accesserit, ut contingit, quando consensus præstantur diverso tempore. 271

Quare ad propositum dubium dico probabilius sufficere, si ille, qui illegitime consensit, denuo consentiat. Ita Sylv. *V. Matrimonium* 8. *quæst.* 2. *dict.* 6. *q.* 11. *dict.* 4. Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 51. *fin.* Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 32. *num.* 9. Gutier. *c.* 46. *de Matr. num.* 14. Conink *D.* 24. *dub.* 7. *num.* 58. *in fin.* Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Pirh. *hic num.* 83. Konig *ibid. n.* 103. *&* 128. & alii apud istos. *Ratio est*; quia cum consensus alterius validus de se fuerit, & sufficiens ad matrimonium, nec revocatus fuerit, jam ex parte istius consensus nihil desideratur, solum autem deest consensus illius, qui ficte, aut metu consensit; ergo hoc accedente, matrimonium convalescet. *Conf.* Si ficte, vel metu consentiens nullum omnino tunc præstitisset consensum, sed solum interjecto spatio temporis, valeret matrimonium, modo consensus alterius in sua priori virtute maneat. Atqui is, qui ficte, aut metu consensit, perinde se habet, ac si non consensisset, cum is consensus fuerit omnino nullus. Ergo satis est, si manente in virtute priori consensu, ipsi solus consentiat; quod facere potest, nulla intimatione de hoc facta alteri conjugi, & ut putat Sanch. *loc. cit. n.* 11. aliis *citt.* solum interne, & in corde suo; quia hoc solum defuerat. 272

Quæritur 6. Quomodo consensus matrimonialis sit exprimendus? *Certum est* exprimendum per signa externa; quia matrimonium habet rationem contractus, qui cum celebretur inter homines interiora cordis ignorantes, necessario petit, ut consensus in illud exprimatur signo externo. Sanch. *l.* 2. *D.* 30. *n.* 1. 273

Dub. 1. Utrum sufficiat consensum istum exprimi signis aliis, vel necessariò desiderentur verba? Tres sunt sententiæ. *Prima* putat verba in potentibus loqui necessaria esse ad valorem matrimonii, sed Jure Ecclesiastico tantum, quo introductum sententiæ istius fautores existimant impedimentum dirimens in valentibus loqui, quando scilicet solis signis contrahunt; quod tum ex aliis textibus, non verò maximè deducunt ex *cap. tuæ* 25. *hoc tit.* ibi, *Necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia*; & additur, quod *surdi, & muti possint contrahere sine verbis*; ubi isti excipiuntur

piuntur à regula prius tradita. Atqui exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Igitur valentes loqui sine verbis non possunt contrahere.

274 *Secundo* docet verba saltem requiri de necessitate præcepti Ecclesiæ: quod tamen moderantur triplici exceptione. 1. In mutis; quia his executio præcepti est impossibilis. 2. Si præcessit tractatus de matrimonio contrahendo; tunc enim putant verba in contractu matrimoniali nulla desiderari. 3. Si unus verba protulit; nam tunc volunt sufficere, si alter consensum suum per signa explicet. Deducunt & ipsi doctrinam suam ex Jure, præsertim vero ex *cap. licet de Sponſ. duor.* ibi, *Si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quidem, quod unus alterum in suo mutuo consensu verbis consuetis expressè recipiat, &c.* quæ verba videntur indicare saltem præceptum.

275 *Tertia* sententia, eaque omnino retinenda cum Covar. *p. 2. de Sponſal. cap.* 4. *pr. num.* 1. Sanch. *lib.* 2. *de Matr. D.* 31. *num.* 5. *& seqq.* Pont. *lib.* 2. *c.* 7. *n.* 14. Conink *D.* 24. *dub.* 8. *concl.* 4. Pal. *n.* 28. *D.* 2. *p.* 7. *num.* 2. *& seqq.* Bosco *ſect.* 4. *concl.* 3. *num.* 129. Card. de Luca *Disc.* 2. *de Matr. num.* 14. Konig *hic num.* 108. *verſ. Nihilominus*, Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Matr. cap.* 2. *num.* 44. *& seqq.* sustinet etiam in loqui valentibus ad exprimendum consensum sufficere signa distincta à verbis. Idque verum est, sive quæratur, an ista sufficiant ad valorem Matrimonii, sive quæratur, an sufficiant ratione præcepti. *Primum*, quod verba formalia non requirantur ad valorem, patet; quia non requiruntur ad valorem aliorum contractuum; id autem sufficit ad valorem Matrimonii, quod sufficit ad valorem aliorum contractuum, nisi speciali Jure diversum aliquid statutum sit de Matrimonio. *Secundum*, quod non requirantur ex necessitate præcepti, inde patet; quia nuspiam extat præceptum istud Ecclesiæ. Addo tamen cum Pal. *loc. cit. num.* 5. valde decens esse, ut contrahentes suos consensus verbis exprimant: imo istud aliquando ratione scandali, & ne dubius reddatur contractus, sub peccato mortali necessarium erit.

276 Neque aliud probatur ex *cap. tuæ*, *& cap. licet citt.* *Ad primum* respondet Sanchez cum aliis *supra*, verba esse necessaria quoad Ecclesiam, i. e. quoad clariorem probationem; & hinc non excluditur alius probandi modus; quod enim necessarium non est quoad substantiam, sed quoad probationem, potest per æquipollens impleri. Vel, ut idem Sanchez existimat, dici potest verba esse necessaria, i. e. utilia ad meliorem probationem. *Ad secundum* plus ex eo textu non eruitur, ut monet Pal. *loc. cit. n.* 4. quam quod Matrimonium regulariter perficiatur verbis; non quasi necessaria sint absolutè, sed quia sunt signa aptiora consensus.

277 Dub. 2. Quid potissimum spectandum sit in verbis, per quæ contrahentes consensum suum exprimunt? Resp. Potius est spectanda intentio, quam sensus verborum; quia verba intentioni deserviunt, & non intentio verbis, quæ solum inventa sunt, ut per ea intentionem suam quisque exprimat. Et hinc, si intentio desit, qualiacunque sint verba, in foro conscientiæ, & coram Deo, nulla Sponsalium, aut Matrimonii obligatio oritur; & è contrario, si adsit intentio contrahendi Matrimonium, eaque manifestetur externo aliquo, & tali signo, ut ambo contrahentes intelligant se mutuo velle contrahere Matrimonium, id satis est, neque refert, quæ verba apposuerint. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 18. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 85.

278 Dixi *in foro conscientiæ*; nam in foro externo, si de verborum interpretatione dubitetur, non statur intentioni contrahentium (quia hæc Ecclesiam latet) sed interpretatio facienda est secundum communem loquendi usum, sive in eo sensu, quo communiter à rectè intelligentibus accipiuntur. Sanch. *loc. cit. num.* 4. Pal. *D.* 2. *part.* 8. *num.* 1. Pirh. *num.* 85. *cit. not.* 3. quia ut *l. Labeo* 7. *§. Servius* 2. *ff. de ſupell. legat.* dicitur, *non ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debent*. *Excipitur*, nisi tempore contractus constet aliam fuisse mentem contrahentium; nam tunc neque in foro externo Matrimonium haberi pro valido poterit. Talis casus est, si aliqui rudes, & simplices, existimantes Matrimonium non esse contractum perpetuum, vellent tantum ad tempus inter se contrahere Matrimonium, & ad cohabitandum se obligare non in perpetuum, sive usque ad mortem, idque sufficienter exprimerent; tale enim matrimonium foret nullum etiam in foro externo si in hoc sufficienter constet de hac contrahentium intentione, quibuscunque demum contrahendo usi sint verbis.

Dub. 3. Quam fidem mereatur interpres, si contingat per illum celebrari Matrimonium? Resp. Illi danda est fides integra, cum fuerit communi contrahentium consensu electus. Ita Bartol. *in l.* 1. *§. fin. num.* 2. *ff. de V. O.* Jason. *ibid. num.* 7. Covar. *p.* 2. *de Sponſal. cap.* 4. *§.* 1. *num.* 3. Sanch. *lib.* 3. *de Matr. D.* 39. *num.* 4. Pirh. *hic num.* 85. *not.* 5. & alii communiter. Et hinc si dubium incidat ex eo, quod alter contrahentium dicat se non intellexisse verba Interpretis, ad hunc recurrendum est; & si adhuc maneat dubium, consulendus est communis sensus, & significatio verborum, quibus interpres, & cum eo contrahens usus est, juxta *c. ex litteris* 7. *hoc tit.* & tradit *ibidem* Gloss. *V. intellexerit* cum *citt.* 279

Quæritur 7. An validum sit Matrimonium contractum, non servata Lege, vel consuetudine loci, seu Regionis? Resp. Affirmativè. Ita statuitur *cap. de Francia* 1. *hoc tit.* & notat *ibid.* Host. *V. superinduxit*, Abb. *num.* 3. *&* 7. Pirh. *hic num.* 89. *Ratio est*; quia Matrimonium oritur ex Lege, & institutione Divina. Atqui huic Juri præjudicare Lex humana, qualis etiam est consuetudo, non potest. Valebit ergo Matrimonium, si habeat ea, quæ alias ad illius valorem requiruntur, etiamsi aliter disponat Lex, vel consuetudo loci obtineat; quia non potest Matrimonium semel legitime contractum quoad substantialia irritare, vel tollere. 280

Dixi autem, *non servata consuetudine, vel Statuto loci, aut Regionis*; nam Lege Pontificia forma Contractus matrimonialis immutari potest, uti defacto immutatus est à Trid. dum matrimonia clandestina sustulit. 281

Addidi *quoad ſubstantialia*; nam circa accidentalia, & accessoria matrimonii consuetudo patriæ, & Regionis, in qua contrahitur Matrimonium, potest disponere, ut Abb. *n.* 7. *cit.* Pirh. *n.* 89. *not.* 2. Konig *hic n.* 39. advertunt. Talia sunt, ut nullum conjugium fiat sine dote, ut Sponsus, & Sponsa benedicantur à Sacerdote, & à Paranymphis offerantur, &c.

§. II.

De Matrimonio, quatenus est Sacramentum.

SUMMARIUM.

310 Re-

310 *Resolvitur pro negativa.*
311 *Objectiones solvuntur.*

282 Quæritur 1. An Matrimonium sit Sacramentum? Resp. Hic distinguendum esse inter Matrimonia, prout contrahebantur in Lege antiqua, & inter ea, quæ à fidelibus contrahuntur in Lege nova.

De Matrimonio *in Lege veteri* conveniunt DD. Orthodoxi cum Acatholicis, quod tantum fuerit contractus naturalis, & non Sacramentum, nisi latè, & impropriè, quatenus scilicet aliquo modo figurabat conjunctionem Dei cum homine per gratiam, & Christi cum Ecclesia per carnem, prout colligitur ex *c. gaudemus* 8. *de divor. c. debitum* 5. *de Bigam.* & tradit Leo *Epist.* 92. *ad Rustic.* August. *l.* 2. *de nupt. c.* 21.

283 Idem Hæretici plerique nostri temporis contendunt de Matrimonio fidelium *in Lege nova*; quibus quoad hoc punctum favet Durandus *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 3. dicens non esse propriè, & univoce Sacramentum, nec gratiam conferre: quod probabile judicat Paludan. *dist. cit. q.* 4. *princ. n.* 2. in quorum sententiam videtur facere *c. veniens* 3. *de Presbyt. non baptiz.* ubi Innocentius III. dicit, *Sacramentum Conjugii, & Eucharistiæ à non baptizatis recipi posse*; quod fieri non posset, si Matrimonium propriè Sacramentum foret, cum Baptismus sit janua, & necessaria dispositio ex Divina institutione ad reliqua Sacramenta suscipienda. *Confimari* hoc etiam posset ex eo; quia Ecclesia non potest irritare Sacramentum. Potest autem irritare Matrimonium. ergo &c.

284 Sed dicendum, Matrimonium novæ Legis, inter fideles contractum, esse vere, & propriè Sacramentum. Est de Fide, & definitum à Conciliis Florent. *Decret. Union.* §. *quinto*, & Trid. *sess.* 7. *can.* 1. *de Sacram. in gen. & sess.* 25. *can.* 1. *de Sacram. Matrim.* contra Lutheranos, & alios Sectarios; nam quamvis initio Matrimonium tantum fuerit contractus Civilis, & ut talis institutus à Deo in Paradiso, Christus Dominus tamen in Lege nova eundem elevavit ad statum, & dignitatem Sacramenti, eique dedit vim sanctificandi contrahentes ritè dispositos; quod indicat Paulus *Ephes.* 5. *vers.* 32. ubi de conjugio loquens, *Magnum*, inquit, *hoc Sacramentum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Agnovit hoc etiam pridem Sanct. Augustinus, quando *Libr. de Fid. & Operib. In Ecclesia*, inquit, *Nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Eratque hoc omnino conveniens, ut dignitatem, & vim Sacramenti accipetet; cum enim ex Christi Lege *Matth.* 5. & 19. ejusdem vinculum sit perpetuum, & vi illius teneantur conjuges ad cohabitationem perpetuam, quæ gravissima iisdem imponit onera, intollerabile jugum foret, nisi ipsi annexuisset gratiam suam Divinam ad hæc onera facilius sustinenda.

285 Neque contrarium probatur ex *cap. veniens citat.* id enim intelligi debet de susceptione Matrimonii in ratione contractus, & de susceptione Eucharistiæ materiali. Adde, quod ibi Innocentius non definiendo, sed dubitando ea verba protulerit, prout advertit Rebell. *lib.* 2. *de Matrim. quæst.* 3. *num.* 16. Pontius *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 5. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 2. *num.* 1. *Ad Conf.* Ecclesia tantum irritat Contractum, quo irritato, definit esse Sacramentum, quod Contractui annexum est. Deinde retorquetur Argumentum; nam Ecclesia etiam non potest irritare Sacramentum Pœnitentiæ, potest tamen Jurisdictionem necessariam ad absolvendum tollere, & sic facere, ne Sacramentum fiat.

286 Quæritur 2. Quando institutio ista à Christo facta sit? Resp. de hoc diversæ sunt DD. sententiæ. Nam 1. aliqui apud Viguer. *l.* 16. *Inst. Can.* §. 7. *vers.* 1. & Ledesm. 2. *p.* 4. *quæst.* 44. *art.* 2. dicunt Matrimonii Sacramentum institutum esse *Joann.* 2. dum Christus interfuit nuptiis. 2. alii cum Sanchez *lib.* 2. *de Matr. D.* 4. *n.* 5. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 1. *num.* 6. volunt *Joan.* 2. Matrimonium quidem à Christo approbatum esse, institutum tamen, quando *Matth.* 19. *vers.* 7. Christus, Repudii libello antiquato, id, sicut ab initio fuit, insolubile impostetum esse jussit verbis, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* 3. alii cum Tann. *D.* 8. *quæst.* 2. *dub.* 2. *nu.* 26. existimant, institutum fuisse tempore 40. dierum, quibus Christus per Passionem suam præbuit seipsum vivum Apostolis, loquens de Regno Dei, h. e. de pertinentibus ad Statum Ecclesiæ. *Act.* 1.

287 Similis controversia est de institutione primæva Matrimonii in ratione Contractus; nam aliqui, quos refert Sanch. *D.* 4. *cit. num.* 2. putant immediatè institutum fuisse ab Adamo, illis verbis, quæ Deo inspirante, protulit: *Hoc nunc os ex ossibus meis. Gen.* 2. Sed verius institutio tribuitur immediate ipsi Deo, dum *Gen.* 1. dicit: *Crescite, & multiplicamini*; nam tunc Deus fecit copiam illis, ut jungerentur, & mutuam corporum traditionem concessit, in quo Matrimonium consistit. Unde dicendum, per verba illa Adami institutionem à Deo factam magis fuisse declaratam, eo fere modo, quo institutio Extremæ Unctionis, facta per Christum, fuit declarata per Apostolum Jacobum.

288 Quæritur 3. Quid sit Sacramentum Matrimonii, seu quæ sit Essentia illius Physica, & Metaphysica? Resp. *Essentia Metaphysica* Matrimonii in Definitione illius consistit, Physica in materia, & forma. Definitio Matrimonii, ut Sacramentum est, à plerisque DD. saltem quoad sensum hæc ponitur: *Est conjunctio maritalis, Spiritualis gratiæ collativa*; vel: *Est contractus, marem, & fœminam, nullo Jure impeditos, ad individuam vitæ societatem, & corporum ad actus conjugales traditionem mutuam obligans, iisque rite dispositionis conferens gratiam sanctificantem.*

289 De Materia, & Forma variæ sunt sententiæ, ut videre est apud Sanch. *l.* 1. *de Matrim. D.* 5. Canonistis familiarior, & expeditior opinio est illorum, qui dicunt, quod *materia matrimonii remota*, & circa quam Sacramentum istud versatur, sint ipsamet corpora conjugum, ad generationem prolis idonea; *Proxima* verò, & ex qua Matrimonii Sacramentum constituitur, sit ejusmodi corporum actualis, & mutua traditio, & acceptatio: *Forma* denique utriusque in eam traditionem, & acceptationem consensus, verbis, vel aliis signis expressus. Ita Vasq. *D.* 3. *de Matr. cap.* 4. Hurtad. *D.* 3. *de Matr. num.* 79. Gutier. *c.* 41. *de Matrim. n.* 1. *vers. tertia sententia.* Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 3. *n.* 2. Zoes. *hic n.* 63. Schamb. *n.* 123. Konig *n.* 102. Vviest. *n.* 153. Mag. P. Schm. *p.* 2. *de Matr. c.* 2. *n.* 33.

290 *Ratio est*; Quia Matrimonii, ut Sacramentum est, non alia est materia, & forma, quam sit ejusdem, quatenus Contractus est; nam iste à Christo Domino non est mutatus, sed tantum elevatus ad statum, & dignitatem Sacramenti. Atqui Matrimonii, ut Contractus est, materia remota sunt corpora habilia, proxima eorundem traditio, & acceptatio, forma consensus contrahentium in traditionem, & acceptationem mutuam. ergo &c. *Conf.* à pari; nam materia remota Emptionis Venditionis sunt res in eum contractum deductæ; proxima obligatio tradendi mercem pro pretio, & pretium pro merce; forma mutuus consensus in obligationem istam per verba, aut alia signa externa expressus. Idem autem videtur dicendum de Matrimonio. ergo &c.

291 Quæritur 4. Quis sit Minister Sacramenti Matrimonii? Melchior Canus *lib.* 8. *de loc. cap.* 5. *ad* 5. tametsi fateatur, Matrimonium, quatenus est contractus, confici per ipsos contrahentes, contendit tamen, ejusdem, quatenus Sacramentum est. Ministrum esse Sacerdotem; quod probat. 1. quia Eugenius IV. *in Decret. Un.* §. *septimum* definit omnia Sacramenta verbis tanquam forma perfici; atqui verba contrahentium necessaria non sunt; quia suppleri per signa possunt, ut dictum est *num.* 275. ergo affirmandum est verba Sacerdotis necessaria esse, iisque Sacramentum perfici, sicut alia omnia Sacramenta perficiuntur. 2. Actio Sacramentalis est actio Sacra. Igitur requirit Ministrum Sacrum, & formam Sacram. 3. *Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matr.* jubet, ut Parochus, habito consensu contrahentium, proferat ea verba, *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris &c.* ergo vere Parochus conjungit, & conficit Sacramentum, ne verba sint falsa. 4. In cæteris Sacramentis Minister est Sacerdos, ex instituto per Sacri Ordinis susceptionem ordinatus, ut sit Minister Sacramentorum. Ergo etiam in Matrimonio. 5. Si contrahentes essent Ministri istius Sacramenti, casu, quo, dum contrahunt, existunt in statu peccati mortalis, duplex peccatum mortale contraherent, unum

unum recipiendo Sacramentum, alterum administrando. Sequela est contra persuasionem contrahentium, qui unico peccato ligari eo casu se credunt, ergo &c.

292 Sed indubitata sententia est, quod hujus Sacramenti Minister non sit Sacerdos, sed ipsi contrahentes. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 3. *vers. hanc autem*. Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 6. *& duob. seqq.* Suar. *tom.* 1. *de Sacram. quæst.* 65. *D.* 16. *sect.* 1. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 2. *n.* 7. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 42. *art.* 1. *difficult.* 4. Sanch. *lib.* 2. *de Matr. D.* 6. *num.* 2. Gutier. *c.* 41. *de Matr. n.* 2. Pont. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 3. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 4. *num.* 2. Vallens. *hic* §. 6. *num.* 3. Pirh. *nu.* 77. Schambog. *n.* 124. Vviest. *num.* 145. Colligitur 1. *ex Florent.* quod in Decreto *cit.* §. *septimum* causam Matrimonii efficientem statuit mutuum consensum regulariter per verba de præsenti expressum. Atqui hic consensus non à Sacerdote ponitur, sed à contrahentibus. ergo &c. *Ex Trid.* quod *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat. matrimon.* Matrimonium sine Parocho, & testibus contractum irritat. Ergo antea, si sine istis contractum fuit, validum fuit: non autem in ratione Contractus tantum; quia, ut *infra num.* 302. dicam, in fidelibus ratio Sacramenti separari non potest à ratione Contractus. Igitur validum fuit in ratione Sacramenti. Validum vero non fuisset, si sine legitimo ministro fuisset contractum. ergo &c. 3. *Ex ratione*; nam Sacramenti cujusque minister est, qui ponit ejusdem formam. Atqui hanc ponunt in Matrimonio, non Sacerdos, sed contrahentes &c.

293 Rationes in contrarium adductæ exigui sunt momenti. *Ad* 1. Verba in Matrimonii contractu regulariter adhibentur, tametsi signis celebrari possit. *Ad* 2. Actio Sacramentalis Sacra est, quia est causa Sacramenti, & sanctificantis gratiæ; non vero quasi procedat à Ministro consecrato; alias Baptismus collatus à Laico non esset Sacramentum, cum Laicus non sit ad id consecratus. *Ad* 3. Verba illa, ut notat Sanchez *loc. cit. num.* 6. proferuntur à Sacerdote, non tanquam Ministro Sacramentum administrante, sed declarante, seu confirmante, quod inter ipsos contrahentes fit, aut factum est, adeoque id Sacerdos non efficit, sed confirmat, seu approbat. Deinde Sacerdos assistens etiam aliis verbis uti potest juxta receptum cujusque Provinciæ ritum, ut addit *Trid. cap.* 1. *cit.* *Ad* 4. Sicut speciale, ac proprium est Sacramenti Matrimonii, quod consistat in contractu ipsorum suscipientium, ita etiam speciale, ac proprium est ejusdem, quod ipsimet suscipientes hoc Sacramentum sint Ministri ejusdem. *Ad* 5. Non pauci DD. negant, quod contrahentes, quatenus sunt Minister Sacramenti Matrimonii, peccent mortaliter, cum ad id munus non sint consecrati. Sed juxta principia *Lib.* 3. *Tit.* 1. *num.* 15. jacta probabilius est esse peccatum mortale, eo quod sint instrumentum Christi ad gratiam conferendam; decet autem instrumentum causæ principali esse conforme. ergo &c.

294 Quæritur 5. Quando à fidelibus efficiatur Sacramentum, an in ipso contractu Matrimonii, ut adeo consistat in usu, an vero perseveret, instar Sacramenti Eucharistiæ, post contractum præteritum? Hoc secundum affirmant Bellarm. *lib.* 1. *de Matr. cap.* 6. Sanchez *lib.* 2. *de Matr. D.* 5. *n.* 7. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. ex ratione; quia pro tota vita significat admirabile, & indissolubile illud conjugium, sive unionem Christi cum Ecclesia contractam per Mysterium Incarnationis, de qua Joannes *cap.* 1. *v.* 14. *Verbum*, inquit, *Caro factum est, & habitavit in nobis.* *Conf.* Eucharistia est Sacramentum, non tantum, quando est in fieri, sed tale etiam manet postea, dum est in facto esse; quia species permanentes sunt signum sensibile interni alimenti per gratiam. Ergo & Sacramentum Matrimonii permanebit; quia manet vis significandi.

295 Sed verius est, solum Matrimonii contractum proprie dictum Sacramentum esse. Ita Conink *D.* 24. *dub.* 2. *n.* 11. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *p.* 2. *num.* 3. Bosco *de Matr. D.* 11. *sect.* 4. *concl.* 3. *num.* 132. Vviest. *hic num.* 103. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 1. *num.* 32. *Ratio est*; quia Sacramentum ex Divina institutione est gratiæ signum practicum, ex opere operato sanctificans suscipientem, ut dixit Concil. Florent. *in Decreto Eugenii*, & colligitur ex Trid. *sess.* 7. *per totam*; atqui hæc gratia ex communissima DD. sententia confertur conjugibus ex opere operato in ipso contractu matrimonii, non vero in ejusdem usu; ergo &c.

Ad Argumentum contrarium matrimonium vim illa significandi habet, non qua Sacramentum est (quia alias significatio hæc competeret etiam matrimonio rato) sed quod consummatum sit: quod inde patet; quia hanc unionem significat etiam matrimonium à conjugibus in Infidelitate initum, & consummatum ab iisdem ad Fidem conversis, licet ne tum quidem Sacramentum fiat, ut *num.* 310. dicetur. *Ad Conf.* negatur paritas cum Eucharistia. Disparitas est; quia Eucharistia, postquam in Sacrificio Missæ confecta est, usu suo ex opere operato suscipientem sanctificat: contrà Matrimonium solum sanctificat, dum fit, non vero, dum factum est. Igitur cum de ratione Sacramentorum novæ Legis sit esse signum practicum gratiæ, Eucharistia merito dicitur Sacramentum in facto esse, Matrimonium vero solum, dum fit. Quodsi adhuc contendas, hoc nomen etiam matrimonio in facto esse competere, concedam esse Sacramentum, sed late acceptum pro signo rei Sacræ Divinitus instituto. 296

Quæritur 6. An Sacramentum sit matrimonium inter absentes per Procuratorem contractum? Pro negativa citantur Durandus, Canus, Victoria, Martinus, & Bartholomæus de Ledesma, & alii apud Gutier. *cap.* 43. *de Matrim. num.* 10. *Fundantur* 1. quia perceptio, & confectio Sacramenti est actus personalis, ut constat in omnibus aliis Sacramentis. Sed actus personalis per alium exerceri non potest; & ideo cætera Sacramenta substitutum non admittunt. Ergo idem dicendum de Matrimonio. 2. Si matrimonium per procuratorem contractum Sacramentum esset, sequeretur, quod dormiens non tantum recipere gratiam, sed etiam peccare posset; nam si eo tempore, quo Procurator nomine ipsius contrahit matrimonium, sit rite dispositus, recipiet gratiam, sin minus, peccabit, 3. Sequeretur item, quod idem dormiens possit conficere Sacramentum; neque enim Procurator id conficit, sed Principalis, cujus nomine contrahit. Sequela videtur esse contra communem doctrinam, quæ in ministro Sacramenti requirit intentionem actualem, saltem virtualiter perseverantem, cujus habendæ dormiens capax non est. 4. Absolutio Sacramentalis non potest dari absenti; quia forma Absolutionis *Absolvo te*, in præsentem dirigitur; atqui non minus in præsentem dirigitur forma matrimonii, *Accipio te in meum &c.* 5. Cum Parochus assistens matrimonio profert verba illa, *Ego vos conjungo*, pronomen *Vos* non minus requirit præsentiam Subjectorum, quam pronomen *Te* in forma Baptismi, & Pœnitentiæ. Ergo absens non minus est incapax Sacramenti matrimonii, quam Sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ. 6. Si matrimonium contractum per procuratorem valeret in ratione Sacramenti, valeret etiam contractum per Epistolam. 297

Sed his non obstantibus, dicendum matrimonium etiam per Procuratorem initum verè, ac proprie Sacramentum esse. Ita Sot. *in* 4. *d. st.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *vers. at vero*, Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 2. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 1. §. *un. n.* 5. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 11. *n.* 27. Gutier. *c.* 43. *de Matr. n.* 10. Conink *D.* 24. *dub.* 9. *num.* 67. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 8. *n.* 9. Bosco *Sect.* 6. *concl.* 1. *nu.* 18. Pirh. *hic n.* 80. Schamb. *n.* 33. *& seqq.* Konig *n.* 101. *vers. affirmativam*, Vviest. *n.* 157. *in fin.* Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 2. *n.* 26. cæterique communiter. *Ratio est* 1. Quia omne matrimonium legitimum inter Baptizatos est Sacramentum; neque enim, ut *infra n.* 302. dicetur, à Fidelibus contrahi matrimonium potest, quod sit validum in ratione Contractus, quin etiam contrahatur validum in ratione Sacramenti. Atqui, ut dictum est *n.* 249. matrimonium per procuratorem contractum valet in ratione contractus. Ergo valebit etiam in ratione Sacramenti. 2. Quia Christus elevans naturalem matrimonii contractum ad esse Sacramenti, nihil aliud requisivit in Baptizatis, quam id, quod requiritur ad legitimum contractum matrimonii. Igitur, cum, uti mox dictum est, matrimonium per procuratorem initum valeat in ratione Contractus, etiam Sacramentum erit. 3. Quia Concilia Generalia dicunt, quod matrimonium, quod ante Legem Evangelicam erat Contractus Civilis, modo sit Sacramentum; neque enim Christus elevando matrimonium ad rationem Sacramenti immutavit illius naturam. Atqui 298

ante

ante Legem Evangelicam matrimonium per procuratorem initum valebat in ratione Contractus; quia neutiquam divertebat in hoc à reliquis contractibus. Igitur nunc initum per Procuratorem valet etiam in ratione Sacramenti.

299 Ad Argumenta contraria facilis est Responsio. *Ad* 1. Id peculiare est in Sacramento Matrimonii præ reliquis Sacramentis, quod actio Sacramentalis in ipso non sit omnino personalis, sed per substitutum recipi, & conferri possit. Ratio disparitatis est; quia sequitur naturam contractus: unde sicut isti, ita etiam Matrimonium iniri per procuratorem poterit. *Ad* 2. Non est inconveniens dormientem peccare mortaliter, aut gratiam recipere ratione consensus in vigilia habiti; id enim contingit etiam in eo, qui volens baptizari, baptizatur dormiens. Peccatum igitur contrahentis per Procuratorem in hoc consistet, quod non procuraverit sibi statum gratiæ pro eo tempore, quo verisimiliter credebat fore, ut procurator nomine ipsius contraheret, ad quod tenetur, ut bene aliis *citt.* Sanch. *l. cit. num.* 30. *Ad* 3. Contrahens Matrimonium per procuratorem Sacramentum conficit vi intentionis præteritæ, qua procuratori mandatum dedit ad contrahendum: quod sufficit in Sacramento Matrimonii, quamvis in aliis Sacramentis non sufficiat; quia in Sacramento Matrimonii materia & forma non necessario ponuntur simul, & in uno continuo, ut in Sacramentis aliis, cujus ratio est iterum natura Contractus, cujus naturam Matrimonium sequitur. *Ad* 4. Ex eodem fundamento negatur paritas; cum enim naturæ Contractus non repugnet illum cum absente iniri, etiam non repugnabit Matrimonio. Aliud est in Absolutione in foro Pœnitentiæ; nam hoc cum merè internum, & occultum sit, & à dispositione pœnitentis præsenti pendeat, mirum non est, quod absolutio in eo foro data præsentiam Ministri, ac pœnitentis requirat, ut sic ille hujus dispositionem cognoscat, *Ad* 5. verba illa, *Ego vos conjungo &c.* quæ Parochus Matrimonio assistens profert, essentialia non sunt, sicut essentialia sunt in forma Baptismi verba; *Ego te baptizo*, & in forma Sacramenti Pœnitentiæ, *Ego te absolvo*: consf. verba illa Parochi assistentis Matrimonio suppleri possunt per alia æquipollentia, quæ dirigantur in procuratorem absente principali. *Ad* 6. Concedo Sequelam, quæ nihil absurdi continet, modo Epistola, quæ utriusque contrahentis consensum continet, legatur coram Parocho, & testibus; tunc enim nihil deest, quod requiritur à Trid. & conf. nulla est ratio, quare non defacto etiam post Tridentinum Matrimonium ita initum valeat; de quo videatur *suprà n.* 255.

300 Quæritur 7. An Sacramentum sit Matrimonium, quod contraxerunt fideles ignorantes, quod Matrimonium sit Sacramentum? Resp. Affirmativè: modo intentionem habeant faciendi, quod faciunt cæteri fideles id contrahendo; nam ita intendent etiam ipsi facere, quod facit Ecclesia, & sic nihil deerit requisitum ad rationem Sacramenti. Ita S. Thom. *addit. quæst.* 51. *art.* 2. *ad* 2. Henriq. *lib.* 11. *de Matr. cap.* 11. *num.* 5. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 10. *num.* 6. Perez *D.* 19. *de Matr. sect.* 10. *num.* 3. Vviest. *hic num.* 159. nam idem etiam contingit in Baptismo, quem siquis putet fictionem esse, modo intendat facere, quod facit Ecclesia, valide confert.

301 *Dubium est*, an Fideles celebrare Matrimonium possint, quod valeat in ratione Contractus, non autem in ratione Sacramenti, eo, quod istud contrahant cum intentione excludente Sacramentum? Affirmant Scot. *in* 4. *dist.* 26. *q. un.* §. *sed qualiter*, Hurtad. *D.* 3. *de matr. difficult.* 19. Vasq. *tom.* 2. *in* 3. *p. D.* 138. *cap.* 5. Rebell. *de oblig. Just. p.* 2. *l.* 2. *quæst.* 5. *concl.* 1. Pont. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Konig *hic nu.* 84. *vers. malo tamen. Moventur* 1. Quia, ut constat ex Concil. Florent. *in Decret. union.* §. *quinto* omnia Sacramenta tribus perficiuntur, *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*. Ergo si desit intentio Ministri, Sacramentum non perficitur. Deest autem si fideles intendant Matrimonium inire in ratione solius contractus. ergo &c. 2. Conditiones defacto, aut Jure impossibiles non obstant valori conjugii, modo non adversentur bono fidei, & prolis, aut conjugii indissolubilitati, ut patet ex *cap. fin. de condit. apposit.* Ergo etiam non obstat conditio, excludens rationem Sacramenti. 3. Neque ex Conciliis, neque ex doctrina SS. PP. habetur, quod Contractus Matrimonialis, sine intentione conficiendi Sacramentum initus, à Christo sit irritatus. imo non defuerunt, qui cum Cano *de Loc. Theol. l.* 8. *cap.* 5. volunt, Matrimonium, à fidelibus per procuratorem, aut Epistolam inter absentes initum, valere duntaxat in ratione Contractus, non autem in ratione Sacramenti. 4. Antequam Matrimonium elevaretur ad rationem Sacramenti, tota substantia Matrimonialis Contractus haberi potuit sine intentione conficiendi Sacramentum, imo cum intentione hoc excludente. Atqui per elevationem istam legitimus Contractus quoad substantiam non fuit mutatus. Ergo etiam nunc sine hac intentione, imo cum intentione contraria haberi potest tota substantia Matrimonialis Contractus. 5. Matrimonium quod de Jure naturali validum est, pro tali habendum est, donec id Divino, vel Ecclesiastico Jure irritatum reperiatur *Extrav. Antiquæ Joann. XXII. de Voto*; tale est Matrimonium sine intentione conficiendi Sacramentum, imo cum contraria etiam intentione initum, neque reperitur textus ullus aut Divini, aut Ecclesiastici Juris, quo illud ita contractum sit irritatum; ergo &c. 6. Huic sententiæ favet praxis Inquisitorum, Judicum, & communis sensus Ecclesiæ; Matrimonia enim illorum fidelium, qui deflectunt ad Judaismum, vera esse reputantur, cum tamen constet non contraxisse animo faciendi id, quod facit Ecclesia, utpote qui id potius irrident, & ob eam causam secreto prius contrahunt, & postmodum in Ecclesia se fingunt more Catholicorum contrahere.

Sed longe verior est sententia negans, posse fideles baptizatos Matrimonium contrahere, quod verum sit, & validum in ratione Contractus; & rationem Sacramenti non habeat. Ita Petr. de Ledesm. *de Matrim. q.* 42. *art.* 1. *dub.* 7. *in solut. ad* 1. *&* 2. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 10. *n.* 6. Conink *D.* 24. *dub.* 2. *concl.* 4. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 2. *num.* 2. *vers. porro*, Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 3. *num.* 5. Illsung. *Theol. pract. tr.* 6. *D.* 7. *n.* 37. Pirh. *hic n.* 74. Schamb. *n.* 120. Vviest. *num.* 161. *Ostenditur* 1. quia Concilia Florent. §. *quinto*, & §. *septimum citt.* & Trid. *sess.* 24. *can.* 1. *de Sacram. Matr.* cum dicunt fidelium conjugium vere, & propriè sacramentum esse, id dicunt indefinitè, & sine distinctione, vel exceptione, igitur comprehendunt omnia Matrimonia, quæ à fidelibus valide ineuntur. 2. Quia fideles, dum contrahunt Matrimonium, debent illud non Ethnicorum, & Gentilium, sed Christianorum more, & secundum Christi institutionem contrahere; atqui secundum Christi institutionem omne Matrimonium, quod apud fideles legitimum est in ratione Contractus, etiam est Sacramentum. Ergo qui volunt contrahere Matrimonium, quod apud fideles legitimum sit in ratione Contractus, etiam volunt conficere Sacramentum. 3. Quia qui vult unum ex duobus inseparabiliter secum connexis, etiam vult alterum ita connexorum. Atqui esse Sacramenti apud fideles ex Christi institutione est omnino inseparabile ab esse matrimonii. Ergo intensioni legitimæ faciendi Matrimonium, ut est Contractus, repugnat intentio non conficiendi Sacramentum. 4. Si à fidelibus Matrimonium valide posset contrahi, quin contrahendo conficiant Sacramentum, possent etiam licite rationem Sacramenti à Contractu matrimoniali separare, atque excludere, siquidem nulla Lex Divina, aut humana ostendi potest, quæ eos adstringat ad utrumque conjungendum, si vere separari hæ rationes possunt: imo aliquando ad vitandum sacrilegium, quod committunt sponsi contrahendo matrimonium in statu peccati mortalis, conduceret rationem contractus separari à ratione Sacramenti. 5. Si ratio Sacramenti in matrimonio posset separari à ratione Contractus, male statuisset Ecclesia, quod matrimonia, quæ olim clandestine celebrabantur, fuerint rata, & conf. Sacramenta; nam cum peccatum non præsumatur, præsumi debuisset, quod ita contrahentes clam, ad evitandam irreverentiam Sacramenti, voluerint potius illud contrahere cum intentione excludendi rationem Sacramenti à ratione Contractus; atqui Ecclesia matrimonia illa pro ratis, & conf. pro Sacramento habuit, ut patet ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de refor. Matr.* ergo &c. 302

Ex quo

303 Ex quo sequitur quid sentiendum sit de matrimoniis Hæreticorum, qui, dum contrahunt matrimonium, nolunt conficere Sacramentum; nam distinguendum est: Vel enim volentes ita contrahere, absolutè, & nullo modo volunt suscipere Sacramentum, vel solum nolunt suscipere Sacramentum propter errorem speculativum, quo putant matrimonium non esse Sacramentum, ita tamen, ut velint contrahere eo modo, quo fideles, & Christiani in Ecclesia Christi solent, & possunt contrahere. *Si primum*, nihil efficiunt; quia intentio posterior priorem elidit, ac destruit, cum, uti dictum est, esse, & ratio Sacramenti ex Christi institutione sit inseparabilis à Contractu matrimonii. *Si secundum*, nihilominus suscipiunt, & sibi invicem administrant Sacramentum; quia error illorum particularis per intentionem generalem contrahendi matrimonium, prout illud à fidelibus potest, & solet contrahi, tollitur, vel corrigitur.

304 Neque obstant Argumenta in contrarium *num.* 301. allata. *Ad* 1. Eo casu duæ concurrunt intentiones in sic contrahentibus, una legitima contrahendi matrimonium, prout à fidelibus contrahi potest, & solet, altera erronea contrahendi illud in ratione solius contractus, quæ cum merito de contrahentium mente præsumatur, quod velint contrahere valide, & non vivere in perpetua fornicatione, erit conditionata, si scilicet ratio contractus legitimi separari à ratione Sacramenti possit; igitur cum separatio hæc ex institutione Christi fieri nequeat inter fideles, intentio hæc secunda erronea operabitur nihil; cons. prævalebit prior generalis, quæ hoc ipso virtualiter in rationem Sacramenti fertur, quod feratur in rationem Contractus legitimi, à qua ratio Sacramenti apud fideles separari nequit. *Ad* 2. Negatur paritas; nam conditio rationem Sacramenti excludens à Matrimoniali contractu adversatur substantiæ Matrimonii; unde potius habebitur pro non adjecta, sicut aliæ conditiones turpes, & impossibiles: vel si contrahentes absolutè nolint contrahere sub ratione Sacramenti, etiam vitiabitur Matrimonium in ratione Contractus, & contrahentes nihil omnino agent sic contrahendo. *Ad* 3. Hoc ipso, quod allegata Concilia definivere, Matrimonium fidelium Sacramentum esse, etiam definivisse intelliguntur, quod ad illius valorem necessaria sit intentio conficiendi, & suscipiendi Sacramentum. Matrimonium, per Procuratorem contractum, Sacramentum non esse, dicunt quidem aliqui, sed improbabiliter, ut dictum est *suprà n.* 298. *Ad* 4. Retorsionem Argumentum hoc patitur in Matrimonio clandestino; nam ante Tridentin. Decretum, quo clandestina Matrimonia sunt irritata, valuit intentio contrahendi clam, quam intentionem modo post illud Decretum contrahentes habere non possunt. Directe respondeo, Matrimonialis contractus substantiam per elevationem ad rationem Sacramenti non fuisse immutatam, fuisse tamen annexam conditionem Sacramenti, ita, ut sine hac Matrimonium in ratione Contractus non sit legitimum. *Ad* 5. Patet ex modo dictis, & probationibus allatis *numer.* 302. *Ad* 6. Matrimonia illorum vere sunt Sacramenta; quia verè, & absolutè intendunt facere, quod Ecclesia requirit, ut Sacramentum Matrimonii consistat, nempe intendunt sibi invicem corpora ad usum conjugalem tribuere, quod est ab Ecclesia pro Sacramento Matrimonii requisitum, tametsi ea non præstent, ut Ecclesiæ Catholicæ conformentur.

305 Quæritur 8. An Matrimonium à fidelibus contractum sit duplex Sacramentum, an unum tantum? Aliqui apud Petr. de Ledesm. *de Matrim. quæst.* 42. *art.* 1. *dub.* 3. *ad* 3. dicunt esse duo Sacramenta partialia, & unum totale, sicut contingit in duplici Eucharistiæ specie. *Sed dicendum*, esse unicum tantum. Ita Petr. de Ledesm. *loc. citat.* Henriquez *lib.* 11. *de Matrimon. cap.* 2. *num.* 1. *pr.* Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. D.* 10. *n.* 5. Conink *D.* 24. *dub.* 2. *num.* 24. Perez *D.* 19. *de Matrim. sect.* 5. *num.* 4. Schambogen *hic num.* 16. Vviest. *ibidem num.* 158. & hoc teste melioris notæ DD. cæteri. *Ratio est*; Quia ad statum Sacramenti elevatus est contractus Matrimonialis inter fideles initus; atqui Matrimonium, licèt consensu, & acceptatione utriusque contrahentis compleatur, unicus tamen contractus est, unicum duntaxat vinculum ad individuam vitæ Societatem, & actuum conjugalium exhibitionem obligans ex parte utriusque; ergo. *Neque* refert, quod recipiatur in utroque: quia est accidens solum morale, quod non repugnat recipi in subjecto duplici; sic enim etiam una potestas eligendi Episcopum residet in toto Capitulo. Ad id, quod ab Adversariis additur de Eucharistia, negatur paritas; nam in hac duplex species constituit Sacramentum partiale duplex, quia quævis species per se constat ex sua materia, & forma, habetque veram rationem signi, & gratiam confert: non ita contingit in Matrimonio; quia in hoc utriusque consensus, & acceptatio unum constituit Contractum, & unum signum repræsentans unicam unionem Christi cum Ecclesia, quam unionem neuter consensus sine altero repræsentare potest; ergo &c. Ex quo sequitur solutio illius, quod

Dubitatur; An Sacramentum sit Matrimonium, quod fidelis cum infideli ex Apostolica Dispensatione init, ut quondam S. Monaca cum Patritio patre Sancti Augustini, Clothildis cum Clodoværo Francorum Rege adhuc Ethnico? Ita quidem Sot. *in* 4. *dist.* 26. *art.* 3. *fin.* Joann. Eckius *tom.* 4. *homil.* 73. *de Sacram.* existimantes, Sacramentum esse, saltem ex parte conjugis fidelis: cui opinioni videtur patrocinari ratio; quia ejusmodi conjugium est verus Matrimonialis Contractus. Atqui huic, si à fideli sit initus, Christus contulit vim, & dignitatem Sacramenti; ergo &c. *Conf.* Quia tale Matrimonium tribuit sanctitatem aliquam conjugi etiam infideli contrahenti cum conjuge fideli, juxta illud 1. *Corinth.* 7. *v.* 14. ubi Paulus, *Sanctificatus est*, inquit, *vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*. Ergo multo magis sanctitatem conferet parti fideli. Si autem hanc confert, Sacramentum est. ergo &c. 306

Sed dicendum, non esse Sacramentum etiam ex parte conjugis fidelis. Ita Angles *flor. p.* 1. *de Matr. q.* 12. *de dispar. cult. art.* 1. *dub.* 1. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 2. *fin. & l.* 12. *cap.* 13. *num.* 3. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 8. *n.* 2. Guttier. *c.* 42. *de Matr. n.* 4. Vasq. *de Matr. D.* 2. *c.* 4. *n.* 10. *& c.* 10. *n.* 113. Conink *D.* 24. *dub.* 2. *concl.* 6. Pont. *l.* 1. *c.* 6. *num.* 7. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 2. *n.* 11. Pirh. *hic n.* 71. *in fin.* Schamb. *num.* 116. Vviest. *num.* 165. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 1. *nu.* 41. & plerique cæteri, præsertim RR. *Ratio est*; quia sicut unus in utroque conjuge est contractus, ita unum quoque, & utrumque contrahentium afficiens Sacramentum, ut dictum est *n.* 305. igitur vel in utroque esse Sacramentum debet, vel in neutro, sicut in utroque, vel in neutro est contractus; non potest autem esse Sacramentum ex parte infidelis, utpote qui ante Baptismum est Sacramenti recipiendi incapax; ergo neque ex parte fidelis Sacramentum erit. 307

Ad Rationem in contrarium allatam dico, ad statum, & dignitatem Sacramenti solum elevatum esse contractum Matrimonialem inter fideles; hic autem Contractus non est inter fideles initus, sed tantum inter fidelem, & infidelem. *Ad Conf.* Sanctificatio, de qua S. Paulus in textu *citat.* non est Sacramentalis, utpote cujus, ut modo dictum est, infidelis capax non est; sed eo nomine intelligitur conversio ad fidem, quæ ex cohabitatione, & conversatione cum fideli conjuge separari potest. 308

Quæritur 9. An Matrimonium, ab infidelibus contractum, si isti convertantur ad fidem, transeat in Sacramentum? Affirmant complures magni nominis DD. qui tamen bifariam dividuntur; nam aliqui cum Sanch. *lib.* 2. *de Matr. D.* 9. *num.* 5. Guttier. *c.* 42. *de Matr. n.* 5. Pirh. *hic num.* 71. Schamb. *num.* 113. volunt ita transire ipsa Baptismi susceptione. Alii contra cum Petr. de Ledesm. *de Matrim. q.* 59. *art.* 2. *dub.* 3. Bellarm. *lib.* 1. *de Matr. cap.* 5. *in fin.* Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 8. *num.* 1. *fin.* Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 1. *num.* 44. contendunt hinc transitum primum fieri, quando post Baptismum susceptum conjuges verbis, vel aliis signis externis expressè renovant consensum pristinum. Utrique allegant pro se S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæst. un. art.* 3. *ad* 1. ubi asserit, Infidelium matrimonium Sacramentum esse, non actu, sed habitu; videtur enim velle dicere, quod quidem non sit Sacramentum, dum actu ab iis contrahitur, sed tale 309

efficia-

efficiatur , quando baptizantur , vel saltem , quando suscepto Baptismo renovant consensum , ne otiosa sit potentia , si in actum nunquam reduci posset : *Rationem dant* ; quia Matrimonium illud Infidelium statim, ac conjuges isti baptizantur, fit ratum, ac insolubile, ita , ut dissolvi amplius nequeat quoad vinculum, etiamsi alter, vel uterque postea à Fide deficiat : & hinc non secus, ac Matrimonium contractum à fidelibus, & consummatum , jam perfecte significat conjunctionem Christi cum Ecclesia . Igitur non minus erit deinceps Sacramentum, ac Sacramentum est , quod initum est à baptizatis. *Conf.* Si deesset aliquid Sacramento, defectus ille se haberet ex parte materiæ , vel ex parte formæ. Atqui neque ex parte materiæ, neque ex parte formæ defectus est ; quia in matrimonio materia , ut *n.* 289. dixi, est traditio corporum mutua , forma utriusque conjugis in eam traditionem sibi factam consensus. hic autem consensus non deest ; cum enim ad Baptismum quasi ex natura rei consequatur insolubilitas matrimonii, conjuges infideles hoc ipso , quod baptizari intendant , virtualiter , & implicite intendunt etiam, ut præteritum matrimonium sit insolubile, adeoque etiam Sacramentum ; & sic consensus eo signo Baptismi expressus est nova materia, & nova forma hujus Sacramenti . *Neque obstat* , quod consensus iste sit tantum implicitus , & virtualis ; nam etsi ejusmodi consensus , in ipsa susceptione Sacramenti inclusus , non sufficeret in iis , qui nunquam antea erant conjuges, ad contrahendum de novo matrimonium , sufficit tamen in iis, qui antea fuerunt conjuges , ad matrimonium , quod solum novum est in ratione Sacramenti , & insolubilitatis .

10 Verum probabilius est ejusmodi matrimonium in Sacramentum nunquam transire Ita Vasq. *in* 3. *part. D.* 138. *cap.* 5. *& tom.* 4. *D.* 2. *de matr. cap.* 10. Coninck *D.* 24. *dub.* 2. *concl.* 7. Pont. *l.* 1. *cap.* 9. *num.* 8. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 2. *num.* 14. Perez *sect.* 11. *num.* 5. Dian. *part.* 3. *tr.* 4. *resol.* 253. Bosco *sect.* 4. *concl.* 6. *per totam* , Vviest. *hic num.* 167. *Ratio est* ; quia ad rationem Sacramenti elevatus est solus contractus secundum Leges humanas perfectus, sive traditio, & acceptatio mutua corporum ad individuam vitæ societatem , & actus ex se aptos ad generationem prolis , atqui contractus iste nuptialis non fit actus tempore Baptismi suscepti nec tempore post hunc susceptum renovati consensus . ergo neutro tempore conjungium infidelium ad Fidem conversorum Sacramentum efficietur. *Major propositio* constat ex *n.* 295. *Minor* ostenditur 1. quia consensus ille virtualis contentus in susceptione Baptismi , vel actualis subsequens non est novus contractus , & traditio , sed tantum approbatio contractus, & traditionis jam ante factæ ; alias quoties fideles contractum prius factum approbant , novum Sacramentum Matrimonii susciperent : quod est absurdum . 2. Quia ex matrimonio ab infidelibus contracto, si dein convertantur ad fidem, suapte quasi natura indissolubilitas , & significatio unionis Christi cum Ecclesia nascitur , neque aliquid ad id contribuit consensus ille virtualis, vel subsequens actualis, utpote quo non dato , adhuc datur ille effectus , quo dato , non augetur . 3. Quia etiam fideles , dum consummant matrimonium , faciunt , ut hoc acquirat insolubilitatem omnimodam , & perfectam significationem Sacramenti , quam ante consummationem non habebat, neque tamen sic consummando denuo suscipiunt Sacramentum . ergo multo minus infideles ad Fidem conversi .

1 *Neque obstat* authoritas S. Thomæ allegata in contrarium ; nam ut textum illum explicat Perez *loc. cit. num.* 7. Doctor Angelicus ibi nomen Sacramenti non accepit stricte pro signo practico gratiæ sanctificantis , sed latè pro signo speculativo repræsentante unionem Christi cum Ecclesia , quam significationem hoc matrimonium, dum conjuges adhuc infideles sunt , solum habitu habet, actu autem acquirit post susceptionem Baptismi. *Ad Probationem ex Rationem* omnimodam illam insolubilitatem , & vim significandi unionem Christi cum Ecclesia matrimonium infidelium ad Fidem conversorum non consequitur ex eo , quod illud post Baptismum transeat in Sacramentum, sed ex duplici alia causa, quarum prima est ; quia dissolutio matrimonii infidelium solum permissa à Deo est favore Religionis Christianæ, quæ causa , utroque conjuge ad Fidem converso, cessat. Altera est matrimonii consummatio, post quam nec ingressu Religionis, nec dispensatione Apostolica solvi potest . *Ad Conf.* Patet ex dictis *numer. præcedent.* quod ille solum consensus constituere Sacramentum in matrimonio possit, qui est traditio mutua corporum , & hujus traditionis acceptatio ; atqui consensus ille virtualis inclusus in Baptismo , vel actualis subsequens , ut *ibidem* ostensum est , non est traditio talis , sed acceptatio tantum traditionis jam ante factæ . ergo &c.

§. III.

De Effectibus Matrimonii, & mutua Obligatione Conjugum.

SUMMARIUM.

312 313 *Effectus matrimonii communes utrique conjugi sunt primo Gratia Sacramentalis :*
314 *Secundo Vinculum , & Fides Conjugalis.*
315 *Tertio Legitimitas prolis , & mutua rerum communio.*
316 317 *Quæ sit obligatio conjugum ad cohabitandum?*
318 319 320 321 *Ad alendos Liberos?*
322 323 *Ad usum matrimonii?*
324 325 326 *An reddi , & peti debitum possit ab eo , qui cum dubitaret de valore matrimonii, illud tamen mala fide contraxit?*
327 328 *Quid , si dubium superveniat post matrimonium ab utroque bona fide contractum ?*
329 *An eo casu , si post adhibitam diligentiam , adhuc maneat dubium , ita dubitans possit petere debitum?*
330 *Resolvitur Affirmativa.*
331 *Respondetur ad Argumenta opposita.*
332 *Quid dicendum , quando uterque conjux dubitat de valore Matrimonii bona fide contracti?*
333 *An si in hoc casu unus ante adhibitam diligentiam illicite petat debitum , alter teneatur reddere?*
334 *Quid si post adhibitam diligentiam adhuc maneat dubium?*
335 *Solvuntur Objectiones.*
336 337 *Quid Juris , si post contractum bona fide matrimonium, habeatur opinio probabilis de nullitate Matrimonii?*
338 *Quinam sint effectus singulares matrimonii ex parte mariti?*
339 *Quæ sit obligatio uxoris erga maritum suum?*
340 *Quando virum mutantem domicilium non teneatur sequi?*
341 *An marito Illustri erga uxorem Illustrem Jurisdictio competat? Argumenta sententiæ negantis.*
342 *Fundamenta affirmativæ sententiæ.*
343 *Respondetur ad Argumenta primæ.*
344 *Quam potestatem maritus habeat in Liberorum suorum personas?*
345 *Et bona?*
346 *An solvatur per Nuptias filii?*
347 *Effectus matrimonii uxori proprii sunt primo, ut participet dignitatem, & nobilitatem mariti?*
348 *Ubi de casu , quo illa nubit marito conditionis inferioris.*
349 *Secundo, ut participet pleraque ejusdem privilegia.*
350 *Tertio , ut acquirat idem cum eo domicilium , & forum.*
351 *Quarto , ut petere ab eo alimenta possit , nisi temere ab ipso discedat .*
352 *Vel dos promissa non sit numerata.*
353 *Vel maritus sit pauper.*

Effectus Matrimonii sunt triplicis generis ; nam aliqui communes sunt utrique Conjugi , alii Marito , alii Uxori proprii.

Quæritur 1. Quinam sint Effectus communes utrique Conjungi? Resp. Quinque maximè enumerantur ; Inter hos Primus , & inter cæteros eminens est *Gratia* , quam matrimonium , ut Sacramentum est, confert conjugibus fidelibus , prout definivit Sacra Synodus Trid. *sess.* 24. *can.* 1. *de Sacr. matrim.* Quem effectum , si conjuges per peccatum grave in hujus Sacramenti susceptione impediverint , possunt eundem recuperare , si durante matrimonio removeant obicem . Suar. *D.* 28. *sect.* 6. *vers. secundo hinc infero* . Conink *de Sacram. in gen. qu.* 62. *art.* 1. 312

art. 1. *dub.* 5. *num.* 76. Laym. *l.* 5. *tr.* 1. *c.* 7. *n.* 5. Pal. *tr.* 18. *D. un. p.* 9. *num.* 5. *vers. ob eandem.* Konig *hic num.* 114. *Ratio est;* quia vivente altero conjuge, Sacramentum hoc iterari non potest, sed recipientem constituit in statu quasi immutabili: & propterea credendum non est voluisse Christum hoc Sacramentum ficte suscipientem privare illius effectu, sed potius præsumendum voluisse concedere, si ipse capacem sese reddiderit, & ante illius solutionem removerit obicem; quod fieri potest vel Contritione vel Attritione cum Sacramento Pœnitentiæ.

313 Dixi autem notanter, *Si ante solutionem Matrimonii removerit obicem*; quia si primum, soluto per mortem alterutrius conjugio, impedimentum removeatur, nulla adest causa, ob quam affirmemus tunc concedi gratiam, quæ per obicem in susceptione ipsa Sacramenti impedita fuit; vel enim pars superstes in statu Viduitatis intendit persistere, & tunc gratia illa, quæ per Sacramentum Matrimonii confertur, non indiget, cum illa detur ad sustinenda onera Matrimonii; vel alias nuptias cogitat, & tunc si rite disposita illas contrahat, Gratiam Sacramentalem in harum contractu recipiet.

314 2 Effectus communis est *Vinculum conjugale*, vi cujus obligantur ad individuam vitæ societatem, aliter tamen in Matrimonio tantum legitimo, aliter in Rato, & aliter in consummato. Nam Matrimonium legitimum etiam consummatum solvi potest, quando unus Conjugum convertitur ad Fidem, alter in infidelitate permanet, & cohabitare converso aut non vult, aut non sine injuria Creatoris, Ratum solvi dispensatione Apostolica, & Professione Religiosa potest. Consummatum fidelium sola morte solubile est: de quo *infra Tit.* 19. *de Divort.*

3 *Fides Conjugalis:* quæ tria ab ipsis Conjugibus exigit. 1. Ut conjuge vivente, quantumvis diutissime absit, cum alia persona matrimonium alter non contrahat, nec ullo modo sive in affectu, sive in effectu carnaliter commisceatur *cap. in præsentia* 19. *hoc tit.* 2. Ut vir, & uxor sibi debitum reddant. 3. Ut ambo conjuges mutuo cohabitent, amoremque, & amicitiam mutuam sibi exhibeant.

315 4 *Bonum Prolis*: quod & ipsum tria continet. *Primum* est Legitimitas Prolis; nam Proles, ex Matrimonio aut vere, aut putative justo suscepta, Legitima efficitur, & capax successionis in bona paterna, & materna, nisi sint Filii Morganatici: de quibus supra *à n.* 237. 2. Recta prolium educatio in probis moribus, vera Religione, pietate, & artibus; quæ stante Matrimonio principaliter incumbit Patri, tanquam familiæ capiti: hoc soluto, transit ad Matrem *l. educatio* 1. *C. ubi pupill. educar. si* ut *loc. cit.* dicitur, *non vitricum eis induxerit.* 3. Alimentatio earundem: quæ præcipue onerat Patrem *l. si quis* 5. §. *sed utrum* 1. *ff. de agnosc. & alend. liber.* in hujus defectum Ascendentes paternos tangit *loc. cit.* §. *sed utrum*, & §. *utrum autem* 2. & his deficientibus denique ad Matrem, hacque mortua ad Ascendentes maternos transit *loc. cit.* §. *ergo & matrem* 4. & *l. non quemadmodum* 8. *ff. eod.*

5 *Mutua rerum, & bonorum communio*, non quoad proprietatem, sed promiscuum usum, siquidem Jure communi nec res mariti uxoris fiunt, nec res uxoris (excepta dote) mariti *l. cum aliter* 1. §. *si vir* 15. *ff. de S. C. Silanian. l. hac lege* 8. & *l. fin. C. de pact. convent.* & *tot. tit. C. ne uxor pro marito &c.* Hæc satis certa? sed quia ampliorem sui explicationem exigunt, idcirco ulterius.

316 Dub. 1. Quæ sit obligatio conjugum ad cohabitandum? Resp. Conjuges tenentur simul habitare, non tantum in eadem domo, sed etiam communi mensa, & thoro uti, saltem ut plurimum *c. pervenit* 1. & *c. quoniam* 2. *de conjug. lepros.* Colligitur etiam ex illo *Gen.* 2. *Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ &c.* & confirmatur ex illo *Matth.* 5. *Omnis, qui admiserit uxorem &c.*

Excipitur 1. nisi uterque in separationem thori consentiat; nam cum consensu utriusque separatio ejusmodi fieri potest, quod indicat S. Paulus 1. *Cor.* 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus &c.* modo adsit legitima causa, & absit periculum incontinentiæ in utroque conjuge.

Excipitur 2. si justa causa subsit, ut si vir evocetur 317
ad bellum à Principe, vel ob gubernandam, & regendam Provinciam abesse cogatur; tunc enim discedere maritus ab uxore etiam invita potest, & tamdiu abesse, quamdiu negotiorum tractandorum, quorum causa abest, ratio petit; & ratio est; quia tunc uxor non est rationabiliter invita.

Excipitur 3. Si brevi sit reversurus, ut si brevem peregrinationem instituere velit; nam & hanc instituere invita uxore potest ex ratione paulo ante data, quia scilicet tali casu uxor non potest esse rationabiliter invita.

Extra hos casus non potest maritus ab uxore discedere: imo si etiam ex causa necessaria discedat, ita ut diu non sit reversurus, tenebitur secum ducere uxorem, si sumptus necessarii ad secum ducendam uxorem suppetant, ut recte Sanch. *l.* 9. *D.* 4. *num.* 14. Pal. *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 5. §. 1. *n.* 5. apud quos plura de obligatione ad cohabitandum *D.* 4. & §. 1. *citt.*

Dub. 2. Quæ sit obligatio utriusque conjugis ad alen- 318
dos liberos? Resp. Ad alimentationem, ut *n.* 315. dixi, principaliter tenetur Pater, Mater in defectum duntaxat. Et hoc verum est. 1. Non tantum si Liberi triennium jam excesserint, sed etiam si recens in lucem hanc editi fuerint; imo si adhuc in utero delituerint *l. curator* 5. *ff. de ventr. in possess. mittend.* quamtumvis enim in *l. nec filium* 9. *C. de patr. potest.* Insinuari videatur, quod ad alimenta primo triennio præstanda obligetur mater, id tamen, ut recte *loc. cit.* cum aliis explicat Lauterbach *tit. de agnosc. & alend. liber.* §. 13. solum intelligendum est de alimento lactis, non de cæteris, quæ statim pater subministrare tenetur *l. si competenti* 3. *C. eod.* Coler *tr. de aliment. l.* 1. *cap.* 6. *num.* 4. Miller. *ad Struv. Exercit.* 25. *th.* 74. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 3. *n.* 110. & 111.

2 Extenditur etiam ad filios naturales, & illegiti- 319
mos, etiam Spurios, ut patet ex *c. cum haberet* 5. *in fin. de eo, qui duxit &c.* à quo correctum est Jus Civile prohibens alimenta præstari Spuriis, sive ex damnato coitu natis. *Auth. ex complexu Cod. de incest. nupt. & Novell.* 89. *cap.* 15. quam Juris Ecclesiastici dispositionem etiam in foro sæculari servandam; allegatis præjudiciis, velut pro certo tradunt Gaill. *l.* 2. *obs.* 88. *n.* 4. & 12. Coler. *l.* 1. *cit. c.* 3. *à num.* 33. Lauterbach. *loc. cit.* §. 16. *Ratio est;* quia Juri naturali repugnare videtur, ut proles, quæ delictum non commisit, sit inferioris conditionis, quam brutum, atque à parentibus, à quibus accepit vitam, per subtractionem alimentorum vita denuo spolietur.

3 Extenditur non tantum ad cibum, & potum, sed 320
ad vestitum *l. verbo* 43. *ff. de V. S.* habitationem *l. legatis* 6. *ff. de aliment. vel cibar. legat.* supellectilem domesticam, & medicamenta. Coler. *de aliment. l.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. Miller. *loc. cit. thes.* 77: *in not. à Lit. A & cætera, quibus tuendi, curandive corporis nostri gratia utimur*, ut loquitur Cajus *l. & cætera* 44. *ff. de V. S.* Imo etiam ad sumptus pro Studiis; nam licet Pater ad studia applicare filium, nisi conditio Status hoc exigat, & sumptus pro istis subministrare non teneatur, si tamen ad ea ipsum semel admovit, & is capacitati ingenii adjungat industriam, & profectum, impensas (si ulterius istud possit) largiri deinceps compellitur. Miller. *loc. cit.*

Cessat autem hæc obligatio alendi liberos in Parentibus 321
casu duplici. *Primus est*; si filii aliunde sustentationem sufficientem habeant, aut per exercitium artis vel liberalis, vel mechanicæ, famulatumve honestim acquirere illam possint; tunc enim, si spectata personæ, & status qualitate hoc possit, parentes alimenta ipsis subministrare non tenebuntur *l. si quis* 5. §. *sed si filius* 7. *ff. de agnosc. & alend. liber.* *Alter casus est*, si talem in parentes commiserunt ingratitudinem, ut exhæredari valeant *l. si quis cit.* §. *idem Judex* 11. nam, ut *ibidem* notat Gotthofred. *Lit. S.* ex quibus causis potest parens filium exhæredare, ex iisdem potest eidem denegare alimenta, & dotem.

Dub. 3. Quæ sit obligatio conjugum quoad usum Ma- 322
trimonii, seu actum conjugalem? Resp. Uno petente, alter tenetur reddere; petere vero debitum per se neuter tenetur.

Pars I. habetur ex S. Paulo 1. *Corinth.* 7. *vers.* 3. ubi

ubi Apostolus, *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat, similiter autem uxor viro*. Item *Gen.* 2. ubi dum DEUS ad primos nostros Parentes, *Crescite*, inquit, *& multiplicamini*, præcipit actum conjugalem. Estque obligatio hæc ex genere suo gravis, ita, ut mortaliter peccet Conjux debitum negans, si istud aliter conjux seriò, instanter, & rationabiliter petat, nec ulla interveniat causa legitimè excusans ab obligatione reddendi, ut communiter docent Theologi. *Ratio est*; quia conjux per ipsum Matrimonii contractum corporis sui dominium in ordine ad actum generationis in alterum transtulit. Ergo hic vi contractus, adeoque ex Justitia tenetur reddere debitum. *Et hinc sequitur*, actum conjugalem per se, & ex natura sua licitum, & honestum esse, ut habet Catholica Veritas contra quosdam Hæreticos, præsertim Manichæos, qui Matrimonium volebant esse malum. Convincitur sequela manifestæ veritatis; nam DEUS, ut dictum est, præcepit actum conjugalem; actum autem ex se malum DEUS non potest præcipere. Ergo &c.

323 *Pars altera* ex eo ostenditur; quia nullus tenetur uti jure suo, quod per se ad salutem corporis, vel animæ non est necessarium, & quod per se tantùm, & in suum jus illud habentis commodum introductum est, sed potest juri suo is renuntiare *c. ad Apostolicam* 16. *de Regular.* tale jus est jus petendi debitum conjugibus competens. Ergo &c. Addidi autem *per se*; quia per accidens, non quidem ex propria obligatione Justitiæ, sed ex Charitate conjux tenetur petere debitum, si ex signis colligat, aut credat alteri conjugi aliàs imminere periculum incontinentiæ, quod petendo possit avertere: hujusmodi autem petere est moraliter reddere. Schamb. *hic numer.* 175.

324 Dub. 4. An reddi, & peti debitum possit ab eo, qui cùm dubitaret de valore Matrimonii ob suspicionem latentis impedimenti, illud tamen mala fide contraxit? Sotus *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *artic.* 3. *v. alia verò*, *& dist.* 37. *q. un. artic.* 5. *ad fin. vers. dum verò conjugatus* cum quibusdam aliis putat, eum nec posse petere, nec reddere debitum. *Rationem dant*; quia possessio mala fide incepta non suffragatur, & ita claudicat Matrimonium ex parte habentis malam fidem, ergo non potest petere debitum. *Sed neque* reddere potest; cùm enim dubitet, an validum sit revera Matrimonium suum, reddendo debitum exponeret se fornicationis periculo.

325 Sed dicendum, hunc non posse debitum conjugale petere, posse tamen reddere alteri, qui bona fide contraxit. Ita Sylv. *V. Matrimonium* 4. *q.* 9. *dict.* 3. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 6. *nu.* 5. *&* 7. *comment. Lit. S.* Barth. à Ledesm. *dub.* 20. *de Matrim. concl.* 1. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 42. *n.* 2. Conink *D.* 34. *de Matr. dub.* 10. *nu.* 101. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 3. *nu.* 23. Pal. *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 5. §. 9. *n.* 6. Pirh. *hic n.* 180. & probatur *arg. c. significavit* 2. *de secund. nupt.* ubi deciditur, conjugem, qui nondum de prioris sui conjugis obitu certus contraxit, non posse debitum petere, etsi hoc negare non possit postulanti, qui bona fide contraxit.

Partem 1. *responsionis* probat Argumentum in ratione dubitandi allatum; quia scilicet jus petendi debitum non acquiritur, nisi per contractum bona fide initum, & possessionem bonæ fidei. atqui talis conjux, dum fide dubia contraxit, iniit contractum Matrimonium mala fide. ergo per eum contractum non acquisivit jus petendi debitum.

326 *Pars* 2. *ostenditur*; quia alter ratione contractus bona fide initi est possessor bonæ fidei, adeoque habet jus petendi, & utendi re, quam bona fide putat esse suam. Igitur jure suo spoliari non debet ob malam fidem alterius, quamdiu non constat nullum esse Matrimonium. Spoliaretur autem jure suo, si negaretur illi debitum. Ergo &c.

Ad Argumentum in contrarium allatum dico, eam fornicationem, si fortè Matrimonium sit nullum, solùm esse materialem: major autem est obligatio non irrogandi certam injuriam alteri conjugi, quàm vitandi periculum materialis fornicationis, quod dubitans evitare nequit, nisi cum injuria alterius.

327 Dub. 5. An reddi, & peti debitum possit, si post Matrimonium bona fide conjugis utriusque contractum, uni superveniat dubium de valore illius? Plerique DD. in hoc conveniunt 1. quòd teneatur reddere debitum alteri conjugi non dubitanti: & probatur hoc eo modo, quo pars secunda responsionis ad Dubium præcedens; quia scilicet propter dubium, vel etiam probabiles, non tamen certas rationes non potest alter privari possessione Juris sui justè acquisita; ad hoc enim requiritur, ut aliquis sit certus rem non esse possidentis.

2. Consentiunt in id omnes, non posse petere, antequam adhibuerit sufficientem diligentiam ad veritatem cognoscendam: quia generaliter, quando quis dubitat, an res sit sua, quamvis eam retinere possit, non tamen potest ea uti, donec veritatem inquirat; frustra enim inquireret, si non teneretur eam domino conservare. Ergo similiter in nostro casu non potest conjux dubitans debitum petere, quod est uti Matrimonio, & actus dominii, etsi possit reddere, quod est solùm pati actum dominii alterius, qui cùm sit bonæ fidei possessor, non potest eo injustè privari. 328

Difficultas est, an si adhibita diligentia, adhuc maneat dubium, ita dubitans debitum possit petere? Videtur non posse petere. 1. Quia si cum tali dubio conjux dubitans petat debitum, periculum est fornicationis, cùm periculum sit, an non sit invalidum Matrimonium. 2. Ante adhibitam diligentiam illicitum est petere debitum conjugi dubitanti. Ergo etiam si post adhibitam diligentiam dubium illud remaneat. 3. *cap. inquisitioni* 44. *de sent. Excomm.* dicitur, si *conscientia pulset animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta; debitum quidem reddi posse, sed postulari non debere.* 329

Sed respondendum est affirmativè. Ita Sot. *l.* 4. *de Just. q.* 5. *art. ult. ad fin. & in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *artic.* 3. *v. imò verò, & dist.* 37. *q. unic. art.* 5. *ad fin. v. dum verò Conjugatus*, Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 6. *nu.* 5. *&* 7. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 41. *num.* 46. *&* 47. Coninck *D.* 34. *de Matr. dub.* 10. *n.* 105. Pal. *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 5. §. 9. *nu.* 6. *in fin.* Pith. *hic nu.* 181. *Ratio est*; quia generaliter loquendo bonæ fidei possessor, si dubitet rem esse alienam, & post sufficiens examen nequeat dubium deponere, potest non tantùm rem detinere, sed etiam illa uti, vel eam alienare; cùm enim tali justè concedatur possessio, etiam concedi debent, quæ illam subsequi solent. Igitur etiam conjux dubius, si præmisso examine adhuc dubius maneat de valore Matrimonii, potest uti Matrimonio petendo, & reddendo debitum. *Conf.* quia iniquum videtur aliquem propter dubium superveniens, quod post adhibitam diligentiam deponere nequit, perdere jus legitimè acquisitum. Atqui ante hoc dubium conjux bona fide contrahens habuit jus petendi debitum. Igitur non obstante tali dubio superveniente, quod bonam fidem in possessore non tollit, nec interrumpit, illud jus retinebit. 330

Neque resolutionem istam evertunt, Argumenta *nu* 329. allata. *Ad* 1. eo casu non est periculum fornicationis formalis, vel peccaminosæ; quia stante hoc dubio speculativo de valore Matrimonii, potest simul consistere judicium practicum, quo prudenter judicatur, licitum esse hic & nunc usum juris conjugalis justè acquisiti: quod formari potest ex communi Regula, quia in dubio melior est conditio possidentis, & in dubio nemo privandus est jure semel legitimè acquisito. *Ad* 2. quòd ante adhibitam diligentiam conjux dubitans non possit petere debitum, causa non est tantùm, quòd adsit dubium speculativum de valore Matrimonii, sed quia nondum est adhibita debita diligentia ad illud deponendum. Igitur quando post adhibitam debitam diligentiam dubium adhuc manet, illud impedire non ampliùs potest petitionem debiti, cùm in hoc obligationi suæ dubitans jam satisfecerit, qui solùm tenetur inquirere, quòd ante ejusmodi inquisitionem formare prudens judicium nequeat, an usus conjugii ipsi licitus sit, vel illicitus. *Ad* 3. *in capitul. citat.* vel tantùm agitur de conjuge, qui ab initio mala fide contraxit Matrimonium, quia scilicet dubitabat, vel dubitare debebat de ejus valore, ac proinde nunquam fuit bonæ fidei possessor; vel locus ille intelligendus est de dubitante, qui diligentiam sufficientem inquirendæ veritatis non adhibuit, adeoque interim jure suo uti non potuit. 331

Dub. 6. Quid dicendum, quando uterque conjux dubitat de valore Matrimonii bona fide contracti? *Certum est* hoc casu neutrum posse petere ante præmissum 332

examen debitum juxta dicta *nu.* 328. Post examen sufficiens adhibitum, si adhuc persistat dubium, juxta resolutionem *n.* 330. datam petere uterque potest.

An verò, si in hoc casu unus ante adhibitum examen sufficiens illicitè petat debitum, alter teneatur reddere, difficultas est. Affirmant Cordub. *summ. q.* 45. *p.* 3. *fol.* 113. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 6. *num.* 5. *comment. Lit. T.* Barth. à Ledesm. *dub.* 20. *de Matr. concl.* 1. Petr. de Ledesm. *de Matr. quæst.* 45. *art.* 1. *ad fin.* §. *ad hoc dubium respondetur*. *Fundantur* 1. quia in dubio melior est conditio possidentis. uterque autem in hoc dubio possidet. 2. Quia non obstat, quòd illicitè petat; nam etiam illicitè petit conjux ligatus Voto simplici Castitatis, & tamen alter ita petenti tenetur reddere debitum.

333 Sed dicendum non teneri, nec posse in casu dato petenti reddere debitum, quando novit petentem esse dubium de valore Matrimonii, & nondum adhibitam diligentiam ad dubium illud vincendum. Ita Sanch. *l.* 2. *De Matr. D.* 41. *n.* 55. Pirh. *hic n.* 183. *Ratio est*; quia diligentia sufficienti non præmissa, possessio in dubio non confert jus utendi re. Ergo conjux tunc petens petit id, ad quod nullum jus habet, & ad quod possessio non suffragatur. Arqui si petens jus nullum habet, alter nequit reddere, si etiam ipse dubitat; tota enim ratio, ob quam tenetur & potest reddere, est, ne alter jure quæsito privetur, quod in tali casu non fit.

334 Dixi *diligentia sufficienti non præmissa*; quia hac adhibita uterque potest reddere, cùm post sufficientem inquisitionem possessio conferat jus ad omnem usum. Addidi, *si etiam alter dubitet, non teneri, nec posse reddere petenti*, quia exponeret se, & compartem periculo peccandi, & fornicationis non tantùm materialis, sed formalis, cùm talem redditionem jus nullum petentis legitimet. Aliud est, si unus duntaxat dubitet, & petat à non dubitante ante præmissum examen debitum; nam tali casu, etsi conjux non dubitans, conscius dubii alterius, possit negare debitum (quia petens jus ad petendum tali casu non habet) potest tamen reddere, ut notat Sanch. *l. cit. num.* 56. Rationem dat; quia cùm ipse sit in possessione pacifica, nec dubitet de Matrimonii valore, nec teneatur credere alteri asserenti, nedum dubitanti, potest uti plenè sua possessione petendo, & reddendo;

335 *Ad* 1. *Arg. nu.* 332. *propositum* dico in casu præsentis dubii meliorem esse conditionem possidentis, ne uxore spolietur, non verò ut habeat jus usus Matrimonii; nam hoc jus dubium superveniens impedit, & suspendit, usque dum adhibita sit debita diligentia ad veritatem assequendam. *Ad* 2. nego paritatem: quia ligatus Voto simplici Castitatis habet jus verum ad petendum debitum, quamvis impeditum Religione Voti; & hinc quando petit, licèt contra Religionem peccet, tamen verè sibi debitum petit. At qui dubitat, an Matrimonium suum validum sit, caret jure petendi, & possessionis suffragio, donec impendat diligentiam.

336 Dub. 7. Quid Juris, si quis post Matrimonium bona fide contractum utrinque habeat opiniones probabiles & de valore Matrimonii, & de nullitate illius? Resp. In tali casu potest reddere, & petere debitum; quia licet amplecti opinionem probabilem valoris Matrimonii. Ita Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 1. *ad fin. in solut. ad ul.* Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 44. *nu.* 4. Pirh. *hic nu.* 183. *fin.* Imò, ut idem Sanch. *l. cit.* notat, id potest, etsi probabilius crederet non valere Matrimonium, modò habeat opinionem verè probabilem de valore ejusdem. Ratio est; quia potest se conformare opinioni probabili, etiam probabiliore relicta.

337 Aliud esset, si adesset credulitas de nullitate, & contra hanc non militaret aliud judicium probabile; nam tali casu, etiam post adhibitam diligentiam, si opinio de nullitate deponi non potest, ita opinans petere debitum nequit: in quo distinguitur opinans à dubitante; dubitanti enim post diligens examen suffragatur possessio, non verò habenti assensum opinativum. Sanch. *l. cit. num.* 2. Reddere tamen debitum altero petente debet, prout patet ex *c. inquisitioni* 44. *de sent. Excomm.* ibi, *si habeat conscientiam ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, reddere debet.* Ratio est; quia ut possim alium sua possessione spoliare, oportet me esse certum rem non esse suam. Est autem in hoc casu alter non dubitans, sed credens Matrimonium esse validum, in possessione legitima Matrimonii. Ergo &c.

Quæritur 2. Quinam sint effectus singulares Matrimonii ex parte mariti? Resp. Inter hos præcipuè eminent duo, scilicet *Potestas Maritalis*, & *Patria*. *Illa* se ad uxorem extendit, quam viro, tanquam capiti, in ordine ad gubernationem, & administrationem domesticam subjicit juxta ordinationem Divinam *Gen.* 3. *v.* 16. *Ephes.* 5. *v.* 22. & 1. *Corinth.* 11. *Ista* circa Liberos occupatur, vi cujus Maritus personas illorum regere, actiones ipsorum in bonum familiæ dirigere, & res eorum (servata Peculiorum distinctione) ad utilitatem propriam applicare conceditur, per ea, quæ congerunt Interpp. *ad tit. Inst. de patr. potest.* 338

Dub. 1. Quæ sit obligatio uxoris erga maritum suum? Resp. Non potest uxor à viro discedere, etiam peregrinandi causa ad locum sacrum, sine viri consensu, & extra necessitatis casum. Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 4. *nu.* 15. 2. Tenetur in iis, quæ ad familiæ convenientem administrationem pertinent, obedire præceptis mariti. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 1. Et hinc etiam marito permissum est uxorem, si immorigera, & refractaria sit, castigare, moderatè tamen; quia non ancilla, sed conjux est, & adjutrix domesticæ administrationis. Laym. *l. cit.* 3. Si vir domicilium mutet, tenetur eundem sequi uxor *canon. unaquæque* 3. *caus.* 13. *q.* 2. ibi, *Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte*. In quo dispar est ratio viri, & mulieris; nam vir non tenetur sequi uxorem, nisi hæc ob casum necessarium cogatur domicilium mutare, cùm tamen ipse pro libitu suo sibi domicilium eligere possit, & uxorem cogere regulariter loquendo, ut illum sequatur. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 41. *n.* 16. Schàmbog. *hic n.* 172. Konig *ibid. n.* 115. 339

Dixi *Regulariter*; nam plures sunt casus, in quibus neque mulier tenetur sequi virum mutantem domicilium, prout videre est apud Sanch. *D.* 41. *cit.* Pirh. *hic n.* 174. Schambog. *n.* 172. Talis est 1. si in Pactis Matrimonialibus certus locus habitationi sit destinatus; tunc enim uxor virum ab eo loco discedentem sequi non tenetur, nisi nova causa discedendi superveniat antè non prævisa, ob quam vir necessariò debeat proficisci aliò: de quo dictum est *supra à num.* 120. 2. Si sine gravi detrimento corporis, vel animæ virum sequi non possit; quia urgentis est præceptum abstinendi à peccatis, vitamque tuendi. 3. Si vir hinc inde vagetur, & uxor nescivit, quòd ille consuetudinem vagandi habeat: secùs, si scivit; nam si nihilominus ei nupsit, tacitè ad eum sequendum se obligavit. 4. Si vir peregrinationem longam, etiam pietatis causa, instituere vellet, & commodè eum uxor sequi non posset. 5. ut Bald. *in l. si cùm dotem. §. si maritus. numer.* 1. *ff. solut. Matrim.* cum aliis putat, quando vir ob delictum in exilium mittitur à domicilio. Sed probabilius alii apud Sanch. *l. cit. num.* 13. docent eam teneri, ut virum sequatur in exilium; quia sequi debet infortunium viri *l. si cùm dotem cit.* §. *fin. autem*. Neque hoc est puniri uxorem ob viri delictum, sed pœna imponitur viro, & quia uxor Jure Divino tenetur eum sequi, ex causa necessaria, & inevitabili aliò migrantem, per accidens id infortunium patietur uxor. 340

Dub. 2. An Marito Illustri erga Uxorem Illustrem Jurisdictio competat, ita, ut eam tam in Civilibus, quàm in Criminalibus judicare possit? Negat Myler. ab Ehrenbach. *Gamol. Person. Illustr. c.* 7. *num.* 22. ullam Jurisdictionem marito hoc casu in uxorem competere; eò, quòd uxor mariti sit socia *l. nuptiæ* 1. *ff. de rit. nupt. l. adversus* 4. *C. de crim. expilat. hæred.* & si maritus sit Princeps, ac Status Imperii, etiam ipsa immediata persona Imperii esse putetur. Decian. *Cons.* 222. *n.* 3. Cravett. *cons.* 819. *n.* 5. adeoque par sit marito. Atqui par in parem Imperium, aut Jurisdictionem non habet *per l. nam Magistratus* 4. *ff. de recept. qui arbitr.* igitur fieri non poterit, ut maritus ei imperet, tanquam subditæ, & in eam Jurisdictionem exerceat; & hinc si quis uxori Illustri litem movere velit, vel Austregas, vel Cameram Imperialem pro causæ qualitate adire tenebitur. Lymnæus *de Jur. Publ. l.* 9. *c.* 5. *n.* 60. Gaill. *l.* 1. *obs.* 1. *n.* 17. & *seqq.* 341

In contrarium inclinat Stryk *Us. mod. Pandect. tit. de Jurisdict. ff.* 29. Vitriar. *Inst. Jur. Publ. l.* 3. *titul.* 17. §. 10. 342

§. 10. Schuz *Coll. Jur. pub. vol.* 1. *D.* 3. *th.* 32. quorum sententiam theoricè veram existimat Konig *hic nu.* 117. *v. verùm,* licèt priorem in judicando sequendam putet. 1. Quia ex vulgato quilibet Princeps in suo Territorio tantum potest, quantum Imperator in Imperio, nisi quid nominatim inveniatur exceptum. Gaill. *lib.* 1. *de Pac. publ. cap.* 6. *n.* 10. Augusta autem Imperatori subdita est *arg. l. Princeps* 31. *ff. de LL.* adeoque etiam coram Imperatore conveniri potest. Lymnæus *ad Bull. Aur. capitul.* 5. §. 3. *obs.* 4. *numer.* 2. igitur etiam uxor Principis, aut Status Imperii se à Jurisdictione mariti sui nequit eximere. 2. Quia uxor Illustris per nuptias transeundo in territorium mariti sui ibi constituit domicilium. Sed hoc ipso, quòd aliquis in territorio alicujus domicilium sibi constituit, Domini territorialis propriè fit subditus, ut docet ipsemet Myler ab Ehrenbach *de Princip. & Stat. Imp. cap.* 38. *num.* 7. quod etiam in Principibus, & Statibus Imperii obtinere asserunt non pauci apud Tileman *de Benign. Decis. Camer. Synt.* 4. *dec.* 1. *vol.* 10. licèt alii negent apud Ziegl. *de aur. prax. Calvoli* §. *Landsassij num.* 24. *& seqq.* 3. Debitor sortitur forum in loco Contractus, & delinquens in loco delicti per dicta *Libr.* 2. *Tit.* 2. *à nu.* 30. & *à nu.* 59. ergo etiam uxor sortitur forum sub Jurisdictione mariti, si in ejus territorio contrahat, vel delinquat: cujus rei plura exempla enumerat P. Otto Aicher *Histor. quart. Monarch. l.* 5. *c.* 3. *q.* 2.

343 Neque obstant allegata in contrarium. *Ad* 1. uxor tantum Socia est domesticæ curæ, non verò Imperii, & Jurisdictionis maritalis. Vitriarius §. 10. *citat. Ad* 2. uxor immediata persona est, ut maritus, extra potestatem, & territorium mariti, *conceditur*: intra illud, *negatur*; nisi hoc ipsi maritus gratiosè concesserit. *Ad* 3. Regula illa, quòd par in parem Jurisdictionem non habeat, limitari debet, nisi aliter alterius se Jurisdictioni subjecerit, quod in casu præsenti fœmina nubendo existimatur fecisse.

344 Dub. 3. Quam potestatem Maritus habeat in Liberorum suorum personas, & bona? Resp. Quoad personas olim Patria potestas in Liberos tanta fuit, quanta dominorum in Servos, h. e. jus vitæ, & necis *l. in suis* 11. *fin. ff. de Liber. & posthum. l. fin. C. de patr. potest.* Sed hoc jus successu temporis limitatum est, & relicta patri solùm facultas terminandi controversias domesticas, & liberos, si parere liberè non velint, castigandi *l. si filius* 3. *& l. seq. C. eod.* Konig *hic n.* 117. *v. patria potestas.*

345 Eodem modo restricta etiam est Parentum potestas in bona Liberorum, quæ olim tam ampla fuit, ut quidquid ad Liberos perveniret, hoc parentibus suis ad instar servorum acquirerent. Nam sequentibus temporibus Peculiorum distinctio introducta est, & sancitum, ut Pater vi Patriæ potestatis in Peculio profectitio plenum dominium, in Adventitio Regulari solum Usumfructum obtineat, in Adventitio verò extraordinario, & à fortiori in Castrensi, vel quasi Castrensi omne jus filiis, nec quicquam in iis competat Patri §. *igitur* 1. *Inst. per quas person. cuiq. acquir. l. cùm oportet* 6. *C. de bon. quæ liber. Novell.* 117. *c.* 1. Konig *n.* 117. *cit. v. eod.*

346 Porrò potestas Patria non obinde solvitur de Jure communi, esto, liberi ad nuptias convolent, prout apertè patet ex §. *final. Inst. de patr. potest. l. injuria* 1. §. *fin. ff. de injur. De Jure communi,* inquam; nam variarum Nationum consuetudine obtinuit, ut si liberi conjugati separatam habeant Oeconomiam, patria potestas solvatur. Stryk *ad ff. tit. de Adoption.* §. 22. *& seq.* quod tamen non ubique obtinet, prout testatur Lauterbach. *ad ff. tit. de Rit. nupt.* §. 82. & hinc ibi locus erit dispositioni Juris communis.

347 Quæritur 3. Qui sint effectus Matrimonii uxori proprii? Respond. Tres sunt præcipuè. 1. Quòd participet dignitatem, & nobilitatem mariti. De Dignitate perspicuus occurrit textus *l. fœminæ* 8. *ff. de Senator. & leg. mulieres* 13. *C. de Dignit.* & ideo si Princeps, aut Comes Imperii ducat inferioris conditionis uxorem; statim dignitatis suæ radios in hanc derivat, ut Princeps, Ducissa, vel Comitissa salutari debeat, nisi fortè Matrimonium sit inæquale, seu ad Morganaticam contractum: de quo *suprà à num.* 237. Stryk. *ad ff. de Senator.* §. 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 3. *num.* 18. De Nobilitate, quòd à Marito transferatur in uxorem, post Tiraquellum, Besoldum, Hœping, & alios cum communi docet idem Stryk §. 7. & meritò; nam *l. mulieres cit.* hoc expresse statuitur ibi, *Genere nobilitamus*. Hæc tamen nobilitas à Marito Illustri in Matrem plebejam ita transfusa, eam vim non habet, ut ex ea descendentes Canonicatuum capaces fiant in Ecclesiis Cathedralibus, & aliis, in quibus nobilitas utriusque parentis, & avorum requiritur. Magnif. P. Schmier *l. citat. numer.* 20.

An autem vice versa, si fœmina nubat marito conditionis inferioris, pristinam suam dignitatem, & prærogativas amittat, & mariti dignitate, honoreque esse contenta debeat, dubitari potest? Et videtur respondendum affirmativè, quia vulgato asserto priorem statum, & conditionem amittere dicitur *per l. fœminæ* 8. *ff. de Senator l. cùm tu* 10. *C. de Nupt.* Sed cum Stryk *l. citat.* §. 9. distinguendum est inter prærogativas connatas, qualis est nobilitas, ac illustris conditio, quam fœmina talis accepit ex sanguine; & inter participatas, quas accepit ex officio patris, quia hic v. g. fuit Consul, Consiliarius, aut Minister Principis. *Has posteriores*, dum nuptias cum marito sortis diversæ pangit, amittit; quia per nuptias è familia patris egreditur, nec paternorum jurium particeps remanet, sed mariti sortem consequitur *l. cùm tu cit. Priores*, quia sanguini, quem fœmina per Matrimonium non exuit, cohærere videntur, retinet *l. cùm tu cit. & l. si ut* 1. *C. de dignit.* & sic passim obtinuit praxis, qua videmus filiam Regis, Ducis, Principis, Comitis, Baronis &c. etiam post nuptias cum inferiori marito contractas, titulo tamen, quem antecedenter ex natalium splendore accepit, adhuc condecorari. Cassanæus *in Catalog. Glor. Mund. p.* 2. *Consid.* 40. Springsfeld *de Appanag. c.* 3. *nu.* 13. Myler ab Ehrenbach *Gamolog. Person. Illustr. c.* 5. §. 28. Konig *hic n.* 119. Magnif. P. Schmier *c.* 3. *cit. n.* 28. 348

2. Effectus proprius Uxori est, quòd pleraque viri, veluti fori, sessionis, immunitatis &c. privilegia participet prout patet ex *l. final. C. de injur. l. medicos* 6. *& l. fin. C. de Professor. & Medic.* Et hinc 1. si Maritus sit Princeps, aut Status Imperii, etiam Uxor ex mediata fit immediata persona Imperii, saltem extra territorium mariti *arg. l. ne ad diversa* 4. *C. de Silentiar. & Decur. l. cùm quædam* 19. *ff. de Jurisdict.* 2. Quando vult condere Testamentum, non tenetur adhibere omnes solemnitates à Jure Civili præscriptas, sed satis est, si observet ea, quæ requiruntur de Jure gentium *arg. l. Princeps* 31. *ff. de LL.* 3. Potest Uxori Illustri testamentum, tanquam Principi oblatum, insinuari *arg. l. omnium* 19. *C. de Testam.* Tabor *de Testam. Princip. oblat. cap.* 6. *num.* 11. 4. Donatio, ab ipsa facta, etsi 500. solidos excedat, insinuatione non indiget, acsi ipse Princeps maritus donasset *l. sancimus* 34. *v. exceptis. C. de Donat.* 5. Quod donat ipsa alicui ex Gynæceo suo, aut alteri, induit naturam Castrensis peculii, ita, ut pater donatariæ, vel donatarii in re donata usumfructum non possit prætendere *l. cùm multa* 7. *C. de bonis, quæ liberis &c.* 6. Ministri uxoris Principis idem privilegium habent, quod Ministri mariti Principis *arg. l. cubicularios* 3. *C. de Præposit. sacr. cubic.* 7. Ipsius bona æquè, ac bona Principis mariti, immunitate à vectigalibus gaudent *arg. l. locatio* 9. §. *fin. ff. de Publican. & vectigal.* 8. etiam in Augustam crimen læsæ Majestatis committitur *arg. l. quisquis* 5. *C. ad Leg. Jul. Majest.* 349

3. Effectus proprius ex parte uxoris est, quòd acquirat domicilium mariti *l. cùm quædam* 19. *ff. de Jurisd. l. fin.* §. *item rescripserunt* 3. *ff. ad municipal. l. mulieres* 13. *C. de dignit.* & forum cum eo commune habeat *leg. mulieres citat.* adeo, ut dotem, non ubi Pacta dotalia confecta sunt, sed ubi maritus domicilium habuit, repetere debeat *l. exigere* 65. *& ibi* Gloss. *ff. de Judic.* Et retinet hoc mariti sui forum, domicilium, dignitatem, & prærogativas mulier, etiam marito mortuo, quamdiu manet vidua *per l. mulieres cit. & l. fin. C. de incol.* quia dum amoribus conjugalibus iteratò se non implicat, mariti prædefuncti prærogativis digna reputatur. At quamprimum alteri nubit, has amittit, ac posterioris mariti fortunam sequitur *l. mulieres cit. & Novell.* 22. *c.* 36. nisi speciali indulto Principis impetraverit retentionem veterum Jurium *l. fin. pr. ff. de Senator.* Stryk *ad eund. tit.* §. 8. 350

Addi potest Effectus quartus, scilicet Jus alimentorum, quæ ipsi, & familiæ subministrare maritus de- 351

debet; nam ideo etiam Dotis fructus accipit *l. dotis 7. ff. de Jur. dot. & l. pro oneribus 20. C. eod.*

Excipitur 1. Si uxor sine culpa viri, & absque causa necessaria à marito discedat; tunc enim, quamvis dotem ab ea maritus acceperit, ad eam alendam non obligatur; quia uxor debet esse in obsequio viri *can. hæc imago* 13. *cauf.* 33. *q.* 5. ac proinde, si non velit præstare obsequium debitum, non recipiet alimenta aliàs sibi debita; qui enim non facit, quod debet, non recipit, quod oportet *arg. l. si ea* 3. *C. de condit. insert.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 7. §. 5. *n.* 2. Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 4. *n.* 20. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 5. §. 2. *n.* 3. Dixi *si sine culpa viri, & absque causa necessaria*; nam si ob viri sævitiam, aut aliam culpam discesserit; vel si coacta sit recedere ob viri furorem, aut morbum contagiosum; vel etiam ob proprium delictum in exilium acta sit, alià viro debet, ut *l. citt.* notant Sanch. *n.* 21. *& seqq.* Laym. Pal. &c.

352 *Excipitur* 2. Si dos promissa, vel pars promissæ dotis soluta non fuerit, sive deinde promissa fuerit ab uxore, ejusque parentibus, sive ab alio quocunque extraneo; quia maritus, de dote conveniens pro alimentis uxori præstandis, tacitè intendit nullam obligationem alimentorum subire, dote non soluta. Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 5. *nu.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 5. §. 2. *num.* 5. Est tamen, ut DD. *citt.* notant, differentia facienda inter casum, quo dos promissa est ab uxore, vel ejus patre, inter casum, quo promissa est ab extraneo; nam si ab extraneo promissa est, ea non soluta nullam maritus obligationem habet alendi uxorem, tametsi promittens dotem ob impotentiam eam non solvat. At si ab uxore, ejusque patre promissa sit, & hi ex impotentia non solverint, modò tempore promissionis eam impotentiam non agnovissent, tenetur maritus uxori alimenta præstare, acsi dotem recepisset; quia censenda est eo casu Dos perire fortuito; siquidem absque culpa uxoris, vel parentis non solvitur, quique conveniri nequeunt pro dote solvenda, ultrà, quàm facere possunt.

353 *Excipitur* 3. Si maritus sit inops, & uxor dives; nam eo casu uxor viro alimenta præstare debet *l. si cùm dotem* 22. §. *si maritus* 7. *fin. ff. solut. Matr.* Sanch. *D.* 5. *citat. n.* 9. Pal. *p.* 2. *cit. n.* 4. Schamb. *hic num.* 173. Rationem dat Sanch. *l. cit.* quòd dum mulier dives absque dotis promissione ducitur, videtur tacitè actum de Dote constituenda; igitur dum dotem tacitè promissam non solvit, à marito petere alimenta non potest, sed potiùs ab ipsa maritus, utpote cùm eum in finem constituatur Dos, ut alere uxorem, & familiam, aliaque matrimonii onera supportare possit. Quando autem non ipsa mulier, sed ejus pater dives esset, dotemque constituere nollet, teneretur maritus, qui nihil de dote pactus est, ipsam alere, liberumque illi esset à patre dotem petere. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 425. *n.* 4.

SECTIO III.

De Matrimoniorum Impedimentis in genere, & quibusdam in specie.

UT sanctior, firmior, & Reip. utilior foret conjunctio maris, & fœminæ ad generationem prolis, Jura meritò voluerunt, eam non temere, sed maximo delectu, & circumspectione iniri. Quare ut temeritatem, & inconsiderantiam hominum cæcam refrænaret Ecclesia, non pauca conjugiorum obstacula, seu, ut vocant, Impedimenta ipsa posuit, alia per Legem naturalem, vel Divinam jam antè posita promulgavit. Sit ergo

§. I.

De Matrimonii Impedimentis in genere.

SUMMARIUM.

354 *Quid sit Impedimentum Matrimonii?*
355 356 *Quotuplicis generis?*
357 *An in Ecclesia sit potestas inducendi Impedimenta Matrimoniorum?*
358 *Respondetur affirmativè ex certa Catholicorum doctrina.*
359 *Solvuntur opposita.*
360 *Quibus competat potestas inducendi Impedimenta Matrimoniorum? An Episcopis?*
361 *Resolvitur negativa.*
362 *Saltem quoad Impedimenta Dirimentia.*
363 *Respondetur ad Argumenta contraria.*
364 *An Princeps Sæcularis subditis suis fidelibus statuere Matrimonii Impedimenta possit?*
365 *Respondetur non posse.*
366 *Solvuntur Objectiones.*
367 *An Impedimenta hujusmodi introducere possint Principes infideles respectu subditorum suorum infidelium?*
368 369 *Vel fidelium?*
370 *An per consuetudinem illa induci possint? Prima sententia.*
371 *Secunda.*
372 *Tertia.*
373 *Solvuntur Argumenta primæ.*
374 *Respondetur ad Argumenta secundæ.*
375 376 377 *Quinam Legibus, & Impedimentis Nuptialibus teneantur?*
378 *An valida sint conjugia Hæreticorum, quæ ipsi cum Impedimento Juris Ecclesiastici ineunt? Prima sententia negans.*
379 *Secunda affirmans.*
380 *Respondetur ad Argumenta prioris sententiæ?*
381 *Utrum Pontifex Impedimentum dirimens statuere possit etiam inter duas privatas personas?*
382 *An possit aliquem reddere perpetuò inhabilem ad Matrimonium?*
383 *An causa justa desideretur ad Impedimentum aliquod inducendum?*

QUæritur 1. Quid sint, & quotuplicis generis sint Impedimenta Matrimoniorum? Respond. *Impedimentum* quasi *Pedum tenimentum* ex sua origine obstaculum dicitur, quo quis impeditur, ne progredi, vel transmeare possit, quò vult. Et ob hanc causam in exercitu sarcinæ, curtus, vehicula, & alia involucta dicuntur *Impedimenta*, quòd militum concitato cursui, & velocitati obstent. Clericat. *de Sacr. Matr. decis.* 18. *num.* 3. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Impedim. Matr. c.* 1. *num.* 1. Juxta hanc notionem *Impedimentum Matrimonii in genere* describi potest, quòd sit *obstaculum morale, seu inhabilitas, faciens, ut Matrimonium pro desiderio, & voluntate contrahi nequeat.* Sicut enim in aliis Contractibus, ita & multo magìs, cùm sanctior, & firmior esse debeat, in Matrimoniali Contractu aliqua inveniuntur obstacula, quæ aliquando ab illo contrahendo omnino removent, aliquando saltem retardant. 354

Sunt autem duplicis generis Impedimenta Matrimoniorum: nam aliqua sunt *Impedientia* tantùm; quia solùm obstant nuptiarum justitiæ, & honestati, cùm efficiant, ut illicitè contrahantur. Alia verò sunt, & appellantur *Dirimentia*; quia obstant etiam illarum valori, & faciunt, ut cum eorum uno contractæ non solùm illicitæ, sed etiam invalidæ sint. Istorum, seu *Dirimentium* septemdecim omnino enumerantur, & memoriæ gratia in quatuor sequentes Versus coguntur. 355

Error, Religio, triplex Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Raptus, Clandestina fides, Impos coeundi,
AEtas, Affines solvunt Sponsalia cuncta.

Quibus Versibus ut Impedimenta Dirimentia omnia comprehendantur, sub Impedimento Erroris intelligi debet non tantum ille Error, qui versatur circa Personæ contrahentis substantiam, ut loquuntur Philosophi, sive individuum, sed etiam ille, qui contingit circa alterius contrahentium conditionem servilem.

Priorum, seu *Impedientium* aliqui duodecim omnino referunt; alii verò, nec malè, illa complectuntur Quinario, in hunc Versum redacto: 356

Interdico, Dies, Votum, Sponsalia, Crimen.

Addunt nonnulli sextum, videlicet Catechismum, an rectè, dicetur *Titul.* 16. Non est animus hoc Titulo de omnibus singillatim agere, sed solùm de Impedimento Erroris, & Vis, seu Metus: de Publica Honestate actum est *à nu.* 96. reliqua suis quoque Titulis servabuntur.

Quæritur 2. An in Ecclesia sit potestas inducendi Impedimenta Matrimonii Impedientia, & Dirimentia? Dubitabant non pauci ante Tridentinum: imò ex ipsis lauda- 357

laudati Concilii Patribus quadraginta omnino Episcopi, aliique non pauci DD. fuerunt, qui initio putabant, in Ecclesia non esse Potestatem constituendi hujusmodi Impedimenta, Et videtur hoc etiam probare Ratio: quia Matrimonium fidelium de facto est unum ex septem novæ Legis Sacramentis; Ecclesia autem, sicut novum aliquod Sacramentum instituere nequit, ita nec potest à Christo instituta circa materiam, & formam immutare. Ergo neque in Matrimonio istud poterit: mutaretur autem in hoc Materia, & Forma, si induceretur ab Ecclesia Impedimentum aliquod dirimens Matrimonium, quod initio, cùm elevabatur à Christo ad dignitatem Sacramenti, illud non dirimebat; quia tunc mutaretur Contractus, qui est Materia, & Forma hujus Sacramenti, ergo &c. *Confirm.* non potest Ecclesia facere, ut panis, & vinum, quæ de facto sunt materia Sacramenti Eucharistiæ apta, imposterum non sint materia apta ejusdem Sacramenti; aut ut verba, *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis &c.* quæ de facto sunt forma illius, ejusdem non ampliùs sint forma: & sic de cæteris Sacramentis. Ergo nec in potestate Ecclesiæ est facere, ut persona v. g. servilis, aut in conjugis mortem machinata, quæ ad contrahendum Matrimonium antea erat habilis, deinceps non ampliùs habilis sit, aut ut consensus, seu contractus clandestinus, qui ante legitimus, & sufficiens erat, jam non sit legitimus, & sufficiens.

358 Verùm his non obstantibus, est inconcussa Catholica veritas, & firma fide teneri debet, quòd in Ecclesiæ potestate sit inducere Impedimenta, non tantùm Impedientia, sed etiam dirimentia Matrimonium. Patet ex Trid. *sess.* 24. *can.* 4. *de Sacram. Matr.* ubi, S. Concilii istius Patres, *Si quis*, inquiunt, *dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimoniorum dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. Conf.* 1. ex antiquissima praxi, & usu Ecclesiæ, qua constat ab eadem irritatum Matrimonim gravi, & injustè incusso metu extortum *arg. c. cùm locum* 14. *& cap. veniens* 15. *&c. h. tit.* contractum inter eos, qui in alterius conjugis mortem sunt machinati *can. si quis vivente* 5. *caus.* 31. *quæst.* 1. *cap. super eo* 3. *de eo, qui duxit &c.* contractum inter Servum, & liberum ignorantem conditionem servilem illius *c. proposuit* 2. *& c. fin. de conjug. serv.* contractum sine Parocho, & testibus clandestinè. *Sess.* 24. *cit. cap.* 1. *vers. qui aliter de reform. matrim. Conf.* 2. Christus, dum Matrimonii contractum elevavit ad rationem, & dignitatem Sacramenti, non mutavit Contractum, sed statuit, ut is, qui inter homines legitimus est, seu secundùm Leges humanas validè initus, inter fideles deinceps foret Sacramentum. Igitur sicut Ecclesia, quando id ad Reip. Christianæ bonum, & rectam fidelium gubernationem expedire videbitur, in cæteris Contractibus certam formam, & solemnitates constituere, & ad eos celebrandos personas contrahentium habilitare, vel inhabilitare potest, ita etiam potest in Contractu Matrimonii.

359 *Ex quo patet ad Rationem dubitandi*; nam Ecclesia, dum certam formam, & solemnitates constituit Matrimonio, & alias quidem personas habiles ad id contrahendum, alias verò inhabiles facit, non mutat materiam, & formam Sacramenti à Christo constitutam, sed tantùm facit, ut Contractus, qui antea fuit legitimus, deinceps talis non ampliùs sit; instituit autem Christus Matrimonii Sacramentum sub ratione generica Contractus legitimi: quinam verò talis sit, reliquit arbitrio Ecclesiæ. *Ad Conf.* negatur paritas; nam in Eucharistia, & aliis Sacramentis Christus materiam, & formam Sacramenti constituit determinatam in ratione sua specifica, in matrimonio verò tantùm sub ratione generica Contractus legitimi. Imò Argumentum hoc potiùs confirmat responsionem datam; nemo enim diceret, quòd materiam Eucharistiæ mutet is, qui corrumpit panem, & vinum. Igitur nec Ecclesia dici debet propriè mutare materiam, & formam Sacramenti Matrimonii, dum Impedimenta aliqua inducendo facit, ut Contractus, qui antea legitimus fuit, jam non sit legitimus.

360 Quæritur 3. Quibus in Ecclesia competat potestas introducendi Impedimenta impedientia, vel dirimentia? *Certum est* apud omnes Catholicos post Tridentinum, quòd hæc potestas competat Summo Pontifici; nam ita monstrant Constitutiones Apostolicæ, Conciliorum Oecumenicorum Decreta, & perantiqua, ac universalis Ecclesiæ consuetudo.

Dubium est de Episcopis, aliisque Prælatis Jurisdictionem quasi Episcopalem in certi territorii Clerum, ac populum obtinentibus? *Ratio dubitandi est;* quia quod Papa potest in toto Orbe Christiano, hoc isti possunt in sua quisque Diœcesi, præterea, quæ Summo Pontifici specialiter sunt reservata, ut Regulæ instar statuunt Abulens. *in Matth. c.* 16. *q.* 87. Sot. *l.* 10. *de Just. q.* 1. *art.* 3. Gambara *de Offic. Legat. l.* 10. *à num.* 466. atqui nuspiam reperitur expressum, quòd Papa potestatem istam Episcopis, & Prælatis inferioribus ademerit, & sibi reservaverit. ergo &c. *Conf.* Quia Impedimenta quædam, etiam irritantia, olim ab Episcopis, & Conciliis Provincialibus, vel Nationalibus introducta sunt, ut testis est Pontius *l.* 2. *de Matr. c.* 2. *n.* 12.

Sed dicendum, potestatem istam inducendi saltem Impedimenta dirimentia competere soli Summo Pontifici, non verò Episcopis, vel aliis Prælatis inferioribus. Ita Covar. *p.* 2. *c.* 6. §. 10. *nu.* 16. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 1. *n.* 10. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 2. Perez *de Matrim. D.* 21. *sect.* 5. *n.* 7. Fagn. *in c. perniciosam* 1. *de offic. Ord. n.* 63. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 1. *n.* 2. Card. de Lug. *l.* 1. *respons. mor. dub.* 45. *à n.* 1. Gobat. *Theol. Exper. tr.* 9. *n.* 19. Clericat. *de Sacram. Matr. decis.* 18. *n.* 22. Pirh. *hic num.* 149. Konig *n.* 125. Wiest. *nu.* 182. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Imped. Matr. cap.* 1. *num.* 9 *& duob. seqq. Ratio est*; quia si Episcopi, aliique inferiores Prælati haberent potestatem inducendi Impedimenta dirimentia Matrimonium, potestas hæc ipsis competeret vel ex sua Ordinatione, vel ex concessione Pontificis, vel ex dispositione Juris. Non ex Ordinatione sua; quia vi istius præcisè nullam actualem Jurisdictionem in aliquod territorium, vel subditos habent, ut patet in Episcopis merè Titularibus: non ex concessione Pontificis; quia nuspiam legitur, quòd unquam hæc potestas à Papa sit concessa Episcopis: non denique ex dispositione Juris; quia nullus extat in Jure textus, ex quo tam insignis potestas in Episcopos fuerit transfusa: imò ob rei gravitatem non expediebat eam in hos transfundi, cùm aliàs constet, quòd causas graviores sibi reservet Pontifex. 361

Dixi, *Impedimenta saltem dirimentia;* nam quoad Impedientia non dubitat Clericat. *l. cit. n.* 13. quin potestas illa statuendi Episcopis competat: cujus ratio assignari potest. 1. Quia prohibitio Matrimonii citra irritationem non videtur esse una ex causis majoribus. 2. Quia Superior quilibet frequenter ex alia causa potest illicitum reddere, quod aliàs erat licitum. 3. Quia Ecclesiæ vetitum numeratur inter impedimenta impedientia, cùm tamen etiam Episcopis liceat Matrimonium ex causa aliquibus interdicere, ut *infrà Tit.* 16. dicetur. 362

Ad Rationem dubitandi, Regulam illam, nisi variè limitetur, omnino falsam esse præter alios pronuntiat Suar. *l.* 6. *de Legib. c.* 14. *n.* 6. & multis probat Fagnan. *l. cit. n.* 29. cùm enim Episcopi à Romano Pont. non in potestatis plenitudinem, sed in partem sollicitudinis vocentur, potiùs vera est Regula contraria, videlicet Episcopos quoad actus Jurisdictionis plus non posse, quàm quod ipsis conceditur à Pontifice. *Ad Conf.* Idem Pontius *l. cit.* fatetur aliqua ex impedimentis Episcoporum, & Conciliorum Provincialium, vel Nationalium authoritate introductis, à Sede Apostolica fuisse rejecta, & explosa, alia verò, ejusdem Summæ Sedis authoritate, vel ratificatione accedente, constituta, & approbata: quo modo Impedimenta Matrimonii Dirimentia induci posse, in dubium nemo vocat. 363

Quæritur 4. An Princeps, seu Magistratus Sæcularis, saltem is, qui habet potestatem absolutam ferendi Leges, suis subditis fidelibus statuere Matrimonii impedimenta possit? Videtur posse. 1. quia Matrimonium est contractus Civilis. igitur non minùs, quàm alii Contractus potestati Politicæ, & Sæculari subjectus est. 2. Ad potestatem Regiam, & Principis cujuscunque supremi pertinet providere ea, quæ ad tranquillitatem, & bonum Reipubl. tuendum pertinent. atqui ad hoc tuendum aliquando pertinet introduci Impedimenta, vi quorum aliquæ personæ, quæ priùs poterant contrahere Matrimonium, deinceps non ampliùs possint. igitur eo casu, quo bonum, & tranquillitas Reip. hoc ita exigit, à Principe, vel Magistratu Sæculari introduci Impedi- 364

pedimenta hujusmodi poterunt. 3. Si esset aliqua ratio, quam Princeps Sæcularis circa Matrimoniorum Impedimenta nihil posset statuere quoad fideles subditos, esset, quia inter hos contractum est Sacramentum. atqui hoc obesse non debet; quia simul est Contractus Civilis, quo per Politicam, & Sæcularem potestatem immutato, definit esse materia Sacramenti, ut dictum est *numer.* 357. 4. Si ratio Sacramenti obstaret, neque Pontifex hujusmodi Impedimenta posset introducere: nam Sacramenta sunt Juris Divini, circa quod potestas inferior nihil potest. Potest autem Pontifex hujusmodi Impedimenta inducere; quia hæc ejus potestas consurgit solùm ex ratione contractus humani, quem dum facit non ampliùs esse legitimum, facit, ut non ampliùs sit materia Sacramenti. ergo &c.

365 Sed his non obstantibus, dicendum omnino est, post elevationem Matrimonii ad dignitatem Sacramenti à Christo factam, impedimenta Nuptiarum, quæ valori, & honestati illarum obstent, pro fidelibus per Principes, & Magistratum quemcunque Sæcularem induci non posse. Ita Ant. de Butrio *in c.* 1. *h. tit. nu.* 12. Abb. *ibid. n.* 9. Alex. de Nevo *n.* 21. Præposit. *n.* 7. Felin. *nu.* 10. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 8. *dict.* 1. Tabien. *V. Impedimentum Imped.* 6. *n.* 1. Turrecr. *in can.* 1. *caus.* 30. *q.* 3. *art.* 6. *ad* 1. Gaeta *in can. ad limina* 7. *caus. cit. q.* 1. §. 4. *n.* 299. *& seqq.* Sot. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 10. *n.* 30. Cævall. *opin. comm. contr. comm. q.* 58. *nu.* 10. Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 32. Pont. *l.* 6. *de Matr. c.* 2. *n.* 3. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 1. *n.* 3. Fagnan. *in c. utrum* 1. *n.* 22. *de cognat. spirit.* Pirhing *hic n.* 150. Konig *n.* 93. *&* 125. Vviest. *n.* 180. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Imped. Matr. c.* 1. *n.* 7. *&* 8. Consentit S. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 4. ubi disertè ait: *Prohibitio Legis humanæ non sufficit ad Impedimentum Matrimonii, nisi interveniat authoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicat.* Rationem dat; *quia Sacramenta Ecclesiæ, quale etiam est Matrimonium, humanis Legibus non subduntur.* Quod *confirmatur* 1. quia Matrimonium fidelium per hoc ipsum, quòd elevatum sit ad dignitatem Sacramenti, cæpit esse Contractus sacer, & Spiritualis, ac proinde subjectus soli potestati Ecclesiasticæ, & extractus ex potestate Sæculari. *Conf.* 2. Plus est Matrimoniis inter fideles contrahendis ponere Leges, & constituere impedimenta, quàm cognoscere de causis Matrimonialibus inter fideles exortis. atqui Curia Sæcularis de his causis, quia Spirituales sunt, nequit cognoscere, ut patet ex *c. tuam* 3. *de ordin. cognit. cap. causam* 7. *qui fil. legit. & Trid. sess.* 24. *canon.* 12. *de Sacr. Matrim.* ergo multo minùs iis contrahendis Leges ponere, & Impedimenta potest statuere, cùm recepta, & Magistralis sit Regula: *Cujus quis in aliqua materia non sortitur forum, ejus etiam Legibus non ligatur* arg. *cap. final. de Const. in* 6. *& l. final. ff. de Jurisdict.*

366 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. Id procedit de Matrimonio ante elevationem ad dignitatem Sacramenti: ex quo non sequitur, quòd etiam post illam subjectum potestati Sæculari maneat, sed potiùs contrarium; nam sicut persona Clerici, aut Religiosi, licèt ante Ordinationem, & Professionem Religiosam subjecta fuerit Principi, & Magistratui Sæculari, post illam tamen à Jurisdictione illius eximitur, ita etiam Matrimonium, quamvis ante elevationem ad Sacramentum fuerit Contractus Civilis, & propterea sub dispositione potestatis Sæcularis, post illam tamen ista circa illud Legali, aut alia ordinatione decernere nil ampliùs poterit. *Ad* 2. Satis provisum est bono publico, quòd potestas Impedimenta hæc inducendi sit data Ecclesiæ. *Ad* 3. Patet ex responsione *ad* 1. quia scilicet Contractus Matrimonialis, qui antea Civilis duntaxat fuit, per elevationem Spiritualis effectus est. *Ad* 4. Pontifici Christus concessit potestatem decernendi qualitatem Contractus, ut hic ad conficiendum validè Matrimonium habeatur legitimus, quam non legitur concessisse Principi Sæculari.

367 Quæritur 5. An Impedimenta Matrimonium dirimentia introducere valeant Principes, & similes Magistratus infideles. *Certum est*, illa statui ab his posse pro subditis suis infidelibus. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 2. *ad* 3. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 48. Henriq. *l.* 12. *c.* 1. *n.* 4. Sanch. *Libr.* 7. *de Matr. D.* 3. *n.* 5. Conink *D.* 30. *dub.* 1. *n.* 7. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 1. *n.* 4. Vviest. *hic num.* 177. & hoc teste aliorum communis sententia. *Ratio* est expedita; quia Matrimonia Infidelium non sunt Sacramentum, sed Contractus merè Civilis. igitur sicut infideles potestati Legislativæ suorum Principum, ac Magistratuum subjecti sunt quoad alios Contractus, ita etiam quoad Matrimonium; poterunt proinde isti, si ita bonum Reipubl. commune videatur exigere, certam formam, & solemnitates Matrimoniis illorum præscribere, eosque ad ea contrahenda habilitare, vel inhabilitare. Idem ex eadem ratione dici debet de Principibus fidelibus, si subditos aliquos infideles habeant, ut cum communi notat Sanch. *l. c. n.* 8.

Controversia est, an Princeps infidelis ejusmodi Impedimenta statuere possit etiam pro subditis suis fidelibus? Affirmant Sanch. *D.* 3. *cit. numer.* 7. Coninck *num.* 7. *citat.* Perex *de Matrim. D.* 21. *sect.* 5. *num.* 3. & probare hoc etiam videtur ratio: quia Leges, quibus hujusmodi Impedimenta inducuntur, si justam habeant causam, sunt justæ, & procedunt ab habente potestatem ejusmodi Impedimenta inducendi; igitur tenebunt quoscunque Principis talis subditos. *Conf.* Princeps Infidelis hujusmodi impedimenta statuere potest saltem quoad subditos suos infideles. igitur nisi potestas ista aliqua Lege restricta sit, se extendet etiam ad subditos suos fideles; non patet autem restrictam esse Lege Divina, & Ecclesiastica, qua sibi Ecclesia facultatem de nuptiali contractu disponendi reservavit, non ligantur; quia Ecclesiam per Baptismum ingressi non sunt. ergo &c. 368

Sed meliùs negatur, quòd Princeps infidelis potestatem hujusmodi respectu fidelium, Jurisdictioni ipsius temporali subjectorum, habeat, prout hoc etiam negant. Sot. *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 2. *artic.* Hurtad. *de Matrim. D.* 12. *num.* 2. Pont. *l.* 6. *cap.* 2. *à num.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *cap.* 1. *num.* 3. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 1. *num.* 3. Pirh. *hic num.* 151. Vviest. *nu.* 175. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Imped. Matr. c.* 1. *n.* 20. *&* 21. *Ratio est*, quia fideles, sicut in cæteris ad Spiritualem animæ salutem ordinatis, sic etiam in contrahendis Matrimoniis adstringuntur Legibus Ecclesiasticis, ut conjugia illorum, si ab ipsis, quocunque in loco degant, contra SS. Canonem inita sint, valore careant, & contra valeant, si secundùm eos coaluere. Unde consequens est, quòd non afficiantur Impedimentis Nuptialibus, promulgatis à Principe Infideli; quia aliàs iste irritare posset conjugia fidelium inita secundùm SS. Canones, & contra valida declarare, quæ contra SS. Canones cum clausula irritante promulgatos, inivere: & sic circa conjugia fidelium, subjectorum temporali Jurisdictioni Principum infidelium, major esset istorum potestas, quàm Ecclesiæ. 369

Argumentum in contrarium allatum, & ejus *Confirmatio* solvuntur ex dictis; quia nuptialis fidelium Contractus ipsa illius ad Sacramentalem statum elevatione potestati Principis infidelis, Impedimenta proponentis, subtractus, & Ecclesiæ subjectus est.

Quæritur 6. An etiam per consuetudinem possint introduci Impedimenta dirimentia Matrimonium? Triplex maximè Sententia est. *Prima* absolutè vim istam negat consuetudini. Ita Gloss. *fin. in cap.* 1. *de cognat. Spirit.* Innoc. *in c. super eo* 3. *eod. n.* 1. Joan. Andr. *in c. quod super* 5. *de Consang. in fin.* Ancharan. *ibid. final.* Tabiena *V. Impedimentum* 1. *in commun. quæst.* 4. *nu.* 5. Gaeta *repet. can. ad Limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 269. & alii apud Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 4. *num.* 10. *Fundantur*: Quia si consuetudo haberet vim introducendi nova ejusmodi Impedimenta, etiam haberet vim abrogandi ab Ecclesia jam constituta. atqui per consuetudinem Impedimentum aliquod ab Ecclesia constitutum abrogari non potest, prout sumitur ex *cap. quod super cit.* ubi consuetudo, permittens conjugium intra Gradus Jure prohibitos, tanquam corruptela, disertè reprobatur. *Conf.* Quia potestas constituendi Impedimenta Matrimonii est Sedi Apostolicæ reservata. 370

Secunda Sententia ad consuetudinem, ut Impedimentum conjugiorum valori obstans, induci ab ea possit, requirit, ut hujusmodi consuetudo expressè sit approbata à Summo Pontifice. Ita Host. *in c. quod super cit. in fin. juncto c. super eo n.* 5. Rosell. *V. Impedimentum Imped.* 1. *n.* 7. Sylv. *V. Matrimonium* 2. *q.* 3. *in fin.* Pont. *l.* 6. *de Matr. c.* 6. *n.* 6. 371

n. 6. Fagnan. *in cap. Utrum autem. 1. de cognat. Spirit. n. 18.* Pirh. *tit. eod. n. 10. & 11.* Fundamentum hujus sententiæ est 1. quia consuetudo, quæ reddit fideles inhabiles ad contrahendum sine approbatione Pontificis, nec est rationabilis, nec legitimè præscripta. Non rationabilis; quia *capit. de Francia 1. hoc. titul.* à Jure specialiter reprobatur: non legitimè præscripta; quia inter ea, quæ requiruntur ad hoc, ut consuetudo legitimè præscripta dicatur, præcipuum est, ut inducta fuerit sciente, & patiente, imò approbante Principe, qui Jus condere in istis potest. 2. Quia eadem potestas requiritur in abrogatione Legis, quæ in constitutione ejusdem *arg. cap. cùm jam dudum 18. de Præb. & Dignit.* atqui Lege per Summum Pontificem approbata, imò Divina, & Naturali quilibet Matrimonii ineundi capax est, quem SS. Canones habilem esse agnoscunt. ergo ut abrogetur hæc Lex, & persona aliqua ex habili fiat inhabilis, pariter authoritas, & approbatio Summi Pontificis requiretur. 3. *c. super eo cit. & c. quod dilectio 3. de Consang. & Affinit.* allegatæ consuetudines ab Alexandro, & Cælestino, utroque ejus nominis III. expresè sunt approbatæ, eaque approbatione transierunt in naturam Constitutionis.

372 Tertia denique, & communior Sententia est, quæ consuetudini, etiam non specialiter approbatæ à Papa, modò rationabilis, & legitimè præscripta sit, tribuit vim introducendi nova ejusmodi Impedimenta conjugiorum. Ita Navarr. *Man. c. 22. num. 83.* Suar. *de LL. l. 7. c. 19. n. 26.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 3. n. 11.* Tann. *D. 8. de Matr. q. 4. dub. 1. num. ult.* Pal. *tr. 3. D. 3. p. 4. §. 2. n. 11. & tr. 28. D. 4. p. 1. n. 5.* Parez *D. 21. sect. 6. num. 5.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 22.* Gobat. *Theol. Experim. tr. 9. n. 25.* Clericat. *de Sacr. Matr. decis. 18. nu. 21.* Vviestner *hic numer. 186.* Magnif. P. Schmier *part. 3. de Imped. Matrim. capit. 1. num. 12. & seqq.* Colligitur ex *capit. super eo citat.* ubi, an personæ aliquæ conjungi valeant, aut secus, jubetur inquiri consuetudo Metropolitanæ, & aliarum vicinarum Ecclesiarum, quæ viget, neque requiritur, ut ista à Sede Apostolica sit approbata. *Ratio est;* quia generalis est Regula, sumpta *ex cap. fin. de consuet.* quòd consuetudine novum Jus induci, & antiquum abrogari possit, si illa sit legitimè præscripta, & rationi consona. potest autem consuetudo, qua introducuntur Impedimenta Matrimoniorum, esse rationabilis, & habere requisita consuetudinis legitimè Præscriptæ. ergo &c. *Conf. à pari:* nam passim receptum est apud DD. quòd consuetudine induci possit novum Festum, jejunium, aut inhabilitas ad Beneficium: cur non etiam per eam induci possint nova Impedimenta, conjugiorum valori obstantia, præsertim cùm multi dicant, Impedimentum Disparitatis Cultus defacto sit introductum esse.

373 Ad Argumentum primæ Sententiæ *num. 170.* allatum dico, Sequelam non difficulter concedi à Sanch. *D. 4. citat. numer. 14.* & aliis plurimis per hunc *citatt.* & meritò; nam ejusmodi Impedimenta tolli possunt, imò aliqua sublata, aut restricta defacto sunt per Legem Ecclesiasticam, ut videre est in Impedimento Consanguinitatis, & Affinitatis, quod antiquo Jure extendebatur ad septimum, nunc ad quartum duntaxar gradum juxta *capit. non debet 8. de consang.* item in Impedimento publicæ honestatis, quod ante Trid. ad quartum gradum se porrigebat, & oriebatur etiam ex Sponsalibus de futuro invalidis, nunc ex validis tantùm oritur, & primo gradu concluditur juxta Decretum laudati Concilii *sess. 24. capit. 3. de reform. Matrim.* atqui eædem causæ, circumstantiæ, quæ rationabilem possunt facere Legem Ecclesiasticam, etiam rationabilem possunt facere consuetudinem, ut rectè Sylv. *V. consuetudo q. 1. num. 2.* Roch. de Curte *tr. de consuetud. sect. 2. num. 15.* & alii notant. *Neque obstat* textus *cap. quod super* in contrarium allegati; nam ut Pal. *§. 2. cit. nu. 5.* Gonzal. *ibid. num. 2.* & alii explicant, textus ille intelligendus est de consuetudine, quæ vel irrationabilis est, vel non est legitimè præscripta: non verò de ea; quæ rationabilis, & legitimè præscripta est; nam hæc vim Legis habet, & pro Lege suscipitur. *Ad Conf.* Reservatio illa solùm excludit potestatem Legislativam Sæcularem, & Ecclesiasticam, Papali inferiorem, non verò consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam; nam huic vis illa satis tribuitur *per capit. fin. citat.* Imò cùm vim suam omnem habeat à consensu Legali Pontificis, reservationem istam confirmat, cùm adhuc verum sit, quòd Impedimenta Matrimoniorum dirimentia constituantur à solo Pontifice.

Argumenta secundæ sententiæ *num. 371.* relata Sententiæ nostræ non obsunt. *Ad 4.* Ut consuetudo talis sit rationabilis, sufficit, si similes circumstantiæ concurrant, quæ sufficerent ad novum Impedimentum statuendum per Legem: & tunc si accedat diuturnitas temporis, & frequentia requisita actuum, aderit etiam consensus, & approbatio Summi Pontificis, non quidem specialis (nam hic nullo Jure requiritur) sed generalis, qua consuetudini generaliter vim Legis constituendæ, & abrogandæ dedit. *Ad 2.* Id nimium probat; probaret enim, quòd sicut Lex quælibet expressa Legislatoris voluntate statuitur, ita eadem voluntas intervenire debeat, ut per consuetudinem abrogetur. *Ad 3.* in *c. citt.* & consuetudinibus ibidem allegatis non intervenit specialis consensus; quia Matrimonia, secundùm ipsas ante approbationem laudatorum Pontificum contracta, ab his pro validis reputantur. 374

Quæritur 7. Quinam Legibus, & Impedimentis Nuptialibus ligentur? Resp. distinguendo inter Impedimenta; nam Impedimentis, quæ Jure Divino, & Naturali inducta sunt, afficiuntur omnes planè homines. Res est explorata; nam ab observatione Legis Divinæ, & Naturalis nemo omnino, qui sit rationis compos, excipitur. *Et hic sequitur;* etsi apud aliquam Gentem Infidelium consuetudo sit, ut jungatur Matrimonio pater cum filia, mater cum filio &c. dissolvenda esse hujusmodi Matrimonia, si ita juncta ad Fidem Christianam transeant; quia nulla Lex humana, vel consuetudo prævalere adversùs Legem Divinam, vel Naturalem potest. 375

Impedimentis, quæ introducta sunt solo Iure Ecclesiastico, afficiuntur soli fideles, seu Baptizati, iique omnes, ubicunque degant, non verò etiam infideles. Ita Sot. *in 4. dist. 42. q. 2. art. 2.* Tann. *D. 8. de Matr. q. 4. dub. 1. nu. 20.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 1. num. 3.* Pont. *l. 7. de Matr. c. 1. n. 7.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. nu. 3.* Pal. *tr. 28. D. 4. p. 1. nu. 3.* Pirh. *hic num. 149.* Vviestner *num. 175.* Ratio de fidelibus est, quia Pontificis Jurisdictio Spiritualis diffusa per Orbem universum est, & subjectos sibi habet fideles omnes, ut circa alia, ita circa Matrimonium. De Infidelibus patet; quia cùm Ecclesiam per Baptismi januam nondum ingressi sint, Constitutionibus Canonicis non arctantur *arg. capit. gaudemus 8. de Divort.* Hinc de illis Apostolus, *Quid mihi*, inquit, *de iis, qui foris sunt, judicare. 1. Corinth. 5. v. 12.* 376

Excipitur, nisi ejusmodi infideles degant in Territorio Ecclesiæ temporali; nam his, tanquam subditis suis, Leges connubiales ferre, si velit, etiam Pontifex potest, ita, ut conjugia, ab iisdem contra hujusmodi Leges inita, viribus, & valore destituantur, ut rectè cùm aliis Sanch. *D. 1. citat. num. 3.* *Ratio est;* quia in territorio Jurisdictioni suæ temporali subjecto potest Pontifex non minus, quam quod potest Rex in suo Regno, & Imperator in Imperio. atqui secundùm dicta *n. 367.* Princeps non tantùm infidelis, sed etiam fidelis potest pro subditis suis infidelibus statuere ejusmodi Impedimenta. ergo &c. 377

Dubium est de Hæreticis, an valida sint eorum conjugia, quæ ineunt cum Impedimento Juris merè Ecclesiastici, & in eorum terris non recepti? Negant Less. *in Actuar. l. 2. de præscript. cas. 1.* Busenbaum *Medull. l. 6. tr. 6. c. 3. dub. 1. in fin.* Gobat. *Theol. Experim. tr. 9. à num. 41. & Append. 15. à num. 88.* Konig *præm. Jur. Can. num. 9.* Magnif. P. Schmier *part. 3. de Imped. Matr. cap. 1. num. 24.* pro qua sententia etiam P. Gobat. *l. cit.* allegat judicium Facultatis Theologicæ Viennensis, quæ ad quæstionem ab Archiducali Regimine Austriæ 18. *Maji* 1655. de iis sibi propositam respondit ea esse invalida. *Fundamenta* hujus sententiæ sunt. 1. quia Hæretici hoc ipso, quòd Ecclesiam per Baptismum ingressi sint, subjiciuntur Jurisdictioni illius, ejusque adstringuntur Legibus. igitur ipsorum conjugia, contra Legem Ecclesiæ irritantem contracta, non erunt minùs invalida, quàm invalida sint, si ejusmodi conjugia ineantur ab Orthodoxis. 2. si aliquid Hæreticos eximeret à Legibus Connubialibus Ecclesiæ, eximeret 378

meret illos consuetudo Provinciarum ipsis contraria. Ista non eximit; quia eidem deest consensus Pontificis, ad quamlibet consuetudinem, ut illa adversus Legem Ecclesiæ prævalere possit, requisitus, cùm utique præsumi nequeat, quòd Pontifex illis, tanquam rebellibus subditis, in hoc favere voluerit, quippe qui pœna potiùs digni sunt ob Legum istarum transgressionem. 3. Ut consuetudo Legi alicui deroget, debet tam ipsa, quàm mores contrarii utentium esse rationabiles. Tales autem non sunt, quibus scienter contravenitur Constitutionibus Ecclesiasticis. 4. Si consuetudo Hæreticos eximeret à Legibus Connubialibus Ecclesiæ, eximeret eosdem etiam à cæteris Legibus ejusdem, quibus stabiliter contraveniunt. 5. Hoc modo valida fieri possent etiam Matrimonia, quæ ineuntur inter Apostatas à Religione, & Ordine, transeuntes ad Hæreticos, & eas, quas vel ex Catholicis seduxerunt, vel ex Acatholicis assumpserunt. 6. S. Congregatio Cardd. Trid. Interpp. Episcopo Tricariensi Sedis Apostolicæ ad Belgas Legato 19. *Januar.* 1605. inter alia disertè rescripsit, Hæreticos quoque, ubi Decretum *sess.* 24. *capit.* 1. *de reformat. Matrimon.* est publicatum, teneri talem formam observare; & propterea etiam ipsorum Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro Hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla, atque irrita esse. atqui nulla est ratio, cur potiùs irrita sint conjugia, ab Hæreticis contracta contra Decretum *c.* 1. *cit.* quàm contracta contra alias Sanctiones Ecclesiasticas, munitas clausula irritante. igitur etiam irrita erunt celebrata cum alio Impedimento Juris Ecclesiastici: Ita isti.

379 Contrà proposita Hæreticorum conjugia valida esse, defendunt Petr. Marchant. *Tribun. Sacram. tom.* 3. *tr.* 1. *tit.* 6. *concl.* 4. Bonagratia *Sum. qq. Regul. Discept. de Matr. Hæret.* §. 8. Henric. Mair *de Matr. Sacram. n.* 67. pro se allegans P. Simonem Felicem Moralis Theologiæ Doctorem eximium. Pro eorundem valore, teste Gobat *l. cit. nu.* 32. non obscurè stant Tann. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 3. *nu.* 122. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *nu.* 7. Dicast. *de Matr. D.* 3. *dub.* 10. dum valida esse docent conjugia ab Hæreticis, absente loci Parocho Catholico, contracta. *Fundamentum* istorum DD. præcipuum, & ferè unicum est; quia, ut *suprà numer.* 372. dictum est, consuetudine Sanctionibus Ecclesiæ Connubialibus quoad vim irritandi Matrimonium derogari potest, si conditiones, ad legitimam consuetudinem requisitas, habeat. atqui in nostro casu nulla conditio, ad legitimam consuetudinem requisita, deest: Nam 1. cum *actuum frequentia* concurrit *diuturnitas temporis*: constat enim, quòd integro Seculo, imò longiori etiam tempore ejusmodi conjugia ab Hæreticis passim ineantur absque ulla nullitatis existimatione, vel etiam suspicione, quippe quæ ipsi Catholici pro validis, & proles ex ipsis susceptas pro legitimis habent. 2. Non deest *consensus Principis*, seu *Pontificis* in hujusmodi consuetudinem; quia hic universaliter vim dedit consuetudini, ut per illam abrogari Leges Ecclesiasticæ possent: quare nisi constet de contraria voluntate Legislatoris Pontificis, vis consuetudinis etiam ad Matrimonia Hæreticorum, cum ejusmodi Impedimento contracta, sese extendet, & conf. habebitur consensus Legislatoris saltem Legalis. 3. Non deficit etiam *rationabilitas*; nam ut vis Canonum, hujusmodi Conjugia irritantium, & inde proveniens Matrimoniorum nullitas post continuatum tanto tempore non usum cesset, omnino expediens fuit, tum quia sperari non potest eorum Canonum observantia, tum verò maximè, quia illorum quoad vim irritandi cessatio plurimùm confert ad conservationem pacis, & tranquillitatis publicæ inter Catholicos, & Heterodoxos, ipsorumque ad Ecclesiæ gremium faciliorem reductionem: quarum illa sæpe adduceretur in discrimen, & ista multò difficilior fieret, si ea, de quibus sermo est, conjugia pro incestis, & inutilibus, & prolex, ex iis procreatæ, pro Spuriis, & illegitimis, conf. etiam pro Officiorum publicorum, & Beneficiorum incapacibus in Republica Christiana haberentur. Quare cùm consuetudo ista omnia habeat, quæ ad legitimè præsciptam consuetudinem requiruntur, etiam ipsa vim consuetudinis legitimè præscriptæ, & conf. Canones illos quoad irritationem conjugiorum istiusmodi abrogandi habebit. *Conf.* Ex praxi observata, dum ad Ecclesiæ gremium Palatinatus, & aliæ per Germaniam nostram Provinciæ reducebantur; non enim constat, quòd desudantes in hoc negotio Clerici tum Sæculares, tum Regulares solliciti fuerint: aut multùm laboraverint de Matrimoniis, cum aliquo ejusmodi Impedimento contractis, aut dissolvendis, aut impetrata de illis dispensatione renovandis, quamvis extra dubium sit, non pauca ab hujusmodi reductis cum tali Impedimento fuisse contracta, dum Lutheri, aut Calvini dogmata sectabantur. Ita hi posteriores non minùs probabiliter, sed ita, ut P. Wiestner *hic numero* 200. cùm utriusque opinionis fundamenta excussisset, nihil sit ausus decidere, sed Controversiæ istius decisionem Apostolicam exspectandam judicet. Ego judico, non erraturum, qui valorem hujusmodi Matrimoniorum ex secundæ Sententiæ momentis sustineat.

Argumenta primæ Sententiæ non difficulter solutionem admittunt. *Ad* 1. Dici potest, Legibus hujusmodi Connubialibus quoad vim irritandi conjugia, cum ejusmodi Impedimento contracta, derogatum esse per consuetudinem; nam, ut *num. præc.* dictum est, consuetudo hæc moribus, & usu ipsorum etiam Catholicorum firmata est, qui Conjugia sic contracta pro justis, & liberos ex iis susceptos pro legitimis habent in Provinciis, in quibus Hæretici Catholicis permixti degunt. *Ad* 2. Ostensum est *num. præc.* in hoc casu non desiderari consensum saltem tacitum Principis, nempe Pontificis; quia hic per SS. Canones, dum consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam, etiam quæ Juri positivo derogat, generaliter approbant, satis habetur: unde cùm non extet Constitutio Apostolica, quæ consuetudini, Sanctionibus Ecclesiæ Connubialibus deroganti, specialiter resistat, dicendum est, eundem Legalem consensum etiam extendi ad istam consuetudinem. Quod additur, Hæreticos potiùs pœna ob Legum istarum transgressionem dignos esse, verum est; nam eam meretur pertinacia illorum, & inobedientia in Christi Vicarium: hoc tamen posito, etiam verum est, eosdem miseratione non indignos esse, cùm magnam partem hodie inculpabiliter ignorent se errare, & Ecclesiæ Jurisdictioni, ac Legibus subjectos esse. *Ad* 3. rationabilitas consuetudinis non debet desumi ex actibus, quibus inducitur; nam isti possunt etiam esse peccaminosi: sed aliæ circumstantiæ rationabilem illam facere possunt, maximè conducentia ad finem, & bonum publicum; sic autem, ut *numer. præced.* ductum est, conducit consuetudo nullitatem conjugiorum, cum Impedimento Juris Ecclesiastici contractorum, tollens, cùm, ut dixi multùm conducat ad faciliorem Hæreticorum reductionem, & conservationem pacis, ac tranquillitatis publicæ. *Ad* 4. Imprimis DD. qui Sententiam secundam defendunt, libenter concedunt, quòd Hæretici scienter contrahendo Matrimonium cum Impedimento Juris Ecclesiastici peccent, sed tantùm dicunt, Leges Connubiales hac consuetudine fuisse abrogatas quoad vim irritandi ejusmodi Conjugia contracta ab Hæreticis: & hoc non tam in favorem Hæreticorum, quàm Catholicorum, cùm per eam stabiliatur tranquillitas publica, & illorum ad Catholica Sacra reductio fiat expeditior. Deinde malè infertur ex consuetudine derogante Legibus Connubialibus, quòd Sanctiones Canonicæ omnes per eam tolli possint; nam etsi primum concedant plurimi, alterum tamen omnes inficiantur: & meritò, cùm nec Jus *c. cùm non liceat* 12. *de Præscript.* nec ratio permittat, ullius consuetudinis, aut præscriptionis vi subditos ab Obedientia eximi, ne evacuatis Legibus, omnis disciplina evanescat, & Ecclesiastica, terrenaque Respubl. in nihilum redigatur. *Ad* 5. Non est paritas: nam Matrimonia Apostatarum Sacerdotem, & Religiosorum valore destitui, omnium Orthodoxorum DD. constans, & certa doctrina est; neque enim his suffragatur ulla consuetudo, sed potiùs hæc contra illorum valorem pugnat, cum ejusmodi Apostatarum conjugia, si ad gremium Ecclesiæ redeant, semper, itaque dissolvantur, ut non solùm ipsi statim abstrahantur à consortio Uxorum, sed his quoque, si ad Catholica Sacra redeant, vel transeant, nova conjugia cum aliis viris permittantur, luculento indicio nullitatis Matrimoniorum antè cum Apostatis contractorum. *Ad* 6. Relata Cardinalium Declaratione, etiamsi in forma Authentica exhi- 380

exhiberetur, plus non evincitur, quàm quòd Decreto *Trid. c.* 1. *cit.* afficiantur etiam Hæretici in Provinciis, in quibus illud est publicatum: non verò probatur, quòd per illud adempta sit consuetudini legitimè præscriptæ vis derogandi ipsi, aut aliis Sanctionibus Canonicis.

381 Quæritur 8. Utrum Pontifex inter duas privatas personas ex causa justa e. g. magnæ disparitatis inter contrahentes, vel timoris gravium discordiarum possit Matrimonium ita prohibere, ut Matrimonium, contra hujusmodi prohibitionem contractum, sit omnino irritum? Tangunt difficultatem hanc Navar. *l.* 4. *edit.* 1. *cons.* 24. *de sponsal. & edit.* 2. *de Matrim. contr. interdict. Eccles. cons.* 1. & Enriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 12. *nu.* 1. junct. *Comment. lit. C.* sed nihil decidunt. Sed difficultatem non video; nam si Pontifex potest ex justa causa reddere irritum Matrimonium inter omnes personas certi generis, ut inter omnes consanguineos usque ad quartum gradum, cur non poterit irritare inter duas privatas personas, ubi tam urgens fuerit causa, ut istud postulet? Quare judico dicendum id omnino posse Pontificem. Ita Host. *Summ. tit. de Matr. contract. contr. interd. Eccl. fin.* Felin. *in c. ex parte n.* 6. *vers. quartus casus de Constit.* Paludan. *in* 4. *dist.* 34. *q.* 1. *art.* 1. *num.* 10. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 1. *n.* 7. ubi præter alios allegat Additionatorem *ad Navar. cons.* 1. *cit.* dicentem, quòd Pontifex sua ætate inhabilitarit Virum quendam illustrissimum ad ineundum Matrimonium cum certa fœmina; & iterum quendam alium, qui ut eluderet Sponsalia de futuro, super quibus lis pendebat, tentabat contrahere Matrimonium cum alia: & hoc ex causa, quòd utroque casu gravia scandala non immeritò timerentur.

382 *Gravior difficultas est*, utrum Pontifex ex justa causa possit personam aliquam reddere perpetuò inhabilem ad Matrimonium, quæ Jure naturæ habilis erat? *Ratio dubitandi est*; quia talis persona cogeretur ad perpetuam continentiam, ad quam tamen absque proprio consensu nemo adstringi potest *can. integritas* 13. *caus.* 32. *q.* 1. item privaretur Matrimonio, quod tamen in remedium concupiscentiæ natura ipsa indulsit. Sed tenenda est sententia affirmativa cum Alex. de Nevo *in c. tuas num.* 17. *de Spons. duor.* quem citat, & sequitur Sanch. *D.* 1. *cit. n.* 9. nam sic, ut ex Calderino refert Alex. de Nevo *l. cit.* Urbanus V. inhabilem ad Matrimonium ineundum reddidit Barnabonem Vicecomitem, & Dominum Mediolanensem, ac liberos ejus rebelles Ecclesiæ. *Neque obstat Argumentum contrarium*; nam etiam libertas cuivis à natura concessa est, & tamen ob culpam potest quis ea privari. Accedit; quia potestas Pontificis non est arctata ad sola impedimenta Matrimonii impedientia statuenda, sed ad dirimentia quoque extenditur: igitur sicut in gravissimi delicti pœnam, ut factum est ob Incestum, potuit prohibere omnino Matrimonium, ita, ubi gravitas delicti id exigit, efficere potest, ut ab hujusmodi criminis reo initum sit omnino nullum.

383 Quæritur 9. An justa desideretur causa, ut Pontifex ritè, ac rectè valeat Impedimenta Matrimoniorum indicere? Resp. Affirmativè: & quidem major causa ad statuendum Impedimentum Matrimoniorum dirimens, quàm impediens tantùm, cùm gravius sit dirimere, quàm simpliciter prohibere.

Difficultas est, an si Pontifex absque justa causa statuat Impedimentum aliquod, teneat factum, & Impedimentum ita constitutum effectum suum obtineat. Affirmant aliqui, quamvis admittant Pontificem tunc reum esse culpæ, ex ratione, quia Pontifex potest multa peccando efficere, quæ tamen teneant facta. Sed Sanch. *D.* 1. *cit. n.* 6. cum aliis à se *citt.* judicat ad valorem prohibitionis omnino desiderari justam causam. Rationem dat; quia Matrimonium est vinculum Jure naturali, Divino inventum, ac omnibus permissum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter Ascendentes, & Descendentes: in iis autem, quæ Juris naturæ sunt, vel Divini, disponere Pontifex sine justa causa nec licitè, nec validè potest, prout in dispensatione Voti, relaxatione Juramenti, &c.

§. II.

De Impedimento Vis, & Metus.

SUMMARIUM.

384 *Quid sit Vis, & Metus?*
385 *Quam multipliciter dividatur?*
386 *Quale Impedimentum sit Metus?*
387 *An ad irritandum Matrimonium sufficiat Metus Levis?*
388 *Vel gravis illatus per causam necessariam?*
389 *Aut per liberam quidem, sed justè?*
390 *Ratio, quare justè incussus non dirimat Matrimonium.*
391 *Casus, quibus metus censetur justè incussus.*
392 *Hinc solus ille metus invalidat Matrimonium, qui gravis, & injustè incussus est.*
393 *Corollaria inde deducta.*
394 *Ratio irritandi Matrimonium ex ista causa.*
395 *Requisita, ut propterea irritetur.*
396 397 *Et procedit, etiamsi metus non cogat ad contrahendum cum aliqua determinatè.*
398 *An requiratur, ut sit incussus in finem ad contrahendum Matrimonium?*
399 *Respondetur negativè.*
400 *Corollaria.*
401 *Solvuntur Argumenta contraria.*
402 403 404 *Quid dicendum, quando unus metum infert, alius promittit liberationem à metu sub conditione nuptiarum?*
405 *Ex quo Jure nullitas Matrimonii ob metum descendat?*
406 *Respondetur descendere ex Jure positivo Ecclesiastico tantùm.*
407 *Diluuntur Argumenta opposita.*
408 *An Matrimonium, metu injustè incusso, extortum, sit irritum utroque foro?*
409 *Defenditur sententia affirmans.*
410 *Negantis fundamenta evertuntur.*
411 *An Matrimonium metu contractum firmetur adjecto Juramento?*
412 *Respondetur negativè.*
413 *Solvuntur Objectiones.*
414 *An firmetur per copulam subsecutam?*
415 *Respondetur firmari, si liberè admissa sit.*
416 *Non verò si metu extorta.*
417 *Corollarium.*
418 *Dissolvuntur Argumenta opposita.*
419 *An convalescat per diuturnam cohabitationem? Respondetur affirmativè.*
420. *Quod locum habere etiam nunc post Trid. potest.*
421 *Requisita ut locum habeat.*
422 *An, qui metu extorsit Matrimonium, teneatur metu cessante verè contrahere?*
423 *Respondetur non teneri.*
424 *Nisi casu, quo damnum illatum aliter reparari nequit.*
425 *Objectiones solvuntur.*
426 *An valida sint Sponsalia metu extorta?*
427 *Defenditur affirmativa.*
428 *Respondetur ad opposita.*
429 *Quomodo sit probandus metus?*
430 *Regula circa hoc.*
431 *Quid intelligatur per Metum cadentem in virum constantem?*
432 *Quid faciendum, si omnibus consideratis, est dubium, an metus gravis sit?*

Quæritur 1. Quid sit Vis, & Metus? Respond. 1
Vis, ut *Libr.* 1. *Tit.* 40. *num.* 1. ex Paulo JCto eam descripsi, *est majoris rei impetus, qui repelli non potest.* Dividitur in Vim absolutam, & conditionalem. *Absoluta* liberum consensum omnino tollit; *Conditionalis* dumtaxat minuit, dum involuntarium imperfectum, seu conditionatum admiscet. Hæc posterior, & Metus pro Synonymis, vel saltem connexis accipiuntur, prout fit *tit. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*, ubi idem, quod statuitur de vi, etiam statuitur de metu, & vicissim. *Rationem* dat Clericat. *de Sacr.*

Sacr. Matr. decis. 27. *num.* 4. quia Vis, & Metus sunt Correlativa, & quod de uno dicitur, etiam intelligitur de altero; Vis siquidem consistit in inferente Metum, & se habet per modum agentis; Metus autem stat in persona, cui Vis infertur, & se habet per modum patientis.

385 Porrò Metus, ut *Lib.* 1. *Tit.* 40. *n.* 2. explicavit multiplex est; nam *ratione causæ* dividitur in eum, qui infertur à causa necessaria, & in eum qui infertur à causa libera; *ratione modi* in eum, qui infertur justè, & in eum, qui infertur injustè; *ratione qualitatis* in Metum levem, & gravem: quod dupliciter fieri potest, scilicet vel directè, & animo extorquendi consensum à metu passo; vel indirectè, & ob aliam causam, ita tamen, ut metum passus ejus occasione metu se liberaturus consensum præstet. Recolantur dicta *Tit.* 40. *cit. à n.* 1. quæ hic non vacat repetere.

386 Quæritur 2. Quale Impedimentum sit Metus? Respond. Est Impedimentum dirimens, & quidem non infimi loci, prout constat ex *c. cum locum* 14. *cap. veniens* 15. *c. consultationi* 28. *h. tit. & c. significavit* 2. *de eo qui duxit &c.* ubi declaratur, Matrimonia, Metu inita, esse nulla, & irrita. Et id quidem meritò; præterquam enim, quòd tale Matrimonium non significet voluntariam Conjunctionem Christi cum Ecclesia (quam Sacramentum Matrimonii denotat) adversatur etiam bonis Matrimonii, ut bono prolis, cùm propter displicentiam coactus non intendat procreationi prolis, & bono fidei conjugalis, cùm propter invitas Nuptias conjuges facilè labantur in adulterium. Engl *hic* §. 5. *n.* 2.

387 *Dubium* dumtaxat est, qualis debeat esse Metus, ut irritum Matrimonium faciat? Resp. Distinguendo: Vel enim metus solummodo levis est, vel gravis, & cadens in virum constantem. *Si primum*, *certum est*, eum metum non sufficere, ut irritet Matrimonium, etiamsi injustè ad extorquendum conjugalem consensum incussus sit, ut cum aliis notat Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 1. *vers.* 1. & colligitur ex *cap. veniens cit.* ubi relatus Alexander III. ad conjugii nullitatem exigit metum, *qui in virum constantem cadat*: Neque id immeritò; quia metus levis sicut exigua vis est, cùm facilè superari possit, ita etiam exigua ejus in Jure consideratio habetur, aut ratio, etiam in Matrimonio. Accedit; quia si metus levis sufficeret ad Matrimonii nullitatem, Matrimonia plurima vel nulla, vel dissolvenda essent, cùm ex metu levi sæpissimè contrahantur.

388 *Si secundum*, interest, an metus ille gravis incussus sit à causa necessaria, uti est metus mortis ex morbo, peste, naufragio &c. an verò à causa libera, *Si à causa necessaria*, iterum non irritatur Matrimonium, eo metu contractum, prout facilè omnes concedunt: & ratio est, quia ex tali metu contrahens non patitur injuriam; metus autem non irritat Matrimonium, nisi cum injuria sit conjunctus, ut mox statuetur. *Conf.* Nam ille solùm metus irritat Matrimonium, qui cæteros Contractus facit rescissioni obnoxios. Sed metus à causa naturali, & necessaria incussus, non facit rescissioni obnoxios contractus cæteros: ergo &c.

389 Quòd si metus gravis inferatur *à causa libera*, nempe hominem, tertia distinctio est adhibenda, an is justè, vel injustè incussus sit. *Si justè*, sive ab eo incussus est, cui Jure competit grave malum, nisi Matrimonium contrahatur, inferre, Matrimonium eo metu contractum non irritatur. Ita Host. *in c. veniens cit. in fin.* Joan. Andr. *ibid. n.* 8. Ancharan. *n.* 6. Abb. *n.* 8. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 17. *n.* 37. Sanch. *l.* 4. *D.* 13. *n* 3. Conink *de Matr. D.* 28. *dub.* 1. *nu.* 14. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 5. *n.* 2. *vers. tertium* Zoes. *hic n.* 73. Engl §. 5. *n.* 3. Pirh. *nu.* 104. Schamb. *n.* 149. Vviestn. *nu.* 223. & hoc teste satis concors, & certa sententia aliorum præcipui nominis Interpretum, & DD. Estque perinde, sive metus iste illatus alicui sit a Judice præcipiente, ut v. g. ducat Virginem à se vitiatam sub spe Matrimonii, sive ab alio v. g. parente, minitante, se accusaturum stupratorem, nisi ducat filiam ipsius, cui is stuprum intulit.

390 *Ratio est* 1. Quia talis metus censetur illatus, non tam à Judice vel parente, quam à Lege, vel ipsomet, qui metum hunc patitur, dum sua culpa fecit id, propter quod nuptias sub tali comminatione ab eo exigi Jura permiserunt juxta *l. si mulier* 21. *pr. ff. quod met. caus.* ibi, *Quia hunc sibi metum ipsa infert*. Conjugia metu extorta irritantur non præcisè, quia is perfectam, & ad consensum spontaneum requisitam libertatem tollit, sed quia hanc tollit injustè, seu modo non permisso à Jure. 3. Matrimonium metu gravi injustè extortum irritatur, quia ejusmodi Matrimonia difficile solent habere exitus; atqui ex Matrimonio coacto per metum justè incussum non timentur tam infelices exitus; quia animus aliquantum quiescit, cùm quis considerat se justè compulsum esse ad contrahendum. 4. solùm ille metus irritat Matrimonium, qui cæteros contractus facit rescissioni obnoxios; atqui ob metum justè incussum contractus cæteri non rescinduntur *arg. l. continet* 3. *& l. mulier cit. ff. quod met. caus.* 5. Tale Matrimonium contrahenti est omnino voluntarium, saltem in causa, & per se aptum conciliare amorem conjugalem, cùm fuerit ratio alteri evadendi ingens periculum.

391 Er hinc passim à DD. validus pronuntiatur Contractus Matrimonii in sequentibus casibus. 1. Si reus, in ærumnoso carcere justè detentus, ut libertatem consequatur, se ad nuptias cum filia detinentis ineundas offerr, vel à detinente oblatas sub ea conditione acceptat, & actu contrahit. 2. Si bello justè sibi illato ad angustias redactus, vel in arce obsessus, sub conditione pacis obtinendæ, vel obsidionis solvendæ duxit filiam hostis, à quo bello impetitus, vel obsessus est. 3. Si reus, ad mortem, vel triremes damnatus, ut vitam, & libertatem servet, Matrimonium init cum uxore, filia, vel consanguinea occisi, vel etiam cum meretrice. 4. Si, qui Sponsalia cum aliqua puella rite contraxit, vel eandem sub spe, & promissione Nuptiarum decepit, & corrupit, eam, Excommunicationis, vel alterius gravis pœnæ, à Judice Ecclesiastico intentatæ, metu cogitur ducere. 5. Si Juvenis, quem pater in flagitio cum filia deprehendit, & accusationem sceleris apud Judicem comminatur, ut hanc evitet, vitiatam ducit &c. quos casus sparsim per *D.* 13. *cit. & prac.* adducit Sanchez. Et ratio est; quia his casibus, quamvis metus gravis interveniat, non tamen est metus injustus. Hinc paritas non est cum casu *cap. veniens cit.* ubi juveni, à patre in flagitio deprehenso cum filia, & propterea coacto ad ineundum cum ista Matrimonium, subvenitur declaratione nullitatis; nam in hoc casu metus non justè, sed injustè fuit incussus, quòd pater non accusationis sibi permissæ, sed mortis, vel alterius mali, quod inferre privatus non potest, timore ad Matrimonium contrahendum impulerit, ut cum aliis *ibid.* notat Barbos. *num.* 3. & non obscurè innuit textus ipse; loquitur enim de metu cadente in constantem virum, cujusmodi non est, qui secundùm Jus intentatur, cùm illum passus censeatur eum sibi ipse inferre, faciendo rem eo dignam *c. si mulier cit.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 4. *n.* 12. Sanch. *D.* 13. *cit. nu.* 3. Vviest. *hic n.* 225.

392 Quare dicendum, quòd solus ille metus invalidet matrimonium, qui gravis est, & à causa libera injustè incussus. Est communis, & certa omnium ferè TT. & Canonistarum sententia, & habetur *c. cum locum* 14. *c. veniens* 15. *& c. h. tit. Proceditque hoc* 1. etsi metu coactus verè consenserit in matrimonium; nam consensus iste ipso Jure est irritus, quod hujusmodi matrimonia irritat, non ex præsumptione ficti, sed veri etiam consensus, ut rectè Pirh. *hic num.* 100. *not.* 3. *Procedit* 2. etiamsi ita contrahens sua culpa inciderit in hunc metum. Vallens. *hic* §. 8. *num.* 4. Zoes. *nu.* 75. & colligitur ex *cap. veniens cit.* ubi matrimonium decernitur invalidum, si contractum fuerit ex metu, cui Sponsus, & Sponsa per delictum, seu concubitum illicitum causam dederunt; nam ut metus censeatur esse justè incussus, non sufficit aliquem metui causam dedisse, nisi etiam, qui metum incutit, jus habuerit incutiendi, quod in casu *cap. cit.* pater non habuit. *Procedit* 3. etsi metus ejusmodi non inferatur ab eo, cum quo quis contrahere cogitur, sed ab alio quocunque, si id fiat ad extorquendas nuptias. Sanch. *l.* 4. *de matr. D.* 12. *nu.* 19. Conink *D.* 28. *dub.* 1. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 1. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 101. *not.* 5. Schamb. *num.* 148. Vviestner. *num.* 227. & colligitur ex *cap. veniens citt.* ubi irritum dicitur matrimonium, quod initum est cum puella ex metu mortis, quam minitatus est ejus parens. *Ratio est*;

eſt; quia Jus non tam in odium metum incutientis, quàm in favorem libertatis Matrimonii irritavit Matrimonium tali metu extortum, ut expreſsè colligitur ex *cap. cit.* ne ſcilicet quis cogatur invitus contrahere; atqui patiens metum æquè eſt invitus, ſive ab ipſo contrahente, ſive ab alio tertio cogatur ex metu contrahere, ergo &c. *Conf.* quia metus, qui contractus, & actus alios infirmos, ac reſciſſioni obnoxios reddit, matrimonium facit irritum ipſo Jure, ut cum communi docet Sanch. *l. cit.* atqui alii Contractus, & actus metu geſti ad inſtantiam metum paſſi reſcinduntur, licet metus non eorum, quibuſcum actus geſti ſunt, ſed alicujus tertiæ perſonæ injuria illatus fuerit *l. ſi cum exceptione* 14. *§. in hac actione* 3. *ff. quod met. cauſ.* ergo &c.

393 Atque hinc ſequitur invalidum eſſe Matrimonium. 1. Quod initum eſt metu carceris, privationis officii, gravis damni in rebus, vel alterius vexationis injuſtæ, ad nuptialem conſenſum extorquendum incuſſo *c. cum locum & c. citt.* 2. Contractum à Virgine cum Juvene, quem illa averſabatur, ex mera reverentia in parentes, cum indignationis, exprobrationum, curæ tractationis, & ſimilium incommodorum veriſimili exiſtimatione conjuncta juxta dicta *Lib.* 1. *Tit.* 40. *num.* 5. 3. Initum à muliere cum filio Medici, qui eidem minabatur ſe ſubtracturum ei curationem, ex officio, & juſtitia illi debitam, niſi nuptias contraheret cum ejus filio; ſecus, ſi curationem non debeat ex officio, & juſtitia, & Matrimonium petat tanquam ſtipendium. Sanchez *l.* 4. *D.* 12. *num.* 15. 4. Contractum à Juvene cum puella, quacum ipſi in flagranti deprehenſo pater minatus eſt mortem, vel mutilationem, ſi illam filiam ſuam non duceret *cap. veniens cit.* 5. Extortum à Juvene, & initum cum puella, quam quidem ſtupravit, ſed ſine promiſſione, vel ſpe matrimonii, metu ærumnoſi carceris, cui illum Judex incluſit, donec matrimonium cum ea contraheret; cùm enim ad ſtupratam ducendam, vel dotandam alternativè ſolùm teneatur *arg. c. pervenit* 2. *de adult. & ſtupr.* determinatè ad illam ducendam obligari, & carceris ærumnis compelli Jure non potuit, ut rectè obſervant Sanch. *l.* 3. *D.* 13. *n.* 7. Pont. *de matrim. l.* 4. *cap.* 18. *num.* 13. Vvieſtn. *hic n.* 226.

394 Porro ratio, quare Matrimonia, metu gravi injuſtè incuſſo extorta, irritata à Jure ſint, eſt; quia cùm matrimonia coacta infelices ſoleant habere exitus, expediebat, ut illa eſſent plenè libera, ita, ut quis non poſſit ad ea per injuriam cogi, cogi autem ad ea quis poſſet per injuriam, ſi metu tali contracta forent valida; quia ſemel validè contracta ampliùs reſcindi nequeunt. Et hinc diſpar eſt ratio matrimonii, & aliorum Contractuum; nam iſti authoritate Judicis reſcindi poſſunt; conſ. neceſſe non fuit, ut metus gravis eoſdem irritet.

395 Quæritur 3. Quid requiratur, ut matrimonium ex cauſa metus ſit irritum? Reſp. 1. Juxta omnes requiritur, ut metus iſte ſit gravis, à cauſa libera injuſtè incuſſus, prout patet ex hactenus dictis.

2. Juxta aliquos requiritur, ut eo metu cogatur aliquis contrahere cum certa fœmina. Hinc validum putant matrimonium, quod Titius e. g. iniit cum Bertha, una ex tribus ſororibus, ad quarum unam ducendam gravi, & injuſto metu fuit coactus. Ita Præpoſit. *in c. cum locum* 14. *h. tit. num.* 8. Felin. *in cap. in præſentia* 8. *de Probat. num.* 37. Jaſon. *in l. Titia* 134. *ff. de V. O. num.* 6. *in fin.* Azor. *part.* 1. *l.* 1. *cap.* 11. *in fin.* Et videtur hoc etiam probari à paritate cum electione; nam etſi Electores ad unam ex tribus perſonis eligendam injuſtè coacti ſint, ſi tamen liberè eligant aliquam ex his tribus, electio valida eſt, ut dixi *Lib.* 1. *Tit.* 6. *n.* 66. ergo etiam ſubſiſter ſic initum, & extortum matrimonium argumento ducto à matrimonio Spirituali ad carnale. *Conf.* ideo electio valet in caſu dato, quia Electores ſpontaneæ, ac liberæ voluntatis determinatione electi perſonam prætulerunt cæteris. Hoc etiam fecit Titius eligendo Bertham; nam iſtam nullo metu coactus duxit, cùm potuerit ducere quamcunque ex tribus Sororibus. Ergo &c.

396 Sed meliùs ejuſmodi matrimonium validum eſſe negant Covar. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 3. *§.* 5. *nu.* 8. Sanch. *l.* 4. *de matr. c.* 14. *n.* 14. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 1. Pal. *tract.* 2. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 9. Perez *D.* 17. *de matrim. ſect.* 10. *num.* 6. Pirh. *hic num.* 103. Vvieſt. *nu.* 228. *Ratio eſt*; quia matrimonium contrahens, ut validè contrahat, debet gaudere plena libertate *cap. cùm locum cit.* hac libertate non eſt gaviſus Titius in caſu dato; quia metu injuſtè incuſſo coactus eſt ad ducendam unam ex tribus, quas cum averſatus ſit omnes, ex nuptiis ſecutis cum una timeri Jure poſſunt infelices exitus, qui ex coactis nuptiis provenire ſolent.

Ad Argumentum, & Confirmationem oppoſitæ ſententiæ imprimis Electio, ejuſque de aliquo celebratæ acceptatio ſolùm eſt via, & inchoatio quædam Spiritualis conjugii inter Prælatum, & Eccleſiam intercedentis: conſ. non Matrimonio carnali, ſed Sponſalibus ſolùm de futuro æquiparatur; quæ cùm juxta probabiliorem, ut *infra num.* 427. dicetur, etſi metu gravi extorqueantur, valida tamen ſint, non mirum eſt, quòd etiam Electio hujuſmodi valeat. Deinde à valore Spiritualis conjugii ad carnale argumentari non licèt, quando contrarium de carnali eſt ipſo Jure expreſſum; eſt autem expreſſum Jure, quòd metu gravi extortum invalidum ſit. Igitur cùm tale ſit etiam in caſu dato matrimonium Titii, non obſtante valore Electionis ejuſmodi metu factæ, etiam ipſum invalidum erit. 397

3. Satis multis DD. requirunt, ut metus eo fine incuſſus ſit, ut extorqueatur Matrimonium. Hinc validum dicunt Matrimonium initum metu gravi, injuſte quidem, ſed alio fine incuſſo, quàm ut Matrimonium per eum extorqueatur. Ita Sanch. *l.* 4. *D.* 12. *nu.* 3. Conink *D.* 28. *dub.* 1. *n.* 9. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 5. *nu.* 1. *verſ. ſecundò*, Perez *D.* 17. *de Matrim. ſect.* 9. *n.* 3. Zoeſ. *hic n.* 74. Pirh. *num.* 105. Schamb. *num.* 151. *Fundantur* 1. quia ſi matrimonium eſſet irritum, tale eſſet vel Jure naturali, vel Divino, vel Eccleſiaſtico: non naturali, aut Divino; quia voluntario, & ſpontaneo conſenſu electum, & initum eſt: non etiam Eccleſiaſtico; quia textus, qui irritum declarant matrimonium metu initum, ſolùm loquuntur de metu, qui ad id extorquendum incuſſus eſt, ut patet ex *cap. cum locum*, *cap. veniens*, *cap. conſultationi*, *& c. ſignificavit citt.* 2. Quia cùm metus alio, quam conjugii extorquendi fine incutitur, contrahens ad matrimonium à nemine impellitur, ſed ipſe metum paſſus illud, tanquam medium ad propulſandum, quod intentatum eſt, malum ſpontaneo conſenſu eligit: & licet ejus mali intentatione patiatur violentiam, & injuriam, iſta tamen non intervenit in contractu nuptiali, utpote quem libere, & ſponte, nullo cogente, eligit; ac proinde contrahens nec eſt, nec dici valet ad matrimonium coactus vi injuſta. 3. Ingreſſus in Religionem, & ſuſceptio Habitus Jure ſubſiſtit, etſi mortis ex infirmitate imminentis metu ſit facta *c. ſicut nobis* 17. *de Regular.* & ratio eſt, quia adhuc liberè, & ſponte facta eſt. Atqui non minùs liberè, & ſpontè contrahitur Matrimonium, ſi contrahatur ob mortis, vel alterius mali, alio, quàm ipſius extorquendi, animo intentati, periculum. Ergo & ipſum ſubſiſtet; nam à matrimonio Spirituali ad carnale, & viciſſim rectè ducitur Argumentum. 4. Saltem dubium eſt, an hoc caſu Matrimonium contractum ſit Jure irritum. In dubio autem ejus valor potiùs, quàm nullitas adſtruenda eſt propter ſpecialem, & juſtum ejus favorem. Ergo &c. 398

Sed probabiliùs Matrimonium, ex metu ita incuſſo contractum, irritum, & nullum eſt. Ita Ant. Cucchus *l.* 5. *Inſt. major. tit.* 12. *num.* 160. Palatios *in* 4. *diſt.* 29. *D. un. ad fin. §. nono*, Veracrux *Specul. p.* 1. *art.* 8. *dub.* 3. *§. clariſſimè*, Card. de Lugo *de J. & J. D.* 22. *n.* 175. Vvieſt. *hic num.* 230. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Imped. matr. c.* 4. *n.* 42. *Oſtenditur* 1. ex *cap. cùm locum cit.* ubi Alexander III. Pontifex in contrahente matrimonium exigit plenam ſecuritatem à metu injuſto, neque diſtinguit, an metus ad nuptias extorquendas incuſſus ſit; vel alio fine, additque rationem; quia ex coactis Matrimoniis facilè ſequuntur infelices exitus. Atqui hæc plena ſecuritas deficit, & contra infelices exitus timeri poſſunt, etſi Matrimonium contractum ſit metu, ob alium finem, quàm ad extorquendum Matrimonium incuſſo. Ergo &c. 2. Profeſſio Religioſa, ex metu etiam ob alium finem, quam ad eam extorquendam injuſtè incuſſo facta, eſt ipſo Jure irrita, prout ſumitur ex *cap. perlatum* 1. *de his, quæ vi, metuſve cauſa &c.* Igitur ſi à matrimonio Spirituali ad carnale legitimè ducitur Argumen- 399

gumentum, ut volunt Adversarii, etiam Matrimonium carnale irritum erit, etsi metus injustus alio fine, quàm animo illud extorquendi illatus fuerit. 3. Matrimonium iis casibus ob metum injustè incussum irritum est, quibus casibus cæteri contractus, & actus metu initi sunt rescissioni obnoxii. atqui cæteri contractus, & actus rescissioni obnoxii sunt, si metu gravi sunt initi, sive deinde malum illud, cujus metu initi sunt, intentatum sit animo eos extorquendi, sive alio fine, ut patet *arg. l. nec minorem 7. ff. quod met. caus.* & ostenditur ex eo, quia utroque modo metum passo infertur injuria; conf. istum inferens obligatur ex Justitia ad damni hac injuria dati resarcitionem: quod aliter fieri nequit, nisi ut eum, qui metum passus est, reducat in pristinum statum, & permittat rescindi Contractum, si rescindibilis sit. Ergo &c. 4. Ratio, quare Matrimonium, quod metu gravi ad extorquendum incusso initum est, irritatum à Jure sit, est injuria, quam metum inferens intulit, dum causam dedit, ut metum passus consenserit, non consensurus, si metus abfuisset. Atqui non minùs injuriam infert, qui alio fine metum infert, & hic metus pariter causa, vel saltem occasio est consensus in Matrimonium, in quod non consentiret metum passus, si metus abesset, ergo &c. 5. Matrimonium, mortis, vel alterius gravis mali metu injustè incusso initum irritatum est, ut consuleretur libertati illius, qui metum passus est, & occurreretur malitiæ, & injustitiæ inferentis, ne scilicet metum passus ex aliena injuria pateretur damnum irreparabile, & is, qui eum intulit, ex sua iniquitate referat lucrum inauferibile; atqui hæc ratio æquè militat contra Matrimonium contractum metu gravi, etsi ob alium finem, quam animo illud extorquendi, injustè incusso. Ergo &c.

400 *Ex quo sequitur*, invalidum esse Matrimonium. 1. Quod innocens, à Judice aliàs condemnandus, contraxit cum filia Judicis, ut sententiæ injustæ metu se liberaret, licèt Judex eum condemnare intenderit alio fine, quàm ad extorquendum Matrimonium. 2. Contractum metu Sententiæ, secundùm allegata quidem, & probata, in innocentem tamen ferendæ à Judice; cùm enim, ut *Lib. 1. Tit. 40. numer. 31.* dictum est, actus alii, metu ex parte solius patientis injusto gesti, ad illius instantiam rescindantur, Matrimonium ex simili metu contractum erit irritum. 3. Initum metu cujuscunque gravis mali, & vexationis injustæ, illato ob quemcunque finem, etiam sine ejus mali inferendi animo; quia non tantùm illatio talis mali, sed etiam comminatio injusta est, eodemque modo ista, quo illa, voluntatem ad consensum impellit, cùm metum non causet malum, sed ejus inferendi apprehensio, quæ eadem est, eodemque modo movet, & extorquet consensum, sive adsit animus exequendi minas, sive absit, ut iterum dictum est *Tit. 40. citat. numer. 32.* 4. Initum à Juvene, qui deprehensus in flagranti à patre cum filia in flagitio, ut mortis, vel mutilationis ab eo in flagitii ultionem inferendæ discrimen effugeret, parenti nuptias cum eadem obtulit, aut ab illo oblatas acceptavit. 5. Contractum à Muliere infirma cum Medico, cui, quòd ille curationem ex officio, & justitia sibi debitam eidem ex odio, ignavia, vel alia simili causa denegarit, ut ad se curandam induceret, se eidem, aut filio ejus ad nuptias obtulit &c.

401 Argumenta adversæ Sententiæ intentum non obtinent. *Ad 1. cap. cùm locum cit.* procedit etiam de conjugio, quod obtentum est gravi metu, alio fine, quàm ad id extorquendum incusso. Deinde esto, *citt.* textus loquantur tantùm de metu, ad Matrimonium extorquendum incusso, ratio tamen fundata in plena, & ab omni injusto metu libera securitate, procedit etiam de conjugiis initis gravi metu, ex alio fine, quàm ad Matrimonium extorquendum incusso. *Ad 2.* esto, metus illatus non sit ad Matrimonium extorquendum, illud tamen ab inferente metum, aut in ejus gratiam ab alio obtentum est injuria, quæ causa consensus in Matrimonium fuit, ac proinde iste non fuit verè, & simpliciter spontaneus, sed coactus. *Ad 3.* exemplum ibi adductum non est ad rem; quia metus, conceptus ex periculo mortis imminentis ob morbum gravem, non est injustè incussus: conf. mirum non est, quòd ingressus Religionis, & Professio, ex ejusmodi metu facta, sit valida. *Ad 4.* quòd in dubio pro Matrimonio pronuntiandum sit, verum est regulariter, non tamen semper, præsertim quando dubius valor propter metum est; tunc enim meliùs pronuntiatur contra Matrimonium, tum quia coacta Matrimonia difficile habent exitus, tum verò quia valor Matrimonii injusto metu contracti metum passo inferret damnum irreparabile, inferenti verò afferret commodum inauferibile. Ergo &c. Sed hinc ulteriùs

Dubium nascitur, quid dicendum sit de casu, quo 402
Titio timenti damnum in rebus suis, aut injustam vexationem à Sempronio intentatam, Cajus liberationem ab illa promittit Titio, si iste filiam ejusdem Caii ducat in uxorem; nam tali casu si acceptet Caii promissionem Titius, & ducat filiam Caii, quæritur, an validum sit tale Matrimonium? *Ratio dubitandi* sumitur ex resolutione præcedentis quæstionis; nam ut ex ibi dictis sequitur, si ipse Sempronius, qui metum intulit, promitteret liberationem ab eo metu sub conditione Matrimonii ineundi à Titio cum ejus filia Mævia, Matrimonium, hujus liberationis intuitu contractum à Titio cum Sempronii filia, esset invalidum. Atqui par videtur esse ratio casus in Dubio præsenti positi. Ergo etiam in hoc Matrimonium erit irritum, vel neque irritum erit in priori casu.

Sed difficultas hæc expediri ope distinctionis potest: 403
Vel enim Cajus ad Titium à vexatione per injuriam illata liberandum ex Justitia obligatus fuit, vel non. *Si primum*, Matrimonium à Titio ita initum invalidum est; quia eo casu Cajus denegatione auxilii injuriam infert Titio, & metum, ex injusta vexatione conceptum, auget, ac firmat, cessaturum, vel saltem minuendum, si eidem Cajus auxilium debitum præstitisset. *Si secundum*, Matrimonium illud validum est, ut rectè advertit P. Vviestn. *hic n. 238.* Ratio est; quia hoc à Cajo oblatum, & à Titio acceptatum est in compensationem auxilii, & mediorum pro liberatione impensorum, quæ eo ipso, quòd Jure fuerint indebita, oblatione conjugii, vel istius oblati acceptatione compensari potuerunt.

Neque obstat, quòd oblationi, & acceptationi con- 404
jugii occasionem dederit metus tum vexationis illatæ à Sempronio, tum carentiæ auxilii ad liberationem à Cajo, si filiam illius non ducat, denegandi; nam imprimis metus denegandæ liberationis, quia ex Justitia hæc non debebatur, injustus non fuit, metus Sempronianæ vexationis injustus quidem fuit, afficere tamen non potuit Cajum, & illum impedire, quin in compensationem liberationis à se præstandæ petere potuit nuptias cum filia sua. *Unde corruit ratio dubitandi*: negatur enim paritas inter casum præsentem, & positum in Argumento; nam in eo ponitur ipse Sempronius incussisse metum injustum.

Quæritur 4. ex quo Jure nullitas Matrimonii, me- 405
tu injusto extorti, descendat? Ex Jure naturali eam descendere existimant Scot. *in 4. dist. 29. q. un. §. de secundo.* Covar. *p. 2. de sponsal. c. 3. §. 5. n. 6.* Alex. Carrerius *l. 4. de Sponsal. c. 9. fin.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 326. num. 14.* Pont. *l. 4. de Matr. c. 14. num. 4.* Barbos. *ff. solut. matrim. ad Rubr. p. 4. nu. 30.* Gonzal. *in c. veniens 15. h. tit. n. 5.* Gobat. *Theol. Exper. tr. 9. nu. 245.* Haun. *tom. 2. de J. & J. tr. 8. n. 107.* Konig. *ad tit. de eo, qui duxit &c. n. 16.* Magnif. P. Schmier. *p. 3. de Imped. Matr. c. 4. n. 54. & seqq.* Rationes, quibus nituntur, minimè leves sunt. 1. Quia Jus Ecclesiasticum in textibus planè omnibus, qui *suprà num. 386.* adducti sunt, non tam irritat Matrimonium metu contractum, quàm antiquiori aliquo Jure irritatum supponit; loquitur enim de Matrimoniis jam contractis, & declarat illa, si metu inita sint, esse invalida. Atqui non extat Jus Ecclesiasticum antiquius, quo Matrimonium hujusmodi irritetur. Igitur cùm aliquo Jure debeat irritatum fuisse, dicendum est, quòd irritatum sit Jure naturali. 2. *c. cùm locum cit.* Matrimonia coacta pronuntiantur irrita ex ratione, quòd vis, & coactio, sive metus tollat consensum. Consensus autem Jure naturali ad valorem Matrimonii requiritur, ergo &c. 3. Matrimonium ex natura sua inducit vinculum perpetuum. Nullum autem violentum est perpetuum, teste Philosopho. Ergo coactio repugnat naturæ Matrimonii, & conf. Jure naturæ illud irritabit. 4. Coactio est contra principalem Matrimonii finem, qui est procreatio sobolis, & mutuum conjugum obsequium,

quæ requirunt animos voluntariè conjunctos, mutuumque amorem. Ergo repugnat naturæ Matrimonii; nam hæc dicit intrinsecum ordinem cujusque rei ad suum finem. 5. Si natura ejusmodi Matrimonium non irritasset, non satis consuluisset indemnitati innocentis passi metum injustum; cùm enim semel validè contractum nulla humana authoritate dissolvi valeat, eo ligaretur ille, qui in id metu coactus consensit, ac proinde ex injuria sibi illata pateretur damnum irreparabile, dum vicissim metum inferens referr commodum non auferibile. Utrumque autem repugnat naturæ genio, ergo &c. 6. Si Jure naturali Matrimonia coacta non essent irrita, valida essent sic inita ab infidelibus, utpote qui Legibus Ecclesiæ non obligantur.

406 Verùm etsi rationes istæ admodum probabilem hanc Sententiam faciant, non tamen adeo efficaces sunt, ut non probabilior adhuc sit Sententia, juxta quam nullitas ista in solum Jus Ecclesiasticum immediatè refunditur. Ita Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 11. *dict.* 3. Tabien. *V. Impedimentum Imped.* 9. *q.* 2. *nu.* 3. Navar. *Man. c.* 22. *num.* 50. Sot. *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 1. *art.* 3. *vers. qui ergo hanc opinionem*, Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 9. *nu.* 1. *&* 3. Sanch. *l.* 4. *de Matr. D.* 14. *num.* 2. Conink *D.* 28. *dub.* 2. *num.* 16. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 1. *&* 4. *vers. tertiò*, Perez *D.* 17. *sect.* 11. *n.* 2. Card. de Lug. *tom. de J. & J. D.* 22. *num.* 115. Vall. *hic* §. 8. *num.* 4. Zoes. *n.* 72. Pirh. *num.* 106. Schambog. *num.* 152. Vviest. *nu.* 242. *Ratio est* 1. Quia ad valorem, sicut cujuscumque alterius contractus, ita etiam Matrimonii Jure naturali plus non requiritur, quàm justus titulus, & voluntarius consensus. Atqui neutrum excludit metus: non titulum; quia metu non obstante, intervenit traditio Juris in corpus pro Jure in corpus: non voluntarietatem; quia hanc metus solùm diminuit, non verò tollit. 2. Si Matrimonium metu coactum esset Jure naturali irritum, tale esset propter injuriam, quam infert metum Incutiens metum passo. Atqui ex ista causa non oritur nullitas; quia aliàs irritum esset etiam Matrimonium obtentum contrahentis dolo, cùm sicut metum passo, ita etiam illi, qui dolo circumvenitur, inferatur injuria: item irritum foret initum metu levi; quia etiam per hunc infertur injuria, & sæpe mortaliter peccaminosa. 3. Non magis libertati Matrimonii obstat metus à libera, quàm à necessaria causa incussus. Atqui ex Adversariis plerique negant Matrimonium irritari metu incusso à causa necessaria. Ergo nec irritabitur, si incutiatur à causa libera. 4. Voluntarius, & liber consensus etiam requiritur ad Baptismum, & Juramentum: & tamen neque istud præstitum gravi metu, neque ille eodem metu susceptus est irritus. Ergo solo Jure naturali spectato, neque irritum erit Matrimonium, gravi metu extortum.

407 Argumenta contraria intentum non evincunt. *Ad* 1. licèt quatuor *citt. c.* irritatio Matrimonii coacti non primùm inducatur, & scriptum Jus antiquius non allegetur, tamen ex his ipsis textibus, & continua Ecclesiæ observantia satis colligitur, quòd ejusmodi Jus aliquando sit introductum aut viva voce, aut etiam scripto, quod deinde periit, prout in simili responderi debet de Impedimento disparitatis Cultus, quod juxta omnes est Juris tantùm Ecclesiastici, etsi non habeatur textus expressus, quo ostendatur illud primitus fuisse constitutum. *Ad* 2. metus solùm tollit consensum spontaneum, quem Jus positivum exigit, non verò voluntarium, & liberum, qui ad Matrimonium de Jure naturæ sufficit. *Ad* 3. violentum simpliciter, quod fit passo nullo modo concurrente, perpetuum esse non potest; secus dicendum de violento secundùm quid, quale reperitur in consensu metu extorto. *Ad* 4. consensus metu extortus, hoc ipso, quia simpliciter voluntarius, non est simpliciter, & ex se ineptus ad finem Matrimonii, sed solùm minùs aptus, & minùs conveniens: ex quo sequitur, eum quidem valere, expedire tamen, ut irritetur. *Ad* 5. satis naturæ Author consuluit metum passis, dum legitimo Magistratui potestatem concessit irritandi conjugia sic extorta. Argumentum retorqueri potest in Matrimonio, quod dolosa simulatione nobilitatis, divitiarum &c. obtentum est; nam hoc non obstante, injuria, per hujusmodi simulationem innocenti illata irrevocabiliter obligat. Sufficit ergo hujusmodi simulatione, uti & metus incussionem jure naturali prohibitam esse, ipsumque simulatorem, & metus authorem obligari ad compensationem injuriæ. *Ad* 6. cum Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 47. *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5. *fin.* Sanch. *D.* 14. *cit. n.* 3. Conink *dub.* 2. *cit. nu.* 17. & aliis concedo sequelam, scilicet Matrimonia metu gravi injustè incusso inita ab Infidelibus esse valida, nisi propriis ipsorum Legibus specialiter sint irritata; hoc enim probat ratio in Argumento allata junctis fundamentis nostræ sententiæ.

Quæritur 5. An Matrimonium, metu injustè incusso 408
extortum, sit irritum utroque foro? Aliqui quos tacito nomine refert S. Thom. *in* 4. *dist.* 29. *q. un. art.* 3. *quæstiunc.* 1. *in Corp.* putaverunt illud in foro conscientiæ subsistere, si revera metum passus dedit consensum internum. *Fundabantur* 1. textu *c. cùm locum cit.* ubi postquam declaratum fuit, Matrimonium metu extortum esse nullum, ratio redditur; quia Matrimonium solo consensu perficitur, & ubi coactio est, deficit consensus: ergo si revera adsit consensus, valebit Matrimonium. 2. in foro interno præsumptio veritati cedit; atqui Ecclesia ex metu solùm præsumit non adesse consensum internum. 3. Ad consensum internum in Matrimonio non potest dari coactio, sed solùm ad prolationem verborum: ergo si verè adest consensus internus, is liber est, & Matrimonium, eo consensu contractum, liberum erit, conf. validum quoad DEUM.

Sed dicendum, Matrimonium, metu gravi injustè in- 409
cusso initum, in utroque foro esse nullum, & irritum. Ita S. Thom. *l. cit.* Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 11. *dict.* 3. Tabiena *V. Impedimentum Imped.* 9. *q.* 2. *num.* 3. Sot. *dist.* 29. *cit. q.* 1. *art.* 3. *vers. refutatur tamen*. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 51. *fin.* Alex. Carrerius *l.* 4. *de Sponsal. c.* 9. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 9. *nu.* 1. Sanch. *l.* 4. *de Matr. D.* 12. *nu.* 18. Perez *D.* 17. *sect.* 10. *n.* 4. Pont. *l.* 12. *c.* 8. §. *ult. n.* 75. Zoes. *hic n.* 76. Pirh. *n.* 98. Vviest. *n.* 240. Ostenditur 1. quia juxta *cap. cum locum cit.* ubi adest timor cadens in virum constantem, non invenitur consensus, quo perficitur Matrimonium; adest autem consensus voluntarius; ergo hic, si coactus sit, non sufficit ad Matrimonium. 2. *cap. significavit* 2. *de eo, qui duxit &c.* ille, qui cum una contraxit, metu injustè incusso inductus, & deinde aliam duxit, ad hanc revertendi liberam accepit facultatem; non potuisset autem facultas hæc ei dari, si Matrimonium primum metu extortum non fuisset omnino invalidum: ergo &c. 3. Convenientissimum fuit, ut Matrimonium metu extortum irritaretur pro utroque foro; quia repugnat tribus bonis Matrimonii: *Sacramenti* quidem; quia hoc significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ cùm fuerit facta per liberum amorem, præsentari per liberum consensum Sponsorum debet: *Prolis*; quia ad hanc non multùm afficientur, qui inviti sunt copulari: *Fidei conjugalis*; quia cùm facilè quis contemnat, quod non diligit, periculum est, ne tales conjuges fidem violent, & labantur in adulterium.

Neque obstat Argumenta partis adversæ. *Ad* 1. Dum 410
cap. cùm locum cit. dicitur, quòd metus tollat consensum, ut locum istum Sanch. *l. cit. num.* 26. & Conink *num.* 17. cum aliis explicant, id intelligendum non est, quasi consensum omnino tollat, sed quòd tollat eum, quem Jus positivum postulat, scilicet liberum à coactione. *Ad* 2. Ecclesia non præsumit aliquem delinquere, nisi id legitimè probetur. Fingere autem consensum; ubi non est, est peccatum mendacii; igitur ad hoc excludendum Ecclesia præsumet verba significantia consensum verè, non fictè, & mendaciter prolata esse. Quare dicendum, Matrimonium coactum ab Ecclesia non irritari ex præsumptione deficientis veri consensus, sed intuitu incommodorum, quibus obnoxia esse solent coacta conjugia. *Ad* 3. Licèt consensus internus extorqueri vi, aut metu nequeat, mali tamen interitati metu impellente, præstari potest, & solet etiam, cùm metus urget.

Quæritur 6. An Matrimonium metu contractum fir- 411
metur adjecto Juramento? Aliqui cum Ricard. *in* 4. *dist.* 29. *art.* 2. *q.* 3. affirmant ratificari, saltem in foro conscientiæ. Et videtur istud probari 1. ex *can. inter cætera* 22. *caus.* 22. *q.* 4. ubi S. Augustinus Matrimonium cujusdam Hubaldi, quod timore mortis impulsus, præcedente tamen Juramento, cum concubina contraxerat, pro valido habet. 2. Quia alii Contractus, & actus, etsi de Ju-

de Jure invalidi sint, si tamen Juramento stabiliantur, fiunt validi, ut dictum est *Lib. 2. Tit. 24. nu. 86.* ergo etiam Matrimonium. 3. Quia per Regulam *c. cùm contingat 28. de Jurejur. & c. quamvis 2. de Pact. in 6.* omne Juramentum, quod sine præjudicio tertii, & salutis æternæ dispendio servari potest, servari debet; ita autem servari potest, etiam, quod metu extortum est: ergo &c.

412 Sed meliùs negatur, per adjectionem Juramenti convalidari Matrimonium gravi metu contractum. Ita Glos. *in cap. significavit. 2. V. tanta de eo, qui duxit &c.* Abb. *ibid. n. 5.* Alex. de Nevo *n. 5. & 6.* Sylv. *V. Matrimonium 8. q. 11. dict. 8.* Armill. *V. eod. nu. 41.* Tabien. *V. Impedimentum Imped. 9. ad fin.* Pacian. *de Probat. l. 2. c. 3. n. 56.* Alex. Carrer. *l. 4. de Sponsal. c. 9.* Sanch. *l. 4. de Matrim. D. 20. n. 12.* Conink *D. 28. dub. 4. num. 44.* Perez *sect. 4. n. 5.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 5. num. 5.* Clericat. *de Sacr. Matr. decis. 27. n. 36.* Pirh. *hic n. 121.* Vviest. *n. 247.* & alii, juxta quos sicut Matrimonium, ita & Juramentum ipsi adjectum irritum est, ita, ut ne quidem obligatione ex Virtute Religionis inducat. *Ostenditur* 1. ex *c. significavit 2. de eo, qui duxit &c.* ubi deciditur, eum, qui post Matrimonium metu contractum cum aliqua, & Juramento firmatum aliam duxit, debere manere cum secunda; non posset autem cum secunda manere, sed cogendus esset redire ad primam, si Matrimonium cum ista initum convaluisse addito Juramento: ergo &c. 2. Matrimonium, gravi metu extortum, invalidum est ob defectum spontanei, ac plenè liberi consensus, qui ad substantiam Matrimonii, ut ex hactenus dictis patet, requiritur; atqui Juramentum non supplet defectum consensus substantialiter requisiti. 3. Quamdiu metus durat, personæ inhabiles sunt ad contrahendum Matrimonium, sicut inhabiles sunt ad contrahendum clandestinè, ex Decreto Ecclesiæ talia Matrimonia irritantis; atqui per Juramentum non efficiuntur habiles: ergo illud non possunt confirmare per Juramentum. 4. Juramentum sortitur naturam, & conditiones actus, cui apponitur; igitur sicut Matrimonium ad sui valorem requirit abesse metum gravem injustè incussum, ita & Juramentum illi adjectum hanc tacitam conditionem habet, *Si Matrimonium sit libero consensu initum*; & cons. si metu contractum sit, neque Juramentum obligat, utpote conditione non impleta, sub qua præstitum est. 5. Si Juramento convalesceret Matrimonium metu contractum, nullum remedium metum passis attulisset Ecclesia, quod tamen Matrimonia metu inita annullando vel maximè intendebat; nam qui compellit aliquem ad contrahendum, facillimè compellere etiam ad jurandum.

413 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. Ut omittam alias expositiones, in casu *canon. inter cætera cit.* metus, & juramentum solummodo intervenit in prævia promissione, qua Hubaldus promisit concubinæ se cum ea initurum Matrimonium, & matrem propriam cum fratribus expulsurum domo, expulsisque negaturum necessaria vitæ subsidia; ipsum verò Matrimonium secutum dein est, metu cessante. Hinc meritò S. Augustinus respondit firmitati Matrimonii quidem nihil obstare, promissionem verò destituendi, & expellendi matrem, etiam Juramento firmatam, irritam, & nullam esse. Neque refert, quòd S. D. utatur verbo præsentis temporis *ipsam in conjugem suscipere*, quibus verbis aliàs significatur ipse Contractus Matrimonialis, prout patet ex *c. duobus 1. de Spons. duor.* nam in hoc textu verbum illud de futuro solùm tempore intelligendum demonstrant verba *Expellere, & impendere*, ipsi eadem oratione conjuncta, quibus verbis promissionem de futuro tempore implendam significari liquet ex ipso textu. Vel si contendas verbi illius sensum alienum esse à mente S. Doctoris, & evincere velis in casu *can. inter cætera cit.* adjectum esse ipsi contractui nuptiali, propter subjecta verba, *Matrimonium sit in Domino in firmum, ac stabile*, dici potest, tempore S. Augustini Matrimonium metu initum adhuc substitisse, & ab Ecclesia sequentibus primum temporibus irritatum fuisse, cum credibile omnino sit, non omnia Impedimenta ab Ecclesia simul fuisse inducta, sed successivè, prout casuum occurentium necessitas exigebat. *Ad* 2. Negatur *Cons.* nam alii Contractus prohibentur ob utilitatem privatam; at Matrimonium ob publicam. Item licèt alii Contractus irritentur; at personæ non redduntur ad contrahendum inhabiles, sicut tamen inhabilis ad Matrimonium metu durante contrahendum factus est metum patiens. *Ad* 3. Non semper obligat Juramentum, quod sine peccato servari potest; quando enim actus ob publicum bonum, seu utilitatem irritatur, Juramentum ei superveniens non tenet, nec observari debet *arg. c. si diligenti 12. de for. compet.*

414 Quæritur 7. An Matrimonium, gravi metu extortum, & propterea nullum firmetur per copulam, illius contractum subsecutam? Affirmant id absolutè Gloss. *in cap. consultationi 28. V. ante h. tit.* Paludan. *in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 4. nu. 25.* Sot. *ibid. quæst. 1. art. 3. in fin. vers. in contrarium.* Barth. à Ledesm. *de Matr. dub. 23. in fin.* & quidam alii apud *citt. Fundantur* 1. textibus *c. consultationi cit. cap. ex litteris 11. de despons. impub. & cap. insuper 4. qui Matrim. accusar.* quibus textibus Matrimonium metu extortum pronuntiatur irritum, nisi copula carnalis sit subsecuta; igitur argumento à sensu contrario hac secura firmabitur. 2. Quia meritò præsumitur, quòd is, qui post Matrimonium metu contractum admittit copulam, illam admittat animo potiùs conjugali, quàm fornicatio, cùm delicta non præsumantur, & fornicatio etiam metu coactis Jure naturali illicita sit; atqui si animo conjugali admisit copulam, remisit metum, & Matrimonium ratificavit: ergo &c. 3. Quia Ecclesia irritat consensum metu extortum in favorem contrahentis, qui casu isto omnino cessat, cùm tali potius damnosum sit, & valde onerosum, quòd ad mortem evadendam non possit licitè consummare Matrimonium, quod aliàs per se, seclusa irritatione Ecclesiæ, liceret.

415 Sed meliùs respondetur distinguendo: Vel enim copula subsecuta etiam ipsa extorta metu est, vel isto jam cessante, omnino liberè, & affectu conjugali est habita. *Si hoc posterius*, per ita admissam copulam Matrimonium confirmatur. Ita S. Thom. *in 4. dist. 29. q. un. art. 3. q. 2. ad 2.* Abb. *in cap. consultationi cit. nu. 7.* Alex. de Nevo *ibid. num. 10.* Henriq. *l. 11. c. 9. num. 7.* Sanch. *l. 4. de Matrim. D. 18. nu. 16.* Tann. *D. 8. quæst. 3. dub. 2. num. 33.* Conink *D. 28. dub. 4. nu. 41.* Pont. *l. 4. c. 14. num. 12.* Gobat. *Theol. Exper. tr. 9. nu. 261.* Clericat. *de Sacr. Matr. decis. 27. n. 37.* Vallens. *hic §. 8. n. 5.* Zoes. *n. 78.* Pirh. *n. 123.* Schamb. *n. 158.* Vviest. *nu. 78.* Magnific. P. Schmier *part. 3. de Impedim. Matr. cap. 4. num. 70.* & communiter TT. ac JCti cæteri. *Ratio clara est*; quia Matrimonii valori hoc casu nihil obstitit præter defectum spontanei consensus; atqui iste sufficienter exprimitur, & exprimi de Jure præsumitur per copulam carnalem spontè admissam, cùm talis processisse præsumatur ex affectu conjugali *arg. c. is, qui fidem 30. h. tit.* ergo &c. Estque hoc verum etiam post Trid. modo Matrimonium contractum sit coram Parocho, & testibus, & impedimentum metus, quo contractum est, sit occultum, ita, ut in foro externo probari nequeat, ut rectè Sanch. *D. 18. cit. n. 12. & 16.*

416 *Quodsi verò prius contingat*, & etiam copula sit metu extorta, dicendum cum DD. *citt.* Matrimonium metu initum per ita admissam copulam non confirmari. *Ratio est* 1. Quia Ecclesia irritavit Matrimonium, gravi metu extortum, ob defectum pleni, & perfectè liberi consensus; atqui iste per sequentem copulam carnalem, si etiam ipsa sit gravi metu extorta, non suppletur: ergo manebit invalidum Matrimonium, sicut prius. 2. Fictio non potest operari plus, quàm veritas *§. minorem 4. Instit. de Adoption. l. filio 23. ff. de Liber. & posthum.* sed consensus expressus per verba de præsenti metu extortus non constituit Matrimonium: ergo à fortiori nec fictus, & præsumptus per copulam. 3. Matrimonium nunquam potest validè contrahi ex metu cadente in constantem virum; quia Jura absolutè talem contractum Matrimonialem irritant: ergo nec potest confirmari prius Matrimonium invalidum per actum, sive copulam postea simili metu extortam. 4. Quamdiu perseverat metus, quo contractum est Matrimonium, tamdiu istud manet invalidum; atqui hic metus non tollitur per copulam simili metu extortam, sed potiùs augetur, dum metus additur metui: ergo ergo &c. 5. Si Matrimonium convalesceret per copulam etiam metu extortam, Ecclesia non adhibuisset sufficiens medium coactionibus; nam compellenti ad Matrimonium, facillimum esset etiam ad consummationem cogere. 6. Eadem incommoda sequuntur ex Matrimonio metu inito, & consummato, quæ ex eodem non con-

conſummato: ergo Matrimonium utrumque fuit ab Eccleſia irritatum.

17 Ex quo ſequitur, quòd ſtante iſta ſententia, potiùs quis pati debeat mortem, quàm ut poſtquam conſenſu, per gravem metum extorto, contraxit Matrimonium, illud poſtea conſimili metu compulſus conſummet, ut *l. citt.* notanr Tann. *n.* 33. Sanch. *n.* 17. Conink *num.* 42. Pirh. *num.* 124. & ratio eſt, quia cùm non valeat Matrimonium, conſummatio illius verè non eſt aliud, quàm merè fornicatio, quæ nullo metu à malitia excuſari poteſt. Addidi *ſtante iſta ſententia*; quia cùm contraria ſententia, quæ dicit, per copulam, etiam gravi metu extortam, affectu tamen maritali habitam, ratificari Matrimonium priùs metu extortum, ob DD. authoritatem probabilis ſit, hinc poſſet quis in neceſſitate ſententiam illam ſequi, & ſic excuſari à peccato, conſummando tali modo Matrimonium, ut notat Sanch. *l. cit.*

18 Neque obſtant Argumenta contraria. *Ad* 1. Textus illi ſolùm procedunt de copula non metu, ſed ſponte admiſſa, ne quod una via eſt prohibitum, altera via obtineatur; nam ut *n.* 416. dixi, facile eſſet copulam extorquere metu, ut hoc modo obtineatur confirmatio Matrimonii coacti metu. *Ad* 2. Negatur ſuppoſitum, quòd hoc caſu metu admittens copulam, Matrimonium conſummet animo conjugali; quia hunc habere non poteſt, niſi erroneè, cùm Eccleſia Matrimonium metu extortum irritet abſolutè. *Ad* 3. Etſi Eccleſia irritando Matrimonium coactum metu intenderit etiam favorem metum paſſi, principaliter tamen irritationem fecit ob favorem publicum, cui pactis privatorum renuntiari non poteſt. Medium evitandi mortem metum paſſus aliud habere poteſt, petendo ſcilicet dilationem, ſeu tempus opportunum, quo poſſit metum deponere, & ſic liberè conſentire, ac Matrimonium conſummare; ſic enim fortè ſuadebit metum inferenti, & ſimul evitabit DEI offenſam.

19 Quæritur 8. An Matrimonium, gravi metu extortum, convaleſcat per diuturnam cohabitationem utriuſque conjugis, ſubſequentem ad Matrimonialem contractum metu initum? Si textus *c. ad id* 21. *h. tit.* inſpiciatur, videtur abſolutè tenenda affirmativa; nam ibi generaliter ex cohabitatione, per annum, & dimidium continuata, conſenſus præſumitur eſſe renovatus. Sed repetenda eſt diſtinctio *n.* 415. data, & dicendum, cohabitationem, per tantum tempus continuatam, non aliter acceptandam pro ratificatione conſenſus, quàm ſi ſpontanea, & libera fuerit: & de hac intelligendum eſt *c. ad id cit.* ut notat *ibid.* Gloſſ. *V. per annum*, & docent Sanch. *l.* 4. *de Matr. D.* 18. *nn.* 3. Perez *D.* 17. *ſect.* 13. *n.* 5. Gonzal. *ad c. cit. nu.* 5. Gobat. *Theol. Exper. tr.* 9. *n.* 262. Vallenſ. *hic* §. 8. *n.* 5. Zoeſ. *nu.* 80. Pirh. *num.* 113. Schamb. *n.* 156. Vvieſt. *nu.* 251. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Imped. Matr. c.* 4. *num.* 72. *Ratio eſt*; quia ita, etiam ſine commercio carnali cohabitans, affectu conjugali cohabitaſſe, ac proinde in Matrimonium legitimè conſenſiſſe præſumitur. Eſtque præſumptio hæc ſecundùm *citt.* DD. præſumptio Juris, & de Jure.

20 An verò præſumptio hæc locum habeat etiam nunc poſt Trid. nonnulli dubitant. Negant Clericat. *de Sacr. Matr. deciſ.* 17. *num.* 39. ob Declarationem S. Congreg. & Deciſiones S. Rotæ, quas referunt Pont. *l.* 5. *cap.* 6. *n.* 7. & Fagnan. *in c. de illis* 11. *de Deſponſ. impub. nu.* 13. ubi ſtatuitur, quotieſcunque Matrimonium ob aliquod Impedimentum nulliter contrahitur, eo ceſſante, non ſufficere novum conſenſum ad inſtaurandum valorem, niſi præſtetur iterum coram Parocho, & teſtibus. Ego hanc Declarationem, & Deciſiones intelligendas judico ſolùm de caſu, quo Impedimentum, ob quod nulliter contractum eſt Matrimonium, eſt notorium, vel probabile in Judicio; quia mens ſtatuentium fuit tollere incommoda illa gravia, & inter hæc receſſum temerarium à ſic clanculùm ratificatis nuptiis, quibus occaſio non minùs, ac per nuptias merè clandeſtinas, daretur, ſi Matrimonium, cujus invaliditas publicè nota eſt, vel ſaltem in Judicio probari poteſt, clàm poſito conſenſu, revalidari poſſet. Tale periculum contrà non eſt, quando Impedimentum, & invaliditas eſt penitus occulta, nec ullo modo in Judicio probari poteſt; tunc enim in foro externo præſumetur eſſe validum, & volens à Matrimonio tali recedere non audietur. Hinc cum Sanch. *num.* 12. & aliis judico, tali caſu Præſumptionem conſenſus procedere etiam poſt Trident.

Tria tamen eo caſu juxta eundem Sanch. *n.* 5. *& duob. ſeqq.* Pirh. *hic n.* 113. *not.* 2. & alios requirentur ad hoc, ut cohabitatio conjugum ſit ſufficiens ſignum conjugalis conſenſus. 1. Ut ratificans Matrimonium priùs contractum ſciat, illud fuiſſe invalidum; ſi enim ex errore, quo putabat prius Matrimonium fuiſſe validum, cohabitet, per eam cohabitationem nunquam ratificabitur Matrimonium: & ratio eſt; quia nihil magis contrarium eſt conſenſui, quàm error. 2. Ut cohabitatio ſit diuturna: quantum verò hoc debeat tempus eſſe, arbitrio Judicis relinquendum eſt, quia ſeſqui annus, cujus *in c. ad id cit.* Pontifex meminit, tantùm pertinet ad narrationem facti, non verò per id ſignificatur, quòd tantum debeat eſſe cohabitationis tempus. Ut rectè ſtatuat Judex de diuturnitate temporis, moraliter id accipere debet, ſpectata ſcilicet opportunitate fugiendi, & mora cohabitationis, non Mathematicè, ut rectè monet Sanch. *n.* 6. qui addit, hoc procedere ſolùm in foro externo; nam in foro interno nulla temporis mora ſufficit, ſi deficiat animus ratificandi Matrimonium. 3. Ut cohabitatio illa ſit omnino ſpontanea, ita, ut ceſſarit etiam cauſa timoris; nam durante cauſa metus, durat metus: & durante metu, ſicut Matrimonium non poteſt primò contrahi, ita nec contractum invalidè convalidari poteſt. 421

Quæritur 9. An, qui metu injuſtè incuſſo extorſit nuptias, obligetur cum eo, qui iſtum paſſus eſt, ſi iſte vellet purgato metu, verè contrahere Matrimonium? Affirmant Richard. *in* 5. *diſt.* 29. *art.* 1. *q.* 1. Alex. de Nevo *in c. cùm locum* 14. *nu.* 29. *h. tit.* Turrecrem. *in Summ.* 31. *q.* 2. *nu.* 11. Sylv. *V. Matrim.* 8. *q.* 11. *dict.* 4. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 51. *in fin.* Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 10. *nu.* 5. *ad fin.* Conink. *D.* 28. *dub.* 1. *n.* 7. Pont. *l.* 4. *c.* 15. *n.* 3. Schamb. *hic n.* 160. & inclinat Pirh. *ibid. n.* 125. cum aliis. *Fundantur* 1. textu *c. propoſitum* 1. *de eo, qui duxit &c.* ubi Alexander III. viro, quia prima uxore adhuc vivente, duxit aliam ejus rei ignaram, cognito primæ obitu non permiſit receſſum à ſecunda, niſi cum hujus licentia, ut adeo in iſtius optione fuerit receſſus à Matrimonio, vel in eo perſeverantia; cur non etiam id in optione mulieris metum paſſæ ſit, cùm huic illata injuria non ſit minor illa, quæ illata eſt dolo? 2. *Paritate* cum aliis Contractibus e. g. Emptione Venditione &c. metu extortis, qui ſolùm reſcinduntur ad inſtantiam metum paſſi; nam ſi iſte velit ſtare Contractu, etiam metum inferens eo ſtare tenetur, quòd Jura deceptis tantùm, & læſis, non etiam decipientibus, vel lædentibus ſubveniat; *c. univerſorum* 8. *de rer. permut. & l. ex primo* 2. §. *ſed ita* 3. *ff. ad S. C. Vellejan.* 4. *ratione*; quia conſenſus ex parte metum inferentis fuit abſolutus, & ſufficiens ad ipſum ex ſua parte obligandum, dummodo ex ſua etiam parte coactus velit; igitur hoc poſtea liberè, ac ſponte volente, is, qui metum intulit, Matrimonium inire tenebitur. 422

Verùm his non obſtantibus, dicendum, quod metum inferens tali caſu per ſe loquendo non teneatur inire Matrimonium, etſi poſtea cum eo illud velit contrahere metum paſſus. Ita Sanch. *l.* 4. *de Matr. D.* 15. *num.* 15. Hurtad. *de Matrim. D.* 6. *num.* 16. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 2. *verſ. id verò*, Perez *ſect.* 12. *a num.* 5. Vvieſt. *hic n.* 254. qui proinde metum inferenti liberam permittunt facultatem reſiliendi à tali contractu, etiam altera parte invita. *Ratio eſt*; quia non apparet, unde oriatur ea obligatio: non enim 1. oritur ex *Contractu*; nam præterquam quòd ita metu initus Jure poſitivo ſit irritus, ſimul ex natura ſua reciprocus eſt, ita, ut includat tacitam conditionem, *Accipio te in meam, ſi viciſſim me accipias in tuum*; igitur claudicare non poteſt, & unum obligare ad individuam vitæ ſocietatem, niſi ad eam obligetur alter. *Non* 2. *ex conſenſu*; quia, ut modò dictum eſt, conſenſus iſte ex parte cogentis non fuit abſolutus, ſed tacitè conditionatus: ac proinde hoc ipſo, quòd ex parte unius fuerit nullus, ex parte alterius quoque deficit, & nullam obligationem inducit. *Non* 3. *ex injuria*; quia iſta ferè tollitur ipſa Matrimonii coacti diſſolutione, & metus illati punitione. *Non* 4. *ex delicto* in pœnam coactionis; quia hoc exigere Judicis condemnationem, ante quam nullus tenetur ſubire pœnam. *Non denique* 5. *ex Jure poſitivo*; quia nullum exrat hujuſmo- 423

jusmodi Jus positivum, quod metum inferentem obliget ad nuptias contrahendas cum metu passo.

424 Addidi autem in Responsione *per se loquendo*; quia casu, quo metum passo grave, & aliter, quàm per conjugium irreparabile damnum illatum fuisset, metum inferens ad Matrimonium validandum teneretur, & Judiciali etiam authoritate cogendus esset; nam id æquitas, & ratio naturalis poscit, ut rectè observat Perez *l. cit. n.* 7. & P. Vviestner *n.* 255. qui optimè addit, idem dicendum in omnibus iis casibus, quibus, ut plerumque solet, Matrimonium metu initum præcessissent Sponsalia; cùm hæc, ut *n.* 427. dicetur, valida sint, etsi metu extorta sint, & rescindi solùm ad instantiam metum passi possint, eo casu metum inferens, si ita metum passus velit, obligabitur Matrimonium validare, non quidem ratione Contractus Matrimonialis metu extorti, sed ratione Sponsalium præcedentium, quæ per Matrimonium subsequens metu extortum non tolluntur.

425 Argumenta in contrarium allata magis sunt speciosa, quàm efficacia. *Ad* 1. Negatur paritas cum textu *c. propositum cit.* nam eo casu recessus à muliere non fuit permissus viro ob triplicem rationem. 1. ob fidem Matrimonii, ligaminis impedimentum ignoranti datam, & bona fide acceptatam. 2. ob præjudicium mulieris gravissimum, & aliter, quàm per Matrimonium non reparabile, quippe quæ ipsi, tanquam legitimo marito suo, cohabitavit. 3. in pœnam dolosæ deceptionis. Harum autem causarum nulla pugnat in nostro casu: *non prima*; quia Impedimentum metus utrique notum est: *non secunda*; quia nostra resolutio solùm procedit casu, quo damnum inde acceptum aliter reparari non potest: *non tertia*; quia pœnales dispositiones de casu ad casum Jure non expressum extendi non debent. *Ad* 2. iterum negatur paritas: nam Matrimonium metu extortum Jure Ecclesiastico est irritatum; cæteri verò Contractus metu initi Jure subsistunt: & hinc claudicare possunt, seu ex una parte habere obligationem efficacem, inefficacem ex altera; quia per Exceptionem elidi potest. *Ad* 3. patet ex dictis; negatur enim, quòd etiam consensus metum inferentis absolutus fuerit, cum tacitam conditionem habeat, *Accipio te in meam, si vicissim me accipias in tuum*.

426 Quæritur 10. An valida sint Sponsalia metu extorta? Negant Abb. *in c. ex litteris* 11. *de desponf. impub. num.* 2. Anchar. *in c. veniens* 15. *h. tit. num.* 6. Covar. *part.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 5. *n.* 1. Azor. *p.* 1. *l.* 1. *cap.* 11. *qu.* 7. *cas.* 1. Sal. *tr.* 3. *D.* 3. *sect.* 1. *nu.* 27. Sanch. *l.* 4. *de matr. D.* 19. *n.* 3. Gutier. *c.* 76. *de matr. n.* 42. Petr. Barbos. *ad Rubr. ff. solut. matr. p.* 4. *n.* 30. Aug. Barbos. *in c. ex litteris cit. nu.* 4. Reginald. *l.* 31. *n.* 88. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 6. *nu.* 3. *vers. secundo*, Bonacin. *q.* 3. *p.* 8. *n.* 31. Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *ref.* 278. Tambur. *in Decal. l.* 3. *c.* 3. §. 5. *n.* 14. Cardin. de Lug. *D.* 22. *de Just. sect.* 7. Zoes. *hic n.* 77. Konig *de eo, qui duxit &c. n.* 23. *vers. porro*, Sporer *de matr. n.* 48. Vvex *Ariad. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 2. *contr.* 1. *n.* 9. *& seqq.* Magnif. P. Schmier. *p.* 3. *de Imped. matrim. cap.* 4. *n.* 44. *& seqq. Fundantur* 1. textu *c. ex litteris cit.* ubi puella duodennis impuberi desponsata, & in istius domum traducta, recedere, & alteri nubere permissa est, quòd minis parentum ad id impulsa fuerit; non fuisset autem permissa recedere, & alteri nubere, si Sponsalia, ita metu parentum contracta, fuissent valida: ergo &c. 2. Juris dispositio de Matrimonio trahitur ad Sponsalia, cùm de his aliud Jure non est expressum juxta *l. Oratio* 16. *ff. de Sponsal.* igitur sicut Matrimonium, ita & Sponsalia metu extorta viribus, & valore carent. 3. dari non potest obligatio ad actum Jure nullum, ut patet ex terminis; atqui Sponsalia metu extorta, si valerent, obligarent ad actum Jure nullum, videlicet ad Matrimonium metu contrahendum. 4. metus iste, quo extorquentur Sponsalia, etiam influerer in ipsum Matrimonium; nam quidquid influit in obligationem tanquam radicem, influit consequenter in objectum, & effectum illius obligationis; atqui metus influeret in obligationem præviam ex sponsalibus ortam, ergo &c. 5. licèt concedatur, quòd alia Vota simplicia, metu gravi extorta, sint valida, Votum tamen Religionis ingrediendæ, simili metu extortum, invalidum est, quia est via ad Professionem Religiosam, quæ metu extorta, invalida est; atqui etiam Sponsalia sunt via ad Matrimonium: ergo &c.

Sed melius dicitur hujusmodi Sponsalia, quamvis rescindi possint, tamen valida esse. Ita Sylv. *V. Sponsalia quæst.* 6. *in fin.* Petr. de Ledesm. *de matr. q.* 47. *art.* 3. *circa* 3. *arg. dub.* 3. Henriq. *l.* 11. *c.* 9. *n.* 6. Ochagav. *tr. de matrim. q.* 33. *n.* 2. Tann. *D.* 8. *de matr. q.* 1. *nu.* 14. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 17. *n.* 37. Conink *D.* 25. *dub.* 1. *n.* 7. Pal. *tr.* 2. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 3 Perez *D.* 10. *sect.* 3. *à n.* 4. Henr. Mayr. *de Sponsal. n.* 132. Pirh. *hic nu.* 21. Vviest. *n.* 247. *& seqq. Ratio est* 1. quia si irrita essent Sponsalia metu extorta, irritata essent vel Jure naturali, vel positivo: *non naturali*; quia hoc præcisè spectato, etiam matrimonium metu extortum valet, cùm illud juxta dicta *nu.* 406. Jure solùm Ecclesiastico sit irritatum. *Non etiam positivo*; quia nullum hujusmodi Jus ea irritans extat, neque adducitur aliquod ab Adversariis, præter *cap. ex litteris cit.* ex quo tamen, ut *n. seq.* dicitur, nihil probatur. 2. licèt valeant Sponsalia hujusmodi metu extorta, tamen satis videtur consultum patienti metum, si possit petere, aut obtinere rescissionem contractus, aut si possit pro arbitrio resilire, cùm quoad alios plerosque contractus id satis esse censeatur: ergo frustra plus asseritur. 3. Imò patienti metum major favor præstatur, si dicatur valere ejusmodi Sponsalia; quia habebit sibi obligatam partem alteram ad standum Contractu, si postea id desideret metum patiens: cùm ergo favendum sit potiùs metum patienti, rectiùs dicetur contractum valuisse, sed ita, ut quasi claudicet, & sit in potestate metum patientis vel resilire, vel partem alteram adigere ad implendum Contractum. 427

Neque obstant Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. Pontifex *in c. ex litteris cit.* non dicit, ea Sponsa fuisse irrita; imò apertè supponitur ea fuisse valida; quia Pontifex moneri jussit puellam, ut sibi desponsari pueri annum ætatis decimum quartum exspectaret, quem exspectare non debuisset, si Sponsalia ipso Jure fuissent invalida. Dicunt quidem Sententiæ adversæ Patroni, id fuisse tantùm consilii; quia additur, *Si puella commonita ---- non duxerit exspectandum, ei ---- accipiendi alium virum liberam tribuendam facultatem*. Verùm ex hoc plus non sequitur, quam quòd Sponsalia metu extorta rescindi possint, atque in casu *c. cit.* rescissa fuerint. Deinde esto, Pontifex ibi senserit, ea Sponsalia fuisse nulla, talia illa fuerunt, non tam propter metum, quàm propter defectum consensus in puella; quia ut ibi cum Gloss. *V. desponsata* advertit Innocentius, dicitur fuisse omnino nolens, non solùm cùm traduceretur in domum pueri, sed etiam cùm eidem desponsaretur. *Ad* 2. imprimis Lex illa merè civilis est, quæ in Sponsalibus, tanquam re Spirituali post elevationem matrimonii ad dignitatem Sacramenti, attendi non debet. Deinde esto, Lex illa canonizata sit, tantùm locum habet, quando eadem est ratio Sponsalium, & Matrimonii: quod in proposito Dubio non contingit; ideo enim Matrimonium metu extortum ex dispositione Ecclesiæ invalidum est, quia aliquando validè contractum nulla humana authoritate rescindi potest: atqui Sponsalia variis modis dissolvi possunt. Igitur ratio, quæ pugnat pro invaliditate matrimonii metu extorti, non pugnat pro validitate Sponsalium simili metu extortorum. *Ad* 3. Sponsalia, etiam metu extorta, non obligant ad matrimonium contrahendum, dum metus urget, sed tantùm, quando isto cessante, illud liberè, & cons. validè iniri potest. Erit igitur obligatio eorum quasi conditio, scilicet *si metus cessaverit*, & hoc stante manebit suspensa, proditura in actum, illo sublato. *Ad* 4. Matrimonium cessante metu, initum à Sponsalibus metu extortis ferè pendet, sicut Matrimonium in facie Ecclesiæ contractum à Sponsalibus clàm initis. Atqui clandestinitas Sponsalium non obest Matrimonio in facie Ecclesiæ contracto: ergo nec metus, quo contracta sunt Sponsalia, oberit valori matrimonii deinde cessante metu contracti. *Ad* 5. etiam de Voto ingrediendi Religionem negatur, si metu extortum sit, illud ipso Jure irritum esse, cum nullus textus Juris extet, quo irritetur, vel irritum declaretur, & à Constitutione, qua Professio metu extorta irritatur, tanquam restringente Jus naturale, ad Votum ingrediendi Religionem duci Argumentum non debeat. 428

Quæritur 11. an audienda sit mulier, dicens, se in Matrimonium consensisse metu gravi injustè illato? Resp. audiendam, si hoc probare velit; cum enim ejus illatio quid 429

quid facti, & delictum sit, hæc autem non præsumantur, probanda erit ab allegante. Debet autem probare non tantum metum, sed etiam illius qualitatem, videlicet, quod talis fuerit, qui possit cadere in constantem virum, ut colligitur ex *c. consultationi* 28. *hoc tit.* Circa modum probandi metum consulendi sunt Menoch. *lib.* 3. *præsumpt.* 4. *per totam* & Mascard. *de probat. concl.* 1055. *& seqq.* Præcipuus est, qui fit per testes; quorum si duo omni exceptione majores de metu deponunt, juxta Innoc. *c. super hoc de renunt. nu.* 2. iisdem magis creditur, quam mille testantibus spontaneam voluntatem: & ratio est; quia qui deponunt de metu, id, quod asserunt, potuerunt corporeo aliquo sensu percipere; qui autem testantur spontaneam voluntatem, cum res in anima sit recondita, non potuerunt sensu percipere.

430 Duplicem tamen hæc Regula exceptionem patitur. 1. nisi pro deponentibus de spontanea voluntate adessent præsumptiones, & conjecturæ, ut si actus est in præsentia Judicis, vel coram consanguineis, nam in horum præsentia non præsumitur metus: & hinc existente tali præsumptione, vel conjectura de libera voluntate, Judex arbitrabitur, quibus testibus major fides sit adhibenda. Sanchez *l.* 4. *de matr. D.* 27. *n.* 2. 2. si testificatio negantium, intervenisse metum, sit negativa coarctata loco, & tempore; tunc enim æque creditur affirmantibus, sicut negantibus; cum utroque casu id, quod deponunt, per media externa probari possit: hinc iterum arbitrio Judicis relinquendum erit, cuinam parti, pensatis circumstantiis, magis credendum sit. Covar. *part.* 2. *de Sponsal. cap.* 3. §. 5. *num.* 10. Ant. Cuch. *lib.* 5. *Instit. major. tit.* 12. *n.* 167. *&* 168. Sanchez *loc. cit. n.* 3.

431 Porro tum requiritur, ut metus annullans matrimonium cadat in virum constantem, & hoc à metum allegante probetur, non ita accipiendum id est, quasi æque gravis requiratur metus in muliere, qui in viro; nam cum hic sit fortior, & constantior, mulier vero natura sua sit inconstantior, & debilior, ideo minor metus excusat fæminam, quam masculum, sive minor metus censetur gravis in fæmina, qui non censeretur gravis in viro, ut tradit Gonda *in c. cum locum* 14. *V. metus hoc tit.* Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. § 4. *n.* 9. Sanchez *l.* 4. *D.* 3. *n.* 2. Pirhing *hic n.* 115. *Neque obstat*, quod *c. cum locum cit.* legatur, *In virum constantem*; quia subintelligendum, *Vel in mulierem constantem*, habito respectu ad debiliorem sexum. Abb. *ibid. not.* 4. Vel certe sub nomine viri comprehenditur hic etiam fæmina; quia genus masculinum concipit fæmininum, ut absurdum vitetur. Canis. *in c.* 28. *citat. n.* 2. Fagnan. *ibid. num.* 13. *&* 14. Pirhing *loc. cit.* qui cum Glossa *in c.* 6. *V. metum passus de his, quæ vi metusve causa* & Covar. *l. cit. n.* 8. advertit optime, generaliter loquendo, quisnam metus dicatur cadere in constantem virum, relinquendum esse arbitrio Judicis.

432 Quodsi, consideratis omnibus, dubium sit, utrum metus, injuste ad matrimonium contrahendum incussus, gravis sit censendus, an non, adeoque utrum matrimonium irritum, an validum sit, judicandum pro valore matrimonii, ut aliis *cit.* advertit Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 4. quia licet maximopere curandum sit, ut matrimonium, in perpetua conjunctione consistens, libera voluntate contrahatur, ideoque sponsalia, si quocunque etiam leviore metu, per vim extrinsecam incusso, celebrata sint, facile dissolvi possint seu propria metum patientis opposita exceptione, seu Judicis implorata authoritate, postquam tamen semel matrimonium contractum est, potius est, ut validum, quam ut invalidum judicetur, cum matrimonii causa favorabilis sit, idque partim propter reverentiam Sacramenti *arg. c. licet* 47. *in fin. de test.* ibi, *Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare*; partim quia Reip. & prolis educandæ interest, ut matrimonia non solvantur, nisi eorum infirmitas, seu impedimentum dirimens appareat. Accedit, quod postquam contractus celebratus est, possessio, seu potius præsumptio stet pro ejus valore, nisi contrarium ostendatur.

§. III.

De Impedimento erroris.

S U M M A R I U M.

Quæritur 1. quid sit error, & quotupliciter in 433
contractu matrimonii possit contingere? Respond. si erroris nomen sumatur stricte, distinguitur ab Ignorantia: hæc enim sola scientiæ negatione contenta est, cum contra error judicium positivum intellectus perversum postulet; *errare enim est unum pro alio putare*, reste D. August. *Enchir. c.* 21. & refertur *can. in quibus* 6. *caus.* 22. *quæst.* 2. Hic accipitur late, prout etiam includit ignorantiam, cum in ordine ad inducendum Impedimentum in matrimonio perinde sit, an ignorantia, an error positivus intervenerit. Dicitur tamen potius error, quam Ignorantia dirimere matrimonium; quia nunquam contingit ignorantia, quæ voluntarium consensum auferat, nisi cum errore conjuncta sit, quod actus voluntatis præsupponat cognitionem rei, in quam fertur, quæ si vera sit, jam actus est voluntarius, si autem falsa, fit involuntarius, cujus proxima causa est error, ignorantia vero solum in quantum habet admixtum errorem. Vide Sanchez *libr.* 7. *de matrim. disput.* 18. *numer.* 2.

Potest autem error in contractu connubiali contin- 434
gere dupliciter, scilicet vel circa substantiam, ut loquuntur, aut individuum personæ, cum qua matrimonium initur, vel circa qualitatem, & accidentia ejusdem. *Primum fit*, quando Titius contrahere volens cum Bertha, matrimonium init cum Caja, per errorem existimans esse Bertham. *Secundum*, quando credit se contrahere cum pulchra, nobili, virgine, divite, cum sit deformis, plebeja, corrupta, pauper. Uterque error vel est Antecedens, vel Concomitans actum. *Antecedens* tunc dicitur, quando dat causam contractui, ita, ut eo non existente, actus nequaquam fieret, atque ita efficit ut actus sit involuntarius, cum nihil sit volitum, nisi præcognitum. *Concomitans* tunc censetur, quando non inducit ad contrahendum, sed ita comitatur actum, ut eo non existente, adhuc fieret

actus: proinde non efficit involuntarium, sed efficit tamen non voluntarium.

435 Præterea error circa qualitatem aliquando redundat in substantiam, & individuum personæ, aliquando non. *Primum* contingit, quado qualitas, circa quam ille versatur, est omnino singularis, & certum individuum denotans, e. g. quod is, cum quo matrimonium initur, sit certi Regis filius, aut filia primogenita; vel cum qualitas aliqua est unicus finis matrimonii cum aliqua contrahendi, ita, ut hoc unice eligatur, tanquam medium ad finem, seu qualitatem illam obtinendam, quod persona, cum qua matrimonium initur, illa prædita esse judicetur; v. g. si Juvenis opibus pollens, sed non nobilis ad familiam suam aliunde adscito splendore ornandam, & attollandam affinitatem cum Illustribus familiis quærat, & unice eo fine inducatur ad contrahendum matrimonium cum puella, quæ se Illustri sanguine procrearam dolose mentitur: cujusmodi muliebris imposturæ illustre exemplum ex Caramuele refert Gobat *Theol. Exper. tr. 9. nu.* 114. *Secundum* evenit, quando Titius contrahit matrimonium cum Bertha, cum errore quidem, quod eam nobilitate, opus, forma, modestia, aut alia dote præstare existimarit, ita tamen, ut his qualitatibus consensum suum non alligarit.

436 Quæritur 2. utrum error aliquis dirimat matrimonium? Videtur non dirimere, 1. quia matrimonium, contractum sub conditione impossibili, valet, ut patet *ex c. fin. de condit. apposit.* ergo etiam validum erit contractum errore; si enim non valeret errore contractum, ideo non valeret, quia consensus deficit in errante; atqui consensus deficit in etiam in eo, qui contrahit, sub conditione impossibili; non enim aliter consentit, quam si evenerit conditio; cum igitur conditio impossibilis per rerum naturam evenire non possit, sub ea contrahens revera non consentit, 2. *veniens* 15. & *c. is qui fidem* 30. *hoc tit.* pronuntiatur pro valore conjugii in eo, qui sponsam de futuro carnaliter cognovit, licet ille probare velit, se in conjugium non consensisse, imò dissensisse; ergo defectus consensus, qui ex errore arguitur, non vitiat matrimonium.

437 Sed his non obstantibus, est certa omnium sententia, quod error matrimonium dirimat, & illius valori obsit. *Ratio est*; quia ad valorem matrimonii necessario requiritur consensus, ut constat ex *can. sufficiat* 2. *caus.* 27. *q.* 2. *c. cum locum* 14. & *c. tua* 25. *hoc tit.* Florent. *in Decret. Fid. de Sacram.* § *septimum.* Trid. *sess.* 24. *c. 1. de reform. matrim.* atqui errantis nullus est consensus, nec voluntas *l. cum testamentum* 8. & *l. non idcirco* 9. *C. de Jur. & fact. ignor.* ergo &c.

438 Neque contrarium probant Argumenta assumpta ex textibus in contrarium allegatis. *Ad* 1. ut *infra tit.* 5. dicetur, *in c. fin. cit.* pro valido habetur matrimonium contractum sub conditione impossibili, tum solum, quando dubium est, an serio, vel joco adjecta sit, tum enim ob favorem matrimonii præsumitur intervenisse consensus absolutus, & conditio impossibilis reputatur pro non adjecta. Secus dicendum, quando constat, quod contrahens hujusmodi conditioni alligaverit consensum suum, tunc enim matrimonium erit invalidum ex defectu consensus: unde ex hoc Argumento potius confirmatur nostra sententia. *Ad* 2. in textibus ibi *citt.* præsumitur legitimus consensus in matrimonium ex carnali commercio ad excludendum peccatum fornicationis: & hinc si revera ineatur talis copula animo fornicario, neque ante Trid. (de quo tempore tantum dispositio illorum textuum procedit) censendum est contractum fuisse matrimonium; quia præsumptio veritati cedit.

439 Quæritur 3. utrum error quod substantiam personæ invalidum reddat matrimonium? Difficilem resolutionem, alias indubiam, faciunt argumenta aliqua, quæ in oppositum afferri possunt. Nam 1. si error personæ obstaret valori matrimonii, tunc Jacob Patriarcha, quando concubuit cum Lia, pro Rachele sibi à Labano supposita, fuisset fornicarius, & Lia adulterii simul, atque incestus rea; sequela admitti convenienter non potest; ergo &c. 2. quando *Gen.* 27. Isaac benedixit Jacob, existimans illum esse Esau, contigit error personæ, & tamen valida fuit ea benedictio secundum verba ipsius Isaac *v.* 34. ibi, *Benedixique ei, & erit benedictus*, 3. in cæteris Sacramentis valori error personæ non obest; nam Baptismus, Confirmatio, Sacramentalis absolutio &c. valide conferuntur, quantumvis Sacramenti Minister circa baptizati, confirmati, absoluti &c. personam erret, & Cajus sit, quem ille existimat esse Titium, 4. Emptio venditio, & cæteri contractus regulariter celebrantur valide, quamvis venditor in persona emptoris erret, & putet esse Sempronium, qui tamen est Mævius; vel etiam circa rem venditam emptorem decipiat venditor, & dicat sericum, quod vendit, esse Indicum, cum tamen sit Europeum, modo utrumque sit æque bonum, ac utile.

440 Sed indubitata est resolutio, quod error quoad substantiam personæ matrimonium reddat invalidum. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. Paludan. *ibid. art.* 1. *n.* 5. Rosell. *V. Impedimentum Imped.* 2. *princ.* Sylvest. *V. Matrimonium* 6. *q.* 1. *vers. error personæ*, Brunell. *de sponsal. concl.* 32. *num.* 2. Henriq. *l.* 11. *de matr. c.* 10. *nu.* 3. & *l.* 12. *c.* 4. *n.* 1. Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *D.* 13. *sect.* 4. *ad fin.* Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 18. *n.* 12. Gutier *c.* 89. *de matr. n.* 1. Conink *D.* 31. *dub.* 1. *n.* 9. Hurtad. *D.* 13. *difficul.* 1. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 4. *num.* 1. Engl *hic* § 4. *n.* 2. Pirhing *num.* 160. Vviestner *num.* 207. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Imped. matr. cap.* 2. *num.* 166. & habetur expressè *can. un. caus.* 29. *quæst.* 1. ibi, *Error personæ -- conjugii consensum non admittit. Ratio est*; quia error circa substantiam, seu substantiale objectum vitiat contractum; sed persona determinare cognita contrahenti est substantiale objectum contractus matrimonialis; ergo error circa illam vitiat matrimonium.

441 *Ex quo sequitur* 1. tale matrimonium esse irritum ipso Jure naturæ; ut DD. *citt.* observant: quia sicut sine consensu, ita sine consensu in certam personam non habetur conjugium; atqui errans in persona non consentit in personam, cum qua per errorem contrahit; quia totus ejus consensus fertur in personam absentem, quam per errorem existimat esse præsentem, non autem fertur in eam, quæ revera præsens est; igitur cum ista conjugium ex defectu consensus revera non datur; nam actus agentium non operantur ultra intentionem illorum. *Sequitur* 2. id Impedimentum afficere etiam Infideles, si matrimonium contrahant cum errore personæ; quia etiam inter ipsos matrimonia, cum impedimento Juris naturalis contracta, non valent; tale autem secundum dicta est impedimentum erroris circa substantiam personæ Sanchez *loc. citat. numer.* 14. *Sequitur* 3. non posse Ecclesiam statuere, ne error personæ dirimat matrimonium; quia nequit efficere, ut absque consensum matrimonium consistat, quem error personæ tollit. Sanchez *num.* 15. & apud hunc *citt.*

442 Neque aliud evincunt Argumenta opposita. *Ad* 1. ut *c. un. cit.* non male declaratur, inter Jacob Patriarcham, & Liam verum conjugium non intercessisset, nisi cognito errore consensus in individuam vitæ societatem cum illa fuisset subsecurus. Neque tamen propterea fornicatius Patriarcha fuit; quia ipsum excusavit ignorantia, & affectus conjugalis. Liam quidem adulterii, & incestus ream existimat Cornelius à Lapide *in Gen. c.* 29. *v.* 24. sed ab utroque illam absolvit S. Thom. *in* 4. *dist.* 30. *qu.* 1. *art.* 1. *ad* 4. Ystella *in Gen. c. cit. n.* 17. Perez *D.* 24. *sect.* 1. *n.* 12. quod lege primogenitarum, & paternis imperiis se illi legitime copulatam existimarit; quia natu majorem primo nuptui tradi illius temporis consuetudine receptum fuit. *Ad* 2. Benedictio illa ab Isaaco directa fuit vel in personam filii præsentis, ut vult Abulens. *in c.* 27. *Gen. q.* 7. vel ut alii, in personam primogeniti, qualis jam post empta primogenita fuit Jacob; aut si directa fuit in ipsam personam Esau, invalida fuit ob errorem personæ, sed sortita valorem ex confirmatione illius postea facta, quod Divina inspiratione intellexerit Isaac, eam fuisse Divinam voluntatem, ut D. August. *l.* 6. *de Civit. c.* 37. *in fin.* Theodoret. *quæst.* 79. *in Genes.* Andreas Masius *ad verba Jos.* 9. *Et non percusserant eos*, cum aliis notant. *Ad* 3. Negatur paritas; nam in administratione Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, &c. aliorum Sacramentorum non spectatur hæc, vel illa persona, sed fere solum ea, quæ præsens est,

qualiscunque illa sit; & ratio est; quia baptizantis, confirmantis, absolventis &c. & ipsorum etiam Sacramentorum non interest, qualis sit persona, quæ baptizatur &c. modo ritè disposita sit. At in matrimonio plurimum interest contrahentis, cum qua persona contrahat, cum matrimonium ineundo se cum illa ad individuam vitæ societatem obliget. *Ad* 4. Iterum venditoris parum interest, quæ sit persona emptoris, & hujus, quæ sit persona venditoris, & utriusque, unde sit merx, modo æque bona, ac utilis sit, prout desideratur; & ratio est; quia in Justitia commutativa, ad quam cæteri contractus, qui onerosi sunt, ut emptionis venditionis, pertinent, sola fere æqualitas inter datum, & acceptum, mercem, & pretium attendi solet.

443 *Dubitatur* qualis error circa substantiam personæ valorem matrimonii tollat, an antecedens solum, an vero etiam concomitans? Resp. Uterque. De *Antecedente* ostenditur; quia talis error dat causam contractui, ita, ut si quis non errasset in persona, noluisset cum tali contrahere, adeoque facit contractum matrimonii involuntarium circa primarium, & substantiale illius objectum, quod est persona determinata, electa à contrahente, & per consequens talis error facit irritum etiam ipsum contractum.

De errore concomitante major est difficultas; quia etiam stante ejusmodi errore, potest aliquis esse ita habitualiter affectus, ut licet non erraret, sed sciret esse aliam personam, quam putabat, adhuc tamen contrahere cum ea vellet; conf. error iste non facit contractum involuntarium.

444 Sed etsi hoc verum sit, dicendum tamen, quod etiam error concomitans valorem contractui matrimoniali tollat. Ita Veracrux *p.* 1. *specul. art.* 28. *ad fin.* § *circa hoc impedimentum*, Barth. à Ledesm. *de matrim. dub.* 36. *concl.* 2. Petr. de Ledesm. *de matr. quæst.* 51. *art.* 2. *dub.* 2. *concl. un. in fin.* 1. *rationis*, Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 18. *n.* 6. Layman *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 1. *v. ampliari. Ratio est*; quia ut matrimonium legitimum sit, necessarius est consensus actualis, & positivus in personam, quæ offertur. Error autem concomitans, licet non efficiat actum involuntarium, facit tamen non voluntarium, & aufert consensum actualem, & positivum; nam voluntas cum tali errore de præsenti solum fertur in absentem, quam per errorem præsentem putat, non vero in illam, quæ præsens revera est. Igitur cum errantis, & non cognoscentis nullus sit consensus, nullum etiam matrimonium erit hoc casu.

Et hoc verum est, etiamsi contrahens tempore initi contractus matrimonialis diceret, *Ducerem, si nossem hanc esse Bertham*; quia non voluntas, quæ esset, sed quæ est, constituit matrimonium, ut bene Sanchez *l. cit.* Aliud foret, si errans actu intenderet cum persona præsenti contrahere, quæcunque illa sit, tunc enim validum foret, utpote contrahente vere in personam illam consentiente.

445 Quæritur 4. an matrimonii valori obsit error quoad qualitatem? Resp. Distinguendo: Vel enim error iste talis est, ut involvat simul errorem personæ, vel talis solum, qui in substantiam, sive individuum personæ non redundat. *Si primum*, matrimonium eo errore redditur invalidum: & conf. nullum est matrimonium, quod Caja inire vult cum certi Regis, aut Principis primogenito, si ab ea per errorem contractum sit cum secundo, vel tertio-genito: item nullum est, quod Titius per errorem contrahit cum ignobili, volens solum inire matrimonium cum puella Illustri. Ita S. Thom. 1. *p. q.* 29. *art.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 18. *num.* 23 Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 2. *vers. imitari*, Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 5. Caramuel *Fundam. Theol. Fund.* 70. §. 2. Gobat *Theol. Exper. tract.* 9. *num.* 114. Engl *hic* §. 4. *nu.* 2. & 3. Pirhing *nu.* 163. Wiestner *num.* 214. *Ratio est*; quia in his casibus desideratur legitimus consensus; hic enim non ferebatur in personam, nisi ut præditam qualitate primogenituræ, aut Nobilitatis, ad quam obtinendam matrimonium tanquam medium unice electum fuit.

446 *Si secundum*, major est difficultas; nam 1. conjugia, metu gravi injuste incusso inita, ut *supra num.* 386. & *seqq.* dictum est, sunt ipso Jure irrita. Atqui metus non magis obstat voluntario, & libero consensui, quam error, & dolus. Ergo etiam iste, licet circa substantiam personæ non sit, matrimonii valorem tollit, 2. sponsalia imò & alii bonæ fidei contractus, quibus dolus, indeque ortus error causam dedit, vel irriti sunt ipso Jure, vel saltem rescissioni obnoxii. Igitur cum matrimonium errore initum, si semel validum sit, rescindi nequeat, dici debet, quod invalidum sit, 3. Error qualitatis in eleemosyna vitiat eleemosynam; nam si Titio dones, quia pauperem existimabas, non valet donatio, si ipse dives sit. Igitur nec valebit matrimonium contractum cum Bertha, quam existimabas esse divitem, si ipsa sit pauper.

Sed his non obstantibus, dicendum, quod error circa qualitatem personæ, etsi det causam contractui, & proveniat ex dolo alterius contrahentis, modo in substantiam, sive individuum personæ non redundet, per se non irritet matrimonium. Ita Glossa *in cap. cum dilectus* 6. *V. ad fatuitatem de his, quæ vi metusve causa &c.* Abb. *ibid. n.* 13. Sylvest. *V. Matrimonium* 8. *q.* 1. *fin.* Sot. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 2. *colum.* 4. *vers. ad hæc.* Covar. *p.* 2. *de sponsal. cap.* 3. § 7. *num.* 3. & *lib.* 1. *var. cap.* 5. *num.* 1. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 352. *num.* 5. Barth. à Ledesm. *de matr. dub.* 30. *concl.* 3. Petr. de Ledesm. *de matr. quæst.* 51. *art.* 2. *dub.* 3. *paulo ante concl.* 2. Valent. 2. 2. *D.* 52. *q.* 20. *part.* 4. § 2. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 18. *num.* 18. Gutier. *c.* 89. *de matr. num.* 11. Conink *D.* 31. *dub.* 1. *num.* 11. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 3. Engl *hic* § 4. *num.* 2. Pirhing *nu.* 162. Wiestner *num.* 215. & sumitur ex *cap. cum in Apostolica* 18. *hoc titul.* ubi pro valido habetur conjugium, cui dolosum mendacium, & subreptio causam dedit. *Ratio est*; quia talis error non tollit consensum in personam, ad valorem matrimonii requisitum, nec facit matrimonium invalidum simpliciter, sed tantum secundum quid, nempe circa qualitates, & accidentia personæ, cum qua contrahitur, quæ se habent solum per modum rationis motivæ, seu impulsivæ, & causæ finalis extrinsecæ. *Conf.* quia si talis error matrimonium vitiaret, plurima matrimonia, magno prolium, maximo Reip. damno, & scandalo publico, dissolverentur, cum sæpissime interveniat error circa qualitatem in matrimoniali contractu. *Proceditque hoc*, etsi aliquis sit ita dispositus, ut tametsi sciret, non esse divitem v. g. nullo modo cum illa contraheret: quia talis dissensus habitualis ad invalidandum matrimonium non sufficit, cum adhuc consistere possit cum actuali consensu in personam. Engl § 4. *cit. n.* 4.

Dixi autem in responsione *per se*; per accidens enim etiam error qualitatis, in individuum personæ non redundantis, irritum facere matrimonium potest, si videlicet qualitatis existentiæ alligaretur intentio contrahentis, ita, ut actu intendat non contrahere, nisi talis qualitas insit personæ, cum qua contrahitur e. gr. nisi sponsa sit Virgo, nobilis, opulenta &c. Ita D. Bonavent. *in* 4. *dist.* 30. *in Exposit. Litter. n.* 4. Paludan. *ibid. q.* 1. *art.* 2. *num.* 9. *concl.* 2. S. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *cap.* 2. *fin.* Barth. à Ledesm. *concl.* 3. *cit.* Sanchez *num.* 21. Gutier *num.* 6. Conink *n.* 11. Layman *n.* 2. *vers. limitari*, Palao *n.* 5. Engl *n.* 2. Pirhing *n.* 163. Wiestner *n.* 219. Ratio clara est; quia tunc deficiente ejusmodi qualitate, deficeret conditio, sub qua contractum est matrimonium, & conf. deficeret ipse consensus. 448

Responsionem sic limitatam non convellunt Argumenta opposita. *Ad* 1. negatur paritas: nam imprimis metus minuit voluntarium circa substantiam personæ, non etiam dolus, & error circa ejusmodi qualitates eveniens. Perez *D.* 23. *sect.* 3. *num.* 16. Deinde metus multo facilius probatur, quam dolus: & hinc ad cavendas multas difficultates, & lites Judiciales Ecclesia non irritavit matrimonia, dolo, vel errore contracta, si error iste in substantiam personæ non redundet, & qualitati, circa quam error contigit, non sit alligatus consensus. Laym. *l.* 5 *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 2. *Ad* 2. iterum negatur paritas; quia præterquam quod sponsalia, & cæteri contractus sint natura sua solubiles, matrimonium vero insolubile, ex illorum irritatione tam gravia mala, & scandala non sequuntur, quam afferret irritatio matrimonii, errore circa qualitatem in personæ substantiam non redundantem contracti. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 4. *Ad* 3. quidquid sit de veritate illius Antecedentis 449

(non enim minima est difficultas) si verum illud est, ideo verum est; quia cum eleemosyna sit sublevatio miseriæ alienæ, error contigit circa substantiam, cum sublevari non possit miseria, quæ nulla datur.

450 Quæritur 5. quando error qualitatis involvat errorem personæ? Resp. In hac maximi momenti quæstione DD. ita loquuntur variè, ut non pauci, dum extricare Lectorem volunt ex difficultate ista, eundem intricent magis, ut notat Clericat. *de Sacr. matrim. decis.* 19. *n.* 27. Communius cum Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 18. *n.* 26. *&* 17. duas proponunt Regulas.

Prima est; quoties qualitas, in qua erratur, non determinat individuam personam, non est error personæ, sed potius qualitatis, ut si quis fingat se esse primogenitum Regis, non determinando, cujus Regis primogenitus sit, fæmina ex tali errore illi nubens, dicetur errare circa solam qualitatem, ac proinde matrimonium, eo errore non obstante, erit validum. Rationem dat Sanchez *n.* 26. *cit.* quia teste Boetio, quem refert, & sequitur S. Thom. 1. *p. q.* 26. *art.* 1. *in Corp.* & *ad* 1. persona est intellectualis naturæ individua substantia. Igitur error personæ debet esse circa quid individuum; in casu autem Regulæ non erratur circa quid individuum; quia tantum erratur circa qualitatem Primogenituræ in genere apprehensam. Ergo non continget error circa personam. Et hinc fœmina cum tali errore contrahens intendet contrahere cum persona præsente, apprehensa cum eo qualitatis errore.

451 *Secunda*: Si per qualitatem, in qua erratur, certa, & individua persona designetur, animoque concipiatur, quæ visu prius ignota est, tunc error redundat in substantiam personæ, ut siquis animo consentiat contrahere cum filia primogenita Titii, offeratur autem postea secundogenita, aut alia, quæ primogenitam se esse simulat; tunc enim nullum fit matrimonium; quia contrahens apprehendit certam, & individuam personam, cum qua hic, & nunc vult contrahere, & non cum alia. Secus est, si illa, quæ oblata est, tanquam primogenita, visu prius nota erat contrahenti, & ad matrimonium determinata fuisset; tunc enim valebit matrimonium, etsi per errorem putet illam esse primogenitam Titii, modo non habeat actualem intentionem non accipiendi illam, nisi sit primogenita.

452 Ex quo idem Sanchez *loc. cit. n.* 35. putat deduci posse resolutionem casus, quem suo tempore contigisse, & discussum fuisse refert Tabien. *V. impedimentum Imped.* 1. *q.* 4. *n.* 5. Quidam duas habebat filias, quarum natu minorem, pulchritudine ejusdem captus, Juvenis in matrimonium sibi à patre petiit. Pater vero eam denegavit, & obtulit primogenitam, quam Juvenis ille ante non viderat. Hinc petiit illam ostendi cuidam suo amico, à quo ipse de pulchritudine illius certior volebat fieri. Cum iste venisset in domum istarum Virginum, pater, quod primogenita esset deformis, exploranti amico ostendit secundogenitam. Amicus, cum forma puellæ eidem placuisset, putans eam esse primogenitam, de forma istius Juvenem instruit; hic vero eo errore ductus, contraxit cum primogenita, existimans esse eam, quæ amico fuerat exhibita; sed ubi in domum ipsius deducta fuit, deceptionem advertit, & doluit. Circa hunc casum dubitatum fuit, num solius qualitatis error esset, ac proinde valeret matrimonium. Resp. Tabiena, se in ea fuisse sententia, quod tantum sit error qualitatis, ex ratione; quia hoc casu Juvenis iste non poterat dirigere consensum suum in secundogenitam, utpore quam scivit sibi à patre negatam, & primogenitam solam concessam. Igitur cum direxerit consensum suum in aliquam ex duabus filiabus istius patris, necessario direxit illum in primogenitam. Si autem in hanc tantum direxit consensum, error circa personam nullus intercessit. Igitur error ille, qui contigit, solum fuit circa qualitatem; quod responsum etiam approbat Sanchez *loc. cit.*

453 *Major difficultas* fuisset, si secundogenita eidem non fuisset denegata. In quo casu Tabiena putat futurum fuisse errorem personæ. Sanchez verò distinguit: Vel enim oblata alicui ad matrimonium est filia v. g. Petri speciali aliqua nota designata, ut nomine proprio, vel primogenita, aut secundogenita, vel solum generice aliqua Petri filia. *Si primum*, etsi pulchritudinem ejus per se, vel per tertiam personam volenti inspicere, ostendatur fæmina pulchrior, & ipse eo errore circumventus ducat fæminam sibi prius oblatam, non est error personæ, sed solius qualitatis; quia determinate consensus fertur in fæminam, quæ per specialem illam notam est designata, quamvis cum errore circa qualitatem formæ. *Si secundum*, esset error personæ; quia eo casu consensus, prius indeterminatus propter oblationem generice factam alicujus filiæ Petri, factus est determinatus per inspectionem propriam, vel tertiæ personæ: & hinc in ostensam duntaxat fertur, & consequenter si eidem substituatur alia ejusdem Petri filia, consensus in personam substitutam deficiet.

Dixi, *si ostendatur alia ejusdem Petri filia*; aliud foret, si ostensa fuisset alterius, quam Petri filia; nam hoc si evenisset, & Juvenis ea pulchritudine fæminæ ostensæ deceptus, contraxisset matrimonium cum una ex filiabus Petri oblatis, non errabit circa personam, sed solum in qualitate pulchritudinis, ut bene Sanchez *loc. cit.* Rationem dat; quia licet consensus contrahentis non fuerit determinatus ad certam filiam Petri, fuit tamen determinatus ad aliquam ex illis ducendam, cum exclusione earum, quæ filiæ Petri non sunt quem consensum non sustulit error, quod pro filia Petri ostensa fuerit alia. Contraxit ergo cum ea, ad quam prius indeterminate consensit, & sic in persona non erravit. 454

Quæritur 6. Sitne validum matrimonium, si alter, vel uterque contrahentium per errorem credat, se laborare Impedimento dirimente, quod revera non subest? Negant Abb. *in c. cum in Apostolica* 18. *hoc tit. n.* 6. Joan. Andr. *ibid. num.* 9. Alex. de Nevo, *num.* 13. *&* 14. Sylv. *V. matr.* 8. *q.* 13. *dict.* 5. Nav. *Man. c.* 22. *n.* 56. Sot. *in* 4. *dist.* 37. *q. un. a.* 5. *concl.* 3. & alii apud Sanch. *l.* 2. *D.* 33. *n.* 1. Probant 1. ex *l. is qui putat* 15. *ff. de acq. vel amitt. hæred.* ubi Ulpianus dicit, eum, qui putat se necessarium heredem esse, cum sit voluntarius, non posse repudiare; quia opinio veritati præfertur. Ergo similiter credens se ratione impedimenti, quod falso esse credit, non posse valide contrahere, non legitime contrahet, 2. Quia hic erratur circa substantiam matrimonii, cum conjuges existiment impossibilem sibi esse conjugalem corporum traditionem, 3. Quia is, qui Sacerdos non est, & scit non Sacerdotem consecrare Sacramentum Eucharistiæ non posse, nequit intendere consecrare. Ergo neque is, qui cognoscit se non posse legitime contrahere matrimonium, poterit habere veram, ac seriam voluntatem contrahendi, cum nemo possit efficaciter intendere id, quod omnino credit, & concipit impossibile. 455

Sed probabilior videtur affirmativa, quam defendunt Glossa *in cap. cum in Apostolica* 18. *V. remanere hoc tit.* Tabien. *V. Impedimentum Imped.* 10. *in fin.* Covar. *part.* 2. *de Sponsal. cap.* 3. § 7. *num.* 3. Barth. à Ledesm. *de matr. dub.* 52. *concl.* 3. Petr. de Ledesm. *quæst.* 55. *art.* 9. *dub.* 2. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 11. *num.* 5. Sanchez *l.* 2. *de matr. D.* 33. *num.* 2. Gutier *cap.* 47. *de matr. nu.* 1. juxta quos valet matrimonium, si contrahentes intendant, quantum in seipsis est, consentire. *Ratio est*; quia tales personæ ex una parte sunt vere habiles ad contrahendum, cum revera nullo laborent impedimento; ex altera vero parte intendunt, quantum possunt, contrahere. Ergo vere contrahunt. *Conf.* si vere non possent contrahere, ideo non possent, quia stante hoc errore, non possent habere consensum. Atqui consensus ipsis, etiam hoc errore stante, non est impossibilis; quod probatur 1. ex *c. un. hoc tit. num.* 6. ubi dicitur ex sponsalibus nullis ratione consanguinitatis, vel alterius impedimenti oriri publicam honestatem, modo adsit consensus. Ergo supponit textus possibilem esse consensum cum impedimento dirimente, 2. Ex *Clem. un. de consang.* ubi excommunicantur, qui contrahunt scienter in gradu prohibito; non excommunicarentur autem, si non haberent consensum ergo &c. 3. Ex paritate cum Baptismo, in quo error de valore illius compossibilis est cum consensu; nam valide baptizat, qui vult facere, quod potest, licet existimet Baptismum esse nugas tantum Christianorum. Igitur etiam validè contrahet matrimonium, qui vult facere, quantum in seipso, quamvis existimet se ob impedimentum non posse contrahere, & sic cum existimatione impedimenti compossibilis erit consensus in matrimonium. 456

Ne-

457 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. cum Covar. §. 7. *citat. num.* 2. respondet Sanchez *num.* 4. in casu *loc. citat.* opinionem præferri veritati, quia ad eum actum necessarium est agentem scire, ex qua causa, & quo Jure eundem actum agat, quod ad matrimonium non desideratur. *Ad* 2. retorquetur in aliis Sacramentis, in quibus error circa valorem, modo cætera adsint, non irritat Sacramentum. Ergo idem procedet in matrimonio. *Ad* 3. negatur paritas; nam qui non est Sacerdos, non est persona habilis ad consecrandum, sicut tamen habiles revera sunt ad contrahendum matrimonium, qui putant se laborare impedimento dirimente, quod reipsa non subest. Ad id, quod additur, neminem posse efficaciter ferri in id, quod credit esse impossibile; dico, non posse in id ferri absolute, posse tamen sub conditione, in quantum potest, ut constat in exemplo baptizantis allato pro tertio Argumento *num. præced.*

458 Quæritur 7. an casu, quo aliqui per errorem contraxerunt matrimonium invalide, si stante illo errore contraxerunt matrimonium invalide, & stante illo errore, denuo consentiant, per hunc consensum matrimonium convalescat? Casus esse potest: Titius ficte consensit in matrimonium; postea audit à Confessario, vel viris doctis valuisse, & id credens denuo consentit. Hoc casu Tabien. *V. matrimonium* 2. *quæst.* 7. *num.* 8. *ad fin.* putat matrimonium convalescere per consensum illum novum ex errore profectum; quia hic error nec est error personæ, nec conditionis, qui solus annullat matrimonium, sed est error Juris, quo hic putat se ligatum esse cum illa uxore.

459 Sed dicendum non convalescere. Ita Sylvest. *V. matrimonium* 5. *quæst.* 10. Victoria *relect. de matrim. part.* 1. *numer.* 10. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. capit.* 9. *num.* 7. & *in fin.* Sanchez *lib.* 2. *de matrim. dist.* 34. *num.* 2. Gutier *cap.* 24. *de matrim. num.* 2. Ratio est; quia *nihil tam contrarium est consensui, quam error*, ut ait Ulpianus *leg. si per errorem* 15. *ff. de Jurisdict. Proceditque hoc*, etsi ita consentiens habitualiter sic dispositus sit; ut cognito, quod uxori huic non ligetur, adhuc esset consensurus, ut bene Gutier. *cit.* quia ad matrimonium requiritur consensus voluntarius de præsenti, & non sufficit, ut illud sit voluntarium solum in habitu, & in animi præparatione. *Conf.* quia dum denuo consentit, non intendit denuò contrahere novum matrimonium, cum existimet prius esse validum, sed tantum intendit præteritum ratificare, quod cum nullum fuerit, ratificari non potest.

460 *Ad Argumentum in contrarium allatum* dico, eum errorem reduci ad errorem personæ; putat enim conjux se consentire in suam, cum revera non sit sua. Imò est major error, quam personæ, cum integram contractus substantiam ignoret, & prorsus, quid agar, nesciat. *Neque obest*, quod in casu, quo adhuc consentiret, si sciret matrimonium esse invalidum, ipsum matrimonium non sit involuntarium; dicendum enim non esse involuntarium contrarie, esse tamen involuntarium negative, cum error faciat, ut illud non sit voluntarium positive, quod, ut dixi, requiritur ad legitimum contractum matrimonii.

461 Quæritur 8. an in proposito casu matrimonii invalide per errorem contracti, ut istud novo posito consensu convalidetur, necessarium sit utrumque conjugem conscium esse impedimenti, ob quod irritum fuit matrimonium? Negativam docent complures DD. quos refert Sanchez *lib.* 2. *de matrim. Dist.* 36. *num.* 2. Putant isti, non esse necessarium, ut conjux impedimenti conscius, obtenta dispensatione, vel Impedimento aliter cessante, nullitatem matrimonii aperiat alteri, sed sufficere, si caute curet utriusque consensum renovari, dissimulanter petendo ab altero, ut pro sua consolatione ipsum habeat in conjugem, & ipso similiter dicente: *Ego quoque volo te in conjugem.* Rationem præter alias dant istam; quia ablato impedimento sunt habiles ad contrahendum. Ergo cum consentiant in matrimonium, illud erit legitimum.

Sed longe probabilius sentiunt, qui cum eodem Sanchez *num.* 3. dicunt, necessarium esse, conjugem impedimenti ignarum aliquo modo certiorem fieri de prioris matrimonii nullitate, licèt causa ei tegatur. *Ratio est*; quia alias errore consentiet, & intendet prius matrimonium, quod errore contractum, ratificare, non autem contrahere novum.

PARS II.

De Impedimentis, respicientibus consensum, ad Sponsalium, & Matrimonii contractus requisitum.

Post explicatam sponsalium, & matrimonii naturam, Legislator noster nos manuducit ad horum Impedimenta, quæ duplicis maxime sunt generis; nam aliqua consensum respiciunt, quem vel omnino tollunt, vel efficiunt, ut non sit legitimus; alia contrahentium ipsorum personas afficiunt, easque ad matrimonii, & sponsalium contractus inhabilitant. Ex primi generis Impedimentis, quæ hac *Parte Secunda* examinabuntur, primum est *Ætas* ad ineunda sponsalia, vel matrimonium insufficiens. Alterum *Clandestinitas*, quæ legitimum consensum Jure positivo tollit. Tertium *Ligamen* prius contractorum sponsalium, aut matrimonii, quo stante, nova sponsalia, vel matrimonium iniri nequeunt. Quartum *Conditio*, quæ si impleta non sit, consensum in sponsalia, vel matrimonium in suspenso retinet. Quintum *Solemne Votum*, quo cum quis ligetur Deo, obligare se homini per matrimonium amplius nequit. Sextum *Crimen* Adulterii, & Homicidii, cujus reos SS. Canones à matrimonii contractu in casibus quibusdam prohibent.

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

IN hoc Titulo Impedimentum Ætatis proponitur: Tria in illo tractari solent, 1. Quænam Ætas requiratur ad sponsalia? 2. Quæ requiratur ad matrimonium contrahendum? 3. An ad sponsalia, & matrimonium contractum à Liberis requiratur etiam Parentum consensus?

§. I.

De Ætate requisita ad sponsalia de futuro.

SUMMARIUM.

1 *Ad sponsalia de futuro requiritur septennium.*
2 *Tam in mare, quam in fœmina.*
3 *Ante contracta regulariter sunt invalida.*
4 *Jure naturali.*
5 *Nisi contrahens usum rationis adeptus illa ratificaverit.*
6 7 *Si tamen alter contrahentium sit pubes, respectu ipsius habent vim simplicis promissionis.*
8 *Si malitia ætatem præveniat, valent sponsalia, etiam ante septennium inita.*
9 *An valeant etiam Jure positivo? Rationes dubitandi.*
10 11 *Defenditur sententia affirmans.*
12 *Rationes dubitandi solvuntur.*
13 14 15 *An valeant sponsalia, in quacunque ætate usus rationis acceleretur?*
16 17 18 *Qualis eo casu requiratur discretio?*
19 *An casu, quo malitia ætatem non prævenit, septennium debeat esse completum physice?*
20 *Rationes dubitandi.*
21 *Statur pro parte affirmante.*
22 *Solvuntur Argumenta opposita.*
23 *An eo casu debeat etiam esse completa dies ultima?*
24 *Respondetur debere septennium esse completum de momentum ad momentum.*
25 *Diluitur argumentum oppositum:*
26 27 28 29 *An, & qualiter resilire liceat à sponsalibus contractis tempore impubertatis?*
30 *An casu, quo impubes factus pubes à sponsalibus resi-*

resilit, cum his etiam solvatur Impedimentum publicæ honestatis?
31 32 *Quando resilire pubertatem adeptus debeat?*
33 *An causa indigeat?*
34 *An ad sponsalia ita contracta ratificanda sufficiat, si pubertatem adeptus taceat?*
35 36 37 *Quid si resiliit ante pubertatem, & postea non recordetur amplius post illam?*
38 *An resiliens post pubertatem debeat hoc demonstrare signo aliquo externo.*
39 40 41 *An sponsalia Impuberum ita confirmari Juramento possint, ut inde resilire etiam pubertatem adepti nequeant?*
42 *An quibusvis impuberibus prohibitum sit resilire à sponsalibus juratis?*
43 *Resolvitur prohiberi solos pubertati proximos.*
44 *Quinam censeantur pubertati proximi?*

1 QUæritur 1. Quænam Ætas requiratur ad sponsalia de futuro? Resp. requiri septennium. Ita clare habetur *c. litteras* 4. *c. accessit* 5. *c. ad dissolvendum* 13. *hoc tit.* & *c. un. eod. in 6.* Juri Canonico concordat Jus Civile *l. in sponsalibus* 14. *ff. de spons.* ubi Modestinus in fine dicit, valitura sponsalia, *si modo id fieri ab utraque persona intelligatur*: & explicat addendo: *id est, si non sint minores, quam septem annis.* Ratio est, quia contractus sponsalium est actus humanus, qui proinde usum rationis exigit; hic autem communiter incipit circa septennium juxta S. Thom. *in 4. dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 2. quem omnes sequuntur.

2 *Proceditque* hoc tam in mare, quam in fæmina; nam quamvis, ut *infra* dicam, ad contrahendum matrimonium major requiratur ætas in mare, quam in fæmina, tamen respectu sponsalium eadem in utroque sufficit; cujus ratio est quia ad sponsalia sufficit usus rationis, qui eodem tempore solet advenire viris. & fæminis. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 16. *num.* 2. Barbosa *in c.* 4. *hoc tit. nu.* 3. Vvagnereck *in c.* 2. *V. ætatem not.* 1. Passerin *in c. un. eod. in 6. n.* 3. Vallens. *hic nu.* 1. Schambogen *num.* 2.

3 *Ex quo sequitur*, si alteruter, vel alter contrahens minor septennio sit, nec malitia ætatem suppleat, sponsalia ab ipsis contracta fore invalida, ob defectum consensus, cujus dandi ante eam ætatem regulariter sunt incapaces. Imò invalida erunt etiam contracta post septennium, si in contrahentibus, vel uno illorum etiam post illam ætatem rationis usus adhuc deficiat. Atque ita intelligitur *leg. in sponsalibus citat.* dum ait, *in sponsalibus contrahendis ætatem contrahentium definitam non esse, ut in matrimoniis*; nam in matrimonio, alio impedimento cessante, semper sufficit ætas præscripta Jure, in sponsalibus autem non semper, quod sæpe etiam septennio completo usus rationis deficiat. Glossa *ibidem in fin.* Goffred. *Summ. hoc titul. num.* 3. Sanchez *dist.* 16. *citat. num.* 3.

4 Quæritur 2. Quo Jure irrita sint sponsalia contracta à minore septennio? Resp. Regulariter irrita sunt Jure naturali. Ratio est, quia valor sponsalium pendet ex usu rationis, qui, ut dixi, ante septennium regulariter non est præsens. *Et hoc verum est*, etiamsi sponsalia loco liberorum contraxerint Parentes *cap. un. hoc tit. in 6.* quia ad ea contrahenda requiritur consensus personalis ipsorum contrahentium. *Proceditque* istud non tantum, quando uterque contrahentium adhuc est minor septennio, sed etiam, quando unus tantum alter vero major, & pubes; nam nec iste obligatur hujusmodi sponsalibus, ut recte notant Zabarell. *in c. de illis* 7. *hoc tit. num.* 2. Vallens. *hic num.* 4. Honor. *num.* 6. Schambogen *num.* 2. Vviestner *num.* 9. Ratio est, quia sponsalia sunt promissio mutua; igitur si illa ob defectum ætatis sunt irrita ex una parte, etiam non obligabunt ex altera.

5 *Excipitur*, si postea, cum utraque pars justam ætatem adepta fuerit, contractum hunc suum ratificaverint vel expresse, puta verbis, scripto, nutu, aut aliis signis, vel tacitè v. gr. alteri cohabitando, munera mittendo, vel alia faciendo, quæ sponsi ad invicem solent; tunc enim sponsalia sic inita convalescent, ut notat Glossa *in c. litteras* 4. *V. placere hoc tit.* Sanchez *D.* 16. *cit. num.* 5. & 6. Barbosa *in cap.* 4. *citat. num.* 2. Vivian. *ibid. vers. vel minore*, & *in c. duo pueri* 12. *eod. pr.* Passerin. *in cap. un. eod. in 6. num.* 12. Vallens. *hic num.* 3. Honor. *n.* 6. Engl §. 1. *num.* 6. & 7. Pirhing *nu.* 11. Schambogen *nu.* 6. Vviestner *num.* 9. & sumitur *ex c. litteras cit. c. accessit* 5. & *c. un. pr.* & § *porro hoc tit. in 6.* Ad quod tamen duo requiruntur, ut bene advertit Sanchez *num.* 7. cum aliis. *Primum* est, ut contrahentes notitiam habeant sponsalium tempore infantiæ initorum: ubi enim ea ignorantur, nullus consensus reperiri potest, cum nihil sit volitum, nisi præcognitum. *Alterum*, ut norint sponsalia illa, tempore infantiæ celebrata, fuisse nulla; si enim ex errore, quo putabant esse valida, ea ratificent, nihil agunt, cum error consensum tollat *l. si per errorem* 15. *ff. de jurisdict.*

Dubitatur, an promissio matrimonii, à pubere infanti facta, antequam ab isto rationis usum adepto ratificetur, valeat saltem in vim simplicis promissionis, ita, ut à promittente ante acceptationem ejus revocari nequeat? Negativam videtur tenere Card. *in cap. de illis* 7. *hoc tit.* & Ratio dubitandi est, quia regulariter quæcunque promissio, seu donatio ante acceptationem non obligat, & revocabilis est; atqui promissio matrimonii infanti facta ob hujus incapacitatem acceptari nequit: igitur neque ex parte promittentis obligat; atque hoc colore Carolus IX. Rex Galliæ Margaretham Maximiliani II. Cæsaris Filiam repudiavit, eo quod, cum illi desponderetur, quartum ætatis annum nondum egressa esset. 6

Sed melius affirmativam tuentur D. Anton. *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 18. *ante* §. 1. Decius *cons.* 245. *num.* 2. Sylvest. *V. Sponsalia quæst.* 2. *dict.* 2. *fin.* Tabien. *ibid. quæst.* 4. § 5. Armill *num.* 4. Barth. à Ledes. *dub.* 11. *de matr. concl.* 4. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. cap.* 245. *num.* 7. *edit.* 2. Sanchez *l.* 1. *de matr. dist.* 16. *num.* 15. & 25. Konig *hic num.* 13. ob rationem oppositam; quia promissio infanti facta in hujus favorem ex speciali Juris privilegio non exigit acceptationem, sive matrimonium, sive alia res eidem promittatur *arg. l. jubemus* 5. *Cod. de emancip. liberor.* ubi decernitur emancipationem respectu infantis fieri posse, licet ea ex genere suo alias fieri absque emancipati consensu nequeat. Et certe cum promittens infantis incapacitatem ad consensum perspectam habeat, non potest exspectare ejus acceptationem, aut repromissionem, nec censendus est se tantum obligare voluisse sub conditione, *si velis, si acceptes, vel si repromittas*, prout fieri inter adultos solet. 7

Quæritur 3. An si usus rationis septennium antevertat, sponsalia, ante istud impletum inita, subsistant? Certum est subsistere saltem de Jure naturali; quia hoc Jure ad sponsalia plus non requiritur, quam consensus. Iste autem in eo, qui usum rationis habet, non deficit *l. sufficit* 4. & *l. in sponsalibus* 14. *ff. de sponsal.* Joan. Andr. *in c. Juvenis* 3. *de sponsal. num.* 9. Alex. de Nevo *ibid. num.* 10. Schambogen *hic nu.* 7. Vviestner *ibid. num.* 7. 8

Dubium est, an si malitia, seu potius prudentia præveniat ætatem, & usus rationis adsit ante septennium, sponsalia à nondum septenni contracta sint valida etiam Jure positivo? Negant Abb. *in c. Juvenis* 3. *de sponsal. num.* 5. Rosell. *V. impedimentum. Imped.* 13. *num.* 9. Angel. *V. Sponsalia num.* 5. & *V. Matrimonium* 3. *imped.* 14. *n.* 2. Brunell. *de sponsal. concl.* 4. *nu.* 5. Alex. Carrer. *de sponsal. lib.* 1. *cap.* 7. Palao *tract.* 28. *D.* 1. *p.* 6. *num.* 8. Fachin. *lib.* 3. *contr. c.* 26. Harpprecht *ad pr. Inst. de Nupt. num.* 10. Honor. *tit. de sponsal. num.* 8. Sannig *ibid. cap.* 1. *num.* 7. Engl *hic* § 1. *n.* 2. Konig *ibid. n.* 5. *vers. sed vereor.* Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de sponsal. & matr. cap.* 2. *n.* 19. Fundantur 1. textibus *c. litteras* 4. *c. accessit.* 5. *cap. ad dissolvendum* 13. *hoc tit.* ubi generaliter sponsalia ante septennium inita habentur pro nullis, 2. Modestinus *l. in sponsalibus* 14. *de sponsal.* cum dixisset sponsalia posse contrahi ab impuberibus, expresse addidit, *Si non sint minores, quam septem annis*; igitur agnovit septennium requiri. 3. Est Juris maxima, quod ubi Jus certam ætatem præscribit, non possit ea per malitiam, aut præcox judicium suppleri, ut patet in professione Religiosa, ad quam requiritur 16. ætatis annus completus, in factione Testamenti, cujus condendi incapaces sunt 14. annis minores, quantumcunque judicio polleant, 4. Leges in præsumptione generali fundatæ obligant semper, & pro semper, esto, præsumptio cessare videatur 9

deatur in caſu particulari, 5. Si ſubſiſterent ſponſalia inita ante ſeptennium, fruſtra ſeptennium præſcriberetur à Jure; nam præſente uſu rationis valerent ante illud contracta, eo abſente irrita forent etiam poſt illud inita; debet autem deſignatio ſeptennii habere effectum aliquem; ergo &c.

10 Sed communior, & probabilior eſt ſententia, quod eo caſu ſponſalia à nondum ſeptennii contracta, etiam Jure poſitivo ſint valida. Ita S. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *qu.* 2. *art.* 2. D. Antonin. 3. *part.* 1. *cap.* 18. *pr.* Joan. Andr. *in c. Juvenis* 3. *de ſponſal. num.* 9. Alex. de Nevo *ibid. nu.* 19. Tabien. *V. ſponſalia quæſt.* 4. *num.* 5. Armill. *ibid. num.* 4. Sylveſt. *qu.* 2. *dict.* 2. Covar. *part.* 1. *de ſponſal. cap.* 2. *num.* 1. Gutier *de Matr. cap.* 2. *num.* 8. *fin.* & præcipue *n.* 10. Sanchez *l.* 1. *de matr. D.* 16. *num.* 9. Tanner. *de matr. quæſt.* 1. *D.* 2. Conink *de Sacram. D.* 21. *n.* 52. Rebell. *de oblig. Juſt. lib.* 4. *q.* 5. Pont. *l.* 2. *de matrim. c.* 12. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 16. Antonell. *de temp. Legal. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 1. 4. *&* 9. Fagnan. *in c. ubi non eſt* 2. *hoc tit. num.* 5. Gonz. *in c.* 5. *eod. n.* 4. Vvagnerek *in cap.* 6. *verſ. ſi autem not.* 3. Barboſa *in c.* 9. *n.* 3. Paſſerin. *in c. un. eod. in* 6. *n.* 5. Vvex Ariadn. *p.* 5. *tr.* 2. § 3. *n.* 5. Illſung. *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 11. Vallenſ. *hic n.* 5. Pirhing *n.* 12. Schambogen *n.* 7. Vviesner *n.* 14. Reiffenſtuel *n.* 14. & alii præcipui nominis TT. & Canoniſtæ plerique.

11 Oſtenditur 1. ex *c. Juvenis* 3. *de ſponſal.* ubi Juvenis, qui poſt ſponſalia, cum puella nondum ſeptennii contracta, conſobrinam illius duxit, jubetur ab hac ſeparari ob impedimentum publicæ honeſtatis ortum ex primis ſponſalibus. Igitur valida fuerunt illa ſponſalia, & eo caſu cenſeri debet defectus ætatis fuiſſe ſuppletus malitia præveniente; non Impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus ob defectum conſenſus irritis neque ante Trid. oriebatur, 2. In matrimonio malitia ætatem ſupplet, ut *infra* dicetur. Igitur etiam in ſponſalibus. Patet. *Conſ.* quia de ſponſalibus, cum ſint via, & diſpoſitio ad matrimonium, quando eadem eſt ratio, idem diſpoſitum cenſetur, quod à Jure diſpoſitum eſt de matrimonio *l. oratio* 16. *ff. de ſponſal.* eſt autem eadem ratio; nam malitia in matrimonio ideo ætatem ſupplet, quia præter diſcretionem potentia generandi aliquando antevertit ætatem à Jure præſcriptam pro matrimonio; atqui aliquando etiam uſus rationis prævertit ætatem præſcriptam pro ſponſalibus; ergo etiam in his defectum ætatis ſupplebit malitia, 3. Huic ſententiæ ex una parte certo adſtipulatur Jus naturæ, ad hunc contractum plus non requirens, quam debitum rationis uſum, ut omnes fatentur; ex altera vero parte Jure poſitivo clare non eſt deciſum, quod univerſaliter ætas ſeptem annorum pro ſponſalibus valide ineundis requiratur, cum plurimi, & graviſſimi DD. velint, illam ætatem ſolummodo aſſignatam ex præſumptione, quod uſus rationis eandem non ſoleat prævenire. Igitur, ut Jus poſitivum concordetur cum Jure naturali, quod ſemper in caſu dubii faciendum eſt, dici debet, quod neque Jus poſitivum ſponſalia ante ſeptennium inita irritet, ſi ætatem illam uſus rationis præveniat.

12 Neque obſtant Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. Ideo ſolum à Jure pro ſponſalibus certa definita ætas eſt, quia præſumitur uſus rationis in puero ſeptennii, non vero ante eam ætatem, niſi contrarium manifeſte appareat. *Ad* 2. Verba illa, *ſi non ſint minores, quam ſeptem annis*, ita intelligi debent, ut non evertant prima, quibus Modeſtinus in *loc. cit.* dixi, ætatem pro ſponſalibus non eſſe ita definitam, ſicut in matrimonio; atqui ſi determinate Juriſconſultus requireret ſeptennium, verba iſta per dictam clauſulam clare everterentur; nam vera eſſet oppoſita propoſitio, *Ætas pro ſponſalibus eſt definita.* Igitur dicendum ea Lege ſolummodo intendi, quod ordinarie ante ſeptimum annum non præſumatur adeſſe rationis uſus, & ſic ex ratione naturali ſponſalia in ea ætate inita ſint invalida. *Ad* 3. Maxima illa Juris ſolum procedit, quando à Jure præſcriptum eſt tempus certum abſolute, & independenter à præſcriptione quadam, aut ſuppoſitione certæ conditionis variabilis; ſecus, ſi dependenter à tali conditione; tunc enim pro variatione conditionis etiam tempus à Jure præſcriptum mutatur. Fateri iſtud coguntur ipſi Adverſarii in caſu matrimonii, pro quo licet ordinarie præfixum ſit tempus pubertatis, quia tamen id ſtatutum eſt ex præſumptione, quod tunc primum adſit potentia generandi, hoc ipſo præventioni locus eſt, cum ſæpe potentia iſta ante tempus pubertatis à Jure præſcriptum adveniat; quare pari modo de ſponſalibus cum proportione idem dicendum erit. *Ad* 4. Similis præſumptio antiquitus dabatur, quod ſponſalia de futuro tranſierint in matrimonium per carnalem copulam cum ſponſa ſubſecutam *c. is qui* 30. *de ſponſal.* ex quo tamen nemo recte infert, tale matrimonium etiam tunc valuiſſe, quando copula habita eſt reipſa non maritali, ſed fornicario affectu: nempe ſaltem in foro conſcientiæ interno præſumptio debet cedere veritati: imò ſi de hac liquide conſtet, etiam in foro externo, niſi conſtet, quod occaſione talis præſumptionis Jus voluerit abſolutè aliquid ſtatuere, ſicut ſtatuit, quando Tridentinum annullavit matrimonium clandeſtinum. *Ad* 5. Non fruſtra à Jure præſcribitur ſeptennium; nam uſus hujus deſignationis eſt, ut quando dubium eſt, an contrahens ſponſalia in illa rite conſenſerit, præſumatur rite conſenſiſſe, & conſ. ſponſalia eſſe valida, ſi fuerit ſeptennii major, invalida vero, ſi minor.

Quæritur 4. An valeant ſponſalia, in quacunque 13
ætate malitia ætatem præveniat, & quocunque modo, ordinario, vel extraordinario per miraculum, & longe ante ſeptennium? Negant aliqui, & putant contrahentem ſponſalia, ut valida iſta ſint, debere eſſe ſeptennio proximum, qui tamen in hoc, quando aliquis dicatur eſſe ſeptennio proximus, non conveniunt; nam aliqui cum Innoc. *in c. Juvenis* 3. *de ſponſal. pr.* Joan. Andr. *ibid. num.* 9. Anton. de Butr. *num.* 6. Anchar. *nu.* 4. Præpoſit. *num.* 7. id contingere aſſerunt, quando deficit ſemeſtre: alii vero cum D. Thom. D. Antonin. Turrecr. Sot. Lud. Lopez, Henriquez, Perez putant hoc Judicis arbitrio, relinquendum. *Fundamento* ſententia hæc nititur duplici. *Primum eſt*, quia Jus ſeptennium completum præſcripſit ideo, ut illud exigatur, vel ſaltem, ut moraliter poſſit dici completum: ita autem completum cenſebitur, quando contrahens eſt ſeptennio proximus, 2. In matrimonio non ſufficit, ut potentia generandi præveniat ætatem, ſed præterea opus eſt, ut adſit diſcretio, & prudentia requiſita ad conjugalem conſenſum, ut conſtat ex *c. fin. hoc tit.* ubi hæc malitia nuncupantur prudentia: igitur ſimiliter in ſponſalibus non ſatis erit uſus rationis quicunque, ſed requiretur talis, qualis ſeptennio, vel proximè advenit.

Sed dicendum, probabilius valida eſſe ſponſalia, in 14
quacunque ætate contracta, ſi via vel ordinaria, vel extraordinaria per miraculum uſus rationis acceleretur. Ita Alex. de Nevo *in c. Juvenis cit. num.* 19. ubi ait, ſi conſtet de prudentia pueri ſexto ætatis anno, valere ſponſalia; & Ant. Gabr. *tom.* 2. *com. lib.* 17. *fol.* 312. *Verſ. Sponſalia* ubi dicit eſſe communem ſententiam, valere ſponſalia quadriennio contracta, ſi adſit rationis uſus. Conſentit Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 16. *num.* 14. cum aliis, quos refert Petr. de Ledeſm. *de matr. q.* 43. *art.* 2. *dub.* 2. ubi fatetur ſententiam iſtam eſſe probabilem, licet ipſe contrarium teneat. *Ratio eſt*, quia ſeptennium non præſcribitur, quaſi id neceſſarium ſit, ſed quia Jus præſumit ea ætate advenire rationis uſum, ut dictum eſt *n.* 12. ergo ſi quacunque ætate ante ſeptennium uſus rationis adveniat, erunt vera ſponſalia; non enim major eſt ratio de proximis ſeptennio, quam de multo minoribus, ſi eodem uſu rationis gaudeant.

Neque aliud probant Argumenta oppoſita. *Ad* 1. 15
Negatur *Ant.* ſed ideo id factum eſt, quia communiter tunc advenit rationis uſus. *Ad* 2. Diſpar eſt ratio; nam matrimonium ſemel contractum eſt inſolubile, & ideo, ut valide contrahatur, ultra potentiam generandi requiritur prudentia, & diſcretio: ſponſalia autem, ab impuberibus contracta, ſolubilia ſunt, ſi alter pubertatem adeptus reclamet, ut *n.* 28. dicetur; & ideo mirum non eſt, ſi ad ea contrahenda qualiscunque uſus rationis ſufficiat. Sed hinc

Dubium oritur, an ad ſponſalia contrahenda ſufficiat 16
is rationis uſus, qui ſatis eſt, ut puer talis nondum ſeptennis poſſit peccare mortaliter? Negat S. Thom. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. Lud. Lop. *p.* 2. *Inſtruct. c.* 37. *de matr. fol.* 1039. Petr. de Ledeſm. *de matr. q.* 43. *art.* 2. *dub.* 1. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 13. *num.* 9. Probat *D. Thom.*

Thom. quia ad peccatum mortale sufficit advertentia præsentis mali, nec aliqua futurorum providentia desideratur; ad sponsalia tamen, cùm sint obligatio ad futurum, & perpetuum statum, requiritur etiam futurorum providentia.

17 Sed tenenda videtur sententia affirmativa, quam cum Sanchez *l.* 1. *de matr. dist.* 16. *n.* 13. reipsa defendunt DD. illi omnes, qui absolute docent, usu rationis præveniente ætatem, posse sponsalia contrahi ante septennium. *Ratio est*, quia hic rationis usus satis est ad obligandum per Votum solemne Ordinis Sacri, & per Votum simplex Religionis; ergo etiam sufficiet ad obligandum per sponsalia. *Patet Cons.* Nam sponsalia non tam arctam inducunt obligationem, cum sola pueri voluntate dissolvi possint, cum pubertatem attigerit, ut *n.* 33. dicam; arctiorem inducit obligationem votum solemne annexum Ordini Sacro, & simplex Religionis, quippe quæ sola pueri voluntate dissolvi nequeunt, sed Pontificia dispensatione indigent, vel (intellige votum Religionis) Patris irritatione.

18 *Ad rationem dubitandi*, si ea futurorum providentia, quam sententia adversa postulat, ad sponsalium valorem opus foret, incaute præscriptum esse septennii tempus; ea enim tenerrima ætate præsentium puer providentiam non habet, nedum futurorum, & vix eo rationis usu gaudet, ut capax sit culpæ mortalis.

19 Quæritur 5. An casu, quo malitia, seu prudentia ætatis defectum non supplet, septennium, ad sponsalia requisitum, debeat esse completum physicè, vel solum moraliter, ita, ut completum censeatur etiam, quando unus, duo, vel etiam tres dies eidem desunt? Moraliter completum sufficere, docent Joan. Andr. *in c. litteras* 4. *hoc tit. num.* 2. Henric. *in c. accessit* 5. *eod. nu.* 3. Sot. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 3. Vivald. *Candelabr. p.* 1. *de sponsal. c.* 2. *n.* 15. Vega *l.* 6. *summ. cas.* 201. Rodriq. *tom.* 1. *summ. c.* 244. *num.* 2. Gutier. *de matr. cap.* 2. *num.* 5. *& seqq.* & plures alii apud Sanchez *lib.* 1. *de Matr. dist.* 16. *num.* 4. qui tamen non conveniunt in assignatione temporis, cujus defectus complementum septennii morale impediat; nam aliqui illorum putant hoc complementum non impediri per defectum duorum, vel trium dierum; alii admittunt unam hebdomadam; Gutier *loc. citat. num.* 8. concedit sex etiam menses;

20 *Fundamenta* hujus sententiæ sunt 1. quia Jura solum expostulant compleri septennium, quod cum physicè, & moraliter compleri possit, non est, cur physicum complementum expostulemus, 2. Septennium Jura exigunt, ut rationis usus præsumatur; at ob defectum duorum, vel trium dierum cessare hæc præsumptio non potest; non enim tam brevi tempore usus rationis perfici poterat, si antea perfectus non erat; ergo septennium non physicum, sed morale requiritur, 3. Quod parum distat, nihil distare videtur secundum Aristotelem 2. *phys.* neque immerito; parum enim pro nihilo habetur etiam à Jurisconsultis.

21 Sed longe verius est, septennium, ubi non constat, quod malitia ætatem suppleat, debere esse completum physicè. Ita Sanchez *dist.* 16. *cit. n.* 4. Perez *de matr. D.* 37. *sect.* 12. *n.* 4. Pont. *l.* 12. *de matr. cap.* 5. *n.* 3. Conink *de Sacram. dist.* 21. *n.* 51. Palao *tr.* 28. *dist.* 1. *p.* 6. *num.* 5. Gonzal. *in c.* 5. *hoc tit. n.* 4. *&* 5. Pafferin. *in cap. un. eod. in* 6. *n.* 7. Schambogen *hic n.* 2. Konig *ib. num.* 6. *vers. verum* Vviestner *num.* 19. Reiffenstuel *num.* 12. Ratio est, quia mensis per dies, & annus per menses computatur, in qua computatione si unus dies mensi deficiat, non erit mensis completus; cons. neque annus completus erit, qui ex mensibus completis coalescit. *Conf.* Quoties à Jure designatur aliquod tempus, physicè compleri debet, ita, ut neque unus dies deficiat, ut videre est in bimestri, concesso novis conjugibus ad deliberandum de Religionis ingressu, in decimo quarto ætatis anno requisito ad Testamentum condendum, & in decimo sexto, ante quem Trid. noluit valere professionem Religiosam; alias cuilibet liberum esset restringere, vel ampliare tempus septennii, quod Jura illud præscribentia, & determinantia vitare contendunt.

22 Argumenta opposita efficacia nequaquam sunt. *Ad* 1. Verba Legis, præsertim quando agitur de obligatione imponenda, accipienda sunt in sensu proprio; non dicitur autem proprie completum septennium, nisi illud pervenerit, saltem ad diem ultimam. *Ad* 2. Præsumptio illa, qua ex septennii lapsu præsumitur rationis usus, est præsumptio Juris: igitur arbitrio hominis mutari non potest, nec procedet, nisi lapso termino per jus præscripto. *Ad* 3. Pariter Regula illa Aristotelica, & Jurisconsultorum tum solum locum habet, quando Jura non præscribunt actui certam, & completam ætatem, seu tempus.

Major controversia est, utrum computationi, & determinationi huic officiat, si quidem septennium sit perductum ad diem ultimam, hæc vero solum sit inchoata? Affirmant id sufficere complures etiam ex iis, qui nobiscum docent septennium debere esse completum physice, & inter hos Sanchez *dist.* 16. *cit. c.* 2. *&* 4. Pont. *n.* 5. Conink *n.* 51. & alii *supra*, ex ratione, quod favore matrimonii dies inceptus ex Juris dispositione pro completo habeatur *arg. l. qua ætate ff. qui testam. facer. poss.* ergo etiam valebunt sponsalia contracta ipsa die, qua quis implet septennium. 23

Sed probabilius necessarium est, ut ultima dies completa sit de momento ad momentum. Ita Pal. *loc. cit. num.* 6. Gonzal. *n.* 5. Pafferin. *n.* 7. Vviestner *n.* 19. cum aliis. *Ratio est* 1. Quia dum etiam hæc dies completa sit, non est integra dies; cons. nec integer, & completus mensis, qui ex integris, & completis diebus coalescit; quodsi autem mensis ultimus completus nondum est, nec annus septennii ultimus dici completus poterit; quia & ipse componitur ex completis mensibus; ergo &c. 2. Professio Religiosa non potest emitti valide, nisi ultima dies anni 16. ætatis ad illam requisiti completa sit usque ad ultimum momentum, quod idem dicendum de anno probationis, qui eidem præmitti debet; idque non alio ex capite, nisi quod à Jure sit præscriptum hoc tempus, cons. à momento ad momentum debet esse completum *arg. leg. denique* 3. § *minorem* 3. *ff. de minor.* igitur cum etiam pro sponsalibus, casu, quo malitia ætatem non prævenit, septennium à Jure præscriptum sit, etiam ipsum de momento ad momentum debebit esse completum, & sic invalida erunt, si etiam ultima dies nondum completa sit, 3. Sicut quando Jura alicui rei præscribunt certum pretium, hoc consistit omnino in indivisibili, ut bene Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 21. *num.* 10. ita etiam quando alicui actioni præscribunt certam ætatem agentis; quia ideo certum pretium, & ætatem præscribunt, ne quisquam suo judicio possit ea mutare. 24

Ad argumentum oppositæ sententiæ dispositio Legis ibi *cit.* est specialis, ac proinde ad propositum nobis casum extendi non debet, præsertim cum non sit eadem ratio; nam quod ætas testatori præscripta moraliter accipiatur, favorabile ipsi solum, non autem simul onerosum est, uti tamen sunt sponsalia, matrimonium, & professio Religiosa, quippe quæ præter favorem etiam onus, & gravissimam, perpetuamque obligationem afferunt, ut recte monet Palao *loc. citat. num.* 7. *fin.* 25

Quæritur 6. An, & qualiter resilire liceat à sponsalibus, contractis tempore impubertatis? Respond. cum distinctione: Vel enim contracta sunt à nondum septennibus, & usum rationis requisitum non habentibus, vel à septennio majoribus, & usu rationis præditis. 26

Si primum, semper resilire ab iisdem licet; quia prorsus sunt irrita ob defectum consensus: quod ipsum dicendum est, quando septennes contrahunt sponsalia, sed uterque, vel alteruter usum rationis nondum adeptus est; quia, ut dicitur *l. in sponsalibus* 14. *ff. de Sponsal. in sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est*, utpote quorum valor non ab ætate, sed ab usu rationis pendet. *Ex quo sequitur*, quod sponsalia sæpe sint irrita, non solum ob defectum ætatis Jure requisitæ, sed etiam Judicii, & rationis.

Si secundum dicatur, videndum, an uterque fuerit impubes, quando contrahebantur sponsalia, an vero unus pubes, alter impubes. *Si uterque impubes fuit*, quamdiu impuberes sunt, neuter à sponsalibus jam contractis resilire potest, aut consensu etiam mutuo illa dissolvere, Abb. *in c. de illis* 7. *hoc tit. num.* 9. Joan. Andr. *ibid. num.* 4. Ancharan *n.* 2. Sanchez *lib.* 1. *de matr. D.* 51. *num.* 6. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 17. 27

Vi-

Vivian. *in cap. de illis cit. pr.* Barbosa *ibidem num.* 1. *&* 2. Vvagnereck *V. intra annos not.* 2. Gonzal. *in c. à nobis* 8. *eodem num.* 1. Honor. *hic num.* 9. Zoes. *num.* 4. Pithing *num.* 6. Schambog. *n.* 3. Konig *num.* 14. VvIestner *num.* 7 Reiffenstuel *num.* 14. & patet ex *c. de illis, & c. à nobis citt.* idque meritò, ne propter fragile, & lubricum judicium sponsalia facilè, & sæpe temere contrahant, iterumque dissolvant;

28 Si tamen pubertatem adepti sint, resilire pro libitu suo possunt, etiam sine alia ratione *cap. de illis cit.* Vivian. *in cap. à nobis citat. V. sed post.* Zoes. *num.* 5. Vallens. *nu.* 4. Engl §. 1. *num.* 3. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de spons. cap.* 2. *num.* 58. & DD. qui *supra*: idque, ne cogantur approbare, & firmiter observare quod in tenera ætate, cum adhuc immaturo essent judicio, fecerunt. *Proceditque hoc*, sive uterque sit pubertatem adeptus, sive unus tantum; nam is, qui prius pubertatem adeptus est, resilire à sponsalibus statim potest, nec tenetur exspectare, donec etiam alter pubes fiat *capit. de illis citat. vers. si verò*; quia frustra exspectatur eventus, cujus nullus est effectus *c. cum contingat* 36. *de offic. deleg.* ergo si prius pubes factus potest, altero pubertatem adepto, reclamare, poterit reclamare statim. Ita Sanch. *D.* 51. *cit. num.* 9. Vivian. *in c. de illis cit. vers. & ille.* Vvagnereck *ibidem V. si vero not.* 1. Barbosa *num.* 6. Schambog. Konig, Reiffenstuel *l. citt.* Imò si non statim resiliat, sed semel rata habeat sponsalia antecedentia, deinceps mentem mutare non potest, sed tenebitur exspectare, donec etiam alter legitimam ætatem attingat, & similiter deliberet. Covar. *de sponsal. part.* 1. *capit.* 5. §. 1. *numer.* 2. Sanch. *loc. citat. numer.* 9. *&* 14. Konig *numer.* 14.

29 Quodsi autem pubes cum impubere septennio majore contraxit sponsalia, resilire quidem impubes, pubertatem adeptus, potest, pubes tamen non potest, si impubes, pubertatem adeptus, stare velit sponsalibus *cap. de illis citat. V. mulier. & ibi* Host. *V. negaverit.* Innoc. *princip.* Joan. Andr. *num.* 4. Ancharan. *numer.* 4. Alex. de Nevo *num.* 16. Præpos. *num.* 1. Covar. *l. cit. num.* 5. Sanch. *num.* 10. Layman *num.* 17. Vivian. *in c. de illis cit. vers. quodsi*, & alii *supra*. Colligitur *arg. l. non eo minus* 14. *C. de Procurat.* ubi minori, si contractum sine Tutoris authoritate cum majore ineat, resilire à contractu soli permissum est ob favorem minorum, ob quem contractus ab iis initus claudicare potest: quod sibi imputet Major cum minore sponsalia celebrans, cum Legem hanc sponte susceperit. *Proceditque hoc*, ut pubes nec de consensu impuberis, antequam hic pubertatem adeptus sit, resilire possit, ut benè Sanch. *l. citat.* quia ob fragilem ætatem impubes consensu sufficienti ad sponsalium dissolutionem caret, ut dictum est *num.* 27. *Excipitur*, si major justam causam resiliendi habeat, quia v.g. metu adactus contraxit, vel ex parte alterius mutatio notabilis facta est &c. nam ex tali causa resilire non minus poterit, ac posset, si contraxisset cum majore *c. ex litteris* 11. *hoc tit.*

30 *Dubitari* potest, an hoc casu, quo impubes, pubes factus, à sponsalibus in impubertate contractis resilit, cum sponsalibus etiam solvatur impedimentum publicæ honestatis? Resp. Non solvi, sed manere, ut benè advertit Engl *hic* §. 1. *num.* 5. & patet ex *capit. litteras* 4 *in fin. hoc titul.* conf. neuter ex sic desponsatis cum alterius consanguineis intra primum gradum contrahere Matrimonium poterit. *Ratio est*, quia sponsalia post 7. ætatis annum contracta fuerunt valida; igitur induxerunt publicæ honestatis impedimentum, quod sponsalium dissolutione non tollitur secundum dicta *Titul.* 1. *numer.* 114.

31 Quæritur 7. Quando resilire à sponsalibus pubertatem adeptus debeat? Resp. Debet resilire statim; alias si differat, resilire non amplius poterit, sed firmiter illis obligabitur. Ita Host. *in c. de illis* 7. *hoc tit. V. antequam.* Joan. Andr. *ibidem num.* 2. Ancharan. *n.* 2. *&* 4. Henric. *n.* 5. Alex. de Nevo *n.* 15. Covar. *p.* 1. *de sponsal. cap.* 5. §. 1. *num.* 2. Barth. de Ledesm. *de Matr. dub.* 13. *cas.* 13. Sanch. *D.* 51. *cit. nu.* 14. Vvagnereck *in c. de illis cit. V. si vero not.* 2. Zoes. *hic n.* 5. Pirhing *n.* 7. Schambog. *n.* 4. Vviestner *n.* 12. Ratio est, quia ex quo non contradixit, tacitè consensisse censetur.

32 Porro statim dissentire, & reclamare censebitur, si circiter triduo ante, vel post pubertatem adeptam resiliat à sponsalibus; quia in jure dicitur in continenti aliquid fieri, quod intra triduum fit *l. fin. Cod. de judic. & l. fin. Cod. de error. Advocat.* Sanch. *num.* 14. *cit.* cum aliis *supra*. Magis extendit hoc temporis spatium Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de sponsal. cap.* 2. *nu.* 60. ubi putat facultatem resiliendi post pubertatem tamdiu superesse, quamdiu priora sponsalia verbis, aut factis confirmata non fuere, vel alterutra pars implementum sponsalium non petiit.

Neque debet ita resilire volens sollicitus esse de causa, ex qua resilire possit; nam causa, ob quam resilire potest, unica ista sufficit, quod sponsalia hæc in impubertate contraxerit, ut habetur *c. de illis cit.* juxta quod ob solam reclamationem alterius pubertatem adepti sponsalia sunt dissolvenda. Habetque hoc locum non tantum in foro externo, sed etiam in interno, & conscientiæ. Sanch. *D.* 51. *cit. num.* 19. Vvagnereck *in cap. cit. V. poterit not.* 1. Schambog. *num.* 4. quia Jus consulere voluit immaturo, & immutabili puerorum judicio, ne tanto vinculo indissolubiliter, seu irrevocabiliter obligari possint: & hinc credendum, quod omnis obligatio, etiam in foro conscientiæ sublata sit. *Conf.* à pari; nam vota puerorum, etsi valida sint, possunt sola patris, vel tutoris voluntate irritari in utroque foro. ergo similiter etiam sponsalia impuberum dissolvi in foro utroque poterunt, si ipsi impuberes, pubertatem adepti, resiliant. 33

34 Quæritur 8. An ad ratificationem sponsalium, in impubertate contractorum, sufficiat taciturnitas impuberum, postquam ad annos discretionis, aut pubertatis perveniunt? Resp. Distinguendo: Vel enim inita fuerunt à minoribus septennio, vel à majoribus. *Si primum*, nisi malitia ætatem præveniat, necesse est poni novum consensum verbo, aut facto, quod fiet cohabitando, familiaritatem singularem ostendendo, munuscula donando, vel recipiendo &c. ut dictum est *supra numer.* 5. quia sponsalia ante inita erant invalida. *Si secundum*, taciturnitas sufficit, & pro ratificatione habetur; quia sponsalia non tunc primum obligant, quando sponsus, vel sponsa pubertatem attingit, sed obligatio eorum jam antè contracta sit indissolubilis: ad quem effectum sufficit non reclamare, cum per jus posset. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. D.* 51. *num.* 15. & cum eo omnes; nam omnes petunt, ut statim reclamet pubes factus; alias non audiendum. ergo non reclamando, conf. tacendo faciet, ut sponsalia fiant firma. Hoc autem intelligendum est, si pubes effectus sciat se attigisse pubertatem, & jus suum intelligat; alioquin valebit Regula, quod *tempus non currit ignoranti*, & poterit reclamare, ubi intellexerit. Vvagnereck *in capit.* 7. *hoc titul. V. si vero not.* 2.

35 *Dubium* moveri potest, an si impubes ante pubertatem resiliat à sponsalibus, & postea non mutet cum dissensum, nec amplius recordetur post pubertatem, dissolvantur sponsalia? Videntur non dissolvi; quia dissensus ille, utpote in impubertate factus, non sufficit. igitur cum factus pubes non reclamaverit, jam videntur omnino firma facta sponsalia. *Conf.* Quia alias vanum, & inutile foret dicere, quod ante pubertatem non possit resiliri.

36 Sed melius Sanch. *D.* 51. *citat. num.* 16. judicat dissolvi, & pro se citat *Host. Anton.* Alex. de Nevo, *Præpositum*. Rationem dat; quia ideo ratificantur, & firma fiunt sponsalia non reclamando in pubertatis puncto, quia eo ipso, quod non reclamet, videtur in prima voluntate, qua se ad sponsalia obligavit, persistere. atqui quando impubes dissensit, & hunc suum dissensum pubes effectus non mutavit, jam non præsumitur persistere in voluntate sua prima, qua ad sponsalia se obligavit, sed potius in secunda, qua illam dissentiendo revocavit. igitur postea tacendo non hoc ipso videtur sponsalia sua velle esse firma, sed potius dissoluta, cum voluntas censeatur manere, nisi mutatam constet.

37 *Ad Argumentum in contrarium allatum* fateor, non sufficere dissensum illum, ut in impubertate positum, addo tamen eundem dissensum, si usque ad pubertatem revocatus non fuerit, prodesse ad declarandam voluntatem puberis facti, in qua præsumitur perseverare, & sic impedire ratificationem per supervenientiam pubertatis. *Ad Conf.* Prohibitio illa, quod ante pubertatem resi-

resilivi non possit, adhuc suum effectum habet; nam id operatur, quod etsi sponsus, impubertate durante, sponsalia revocet, hæc tamen non dissolvantur, & sic si pubertatem adeptus in iisdem sponsalibus velit persistere, non opus sit novo in illa consensu, quo tamen fuisset opus, si per dissensum in impubertate positum fuissent soluta.

38 Porro an ad effectum, ut sponsalia, in impubertate contracta, dissolvantur dissensu, post pubertatem posito, necesse sit, hunc dissensum, demonstrari signo aliquo externo, an vero sufficiat, si interius solum ponatur, quæstio fieri potest. Sed quæ solvi facilè potest distinguendo inter forum externum, & internum conscientiæ. *In foro externo* requiritur, ut dissensus manifestetur aliquo signo externo; alias præsumetur perseverare voluntas prima, utpote quæ non creditur mutata, nisi probetur. At *pro foro interno*, ut bene advertit Sanch. *n.* 17. satis erit dissensus internus; quia tunc jam nulla sponsalium in facto ipso ratificatio facta est, ut adeo sic dissentiens coram Deo sit liber.

39 Quæritur 9. An sponsalia impuberum ita confirmari juramento possint, ut inde resilire etiam pubertatem adepti nequeant? Negant Joan. Andr. *in c. ex litteris* 10. *de sponsal. num.* 3. Card. *in c. de illis* 7. *hoc tit. numer.* 5. Palud. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *cas.* 10. *num.* 28. & alii apud Sanch. *D.* 51. *cit. numer.* 21. Nituntur 1. quia impuberes prohibentur jurare *can. parvuli* 14. *& seq. caus.* 22. *quæst.* 5. igitur juramentum ejusmodi habebitur pro non adjecto. 2. Quia juramentum additum contractui sortitur naturam contractus, cui additur *l. fin. Cod. de non num. pecun.* atqui sponsalia impuberum jure Canonico habent in se hanc tacitam conditionem, *nisi facti puberes resilierint*. ergo etiam juramentum eam conditionem sibi adjectam habere censebitur. 3. Quia alii impuberum contractus non firmantur juramento. ergo neque sponsalia.

40 Sed probabilius est, sponsalia impuberum juramento firmari, ita, ut neutri pubertatem adepto resilire ab iis liceat. Ita Gloss. *in c. de illis cit. V. Judicio*. Ancharan. *ibidem num.* 4. Abb. *num.* 6. Præpos. *nu.* 1. Alex. de Nevo *num.* 13. Covar. *p.* 1. *de sponsal. c.* 5. §. 1. *num.* 3. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. c.* 14. *num.* 7. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. D.* 51. *n.* 22. Becan. *tr. de Sacram. c.* 43. *q.* 26. *n.* 7. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *c.* 1. *num.* 17. Fagnan. *in c. de illis cit. num.* 51. Barbosa *ibidem n.* 7. Vvagnereck *V. poterit n.* 2. Zoes. *hic n.* 6. Pirhing *n.* 8. Schambog. *n.* 5. Sumitur ex *c. ex litteris* 10. *de sponsal.* ubi expressè dicitur, impuberes jurantes sponsalia, sive sub juramento promittentes se aliquem ducturos in uxorem, cogendos esse ea perficere: & additur hæc universalis ratio; *quia* illis *periculosum est contra suum juramentum venire*.

41 Neque obstant Rationes dubitandi allatæ pro prima sententia. *Ad* 1. Textus illi loquuntur de impuberibus, quod non sint cogendi jurare ob Testimonium dicendum. *Ad* 2. Illa tacita conditio non debet subintelligi, quando sponsalia impuberum sunt juramento firmata, juxta *c. ex litteris cit.* Sanch. *l. cit. numer.* 26. *Ad* 3. *Tr. Ant. N. Cons.* nam quod alii impuberum contractus fortassè non firmentur juramento, id inde contingit, quia contractus illi, secluso juramento, sunt invalidi; sponsalia autem impuberum per se sunt valida; ideoque juramento accedente, confirmantur, & fiunt indissolubilia.

42 Quæritur 10. An quibusvis impuberibus prohibitum sit resilire à sponsalibus juratis? Affirmativam defendunt *Abb. Alex. de Nevo, Ancharanus, Pirhing l. cit.* propter textum *c. ex litteris citat.* Sed revera generalitas ista ex textu hoc non probatur; nam ibi sermo est de impuberibus pubertati proximis, inter quos malitia ætatem supplente, consistere potuit Matrimonium, prout colligitur ex verbo *Impubescentes*, quod idem est, ac *propè puberes*: quod confirmatur etiam ex eo, quia ibi Alexander III. fœminam jussit in uxorem recipi, & maritali affectu pertractari: quod fieri non potuisset, nisi in pubertati proximis.

43 Quare cum Perez *D.* 9. *sect.* 2. *num.* 8. Pont. *l.* 12. *c.* 9. *n.* 8. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 17. Vviestner *hic n.* 26. Reiffenstuel *ibidem num.* 16. *&* 17. dicendum, solos illos à sponsalibus juratis resilire non posse, qui pubertati sunt proximi: in cæteris procedit solemnis Regula, quod juramentum sequatur naturam, & conditionem actus, & obligationis, cui adjectum est, nisi aliud exprimatur jure; cum igitur sponsalia impuberum, qui pubertati proximi nondum sunt, includant tacitam conditionem, *Nisi pubes factus reclamet*, etiam juramentum iis adjectum eam includet.

Porro quando impubes pubertati censeatur proximus, variæ sunt DD. sententiæ. Gloss. *in* §. *pupillus V. infantiæ Inst. de inutil. stipulat.* Navar. *l.* 4. *cons.* 39. *num.* 11. *edit.* 1. Caldas *in l. si Curatorem* 1. §. *minoribus numer.* 7. *&* 8. *Cod. de in integr. restit.* apud Sanch. *D.* 51. *cit. nu.* 23. putant, tunc masculum censeri pubertati proximum, quando excedit decimum, & dimidium annum, fœminam verò, quando nonum, & dimidium. Paulò magis tempus hoc contrahit Gonzal. *in c. continebatur* 6. *hoc tit. num.* 5. ubi existimat à jure Ecclesiastico fœminam quidem regulariter censeri pubertati proximam anno undecimo ætatis, saltem ad finem vergente, & sub initium duodecimi, marem vero sub finem decimi tertii, & initium decimi quarti. Optimè Menoch. *de arbitr. cas.* 57. *num.* 43. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. D.* 104. *numer.* 40. Farin. *prax. crim. quæst.* 91. *à numer.* 4. Paul. Zacchias *qq. Medico Legal. l.* 1. *tit.* 1. *num.* 24. Vvagnereck *in c.* 6. *hoc tit. V. si autem not.* 2. ob temperamenti, à quo pubertas dependet, nimiam diversitatem relinquunt istud arbitrio Judicis. 44

§. II.

De Ætate ad Matrimonium requisita.

SUMMARIUM.

45 46 47 *Ad Matrimonium contrahendum in mare requiritur ætas* 14. *in fœmina* 12. *annorum.*
48 49 *Sed Jure solum Ecclesiastico.*
50 *Hinc Pontifex in ea ætate dispensare potest.*
51 *Contrahens post eam ætatem contrahit valide, etsi nondum aptus sit ad generandum.*
52 *Solvuntur Argumenta opposita.*
53 *An etiam Episcopus dispensare in ætate ad Matrimonium contrahendum possit?*
54 *Respondetur posse ex causa urgentissima.*
55 *An Matrimonium, ante annos pubertatis contractum, nulla prævia dispensatione, sit validum, si malitia ætatem præveniat?*
56 *Defenditur affirmativa.*
57 *Quid intelligatur hic nomine malitiæ?*
58 *Rationes dubitandi solvuntur.*
59 *An casu, quo malitia ætatem non prævenit, annus* 14. *in mare, &* 12. *in fœmina debeat esse completus?*
60 *Quomodo, physicè, an moraliter?*
61 *An Matrimonium, ab impuberibus initum, si malitia ætatem non prævenerit, habeat saltem vim sponsalium?*
62 63 *Respondetur cum distinctione.*
64 *Diluuntur Argumenta opposita.*
65 66 *An si puella impubes desponsata fuit, & traducta in domum viri, & illa pubes facta petit licentiam nubendi alteri, illa audiri debeat?*
67 *An sponsalia ante legitimam ætatem contrahentes peccent? Respondetur negativè.*
68 *Secus de Matrimonio.*
69 *Excipitur casus urgentissimæ necessitatis.*
70 *Rationes dubitandi solvuntur.*

QUæritur 1. Quænam ætas requiratur ad Matrimonium contrahendum? Resp. Ætas legitima ad Matrimonium contrahendum est pubertas, sive annus 14. in masculo, & 12. in fœmina *c. continebatur* 6. *c. attestationes* 10. *& c. ex litteris* 11. *hoc tit.* Adeoque major requiritur ætas ad Matrimonium, quam ad sponsalia; major item in mare, quam in fœmina. 45

Ratio primi duplex afferri potest. 1. Quia Matrimonium majorem, & firmiorem obligationem inducit, quam sponsalia; ac proinde etiam majorem judicii maturitatem, & consensus libertatem exposcit. 2. Quia ad sponsalia contrahenda, ut *num.* 2. dictum est sufficit usus rationis, qui, impleto septennio, regulariter præsens est; ad Matrimonium vero præter rationis usum etiam requiritur potentia generandi, sive habilitas ad copu- 46

copulam carnalem perfectam. Gutier. *de matr. c.* 2. *n.* 4. Zoes. *hic n.* 10. Engl *ibidem* §. 1. *n.* 1.

47 *Ratio secundi* est; quia fœminæ ordinariè citius pubescunt, quam viri: nam regulariter fœminæ viri potentes fiunt jam anno 12. ætatis, cum pubertas maribus advenire soleat primum anno 14. cujus diversitatis causa est, quia fœminæ imperfectiores, & debiliores sunt viris; videmus autem tam in artis, quam in naturæ operibus, quod ea, quæ minora, debiliora, & minus perfecta sunt citius pertingant ad finem, & perfectionem suæ naturæ, sicut etiam citius deficiunt. Gonzal. *in c.* 3. *hoc tit. n.* 3. Reiffenstuel *hic n.* 8.

48 Quæritur 2. Quo jure ad Matrimonium contrahendum requiratur pubertas? Quidam cum Alex. Carrer. *l.* 5. *de sponsal. cap.* 15. putant requiri de jure naturæ. 1. Quia Lex naturæ ad valorem traditionis exposcit, ut se tradens habeat potestatem tradendi. Atqui ante pubertatem puer utpote adhuc impotens, non habet potestatem tradendi corpus suum ad actus conjugales, in qua tamen traditione essentia Matrimonii consistit. Igitur jure naturæ matrimonium ab eo contractum erit invalidum. 2. Quando ex defectu consensus Matrimonium irritatur, jure naturæ illud est irritum. Atqui ut *cap. ubi non est consensus* 2. *hoc tit.* innuit, ante pubertatem deest consensus sufficiens ad Matrimonium, ergo &c. 3. Ut Navar. *lib.* 4. *cons.* 5. *fin. hoc titul. edit.* 2. refert ipse Gregorius XIII. *die* 13. *April.* 1580. interpellatus pro dispensatione ad impuberis Matrimonium negavit posse in hoc Sedem Apostolicam dispensare. Posset autem dispensare, si pubertas jure alio, quam naturali, requireretur ad Matrimonium. Ergo &c.

49 Sed dicendum, solo jure Ecclesiastico ad valorem Matrimonii pubertatem requiri. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 36. *quæst. un. art.* 5. *in Corp.* Navar. *lib.* 4. *cons.* 39. *de spons. edit.* 1. *à numer.* 7. Veracrux *Specul. part.* 1. *art.* 39. *concl.* 1. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 7. *num.* 1. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. D.* 104. *num.* 9. Fagnan. *in c. de illis num.* 15. *hoc tit.* Gonzal. *in c. ubi non est cit. num.* 7. Gobat. *Experient. tr.* 9. *num.* 450. Zoes. *hic num.* 10. Konig *numer.* 2. Vviestner *n.* 6. Reiffenstuel *nu.* 10. Ratio est, quia jure naturæ præter consensum ad Matrimonii contracti valorem plus non requiritur, quam corpora habilia, etsi non sint habilia proximè. Ex quo

Sequitur 1. Matrimonia, ab impuberibus ratione præditis inter Infideles inita, seclusa Lege illa irritante, valida esse, ut rectè Henriq. Sanch. Gonz. Vviest. *l. citt.* quia Legibus Ecclesiasticis non subduntur.

50 *Sequitur* 2. Posse Pontificem pro bono pacis, vel ex alia justa causa etiam cum fidelibus dispensare, ut infra annos impubertatis constituti Matrimonium contrahant. Navar. *cons.* 4. *hoc tit.* Sanch. *n.* 11. Fagnan. *n.* 30. Gobat *num.* 610. Engl §. 2. *n.* 9. Konig *n.* 7. Vviestner, Reiffenstuel *l. citt.* quia pro bono pacis multa admittuntur, quæ alias prohiberentur *can. hæc quippe* 10. *caus.* 3. *quæst.* 6. illius enim bonum est opus pietatis, & dicitur fieri per necessitatem, quod fit gratia pacis; necessitas autem non habet Legem *c. consilium* 2. §. *fin. de observ. Jejun.* Antequam tamen ejusmodi personæ fiant potentes ad generandum, cohabitare non debent; cum enim opus conjugale propter defectum corporis exercere nequeant, & tamen periculum sit magnum, ne sæpius, & variè contra continentiam peccent, cohabitatio iisdem permitti non potest. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de sponsal. c.* 2. *num.* 56.

51 *Sequitur* 3. Quod Matrimonium contractum à pubere, seu majore 14. annis, etsi tunc nondum possit cum fœmina carnaliter commisceri, nec generare, validum sit. Abb. *in c.* 3. *hoc tit. in fin.* Sylv. *V. Matrimonium* 5. *q.* 7. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 5. *num.* 2. Sanch. *lib.* 7. *D.* 104. *num.* 15. Honor. *hic n.* 3. Engl §. 1. *n.* 8. Pithing *n.* 35. *not.* 4. Schambog. *n.* 15. Konig *n.* 7. Vviestner *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 7. Magnif. P. Schmier *l. cit. num.* 55. Ratio est, quia cum ætas legitima adsit, & de nullo impedimento perpetuo constet, Matrimonium tenere debet, non obstante, quod contrahens defacto actus conjugalis sit incapax: & *ratio rationis* est, quia Jus Ecclesiasticum præsentem potentiam in iis, qui impleverunt pubertatis annos non exigit; alias sequeretur, quod impotens ad copulam propter infirmitatem corporis, non possit contrahere Matrimonium, quod tamen falsum est. Quare talis exspectare debet usque ad plenam pubertatem, quæ est 18. annorum, qua adveniente, si generare non possit, & mulier instet, ut Matrimonium dissolvatur, illud dissolvi potest. Sylv. Pithing *l. citt.* quia tunc præsumetur impedimentum esse perpetuum. Vel saltem exspectandum est tanto tempore, ex quo colligi possit, talem esse inhabilem ad carnalem copulam, sive non ex debilitate ætatis, sed ex frigiditate, sive natura ipsa omnino impotentem esse. Covar. *loc. citat.* Honor. *numer.* 3.

Argumenta adversæ sententiæ intentum non evincunt. *Ad* 1. impotentia, quæ Matrimonium invalidum reddit, debet esse perpetua, seu talis, quæ nullatenus auferri possit præter Divinum miraculum. Talis autem non est, quæ ratione impubertatis nascitur, cum ista decursu temporis cesset. Habebit ergo se impubes Matrimonium contrahendo ita, sicut ille, qui defacto non est solvendo, qui ad solvendum obligari potest, quando spes est certa fore, ut in posterum solvendo sit. *Ad* 2. textus ille sumptus est ex *can. ubi non est un. caus.* 30. *quæst.* 2. ubi Nicolaus Pontifex à contractu Matrimonii solum excludit illos, qui ad annos discretionis nondum pervenerunt, & infantes adhuc sunt: unde in hoc sensu intelligendum etiam est *c. ubi non est* 2. *citat. Ad* 3. constat Pontifices cum impuberibus ad matrimonium contrahendum sæpius dispensasse; sic enim S. Pius V. de facto dispensavit cum duobus impuberibus, Teste Navar. *cons.* 4. & 5. *hoc tit.* Clemens VIII. 1602. cum Principissa Sarni minore annis 12. Teste Vincent. de Just. *de dispens. matrim. l.* 3. *cap.* 8. *num.* 55. Gregorius XV. cum Duce Fiani, & Principissa Venusii annorum undecim. 1622. 11. *April.* Teste eodem Vincentio. Quare ut Sanch. *loc. citat. numer.* 13. advertit, dum Gregorius XIII. negavit, posse Sedem Apostolicam in hoc dispensare, id intelligendum est, quod non soleat dispensare, imò sine justa, & gravi causa nec possit. Sed hinc oritur dubium, & 52

Quæritur 3. An etiam Episcopus dispensare possit, ut ante pubertatem copulari aliquis Matrimonio possit? Negat Fagnan. *in c. de illis* 9. *hoc tit. numer.* 32. & hanc sententiam dicit esse communem, & veram Canonistarum. *Rationem dat*, quia cum Lege Ecclesiastica *districtè* prohibeantur Matrimonia impuberum, non est Episcopi, hanc prohibitionem Canonis relaxare. Addit tamen *num.* 33. & *duob. seqq.* Episcopum dispensare posse in casu, quo incertum est, an malitia suppleat ætatem, quamvis fateatur etiam hanc sententiam multas, & graves pati difficultates. 53

Sed dicendum, satis probabiliter etiam Episcopum ex causa urgentissima, præsertim publica, & pro bono communi pacis v. g. dispensare posse, præsertim in casu, quo contrahentes sunt prope annos puberes, & dubium adest, an non malitia ætatem suppleat. Ita Covar. *in c. alma p.* 1. §. 7. *num.* 8. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. D.* 104. *num.* 12. Suar. *l.* 6. *de Legib. c.* 14. *num.* 8. Salas *de Legib. D.* 20. *sect.* 3. *à num.* 22. Bonacin. *de matrim. q.* 1. *p.* 4. *n.* 13. Barbosa *in c. non est* 2. *hoc tit. num.* 5. Gonzal. *ibidem num.* 7. Reiffenstuel *hic num.* 11. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de sponsal. c.* 2. *num.* 57. *arg. c. non est* 2. *hoc tit.* ubi quod dispensatio in hoc fieri possit, deciditur, & facienda nulli reservatur, atque hoc ipso Episcopis tacitè permittitur; quia universaliter, quandocunque in aliquo textu permittitur dispensatio, & non additur, cui permissa sit, censetur concessa Episcopo, ut cum communissima aliorum probat latè Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 5. *n.* 1. Barbosa *de offic. Episc. alleg.* 33. *n.* 17. 54

Quæritur 4. An Matrimonium, ante annos pubertatis contractum, nulla prævia dispensatione, sit validum, si malitia ætatem præveniat? Pro negativa pugnant ferè eadem argumenta, quæ *supra num.* 9. in simili quæstione de sponsalibus attuli, & præcipuè. 1. Quia contractui sponsalium per SS. Canones præfixus est annus 14. in masculis, 12. in fœminis. Atqui præfixum à jure tempus prævenire non licet. Ergo &c. 2. Ante expletum tempus à jure præscriptum non potest emitti validè Professio Religiosa, etsi prudentia ætatem præveniat. Ergo nec Matrimonium contrahi. 55

Sed dicendum, si malitia præveniat ætatem, sicut sponsalia ante septennium, ita etiam Matrimonium ante 12. vel 14. ætatis annum iniri validè posse. Ita Gutier. *de matrim. c.* 2. *n.* 23. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 104. *num.* 5. 56

Vi-

Vivian. *in c. de illis 9. hoc tit. pr.* Fagnan. *ibidem num.* 18. *& seqq.* Barbosa *n.* 2. Gonzal. *in c.* 2. *eodem n.* 7. *& in c.* 3. *n.* 4. Illsung. *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 107. Honor. *hic n.* 4. Engl §. 1. *n.* 8. Schambog. *n.* 15. Zoes. *n.* 10. Konig *nu.* 7. Reiffenstuel *num.* 9. & clarè decisum est *c. de illis cit.* Ratio est, quia in contrahendo Matrimonio attenditur habilitas ad generationem, & capacitas doli, sive discretio ad intelligendam vim consensus conjugalis: quare si hæc duo adsint, etiam ante ætatem jure præscriptam validum erit matrimonium, quippe cui solum ideo tempus præscribitur, quod ante illud communiter pubertas non adsit. Neque tunc opus erit ulla dispensatione, cum taxatio ætatis solum sit conditionata, nisi scilicet malitia ætatem prævenerit. Fagnan. *l. cit. n.* 38.

57 Dixi *Habilitas ad generandum, & capacitas doli*; quia nomine malitiæ communiter intelligunt DD. non tantum aptitudinem ad copulam, sed etiam capacitatem doli, seu discretionem, & judicium rationis sufficiens ad cognoscendum statum conjugalem, ejusque perpetuum, & indissolubile vinculum. Unde etiam *in cap. continebatur* 6. *hoc tit.* ponderatur non tantum copula, sed etiam ætas pubertati proxima. Ergo sola copula non est sufficiens, sed utrumque, potentia scilicet generandi, & discretio copulativè requiritur, ut ante legitimam ætatem validè iniri matrimonium possit. Abb. *in cap. de illis cit. num.* 4. Sylv. *V. matrimonium* 5. *quæst.* 2. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 5. *nu.* 3. Henriq. *l.* 11. *de matr. c.* 13. *num.* 10. Sanch. *D.* 104. *cit. num.* 21. Fagnan. *in c. de illis cit. n.* 8. Vvagnereck *ibidem not.* 3. Barbosa *n.* 5. *& in c. fin. hoc tit. n.* 3. Gonz. *in c.* 2. *cit. num.* 7. Pirhing *hic n.* 37. *not.* 1.

58 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Præfixio illa ætatis tantum operatur, ut qui illam habet, relevetur ab onere probandi pubertatem, cum juventur præsumptione juris, & censeantur puberes; quamdiu contrarium non probatur. Econtrario verò, quia pubertas ante prædictum tempus non præsumitur, qui dicit minorem esse puberem, probare debet, cum habeat præsumptionem contra se. Fagnan. *l. citat. num.* 21. *Ad* 2. Negatur paritas. Disparitatis rationem assignat S. Thom. *in* 4. *dist.* 36. *quæst. un. art.* 1. quia *Votum Religionis est eorum, quæ sunt supra inclinationem naturæ, quæ majorem difficultatem habent, quam matrimonium.*

59 Quæritur 5. An casu, quo non constat, quod malitia ætatem suppleat, annus 12. in fæmina, & 14. in mare debeat esse completus, ut contrahi matrimonium possit? Resp. affirmativè, prout clarè colligitur ex *c. continebatur* 6. *hoc titul.* ubi ad volorem matrimonii puellæ non duodennis ponderatur, eam proximam duodecim annis fuisse, & à viro cognitam. At si non peteretur duodecimus annus completus, non esset opus ponderare utrumque; ergo &c. *Conf.* ex *c. attestationes* 10. *eod.* ibi, *Antequam ad annum decimum quartum pervenisset*; *& ex c. ex litteris* 11. *ibidem* ubi ponuntur verba, *Donec compleat annum decimum quartum.* Denique *c. fin. eod.* proponitur casus de puella, quæ circa duodecimum annum nupsit, & tamen deciditur conjugium non valuisse, nisi malitia suppleat ætatem, ubi Gloss. *V. Circiter* ait ad modicum tempus referri eam dictionem. Sentit ergo textus non valere matrimonium feminæ, cui modicum tempus ad duodecimum annum completum deficit, nisi malitia ætatem suppleat. Et ita fatentur universim DD. in textibus allegatis Teste Sanch. *D.* 104. *cit. num.* 1.

60 Non tamen debet ætas ista, & annus esse completus omnino physicè, sed sufficit, si moraliter: quo differt matrimonium à sponsalibus; in matrimonio enim propter specialem illius favorem ultima dies inchoata pro completa habetur *arg. l. qua ætate* 5. *ff. qui testam. facer. poss.* Joan. Andr. *in c. fin. hoc tit. num.* 3. Abb. *ibidem n.* 6. Brunell. *de sponsal. concl.* 4. *n.* 6. Sylv. *V. Matrimonium* 5. *quæst.* 5. Gutier. *de matrim. c.* 2. *n.* 19. *&* 20. Sanch. *D.* 104. *cit. num.* 2. & apud hunc plures alii. Imò nonnulli putant sufficere eam ætatem ad matrimonium, quamvis tres dies ex ea deficiant: & Martin. de Ledesm. *part.* 2. *q.* 60. *art.* 1. *col. penult. vers. hæsitabis ulterius.* Judicat, satis esse, quamvis desint dies decem: quam tamen utramque opinionem reprobat Sanch. *l. cit. num.* 3. ex ratione, quod DD. tanquam aliquid speciale affirment de matrimonio illud valere, quamvis ultima dies sit solum incepta.

Quæritur 6. An matrimonium, initum inter puberem, & impuberem, vel duos impuberes, in quibus malitia ætatis defectum non supplet, valeat saltem in vim sponsalium? Negat Petr. de Ledesm. *de matrim. q.* 45. *art.* 4. *p.* 2. *post dub.* 4. quem sequitur P. Engl *hic* §. 1. *num.* 10. Videturque hoc colligi 1. ex *l. quæsitum* 9. *ff. de sponsal.* ubi dicitur, sponsalia quidem per matrimonium, ob defectum ætatis invalidè contractum, non destrui, si præcesserint; casu tamen, quo nulla præcesserunt sponsalia, ea per ejusmodi matrimonium non induci. 2. Quia actus agentium non operantur ultra intentionem illorum *arg. l. non omnis* 19. *ff. si cert. petat.* atqui impuberes matrimonium contrahendo revera non sponsalia, sed matrimonium contrahere intenderunt; ergo &c. 3. Quia quoties de contrahenda obligatione agitur, locus est Regula, *Quod voluit, non potuit, & quod potuit, non voluit.* Agitur autem in casu nostro de contrahenda obligatione, cum hanc inducant sponsalia. Ergo juxta Regulam allatam dicendum est, quod ita contrahentes matrimonium sponsalia non voluerint: inducuntur autem sponsalia consensu mutuo, ergo &c. 61

Sed melius adhibetur distinctio: Vel enim impuberes contrahendo matrimonium per intentionem suam expresè excluserunt sponsalia, vel non excluserunt. *Si hoc posterius*, inducetur per hujusmodi matrimonium obligatio sponsalium, ut clarè decisum est *cap. fin. hoc tit. & c. un.* §. *idem quoque eodem in* 6. & notant Gloss. *in c. un. cit. V. matrimonium*, Franc. *ibidem nu.* 2. Brunell. *de sponsal. concl.* 6. *n.* 2. Covar. *p.* 1. *de sponsal. c.* 3. *n.* 3. Gutier. *de matr. c.* 2. *num.* 16. *vers. & prædicta*, Sanch. *l.* 1. *de matrim. D.* 21. *num.* 2. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 17. *vers. tertio.* Vivian. *in c. fin. cit. pr.* Barbosa *ibidem n.* 1. *&* 8. Gonzal. *num.* 4. Fagnan. *in c. tua* 1. *eod.* Vvagnereck *in c. un. cit. not.* 1. Passerin. *ibidem nu.* 15. *&* 16. Vallens. *de spons.* §. 7. *n.* 2. Honor. *hic n.* 10. Zoes. *n.* 15. Pirh. *n.* 13. *&* 14. Schamb. *n.* 8. Vviest. *n.* 23. Reiffenst. *num.* 18. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de sponsal. c.* 2. *nu.* 41. Ratio est, quia licet expresè intenderint solum Matrimonium, & actualem traditionem juris in corpora ad actus conjugales, virtualiter tamen ex præsumptione, & interpretatione juris Ecclesiastici censentur intendisse saltem sponsalia, & mutuam obligationem ad hujusmodi traditionem actualem suo tempore faciendam, si nunc illa ex defectu ætatis non valeat, ut adeo locus sit regulæ, *Si actus non valet, ut ago, valeat meliori modo, quo potest.* 62

Si prius contingat, & contrahentes expresè excluserint sponsalia, dicendum est, neque istorum obligationem induci ab hujusmodi Matrimonio, ut cum Sylv. *V. Matrimonium* 5. *q.* 8. *in fin.* docent DD. *citt.* & ratio est, quia textus *citt.* solum interpretantur voluntatem contrahentium occultam, non adversantur expressæ, ut clarè indicatur §. *idem quoque cit.* ibi, *Quæ juris interpretatione tantum fuerunt sponsalia de futuro*: cujus interpretationis fundamentum est, quod in dubio censeantur impuberes hujusmodi contrahere secundum jus. Addo autem, ejusmodi Matrimonium, sive cum vim sponsalium de futuro habet, sive quando non habet, si ætate prohibente contractum invalidè est, per lapsum dicti temporis, & pubertatis adventum non convalescere, nisi aliter approbetur *c. fin. cit. & c. un.* §. *idem quoque eod. in* 6. Honor. *hic n.* 10. 63

Argumenta *n.* 61. posita contrarium non evincunt. *Ad* 1. ut ex communi aliorum sensu rectè monet Gonzal. *c. fin. cit. n.* 4. dispositio illa juris civilis per Jus Canonicum est correcta, unde cum de Matrimonio, & sponsalibus agitur, non jure civili, sed Canonico standum est. *Ad* 2. obligatio sponsalium, si à contrahentibus expresè exclusa non est, non est contra, sed vel maximè juxta intentionem illorum, saltem implicitam, & virtualem; quia sponsalia in Matrimonii contractu virtute clauduntur, ut benè Sanch. *n.* 2. *cit. Ad* 3. illi regulæ locus est, quando agitur de contrahenda obligatione, à qua se contrahens expedire non potest. Potest autem sic contrahens Matrimonium in impubertate se obligatione sponsalium expedire; quia licet resilire nequeat, durante impubertate, pubertatem tamen adeptus liberè resilire potest, ut dictum est *n.* 28. nisi post pubertatem præsumpta ista sponsalia tacitè, vel expresè ratificaverit; in hoc enim ista cum veris paria sunt. 64

Quæ-

65 Quæritur 7. An si puella impubes desponsata fuit, & traducta in domum viri, & illa pubes facta petat licentiam nubendi alteri, illa audiri debeat? Resp. Affirmativè: patet ex modò dictis. *Excipitur*, nisi vir juret se illam carnaliter cognovisse; tunc enim distinguendum est. Vel enim vir dicit se copulam habuisse cum illa impubere, vel cum pubere jam, aut pubertati proxima.

Si primum, non obstante juramento viri, fæmina negante copulam, separari illa à viro post pubertatem adeptam potest, ut contra Abb. *in c. continebatur 6. hoc tit. num.* 7. & alios verior est sententia Alex. de Nevo *ibidem n.* 32. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 5. *num.* 3. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 104. *num.* 33. Vvagnereck *in cap.* 6. *cit. V. si vir. not.* 2. Pirhing *hic n.* 23. *not.* 2. quia præsumptio est pro fæmina, quod copula non intercesserit. Inducetur tamen eo casu impedimentum publicæ honestatis; quia licet ejusmodi Desponsatio non valuerit in vim Matrimonii, valuit tamen in vim sponsalium. Pirhing *num.* 23. *cit. not.* 4.

66 *Si secundum*, & vir juret se copulam cum illa habuisse, cum jam esset pubertatem adepta, jure antiquo matrimonium ejusmodi, quod durante impubertate habebat tantum vim sponsalium, per ejusmodi copulam transiit in matrimonium, quod, cum consummatum hoc modo sit, separationem non amplius patitur. Creditur autem eo casu potius viro affirmanti, & juranti, quam fæminæ neganti, nisi contrarium ipsa plenè probet, ut habetur *can. si quis* 3. *caus.* 33. *q.* 1. cujus ratio triplex est. 1. Quia vir est caput mulieris, habetque potestatem in illam, & est firmioris animi, quam illa. 2. Quia cum matrimonium sit favorabile, pro illa stat præsumptio. 3. Quia vir fuit solus cum sola, & ideo creditur cognita ab illo.

Dixi autem, *Jure antiquo*; nam jure novo Trid. quo sublatum est matrimonium clandestinum, copula superveniens in pubertatem adepto plus non addit, nisi ratificationem sponsalium, ad effectum, ut spontè illam admittens resilire non amplius possit.

67 Quæritur 8. An sponsalia, vel matrimonium ante legitimam ætatem contrahentes peccent? *Satis certum est*, non peccari per contractum sponsalium ante septennium; quia peccatum quodcunque supponit usum rationis, qui si adsit, validè, & licitè, etiam ante septennium, ineuntur sponsalia; cum ad hæc in personis alias habilibus plus non requiratur, quam rationis usus. Sanch. *libr.* 1. *de matrim. D.* 17. *n.* 4.

Major quæstio est de matrimonio inito ab impuberibus, in quibus ætatem non supplet malitia. Abb. *in c. ubi non est* 2. *hoc tit. n.* 1. Sanch. *D.* 17. *cit. n.* 6. Pont. *l.* 12. *de matr. c.* 5. *n.* 4. Vvagnereck *in c. ubi non est cit. V. ne aliqui, not.* 2. Zoes. *hic nu.* 9. excusant ejusmodi contractum matrimonialem saltem à culpa gravi, modo copulam carnalem, dum impuberes sunt, non attentent. *Ducuntur* textibus *c. fin. hoc tit. & cap. un.* §. *idem quoque eodem in* 6. quibus ut ajunt, permittitur impuberibus contractus per verba de præsenti, & tantum vetatur conjunctio per copulam carnalem. *Addunt rationem*; quia si peccaretur ejusmodi contractu, peccaretur vel ob injuriam illatam personæ tertiæ, vel ob irreverentiam irrogatam Sacramento. Atqui tali casu nulla infertur injuria personæ tertiæ, nec irrogatur irreverentia aliqua Sacramento; quia solum habet vim sponsalium, quæ licitissimè personæ etiam impuberes celebrant. Ergo &c.

68 Verum his non obstantibus, dicendum hujusmodi contractum, ab impuberibus celebratum, extra casum urgentissimæ causæ pacis v. g. conciliandæ, vel conservandæ, à gravi culpa excusari non posse. Ita Host. *in c. ubi non est cit. pr.* Alex. de Nevo *ibidem n.* 2. Paludan. *in* 4. *dist.* 28. *q.* 2. *art.* 1. *à num.* 8. Sylv. *V. matrimonium* 5. *q.* 6. Navar. *Man. c.* 22. *numer.* 31. Petr. de Ledesm. *de matrim. q.* 43. *art.* 2. *dub.* 3. Gutier. *de matrim. c.* 2. *n.* 16. Coninck *de Sacram. D.* 21. *n.* 54. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 13. Gonzal. *in c. ubi non est cit. n.* 7. *fin.* Schambog. *hic n.* 13. Konig *ibidem n.* 3. Vviestner *num.* 30. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de sponsal. c.* 2. *num.* 43. & colligitur ex *c. ubi non est cit.* ubi Nicolaus I. ejusmodi matrimonia prohibens, utitur verbis, *Districtius prohibemus*, quæ verba seriò impositum præceptum, vel prohibitionem denotant, saltem si materia gravis sit, ut docet Suar. *l.* 5. *de LL. c.* 3. *n.* 6. cum aliis. Atqui in proposito casu materia gravis est, quippe cum attentetur Sacramenti invalidi administratio. Ergo cum ejusmodi administratio magnam contineat Sacramenti irreverentiam, extra urgentissimæ necessitatis casum toleranda non est.

Dixi *extra casum urgentissimæ necessitatis*; nam casu, 69
quo bonum publicum id exigeret, & probabile esset eos capaces esse matrimonii, licitè per verba de præsenti contraherent; quia necessitas excusaret irreverentiam, quæ alias Sacramento fieret. Coninck *numer.* 54. *citat. in fin.*

Neque dicas, verba illa *districtius inhibemus* solum intelligenda de conjunctione per copulam carnalem; nam contra est, quia Pontifex, ut modo dictum est, conjunctionem, quam prohibet, permittit pro bono pacis. atqui conjunctio per copulam carnalem impuberibus, in quibus malitia ætatem non supplet, etiam pro bono pacis permissa non est. ergo non de hac, sed de conjunctione per matrimonii contractum Pontifex loquitur, eamque prohibet.

Ad textus in contrarium allegatos, & plures alios; qui 70
fortè afferri possent, dico, per eos non permitti matrimonium impuberibus, sed tantum narrari factum absque ulla illius approbatione, & sic contracto matrimonio adstrui solam vim sponsalium. *Ad argumentum* ex ratione patet ex ratione Responsionis *numer.* 68. datæ, gravem hujusmodi contractu Sacramento irrogari injuriam.

§. III.

De Consensu Parentum.

S U M M A R I U M.

71 *Matrimonia à Liberis contracta, parentibus inconsultis, vel etiam invitis, de facto [illegible] valida.*
72 73 *An etiam valida sint Jure Civili?*
74 75 76 *Vel Canonico antiquo?*
77 *An, & quomodo peccent Liberi, contrahentes Matrimonium, parentibus inconsultis?*
78 79 *Vel consultis quidem, sed contra ipsorum consilium?*
70 *Quare Liberi teneantur parentum consilium exquirere, non tamen sequi?*
81 82 83 84 *An valida sint sponsalia de futuro, inita invitis parentibus?*
85 *An isti sponsalia Liberorum irritare valeant?*
86 *&c. An obligari, & compelli Liberi à Parentibus possint ad ineunda conjugia, quæ ab ipsis iniri Parentes volunt?*
93 *An propterea, quod invitis Parentibus contrahant, possint exhæredari?*
94 *Tenetur negativa.*
95 *Ita, ut ne Dos quidem ex causa ista possit negari filiæ.*
96 *Solvuntur Objectiones.*
97 *Quid circa hoc dicendum de jure speciali?*
98 *Utrum Leges, & Statuta, quæ ob hanc causam aut hæreditate privant, aut exhæredari permittunt Liberos à parentibus, justæ sint?*
99 *Argumenta sententiæ negativæ.*
100 *Propugnatur affirmativa.*
101 *Respondetur ad opposita.*

QUæritur 1. An præter consensum ipsorum contra- 71
hentium, ad valorem matrimonii, à Liberis contracti, necessarius sit consensus Parentum? *Certum est*, etsi defacto Liberi, contra rationabilem parentum voluntatem matrimonia ineundo, graviter peccent, ipsa tamen matrimonia illorum ob deficientem parentum consensum non hoc ipso fieri irrita, sed manere omnino valida. Est indubitata Catholicorum sententia contra Hæreticos nostri temporis juris DD. & definitum est à Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *pr. de reform. matr.* ubi hujus S. Synodi PP. Anathemate damnant eos, *qui matrimonia, à Filiisfamilias sine consensu parentum contracta, affirmant irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Ratio sic statuendi gravissima fuit, quia in iis, quæ ad status electionem pertinent, quivis liber, & sui juris est, neque ab arbitrio alterius pendet: quod maximè locum habet in statu matrimonii: quia gravia onera annexa habet, estque indissolubilis, & perpetua quædam quasi servi-

servitus, à qua per naturam liberi sumus: unde non debet ejus electio pendere ab aliorum voluntate, quam eorum, qui illum liberè suscipiunt.

72 *Controversia* inter DD. Catholicos est, an etiam veteri jure valida fuerint filiorum matrimonia, ab his contracta sine parentum consensu? Et quidem in jure civili complures inveniuntur textus, ex quibus erui potest, quod illo jure invalida fuerint. Et talis est 1. textus *pr. Instit. de Nupt.* ubi Imperator, *Justas*, inquit, *Nuptias inter se Cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta Legum coeunt --- dum tamen, si filii familiarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt; nam hoc fieri debere, Civilis, & naturalis ratio suadet, in tantum, ut jussus parentis præcedere debeat.* 2. *L. nuptiæ* 18. *ff. de rit. nupt.* ubi Julianus JCtus, *Nuptias inter easdem personas*, ait, *nisi volentibus parentibus renovatæ, justæ non habentur.* 3. *l. nuptiæ* 2. *ff. eod.* ubi Paulus, *Nuptiæ*, dicit, *consistere non possunt, nisi consentiant omnes, i. e. qui coeunt, quorumque in potestate sunt.*

73 Quibus textibus moti complures DD. cum Duaren. *Rubr. ff. solut. matrim. tit. de Nupt. capit.* 2. *vers. sequent.* Tholosan. *Synt. l.* 5. *c.* 3. *n.* 10. Pont. *l.* 2. *de matrim. c.* 1. *n.* 11. Fagnan. *in c. tua* 1. *hoc tit. n.* 16. concedunt de jure civili antiquitus requisitum ad valorem matrimonii fuisse parentum consensum: cujus etiam sententiæ videtur fuisse Clemens III. dum *c. videtur* 3. *qui matrim. accusar. poss.* asseruit, *Si* parentes *non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundum Leges nullum fieri matrimonium.* Alii tamen cum Cujac. *lib.* 3. *observ. c.* 5. Costan. *de sponsal. tit. de rit. nupt. num.* 101. Germon. *l.* 1. *animadvers. c.* 11. Brisson. *de Jur. connub. pag.* 71. Hothoman. *Illustr. jur. quæst.* 9. *& de rit. nupt. cap.* 3. Gonzal. *in c. tua cit. numer.* 8. Vallens. *de sponsal.* §. 9. *numer.* 1. Zoes. *ibidem num.* 70. putant, dum his textibus Nuptiæ, sine parentum consensu initæ, dicuntur non esse justæ, id intelligendum, quod sint illicitæ, non verò, quod sint invalidæ.

74 Sed quidquid de hoc sit, jus civile quoad matrimonium, postquam contractus illius ad rationem Sacramenti elevatus est, attendi non debet, cum jam causa illius spiritualis sit, in quibus causis patria potestas attendi non debet *c. fin. vers. fin. de judic. in* 6. *Major difficultas* est, an matrimonium, à Liberis sine consensu parentum initum, Jure etiam Canonico antiquo invalidum fuerit? Affirmativam videntur probare textus. 1. *can. aliter* 1. *caus.* 30. *q.* 5. ubi Evaristus Papa, *Aliter*, inquit, *legitimum non sit conjugium, nisi --- à parentibus --- sponsetur:* & §. *ita peracta* addidit, *aliter præsumpta non conjugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse.* 2. *can. nostrates* 3. *caus. & q. cit.* ubi Nicolaus I. ad Bulgarorum consulta respondens, *Nuptialia* ait, *fœdera consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur.* 3. *can. qualis* 4. *ibid.* ubi inter reliqua requisita ponitur, ut uxor sit *à parentibus tradita.* 4. *can. is qui, & can. Christiano* 5. *dist.* 34. ubi ducta in matrimonio non legitimo, seu requisitis solemnitatibus non instructo dicitur *concubina.*

75 Sed his non obstantibus, dicendum, etiam de jure antiquo Canonico non fuisse necessarium consensum parentum ad valorem matrimoniorum contractorum à filiis. Ita Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. §. 8. *à num.* 1. Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 19. & 20. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 20. Sanch. *l.* 4. *de matrim. D.* 22. *num.* 3. Gutier. *l.* 1. *can. qq. c.* 20. Rebell. *de oblig. Just. p.* 2. *l.* 2. *q.* 14. Layman *l.* 5 *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 14. Fagnan. *in c. tua* 1. *hoc tit. num.* 21 Engl *hic* §. 2. *n.* 10. Vviestner *ibidem n.* 34. Pirhing *tit. de spons. n.* 90. Reiffenstuel *ibidem n.* 23. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de spons. c.* 2. *n.* 55. & *seqq.* & patet ex *can. sufficiat* 2. *caus.* 27. *q.* 2. *c. cum virum* 12. *de Regul. c. cum causam* 7. *de Raptor. c. veniens* 13. *cum locum* 14. *c. cum apud* 23. *c. tua* 25. *de sponsal.* quibus textibus de consensu ad matrimonium necessario agitur, & tantum mentio fit consensus præstandi à contrahentibus, non etiam ab istorum parentibus.

76 Ad textus in contrarium allegatos facilis est responsio. *Ad* 1. Dum ibi Pontifex ait, sine consensu parentum non esse legitimas nuptias, intelligendum est, eas non esse contractas secundum sanctiones Canonicas; nam absque consensu parentum contractæ olim reputabantur clandestinæ Gloss. *in capit. fin. V. clandestina de clandest. desponsat.* Innoc. *ibidem* Henriq. *l.* 11. *c.* 5. *num.* 5. Gonz. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 11. Dum vero idem Pontifex addit, aliter celebrata fore adulteria &c. id dicit non absolutè, sed limitatè, *Nisi voluntas propria suffragaverit*, i. e. nisi in defectu solemnitatum accesserit consensus maris, & fœminæ, quatenus de jure naturali desideratur; tunc enim conjugium valere supponitur *can. citat. & can. nostrates cit.* ubi indicatur non esse peccatum, si memoratæ solemnitates non adhibeantur, eo quod positum sit in arbitrio partium, velintne celebrare matrimonium solemne, vel non solemne, modo jam explicato. *Ad* 2. & 3. Ibi consensus parentum non ad valorem, sed ad honestatem dumtaxat Nuptiarum exigitur, ut notat Gonzal. *l. cit. num.* 12. *Ad* 4. Concubinæ illis textibus dicuntur veræ uxores, sed quæ ductæ sunt in matrimonio non solemni; alias in *can. Christiano citat.* Isidorus malè dixisset, quod *uxoris loco licitum sit habere concubinam.*

Quæritur 2. An, & quomodo ad honestatem matrimonii, à Liberis contracti, spectet consensus parentum? 77
Resp. distinguendo: Vel enim filius, aut filia contraxit matrimonium, parentibus inconsultis, vel consultis quidem, sed contra ipsorum consilium.

Si primum, negari non potest, quod peccent graviter, si absque justa causa ita contrahant, non exquisito parentum consensu. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. §. 8. *n.* 1. Sanch. *lib.* 4. *de matrim. D.* 23. *n.* 10. Layman *l.* 5. *tr.* 10 *p.* 1. *c.* 1. *num.* 14. *vers. secundo.* Bossius *de matrim. c.* 11. §. 8. *num.* 81. Fagnan. *in c. tua* 1. *h. tit. num.* 13. Vvagnereck *ibidem V. omnino not.* 8. Sporer *de matrim. n.* 177. & *seqq.* Vvex *Ariadn. part.* 5. *tr.* 2. *de sponsal.* §. 3. *num.* 10. Engl *hic* §. 2. *n.* 6. Schambog. *tit. de sponsal. num.* 140. & 141. Konig *ibidem n.* 110. Reiffenstuel *n.* 24. Colligitur ex *can. qualis* 4. *caus.* 32. *q.* 5. & *can. honorentur* 13. *caus.* 32. *q.* 2. Ratio est, tum quia in re tam ardua liberi faciunt imprudenter, quando parentum negligunt consilium; tum quia parentum sæpissimè interest scire, an, & cum qua persona liberi matrimonium contrahere intendant. *Excipitur*, si filius prævideat, quod si Patrem consulat, is sponsalia cæteroquin honesta, & matrimonium subsequens malitiosè ob interesse v. g. proprium, aut ex inordinata alia passione sit impediturus, vel si alia causa gravis patrem non consulendi adsit; tunc enim non peccabit, si etiam absque petito Patris consilio, clam sponsalia contrahat. Perez *de matrim. D.* 18. Mendo *Epitom. de sponsal. num.* 10. Felic. Oliva. *p.* 2. *q.* 29. *n.* 34. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 3. *n.* 11. Reiffenstuel *de sponsal. num.* 26. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. cap.* 2. *num.* 69.

Si secundum, iterum distinguendum est, an parentes justam causam contradicendi habeant, vel non. *Si justam habent contradicendi causam*, ut quia filius, aut filia volunt inire matrimonium cum inæquali, vel infami persona cum familiæ dedecore, sine dubio peccant graviter contrahendo, parentibus contradicentibus. Layman *l.* 5 *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *nu.* 14. Vvagnereck *in c. tua* 1. *hoc tit. V. omnino not.* 2. Engl *hic* §. 2. *n.* 6. *fin.* Vvex *Ariadn. part.* 5 *tr.* 2. §. 3. *n.* 10. Magnif. P. Schmier *loc. cit. n.* 71. quia authoritatem, & voluntatem parentum rationabilem repudiare in re tam gravi non potest vacare culpa, & sapit temeritatem, vel neglectum, aut contemptum illorum, quos Deus honorare præcepit. 78

Quodsi verò parentes nullam habeant justam causam contradicendi, licitè, etiam illis non consentientibus, vel contradicentibus, prius tamen consultis, Liberi matrimonium inire possunt. Covar. *part.* 2. *de sponsal. c.* 3 §. 8. *num.* 5. Sanch. *l. cit. num.* 10. Layman *vers. secundo cit.* Bossius *num.* 83. Schambog. *num.* 141. Vvex *num.* 11 Reiffenstuel *num.* 25. P. Schmier *numer.* 70. ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5. *in Corp.* ubi ait, quod *inferior obedire non tenetur Superiori suo, si ei aliquid præcipiat, in quo illi non subditur*; indeque infert, quod homo in iis, *quæ ad naturam corporis pertinent, non tenetur homini obedire* puta in iis, quæ pertinent ad hominis sustentationem, & prolis generationem, ac tandem concludit his verbis: *unde non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel Virginitate servanda.* Ita S. Thom. *l. cit.* ergo cum quoad matrimonium incundum filius non subjaceat potestati Patris, sequitur, quod prius consulto patre, etiam contra ipsius consilium, & eo invito, si nullam habeat causam contra- 79

tradicendi juſtam, contrahere matrimonium poſſit; quia utitur jure ſibi conceſſo, ut patet ex *capit. veniens* 13. *de ſponſal. c. cum virum* 12. *de Regular.* ibi: *Quia liberum habet arbitrium, in electione propoſiti ſequi parentum non cogitur voluntatem.*

80 *Sed hinc oritur dubium*, quare liberi obligentur ad expetendum regulariter parentum conſenſum, nec tamen obſtringantur ad conſilium illorum ſequendum? *Videtur* fruſtra, & inutiliter ad hoc exquirendum obligari Liberos; ſi enim utiliter peteretur, peteretur in eum finem, ut illud ſequantur Liberi; non tenentur autem ſequi. ergo &c. *Sed dicendum*, non fruſtra id peti à Liberis; quia cum ſperari poſſit, à Parentibus fideliſſimè aperienda, detegenda, & demonſtranda omnia, quæ Liberis, ob cæcum amoris impetum non ſemper omnia perſpicientibus, in illo negotio prodeſſe, vel obeſſe valent, conſilium Parentum prodeſſe plurimum poteſt Liberis, ut ab iis, quæ noxia ſibi compererint, deſiſtant, & utiliora quærant. P. Reiffenſtuel *tit. de ſponſal. numer.* 26. Magnif. P. Schmier *loc. citat. num.* 73. *Argumentum in contrarium allatum* retorquetur in Prælatis Eccleſiaſticis, qui in pluribus obſtricti ſunt ad petendum conſilium Capituli, quamvis illud ſequi non teneantur, ut patet ex dictis *ad tit. de his, quæ à Prælat.* Nempe conſilium expetere ſemper conſentaneum, & proficuum eſt; quia, ut monet ſapiens, *qui facit omnia cum conſilio, poſt factum non pœnitebit.*

81 Quæritur 3. Utrum ſicut matrimonium, ita etiam ſponſalia de futuro, parentibus invitis contracta, ſint valida? Reſp. diſtinguendo, an ſponſalia illa ſint promiſſio matrimonii ineundi in iis circumſtantiis, in quibus cum peccaminoſa parentum offenſa etiam ipſum iniretur, an verò ſint promiſſio matrimonii ineundi in iis circumſtantiis, in quibus illis invitis, & contradicentibus licitè iniri matrimonium poteſt.

Si primum, ſponſalia de futuro non ſolum illicita, ſed etiam invalida ſunt; quia ad impoſſibile, vel inhoneſtum nemo poteſt obligari. Proceditque hoc, ut ne jurata quidem promiſſio ſubſiſtat *c. quanto* 18. *de Jurejur.* ſed potius tunc fides data eſt reſcindenda juxta *can. in malis* 5. *cauſ.* 22. *q.* 4. Sicut ergo promiſſio occidendi hominem, vel adulterandi non valet, ita nec promiſſio matrimonii illicitè contrahendi. Felic. Oliva *p.* 1. *qu.* 29. *n.* 24. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 14. *verſ. enim vero* Vvex *Arman. p.* 5. *tr.* 2. §. 3. *n.* 12.

82 *Si ſecundum*, valent ſponſalia; quia tunc ex parte objecti promiſſi nihil obſtat, quo minus robur habeat facta promiſſio. Quod extendendum etiam ad eum caſum, quo promiſſio aliunde, quam ex parte objecti implendi forſan fuit illicita v. g. quia facta eſt ex aliqua inordinata paſſione &c. adhuc enim valebunt ſponſalia, modo deinceps impleri queant ſine permanente parentum offenſa, & aliis incommodis. Unde paſſim DD. praxi Eccleſiæ teſtantur receptum eſſe, ut Liberi adigantur ad implenda ſponſalia, etiam contra parentum voluntatem inita ſive cum pari, ſive cum diſpari, modo in executione ipſa non amplius violetur Juſtitia, Charitas, & Pietas parentibus debita. Felic. Oliva *l. cit. n.* 23 Layman *verſ. tertio*. Vvex *n.* 12.

83 *Ex quo ſequitur*, quod tali caſu neque parentibus conceſſum ſit tale matrimonium impedire, ſed potius illi peccabunt mortaliter, ſi filium ab eo contrahendo impedire, vel illud ipſi diſſuadere tentaverint, dum ad ejus contractum ipſe filius obligetur mortaliter. Neque mirum videri debet, ſponſalia interdum illicita eſſe, & tamen rata, & obligantia; nam & prodiga promiſſio, vel donatio obligationem parit, quamvis malè facta ſit, modo non verſetur circa rem malam, ſeu talem, quæ ſine peccato præſtari nequeat. Layman *verſ. cit.*

84 Aliud eſt, ſi ex matrimonio, quod filius, aut filia contrahere cogitat, ob diſparitatem ſponſorum, vel ſimilem cauſam timeretur familiæ dedecus, ſcandala, diſcordiæ; & ſic matrimonium tale, tanquam Charitati, & pietati repugnans, ſine peccato non poſſet contrahi: tunc enim parentes impedire illud poſſunt, & debent, implorata etiam authoritate Judicis Eccleſiaſtici, ad cujus officium pertinebit cavere, ne talia matrimonia contrahantur, ex quibus ſcandala, & infelices exitus ſequi ſolent, ut poſt *Gutier. & Sanch.* obſervat Vvex *loc. citat.*

Idque non tantum locum habet, antequam ſponſalia celebrata ſunt, ſed etiam poſtea; quia ut *nu.* 81. dictum eſt, promiſſio non obligat, quæ verſatur circa rem illicitam, videlicet matrimonium cum ſcandalo, & peccato contrahendum. Layman *verſ. enimvero cit.* & hinc non tam irritari, quam irrita declarari debebunt. Engl *hic numer.* 11.

Dubitari poteſt, utrum non parentes irritare poſsint ſponſalia Liberorum etiam valida? *Videntur poſſe*; quia parentes poſſunt irritare Vota filiorum. ergo multo magis irritare poſſunt ſponſalia ab illis inita; ſi enim promiſſio DEO facta irritari poteſt, multo magis facta homini. *Sed negativam* manifeſtè probat ratio *numer.* 79. allata. Hinc ad *Rationem dubitandi* negatur *Conſ.* quia Deus voluit, ut promiſsio ſibi facta per Votum penderet ex conſenſu, & voluntate patris, non autem promiſsio per ſponſalia facta homini. Accedit, quia Pater filii puberis Vota tantum illa irritare poteſt, quæ patriæ illius poteſtati præjudicant, ſic autem non præjudicant ſponſalia, utpote in quibus contrahendis filius eſt ſui juris. 85

Quæritur 4. An obligari, & compelli Liberi à parentibus poſsint ad ineunda conjugia, quæ ab ipſis iniri parentes volunt? *Certum eſt* 1. Per ſe ad conjugium à parentibus cogi non poſſe Liberos, quando Religionem ingredi, aut vivere in Cœlibatu volunt. Sanch. *l.* 4. *de matr. D.* 23. *num.* 5. Gutier. *de matr. c.* 79. *numer.* 17. Vvieſtner *hic n.* 36. Ratio eſt, quia coactio tali caſu eſſet impeditiva majoris boni; conſ. injuſta foret. 86

Certum eſt 2. Quando multum intereſt parentum, ut filius tale matrimonium ineat, quia v. g. erit medium ad componendas graves inimicitias, quæ ſunt inter parentes, & conſanguineos eorum, cum quibus eſt contrahendum matrimonium, teneri filium ſub lethali culpa obedire parenti illud præcipienti, idque non tam ex præcepto paterno, quam ex pietatis virtute, qua tenentur filii conſulere paternæ indigentiæ S. Thom. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt. un. art.* 4. *in Corp.* cum communi DD. quod limitat Sanch. *loc. citat.* ad caſum, quo filius jam antecedenter decrevit ad ſtatum matrimonialem tranſire. Interim tamen.

Certum eſt 3. Aliquando per accidens liberos etiam volentes Religionem ingredi, vel in cœlibatu vivere, ab iiſdem parentibus moderata coactione poſſe adigi ad matrimonium contrahendum, ut ſi filius defloravit puellam, & huic damnum defloratione illatum aliter reſarcire non poteſt, niſi illam ducendo: vel ſi parentes patiantur neceſsitatem gravem, quæ ſublevari non poſſet, niſi matrimonio contracto cum ſponſa divite, quæ offertur. Coninck *D.* 28. *dub.* 5. *num.* 50. Layman *libr.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 14. Barboſa *in c.* 1. *hoc tit. n.* 5. cum *citt.* Ratio eſt, qui in his caſibus Liberi ad matrimonium jure naturali obligantur, ad cujus obligationem implendam ita compelli à parentibus poſſunt. Perez *D.* 17. *de matr. ſect.* 17. *num.* 6.

Controverſia ſolum eſt, an extra hos vel ſimiles caſus Liberi graviter obligentur ad contrahenda matrimonia, quæ contrahi ab ipſis parentes volunt? Affirmant Alex. de Nevo *in c. tua hoc tit. num.* 13 Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *qu.* 1. *artic.* 4. *concl.* 3. Navar. *Man. capit.* 14. *num.* 15. Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 19. Gutier. *de matrim. c.* 79. *nu.* 14. Fagnan. *in c. tua cit. numer.* 14. & 15. Moventur 1. textu *cap. tua citat.* ubi Hormiſda Pontifex ita reſcribit: *Poteſt autem filium nondum adultum (voluntas cujus diſcerni non poteſt) pater, cui vult, matrimonium tradere; & poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem omnino debet hoc adimplere.* 1. *l. ſed quæ patris* 12. *ff. de ſponſal.* Ubi Ulpianus, *Tunc autem*, inquit, *ſolum diſſentiendi à patre licentia filiæ conceditur, ſi indignum moribus, vel turpem ſponſum ei pater eligat*, 3. Liberi à parentibus permittuntur vendi *l. fin. Cod. de patribus, qui filios &c.* igitur ab iiſdem etiam compelli poterunt ad contrahendas nuptias à ſe electas. 4. Non eſt Liberorum, præcipuè fæminarum, ſub cura parentum exiſtentium, quærere nuptias, ſed id ad munus parentum pertinet *can. aliter* 1. *cauſ.* 30. *quæſt.* 5. *can. honorantur* 15. *cauſ.* 32. *quæſt.* 2. 87

Sed dicendum, extra caſus relatos, & iis ſimiles non poſſe Liberos jure adſtringi ad contrahendas nuptias, quas parentes volunt. Ita Ancharan. *in c. tua* 1. *hoc tit. num.* 4. Abb. *ibidem n.* 7. Alex. de Nevo *n.* 13. Sylv. *V. præceptum q.* 2. Tabien. *V. Lex qu.* 28. *n.* 29. Abulenſ. *in* 1. *Reg.* 88

1. *Reg.* 18. *q.* 24. Sot. *in* 4. *dist.* 27. *art.* 2. *ad n.* 1. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. capit.* 13. *num.* 13. Petr. de Ledesm. *de matrim. quæst.* 43. *art.* 2. *ad fin.* Sanch. *l.* 4. *D.* 23. *nu.* 3. Vivian. *in c.* 1. *cit. pr.* Fagnan. *ibidem n.* 6. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 12. Konig *de sponsal. n.* 9. Vviestner *hic num.* 27. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. c.* 2. *numer.* 41. & sumitur *ex can. sufficiat* 2. *caus.* 27. *quæst.* 1. *c. veniens* 13. *de sponsal. & c. cum virum* 12. *de Regular.* ibi: *Quia liberum habet arbitrium, in electione propositi sequi parentum non cogitur voluntatem.* Ratio est, quia cum matrimonium ob suam indissolubilitatem inducat perpetuam, multisque, & gravibus oneribus, atque incommodis obnoxiam societatem, consentaneum est, eam potius propria, quam aliena voluntate iniri, ad evitandos tristes; & infelices exitus, quibus coacta matrimonia sæpe obnoxia sunt *c. cum locum* 14. *& c. requisivit* 17. *de sponsal.*

89 *Proceditque hoc*, etsi Liberi adhuc impuberes sint; nam licet pater pro filio impubere contrahere sponsalia possit, ponendo spem in ratificatione filii, quando pervenerit ad debitum tempus, hujusmodi tamen promissione patris nulla oritur obligatio ipsi filio, nisi iste tacitè, vel expresè dein consentiant, prout patet ex *can. un. caus.* 30. *q.* 2. ibi; *Ubi non est consensus utriusque, non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, & è converso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquam venerit ad annos discretionis, consentiat, etiamsi pater, & mater hoc voluerint, & fecerint.* *Conf.* ex *cap. un.* §. *fin. hoc tit. in* 6. ubi Bonifacius VIII. dum statuit filios absentes obligari ex sponsalibus parentum, *si eadem sponsalia post scientes ratificaverint, tacitè, vel expresè*, non obscurè innuit iis, postquam scivetint, liberum esse ea ratificare, vel non ratificare, adeoque non teneri iisdem ex necessitate stare; quæ dispositio, si procedit, quando Liberi sunt majores septennio, procedit quoque, quando sponsalia sunt inita; ipsis inhabilibus ad contrahendum, & consentiendum.

90 Imò parentes, si absque causa Liberorum matrimonia impediant, & multo magis, si eos ad certa matrimonia invitos cogant, graviter peccant, tum propter scandalum, & malos exitus, qui ex invitis nuptiis sequuntur, etiam quòd Liberos privent jure suo, quod habent circa status electionem. An verò parentes, sine causa legitima impedientes matrimonium Liberorum, vel eosdem ad matrimonia cogentes, incidant in excommunicationem, quam tulit Trid. *sess.* 24. *cap.* 9. *de reform. matr.* contra omnes impedientes libertatem matrimonii, dubitari potest? Verius est non incidere; quia Concilium tantum loquitur de *temporalibus Dominis, & Magistratibus*, qui ex vi jurisdictionis, quam in foro externo habent, subditos ad matrimonia cogunt, vel ab iis impediunt; conf. in materia odiosa, & pœnali ad alias personas facienda non est extensio. Gutier. *l.* 1. *can. qq. c.* 29. Engl *hic* §. 2. *num.* 10.

91 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. variæ *c. tua citat.* apud DD. interpretationes ponuntur. Nam Gloss. *ibidem V. debet.* Abb. *n.* 7. Sanch. *lib.* 4. *de matr. D.* 23. *num* 3. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *c.* 1. *num.* 12. Fagnan *in c. tua cit. numer.* 7. Vallens. *hic numer.* 4. Engl *ibidem* §. 2. *num.* 3. Schambog. *numer.* 11. & 12. Pirhing *num.* 17. Reiffenstuel *de sponsal. n.* 5 Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 2. *numer.* 46. & alii sat multi volunt verbo *Debet* solum indicari debitum honestatis, ac decentiæ, non præcepti. Tiraquell. *in l. si unquam* 8. *Cod. de revocand. donat.* & Barbos. *in c. tua citat. num.* 6. contendunt textum intelligendum de casu, quo filius, cujus impuberis nomine pater iniit matrimonium, pubes factus non statim contradixit; tunc enim silentio ratificasse censebitur. Canisius *in c. cit. num.* 37. Gonz. *num.* 6. *ibidem* textum illum referunt ad Jus Ecclesiæ antiquum, quod filio pubertatem adepto non permittebat recessum ab hujusmodi sponsalibus sine justa causa. Vvagnereck denique *in c. cit. V. omnino debet not.* 2. putat id intelligi debere de casu, quo multum interest parentum, & familiæ, & multo magis boni publici v. g. ad componendas graves inimicitias, inter parentes, & consanguineos, vel Principes; tunc enim tenebitur filius, qui alioquin statuit matrimonium inire, parentibus in hoc obedire ex necessitate non tantum honestatis, sed præcepti, non tamen valoris, ita ut matrimonium cum alia persona initum sit quidem validum, iniens tamen graviter peccet. Ex his responsionibus teneri quælibet potest, maximè tres posteriores; nam prima videtur nimium recedere à verbi *Debet* significatione propria, quam tamen indicat textus; dicitur enim ibi, matrimonium, quod filii nomine pater contraxit, omnino implendum à filio, quæ vox *Omnino* necessitatem absolutam indicat.

Debiliora sunt iria argumenta reliqua. *Ad* 2. Dico *l. cit.* tanquam libertati matrimonii inimicam, per Jus Canonicum correctam esse, juxta quod neque filiam pater potest compellere invitam, ut patet ex *c. cum locum* 14. *de sponsal.* *Ad* 3. Venditio Liberorum imprimis non matri, sed patri tantum, & quidem huic solius victus, non etiam alterius necessitatis causa permittitur à jure civili, ut *in l. cit.* notat Brunnem. *num.* 1. Quodsi hujusmodi necessitas patrem, aut matrem premat, & illa non aliter, quam filii matrimonio propulsari possit, etiam ad matrimonium ita contrahendum obligabitur filius ex virtute pietatis, conf. ad eam obligationem implendam moderata coactione ab ipsis parentibus compelli poterit, ut dictum est *num.* 87. *Ad* 4. Munus proprium parentum est filiis de nuptiis providere, sed his annuentibus, non autem ipsis contradicentibus. 92

Quæritur 5. An propterea, quòd parentibus invitis matrimonium contrahant, ab istis Liberi exhæredari possint? Affirmativam, spectato Jure Cæsareo, defendunt nonnulli apud Sanch. *loc. citat. numer.* 2. moti triplici textu istius Juris. 1. *Auth. sed si post Cod. de inoffic. testam.* ibi: *Sed si post* 25. *annos, te differente filiam marito copulare, ea in suum corpus peccaverit, vel sine consensu tuo, marito se, libero tamen, copulaverit, eam exhæredare non potes*: ex quo per argumentum à sensu contrario inferunt, si ante 25. annos nubat sine patris consensu, eam exhæredari posse. 2. *l. non tantum* 3. §. *si emancipatus* 5. *ff. de honor. possess. contra tabul.* ibi: *Nam, & si tam ignominiosam duxerit uxorem filius, ut dedecori sit tam ipsi, quam patri mulierem talem habere, dicemus, & ex ea natum ad bonorum possessionem avi admitti, cum possit avus jure suo uti, eumque exhæredare.* 3. *Novell.* 115. *cap.* 3. *vers. casus*, ubi una ex causis, ob quam filius exhæredari potest, numeratur, *si gravem, & inhonestam injuriam patri intulerit.* At talem infert, si filius, aut filia cum indigno contrahat; inducit enim odium capitale, Teste Baldo *in l. omnem Cod. ad S. C. Tertull.* 93

Sed distinguendum est, an filius, an verò filia hujusmodi matrimonium contrahat. Ut *Filia*, Cæsareo jure spectato, propterea exhæredari possit, tres conditiones debent concurrere. 1. Ut parentes velint eam matrimonio collocare, & dotem secundum vires suæ substantiæ tradere. 2. Ut filia matrimonio illi repugnet, & simul luxuriosam vitam eligat. 3. Ut sit minor 25. annis; nam hæ conditiones expresè requiruntur *Novell.* 115. *citat. capit.* 3. §. 11. Contra *Filius*, etiamsi renitentibus parentibus matrimonium ineat, luxuriosèque vivat, propterea exhæredari nequit; quia *Novell. citat.* de sola filia meminit; & cum res sit odiosa, multoque gravius delictum in fæmina, non extendi debet ad filium. Gloss. *in c. Quintavallis V. exhæredare de Jurejur.* Alex. de Nevo *in capit.* 1. *hoc tit. num.* 9. Sylv. *V. hæreditas* 2. *quæst.* 2. Sanch. *libr.* 4. *de matrim. D.* 24. *num.* 3. *& seqq.* 94

Porro sicut Pater filio, contra suam voluntatem contrahenti nuptias, non potest subtrahere hæreditatem, & multo minus alimenta, ita etiam filiæ sine suo consensu nubenti, si cæteræ duæ conditiones ex *num. præc.* positis absint, debet constituere dotem; quia Dos succedit in locum alimentorum, sub hac tamen moderatione, ut si filia indigno, & viliotis conditionis nupserit, non teneatur pater dotem dare juxta conditionem, & statum filiæ, sed sufficiat, si det juxta conditionem mariti; quia uxor sequitur conditionem mariti, sive deinde maritus fuerit dignior, sive vilior *l. fin. Cod. de incol.* adeoque sufficiat eam secundum conditionem mariti alimentare. Engl *hic* §. 2. *n.* 10. 95

Neque contrarium probant textus allati *num.* 93. *Ad* 1. Lex illa solum intendit exhæredari posse filiam, quæ invitis parentibus post annum 25. nubit mancipio: & hoc sumitur per argumentum à sensu contrario ex *l. citat.* *Ad* 2. Lex illa per *Novell.* 115. *citat.* correcta est, ubi deciditur, propter nullas alias causas, quam quæ ibi expressæ sunt, filiam, aut filium exhæredari posse.

se. Non est autem expressa, si Matrimonium contrahant invitis parentibus. *Ad* 3. Sanch. *D.* 24. *cit. num.* 12. sequens Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 176. *num.* 2. id intelligit de injuria per se, & directe illata parentibus, qualis est contumelia gravis verborum, aut in patris ignominiam cornua pro foribus illi appendere, vel alia similis: secus de injuria per accidens, ac indirecte, & præter filii intentionem illata, qualis est invitis parentibus ignominiosam uxorem ducere. Major difficultas est, quando

Quæritur 6. Utrum Jure speciali Liberi exhæredari, & dote privari possint, si spreto, aut non requisito ipsorum consilio, & contra rationabilem illorum voluntatem, Matrimonia cum personis indignis, i. e. vilibus, & turpitudine vitæ laborantibus ineunt? Ita quidem teste Molin. *loc. cit. n.* 19. statuitur per Leges Lusitanas, per quas, si filia ante 25. suæ ætatis annum fornicetur cum aliquo, aut nubat sine consensu patris, aut matris, ipso facto exhæredata, ac exclusa manet ab omnibus bonis patris, aut matris, etiamsi à parentibus non exhæredetur. Simile quid constitutum est Legibus Castellanis, & Valentinis, ac Jure etiam nostro Provinciali Bavarico *Land-Recht tit.* 4. *art.* 9. §. *murde aber*, & practicatur in pluribus aliis Provinciis.

Punctum difficultatis in eo est, utrum Leges, & Statuta ejusmodi, quæ ob hanc causam aut hæreditate privant, aut exhæredari permittunt Liberos à Parentibus, justæ sint? Negant Abb. *in cap. de Francia* 1. *de Sponsal. num.* 8. Alex. de Nevo *ibid. à n.* 23. Sylv. *V. Lex q.* 15. & *V. Matrimonium* 2. *q.* 2. Navar. *Man. c.* 14. *n.* 15. Clar. *pract. q.* 82. *statut.* 3. *V. sed nunquid.* Covar. *p.* 2. *de Spons. cap.* 3. §. 8. *num.* 5. Henriq. *l.* 11. *c.* 6. *n.* 2. *fin.* Philiarc. *de effic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *l.* 4. *c.* 2. Sanch. *lib.* 4. *de Matrim. D.* 25. *n.* 2. Vasq. *D.* 4. *de matr. cap.* 2. *n.* 14. Gobat *Experient. tr.* 10. *n.* 109. juxta quos secundum ejusmodi Leges, & Statuta facta exhæredatio, vel dotis privatio omnino est irrita.

Fundantur 1. quia ejusmodi Statuta Politica, & in ipsis fundatus exhæredationis, & dotis jacturæ metus multum diminuunt libertatem Matrimonii, quam tamen maximam voluerunt SS. Canones *c. Gemma* 29. *de Spons.* 2. Ecclesia assistit Matrimoniis liberorum, cum quacunque etiam persona indigna contrahant, eaque contracta rata habet, ac tuetur. Non potest autem Lex Civilis, vel Statutum mere Politicum improbare, quod probat Ecclesia. 3. Cujus in aliqua materia, & causa aliquis non sortitur forum, illius enim statutis, materiam, vel causam illam concernentibus, non afficitur, ut *arg. cap. fin. de Constit. in* 6. Regulæ instar tradunt Joan. Andr. *in cap.* 13. *qui fil. legit.* Socin. *l.* 4. *Consil.* 79. *n.* 9. Fagnan. *in cap. utrum* 1. *de Cognat. Spirit. num.* 12. atqui de causis Matrimonialibus judicialiter cognoscere, & pronuntiare non potest sæcularis potestas. Ergo neque Leges, aut Statuta condere, quæ causas Matrimoniales concernunt.

Sed his non obstantibus, tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Bald. *in cap.* 10. *de sent. & re judic. in fin.* Cajetan. *in sum. V. Excommunicatio.* Sot. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 4. Tholos. *l.* 9. *synt. c.* 3. *num.* 21. Barth. Ledesm. *de Matr. dub.* 42. Petr. Barbosa *in l.* 1. *ff. solut. Matr. p.* 4. *n.* 36. Azor *p.* 2. *l.* 2. *q.* 9. Molin. *tr.* 2. *D.* 176. *n.* 22. Rebell. *de oblig. Just. p.* 2. *q.* 14. *sect.* 3. Pont. *lib.* 2. *de Matr. c.* 1. *n.* 29. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 15. *vers. dicendum tertio.* Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 12. *num.* 14. Perez *D.* 17. *de Matr. sect.* 17. *n.* 19. Zoes. *tit. de Sponsal. n.* 85. Engl *hic* §. 2. *n.* 9. Vviest. *ibid. n.* 41. & firmat praxis multarum, ut dixi, Provinciarum, scientibus, & non contradicentibus Magistratibus Ecclesiasticis, qui tamen Statuta ejusmodi deberent tollere, si injusta, & invalida forent.

Ostenditur 1. Quia hujusmodi Statutis & Legibus magna affertur utilitas Reipublicæ; nam illius interest Nobiles, & honestas familias indignis connubiis non maculari, justa parentum consilia non contemni, tolli occasiones odiorum, & discordiarum, aliorumque minime levium incommodorum, quæ ex ejusmodi nuptiis ita temere contractis sæpe oriuntur: quæ omnia tolluntur per Leges prædictas. Igitur nisi istæ aliunde repugnent, omnino justæ sunt; non apparet autem, ex quo capite repugnent, cum injuriam nullam inferant Sacramento Matrimonii, utpote quod invitis parentibus contractum adhuc valet. 2. A pari; nam plerique concedunt juste apponi à Fundatoribus certas conditiones Majoratibus, & Primogenituris, quibus istorum incapaces redduntur Descendentes, si nubant infectis Judæorum, aut Saracenorum sanguine, aut aliis vilibus, infamibus, imò etiam imparibus personis. Atqui hæ conditiones sunt iis, de quibus sermo est, Statutis simillimæ. 3. Actibus illicitis, & qui Jure Divino, & naturali probibiti sunt, pœnam imponere Magistratus etiam Sæcularis potest, licet de iis statuere prohibendo, vel irritando non possit. Atqui Matrimonia, quæ à Liberis contra justam Parentum voluntatem in familiæ probrum cum personis indignis contrahuntur, illicita, & prohibita sunt Iure Ecclesiastico *arg. can. aliter*, & *can. nostrates citt.* immo Divino, & Naturali, quibus Juribus obligantur Liberi, ne in re gravi, præsertim Statum, & familiam concernente, justæ parentum voluntati adversentur, ut nemo inficias ibit, ergo &c.

Argumenta in contrarium allata non evincunt intentum. *Ad* 1. His Statutis non tam libertas Liberorum, quàm inconsultus, & temerarius libertatis abusus restringitur; nam Statuta illa non impediunt, quo minus libere ducant, aut nubant dignis, & quibus nuptiali fœdere jungi honeste, & sine scandalo, aut familiæ probro possunt, ut aliis relatis notat Felin. *in cap.* 1. *de Sponsal. n.* 20. *Ad* 2. Neque Ecclesia ita probat Matrimonia hujusmodi, ut à peccato illa excuset, neque Leges Civiles illa improbant, ut censeant esse invalida: probant ergo hujusmodi Leges, & Statuta valorem, non probant modum contrahendi parentibus invitis, ac propterea pœnam decernunt. *Ad* 3. Hujusmodi Legum conditores non vindicant sibi jus cognoscendi de causis Ecclesiasticis, sed solum plectunt abusum Libertatis, & Parentum contemptum, jam ante Jure naturali vetitum, idque non pœnæ corporis afflictivæ inflictione, aut alicujus Juris quæsiti privatione, sed tantum ablatione liberalitatis à natura indebitæ, cum liberis, naturali Jure spectato, debeantur sola alimenta, Hæreditas autem positivo, à quo proinde indignis denegari potest. 102

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

MAtrimonium, quod Desponsationis nomine hic intelligitur, Clandestinum esse tripliciter potest. 1. Ob Denuntiationes omissas, nulla interveniente Dispensatione. 2. Quod celebratum non sit in facie Ecclesiæ, seu coram Parocho, & testibus. 3. Quod non sint adhibitæ solemnitates: sed hoc rectius minus solemne Matrimonium dicetur, neque ad Titulum præsentem pertinet.

§. I.

De Matrimonio Clandestino per defectum Denuntiationum.

SUMMARIUM.

1 *Denuntiationum Definitio.*
2 *Præmitti debent Matrimonio.*
3 *Et si per eas detegatur Impedimentum, Matrimonium interdicit.*
4 *Iis non præmissis, seclusa dispensatione, contractum, illicitum est.*
5 6 *Et quidem graviter.*
7 *Licet constet nullum subesse impedimentum.*
8 9 10 11 *Valide tamen contrahitur, etiam omissis Denuntiationibus.*
12 *Regulariter saltem Denuntiationes fieri debent in Ecclesia, inter Missarum solemnia.*
13 *Si contrahentes sint ex diversis Parochiis, denuntiandum matrimonium in utraque.*
14 *In loco, in quo contrahitur matrimonium, non est necessario denuntiandum.*
15 &c. *Quid si Sponsi, antequam denuntiaretur matrimonium, Domicilium suum alio transtulere?*
22 *Denuntiatio debet esse trina.*
23 *Fieri debent tribus diebus festis continuis.*

24 *Si die non festo sit magnus affluxus populi ad Divina, possunt illæ fieri etiam tali die.*
25 *Dispensare in iis potest ex causa justa Ordinarius.*
26 *Quis veniat nomine Ordinarii?*
27 28 29 *An denuntiationes remittere possit etiam Vicarius Generalis?*
30 31 32 *An Episcopus potestatem in his dispensandi delegare alteri?*
33 *&c. Quæ sint causæ justæ dispensandi in denuntiationibus?*
39 40 41 *Qualis ad hoc requiratur causæ cognitio?*
42 *&c. An aliquando Parochus ipse conjungere matrimonio Sponsos possit, non præmissa dispensatione Ordinarii?*
47 *&c. An, & quando Ordinarius teneatur dispensare in denuntiationibus?*
51 *&c. Quæ sit obligatio populi ad manifestandum impedimentum post factas denuntiationes?*
54 *&c. An ad manifestationem obligetur, qui impedimentum sub secreto novit?*
57 *Vel qui novit id solus?*
58 *Vel auditu tantum.*
59 60 *An impedimentum suum manifestare Ordinario interroganti teneantur ipsimet contrahentes?*
61 *Quod sit officium Parochi, si impedimentum aliquod inter Sponsos latens, ad ipsum delatum est?*
62 *&c. Vel illud aliunde novit extra Confessionem?*
66 67 *Quid si novit, in eo Sponsos dispensatos esse pro foro interno?*
68 69 *Quomodo se Parochus debeat gerere, si impedimentum intellexit in ipsa Confessione Sacramentali ab alterutro contrahentium?*
70 71 *An Denuntiationes omissæ suppleri debeant post matrimonium contractum?*
72 *Quomodo peccent conjuges ante Denuntiationes suppletas matrimonium consummando?*
73 74 *Si culpabiliter omissis Denuntiationibus, matrimonium ob impedimentum occultum invalidum sit, in pœnam omissionis proles inde susceptæ illegitimæ sunt.*
75 76 *Quod procedit, qualecunque illud sit impedimentum dirimens.*
77 *Si tale sit, quod per denuntiationes detegi potest.*
78 *Quid dicendum, si matrimonium, omissis denuntiationibus, contractum sit valide?*
79 80 81 *Quid, si invalide quidem contractum sit, sed postea publicetur, & quia impedimentum non detegitur, ab Ecclesia approbetur?*
82 *An ita contrahentes matrimonium sperare dispensationem super Impedimento postea detecto possint? Respondetur negative.*
83 *Et hoc intelligendum etiam de dispensatione Pontificia.*
84 *Hinc omissio denuntiationum in supplicatione debet exprimi.*
85 *Intelligi hoc debet, qualecunque sit Impedimentum dirimens.*
86 *Et extenduntur pœnæ istæ etiam ad casum, quo matrimonium tale contractum est coram Parocho, & testibus.*
87 *Parochus, vel Sacerdos alius assistens matrimonio, non præmissis. Denuntiationibus, incurrit suspensionem triennalem.*
88 *Et hanc incurrit etiam Parochus, si matrimonium ita contrahendum non impedit.*

1 QUæritur 1. Quid sint *Denuntiationes*, quæ præmitti solent, & debent Matrimoniali Contractui? Resp. *Denuntiationum* nomine intelliguntur proclamationes, sive admonitiones publicæ, quæ præmittuntur Matrimonio contrahendo in eum finem, ut siquis aliquod impedimentum Canonicum novit inter sponsos, intra terminum competentem illud manifestet Parocho, ad ejus investigationem obligato ex officio, & præcepto Concilii Lateranensis, quod refertur *cap. fin. pr. hoc tit.*

2 Quam Constitutionem innovarunt Concilii Trid. PP. dum *Sess. 24. cap. 1. vers. cui malo, de reform. matr.* præceperunt, *ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia &c. publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum &c.*

Quodsi probabilis conjectura afferatur subesse Impedimentum aliquod, interdici Matrimonium debet Sponsis, donec cognoscatur, utrum Impedimentum tale revera subsit. Hinc diversa est ratio Matrimonii contrahendi, & jam contracti; nam ad impediendum Matrimonium contrahendum non requiritur plena probatio, quæ tamen requiritur ad illud dissolvendum. *Ratio disparitatis est*, quia in primo casu agitur de peccato vitando, quod committeretur, si contraheretur matrimonium in casu prohibito; de peccato vitando autem non agitur in casu secundo, quippe quo conjuges defenduntur beneficio possessionis, per Matrimonium bona fide contractum obtentæ. 3

Quæritur 2. An licitum sit Matrimonium absque dispensatione, Denuntiationibus non præmissis, contractum? *Certum est*, esse illicitum, ut recte advertunt Navar. *Man. c. 16. n. 36.* Sanch. *l. 3. de matr. D. 5. n. 6.* Guttier. *de matr. c. 56. num. 4.* Conink *D. 27. de matr. dub. 5. n. 51.* Layman *l. 5. tract. 10. p. 2. cap. 4. num. 9.* Barbosa *de offic. Episc. alleg. 32. n. 2.* Herinx. *in fin. hoc tit. n. 10.* Gonzal. *ibid. n. 7.* Pirh. *hic nu. 27.* Schamb. *num. 23.* Wiest. *num. 3.* Reiffenstuel *n. 4.* 4

Dubitari potest, quale peccatum sit Denuntiationes absque debita dispensatione omittere? Sotus *in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. cap. 11.* censet non esse mortale, nisi casu, quo Statuto particulari Diœcesis contra omittentes lata est pœna Excommunicationis. Cujus sententiam mitigat Petr. de Ledesma, & licet *quæst. 45. de matrim. art. 5. punct. 1. dub. 3. concl. 1. & 2.* putet sententiam Soti fuisse veram ante *Trid.* tamen *p. 3. dub. 1. concl. 1. & 2.* docet post Trid. esse peccatum mortale. *Excipit* casum, si Parochus adhibuisset diligentiam debitam ad excutiendum, an subsit aliquod impedimentum; tunc enim Parochum, qui eas omitteret, nisi omissioni statuta esset Excommunicatio in Diœcesi, putat peccaturum venialiter tantum, quod hac diligentia adhibita, omissio reputetur res levis. 5

Sed dicendum, eo casu peccare lethaliter tam Parochum assistentem matrimonio, quam ipsos contrahentes, si Denuntiationes culpabiliter omittantur. Ita præter citt. Sylv. *V. Matrimonium 2. q. 17. dict. 3.* Paludan. *in 4. dist. 28. quæst. 2. art. 1. num. 10.* Catterius *l. 4. de Spons. cap. 7.* Henriq. *lib. 11. de matr. cap. 7. num. 1. in Comment. lit. C* Ludov. Lopez *p. 1. Instruct. de matr. cap. 39. fol. 1060. col. 1. §. sed siquis*, & unanimis cæterorum. Sumitur 1. ex verbis tum *Concil. Later.* relati *cap. fin. hoc tit.* tum Trid. *cap. 1. citat.* nam Lateranense *loc. citat.* utitur verbis gravibus, & grave præceptum significantibus, *Penitus inhibemus, prohibentes etiam, nequis Sacerdos talibus* conjugiis *interesse præsumat*; quod Decretum innovans Trid. verba similiter præceptiva adhibet. 2. Ex gravitate materiæ, & finis; intenditur enim per Denuntiationes, ut resciatur, an nullum inter sponsos impedimentum subsit, propter quod matrimonium non subsisteret. 3. Ex gravitate pœnarum, quas Trid. sine Denuntiationibus matrimonium contrahentibus infligit; nam pœnæ istæ tales sunt, ut non nisi graviter delinquentibus infligi soleant. 6

Neque refert, quamvis subinde constet, nullum Impedimentum subesse, ut bene notant Pirhing, Schamb. *loc. citt.* quia Lex non definit obligare, etiamsi ejus ratio in particulari hic & nunc cesset. Quod intelligendum est, si omnes Denuntiationes omitterentur; nam si aliqua tantum omittatur casu, quo moraliter certum est, nullum subesse Impedimentum, Sanch. *loc. cit. n. 7.* Barbos. *n. 5.* Pirh. Schamb. *loc. citt.* putant omissionem illam peccatum mortale non fore, quod levis materia sit, partialisque præcepti. Coninck tamen *n. 51. cit.* judicat id sine gravi causa non facile admittendum; & talem Parochum ait graviter ab Episcopo puniendum; quia res hæc non debet relinqui Parochorum arbitrio. 7

Quæritur 3. An Matrimonium absque dispensatione, Denuntiationibus non præmissis, contractum sit validum? Negant aliqui tacito nomine relati apud Sanch. *l. 3. de Matr. disp. 5. n. 2.* cui sententiæ patrocinari videtur. 1. *Regula 64. in 6.* juxta quam, *quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* 2. Jus Civile *l. non dubium 5. C. de Legib.* ubi Theodosius, & Valentianus Imp. 8

Nul-

Nullum pactum, inquiunt, *nullam conventionem*, *nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum*, *qui contrahunt*, *Lege contrahere prohibente*. 3. Authoritas Trid. quod *c. 1. cit.* de contractu Matrimonii agens, per ablativum absolutum, *Denuntiationibus factis*, *si nullum legitimum opponatur impedimentum*, permittit, ut *ad celebrationem Matrimonii procedatur*. atqui ablativus absolutus conditionem importat *leg. à testatore* 109. *ff. de condit. & demonstr.* conditio autem formam *l. qui hæredi* 44. *& l. Mevius* 55. *ff. eod.* omissio vero formæ in quacunque minima parte vitiat actum *l. temporibus* 1. *in fin. ff. de inspic. ventr.* 4. ratione: quia Trid. *c. 1. cit.* Parocho concedit potestatem assistendi Matrimoniis, non absolutam, sed limitatam, scilicet præmissis Denuntiationibus. igitur non præmissis Denuntiationibus, assistendo Matrimoniis, fines potestatis sibi concessæ excedit, eique assistit, non ut Parochus, sed ut privatus. requiritur autem ad valorem Matrimonii præsentia Parochi, ut Parochus est. ergo assistendo, non præmissis Denuntiationibus, nihil agit, & invalida est ipsius præsentia. 5. Trid. *loc. cit.* constituit ordinem, quo procedendum est ad Matrimonium celebrandum, nempe ut præcedant Denuntiationes, & ut istæ fiant tribus diebus festis continuis, & tandem ut ipse contractus celebretur coram Parocho; & testibus. atqui forma actus nihil aliud est, quam quædam ordinata series rem ad substantiam deducens, ut cum *Baldo* tradit Decius *in l. hac consultissima num.* 10. *Cod. qui testam. facer. poss.* igitur totus hic ordo est de essentiali forma.

9 Sed omnino tenendum est, quod Matrimonium tali casu contractum adhuc sit validum. Ita Navar. *Man. c.* 22. *n.* 72. Henriq. *l.* 11. *cap.* 5. *num.* 1. Guttier. *p.* 1. *de Juram. cap.* 51. *num.* 21. *de Matr. cap.* 56. *n.* 2. Sanch. *D.* 5. *cit. num.* 3. Conink *D.* 27. *de Sacram. dub.* 1. *n.* 10. Pont. *de Matr. l.* 5. *c.* 30. *n.* 2. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 9. Barbosa *de Offic. Epis. alleg.* 32. *num.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 13. §. 1. *num.* 2. Bosco *p.* 5. *de Matrim. D.* 11. *sect.* 10. *concl.* 1. Zypæus *l.* 4. *consult.* 2. *n.* 3. *& consult.* 5. *num.* 1. *vers. itaque*. Gonzal. *in cap. fin. hoc tit. num.* 7. Vallens. *hic n.* 5. Honor. *n.* 6. Pirhing *n.* 27. Schambogen *n.* 23. Wiestner *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 15. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. & Matr. c.* 5. *n.* 174. & confirmatur ex pluribus *Declarationibus Cardd.* quarum una apud Bosco *loc. cit. n.* 6. habet: *S. Congr. Concil. censuit*, *Matrimonium contractum*, *non præmissis Denuntiationibus*, *nisi aliud obstet*, *irritum non esse*.

10 *Ratio est*, quia si Denuntiationes de substantia Matrimonii forent, tunc vel fuissent jam de Jure antiquo, vel solum cœpissent esse de novo Trid. neutrum dici potest; *non primum*; quia non extat ullus Canon, aut Juris antiqui textus, quo irritata sint ejusmodi Matrimonia; imo Trid. *c. 1. cit.* Anatemate fulminat eos, qui negaverint, Matrimonia, quæ ante Eccelsiæ irritationem clam contracta sunt, vera, & rata esse. *Non secundum*; quia Trid. PP. in suo Decreto solum usi sunt verbis præceptivis, non irritantibus, vel annullantibus contractum, quibus tamen usi sunt, cum agerent de Matrimonio contracto sine Parocho, & testibus; igitur videtur Trid. ipsum fecisse discrimen inter Matrimonium contractum, Denuntiationibus non præmissis, & inter Matrimonium contractum sine Parocho, & testibus, & primum prohibuisse solum, alterum etiam irritasse: Accedit, quia si Denuntiationes essent de substantia, non possent subjungi Matrimonio jam contracto; individuum enim est, quidquid ad solemnitatem actus pertinet, ut nec dividi, nec separari ab actu possit *l. cum antiquitas* 28. *C. de Testam. & l. Hæredes palam* 21. *ff. qui Testam. facer. poss.* Denique quoties dispositio præfigens tempus, concedit Judici arbitrium in prorogatione temporis, non dicitur illud de forma, ut bona probat Felin. *in c. cum dilecta n.* 6. *vers. octavum signum*, *limit.* 1. *de Rescript.* sed Trid. *c. 1. cit.* concedit Ordinario arbitrium in prorogandis, vel omittendis Denuntiationibus; ergo eæ non pertinent ad formam, & essentiam Matrimonii.

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. *&* 2. ut recte Perez *de Matr. disp.* 43. *sect.* 1. *n.* 4. Pal. *tr.* 3. *D.* 2. *part.* 8. *num.* 2. *&* 3. & alii monent, textus allegati intelligi solum debent de Jure, sive Lege, quæ non sistit intra prohibitionis terminos, sed utitur verbis irritantibus, aut formam substantialem præscribit actui; Accedit, quia, ut Regulæ instar tradit Decius *in c.* 2. *de testib. n.* 17. *vers. secus si temporalis*, & Rota *in nov. ff. tom.* 1. *decis.* 750. *c.* 1. specialis Matrimonii favor est, quod nunquam irritetur prohibitione simplici, & quæ clausula irritante non muniatur. *Ad* 3. Ea conditio jam antiquo Jure requirebatur. igitur ejus expressio nihil novi operari debet, præsertim cum ipsum Trid. *loc. cit.* Denuntiationes requirat, & fieri præcipiat *vestigiis sacri Concilii Lateranensis inhærendo*, ex cujus Decreto ad substantiam non requirebantur. *Ad* 4. Parocho datur limitata potestas quoad recte, & rite agendum, dum Trid. præcipit, ut Denuntiationes præmittat; non tamen quoad valide agendum; hinc Matrimonio assistens, omissis Denuntiationibus, adhuc assistit, ut Parochus. *Ad* 5. Solum defectus formæ substantialis actum vitiat. ad hanc autem non pertinet ordo hic præscriptus, ut est ostensum.

Quæritur 4. Ubi Denuntiationes Matrimonii fieri debeant? *Certum est* 1. regulariter saltem eas faciendas in Ecclesia inter Missarum solemnia; nam ita statuit Innocentius III. *in c. fin. pr. hoc tit.* ibi: *In Ecclesia per Presbyteros publice proponantur*. Et quidem per Parochum proprium, ut innuit Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.* ibi, *A proprio contrahentium Parocho*. Possunt tamen illæ etiam ab alio fieri de Parochi licentia, quamvis is Laicus dumtaxat sit; sic enim teste Sanch. *l.* 3. *de Matr. disp.* 6. *n.* 5. *fin.* alicubi Denuntiationes istæ fieri solent per ædictum. *Neque obstant* verba *cap. fin. cit.* ibi, *per Presbyteros*; nam ut Hostiens. *ibid. V. Presbyteros*, Joan. Andr. *n.* 7. Alex. de Nevo *n.* 16. explicant, per ea verba Pontifex noluit prohibere Parocho, ne vices suas committat alteri quoad Denuntiationes; adhuc enim censentur per ipsum factæ, *cum is committat vere*, *cujus authoritate*, *vel mandato --- committi probatur c. mulieres* 6. *fin. de sent. Excomm.* 12

Convenit inter Doctores 2. casu, quo Sponsi ad diversas Parochias spectant, Denuntiationes faciendas non in una tantum Parochia, sed in utraque. Ita Henriquez *l.* 11. *de Matr. c.* 7. *n.* 1. Segura *p.* 2. *direct. jud. c.* 16. *n.* 19. Guttier. *de Matr. cap.* 56. *num.* 5. Zerol. *prax. Episc. V. Matrimonium*, Sanch. *disp.* 6. *cit. num.* 4. Conink *disp.* 27. *de Sacram. num.* 46. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 10. Pal. *tr.* 28. *disp.* 2. *part.* 13. §. 3. *n.* 2. Bosco *part.* 5. *de Matr. disp.* 11. *sect.* 10. *concl.* 3. Gonzal. *in cap. fin. hoc tit. n.* 7. Engl *hic num.* 4. Pirhing *num.* 28. Schambogen *n.* 24. Konig *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 8. & colligitur ex Trid. *c.* 1. *cit.* ibi *A proprio contrahentium Parocho*. Accedit Declaratio Cardinalium, quam allegat *Bosco ex Farinacio* his verbis; *Quando Matrimonium contrahitur inter duos de diversis Parochiis*, *debent in ambabus fieri Denuntiationes*. Idem habetur in *Ritual. Rom. de Sacram. Matrim.* ibi, *Si vir*, *& mulier Parochiæ sint diversæ*, *in utraque Parochia fiant denuntiationes*. Ratio est, quia sic facilius deteguntur impedimenta, siquæ se tenerent ex parte unius, vel alterius. 13

Simili modo exploratum inter Doctores 3. est, non esse necessarium, ut semper in eo loco, ac Parochia, ubi Matrimonium contrahitur, Denuntiationes præcesserint; sed potest istud contrahi alibi, ut si duo, in Civitate domicilium habentes, cum licentia, & justa de causa Matrimonium velint celebrare ruri; vel si post Denuntiationes factas in loco, ubi hactenus habitarunt, alio migrare, ibique contrahere velint; quia universim Trid. satisfit, si ibidem Matrimonia denuntientur, ubi contracturi Matrimonium tempore Denuntiationum Parochiani sunt. Konig *n.* 8. *hic*. 14

Dubium, & non levis Controversia DD. est, in qua Parochia fieri Denuntiationes debeant, quando Sponsi, antequam denuntiaretur Matrimonium, domicilium suum transtulere alio? Segura *p.* 2. *direct. judic. c.* 16. *n.* 19. Sanchez *l.* 3. *de matr. D.* 6. *n.* 6. Guttier. *de Matrim. cap.* 56. *n.* 6. Barbosa *de potest. Episc. alleg.* 32. *n.* 11. & communior aliorum, adducta pro se etiam *Declar. Cardd.* vult, eas faciendas in Parochia, in qua diutius versati sunt, & verisimilius est fore, ut facilius sciantur impedimenta, qualis ordinariè est Parochia, ubi parentis utriusque habitatio est. *Rationem* dant; quia tali modo magis satisfit intentioni Concilii Trid. 15

Contra Ant. Cuchus *lib.* 4. *Inst. t.* 11. *num.* 29. dicit, attento Decreto Concil. Trid. satis esse, si Denun- 16

riationes fiant in Parochia, in qua celebratur Matrimonium, additque sic PP. Concilii Interpretes declarasse. Videtur istud probari *arg.* Trid. *cap.* I. *cit.* ubi expresse disponitur, ut denuntiationes fiant *à proprio contrahentium Parocho;* atqui Parochus illius Parochiæ, in qua contrahentes vi domicilii, vel quasi sunt veri Parochiani, & ubi alia Sacramenta, Sepulturam, Verbum Dei, & reliquam animarum curam recipiunt, est verus, ac proprius ipsorum Parochus; nam potest, & debet assistere ipsorum Matrimonio, quod non posset, si verus ipsorum Parochus non esset. ergo &c.

17 Videtur dissensio hæc tolli posse ope distinctionis; Vel enim Sponsi, in loco, in quo defacto domicilium, vel quasi habent, jam diu satis morati sunt, ita, ut noti ibidem sint satis, vel contra recens illuc venerunt, ut pauci ibi eosdem noverint. *Si primum*, cum Pont. *lib.* 5. *de Matr. c.* 30. *n.* 5. Bosco *p.* 5. *D.* 11. *sect.* 10. *concl.* 3. *n.* 59. Reiffenst. *hic n.* 11. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponf. c.* 5. *n.* 178. *& duob. seqq.* dico sufficere, si Denuntiationes fiant in utriusque Parochia illa, in qua tempore Denuntiationum ita habitant, ut ratione Domicilii veri, vel quasi Parochiani illius sint; & hoc probat argumentum secundæ sententiæ.

18 *Si secundum*, cum *Guttier. Pont. Barbos. Conink*, *Bosco*, *Reiffenstuel*, *Schmier*, & aliis dico Denuntiationes faciendas etiam in Parochia, ubi prius Sponsi, vel unus eorum habitaverunt; quod evincit Argumentum sententiæ primæ, & colligitur *arg. cap. fin. cit.* ubi præcipitur, ut præter Denuntiationes in Ecclesia factas, *Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat.* Ratio est, quia ibi melior habetur personarum notitia, an aliquo impedimento affectæ sint. Addidi *Denuntiationes faciendas etiam in tali Parochia*; nam præterea etiam fieri debent in Parochia Dimicilii, vel quasi, ut patet tum ex Argumento sententiæ secundæ, tum etiam ex eo, quia etiam in hoc Sponsi contrahere potuerunt Impedimentum vel impediens v. g. per Sponsalia cum alia inita, vel dirimens v. g. per copulam carnalem cum Sorore. igitur fient Denuntiationes in utraque Parochia cumulative.

19 *Neque obstat* Trid. quod *c.* 1. *cit.* videtur asserere, quod sufficiat, si à proprio contrahentium Parocho Denuntiones fiant; tum quia *cit.* Concilium non corrigit, sed potius confirmat *c. fin. cit.* tum quia finis Concilii idem est, qui Juris communis, scilicet, ut impedimenta, siquæ sunt, facilius detegantur, cui fini nullatenus satisfieret, si sponsi recenter ad aliquam Parochiam venientes, solummodo ibidem, & non, ubi diutius morati sunt, denuntiarentur, conf. nec Lex Trid. observaretur *arg. Reg.* 88. *in* 6. ibi, *Certum est, quod is committit in legem, qui Legis verbum complectens, contra Legis nititur voluntatem.* Quandonam autem fieri debeant Denuntiationes etiam in alia Parochia, quam in ea, in qua quis defacto ratione domicilii, vel quasi Parochianus est, relinquitur judicio prudentum, præsertim Ordinariorum, ad quos in casu majoris difficultatis, aut dubii, ubinam Sponsi denuntiari debeant recurrere debent Parochi, ut *loc. citt.* observant Pontius, & ex hoc P. Reiffenstuel.

20 Ex quo sequitur, non esse universalem Regulam, quod Sponsi semper debeant denuntiari in Parochia, in qua nati sunt, prout aliqui videntur exigere; quia 1. Concilium solum requirit ut Sponsi denuntientur in Parochia propria, quæ sæpe non amplius est locus Nativitatis, sed habitationis. 2. Quia non raro contingit, quod aliqui ante annos pubertatis, vel paulo post à loco nativitatis discedant, & per complures annos morentur alibi. 3. Quia contingit nonnunquam, aliquem diutius morari extra, quam in loco nativitatis suæ. In quibus casibus plane non apparet, cur in loco nativitatis Denuntiationes fiant, cum neque textus, neque finis, neque ratio Concilii Trid. id exigat.

21 Hinc *cit.* P. Reiffenstuel *n.* 14. concludit, nunquam videri necessarium, ut Denuntiationes fiant in loco nativitatis Sponsorum, quando ipsi jam per quinque, vel sex annos in alio versantur loco, ibique ratione Domicilii, vel quasi Parochiani effecti sunt, præsertim si locus nativitatis multum distet, prout contingit in famulis, & opificibus, nisi forsan specialis occurreret ratio, aut circumstantia prudens dubium causans, vel aliud exigens. Accedit, quia si locus nativitatis multum distat, ordinarie concurrit una ex causis dispensandi infra referendis. Unde idem *Author* adjungit, pro cautela bene facturum Parochum, si ab alienigenis Juramentum exigat, quod sint liberi ab omni vinculo Matrimonii, & Sponsalium.

Quæritur 5. Quando Denuntiationes sint faciendæ? Resp. fieri possunt quocunque tempore, etiamsi tale sit, quo Nuptiæ alias celebrari prohibentur: conf. fieri possunt etiam tempore Adventus, & in Quadragesima. Gonzal. *in c. fin. hoc tit. n.* 7. Ex diebus huic negotio Trid. selegit dies festos, & quidem inter Missarum solemnia, ut *supra* dictum; quia ad hæc audienda istis diebus ad Ecclesiam major convenit frequentia populi, ut adeo facilius speretur impetranda Impedimenti, si quod subesset, notitia. 22

Et quidem 1. Denuntiatio hæc debet esse trina; sic enim Trid. *c.* 1. *cit.* ibi, *Ter - - - publice denuntietur. Excipitur*, si ex causa, quia v. g. timetur, ne Matrimonium malitiose impediatur, una solum facienda sit. Sed tunc non statim post ejusmodi Denuntiationem ad Matrimonii contractum est procedendum; sed aliquo temporis spatio, e. g. duobus, vel tribus diebus est exspectandum, ut recte monent Segura *p.* 2. *Direct. cap.* 16. *n.* 20. *&* 21. Sanch. *l.* 3. *D.* 6. *n.* 8. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 54. alias inutilis foret Denuntiatio. 23

2 Fieri debent tribus diebus festis continuis, ut iterum decrevit Trid. *loc. cit.* Continui autem ex mente Synodi laudatæ dicentur dies festi, inter quos non mediant alia Festa, etsi intercedere possint, ac debeant aliquot dies profesti: idque ut obtineatur finis Concilii, qui est, ut detegantur impedimenta inter utrumque Sponsum forte latentia: qui non obtineretur tam facile, si Denuntiationes vel cito nimis sibi succederent, vel nimium differrentur; primo enim casu tolleretur tempus necessarium ad detegenda impedimenta, secundo periculum foret, ne Denuntiationibus nimium interruptis, Parochiani illatum obliviscantur. Segura *n.* 20. *cit.* Sanch. *n.* 8. Guttier. *de Matr. c.* 56. *n.* 5. *vers. addit*, Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 10. Pirh. *hic num.* 28. Schambog. *num.* 24. Zoes. *num.* 2. Wiestner *n.* 7. Reiffenstuel *num.* 6. Cæterum volunt Guttier. *de Matr. c.* 56. *cit. num.* 4. Reginald. *prax. l.* 21. *num.* 225. Reiffenstuel *hic num.* 6. non mortaliter, sed venialiter tantum peccare Parochum, qui non continuis diebus festis, uno, alterove etiam non immediate succedente Festo neglecto, Denuntiationes faceret, dummodo tamdiu non differat, ut periculum sit, ne populus obliviscatur Denuntiationum præcedentium; quia videtur esse materiæ levitas.

3 Feri Denuntiationes, ut dictum est, debent in Ecclesia inter Missarum solemnia, prout iterum constat ex Trid. *c.* 1. *cit.* ob majorem concursum populi, qui ibidem fieri consuevit. Hinc si etiam extra Ecclesiam, & die non Festo ad concionem v. g. audiendam confflueret populus, etiam tali loco, & die denuntiari Matrimonium posset; quia Concilium, dum præcipit Denuntiationes fieri in Ecclesia, & diebus festivis, inter Missarum solemnia, solum spectare videtur frequentiam populi, ut scilicet ad multorum notitiam nuptiæ celebrandæ perveniant, quo facilius impedimenta detegantur: unde si finis iste obtineri possit, etiamsi Matrimonium denuntietur extra Ecclesiam & die non festo, nihil impedit illud ita denuntiari. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 6. *num.* 9. *&* 50. Laym. *cap.* 4. *cit. num.* 10. Guttier. *c.* 56. *cit. num.* 8. Barbos. *alleg.* 32. *num.* 15. *&* 16. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 3. *n.* 4. Bosco *p.* 5. *D.* 11. *sect.* 10. *concl.* 3. *n.* 44. Gonzal. *in c. fin. cit. n.* 7. Clericat. *de Matr. decis.* 34. *n.* 10. Engl *hic n.* 4. Pirh. *n.* 28. *fin.* Konig *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 7. Wiestner *n.* 8. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponf. c.* 5. *n.* 177. qui tamen monent, hac in re cujusque Ecclesiæ consuetudinem observandam: qua seclusa, alii cum Monacell. *p.* 1. *tit.* 8. *form.* 6. *n.* 1. requirunt ad hoc dispensationem Episcopi: imo Nicol. *Lucubr. civil. l.* 1. *tit.* 10. *de nupt. n.* 63. putat, quod sententia, quæ negat Episcopum posse in hoc dispensare, sit tutior, ubi non adest consuetudo; & hanc partem negativam teste Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 133. *n.* 90. secuta fuit S. Congr. Concil. 24

Quæritur 6. Quis dispensare possit, ut omittantur Denun- 25

Denuntiationes Matrimonii? Refp. attento Jure antiquo non poterat difpenfare Epifcopus; quia erant præcepta in Concilio Generali Lateranenfi, in cujus Lege nequit Epifcopus regulariter difpenfare, nifi quando periculum eft in mora, & ad Pontificem acceffus non datur. Hodierno Jure ex jufta caufa difpenfare, & remittere denuntiationes poteft Ordinarius; qui *hujus prudentiæ, & judicio Sancta Synodus* Trid. id *relinquit*, ut dicitur *feff.* 24. *c.* 1. *cit.* Dixi *Ex jufta caufa*; quia hæc eft de effentia Difpenfationis, cum Difpenfatio facta fine jufta caufa non fit Difpenfatio, fed diffipatio. Hinc, ut licite imo valide difpenfare poffit Epifcopus, neceffarium eft, ut prius de juftitia caufæ cognofcat; quod innuit Trid. dum enim remiffionem Denuntiationum relinquit prudentiæ, & judicio Ordinarii, permifit illam non cuicunque illius arbitrio, fed quod ratione regulatum fit, ut notat Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 5. *n.* 5. Segura *p.* 2. *Direct. c.* 16. *n.* 17. Gomez *Bull. cruciat. cap.* 4. *quæft.* 4. *num.* 26. Cevall. *opin. comm. quæft.* 604. *num.* 103. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. c.* 217. *num.* 3. *edit.* 2. Guttier. *de Matr. c.* 57. *num.* 1. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 8. *n.* 1. Barbof. *alleg.* 32. *n.* 38. fi Ordinarius abfque jufta caufa difpenfet in Denuntiationibus, peccabit lethaliter; quia agit contra Legem in materia gravi, ut notat Sanch. *D.* 8. *cit. n.* 2.

6 *Dub.* 1. Quifnam veniat hoc loco nomine Ordinarii? Refp. hoc nomine venit non tantum Epifcopus, & Sedis Apoftolicæ Legatus refpectu fuæ Provinciæ, fed etiam Capitulum Sede vacante, & Prælati quicunque, qui Jurifdictionem quafi Epifcopalem in certum territorium, & populum obtinent, & nulli Diœcefano fubjecti funt, ut cum Navarro, & alii DD. non pauci obfervat Sanch. *D.* 7. *citat. num.* 4. Barbofa *in cap.* 1. *Trid. cit. n.* 52. Vvieftner *h. c. n.* 9. Reiffenftuel *ibid. n.* 33. Quod contrahentes funt ex diverfis Diœcefibus, utriufque Prælatus poteft cum utroque difpenfare, & unius Difpenfatio fufficit; quia in hac re conjuges cenfentur quafi una perfona, & ratione connexionis caufæ uterque alterius Prælato cenfetur fubjectus. Sanch. *D.* 7. *cit. n.* 7. Guttier. *c.* 56. *n.* 6. Conink *D.* 27. *n.* 54. Barbof. *alleg.* 52. *n.* 11. Reiffenftuel *hic n.* 36. & probat praxis, ac confuetudo recepta.

7 Dub. 2. Utrum Denuntiationes remittere abfque fpeciali commiffione poffit etiam Vicarius Generalis? Negant Menoch. *conf.* 69. *num.* 55. *vol.* 1. *& de arbitr. caf.* 453. *num.* 5. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 5. *n.* 5. Pont. *l.* 6. *de Matr. cap.* 31. *num.* 5. ex ratione, quia in generali conceffione, aut commiffione Vicariatus non venit poteftas difpenfandi, nifi fpecialiter committatur, ut habet Gloffa communiter recepta *in can. quæ de cauf.* 9. *cauf.* 2. *q.* 5. *V. quidquid* Accedit Declaratio Cardd. ftans pro negativa, prout ex *Henriquez* teftatur Pont. *loc. cit.*

8 Sed melius affirmant Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 7. *n.* 10. Guttier. *de Matr. cap.* 56. *num.* 11. Conink *D.* 27. *num.* 55. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 4. *n.* 2. Barbof. *alleg.* 32. *n.* 28. Spetell. *dec.* 97. Gonzal. *in c. fin. hoc tit. n.* 7. Clericat. *de Matr. Decif.* 34. *n.* 17. Monacell. *p.* 1. *tit.* 8. *form.* 6. *num.* 4. Pirh. *hic num.* 26. Schambog. *num.* 26. Vvieftner *num.* 10. Reiffenftuel *num.* 34. & plurimi alii maximi nominis, & notæ DD. quibus favet plurium Germaniæ noftræ Diœcefium ufus, & praxis, quæ optima interpres Legum eft; imo patrocinatur ratio ipfa; nam Tridentinum poteftatem difpenfandi in Denuntiationibus concedit Ordinario, atqui Ordinarii nomine, fi materia Officio illius conveniat, & ipfe non fit expreffe exclufus, venit etiam Epifcopi Vicarius Generalis in Spiritualibus, quippe qui cum Epifcopo fuo idem Tribunal, & Jurifdictionem habet. ergo &c. *Conf.* Nam ut Paludan. *in* 4. *dift.* 28. *q.* 2. *art.* 3. *n.* 21. teftatur, Vicarius Generalis de generali confuetudine etiam ante Trid. in Denuntiationibus difpenfare poterat. atqui poteftas ifta per Concilium Trid. ipfi non eft adempta. ergo etiamnum poteft.

9 *Excipitur*, nifi Epifcopus facultatem difpenfandi in Denuntiationibus fibi refervare; tunc enim non poffet Vicarius Generalis Epifcopi. Guttier. *l.* 1. *qq. can. c.* 19. *n.* 15. Sanch. *loc. cit. n.* 13. ficut enim poteft Epifcopus totum officium revocare, ita & partem.

Ad Argumentum oppofitæ fententiæ dicendum, quamvis ex generali commiffione Vicariatus Vicarius Generalis Epifcopi non poffit difpenfare in omnibus, in quibus poteft difpenfare Epifcopus, poffe tamen in cafibus, in quibus Jus ipfum Ordinario in genere poteftatem difpenfandi concedit, prout fit in Denuntiationibus. *Ad Conf.* Declaratio illa non obftat; tum quia alii fideliffimi collectores eam non invenerunt; tum quia dato, quod exifteret, Vicarius adhuc poffet difpenfare ex vi confuetudinis, quam Trid. non revocavit.

Dub. 3. An Epifcopus poffit alicui delegare facultatem difpenfandi in Denuntiationibus? Negant nonnulli cum Menoch. *conf.* 69. *à numer.* 55. *volum.* 1. ex ratione, quia cum eligitur perfonæ induftria ad aliquod munus obtinendum, id delegari nequit *c. fin.* §. *is autem de Offic. delegat. & c. is cui* 12. *eod. in* 6. videtur autem in hac difpenfatione electa induftria perfonæ Epifcopi; tum quia Trid. eam remittit judicio, & prudentiæ Ordinarii; tum quia agitur de negotio arduo; ex quorum utroque induftria perfonæ electa colligitur. ergo &c. *Conf.* Ex generali principio, quod regulariter commiffio facta, nomine proprio, & Dignitatis expreffio, non tranfeat ad fucceflorem in Dignitate; & rationem DD. dant, quia videtur electa induftria perfonæ. atqui etiam Trid. expreffit in noftro cafu nomen Dignitatis, dum Ordinario difpenfationem committit. ergo &c. 30

Sed verius eft poffe Epifcopum facultatem hanc delegare alteri. Ita Hoftienf. *in c. litteras de reftit. fpoliat. paulo poft pr.* Abb. *in c. litteris n.* 2. *de in integr. reftit.* Rebuff. *prax. Benef. in forma Vicariatus num.* 155. Covar. *p.* 2. *de Sponfal. c.* 8. §. 10. *n.* 1. *fin.* Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 7. *n.* 20. & alii ab hoc *citt.* juxta quos Epifcopus caufa Matrimonialis poteft generaliter delegare. igitur etiam poteftatem difpenfandi in Denuntiationibus faciendis. Idem dicendum de Vicario Generali Epifcopi; quia etiam ipfe eft Ordinarius; & quamvis non poffit delegare poteftatem fuam omnem, conftituendo Vicarium alium poteft tamen delegare unam, vel plures caufas. Sanch. *n.* 21. & ibi *cit.* 31

Ad Argumentum oppofitum non eft univerfaliter verum, eligi perfonæ induftriam, quando negotium eft arduum, & committitur prudentiæ alicujus; fallit enim, quando delegatio fit perfonæ incognitæ, & indeterminatæ, ut Prælatis præfentibus, & futuris, prout hic contingit. *Ad Conf.* Simpliciter Regula ibi allata folum procedit, quando commiffio fit perfonæ cognitæ; fecus, fi fuerit incognita, & indefinite omnibus Ordinariis, etiam in futurum exstituris. 32

Quæritur 7. Quæ fint juftæ caufæ, ob quas Denuntiationes remitti poffunt? Refp. Has referunt Stephan. Gratian. *Difcept. for. c.* 83. *à n.* 15. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 9. *num.* 3. *& plurib. feqq.* Tann. *D.* 8. *quæft.* 3. *dub.* 6. *n.* 129. *& feqq.* Conink *D.* 27. *de Sacr. n.* 57. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 11. Barbof. *de poteft. Epifc. alleg.* 32. *n.* 40. *& feqq.* Pal. *tr.* 28 *Difp.* 2. *part.* 13. §. 4. *num.* 8. Gonzal. *in cap. fin. hoc tit. numer.* 7. Gobat *tr.* 10. *numer.* 481. Clericat. *decif.* 34. *n.* 19. Vallenf. *hic n.* 2. *&* 3. Engl *n.* 6. Pirh. *n.* 29. Konig *n.* 9. *&* 10. Vvieftner *n.* 12. Reiffenftuel *num.* 19. *& feqq.* Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Sponf. & Matrimonio cap.* 5. *à numer.* 189. & funt fequentes. 33

1 Quando adeft probabilis fufpicio, & timor, ne fi tot præceflerint Denuntiationes, Matrimonium malitiofe impediatur; tunc enim vel una tantum Denuntiatio fieri, vel etiam omnes remitti poffunt; meminit hujus caufæ ipfum Trid. *feff.* 24. *cap.* 1. *verf. quodfi de reform. Matr.* Addidi, *malitiofe*; fecus enim dicendum, quando adeft jufta impediendi caufa, ob notabilem difparitatem, vel quando parentes, qui impedire Matrimonium volunt, nulla utuntur violentia, fed precibus, & fuafionibus: quia hoc cafu nihil malitiæ adeft, fed jure fuo utuntur, bene confulentes filiis. Sanch. *loc. cit. n.* 10.

2 Si per Denuntiationes Sponfi exponerentur pudori, & ludibrio hominum: quod plerumque contingit, fi fenex cum juvencula, nobilis cum plebeia &c. fit copulandus. Proceditque hoc non tantum, quando timetur impediendum Matrimonium ob hanc difparitatem, ut quidam volunt, fed etiam, quando illius impediendi nullus eft timor; quia quædam fit irreverentia Sacramento, dum contrahentes irridentur. Sanchez *num.* 4. 34

3 Si ex publicatione Matrimonii probabiliter timeatur fcandalum publicum infamiæ, vel aliud damnum

damnum corporis; aut animi, ut si concubinarius concubinam, quæ publice existimabatur esse ipsius uxor, velit uxorem ducere; vel si publicus quidem est concubinarius, & ipse in articulo mortis constitutus, velit cum concubina contrahere Matrimonium, ut per illud proles ex ea suscepta legitimetur; tunc enim cum ipso dispensari in Denuntiationibus potest, cum nulla urgentior ratio assignari possit. Quod etiam extendit Sanch. *n.* 19. ad casum, quo nulla existente prole, concubinam, erga quam valde affectus est, ducere vult, ut in bono statu decedat, & securius hoc modo ad vitam alteram transeat; quia hoc maximæ saluti animæ competit.

35 4 Si Reges, Duces, aliique Magnates contrahant; horum enim connubia, quia ignota esse non solent, propterea etiam denuntiari non consueverunt. Quod extendunt Sanch. *n.* 7. Bosco *p.* 5. *D.* 11. *sect.* 10. *concl.* 6. *n.* 146. Reiffenstuel *hic n.* 24. etiam ad aliorum Matrimonia, quando nullius subest impedimenti timor; nam Denuntiationes fiunt causa detegendi impedimenti: & generaliter Navar. *Man. c.* 16. *n.* 37. docet, justam causam esse dispensandi, quando cessant omnia inconvenientia, ob quæ vitanda Denuntiationes fiunt; quia licet hoc casu non cesset Lex, finis tamen ejusdem cessant dat causam dispensandi in Lege.

5 Si Matrimonium semel solemniter celebratum, postea ob repertum latens impedimentum, renovato consensu, ratificandum est: quam causam ab omnibus admitti testatur Sanchez *numer.* 9. ad vitandum scandalum.

36 6 Si instet tempus Adventus, vel Quadragesimæ; quo prohibentur nuptiæ benedici, & simul periculum sit fornicationis inter Sponsos, vel dissolutionis Sponsalium casu, quo diutius differrentur nuptiæ; tunc enim, prævia tamen una Denuntiatione, dispensari in cæteris, & contrahi Matrimonium poterit.

7 Si repentinus casus offerret rationem contrahendi Matrimonium, ut si aliqui tanquam concubinarii comprehensi, vel comprehendendi sint à Judice, & ne plectantur, velint contrahere Matrimonium, ut possint dicere se esse conjugatos; nam hoc casu, ut *Sotus*, *Matienzo*, *Barth. & Petr. de Ledesma & Sanch. n.* 16. notant, olim licita erant Matrimonia clandestina. Igitur hodie saltem locus erit dispensationi in Denuntiationibus.

37 8 Si aliquibus valde expediat conjugium, & timeretur impediendum; & hanc ob causam Sanch. *n.* 15. pro justa causa dispensandi agnoscit, quando duo sibi fidem dederunt de Matrimonio contrahendo, & alter tam levis est, ut probabilis timor sit, hac levitate, vel aliis conjecturis attentis, fore, ut injuste à fide data resiliat; hoc enim casu utrique Sponso valde expedit contrahere, uni, de quo est timor, ne peccatum lethale admittat injuste resiliendo, alteri, ne Matrimonio, sibi ex justitia debito, defraudetur.

9 Ad dispensandum in Denuntiationibus sufficit quæcunque notabilis sive Spiritualis, sive temporalis commoditas, vel incommoditas, quæ ex Dispensatione data, vel negata oriri potest, & arbitrio Ordinarii justa censetur; quia ejusdem judicio id relinquit Concilium. Et ex hoc capite dispensari in Denuntiationibus potest cum milite desponsato, si urgeat repentinus discessus, & nisi statim copuletur, in continuo periculo incontinentiæ futurus sit; cum concubinario, qui cum concubina inire vult Matrimonium, ut in bono statu constituatur, & periculum sit, ne, dum Denuntiationes præmittuntur, commisceantur; cum puella deflorata; quam deflorator, damnum resarcire volens, intendit ducere, & timeatur, ne is mentem interea mutet.

38 His ergo casibus dispensare Ordinarius in Denuntiationibus faciendis potest, ut vel omnino omittantur, vel una tantum pro tribus fiat, vel post contractum Matrimonium differantur. Antequam autem dispenset, ut *n.* 25. dixi, necesse est, ut diligenter investiget, an causa, quæ prætenditur, revera subsit, & absit omne impedimentum, ut cum aliis *n.* 33. allegatis recte advertunt Coninck *D.* 27. *dub.* 6. *n.* 58. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 13. §. 4. *num.* 5. Perez *D.* 43. *sect.* 4. *n.* 13. Engl *hic n.* 5. Reiffenstuel *ibid. n.* 20. & indicatur in Trid. *sess.* 25. *c.* 18. *de reform.* ubi dicitur dispensandum, *causa cognita*. Hinc, ut cum *cit.* P. Engl advertit Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. & Matr. c.* 5. *n.* 197. usus obtinuit, ut quando ex hujusmodi causis dispensatur, Juramentum à contrahentibus præstetur, quod in nullius præjudicium, & sine omni Impedimento Canonico contracturi sint.

Dub. 1. Qualis hoc casu requiratur causæ cognitio? Aliqui cum Henriquez *l.* 11. *de Matr. c.* 5. *n.* 5. *in comment. lit. S.* Segura *p.* 2. *Direct. c.* 16. *n.* 17. Cephal. *cons.* 421. *numer.* 61. & 62. *vol.* 3. putant desiderari Judicialem, saltem summariam. *Moventur* 1. quia ex sententia *Bartholi*, *Alciati*, *Cephali*, & aliorum, ubi Lex aliquid faciendum ex causa præscribit, illa probanda est. 2. Quia probatio, & cognitio causæ judicialis requiritur ad dispensandum in Irregularitate contracta per Homicidium, ut patet ex Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de reform.* ibi, *Causa cognita*, *& probatis precibus*, *& narratis.* ergo eadem requiretur etiam ad dispensandum in Denuntiationibus. 3. Quia dispensatio hæc est pro utroque foro. ergo fieri cum causæ cognitione Iudiciali debet; alias non distaret ab ea, quæ est pro solo foro conscientiæ. 4. Quia dispensatio, ut sæpe dictum est, hoc casu committitur Judicio Ordinarii, sed quando illa judicio alicujus committitur, exigitur causæ cognitio, & quidem judicialis *arg. l. cum ii* 8. §. *vult igitur* 8. *juncto pr. istius Legis ff. de Transact.* 39

40 Sed dicendum, sufficere cognitionem causæ extrajudicialem: conf. non est necesse, ut Ordinarius servato Juris ordine, aut per testes juratos &c. indaget. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 8. *num.* 4. & 5. Gutier. *de Matr. c.* 57. *num.* 2. & *l.* 1. *can. qq. c.* 19. *n.* 12. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 13. §. 4. *num.* 6. Bosco *part.* 5. *D.* 15. *sect.* 10. *concl.* 6. *num.* 133. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 39. Reiffenstuel *hic num* 31. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 196. quia Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *cit.* agens de Denuntiationum dispensatione, & ejus causis, totum id relinquit Judicio, seu conscientiæ Ordinarii (judicium enim, & conscientia idem sunt, ut Sanch. *n.* 4. *cit.* notat) sed quoties aliquid committitur conscientiæ, & prudentiæ alicujus, non est necessaria probatio Iudicialis, ut constat ex *c. statutum* 11. juncta Gloss. *ibid.* §. *assessorem*. *V. relinquatur de rescript. in* 6. ergo &c.

41 Neque contrarium probant Argumenta adversæ sententiæ. *Ad* 1. id verum esse potest, ubi causa non committitur arbitrio, & conscientiæ Iudicis: ubi autem sic committitur, quamvis necessaria causa sit, & nota esse dispensanti debeat, non tamen est necessarium, ut ea probetur judicialiter. *Ad* 2. Casus ille specialis est, & in Trid. *loc. cit.* exprimitur, quod debeant probari preces: unde potius inde sumitur argumentum pro nostro casu, cum Tridentinum in hoc probationem non petat, conf. eam non requiri. *Ad* 3. Adhuc longe dissidet Dispensatio hæc ab ea, quæ est pro foro conscientiæ tantum; nam in hac nullus recipitur testis, sed creditur petenti, & ab eo solo informatio petitur; at in dispensationibus Denuntiationum, cum pro utroque foro sint, recipiuntur testes: quamvis non in figura, & forma Iudicii, sed solum ad informandam Ordinarii conscientiam. *Ad* 4. In Transactione alimentorum, de quibus *loc. cit.* agitur, formam Iudicii præscripsit Lex ipsa; conf. est casus specialis.

42 Dub. 2. An aliquando ex causis allegatis possit Parochus ipse conjungere Matrimonio Sponsos, non præmissa Dispensatione Ordinarii? Resp. distinguendo; Vel enim periculum est in mora, & adiri non potest Episcopus, vel contra nullum est in mora periculum, sed differri contractus Matrimonii potest, cum adeatur Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis.

Si primum, potest Parochus, Denuntiationibus omissis, Sponsus conjungere Matrimonio, ut bene aliis *citt.* Sanchez *lib.* 3. *Disp.* 10. *numer.* 27. quia tunc quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum. Et casus hujusmodi sunt, si miles desponsatus subito avocaretur ad castra, & nisi statim copuletur, in continuo periculo incontinentiæ futurus sit: si concubinarius, in articulo mortis constitutus, ad effectum legitimandi prolem vel ut in bono statu decedat, velit contrahere Matrimonium; si propter ipsam moram, quæ ad requirendum Episcopum necessaria esset, Matrimonium malitiosè impediendum timeatur & cætera. Bosco *loco citato*. *Si secun-*

num. 67. Konig *hic num.* 9. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *cap.* 5. *num.* 188.

3 *Si secundum*, causa defetenda est ad Ordinarium, & ab ipso petenda Denuntiationum remissio; nam Parochus potestatem has remittendi non habet, nisi ex concessione Episcopi. Guttier. *de Matr. cap.* 36. *num.* 12. Sanchez *lib.* 3. *de Matr. D.* 7. *num.* 16. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. cap.* 5. *num.* 184. quia caret Jurisdictione fori externi, ex qua potestas remittendi Denuntiationes promanat. Quodsi Ordinarius licentiam, non præmissis Denuntiationibus, Matrimonio assistendi neget, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an casus talis sit, in quo Ordinarius tenetur dispensare, an vero talis, in quo quidem dispensare potest, sed non tenetur.

4 Si neget dispensationem in casu, in quo tenetur dispensare, potest Parochus, Denuntiationibus omissis, assistere Matrimonio; quia cum tunc illa sit debita, & injustè negetur, perinde est, acsi concederetur. Sanchez *lib.* 3. *cit. disp.* 10. *num.* 29. Bene tamen advertit Reiffenst. *hic num.* 46. casu, quo Ordinarius expresse negat dispensationem, ad quam dandam videtur teneri, non esse suadendum, ut Parochus Denuntiationes omittat; quia non ipse, sed Ordinatius in hac causa est Iudex in foro externo, & istius, non Parochi arbitrio, ac judicio relinquitur, an causa allegata revera sit una ex iis, in quibus debita est dispensatio. Et hinc si tali casu Parochus assistat, Denuntiationibus non præmissis, licèt in foro interno non peccet, in foro tamen externo puniri poterit.

5 Quodsi vero dispensationem Ordinarius neget in casu, in quo dispensare potest, sed non tenetur, non potest absque Denuntiationibus iniri Matrimonium: quia non quæcunque causa, quæ sufficiens est, ut cum aliquo dispensetur in præcepto, etiam sufficit, ut seclusa dispensatione, à transgressione illius aliquis excusetur; authoritas enim Superioris supplet id, quod deficit, ut causa ipsa excuset, alias impertinens esset dispensatio, utpote quæ non desideratur, quando sola causa excusare potest. Sanch. *D.* 10. *cit. n.* 30. Gobar *tr.* 10. *n.* 439. Reiffenstuel *n.* 40.

6 *Neque obstat*, quod in Legibus locus sit interpretationi per Epikiam; nam huic solum locus est in casu necessitatis, quo Lex moraliter non est observabilis: in quo casu Parochus interpretari, & declarare Legem Ecclesiæ potest, quod illa hic, & nunc non obliget, & Denuntiationibus non præmissis, assistere Matrimonio. Sor. *in* 4. *dist.* 28. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. §. *ex his* Navar. *Man. c.* 12. *n.* 70. Lopez *p.* 1. *Instruct. c.* 39. §. *ex prædictis*. Guttier *de Matr. c.* 57. *n.* 6. Sanchez *D.* 10. *cit. n.* 29. Conink *D.* 27. *de Sacram. n.* 52. Pont. *de Matr. l.* 5. *c.* 32. *num.* 7. Layman. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 11. *vers. his adde*, Tann. *D.* 8. *q.* 3. *dub.* 6. *num.* 132. Gotat *tract.* 10. *Theol. exper. n.* 494. Bosco *p.* 5. *D.* 11. *sect.* 10. *concl.* 4. *à n.* 67. Monacel. *p.* 3. *tit.* 2. *form.* 5. *num.* 14. Engl *hic n.* 5. Pirh. *num.* 29. *in fin.* Schambog. *n.* 26. Vviestner *num.* 13. Reiffenstuel *num.* 37. 44. & 45. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. cap.* 5. *num.* 186.

7 Dub. 3. An, & quando, seu ob quas causas Ordinarius rogatus dispensare in Denuntiationibus debeat? Rosell. *V. dispensatio num.* 4. Sylv. *V. eod. quæst.* 1. *fin.* Armill. *V. dispensare n.* 14. Rebuff. *repet. c. postulastis not.* 3. *num.* 12. *de Cleric. excom. ministr.* & alii apud Sanchez *lib.* 3. *D.* 10. *num.* 2. docent Prælatum teneri dispensare, quoties subest justa causa; alias peccare. Fundantur 1. *can. Domino* 28. *dist.* 50. ibi, *Ut necesse sit illos restaurari in locum honoris, qui per pœnitentiam reconciliationem recepisse merentur Divinæ Pietatis*; & *can. quanto* 8. *caus.* 2. *q.* 5. *fin.* ibi, *Quia sicut in contumacia persistentibus severos nos esse convenit, sic iterum humiliatis, & pœnitentibus negare locum veniæ non debemus*. 2. Si Prælatus dispenset cum uno, non cum altero, licet iste eandem causam habeat, committit acceptionem personarum; igitur existente justa causa, dispensatio est debita ex Justitia distributiva, quippe quæ per acceptionem personarum læditur. 3. Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.* Ordinario dispensationem non committit absolutè, sed ejus prudentiæ remittit, quod verbum non liberam voluntatem, sed ratione regulatam denotat; ergo ubi recta ratio, & justitia causæ dictat dispensandum esse, tenebitur dispensare.

Sed dicendum, Ordinarium non teneri dispensare 48
in omnibus causis, in quibus potest. Ita Sanch. *loc. cit. num.* 3. Guttier. *lib.* 1. *can. qq. cap.* 20. *num.* 33. & *de Matr. c.* 57. *n.* 4. Conink *D.* 27. *dub.* 6. *n.* 59. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 5. *n.* 1. Pont. *l.* 5. *c.* 31. *n.* 6. Reiffenstuel *hic nu.* 41. Ratio est, quia, ut *l. non quidquid* 40. *ff. de Judic.* optimè Papianus notat, *Non quidquid Judicis potestati permittitur, id subjicitur Juris necessitati*. Accedit, quia Dispensatio in Jure sæpius appellatur gratia, & misericordia, prout patet ex *can. didici* 15. *fin. caus.* 1. *q.* 7. ibi, *Dispensationis autem gratiam &c.* & ex *c. licet* 14. *de Elect. in* 6. ibi, *Possit Ordinarius gratiam Dispensationis facere*; quod autem ex gratia, & misericordia fit, non semper necessario fit; ergo &c.

Difficultas autem superest, quando Dispensatio sit 49
debita, & quando sit gratia? In qua re varii sunt sensus DD. Communior cum Sanchez *loc. cit. n.* 6. Guttier. *num.* 4. Conink *nu.* 37. Pal. *n.* 1. docet, tunc dispensari teneri Ordinarium, quando dispensatio servit vel pro bono communi, vel conducit ad acquirendum bonum notabile privati, vel ad avertendum periculum incurrendi notabile damnum in bonis animæ, corporis, aut fortunæ. *Ratio est*, quia Prælati Ecclesiastici ex officio tenentur providere bono non tantum communi, sed etiam particulari subditorum. In specie Ordinarius tenetur dispensare in causis omnibus allegatis *à num.* 33. excepta secunda de gravi erubescentia, & quarta de Magnatibus.

Argumenta opposita intentum non evincunt. *Ad* 1. 50
Illi textus intelligendi sunt vel de consilio tantum, vel si de præcepto etiam, solum procedunt, quando dispensatio est necessaria ad bonum commune, vel notabile alicujus privati. *Ad* 2. Acceptio personarum committitur, quando dispensatio est debita, & uni datur, negatur alteri: secus quando tantum est permissa, & gratuita; tunc enim potest Ordinarius, cessante scandalo, cum quo maluerit, dispensare, absque vitio acceptionis personarum, sicut concurrentibus duobus æque dignis potest Episcopus, utri illorum velit, conferre Beneficium. *Ad* 3. Negatur *Cons.* nam per *citat.* Trid. textum solummodo denotatur, quod Ordinarius non possit dispensare ad libitum, sed id debeat facere ex causa.

Quæritur 8. Quæ sit obligatio populi ad manifestandum 51
impedimentum post factas proclamationes, & Sponsorum ad nubendum? Resp. Sponsos Denuntiationes semel factæ obligant, ut intra quatuor menses contrahant, vel de novo Denuntiationes fieri patiantur. Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 55. Bonacin. *de Matr. q.* 4. *p.* 6. *n.* 1. *vers. quarto*. Reiffenstuel *hic num.* 48. & ita decisum esse à Cardd. refert Rebell. *p.* 2. *l.* 4. *sect.* 2. *n.* 8. & meritò; quia facile contingere posset, ut interea interveniat novum impedimentum.

Cæteri de populo per se loquendo obligantur sub 52
peccato mortali, non solum ex præcepto Ecclesiæ, sed etiam Divino, & naturali, ut Impedimentum detegant, si quod intercedit inter sponsos. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *cas.* 9. *num.* 27. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 10. *num.* 21. Navar. *Man. cap.* 22. *nu.* 83. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 14. *num.* 5. *fin.* Sanch. *lib.* 3. *de Matr. D.* 13. *num.* 2. Guttier. *de Matr. cap.* 59. *nu.* 9. Coninck *D.* 27. *de Sacr. num.* 61. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 6. *n.* 5. Pirh. *de Cognat. Spirit. n.* 14. Schambog. *hic num.* 27. Vviestner *num.* 14. Reiffenstuel *num.* 49. Ratio est, quia manifestatio hæc pertinet ad vitandam ruinam Spiritualem, & grave peccatum proximi, atque ad avertendam irreverentiam Sacramenti, ad quod omnes præcepto Divino, & naturali graviter obligantur.

Dixi *per se loquendo*; nam plures sunt Exceptiones ab 53
ista Regula. 1. *excipitur*, si Matrimonium aliter impedire hujusmodi impedimenti conscius possit, e.g. admonendo Sponsos, ut à nuptiis desistant, vel pro dispensatione sollicitent. Estque admonitio hæc regulariter præmittenda semper, quando impedimentum oritur ex peccato occulto; quia Lex Charitatis postulat, ut peccatum proximi vitetur, cum quam fieri potest, minimo illius damno. Sanch. *D.* 13. *citat. num.* 3. & apud ipsum *Driedo*, *Navarrus*, *Covaruvias*, *Gutierez*, *Henriquez &c.* 2. *excipitur*, si ex sua revelatione grave damnum sibi, aut aliis secuturum probabiliter prævideret. 3. *excipitur*, si prudenter credat, nihil se pro-

se profuturum, aut revelationem bona fide contrahentibus obfuturam. 4. *excipitur*, si probabiliter timeat revelationem parituram grave apud alios scandalum. 5. *excipitur*, si novit contrahentes impetrasse dispensationem occultam pro foro conscientiæ.. His enim casibus impedimenti conscius ad ejus manifestationem non obligatur, ut docent Navar. *Man. cap.* 22. *nu.* 33. Sanch. *D.* 13. *cit. num.* 3. 4. *&* 8. Pal. §. 6. *n.* 5. *vers. notanter*, Gobat *tr.* 10. *n.* 537. Clericat. *decis.* 34. *num.* 16. Pirh. *hic n.* 31. Schamb. *n.* 27. Vviestner *n.* 14. Reiffenstuel *n.* 49. Magnif. P. Schmier *patr.* 3. *de Sponsal. cap.* 5. *numer.* 202.

54 Dub. 1. An ad manifestationem impedimenti obligetur, qui illud sub secreto novit? Negant aliqui teneri: in quam sententiam inclinare videntur Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *cas.* 9. *n.* 27. & Guttier. *l.* 1. *can. qq. cap.* 11. *num.* 27. ubi dicunt conscium impedimenti teneri denuntiare, licet detectum sit ei petendo consilium, non tamen adjecto, committi sub secreto; unde à contrario sensu videntur sentire non teneri, quando committitur sub secreto.

55 Sed dicendum est teneri denuntiare, quantumvis sub secreto committatur extra Confessionis sigillum. Ita Sanch. *l.* 3. *D.* 13. *num.* 5. Guttier. *de matr. c.* 59. *num.* 5. Gonzal. *in c. fin. hoc tit. n.* 7. *fin.* Barbosa *alleg.* 32. *num.* 25. Reiffenstuel *hic num.* 49. Ratio est, quia juxta universalem Regulam apud S. Thom. 2. 2. *q.* 7. *art.* 1. *ad* 2. quem teste Sanch. *loc. cit.* omnes sequuntur, secreto commissa manifestanda sunt, ubi vergunt in damnum publicum, aut in præjudicium personæ tertiæ. Hoc autem secretum est hujusmodi; vel enim contrahentes in bona fide sunt, vel contra in mala. Si in bona, reticentia impedimenti tendit in præjudicium ipsorum, dum nulliter contrahunt, non contracturi, si impedimentum rescirent. Si in mala, & tunc si unus illorum tantum in mala fide sit, alter innocens graviter decipitur; si autem uterque, & tunc vel est impedimentum dirimens, & reticentia illius cedit in præjudicium Matrimonii, quod hoc modo nulliter contrahitur; vel est impediens, & tendit reticentia in irreverentiam Sacramenti, in damnationem contrahentium cum eo impedimento, & sæpe in damnum tertii, cui frangitur fides, ut si impedimentum sint priora Sponsalia inita cum alia.

56 *Proceditque hoc* 1. Etiamsi secretum commissum esset Juramento firmatum; quia Juramentum ad secretum servandum non obligat, quando ejus reticentia esset præjudiciosa bono publico, vel cederet in damnum tertii, aut ipsius etiam, qui secretum commisit, prout illud fit in casu præsenti. *Procedit* 2. Quamvis impedimenti conscius illud acceperit sub Confessionis secreto extra Confessionem tamen, ut si ipsi dicatur, *Hoc tibi detego sub Sigillo Confessionis*; nam si reipsa non deponat Confessionem Sacramentalem, revera secretum hoc est merè naturale; cons. non magis obligat, quàm secretum sub juramento commissum. Sanch. *num.* 6. *Procedit* 3. Etsi ille, qui secretum commisit, id faciat genu flexo, facto crucis signo, & dicta Confessione generali; adhuc enim Confessionis Sigillum non est, quando non detegitur animo confitendi, sed tantum gratia dandi, aut petendi consilium. Sanch. *loc. cit.*

57 Dub. 2. An obligetur ad manifestationem impedimenti is, qui id solus novit? Negant Major *in* 4. *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 3. Sà *V. Matrimonium num.* 23. Pont. *lib.* 5. *de Matr. cap.* 34. *a num.* 6. Rationem dant, quia uni testi non creditur; cons. talis impedimenti revelatio nullius foret utilitatis.

Sed melius respondetur affirmativè cum Abb. *in cap. super eo* 22. *de test. & attest. num.* 2. Navar. *Man. c.* 22. *num.* 83. Covar. *part.* 2. *de Sponsal. cap.* 6. §. 10. *num.* 21. Henriq. *l.* 11. *cap.* 14. *num.* 5. Guttier. *de matr. c.* 59. *n.* 2. Conink *D.* 27. *de Sacr. n.* 67. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 25. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 6. *num.* 6. Gonzal. *in c. super cit. n.* 3. Gobat. *tr.* 10. *n.* 534. Vviestner *hic nu.* 15. Reiffenstuel *ibid. n.* 49. Ratio est, quia quando agitur de vitando peccato, & matrimonio cum impedimento non contrahendo, unius etiam non jurati testis depositio in foro externo admittitur.

Atque hinc cadit ratio in contrarium; quia Regula ibi allegata solum procedit, quando agitur de crimine aliquo puniendo, vel de Jure alteri jam quæsito auferendo, aut de Matrimonio dissolvendo.

Dub. 3. An denuntiare impedimentum teneatur etiam is, qui illud novit ex solo auditu? Resp. Distinguendo; nam si audivit à persona fide digna, ea non denuntiante, tenetur manifestare ipse; quia notitia, ex auditu habita à personis fide dignis, est vera notitia, fidem faciens, potestque Prælatus personam fide dignam, à qua denuntiator audivit, citare, & ejus testimonium accipere. Navar. *Man. c.* 25. *n.* 46. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 217. *n.* 9. Sanch. *l.* 3. *D.* 13. *n.* 7. 58

Secus autem est, si persona, à qua audivit, non est fide digna; quia cum fidem non mereatur, ex ejus dicto denuntians impedimentum levitatis notam non evitaret. Navar. *num.* 46. *cit.* Cordub. *l.* 1. *Quæst. quæst.* 43. *dub.* 2. §. *sexto.* Petr. Navar. *l.* 2. *de restit. edit.* 2. *cap.* 4. *part.* 2. *dub.* 10. *n.* 108. Guttier. *l.* 1. *qq. can. c.* 11. *num.* 71. Sanch. *loc. cit.* Idem dicendum de eo, qui audivit, nec meminit, à quo audiverit, vel audivit à persona nihil certum sciente. Sanch. *loc. cit.*

Dub. 4. An si Ordinarius petat à volentibus contrahere Matrimonium, an laborent impedimento aliquo ipsi hoc debeant manifestare, quamvis occultum sit? Videntur non teneri, ex eo, quia Judex inquirere nequit, si infamia non præcedat *c. qualiter* 17. *de accus.* igitur non interrogat in hoc casu Juridice. Atqui non interroganti Juridice non est obligatio respondendi. 59

Sed dicendum, teneri ad impedimentum manifestandum, vel saltem ad abstinendum à Matrimonio. Ita Henriq. *l.* 10. *de Sacr. Ord. c.* 18. *n.* 2. *in commun. lit. D*, Sanch. *l.* 3. *de Matr. disp.* 14. *n.* 2. Ratio est, quia hic vertitur periculum animæ, ne impediti contrahant. Atqui ex doctrina Abbatis, Alexandri de Nevo, *Præpositi* communiter recepta, quotiescunque animæ periculum vertitur, potest exigi Iuramentum à reo, licet actor nihil probaverit. Ergo in hoc nostro casu poterit Ordinarius inquirere de impedimento occulto, etiam infamia non præcedente. *Conf.* à paritate cum suscepturo SS. Ordines, qui interrogatus tenetur pandere vitium occultum, quod ipsum reddit incapacem Ordinis, ut fatentur omnes, & constat ex *cap. nisi cum pridem* 10. *de renunt.* ibi, *Licet irregularitatem hujusmodi non potuerit subticere*, *i. e.* ut Gloss. *ibidem V. non potuerit*, explicat, *non debuerit de Jure, tempore suæ examinationis*.

Excipitur, si interrogatus de impedimento occulto, dispensationem impetrasset pro foro conscientiæ; tunc enim non tenebitur id fateri Judici. Sanch. *loc. cit. num.* 4. Ratio est, quia de Impedimento occulto interrogandi potestatem solummodo Ordinarius habet, ut vitetur peccatum: quod in hoc casu contrahentes jam vitant. Aliud foret, si curreret fama publica de illo impedimento, aut accederent indicia alia: tunc enim volens contrahere tenetur fateri veritatem; quia cum Dispensatio illa solum profit in foro interno, Judex eo casu interrogat juridice. 60

Ad rationem dubitandi textus *c. qualiter cit.* solum loquitur, quando Iudex inquirit ad puniendum delictum; secus ubi ad vitandum peccatum futurum.

Quæritur 9. Quod sit officium Parochi, si impedimentum aliquod, inter Sponsos latens, ad ipsum delatum fuerit? Resp. Si extra Confessionem à contrahentium altero, vel ab aliis illud ad ipsum delatum sit, debet Matrimonii celebrationem Sponsis interdicere. *c. fin. pr. vers. cum autem*, *&* §. *fin. hoc tit.* De impedimento tamen cognoscere non potest, sed ejus cognitio pertinet ad Ordinarium, ad quem proinde illud deferre debet, ut rectè notant Guttier. *de Matr. c.* 60. *n.* 2. Sanch. *l.* 3. *disp.* 15. *num.* 3. Conink *de Sacram. n.* 66. Pal. *tr.* 28. *disp.* 2. *part.* 13. §. 7. *num.* 2. *&* 3. Honor. *hic n.* 7. Schamb. *n.* 27. & sumitur ex *c. fin. V. cum autem cit.* ubi Pontifex utitur verbo *Constituerit*, quod Iudicialem potestatem importat *c. exhibita* 19. *de Judic.* Parochus autem potestate Iudiciali caret. *Proceditque* hoc, etiamsi esset Impedimentum tantum impediens, e. g. Sponsalium prius cum alia persona contractorum; nam si hoc sciat Parochus, non potest Matrimonio sic impediri assistere, ut contra Seguram *part.* 2. *Direct. cap.* 15. *numer.* 12. rectius docet Sanch. *loc. cit. n.* 5. imo ipse etiam Ordinarius non potest eo casu dare Parocho licen- 61

licentiam assistendi, sed tenetur sic impeditum compellere ad servanda priora sponsalia, nisi causa justa ab his resiliendi probetur.

Dub. 1. Quid dicendum, quando Parocho constat de impedimento occulto extra Confessionem e. g. de Voto Castitatis, quod vovens vel negat se fecisse, vel fatetur se fictè fecisse? *Certum est*, si certo constet Parocho de Impedimento, & contrahere volens petat Matrimonium occultè coram duobus solis testibus, eum repellendum, etsi dicat, se ficte votum fecisse; quia ubi constar de verbis Votum significantibus, præsumitur adfuisse etiam vovendi animus, contra quam præsumptionem aliquid afferenti in foro externo non creditur. Sanch. *disp.* 15. *num.* 9.

3 *Difficultas est*; an casu, quo impedimentum occultum est, & Parocho certo cognitum, assistere is Matrimonio possit, si id petat publicè? Videtur debere assistere. 1. Quia peccatori occulto petenti publicè Eucharistiam, quamvis recipiendo peccet mortaliter, nequit Parochus eam negare, ut docet Sanct. Thom. 3. *p. quæst.* 80. *art.* 3. quem teste Sanch. *num.* 8. sequuntur omnes; quia petit jus suum, quo privari nequit, nisi ob manifestam causam, & tenetur Parochus famam ejus servare illæsam. Ergo eadem ratione, licèt petens Matrimonium cum impedimento occulto peccet, quia tamen jus suum petit, & infamari non debet, tenetur Parochus Matrimonio ejus assistere. 2. Laborans Impedimento occulto, e. g. irregularitate, si à proprio Episcopo petat Ordines publice, non potest repelli *cap. ex tenore* 4. *de temp. ordin. in fin.* ibi, *Quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere.* Igitur neque Parochus repellere à Matrimonio potest petentem publicè, si impedimentum occultum sit. 3. affectus peccato lethali, si Matrimonium petat publice, licet graviter peccet contrahendo, non potest repelli à Parocho. Ergo nec repelli potest à Matrimonio, si impedimentum occultum, quod obest contractui, sit tantum impediens.

4 Sed dicendum, si Parocho constet de impedimento occulto, non posse illum etiam publicè Matrimonio tali assistere. Sanch. *loc. cit. num.* 11. Ratio est, quia ubi opponitur impedimentum, non est Parochi de illius veritate discutere, sed tenetur ille rem referre ad Ordinarium. *Neque obstat*, etiamsi nullus impedimentum illud opponat; tenetur enim ipse opponere coram Ordinario, sicut quilibet alius teneretur, imo à fortiori, cum ipsi incumbat ex officio impedimenta investigare, & saluti spirituali ovium suarum consulere.

5 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Negatur paritas; nam Matrimonium petens cum impedimento occulto, Jure impeditur contrahere: non impeditur à susceptione Eucharistiæ peccator occultus. *Ad* 2. Episcopus eo casu petentem publice Ordines debet ordinare, licet ipse sciat eundem laborare impedimento occulto; quia cum ipse Judex sit, nequit esse testis: cons. impedimentum omnino est improbabile: Secus de Parocho, qui cum Judex non sit, potest testificari de impedimento; cons. deferre ad Ordinarium, qui si discussa causa, secundum allegata, & probata pronuntiet nullum adesse impedimentum, tum demum Parochus assistet licitè; quia munus suum obit, nec cooperatur peccato proximi. *Ad* 3. Dispar est ratio in aliis peccatis; cum enim Ecclesia de occultis non judicet, non potest ob illa impedire Matrimonium in foro externo; potest autem ob impedimentum occultum, si illud unius testimonio probari possit, prout hic contingit; potest enim Parochi testimonio probari impedimentum.

6 Dub. 2. Quid dicendum, quando Parochus, vel Ordinarius novit impedimentum, sed simul etiam novit impeditos obtinuisse dispensationem in illo pro foro interno conscientiæ? Resp. Distinguendo; nam si nullus denuntiet impedimentum coram Parocho, vel Ordinario, possunt hoc casu isti dissimulare, & sic impeditos conjungere Matrimonio. Henriq. *l.* 14. *de irregularitate c. ult. n.* 1. *in Comment. lit. E.* Sanch. *l.* 3. *disp.* 15. *num.* 14. Ratio est, quia quamvis ex officio teneantur investigare impedimenta, id evenit, ne impediti contrahendo delinquant, non autem delinquunt in casu præsenti. Igitur si de dispensatione obtenta constet, absque culpa Matrimonio conjungi poterunt.

At si denuntiet aliquis impedimentum illud Parocho, hic jam non amplius potest Sponsos, quamvis per dispensationem pro foro interno conscientiæ absolutos, conjugere, sed deferre illud ad Ordinarium debet, qui si revera per allegata, & probata cognoverit impedimentum denuntiatum subesse, compellere Sponsos debet, ut vel à Matrimonii contractu abstineant, vel dispensationem impetrent etiam pro foro externo. Navar. *de privileg. cons.* 5. *edit.* 1. *& de Judic. cons.* 4. *edit.* 2. Vega *l.* 6. *Summ. cas.* 143. *ad fin.* Sanch. *D.* 15. *cit. n.* 15. Ratio est, quia dispensatio illa limitata est pro foro interno tantum. Limitata autem causa limitatum producit effectum *l. in agris* 16. *ff. de acquir. rer. domin.* & actus agentium non operantur ultra intentionem illorum *l. non omnis* 19. *ff. de reb. credit.* 67

Dub. 3. Quomodo se gerere debeat Parochus, qui Impedimentum ab altero contrahentium intellexit in ipsa confessione Sacramentali? Resp. Hoc casu monere quidem illum in Confessione potest, & debet, ut à contractu Matrimonii desistat; imo si monitionem contemnat, absolutionem negare tanquam indisposito: si tamen ille Matrimonium contrahere nihilominus velit assistentiam suam illi denegare non potest, prut sumitur ex *c. Sacerdotes* 2. *de Offic. Ordin.* & docent Armill. *V. Confessor n.* 7. Sanch. *l.* 3. *D.* 16. *n.* 4. Coninck *D.* 25. *n.* 70. Pal. *tr.* 27. *D.* 2. *p.* 13. §. 7. *n.* 5. Vviestner *hic n.* 17. Ratio est, quia notitiæ, in Confessione acceptæ, ad actus exteriores nullus est usus, ne Pœnitentiæ Sacramentum, ad æternam salutem Divinitus institutum, fidelibus onerosum, & odiosum reddatur. 68

Addidi *in Confessione*; nam ea jam finita, si monitionem omisit, etsi perperam omiserit, non tenetur Confessor petere licentiam à pœnitente, ut eum moneat extra Confessionem de peccato, quod vult admittere; quia ut S. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. cum communi tradit, ex auditis in Confessione non arctatur Confessor ad aliquid faciendum, vel omittendum, aut remedium adhibendum extra illam, cum notitia ea solum sit ad forum Pœnitentiæ. Accedit, quia multi pœnitentes ægre ferrent eam licentiam peti, ac peccati confessi memoriam refricari; vellent enim peccata omnino excidisse memoria. Sanch. *loc. cit. n.* 6. 69

Dub. 4. An Denuntiationes ante Matrimonii contractum omissæ suppleri debeant post illius contractum ante consummationem illius? Resp. Cum distinctione: Vel enim remissæ illo sunt, vel solum per dispensationem Episcopi prætermissæ. *Si primum*, suppleri non debent, cum obligatio illarum pro eo casu sit omnino per dispensationem sublata. *Si secundum*, post nuptias, ante cosummationem Matrimonii, faciendæ sunt, ut si forte impedimentum dirimens subsit, illud facilius detegatur; alioquin conjuges peccabunt mortaliter illud consummando. Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 11. *num.* 3. Pal. *tr.* 28. *disp.* 2. *part.* 13. §. 5. *num.* 6. Zoes. *hic num.* 3. Engl *num.* 5. Pirh. *num.* 30. & colligitur ex Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* ubi præcipit, *Denuntiationes ante Matrimonii consummationem in Ecclesia fieri, nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denuntiationes remittantur*: quod præceptum, cum materiam gravem respiciat, sub culpa mortali videtur obligare. 70

Ratio est; quia hi contrahentes tenebantur Denuntiationes præmittere contractui Matrimonii. Igitur cum in hoc dispensatum cum ipsis sit, tenebuntur saltem illas præmittere ejus consummationi; non præmittentes autem contractui Matrimonii, seclusa dispensatione, vel causa necessaria, peccant mortaliter, etiamsi adhibeant omnem deligentiam, ut resciant, an impedimentum aliquod inter ipsos occultum sit. Ergo etiam peccabunt mortaliter, qui sine dispensatione omissas denuntiationes ante Matrimonii consummationem non supplent; nam idem violatur præceptum. 71

Proceditque hoc, non solum, si prima vice consummetur Matrimonium ante Denuntiationes suppletas, sed etiam si postea sæpius, quia est eadem Ratio, & idem imminet fornicationis periculum, cum nondum sit adhibita diligentia à Jure præscripta, ut impedimenta, quæ forte latent, detegantur. Ita Guttier. *de Matr. c.* 58. *nu.* 2. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 5. *num.* 6. Barbosa *alleg.* 32. *n.* 3. contra Henriq. *l.* 11. *de matr. cap.* 16. *num.* 1. & alios, qui putant solum prima vice peccari mortaliter, & utuntur exemplo jejunii, quod siquis transgressus sit per secundam 72

dam refectionem, non amplius contra illius præceptum mortaliter peccatur per tertiam.

73 Quæritur 10. Quæ sint pœna Matrimonii Clandestini ob omissas illius Denuntiationes? Resp. Si Denuntiationes absque dispensatione, & nulla justa causa urgente, omissæ sunt, & Matrimonium sine illis contractum est cum impedimento dirimente, proles ex ejusmodi Matrimonio susceptæ sunt illegitimæ, quamvis impedimenti ignorantiam habuerit uterque contrahentium, prout statuitur *cap. fin. §. siquis vero hoc tit.* & ratio ibi additur, quia ita contrahentes præsumuntur habere scientiam latentis impedimenti, vel ignorantiam illius saltem affectatam, quæ scientiæ æquiparatur, ac proinde non bona fide contraxisse. Et hinc disparitas est cum casu, quo vel uterque, vel alteruter Matrimonium cum impedimento occulto bona fide, præmissis Denuntiationibus, & aliis ex præcepto Ecclesiæ præmittendis, contraxit; nam istorum filii, etsi Matrimonium invalidum sit, legitimi sunt, licet ante dispensationem in impedimento sint procreati *c. ex tenore 14. qui fil. legit.* Ratio disparitatis est, quia ideo solum ex Matrimonio putativo geniti sunt legitimi, quia saltem alter parens fuit in probabili ignorantia impedimenti, & bona fide contraxit. Atqui ratio ista cessat, quando Matrimonium, omissis Denuntiationibus, contrahitur cum impedimento dirimente; quia contrahentium ignorantia non amplius est probabilis, cum omiserint ea, quæ ad inquirendam veritatem requiruntur. Ergo &c.

74 *Conf.* 1. Ignorantia non excusat eum, qui non adhibuit debitam deligentiam inquirendo in id in quod inquirere tenebatur; talis enim ignorantia est indirecte voluntaria, ut egregie S. Thom. 1. 2. *q. 6. art.* 8. *Corp. & q. 16. art. 6.* quem sequuntur TT. omnes. Hoc autem fecerunt, qui contraxerunt, Denuntiationibus non præmissis. Ignorantia eos excusare non debet.

Conf. 2. Si ambo Parentes sciant impedimentum Matrimonii, licet contrahant in facie Ecclesiæ, filii tamen ex iis geniti non sunt legitimi; quia cum sciant, se non posse legitime contrahere, & tamen contrahant, sunt in mala fide. Atqui contrahentes, non præmissis Denuntiationibus, æquiparantur scientibus, ut colligitur ex §. *siquis vero cit.* ibi. *Cum illi taliter contrahendo affectatores ignorantiæ videantur*. Ergo non minus illorum filii illegitimi erunt, si illorum Matrimonium ex impedimento aliquo occulto, postea detecto, invalidum sit.

75 Dub. 1. An dicta pœna Matrimonii clandestini, ut proles sit illegitima, locum habeat tantum, quando nullitas Matrimonii provenit ex impedimento Consanguinitatis, Affinitatis, aut alterius Agnationis, an vero etiam, quando oritur ex alio quocunque impedimento? *Primum* affirmant Gofred. *Summ. tit. qui fil. legit. num.* 11. Archidiacon. *in cap. cum in captivitate paulo post princ.* 34. *quæst.* 2. Vincent. *in c. ex tenore* 14. *qui fil. legit.* Zabarell. *in c. fin. hoc tit. n.* 4. Lupus *tr. de Matr. p. 2. n. 9. & 19.* Pont. *de Imped. matrim. c. 26. §. 7. vers. secundo.* Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 14. *num.* 3. & videtur hoc colligi ex §. *siquis cit.* ibi, *Si hujusmodi clandestina, & prohibita conjugia inire præsumpserit in gradu prohibito &c.* Quæ verba, cum soli Matrimonio, inter personas affines, consanguineas, & alias hujusmodi conjunctas clam inito conveniant, ad Matrimonia, inter personas aliunde impeditas inita, non videntur posse, aut debere extendi, quippe cum Constitutio ista pœnalis sit, afficiens proles omnino innocentes, ac propterea odiosissima, & quantum potest, restringenda.

76 Sed dicendum pœnam istam extendendam etiam ad Matrimonia Clam contracta cum impedimento quocunque, quod per Denuntiationes detegi potest. Ita cum præcipui nominis interpretibus *in cap. fin. cit.* docent Sylv. *V. legitimus n.* 1. Palæor. *de noth. & spuriis c. 9. num.* Covar. *de Spons. p. 2. c. 6. pr. n.* 12. Mascard. *de probat. concl.* 298. *n.* 6. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 42. *n.* 4. Coninck *D.* 27. *de Sacram. dub. 9. n.* 77. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. Barbos. *in c. fin. cit. n.* 13. Vvagner. *in Trid. sess.* 24. *c.* 1. *ad hoc tit. V. clandestina not.* 2. Pirh. *hic numer.* 37. Vviestner *ibidem num.* 89. Ratio est 1. quia esto, quod §. *siquis citat.* diserte solum mentio fiat affinitatis, & consanguinitatis, non obscure tamen etiam alia Impedimenta Constitutio illa comprehendit; nam *in princ. cap. citat.* Innocentius III. generaliter, *Clandestina*, inquit, *conjugia penitus inhibemus*; & post pauca, *Qui voluerit*, ait, *& valuerit, impedimentum opponat, & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat*, ut proinde mentio de impedimento gradus prohibiti videatur facta solum exempli causa, quod in eo frequentius, quam cum alio impedimento contrahi Matrimonia soleant. 2. Quia ratio eadem prorsus est in quocunque impedimento; nam cum quocunque impedimento parentes contrahant, si tale sit, quod per Denuntiationes detegi potest, videntur esse affectatores ignorantiæ, cum non adhibuerint deligentiam Jure præscriptam ad inquirendum impedimentum. Atqui ubi eadem omnino ratio expressa in textu militat, Lex quantumcunque pœnalis extendenda est ad illum casum, ex sententia communissima, & receptissima, teste Sanch. *loc citat.* ergo &c. 3. Quia privilegium legitimitatis *cap. cum inter 2. & cap. ex tenore 14. qui fil. legit.* solum conceditur illis prolibus, quæ susceptæ sunt à parentibus, qui cum impedimento occulto in facie Ecclesiæ contraxerunt. Igitur à sensu contrario manebunt illegitimæ, quæ susceptæ sunt à parentibus ex matrimonio clam, & Denuntiationibus non præmissis, contracto.

Dixi, *Quod per Denuntiationes detegi potest*. Secus 77
videtur dicendum, si matrimonium tale irritum sit ob impedimentum occultum, quod per Denuntiationes detegi nequit, v. g. ob defectum consensus in altero contrahentium; tunc enim, ut recte advertunt Sanch. *loc. cit. num.* 5. Layman *nu.* 6. Pirh. *num.* 37. proles, ex tali Matrimonio suscepta, erit legitima, si alteruter conjux in bona fide fuit: quia tali casu cessat ratio *§. siquis cit.* neque enim tunc affectasse ignorantiam impedimenti dici possunt, cum omni adhibita diligentia, id scire non potuerint.

Ad Argumentum Sententiæ oppositæ patet ex dictis, quod dispositio §. *siquis cit.* impedimenta comprehendat omnia, quæ per Denuntiationes detegi possunt. Deinde esto, illa non comprehendat, comprehendit, tamen ea illius ratio. Igitur juxta dicta *n. præc.* extendi debet ad omnes casus, comprehensos illa ratione, & hoc eo magis, quia *cap. cit.* dispositio favorem, & salutem animarum spectat.

Dub. 2. An pro illegitimis habendæ sint etiam pro- 78
les, susceptæ ex Matrimonio valido, contracto tamen, Denuntiationibus non præmissis? Affirmat quidem Maur. Anton. *Coron. Confess. p. 2. de Sacr. Ord. tit. de suscipient. Ordin. num.* 16. apud Sanch. *l. 3. de Matr. D.* 42. *num.* 8. Sed sine textu Juris, & contra torrentem DD. quos *loc. cit.* allegat *Sanchez*, qui propterea dicti Doctoris sententiam non audiendam dicit; & merito, quia pœna hæc *cap. fin.* §. *siquis cit.* solum imponitur, quando Matrimonium, non præmissis Denuntiationibus contractum, fuit invalidum ob ignoratum impedimentum. *Conf.* ex *cap. quod nobis 2. hoc tit.* ubi statuitur, *Si Matrimonia ita occulte contrahantur, quod exinde legitima probatio non appareat & personæ contrahentium hæc voluerint publicare, ea ab Ecclesia recipienda esse, & comprobanda, tanquam à principio in Ecclesiæ conspectu contracta.* Sed si à principio essent in conspectu Ecclesiæ contracta, filii inde nati essent legitimi, ergo &c. Sed hinc majus dubium, &

Controversia oritur, an casu, quo Matrimonium clan- 79
destinum ob ignorantiam impedimenti contractum fuit invalide, si hoc deinde publicetur, & approbetur ab Ecclesia eo, quod nullum detectum sit impedimentum, filii inde nati legitimi sint favore *cap. ex tenore 14. qui fil. legit. Certum est*, legitimos esse, qui nati sunt post approbationem, tunc enim cessat ratio §. *siquis cit.* habent enim parentes tunc legitimam causam ignorandi impedimentum.

Difficultas solum est de filiis natis, aut genitis ante Ecclesiæ approbationem. Negant Rossell. *V. illegitimus num.* 4. Angel. *V. filius num.* 12. Tabien. *V. eod. q. 5. num.* 6. Fundantur 1. quia §. *siquis cit.* generaliter traditur, filios susceptos ex matrimonio clandestino invalido ob ignoratum impedimentum, esse illegitimos. Sed hi revera suscepti sunt ex Matrimonio clandestino invalido. Ergo &c. 2. *cap. quod nobis cit.* post publicationem fingitur Matrimonium tanquam à principio in conspe-

conspectu Ecclesiæ contractum solum casu, quo *rationabilis causa non præpedit*. Præpedit autem in casu dato causa rationabilis, nempe impedimentum postea detectum. 3. non plus tribuendum est Matrimonio putatitio clandestino, quam valido in conspectu Ecclesiæ celebrato; sed verum Matrimonium superveniens non legitimat prolem, quando parentes ejus conceptæ, vel natæ tempore Matrimonio copulari non poterant *cap. tanta 6. qui fil. legit.* ergo nec putativum clandestinum legitimabit prolem ante approbationem illius genitam, cum eo tempore non potuerint parentes contrahere ob impedimentum dirimens ab ipsis ignoratum. 4. Danti operam rei illicitæ error nihil prodest *l. eum, qui nocentem* 18. §. *si injuria* 3. *ff. de injur.* sed contrahens clandestinè dat operam rei illicitæ. Ergo error impedimenti præcedens non prodest, ut filii, accedente Ecclesiæ approbatione, legitimentur.

Sed dicendum, legitimos effici filios, etiam ante approbationem Ecclesiæ natos, si postea tale Matrimonium publicatum, & Ecclesiæ authoritate, tanquam validum, fuerit comprobatum, licet postea detegatur impedimentum. Ita Joan. Andr. *in cap. quod nobis cit. n.* 4. Anchar. *num.* 6. Alex. de Nevo *n.* 7. Præposit. *n.* 4. Sylv. *V. filii quæst.* 8. §. 10. Armill. *V. filius n.* 14. Covar. *part.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 2. *n.* 16. *vers.* 12. Sanch. *lib.* 3. *de matrim. D.* 43. *num.* 4. Ratio est, quia Ecclesiæ approbatio purgat omne vitium Matrimonii clandestini, & tollit præsumptionem affectatæ ignorantiæ, quod fuit motivum *c. fin.* §. *si quis cit.* igitur sicut Matrimonium subsequens legitimat filios ante susceptos, ita & approbatio Ecclesiæ in nostro casu. *Conf.* Ante detectum impedimentum post publicationem Matrimonii pro legitimis habentur filii etiam ante publicationem suscepti. Ergo tales manent, licet detecto dein impedimento, conjuges separentur; nam legitimationis jus iis jam est quæsitum, & *factum legitimè retractari non debet, licet postea casus eveniat, à quo non poterat inchoari*, ut dicitur *Reg.* 73. *in* 6.

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Textus ille intelligendus est juxta *cap. quod nobis citat.* nisi scilicet Matrimonium postea approbetur ab Ecclesia; quia per eam approbationem purgatur vitium affectatæ ignorantiæ. *Ad* 2. Conditio illa, *Nisi rationabilis causa præpediat*, pertinet ad approbationem Ecclesiæ, ut sensus sit, Matrimonium sic publicatum approbandum, nisi tempore publicationis detectum sit impedimentum; nam si tum non apparet impedimentum, approbatur Matrimonium absolute, acsi à principio fuisset rite contractum. *Ad* 3. Disparitas est, quia Matrimonium subsequens non retrotrahitur ad legitimandos spurios, cum hos Jus ipsum expresse excipiat; retrotrahitur autem ad legitimandos filios susceptos ante publicationem ex matrimonio clandestino approbatio Ecclesiæ, quod hæc purget præsumptionem scientiæ. *Ad* 4. Major ibi posita vera est, dum non purgatur vitium illius erroris; conf. in casu nostro non procedit.

Dub. 3. Quænam alia sit pœna Matrimonii, sine præviis Denuntiationibus contracti? Resp. Præter hoc, quod filii ex tali Matrimonio suscepti, detecto impedimento dirimente, habendi sint pro illegitimis, insuper accedit pœna altera, dum scilicet personis, quæ Matrimonia, cum impedimento dirimente, etiam occulto, sine præviis Denuntiationibus contraxerunt, dispensationis super illo postea detecto obtinendæ spes adimitur, ut patet ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* ubi etiam ratio datur; quia *dignus non est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.*

Intelligendum autem hoc est non tantum de Dispensationibus, quas alii quidam inferiores Pontifice ex privilegio dare in gradu prohibito post nuptias bona fide contractas possunt; nam his *cap.* 5. *cit.* potestas dispensandi in hujusmodi impedimento aperte negatur in casu, quo nuptiæ celebratæ sunt, temere omissis Denuntiationibus. Conink *D.* 27. *de Sacram. dub.* 9. *n.* 81. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 16. *fin.* Sed *cap. cit.* dispositio extendenda est etiam ad Dispensationes Pontificias, cujus obtinendæ spes ibidem adimitur sic contrahentibus. *Neque obstat*, quod Concilium non possit Pontificis dispensationem interdicere, ejusque potestatem ligare; quia Concilium *cap. citat.* solum ostendit, ejusmodi dispensationem, præsertim si frequens sit, esse perniciosam Ecclesiæ: quo posito eam Pontifici non interdicit Concilium, sed Christus, qui Pontifici potestatem dispensandi dedit non ad destructionem, sed ædificationem Ecclesiæ. Videatur Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 45. *n.* 3.

Ex quo sequitur, in supplicatione pro dispensatione talis impedimenti necessario exprimendam esse omissionem Denuntiationum; alias dispensatio subsecuta erit subreptitia, & conf. invalida. Sanch. *n.* 3. *cit.* Vincent. de Justis *de dispens. Matr. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 117. Konig *hic num.* 25. *fin.* Ratio est, quia eo ipso, quod Concilium decernat, si contrahentes spe Dispensationis carere debere, constituit omissionem temerariam Denuntiationum, & Matrimonium sic contractum esse impedimentum ad dispensationem impetrandam, & conf. tacitè vult illud exprimi. Accedit, quia in Decretis Concilii Generalis nunquam visus est Pontifex dispensare, nisi specialem de hoc mentionem faciat. 84

85 Locum autem habet hæc pœna non tantum in casu, quo impedimentum, ob quod Matrimonium irritum est, est consanguinitas, vel affinitas, aut alia cognatio, sed intelligendum hoc de quocunque alio impedimento dirimente, quod per Denuntiationes detegi poterat, ut aliis relatis docet Sanchez *lib.* 3. *D.* 42. *num.* 7. Layman *n.* 16. *cit. vers. altera*, Barbosa *in cap.* 5. *Trid. cit. n.* 1. Pirh. *h. t. n.* 39. Wiestner *ibid. n.* 88. idque Curiæ Romanæ Stylo receptum esse testatur Corrad. *prax. Dispens. Apost. l.* 8. *c.* 3. *n.* 2. Nec immerito; quia quamvis hæc pœna sit, est tamen statutum in maximum animarum favorem, nempe ad vitanda Matrimonia irrita, quæ passim spe Dispensationis contrahebantur; & hinc non restringi, sed extendi debet: imo hæc non extensio, sed genuina intellectio, seu interpretatio Decreti Synodalis est, cum ratio, quæ militat contra Matrimonium in gradu prohibito sine præviis Denuntiationibus initum, etiam militet de matrimonio sic inito cum quocunque impedimento dirimente.

86 Dub. 4. An pœnæ istæ afficiant etiam illos, qui Denuntiationibus non præmissis, cum tali impedimento dirimente occulto, & à se ignorato contrahunt coram Parocho, & testibus? Negant Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 5. §. *est tamen dubium vers. secundo dicendum*, ex ratione, quia tale Matrimonium est in facie Ecclesiæ contractum, & conf. non clandestinum. Atqui pœna ista tantum statuta est Matrimoniis clandestinis. Ergo &c.

Sed responsio patet ex dictis *hoc tit.* nam duplici modo dici Matrimonium clandestinum potest, *uno*, quando id non contrahitur coram Parocho, & testibus; *altero*, quo illud initur, Denuntiationibus non præmissis. *Primo modo* quando initum est, invalidum est de Jure Trid. etiamsi nullum aliud impedimentum dirimens intervenerit, ut *infra nu.* 91. dicetur; conf. pœnam suam jam habet sic contrahens, cui Trid. ut constabit *ex n.* 131. addidit arbitrariam. *Altero modo* quando initum est, valeret, si non interveniret impedimentum: si tamen impedimentum aliquod interveniat, in odium matrimonii sic contracti §. *si quis* & Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *citt.* statutæ sunt duæ pœnæ hactenus relatæ.

Et hinc ruit Argumentum adversæ sententiæ; nam etiam matrimonium, coram Parocho, & testibus celebratum, si Denuntiationes præmissæ non sint, clandestinum dicitur. Igitur cum Jura loquantur generaliter, etiam illud subjectum erit pœnis hactenus relatis.

Dub. 5. Quæ sit pœna Parochi, vel alterius Sacerdotis extranei, si assistat matrimonio, Denuntiationibus non præmissis, celebrando? Resp. *c. fin.* §. *ult. hoc tit.* suspendi jubetur ab officio per triennium, vel graviori etiam pœna plecti, si culpæ qualitas postulaverit. Circa quam pœnam sequentia sunt advertenda. 87

1 Ea etiamnum hodie est observanda. Sanch. *l.* 3. *D.* 48. *num.* 5. Conink *D.* 27. *de Sacram. n.* 84. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 14. *nu.* 12. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 162. Pignatell. *tom.* 4. *consf.* 147. *num.* 14. Monacell. *part.* 3. *tit.* 2. *form.* 5. *nu.* 18. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *n.* 205. quia Trid. in hoc nullam statuit pœnam; conf. standum est dispositione *c. fin. cit.*

2 Ea suspensio non est latæ, sed ferendæ sententiæ. Salzedo *in pract. can. cap.* 73. §. *suspenditur lit. B.* Sanch. *D.* 48. *cit. num.* 2. Barbosa *alleg.* 32. *citat. num.* 161. Pirh. *hic num.* 42. *not.* 1. Engl *n.* 3. Konig *n.* 25. Reiffenstuel *n.* 51.

n. 51. & conflat ex sextu ibi, *Suspendatur*, quod actum, seu Ministerium Judicis in futurum exigit.

3 Ea suspensio, quia durationis tempus à Iure determinatum est, ante triennii lapsum relaxari, & ab ipsa absolvi Parochus non potest ab Episcopo. Guttier. *c.*75. *n.*22. Sanch. *D.* 52. *n.* 2. Pont. *l.* 5. *c.* 37. *n.* 11. Pirh. *hic n.* 44. Vviestner *ibid. n.* 89.

88 4 Eandem suspensionem incurrit Parochus, etsi ipse ejusmodi Matrimonio non assistat, si contrahendum non prohibeat, ut patet ex §. *fin. cit.* ibi, *Si Parochus tales conjunctiones prohibere noluerit*. Majol. *l.* 2. *de Irregul. c.* 25. *n.* 17. *&* 18. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 5. *n.* 6. Vega *l.* 6. *summ. cas.* 112. Sanch. *D.* 48. *n.* 5.

5 Ita suspensus ab Officio, redditus tamen Beneficii sui adhuc potest percipere; quia §. *fin. cit.* solum exprimitur suspensio ab Officio, non vero etiam à Beneficio, quæ cum sint distinctæ, una non trahit alteram. Rodriq. *tom.* 1. *summ. edit.* 2. *cap.* 221. *nu.* 4. Sanch. *D.* 51. *num.* 14. Pirh. *hic num.* 43. qui tamen monent, posse talem à Iudice etiam suspendi à Beneficio, si culpæ gravitas id exigeret.

§. II.

De Matrimonio Clandestino propter defectum Parochi, & Testium.

SUMMARIUM.

89 *Matrimonia clandestina Jure antiquo prohibita quidem fuere.*
90 *Valida tamen, & rata erant.*
91 *Nunc vero per Trid. irritata sunt.*
92 *Causa irritandi.*
93 94 95 *Hæ causæ non probant, quod sic contracta sint illicita Jure naturali.*
96 *Lege hac Tridentini non afficiuntur Infideles.*
97 *Nec fideles in locis, in quibus Trid. promulgatum, aut receptum non est.*
98 *Nam ut obliget hoc ejus Decretum, promulgari debet in singulis Parochiis.*
99 *Sed Decreto isto afficiuntur soli fideles, existentes in locis, ubi promulgatum, & receptum illud est.*
100 *In dubio promulgatio facta præsumitur ex diuturna ejus observatione.*
101 *Defectum Parochi non supplet quicunque numerus testium.*
102 *Nec à nullitate excusat ignorantia Decreti.*
103 *Et procedit, etiamsi Parochus sit mortuus, & nullus alius adsit, qui vices ejusdem suppleat.*
104 *Casus, quibus Matrimonium clandestinum antiquo Jure licitum erat.*
105 *An in his casibus defacto licitè, & validè contrahi possit?*
106 *Respondetur negativè.*
107 *Rationes dubitandi solvuntur.*
108 *&c. Utrum si incolæ locorum, in quibus Trid. receptum est, confluant in locum, ubi non est receptum, possint ibi contrahere clam?*
111 *Quid dicendum, si eo solum animo eò se transferant, ut possint clam contrahere?*
112 *Dicendum, invalide tunc contrahere.*
113 *Respondetur ad Argumenta opposita.*
114 *Quomodo contrahere possint Christiani, commorantes apud Infideles?*
115 *Vel Catholici, qui Hæreticis permixti degunt?*
116 *Quid si in loco Hæretico nullus sit Parochus Catholicus, vel tuto adiri nequeat?*
117 *An eo casu contrahere Catholici coram Prædicante possint?*
118 *An casu, quo Matrimonium invalidum, remoto impedimento, est renovandum, opus sit iterata assistentia Parochi, & testium?*
119 *Respondetur affirmativè, si impedimentum sit publicum?*
120 *An idem dicendum casu, quo impedimentum occultum omnino, nec probandi ejus sit ullum periculum?*
121 *Respondetur, tunc sufficere, si conjuges inter se solos consensum renovent.*
122 *Diluuntur Argumenta opposita.*
123 *An Matrimonium clandestinum vim saltem Sponsalium habeat? Conceditur de Matrimonio impuberum.*
124 125 126 127 *Negatur de Matrimonio puberum.*
128 129 *Ad clam contrahendum dispensare non potest Episcopus.*
130 131 *Pœnæ clam contrahentium.*
132 *Pœna Parochi assistentis Matrimonio sine testibus requisitis.*
133 *Sic assistens suspensionem triennalem de Jure non incurrit.*

QUæritur I. Quo Jure, an novo tantum, an vero etiam antiquo Matrimonia, clam sine Parocho, & testibus contracta invalida sint? *Certum est* 1. quod hujusmodi Matrimonia sint irrita Jure novo Trid. ut patet ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de ref. matr.* ibi, *Sancta Synodus --- hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit &c.* 89

Certum est 2. Quod eadem Matrimonia etiam Jure antiquo semper fuerint ab Ecclesia graviter prohibita, adeoque ex genere suo mortaliter illicita, ut patet ex *can. aliter* 1. *can. nullus* 2. *can. nostrates* 3. *can. Sponsus* 5. *&c. caus.* 30. *quæst.* 5. & expresse habetur in Trid. *cap. cit.* ibi, *Nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa* (Matrimonia clandestina) *semper detestata est, atque prohibuit.*

Certum est 3. Quod eadem Matrimonia olim ante Trid. fuerint vera, rata, & valida. Patet ex *cap. quod nobis* 2. *hoc tit.* ubi dicitur, si contrahentes clandestina Matrimonia, ea volunt in Ecclesia publicari, recipienda esse. Igitur fuerunt valida. Deciderunt hoc etiam P. P. Trid. *cap.* 1. *cit.* dum Anathemate damnant eos, qui ausi fuerint contrarium dicere. Hinc quando *can. aliter citat.* Matrimonium, sine solemnitatibus ibi præscriptis contractum, est dicitur non esse legitimum, & potius adulteria, fornicationes &c. dicendum est, quod non sint licita; quia Legibus non sunt conformia: vel ut Engl *hic num.* 10. respondet, *can. citat.* loquitur præsumptivè, quod scilicet præsumatur contra Matrimonium clandestinum, usque dum verum Matrimonium probetur; idque arguunt verba finalia *can. cit.* ibi, *Nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.* 90

Superest igitur, ut dicamus, Matrimonia ista irritata esse solum Iure novo Trid. Insurgunt quidem in contrarium Hæretici nostri temporis, & dubitabant olim ante Trid. Ruard. Tapper. *art.* 20. *Lovaniensi ante* §. *Professionem sacræ Religionis*, & Sot. *in* 4. *dist.* 28. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. & ratio istorum erat; quia Ecclesia non potest facere ex Sacramento non Sacramentum, sed Matrimonium clandestinum ante Trid. fuit Sacramentum. Ergo Ecclesia non potuit illud irritare. Sed facilis est argumenti hujus solutio, distinguendo Majorem: Ecclesia non potuit facere ex Sacramento non Sacramentum directè, h. e. mutando, vel tollendo materiam, aut formam à Christo determinatam. *Conc.* indirectè, mutando aliquid sub directione, & determinatione Ecclesiæ relictum. *Neg.* Nam Christus Matrimonium elevavit ad rationem Sacramenti sub ratione generali Contractus legitimi, formam autem, ut legitimus illesit, determinandam reliquit Ecclesiæ. Hinc illa irritando Matrimonia clandestina, tantum fecit, ut contractus, qui antea legitimus fuit, jam non sit legitimus, & non amplius habeat qualitatem requisitam à Christo. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 2. 91

Porro causæ irritandi gravissimæ erant, gravissima scilicet pericula animarum, aliaque incommoda, quæ ex hujusmodi Matrimoniis oriebantur; cum enim probari non potuerint fuisse inita, hinc factum fuit, ut contracta dissolverentur passim, & contraherentur nova, eaque adulterina conjugia. Quæ incommoda, & pericula cum secum trahant etiam Matrimonia præsumpta, immo illa revera clandestina sint, hinc eodem Tridentini Decreto cum clandestinis conjugiis etiam ista sublata sunt, ut adeo hodie Sponsalia de futuro per copulam carnalem, etiam affectu conjugali subsecutam, & per quoscunque alios actus occultos in Matrimonium non amplius transeant, nisi verus, ac mutuus consensus per verba, vel alia signa de præsenti coram Parocho, & testibus exprimatur, ut docet Navar. *Man. c.* 22. 28. *& c.* 25. *à n.* 144. Sanch. *l.* 3. *de matrim. D.* 40. *n.* 3. Guttier. *l.* 1. *q.* 9. *can.* 18. *n.* 8. & teste P. Vviestner *hic n.* 21. & cæteri uno ore, additque Guttier. *loc. cit.* ita declaratum à *S. Congr. Card. Trid. Interpp.* 92

Quæri-

Quæritur 2. An Matrimonia clandestina, sicut solo Jure Ecclesiastico sunt irritata, ita eodem tantum Iure sint illicita? Iure naturali illicita esse defendit Petr. de Soto *sect.* 14. *de Matr.* §. *primum*. Palatios in 4. *dist.* 28. *D.* 3. *pr.* Veracrux *p.* 1. *specul. art.* 10. *concl.* 2. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 3. *num.* 8. allegans pro se Sanct. Thom. *dist. cit. quæst. un. art.* 3. *ad* 3. in quorum proinde Sententia etiam Infideles, si nuptias clam contrahant, lethalis culpæ reatum incurrunt. *Rationem* dant; quia Matrimonia clandestina ex sua natura gravia mala secum trahunt,ceduntque in grave detrimentum ipsorum contrahentium, prolis, & Reipublicæ; *Contrahentium* quidem; quia cum ejusmodi Matrimoniorum contractus, ut dictum est, sufficienter probari nequeant, ansam præbent, ut unus alterius pertæsus, malitiosè transeat ad alias nuptias, & alterum etiam legitimum suum consortem in similis transitus periculum conjiciat; *Prolis* autem, quippe quam maritus facilè negare posset esse suam; quo fit, ut ea à patre deseratur, & male educetur; *Reipublicæ* denique, quia talibus conjugiis, & maximè eorum dissolutione necesse est perturbari maximè illius quietem, cum sic contingere possit, ut sæpe duæ, vel plures fœminæ eundem prætendant suum maritum esse, & vicissim plures viri eandem fœminam pro sua uxore venditent; quæ mala, cum sint gravissima, & non minora, imo majora, quam quæ affert vagus concubitus, & fornicatio, videtur consequi, quod Iure naturali etiam Matrimonia clandestina prohibita sint, sicut ob similia mala eo Iure prohibita est fornicatio, & vagus concubitus.

Sed dicendum, Matrimonia clandestina solo Iure humano, & positivo Ecclesiæ esse prohibita. Ita Cajet. *tom.* 1. *opuscul. tract.* 12. *de Matr. quæst.* 2. Sot. *dist. cit. quæst.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. Conink *D.* 27. *de Sacr. dub.* 1. *num.* 4. Hurtad. *de matr. D.* 5. *nu.* 3. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 2. *num.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *nu.* 1. *vers. spectato*, Perez *de matr. D.* 39. *sect.* 2. *n.* 4. *&* 5. Vallens. *hic t.* 1. Zoes. *n.* 1. Pirh. *n.* 2. Vviestner *n.* 28. & alii; quod etiam aperte insinuat S. Thom. *dist.* 28. *citat. art.* 2. *ad* 3. ubi non obscurè docet hujusmodi Matrimonia illicita esse, quia ab Ecclesia sunt prohibita. *Ratione* ostenditur 1. quia si Jure naturali essent illicita, illicita essent propterea, quod clandestinitas illorum contineret necessariam disconvenientiam cum natura rationali, & contrahentes ejusmodi Matrimonia, aut alios exponerent proximo, vel admodum propinquo periculo peccandi. Hoc non fit; quamvis enim memorata mala ex clandestinis nuptiis consequantur, non tamen illa cum his per se, & necessario connexa sunt, quippe quæ non ordinarie, sed rarius, & merè per accidens, nec omnium etiam pravorum, sed paucorum duntaxat hominum malitia, aut fragilitate ex iis oriuntur. 2. Non minus tristes & infelices exitus nascuntur ex nuptiis coactis, quæ tamen Jure naturæ valent; quia mala illa caveri poterant providentia Magistratus humani ejusmodi nuptias irritantis. Igitur cum pariter tolli mala, quæ ex nuptiis clandestinis oriri possunt, nuptiarum istarum prohibitione, aut irritatione valeant, non est dicendum, quod Jure naturæ aut prohibitæ, aut irritæ sint. 3. Nullus alius etiam Sponsalium contractus clandestinus Jure naturali illicitus est, ergo neque nuptiæ clandestinæ; nam earum contractus sequitur naturam cæterorum contractuum.

Ex his patet ad Argumentum oppositum, & simul etiam liquet, quod Infideles, seclusa Lege propriorum Magistratuum suorum, quibus id facere prohibeantur, nullius peccati reatum incurrant, si matrimonia clandestina ineant.

Quæritur 3. Quinam afficiantur irritatione Matrimonii clandestini ab Ecclesia facta? *Certum est* 1. ea non affici Paganos, & Judæos, quamvis etiam in territorio Ecclesiæ habitent, & Jurisdictioni temporali Papæ subjecti sint; quia Lex irritans Matrimonia clandestina est mere Ecclesiastica; cons. infideles, qui per Baptismum in Ecclesiam nunquam ingressi sunt, non concernit. Conink *D.* 27. *de Sacram. n.* 11. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 1. *vers. spectato*. Pal. *tr.* 38. *D.* 2. *p.* 13. a. 8. *n.* 6. Zoes. *hic n.* 25. Konig *num.* 27. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *n.* 83.

Certum est 2. Ea non affici etiam fideles, in quorum Provinciis Tridentinum nunquam est promulgatum, vel non receptum usu, ut olim in Gallia, aut contrario usu abrogatum, vel derogatum. Conink *num.* 11. *cit.* Layman *nu.* 7. Pal. *nu.* 3. Zoes. *nu.* 21. Pirh. *nu.* 9. Schambog. *n.* 8. Konig *n.* 27. Vviestner *nu.* 23. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 111. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tract.* 2. §. 4. *num.* 25. Magnif. P. Schmier *loc. cit. num.* 82. arg. *can. erit autem* 2. *dist.* 4. *cap. fin. de consuet. l. Leges* 9. *Cod. de LL.* & decernitur in Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim. in fin.* Dixi *olim in Gallia*; licèt enim in hac initio Decretum istud Trid. non fuerit receptum, aut publicatum, postea tamen id factum Parisiis testantur passim DD. Joan. Cabassut. *in Not. Concil. fin.* Andr. Mendo *Epitom. vers. Matrimonium n.* 45. Gobat *Exper. tract.* 9. *cas.* 18. *num.* 485. Bruno Neusser *Polyanth. D.* 182. *q.* 2. Vvex *num.* 25. *cit.* Adeoque etiam in hac moderno tempore Matrimonia clandestina sunt invalida.

Certum est 3. ad hoc, ut dictum Decretum obliget in aliqua Parochia, non sufficere, quod in Diœcesi sit promulgatum, sed necessario requiri, ut etiam in ipsa Parochia promulgatum sit, prout notant Fagnan. *in c. quod à Prædecessore* 1. *num.* 143. *de Schismat.* Barbosa *ad Concil. Trid. cap.* 1. *cit. num.* 169. Reiffenstuel *hic n.* 118. & clarè desumitur ex textu Trid. *cit.* ubi S. Synodus decernit, *ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post* 30. *dies habere incipiat à die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos:* Hinc mos est S. Congreg. Concil. quod dum in ea disceptari contingit super validitate Matrimonii initi in locis, ubi non constat, vel rationabiliter dubitatur, an Trid. promulgatum sit in loco Matrimonii, exquirat informationem, an in loco Matrimonii publicatio facta fuerit, prout novissime servavit *in Ratisbonens.* 9. *August.* 1704. *Excipitur*, nisi agatur de locis, in quibus publicatio ob Hæresin ab initio fieri non potuit, idemque Hæresis impedimentum etiamnum durat; nam hoc casu informationem super publicatione exquirere non solet, prout nec exquisivit *in Passaviensi Matrim.* 20. *Nov.* 1706. quod in casu quæstionis Matrimonium contractum fuerit Tiguri in Helvetia, ubi jam anno 1519. sedem fixit Zvvinglius Hæresiarcha, & etiamnum Hæresis continuat. Simili ex causa promulgatio non est inquirenda quoad Angliam, Scotiam, Hiberniam, Sueciam, Daniam, Pomeraniam, Saxoniam, Prussiam &c. quia prædicta Regna, & Provinciæ jam ante annum 1545. quo Trid. haberi cœpit, defecerunt à Fide Catholica, & cons. obstante Hæresi Decretum ejus promulgari non potuit. Vvex Ariadn. *part.* 5. *tract.* 2. §. 4. *num.* 25. In his ergo Provinciis valida erunt Matrimonia, non servata forma Trid. contracta, nisi aliud obstet. Vincent. Petr. *tom.* 4. *fol.* 78. *num.* 22. 98

Quare dicendum, Decreto hoc Trid. affici solos, & quoscunque fideles existentes in locis, in quibus illud publicatum, & usu receptum est. Neque ab observatione ejus excipiuntur Hæretici, si in talibus locis degant, in quibus Trid. promulgatum, atque receptum est; quia per Baptismum intra Ianuam Ecclesiæ recepti, & ejus subditi effecti sunt. Subditus autem, quamvis rebellis, utique ad Leges Superioris sui tenetur. Engl *hic num.* 20. *concl.* 5. Interim tamen, ut notat Konig *hic num.* 4. *concl.* 2. merito præsumitur de pia Matre Ecclesia, quod etiam horum Matrimonia sustineat propter mala maxima, ac pericula proventura ex eo, si illa essent invalida. Hinc practice probabile esse putat Hæreticos sine legitimo, i. e. Catholico Parocho valide contrahere Matrimonium in loco, ubi viget publicum suæ Religionis exercitium, licèt eadem sit communis tum Hæreticorum, tum Catholicorum Parochia, & in ea prius jam fuerit promulgatum Trid. ac receptum. Favent huic opinioni Tanner. *D.* 8. *q.* 3. *dub.* 16. Layman. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *num.* 7. Sporer *de Matr. n.* 35. & teste Konig *loc. cit.* plerique Germaniæ Doctores. 99

Porro quando dubitatur de hujus Decreti publicatione, utrum illa in aliquo loco facta sit, non est necessario probandus ipse actus publicationis, sed sufficienter præsumitur, si ipsum Decretum in tali Parochia tanquam Decretum Concilii aliquo jam tempore est observatum, ut resolutum referunt Fagn. *in cap. quod à Prædecessore* 1. *num.* 143. *de Schismat.* & Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 79. *n.* 40. idque luculentius elicitur ex verbis Resolutionis 100

in Con-

in Constantinopolit. 16. *Dec.* 1634. ubi S. Congreg. censuit, *Rituale Romanum de Sacramento Matrimonii observatum in singulis Parochiis Civitatis Pera tanquam Decretum Concilii, seu summi Pontificis Romani inducere sufficientem præsumptionem publicationis ejus Decreti, ita ut in celebratione matrimoniorum pro illorum validitate servanda sit forma ab eodem S.Concilio præscripta* apud Petram *tom.* 4. *comment.fol.* 81. *n.* 35.

101 *Atque ex his sequitur* 1. invalidum, & nullum esse Matrimonium, quod à fidelibus existentibus in loco ubi Trid. promulgatum, aut usu receptum est, contrahitur præsente solo Parocho, aut hoc solo absente coram alio quocunque numero testium, etiam in loco publico, & coram tota communitate. Navar. *Man. cap.* 25. *num.* 144. Guttier. *de Matr. cap.* 61. *n.* 8. Sanch. *lib.* 3. *de Matr. D.* 17. *num.* 7. Pirh. *num.* 7. *fin.* Vviest. *ibid. num.* 24. quia Trid. præsentiam Parochi, & testium indivisim exigit. Et hoc verum est, etiamsi vagi sint, aut peregrini, qui veniant ex loco, ubi Trid. non est receptum, & ibi habeant domicilium, ut bene docent Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub. ult. vers. primum certum est*, Sanchez *lib.* 3. *D.* 18. *num.* 26. Conink *D.* 27. *de Sacrament. dub.* 1. *fin.* Barbosa *de offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 155. Palao *tract.* 28. *D* 2. *p.* 13. §. 8. *num.* 5. Vvex Ariadn. *p.* 5. *tract.* 2. §. 4. *num.* 29. Engl *hic num.* 20. *concl.* 7. Schambogen *ibidem num.* 9. Pirh. *num.* 10. Vviestner *num.* 37. Et ideo si Hæretici venientes ex sua patria, ubi Trid. non est receptum, in loco, ubi illud receptum est, & Hæresis publicum exercitium non habet, veluti in Bavaria nostra, clam contrahant, invalide contrahunt; quia Contractus regulari debent secundum Leges, & consuetudinem loci, in quo celebrantur, & non solum cives, sed omnes ibidem contrahentes forum loci illius sortiuntur *cap. fin. de for. compet.* in omni enim loco observanda est forma substantialis Contractus, quæ pro illo loco præscripta est idque in specie deciditur etiam de Contractu matrimoniali *c. de Francia* 1. *de Sponsal.* ubi matrimonium contractum, non observata Lege, vel consuetudine patriæ, initum tamen secundum Leges loci, ubi uxor ducta est, pronuntiatur validum.

102 *Sequitur* 2. clam contrahentibus non patrocinari, quod bona fide ita contraxerint, quia ignorabant hanc Ecclesiæ Legem, ut recte Guttier. *cap* 61. *de Matr. à nu.* 10. Sanchez *D.* 17. *num.* 10. Pont. *lib.* 5. *de Matr. c.* 6. *n.* 18. Conink *D.* 27. *num.* 11. Pal. §. 8. *num.* 7. Pirh. *hic n.* 6. Engl *num.* 19. Schambogen *nu.* 8. Vviestner *n.* 26. quia licet invincibilis ignorantia eos excuset à peccato, Matrimonium tamen validum non potest reddere. *Conf.* ex Regula generali, juxta quam, quotiescunque Constitutio exprimit, à quo tempore debeat obligare, ab illo tempore etiam afficit ignorantes, quoad nullitatem actus, licet non afficiat quoad alias pœnas, ut plurimis aliis *citt.* advertit Sanchez *loc. cit.* atqui Trid. irritans Matrimonia clandestina, assignat tempus, à quo incipit obligare, nempe post 30. dies à die primæ publicationis, in qualibet Parochia factæ, numerandos; ergo ab illo tempore quoad annullationem Matrimonii etiam ignorantes obligat. *Neque obstat*, quod inhabilem aliquem reddere ad actum sit pœna, quæ invincibiliter ignorantes non afficit; dicendum enim, tunc esse pœnam, quando statuitur in odium contrahentium hujusmodi inhabilitas, secus, quando ex defectu solemnitatis, & formæ substantialis ad actum requisitæ; tunc enim solum indicat consensum esse illegitimum.

103 *Sequitur* 3. non valere Matrimonium, contractum sine Parocho, & testibus, etiam eo tempore, quo à loco absens, aut mortuus est Parochus, neque adest alius, qui vices ejusdem gerat. Pal. §. 8. *citat. num.* 9. Engl *hic n.* 19. Vviestner *num.* 26. Et idem dicendum, si in articulo mortis constitutus velit contrahere Matrimonium cum concubina ad legitimandas proles ex ea susceptas. Henriq. *l.* 11. *cap.* 8. *num.* 5. *&* 8. Guttier. *c.* 61. *cit. n.* 4. Conink *D.* 27. *num.* 11. Barbosa *alleg.* 32. *n.* 53. *fin. & n.* 147. Sanchez *n.* 4. Pont. *n.* 3. Pal. *n.* 9. Zoes. *n.* 9. Schambogen *n.* 8. Pirh. *n.* 7. Vviestner *n.* 26. Ratio est, quia quando Jus actum aliter, quam certo modo, fieri prohibet, apposita clausula actum aliter gestum irritante, secundum receptam doctrinam modus ille pertinet ad formam actus, quæ ad unguem observanda est, & quia esse dat actui, ita necessaria est, ut sine ipsa actus esse, & subsistere nequeat; atqui clausula hujusmodi irritans additur in Decreto Trid. quo prohibetur aliter, quam coram Parocho, & testibus Matrimonium contrahi; igitur horum præsentia in locis, ubi Trid. est publicatum, & viget, ad Matrimonii moram pertinet, & consf. aliter contractum est nullum; res enim sine forma sua subsistere nequit.

104 Quæritur 4. quibus casibus ante Trid. fuerit, & nunc in locis, ubi Concilium illud receptum non est, sit licitum contrahere Matrimonium clandestinum? Resp. quinque ejusmodi casus enarrat Tanner. *tom.* 4. *disp.* 8. *de Matr. q.* 3. *dub.* 6. *num.* 111. Et 1. quidem, si ita contrahentes evadere possint subitum periculum mortis. 2. si timor probabilis esset, ne adhibendo testes matrimonium malitiosè impediatur. 3. si exspectando testes, amitterent Sponsi magnam opportunitatem Matrimonium contrahendi. 4. si sine gravi damno palam non possint contrahere, ut si virgo, sub tutoris potestate constituta, merito timeat se tradendam viro pravo, vel alias indigno ab iniquo tutore. 5. si post Matrimonium, semel publice contractum, sed invalide ob interveniens impedimentum, post impetratam dispensationem clam denuo contrahatur. Quorum omnium ratio est, quia hujusmodi Leges affirmativæ non ita stricte obligant, quin licitum sit ab eis recedere ob urgentem necessitatem, vel aliam justam causam, dummodo alia gravia incommoda vitentur.

Difficultas est, an in positis casibus etiam defacto, & ibi, ubi Trid. promulgatum, atque receptum est, sine Parocho, & testibus contrahi valide, & licite Matrimonium possit? Videtur posse. 1. quia Leges Divinæ recipiunt interpretationem ex æquo, & bono, & ex epikia; & hinc quamvis *Joan.* 1. dicatur, neminem absque Baptismo salvari posse, tamen deficiente Ministro, vel aquæ copia, satis est Baptismi Votum; ergo à fortiori ita interpretari licet Leges humanas, qualis est Lex Trid. irritans Matrimonium clandestinum. 2. Etsi Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat. Matrim.* jubeat Matrimonio præmitti Denuntiationes, tamen ubi periculum est in mora, ut *num.* 42. dictum est, Denuntiationes illæ omitti possunt etiam inconsulto Episcopo. 3. Trid. *cap.* 1. *cit.* inhærendo vestigiis Concilii Later. irritat Matrimonia clandestina, quæ olim Ecclesia detestabatur; nunquam autem detestata est Matrimonium clam contractum in casibus *n.* 104. positis. 105

106 Sed dicendum, ubi Decretum Concilii *cit.* viget, in nullo casuum relatorum, præter ultimum, de quo *infra num.* 118. vel licitè, vel validè contrahi posse sine Parocho, & testibus. Ita Sanchez *l.* 3. *de Matr. D.* 17. *nu.* 4. & plurimi alii ab hoc *citt.* Ratio est, quia Trid. requirens præsentiam Parochi, & testium addit Decretum annullans Matrimonium aliter initum, consf. constituit formam Matrimonii substantialem; igitur in nullo eventu, absque ea solemnitate initum, erit validum; quia ut *num.* 103. dixi, res sine forma sua non potest subsistere *Conf.* 1. Decretum Trid. *citt.* contrahentes omnino reddit inhabiles ad contrahendum sine Parocho, & testibus; atqui inhabilitatem materiæ Sacramenti nullus necessitatis casus supplere potest, ut patet in aliis Sacramentis; neque enim ob defectum aquæ naturalis licet baptizare in vino, aut defectum vini celebrari potest in aqua; ergo &c. *Conf.* 2. sicut impedimentum clandestinitatis inductum est præcepto Ecclesiæ, ita etiam impedimentum Consanguinitatis in multis gradibus; atqui hoc non obstante, in nulla necessitate, absque dispensatione, possunt Consanguinei matrimonio copulari, eo quod Jure Ecclesiæ ad contrahendum inter se inhabiles redditi sint; ergo &c.

107 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. Lex mere præceptiva, & inducens solemnitatem merè extrinsecam, recipere aliquando interpretationem ex Epikia potest, non autem, quæ ponit substantialem solemnitatem; & aliter contrahens facit inhabiles, prout facit in casu nostro Tridentinum. *Ad* 2. Denuntiationes solum pertinent ad solemnitatem Matrimoniorum extrinsecam, & ideo dispar istarum est ratio. *Ad* 3. Tridentinum hoc suo Decreto irritat omnia Matrimonia, quæ quoad modum contrahendi olim fuit detestata Ecclesia, licet illa aliquando ratione urgentis

urgentis necessitatis essent licita; cujus licentiæ causa fuit, quia tunc prohibitio Matrimonii clandestini erat per modum simplicis, & nudi præcepti, ac proinde gravis necessitas excusabat; nunc autem præceptum Trid. irritans formam substantialem, ut sæpius dixi, ponit, cons. necessitas non excusat ab ejus observatione.

Quæritur 5. utrum si incolæ locorum, in quibus Trid. receptum est confluant in locum; ubi illud non obligat, possint, juxta illius loci consuetudinem absque Parocho, & testibus valide contrahere Matrimonium? Satis convenit inter DD. 1. quod validum sit Matrimonium clam contractum tali loco, si unus saltem sponsorum domicilium, vel quasi domicilium habeat in illo loco, tunc enim etiam alter Sponsus privilegio sui consortis gaudet Engl *hic n.* 20. *concl.* 1. *&* 2. Vviest. *n.* 36. Reiffenstuel *n.* 121.

2 Non minus certum est, quod similiter is, qui ex loco, ubi Trid. receptum est, se transfert in locum, ubi illud receptum non est, animo figendi ibidem domicilium, valide illud contrahat, etsi sine Parocho, & testibus contrahat; quia in talem locum ita se conferens incola, & Parochianus loci illius fit, adeoque non adstringitur amplius Legibus prioris domicilii Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 18. *n.* 27. Zoes. *hic n.* 23. Sabamb. *n.* 9. Engl *n.* 20. *concl.* 3. Et hoc verum est quacunque intentione id faciat; quia intentio mala, aut bona actum aliquem quidem licitum, vel illicitum, non autem invalidum potest reddere, si in substantialibus defectum non patiatur. Konig *hic n.* 27. *vers. tertio.* Reiffenstuel *ibid. n.* 128.

Pariter conveniunt DD. eum, qui causa negotiorum, commercii, vel alio quovis fine, præterquam ex sola intentione clam ibi contrahendi, se transfert in locum, ubi Tridentinum promulgatum, vel receptum non est, valide contrahere, etiamsi contractui illi nec Parochum, nec testes adhibeat. Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 5. *p.* 3. *dub. fin. concl.* 3. Sanch. *D.* 18. *cit. n.* 28. Pont. *l.* 5. *de Matr. cap.* 9. *num.* 2. Bosco *D.* 11. *de Matr. sect.* 9. *concl.* 6. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *num* 29. Zoes. *n.* 22. *hic* Engl *concl.* 3. *cit.* Reiffenstuel *num.* 123. Ratio est quia pegrini non adstringuntur Legibus suæ patriæ, quando extra eam versantur *c. ut animarum* 2. *de Const. in* 6. & præsertim quoad Contractus, cujusmodi est Matrimonium, cum in his subjiciantur Legibus, & sortiantur forum locorum, in quibus versantur *c. fin. de for. compet. & l. si fundus* 6. *ff. de Eviction. Neque obstat*, quod Trid. inhabilitaverit personas ad contrahendum sine præscripta solemnitate; inhabilitatio autem personæ comitetur ipsam personam, sicut umbra corpus. Nam hoc procedit duntaxat, quando persona est inhabilitata absolute, & simpliciter, atque in individuo per sententiam Judicis; secus si inhabilitatio sit generalis ex Lege; tunc enim sequitur naturam Legis, cons. ubi Lex non obligat, ibi etiam non obligat inhabilitas, & annullatio actus, Sanch. *loc. cit. n.* 30. Barbos. *de Offic. Episcop. alleg.* 32. *n.* 153. Pont. Engl *loc. cit.*

111 *Controversia solum* est de eo, qui se confert in talem locum præcise animo Matrimonium aliter, quam Sacra Synodus exposcit, contrahendi? Valere etiam hoc casu Matrimonium clam contractum existimat Sanch. *l.* 3. *D.* 18. *num.* 28. *&* 29. Coninck *D.* 27. *de Sacram. num.* 14. Pont. *l.* 5. *c.* 9. *num.* 2. *&* 4. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 8. *num.* 4. Aversa *de Matr. q.* 6. *sect.* 2. Zoes. *hic num.* 23. Pith. *num.* 11. Schambog. *n.* 9. quod intendunt evincere. 1. Ratione *n. præc.* allata; quia videlicet existens extra patriam suam non amplius obligatur Legibus suæ patriæ. 2. paritate cum cæteris contractibus; nam in aliis contractibus (nisi lex aliqua particularis obstet) potest quis proficisci ex loco domicilii sui ad alium locum cum intentione ineundi ibidem contractum v. g. venditionis juxta formam ibi requisitam. cur non etiam possit quis se conferre alio ex intentione contrahendi Matrimonium juxta formam, in eo loco ad valorem illius requisitam? 3. si esset aliqua ratio, cur privilegio isto gaudere non posset hac intentione discedens, esset, quod videatur fraudem facere Legi. atqui fraudem nullam committit, quippe qui utitur Jure suo. ergo &c. 4. intentio mala secundum dicta *n.* 109. licet aliquando faciat actum illicitum, non tamen statim invalidum, ut siquis Parochum corrumpat, ut se sine Denuntiationibus in fraudem sponsæ prioris copulet, si Filiusfamilias, aut Clericus bona inter vivos alienent, eo quod de his testari nequeant &c.

Sed his non obstantibus; dicendum, eum, qui præcise animo clam contrahendi se in talem locum transfert, invalide contrahere. Ita contra *citt.* DD. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub. ult. concl.* 1. *&* 3. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 3. *num.* 8. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 153. Bossius *de contract. Matr. c.* 1. §. 29. Bosco *D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 6. Zypæus *l.* 4. *consult.* 6. *fin.* Card. de Lugo *respons. mor. l.* 1. *dub.* 36. Gobat. *Exper. tr.* 9. *num.* 481. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *num.* 118. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *num.* 29. Engl *hic num.* 20 *vers. nihilominus.* Konig *num.* 27. *vers. tertio prop. fin.* Vviestner *num.* 39. & ita declaratum est à *S. Congr. Cardd.* approbante Urbano VIII. 14. *Aug.* 1627. edito Brevi Apostolico ad instantiam Archiepiscopi Coloniensis, ut adeo Declaratio ista jam vim Legis Ecclesiæ universalis habeat, teste Gobat. *loc. cit.* Aliud dicendum de Vagis; nam hi, etsi sola intentione, ut clam ibi contrahant, in talem locum se conferant, valide contrahunt, modo vere vagi sint, & prius domicilium revera, & serio dimiserint; nam hos Declaratio Cardd. & Breve Apostolicum *cit.* non afficit, utpote quod loquitur de *retinentibus domicilium*. Reiffenstuel *hic n.* 129. 112

Argumenta in contrarium allata non multum urgent. 113
Ad 1. negatur paritas cum casu posito *n.* 110. nam Matrimonio ita contracto obest modo allegata Lex Ecclesiæ; nulla vero Lex Ecclesiæ obest Matrimonio clam in tali loco contracto ab eo, qui negotiorum causa eo se transtulit. *Ad* 2. bene additur, *nisi Lex aliqua obstet*; obstat autem aliqua in casu nostro, ut modo dictum est. *Ad* 3. ejusmodi Matrimonium est invalidum, non tam ob fraudem, quam ob Declarationem sic approbatam à Pontifice nolente ita eludi Decretum Tridentini. *Ad* 4. id verum est, si nihil mutetur in sustantialibus à Lege requisitis.

Quæritur 6. quomodo contrahere Matrimonia possint, & debeant Christiani apud Infideles, & Catholici commorantes inter Hæreticos? Resp. de his notanda sunt sequentia. 114

1 Christiani captivi, vel negotiorum, aut commercii causa degentes apud Turcas, vel alios Infideles, in illis terris valide matrimonium contrahere possunt, non servata forma Tridentini, adeoque clandestine. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 18. *num.* 35. Coninck *D.* 27. *de Sacram. num.* 13. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 22. *num.* 154. Zoes. *hic n.* 24. Pirh. *num.* 12. Schambog. *num.* 10. Konig *n.* 27. *vers. secundo* Vviestner *n.* 38. Reiffenstuel *n.* 137. quia Decretum hoc Tridentini non obligat, nisi in loco, & Parochia, in qua fuerat promulgatum, quæ conditio in talibus locis deficit. Estque perinde, sive ibi contrahentes sint permanenter, sive per modum transitus.

2 In Civitatibus, & locis Germaniæ in quibus Catholici Hæreticis permixti degunt, & Decretum Tridentini non est promulgatum, v. g. in Saxonia, valide contrahunt Catholici matrimonium sine Parocho, & testibus ex ratione allata *n. præc.* Secus, si in tali loco promulgatum sit Trid. ut in Hollandia, & cæteris Provinciis fœderatis; nam istæ Religionem Catholicam primum deseruerunt, postquam jussu Philippi II. Hispaniarum Regis per margaritam Austriacam Belgii Gubernatricem Tridentinum ibi est promulgatum, teste Brun. Neusser *D.* 182. *q.* 2. *num.* 4. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *n.* 25. Vinc. Petr. *tom.* 4. *comment. fol.* 78. *n.* 23. Idem dicendum est de matrimoniis Catholicorum Augustæ, Ratisbonæ &c. contractis. Reiffenstuel *hic n.* 139. Quod procedit saltem, si in talibus locis, ubi Trid. olim est promulgatum, Sacerdos Catholicus haberi possit; nam eo casu debet hic adhiberi, alias matrimonium contractum erit invalidum. Estque hoc verum, etsi unus contrahentium sit Hæreticus, adhuc enim contrahi debet coram Sacerdote Catholico, neque valet contractum coram ministro Hæretico, ut declaravit *S. Congr. in Ruremondens. Matr.* 2. *Maii* 1676. *in Gedanens. Matr.* 18. *Sept.* 1677. *& in una Venetiarum* 1. *Decemb.* 1696. ubi S. Congr. nullum declaravit matrimonium Amstelodami à Catholicis coram ministro Hæretico initum, teste 115

Petra

Petra *loc. cit. fol.* 70. *num.* 26. & Monacell. *part.* 1. *tit.* 8. *form.* 10. *num.* 15. Dixi, *si haberi Sacerdos, seu Parochus Catholicus possit*; nam.

116 3 Si nullus adsit Sacerdos Catholicus, vel ignoretur, aut non sit totus ad illum accessus, Catholici in loco Hæretico, ubi olim Trid. promulgatum est, valide coram Prædicante, vel etiam sine illo contrahere Matrimonium possunt, adhibitis tamen duobus, vel tribus testibus; nam hos requirit S. Congr. *in una Belgii* 27. *Mart.* 1632. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. Tann. *D.* 8. *cit. quæst.* 3. *dub.* 6. *num.* 132. Marant. *Tribun. tom.* 3. *part.* 2. *tr.* 1. *tit.* 7. *quæst.* 10. *concl.* 5. Herinx *D.* 5. *q.* 11. *n.* 10. Dian. *p.* 11. *tr.* 6. *res.* 1. Arsdekin *de matr. c.* 8. §. 4. Sporer *p.* 1. *c.* 1. *sect.* 1. *n.* 34. Bosco *D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 5. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *num.* 111. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *n.* 27. *vers. secundo* Petra *tom.* 4. *fol.* 78. *n.* 25. *& fol.* 80. *n.* 30. Zypæus *Analys. hoc tit. n.* 16. Pirh. *ibid. n.* 12. Schambog. *n.* 10. Konig *n.* 27. *vers. secundo*. Reiffenstuel *num.* 132. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. cap.* 5. *num.* 158. Ratio est, quia in his locis, ac tali rerum statu Decretum Concilii Trid. servari non potest, vel saltem difficulter potest, ut adeo Pontifex merito censeatur tacite dispensasse hoc casu ad matrimonia sine vero Pastore contrahenda, quippe qui scit ejusmodi matrimonia in talibus locis contrahi à Catholicis, & non contradicit, neque irrita illa declarat. Accedit, quia merito præsumi de mente Trid. potest, quod ad hujusmodi Matrimonia Clandestina Decretum suum extendi non voluerit, ne multa gravia incommoda inde oriantur; imo quod hoc casu obligare non voluerit, patet ex *declaratione Cardd.* allegata.

117 Dixi, *valide ejusmodi matrimonia contrahi coram Prædicante*; non quod is authoritatem aliquam ad approbandum Matrimonium, ante se contractum, habeat (nam omni Jurisdictione spirituali caret) sed quia tali casu etiam sine ullo Sacerdote contrahi potest. Interim tamen certum est sic contrahentem graviter peccare; quia contrahendo coram ejusmodi Prædicante, quasi facto ipso agnoscit eum tanquam suum Pastorem, & cons. sectam, quam ille prædicat, tanquam veram.

118 Quæritur 7. an casu, quo Matrimonium, in facie Ecclesiæ quidem contractum, sed invalidum ob occultum impedimentum dirimens, repetitur, impedimento sublato, iterata Parochi, & testium præsentia opus sit? Satis convenit inter DD. hujus præsentiæ iterationem exigi casu, quo defectus, vel impedimentum publicum, & notorium est, aut plene e. g. per duos testes legitimos probari potest: & ratio est, quia ex mente Tridentini Matrimonium ita contrahi debet, ut Ecclesiæ constet illud esse firmiter contractum, & insolubile. atqui si contractum est in facie Ecclesiæ quidem, sed cum defectu, vel impedimento dirimente notorio, etsi deinde eo sublato, clam renovetur consensus; non constat Ecclesiæ de Matrimonii illius firmitate; nam ejusmodi Matrimonium ad unius etiam petitionem dissolvi potest, & testes prius adhibiti non essent testes valoris; sed nullitatis Matrimonii. ergo ut rite contrahatur per renovationem consensus, iterum requiritur præsentia Parochi, & testium. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 3. *n.* 6. *&* 7. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 37. *n.* 10. *&* 11. Zoes. *hic. n.* 17. Konig *ibid. n.* 27. *vers. quarto*.

119 Controversia solum est de casu, quo defectus, vel impedimentum omnino occultum, ejusque probandi periculum nullum est. Hoc etiam casu ad renovationem consensus necessariam esse Præsentiam Parochi, & testium, volunt Gutier. *qq. Canon. l.* 1. *c.* 18. *à n.* 7. Barth. à Ledesm. *D.* 17. *de Matr. fol.* 1275. *& seqq.* Comitol. *respons. mor. l.* 11. *qq.* 120. *n.* 3. Pont. *l.* 5. *c.* 6. *num.* 6. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 157. *vers. verum*. Moventur 1. quia Clemens VIII. ut ipsi narrant, dispensavit, ut ejusmodi Matrimonium Parocho, & testibus non præsentibus, renovari posset. igitur seclusa dispensatione, opus erat in præsentia Parochi, & testium iterari consensum; alias enim dispensatio fuisset frustranea, quippe quæ solum datur ad rem, vel actum alias sine dispensatione illicitum, vel invalidum. 2. idem colligitur ex Diplomate Bullæ Cruciatæ, ubi hujus Commissario datur facultas dispensandi, ut hujusmodi matrimonia denuo sine Parocho, & testibus contrahantur. non opus est autem dispensatione ad id, quod etiam sine dispensatione licite, & valide fieri potest. 3. accedit ratio; quia prius matrimonium fuit nullum. ergo posterius celebrandum est, acsi nunquam antea fuisset initum; si autem nunquam antea fuisset initum, celebrari deberet coram Parocho, & testibus; ergo &c. 4. Parochi, & testium præsentia pertinet ad formam substantialem Contractus matrimonialis ita, ut sine illa actus valere non possit. atqui quando sublato impedimento, renovatur consensus, vere contrahitur matrimonium. igitur nisi tum adsint etiam Parochus, & testes, renovatio hæc matrimonii nulla est. 5. solemnitas illa Parochi, & testium adhibita est ad legitimandum consensum prioris matrimonii tunc expressum, non autem postea exprimendum, igitur cum prior consensus ob impedimentum ea præsentia legitimari non potuerit, debebit legitimari posterior, denuo adhibitis Parocho, & testibus. 6. Lex, propter bonum commune lata, non cessat, etiamsi finis illius cesset in casu aliquo particulari, maxime quando aliquid exigit tanquam formam actus. atqui Lex Trid. lata est propter bonum commune; & fundatur in periculo universali. igitur quamdiu hoc manet, etiamsi finis ejusdem in aliquo casu particulari cesset, servanda est.

120 Sed dicendum, etsi ad tollendos scrupulos omnino consultum sit, ut quando id fieri sine incommodo potest, adhibeantur etiam Parochus, & testes, iique intersint renovationi consensus, ad Matrimonii tamen valorem iteratam illam præsentiam necessariam non esse, sed sufficere, si putatitii conjuges, sublato impedimento, occulte renovent mutuum consensum sive verbis, sive affectu conjugali habendo copulam, sive alio quovis signo erga se invicem eum exprimendo. Ita Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 70. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 37. *num.* 3. Coninck *D.* 27. *de Sacr. num.* 11. Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *cap.* 14. *num.* 4. Pal. *tr.* 28. *D.* 3. *part.* 7. §. 3. *num.* 2. Gonzal. *in cap.* 21. *de Sponsal. num* 5. Henric. Mayr. *de Sponsal. num.* 69. Gobat *tr.* 10. *num.* 415. Sporer *de Matr. num.* 271. Sannig *de desponf. impub. c.* 1. *num.* 14. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 119. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *contr. per totam*. Vallens. *hic n.* 10. *vers. dixi*. Zoes. *n.* 17. Pirh. *n.* 8. Konig *n.* 27. *vers. quarto* Vviest. *n.* 35. & declaratum est à S. Pio V. eaque declaratione S. Pœnitentiariæ Prætorium uti consuevit, teste Navar. *loc. cit.*

121 *Ostenditur* ex mente Tridentini, ex hujus enim mente irritatur solum illud Matrimonium clandestinum, ex quo, quia quod initum esset, probari non poterat, oriebantur incommoda, propter quæ Ecclesia Matrimonia Clandestina semper est detestata. atqui illud Matrimonium, de quo agimus, non est tale; cum enim in facie Ecclesiæ sit contractum primitus, quamvis nulliter ob impedimentum occultum, jam probari potest contractum esse, & cons. incommoda illa, quæ Matrimonia clandestina secum trahunt, ex illo non oriuntur. ergo ex mente Trid. non est clandestinum, nec irritum, ac proinde sufficit clam renovari consensum.

Proceditque hoc etiam casu, quo impedimentum illud ad forum contentiosum externum declaratum est, & quia in eo non fuit probatum, sententia pronuntiata est pro Matrimonio; nam cum valor talis Matrimonii constet Ecclesiæ, convalescere poterit novo consensu occulto, inter conjuges posito. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 3. *n.* 6. Sanch. *loc. cit. num.* 12.

Neque contrarium probant Argumenta adversæ sententiæ. *Ad* 1. Clemens VIII. dispensavit, ut Matrimonium renovari clam possit, quia impedimentum, ob quod invalide contractum erat, occultum quidem, sed probationi obnoxium fuit; vel si hoc non velis dicere, dic dispensationem illam factam esse ad majorem securitatem, & tranquillitatem conscientiæ; quod novum non est; quia sæpe conceduntur ejusmodi dispensationes, privilegia, & facultates ob dictum finem, & ad omnem dubitationem tollendam. *Ad* 2. eadem est responsio. *Ad* 3. Matrimonium prius non fuit omnino nullum; fuit enim validum quoad præsumptionem Ecclesiæ ignorantis impedimentum, in cujus facie contractum est, & ita judicandum de illo non est, acsi omnino contractum non fuisset, quoad repetendam præsentiam Parochi, & testium, sed tantum quoad necessitatem renovandi consensum. 122

Ad 4.

Ad 4. Parochi, & testium præsentia tantùm pertinet ad formam Matrimonii, quod tanquam clandestinum Ecclesia ante Trid. est detestata; tale autem non est Matrimonium, de quo hic agimus, *Ad* 5. solemnitas Parochi & testium per se quidem solùm legitimat consensum tunc præstitum; per accidens autem legitimat etiam consensum postea occultè præstandum; quia ex suppositione illius solemnitatis præcedentis sequens Matrimonium clam ratificatum non manet omnino occultum quoad forum Ecclesiæ. *Ad* 6. in hoc casu ratio Legis ita cessat, ut nullo modo casus iste censeri possit comprehensus in Lege Trid. cùm absit periculum etiam generale quòd resilire volens nunquam sit audiendus, sed quando ratio Legis nullo modo unquam se extendit ad casum aliquem, in illo casu Lex non obligat, ut ex terminorum apprehensione notum est. Vvex *l. c. n.* 7.

123 Quæritur 8. an Matrimonium clàm celebratum vim habeat Sponsalium? Satis convenit inter DD. vim Sponsalium habere, quando Matrimonium ita contractum est inter duos impuberes, vel unum impuberem, alterum puberem. Ita Navar. *Man. c.* 22. *nu.* 57. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 8. *n.* 23. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 21. *n.* 5. Gutier. *de Matr. c.* 2. *n.* 16. Vers. *nec prædicta*, Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 18. Fagnan. *in c. de illis* 9. *de desponſ. impub. nu.* 48. *&* 49. Gonzal. *in c. fin. eod. n.* 4. Vvagnerek *in c. un. dict. tit. not.* 2. Passerin. *ibid. n.* 17. Vallens. *hic n.* 5. *fin.* Zœs. *n.* 7. & dictum est *tit. præc. n.* 63. Ratio est, quia antiquo Jure Matrimonia impuberum clàm contracta vim Sponsalium habebant *c. un. cit. §. idem quoque*, quæ vis ipsis à Trid. adempta non est. Accedit, quia per Trid. ea solùm Matrimonia sunt irritata, quæ antiquo Jure censebantur verè talia esse; atqui antiquo Jure non censebantur verè Matrimonia esse, quæ inter duos impuberes, vel unum impuberem, alterum puberem contrahebantur; ergo hæc correctoria Trid. dispositione non afficiuntur.

124 *Major controversia est* de casu, quo duo puberes clàm Matrimonium contraxerunt; nam etiam huic Sponsalium vim competere, volunt Henriq *l.* 11. *de Matr. c.* 5. *n.* 4. Barth. à Ledesm. *de Matr. dub.* 18. *fol.* 1284. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 18. Conink *D.* 21. *dub.* 4. *concl.* 2. & alii, quorum opinionem Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 20. *n.* 8. probabilem, Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 4. *num.* 8. de rigore Juris probabiliorem, Perez *D.* 8. *sect.* 4. *n.* 3. *&* 5. etiam veriorem pronuntiant. *Rationem* desumunt ex paritate cum impuberibus, quorum Matrimonium, licèt irritum sit, quia tamen præsumuntur velle actum valere meliori modo, quo potest, vim Sponsalium habet; atqui talis voluntas etiam præsumi potest de puberibus, clàm contrahentibus Matrimonium; ergo & ipsorum matrimonia clandestina habebunt vim Sponsalium.

125 Tenenda tamen est sententia negativa, quàm etiam defendunt Sanchez *l. cit. n.* 3. Gutier. *de Juram. p.* 1. *c.* 51. *à num.* 28. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *à numer.* 143. Fagnan. *in c. de illis* 9. *de desponſ. impub. num.* 52. Gonz. *in c. fin. eod. numer.* 4. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *num.* 35. Vallens. *hic n.* 5. Zœs. *n.* 6. Konig *n.* 28. Vviestner *n.* 31. & multi alii TT. & JCti: ipse Pal. *l. cit. n.* 8. *fin.* fatetur eam non solum communiorem, sed etiam, spectata praxi, veriorem esse; imò Barbos. *nu.* 143. *cit.* pro tali eam habet etiam in puncto Juris. Accedit Declaratio Cardd. quæ ut refert Joan. Gallemart *ad Trid. sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr. qui alias, quàm præsente Parocho* Vers. *Matrimonium contractum*, respondit Episcopo Patavino, hujusmodi Matrimonium in Sponsalia de futuro non resolvi. *Ratio* potissima, & urgens est, quia Tridentinum non solùm clàm contrahentes ad sic contrahendum reddit inhabiles, sed insuper decernit hujusmodi actus absolutè irritos, & nullos esse; atqui non essent absolutè nulli, & irriti ejusmodi Contractus Matrimoniales clandestini, si haberent vim Sponsalium, & obligationem Matrimonii contrahendi parerent, ut rectè Bonacin. *de Matr. q.* 2. *p.* 8. *n.* 48. ergo vi sui Contractus hujusmodi Matrimonia etiam Sponsalium vim non habent. *Proceditque* hoc, etsi adjectum sit iis Juramentum, cùm enim contractus Matrimonii clandestinus adversetur bonis moribus, & bono publico, Juramentum illi adjectum nullum est per *Reg. non est* 58. *in* 6. Sanch. *D.* 20. *cit. n.* 4.

Addidi, *Vi sui contractus hujusmodi Matrimonia Sponsalium vim non habere*; nam triplicem vim, & effectum hujusmodi Matrimonia, dictis non obstantibus, habere possunt. 1. ex tali Matrimonio nascitur Impedimentum publicæ honestatis, ita, ut Titius sic contrahens cum Bertha, etiamsi copula carnalis non accesserit, contrahere Matrimonium nequeat cum consanguinea Berthæ; quia hoc impedimentum nascitur etiam ex Matrimonio invalido ex quacunque causa, præterquam ex defectu consensus, ut dictum est *Tit.* 1. *num.* 101. & quoad clandestinitatem declaravit S. Congr. teste Fagnan. *in c. tua desponſ. impub. numer.* 24. Gonzal. *in c.* 4. *de Sponsal. numer.* 5. Pont. *l.* 7. *c.* 35. *num.* 5. 2. Si clandestinè contrahens copulam habuit, & damnum sic illatum aliter reparare nequeat, tenetur eam ducere, non ratione Contractus, sed ratione injustitiæ, & damni fœminæ illati. Petr. de Ledesm. *Man.* Rodriq. Vega apud Sanch. *l. cit. n.* 5. 3. Si contrahentes in defectum Matrimonii expressè se ad Sponsalia obligare intenderent, ex eo contractu nasceretur etiam obligatio Sponsalitia, ut cum Petr. de Ledesm. Medina, Vega volunt Konig *hic num.* 28. & Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Sponsal. c.* 5. *num.* 168. qui Contractui Sponsalitio Tridentinum non resistit, tametsi sequatur, vel connexus sit cum Matrimonio nullo. 126

Ad Argumentum adversæ sententiæ negatur paritas; nam primò Matrimonium clàm contractum à puberibus à Trid. omnino est irritatum igitur à Matrimonio impuberum, de quo, ut dictum est, Trid. nihil disposuit, ad Matrimonium puberum dici argumentum non potest. Deinde, quòd Matrimonium Jure irritum vim Sponsalium habeat, hoc ei non à natura competit, sed ex præsumptione solum Juris Ecclesiastici, atqui ista præsumptio solum stat pro Matrimonio impuberum. §. *idem quoque citt.* non verò puberum clandestino. Denique axioma ibi adductum solùm valet, quando defectus est ex parte solius causæ efficientis, non autem ex parte formæ, atqui in matrimonio impuberum defectus est ex parte causæ efficientis, quia scilicet nondum sunt habiles; in Matrimonio puberum clandestino autem ex parte formæ. Ergo &c. 127

Quæritur 9. an urgente magnæ necessitatis causa, præsentiam Parochi, aut testium per viam dispensationis remittere possit Episcopus? *Ratio dubitandi* est, quia, ut communis sententia habet, quando recursus non est ad Papam, & magna aliqua necessitas urget, in Lege Ecclesiastica, etiam conciliari, & per eam introducto impedimento occulto dispensare potest Episcopus; igitur simili necessitate urgente, etiam dispensare poterit in impedimento clandestinitatis. *Conf.* licet prohibitum sit omnibus Sacerdotibus, ne alicui subdito sine Parochi venia extremam Unctionem, aut S. Viaticum conferant, tamen quando alias aliquis deberet sine his mori, ex præsumpta Parochi venia licitè eam quivis Sacerdos confert. 128

Sed respondendum est negativè cum Navar. *Man. c.* 22. *n.* 72. Segura *p.* 2. *Direct. Jud. c.* 15. *num.* 44. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 5. *nu.* 5. Gutier. *de Juram. p.* 1. *c.* 51. *n.* 23. & *de Matr. c.* 61. *n.* 7. Sanch. *l.* 3. *D.* 17. *n.* 6. Conink *D.* 27. *de Sacram. n.* 13. Pont. *l.* 5. *c.* 6. *nu.* 16. Pal. *tr.* 28. *D.* . *p.* 13. §. 8. *n.* 9. Viestner *hic n.* 29. Ratio est, quia Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* Contractui Matrimoniali constituit formam cum apposita clausula, quæ aliter contractum Matrimonium irritat, & Sponsos ad sic contrahendum reddit omnino inhabiles: quæ dictio *Omnino*, ut notat P. Vviestner *l. cit.* excludit omnem dispensationem, & gratiam Prælati inferioris Papa. *Conf.* quia memoratum Concilium *c.* 1. *cit.* duo decernit, unum, ut Matrimoniali Contractui præmittantur Denuntiationes; alterum, ut Contractus ejusdem fiat coram Parocho, & testibus: quoad Denuntiationes addit ab Episcopo in iisdem dispensari posse, quod non permittit quoad præsentiam Parochi, & testium, imò hoc ipso præsumitur negasse; quia quod de duorum expressorum uno conceditur, non obscurè intelligitur negatum de altero *arg. c. nonne.* 5. *de Præsumpt.* & *l. cum Præter* 12. *pr. ff. de Judic.* 129

Ex quo cadit Ratio dubitandi, & Confirmatio allata in oppositum.

Quæritur 10. quæ sit pœna contrahentium Matrimo- 130

nium clandestinum ob absentiam Parochi, & testium? Resp. qui sine Parocho, vel ejus commissione alio Sacerdote, & testibus, vel coram illo quidem, non verò coram istis, aut vicissim coram istis, non verò coram Parocho, & quidem proprio matrimonium contrahere attentaverint; duplicem de Jure communi incurrunt pœnam.

Prima est inhabilitas ad sic contrahendum; quam pœnam nonnemo DD. apud Sanch. *l.* 3. *de Matrimon. D.* 46. *num.* 1. intelligebat, ut sic contrahentes incurrant perpetuam inhabilitatem ad contrahendum Matrimonium, propter adverbium illud *omnino*, quod significat in perpetuum, exclusa omni gratia, & dispensatione. Sed minùs benè, quia per Decretum illud solùm redduntur inhabiles *ad sic contrahendum*, hoc est clandestinè; unde si velint, possunt novo præstito consensu, & servata forma Tridentini, etiam sine dispensatione contrahere denuo Sanch. *D.* 46. *cit. num.* 2. Gutier. *cap.* 61. *num.* 2. Conink *D.* 27. *num.* 80. Pont. *l.* 5. *c.* 37. *num.* 13. Barbos. *alleg.* 32. *num.* 151. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *part.* 13. *§.* 14. *num.* 9. Vallens. *hic num.* 10. Pirhing *n.* 40. Vviestner *n.* 90.

131 *Altera* est pœna arbitraria; nam graviter puniendi sunt arbitrio Episcopi, sicut præcipit Trid. *c.* 1. *cit. vers. insuper.* Porrò etsi pœna hæc arbitraria sit quoad quantitatem, & qualitatem, non tamen est arbitraria quoad substantiam; cùm enim Sacra Synodus utatur verbis præceptivis, & præceptum hoc sit in re gravi, sequitur graviter peccare Ordinarium, qui pro delicti istius qualitate pœnam debitam omittit infligere, ut notant Sanch. *l. cit. n.* 6. Perez *D.* 42. *de Matr. sect.* 1. *n.* 3. Vviestner *hic n.* 9.

His pœnis Jure speciali quarundam Diœcesium decreta est in sic contrahentes Excommunicatio latæ sententiæ, & ipso Matrimonii clandestini contractu incurrenda. Contra quam pœnam insurgunt nonnulli dicentes, multò consultius fore, eam Excommunicationem non fulminari; quia si Pontifices, & Concilia ea opus esse judicarent, tulissent utique. Sed immeritò propterea carpuntur Episcopi, cùm adjuvent pœnas Jure communi statutas, & quotidie crescente malitia hominum, pœnas augeri expediat. Sanch. *l. cit. n.* 9.

132 Quæritur II. quam pœnam incurrat Parochus assistens nuptiis, non adhibitis duobus, vel tribus testibus? Resp. etiam iste, & quicunque alius Sacerdos, ita assistens Matrimonio, *vers. insuper cit.* jubetur puniri pœna arbitraria ab Ordinario pro qualitate delicti. Quod etiam dicendum de testibus, qui assistunt Matrimonio ab Ecclesia interdicto, ei authoritatem præstando. Sanch. *l.* 3. *D.* 46. *n.* 8. Pirh. *hic nu.* 40. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *n.* 170.

An verò talis Parochus, vel Sacerdos assistens Matrimonio sine duobus, vel tribus testibus incurrat suspensionem triennalem ab Officio ferendæ sententiæ, qualem secundùm dicta *num.* 86. incurrit, si assistat Matrimonio, temere omissis Denuntiationibus, controversum est inter DD. Affirmant Salzedo *pract. cap.* 73. §. *octavò*, Veracrux *append. ad Specul. dub.* 11. *fin.* Majol. *l.* 3. *de Irregul. cap.* 25. *num.* 17. Vega *l.* 6. *summ. cas.* 112. & nonnulli alii, id desumentes ex *cap. fin.* §. *ult. h. tit.* cui Synodus Trid. non derogat, sed vestigiis Conc. Later. ex quo textus ille desumpta est, se profitetur insistere.

133 Meliùs tamen negatur, quòd suspensio hæc triennalis tangat Parochum, vel Sacerdotem, si præmissis Denuntiationibus, assistat Matrimonio sine testibus. Ita Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 48. *n.* 4. Perez *D.* 42. *sect.* 4. *n.* 3. Pont. *l.* 5. *c.* 37. *n.* 12. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 14. *n.* 13. Pirhing *hic n.* 42. *not.* 2. Vviestner *ibid. nu.* 92. Reiffenst. *num.* 115. *fin.* Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *nu.* 272. Ratio est, quia memorata pœna suspensionis triennalis, à Concil. Later. decreta, tantùm spectat Parochum assistentem Matrimonio clandestino ob temere omissas Denuntiationes, ut ex ejus textu liquet, & *l. cit.* observant Perez, Pontius, Vviestner. Deinde esto, etiam huic à Concil. Later. suspensionis pœna fuisset imposita, hodie tamen cessaret per pœnam arbitrariam impositam à Trid. quia ut *n.* 4. *cit.* observat Sanchez, quando minor pœna imponitur nova Lege ob idem delictum, pro quo gravior imponebatur Lege antiqua, tunc cessat pœna Legis antiquæ.

Dixi, *si præmissis Denuntiationibus assistat*; nam si in tali Matrimonio etiam omittantur Denuntiationes, probabiliùs Parochus, vel Sacerdos assistens propterea etiam suspensionem triennalem incurret.

§. III.

De Qualitate, & Assistentia Parochi.

SUMMARIUM.

QUæritur I. qualis Parochus debeat assistere Matrimonio? Resp. debet esse Parochus proprius, 134
ita quidem, ut coram Parocho non suo contractum invalidum sit. Ita Navar. *tit. præs. cons.* 2. *num.* 1. *edit.* 1. Menoch. *cons.* 398. *vol.* 4. Segut. *p.* 2. *Direct. Jud. c.* 15. *n.* 46. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 3. *nu.* 2. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *punct.* 3. *dub.* 3. *concl.* 1. Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 19. *n.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *num.* 88. *&* 89. Sumitur ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matrim.* ubi ab initio S. Synodus requirit, ut Matrimonium à proprio Parocho priùs ter publicè denuntietur: deinde subjicit, quòd si aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia sit contractum, pro irrito habeatur. *Neque obstat*, quòd hoc secundo loco non addat, *præsente proprio Parocho*; nam eundem Parochum requirit ad assistendum Matrimonio, quem requirit ad illud denuntiandum, cùm Regulæ loco sit, quòd clausula non ita clara ex antecedentibus, & consequentibus intelligi debeat, ut notat Sanch. *l. cit. Conf.* nam ille Parochus ex mente Tridentini assistere Matrimonio debet, qui potest alii Sacerdoti dare licentiam Matrimonio assistendi, ut patet ex textu *citat.* atqui solus proprius Parochus est, qui licentiam hanc dare potest; alius enim Jurisdictionem non habet in contrahentes.

Quæritur 2. Quinam hìc veniant nomine Parochi, 135
ut Matrimonio possint assistere? Respond. Hoc nomine hìc veniunt quicumque, qui in Ecclesiis Parochialibus præsunt, & earum administrationem actualem sive ex institutione, sive ex commissione habent:

neque

neque refert , an illam exerceant immediatè , ut ipsi Curati talium Ecclesiarum, an verò mediatè, ut Episcopi, & qui Jurisdictionem qua Episcopalem in territorium, in quo Parochiæ tales constitutæ sunt, habent. Atque hinc

5 1. Assistere Matrimonio possunt tantùm Parochi propriè tales, sed etiam Rectores Ecclesiarum Parochialium, Plebani, & Vicarii tam perpetui, quàm temporales : non tamen Adjutores, vel Cooperatores, ab his præsentibus pro libitu assumpti ; nam hi ut assistere Matrimoniis possint, indigent commissione Parochi, vel alterius, à quo assumpti sunt, & pro quo assistere Matrimonio debent : item nec ii, qui assumuntur ab iis, qui potestatem delegatam assistendi Matrimoniis sine facultate subdelegandi habent, ut rectè advertit P. Vviestner *hic n.* 41.

7 2. Assistere Matrimonio Diœcesanorum suorum potest Episcopus, & sede vacante Capitulum Cathedrale, quippe quod Episcopo suo succedit in omni Jurisdictione Ordinaria Episcopi : item utriusque Vicarius Generalis ; quia & ipse est Ordinarius & in eodem Tribunali cum Episcopo Ordinariam Jurisdictionem exercet. Sanch. *l.* 3. *D.* 28. *n.* 18. Ubi verò Ecclesia Parochialis quoad Clerum, & populum exempta est à Jurisdictione Episcopi, assistere ibi Matrimonio potest Abbas, vel Prælatus illius exemptus ; quia est Ordinarius illius Ecclesiæ, & Jurisdictionem quasi Episcopalem habet. Henriq. *l.* 11. *de Matrim. c.* 3. *n.* 4. Petr. de Ledesm. *de Matr. qu.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *paulò ante dub.* 4. *concl.* 3. Sanch. *l. cit. n.* 6.

8 3. Potest Archi-Episcopus in sua Diœcesi, quin & in sua Provincia, sed in hac tum solùm, quando actu eandem visitat, aut quando, nolente Suffraganeo aliquos conjungere, causa per appellationem ad eum devolvitur ; nam extra hos casus nequit assistere Matrimoniis subditorum Suffraganei, cùm non sit eorum Ordinarius, nisi in casibus expressis, & aliis singularibus *c. pastoralis* 11. *pr. de Offic. Ordin.*

4 Legatus Sedis Apostolicæ in Provincia, ad quam est destinatus ; quia est Ordinarius in illa, ut expressè habetur *cap. legatos* 2. *de Offic. Legat. in* 6. & hinc possunt omnia, quæ Episcopus in sua Diœcesi potest. Igitur sicut Episcopus in sua Diœcesi interesse potest Diœcesanorum suorum Matrimoniis, ita & Legatus in sua Provincia.

9 5. S. R. E. Cardinales respectu subditorum Ecclesiæ sui quisque Tituli ; quia in his Jurisdictionem quasi Episcopalem habent *c. his quæ* 11. *de Major. & Obed.* Azor. *part.* 1. *l.* 3. *cap.* 45. *quæst.* 2. Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 28. *num.* 7.

6. Summus Pontifex ; nam hic tanquam Ordinarius Ordinariorum assistere potest Matrimoniis omnium fidelium.

Ratio generalis de his omnibus est ; quia omnes isti cumulativam cum Parochis sibi subjectis potestatem habent : sicque ut Parochi ipsis subjecti, ita & ipsi assistere Matrimoniis subditorum suorum poterunt.

0 Quæritur 3. An casu, quo Sponsus, & Sponsa sunt ex diversis Parochiis, illorum Matrimonia assistere debeat utriusque Parochus ? Videtur requiri proprium utriusque Parochum, ex Argumento, quo usi fumus *n.* 134. nam ille Parochus assistere Matrimonio debet, qui Matrimonium denuntiare debet, atqui secundùm dicta *n.* 13. quando sponsi sunt ex diversis Parochiis, Matrimonium denuntiari debet ab utriusque Parocho ; ergo &c. *Conf.* Ille Parochus assistere Matrimonio debet, qui Sacramenta ministrare contrahentibus potest. Atqui non uterque Parochus utrique potest ministrare Sacramenta, præsertim Parochus Sponsæ respectu Sponsi, utpote qui non domicilium uxoris, sed potiùs hæc domicilium mariti sui sequitur ; ergo &c.

1 Sed dicendum, sufficere, si Matrimonio assistat Parochus proprius alterutrius, Sponsi scilicet, vel Sponsæ, in cujus Parochia nuptiæ celebrantur ; & sic si in Parochia Sponsi contrahatur Matrimonium, sufficit, si assistat illi Parochus Sponsi, si in Parochia Sponsæ, Parochus Sponsæ. Ita Navar. *Man. cap.* 25. *in fin.* Comitol. *respons. mor. l.* 1. *quæst.* 131. *nu.* 2. Gutier. *de Matrim. cap.* 62. *n.* 4. Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 19. *num.* 4. Conink *D.* 27. *de Sacram. num.* 19. Pont. *l.* 5. *cap.* 16. *n.* 2. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 65. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 9. *n.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Bosco *de Matr. D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 13. *n.* 469. Zypæus *l.* 4. *consult.* 5. *n.* 13. Vallens. *hic n.* 7. Honor. *n.* 7. Engl *n.* 12. Pirh. *n.* 13. Schambog. *n.* 11. Konig *n.* 8. & 12. Vviestn. *n.* 40. Reiffenstuel *n.* 55. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *num.* 91. & teste Sanch. & Bosco *l. citt.* declaratum est à *S. Congr.*

Ratio est, quia quoad Contractum Matrimonialem 142
Parochus proprius unius est etiam Parochus proprius alterius contrahentis ; cùm enim Matrimonium sit unus Contractus, unumque & individuum Sacramentum, ita, ut ab uno sine altero iniri nequeat, cons. qui constitutus est ad matrimonialiter conjungendum unum conjugem, etiam constitutus est ad matrimonialiter conjungendum alterum per necessariam connexionem. *Conf.* Quia generaliter loquendo illi, cui ad actum aliquem potestas concessa est, concessa quoque censentur ea, sine quibus potestas illa explicari, & actus expediri non potest *cap. præterea* 5. *de Offic. deleg. & l. cùm Jurisdictio* 2. *ff. de Jurisdict. omn. Judic.* atqui ut conjungat Parochus matrimonialiter Titium Parochianum suum Cajæ, quæ est alienæ Parochiæ, necessarium est, ut conjungat vicissim Cajam Titio. Igitur dum concessum ipsi est conjungere matrimonialiter Titium Cajæ, etiam concessum eidem est, ut Cajam conjungat Titio.

Ad rationem dubitandi diversa est ratio in Denun- 143
tiationibus ; nam hæ instituuntur, ut acquiratur notitia, num Sponsus, vel Sponsa non laborent impedimento aliquo : quæ notitia non sufficienter acquireretur, si illæ fierent in una solùm Parochia, cùm ibi fortè alter Sponsorum ignotus sit. *Ad Conf.* Negatur paritas : nam in ordine ad perceptionem Sacramentorum Parochus Sponsæ non sit Parochus Sponsi, cùm ibi vinculi conjugalis nexus per accidens sese habeat ; at verò quantum ad Matrimonium Parochus unius sit Parochus utriusque, ratione connexionis, quòd Matrimonium non nisi inter duos possit consistere.

Quæritur 4. An Matrimonio necessariò assistere de- 144
beat Parochus Domicilii, vel quasi Domicilii Sponsorum, an verò sufficiat, ut sit Parochus Originis tantùm ? Videtur sufficere, si sit Parochus originis, ex paritate cum Ordinibus ; nam isti recipi possunt non minùs ab Episcopo Originis, quàm ab Episcopo Domicilii habitationis *cap. cum nullus* 3. *de temp. ordinand. in* 6. igitur etiam coram Parocho Originis Matrimonia iniri poterunt. *Conf.* Quia domicilium Originis firmius est quovis alio Domicilio, etiam habitationis; hoc enim amittitur, domicilium Originis autem, tanquam naturale, nunquam, sed cum ipso habitationis Domicilio retinetur *l. Senatores* 11. *C. de Senator.* igitur si coram Parocho Domicilii habitationis contrahi Matrimonium potest, etiam contrahi poterit coram Parocho Originis ; conf. sicut quando quis duo domicilia habet, liberum ipsi est, coram cujus domicilii Parocho velit contrahere, ita etiam ipsi liberum erit, an velit contrahere coram Parocho Originis, an verò Domicilii habitationis.

Sed dicendum, coram solo Parocho domicilii habi- 145
tationis validè contrahi Matrimonium, non verò etiam coram Parocho originis tantùm. Ita Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 23. *n.* 7. Gutier. *de Matr. c.* 62. *num.* 29. Perez *D.* 40. *sect.* 2. *n.* 1. Gonzal. *in cap. fin. h. tit. n.* 8. Bosco *de Matrim. D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 11. *n.* 388. Gobat. *Exper. tr.* 9. *num.* 486. Illsung. *tr.* 6. *D.* 9. *num.* 115. Vviestner *hic num.* 43. Reiffenstuel *ibid. num.* 55. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. cap.* 5. *num.* 92. Ratio est 1. quia Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matrim. vers. qui aliter*, exigit assistentiam Parochi proprii. Atqui Parochi proprii nomine in dubio venit solus Parochus domicilii habitationis, non verò originis, ut *in cap. statutum* 11. §. *cùm verò de Rescript. in* 6. notat Gloss. *V. unam diætam* Franc. *ibid. num.* 12. Ancharan. *num.* 4. *vers. quærit.* Tiraquell. *de retract. linag.* §. 9. *gloss.* 2. *num.* 21. & alii apud Sanch. *loc. cit.* ergo &c. 2. Reliqua Sacramenta, præter Ordines, ministrantur à solo Superiore habitationis ; nam hæc sola fidelem aliquem constituit Parochianum alicujus. Ergo etiam Matrimonio assistere debet solus Parochus habitationis. 3. Solus ille assistere validè Matrimonio conjugum potest, cui ab istis jus Parochiale debetur. Atqui Portio Canonica, quæ Jus Parochiale

est, & ratione administrationis Sacramentorum solvitur, debetur non Originis, sed habitationis Parocho, ut in *c. cum quis* 20. *§. cùm ab eo de Sepult. in 6.* notat Dom. *not.* 2. & Franc. *ibid. n.* 1. ergo &c.

146 *Neque obstat Ratio dubitandi allata*; nam quando *cap. nullus cit.* Originis Episcopus intelligitur nomine Superioris, non asseritur generaliter, sed in hoc casu, sive respectu Ordinationis tantùm, non verò aliorum Sacramentorum. *Ad Conf.* ut Socin. *in cap. fin. de for. comp.* Menoch. *l.* 6. *præsumpt.* 42. *n.* 5. Gaill. *l.* 2. *obs.* 36. *n.* 5. Vviest. *hic n.* 43. *in fin.* monent, Domicilium originis solùm retinetur quoad munera, & honores, non etiam quoad Jurisdictionem: atqui hinc cùm assistentia Parochi in Matrimoniis sit aliquis quasi actus Jurisdictionis, vel potiùs Jurisdictioni ipsius per se connexus, Parochus Originis tantùm non habet potestatem assistendi Matrimoniis eorum, qui non simul domicilium, vel quasi domicilium in Parochia ejusdem habent.

147 Quæritur 5. Quanti temporis habitatio in aliquo loco requiratur, ut coram ejus Parocho nuptiæ validè celebrentur? Resp. Cum distinctione: Vel enim nuptias celebraturus in talem locum discessit animo figendi ibidem domicilium, & in eo stabiliter permanendi, vel animo ad proprium domicilium redeundi.

Si primum, quæcunque, etiam brevissima habitatio in hujusmodi loco sufficit; quia tali animo transiens, ipso facto, quo domicilio priori relicto, transit ad talem locum tali animo, domicilium ibi acquirit, & Parochianus ejusdem efficitur *arg. l. domicilium* 20. *ff. ad municipal.* Gloss. *ibid. V. facto.* Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 23. *n.* 14. Gutier. *de Matr. c.* 63. *n.* 13. Conink. *de Sacr. D.* 27. *dub.* 2. *n.* 18. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *nu.* 64. Vviestn. *hic n.* 44. Reiffenstuel *ibid. n.* 60.

148 *Si secundum*, iterum videndum, quo fine ad locum ejusmodi transeat; nam si eò accessit solùm recreationis causa, ad paucos dies, & brevi rediturus, certum est habitationem illam, seu moram non sufficere, ut Matrimonium coram Parocho loci illius contrahere possit; quia talis habitatio non constituit aliquem Parochianum illius loci *arg. cap. is qui* 3. *princ. de Sepultur. in* 6. Sanch. *D.* 23. *cit. n.* 9. Bonacin. *de Matrim. q.* 2. *p.* 8. *n.* 5. *vers. tertiò*, Barbos. *alleg. cit. n.* 66. Vviestner *hic n.* 44. *fin.* Reiffenstuel *n.* 61. aliique adducti per Rotam *in Mutinens. Matr.* 27. *Febr.* 1737. *coram Decano*. Idem dicendum, siquis se in villam, vel pagum transferat ruris colendi, aut fructuum colligendorum causa; & ita teste Riccio *dec.* 244. à Rota sæpiùs declaratum fuisse dicit Bonacin. *l. cit.* addita ratione; quia non dicitur ibi propriè commorari, & habitare *per leg. Prætor ait* 1. *§. habitare* 9. *ff. de his qui effud.* Quare necessaria est habitatio aliqua diuturnior, vel saltem animus diutius manendi in tali loco.

149 *Dubium est*, an sufficiat habitatio quidem per tempus notabile, sed animo ad proprium domicilium redeundi, ut solent, qui studiorum causa in Academiis versantur, aut in civitatibus, oppidis, pagis, &c. Famulatus, negotiationis, aut periculi ex bello, lue Epidemica &c. in stabilis habitationis suæ domicilio grassante, imminentis causa ad talem locum se recipiunt? Henriq. *l.* 11. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 3. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 219. *num.* 6. Segura *p.* 2. *Direct. Jud. c.* 15. *nu.* 48. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *post dub.* 4. *§. dico* 3. & alii apud Sanch. *D.* 23. *cit. num.* 11. negant, quòd isti coram Parocho loci, in quo temporaneam hujusmodi habitationem habent, Matrimonium validè inire possint. *Ducuntur* 1. textu *cap. is qui cit.* ubi Pontifex non tam moræ tempus, quàm retentionem Domicilii, & animum ad hoc redeundi ponderat in ordine ad effectum, ut aliquis fit, vel maneat Parochianus alicujus loci, & jus sepulturæ habeat. Idem autem videtur dicendum in nostro casu. 2. Qui ad villam recreationis, aut ruris colendi causa se transfert, non efficitur Parochianus villæ. Ab hoc autem non videtur differre is, qui ad locum aliquem se transfert studiorum, aut famulatus gratia; nam in utroque casu concurrit habitatio in Parochia aliena, retento priori domicilio, ergo &c. 3. Si habitans in loco aliquo causa negotii ibi expediendi efficeretur Parochianus illius loci, dicendum esset, quòd haberet duplicem Parochiam habitationis. Hoc autem manifestè videtur falsum esse; nam ad hoc requiritur, ut in utraque Parochia æqualiter habitetur, ergo &c.

Sed veriùs hi, qui ex ejusmodi causis versantur in aliquo loco, modò ibi versentur animo habitandi ibidem per majorem anni partem, coram parocho illius loci Matrimonium validè inire possunt. Ita Sanch. *l.* 3. *D.* 23. *n.* 12. Gutier. *c.* 63. *n.* 13. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. *§.* 10. *n.* 9. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 2. Pirhing *hic num.* 19. *in fin.* Engl. *n.* 12. Konig. *n.* 13. Vviestner *num.* 45. Reiffenstuel. *num.* 61. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *num.* 97. & teste Gonzal. *l. cit.* decisum est à *S. Congreg. Card. Trid. Interpp.* Ratio est, quia per ejusmodi habitationem acquirunt in eo loco quasi domicilium, ita, ut in eo valeant conveniri *l. hæres absens* 19. *§. proinde* 2. *fin. ff. de Judic. & l. sciens* 2. *C. ubi de crim. ag. oport.* atqui quasi domicilium sufficit ad constituendum aliquem Parochianum loci *cap. fin. de Paroch.* & Sacramenta, Ordine excepto, ibi percipienda, ut rectè advertunt Innoc. *in c. omnis* 12. *de pœnit. & remiss.* Ant. de Butrio *ibid. n.* 38. Joan. Andr. *n.* 13. Ancharan. *n.* 9. ergo sufficiet etiam ad contrahendum Matrimonium, quod etiam hodierna praxis demonstrat. 150

Neque contrarium probant Argumenta *numer.* 149. allata. *Ad* 1. in *c. is qui cit.* sermo est de habitatione ex causa recreationis, & culturæ ruris, quàm habitationem *supra num.* 148. fassus sum non sufficere ad constituendum aliquem Parochianum alicujus loci. *Ad* 2. negatur paritas; quia habitatio recreationis, vel ruris colendi gratia non solet esse longioris temporis, ut adeò dispositio Juris ab hac ad casum habitationis productæ per majorem, aut notabilem anni partem extendi non debeat. *Ad* 3. Respondet Sanchez *loc. cit. num.* 19. pro eo tempore, quo studiosus aut famulus extra Domicilium suum degit studiorum, aut famulatus causa, illum non esse Parochianum Parochiæ Domicilii: vel si responsio ista displicet, dic in utrolibet loco posse contrahere Matrimonium; quia in uno Domicilium verum, in altero quasi domicilium habet. Quod additur, ad hoc, ut aliquis acquirat duplex Domicilium, requiri, ut æqualiter in utraque Parochia habitet intelligendum est de duplici Domicilio vero. 151

Quæritur 6. An qui habet duplicem Parochiam habitationis possit Matrimonium inire validè coram utrolibet? Satis convenit inter DD. posse inire Matrimonium coram Parocho utrolibet, si, & quandiu in Parochia illius habitat. Ita plurimis aliis *citt.* Sanch. *l.* 3. *D.* 24. *num.* 2. & ratio est; quia utraque ipsius Parochia est, prout constat ex *c. cùm quis* 2. *de Sepult. in* 6. & ab utroque Parocho percipere Sacramenta potest, ut adeo nulla sit ratio, quare compellatur coram uno illorum contrahere: modò habitatio in utraque Parochia æqualis sit; hoc enim requirit *c. cùm quis cit.* ibi, *Cùm ab eo, qui duo habet domicilia, se collocans æqualiter in utroque:* quod tamen intelligendum non Mathematicè, sed moraliter, ita, ut æquali, vel æquali ferè tempore in Parochia utraque habitet, ut si in hieme habitet in una, æstate in altera. Sanch. *l. cit. n.* 3. 152

Difficultas est, an possit hic indifferenter coram alterutro Parocho Matrimonium inire, vel Sacramenta percipere? Paludanus, Gabriel, Rosella, Angelus, Tabiena, & communis DD. Apud Sanch. *loc. cit. num.* 4. asserunt tantum posse Sacramenta administrare eum Parochum, cujus Parochiam tunc illa suscepturus inhabitat, ut hieme Parochum Parochiæ hiemalis, ubi tunc habitat, & contra æstate Parochum Parochiæ æstivalis. 153

Sed quamvis deceat, ut recipiat Sacramenta, & Matrimonium contrahat coram eo Parocho, cujus Parochiam tunc inhabitat, probabilius tamen est, indifferenter utrumque Parochum assistere Matrimonio illius, & ministrare ipsi Sacramenta posse. Ita Navarr. *cap. placuit num.* 78. *de pœnit. dist.* 6. Henriq. *l.* 6. *de pœnit. cap.* 7. *num.* 2. Sanch. *l. cit. num.* 5. Ratio est, quia talis eo tempore duplex domicilium habet. Ergo eodem tempore utriusque Parochi Parochianus manet: si autem Parochianus est utriusque, uterque ipsi ministrare Sacramenta, & assistere Matrimonio ejusdem potest. *Conf.* juxta *cap. cum quis cit.* si is, qui duo domicilia habuit, sepulturam extra illa elegit in loco tertio, Portio Canonica inter utramque domicilii 154

Paro-

Parochiam dividi debet, nec tota cedit Parochiæ habitationis tempore mortis. Ergo signum est, quòd Jura Parochialia competant etiam alteri Parocho respectu illius, qui duplex domicilium habet, licèt actu in Parochia illius non habitet. Inter hæc Jura Parochialia autem est etiam potestas assistendi Matrimonio, ergo &c.

5 Circa Principes tamen speciale est, quòd licèt censeantur Cives omnium urbium, & omnium pagorum sui Principatus, non tamen validè ducunt conjugem in quovis ejusmodi loco, sed solùm coram illo, qui est Parochus Palatii, in quo ordinariè resident. Card. de Lugo *Resp. mor. l.* 1. *dub.* 37. Konig *hic n.* 13.

6 Quæritur 7. Utrum Parochus Matrimonio Parochiani sui assistere possit intra fines suæ tantùm Parochiæ, an etiam intra fines Parochiæ alienæ? Navarr. *tit. de Sponsal. cons.* 52. *edit.* 1. *& tit. de Despons. impub. cons.* 4. *&* 14. *num.* 3. *& seqq. edit.* 2. Lud. Lopez *part.* 1. *Instit. cap.* 86. *§. præterea*. Pont. *l.* 5. *de Matrim. cap.* 6. *nu.* 4. existimant id solùm permissum esse Parocho intra fines suæ Parochiæ, & propterea dicunt, extra illam contractum coram eo Matrimonium esse irritum, ex ratione, quòd Parochi Jurisdictio ultra suæ Ecclesiæ fines se non extendat, *arg. c. fin. de Constit. in* 6. *Conf.* quia si extra fines suæ Parochiæ assistere Matrimonio Parochianorum suorum posset, posset etiam extra illam Benedictionem impertiri Sponsis. Non potest autem ibi benedicere nuptias absque facultate Parochi illius loci, ergo &c.

7 Sed his non obstantibus, dicendum, quòd Parochus Matrimoniis Parochianorum suorum assistere saltem validè possit extra Parochiam suam. Ita Hurtad. *de Matrim. D.* 5. *num.* 22. Sanch. *l.* 3. *D.* 19. *numer.* 11. *&* 14. Gutier. *de Matr. c.* 62. *nu.* 5. Perez *de Matr. D.* 40. *sect.* 7. *num.* 7. Conink *D.* 27. *de Sacram. num.* 22. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3. *vers. id porro*. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. *§.* 9. *n.* 3. Bosco *de Matr. D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 13. *à n.* 482. Barbos. *de Offic. Episc. alleg. n.* 95. Zypæus *l.* 4. *cons.* 5. *nu.* 2. Fagnan. *in c.* 2. *h. tit. num.* 33. Vvex *Ariad. p.* 5. *tr.* 2. *§.* 4. *num.* 31. Zoes. *hic n.* 16. Honor. *nu.* 7. Engl. *num.* 14. Pirhing. *n.* 22. *&* 23. Schamb. *n.* 11. Konig. *n.* 12. Vviest. *n.* 47. Reiffenstuel *n.* 57. *&* 63. Magnif. P. Schmier *par.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *nu.* 129. Proceditque hoc non tantùm, si contrahatur Matrimonium coram ipso in Parochia alterius Sponsi sibi non subditi, sed etiam, si in neutrius Parochia, vel etiam Diœcesi. *Ratio est*, quia præsentiam Parochi proprii, sive Sponsi, sive Sponsæ, Sacra Synodus Tridentina exigit sine mentione loci, in quo Matrimonium initur. *Conf.* Quia Parochus proprius etiam extra Parochiam, vel Diœcesim suam potest Parochianorum suorum Confessiones audire. Ergo & illorum Matrimonia assistere.

8 Dixi autem, *Saltem validè*; nam utrum licitè sic assistat absque licentia Ordinarii, vel Parochi loci, dubium est. Affirmant Segura *par.* 2. *Direct. Jud. cap.* 15. *num.* 49. Sanch. *l.* 3. *D.* 19. *num.* 18. Gutier. *cap.* 62. *de Matr. num.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *num.* 3. *vers. id porro*. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. *§.* 9. *n.* 5. Schambog. *n.* 11. *hic*. Reiffenstuel *ibid. n.* 65. *& seqq.* saltem si scandalum cesset. Negant Henriq. *l.* 11. *c.* 3. *nu.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. c.* 219. *n.* 7. Conink *D.* 27. *de Sacr. dub.* 2. *nu.* 29. Pont. *l.* 5. *c.* 16. *n.* 11. Barbos. *alleg.* 32. *n.* 97. Placet via media cum Pirhing *hic n.* 16. cum quo dico peccare illum, & propterea puniri posse, si solemniter, & publicè assistat Matrimonio in aliena Parochia, sine licentia Parochi illius loci; quia involat in alienum officium publicum in re gravi, quod confirmatur authoritate *S. Pii V.* & *S. Congr.* qua teste Tanner. *D.* 8. *q.* 3. *dub.* 6. *n.* 116. declaratum est, non licere alterius loci Parocho nuptiis assistere, quàm ubi istæ celebrantur, quod saltem de Benedictione nuptiarum certum est, ut explicat Illsung *tr.* 6. 8. 9. *n.* 115.

9 *Ad Argumentum adversariorum* præsentia ista, seu assistentia non est actus Jurisdictionis contentiosæ, sed vel Jurisdictionis voluntariæ tantùm, quæ extra proprium territorium exerceri potest *l. omnes* 2. *ff. de Offic. Proconf.* vel potiùs testis qualificati, qui cum duobus, vel tribus aliis testibus de Matrimonio inito authenticum testimonium perhibere, & certam fidem Ecclesiæ possit facere, ut probè observat Perez *de Matrim. D.* 40. *sect.* 2. *num.* 7. *Neque obstat*, quòd ad hanc assistentiam requiratur cognitio de statu, & conditione personarum contrahentium; nam præterquam, quòd cognitio illa ab assistentia separari, & antecedenter in Parochia propria fieri possit, cognitio illa non est propriè Jurisdictionalis, & publica, sed privata, nec Parochus statuere potest aliquid, sed Episcopo referre omnia debet. *Ad Conf.* nihil refert, quòd extra Parochiæ suæ fines Parochianorum suorum nuptias Parochus non possit benedicere; nam ut Pal. *num.* 5. *cit.* advertit, assistentia Parochi Benedictioni nuptiali necessariò conjuncta non est.

Quæritur 8. Qualis Parochus possit, & debeat assistere Matrimonio Vagorum, sive eorum, qui verum, aut quasi Domicilium nuspiam habent, sed hinc inde vagantur, vel Domicilio, quod habuerunt, deserto, aliud quærunt, aut ad certum locum animo ibi Domicilium constituendi proficiscuntur? 160

Certum est 1. Matrimoniis istorum nullum Parochorum posse assistere licitè, nisi facta priùs diligenti inquisitione de ipsorum statu, & habilitate ad contrahendum Matrimonium, & obtenta Ordinarii Diœcesani sui licentia eis assistendi, prout præcipit Trident. *sess.* 24. *cap.* 7. *de reform. Matrim.* propter periculum, ne uxoribus, quas fortè alibi habent temerè relictis, in loco ubi modò sunt, aliam ducant, vel etiam plures, ea vivente. Quæ ratio etiam militat in Peregrinis, & alienigenis, qui alibi fixum domicilium habent, & contrahere volunt in loco, ubi ignoti sunt: quare cum his eadem observanda, quæ cum vagis, advertit Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 25. *numer.* 8. Zoes. *hic num.* 11. Pirhing *ibid. numer.* 19. Hinc ad cautelam ab eisdem exigi solet Juramentum, quòd nullo impedimento Canonico laborent, nec alio Matrimonio ligati sint. Engl *hic numer.* 13. Schambog. *num.* 14. Reiffenstuel *num.* 14.

Certum est 2. Etsi Parochus hoc Decretum Concilii non observet, sed absque prævia cognitione de statu eorum Vagos, aut Forenses ignotos conjungat Matrimonio, quamvis graviter peccet (quia violat Tridentini præceptum in re gravissima, & valde necessaria) Matrimonium ipso Jure subsistere: quia Tridentinum diligentem inquisitionem, reique ad Ordinarium delationem præcipit sine clausula irritante actum. Atqui Matrimonia non intelliguntur irritata per simplicem prohibitionem, vel præceptum, nisi addatur clausula irritans, ut rectè cum aliis advertit Sanch. *l.* 3. *D.* 32. *n.* 2. *Conf.* Quia non aliter à Trident. petuntur Denuntiationes Matrimonii, quibus tamen omissis, valet Matrimoium. Ergo etiam valebit in hoc nostro casu. Ita Henriq. *l.* 11. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 3. Sanch. *D.* 25. *cit. num.* 17. Gutier. *c.* 62. *num.* 14. *& c.* 67. *num.* 2. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 31. *n.* 74. Zypæus *l.* 4. *cons.* 7. *num.* 2. Zoes. *num.* 11. *hic*. 161

Dubium est, an vagorum Matrimoniis assistere tantùm possit Parochus loci, in quo versantur, an verò quivis alius Parochus, quem ipsi elegerint; Secundum affirmant Sanch. *D.* 25. *cit. num.* 11. ex ratione, quod proprius Vagorum Parochus sit quilibet Parochus, quem ipsi elegerint. Atque hinc juxta istam doctrinam Vagus hic Ingolstadii Matrimonium contrahere posset non solùm coram Parocho Ingolstadiensi, sed etiam coram alio quocunque, si illum vocare velit huc Ingolstadium. Hæc sententia teste Pirhing *hic num.* 13. & P. Vviestner *ibid. num.* 50. probabilis est. 162

Probabiliùs tamen est, eorum Matrimoniis interesse debere eum Parochum, in cujus Parochiam pro tempore, quo contrahunt, versantur, ut rectè Dicastill. *de Matr. D.* 3. *dub.* 15. *n.* 132. Conink *D.* 26. *de Sacr. dub.* 2. *n.* 20. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 3. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. *§.* 10. *n.* 11. Vallens. *hic n.* 12. Zoes. *n.* 11. Pirh. *nu.* 19. Schambog *num.* 14. Vviestner *num.* 50. Reiffenstuel *numer.* 88. Ratio est, quia probabilius est, quòd vagi non à quolibet Parocho Sacramenta possint suscipere, sed solùm à Parocho loci, in quo pro tempore versantur. 163

Ad rationem allatam à Sanchez dicendum, quòd vagorum Parochus proprius sit quilibet Parochus tantùm pro tempore, quo in ejus Parochia morantur. Igitur probabiliùs ab hoc solo conjungi possunt.

Non autem refert 1. an uterque Sponsorum sit vagus, an alter dumtaxat; quia Parochus unius est etiam Parochus alterius in ordine ad Matrimonium, ob indivi- 164

dividuam Contractus Matrimonialis naturam. Sanch. *l. cit. n.* 14. Gutier. *c.* 65. *nu.* 8. Reiffenstuel *hic num.* 89. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *num.* 104. & dictum est *suprà num.* 142. *Procedit* 2. etsi à loci Episcopo Vagabundis proprius Confessor assignatus sit; quia per hoc non tollitur, quòd eorum adhuc Parochus sit is, qui loci Parochus est, in quo actu versantur. Sanchez *l. cit. nu.* 12. *Procedit* 3. etiam de iis, qui actu reliquerunt vetus domicilium, & transeunt ad locum, ubi domicilium, novum constituere intendunt; antequam enim locum destinatum attingant, simile censentur Vagabundis; utpote domicilium actu non habentes per textum *l. ejus qui* 27. §. *Celsus* 2. *ff. ad municipal.*

165 Quæritur 9. Qualis Parochus assistere possit Matrimoniis Militum? Resp. distinguendo: Vel enim isti proprium Curionem, sive Capellanum Castrensem habent, vel non habent. *Si hoc secundum*, Vagis annumerantur; cons. in ordine ad Sacramenta percipienda, & contractum Matrimonii Parochus eorum proprius erit ipse loci Parochus, in quo pro tempore existunt. Less. *in Auctar. V. Matrimonium num.* 26. Gobat. *Exper. tract.* 9. *num.* 496. Reiffenstuel *hic numer.* 94. *Proceditque* hoc non solùm, quando in Expeditionibus, & Castris sub papilionibus degunt, sed etiam, quando sunt in hibernis, imò & in præsidiis, modò his non stabiliter, aut per majorem anni partem addicti sint, sed à nutu Ducis, eos ad exercitum, expeditionem, vel aliud præsidium evocantis, pendeant. Observanda tamen circa istos erit cautela relata *num.* 160. ut prius de statu illorum à Parocho fiat diligens inquisitio, & non conjungantur, nisi licentia ad hoc impetrata ab Ordinario; aliàs illicitè conjungentur. P. Vviestner *hic num.* 52.

166 *Si primum*, videndum est, an Curio, vel Sacellanus ille Castrensis pro Cura animarum, & administratione Sacramentorum à Sede Apostolica, vel ab Ordinario, in cujus Diœcesi existunt; specialiter approbatus, & expositus sit, an verò non. *Si hoc posterius*, hujusmodi Capellani Castrenses nec in Castris, nec in præsidiis valide assistere Matrimoniis possunt, prout sepius decisum est à *Sac. Congreg.* præsertim *in Mediolan. Matrim.* 11. *Nov.* 677. *in una Belgii Matrimoniorum* 29. *Maii* 1683. & novissimè 29. *Jan.* 1707. ad interrogationem Reverendissimi Ordinarii Frisingensis, cujus tenorem refert P. Reiffenstuel *hic num.* 96.

167 *Si prius*, poterit hic eisdem administrare Sacramenta, & Matrimoniis illorum assistere juxta tenorem facultatis sibi concessæ à Sede Apostolica, vel ab Ordinario Diœcesis, in qua pro tempore milites existunt, ita, ut si facultatem assistendi Matrimoniis, & Sacramenta ministrandi ipsis habeat dumtaxat, dum sunt in Castris, non possit ea facultate uti, dum Matrimonium contrahunt in hibernis, vel dum sunt in præsidiis. Si verò facultas ipsi data sonet etiam pro præsidiis, facultatem illam ejusmodi Curatio habebit solum cumulativè cum Parocho loci, non privativè ad istum, ut respondit S. Congreg. in *cit. Belgii*, & confirmavit edito Decreto Generali 6. *Mart.* 1604. apud Petram *tom.* 2. *comm. fol.* 355. *n.* 16. *& fol. seq. n.* 18.

168 Quod si talis Capellanus potestatem hanc accepit ab Episcopo, & Exercitum duci contigerit in locum alterius Diœcesis, ibi non ampliùs vi facultatis sibi concessæ poterit assistere Matrimoniis, sed etiam de novo pro Diœcesi, in qua defacto existit, petere debet ab Ordinario loci; quia licentia illa extra Diœcesim concedentis se non extendit. Reiffenstuel *hic nu.* 99. *&* 101. Durante bello proximè præterito, ut notat P. Vviestn. *hic n.* 52. in Exercitibus Cæsareanis Superior Castrensis à Legato Sedis Apostolicæ ad Sacram Cæsaream Majestatem commissam sibi habebat curam animarum, & administrationem omnium Sacramentorum, exceptis Confirmatione, & Ordine, cum amplissimis prærogativis, & facultate eas communicandi Legionum Curionibus, & Capellanis tam Sæcularibus, quàm Regularibus: & hic isti, si eam facultatem sibi à superiore suo communicatam accepissent, ut alia Sacramenta administrare, ita etiam nuptiis militum suorum assistere, easque benedicere tam in Stativis, quàm in Expeditionibus, etiamsi ductus Exercitus in aliam Diœcesim esset, indubitatò poterant.

Quæritur 10. An Parochus assistens Matrimoniis subditorum suorum debeat esse Sacerdos? Affirmant Navar. *cons.* 1. *de Offic. Ordin. edit.* 1. *& cons.* 10. *h. tit. edit.* 2. Rodriq. *tom.* 5. *Summ. c.* 219. *nu.* 7. Petr. de Ledesm. *de Matrim. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 11. juxta quos invalidè, vel saltem illicitè assistit conjugiis, qui tantùm Subdiaconus, vel Diaconus est, licèt Parochus sit. Fundantur 1. textus Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matr.* ibi, *Qui aliter, quàm præsente Parocho vel alio Sacerdote &c.* nam dictio *alius*, cùm sit relativa, & repetitiva similium, personam similem in qualitate denotat secundùm Tusch. *practic. V. dictio concl.* 245. ergo sicut in eo, qui de Parochi, vel Ordinarii licentia Parochianorum non suorum Matrimonio assistit, Ordo Sacerdotalis à Trid. requiritur, ita requiretur etiam in ipso Parocho. 2. antiquo Jure *can. aliter* 1. *& seqq. caus.* 30. *q.* 5. in nuptiis adhiberi Sacerdos debuit. Atqui credendum non est, quòd Tridentinum ab illo Jure diverterit, præsertim cùm nulla sit ratio Sacerdotium exigendi potiùs in alio Delegato, quàm in ipso Parocho delegante. 3. Ex præscripto Trid. *c.* 1. *cit.* assistens Matrimonio proferre debet verba, *Ego vos conjungo in nomine Patris &c.* quæ verba videntur competere soli Sacerdoti, cùm sint quasi Benedictio. 169

Sed dicendum, quòd Parochus, etsi Sacerdos non sit, assistere conjugiis validè, & licitè possit, quamvis alii, quàm Sacerdoti, assistendi licentiam dare nequeat. Ita Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 3. *num.* 5. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 20. *n.* 3. Gutier. *c.* 62. *n.* 16. Conink. *D.* 28. *de Sacr. n.* 21. Pont. *l.* 5. *c.* 17. *nu.* 1. *&* 4. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 105. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *c.* 4. *n.* 4. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 10. *nu.* 2. Bosco *de Matr. D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 8. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 8. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 116. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *n.* 30. Monacell. *p.* 2. *tit.* 16. *form.* 2. *nu.* 34. Vallens. *hic nu.* 9. Zoes. *num.* 13. Pirh. *num.* 17. Schambog. *num.* 11. *fin.* Konig. *num.* 16. Vviestner *num.* 53. Reiffenst. *num.* 70. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *num.* 114. & teste Monacell. *l. cit.* S. Congreg. Concil. *in Abulens.* 1593. *l.* 7. *decis. fol.* 193. Ratio est 1. Quia Trident. assistentiam Parochi exigit, non facta mentione Ordinis Sacerdotalis. Atqui etiam, qui Sacerdos non est, Parochus esse potest *cap. licèt* 14. *de Elect. in* 6. ergo &c. 2. Parochus non Sacerdos exercere omnia potest, quæ à potestate Ordinis non dependent. Atqui assistentia Matrimonii non dependet, neque est actus Ordinis Sacerdotalis, ergo &c. 3. Assistentia Parochi præter duos, vel tres alios testes per Trident. tantùm requiritur, ut ob dignitatem Parochialem tanto major fides eidem adhibeatur de Matrimonio inter Sponsos contracto. Atqui hæc dignitas non deficit in Parocho non Sacerdote, ergo &c. 170

Addidi, *quòd Parochus licentiam assistendi Matrimonio nulli alteri, nisi Sacerdoti communicare possit*: cujus ratio est, quia Tridentinum *l. cit.* dicit, *vel alio Sacerdote*: quo nomine intelligitur verus Sacerdos; verba autem secundum communem acceptionem, & usum verborum accipienda sunt, ergo &c. Navar. *cons.* 44. *de Sponsal. edit.* 1. *& cons.* 6. *h. tit. edit.* 2. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 3. *n.* 5. Petr. de Ledesm. *de Matrim. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 4. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *cap.* 219. *n.* 12. Vega *l.* 6. *Summ. cas.* 112. Sanch. *l.* 3. *D.* 20. *n.* 10. 171

Neque contrarium probant Argumenta *num.* 169. allata. *Ad* 1. sensus verborum illorum est, quòd Matrimonium contrahi debeat coram Parocho, vel alio quodam potestatem habente ab Ordinario, vel Parocho, dummodo Sacerdos sit. *Neque obstat* particula *Alius*; quia hæc non semper qualitatem similem denotat, ut patet ex illo, *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo*. Luc. 23. Quando autem sit similium repetitiva, desumi debet ex proposita Materia, & in præsenti quæstione ex qualitate præsentiæ Parochialis, quæ cùm non sit actus Ordinis, plus non requiretur, quàm ut, qui assistit Matrimonio, sit Parochus, vel ex ejus commissione alius Sacerdos. *Ad* 2. Ibi non decernitur, ut Parochus assistens Matrimonio sit Sacerdos, sed tantùm dicitur, ut solemniter benedicens nuptias sit Sacerdos. In Delegato Ordo Sacerdotalis requiritur ideo, ut quod dignitatis deficit in non Parocho, per dignitatem Sacerdotalem suppleatur. *Ad* 3. Ut rectè notat Sanch. *l. cit. num.* 4. non apparet, cur 172

verba

verba illa non etiam proferri possint à Parocho non Sacerdote.

173 Quæritur 11. An Matrimonio validè assistat Parochus Excommunicatus? *Certum est*, quòd eidem validè assistat, si sit Excommunicatus toleratus, & non vitandus *arg. cap. ad probandum* 24. *de Sent. & re judic.* & probat ratio; quia cum Excommunicato tolerato permittitur communicatio fidelibus, quatenus hæc in favorem, & commodorum ipsorum cedit.

Major difficultas est, si sit Excommunicatus, non toleratus, & vitandus. Invalidam ejus assistentiam esse affirmat Avil. *de Censur. D.* 3. *dub.* 1. *concl.* 5. & videtur hoc etiam probare ratio. 1. Quia assistentia Matrimonialis est actus Jurisdictionis voluntariæ, utpotè cùm ad sui valorem requirat præsentiam Parochi, tanquam personæ publicæ; atqui Excommunicatus nequit ampliùs exercere actum Jurisdictionis etiam voluntariæ, cùm Excommunicatus etiam hac privetur *capit. un. ne Sed. vacant. in* 6. 2. Quia posito etiam, quòd non referatur inter actus Jurisdictionis, saltem referri debet inter actus Officii Parochialis; nam illis assistit qua Parochus, ejusque præsentiæ defectus ne mille quidem testibus suppleri potest. Atqui actus ab Excommunicato vitando gesti ratione officii, & potestatis publicæ ipso Jure irriti sunt; nam ob hanc solam causam non subsistunt actus Electionis, collationis, institutionis à Censurato gesti, ergo &c. 3. Quia Parochus saltem Matrimonio assistit, tanquam testis eorum qualificatus, sed testimonium Excommunicati vitandi non est idoneum *c. veniens* 38. *in fin. de test. & Attest. c. decernimus* 8. *& c. licèt* 13. *de Sent. Excomm. in* 6. ergo &c.

174 Sed adhuc dicendum, Matrimonium coram Parocho Excommunicato, etiam non tolerato, contractum ipso Jure subsistere. Ita Navar. *Conf.* 4. *h. tit. fin.* Suar. *de Censur. D.* 11. *sect.* 2. *n.* 2. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 21. *n.* 4. Gutier. *de Matr. c.* 62. *n.* 23. Perez *D.* 40. *sect.* 4. *à nu.* 3. Pont. *l.* 5. *c.* 17. *n.* 6. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 10. *n.* 6. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 90. Fagnan. *in c. ad abolendam de Hæret. n.* 38. *& in cap. quod a prædecessore de Schismat. n.* 81. Gonzal. *in c. fin. h. tit. nu.* 8. Bosco *D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 9. Clericat. *decis.* 35. *n.* 4. Zoes. *hic num.* 15. Engl *n.* 14. Pirh. *n.* 18. Schambog. *n.* 13. Konig *num.* 16. Vviestner *n.* 54. Reiffenstuel *n.* 78. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *n.* 120. & affert pro hac Fagnan. *l. cit.* Declarationem Cardd. *Ratio est*, quia Trid. *sess.* 24. *c.* 1. §. *qui aliter. de reform. Matr.* ad Contractum Matrimonialem præcisè exposcit, ut celebretur coram proprio Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus. Atqui Parochus Excommunicatus non desinit esse Parochus; quia Excommunicatio ipsum nec titulo, nec proprietate, nec possessione Parochiæ privat, ergo &c. Imò non solùm assistentia, sed ipsa quoque Benedictio nuptialis, ab ita Excommunicato data Sponsis, Jure valida est, ut cum communi docent Suar. *l. cit. sect.* 3. *n.* 9. Perez *sect. cit. n.* 7. Vviestn. *l. cit.* quia generaliter actus Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis, qui Jurisdictionis actum non involvunt, exercentur validè ab Excommunicato vitando.

175 Argumenta in contrarium allata intentum non probant. *Ad* 1. Assistentia Matrimonialis actus Jurisdictionis non est: quod inde constat, quia assistentia Parochi etiam inviti, & contrariam intentionem habentis valet, ut dicetur *infra num.* 238. nullus autem actus Jurisdictionis fieri potest ab omnino invito, aut habente intentionem contrariam; actus enim agentium non operantur ultra intentionem illorum *l. non omnis* 19. *ff. de reb. credit. Ad* 2. Excommunicatio non inficit actus omnes ex officio, & potestate publica gestos, sed eos tantùm de quibus id Jure expressum est. Atqui de assistentia Matrimoniali hoc Jure expressum non invenitur. *Ad* 3. in causis Matrimoniorum ad probandum eorum Contractum recipiuntur testes etiam infames, & aliàs minùs habiles. Igitur multò magis ad illorum contractum, cùm, ut dixi, etiam præsentia involuntaria illorum sufficiat.

176 Quæritur 12. An Matrimonio validè assistat Parochus, cui propter imperitiam, vel in criminis pœnam Sacramentorum administratio generaliter, vel specialiter assistentia Matrimonialis ab Episcopo interdicta est? *Satis convenit* inter DD. validè assistere, si Sacramentorum administratio ipsi interdicta sit *generaliter*. At quando assistentia Matrimonii tali Parocho interdicta est *specialiter*, nonnulli cum Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *n.* 103. putant assistere invalidè; quia Interdictum tale videtur, actum Officii, interdicto contrarium, non tantum illicitum, sed etiam invalidum facere *arg. c. cùm inter* 16. *de Elect.*

Sed licèt ita assistendo Parochus graviter delinquat in casu utroque, dicendum tamen etiam sic prohibitum assistere validè. Ita Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 3. *n.* 4. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 21. *n.* 11. Gutier. *de Matr. c.* 62. *nu.* 25. Perez *D.* 40. *sect.* 4. *n.* 6. Conink *D.* 27. *n.* 27. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *nu.* 5. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *nu.* 93. Fagnan. *in c. litteræ de Matr. contr. interd. Eccl. n.* 5. *& seq.* Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 10. *nu.* 7. Bosco *D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 9. *à n.* 335. Zypæus *l.* 4. *cons.* 5. *n.* 6. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 8. Engl. *hic n.* 14. Vviestner *nu.* 55. Reiffenstuel *num.* 62. & teste Sanch. *l. cit.* Rota *in novissimis tom.* 1. *decis.* 429. *&* 770. Ratio est, quia inhibitione illa non obstante, verè Parochus est, & titulum Beneficii Parochialis retinet. 177

Imò Matrimoniis Parochianorum suorum validè assistit Parochus, quamvis amiserit Beneficium, vel quia intra annum non est promotus ad Sacerdotium juxta *c. licèt* 14. *de Elect. in* 6. vel quia aliud Beneficium incompatibile accepit juxta *cap. de multa* 28. *de Præbend.* licèt enim ipso Jure privatus sit, nondum tamen est possessione spoliatus, & interim præsumitur habere justam causam retinendi *c. licèt* 28. *de Præbend. in* 6. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 6. *num.* 207. Sanch. *D.* 22. *nu.* 62. Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 34. *n.* 7. ubi testantur ita censuisse *S. Congr. Concil.* 12. *Mart.* 1653. 178

Neque contrarium probatur ex *c. cùm inter cit.* nam ibi Electio pronuntiatur invalida, quia facta est à suspenso; non ita Suspensus censeri debet, cui vel generaliter administratio Sacramentorum, vel Specialiter assistentia Matrimonialis est interdicta. Ratio disparitatis est, quia Jure cautum est, quòd suspensio privet Voce activa, & passiva in Capitulo; non ita privat Officio prohibitio prædicta Episcopi, cùm juxta notam Juris Maximam multa prohibita sint, quæ tamen acta valent. 179

Quæritur 13. An validum sit Matrimonium, quod celebratum est coram Parocho solùm existimato, quia v. gr. Parochiale Beneficium ipsi invalidè collatum est, vel si collatum est validè, illo ob occultum v. g. Hæresis crimen ipso Jure, & facto excidit? Respond. Validè assistere, saltem si Titulum coloratum habet, & retinet, modo communiter, & vulgò credatur, & existimetur esse verus Parochus; quia ob communem errorem, & publicum bonum Jus supplet defectum tituli *arg. l. Barbarius* 3. *ff. de Offic. Prætor.* Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 21. *num.* 62. Gutier. *cap.* 62. *num.* 16. *&* 27. Perez *D.* 40. *sect.* 5. *num.* 3. Conink *D.* 27. *num.* 26. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 10. *num.* 10. Barbos. *de Offic. Episcop. alleg.* 32. *num.* 94. *& seqq.* Pont. *l.* 5. *cap.* 19. Zypæus *l.* 4. *resp.* 5. *num.* 1. Bosco *D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 10. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *num.* 116. Gonzal. *in cap. fin. h. tit. num.* 8. Zoes. *hic num.* 14. Pirh. *num.* 18. Schambog. *num.* 13. *fin.* Vviestn. *num.* 56. Reiffenstuel *num.* 75. Proceditque hoc, etsi defectus tituli ab ipso Parocho existimato, & ab ipsis etiam contrahentibus cognoscatur, modò communi errore existimetur esse verus Parochus, ut *arg. l. nam ad ea* 5. *ff. de LL.* notant Sanch. Gutier. Perez, Palao, *& alii suprà.* 180

An verò validum sit etiam Matrimonium, cui assistit Parochus destitutus etiam titulo colorato, quæstio fieri potest. Negat cum aliis Sanch. *D. cit. nu.* 61. quia juxta doctrinam, quam *eadem Disp. num.* 49. posuit, ut acta Parochi existimati valeant, non satis est communis error, sed necessarius est titulus collatus à legitimo Superiore, quamvis invalidè. Sed alii cum Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 122. Pont. *l.* 5. *cap.* 20. *num.* 3. Bosco *l. cit. num.* 372. Vviestner *num.* 56. *cit.* putant etiam hoc casu validum Matrimonium esse, ex ratione; quia utilitas publica, cujus intuitu legitimæ potestatis defectus suppletur, non minùs urget casu, quo Parochus putativus titulo colorato caret, quàm quo illum habet, quia Beneficium Parochiale collatum ipsi est ab eo, qui illud conferre poterat. 181

§. IV.

De Commissione Assistentiæ Matrimonialis.

SUMMARIUM.

182 QUæritur 1. An, & à quo committi alii extraneo Sacerdoti potestas Matrimoniis assistendi possit? *Certum est*, quòd possit committi; ita enim expressè Trid. *sess.* 25. *c.* 1. *vers. qui aliter de reform. Matr.* Dare autem illam licentiam potest non tantùm Parochus contrahentium, sed etiam hujus Ordinarius: quo nomine hìc venit 1. Episcopus proprius Diœcesis, & hujus Vicarius Generalis, respectu Diœcesanorum suorum. 2. Legati Sedis Apostolicæ respectu subditorum suæ Provinciæ. 3. S. R. E. Cardinales respectu subditorum Ecclesiæ sui quisque Tituli. 4. Capitulum Cathedrale, Sede Episcopali vacante, & hujus Vicarius Generalis. 5. Abbates, & alii Prælati non subjecti Episcopo, & in certi territorii populum obtinentes Jurisdictionem quasi Episcopalem. *Ratio est*, quia hi omnes assistere Matrimoniis subditorum suorum possunt, etiam cumulativè cum Parochis sibi subjectis, ut dictum est *n.* 135. *& seqq.* igitur etiam licentiam dare alteri ad iis assistendum.

183 An verò Parochus etiam excommunicatus, suspensus, aut interdictus hujusmodi licentiam dare possit, cum aliis in controversiam trahit Conink *D.* 27. *de Sacram. dub.* 2. *n.* 25. & Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 5. *vers. credo*; quia putant concessionem istam licentiæ esse actum Jurisdictionis voluntariæ, quæ Excommunicato etiam ipsa adempta est: & propterea docent, ita Excommunicatum nec licitè, nec validè dare licentiam assistendi posse alteri.

184 Sed meliùs affirmativam defendunt Henriq. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 5. Sanch. *l.* 3. *D.* 21. *num.* 7. Gutier. *de Matrim. cap.* 62. *numer.* 24. *vers. nihilominus*. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *part.* 13. §. 10. *num.* 8. Barbos. *de Offic. Episcop. Alleg.* 32. *num.* 110. Gonzal. *in cap. fin. num.* 9. Pirhing. *hic num.* 18. Schambog. *num.* 13. Ratio est, quia quod quis facere per seipsum potest, hoc etiam facere per alium potest: ergo cùm secundùm dicta *num.* 174. assistere validè Matrimonio possit Parochus Excommunicatus etiam non toleratus, poterit ille etiam licentiam assistendi dare alteri; neque enim magis est actus Jurisdictionis alium loco sui constituere ad assistendum Matrimonio, quàm ipsa assistentia Matrimonialis, cùm utrumque ad Parochum spectet, non qua Jurisdictionem habet, sed in quantum est testis legitimus Matrimonii, habens facultatem sibi substituendi alium.

Atque hinc cadit Argumentum adversæ Sententiæ; 185
frustra enim concessio hæc actus Jurisdictionis dicitur. Infert quidem assertionem suam Conink ex eo, quia per ejusmodi licentiam Sacerdos extraneus, qui alioquin esset inhabilis ad assistendum Matrimonio, fit idoneus ad actus valorem. Sed hoc Argumentum nimium probat; probat enim, quòd etiam constitutio Procuratoris actus Jurisdictionis sit, cùm etiam per ipsam is, qui sine hac inhabilis est ad tractanda mea negotia, habilis ad ea tractanda fiat.

Quæritur 2. Cui Parochus, vel Ordinarius licen- 186
tiam assistendi Matrimonio dare possit? *Videtur*, quòd dare eam possit etiam Diacono. 1. quia Sacerdos assistens Matrimonio non est ipsius Minister, sed ipsi contrahentes: igitur assistentia illius non est actus Ordinis, ac proinde committi alteri etiam non Sacerdoti poterit. 2. Si tantùm committi licentia Sacerdoti posset, id maximè probaretur ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* ibi, *Vel alio Sacerdote de licentia Parochi*; atqui ex verbis istis nihil probatur; nam in causis favorabilibus, qualis est Matrimonium nomine Sacerdoti etiam Diaconus comprehenditur.

Sed dicendum, minimè posse conferri hanc licen- 187
tiam non Sacerdoti, sed alteri non Sacerdoti datam esse invalidam, nec subsistere Matrimonium, coram tali Commissario contractum. Ita Navarr. *lib.* 4. *tit. de Sponsal. cons.* 44. *edit.* 2. *& hoc tit. cons.* 6. *edit.* 2. Henriq. *l.* 11. *de Matrimon. cap.* 3. *num.* 5. Petr. de Ledesm. *de Matrimon. quæst.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 4. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *cap.* 219. *num.* 12. Vega *l.* 6. *Summ. cas.* 112. Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 20. *num.* 10. & constat ex Trident. verbis *cit.* ex quibus hoc ducitur Argumentum: Verba secundùm communem intelligentiam accipienda sunt. *cap. ex litteris* 10. *de Sponsal.* & docent *ibidem* omnes Interpp. atqui secundùm communem loquendi usum nomine Sacerdotis intelligitur verus Presbyter: ergo dum Concilium dicit, *Vel alio Sacerdote*, intelligit verum Presbyterum. *Conf.* 1. Ex modo loquendi ejusdem Tridentini; semper enim distinguit Sacerdotes à Diaconis, & aliis Altaris ministris, ut constat ex *sess.* 23. ubi ex professo agit de Ordine, & maximè *canon.* 1. *& canon.* 2. ergo eodem modo sumitur Sacerdos in præsenti Decreto. *Conf.* 2. Quia ita Decretum hoc semper intellectum, receptumque est.

Potest autem Parochus, vel Ordinarius licentiam 188
assistendi dare cuicunque Sacerdoti, sive Regulari, sive Seculari, etiam ad curam animarum non approbato; quia hanc approbationem Trid. *sess.* 25. *cap.* 13. *de reform.* tantùm petit pro Confessionibus audiendis, propter magnam prudentiam, scientiam, & vitæ probitatem, quæ in hoc ministerio requiruntur. Sanch. *l. cit. n.* 10. Boss. *de contract. Matr. c.* 4. *n.* 111. Schambog. *hic n.* 13. Konig. *nu.* 17. *ibid.* Neque valorem commissionis impedit, si Sacerdos, cui assistentia Matrimonialis committitur, sit Excommunicatus, Suspensus, Interdictus, Irregularis, vel etiam degradatus; quia assistentia hæc non est actus Jurisdictionis, & exerceri non potest per Excommunicatum, vel Irregularem. Sanch. *numer.* 10. *cit.* Barbos. *alleg.* 32. *num.* 111. Bonacin. *de Matrim.* q. 2. *part.* 8. *numer.* 32. Konig *l. cit.* Imò subsisteret Matrimonium celebratum coram Delegato Parochi, licèt is tantùm Laicus esset, si communi æstimatione reputaretur Sacerdos; quia deputatio, & licentia assistendi dat ei titulum præsumptum, & concurrit communis error, qui titulo subnixus Jus facere dicitur, & defectum supplet *arg. l.* Barbarius 3. *ff. de Offic. Prætor.* Bonacin. *p.* 8. *cit. n.* 30. Sanch. *D.* 22. *nu.* 61. Filliuc. *tom.* 10. *part.* 1. *c.* 6. *num.* 206.

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Assisten- 189
tia Matrimonialis non est quidem actus Ordinis, est tamen actus testis qualificati, cujus qualitas ad formam Matrimonii substantialem, conf. ad valorem ejus requiritur, nisi defectum ejus Jus suppleat ob errorem communem. *Ad* 2. Principium illud, quòd in favorabilibus

bilibus latior interpretatio capienda sit, non procedit in casu, quo agitur de necessariis ad Sacramentum; tunc enim verba secundùm propriam, & usitatam significationem accipienda sunt, propter periculum irritationis Sacramenti.

90 Quæritur 3. Quomodo committi Sacerdoti extraneo potestas Matrimoniis assistendi possit? Resp. potest committi verbo, scripto, vel alio signo externo, per se, vel per intermediam personam; nec solùm specialiter, sed etiam generaliter: ac proinde cui commissa est cura functionum, sive muneris Parochialis, illi etiam commissa censetur facultas, & potestas assistendi Matrimoniis ovium sibi commissarium; quia generalis Regulæ instar est, quòd generalis dispositio generaliter, & consf. ita intelligenda sit, ut omnes species sub se comprehendat *can. si Romanorum* 1. *dist.* 19. *l. si Chorus* 39. *ff. de Legat.* 3. Navar. *cons.* 13. *h. tit.* Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 35. *n.* 7. Conink *D.* 27. *de Sacram. num.* 30. Pont. *l.* 5. *cap.* 29. *num.* 2. Pal. *tract.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 12. *num.* 1. Zypæus *l.* 4. *respons.* 4. *num.* 1. Vallens. *hic nu.* 7. *vers. proprii.* Zoes. *num.* 19. Konig *num.* 17. Vviest. *n.* 67. Reiffenstuel *n.* 83. Vincent. Petra. *tom.* 2. *comm. fol.* 355. *n.* 14.

91 *Dubium est*, an licentia assistendi Matrimoniis censeatur concessa per hoc, quòd alicui generaliter commissa sit administratio Sacramentorum? Negant Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 3. *n.* 5. Hurtad. *D.* 5. *diffic.* 11. *num.* 37. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 35. *n.* 8. Coninck *D.* 27. *n.* 30. Perez *de Matr. D.* 41. *sect.* 1. *num.* 8. Rationem dant, quia Minister Sacramenti Matrimonii non est Parochus, vel ab eo Delegatus Sacerdos, sed ipsi contrahentes. igitur dum commissa est administratio Sacramentorum alicui, non hoc ipso etiam commissa censebitur assistentia Matrimonii, quæ administratio Sacramenti non est.

92 Sed verius est, hujusmodi commissionem generalem sufficere. Ita Pont. *l.* 5. *c.* 29. *n.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 12. *n.* 1. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 127. Zypæus *l.* 4. *resp.* 4. *n.* 1. Gonzal. *in c. fin. h. tit. nu.* 9. Fagnan. *in c. quod nobis eod. nu.* 27. & 28. Konig *hic nu.* 18. *respons.* 2. Vviestner *n.* 68. Reiffenstuel *n.* 84. Petra *l. cit.* Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. & Matr. c.* 5. *num.* 138. & ita declaratum est à *S. Congr. Card. Trid. Interpp.* juxta quam, ut de Parochi licentia Sacerdos alius Matrimoniis Parochianorum assistat, requiritur commissio administrandi Sacramenta, vel si hæc absit, expressa, vel specialis licentia. *Ratio est*, quia generali ejusmodi commissione comprehendi censentur omnia munera Parochialia, inter quæ cùm etiam sit assistentia, & Benedictio nuptialis, etiam ipsa per eam commissa censebitur.

Neque obest Ratio allata in contrarium; quia etsi Parochus assistendo Sacramentum non administret, tamen ipsius præsentia est necessaria ad illius Sacramenti administrationem.

93 Quæritur 4. An sufficiat licentia tacita, quæ habetur ex ratihabitione, ut Sacerdos alienus assistat? Videtur sufficere. 1. quia sicut nemo assistere Matrimonio potest, nisi Parochus, vel cui iste licentiam dederit, ita nec Eucharistia ministrari potest, nisi à Parocho, vel cum licentia Parochi; & tamen hoc non obstante ad ministrandam Eucharistiam sufficit licentia præsumpta. 2. similiter Confessiones Parochianorum suorum de Jure communi non potest audire, nisi Sacerdos proprius *capit. omnis* 12. *de pœn. & remiss.* & tamen validè audiuntur ab extraneo ex præsumpta ratihabitione proprii Sacerdotis. 3. *can. fin. caus.* 9. *q.* 2. dicitur S. Epiphanius promovisse ad Ordines quosdam Clericos ex Diœcesi S. Joannis Chrysostomi: & factum ejus excusatur, quòd *Sanctus Vir istud omnino non fecisset, si ei detrimentum fore perpenderet.* ergo similiter sat erit in Matrimonio pro legitima licentia ratihabitio de futuro. 4. *capit. aqua* 9. *de consecr. Eccl.* negatur quidem, quòd reconciliatio Ecclesiæ possit fieri sine commissione Episcopi, facta autem misericorditer toleratur, ubi Gloss. *V. toleramus*, ait, *Incipit valere ex nunc, cùm prima nulla fuisset.* ergo similiter, quamvis Matrimonium absque licentia de præsenti Parochi esset nullum, saltem quando accedit ratihabitio illius, incipiet valere, nec erit opus iterum celebrari. 5. Ratihabitio retrotrahitur ad tempus celebrati Contractus, & mandato æquiparatur juxta *Reg. ratihabitionem* 10. *in* 6. sed si principio intervenisset mandatum Parochi, esset validum Matrimonium. ergo erit validum ex tunc, quando postea Parochus ratificat factum.

Sed optimè quæstionem hanc solvunt, qui cum Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 35. *n.* 17. & 20. Hurtad. *D.* 5. *difficult.* 11. *nu.* 38. Conink *D.* 27. *de Sacr. dub.* 3. *nu.* 31. Pont. *l.* 5. *c.* 29. *nu.* 1. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 12. *num.* 4. Perez. *de Matr. D.* 41. *sect.* 1. *n.* 6. & 7. Gobat. *Exper. tr.* 9. *num.* 488. Engl *hic n.* 15. Vviestner *ibid. nu.* 69. & 70. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Spons. c.* 5. *num.* 140. & *duob. seqq.* distinguunt inter licentiam tacitam præsentem, & futuram. Vel enim Parochianorum Matrimonio assistit alius Sacerdos, præsente Parocho proprio, & dum ille ad assistendum se pararet, aut actu assistere vellet, tacente, nec contradicente, cùm posset: vel assistit illi solùm ex præsumptione ratihabitionis futuræ, quia credit, quòd Parochus, si peteretur, licentiam assistendi concederet, & assistentiam attentatam ratihaberet. 194

Si primum, dicendum est, quòd Matrimonium coram eo celebratum subsistat. *Ratio est*, quia in favorabilibus, & quæ tacenti modicum præjudicium afferunt, scientia, & patientia operatur consensum *ar. c. unic. de Despons. impuber. in* 6. *l. si ut proponis* 5. *C. de nupt.* & *l. Labeo* 19. *ff. de aqu. pluv. arcend.* atqui Matrimonium favorabile est, & assistentia, ei præstita ab alio Sacerdote, Parocho scienti, & tacenti modicum, imò nullum præjudicium affert. ergo &c. *Conf.* Quia ubi licentia requiritur in actu, sufficit tacita, & præsumpta in actu præsenti *arg. cap. final. de Offic. Vicar. in* 6. talis adest in casu nostro; si enim licentiam non indulgeret, contradiceret. 195

Si secundum contingat, Matrimonium est invalidum. *Ratio est*, quia Tridentinum ad valorem Matrimonii, coram alio contracti, petit, ut id celebretur de Parochi ipsius, vel Ordinarii licentia, sive ut is habeat ab ipso licentiam assistendi. atqui is, qui solùm credit, quòd Parochus ipsi concessurus esset licentiam, si peteret, non habet licentiam, sed solùm est habiturus. ergo &c. *Conf.* Quia quoties ad valorem actus requiritur licentia, illa præcedere actum debet, atque in eo intervenire *leg. si quis mihi* 25. §. *jussum* 4. *ff. de acquir. vel omitt. hæred.* ita requiritur licentia in præsenti casu. ergo &c. Bene tamen aliis *citt.* adjungit Sanch. *l. cit. num.* 19. in casu; quo eadem die simul licentia concessa, & Matrimonium initum est, & dubitetur, utrum horum præcesserit, præsumi licentiam præcessisse, ex Regula, quòd in dubio potiùs capienda sit præsumptio, ut actus valeat, quàm ut pereat *l. quoties* 12. *ff. de reb. dub.* quod maximè verum est in re favorabili, qualis est Matrimonium, pro quo in dubio judicandum est *cap. fin. de sent. & re judic.* 196

Neque obstant Argumenta *num.* 183. allata. *Ad* 1. Negatur paritas; quia licentia ad ministrandam Eucharistiam alieno Parochiano requiritur solùm, ut licitè istud fiat; conf. sufficit probabilis spes, & præsumptio consensus in eo, qui licentiam deberet dare. *Ad* 2. Cùm ad actum absolutionis Sacramentalis, ut valeat, requiratur Jurisdictio in pœnitentem; hanc autem non habeat Sacerdos extraneus, consensus proprii Sacerdotis, seu ratihabitio requireretur de præsenti: & hinc Argumentum istud potiùs confirmat nostram Sententiam, quàm impugnet. *Ad* 3. In collatione Ordinum licentia proprii Episcopi solum requiritur, ut licitè conferantur ab Episcopo extraneo: & ita sufficiet ratihabitio de futuro. *Ad* 4. In Sacramentalibus, cùm solemnitas sit de Jure Ecclesiastico, potest illam Pontifex mutare, & sic supplere defectum omissum, ut ex tunc incipiant valere: secus est in Matrimonio, ubi, si semel non valuit, non potest Ecclesia facere, ut ex tunc valeat, nisi contrahentes renovent consensum. *Ad* 5. Ratihabitio retrotrahitur, & æquiparatur mandato, quando valor actus pendet ex solo mandato, & voluntate Domini; hoc autem non fit in Matrimonio, cujus valor pendet à contrahentium consensu legitimo, qui cùm initio non adfuerit, necessarium est, ut repetatur. 197

Quæritur 5. An valida sint Matrimonia militum, quæ absente proprio suæ Legionis Capellano Castrensi coram alienæ Legionis Curione contrahunt? Casus iste sæpissimè contingit ob receptam nostris temporibus partitionem Legionum, qua plerumque partes diversarum Legionum imponuntur uni Præsidio, & apud se ejusmodi di- 198

di diversarum Legionum milites præsentem habent, non nisi unum unius Legionis Curionem Castrensem, coram quo Matrimonia celebrent.

Ratio dubitandi de Matrimoniorum istorum valore gravissima sumitur ex resolutione Quæstionis præcedentis; quia cùm talis Curio licentiam assistendi Matrimoniis militum alterius, quam suæ Legionis, à proprio ipsorum Curione, quippe qui sæpe procul, & diu cum alia Legionis suæ parte abest, habere plerumque nequeat, ex alia licentia non videtur assistere, quàm ex licentia fundata in præsumptione ratihabitionis futuræ. atqui hæc licentia ad valorem Contractus nuptialis non sufficit, ut dictum est *n.* 196. ergo &c.

199 Sed adhuc dicendum, quòd ejusmodi Matrimonia sint habenda pro validis, ut rectè advertit P. Vviestner *hic n.* 73. Idque 1. propter generalem conventionem Curionum, seu Capellanorum Castrensium, quorum curæ singulæ Legiones commissæ sunt. 2. Ptopter generalem, & rationabilem consuetudinem; nam, ut communis sententia habet, per consuetudinem, si rationabilis, & legitimè præscripta sit, acquiri potest etiam Jurisdictio fori interni. atqui consuetudo hæc nostra est rationabilis, & legitimè præscripta. ergo &c. 3. Propter generalem commissionem Curæ factam Curionibus Castrensibus à Superiore ipsorum Castrensi, qui licentiam administrandi Sacramenta, & consf. etiam assistendi Matrimoniis militum quorumcunque, absente proprio illorum Curione, dat omnibus Curionibus Castrensibus non restrictam.

200 Quæritur 6. An validum sit Matrimonium, contractum coram Sacerdote extraneo, cui data est licentia assistendi, sed antequam assisteret, revocata? *Certum est*, non valere, si revocatio per nuntium ad id destinatum est intimata; nam revocari ad libitum potest, cùm sit merè gratuita, & omnino pendens à voluntate concedentis. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 36. *n.* 9.

Difficultas est, si nondum intimata est revocatio, vel non legitimè, i. e. per nuntium ad id destinatum intimata. Etiam hoc casu non valere Matrimonium, videtur probari 1. ex argumento primùm allato; quia licentia hæc omnino pendet à voluntate concedentis. ergo hac cessante, etiam ipsa cessat. 2. Quando mortuus est delegans, re integra, perit potestas delegati, etiam ignorantis, nec gesta per ipsum tunc valens *c. relatum* 19. & *c. gratum* 20. *de Offic. Deleg.* 3. Si Delegatus novit se revocatum, licèt publicè id ignoretur, ipso Jure non valet Processus, secus, si Delegatus ignoret, ut docent Bald. *in l.* 2. *nu.* 7. *C. de Sent. & interloc. & ibi* Salicet. *num.* 5. *q.* 2.

201 Sed dicendum, non sufficere revocatam esse licentiam assistendi Matrimonio, nisi intimetur revocatio per nuntium ad id destinatum illi, cui concessa fuerat; consf. si ejusmodi Sacerdos ante ipsam intimationem adstiterit Matrimonio virtute licentiæ sibi concessæ, illud valebit, esto, aliunde noverit revocatam esse licentiam. Ita Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 36. *n.* 9. cum cæteris. Sumitur ex *l. si fortè* 17. *ff. de Offic. Præsid.* ibi, *Si fortè Præses Provinciæ manumiserit, vel tutorem dederit, priusquam cognoverit Successorem advenisse, erunt hæc rata*, ubi Gloss. *V. cognoverit*, ait, *Usque ad ejus adventum durat ejus Jurisdictio*. Addidi, *Esto aliunde noverit revocatam esse licentiam*; non enim sufficit qualiscunque notitia revocationis, sed requiritur, ut Commissarius de revocatione certior fiat per ipsum Parochum, aut ejus Epistolam, aut alium ejus nomine, ut per Procuratorem, vel nuntium ab ipso ad id destinatum, ut bene advertit aliis *citt.* Sanch. *D.* 30. *nu.* 13. Ratio est, quia per easdem causas res nascitur, & dissolvitur *c. omnis res* 1. *de R. J.* atqui constitutio Commissarii ad assistendum Matrimonio exigit unionem voluntatum Parochi constituentis, & Commissarii acceptantis, quæ acceptatio, ut mox dicetur, exigit notitiam talis constitutionis per nuntium à constituente ad hoc destinatum; ergo &c.

202 Neque urgent Argumenta *n.* 200. allata. *Ad* 1. Voluntas concedentis licentiam censetur esse conformis Juri; consf. hujus fictione tamdiu censetur durare, quamdiu ejus revocatio legitimè non est intimata. *Ad* 2. Negatur paritas; nam Delegatus, mortuo Delegante, non ampliùs agere ex voluntate Delegantis potest, cum hæc morte istius omnino cesset, cùm tamen, si ab ipso vivente revocata sit, beneficio Juris adhuc censeatur durare usque ad intimationem revocationis legitimam. *Ad* 3. Negatur *Ant.* nam tum defectum potestatis supplet Jus occasione communis erroris. Et esto, revocatio sit communiter nota, quamdiu tamen legitimè intimata non est, vim auferendi potestatem assistendi Matrimonio ex licentia priùs concessa non habet, cùm, ut dictum est, legitimè innotescere revocatio debeat.

Quæritur 7. An validum sit Matrimonium, celebratum coram Sacerdote, cui concessa est quidem facultas assistendi, sed non intimata? Videtur valere generaliter à tempore concessionis, ita, ut neque scientia, neque intimatio ejusdem requiratur. 1. Quia privilegia habent effectum à tempore, quo data sunt, etiam ante acceptam notitiam, quod inde colligitur, quia in Litteris gratiæ (quibus privilegia accensentur) non attenditur tempus *Præsentatæ*, sed tempus *Datæ*, quòd signum est, statim tunc, cùm datæ sunt parti jus quæri. 2. Ut concessio licentiæ à voluntate concedentis, ita & Legatum à voluntate testatoris dependet. atqui Legatum relictum à testatore acquiritur ignoranti à tempore mortis *l. cùm pater* 77. *§. surdo* 3. *ff. de Legat.* 2. ergo & concessio licentiæ à tempore concessionis proderit. 3. Juxta *l. consensisse* 1. *§. convenire* 1. *ff. de Judic.* ignorans habet exercitium Jurisdictionis prorogatæ. ergo & talis Sacerdos, ignorans licentiam sibi concessam, habebit exercitium concessionis sibi factæ. 4. In proposito casu servatur finis, & verba Concil. Trid. finis quidem, quia Matrimonium jam ita contrahitur, ut excludatur periculum abnegandi illud: verba autem, quia data est licentia Sacerdoti extraneo, & Concilium non expressit, quòd hæc licentia debeat innotuisse priùs. 5. De Jure veteri non censetur plus correctum, quàm sit expressum *l. fin. C. de Appell.* & in dubio favendum potiùs Matrimonio *c. fin. de sent. & re judic.* atqui de Jure veteri tale Matrimonium indubiè valuit. ergo & nunc valet. 203

Sed meliùs distinctionem adhibent Sanch. *lib.* 3. *de Matr. D.* 36. *n.* 8. Hurtad. *de Matr. D.* 5. *difficult.* 13. Filliuc. *tr.* 10. *p.* 1. *n.* 220. Conink *D.* 27. *de Sacram. n.* 32. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 23. §. 12. *nu.* 6. Barbos. *ad Trid. sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr. n.* 117. Konig *hic n.* 18. *Respons.* 3. *circa medium*, Vviest. *hic n.* 74. Mag. P. Schmier *p.* 3. *de Spons. c.* 5. *num.* 143. Vel enim tali Sacerdoti licentia hæc assistendi Matrimonio concessa est à Parocho, aut Ordinario motu proprio, aut etiam ad instantiam alicujus, sed ipso inscio; vel concessa illa est ipso petente, aut alio quidem petente, sed ipso conscio. 204

Si primum, Matrimonium coram ipso, antequam ad eum notitia licentiæ concessæ venerit, non valet. *Ratio est*, quia talis licentia sapit naturam gratiæ privilegio concessæ, & donationis. Atqui privilegia, & donationes effectum non sortiuntur, nisi à tempore acceptationis. Igitur neque in casu nostro licentia assistendi, sed requiritur, ut sit acceptata; acceptari autem licentia non petita, sed motu proprio, vel ad instantiam alterius concessa, Sacerdote, cui concessa est, ignorante, non potest. ergo &c. *Proceditque hoc*, etsi talis Sacerdos jam fuerit illius concessæ conscius, si notitiam istam acquisiverit per alium, quàm per impetrantem, aut ejus, vel Parochi concedentis nuntium, ut notat Sanch. *l. cit.* Imò nec credi facilè debet iis, qui asserunt se accepisse à Parocho, vel Ordinario licentiam contrahendi Matrimonium coram Sacerdote extraneo, nisi ostendant aliqua saltem verisimilia indicia, aut essent personæ nullatenus suspectæ, & fide dignæ; licèt enim in iis, quæ præcisè ad forum animæ spectant, credatur dicenti se habere licentiam, ut v. g. alieno Sacerdoti confiteatur: secus tamen est in iis, quæ ad forum Ecclesiæ externum spectant, prout etiam est Matrimonium; in his enim non facilè creditur asserentibus aliquid in favorem proprium. Sanch. *l.* 3. *D.* 37. *num.* 8. Coninck *D.* 27. *numer.* 39. Barbos. *ad sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matrim. n.* 119. Engl *hic n.* 16. Hinc in re ista cautè omnino est procedendum; quia gravissimum præjudicium sequi posset Matrimonio, & proli inde susceptæ, si Sacerdos de licentia obtenta aliter testificari non posset, quàm per dictum personarum contrahentium, quibus, ut dictum, in propria causa fides non habetur. Konig *numer.* 18. *resp.* 3. 205

Si secundum contingat, Matrimonium coram ejusmodi Sacerdote celebratum valet, etiamsi nondum sciat licentiam sibi concessam esse, sed tantùm ex conjectura tem- 206

temporis illud colligat. *Ratio est*, quia tunc licentia data acceptata censetur hoc ipso, quòd is, cui data est, vel alius ipsius nomine, & ipso conscio illam petierit. *Ex quo sequitur*, valide celebrari Matrimonium coram Sacerdote eo tempore, quo nuntius, ferens litteras concessionis licentiæ ab ipso petitæ, adhuc in via est, etsi Sacerdos ipse ignoret eam sibi esse concessam. P. Vviest. *n.* 75. Dixi *validè celebrari*; nam ante notitiam licentiæ sibi concessæ illicitè ipse assistet Matrimonio, quòd sic assistendo exponat Sacramentum Matrimonii, coram se contractum, periculo nullitatis.

07 Neque aliud probant Argumenta adducta *num.* 203. *Ad* 1. Id verum est, quando privilegium datum est ad instantiam privilegiati, vel alterius, isto conscio, & consentiente. Secus, si motu proprio; nam tum sortitur effectum suum à tempore, quo certior de illo fit is, cui conceditur, ut pluribus probat Sanch. *l.* 3. *D.* 36. *n.* 2. *Ad* 2. Id speciale est in Legato, quòd Legatario post mortem legantis statim acquiratur Jus: deinde Jus istud, quod Legatario acquiritur tantum conditionatum est, si iste Legatum acceptet; potest enim repudiare liberrimè. *Ad* 3. Ignoranti prorogatur Jurisdictio, quia Jurisdictio prorogata est accessoria ad principalem; ignoranti autem accessoria accrescunt. *Ad* 4. Licentia à Trid. requisita, ut extraneus Sacerdos assistere possit Matrimonio, intelligi debet cum effectu; effectum autem, ut hactenus ostensum est, non habet, nisi postquam est acceptata. *A* 5. patet ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform.* per ejus Decretum irritari Matrimonium clandestinum; tale autem est, si celebratum non sit coram Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, quam juxta dicta nondum habet, cui illa nondum est intimata.

08 Quæritur 8. An valida sit assistentia Matrimonialis ex licentia metu extorta? *Ratio dubitandi est* 1. Quia Matrimonium metu extortum invalidum est. Atqui licentia assistendi Matrimonio refertur ad Matrimonium. Ergo &c. 2. Constitutio Procuratoris Matrimonialis, & promissio Dotis metu extortæ sunt irritæ, non ob aliam causam, quàm propter relationem, vel accessionem ad Matrimonium. Ergo ob eandem relationem irrita erit etiam licentia assistendi Matrimonio metu extorta. 3. Concessio licentiæ assistendi Matrimonio est actus potestatis affinis Jurisdictioni. Atqui hujus prorogatio metu extorta invalida est juxta Gloss. *in cap.* 2. *V. coactus de iis, quæ vi, metusve causa &c.* Ancharan. *ibid. numer.* 3. Abb. *num.* 12. Imol. *num.* 7. *fin.* & constat ex *l. consensisse* 2. *ff. de Judic. princ.* ibi, *Si cùm restituisset quivis ex litigatoribus, viribus Præturæ compulsus est, nulla est Jurisdictio.*

09 Sed his non obstantibus, dicendum, concessionem licentiæ metu extortæ, & ipsum Matrimonium, cui vigore talis licentiæ assistit Sacerdos extraneus, esse validum. Ita Gutier. *de Matr. c.* 69. *n.* 14. Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 39. *n.* 13. Hurtad. *de Matr. D.* 5. *diffic.* 11. *n.* 39. Conink *D.* 27. *n.* 37. Perez *D.* 41. *sect.* 5. *nu.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 12. *nu.* 2. Bab. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 115. & 133. Vviestner *hic n.* 77. Ratio est, quia etsi talis licentia sit metu extorta, ipsum tamen Matrimonium, coram Sacerdote ex tali licentia contractum, liberum à metu est. Igitur non apparet, ex quo capite irritum sit, cùm neque Matrimonium ex tali licentia contractum, neque ipsam licentiam sic extortam Jura irritent.

10 Argumenta contraria levis momenti sunt. *Ad* 1. Patet disparitas ex ratione allata. *Ad* 2. Jure proditum est, quòd Constitutio Procuratoris Nuptialis, & promissio Dotis metu extortæ valore destituantur; non autem Jure expressum habetur, quòd etiam irrita sit licentia assistendi Matrimonio metu extorta. *Ad* 3. Esto, Jurisdictionis prorogatio metu facta invalida sit, is casus est specialis exceptus à Regula generali, qua traditur metu gesta tenere: igitur ejus nullitas absque alio textu extendi non debet ad licentiæ concessionem, neque actus Jurisdictionis est, neque per eam Jurisdictio aliqua transfertur.

11 Quæritur 9. Utrum valida sit licentia assistendi Matrimonio obtenta dolo, v. g. si allegata sit falsò causa urgentis necessitatis, aut petita ejus concessio à Parocho, vel Ordinario per mendacium nomine alicujus Magnatis? Resp. Cum distinctione: Vel enim dolosum ejusmodi mendacium habuit rationem causæ finalis, vel solùm impulsivè. *Si rationem causæ finalis*, ita, ut concessio licentiæ allegata fuerit à concedente veritati causæ, aut nominis, cujus gratia ea petita est, certum est tam concessionem licentiæ, quàm assistentiam nuptialem ex ea secutam esse irritam; quia tali casu apertè deficit consensus in concedente.

Si verò habuit rationem causæ solùm impulsivæ, iterum certum est valituram concessionem licentiæ, & assistentiam Matrimonialem casu, quo concedens ita dispositus fuit, ut intellecta etiam vanitate allegationis, concessurus adhuc fuisset licentiam: idque ex ratione opposita; nam tali casu in consensu concedentis nullus defectus est.

Dubitari potest, an hujusmodi licentia concessa valeat, si concedens allegati falsæ concessionem suam quidem non alligavit, ita tamen dispositus fuit, ut falsitate allegationis cognita, concessurus illam non fuisset? *Ratio dubitandi* sumitur ex paritate cum dispensatione, vel concessione alterius gratiæ Apostolicæ, impetratæ per narrationem falsitatis, aut reticentiam veritatis, quæ nulla est, si cognito defectu, concedenda non fuisset. 212

Sed adhuc dicendum, ejusmodi licentiam, & assistentiam, ipsumque Matrimonium, ex ea consecutum, etiam tali casu subsistere. Ita Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 39. *n.* 14. Gutier. *c.* 69. *nu.* 14. & 15. Caspar Hurtadus *de Matr. D.* 5. *diffic.* 11. *fin.* Conink *D.* 27. *n.* 37. Perez *D.* 41. *sect.* 6. *à n.* 2. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 12. *n.* 2. Vviestner *hic n.* 79. Ratio est, quia hoc ipso, quòd causæ, & authoritati allegatæ consensus concedentis alligatus non sit, ille simpliciter, & absolutè est præstitus.

Neque obstat Ratio dubitandi allata; quia nec dispensationem, aut gratiam Apostolicam cujuscunque falsitatis expressio, aut veritatis reticentia ob-vel subreptitiam facit, sed ea tantùm, de qua ex Stylo Curiæ, vel consuetudine constat, quòd requiratur ad valorem dispensationis, vel gratiæ concessæ: unde ex hoc potiùs confirmatur nostra responsio; nam quando valor concessionis Pontificiæ non est alligatus allegationi falsæ, concessio etiam dispensationis, & gratiæ Apostolicæ valet. Ergo etiam valebit concessio licentiæ assistendi Matrimonio, si falsitati allegationis non alligetur concessio. 213

Quæritur 10. Utrum vi licentiæ, quam Bertha obtinuit ab Ordinario Diœcesano, ut conjungi Matrimonio possit cum paris conditionis Juvene (ejus nomine, & familia non expressis) à quocunque Sacerdote, ipso coram Sacerdote non Parochiali contrahere Matrimonium possit cum Titio, paris quidem cum ipsa conditionis Juvene, sed cui ab eodem Ordinario propter litem super Sponsalibus, & defloratione cum Caja pendentem, ne quid in istius præjudicium innovaret, Matrimonium fuerat interdictum? 214

Resp. Negativè cum P. Vviestn. *hic n.* 80. Ratio est, quia juxta *Regulam* 81. *in* 6. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. Atqui Ordinarius, concedens licentiam in genere, ut Bertha contrahere Matrimonium cum paris conditionis Juvene posset coram quocunque Sacerdote, si illa hoc determinatè petiisset pro Titio, licentiam illam non concessisset, sed denegasset. Ergo generalis illa licentiæ concessio ad Matrimonium, quod eadem Bertha cum Titio iniit, vel inire vult, non extenditur, & conf. Matrimonium ita initum nullum est. 215

Conf. 1. Ex fine prohibitionis ab Ordinario factæ; nam Titius prohibitus est ab Ordinario, ne ab ipso aliquid innovaretur in præjudicium Cajæ. Atqui nulla alia re magis, quàm Matrimoniali contractu cum Bertha præjudicari eidem poterat. Ergo dum prohibitionem istam fecit Titio, voluit eum à generali concessione, Berthæ facta exceptum. 216

Conf. 2. Concessio generalis Berthæ facta ita intelligi, & explicari debet, ut intentio concedentis non eludatur. Eluderetur autem, si concessio illa se extenderet etiam ad ducendum Titium, ergo &c.

Quæritur 11. An si Episcopus, vel Parochus extraneo Sacerdoti det licentiam, ut assistat Matrimonio, præmissis tamen Denuntiationibus; & Examine, an Sponsi non laborent impedimento, aliquo, valeat Matrimonium, quando his omissis Sacerdos talis assistit Matrimoniali Contractui? *Videtur* non valere. 1. Quia ablativus ille, *præmissis Denuntiationibus*, formam, & conditio- 217

ditionem impoitat *l. à testatore* 109. *ff. de condit. & demonstrat.* ergo licentia erit conditionata, ac proinde invalida, non servata conditione. 2. Quando commissio fit sub certa forma, ea non servata, corruit actus; nam fines mandati diligenter servandi sunt *l. diligenter* 5. *ff. mandati.* atqui in casu quæstionis commissio assistendi Matrimonio fit Sacerdoti delegato sub certa forma, ut scilicet præmittat Denuntiationes, & examen super impedimento. Ergo his omissis, corruet Matrimonium. 3. Quando quis absolvit ab Excommunicatione vi Bullæ Cruciatæ, absolutio ista irrita est casu, quo satisfactio partis non præmittitur, quia Bulla Sacerdoti absolutionem concedit præstita satisfactione parti. Ergo idem dicendum in casu præsenti.

218 Sed dicendum valere Matrimonium, nisi Sponsi laborent impedimento alio dirimente. Ita Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 33. *nu.* 3. & alii apud istum. *Ratio est*, quia forma ista, ut assistatur Matrimonio, præmissis Denuntiationibus, & examine super impedimento, est Jure communi expressa *c. fin. h. tit.* & Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* Atqui quoties exprimitur in commissione forma Juris communis eo modo, quo Jure inest, non potest intentio committentis inducere novam formam, & conditionem, sed est admonitio quædam, ut observetur forma Juris communis, ut communis DD. notat, igitur cùm nec in *c. fin.* nec in Trid. *c.* 1. *cit.* Denuntiationes præscribantur, tanquam de essentia Matrimonii, illarum omissio etiam non vitiabit licentiam, & ipsam assistentiam Matrimonialem.

219 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Id verum est, quando ea forma, posita in commissione, non est forma Juris communis, sed nova; tunc enim importat conditionem. *Ad* 2. Eadem est responsio. Neque dicas, si Ordinarius committat assistentiam Matrimonialem non præmissis Denuntiationibus, Parocho, vel alii Sacerdoti, cum addito, *Dummodo moneas sub Excommunicatione Sponsos, ne consumment Matrimonium ante Denuntiationes*, non est ea forma Juris communis. Igitur saltem hoc casu irritum erit Matrimonium, si monitio hæc omittatur. Nam dicendum, etiam hanc formam ad instructionem tantum, non verò ad essentiam licentiæ pertinere, quòd inde patet, quia talis Sacerdos hoc casu satisfacit, si post contractum Matrimonium moneat Sponsos de eo non consummando. Unde quando dicitur, quòd forma, quæ non est Juris communis, addita commissioni, inducat veram formam essentialem, id intelligendum, nisi ex aliis conjecturis clarè deprehendatur oppositum. *Ad* 3. Imprimis teste Sanch. *l. cit.* non est improbabile, absolutionem, virtute Bullæ impensam, antequam satisfactio præstetur parti, injustam quidem, sed validam tamen esse: & esto, invalida sit, ideo invalida est, quia conditio illa satisfaciendi parti ponitur alio modo, quàm quo Jure communi inest.

220 Quæritur 12. An Sacerdos, cui licentia concessa est à Parocho, ut Parocho, ut Parochianorum suorum Matrimonio assistat, hac licentia uti, & Matrimonio assistere etiam extra Parochiam concedentis possit? *Certum est* non posse, si licentia, à Parocho ipsi data, restricta est ad Ecclesiam Parochialem, vel alium locum intra fines Parochiæ illius situm; quia sicut Parochus dare licentiam assistendi potest, ita etiam dare potest restrictam, ut ultra locum concessum non extendatur.

Dixi autem, *si restricta sit*; nam si licentiam dans locum certum addiderit tantùm demonstrationis causa, ut si dicat, *Conjunge Matrimonio Titium, & Bertham in Ecclesia mea*, vel, *Committo tibi vices meas ad assistendum Matrimonio in Parochia mea*, non censetur licentia esse restricta; quia, ut Sanch. *l.* 3. *D.* 34. *n.* 4. notat, sensus est, *Do licentiam ad conjungendos Parochianos meos.*

221 Unde dubium totum præsentis Quæstionis recidit, an cum nullus nominatus est locus, vel nominatus quidem est, sed solius demonstrationis causa, Commissarius extra Parochiam committentis assistere validè Matrimonio Parochianorum committentis possit? Negativam defendunt plures apud Sanch. *l. cit. n.* 1. & videtur istud probare ratio; nam licèt assistentia nuptialis non sit propriè actus Jurisdictionis, ad voluntariam tamen Jurisdictionem reducitur; quia & ipsa exercetur in volentes, & sine cognitione Judiciali. Atqui voluntaria Jurisdictio extra proprium territorium exerceri solùm potest, quando est Ordinaria, non verò, quando illa est delegata ab aliquo inferiore Principe, ut colligitur *arg. l. omnes* 2. *ff. de Offic. Proconf. & Clem. dudum* 2. *de Sepultur.* quorum textuum priore Legato Proconsulis negatur manumissio, & alii Jurisdictionis voluntariæ actus ante ingressum Provinciæ sibi demandatæ; posteriore autem statuitur, Religiosos ab Episcopo approbatos, & delegatos ad audiendas Confessiones non posse illas excipere extra Diœcesim Episcopi approbantis.

Sed verior est affirmativa, videlicet etiam Sacerdotem extraneum post acceptam à Parocho licentiam, ut Parochianorum suorum Matrimoniis possit assistere, iisdem assistere validè posse extra Parochiam concedentis. Ita Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 34. *num.* 3. Gutier. *c.* 62. *de Matr. n.* 10. Conink *D.* 27. *dub.* 3. *n.* 28. Pont. *l.* 5. *c.* 29. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 9. *nu.* 7. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 96. & 114. Perez *D.* 41. *sect.* 3. *nu.* 2. Fagnan. *in c. quòd nobis* 2. *h. tit. n.* 39. *& seqq.* Vvagnerek *v. qui aliter not.* 3. *eod.* Honor. *hic nu.* 7. Vviestner *ibid. n.* 83. Ratio est, quia Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *v. qui aliter de Matr.* ad valorem Matrimonii solùm exigit, ut Matrimonium contrahatur præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus; de loco autem, & aliis tanquam merè accidentariis nihil decidit. Igitur dicendum ultra illa ad valorem Matrimonii non requiri ullam aliam circumstantiam: conf. etiam non requiretur, ut talis Sacerdos Matrimonio assistat intra fines Parochiæ concedentis, nisi ad hanc ipsæ concedens licentiam datam restrinxerit. 222

Ad Argumentum sententiæ oppositæ Sanch. *l. cit. nu.* 2. cum plurimis aliis à se *citt.* meritò negat Jurisdictionem voluntariam etiam delegatam restringi ad territorium delegantis. Neque contrarium probant duo textus allegati. *Ad* 1. Legatus Proconsulis actus voluntariæ Jurisdictionis ante ingressum Provinciæ exercere non potest: quia ante ingressum caret Jurisdictione, ut notat Gloss. *in l. cit. V. potest*, Brunnem. *n.* 2. Vviestner *hic n.* 83. & probat ratio; quia Jurisdictionem non habet, nisi mandatam à Proconsule; iste autem ante Provinciæ ingressum mandare non potuit *l. observare* 4. *§. post hæc* 6. *ff. de Offic. Proconf.* *Ad* 2. Religiosi ab Episcopo approbati, & delegati ad Confessiones audiendas audire extra concedentis, & delegantis Diœcesim solùm prohibentur Confessiones illorum, qui Episcopi approbantis & delegantis subditi non sunt, ne unius Episcopi approbatio ad omnium totius Orbis fidelium Confessiones excipiendas porrigi videatur: Interim tamen Confessiones subditorum Episcopo deleganti audire possunt etiam extra Diœcesim delegantis, & approbantis. 223

Quæritur 13. Quàm pœnam incurrat Parochus, vel Sacerdos alius, qui alienos Parochianos conjungere, aut benedicere sine proprii Parochi licentia ausus fuerit? Respond. Talis ipso Jure incurrit Suspensionem duraturam, donec ab Ordinario Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo suscipienda fuerat Benedictio, absolvatur, ex Decreto Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *v. quòd si quis de reform. Matr.* *Proceditque hoc*, sive Parochus, vel Sacerdos ille sit Regularis, sive Sæcularis, etiam sub prætextu consuetudinis immemorialis, aut privilegii; nam hoc per *cit.* S. Synodi Decretum sublatum est. 224

§. V.

De Testibus, horum Qualitate, & modo, quo tum isti, tum Parochus assistere Matrimonio debet.

SUMMARIUM.

225 *Quot requirantur testes ad Matrimonii valorem?*
226 *&c. An debeant esse omni exceptione majores?*
230 231 232 *Quomodo debeant esse præsentes Contractui Matrimoniali?*
233 *An sufficiat, si adsint successivè?*
234 235 236 *An debeant esse ad hoc requisiti?*
337 *&c. An sufficiat præsentia illorum dolo, aut metu extorta?*
242 *An Parochus Catholicus possit assistere Matrimoniis Hæreticorum, qui in sua Parochia degunt? Sententia affirmans.*
243 *Sententia negans.*

244 *An verba*, Ego vos in Matrimonium conjungo &c. *sint de essentia Matrimonii?*
345 *Vel saltem de necessitate præcepti?*

25 QUæritur 1. Quot, & quales requirantur Testes ad Matrimonii valorem? *Certum est* 1. ad valorem Matrimonii requiri, ut ejusdem Contractui adsint duo, vel tres testes cum Parocho; nec sufficere unicum testem cum Parocho; quia Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* expressè irritat Matrimonium, non contractum coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus. *Et confirmatur* ex doctrina Felin. *c. ex litteris n.* 10. *v. modò adverte, de Probat.* ubi docet, quando Statutum requirit ad certum actum duo personarum genera, personam unius generis non posse gerere utriusque vicem. Requiritur autem ex Decreto Trid. *l. cit.* ad valorem Matrimonii, Parochus, & duo alii testes. Ergo non poterit Parochus simul obire munus Parochi, & simul vicem alterius testis supplere. Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 41. *n.* 1. *Certum est* 2. Exigi, ut testes rationis usum habeant; aliàs enim de Matrimonii contractu testificari non poterunt Sanch. *l. cit. n.* 2.

26 *Difficultas est*, an sufficiant qualescunque testes, vel exigantur omni exceptione majores, h. e. tales, qui nullum patiantur vitium, ob quod Jure repellantur à testimonio dicendo? Franciscus Molinæus *de rit. nupt.* & alii quidam Neoterici apud Sanch. *l. cit. nu.* 4. volunt, requiri testes legitimos, & omni exceptione majores: quod probant 1. *can. placuit* 2. *caus.* 4. *q.* 3. *c. consultationi* 28. *de Sponsal. c. attestationes* 10. *de despons. impub.* & præcipuè *c. ex litteris* 1. *de consang. & affinit.* ubi *v. inquisita* Alexander III. in Causis Matrimonialibus propter earum arduitatem requirit *Testes circumspectos, omni exceptione majores*, & vult illas tractari non per quoscunque, sed *per discretos Judices.* 2. Tridentinum duos, vel tres testes exigit, ut Matrimonium non sit, clandestinum: ut verò tale non sit, opus est, ut ejus habeatur legitima probatio; quia Matrimonium, cujus legitima probatio non habetur, pro Clandestino apertè habetur *c. quod nobis* 2. *h. tit.* ibi, *Si Matrimonia ita occultè contrahuntur, quòd exinde legitima probatio non appareat.* Legitima autem probatio rei per testes non habetur, nisi qui de illa deponunt, sint integri, & legitima exceptione majores *l. testimoniorum* 1. *ff. de testib. & Novell.* 90. *pr. & c.* 1. ergo &c. 3. Ad probationem Matrimonii antiquo Jure *c. super eo* 22. *de test. & attest.* requirebantur testes non qualescunque, sed integri, & omni exceptione majores; quorum verò fides erat suspecta, repellebantur. ergo etiam testes à Trid requisiti integri, & omni exceptione esse majores debent; nam ad excludendam Juris correctionem novum Jus ab antiquo Interpretationem accipit. 4. Ratio, quare Trid. irritaverit Matrimonium clandestinum, est, ne quis publicè inire posset Matrimonium secundum, eò quòd primum clàm contractum probari non posset. hoc autem inconveniens non evitaretur, si assistere contractui ejus possent testes non legitimi, qui ob vitium aliquod à testimonio repelli possent. ergo &c. 5. Tales testes facilè poterunt corrumpi, ut testentur Matrimonium non fuisse contractum; & sic tale Matrimonium non poterit magis probari, quàm clandestinum.

27 Verùm his non obstantibus, dicendum, in testibus, qui fidelium Matrimoniis cum Parocho assistunt, nullam requiri peculiarem qualitatem; ac proinde validè contrahetur Matrimonium coram testibus impuberibus, servis, fœminis, paganis, excommunicatis, notatis infamia, contrahentium alterutri, vel utrique consanguinitate, vel alia necessitudine conjunctis. Ita Ant. Cucch. *l.* 5. *Inst. major. tit.* 11. *nu.* 61. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 3. *n.* 9. Segura *p.* 2. *direct. Jud. c.* 15. *n.* 60. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 219. *n.* 8. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 5. *p.* 3. §. *conclusio sit*. Sanch. *l.* 3. *D.* 41. *num.* 5. Gutier. *cap.* 24. *num.* 74. Conink *D.* 27. *n.* 41. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. *v. secundò*. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 13. *nu.* 3. Perez *D.* 41. *sect.* 9. *nu.* 5. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 138. Bosco *D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 15. *à n.* 598. Gonzal. *inc. fin. h. t. n.* 10. Wex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *ß.* 4. *n.* 33. Gobat *Exper. tr.* 9. *n.* 520. Vallens. *hic n.* 10. Zoes. *n.* 18. Engl. *n.* 18. Pirh. *n.* 2. Schambog. *n.* 18. Konig *n.* 21. Wiestner *n.* 60. Reiffenstuel *nu.* 103. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. c.* 5. *n.* 148.

Ratio est 1. Quia Tridentinum, dum duorum, vel trium testium præsentiam exigit, nullam facit mentionem de testium qualitate, cujus utique mentionem fecisset, si qualitatem aliquam specialem in iisdem requisivisset. igitur signum est, quòd in iisdem alias qualitates non exegerit, nisi quas exigit Jus naturale, quo Jure nemo repellitur à dicendo testimonio, nisi de quo justus timor est, quòd verum dicere vel non possit, vel non velit. 2. Jus Tridentini, quatenus ad valorem Matrimonii exigit præsentiam duorum, vel trium testium, est correctorium Juris antiqui, quo nullus omnino requirebatur testis, sed valuerunt Matrimonia clandestina. igitur odiosum est, & strictæ interpretationis. sed si strictæ interpretationis est, verba sumi debent, ut præcisè sonant: verba autem Trid. nullam specialem testium qualitatem sonant. ergo nec dicendum est, vi Tridentini illam requiri. 3. Testes etiam minùs habiles, & idonei rei gestæ, fidem sufficienter faciunt, quando communi partium consensu adhibentur, ut tradunt Bald. *in l.* 6. *C. de testib. n.* 1. Jason *l.* 1. *ß. fin. n.* 9. *ff. de V. O.* Ant. Gabr. *tit. de testib. concl.* 10. *n.* 50. Sanch. *n.* 5. *cit.* atqui in Matrimonio adhibentur testes communi contrahentium consensu. ergo quicunque sufficiunt. 4. Quando testis minus habilis cum alio habili, & omni exceptione majore concurrit, excessus in uno supplet defectum alterius, ut multis *citt.* testantur Ant. Gabr. *l. cit. concl.* 5. *n.* 1. *& seq.* Mascard. *de Probat. concl.* 1365. *n.* 13. ita fit in casu nostro; nam præter testes reliquos adest Parochus, cujus habilitas ob dignitatem personæ excellens est, & quatenus Matrimonium cum nominibus testium refert in Librum ad id destinatum, fidem plenam facit, instar Notarii publici. ergo &c. 5. In causis favorabilibus ad probandum admittuntur etiam testes, qui aliàs non sunt habiles, & idonei *arg. c. in fidei* 6. *de Hæret. in* 6. atqui etiam causam Matrimonii favorabilis est *cap. fin. de sent. & re jud. & capit. directæ* 39. *de Appellat.* 6. Si testes requirerentur omni exceptione majores, Matrimonia pleraque exponerentur periculo nullitatis, prout de facto contingere solet in Testamentis, quæ propterea semper in periculo sunt, dum facilè etiam præter opinionem testatoris defectus aliquis, vel exceptio contra testem reperiri, & excogitari potest. hoc autem est contra mentem Tridentini, quod formam istam præscripsit Matrimonio, ne tam facilè, & frequenter imposterum, sicut olim, Matrimonia negari possent. igitur dicendum, quòd in testibus præter naturalem qualitatem nullam aliam exegerit, ne forma ab ipso præscripta iisdem periculis, & detrimentis, quæ eam præscribendo vitare voluit, obnoxia fieret. 228

Argumenta opposita in contrarium intentum non evincunt. *Ad* 1. *can. placuit cit.* loquitur in genere de testibus; ostendi autem ex hoc genere Matrimonium excipi; *c. consultationi*, & *cap. attestationes* requiruntur ad Matrimonium probandum testes legitimi, & idonei, sed tales juxta probata sunt quicunque, qui creduntur posse, & velle verum dicere: & denique *c. ex litteris* agitur de dissolutione Matrimonii propter impedimentum, cujus diversa est ratio, quàm contractus Matrimonii, & ejusdem probatio; nam Contractus Matrimonii, & ejus contracti probatio favorabilis est, ac propterea ibidem sufficiunt testes aliàs non idonei; at dissolutio ejusdem in conjugis, & ipsius etiam Sacramenti gravissimum præjudicium cedit, & ideo ad impedimenti probationem, propter quod dissolutio ejusdem fiat, non quicunque testes sufficiunt, sed esse debent omni exceptione majores, sicut in causis criminalibus, quibus causa Matrimonialis, ad dissolutionem faciendam instituta, æquiparatur. *Ad* 2. Ut vitium clandestinitatis tollatur, sufficit, ut plena haberi possit Matrimonii contracti probatio. hæc autem jam habetur, etsi testes non sint omni exceptione majores; nam, ut jam dictum est, pro Matrimonio plenam fidem faciunt etiam testes alias non idonei, & etsi isti non sufficerent, illorum tamen defectum supplet præsentia Parochi, qui testis est plusquam habilis, & qualificatus. *Ad* 3. ex *c. super eo cit.* potius constat, ad probationem Matrimonii non requiri testes omni exceptione majores; nam etsi mater ibi repellatur à ferendo testimonio, admittitur tamen conjestis fæmina, licèt non omni exceptione major sit *capit. forus* 10. *fin. de V. S.* Hinc causa, quòd mater ibi à testimonio, in causa Matrimonii dicendo, repulsa fuerit, non erat, quòd non fuerit testis 229

omni

omni exceptione major, sed quia ejus fides erat valde suspecta propter desiderium incrementi, & honoris filiæ suæ, proveniens ex Matrimonio cum viro nobili, & divite, à quo filiam suam *Affidatam*, sive per verba de præsenti sibi desponsatam voluit testificari. *Ad* 4. Nego, quòd idem sequatur inconveniens; quia ad probandum prius Matrimonium sufficiunt in hoc casu etiam ii testes inhabiles, adhibetur fides, ob rationes *numer. præc.* allatas. *Ad* 5. Hic casus ratus est, & cùm incommoda omnia evitari non possint, aliqua toleranda sunt, ne Contractus Matrimonii fiat ferè impossibilis: quod contingeret, si timor, ne corrupti testes falsum deponant, valorem Matrimonii tolleret.

230 Quæritur 2. Quomodo testes cum Parocho præsentes esse debeant Contractui Matrimoniali? Resp. debent esse præsentes non tantùm physicè, seu corpore, sed etiam moraliter, & modo humano sive ita, ut Sponsos in Matrimonium de præsenti consensisse intelligant, & de hoc Ecclesiæ fidem facere possint. Ita Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 3. *n.* 1. *&* 9. Petr. de Ledesm. *q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 2. *v. in cujus rei*, Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 39. *n.* 1. Gutier. *c.* 69. *de Matr. n.* 2. Couink *D.* 27. *de Sacr. n.* 44. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *num.* 6. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 8. *num.* 11. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *nu.* 78. Zypæus *l.* 4. *consult.* 3. *pr.* Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 62. *n.* 1. Monacell. *p.* 3. *tit.* 2. *form.* 5. *nu.* 7. *& seqq.* Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *nu.* 32. Zoes. *hic n.* 12. Engl *n.* 14. Schambog. *n.* 17. Konig *n.* 11. *&* 19. Reiffenstuel *n.* 106. & teste Monacell. *l. cit. num.* 13. S. Congr. *in Roman. Matr.* 7. *Mart.* 1700. Ratio est, quia non censentur in Jure præsens ille, qui non adest modo humano, intelligens, & advertens, quid agitur *l. coram Titio* 209. *ff. de V. S. Conf.* Quia ideo Tridentinum petit assistentiam Parochi, & testium, ut illi de ejus contractu testificari possint, sed ubi præsentia non est moralis, & humana, & testificari nequeunt. ergo &c.

231 *Et hic sequitur* 1. Invalidè contrahi Matrimonium, si testes sint ebrii, dormientes, vel non advertant, quid agatur, aut non advertere possint, quia sunt infantes, amentes &c. Sanch. *n.* 1. *cit.*

2. Non valet Matrimonium attentatum inter Titium, & Bertham coram proprio Parocho, per fraudem ad hortum vocato, qui profugit statim, atque pronuntiari audivit Titium *Ego do*, & juratus coram Judice asserunt, se ulterius nihil audivisse, ex Bertha verò nec signa, nec verba intellexisse, quamvis testes asserant, utrumque plenè pronuntiasse, *Ego do tibi fidem meam Christianam*, & Parochum, si voluisset, intelligere potuisset; nam sive noluit, sive perturbatus inopinato attentato, vel per clamores, qui probantur, non potuerit, parum interest, dummodo revera non intellexerit; nam scire eum oportet, non velle. Zypæus *conf.* 3. *cit. pr. fin.*

232 3. Similiter non valet Matrimonium, contractum coram Parocho, qui vel personas contrahentes non noscit, vel ipsarum idioma non intelligit, ita, ut nesciat, quid actum sit, & inter quos; hoc enim si fiat, testificari de Matrimonio non potest. Quod procedere Pont. *l.* 5. *c.* 21. *n.* 10. & Clericat. *decis.* 35. *n.* 6. putant etiam de casu, quo contrahentes loquuntur per Interpretem, ex ratione; quia Parochum oportet esse præsentem, tanquam testem infallibilem, & certum de consensu Sponsorum. at si per interpretem intelligere debet idioma contrahentium, nequit agere testem infallibilem, & certum de consensu Sponsorum, cùm per interpretem falli possit, & decipi. Sed communior cum Sanch. *l.* 3. *D.* 39. *n.* 3. & Bosco *concl.* 14. *à n.* 530. affirmat Matrimonium per interpretem contractum valere: quia etiam valent alii Contractus per interpretem initi. Estque in hoc casu, ut idem Sanch. *n.* 4. notat, credendum dicto solius Interpretis; quia non est testis, sed communi contrahentium consensu electus, ut declaret mutuum eorum consensum.

233 *Dubium est*, an Parochus, & testes contractui Matrimoniali simul præsentes esse debeant, an verò sufficiat, ut adsint successivè? *Videtur* sufficere; quia præsentia illorum ad alium finem non requiritur, quàm ut ipsorum testimoniis de Matrimonii contractu fides fiat Ecclesiæ. hæc autem fieri potest Ecclesiæ, si successivè præsentes sint. ergo &c.

Sed dicendum, ad valorem Matrimonii requiri præsentiam Parochi, & testium simultaneam. Ita Veracrux *Append. ad Specul. dub.* 6. *concl.* 4. Sanch. *l.* 3. *D.* 41. *n.* 3. Bonacin. *de Matrim. q.* 2. *p.* 8. *num.* 44. Perez *D.* 40. *sect.* 9. *n.* 3. Bosco *D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 15. *n.* 596. Konig *hic n.* 19. Vviestner *n.* 62. Reiffenst. *n.* 107. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *c.* 5. *nu.* 155. *Ratio est*, quia ex mente Trid. Parochus, & testes de uno, eodemque actu Contractus Nuptialis fidem facere Ecclesiæ debent. hoc autem non possunt, si successivè tantùm, & non simul præsentes sint; quia essent testes singulares, & Parochus quidem de uno actu, testes verò de alio testimonium perhiberent. igitur cùm testes singulares minùs probent, quàm totidem non singulares, sive de uno, eodemque Contractus actu testificantes, dum Concilium requirit præter Parochum duos, vel tres alios testes, videtur requisivisse præsentiam illorum simultaneam: quòd satis innuit laudata Synodus, dum §. *qui aliter cit.* ait, *Aliter, quàm præsente Parocho ... & duobus, vel tribus testibus &c.* per Conjunctionem Copulativam *Et* conjungendo Parochum, & testes.

Ex quo cadit Argumentum in contrarium. *Neque obstat*, quòd in aliis Sacramentis sufficiat simultas moralis materiæ, & formæ; quia in præsentia testium, & Parochi non consideratur simpliciter ipsa præsentia, sed quatenus ea habilis est ad probandum Matrimonialem Contractum.

Quæritur 3. Utrum ad valorem Matrimonii requiratur, ut testes ante contractum Matrimonii sint ad hoc requisiti? Affirmant Pont. *l.* 5. *c.* 21. *nu.* 4. Fagnan. *in c. quod nobis* 2. *h. tit. n.* 54. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 48. *n.* 32. *& seq.* Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. & Matr. c.* 5. *n.* 153. & inclinat P. Reiffenstuel *hic n.* 111. *v. verum*. Rationem dant, quia quando præsentia alicujus requiritur pro forma, & substantia alicujus actus, non sufficit, quòd quis casualiter, & ad eum non requisitus adsit, cùm qui casualiter adest, adesse non censeatur *arg. l. quæsitum* 78. §. *fin. ff. de Legat.* 3. Hinc testis repentini dictum non attenditur, quia non præsumitur informatus *can. qui. ambulat.* 5. *caus.* 5. *q.* 5. semper enim attenditur, quod principaliter agitur, non quod casualiter, & incidenter fit *l. si quis nec causam* 4. *ff. de reb. credit.* 234

Contrà negant, quòd Parochus, & testes debeant esse rogati, Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 39. *n.* 7. Gutier. *de Matr. c.* 55. *n.* 9. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 6. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 13. *nu.* 1. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *n.* 89. *& n.* 139. Bosco *concl.* 14. *n.* 558. Gobat. *tr.* 9. *cas.* 18. *n.* 292. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *n.* 33. Zoes. *hic n.* 12. Vviestner *ibid. nu.* 64. & allegant pro se Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* ubi cùm neque in qualitate testium, neque de rogatione quidpiam cautum inveniatur, luculenter innuitur, æquè parum rogationem testium, ac certam qualitatem ad Matrimonii valorem exposci. Sed respondet P. Schmier *loc. cit. n.* 153. in Trid. rogationem testium implicitè requisitam esse, quatenus, cùm præsentia testium sit de forma, non voluit, ut casualiter tantùm, & per accidens intersint; quia persæpe contingeret, ut vel testes, quid tractatum, aut contractum sit, non advertant, vel eorum, quæ tantùm per transennam, & fortuitò cognoverunt, obliviscantur. 235

Judico utrique Sententiæ tribuendum aliquid, & dicendum, sufficere, si Parochus, & testes, qui casualiter primò præsentes sunt, à contrahentibus dein de intentione sua moneantur, & requirantur; ut testes Matrimonii contrahendi esse velint. Et hoc ob complures *Declarationes Cardd.* quarum una apud Pont. *l. cit.* sic habet: *An sit Matrimonium, si duo contrahant per verba de præsenti, proprio Parocho præsente, & aliis requisitis non omissis, cui contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum fortè convivii, vel confabulationis, vel aliud tractandi causa adesset, audit hujusmodi contractum geri, & postea alter contrahentium velit ab hujusmodi contractu ratione defectus resilire: S. Congregatio respondit posse, nisi alia intervenerint, quæ Parochum à contrahentibus adhibitum fuisse arguant.* conf. vi hujus Decreti requirit, ut Parochus, & testes sint adhibiti. atqui jam censentur adhibiti, si qui initio casu adsunt, moneantur à contrahentibus de sua intentione, prout innuitur in Decreto *cit.* nam post verba *citt.* de Parocho hæc subjungun- 236

guntur: *Qui diceretur adhibitus, quamvis ex alia causa fuisset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.*

23 Quæritur 4. Utrum sufficiat præsentia Parochi, & testium, vi, aut dolo extorta? Negat Segura *p.* 2. *Direct. Jud. c.* 15. *n.* 588. & videtur istud probari 1. quia Parochi, & testium præsentia debet esse humana, & humana est hominis, ut homo est. homo autem constat intellectu, & voluntate. igitur ut præsentia illorum humana sit, tam advertentiam intellectus, quàm voluntatis consensum postulat; consensus voluntatis in vi detento deficit. ergo &c. 2. Quando in Jure aliquid præcipitur fieri coram aliquo, debet is interesse moraliter secundùm suum modum, & officium. officium autem Parochi in Matrimonio non est puri testis, sed assistere debet nomine Ecclesiæ, approbando Matrimonium, & præbendo Sacramento authoritatem, quæ non præstatur ab invito. ergo &c. 3. In Jure idem est abesse, & adesse, si deficiat consensus juxta doctrinam Baldi *l. cum non solùm*, §. *necessitate num.* 5. *C. de bon. quæ liber. &c.* ergo dum Parochus, & testes adsunt inviti, perinde est, ac si abessent. 4. Si Tutor per vim retentus sit invitus, non valet, quod agitur *l. quanquam* 1. *fin. ff. de auth. & consens. tutor.* & ratio additur; quia *præsentia corporis non sufficit ad authoritatem.* ergo similiter non præstabit authoritatem Matrimonio Parochus vi detentus nec valebit, quod agit. 5. Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* præcipit, ut Parochus interrogatis contrahentibus, dicat, *Ego vos conjungo &c.* quod non præstatur, ubi consensus deficit.

23 Sed dicendum, valere Matrimonium, quamvis Parochus, & testes vi detenti intersint, modò, quid inter Sponsos agatur, intelligant. Ita Henriq. *l.* 11. *de Matrim. c.* 3. *nu.* 1. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 5. *punct.* 3. *dub.* 2. Vega *l.* 6. *Summ. cas.* 116. Sanch. *l.* 3. *D.* 39. *nu.* 9. Gutier. *c.* 69. *de Matr. nu.* 10. Conink *D.* 27. *de Sacram. n.* 44. Pont. *l.* 5. *cap.* 21. *n.* 5. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 32. *nu.* 82. *& seqq.* Palao *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 13. §. 8. *n.* 11. Perez *D.* 40. *sect.* 10. *numer.* 5. *&* 9. Dian. *p.* 10. *tr.* 13. *resol.* 16. Zypæus *l.* 4. *consult.* 5. *nu.* 4. *&* 5. *& l.* 4. *respons.* 1. *n.* 1. Bosco *D.* 11. *sect.* 9. *concl.* 14. Fagnan. *in c. quod nobis* 2. *h. tit. n.* 40. Gonzal. *in c. fin. eod. n.* 8. Gobat *Exper. tr.* 9. *nu.* 492. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *num.* 32. Monacell. *p.* 3. *tit.* 2. *form.* 5. *num.* 12. Vallens. *hic numer.* 8. Zoes. *num.* 12. Honor. *num.* 7. Engl *num.* 14. Pirhing *numer.* 23. Schambog. *n.* 18. Konig *n.* 11. Vviestner *n.* 64. Reiffenstuel *n.* 108. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Sponsal. cap.* 5. *num.* 134. *&* 156. & alii RR. allegantes pro se *Declarationes Card.* inter quas apud Farin. *pag.* 268. una sic habet: *Dummodo Parochus sit præsens, & intelligat id, quod agit, licèt dissentiat, & contradicat; adhibitus verò Parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum*; alia ita: *An verò si invitus, & compulsus adsit Parochus, --- tale Matrimonium subsistat? Congregatio respondit, subsistere.*

2 *Ratio est*, quia etiam sic obtinetur finis; & impletur præceptum Tridentini. *Finis* quidem; quia sive spontè, sive inviti intersint, modò intelligant, quid inter Sponsos fiat, testari de Matrimonii contractu possunt, ut colligitur ex *l. coram Titio* 209. ibi: *Scire autem, non etiam velle is debet, cùm eo invito rectè fit. ff. de V. S.* sic autem jam obtinetur finis Tridentini; quia eorum testimonio de Matrimonio fides fieri, ejusque dissolutio, & alterius celebratio impediri potest, quod per præsentiam Parochi, & testium intendit Tridentinum. *Præceptum* verò; quia §. *qui aliter sæpe cit.* nihil aliud præcipitur, quàm ut celebrentur Matrimonia coram Parocho, & testibus præsentibus. atqui præsente aliquo, sive coram aliquo fieri id dicitur, quod fieri etiam invitus advertit *l. coram Titio cit.* & Gloss. *in Extrav. Execrabilis Joann. XXII. V. coram de Præbend.* ergo &c. *Conf.* Ex praxi Curiarum tum Germaniæ nostræ, tum aliarum, etiam Romanæ, pro ratis habentium Matrimonia, quæ coram Parocho, & testibus, etiam casu solùm intervenientibus, vel dolo, aut vi coactis celebrantur.

0 Addidi autem in responsione, *ad valorem assistentiam talem sufficere*; certum enim est, ejusmodi Matrimonium, in quo præsentia Parochi dolo, aut vi extorta, vel procurata est, esse illicitum, & sic contrahentes graviter peccare, ut benè monent Sanch. *l. cit. n.* 12. Gutier. *n.* 13. Conink *n.* 45. *fin.* Pal. *n.* 11. Bosco *concl.* 14. Zoes. *n.* 12. Vviestner *nu.* 64. *fin.* Reiffenstuel. *nu.* 113. Magnif. P. Schmier *numer.* 157. Ratio est tum injuria, quam inferunt Parocho, tum contemptus Ecclesiæ; non enim ejus authoritate contrahunt, & sæpe sic contrahentes contrahunt Denuntiationibus omissis. Aliud dicendum Sanch. *l. cit.* putat de testibus; nam si hi soli ad intercessendum inducantur dolo, aut vi detineantur; peccabunt quidem sic contrahentes, non tamen mortaliter, nisi injuria gravis sit. Rationem disparitatis dat; quia ipsi non gerunt vices Ecclesiæ, authoritatem præstando ipsius nomine, sicut Parochus præstat, sed testium ministerium solùm obeunt, quod æquè præstare possunt vi detenti, aut ad aliud dolo vocati. Imò si gravis causa, & necessitas ad contrahendum urgeret, & Parochus, vel testes absque justa causa recusarent, licitè actu aliquo, & æquivocatione, sine mendacio tamen, inducerentur ad interessendum Matrimoniali Contractui Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *numer.* 6. Conink *D.* 27. *dub.* 4. *fin.* Dicastill. *D.* 3. *nu.* 169. Bosco *concl. cit. nu.* 589. Reiffenstuel *nu.* 114. quia, ut *Reg.* 4. *de R. J.* dicitur, *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.*

Neque contrarium probant Argumenta allata *nu.* 237. 241
Ad 1. Licèt præsentia moralis perfecta tam advertentiam intellectus, quàm consensum voluntatis requirat, ad imperfectam tamen sola advertentia intellectus sufficit: & hæc sola ad valorem Matrimonii in Parocho, & testibus ex Concilii mente desideratur, cùm & ipsa clandestinitatem excludat, & sufficiens sit ad testificandum de Matrimonio. *Ad* 2. Utramque præsentiam in Parocho desiderat Tridentinum: & quidem ejus tanquam testis qualificati præsentiam desiderat ad substantiam Contractus, tanquam præstantis authoritatem nomine Ecclesiæ solùm de præcepto. *Ad* 3. Ea doctrina procedit, quando consensus alicus exigitur cum præsentia: quod in Matrimonio non exigitur, cùm sola præsentia ad testificandum sufficiens sit. *Ad* 4. Disparitas est; quia ad valorem contractus à pupillo celebrati requiritur præsentia Tutoris, non tanquam testis, sed ut contractui consensu suo authoritatem præstet, quod ad valorem Matrimonii respectu Parochi non requiritur. *Ad* 5. Ea verba, ut *infrà n.* 248. dicam, non sunt de necessitate Sacramenti, sed solius præcepti.

Quæritur 5. An Parochus Catholicus possit licitè as- 242
sistere Matrimoniis Hæreticorum, qui in sua Parochia degunt? Affirmant Layman. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 8. Pirhing. *hic n.* 21. Schambog. *ibid. n.* 16. & allegant pro se praxim Germaniæ nostræ. *Rationem* dant, quia si hoc ipsi prohibitum esset, esset ei prohibitum vel propter irreverentiam, quæ infertur Sacramento, dum ejusmodi indignè illud suscipiunt, vel ratione communicationis cum Excommunicatis, quales Hæretici etiam sunt, interdictæ. non ob primam causam; quia Parochus non est minister hujus Sacramenti, sed tantùm testis: non ob secundam; quia Hæretici, nisi sint nominatim denuntiati, post Concilium Constantiense non sunt vitandi sive in Sacris, sive in Politicis.

Sed contrarium, teste Vincent. Petra *tom.* 4. *comment.* 243
fol. 75. *n.* 8. pluries respondit *S. Congr. Concil.* præsertim *sub die* 22. *Jun.* 1624. *l.* 12. *Decret.* dum censuit, *quod si alter tantùm ex conjugibus sit Hæreticus, sive ambo, nullatenus debeat Parochus hujusmodi Matrimoniis assistere.* Quod extendit *cit.* Petra *nu.* 9. etiam ad illas Provincias, in quibus impunè grassatur Hæresis: pro quo adducit, aliud Decretum S. Cong. Concil. *in Gennens.* 1590. *l.* 6. *Decret. fol.* 111. ibi: *In partibus Prussiæ, & Pomeraniæ ferè omnes sunt Hæretici: nunc quæritur, an liceat Presbyteris Virum Catholicum cum Hæretica muliere, & è converso Matrimonio conjungere? S. Congreg. respondit, non licere conjungere.* Sed fortè istud intelligi duntaxat debet, quando periculum est aut perversiones ex parte Sponsi Catholici; aut malæ educationis prolium: unde sicut, quando his periculis sufficienter cavetur, & insuper rationabilis urget causa, in partibus Germaniæ nostræ licitè Catholicus cum Acatholica, & è converso contrahunt, ita etiam Parochus Catholicus tali Matrimonio licitè assistet.

Quæritur 6. Utrum ea verba, *Ego vos in Matrimo-* 244
nium conjungo &c. vel alia similia, quæ Concilium Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* proferri à Sacerdote, vel Parocho assistente præcipit, sint de essentia Matrimonii?

Resp.

Resp. Negativè. & hinc etsi Parochus, vel Sacerdos assistens Matrimonio illa non proferat, validum tamen Matrimonium erit. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 38. *num.* 4. Gutier. *de Matr. c.* 69. *n.* 3. Conink *D.* 27. *de Sacr. n.* 45. Pal. tr. 28. *D.* 2. *p.* 13. *§.* 8. *n.* 12. Zypæus *l.* 4. *consf.* 5. *n.* 8. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 9. Pirhing *hic n.* 22.

245 Interim tamen verba illa sunt de necessitate præcepti; consf. Parochus illa omittens peccabit, & quidem graviter, ut putat Salzedo *pract. c.* 73. *v. secundo illud*, Vega *l.* 6. *Summ. cas.* 112. *&* 116. Pirh. *hic n.* 22. *fin.* quia Concilium utitur verbis præceptivis, & res gravis est. Alii tamen cum Sanch. *l. cit. n.* 7. Gutier. *n.* 15. Conink *n.* 45. Gonzal. *n.* 9. existimant omissionem illam peccatum veniale non excedere; quòd cùm nec forma Sacramenti sint; nec pertineant ad solemnitatem magni momenti, nec includant aliquod Mysterium magnæ significationis, videatur esse materia tantùm levis.

§. VI.

De Probatione Matrimonii Clandestini, & ejus Publicatione.

SUMMARIUM.

246 *An, & à quo probari debeat Matrimonium clandestinum?*
247 *A viro, an fœmina?*
248 *Resolvitur probandum asserenti contractum esse.*
249 250 251 *Quid agendum, si Matrimonium clam contractum sit, & ita occultè, ut legitima ejus probatio haberi nequeat?*
252 *Quale Matrimonium sit observandum, si Titius primò cum Bertha contraxit Matrimonium clandestinè, postea cum Caia palam, seu publicè?*
253 *Quis sit Effectus publicationis Matrimonii clandestini?*

246 QUæritur 1. An, & à quo probari debeat Matrimonium clandestinum? Procedit quæstio hæc de Jure antiquo, & Jure etiam novo in terris, ubi Tridentinum quoad Decretum irritans Matrimonia clandestina receptum non est; nam ubi receptum est, cùm contractum ita irritum sit, dicens se ita contraxisse, non debet compelli ad id probandum; quia compelli nemo debet ad probandum illud, quod probatum non relevat *l. ad probationem* 21. *C. de Probat.* Locus ergo quæstioni solùm est casu, quo ita contractum validum est: quo casu, ut censeatur contractum, probari debet, ut constat ex *c. si quis* 1. *h. tit.* & ratio est; quia facta regulariter non præsumuntur, nisi probentur *c. quoniam* 11. *fin. de Probat.*

247 *Dubitari potest*, cuinam, viro, an mulieri, onus hoc probandi incumbat? *Et Rationem dubitandi* facit *c. si quis cit.* ibi: *Si quis clàm desponsaverit aliquam, & mulier, vel vir negat hujusmodi desponsationem, viro incumbit probatio:* quibus verbis videtur dici, quòd sive vir, sive mulier desponsationem ejusmodi neget, probatio semper incumbat viro; quia vir est caput mulieris.

248 Sed dicendum, quòd probatio incumbat dicenti, seu asserenti contractum esse: consf. si mulier neget desponsationem; esse factam, vir autem affirmet, probatio incumbet viro; si verò vir neget, mulier affirmet, probatio incumbet mulieri; nam ut constat ex *l. ei* 2. *ff. de Probat.* ei semper incumbit probatio, qui dicit, non qui negat; & hinc in *c. si quis cit.* subintelligi istud debet. *Ratio est*, quia idem judicium quoad hoc est de muliere, quod de viro. Gloss. *in c. si quis cit. V. viro incumbit in fin.* Abb. *ibid. in casu*, Honor. *hic n.* 2. Schambog *nu.* 29. Pirhing. *n.* 32. & hoc recte alii DD. communiter.

249 Quæritur 2. Quid agendum, si Matrimonium clàm contractum sit. & ita occultè, ut legitima ejus probatio haberi nequeat? Resp. Cum distinctione: Vel enim qui ita contraxerunt, negant ita se contraxisse, vel id affirmat. *Si neget uterque, vel alteruter contractum esse*, eo casu compellendi non sunt, ut simul cohabitent, & se tanquam conjuges tractent. *Si verò uterque affirmet*, regulariter standum est assertioni illorum, & recipiendum est illud Matrimonium, ac comprobandum ab Ecclesia, tanquam si à principio in conspectu Ecclesiæ contractum fuisset, prout habetur *c. quod nobis* 1. *h. tit.* & docet *ibidem* Abb. *not.* 2. Alex. de Nevo *nu.* 4. Honor. *hic n.* 11. Pirhing *n.* 33. *&* 34. Schambog. *nu.* 29. & alii passim. Procedit hoc iterum tantùm in terris, ubi clandestina Matrimonia valent.

Ratio primæ partis est, quia Ecclesia, sive Ecclesiasticus Judex non judicat de occultis, quæ probari non possunt *can. erubescant* 11. *dist.* 32. Gloss. *hic V. compellendi* Imò tali casu clam contrahentes ab invicem sunt separandi per Ecclesiam, eò quòd Canones præsumant, nullum inter eos contractum esse legitimum Matrimonium, sed potiùs adulterium, stuprum, aut fornicationem. 250

Ratio secundæ partis; quia tunc constat Ecclesiæ, inter eos Matrimonium contractum esse: ideoque recipitur, & approbatur ab hac tale Matrimonium, tanquam legitimè probatum per Confessionem partium contrahentium.

Dixi autem *Regulariter*; excipi enim debet, nisi agatur de præjudicio alterius Matrimonii publicè contracti; quia tunc non est credendum simplici assertioni contrahentium, nisi Matrimonium clandestinum aliter probetur, vel ostendatur, illud, quòd publicè contractum est, ob impedimentum dirimens fuisse irritum. Fagnan. *in c.* 2. *cit. n.* 5. 6. 7. Pirhing *hic n.* 34. *not.* 3. 251

Quæritur 3. Quale Matrimonium sit observandum, si Titius primò cum Bertha contraxit Matrimonium clandestinè, postea cum Caja palàm, seu publicè? Resp. Si prius clandestinum sufficienter probari non potest, non est cogendus Titius ad observandum prius Matrimonium, sed potiùs ad posterius contractum publicè, ut rectè monet Pirhing *hic nu.* 35. *Ratio est*, quia etsi per posterius Matrimonium, utpote reipsa nullum, non sit dissolutum prius, de priore tamen, utpote clàm contracto, ex defectu probationis non sufficienter constat Ecclesiæ, de posteriore verò constat. Igitur cùm de ea re, de qua cognovit Judex, etiam pronuntiare debeat *l. de qua re* 74. *ff. de re judic* Judex Ecclesiasticus eo casu compellere debebit Titium ad observandum Matrimonium secundum; ipse tamen Titius observare illud contra conscientiam suam non poterit, sed debebit potiùs Excommunicationem, si hæc in illum feratur, humiliter sustinere, licèt hæc ipsum duntaxat liget in foro externo, non verò in interno. 252

Quæritur 4. Quis sit effectus publicationis Matrimonii clandestini? Resp. Ubi validè Matrimonium clandestinum potest contrahi, Publicatio illius hunc effectum Matrimonio tribuit, acsi ab initio in facie Ecclesiæ contractum fuisset, ut patet ex *c. quod nobis* 2. *h. tit. in fin.* & advertit Alex. de Nevo *ibid. nu.* 7. Pirhing *n.* 34. *not.* 4. Ex quo sequitur prolem, ex tali Matrimonio ante publicationem illius susceptam, post factam publicationem pro legitima omnino habendam, licèt postea detegatur impedimentum occultum, ob quod Matrimonium ipsum revera fuit irritum. Videatur *n. suprà* 79. *& duo seqq.* 253

TITULUS IV.

De sponsa duorum.

HOc Titulo duo proponuntur Matrimoniorum Impedimenta, unum *Ligaminis* dirimens, alterum *Sponsalium* impediens. *Priore* istorum invalidum est Matrimonium, quod post aliud contractum cum alia, initur cum secunda, stante vinculo prioris Matrimonii. *Posteriore* prohibetur, ne qui Sponsalia de futuro cum una contraxit, ante illorum dissolutionem aut Sponsalia, aut Matrimonium contrahat cum alia, & statuitur, Sponsalia quidem secunda invalida omnino esse, Matrimonium verò illicitum.

§. I.

De Impedimento Ligaminis.

SUMMARIUM.

1 *Definitur Impedimentum Ligaminis.*
2 3 *Requisita, ut inducatur hoc Impedimentum.*
4 *Effectus eius primarius.*
5 *Huius extensiones.*
6 *Effectus secundarius illius est pœna: ubi, quæ pœna sit inducta Jure Civili super crimine Polygamiæ.*
7 *Pœna Juris Canonici.*
8 *Polygamiæ definitio, & duplex eiusdem species.*

9 Ex

9 *Ex primæva matrimonii institutione illicita est.*
10 *Postea permissa populo electo.*
11 *Nunc omnibus prohibita.*
12 *Polyviria prohibita est Jure Divino, & Naturali.*
13 *Potest tamen in hac dispensare Deus.*
14 *Quæ dispensatio non est propriè dicta.*
15 *Altera Polygamiæ species certò prohibita est Jure Divino.*
16 *An etiam naturali, disconveniunt DD. sententia affirmans.*
17 18 19 *Sententia negans.*
20 *&c. Tenetur via media.*
24 *Secundum matrimonium, stante matrimonio prius contracto, invalidum est.*
25 *Etiamsi hoc consummatum sit, & prius ratum dumtaxat.*
26 *Non potest Pontifex condere Legem, ut per secundum consummatum dissolvatur prius ratum.*
27 *Non potest Polygamia fieri licita per consuetudinem.*
28 *Vel per Dispensationem Apostolicam.*

1 QUæritur 1. Quid sit *Impedimentum Ligaminis*, & quid requiratur ad illud inducendum? Resp. *Impedimentum Ligaminis* est *vinculum matrimoniale, quo unus conjux alteri sic alligatur, ut eo vinculo durante, cum nullo alio contrahere matrimonium possit*. Ita quoad sensum omnes.

Ad inducendum hoc Impedimentum tria requiruntur. 1. Ut præcesserit matrimonium ratum saltem *c. fin. hoc tit.* nam ex sponsalibus de futuro impedimentum hoc non consurgit *c. si inter* 31. *de spons. c. duobus* 1. *hoc tit.* Quia sponsalia solum dant jus ad rem, quod proprietatem non tollit, & cons. nec libertatem, corpus suum per verba de præsenti, & matrimonialem contractum validè tradendi alteri. Magnif. P. Schmier *p. 3. de spons. & matr. c. 2. n.* 190. & dicetur *infra n.* 29.

2 2 Ut matrimonium prius vero, & legitimo consensu contractum fuerit; nam si fictè solum, & animo non contrahendi, aut non se obligandi initum fuerit, in foro conscientiæ non inducit Impedimentum Ligaminis; quia in hoc foro statur rei veritate; in rei veritate autem matrimonium fictum, utpote consensu, seu forma substantiali destitutum, non valet. Ergo ex illo non potest oriri impedimentum Ligaminis dirimens, cum juxta *Reg.* 52. *in* 6. *non præstet impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*. Addidi autem, *in foro conscientiæ*; nam in foro externo, nisi probetur fictio (quod difficulter fiet, cum in animo solo consistat) hujusmodi matrimonium præsumitur verè, & validè contractum, & sic in eodem foro præsumitur etiam induxisse Impedimentum Ligaminis *arg. c. per tuas* 10. *de Probat.* Konig *hic nu.* 5. *vers. alterum*.

3 Ut matrimonium etiamnum perseveret; nam vinculo ejus per mortem, professionem solemnem, vel dispensationem Apostolicam, si Ratum sit, dissoluto, redit prior libertas validè contrahendi matrimonium cum alia persona, quæ per matrimonium præcedens ablata fuit. Konig *l. cit. vers. tertium.* Quòd verò matrimonii vinculum, si ratum dumtaxat sit, per professionem Religionis solemnem, & Dispensationem Apostolicam dissolvi possit, ostendetur *infra tit. 6. & tit.* 19. Morte dissolvi vinculum matrimonii etiam consummati, & dari licentiam contrahendi matrimonium alterum, tertium, quartum &c. est de Fide contra Montanum, & Cataphrygas, qui secundas Nuptias fornicationem dixerunt: & constat apertè ex S. Paulo *Rom. 7. & 1. Corinth.* 7. ubi ait: *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit: quodsi dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat*: idque probatur ex omnium Gentium, & temporum consuetudine; semper enim tam in Lege nova, quam in antiqua licitum fuit post mortem conjugis contrahere aliud matrimonium.

Quæritur 2. Quis sit effectus impedimenti ligaminis? Resp. *Effectus illius primarius* est, ut impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, adeo ut siquis cum duabus de præsenti contraxerit, ei adhærere debeat, cum qua prius contraxit, etsi illam nondum carnaliter cognoverit, ut statuitur *cap. fin. hoc tit.* & notant Abb. *ibid. n.* 1. Vivian. *ad c. cit. vers. etiamsi*, Barbosa *in c. 3. eod. n.* 2. Canis. *hic pr.* Vall. *nu.* 2. Zoes. *n.* 3. Honor. *n.* 3. Pirhing *n.* 5. Konig *n.* 6. Ratio est, quia cum prima per legitimum consensum fuit contractum indissolubile vinculum matrimonii, etiam sine carnali copula; *nuptias enim non concubitus, sed consensus facit*, ut *l. nuptias* 30. *ff. de R. J.* Ulpianus ait.

Proceditque hoc 1. Quamvis secundam prius cognoverit; quia carnalis copula sine legitimo consensu non facit legitimum matrimonium. Zoes. Konig *l. cit. Procedit* 2. Etsi primum matrimonium inutile sit ob morbum, vel supervenientem impotentiam *can. hi qui* 25. *caus.* 32. *q.* 7. aut sterilitatem *can. tantum* 27. *q. cit.* aut diuturnam absentiam conjugis *c. Dominus 2. de secund. nupt.* Trid. *sess.* 24. *can. 5. de Sacr. matr. Procedit* 3. Ut nulla Impedimentum istud abrogare contraria consuetudo possit; quia matrimonium legitimè contractum insolubilitatem habet à Jure naturali, vel saltem Divino, ut suo loco ostendetur *Tit. 19. de Divort.* atqui Juri naturali, aut Divino nulla Lex, aut consuetudo præjudicare potest, vel eidem derogare *c. fin. de consuet. Ex quo sequitur*, hoc Impedimentum afficere etiam Infideles: Et hinc Gentilis, qui secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam, ea vivente, licitè poterit aliam, etiam ad Fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum eo, aut si cohabitare velit, id facere velit non absque contumelia Creatoris *c. gaudemus 8. de Divort.* 5

Secundarius hujus Impedimenti effectus est pœna, quam ii, qui primo matrimonio durante, secundas nuptias attentant, incurrunt: quæ alia est de Jure Civili, alia de Jure Canonico. *Jure Civili* hujusmodi Nuptias attentantes, incurrent pœnam infamiæ *l. Prætoris* 1. *fin. ff. de his, qui not. infam. l. neminem 2. Cod. de incest. & inutil. nupt. l. eum, qui* 18. *Cod. ad Leg. Jul. de Adult.* & in Germania, si secundum matrimonium consummaverint, gladio, & ultimo supplicio puniuntur. *Ord. crim. Carol. V. art.* 21. Gonz. *in c.* 1. *hoc tit. in* 6. Konig *hic n.* 6. *fin.* Reiffenstuel *ibidem n.* 4. 6

Jure Canonico per *c. accepisti 2. hoc tit.* illi, qui matrimonium scienter cum uxore alterius contraxit, olim Ecclesia imposuit publicam pœnitentiam per septem annos cum jejunio per 40. dies in pane, & aqua, quod *Carenam* vocant. Hujus pœnitentiæ hodie non amplius usus est: unde imponenda ipsi est pœnitentia pro arbitrio prudentis Confessarii, ut notat Vivian. *in c. cit. pr.* Insuper (quæ pœna etiamnum obtinet) secundam etiam post mortem legitimi sui conjugis non potest ducere, ob impedimentum criminis, de quo *infra titul.* 7. & meritò, ne daretur illi ansa machinandi mortem priori suo marito. Ad quod tamen duo requiruntur. 1. Ut eam ducens, sciverit illam, esse uxorem alterius, vel saltem desponsatam per verba de præsenti, nam si ignorans contraxit cum illa, non peccat, sed potest eam ducere post mortem primi viri *c. propositum* 1. *de eo, qui duxit &c.* 2. Ut eam cognoverit, vivente adhuc priore viro *c. fin. eod.* 7

Quæritur 3. Quid sit *Polygamia*, & quotuplex, & an aliquando fuerit licita? Resp. *Polygamia* est, quando unus vir sibi matrimonio simul jungit plures uxores, aut una mulier sibi plures viros. Et hinc patet discrimen à Bigamia; nam per hanc, si vera sit, initur matrimonium cum pluribus successivè tantum, & post dissolutionem matrimonii cum priore, quòd, ut *num.* 3. dictum est, omni tempore erat licitum. Duplex autem communiter distinguitur: *una*, qua una mulier duobus, vel pluribus viris jungitur; *altera*, qua uni viro duæ, vel plures copulantur uxores. 8

Certum autem est 1. matrimonium ex primæva sua institutione, à Deo in Paradiso facta, esse conjunctionem unius viri cum una fœmina, & sic initio statim illicitam fuisse Polygamiam, Patet ex *c.* 2. *Genes. v.* 24. ubi Deus ad Adam, vel Adam Dei instinctu, *Adhærebit*, inquit, *uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Ex quo textu Innocentius III. unitatem matrimonii probat, dum Episcopo Tiberiadis, rescribens. *In carne una*, ait, *erunt, non dixit, tres, vel plures, sed duo; nec dixit, adhærebit uxoribus, sed uxori*, prout refertur *cap. gaudemus* 8. *vers. verum de Divortiis.* 9

Certum est 2. non omni tempore Polygamiam fuisse illicitam, prout volebant aliqui, qui putabant, permissam illam solum fuisse in veteri Testamento, tanquam minus malam; nam etiam Patriarchæ, Abraham, Isaac, Jacob &c. plures habuerunt uxores, qui cum fuerint viri 10

viri Sanctissimi, istud non fecissent, si illud illicitum suo tempore fuisset. Unde meritò illos *S. Augustinus* juxta temporis illius morem excusat, dum *lib. 22. contra Faustum capit.* 47. prout refertur *can. obiiciuntur* 7. *caus.* 32. *quæst.* 4. hæc verba habet: *Obiiciuntur Jacob quatuor uxores, quod, quando mos erat, crimen non erat,* ita scilicet dispensante Deo per inspirationem internam factam Patriarchis, quæ derivata est vi exempli, & consuetudinis ad reliquos ex populo Israelitico, &, ut quidem Bellarminus, Ledesma, Valentia volunt, etiam ad populum Gentilium: quod tamen cum Soto, Henriquez, Barthol. à Ledesma negat Sanch. *lib. 7. de matrim. D.* 80. *numer.* 13. quod in his non militet dispensationis Divinæ ratio, nempe fidelis populi multiplicatio.

11 *Certum est* 3. Polygamiam defacto prohibitam esse omnibus; quia conjugale fœdus à Christo ad Divinæ institutionis primævum statum revocatum est, & libellus repudii antiquatus. Et hinc non solum fideles, sed etiam infideles, dum vel plures simul, vel una dimissa, ducunt aliam, delinquunt graviter, & obligantur, superinducta repudiata, iterum adhærere primæ, ut ex *cap. quanto* 7. *& c. gaudemus* 8. *de Divort.* docent Henriq. *l.* 12. *de matr. c.* 6. *n.* 2. Ledesm. *p.* 2. *q.* 67. *art.* 2. Sanch. *D.* 80. *cit. num.* 14. qui propterea addit, non posse sustineri sententiam Abulens. *in c.* 19. *Matth. q.* 35. *paulò post pr.* ubi putat, infideles nunc non peccare accipiendo plures uxores: & multò minus defendi potest opinio Cajetani, dum *in cit. c.* 19. *Matth.* docet, pluralitatem uxorum nec explicitè, nec implicitè in Divina Lege esse prohibitam.

12 Quæritur 4. Quo Jure prohibita sit prior Polygamiæ species, qua una mulier duobus, vel pluribus viris jungitur, quam propterea aliqui Polyviriam appellant? Resp. Prohibita est Jure Divino, & naturali. Ita concors omnium DD. sensus cum S. August. *lib.* 3. *de Doctr. Christ. cap.* 12. *& libr. de bon. conjug. c.* 17. & S. Thom. *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 1. *artic.* 1. *ad* 7. Ratio est, quia repugnat imprimis fini conjugii primario, & à natura præcipuè intento, nempe generationi, & bonæ educationi prolis: generationi quidem; quia hæc pluribus se commiscendo impeditur, ut hæc vel nunquam, vel rarius subsequatur, ut patet in meretricibus: bonæ educationi autem: quia cum proles in hujusmodi commixtione unius mulieris cum pluribus viris incerti sit patris, nullus ex his pluribus viris eam tanquam suam teneretur agnoscere, & sic neque curaret, ut benè educaretur, quod tamen præcipuum officium patris est: deinde etiam adversatur fini secundario matrimonii, nimirum tranquillæ cohabitationi, & paci conjugum; ubi enim multa capita sunt unius corporis, nempe multi viri in eadem familia, innumeræ rixæ excitabuntur. Et hinc ista Polygamiæ species, seu Polyviria nulla unquam dispensatione permissa fuit, nullius bene institutæ, imò barbaræ etiam Gentis usu recepta.

13 *Dubium est*, an saltem possit Divina Dispensatione licita fieri? Negat Bellarm. *l.* 1. *de matr. c.* 11. *post.* 2. *propos.* propter repugnantiam, quam, ut dixi, habet cum fine conjugii primario; ac proinde putat, sicut mendacium, & perjurium, & ipsam in nullo unquam casu posse licitam fieri.

Sed probabilius est, quòd per absolutam Dei potentiam ejusmodi nuptiæ unius mulieris cum pluribus viris possint subsistere. Ita Major *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 1. *ad* 1. Petr. de Ledesm. *de matrim. quæst.* 65. *num.* 2. *dub.* 2. *concl.* 2. Sanch. *libr.* 7. *de matrim. D.* 80. *numer.* 15. Conink *D.* 26. *de Sacram. dub.* 2. *num.* 29. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 3. *cap.* 6. *numer.* 9. Perez *D.* 35. *de matrim. sect.* 4. *num.* 3. Pirhing *de sponsal. numer.* 130. Wiestner *hic num.* 3. Ratio est, quia sicut supremum, & absolutum dominium Deus habet in res creatas cæteras, ita etiam habet in corpora maris, & fœminæ. Igitur concedere potest feminæ, ut absque ulla mariti injuria corpus suum ad usum, & actus conjugales tradat alii viro, utque iste hanc illius traditionem acceptet, & vicissim corpus suum ad ejusmodi usum feminæ tradat; sic autem inter ejusmodi mulierem, & viros illos plures orietur vinculum conjugale; ergo &c. *Conf.* Si Polyviria etiam per absolutam Dei potentiam fieri licita nunquam posset, causa foret, quia repugnat juri naturali. Ex hoc argumento nihil probatur; quia tantum repugnat juri naturali, quòd Deus potestatem hanc non concesserit homini. Igitur si licentiam istam concederet Deus, Polyviria foret licita.

Ex quo sequitur, quòd Deus permittendo Polyviriam, 14
propriè non dispenset in Lege naturali; sed tantum conditionem apponeret, qua posita, mala, & prohibita esse desineret, ut in simili omnes concedunt casu, quo Deus præciperet occidi innocentem, vel ut auferatur res aliena proprio Domino invito: nam etiam hæc per se Juri naturali adversantur; quia tamen dominio Dei supremo subjacent, ejusdem promissione fieri licita possunt.

Neque obstat in contrarium à *Bellarmino* allata ratio; quia aliter provideri à Deo potest, ne ejusmodi conjugium adversetur bono prolis, vel alia *n.* 12. enarrata incommoda afferat. Ad id, quod additur de Mendacio, & Perjurio, disparitas est; quia mendacium, & perjurium sunt actiones per se, ex objecto suo, & intrinsecè malæ, ita, ut malitia ab iis separari non possit; at Polyviria solum mala est, & contra Legem naturalem, quamdiu ad eam non dat licentiam Deus, quam si dederit, licita, & honesta efficietur.

Quæritur 5 Quo jure prohibita sit altera Polygamiæ 15
species, qua unus vir plures ducit mulieres? *Certum est* prohibitam esse Jure Divino; nam hoc patet ex Definitionibus Conciliorum Nicæni, & Tridentini, quorum prius *can.* 24. ait, *à Deo ordinatum esse, ut nemo duas, aut plures uxores habeat*; alterum *sess.* 24. *can.* 2. *de Sacram. matrim.* anathema dicit illi, qui *dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum. Conf.* Si enim, Divina Veritate prohibente *Matth.* 19. *vers.* 9. in nova Lege, una uxore dimissa, alia duci non potest, multo minus licebit ducere aliam, prima retenta. *Rationes prohibendi* æquissimæ fuere. 1. Enim pluralitas uxorum aliquo modo impedit finem primarium matrimonii, quæ est generatio prolis; nam pluribus feminis conjuncti sæpè minus fecundi sunt, ut exemplo Salomonis docemur, qui ex mille tum uxoribus, tum concubinis suscepit unicam prolem masculam, videlicet Roboamum 3. *Reg.* 11. *vers.* 43. & duas dumtaxat filias, Eraphet, & Basemat, teste Suida apud Pont. *lib.* 7. *de matrim. cap.* 49. *num.* 2. 2 Non satis convenit cum fine secundario illius, qui est socialis vita, & gubernatio domestica; quia facillimè orirentur rixæ, invidia, Zelotypia &c. inter plures uxores, præsertim si una præ aliis à viro diligeretur. 3. Eadem tollit significationem Sacramenti, quam ex institutione Divina fidelium conjugia consummata habent, scilicet repræsentationem unionis Christi cum Ecclesia, unius cum una, eaque immaculata sponsa.

Dubium est, an hæc uxorum pluralitas etiam jure na- 16
turali prohibita sit? Affirmant Aureolus, relatus à Capreol. *in* 4. *dist.* 33. *quæst.* 1. *artic.* 2. Henriq. *libr.* 12. *de matrim. c.* 16. Petr. de Ledesm. *de matr. quæst.* 65. *art.* 1. *concl.* 2. *& duab. seqq.* Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 11. Menoch. *de arbitr. cas.* 420. *à num.* 46. Hurtad. *D.* 9. *n.* 3. Konig *hic* §. 1. *num.* 2. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de spons. & matrim. cap.* 2. *num.* 205. *Fundantur* 1. argumento deducto ex illo Pauli 2. *Corinth.* 7. *vers.* 7. ubi Apostolus, *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier:* quibus verbis vir, & mulier quoad mutuam corporum traditionem æquiparantur. Atqui juri naturali, ut *num.* 12. dictum est, repugnat, ut mulier, viro superstite, jus in corpus suum alteri tradat. Ergo eidem juri repugnat, ut illud faciat vir vivente adhuc uxore sua. 2. Etiam apud Gentiles, qui prudentiæ, & honestatis laude præ aliis floruere, Polygamia per Leges fuit prohibita, videlicet apud Athenienses Lege Cecropis, apud Romanos Lege 12. Tabularum, & aliis posterioribus: imò apud hos qui binas nuptias eodem tempore constitutas habebat, ex Prætoris Edicto infamia notabatur, ut patet ex *loc. citt. numer.* 6. atqui Gentiles solius rationis, & luminis naturalis sequebantur ductum. Igitur ex ipsius Naturæ instinctu Polygamia illicita est. 3. Juris naturalis Principia exigunt, ut ex contractu nuptiali uxori vir præstet id, quod ille ab hac vi ejusdem contractus exigit; nam vir, & uxor quoad thori conjugalis fidem ad imparia non judicantur *can. si quis uxorem* 4. *fin. caus.* 32. *qu.* 1. atqui ex contra-

ctu nuptiali vir ab uxore exigit, ut corpus suum ad actus ex se apros ad generationem prolis nulli alteri tradat. Igitur hoc quoque uxor Jure exposcit à viro.

17 *Altera sententia* cum Durand. *in 2. dist.* 33. *q.* 1. *num.* 9. *&* 10. Abulenf. *in Matth. cap.* 19. *quæst.* 30. *ad* 2. *& qu.* 33. *Corp. & ad* 1. Cajetan. *in Genes. capit.* 16. *post princip.* Medin. *l.* 4. *de Sacram. homin. continent. contr.* 1. *capit.* 9. Veracrux *part.* 2. *specul. artic.* 15. *concl.* 1. *&* 2. Palaios *dist.* 33. *cit. D.* 1. *fol.* 732. Gutier. *de matrim. c.* 106. *n.* 1. Gonzal. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 7. *fin.* negat uxorum pluralitatem Juri naturali adversari. *Nituntur* & ipsi non levibus argumentis. Nam 1. Polygamiam complures Gentes non solum tolerant, sed etiam Legali permissione non obscurè approbant, vel approbarunt saltem olim; sic enim apud Thraces tribus, aut quatuor, imò triginta uxoribus copulari mos erat, ut testatur *Heraclitus*; apud Numidas, & Mauros quisque pro suis opibus uxores habet quamplurimas: nec dissimilis consuetudo in Africa circumfertur, si Herodoto, Diodoro, & Josepho credimus. Idem de aliis Nationibus refert Tiraquell. *l.* 7. *connub.* Beyerlich *tom.* 2. *V. Conjugium*, Tholosan. *Synt. libr.* 10. *capit.* 1. & Valentinianus Imp. postquam superstite priore, nec repudiata, alteram duxir, ut levius videri posset patratum à se facinus, Legem tulit, per quam cuivis liceret duas simul habere uxores, ut referunt Socrat. *l.* 4. *c.* 26. & Paul. Diacon. *l.* 1. *c.* 2. atqui non est credibile, has omnes Gentes juris naturalis cognitione destitutas fuisse, aut in ejus cognita principia impegisse.

18 2. Si pluralitas uxorum repugnaret juri naturali, eatenus repugnaret, quatenus repugnaret fini ejusdem, qui maximè triplex est, prolis generatio, ejus educatio, & tranquilla conjugum cohabitatio. Atqui his non repugnat; nam 1. per uxorem pluralitatem generatio prolis potius promovetur, cum constet ab uno viro fecundari plures uxores posse, prout patet in antiquis illis Patriarchis, qui plures habuerunt uxores, ut unius sterilitas suppleretur per fœcunditatem alterius, & sic humanum genus, & gens à Deo electa eo facilius multiplicaretur. 2. Posset adhuc haberi educatio prolis congrua; quia hæc educari posset apud suam quæque matrem, ab aliis ejusdem thori consortibus separatam. 3 Si hoc modo a se invicem uxores plures quoad habitationem separarentur, caveri possent odia, & discordiæ. Et esto, inde exsurgerent incommoda aliqua, ita, ut secundus, & tertius finis ex accidenti plenè non obtineatur, sunt tamen hi fines minus primarii, ut adeo, cum primus finis, qui primarius est, magis promoveatur, quam impediatur pluralitate uxorum, huic cæteri, tanquam secundarii, & subordinati debeant cedere.

19 3 S. Augustinus *can. obiiciuntur* 7. *caus.* 32. *q.* 4. Jacob, qui quatuor uxores habuit, & alios Patriarchas excusat à culpa propter prisci illius temporis morem, seu consuetudinem; & S. Thom. *in* 4. *dist.* 33. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. fatetur, consuetudinem posse ab hac uxorum pluralitate excusare. Atqui consuetudo contra Jus naturale prævalere non potest *c. fin. de consuet.* sed tantum adversùs Jus humanum; ergo &c. *Conf.* nam si licet uxori in totum cedere jure suo, & consentire, ut vir Religionem profiteatur, cur non licebit, attento solo naturæ jure, sibi præjudicare in parte, & consentire, ut aliæ simul uxores potestatem corporis viri sui habeant, legitimo cum eis matrimonio inito?

20 Tenenda videtur sententia inter utramque priorem media, & dicendum, uxorum pluralitatem adversari quidem juri naturæ, non tamen ita, ut eam excludat ipsa matrimonii natura, & essentia, sed institutio ejusdem in ipso mundi exordio facta à Deo, qua unam tantum uni conjunxit. Ita Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 80. *num.* 8 Layman *l.* 3. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *nu.* 7. *&* 8. Pal. *tr.* 28. *D.* 3 *p.* 1. *à n.* 3. Perez *D.* 35. *de matr. sect.* 2. *à n.* 4. Vvieftner *hic n.* 7. cum aliis DD.

21 Dixi 1. *Pluralitatem uxorum non excludi à matrimonio per ipsam ejus naturam, & essentiam*; hoc enim probant argumenta secundæ sententiæ. *Conf.* Nam si uxorum pluralitatem excluderet ipsa matrimonii natura, & essentia, ea per nullam Dei dispensationem fieri licita posset, per tradita *Lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 56. atqui ad eam à Deo dispensari posse supponit Innocentius III. *c. gaudemus* 8. *de Divort.* ibi, *Nec ulli unquam licuit in simul plures uxores habere, nisi cui fuit Divina revelatione* (sive Dei revelantis dispensatione) *concessum*. Ergo &c.

Dixi 2 *Illam excludi institutione Divina*: quod indubitatè sumitur ex illo *Genes.* 2. *vers.* 24. ubi Deus, *Quamobrem*, inquit, *derelinquet homo patrem suum, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una*: quibus verbis nuptiale fœdus sic institutum est, ut unus solum vir uni uxori, non unus pluribus uxoribus, aut una pluribus viris conjugi possit, quemadmodum explicat Christus ipse *Matth.* 19. *v.* 5. ubi unitatem matrimonii in ejus primam institutionem refundit, dicens: *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eum, & dixit, Propter hoc &c.* 22

Dixi 3 *Uxorum pluralitatem, supposita matrimonii institutione, & Divina dispensatione seclusa, Juri naturali contrariam esse*. Ratio est, quia cum homo corporis sui solum Usuarius, Deus verò Dominus illius sit, non potest homo eo uti, præterquam ad actus à Deo ipsi concessus. Atqui, ut *n. præc.* dictum est, Dominus Deus in ipsa nuptiarum institutione viro solum concessit, ut uni dumtaxat mulieri corporis sui usum ad actus conjugales possit tradere, & vicissim mulier uni viro. Ergo pluribus eum usum tradendo, potestatem sibi à Deo datam excedit, Jus illius, & dominium violat, ac proinde peccat contra Jus naturale, quod prohibet læsionem juris alieni, præsertim Divini. 23

Quæritur 6. An Polygamia utraque in novo Testamento solum illicita, an verò insuper matrimonium secundum, postquam aliud jam cum alia, vel alio initum est, invalidum, sit? Clarum est esse invalidum, si contrahatur, postquam primum matrimonium per copulam carnalem jam consummatum est, nam tunc sit omnino authoritate humana insolubile. 24

Dubitari posset de casu, quo primum matrimonium ratum solummodo fuit, quando secundum contractum, & consummatum est? *Ratio dubitandi* sumitur 1. ex *c. licet* 3. *hoc tit.* ubi Pontifex, postquam statuisset, virum à secunda uxore separandum, & compellendum esse, ut ad primam redeat, addit, *Quamvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum*. Atqui non potuissent aliter judicare, si matrimonium secundum consummatum post aliud ratum Jure Divino, & naturali foret invalidum. 2. Ex *l. si à Titio* 72. *ff & l. quoties* 15 *Cod. de R. V.* ex quarum dispositione, siquis rem eandem duobus vendidit, præfertur ille, cui res vendita simul tradita est. Igitur à pari, si cum una initum sit matrimonium ratum, cum altera etiam consummatum, præferetur secunda, & alterum matrimonium erit validum. 3. matrimonium, quod ratum dumtaxat est, dissolvitur per Professionem Religiosam, tanquam per matrimonium spirituale. Ergo etiam dissolvetur per consummatum, cum etiam hoc sit vinculum fortius.

Sed tenendum est, tanquam indubitatum, quod etiam hoc casu secundum matrimonium sit omnino invalidum. Ita expresse habetur *c. si inter* 81. *de sponsal. c. accepisti* 2. *c. licet* 3. *c. tua* 4. *& c. fin. hoc tit.* Ratio est, quia per primum matrimonium vir, & mulier jam transtulerunt jus in corpus ad potentiam copulæ inter se invicem, ita, ut jam uxor potestatem corporis sui non amplius habeat, sed vir, & vicissim non vir sui, sed uxor. Ergo non habet jus aliquod maritus, quod in corpus suum transferre in aliam uxorem possit, aut vicissim uxor in alium virum. 25

Neque contrarium probant argumenta allata pro ratione dubitandi. *Ad* 1. plerique cum Barbosa *in c. cit. num.* 5. & Gonzal. *ibidem numer.* 2. dicunt eo verbo *Judicatum* significari non Cathedralem definitionem, sed Judicialem litis privatæ decisionem, in qua Pontifex non est infallibilis. Forrasse etiam ideo Prædecessores dicuntur aliter judicasse, quia prius matrimonium ratum propter subsequens consummatum ex gravi causa dissolverunt, ut notant Vvagnereck *in Exeges. c. cit.* & Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de sponsal. capit.* 2. *numer.* 195. *Ad* 2. Negatur suppositum, quod traditio juris in corpus ad potentiam copulæ fiat per consummationem matrimonii; nam hæc corporis traditi usum dumtaxat superaddit, ipsum autem jus in corpus jam fuit traditum per contractum, & in ipso contractu matrimoniali. *Ad* 3. Negatur paritas; nam quod per professionem Religiosam matrimonium ratum dissolvatur, proce-

dit ex speciali favore Religionis, qui favor non consideratur in matrimonio consummato, imò nec in Sacerdotio.

26 An verò Pontifex condere Legem possit, ut matrimonium ratum, & non consummatum dirimatur per subsequens matrimonium carnali copula consummatum, nonnulli dubitant. *Sed respondendum est*, non posse, cum Covar. *part.* 2. *de sponsal. cap.* 7. §. 3. *num.* 5. Barbosa *in cap.* 3. *hoc tit. num.* 5. Pirhing *hic num.* 6. Ratio est, quia primum conjugium, etiam ratum, & nondum consummatum, Divina, & naturali Lege præfertur secundo etiam consummato: hinc cum Pontifex in Lege Divina dispensare directè nequeat, etiam per Legem suam non poterit facere, ut per secundum consummatum dissolvatur prius ratum.

27 Quæritur 7. An consuetudine licita fieri Polygamia possit? Dubium faciunt verba S. Augustini relata supra ex *can. obiiciuntur cit.* ubi asserit, uxorum pluralitatem, quando mos erat, crimen non fuisse.

Sed dicendum, nulla quanticunque temporis, etiam immemorialis, consuetudine Polygamiam posse fieri licitam. Ita Sot. *dist.* 33. *cit. q.* 1. *art.* 2. *V. & per hoc diluuntur*. Covar. *p.* 2. *de spons. c.* 7. §. 3. *n.* 1. Bellarm. *l.* 1. *de matrim. c.* 11. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 80. *n.* 10. Pirhing *tit. de spons. n.* 130. *in fin.* Vviestner *hic n.* 12. Reiffenstuel *ibidem num.* 3. Ratio est, quia consuetudo est Jus merè humanum non scriptum, usu, & moribus populi, Legali, vel Canonica approbatione accedente, introductum. Atqui Jus merè humanum adversùs Jus Divinum, & Naturale, quo Polygamia prohibita est, prævalere non potest. Ergo &c.

Ad textum S. Augustini, ut cum Innoc. III. *c. gaudemus cit. V. nec ulli* notant Sanch. *num.* 16. Pont. *n.* 4. Vviestner *n.* 12. *cit. in fin.* S. Pater intelligendus est de more, seu consuetudine, fundata in revelatione, seu dispensatione Divina, & ab hac, non à solo usu virorum plures uxores ducentium vim obtinente.

28 Quæritur 8. An humana aliqua, saltem Apostolica, authoritate dispensari ad pluralitatem uxorum possit? Resp. Negativè. Ita DD. *citt.* cum S. Thom. *dist.* 33. *cit. q.* 1. *art.* 2. estque concors omnium cæterorum sententia, & perspicuè habetur *c. gaudemus cit. V. nec ulli*. *Ratio* obvia est; quia nulla humana potestate relaxari potest Jus naturale, vel Divinum, per tradita *Lib.* 1. *Tit.* 2. *n.* 56. Dispensatio autem illa Divina, seu concessio, quæ erat in Veteri Lege, jam est sublata per Christum, qui reduxit matrimonium ad primævum statum, ut esset conjunctio unius viri cum una femina.

§. II.

De Impedimento sponsalium.

SUMMARIUM.

29 *Impedimentum sponsalium de futuro est solum impediens.*

30 *Hinc per Matrimonium contractum cum alia, si validè id fiat, dissolvuntur sponsalia priora.*

31 *Manent tamen, si Matrimonium cum alia contractum sit invalidè.*

32 *Utrum per subsequens matrimonium validum omnino extinguatur obligatio priorum sponsalium?*

33 *Fundamenta sententiæ affirmantis.*

34 *Defenditur sententia negans.*

35 36 *Hujus fundamenta.*

37 *Solvuntur Argumenta opposita.*

38 *Per sponsalia de futuro posteriora priora non solvuntur.*

39 *Etiamsi illa jurata fuerint.*

40 41 42 *An posteriora sponsalia non saltem obligent casu, quo priora sunt dissoluta?*

43 44 *An adhuc priora implenda sint, quando secundis accessit copula carnalis cum sponsa posteriore?*

45 *Rationes dubitandi.*

46 47 *Respondetur cum distinctione.*

48 *Rationes dubitandi solvuntur.*

49 *&c. An ut ex duobus sponsalibus validetur posteriora, authoritate Ecclesiastica dissolvi priora possint?*

Quæritur 1. Quale Impedimentum inducatur per sponsalia de futuro? Resp. Inducitur tantum Impedimentum impediens, non autem dirimens: & hinc qui sponsalia contraxit cum una, adhuc validè contrahere matrimonium potest cum alia quacunque, nisi hæc consanguinea sit sponsæ prioris in primo gradu; cum hac enim ob Impedimentum publicæ honestatis dirimens invalidè contrahit. Patet Responsio ex *c. duobus* 1. *hoc tit.* ubi statuitur, sponso, cum alia matrimonium contrahenti, imponendam esse pœnitentiam *de mentita fide*, debere tamen manere cum ea, cum qua matrimonium duxit. Non posset autem cum hac manere, si sponsalia inducerent matrimoniale Impedimentum dirimens; ergò dicendum, quod talis illicitè quidem, & cum injuria prioris sponsæ matrimonium contrahat, non tamen invalidè. 29

Ex quo sequitur, per matrimonium subsequens validum dissolvi sponsalia de futuro prius inita per *capit. duobus citat. capit. sicut* 22. *de sponsal. & capit. si inter* 31. *eodem*. Ratio est, quia matrimonium, etiam ratum tantum, est vinculum longè fortius, quàm sponsalia de futuro, cum ista tantum tribuant jus ad rem, illud verò jus etiam in re conferat. Atqui vinculum fortius solvit id, quod minus forte est; ergo. *Conf.* Nam matrimonium superveniens sponsalibus de futuro, cum alia initis, se habet, ut secunda venditio, facta cum traditione rei venditæ, respectu venditionis prioris, factæ sine traditione rei. Atqui hoc casu secundus emptor præfertur priori *l. quotiens* 15. *C. de R. V.* ergo etiam Matrimonium præfertur sponsalibus prius initis. 30

Dixi autem *per matrimonium subsequens validum*: nam si irritum sit, obligabunt adhuc priora sponsalia. Joan. Andr. *in cap. sicut cit. num.* 4. Ancharan. *ibidem num.* 6. Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *cas.* 6. *nu.* 24. Sanch. *l.* 1. *de matrim. D.* 48. *num.* 1. Zoes. *tit. de sponsal. nu.* 33. quia ut *Reg.* 52. *in* 6. habet, *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*. Alter tamen sponsus à sponsalium fide tum liber manet; quia transiens ad nuptias cum alia, censetur renuntiasse sponsalibus antecedentibus. Sanch. *loc. citat. Excipitur*, nisi etiam ipse consenserit in matrimonium alterius sponsi cum alia; tunc enim censerentur sponsalia mutuo consensu dissoluta, & neuter iisdem amplius teneretur, etsi matrimonium quocunque ex capite invalidum foret, Pirhing *tit. de sponsal. num.* 38. 31

Quæritur 2 Utrum per subsequens matrimonium validum omnino extinguatur obligatio priorum sponsalium, vel solum suspendatur, ita, ut sponsa de præsenti mortua, cum qua Titius contra fidem priorum sponsalium contraxit matrimonium, adhuc obligatus sit primam ducere vi priorum sponsalium: *Negant* obligatum esse Joan. Andr. *in cap. sicut cit. numer.* 4. Ancharan. *numer.* 6 Præposit. *numer.* 8. Alex. de Nevo *in c. litteras numer.* 7 *de despons. impub.* Paludan. *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *artic.* 1 *concl.* 4. *num.* 8. Gabr. *ibidem q.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. Henriq. *l.* 11. *de matrim. c.* 14. *num.* 2. Sanch. *l.* 1. *de matr. D.* 48 *num.* 3. Gutier. *de matrim. cap.* 27. *numer.* 3. *vers. verum*. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *num.* 22. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8 *q.* 1. *dub.* 4. *n.* 56. & 57. Rosignol. *de sponsal. II. prænot.* 6 *n.* 8. Pirhing *tit. de sponsal. n.* 59. 32

Fundantur 1 Quia *cap. sicut* 22. *de sponsal.* dicitur fidem primorum sponsalium irritam fieri per sponsalia cum alia de præsenti inita. Igitur obligatio illorum omnino extinguitur. Sed obligatio semel extincta non revivíscit *l. qui res* 98. §. *aream* 8. *ff. de solut.* ergo &c. 2 Quia cum sponsalia, & matrimonium sint obligationes ejusdem rationis, & ordinis, quippe utraque ex Justitia, & utraque facta homini, prior obligatio extinguitur per supervenientem fortiorem, sicut Votum strictioris Religionis extinguitur per Professionem subsecutam in Ordine laxiore *juxta capit. qui post* 5. *de Regular. in* 6. 3 Si servus v. g. per stipulationem promissus sit, & postea manumissus, promissio, cum adimpleri non possit, penitus extinguitur, nec revivíscit, etiamsi servus ille denuo redigatur in servitutem *lib. inter stipulantem* 83. §. *sacram* 5. *ff. de V. O.* & *l. qui res* 98. §. *aream* 8. *ff. de solution.* 4. Contraria sententia fovet periculum captandæ mortis alienæ, quatenus prior sponsa, dum sibi jus aliquod ad matrimonium superesse novit, nihil magis appetet, quam ut matrimo- 33

trimonium cum sponsa posteriore per illius mortem dissolvatur.

5 Sed his non obstantibus, dicendum, etsi sponsa hoc casu ob violationem fidei sibi datæ non amplius teneatur sponsalibus, iis tamen teneri sponsum, si sponsa sic velit. Ita Ariadn. *in* 4. *quæst.* 2: *de matrim. ad* 2. Vega *l.* 6. *summ. cas.* 125. Petr. de Ledesm. *de matrim. quæst.* 43. *art.* 3. *dub.* 2. *ad* 2. Conink *D.* 23. *de Sacram. dub.* 4. *num.* 32. Pont. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 13. *num.* 4. Hurtad. *D.* 2. *difficult.* 7. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *part.* 21. *num.* 4. Perez *D.* 9. *sect.* 7. *num.* 5. Zypæus *l.* 4. *consult.* 5. *numer.* 9. *&* 10. Henric. Mayr. *de sponsal. numer.* 141. Haun. *Inst. Theol. de matr. num.* 601. Sporer *de matrim. num.* 208. Vvex *p.* 5. *tr.* 2. *part.* 1. §. 7. *num.* 13. Konig *tit. de sponsal. n.* 62. Vviestner *ibidem num.* 100. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 5. *n.* 22.

5 *Ratio est*, quia si sponsalia de præsenti supervenientia vim haberent omnino dissolvendi sponsalia de futuro prius inita, eam haberent vel ex jure naturali, vel ex positivo: Non autem habent illam ex *Jure positivo*, quia *c. duobus c. sicut*, *& capit. inter citt.* non dicitur, quod sponsalia priora omnino dissolvantur, vel extinguantur, sed tantum deciditur, matrimonium, post illa initum cum alia, esse validum, & eo copulatos non separandos. Sed neque hanc vim habent ex *Jure naturali*; quia hoc jure spectato, obligatio sponsalium prius initorum consistere potest cum matrimonio, saltem quatenus illa respicit tempus istius per obitum dissoluti: imò hoc casu conveniens omnino erat obligationem priorum sponsalium suspendi, ne is, qui fidem sponsæ priori datam violavit, ex malitia sua commodum referat, & pars læsa jure suo privetur etiam pro eo casu, pro quo ejusdem usum nihil impedit, aut moratur.

6 *Conf.* à paritate cum Voto Religionis, quo obstrictus, si Deo fidem frangat, & matrimonium ineat, ac consummet, non penitus liberatur Voto, sed adimplere illud, uxore defuncta, debet, & Religionem, si suscipiatur, ingredi: item cum venditione; nam etsi casu, quo Titius e. g. equum, quem prius Cajo vendidit, antequam eum tradat, vendit Sempronio, & simul tradit, in eundem dominium equi transferat, casu tamen, quo iste equum eidem reddit, illum tenetur emptori priori tradere. cur non idem Juris sit in causa præsenti, præsertim cum omnimodam dissolutionem sponsalium nec ratio suadeat, nec textus *citt.* evincant.

7 Hinc *ad* 1. *Argumentum numer.* 33. propositum dico, aliud esse fidem irritam fieri, & aliud sponsalia prorsus irritari. Irrita fides redditur, quando violatur, aut obex culpabiliter ponitur, quo minus servari possit.; idque contingit in data Hypothesi: irritantur prorsus sponsalia, quando eorum obligatio tollitur ex toto; quod in præsenti fieri negatur, cum ratio, & jura plus non probent, quam eam, durante matrimonio cum alia contracto, suspendi, ac sopiri. *Ad* 2. Negatur paritas; nam Voto simplici strictioris, & solemni in laxiore Religione fides non diversis, sed eidem, scilicet Deo, datur, cui cum actualis traditio sui per Professionem in laxiore etiam Religione gratius opus sit, quam sola promissio ingrediendi strictiorem mitum non est, quod Ecclesia beneplaciti Divini interpres *c. qui post citat.* obligationem ingrediendi strictiorem Religionem aut declaraverit sublatam, aut contractam potestate sibi à Deo facta remiserit, præsertim cum hoc necessarium videatur ad conservandam Religionum pacem, & eas profitentium tranquillitatem. At in nostro casu fides data est sponsis diversis, uni pactionis per verba de futuro, alteri consensus per verba de præsenti, quo jus prioris læsum quidem, atque suspensum, non tamen perpetuò remissum est. *Ad* 3. Servus manumissus statum totaliter mutat, & in consideratione civili alia persona redditur, ut adeò mirum non sit obligationem de hujusmodi servo præstando omnino perimi; non ita in matrimonio, quod novum statum, aut diversitatem personæ in consideratione civili non inducit, ac proinde etiam non tollit obligationem ex prioribus sponsalibus oriundam. *Ad* 4. Per accidens est, quod sponsa prior appetat mortem sponsæ posterioris, nec propterea jus, priori sponsæ antecedenter quæsitum, auferri, vel infringi debet.

8 Quæritur 3. An sicut per matrimonium, ita etiam per sponsalia de futuro posteriora solvantur priora sponsalia? Resp. Non solvi, etiamsi posteriora jurata sint. Ita Abb. *in c. sicut* 22. *de sponsal. numer.* 8. Joan. Andr. *ibidem num.* 4. Anchar. *num.* 3. Sanch. *l.* 1. *de matrim. D.* 50. *num.* 2. Gutier. *de matrim. c.* 28. *numer.* 1. Conink *de Sacram. D.* 23. *num.* 28. *&* 29. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *num.* 5. Palao *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 22. *num.* 1. *&* 2. Engl *tit. de sponsal. num.* 3. *fin. & num.* 5. Pirhing *ibidem num.* 56. Schambog. *n.* 84. *& tit. præs. num.* 2. Reiffenstuel *ibidem n.* 5. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 3. *num.* 38. & sumitur ex *c. sicut* 22. *& c. si inter* 31. *de sponsal.* Unde hujusmodi sponsalia secunda iniens tenebitur adhuc ducere priorem sponsam, quamvis ista, si velit, possit ab iis, quæ cum illo contraxit, sponsalibus resilire. *Ratio est*, quia secunda sponsalia, etiam jurata, invalida sunt, cum nemo possit validè rem aliquam promittere alicui, quam alteri validè obligavit.

Dixi, *etsi posteriora jurata sint*; neque enim juramentum est vinculum iniquitatis *c. quanto* 18. *de Jurejur.* aut obligationem inducit cum præjudicio tertii. *Reg. non est obligatorium* 58. *de R. J. in* 6. Addidi, *partem alteram, si velit, eo casu à sponsalibus posse recedere*; quia contrahens secunda sponsalia eo ipso censetur renuntiasse prioribus. 39

Procedit autem responsio, sive sponsalia clam, sive coram testibus celebrata sint; nam etiam casu, quo priora clam, posteriora coram Parocho, & testibus fuerunt inita, per se loquendo prioribus standum est. *Per se*, inquam; per accidens enim aliquando prævalere posteriora hoc casu poterunt, ut si sponsus intelligat, sibi, & priori sponsæ omni probatione destitutis, etiam oblato juramento, fidem in consistorio habendam non fore, sed censuris compellendum ad ducendam posteriorem, cum sui majore infamatione &c. nam hoc casu prior sponsa rationabiliter contenta esse, atque jure suo cedere debebit, ut notat Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 5. *vers. secunda*.

Difficultas major est, an posteriora sponsalia non saltem obligent casu, quo alterius conjugis morte, ingressu Religionis, renuntiatione &c. priora sponsalia sunt dissoluta? Negant Sanch. *l.* 3. *de matrim. D.* 50. *num.* 6. & Pontius *libr.* 12. *de matrim. c.* 12. *numer.* 2. Affirmant Covar. *p.* 1. *de sponsal. c.* 4. §. 1. *num.* 10. & Rebell. *lib.* 4. *de Oblig. Just. q.* 8. *sect.* 8. *numer.* 55. In concordiam has duas sententias reducunt Perez *D.* 9. *de matrim. sect.* 8. *numer.* 6. & P. Vviestner *hoc tit. num.* 19. adhibita distinctione: Vel enim sponsalia posteriora absolutè sunt inita, & collata in tempus, quo promittens adhuc obligabatur primis sponsalibus; vel conditionatè tantum, & sub conditione, ut tunc haberent vim, quando priora sponsalia fuerint dissoluta. 40

Si primum, Sponsalia secunda per se, & vi promissionis non obligabunt, etiam post priorum dissolutionem. *Ratio est*, quia durante priorum valore, & obligatione, promissio matrimonii alteri facta invalida fuit, quod autem initio invalidum est, tractu temporis non convalescit. Addidi autem, *per se*, *& vi promissionis*, per accidens enim v. g. casu quo Virginem, aut Viduam honestam, sponsalium priorum ignaram, sub spe matrimonii quis corrupisset, eam, prioribus per mortem, aut alio modo dissolutis, teneretur ducere, saltem ratione damni, quod alia ratione compensari non posset: 41

Si verò secundum fiat, & sponsalia inita sint sub conditione, ut teneant, & obligent, cum priora fuerint dissoluta, clarum est, dissolutione priorum facta, sic promittentem stare promissis, & posteriorem teneri ducere; nam etiam ante dissolutionem obligabant conditionatè. igitur dissolutione facta, sub qua tanquam conditione inita sunt, obligabunt absolutè. 42

Quæritur 4. An adhuc priora sponsalia implenda sint, quando secundis accessit copula carnalis cum sponsa posteriore? *Certum est* 1. implenda priora sponsalia esse, si etiam ipsis copula carnalis accessit; cum enim hoc casu utriusque damnum æquale sit, prioris sponsæ jus utique erit potius *arg. Reg. qui prior* 54. *in* 6. 43

Certum est 2. Pariter implenda prima esse casu, quo posterior sponsa conscia erat priorum sponsalium, initorum cum alia; quia si notitiam istorum habuit, decepta dici non potest *arg. l. Labeo* 1. §. *si intelligatur* 6. *ff. de ædilit. Edict.*

44 *Certum est* 3. Implenda in contrarium esse secunda sponsalia, quando prior sponsa vult cedere jure suo, aut alias obligatio priorum sponsalium ex justa causa dissolvitur, quia ne posteriora sponsalia dicantur peccaminosa esse, præsumendum est, illa non fuisse contracta absolutè, sed conditionatè, si nempe priora sponsalia ex renuntiatione prioris sponsæ, vel alia ex causa desierint obligare. atqui si ita conditionatè posteriora sint inita, obligationem inducunt, etiamsi copula non accesserit, secundum dicta *numer.* 42. ergo multò magis post dissolutionem priorum obligabunt, quando accessit copula, ut sic matrimonii contractu compensetur damnum illatum.

45 *Dubium* procedit solum casu, quo prioribus sponsalibus carnale commercium non accessit, accessit autem secundis, & sponsa hæc altera sponsalium prius initorum fuit ignara. Major *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 5. Conink *D.* 23. *de Sacram. dub.* 4. *concl.* 4. *num.* 34. Rebell. *l.* 4. *de oblig. Just. quæst.* 8. *sect.* 8. *num.* 56. Pont. *lib.* 12. *c.* 14. *num.* 4. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *part.* 22. *num.* 6. Honor. *tit. de sponsal. numer.* 15. existimant eo casu sponsalia priora utrimque solvi, & posteriora adimpleri debere. *Fundantur* 1. quia per copulam fit anticipata quædam traditio corporis, quæ cum ante Trid. habuerit vim inducendi matrimonium *c. veniens* 15. *& c. is qui fidem* 30. *de spons.* hodie saltem inducet sponsalia cum posteriore, & quæ cum alia persona prius inita sunt, dissolvet *arg. l. quotiens* 15. *Cod. de R. V.* ex cujus dispositione, si res, quæ uni est vendita, alteri postea vendatur iterum, & tradatur, licèt primo facta sit injuria, venditio tamen secunda tenet. 2. Cum duo inter se certant, unus de lucro captando, alter de damno vitando, huic potius favendum est, quam illi. atqui in proposito secunda sponsa certat de damno vitando, prima solum de lucro captando. ergo secundæ favendum est præ prima. 3. Qui post Votum Religionis, vel Castitatis emissum corrupit Virginem, tenetur eandem ducere, non obstante Voto prius emisso. ergo etiam in proposito casu tenebitur ducere secundam, si eam corrupit, non obstantibus sponsalibus cum prima.

46 Resolvi difficultas ista ope distinctionis potest: Vel enim deceptæ damnum non est grave, aut saltem alio modo, quam, secutis nuptiis, compensari potest, vel contra grave est, nec alio modo, quam per nuptias compensabile.

Si primum, deflorator à prioribus sponsalibus, sponsa invita, non potest recedere. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *artic.* 4. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *n.* 3. Gutier. *de matrim. cap.* 27. *numer.* 7. Sanch. *libr.* 1. *de matrim. D.* 49. *num.* 5. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *capit.* 1. *numer.* 5. Zoes. *tit. de sponsal. numer.* 36. Engl *ibidem* §. 3. *num.* 5. Pithing *num.* 57. Schambog. *num.* 88. Konig *n.* 27. Krimer *numer.* 273. Vviestner *hic numer.* 24. Reiffenstuel *ibidem num* 7. *Ratio est* 1. Quia per injuriam illatam posteriori sponsæ non aufertur jus prioris; quamvis enim hæc ob notabilem mutationem, quæ hujusmodi defloratione intervenit ex parte sponsi, sponsalibus secum initis non amplius adstringatur, ipsa tamen, si velit, petere adhuc potest, ut sponsus fidem sibi datam servet. 2. Quia sic magna aperiretur via fraudibus, & dolis, dum quivis liberari à sua sponsa, & cum alia conjungi cupiens, absque omni alia causa illico se liberare posset, spondendo nempe alteri matrimonium, & copulam cum ea habendo. 3. Quia si hoc casu dissolverentur priora sponsalia, dissolverentur vel ratione promissionis, vel ratione damni: *non ratione promissionis*; quia hæc cum nulla sit, jus matrimonii transferre in posteriorem non potuit *arg. l. non dubium* 5. *pr. vers. sed etsi Cod. de LL. Non etiam ratione damni*; quia hoc, ut ponimus, resarciri alia ratione potest. Tenebitur ergo hoc casu deflorans ducere primam, si adhuc potest. Dixi, *Si adhuc potest*; nam casu, quo posteriora sponsalia cum copula habita sunt cum cognata primæ sponsæ in primo gradu, sine dispensatione cum neutra amplius inire matrimonium potest: non cum prima ob impedimentum Affinitatis; nec cum secunda ob impedimentum publicæ honestatis, quod ex prioribus sponsalibus validis ortum est: & sic juxta aliquos tolletur omnino obligatio etiam ducendi primam: de quo videatur *Titul.* 1. *num.* 210. *& seqq.* ubi dixi, interveniente Impedimento dirimente dispensabili, eum, qui causa impedimenti extitit, teneri petere dispensationem, & hac impetrata, stare sponsalibus.

47 *Si secundum*, & secundæ sponsæ, priorum sponsalium ignaræ, grave damnum, quod alio modo, quam per nuptias compensari nequear, illatum est, tenebitur prima ex Charitate saltem jure suo cedere, & permittere, ut deflorans nuptias ineat cum secunda, ut plerique ex *citt.* advertunt cum Sanch. *l. cit. num.* 6. *Ratio est*, quia Charitas quemlibet obligat ad leve damnum subeundum, si ita grave damnum proximi impediri possit. An verò hæc obligatio solum se contineat intra forum conscientiæ, an contra locum habeat etiam in foro externo, ita, ut casu, quo prima sponsa nollet jure suo cedere, deceptor nihilominus ad posteriorem ducendam obligari, & condemnari à judice possit, dubium est inter DD. *Affirmant* Ludovicus Lopez *p.* 2. *Instr. de matr. c.* 38. *fol.* 1046. Henriq. *l. cit.* Sanch. *n.* 6. *Negant* alii cum P. Reiffenstuel *l. cit.* quia non apparet, quo jure aliquis in foro externo compelli possit, ut ad liberandum alterum à gravi malo jus suum derelinquat.

48 Argumenta in contrarium allata intentum non obtinent. *Ad* 1. cum copula illa post Trid. sit merè fornicatia, non potest habere rationem legitimæ traditionis, qua jus auferatur priori sponsæ. *Ad* 2. imprimis etiam prima sponsa certat de damno vitando, cum amissio juris quæsiti, & radicati non minus inter damna numerari debeat, quam alia juris violatio: unde sicut prima sponsa est prior tempore, ita etiam est potior jure. Reiffenstuel *hic numer.* 9. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. cap.* 3. *numer.* 34. *respons. ad* 3. Deinde prærogativa certantis de damno vitando non habet vim jure suo privandi alterum, quando damnum illud alio modo compensari potest. *Ad* 3. Aliud est in Voto Religionis, vel Castitatis; nam ex Voto solum oritur obligatio Religionis; ex sponsalibus verò exsurgit obligatio Justitiæ, quæ multo est strictior. Prima ex Voto cessat in casu Argumenti; quia DEUS non vult impleri promissionem sibi factam cum damno tertii: non verò cessat obligatio Justitiæ orta ex sponsalibus primis per sponsalia secunda cum defloratione; quia homines nolunt privati Jure suo propter injuriam illatam alteri.

49 Quæritur 5. An, ut ex duobus sponsalibus valideantur posteriora, authoritate Ecclesiastica dissolvi priora possint? *Certum est* dissolvi posse, si ex parte sponsi, vel sponsæ prioris post sponsalia, legitimè inter illos contracta, superveniat, vel appareat justa resiliendi causa; nam si de ejusmodi causa liqueat, etiam propria authoritate sponsus resilire à sponsa potest, & vicissim, ut dictum est *Tit.* 1. *n.* 215.

50 *Dubium est*, quando alia causa non est, nisi, quod is, qui utraque sponsalia iniit, à sponsa, vel sponso priore valde abhorrere, aut eum odisse cœperit; quod affectu multo proniore feratur in posteriorem sponsam, vel sponsum; quod nuptiæ cum secunda sponsa, vel sponso statui ejus magis convenire, aut privatim, vel publicè utiliores fore judicentur &c.

Ad quod dubium respondeo distinguendo: Vel enim dispensatio in sponsalibus primo initis ob aliquam ex assignatis causis petitur à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, aut alio Prælato Papa inferiore.

51 *Si primum*, nemo facilè ambigit, quod ex tali causa, præsertim si spirituale animæ, aut publicum bonum spectet, Apostolica authoritate dirimi sponsalia priora possint, & ita convalidari secunda; cum enim ex gravi, & præsertim publica causa Pontifex relaxare possit vinculum Matrimonii rati, ut dicetur *infrà Titul.* 19. *de Divort.* multo magis ab illo dissolvi poterunt ex simili causa sponsalia de futuro, juxta Regulam, *Cui licet, quod plus est, licet utique, quod est minus.*

52 *Si secundum*, probabilius negatur, eam potestatem competere Episcopo, vel alii Prælato authoritate Ordinaria, prout docent Armill. *V. matrim. num.* 60. Paludan. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 2. *num.* 14. Sot. *dist. cit. q. un. art.* 1. *concl.* 2. Veracrux *p.* 1. *Specul. artic.* 27. *paulo post. princ.* Cajet. *in Summ. V. Matrimonium capit.* 1. §. *& sic to.* Henriq. *lib.* 12. *de matrim. c.* 2. *numer.* 2. Lud. Lopez *part.* 2. *Instr. de matrim. c.* 46. *circa* 5. *Impedim.* Sanchez *l.* 7. *de matrim. D.* 17. *n.* 13. Vviestner *hic n.* 26. & colligitur ex *c. litteris* 10. *de sponsal.* ubi Alexander III. Episcopo Pictaviensi mandat, ut sponsum ad fidem sponsæ datam, per

per nuptias adimplendam compellat, non obscuro indicio, sponsalia ab Episcopo relaxari non posse.

3 *Ratio est*, quia hujusmodi sponsalium dissolutione fit quidem petenti favor, alteri tamen aufertur jus, ex iis justè acquisitum. atqui jus alteri quocunque justo titulo acquisitum nemo auferre potest, qui Summo Principe inferior est, imò nec ipse supremus Princeps, nisi ex causa gravi, & ferè publica. ergo &c.

Neque Episcopis patrocinatur Regula, quam tradunt *Abulensis*, *Victoria*, *Sotus*, quòd Episcopus in sua Diœcesi possit, quod in tota Ecclesia potest Pontifex; nam hæc Regula, ut aliquando jam dixi, nisi variis adhibitis limitationibus temperetur, prorsus inanis est, & nullo juris adminiculo nixa.

TITULUS V.

De Conditionibus appositis in Desponsatione, & in aliis Contractibus.

DEsponsationibus quandoque addi certæ conditiones, modi, & demonstrationes solent, quarum varietas, & vis hoc loco declarari debet.

§. I.

De Conditionis Natura, Varietate, & affinibus ejusdem.

SUMMARIUM.

1 *Diversa nominis* Conditio *significatio.*
2 *Alia est Conditio strictè accepta, alia latè.*
3 *Hæc primo dividitur in Conditionem de præterito, de præsenti, & de futuro: secundo in possibilem, & impossibilem.*
4 *Possibilis subdividitur in Necessariam, & contingentem.*
5 *Impossibilis in eam, quæ talis est ex natura rei, de facto, & de jure:*
6 *Bonum Matrimonii triplex est, Bonum prolis.*
7 *Bonum fidei conjugalis, & Bonum Sacramenti.*
8 *Tertio conditio alia est suspensiva, alia Resolutoria, alia expressa, alia tacita.*
9 *Propriè dicta Conditio solum illa est, cujus eventus in futurum contingens est.*
10 *Proinde à propriè dicta Conditione deficit Conditio necessaria impossibilis, & quæ est de præsenti, vel de præterito.*
11 *Affinia Conditionis sunt Modus.*
12 *Causa, & Demonstratio.*
13 *An sponsalibus, & matrimonio Conditio de futuro contingente apponi possit?*
14 *Defenditur pars affirmans.*
15 *Objectiones solvuntur.*

1 QUæritur 1. Quid sit *Conditio*? Resp. Hujus non una est significatio. Nam 1. interdum sumitur pro statu hominum §. *fin. Instit. de Jur. pers.* ibi, *In Servorum conditione nulla est differentia*. 2. Aliquando pro qualitate rei v. g. matrimonii *l. exigere* 65. *ff. de Judic. l. capite* 19. *& l. tutor* 36. *ff. de Rit. Nupt.* 3. Quandoque pro Optione, seu Electione *l. Papinianus* 8. §. *si quis* 12. *ff. de inoffic. testam.* 4. Alibi pro pacto, seu Lege contractus *l. si societatem* 6. *ff. pro Socio*, *& l. debitori* 7. *Cod. de Pact.* ibi, *Ea conditione, pactoque*. 5. Nonnunquam pro Modo *c. verum* 4. *hoc tit.* 6. Denique, & communissimè pro circumstantia dispositioni adjecto, à cujus existentia dependere volumus valorem illius. Konig *hic nu.* 1. Reiffenstuel *ibidem n.* 1.

2 In hoc ultimo sensu accepta conditio ad Titulum præsentem pertinet: & dupliciter potest accipi. 1. *strictè*, sive pro ea, quæ de futuro, & contingente effectu est: & hoc sensu juxta Sylv. *V. conditio n.* 15. Gonz. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 4. & alios est *Oratio dispositionem in tempus, & eventum futurum incertum suspendens*. 2. *latè*, & in sensu præsentis Rubricæ, prout includit etiam alia conditionum genera: & sic accepta ad mentem Zabarell. *in c. verum* 4. *hoc tit.* Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 206. *num.* 1. Vvagnereck *ad Rubr. hoc tit. not.* 1. Vviestner *ibidem n.* 1. est *Oratio*, sive *adjectio apposita, vel subintellecta, suspendens, vel resolvens dispositionem contractus, vel alterius actus, ejusque, quæ ex illo nascitur, obligationem.*

Utroque modo accepta conditio communiter explicatur per particulam, *Si* ut *Contraho tecum Matrimonium, si pater tuus consenserit*, vel *Duco te, si virgo es &c.*

Quæritur 2. Quotuplex sit conditio? Resp. Conditio 3 latè accepta 1. dividitur in conditionem de præterito, de præsenti, & de futuro. *Conditio de præterito* dispositionem resolvit, & dependentem reddit ab aliquo, quod extitit; *Conditio de præsenti* ab aliquo, quod actu existit; & *Conditio de futuro* ab aliquo, quod primum existet §. *sub conditione* 4. *Inst. de V. O.*

Dividitur 2. In conditionem possibilem, & impossibilem. *Possibilis* est, quæ se habet ad esse, & non esse, ideoque evenire, & non evenire potest. *Impossibilis*, cum quid fieri repugnat.

Possibilis subdividitur in Necessariam, & contingentem. *Necessaria* est, quæ ordine naturæ, vel alias omnino est extitura. *Contingens* alia est Potestativa, alia Casualis, alia Mixta. *Potestativa*, seu *Arbitraria* nuncupatur, quæ dependet à sola, & libera voluntate ejus, qui vel dando, vel faciendo illam implere potest, qualis est, *Ducam te, si Christianam Religionem amplecti volueris*. *Casualis*, quæ pendet ex futuro eventu, & ex voluntate tertii, ut, *Ducam te, si Imperator vicerit Turcam*. *Mixta*, quæ partim casualis, ac fortuita, partim arbitraria est, ut, *Ducam te, si redieris ex Italia*: quod tam à fortuna, quam à voluntate abeuntis pendet. Canis. *ad Rubr. hoc tit. n.* 1. Gonzal. *in c.* 1. *eodem n.* 5. Konig *hic n.* 5. *&* 6. 4

Conditio impossibilis alia est talis ex *natura rei*, cui 5 natura est impedimento, quo minus existat, ut, *Ducam te, si Hircocervum ceperis*. Alia talis est *de facto*, cum quid jure, & natura fieri potest, propter difficultatem tamen impossibile judicatur, ut *Si montem aureum in dotem dederis*. Alia denique talis est *de Jure*, ut cum pro conditione ponitur res Lege prohibita; quod enim Lege non licet, id nec posse censemur. *l. filius* 15. *ff. de condit. Instit.* Et hæc iterum alia est contra substantiam Matrimonii; alia quæ non repugnat substantiæ Matrimonii.

Contra substantiam Matrimonii pugnare censetur con- 6 ditio, quando pugnat contra triplex bonum matrimonii, videlicet contra bonum prolis, bonum fidei, & bonum Sacramenti. *Primum* bonum spectat procreationem, & educationem liberorum; quamvis enim proles, & harum generatio non sit de substantia matrimonii, ex consensu tamen in hoc præstito nascitur obligatio ad exhibendos, si petantur ab altera parte, actus ex se aptos ad generationem prolis, & nihil illicitè agendum, quo ejus procreatio impediatur. Unde Bono prolis repugnant conditiones, contractui nuptiali adjectæ, de sumenda potione sterilitatis, aut ea alio modo procuranda; de semine extra vas emittendo, & impedienda consummatione copulæ carnalis, prolisque conceptione; de procurando abortu, aut prolis natæ suffocatione, vel alia ejus peremptione &c.

Alterum Matrimonii bonum consistit in mutua fideli- 7 tate, quam conjugum uterque alteri servare tenetur, non solum reddendo debitum conjugale, si petatur, sed etiam alteri se non commiscendo. Huic Bono adversantur conditiones, Matrimoniorum contractui adjectæ, quibus vel excluditur obligatio etiam radicalis ad exhibendos sibi mutuò actus conjugales, vel imponitur obligatio pro quæstu se prostituendi aliis.

Tertium Bonum poscit individuam societatem vitæ, quam omnimodam consecutum est matrimonium consummatum inter fideles, ex elevatione ejusdem ad dignitatem Sacramenti. Cum hoc Sacramenti bono pugnant conditiones, Matrimonio adjectæ, de vitæ societate restricta ad certum, vel incertum tempus, e. g. *Duco te, & habebo te pro conjuge mea, donec sponsa opulentior, nobilior, honoratior &c. offeratur*; vel *quamdiu mihi non displicueris*; aut *nisi libellum repudii tibi dedero &c.*

Dividitur 3. Conditio in suspensivam, & resoluto- 8 riam. *Suspensiva* dicitur, quæ actus obligationem, seu effectum suspendit, donec conditio existat, ut si dicas, *Duco te, si in dotem afferas mille*. *Resolutoria*, quæ non obstat,

obstat, quin contractus, vel actus ab initio sit purus, facit tamen, ut possit resolvi; v. g. *Contraho tecum, donec aliam ditiorem invenero.*

Dividitur 4. in expressam, & Tacitam. *Expressa* est, quæ conceptis verbis apponitur. *Tacita*, quæ actui alias inest, etsi non exprimatur. Cujusmodi aliæ sunt *Generales*, quæ nempe cuilibet contractui tacite insunt v. g. *Si Deus voluerit, si potero &c.* Aliæ *speciales*, quæ alicui actui in specie insunt, ut in sponsalibus, *Si nullum intervenerit impedimentum, si res in eodem statu permanserit &c.*

9 Quæritur 3. Quænam ex enumeratis conditionum speciebus sint proprie dictæ conditiones? Resp. proprie conditio solum est, cujus eventus in futurum contingens est. Patet ex *l. institutio* 10. *ff. de condit. instit.* ibi; *Cum nulla sit conditio, quæ in præteritum confertur, vel in præsens, veluti si Rex Parthorum vivit, si navis in portu stat.* Ratio est, quia natura veræ conditionis est suspendere valorem actus, & obligationem illius, atque facere, ut actus possit subsistere, vel deficere, juxta existentiam nempe, & defectum conditionis; hoc autem non fecit conditio de præsenti, vel de præterito *leg. cum ad præsens* 37. *ff. de reb. credit.* & § *conditiones* 6. *Inst. de V.* O. ibi, *Conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt, veluti, si Titius consul fuit, vel si Mævis vivit, dare spondes? nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio; sin autem ita se habent statim valet.*

10 Proinde à natura proprie dictæ conditionis deficiunt 1. Conditio necessaria; *quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint*, prout dicitur §. *conditiones cit.* 2. Conditio impossibilis; quia cum certum sit non eventuram, ex ejus eventu valor, & obligatio actus suspendi nequit *l. impossibilis* 7. & *l. in illa* 8. *ff. de V. O.* 3. Ea, quæ de præsenti, vel præterito est; quia dispositionem, & obligationem non suspendit § *conditiones cit.* & *l. itaque* 39 *ff. de reb. credit.*

11 Quæritur 4. Quænam sint Affinia conditionum? Resp. Conditioni affinis est Modus, Causa, & Demonstratio. *Modus* secundum Sylv. *V. conditio n.* 3. Engl *n.* 3. & alios passim est adjectio alicujus oneris, ad quod post contractum perfectum obligare volumus contrahentem. Communiter exprimi solet per dictionem *Ut* v. grat. *Ducam, vel duco te, ut divitias, vel honorem consequar.* Sylvest. *loc. cit.* Pirhing *hic num.* 1. Wiestner *nu.* 2. Differt à conditione; quia conditio dispositionem, & obligationem fere suspendit, ita, ut hæc effectum non consequatur, nisi illa verificetur; Modus autem dispositionem perfectam supponit, eamque duntaxat temperat oneris adjectione *l. si doceas* 1. & *leg. seq. C. de Donat. quæ sub dom. &c.* Glossa *in capit. verum* 4. *hoc titul. V. conditione*, Abb. *ibid. num.* 2. Vivian. *ad c. cit. vers. nisi hoc.* Engl *hic n.* 3. Konig *num.* 29. Wiestner *num.* 2

12 *Causa* tum apponi contractui dicitur, quando denotatur causa, ob quam contrahitur. Explicatur per dictionem *quia*, ut, *Contraho tecum, quia dives, vel pulchra es*, Engl *n.* 6. Konig *n.* 27.

Demonstratio fit, quando exprimitur aliqua qualitas, per quam determinatur, vel demonstratur persona, cum qua contrahitur, ut, *Duco te, quæ es libera, vel virgo*, aut *filia hujus Principis &c.* Sylvest. *loc. citat.* Wagnereck *ad Rubr. hoc tit. not.* 3. Engl *num.* 5. Konig *num.* 28.

13 Quæritur 5. An sponsalibus, & matrimonio conditio de futuro contingente apponi possit? Negant Sot. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 1. *v. rursus*, Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. *n.* 4. Sanchez *lib.* 5. *de matr. disp.* 1. *n.* 5. & videtur illud probari, 1. Quia sponsalia, & matrimonium sunt actus legitimi: sed actus legitimi nec conditionem, nec diem recipiunt juxta *Reg. actus legitimi* 77. *ff.* & *Reg.* 50. *de R. J. in* 6. ergo &c. 2. Quia quamdiu conditio pendet, matrimonium non est, cum, ut *infra num.* 57 dicetur, casu, quo ante eam impletam matrimonium per verba absoluta contrahitur cum alia, illud valeat, & prius conditionatum tollatur, 3. Quia matrimonium ad id est institutum, ut statim ex eo sequatur purus effectus cohabitationis, & conjunctionis mutuæ, qui effectus pendente conditione non sequitur.

Sed dicendum, posse matrimonio, & sponsalibus 14
apponi conditionem etiam in futurum pendente. Ita post Gloss. & *Abb.* Canis. *in Rubr. hoc tit. nu.* 3. Zoes. *hic n.* 5. *fin.* Konig *ib. n.* 14. & patet ex eo, qui sponsalia, & matrimonium sequuntur naturam ceterorum contractuum atq; contractus cæteri (nisi aliter sit Jure dispositum) fieri possunt sub conditione in futurum pendente; ergo etiam sponsalia, & matrimonium. *Excipiuntur* conditiones, quæ substantiæ matrimonii repugnant; hæ enim, ut *n.* 117. dicetur, ejus contractum vitiant. Et talis est conditio resolutoria; cum enim matrimonium inducat vinculum ex natura sua indissolubile, sequitur eidem repugnare conditionem, quæ illud semel legitime contractum dissolvat. Intelligendum autem istud est de conditionibus adjectis arbitrio contrahentium; nam eidem matrimonio non repugnat conditio resolutoria, quæ ipso Jure inest, prout omni matrimonio Ratio inest conditio, *Nisi statum perfectiorem elegero per professionem solemnem in Religione approbata, vel nisi Pontifex dispensaverit.* Aliter sentiendum de sponsalibus de futuro; hæc enim contrahi sub conditione resolutoria non tantum illa, quæ Jure inest, sed arbitraria etiam possunt ut bene notat Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. cap.* 3. *n.* 133. Ratio est, quia etiam, quando absolute contracta sunt, mutuo contrahentium consensu dissolvi possunt. Igitur etiam ab initio contrahi possunt sub conditione resolutiva, cujus virtus, & effectus erit, ut interim, dum pendet conditio, sponsalia sint valida, ea vero eveniente, dissolvantur.

Neque obstant Argumenta sententiæ oppositæ. *Ad* 15
1. Regulæ illæ intelligi debent de actibus, quibus ex natura rei, vel ex speciali Legis dispositione conditio adjici prohibetur, quod v. g. iis præscripta sit certa forma, ut sunt Sacramenta Baptismi, pœnitentiæ, Eucharistiæ &c. non autem de actibus, qui à voluntate nostra dependent, ut sunt plerique contractus, & inter hos etiam sponsalia, ac Matrimonium; hæc enim nec certam formam à Lege Divina habent, neque à Jure recipere conditionem prohibentur, imò clare permittuntur *c. de illis* 3. & *cap. super eo* 5. *hoc tit.* *Ad* 2. Ad matrimonii essentiam requiritur, ut sit consensus de præsenti, qui habetur, etiamsi addatur ei conditio in futurum pendens; erit igitur ante completam conditionem matrimonium, quamvis nondum in suo esse perfectum; quod novum non est, sed commune cum omnibus actibus, & contractibus, cum conditione in futurum pendente initis. *Ad* 3. Antecedens simpliciter verum non est, cum constet hunc effectum suspendi posse primo bimestri, quando unus contrahentium de Religione ingredienda deliberat: si ergo effectus purus non statim sequi debet, naturam hujus contractus conditionem non excludit. Restat ergo, ut examinetur ulterius, quales conditiones admittantur in matrimonio, & sponsalibus. Unde sit

§. II.

De Conditione Honesta Possibili:

SUMMARIUM.

16 17 *An matrimonio adjici possint conditiones intrinsecæ, & quid operentur?*
18 *Quid sentiendum de matrimonio contracto sub conditione*, Si Deo placuerit.
19 *Conditio de præsenti, vel præterito adjecta matrimonio illius valorem non suspendit.*
20 *Sed hoc statim valet, si conditio talis impleta sit, etiamsi contrahentes ignorent impletam esse.*
21 22 *Si impleta non sit, non convalescit per copulam subsecutam.*
23 *Quod intelligendum est nunc post Trid.*
24 *Solvitur dubitandi Ratio.*
25 *Et confirmatur sententia.*
26 *Si matrimonium contrahatur sub conditione de futuro necessario, statim producit obligationem.*
27 *Quod etiam dicendum, si contrahatur sub conditione contingente, infallibiliter eventura.*
28 *Exceptiones.*
29 *Conditio de futuro contingente honesta, valorem sponsalium, & matrimonii suspendit.*

30 *Si apponatur in ipso contractu.*
31 *Et interea non sit recessum à conditione.*
32 *Ipsaque conditio substantiæ Matrimonii non repugnet.*
33 34 *Ut sponsalia, posita conditione, obligent, non est opus novo consensu, nisi interea revocatus sit consensus prior.*
35 *An idem dicendum de matrimonio?*
36 37 *Defenditur sententia Affirmans.*
38 *Solvuntur Objectiones.*
39 *Sacramentum conficitur à sic conditionate contrahentibus tum, cum impletur conditio.*
40 *Etiamsi contrahentes nesciant illam evenisse.*
41 *Et tunc cogi possunt ad cohabitandum.*
42 *Utrum nunc post Trident. necessarium sit, ut etiam impletioni conditionis Parochus, & testes intersint?*
43 *Præsertim si de impletione conditionis non constet publice?*
44 *&c. Propugnatur sententia negativa.*
48 *Argumentum sententiæ adversæ diluitur.*
49 50 *Quando conditio hæc, contraho tecum, si patri placuerit, censeatur impleta?*
51 52 53 *Quid si Pater primo dissensit, deinde consentit?*
54 *Quando aliquis cum conditione de futuro contraxit sponsalia cum duabus, prævalent priora.*
55 *An idem dicendum sit de casu matrimonii cum duabus contracti?*
56 57 *Respondetur distinguendo.*
58 *Solvuntur Argumenta opposita:*
59 *Non facile permittenda sunt matrimonia sub conditione in futurum pendente.*

Conditiones honestæ possibile secundum dicta §. *præc.* possunt esse vel Intrinsecæ, quæ tacite intelliguntur, vel extrinsecæ, quæ, ut adjectæ dici possint, debent esse expressæ; & ex his aliquæ sunt de prætetito, aliæ de præsenti, aliæ de futuro.

16 Quæritur 1. An matrimonio adjici possint Conditiones intrinsecæ, & quid adjectæ operentur? *De primo membro*, quæstionis dubium esse non potest; quia cum hæ conditiones natura insint matrimonio, nihil vetat eas exprimi, & explicite apponi. *Quod alterum ejus membrum* videndum est, quomodo adjiciatur talis conditio; nam si eo prorsus modo adjiciatur, quo modo necessario inest, relinquit matrimonium purum, & absolutum, nec suspendit ejus valorem; conf. circa valorem contractus nihil operetur. *Circa valorem*, inquam; nam quoad liberationem à pœna, in male contrahentes lata, efficax est. Et hinc, ut Sanchez *l. 5. de matr. D.1. n.* 14. notat, qui scienter contrahit cum consanguinea sub ea conditione, *Si non es consanguinea*, minime incurrit excommunicationem, quæ per *Clem. un. de consang. & affinit.* lata est in contrahentes scienter cum consanguineis. Ratio est, quia hac censura Ecclesia punit sinistrum affectum contrahentium, quem minime ostendunt consanguinei ineuntes matrimonium sub data conditione.

17 At si aliter, quam quo modo inest, apponatur talis conditio, ut si contrahens dicat, *Contraho tecum, si Ecclesia judicaverit, nullum inter nos esse impedimentum*, jam erit vera conditio, & matrimonii valor suspendetur, dum Ecclesia, præmissa solerti indagine, pronuntiaverit, nullum inter sponsos intercedere Impedimentum: sub hac enim conditione censetur esse contractum. Sanchez *loc. cit. n.* 12. & 13.

Dubium est, quid sentiendum de matrimonio contracto sub conditione, *Si Deo placuerit*? In quo diversæ DD. sententiæ sunt; nam Glossa *in cap. un. fin. de sponsal. in 6.* putat esse sponsalia conditionata. Alii contra cum *Archidiacono, Rosella, Tabiena, Soto* id negant. Non pauci cum *Joanne Andrea*, & *Franco* distinguunt, & conditionalia esse asserunt, quando subest impedimentum; secus, quando non subest.

18 Has in speciem dissidentes sententias componit Sanchez *loc. cit. nu.* 11. distinguendo; nam si contrahentes sub hac conditione, id intelligant de *Voluntate beneplaciti*, qua Deus omnia, quæ fiunt, aut vult, aut permittit, conditio hæc non suspendet consensum; quia est conditio generalis, & in omni contractu intelligitur, Si vero intelligant de voluntate Dei approbante, quasi sentiant, *si contractus Deo non displiceat, sed sit juxta ejus beneplacitum*; conditio suspendet obligationem ex tali contractu, saltem in actu 2. donec constiterit, eum placere Deo; quia multa, quæ fiunt, sunt contra beneplacitum Divinum. Proin DD. qui asserunt sponsalia, sub tali conditione contracta, esse conditionalia, intelligendi sunt de voluntate posteriori; de priori autem, qui negant.

Quæritur 2. An obligationes contractus matrimonialis, vel sponsalitii suspendat, aut vitiet adjecta conditio de præterito, vel præsenti, v. g. *Duco te, si es virgo, nobilis, dives si Pater tuus est mortuus, si Titius ex Italia venit &c.* Resp. Negative; sed statim contrahens est obligatus, si conditio est, vel fuit posita; contra non est obligatus, si non est posita, neque contrahitur eo casu obligatio, etiamsi conditio talis postea impleatur. Ita S. Thom. *in 4. dist. 29. qu. un. art. 3. q.* 3. Sanchez *lib. 5. de matr. D. 6. n.* 1. Layman *l. 5. tr.10. p.2. c.7. n.1.* Conink *D.29. de Sacr. n.8.* Palao *tr.* 28. *D.2. p.11.* § 1. *n.1.* Canis. *ad Rubr. hoc tit. n.1.* Vvex *Arnad. p. 5. tr. 2.* § 6. *n.* 10. Vvagnereck *in c. fin. V. si turpes, not.* 3. Vallens. *hic n.* 3. Zoes. *n.* 1. & 8. Schambogen *n.2.* Konig *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 12. Magnif. P. Schmier *p.2. de sponsal. c. 2. n.* 86. Ratio est, quia contractus ex voluntate, & conventione contrahentium legem, & conditionem accipiunt juxta *Reg. contractus* 85. *in 6.* igitur si contrahentes in matrimonium, & sponsalia consenserunt sub conditione nobilitatis, paternæ mortis &c. his existentibus, statim nascitur obligatio. *Conf.* quia in aliis contractibus conditio de præsenti, vel de præterito non suspendit obligationem, sed ea si vera est, valet contractus; si verò non est vera, non valet §. *conditiones 6. Inst.* & *l. si stipulatus* 120. *ff. de V. O.* ergo idem dicendum de matrimonio, cum hoc contractus naturam retineat. 19

Proceditque hoc, etsi contrahentes ignorent positam esse conditionem, ut contra Conink *loc. cit. n.* 6. & 9. docent Layman *n.* 1. *cit. vers. neque vero*, Palao *num.* 3. Konig *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 12. & sumitur ex *l. cum ad præsens* 37. *ff. de reb. credit.* nam existentiæ conditionis, non scientiæ alligarunt suum consensum. *Ex quo sequitur*, invalidum esse matrimonium, initum cum muliere sub conditione, *Si legitima es*, quando illa legitima esse creditur, & non est, ut colligitur *arg. loc. cit.* & notant Fagnan. *in c. fin. hoc tit. n.* 14. Vviestner *hic n.* 3. Reiffenstuel *n.* 17. *ibid.* & patet ex ratione; nam conditio illa possibilis est, & honesta, & quidem de præsenti. Conditio autem possibilis, & honesta de præsenti, vel præterito, contractui nuptiali adjecta, si vera est, conjugium statim validum; si vero falsa, statim secundum modo dicta irritum reddit; ergo &c. 20

Dubium est, an matrimonium, quod initum est sub conditione de præsenti, vel de præterito, convalescat, subsecuta carnali copula, ita, ut etiam detecta postea non existentia conditionis, qui sic contraxerunt, amplius separari nequeant? *Ratio dubitandi* sumitur à paritate cum conditione de futuro contingente; nam si verb. gr. aliquis contraxerit sponsalia, & matrimonium sub conditione, *si pater consenserit*, & ante illius eventum ita desponsatam carnaliter cognoscat, à conditione recessisse præsumitur *c. de illis* 3. *c. super eo* 5. & præsertim *c. per tuas* 6. *hoc tit.* estque præsumptio ista Juris, & de Jure, ita, ut contrarii probationem directam non admittat; igitur pariter à conditione recessisse censebitur, qui postquam contraxit sub conditione de præsenti, vel de præterito, ante habitam notitiam, quod ea non existat, vel exstiterit, copulam carnalem cum sponsa habuit. 21

Sed dicendum, per ejusmodi copulam matrimonium, sub tali conditione initum, non convalescere, vel confirmari. Ita Abb. *in c. per tuas cit. n.* 4. Ancharan. *ibid. n.* 3. Covar. *part. 2. de sponsal. c.* 3. §. 1. *n.* 13. Fagnan. *in cap. per tuas cit. nu.* 22. Gobat *Theol. Exper. tr.* 10. *num.* 452. Vvie ner *hic num.* 6. Reiffenstuel *ibid. n.* 14. Magnif. P. Schmier *p. 2. de sponsal. c. 2. n.* 86. Ratio est, quia conditio de præsenti, vel de præterito, adjecta actui, vel contractui, & non impleta illum initio invalidum, ac nullum reddit, secundum dicta *n.* 19. igitur nec summo 22

secuta eundem copula confirmare eundem potest; nt enim confirmet contractum matrimonialem, deberet inita esse animo conjugali, non fornicario; atqui animo conjugali inita esse non potest, cum matrimonium, copulam praecedens, utpote conditione non posita, sub qua contractum est, nullum, & irritum sit.

23 *Procedit* autem hoc post Tridentinum, & in locis, ubi ejus Decretum de matrimonio clandestino receptum est; nam ante Trident. & in locis, ubi Decretum istud receptum non est, ad excludendum peccatum admissio copulae post sponsalia conditionatè inita ex praesumptione Juris est consensus virtualis absolutus, quo praesumitur contractum de novo matrimonium, exclusa conditione, quae proin censetur esse remissa per textus *citt.*

24 *Ad Rationem dubitandi* distinguendum est inter sponsalia de futuro, & matrimonium: si post sponsalia, sub conditione de futuro inita, secuta fuit carnalis copula, vi textuum *citt.* praesumitur remissa conditio, quia per hanc valor illorum fuit suspensus ex eventu ejusdem conditionate solum, quandiu ligari illa contrahentes voluerint, à qua recedere pro arbitrio suo possunt. In matrimonio vero, ut recessus à conditione facere illius contractum absolutum possit, in locis, ubi receptum est memoratum Trident. Decretum, necesse est, ut hic eorum recessus innotescat Parocho, & testibus; aliàs enim, usque dum eveniat conditio, cum qua primo contractum est, testificari isti de matrimonio absolute contracto non poterunt, & sic illud clandestinum, & invalidum erit.

25 Ex quo proin confirmatur Responsio *num.* 22. data; nam ut matrimonium, sub conditione de futuro contingente contractum, fiat absolutum, necesse est, ut vel eventus conditionis, vel recessus ab ea innotescat Parocho, & testibus; igitur idem necessarium etiam erit, ut per recessum à conditione de praeterito, & futuro, quem ex copula subsequente Jus praesumit, convalescat, & confirmetur matrimonium, sub ea conditione initum: quod si fiat, jam censebitur initus contractus novus, cum prior contractus, utpote non existente conditione, fuerit absolute nullus, & sic confirmari, nisi per novum contractum, nequeat. Et hoc discrimen est inter matrimonium contractum sub conditione de futuro, & inter contractum sub conditione de praesenti, vel de praeterito, quod illius valor sit tantum suspensus, istud vero absolute nullum sit.

26 Quaeritur 3. Utrum sponsalia, vel matrimonium suspendat, aut vitiet conditio de futuro possibilis, & honesta, ipsis apposita? Resp. Cum distinctione? Vel enim conditio illa est de futuro necessario, vel de futuro contingente.

Si primum, ut si contrahens dicat, *Contraho tecum, si sol cras orietur*, sponsalium, vel matrimonii obligatio ejus adjectione non suspenditur, vel vitiatur, sed statim datur perinde, acsi pure, & sine conditione fuissent contracta. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 29. *qu. un. art.* 3. *q.* 3. Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 66. Covar. *p.* 2. *de sponsal. cap.* 3. § 2. *num.* 10. Sanchez *l.* 5. *de matr. D.* 2. *num.* 2. Conink *D.* 29. *de Sacram. num.* 8. *vers. idem.* Pont. *lib.* 3. *de Matrim. cap.* 1. *num.* 8. Palao *tract.* 28. *D.* 2. *part.* 11. § 2. *num.* 1. Canis. *ad Rubr. hoc tit. num.* 1. Barbosa *in cap. eod. num.* 1. Gonzalez *in cap.* 1. *num.* 5. *& in cap. fin. num.* 5. Wagnereck *ibid. vers. si turpes not.* 4. Fagnan. *num.* 16. Wex *Ariad. part.* 5. *tract.* 2. § 6. *num.* 11. Vallens. *hic num.* 3. Zoes. *num.* 7. Honor. *num.* 4. Pirhing *num.* 11. Schambogen *num.* 9. Konig *num.* 18. Reiffenstuel *num.* 10. Wiestner *num* 7. & colligitur ex *leg. si pupillus* 9 §. *qui sub conditione* 1. *ff. de Novat.* ibi, *Qui sub conditione stipulatur, quae omnino extitura est, pure videtur stipulari.* Ratio est, quia cum ejusmodi conditio jam sit determinata in causa, pro praesente, & jam existente habetur. Atqui si praesens esset, & jam existeret, statim obligationem induceret. Igitur eam inducet, etiamsi nondum existat.

27 Idem dicendum, quando apposita est conditio contingens, sed quae infallibiliter est eventura, qualis est: *Si Antichristus venerit*; ut contra Adrian. *in* 4. *quaest.* 3. *de matrim. dub.* 16. *ante* § *ad rationes*, & *toto dub.* 17. Covar. *part.* 2. *de sponsal. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 11. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 12. *num.* 4. melius docent Lud. Lopez *part.* 2. *Instruct. de matr. c.* 43. *ad fin.* Sanchez *lib.* 5. *de matr. D.* 2. *num.* 7. Palao §. 2. *cit. num.* 2. quia ratione suae infallibilitatis reputatur quasi necessaria; ideoque non debet censeri apposita ad suspendendum consensum, sed ad ejus certitudinem demonstrandam. *Neque obstat*, quod talis conditio nondum sit praesens in causis suis, cum effectus non contineatur in causa proxima determinata; sufficit enim, quod sit determinata in praescientia Divina, & hoc ex Scripturae testimonio notum sit contrahentibus. Sanchez *loc. cit.*

Excipitur 1. Si contrahentes putent, conditionem, quae revera est necessaria, esse contingentem; tunc enim sortitur effectum conditionis contingentis, & suspendit contractum usque ad eventum conditionis; quia in eorum intentione contingens est. Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 12. *num.* 4. Petr. de Ledesm. *de matr. qu.* 43. *art.* 5. *dub.* 2. *concl.* 3. Sanchez *loc. cit. n.* 3. Schambogen *num.* 9. Konig *n.* 18. & alii *supra.*

Excipitur 2. Si ex circumstantiis facile colligatur, talem conditionem non apponi tanquam conditionem, 28
sed tanquam temporis praefinitionem, ut siquis dicat, *Contraho tecum, si pater meus morietur*; etsi enim conditio haec necessario futura sit, conditio tamen in diem signatum fertur, & sic de futuro est; quia sensum parit. *Contraho tecum, quando pater meus obierit* arg. *leg. haeres* 79. *ff. de condit. & demonstr.* Sanchez *nu.* 6. Conink *num.* 8. Barbosa *num.* 5. Zoes. *nu.* 7. Pirhing *nu.* 11. Schambogen *num.* 9. Reiffenstuel *num.* 11. Konig. *num.* 18. *fin.* Pro quo considerandae sunt circumstantiae; si enim adjicienti fuerit commodum, contractum ante illud tempus non esse absolutum, credibile est, voluisse apponere ei tempus, tanquam conditionem: secus, si ejus omnino nihil interest, an statim an postea impleretur Conink *loc. cit. vers. in dubio.*

Si secundum, & conditio apposita sponsalibus, vel 29
matrimonio sit de futuro contingente, nisi illa conditio substantiae matrimonii contraria sit, suspendit obligationem, & valorem sponsalium, & matrimonii sub tali conditione contracti, ita, ut ante ejus eventum non valeant, neque obligent. Ita Sanchez *lib.* 5. *de matr. D.* 6. *num.* 2. Conink *D.* 29. *de Sacram. num.* 9. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 11. § 2. *num.* 3. Vivian. *in cap. de illis* 3. *hoc tit. pr.* Barbosa *in cap. quicunque* 1. *eod. n.* 2. Gonzalez *ibid. nu.* 8. & *in capit. per tuas* 6. *num.* 2. Wex *Ariad. part.* 5. *tract.* 2. § 6. *num.* 12. & 14. Zoes. *hic nu.* 5. & 6. Pirhing *num.* 4. Schambogen *n.* 2. Konig *num.* 19. Wiestner *num.* 8. Reiffenstuel *n.* 15. & alii communiter. Sumitur ex *c. de illis cit.* & *c. super eo* 5. *hoc tit.* Ratio est, quia generatim loquendo conditio proprie dicta, & de futuro contingente suapte natura suspendit contractum, cui adjicitur *l. si ita stipulatus* 97. § *si tibi* 2. *ff. de V. O.* unde cum nullo Jure à matrimonio rejiciantur conditiones honestae, & possibiles, sed tantum turpes, & impossibiles, ut constat ex *c. fin. hoc tit.* etiam matrimonio additae suspendent matrimonium, & efficient, ut non valeat, donec impleatur conditio. *Excipitur* casus extraordinarius, quo quis impediret culpabiliter, ne conditio impleretur. Tanner. *D.* 8. *q.* 1. *n.* 66. Sporer *de matr. n.* 181. Wex *n.* 12. *cit.* conformiter *l. in jure* 161. *ff. de R. J.* ubi Ulpianus, *in jure*, inquit, *Civili receptum est, quotiens per eum, cujus interest conditionem non impleri fiat, quo minus impleatur, perinde haberi, acsi impleta conditio fuisset.*

Dubium est, quando obligationem, & valorem spon- 30
salium, vel matrimonii suspendat conditio de futuro contingente possibili, & honesto? Resp. Ut vim suspensivam obligationis, & valoris habeat, requiritur 1. ut apponatur in ipso contractu sponsalium, & matrimonii; nam si ex intervallo primum apponatur post contracta sponsalia, vel matrimonium, suspendere obligationem illorum non potest, cum ea jam sit ante contracta. Disparitas tamen est in sponsalibus, & matrimonio, nam in sponsalibus, parte utraque consentiente, etiam ex intervallo addi potest; non vero in matrimonio, licet pars utraque consentiret. Alex. de Nevo *in c. de illis cit. num.* 17. Praeposit. *ibid. num.* 4. Sanchez *D.* 6. *cit. num.* 3. & 4. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. Pirhing *hic num.* 4. Schambogen *num.* 2. *fin.* Ratio disparitatis est, quia cum sponsalia mutuo con-

conſenſu tolli poſſint, etiam poterit mutuo conſenſu obligatio illorum abſoluta mutari in conditionatam. Contrarium eſt in matrimonio; cum enim iſtud ſemel legitime contractum mutuo conſenſu amplius diſſolvi nequeat, hinc fit, ut poſtquam ſemel effectum ſortitum eſt, ne quidem communi utriuſque conſenſu nova conditio illi apponi poſſit.

31 2 Requiritur, ut non ſit receſſum à conditione: quod duobus in caſibus fieri poteſt, quorum prior eſt, ſi poſt ſponſalia contracta ſub conditione, matrimonium contrahatur pure, & abſolute; poſterior, ſi carnalis copula ſit ſubſecuta. Sed iſte caſus, ut *nu.* 23. monui, nunc poſt Tridentinum in terris, ubi receptum illud eſt, locum non amplius habet, quippe quo cum matrimoniis clandeſtinis etiam præſumpta ſublata ſunt. *Seſſ.* 24. *c.* 1. *de reform. matr.* Antiquo Jure per ejuſmodi copulam, poſt ſponſalia conditionare contracta ſponte admiſſam, cenſebatur remiſſa conditio, ut habetur *c. de illis cit.* quia ad excludendum peccatum fornicationis præſumebatur copula animo conjugali facta, & conſ. matrimonium contractum abſolute.

32 3 Requiritur, ut talis conditio ſubſtantiæ matrimonii non ſit contraria; nam ſi ita contraria foret, ſponſalium, & matrimonii contractum non ſuſpenderet, ſed omnino tolleret, quia, ut *infra nu.* 117. dicetur, is, qui ſub ejuſmodi conditione contrahit, manifeſte non vult contrahere ſponſalia, vel matrimonium, quippe quod ſine ſubſtantialibus ſuis non poteſt ſubſiſtere.

33 Quæritur 4. An matrimonium, vel ſponſalia, contracta ſub conditione de futuro honeſta, & contingenti, ea poſita, fiant valida, & obligent abſque novo conſenſu utriuſque contrahentium? *Certum eſt* 1. opus eſſe novo conſenſu, ſi ante eventum conditionis ex alterutra parte contrahentium conſenſus prior eſt revocatus, ut recte advertit Sanchez *lib.* 5. *de matrim. D.* 8. *num.* 1. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 7. *nu.* 2. Roſignol. *de ſponſal. prænot.* 5. *ſect.* 9. *num.* 5. Pihing *hic num.* 23. Wex *Ariadn. part.* 5. *tract.* 2. § 7. *num.* 2. *verſ. poſterior in fin.* Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de ſponſal. c.* 3. *num.* 127. quia jam prior conſenſus non perſitit.

34 *Similiter ſatis certum eſt* 2. Non requiri novum conſenſum, ut ſponſalia de futuro conditionata, poſita conditione, inducant obligationem abſolutam. Sanchez *loc. cit.* & alii apud ipſum. Colligitur clare Argumento *c. un. de ſponſal. in* 6. ubi negatur, quod ex ſponſalibus conditionatis ante eventum conditionis naſcatur impedimentum publicæ honeſtatis, ex defectu conſenſus. Igitur per Argumentum à ſenſu contrario poſt eventum conditionis naſcetur impedimentum publicæ honeſtatis; & conſ. cum hoc Impedimentum non naſcatur, niſi ex ſponſalibus validis, conſenſus eo caſu non deerit.

35 *Controverſia* ſolum eſt de matrimonio, an poſita conditione, ſub qua contractum eſt, perficiatur ſine novo conſenſu? Negant S. Thom. *in* 4. *diſt.* 29. *qu. un. art.* 3. S. Bonavent. *ibid. diſt.* 28. *quæſt.* 3. *num.* 13. Sot. *diſt.* 29. *cit. quæſt.* 2. *art.* 1. *concl.* 3. Covar. *part.* 2. *de ſponſal. c.* 3. *in pr. n.* 15. Gutier *lib.* 1. *qq. can. cap.* 22. *num.* 21 Henriq. *lib.* 11. *de matr. cap.* 12. *num.* 3. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *quæſt.* 3. *dub.* 4. *num.* 83. & 84. Pont. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 3. Barboſa *in cap.* 5. *hoc tit. num.* 7. Wagnereck *ibid. not.* 2. & multi alii tum TT. tum Canoniſtæ. *Nituntur* 1. textu *c. ſuper eo* 5. *hoc tit.* ubi dicitur, eum, qui matrimonium iniit cum muliere ſub conditione conſenſus paterni, ante eventum illius ad matrimonium contrahendum non poſſe cogi. Igitur hac eveniente, ad illud contrahendum cogi poterit. Atqui non contrahitur matrimonium, niſi per conſenſum. Igitur cogi poterit eo caſu ad ponendum novum conſenſum, 2. *Ibidem* dicitur, quod conſenſus, pendens ab eventu futuro, non ſit habendus pro conſenſu de præſenti. Atqui ad matrimonium requiritur conſenſus de præſenti. Ergo neceſſario ponendus eſt novus conſenſus. 3. Conſenſus ille ſub conditione poſitus non matrimonialem, ſed ſponſalitiam duntaxat obligationem inducit, quod inde conſtat, quia ſi ita contrahens ante eventum conditionis per verba de præſenti abſoluta contrahat matrimonium cum alia, hoc ſecundum matrimonium valet, ut *num.* 57. dicetur, quod nequaquam valiturum eſſet, ſi prior conſenſus valuiſſet in ratione matrimonii. Atqui ſponſalia conditionata per implementum conditionis ſine novo conſenſu non tranſeunt in matrimonium, 4. Omne matrimonium, celebratum inter Chriſtianos, eſt Sacramentum; conſ. debet eſſe ſignum ſenſibile. Atqui eveniente conditione, non apparet ſignum ſufficiens ſenſibile; ſi enim aliquod tale ſignum adeſſet, eſſent verba conditionalia, quæ tamen non ſufficiunt, cum, uti dictum eſt, ſolum conſtituant obligationem ſponſalitiam. 5. Cætera Sacramenta novæ Legis à conditione futura pendere nequeunt. Ergo nec matrimonium: conſ. ſtatim valeat, aut non valeat, neceſſe eſt.

Verum his non obſtantibus, dicendum, neque ad 36
matrimonium neceſſarium eſſe novum conſenſum, ut impleta conditione, inducat obligationem abſolutam. Ita Innoc. *in cap. ſuper eo cit.* Hoſt. *in cap.* 1. *hoc tit. paulo poſt princ.* Joan. Andr. *in c.* 3. *eod. n.* 1. Navar. *Man. c.* 22 *num.* 63. Sanchez *libr.* 5. *de matrim. D.* 8. *num.* 5. Conink *D.* 29. *de Sacram. dub.* 1. *num.* 11. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 11. § 2. *num.* 5. Boſſius *de matr. cap.* 10. *num.* 70. Boſco *de matr. diſp.* 11. *ſect.* 8. *concl.* 2. Card. de Lug. *de Pœnit. diſp.* 13. *ſect* 5. *num.* 5. Fagnan. *in c. ſuper eo cit. num.* 2. & *ſeqq.* Vallenſ. *hic num.* 2. Zoeſ. *num.* 11. Pirhing *num.* 23. Schambogen *num.* 28. Konig *num.* 20. Wieſtner *num.* 10. Reiffenſtuel *num.* 16. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de ſponſal. & matrim. cap.* 2. *num.* 75. & apud hos alii Juris Canonici Interpretes, & DD. quorum ſententiam teſte Fagnan. *loc. cit. num.* 4. in praxi obſervat Curia Romana, etiam poſt Tridentinum.

Ratio eſt, quia omnes alii contractus, etiam ſpon- 37
ſalium, ut *num.* 34. dictum eſt, ſub tali conditione celebrati, ea impleta, purificantur, ac perficiuntur ſine novo conſenſu, acſi ab initio pure, & ſine conditione fuiſſent initi, ut patet ex *l. potior* 11. *ff. qui potior. in pignor.* & *l. hæc venditio* 7. *ff. de contrah. empt.* ergo etiam matrimonium; quia Chriſtus illud elevando ad dignitatem Sacramenti ejus naturam non mutavit. 2. Sicut ſe habet conſenſus de futuro ad contractum ſponſalium, ita ſe habet conſenſus de præſenti ad contractum matrimonii. Atqui conſenſus de futuro conditionalis v. g. *Ducam te in uxorem, ſi pater tuus conſenſerit*, adveniente conditione, purificatur, & tranſit in ſponſalia abſoluta ſine novo conſenſu, ut dictum eſt *n.* 34. *cit.* ergo etiam conſenſus de præſenti conditionalis, v. g. *Duco te in uxorem, ſi pater dotem dederit*, efficit matrimonium purum, & abſolutum ſine alio novo conſenſu, 3. Conſenſus ille, cum in eventum conditionis relatus ſit, ad hunc uſque moraliter perſeverat, ſicut accidit in contrahente per Procuratorem. Igitur poſita conditione, non minus obligabit, quam ſi novus poneretur conſenſus.

Argumenta adverſariorum non urgent. *Ad* 1. Ver- 38
bum *contrahere*, ut Sanchez *diſp.* 8. *citat. num.* 5. notat ibi intelligendum eſt de contractus perfectione, i. e. matrimonii conſummatione, ita, ut ſenſus ſit, ſic contrahentem non eſſe cogendum ad matrimonium ante eventum conditionis conſummandum, ut ſic interrogationi reſponſum concordet; interrogatum enim fuit, an talis ante eventum conditionis ad conſummandum matrimonium compellendus ſit. *Ad* 2. *Diſting. Major*. Conſenſus, pendens ab eventu futuro, non eſt conſenſus de præſenti, i. e. non eſt conſenſus abſolutus, & omnino perfectus ante conditionis eventum. *Conced.* Non eſt conſenſus de præſenti, quaſi tantum eſſet ſponſalitius, & obligans ad matrimonium de futuro contrahendum. *Nego*. *Ad* 3. matrimonium conditionale eſt contractus medius inter matrimonium purum, & ſponſalia ante conditionem impletam; quia fit per verba de præſenti, in quo convenit cum matrimonio, & differt à ſponſalibus de futuro: unde non obligat tanquam matrimonium purum neque etiam ut ſola ſponſalia, ſed ut matrimonium conditionatum, cujus perfectio, & valor pendet ab implemento conditionis. *Ad* 4. Ubi conditio evenerit, ipſe eventus illius eſt ſufficiens ſignum purificati conſenſus, antea per verba, vel alia ſigna externa præſtiti; quia & initio ita conventum eſt, ut quamprimum conditio evenerit mox matrimonium eſſet ratum, & firmum. *Ad* 5. Negatur paritas cum cæteris Sacramentis; nam matrimonium poſt elevationem ejus

ad

ad dignitatem sacramenti simul retinuit naturam contractus, juxta cujus essentiam est, ut conditionatè initus, conditione impleta, perfici possit sine novo consensu.

39 Quæritur 5. Quando conficiatur sacramentum à sic conditionate contrahentibus matrimonium? Resp. tunc primum confici, quando ponitur conditio, à cujus eventu suspensa est obligatio, & valor matrimonii sic contracti, ut recte advertit Pirhing *hic n.* 24. Ratio est, quia ad matrimonium ex institutione Christi requiritur consensus perfectus, & absolutus, isque signo externo expressus; talis autem consensus ante eventum conditionis non habetur; ergo &c. Signum autem purificati consensus, ut *n. prac. ad* 4. dixi, eo casu erit ipse eventus conditionis externus: & hoc sufficit; nam eo ipso, quod contrahentes interea voluntatem primam non revocaverint, eveniente conditione, consentire jam videbuntur absolute.

40 *Ex quo sequitur* 1. Non esse necesse, ut ipsi contrahentes sciant evenisse conditionem; quia hoc ipso, quod conditio evenit, purificatur matrimonium, sicut eo ipso, quod Procurator contrahat matrimonium, & consentiat nomine sui principalis, firmum est matrimonium, etsi principalis id ignotet. Anchar. *in c. super eo cit. n.* 8. Sanchez *l.* 5. *de matr. D.* 8. *nu.* 6. Bosco *de matr. D.* 11. *sect.* 8. *concl.* 5. *n.* 148. Pirhing *hic n.* 25. Schambogen *n.* 29. Reiffenstuel *n.* 20. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de sponsal. c.* 2. *n.* 83. qui tamen recte advertunt, contrahentes eo casu uti non posse matrimonio, nisi post acceptam notitiam de impleta conditione; quia constituerent se in periculo fornicationis, si forte tum conditio non esset impleta. Quod notandum non tantum in conditione de futuro, sed etiam in conditione de præterito, & de præsenti. Et hinc, quando ob gravem aliquam causam contrahitur matrimonium sub conditione, Parochi debent contrahentes monere, ut dum ipsis constet de conditione impleta, interea à consummatione illius abstineant, ne contingat, quod contigit in casu, quem refert Fagnan. *in c. fin. hoc tit.* ubi aliquis cum quadam contraxit sub conditione. *Si es legitima*, & post multiplicem copulam (ut putabat) conjugalem rescivit, non esse legitimam, ut proinde ex hoc capite matrimonium declarandum fuerit nullum, non obstante carnali copula.

41 *Sequitur* 2. Impleta conditione, sic contrahentem compelli posse ad cohabitandum sic ductæ uxori, & consummandum matrimonium, si pars altera istud petat. Patet ex *c. super eo cit.* per argumentum à sensu contrario; nam Pontifex ibi statuit, sic contrahentem ante conditionis eventum non posse compelli ad matrimonium consummandum; igitur post ejus eventum compelli poterit. Accedit ratio; quia dispositio conditionalis, impleta conditione, purificatur, & ex eo tempore perficitur, perinde, acsi ab initio pure fuisset facta *l. potior* 11. § *videamus* 1. *ff. qui potior. in pign.* atqui si pure contraxisset matrimonium, posset compelli contrahens ad illud consummandum. Ergo &c.

42 Quæritur 6. Utrum nunc post Trid. ad valorem matrimonii requiratur, ut Parochus, & testes intersint impletioni conditionis, an vero sufficiat, quod interfuerint contractui Matrimonii sub conditione ejusmodi celebrati? Conveniunt satis DD. casu, quo purificatio conditionis est aliunde notoria, aut publice constat, pacem v. g. cujus eventui matrimonii valor alligatus erat, conclusam esse, non opus esse, ut Parocho, & testibus hoc intimetur; quia manifesta non indigent intimatione, vel probatione. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de sponsal. c.* 2. *n.* 559.

43 *Controversia* est, quando de impletione conditionis non constat publice, quo casu Rebell. *l.* 2. *de oblig. Just. q.* 10. *sect.* 6. *n.* 44. Conink *D.* 29. *de matr. dub.* 1. *nu.* 15. & 17. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 3. Engl *hic num.* 18. Pirhing *nu.* 25. Konig *nu.* 21. Wiestner *n.* 11. Magnif. P. Schmier *loc. cit. n.* 96. docent, requiri, ut Parochus, & testes intersint impletioni conditionis, vel saltem, ut contrahentes coram iisdem postea afferant conditionem esse impletam. *Rationem* dant; quia Parochus, & testes debent posse testificari in foro externo non tantum de matrimonio inchoato, & in futurum adhuc pendente, ac solubili, sed de absoluto, ac legitime perfecto. De hoc autem testificari non possunt, si interfuerunt duntaxat contractui matrimonii conditionali, non vero impletioni conditionis, sub qua contractum est; ergo &c. *Conf.* Quia alias non vitarentur incommoda, propter quæ Trid. requisivit præsentiam Parochi, & testium, cum non obstante, quod hi contractui matrimonii conditionato adfuerint, alter conjugum negare posset adimpletam esse conditionem, & sic deveniri ad dissolutionem matrimonii legitime contracti, novasque nuptias adulterinas.

Sed etsi sententia ista sit valde probabilis, non minus tamen probabile est, præsentiam Parochi, & testium, cum adimpletur conditio, non requiri, sed matrimonium, prius coram Parocho, & testibus conditionate contractum, ipsa adimpletione conditionis perfici. Ita Navar. *cons.* 1. *hoc tit. n.* 6. Rodriq. *tom.* 1. *summ. edit.* 2. *c.* 219. *concl.* 18. *n.* 19. Sanchez *l.* 5. *D.* 8. *n.* 24. Bosco *de matr. D.* 11. *sect.* 8. *concl.* 5. *n.* 156. Bossius *de matr. c.* 10. *n.* 80. Fagnan. *in c. super eo* 5. *hoc tit. n.* 5. & 6. P. Krimer *hic n.* 872. & firmat hanc suam sententiam Fagn. *loc. cit.* duplici Decreto *S. Congreg.* quorum prius approbatum fuit à S. Pio V. alterum à Clemente VIII. & resolutum, quod Concilium non requirat solemnitates Parochi, & testium, quando matrimonium, sub conditione initum, purificata conditione, perfectum efficitur. Et videtur sententia hæc sequi ex illa doctrina, qua *supra n.* 40. cum communi dixi, quod si matrimonium coram Parocho, & testibus contractum sit conditionate, & conditio impleta sit, licet impletam esse ignoraverint contrahentes, fiat absolutum. Non autem fieret absolutum, si requireretur nova præsentia Parochi, & testium. Ergo &c. 44

Conf. 1. Quia juxta Trid. præsentia Parochi, & testium tantum requiritur eo tempore, quo matrimonium contrahitur. Atqui matrimonium non contrahitur, quando purificatur conditio, sed quando adjicitur; imò & quando purificatur conditio, retrotrahitur ad tempus, quo fuit adjecta; ergo &c. *Conf.* 2. Quia præsentia Parochi, & testium neque requiritur ad constitutionem Procuratoris, neque ad exhibitionem dispensationis inter personas impeditas, esto, matrimonium, absque mandato per Procuratorem, vel absque dispensatione inter personas impeditas contractum, valere non possit. Ergo etiam non requiritur ad implementum, aut verificationem conditionis, esto, sine hoc matrimonium non perficiatur. 45

Neque satisfacere videtur disparitas, quam quidam dant, dum dicunt aliud esse testificari posse de actu externo in genere suo completo, aliud testificari posse de valore ipsius: in casu, quo coram Parocho, & testibus contrahitur matrimonium per Procuratorem, vel inter personas habentes dispensationem in Impedimento dirimente, si actus externus legitime factus sit, præsumitur factus ab habentibus potestatem, & à personis legitimis, donec probetur contrarium, & volenti resilire incumbit probare, constitutionem Procuratoris, vel dispensationem fuisse nullam. At quando sub conditione contrahitur, hæc non præsumitur esse impleta, donec de ea constet: conf. Parochus, & testes assistentes contractui conditionato non possunt testificari de actu externo in genere suo completo, quod ex mente Trid. videtur necessarium esse. 46

Contra enim est 1. Quia responsio hæc videtur ad summum tunc habere locum, quando non constat de impedimento, & rationabile dubium non occurrit, quod Procurator, qui nomine alterius vult contrahere, sufficienti mandato careat; nam si de impedimento constet, vel rationabiliter de mandato dubitetur, nec dispensatio, nec mandatum præsumitur, sed utrumque is, qui id asserit se habere, probare debet. Igitur saltem in isto casu disparitas nulla erit, 2. Mandatum in matrimonio contracto per Procuratorem, & dispensatio in contracto inter personas impeditas constituunt conditionem imbibitam contractui matrimoniali, sine qua ipse contractus tam parum est perfectus, quam parum perfectus est, si fiat sub conditione extrinseca contingente, 3. Ideo præsentia Parochi, & testium non requiritur ad constitutionem Procuratoris, vel ad exhibitionem dispensationis, quia sine hac jam testari possunt de actu externo, & resilire volens prohiberi à contractu ineundo cum persona alia; atqui idem fit, quando Parochus, & testes interfuerunt 47

runt contractui conditionali, licet non adfuerint impletioni conditionis; quia cum constet Ecclesiæ de matrimonio inito per verba de præsenti, quamvis valor pendeat ex verificatione conditionis, nullo modo permittet eos ad alias transire nuptias, donec discutiat, an impleta fuerit conditio, necne.

48 *Ad Argumentum* in contrarium *n.* 43. allatum dico, non esse necessarium, ut Parochus, & testes assistant matrimonio omnino perfecto, & ut de ejus perfectione testificari possint; alias enim, quando duo pueri contrahunt, qui dicunt se esse puberes, tamdiu penderet valor matrimonii, quamdiu Parocho, & testibus non constat de sufficientia ætatis ad pubertatem. Sequelam, ut puto, nemo admittet, cum juxta omnes, si ætatem Jure requisitam habeant, licet Parocho, & testibus de hac non constet, statim matrimonium valeat; invalidum autem sit statim, quando vel eam ætatem non habent, vel malitia ætatem non prævenit. *Ad Conf.* ut constat ex dictis *n. præc.* hoc inconveniens jam vitatur; quia cum jam constet Ecclesiæ de aliquali matrimonio, non permittet secundum, ante plenam primi discussionem.

Quæritur 7. Quando conditio hæc, *Contraham tecum*, aut *contraho*, *si patri placuerit*, adjecta sponsalibus, vel matrimonio, censeatur impleta, ut ex tunc obligent sponsalia, vel matrimonium? Resp. hinc distinguendum esse, an conditio hæc sit de præsenti, vel præterito, an verò de futuro.

49 *Si de præsenti, vel de præterito est*, juxta dicta *nu.* 19. statim validum est matrimonium, quando id patri placet, vel placuit; invalidum autem, si non placet, vel placuit. Sanchez *lib.* 5. *de matrim. D.* 7. *n.* 2. *&* 5. cum aliis à se *citt.* Et quidem, si sponsalia, vel matrimonium inita sint sub conditione de præsenti, de præsenti adesse debet beneplacitum Patris: si de præterito, beneplacitum Patris antea habitum non debet esse revocatum; stari enim ultimæ voluntati debet, cum posterior voluntas deroget priori. Sanchez *n.* 5. *&* 6. *Procedit autem hoc* 1. quamvis contrahentes ignorent assensum Patris; quia vere tunc verificatur conditio. Sot. *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 2. *art.* 1. *vers. sit ergo*. Cordub. *Summ. q.* 46. Lud. Lopez *p.* 2. *Instruct. de matr. c.* 42. *fol.* 1081. Sanchez *loc. cit. nu.* 2. *Procedit* 2. quamvis contrahentes crederent parentibus matrimonium displicere, si verum habeant animum contrahendi casu, quo parentibus placeat; quia nil deficit ad consensum, & cætera requisita ad matrimonii valorem. *Sotus*, *Lopez*, *Sanchez loc. cit. Procedit* 3. Etsi pater, ad cujus beneplacitum tunc conditionate contrahitur matrimonium, tempore, quo illud contrahitur, dormiat, si de eo antea cogitavit, & illud eidem placuit: quia nisi voluntatem antea habitam revocet, habitualiter in ea perseverare censetur. Sanchez *n.* 4.

50 *Si vero sub conditione beneplaciti paterni de futuro contrahatur matrimonium, vel sponsalia*, obligatio, & valor illorum suspenditur ad conditionis eventum secundum dicta *n.* 29. Sufficit autem, si Pater sciens, quid agatur, taceat, & non contradicat; quia huc tendit ea conditio, ne contrahat filius, aut filia matrimonium, id ægre ferente Patre; jam autem non ægre ferre censetur Pater, quando sciens non contradicit. Ancharan. *in c.* 7. *hoc tit. n.* 2. Alex. de Nevo *in c.* 5. *eod. n.* 26. Sylv. *V. Matrimonium* 3. *q.* 4. *dict.* 4. Rosell. *V. eod.* 5. *nu.* 5. Veracrux *p.* 1. *specul. art.* 19. § *quidquid dicat*. Lud. Lopez *p.* 2. *Instruct. de matr. c.* 32. § *at vero*. Sanchez *loc. cit. n.* 12. contra Angel. *V. Matrimonium* 3. *imped.* 3. *n.* 3. Navar. *Man. c.* 22. *nu.* 63. Petr. de Ledesm. *de matr. q.* 74. *art.* 5. *dub.* 7. *princ.* § *sed quid dicendum*, *Vers. sed adhuc*. Neque obstat *Reg. is qui tacet* 44. *in* 6. ibi, *qui tacet, non fatetur*; *sed nec utique negare videtur*; quamvis enim ex taciturnitate Patris forte non possit præsumi consensus positivus, præsumitur tamen consensus negativus, seu quod Pater non dissentiat, quem sensum habere dixi conditionem, *Si Patri placuerit*.

51 *Dubium est*, an impleta censeatur conditio beneplaciti paterni de futuro adjecta, si Pater primo dissentiat, deinde consentiat? Affirmant Alex. de Nevo *in c.* 5. *hoc tit. fin.* Sylv. *V. Matrimonium* 3. *q.* 4. *dict.* 3. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 63. Lud. Lopez *loc. cit. c.* 42. § *præterea*; ex duplici fundamento. 1, Quia conditio hæc tractum successivum habet, ut scilicet verificari debeat, dum contrahentes persistunt in ea voluntate, ergo sufficit, ut verificetur, dum non revocatur prior consensus à contrahentibus, licet pater primo dissenserit. 2. Si Procurator constitutus renuit acceptare mandatum, potest adhuc acceptare, quamdiu constituens adhuc perseverat in prima sua voluntate *c. licet* 7. *de Procur. in* 6. ergo etiam sufficiet quandocunque poni consensum paternum, modo contrahentes interea consensum suum non revocatint.

Sed dicendum, quamvis postea consentiat Pater, si primo dissensit, non fieri matrimonium, vel sponsalia absoluta, nisi contrahentes denuo sese obligent. Ita Angel. *V. matrimonium* 3. *imped.* 3. *n.* 2. Rosell. *V. eod.* 5. *n.* 4. Sot. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 3. *vers. rogas autem* Sanchez *D.* 7. *cit. n.* 9. arg. *l. hæc conditio* 29. *ff. de condit. & demonstr.* ubi Julianus, *Hæc conditio*, inquit, *Si in capitolium ascenderit, sic recipienda est, si, cum primum potuerit capitolium ascenderet.* Ergo hæc conditio, *Si pater consenserit*, de primo consensu accipienda est. *Conf.* quia eo ipso, quod Pater dissentiat, defecit conditio; potuit enim tunc alteruter contrahens, altero invito, resilire; quod utique non posset, nisi conditio defecisset; ergo obligatio illa extincta est; at obligatio semel extincta non reviviscit *l. cum ex causa* 9. *Cod. de remiss. pign.* ergo &c. 52

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Ea conditio tractum successivum habet ad hunc sensum, ut possit Pater non statim consentire, sed terminum ad deliberandum petere; non tamen ad hunc sensum, ut si semel dissenserit, prosit, si postmodum consentiat, cum contrarium pateat ex *Conf. n. præc. Ad* 2. ut Gloss. *in c. cit. V. placebit*, & Sanchez *n.* 10. cum aliis explicant, Procurator eo casu Procurator esse non desinit ex quadam æquitate, vel si desinit, Jure reassumit, ne ob Procuratoris defectum negotia differantur; at in nostro casu id non disponit Jus, nec disponere potuit, cum deficiente conditione, consensus defecerit. 53

Quæritur 8. Si quis sponsalia, vel matrimonium sub conditione in futurum pendente contrahat cum duabus quænam sponsalia, vel quod matrimonium ex illis sit validum, & observandum? *De sponsalibus* non videtur magna esse difficultas; dicendum enim, quod præferenda sint priora sponsalia, sive deinde apposita ipsis conditio impleatur ante, sive post impletam conditionem, quæ sponsalibus posterioribus adjecta est. Ita Conink *D.* 29. *de Sacram. dub.* 1. *n.* 20. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 6. Pont. *l.* 3. *de matr. c.* 13. *n.* 1. Rosignol. *de sponsal. prænot.* 5. *sect.* 9. *n.* 20. *& seq.* Sporer *de matr. n.* 182. Wex *Ariadn. part.* 5. *tr.* 2. § 6. *n.* 15. *&* 16. Zoes. *hic n.* 15. Pihing *nu.* 28. Schambogen *nu.* 36. Wiestner *num.* 13. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de sponsal. c.* 3. *n.* 124. Ratio est, quia talis nec licitè, nec validè secunda sponsalia inire potuit, nisi priora fuerint dissoluta juxta *Regul.* 21. *in* 6. ibi, *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*. *Conf.* quia priora sponsalia jam induxerunt obligationem exspectandi conditionis eventum; hanc obligationem tollere non possunt secunda sponsalia; alias solo unius contrahentis consensu dissolvi illa possent; igitur etiam post secunda sponsalia, & impletam conditionem iis adjectam, manet obligatio exspectandi eventum conditionis, quæ primis adjecta est; non autem maneret hæc obligatio, si secunda essent valida; quia impleta conditione fierent absoluta; igitur valida illa non sunt, & cons. præferenda prima, etsi conditio iis adjecta postea primum impleatur, cum impleta jam est conditio adjecta secundis sponsalibus. Aliud est, si conditio prioribus adjecta penitus deficiat; tunc enim incipiunt prævalere posteriora, utpote quæ nulla duntaxat erant, supposito valore priorum P. Schmier *cit. n.* 126. 54

Major difficultas est *de matrimonio*, cum duabus sub conditione in futurum pendente contracto; in qua DD. in diversas abeunt sententias. Nam aliqui cum Tabien. *V. matrimonium* 2. *qu.* 11. *nu.* 12. volunt prævalere prius matrimonium: quia potior est hujus conditio, nec posterius ipsi præjudicare potuit juxta *Reg. qui prior* 54. *in* 6. *Confirmant*; quia matrimonium initum sub conditione de futuro ex communi sententia TT. teste Sanchez *D.* 8. *n.* 17. habet vim sponsalium. Alii contra apud Sanchez *D. cit. n.* 13. dicunt prævalere secundum, 55

quod

quod priori per contractum posteriorem sit derogatum *l. fin. ff. de divort.* Tertio nonnulli cum Præpos. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 2. *in* 3. *Opin.* censent hoc casu locum esse optioni.

56 Sed melius distinguitur: Vel enim conditio, duplici tali matrimonio adjecta, impletur simul, vel successive. *Si primum*, neutrum est validum, ut recte Sanchez *loc. cit. n.* 15. Conink *n.* 20. Layman *n.* 7. Zoes. *n.* 15. Pirhing *n.* 28. Schambogen *n.* 37. Vviestner *n.* 15. Ratio est, quia incertitudo vitiat matrimonium *c. ex litteris* 10. *de sponsal.* atqui utrumque matrimonium tali casu esset incertum; cum enim consensus referatur in tempus impletæ conditionis, perinde est, acsi simul, & eodem tempore contraheretur matrimonium cum duabus, conf. non est ratio, cur magis censeatur consentire in unam, quam in alteram.

57 *Si secundum contingat*, ex duobus matrimoniis conditionate initis prævalebit id, cui adjecta conditio prius impleta est. Ita Conink *loc. cit. n.* 20. Layman *n.* 7. Barbosa *in cap.* 5. *hoc tit. n.* 4. Gonzalez *in c.* 1. *eod. nu.* 2. Bosco *D.* 11. *sect.* 8. *concl.* 3. Vvex *Arnad. p.* 5. *tr.* 2. § 6. *nu.* 14. Zoes. *nu.* 14. Pirhing *nu.* 28. Schambogen *num.* 37. Vviestner *n.* 14. Ratio est, quia si post sponsalia, vel matrimonium conditionate contractum cum una, matrimonium per verba de præsenti absolute contraheretur cum alia, absque dubio prævaleret matrimonium absolute contractum, licet ita contrahens peccaret mortaliter: atqui matrimonium conditionatum impleta conditione non minus fit absolutum, quam quod contractum est absolute. Igitur etiam istud prævalere debet adversus matrimonium etiam prius contractum, si illud per impletionem conditionis nondum factum est absolutum.

58 Neque urgent Argumenta oppositarum opinionum. *Ad* 1. *Sententiæ Argumentum* id verum est, si contractus prior sit absolute initus; secus, si conditionate, nam tunc potior Jure est, cum qua contractus factus est absolutus. *Ad Conf.* Matrimonium, sub conditione in futurum pendente initum, in hoc solum vim sponsalium habet, quod ante eventum conditionis sponsalium instar ipsum quoque absolutum, & perfectum non sit: in aliis à sponsalibus differt, præsertim in hoc, quod ipsum, purificata conditione, secundum dicta *n.* 36. sine novo consensu absolutum, perfectumque fiat, & contrahentes jungat vinculo indissolubili, quali vinculo non conjunguntur, qui injerunt sponsalia de futuro etiam absoluta. *Ad Argumentum Sententiæ secundæ* eadem est responsio; nam posterior contractus priori derogat, quando ille est absolutus, secus, quando est conditionatus.

59 Interim tamen manet, quod Conink *D.* 29. *de Sacram. n.* 17. Tamburin. *tr.* 4. *de matr. c.* 5. § 10. Gobat. *tr.* 10. *n.* 451. & *tr.* 9. *n.* 138. Schambogen *hic n.* 31. Vviestner *n.* 16. monent, ejusmodi matrimonia sub conditione in futurum pendente inita, licet à SS. Canonibus non improbentur, à Parochis tamen, nonnisi gravi urgente causa, permitti debere; tum quia minus decent dignitatem Sacramenti, tum quia variis incommodis obnoxia sunt: & ideo hodie fere inusitata sunt;

§. III.

De desponsatione sub conditione impossibili.

SUMMARIUM.

60 *Conditio impossibilis non obest matrimonio.*
61 *Sed per Ecclesiam habetur pro non adjecta* cap. fin. hoc tit.
62 *Nisi contrahentes ignoraverint eam esse impossibilem.*
63 *Vel nescîverint sic constitutum ab Ecclesia.*
64 *Aut aliunde possit colligi, quod serio illam adjecerint.*
65 *Solvuntur Objectiones.*
66 *An Papa* cap. fin. cit. *condiderit Jus novum?*
67 *Tenetur pars affirmans.*
68 *Diluuntur Argumenta opposita.*
69 70 71 *Quænam conditiones impossibiles habeantur pro non adjectis?*
72 73 74 *An etiam conditiones impossibiles de præsenti, & præterito?*
75 76 77 *An conditio impossibilis pro non adjecta habeatur etiam in sponsalibus?*
78 *&c. Quid dicendum de sponsalibus, contractis inter personas impeditas, sub conditione,* Si Pontifex dispensaverit?
87 *An valida sit promissio matrimonii inter impeditos contrahere, si conditio ista in contractu non exprimatur?*
88 *Respondetur non valere.*
89 *Rationes dubitandi solvuntur.*

Conditionem Impossibilem *num.* 5. triplicem divisi, dum eam divisi in impossibilem ex natura rei, cui natura est impedimento, quo minus existat; impossibilem de facto, cum quid Jure, & natura fieri potest, sed propter difficultatem impossibile judicatur; & impossibilem de Jure, quando pro conditione ponitur res Jure prohibita. De hac tertia ex instituto agetur § *seq.*

Quæritur I. An valori matrimonii obsit conditio impossibilis ipsi adjecta, e. g. *Si digito cælum tetigeris, si è cælo Lunam detraxeris, si mare ebiberis &c.* Resp. Non obesse: sed favore matrimonii habetur pro non adjecta, ac proinde sic contractum perinde est, acsi contractum esset pure, & absolute, ut decisum est à Gregorio IX. *c. fin. v. licet hoc tit.* 60

Difficultas est, quomodo Ecclesia ejusmodi conditiones habere potuerit pro non adjectis, & absolute approbare matrimonia, sub tali conditione inita? *Rationes dubitandi* sunt gravissimæ. 1. Quia matrimonium perficitur consensu ipsorum contrahentium; sed qui sub conditione impossibili contrahit, non consentit, imò dissentit, dum consensum refert in eventum conditionis, quæ nunquam impleri potest: & hinc quando petita negare volumus, dicere solemus, *Dabo tibi, si digito cælum tetigeris*, 2. matrimonium sequitur naturam cæterorum contractuum, atqui contractus cæteri vitiantur, adjecta conditione impossibili § *si impossibilis* 11. *Inst. de inutil. stipul.* & *l. non solum* 31. *ff. de O. & A.* ibi, *quia in ea re, quæ ex duorum, pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem.* 3. Ante Decretum *c. fin. cit.* matrimonium sub conditione impossibili contractum erat nullum; quia sequebatur naturam cæterorum contractuum; ergo etiam modo nullum est; nec enim Ecclesia facere de non matrimonio matrimonium potest, 4. dum rejiciuntur dictæ conditiones, id fieret favore matrimonii, ut insinuat textus; atqui non apparet, in quo favor iste versetur, cum potius matrimonii favor sit, ut sit valde spontaneum; quia id indissolubilitati ejus, & fini valde expediens sit. 5. Ad matrimonialem contractum non sufficit consensus mere internus, sed requiritur, ut verbis, vel aliis signis externis expressus sit; atqui consensus iste deficit in eo, qui contrahit sub conditione impossibili; quia verba, quibus sic contrahit, ut paulo ante dictum est, potius ex natura sua dissensum significant; igitur cum Ecclesia supplere consensus defectum nequeat, dicendum, quod invalidum sit matrimonium sub tali conditione contractum.

Hæ Rationes ita dubiam *c. cit.* decisionem fecerunt 61 *Durando*, ut *in* 3. *dist.* 39. *q.* 4. *n.* 9. fateatur, se minime percipere, unde Ecclesia in eo matrimonio præsumat consensum, & ideo hoc doctioribus judicandum relinquat; alii vero mirum in modum pro explicatione textus istius se torquent, quorum sex omnino interpretationes diversas Sanchez *lib.* 5. *de matr. D.* 3. *num.* 2. & *seqq.* refert, & rejicit: *Sed his omissis*, communis explicatio DD. est, ideo ab Ecclesia matrimonium tale haberi pro valido, quia ejusmodi conditio favore matrimonii potius joco, quam animo serio dissentiendi, vel actum irritandi adjecta præsumitur; idque merito; nam matrimonium non minus favorabile est, quam ultimæ voluntates; atqui istas conditio impossibilis adjecta non vitiat § *impossibilis* 10. *Inst. de hæred. instit. l. obtinuit* 3. & *l. multa* 6. § *si servos* 1. *ff. de condit. & demonst.* idque favore testatoris, cujus interest ultimam suam voluntatem adimpleri; imò ipsius Reipublicæ, cum publi-

publice expediat, suprema hominum judicia exirum habere *leg. vel negare* 5. *ff. quemadm. testam. aper.* ergo &c.

2 *Excipitur tamen* 1. Si uterque, vel saltem alteruter contrahentium conditionem à se adjectam matrimonio ignoravit esse impossibilem; hoc enim casu effectum sortietur? & matrimonium sub illa contractum in utroque foro pro irrito habendum est, ut notat Covar. *part.* 2. *de sponsal. c.* 3. § 2. *nu.* 5. Henriq. *lib.* 11. *de matr. c.* 12. *n.* 5. *in comment. lit. C.* Sanchez *D.* 3. *cit. nu.* 8. Conink *D.* 29. *n.* 41. Palao *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 11. § 3. *n.* 1. Barbosa *ad Rubr. hoc tit. n.* 4. & *in c. fin. n.* 12. Gonzalez *ibid. nu.* 8. Pirhing *hic n.* 17. Wiestner *ibid. n.* 18. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de sponsal. & matr. c.* 2. *nu.* 103. Ratio est, quia tunc præsumi non potest, quod joco adjecta sit talis conditio, sed potius censeri debet illi alligatus fuisse consensus. *Conf.* à pari cum ultimis voluntatibus; nam etiam istæ per conditionem impossibilem sibi adjectam à testatore, ignorante impossibilem eam esse, vitiantur, & nullæ fiunt *l. servos* 58. *ff. de condict. indebit.* Glossa *ibid.* Bartol. *in l.* 1. *n.* 5. *ff. eod.* Proceditque hoc saltem pro foro interno, sive prudenter, sive imprudenter contrahentes reputent conditionem impossibilem à se adjectam esse possibilem; quia consensus deficit; cum enim crederent posse evenire conditionem, non videntur consentire, nisi in illius eventum. Sanchez *loc. cit. nu.* 10. Addidi *saltem pro foro interno*; nam in foro externo Ecclesia non præsumet, quod contrahentes reputaverint conditionem esse possibilem, quando id absque omni prudentia esset.

3 *Excipitur* 2. Si contrahentes ignoraverint constitutionem *c. fin. cit.* quia constitutio non obligat ignorantes *c. fin. de constit. in* 6. Et hinc, ut conditio impossibilis habeatur pro non adjecta in matrimonio, necesse est, ut contrahentium uterque sciverit, ejusmodi conditiones à Jure rejici, & pro non adjectis haberi: nam qui cum tali scientia contrahunt sub conditione impossibili, censentur secundum Jus velle contrahere: secus, qui ignorant; nam de his potius est præsumendum contrarium, cum conditio impossibilis ex se importet dissensum. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. § 2. *num.* 1. Carrer. *l.* 3. *de sponsal. c.* 5. Sanchez *loc. cit. n.* 11. Palao *n.* 1. *cit.* Magnif. P. Schmier *n.* 105. contra Pont. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 8. *Neque obest*, quod juxta *Reg.* 13. *in* 6. ignorantia sola facti, non Juris excuset, si hoc notorium sit, sicut notoria est constitutio *c. fin. cit.* nam Regula hæc solum procedit in iis, in quibus defectum consensus supplere Jus potest; hoc autem non potest in matrimonio cons. si revera contrahentes, vel unus illorum ignoraverit *cit.* Constitutionem, in foro saltem conscientiæ matrimonium, sub tali conditione contractum, revera invalidum erit, & pro tali etiam habebitur in foro externo, si probari ignorantia Juris istius possit ab allegante. Et hinc Sanchez *loc. cit. n.* 14. infert, quod moraliter loquendo, raro, aut fere nunquam eveniat casus, in quo judicandum sit, etiam in foro exteriori valere matrimonium, sub conditione impossibili celebratum; quia Pontificis constitutio judicari non debet nota fœminæ contrahenti.

4 *Excipitur* 3. Si ex variis circumstantiis, præsertim qualitate, affectu, & interesse contrahentium colligi possit, quod serio, & impossibilitatis conscii conditionem talem adjecerint, eo animo, ut indicarent, quod nullo modo obligare se velint, ut si Nobilis dicat puellæ pauperi, *Contraho tecum, si montem aureum in dotem dederis*; nam tali casu matrimonium, sub ejusmodi conditione contractum, vitiabitur. Ita Adrian. *in* 4. *q.* 3. *de matr. dub.* 7. Sot. *ibid. dist.* 29. *q.* 2. *art.* 2. *vers. ad propositum* Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. § 2. *n.* 5. Herinq. *l.* 11. *de matr. c.* 12. *n.* 5. Sanchez *loc. cit. nu.* 16. Conink *num.* 41. Palao *n.* 1. Perez *D.* 16. *de matr. sect.* 3. *num.* 5. Barbosa *in Rubr. hoc tit. n.* 4. Canis. *ibid. n.* 7. Zoes. *hic n.* 2. Engl *n.* 13. Pirhing *nu.* 18. Schambogen *nu.* 11. Wiestner *num.* 19. Reiffenstuel *n.* 44. Magnif. P. Schmier *loc. cit. num.* 104. Ratio est, quia hoc ipso, quod se non nisi in eventum necessario non futurum obligaverint, patet, eos se obligare omnino non voluisse. Quare conditio impossibilis tunc solum pro non adjecta habebitur, quando dubium est, an contrahentes illam serio, an joco adjecerint; cum enim in dubio juxta *c. fin. de sent. & re judic.* & *c. directæ* 39. *in fin. de Apellat.* semper pronunciandum sit pro matrimonio, merito in tali dubio in favorem matrimonii præsumit Ecclesia, conditionem ejusmodi esse joco adjectam; & quidem, ut dixi, merito ne forte separentur, qui legitime conjuncti sunt, & aliis conjungantur per matrimonium illegitimum. Est autem præsumptio hæc Juris tantum, cum adductis in contrarium rationibus elidi possit. P. Schmier *loc. cit. n.* 103.

Ex quo patet ad Argumenta opposita in contrarium. 65
Ad 1. Sicut Ecclesia tali casu præsumit pro matrimonio, ita præsumit non deesse consensum, cum præsumat conditionem illam tantum esse joco adjectam. *Ad* 2. Id speciale est in matrimonio ob favorem illius, & ad vitanda damna, ac pericula animarum gravissima, quæ ex matrimonii valide contracta dissolutione sequerentur. *Ad* 3. Negatur *Cons.* sicut negari debet, si quis ex eo, quod matrimonium clandestinum ante Trid. nullum non fuerit, vellet inferre illud de facto validum esse. Quare distinguendum est inter matrimonia ante constitutionem *c. fin. cit.* contracta, & inter ea, quæ post eam constitutionem contrahuntur; priora invalida manserunt etiam post dictam constitutionem; quia matrimonium semel validum amplius invalidari nequit, aut vicissim invalidum validari, sine novo consensu. Posteriora ex præsumptione Ecclesiæ pro validis habentur: quia adjectio conditionis impossibilis modo indicat consensum, quæ prius indicabat dissensum. *Ad* 4. Favor matrimonii, ut *num. præc. fin.* innui, in hoc consistit, ne cum animarum periculo matrimonium, quod forte valide contractum est, illegitime dissolvatur, & via aperiatur ad matrimonium aliud illegitimum; neque hic favor adversatur libertati, ac spontaneo consensui ad matrimonium requisito; quia, ut dictum est, constitutio *c. fin. cit.* solum procedit, quando præsumi potest consensus in sic contrahentibus. *Ad* 5. Conditio impossibilis dissensum significat, quando non merito præsumitur esse solum joco adjecta: proinde dum sub conditione impossibili contrahitur matrimonium, ipsa verba, quibus ita contrahitur, supposita constitutione *cit.* ejusque notitia, sunt sufficiens expressio consensus absoluti.

Quæritur 2. An *c. fin. cit.* à Papa conditum sit novum 66
Jus, vel declaretur solum Jus aliquod anterius, & naturale? Hoc secundum affirmant Pont. *l.* 3. *de matr. c.* 4. *n.* 10. & Rebell. *l.* 3. *de oblig. Just. q.* 10. *sect.* 4. *n.* 27. idque ex duplici ratione. 1. Quia Papa *c. cit.* non decernit, & statuit, ut conditiones impossibiles pro non adjectis imposterum habeantur, sed solum dicit eas debere haberi pro non adjectis; quod indicat Jus aliquod anterius; aliud autem esse non potest, nisi naturale, ergo &c. 2. Quia si matrimonium, sub tali conditione contractum, seclusa constitutione *c. fin. cit.* esset invalidum, Papa valorem eidem conferre non potuisset; fuisset enim invalidum ex defectu consensus alligati hujusmodi conditioni; atqui consensus defectum supplere in matrimonio etiam Papa non potest; ex quo proinde consequitur, eum, qui sub conditione ejusmodi contraxit matrimonium, & probare non potest serio à se illam adjectam esse, utendo matrimonio in continua fornicatione vivere.

Verum his non obstantibus, verius est, *c. fin. cit.* favore matrimonii conditum, esse Jus novum. Ita Sanchez *lib.* 5. *de matrim. D.* 3. *n.* 19. Hurtad. *D.* 7. *de matr. n.* 41. Conink *D.* 29. *de Sacram. n.* 42. Perez *D.* 16. *sect.* 3. *n.* 9. Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 8. *n.* 284. Wiestner *hic nu.* 22. Ratio est, quia matrimonium, contractum sub conditione impossibili, spectata præcise istius natura, foret nullum; quia, ut sæpe dictum est, & probat paritas cum aliis contractibus, adjectio conditionis impossibilis potius dissensum, quam consensum significat. Ergo quod pro valido habeatur, ejusque valori conditio impossibilis non officiat, non ex Jure naturali, sed ex positivo habetur, quo Pontifex interpretatur mentem contrahentium, & statuit, eam conditionem potius præsumendam esse adjectam joco. 67

Argumenta in contrarium speciosa magis sunt, quam 68
efficacia. *Ad* 1. Verba *propter ejus favorem*, in *c. cit.* adjecta, satis indicant, quod Pontifex de matrimonio novum Jus constituere, & conditiones impossibiles favore solius matrimonii, non propter ipsam naturam contractus pro non adjectis haberi voluerit. *Ad* 2.

Eccle-

Ecclesia rejiciendo, & pro non adjectis habendo conditiones impossibiles, non supplet defectum consensus, sed eum præsumit absolute fuisse præstitum, cum non sit credibile, contrahentem in re adeo gravi, & sancta, quale est matrimonium, nugari, & irritum facere matrimonium velle. Periculum animæ, quod pateretur is, qui ejusmodi conditionem serio adjecit matrimonio, & tamen cohabitare uxori ita ductæ per Judicis sententiam obligatur, vitatur facile, si conditione rejecta, vere, & absolute consentiat; ad quod etiam tenetur, cum vix aliter præjudicium, per ejusmodi contractum illatum, alteri parti compensare valeat.

69 Quæritur 3. Quales conditiones rejiciantur à matrimonio, & pro non adjectis haberi debeant; Resp. Hic resumendam distinctionem conditionis impossibilis in eam, quæ ex natura rei impossibilis est, & in eam, quæ defacto solum est impossibilis, quam dedi *n.* 5. Quod conditiones, quæ *ex natura rei* impossibiles sunt, pro non adjectis haberi debeant, nullum est dubium.

Quoad conditiones *defacto* solum impossibiles diversæ sunt opiniones DD. Quidam volunt has conditiones vitiare matrimonium; quam sententiam etiam videtur tenere Covar. *p.* 2. *de sponsal c.* 3. §. 2. *nu.* 9. Fundantur duplici argumento. 1. Quia Jus Canonicum, dum rejicit conditiones impossibiles à matrimonio, voluit illi favere, sicut Jus Civile ultimæ voluntati, dum ab ea rejicit conditiones impossibiles. Atqui Jus Civile ab ultima voluntate non rejicit conditiones, quæ defacto solum sunt impossibiles, sed hæ eandem vitiant, ut post Gloss. Bartholum, & Imolam docent Covar. *loc. cit.* & Molin. *de primogen. l.* 2. *c.* 12. *n.* 37. ergo neque Jus Canonicum hujusmodi conditiones rejiciet à matrimonio, sed illæ adjectæ hoc vitiabunt, *c. fin. cit.* solum rejiciuntur conditiones impossibiles à matrimonio. At impossibiles defacto non dicuntur impossibiles, sed difficiles *l. continuus* 137. § *illud* 4. *ff. de V. O.* ergo &c.

70 Contra has etiam conditiones pro non adjectis habendas contendunt Gloss. *in c. fin. cit. V. contra.* Host. *Summ. hoc tit. n.* 12. *v. aut est honesta*, Palacios *l.* 5. *de contract. c. fin. dub.* 7. Lud. Lopez *p.* 2. *instr. nov. de matr. c.* 43 *fol.* 1049. Barth. à Ledesm. *de matr. dub.* 25. *concl.* 8. qui tamen distinguit, & ait in foro externo eas rejici; at in foro interno suspendere valorem matrimonii, donec impleantur. *Nituntur* & ipsi argumento duplici. 1. Quia hujusmodi conditiones similiter rejiciuntur ab ultimis voluntatibus, ut post Gregorium, Lopez, & Acostam probat Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 206. *fol.* 1259. 2. Quia tam impossibile videtur pauperi dare centum millia aureorum, ac digito cœlum tangere; & tam irritorium videtur illud, ac hoc petere.

71 Melius in hac re distinguit Barbosa *ad Rubr. hoc tit. n.* 6. nam si ita difficilis conditio sit, ut considerata qualitate personæ, cui injungitur, æque pateat manifeste, non posse per eam aliquo modo conditionem adjectam præstari, etiam ex amicorum auxilio, conditio talis habebitur pro non adjecta; quod probant Argumenta secundæ sententiæ. Sin autem difficultas talis est, quam persona, cui injungitur, per amicos, per fidem, atque existimationem suam adimplere possit, ut *Contraho tecum, si mille in dotem dederis*, hæc conditio adjecta non continuo ponit matrimonium ex mente contrahentium, sed differt, cum non sit tam impossibilis, quam difficilis; difficultas autem non liberat *l. continuus cit.*

72 Quæritur 4. An ex matrimonio rejiciantur etiam conditiones imposibiles de præterito, & præsenti? Sylv. *V. matr.* 3. *q.* 1. *fin.* Petr. de Ledesm. *de matr. q.* 47. *art.* 5. *dub.* 1. § *hoc posito fundamento.* Rebell. *l.* 2. *de oblig. Just. q.* 10. *sect.* 4. *fin.* Pont. *l.* 4. *de matr. c.* 3. *nu.* 12. Palao *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 11. § 3. *n.* 5. Zoes. *hic n.* 1. existimant dispositionem *c. fin. cit.* restringi solum ad conditiones impossibiles de futuro appositas matrimonio. 1. Quia Legum, & Canonum verba sunt proprie accipienda *c. inter* 2. *v. sed neque de translat. Episcop.* & *leg. non aliter* 69. junct. Gloss. *V. à significatione ff. de Legat.* 3. atqui nomen *conditionis* propriè solum competit conditionibus de futuro, ut dictum est *supra n.* 9. ergo &c. 2. In *cit. c.* simul, & eodem modo rejiciuntur, & pro non adjectis habentur conditiones turpes, & imposibiles. Atqui conditiones turpes, prout dicetur *infra n.* 97. rejiciuntur duntaxat, si in futurarum pendeant, non vero, si sint de præterito, & præsenti. Ergo idem dicendum de conditionibus imposibilibus. 3. Conditiones turpes, si sint de præsenti, vel de præterito, ideo non rejiciuntur à matrimonio, quia non sunt proprie, & stricte conditiones, cum actum non suspendant. Atqui idem argumentum pugnat etiam pro conditionibus impossibilibus de præterito, vel præsenti. Ergo &c.

Sed melius Durand. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *num.* 5. Paludan. *ibid. dist.* 29. *quæst.* 2. *art.* 5. *num.* 28. Covar. *part.* 2. *de sponsal. cap.* 3. § 2. *num.* 2. Carer. *de sponsal. lib.* 4. *cap.* 5. Barth. à Ledesm. *de matrim. dub.* 25. *concl.* 7. Sanchez *lib.* 5. *de matrim. disp.* 4. *num.* 3. Perez *sect.* 3. *num.* 2. Vviestner *hic num.* 28. Reiffenstuel *ibid num.* 46. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de matrim. cap.* 2. *num.* 107. docent, dispositionem *cap. fin. citat.* intelligendam de conditionibus impossibilibus omnibus discriminatim. Ratio est, quia *capit. citat.* Pontifex conditiones impossibiles rejicit, non quod ad aliquid impossibile obligent, sed quia omnino impossibiles sunt; tales autem sunt, sive sint de futuro, sive de præsenti, sive de præterito. Ergo omnes indiscriminatim rejectæ intelliguntur. *Conf.* Quia non minor est favor matrimonii, quam ultimæ voluntatis. Atqui in ultima voluntate pro non adjecta habetur non tantum conditio imposibilis de futuro, sed etiam de præterito, vel præsenti, ut patet ex *l. si Mævia* 45. *ff. de hæred. instit.* ubi casu quo testator filiam nunquam habuit, à Testamento rejicitur conditio, *Si filia mea vivit*, tanquam imposibilis, licet ea sit de præsenti. 73

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Legum, & Canonum verba accipienda sunt proprie, nisi ampliationem favor rei, de qua Canon, aut Lex loquitur, & ratio Canonis, vel Legis petat, sicut contingit in nostro casu. *Ad* 2. Imprimis valde probabile est, etiam conditiones turpes de præsenti, & præterito pro non adjectis haberi, ut videbimus *infra nu.* 96. Deinde esto, quod non habeantur pro non adjectis, negatur paritas; nam conditiones turpes à matrimonio rejiciuntur, quia inducunt ad peccandum, & agendum, quod est turpe, & inhonestum, imposibiles vero præcise propter imposibilitatem. Atqui vis inducendi ad peccatum, & turpitudinem committendam invenitur solum in conditionibus de futuro; impossibilitas autem etiam in conditionibus imposibilibus de præsenti, vel præterito. Ergo ratio sufficiens est, quare ex turpibus conditionibus à matrimonio rejiciantur solum illæ, quæ sunt de futuro, ex imposibilibus vero omnes. *Ad* 3. Non obest, quod conditiones de præsenti, vel præterito minus proprie, & stricte dictæ conditiones sint, quia Pontifex in dispositione *c. fin. cit.* non tam proprietatem, quàm imposibilitatem in conditionibus rejiciendis attendit. 74

Quæritur 5. An conditio imposibilis pro non adjecta habeatur etiam in sponsalibus? Affirmant Paludan. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 5. *concl.* 7. *v. respondeo in foro Judicii*, Sot. *ibid. q. art.* 2. *vers. mens ergo Pontificis*, Philiarc. *de offic. Sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 2. *c.* 1. § *tres conditiones*, Barth. à Ledesma *dub.* 25 *de matrim. concl.* 7. Bosco *part.* 5. *de matr. disp.* 11. *sect.* 8. *à num.* 372 Rosignol. *de sponsal. prænot.* 5. *sect.* 9. *qu.* 34. & hanc sententiam tanta concordia à DD. teneri testantur Sanchez *lib.* 5. *de matrim. D.* 17. *n.* 2. ut fatetur, se quantumvis rationes in contrarium admodum urgeant, non tamen ausum esse ab ipsis divertere. *Nituntur* præcipuè hac ratione; quia sponsalia sunt initium, & via ad matrimonium, ut propterea, quod de matrimonio Jus disponit, etiam ad sponsalia non male extendatur *arg. l. oratio* 16. *ff. de sponsal.* 75

Sed quamvis sententia hæc ab authoritate sit admodum probabilis, à ratione tamen probabilior est negativa, quam etiam cum Salmaticensibus defendunt *Rebell. p.* 2. *de oblig. Just. l.* 2. *q.* 10. *sect.* 4. Perez *D.* 12. *de matr. sect.* 3. *n.* 3. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. § 6. *a n.* 22. Zoes. *hic n.* 22. Engl *n.* 15. Schambogen *nu.* 11. Vviestner *nu.* 30. Reiffenstuel *n.* 15. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de sponsal. c.* 3. *n.* 131. Ratio est 1. Quia de sponsalibus quoad hoc Jus nihil disposuit. Igitur sicut cæteri contractus, sub conditione imposibili inici, invalidi sunt, ita & sponsalia, 76

sub

ſub ſimili conditione contracta. 2. Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam trahenda ſunt *Reg. quæ res* 28. *in* 6. atqui diſpoſitio *cap. fin. cit.* conditiones impoſſibiles pro non adjectis habens, à Jure communi exorbitat, cum juxta hoc, imò & naturale Jus contractus, ſub conditione impoſſibili initus, nullus ſit *arg. l. non ſolum* 31. *ff. de O. & A.* ergo ulterius ad Sponſalia extendi non debet. 3. à ſimili; nam etſi per Decretum Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matrim.* Matrimonium clandeſtinum invalidum ſit, tamen juxta communem, & certam, etiam adverſariorum, ſententiam dicta Concilii diſpoſitio non extenditur ad Sponſalia, ex ſola hac ratione, quia ratio illa ſpecialis, quam Concilium pro Matrimonio habuit, non militat in Sponſalibus.

Intelligi autem hoc debet de conditione impoſſibili affirmativa, v. g. *Si digito cœlum tetigeris*; nam ſi negativa apponitur, v. g. *Si digito cœlum non tetigeris*, contractus cenſebitur purè initus, adeoque valet per clarum textum *l. impoſſibilis* 7. *ff. de V. O.* quia cum, ejus contraria ſit impoſſibilis, hujus negativa erit neceſſaria, vera, & præſens, quæ ſtatim ineſt *arg. c. in illa* 8. *ff. eod.* Reiffenſt. *hic num.* 51. *verſ. intellige.*

Ad Rationem in contrarium allatam dico, argumento *loc. cit.* locum non eſſe, quando de Matrimonio aliquid ſtatuitur ex ſpeciali ratione, quæ in Sponſalibus non urget: ita autem fit in noſtro caſu; nam in Matrimonio, quando dubia eſt proferentis intentio, Conditiones impoſſibiles habentur pro non adjectis ob periculum, ne ſi contra Matrimonii valorem pronuntiaretur, matrimonium, quod reipſa fortaſſe validum eſt, diſſolvatur cum gravi injuria Sacramenti, & animarum pernicie. Atqui tale periculum non affert diſſolutio Sponſalium valide contractorum. Ergo diſpoſitio *c. fin. cit.* ad Sponſalia extendi non debet.

Quæritur 6. An Sponſalia, contracta à perſonis laborantibus impedimento diſpenſabili à Papa, ſub conditione, *Si Papa diſpenſaverit*, vitientur per adjectionem hujus conditionis? *Certum eſt* 1. Si impedimentum ejus ſit generis, ut nunquam Papa ſolitus ſit diſpenſare, prout eſt, quando frater, & ſoror ſub conditione diſpenſationis ſibi mutuo promitterent matrimonium, vel contrahens ſit Clericus in Sacris conſtitutus, neque urgeat cauſa graviſſima, ut cum ipſo diſpenſetur, talem Contractum eſſe nullum, & eam conditionem reputandam impoſſibilem. Sanch. *l.* 5. *de Matr. D.* 5. *n.* 2. Konig *hic n.* 7. *verſ. at rectius de Sponſal. & Matr.*

Certum eſt 2. Contractum omnino nullum eſſe, ſi ſub hac conditione contrahantur Sponſalia, vel matrimonium à perſonis laborantibus impedimento, in quo quidem Pontifex diſpenſare ſolet, ſed non niſi ex cauſa legitima poteſt, & contrahentes hujuſmodi cauſa ſunt deſtituti; nam cum Pontifex diſpenſare licite in Jure communi non poſſit ſine cauſa legitima, conditio, *Si Pontifex diſpenſaverit*, de Jure prohibita, conſ. impoſſibilis foret. Reiffenſtuel *hic num.* 32. *Proceditque hoc*, licet tali promiſſioni Juramentum accedat; quia Juramentum non eſt vinculum iniquitatis *cap. quanto* 18. *de Jurejur.* Sanch. *loc. cit. n.* 3.

Certum eſt 3. eſſe vere Sponſalia, & obligare, quando obtenta diſpenſatione ratificatur prior conſenſus vel expreſsè, vel tacitè procedendo v. g. ad Denuntiationes in Eccleſia faciendas &c. quia id eſt contractum promiſſionis continuare, & niti, ut ad effectum producatur. Sanch. *n.* 4.

Dubium eſt, an quando impedimentum tale eſt, in quo Pontifex ex juſta cauſa poteſt, & ſolet diſpenſare, & contrahentes habent hujuſmodi cauſam, Sponſalia, ſub conditione Diſpenſationis contracta, producant obligationem Sponſalitiam? Negant Hoſt. *in cap. ſuper eo* 5. *hoc tit. in princ.* Joan. Andr. *ibid. num.* 2. Ancharan. *n.* 7. Abb. *nu.* 8. Sylv. *V. Matrimonium* 3. *q.* 9. Victoria *Summ. de Matrimon. num.* 258. Sot. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 2. *art.* 1. Henriq. *lib.* 11. *de Matrim. c.* 10. *n.* 4. Dian. *p.* 11. *tr.* 2. *reſol.* 70. Wagnereck *in c. fin. hoc tit. V. ſi turpes not.* 2. Card. de Luca *in Annot. ad Concil. Trid. diſc.* 27. Fatinell. *reſponſ.* 6. *n.* 8.

Allegant pro ſe 1. Varias Deciſiones Rotæ, imo perpetuam Rotæ praxin. 2. Quia Pontifex, cum ſic impeditis diſpenſans, dat licentiam, ut illi contrahere matrimonium poſſint, præmiſſis Denuntiationibus, & accedente præſentia Parochi, ac teſtium &c. ergo non valuit matrimonium prius initum ſub conditione, *Si Papa diſpenſaverit*, niſi accedat poſtea novus conſenſus. 3. Quia Conditio hæc habenda eſt pro inhoneſta, utpote quæ adverſatur Juri. Atqui ſecundum ea, quæ *infra nu.* 90. dicam, conditio turpis adjecta matrimonio iſtud non vitiat, ſed pro non adjecta habetur. 4. Imo conditio iſta reputari debet pro impoſſibili; pendet enim à voluntate Pontificis. Atqui ea, quæ à Principis voluntate pendent, impoſſibilium loco haberi debent *arg. l. cum ſervus* 39. §. *fin. ff. de Legat.* 1. ubi habetur, quod non valeat legatum rerum, ad Principem pertinentium, ex ea ratione, *quoniam commercium earum, niſi juſſu Principis, non ſit, cum diſtrahi non ſoleant*: & per conſequens infertur impoſſibile reputari, quod à voluntate Principis dependet. 5. Juxta *l. continuus* 137. §. *cum quis* 6. *ff. de V. O. non ſecundum futuri temporis jus, ſed ſecundum præſentis æſtimari ſtipulatio debet*; & hinc ibidem reprobatur ſtipulatio ejus, *quod nunc impoſſibile eſt, poſtea poſſibile fieri* poteſt. Atqui impediti ſecundum præſentis temporis jus, durante ſc. impedimento, non poſſunt contrahere matrimonium. Ergo licet contrahere illud poſſint, cum diſpenſationem acceperint, hoc illis non proderit ad valorem Contractus ſub conditione diſpenſationis initi. 6. *l. inter ſtipulantem* 83. §. *Sacram.* 5. *ff. eod.* reprobatur illa ſtipulatio, *Illum*, liberum hominem, *cum ſervus eſſe cœperit, dare ſpondes*; *item eum locum, cum ex Sacro, Religioſove profanus eſſe cœperit, dari*: ex ratione, *quia nec præſentis temporis obligationem recipere poteſt*. Atqui laborantes impedimento dirimente de præſenti tempore non poſſunt recipere obligationem Sponſalitiam, aut matrimonialem; ergo &c.

Sed melius Adrian. *in* 4. *tr. de Sponſal. dub.* 10. Philiarc. *de Offic. Sacerd. c. de Sponſal.* Covar. *p.* 2. *de Sponſ. c.* 3. *pr. num.* 9. *fin.* Clar. *l.* 5. *receptar. V. Inceſtus, verſ. ſed quid*, Petr. de Ledeſm. *de Matr. q.* 47. *art.* 5. *dub.* 2. *concl.* 3. Angles *in florib. p.* 1. *qu.* 2. *de Matr. Condit. art. un. dub.* 3. Sanch. *lib.* 5. *de Matr. D.* 5. *num.* 13. Conink *D.* 29. *de Sacram. dub.* 1. *concl.* 5. *num.* 18. & 38. Pont. *l.* 3. *de Matr. c.* 15. *num.* 5. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 7. *n.* 4. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 11. § 2. *n.* 5. Boſco *p.* 5. *D.* 11. *ſect.* 8. *concl.* 6. Gobat *Theol. Exper. tract.* 10. *num.* 161. Wex *Ariad. part.* 5. *tract.* 2. *contr.* 3. *num.* 10. Zypæus *Analyſ. hoc tit. num.* 1. Zoeſ. *ibid num.* 12. Engl *n.* 16. Pirhing *n.* 26. Schambogen *n.* 33. Konig *n.* 17. Wieſt. *num.* 32. Reiffenſtuel *num.* 25. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponſal. cap.* 2. *nu.* 29. & *ſeqq.* cum communi aliorum docent, ejuſmodi conditionem pro poſſibili, & honeſta habendam; & conſ. Sponſalia ipſa, quibus adjicitur, valida, & caſu, quo Diſpenſatio impetratur, obligatoria eſſe. 82

Ratio eſt, quia licet quaſi impoſſibile cenſeri poſſit, quod Princeps difficillimè concedit, tamen neque impoſſibilia, neque turpia cenſeri debent, quæ ab ipſo ex juſta cauſa frequenter peti ſolent, & etiam impetrari. Tales autem ſunt Diſpenſationes in pleriſque impedimentis Jure Eccleſiaſtico introductis. Ergo &c. *Conf.* Quia & alii actus tam inter vivos, quam mortis cauſa celebrari poſſunt ſub conditione diſpenſationis, vel conſenſus impetrandi à Principe; ſic enim valet inſtitutio Spurii ſub conditione, ſi Princeps ipſum legitimaverit; venditio rei Feudalis, ſeu Majoratus ſub conditione, ſi Dominus Feudi, aut Princeps voluerit; conventio de reſignatione Beneficii cum penſione ſub conditione, ſi Pontifex approbaverit &c. tametſi hæ conditiones pendeant ab arbitrio, & voluntate Principis. 83

Ex quo ſequitur 1. Sic promittentes Matrimonium, vel etiam contrahentes, modo Impedimentum, quo ligantur, ſit Juris Eccleſiaſtici, & à Pontifice diſpenſari in ipſo ſoleat, non peccare ſic promittendo, vel contrahendo, per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, vel alio damno, ut *loc. cit.* notant Covar. *n.* 7. Laym. *n.* 4. Sanch. *n.* 16. Pirhing *n.* 26. Schambogen *num.* 33. Ratio eſt, quia talis promiſſio verſatur circa objectum licitum, nempe Matrimonium contrahendum v. g. inter conſanguineos, vel aliter impeditos, poſt impetratam Diſpenſationem. *Neque obſtat*, quod de præſenti inhabiles ſint; quia ſolum ſunt inhabiles ad contrahendum abſolute, & ſtante impedimento, non autem ad contra- 84

hendum conditionate, & relate ad tempus, quo sublatum est impedimentum.

85 *Sequitur 2.* Si ita impediti sub tali conditione contraxerint per verba de futuro, eosdem teneri exspectare eventum conditionis, & impetrata Dispensatione, contrahere Matrimonium, si etiam alter in fide data persistat. Layman, Pirhing, Schambogen *loc. citt.* nam hoc commune est omni contractui conditionato, ne iste inanis omnino, & nugatorius sit. An vero, & quis Sponsorum sic contrahentium obligetur Dispensationem petere, dubium, & controversum apud DD. est Navar. *l. 4. conf. 2. de Sponsal. edit.* 1. Conink *D. 29. dub. 2. n.* 35. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 16. *num.* 12. Reiffenstuel *hic num.* 34. putant utrumque contrahentem teneri tantum in sensu diviso vel procurare dispensationem, vel proportionato tempore exspectare, donec alter illorum eam procuret, nisi unus illorum ad hanc procurandam expresse se obligaverit. Contra Sanch. *l.* 5. *D.* 5. *n.* 36. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *num.* 4. & alii ab his *citt.* ad Dispensationem procurandam obligant eum, qui sub tali conditione Matrimonium primo promisit, ex ratione; quia qui promittit finem, is censetur etiam promittere media, sine quibus finis obtineri non potest; & qui ex aliqua Constitutione, vel conventione obligatur ad faciendum, obligatur etiam ad curandum, ut actus valeat. Schambog. *hic n.* 2. determinate ad eam petendam obligat Sponsum; quia sicut non est conveniens mulieri maritum quaerere, ita nec videtur convenire, ut illa suo nomine dispensationem petat. Similis Controversia est de sumptibus pro dispensatione factis; nam P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 36. ad eos teneri docet solum illum, qui nuptias anhelans dispensationem procurat, quod alter non promiserit dispensationem procurare. Contra Sanchez *num.* 37. cum aliis putat sumptus istos conferendos à parte utraque; quia negotium commune est. Quare cum Jus circa haec duo dubia nihil deciderit, locus erit arbitrio Judicis, qui hoc casu ferre sententiam secundum aequitatem debebit.

86 Ad Argumenta *num.* 81. proposita non difficilis patet solutio. *Ad* 1. Decisionibus Rotae *à Diana* allegatis opponi possunt Decisiones aliae, faventes in nostram Sententiam, quarum plures allegant Pal. *loc. cit. n.* 10. & Gobat *tract.* 10. *num.* 165. ubi refert se compertum habere, fuisse Romae in prima, secunda, & tertia instantia in simili casu pronuntiatum pro actrice quadam Helveta contra sponsum, & hunc à duobus Pontificibus condemnatum ad ducendam Sponsam, cum qua Sponsalia sub conditione Dispensationis, postea impetratae contraxit. Quare ne fateamur. Rotam sibi ipsi contrariam esse, Decisiones *à Diana* allatae, ut P. Vvex *citat. num.* 20. bene advertit, intelligi poterunt de casu, quo Sponsi sic contrahentes laborant impedimento, in quo Pontifex dispensare non solet, vel quando non adest sufficiens causa dispensandi. *Ad* 2. Bullae illae Pontificiae, quae sic impeditis dant licentiam ad contrahendum Matrimonium, solum loquuntur de casu, quo sub tali conditione Dispensationis contracta tantum sunt Sponsalia de futuro; nam Sponsalia de praesenti conditionata, posita conditione, secundum dicta *n.* 37. sine novo consensu transeunt in absoluta: & hinc causa non est, cur Pontifex eo casu novum requirat consensum, modo prior consensus conditionatus positus à contrahentibus fuerit coram Parocho, & testibus, & his casu, quo impedimentum notorium est, exhibeantur Litterae Dispensationis super eo impedimento obtentae. *Ad* 3. Licet observatio Legis fere sit magis honesta, quam Dispensatio super ea impetrata, non tamen haec propterea reputari inhonesta debet, cum Juri modo ab ipso Jure approbato deroget, ut bene advertit Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 16. *num.* 8. *Ad* 4. Id verum est, quando conditio talis est, in qua Princeps non solet dispensare: quod sufficienter indicat textus *l. cum servus cit.* ubi additur, *Cum distrahi non soleant.* *Ad* 5. & 6. In iis textibus reprobatur stipulatio de re Sacra, publica, vel homine libero sub conditione, si illa profana, aut privata, & iste servus fiat, quae conditiones, tanquam dignitati, & statui derogantes, inciviles, & tristes sunt, atque ideo eventus earum timendus potius, quam exspectandus est *l. cum tale* 72. *ff. de condit. & demonstr.*

87 Quaeritur 7. An valida sit promissio Matrimonii, quam sibi invicem faciunt laborantes impedimento aliquo dirimente, & hujus etiam conscii, non facta expressione Conditionis, *Si Papa dispensaverit?* Pro valida illam habet Sotus *in* 4. *dist.* 29. *quaest.* 2. *art.* 1. *vers. revera fateor*: cui si promissio illa jurata sit, consentiunt Tabien. *V. Sponsalia quaest.* 8. *num.* 9. & Armill. *V. citat. num.* 11. Rationem dant 1. quia promittens Matrimonium consanguineae necessario supponit dispensationem praemittendam esse, cum ea Jure insit, & aliter Matrimonium inter ipsos constare nequeat. igitur sicut conditio, *Si alter contrahentium voluerit*, etiam non expressa subintelligitur, ita & ista. 2. Quia nisi de contraria mente pronuntiantis constet, verba, quantumvis generalia, restringenda, & ita exaudienda sunt, ut actus Iuri conformetur, & conservetur *arg. l. fin. Cod. de Usufr.* atqui conformatur Juri, & conservatur, si dicatur, quod promissio in casu posito includat conditionem, *Si Papa dispensaverit*; ergo hoc dici debet: si autem hanc conditionem includat, valebit promissio; ergo &c. 3. Quando Testator in Majoratu, vel Legato apponit, ut Successor ducat consanguineam, non est differentia, sive explicet *praecedente Dispensatione*, sive id taceat; quia semper hoc intelligitur, & verba testatoris in dubio secundum Jus commune intelligenda sunt.

Sed melius negatur, quod ejusmodi promissio valida sit, saltem si de petenda dispensatione tractatum non sit. 88
Ita Adrian. *in* 4. *q.* 3. *de Matrim. dub.* 10. *ad* 2. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 3. *pr. num.* 7. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 47. *art.* 5. *dub.* 2. *ad* 4. Ludov. Lop. *p.* 2. *Instruct. cap.* 42. *de Matrim. in solut. ad* 3. Guttier. *l.* 1. *qq. Canon. cap.* 22. *num.* 17. Sanchez *lib.* 5. *de Matr. D.* 5. *num.* 26. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tract.* 2. *contr.* 3. *num.* 20. Vviestner *hic num.* 34. & colligi videtur 1. ex *l. si stipulor.* 35. §. *item quod* 1. *ff. de V. O.* ubi stipulatio ejus, quod Leges prohibent, habetur pro inutili. 2. *Ex ratione*; quia promissio secundum praesentis temporis Jus accipi debet *l. continuus* 137. §. *cum quis* 6. *ff. eod.* atqui sic promittentes Matrimonium in casu propositae quaestionis praesenti tempore sunt inhabiles. ergo &c. 3. *à pari* cum spurio, cujus institutio, si facta sit sub conditione, *Si Princeps legitimaverit, vel dispensaverit*, valet; non autem valet, si pure sit facta; esset autem valida etiam pure facta, si hujusmodi promissiones includerent tacite conditionem, *Si Princeps dispensaverit*; ergo eam non includunt: cons. nec promissio Matrimonii in nostro casu.

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Patet ex modo dictis. Neque est paritas cum conditione, *Si alter voluerit*; quia quod inter impeditos constare Matrimonium nequeat, nisi Pontifice dispensante, non est ab intrinseco, & ex natura Matrimonii, sicut est, *Si alter voluerit*, sed ab extrinseco ex prohibitione Ecclesiae. *Ad* 2. Regula illa solum procedit, quando verba sunt dubia; tunc enim accipienda illa sunt, & explicanda, ut actus Juri conformetur, & conservetur; aliter res se habet, quando verba sunt clara, prout in casu nostro clara sunt; nam tunc pro omisso habetur, quod verbis expressum non est. *Ad* 3. Eadem est responsio; nam dispositio illa testatoris solum sustinetur, quando verba ejus sunt dubia. 89

§. IV.

De Desponsatione sub Conditione Turpi:

SUMMARIUM.

90 *Turpis conditio, non contraria substantiae Matrimonii, hujus contractui adjecta, pro non adjecta habetur per* c. fin. hoc tit.
91 *Ratio hujus Constitutionis.*
92 *Quod procedit, quando dubium est, quo animo adjecta sit.*
93 *Hinc primo locum non habet quando Conditio illa reputatur esse honesta.*
94 *Secundo, quando constat esse serio adjectam.*
95 *Tertio, si contrahentes* cap. cit. *Constitutionem ignoraverint.*
96 97 98 *An pro non adjectis haberi debeant etiam Conditiones turpes de praesenti, vel de praeterito?*
99 100 101 *Quid si talis conditio sit adjecta Sponsalibus?*

102 103

102 103 104 *An turpis, & pro non adjecta haberi debeat conditio*, Si te Virginem invenero?
105 106 107 *Aut*, Si mecum concuberis?
108 109 110 111 *Vel*, Si donaveris centum?
112 113 114 *Quid dicendum de Conditionibus impertinentibus?*

TUrpes Conditiones duplicis generis ſunt, ut *n.* 5. vidimus; nam aliquæ repugnant ſubſtantiæ Matrimonii, aut uni ex tribus illius bonis, quæ *n.* 6. *&* 7. retuli; aliæ contra non repugnant illius ſubſtantiæ, aut tribus ejuſdem bonis, quales ſunt: *Contraho tecum, ſi occideris meum hoſtem, ſi furata fueris tantum quantum ſufficit ad afferendam mihi dotem &c.* De prioribus 8. *ſeq.* ſermo erit: de poſterioribus

Quæritur 1. An Conditio turpis, quæ non eſt contraria ſubſtantiæ Matrimonii vel bonis ejus, ſuſpendat valorem ejus, vel potius habeatur pro non adjecta? Pro non adjecta haberi, & conſ. valorem illius non ſuſpendere uſque ad eventum ejuſdem, clare deciditur *c. fin. hoc tit.* conſ. ex præſumptione Eccleſiæ Matrimonium, ſub conditione turpi contractum, haberi debebit pro contracto pure, & abſolute.

Dubium eſt, quomodo, & unde Eccleſia præſumat conditionem illam haberi pro non adjecta, & eſſe purum conſenſum? *Ratio dubitandi* eſt 1. quia Eccleſia nunquam præſumit verum eſſe Matrimonium, ubi ex ipſa forma Contractus non apparet conſenſus; alias temere præſumeret, & abſque cauſa. at ex forma contractus ſub conditione turpi non apparet conſenſus abſolutus, ſed ſub illa conditione. ergo &c. 2. In cæteris Contractibus conditio turpis non habetur pro non adjecta. ſed Matrimonium ſequitur naturam cæterorum Contractuum. 3. Non apparet, unde Eccleſia præſumat animum ſic contrahentis fuiſſe purum, cum ut plurimum ii, qui conditionem talem adjiciunt, velint omnino illam impleri.

Sed dicendum, merito hujuſmodi conditiones haberi pro non adjectis; quia ad peccandum invitant, & ſemper ea præſumptio capienda eſt, quæ peccatum excludit. Ita Sot. *in* 4 *diſt.* 29. *q.* 2. *art.* 3 *paul poſt princ. concl.* 2. Palacios *l.* 5. *de Contract. verſ. quam ob rem.* Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 12. *num.* 6. Barth. à Ledeſm. *dub.* 25. *de Matr. concl.* 9. Lud. Lop. *p.* 2. *Inſtruct. nov. de Matr. c.* 43. *ad fin.*

Neque contrarium probant Argumenta oppoſita: *Ad* 1. Eccleſia merito præſumit conſenſum abſolutum, quia præſumit Matrimonium à contrahentibus eſſe initum juxta intentionem Eccleſiæ, conditionem turpem rejicientis à Matrimonio. *Ad* 2. In hoc Matrimonium aſſimilatur potius ultimis Voluntatibus, quarum favore conditiones turpes pro non adjectis habentur. *Ad* 3. Non ſemper conſtat, quod adjiciens hujuſmodi conditionem turpem Matrimonio omnino velit illam impleri.

Quæritur 2. Quando ejuſmodi Conditiones turpes haberi debeant pro non adjectis? Reſp. tum, quando dubium eſt, quo animo ejuſmodi conditio turpis de futuro à contrahentibus adjecta ſit; tunc enim favore Matrimonii prout indicat *c. fin. cit.* illa, ſi ſubſtantiæ Matrimonii non repugnet, pro non adjecta habetur, & Matrimonium ab Eccleſia præſumitur pure initum. Sanch. *l.* 5. *de Matr. D.* 15. *n.* 1. Conink *D.* 29. *de Sacram. n.* 42. Perez *D.* 16. *de Matr. ſect.* 9. *n.* 2. *&* 3. Caniſ. *in c. fin. hoc tit. n.* 5. Wagnereck *ibid. V. ſi turpes not.* 1. Pirhing *hic n.* 17. *not.* 5. Engl *n.* 8. Schamb. *n.* 11. Wieſtner *n.* 38. Reiffenſtuel *n.* 42.

Ratio eſt, quia favor Matrimonii exigit, ut in dubio potius conſervetur, quam diſſolvatur *arg. c. fin. de ſent. & re judic. & c. directæ* 39. *in fin. de Appell.* conſervabitur autem, ſi joco potius, quam ſerio, & contractum irritandi animo adjecta præſumatur talis conditio. ergo ita adjecta præſumi debet. *Conſ.* Conditiones impoſſibiles habentur pro non adjectis, ut dictum eſt *n.* 60. atqui conditiones turpes, cum ad delinquendum inviteent, merito habentur pro impoſſibilibus *arg. can. faciat* 15. *cauſ.* 22. *q.* 2. ubi Gloſſ. *V. eod. Id ſolum* inquit, *dicitur facere poſſe, quod juſte facere poſſumus*; ergo &c.

Quæritur 3. Qui ſint caſus particulares, in quibus conditio turpis non habetur pro non adjecta? Reſp. 1. ſi illa habeatur pro honeſta; hoc enim caſu ſortiretur naturam aliarum conditionum honeſtarum; conſ. ſicut iſtæ, ita etiam illa contractus valorem uſque ad eventum ſuſpenderet, prout in ſimili *n.* 62. dictum eſt de Conditione impoſſibili, quam contrahentes putabant eſſe poſſibilem. Ariadn. *in* 4. *diſt.* 29. *quæſt.* 3. *de Matr. dub.* 7. Covar. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 5. *§.* 2. *n.* 6. Lud. Lop. *p.* 2. *Inſtruct. nov. de Matr. c.* 43. *fol.* 1093. Sanch. *D.* 5. *cit. n.* 7.

2 Si conſtet, eam Conditionem à contrahentibus ſerio adjectam, & conſenſum non niſi ſub ejus eventu præſtitum eſſe; tunc enim in utroque foro Matrimonium judicabitur nullum, niſi evenerit conditio. Covar. *loc. cit. n.* 4. *&* 5. Sanch. *n.* 6. Conink *D.* 29. *n.* 41. Caniſ. *in c. fin. n.* 7. Wagnereck *ibid. V. ſi turpes not.* 1. *verſ. quia ratione*, Pirh. *n.* 18. *hic*, Schambog. *n.* 15. *in fin.* Wieſtner *n.* 37. Ratio eſt, quia conditiones turpes, ſicut etiam impoſſibiles à Matrimonio rejiciuntur, & habentur pro non adjectis, quod Canones in dubio præſumant, eas non fuiſſe adjectas ſerio. at in caſu propoſito non eſt dubium, ſed ponitur conſtare, quod ſerio adjecta fuerit, igitur cum præſumptio veritati cedat, eo caſu ceſſat præſumptio, & Matrimonium, non eveniente conditione, judicari debebit nullum ex defectu conſenſus, quem Eccleſia ſupplere non poteſt. 94

3 Si contrahentes, vel unus illorum, ſub tali conditione iniens Matrimonium, ignoravit Conſtitutione *c. fin. cit.* qua conditiones ejuſmodi habentur pro non adjectis. Sanch. *loc. cit. n.* 7. Pirhing *n.* 17. *not.* 6. & alii *ſupra*; quia Conſtitutio non obligat ignorantes. *Neque obſtat*, quod fideles omnes, dum Sacramenta recipiunt, cenſeantur illa recipere juxta intentionem Eccleſiæ, adeoque, etſi apponant conditionem turpem, quia tamen illas Eccleſia rejicit, velle pure, & abſolute contrahere; hoc enim ſolum procedit, quando contrahens ſcit conditionem adjectam eſſe turpem, & ſimul ſcit illam ab Eccleſia rejici, ac pro non adjecta haberi, ut notat Pirh. *loc. cit.* 95

Quæritur 4. An pro non adjectis haberi debeant etiam Conditiones turpes de præſenti, vel de præterito, v. g. *Si occidiſti Patrem tuum ego tecum contraho &c.* Victoria *in Summ. de Matr. n.* 260. idem putat dicendum de his conditionibus, quo dicitur de conditionibus collatis in eventum futurum, ſcilicet non præſumi, quod ſerio adjectæ ſint, niſi de animo adjicientis conſtet; & ſuadere hoc etiam videtur favor matrimonii *arg. c. fin. de ſent. & re judic. &* paritas cum conditione impoſſibili, quæ ſive de futuro ſolum ſit, ſive etiam de præterito, aut præſenti, pro non adjecta habetur, ut dictum eſt *n.* 73. 96

Sed communior ſententia defendit Negativam cum S. Thom. *in* 4. *diſt.* 29. *q. un. art.* 3. Paludan. *ibid. q.* 2. *art.* 5. *n.* 28. Adrian. *quæſt.* 3. *de matr. dub.* 9. *§. reſpondeo ad* 1. *verſ. ad* 3. Sylv. *V. matrimonium* 3. *quæſt.* 1. *fin.* Alex de Nevo *in cap. de illis* 3. *hoc tit. n.* 16. Palacios *l.* 5. *de Contract. c. ult. fol.* 498. *verſ. quamobrem*, Covarr. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 3. *§.* 2. *num.* 3. Carrer. *de ſponſal. l.* 3. *cap.* 5. Henriq. *l.* 11. *de matrimonio cap.* 12. *numer.* 7. Sanch. *l.* 5. *de matr. D.* 15. *numer.* 5. Barboſ. *in cap. fin. hoc tit. num.* 8. Engl *hic num.* 14. Wex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *§.* 6. *num.* 22. *& ſeqq.* Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 2. *n.* 108. quod etiam videtur probare ratio; quia conditio de præſenti, & præterito non eſt propria conditio, nec ad delinquendum invitat, ob quam rationem videtur ſtatutum Jure, ut conditio turpis habeatur pro non adjecta. 97

Neque obſtat, quod *cap. fin. cit.* turpes conditiones generaliter pro non adjectis habeantur; quia hoc *cap.* tantum loquitur de iis conditionibus, quæ proprie dictæ Conditiones ſunt, & in quibus militat ratio, ob quam Conditiones turpes à SS. Canonibus pro non adjectis habentur. *Argumentum* ſumptum à paritate cum conditionibus impoſſibilibus *num.* 73. *citat.* ſolutum eſt, ubi dixi, Conditiones impoſſibiles pro non adjectis haberi, quia impoſſibiles ſunt, quæ ratio etiam in Conditionibus impoſſibilibus de præterito, & de præſenti militat. 98

Quæritur 5. An etiam in Sponſalibus Conditio turpis habeatur pro non adjecta? Reſp. diſtinguendo: Vel enim Conditio illa ſubſtantiæ Matrimonii contraria eſt, vel non eſt contraria. *Si primum*, ut matrimonium ſecundum dicenda *infra n.* 117. ita & Sponſalia ejus adjectione vitian- 99

vitiantur, & nulla fiunt. S. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *quaest.* 2. *art.* 1. Scot. *ibid. dist.* 28. *quaest.* 3. *num.* 13. & teste P. Reiffenstuel *hic n.* 57. communis aliorum *arg. c. fin. hoc tit.* licet enim de solo Matrimonio loquatur, quia tamen ratio dispositionis de his conditionibus etiam in Sponsalibus urget, ad haec quoque extendi debet *arg. l. oratio* 16. *ff. de Spons.* Vide *n.* 131. *& seqq.*

100 *Si secundum*, non habetur pro non adjecta, ut cum DD. Salmanticensibus docet Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 47. *art.* 5. *fin.* Rebell. *l.* 2. *de Oblig. Just. qu.* 10. *sect.* 5. Pont. *l.* 12. *de Matr. c.* 7. *num.* 3. Perez *D.* 12. *sect.* 3. *n.* 4. Pal. *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 16. *n.* 4. Engl *hic n.* 15. Schambogen *n.* 11. Vviestner *n.* 40. Reiffenstuel *n.* 51. *&* 58. Ratio est, quia in dubio standum est pro libertate, quando de Sponsalibus tantum agitur *arg. l. Arianus* 47. *ff. de O. & A.* igitur in dubio, an joco, vel serio adjecta sit Sponsalibus talis conditio, praesumendum est adjectam serio, eaque Sponsalium obligationem suspendi.

101 *Ex quo sequitur*, quod post eventum conditio ejusmodi patiat obligationem Sponsalium absolutam. *Post eventum*, inquam; nam ante eventum nullam etiam eventum exspectandi obligationem imponit, cum inducat ad peccatum, ad quod obligatio nulla datur, ut bene advertit P. Vviestner *loc. cit.*

102 Quaeritur 6. An valida sit conditio, vel contra ut turpis rejicienda, qua quis contrahit Matrimonium sub conditione, *Si te Virginem invenero?* Gloss. *in cap. per tuas 6. V. praesumendum hoc tit.* Joan. Andr. *ibid. n.* 7. Alex. de Nevo *in cap. de illis* 3. *eod. nu.* 2. & alii apud Sanchez *l.* 5. *D.* 16. *num.* 5. dicunt eam conditionem rejici tanquam turpem, & sic Matrimonium manere purum. Contra hoc negat Sot. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 3. *post* 3. *concl. vers. his nihilominus*, qui proinde putat ea conditione Contractum suspendi, quamvis intelligatur, *Si per coitum invenero te Virginem:* quia ea conditio non fertur super actum turpem, sed super honestam Virginitatis conditionem.

103 Sed melius distinguunt Navar. *Man. cap.* 22. *n.* 66. Covar. *p.* 2. *de Spons. c.* 3. §. 3. *num.* 12. Henriq. *lib.* 11. *de Matr. c.* 12. *n.* 6. Sanch. *D.* 16. *cit. n.* 7. Perez *D.* 12. *sect.* 10. *n.* 7. *&* 8. Barbosa *in c.* 6. *hoc tit. num.* 6. Pithing *hic n.* 22. Schambog. *n.* 27. Vviestner *nu.* 41. Reiffenstuel *nu.* 38. *&* 39. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 2. *n.* 114. Nam si conditio haec intelligitur de investigatione Virginitatis licita, quae fit per honestas Matronas, & obstetrices, aut per inquisitionem de vita, & fama puellae, vel alio licito modo, non debet rejici; quia non est turpis sed honesta conditio, ac propterea suspendit actum ad sui eventum.

104 Si vero intelligatur de exploratione illicita, & per concubitum facienda, est turpis, & inhonesta conditio, eaque adjecta valet Matrimonium, ut purum, & absolutum; & quidem ut *num.* 6. *citat.* Barbosa notat, ejusmodi Matrimonium, saltem in foro externo, sustineri deberet, etiamsi illa, cum qua sic contraxit, non esset Virgo. *Neque obstat*, quod conditio Virginitatis honesta sit; quia quando apponitur, ut turpiter exploranda, fit turpis, & inhonesta.

105 Quaeritur 7. Quid dicendum de conditione, *Si mecum concubueris*, adjecta Matrimoniali contractui? Varie sentiunt, & loquuntur DD. apud Sanchez *lib.* 5. *D* 16. *num.* 1. *&* 2. Solvi quaestio haec commodissime potest distinguendo: Vel enim conditio refertur ad concubitum, qui contractum Matrimonialem antecedit, vel ad eum, qui illum sequitur. *Si primum*, habetur pro non adjecta, cum sit de concubitu illicito, adeoque turpis.

106 *Si secundum*, altera distinctio est adhibenda, an scilicet referatur ad concubitum, qui admitti deberet ante bimestre, à contractu Matrimoniali lapsum, quod alias Jure indultum est ad deliberandum de Religionis ingressu, an vero referatur ad concubitum secuturum post illud bimestre. *Si prius*, conditio illa, ut vult Sanch. *loc. cit. num.* 3. indifferens est, & propterea, cum etiam non includatur in Contractu Matrimoniali per se, illum vere conditionalem reddit, ut non nisi conditionis impletione transeat in absolutum.

107 *Si posterius*, Matrimonium perinde, acsi conditio adjecta non fuisset, pure initum censetur *arg. l. haeredis* 7. §. *tractari* 5. *ff. quando dies legat. & l. si servo* 47. *ff. de condit. & demonstr.* quia ad hunc concubitum relata conditio fere inest ipso Jure; ea vero, quae sic insunt, supervacuè exprimuntur, & perinde se habent, acsi non essent expressa, atque ad summum admonitionis, non vero conditionis loco habentur *l. Cornelius* 69. *ff. de haered. instit. l. mutuo* 6. §. *si sub conditione* 1. *ff. de tutel.* Pithing *hic num.* 22. Schambogen *nu.* 27. Vviestner *num.* 42. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 2. *num.* 115.

Quaeritur 8. Qualis censenda sit, turpis, an honesta conditio, adjecta Sponsalibus, vel Matrimonio, *si donaveris centum*, vel alia similis? Aliqui conditionem istam pro turpi absolute habent ex ratione; quia conjugium quasi venale reddit, & ita contrahens propter libidinem, aut alio pravo affectu contrahere videtur: quae causa est, quod *l. nec esset* 2. *ff. de donat. int. vir. & uxor. & l. si ita* 97. §. *si tibi* 2. *ff. de V. O.* stipulationes, sub ejusmodi conditione factae, rejiciantur. 108

Sed dicendum, si conditio haec, ut fere solet, ac praesumitur fieri, ex justa causa, v. g. in compensationem dotis, nobilitatis, juventutis, aut alterius qualitatis, quae in altero excellit, apponatur, eam habendam pro honesta, & cons. ut alias conditiones de futuro contingenti, obligatoriam esse. Ita Abb. *in c. de illis* 3. *hoc tit. num.* 3. Covar. *p.* 2. *de Spons. c.* 3. §. 3. *n.* 1. *&* 2. Sanch. *l.* 1. *D.* 33. *num.* 4. *& l.* 5. *D.* 6. *n.* 6. Barbosa *in c.* 3. *cit. n.* 4. Canis. *ibid. n.* 2. Gonzal. *n.* 2. Vvagnereck *vers. si tantum.* Pirh. *hic n.* 7. Schambog. *n.* 4. Vviestner *n.* 43. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 2. *n.* 46. Ratio est, quia tunc cessat praesumptio libidinis. *Et confirmatur ex c. de illis cit.* ubi conditio, ex tali causa adjecta Sponsalibus, & Matrimonio non rejicitur absolute. 109

Dices cum Alex. de Nevo *in c. de illis cit. num.* 3. in *cap. cit.* dicitur, *Si mihi donaveris*; id autem, quod gratia dotis, nobilitatis &c. compensandae datur, donatum dici non potest, cum ad supportanda Matrimonii onera detur *l. pro oneribus* 20. *Cod. de Jure dotium*; ergo &c. Resp. verbum *Donaveris* hoc loco non accipiendum rigorosè, sed pro eo, quod ex causa aliqua datur, ut monet Sanch. *n.* 4. *cit.* & colligitur ex ipso textu; nam ibi agitur de Donatione deducta in pactum, ac proinde non mere gratuita, sed onerosa. 110

Ad ll. num. 108. *allegatas* dico, ibi non reprobari talem stipulationem absolute, sed tantum dici, causa cognita, actionem denegandam esse, i. e. Judex prius cognoscere debet, an honesta, vel probabilis causa hujusmodi stipulationis fuerit, an contra inhonesta. Deinde dici potest, quod *cap. de illis, & ll. citt.* loquantur de casibus diversis, &c. *de illis* quidem de casu, quo causa hujusmodi conditionem addendi est justa, & honesta; Leges *citt.* autem de casu, quo causa est inhonesta, & Matrimonium libidini venale redditur. Talem praesumptionem existimat Sanchez *loc. citat. num.* 5. esse, quando non foemina viro, sed vir foeminae nobilitate, opibus, aliisque dotibus par, aut praecellens promittit centum sub conditione, *si illa ipsi nupserit.* 111

Quaeritur 9. An conditiones impertinentes habeantur pro non adjectis in matrimonio, vel potius illud suspendant? Pro non adjectis habendas existimat Sot. *in* 4. *dist.* 29. *quaest.* 2. *art.* 3. *paulo post princ. concl.* 2. Barth. à Ledesm. *dub.* 25. *de Matrim. concl.* 9. & nonnulli alii; & videtur istud probari ex eo, quia turpe apparet Contractui tam sancto, & qui Sacramentum est, impertinentem conditionem adjicere, sed conditio turpis secundum dicta *num.* 90. pro non adjecta habetur; ergo &c. 112

Sed melius hujusmodi conditiones dicuntur matrimonii Contractum suspendere, ita ut iste aliter non valeat, nisi illis stantibus. Ita Abb. *in cap. super eo* 5. *hoc tit. n.* 4. Alex. de Nevo *ibid. num.* 7. Sanchez *lib.* 5. *de Matr. D.* 18. *num.* 3. Ratio est, quia omnis conditio, Jure non reprobata, apponi matrimonio potest, ut colligitur à contrario sensu ex *cap. super eo cit.* ibi, *Ac conditionem ipsam Canonica non improbent statuta.* Atqui conditiones impertinentes nullo Jure reprobantur; si enim aliquo Jure reprobarentur, reprobarentur per *cap. fin. hoc tit.* ubi rejiciuntur conditiones turpes, atqui à turpibus conditionibus ad impertinentes duci argumentum nequit; quia impertinentes ad nullum peccatum inducunt, cons. in illis non pugnat ratio, ob quam à matrimonio rejiciuntur conditiones turpes; ergo &c. 113

Ex quo

11 Ex quo cadit Argumentum oppositum; licet enim adjicere hujusmodi conditionem impertinentem sit aliqualis culpa; quia tamen ad peccatum non incitat, non est ex turpibus, quæ à Matrimonio rejiciuntur.

§. V.

De Desponsatione sub conditione contraria substantiæ Matrimonii.

S U M M A R I U M.

115 *An Contractum Matrimonii vitient Conditiones, quæ substantiæ, & bonis ejusdem repugnant, si illæ sint de præterito, vel de præsenti?*
116 *Quid si talis conditio de futuro adjecta sit, sed ab uno contrahentium tantum?*
117 *Quid si addita sit ab ambobus contrahentibus?*
118 *Vel adversetur tantum bonis Matrimonii distincti, non ejus, quod hic, & nunc contrahitur?*
119 *An conditio, contraria bonis Matrimonii, solum vitiet Matrimonium, quando illa turpis est, an etiam, quando honesta?*
120 *Defenditur per utramque vitiari.*
121 *Hujus Sententiæ Argumentum.*
122 *Solvuntur Rationes oppositæ.*
123 *Quid dicendum de Matrimonio, contracto sub ea conditione, ut liceat ante consummationem ingredi Religionem?*
124 *Vel sub conditione non cohabitandi?*
125 *Non petendi debitum?*
126 *Aut illud non reddendi?*
127 *Vel non reddendi, quando illicite petit?*
128 *Diluuntur Argumenta opposita.*
129 130 *An valeat Matrimonium contractum à Judæis, vel Paganis sub conditione, ut possint dare Libellum Repudii juxta ritum eorum?*
131 132 133 134 *An etiam Sponsalia vitientur per conditionem contrariam substantiæ, & bonis Matrimonii?*

Contra substantiam Matrimonii secundum dicta *n.* 6. pugnare censetur tunc Conditio, quando pugnat contra triplex bonum Matrimonii, contra bonum prolis, bonum fidei, & bonum Sacramenti.

Quæritur 1. An Contractum Matrimonii vitient Conditiones appositæ, si illæ repugnent substantiæ, & bonis Matrimonii? Resp. Distinguendo: Vel enim talis conditio apponitur de præsenti, aut præterito, vel de futuro. *Si de præsenti, aut de præterito*, Matrimonium ejus appositione non vitiatur, sed ea existente valet, illa non existente nullum est. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 1. *num.* 9. Henriq. *lib.* 11. *de Matrim. c.* 12. *n.* 7. *& c.* 4. *n.* 1. *Comment. lit. F.* Barth. à Ledesm. *dub.* 25. *concl.* 10. Sanch. *l.* 5. *de Matr. D.* 9. *n.* 6. Barbosa *in c. fin. hoc tit. num.* 8. Pirhing *hic num.* 14. Vviestner *n.* 47. & colligitur ex *cap. fin. citat.* quia ibi Pontifex loquitur de conditionibus veris, quales non sunt conditiones, quæ tempus præteritum, vel præsens respiciunt. *Ratio est*, quia conditio de præterito, vel de præsenti adjecta Matrimonio non respicit obligationem, prædictis tribus bonis contrariam, sed tantum actus executionem. Atqui substantiæ Contractus Matrimonialis non executio ejusmodi actuum, sed obligatio ad eos exequendos adversatur, ut cum S. Thoma, Turrecremata, & aliis ostendit Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 29. *n.* 12.

116 Si vero Contractui Matrimoniali adjecta sit *de futuro* talis conditio, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an ab utroque contrahentium adjecta sit, an ab uno tantum. *Si ab uno tantum*, alter vero contradixerit, Matrimonium valet perinde, acsi conditio talis apposita non fuisset, ut recte Covar. §. 1. *cit. num.* 11. Barbosa *in cap. fin. cit. n.* 9. Fagnan. *ibidem n.* 4. Pirhing *hic n.* 14. Schambog. *n.* 14. Vviestner *num.* 48. Ratio est, quia si apponens ejusmodi conditionem, alterius contradictione non obstante, ad Contractum Matrimonialem processit, favore Matrimonii à conditione apposita recessisse præsumitur *arg. cap. per tuas* 6. *hoc titul.* Idem dicendum existimat Schambog. *loc. citat.* casu, quo post appositam talem conditionem ab uno, alter tacet; tunc enim favore Matrimonii censetur contradicere, & idem erit, acsi conditio non esset apposita.

At si talis Conditio adjecta sit ab ambobus contrahentibus, vitiat, & invalidum reddit Contractum, prout expressè deciditur *cap. fin. cit.* Estque conclusio hæc vera etiam stando Jure naturali, ut bene Sanchez *D.* 9. *cit. n.* 4. 117
conf. Pontifex, dum *in cap. cit.* definivit, conditiones has vitiare Matrimonium, nihil novi statuit, sed quod Jus naturæ dictavit, declaravit. *Ratio est*, quia sine substantia nihil potest subsistere. Atqui substantia Matrimonii consistit in consensu ad Societatem conjugalem, ad fidem mutuo sibi servandam, prolemque suscipiendam, quæ sunt tria bona Matrimonii. Ergo conditiones, quæ his adversantur, destruunt Matrimonii substantiam, & consl. ipsum annullant. *Conf.* Quia alii Contractus annullantur ob conditionem adversam illorum substantiæ, ut si Contractus Societatis ineatur ea lege, ut lucrum, & damnum commune non sit, aut Contractus emptionis venditionis eo pacto, ut emptor rei venditæ dominium non acquirat. Ergo similiter vitiabit Matrimonium conditio repugnans substantiæ illius.

Intelligi autem hoc debet, quando conditio adjecta adversatur præsenti Matrimonio, cujus contractui apponitur; non enim vitiat Matrimonium, si alii Matrimonio adversetur, ut *Contraho tecum, si feceris, ut conjux Petri adulteretur, vel sumat venena sterilitatis*; sed talis, conditio potius, tanquam turpis, habebitur pro non adjecta, salvo valore Matrimonii ita contracti, ut cum Paludano, & Ludovico Lopez bene advertit Sanchez *loc. citat. num.* 5. Ratio est, quia conditiones ejusmodi ideo vitiant Matrimonium, quia solvunt substantiam Matrimonii sua tali conditione initi. Atqui quando solum adversantur bonis Matrimonii alterius distincti, substantia hujus Matrimonii salva, atque illæsa manet; ergo &c. 118

Quæritur 2. An conditio, contraria bonis Matrimonii, illud vitiet solum, quando illa est turpis, an etiam, quando honesta, v. g. *Si mecum vivas in perpetua castitate, si hanc voves &c.* Non vitiari per conditionem honestam, defendunt Paludan. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 2. *num.* 6. Abulens. *in cap.* 30. *Num. q.* 32. *ad fin.* Rebell. *l.* 2. *de oblig. Just. quæst.* 10. *sect.* 3. Pont. *l.* 3. *de Matr. cap.* 11. *num.* 5 Bosco *de Matr. D.* 11. *sect.* 8. *concl.* 9. *à num.* 421. Vvagnereck *in c. fin. V. contra substantiam not.* 3. *hoc tit.* Clericat. *de Sacr. Matr. decis.* 3. *num.* 21. *& seqq.* Krimer *hic a n.* 805. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Matr. cap.* 2. *n.* 118. *& seqq.* Movetur 1. Quia conditiones istæ non recensentur inter illas, quæ matrimonium de Jure irritant; alias enim *in fin. cit.* etiam istarum facta fuisset mentio. 2. Quia jus, & obligatio ad copulam non est de substantia matrimonii, cum istud contrahatur solo consensu *l. nuptias* 30. *ff. de R. J.* & eo contracto, utrumque, salva ejus substantia, tolli potest, ut fit, quando alteruter conjugum lapsus est in adulterium, vel incestum. 3. Sponsi contrahere possunt matrimonium cum intentione servandi castitatem, vel ingrediendi Religionem juxta *cap. commissum* 16. *hoc tit.* ergo possunt istud etiam in pactum deducere, & conditionem talem adjicere matrimonio. 4. Ad essentiam matrimonii sufficit dominium mutuum corporum inter conjuges. Potest autem dominium directum stare sine usufructu, vel dominio utili. 5. Si conjuges, inito jam matrimonio, in similem conditionem, vel pactum consentiant mutuo, talis conditio, vel pactio valet, adimplenda est. 6. Imo valide ineunt matrimonium duo, quorum uterque obstrictus est Voto Castitatis, licet debitum exigere neuter valeat. Ergo poterit ejusdem contractui etiam apponi conditio de debito non reddendo, vel petendo. 7. Si talis conditio non posset adjici matrimonio, non constitisset matrimonium inter B. V. & S. Josephum. Sequela est contra Historiam Evangelicam *Matth.* 1. *v.* 18. *Luc.* 1. *v.* 27. & textum *can. conjux* 9. *caus.* 27. *q.* 2. ergo &c. 119

Hæc Sententia admodum probabilis est, probabilior tamen videtur, quæ negat matrimonium, sub tali conditione contractum, validum esse. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 28. *q. un. art.* 4. *ad* 3. S. Bonav. *dist. cit. qu. ult. num.* 33. Richard. *ead. dist. art.* 2. *q.* 4. *ad* 3. Sot. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 3. *vers. in prima*, Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 1. *n.* 3. Carrer. *lib.* 4. *de Sponsal. c.* 5. Sanch. *l.* 5. *de Matrim. D.* 10. *n.* 2. *&* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 7. *n.* 9. Barbosa 120

in cap. fin. hoc tit. n. 3. Gonzal. *ibid.* 8. *fin.* Konig *tit. de Sponsal. n.*102. *vers. negant*, Zoes. *hic n.* 3. Engl *num.* 10. Pirh. *n.* 13. Schambogen *n.* 19. Vviestner *n.* 52. & multi alii, itque præcipui nominis TT. & Canonistæ. Colligitur ex *c. fin. cit.* ubi Pontifex Gregorius IX. dicit Matrimonium vitiari conditione contraria bono prolis, nec distinguit inter conditionem honestam, & turpem, sed vim tantum ponit in contrarietate cum substantia Matrimonii, non vero in sola conditionis turpitudine.

121 *Ratio est*, quia licet de substantia Matrimonii non sit copula, nec intentio illius exigendæ, vel reddendæ, est tamen de substantia illius mutua corporum traditio, vi cujus Matrimonium contrahentes in se mutuo transferunt jus in corpus suum ad actus conjugales, ac proinde implicitè saltem se obligant ad eos reddendos. Atqui contrahentes sub conditione servandæ, aut vovendæ perpetuæ Castitatis jus istud, & implicitum consensum ad actus conjugales reddendos appositione talis conditionis excludunt, cum vi illius ad copulam non exigendam, & non reddendam obligentur; ergo &c. *Conf.* à pari: Si Petrus, & Paulus v. g. contrahant, & Petrus Paulo vendat fundum Tusculanum aureis 100. & in continenti addat, ita tamen, ut si volet Petrus, possit Paulo fundum tradere, & Paulus, si volet, Petro 100. aureos solvere, talis Contractus ipso Jure est nullus; quia ita habetur *l. in vendentis* 13. *C. de contrah. empt.* ubi Impp. *in vendentis*, inquiunt, *vel ementis voluntatem collata conditione comparandi, quia non adstringit necessitate contrahentes, obligatio nulla est*. Ergo etiam, si ineatur Matrimonium, ita, ut ex eo nulla nascatur obligatio alteri reddendi debitum, illud erit nullum. Si autem Conditiones sic appositæ valerent, tunc nulla nasceretur obligatio, quam requirit Matrimonium; quia contrahentes deberent conditionem, & pactum implere, & quisque alterum, qui debitum conjugale sibi reddi peteret, repellere per exceptionem conditionis de eo non reddendo contractui appositæ posset; ergo &c. Videatur *Tit* 1. *n.* 261. *& duob. seqq.*

122 Argumenta Adversariorum non sunt ita firma, ut responsionem non patiantur. *Ad* 1. Conditiones *c. fin. cit.* recensitæ sunt tantum exempli causa; idem enim dicendum de omnibus aliis conditionibus, quæ substantiæ Matrimonii adversantur, cum ratio Legis in textu expressa generalis sit. Abb. *in cap. fin. cit. num.* 2. Alex. de Nevo *ibidem num.* 3. Pirhing *hic num.* 13. & hinc dici potest, quod etiam præsens casus in *c. cit.* contineatur implicite. *Ad* 2. Matrimonium contrahitur consensu, non tamen quocunque, sed tali, qui simul sit mutua corporum traditio, & translatio Juris ad petendos, & exhibendos actus conjugales; talis autem consensus stare non potest cum conditione servandi, aut vovendi perpetuam Castitatem. *Ad* 3. Cum tali intentione servandi Castitatem, vel ingrediendi Religionem potest subsistere consensus in obligationem mutuam, & jus exigendi debitum; non autem potest consistere, si in ipso contractu addatur conditio talis, cum vi istius is, à quo petitur debitum, jus acquirat repellendi petentem obtentu contractus cum tali conditione initi, quippe qui non aliter obligat, quam in qua forma est initus. *Ad* 4. Dominium directum sine dominio utili consistere non potest, quando contractus ex vi essentiæ suæ ordinatur in finem usus; quod contingit in Matrimonio. *Ad* 5. Negatur paritas; quia si semel contractus substantia legitime fuit posita, per actum supervenientem, licèt substantiæ illius contrarium, non vitiatur Contractus, prout patet *ex l. empti* 9. *C. de contr. empt.* ubi dicitur, si post contractum emptionis initum, ex post facto venditor emptori remittat pretium, contractum subsistere; & qui emit, dicitur rem illa' emptionis titulo possidere, *l. pretii* 9. *Cod. de rescind. vendit.* *Ad* 6. Iterum negatur paritas; nam si Votum continentiæ præcessit contractum Matrimonii, per ejusmodi Votum non tollitur traditio corporum mutua ad actus conjugales, sed tantum res, scilicet corpus, ad continentiam promissum Deo, per contractum Matrimonialem traditur alteri, quod licet fiat illicitè, fit tamen valide, ut patet in venditione equi, qui si sit venditus Cajo, non tamen eidem traditus, per secundam venditionem, accedente traditione, Sempronio factam, in hujus dominium transit. *Ad* 7. B. V. cum S. Josepho contraxit Matrimonium sine consensu quidem in copulam; at non sine traditione Juris & potestatis in corpus suum: quod ipsa, non obstante Voto Castitatis, quod habuit, licite facere poterat; quia Divina revelatione certum ei erat, quod debitum conjugale ab ipsa nunquam esset exigendum, ut docet S. Aug. relatus *can. Beata* 3. *caus.* 27. *qu.* 2. & S. Thom. *in* 4. *dist.* 30. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1.

Quæritur 3. Quid dicendum de aliis similibus conditionibus, qualis est. 1. Ut liceat ingredi Religionem ante consummationem Matrimonii? 2. Qua tollitur obligatio cohabitandi simul? 3. Quæ excipit, ut non petatur debitum? 4. Quæ liberat ab obligatione illud reddendi? 123

Resp. *Ad* 1. Ea conditione certo non vitiari Matrimonium; quia Iure inest; cum Matrimonium ratum ex dispositione Iuris imbibitam sibi habeat conditionem, *Nisi statum perfectiorem elegero*, ut latius dicetur *Tit. seq.* Idem dicendum de quavis alia conditione, quæ Iure communi inest, si apponatur eo modo, quo inest, ut post Ioan. Andr. Anchar. Præposit. Alex. de Nevo advertit Sanch. *lib.* 5. *de Matr. D.* 10. *num.* 6. Aliud foret, si ea poneretur conditio, ut ambo, vel alter ingredi Religionem teneretur ante, vel post Matrimonii consummationem; nam sub ea conditione contractum, ut idem Sanchez *loc. cit.* notat, non valeret: & ratio est, quia licet ante Matrimonii consummationem licitum sit profiteri Religionem, non tamen ad id tenentur conjuges; cons. ea conditio non apponitur eo modo, quo Iure inest; & quia tollit mutuam corporum ad copulam traditionem, tanquam repugnans substantiæ Matrimonii, illud reddit invalidum. Sanch. *loc. cit.*

Ad 2. Distinguendum est cum Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 47. *art.* 5. *dub.* 4. *in solut. conf. ad* 6. Sanch. *l. cit. n.* 5. *& aliis*. Nam si sit pactum de non cohabitando ad certum tempus, non vitiat Matrimonium; secus, si sit pactum de nunquam cohabitando; quia ad essentiam Matrimonii non pertinet omni tempore cohabitare, bene tamen mutua habitatio, prout patet ex definitione *Tit.* 1. *num.* 223. tradita, ubi dixi, quod per illud conjuges se *ad individuam vitæ societatem* obligent. Addit Sanch. *loc. cit.* irritum fore Matrimonium, si ea conditione contraheretur, ut certis diebus, v. g. sextis feriis, vel alio tempore ultra bimestre præfinitum à jure post initum Matrimonium abstinerent conjuges à copula conjugali; quia conditio hæc est contra totalem corporum traditionem. Bene tamen, & meritorie post initum matrimonium per hujusmodi pactum ad abstinentiam à copula certis diebus, vel omnino servandam se obligant, prout *supra* de Voto continentiæ dictum est, modo per hoc incontinentiæ periculo se non exponant. 124

Ad 3. putat Sylv. *V. Matrimonium* 4. *q.* 7. ea conditione Matrimonium non vitiari; quia non exigere non est contra bonum prolis, quæ reddendo generari potest: nec contra bonum fidei, utpote quam sufficienter servat conjux reddendo. Sed melius Adrian. *in* 4. *quæst.* 3. *de Matr. dub.* 9. *in* 2. *solut. ad* 3. Barth. à Ledesm. *dub.* 25. *de Matrim. post* 4. *concl. not.* 2. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 4. *n.* 1. Sanch. *D.* 10. *cit. n.* 4. dicunt adjectione ejus conditionis Matrimonium vitiari; quia de ratione Matrimonii est totalis corporum traditio, ex qua dimanet mutuum, & æquale jus in utroque ad corpus alterius. Atqui in hoc casu hæc totalis traditio non fieret, non enim traderetur jus petendi; neque exurgeret æquale jus ad corpus; quia alter haberet jus petendi, & reddendi, alter vero solum jus reddendi. 125

Ad 4. Convenit inter DD. si simpliciter ineatur Matrimonium sub conditione non reddendi debitum, ea conditione vitiari Matrimonium; quia est contra bonum prolis, & contra bonum fidei. 126

Dubium est, si ita apponatur conditio non reddendi, ut ad hoc reddendum non teneatur conjux, quoties alter non exigit licitè? Et quidem Ant. Cucchus *l.* 5. *Inst. major. tit.* 11. *num.* 112. putat hanc conditionem Matrimonium non vitiare. 1. Quia conditio hæc videtur Iure inesse, cum nemo teneatur cooperari alterius peccato. 2. Conditio hæc est ansam peccati mortalis removens. 3. Quia hoc casu redditionem debiti non videtur exigere bonum prolis, utpote quæ non nisi per grave alterius peccatum potest suscipi.

Sed dicendum, conditionem istam repugnare substantiæ Matrimonii, & sic illud vitiare. Ita Adrian. 127

in 4.

in 4. *q.* 3. *de Matr. dub.* 4. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 1. *num.* 6. Ludov. Lop. *p.* 2. *Instruct. nov. de Matr. cap.* 42. *fol.* 1080. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 4. *art.* 5. *dub.* 4. Sanch. *l.* 5. *D.* 11. *num.* 2. Ratio est, quia ad substantiam Matrimonii pertinet, ut per illud acquiratur à conjugibus jus Justitiæ ad corpus alterius, quod retinent, etiamsi à petendo per virtutem Religionis, vel temperantiæ prohibeantur. Atqui jus istud Justitiæ, quod alter conjux per Matrimonium acquirere debebat, ut sibi petenti debitum redderetur, per conditionem ejusmodi tollitur; ergo &c. Aliud foret, si apponeretur conditio, ut toties liceret conjugi negare debitum, quoties alter non habet jus petendi, prout fit, si alter adulteretur, vel petat in loco Sacro; nam talis conditio Jure inest, ac proin ab ea Matrimonium non vitiatur. Sanch. *n.* 3.

128 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. Non omnis consensus in peccatum alterius est cooperatio, sed quando aliquis sponte consentit; secus, quando non consentit, quia cogitur ex debito Justitiæ, vel alterius Virtutis. *Ad* 2. Ansa peccati removeri sic debet, ut ea remotione jus alterius non violetur; sic autem violatur Jus conjugis; quamvis enim iste Voto simplici e. g. impeditus illicite petat jure tamen petit, quod jus ipsi aufert præfata conditio. *Ad* 3. Matrimonium, cum sit contractus Justitiæ, quo conjuges obligantur ad sibi invicem reddendum debitum, tantum respicit hoc jus Iustitiæ, & quoad ipsum impertinens est, si aliunde contra Votum peccatur: manet igitur adhuc, quod dicta conditio pugnet contra bonum prolis.

129 Quæritur 4. An si Pagani, vel Iudæi contrahant Matrimonium ea conditione, ut possint dare Libellum repudii, juxta ritum eorum, valeat Matrimonium? Affirmant nonnulli apud Sanch. *l.* 5. *de Matr. D.* 12. *n.* 2. inter Iudæos sic contractum Matrimonium validum esse; quia Lex eorum hoc permittit. Potest autem licite deduci in pactum, quod Iure inest.

Sed dicendum, modo nullum esse Matrimonium, sub tali conditione contractum. Gloss. *in cap. de infidelibus* 4. *vers. esse Matrimonium de consanguin.* Host. *ibid. in fine*, Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 1. *n.* 5. Sanch. *l.* 3. *D.* 12. *num.* 3. Ratio est, quia hodie, postquam Libellus repudii antiquatus à Christo est, etiam Matrimonia Iudæorum insolubilitatem habent, excepto unico casu, quando unus convertitur ad fidem, & alter conjugum sine injuria Creatoris cohabitare eidem non vult. Igitur conditio præstans Matrimonio solubilitatem, substantiæ ejusdem repugnat, & cons. id vitiat.

130 Idem à fortiori dicendum est de aliis Infidelibus, quibus nunquam licuit libellum repudii dare. Et extendi debet ad quascunque conditiones alias, quæ conformes quidem sunt eorum ritui, repugnant autem Institutioni Matrimonii à Deo in Paradiso factæ, ut si Infidelis contrahat ea conditione, ut sibi liceat habere tot uxores, quot potest alere. Sanch. *n.* 4.

131 Quæritur 5. An etiam Sponsalia vitientur, ac reddantur nulla per conditionem contrariam substantiæ, & bonis Matrimonii? Resp. Cum distinctione; nam si conditio contraria Sponsalibus apponitur, ita, ut post contractum Matrimonium contra bonum prolis, Sacramenti, aut fidei conjugalis implenda sit, tali casu etiam Sponsalia irritari docet S. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 1. S. Bonavent. *ibidem dist.* 28. *quæst.* 3. *n.* 13. Sanchez *lib.* 5. *D.* 14. *num.* 3. & teste P. Vviestner *hic num.* 46. communiter DD. cæteri *arg. l. oratio* 16. *ff. de Sponsal.*

132 Si vero debeat impleri ante contractum Matrimonium, videndum est, quali bono Matrimonii opponatur; nam 1. si est contra inseparabilitatem, ut *Contraham tecum, nisi ante initum Matrimonium aliam ditiorem invenero*, nec Sponsalia, nec Matrimonium vitiat conditio sic apposita: non Sponsalia; quia hæc sunt ex natura sua dissolubilia, & contrahi possunt sub conditione resolutoria, ut dictum est *supra n.* 14. non Matrimonium; quia hoc si contrahatur, manet indissolubile, licet præcesserint Sponsalia dissolubilia.

133 2 Si vero conditio sit contra matrimonii fidem, ut *Contraham tecum, si ante Matrimonium forniceris*, iterum nec Sponsalia, nec matrimonium vitiantur: matrimonium quidem; quia ad fidem istius duntaxat pertinet, ne postquam corporis dominium in alterum translatum est, istud tradatur alteri: Sponsalia autem; quia hæc conditio quidem turpis est, conditio turpis tamen, nisi tollat aliquod bonum matrimonii, Sponsalia non vitiat, sed illa, si de futuro est, usque ad eventum suspendit.

3 Si autem adversetur bono prolis, ut *Contraham tecum, si venenum sumas, quo sterilis efficiaris*, tam matrimonium, quam Sponsalia, si in ambo conditio ista influat, vitiantur; quia per eam conditionem obligatur contrahens ad aliquid contrarium bono prolis, quod per matrimonium promissum intenditur: unde adversatur matrimonio promisso. Hinc, ut optime monet Sanchez *lib.* 5. *D.* 9. *num.* 7. licet secundum dicta *num.* 115. conditio repugnans substantiæ matrimonii de præterito, vel præsenti adjecta matrimonio illud non vitiet, excipiendus tamen est casus, quo conditio illa afficeret, & tangeret matrimonium in futurum, prout fit in casu præsenti; quis perinde est, ac obligare se in futurum ad venenum sterilitatis sumendum. 134

§. VI.

De Causa, Demonstratione, & Modo adjecto Sponsalibus, vel Matrimonio.

SUMMARIUM.

Quæritur 1. an aliquando matrimonium suspendat, vel vitiet Demonstratio, vel Causa adjecta, v. g. *Duco te, quæ Virgo es, accipio te in uxorem, quia dives, vel pulchra es*. Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 62. vult ejus appositione vitiari matrimonium, quando illa est contra substantiam, & bona matrimonii: & videtur istud probare ratio; quia eo ipso, quod ita contrahens non absolute, sed sub ea causa, & demonstratione, quæ substantiæ matrimonii adversatur, consentiat, non videtur absolute consentire in matrimonium. 135

Sed dicendum, ejusmodi Demonstrationem, & Causam, qualiscunque illa sit, sive vera, sive falsa, sive honesta, sive turpis, contraria substantiæ matrimonii, vel non contraria, per se nunquam suspendere, aut vitiare matrimonium. Ita Paludan. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. *n.* 5. *& art.* 2. *concl.* 1. *n.* 11. Sot. *dist. citat. q.* 2. *art.* 1. Lud. Lop. *p.* 2. *Instruct. nov. de Matr. cap.* 42. *paulo post princ.* Sanch. *l.* 5. *D.* 19. *num.* 2. Conink *D.* 29. *num* 45. Pal. *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 11. §. 5. *num.* 2. Vvagnereck *in cap. fin. V. si turpes hoc tit. not.* 6. Zoes. *hic num.* 18. *& seqq.* Honor. *num.* 9. Engl *num.* 20. Pirhing *num.* 29. Schambogen *n.* 42. Konig *num.* 27. *&* 28. Reiffenstuel *num.* 61. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. cap.* 3. *n.* 139. *& p.* 2. *c.* 2. *n.* 148. 136

Ratio est; quia quæ Matrimonium variant, aut vitiant, debent ad substantiam, seu vim contractus spectare; sed Demonstratio, & Causa non spectant ad substantiam Contractus matrimonialis, sed tantum declarant opinionem, quam habet contrahens circa personam, cum qua contrahit, & causam, quæ illum ad contractum hunc celebrandum movet. ergo &c. *Conf.* quia falsa Demonstratio non vitiat Legatum *l. falsa* 35. *ff. de condit. & demonstr.* ergo nec matrimonium, quod est favorabilius. *Neque refert*, quod non contraheret, si sciret talem demonstrationem, vel causam non subesse; quia talis voluntas est tantum habitua- 137

lis, nec impedit, ut non actu, & absolute consentiat. Conink *loc. cit.* Zoes. *n.* 20. Schambog. *n.* 42.

138 Dixi autem *per se*; nam duo casus excipiendi sunt. *Unus est*, si talis Demonstratio, vel Causa reducatur ad errorem circa substantiam personæ, vel conditionem libertatis, ut siquis dicat, *Contraho tecum Matrimonium, quæ, vel quia es libera, aut primogenita filia Petri*; nam si non sit libera, vel primogenita filia Petri, irritum est Matrimonium, non tamen ratione falsæ Demonstrationis, vel causæ, sed propter errorem personæ, vel conditionis, quippe cum Matrimonium, ex tali errore contractum adhuc foret irritum, etiamsi talis Demonstratio, vel causa non fuisset adjecta. Sanchez *D.* 19. *cit. num.* 2. *fin.* cum aliis supra: *Alter casus est*, quando apponuntur per modum conditionis; tunc enim de illis, sicut de conditionibus, judicandum est. Sanchez *num.* 3. Ita per modum conditionis apponi censetur recte Zoes. *n.* 18. si sit in futurum collata, ut si dicas, *Contraho tecum, quæ, vel quia tantam dotem afferes*; habet enim sensum, *Contraho tecum, si tantam afferes dotem*,

139 Quæritur 2. an modus adjectus Matrimoniali Contractui, si honestus ille, & possibilis sit, illum aliquando vitiet, vel suspendat? Resp. negative, si retineat naturam modi, & non degeneret in conditionem. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. Lud. Lop. *p.* 2. *Instruct. nov. de Matr. cap.* 42. *paulo post princ.* Sanch. *l.* 5. *D.* 19. *num.* 9. Conink *D.* 29. *de Sacr. num.* 46. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 10. Zoes. *hic n.* 16. Engl *n.* 3. Pirhing *n.* 30. Schambog. *n.* 44. Vviest. *n.* 55. Reiffenstuel *num.* 63. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. c.* 3. *n.* 136. *& part.* 2. *cap.* 2. *num.* 146. Ratio est, quia modus in hoc differt à Conditione proprie dicta, quod hæc suspendat actum, qui apponitur, ita, ut ante eam impletam obligatio absoluta non consurgat; Modus vero non suspendat actum, sed is statim valeat, & vim suam habeat, etsi Modus ejusmodi nondum implerus sit, cum obligatione tamen, ut alter contrahens modum, cum quo contractus initus est, impleat. Patet istud etiam in aliis Contractibus; nam siquis dicat: *Dono tibi equum, ut mihi patrocineris apud Principem*, equus eo casu quidem statim fit donatarii, sed ab hoc per ipsam acceptationem Donationis contrahitur obligatio, ut modum impleat, sub quo Donatio ipsi facta est, & apud Principem patrocinium suum interponat.

140 Addidi, *si retineat naturam Modi*; nam aliquando vim Conditionis suspensivæ habet. Porro, ut cognoscatur, quando censeri debeat Contractus initus sub Conditione suspensiva, & proprie dicta, quando autem sub Modo, attendendum est, utrum contrahens voluerit statim esse actum validum, an vero ut esset validus, primum, quando conditio est impleta. Si statim voluit esse validum, sed alterum contrahentem obligare solum voluit ad aliquid post faciendum, censeri debet contractum esse sub Modo factum; si vero voluit, ut tunc primum valeret, quando conditio est impleta, præsumi debet, Contractum esse initum sub conditione proprie dicta, & suspensive. Laym. *c.* 7. *cit. n.* 11. Engl *hic n.* 4. Pirhing *ibid. n.* 32.

141 Quæritur 3. an valeat Matrimonium, cui adjectus est modus impossibilis, v. g. *Contraho tecum ea lege, ut digito cælum tangas, ut montem aureum mihi des*; vel cui adjectus est Modus turpis, & illicitus, v. g. *ut Patrem tuum interficias &c.* Resp. Matrimonium eo casu valere, & modum illi adjectum ob favorem Matrimonii haberi pro non adjecto. Paludan. *in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 3. *concl.* 7. *n.* 22. Sylv. *V. Matrimonium* 3. *q.* 12. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 208. *num.* 11. *vers. Modus impossibilis*, Sanch. *D.* 19. *cit. n.* 7. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 7. *num.* 11. Palao *tr.* 28. *D.* 2. *p.* 11. *n.* 3. Zoes. *hic n.* 17. Pirhing *num.* 31. Schambogen *n.* 45. Konig *n.* 29. *vers. quod ad effectum*, Vviestner *n.* 55. Reiffenstuel *n.* 63. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. cap.* 3. *n.* 137. *& p.* 2. *c.* 2. *n.* 143.

142 *Ratio est*, quia conditio impossibilis, vel turpis non vitiat Matrimonium, vel suspendit, sed habetur pro non adjecta, ut dictum est *supra n.* 60. *&* 90. ergo multo minus illud vitiat Modus impossibilis, vel turpis, cum hic non suspendat Contractum, sed superveniat illi jam perfecto. *Conf.* quia modus impossibilis, & turpis in cæteris actibus Contractum non vitiat, sed pro non adjecto habetur; ergo nec in Matrimonio, quod sequitur naturam aliorum Contractuum, ut sæpe dictum est.

Quæritur 4. utrum hoc etiam dicendum sit de Modo contrario substantiæ, aut bonis Matrimonii, quales forent: *Contraho tecum, ut generationem prolis evites* vel *donec inveniam aliam ditiorem*, aut *si pro quæstu adulterandam te tradas &c.* Negant Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 1. *n.* 7. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 208. *n.* 3. Sanch. *l.* 5. *de Matr. D.* 19. *n.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 7. *n.* 11. *vers. porro*, Barbos. *in c. fin. hoc tit. n.* 5. Bosco *de Matr. D.* 1. *sect.* 8. *concl.* 11. *per totam* Zoes. *hic n.* 17. Honor. *n.* 8. Pirhing *n.* 30. Schambog. *n.* 55. Konig *num.* 29. *fin.* Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. cap.* 3. *numer.* 138. *& part.* 2. *cap.* 2. *numer.* 144. Rationem dant, quia id generatim loquendo in omnibus Contractibus obtinet, quod quando contrahens, dum actu contrahit, vult alterum obligari ad præstandum quidpiam repugnans ipsi substantiæ Contractus, satis significet se non habere veram, & seriam voluntatem ineundi talem Contractum; sine vera autem voluntate, seu consensus Contractus non subsistit. ergo &c. *Conf.* nam, ut 117. dictum est, conditio contraria substantiæ Matrimonii adjecta Matrimonio vitiat Matrimonium. ergo & Modus, cum videatur eadem esse de utroque ratio. 143

Hæc Sententia probabilis est tum ab authoritate, tum à ratione; probabilior tamen videtur affirmativa, videlicet non obesse Matrimonio etiam Modum contrarium substantiæ Matrimonii adjectum matrimonio, sed eum, ut cæteros modos impossibiles, & turpes, pro non adjecto haberi. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 29. *quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. Petr. de Ledesm. *de Matrim. quæst.* 47. *art.* 5. *num.* 3. *fin.* Palao *tr.* 28. *D.* 2. *part.* 11. §. 5. *num.* 3. Perez *D.* 16. *sect.* 15. *n.* 14. Engl *hic n.* 7. Vviestner *n.* 55. Reiffenstuel *n.* 64. quibus accenseri possunt omnes illi, qui indistincte asserunt matrimonium contractum sub modo statim valere, acsi modus adjectus non esset. *Ratio est*, quia modus, & ex eo orta obligatio posterior est, & supervenit Contractui matrimoniali jam perfecto, cui adjectus est. igitur valorem illius non potest tollere. *Conf.* quia quando agitur de matrimonio, & ejus valere, semper capienda est illa præsumptio potius, ex qua dicatur subsistere, quam ut illud intereat. subsistet autem, si dicatur contrahens in illud consensisse absolute, nec valorem ejus allegasse modo adjecto. ergo &c.

Ad Argumentum Adversariorum Ratio *n. præc.* allata probat, idem dicendum esse de cæteris Contractibus, si modus ejusmodi illis adjectus sit, & is intra modi essentiam sistat, & non participet potius naturam conditionis. *Ad Conf.* negatur paritas; nam consensus dependenter à conditione elicitur, & hujus existentiæ alligatur; non vero elicitur dependenter à modo, neque alligatur ejusdem existentiæ; Et hinc non obstat, quod contrahens sub tali modo intendat obligare alterum ad aliquid contrarium substantiæ matrimonii; nam etsi hoc ita sit, & alter fortasse hujusmodi obligationem accepter, quia tamen consensus in matrimonium absolutus est, & à neutro alligatur hujusmodi obligationi, aut eventui, quem ista respicit, idcirco istud valori matrimonii nocere non potest, quippe cujus consensus præstitus est independenter ab eo, quod est contrarium substantiæ matrimonii. 144

Quæritur 5. quam vim habeant Sponsalia, vel matrimonium, quæ contrahuntur in diem certum, vel incertum? Resp. distinguendum esse, utrum dies adjectus sit per modum termini *à quo*, ut Sponsalia, vel matrimonium quoad suos effectus pro contracto habeatur à tempore existentis diei; an vero tanquam terminus *ad quem*, ut adveniente die, Sponsalia, vel matrimonium obligare cessent,

Si primum, dies adjecta, sive certa illa sit, sive incerta, habet vim Conditionis suspensivæ, & facit, ut ante diem signatam obligatio Matrimonialis, vel Sponsalitia non nascatur. *Si secundum*, habet vim conditionis resolutivæ; cons. sic contracta Sponsalia de futuro valent, non valet sic contractum Matrimonium, utpote à quo Conditiones resolutivas *numer.* 14. rejecimus.

Ex quo patet invalide contrahi Matrimonium, siquis 145

siquis dicat, *Contraho tecum ad certos annos, ut hac, vel illa circumstantia eveniente, vel non eveniente possim iterum discedere, aut alteri nubere*, prout in multis locis faciunt Hæretici, utpore qui cum hac expressa, sibique prælecta conditione contrahunt, ut una pars discedere, & alteri pro libitu queat nubere, si compars adulterium committat, vel ab Hæresi ad Fidem Catholicam se convertat. Reiffenstuel *hic n.* 48.

Superesset altera Rubricæ pars, scilicet de Conditionibus appositis in aliis Contractibus; sed quia de his sufficienter actum est tum in *Libr.* 1. *Tit.* 31. *de Pactis*, tum in *Libr.* 3. *Tit.* 14.* *de precariis*, & pluribus aliis consequentibus, idcirco non est necesse hic ea repetere. Solum hic noto, Matrimonium, & Contractus alios hic pares esse: & hinc ut Matrimonio, ita & aliis Contractibus adjici modum, & conditiones posse.

TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes Matrimonium contrahere possunt.

PRæsens Rubrica tria Conjugiorum Impedimenta nobis offert, duo Dirimentia, videlicet Ordinem Sacrum, & Professionem Religiosam, & tertium Impediens, Votum Castitatis Simplex: quibus ob similitudinem quandam Disparitatem Cultus annectemus.

§. I.

De Ordine Sacro.

SUMMARIUM.

1 2 *Ordo Sacer dirimit Matrimonium contrahendum.*
3 *Quod procedit etiam in Clericis Orientalis Ecclesiæ.*
4 *In minoribus Ordinibus constitutus Matrimonium valide, & licite contrahit.*
5 *Solvuntur Argumenta opposita.*
6 *Sponsalia ante contracta dirimuntur per Ordinem Sacrum.*
7 *Non tamen Matrimonium, etiam ratum tantum.*
8 *Et ita ordinatus absque consensu conjugis efficitur Irregularis.*
9 *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
10 *Quo Jure Ordo Sacer dirimat Matrimonium contrahendum? Rationes dubitandi.*
11 *Deciditur dirimere solum Jure Ecclesiastico.*
12 13 14 *Rationes assertionis.*
15 *Satisfit Argumentis oppositis.*
16 *An Impedimentum istud inducat Ordo Sacer, susceptus ante usum rationis?*
17 *Vel ante pubertatem adeptam? Rationes dubitandi.*
18 *Defenditur Negativa.*
19 *Diluuntur argumenta opposita.*
20 *Quid, si quis ad ejus susceptionem inductus est vi absoluta?*
21 *Vel metu gravi injuste incusso?*
22 *Fundamenta Sententiæ negantis, eo casu contrahi obligationem continentiæ.*
23 *Præfertur Sententia affirmans.*
24 *Rationes istius.*
25 *Respondetur ad opposita.*
26 *Quam obligationem contrahat, qui Sacrum Ordinem suscepit invalide?*
27 28 29 *An saltem ad continentiam teneatur ex Voto Simplici?*
30 *An conjugatus ad Ordines promoveri possit, invita conjuge?*
31 *Quid dicendum de Ordinibus minoribus?*
32 *Casus, quibus promoveri, invita uxore potest.*
33 34 35 *Quid requiratur, ut conjux innocens Religionem ingredi, vel Ordines suscipere, conjuge adultero invito, possit?*
36 37 *Quando conjugi innocenti, altero in Infidelitatem, vel Heresim lapso, permissum sit Religionem ingredi, vel SS. Ordines suscipere?*
38 39 *Quæ obligatio incumbat uxori, qua volente, & consentiente, Maritus ad Sacrum Ordinem promotus est?*
40 *An uxores, quorum mariti ipsis consentientibus, Ordine aliquo sacro initiati sunt, his mortuis, cum alio valide contrahere Matrimonium possint?*
41 42 *Unde oriatur hoc Impedimentum uxorum?*

QUæritur 1. an Ordo Sacer dirimat Matrimonium contrahendum? Negativam magnis studiis propugnant Hæretici nostri temporis, sumuntque fundamenta ex ipso Jure Canonico. 1. *can. un. caus.* 35. *q.* 1. ubi *ad finem vers. illud autem* S. Augustinus, *Ecclesia*, inquit, *post Apostolica instituta quædam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia Ministrorum*; non esset autem consilii, sed præcepti hæc continentia, si Ordo Sacer dirimeret Matrimonium contrahendum. ergo &c. 2. *can. Diaconi* 8. *dist.* 27. ubi Synodi Ancyranæ PP. *Diaconi quicunque*, inquiunt, *cum ordinantur si in ipsa Ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere uxores, nec posse continere, ii, si postea ad nuptias venerint maneant in ministerio, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit*. Neque refert quod Synodus hæc Provincialis duntaxat fuerint; nam postea à Leone IV. ut refertur *can. de libellis* 2. *dist.* 20. approbata est, ac proinde vim Juris communis accepit. 3. *can. quoniam* 13. *dist.* 31. ubi refertur *Synodi VI. can.* 13. in hunc tenorem: *Nos antiquum sequentes Canonem Apostolicæ diligentiæ, & Constitutiones, Sacrorum Virorum Legales nuptias amodo valere volumus*; cujus Synodi Canones postea recepit Adrianus Pontifex *can. sextam* 5. *dist.* 16. ibi, *Sextam Synodum recipio cum omnibus Canonibus suis*. 1

Sed veritas est Catholica, & indubitata, per ordinem Sacrum dirimi Matrimonium postea contrahendum; id enim pluries definitum est, præcipuè *can. Presbyteris* 8. *dist.* 27. *can. Presbyterum* 16. *dist.* 28. *can. omnium* 1. *& can. illo* 4. *dist.* 32. *can. cum in præterito* 3. *dist.* 84. *cap. siqui* 1. *de Cleric. conjug. cap. de Diacono* 1. *& cap. ex litterarum* 2. *hoc tit. cap. un. vers. præsentis de Vot. in* 6. & novissime à Trid. *sess.* 24. *de Sacr. Matrim. can.* 9. Ratio est, quia horum Ordinum susceptioni annexum est Votum Continentiæ solemne, quod ita obstat Matrimonio contrahendo, ut hoc, si ab aliquo Clerico, qui uno ex his Ordinibus initiatus est, ineatur, omnino nullum sit *c. cum olim* 6. *de Cleric. conjug. cap. un. & can.* 9. *citt.* 2

Proceditque hoc etiam in Clericis Orientalis Ecclesiæ; nam licet isti uxoribus, siquas ante susceptum Sacrum Ordinem habuerunt, uti possint, post susceptum tamen Ordinem Sacrum Matrimonium inire nequeunt: fuitque hoc ipso statim Ecclesiæ nascentis exordio introductum, ut patet ex *can.* 27. *Apostolorum*, quem canonem etiam de Orientali Ecclesia intelligendum constat ex *can. siquis cit. dist.* 32. ubi Synodi VI. Patres, *Si quis eorum*, inquiunt, *qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante Ordinem Subdiaconatus faciat*. Estque Matrimonium ejusmodi etiam in Græca Ecclesia non tantum illicitum, sed etiam irritum, ut ex usu, & moribus Ecclesiæ illius probat Azor *p.* 1. *l.* 13. *cap.* 12. *q.* 5. Sanchez *lib.* 7. *de Matr. D.* 28. *num.* 3. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 3. *num.* 3. Vivian. *in cap. ex litterarum cit. fin.* Wagnereck *ad Rubr. hoc tit. not.* 2. Pignat. *tom.* 8. *consult.* 81. *num.* 33. Reiffenstuel *hic num.* 4. Neque obstant verba *can. fin. dist.* 31. ibi, *Earum*, scilicet Orientalium Ecclesiarum, *Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi Matrimonio copulantur*, nam ut advertunt DD. *citt.* verba ista de Matrimonii usu, non de contractu illius intelligi debent. 3

Dixi autem, *Per Ordinem Sacrum*: qualis est Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus; nam constituti in minoribus Ordinibus Matrimonium valide, & licite contrahere possunt, cum id *can. siquis cit.* ipsis expresse concedatur. *Ratio est*, quia Ordo ex sui natura non repugnat Matrimonio, sed solum ratione Voti, quod Ecclesia ei annexuit; non annexuit autem id omnibus, sed majoribus duntaxat Ordinibus *can. nullum* 1. *dist.* 28. quod adeo verum est, ut Ecclesia etiam non possit iis, qui hactenus ad Ordines minores provecti sunt, continentiæ Legem indicere, ut cum aliis advertit Sanchez *lib.* 7. *de Matr. D.* 31. *num.* 4. ex ratione, quia absque ea obligatione promoti sunt, & continentia præcipi nequit; sed tantum suaderi *can. integritas* 13. *caus.* 32. *q.* 1. Posset tamen Ecclesia constituere, ne in 4

ne in posterum ad primam tonsuram, & Ordines minores promoveantur, nisi qui se voto solemni Castitatis adstrinxerint, sicut præcepit de Ordinibus Sacris; quia tunc non tam Ecclesia, quam ipsi Ordinati suomet facto Matrimonii ineundi potestate se privarent, eligentes sua sponte statum, cui id Votum annexum est.

5 Ad Argumenta *num.* 1. allata non difficilis est responsio. *Ad* 1. verba illa non sunt Augustini, sed addita sunt à Gratiano, & potest intelligi, Ecclesiam imposuisse Clericis continentiam sub præcepto, quæ antea erat sub consilio. *Ad* 2. Major *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *ad* 2. Azor *p.* 1. *l.* 13. *c.* 12. *q.* 2. & 4. Sanchez *l.* 7. *citat. D.* 28. *num.* 7. respondent ibi sermonem esse de more Ecclesiæ Græcæ, & de uxoribus ante Diaconatum ductis, ita, ut verba, *Si cum ordinantur, dixerint se velle uxores habere*, nil aliud significent, quam *si retinere uxores antea ductas velint*, & verba, *Si postea ad nuptias venerint*, pariant hunc sensum, *Si nuptiis antea contractis uti voluerint*. Vel si contendas, ibidem agi de contractu nuptiarum post susceptum Diaconatus Ordinem, dici cum Archidiacono, Turrecremata, Azor, Sanchez *citt.* poterit, ibi nuptias ita contractas non approbari, sed tantum decerni, quod ejusmodi Diaconus, si facti pœnitens, ab uxore de facto ducta se separaverit, cum licentia Episcopi ministrare in Ordine suscepto possit. *Ad* 3. Canon ille ex illis est, quos Trullanos appellant, quod apud Trullum Palatium Regium editi sint à quibusdam Episcopis, Synodo VI. jam dissoluta; quos nunquam approbavit Ecclesia, sed aperte improbavit Sergius illius temporis Pontifex. Verba illa relata *can. sextam cit.* non sunt Adriani Pontificis, sed illa Pontifex refert ex Epistola à Tharasio Patriarcha ad se missa, ut notatur §. *sextam* post *can. cit.*

6 Quæritur 2. An Ordo Sacer dirimat Sponsalia, vel Matrimonium ante susceptionem illius contractum? *Certum est* 1. susceptione Ordinis Sacri dirimi, & solvi sponsalia ante contracta; quia isto initiatus ob Votum Castitatis solemne ipsi annexum, ut hactenus dictum est, inhabilis redditur ad Matrimonium valide ineundum; proinde Sponsalia de futuro non amplius possunt obligare. *Certum est* 2. Per susceptionem Ordinis sacri non dirimi Matrimonium consummatum; quia per humanam authoritatem nullo modo dissolvi potest.

De Matrimonio rato tantum, & non consummato magna erat apud DD. Veteres controversia; nam vim illud dissolvendi videtur ei adstruere paritas cum Professione Religiosa, qua constat Matrimonium ratum dissolvi posse, ut *infra n.* dicetur.

7 Sed respondendum est nagative. Responsio est indubitata post *Constit. Extrav. un. Joan. XXII. de Vot.* ubi idem Pontifex concertationi antiquæ finem impositurus, statuit, per susceptionem Ordinis Sacri dirimi quidem Matrimonium contrahendum, non tamen contractum, etsi nondum sit consummatum; & addit rationem quia nec Jure Divino, neque Sanctionibus Ecclesiasticis vis ista SS. Ordinibus reperitur concessa.

Proceditque hoc non tantum in Ecclesia Græca, sed etiam in Latina; quia istarum Clerici in hoc solum different, quod Græcis licuerit, & etiamnum liceat post Matrimonium initum suscipere SS. Ordines, & uti Matrimonio ante contracto; quod utrumque Latinis est interdictum *c. cum olim* 6. *de Cleric. conjug.* propter Votum solemne perpetuæ Castitatis, ex dispositione Ecclesiæ annexum SS. Ordinibus, in quod eo ipso, quod quis eosdem sponte suscipiat, consentire censetur *cap. un. de Vot. in* 6.

8 Imo, qui post contractum Matrimonium etiam ratum absque consensu conjugis ordinatur, Irregularis efficitur, talisque manet, etiam soluto Matrimonio. *Extrav. un. cit.* ubi excipitur, nisi talis Religionem aliquam approbatam ingressus fuerit, & Professionem tacitam, vel expressam ibidem fecerit; hoc enim casu in *Const. cit.* Pontifex Episcopo Diœcesano facultatem concedit, ut cum eo dispensare ad ministerium Altaris, & alias Ordinis functiones possit, si dispensando aliud impedimentum nullum obsistat. Addit Pontifex, sic ordinatum, si Matrimonium consummatum non fuerit per Diœcesanum instanter monendum, & inducendum ad ingressum Religionis; si vero istud forsan renuerit adimplere, ipsum, si Sponsa ejus institerit, per Censuram Ecclesiasticam compellendum, ut Matrimonium contractum consummet.

Ad Rationem dubitandi negatur paritas; nam Professioni Religiosæ vis dissolvendi Matrimonium ratum à Jure concessa est, quod illa sit mors quædam Spiritualis, qua Religiosus moritur sæculo, & vivit Deo; qualis mors non est susceptio Sacri Ordinis, nec etiam totalis sui traditio. Host. *in Summ. tit. de convers. conjugat.* §. & *utrum*. Vivian. *in Extrav. cit.* §. 2. Engl *hic* §. 2. *n.* 3. Pithing *n.* 7. Wiestner *n.* 3. & alii passim. 9

Quæritur 3. Ex quo Iure vis dirimendi conjugii, quam Ordo Sacer libere susceptus habet, originem ducat? Major *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. Barbos. *ad Rubr. ff. solut. Matr. p.* 2. *n.* 98. & alii apud Sanchez *l.* 7. *de Matr. D.* 28. *n.* 9. vim istam, & obligationem ad continentiam refundunt in Jus Divinum. Et videtur istud probare 1. observantia perpetua Cælibatus à tempore Apostolorum in Divinorum Ministris, præsertim Sacerdotibus, in Ecclesia custodita, quæ non obscurum præber indicium, eam præceptam à Deo esse, & promulgatam à S. Paulo, dum 2. *Timoth.* 2. *vers.* 4. Ecclesiæ Ministros universim monens, *Nemo*, inquit, *militans Deo implicat se negotiis Secularibus*. 2. Continentia est res consilii, & non præcepti 1. *Corinth.* 7. *vers.* 25. imo tanquam Virtus difficillima Lege Ecclesiastica non potest præcipi *arg. can. erit autem* 2. *dist.* 4. igitur si præcepta est Clericis, qui in Sacris constituti sunt, præcepta est Lege quadam altiore, quam sit Ecclesiæ. 3. Continentiam in Ministris Ecclesiæ videtur exigere Status, & functionum, quas habent, Sanctitas. Igitur obligatio ad illam vel ex præcepto Divino tum dato, cum Christus Ordines Sacros instituit, vel etiam ex ipsorum Ordinum natura, adeoque præcepto naturali originem trahit. 4. Professio Religiosa Jure naturali, saltem Divina dirimit Matrimonium. Atqui Professio Religiosa, & Ordo Sacer æquiparantur, cum etiam iste habeat sibi annexum Votum continentiæ solemne, propter quod Professio Matrimonium dirimit; ergo &c. 10

Sed his non obstantibus, verius omnino est, quod vis dirimendi Matrimonii Ordini Sacro solum competat ex Jure positivo Ecclesiæ. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. Scot. *in* 4. *dist.* 37. *quæst. un.* §. *dico igitur*. S. Bonav. *art.* 1. *quæst.* 2. *in Corp.* Host. *in cap. rursus* 6. *hoc tit. num.* 1. Abb. *ibid. num.* 7. Tabien. *V. dispensatio q.* 7. *n.* 8. *ad* 1. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 3. *n.* 2. Bellarm. *l.* 1. *de Clericis c.* 18. Henriq. *l.* 11. *c.* 5. *n.* 9. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 53. *art.* 3. *dub.* 1. *concl.* 1. Lud. Lop. *p.* 2. *Instruct. de Matr. c.* 48. *ad* 1. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 28. *num.* 11. Guttier. *de Matr. c.* 94. *n.* 10. Vasq. *tom.* 3. *in* 3. *p. D.* 249. *c.* 2. Conink *D.* 20. *de Sacr. Ord. n.* 114. Pont. *l.* 7. *c.* 27. *n.* 5. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 15. *n.* 3. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 6. *n.* 5. Bosco *de Imped. Matr. sect.* 4. *concl.* 3. Vallens. *hic n.* 3. Zoes. *n.* 13. Honor. *n.* 4. Pirh. *n.* 6. Schambogen *num.* 7. Konig *num.* 2. & 10. Wiestner *num.* 18. Reiffenstuel *n.* 15. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de person. Eccl. c.* 2. *n.* 35. & *p.* 3. *de matr. c.* 5. *n.* 22. & assentiuntur hodie plerique TT. & Canonistæ. 11

Ratio est, quia si Jure alio, quam Ecclesiastico Ordo Sacer vim conjugii dirimendi haberet, haberet illam vel ex Jure naturali, vel ex Jure Divino. *Non primum*; quia licet per Sacram Ordinationem deputetur homo, & obligetur ad ministerium, & Cultum Divinum, atque ad hanc obligationem rite, & sancte implendam omnimoda puritas, & perfecta continentia multum conferat, ipsum tamen matrimonium, & honestus illius usus Sacro Ordini ex natura sua non repugnat; alias initiatis hoc Ordine in Ecclesia Orientali concedi non potuisset. *Non secundum*; quia in SS. Litteris non extat ulla probibitio, quæ Sacris Ordinibus initiatos à conjugiis omnino removeat; neque dici potest, quod Lex hæc Divina habeatur ex traditione; licet enim ex traditione in Latina Ecclesia habeatur Cælibatus & in utraque Ecclesia tam Latina, quam Græca impedimentum, quo Sacris initiati prohibentur inire conjugia, ista tamen non Divina, sed Ecclesiastica solum traditio est nec ultra Legis Ecclesiasticæ vim aliquid majus habet. 12

Conf. 1. Si Ordo Sacer vim dirimendi conjugii haberet ex alio Iure, quam Ecclesiastico, Pontifex ad contrahendum conjugium cum Clericis initiatis tali Ordine dispen- 13

dispensare non posset. Dispensavit autem pluries, videlicet cum Ramiro Rege Arragonum, prius Religioso, & Episcopo Cælestinus III. apud Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 4. cum Nicolao Justiniano Sacerdote Monacho in Monasterio S. Nicolai Ordinis S. Benedicti ad instantiam Viralis Venetorum Ducis Alexander III. apud Barth. à S. Fausto *in Thes. Relig. l.* 3. *q.* 36. *n.* 6. *fin.* cum Cæsare Borgia Cardinale Diacono Alexander VI. apud Cened. *ad Decret. collect.* 124. *n.* 5. cum fratre Cardinalis Joyosæ Galli Sacerdote Professo, & Provinciali Ordinis PP. Capucinorum Gregorius XIII. apud *cit.* Barth. à S. Fausto, cum Francisco Leopoldo Guilielmo Comite Slabata, Canonico Ecclesiæ Passaviensis subdiacono ad intercessionem Augustissimi Leopoldi I. 14. Jan. 1690. Alexander VIII. apud Konig *hic n.* 10. cum Rainaldo hodierno Duce Mutinensi antea Diacono Cardinale Innocentius XII. & ante paucos annos cum Francisco Maria, fratre Cosmi III. hodierni Magni Ducis Hetruriæ, itidum Cardinale Diacono Sanctissimus Dominus noster Clemens XI. Et hujusmodi Dispensationes quidem super impedimento Ordinis Presbyteratus, & Diaconatus conceduntur solum ex causa publica, super impedimento tamen subdiaconatus probabilius dispensari potest etiam ex causa privata; cum enim Ordo iste olim sacer non fuerit neque habuerit annexum Votum continentiæ, in eo dispensando Pontifices meriio sunt proniores. Spada *cons.* 169. *num.* 3. & 4. *lib.* 1. de Rubeis *respons.* 16. Konig *num.* 10. *cit.*

14 *Conf.* 2. Tridentinum *sess.* 24. *can.* 9. vim dirimendi Matrimonii, quam habet Sacer Ordo, refundit in præceptum Ecclesiasticum *can. ut lex* 40. *caus.* 27. *q.* 1. & in Votum solemne Castitatis, Sacri Ordinis susceptioni annexum. Atqui Votum solemne ex natura sua non habet vim dirimendi Matrimonium; quia hac sola spectata, non habet majorem vim, quam Votum simplex, quod matrimonium non dirimit, exceptis Votis simplicibus Societatis Jesu, de quibus *infra n.* 61.

15 Neque plus probant Argumenta pro parte adversa allata. *Ad* 1. Si Sacer Ordo Jure Divino induceret inhabilitatem ad Matrimonium contrahendum, & contracto utendum, observantia ista esset, & fuisset semper universalis, & indispensabilis; universalis autem non fuit; quia Græci Clerici, etiam in Majoribus constituti, uti possunt Matrimonio ante contracto; sed nec indispensabilis, cum, ut *num.* 13. ostensum est, Papa sæpius dispensarit cum Clericis, etiam in Majoribus constitutis, ad contrahendum Matrimonium, ergo &c. *Ad* 2. Ecclesia obligationem Continentiæ nemini imponit absolute, sed tantum sub conditione, siquis velit assumere sacrum Ordinem. Potest autem quivis apponere conditionem beneficio, quod alicui confert, ergo etiam Ecclesia Collationi Ordinis, quæ vere est beneficium. Ex quo sequitur, quod ad continentiam non obliget, nisi volentes, cum neminem cogat ad suscipiendum Ordinem Sacrum. *Ad* 3. Jam dictum est *n.* 12. quod decens quidem sit admodum, ut Clerici in Sacris constituti caste vivant; per hoc tamen non probatur, quod nuptiæ ipsis præcepto vel Divino, vel naturali prohibitæ sint; multa enim decent, quorum tamen contraria non sunt prohibita. *Ad* 4. Nec Professio Religiosa, ut *infra n.* 47 *& seqq.* probabitur, Matrimonium aut contrahendum, aut contractum Jure naturali, aut Divino dirimit; deinde esto, quod illud Jure aliquo altiore, quam mere humano dirimat, ex hoc tamen inferri non potest, quod illo Iure Matrimonium etiam Sacer Ordo dirimat. Disparitas est, quia Professio Religiosa est perfecta, & totalis traditio hominis ipsi Deo, ita ut etiam velle, & nolle proprium non amplius habeat. Talis autem, & tam perfecta traditio non est susceptio Sacri Ordinis. Equiparantur ergo Professio, & Ordo Sacer in hoc, quod uterque dirimat Matrimonium contrahendum, si tamen Professio Religiosa illud dirimit Jure Divino, aut naturali, non æquiparantur in origine istius potestatis, qua matrimonium contrahendum dirimunt.

16 Quæritur 4: An Impedimentum istud inducat Ordo Sacer ante usum rationis, vel in impubertate susceptus? Satis conveniunt DD. quod Ordo Sacer, ante usum rationis susceptus, Impedimentum hoc non inducat, nisi sic ordinatus, quando usum rationis adeptus est, Ordinationem suam expresse, vel tacite actum aliquem, suscepto Sacro Ordini proprium, libere exercendo: ratificarit. Ita Host. *in c. un. de Cleric. per salt. promot. num.* 2. Joan. Andr. *ibid. n.* 5. Abb. *num.* 3. Sot. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. Henriq. *l.* 10. *de Sacr. Ord. cap.* 14. *n.* 3. & *l.* 13. *de Matr. cap.* 5. *num.* 9. *in Comm. lit. Q.* Azor. *p.* 1. *l.* 1. *cap.* 24. *quæst.* 9. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 30. *num.* 3. Guttier. *de Matr. c.* 94. *num.* 18. Conink *D.* 20. *de Sacr. Ord. n.* 134. & 137. Pont. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 15. Fagn. *in c. un. cit. n.* 27. & *seqq.* Zoes. *hic num.* 14. Pirhing *num.* 2. Konig *num.* 4. Wiestner *num.* 9. Reiffenstuel *n.* 5. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 5. *n.* 4. contra Paludanum, Gabrielem, D. Antoninum; & alios apud Sanch. *loc. cit. n.* 1. Ratio est, quia non apparet, unde initi ab eo conjugii nullitas, & ad Continentiam obligatio oriatur; non enim oritur ex *natura ipsius Ordinis Sacri*, ut patet ex dictis *à n.* 11. Neque etiam ex *Voto*; quia hoc voluntarium, & liberum consensum exigit, cujus tamen infans non est capax; nec denique ex *Lege Ecclesiastica*; quia non constat, quod aliqua Lex ab Ecclesia lata sit, qua talis ad continentiam, & abstinendum à Matrimonio obligetur, imo non est credibile, quod unquam Lex talis lata sit.

Major Controversia est de Ordine Sacro, suscepto 17
ab impubere. Joan. Andr. *in c. un. cit. num.* 5. Abb. *ibid. n.* 3. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 3. *n.* 55. Sanch. *D.* 30. *cit. n.* 8. Pont. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 15. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 15. *num.* 4. Zoes. *hic num.* 14. Pirhing *n.* 2. Schambog. *n.* 3. & non pauci alii negant sic ordinatum obligari ad Votum continentiæ servandum, vel abstinendum à nuptiis. *Rationem* 1. Sumunt à paritate cum Professione Religiosa; nam hæc antiquo quidem Jure ante 14. novo vero Tridentini ante 16 ætatis annum expletum irrita est, prout dictum est *Lib.* 3. *tit.* 31. *de Regular. n.* 163. & 171. ergo & Votum tacitum, resultans ex susceptione Ordinis Sacri, irritum erit. 2. Si essent aliqua ratio, ob quam dici deberet etiam impuberem ordinatum adstringi Voto Continentiæ, esset paritas cum Votis aliis, quæ valide eduntur etiam ab impuberibus. Atqui nulla est paritas; nam Vota impuberum, etiam Castitatis perpetuæ, facillime dissolvi, & irritari à Parentibus, vel Tutoribus eorum possunt, etiam sine causa; Votum autem solemne, inclusum in susceptione Ordinis Sacri, relaxatur à Pontifice difficillime, & non nisi ob causam valde gravem, & publicam, ergo &c. 3. Non est credibile, quod Ecclesia puerum impuberem ordinatum obligare voluerit Voto tanti momenti, cum eos ad Ordines Sacros admitti, ac proinde Votum solemne continentiæ ab ipsis edi vetuerit *can. pueri* 121. *pr. caus.* 1. *q.* 1.

Sed adhuc dicendum, impuberes per susceptionem 18
Ordinis Sacri contrahere Impedimentum dirimens, quo arceantur à contrahendo Matrimonio, & obligentur ad servandam continentiam. Ita Gloss. *in can. pueri cit. V. ad Sacros*, & *in cap. un. V. discretionis de Cleric. per salt. promot.* Ant. de Butrio *ibid. num.* 4. Alex. Carrer. *l.* 3. *de Sponsal. cap.* 3. Sot. *l.* 7. *de Just. quæst.* 2. *art.* 5. *ad ult.* Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 9. *cap.* 17. *dub.* 3. *n.* 22. Conink *D.* 20. *de Sacr. Ord. dub.* 14. *num.* 136. Pal. *tr.* 27. *D. un. part.* 17. *n.* 10. Wiestner *hic n.* 11. Reiffenstuel *ibid n.* 7. *Ratio est*, quia si Impuberes non obligarentur Voto annexo Sacris Ordinibus, id fieret vel Jure naturali, vel positivo Ecclesiæ; *non Jure naturali*; quia hoc ipso, quod sint capaces doli, & intelligant, quem statum suscipiant, Jure naturali præcise spectato, possunt obligationem istam suscipere, & ad statum Clericalem servandum se obligare; *non etiam Jure positivo*; quia nuspiam irritatur aut susceptio Ordinis Sacri, aut Continentiæ Votum huic annexum, etiam in impuberibus.

Argumenta Adversariorum non evincunt intentum. 19
Ad 1. Argumentum à pari, aut simili in dispositionibus particularibus Juris positivi non magnam vim habet; non enim sequitur, ubi par, vel etiam major est ratio, ibi idem quoque esse constitutum à Jure; alias sicut pridie Nativitatis S. Joannis Baptistæ celebramus jejunium, ita etiam celebrandum esset pridie Nativitatis B. V. cum hæc longe sit sanctior, & venerabilior Joanne Baptista; item sequeretur, quod sicut Professio Religiosa irrita est ante 16. ætatis annum completum edita, ita & irritum sit Votum Continentiæ annexum

Ordi-

Ordini Sacro, si hunc quis susceperit ante eam ætatem completam; conf. qui post pubertatem anno ætatis 15. ordinatus fuit, nubere adhuc posset. Accedit, quia Leges plerumque spectant, quod frequenter, non quod rarissime accidit *l. nam ad ea ff. de LL.* atqui frequentissime solebat emitti Professio Religiosa ætate nondum matura; vix unquam autem solebat illa ætate suscipi Ordo Sacer. Igitur conveniens erat annullari Professionem ea ætate editam, licet non fuerit annullatum Votum Continentiæ, susceptioni Sacri Ordinis annexum, in impuberibus. Denique Professi obligatio est multo gravior, & status illius multo difficilior, quam sit obligatio constituti in SS. Ordinibus. Igitur ratio, quæ petebat annullari Professionem, nondum matura ætate editam, non probat, quod etiam annullari debuerit Votum annexum Sacro Ordini. *Ad* 2. Cum adeo facilis fuerit Sedes Apostolica in aliis Votis impuberum, & parentibus illorum, ac Tutoribus dederit potestatem illa irritandi, haud dubie etiam difficilis non foret ad relaxandum Votum Continentiæ solemne impuberi ordinato. Certe ne ejusmodi obligationem subirent impuberes, sufficienter cautum est ab Ecclesia per hoc, quod prohibuerit eos ordinari. *Ad* 3. Aliud est prohibere aliquid, ne fiat, & aliud annullare, quod factum est; constat quidem, quod Ecclesia prohibuerit, ne ordinarentur impuberes; non autem constat, quod annullaverit Votum Continentiæ implicitum, & annexum SS. Ordinibus; unde quamdiu Lex Canonica illud annullans non ostenditur, tamdiu standum est Jure communi, & dicendum etiam impuberes eo Voto adstringi.

20 Quæritur 5. an Voto continentiæ adstringatur, & conf. Matrimonii contrahendi incapax fiat, qui ad SS. Ordinum susceptionem inductus est vi? Constat inter omnes, eum, qui ad illorum susceptionem inductus est vi præcisa, & absoluta, non prohiberi contrahere Matrimonium. Guttier. *de Matr. c. 94. n.* 14. Sanch. *l. 7. de Matr. D. 29. num.* 1. Conink *D. 20. de Sacr. Ord. num.* 143. Konig *hic n. 6.* Reiffenstuel *ibid n.* 8. Ratio est, quia cum hoc casu desideretur consensus suscipientis, talis Ordinatio invalida est nec Characterem imprimit *cap. majores 3. de Baptism.* Votum autem Continentiæ annexum est Ordinationi validæ, ut *arg. Reg. accessorium 42. in 6.* docet Gloss. *in c. un. V. approbatis, de Cleric. per salt. promot.* Archidiac. *ibid n.* 3. Guttier. *c. 94. cit. n.* 13. Palao *tr.* 27. *D. un. p.* 17. *n.* 7. Vviestner *hic n.* 13. & communiter Interpp. ac DD.

21 *Dubium* solum est de eo, qui ad Sacram Ordinationem inductus est vi solum conditionata, sive metu gravi injuste incusso? Eum valide contrahere Matrimonium adhuc posse, tradit Gloss. *in c. majores cit. §. fin. V. conditionaliter.* Host. *ibid. V. eod. num.* 38. Calderin. *hoc tit. cons. un. fin.* Rosell. *V. Ordo* 3. *n.* 6. Azor *p.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 8. Henriq. *l.* 10. *de Sacr. Ord. c.* 14. *n.* 3. Sanch. *l.* 7. *D.* 29. *n.* 5. Conink *D.* 20. *n.* 144. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 15. *n.* 5. Illsung *tr. 6. D. 9. n.* 101. Zoes. *hic n.* 14. Pirhing *n.* 2. Schambog. *num.* 3. Konig *n.* 6. Reiffenstuel *num.* 9. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Sponsal. cap.* 5. *num.* 10.

22 *Fundantur* 1. Quia Ordo Sacer ad Continentiam non obligat ex natura rei, sed solum ratione Voti, ex constitutione Ecclesiæ susceptioni ejusdem annexi. Atqui Votum sive expressum, sive tacitum, quale inest Ordini Sacro, est irritum, si ob metum, qui in virum constantem cadat, emissum fuerit *c. perlatum* 1. *& c. cum dilectus 6. de his, quæ vi, metusve causa &c.* 2. Professio Religiosa, gravi metu injuste incusso extorta, est irrita *cc. citt. c. cum locum* 14. *c. veniens* 15. *&c. de Sponsal.* ergo etiam Votum Continentiæ, annexum Ordini Sacro, quippe quod non minus solemne est, quam quod emittitur in Professione Religiosa. 3. Ecclesia annullavit actus, metu gravi injuste incusso extortos, eos fere, qui si aliquando valide facti sunt, vel omnino rescindi non possunt, ut est Matrimonium, vel difficulter, ut Professio Religiosa; atqui tale est Votum Continentiæ, annexum Ordini Sacro; nam nec ipsum, si validum sit, per Ordinarii Judicis sententiam facile rescindi potest. 4. Continentia non debetur, nisi voluntarie assumpta *can. ante triennium* 1. *dist.* 31. *& can. præsens* 4. *caus.* 20. *q.* 3. cum non sit præcepti, sed Voti tantum, juxta illud Apostoli; *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* 1. *Corinth.* 7. *v.* 25. 5. Qui post Matrimonium metu viri constantis recipit Ordinem Sacrum, non tenetur continere, sed uti libere Matrimonio potest, etiam petendo debitum, quamvis uxor continere se vellet, ut omnes DD. fatentur teste Sanchez *loc. cit. n.* 2. ergo nec compellendus est ad continentiam servandam non conjugatus, si ex simili metu suscepit Ordinem Sacrum.

Hæc Sententia admodum probabilis est, & in praxi tuta; præplacet tamen Sententia, quæ docet, sic ordinatum, si Continentiæ Votum, & obligationem intentione sua non exclusit, ad Matrimonium valide ineundum inhabilem esse, seclusa dispensatione, quam tamen, si Sacri Ordinis actum non sponte exercuit, facile obtinebit. Ita Goffred. *in Summ. tit. de ætat. & qualit. ordin. n.* 11. Host. *Summ. eod. tit. n.* 5. *vers. sed nunquid.* Joan. Andr. *in c.* Majores *cit. fin.* Abb. *ibid. vers. ult. n.* 7. Zabarell. *in Clem. fin. de ætat. & qual. in fin.* Sylv. *V. Ordo* 4. *q.* 1. *dict.* 2. Tabien. *V. eod.* 2. *fin* Armill. *n.* 14. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 3. *n.* 96. D. Antonin. 3. *p. tit.* 14. *c.* 16. *fin.* Paludan. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 3. *art.* 4. *concl. 6. n.* 28. Sot. *l.* 7. *de Just. q.* 2. *art.* 5. Guttier *cap.* 94. *de matrimonio num.* 16. Vasq. 3. *p. D,* 236. *cap.* 3. Pont. *l.* 7. *cap.* 29. *num.* 4. Diana *tom.* 2. *tract.* 4. *resol.* 193. Pal. *tract.* 27. *D. un. p.* 17. *n.* 3. Vviestner *hic n.* 15. 23

Colligitur ex Concil. Tolet. VIII. à quo sic ordinati arcentur à conjugiis, nisi relaxationem Voti, Sacris Ordinibus annexi, impetrent. *Ratio est*, quia Jure naturali Vota etiam non spontanea, sed coacta, modo libera adhuc, & voluntaria sint, valida sunt; positivo autem Jure solum irritantur, quæ constituunt Statum Religiosum *cap. perlatum cit. Conf.* Nam omnium fere, etiam Adversariorum, judicio valida est Ordinatio, etiam metu gravi injuste incusso extorta, eaque animæ Ordinati indebilis character imprimitur. Igitur subsistet etiam Votum, & obligatio ad Continentiam, Ordini Sacro annexa, & accessoria *arg. cap. translato 3. de Constitut. & reg. accessorium 42. in 6.* Si autem Jure subsistit Votum illud, cum solemne sit, Matrimonii contrahendi incapacem Ordinatum reddet; ergo &c. 24

Contrarium non evincunt Argumenta *num.* 22. allata. *Ad* 1. Negatur, quod metus etiam injuste incussus irritum reddat ullum Votum, præter illa, quæ Statum Religiosum constituunt: de quo vide *Lib.* 1. *Tit.* 40. *num.* 21. & patet ex *cap. citt.* nam textus illorum tantum loquuntur de Professione Religiosa. *Ad* 2. A Professione Religiosa non bene ducitur Argumentum ad Ordinationem Sacram, ut patet ex *Extrav. un. Joann. XXII. de Vot.* & liquet etiam ex eo, quod professio Religiosa perpetua sit abdicatio rerum omnium, & ipsius etiam voluntatis propriæ, ac proinde statum multo difficiliorem constituat, quam Ordinatio Sacra; ex quo sequitur, quod ad valorem professionis merito à Iure major requiratur libertas, & voluntarietas, quam in susceptione Ordinis Sacri. *Ad* 3. Imprimis dispensatio in Voto, annexo SS. Ordinibus, ut existimat Palao *loc. citt.* probata coactione, haud gravate concederetur. Deinde esto, difficultas sit impetrandi eam dispensationem, Argumentum Adversariorum, & difficultas hæc solum probat, quod etiam ipsum irritari ob metum potuerit, non tamen probat, quod actu sit irritatum, cum ex actibus, hominem constituentibus in certo statu, nullus repetiatur irritatus ob metum, nisi Matrimonium, & Professio Religiosa. *Ad* 4. ad Votum continentiæ, secluso speciali Jure irritante, plus non requiritur ex parte voventis, quam libertas, & voluntarietas; istam autem etiam metus gravis non tollit, cum voluntas coacta revera adhuc voluntas sit. *Ad* 5. Disparitas est, quia conjugatus, ad Ordinem Sacrum suscipiendum coactus, censetur Votum Continentiæ excludere; non ita excludere velle præsumitur is, qui cum conjugatus non esset, ad talem Ordinem suscipiendum metu gravi compulsus est. 25

Quæritur 6. Quam obligationem contrahat is, qui Ordinem Sacrum suscepit voluntarie quidem, & libere, sed invalide ob defectum alium substantialem, v. g. materiæ, aut formæ? *Certum est*, non contrahere obligationem voti solemnis, quo irritatur Matrimonium postea contrahendum; quia obligatio continentiæ adhæret Ordini Sacro 26

ero. Igitur hoc non subsistente, etiam subsistere nequit obligatio continentiæ, cum juxta *Reg. nihil* 129. *ff.* non subsistente principali, subsistere etiam ea nequeant, quæ ejus nomine in consequentiam veniunt.

27 *Dubium est*, an non saltem ex Voto simplici ad continentiam teneatur, qui existimans se valide ordinatum, à parte rei invalide ordinatus est? Videtur tenenda affirmativa; quia invalide professus Religionem tenetur ad castitatem ex Voto simplici *arg. cap. quidam* 3. *& cap. placet* 12. *de convers. conjugat.* ubi maritus, invita uxore Religionem professus, & postmodum ei restitutus, illa mortua, obligatur ad continentiam, licet non ad ingressum Religionis. Ergo etiam invalide ordinatus tenebitur ad continentiam ex Voto saltem simplici.

28 Sed probabilius ne quidem Voto simplici continentiæ obligatur. Ita Conink *D.* 28. *de Sacr. Ord. num.* 133. Zoes. *tit. de Cleric. Conjug. num.* 12. Engl *ibid. num.* 13. *vers. è contra*, Konig *hic n.* 7. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. cap.* 5. *n.* 10. Ratio est, quia Votum hoc non emisit principaliter, tanquam essentiale Ordini suscepto, sed tantum in consequentiam propter Ecclesiæ Constitutionem. Igitur Ordine, tanquam principali, non subsistente, nec etiam Votum hoc potest subsistere juxta *Regul. nihil cit.*

29 Unde ad *Rationem dubitandi* disparitas est; nam Votum Castitatis annexum Religioni non est accessorie tantum, & in consequentiam, sicut Ordini Sacro, sed essentialiter, & propterea professionem emittens non tantum ad Religionem, sed etiam ad Castitatem principaliter se obligat: Sicque mirum non est, quod illa cessante, remaneat obligatio continentiæ ex Voto simplici; quia eo casu procedit Regula: *Si actus non valet, ut ago, valeat eo modo, quo potest.*

30 Quæritur 7. An conjugatus ad Ordines promoveri possit? *Certum est* 1. posse eum ad Ordines promoveri, volente, & consentiente uxore, prout constat ex *cap. conjugatus* 5. *& cap. seq. de convers. conjugat.* Et ratio est, quia Juri sibi principaliter quæsito quilibet potest cedere. *Certum est* 2. Si maritus, invita uxore, Ordinem quemcunque accipiat, Ordinationem esse validam, cum nullum Jus existat, quod ejusmodi Ordinum collationem irritet. Ex quo sequitur, sic ordinatum ligari Voto solemni Castitatis, cujus is effectus in illo est, ut revocari quidem ab uxore possit, & revocatus petenti debitum teneatur reddere, non tamen possit petere, vel uxore mortua cum alia contrahere Matrimonium. Zoes. *tit. de convers. conjugat. num.* 24. Pirhing *ibid. nu.* 61. *Certum est* 3. Susceptionem Ordinis Sacri, ita invita uxore factam, regulariter esse illicitam, etsi Matrimonium ratum solummodo, non vero etiam consummatum sit; ita enim expresse *Extrav. un. Joann. XXII. de Voto*, ubi sic ordinato prohibetur ministratio in Ordine suscepto, & ascensus ad altiorem, nisi aliquam ex Religionibus approbatis ingrediatur, & ejus Regulam expresse, vel tacite profiteatur. *Ratio est*, quia ex tali mutatione Status grave præjudicium uxori infert.

31 *Dubium est*, an maritus invita uxore promoveri possit ad primam Tonsuram, vel minores Ordines? *Affirmant* nonnulli, eos Ordines licite recipi à conjugato, etiam uxore invita, posse; quia his Ordinibus non est annexum Votum continentiæ. *Sed melius negant* Brunell. *de Sponsal. concl.* 30. *n.* 16. Ant. Cuchus *l.* 4. *Inst. major. tit.* 12. *num.* 197. Azor *p.* 1. *l.* 13. *cap.* 13. *quæst.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 38. *n.* 6. Barbos. *in Extrav. cit. n.* 5. Pirh. *hic n.* 9. Ratio est, quia quamvis *Extrav. cit.* solum loquatur de Ordinibus Sacris, tamen regulariter prohibetur conjugatus promoveri etiam ad minores Ordines *c. fin. de tempor. Ordin. in* 6. *Neque obstat*, quod his Ordinibus non sit annexum Votum Continentiæ, & ideo ex hac parte eos non repugnet recipere post conjugium; quia repugnat eos recipere propter specialem Juris prohibitionem, factam *in c. fin. cit.* ex quo sequitur, quod in hoc casu non sit locus Argumento à sensu contrario; quia huic locus non est, quando inde resultat, correctio alterius cujusdam Juris.

32 Dixi autem, *nisi aliquam ex Religionibus approbatis ingrediatur, & ejus Regulam profiteatur*; nam si hoc faciat, & Matrimonium consummatum non sit, Episcopus Diœcesanus cum ipso potest dispensare, ut in jam suscepto Ordine ministrare, & ad altiores ascendere, atque ad Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum promoveri possit, prout ex *Extrav. un. cit.* dictum est *n.* 8. nisi aliud Impedimentum obsistat, nempe Irregularitas, vel delictum. Pirh. *hic n.* 10.

Addidi, Regulariter susceptionem Ordinis, factam invita conjuge, esse illicitam; nam duo casus excipiendi sunt: *unus* est, quando uxor commisit adulterium; alter, quando lapsus in Hæresim, vel Apostasiam est, & in hoc suo errore post monitionem unam vel alteram perseverat; nam his casibus conjux innocens, altero invito, ingredi etiam Religionem, & profiteri in ea potest prout dixi *Lib.* 3. *Tit.* 32. *n.* 20.

Quæritur 8. Quid requiratur, ut conjux innocens Religionem ingredi, vel Ordines suscipere, conjuge adultero invito, possit? Resp. Requiritur, saltem in foro externo, ut sententia divortii præcesserit, vel saltem adulterium ita publicum, ac notorium sit, ut conjux innocens, etiam non exspectata sententia divortii, propria authoritate cohabitationem adulteræ sine metu restitutionis possit deserere; quia tunc facultatem habet ab ipso Deo *Matth.* 19. ubi Christus dicit, quod uxor dimitti non possit, nisi ob fornicationem. 33

Dubium est, an Religionis ingressus, vel Ordinis sacri susceptio permissus sit etiam adultero, cum ab eo conjux innocens divertit? Resp. cum distinctione; vel enim conjux innocens statum jam mutavit, Professione emissa, aut Ordinibus Sacris susceptis, vel nondum illum mutavit. 34

Si primum, nemo inficiatur, etiam ipsi Religionis ingressum petere. *Si secundum*, iterum distinguendum est, an innocens, ab adultero emendato requisitus, paratus sit reconciliari, vel non. *Si prius*, Religionem ingredi, innocente invito, nequit, etiamsi divortium factum, & Ecclesiæ judicio approbatum sit. Gloss. *in c. ex litteris* 5. *V. redire de divort.* Sylv. *V. divortium q.* 10. Palacios *in* 4. *dist.* 35. *D. un. ante vers. porro fol.* 783. Barbos. *in Rubr. ff. solut. matr. p.* 2. *n.* 22. Sanch. *l.* 10. *de matrim. D.* 10. *n.* 12. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *n.* 12. Ratio est, quia quamdiu status utriusque immutatus non est, innocens innocentem revocare, & cum illo Matrimonium redintegrare, etiam divortio Ecclesiæ judicio instituto, potest. Igitur hoc suo jure privari ab adultero per Religionis ingressum nequit.

Si prius, Religionis ingressus, vel Sacri Ordinis susceptio eo casu adultero permissus est; quia conjux innocens, reconciliationem non admittens, præsumitur ipsi tacite dare licentiam mutandi Statum per Professionem Religionis, vel Sacri Ordinis susceptionem. Host. *in c. gaudemus* 19. *de convers. conjug. n.* 3. Joan. Andr. *ibid. num.* 3. Abb. *num.* 7. Veracrux *p.* 3. *Specul. art.* 6. *prob.* 3. *concl.* 2. Sanch. *loc. cit. num.* 16. Pirhing *libr.* 3. *tit.* 32. *n.* 73. Wiestner *ibid n.* 33. Quod tamen intelligendum est cum duplici limitatione. *Prima est*, ut conjux adulter sit emendatus; nam si conjux innocens adulterum in delicto persistentem non admittat, non potest tribui hoc innocentis culpæ, & moræ; & hinc *c. gaudemus cit.* dicitur, *Eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere. Altera*, ut adulter reconciliationem à conjuge innocente non semel tantum, sed sæpius sollicitarit; quod significat textus *c. gaudemus cit.* ibi, *A te diligenter commoniti*; & ratio est, quia omnino decet, ut innocens non statim acquiescat, ne adulter parvi pendat delictum suum, ac iterum in illud labendi ansam sumat. 35

Quæritur 9. Quando conjugi innocenti, altero in infidelitatem, vel Hæresim lapso, permissum sit Religionem ingredi, vel SS. Ordines suscipere? *Certum est* posse, si conjux Ecclesiæ judicio damnatus, sive per legitimam sententiam Judicis Ecclesiastici Hæreticus declaratus, & eadem sententia divortium perpetuum factum est. *Proceditque hoc*, etiamsi iste ad Fidem Catholicam revertatur, ut statuitur *cap. fin. de convers. conjug.* & notat Sanch. *D.* 15. *cit. n.* 21. Pirh. *tit. de convers. conjug. n.* 39. *&* 40. Ratio est, quia tali casu licitum est conjugi Catholico absolutum, & perpetuum divortium instituere, neque tenetur illum etiam resipiscentem recipere, cum divortium perpetuum privet omnibus conjugii juribus, & commodis. Imo eo casu 36

eo casu idem conjux innocens etiam in sæculo manere potest, nec tamen tenebitur conjugem resipiscentem recipere.

37 Aliud est, quando conjux innocens ob Hæresim, vel Infidelitatem alterius conjugis sui ab eo divertit authoritate propria; tunc enim tenetur ille resipiscentem recipere; imò ad recipiendum illum compelli potest: cons transitus ad Religionem, vel Ordinum Sacrorum susceptio nequaquam ipsi permissa est, ut statuitur *cap. de illa 6. de divort.* & ratio clara, quia lapsus in Hæresim, vel Infidelitatem, licet notorius sit, secluso Ecclesiæ judicio, non est causa perpetui divortii, sed solum temporalis, quamdiu scilicet alter persistit in Hæresi: unde illi resipiscenti, cum causa divortii cesset, reconciliari, & Matrimonium redintegrare tenetur. S. Thom. *in 4. dist. 35. quæst. un. art. 1.* & receptissima apud DD. sententia.

38 Quæritur 10. Quæ obligatio incumbat uxori, qua volente, & consentiente, Maritus ad Sacrum Ordinem promotus est? Resp. Hæc, si senex sit, & de incontinentia non suspecta, Votum continentiæ debet edere; si vero juvenis, vel suspecta de incontinentia, Religionem ingredi, & profiteri, ut aperte habetur *can. Episcopus 6. dist. 77. c. conjugatus 5. de convers. conjug.* & sumitur à paritate cum ingrediente Religionem.

Speciale aliquid est in eo, qui post Matrimonium contractum, vivente uxore, cum hujus consensu ad Episcopatum evehitur; nam hic ordinari Episcopus nequit, nisi uxor ejusdem, etiamsi senex sit, & de incontinentia non suspecta, Vestem Religiosam prius assumpserit, prout statuitur *cap. sane 6. de convers. conjug.* idque propter excellentiam Dignitatis, & Status Episcopalis, exigentis, ut occasio præcidatur suspicionibus sinistris, quibus ansam dare possent uxoris, & mulierum eam stipantium visitationes. Host. *in c. sane cit. num. 3.* Abb. *ibid. num. 2.* Sylv. *V. Matrimonium 8. quæst. 12. dict. 4.* Covar. *p. 2. de Spons. c. 6. §. 3. n. 3.* Azor *p. 1. l. 13. c. 13. q. 7.* Sanchez *l. 7. de Matrim. D. 41. num. 2.* Gonzal. *in c. 6. cit. n. 2.* Pirhing *de convers. conjug. num. 63.* Vviest. *ibid. num. 29.*

39 Idem de casu, quo conjugatus assumitur ad Dignitatem Cardinalitiam, dicendum putant Manfred. *de Cardinal. decis. 213.* Majol. *lib. 1. de Irregul. cap. 34. num. 2.* & nonnulli alii. Sed Sanch. *D. 41. citat. num. 4.* Barbosa *in c. sane cit. n. 4.* Pirhing *num. 63. cit.* Vviestner *num. 20.* melius negant. *Neque obstat*, quod etiam Cardinales obtineant Jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesiis sui Tituli; nam licet hoc sit, vere tamen non sunt Episcopi: unde cum de ipsis nihil dispositum sit, in his plus non requiretur, quam quod alias requiritur in volente post contractum Matrimonium suscipere Ordines.

40 Quæritur 11. An uxores, quorum mariti ipsis consentientibus, Ordine aliquo Sacro initiati sunt, his mortuis, cum alio valide contrahere Matrimonium possint? Resp non posse. Patet ex pluribus Juris Canonici textibus *can. quia sunt 10. can. si se 11. can. si qua vidua 12. dist. 28. can. seriatim 14. dist. 32.* Gloss. *fin. in can. quia sunt cit.* Host. *in cap. ad Apostolicam 13. de convers. conjug. num. 1.* Joan. Andr. *in cap. cum sit 4. eod. fin.* Franc. *in c. un. num. 3. de Vot. in 6.* Turrecr. *in can. seriatim cit. art. 4. num. 7.* Azor *p. 1. l. 13. c. 24. q. 11.* Sanchez *l. 7. D. 40. num. 2.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. n. 5. vers. unus tamen*, Konig *hic num. 16. vers. porro* Vviestner *ibid. n. 19. & 20.*

41 *Difficultas est*, unde oriatur hoc Impedimentum? Gloss. *in can. seriatim cit. V. post mortem*, Archidiac. *in can. quia sunt cit. n. 3.* & nonnulli alii apud Sanch. *loc. cit. num. 3.* volunt inhabilitatem istam provenire ex communicatione actionum inter virum, & uxorem, qua istius Votum simplex continentiæ, quod edere debet, Viro ad Ordinem Sacrum promoto, efficiatur solemne.

Sed hæc ratio esse non potest; alias etiam uxoris, cujus consensu Vir Professionem emisit in Religione, Votum simplex, quod in Sæculo manere volens debet emittere, efficeretur solemne, & Matrimonium contrahendum dirimeret; quod verum non est, cum nullus textus Juris eam inhabilem reddat, ipsum autem Votum simplex continentiæ solum sit impedimentum impediens, non vero dirimens.

42 Quare dicendum, impedimentum istud originem trahere ex sola Constitutione Ecclesiæ, ob reverentiam Sacri Ordinis uxorem ordinati, si hæc in Ordinationem illius libere consensit, à Matrimonio perpetuo removentis, ita, ut illa nec licite, nec valide cum alio viro, post prioris ita ordinati obitum, illud inire possit. Ita Sanch. *loc. cit. n. 3.* Barbosa *in can. quia sunt cit. n. 1.* Vviest. *hic num. 20. fin.*

Addidi, *si libere consensit uxor*; nam triplex addenda est limitatio. *Una est*, Impedimentum istud non contrahi, quando vir, ea invita, est ordinatus; quia, ut Sanchez *loc. cit. n. 4.* notat, ratio minime patitur, ut ex viri delicto, contra ejus voluntatem promoti, id detrimentum uxori innocenti subsequatur. *Altera*, si uxor, conscia promotionis viri ad Ordines, dissimulavit, & nec expresse consensit, nec dissensit; quia sola dissimulatio in re tam ardua non reputatur consensus, nec Juri uxoris præjudicat. Sanch. *n. 5.* *Tertia*, si consensit quidem, sed consensu per vim, dolum, aut metum extorto; ne delicto mariti ipsa prægravetur. Sanch. *num. 5. cit.*

§. II.

De Professione Religiosa.

SUMMARIUM.

43 *Professio Religiosa dirimit matrimonium contrahendum.*
44 *Et solvit contractum ratum:*
45 *Habetque hanc vim etiam Professio in Ordinibus Militaribus.*
46 *Ad deliberandum de ingressu in Religionem novis Sponsis datur bimestre.*
47 *Quo Jure Professio Religiosa dirimat Matrimonium contrahendum? Argumenta Sententiæ, volentis dirimere Jure naturali, vel Divino.*
48 *Defenditur, dirimere solum Jure Ecclesiastico.*
49 50 *Hujus Rationes.*
51 *Solvuntur Argumenta opposita.*
52 *&c. Ex eodem Jure descendit etiam vis dirimendi matrimonium ratum ante contractum.*
57 *Et habes hanc vim quæcunque Professio solemnis valida.*
58 *Etiam tacita per susceptionem, & gestationem habitus.*
59 60 *Si hoc fiat intra Claustrum; secus, si extra.*
61 *Vota simplicia Societatis Jesu dirimunt Matrimonium contrahendum.*
62 *Et secundum aliquos ante contractum ratum.*
63 *Sed defendenda est negativa.*
64 *Solvuntur Argumenta Sententiæ opposita.*
65 *Si conjux post Matrimonium ratum professus Religionem est, uxor relicta in Sæculo, valide, & licite ad alia vota transit.*
66 *Si post consummatum, illicite quidem, illo mortuo.*
67 *Valide tamen cum alio contrahit.*
68 *Respondetur ad Rationem dubitandi.*
69 *Multo magis per Professionem Religiosam solvuntur Sponsalia de futuro.*
70 *&c. An ea solvantur etiam per ingressum in Religionem Probationis causa?*
77 *&c. An volenti Religionem ingredi obstet Juramentum, Sponsalibus firmandis adjectum?*
81 *&c. An qui post jurata Sponsalia Religionis Voto se adstrinxit, possit licite contrahere Matrimonium animo ante consummationem ejus ingrediendi Religionem?*
85 *&c. An Religionem ingredi adhuc possit, qui post Sponsalia Sponsam suam corrupit?*

Quæritur 1. Quinam vim dirimendi Matrimonium habeat Professio Religiosa? Resp. Professio Religiosa dirimit Matrimonium, non solum contrahendum, sed etiam contractum, si ratum tantummodo sit. 43

Quod Matrimonium contrahendum dirimat, patet ex *can. proclivis 2. caus. 20. quæst. 3. can. impudicas 11. can. Virginem 12. caus. 27. quæst. 1. cap. meminimus 3. & c. fin. hoc tit. cap. un. vers. præsenti de Vot. in 6.* & decisum est à Trid. *sess. 24. de Sacr. Matr. can. 9.* ibi, *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares, Castitatem, solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel Voto --- anathema sit.*

Quod

44 *Quod vero etiam dirimat Matrimonium ante contractum*, si ratum sit tantum, sumitur ex *c. verum* 2. *& cap. ex parte* 14. *de convers. conjug.* & iterum decisum est à Trid. *seß. cit. can.* 6. ibi, *Siquis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugis, non dirimi, anathema sit.* Ratio ea datur; quia Professio Religiosa est quædam mors Civilis, & Spiritualis juxta illud *Coloss.* 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo*: Sicut ergo mors naturalis dissolvit Matrimonium etiam consummatum, ita mors ista Spiritualis dissolvit vinculum Spirituale Matrimonii rati.

45 Venit autem hic nomine Professionis Religiosæ etiam Professio, quæ edi solet ab Equitibus Ordinum Militarium, qui Cælibatum, & Castitatem perfectam ex instituto suo profitentur; nam hi vere Religiosi sunt, prout sunt Equites Melitenses, S. Mariæ Teutonicorum &c. Secus dicendum de iis Equitibus, qui profitentur Castitatem tantummodo conjugalem, ut sunt Equites Alcantaræ, Calatravæ, S. Jacobi, Montesiæ &c. nam horum Vota compossibilia cum matrimonio sunt, atque adeo illud non solvunt. Vivian. *de Jur. Patron. cap.* 2. *num.* 16. Vincent. de Justis *de dispens. matr. l.* 2. *c.* 10. *n.* 41. Dian. *p.* 3. *tr.* 2. *resol.* 30. Konig *de spons. duor. num.* 8.

46 Conceditur in hunc finem novis Sponsis de præsenti bimestre, computandum à die contracti matrimonii, vel potius præfixi à Judice termini, ut *Libr.* 3. *tit.* 32. *n.* 3. annotavi, ita, ut intra hoc tempus consummare Matrimonium non teneantur, sed deliberare possint, an velint Religionem ingredi, & secundum Regulam illius profiteri *c. ex publico* 7. *de convers. conjugat.* Potestque hoc tempus arbitrio Judicis vel restringi, vel prorogari, ut *tit. cit. n.* 1. dixi, Si tamen elapsum sit, & transitus ad Religionem nondum factus, cogi potest Sponsus de præsenti etiam per Excommunicationem ut vel conjugi exigenti debitum reddat, vel propositum suum Religionem ingrediendi exequatur. Gloss. *in c. ex publicos cit. V. intra duorum.* Ant. de Burr. *ibid. n.* 13. Sylv. *V. Votum* 5. *q.* 3. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 24. *num.* 23. Vviestner *hic num.* 25. *& Libr.* 3. *tit.* 32. *à n.* 2.

47 Quæritur 2. Quo Jure Professio Religiosa Matrimonium postea contrahendum irritet? Non est una DD. sententia; nam aliqui cum Almain. *de potest. Eccl. c.* 15. id refundunt in Jus positivum Divinum. Alii vero id volunt oriri ex Jure naturali, quam sententiam defendit etiam S. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *quæst.* 3. *in Corp.* S. Bonavent. *ibid. art.* 2. *q.* 1. Sot. *l.* 7. *de Just. q.* 2. *art.* 5. *vers. sed interrogant*, Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 5. *n.* 2. *fin.* Vega *tom.* 2. *Summ. c.* 57. *cas.* 11. & alii plures apud Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 26. *n.* 4. *Fundantur* 1. textu *can. siquis Sacro* 17. *vers. velata, caus.* 27. *q.* 1. ubi ex Epistola Syricii Papæ ii, qui Matrimonia contrahunt post Votum solemne, dicuntur separandi *Verbo Domini, & Canonica Authoritate*. Igitur non solum Jure Ecclesiastico, sed etiam Divino Matrimonium tale est irritum. 2. Iure naturæ res uni tradita invalide traditur alii; nemo enim transferre potest in alium, quod jam non habet; atqui per Votum solemne Religiosi dominium personæ transfertur in Deum, ita ut Religiosus jam non habeat dominium sui corporis ad usum Matrimonii; ergo Jure naturæ tale matrimonium irritum est. 3. Incompossibilitas Matrimonii contrahendi cum Professione oritur ex Voto solemni; atqui Votum solemne ex natura sua dirimit Matrimonium contrahendum, cum impediat traditionem plenam corporis ad usum Matrimonii; qualem traditionem Matrimonii essentia exigit; ergo &c.

48 Sed dicendum, vim dirimendi Matrimonium contrahendum in Professione Religiosa descendere ex solo Jure Ecclesiastico, Ita Gloss. *in c. rursus* 6. *V. apud Deum, hoc tit.* Joan. Andr. *ibid n.* 8. Host. *n.* 2. Abb. *n.* 6. Anchar. *n.* 3. Alex. de Nevo *n.* 10. *&* 11. Angel. *V. Matrimonium* 3. *imped.* 5. *princ.* Brunell. *de Sponsal. concl.* 31. *n.* 1. *&* 2. Gaeta *repet. can. ad limina* 30. *quæst.* 1. §. 4. *n.* 464. *&* 65. Scot. *in* 4. *dist.* 38. *q. un. in fin.* Veracrux *p.* 1. *Specul. art.* 31. *concl. un.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 4. *num.* 7. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 2. *cap.* 6. *&* 7. Vasq. 1. 2. *D.* 165. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 26. *num.* 4. *fin.* Hurtad. *Disp.* 15. *difficult. un.* Conink *D.* 31. *de matr. dub.* 6. *n.* 67. Pont. *l.* 7. *c.* 22. *n.* 4. Perez *D.* 26. *de Matr. sect.* 6. *n.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 6. *n.* 4. Vallens. *hic n.* 3. Zoes. *n.* 8. Pirhing *n.* 15. Schambog. *n.* 11. Konig *n.* 12. Vviestner *n.* 24. & alii tum TT. tum JCti magno numero.

Ratio est 1. quia Professio Religiosa Matrimonium contrahendum non irritat, quatenus Votum est, sive promissio continentiæ libere facta Deo; alias ea vis competeret etiam Votis simplicibus continentiæ, & Religionis, quod falsum est; Igitur illud irritat præcise, quatenus in ea inclusum est Votum continentiæ solemne; atqui Votorum solemnitas solum habetur à Jure Ecclesiastico, ut patet ex *c. un. de Vot. in* 6. ibi; *Nos attendentes, quod Voti solemnitas ex sola Constitutone Ecclesiæ est inventa.* Igitur Jure solum Ecclesiæ Religiosa Professio Matrimonium contrahendum dirimit. 2. olim Professio Religiosa non dirimebat Matrimonium subsequens, ut constat ex *can. siqua virgo* 22. *can. quotquot* 24. *& can. Virgines* 25. *caus.* 27. *q.* 1. ubi Virginibus Sacris, quæ post Votum continentiæ nubunt, pœna indicitur, nec tamen à nuptiis separari jubentur. Non autem nunc immutata est Professionis natura; ergo illa etiam nunc Matrimonium contrahendum ex natura sua non dirimit. 3. In Iure naturæ, & Divino positivo directe, & proprie dispensare Pontifex nequit; dispensat autem in Professione Religiosa ad contrahendum Matrimonium, & sic reipsa dispensavit cum Ramiro Rege Arragonum, cum Nicolao Justiniano Veneto, cum Constantia Moniali Siciliæ Regis filia, cum Casimiro Rege Poloniæ; & aliis, prout dictum est *supra n.* 13. ergo &c. 49

Data autem vis ista dirimendi Matrimonium contrahendum est Professioni Religiosæ Jure meritissimo: cum enim per tale Votum, & Professionem Religiosus se, suumque corpus Deo in Religione publice, & solemniter offerat, & tradat, æquum fuit, ut Ecclesia tale impedimentum dirimens eidem Professioni adjiceret, ne Religiosi possent pro libitu ex statu perfectiore, in quo se stabiliter Deo obligarunt, ad statum imperfectiorem descendere, & fidem Deo datam cum publico scandalo violare. 50

Ad Argumenta *n.* 47. allata non difficulter responderi potest. *Ad* 1. In textu *cit.* vis dirimendi Matrimonium contrahendum simul refertur in Verbum Domini, quo consilium continentiæ perpetuæ datum est, & in Canonicam authoritatem, qua Impedimentum hoc constitutum est. *Ad* 2. Traditio, quæ ex Professione Religiosa descendit, fundat obligationem Religionis tantum, ea vero, quæ fit per Matrimonium, inducit Justitiæ obligationem; conf. sunt traditiones diversæ rationis; non repugnat autem simul stare traditiones rationis diversæ, ut patet in Matrimonio, & & servitute; nam licet per hanc servus tradatur Domino, & in ejus possessione sit, illa tamen non impeditur, quin idem servus per Matrimonii contractum se tradere uxori possit. *Ad* 3. Votum solemne, sicut etiam simplex Castitatis solum facit conditionem Matrimonialem ex natura sua illicitam, non tamen reddit illam ex natura sua invalidam; alias etiam invalide contraheret, qui ligatus est Voto Castitatis simplici. 51

Quæritur 3. Quo Iure Professio Religiosa habeat vim dirimendi Matrimonium Ratum ante contractum? Triplex est Sententia; nam 1. aliqui vim istam Professioni tribuunt ex Iure naturali. *Rationem* dant; quia constituit hominem in statu perfectiore, & qui repugnat statui conjugali. *Conf.* Quia Professio Religiosa est mors quædam Spiritualis; igitur sicut mors naturalis solvit Matrimonium consummatum, ita ratum saltem solvet Iure naturali Professio. 52

2 Alii, iique maximi nominis DD. ajunt, vim istam Professioni Religiosæ competere Iure positivo Divino. 1. Quia SS. Canones vim hanc eidem non tribuunt, sed supponunt aliunde competere, ut patet ex *can. desponsatam* 27. *caus.* 27. *q.* 2. ibi, *Puella desponsata licere Monasterium sibi eligere*, quæ verba non constituunt Ius novum, sed constitutum declarant. 2. Clarius Alexander III. *c. ex publico* 7. *de convers. conjug.* efficaciam istam deduci *ex Sacri interpretatione eloquii.* 3. Tam Matrimonium ratum, quam consummatum insolubilitatem suam habet à Iure Divino *Matth.* 9. *vers.* 6. ergo nisi potestas illud dissolvendi Pontifici sit concessa, ipse neutrum dissolvere sua Lege poterit; non autem

autem constat ex ullo Scripturæ textu, eam ipsi concessam esse à Christo, ergo &c. 4. Imò potestatem hanc negatam esse Pontifici expresse agnovit Innocentius III. *cap. ex parte* 14. *de convers. conjug.* ubi ait, *Matrimonium, inter legitimas personas per verba de præsenti contractum, illis viventibus, in nullo casu posse dissolvi --- nisi forte secus fieret ex revelatione Divina, quæ superat omnem Legem, sicut à quibusdam Sanctis legitur esse factum.*

54 *Tertia*, & communior, eaque probabilior, conf. tenenda Sententia ait, Conjugii rati dirimendi vim, Professioni Religiosæ concessam, descendere immediate à potestate, & Jure Ecclesiastico, sed antiquissimo, à temporibus Apostolorum introducto. Ita Host. *in c. ex publico cit. V. consummatum*, Joan. Andr. *ibid. num.* 7. Felin. *cons.* 16. *num.* 19. Medin. *lib. de Sacr. homin. contin. à c.* 86. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 41. *num.* 69. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 9. *c.* 6. *à n.* 20. Garz. *p.* 7. *de Benef. c.* 10. *n.* 76. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 6. *à n.* 3. Perez *de matr. D.* 20. *sect.* 3. *n.* 11. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 2. §. 4. *n.* 4. Fagn. *in c. ex publico cit. num.* 8. Zoes. *tit. de convers. conjugat. num.* 18. Pirhing *ibid. num.* 45. Vviestner *num.* 14. & apud hos alii. *Ratio est* 1. quia ex nullo Scripturæ textu habetur, quod Professio Religiosa, eam vim dissolvendi Matrimonium Jure Divino, vel naturali habeat, 2. Si Jure Divino, vel naturali dissolveretur Matrimonium ratum, etiam hoc dissolveretur per Vota Simplicia Societatis Jesu; nam etiam ista Religiosum faciunt, neque à Professione differunt, nisi quoad solemnitatem, quæ Jure solum Ecclesiastico, ut *n.* 49. ostendi, est introducta; atqui per Vota simplicia Societatis Matrimonium Ratum, ante contractum, non dissolvitur, ut *n.* 63. dicetur, ergo &c.

55 *Argumentum primæ Sententiæ* nimium probat; probat enim, quod Jure naturali Matrimonium Ratum ante Contractum solvatur etiam per Vota simplicia Societatis, & Ordinem Sacrum cum etiam per hos homo constituatur in perfectiore statu. *Ad Conf.* etiam emissio Votorum Simplicium Societatis est mors quædam Spiritualis. Deinde Professio est mors quædam Metaphorica; igitur quoad omnia non debet esse similis morti naturali; imo in uno aliquo præcipuo effectu eidem dissimilis est, quippe quæ stare cum Matrimonio consummato potest, cum quo tamen stare non potest mors naturalis, cum hæc omnia solvat.

56 Neque magis efficacia sunt *Argumenta secundæ Sententiæ*. *Ad* 1. Esto, allegari nequeat Canon aliquis, vel Decretum, quo Professioni ea vis primo est indulta, hanc tamen ei ab Ecclesia aliquando indultam, ex facto, & antiqua traditione habetur, ut *loc. citt.* observant Perez *n.* 17. Pal. *n.* 4. Vviestner *n.* 16. *Ad* 2. in *c. cit.* additur, illam insolubilitatem, qua *Matth.* 19. dicitur, Matrimonium nullo casu, præter causam fornicationis, dissolvi posse, intelligendam esse de Matrimonio consummato. *Ad* 3. etiam Matrimonium ratum insolubilitatem suam habet à Jure Divino, non tamen absolutam, ut Matrimonium consummatum, sed conditionatam, nisi videlicet dissolutionem illius gravis aliqua causa suadeat. *Ad* 4. Intelligi textus ille potest, quod dissolvere Matrimonium ratum Pontifex nequeat sine causa; nam posse non censemur, quod non possumus licite. Sancti illi deseruerunt Sponsas suas ex revelatione Divina particulari sibi facta, non universali, & in Evangelio promulgata. Cæterum etsi Matrimonium Ratum insolubilitatem suam à Jure Divino habeat, tamen Pontifex universali sua potestate dissolvere illud potest; hic enim potest omnia, quæ ad promovendum in Ecclesia Cultum Divinum, & animarum bonum necessaria, vel multum conducentia sunt, qualis etiam est dissolutio Matrimonii casu Professionis Religiosæ editæ.

57 Quæritur 4. Qualis Professio vim dirimendi Matrimonium contrahendum, vel solvendi ratum ante contractum habeat? Resp. Solum legitime, & actu Professi impediuntur à contrahendo Matrimonio, & solvuntur à Rato ante contracto. Et hinc, ut Impedimentum hoc dirimens contrahatur, requiritur 1. ut Professio emissa sit in effectu; non enim sufficit propositum, vel etiam Votum Religionem ingrediendi *c. ex parte* 14. *de convers. conjug.* 2. ut sit solemnis Professio, Vota tria substantialia continens; quia Vota Simplicia, etsi Religiosa sint, ut *n.* 61. & *seqq.* dicetur, licet Matrimonium contrahendum dirimant, non tamen solvunt Ratum ante contractum: multo minus illud dirimit Votum Castitatis simplex, extra Religionem editum; imo istud Matrimonium contrahendum duntaxat impedit, non autem invalidum efficit, ut ostendam *n.* 88. 3. Ut Professio hæc sit edita libere; nam siquis per vim, aut metum cadentem in constantem virum Religionem Professus est, cum Professio talis non teneat, ille non prohibetur Matrimonium celebrare. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 51. & 52. 4. Ut non sit edita ante exactum annum 16. ætatis, & annum integrum probationis; nam sic edita, seclusa Dispensatione Apostolica, invalida est, & conf. nisi postea ratificata fuerit, impedimentum non potest inducere, juxta Regulam, *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*. 5. Ut emittatur in manibus ejus, qui habet potestatem incorporandi Religioni; nam Professus emittendo Professionem quasi contrahit cum Religione; conf. ex utraque parte consensus requiritur. 6. Ut fiat in aliqua Religione, à Sede Apostolica approbata. Perinde autem est, qualis illa Religio sit; nam ut *n.* 45. monui, etiam per Professionem, emissam in Ordinibus Militaribus Matrimonium Ratum dissolvitur, modo ipse Ordo substantialia Religionis habeat.

Dubium est, an vim dirimendi Matrimonium solum habeat Professio expressa, an vero etiam tacita per susceptionem, & gestationem Habitus Professorum sponte factam? Resp. Utrique vim istam competere, prout colligitur ex *c. meminimus* 3. & *c. consuluit* 4. *hoc tit.* *Difficultas est*, quando susceptio Habitus pro professione tacita haberi debeat? Resp. Distinguendo: Vel enim susceptio Habitus professorum facta est extra Monasterium, seu Congregationem Regularem, vel intra illud. *Si hoc secundum*, & Habitum suscipiens ætatem legitimam habuit, simulque illum per annum gestavit, assumptio illius operatur professionem tacitam *c. statuimus* 23. *de Regular.* & *c. is qui* 1. *eod. in* 6. 58

Si primum, iterum distinguendum est; nam si præter assumptionem Habitus extra Claustrum Monasterii fiat promissio alicujus ex substantialibus Regulæ, de Jure *c. fin. hoc tit.* Votum solemnizatur, seu fit solemne, ita, ut impediat, & dirimat Matrimonium postea contrahendum. Addidi, *de Jure c. fin. hoc tit.* nam modo post Trid. hoc non procedit; quia ex hujus Decreto *sess.* 25. *c.* 15. *de Regular.* ut valeat professio, requiritur, ut per annum à suscepto Habitu in probatione professus steterit. Fagnan. *in c. fin. hoc tit. n.* 11. 59

At si extra Claustrum suscipitur solum Habitus pro fessorum, non tamen promittitur aliquid ex substantialibus Regulæ, tunc non inducitur professio tacita, quantocunque tempore Habitus deferatur, nec dirimitur Matrimonium postea contractum, sed inducitur tantum Votum simplex, quod impedit Matrimonium contrahendum, ut dicitur *c. consuluit cit.* & notant Alex. de Nevo *ibid. n.* 13. *in cas.* 3. Vivian. *c. eod. princ.* Barbos. *ibid. n.* 1. Fagnan. *in c. fin. n.* 14. Honor. *hic num.* 7. Pirhing. *n.* 24. Schambog. *num.* 22. & alii passim. *Neque obstat*, etsi suscipiatur Habitus extra Monasterium de manu ejus, qui potestatem habet incorporandi, seu admittendi ac Religionem, ut colligitur ex *c. consuluit cit.* ubi non attenditur, an tradens Habitum habuerit, vel non habuerit potestatem incorporandi, sed solum ponderatur, an suscipiens Habitum promiserit aliquid est substantialibus Religionis v. g. Obedientiam. Alex. de Nevo *loc. cit. n.* 10. Pirhing *n.* 22. 60

Quæritur 5. An vim dirimendi Matrimonium habeant etiam Vota simplicia, edita post biennium Novitiatus in Societate JESU? *Certum est*, quod dirimant Matrimonium contrahendum, quamdiu non dissolvuntur, ut patet ex *Constitutione Gregorii XIII.* incipit *Ascendente edita* 8. *Calend. Jun.* 1584. 61

An vero etiam matrimonium Ratum ante contractum solvant, DD. disputant. Affirmant quidam apud P. Vviestner *hic num.* 26. sed nominibus eorum non relatis: & probari hoc posset 1. quia Professio Religiosa vim dissolvendi vinculum matrimonii rati habet, quod per illam eam emittens efficiatur Religiosus; atqui non minus efficitur Religiosus, qui Vota simplicia post biennium Novitiatus emittit in Societate, ut patet ex *Constit. Gregor. XIII. cit.* ubi Pontifex contrarium asse- 62

rere

rere præsumentes, Excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Sedis Apostolicæ absolutioni reservatæ, & aliis gravissimis pœnis subjecit. Igitur sicut Professio, ita etiam Vota simplicia Societatis Matrimonium ratum dirimenr. 2. Ex *Const. S. Pii V.* incipir *Dum indefessæ edita* 7. *Jul.* 1571. in Societatis Religiosis, etsi simplicibus duntaxat Votis ligati sint, locum habent omnes dispositiones in favorem aliorum Religiosorum Mendicantium factæ; atqui non minimus favor aliarum Religionum est, quòd Vota in illis emissa vim dissolvendi Matrimonium ratum habeant; ergo &c. 3. Vota hæc habent vim dirimendi Matrimonium contrahendum non minùs, ac Professio solemnis per *Constit. citat.* ergo etiam habebunt vim dissolvendi Matrimonium ratum. 4. Si Vota simplicia Societatis non haberent vim dissolvendi Matrimonium ratum, Conjux relictus in sæculo exspectare deberet nimis diu cum magno suo incommodo, usque dum ingressus Societatem emitteret Professionem. 5. Imò Vinculum Matrimonii rati foret impedimentum essentiale ingrediendi Societatem, invita conjuge. Atqui id hujusmodi Impedimentis non accensetur, ut patet ex *Const. Societ. p.* 1. *c.* 3. *n.* 6. & *Exam. c.* 2. *num.* 4. ubi consummatum duntaxat exprimitur; ergo &c.

63 Sed dicendum omnino, Vota simplicia Societatis non habere vim dirimendi Matrimonium ratum antè contractum. Ita Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 8. *n.* 7. Suar. *to.* 4. *de Relig. l.* 4. *c.* 2. *n.* 3. Vasq. *in* 1. 2. *D.* 165. *c.* 10. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 18. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 3. *n.* 3. Pirh. *hic n.* 26. Schamb. *n.* 21. Vviest. *n.* 27. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 5. *n.* 35. & teste P. Vviestner *l. cit.* DD. moderni Societatis unanimiter. *Ratio est* 1. quia vim dirimendi Matrimonium ratum ante contractum Status Religiosus accepit non à Jure naturali, vel positivo Divino, sed Ecclesiastico tantùm, ut *n.* 54. ostensum est; & quidem hoc Jure, ut communiter *c. ex parte* 14. *de convers. conjug.* & Trid. *sess.* 24. *can.* 9. explicanr, vis ista tribuitur soli Professioni, quæ per Vota solemnia Religionis, eaque ex parte tam acceptantis, quàm voventis perpetua habetur. 2. Quia Vota simplicia Societatis facta sunt impedimentum dirimens primùm per *Const. Ascendente cit.* nam ante illam his Votis obstricti Matrimonium validè potuerunt contrahere, ut Suar. *l. cit. n.* 14. Perez *D.* 20. *sect.* 4. *n.* 13. Vviestner *hic nu.* 27. notanr; atqui per *cit. Const.* Votis istis tribuitur solùm vis dirimendi Matrimonium contrahendum, non verò Ratum antè contractum; ergo &c. 3. Quia finis, ob quem Gregorius *Const. cit.* vim Matrimonium dirimendi concessit Votis simplicibus Societatis, erat, ut eidem Societati adversùs Sacrilegam Desertorum temeritatem, injurias, & imposturas consuleret, atqui hic finis cessat in Matrimonio antè contracto; ergo &c.

64 Argumenra allata in contrarium non sunt efficacia. *Ad* 1. Professio Religiosa Matrimonium ratum dirimit, non quia Religiosum facit, sed quia favor iste ipsi concessus est à Jure Ecclesiastico: unde extendi istud non debet ad Vota simplicia Societatis, cùm his concessum plus esse non pateat, quàm ut dirimanr Matrimonium contrahendum. *Ad* 2. S. Pius V. in *Const. cit.* non loquitur de conditionibus, quæ Votis annexæ sunt, sed de prerogativis, favotibus, & privilegiis, quæ Ordinum Mendicantium personis concessa sunt; nam ista vult Societatis Religiosis esse communia, si speciali ejusdem Instituto non repugnent, *Ad* 3. Vis dirimendi Matrimonium contrahendum separabilis est ab ea, quæ tendit ad dissolvendum Matrimonium ratum antè contractum: unde ex priore illatio fieri ad posteriorem nequit. *Ad* 4. Huic incommodo provideri potest, si conjux Societatem ingressus, primo anno Novitiatus elapso, statim admitteretur ad Professionem, quod faciendum eo casu censent Suar. *l. cit. n.* 13. Perez *n.* 22. *Ad* 5. Non sequitur, quòd Matrimonium ratum sit impedimentum essentiale in Societate; nam Matrimonio rato adstrictus, sicut alias Religiones, ita etiam Societatem, conjuge invita, inire potest, & ibi Professionem edere, cùm in hoc institutum Societatis Religionibus nequaquam deviet.

65 Quæritur 6. An si maritus, postquam cum uxoris consensu ad Religionem transiit, & in ea Professionem edidit, in ipsa decessit, uxor in Sæculo manens aliud Matrimonium possit contrahere? Resp. Distinguendo: Vel enim Matrimonium inter illos ratum duntaxat fuit, vel etiam consummatum. *Si primum*, ejus vinculum per Professionem dissolvitur, ut hactenus dictum est, & propterea conjux relicta in sæculo, non tantùm viro mortuo, sed superstite etiam indubitatò ad alia Vota transire potest. *Si secundum*, iterum certum est, ejusmodi conjugem post mortem mariti sui non posse aliud Matrimonium contrahere licitè, ob Votum continentiæ perpetuum, quod ex Juris dispositione debet emittere.

Dubium est, an eadem uxor ad ita contrahendum post mortem mariti reddatur omnino inhabilis? Affirmant Goffred. *Summ. tit. de convers. conjug. n.* 2. & *ult.* Host. *Summ. eod. n.* 3. Joan. Andr. *in c. cùm sit* 4. *tit. cit. fin.* Ancharan. *ibid. fin.* Paludan. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 3. *artic.* 5. *concl.* 1. *n.* 29. & alii apud Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 32. *n.* 6. & videtur istud suaderi ex eo, quòd maritus, & uxor sibi mutuò communicent Jura, & actiones *arg. can. si quis ex uno* 3. *caus.* 30. *q.* 4. & *c. Martinus* 4. *de cognat. spirit.* igitur si conjux ingressus Religionem profiteatur solemniter, etiam Votum continentiæ, quod alter in sæculo manens emittere debet, solemne fiet, & conf. etiam post mortem conjugis sui Matrimonium cum alio contrahendum dirimet. *Conf.* à pari, quia si uxor consenserit in Ordinationem viri sui, illa post mortem viri sui non potest validè contrahere aliud Matrimonium, ut dictum est *suprà n.* 40. igitur idem dicendum videtur in casu, quando maritus post consummatum Matrimonium cum consensu uxoris ingressus Religionem est. 66

67 Sed dicendum, etsi talis uxor relicta in sæculo, post editum Votum continentiæ, marito suo mortuo, illicitè contrahat Matrimonium, non impediri tamen, quin illud contrahat validè. Ita Gloss. *in can. feriatim* 14. *V. post mortem dist.* 32. Zabarell. *in c. cùm sit cit. in fin.* & *in Clem. un. n.* 18. *q.* 12. *de Consang.* Monald. *Summ. tit. de Vot. conjug. v. item quid si licentiam.* Sanch. *D.* 32. *cit. n.* 8. Pirhing. *tit. de convers. conjug. n.* 5. *not.* 3. Konig *hic n.* 16. *v. porro*, Vviestn. *ibid. num.* 28. Ratio est 1. quia contrarium nullo Juris textu probari potest. 2. quia deest voventis intentio; uxor enim non vult, nisi simplex Votum Continentiæ edere. 3. Quia Votum Solemne non fit, nisi per Professionem in Religione approbata, vel susceptione Ordinis Sacri *c. un. de Vot. in* 6.

68 *Ad Argumentum* ductum ex *can. si quis cit.* dico, ibi sermonem esse de actionibus, quæ non ex animi, sed corporis actu oriuntur, ut Compaternitas ex levatione Baptizati ex Sacro fonte: ex quo duci Argumentum ad præsentem casum non potest, cùm materia impedimentorum sit odiosa. *Ad Conf.* Uxor, mariro de licentia illius Ordinibus initiato, etiam post mortem ejus, nequit validè cum alio Matrimonium contrahere, non ratione Voti Continentiæ, quod emisit, sed ob reverentiam Sacræ Ordinationis; Igitur paritas non est cum uxore, cujus maritus de licentia ipsius Professionem in Ordine aliquo Religioso edidit. Et si etiam esset paritas, & eadem Religiosæ Professionis, quæ Sacræ Ordinationis in hoc casu ratio esset, cùm Constitutio Matrimonii inhabilitarem inducens, ut dictum est, odiosa sit, ab hac ad illam ex sola rationis paritate extendi non debet.

69 Quæritur 7. Quanta sit vis Status Religiosi ad dissolvenda Sponsalia de futuro? Resp. Hæc multo magis, quàm Matrimonium Ratum, Professione Religiosa solvuntur, cùm istorum vinculum minùs forte sit, & ad Contractum Professione solubilem ordinentur, ut adeò à majori ad minus duci Argumentum possit ex *c. verùm* 2. *c. ex public.* 7. *c. ex parte* 14. *de convers. conjug.* Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 42. *n.* 1. Pont. *l.* 12. *de Matrim. cap.* 10. *n.* 1. Vviest. *hic n.* 29.

70 *Dubium est*, an per solam Professionem, an verò etiam per ingressum in Religionem probationis causa dissolvantur Sponsalia, si Professio non sit secuta? Triplex est sententia. *Prima* vult, ex parte neutrius ea solvi, nisi sequatur Professio. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 3. *art.* 3. Palud. *ibid. q.* 1. *art.* 3. *cas.* 5. *v. de Ordine num.* 23. Armill. *V. Sponsalia n.* 12. Turrecr. *in can. ubi non est* 30. *q.* 2. Covar. *p.* 1. *de Sponsal. cap.* 5. *princ. num.* 11. *v. sexto*, Brunnell. *de Sponsal. concl.* 8. *n.* 1. Carrer. *l.* 1. *de Sponsal. c.* 15. & alii apud Sanch. *D.* 42. *cit. n.* 1. Rationem dant, quia Novitiatui eam vim nusquam tribuunt Jura,

Jura, & sicut in sæculo manens non renunciat Juri sibi quæsito per Sponsalia à se contracta cum tali Novitio, ita nec Novitius Religionis ingressu, quòd Novitiatus non sit Status incompatibilis cum Sponsalibus.

71 *Altera sententia* docet eo casu Sponsalia dissolvi ex parte utriusque. Joan. Andr. *in c. veniens* 5. *de Sponsal. num.* 2. Sylv. *V. Sponsalia q.* 10. *cas.* 2. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 26. Gutier. *c.* 25. *de Matr. n.* 2. *v. limitdnt.* Sanch. *D.* 42. *cit. n.* 2. Bonacin. *tom.* 1. *q.* 1. *de Sponsal. p.* 5. *n.* 2. Rosign. *de Sponsal. II. prænot.* 3. *n.* 2. *Fundantur*; quia sicut se habet Professio Religiosa ad Matrimonium ratum, ita se habet Novitiatus ad Sponsalia. Igitur sicut Professio ob Status assumpti perfectionem dissolvit Matrimonium ratum, ita & Novitiatus ob ejusdem perfectionis participationem dissolvet saltem Sponsalia. *Conf.* Nam Sponsalibus inest tacita hæc conditio, *Si non ingrediar Religionem*. Arg. *c. verùm* 2. *de convers. conjugat.* hæc autem conditio, altero Religionem ingresso deficit; ergo Sponsalium obligatio erit dissoluta.

72 *Tertia Sententia* inter duas priores media, & melior fatetur quidem, Sponsalia dissolvi ex parte manentis in sæculo, non verò ex parte Novitii: proinde si hic ad sæculum revertatur, obligabitur ad Sponsalia per nuptialem contractum adimplenda. Ita Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 45. *art.* 3. *dub.* 2. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 14. *n.* 3. Rodriq. *to.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 249. *n.* 1. Pont. *l.* 12. *cap.* 10. *n.* 4. Tann. *to.* 4. *D.* 8. *dub.* 4. *n.* 47. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 3. Palao *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 18. *n.* 3. Perez *D.* 9. *sect.* 3. *nu.* 7. *&* 8. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 1. §. 7. *nu.* 17. Vallens. *tit. de Sponsal.* §. 4. *n.* 2. Zoes. *n.* 27. *&* 28. Pirh. *n.* 5. Engl §. 3. *n.* 7. Schambog *n.* 62. *&* 63. Konig *num.* 65. Vviestner *hic numer.* 31. & hoc teste plerique RR.

73 *Quòd Sponsalium obligatio non cesset ex parte Novitii*, inde ostenditur; quia ingressus in Religionem vim tollendi Sponsalia neque habet ex natura sua, cùm non sit status incompossibilis cum Matrimonio, hoc ipso, quia licitus est egressus: neque etiam id habet ex Jure positivo, cùm tale Jus nuspiam extet; ergo licèt, quamdiù in Novitiatu manet, adimplere Sponsalia, utpote interea suspensa, non teneatur, tenebitur tamen, si Novitiatu egrediatur, & pars altera in sæculo manens ita voluerit.

74 *Quòd verò ex parte manentis in sæculo solvantur Sponsalia*, ratio est, tum, quia Religionem ingrediens tacitè, & ipso facto Sponsalibus renuntiasse censetur; tum quia durum foret alteri parti remanenti in Sæculo exspectare, donec Sponsus Professionem fecerit, aut denuo egrediatur; tum denique, & præcipuè, quia hujusmodi ingressus, & regressus, cùm levitatis, & inconstantiæ quoddam signum sit, censetur habere speciem civilis maculæ, meritò displicentis Sponsæ, ut ista proin non immeritò in sæculum regressi conjugium horreat. *Conf.* Quando facta est notabilis mutatio ex una parte, pars altera resilire à Sponsalibus potest, ut dictum est *Tit.* 1. *num* 185. *& duob. seqq.* talis autem in casu præsenti censetur facta ex parte Sponsi ingressi Religionem, & regressi ad sæculum; igitur ex hoc saltem capite Sponsa pro sua parte pronuntianda est libera, ut cognita tali mutatione, possit resilire, & cum alio contrahere.

75 Ex quo cadit *Argumentum primæ Sententiæ*; quamvis enim Novitiatus non sit status incompossibilis cum Matrimonio, tamen ipsis Sponsalibus ex Juris dispositione tacita hæc conditio, *Nisi superveniat notabilis mutatio*: quæ cùm, prout modò dictum est, intervenerit, Sponsalia saltem remanentem in Sæculo non ampliùs obligabunt.

Ad Fundamentum secundæ Sententiæ alio modo se habet Professio Religiosa ad Matrimonium ratum, & alio Novitiatus ad Sponsalia; nam Professio Religiosa inducit vinculum fortius, quàm Matrimonium ratum; igitur mirum non est, quod ea superveniente, hoc dissolvatur. Contrarium accidit in Novitiatu respectu Sponsalium; nam Novitiatus nullum inducit vinculum, aut obligationem ad manendum, vel profitendum in Religione; igitur quamvis obligationem Sponsalitiam antea contractam, dum Novitius in probatione manet, suspendat, non tamen tollere illam omnino poterit, sed hæc obstacula remoto, nempe regressu in sæculum facto, urgebit regressum.

76 *Ad Conf.* Conditio illa, quæ Sponsalibus inest, tantùm facit, ut licitus sit Sponsalibus adstricto ingressus in Religionem; non verò facit, ut si regressus ad sæculum sit, absolvatur ab obligatione Sponsalium, cum ut *suprà* dictum est, nullo Jure hæc vis ingressui soli per Novitiatum concedatur.

Dices: Conditio Novitiorum est perfectior, quàm Sponsorum; igitur jam censebitur ingressus omnino liber à Sponsalibus, cùm ipse his non aliter se obligaverit, quàm sub conditione, *Nisi statum perfectiorem elegero*. Resp. *N. Conf.* nam etiam perfectius est dare 100. aureos pauperi, quàm diviti, nec tamen promissione 100. aureorum pauperi facta tollitur obligatio eos dandi diviti, si eos debeo eidem ex promissione, vel alio capite. Dum dicitur, Sponsalia iniri sub tacita conditione, *Nisi statum perfectiorem elegero*, id intelligendum est de Professione Religiosa: quod indicat vox *Status*, quæ perpetuitatem indicat, qualem Novitiatus ex sua natura non habet.

Quæritur 8. An Sponso, Religionem ingredi volenti, obsit Juramentum, Sponsalibus firmandis adjectum? Affirmant Navar. *in can. non dicatis* 12. *q.* 1. *nu.* 3. Angl. *florib. part.* 2. *q.* 11. *de Imped. Matr.* Rebell. *l.* 4. *de oblig. Just. q.* 8. *sect.* 6. & alii quidam, præsertim VV. quos refert Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 43. *n.* 2. Hi proinde DD. putant, casu, quo Titius v. g. Sponsalia contraxit cum Bertha, Juramento addito de fide eidem servanda, eum ante, quàm Religionem ingrediatur, obligari ad Matrimonium contrahendum, quamvis liberum deinde eidem sit, an velit Matrimonio contracto, & non consummato, Religionem ingredi, & in eadem profiteri. 77

Colligi Sententia hæc videtur 1. ex *c. commissum* 12. *de Sponsal.* ubi Alexander III. Episcopo Oxoniensi, super ejusmodi Sponsalibus, & his superveniente proposito Religionis consulenti, respondit, *tutius esse ei (Religione Juramenti servata) prius contrahere, & postea, si elegerit, ad Religionem migrare.* 2. Juramentum, quod sine peccato, & præjudicio tertii servari potest, si ejus observatione non impediatur majus bonum, servari debet *c. cùm contingat* 28. *de Jurejur. & c. quamvis* 2. *de Pact. in* 6. atqui Juramentum istud, Sponsalibus additum, servari potest sine peccato, & præjudicio tertii, neque est impeditivum majoris boni, cùm post Matrimonium ratum adhuc licitus sit ingressus in Religionem; ergo &c. 3. Qui juravit se soluturum usuras, licèt post solutionem possit repetere, ob reverentiam tamen Juramenti tenetur priùs eas solvere, nisi impetraverit Juramenti relaxationem *c. debitores* 6. *de Jurejur.* 4. Juramentum factum in favorem tertii, cui jus est acquisitum; non potest in melius commutari: & hinc qui Titio diviti promisit 100. non satisfacit, si pauperiori Cajo det 1000. 5. Debitor, si solvendo sit, non potest priùs ingredi Religionem, quàm ipse ea, quæ debet, solverit. 78

Sed meliùs tenetur negativa, scilicet non obligari ejusmodi Sponsum Matrimonium priùs contrahere, sed posse etiam, hoc non contracto, Religionem ingredi. Ita Gloss. *in c. commissum cit. V. tutius*, Host. *ibid. eod. V.* Jo. Andr. *n.* 6. Anchar. *n.* 6. Abb. *n.* 4. Alex. de Nevo *n.* 9. *&* 10. Syl. *V. Juramentum* 3. *q.* 5. Covar. *p.* 1. *de Sponsal. c.* 5. *princ. n.* 11. Carrer. *l.* 1. *de Sponsal. cap.* 15. Sot. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 2. *art.* 5. *v. dubium*, Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 13. *n.* 3. *& c.* 14. *n.* 3. Sanch. *D.* 43. *cit. n.* 3. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *dub.* 4. *n.* 48. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 4. Zoes. *tit. de Sponsal. n.* 26. *&* 29. Engl *§.* 3. *n.* 7. Pirh. *nu.* 51. Schambog. *num.* 68. Konig *num.* 64. Vviestner *hic num.* 36. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Sponsal. c.* 5. *nu.* 36. Ratio est, quia Juramentum sequitur naturam, & conditiones actus, cui adjicitur *c. quemadmodum* 25. *pr. de Jurejur.* & *l. fin. C. de non num. pecun.* atqui Sponsalia talis naturæ sunt, ut insitam sibi habeant conditionem, *Nisi Religionem elegero*. Igitur etiam Juramentum iisdem adjectum sub hac conditione censebitur emissum, & Religionis ingressus, non obstante Juramento, permissus. 79

Neque obstant Argumenta in contrarium allata. *Ad* 1. Ut Suar. *l.* 2. *de Juram. c.* 13. *n.* 5. Canis. *in c. cit. n.* 3. Gonz. *ibid. n.* 2. *fin.* Vvagnerek *not.* 2. Zoes. *l. cit. n.* 30. Pirh. *n.* 52. Schamb. *n.* 70. Vviest. *num.* 37. explicant, in casu *c. cit.* Sponsus nondum plenè, ac firmiter statuit ingredi Religionem, ut verbis, *Si postea elegerit*, non obscù- 80

obscurè insinuatur: unde cùm tempus, nempe biennium, pro implendis Sponsalibus à contrahentibus designatum, ad finem pergeret, meritò rescripsit Pontifex, tutius esse contrahere Matrimonium, ne lapso destinato tempore, & non impleta obligatione Juramenti, perjurus fieret, qui juravit. *Ad* 2. Solutio patet ex probatione negativæ sententiæ; cùm enim Juramentum Sponsalibus adjectum habeat insitam sibi conditionem, *Nisi Religionem elegero*, sicut Sponsalia, ita & Juramentum his additum non aliter obligat, nisi quando jurans voluerit manere in sæculo. Deinde frustraneum omnino esset contrahere hoc casu Matrimonium, imò præjudiciosum alteri parti, & ipsi juranti periculosum: præjudiciosum quidem alteri parti; quia hæc, si sciret Matrimonium secum contrahi animo statim ingrediendi Religionem, nollet contrahere, & sic contractu tali deciperetur; periculosum autem ipsi juranti, quia exponeret se periculo mutandi animum per consummationem. *Ad* 3. In Juramento solvendi usuras nulla latet tacita conditio, qualis inest Juramento Matrimonii, si Religio non eligatur. *Ad* 4. Id verum est, nisi Juramento insit tacita connditio, *Nisi in melius commutavero*. *Ad* 5. Solutioni aliorum debitorum nulla inest conditio tacita, ut inest debito præsentis casus.

81 Quæritur 9. An qui post jurata Sponsalia Religionis Voto se adstrinxit, possit licitè contrahere Matrimonium animo ante consummationem ejus ingrediendi Religionem? Affirmant Anton. de Butr. *in cap. ex publico* 7. *de convers. conjug. n.* 9. Henric. *in c. commissum* 12. *de Sponsal. n.* 8. Alex. de Nevo *ibid. n.* 9. *&* 10. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 53. *artic.* 1. *dub.* 1. *post* 2. *concl. v. secunda pars*. Fundantur 1. textu *c. commissum cit.* ubi Pontifex de jurante Sponsalia ait, tutius esse priùs contrahere Matrimonium, fecit autem illi Votum Religionis, quia textus ait, quòd *privata Lege ductus, ad frugem melioris vitæ suspiraverit*; Votum autem privata est; ergo &c. 2. Quia sic contrahens non egit contra Votum Religionis, utpote quod tantùm obligat ad non ponendum obicem ingressui Religionis, qualem non ponit Matrimonium ratum, cùm post hoc adhuc licitus ingressus sit, sed consummatum tantùm. 3. Ita contrahens animo ingrediendi Religionem etiam non infert injuriam alteri conjugi, cùm utatur jure suo, quòd habet, ingrediendi Religionem ante Matrimonii consummationem, ut adeò non appareat, ex quo capite talis Matrimonii contractus, & animus post illud contractum ingrediendi Religionem illicitus sit.

82 Sed multò probabilius est non licere absque culpa mortali hoc casu contrahere Matrimonium. Ita Gloss. *in c. commissum cit. V. tutius*, Host. *ibid. paulò post pr.* Joan. Andr. *n.* 3. Ant. Cucch. *l. instit. major. tom.* 12. *num.* 20. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 244. *num.* 5. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 43. *n.* 7. & alii ab hoc *citt.* 1. Quia ita contrahendo patentissimo periculo se exponit contrahens mutandi animum, & violandi Votum. 2. Hic contractus derogat dignitati Voti, utpote quod absolutè est impedimentum impediens Matrimonium. 3. Rectæ rationi repugnat, ut quis potestatem corporis sui det alteri, atque ad id se obliget, quod implere minimè intendit. 4. Eo animo contrahens notabilem injuriam infert puellæ, quam cogit absque nuptiis esse, donec ipse aut profiteatur, aut ex Novitiatu egrediatur.

83 *Excipit* tamen Sanch. *l. cit. nu.* 8. tres casus, quibus licitum erit habenti Votum Religionis, aut Castitatis contrahere Matrimonium animo firmo ante illius consummationem ingrediendi Religionem. 1. Quando esset notabilis metus, licèt non cadens in constantem virum, amittendæ famæ, aut vitæ propriæ nisi contraheret. 2. si Voto adstrictus alio modo non potest ingredi Religionem; quia inclusus retinetur. 3. Si ita necessarium sit ad vitandum magnum scandalum, vel Sponsæ defloratæ præjudicium; de quo plura *n.* 85.

84 Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 1. In casu *cit.* non fuit emissum Religionis Votum; dicit enim Pontifex, *Postea si elegerit*, quod clarè indicat nondum adfuisse animum firmum ingrediendi. Neque obstant verba *Lege privata ductus*; nam ut Host. *ibid.* notat, id intelligendum de Lege amoris, & Charitatis DEI, vel de Lege, quæ instinctu Spiritus S. imprimitur cordibus. *Ad* 2. patet ex *numer.* 82. eatenus contra Votum peccati, quatenus ita contrahens se exponit præsenti periculo illud violandi, & præceptum Ecclesiæ trasgreditur, quo voluit Votum Religionis esse impedimentum impediens. *Ad* 3. Injuria conjugis in hoc consistit, quod ei se obliget ad aliquid, quod neque vult, neque licitè potest implere.

Quæritur 10. An si quis non solùm Sponsalia cum Virgine contraxit, sed etiam sub spe Matrimonii eam corrupit, ante contractum Matrimonium Religionem ingredi possit? Resp. Non posse, sed teneri priùs Matrimonium contrahere, quo contracto, & non consummato dein poterit propositum Religionis exequi. Ita Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 13. *nu.* 3. *in Comment. Lit. K.* Rodriq. *to.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 245. *n.* 11. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 44. *n.* 3. *&* 4. Tann. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 1. *dub.* 4. *nu.* 50. Palao *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 18. *nu.* 9. Perez *D.* 9. *sect.* 4. *n.* 5. Laym. *l.* 6. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 4. *v. limita*. Wex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 1. *§.* 7. *n.* 18. Zoes. *tit. de Spons. n.* 31. Pirh. *ibid. n.* 51. *&* 54. Schamb. *n.* 75. Konig *n.* 64. Wiest. *hic n.* 38. Idem dicendum, si copula non secuta, notabilem tamen famæ jacturam culpa promittentis patiatur fœmina, ut iidem notant. 85

Ratio est, quia licèt volenti ingredi Religionem non obstent Sponsalia etiam jurata, ei tamen obstat gravis injuria, & damnum, quod Sponsa ex defloratione, & infamia patitur; cùm igitur moraliter loquendo non possit injuriam violatæ Virginitatis, aut famæ resarcire aliter, quàm eam ducendo, ex æquitate naturali priùs eam ducere debet, quàm DEO se consecrandi propositum Religionis ingressu adimplere. 86

Imò si ita contrahendo, & postmodum Religionem ingrediendo non resarciretur infamia, ut Sanch. *l. citat. n.* 7. advertit, non satisfaceret promissor obligationi suæ sic contrahendo, sed deberet etiam persistere in Matrimonio; quia ad impediendam infamiam talem, cui causam culpa sua promissor dedit, iste obligatur ex Justitia, cùm econtra ingressus Religionis illi, præsertim si ad hoc nullo adstrictus sit Voto, sit tantùm voluntarius. Putat autem Sanch. *l. cit.* rarissimè contingere, ut Matrimonio sic contracto resarciatur fama, cùm potiùs tam properato ab ea discessu, gravioris suspicionis nota afficiatur. 87

§. III.

De Voto simplici Continentiæ, suscipiendi Sacrum Ordinem, ingrediendi Religionem, non nubendi &c.

SUMMARIUM.

117 &c. *Quæ obligatio in sic vovente post contractum Matrimonium maneat?*

88 Quæritur 1. de Voto Simplici Continentiæ. *Et 2. quidem dubitatur*, utrum Votum Continentiæ simplex dirimat Matrimonium? Resp. Exceptis Votis Simplicibus Societatis JESU, Vota alia Matrimonium contrahendum non dirimunt, sed solùm impediunt, ita, ut post illa Matrimonium sit quidem illicitum, non verò invalidum. Gutier. *c. 94. de Matr. n.* 1. Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 3. n. 5.* Pal. *tr. 28. D. 4. p. 6. n. 1.* Canis. *ad Rubr. h. tit. n. 6.* Vivian. *in c. 3. eod. V. Votum simplex*, Barbos. *ibid. n. 1.* Vvagnereck *ibid. in Exeges.* Gonzal. *in c. fin. n. 7. & seqq.* Engl. *hic n. 2.* Schambog. *n. 20.* Konig *n. 16. v. porro*, & statuitur *c. consuluit 4. & c. rursus 6. h. tit.*

89 *Quòd Votum Continentiæ simplex sit Impedimentum impediens Matrimonium contrahendum*, patet ex eo, quia omnis promissio DEO facta, & ab ipso acceptata inducit obligationem exequendi opere, quod est promissum; promissum autem est, quòd vovens velit servare corpus suum integrum ab omni actu venereo, etiam eo, qui, secluso Voto, licitus esset; ergo debet illud servare; & conf. cùm Matrimonium inducat obligationem huic obligationi contrariam, non potest licitè inire Matrimonium, qui Votum ejusmodi DEO fecit.

90 *Quod verò Matrimonium contrahendum non dirimat*, ex eo ostenditur: quia Votum continentiæ vim dirimendi Matrimonium ex natura sua non habet, nisi ei accedat Ecclesiæ Constitutio, quæ voventem ad Matrimonium ineundum inhabilem reddat ex clara decisione *c. unic. v. nos attendentes de Vot. in 6.* atqui nusquam extat Constitutio aliqua Ecclesiastica, qua is, qui Votum Continentiæ simplex extra Religionem emisit, ad conjugium ineundum reddatur inhabilis; ergo &c.

91 Dixi *Exceptis Votis simplicibus Societatis JESU*; nam hæc, ut *suprà n. 61.* dictum est, Matrimonium contrahendum non minùs dirimunt, ac Professio solemnis, ex *Constitutione Gregorii XIII.* incipit, *Ascendente:* cujus novæ *Constitutionis* causa fuit, quia in his Votis simplicibus omnino cessant rationes, ob quas Votum Castitatis Simplex non irritat Matrimonium in Sæcularibus: quod facilè ostendi potest; nam ideo Votum Simplex Castitatis, extra Religionem emissum, non dirimit Matrimonium, quia ejusmodi Vota sæpe sine sufficienti deliberatione concipiuntur, nec per ea mutatur Status, aut fit traditio sui corporis, sed solùm promissio traditionis ejusdem ad serviendum DEO in integritate corporis; atqui Vota simplicia Societatis 1. emittuntur cum magna deliberatione, nempe post biennium probationis. 2. Per illa verè mutatur Status sæcularis in Regularem, ac propterea in eum, qui Vota ejusmodi emisit, si Societatem deserat, procedi potest, tanquam adversus verum Apostatam, prout deciditur *Const. Ascendente cit.* 3. Per eadem Vota fit plena traditio sui, quippe cùm his Votis adstrictus non secus, ac Professus solemniter, velle, & nolle proprium non ampliùs habeat, quamvis traditio ista non acceptetur ab Ordine, ut Professio; ergo &c.

92 Dub. 2. Utrum Voto continentiæ simplici, extra Religionem emisso, impediatur Matrimonium, & dirimantur Sponsalia ante contracta? Affirmant Ant. de Buttio *in c. veniens 13. de Sponsal. n. 9.* Angel. *V. Sponsalia n. 40.* Paludan. *in 4. dist. 38. q. 3. art. 3. concl. 36.* Sot. *ibid. dist. 27. q. 2. art. 5. v. utrum*, Catrer. *l. 1. de Sponsal. c. 16.* Suar. *l. 2. de Vot. c. 4. n. 13.* Henriq. *l. 11. c. 14. n. 4.* Rodriq. *to. 1. Summ. edit. 2. c. 45. n. 2.* Petr. de Ledesm. *de Matr. q. 43. art. 3. dub. 3.* Tanner. *tom. 4. D. 8. q. 1. dub. 4. n. 54.* Pont. *l. 6. de Matr. c. 12. n. 4.* Vvagnereck *in c. veniens cit. not. 1. v. mihi omnibus. Moventur* 1. quia *c. veniens cit.* Votum Continentiæ, Sponsalibus superveniens, pro valido habetur, cùm fœminæ, quæ illud emiserat, nubendi licentia concedatur dispensativè. 2. Quia vinculum Voti fortius est eo, quod oritur ex Sponsalibus de futuro, quippe cùm per Sponsalia homo duntaxat homini, per Votum autem homo obligetur DEO. 3. Quia Sponsalibus inest tacita conditio, *Nisi statum perfectiorem*, conf. Cælibatum, *elegero*. 4. Quia Votum Continentiæ est de meliori bono incompatibili cum Matrimonio; promissum autem non infringit. qui in melius illud commutat *c. pervenit 3. de Jurejur.* 5. Si Votum Continentiæ emissum post jam contracta Sponsalia, hæc non dirimeret, & Matrimonium contrahendum non impediret, non peccaret contra Votum, qui post Votum sic emissum contraheret Matrimonium, quippe cùm stante Voto, adhuc maneret obligatio ad nubendum.

Sed his non obstantibus, probabilius est, per ejusmodi Votum Continentiæ, post Sponsalia jam contracta emissum, nec Matrimonium impediri, nec Sponsalia, saltem ex parte voventis, dirimi. Ita Gloss. *in c. veniens cit. V. de severitate.* Abb. *ibid. n. 5.* Alex. de Nevo *n. 6.* Host. *in c. rursus 6. h. tit. paulò post pr.* Ant. de Butrio *ibid. n. 5.* sibi in hoc contrarius, Anchatan. *n. 1.* Sylv. *V. Matrimonium 7. q. 5. dict. 5. & V. Sponsalia q. 7.* Nav. *Man. c. 22. n. 27.* Brunnell. *de Sponsal. concl. 8. n. 2. & concl. 31. nu. 3.* Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 1.* Vaga *l. 6. Summ. cas. 41. punct. 4. opin. 5.* Sanch. *l. 1. de Matr. D. 46. n. 9.* Conink *D. 23. dub. 3. n. 21. & 25.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 2. nu. 6.* Zoes. *hic nu. 10.* Pirh. *num. 30.* Schamb. *n. 14.* Vviestn. *n. 62.* & apud hos alii. Colligitur *1.* ex *c. veniens cit.* ubi mulieri, quæ post Sponsalia Votum Continentiæ Simplex edidit, & sic causa fuit, ut Sponsus ad alias transiret nuptias, pœnitentia imponitur tum propter fidem Desponsationis violatam, & quia per ipsam stetit, ne promissum Matrimonium contraheretur, tum propter Votum, à quo cupiebat liberari, ut alteri possit nubere; atqui non fuisset ipsi imposita pœnitentia ob fidem Desponsationis violatam, si Votum, post Sponsalia editum, dirimeret Sponsalia, & impediret Matrimonium contrahendum; ergo &c. 2. Quia DEUS non acceptat Votum, seu promissionem rei, priùs alteri promissæ, in promissarii præjudicium; aliàs qui mille aureos promisit homini, liberare se obligatione hujus suæ promissionis posset, si illos Voto promitteret DEO; sed per ejusmodi Votum Continentiæ, editus post Sponsalia jam contracta, fit præjudicium alteri, nempe illi, cum quo Sponsalia sunt contracta. 3. Quia nullo Jure probatur inesse Sponsalibus hanc tacitam conditionem, *Nisi statum continentiæ elegero*, si iste eligatur extra Religionem à Sede Apostolica approbatam. 93

Dixi, *saltem ex parte voventis*; nam certum est, quando unus ex Sponsis Castitatem vovit, alterum à Sponsalibus servandis liberum esse; quia vovens censetur eo ipso Sponsalibus renuntiasse. Accedit, quòd res sint notabiliter mutatæ; cùm enim vovens ratione hujus sui Voti impediatur à petendo debito conjugali, grave onus foret impositum alteri, si semper cogeretur petere, maximè si esset fœmina. Palud. *in 3. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 5. num. 23.* Sylv. *V. Sponsalia q. 7.* Henriq. *l. 11. de Matr. c. 14. n. 4.* Vega *l. cit. opin. 5.* Sanch. *D. 46. cit. n. 5.* Pirh. *hic n. 28.* 94

Argumenta in contrarium opposita facilè solvi possunt. *Ad 1.* Votum illud validum fuit in præjudicium voventis tantùm; quia licèt per illud non impediatur contrahere Matrimonium, servare tamen in Matrimonio illud debet, ut potest, & hinc petere debitum conjugale nequit: non autem validum est in præjudicium alterius Sponsi, quod solum probant rationes nostræ. Et hinc post contractum Matrimonium exigenti debitum illud tenetur reddere, sicut qui post Matrimonium jam contractum ad continentiam se obligavit Voto *c. placuit 12. de convers. conjug. Ad 2.* Negatur, quòd ejusmodi Votum sit vinculum in præjudicium alterius Sponsi; nam eatenus est invalidum; ergo etiam non potest esse vinculum fortius Sponsalibus, & sic illa dissolvere. *Ad 3.* Conditio illa Sponsalibus neque inest ex natura rei; aliàs in quavis promissione homini facta v. g. 1000. aureorum includeretur conditio, *Nisi illos DEO donare voluero*, quod nemo facilè asseret: neque etiam inest illis ex dispositione Juris positivi, cùm tale nusquam extet. *Ad 4.* in textu *capitul. pervenit citat.* sermo est de Voto, quod fit DEO, non verò de promissione homini facta: si DEO facta sit promissio, in melius, DEOque gratius opus commutare promissionem licèt; quia DEUS rem meliorem, sibique gratiorem pro re sibi promissa, & minùs sibi grata acceptare censetur: si verò promissio facta sit homini, illam non licet propria authoritate in melius commutare cum præjudicio alterius, ne hic jure sibi jam quæsito spolietur absque sua culpa. *Ad 5.* Concedo, talem, qui post Sponsalia à se con- 95

contracta Votum continentiæ edidit, non peccare contra Votum, si Matrimonium contrahat cum sua Sponsa, cum qua contraxit Sponsalia; quia, ut dictum est, Votum hoc, quatenus cedit in præjudicium alterius Sponsi, invalidum est; non præstat autem impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum; ergo &c.

96 Dub. 3. An Voti obligatio maneat in eo, qui post Votum simplex Continentiæ editum Virginem defloravit, aut honestam Viduam corrupit? Resp. Cum distinctione: vel enim ista deflorationem, vel corruptionem sui passa est, vi sibi illata, vel sponte, ac liberè in eam consensit. *Si primum*, obligatur stuprator ad reparandum damnum constupratæ à se illatum, & conf. si aliter istud reparare nequeat, nisi illam ducat, tenetur eam ducere, non obstante Voto contrario; quia tunc Voti, & Religiosis obligationi prævalet obligatio Justitiæ, adstringentis ad reparationem damni, ex hujusmodi violatione consecuti: neque enim DEUS acceptat promissionem sibi factam, nisi quatenus ea impleri sine gravi alterius damno potest. Pont. *l.* 6. *c.* 12. *nu.* 9. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 2. *§.* 1. *num.* 17. *fin.* Vviestner *hic n.* 2. ubi rectè monet, antequam cum corrupta Matrimonium ineatur, petendam esse dispensationem in Voto, quam Papa facilè concedet hoc casu: imò in urgentis necessitatis casu concedere potest Episcopus, ut si probabile periculum sit incontinentiæ, præsertim si interveniat moralis impotentia, aut grave impedimentum adeundi Pontificem, adeoque periculum sit in mora. *Neque obest*, quòd aliàs Votum continentiæ sit reservatum Summo Pontifici; nam tali casu præsumitur Pontifex ob bonum publicum, & animarum facultatem in hoc Voto dispensandi concessisse Episcopo.

97 *Si secundum*, & deflorata, vel corrupta in sui deflorationem, vel corruptionem consensit sponte, & liberè, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an deflorans spem, vel promissionem Matrimonii eidem fecerit, an verò illa consenserit, nulla hujusmodi spe, vel promissione sibi facta. *Si hoc posterius*, Voti obligatio manet integra, & impedit Matrimonium cum ea contrahendum; quia consentienti in sui corruptionem nulla illata est injuria, vel læsio, quæ Matrimonii contractu reparari debeat *arg. Reg. nemo* 45. *ff. & Reg. scienti* 26. *in* 6. Vasq. *de restit. c.* 3. *§.* 2. *dub.* 6. *n.* 21. Pont. *l. cit. n.* 6. Palao *n.* 15. Vviestner *n.* 68.

98 *Si prius*, & defloratæ sit facta spes, vel promissio Matrimonii, applicari tertia distinctio debet, an videlicet deflorata Voti antea editi fuerit conscia, vel contrà, ignara istius. *Si conscia Voti fuit*, iterum obligatio Voti integra manet, neque tenetur deflorans contrahere Matrimonium; quia cum sciverit eum, cui se prostituit, teneri obligatione Voti, ac proinde promissionem sibi factam nullam esse, censebitur usum corporis sui gratis illi concessisse. Sanch. *l. cit. n.* 5. Palao *n.* 17. Vviestn. *n.* 69.

99 *Si verò Voti antea à deflorante editi ignara fuit*, quarta opus distinctione est. Vel enim damnum aliquod grave consecutum inde est defloratæ, vel nullum passa est damnum grave. *Si grave secutum est damnum*, attendendum est, an damnum istud aliter, quàm per Matrimonium resarciri possit, vel non. *Si aliter resarciri possit*, v. g. constituta, vel aucta dote, iterum non præstatur impedimentum executioni Voti; quia, siquid obstaret hoc casu executioni Voti, obstaret damnum corruptæ illatum, & obligatio id reparandi. Atqui hæc non obstat; quia ponitur, quòd alio modo reparatio plena fieri possit. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 10. *n.* 10. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 14. *n.* 12. Palao *n.* 16. Vviestner *n.* 70. *Quod si verò aliter resarciri hoc damnum nequeat*, ex communi sententia, & ratione *n.* 96. allata cessabit obligatio Voti quoad effectum impediendi Matrimonium, & tenebitur deflorans corruptam ducere. Sanch. *D.* 45. *cit. n.* 3. Vasq. *dub.* 6. *n.* 20. Pont. *nu.* 10. Palao *num.* 7. Vviestner *n.* 71.

100 *Si nullum grave damnum ex defloratione consecutum sit defloratæ*, controversia est inter DD. Sanch. *D.* 45. *cit. n.* 3. Bonacin. *de Sponsal. q.* 1. *p.* 5. *n.* 7. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 1. *dub.* 4. *nu.* 51. putant defloratorem, si nuptias defloratæ promisit, non obstante voto, teneri eandem ducere. 1. Quia Votum non obligat, rebus notabiliter mutatis, ut tradunt omnes *Tract. de Vot.* hic autem notabilissima est mutatio, cùm vinculum Justitiæ fortissimum supervenerit. 2. Vinculum Justitiæ fortius est vinculo Charitatis. Sed propter vinculum Charitatis superveniens cogitur quis suspendere Votum præcedens Religionis, v. g. ut succurrat parentibus indigentibus; ergo à fortiori propter vinculum Justitiæ, quali in præsenti deflorator erga defloratam adstringitur. 3. Ære alieno gravatus non potest ingredi Religionem, quam antea voverat, si spes sit satisfaciendi creditoribus; ergo nec in nostro casu ob vinculum Justitiæ Sponsalium Sponsus impedietur ab executione suæ promissionis per Votum Continentiæ à se antea editum.

Sed communis, & in praxi recepta sententia est, casu, quo vel nullum damnum defloratæ est consecutum, vel quod secutum est, aliter reparari potest, defloratorem Voto continentiæ antea emisso adstrictum, ex vi solius promissionis non obligari ad eam ducendam. Ita Navar. *h. tit. conf.* 1. *edit.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *summ. c.* 208. *concl.* 11. Dicastill. *tr.* 10. *de Matr. D.* 1. *dub.* 32. *num.* 446. Kaym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 6. Pith. *tit. de Sponsal. nu.* 54. Ratio est, quia cùm talis promissio sit facta de re, jam ante per Votum Continentiæ obligata DEO, non minùs invalida est, ac invalida sunt secunda Sponsalia inita in præjudicium prioris Sponsæ: unde sicut iste, qui secunda Sponsalia, primis non dissolutis, contraxit, adhuc debet implere prima, ita etiam qui post Votum Continentiæ editum Virginem, aut Viduam honestam corrupit, debebit implere Votum, nisi cum ipso in hoc dispensetur ad Matrimonium contrahendum cum deflorata. Ex quo patet ad Argumenta opposita. 101

Quæritur 2. De Voto ingrediendi Religionem, & suscipiendi SS. Ordines? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an Votum ingrediendi Religionem solvat Sponsalia ante contracta? Resp. De hoc loquendum, sicut de ingressu Religionis. Igitur 1. dicendum, quòd ejusmodi Votum sit licitum, & obligatorium: quia est de meliori bono, & nulli præjudicium creat; cùm enim non obstantibus Sponsalibus prius initis, possit ingredi Religionem, etiam licitè potest eam, rescissis Sponsalibus, vovere, vel addito Juramento promittere Navar. *Man. c.* 22. *num.* 27. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *n.* 4. Engl *tit. de Sponsal.* §. 3. *n.* 8. *dub.* 3. 102

2. Post ejusmodi Votum ingressurus Religionem, non tenetur priùs eam, cum qua Sponsalia priùs habuit, ducere; quia frustra contraheret Matrimonium animo statim ingrediendi Religionem. *Excipitur*, nisi Sponsa aliàs gravem infamiam incurreret, quippe quæ spe Matrimonii cognita, & fortè gravida facta fuit; tum enim ut Sponsæ infamiam impediat, & proles, ex nata, legitima fiat, priùs contrahere Matrimonium oporteret, antequam Voto suo satisfaciat. Navar. *de Vot. conf.* 3. Engl *dub.* 3. *cit.* 103

3. Pars manens in Sæculo eo casu libera est à Sponsalibus, etiam ante alterius in Religionem ingressum; quia per ejusmodi Votum Religionis ipse vovens censetur renuntiasse Sponsalibus, & remisisse obligationem eorum alteri. At in vovente obligatio Sponsalium tantùm suspenditur, donec secuta Professione, omnino tollatur. Quod si ista non sequatur, sed Novitius egrediatur è Religione, tenebitur satisfacere Sponsalium obligationi, & Sponsam suam ducere, nisi etiam ipsa obligationem remiserit, aut interea cum alio Sponsalia de futuro, vel de præsenti contraxerit. Vvex *Ariadna p.* 5. *tr.* 2. *p.* 1. *§.* 7. *n.* 19. 104

Dub. 2. An etiam Votum suscipiendi SS. Ordines Sponsalia antè contracta dirimat, ita, ut Sponsus, non obstantibus Sponsalibus priùs contractis, ad SS. Ordines promoveri possit? Affirmant Henriq. *l.* 11. *c.* 14. *num.* 4. Azor. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 21. *q.* 10. Pont. *l.* 16. *de Matr. c.* 11. *n.* 3. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *n.* 52. *Fundantur*; quia cùm Status Ecclesiasticus dignior sit, & sanctior Statu Matrimoniali, adeoque de meliori bono, non videtur is impediri debere per obligationem Sponsalium: quippe quæ minoris momenti est, & minùs fortis. *Confirmari* potest à paritate cum Voto ingrediendi Religionem, quo dirimuntur Sponsalia ante contracta, ut dictum est *n. præc.* 105

Sed probabilius est per Votum suscipiendi SS. Ordines Sponsalia priùs contracta, ex parte voventis saltem, non dirimi, sed ab his præstari impedimentum, ne iis adstrictus, licèt SS. Ordinum susceptionem voverit, promoveri ad illos licitè possit. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *cas.* 5. *n.* 21. *v. quartò.* Majol. *l.* 1. *de Irregul. c.* 34. *n.* 6. Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 47. *n.* 3. Conink *D.* 23. 106

dub. 3. *n.* 25. Palao *tr.* 28. *D.* 1. *p.* 20. *nu.* 3. Perez *D.* 9. *sect.* 6. *n.* 1. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 1. §. 7. *num.* 22. Zoes. *hic n.* 10. *fin.* Vviestner *ibid. num.* 66. Engl. *tit. de Sponsal.* §. 3. *n.* 8. Pirh. *ibid. n.* 55. Schambog. *n.* 82. Konig. *num.* 66. & patet ex praxi Ordinariorum, à quibus Sponsalium oppositiones admitti solent, quando ad Sacrum Ordinem, aut Clericatum aspirantibus objiciuntur. *Ratio est*, quia qui Ordines SS. suscipit post contracta cum aliqua Sponsalia, facit illi gravem injuriam, ac proinde non potest illos suscipere sine ejusdem consensu.

107 Quodsi aliquis defacto post Sponsalia, non impetrato consensu Sponsæ suscepisset Ordines Sacros, is quidem Matrimonium ampliùs contrahere nec deberet, nec posset, cùm Ordo Sacer sit impedimentum dirimens Matrimonii; interim tamen sic ordinatus ex æquitatis ratione resarcire deberet damna, & expensas, quas Sponsa intuitu nuptiarum fecit *arg. l. si pecuniam* 5. *ff. de condict. caus. dat.* quod ipsum Engl. *tit. de Sponsal.* §. 3. *n.* 8. Konig *ibid. n.* 66. & alii extendunt etiam ad eum, qui post Sponsalia ingreditur Religionem, ne privilegium ingrediendi Religionem in nimis magnum alterius præjudicium extendatur.

108 *Neque obstat Argumentum oppositæ sententiæ;* quia Votum quod in præjudicium tertii cedit, non acceptat DEUS, etsi materia illius sit de meliori bono; conf. ejusmodi Votum, quatenus in præjudicium Sponsæ cedit, invalidum, & nullum est. *Ad Conf.* Negatur paritas; nam, ut *suprà n.* 102. vidimus, vis dirimendi Sponsalia priùs contracta Voto ingrediendi Religionem reperitur in Jure concessa, non autem reperitur concessa Voto suscipiendi SS. Ordines.

109 Dub. 3. An is, qui post Sponsalia jam contracta edidit Votum suscipiendi SS. Ordines, teneatur Religionem ingredi, & profiteri, ac tum implere Votum, quod fecit de Ordinibus Sacris suscipiendis? *Ratio dubitandi est*, quia si Religionem ingrediatur, & Professionem edat, potest Votum suum servare sine præjudicio Sponsæ; igitur ingredi, & profiteri; nam votum suum vovens servare debet eo modo, quo potest.

110 Sed etsi talis Religionem ingredi possit, si velit, probabiliùs tamen, nisi simul etiam Religionis ingressum voverit, non tenetur, eandem ingredi, sed potest Sponsalia implere, & perficere Matrimonium contrahendo; quia Sponsalia per tale Votum dissoluta non sunt, sed adhuc obligandi vim retinent. Idem dicendum de Voto continentiæ simplici, de Voto non nubendi &c. emisso post contracta Sponsalia. Sanch. *lib.* 1. *de Matr. D.* 46. *n.* 13.

111 *Excipitur*, si Sponsa datam fidem remittat, vel ex justa causa Sponsalia dissolvantur; nam hoc si fiat, is, qui vovit Continentiam, servare Castitatem debet; qui vovit non nubere, nubere non potest etiam Sponsæ suæ; qui vovit SS. Ordines, tenebitur illos suscipere. Ratio obvia est, quia Vota ejusmodi eatenus solùm invalida erant, quatenus cedebant in præjudicium alterius partis; sic autem in præjudicium hujus non cedunt; ergo &c.

Ad Rationem dubitandi dico, voventem non posse obligari ad implendum Votum medio tam difficili, quale est Professio Religiosa.

112 Quæritur 3. De Voto non nubendi. *Et* 1. *quidem dubitatur*, an hoc Votum solvat Sponsalia antè contracta, & Matrimonium contrahendum impediat? Resp. Negativè, ob paritatem cum Voto Continentiæ simplici, & suscipiendi SS. Ordines, superveniente Sponsalibus ritè contractis. Ratio ulterior est, quia qui Sponsalia contraxit, simul etiam contraxit obligationem nubendi, quam solvere sibi ipse Voto non nubendi, altera parte invita, nequit. Aliud dicendum, si hujusmodi Vota emissa fuissent ante Sponsalia; hoc enim casu non solùm Votum continentiæ, & Religionis, sed etiam Votum non nubendi, & suscipiendi SS. Ordines impedirent Sponsalia contrahenda, & Matrimonium promissum, quippe quæ post ejusmodi Vota illicita sunt.

113 Dub. 2. An qui post Votum non nubendi, vel suscipiendi SS. Ordines contraxit Matrimonium, teneatur abstinere à petitione debiti? Affirmant Paludanus, Gabriel, Palacios, Cajetanus, Navarrus apud Sanch. *l.* 9. *D.* 33. *nu.* 21. ex ratione, quia vovens abstinentiam à Matrimonio ineundo censetur consequenter vovere abstinentiam ab illius usu, qui consequitur Matrimonium. *Conf.* Quia ut Regula Logica habet, negatio ejus naturæ est, ut quidquid post se invenit, destruat: conf. licèt is, qui promisit Matrimonium, non subinde actum promittat, quia illud esse sine actu potest, negans tamen Matrimonium hoc ipso negabit actum, utpote qui extra Matrimonium esse nequit; tenebitur ergo vi Voti abstinere ab usu illius, quantum potest, nempe à petitione debiti.

Sed longè probabilius est licere hoc casu voventi, ubi semel Matrimonium consummavit, debitum non tantùm reddere, sed etiam petere, ut notant D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 1. *c.* 2. §. 1. Barth. à Ledesm. *dub.* 32. *de Matr. fin.* Petr. de Ledesm. *de Matrim. q.* 35. *art.* 1. *fol.* 360. Lud. Lop. *p.* 2. *Inst. de Matr. c.* 46. *circa* 2. *imped. Votum simpl.* Sà *Summ. V. debitum conjugale*, *v. contrahens Matrimonium*, Vega *tom.* 2. *Summ. c.* 129. *cas.* 76. Sanch. *D.* 33. *cit. n.* 22. Imò his duobus Votis adstrictus post Matrimonium contractum probabiliùs ne quidem à consummatione ejusdem abstinere debet, sed potest illud licitè etiam petendo consummare, ut docet Sanch. *l.* 9. *cit. D.* 34. *nu.* 7. Ratio est, quia objectum Votorum istorum primarium est non inire Matrimonium, vel suscipere Sacrum Ordinem, Matrimonium excludentem; atqui hoc per ipsum Matrimonii contractum impossibile redditur, igitur cùm accessorium sequatur principale, etiam obligatio ad Continentiam, Votis istis secundatiò, & consequenter connexa, cessabit. 114

Ex quo cadit Argumentum contrarium cum sua *Confirmatione*; dicendum enim, quòd vovens non nubere, vel suscipere Sacrum Ordinem ad abstinentiam ab actu conjugali non aliter se obliget, quàm quatenus, & quamdiu subsistit objectum Voti primarium. Quare his Votis adstrictus, si Sponsalia non præcesserunt, peccabit quidem Matrimonium contrahendo, non tamen consummando. 115

Dub. 3. An similiter obligatio Voti cesset in eo, qui post Votum Continentiæ, aut Religionis Matrimonium contraxit? Resp. Negativè, cum discrimine tamen; nam is, qui post Votum Continentiæ Simplex illicitè contraxit Matrimonium, ex vi Voti sui abstinere à petitione debiti tenetur, ita ut contra Votum suum peccet non tantùm, si prima vice Matrimonium petendo debitum consummet, sed toties, quoties deinde illud ab uxore exigit, quamvis reddere petitum possit. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 4. Scot. *ibid. q. un. ad fin. v. consimiliter*. Palud. *q.* 3. *art.* 5. *concl.* 4. *n.* 36. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 15. *n.* 8. *&* *l.* 12. *c.* 2. *n.* 3. 8. *&* 9. Sà *V. debitum conjugale*, *vers. contrahens Matrimonium*, Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 33. *n.* 5. Engl. *hic* §. 1. *num.* 2. *v. licèt*, Reiffenst. *nu.* 25. Vviestn. *n.* 56. & hoc teste plurimi, præcipuèque nominis TT. & JCti *arg. c. quidam* 3. *de convers. conjug.* ex cujus decisione, invita uxore, Religionem Professus, licèt Professio invalida sit, exigere tamen debitum conjugale non potest, quòd Professio illa valeat saltem in vim Voti Simplicis Continentiæ. Accedit, quia Matrimonium postea contractum ab obligatione Voti non liberat, nisi quatenus ei contravenire cogit jus alteri conjugi quæsitum per contractum postea cum ipso Matrimonium; atqui huic quæsitum Jus non cogit ad petendum debitum, sed solùm ad hoc, cùm exigitur, reddendum; ergo &c. 116

Quia verò conjux, tali Voto adstrictus, in quotidiano transgressionis periculo constitutus est, idcirco hujusmodi voventi consulitur, ut vel ipse, vel alius ejus nomine dispensationem petat, quam ob incontinentiæ periculum, & difficultatem adeundi Pontificem concedere solet Episcopus, cum ea moderatione, ut supplicans, stante Matrimonio jam contracto, valeat reddere, & petere debitum conjugale, dissoluto autem Matrimonio per mortem alterius conjugis, Votum obliget, sicut prius. Engl *l. cit. n.* 3. 117

Ex quo sequitur, quòd in hujusmodi vovente post contractum Matrimonium triplex Voti effectus maneat; nam 1. si conjux talis post Matrimonium fornicetur, præter adulterium, reus erit sacrilegæ violationis Voti. 2. Tenetur sub mortali abstinere à petitione debiti; nisi cum ipso ad hoc etiam dispensetur. 3. Altero conjuge defuncto, tenetur omnino Castitatem servare.

Minor obligatio est in eo, qui post emissum Votum ingrediendi Religionem, illicitè contraxit Matrimonium; nam iste peccat quidem, quando Matrimonium prima 118

ma vice consummat, postquam verò illud consummavit, licitè debitum & reddere, & petere potest, ut rectè Navarr. *Man. c.* 12. *n.* 80. Henriq. *l.* 12. *c.* 2. *n.* 3. Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 33. *n.* 14. *&* 15. Engl *hic* §. 1. *n.* 4. Wiestner *ibid. n.* 59. & alii ab his *citt.* Ratio est, quia tum materia Voti voventi reddita est impossibilis, cons. Voti obligatio omnino cessat, cùm post consummatum Matrimonium, invita uxore, non ampliùs liceat Religionem ingredi.

119 Quod intelligendum est, Matrimonio stante; nam eo per mortem uxoris soluto, tenetur is, qui Religionem vovit, eandem ingredi, ut contra *Abulensem* meliùs docet Sot. *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 2. *art.* 1. *in fin. Corp.* Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 241. *num.* 3. Sanch. *D.* 33. *cit. num.* 16. & alii ab hoc *citt.* Ratio est, quia tum Voti impedimentum cessat, & vovens Votum suum implere potest. igitur tenebitur. Idem dicendum, quando stante Matrimonio, divortium innocens ex causa adulterii fecit; tunc enim iste ingredi Religionem potest, & sic tenebitur ingredi ex vi Voti, quod de ejus ingressu edidit. Sanch. *l. cit.* qui istud extendit ad quemcunque casum, quo in voventis potestate est ingredi Religionem.

§. VI.

De Impedimento orto ex Disparitate Cultus.

SUMMARIUM.

120 QUæritur 1. An Matrimonium fidelis cum infideli e. gr. cum Pagano, Judæo, Saraceno initum licitum sit? Videtur esse licitum; nam ita contraxit S. Cæcilia cum Valeriano, S. Monica mater S. Augustini cum Patritio, Clotildis cum Clodovæo Francorum Rege, Edelburga cum Eduino Rege Anglorum, adhuc paganis: quæ cùm fuerint fœminæ Sanctæ, utique cum illis Matrimonium non contraxissent, si ita contrahere illicitum foret.

121 Verùm hoc non obstante, dicendum, Christianis esse illicitum contrahere Matrimonium cum Paganis, & Infidelibus, qui Ecclesiam per Baptismi januam non fuerunt aliquando ingressi. Sumitur ex *canon. cave* 15. junct. Gloss. *V. si Christiana, can. non oportet* 16. *& can. si quis judiciaria* 17. *caus.* 28. *q.* 2. ubi fidelis, qui cum infideli Matrimonium defacto contraxit, jubetur à Christiano cœtu, atque convivio, & à communione Ecclesiæ protinus segregari: & patet etiam ex Apostolo 2. *Corinth.* 6. *v.* 14. ubi, *Nolite*, inquit, *iugum ducere*, h. e. conjugium inire *cum infidelibus*, ut textum istum interpretatur S. Hieron. *l.* 1. *adversùs Jovinian. &* 1. *Corinth.* 7. *v.* 29. *Mulier*, ait, *si dormierit vir eius, cui vult, nubat, tantùm in Domino*: quæ postrema verba Hieron. *l. cit.* & Tertull. *l.* 2. *ad uxorem* intelligunt de conjugio fidelis cum fideli.

Proceditque hoc etiam casu, quo is, qui cum infideli contrahit, est Hæreticus, vel Apostata, ut bene advertit Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 13. *n.* 4. *fin.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 71. *n.* 4. quia illi, tanquam verè baptizati subduntur Legibus Ecclesiæ Matrimonium hoc irritantibus. Et extendi hoc etiam debet ad casum, quo infidelis Sponsa fictè est baptizata, ut contra Archidiac. *in can. oportet citat. n.* 4. & Bellamer. *ibid. n.* 2. rectius monet idem Sanch. *n.* 3. cùm enim illa revera sit infidelis, utpote quæ coram DEO verum Baptismum non suscepit, nequit validè fideli nubere. 122

Exempla in contrarium allata non obstant; quia, ut Pont. *l.* 7. *de Matr. c.* 47. *nu.* 7. notat, credibile est, à Religiosissimis illis fœminis hoc factum esse ex speciali revelatione Divina, aut dispensatione Episcoporum, permittentium, aut tolerantium ejusmodi conjugia: qualia suo tempore admodum frequentia fuisse testatur Hieron. *l.* 1. *contra Jovin.* & Augustin. *l. de fid. & oper. capit.* 6. 123

Quæritur 2. Quo Jure illicita sint hujusmodi Matrimonia à fideli cum infideli contracta? Resp. Illicita sunt Jure Divino naturali, extra casum, quo urgens causa occurreret, propter quam recta ratio Matrimonium tunc ineundum dictaret. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 2. *col.* 4. *v. apparet.* Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 59. *art.* 1. *dub.* 3. Barth. à Ledesm. *dub.* 54. *de Matr. post concl.* 4. Vega *tom.* 2. *summ. c.* 34. *cas.* 136. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 71. *n.* 5. Sumitur 1. ex *Deut. c.* 7. ubi DEUS Hebræis interdixit Matrimonium cum Infidelibus: quod præceptum morale fuisse, & sit etiamnum obligare, manifestè ostendit ratio ejus præcepti ibidem subjuncta; *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis.* 2. Quia Jus Divinum naturale dictat, peccandi periculum totis viribus cavendum esse. atqui præsentaneum valde periculum perversionis, & lapsus in infidelitatem imminet fideli ex tali conjugio, ut exemplo est Salomon, qui alienigenarum mulierum amoribus dementatus, à vera Fide ad Idolorum cultum descivit 3. *Reg.* 11. *v.* 3. 3. Quia hujusmodi conjugium fini Matrimonii aliquo modo adversatur; cùm enim finis ejusdem sit non sola generatio prolis, sed etiam legitima ejus educatio, prolesque apud utrumque parentem educari debeat, ubi parentes sunt disparis cultus, pronum est, ut illa vel Religionem Christianam amore parentis infidelis nunquam suscipiat, vel si suscepit, eodem amore impellatur in Apostasiam à fide: ut taceam incommoda alia, quæ inde exsurgunt, qualia sunt, quòd per ejusmodi Matrimonium conjux fidelis abstrahatur à Christianæ Pietatis Officiis, & ipsa cohabitatio inter Religione dispares vix esse quieta, atque tranquilla possit, cùm innumeris discordiis ansam præbeat. 124

Addidi *extra casum, quo urgens causa occurreret, propter quam recta ratio Matrimonium tunc ineundum dictaret*; nam hac urgente, & si nullum foret, vel remotum admodum perversionis periculum, accedente dispensatione Pontificia, ejusmodi Matrimonium licitè, & validè contraheretur; quia eo casu non esset Jure naturali prohibitum, cùm ratio prohibitionis eo Jure introductæ cesset. Potest autem in isto impedimento hodie saltem dispensare solus Pontifex. & qui ab eo privilegium dispensationis habent, quale Paulus V. Episcopo Funajensi in Japonia, & Superioribus Societatis JESU in Regno Sinensi ad decennium dedit, ut habet ejus *Bulla* incipit *Ut animarum data* 21. *Jun.* 1616. Opus autem est causa urgentissima, ut dispensatio hæc licitè dari possit, ob ingens periculum perversionis, & seductionis, cui subjicitur fidelis cum infideli conjunctus. Vincent. *de Just. de Dispens. Matr. l.* 2. *c.* 15. *n.* 2. 125

Quæritur 3. Quo Jure hujusmodi conjugia irrita sint? Jure Divino irrita esse contendunt Cathatin. *l.* 5. *contra Cajet. c. de Matrim.* Viguer. *l. Instit. c.* 16. §. 7. *v.* 9. *imped.* 10. & alii quidam apud Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 71. *n.* 6. quod sumunt 1. ex textibus S. Scripturæ *num.* 121. & 124. allegatis. 2. Quia aliàs Ecclesia non posset irritare Matrimonium cum Infidelibus, utpote qui 126

ejusdem potestati non subjacent. 3. Quia nullus reperitur, textus Juris Ecclesiastici, sed omnes, qui afferuntur, & sumpti sunt ex SS. PP. vel ex Conciliis Provincialibus, qui Juris vim nequaquam obtinent. 4. Christus Matrimonium in Testamento novo voluit esse Sacramentum. atqui Sacramenti Infidelis Jure Divino est incapax. 5. Matrimonium ex sua natura obligat ad cohabitandum, & reddendum debitum, ad hoc autem obligari fidelis contrahens cum infideli nequit; quia potiùs tenetur se ab illo separare. 1. *Corinth.* 7.

127 Sed communis cæterorum DD. quorum integrum Catalogum recenset Sanch. *l. citat. n.* 7. sententia est, ea Matrimonia irrita esse solo Jure Ecclesiastico, si enim alio Jure forent irrita, talia essent vel Jure naturali, vel Divino: *Non autem sunt irrita solo Jure naturali*; quia aliqui fideles cum infidelibus Matrimonium celebrarunt, propter quod non reprehenduntur à Scriptura, ut Jacob cum Lia, & Rachele filiabus Laban, Joseph cum filia Putipharis, Moyses cum Sephora filia Jethro Sacerdotis Madian, Esther cum Assuero Gentili, &c. *Non Jure positivo Divino;* per Christum explicato in Lege nova; quia à Christo Domino Matrimonii antea validi contractus non irritatus, aut immutatus, sed ad dignitatem tantùm Sacramenti elevatus est. Superest ergo, quòd hujusmodi conjugia irrita sint solùm Jure Ecclesiastico.

128 De canone, quo Ecclesia irritaverit hæc conjugia, solliciti sunt DD. Aliqui afferunt pro hoc *canon.* 67. & 69. *Concil. Nicæn.* ubi Christianus nubens infideli punitur, neque admittitur ad pœnitentiam, nisi reliquerit Infidelem; non posset autem jubere Ecclesia hanc relinquere, si Matrimonium esset validum. ergo &c. Quidquid fit de his, & aliis textibus, qui allegari solent, non opus habemus Jure scripto, cùm ex continuo, & antiquissimo usu, ac praxi Ecclesiæ constet, Disparitatem Cultus impedimentis Matrimonium dirimentibus accenseri. Gutier. *de Matrim. c.* 104. *num.* 1. Sanch. *D.* 71. *cit. nu.* 8. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 11. *nu.* 3. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *nu.* 20. Engl *l.* 4. *tit.* 16. §. 2. *n.* 1. Konig *hic nu.* 21. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 5. *n.* 69.

129 Neque obstant Argumenta *n.* 126. proposita. *Ad* 1. Ea testimonia probant, id Matrimonium esse Jure Divino illicitum, non verò, quòd etiam irritum sit. *Ad* 2. Ecclesia potestatem habet irritandi Matrimonium fidelis cum infideli, ex quo sequitur eadem prohibitione etiam irritari Matrimonium infidelis cum fideli, cùm istud in unam partem claudicare nequeat. *Ad* 3. Sufficit praxis, & consuetudo Ecclesiæ; nam etiam hac induci Impedimenta Matrimoniorum possunt, ut dictum est *supra Tit.* 1. *nu.* 372. *Ad* 4. Tale Matrimonium Jure Divino irritum quidem esset in ratione Sacramenti, sed Jure Ecclesiastico tantùm in ratione Contractus Civilis. *Ad* 5. Ex tali Matrimonio per se oritur obligatio cohabitandi, & reddendi debitum, & hæc obligatio actu urget, quando conjux Infidelis sine injuria Creatoris cohabitare fideli velit; secus, si non velit, suspenditus ab extrinseco, quod novum non est, sed fit etiam, quando conjux alter commisit adulterium.

130 Quæritur 4. An valeant Sponsalia inter Cathecumenum nondum baptizatum, & Catholicam contracta? Certum est non valere Sponsalia de præsenti, seu Matrimonium; quia Baptismus est janua Sacramentorum. T. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. artic.* 1. *ad* 5. S. Bonav. *ibid. in Exposit. lit. n.* 1. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 6. *pr.* Henriq. *l.* 12. *de Matr. c* 13. *n.* 3. Tolet. *l.* 7. *Summ. c.* 7. *n.* 1. Vega *tom.* 2. *Summ. c.* 34. *cas.* 78. & 138. Gutier. *c.* 194. *de Matr. n.* 3. Sanch. *D.* 71. *cit. nu.* 2. & sumitur *ex can. cave* 15. *caus.* 28. *q.* 1. ibi, *Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismatis.* ubi Gloss. *V. Si Christiana*, explicat, i. e. *Catechizata*.

131 *Dubium est*, an inter eos valeant Sponsalia de futuro? Videtur, quòd non valeant; quia inter ipsos, ut modò dictum est, etiam valere, aut stare non potest Matrimonium. ergo nec poterunt illud promittere *arg. l. Oratio* 16. *ff. de Sponsal.*

Sed tenenda est affirmativa Sententia cum Sanch. *l.* 5. *de Matr. D.* 8. *n.* 10. Konig *hic n.* 26. *&c. Ratio est* 1. Quia promissio Matrimonii hoc casu refertur ad tempus, pro quo Matrimonium inter promittentes potest consistere, nempe post susceptum Baptismum igitur quantum est ex se, & ex objecto suo non est de re impossibili *per l. Gallus* 29. *ff. de Liber. & posthum.* 2. Quia valent Sponsalia, contracta inter fidelem, & infidelem, *Si iste Baptismum susceperit* arg. *can. non oportet* 16. *caus.* 28. *q.* 1. ergo etiam valent inita inter Baptizatum, & Catechumenum, qui se ad Baptismum disponit; nam ea mente, & conditione contracta censentur, ut per matrimonium impleantur primùm post Baptismum susceptum. 3. Quia dispositio Juris Canonici, & consuetudo Ecclesiæ, quo Matrimonium inter fidelem, & infidelem contractum irritatur, est correctorium, & restrictivum Juris Divini, & naturalis, quibus Juribus esset validum; conf. strictæ interpretationis est. agitur ad Sponsalia inter Catechumenum, & fidelem de futuro inita, & primùm post Baptismum susceptum implenda extendi non debet, præsertim cùm quoad hæc cesset periculum perversionis, & mala educatio prolis, propter quæ inter fidelem, & infidelem Matrimonium prohibetur.

Argumentum in contrarium allatum retorquetur in impubere, cujus Sponsalia valent, licèt, quamdiu impubes est, invalidè contrahat Matrimonium. Sufficit ergo ad hoc, ut valeant Sponsalia inter Catechumenum, & fidelem inita, quòd post Baptismum validè contrahere Matrimonium possint.

Quæritur 5. An validum sit Matrimonium fidelis, initum cum Hæretico, vel Apostata? Negant Gloss. *in fin. V. contra substantiam de condit. apposit.* Host. *in capit.* 2. *de convers. conjug. n.* 1. Ancharan. *ibid. n.* 1. Carres *de Hæretic. n.* 156. Simanc. *de Cathol. Instit. tit.* 40. *n.* 46. Rojas *singul.* 128. *n. un.* Fundantur 1. textu *can.* 72. *in Trullo editi*, quo conjugium hoc disertè habetur pro nullo, & jubetur dissolvi tanquam nefarium. 2. Hujusmodi conjugium est contra interdictum Ecclesiæ *can. cav.* 15. & *canon. non oportet* 16. *caus.* 28. *q.* 1. conjugia autem, & universim omnia, quæ contra Ecclesiæ interdictum, & ordinationem sunt, rata non sunt habenda *can. videtur* 2. *caus.* 35. *q.* 6. *l. non dubium* 5. *C. de LL.* & *Reg. quæ contra jus* 64. *in* 6. 3. Matrimonium infidelis cum fideli est irritum. sed eædem rationes, quæ contra hoc, etiam militant contra Matrimonium contractum inter Catholicum, & Hæreticum, vel Apostatam. ergo &c. 132

Sed meliùs ejusmodi conjugium hodie saltem subsistere docent S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 1. *ad* 5. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 6. *not* 2. Cajet. *V. Matrimonium c.* 1. *imped.* 6. Abb. *in c. fin. de condit. appos. n.* 5. Præposit. *ibid. n.* 6. Franc. *in c. decrevit* 14. *de Hæret. in* 6. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 49. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 6. §. 11. *num.* 4. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 5. Gutier. *c.* 104. *de Matr. n.* 6. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 72. *n.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 14. *n.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 11. *n.* 6. Card. de Lug. *de Virtut. Fid. D.* 22. *sect.* 2. *n.* 13. Van. Espen. *p.* 2. *Jur. Eccl. tit.* 13. *c.* 8. *n.* 8. Zoes. *tit. de Sponsal. n.* 57. Pirhing *ibid. n.* 165. Schambog. *n.* 128. Engl *tit. de Matr. contr. interd. Eccl.* §. 2. *n.* 2. Konig *hic n.* 21. & *seqq.* Vviestner *ibid. nu.* 45. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *n.* 20. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 74. *n.* 7. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 5. *n.* 52. aliique SS. Canonum Interpretes, & DD. magno consensu. 133

Colligitur ex *c. decrevit. cit.* ubi Hæretico scienter nubens solum privatur dote, non autem præcipitur ab eo separari; adeoque supponitur, Matrimonium esse validum. *Et confirmatur* 1. ex *Decreto Urbani VIII.* 14. *Mart.* 1630. statuentis, *quoad Matrimonia jam inita tolerari posse mulieres Hæreticas, quæ maritos habent Catholicos, cohabitare arbitrio Ordinariorum, quamdiu fuerit aliqua spes conversionis, & nullum subversionis periculum, ita tamen, ut proles Catholicè educeretur.* 2. Ex *Resolutione S. Cong. de propag. fid.* quæ 1638. censuit, *in Terris Hæreticorum, ubi Hæreses impune grassantur, maximè si ibi Catholicæ Fidei cultus non permittitur, Matrimonia cum ipsis Hæreticis per exhortationes potiùs, quàm per Censuras prohibenda.* 3. Ex consuetudine, & praxi Ecclesiæ, quæ ejusmodi Matrimonia quidem prohibet, sed contracta sustinet. 4. Ex ratione; quia cùm uterque sit baptizatus, adeoque capax Sacramenti Matrimonii, non decuit istud ita irritum reddi, ut irritum reddidit Ecclesia Matrimonium contractum cum infideli, & nondum baptizato. 134

In con-

135 In contrarium allata facilè diluuntur. *Ad* 1. Imprimis *can. 72. cit.* & alii in Trullo editi non sunt Autentici; quia non à Synodo VI. sed illa jam dissoluta, à quibusdam Episcopis editi, & ut jam semel monui, à Sergio illius temporis Pontifice apertè reprobati, Deinde esto, ut non improbabiliter aliqui volunt cum Gratiano, canon iste non suppostitius, sed authenticus sit, ac proinde conjugium à Fideli etiam cum Hæretico initum aliquando fuisse irritum, irritatio tamen ista per consuetudinem sublata est. *Ad* 2. Juxta *citt.* textus illa, quæ contra Jus, & Ecclesiæ ordinationem fiunt, pro irritis solùm habenda, quando Jus actui præscribit formam, aut quando ex ejus contextu, fine &c. constat, actum, qui ibi prohibetur, etiam irritari; nam plura quidem sunt prohibita, quæ tamen acta valent. *Ad* 3. Non militant eædem rationes, quæ in conjugio fidelis cum infideli; quia inter hos nequit esse Sacramentum, ac sunt inter se magis dispares.

136 Quæritur 6. An, & quo Jure Matrimonium Fidelis cum Hæretico sit prohibitum? Resp. ejusmodi Matrimonium esse morraliter peccaminosum, nisi gravis causa excuset, aut moraliter certum sit, nullum fore periculum scandali, vel perversionis, aliorumque incommodorum, quæ ex talibus Matrimoniis plerumque oriri solent. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 2. *ad ult.* Veracrux *p.* 1. *Specul. art.* 32. *conclus.* 6. Palacios *dist.* 39. *cit. q. un. col.* 6. *vers. unde quod*, Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 59. *art.* 1. *ad fin.* Sà *Summ. V. Matrimonium num.* 8. *fin.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 72. *num.* 4. & patet responsio ex Concil. Illiberit. *can.* 16. Laodicensi sub Sylvestro *c.* 10. *&* 13. Carthag. III. *c.* 12. Chalcedonensis *art.* 15. *c.* 14. Agathensi relato *can. non oportet* 16. *caus.* 28. *quæst.* 1. Idem colligitur ex *cap. decrevit* 14. *de Hæret. in* 6. non enim rectè mulierum, quæ scienter nupserunt Hæreticis, dotes confiscarentur, nisi egissent illicitè.

137 Estque prohibitio hæc non tantùm Juris Ecclesiastici, sed etiam naturalis, tum ob periculum perversionis, cui exponitur conjux Catholicus, & liberi ex tali Matrimonio suscepti; tum ob periculum dissensionis inter ejusmodi conjuges, cùm pax inter eos vix esse possit. *Ex quo fit*, Sponsalia inter Catholicum, & Hæreticum inita utpote promissiones de re turpi, non tantùm illicita, sed prorsus irrita, atque invalida esse, nullamque Sponsalium obligationem inducere, si eò tendant, ut Matrimonium contrahatur, altero perseverante in Hæresi. Navar. *tit. de Sponsal. edit.* 1. *cons.* 38. *nu.* 6. *& edit.* 2. *cons.* 5. *nu.* 6. Sanch. *D.* 72. *cit. nu.* 3. Corrad. *prax. Dispens. l.* 7. *c.* 2. *nu.* 99. *vers. verùm*, Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 74. *n.* 6. & apud hunc *Rota decis.* 374. *n.* 6. *coram Card. Celso*.

138 Addidi in responsione, *Nisi gravis causa excuset, aut moraliter certum sit, nullum fore periculum scandali &c.* nam si ejusmodi periculum absit, an liceat contrahere Catholico Matrimonium cum Hæretico, quæri potest. Videtur, quòd neque hoc casu liceat conjugium Catholici cum Hæretica. 1. Quia est præceptum Divinum, & naturale de non ministrando Sacramentum indignis; atqui in proposito casu persona Catholica, si cum Hæretico contrahat, ministrat illud indigno, qui in peccato mortali illud susciperet: ergo &c. 2. Ita contrahens communicaret cum Hæretico, qui si formalis sit, Excommunicatus est; atqui non licèt communicare cum Excommunicato; ergo &c. 3. Omni Jure illicitum est cooperari alterius peccato; atqui contrahens cum Hæretico cooperaretur hujus peccato, dum hic sacrilegè Matrimonium contrahit: ergo &c.

139 Sed his non obstantibus, dicendum, secluso scandalo, perversionis periculo, aliisque incommodis, si simul etiam justa causa subsit; aliquando licitum esse contrahere Matrimonium cum Hæretico, vel Hæretica. Ita Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 11. *qu.* 5. Gutier. *de Matrimon. c.* 104. *n.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 72. *nu.* 5. Conink *D.* 31. *dub.* 3. *concl.* 3. *& D.* 26. *nu.* 21. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 11. *n.* 10. Pirhing. *tit. de Sponsal. n.* 165. Konig *hic n.* 21. Wiestner *ibid. n.* 48. Ratio est, quia tale Matrimonium non est ita intrinsecè malum, quin possit cohonestari, & licitum fieri.

140 Argumenta opposita non probant intentum. *Ad* 1. Ob gravem causam potest etiam Eucharistia ministrari indigno, ut si peccator occultus publicè illam petat; igitur etiam Matrimonii Sacramentum. Talis causa gravis, & justa est e. g. spes moraliter certa secuturæ conversionis conjugis Hæretici ad Fidem Orthodoxam, vel alterius boni Spiritualis majoris, ob quam incommoda illa, tanquam minora, contemni deberent. *Ad* 2. Post Concilii Constantiensis Decretum non est prohibita communicatio cum Hæreticis, vel aliis Excommunicatis, nisi nominatim denuntiati sint, vel notorii percussores Clericorum. *Ad* 3. Qui habet causam gravem faciendi aliquid ex se honestum, & licitum, non censetur per se cooperari peccato, quod alius fortè in eo committit; sed tantùm per accidens, & extrinsecè, exhibendo quasi materiam, & objectum peccati, quod interdum ex causa licet, ut patet in solvente Usuras promissas Usurario.

Quæritur 7. Utrum ad hoc, ut Catholicus cum Hæretica licitè contrahere Matrimonium possit, opus sit dispensatione Apostolica, vel consensu Ordinarii speciali? Resp. extra Germaniam saltem, & alias Provincias Septentrionales, in quibus Catholici cum Hæreticis permixtim vivunt, opus est dispensatione Apostolica, vel saltem consensu Ordinarii speciali, ut hujusmodi Matrimonia licitè contrahantur. Et quidem S. Sedes ad ita contrahendum nunquam dispensat, nisi prius habito testimonio de abjuratione Hæresis, prout nuperrimè factum est in casu, quem refert Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 76. *nu.* 14. ubi vir quidam Heterodoxus ex Catholica muliere à se deflorata suscepit prolem, quam in Orthodoxa Fide educari permittebat; cùmque subinde precibus enixè peteret Matrem prolis sibi Matrimonio copulare, ista annuit sub his conditionibus. 1. Ut proles omnis sit semper Catholica. 2. Ut mater cum prole extra Hæreticorum ditionem manere possit liberrimè. 3. Ut Matrimonium contraheretur coram Ministro Catholico. 141

Quærebatur in hoc casu, an expediat, ut Ordinarius in Matrimonium consentiat; & Sanctissimus D. N. Clemens XI. auditis Votis Eminentissimorum Cardd. supremæ Inquisitionis die 16. Jun. 1710. respondit, atque decrevit, scribendum esse Internuntio in Belgio, ut significet Archiepiscopo Mechlinensi, non expedire Dispensationes, de quibus agitur, concedere, sed non posse, nisi abjurata priùs Hæresi: ideoque ipsum Archiepiscopum bene se gessisse in ea deneganda, malè tamen se gessisse quosdam Religiosos Theologos, qui super dictis Dispensationibus Votum pro affirmativa dederant, quos idcirco admoneri voluit. 142

Proceditque hoc etiam in Personis Principibus, cùm constet, Matrimonia inter Reges, & Principes non contrahi, nisi prævia Dispensatione Summi Pontificis, de qua re plura exempla extant apud Hurtad. *de Fide D.* 76. §. 233. Dian. *p.* 8. *tr.* 1. *resol.* 74. Gobat. *tr.* 9. *n.* 225. Card. Albit. *de inconst. in fid. c.* 36. *n.* 204. Maximè verò requirenda est hæc Dispensatio, quando agitur de Matrimonio ineundo ab Hæretico cum Principissa Catholica, nata, & educata in Regionibus Catholicorum; nam ad ita ineundum Matrimonium Summi Pontifices summa maturitate processerunt semper, ita, ut semper hujusmodi Matrimonia dissuadent; si verò annuant, id certè non faciant, nisi maximum Religionis Catholicæ bonum, ac Fidei propagationem cessurum noverint. 143

Quod colligitur ex Brevi Dispensationis à Sanct. mem. Urbano VIII. concessæ Sororis Regis Galliarum pro Matrimonio ineundo cum filio Regis Angliæ, ibi, *Licèt probè teneamus, Catholicorum cum Heterodoxis Matrimonia omnino fugienda esse, & quantum in nobis est, à Catholica Ecclesia procul arcere intendamus, tamen cùm grande vere Fidei, & animarum plurimarum bonum speretur &c.* Bonum autem Religionis, ex hac dispensatione resultans eliciebatur ex pluribus conditionibus appositis, inter quas præsertim conventum fuit, ut Rex Angliæ inhiberet omnem Inquisitionem propter Religionem in Catholicos Angliæ, & ut iidem Catholici immunes essent à Jurejurando, Catholicæ Religioni adversante, ac eis facultates extantes restituerentur &c. 144

Quæritur 8. Quando necessaria sit dispensatio, ut Catholicus cum Acatholica Matrimonium licitè possit contrahere? Resp. DD. cum Palao *tract.* 28. *D.* 4. *p.* 11. *num.* 11. communiter distinguunt inter Provincias, in quibus Catholici permittuntur securè suam Religionem profi- 145

profiteri, & sic perversionis periculum communiter cessat, & inter eas, in quibus hanc securitatem Catholici non habent. *In primo casu*, si etiam non cernatur adesse periculum aut perversionis, aut malæ educationis prolium, putant absque dispensatione Catholicum posse licitè Matrimonium inire cum Acatholica, quia tunc obligatio Legis tum Ecclesiasticæ, tum naturalis, Matrimonia hujusmodi prohibentis, cessat.

146 *In secundo casu* autem docent talia Matrimonia quidem authoritate privata minimè iniri posse, posse tamen, accedente Dispensatione Pontificia, modò pars Acatholica parti Catholicæ sufficientem securitatem præstet de relinquendo illam in securitate Professionis Fidei Orthodoxæ, & sic ipsi perversionis periculum ex tali Matrimonio nullum immineat; nam hoc posito Catholicus solùm ex obligatione Legis Ecclesiasticæ abstinere tenebatur ab eo conjugio. Quando autem censeantur Catholici hanc securitatem habere, prudentis arbitrio relinquitur, spectatis circumstantiis. Inter magnos Principes ex sententia Pontii *Append. Matr. Cath. cum Hæret. c.* 5. *n.* 4. *& seqq.* sufficiens securitas reputanda est, cùm fidem dant Juramento firmatam, maximè si danti fidem intersit illius inviolabilis observatio.

147 Quinimò cum eodem Pont. *c.* 6. *&* 7. existimat Palao *l. cit. n.* 12. posse Catholicum, præcedente tamen dispensatione Pontificia, cum Hæretico Matrimonium contrahere cum aliquali periculo subversionis, si tamen animum firmum habeat dictæ subversioni non assentiendi, si ex eo periculo subeundo magni fructus sperentur, ut si speretur multorum Acatholicorum conversio, Catholicorum tranquillus status, & Ecclesiæ Catholicæ non leve augmentum. *Rationem dant*, quia periculum peccandi subire non est intrinsecè malum, quin ex rationabili causa honestari possit, ut manifestè colligitur ex illo *Judith.* 9. quæ ob populi liberationem periculo non levi amittendæ Castitatis se exposuit, & ex illo *Esther.* 2. quæ nubens Assuero absque suæ Religionis manifestatione periculum subiit deferendi Religionem, vel saltem præcepta Divina de ciborum vetitorum abstinentia transgrediendi.

148 Quæritur 9. Utrum in Germania, aliisque Septentrionalibus Provinciis, in quibus Hæretici cum Catholicis permixti degunt, licita sint conjugia inter personas Catholicas, & Hæreticas? Resp. ex recepta, & tolerata consuetudine licita esse. Ita Azor. *part.* 1. *l.* 8. *c.* 11. *q.* 5. Gutier. *de Matr. cap.* 104. *n.* 7. Sanch. *l.* 7. *D.* 72. *n.* 5. Bonacin. *de Matr. q.* 3. *p.* 7. *n.* 2. Hurtad. *D.* 24. *difficult.* 2. *fin.* Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 14. *nu.* 2. *vers. secundò limitat*, Engl *tit. de Matr. contr. Interd. Eccl.* §. 2. *n.* 2. Konig *hic n.* 23. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *nu.* 88. Petra *tom.* 4. *fol.* 75. *n.* 11. si tamen adsint conditiones suprà requisitæ, videlicet. 1. sufficiens causa, eaque gravis. 2. ut nullum sit periculum perversionis, sed conjugi Catholico permittatur liberè in Fide permanere. 3. ut absit scandalum.

149 Monent tamen cum *citt.* DD. Conink *D.* 31. *dub.* 3. *fin.* Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 11. *n.* 10. Aversa *de Sacr. Matrim. q.* 18. *de Imped. Dispar. Cult. sect.* 2. Verricell. *de Apostol. Mission. q.* 174. *sect.* 7. *nu.* 30. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 5. *n.* 61. prædicta pericula, & Catholicorum scandalum rarò abesse: & propterea in praxi Catholicos ab ejusmodi conjugiis absterrendos; nisi ex iis procreatæ proles omnes Catholicè educentur, atque insuper spes sit Hæretici conjugis convertendi, vel alterius cujusdam fructus. Si dubium sit, utrum ejusmodi mala sequi possint, ad Summum Pontificem, vel etiam Episcopum in Germania nostra pertinebit rem examinare, & contrahendi Matrimonii licentiam dare. Layman. *l. cit.*

150 Quæritur 10. An licita sint pacta, quæ conjugiis inter Hæreticum maritum, & uxorem Catholicam initis sæpe adduntur, ut aliqui ex liberis v. gr. masculi Hæresim sequantur Patris, Fœminæ Fidem Catholicam Matris, aut vicissim? Resp. hæc pacta esse prorsus impia, & irrita. Azor. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 11. *q.* 6. Gutier. *de Matrim. c.* 104. *n.* 8. Sanch. *l.* 7. *D.* 72. *n.* 6. Amicus *D.* 21. *n.* 16. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 14. *nu.* 3. Sporer *de Matr. n.* 120. Illsung. *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 88. Engl *tit. de Matr. contr. Interd. Eccl.* §. 2. *n.* 3. Pirh. *tit. de Sponf. nu.* 167. Konig *hic num.* 23. Ratio est, quia Parentes tenentur omnes liberos suos in vera Fide educare, cui obligationi renuntiare nullo modo possunt. Imò si conditio hæc apponatur ipsi contractui Matrimoniali, tanquam repugnans bono prolis, vitiat contractum, & facit eundem irritum, ut bene advertit Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matrim. cap.* 5. *nu.* 57. & patet ex dictis *Tit. præc. num.* 117.

Excipitur, si aliunde hujusmodi Matrimonium licitum fiat, eò quòd v. g. per illud speretur promovendum bonum publicum; tunc enim si spes non sit, ut maritus Hæreticus permittat omnes Liberos in Catholica Religione educari, hoc casu non videtur esse illicitum in Pactis conjugalibus talem conditionem adjicere, ut saltem aliqua pars Liberorum in Fide Catholica educetur, & instruatur; salvo tamen jure Matris Catholicæ, ut etiam cæteros Liberos, quantum fieri poterit, in vera Religione instruere, ut tenetur, non prætermittat. 151

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per Adulterium.

Sequitur Impedimentum criminis, quod antiquo Jure duplex fuit, Impediens, & Dirimens: nunc per non usum, sublato Impedimento criminis, quatenus Impediens est, mansit solùm, prout est Dirimens. Oritur ex Adulterio, & Homicidio, sive machinatione in necem conjugis, & Matrimonium dirimit non cum quacunque, sed cum ea dumtaxat persona, cum qua commissum est Adulterium, vel contra cujus consortem commissum est. De utroque in hoc Titulo agitur, quamvis in Rubrica primi dumtaxat mentio fiat: unde Nigrum, ut Canonistæ loquuntur, hoc Titulo latiùs patet, quàm Rubrum.

§. I.

De Impedimento Criminis orto ex Adulterio.

SUMMARIUM.

1 *Impedimentum hoc oritur ex adulterio, accedente Matrimonio cum adultera, vel promissione illius, superstite conjuge legitimo.*
2 *Non incurritur, si uterque Infidelis sit.*
3 *Etiamsi dein unus illorum convertatur ad Fidem, & post Baptismum vel adulterium vel Matrimonium cum adultero ineat.*
4 *&c. Concurrere necessariò ad Impedimentum hoc inducendum debet Adulterium cum Matrimonio, vel promissione illius.*
8 *Perinde autem est, an præcesserit adulterium, vel subsequatur.*
9 *Necesse tamen est, ut promittatur Matrimonium contrahendum post obitum conjugis.*
10 *Item adulterium debet esse formale, & uterque scire, alterum complicem esse conjugatum.*
11 *Non tamen excusat ignorantia supina, & crassa.*
12 13 *Et satis est, si alterutrum subsequatur notitiam de statu alterius complicis.*
14 *Copula autem adulterina debet esse perfecta.*
15 *Ipsa tamen attentatio Matrimonii sufficit, etsi clam facta sit, absque Parocho, & testibus.*
16 *Modò tàm adulterium, quàm Matrimonium attentatum, vel ejus promissio facta sit, superstite legitimo conjuge.*
17 18 19 *Necesse tamen est, ut utrumque fiat, durante eodem conjugio.*
20 *Promissio Matrimonii debet esse acceptata.*
21 *Nec sufficit taciturnitas promissarii.*
22 23 24 *Item non sufficit promissio vel acceptatio promissionis ficta.*
25 26 27 28 *Debet eadem promissio esse pura, & absoluta, vel saltem conditio ei adiecta esse purificata ante mortem conjugis.*
29 30 31 *An ad inducendum hoc impedimentum requiratur, ut promissionem, ab una parte factam, sequatur repromissio alterius partis?*
32 33 34 *Vel jurata?*
35 *An Matrimonium contra cujus fidem committitur adul-*

adulterium, debeat esse validum?

36 *Vel consummatum?*

37 38 39 *Quid juris, si pars altera, cum qua contractum est adulterinum conjugium, nescivit, quòd is, cum quo contraxit, sit conjugatus?*

40 41 *An licitè, aut validè saltem promitti alicui Matrimonium possit, vivente adhuc legitimo conjuge?*

42 *Proponuntur summatim conditiones omnes, quæ requiruntur ad inducendum hoc Impedimentum?*

1 QUæritur 1. Quando oriatur hoc Impedimentum? Resp. oritur duobus casibus. 1. Quando adulter Matrimonium cum adultera contrahit, conjuge, quem uterque, vel alter eorum habet, adhuc vivente. 2. Quando inter duos adulterium commissum est, interveniente promissione Matrimonii, contrahendi post obitum conjugis, quem alter, vel uterque viventem habet.

Primum statutum est *c. cùm haberet 5. h. tit.* Vis illius est, ut irritum sit Matrimonium non tantùm illud, quod utriusque, vel alterius conjuge vivente, contractum est, propter intercedens Impedimentum ligaminis, sed etiam id, quod isto per conjugis, quem uterque, vel alter habuit, obitum soluto, contrahendum est. *Alterum* introductum est *can. relatum 4. caus. 31. q. 1. c. significasti 6. c. veniens 7. & c. fin. h. tit.* estque hujus Impedimenti eadem vis, quæ prioris; nam etiam hoc casu conjugium inter illos consistere nequit, quamvis adulteri, vel adulteræ conjux sit mortuus.

Ratio hujus Impedimenti inducendi justissima fuit, ut fidei Matrimoniorum, & conjugum incolumitati consuleretur, præcisa adulteris omni spe conjugii, quod promissum est, obtinendi, vel si illud defacto contractum jam est, stabiliendi.

2 Quæritur 2. Inter quos oriatur hoc impedimentum? *Certum est* 1. Inter infideles illud non habere locum, nisi speciali Lege apud ipsos inductum hoc sit. Sanch. *l. 7. de Matr. D. 79. n. 42.* Ratio est, quia impedimentum hoc solo Jure Ecclesiastico inductum est, ad cujus observantiam Infideles non obligantur. *Certum est* 2. Idem Impedimentum induci casu, quo unus fidelis est, & hic cum Infideli commisit adulterium, accedente promissione Matrimonii futuri, aut ipso ejus contractu de præsenti. Veracrux *p. 1. Specul. art. 34. post concl. 9. dub. 3.* Vega *tom. 2. Summ. c. 34. cas. 123.* Sanch. *l. cit. nu. 43.* & colligitur *arg. c. laudabilem 5. de convers. infid. Ratio est*, quia hoc casu Impedimento ligatur Fidelis; igitur per consequentiam, & indirectè eodem etiam ligatur Infidelis, cum ipso contracturus Matrimonium, utpote quod non potest consistere, nisi inter duos.

3 *Dubium est* in casu, quo uterque est Infidelis, & unus deinde convertitur ad Fidem Christianam, ita, ut vel Adulterium, vel Matrimonium, aut promissio futuri Matrimonii, fiat post Baptismum, altero eorum hunc præcedente? Veracrux *l. cit. dub. 4.* Vega *cas. 123. cit.* Barth. à Ledesm. *dub. 58. de Matr. in fin.* putant eo casu Impedimentum Nuptiarum induci ex causa criminis. *Sed melius negat.* Sanch. *cit. n. 43. fin.* quia licèt in hoc casu concurrat adulterium cum Matrimonio, vel ejus promissione, non tamen utrumque contigit tempore habili: quod videtur ad inducendum istud necessarium esse; prout probari potest à pari cum eo, qui ante Matrimonium initum cum Bertha fidem de eo contrahendo dat Cajæ, & deinde stante Matrimonio inito cum Bertha, adulterium committi cum Caja; nam hic mortua Bertha, non impeditur contrahere cum Caja, nisi simul cum adulterio renovaverit promissionem Cajæ factam, ideo præcisè, quia promissio Matrimonii non est facta tempore habili ad inducendum hoc impedimentum; atqui non minùs inhabile est tempus Infidelitatis, quo delinquens nullo modo est sub potestate Ecclesiæ: ergo &c.

4 Quæritur 3. Utrum ad incurrendum hoc Impedimentum requiratur semper, ut cum adulterio intercesserit promissio Matrimonii, vel ejus contractus de facto, vivente uxore? *Rationem dubitandi* faciunt complures Canones relati *caus. 31. q. 1.* quibus absolutè, & sine addito statuitur, ut nullus ducat in Matrimonium, quàm prius polluit per adulterium: quos Canones præ oculis habens Alexander III. *c. propositum 1. h. tit. Licèt*, inquit, *in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Matrimonio, quam priùs polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat uxore sua vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris &c.* ubi particula *Maximè*, videtur indicari, hos duos casus præcipuè inducere Impedimentum criminis, & præter hos duos induci illud etiam solo adulterio.

Sed certa est doctrina, quòd ad incurrendum hoc 5 impedimentum non sufficiat Matrimonium, vel promissio ejus sine adulterio, neque adulterium sine alterutro illorum, sed necessarium sit, ut adulterio jungatur vel ipsum Matrimonium cum adultera defacto contractum, vel saltem promissio illius post obitum legitimi conjugis contrahendi, aut (quod ad *§. seq.* pertinet) ut eorum alter in adhuc viventis sui, vel alterius conjugis mortem cum effectu sit machinatus. Ita Sanch. *l. 7. de Matr. D. 79. n. 2.* Gutier. *de Matrim. cap. 105. n. 1.* Conink *D. 31. de Sacram. nu. 56. & 63.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 12. n. 2. fin.* Vvagnereck *c. 2. h. tit. not. 2. & in c. fin. eod. vers. conditio prima.* Illsung *tr. 6. D. 9. nu. 83.* Canis. *h. tit. n. 7.* Vallens. *ibid. n. 2. vers. tertius casus* Zoes. *n. 4.* Honor. *n. 1. & 2.* Schamb. *nu. 2. 4. & 9.* Konig *n. 3.* Reiffenstuel *n. 2. & 7.*

Et quidem, quòd adulterium solum non constituat 6 Impedimentum dirimens, patet ex *c. significasti 6. h. tit.* ubi ad quæstionem, an valeat Matrimonium viri cum illa, cum qua priùs, vivente adhuc uxore sua, adulterium commisit, Innocentius III. *Nos igitur*, inquit, *inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo, legitimum judices Matrimonium supradictum.*

Quod verò etiam non sufficiat, siquis vivente legitima sua uxore, fidem dedit alteri de ea ducenda post mortem uxoris, vel cum ea defacto contraxit Matrimonium, non verò, uxore vera superstite, eam cognovit, patet ex *c. fin. eod.* ubi statuitur, hoc casu Matrimonium, contractum post obitum uxoris, non esse dirimendum; quamvis enim etiam sola promissio possit inducere Votum captandæ mortis, tamen impedimenta Matrimonii, tanquam odiosa, potius restringenda sunt, quàm ultra casus in Jure expressos extendenda; & majus semper est periculum, si promissio conjungatur adulterio, quàm si sit sola, cùm homines libidine excæcati majora facinora temere audere soleant. Engl *hic n. 2.*

Neque obstant Canones relati *caus. 31. q. 1.* quia, ut 7 notat Gloss. *in c. fin. cit. V. cognovit eandem*, Alex. de Nevo *ibid. num. 1. & 6.* & alii passim, intelligendi sunt, quando utrumque concurrit, adulterium scilicet cum Matrimonio defacto contracto, vel promissione illius post obitum conjugis contrahendi. Ad textum *c. propositum citt.* Abb. *ibid. nu. 3.* Alex. de Nevo *num. 6.* Præpos. *n. 2.* Barbos. *n. 5.* Gutier. *c. 105. n. 2.* Conink *D. 31. nu. 64.* Palao *D. 4. cit. p. 12. nu. 2.* & alii passim dictionem *Maximè* exponunt pro *Tantùm*, vel *Dumtaxat*, ut sensus sit, tantùm his casibus ob adulterium incurri Impedimentum dirimens criminis. Sed quia explicatio ista videtur esse torta, hinc melius Gratianus *in can. illud verò 3. §. hic subaudiendum q. cit.* ait, supradictis Canonibus non prohiberi præcisè, ne adulter contrahat Matrimonium cum Adultera, defuncto marito adulteræ, sed ne contrahat ante peractam pœnitentiam ob adulterium à se commissum. Hanc interpretationem sequitur Canis. *num. 7. cit.* Vvagnereck *in c. propositum cit. not. 1.* Pirhing *hic n. 4.* & confirmatur ex *can. siquis vivente 5. qu. cit.* ubi habetur, quòd siquis vivente marito, conjugem illius adulterasse accusatur, possit post peractam pœnitentiam viduam ejus in conjugem ducere, quam viro vivente, per adulterium polluit.

Quæritur 4. Quando necesse sit, ut Matrimonium 8 initum, aut fides de Matrimonio cum adultera ineundo huic data sit, ad inducendum hoc impedimentum? Resp. perinde est, an præcesserit adulterium, vel subsequatur; in utroque enim casu incurritur Impedimentum hoc dirimens. Alex. de Nevo *in c. fin. h. tit. nu. 7.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 79. n. 3.* Vvagnereck *in cap. fin. cit. vers. prima conditio*, Engl *hic n. 7.* Pirh *n. 1.* Schamb. *n. 6.* Konig *n. 12. fin.* Vviestner *n. 4.* Reiffenstuel *n. 6.* Ratio est, quia in utroque casu præbetur ansa captandæ mortis conjugis. *Excipitur*, si partes à Matrimonio defacto contracto, vel promissione illius ante adulterium

rium mutuo consensu resilierint ; nam etsi postea Adulterium casu subsecutum sit, priori contractu non iterato, non inducitur Impedimentum istud ; quia prior ille contractus fidei datæ, aut Matrimonii omnino extinctus est , & sic non concurrunt adulterium , & fides, seu contractus de præsenti . Gutier. *de Matrim. c.* 105. *n.* 28. Sanch. *l. cit. n.* 7. Konig *hic nu.* 12. *fin.* Aliud dicendum , si post adulterium resiliatur à Matrimonio cum adultera defacto contracto , vel promissione illius, tunc enim istud nihil conferet ad evadendum hoc Impedimentum, utpote quod jam incurrerunt, & à quo pœnitentia sua se liberare non possunt. Sanch. *l. cit.*

9 *Dubium* fieri potest , an sufficiat ad Impedimentum hoc inducendum promissio Matrimonii ineundi ante obitum alterius conjugis ? *Rationem dubitandi* faciunt textus *c. propositum* 1. *cap. veniens* 7. *& c. fin. h. tit.* qui dum explicant, promissione Matrimonii ineundi, juncta cum adulterio, induci Impedimentum istud, generice loquuntur, neque distinguunt inter promissionem Matrimonii ineundi vivente altero conjuge , & inter promissionem ineundi Matrimonii isto mortuo.

Sed dicendum , non sufficere , si adulteri sibi fidem dent de Matrimonio inter eos ineundo ante alterius conjugis obitum, sed necesse esse , ut defacto ante alterius conjugis obitum copulentur, vel de Matrimonio post istius obitum ineundo dent sibi fidem . Sanch. *l. cit. n.* 2. Ratio est, quia promissione Matrimonii contrahendi, priore legitimo Matrimonio stante, non ita datur ansa captandæ mortis alterius conjugis , quæ ratio est hujus impedimenti, cùm non exspectetur mors alterius conjugis ad Matrimonium perficiendum , nec eo usque promissio differatur.

Neque obstat generalitas textuum in Ratione dubitandi allegatorum ; quia hanc satis restringit *can. relatum* 4. *caus.* 31. *q.* 1. ibi, *Insuper mœchæ, vivente viro suo, juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret uxorem.*

10 Quæritur 5. Quale adulterinum esse debeat, ut inducatur hoc Impedimentum ? Resp. Debet esse formale : atque hinc necesse est , ut uterque adulter sciat , alterum esse conjugatum . Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 9. *dict.* 4. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 19. *num.* 31. Gutier. *de Matrim. cap.* 105. *num.* 28. *vers. tertia conditio* . Conink *D.* 31. *n.* 61. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *num.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *n.* 2. *vers. id verò* , *& num.* 4. Barbos. *in c.* 1. *h. tit. num.* 2. Gonzal. *in cap. fin. num.* 4. Wagnereck *ibid. vers.* 5. *denique*, Vallens. *hic num.* 2. *vers. tertius* , Canis. *n.* 1. Zoes. *n.* 3. Honor. *n.* 5. Engl. *n.* 8. Schambog. *n.* 6. Konig *n.* 11. Reiffenstuel *n.* 1. & colligitur ex *c. propositum* 1. *h. tit.* ubi pro valido habetur Matrimonium, quod post mortem uxoris suæ quis contraxit cum muliere , inscia , quòd ille haberet aliam uxorem viventem, non obstante adulterio inter ipsos commisso cum promissione Matrimonii : & ratio est , quia tali casu non est commissum formaliter adulterium ex parte utriusque . Imò , nec sufficit, si uterque adulter fuit conjugatus, & novit proprium conjugium, si tamen ignoravit conjugatum esse complicem ; quia impedimentum hoc institutum est propter injuriam irrogatam ab utroque adultero eidem Matrimonio , committendo adversùs illud adulterium data fide futurarum nuptiarum . At in hoc eventu ignorans non infert injuriam eidem Matrimonio , sed soli proprio ; ergo &c. Sanch. *loc. cit.*

11 *Dubium est*, quænam ignorantia status alterius complicis excuset ab isto impedimento , an quævis etiam supina, & crassa, an tantùm probabilis, qua rationabiliter credit alterum non esse conjugatum ? Etiam crassam , & supinam excusare contendunt Sanch. *l. cit. nu.* 38. Gutier. *cap.* 105. *vers. tertia conditio*, Rebell. *l.* 3. *q.* 8. eo , quòd hæc ignorantia non sit Juris , sed facti ; in facto autem excusat quælibet ignorantia juxta *Reg. ignorantia* 13. *in* 6. Accedit, quia Impedimentum hoc nascitur ex adulterio , ad quod omnes fatentur requiri dolum *l. si ex lege* 43. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* at dolus consistere cum ignorantia nequit ; ergo &c.

Sed meliùs Navar. *Man. cap.* 22. *n.* 46. Valent. *tom.* 4. *D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. Conink *D.* 31. *n.* 61. Hurtad. *D.* 23. *difficult.* 2. *n.* 7. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *n.* 8. cum communi teste Sanch. *l. c.* censent, solam ignorantiam, quæ ab Adulterii culpa excusat , excusare ab hoc impedimento ; excusat autem solum ignorantia probabilis , non crassa , & supina ; ergo &c.

Neque obstat, quòd stante qualibet ignorantia status alterius conjugis, non reputetur adulterium ad incurrendas pœnas latas in *Lege Julia de adulteriis* ; quia illæ pœnæ , utpote gravissimæ, meritò exigunt adulterium dolo commissum ; at hoc Impedimentum non tam in pœnam adulterii , quàm pro removenda occasione insidiandi vitæ conjugis statutum est ; sufficit ergo adulterium esse culpabile.

Quæritur 6. An ad inducendum hoc Impedimentum 12 sufficiat , si ante scientiam de statu alterius complicis initum sit Matrimonium, & habita scientia, commissum adulterium ? Resp. Sufficere, quia in eodem Matrimonio perseverando , & eo post scientiam obtentam utendo, censetur quasi contractum Matrimonium post scientiam : unde cùm tale Matrimonium hujusmodi adulterio junctum non minùs ansam præbeat machinandi in mortem conjugis, casus iste censebitur comprehendi sub dispositione Juris inducentis hoc Impedimentum . *Excipitur* , nisi complices jam habita scientia, resilierint ab eo matrimonio defacto inito, & post casu commiserint adulterium , prout jam dictum est *suprà num.* 8.

Dubium est , an etiam inducatur Impedimentum istud, 13 quando notitiam conjugii fides de Matrimonio ineundo præcessit, & habita notitia, subsecutum est adulterium. Negativam videntur tenere Sot. *in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 4. *col. pen.* & Lud. Lop. *p.* 2. *Instruct. c.* 54. *col.* 4. *in* 3. *crimin.* ubi dicunt, tunc esse locum huic impedimento , quando vir , postquam novit fœminam esse conjugatam , illam fide data cognovit ; atque ita videntur petere, ut utrumque sequatur notitiam conjugii.

Sed retinenda est affirmativa sententia, quam etiam post Abbatem, Angelum, Rosellam, Veracrux, Henricum, defendit Sanch. *c.* 7. *de Matr. D.* 79. *n.* 34. modò notitia dein habita, ante adulterium fides data mutuo consensu non dissolvatur . *Ratio est* , qui quoad hoc Impedimentum Matrimonium , & fides data de Matrimonio contrahendo æquiparantur *c. fin. h. tit.* igitur sicut Matrimonium juxta dicta *num. præc.* inducit hoc impedimentum, licèt ante notitiam conjugii contractum sit, ita & fides. *Conf.* Quia copula postea habita, nondum fide dissoluta, illi innititur ; & non minùs ansa captandæ mortis conjugis præbetur, quàm si utrumque contingeret post scientiam.

Neque obstat , quòd impedimentum istud non præster copula inita ante notitiam de statu conjugis , licèt hac notitia obtenta, complices defacto contrahant Matrimonium ; nam aperta disparitas ex eo patet , quod talis copula ante notitiam ex parte ignorantis minimè sit verum adulterium, quale tamen secundùm dicta *numer.* 10. requiritur ad inducendum hoc Impedimentum.

Quæritur 7. An impedimentum istud inducat copula adulterina etiam attentata tantùm , & conatus ad 14 illam ? In partem affirmativam inclinat Host. *in c. fin. hoc tit. num.* 1. Sed contrarium tenent Gloss. *in c. fin. cit. V. cognovit*, Joan. Andr. *ibid. num.* 4. Abb. *nu.* 6. Anchar. *num.* 4. Alex. de Nevo *num.* 9. Brunell. *de Sponsal. concl.* 34. *num.* 4. Gutier. *de Matrim. c.* 105. *nu.* 28. Sanch. *l.* 7. *D.* 97. *num.* 2. Conink *D.* 31. *num.* 62. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *n.* 4. *vers. tertia conditio*, Barbos. *in c. fin. cit. num.* 4. Engl *tit. de Spons. duor. n.* 4. Canis. *hic n.* 1. Pirh. *ibid. num.* 15. Schambog. *num.* 11. Wiestner *nu.* 9. Reiffenstuel *num.* 12. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. cap.* 4. *nu.* 3. juxta quos ad inducendum hoc impedimentum requiritur, ut copula carnalis non solùm attentata, sed etiam perfecta sit , & consummata , cum immissione seminis in vas ; quia Jus , hoc impedimentum statuens , pœnale est . Leges autem pœnales strictè accipiendæ sunt, atque in sensu proprio, in quo acceptum adulterium non significat id, quod attentatum solummodo , sed quod perfectum , & consummatum est ; ergo &c.

Dubium est, an sufficiat copula adulterina consummata, si concurrat cum Matrimonio inito cum adultera clàm solùm , absque Parocho, & testibus ? Videtur non sufficere ; quia hujusmodi Matrimonium est 15 prorsus irritum , ac vi etiam Sponsalium destitutum , prout dictum est *suprà Tit.* 3. *num.* 125. Sed dicendum suffi-

sufficere. Ita Sanch. *D. 79. cit. n.* 8. Conink *D.* 31. *num.* 61. *fin.* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *n.* 9. Pirhing *hic num.* 1. quia in inducendo impedimento isto non ponderatur valor Matrimonii, vel Sponsalium; imò ambo invalida sunt à delicti istius complicibus contracta, Matrimonium quidem ob impedimentum Ligaminis, Promissio verò, seu Sponsalia ex argumento afferendo *infrà nu.* 40. *&* 41.

16 Quæritur 8. Utrum necesse sit, ut tàm adulterium, quàm promissio, vel attentatio Matrimonii facta sit, adulteri conjuge adhuc superstite? Resp. Affirmativè. Ita Ancharan. *in c. fin. h. tit. n.* 2. Tabien. *V. Impedimentum*, *Imped.* 7. *q.* 2. *nu.* 3. Sot. *in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 4. *col. pen.* Sanch. *D.* 79. *cit. n.* 5. Wiestner *hic n.* 5. & colligitur ex *cap. fin. cit.* quod expressè petit, ut utrumque contingat conjuge adulteri superstite. Atque hinc copula, aut fides, sive Matrimonium, de præsenti defacto initum, præcedat Matrimonium initum cum legitimo conjuge, aut isto per conjugis mortem dissoluto, eveniant, non contrahitur hoc impedimentum: & hoc verum est, sive utrumque præcedat, aut sequatur Matrimonium, sive unum præcedat, aut sequatur, alterum fiat eo stante.

17 *Dubium est*, an impedimentum istud incurrant adulteri, si promissio Matrimonii, & adulterium non sit factum sub eodem conjugio? Casus esse potest: Titius, vivente conjuge sua Bertha, promittit Matrimonium Mæviæ, mortua autem Bertha, non Mæviam, sed Cajam ducit, cum qua dum Matrimonium habet, adulterium committit cum Mævia: hoc casu quæritur, utrum mortua Caja, possit adhuc ducere Mæviam? Joan. Andr. *in c. fin. h. tit. n.* 3. Ant. de Butrio *ibid. n.* 5. Ancharan. *n.* 3. Henric. *n.* 4. negant, quòd hoc casu Titius ducere possit Mæviam; quia verum jam est adulterium, & promissionem evenire superstite conjuge: quod solum *c. fin. cit.* petitur.

18 Sed multò veriùs est, Titium hoc casu nullum contraxisse impedimentum, sed posse ducere Mæviam; quia ut impedimentum criminis inducatur per adulterium, opus est, ut tam promissio Matrimonii, quàm adulterium facta sint sub eodem conjugio. Ita Abb. *in cap. fin. cit. n.* 5. Alex. de Nevo *ibid. n.* 8. *fin.* Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 9. *dict.* 5. Sot. *in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 4. *vers. dubium autem*, Sanch. *D.* 79. *cit. nu.* 6. Conink. *D.* 31. *n.* 60. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *nu.* 4. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *n.* 8. *fin.* Barbos. *in c. fin. cit. n.* 3. Gonzal. *ibid. n.* 4. Wagnereck *vers. secunda conditio*, Canis. *hic n.* 5. Engl. *n.* 9. *vers. demum*, Pirhing. *n.* 14. Schambog. *nu.* 10. Konig *n.* 12. *fin.* Reiffenstuel *n.* 10. Ratio est, quia per posterius Matrimonium recessum est à fide data, ac proinde solum adest adulterium, & spes Matrimonii Mæviæ facta extincta fuit per posterius Matrimonium, adulterium autem solum non inducit impedimentum dirimens criminis, ut dictum est *suprà n.* 5. ergo &c.

19 Idem dicendum, si è converso adulterium commissum sit sub priore conjugio, fides verò data, vel Matrimonium initum sub posteriore. Sanch. *l. cit.* & colligitur ex *c. fin. cit.* ibi, *Dum vixerit uxor ipsius*, *& cap. propositum* 1. *eod.* ibi, *Et illa maximè, cui fidem dederat, uxore sua vivente*, qui textus videntur exigere simul adulterium, & promissionem, vel Matrimonium, vivente eodem conjuge; ponderant enim injuriam eidem Matrimonio irrogatam, & occasionem datam ejusdem conjugis occidendi: quorum neutrum contingit in casu proposito.

20 Quæritur 9. Qualis debeat esse promissio Matrimonii, ut cum adulterio inducat impedimentum criminis? Resp. Debet esse promissio signo aliquo externo expressa ab una parte, & ab altera parte per simile signum externum acceptata. Ita Emman. Sà *V. Matrimonium de Imped. nu.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 79. *nu.* 7. *&* 22. Gutier. *de Matrim. c.* 105. *num.* 28. *vers. quinta conditio* Conink *D.* 31. *n.* 56. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *num.* 4. *vers. quinta conditio*, Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *num.* 8. *&* 10. Bosco *de Imped. Matrim. sect.* 8. *concl.* 3. *n.* 128. Barbos. *in c. fin. h. tit. n.* 2. Wagnereck. *ibid. vers. tertia conditio* Vallens. *hic n.* 2. *vers. tertius casus*. Engl *n.* 9. *resp.* 2. Pirhing. *n.* 15. Schambog. *n.* 11. Konig *n.* 11. Reiffenstuel *n.* 16. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Matrim. c.* 4. *nu.* 7. Et quidem quod promissio debeat esse aliquo signo externo expressa, patet ex eo, quia animo solùm retenta non potest esse nota alteri, ac proinde ansam mortem conjugi machinandi non præbet. Quòd verò debeat esse ab altera parte acceptata, inde eruitur; quia alioquin non haberet vim pacti, seu promissionis, quæ exigit duorum in idem consensum, sed erit mera pollicitatio.

Dubium est, utrum sufficiens acceptationis signum sit taciturnitas ejus, cui promissio fit? Videtur sufficere ob Regulam, *Qui tacet, consentire videtur* 43. *in* 6. Verùm quia hæc Regula locum non habet, quando promissio est nociva acceptanti, hinc dicendum, non sufficere taciturnitatem solam. Sanch. *D.* 79. *cit. n.* 25. Palao *n.* 10. *cit.* Tambur. *l.* 8. *de Sacram. tr.* 1. *c.* 6. *§.* 1. *n.* 3. Bosco *de Imped. Matr. sect.* 8. *concl.* 4. *n.* 128. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 78. Zoes. *hic n.* 3. Reiffenstuel. *ibid. num.* 6. quia ea promissio, etiam liberaliter facta, nociva est acceptanti, cùm per eam incurratur delictum, & impedimentum dirimens. Ex quo etiam *confirmatur* Responsio; nam ex taciturnitate solùm præsumitur consensus. Atqui delicta in dubio præsumuntur *l. meritò* 51. *ff. pro Socio*. Et esto, is, cui promissio fit, revera illam in mente acceptet, quia tamen acceptationem istam nullo idoneo signo externo exprimit, ideo consensus iste adhuc censebitur esse merè internus; non solent autem Jura actui merè interno pœnam statuere, quòd *cogitationis pœnam* (in foro externo) *nemo patiatur*, ut dicitur *can. cognitionis* 14. *dist.* 1. *de pœnit.* *& l. cogitationis* 18. *ff. de Pœnis*. 21

Quæritur 10. Utrum requiratur, ut Matrimonium ab uno verè, h. e. animo se obligandi promissum, & hæc promissio ab altero non fictè, sed verè, & saltem virtualiter sit acceptata? Negant, & promissionem, vel acceptationem fictam sufficere contendunt Jo: Andr. *in c. significasti* 6. *h. tit. nu.* 2. *fin.* Ant. de Butr. *ibid. nu.* 8. Ancharan. *num.* 2. Alex. de Nevo *nu.* 9. Barth. à Ledesm. *de Matr. dub.* 58. *concl.* 5. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 79. *nu.* 10. Gutier. *de Matrim. cap.* 105. *nu.* 28. *vers. quarta conditio*, Conink *D.* 31. *n.* 57. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 12. *nu.* 11. *&* 12. Gonz. *in c. fin. h. tit. n.* 4. Engl *hic num.* 9. *resp.* 3. Argumentum sumunt ex *c. significasti cit.* ubi indicatur sufficere, si vir, vivente uxore, *fidem dederit* alteri, videlicet adulteræ, *de Matrimonio contrahendo*: quæ verba unius promissione verificantur; igitur etsi unius consensus fictus fuerit, modò alter verè, & ex animo consenserit, secundùm istorum doctrina jam incurretur hoc impedimentum. *Excipit* Sanch. *l. cit.* si fictio ab altera signis externis colligi potuit; tunc enim nec iste potuisset præstare verum consensum. 22

Sed contrarium meliùs propugnant Henriq. *lib.* 12. *de Matrim. c.* 13. *num.* 3. *fin.* Sà *V. Matrimonium de Impedim. num.* 7. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. c.* 229. *n.* 7. Hurtad. *D.* 23. *diffic.* 2. *n.* 9. Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 10. *n.* 4. *vers. quinta conditio*, Perez *D.* 23. *sect.* 4. *n.* 5. *sect.* 5. *num.* 3. Bosco *de Impedim. Matr. sect.* 8. *concl.* 3. *num.* 76. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 84. Pirhing *n.* 15. Schambog. *n.* 10. Konig *nu.* 12. Reiffenstuel *n.* 15. Magn. P. Schmier *p.* 3. *de Matrim. c.* 4. *nu.* 5. *&* 6. Rationem dant 1. quia impedimentum hoc, prout ex hactenus dictis liquet, introductum est in pœnam; igitur de vera, & verè acceptata promissione accipiendum est, cùm Leges pœnales strictam interpretationem exigant. 2. Jura videntur exigere promissionem ex se sufficientem ad Sponsalia; ad hæc autem ex communi DD. requiritur promissio vera, & verè acceptata, ut dictum est *Tit.* 1. *num.* 27. 3. Nam etiam fictè rebaptizans, & fictè proferens Hæresim excusantur ab Irregularitate, & ab Excommunicatione contra Hæreticos imposita. 23

Ex quo patet ad textum in contrariam sententiam allegatum; cùm enim in materia pœnali, & odiosa accipi verba strictè, & cum effectu debeant, *c. cit.* dispositio intelligenda est de tali promissione, quæ vim pacti, & non merè pollicitationis habeat, qualem non habet promissio acceptata dumtaxat fictè. 24

Quæritur 11. an, ut incurratur hoc impedimentum, requiratur, promissionem Matrimonii esse puram, & absolutam, vel sufficiat, ut sit conditionata? Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 79. *num.* 11. utitur distinctione: Vel enim conditio, sub qua promissio Matrimonii facta est, ante patratum adulterium deficit, vel illa ante istud non deficit. *Si primum*, fatetur, impedimentum hoc non induci; quia tunc deficiente conditione, dissoluta esset pror- 25

prorsus promissio, & quasi nunquam extitisset, ut proinde adulterium superveniens destitutum sit promissione, atque adeo inducere impedimentum nequeat. *Si secundum*, affirmant induci; quia tunc cum adulterio adest promissio, quæ etsi conditionata sit, spem tamen conjugii futuri facit, adeoque ansam dat machinandi mortem conjugis, non minùs, ac illam dat promissio absoluta; igitur sicut hæc accedente adulterio, impedimentum criminis inducit, ita etiam conditionata, cujus conditio ante adulterium commissum non deficit.

26 Verùm hoc Argumentum non probat intentum; quia cùm conditio ista sit contingens, possitque esse, vel non esse, non præbet spem adeo certam futuri conjugii, prout illam præbet promissio absoluta; adeoque imprimis non est paritas rationis: deinde etsi esset rationis paritas, Leges pœnales etiam ob paritatem, & similitudinem rationis de casu ad casum extendi non debent.

27 Quare dicendum, ad hoc, ut Impedimentum criminis incurratur, necesse est, ut promissio sit pura, & absoluta, vel saltem conditio ei adjecta ante mortem conjugis purificata. Ita Conink *D.* 31. *de Sacr. nu.* 59. Hurtad. *D.* 23. *diffic.* 2. *n.* 10. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *n.* 4. *vers. sexta conditio*, Palao *tr.* 28. *D.* 4. *par.* 12. *n.* 13. Vincent. de Just. *de Dispens. Matrim. c.* 6. *num.* 41. Engl *hic n.* 9. Konig *ibid. n.* 12. Ratio est, quia promissio conditionalis, quamdiu adhuc suspensa est, & ab eventu futuro pendet, non habet rationem veræ promissionis; verba autem Legis pœnalis, qualis est ista inducens Impedimentum criminis, strictè accipi debent, & de promissione vera Matrimonii; igitur ad conditionalem promissionem extendi non debet.

28 Simili ratione idem Impedimentum etiam non inducitur, cùm adulter adulteræ dicit, *Mortua uxore mea, nullam aliam ducam, nisi te*; nam sensus verborum istorum videtur esse conditionalis, *Si aliquam duxero, promitto me ducturum te*, & ita promittens non præcisè se obligat ad Matrimonium, quin possit ab eo abstinere. Laym. *n.* 4. *cit. vers. accedit*. Engl. *n.* 9. Multo minùs consurgit Impedimentum hoc, quando conjugatus dicit adulteræ, *Si non essem conjugatus, te ducerem*; quia ut bene Sanch. *D.* 79. *cit. n.* 16. verba hæc promissionem omnino non important, cùm non detur fides de Matrimonio imposterum contrahendo sed tantùm significetur voluntas aliqua imperfecta, quam TT. *Velleitatem* appellant.

29 Quæritur 12. An ad inducendum hoc impedimentum requiratur, ut promissionem ab una parte factam sequatur repromissio alterius partis? Affirmant Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 14. *nu.* 3. Bellarm. *l.* 1. *de Matrim. c.* 22. *cas.* 2. Ugolin. *de Sacr. tr. de Matr. c.* 19. *num.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *nu.* 4. *vers. quinta conditio*, Schamb. *hic n.* 11. Rationem dant 1. quia cùm Jura requirant Matrimonium defacto initum, vel fidem datam de Matrimonio ineundo, requirere videntur, ut sit initum Matrimonium, vel sint inita Sponsalia, in quibus requiritur mutua desponsatio, & repromissio. 2. Verba *c. veniens* 7. & *c. fin. h. tit.* important promissionem; sed promissio propriè, & specificè accepta est pactum quoddam, desiderans mutuum consensum promittentis, & ejus, cui fit promissio; aliàs pollicitatio tantùm erit; ergo &c. 3. Impedimentum hoc inductum est in pœnam utriusque contracturi Matrimonium; utrumque enim afficit inhabilem illum reddendo; ergo uterque reus debet esse delicti, ob quod imponitur; atqui delictum hoc cessat in eo, qui audita promissione minimè repromittit; ergo &c.

30 Hæc sententia quamvis probabilis omnino sit, probabilior tamen est, quæ docet sufficere solam promissionem sine repromissione alterius partis, modò ab hac illa sit verè acceptata. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 4. *cas.* 2. Angles *in florib. p.* 1. *de Matr. qu.* 9. *art.* 3. *dub.* 2. Lud. Lop. *part.* 1. *Instruct. c.* 54. *crim.* 2. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 79. *n.* 20. Hurtad. *D.* 23. *diffic.* 2. *n.* 9. Pont. *l.* 7. *c.* 45. *num.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *nu.* 12. Bosco *de Imp. Matr. sect.* 8. *concl.* 4. Wagnereck *in cap. fin. hoc tit. vers. tertia conditio*. Engl *hic n.* 9. *respons.* 3. Konig *n.* 12. Reiffenstuel *nu.* 17. 1. Quia *can. Relatum*, *c. significasti*, *c. veniens*, & *c. fin. citt.* quibus impedimentum istud inductum est, solus fidei datæ cum adulterio meminerunt: & nullibi invenitur desiderari repromissionem alterius. 2. Eodem *c. significasti*, & *c. veniens* æquiparantur ad hoc impedimentum inducendum machinatio in mortem conjugis, & futuri Matrimonii promissio; atqui cùm adest adulterium, sufficit unum ex complicibus machinatus esse mortem legitimo conjugi, ut *infrà n.* 53. dicetur; ergo &c. 3. Ratio inducendi hujus impedimenti locum habet etiam, quando unus tantùm promittit Matrimonium, alter acceptat sine repromissione; quia periculum insidiarum, & votum captandæ mortis non inde provenit, quia promissarius obligatus est, vel reciprocè promisit, sed quia alium obligatum habet.

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. Hoc Argumentum manifestè continet petitionem principii; nam de hoc ipso quæritur, an textus, hoc impedimentum inducentes, petant promissionem sufficientem ad constituenda Sponsalia. *Ad* 2. promissio acceptata etiam sine repromissione jam distinguitur à pollicitatione nuda, cùm sit vera promissio, quamvis gratuita tantùm. *Ad* 3. Alter non repromittens culpam in eo habet, quòd promissionem hanc iniquam acceptet; vel si neges hoc culpam esse, dic impedimentum hoc ab innocente incurri indirectè saltem, quatenus scilicet illud directè incurrit promittens; nam dum iste ad contrahendum cum complice sit inhabilis consentaneum est, ut etiam iste inhabilis reddatur ad contrahendum cum illo, sicut *suprà n.* 2. dixi de Infidelibus. 31

Quæritur 13. An necessarium sit, ut promissio Matrimonii, ab adultero facta adulteræ, sit jurata, vel contrà sufficiat simplex acceptata? Negant apud Sanchez *l.* 7. *de Matr. D.* 79. *nu.* 28. nonnulli ad inducendum hoc impedimentum sufficere promissionem simplicem, sed requirunt promissionem fide, vel etiam Juramento vallatam: quod desumunt ex *can. relatum* 4. *caus.* 31. *q.* 1. ubi Concilium Triburiense, dum impedimentum istud decernit, mentionem de Juramento facit, ibi, *Vivente viro suo, Juramentum dedisse*. *Confirmant* ex *c. propositum*, *c. significasti*, *c. fin. citt. h. tit.* qui omnes textus fidei dationem petunt; atqui fidem dare, & jurare apud DD. ut notat Sanch. *l. cit.* pro eodem sumuntur, cum hoc solùm discrimine, quòd Juramentum appelletur, quando re Sacra tacta præstatur; fides vero interposita, quando per DEUM, per fidem propriam absque Sacræ rei contactu juratur. 32

Sed dicendum sufficere promissionem simplicem, accedente adulterio. Ita Joan. Andr. *in c. significasti cit. n.* 2. Ant. de Butrio *ibid. n.* 7. Alex. de Nevo *nu.* 9. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 9. *dict.* 4. Sot. *in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 4. *col. penult.* Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 14. *n.* 3. Sanch. *D.* 97. *cit. n.* 29. Barbos. *in c.* 1. *h. tit. n.* 4. Gonzal. *in c. fin. eod. v.* 4. Konig *hic n.* 12. Ratio est, quia qualitercunque promittatur Matrimonium, militat eadem ratio, nimirum periculum machinandi in mortem conjugis spe ineundi Matrimonii. 33

Ad Argumentum oppositum imprimis ex doctrina Abb. *in c.* 1. *de Spons. duor. n.* 1. & Alex. de Nevo *ibid. num.* 2. pactio quantumcunque simplex inita potest appellari fides; atque ita veniens contra promissionem potest dici venire contra fidem præstitam. Deinde esto, datio fidei aliquid præter simplicem promissionem de Juris rigore significet, consuetudo, quæ optima interpres Legum est, & ipsa ratio Canonum i. e. Votum captandæ mortis suadet, ut idem sentiamus de promissione simplici, ne defectuosa dicatur Constitutio Juris. 34

Quæritur 14. Quale Matrimonium esse debet, contra cujus fidem committitur adulterium, & contrahitur Matrimonium novum, vel promissio fit de eo contrahendo post mortem legitimi conjugis? Resp. Matrimonium, cum prima conjuge initum, debet esse validum; si enim hoc esset irritum, non committeretur verum adulterium, & locus foret Regulæ, *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum*, quæ est 52. *in* 6. S. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. in fin. in exposit. lit.* Gabr. *ibid. q. un. art.* 2. *post concl.* 12. *vers. dictum*. Petr. de Sot. *lect.* 9. *de Matr.* Emm. Sà *V. Matrimonium de Imped. n.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 79. *n.* 30. Vivian. *in c.* 2. *h. tit. vers. secus*. Barbos. *ibid. n.* 1. Gonzal. *in c. fin. eod. n.* 4. Canis. *hic n.* 3. Zoes. *n.* 3. Honor. *n.* 3. Schamb. *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 8. 35

Parum autem refert ad impedimentum hoc contrahendum, an Matrimonium cum conjuge ratum tantùm 36

sit,

sit, vel etiam consummatum; nam impedimentum hoc contrahitur, etiamsi ratum solummodo sit conjugium, ut ex *cap. significavit* 2. *h. tit.* desumunt Abb. *ibid. nu.* 1. Alex. de Nevo *nu.* 5. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 9. *sect.* 4. Sanch. *D.* 79. *cit. nu.* 30. Gutier. *c.* 105. *de Matrim. vers. sexta conditio.* Laym. *Libr.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *n.* 3. Vivian. *in c.* 2. *cit. pr.* Vvagneteck *in c.* 3. *not.* 3. *vers. sexta conditio.* Canis. *hic n.* 1. Honor. *nu.* 1. Vviestner *num.* 4. Reiffenstuel *nu.* 6. Sufficit etiam, quamvis conjugi viventi adulter non cohabitarit, sed ab eo per divortium sit separatus per textum *cap. ex litterarum* 4. *h. tit.* Abb. *ibid. n.* 2. Alex. de Nevo *n.* 3. *&* 5. Vivian. *in c.* 4. *eod. pr.* Sanch. *& alii supra.*

37 Quæritur 15. An is, qui vivente legitima sua uxore, contraxit Matrimonium defacto cum alia, ignorante primam uxorem ipsius vivere, post mortem istius licitè manere possit cum secunda? Resp. non solùm licitè manere cum secunda potest, sed nec, si ab ea separari petat, separari ab illa debet, sed cogendus est renovare consensum, quamvis secunda hæc uxor, si velit, possit ab ipso discedere.

Dixi 1. *Eum licite manere cum secunda.* Ita statuitur *c. veniens* 7. *h. tit.* & ratio est; quia, ut *nu.* 10. dixi, impedimentum criminis contrahitur tantùm, quando uterque scit, alterum esse conjugatum; quod aliqui putant etiam procedere, quando ignorantia est supina, & crassa; sed, ut dictum est *num.* 11. probabilius est contrarium.

38 Dixi 2. *Eum, etsi petat ab hac secunda conjuge separari, separari non debere.* Ita rescripsit Alexander III. *c. propositum* 1. *h. tit.* ubi etiam ratio redditur, quia *dignum non est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet.* Si tamen vir iste post mortem primæ suæ uxoris ante renovatum consensum cum secunda, contraheret Matrimonium cum alia tertia, illud teneret, ut notat Gloss. *fin. in c. propositum cit.* Vivian. *ibid. circa med.* Pirhing. *hic n.* 3. *not.* 3.

39 Dixi 3. *Cogendum esse renovare consensum*; quia Matrimonium, vivente prima conjuge, cum ignorante initum, invalidum est, nec validum efficitur post mortem primæ, nisi interveniat novus consensus. Vivian. *in c.* 1. *cit. fin.* Barbos. *in c.* 7. *eod. n.* 3. Canis. *hic n.* 1.

Dixi 4. *Secundam istam uxorem, si velit, posse à viro suo discedere*; quia decepta fuit, & ignara contraxit, putans illum, cum quo contraxit, non habere aliam uxorem. Barbos. *in c.* 1. *cit. n.* 1. *vers. probat.* Engl *tit. de Spons. duor. n.* 4. Canis. *n.* 1. Zoes. *nu.* 3. Honor. *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 11.

Dixi 5. *Ignorante primam uxorem ipsius vivere*; nam si hæc scivit, primam uxorem adulteri vivere, separandi sunt etiam post mortem legitimæ uxoris ob impedimentum dirimens contractum, quantocunque tempore cohabitaverint, & filios etiam susceperint, prout statuitur *cap. cùm haberet* 5. *h. tit.*

40 Quæritur 16. An licitè, aut validè saltem promitti alicui Matrimonium possit, vivente adhuc legitimo conjuge? Resp. talis promissio, licèt non irritet Matrimonium, ex post facto per novum consensum initum, grave peccatum continet, cum turpe reputetur, constante Matrimonio de alio pacisci, & aliquam saltem occasionem præbeat captandæ mortis, ut proinde non immeritò prohibeatur *c. fin. h. tit.* ubi præcipitur, ut talibus pœnitentia injungatur, non injungenda, nisi graviter in hoc deliquissent. Abb. *ibid. n.* 2. Sanch. *l.* 7. *D.* 79. *n.* 40. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 10. *n.* 7. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *part.* 12. *nu.* 14. Gonzal. *in cap. fin. cit. n.* 4. Schambog. *hic num.* 4.

41 Imò hujusmodi promissio est omnino invalida, ita, ut ex se obligationem nullam inducat juxta DD. *citt.* quia contra bonos mores est, tanquam inductivam occasionis captandi mortem legitimi conjugis, ob quam rationem Jure Ecclesiastico annullatur promissio Præbendæ non vacantis *c. nulla* 2. *de concess. Præbend.* & Jure Civili pactum super hæreditate viventis *l. fin. de Pact.*

42 Quæritur 17. Quænam ergo conditiones requirantur, ut adulterium dirimat Matrimonium inter adulteros? Resp. hæ ex iis, quæ hactenus dicta sunt, colliguntur. 1. Requiritur, ut adulterium concurrat cum Matrimonio defacto inito cum adultera, vel cum promissione illius ineundi post mortem legitimi conjugis, juxta *num.* 4. 2. Ut tam adulterium, quam promissio, vel attentatio Matrimonii facta sit, adulteri conjuge adhuc superstite juxta *num.* 16. 3. Ut Matrimonium, cum prima conjuge initum, sit validum juxta *nu.* 35. 4. Ut uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum juxta *num.* 10. 5. Ut promissio, ab una parte facta, sit ab altera parte acceptata, & ab utroque animo non ficto, sed serio juxta *num.* 20. *& seqq.* 6. Ut copula carnalis non solùm attentata, sed etiam perfecta sit, & consummata, cum immissione seminis in vas juxta *num.* 14.

§. II.

De Impedimento Criminis, orto ex Homicidio, vel machinatione illius.

SUMMARIUM.

43 *Casus, quibus ex Homicidio oritur Impedimentum Criminis dirimens.*

44 *Defenditur Impedimentum hoc adversùs Lutherum, & Melanchtonem.*

45 *Oritur non tantùm, si vir uxorem, sed etiam si uxor virum occidat.*

46 *Non tangit Infideles, si uterque talis sit; secus, si unus Fidelis.*

47 48 *Quomodo Impedimentum hoc possit Infideles afficere?*

49 *&c. Requisita, ut oriatur ex adulterio, & machinatione cædis.*

53 54 55 *Requisita, ut oriatur ex machinatione cædis, adulterio non interveniente.*

56 57 *An ad Impedimentum hoc inducendum sufficiat sola ratihabitio cœdis ab altero perpetratæ?*

58 *An incurratur Impedimentum Criminis etiam ab eo, qui ignoravit istis criminibus impediri, & dirimi Matrimonium?*

59 *Defenditur affirmativa.*

60 *Hujus Sententiæ ratio.*

61 *Solvuntur Argumenta opposita.*

62 63 *Est Impedimentum hoc criminis perpetuum.*

64 *Nec cessat post quodcunque tempus.*

65 *In Impedimento orto ex Homicidio, si publicum sit, nunquam dispensat Pontifex; si occultum, Sacra Pœnitentiaria.*

66 *In eo, quod oritur ex adulterio, pro foro externo dispensat Pontifex.*

67 *Pro interno, si occultum sit, recurrendum est ad Sacram Pœnitentiariam, quæ dispensationem ordinariè committit Confessario per Oratores eligendo.*

QUæritur 1. Quibus casibus ex Homicidio oriatur impedimentum criminis dirimens Matrimonium? 43
Resp. oritur & ipsum ex duobus casibus. *Primus est*, quando duo committunt adulterium, & eo perpetrato, ipsorum alter, animo Matrimonii cum altero ineundi occidit vel proprium conjugem, vel conjugem sui in adulterio complicis. *Secundus*, quando quidem adulterium non intervenit, intervenit tamen occisio conjugis, facta ab ipsis, vel eorum consilio, aut jussu ab alio, eo animo, ut possint, conjuge sublato, contrahere inter se nuptias. In utroque casu crimen homicidii inhabiles facit ad Matrimonium inter se contrahendum. De *primo* hoc statuitur *can. siquis vivente* 5. *caus.* 31. *q.* 1. *c. tanta* 6. *qui fil. leg. cap. propositum* 1. *super hoc* 3. *& c. significasti* 6. *h. tit.* De *secundo* autem *c. laudabilem* 1 *de convers. Infidel.*

Quæritur 2. An rectè Impedimentum istud inductum fuerit? Insurgunt adversus illud Lutherus, & Philippus Melanchton, objicientes exemplum Davidis, qui Bersabæam uxorem Uriæ, illo occiso, in uxorem duxit, quod Matrimonium utique non fuit invalidum, cùm non propter istius contractum, sed propter adulterium, & cædem innocentis Uriæ redarguatur David à Nathan. 44

Sed hoc Argumentum tale est, qualia Hæreticorum solent, futile scilicet. Probatur hoc quidem, quòd impedimentum istud non extiterit tempore Veteris Testamenti; non tamen probatur, quòd introductum non fuerit, aut introduci non potuerit in Testamento Novo,

Novo, cùm justissima fuerit illius introducendi causa scilicet atrocitas facti, qua conjux conjugi, cui arctissimo amoris, & amicitiæ vinculo deberet conjunctus esse, insidias in vitam illius parat, vel insidiandi ansam, & consilium dat alteri.

Dicendum igitur, Impedimentum istud Lege quidem Ecclesiastica tantùm, sed justissimè introductum esse.

45 Quæritur 3. An impedimentum, istud oriatur solùm in casu, quo vir adulter intentione Matrimonii cum adultera contrahendi occidit uxorem suam, vel maritum adulteræ, an verò etiam casu, quo mulier adultera intentione Matrimonii cum adultero contrahendi occidit suum maritum, vel uxorem adulteri? Gutier. *de Matr. cap.* 105. *num.* 10. putat nullum nasci impedimentum ex Viricidio, eò quòd non ita facilè uxor mariti mortem procurare præsumatur, quàm maritus uxoris: consf. ad eum casum, velut rariùs contingentem, impedimentum istud extendendum non sit *l. nam ad ea* 5. *ff. de LL.*

Sed obloquitur cæterorum communis doctrina, quam præter alios defendunt Abb. *in c. propositum cit. n.* 3. Sylv. *V. Matrimonium* 7. *quæst.* 6. *dict.* 1. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 78. *nu.* 2. & 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *c.* 10. *num.* 1. Barbof. *in c. fin. h. tit. num.* 5. Ganzal. *ibid. nu.* 4. Vvagnereck *in cap.* 3. *eod. not.* 1. & *not.* 2. *vers. Secunda conditio.* Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 77. Reiffenstuel *hic nu.* 19. & patrocinatur apertè textus *can. siquis vivente* 5. *caus.* 1. & *c. laudabilem* 1. *de convers. Infidel.* Quare dicendum, perinde esse, sive is, qui mortem machinatus est, sit vir, sive fæmina.

Neque obstat, quòd cæteri textus tantùm loquantur de Uxoricidio; quia dispositio, etiam odiosa, & pœnalis, facta in uno correlativorum, procedit etiam de altero, quando nulla omnino apparet disparitatis ratio, ut notant DD. *in l. fin. C. de indict. Viduit.*

46 Quæritur 4. An impedimentum istud etiam Infideles tangat? *Certum est*, quòd eos non tangat, si uterque delinquens sit Infidelis; quia, ut *nu.* 44. dictum est, impedimentum istud introductum est solo Jure Ecclesiastico, quo Infideles non ligantur. Si unus infidelis sit, alter fidelis, interest, an cædem patraverit infidelis, an fidelis. *Si infidelis*, & homicidii particeps non fuit adultera fidelis, à neutro incurritur hoc impedimentum: non ab infideli ob rationem allatam; nec etiam à fideli, quòd hæc homicidio non sit obnoxia, & pœna hæc ob adulterium sine homicidio non sit imposita. *Secus*, si cædem patravit fidelis, vel ejus ab infideli patratæ est particeps; tunc enim impedimentum criminis ex hoc capite incurrit fidelis, & per consequentiam etiam infidelis, ita, ut etiam postquam iste ad Fidem conversus est, inter ipsos stare Matrimonium nequeat: quod verum est, etsi uxor fidelis hoc fecerit, ut vir infidelis, inito cum ipsa Matrimonio, convertatur ad Fidem *c. laudabilem* 1. *de convers. Infid.* ubi ratio datur, quòd *tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 78. *n.* 3. Gutier. *c.* 105. *de Matr. nu.* 5. Vagnereck *in c.* 3. *h. tit. not.* 2. Vallenf. *hic pr.* Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 77.

47 *Dubium est*, quomodo cædes, ab Infideli patrata ante Baptismum susceptum, respectu ipsius inducere possit impedimentum Matrimonio dein contrahendo cum uxore occisi? *Ratio dubitandi* est 1. quia infidelis, dum cæde patravit, ponitur nondum suscepisse Baptismum: igitur subditus nondum erat Ecclesiæ; si autem subditus nondum fuit, etiam impedimentum istud, utpote merè Ecclesiasticum, contrahere non potuit. 2. Lex ista pœnalis est. Lex autem pœnalis infidelem non adstringit, & si adstringeret, & consf. incursa fuisset pœna per eam lata, sustulisset eam cum culpa Baptismus deinde susceptus. 3. Si infidelis aliquem baptizet, vel ex Baptismo levet, ille non contrahit cognationem Spiritualem; quia cognatio ista à Jure Ecclesiastico est introducta, cui infidelis non subjacet. 4. Ob eandem rationem per homicidium, à se ante Baptismum commissum, non incurrit Irregularitatem, quæ Ordinis susceptionem, & usum impediat; igitur nec in nostro casu incurret impedimentum dirimens Matrimonium, quod *Crimen* dicitur, cùm & ipsum Jure Ecclesiastico sit introductum.

48 Sed hæc Argumenta generaliter non evincunt intentum, quamvis ansam distinctioni præbeant. Dicendum igitur cum Henriq. *l.* 12. *de Matrim. c.* 14. *n.* 2. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 78. *n.* 3. Gutier. *c.* 105. *de Matrim. cap.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 10. *nu.* 6. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *n.* 6. Vallenf. *hic nu.* 3. *vers. sed quomodo*, Pirhing *tit. de convers. infid. num.* 2. *not.* 2. Vviestner *ibid. nu.* 3. hoc impedimento directè affici solùm uxorem fidelem, indirectè autem, & per consequentiam maritum infidelem, quatenus scilicet uxor fidelis per Constitutionem *c. laudabilem cit.* Si cooperata est cædi mariti sui, perpetuò inhabilis fit ad contrahendum Matrimonium cum viro infideli occisore: ex quo deinde sequitur necessariò, quòd neque iste possit eam ducere. Exemplum est in impedimento Disparitatis Cultus, quod quia Ecclesiasticum tantùm est, directè afficere virum infidelem nequit, potest tamen afficere indirectè, quatenus videlicet afficit fæminam & dum hanc incapacem reddit ad contrahendum Matrimonium cum infideli, per consequentiam incapacem efficit etiam virum infidelem, ut eam ducat. Ex quo cadunt Argumenta opposita.

Quæritur 5. Quid requiratur, ut ob adulterium, 49
& machinationem cædis in innocentem conjugem impedimentum Criminis dirimens incurratur? Resp. 1. requiritur, ut adulterium hoc tantum materiale, sed etiam formale fuerit: ac proinde, ut istorum saltem unus vero Matrimonio conjunctus fuerit alterius conjugi occiso, ejusque notitiam habuerit etiam alter. Emman. Sà *V. Matrimonium de Impedim. num.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 78. *n.* 12. Gutier. *de Matr. c.* 105. *n.* 14. Conink *D.* 31. *n.* 53. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *n.* 8. Perez *D.* 33. *sect.* 2. & 6. Pithing *hic n.* 26. Vviestner *num.* 11. Imò, ut Sanch. *l. cit.* notat, non sufficit, etiamsi uterque complex sit conjugatus, & talem se esse noverit, si ignoret alterum conjugatum esse; quia ut adulterium cum machinatione mortis dirimat Matrimonium inter adulteros, requiritur, ut adulterium sit respectu conjugis interfecti; tale autem non committit pars ignara, quòd complex adulterii sit conjugatus.

2. Ut tam adulterium, quàm etiam homicidium sit 50
consummatum, & non solùm attentatum, ut colligitur ex *can. siquis vivente* 5. *caus.* 31. *qu.* 1. ibi, *occidisse notetur*. Unde verba *Machinatio mortis*, quibus utuntur alii textus, cum effectu accipi debent *arg. c. relatum* 4. *de Cleric. non resid.* S. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *qu. un. fin. in expos. litt.* Gloss. *in cap. super hoc* 3. *V. machinata hoc tit.* Host. *ibid. paulò post pr.* Joan. Andr. *num.* 6. Abb. *nu.* 4. Alex. de Nevo *num.* 4. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *qu.* 9. *dict.* 1. Sanch. *D.* 78. *cit. num.* 7. Gutier. *num.* 9. Coninck *num.* 50. Laym. *c.* 10. *cit. num.* 1. *vers. neque refert secundò*, Palao *p.* 12. *num.* 4. Barbof. *in c.* 3. *cit. num.* 3. Vvagnereck *ibid. not.* 3. Gonzal. *in cap. fin. eod. n.* 4. Vallenf. *hic n.* 2. Zoes. *n.* 1. Engl. *n.* 4. Pirhing. *nu.* 24. Schambog. *n.* 12. Konig. *n.* 10. Vviestner *nu.* 11. Reiffenstuel *nu.* 22. Ratio est, quia Leges pœnales de crimine perfecto, & consummato intelligi debent, nisi aliud constet. Unde nec mandatum, aut consilium de occidendo altero conjuge dirimit Matrimonium, si mors inde non sequatur quidem, sed non dependenter à mandato, vel consilio, eò quod interficiens jam aliunde ad necem inferendam determinatus fuerit, nec consiliò, vel mandato animosior factus.

3. Ut adulterium priùs, quàm cædes perpetretur; quia 51
hanc subsequens carnale commercium adulterium non foret, ut rectè observant Conink *D.* 31. *cit. num.* 52. Pont. *l.* 6. *c.* 45. *n.* 5. Laym. *c.* 10. *num.* 2. *vers. id verò fin.* Vvagner. *in c.* 3. *cit. not.* 3. *vers. tertia conditio.* Sporer *de Matr. n.* 105. Konig. *hic n.* 10. Vviestn. *l. cit. in fin.* Quodsi uterque adulter conjugatus fuit, & cædes unus conjugis tantùm, non utriusque præcessit carnale commercium, adulterium quidem committitur, ex causa tamen adulterii istius non concurritur impedimentum criminis, sed solùm ex causa cædis, & quidem tum solùm, quando communicato consilio cædes facta est; quia adulterium hoc casu causam cædi non dedit. Satis autem est ad inducendum ex causa adulterii impedimentum dirimens, si mors ipsa sequatur, etsi machinatio adulterium præcesserit, ut sit vir venenum propinet uxori, ut fœminam quandam ducat, uxore interfecta, & post factum cum ea adulterium committat, uxore nondum defuncta; quia hoc casu verificatur adulterium cum interfectione conjugis. Sanch. *n.* 10.

4. Ut

52 4 Ut cædes fiat animo matrimonium ineundi cum adulterii complice; & hinc si alia intentione v. g. ut libidini liberius vacare queat, unius adulterii conjux ab illo, vel ejus complice occideretur, ad matrimonium inhabiles non redderentur. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *Corp.* Navar. *Man. c.* 22. *n.* 46. Henriq. *l.* 12. *de matr. c.* 14. *n.* 2. Sanchez *D.* 78. *cit. num.* 13. Gutier *c.* 105. *de matr. n.* 16. Conink *D.* 31. *nu.* 51. Pont. *lib.* 7. *c.* 45. *num.* 5. Bonacina *de matr. q.* 3. *part.* 6. *num.* 5. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *c.* 10. *n.* 2. *vers. tertio*, Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *n.* 3. Barbosa *in c.* 3. *hoc tit. n.* 3. Gonz. *in c. fin. eod. nu.* 4. Bosco *de imped. matr. sect.* 8. *concl.* 5. Illsung. *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 78. Canis. *hic n.* 10. Honor *n.* 7. *fin.* Engl *n.* 6. Schambogen *n.* 14. Konig. *nu.* 10. & colligitur ex *can. siquis vivente* 5. *caus.* 31. *qu.* 1. ibi, *Occidisse notetur, ut conjungeretur.* Ratio est, quia Leges statuentes hanc pœnam intendunt impedire, nequis facile interficiat conjugem spe conjugii cum adultera potiundi; hic autem finis cessat in iis, qui ex alia causa occidunt conjugem; ergo &c.

53 Quæritur 6. Quid requiratur, ut inducatur impedimentum criminis dirimens ob machinationem necis in conjugem, quando adulterium non intervenit? Resp. ad hoc inducendum tria requiruntur, 1. Ut in alterius conjugis mortem machinatus sit uterque; nam si alter tantum machinatus sit in mortem conjugis, v. g. maritus uxorem occidat, ignorante, vel contradicente muliere, cum qua matrimonium contrahere desiderat, tunc impedimentum istud matrimonium dirimens inter eos non incurritur, nisi etiam adulterium intervenerit. Ita Henriq. *l.* 12. *de matr. c.* 14. *n.* 2. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 78. *n.* 9. Conink *D.* 31. *num.* 53. Layman. *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *c.* 10. *n.* 2. Vallens. *hic n.* 1. Zoes. *num.* 1. Engl *n.* 3. Pirhing *num.* 23. Schambogen *nu.* 12. Konig *num.* 9. Reiffenstuel *n.* 25. & colligitur ex *c. laudabilem* 1. *de convers. Infidel.* ubi nulla mentione adulterii facta, Sarraceni, qui ex mandato, & consilio uxorum viros istarum peremerunt, à matrimoniis cum hujusmodi uxoribus contrahendi, etiam post baptismum susceptum arcentur.

54 2 Ut mors ipsa ex tali machinatione secuta sit, & non tantum ex imperitia, negligentia, vel alia culpa Medici, aut Chirurgi, vel ipsius etiam interfecti. Glossa *fin. in c. laudabilem cit.* Abb. *in c. super eo* 3. *hoc tit. n.* 4. Alex. de Nevo *ibid. nu* 4. Sylvest. *V. matrimonium* 8. *q.* 9. *dict.* 1. Sanchez *D.* 78. *cit. nu.* 7. Pont. *lib.* 7. *c.* 45. *num.* 4. Canis. *hic n.* 9. Vallens. *nu.* 2. Engl *nu.* 4. Konig *n.* 9. Vviestner *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 22. *&* 25. & colligitur ex *can. siquis vivente cit.* ubi dicitur cum adultera posse contrahi matrimonium, nisi forte vir, aut mulier priorem maritum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur; cons. ad inducendum hoc impedimentum ex causa adulterii requiritur homicidium consummatum; igitur tale etiam requiretur ex causa machinationis communi consilio factæ, cum etiam hæc constitutio pœnalis sit, & sic cum effectu accipienda. Parum autem interest, an propriis manibus vim intulerint ambo, an unus tantum, & alter consenserit, vel jusserit, vel neuter physice cooperatus ad necem fuerit; quia sufficit cooperatio moralis per mandatum, vel consilium occidenti datum. Sanchez *loc. cit. n.* 5. Gutier *n.* 7. Conink *n.* 50. Layman *n.* 1. *vers. neque refert secundo*, Vallens. *n.* 1. Pirhing *num.* 20. Schambogen *nu.* 12. Konig *nu.* 9. Vviestner *num.* 13. Reiffenstuel *num.* 28. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de matr. c.* 4. *n.* 18.

55 3 Ut conspiratio illa in cædem conjugis, aut mortis machinatio fiat ex intentione contrahendi matrimonii cum illa ipsa, vel illo complice, prout dictum est supra de impedimento criminis orto ex adulterio cum homicidio *n.* 52. Satis tamen est, si alter ex mortem conjugis machinantibus intendat matrimonium inire, ut Sanchez *n.* 14. observat; quia tunc concurrit machinatio cum effectu, & animo contrahendi, & nuspiam decernitur, utriusque intentionem desiderari. An vero intentio hæc debeat esse signo aliquo externo manifestata, controversum apud DD. est. Pontius *l.* 7. *c.* 45. *n.* 4. & Perez *D.* 23. *sect.* 1. *n.* 7. negant; affirmant Bosco *de Imped. matrim. sect.* 8. *concl.* 5. *à num.* 193 cujus sententiam approbat P. Reiffenstuel *hic num.* 24. Quidquid sit, ad praxin parum videtur hoc interesse; quia, ut idem *Bosco* post *Sanchez num.* 19. & Gutier *num.* 3. Bo[illegible] externo semper præsumitur machinatio in mortem conjugis facta esse animo ineundi cum alia matrimonium, si mulier, & vir alienus communi opera concurrunt ad mortem conjugis innocentis, vel quando præcessit adulterium.

56 Quæritur 7. An ad impedimentum hoc inducendum sufficiat sola ratihabitio cædis alteri conjugi illatæ. Pars affirmans videtur ex hoc suaderi, quod alias ratihabitio retrotrahatur, & mandato æquiparetur etiam in delictis.

Sed dicendum, non sufficere; quia Jure exigunt machinationem in necem, qualis non est mera ratihabitio. Glossa *in can. siquis vivente cit. V. occidisse*, Host. *in cap. laudabilem* 1. *fin. de convers. Infidel.* Abb. *ibid. num.* 10. *Armill. V. ratihabitio n.* 5. Henriq. *l.* 12. *de matr. c.* 14 *n.* 2. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 78. *n.* 6. Gutier *c.* 105. *de matrim. n.* 8. Conink *D.* 31. *n.* 50. Layman *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *c.* 10. *nu.* 1. *vers. neque refert secundo*, Palao *tract.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *n.* 4. Gonzal. *in c. fin. hoc tit. num.* 4. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *n.* 79. Vallens. *hic n.* 1. Zoes. *n.* 1. Pirhing *num.* 21. Schambogen *nu.* 13. Reiffenstuel *num.* 21. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 4. *nu.* 19. Et hinc siquis cædem conjugis, suo nomine factam, postea ratam habeat, impedimentum hoc non incurrit.

Neque obstat Regula pro Ratione dubitandi allata; 57
quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur ex sola fictione Juris; igitur locum Regula ista non habet in casu, in quo fictio locum non habet; non autem habet in casu quæstionis; quia ad inducendum impedimentum istud, ut hactenus dictum est, requiritur machinatio in mortem, quæ postquam mors jam illata est, intervenire non potest. Accedit, quia ratihabitio non comparatur mandato, nisi quando id Jure expressum est, ut in habente ratam percussionem Clerici; atqui nullo Jure expressum est, hoc impedimentum incurri etiam sola ratihabitione. Cum ergo Edictum de matrimonio non contrahendo sit prohibitorium, ut quicunque non prohibetur, per consequentiam admittatur, ad eum casum extendi non debet, quo tantum facta est ratihabitio cædis nomine ratihabentis perpetrata.

Quæritur 8. An Impedimentum hoc criminis ex adul- 58
terio, vel homicidio incurratur etiam ab eo, qui ignoraverit istis criminibus impediri, & dirimi matrimonium? Negant Paludan. *in* 4. *dist.* 34. *q.* 1. *n.* 17. Major *ibidem dist.* 37. *q.* 1. *art.* 4. Fernandez *Medull. Cas. consc. p.* 3. *c.* 16. *sect.* 4. *in fin.* Rationem dant, quia impedimentum criminis ex dispositione Juris Ecclesiastici habet rationem pœnæ pro perpetrato crimine, & medicinæ, conducentis ad conjugiorum fidem, & incolumitatem conjugum servandam, variaque mala præcavenda; atqui ex communi doctrina pœnæ, præsertim Medicinales, Jure Ecclesiastico statutæ, non incurruntur ab iis, qui invincibiliter ignorant eas statutas esse; ergo &c. *Confirmant* hanc suam opinionem triplici paritate. 1. Cum excommunicatione, & cæteris censuris Ecclesiasticis, quæ ex communi doctrina ab ignorantibus non incurruntur *c. ut animarum* 2. *de Constitut. in* 6. 2. Cum Irregularitatibus provenientibus ex delicto, v. g. ex homicidio, vel mutilatione injusta, aut censuræ violatione, quæ non incurruntur ab iis, qui invincibiliter ignorant, illas ejusmodi delictis annexas esse, ut iterum communis DD. habet 3. Cum debito conjugali, cujus petendi Jus non amittit, qui peccat cum conjugis suæ consanguinea, si invincibiliter ignoravit Legem, quæ privationem juris petendi debitum in peccati istius reos constituit, ut multis DD. relatis docet Sanch. *lib.* 9. *de matr. D.* 32. *n.* 43.

Sed verius est, Impedimentum istud incurri etiam ab 59
ignorante, quod his criminibus inducatur tale Impedimentum. Ita Dian. *p.* 10. *tract.* 13. *resol.* 51. Matthæus Moja *tr. Miscell. q.* 14. *num.* 15. Adam Burghaber *cent.* 3. *cap.* 64. Gobat *Exper. tr.* 9. *num.* 202. Illsung *tract.* 6. *D.* 9. *num.* 86. Vvex *Ariadn. part.* 5. *tr.* 2. *contr.* 5. *per totam.* Engl *tit. de consang. & affinit. num.* 11. Konig *hic num.* 7. Vviestner *num.* 12. Reiffenstuel *num.* 26. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matrim. c.* 4. *num.* 31. & his Testibus communius DD. Accedit optima Juris dubii interpres consuetudo, seu praxis tum Romanæ, tum aliarum Curiarum Ecclesiasticarum, in quibus illi, qui criminis adulterii, vel homicidii in quatuor hactenus exami-

natis casibus rei sunt, ad matrimonium secum invicem contrahendum sine dispensatione nunquam admittuntur, testibus Corrado *prax. dispens. Apost. l. 8. c. 9. n.* 7. Moja *loc. cit. n.* 17. Vviestner *n.* 17.

60 *Ratio est* 1. Quia SS. Canones, dum Impedimentum hoc statuuntur, loquuntur omnino generaliter, & indistincte; igitur etiam sic intelligendi sunt, nec ad personas, quæ Impedimenti istius notitiam habent, restringendi *arg. l. de pretio* 8. *ff. de publ. in rem action.* 2. Cætera conjugiorum impedimenta omnia, & in specie etiam affinitas ex copula fornicaria incurruntur ab ignorante, quia decens non est tales connubio inter se invicem jungi, etsi Jus, impedimenta hæc statuens, ignoraverint; atqui non minus indecens est connubio jungi criminum istorum complices; ergo &c. 3. Inhabilitates, quæ non sunt mere pœnales, contrahuntur etiam ab ignorantibus, ut patet ex consanguinitate, affinitate &c. talis inhabilitas Jure Ecclesiastico etiam est impedimentum criminis; quia licet pœnæ rationem habeat, non tamen est mera pœna, sed conditio annullans contractum matrimonialem; ergo &c. 4. Si criminis impedimentum non contrahitur ab ignorante, eodem etiam non tenebitur, qui tempore, quo committit hujusmodi crimen, ex inadvertentia, vel oblivione non recordatur hujus impedimenti; nam ignorantia, inadvertentia, & oblivio quoad vim eximendi à culpa, & pœna à DD. æquiparantur; atqui sequela, teste *Moja*, à nemine facile admittitur; ergo &c.

61 Ex his patet Resp. ad Argumentum adversæ sententiæ. Dicendum, impedimentum istud non esse meram pœnam, sed inhabilitatem Jure constitutam etiam ignoranti; & quidem merito; quia in contrahendis matrimoniis vel maxime inspicitur, quid deceat, honestumque sit *l. adoptivus* 14. § *servi les* 2. *vers. unde ff. de rit. nupt.* & *l. semper* 197. *ff. de R. J.* atqui publice inhonestum, ac perniciosum est matrimonium inter personas, quæ conjugalem thorum adulterio polluerunt, accedente pactione nuptiali, vel machinatione in necem legitimi conjugis; igitur merito prohibentur à contractu nuptiarum inter se celebrando, ut sic tollatur periculum captandæ mortis alienæ, & præcaveantur adulteria. *Ad Conf.* 1. Alia est ratio censurarum, & alia impedimenti criminis; nam censuræ non incurruntur sine contemptu potestatis Ecclesiasticæ; is autem, qui Legem, sub censura aliquid vetantem, aut præcipientem invincibiliter ignorat, dici non potest Ecclesiasticæ potestatis contemptor, & in eam contumax; neque enim disciplinam contemnit, qui ignorat *l. si ignorans* 50. *ff. locati*. *Ad Conf.* 2. Si irregularitates ex delicto ortæ, ab ignorantibus non incurruntur, hoc ideo fit, quia licet non sint puræ pœnæ, sunt tamen pœnæ principaliter; at impedimentum criminis est quidem pœna, sed non pure; quia principaliter est inhabilitas ad contrahendum matrimonium. *Ad Conf.* 3. Imprimis ex sententia valde communi privationem debiti conjugalis peccans cum consanguinea uxoris suæ incurrit, etiamsi ignoraverit, illi delicto statutam esse hanc privationem; deinde esto, ab ignorante non incurratur, causa erit, quia vel pura pœna est, vel saltem principaliter.

62 Quæritur 9. An propositum criminis impedimentum sit perpetuum? Fuere viri alias non indocti, qui hoc negarent, & existimarent, impedimentum istud, quod per adulterium cum promissione matrimonii, vel ejus contractu defacto inito, vivente legitima uxore, contractum est, cessare, si cessetur ab adulterino commercio, & recedatur à matrimonio, vel hujus promissione adulteræ facta.

Sed melius distinguitur: Vel enim ante adulterium commissum à matrimonii defacto initi contractu, aut promissione recessum est, vel primum post commissum adulterium. *Si primum* recessus iste à Matrimonio, vel promissione illius non tollit, sed potius excludit impedimentum criminis, ne incurratur; cujus ratio est, quia ad inducendum hoc impedimentum, *ut nu.* 5. dictum est, requiritur concursus adulterii cum matrimonio, vel istius promissione; tali autem casu adulterium cum matrimonio, vel hujus promissione non concurreret, vivente legitimo conjuge; ergo &c.

63 *Si secundum*, recessus ille à matrimonio, vel promissione illius impedimentum semel contractum non potest tollere, ut recte Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 79. *n.* 7. Vviestner *hic n.* 22. Ratio est, quia nulla Juris authoritate, vel ratione evincitur, quod criminis impedimentum ita cesset; imò Jus indiscriminatim, & nulla de recessu hoc mentione facta, adulteros, qui matrimonium, vivente legitimo conjuge, defacto contraxerunt, vel de illo fidem sibi dederunt mutuo, matrimonio, etiam conjuge defuncto, copulari prohibet. *Conf.* Si ab Impedimento isto semel contracto adulteri se per hujusmodi recessum possent eximere, illius introductione matrimoniorum fidei parum fuisset consultum; neque enim ademptio spei conjugio potiundi efficaciter eos à commercio adulterino arceret, si scirent impedimentum istud auferri, & amissam conjugii spem temporanei, & brevissimi recessus beneficio recuperari posse.

Durat igitur hoc impedimentum semper, neque cessat, etsi delinquentes in putatitio hoc matrimonio mansissent per decennium, & ultra, ac plures ex illo liberos procreassent, prout statuitur *c. cum haberet* 5. *hoc tit.* quia, ut *ibid.* dicitur, *multiplicitas prolis ita susceptæ magis eorum crimen exaggerat, & diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentat*, quod non pœnitendo videantur contempsisse Divinum Judicium, & præceptum Ecclesiæ. Abb. *in c. cum haberet cit. n.* 4. Alex de Nevo *ibid. n.* 9. Vivian. *v. etiam si in Ration.* Barbosa *nu.* 1. Gonzal. *n.* 3. Pithing *hic num.* 9. Addit tamen *ibidem* Pontifex, Episcopum curare debere, ut uterque adulter Liberis suis, etiam ex adulterio natis, conf. spuriis, quatenus suppetunt facultates, necessaria alimenta subministret; ubi inter Jus Canonicum, & Civile aperta fit differentia; Jus enim Civile non vult tales proles ali à patre. *Auth. ex complexu Cod. de incest. nupt.* 64

Quæritur 10. Quis dispensare in impedimento criminis possit? Resp. Juxta praxim Curiæ Romanæ, de qua late Corrad. *prax. dispens. lib.* 8. *cap.* 9. *à n.* 5. distinguendum est inter impedimentum criminis, quod oritur ex conjugicidio, & inter illud, quod oritur ex adulterio. 65

In priore, si publicum est, Pontifex non dispensat, sive uterque, sive unus tantum ex contrahere volentibus mortem machinatus sit, ut removeatur votum captandæ mortis: pro quo Corrad. *loc. cit. n.* 8. adducit exemplum Clem. VIII. qui, etsi pro dispensatione super hoc Impedimento, altero tantum machinante mortem, supplicatum eidem fuisset per potentissimos Oratores, nullo tamen modo voluit supradictam dispensationem concedere. *Si vero occultum sit*, recurritur ad S. Pœnitentiariam, quæ difficillime, & non nisi ex urgentissimis causis dispensat, & quando facultatem dispensandi concedit, comittit confessario per Oratorem eligendo, ut eundem Oratorem, injuncta prius gravi, & diuturna pœnitentia, orationibus, & eleemosynis pro anima defuncti, à contentis in Litteris, ab adulterio, homicidio, & excessibus hujusmodi absolvat, ac dispenset, ut matrimonium de novo, secrete tamen ad evitanda scandala, contrahere possit, cum facultate etiam legitimandi prolem ante susceptam.

In posteriore impedimento adulterii sine machinatione necis, iterum distinguendum est, an publicum illud sit, an vero occultum. *Si publicum est*, Summus Pontifex dispensat pro foro utroque; casu, quo tamen conjux, vivente conjuge cum alia defacto contraxit matrimonium, & uxore defuncta, cum ea remanere vult, non aliter solet dispensare, quam negotio plene in S. Cong. super inquisitione discusso. *Si vero impedimentum occultum sit*, recurritur ad S. Pœnitentiariam, quæ committit Confessario per Oratores eligendo, quatenus eos in foro conscientiæ, injuncta pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de Jure fuerint injungenda, absolvat à quibusvis sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas per præmissa incurrerunt, & si pericula scandalorum, nisi contrahant, vel in contracto matrimonio perseverent, immineant, cum iisdem dispenset, ut matrimonium publicè inter se contrahere, vel si illud jam ante vivente altero conjuge invalide contraxerunt, renovare secreto consensum possint, cum facultate etiam legitimandi prolem ante susceptam. 66

Si uterque machinatus fuerit in mortem conjugis 67
alte-

alterutrius, utrique præscribitur pœnitentia salutaris, e. g. ut jejunent singulis sextis feriis per annum, ut certas preces pro anima defuncti genibus flexis recitent, & pro facultatibus suis certum numerum Missarum celebrari faciant, certis diebus per annum, e. g. singulis mensibus Sacramentalem confessionem peragant, & Sacram Synaxin sumant &c. Et exaggerantur pœnæ istæ pro qualitate delicti; imò, si enorme illud sit, etiam à Sacra Pœnitentiaria dispensatio omnino denegatur, vel cum maxima difficultate conceditur, præsertim si Oratores veneno machinati sint in mortem conjugis; nam tunc discutiuntur causæ in plena signatura ipsius Sacræ Pœnitentiariæ, an illæ, quamvis sint gravissimæ, debeant admitti, vel non: quia, ut dixit Gloss. *in § eadem lege*, *V. Venefici*, *Inst. de publ. Judic.* plus est hominem veneno occidere, quam gladio extinguere.

Intelligendum autem hoc est, ut *n.* 50. & 54. dixi, si machinatio intervenerit cum effectu; quia licet conatus, sive attentatio ad delinquendum debeat puniri, etiamsi non fuerit secutus effectus, de generali tamen consuetudine affectus, sive conatus, & attentatum non punitur, nisi sequatur effectus. Corrad. *c. 9. cit. num.* 13. & ita in casu veneni judicatum fuisse, testatur apud eundem Grammat. *decis.* 2. *num.* 8. Et hinc si machinatio effectum sortita non sit, volentes contrahere matrimonium dispensatione non indigent; quia cum Impedimentum istud sit Juris positivi, non debet ita taxari, ut restringatur facultas contrahendi matrimonium contra dispositionem Juris Divini. Corrad. *num.* 14.

Videatur Corrad. *c. 9. cit.* Vinc. de Just. *de dispens. matrim. l.* 2. *c.* 16. *à n.*64. Konig *hic n.* 14.

PARS III.

De Impedimentis matrimonii, quæ ipsas contrahentium personas, harumque qualitatem, ac statum respiciunt.

SEquuntur Impedimenta, quæ contrahentium personas, qualitatem, ac statum respiciunt; qualia sunt 1. morbus contagiosus alterutrius, 2. Conditio servilis, 3. Cognatio spiritualis, vel Legalis, 4. Consanguinitas, & Affinitas, 5. Impotentia. De his ergo in hac tertia parte agetur. Addetur pro Impedimento totum clausula Titulus, *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

TITULUS VIII.

De conjugio Leprosorum.

SUMMARIUM.

1 *An per Lepram supervenientem solvantur sponsalia de futuro prius contracta?*
2 *Quid dicendum, quando Lepra sponsalium contractum præcessit?*
3 *Quid, si sponsa, vel sponsus laboret alio contagioso morbo?*
4 *Vel si sponsalia sint jurata?*
5 *An per Lepram dirimatur matrimonium?*
6 *Certum est, non dirimi consummatum.*
7 *De rato rationes dubitandi.*
8 *Deciditur nec istud dirimi.*
9 *Quamvis Lepra superveniens justam causam præbeat id dissolvendi per Apostolicam dispensationem.*
10 *Intellectus* canon. quod proposuisti 18. caus. 32. quæst. 7.
11 12 *An propter Lepram supervenientem conjux sanus à Leproso divertere saltem quoad thorum, & cohabitationem possit?*
13 14 *Solvitur difficultas ope distinctionis.*
15 *Intellectus textus oppositi ex Matth.* 5. v. 32. & 19 vers. 9.
16 17 18 *An conjux non Leprosus Leproso conjugi cohabitare, & debitum illi reddere etiam cum periculo infectionis possit?*
19 20 21 *An teneatur illud reddere, si non immineat periculum infectionis reddenti, sed proli inde nascituræ?*
22 23 24 *An à debito reddendo excuset horror naturaliter consurgens, nullo existente periculo infectionis?*
25 26 27 *A quo facilius excusetur conjux sanus ob alterius lepram, vel similem morbum, an à redditione debiti, an à cohabitatione, & aliis obsequiis conjugalibus?*
28 29 *An ob periculum infectionis & horrorem naturalem excusetur conjux non leprosus, qui cum leproso scienter contraxit?*

COnjugiorum impedimentis merito accenseri aliquo modo etiam Lepra potest; cum enim Leprosi à Civitatibus, & hominum consortio passim arceantur, mirum non est, si Lepra etiam obstet conjugio, quippe quod multo arctiorem vitæ Societatem post se trahit. Quare hic videndum, an, & qua ratione impediat sponsalia, vel matrimonium sive contrahendum, sive contractum.

Quæritur 1. An per Lepram supervenientem dissolvantur 1
sponsalia de futuro, prius contracta? Resp. affirmative, non quidem ipso jure, sed si alter sponsus, qui immunis est à Lepra, id petat; quia si nolit iste dissolvi sponsalia, sed stare iisdem velit, etsi sciat alterum sponsum leprosum esse, iste obligabitur sponsalibus. Barbosa *in c. fin. hoc tit. n.* 1. Gonzal. *ib. n.*4. Wagnereck *ib. in Exeges.* Canis. *hic nu.* 2. Zoes. *n.* 1. Vallens. *n.* 2. Honor. *nu.* 1. Pirhing *n.* 1. Schambogen *n.*2. Konig *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 4. & 5. Vincent. Petra *tom.*3. *comment. fol.* 417. *n.*26. Et quidem, quod pars, quæ immunis à Lepra est, resilire, Lepra alteri superveniente, à sponsalibus possit, patet ex *c. fin. cit.* ubi Pontifex hoc casu negat alterum *compelli posse ad sponsam leprosam accipiendam, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum*, h. e. ut clare ex textu patet, contractum per verba de præsenti. *Ratio est*, quia intervenit notabilis mutatio, qua prævisa, alter non fuisset contracturus sponsalia. Quod vero casu, quo pars à Lepra immunis nihilominus velit matrimonium contrahere, pars altera teneatur sponsalibus, inde constat; quia dissolutio sponsalium non est introducta in favorem leprosi, sed ejus, qui sanus est; quod autem ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus odium retorquendum. *Reg. 61. in 6.*

Si Lepra præcessit sponsalia, distinguendum est, an 2
fuerit ab altero contrahente ignorata, an verò iste sciverit, hoc morbo alterum sponsum affici. *Si primum*, iterum resilire pars à Lepra immunis potest; quia verisimilem non est, quod etiam Leprosæ matrimonium promittere cogitaverit; & paria in Jure sunt esse & non apparere *l. duo sunt* 30. *ff. de testam. tutel.* item aliquid supervenire, & præcedere, sed ignorari *l. in lege* 77. *ff. de contrah. empt.* prout in simili dictum est *supra tit.* 1. *nu.* 187. *Si secundum*, à sponsalibus resilire non poterit; sibi enim imputet, quod cum ejusmodi infecto contraxerit. Zoes. *hic n.* 1. Konig *n.* 2.

Idem, quod dictum est de Lepra, dicendum est de 3
quovis alio morbo contagioso, si hic sponsorum uni post sponsalia de futuro inita superveniat, vel ante illa contractus primum innotescat, uti est morbus Gallicus, Paralysis, Epilepsia, vel alia infirmitas incurabilis ob rationis identitatem. Vivian. *in c. fin. hoc tit. pr.* Barbosa *ib. n.* 3. Schamb. *hic n.* 2. Reiffenstuel *ib. n.* 9.

Proceditque hoc, etsi sponsalia fuissent jurata, ut de- 4
cisum est *c. quemadmodum* 25. *princ. de jurejur.* & ratio clara est, quia ut sponsalibus ita etiam Juramento his adjecto inest conditio, *Nisi res notabiliter mutetur*, ut *arg. leg. cum quis* 38. *pr. ff. de solution.* notat Glossa *in c. cit. V. conditio*, Ant. de Butrio *nu.* 13. Canis. *hic nu.* 2. Vincent. Petra *loc. cit. nu.* 26. hoc autem vel maxime fit, Lepra, vel alio simili morbo superveniente sponsalibus; ergo &c.

Quæritur 2. An per Lepram dirimatur matrimonium? 5
Certum est 1. per eam non dirimi matrimonium contrahendum, quia *Leprosi, si continere nolunt, & aliquam, quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis ad matrimonium, convolare*, ut dicitur *cap. quoniam* 2. *hoc tit.* & notat *ibid.* Glossa *V. liberum*, Vivian. *vers. & contrahere*, Barbosa *num.* 1. Canis. *num.* 1. Ratio est, quia

Edictum de Nuptiis est prohibitorium *c. cum apud* 23. *de sponsal.* ac proinde de re omnibus generaliter permissa, quibus illæ non sunt prohibitæ; atqui nuptiæ Leprosis non sunt prohibitæ, cum de prohibitione nuspiam Juris aliquis textus extet, sed potius de licentia *c. quoniam cit.* ergo Lepra ipsos non impedit à matrimonio contrahendo.

6 *Certum est* 2. per Lepram præcedentem, aut subsequentem non dissolvi matrimonium jam contractum quoad vinculum, saltem, si id per carnalem copulam sit consummatum *can. hi qui* 25. *caus.* 32. *q.* 7. *c. pervenit* 1. *v. quoniam hoc tit.* & *c. quoniam cit.* quia vinculum matrimonii consummati est insolubile Jure Divino *Matth.* 19. *v.* 9. Idem dicendum de quocunque alio morbo, vel infirmitate, etiam gravissima, ob eandem rationem. Pirhing *hic n.* 4. *not.* 2.

7 *Dubitari potest*, an per Lepram, vel alium morbum contagiosum dissolvatur matrimonium ratum? Rationem dubitandi faciunt duo textus. *Primus* est *cap. fin. hoc tit.* ubi Urbanus III. ad propositam sibi quæstionem, an casu, quo *sponsorum unus Lepræ morbum incurrat, alter ad consummandam maritalem copulam compelli debeat*, respondit, illum *ad eam accipiendam cogi non debere, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum*. *Alter*, & difficilior est *can. quod proposuisti* 18. *caus.* 32. *q.* 7. ubi Gregorius III. vel potius II. de viro, *cui uxor infirmitate correpta non valuit debitum reddere*, rescribens, *Bonum esset*, inquit, *si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret; sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit:* ex quo sequi videtur, matrimonium ab hac initum prius ratum, & validum (alias subsidii opem ei ferri non præcepisset Pontifex) ob infirmitatem conjugis dissolutum fuisse.

8 Verum his non obstantibus, dicendum, Lepra, aut quavis alia infirmitate superveniente, matrimonii rati vinculum ipso Jure non dissolvi. Ita Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. pr.* & *in c. fin. prop. med.* Gonzalez *ibid. n.* 4. Canis. *hic n.* 2. Vallens. *n.* 1. Zoes. *n.* 2. Honor. *n.* 1. Schambogen *n.* 3. & 4. Reiffenstuel *nu.* 3. cum unanimi cæterorum. *Ratio est*, quia vis dirimendi matrimonium ratum soli professioni Religiosæ indulta reperitur *c. verum* 2. & *c. ex publico* 7. *de convers. conjugat.* *Extenditur* etiam ad casum; quo Lepra matrimonii contractum præcessit; ubi tamen circa licentiam contractus est distinguendum; nam si Leprosus, dissimulato morbo, cum ignaro ejusdem morbi matrimonium contrahit, graviter peccat; quia in re gravi conjugem decipit. *Secus*, si is, cum quo contrahit, morbum, & rei veritatem scivit, & tamen nubit; tunc enim contractus non tantum validus, sed etiam licitus est juxta *c. quoniam* 2. *hoc tit.*

9 Addidi, *ipso jure*; nam dispensatio Apostolica dissolvi potest, ad quam petendam, & concedendam hujusmodi morbus, matrimonio rato superveniens, justam causam præbet, ut non immerito existimant Sanchez *l.* 2. *de matr. D.* 16. *n.* 5. Perez *D.* 40. *de matr. sect.* 7. *n.* 13. Vviestner *hic num.* 4. testaturque Borgasius *de Irregul. part.* 6. *tit. de sponsal. nu.* 74. Martinum V. ob Lepram dispensasse.

Neque aliud evincunt textus in contrarium allegati. *Ad* 1. ut *nu.* 1. insinuatum est, ibi aperte sermo est de sponsalibus de futuro; & hinc ut interrogationi responsio congruat, verbum *Consummandum* sumendum est late de consummatione, quæ fit non per copulam carnalem, sed per consensum de præsenti præstitum, quo matrimonium consummatur quoad essentiam, ut notat *ibid.* Host. *in fin.* Abb. *n.* 3. Vivian. *v.* & *ad istum in Ration.* Canis. *nu.* 2. *v. non obstat*, Pirhing *hic num.* 4. Vviestner *n.* 4. Reiffenstuel *num.* 2.

10 *Ad* 2. duplex est Responsio: *Primam* dat Barbosa *in can. quod proposuit cit. nu.* 2. *fin.* eo textu per dispensationem Apostolicam solutum vinculum matrimonii rati ob infirmitatem mulieris, & permissum viro, ut alias contraheret nuptias. *Alteram* dant Tholosan *in cap.* 1. *de sponsal. num.* 27. Canus *l.* 6. *Loc. Theol. c.* 8. *ad* 8. Bellarm. *l.* 1. *de matr. c.* 11. *fin.* Gonzalez *in c. fin. hoc tit. n.* 9. qui putant, cum textum intelligendum de muliere, correpta infirmitate arctationis, sive arctitudinis, ut à viro carnaliter cognosci non posset, ac propterea nec matrimonium contrahere valide. *Neque refert*, quod ei subtrahi prohibeantur subsidia vitæ; quia ut Gloss. *in can. quod proposuisti cit. V. opem* Barbosa *ib. n.* 2. Vviestner *n.* 4. *cit. in fine* notant, hæc subsidia præberi ei debebant vel per restitutionem dotis, vel de consilio solum rescribentis Papæ.

Quæritur 3. An propter Lepram, supervenientem conjux sanus à Leproso divertere saltem quoad thorum, eique debitum conjugale negare valeat? *Ratio dubitandi ex una parte* est, quia, ut insinuatum est in principio præsentis Tituli, Leprosi propter periculum infectionis ab humano consortio passim arceantur, ita, ut eis peculiares Ecclesiæ assignentur *c. cum dicat* 2. *de Eccl. ædif.* imò monialibus Lepra percussis, quantumvis alias ad strictam clausuram obligatæ sint, à Pio V. Constitutione, quæ incipit *Decori*, permittitur egressus è Claustro apud Donat. *tom.* 4. *prax. Regul. tr.* 4. *q.* 1. *n.* 2. atqui ex cohabitatione conjugum, & usu communis thori multo majus imminet periculum infectionis, quam ex ullo alio humano commercio; igitur multo magis removeri à cohabitatione conjugis infecti conjux non infectus poterit. 11

Ex altera vero parte separationem istam ex causa Lepræ fieri non posse, videtur decisum *c. pervenit* 1. *hoc tit.* ubi Alexander III. mandat, *ut uxores viros, & viri uxores, qui Lepræ morbum incurrunt, sequantur, & eis conjugali affectione ministrent:* quod repetitur *c. quoniam* 2. *eod.* ubi additur causa; *quoniam nemini licet (excepta causa fornicationis) uxorem dimittere*. *Conf.* ex præcepto Christi *Matth.* 5. *v.* 32. & 19. *v.* 9. ubi etiam ipse causam fornicationis, seu adulterii solam excipit; igitur cum exceptio firmet regulam in casibus non exceptis *can. Dominus* 6. *caus.* 32 *q.* 7. dicendum videtur, quod ob Lepram, vel alium similem morbum divortium quoad thorum etiam fieri nequeat. 12

Difficultas hæc tolli ope distinctionis potest, quam etiam adhibent Sylv. *V. debitum q.* 1. Navar. *Man. c.* 16. *num.* 25. Sanchez *l.* 9. *de matr. D.* 24. *num.* 2. & 17. Bonacina *de matr. q.* 4. *p.* 1. *num.* 8. Conink *disp.* 34. *num.* 221. Petr. Barbosa *ff. solut. matr. p.* 2. *num.* 38. August. Barbosa *in c.* 2. *cit. nu.* 2. Vvagnereck *ibid. V. præcepto Apostoli not.* 2. Gonzalez *in c. fin. eod. num.* 8. Paul. Zachias *qq. Medico-Legal. lib.* 7. *tit.* 2. *q.* 5. *num.* 1. Engl *hic pr.* Zoes. *nu.* 2. Pirhing *num.* 10. Schambogen *num.* 8. & 9. Konig *nu.* 3. Vviestner *num.* 6. Reiffenstuel *nu.* 6. & 7. qui distinguunt inter Lepræ malignitatem. Vel enim Lepra superveniens Medicorum judicio non est contagiosa, & propterea conjugi alteri nullum, aut leve infectionis periculum imminet; vel contra contagiosa est Medicorum judicio periculum infectionis cohabitatio, & conjugalis debiti redditio afferre judicatur. 13

Si primum, dicendum est, quod conjux non infectus eo casu ad cohabitationem, cæteraque obsequia conjugalia, & ipsam etiam debiti redditionem adstringatur; *si secundum*, neque ad cohabitationem neque ad debiti redditionem tenebitur. *Primum*, probant textus *c. pervenit* 1. & *c. quoniam* 2. *hoc. tit.* qui, ut æquitas rigori Juris præferatur, in hoc, & non alio sensu intelligi possunt. *Alterum* evincit ratio; quia conjuges contractu matrimonii ad cohabitationem, & redditionem debiti conjugalis non præsumuntur aliter se obligasse, quam salva proprii individui incolumitate, quam alienis commodis, & solatiis ordo Charitatis præferre docet. Idem de aliis morbis contagiosis judicium esto. Barbosa *in cap.* 2. *cit. num.* 3. Zoes. *hic num.* 2. Reiffenstuel *nu.* 9. 14

Ad Conf. allatam *n.* 12. quando Christus Dominus in textu *Matth. cit.* excipit solam fornicationem, intelligendus est de separatione perpetua, & divortio absoluto; nam præter causam fornicationis etiam sunt aliæ, ex quibus divortium fieri potest ad tempus certum, vel incertum, & inter istas etiam est Lepra, ac quivis alius morbus contagiosus, ob quem divortium fieri potest, quamdiu is morbus durat. 15

Quæritur 4. An conjux non Leprosus Leproso conjugi cohabitare, & debitum illi reddere etiam cum periculo infectionis possit? *Videtur* non posse; quia ex communi doctrina, quam defendit Sanchez *lib.* 9. *de Matrimon. disp.* 24. *nu.* 8. graviter illicitum est reddere debitum cum notabili salutis suæ detrimento; est autem notabile detrimentum salutis propriæ, quando ex redditione debiti Leproso conjugi imminet probabile peri- 16

periculum infectionis conjugi ſano. *Conf.* 1. Quia homo vitæ, & membrorum ſuorum dominium minime habet; atque ita curam moderatam illius tuendæ habere obligatur, ubi urgentior cauſa non cogit. *Conf.* 2. Nam culpæ mortalis reus eſt utens cibis ejus quantitatis, vel qualitatis, ut notabiliter prævideantur nocituri ſanitati.

17 Sed reſpondendum eſt affirmative; imò ita reddere debitum, ſi ex amore matrimonii id fiat, opus meritorium eſt. Ita Cajet. 2. 2. *q.* 154. *art.* 1. *ad* 4. § *ad* 3. *dicitur*, Graſſis *p.* 1. *deciſ. l.* 2. *c.* 38. *n.* 6. Sanchez *loc. cit. n.* 23. Ratio eſt, quia in morbis diuturnis, & quaſi habitualibus, nec ad mortem tendentibus, qualis eſt Lepra, periculo infectionis præponderat conjugalis amor, & vitatio periculi incontinentiæ in utroque conjuge, fere ſemper contingens.

18 *Ad Argumentum contrarium* id intelligendum eſt de morbis communibus non ita diuturnis, atque ad mortem non tendentibus. *Ad Conf.* 1. Cura moderata tuendæ ſalutis propriæ non facit illicita jejunia, & alias corporis mortificationes moderatas; igitur neque redditionem debiti, factam ad avertendam incontinentiam vel ſuam, vel conjugis leproſi. *Ad Conf.* 2. Sumptio cibi in quantitate, vel qualitate ſanitati noxia nullo ex capite honeſtari poteſt; poteſt autem honeſtari redditio debiti.

19 Quæritur 5. Utrum conjux ſanus Leproſo conjugi teneatur, vel poſſit debitum reddere, ſiquidem non immineat periculum infectionis reddenti, ſit tamen probabile periculum, fore, ut ſoboles naſcatur leproſa? Quidam negant cum Medina, & Palacios apud Sanchez *lib.* 9. *de matr. D.* 24. *n.* 24. quia magis licet cuiquam propriis, quam alienis detrimentis cedere; igitur cum juxta dicta *n.* 13. non teneatur conjux ſanus reddere Leproſo debitum cum periculo infectionis propriæ, multo minus tenebitur illud reddere cum periculo, ne inficiantur liberi.

20 Sed affirmativam defendunt S. Thom. *in* 4. *diſt.* 32. *q. un. art.* 1. *ad* 4. S. Bonavent. *ibid. art.* 2. *q.* 1. *n.* 21. *ad* 2. Scot. *q. un. ad fin. Corp. v. reſpondeo*, Roſell. *V. Leproſus num.* 2. Sylv. *V. debitum q.* 1. *v. ſecunda eſt*, Petr. de Ledeſm. *de matr. q.* 64. *art.* 1. *dub.* 3. *concl.* 1. Sanchez *loc. cit. n.* 25. & plures alii apud iſtum. Ratio eſt, quia proli tantum abeſt, ut irrogetur injuria, ut potius maximo afficiatur beneficio; conſequitur enim vitam ex eo concubitu, ac melius illi eſt leproſam exiſtere, quam omnino non eſſe.

21 Ex quo ſequitur ſolutio ad Argumentum contrarium; quia conjugi ſano ſimpliciter nocet reddere debitum cum notabili ſalutis detrimento; cum enim jam habeat eſſe naturale, non poteſt non male ſe habere, ſi contagione illa inficiatur; at proli non ſimpliciter nocet, ſed melius eſt naſci, quam non naſci. Ut tamen infectionis periculum in Liberis, quantum fieri poteſt, præcaveatur, addit Sanchez *loc. cit. num.* 31. eos caſu, quo conjuges ſeorſim habitant propter morbum alterius contagioſum, debere educari apud parentem ſanum.

22 Quæritur 6. An ubi periculum infectionis ceſſat, excuſet à debito reddendo horror naturaliter conſurgens ex acceſſu ad conjugem Lepra, vel alio morbo horrorem inferente infectum? *Certum eſt* excuſare illum horrorem, qui tantus eſt, ut inhabilem faciat ad conjugi tali morbo affecto reddendum debitum; quia impoſſibilium nulla eſt obligatio. *Reg. impoſſibilium* 185. *ff.* & *Reg. nemo poteſt* 6. *in* 6. Quare ſi tali caſu vir non reddens excommunicetur ab Eccleſia, ſicut coram Deo eſt immunis culpa, ita etiam ab excommunicatione. Sanchez *lib.* 9. *D.* 24. *num.* 21. & apud eum *cit.*

23 *Dubium eſt* de horrore, qui conjugem ſanum debiti reddendi capacem relinquit; in quo dubio negat eum deobligari Sot. *in* 4. *diſt.* 32. *q. un. art.* 1. *ad* 2. *verſ. imò vero*, & Lud. Lop. *p.* 1. *Inſtruct. cap.* 83. *verſ. ſed an*, & *part.* 2. *de matr. cap.* 56. *pr.* qui ſolum excipiunt, quando, ut loquuntur, ingentiſſimus eſt horror, ut ſi Lepra eſſet leonina ita, ut membra computreſcerent, & deciderent.

24 Sed mitius cum conjugibus agendum exiſtimat Sanchez *loc citat.* cum conſtet, pleroſque ad nauſeam ita propenſos eſſe, ut ad inſtar mortis abhorreant ab acceſſu ad conjugem leproſum; ut adeo, ſtante tali horrore, obligari illos ad reddendum debitum difficillimum, & moraliter impoſſibile ſit. Quare idem Doctor tandem concludit, & ſi nimius horror ſit, judicat non obligari; ſecus, ſi horror tantus non foret, nam hoc caſu urgebit præceptum Apoſtoli, quo 1. *Corinth.* 7. *Verſ.* 3. jubet, ut uxori vir debitum reddat, & ſimiliter uxor viro; quod cum generale ſit, obligabit generaliter, ita, ut excuſationem non admittat, niſi aut fornicationis ab altero admiſſæ, aut moralis impoſſibilitatis.

Quæritur 7. à quo facilius excuſetur conjux ſanus ob alterius Lepram, vel ſimilem morbum, an à redditione debiti, an à cohabitatione, & aliis obſequiis conjugalibus? Reſp. facilius excuſandum à redditione debiti, quam cohabitatione, & aliis obſequiis conjugalibus; quia, ut Paulus Zacchias *qq. Medico Legal. lib.* 7. *titul.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 3. obſervat, fere majus periculum infectionis à carnalis commercio, quam ſola cohabitatione, & aliorum obſequiorum exhibitione oritur. 25

Porro, ut cum eodem Zacchias, notat Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 417. *n.* 25. ad judicandum, an lepra infici poſſit conjux ſanus, non ſolum gravitas morbi inſpicienda eſt infirmo, ſed principaliter attendi debet, cujusnam temperamenti conjux ſanus exiſtat; nam ſecundum varias ejuſdem diſpoſitiones aliquando facili negotio infici poteſt, & etiam ex parvo morbo contrahere magnum; aliquando contrà ob robuſtam complexionem vel difficulter, vel modice etiam ex magno morbo inficitur. 26

Quodſi vero etiam quoad cohabitationem ſeparationem facere malignitas morbi jubeat, hæc aliter permittenda non eſt, niſi miniſtratis afflicto vitæ ſubſidiis. P. Vvieſtner *hic n.* 9. 27

Quæritur 8. An ob explicatum periculum infectionis, vel horrorem à redditione debiti, & cohabitatione excuſari conjux poſſit, quando lepra matrimonialem contractum præceſſit, & hoc ſanus non ignoravit? Reſp. Hoc caſu non excuſari, ut recte advertunt Sanchez *l.* 9. *de matr. D.* 24. *n.* 22. Barboſa *in c.* 2. *hoc tit. nu.* 4. Vvagnereck *ibid. præcepto Apoſtoli not.* 3. Engl *hic in fin.* Pirhing *num.* 9. *not.* 2. Schambogen *num.* 8. Konig *num.* 3. Vvieſtner *num.* 10. Reiffenſtuel *num.* 8. quia is ſibi imputare periculum infectionis debet, cui ſe libere expoſuit, cum Leproſo ſcienter contrahendo matrimonium. Accedit, quia ſi Leproſus conjux ſciviſſet, talem ob Lepram, aut aliam infirmitatem, quam ei fideliter detegit, vel non abſcondit, ſibi negaturum debitum conjugale, forſan cum alio contraxiſſet, prout poterat *arg. c. quoniam* 2. *hoc tit.* 28

Neque obſtat, quod nemo ſit dominus membrorum, & vitæ ſuæ, & ideo nemo ſe obligare poſſit ad actualem amiſſionem membri, aut vitæ; nam præterquam, quod, ut *num.* 17. inſinuavi, Lepra non ſoleat eſſe morbus fatalis, plures ſunt caſus, quibus non eſt prohibitum ſe obligare ad periculum corporale, ut in militibus, nautis, aliiſque ſimilibus quotidianum eſt. Engl *hic fin.* 29

Demum adverto, caſu, quo conjux ſanus ob horrorem Lepræ Leproſum conjugem, à conſortio hominum ſeparatum, quoad cohabitationem ſequi non vult, utrique à Judice Eccleſiaſtico injungendam continentiam *per cap. pervenit* 1. *hoc tit.* & *ibi* DD. 30

TITULUS IX.

De conjugio ſervorum.

SUMMARIUM.

1 *Servi in jure ſunt triplicis maxime generis, videlicet ſervi proprie dicti.*
2 *Adſcriptitii.*
3 *Originarii.*
4 *Adſcriptitii, & Originarii valide contrahunt matrimonium cum quacunque alia perſona.*
5 *Matrimonium inter perſonam liberam, & libertam valet.*
6 7 8 *Poſſunt matrimonium valide contrahere etiam Servi proprie dicti.*
9 *An domino invito, vel ignorante?*

10 *Defenditur affirmativa.*
11 *Solvuntur Objectiones.*
12 *Utrum servus licite contrahat matrimonium, domino invito?*
13 *An hic conjugio servi sui licite resistat?*
14 *An postquam certior factus est, quod servus ejus de matrimonio tractet, possit istum alio vendendum mittere?*
15 *Matrimonium servi initum cum persona libera, non ignara conditioni servilis, valet.*
16 17 *Non valet, si istam ignoraverit.*
18 *Nisi sequatur ratihabitio.*
19 *Rationes dubitandi solvuntur.*
20 *An validum sit matrimonium cum servo, vel ancilla, cui ad tempus concessa libertas est?*
21 *Quid dicendum de matrimonio, contracto inter liberum, & ancillam statu liberam?*
22 *An valori matrimonii obsit error circa conditionem servilem, quo contrahens constituitur in statu digniore, vel saltem pari?*
23 *Respondetur non obesse.*
24 *Satisfit Argumento contrario.*
25 *Quo jure error conditionis servilis dirimat matrimonium? Sententia putantium, irritum esse Jure naturali:*
26 *Sententia id adscribentium Juri positivo humano.*
27 *Defenditur sententia inter utramque priorem media.*
28 *Diluuntur Argumenta opposita.*
29 *An matrimonium liberi cum ancilla valeat, si ignorantia conditionis servilis sit crassissima?*
30 *Deciditur non valere.*
31 *Objectiones solvuntur.*
32 33 34 35 *Quando servus, vel ancilla consequatur libertatem ex matrimonio, permissu domini inito?*
36 37 38 *An iis eventibus, quibus ancilla, vel servus ipso matrimonio libertatem consequitur, hoc cum libero, conditionem servilem ignorante, initum valeat?*
39 40 41 *An conjux liber, detecta conditione servili, à matrimonio recedere statim possit?*
42 *Quid probari debeat, ut ab Ecclesia concedatur dissolutio matrimonii ob alterius conditionem servilem?*
43 *Ignorantiam conditionis qui probare debeat?*
44 *Satisfit Argumento opposito.*

Aliud impedimentum conjugii est conditio servilis, seu potius ejusdem ignorantia, quod olim, quando Christiani adhuc servituti obnoxii erant, non frequens minus, quam celebre erat.

1 Quæritur 1. Quotuplicis generis servi sint? Resp. In Jure servi sunt triplicis maxime differentiæ 1. *Servi proprie dicti*, qui ex jure gentium, vel civili alieno domino contra naturalem libertatem subjiciuntur, ita, ut ad instar rerum nostri patrimonii possideri, vendi, & alienari possint; & tales de jure sunt 1. qui justo, vel saltem publice indicto bello capti, servatique, & capientis dominio subjecti sunt § *servi* 3. & § *seq. Inst. de Jur. person. l. & servorum* 5. § *servi* 1. *ff. de stat. homin.* 2. Qui sunt nati ex matre conditionis servilis § *citt.* & *l. partum* 7. *C. de R. V.* 3. Qui cum 20. annis essent majores, scientes, prudentesque ad participandum pretium se venundari passi sunt *l. majores* 1. *ff.* & *l. dispar.* 1. *C. quib. ad libert. proclam.* & nonnulli alii apud Tholos. *Syntagm. l.* 14. *c.* 3. *n.* 2. Hæc servitus inter Christianos hodie per consuetudinem generalem sublata est, ita, ut neque qui capti sunt bello, inter Christianos gesto, jam proprie capientium servi fiant, tum ob dignitatem Christiani nominis, & honorem, ac memoriam libertatis, qua nos Christus donavit; tum quod bella inter Christianos Principes, adeoque inter Cives Romanos gesta potius bella intestina censeri debeant. In bello tamen, quod contra Turcas, & Barbaros geritur, adhuc hodie servituti locus est, ea tamen inter Jus antiquum, & hodiernum differentia constituta, quod olim Romani capti ab hostibus etiam apud Romanos pro servis habiti fuerint; hodie vero Christiani habent quidem captos Turcas pro servis, sed non suos Christianos captos à Turcis, quod indignum videatur, Christianum à Christiano censeri Servum Turcarum, & Infidelium. Engl *hic n.* 2.

2 2 *Adscriptitii*, qui glebæ, seu fundo colendo sunt perpetuo addicti, ita, ut à cultura sine domini voluntate recedere, & possessiones deserere nequeant, fructus vero istarum reddere dominis suis teneantur omnes, præter sumptus, & victum. Abb. *in c.* 2. *de Judæis not.* 1. Hi partes sunt fundi, & computantur inter immobilia, ut habetur *l. jubemus* 14. *pr. C. de SS. Eccl.* junct. Glossa *ibid. V. mancipia*. Hinc distinguuntur ab iis, qui se obligant perpetuo ad servitia personalia; nam hi, quia sola personalia obligatione tenentur, partes fundi non censentur esse, atque ideo Adscriptitii non appellantur. Valesco *de Jur. Emphyt. q.* 37. *n.* 9. *& seq.*

3 *Originarii*, qui ex Adscriptitiis orti sunt. Utrique, quamvis majori aliqua obligatione, quam cæteri subditi suis dominis teneantur, hodie tamen vere liberi sunt, ut bene Gloss. *in c.* 2. *de Judæis V. sint liberi*, Abb. *ib. v. item nota* Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 19. *n.* 1. Engl *hic n.* 3. & colligitur ex *c. cit.* quod licet prohibeat Judæis mancipia Christiana possidere, concedit tamen, ut habere possint Adscriptitios, & Originarios Christianos. *Ex quo etiam sequitur*, sublata servitute proprie dicta inter Christianos, mansisse adhuc hanc secundam, & tertiam speciem; quod patet ex usu Germaniæ nostræ, in cujus variis locis multi hujusmodi servi adscriptitii & originarii inveniuntur. 3

Quæritur 2. An, & quales servi possint contrahere matrimonia? *Satis convenit inter DD.* 1. Servos adscriptitios, & originarios valide posse contrahere matrimonium cum quacunque alia persona, etsi illa conditionem eorum ignoret, modo inter ipsos nullum aliud impedimentum intercedat, ut recte Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. § 4. *n.* 332. Brunell. *de sponsal. concl.* 32. *nu.* 3. *cas.* 3. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 19. *n.* 9. Gutier. *de matr. c.* 90. *n.* 20. Conink *D.* 31. *n.* 21. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 5. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 5. § 1. *n.* 10. Barbosa *in c.* 2. *hoc tit. n.* 3. Wagnereck *in c.* 1. *ibid. not.* 3. Engl *hic nu.* 3. Pirhing *n.* 1. Schambogen *n.* 2. Konig *n.* 3. Wiestner *num.* 2. Reiffenstuel *nu.* 5. *Neque obstat*, quod ad certas operas, & servitia dominis prædiorum præstanda teneantur; quia obligatio hæc non facit, ut non sint vere liberi homines *l. definimus* 12. *C. de agricol. & censit.* igitur nihil est, quod ipsos à matrimonii contractus emoveat. 4

Certum est 2. Valere matrimonium ingenui cum libera, i. e. cum ea, quæ ancilla fuit, jam tamen libertate donata est; neque valorem ejus impedit, quod ingenuus cum ea contrahens ignoraverit eam libertam esse; quia est vere libera, ac proinde ejus conditionis error, cum non sit servitutis præsentis, non obstat matrimonii firmati Ita Sot. *in* 4. *dist.* 35. *qu. un. art.* 2. *col.* 4. *v. adhæc*, Covar. *p.* 2. *de sponsal. cap.* 3. § 7. *num.* 1. *vers. primum*, Henriq. *lib.* 11. *de matr. c.* 10. *n.* 3. *comment. lit. N.* Sanchez *lib.* 7. *de matr. disp.* 79. *n.* 10. Gutier. *de matr. capit.* 90. *num.* 19. Conink *disput.* 31. *num.* 24. & apud hos alii. 5

Dubium fieri potest de servo proprie dicto, an ille, dum adhuc servus est, valide matrimonium contrahere, saltem cum paris conditionis persona possit? Videtur non posse, 1. ob textum *canon. non omnis* 12. *caus.* 32. *q.* 2. ubi S. Leo Papa ad Rusticum Narbonensem scribens, *Non omnis*, ait, *mulier juncta viro est uxor viri, quia nec omnis filius est hæres patris; nuptiarum autem genera inter ingenuos sunt legitima*; ubi S. Pontifex videtur asserere, matrimonia inter servos contracta non esse legitima, 2. Ad matrimonium requiritur voluntas: in servis autem voluntas non datur juxta *Reg. velle* 4. *ff.* 3. Per matrimonium fit mutua corporum traditio, hanc facere servus nequit; quia potestatem corporis sui non habet. 6

Sed dicendum, ac tenendum est pro indubitato, validum esse matrimonium, contractum à servo proprie dicto, cum paris conditionis persona, saltem accedente consensu domini. Patet ex *can. omnibus* 2. *caus.* 29. *q.* 2. & *c. dignum* 1. *hoc tit.* Ratio est, quia Ecclesia considerat homines secundum naturam suam, secundum quam omnes æquales sunt; unde sicut à Baptismo, & aliis Sacramentis, quæ gratia suscipientis conferuntur, servos non arcet, ita neque removet à Sacramento matrimonii. 7

Neq; obstant argumenta contraria. *Ad* 1. S. Leo in textu non negat inter servos dari verum quoddam matrimonium, sed solum dicit, illud matrimonium non esse legitimum, & solemne, ita, ut filii sint hæredes cum sua- 8

suitate, aut ut ipsi sint in potestate patris; hoc enim repugnat conditioni Servi. Gonzalez *in c. fin. hoc. tit. n.* 8. *fin. Ad* 2. Servi voluntatem non habent in iis, quæ sunt Juris Civilis, & in quibus domino præjudicari posset. *Conc.* Etiam in iis, quæ sunt Juris naturalis. *Nego*. Nam in his voluntate propria regitur etiam servus: unde cum matrimonium sit Juris naturalis, contractus ejusdem servo non prohibebitur. *Ad* 3. Servus corpus suum tradit alteri conjugi, quantum satis est ad generationem filiorum; quod sufficit ad veritatem matrimonii, attento Jure naturali; neque hoc impediri potest à domino, quamvis non tradat illud plenarie, & pro omni tempore. Deinde servus per servitutem tantum amittit Jura personalia, quæ ratione servitutis ad dominum transferuntur: igitur amittere per illam non potest jus contrahendi matrimonium; quia hoc est potius ipsius naturæ humanæ ad sui propagationem.

9 Quæritur 3. An servus ejusmodi? vel ancilla matrimonium inire, etiam domino invito, vel ignorante, possit? *Rationem dubitandi* facit 1. textus *can. fin. caus.* 29. *q.* 2. ubi Conc. Cabilonense, postquam statuit, conjugia à servis contracta non esse dirimenda, subjicit, *hoc in illis observandum esse, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum*; igitur per argumentum à sensu contrario, si legalis non sit conjunctio, aut dominis nolentibus, & invitis facta, dirimi conjugia eorum poterunt. 2. *L. cum ancillis* 3. *C. de incest. nupt.* ubi non *connubium*, sed *contubernium* inter servos esse, agnoscitur; igitur necesse est, ut accedat consensus domini, quo servum manumittat à servitute. 3. Paritas cum Professione Religiosa, & SS. Ordinibus; nam servus neque ad professionem Religiosam, neque ad Ordines, invito, aut inscio domino, admitti potest, ut de professione dictum est *l.* 3. *tit.* 31. *nu.* 29. de SS. Ordinibus *l.* 1. *tit.* 18. *n.* 2.

10 Sed adhuc dicendum, matrimonia à servis, etiam sine domini consensu inita, valida esse. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 36. *q. un. art.* 2. *Corp.* Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 21. *num.* 3. Gutier *de matr. c.* 92. *n.* 1. Conink *D.* 31. *n.* 31. *&* 32. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 5. § 2. *n.* 1. Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. pr.* Barbosa *ibid. n.* 1. *&* 2. Gonzal. *n.* 2. Vallens. *hic nu.* 6. Zoes. *nu.* 4. Honor. *nu.* 2. Engl *nu.* 4. Schambogen *nu.* 3. Vviestner *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 2. *n.* 172. estque doctrina a cæteris DD. maximo consensu recepta: idque merito ob claram decisionem *c. dignum.* 1. *hoc. tit.* & non minus dilucidam rationem; quia matrimonium naturali, & Divino Jure concessum est homini in remedium concupiscentiæ ad evitandam incontinentiam, & ad conservationem, ac propagationem humani generis: hoc autem Jus domini servis auferre nequeunt; quia jus istud non tam privatum ipsorum est, quam commune ipsius naturæ humanæ, cui derogare potestas privata domini nequit. Imò graviter peccant domini contra Justitiam, si servos suos aut positive impediant à matrimonio, aut postquam hoc contraxerunt, invitis ipsis, durius tractent, ut ex communi doctrina docent Sanchez *D.* 21. *cit. n.* 5. *&* 6. Gutier. *n.* 2. *&* 3. Pont. *l.* 7. *c.* 42. *num.* 3. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 4. Perez *D.* 25. *sect.* 6. *n.* 4. Barbosa *in cap.* 1. *hoc tit. n.* 2. Vvagnereck *in c.* 2. *eod. not.* 2. Pirhing *hic n.* 2. Schambogen *n.* 3. Vviestner *num.* 6. quia quoad hoc servi sunt sui juris, nec domino subduntur.

11 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Monet *ibidem* Glossa à DD. passim recepta, in eo textu addendam particulam *maxime*, ut sensus sit, Servorum matrimonia non dirimenda, maxime quando per voluntatem domini contracta sunt. *Ad* 2. Jus Canonicum, quod in matrimoniali causa unice attendendum est, verum inter Servos matrimonium agnoscit *cap. dignum citat.* igitur quidquid de hoc Jus Civile statuat, curandum non est. *Ad* 3. Negatur paritas: nam professione Religiosa, & susceptione SS. Ordinum impeditur Servus ab obsequiis debitis præstandis domino, cum per utramque homo Deo, & Divinis obsequiis pro toto vitæ tempore mancipetur; non ita impeditur ille, & matrimonio inito, quippe quo non obstante Servus adhuc præstare domino obsequia solita potest, ac debet. Unde nec ancilla, quæ Servo alterius domini nupsit, proprium deserere dominum potest, neque maritus Servus prætextu conjugii servitia domini negligere, sed ita utrobique res temperanda est, ut ex imperio, & occupatione domini Servus non impediatur suo tempore ab usu Matrimonii, & vicissim Servus ita moderate uti debet Matrimonio, ne domino notabile præjudicium faciat.

Quæritur 4. Utrum licite Servus invito domino contrahat Matrimonium, vel dominus licite intentioni ejusdem resistat? Quod Servus licite Matrimonium contrahat, domino etiam renitente, patet ex modo dictis; quia ita contrahendo utitur Jure suo, nec domino præjudicium affert, cum sive consenserit iste in Matrimonium, sive non consenserit, obsequia sibi debita à Servo conjugato petere, eaque recipere ab ipso possit. Interim tamen non est negandum, debitam reverentiam exigere, ut Servi, quando Matrimonium volunt contrahere, dominorum consensum petant, saltem casu, quo nullus est timor, ne Matrimonium maliciose impediatur. Conink *D.* 31. *num.* 32. Vviestner *hic n.* 6. *fin.* 12

An vero dominus vicissim licite Matrimonio ejusdem resistat, dubium esse potest: in quo certum est, non teneri illum consentire in Servi sui Matrimonium, sed tuto posse reniti, nullum obstaculum afferendo; quia consulit sibi, ne id damnum subeat, quod ex consensu sibi redundare plerique DD. affirmant, dum docent, casu, quo Servus Matrimonium contraxit domino consentiente, & uxor eo tempore debitum petit, quo servitium ab eo exigit dominus, uxorem petentem debitum præferendam domino petenti servitium; quorum fundamenta affert Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. D.* 21. *num.* 13. quamvis ipse *num.* 15. decidat, nullum in hoc circa Servum, qui domino consentiente contrahit Matrimonium, & circa eum, qui contrahit eo invito, faciendum esse discrimen, quod jus gentium, quo Servitus inducta est, sit posterius Jure naturali, quo inductum est Matrimonium. 13

Difficultas in eo residet, an domino postquam certior factus est, quod Servus ejus de Matrimonio ineundo tractet, fas sit illum alio vendendum mittere; quam difficultatem recte dissolvit Sanch. *loc. cit. nu.* 9. Vel enim matrimonium jam cœptum est per Sponsalia de futuro à Servo inita, vel nondum ita cœptum matrimonium est. *Si hoc secundum*, poterit utique dominus sic eum venundare; quia id non est directe impedire matrimonium, sed uti jure suo vendendi Servum; jure autem suo utens non potest dici fraudem committere. *Si primum*, nefas erit domino eo medio uti; quia per illa Sponsalia Sponsæ Servi jam est quæsitum jus, ut Servus promissis stet, & Matrimonium cum ipsa contrahat, quod jus cum sit independens à voluntate domini, non potest iste id impedire, Servum mittendo alio. *Neque obstat*, quod matrimonio jam inito, Servum suum dominus in partibus remotis possit venundare; nam esto, id verum sit, quod cum aliis Sanch. *D.* 22. *num.* 12. negat, si uxor sequi eundem non possit commode, dispar adhuc est ratio; quia quando matrimonium jam est initum; impeditur solus ejusdem usus, cujus jus posterius est jure domini, quod habet ad Servum suum vendendum; at quando inita sunt Sponsalia, per hoc, quod Servus venundandus in remotas terras mittatur, ad quas Sponsa sequi illum non potest commode, impeditur ipsum matrimonium, cujus contrahendi jus cum Servus à natura ipsa acceperit, præferri debet Juri domini, quod iste accepit à Jure gentium. 14

Quæritur 5. An validum sit matrimonium, quod liber contrahit cum ancilla, aut libera cum Servo? Resp. distinguendo; Vel enim contrahit quis matrimonium cum ancilla, ignorans illam esse talem, sed putans esse liberam; vel illud contrahit sciens conditionem illius servilem. 15

Si hoc secundum, matrimonium, cum servo, vel ancilla initum, tenet per claros textus *can. si quis ingenuus* 4. *can si fœmina* 5. *caus.* 29. *quæst.* 2. *cap. proposuit* 2. *& c. fin. hoc tit.* quibus correctum est Jus Civile, reprobans matrimonium, inter liberum, & ancillam initum *l. cum ancillis* 3. *Cod. de incest. & inutil. nupt.* Ioan. Andr. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 3. Ancharan. *ibidem num.* 2. Abb. *num.* 3. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *quæst.* 2. *dict.* 2. Sot. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 1. *vers. contra hanc*, Sanch. *l.* 7. *D.* 19.

 num. 13.

n. 13. Gutier *de matrim. c.* 90. *num.* 23. Layman *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 3. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 5. § 1. *n.* 9. Pirhing *hic n.* 5. Engl *n.* 4. Schambogen *n.* 6. Zoef. *n.* 3. Konig *n.* 5. *&* 6. Vviestner *num.* 7. Reiffenstuel *num.* 8. quia Servitus cognita non adversatur substantiæ matrimonii, cum hoc non obstringat ad semper, & ubique debitum reddendum, sed tantum, quoties legitimum impedimentum non obstiterit. Interim tamen juxta *can. siquis viduam* 15. *dist.* 34. talis liber, scienter cum ancilla contrahens, fit Irregularis; idque ideo, quia ancilla est persona vilis, adeoque cum per matrimonium unum corpus cum ancilla efficiatur, eam ducens quoque fit vilis, & per consequens Irregularis. Gloss. *in can. cit. V. ancillam*, Sylv. *V. Irregularitas quæst.* 16. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 169. Sanchez *D.* 19. *cit. nu.* 14. Gutier. *n.* 25. Palao *n.* 9. Konig *n.* 5.

16 *Si vero primum contingat*, & liber cum ancilla matrimonium contrahat, ignorans illam esse talem, major est difficultas. Videtur enim etiam hoc casu matrimonium consistere; nam error ista est solum circa qualitatem personæ, qui secundum communem non vitiat Matrimonium. *Conf.* Quia neque qualitas conditionis servilis invalidum illud reddit; alias etiam matrimonium cum ancilla scienter contractum valore destitueretur contra dicta *n. præc.*

17 Sed dicendum, hoc casu contractum matrimonium esse invalidum, nisi sequatur ratihabitio ejus, qui ignorabat alterius conditionem servilem. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 36. *q. un. art.* 1. *Corp.* & *ad* 1. S. Bonavent. *ibid. art.* 1. *q.* 2. Durand. *q.* 1. *n.* 6. Sanchez *D.* 19. *cit. nu.* 2. Gutier. *n.* 1. Layman *n.* 3. Palao *n.* 1. Fagnan. *in c. fin. hoc tit. n.* 1. Vivian. *in c.* 2. *eod. pr.* Barbosa *ibid. n.* 1. *&* 2. Shambogen *hic n.* 7. Konig *nu.* 6. Reiffenstuel *nu.* 4. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 2. *nu.* 173. & expresse definitum est per textus *n.* 15. allatos. Ratio, ob quam ita Ecclesia statuit, est, ut resarciat gravem injuriam, illatam libero ignoranti conditionem servilem alterius, & ob magnam contractus inæqualitatem; quæ ratio non habet locum, quando liber scit alterum esse Servum, cum quo contrahit; tunc enim cessat error, & contrahens non decipitur, sed remittit jus suum.

18 Addidi, *nisi sequatur ratihabitio*; nam si liber, cognito errore, adhuc manere velit cum Servo, cum quo contraxit, matrimonium, quod ante nullum erat, reconvalesceret *c. proposuit* 2. & *c. fin. citt.* Conink *D.* 31. *nu.* 25. Vivian. *in c. fin. cit. pr.* Fagnan. *ibid. nu.* 15. Canis. *hic n.* 3. Pirhing *n.* 5. Schambogen *n.* 7. Sed hic consensus jam post Trid. renovati debebit coram Parocho, & testibus, nisi nullitas matrimonii prius initi omnino occulta, & talis esset, ut ea probari nequeat; tunc enim sufficiet renovatio consensus ex parte contradicentis liberi, ut notatum est *supra tit.* 3. *n.* 121.

19 *Ad Rationem dubitandi* negatur paritas inter errorem conditionis servilis, & errorem quoad alias qualitates. Disparitas potest assignari duplex. 1. Quia errans circa alias qualitates adhuc censetur sufficienter consensisse in personam, cum qua contraxit; errans autem quoad conditionem servilem, & putans esse liberum, cum quo contraxit, cum revera sit servus, ob nimiam inæqualitatem præsumitur non sufficienter consensisse in personam, cum qua contraxit; atqui sine consensu in personam conjugia non ineuntur *cap. cum locum* 14. *& seqq. de sponsal.* & *l. nuptias* 30. *ff. de R. J.* 2. Error circa alias qualitates per se non repugnat tribus conjugii bonis; ita autem repugnat conditio servilis; imprimis enim repugnat bono Sacramenti, & individuæ societati, ac cohabitationi conjugum; quia Servus debet servire domino, ideoque habitare in domo illius, qui potest illum mittere ad terras remotas, ibique vendere: deinde adversatur bono fidei conjugalis; quia debitum non omnino libere, sed solum, quatenus domini servitia permittunt, valet reddere: denique bono prolis; quia hanc nec commode alere, nec bene educare potest, alere quidem, quia omnia acquirit domino; educare autem, quia non est in ejus potestate, sed domini, cujus ancilla est mater. *Ad Conf.* non qualitas servilis, sed occasione erroris circa illam qualitatem Jus positivum Ecclesiæ, ut *infra n.* 27. dicam, matrimonium inter liberum, & ancillam initum, annullat; & hinc licet inter casum, quo ignorans, & casum alterum, quo sciens cum ancilla contrahit, sit aliquo modo paritas rationis, quia tamen constitutiones Ecclesiæ matrimonium, ob conditionem servilem annullantes, sunt restrictivæ libertatis à natura concessæ, ob hanc rationis paritatem de casu ad casum extendi non debent.

Quæritur 6. An omnis error conditionis servilis matrimonium reddat invalidum? *Certum est*, invalidum reddere omnem errorem, quo liber cum non libero contrahit, existimans esse liberum; nam Jura generaliter loquuntur. Quod Sot. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 2. *col.* 4. *vers. ad hæc*, Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *cap.* 223. *n.* 3. Vega *tom.* 2. *Summ. cap.* 34. *cas.* 67. § *nota quæcunque*, extendunt etiam ad casum, quo servo libertas concessa est ad certum tempus e. g. ad biennium, ea conditione, ut illo elapso in pristinam servitutem redigatur; nam hoc casu, siquis liber cum ejusmodi servo, ignarus, quod post lapsum illius temporis redigendus sit in pristinam servitutem, matrimonium contrahat, putant *citt.* DD. matrimonium dirimi, & esse invalidum. Rationem dant, quia talis revera manet conditionis servilis, & quidquid interim agit, id agit ut servus, nec potest libere tradere potestatem corporis sui alteri, nec ad Ordines promoveri. Sed melius in hoc casu negatur suppositum; neque enim pro certo tempore libertas concedi potest, sed semel pro quocunque tempore concessa, perpetua est, ut expresse habetur *l. libertas* 33. *ff. de manumiss. testam.* ubi Paulus, *Libertas*, inquit, *ad tempus dari non potest: ideoque*, ut prosequitur *l. seq. Si ita scriptum sit, Stichus usque ad annos decem liber esto, temporis adjectio supervacanea est.* Ex quo contra *Sotum* & alios supra allegatos sequitur, valere matrimonium liberi cum ancilla, cui pro certo tempore donata libertas est; quia ancilla est jam omnino, & perpetuo libera. 20

Majus dubium est, an valeat matrimonium, contractum inter liberum, & ancillam statu liberam, cui nimirum ex aliquo tempore, v. g. abhinc biennio concessa libertas est, si liber cum ea contrahens ignorer conditionem servilem? Angel. *V. matrimonium* 3. *imped.* 4. *n.* 6. & Sylv. *V. eod.* 8. *q.* 2. *dict.* 3. indistincte ajunt non valere matrimonium, medio illo tempore contractum, quod eo tempore vere adhuc ancilla sit, ut expresse habetur *l. statu liberum* 9. *ff. de Stat. liber.* ac proinde concurrat conditio servilis cum ignorantia ejus conditionis ex parte liberi. Sanchez tamen *lib.* 7. *de matrim. disp.* 3. *num.* 4. id limitat, nisi modicum tempus deficiat, ut statu libero plenam acquirat libertatem; tunc enim censet matrimonium valere, quod rationes, ob quas Ecclesia ducta est, ut annullaret matrimonium inter liberum, & ancillam, cessent, & ipsi libero nullum alicujus momenti præjudicium fiat, utpote impedimento conjugii, quod aliquale conditio servilis affert, ad breve tempus duraturo; dedecus vero illud, quod est contrahere cum aliqua, quæ revera ancilla est, hoc casu non sit curandum, cum idem profecto sequatur ex matrimonio inito cum Liberta; parum enim refert paulo ante fuisse servam, & nunc esse liberam, aut tunc esse servam, & cito futuram liberam. Porro tempus hujusmodi breve fore existimet *loc. cit.* Sanchez, si sit spatio sex mensium brevius; quia cum legitimus, & perfectus partus ante septimum mensem non nascatur, tali casu nullum periculum prolis est, ne subjiciatur servituti. 21

Quæritur 7. An validum sit matrimonium, quod contrahitur quidem cum errore conditionis servilis, tali tamen, quo contrahens constituatur in statu digniore, vel saltem pari, ut si homo liber contrahat cum libera, existimans eam esse ancillam, vel si servus cum libera, quam putabat esse ancillam, aut cum ancilla, quam credebat esse liberam? Hæc pro invalidis nonnulli habent cum Gloss. *in can. un. V. secunda caus.* 29. *q.* 1. ex ratione, quod etiam in his casibus interveniat error status, & conditionis servilis. *Conf.* Quia posset aliquis servus esse tam arrogans, ut nulla ratione ducere vellet ancillam: quin imò prudenter faceret, ne filii essent servi, & ut liberius usui matrimonii vacare posset, & si à domino venderetur, sequi eundem uxor posset. 22

Sed melius Host. *in Summ. hoc tit. nu.* 9. Joan. Andr. *in c.* 2. *eod. n.* 3. Abb. *ibid. n.* 2. Gaeta *Repet. can. ad limina* 30 *q.* 1. § 4. *num.* 331. Navar. *Man. cap.* 22. *n.* 33. Sanchez *lib.* 23

7. *de*

7. *de matrim. D.* 19. *num.* 23. Gutier *de matr. c.* 90. *n.* 27. *&* 28. Conink *D.* 31. *num.* 24. Vincent. de Just. *de dispen. matr. l.* 2. *c.* 13. *n.* 19. Fagnan. *in c. fin. hoc tit. n.* 8. *&* 9. Vvagnereck *ibid. not.* 2. Zoes. *hic n.* 3. Pirhing *n.* 6. Schambogen *n.* 14. Konig *n.* 7. Vviestner *n.* 9. & hoc teste præcipui nominis TT. & Canonistæ alii indubitate pro validis ejusmodi matrimonia habent: & quidem merito; quia Ecclesia matrimonia inter liberam, & servilem personam eo solum casu irritavit, quo ignoratur status contrahentis conditionem deteriorem reddens; hoc autem non fit in casibus allatis. *Conf.* quia in prædictis casibus merito præsumitur, quod contrahens adhuc initurus fuisset matrimonium, etsi statum illius, cum quo contraxit, scivisset, quippe cum ejusmodi contractu conditio ipsius aut melior fiat, aut saltem non fiat deterior.

24 Ex quo patet Resp. ad Argumentum contrarium, & ejus confirmationem; imprimis enim talis voluntas servi non præsumitur; & esto, quod habitualiter ita dispositus sit, ut non contraheret cum Ancilla similis sibi conditionis, hæc illius habitualis dispositio matrimonium vitiare non potest, utpote cujus valor dependet à contrahentium voluntate, quæ est, & non quæ esset.

25 Quæritur 8. Quo Jure, naturali, an Ecclesiastico tantum error conditionis servilis dirimat matrimonium? Scot. *in* 4. *dist.* 42. *q. un.* § *ex dictis*, Almain. *in* 4. *dist.* 36. *q. un. fin.* Palacios *in* 4. *dist.* 30. *qu. un. v. rursus quia*, Angl. *flor. p.* 1. *de matr. q.* 10. *de error. condit. art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 1. Sylv. *V. Matrimonium* 6.' *q.* 1. *& V. eod.* 8. *q.* 2. *dict.* 1. Reiffenstuel *hic nu.* 3. putant, matrimonium, cum tali errore contractum, esse irritum Jure naturali: cui sententiæ etiam favere videtur Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 3. *v. porro*, videturque istud suadere triplex ratio. 1. Quia in tali matrimonio deest consensus sufficiens in personam, ut ex hactenus dictis patet, 2. Quia matrimonium sic contractum repugnat tribus bonis matrimonii, ut ostensum est *n.* 19. 3. Quia impedimentum istud non videtur à SS. Canonibus de novo introductum esse, sed solum approbatum, quod antea semper erat irritum; ac proinde verisimile est, per errorem conditionis servilis matrimonium Jure naturali irritum esse.

26 *Altera sententia*, & communior cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 36. *q. un. art.* 1. *ad* 3. S. Bonav. *dist. cit. art.* 1. *q.* 2. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 3. *fin.* Henriq. *lib.* 11. *de matr. c.* 10. *num.* 13. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 19. *num.* 16. Gutier *de matr. c.* 90. *n.* 1. Conink *D.* 31. *n.* 22. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 5. §. 1. *n.* 3. Gonzalez *in c. fin. hoc tit. num.* 6. Vvagnereck *in c.* 2. *eod. not.* 3. Vallens. *hic n.* 3. Zoes. *n.* 2. Pirhing *n.* 8. Konig *n.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. cap.* 2. *n.* 176. vult, quod matrimonium error hic dirimat Jure solum Ecclesiastico; quod ostendunt 1. quia si Jure naturæ error conditionis servilis invalidum redderet matrimonium, error iste adversaretur substantiæ ejusdem; non autem sic adversatur, quia licet servus, obsequiis domini occupatus, impediatur aliquo modo ab usu libero matrimonii, non tamen impeditur absolute, & simpliciter, cum debitum reddere possit, & debeat, quando legitimum impedimentum non obstat, 2. Si servitus Jure naturali dissolveret matrimonium, dirimeret etiam, quando scienter contrahitur cum aliquo conditionis servilis; eandem enim hujus matrimonium repugnantiam cum bonis ejusdem habet; atqui matrimonium tale non est irritum secundum dicta *n.* 15. 3. matrimonium secundum se solum exigit traditionem sui corporis ad usum generationis, qui, spectato cujusque statu commode haberi potest; alias si liberrimus hic usus deberet esse, etiam matrimonium, quod servus cum ancilla scienter contrahit, esset Jure naturali invalidum; imo eodem Jure invalide contraherent, qui ratione mercaturæ, vel officii sæpius abesse coguntur à domo sua.

27 Inter has duas sententias placet via media, quam ineunt Pont. *l.* 7. *de matr. c.* 43. *n.* 2. Perez *D.* 25. *num.* 4. Barbosa *in c.* 2. *hoc tit. n.* 2. *v. quo autem Jure*, Vviestner *hic n.* 11. Distinguendum hi putant, qua intentione liber cum serva contrahat; Nam si contrahat cum hac expressa intentione, & conditione, *Si libera sit*, non contracturus, nisi libera esset, matrimonium ab eo cum tali errore contractum Jure naturali irritum est, propter defectum consensus apertum. At si contrahit sine ejusmodi intentione, vel conditione, irritum est solo Jure Ecclesiastico, Legibus ex aliqua parte deferente; Jure autem naturali subsisteret, quod suadent rationes allatæ pro secunda sententia. *Ex quo sequitur*, quod si Infideles ambo servi, vel etiam unus liber cum tali errore matrimonium cum serva contrahat, nisi cum intentione, & conditione prædicta contrahant, illud inter eosdem adhuc futurum validum, nisi per specialem ipsorum Infidelium Legem tale matrimonium sit irritatum. Sanchez *n.* 17. Gutier *n.* 2. Schambogen *n.* 10. Ratio patet, quia infideles ante Baptismum Leges Ecclesiasticas observare non tenentur.

Ad Argumenta primæ sententiæ responderi in hunc modum potest. *Ad* 1. quamvis qui, interveniente errore conditionis servilis, contrahit matrimonium, illud contrahat secundum quid involuntarie, in quantum, si conditionem servilem præsciret, non contraheret, simpliciter tamen, & absolute talis contractus est voluntarius; quia simpliciter in hanc determinatam personam consentit, adeoque verum, & validum contractum celebrat, spectato Jure naturæ. *Ad* 2. licet conditio servilis usum, & perceptionem bonorum matrimonii reddat difficiliorem, eum tamen non tollit; nam servus debiti reddendi, & exigendi liberam potestatem habet pro tempore, quod à domini servitiis liberum habet; & hoc sufficit; alias etiam irritum esset matrimonium ignoranter initum cum leprosa, vel laborante alio morbo contagioso, cum in his non sit minor deceptio, & major difficultas in usu matrimonii. *Ad* 3. Impedimentum istud fortasse jam ante Canones à nobis *citt.* in usu fuerit, usus tamen iste non Jus naturale, sed Jus Ecclesiæ solum antiquissimum probat. 28

Quæritur 9. An matrimonium liberi cum ancilla valeat, si ignorantia conditionis servilis sit crassissima, & levissima? Affirmant valere Sot. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 2. *post concl.* 2. *v. de his conclusionibus*. Barth. à Ledesm. *dub.* 31. *de matr. concl.* 1. *limit.* 1. Lud. Lop. *p.* 2. *Instruct. de matr. c.* 47. *de imped. condit. col.* 2. *v. circa prædictam doctrinam*, Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 223. *n.* 3. Vega *tom.* 2. *Summ. c.* 34. *cas.* 67. *fin.* 1. Quia Ecclesia ideo irritavit hoc matrimonium, ut resarciatur gravissima injuria irrogata conjugi ignoranti; hæc cessat, vel tenuissima est, ubi ignorantia est adeo crassa. 2. Metus levis non irritat matrimonium; ergo nec ignorantia levis; sicut enim Jura nihili faciunt vani hominis timorem *l. metum* 6. *ff. de eo, quod. met. caus.* ita & imprudentis fatuam ignorantiam. 3. Crassissima ignorantia æquiparatur scientiæ; ergo sicut scienter contrahens cum ancilla valide contrahit, ita etiam, qui comite tali ignorantia contrahit. 29

Sed probabilius invalidum est matrimonium, etiamsi ignorantia sit culpabilis, crassa, aut crassissima, modo vere sit error; nam qualiscunque error tollit voluntarium, vel saltem facit actum non voluntarium, adeoque impedit verum consensum circa matrimonium. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 19. *n.* 20. Conink *D.* 31. *n.* 26. *fin.* & alii apud Trullench. *prax. Sacr. libr.* 7. *capit.* 9. *dub.* 4. *num.* 3. 30

Argumenta opposita facile dissolvi possunt. *Ad* 1. Ecclesia irritans matrimonium, absque scientia conditionis servilis initum, non tam attendit ad modum irrogandi injuriam ex parte personæ servilis conditionis, decipientis tacendo conditionem, quam dolum reipsa contingentem, & damna ex eo consecuta, quæ liberum pati noluit, nisi sciens, ac prudens jure suo cesserit; dolus autem iste reipsa contingit, & damna pullulant, etiam quando ignorantia est crassissima. *Ad* 2. negatur paritas; metus enim non aufert consensum, quem tamen aufert quicunque error circa rem, in qua erratur; hinc fit, ut in considerationem veniat quicunque error; metus autem tantum ille, qui in virum constantem cadit. *Ad* 3. illa æquiparatio procedit in delictis quoad culpam, in quibus sufficit voluntarium indirectum, non autem quoad matrimonium, ad quod requiritur actus positivus directe volitus. 31

Quæritur 10. Quando servus, vel ancilla consequatur libertatem ex matrimonio, permissu domini inito? Resp. distinguendo; Vel enim dominus personam conditionis servilis collocat in matrimonium cum persona libera, ignara servitutis, nec eam detegit; vel contra liber, qui consensu domini matrimonium cum ancilla init, est conscius servitutis. 32

Si pri-

Si primum, eo ipso persona illa servituti subjecta, sive masculus, sive fœmina sit, libertatem consequitur. Ita Sanch. *lib.* 7. *de matrim. D.* 20. *numer.* 1. Gutier. *de matrim.* 91. *num.* 1. Conink *D.* 31. *num.* 25. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 4. *capit.* 2. *numer.* 2. *vers. scio fin.* Palao *tract.* 28. *D.* 4. *part.* 5. §. 3. *num.* 2. Zoes. *hic num.* 4. & expressè habetur *Auth. ad hoc Cod. de Latin. libert. toll.* Idem dicendum, quando dominus conscius matrimonii tacet servitutem; nam etiam hoc casu servus libertatem consequitur, & hoc ratione culpæ, doli, & gravis injuriæ, contrahenti libero illatæ per dominum ex sua taciturnitate: quare dignus est, ut in pœna illius fraudis mancipii sui proprietatem amittat, & hoc favore matrimonii libertatem consequatur. Gutier. *cap.* 91. *num.* 7. Sanch. *num.* 1. Layman Pal. *l. citt.* Intelligendum autem hoc est, si dominus studio taceat; nam ea pœna amittendi Servi non plectitur, si non advertens, vel ex simplicitate, quantumcunque culpa lata intervenerit, taceat; quia deficit dolus. Sanch. *num.* 6. Gutier. *num.* 8.

33 *Si secundum contingat*, & liber sponsus conscius sit conditionis servilis sponsæ, quamvis dominus consentiat in matrimonium, vel in illud ancillam suam eidem tradat, non consequitur ista libertatem. Covar. *part.* 2. *de sponsal. cap.* 3. §. 7. *num.* 1. *vers. secundò.* Valasc. *de Jure Emphyt. quæst.* 37. *num.* 5. Henriq. *libr.* 11. *de matrim. cap.* 10. *num.* 4. *vers.* 4. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 39. §. *septimus est*, Sanch. *lib.* 7. *de matrim. D.* 20. *num.* 3. Gutier. *de matrim. cap.* 91. *numer.* 4. idque 1. quia *Auth. ad hoc cit.* ubi libertas donatur mancipio, expressè loquitur, quando liber fuit servitutis inscius. 2. Quia dominus consentiendo conjunctioni, quam juxta *num.* 14. impedire non potest, non censetur sibi, suisque juribus præjudicare, sed salvam potius sibi retinere proprietatem, mancipii. 3. Quia cum casu, quo liber matrimonium scienter contrahit cum ancilla, absque mancipii libertate matrimonium valeat, ratio inductæ per eam *Auth.* libertatis cessat; inducta enim est favore matrimonii, ut valeat, quod obstante errore circa conditionem servilem, non valuisset.

34 *Excipitur*, quando dominus ancillam suam libero, scienti conditionem servilem tradens, instrumentum dotis, ancillæ conficit; eo ipso enim ancilla efficietur libera. Molin. *l. cit.* Sanch. *n.* 9. Gutier. *nu.* 10. Conink *D.* 31. *num.* 25. Palao *tract.* 28. *D.* 4. *part.* 5. §. 3. *num.* 3. & patet ex *l. un.* §. *se, & siquis homini* 9. *Cod. de Latin. libert. tollend.* ibi, *Sed & siquis homini libero suam ancillam in matrimonium collocaverit, & dotem pro ea conscripserit (quod solitum est in liberis personis solum procedere) ancilla non Latina, sed Civis efficiatur Romana. Neque obstat*, quod in hoc textu non explicetur, an liber nosset conditionem servilem sponsæ; nam ita intelligi debere constat ex *Auth. ad hoc cit.* ubi deciditur, quod quando liber ignorat conditionem ancillæ, consequatur hæc libertatem, sive dominus, eam collocans in matrimonium, dotale confecerit Instrumentum, sive non. Unde cum *l. un.* §. *cit.* videatur speciale quid decernere, necessariò intelligi debet, quod ancilla consequatur libertatem etiam casu, quo libero scienti conditionem ejus illam in matrimonium tradit, conficiens Instrumenta dotalia.

35 *Extendit* dispositionem Legis istius Palao *n.* 2. *cit.* etiam ad servum, si dominus ei constituat donationem propter nuptias, non obstante, quod in *l. cit.* solum fiat mentio ancillæ; putat enim hoc factum dumtaxat ea de causa, quod frequentius dotale Instrumentum conficiatur fœminis, quam viris. Sed contradicit Sanch. *n.* 9. *cit.* Imò idem Doctor etiam ancillam manumissam censeri negat, cum non dominus, sed alius ejus permissu dotale instrumentum conficit; nam textus id solum decernit, quando ipse dominus conficit.

36 Quæritur 11. An iis eventibus, quibus ancilla, vel servus ipso matrimonio libertatem consequitur, hoc cum libero, conditionem servilem ignorante, initum valeat? Negant Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 3. §. 7. *n.* 1. *vers. secundò in fin.* Gutier. *de matr. c.* 91. *n.* 16. *vers. quid tenendum*, Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 5. §. 3. *n.* 5. & videtur hoc etiam suadere ratio; quia cum ex ipso matrimonio consequatur libertas, matrimonii contractus prior est libertate: ac proinde verè initum est matrimonium inter personam liberam, & servituti subjectam, cum errore conditionis servilis; Sic autem initum juxta *c. proposuit* 2. *hoc tit.* invalidum est; ergo &c.

Sed valere matrimonium, hoc casu initum, defendunt Joan. Andr. *in c. fin. hoc tit. fin.* Sylv. *V. matrimonium* 8. *q.* 2. *dict.* 5. Sot. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 2. *col.* 2. *vers. ex his colligitur*, Henriq. *l.* 11. *de matr. c.* 10. *n.* 4. *vers.* 4. & 5. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 20. *n.* 14. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 3. *vers. scio*, & alii plures, apud Sanch. *l. cit.* qui pro se adducit *Novell.* 22. *c.* 11. ubi dicitur eos servos libertatem consequi, & matrimonium consistere. 37

Ad Argumentum contrarium respondetur, conditionem servilem hoc casu nullius esse considerationis, cum enim statim eo momento, quo perficitur matrimonium, mancipium consequatur libertatem, ea servitus momentanea nec obest fini matrimonii, nec affert incommoda, ob quæ Jus Ecclesiasticum annullavit matrimonium, cum errore conditionis servilis initum: quod confirmatur ex *numer.* 21. ubi ex *eodem* Sanchez monui, non improbabilem esse sententiam, quæ docet valere matrimonium initum à libero cum ancilla statu libera, si modicum tempus deficiat, ut statu libera plenam consequatur libertatem. 38

Quæritur 12. An conjux liber, detecta conditione servili, à matrimonio recedere statim possit? Resp. cum distinctione: vel enim post detectam conditionem servilem inter eos intercessit carnale commercium, vel nullum intercessit. *Si primum*, antiquo jure spectato, recessui amplius non erat locus, ut patet ex *cap. proposuit* 2. *& cap. fin. hoc titul.* quia ad excludendum peccatum præsumebatur copula facta esse animo conjugali, & cons. ratihabitum matrimonium prius contractum; sed quia modò post Trid. hujusmodi matrimonia præsumpta sublata sunt, ut ratihabitum censeatur matrimonium, cum errore conditionis servilis initum, si publicum impedimentum hoc sit, necesse est, consensum renovari coram Parocho, & Testibus, ut *num.* 18. dictum est. 39

Si secundum, aliqui recessum permittunt libero decepto indiscriminatum, & propria authoritate. Sed melius alii distinguunt inter obsequia, & obligationes conjugales; nam recessus à thoro communi statim permissus est libero, si de servili alterius conditione certus sit: imò usus ejusdem post hanc notitiam, nisi prius matrimonium cum consorte hac sua legitimè de novo ineat, illicitus illi est propter notam matrimonii nullitatem. 40

At in cæteris obsequiis conjugalibus, & cohabitatione nova opus distinctione est: Vel enim publicè notum est conjugium inter eos contractum, vel occultum, & tale, ut neque Parochi, & aliorum ejus contractui præsentium testimonio, neque ex libro Parochiali propter illorum obitum, vel hujus interitum probari possit. *Si prius*, ad recedendum à tali conjugio opus erit judicio Ecclesiæ *argum. cap. proposuit, & cap. fin. citt. junct. cap. porro* 3. *de divort.* quia conjugium, Ecclesiæ authoritate contractum, sine ejusdem authoritate dissolvi non debet. *Si posterius*, recessus à tali conjugio permissus est libero decepto propria authoritate. 41

Videantur Sylv. *V. matrimonium* 8. *quæst.* 2. *dict.* 10. Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 33. Sot. *in* 4. *dist.* 35. *quæst. un. art.* 2. *col.* 4. *vers. utrum vero*, Sanch. *lib.* 7. *de matr. D.* 19. *num.* 7. Gutier. *de matr. c.* 90. *numer.* 11. Pont. *lib.* 7. *c.* 43. *fin.* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 5. §. 1. *n.* 6. Wiestner *hic n.* 15. *& duob. seqq.*

Quæritur 13. Quid probari debeat, ut ab Ecclesia concedatur dissolutio matrimonii ob alterius conditionem servilem? Resp. Duo probari debent, videlicet conditio servilis in altero, & in libero hujus ignorantia. Et *Conditio* quidem *servilis* probari debet à libero allegante illam, ut ex communi docet Mascard. *de Prob. concl.* 1306. *n.* 2. 42

De *Ignorantiæ* probatione DD. non omnino conveniunt; nam Henriq. *l.* 11. *de matr. c.* 10. *num.* 5. existimat, etiam hujus probationem alleganti incumbere, quod colligi videtur ex *c. fin. hoc tit.* ubi dicitur, quod libera sit danda facultas nubendi alteri, si constiterit, quod ignoranter contraxerit cum ancilla; constabit autem probatione, quæ fieri debet ab eo, qui se in tali articulo fundat juxta *l. ei incumbit* 2. *ff. & l. cum actor.* 23. *Cod. de Probat.*

Sed

43 Sed melius cum Host. *in c. fin. cit. num.* 3. *vers. constiterit*, Joan. Andr. *ibidem num.* 3. Abb. *n.* 6. Alex. de Nevo *num.* 5. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 19. *num.* 8. Gutier. *de matr. c.* 90. *num.* 14. *& seqq.* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 5. §. 1. *num.* 8. Vallens. *hic num.* 4. Pirhing *n.* 13. *not.* 4. Schamb. *numer.* 15. Vviestner *numer.* 20. adhibetur distinctio inter duos casus: unum, quo alterius conditio servilis in loco, & tempore initi matrimonii communiter fuit nota; alterum, quo ita nota non erat. *Priori casu* onus probandi ignorantiam incumbit alleganti; quia præsumitur quivis scire, quæ aliis communiter nota sunt *c. ad hæc* 1. *de Postulat. Prælat. Posteriori autem casu* onus probandi ignorantiam non incumbit alleganti, sed servus probare debet, quod conjux liber habuerit scientiam conditionis servilis; quia in dubio ignorantia semper præsumitur, non scientia, præsertim si agatur de facto, vel statu alieno communiter non noto. *Reg. præsumitur* 47. *in* 6.

44 Neque aliud probatur ex *c. fin. cit.* quia de contrahentis ignorantia satis constat, si non probetur scientia, seu, quòd liber cum ancilla contrahens sciverit illius conditionem servilem. Articulus, in quo aliquis se fundat, tum solum probari debet, quando pro allegante non adest præsumptio.

TITULUS X.

De Natis ex Libero Ventre.

SUMMARIUM.

1 *Partus sequitur ventrem.*
2 *Et conditionis servis est, si mater nullo tempore à conceptione usque ad Nativitatem fuit libera.*
3 *Nec attenditur quoad hoc conditio Patris.*
4 *An Regula hæc universaliter locum habeat? Rationes dubitandi.*
5 *Deciditur, quod partus matrem sequatur quoad ingenuitatem, & servitutem, quoad nobilitatem, familiam, & honores patrem.*
6 *Ratio istorum.*
7 *Solvuntur Argumenta opposita.*
8 *Corollaria.*

1 Titulo huic occasionem dedit præcedens Titulus, in quo dictum est, Liberum, & ingenuum jungi matrimonio, si velit, posse cum homine conditionis servilis: ex quo nascitur quæstio de statu prolis, ex ejusmodi conjugio procreatæ, an servus censendus sit, an verò liber? *Regula universalis* est, quod partus sequatur ventrem, sive conditionem matris *cap. fin. de Serv. non ord. l. partum* 7. *C. de R. V. & l. nec diutius* 22. *Cod. de agricol. & censit. Ex quo sequitur*, si Mater libera erat, etiam prolem fore liberam; si verò serva, etiam prolem fore servam *pr. Inst. de Ingenuis*, §. *servi* 4. *Instit. de Jur. pers. l. & servorum* 5. §. *ingenui* 2. *ff. de Stat. hom. & cap. un. hoc tit.*

2 Sufficit autem, ut proles ingenua, & libera sit, si mater libera, aut liberta fuit aut conceptionis, aut nativitatis, aut inter hanc, & illam intermedio aliquo tempore, etiam per momentum. Host. *in c. fin. n.* 1. *de Serv. non ord.* Joan. Andr. *ibidem n.* 7. Sor. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 4. *col.* 2. *ante vers. addit verò*, Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 33. *fin.* Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 24. *n.* 10. Gutier. *de matr. c.* 93. *n.* 9. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 5. §. 4. *n.* 3. Vivian. *in c. un. hoc tit. fin.* Barbosa *ibidem n.* 3. Vallens. *hic n.* 1. Zoes. *n.* 2. Engl *circa medium*. Konig *n.* 1. Reiffenstuel *n.* 3. & constat ex *pr. Inst. & l. servorum citt.* & redditur utrobique ratio, *quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est*, utpote qui pro jam nato habetur, quoties de ejus commodo agitur.

3 Parum autem refert, cujus conditionis fuerit pater; nam etiam ex patre servo, si mater sit libera, nascitur proles ingenua *l. partum citat.* Neque attendendum est, an proles illa ex aliena, an ex propria ancilla sit procreata *l. si ea* 2. *Cod. si mancip. ita fuer. alienat.* Et vera est conclusio, sive hujusmodi filii procreentur ex legitimo matrimonio, sive extra illud; nam textus allegati loquuntur indistinctè de filiis. Sanch. *D.* 24. *cit. nu.* 7. *&* 8. *Excipitur* tamen, si alicubi legitimè præscripta consuetudo sit, ut filius non matris, sed patris, aut utriusque parentis servitutem sequatur; cum enim Lex hæc sit ex jure humano, adversus illam prævalere consuetudo legitimè introducta potest: unde eo casu ingenuitas, vel contrà status servilis ex usu Provinciæ, vel loci desumi debebit. Sanch. *n.* 9. & ab hoc *citt.*

Difficultas est, an præcisa contraria consuetudine, & stando juri communi universaliter, & si non universaliter, in quibus locum habeat allegata Regula, quod partus sequatur ventrem, seu conditionem matris? Nam contrà est 1. textus *l. cum legitimæ* 19. *ff. de stat. hom.* ubi Celsus, *cum legitimæ*, inquit, *nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur; vulgo quæsitus matrem sequitur*: & hinc, ut Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 15. *num.* 22. *& cap.* 18. *num.* 3. advertit, proles nata ex patre nobili, matre ignobili, nobilis est. 2 Textus *cap. licet* 3. *de conjug. servor.* ubi miles, patre ingenuo natus, pro ingenuo habetur, licèt matrem ancillam habuerit. 3 In generatione prolis æquè, imò principalius concurrit pater, quàm mater, igitur non matris, sed patris conditionem eam sequi oportet *argum. lib. quæritur* 10. *ff. de stat. hom.* 4 Proles ob legitimorum natalium favorem potius bonam fidem matris impedimentum ignorantis, quàm malam alterius illud scientis sequitur, & propterea legitima est, licèt revera matrimonium inter parentes ejus non constet *capit. ex tenore* 14. *qui fil. legit.* atqui non minus favorabilis est libertas; imò hæc *omnibus rebus favorabilior est*, ut dicitur *libr. libertas* 122. *ff. de R. J.* 5 Si proles sequeretur nobilitatem patris, & conditionem servilem matris, sequeretur, quòd proles procreata ex patre nobili, & matre ancilla simul esset nobilis, & servilis. Sequela apertè repugnat; quia Nobilitas est dignitas secundum Bartol. *in libr.* 1. *Cod. de dignitat.* Servi autem honorum, & dignitatum sunt incapaces *l. Barbarius* 3. *ff. de Offic. prætor.* imò quoad ea, quæ juris civilis sunt, pro nullis habentur. *l. attinet* 32 *ff. de R. J.* 4

His Argumentis aliquid dandum est, sed non totum. 5
Dicendum, quòd proles, nisi aliud specialiter constitutum sit, quoad familiam, nobilitatem, & honores sequatur conditionem patris, quoad ingenuitatem verò, & servitutem conditionem matris. Ita Sanch. *libr.* 7. *de matrim. D.* 24. *numer.* 1. *&* 5. Gutier. *de matrim. cap.* 93. *num.* 1. *&* 5. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *part.* 5. §. 4. *num.* 1 *&* 4. Vivian. *in cap. un. hoc tit.* Vvagneteck *ibidem not:* 1. *&* 2. Canis. *hic numer.* 1. *&* 2. Engl *ibidem circa fin.* Konig *numer.* 2. Reiffenstuel *numer.* 2. *&* 4. & sumitur ex Textibus allegatis. *Rationem* utriusque dat S. Thom. *in* 4. *dist.* 36. *quæst. un. artic.* 4. quia partus esse à patre recipit, tanquam à causa efficiente, & suæ substantiæ principio nobiliori; mater verò ei subministrat plus materiæ, ex qua corpus formatur, & augmentatur: ut adeo æquum sit, ut quoad ea, quæ ad esse pertinent, ut familia, nobilitas, honores, sequatur patrem, matrem verò quoad illa, quæ corpus potissimum afficiunt, ut libertas, & servitus.

Ratio posterius statuendi triplex afferri potest. 1 Quia 6
quoad prolis conditionem ingenuam, vel servilem juris conditores spectarunt id, quod certius est. atqui de sola matre prolis certò constat, de patre verò solum ex præsumptione matrimonii. 2 Quia mater, dum prole gravida est, in ejus partu sæpe periclitatur de vita, in hoc, & educatione illius à domini servitiis impeditur: quod periculum, & damnum compensari domino debuit; melius autem compensari non poterat, nisi ut proles, quæ periculi, & damni istius causa est, sequatur conditionem servilem matris, & in dominium transeat ejus, qui damna, & pericula ista patitur; ergo &c. 3 Quia licèt pater ad generationem prolis concurrat principalius, mater tamen plus confert, eam in, & extra uterum substantia sua nutriendo; igitur sicut germina terræ potius, quàm seminantis, ita, & proles potius matris, quam patris fructus censebitur.

Neque obstant Argumenta allata in contrarium. *Ad* 7
1. Meritò *l. cum legitimæ cit.* dicitur, cum legitimæ factæ sunt nuptiæ, liberos generaliter sequi conditionem patris; quia jure civili spectato, inter servos, & cum servo justum matrimonium non constat *pr. Inst.* ibi, *Cives Romani de Nupt. l. cum ancillis* 3. *Cod. de incest. & inut. nupt. l. servi* 23. junct. Gloss. *Cod. ad Leg. Jul. de adult. Ad* 2. In casu *c. licet cit.* miles patre ingenuo, & matre ancilla genitus, pro ingenio habitus est ob consuetudinem loci,

loci, qua contra Jus commune prolis ingenua, vel servilis conditio desumebatur non à matre, sed à patre. *Ad* 3 Concursus ille principalis patris jam sortitur effectum suum; ideo enim proles quoad familiam, nobilitatem, & honores patrem sequitur. *Ad* 4 Libertatis favore apud conditores Legum prævaluerunt rationes allatæ pro altera parte Regulæ. Accedit, quia etiam secundum hanc favor præstatur proli, cum ista sit libera, si mater vel conceptionis, vel nativitatis, vel intermedio, etiam minimo tempore libera fit: quod fieri non potuisset, si quoad libertatem debuisset sequi conditionem patris; nam hujus libertas conceptionis dumtaxat tempore, quo ista esse ab illo accipit, prodesse posset, ut Salicet. *in l. partum citat. in fin.* Mynsing. *pr. Inst. de Ingenuis*, Gonzal. *in cap. fin. de serv. non ord. numer.* 13. Vvieſtner *hic numer.* 7. *fin.* advertunt. *Ad* 5 Eo casu, quamdiu servilis est proles, nobilis quidem dici non potest; quia, ut bene dicitur in Argumento, conditio servilis nobilitatem impedit: at si manumittatur, sicut libertatem consequitur, ita, & nobilitate, Impedimento sublato, quasi reviviscente gaudet. Exemplum est in prole, quæ extra matrimonium nata est ex patre nobili, & matre plebeja; nam etiam hæc, durante natalium defectu, pro nobili non habetur; at eo sublato per matrimonium, inter parentes postea initum, simul legitima, & nobilis evadit, ut *argum. capit. tanta 6. qui fil. legit.* docet Sanch. *libr.* 7. *de matrim. D.* 24. *numer.* 4. *& seqq.*

8 *Ex his sequitur* 1. Prolem natam ex patre nobili nobilem esse, quamvis mater ignobilis sit. Sed nobilitas hæc plerumque multum temperatur per statuta particularia locorum, & Provinciarum: & sic in plerisque Ecclesiis Cathedralibus ad Canonicatus, & in Aulis Principum ad solemnes Ludos equestres non admittuntur, nisi, qui etiam ex materna linea per longam seriem Nobilitatem suam docere possunt. Konig *hic numer.* 3. *fin.* Reiffenstuel *num.* 7.

Sequitur 2. Prolem natam ex Patre nobili, & matre ancilla tamdiu solum conditionis servilis esse, quamdiu non manumittitur; Manumissa enim, ut dictum est *num. præced.* nobilitate gaudet, quæ tunc, servitutis quasi velo remoto clarescere incipit. Sanch. *num.* 4. *citt.* Rationem dat, quia nobilitas est quoddam sanguinis jus incommutabile, & comparatur cum eo, quod provenit à natura *l. eum, qui* 3. *ff. de interdict. & releg.* at *Jura sanguinis nullo Jure civili dirimi possunt*, ut ait Pomponius *l. Jura sanguinis* 8. *ff. de R. J.* igitur licèt durante conditione servili, Jure civili, quo servi pro nullis habentur, impediatur nobilitas prolis sic natæ, acquisita tamen libertate reviviscet, vel potius, quæ prius tecta erat, apparebit.

Sequitur 3. Liberam esse prolem, natam ex matre, quæ prægnans ancilla erat, sed postea manumissa, ante partum tamen in servitutem redacta, etsi ipsa proles nascatur in servitute matris; nam ita statuitur *pr. vers. ex his Instit. de Ingenuis*, & ratio immediatè antea datur; quia calamitas matris non debet nocere proli in utero existenti. Hinc, ut *n.* 2. dictum est, ad hoc, ut proles fiat libera, sufficiet matrem brevissimo tempore inter conceptionem, & nativitatem fuisse liberam.

9 Triplex tamen ab hac Regula facienda exceptio est. 1. Si mater jure belli sit capta; nam tunc etiam fœtus fiet mancipium, etsi mater tempore conceptionis illius libera fuerit: quod tamen non fit vi natalium, sed quia una cum matre captus fuit in bello justo, & sic beneficio matris captæ fuit servatus in vita. Sanch. *D.* 24. *cit. nu.* 14. 2. Si pater propter ingratitudinem revocatur in servitutem; nam eo casu etiam filii hoc patre nati post commissam ingratitudinem reducuntur in servitutem, etiam si ex matre libera orti fuerint *l. si manumissus* 2. *vers. filii Cod. de libertis, & eorum liberis*; quod iterum non consurgit ex vi status materni, sed in pœnam insignis delicti paternæ ingratitudinis, ut cum Oroscio, & Padilla notat *cit* Sanch. *num.* 13. 3. Si qui publicorum servorum fabricis, seu aliis operibus duplicis deputati, tanquam propriæ conditionis immemores, dominis se alienis, & privatarum ancillarum consortiis adjunxerint, nam eo casu etiam filii illorum, licèt ex matre libera nati, sunt, & fiunt servi, sequentes quoad hoc conditionem patris ob hujus delictum *l. fin. Cod. de serv. fugit.* Sanch. *num.* 12.

Quare dum dicitur, quòd partus sequatur ventrem, intelligendum id est, quantum ex vi natalium, & si nulla alia causa accidat, quæ jubeat à Regula ista recessum facere.

TITULUS XI.

De Cognatione Spirituali.

INter Impedimenta matrimonialia præcipuum est *Cognatio*, quæ communiter triplex dividitur, videlicet Cognatio spiritualis, Legalis, & Naturalis, seu Carnalis. Hoc Titulo præ cæteris duabus, tanquam de digniore, agitur de cognatione spirituali. Unde sit,

§. I.

De Cognatione Spirituali, orta ex Baptismo, & Confirmatione.

SUMMARIUM.

1 *Cognationis spiritualis Definitio.*
2 *Est inducta Jure solum Ecclesiastico.*
3 *Ratio constituendi hoc Impedimentum.*
4 5 6 *Oritur ex sola collatione, & susceptione Baptismi, & Confirmationis.*
7 *Dirimit Matrimonium contrahendum, non vero contractum.*
8 *Est perpetuum.*
9 *Cognatio hac olim triplex fuit, videlicet Paternitas.*
10 *Compaternitas.*
11 *Et Fraternitas.*
12 *Hujus ratio.*
13 *Filii duorum Compatrum etiam antiquo Jure poterant simul jungi matrimonio.*
14 *Excepta persona, per quam ad Compaternitatem venitur.*
15 *Item baptizans, vel suscipiens cum sorore baptizati.*
16 *Inter filios duorum Compatrum, si tales fuerunt, per quorum unum ad Compaternitatem venitur, Matrimonium antiquo Jure erat invalidum.*
17 *Imò etiam universim, si consuetudo peculiaris Ecclesiarum hoc improbasset.*
18 *Ratio dubitandi dissolvitur.*
19 *A marito ad uxorem refundebatur Cognatio spiritualis solum post matrimonium consummatum.*
20 *Jure novo Tridentini Cognatio hac restricta est.*
21 *Et primo quidem, sublata Fraternitate, mansit sola Paternitas, & Compaternitas, eaque directa tantum.*
22 *Statutum, ut in Baptismo imposterum tantum adhibeatur unus Patrinus, vel ad summum unus, & una.*
23 *Et præter hos nullus alius Cognationem spiritualem contrahat, etsi baptizatum tetigerit.*
24 25 26 *Corollaria.*
27 *Hæreticus baptizatus, vel tenens in Baptismo Cognationem spiritualem contrahit.*
28 29 30 31 *Non vero infidelis.*
32 33 34 35 *Et hoc verum est, ut neque cum ipso Cognatio hæc contrahatur à fideli.*
36 *Ut fidelis suscipiens ex Baptismo eam Cognationem contrahat: requiritur intentio obeundi munus Patrini.*
37 *Opus est, ut baptizandum teneat, dum revera Baptismus administratur.*
38 *Et quidem, ut tangat verè, & formaliter.*
39 *Non tamen necesse est, ut pro baptizando respondeat.*
40 *Ex Baptismo, & Confirmatione invalida non oritur hæc Cognatio.*
41 *Patrinus in Confirmatione debet etiam ipse esse confirmatus.*
42 *Non impeditur à petitione debiti Pater baptizans.*
43 *Vel suscipiens prolem uxoris, vel communem in necessitate.*
44 *Aut per ignorantiam probabilem Juris, aut facti.*
45 *Vel qui materialiter eam suscipit.*
46 *Si scienter, & extra necessitatem baptizet. Affirmant complures.*

47 *Ho-*

47 *Horum Argumenta.*
48 *Defenditur, neque hoc casu incurri privationem Juris petendi debitum,*
49 *Solvuntur Argumenta opposita.*
50 *&c. Impedimentum Cognationis spiritualis incurrit etiam Laicus Baptizatus.*
54 *&c. Vel suscipiens aliquem extraneum ex Baptismo, vel Confirmatione.*
57 *Dispensat in eo solus Pontifex.*
58 *In supplicatione exprimendum est, an illud proveniat ex Paternitate, vel Compaternitate.*

1 QUæritur 1. Quid sit *Cognatio spiritualis*? Resp. *Cognatio spiritualis est propinquitas quædam personarum, quæ ex statuto, & dispositione Ecclesiæ oritur ex administratione, seu collatione, & susceptione quorundam Sacramentorum, nempe Baptismi, & Confirmationis, & matrimonium inter personas ita propinquas dirimit.* Ita Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 54. *n.* 1. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *de matr. q.* 4. *dub.* 4. *nu.* 64. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 8. *pr.* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 1. Vallens. *hic num.* 3. Pithing *num.* 1. Schambogen *n.* 2. Konig *n.* 1. Vviestner *n.* 1. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 3. *n.* 227. In hac definitione voces *Propinquitas quædam personarum* ponuntur loco generis; sicut enim generatio carnalis inducit propinquitatem personarum inter personas consanguineas, ita generatio spiritualis, ex qua cognatio spiritualis oritur, inducit propinquitatem inter personas, ad hunc actum generationis spiritualis concurrentes *can. ita diligere* 1. *caus.* 30. *q.* 3. Cæteræ particulæ differentiam inter cognationem legalem, & naturalem explicant, & simul triplici Dubio occasionem faciunt.

2 Dub. 1. Quo Jure inductum sit Impedimentum cognationis spiritualis? Resp. inductum est solo Jure Ecclesiastico, non naturali, vel Divino: *Naturali quidem non*; quia oritur solum ex collatione, & susceptione Sacramentorum, quæ fundamentum in Jure naturali nullum habent, sed acceperunt esse solum ex institutione Christi. *Divino* autem; quia neque ex SS. Litteris, neque ex aliqua Ecclesiæ traditione, vel definitione constat, quòd à Christo authore Sacramentorum novæ Legis ullius Sacramenti collationi, vel susceptioni ejusmodi cognatio impediens, vel dirimens matrimonium annexa sit. *Conf.* nam si cognatio hæc inducta fuisset jure naturali, vel Divino, Ecclesia illud restringere, aut ex parte tollere non potuisset *argum. can. inferior* 4. *dist.* 21. *& c. cum inferior* 16. *de major. & obed.* atqui hoc facit Ecclesia; neque enim æquè ampla hæc cognatio semper in Ecclesia fuit, ut ex dicendis patebit. Restat ergo, ut ex solo Jure Ecclesiastico ortum habeat. Statuta autem est *can. siquis filiastrum* 2. *can. de eo* 5. *&c. caus.* 30. *quæst.* 1. *& toto hoc Titulo.*

3 *Ratio* constituendi hoc Impedimentum justissima fuit, eaque triplex apud Sanch. *lib.* 7. *D.* 45. *n.* 3. 1. Quia in Baptismo, & Confirmatione hæc Sacramenta recipiens accipit esse quoddam spirituale, ad quod Baptizans, vel confirmans concurrit, ut Pater, ut Patrinus verò, aut Patrina, nomine Ecclesiæ Baptizatum, vel confirmatum suscipiens, ut Mater. igitur ut Patri, & Matri à filiis debetur reverentia, & propterea impediuntur à contrahendo inter se matrimonio, ita, & Baptizanti, aut confirmanti, & assistentibus in Baptismo, & confirmatione. Patrinis à Baptizato, & confirmato. 2. Quia inde contrahitur quoddam amicitiæ, ac familiaritatis vinculum: & hinc oportuit inter hos cognatos interdicere matrimonium, ut isto, cum extraneis initò, amicitia dilataretur in plures. 3. Quia esse spirituale, quod per Baptismum, & confirmationem accipitur, dignius est esse carnali, quod accipitur per generationem carnalem; igitur si ob hanc inter parentes, & filios dirimitur matrimonium, decebat hoc etiam dirimi inter Baptizantem, & baptizatum, confirmantem, & confirmatum, horumque patrinos. Hinc malè dixit Conradus Lagus *in Methoa. Jur. tit. de Nupt.* quod prohibitio matrimonii in cognatione spirituali sine causa sit facta, eaque valeat authoritate Ecclesiæ, quantum potest.

4 Dub. 2. Ex quibus Sacramentis oriatur cognatio spiritualis? *Rationem dubitandi* faciunt textus *can. omnes* 8. *&c. caus.* 30. *quæst.* 1. in quibus Symmachus, & Cælestinus Summi Pont. dicunt, pœnitentes non minus fieri filios, & filias spirituales eorum, à quibus absolvuntur, ac baptizati fiunt filii, aut filiæ illorum, à quibus baptizantur, aut suscipiuntur in Baptismo. *Conf.* ex *can. siquis Sacerdos* 9. *q. cit.* ubi peccatum, cum filia Confessionis commissum, dicitur adulterium, & incestus, simulque gravissimæ pœnæ in istius complicem decernuntur.

Sed dicendum, quòd Impedimentum istud oriatur ex sola collatione, & susceptione Baptismi, & confirmationis, non verò aliorum Sacramentorum. Ita deciditur *c. fin. in fin. tit. in* 6. Rationem dat S. Thom. 3. *part. in addit. quæst.* 56. *artic.* 2. quia licèt etiam reliqua Sacramenta conferant suscipienti gratiam sanctificantem, qua animæ esse spirituale tribuitur, illam tamen solum conferunt per modum alimentationis, sanationis, sive reconciliationis, solus autem Baptismus, & confirmatio per modum generationis; nam S. Doctor duplicem generationem, sive nativitatem hominis considerat: unam *in utero*, quæ in fætus conceptione, & animatione consistit; alteram *ex utero*, quæ consistit in ejusdem in lucem editione. *Priori* respondet Baptismus, quo vita spiritualis inchoatur; *posteriori* confirmatio, qua homo, per Baptismum vivificatus, in lucem, sive in conspectum, & aciem editur. Et hinc, ut à natura inductum est impedimentum dirimens inter parentes, & filios in reverentiam cognationis carnalis, ita Ecclesia simile impedimentum induxit inter baptizantem, & Baptizatum, confirmantem, & confirmatum, horumque patrinos, tanquam spirituales eorum parentes, in reverentiam cognationis Spiritualis. 5

Ad Rationem dubitandi cognatio illa, quæ ex Sacramento pœnitentiæ oritur, & propter quam Sacerdotes patres, & pœnitentes filii, aut filiæ illorum spirituales dicuntur, ut notat Cleric. *decis.* 23. *n.* 1. cum aliis, solum est cognatio metaphorica, & impropriè dicta, cum, ut paulò antea monui, Sacramentum illud Gratiam quidem conferat, non tamen per modum generationis, sed reconciliationis tantum: quæ ratio est, cur illi vim dirimendi, vel impediendi matrimonium Ecclesia non tribuerit. *Ad Conf.* tale peccatum non est adulterium, vel incestus, sed tale appellatur propter irreverentiam, quæ per illud infertur Sacramento pœnitentiæ, etiam, quando hoc tanquam medium ad illud non adhibetur; neque enim minus indecens est peccare cum filia confessionis, ac cum alia verè cognata: & hinc S. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. *art.* 2. Turrecr. *in summ.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 4. Sanch. *l.* 7. *D.* 55. *num.* 4. Conink *D.* 32. *n.* 23. & alii docent, circumstantiam hanc in confessione necessariò aperiendam. 6

Dub. 3. Quam vim dirimendi matrimonium habeat cognatio spiritualis? Resp. distinguendo: Vel enim supervenit matrimonio jam contracto, vel hujus contractum antecedit. *Si primum*, ut quia alter conjux fuit patrinus alterius in confirmatione, aut levavit de Sacro Fonte filium alterius, vel communem utriusque, certum est: matrimonium præcedens dissolvi non posse; sed ad summum is, qui in culpa fuit, privatur jure exigendi debitum conjugale: quod examinabitur *infra numer.* 42. *& seqq. Si secundum*, cognatio hæc dissolvit sponsalia de futuro, & reddit incapaces ita conjunctos ad matrimonium contrahendum, sicut affinitas, & cognatio naturalis. Host. *in capit. veniens* 6. *de cognat. spirit.* Joan. Andr. *ibidem fin.* Anchar. *n.* 2. Alex. de Nevo *in capit.* 2. *eodem numer.* 5. Rosell. *V. Impedimentum Imped.* 6. *numer.* 16. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. D.* 54. *numer.* 5. 7

Estque Impedimentum istius cognationis perpetuum, ac proinde non extinguitur morte personæ, qua mediante contracta est, prout in Affinitate, & reliquis impedimentis contingit; Jura enim absolutè hoc impedimentum statuunt, nec invenitur textus id limitans ad casum superstitis ejus personæ. *Conf.* nam in linea transversali impedimentum cognationis Legalis Temporale est, quia Jura id statuentia sic explicant; ergo cum in cognatione spirituali nulla fiat exceptio, sine limitatione perpetuum illud erit. Sanch. *l. cit. num.* 8. 8

Quamobrem, licèt moriatur baptizatus, vel confirmatus, & sic eo ipso desinat paternitas, remanet tamen compaternitas spiritualis inter baptizantem, confirmantem, ac patrinos, & inter parentes baptizati, ac confirmati. Konig *hic n.* 18.

Quæritur 2. Inter quos cognatio spiritualis orta fuerit ju- 9

rit jure antiquo Decretalium? Resp. isto jure ad plures personas extendebatur, quam novissimo Tridentini; nam Jure illo tres fuerunt istius cognationis species, videlicet Paternitas, Compaternitas, & Fraternitas.

Paternitas alia erat Directa, alia Indirecta. *Paternitas Directa* dirimebat matrimonium inter baptizantem, & baptizatum, inter confirmantem, & confirmatum; nec non inter patrinum baptizati, vel confirmati, & baptizatum, vel confirmatum *can. de eo* 5. *caus.* 30. *qu.* 1. *can. ita diligere* 1. *caus. cit. q.* 3. *Indirecta* dirimebat matrimonium inter baptizatum, vel confirmatum, & baptizantis, vel confirmantis, aut patrini, siquam habebat, uxorem, antecedenter carnaliter cognitam *c. nedum* 1. *hoc tit. in* 6. cum enim uxor una caro cum viro suo reputetur, statutum fuit, ut cognatio, contracta à viro, refunderetur in uxorem illius.

10 *Compaternitas* erat; & ipsa duplex, eaque rursus vel Directa, vel Indirecta. *Directa* dirimebat matrimonium inter baptizantem, vel confirmantem, & patrinos ex una, & inter baptizati, vel confirmati parentes ex altera parte *can. siquis* 3. *caus.* 30. *quæst.* 4. *capit. Martinus* 4. & *c. veniens* 6. *hoc tit. Indirecta* dirimebat matrimonium inter parentes baptizati, vel confirmati, & inter baptizantis, confirmantis, aut patrini uxorem, antehac cognitam *can. siquis citat.* & *can. solicitatur* 1. *quæst.* 4. *cit.* Vi istius cognationis baptizans, confirmans, & patrini dicebantur *Compatres*, & uxores eorum *Commatres* baptizati, vel confirmati cum hujus parentibus naturalibus.

11 *Fraternitas* denique contrahebatur inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, aut patrinorum ex una, & inter ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera parte; cum enim baptizans, confirmans, & patrinus sint compatres, sequitur, quod filii eorum sint *Confratres* baptizati, & confirmati *can. Pitacium* 2. & *can. non oportet* 3. *caus.* 30. *quæst.* 3. *c. tua nos* 7. *hoc titul.* & *c. nedum* 1. *eodem in* 6.

12 *Ratio* hujusmodi personas ad matrimonium inter se contrahendum inhabiles reddendi fuit tum reverentia, quæ baptizantibus, confirmantibus, & patrinis à filiis spiritualibus maxima debebatur, & semper, præsertim in primitiva Ecclesia, consueverat exhiberi, adeo, ut inter Christianos Zelus, & contentio ob eam causam esset, à quo quispiam baptizatus esset, ut Testatur Apostolus 1. *Corinth.* 3. tum verò conjunctio animorum, & familiaritas, quæ ex hujusmodi cognatione inter carnales baptizantis, confirmantis, & patrinorum filios, & inter baptizatum, vel confirmatum fuit orta; nam propter has maximè causas conjugia cognatione naturali dirimuntur.

13 Dub. 1. Utrum filii duorum compatrum antiquo Jure potuerunt simul jungi matrimonio? Resp. per *can. post susceptum* 5. *caus.* 30. *quæst.* 3. licebat quidem jungi genitis ante compaternitatem, non verò genitis post illam. Sed hic Canon per *can. super quibus* 4. *quæst. citat.* (cujus constitutio, ut notat Gloss. *in c. utrum* 1. *V. posterius hoc tit.* est posterior constitutione *can. post susceptum citat.* licèt istam Gratianus in Decreto suo postposuerit) correctus est; nam *cit.* constitutione statutum est, ut deinceps filii compatrum, sive ante, sive post compaternitatem geniti essent, simul conjungi possent in matrimonium, excepta illa tantum persona, per quam ad compaternitatem venitur, sive per quam compatres effecti sunt: quæ constitutio renovata etiam est ab Alexandro III. *capit. utrum citat.* cum exceptione tamen, nisi consuetudo justa, & legitimè præscripta, ex cujus transgressione meritò scandalum oriri posset, aliter se habeat.

14 Dixi, *Excepta illa persona, per quam ad Compaternitatem venitur*, videlicet persona baptizati, vel confirmati; nam iste ante Trid. non poterat conjungi matrimonio cum aliquo ex filiis baptizantis, vel patrini levantis ex Baptismo, sive isti ante compaternitatem, sive post illam geniti essent. Abb. *in c. tua nos* 7. *hoc tit. num.* 2. Vivian. *ibidem in Rational.* Fagnan. *in c. utrum* 1. *eodem n.* 1. Barbos. *ibid. n.* 1. & expressè habetur *c. tua nos cit.* quia isti ad invicem sunt confratres spirituales: & hinc sicut inter fratres carnales, & eorum sorores non potest esse matrimonium, ita nec inter fratres, & sorores spirituales.

Aliud est de baptizante, & suscipiente ex Baptismo; 15
nam baptizans laicus, vel suscipiens ex baptismo potest contrahere matrimonium cum sorore baptizati, vel levati ex baptismo. Abb. *in cap.* 1. *cit. numer.* 4. Alex. de Nevo *num.* 4. Vivian. *vers. separantur*, Fagnan. *n.* 1. Pirh. *hic num.* 5. *not.* 2. Schambog. *n.* 4. Item pater potest contrahere matrimonium cum filia spirituali filii sui; quia cognatio spiritualis à patre descendit in filium, non verò à filio ascendit ad patrem, ut notant Abb. Fagn. Pirh. Schamb. *l. citt.*

Dub. 2. Utrum matrimonium inter filios duorum com- 16
patrum antiquo Jure fuerit solum illicitum, an vero etiam invalidum? *Certum est* invalidum fuisse, si tales fuerint, per quorum alterum, vel utrumque parentes ad compaternitatem pervenerunt, ut patet ex *c. super eo* 3. *hoc tit.* ubi jubentur separari ita conjuncti.

Dubium est de iis, per quorum neutrum parentes venerunt ad compaternitatem, si consuetudo peculiaris Ecclesiarum ejusmodi matrimonia improbet. *Rationem dubitandi* facit Textus *c. quod super his fin. de consang:* & *affinit.* ubi negatur consuetudini vis tollendi impedimenta inducta à Jure; atqui si tollere non potest inducta, etiam non potest illa inducere; nam ejusdem potestatis utrumque est.

Sed respondendum est, ea ante Trid. in tali loco, ubi 17
vigebat ejusmodi consuetudo, fuisse invalida, ut colligitur ex *c. super eo cit.* ubi Pontifex præcipit, consuetudinem loci servandam in tali casu; nam etiam consuetudo, si vel approbata expressè à Summo Pont. vel saltem legitimè præscripta sit, vim habet inducendi impedimenta tum impedientia, tum Dirimentia matrimonium, ut dictum est *supra titul.* 1. *numer.* 372. & ratio est; quia consuetudo approbata à Summo Pont. expressè vel tacitè per hoc, quòd habeat omnia requisita ad consuetudinem legitimè præscriptam, habet vim constitutionis Apostolicæ, seu Canonicæ: sicut igitur per hanc induci potest impedimentum dirimens matrimonium, ita & per consuetudinem sic approbatam. In nostro casu consuetudo expressè est approbata à Pontifice *in cap. super eo cit.*

Ex quo patet responsio ad rationem dubitandi. *Ne-* 18
que dicas, ejusmodi consuetudinem non posse esse rationabilem, neque legitimè præscriptam, cum sit contra Jus Divinum, & à Jure specialiter reprobetur *c. de Francia* 1. *de sponsal.* ubi Gallus quidam, qui uxorem dimiserat, & aliam duxerat, existimans primum matrimonium esse nullum, eo quòd in illo contrahendo non servarit Legem, i. e. consuetudinem patriæ, cogitur redire ad primam uxorem, & pœnitentiam agere, tanquam transgressor Legis Evangelicæ. Nam contrà est, quia in *cap. cit.* solum reprobatur consuetudo, quæ non est legitimè præscripta. Cæterum, quod consuetudo, de qua agitur *cap. super eo citat.* non sit contra Jus Divinum, aut irrationabilis, ex eo patet, quia est approbata à Pontifice *in eod. cap.* quam approbare Pontifex non potuisset, si illa contra Jus Divinum, & rationem pugnaret.

Dub. 3. Quando cognatio spiritualis antiquo Jure à 19
marito, alterius filium suscipiente contracta cum parentibus istius naturalibus, extensa fuerit ad uxorem ejusdem? Resp. Si post matrimonium, carnali copula consummatum maritus talium parentum filium susceperit ex Baptismo, prout expressè habetur *capit. Martinus* 4. *hoc titul.*

Ex quo sequitur, si vir ante matrimonium contractum, vel post contractum quidem, sed nondum consummatum suscepit ejusmodi baptizatum, patrem istius, mortua sua uxore, posse, & potuisse etiam de Jure antiquo ducere viduam patrini filii sui relictam. *Ratio est*, quia uxor Patrini Commater solum efficitur, quando facta fuit cum illo una caro; atqui ante matrimonium contractum, vel post contractum quidem per verba de præsenti, sed nondum consummatum, una caro cum viro suo facta non est; igitur Commater effecta non est, & cons. nec de Jure antiquo impedimentum contraxit respectu patris baptizati, quem maritus illius ante matrimonium contractum, vel consummatum è Sacro Fonte suscepit.

Quæritur 3. Inter quosnam cognatio spiritualis ex 20
baptismo, & confirmatione contrahatur Jure novo Tridentini? Resp. Hoc Jure, prout videre est *sess.* 24. *c.* 2. *de re-*

de reform. matr. ad tollenda animarum pericula, scandala, aliaque incommoda, quæ ex cognationis istius ita latè extensæ, ignoratione in Ecclesia orta sunt, cognatio ista, vel saltem vis dirimendi matrimonium, quam Jure antiquo habuit, tribus potissimum modis restricta est. Nam

21 1 Statutum est, ut matrimonium ratione baptismi imposterum non dirimatur, nisi inter baptizantem, & baptizatum; inter patrinum ex sacro Fonte levantem, & baptizatum, tanquam inter patres, & filios, vel filias spirituales; quæ cognatio etiamnum hodie *Paternitas* dicitur: & denique inter baptizantem, vel patrinum ex una, & baptizati patrem, ac matrem ex altera parte, tanquam inter compatres, illos quidem spirituales, hos vero carnales, quæ cognatio propterea etiamnum *Compaternitatis* nomen retinuit. Ipsa verò *Fraternitas*, uti & *Paternitas*, & *Compaternitas Indirecta*, saltem quatenus conjugiis impedimento fuere, omnino sublatæ sunt: nam cætera impedimenta omnia inter personas, inter quas Jure antiquo ex Baptismo oriebatur impedimentum dirimens, laudata Synodus *c. 2. cit. in fin.* abrogata voluit. Quod ipsum intelligendum vult sacra synodus de cognatione orta ex confirmationis Sacramento; nam etiam de isto statuit, ut deinceps cognatio spiritualis ex ea orta matrimonium non dirimeret, nisi inter confirmantem, vel patrinum ex una, & inter confirmatum, istiusque patrem, & matrem ex altera parte.

22 2 Præcipit sacra Synodus, ut in baptismo imposterum unus tantum patrinus, & ad summum unus, & una, à parentibus electi, adhibeantur, eorumque, postquam de contracto cognationis spiritualis impedimento admoniti à Parocho baptizante fuerint, nomina in Libro describantur. Addidi *in Baptismo*; nam in confirmatione unus, vel una tantum adhiberi potest, ut notant Suar. *in 3. p. quæst. 72. art. 10.* Bonacin. *de matrim. quæst. 3. part. 5. §. 2. num. 31.* Barbosa *de Offic. Episcop. alleg. 30. num. 43.* Gonzal. *in c. fin. numer. 10. in fin. hoc tit.* Wiestner *hic num. 7. &c.* & patet ex *cap. fin. princ. hoc tit. in 6. Neque obstat*, quòd S. Synodus *vers. ea quoque* Decretum de baptismo extendat etiam ad confirmationem; nam *vers. cit.* agitur solum de personis, cognationem spiritualem contrahentibus, non autem de numero patrinorum: neque etiam est credibile, quod Concilium illud, utpote cujus intentio fuit cognationem spiritualem restringere, numerum patrinorum, à *c. fin. cit.* constitutum, voluerit ampliare.

23 3 Ordinarunt *cit.* Concilii PP. ut casu, quo præter unum tantum, vel unam designatos alii baptizatum tetigerint, cognatio spiritualis ab his nullo modo contrahatur; nam Jure antiquo, etsi prohibitum fuerit, ut plures patrini in baptismo, & confirmatione adhiberentur *can. non plures 101. de consecr. dist. 4.* si tamen plures fuissent adhibiti, omnes contrahebant cognationem spiritualem impedientem, ac dirimentem matrimonium, ut constat ex *c. fin. cit.*

24 *Ex his sequitur* 1. baptizatum, vel ipsius patrem hodie non impediri contrahere matrimonium cum uxore levantis, aut baptizantis. Navar. *Man. c. 22. n. 39.* Suar. *3. p. quæst. 67. art. 8. col. 3. §. secundò explicat*, Henriq. *l. 12. de matrim. c. 11. num. 2.* Sanch. *l. 7. de matrim. 54. n. 11.* Gonzal. *in c. 1. hoc tit. num. 4.* Zoes. *hic numer. 4.* Engl *num. 3.* Konig *numer. 6.* & constat ex *Motu proprio Pii V.* incipit *Cum illius vicem edito 4. Cal. Dec. 1566.* ubi hic S. Pontifex, cum dubitatum à quibusdam fuisset, an cognatio spiritualis, contracta à viro, transfundatur à viro in uxorem, & vicissim, ut olim, declaravit, non transfundi, quod Tridentinum in suo Decreto expresse decidat, cognationem hanc non contrahi ab aliis personis, præter ibi numeratas, inter quas non continetur uxor patrini, vel baptizantis.

25 *Sequitur* 2. Hanc cognationem etiam non contrahi inter ipsosmet patrinos: & hinc si vir, & fœmina simul patrini sint, possunt inter se matrimonio jungi; quia etiam Jure antiquo impedimentum inter eos nullum intercesserat, & Trid. dum permisit, ut unus, & una simul esse patrini possent, cognationem istam non extendere, sed coarctare voluit. Quare, dum idem Tridentinum *sess. 24. cap. 2. de reform. matrim.* sic ait: *Ad Summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum Cognatio contrahatur*, illius particulæ, *Inter quos*, sensus non est, quasi ipsi patrini inter se contraherent cognationem, sed quod illam contrahant cum personis ibi nominatis, nempe cum baptizato, & ejus parentibus. Ita cum Navar. Suar. *§. cit.* Sanch. *n. 12.* & aliis *supra citt.* Gonzal. *in c. fin. hoc tit. n. 10.* Barbosa *in c. eodem n. 3.* Passerin. *in c. 1. ibidem in 6. n. 9.* Et hinc

Sequitur 3. Si vir, & uxor simul alienum partum levent de sacro Fonte, nullatenus eos privari jure exigendi debiti; quia nullam contrahunt inter se cognationem. Sanch. *l. cit. n. 13.* Bonac. *de matr. q. 3. p. 5. §. 2. num. 6.* Zoes. *n. 4.* Konig *n. 7.* Reiffenstuel *n. 12.* 26

Sequitur 4. Nec inter baptizantem, vel confirmantem, & levantem ullum nasci impedimentum; cum etiam de his nulla fiat mentio à Trid. Konig *n. 8.* Reiffenstuel *l. cit.*

Sequitur 5. Nec inter baptizatum, aut confirmatum, & baptizantis, confirmantis, aut levantis filiam ullam hodie intercedere cognationem spiritualem, saltem talem, quæ impedimentum sit contrahendi inter illos matrimonii. Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 30. n. 56.* Gonz. *in c. 1. hoc tit. n. 4.* Zoes. *hic n. 4.* Konig *n. 9.* Reiffenstuel *n. 12. cit.*

Quæritur 4. An Hæreticus, vel etiam Infidelis contrahat cognationem istam, si hic baptizet aliquem infantem, vel illius infans baptizetur? *Certum est*, quod eam contrahat Hæreticus, si baptizet, vel teneat in baptismo prolem Catholici, vel Catholicus baptizet, aut teneat ipsius prolem. Sanch. *l. 7. de matr. D. 60. num. 2.* Zoes. *hic num. 5.* Pirhing *n. 40.* Schambogen *n. 34.* Konig *n. 10.* Vincent. Petra *tom. 2. comment. fol. 442. n. 13. fin.* Ratio est, quia charactere Baptismi est insignitus, ac proinde capax Cognationis spiritualis, & Legibus Ecclesiæ subjicitur. Et quamvis peccet fungens Patrini munere, nullibi tamen expers efficitur hujus muneris obeundi: ac proinde verus Patrinus. Controversia potissimum est de infideli, eaque duplex; atque hinc est 27

Dubium 1. An infidelis baptizans, vel suscipiens in baptismo, vel confirmatione filium fidelis, contrahat cognationem spiritualem cum persona baptizata, vel confirmata, & ejus parentibus? De utroque affirmat Archidiac. *in cap. 1. n. 1. hoc tit. in 6.* Alii cum Glossa *in can. in baptismate 102. V. suscipere de consecr. dist. 4.* Angel. *V. Baptismus 8. num. 1.* & *V. Matrimonium 3. Imped. 7. num. 10.* Sot. *in 4. dist. q. un. art. 5.* Henriq. *l. 12. de matr. c. 3. n. 4. v. tertio junct. Comment. lit. T.* & *c. 11. num. 2.* & videtur hoc probari 1. paritate cum Hæretico, qui, si baptizet, vel suscipiat aliquem ex baptismo, cognationem contrahit secundum dicta *n. præc.* 2. Paritate cum impedimento criminis quod secundum dicta *Tit. 7. n. 2.* & *46.* contrahitur inter mulierem Christianam, & virum infidelem, etsi iste Lege Ecclesiastica, impedimentum constituente, non teneatur. 3. Per Catechismum contrahitur vera cognatio spiritualis *c. per Catechismum 2. hoc tit. in 6.* ergo nondum baptizatus est capax cognationis spiritualis, 4. Puer baptizatus ab infideli, recipit vere ab illo esse spirituale; ergo manet vere filius spiritualis ejusdem, ac proinde vera cognatio contrahetur, 5. Ex baptismo valido oritur cognatio; est autem validus baptismus collatus etiam ab infideli; ergo &c. 28

Sed dicendum, ab infideli cognationem spiritualem neutiquam contrahi, sive ipse baptizet, sive baptizatum, vel confirmatum ab alio suscipiat. *Ita S. Thom. in 4. dist. 42. qu. 1. art. 3. quæst. 1. ad 3.* Durand. *ibid. qu. 1. num. 9. fin.* Alex. de Nevo *in c. 5. hoc tit. nu. 12. & 13.* Sylvest. *V. matrimonium 8. q. 7. dict. 12.* Navar. *Man. cap. 22. num. 36.* Carrer. *lib. 2. de sponsal. c. 8.* Sanchez *l. 7. de matr. D. 60. nu. 7. & 8.* Pont. *l. 7. de matr. c. 40. num. 2.* Conink *D. 32. num. 25.* Layman *l. 5. tr. 10. p. 4. cap. 9. n. 2.* Gonzalez *in c. fin. hoc tit. nu. 9. circa med.* Passerin. *in c. 1. n. 4. eod. in 6.* Zoes. *hic n. 5.* Pirhing *nu. 34.* Schambogen *num. 34.* Konig *num. 10.* Wiestner *nu. 14.* Vincent. Petra *loc. cit. n. 13.* Magnif. P. Schmier *part. 3. de matr. c. 3. n. 254. & 255.* Ratio est, quia sicut nondum natus secundum carnem incapax est cognationis carnalis, ita nondum natus secundum spiritum incapax est cognationis spiritualis; neque minus absurdum est aliquem esse patrem spiritualem ejus, qui ante ipsum spiritualiter natus est, ac absurdum est esse patrem carnalem, qui nondum natus secundum carnem est. 29

Pro-

30 *Proceditque* hoc, etiamsi talis baptizans, vel suscipiens Cathecumenus sit; nam licèt talis per Baptismum flaminis jam acceperit gratiam sanctificantem, tamen nondum mediante visibili Sacramento baptismi spiritualiter regeneratus est, ut adeò adhuc cognationis spiritualis sit incapax. Sanch. *l. cit. numer.* 9. & ab eo *citt: Neque refert*, etiamsi postea infidelis, baptizans, vel suscipiens ex baptismo, etiam ipse baptizetur; quia nec tum contrahit cum baptizato, vel suscepto, & ejus parentibus cognationem spiritualem, sed potest adhuc cum his contrahere matrimonium, nisi aliunde impediatur. Sanch. *num.* 10. Layman *num.* 2. *cit. vers. ex quo*. Ratio est, quia fundamentum, ex quo talis cognatio oriri deberet, nempe baptismus præteritus, non amplius existit; igitur licèt tum adsit capacitas in subjecto, non tamen operari in eo cognationem spiritualem poterit, quippe quæ imitatur cognationem carnalem, quæ oriri non potest, nisi existente eo, in quo fundatur.

31 Neque obstant Argumenta allata in oppositum. *Ad* 1. negatur paritas; nam infidelis nullo modo subjicitur Legibus Ecclesiæ, quibus tamen afficitur hæreticus, cum per baptismum jam sit spiritualiter natus, & ingressus Ecclesiam; ergo licèt infidelis cognationem spiritualem ex Baptismo non contrahat, contrahet tamen illam hæreticus, cum nullo jure ad eam reperiatur factus inhabilis. *Ad* 2. Pœnali illa constitutione, ut *l. citt.* dixi, afficitur directè sola mulier Christiana, indirectè solum vir infidelis, quòd matrimonium requirat, ut uterque contrahens sit habilis ad contrahendum. *Ad* 3. Cognatio, quæ ex Catechismo consurgit, est valde imperfecta, ac dispositio quædam ad perfectam, quæ ex baptismo consurgit: ac proinde mirum esse non debet, si Ecclesia sic statuente, contrahatur ante baptismum, & à nondum baptizatis. *Ad* 4. Non satis est recipere esse ab alio, ut recipiens filius illius dicatur; sed necesse est, ut recipiat esse à principio viventi simili in natura: quod non fit, cum Infidelis baptizat, vel suscipit ex baptismo. *Ad* 5. præter hoc, quod baptismus debeat esse validus, ad contrahendam cognationem spiritualem requiritur in subjecto capacitas ejus contrahendæ.

32 Dub. 2. An Infidelis sit capax cognationis passivæ, ut si fidelis baptizet, vel teneat in baptismo prolem parentis infidelis, fidelis cum isto contrahat cognationem, quamvis iste cum baptizante, vel tenente non contrahat? Affirmativam defendit Gloss. *in c. pervenit* 1. *V. ex lavacro caus.* 30. *q.* 1. Rosell. *V. Impedimentum Imped.* 6. *n.* 26. Angel. *V. matrimonium* 3. *Imped.* 7. *n.* 10. Sylv. *V. eodem* 8. *q.* 7. *dict.* 12. Henriq. *l.* 12. *de matr. c.* 11. *n.* 3. *fin.* & plures alii apud Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 60. *nu.* 30. Rationem dant; quia quamvis infidelis ex parte sua sit expers cognationis spiritualis, at fidelis tamen illius est capax, & subjectus Legi Ecclesiasticæ, statuenti, ut quicunque baptizans, vel susceptor illam contrahat; igitur ex parte sua eandem contrahet, tanquam verè baptizans, verusque susceptor. *Conf.* Impedimentum criminis, licèt fidelem non afficiat, afficit tamen fidelem; igitur etiam cognatio spiritualis.

33 Sed dicendum, infidelem etiam esse incapacem cognationis spiritualis passivæ; ac proinde nec fidelis baptizans, vel suscipiens prolem parentum infidelium, cum his contrahet cognationem aliquam. Ita Durand. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. *num.* 9. *fin.* Alex. de Nevo *in c.* 5. *hoc tit. n.* 13. Henric. de Boich *in c.* 6. *eodem n.* 1. Sot. *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 3. *vers. postrema*, Palacios *ibidem D.* 1. *col.* 27. *vers. non me latet*, Barth. à Ledesm. *de matr. dub.* 46. *post* 2. *concl. not.* 1. Sanch. *D.* 60. *cit. num.* 14. & alii *n.* 29. allegati. Ratio est, quia cognatio spiritualis non minus, quàm carnalis reciproca est; ergo hoc ipso, quod infidelis eam non contrahat, etiam cum ipso illam non contrahet fidelis.

34 An verò, si postea prolis baptizatæ pater Sacramentum baptismi suscipiat, ex eo tempore cognationem spiritualem contraxisse censeatur cum persona baptizante, confirmante, & patrinis suæ prolis baptizatæ, non conveniunt DD. Conink *D.* 32. *n.* 27. & Layman *c.* 9. *cit. n.* 3. affirmant; negat cum Alex. de Nevo, Barth. à Ledesma, & Gallego Sanch. *n.* 15. & quidem verisimilius; quia quod à principio irritum fuit, convalescere nequit per tractum temporis *Reg. non firmatur* 18. *in* 6. Ex quo idem Sanch. *n.* 16. infert, inter baptizantem, vel suscipientem, & parentes illos infideles, si postea baptizentur, posse consistere matrimonium. Aliud est de prole parentum infidelium baptizata, vel ex baptismo suscepta; cum enim respectu hujus nullum adsit impedimentum, quin cum ea baptizans, & susceptor statim contrahat cognationem, inter hunc, & illam nullo casu poterit consistere matrimonium.

Ad Argumentum *n.* 13. propositum, non sufficit, quod 35 cognationis spiritualis capax sit fidelis, nisi etiam alterum extremum, cum quo contrahenda illa est, illius sit capax. *Ad Conf.* negatur paritas; nam cognatio ex natura sua est relatio reciproca, & inveniri nequit, nisi inter extrema habilia: at impedimenta alia effectum suum habere possunt, quamvis una solum persona sit impedita, licèt ex parte alterius nullum sit impedimentum. Patet ex impedimento Ligaminis, quod, ut impediat, & dirimat matrimonium, sufficit ex una parte existere:

Quæritur 5. Quid requiratur, ut fidelis suscipiens ex 36 baptismo, vel confirmatione cum suscepto contrahat cognationem spiritualem? Resp. 1. Requiritur intentio obeundi munus patrini; sicut enim baptizans sine intentione baptizandi non baptizat verè, neque contrahit cognationem spiritualem, ita nec levans sine intentione verè obit munus patrini, aut cognationem contrahit. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 58. *numer.* 4. Conink *D.* 32. *num.* 28. & alii apud istos. Non autem necesse est, ut intentio hæc explicitè feratur in cognationem spiritualem; quia ex natura connexorum ad intentionem unius sequitur etiam alterum, quod illi necessariò connexum est. Et hoc verum est, etsi levans, habens voluntatem præstandi munus patrini, protestetur, se nullo modo velle contrahere cognationem spiritualem; nam hac protestatione non obstante, adhuc eandem contrahet, cum ab ipsius voluntate, ac potestate non dependeat unum ab altero pro libitu separari in iis, quæ statuto, vel authoritate Ecclesiæ connexa sunt. Sanch. *n.* 4. *cit.* Conink *n.* 28. Konig *hic n.* 13. Schambog. *nu.* 27. Reiffenstuel *n.* 25.

2 Requiritur, ut patrinus baptizandum, aut confirmandum teneat, dum baptismus, aut confirmatio reverà administratur. Conink *n.* 28. Hinc quando puer domi antea, necessitate sic compellente, privatim baptizatus est, is, qui postmodum in Ecclesia, dum solemnitates supplentur, eundem tenet, hanc cognationem non contrahit, cum dici non possit illum ex baptismo suscepisse. Sanch. *n.* 5. Conink *n.* 24. Gonzal. *in c.* 5. *hoc tit. n.* 4. *in fin.* Barbosa *in c.* 1. *eodem in* 6. *num.* 8. Passerin. *ibidem num.* 7. Zoes. *hic num.* 12. Konig *num.* 14. Reiffenstuel *numer.* 17. & sic decisum fuisse à *S. Congr.* Testatur Corrad. *prax. dispens. l.* 8. *cap.* 8. *num.* 6. *Ex quo sequitur*, casu, quo iteratur baptismus sub conditione, quia dubitatur, an prius collatus fuerit validus, si postea constet, fuisse validè collatum, non contrahi cognationem. At dum id non constat, cognationem Ecclesia præsumet. Sanch. *n.* 6. Gutier. *c.* 100. *n.* 10. Reiffenstuel *hic n.* 18. Quod intelligo, quando verum est dubium; nam si tale non sit, sed in utramque probabilitas detur, quisque eligere potest partem, quam vult, & sic dubium resolvere. Sanch. *n.* 7. 37

3 Requiritur, ut patrinus eum, qui baptizatur, vel 38 confirmatur, in ipso actu baptismi, vel confirmationis formaliter, & verè teneat, aut si in baptismo consuetudo loci habeat, ut solus Sacerdos in actu baptismi teneat, vel immergat, saltem immediatè ex manibus baptizantis suscipiat, ac levet; nam Teste D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 13. §. 3. in aliquibus locis baptismus celebratur per aquæ infusionem, patrinis puerum sustentantibus, in aliis autem tenet puerum baptizans, & statim tradit patrinis. Sufficit ergo, si patrinus baptizatum de manu baptizantis statim suscipiat: imò, si baptizandum Sacerdoti præsentet eo fine, ut illum baptizet; quia, quæ in continenti fiunt, videntur inesse *l. lecta* 40. *ff. si cert. petat.* Conink *D.* 32. *nu.* 28. Fagnan. *in c. veniens* 6. *hoc titul. num.* 12. *& seqq.* Vincent. Petra *tom.* 2. *fol.* 444. *numer.* 23. & hoc Teste resolvit *Sacr. Congr.* 1688. & confirmat praxis. *Ex quo sequitur* 1. Quòd non sufficiat sola assistentia, vel responsio, aut sponsio ad interrogationem baptizantis. Sanch. *D.* 56. *numer.* 5. Bonacin. §. 2. *num.* 14. Pal. *tract.* 19. *D. un. part.* 11. §. 2. *num.* 3. Fagnan. *in c. veniens cit. num.* 4. Gonzal. *ibid in n.* 2.

n. 2. Barbosa *in c. fin. in 6. n. 6.* Zoes. *hic n.* 11. Reiffenst. *ibid. n.* 26. 2. Non sufficit, mediate suscepisse baptizatum: & propterea nec compater, nec commater Cognationem Spiritualem contraheret, si hæc baptizatum primum è Compatris, aut iste ex Commatris manibus susciperet. Sanch. *n.* 3. Vincent. de Just. *de Dispens. Matr. l. 2. c. 5. n.* 49. Konig *n.* 15. & teste Petr. de Ledesm. *de Matr. q. 56. art. 3. col. antepen.* decretum est à *Sacr. Congreg. Card.* 3. Similiter non sufficit tactus momentaneus digito, vel manu, sed exigitur, patrinos sic infantem tangere, ut vere teneant, vel levent ex Sacro Fonte; hoc enim solum est esse vere susceptorem, quod requiritur *can. post susceptum* 5. *caus.* 30. *q.* 3. *can. si quis* 3. *caus. cit. q.* 4. *c. nedum* 1. *hoc tit. in* 6. ubi cognatio præcise sustentationi, levationi, susceptioni, aut tactui attribuitur. Non requiritur tamen, ut baptizatum patrinus tangat immediate, sed sufficit, si tangat contectum vestibus, vel teneat in quodam linteo, aut in disco; quia istud est vere tangere, ac tenere. Sanch. *n.* 6.

39 4 Requiritur aliquis, ut patrinus pro baptizato respondeat, saltem si iste sit infans. Ita Franc. *in cap.* 1. *pr. num.* 2. *hoc tit. in* 6. Brunell. *de Sponsal. concl.* 20. *num.* 19. Henric. de Boich. *in cap.* 6. *num.* 5. qui proinde inferunt, mutum incapacem esse hujus Cognationis Spiritualis, & muneris patrini in Baptismo obeundi. Sumunt ex *can. prima igitur* 73. juncta Gloss. *V. cautione, & can. vos ante omnia* 105. *de consecr. dist.* 4. ubi dicitur, patrinos debere fidejubere pro parvulis. ut autem sint fidejussores, verba sunt necessaria *l. blanditus* 12. *C. de fidejussor.* Sed dicendum, Cognationem hanc à Patrino sola susceptione contrahi, & nullatenus ad id responsionem patrinorum desiderari. Ita Archidiac. *in c. nedum* 1. *num.* 4. *vers. & eadem hoc tit. in* 6. Joan. Andr. *ibid. n.* 2. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 7. *dict.* 13. Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 4. n.* 7. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 11. *n.* 3. Sanch. *l.* 7. *D.* 56. *n.* 10. Honor. *hic n.* 3. & sumitur ex *c. nedum cit.* & aliis Iuribus hactenus allegatis, quæ solius susceptioni, tentionis &c. mentionem faciunt. *Conf.* quia responsio patrinorum pro baptizato ad Catechismum spectat; nam in Baptismo ipso nulla fit interrogatio, vel responsio. *Ad textus in contrarium allegatos* Sanch. *n.* 11. respondet, eos solum loqui de patrino Catechismi.

40 5 Requiritur, ut Sacramentum Baptismi, vel Confirmationis valide sit collatum; nam si ex defectu materiæ, formæ, vel intentionis invalide collatum sit, Cognatio hæc, & Impedimentum non nascitur. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 60. *n.* 5. Conink *D.* 32. *n.* 31. Pirh. *hic n.* 36. Konig *n.* 12. *pr.* Vviestner *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 13. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 231. Ratio est, quia Iura, quæ Spiritualem Cognationem statuunt, eam oriri ajunt ex Baptismo, quo carnaliter genitus spiritualiter regeneratur. atqui talis Spiritualis regeneratio non datur casu, quo Baptismus ex quocunque defectu substantiali collatus est invalide. ergo neque ex eo oritur Cognatio Spiritualis. *Conf.* 1. Quia quod nullum est, nullum producit effectum *c. illud* 8. *de Jur. Patron. & l. si se non obtulit* 4. §. *condemnatum* 6. *ff. de re judic.* cui concordat *Reg.* 52. *in* 6. ibi, *Non præstat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum.* atqui effectus Baptismi est Cognatio Spiritualis. ergo ista non producitur à Baptismo, qui ex defectu substantiali est nullus. *Conf.* 2. Quia quando principale non subsistit, nec accessorium validum esse potest; hoc enim naturam principalis sequitur *Reg. accessorium* 42. *in* 6. atqui Cognatio Spiritualis est accessoria Baptismo, & Confirmationi. ergo his non subsistentibus, neque illa inducitur. *Ex quo sequitur*, non contrahi Cognationem Spiritualem per remetariam, & sacrilegam iterationem istorum Sacramentorum; quia hujusmodi iterata administratio istorum Sacramentorum invalida est *can.* 47. *Apostol.* Conc. Flor. *in Decret. Eugen.* §. *quinto*, & Trid. *sess.* 7. *can.* 9. *de Sacr. in gener. & can.* 11. *de Baptism.*

41 6 Ut patrinus ex susceptione in Confirmatione Spiritualem Cognationem contrahat, specialiter requiritur, ut ipse quoque antea fuerit confirmatus. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 60. *n.* 20. Conink *D.* 32. *n.* 37. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 10. *per totam.* Konig *hic n.* 17. Reiffenstuel *num.* 17. & ita declaratum est à *S. Congr. in Liciens.* 13. *Jun.* 1654. Facit etiam pro hoc Pontificale Romanum *p.* 11. *tit.* 1. *de Conf.* ibi: *Nullus qui non est confirmatus, potest esse in Confirmatione Patrinus.* Imo idipsum clare etiam statutum est *can. in Baptismate* 102. *de consecr. dist.* 4. ibi, *In Baptismate, & in Chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus.* Ratio est, quia talis, licet jam habeat esse spirituale per Baptismum, non tamen habet conditiones per Ecclesiam requisitas, ut sit patrinus in Sacramento Confirmationis. *Neque obstat*, quod Episcopus, non insignitus Sacramento Confirmationis, vere contrahat cognationem, si puerum confirmet; nam disparitas est: quia, ut confirmans Cognationem contrahat, plus non requiritur, quam ut Sacramentum Confirmationis valide conferat; ut patrinus eam contrahat, opus est, ut sit verus susceptor, & consequenter instructus sit qualitatibus ad hoc ab Ecclesia requisitis.

Quæritur 6. An dictæ Cognationis Impedimentum 42 contrahat, & propterea debiti conjugalis petendi Jure privetur vir baptizans, aut ex Baptismo levans prolem ex legitima uxore susceptam? *Certum* est 1. quod eam Cognationem non contrahat, si prolem, ex legitima sua uxore à se susceptam, baptizet in necessitate, ut patet ex *can. ad limina* 7. *caus.* 30. *q.* 1. ubi ratio redditur; *quia inculpabile judicandum, quod necessitas intulit.* Navar. *Man. c.* 16. *n.* 40. Sanch. *l.* 9. *de matr. D.* 26. *n.* 2. Barbos. *in can. cit. n.* 7. *&* 9. Pirhing *hic n.* 39. Vviestner *ibid n.* 19.

Certum est 2. Similiter patrem non contrahere Co- 43 gnationem Spiritualem, & propterea non impediri à petitione debiti, si conjugis suæ vel communem filium ex Sacramento Baptismi, aut Confirmationis suscipiat tanquam patrinus in necessitate, & casu, quo nullus alius patrinus haberi potest. Sanch. *loc. cit. n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 8. *n.* 7. Vivian. *in c. si vir* 2. *vers. si vero Spiritualis hoc tit.* Fagnan. *ibid. n.* 8. Zoes. *hic n.* 9. Pirh. *n.* 39. Schambog. *n.* 6. Engl *n.* 8. Konig *n.* 10. Reiffenstuel *num.* 15. *Neque obest*, quod ad valorem Baptismi non sit necessarius patrinus; quia saltem est de præcepto, & in Baptismo etiam privato honestius adhibetur. igitur pater eo casu levans uxoris, aut communem prolem propterea nullum incurrere debet impedimentum petendi debitum conjugale. *Conf.* nam impedimentum petendi debitum Jure Canonico statutum est in pœnam delicti; parens autem hoc casu nil deliquit, si patrinus existat filii sui, quando alius haberi nequit. ergo &c.

Certum est 3. Eandem Cognationem cum sua uxore, 44 & impedimentum petendi debitum etiam non incurrere patrem, si proprium filium, etiam extra necessitatem, baptizet, vel ex Baptismo, aut Confirmatione suscipiat per probabilem ignorantiam Juris, aut facti. Abb. *in c.* 2. *hoc tit. n.* 4. Alex. de Nevo *ibid. n.* 6. Vivian. *vers. quoad vero*, Barbos. *n.* 4. Vvagnereck *not.* 2. Laym. *loc. cit. n.* 8. *vers. illud vero*, Zoes. *n.* 9. *hic*, Pirh. *n.* 30. Schambog. *n.* 32. Konig *n.* 19. Ratio est, quia cum id solo Jure Ecclesiastico prohibitum sit, ideo, qui hoc Jus probabiliter ignorat, sicut excusatur à culpa, ita etiam ab annexa pœna; nemo enim sine culpa Jure suo privari debet. Imo Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 32. *n.* 47. Barbos. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 5. & alii apud istos, procedere istud volunt etiam in casu, quo pater ita suscipiens laborat ignorantia facti crassa, modo non sit affectata, vel ita crassa, ut ingens temeritas sit ignorare; quia pœnam privationis Jus imponit scienti. ubi autem Jus pœnam imponit aliquid facienti scienter, excusat ab ea ignorantia quæcunque non affectata, & quæ non est adeo crassa, ut sit ingens temeritas, prout ostendit Sanch. *D. cit. n.* 36 39. & 40.

Certum est 4. Non contrahi Cognationem Spiritua- 45 lem à patre, & proinde istum non privari Jure exigendi debitum, qui non ut susceptor, & intendens exercere ceremoniam Ecclesiæ, sed materialiter solum teneret prolem uxoris, aut suam communem, ut commodius baptizetur. Sanch. *l.* 9. *D.* 36. *n.* 4. quia non est verus susceptor.

Certum est 5. Casu, quo pater propriam prolem, ex fornicatione susceptam, etiam in necessitate baptizat, aut suscipit ex Baptismo, ab eo omnino contrahi Cognationem Spiritualem cum prole, & prolis matre; ita, ut hanc

ut hanc ducere non amplius possit. Sanch. *l. 7. de Matr. D. 62. num. 11.* Fagnan. *in c. si vir cit. n. 9.* Zoes. *hic n. 9.* Engl *n.* 8. Schambog. *n.* 7. Vviestner *n.* 19. & ratio est, quia pater baptizans, vel suscipiens legitimam prolem suam, aut uxoris suæ solum ideo non privatur Jure petendi debitum conjugale, quia ipsi ad hoc petendum per Matrimonii contractum jus jam quæsitum est, quo perinde sine culpa spoliari non debet. igitur vim suam Cognatio Spiritualis exeret in casu, quo baptizanti, vel suscipienti tale jus non est quæsitum, prout quæsitum non est in casu præsenti. Hæc certa apud omnes, vel saltem plerosque sunt.

46 *Dubium*, & à DD. in utramque partem magno studio agitata Controversia est, an debiti conjugalis exigendi jure hodie privetur vir prolem, ex legitima uxore susceptam, extra casum necessitatis scienter baptizans, vel ex Baptismo levans; Affirmant S. Thom. *in 4. dist. 42. q. 1. art. 1. Corp.* S. Bonavent. *ibid. art. 1. q. 2. n. 4.* Host. *in c. si vir. 2. n. 3. vers. patrocinari*, Abb. *ibid. n. 5.* Alex. de Nevo *n.* 8. Sylv. *V. Matrimonium 8. q. 7. dict. 1. & 2.* Armill. *V. eod. n. 9.* Navar. *Man. c. 22. n. 40.* Gaeta *Repet. can. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 439.* Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. l. 2. numer. 11. ad fin.* Sanch. *l. 9. de Matr. D. 26. num. 7.* Tann. *tom. 4. Disp. 8. quæst. 4. dub. 4. num. 7.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. cap. 8. n. 8.* Guttier. *de Matr. c. 100. n. 5.* Vivian. *in in c. si vir cit. vers. si vero ambo*, Barbos. *ibidem numer. 3.* Vvagnereck *not. 1.*, Vallens. *hic n. 8.* Pirh. *n. 29.* Schambog. *n. 5. & 32.* Clericat. *decis. 23. num. 29.* & apud hos alii magno numero.

47 Nituntur 1. Authoritate *can. pervenit 1. & can. si quis filiastrum 2. caus. 30. q. 1.* ubi conjuges baptizantes, aut ex Baptismo, vel Confirmatione suscipientes proprios suos, aut alterutrius filios jubentur separari, sive à conjugalis thori usu removeri indiscriminatim. 2. *can. nosse 3. & can. ad limina 7. q. cit.* quorum textum priore separantur, sive communis thori usus interdicitur iis, quorum alter filium in Sacro Fonte levavit cum alterius consensu; posteriore is, qui filium baptizavit, non separatur à conjuge, ex ratione, quod dicatur id bona fide egisse. igitur argumento ducto à sensu contrario, fuisset separandus, si id fecisset culpabiliter, & extra casum necessitatis. 3. *c. si vir 2. hoc tit.* conjux, qui propriam, non postulante ulla necessitate, scienter ex Sacro fonte suscepit, jubetur reddere debitum conjugi, quod ei fraus sua, & dolus non debeat patrocinari. atqui hæc ratio cessat quoad debiti exactionem. ergo hæc illi hoc textu censebitur interdicta. 4. Conjuges hujusmodi actu contrahunt Cognationem Spiritualem, quantum potest Jure contrahi. igitur nisi hujusmodi conjugi Jus petendi debitum, adstruatur à Jure, ea privabitur. non autem adstruitur ullo Juris textu; ergo &c. 5. Quando supervenit Impedimentum dirimens Matrimonio jam contracto, debiti exigendi jure generaliter privat eum, cujus actione inductum est, ut patet in affinitate orta ex commercio carnali cum consanguinea conjugis; item in Voto solemni edito per Professionem Religiosam, vel susceptione Ordinis Sacri; tale autem impedimentum supervenit in casu præsenti, nempe Cognatio Spiritualis; ergo &c.

48 Verum his non obstantibus, dicendum, hodie conjugem, qui ita propriam prolem extra necessitatem baptizat, vel ex Baptismo, aut Confirmatione suscipit, non privari jure petendi debitum. Ita Gloss. *in c. si vir cit. V. debitum*, Ancharan. *ibid. in fin.* Archidiac. *in can. nosse cit. vers. in prima*, Durand. *in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. n. 11. fin.* Suar. *3. part. quæst. 67. de Baptism. art. 8. vers. quocirca*, Conink *D. 34. dub. 8. à num. 66.* Perez *D. 29. de Matr. sect. 6. n. 9.* Zoes. *hic n. 9.* Vviestner *n. 25.* Reiffenstuel *num. 30.* Sumitur 1. ex *c. de eo 5. caus. 30. q. 1.* ibi, *Si autem conjuges legitimi, unus, aut ambo, ex industria fecerint, ut filium suum de Fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est; sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, & simul maneant* ubi nota, quod simul manere, & conjugio uti permittuntur, *si ambo ex industria fecerint*. atqui hoc permitti non posset, si ita suscipiendo prolem ex Baptismo incurreretur impedimentum petendi debitum; nam tali casu uterque id incurrisset, & cons. neuter posset petere, utpote qui voluntarie contrahendo impedimentum cessissent mutuo sibi jure debitum petendi, aut eo jure fuissent privati à Canone. 2. Et præcipue ex *c. si vir 2. hoc tit.* ubi Pontifex Alexander III. ita suscipientibus ex Baptismo filios suadet continentiam, debiti tamen exactionem permittit utrique conjugi, tam ei, qui scienter prolem suam e Baptismo suscepit, quam innocenti æqualiter, quippe cum utrumque æquiparet quoad permissionem actuum conjugalium. Verba textus sunt: *Non sunt ab invicem separandi, nec alteri debitum debent subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* 3. Ex *ratione*; quia causa usum conjugii tali casu permittendi utrique conjugi justissima fuit, evidens videlicet, & manifestum periculum incontinentiæ, & periculum animæ, in quo versaretur is, qui in eodem lecto cum conjuge dormire cogeretur sine jure exigendi debitum; quod periculum merito probat, privationem Juris petendi debitum hoc casu non esse asserendam sine aperto Juris textu, qualis tamen, qui hodie vigeat, in propositæ dubitationis casu nullus reperitur.

Ad Argumenta *numer.* 47. allata facilis est responsio. 49
Ad 1. & 2. Textus illi solum probant de Jure antiquo, & quidem plus, quàm adversarii vellent; nam illo Jure non solum illi, qui prolem suam scienter ex baptismo suscepit, sed etiam illi, qui ignoranter, jus petendi debitum conjugale ablatum fuit. Verum hic antiquorum Canonum rigor fuit temperatus Jure novo *c. si vir cit.* ubi ab ipsis recessum est, ut agnoscit ipse Sanch. *D. 26. cit. num. 7.* qui propterea fatetur, se DD. duntaxat authoritate niti. *Ad 3.* Illo textu reprehenditur malitia illorum, qui, quòd odissent conjuges suos, levabant suos liberos ex baptismo, vel confirmatione, & prætextu cognationis spiritualis inde contractæ, volebant illos fraudare jure suo: contra quos Pontifex pronuntiat, eos adhuc obligari ad reddendum debitum, non tamen negat, quòd illud etiam possint petere. *Ad 4.* Esto, quòd spiritualis cognatio, quantum Jure potest, contrahatur hoc casu, effectum tamen, seu vim privandi jure debitum exigendi moderno Jure non habet, quippe quo, ut vidimus, antiquorum Canonum rigor correctus est. *Ad 5.* Quòd per affinitatem, ortam ex commercio carnali, cum consanguinea conjugis, & per professionem Religiosam, aut susceptionem SS. Ordinum incurratur privatio Juris petendi debitum, in Jure clarè exprimitur: de affinitate quidem *cap. si quis 1. & c. transmissæ 4. de eo, qui cognovit &c.* de Voto solemni autem *c. quidam 3. & c. placet 12. de convers. conjugat.* tam clari textus moderni Juris non habentur de privatione juris petendi debitum in eo, qui prolem suam ex baptismo suscepit.

Quæritur 7. An dictæ cognationis impedimentum 50
contrahatur etiam à Laico, baptizante privatim, & in necessitate aliquem extraneum, qui non est ipsius filius? Negant aliqui, quos tacito nomine refert Paludan. *in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 1. concl. 4. num. 9.* & rationem dubitandi facit 1. resolutio Quæstionis præcedentis; nam, ut *num.* 42. dictum est, cognationis istius impedimentum non contrahunt parentes, si eo casu liberos suos baptizant. 2. Paritas rationis; quia ut habetur *can. ad limina 7. caus. 30. quæst. 1.* is, qui proprium filium in necessitate baptizat, non arcetur à petitione debiti, quod injustum sit propter actum præcepti pœnam subire; quæ ratio æque militat in casu proposito; si enim ob id inter baptizantem, & baptizatum, ejusque parentes oriretur cognatio Spiritualis, privaretur per actum præcepti libertate ineundi Matrimonii cum illis, ac proinde pœnam incurreret. 3. *cap. fin. hoc tit.* ibi, *Pro eo, quod ipsum pater mulieris ejusdem, qui Sacerdos extitit, baptizavit*, ponderatur, baptizantem fuisse Sacerdotem, ut cognatio Spiritualis contraheretur; igitur si Laicus sit, non contrahetur.

Sed dicendum, cognationem istam induci etiam 51
per Baptismum privatim collatum in necessitate à Laico. Ita Abb. *in cap. fin. cit. num. 8.* Bellam. *in cap. 1. de convers. infidel. num. 2.* Brunell. *de Sponsal. concl. 20. n. 20.* Navar. *Man. cap. 22. n. 40. fin.* Covar. *de Sponsal. p. 2. c. 6. §. 4. num. 4.* Henriq. *l. 12. de Matr. cap. 11. n. 1.* Sanch. *lib. 7. de Matr. D. 62. num. 10.* Pont. *l. 7. cap. 41. nu. 5.* Guttier. *de Matr. c. 100. num. 7. & 11.* Perez *D. 29. sect. 2.*

sect. 3. *num.* 2. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 8. *num.* 9. Bosco *de Imped. Matr. sect.* 5. *concl.* 5. Fagnan. *in cap. si vir cit. num.* 6. Barbosa *in c. fin. eod. nu.* 2. Vvagnereck *ibid. in Exeges.* Passerin. *in c.* 1. *n.* 5. *in* 6. Zoes. *hic num.* 9. Honor. *num.* 1. Engl *num.* 7. Pirhing *num.* 39. Schambog. *n.* 32. Konig *num.* 12. *vers. mihi*, Vviestner *n.* 18. Reiffenstuel *n.* 14. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 3. *n.* 234. Ratio est, quia Jure expressum est, Cognationem Spiritualem oriri ex vero Baptismo, neque distinguitur inter baptismum collatum solemniter, & non solemniter à Laico, vel Presbytero; igitur dicendum, in utroque Cognationem hanc contrahi; nam in utroque baptizatus verè regeneratur spiritualiter, propter quam regenerationem Jus Ecclesiasticum introduxit hanc cognationem.

52 *Proceditque* hoc etiam in Sponsis de futuro; nam si istorum aliquis, etiam in necessitate, baptizet prolem suæ Sponsæ, contrahit Impedimentum cognationis Spiritualis, ita, ut cum illa Matrimonium sine dispensatione inire non possit, saltem, si sciat, eam esse prolem suæ Sponsæ. Navar. *Man. cap.* 16. *num.* 34. Layman *num.* 6. *cit.* Pirhing *num.* 39. *fin.* Hinc disparitas est inter eum, qui baptizat prolem suæ Sponsæ de futuro, & inter illum, qui baptizat prolem suæ uxoris, vel suam communem; nam hic, præsertim si in necessitate baptizet, secundum dicta *n.* 42. non incurrit Impedimentum petendi debitum; quia ipsi post nuptias quæsitum est jus petendi debitum, & si quando hoc Jure privatur, privatur in pœnam, quam nemo incurrit absque culpa. Inter solutos autem, seu nondum Matrimonio ligatos cognatio Spiritualis non censetur pœna, sed moralis inhabilitas ad Matrimonium ex dispositione Juris Canonici, qualis inhabilitas etiam sine culpa potest contrahi. Layman *c.* 8. *cit. n.* 7. *vers. sed causam.*

53 Ex quo patet responsio ad Argumenta opposita. *Ad* 1. Inter conjuges Ecclesia noluit induci cognationem Spiritualem, quæ obstet petitioni debiti, quod æquum non sit, conjugem, saltem, dum sine culpa, & in necessitate prolem suam baptizat, incurrere propterea damnum, & privationem Juris exigendi debitum: quæ ratio non urget in casu Quæstionis præsentis. *Ad* 2. Cognatio Spiritualis inter solutos, quæ subsequens Matrimonium dirimit cum baptizata, & ejus parentibus, ut *nu. præc.* dictum est, nullatenus habet rationem pœnæ, sed inhabilitas quædam est, Jure Ecclesiæ ob conjunctionem hanc Spiritualem inducta, ut adeo mirum non sit, quod contrahatur, nulla præcedente culpa. *Ad* 3. in *cap. fin. cit.* tantum narratur factum, nec vis ad contrahendam cognationem Spiritualem ponitur in Sacerdotio Ministri baptizantis.

54 Quæritur 8. An ejusdem Cognationis impedimentum contrahat privatim baptizatum suscipiens ex Baptismo? Negant Sot. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. *art.* 1. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 63. *num.* 14. Guttier *de matr. cap.* 100. *num.* 7. Palao *tract.* 19. *D. un. p.* 11. §. 2. *num.* 12. Perez *D.* 29. *sect.* 3. *num.* 7. Barbosa *in cap. fin. hoc tit. num.* 3. Passerin *in c.* 1. *n.* 6. *eod. in* 6. Sporer *de Matr. n.* 89. Engl *hic n.* 7. Konig *num.* 14. *vers. attamen.* Rationem dant, quia levatio, & susceptio baptizati in Ecclesia instituta est ut ceremonia Baptismi solemnis; atqui solemnitates in Baptismo privato non adhibentur; igitur nec levatio, & susceptio baptizati necessario adhibebitur, vel si adhibetur, non habebit rationem ceremoniæ, ut ab Ecclesia est instituta: consf. sic levantes non erunt veri Patrini, quippe cujus officium obitur in solo Baptismo solemni.

55 Sed melius fit distinctio: Vel enim in Baptismo privato infans solum tenetur materialiter, vel formaliter. *Si primum*, ut urgente necessitate, plerumque fit, Spiritualis Cognatio non inducitur ex communi DD. *Si secundum*, & ita tenens habeat animum obeundi munus Patrini, prout ab Ecclesia hoc institutum est, & subeundi illius obligationem, à sic levante contrahitur impedimentum cognationis Spiritualis, ut probabilius docent Navar. *Man. cap.* 22. *n.* 4. Suar. 3. *part. q.* 67. *de Baptism. n.* 8. Guttier. *de Matr. c.* 100. *n.* 7. Pont. *l.* 7. *cap.* 40. *num.* 5. Conink *D.* 32. *n.* 39. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 4. *dub.* 4. *num.* 67. Layman *lib.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *num.* 5. Pirhing *hic num.* 36. & 39. Vviestner *nu.* 20. Reiffenstuel *n.* 22. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *num.* 239. Ratio est, quia Jura generaliter dicunt, cognationem Spiritualem contrahi ab eo, qui baptizatum vere tenet, & suscipit, recipiendo in se pro illo munus Sponsoris, aut fidejussoris, neque distinguunt inter baptizatum solemniter vel privatim; atqui talis vere tenet baptizatum, fitque pro eo Sponsor, aut fidejussor; ergo licet Baptismus conferatur solum privatim, contrahet impedimentum cognationis Spiritualis.

Ad rationem dubitandi Patrini in Baptismo interveniunt 56
non præcisè ut ceremonia ad solemnitatem, sed ut fidejussores, & sponsores: quod officium cum subeant etiam in Baptismo privato, licet in eo non adhibeantur necessario, etiam ex hoc cognationem Spiritualem contrahent, quippe cum hanc inducat non tam solemnitas, quam ipsa susceptio in Baptismo, sponsioque, & fidejussio, atque ex his orta obligatio susceptum in doctrina fidei Christianæ, & bonis moribus instruendi, si alii istud non faciant.

Quæritur 9. Quis dispensare possit in Impedimento 57
cognationis Spiritualis? Resp. in hoc dispensat solus Pontifex. Zoes. *tit.* 14. *n.* 39. quia est impedimentum dirimens Jure communi, de quo inferior non disponit; & quidem si cognatio proveniat ex *Compaternitate*, facile dispensatio impetratur, modo subsit justa causa. Si vero proveniat ex *Paternitate*, dispensatio vel nunquam, vel difficillime obtinetur, eo quod indecentius sit contrahere cum filia Spirituali, quam cum Compatre, vel Commatre; nam regeneratio Spiritualis, ex qua hæc cognatio oritur, assimilatur generationi carnali, quæ dispensationem in linea recta omnino non admittit. Sanchez *l.* 8. *de Matr. D.* 24. *num.* 15. Vincent. de Just. *de Dispens. Matr. l.* 2. *c.* 5. *n.* 72. Clericat. *decis.* 23. *num.* 32. Honor. *n.* 11. *hic*, Konig *n.* 20. Pontius tamen *lib.* 8. *c.* 17. §. 5. *n.* 28. scribit, à Gregorio XIV. cum Patre, & filia Spirituali dispensatum esse, sed successu infausto, dum proles ex Matrimonio, inter eos contracto, suscepta, brevi post partum intervallo, exspiravit.

Et hinc, quia in Paternitate difficilius dispensatur, 58
quam in compaternitate, in supplicatione ad impetrandam Dispensationem circa Impedimentum cognationis Spiritualis necesse est exprimere provenientiam hujus Impedimenti, ut sciti possit, an Dispensatio petatur super Paternitate, aut super Compaternitate. Zoes. *tit.* 14. *n.* 41. Konig *loc. cit.*

§. II.

De Cognatione Spirituali, orta ex Catechismo.

SUMMARIUM.

59 *Catechismus quid?*
60 *In Jure dicitur Pabulum sacrati salis.*
61 *Hodie Patrinus Baptismi est etiam Patrinus in Catechismo.*
62 *Oritur ex eo Cognatio quædam Spiritualis.*
63 *Sed imperfecta, & impediens, non dirimens Matrimonium.*
64 *Inter baptizatum, & eum, qui ipsum in Catechismo tenet.*
65 *Impedimentum tamen istud per Tridentinum modo restrictum est.*
66 *Et ita restrictum secundum aliquos adhuc manet.*
67 *Sed melius tenetur negativa.*
68 *Ex motu proprio Pii V. Declaratione Cardd. & consuetudine.*

QUæritur 1. Quid hic veniat nomine *Catechismi*? 59
Resp. *Catechismi* nomine hic venit instructio seu professio Fidei, quæ ante collationem Baptismi præ foribus Ecclesiæ super baptizando, vel istius nomine fieri consuevit etiam in hodierna Ecclesia, dum Sacerdos baptizans interrogat baptizatum, an Satanæ renuntiet, an credat &c. & loco baptizati is, qui in Catechismo eundem tenet, ad singulas interrogationes respondet.

Catechismus iste *cap. contracto* 5. *hoc tit.* intelligitur 60
per Pabulum sacrati salis; nam hac instructione durante, Sal benedictus ori baptizandi imponebatur, per quem significatur cælestis Sapientia, seu doctrina Christiana *can. Sal cœlestis* 65. *de consecr. dist.* 4. & notat Gloss. *marg. in cap. contracto cit. lit. A.* Pirhing *num.* 4. Schamb. *n.* 12.

Hodie is, qui baptizandum tenet in Baptismo, so- 61
let etiam esse Patrinus in Catechismo; in primis Ecclesiæ Sa-

fiæ Sæculis fuit ab hoc diversus, ut testis est Hyginus Papa, relatus *can. in Catechismo* 100. *dist.* 4. *cit.* ubi, *In Catechismo*, inquit, *Patrinus fieri potest, si necessitas cogit: non est tamen consuetudo Romana; sed per singulos singuli suscipiunt.*

62 Quæritur 2. An, & quibus casibus ex catechismo oriatur cognatio Spiritualis? Resp. ex catechismo oritur cognatio, sed imperfecta tantum, inter baptizatum, & eum, qui ipsum in Baptismo tenuit.

Dixi 1. *Quod oriatur ex Catechismo Cognatio quædam Spiritualis*; nam ita sumitur ex *cap. contracto* 5. *hoc tit.* & *cap. per Catechismum* 2. *eod. in* 6. Ratio est, quia catechismus est quædam futuri Baptismi professio, ejusque initium, & est quædam regeneratio imperfecta per fidem, quam pro infante profitetur ille, qui tenet eundem in catechismo, fere sicut Sponsalia sunt initium Matrimonii; & hinc sicut ex Sponsalibus oritur Impedimentum publicæ honestatis, quæ est affinitas quædam imperfecta, ita etiam ex catechismo merito oritur cognatio Spiritualis imperfecta. Sanchez *lib.* 7. *de Matr. D.* 10. *num.* 2.

63 Dixi 2. *Sed imperfecta tantum*; quia cognatio ista conjugium solum facit illicitum, non vero invalidum *c. contracto*, & *cap. per Catechismum citt.* S. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *art.* 2. Durand. *ibid. q.* 1. *art.* 2. *n.* 8. Sanch. *num.* 2. *cit.* Vivian. *in c.* 5. *hoc tit. pr.* Barbosa *ibid. n.* 2. Gonzal. *n.* 4. *post med.* Passerin. *in c.* 2. *eod. in* 6. *num.* 1. & 3. Zoes. *hic num.* 13. Honor. *n.* 12. Pirhing. *n.* 24. *not.* 2. Schamb. *n.* 13. Vviestner *n.* 34. *Neque obstat*, quod *can. si quis* 3. *caus.* 30. *q.* 4. & *can. in Catechismo* 100. *de consecr. dist.* 4. hæc tria, Baptismus, confirmatio, & catechismus æquiparentur; æquiparantur enim in eo, quod aliqua ex illis resultet cognatio, non etiam, quod cognatio illa eosdem habeat effectus; comparatio enim non fit in significatione univoca, & propria, sed tantum in inadæquata.

64 Dixi 3. *Inter baptizatum, & eum, qui ipsum in Catechismo tenet*, ut habetur *cap. cit.* Requiritur autem ad cognationem hanc contrahendam, ut is patrinus baptizandum, durante toto Catechismo teneat; & insuper ad Fidei interrogata respondeat, dum Sacerdos interrogat, an credat &c. Gloss. *in c. contracto cit. fin.* Veracrux *p.* 1. *Specul. art.* 22. *dub.* 4. *concl.* 2. Palacios *in* 4. *dist.* 42. *D. un. col.* 31. *fol.* 918. Sanch. *D.* 10. *cit. num.* 3. & 4. cum aliis. Parum autem interest, an catechismus præcesserit Baptismum, an subsecutus eundem fuerit; nam Impedimentum hoc nuptiarum secundum multos DD. contrahit etiam ille, qui, ut hodie non raro fit, baptizatum in Catechismo tenet, quando, Baptismo ob necessitatem jam ante collato domi, ceremoniæ supplentur in Ecclesia. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 15. *n.* 2. Perez *de Matr. D.* 23. *sect.* 3. *num.* 1. Gonzal *in cap.* 5. *cit. num.* 4. *vers. Catechismus enim*, Passerin. *in cap.* 2. *eod. in* 6. *n.* 4.

65 Quæritur 3. An Impedimentum hoc catechismi hodie per Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. Matrimon.* sublatum sit? *Certum est*, saltem restrictam esse cognationem, ex illo ortam, ad gradum primum, ad quem eo Decreto Tridentini contracta est cognatio ex Baptismo orta, ut pluribus aliis *citt.* notat Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 10. *num.* 10. *Neque obstat*, quod Catechismi in eo Decreto nulla fiat mentio; nam sufficit cognationem ex Baptismo ortam ita restrictam esse. Ostenditur ex generali principio; nam quando duo sic se habent, ut alterum sit mensura, & alterum res mensa, Lex corrigens, vel limitans mensuram, censetur pariter corrigere, & limitare rem mensam, si eadem ratio in utrisque militet, ut exemplis adductis probant Demin. *in c.* 1. *n.* 9. *fall.* 5. *de tempor. ordin. in* 6. & *ibi* Franc. *num.* 8. *limit.* 9. atqui cognatio Baptismi mensura est ejus, quæ oritur ex catechismo, & licet ista non æque, ac illa dirimat Matrimonium, tamen quoad vim impediendi sunt pares; ergo &c.

66 Difficultas est, an Impedimentum catechismi sit omnino sublatum per Decretum Trid. *citat.* Ant. Cucchus *lib.* 5. *Inst. major. tit.* 12. *num.* 17. Angles *florib. part.* 1. *de Matrim. q.* 11. *de Imped. Ordin. art.* 2. *pr.* Tolet. *lib.* 7. *Summ. c.* 14. *fin.* Lud. Lop. *p.* 3. *Instruct. de Matr. c.* 46. *Imped.* 4. & *c.* 51. *col.* 3. *pr.* Palacios *in* 4. *dist.* 42. *D. un. col.* 29. & 30. *fol.* 927. Barth. à Ledesm. *de Matr. dub.* 46. *edit.* 1. Perez *D.* 23. *sect.* 3. *num.* 4. Rebell. *l.* 3. *de obl. Just. quæst.* 18. *nu.* 21. volunt Impedimentum istud, quatenus restrictum ad primum illius gradum, adhuc manere. *Moventur* fere unica, sed non levi ratione, quia Decretum hoc Tridentini est Juris antiqui correctorium; ac proinde cum expresse non auferat hanc cognationem, ad illam extendi non debet, sed tanquam casus omissus relinqui debet sub dispositione Juris communis. *Conf.* In Decreto illo solum agitur de Matrimoniis, contra Ecclesiæ prohibitionem ignoranter contractis, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dissolvuntur; atqui tale non est Matrimonium, initum cum Impedimento Catechismi, hoc ipso, quod valeat, & sine peccato in eodem perseveretur; ergo &c.

Sed dicendum, per *cit.* Tridentini Decretum Impedimentum cognationis Spiritualis, ortæ ex Catechismo, fuisse omnino sublatum. Ita præter alios præcipui nominis DD. defendunt Henriq. *lib.* 2. *de Baptism. c.* 15. *num.* 4. & *l.* 12. *de Matr. cap.* 2. *num.* 1. Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. D.* 10. *num.* 12. Guttier. *cap.* 84. *num.* 6. Pont. *lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 3. Vivian. *in c.* 5. *hoc tit. vers.* & *hodie*, Gonzal. *ibid. num.* 4. *fin.* Barbosa *nu.* 3. Vvagnereck *in Exeg.* Passerin. *in cap.* 2. *eod. in* 6. *n.* 7. Vallens. *hic n.* 7. Zoes. *n.* 14. Honor. *num.* 12. Pirhing *n.* 25. Schambogen *n.* 19. Vviestner *n.* 36. Reiffenstuel *nu.* 3. qui propterea Parochos monent, ut in libro, quo parrinos describunt, exprimant, an in ipso Baptismo, vel Catechismo intervenerint, quod alias non constet, an contraxerint Impedimentum Matrimoniale. *Ratio* responsionis est, quia Trid. in Decreto *citat.* Impedimentum cognationis Spiritualis, ortum ex Baptismo, stabilivit solum inter baptizantem, & ex Sacro Fonte levantem ex una, & inter baptizatum, & hujus parentes ex altera parte, cætera vero cognationis Spiritualis Impedimenta omnino sustulit, ut patet ex verbis Tridentini, quæ cognationem Spiritualem generaliter complectuntur; igitur sublatum per illud Decretum etiam est Impedimentum Cognationis Spiritualis, ortæ ex Catechismo. 67

Conf. Ex Motu proprio S. Pii V. ex Declaratione Cardd. Trid. Interp. & ex consuetudine, quæ Juris dubii optima interpres est; nam hac saltem Impedimentum catechismi abolitum esse penitus testis est ex Adversariis Perez *loc. cit. num.* 6. Quare si nunc alius, à patrino Baptismi distinctus, levet baptizandum ex catechismo, licite, & valide contrahi inter eos Matrimonium poterit. 68

Neque obstat Argumentum contrarium cum sua *Confirmatione*; quia in Decreto illo satis clare derogatum est Juri antiquo, dum ibi concilium generaliter exclusit Impedimentum cognationis Spiritualis inter personas alias, quam memoratas in eo Decreto.

§. III.

De Patrinis, horum Officio, & Obligationi.

S U M M A R I U M.

69 *Officium Patrinorum.*
70 *Necessitas.*
71 *Obligatio.*
72 *Conditiones ad munus hoc requisita.*
73 *Obire id possunt baptizati omnes, nisi specialiter prohibeantur à Jure.*
74 *Quinam specialiter prohibeantur?*
75 76 77 *An Catholicus, rogatus ab Acatholico, prolem istius, quæ à Ministro Hæretico baptizatur, licite possit ex Baptismo suscipere?*
78 79 *An vice versa à Patre Catholico adhiberi possit Patrinus Hæreticus?*
80 81 82 *Quot adhiberi Patrini possint?*
83 *A quo designandi?*
84 *An casu, quo nullus est designatus, si plures baptizatum tangant, Cognationem omnes contrahant?*
85 &c. *Quid si plures à parentibus designentur, & à Parocho admittantur?*
89 90 91 *An qui levat filium Titii, per errorem existimans eum esse filium Caii, cum uno istorum Cognationem contrahat?*
92 *An munus Patrini obiri possit per Procuratorem?*
93 &c.

93 *&c. Et quis eo casu Cognationem contrahat?*
97 *&c. Quid si munus Patrini per Procuratorem obeat Communitas?*

69 QUæritur 1. Quid sit Officium patrinorum? Resp. duplex est, *unum*, in Baptismo, ut baptizandum in eo teneat, ex eoque levet; *alterum*, ut in doctrina, & vita Christiana eundem instruat, saltem si id non præstent parentes eorum carnales, Ludimagistri, Catechistæ, & alii similes S. Thom. 3. *p. q.* 67. *art.* 8. Suar. *in* 3. *p. q.*72. *art.* 10. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 1. Conink *D.* 32. *num.* 29. *not.* 1. Palao *tr.* 19. *D. un. p.* 11. §. 1. *num.* 2. Schambog. *hic num.* 27. Vvieftner *n.* 10. Reiffenstuel *n.* 29. Hinc varia in Jure, & à SS. PP. acceperunt nomina; nam 1. à S. Augustino, prout refertur *can. vos ante omnia* 105. *de consecr. dist.* 4. dicuntur *Susceptores*; quia patrinus de manu baptizantis baptizatum suscipit erudiendum. 2. à S. Dionysio *l.* 2. *de Eccl. Hierarch.* dicuntur *Fidejussores*, & à Tertull. *l. de Baptism. c.* 3. *&* 18. appellantur *Sponsores*; quia levando Baptizatum de Sacro Fonte tacite fidejubent, & spondent, illius curam se habituros. 3. à S. Augustin. *Epist.* 23. *ad Bonifac.* vocantur *Fidei Doctores*; quia baptizatum docere debent Fidem, quam in Baptismo professus est. 4. à S. Thom. *loc. cit. art.* 7. nuncupantur *Pædagogi Spirituales*? quia puerum instituere debent in Fide, ejusque vestigia dirigere. 5. Denique communiter salutantur *Compatres*, *&* *Patrini*, prout fecit S. Hyginus Pontifex, relatus *in can. in Catechismo* 100. *de consecr. dist.* 4. & S. August. *serm.* 106. quia patrinus simul cum baptizante Spiritualis pater est baptizati, illumque in fide gignit.

70 Quæritur 2. An patrinus in Baptismo necessario adhibendus sit? Resp. in Baptismo solemni ex antiquissimo Ecclesiæ usu necessario adhiberi debet; in privato intervenire quidem potest, sed non necessario. *Rationem* hujus institutionis optime dat S. Thom. *q.* 67. *art.* 7. ex similitudine, quam habet Baptismus cum generatione carnali: nam sicut parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo, sic spiritualiter natus per Baptismum indiget aliquo, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi informando, & instruendo eum quasi Novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam; non enim, qui parvulo confert Baptismum, & spiritualiter eum gignit, potest semper hoc munus per seipsum obire, eaque de causa decuit alium designari, qui hanc obligationem susciperet.

71 Quæritur 3. Quanta sit obligatio patrini ad instruendum baptizatum à se susceptum? Resp. ex communi apud Palao *tr.* 19. *D. un. p.* 11. §. 2. *n.* 2. gravis est, & sub peccato mortali; est enim de præcepto Ecclesiæ, ut colligitur ex *can. vos ante omnia cit. can. ita diligere* 1. *caus.* 30. *q.* 3. & expresse ex Leone II. *in Concil. Mog nt. c.* 47. ibi, *Deinde præcipimus, ut unusquisque Compater, vel proximi spirituales filios suos Catholicos instruant*: quod præceptum, cum sit in re gravi conf. graviter obligat. Hac tamen obligatione, ut cum aliis monet Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 1. patrinus solum tenetur, dum baptizatus rudis est in doctrina Christiana, quo semel bene instructo, cessat obligatio; quia non amplius ille parvulus est, & pædagogo indigens. Excusatur autem omnino Patrinus ab obligatione ista, si probabiliter credat baptizatum à suis parentibus, magistris, vel dominis diligenter esse instruendum: ex quo infert Palao *n.* 2. *cit.* hac obligatione raro teneri patrinos in terris fidelium; secus in Regionibus infidelium, vel Hæreticorum, & maxime si parentes baptizati infideles, vel Hæretici sint.

72 Quæritur 4. Quinam patrini esse possint? Resp. patrinus, seu Susceptor esse potest quilibet baptizatus, rationis compos, sive vir, sive fœmina sit, modo ea faciat, quæ ad patrini munus ex dictis *supra à n.* 36. requiruntur. Adeoque ut simpliciter aliquis adhiberi patrinus possit, requirit 1. ut sit Baptizatus; quia ad instruendum in fide idoneus non est, qui fidem in Baptismo ipse non suscepit *can. in Baptismate* 102. *de consecr. dist.* 4. ubi non confirmatus etiam non admittitur in Confirmationem. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 2. Palao *tr.* 19. *D. un. p.* 11. §. 1. *num.* 3. Schamb. *hic num.* 27. Reiffenst. *ib.d. n.* 28. Vincent. Petra *tom.* 2. *comm. fol.* 442. *n.* 13. 2. Ut sit rationis compos; quia qui usu rationis caret, nec fidejubere pro baptizato valet, nec obire munus instructoris. Abb. *in c. debitum* 4. *de Baptis. n.* 3. Navar. *cons.* 2. *&* 3. *hoc tit.* Conink *D.* 32. *n.* 25. Zoes. *h c n.* 5. Pirh. *n.* 34. Vviest. *n.* 1. *cum cit.* 3. Ut intentionem habeat obeundi munus patrini, nempe exercendi actum illum ab Ecclesia institutum. Abb *in c.* 2. *hoc tit. n.* 4. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 58. *n.* 4. Sporer *p.* 4. *c.* 1. *sect.* 1. *n.* 93. Reiffenst. *hic n.* 25. 4. Ut hac intentione per se, vel per alium tangat baptizatum. *Sanch. Laym. Pirh. Vviest. loc. citt.*

Quæritur 5. Quinam licite munus patrini obire possint? Resp. licite munus patrini obire possunt generaliter Christiani omnes ratione utentes, nullo discrimine ætatis, vel sexus *can. vos ante omnia* 105. *de consecr. dist.* 4. *cap. nedum* 1. *hoc tit. in* 6. nisi specialiter ab hoc officio arceantur à Jure. Adeoque patrinus potest esse etiam puer, modo sit rationis compos, etiam respectu adulti; neque enim certa ætas ad hoc munus requiritur, ut cum aliis notant Henriq. *l.* 12. *cap.* 11. *num.* 2. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 61. *num.* 3. *&* 4. Layman *lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 2. Palao *tr.* 19. *D. un. p.* 11. §. 1. *num.* 3. Item non prohibetur etiam fœmina suscipere ex Baptismo marem, quamvis hoc minus deceat, præsertim si suscipiendus sit adultus. Pont. *l.* 7. *c.* 37. *num.* 3. Palao *num.* 3. *cit.* Hinc usus obtinuit, ut quando unus tantum adhibetur patrinus, in Baptismo maris adhibeatur mas, in Baptismo fœminæ fœmina. Laym. *l. cit. n.* 4. 73

Addidi, *nisi specialiter ab hoc Officio arceantur à Jure*; nam plures sunt, qui valide quidem munus patrini obire possunt, sed non licite. Et tales sunt 1. Hæretici, & Apostatæ: & merito; quia illis, utpote à veritate deviantibus, fidere Ecclesia non potest, quod susceptum ritè sint instructuri. Laym. *n.* 2. *vers. præterea*, Palao *num.* 7. Gonzal. *in cap. fin. hoc tit. n.* 5. 2. Pœnitentes publici, & moribus infames, ne potius baptizandum pervertant, quam in bonis moribus instruant. Sanch. *l.* 7. *D.* 60. *num.* 2. Layman *l. cit.* Pal. *n.* 6. Vviest. *n.* 12. *hic.* 3. Excommunicati vitandi *arg. can. quæ merito* 29. *can. nihil* 34. *&c. caus.* 11. *quæst.* 3. *cap. significavit* 16. *& cap. nuper* 29. *&c. de sent. Excomm.* 4. Parentes respectu propriæ prolis *can. pervenit* 1. *can. nosse* 3. *&c. caus.* 30. *quæst.* 1. 5. Religiosi omnes utriusque sexus *can. pervenit* 20. *vers. ne ergo caus.* 18. *q.* 2. *caus. non licet* 103. *& can. seq. de consecr. dist.* 4. ne scilicet prætextu cognationis Spiritualis nimiam familiaritatem contrahant cum Sæcularibus, præsertim fœminis. Rodriq. *tom.* 2. *Regul. q.* 58. *art.* 3. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 60. *n.* 21. Laym. *c.* 9. *cit. n.* 3. Excipitur Religiosus ad dignitatem Episcopalem evectus, ut cum *citt.* advertit Pal. *n.* 4. Zoes *hic n.* 8. Pirhing *n.* 34. Schamb. *n.* 28. Vviestner *n.* 12. Ratio Exceptionis est, quia in Episcopo non subest tale periculum nimiæ familiaritatis, & incontinentiæ. 74

Quæritur 6. Utrum Catholicus, si rogatus sit ab Acatholico, prolem istius, quæ à Ministro Hæretico baptizatur, licite possit ex Baptismo suscipere? Videtur non posse. 1. quia hæc est communicatio cum Excommunicato, & quidem in Sacris, quæ catholicis est interdicta respectu Hæreticorum. 2. quia ratione hujus levationis Cognationem catholicus patrinus contrahit cum baptizati parentibus Hæreticis. 3. quia Lutherani Hæretici, licet substantialia Baptismi observent, accidentales tamen Ecclesiæ ceremonias per contemptum omittunt, & loco earum concionem habent, quam eorum consuetudinem patrinus catholicus assistendo tali Baptismo approbare videtur, non sine scandalo, vel fortassis etiam tacita alienæ fidei professione. 75

Sed dicendum, in Germania nostra saltem hoc fieri licite posse, modo Baptismus conferatur rite. Ita Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 6. Pirhing *hic n.* 41. Schambogen *ibid. n.* 35. & habet quorundam locorum, ubi Hæretici Catholicis admixti degunt, consuetudo, quæ secundum præfatos DD. improbari non debet. Ratio est, quia patrinus Catholicus, dum suscipit baptizatum à Ministro Hæretico, nullo modo cooperatur ad indebitam Baptismi administrationem; nam, ut supponitur, quoad substantiam administratur ritu Catholico, etiam à Prædicante, & Catholicus patrinus facit, ut talis Baptismus, qui indebite, seu non servatis accidentalibus Ecclesiæ ceremoniis, ab Hæretico ministratur, administretur minus male, & incomplete, dum expresse, vel tacite, & ipso facto protestatur, se baptizatum instructurum in vera fide. 76

77 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. Post *Extrav. Concil. Constant.* communicatio cum Hæreticis, & aliis nominatim non denuntiatis, non est fidelibus interdicta, nec in Sacris, nec in Politicis rebus, modo non fiat in Exercitio Hæretico, quale hic non fit; quia Patrinus Catholicus non alia in re communicat, quam quod puerum, qui jam per Baptismum effectus est Ecclesiæ Catholicæ filius, nomine ejus in suam curam suscipiat. *Ad* 2. Si talis Cognatio, seu Compaternitas obesse deberet, quo minus Catholicus licite posset suscipere baptizatum ab Hæretico, aut filium hominis Hæretici, impedire etiam deberet, quo minus Catholicus baptizare posset filium hominis Hæretici, quandoquidem etiam cum ipso contrahitur Cognatio Spiritualis. *Ad* 3. Patrinus Catholicus hoc casu non approbat modum baptizandi, quem Hæretici à Catholicis diversum adhibent, sed facit, ut minus male is ministretur, ut dictum est *n. præc.* Si scandali periculum foret, tolli hoc posset, protestatione à Catholico Patrino præmissa, quod baptizatum suscipere velit, ut Patrinus Catholicus, eum, quando opus habuerit, Catholicè informaturus, quando id ipsi possibile erit.

78 Quæritur 7. An vice versa, cum proles Catholica à Sacerdote Catholico baptizatur, admitti possit Patrinus Hæreticus? Resp. ordinariè, & sine gravi causa, ac necessitate id fieri non posse licite. Layman *lib.* 5. *tr.* 2. *c.* 9. *nu.* 7. Palao *tract.* 19. *D. un. p.* 11. §. 1. *num.* 9. Schambog. *hic n.* 38. quia, ut *num.* 94. dictum est, non potest esse idoneus Patrinus ad instruendum baptizatum in fide Catholica.

Dubium est, an id fieri possit ex gravi aliqua causa, e. g. quia alias Baptismus conferri deberet sine omni Patrino, contra universalis Ecclesiæ consuetudinem, & cum non parvo scandalo, ac multorum querela? Ratio primum allata videtur probare, etiam hoc casu illicite adhiberi Patrinum Hæreticum. Sed revera istud non probat; esto enim, ipsi non sint idonei instructores veræ fidei, munus tamen in hac instruendi nunc, etiam apud Catholicos, fere non Patrinus incumbit, sed exercetur à Ludimagistris, vel Parochis.

79 Quare dicendum, ex gravi ejusmodi causa permitti posse in locis, ubi Catholici cum Hæreticis permixti vivunt, ut proles, dum baptizatur à Sacerdote Catholico, teneatur à Patrino Hæretico. Laym. *n.* 7. *cit.* Palao *n.* 8. Pirhing *hic n.* 42. Schambog. *n.* 38. ubi addunt, quod Sacerdos baptizans hoc casu palam edicere debeat, hunc infantem in fide Catholica baptizari, & instruendum in eadem esse, nec Patrinos id impedire debere. Ratio responsionis est; quia Hæreticus est absolute capax obeundi munus Patrini, ita, ut ex eo Cognationem spiritualem contrahat, cum sit baptizatus, ut dictum est *supra n.* 27.

80 Quæritur 8. An plures in baptismo, & Confirmatione intervenire Patrini possint, & an casu, quo plures sunt, inter omnes contrahatur Cognatio Spiritualis? Resp. distinguendum esse inter Jus antiquum, & novum Tridentini. Convenit quidem utrumque Jus in hoc, quod utroque prohibitum fuerit, plures adhiberi Patrinos, ut patet ex *can. non plures* 101. *de consecr. dist.* 4. *& c. fin. hoc tit. in* 6. Disconveniunt autem in duobus.

81 *Primum est*, quod Jure antiquo in Baptismo, & Confirmatione licitum fuerit adhibere tantum unum, vel unam; Jure autem novo Trid. *sess.* 24. *c.* 2. *de reform. Matr.* in Baptismo liceat adhibere unum, & unam, scilicet marem, & fœminam, ibi: *Sacra Synodus statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier juxta SS. Canonum statuta, vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant.* Ex quo sequitur, minime permissum esse, ut duo viri, aut duæ fœminæ munus Patrini obeant; sed si duo adhibentur, sexus esse diversi debent, ut notat Cucchus *l.* 5. *Inst. major. tit.* 2. *n.* 90. *& tit.* 14. *n.* 25. Tolet. *l.* 2. *Summ. c.* 23. *n.* 4. Suar. 3. *p. q.* 67. *art.* 8. *col.* 2. §. *sed quæres*, Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 57. *n.* 4. & teste *Cuccho* declararunt Cardinales. *Ratio* est congruentissima, ut generatio spiritualis carnalem imitetur, in qua nec duo patres, nec duæ matres reperiuntur, sed unus pater, & una mater. *Excipitur*, si unus vir esset Procurator mulieris; tunc enim duo viri admitti posset. Passerin. *in c. fin. hoc tit. in* 6. *n.* 2. Vincent. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 442. *n.* 9.

Alterum est quod Jure antiquo, si adhibiti fuissent plures Patrini, omnes contraxerint Cognationem Spiritualem, ut habetur *c. fin. cit.* nam quamvis alias actus, contra Legem factus, regulariter non valeat *l. non dubium* 5. *C. de LL.* in hoc tamen casu Lex non tollit actum, sed imponit duntaxat pœnam Parocho, admittenti plures Patrinos, Jure novo tamen Trid. *loc. cit.* si alii, præter designatos, baptizatum tetigerint, Cognationem Spiritualem ab ipsis non contrahi decisum est. Neque potest in hoc Conciliari Decreto Episcopus dispensare, ut plures duobus patrinis adhibeantur, vel ut ii sint duo viri, aut duæ fœminæ; quia juxta communem Regulam Episcopus dispensare nequit in præcepto Pontificis, vel Concilii generalis, nisi in casu urgentis necessitatis, & ubi ad ipsum Pontificem non patet aditus. atqui in casu præsenti nulla potest excogitari necessitas, imo nec convenientia, ut plures, quam duo designentur Patrini, aut duo viri, vel duæ fœminæ, cum potius expediat, unicum tantum esse patrinum. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 57. *n.* 7. Rebell. *de oblig. Just. p.* 2. *append. ad l.* 4. *n.* 89. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 30. *n.* 41. Palao *tr.* 19. *D. un. p.* 11. §. 2. *n.* 2. 82

Quæritur 9. Ad quem pertineat designare patrinos; Resp. hoc pertinet ad parentes baptizandi, vel si illi non designent, ad Parochos. Barbos. *in c. fin. hoc tit. in* 6. *n.* 3. Passerin. *ibid. n.* 3. Pirhing *hic n.* 30. 83

Dubium est, an casu, quo nullus designatus patrinus est ex negligentia parentum, vel Parochi, si multi simul tenendo tangant baptizandum, vel de Sacro Fonte suscipiant, ab istis contrahatur Cognatio Spiritualis, & à quibus? Duplex est Sententia, probabilis utraque. Prima vult, hoc casu Cognationem Spiritualem contrahi ab omnibus. Ita Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 39. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 11. *n.* 3. Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 11. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 4. *dub.* 4. *n.* 69. Palao *tr.* 19. *D. un. p.* 11. §. 2. *n.* 9. Barbos. *in c. fin. hoc tit. in* 6. *n.* 1. *&* 3. Zoes. *n.* 7. Engl *n.* 4. Schamb. *num.* 25. Konig *num.* 11. atque ita *à S. Congr. Cardd.* declaratum testatur Tanner *loc. cit.* Rationem dant, quia Trid. prohibens plurium admissionem, non irritat factum contra prohibitionem, nisi eo tantum casu, quo designatione facta, plures præter designatos baptizatum tetigerint: conf. hoc casu res manet sub dispositione Juris antiqui, quo Jure cognationem Spiritualem contrahebant omnes *c. fin. hoc tit. in* 6.

Altera, quam defendunt Suar. 3. *p. q.* 67. *art.* 8. *in fin.* Rodrid. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 216. *n.* 1. *not.* 3. Vega *tom.* 1. *Summ. c.* 33. *cas.* 40. *fin.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 57. *num.* 12. Gonzal. *in cap. fin. hoc tit. num.* 7. *fin.* & valde probabilem dicit Pirhing *hic n.* 30. putat, si nulli designentur patrini, nullum contracturum Cognationem Spiritualem, etiamsi plures tangant, vel suscipiant baptizatum ex Sacro Fonte. Ratio est, quia Tridentinum intendit vitare, ne impedimentum hujus cognationis Spiritualis patrinorum nimium multiplicaretur, & ut certi essent illud contrahentes, & ideo tanquam conditionem necessariam requisivit, ut ii designarentur à parentibus, vel Parocho. igitur si deficiat ista conditio, non erunt veri patrini, qui baptizandum tangunt, conf. nec cognationem Spiritualem contrahent. *Conf.* quia Trid. *c.* 2. *cit.* dicit. *Omnibus inter alias personas hujus Cognationis Spiritualis impedimentis omnino sublatis.* igitur cum personæ ibi contentæ, quæ hujus Cognationis Spiritualis capaces sunt, ibidem dicantur esse patrini, qui designati sunt ad hoc munus obeundum, omnes illæ personæ, quæ non sunt designatæ, non erunt illius capaces. 84

Quæritur 10. An casu, quo plures, quam duo, aut duo viri, vel duæ fœminæ designati à parentibus, & à Parocho admissi sunt, aliqui ex illis, & quinam Cognationem Spiritualem contrahant? *Certum* satis est, si omnes hi designati non simul suscipiant baptizatum, solum illum contracturum hanc Cognationem, qui primo baptizatum susceperit, vel ad summum duos, si fuerint vir, & fœmina; quia revera isti tantum sunt susceptores, & quando eis accedit tertius, ministerium patrini jam exhibitum invenit, & sic ejusdem exhibendi jam amplius non est capax. Palacios *in* 4. *dist.* 42. *D. un. col.* 26. *vers. & quidem fol.* 927. Suar. 3. *p. q.* 77. *art.* 8. *col.* 2. *vers. quæres*, Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 57. *n.* 14. 85

Dubium

86 *Dubium est*, quando designati illi simul suscipiunt; in quo dubio in eam Sententiam inclinat Suarez *loc. cit.* ut putet hoc casu probabiliter nullum cognationem illam contrahere; quia nullus eorum munus illud obit eo modo, quo ab Ecclesia statutum est, ac proinde nullus est verus ac legitimus susceptor; Tridentinum enim hoc restrinxit ad illum, qui fuerit vel totalis susceptor, vel ita partialis, ut solum habeat alium socium diversi sexus.

87 Sed probabilius videtur, hoc casu cognationem contrahere omnes, si à Parocho non repellantur. Ita Navar. *Man. c.* 22. *n.* 26. Emm. Sà *V. matrimonium, de Imped. dirim. n.* 5. *v. Cognatio Spiritualis*. Sanchez *n.* 14. *cit.* Conink *D.* 32. *n.* 37. Fagnan. *in c. fin. hoc tit. n.* 5. Barbosa *in c. fin. eod. in* 6. *n.* 1. *&* 3. Passerin. *ibid. n.* 6. *&* 7. Vincent. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 442. *num.* 11. & teste Fagnan. *loc. cit.* declaratum est *à S. Congreg.* quamvis addant, parentes ita designando, & Parochum admittendo plures hujusmodi Patrinos peccare. *Rationem* dant, quia in omnibus designatis, & admissis à Parocho inveniuntur omnes conditiones, quæ ad cognationem hanc contrahendam requiruntur, cum revera designati sint ab iis, quibus incumbit, admissique à Parocho, & Tridentinum, dum in Decreto suo addit clausulam irritantem, solum loquatur de iis, qui baptizatum ultra designatos tetigerint.

88 Addidi, *Si à Parocho non repellantur*; nam casu, quo ex pluribus, quos parentes voluerunt filii sui Patrinos esse, Parochus unum duntaxat, vel unum & unam admittit, cæteros removet, illi soli, non vero isti Cognationem Spiritualem contrahent. Sanch. *loc. citat. n.* 15. cum reliquis *supra*. Ratio est, quia Parocho incumbit indagare, quinam Patrini designati sint, & ita eos admittere, ut servetur numerus Patrinorum, sexusque diversitas, à Trid. præcepta: igitur eo ipso, quod Parochus hoc Trid. præceptum exequens expellat alios, præter duos diversi sexus, censentur expulsi, acsi designati non essent.

89 Quæritur 11. An qui per errorem levat filium Titii, existimans se levare filium Caii, Cognationem Spiritualem contrahat? *Certum est*, non contrahere Cognationem cum filio Caii, vel cum ejus parentibus; quia revera illum non levavit ex Baptismo.

Difficultas est, an eam Cognationem contrahat cum filio Titii, quem revera levat ex Sacro Fonte, & cum ejus parentibus? Affirmant nonnulli cum Joan. Andr. *in Reg. potest quis per alium, paulo ante solut. ad Arg. de R. J.* & videtur istud probari ex paritate cum baptizante, qui si per errorem baptizet filium Titii, existimans esse filium Caii, cum filio Titii, & ejus parentibus, errore isto non obstante, Cognationem Spiritualem contrahit.

90 Sed verius est, Cognationem Spiritualem à levante hoc casu etiam non contrahi cum filio Titii. Ita Abb. *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 4. Alex. de Nevo *ibid. n.* 6. Brunell. *de Sponsal. concl.* 20. *n.* 20. Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. D.* 58. *num.* 7. Ratio est, quia, ut DD. *cit.* notant, ad contrahendam hanc Cognationem requiritur scientia, & animus; & ideo prout deciditur *cap. si vir* 2. *hoc tit.* conjux, quæ per errorem levavit filium mariti sui, non arcetur à debiti petitione; atqui in casu præsenti utrumque deficit, scientia quidem, cum adsit error; animus autem, quia revera non intendit exercere actionem illam veri Patrini circa hunc, quem levavit; ergo &c.

Excipitur, si levans ita constitutus esset, ut non eligat personam determinatam, sed intendat actionem Patrini exercere circa præsentem baptizandum, quiscunque ille sit; nam hoc casu, etsi putet eum esse filium Caii, qui tamen revera est filius Titii, cum isto, & ejus parentibus Cognationem contrahet, eo quod intentio illius feratur in eum, quem levat; ac proinde intendat illius esse Patrinus. Sanch. *loc. cit. fin.*

91 *Ad Argumentum contrarium* nego paritatem. Disparitas est, quia minister Sacramenti tenetur habere animum ministrandi Sacramentum præsenti, quiscunque ille sit; ac proinde, quamvis erretur in persona, cum verus sit Baptismus, vera Cognatio oritur: at Patrinus non tenetur habere eam intentionem, & vere eligitur ad determinatam personam; igitur sicut ob hanc causam electæ certæ personæ vitiatur Matrimonium circa hanc errantis, ita etiam actus Patrini errantis circa personam suscepti.

92 Quæritur 12. An munus Patrini obiri per procuratorem possit, & quis eo casu Cognationem Spiritualem contrahat, an procurator, an vero ille, qui procuratorem loco sui constituit? *Certum satis est*, quod munus Patrini obiri per procuratorem possit; nam hoc manifeste ostendit praxis hodierna, qua videmus passim Reges, Principes, aliosque Magnates per Legatos munus istud obire, sciente, & permittente Ecclesia.

93 *Controversia est*, quis eo casu Cognationem contrahat? Joan. Andr. *in c.* 1. *hoc tit. in* 6. *n.* 1. Archidiac. *ibid. n.* 1. Franch. *ad idem cap. pr. num.* 6. Brunell. *de Sponf. concl.* 20. *num.* 21. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 7. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 6. §. 4. *num.* 6. Sanch. *lib.* 7. *de Matr. D.* 59. *num.* 4. *&* 12. Gonzal. *in cap. fin. in fin. hoc tit.* putant tali casu Cognationem Spiritualem contrahi vel à neutro, vel à solo Procuratore. *Moventur* 1. Variis textibus, quibus dicitur Cognatio ista contrahi à suscipiente, tenente, sustinente, levante, tangente baptizatum, vel confirmatum; atqui hæc verba denotant actionem personalem, & verificantur de solo procuratore, non de Principe eum constituente. 2. Cognatio Spiritualis æquiparatur naturali *cap. debitum* 4. *de Baptismo*, & legalem imitatur *can. ita diligere* 1. *& can. post susceptum* 5. *caus.* 30. *quæst.* 3. atqui Cognatio naturalis, & Legalis non exurgunt, nisi ex actione personali ipsius generantis, & adoptantis, ut de prima constat per se, de secunda autem ex *l. post uxorem* 25. *neque* 1. *ff. de adoption.* 3. Si Parochus alteri committat munus baptizandi, Cognatio Spiritualis non à Parocho, sed à Commissario contrahitur; ergo idem dicendum de procuratore.

94 Sed his non obstantibus, dicendum, hoc casu Cognationem Spiritualem contrahi non à procuratore, sed à Principe, vel Magnate, qui procuratorem constituit. Ita Abb. *in cap.* 6. *hoc tit. n.* 4. Alex. de Nevo *ibid. n.* 7. Carrer. *l.* 2. *de Sponsal. c.* 8. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 184. *n.* 390 *& seqq.* Navar. *l.* 5. *consil.* 90. *fin.* Franc. Leo *Thesaur. for. Eccl. p.* 2. *c.* 9. *n.* 63. Conink *D.* 32. *de Sacram. num.* 40. Pont. *lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 10. Layman *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 8. *num.* 4. *&* 5. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 30. *num.* 50. Palao *tract.* 19. *D. un. p.* 11. §. 2. *num.* 16. Sporer *de Matr. num.* 96. Clericat. *dec.* 23. *num.* 8. Vincent. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 442. *num.* 12. Zoes. *hic num.* 10. Engl *num.* 6. Pirhing *nu.* 27. Schamb. *n.* 29. Wiestner *nu.* 29. Reiffenstuel *nu.* 23. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *num.* 261. itaque resolutum est à *S. Congr. Concil.* 29. *Mart.* 1582. *&* 15. *Mart.* 1631. apud Clericar. *loc. cit.*

95 Ostenditur 1. Quia juxta *Reg.* 72. *in* 6. *qui facit per alium, est perinde, acsi faciat per seipsum*; atqui si Princeps, qui per Procuratorem levavit baptizatum è Sacro Fonte, levasset illum per seipsum, contraxisset cognationem spiritualem; ergo eandem contrahet, si hoc faciat per procuratorem. 2. Conjux, qui per procuratorem matrimonium contrahit, verè fit conjux, non secus, acsi illud contraxisset per seipsum; ergo etiam levans baptizatum ex Baptismo per alium vere fit Patrinus, & Spiritualis Cognatus, acsi levasset per seipsum. 3. Si Principalis per procuratorem levans non fieret vere Patrinus, & Spiritualis Cognatus baptizati, tali casu verus patrinus, & Spiritualis Cognatus nullus evaderet; nam neque procurator talis est, quippe qui non suo, sed alieno nomine Patrini munus obire intendit, sequela non potest admitti; quia sic fieret contra præceptum Ecclesiæ, præcipientis, in Baptismo adhiberi Patrinos, eosque veros.

96 Neque urgent Argumenta opposita ita contrarium. *Ad* 1. Patet ex Argumentis allatis, Principalem, licet hoc casu baptizatum non teneat, levet &c. physicè, levare tamen eum, & tenere moraliter, quatenus alius nomine ipsius eundem tenet, & levat. *Ad* 2. Cognatio Spiritualis Cognationi naturali *cap. debitum cit.* solum comparatur quoad distinctionem personarum, quæ ad utramque est necessaria; Legali autem quoad vim conjugii dirimendi: de cætero lata est disparitas, cum naturalem natura, Legalem Lex per procuratorem contrahi specialiter vetet; quod non fit in Cognatione Spirituali, cum illam per procuratorem contrahi non prohibeant SS. Canones, & approbet consuetudo. *Ad* 3. Negatur paritas; nam qui ex Pa-

Parochi commissione Baptismum confert, eundem confert nomine non committentis, sed proprio, & ut minister Christi; contra Procurator, è Baptismo infantem levans, eundem levat non suo, sed Principalis mandantis nomine, ut recte observat Perez *D. 29. de Matr. sect. 7. num. 4.*

97 Quæritur 13. Quis Cognationem Spiritualem contrahat, quando Communitas aliqua munus patrini per procuratorem obit? *Certum satis est*, quod hoc casu eam Cognationem non contrahat Communitas, ut Communitas, vel Universitas est; quia cum sit tantum persona ficta, & incerta, ipsa est hujus Cognationis expers. Similiter ex dictis *à num. 93.* patet, eo casu Cognationem etiam non contrahi à procuratore, si hic tantum levare intendat nomine Communitatis, & non proprio. Quare Abb. *in c. 6. hoc tit. nu. 5.* putat, hoc casu Cognationem contrahi à singulis de communitate, quod dispositio, concepta in Universitate, quando actus Universitati competere nequit, resolvatur in singulos illius Universitatis, ut res non pereat *c. si sententia 16. de Sent. Excomm. in 6.*

98 Sed verius est, nec singulos contrahere; quia ex una parte juxta dicta *num. 81.* ex Decreto Trid. non admittuntur plures patrini, nisi unus, & una; ex altera vero parte etiam casu, quo plures concurrunt, tantum illi, qui tenent, & levant, Cognationem contrahunt, igitur singuli de communitate Cognationem contrahere nullatenus poterunt. Cum igitur secundum dicta *num. præc.* neque procurator hoc casu Cognationem Contrahat consectaneum, erit, eam cognationem in casu dato contrahi à nemine. Quod ne fiat contra SS. Canonum statuta, aut nunquam in patrinum eligi communitas poterit, aut si designetur, ab ea constitui aliquis determinatus debebit, qui baptizatum levet nomine proprio, sed jussu communitatis.

99 *Neque obstat*, textus ab *Abbate* allegatus; quia ut Alex. de Nevo *loc. cit.* & cum eo Sanch. *D. 59. citat. num. 7. fin.* respondet, textus ille loquitur in delictis, ne delictum maneat impunitum, & sententia careat effectu.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

SUMMARIUM.

1 *Cognatio Legalis inventa est à Legibus, approbata per SS. Canones.*
2 *Adoptionis definitio.*
3 *Divisio in perfectam, & Imperfectam.*
4 *Effectus.*
5 6 *Differentia inter Perfectam, & Imperfectam.*
7 8 9 *Conditiones ad Adoptionem requisitæ.*
10 *Modi, quibus dissolvitur.*
11 12 *Definitio Cognationis Legalis & triplex ejus Species.*
13 14 15 *Omnes hæ Species inducunt impedimentum dirimens Matrimonium.*
16 &c. *Quod tamen solum inducitur per Adoptionem perfectam, seu Arrogationem.*
23 24 *Dirimit Matrimonium solum Jure Ecclesiastico, & quidem contrahendum tantum.*
25 *Non autem contractum, etiam quoad petitionem debiti.*
26 *In Linea recta est perpetuum:*
27 *In Transversali, soluta Adoptione, tollitur.*
28 *Cognatio hæc per modum Affinitatis inducta, manet semper.*
29 &c. *Ad quos Gradus Matrimonium dirimat?*
31 &c. *Inter quas personas Contractui Matrimoniali non obstet?*
35 36 *An Impedimentum Cognationis Legalis oriatur etiam ex Unione prolium?*
37 *Quis dispensare in Cognatione Legali possit?*

1 Altera Cognationis Species est *Cognatio Legalis*, ita nuncupata, quia originem suam Legibus Civilibus debet §. *ergo non omnes* 1. & §. *inter eas* 2. *Inst. de Nupt. l. adoptivus* 14. *l. per adoptionem* 17. *l. quin etiam* 55. *ff. de rit. Nupt.* Porro Leges istæ approbatæ sunt etiam à Iure Canonico *can. ita diligere* 1. *c. post susceptum* 5. *caus.* 30. *q.* 3. & *cap. un. hoc tit.* Originem suam Cognatio hæc Adoptioni debet. Et hinc

Quæritur 1. Quid sit *Adoptio*? Resp. est *actus legitimus, per quem is, qui natura non est, assumitur in filium, aut nepotem*. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *qu.* 2. *art.* 1. Sylv. *V. adoptio n.* 1. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 63. *num.* 1. Guttier *cap.* 102. *de Matr. n.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *n.* 7. *princ.* Palao *tract.* 28. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 3. Vvagnereck *in c. un. hoc tit. not.* 1. Engl *hic nu.* 1. Pirhing *n.* 1. Vviest. *num.* 2. Reiffenstuel *num.* 2. & alii passim. Assumptioni huic occasionem dedit orbitas liberorum, cui ut succurreretur, apud plerasque Gentes receptum est, ut qui liberos ex se non haberent, ex alienis deligerent, sicque quod natura negavit, suppleretur Legali invento: nam sic assumpti perinde habentur, ac si procreati fuissent ex uxore propria *l. filiofamilias* 1. *pr.* & *l. si is, qui filium* 11. *ff. de Adoption.* 2

Quæritur 2. Quotuplex sit Adoptio? Resp. est duplex, una perfecta, altera Imperfecta. *Adoptio perfecta*, quæ etiam *Arrogatio* dicitur, est, qua persona extranea, quæ sui Juris est, rescriptio Principis transit in potestatem, & familiam adoptantis, ita, ut ipse non minus, ac filii naturales, hæres adoptantis necessarius ex Testamento in quarta parte bonorum fiat §. *cum autem* 3. *Inst.* & *l. Impuberem* 2. *C. de Adoption. Imperfecta*, quæ etiam *Simplex*, *in specie*, seu *specifica* appellatur, qua persona extranea, quæ non est sui juris, sed in potestate, & familia patris, vel avi sui naturalis consistit, & manet, ab aliquo Judicis cujuscunque competentis authoritate assumitur in filium, aut nepotem, quin in ejusdem potestatem, & familiam transeat; & propterea non fit adoptantis hæres necessarius ex Testamento, licet eidem ab intestato succedat §. *adoptio* 1. & §. *seq. Inst. de Adoption.* 3

Dixi *Extranea*, i. e. talis, quæ non est in adoptantis potestate, sive sit consanguinea, sive non. Interest autem, an' quis in adoptionem tradatur extraneo, an non extraneo: nam si filiusfamilias à patre naturali extraneæ personæ in Adoptionem (intellige, simplicem) datur, jura Patris naturalis, ut paulo antea dictum est, minime dissolvuntur, nec quidquam ad patrem adoptivum transit, nec in potestate ejus est adoptatus. Contra si pater naturalis non extraneo, sed avo filii sui materno, vel si ipse pater naturalis fuerit emancipatus, etiam avo paterno, vel pro avo simili modo paterno, vel materno filium suum dederit in adoptionem, tum adoptatus transit in potestatem patris adoptivi: quia hoc casu in unam personam convenerunt & naturalia cognationis, & Civilia Adoptionis jura §. *sed hodie* 2. *Inst. de Adopt.* 4

Quæritur 3. In quibus Arrogatio, & Adoptio simplex differant? Resp. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 63. *n.* 2. quintuplicem affert differentiam. 1. differunt, quia per simplicem adoptionem adoptatus non transit in potestatem adoptantis, nec fit hæres ejus necessarius ex Testamento, bene tamen ab intestato; at per Arrogationem transit in potestatem arrogantis, instar filii naturalis, & est hæres ejus necessarius ab intestato, ex Testamento autem in quarta bonorum parte §. *sed hodie* 2. *Inst. de Adopt.* 5

2 Adoptari potest, qui non est sui Iuris, ut filius sub potestate patris constitutus; at arrogari nequit, nisi qui sui juris est, nempe emancipatus, & liber homo; quia cum per Arrogationem tradatur quispiam in arrogantis potestatem, oportet eum esse sui juris, ut tradere se valeat *l. generalis* 2. *ff. de Adopt.*

3 Adoptio fit cujuslibet Judicis competentis authoritate, dum tamen apud eum plena sit actio, i. e. merum, & mixtum imperium *l. hi qui* 1. *C. de Adoption.* 6

4 Arrogator tenetur satisdare de restituendis bonis arrogati illis personis, ad quas essent perventura, si arrogatus in suo statu permansisset *l. nec ei* 17. §. *fin. ff. de Adoption.* quæ satisdatio in Adoptione non requiritur, cum per eam adoptatus maneat in statu pristino.

5 In Adoptionibus non requiritur verbum utrinque expressum; at in Arrogatione requiritur verbum utrinque; desideratur enim, ut Princeps, cujus authoritate fit Arrogatio, interroget arrogatum, an velit habere hunc in patrem, avum, vel proavum, & postquam

postquam respondetit *Volo*, idem Princeps exprimat sibi placere *l. generalis cit.* & propterea infans adoptati potest, arrogari non potest. Sanch. *n.* 2. *cit.*

7 Quæritur 4. Quæ conditiones requirantur, ut rite fiat Adoptio? Resp. Secundum Leges requiritur 1. ut adoptans sit masculus; nam fœminæ adoptare non possunt, nisi ex speciali concessione Principis §. *fœminæ* 10. *Inst. de Adoption.* ubi ratio additur; *quia nec naturales liberos in sua potestate habent.* Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 63. *n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 7. *pr.* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 4. Reiffenstuel *hic num.* 3.

2 Ut ex natura sua sit potens ad generandum §. *sed & illud* 9. *Inst. eod.* Unde Spadones adoptare non possunt; bene tamen Sacerdotes, utpote qui non natura, sed per accidens tantum, & moraliter inhabiles sunt ad generandum. Abb. *in c. un. hoc tit. n.* 4. Host. *n.* 4. Sanch. Laym. Pal. *loc. cit.*

8 3 Ut ita excedat ætate adoptatum, ut etiam hac spectata, hic ipsum habere possit pro patre, quod ista liberorum adoptio ad similitudinem generationis carnalis introducta fuerit, imo ex dispositione Juris adoptans adoptatum debuit plena pubertate, i. e. octodecim annis præcessisse §. *minorem* 4. *Inst. eod.* Sanch. Laym. Palao, Reiffenstuel *loc. cit.*

4 Ut sit sui juris, & major 25. annis; quia alias nondum habet administrationem suorum bonorum. DD. *cit.*

5 Ut persona extranea, cum adoptatur, sit præsens adoptanti, & in Adoptionem consentiat; quia absens nec adoptare, nec adoptati potest, etiam per Procuratorem *l. neque* 24. *& l. seq. ff. de adopt.*

9 6 Ut in Arrogatione Principis, in Adoptione alterius saltem inferioris Magistratus authoritas, cognitio causæ, an expediat pupillo arrogatio, & alia interveniant, quæ præscribuntur §. *cum autem Inst. de Adopt. l. generalis* 2. *ff. & l. fin. Cod. eod.* Ex quo sequitur, adoptatum, & legaliter Cognatum non habendum aliquem ex eo solo, quod fortan ex misericordia in defectu propriorum parentum tanquam filius alimentetur. Engl *hic num.* 6.

10 Quæritur 5. Quinam adoptari possint, & quomodo solvatur Adoptio? Resp. adoptari potest quilibet, sive masculus, sive fœmina, modo sit præsens; nam per procuratorem adoptari nemo potest, *l. post mortem* 25. §. *neque* 1. *ff. de adopt.*

Solvitur Adoptio sex modis. 1. Morte naturali adoptantis. 2. Morte ejus Civili. 3. Ob Nuptias incestuosas. 4. Ob Dignitatem, e. g. Episcopalem. 5. Per Sententiam. 6. Per emancipationem.

Hæc lata, & accurata discussione prosequuntur Juris Imperialis Interpretes *ad Rubricam citat. ff. Cod. & Inst.* nobis prælibasse sufficiat istam, & dixisse tantum, quando requiritur ad cognoscendam naturam Cognationis Legalis, de qua ulterius.

11 Quæritur 6. Quid sit *Cognatio Legalis*, & quæ ejus species? Resp. *Cognatio Legalis* est *proximitas, seu propinquitas personarum, proveniens ex adoptione*: per quæ ultima verba distinguitur à Cognatione Spirituali, quæ oritur ex collatione, & susceptione Baptismi, & Confirmationis; & à Cognatione naturali, quæ exsurgit ex unitate, & participatione sanguinis.

Species ejusdem tres à DD. referuntur. *Prima* in Linea recta inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes, si hi in potestate illius sint; nam isti loco parentum, & liberorum sunt: & hinc *l. quin etiam* 55. *pr. ff. de rit. Nupt.* nefas existimatur, eam ducere uxorem, quæ per adoptionem filia, neptisve esse cæperit; cui consonat §. *ergo non omnes* 1. *vers. & hæc adeo Inst. de Nupt. & can. ita diligere* 1. *caus.* 30. *q.* 3.

12 *Secunda* in Linea transversa inter adoptatum, & filios naturales adoptantis *l. per adoptionem* 17. *ff. de rit. nupt. &* §. *inter eas* 2. *Inst. de nupt.* ex quo *c. un. hoc tit.* translata verba sic habent; *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt.*

Tertia per modum Affinitatis inter adoptantem, & uxorem adoptati, & è converso inter adoptatum, & uxorem adoptantis *l. adoptivus* 14. *ff. eod.* ubi *in principio* Paulus, *adoptivus filius*, inquit, *si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest; quia novercæ locum habet:* Item §. *si quis* 1. addit, *Si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ nurus loco est, ne quidem post emancipationem filii ducere poterit; quoniam aliquando nurus ei fuit.*

Quæritur 7. An omnes hæ species Cognationis Legalis Matrimoniis contrahendis obstent? Facile convenit inter DD. duabus prioribus induci Impedimentum, & quidem dirimens Matrimonium propter *can. ita diligere* 1. *caus.* 30. *q.* 3. *can. post susceptum* 5. *quæst. cit. & c. un. hoc tit. Neque obstat*, quod in *can. ita diligere cit.* Pontifex solum dicat, Leges Civiles non permittere inter hujusmodi Cognatos Matrimonium, quasi innuat aliud esse secundum Canones; quia, ut Sanch. *D.* 63. *num.* 23. notat, id ait Pontifex ad denotandum, quod impedimentum hoc fuerit Legibus Civilibus inductum, quas ibi approbat, vocans eas *venerandas*. 13

De postrema Specie id aliqui, ab Host. *c. un. hoc tit. n.* 3. suppressis nominibus relati, negant, ex ratione, quod Jus Canonicum, à quo solo possunt Matrimonii impedimenta promanare, ejus Cognationis non meminit. *Sed* hoc non obstat, cum Tituli Rubrica sit generalis, adeo, ut merito censeri possint per eam Leges, à quibus Cognatio ista, & ortum inde impedimentum inductum est, fuisse confirmatæ etiam quoad tertiam hanc Speciem. *Hinc* dicendum, omnes tres Cognationis Legalis species vim habere Matrimonii dirimendi. Ita Host. *loc. cit.* Joan. Andr. *ibid. n.* 5. Ant. de Butrio *n.* 6. Ancharan. *n.* 5. Alex. de Nevo *n.* 9. Sanch. *D.* 23. *cit. n.* 12. *& duob. seqq.* Vvex Ariadn. *p.* 5. *tr.* 2. *contr.* 4. *n.* 2. Pith. *hic n.* 7. Vviest. *ibid. n.* 7. 14

Ratio est, quia eadem est omnium trium specierum, & impedimenti ex his exorti ratio, videlicet periculum incontinentiæ, & libidinum, in quas facile prolaberentur sic conjuncti Cognatione Legali, si periculum hoc, quod specialis amor, conjunctio, & familiaritas inter eos causat, non tolleretur, præscindendo spem conjugii, inter ipsos coalituri. Accedit, quod omnes istæ tres species Cognationis Legalis consuetudine Ecclesiastica sint receptæ, & approbatæ cons. æqualiter vim dirimendi Matrimonium inde acceperint. 15

Quæritur 8. An Impedimentum istud inducat Cognatio Legalis orta ex Adoptione solum perfecta, quæ est Arrogatio, an etiam, quæ oritur ex adoptione imperfecta, seu Simplici? Quod oriatur Impedimentum istud ex cognatione, quæ nascitur ex adoptione perfecta, concedunt omnes *ob l. adoptivus* 14. *pr. & l. seq. ff. de rit. nupt. can. ita diligere* 1. *can. per adoptionem* 6. *caus.* 30. *q.* 3. *& c. un. hoc tit.* 16

Dissentiunt quoad cognitionem Legalem, quæ oritur ex adoptione imperfecta. Affirmant Gloss. *in cap. un. cit. fin.* Abb. *num.* 5. Ancharan. *num.* 8. Alex. de Nevo *num.* 11. Henric. de Boich. *num.* 5. Angel. *V. Matrimonium* 3. *imped.* 8. *n.* 4. Covar. *p.* 2. *de Sponf. c.* 6. §. 5. *n.* 3. Gaeta *repet. can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 155. *n.* 404. Tolet. *l.* 7. *Summ. c.* 4. *n.* 1. Pont. *l.* 7. *c.* 41. *pr.* Guttier. *c.* 102. *de Matrim. n.* 5. Hurtad. *de Matr. D.* 19. *difficult.* 2. *n.* 3. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 9. Barbos. *in Rubr. hoc. tit. n.* 5. Gonzal. *in c. un. eod. n.* 10. *fin.* Clericat. *de Sacr. Matr. decis.* 28. *n.* 27. *& seq.* Honor. *hic n.* 7. Reiffenst. *ibid. n.* 10. 17

Nituntur 1. Quia textus utriusque Iuris indistincte loquuntur de adoptione in ordine ad præsentem materiam de impedimento Matrimonii; ergo possunt, imo debent intelligi etiam de adoptione simplici, cum nostrum non sit Leges generaliter loquentes distinguere, & limitare *arg. l. distinguemus* 32. *ff. de recept. qui arbitr. & l. de pretio* 8. *ff. de Publician. in rem action.* 2. si adoptio simplex excipienda esset, excipienda foret ob hanc rationem, quia ipsa solum est imperfecta adoptio; atqui hæc ratio nil evincit; nam Imperfecta dicitur, non, quod non sit vera, & proprie dicta adoptio, sed quia comparative ad perfectam est minus perfecta; ergo &c. 3. Licet consanguinitas, resultans ex linea obliqua, sit minus perfecta, quam ea, quæ oritur ex linea recta ascendentium, & descendentium, tamen etiam prior affert impedimentum dirimens Matrimonii; ergo licet adoptio simplex sit minus perfecta, quam Arrogatio, æqualiter tamen & ipsa dirimet Matrimonium. 18

Verum etsi sententia ista sit admodum probabilis, tenenda tamen, tanquam probabilior est negativa, 19

quam

quam etiam defendunt Innoc. *in c. un. hoc tit.* Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 8. *dict.* 4. *dist.* 42. *q.* 2. *art.* 2. *ad fin. Corp.* Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 57. *art.* 2. *concl.* 2. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 12. *num.* 3. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 63. *n.* 9. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 4. *dub.* 4. *n.* 74. Conink *D.* 32. *de Sacram. n.* 44. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 7. *n.* 3. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 120. Henr. Mayr *de Sponf. n.* 103. Henric. Canif. *in c. un. hoc tit. n.* 3. Vvex *Ariad. p.* 5. *tr.* 2. *contr.* 4. *n.* 9. *& seqq.* Zoef. *h.c n.* 2. Engl *n.* 3. Pirhing *n.* 4. Schambog. *n.* 4. Konig *n.* 9. Vvieftner *n.* 9. *&* 10. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 283. *& seqq.*

20 *Ratio est* 1. quia impedimentum hoc Cognationis Legalis, ut *numer.* 15. dictum eft, inductum eft ad vitandam fornicationem, quæ facile fieri poffet inter perfonas, in eadem domo commorantes; atqui periculum iftud ceffat in Adoptione fimplici, cum per eam adoptatus non traducatur in domum, & poteftatem adoptantis, 2. Iura Iuribus concordanda funt ad vitandam correctionem Jurium, quando ifta vitari poteft; optime autem concordantur, fi dicatur, Impedimentum illud induci folum Cognatione Legali orta ex Arrogatione, fubjiciente adoptatum poteftati adoptantis; nam de hac clare fatis loquuntur textus *l. adoptivus* 14. *l. per adoptionem* 17. *l. quin etiam* 55. *§. patris* 1. *ff. de rit. nupt.* ergo de hac etiam cæteræ Leges, & ipfi Canones, dum Cognationem Legalem, Iure Civili introductam, approbant, intelligi debent. 3. Matrimonium eft res admodum favorabilis *c. fin. de sent. & re judic. c. directæ* 39. *de Appell. & c. fin. de condit. appof.* & hinc Jura id prohibentia, & irritantia, quando ambiguus eorum fenfus eft, reftringi potius, quam extendi debent *Reg. odiofa* 15. *in* 6. reftringentur autem, fi Canones, & ipfæ etiam Leges Civiles recentiores, agentes de Cognatione orta ex Adoptione, & huic annexo connubiorum obice, fecundum Leges Pandectarum antiquiores intelligantur de Arrogatione; ergo &c.

21 Et hoc ita verum eft, ut ex Adoptione fimplici ne quidem oriatur Impedimentum impediens, conf. inter perfonas ita conjunctas licite contrahi Matrimonium poffit. Ita Sanch. *loc. cit. n.* 10. cum aliis *fupra*, contra quofdam alios, qui contrarium collegerunt ex paritate cum Catechifmo; nam Adoptio imperfecta eft via, & difpofitio ad Perfectam, ficut Catechifmus ad Baptifmum: ex quo intulerunt, ergo ficut ex Catechifmo Baptifmi oritur quædam Cognatio fpiritualis imperfecta quæ impedit Matrimonium, ita & per Adoptionem imperfectam contrahetur Cognatio Legalis imperfecta. Sed revera non eft paritas; quia in Catechifmo adeft expreffus textus id decidens, non autem in Adoptione imperfecta; nec poteft ex rationis fimilitudine induci Impedimentum impediens; alias dicendum effet, ex folo Exorcifmo oriri Cognationem Spiritualem imperfectam, eo quod & ipfe fit difpofitio ad Baptifmum. *Neque obftat*, quod etiam in Adoptione fimplici adoptatus dicatur filius, & adoptans pater: ficque Matrimonium inter illos videatur repugnare Honeftati; quia hanc honeftatem fpecialem non attenderunt Jura in ordine ad effectum dirimendi Matrimonium, vel illud impediendi, ut bene advertit, & probat P. Vvex *loc. cit. n.* 12.

22 Ad Argumenta *n.* 18. allata non difficilis patet refponfio. *Ad* 1. etfi Jus Canonicum non diftinguat inter Arrogatum, & Adoptatum fimpliciter, fufficit tamen, quod ratio Juris diftinguat, quæ eft cohabitatio. Accedit, quia Ius Canonicum in eo fenfu cenferi debet approbafle Cognationem Legalem, & Impedimentum ex ifta ortum, in quo fenfu introductum illud eft per Leges Romanas; atqui Impedimentum hoc per Leges Romanas *l. adoptivus l. per adoptionem*, *l. quin etiam cit.* introductum duntaxat eft ratione adoptionis perfectæ, qua adoptatus poteftati adoptantis fubjicitur; ergo &c. *Neque obftat*, quod etiam Leges Civiles recentiores utantur termino generali *Adoptio*; nam ut *n.* 20. dictum eft, hæ ipfæ Leges ad evitandam correctionem Jurium ab antiquioribus Legibus, utpote quæ magis expreffis verbis utuntur, lucem, & interpretationem accipiunt. *Ad* 2. Imprimis Simplex, & imperfecta Adoptio non eft fimpliciter, & omnino proprie dicta Adoptio, nifi adoptans fit avus paternus, vel maternus. Deinde efto, fit Adoptio proprie dicta, talis tamen non eft, de qua loquuntur Leges, quando agunt de Cognatione Legali, ut impediente Matrimonium, quippe quæ fecundum dicta intelligi folum de Arrogatione debent. *Ad* 3. Negatur paritas; nam quoad Confanguinitatem etiam pro linea obliqua habemus apertos textus Iuris utriufque, ut notum eft; at pro Adoptione fimplici imperfecta in ordine ad Matrimonium dirimendum hujufmodi textus clarus, & indubitatus nullus afferri poteft. Tribuitur quidem in Jure etiam adoptatis fimpliciter poteftas fuccedendi ab inteftato fed ex poteftate ifta vis dirimendi, vel impediendi Matrimonium non infertur, cum etiam alii fuccedant fibi invicem ab inteftato, inter quos tamen confiftere Matrimonium poteft, quales funt Agnati, & Cognati quinti, & ulterioris gradus, præmortuis propinquioribus.

Quæritur 9. Quo Jure Arrogatio, feu Adoptio perfecta dirimat Matrimonium? Refp. defacto, poftquam Matrimonii contractus inter fideles elevatus eft ad rationem Sacramenti, dirimit folum Jure Ecclefiaftico, quo approbatæ funt Leges Civiles, per quas primitus inductum fuit hoc Impedimentum nam fine hac approbatione Leges Civiles id inducentes attendi non deberent, cum connubialis contractus per eandem elevationem fit extractus ex poteftate laicali. Atque hinc fi apud Infideles hæc Adoptio fieret, & ea non obftante iniretur Matrimonium inter adoptantem, & filiam adoptivam, illud omnino validum foret, nifi fpeciali illorum Lege irritaretur; quia illi Ecclefiæ Legibus minime fubduntur; & ideo hujufmodi conjuges poft converfionem ad fidem non forent feperandi. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 63. *n.* 22. & ab eo *citt.* 23

Porro ficut Matrimonium Adoptio hæc dirimit, ita etiam dirimit Sponfalia de futuro, five illa præcedat, five fubfequatur; quia Sponfalia funt promiffio futuri Matrimonii, quæ non amplius impleri poteft, fuperveniente Impedimento dirimente; unde neceffe eft illa diffolvi prorfus. Sanch. *n.* 20. Alia eft ratio de Matrimonio contracto per verba de præfenti; nam hoc, fuperveniente Impedimento dirimente, non diffolvitur. 24

An vero eo cafu fic cognati impediantur à petitione debiti, controverfia moveri poteft; & ratio dubitandi eft; quia omne Impedimentum, quod dirimeret Matrimonium, fi contractum ejus præcederet, contractum illius fubfequens iftud dirimit fecundum quid, nimirum impediendo ejusdem ufum quoad debiti exactionem, juxta doctrinam Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 7. *dict.* 2. Verum eam doctrinam non approbat Sanch. *n.* 19. nifi textus expreffus inveniatur, qui interdicat eo cafu petitionem debiti. Hinc quia in Cognatione Legali hujufmodi textus non invenitur, putat eam, fi Matrimoniali contractui superveniat, non impedire petitionem debiti. 25

Quæritur 10. An Cognatio Legalis perpetuo, vel fi non perpetuo, quamdiu dirimat Matrimonium? Refp. diftinguendo inter tres fpecies Cognationis Legalis; nam *prima* in perpetuum dirimit Matrimonium, ita, ut Impedimentum, ex illa ortum, duret, & adoptans filiam adoptivam nequeat in uxorem ducere, etiamfi per emancipationem Adoptio fit foluta *can. ita diligere* 1. *cauf.* 30. *q.* 3. *§. ergo non omnes Inft. de Nupt. l. per adoptionem* 17. *ff. de rit. nupt.* Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 8. *dict.* 2. Sanch. *l.* 6. *de Matr. D.* 63. *n.* 24. Conink *D.* 32. *de Sacram. n.* 43. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 7. *n.* 3. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 11. Vivian. *in c. un. hoc tit. pr.* Barbof. *ibid. n.* 3. Gonzal. *n.* 9. Canif. *hic n.* 4. Vallenf. *n.* 2. Zoef. *n.* 3. Honor. *n.* 4. Pirhing *n.* 5. Engl *n.* 5. *verf. igitur*, Schamb. *num.* 6. Konig *num.* 11. Vvieftner *num.* 11. Reiffenftuel *n.* 5. Ratio eft, quia etfi emancipati gradum Liberorum amittant, nec ullum ex priftino veftigium retineant, ut habetur §. *minus ergo* 11. *Inft. de Hæred. quæ ab inteft. & l. in omni* 13. *ff. de Adoption.* manet tamen ratio honeftatis, quæ uxorem non patitur effe illam, quæ per adoptionem filia effe cœperit, vel neptis §. *ergo non omnes cit.* 26

Secunda, quæ inter Liberos adoptantis naturales, & adoptivum contracta eft, Matrimonium inter ipfos tamdiu folum dirimit, quamdiu durat adoptio. Sanch. *n.* 24. *cit.* Conink *n.* 43. *verf. rurfum*, Palao *n.* 15. Vivian. *loc. cit. verf. & quoniam*, Barbof. *n.* 2. Gonzal. *n.* 3. *&* 10. Vallenf. *n.* 3. Zoef. *n.* 5. Honor. *n.* 6. Reiffenft. *n.* 6. cum reliquis 27

liquis *supra*. Sumitur ex *can. post susceptum* 5. *caus.* 30. *qu.* 3. & clarius ex *cap. un. hoc tit.* Ex quo sequitur, quod pater filiam suam adoptivam, si illam emanciper, & conf. patria potestas in illam cesset, tradere in uxorem filio suo naturali & legitimo possit *can. per adoptionem* 6. *q. cit.* Layman *loc. cit.* Canis. *n.* 2. Gonzal. *n.* 10. Schambog. *num.* 6. *Ratio est*, quia soluta per emancipationem patria potestate, adoptatus, & filia naturalis adoptantis desinunt esse frater, & soror, & adoptatus incipit esse extraneus *l. quin etiam cit. in fin.* Debet tamen in dissolvenda per emancipationem adoptione observari solemnitas Legibus præscripta; sicut enim adoptio sine authoritate Magistratus contrahi nequit, ita nec dissolvi, cum juxta *Reg. omnis* 1. *de R. J. Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvatur*.

28 *Tertia* denique Species cognationis Legalis, quæ per modum affinitatis, ut dixi, contracta est inter adoptatum, & adoptantis uxorem tanquam inter privignum, & novercam, & vicissim inter adoptantem, & adoptati uxorem, tanquam inter socerum, & nurum, iterum Matrimonium dirimit perpetuo, etiam dissoluta per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati adoptione *l. adoptivus* 14 *pr.* & §. *nunc videamus* 4. *vers. quidam ff. de rit. nupt.* Sanch. *n.* 24. Layman *n.* 3. Palao *n.* 16. cum reliquis *supra allegatis*. Ratio est reverentia, quam sibi invicem debent nurus socero, & novercæ privignus, quorum instar fiunt per adoptionem.

29 Quæritur 11. Quousque, & ad quos gradus extendatur Impedimentum cognationis Legalis inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes? Resp. de hoc nihil certi in Jure haberi potest: & propterea discordant DD. nam Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 63. *n.* 34. qui pro se allegat S. Thomam, D. Antoninum, Sylvestrum putat Impedimentum hoc protrahi in infinitum, adeo ut adoptans cum nullo ex descendentibus adoptati contrahere Matrimonium possit. Rationem dat, quia adoptata aliqua persona, censentur adoptati filii, & descendentes omnes. *Excipit* eos, qui tempore adoptionis erant extra potestatem adoptati; nam cum his nullam contrahit adoptans Cognationem Legalem, conf. nec Impedimentum Matrimonii.

30 *Contra* alii cum Soto, Navarro, Toleto, Sà, Valentia, Philiarcho, Petra de Ledesma apud eundem Sanch *n.* 32. volunt solum Matrimonium dirimi inter adoptantem, & adoptatum, hujusque descendentes usque ad quartum gradum *arg. cap. non debet* 8. *de Consang.* quo ad eum gradum restrictum est Impedimentum consanguinitatis, & affinitatis. Verum hæc ratio non multum probat; imprimis enim eo textu solum restrictum est impedimentum consanguinitatis in linea transversa. Deinde diversa consanguinitatis, & cognationis Legalis est ratio; nam Impedimenta consanguinitatis, & affinitatis sunt frequentissima, Impedimentum cognationis Legalis autem rarissimum, ut adeo ratio fuerit restringendi illa, non istud. Et hanc ob causam videtur probabilior Sententia prior.

31 Sed quidquid sit, non est necesse multa circa hoc disquisitione; quia ultra gradum quartum descendentium à filio adoptivo adoptans non vivet, & hinc periculum non est, ne in gradu probibito contrahat Matrimonium. Solum hic noto, plures esse personas, inter quas, etiam stante Adoptione, consistere Matrimonium potest.

Et 1. quidem consistere, Adoptione durante, potest Matrimonium inter adoptantem, & adoptati matrem; quia inter eos cognationem Legalem contrahi, & conjugium dirimi, nullo Jure cautum reperitur. S. Thom. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 1. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 13. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 8. *dict.* 2. Navar. *Man. c.* 22. *num.* 45. Sanch. *D.* 63. *cit. nu.* 26. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 7. *n.* 3. Barbos. *in c. un. hoc tit. num.* 4. Vallens. *hic n.* 3. *vers. cæterum*, Pirhing *n.* 9. Schambog. *n.* 8. Konig *n.* 5. *dict.* 1. Vviest. *n.* 13.

32 2 Inter adoptantem, & filiæ adoptivæ filiam; quia ista non est in potestate Matris, & conf. etiam non transit in potestatem adoptantis §. *fœminæ* 10. *Inst. de Adoption.* neque ab isto censetur adoptata *arg. l. si Paterfamilias* 15. *ff. eod.* Angel. *V. Matrimonium* 3. *Imped.* 8. *nu.* 5. Rosell. *V. Impedimentum, Imped.* 7. *n.* 5. Sylv. *dict.* 5. Sanch. *num.* 35. Zoes. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 9. *cit.* Vviest. *n.* 14.

3 Inter adoptantem, & filiam illegitimam filii adoptivi, quia haec non est in potestate adoptantis §. *si adversus* 12. *Inst. de Nupt.* Sanch. *n.* 36. Vviest. *nu.* 14. Reiffenstuel *num.* 7.

4 Inter filium illegitimum adoptantis, & filiam adoptivam ejusdem adoptantis, & vicissim ex *eodem* §. & ratione. Navar. *n.* 45. *cit.* Sanch. *nu.* 30. Conink *D.* 32. *n.* 44. Laym. *n.* 7. Canis. *n.* 3. *fin.* Vallens. *n.* 4. Honor. *n.* 7. Schambog. *n.* 8. Konig *n.* 2. *vers. fraternitas*, Vviest. *n.* 16. cum aliis *supra*. 33

5 Inter filium, & filiam duorum fratrum adoptivorum; quia isti nullo cognationis vinculo inter se vinciuntur. Alex. de Nevo *in c. un. hoc tit. num.* 16. Sylv. *dict.* 2. Sanchez *n.* 29. Schambog. *num.* 11. Vviest. *n.* 17. & alii *supra*.

6 Denique inter duos adoptivos, seu qui adoptati sunt ab eodem parente; quia id nullo Jure est vetitum; nam *cap. un. hoc tit.* agitur de vera filia patris adoptantis, quæ per adoptionem incipit esse soror adoptiva filii adoptivi sui legitimi patris. Gloss. *in cap. un. cit. V. quamdiu*, Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 5. *fin.* Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 12. *num.* 3. *fin.* Sanch. *nu.* 28. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 121. Laym. *n.* 3. Zoes. *n.* 6. Engl *nu.* 5. *vers. inter*, Reiffenstuel *nu.* 8. cum aliis *supra* allegatis. Neque obstat, quod in eadem domo simul apud adoptantem manere debeant, & sic videatur esse eadem ratio, ob quam dirimitur Matrimonium inter filios naturales, & adoptivos adoptantis; quia, ut bene advertit Sanch. *loc. cit.* Impedimenta ex sola rationis similitudine inducenda non sunt. 34

Quæritur 12. An Impedimentum cognationis Legalis oriatur ex Unione prolium, vulgo *Rindschafft, oder Erb-Berbrederung*? Resp. Quamvis hæc sit quædam Adoptionis species, ejusque solemnitates requirat, teste Gaill. *l.* 2. *observ.* 125. *num.* 6. & 8. verius tamen ex ea non oritur Impedimentum cognationis Legalis. Engl *hic n.* 7. Konig *nu.* 10. & alii communiter. *Ratio est*, quia non omnis adoptio causat Impedimentum, & talis unio non tam fit propter majorem conjunctionem personarum, quam potius bonorum, ut diversorum Matrimoniorum liberi æqualiter in bonis tam paternis, quàm maternis succedant. 35

Et hinc si Viduus ducat Viduam & ambo jam prius ex alio Matrimonio habeant liberos, quos deinde per Matrimonium conjungant, non obstante hac conjunctione, adhuc inter eos Matrimonium esse poterit; cum enim hæc Unio prolium sit Jure scripto incognita, & tantum de consuetudine introducta, Leges nihil de ea constituerunt: sine textu autem expresso aliquod Impedimentum statuere plane inconveniens videtur. *Novell.* 18. *c.* 5. 36

Quæritur 13. Quis dispensare in cognatione Legali possit? Resp. clarum est in hac dispensare posse Summum Pontificem, & quidem solum, cum sit impedimentum, Juris communis. In Linea recta, & in Affinitate Legali, teste Konig *hic num.* 12. dispensat difficillime, & non nisi ex gravi causa. In Linea transversali Dispensatio raro petitur, cum in promptu sit emancipatio, qua cognationis Legalis Impedimentum tollitur ita, ut adoptatus citra ullam Dispensationem cum filia carnali adoptantis Matrimonium inire possit, ut dictum est *num.* 27. 37

TITULUS XIII.

De eo, qui cognovit Consanguineam Uxoris suæ, vel Sponsæ.

SUMMARIUM.

1 *Affinitas contrahitur etiam per copulam illicitam.*
2 *Peccans cum consanguinea uxoris suæ privatur jure petendi debitum.*
3 *Et tam ipse, quam complex prohibetur à contrahendo Matrimonio cum alia quacunque persona.*
4 *Quod Impedimentum est tantum impediens.*
5 *Hujus effectus.*
6 *Prius Impedimentum adhuc viget.*
7 *Posterius probabiliter consuetudine defacto sublatum est.*
8 *Utrumque extenditur defacto duntaxat ad casum, quo*

quo incestus commissus est cum consanguinea uxoris in primo, vel secundo gradu.

9 *Hujus ratio.*

10 *Qui peccat cum consanguinea Sponsæ in primo, & secundo gradu, nequit amplius contrahere Matrimonium cum Sponsa, & aliis in simili gradu conjunctis.*

11 *Et prohibetur nuptias inire cum alia quacunque.*

12 *Quod multo magis procedit in peccante cum consanguinea Sponsæ de præsenti.*

13 14 *Impedimentum in Sponsalibus de futuro est temporale.*

15 *Perpetuum in Sponsalibus de præsenti.*

16 *Quoad vim impediendi Matrimonium cum alia hodie exolevit.*

17 *Disparitas peccantis cum consanguinea uxoris, & peccantis cum Consanguinea Sponsæ de futuro.*

18 *Ut Impedimentum hoc inducatur, requiritur, ut incestus sit commissus cum consanguinea uxoris, aut Sponsæ vera.*

19 *Et scienter.*

20 *Item ut incestus iste sit voluntarius.*

21 *Et consummatus.*

22 *Non autem est necesse, ut sit publicus, & notorius:*

23 *Vel ut incestuosus sciat, hoc Impedimentum esse à Jure statutum.*

24 25 26 *Idem Impedimentum incurrit uxor, vel Sponsa delinquens cum consanguineis mariti, vel Sponsi.*

27 28 29 *Peccans cum consanguinea propria Impedimentum hoc non incurrit.*

30 *Si agatur de Matrimonio contrahendo, etiam uni alleganti Impedimentum creditur.*

31 *Si de eo dissolvendo, plena probatione est opus.*

32 33 *An ea opus sit etiam, quando agitur de Matrimonio contracto conservando?*

1 COgnationem Spiritualem, & Legalem sequitur *Cognatio Naturalis*, quæ duplex est, *Consanguinitas*, & *Affinitas*; nam etiam Affinitas vulgari sermone venit *Cognationis* nomine, ut Gonzal. *in cap. fin. hoc tit. num.* 4. cum aliis ex Aristotele *lib.* 2. *Eth. cap.* 3. notat. Affinitas contrahi potest vel per copulam licitam, vel per illicitam. In quo Jus Canonicum recedit à Jure Civili; nam Jure Civili Cognatio, & Affinitas dicitur oriri solum ex justis nuptiis *l. non facile* 4. §. *sciendum* 8. *ff. de gradib. & affinib.* At Jure Canonico tam Cognatio, quam Affinitas etiam oritur ex copula illicita, & fornicaria; neque illegitime natus ducere potest fœminam, per patrem, vel matrem suam, quamvis illegitima nativitate, sibi conjunctam. Vel potius, ut vitetur Juris Canonici à Civili divortium, textus *loc. cit.* intelligendus est, non de Cognatione à natura introducta; nam ex hac illegitimus revera etiam filius, vel frater, aut cognatus est *toto Tit. ff. & C. de natur. liber.* sed quod non sit Cognatus in ordine ad effectus Juris Civilis, qui Cognatis alias adscribuntur, uti sunt successio hæreditaria, tutelæ administratio, nobilitas familiæ &c. Porro de affinitate, quæ per copulam licitam contrahitur, agetur *Tit. seq.* ubi etiam de consanguinitate. Hoc *Titulo* tractabitur de Affinitate, quæ contrahitur per copulam illicitam, & quæritur, quale Impedimentum præstet Matrimoniis tum contrahendis, tum contractis: in quo distinguendum est, an copula illicita præcesserit Matrimonium, an vero sequatur illud jam ante contractum. Et hinc

2 Quæritur 1. Quale Impedimentum contrahat maritus, qui post contractum Matrimonium incestum committit cum consanguinea uxoris suæ? Resp. hic duplicem incurrit pœnam; nam 1. privatur jure petendi debitum à propria sua uxore, quamvis isti illud petenti teneatur reddere, ne mariti sui injuria, & culpa redundet in ejusdem præjudicium. Ita Sylv. *V. Matrimonium* 8. q. 15. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 2. *n.* 6. Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. D.* 16. *n.* 1. Pont. *l.* 6. *de Matr. c.* 13. *n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 3. *vers. nihil refert*, Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. vers. sed exactionem*, Canis. *ibidem num.* 1. Barbosa *n.* 1. Gonzal. *n.* 4. & *in c. fin. eod. n.* 5. Vallens. *hic n.* 2. *vers. dixi*, Zoes. *n.* 6. Honor. *n.* 3. Engl *n.* 1. Pirhing *n.* 2. Schambog. *n.* 3. Vviestner *n.* 1. & statuitur *c. si quis* 1. *cap. transmissæ* 4. & *cap. fin. hoc tit. Neque refert*, sive delictum hoc sit occultum, sive publicum; quia utroque casu affinitas contrahitur, ob quam solam incestum committens privatur jure petendi debitum. Laym. *loc. cit. not.* 2. Vallens. *n.* 7. Zoes. *n.* 11. Vvagnereck *in cap.* 4. *cit. not.* 1.

2 Eodem casu tam maritus, quam ipsius in incestu complex impediuntur à Matrimonio contrahendo, uxore mortua, non tantum secum invicem (nam hoc per se clarum est ob impedimentum dirimens Affinitatis) sed etiam cum alia quacunque persona *can. concubuisti* 23. *caus.* 32. *quæst.* 7. *cap. si quis* 1. *cap. veniens* 2. & *transmissæ* 4. *hoc tit.* in pœnam gravissimæ irreverentiæ Sacramento Matrimonii, & injuriæ, quam per talem incestum passa est uxor. Sanch. *D.* 15. *cit. num.* 3. Vivian. *in cap.* 1. *cit. vers.* & *crimen.* Barbosa *ibid. n.* 1. Gonzal. *in c. fin. eod. n.* 5. Canis. *ad Rubr. hoc tit. n.* 2. Zoes. *hic n.* 6. Engl *n.* 2. Pirhing *n.* 2. & 3. Schambog. *n.* 3. Reiffenstuel *tit.* 14. *infra num.* 55. *Extenditur* Impedimentum istud etiam ad casum, quo maritus incestum committit cum consanguinea uxoris suæ jam defunctæ, ut ex *cap. transmissa cit.* desumitur Gaeta *in can. ad limina* 7. *caus.* 30. *q.* 3. §. 4. *num.* 295. Sanch. *loc. cit. num.* 12. Canis. *in cap.* 1. *cit. num.* 2. Barbosa *in c.* 4. *n.* 1. & 2. Vvagnereck *ibid. not.* 1. Vallens. *hic n. num.* 7. Engl *n.* 5. Pirhing *n.* 4. Schambogen *num.* 4. Vviestner *num.* 3. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 56. 3

Dub. 1. An Impedimentum istud sit solum impediens, an vero etiam dirimens? Resp. cum distinctione; nam respectu complicis in incestu est dirimens, non tamen ratione incestus, sed Affinitatis, quæ consurgit ex Matrimonio contracto cum uxore sua, & dirimit Matrimonium cum consanguineis uxoris usque ad quartum gradum. Respectu aliarum personarum, cum quibus tam maritus, quam illius in incestu complex prohibetur contrahere, est solum impediens: & hinc si tali casu vir post mortem uxoris, aut ejus in delicto complex contra prohibitionem SS. Canonum aliud Matrimonium cum alio initer, illud validum forer, ut recte Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 2. *n.* 6. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 15. *n.* 1. Vivian. *in c.* 1. *vers.* & *crimen in fin. hoc tit.* Canis. *ibid. n.* 2. Zoes. *hic n.* 6. Pirhing *n.* 2. *not.* 1. *vers. altera*, Schamb. *n.* 3. Vviestner *n.* 6. *Ratio est*, quia textibus *supra citatis*. Matrimonium tali incestuoso cum alio ineundum solum interdicitur, non vero contra prohibitionem initum irritatur. 4

Habet autem prohibitio hæc duplicem effectum: quorum *primus* est, ut Matrimonium absque dispensatione contrahens peccet; & ideo Impedimentum istud inter Impedientia recensetur. *Alter*, quod si contraxit contra prohibitionem Ecclesiæ aliud Matrimonium cum alia, prima sua uxore mortua, debitum quidem ei teneatur reddere, sed nisi cum ipso dispensatum sit, illud non possit petere, ut notat Covar. *n.* 5. *cit.* Sanch. *n.* 12. Pirhing *n.* 5. Vviestner *loc. cit.* Neque ad Impedimentum hoc incurrendum desideratur Judicis sententia, sicut non desideratur ad incurrenda alia Impedimenta tum dirimentia, tum impedientia. 5

Dub. 2. An Impedimentum istud moderno usu adhuc receptum sit? Resp. sub distinctione data *num.* 4. Nam *quoad amissionem Juris petendi debitum* ab altero conjuge, cujus consanguineam violavit conjux incestuosus, Impedimentum hoc adhuc viget. *Monet* tamen hic P. Engl *num.* 9. si Confessarius videat, quod incestuosus sit in bona fide, & invincibiliter ignoret (sicut homines agrestes plerumque ignorant) obligationem non petendi debitum à legitima sua conjuge, ac simul adsit periculum incontinentiæ, & transgressionis, non esse istum ab illo commonendum de obligatione ista; quia alias, qui propter bonam fidem non peccavit, jam exponeretur periculo peccandi. 6

Alterum Impedimentum, quo prohibetur incestuosus, & ejus complex contrahere Matrimonium cum quacunque alia persona, verisimilius non usu, seu consuetudine contraria est sublatum, ut recte observant Navarr. *Man. cap.* 22. *num.* 75. Perez *D.* 23. *de Matrim. sect.* 5. *num.* 8. Vviestner *hic nu.* 15. Reiffenstuel *tit.* 14. *infra num.* 61. ex quibus testatur Navarr. *loc. cit.* se nunquam vidisse, vel intellexisse, quod ullus incestuosus petierit dispensationem vel à Papa, vel ab Episcopo, nisi ut contraheret cum ea, cum qua incestum commisit, vel cum ejus consanguinea, ob Affinitatem inde ortam. Quare nisi in aliqua Provincia, vel Diœcesi Impedimenti istius usum vigere constet, pœnitentes incestuosi, 7

præ-

præsertim juvenes, à Matrimonio cum aliis contrahendo non facile arcendi sunt.

8 Dub. 3. In quo gradu debeat complex incestus esse consanguinea uxoris, ut tam ipsa, quam maritus, incestum cum ea committens, contrahant Impedimentum istud? Resp. Jure antiquo extendebatur ad quartum gradum *arg. cap. non debet* 8. *de consang. & affinit.* At novissimo Jure Tridentini Impedimentum Affinitatis, ortum ex copula fornicaria, non porrigitur ultra gradum secundum *sess.* 24. *cap.* 4. *de reform. Matr.* adeoque post Concilii istius Decretum jam maritus à debiti conjugalis petitione non impeditur, nisi fornicatus fuerit cum uxoris suæ consanguinea in primo, vel secundo gradu, prout recte observant Sà *V. Matrimonium de Imped. imped. num.* 7. Sanch. *l.* 7. *D.* 15. *num.* 4. Guttier. *c.* 99. *n.* 16. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 5. *nu.* 3. *not.* 4. Fagnan. *in cap. non debet* 8. *de consang. num.* 17. *& in cap. fin. eod. nu.* 17. *& trib. seqq.* Barbosa *in c. fin. hoc tit. n.* 3. Gonzal. *ibid. num.* 5. Vvagnereck *in c.* 4. *eod. not.* 3. Vallens. *hic num.* 6. Zoes. *num.* 8. Honor. *num.* 1. Engl *n.* 6. Pith. *num.* 21. *&* 29. Schambog. *n.* 18. Vviestner *n.* 1. Konig *tit.* 14. *num.* 31. Reiffenstuel *ibid. n.* 54. & teste *Fagnano* declaravit *S. Congr. & S. Pius V. mot. propr. edito* 20. *August.* 1566.

9 *Ratio est*, quia pœna illa incurritur propter incestum cum consanguinea conjugis ratione Affinitatis inde contractæ cum uxore: atqui hodie ex actu fornicario ultra secundum gradum non contrahitur Affinitas impediens Matrimonium, vel usum illius; ergo &c. Et hinc is, qui v. g. cum concubinæ suæ consanguinea in gradu tertio fornicatur, non committit crimen incestus, sed tantum simplicem fornicationem, si solutus sit, adulterium, si conjugatus, adeo, ut circumstantiam hanc Affinitatis in Confessione explicare non teneatur. Guttier. *l.* 1. *can. c.* 23. *n.* 3. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 67. *n.* 8. Laym. *not.* 4. *cit.* quandoquidem Incestus non dicitur, nisi earum personarum carnalis copula, inter quas Matrimonium consistere nequit, ut colligitur ex *toto Tit. C. de incest. & inut. Nupt.* Dixi, *Qui cum concubinæ suæ consanguinea fornicatur*; nam si fornicetur quis cum consanguinea uxoris suæ etiam in tertio, & quarto gradu, explicare circumstantiam istam in Confessione tenetur, quamvis propterea non impediatur à petitione debiti; quia cum inter eos consistere nequeat Matrimonium ratione Affinitatis contractæ cum complice, revera committi incestum; quia vero incestus iste non vicissim causat Affinitatem cum uxore, ratione cujus solius tollitur incestuoso jus petendi debitum, ideo hoc jus adhuc integrum ipsi manet.

10 Quæritur 2. Quale Impedimentum contrahat Sponsus, si fornicetur cum consanguinea suæ Sponsæ, huic conjuncta in primo, vel secundo gradu? Resp. hoc casu incurri duplex Impedimentum: ex quibus *primum* est dirimens, vi cujus Sponsus prohibetur contrahere Matrimonium cum Sponsa, & ejus consanguineis in primo, & secundo gradu, & vicissim Sponsa prohibetur contrahere cum Sponso, & hujus consanguineis in simili gradu conjunctis, idque ob Affinitatem ex ejusmodi copula exsurgentem, ut statuitur *c. veniens* 2. *& 9. hoc tit.* & notat Abb. *in c.* 2. *cit. n.* 3. Alex de Nevo *n.* 3. Canis. *n.* 2. Vvagnereck *not.* 1. Gonzal. *in c. fin. n.* 2. *&* 6. Vallens. *hic n.* 1. *vers. si igitur*, Zoes. *n.* 3. Honor. *n.* 2. Engl *n.* 10. Pirhing *n.* 9. Schambog. *n.* 5. Vviest. *n.* 4. Konig *tit.* 14. *n.* 30. Reiffenstuel *ibid. num.* 62. *Ex quo sequitur*, quod Affinitas superveniens ex concubitu fornicario majorem vim habeat, quam, Sponsalia quippe quæ dissolvuntur, superveniente hujusmodi Affinitate.

11 *Alterum* est Impediens, quo Sponsus, & hujus complex, si illa sit consanguinea Sponsæ in primo gradu, videlicet mater, filia, vel soror illius, inhabiles redduntur ad licite contrahendum Matrimonium etiam cum alia persona, ut colligitur partim ex *c. citt.* partim ex Decreto Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *de reform. Matr.* ubi Impedimentum publicæ honestatis, inter Sponsum, & consanguineos Sponsæ, ex Sponsalibus de futuro ortum, ad primum gradum reducitur; inductum enim est Impedimentum hoc secundum ob violatam publicam honestatem, ortam ex Sponsalibus, accedendo ad Sponsæ consanguineam: unde cum Honestatis publicæ impedimentum extra primum gradum in Sponsalibus de futuro se non extendat, nec pœna hæc, & Impedimentum se ultra illum gradum extendet. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 408. Guttier. *de Matr. c.* 87. *n.* 8. Sanch. *D.* 15. *cit. n.* 5. *in fin.* Vallens. *hic n.* 2. Pirh. *n.* 9. *not.* 2. Schamb. *n.* 5. Vviest. *n.* 5.

Simile Impedimentum, & à fortiori incurrit Sponsus fornicationem commitens cum consanguinea Sponsæ suæ de præsenti, seu cum qua contraxit Matrimonium ratum; imo Impedimentum hoc in quibusdam est fortius. Nam *primo* peccans cum consanguinea sponsæ de præsenti contrahere Matrimonium nequit cum ulla intra quartum gradum conjuncta Sponsæ: idque ratione publicæ honestatis, quæ ad eum gradum ex Matrimonio rato se extendit. 2. Impedimentum, ex his Sponsalibus ortum, quo prohibetur delinquens etiam post mortem Sponsæ suæ de præsenti aliam ducere, se extendit ad quartum gradum; nam ut paulo antea dictum est, ad eum gradum se extendit Publica Honestas in Matrimonio rato, ratione cujus violatæ hæc pœna indicta est. 3. In Sponsalibus de futuro ad aliam ducendam, quæ Sponsæ in primo, & secundo gradu conjuncta non est, dispensare potest Episcopus; nam de hujus dispensatione *Abb. Alex. de Nevo*, *Sanch. loc. cit.* intelligunt verba *c. veniens* 2. *hoc tit.* ubi Alexander III. *Si matrem Sponsæ suæ cognovit, si Sponsæ nunquam carnaliter adhæsit, poterit ex dispensatione cum alia contrahere*. Contra qui peccavit cum consanginea Sponsæ suæ de præsenti, ut ex communi Sanch. *loc. cit.* notat, non potest cum alia contrahere ex dispensatione Episcopi. 12

Dub. 1. An Impedimentum, quo peccans cum consanguinea suæ Sponsæ de futuro prohibetur cum alia contrahere Matrimonium, sit perpetuum? Resp. probabilius non esse perpetuum, sed temporale, quamdiu scilicet complicum uterque vivit, ut recte advertunt *Abb. in c. duo pueri* 12. *de Despons. impub. n.* 7. Alex. de Nevo *ibid. n.* 9. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. *pr. n.* 4. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 15. *n.* 5. Vvagnereck *in cap.* 2. *hoc tit. not.* 3. Vallens. *hic n.* 2. Pirhing *n.* 10. Schambog. *n.* 5. Vviest. *n.* 6. & colligitur Argumento ducto à sensu contrario ex *cap. duo pueri cit.* ibi: *Neutri, vivente altero, dabitur licentia contrahendi*: ex quo sequitur, si istorum alter sit mortuus, cessare hoc Impedimentum, atque adeo superstitem libere posse contrahere aliud Matrimonium. 13

Ratio, quare vivente complice, Ecclesia utrique interdixerit nuptias cum alia persona, est ne delictum maneat impunitum: quod vero alterutro mortuo, superstiti permiserit conjugium cum alia persona, quod prohibuit illi, qui incestum commisit cum consanguinea uxoris suæ, causa fuit, quia fornicatio cum consanguinea Sponsæ non est proprie incestus, sicut tamen incestus est fornicatio cum consanguinea uxoris, eo, quod per Matrimonium consummatum contrahatur Affinitas cum consanguineis conjugis, non autem per sponsalia, sed tantum Impedimentum publicæ Honestatis; cum ergo, qui fornicatus est cum consanguinea Sponsæ suæ, minus peccaverit, quam qui fornicatus est cum consanguinea uxoris suæ, decebat eum etiam puniri mitius, & ex parte ipsius induci impedimentum temporale tantum, licet per incestum commissum cum consanguinea uxoris contrahatur Impedimentum perpetuum. 14

Dub. 2. An simili modo temporale duntaxat impedimentum sit, quod oritur ex fornicatione commissa cum consanguinea Sponsæ de præsenti? *Ratio dubitandi* est, quia nec ista copula est incestus; incestus enim proprie est cum consanguineis, & affinibus. atqui ante Matrimonium consummatum non est proprie Affinitas contracta, sed intercedit tantum Impedimentum publicæ honestatis. ergo &c. 15

Sed dicendum hoc Impedimentum in casu, quo Sponsus peccat cum consanguinea suæ Sponsæ de præsenti, esse perpetuum, & persistere etiam post mortem alterutrius complicum. Ita Sylv. *V. Luxuria q.* 4. *dict.* 5. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 15. *n.* 6. & sumitur ex *c. transmissæ* 4. *hoc tit.* ubi incestuoso conjugi petitio debiti, & Matrimonium novum in perpetuum prohibetur. atqui ut privetur jure petendi debitum, perinde est, an matrimonium cum conjuge, cujus consanguineam violavit,

lavit, sit consummatum, sive non; nam utroque casu petitionem debiti impedit Affinitas contracta cum sua conjuge; ergo perinde etiam erit in ordine ad inducendum impedimentum perpetuum Matrimonii contrahendi deinceps.

Ad Rationem dubitandi licet talis copula cum consanguinea Sponsæ de præsenti incestus non sit, ea tamen læditur Matrimonium jam initum, ad quam injuriam vindicandam SS. Canones induxerunt privationem Juris petendi debitum.

16 Dub. 3. An Impedimenta ista moderno usu adhuc recepta sint? Resp. cum distinctione, qua usus sum *n. 6.* dum agerem de Impedimento, quod incurrit maritus peccans cum consanguinea uxoris: nam triplex Impedimentum Sponsus peccans cum consanguinea Sponsæ suæ incurrit. 1. Si Sponsus sit de præsenti, contracto jam Matrimonio rato, prohibetur petere debitum à sua conjuge. 2. Si per verba de futuro desponsatus sit, contrahere nequit Matrimonium cum sua Sponsa. 3. Uterque vetatur inire Matrimonium cum alia quacunque. Ex his Impedimentis duo priora Impedimenta moderno usu adhuc recepta sunt; tertium probabilius non usu, seu consuetudine contraria sublatum est, vel si adhuc alicubi viget, potestatem in eo cum Sponso de futuro, & ejus complice dispensandi ordinariam vi Juris communis habet Episcopus secundum dicta *n.* 12.

17 *Ex quo sequitur*, quod diversa sit ratio peccantis cum consanguinea Sponsæ suæ, cum qua Sponsalia de futuro duntaxat habet, & alia peccantis cum consanguinea uxoris suæ? nam huic non conceditur Dispensatio, vel saltem non nisi difficulter. *Ratio diversitatis* est, quia, ut *n.* 14. innuit, iste, qui cum consanguinea uxoris suæ peccat, delinquit gravius, utpote incestum verum committens; minus graviter peccat qui peccat cum consanguinea Sponsæ suæ, quippe cujus delictum est solum quasi incestus.

18 Quæritur 3. Quid requiratur, ut contrahantur relata Conjugiorum Impedimenta Resp. Ex communi necessarium est. 1. ut incestus sit commissus cum uxoris, vel sponsæ consanguinea vera; nam si fornicatio commissa sit cum uxoris, vel Sponsæ Cognata Spirituali, vel Legali, Impedimenta ista non contrahuntur. Navar. *tit. de Cognat. Spirit. cons.8. n.6. & 8.* Palacios *in 4. dist.34. D.2. col.11. vers. cæterum*, Sanch. *l.7. de matr. D.15. n.8.* Zoes. *hic n.13.* Engl *n.7.* Pirh. *n.20.* Vviest. *n.* 10. Ratio est, quia copula inter Cognatos Spirituales, aut Legales tantum non est vere incestus: cons. Canones, Impedimenta ista statuentes incestui, non debent ad hanc extendi, cum extensionis istius nullum sit fundamentum in Jure.

19 2. Ut incestus ejusmodi sit scienter commissus, h. e. ut maritus, aut sponsus sciat, se cum hujusmodi consanguinea peccare; id enim expressis verbis desiderat textus *c. siquis 1. hoc tit.* ibi, *Scienter*. Et hinc siquis per ignorantiam habeat copulam cum uxoris suæ Sorore, vel alia consanguinea, quam putabat esse suam uxorem, non prohibetur petere debitum ab uxore sua, vel hac mortua, contrahere Matrimonium cum alia. Farin. *prax. crim. q. 17. n.9.* Sanch. *D. 15. cit. n. 9.* Canis. *in c.1. hoc tit. n.* 3. Gonzal. *in c. fin. eod. n.* 5. Vallens. *hic n. 6. vers. incestum*, Honor. *n.* 4. Engl *n.* 7. Pirh. *n. 2. not.* 4. Vviest. *n.* 12. Reiffenst. *tit.* 14. *n.*57. Ratio est, quia cum ignorantia excuset à culpa, etiam excusabit à pœna; nam hæc culpæ respondere debet,

20 3 Ut incestus sit voluntarius; nam si fœmina à consanguineo mariti, vel Sponsi sui per vim est carnaliter cognita, ipsa non incurrit hoc Impedimentum non contrahendi cum alio, nec pœnas illius, quia cum sit expers omnis culpæ, erit etiam expers omnis pœnæ, prout constat ex *c. discretionem 6. hoc tit.* Sanch. *loc. cit. n.* 10. Guttier. *cap.* 87. *de Matr. n.* 12. Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 3. not.* 3. Barb. *in c. discretionem cit. n.* 2. Honor. *hic n.* 4. Engl *n.* 7. Pirh. *n.6. & 13.* Vviest. *n.* 13. Reiffenst. *loc. cit. n.* 58. At vero consanguineus mariti, qui illam violenter cognovit, incurret Impedimentum contrahendi Matrimonium cum alia; quia est reus veri incestus. Sanchez cum aliis *supra*.

21 4 Ut incestus sit consummatus, h. e. per carnalem copulam, quæ ad generationem prolis ex se apta est, perfectus *can. extraordinaria* 11. *caus.* 35. *q.* 2. & 3. & notat *ibidem* Gloss. *V. impedire*, Archidiacon. *n.*3. Bellamer. *n.* 2. Barth. à Ledesm. *de Matr. dub.* 50. Sanch. *n.* 11. Barb. *in c.* 7. *hoc tit. n.* 2. Gonzal. *ibid. n.* 3. Vallens. *vers. incestum cit.* Engl *n.* 7. Honor. *n.* 2. Et hinc Impedimentum istud non oritur ex copula cum puella impubere attentata. Schamb. *hic n.* 16. *Ratio est*, quia causa Impedimenti istius est affinitas inique contracta; atqui si copula non sit consumata, non producit eam Affinitatem; ac proinde nec Impedimentum; ergo &c. *Conf.* quia Impedimentum illud pœnale est; igitur restringendum ad actum ex genere suo perfectum.

5 Requirunt nonnulli, ut incestus sit publicus, & notorius notorietate Juris, aut facti propter textum *c. de illo* 3. *hoc tit.* ubi non permittitur impediri Matrimonium sine notorietate incestus. Sed melius alii cum Gloss. *in can. qui dormierit* 21. *V. neutram caus.* 32. *q.* 2. Guttier. *qq. can. l. 1. c.23. n.8.* Sanch. *n.13.* Vviest. *n.*14. dicunt, relata Impedimenta contrahi etiam, quando incestus est occultus. *Ratio est*, quia impedimenta ista infliguntur ipso Jure; & si requireretur notorietas, rarissime ea contraherentur, utpote cum ejusmodi delicta, sicut occulte committuntur, ita fere occulta maneant. 22

6 Denique nonnulli apud Dian. *p.* 10. *tr.* 13. *res.* 51. & Adam Burghaber *cent.* 2. *select. cas. conf. cas.* 54. requirunt scientiam Juris, statuentis hæc Impedimenta ob Affinitatem ortam ex copula illicita; & hinc volunt, cum, qui invincibiliter ignorat ex copula illicita oriri impedimentum Affinitatis, valide contrahere Matrimonium cum consanguinea intra gradum secundum cognitæ conjuncta, ex ratione, quod Impedimentum illud sit statutum in pœnam delicti; pœna autem non contrahitur ignorantibus. Sed contraria sententia est receptior; quia hæc Impedimenta non sunt puræ pœnæ, sed inhabilitates personarum, inductæ ob reverentiam naturalem propinquitatis; & hinc sicut Impedimentum criminis incurritur ab ignorante secundum dicta *Tit.* 7. *n.* 59. ita etiam ista, de quibus huic sermo est. Dicastill. *tr.* 10. *de matr. D. 9. n.* 108. Burghaber *loc. cit.* Engl *hic n.* 10. *vers. postremo*. 23

Quæritur 4. An Impedimentum hoc etiam contrahatur ab uxore, & Sponsa de futuro, carnaliter delinquentibus cum consanguineis mariti, vel Sponsi? *Ratio dubitandi est*, quia omnes textus hujus Tituli, ubi Impedimentum istud statuitur, loquuntur de solo viro, cognoscente consanguineam uxoris; aut Sponsæ suæ; igitur pœnæ, his textibus constitutæ, ad fœminas extendi non debet. *Conf.* nam neque pœnæ, constitutæ in viros raptores fœminarum, afficiunt fœminas raptrices virorum, ut notat Clar. §. *raptus n.* 6. Decian. *tr. crim. l.* 8. *c. 7. n.* 27. Farin. *prax. crim. q.*145. *n.* 41. & 42. licet sit paritas rationis. 24

Sed dicendum, hoc Impedimento etiam fœminas affici, si peccent cum consanguineo mariti sui, vel Sponsi. Ita Paludan. *in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. n.* 12. D. Antonin. 3. *part. tit.* 1. *c.* 16. §. 4. Sylv. *V. Matrimonium* 7. *q. fin. dict.* 3. Armill. *V. eod. n.* 57. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 295. Tolet. *l.* 7. *Summ. c.* 15. *n.* 2. Sanch. *l. 7. de Matr. D.15. n.2.* Guttier. *de Matr. c.* 87. *n.*3. Perez *D.* 23. *sect.* 5. *n.* 2. Barb. *in c.* 4. *hoc tit. n.*6. Vvagnereck *in c.* 1. *eod. not.* 3. Vallens. *hic. n.*4. Zoes. *n.* 7. Pirh. *n.* 2. *not.* 3. Schamb. *n.* 3. *fin.* Vviestner *n.* 7. & expresse statuitur *can. siquis viduam* 20. *caus.*32. *q.*7. & *can. siquis cum matre* 9. *caus.* 34. *q.* 2. Ratio est, quia vir, & uxor, sponsus, & sponsa correlativa sunt, & in utrisque eadem prorsus est ratio, nempe gravis injuria, matrimonio, & sponsalibus per ejusmodi incestum, & fornicationem illata; in correlativis autem, quando eadem est utriusque ratio, dispositum de uno etiam de altero dispositum censetur *arg. l. fin. C. de indict. vidæit.* ut erudite ostendit Everhard. *legal. arg. loc. à Correlativis n.*8. Barb. *axiom. Jur.* 61. *n.* 1. Vviest. *l. cit.* ergo &c. 25

Ex quo corruit *ratio dubitandi* allata in contrarium. *Ad Conf.* negatur paritas; nam pœnæ constitutæ in viros raptores fœminarum præter alia non extenduntur ad fœminas ideo, quia minus sæpe contingit, ut fœmina rapiat virum; incestus autem, & fornicationis crimen in utroque sexu est æque frequens. 26

Quæritur 5. An incestus commissus cum consanguinea propria primi, vel secundi gradus Impediat Matrimonium contrahendum cum alia? Affirmant Gloss. *fin. in can. de incestis* 8. *caus.* 35. *quæst.* 3. Alex. de Nevo *in c. veniens* 2. *hoc tit. num.*7. Paludan. *in 4. dist.* 34. *q.* 1. *art. 2. n.* 13. *concl.* 2. Angel. *V. incestus n.* 5. *fin.* Navar. *Man. c.* 22. *num.* 74. *vers. contrarium*, Gaeta *in can. ad limina* 27

mina

mina 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 295. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.*58. *art.* 4. *dub.* 2. Pont. *lib.*6. *c.* 13. *n.*10. Palao *tr.*28. *D.*4. *p.*2. §. 2. *n.* 5. & allegant pro se varios textus Juris Sacri, quibus volunt ejusmodi incestuosis præcisam spem omnem conjugii. Et 1. quidem *can. siquis viduam* 26. *caus.*32. *q.*2. ubi Concilii Moguntini PP. *Siquis viduam*, inquiunt, *duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus &c. eos disjungi, & ulterius nunquam in conjugio copulari præcipimus*. 2. *Can. de incestis* 8. *caus.*35. *q.* 3. ubi Concilium Agathense, *incestuosus*, ait, *nullo conjugii nomine deputandos hos censemus esse, siquis frater germanam uxorem acceperit, siquis consobrinæ suæ se sociaverit &c.* 3. *Can. si duo* 4. *caus.* 35. *q.* 6. ubi ex Concilio Urbani Papæ dicitur consanguineos committentes incestum *alia Matrimonia contrahere non prohibendos esse, si juvenes sint*, ubi Gloss. *V. non prohibeantur*, ait, *ratione juvenilis ætatis, vel ipso Jure, si ignoranter conjuncti sint*. Ergo si juvenes non sint, & scienter id fecerint, à nuptiis sunt prohibendi. 4. *Can. fin. caus. cit. quæst.*8. ubi sermo est de incestuosis manentibus in incestu, &, concluditur in fine *canonis* sic: *Et si alter eorum morte præventus fuerit, alter, quamdiu vivit, graviter pœniteat*, 5. Confirmat hoc stylus Curiæ, juxta quem, dum dispensatur cum consanguineis incestus inter se reis, ut ineant inter se Matrimonium, additur clausula, *ut altero eorum defuncto, superstes non contrahat aliud Matrimonium*. 6. Accedit ratio, quia incestus commissus cum propria consanguinea est gravior, quam commissus cum consanguinea uxoris, vel Sponsæ.

28 Sed melius tenetur negativa, quam etiam defendunt S. Thom. *in* 4. *dist.* 34. *q. un. art.* 5. Turrecr. *in can. quædam caus.* 32. *q.* 7. *n.* 2. *ad* 3. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 16. §. 4. Rosell. *V. Impedimentum Imped.*8. *n.*18. & 19. Sylv. *V. Matrimonium* 7. *qu.* 6. *dict.* 3. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.*6. *pr. n.*4. Carter. *de Sponsal. l.*5. *c.*22. Henriq. *lib.* 12. *de Matr. c.* 2. *n.*4. *pr.* Sanch. *l.*7. *de Matr. D.* 15. *n.*16. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.*4. *c.*5. *n.* 3. *not.*1. Vvagnereck *in cap.* 4. *hoc tit. not.*1. Vallens. *hic n.*7. Zoes. *n.*9. Engl *n.* 3. Pirhing *num.* 7. Vviestner *n.*9. Ratio est, quia hujusmodi incestuosi à conjugiis contrahendis nullibi expresse arcentur; textus enim, qui *n. præc.* in contrarium allegati sunt, solum loquuntur vel de incestu cum consanguinea uxoris, aut Sponsæ, vel de incestu quidem commisso cum consanguinea propria, à cujus consuetudine delinquens monitus desistere Ecclesiasticæ potestati non paruit; unde cum pœnales sint istæ Leges, ad incestum, commissum cum propria consanguinea sine contumacia, & Ecclesiasticæ potestatis contemptu, inhabilitas ad contrahendum cum alia Matrimonium, in pœnam hujusmodi delinquentibus iis Juribus statuta, extendi non debet *arg. Reg. factum* 155. *ff.* & *Reg. Odia* 15. *in* 6.

29 Ex quo patet ad textus, & Argumenta allata ab Adversariis. *Ad* 1. *can. siquis viduam* non est sermo de omni conjugio, sed de solo illo, quod contractum est inter ipsos consanguineos, & jubetur id Matrimonium ita separari, ut amplius ad talem copulam incestuosam non veniant. *Ad* 2. *can. de incestis* iterum sermo duntaxat est de conjugio incestuoso, inito cum consanguineis; nam cum aliis conjugium aperte permittitur *textu cit. in fin.* ibi; *Sane, quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem*. *Ad* 3. *can. si duo*, ut Cajetanus, & Palacios apud Sanchez *loc. citat. n.* 17. advertunt, ibi non statuitur, ut si juvenes non sint, interdicatur illis Matrimonium, sed solum causa assignatur, cur illi, qui juvenes sunt, si ad nuptias legitimas velint transire, ab his minime sint prohibendi. *Ad* 4. *can. fin.* spes conjugii incestuosis adversus monitionem contumacibus adimitur, quia injungitur illis solemnis pœnitentia pro vitæ totius tempore; quæ cum Matrimonii impedimentum sit, mirum non est, quod ea durante alia conjugia non possint contrahere; modo pœnitentia solemni ab Ecclesiæ usu sublata, etiam sublatum est illud impedimentum. *Ad* 5. Pontifex, cum incestuosis dispensans ad Matrimonium inter se contrahendum, ut cum Palacios advertit Sanch. *loc. cit.* id gravamen illis imponit, ut homines ab incestu prohibeantur, & hinc ii, quibus impositum illud fuerit, tenebuntur eo impedimento, non tamen ex vi incestus, sed ex virtute solius præcepti Pontificii. *Ad* 6. Licet incestus cum propria consanguinea sit gravius peccatum, minus tamen injuriosus est Matrimonio, & uxori, vel Sponsæ, quam si cum istarum consanguinea committatur; cum his enim commissus Affinitatem inducit, qua Matrimonium cum sponsa contrahendum dirimitur, & si contractum sit ante scelus, delinquens privatur jure petendi debitum conjugale ab uxore propria.

Quæritur 6. An Impedimentum Affinitatis dirimens Matrimonium sufficienter probetur per assertionem unius, vel confessionem utriusque conjugis, aut Sponsi? Resp. hic adhibendam esse distinctionem, quam innuunt Vivian. *in c.* 2. *de consang. circa med.* & *in c.* 3. *hoc tit. vers. ideo*, Canil. *ibid. n.* 1. & *seqq.* Barbosa *num.*1. & 3. Vvagnereck *not.*1. & 2. Vel enim agitur de Matrimonio contrahendo, vel de jam contracto dissolvendo. 30

Si primum, etiam uni alleganti Impedimentum dirimens creditur, ut Gloss. *fin. in c.* 3. *cit.* & communiter DD. notant; quia tunc agitur de peccato vitando, ne impediti, & inhabiles contra Ecclesiæ prohibitionem contrahant, & sic graviter peccent.

Si secundum, non creditur conjugibus, etiamsi ambo confiteantur, subesse Impedimentum dirimens, sed hoc debet esse aut publicum, & notorium, aut per idoneos testes comprobatum, ut habet *c. de illo* 3. & *cap. super eo* 5. *hoc tit.* quia periculum est, ne forte inter se colludant contra Matrimonium, & hac ratione via aperiatur ad dissolvendum Matrimonium, quod legitime contractum est. 31

Neque obstat, quod post confessionem, in Jure, seu Judicio factam, nihil quæratur amplius, sed confessi pro judicatis habeantur *l. post rem* 56. *ff. de re judic.* junct. *l. un. Cod. de Confess.* nam hoc verum est tantum in iis, quæ ex confessione partium pendent, ac in libera eorum potestate sunt. At vero dissolutio Matrimonii non dependet ab hominibus, sed à Deo; quia quos Deus conjunxit, homo separare non potest *can. quos Deus* 18. *caus.* 33. *q.* 2.

Quæritur 7. An tanta probatio requiratur etiam, quando agitur pro Matrimonio jam contracto conservando? Resp. negative; nam pro Matrimonio deponentibus conjugibus creditur, & statur eorum confessioni. Gloss. *in cap.* 5. *hoc tit. V. confessionem*, Barbosa *ibid. num.* 3. Pirhing *hic num.* 17. Ratio disparitatis inter hunc casum, & *num.* 30. allatum est, quia assertio conjugum, quando deponunt pro Matrimonio, est valde favorabilis & ipsis confitentibus, & toti Reipublicæ, cujus interest, Matrimonium, ejusque valorem defendi, ut liberis hominibus civitates repleantur *l. dotium* 1. *ff. solut. matr.* 32

At vero confessio adversus Matrimonium est valde odiosa, tum ob præsumptionem collusionis conjugum, ut dictum est; tum quia confitentur in ea re, in qua contrahentes sibi præjudicare nequeunt, cum Matrimonii dissolutio non pendeat à potestate conjugum, quippe quod ratione Sacramenti est indissolubile; tum denique, quia ejusmodi confessio præjudicat proli, & aliis bonis Matrimonii. Hinc Impedimentum, quod dicitur obstare valori ejusdem, probari aliter debet, vel esse notorium; ad quod tamen non sufficit rumor viciniæ, ut indicatur *c. super eo* 4. *hoc tit.* rumor enim notorium non facit, sed fama publica, à qua rumor distinguitur, quod rumor quidem sit, quando pars aliqua, nempe tertia, vel quarta communitatis aliquid asserit; fama autem, quando tota Civitas, vel vicinia, aut major ejus pars aliquid evulgat. 33

TITULUS XIV.

De Consanguinitate, & Affinitate.

INter Conjugiorum Impedimenta, sive antiquitatem, sive frequentiam consideremus, ex præcipuis est *Cognatio naturalis*, seu *Consanguinitas*, & ex copula conjugali orta *Affinitas*. Utriusque natura, & vis explicanda venit *hoc Titulo*.

§. I.

§. I.

De Consanguinitate.

SUMMARIUM.

1 *Consanguinitatis Definitio.*
2 *&c. Hujus explicatio.*
8 9 10 *Divisio triplex:*
11 *Linea Consanguinitatis,*
12 *Recta alia est Ascendentium, alia Descendentium.*
13 *Obliqua alia æqualis, alia inæqualis.*
14 *Gradus quid sint?*
15 *Quomodo computentur Jure civili?*
16 17 18 *Quomodo Jure Canonico?*
19 *Computatio Civilis observanda est in successionibus hæreditariis, tutelis &c. Canonica in Matrimoniis.*
20 *Inter consanguineos primi gradus in linea recta Matrimonium est Jure naturæ illicitum.*
21 22 23 *Et invalidum.*
24 25 26 *Nisi in casu, quo deficientibus omnibus aliis hominibus, superesset solus pater, & filia, aut sola mater, & filius.*
27 28 29 *Prohibitio hæc probabilius in aliquo gradu terminatur.*
30 *In quoto terminetur?*
31 *Respondetur terminari in primo gradu.*
32 *Quamvis in ulterioribus lineæ rectæ, absque justa causa, sint illicita Matrimonia.*
33 *Hinc dicendum, in his gradibus Matrimonium irritum esse solo Jure positivo Ecclesiastico.*
34 *&c. Et quidem in infinitum.*
38 *&c. Non omnia Matrimonia, quæ contrahuntur in gradibus, prohibitis in Levitico, Jure naturali sunt irrita.*
44 *&c. In linea transversa nullum Matrimonium est Jure naturali irritum.*
46 *&c. Etiam contractum inter fratrem & sororem.*
49 50 51 *Jure Ecclesiastico in hac linea irritum est conjugium usque ad quartum gradum inclusive.*
52 53 54 *Quæ prohibitio convenientissime facta est.*
55 *&c. Extenditur prohibitio ista etiam ad consanguinitatem, ortam ex copula illicita.*
58 *&c. In linea inæquali distans à communi stipite ultra quartum gradum contrahere Matrimonium potest cum eo, qui distat ab eodem intra quartum.*
60 *&c. Et procedit hoc, etsi iste etiam distet primo.*
62 63 *Pœna contrahentium incestuosas nuptias.*
64 65 *Quæ ignorantia ab hac excuset?*

1 QUæritur 1. quid sit *Consanguinitas*? Resp. *Consanguinitas* est quasi sanguinis unitas; quia qui consanguinei sunt, ab eodem communi sanguine descendunt, prout habetur *caus.* 35. *q.* 5. *in Declarat. Arbor. Consang.* Definitur communiter, quod sit *Vinculum, seu propinquitas personarum, quæ ab eodem stipite, sive propinquo progenitore, aut earum una ab altera per carnalem propagationem descendunt.* Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 40. *q. un. art.* 1. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 6. *nu.* 1. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 50. *nu.* 1. Guttier. *de Matr. c.* 98. *n.* 1. Conink *D.* 32. *n.* 1. Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *c.* 4. *n.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 1. Canis. *ad Rubr. hoc tit. num.* 3. Barbosa *ibidem n.* 6. Gonzal. *in c.* 5. *eod. n.* 6. *pr.* Vallens. *hic* §. 1. *n.* 1. Zoes. *n.* 1. Honor. *n.* 1. Engl §. 1. *n.* 1. Pirhing *n.* 1. Konig *n.* 2. Schambog. *n.* 2. Vviestner *n.* 1. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 3. *n.* 1. & cæteri tum TT. tum Canonistæ pleno agmine.

2 Dixi 1. *Vinculum*; qui enim Consanguinei sunt, habent inter se naturalem quendam nexum, ex unitate, & communione sanguinis resultantem: eaque de causa 1. dicuntur *Consanguinei*; quia eodem propinquo sanguine geniti, & inter sese connexi sunt *l. intestati* 1. §. *consanguineos* 10. *ff. de Suis, & legit. hæred.* 2. *Propinqui*, tanquam proximè sibi invicem conjuncti *l. Lucius* 47. *ff. de hæred. petit.* quia se invicem sanguine contingunt *l. vel si* 12. *ff. de manumiss. vindict.* 3. *Cognati*, quasi una, communiterve nati, vel ab eodem progeniti *l. sciendum* 1. *ff. de inoffic. testam.*

3 Dixi 2. *Personarum*; quia hoc vinculum propriè tantum datur inter homines, qui soli sanguinis conjunctione, & benevolentia devinciri inter se Charitate possunt, in qua conjunctione, ut Cicero *l.* 1. *de Officiis* notat, vinculum consanguinitatis: & hinc inter bruta animalia, sicut non datur verus amor, societas, & amicitia, sic etiam non datur Consanguinitas, tanquam fons, & radix amoris, societatis, & amicitiæ, licet illa ab eodem stipite procedant. S. Thom. *loc. cit. ad* 5. Sanchez *n.* 1. *cit.* Clericat. *de Sacr. Matr. dec.* 22. *n.* 3. Magnif. P. Schmier *nem.* 3.

Dixi 3. *Ab eodem stipite:* stipes dicitur illa persona, 4
à qua reliquæ, de quarum Cognatione quæritur, descendunt, & in qua tanquam prima, & una radice conveniunt, v. g. si de duorum fratrum filiis quæratur, quoto gradu inter se distent, stipes communis est Avus illorum, non autem unus ex fratribus, qui quidem genuit suum, non vero alterius fratris filium: ex Avo ergo mediate, tanquam ex radice duorum fratrum filii descendunt. Engl *hic* §. 1. *nu.* 5. Konig *nu.* 5. Reiffenstuel *n.* 7.

Dixi 4. *Sive propinquo progenitore*, cujus scilicet ge- 5
nerationis gradus numerari, & distingui possunt, cujusque virtus in descendentibus perseveret. Engl *loc. cit. num.* 2. *Ex quo sequitur*, quod non omnes homines inter se sint consanguinei; quia esto, quod omnes ab uno stipite remoto, scilicet Noe, & Adamo descendant, non tamen descendunt omnes ab uno, sed diverso stipite, & Progenitoribus propinquis. *Ratio est*, quia Consanguinei dicuntur, qui participant de eodem sanguine; hæc autem participatio, quo in plures generationes descendentes derivatur, eo debilior, & imperfectior redditur, ut tandem cum ipsa etiam ratio consanguinitatis evanescat; quo sensu loquitur Isidorus *in can. un. caus.* 35. *q.* 4. Procedit autem hæc ratio inter Collaterales tantum; quia in linea recta ascendentium, & descendentium, quantumcunque isti inter se distent, semper tamen verum est, quod unus ab altero sanguinis communicationem acceperit; & sic Proto-Parens Adam omnium suorum Posterorum verè adhuc Cognatus est. Konig *hic n.* 2. Reiffenstuel *n.* 3. *ibid.*

Dixi 5. *Aut earum una ab altera*; quæ verba multi 6
omittunt; quia ut ajunt, definitio solum datur pro Consanguinitate, quæ est ordinaria, & inter Adami posteros datur. Si tamen velimus comprehendere Consanguinitatem omnem, quæ propriè talis est, necessarium est particulas istas adjicere. Et sic patet, cur Consanguinei sint non solum Abel, & Cain, sed etiam isti, & Adam; etsi enim isti non descendant ab ullo communi stipite, descendit tamen unus eorum ab altero, Cain scilicet ab Adamo, per propagationem carnalem.

Dixi 6. *Per Carnalem propagationem*; & hinc sequi- 7
tur, quare non sint consanguinei inter se Angeli, & homines, Adam, & Eva; sint autem Consanguinei Christus, & B. V. *Ratio est*; quia Angeli, & homines quidem descendunt ab eodem omnium creatore Deo, & Eva ab Adam, utpote sumpta ex ejus costa, non tamen per propagationem carnalem, per quam tamen, licet prorsus extraordinariam, utpote factam sine cooperatione viri, descendit Christus à B. V.

Quæritur 2. Quotuplex sit Consanguinitas? Resp. 8
Consanguinitas 1. dividi potest in Naturalem tantum, & in Naturalem, & Civilem simul. *Naturalis tantum est*, quam sola natura, non autem Lex novit, aut approbat, vel quæ ex sola fœmina æstimatur *l. non facile* 4. §. *cognationis* 2. *ff. de gradib. & affinib.* & talis est Cognatio servilis, de qua *tit. de Cognat. Servil. Inst.* & Cognatio concubinaria, aut fornicaria §. *cognationis cit. & l. si spurius* 4. *ff. unde Cognati*, *Naturalis, & Civilis simul*, quam etiam approbat Lex positiva; & talis est, quæ inter homines liberos descendit ex concubitu licito, post justas nuptias habito §. *cognationis cit.* Konig *hic num.* 3. Reiffenstuel *n.* 4. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. cap.* 3. *num.* 9. & 10. In ordine ad Matrimonium contrahendum diversitas hæc non attenditur; quia ut *l. adoptivus* 14. §. *serviles* 2. *ff. de rit. nupt.* JCtus loquitur, *in contrahendis Matrimoniis naturale Jus, & pudor inspiciendus est*, & quod ad Jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt *l. quod attinet* 32. *ff. de R. J.*

Dividitur 2. In Consanguinitatem strictè, & civili- 9
ter acceptam, & in acceptam late, ac naturaliter. *Si strictè*,

strictè, *& civiliter accepta* comprehendit tantùm fratres ex eodem patre genitos, & qui ab his descendunt, sive deinde sint mares, sive fœminæ: & hinc triplicis generis fratres habentur, *Consanguinei tantùm*, qui communem solummodo patrem, *Uterini tantùm*, qui Matrem tantùm communem, & diversum patrem, & denique *Germani*, qui & patrem, & matrem communem habent. *Latè accepta Consanguinitas* complectitur omnes, qui sanguinis sive paterni, sive materni communionem habent. Huic divisioni affinis est, qua consanguinitas.

10 Dividitur 3. In Cognationem, & Agnationem. *Cognatio* est propinquitas inter personas, per lineam fœmineam sibi invicem conjunctas: qui proinde *Cognati* dicuntur. *Agnatio* verò est propinquitas inter personas, per lineam masculinam sibi invicem conjunctas: qui idcirco dicuntur *Agnati*. In præsenti materia nihil interest, Cognatus, an Agnatus quis appelletur *c. tua nos* 7. *cap. non debet* 8. §. *prohibitio h. tit.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 5. §. 6. *numer.* 2. nam omnes consanguinei intra quartum gradum, sive per lineam fœmininam, sive per masculinam conjuncti sint, à Matrimonio inter se contrahendo arcentur.

11 Quæritur 3. Quid sit *Linea Consanguinitatis*, & quotuplex? Resp. *Linea* est ordinara series personarum ab uno stipite descendentium, gradus continens, & cognationes distinguens. Ita Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 50. *nu.* 2. Gutier. *c.* 92. *n.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 7. *nu.* 2. Gonzal. *in c.* 5. *h. tit. n.* 7. *fin.* Zoes. *hic n.* 2. Engl §. 1. *n.* 5. Konig *nu.* 5. *v. linea*. Mag. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *num.* 16. & alii communiter. Duplex est, Recta, & Transversa, sive Collateralis.

12 *Recta Linea* est, quæ continet eas personas, quarum una ab altera originem ducit: & hinc quia personæ istæ sunt duplicis generis, Ascendentes, & Descendentes, etiam duplex subdividitur Linea Recta, quarum una est *Ascendentium*, seu *Superior*, & continet personas illas, à quibus aliæ originem ducunt, uti est pater avus, proavus, & aliæ personæ ascendentes in infinitum. Altera *Descendentium*, seu *Inferior*, & continet personas illas, quæ ab Ascendentibus originem trahunt, uti sunt filii, nepotes, pronepotes, & omnes cæteri Descendentes in infinitum.

13 *Linea Transversa*, seu *Collateralis* est, quæ continet illas personas, quarum omnes quidem ab uno communi stipite, seu progenitore, neutra tamen earum procedit ab altera. Et hæc iterum duplex est; subdividitur enim in Lineam Transversam æqualem, & inæqualem. *Aequalis* est, quando illi, de quorum consanguinitate quæritur, à communi stipite distant æquali numero graduum, ut sunt duo fratres, quorum uterque uno à patre, duo patrueles, quorum uterque duobus gradibus ab avo, qui communis ipsorum stipes est, distat. *Inæqualis* est, quando personæ, de quarum consanguinitate quæritur, à communi stipite distant inæquali numero graduum, ut sunt Titius, ejusque nepos ex fratre; nam prior uno, posterior duobus gradibus distat à patre Titii, qui communis utriusque est stipes.

14 Quæritur 4. Quid sit *Gradus*, & quomodo computandi? Resp. *Gradus* est distantia unius personæ ab altera in eadem Linea consanguinitatis, qua cognoscitur, quæ persona ex duabus, vel pluribus consanguineis sit proprior communi stipiti. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 50. *n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 4. *nu.* 3. Perez *D.* 2. *de Matr. sect.* 1. *n.* 4. Gobat. *Exper. tr.* 9. *nu.* 157. Engl *hic* §. 1. *nu.* 5. Pithing *nu.* 3. Konig *num.* 5. *v. gradus*, Vviestner *n.* 10. Reiffenst. *n.* 10. *Gradus* autem dicuntur *à similitudine scalarum, locorumve proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus*, ut *l. fin. ff. Gradus* 10. *ff. de Gradib. & Affinib.* ICtus loquitur.

15 Porro Gradus aliter computantur Jure Civili; aliter Jure Canonico. *Jure Civili* distantia Consanguineorum tam in linea recta, quàm in transversa cognosci potest ex unica Regula; nam hoc Jure *tot gradibus distant duo consanguinei inter se, quot inter ipsos intercedunt generationes*; vel quod in idem recidit, tot distant inter se gradibus, quot sunt personæ, stipite dempto. *Ex quo sequitur* 1. In Linea recta Titium filio suo conjunctum esse in primo gradu, nepoti secundo, pronepoti tertio &c. quia inter Titium, & filium ejus intercedit una generatio, duæ inter eundem, & ipsius nepotem, tres inter pronepotem &c. *Sequitur* 2. In Linea transversa æquali duos fratres conjunctos sibi esse in gradu secundo, nepotes, & neptes in quarto, pronepotes, & proneptes in sexto; quia totidem inter eos numerantur generationes, ascendendo ab uno illorum ad communem stipitem, & ab hoc ad alterum descendendo. *Sequitur* 3. In linea transversa inæquali fratrem, & ejus ex fratre nepotem distare à se invicem tribus gradibus, filium verò unius fratris, & alterius fratris nepotem quinque; quia ab uno ad alterum per communem stipitem progrediendo tot numerantur generationes.

Pro computatione Graduum Canonica tres dantur, quotidiano usu approbatæ Regulæ. *Prima* pro Linea Recta ascendentium, & descendentium sic habet: *Tot gradibus ascendentes, & descendentes inter se distant, quot inter se intercedunt generationes*: quæ ipsa est regula pro computatione Graduum Civili *num. præc.* data; cons. quoad graduum computationem in Linea recta Jus Canonicum concordat cum Civili S. Thom. *in* 4. *dist.* 40. *q. un. art.* 2. Sanch. *D.* 50. *cit. n.* 4. Coninck *D.* 32. *n.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 7. *nu.* 3. Gonzal. *in c.* 2. *h. tit. nu.* 3. Zoes. *hic n.* 4. Engl §. 1. *n.* 7. Vviestn. *n.* 11. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 25. & teste Sanch. *l. citat.* universi TT. & Juris utriusque Interpretes; saltem quoad rem. *Ex quo sequitur*, Titium, & ejus filium distare à se invicem uno gradu, duobus eundem à suo nepote, tribus à pronepote; quia inter ipsum, & filium ejus una solùm intercedit generatio, inter eundem, & nepotem suum duæ, inter pronepotem tres. 16

Secunda Regula est pro Linea Transversa æquali, & sic exponitur: *In linea transversa æquali consanguinei collaterales tot gradibus distant inter se, quot gradibus distat uterque à communi stipite*. Traditur hæc Regula *can. ad sedem* 2. & *can. parentelæ* 4. *caus.* 35. *q.* 5. Ratio illius est, quia cùm hujusmodi personæ non conjungantur inter se, nisi ratione stipitis, à quo communem sanguinem acceperunt, non possunt inter se magis, aut minùs distare, quàm distent à stipite. *Ex quo sequitur*, fratrem à fratre distare uno solummodo gradu, patruelem ab alio suo patruele duobus, filium patruelis ab alio filio alterius patruelis tribus &c. nam totidem gradibus quilibet illorum distat à stipite, seu patre communi omnium. Sanch. *D.* 50. *cit. n.* 5. Gonzal. *in c.* 5. *h. tit. nu.* 8. cum aliis *suprà*. 17

Tertia est pro Linea transversa inæquali; nam *in hac totidem gradibus duo distant inter se, quot gradibus eorum remotior distat à communi stipite*. Statuitur hæc Regula *cap. fin. h. tit.* & ratio est, quia cùm adæquata ratio, ut *n. præc.* dixi, propinquitatis, ac distantiæ collateralium inter se sumatur per ordinem ad proximum stipitem, in quo uniuntur, nequit unus conjunctior esse alteri illorum, quàm sit conjunctus communi stipiti, esset autem conjunctior, si ad hanc distantiam computandam propinquioris foret habenda ratio. ergo convenit, ut quo gradu remotior est conjunctus stipiti communi, eo gradu sit conjunctus viciniori. *Ex quo iterum sequitur*, Titii filium, & ejus ex filio nepotem consanguineos esse in secundo gradu; quia hic alter, videlicet nepos Titii, qui remotior est à Titio, ab eodem Titio distat duobus gradibus: contrà ejusdem Titii filius ab ejusdem ex alio filio suo pronepote distat tribus gradibus, quia totidem gradibus pronepos Titii distat à Titio. Sanch. *n.* 6. Palao *n.* 3. Perez *n.* 7. Pirhing *n.* 6. Schambog. *n.* 4. Vviestner *n.* 13. 18

Porro Computatio Graduum Juris Civilis observanda est tam in foro Sæculari, quàm in Ecclesiastico, quando agitur de Successionibus hæreditariis, Tutelis &c. Computatio verò Juris Canonici in Matrimoniis. Paludan. *in* 4. *dist.* 40. *q. un. art.* 3. *concl.* 3. *nu.* 29. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 14. §. 2. *concl.* 3. Alex. de Nevo *in c. fin. h. t. n.* 5. Angel. *V. Matrimonium* 3. *imped.* 6. *pr.* Carrer. *l.* 2. *de Sponsal. c.* 3. *fin.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 6. *n.* 8. Sanch. *D.* 50. *cit. n.* 8. Palao *p.* 7. *cit. nu.* 5. Barb. *in c. fin. cit. n.* 4. Gonzal. *in c.* 2. *eod. n.* 3. *& in c.* 5. *n.* 8. *fin.* Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. *p.* 2. §. 5. *n.* 15. & clarè ostendit Alexander II. *can. ad sedem* 2. *caus.* 35. *q.* 5. ubi hujus diversitatis rationem dans, *Quia*, inquit, *hæreditates non possunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit Sæcularis Imperator* (ut qui graduum dimensionem fecit propter successiones hæreditarias) *in singulis personis præfigere singulos gradus*. *Quia verò nuptiæ* (pro- 19

pter quas tanquam cauſam Eccleſiaſticam Jus Canonicum gradus dinumerat) *ſine duabus perſonis fieri non valent, ideo Sacri Canones duas in uno gradu perſonas conſtituerunt.*

20 Quæritur 5. Quo Jure illicitum, & irritum ſit Matrimonium inter primi gradus conſanguineos lineæ rectæ, ſcilicet inter patrem, & filiam, matrem, & filium? Patet ſatis, hujuſmodi Matrimonium Jure naturæ eſſe illicitum; hoc enim apertè 1. oſtendit naturalis inſtinctus, non ſolùm omnium Gentium bene inſtitutarum, ſed etiam belluarum non paucarum, quæ ab hujuſmodi conjunctione abhorrent, ut teſtis eſt Ariſtoteles *l. 9. Hiſt. anim. c.* 47. & Plin. *Hiſt. nat. l.* 8. *c.* 42. ut proinde Perſæ, permittentes conjugia matrum cum filiis, apud Pont. *l.* 7. *de Matr. c.* 31. *nu.* 4. meritò reprehendantur, tanquam gens barbara, & prævaricatrix Juris, mortalium animis à natura inſiti. 2. Reverentia, & ſubmiſſio, parentibus debita à liberis, cui æqualitas, quæ inter conjuges per Matrimonium inducitur, & mutua inter eos familiaritas, ac jus in corpus, ipſaque actus conjugalis turpitudo maximè adverſatur, ut inſinuat Paulus JCtus *l. adoptivus* 14. §. *ſerviles* 2. *fin. ff. de rit. nupt.* aſſerens, *contra pudorem eſſe, filiam uxorem ſuam ducere.* 3. Defectus exempli; neque enim uſpiam legitur, conjugium hujuſmodi unquam fuiſſe vel à DEO permiſſum, vel ab Eccleſia toleratum.

21 *Difficultas* eſt, an idem conjugium, inter conſanguineos primi gradus in linea recta contractum, eodem Jure naturali etiam ſit invalidum. Nam 1. Argumenta *n. præc.* allata videntur ſolùm probare, quòd ſit illicitum; conſtat autem multa eſſe prohibita, quæ tamen acta valent, prout patet in Matrimonio contracto ab aliquo, qui ligatus eſt Voto Simplici Caſtitatis; nam etſi iſte illicitè contrahat Matrimonium, contrahit tamen validè. 2. Tale Matrimonium nec naturæ, nec fini Matrimonii videtur adverſarii: non naturæ illius; quia etiam inter ita conjunctos fieri poteſt traditio corporum ad individuam vitæ ſocietatem, in quo conſiſtit ſubſtantia Matrimonii: non fini ejuſdem; quia ex tali Matrimonio poteſt generari proles, qui eſt finis illius primarius. 3. Quod contra Jus naturæ eſt, ſtatim, ubi objectum eſt intellectui, exiguo, vel nullo diſcrimine tale apparet, & ab omnibus rectè inſtitutis tale judicatur; atqui tale multis viſum non eſt Matrimonium inter conſanguineos primi gradus; nam Diogenes, & Chryſippus acuti Philoſophi ſtatuebant illud non eſſe contra Jus naturæ, argumento à brutis animantibus ducto: Socrates vero nihil in illo culpandum invenit præter ætatis diſparitatem, unde aut ſterilitatem, aut malè conformatam ſobolem ſequi dicebat. 4. Reverentia, & ſubjectio, quam filii parentibus debent, non obſtat, quo minùs alii contractus inter illos celebrari poſſint, & filii fieri parentibus ſuperiores, ut ſi fiat Rex, Epiſcopus &c. ergo nec obſtabit, quin per Matrimonium poſſint inter ſe fieri æquales. 5. Non omnes Gentes, lumine naturali ductæ, reprobarunt Matrimonia parentum cum liberis: ergo quia ſaltem Jure naturæ illud validum eſt.

22 Sed dicendum, Matrimonium inter patrem, & filiam, matrem, & filium Jure naturæ etiam Invalidum eſſe. Ita cum S. Aug. *Epiſt. 66. ad Paternum*, & S. Tho. *in* 4. *diſt.* 40. *qu. un. art.* 3. *Corp.* tradunt Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 9. *nu.* 3. Valent. 4. *p.* D. 10. *q.* 5. *p.* 3. Sanch. *l.* 7. *de Matrimon. D.* 51: *num.* 7. Gutier. *cap.* 98. *de Matrimon. num.* 13. Conink. *D.* 32. *nu.* 13. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 7. *nu.* 8. Fagnan. *in c. fin. h. tit. n.* 32. Gonz. *in c.* 5. *eod. n.* 9. *pr.* & communius omnium cæterorum ſententia. Ratio eſt, quia homo, cum non habeat ſui corporis abſolutum dominium, non poteſt illud alteri validè tradere, niſi quo modo DEUS naturæ Author, & primum Matrimonii inſtitutor conceſſit; non eſt autem ullo modo credibile, quòd Deus conceſſerit poteſtatem transferendi dominium ſui corporis ad eum uſum, qui eſt ſummè inhoneſtus, & quem recta ratio ſummè deteſtatur: talis autem, ut ex Argumentis *n.* 20. allatis conſtat, eſt uſus Matrimonii inter patrem, & filiam, matrem, & filium: ergo &c.

23 Ad Argumenta contraria facilis eſt reſponſio. *Ad* 1. Negatur paritas; quia copula carnalis inter tales perſonas, quæ ligatæ ſunt Voto ſimplici Caſtitatis, ſecundùm ſe non eſt turpis, & illicita, ſed ſolùm per accidens, & ratione Voti: eſt autem ſecundùm ſe ſemper turpis, & illicita copula inter conſanguineos primi gradus. *Ad* 2. Matrimonium inter conſanguineos primi gradus in linea recta non adverſatur quidem ſubſtantiæ Matrimonii, & fini illius omnino, & ſimpliciter; adverſatur tamen debito ejus ordini, & convenientiæ, cùm illud natura horreat: ex quo meritò inferimus, quòd ejus contrahendi poteſtatem DEUS naturæ, & Matrimonii primus inſtitutor negaverit. *Ad* 3. Quid Jure naturæ vetitum, vel permiſſum, validum, vel invalidum ſit, deſumi debet ex judicio hominum, qui ſana, rectaque mente ſunt prædìti: hinc, ut bene Andronicus Rhodius, *Si his, qui morbido, diſtortoque ſunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet; nam nec mentitur, qui mel dulce eſſe dicit, ideo, quòd ægrotis aliter videtur.* *Ad* 4. Judex, & Epiſcopus funguntur authoritate publica, maritus verò authoritate privata: non implicat autem eundem ſecundum diverſa ſuperiorem, & inferiorem eſſe; implicat verò inferiorem, & ſuperiorem eſſe quoad idem: quod fieret, ſi mater Matrimonium contraheret cum filio; quia tanquam mater reſpectu filii, ac gubernationis domeſticæ eſſet ſuperior, tanquam uxor inferior, & ſubjecta filio, tanquam marito ſuo. *Ad* 4. Gentibus illis oppono Gentes alias meliùs inſtitutas, quæ nuptias hujuſmodi nefandas exiſtimarunt. Perſæ ob violatam hanc naturæ Legem, ut *Philo* notat, DEO dederunt pœnas perpetuis bellis, & fratrum cœdibus.

Quæritur 6. An ejuſmodi conjugium patris cum filia, aut matris cum filio illicitum ſit etiam caſu, quo deficientibus omnibus aliis hominibus, ſupereſſet ſolus pater, & filia, aut ſola mater, & filius, adeoque ad conſervandum genus humanum, ne totum interiret, neceſſarium eſſet ipſos conjungi in Matrim. Triplex eſt Sententia. 24

Prima cum Cajet. 2. 2. *q.* 54. *art.* 3. Conink. *D.* 32. *n.* 14. Hurtad. *de Matr. D.* 18. *num.* 7. ait, etiam tali caſu conjugium fore illicitum, ſecluſa ſpeciali diſpenſatione Divina. *Rationem* dant; quia conjugium inter ejuſmodi primi gradus conſanguineos etiam eo extremæ neceſſitatis caſu non convenit cum pietate in parentes, & cum reverentia, ac ſubmiſſione, quam filia patri, & matri filius debet.

Secunda cum Perez *D.* 28. *ſect.* 2: *nu.* 11. negant ad ejuſmodi conjugium ullo extraordinariæ, & extremæ quoque neceſſitatis caſu diſpenſari à DEO poſſe: ad quod probandum inducit paritatem cum odio DEI, perjurio, & mendacio, qui actus, quia intrinſecè mali ſunt, & à ratione naturali alieni, nullo caſu, modove honeſtari poſſunt; atqui non minùs intrinſecè malum, & naturæ repugnans eſt conjugium patris cum filia, aut matris cum filio: ergo &c.

Tertia Sententia, & probabilior eſt, quæ concedit tali caſu conjugium ejuſmodi, etiam non interveniente ſpeciali relatione, aut diſpenſatione Divina, fore licitum. Ita Sot. *in* 4. *diſt.* 40. *q. un. art.* 3. Veracrux *p.* 1. *Specul. art.* 34. *ante concl.* 2. Palacios *diſt.* 40. *cit. D. un. col.* 24. *fol.* 926. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 9. *num.* 3. Valentia *p.* 4. *D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. §. *quarto convenit*. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 54. *n.* 10. Gutier. *c.* 98. *de Matr. n.* 14. & 15. Pontius *l.* 7. *c.* 31. *n.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *nu.* 1. *verſ. veruntamen*, Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 8. Pirh. *hic nu.* 8. Schambog. *n.* 8. Wieſtner *n.* 20. quibus non obſcurè favent S. Chryſ. *ho.* 44. *in Geneſ.* & S. Ambr. *l.* 1. *de Abraham c.* 6. ubi filiarum Loth cum iſto concubitum excuſant à culpa, quòd Sodoma cum reliquis civitatibus ſulphureo igne deleta, exiſtimarint, non ſupereſſe alium virum, qui humani generis propagationi deſervire poſſet. *Ratio eſt*, quia reverentia, & ſubmiſſio illa, quam filii parentibus debent, eſt minus, & inferioris ordinis bonum, quàm ſit propagatio, & conſervatio totius humani generis; atqui minus, & inferioris ordinis bonum cedit majori bono: ergo caſu, quo conjugium ejuſmodi unicum ad humani generis conſervationem medium foret, reverentia, & ſubmiſſio parentibus debita cederet bono propagationis, & conſervationis humani generis, tanquam bono communi, & publico. 25

Ex quo patet ad *Argumentum primæ Sententiæ*; quia aliqualem illam diminutionem reverentiæ, & ſubmiſſionis parentibus debitæ ſatis cohoneſtaret, & conjunctionem ejuſmodi licitam redderet totius generis humani ab interitu vindicatio, quippe cùm diminutio illa ſit minus malum, & evitatio majoris mali cohoneſtet id, quod eſt minus malum, niſi hoc ſit omnino, & ſimpli- 26

simpliciter ita malum, ut nullo casu cohonestari possit, ut communis docet cum S. Thom. 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *ad* 3.

Ad Argumentum secundæ Sententiæ non est paritas odii DEI, perjurii, & mendacii cum tali conjugio; quia actus illi absolutè sunt mali, conjugium autem cum certis personis prohibitum homini est, quatenus DEUS, qui humani corporis Dominus est, illud prohibet. igitur sicut Polygamia ex permissione Divina licita fieri potest, ita etiam conjugium patris cum filia, aut matris cum filio; nam si Evam sumptam ex costa Adami eidem tradere in uxorem poterat, quare non etiam filiam patri, aut matrem filio?

27 Quæritur 7. An prohibitio, & irritatio Matrimonii inter Ascendentes, & Descendentes, Jure naturali inducta, protrahatur ad quemcunque gradum in infinitum? Affirmant Coninck *D.* 32. *nu.* 16. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 2. Canis. *in c.* 3. *h. tit. n.* 13. Vallens. §. 1. *hic n.* 6. Zoes. *n.* 6. Pirh. *n.* 9. Schambog *n.* 9. Reiffenstuel *n.* 27. & plurimi alii apud Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 51. *nu.* 12. ex quorum proinde Sententia Adam, si hodie resurgeret, non reperiret, quam ex omnibus extantibus posset ducere uxorem, utpote qui communis universi generis humani parens existit. *Rationem dant* 1. Quia Matrimonium inter parentes, & liberos natura respuit ratione reverentiæ, quæ illis ab his debetur. atqui non minor, imò major subjectio, & reverentia debetur Ascendentibus, & tanto major, quò ascendens remotior est. ergo &c. 2. Omnes Ascendentes respectu Descendentium habent rationem originis, & principii. igitur sicut hæc ratio de Jure naturali sufficiens est ad dirimendum Matrimonium inter liberos primi gradus, & parentes illorum, ita pariter sufficiens erit ad dirimendum Matrimonium inter Ascendentes, & Descendentes alios in infinitum. 3. Licèt in gradibus remotioribus minor sit propinquitas sanguinis, ac proinde minor indecentia conjugii appareat, quàm inter parentes, & liberos, at est major inæqualitas ætatis, & cons. major indecentia ratione illius, ut ita defectus ille propinquitatis videatur compensari inæqualitate hac.

28 Sed dicendum, probabilius in aliquo gradu Ascendentium, & Descendentium prohibitionem hanc terminari. Ita Sanch. *lib.* 7. *de Matr. D.* 51. *numer.* 13. & cæteri omnes pro diversis sententiis *Quæst. seq.* citandi. *Ratio potissima* est, quia cum consanguinitatis ratio sit participatio ejusdem sanguinis, communicata à virtute generante stipitis, & hæc eò debilior reddatur, quo in plures generationis protenditur, nequit in infinitum extendi, sed tandem extinguitur, & deficiet. ergo impossibile est, in quacunque linea consanguinitatem in infinitum extendi: proinde dicendum erit, quòd impedimentum hoc consanguinitatis in recta linea, attento naturali Jure, certis finibus concludatur. *Conf.* ex S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. nam postquam hic S. D. dixit, conjugium parentum cum liberis esse secundùm se indecens, & repugnans naturali rationi, subjunxit, quoad alias personas decentiam, vel indecentiam variari secundùm consuetudinem, & Legem vel humanam, vel Divinam. atqui quod ex consuetudine, vel adjuncta Lege indecens, aut decens redditur, secundùm se non repugnat naturali rationi. ergo &c.

29 Neque contrarium probant Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. Hoc ipso, quòd avus nepti minus communicet, eique principium, & causam duntaxat applicet, minùs propriè ejus parens, & genitor est, minorque ei, quàm patri reverentia debetur. atqui reverentia illa fundamentum est, quare conjugium inter consanguineos primi gradus lineæ rectæ illicitum, & irritum Jure naturæ sit; igitur ubi non est tanta participatio sanguinis, neque conjugium erit Jure naturæ irritum. *Ad* 2. Majores dicuntur parentes, & posteri filii in sensu tanto latiore, quantò magis inter se distant: ex eo autem, quòd in sensu latissimo unus dicatur pater, altera filia, non sequitur, conjugium inter eos esse indecens, aut Jure naturæ irritum. *Ad* 3. constat aliunde, quòd ætatis disparitas non efficiat, ut Matrimonium sit Jure naturæ irritum, cùm certum sit valere Matrimonium etiam cum sene decrepito à juvencula initum.

30 Quæritur 8. Dato, prohibitionem Matrimonii in linea recta Ascendentium, & Descendentium Jure naturæ certis finibus contineri, ad quotum gradum protrahatur hæc prohibitio, eodem Jure spectato? Non satis conveniunt DD. in hujus Quæstionis resolutione. Nam 1. nonnulli cum Ledesm. *p.* 2. *q.* 56. *art.* 3. *fol.* 481. *col.* 4. *concl.* 2. dicunt hoc Impedimentum durare, quamdiu durat amicitia, & communicatio proprietatum individualium inter Ascendentes, & Descendentes; non autem constare, quamdiu hæc durent. 2. Alii cum Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 6. *fin.* putant illud non excedere vigesimum gradum, gradum tamen certum, in quo finitur, non præfiniunt. 3. Lud. Lop. *p.* 2. *Instr. de Matr. c.* 49. *fol.* 1140. docet id protendi ad gradum septimum, ita tamen, ut ultra quartum possit dispensare in eo Pontifex. 4. Goffred. *summ. tit. de Consang. nu.* 7. Angel. *V. Matrimonium* 3. *imped.* 6. *in addit. ad n.* 1. Palacios *in* 4. *dist.* 40. *D. un. col.* 22. *fol.* 925. Impedimentum istud constringunt intra gradum quartum. Sot. *in* 4. *dist.* 40. *q. un. art.* 3. *col. antep. v. utraque*, Angles *florib. p.* 1. *de Matr. q.* 13. *art.* 3. *dub.* 2. Valent. *p.* 4. *D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. *v. verum hac in re*, definiunt illud secundo gradu ob reverentiam, quam nepotes, & neptes debent avis, & aviis.

Verùm his præhabenda videtur Sententia sexta, quæ 31
cum S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. & *in* 4. *dist.* 40. *q. un. art.* 3. *Corp.* Cajet. *art.* 9. *cit. ad* 3. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art. fin. n.* 54. Armill. *V. dispensare n.* 9. & 10. Vega *tom.* 2. *Summ. cap.* 34. *cas.* 64. & apertiùs *cas.* 127. *fin.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 51. *n.* 19. Pont. *l.* 7. *c.* 31. *nu.* 6. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 9. Perez *D.* 28. *sect.* 4. *nu.* 4. Fagn. *in c. vir qui* 9. *h. tit. à n.* 33. Vvagnerek *in c.* 8. *ibid. not.* 2. Vviestner *hic nu.* 22. docet, quòd ultrà primum gradum lineæ rectæ Matrimonium Jure naturali non irritetur. *Ratio est*, quia avus, & cæteri ascendentes non sunt principium nepotum per se, sed per accidens, cùm ad rationem filii, ut filius est, solùm desideretur, ut à parentibus originem trahat, & per accidens sit, quòd pater ejus alium patrem habuerit; nam filii Adami verè filii fuere, licèt avo caruerint. *Conf.* quia avus respectu nepotis non habet rationem genitoris, sed solùm rationem causæ applicantis genitorem; at causa applicans aliam causam suo effectui, non est per se, sed per accidens causa sui effectus; igitur loquendo de reverentia naturali, minor debetur avo, quàm patri: & sic non est eadem ratio irritandi Matrimonium avi cum nepte, quæ est in patre respectu filiæ.

Dixi *irritandi*, nam negari non potest, quòd Matri- 32
monium contractum inter Ascendentes, & Descendentes, præsertim secundi, & proximorum graduum sit contra Jus naturæ prohibens, quando non est aliqua causa justa, cùm sine dubio indecentiam quandam naturalem præseferat, nisi aliqua causa justa cohonestetur, ut cum Victoria, & Ledesma notat Sanch. *l. cit. n.* 20. Ex quo patet causa, ob quas Gentes bene institutæ execratæ fuerunt conjugia talia; nam hoc factum est ob turpitudinem naturalem, quam continent, nisi causa aliqua justa, ut dixi, cohonestentur. Si apud aliquas Gentes infideles etiam habentur pro irritis, dicendum id provenire ex Lege speciali: & hinc si apud infideles avus cum nepte sua conjungeretur Matrimonio, seclusa Lege hujusmodi, conjugium tale teneret, & si ad Fidem converterentur, separari ab invicem non deberent, ut existimant Veracrux *p.* 1. *Specul. art.* 43. *fin.* & *p.* 2. *art.* 25. *col. antep.* §. *ex omnibus istis*, Barth. à Ledesm. *de Matr. dub.* 37. *post* 4. *concl.* §. *ex dictis*, Vega *tom.* 2. *c.* 34. *cas.* 127. *fin.* Sanch. *l. cit. n.* 21. Perez *n.* 5. Vviestn. *n.* 22. *fin.*

Quæritur 9. Quo Jure, & quousque Matrimonia ul- 33
teriorum graduum inter consanguineos Lineæ rectæ sint irrita? Supersunt duo Jura, quibus irritari potuerunt ejusmodi Matrimonia, Divinum, & Ecclesiasticum. Quòd Jure Divino in novo Testamento prohibita non fuerint conjugia ulteriorum graduum lineæ rectæ, sequitur ex dictis *n.* 31. juxtà quæ Jure naturali Matrimonium inter consanguineos lineæ rectæ non est irritum, nisi in gradu primo; atqui ut Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 10. *n.* 1. Fagnan. *in c. fin. h. tit. n.* 31. Vviestn. *hic n.* 23. advertunt, in novo Testamento nullus gradus Lege Divina prohibitus est, qui non sit prohibitus Jure naturali; ergo &c.

Difficultas est, an saltem Jure Ecclesiastico Matrimo- 34
nia inter consanguineos lineæ rectæ irrita sint in infinitum? Negant Sanch. *D.* 51. *cit. n.* 22. Gutier. *c.* 98. *de Matr. n.* 16. Pont. *l.* 7. *c.* 31. *num.* 6. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 8. *num.* 9. Bonacin. *de Sacr. Matrim. q.* 3. *p.* 5. §. 1. *n.* 10.

n. 10. Fagnan. *in c. si vir 9. h. tit. nu.* 31. Gonzal. *in c.* 5. *eod. n.* 10. Vvagnereck *in c. non debet* 8. *eod. not.* 2. Nituntur textu *c. non debet cit. verf. prohibitio*, ubi Impedimentum consanguinitatis, quod olim extendebatur ad septimum gradum inclusivè, restrictum fuit ad quartum non distinguendo inter lineam rectam, & obliquam.

35 Sed præferenda est affirmativa Sententia, quam etiam defendunr Host. *in Summ. hic n.* 17. *verf. non quæritur*, Jo. Andr. *de arbor. Consang. n.* 12. Abb. *in c. non debet cit. verf. prohibitio n.* 12. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *qu.* 6. *dict.* 5. Tholof. *Synt. l.* 9. *c.* 9. *n.* 29. Engl *hic* §. 1. *n.* 9. Konig *n.* 9. Vviestner *nu.* 25. Reiffenstuel *nu.* 25. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 84. *Ratio est*, quia Jure Civili Matrimonia inter Ascendentes, & Descendentes disertè prohibentur in infinitum *l. nuptiæ* 53. *ff. de rit. nupt.* & §. *ergo non omnes* 1. *Inst. de nupt.* ubi Imperator, *Inter eas*, inquit, *personas*, *quæ parentum*, *liberorumve locum inter se obtinent*, *contrahi nuptiæ non possunt*, *veluti inter patrem*, & *filiam*, *vel avum*, & *neptem*, *vel matrem*, & *filium*, *vel aviam*, & *nepotem*, & *usque in infinitum* : quæ Leges, utpote naturali æquitati conformes, à Jure Canonico non solùm, non correctæ, sed clarè satis approbatæ sunt à Nicolao I. dum ad Consulta Bulgarorum, interrogantium, quæ personæ Matrimonio jungi possint, *c.* 39. præter SS. Canon. Decreta etiam §. *ergo non omnes cit.* dispositionem ad verbum reposuit.

36 *Conf.* 1. ex *can. progeniem* 16. & *duob. seqq. cauf.* 35. *q.* 3. ubi Lineæ rectæ consanguineis matrimonium prohibetur usque ad septimum gradum, & quousque propinquitas, & consanguinitas cognoscitur, aut memoria retinetur. *Conf.* 2. arg. *cap. intelleximus* 1. *de nov. oper. nunt.* quod Jure Civili constitutum est, etiam de Jure Canonico obtinet, si SS. Canones aliter non disponant, maximè si dispositionem illam apertè approbent; atqui, ut vidimus, de Jure Civili Matrimonia inter consanguineos lineæ rectæ prohibentur in infinitum, & dispositioni huic SS. Canones non resistunt, sed eam apertè approbant; ergo &c.

37 *Ad Fundamentum adversæ Sententiæ* dico, in textu *c. non debet cit.* sermonem dumtaxat esse de consanguineis lineæ transversæ : quod patet ex eo, quia dispendia, ex ulteriorum Graduum prohibitione provenientia, quæ Concilii Lateranensis PP. ad Matrimoniorum impedimenta restringenda permoverunt, ex solis Conjugiis collateralium sunt orta; inter hos enim tantùm, & non inter Lineæ rectæ consanguineos in Gradibus ulterioribus contrahebantur, & ob vitæ brevitatem contrahi poterant. *Conf.* Decretum *c. cit.* est correctorium Juris antiqui : igitur de Linea transversa ad Lineam rectam extendi non debet, cùm in hac nulla sit necessitas correctionis, utpote in qua Jus antiquum sine dispendio, & difficultate servari potest, cùm non facilè aliquis tamdiu vivat, ut posset, etiamsi liceret, descendentem à se in gradibus ulterioribus ultra 4. ducere in uxorem.

38 Quæritur 10. Quo Jure sint prohibita, vel irrita conjugia inita inter fideles in gradibus, *Levit.* 18. vetitis? *Videntur* irrita esse Jure naturali; nam si aliquo alio Jure essent irrita, irrita defacto essent vel Jure Divino novi Testamenti, vel Jure Divino Testamenti Veteris, vel ordinatione Ecclesiæ, præcepta Levitico prodita, & Christi morte evacuata resuscitantis, ac vivificantis; neutrum dici potest. *Non primum*; quia Jure novi testamenti elevatum quidem est à Christo Matrimonium ad Dignitatem Sacramenti, non tamen facta ulla circa ejus contractum, & habilitatem personarum illud ineuntium mutatio. *Non secundum*; quia præcepta *l. cit.* posita, si Juris naturalis declaratoria non fuere, ceremonialia dumtaxat, & Judicialia fuerunt, quæ Christi morte expirarunt, teste Apostolo *Hebr.* 7. *v.* 12. & S. August. relato *cap. translato* 3. *de Constit. Non tertium*; quia præcepta quæcunque, quæ ab Ecclesia condita, vel resuscitata fuerunt, per viam Dispensationis authoritate Apostolica relaxari possunt, ut est certa Sententia S. Thom. *quodl.* 4. *art.* 3. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 7. *n.* 6. Suar. *l.* 6. *de Legib. c.* 14. *nu.* 2. & aliorum; atqui ad conjugia, in Levitico prohibita, dispensari à Sede Apostolica, nequit, ut rescripsit Innocentius III. *c. litteras* 13. *verf. opinioni de restit. spoliat.* igitur illorum prohibitio, & irritatio ex Constitutione Ecclesiastica non descendit : aliud autem Jus nullum superest, nisi naturale; ergo &c.

39 *Conf.* 1. quia *c.* 18. *cit.* DEUS matrimonia, in gradibus ibi prohibitis inita, vocat abominationes, & scelera, à Gentibus commissa; igitur peccarunt Gentiles conjugia illa ineundo, non peccarunt autem contra Legem Hebræorum Judicialem, quippe quæ obstringebat solos Hebræos; ergo contra Legem naturæ, quam observare etiam Gentiles debent. 2. Ratio, propter quam *c.* 18. *cit.* vetita fuerunt ista conjugia, ibidem hæc datur, ne scilicet reveletur turpitudo personarum, gradibus illis conjunctarum : quæ naturalis indecentiæ, & moralis ratio est. 3. *C. de Infidelibus* 4. *h. tit.* Innocentius III. rescripsit, conjugia infidelium ad fidem conversorum non dissolvenda, siquidem contra SS. Canones tantùm, non autem contra *Legis veteris instituta* sint inita; igitur argumento ducto à sensu contrario dissolvenda erunt, si contra Legis veteris instituta coaluissent : non autem dissolvi deberent ex alio capite, quàm quòd Jure naturæ sint irrita; ergo &c. 4. Si conjugia *c.* 18. *cit.* vetita non essent Jure naturæ irrita, præceptum illa prohibens solùm Ceremoniale, & Judiciale fuisset, tale autem non fuit, sed morale, & Juris naturalis declaratorium; aliàs Ecclesia in eo dispensare posset; ergo sicut ob istam causam præcepta Decalogi adhuc obligant, ita & istud.

40 Sed his non obstantibus, dicendum, non omnia Matrimonia, quæ contrahuntur in gradibus prohibitis in Levitico, Jure naturali esse irrita. Ita Scot. *in* 4. *dist.* 40. *q. un. art.* 2. Cajet. 2. 2. *qu.* 15. *art.* 9. *ad* 3. Sot. *q. un. cit. art.* 3. & *dist.* 4 . *qu. un. art.* 3. Navar. *tit. de Sponsal. edit.* 2. *consf.* 14. *n.* 8. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 10. *n.* 2. Bellar. *l.* 1. *de matr. c.* 27. *pr.* Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 1. *n.* 2. & *c.* 9. *n.* 5. Valent. *p.* 4. *D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. *de Imped. cognat.* §. *in aliis autem*, Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 52. *num.* 6. Gutier. *c.* 98. *n.* 19. Conink *D.* 32. *n.* 10. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 7. *nu.* 6. Bosco *de matr. D.* 12. *concl.* 2. *per tot.* Canif. *in c.* 3. *h. tit. n.* 17. Gonz. *in c.* 5. *eod. n.* 14. Zoes. *hic n.* 34. Pirh. *n.* 18. Schamb. *n.* 19. Vviestn. *n.* 33. *fin.* Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 75. & teste Valentia *l. c.* nunc DD. Catholici omnes propter decisionem Trid. *sess.* 24. *can.* 3. *de Sacr. Matr.* ubi Anathema dicit iis, qui negant, quòd *Ecclesia in nonnullis* consanguinitatis, & affinitatis gradibus, qui Levitico continentur, *dispensare possit*, dispensare autem non posset, si omnes Jure naturæ dirimerent Matrimonium; ergo &c. *Conf.* 1. ex *c. gaudemus* 8. *de divort.* ubi Innocentius III. pro validis habet conjugia, ab infidelibus inita in gradibus etiam vetitis in Levitico; nam ad fidem conversos hujusmodi conjuges permittit liberè perseverare in conjugio; hoc autem non posset permittere, si ejusmodi conjugia forent Jure naturali irrita; ergo &c. *Conf.* 2. In Levitico prohibetur conjugium amitæ, & materteræ cum nepote, non tamen prohibetur conjugium neptis cum patruo, & avunculo, licèt isti eodem consanguinitatis gradu conjuncti sint, quo illi : quod signum minimè obscurum est, quòd Lex, quæ prioribus vetat conjugium, non moralis, & Juris naturalis declarativa sit, sed ad præcepta Judicialia solùm, & Ceremonialia Gentis Hebrææ pertineat; nam naturali Jure spectato, conjugium inter consanguineos ejusdem gradus æqualiter indecens, & vetitum est.

41 Dixi, *non esse Jure naturali irrita*; non enim negandum videtur, quòd Matrimonia, saltem pleraque, in Levitico prohibita, quatenus nudè, & secundùm se considerata, & pro libitu privatorum sine specialibus circumstantiis individuantibus inita, indecentiam quandam naturalem contineant, quòd natura dictet, reverentiam quandam consanguineis, in illis gradibus conjunctis, deberi, cum qua pugnat copula conjugalis, ut pluribus aliis *citt.* advertit Sanch. *n.* 6. *cit.* Putat tamen Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 54. *art.* 3. *diffic.* 4. *concl.* 2. & *q.* 55. *art.* 6. *circa primum statum affinitatis*, *diffic.* 2. *in explicatione primæ conclusionis* cum aliquibus TT. quos tacito nomine refert, secluso Jure humano, non fore culpam lethalem in gradibus lineæ transversæ, qui Jure naturali irritante non sunt prohibiti, etiam citra causam cohonestantem, contrahere Matrimonium; quia hoc, seclusa lege humana, non adeo magnam indecentiam continet.

42 Responsionem ita firmatam, & explicatam non convellit Argumentum deductum ex *cap. litteras cit.* nam ibi Pontifex ait, in Gradibus Lege Divina prohibitis dispensari non posse, non quòd Jure naturali, aut Divi-

Divino, adhuc Ecclesiam obligante, conjugia in illis inita nulla sint, sed quòd ita dispensari Ecclesiæ non expediat, neque facilè occurrat justa aliqua, & ad dispensationem cohonestandam sufficiens causa, sine qua dispensatio, à Pontifice contra Jus Ecclesiasticum commune data, valida quidem est, sed tamen illicita: id autem solùm posse nos dicimur, quod justè, & honestè facere possumus *can. faciat* 15. junct. Gloss. *V. eodem causf.* 22. *q.* 2. *&* *l.* 125. *fin. ff. de V. S.*

43 *Ad Conf.* 1. verba illa *Levit. cit.* intelligi debent de concubitu extramatrimoniali cum masculis, vel bestiis, aut si etiam de Matrimoniali intelligenda sunt, coarctabuntur ad Matrimonium initum inter parentes, & liberos. *Ad Conf.* 2. turpitudo illa, quæ reperitur in conjugiis initis inter gradus in Levitico prohibitos, tanta non est, ut inducat nullitatem illorum: & licèt non facilè occurrant, occurrere tamen possunt causæ, quæ turpitudini illi prævalent, & cohonestent dispensationem, atque ex hac securas nuptias. *Ad Conf.* 3. Malè infertur, conjugia, ab infidelibus inita contra instituta veteris Legis, esse Jure naturali irrita; nam *c. de infidelibus cit.* Pontifex solum respondit ad consultationem Archiepiscopi Tirensis, dubitantis, an valida sint conjugia, ab infidelibus contra SS. Canones *secundùm Legis veteris instituta* inita; ad quod respondit valida esse: ex hoc autem non sequitur esse invalida illa, quæ inita sunt contra instituta veteris Legis. *Ad Conf.* 4. patet ex *Conf.* 2. *nu.* 40. præceptum illud Levitici quoad gradus, in Linea transversa prohibitos, solùm esse ceremoniale, & Judiciale: de Matrimoniis, initis in Linea recta cum consanguineis secundi, & ulteriorum graduum, quòd Jure naturali non sint irrita, patet ex dictis *suprà n.* 28. *& seqq.*

44 Quæritur II. An Jure naturali aliquod conjugium inter consanguineos Lineæ tranversæ sit irritum? Satis convenit inter DD. matrimonium inter consanguineos secundi, & ulteriorum graduum lineæ transversæ, Jure naturali spectato, non esse irritum: & patet 1. ex *c. gaudemus* 8. *de divort.* ubi deciditur, Infideles, ad fidem conversos, si in secundo, & ulterioribus gradibus lineæ obliquæ Matrimonium contraxerint, separandos non esse, cùm Constitutionibus Canonicis non arctentur; atqui separandi essent, si Matrimonium in his gradibus esset contra Jus naturæ; nam huic subjiciuntur etiam Infideles. 2. Constat etiam Sanctos Viros in veteri Testamento in his gradibus Matrimonium iniisse; sic enim Abraham duxit in uxorem Saram, quæ secundùm Aug. *l.* 16. *de Civit. c.* 12. *&* 10. & alios fuit neptis ipsius ex Fratre Aram. *Gen.* 11. & Isaac Rebeccam consobrinam suam. *Gen.* 24. atqui non est credibile, quòd Jus naturæ ignoraverint, aut contra agnitum egerint, cùm in hoc non reprehendantur à Scriptura. 3. Constat ex Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *de reform. Matr.* in his gradibus dispensari posse, & hoc probat etiam praxis; videmus enim passim, quòd Pontifex inter magnos Principes, in secundo, & ulteriori gradu conjunctos, ob publicam causam permittat conjugia. 4. Denique id confirmat etiam ratio; quia inter consanguineos in ulterioribus gradibus non est tanta familiaritas, & reverentia.

45 *Difficultas* est de conjunctis in primo gradu Lineæ transversæ, videlicet, an Matrimonium, inter fratrem, sororem initum, sit Jure naturæ nullum, & irritum? Irritum hoc Jure affirmant Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. *§.* 10. *nu.* 5. Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 28. *post pr.* Sà *V. Matrim. de Imped. dirim. n.* 4. *vers. cum parentibus.* Vasq. 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *D.* 112. *n.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 52. *n.* 11. Gutier. *de Matr. c.* 98. *n.* 20. Rebell. *p.* 2. *l.* 3. *q.* 5. *nn.* 13. Valent. *p.* 4. *D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. Layin. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 3. Clericat. *de Matr. decis.* 22. *à nu.* 31. Canis. *in c.* 3. *h. tit. n.* 13. *vers. quoad transversales*, Zoes. *hic n.* 33. Pirh. *n.* 10. Schamb. *nu.* 12. P. Konig. *nu.* 6. Reiffenst. *n.* 28. P. Melchior Friderich. *q.* 3. *art.* 3. *num.* 31. & apud hos alii. *Fundantur* 1. textu *c. augemus* 8. *de divort.* ubi Innoc. III. dum asserit, infideles in secundo, & ulteriori gradu copulatos, si ad fidem convertantur, non separandos, non obscurè innuit, separandos esse, si copulati sunt in primo. 2. Gentes pleræque etiam tale conjugium detestatæ sunt teste Aristotele 2. *Polit.* 2. & quæ illud permittebant, & graviter fuerunt reprehensæ, & pro barbaris habitæ, ut refert August. *l.* 22. *contra Faust. c.* 35. 3. Si non fuisset illicitum Jure naturæ conjungi in Matrimonium fratres, & sorores, Abraham non evitasset suspicionem initi cum Sara conjugii, & inde imminens sibi vitæ periculum, eam vocando sororem suam. 4. Conjugium fratris cum Sorore *Levit.* 20. punitur morte, & conjungitur cum adulterio, Sodomia, & bestialitate, quæ manifestè repugnant Juri naturali. 5. Nulla extant exempla proborum virorum, qui tempore Legis naturæ inierint tale conjugium, cùm tamen extent de aliis, Lege positiva postea prohibitis. 6. Inter fratres, & sorores est naturalis quidam pudor, ac reverentia, cui valde repugnat actus conjugalis, per quem turpitudo alterius revelatur. 7. Cùm fratres, & sorores ab incunabulis simul habitent, maxima præberetur ansa inflammandæ concupiscentiæ, & incestus committendi, nisi persuasum haberent, conjugia sibi prohibita esse ab Authore naturæ. 8. Ecclesia in primo gradu lineæ transversæ nunquam dispensavit, etsi aliquando fuerit petitum à Summo Pontifice. Hæc Sententia ex his fundamentis admodum probabilis est.

Dicendum tamen, probabiliùs Matrimonium inter fratrem, & sororem Jure naturæ non esse irritum. Ita S. Thom. 2. 2. *qu.* 154. *art.* 9. *ad* 3. S. Bonav. *in* 4. *dist.* 40. *art. un. q.* 2. Scot. *ibid. qu. un. art.* 2. Cajet. *in c.* 18. *Levit. ad fin.* Navar. *tit. de Sponsal. edit.* 2. *cons.* 14. *n.* 8. *fin.* Armill. *V. dispensare nu.* 9. *&* 10. Palacios *in* 4. *dist.* 40. *D. un. col.* 24. *fol.* 926. *vers. verumtamen quia frater*, Cucch. *l.* 5. *inst. major. tit.* 13. *num.* 11. Barth. à Ledesm. *de matr. dub.* 38. *concl.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 225. *n.* 2. Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 14. §. *sed posset dici*, Vega *tom.* 2. *Summ. c.* 34. *cas.* 127. 129. *&* 165. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 9. *n.* 4. Conink *D.* 32. *nu.* 19. Ponr. *l.* 7. *c.* 32. *à n.* 3. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 11. Perez *D.* 28. *sect.* 5. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 5. *h. tit. n.* 11. *&* 12. Wiestn. *hic n.* 28. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 3. *n.* 62. 46

Probatur 1. nam per fratrum, & sororum conjugia primitus fuit propagatum genus humanum; neque constat de dispensatione Divina: imò illam in principio statim mundi à DEO dari, & sic Jus naturæ in ipso naturæ primordio per dispensationem infringi adeo videtur dedecuisse, ut potiùs credendum sit, si id esset contra Jus naturæ, DEUM potiùs plures creaturum fuisse masculos, & fœminas, ne cogerentur fratres, Jure naturæ violato, Matrimonium inire cum sororibus. 2. Sara, ut testantur D. Hieron. *in qq. Hæbraic. in Genes.* & Clem. Alexandr. *l.* 2. *Stromat. c.* 12. atque ex ipsa Scriptura *Genes.* 20. colligitur, non tantùm fuit ex propinquis aliqua, sed vera Abrahæ Soror, consanguinea scilicet; nam *v.* 11. *l. cit.* dicit Abraham: *Aliàs autem & vivere Soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem*, non est autem credibile, quòd eam ducturus fuisset, si conjugium cum illa fuisset Jure naturali irritum. 3. Thamar 2. *Reg.* 13. Ammoni fratri violentam oppressionem dissuadens, *Quin potius*, ajebat, *loquere ad Regem*, *qui me non negabit tibi* uxorem: quæ verba ad defensionem apta non fuissent, si Matrimonium inter eos irritum fuisset Jure naturali. 4. Hujusmodi conjugia fratrum cum Sororibus apud Ægyptios, à rerum naturalium cognitione celebratos, non fuerunt inusitata; nam juxta Gentis illius morem Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex Sororem uxorem duxit, ut testis est Alex. ab Alex. *l.* 1. *dier. genial. cap.* 24. Idem de Assyriis, Persis, Atheniensibus scribunt Tiraquell. *Connub. l.* 7. & Palæot. *de Nothis cap.* 3. *n.* 2. *&* 3. non potest autem præsumi apud Gentes istas ignorantia Juris naturalis; ergo. 5. *Can. de incestis* 8. *caus.* 35. *q.* 3. Concilium Aghathense inter alias incestuosas conjunctiones prohibet, ne frater germanam suam accipiat in uxorem, & *vers. quod ita* concludit, *se non dissolvere* antè in infidelitate secus celebrata conjugia: quibus sanè verbis apertè ostenditur, omnia Matrimonia, in illis gradibus expresse prohibitis, valere posse; alioquin illos sic conjugatos in lethali culpa vivere sineret, quod nemo affirmabit. 6. *l. si stipulator* 35. *ff. de V. O.* Juris Consultus, assertionem suam, qua dixit, aliud per naturam, aliud per Leges fieri non posse, exemplis declaraturus, impossibile per naturam, ait, esse, *dare, quod dari non potest*; per Leges autem *Sororem suam nuptuxam sibi*: quo dicto clarè insinuat, conjugium, inter fratrem, & sororem initum, Juri naturali non repugnare. 7. Ex duobus collateralibus, etiam in primo gradu conjunctis, uterque alteri æqualis, neuter alterius principium, vel alteri subjectus est: igitur conjunctio conjugalis inter hos non ita adversatur reverentiæ, quam 47

fibi mutuò debent, ficut adverfatur conjugium inter afcendentes, & defcendentes reverentiæ, quæ à defcendentibus debetur afcendentibus. 8. Si ejufmodi conjugia irrita effent Jure naturali, ad ea difpenfari non poffet: quod tamen à Martino V. vel potiùs ejus nominis II. & aliis Romanis Pontt. factum narrant Cajet. *Opufc. de Matrim. Reg. Angel.* & Sylv. *V. Papa q.* 17.

48 Neque obftant Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. Innocentium eo textu folùm refpondet de fecundo, & ulterioribus gradibus; quia de his folis fuit confultus: de primo autem gradu, de quo inter DD. eft controverfia, nihil ftatuit, ut ex Adverfariis probè advertit Sanch. *l. c.* *Ad* 2. Gentibus conjugium hoc deteftantibus oppono alias, quæ illud approbarunt, & cùm prudentiæ laude, ut dictum eft, celebres fuerint, Jus naturæ ignoraffe præfumi nequeunt. Adde, ex horrore ifto probari folùm, quòd ejufmodi Matrimonia, fi ineantur fine caufa jufta, contineant quidem dedecentiam quandam, & propterea fint illicita, non tamen fequitur etiam effe invalida. *Ad* 3. Etiamfi Sara Abrahæ Soror non fuiffet, plus inde non inferretur, quàm quòd rara, aut omnino inufitata illis locis, & temporibus fuerint conjugia inter fratres, & forores, ut notat Pont. *l. cit. n.* 6. conf. Abraham fufpicionem conjugii cum Sara, dicendo eam effe fororem fuam, fatis evitavit. *Ad* 4. Conjugium fratris cum Sorore in *Levitico* fuit punitum morte, leviori pœna conjugia confanguineorum in gradu remotiore; quia major inconvenientia reperitur in illo, quàm in iftis: non tamen fequitur, inconvenientiam illam etiam poft fe, Jure pofitivo feclufo, trahere invaliditatem contractus. *Ad* 5. Extat exemplum Matrimonii liberorum Adam inter fe, & Abrahami cum Sara. *Ad* 6. Pudor ille, & reverentia non eft tanta, quanta refpectu avi, & aviæ effe debet in nepotibus, & neptibus illorum, & tamen non eft Jure naturali irritum Matrimonium avi cum nepte, & aviæ cum nepote, ut dictum eft *num.* 31. *Ad* 7. Satis profpectum illi periculo eft per Conftitutionem Ecclefiæ prohibentis, & irritantis hujufmodi conjugia. *Ad* 8. Patet ex Argumento noftro octavo.

49 Quæritur 12. Quoufque in Linea tranfverfa irritum conjugium fit Jure Ecclefiaftico? Refp. Jure Canonico antiquiffimo fimpliciter inter confanguineos Matrimonia prohibita fuerunt, quoufque gradus, ac generationis memoria retineri poterat *can. de confanguinitate* 17. *& can. feq. cauf.* 35. *q.* 3. quæ prohibitio deinde fuit reftricta ad gradum feptimum *can. nullum* 7. *can. nulli* 19. *q. cit. & can. ad fedem* 2. *cauf. cit. q.* 5. Denique in Concilio Lateranenfi fub Innocentio III. prohibitio illa graduum adhuc magis eft coarctata, & ftatutum, ut deinceps tam confanguinitas, quàm affinitas non dirimeret Matrimonium, nifi ad gradum quartum inclufivè, prout refertur *cap. non debet* 8. *v. prohibitio h. tit.* ubi ratio reftringendi Impedimentum iftud affertur duplex.

50 *Prima eft*, quia experientia compertum fuit, quòd prohibitio hæc, quæ Impedimentum iftud ad feptimum ufque gradum extendebat, fine magno difpendio fervari non potuerit, cùm fæpe difficulter fciri poffit, quinam quinto, fexto, aut feptimo gradu conjuncti fint, eò quod tam remotam Cognationem homines non foleant ita computare, imò etiam vix æftimare: quare fæpe numero factum eft, ut ob ignorantiam Cognationis in iftis gradibus contraherentur conjugia, quæ deinde cum tempore detecto impedimento, cum publico fcandalo, & damno debuerunt diffolvi.

51 *Altera* ex humani corporis humoribus ducitur: *quia etiam quatuor funt humores in corpore, qui conftant ex quatuor Elementis*: quæ ratio non quidem fundamentalis eft, fed congrua tantùm, minimè tamen explodenda, ut faciunt Hæretici noftri temporis; cùm enim homo ex quatuor humoribus, quatuor Elementorum naturam imitantibus, conftet, neceffe eft ob continuum qualitatum in his prædominantium inter fefe conflictuum, fanguinem à primo ftipite hauftum fucceffivè ita alterari, ut poft quartam generationem, five in arnepote, & arnepte vix aliquid ampliùs fuperfit, quod ab Atavo acceptum eft: cùm igitur ratione fanguinis, à communi ftipite accepti, confanguinei à conjugiis inter fe ineundis arceantur meritò ftatutum eft, ut deinceps Impedimentum iftud in Linea tranfverfa ultra quartum gradum fe non extendat. S. Thom. 3. *p. q.* 33. *art.* 4. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 53. *n.* 6. Gonzal. *in c. non debet cit. n.* 3. Pirh. *hic num.* 16. Schambog. *nu.* 17. Vvieftner. *num.* 17. *&* 18. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 90.

Quæritur 13. An rectè intra hos gradus ab Ecclefia prohibitum, & irritatum fit Matrimonium? Impugnant prohibitionem iftam Hæretici, inter quos *Vvickleff* eam vocat humanam inventionem, & putat, dempto gradu primo Lineæ rectæ, inter confanguineos Matrimonium ftare poffe in quocunque alio gradu; Lutherus verò, & Bucerus folos gradus *Levit.* 18. vetitos admittunt, alios verò ab Ecclefia additos omnino defpiciunt; Melanchton verò, & Kemnitius volunt etiam intra gradus ab Ecclefia prohibitos contrahi Matrimonium poffe, fi hoc culpa vacet. *Fundantur* 1. Quia DEUS meliùs novit, quæ perfonæ fint aptæ ad Matrimonium, & quoufque fe extendant Cognationis gradus, quam ullus homo. at ipfe non prohibuit conjugia, nifi ufque ad fecundum gradum in linea æquali. ergo temere prohibentur ab hominibus in Gradibus ulterioribus. 2. Antiqua Concilia, ut Turonenfe II. *can.* 12. Parifienfe I. *c.* 14. Epaunenfe *c* 30. & S. Gregorius *refponf.* 6. *ad Auguft. Angl. Epifcop.* relatus *can.* 20. *cauf.* 35. *q.* 3. conjugia folùm vetant intra fecundum gradum. ergo ultra hunc malè extenditur prohibitio. 3. Romanus Pontifex non eft fupra Chriftum. at hic non venit Leges Politicas conftituere, fed Verbum DEI annuntiare; ergo nec Summus Pontifex debet, aut poteft ejufmodi Leges ferre. 52

Sed dicendum, convenientiffimè ab Ecclefia prohibitum, & irritatum fuiffe Matrimonium in Gradibus ab Ecclefia interdictis. 1. Propter reverentiam, quam Cognati fibimetipfis exhibere debent, ob originem ab eodem ftipite tractam, & fanguinis communionem: cui reverentiæ multum detrahit actus conjugalis. 2. Quia decet Matrimonia iniri eo pacto, ut deferviant bono publico politico, cùm juxta Ariftotelem 1. *polit. c.* 2. homo fuapte natura fit animal politicum. atqui bonum politicum civitatis petit confanguineos, & affines non jungi Matrimonio, quòd hi fœdere confanguinitatis, & amicitiæ jam fint aliàs fatis devincti. 3. Quia fic tollitur anfa inceftus, quam aliàs perpetuus in eadem domo convictus præberent. 53

Ad Argumenta contraria facilis eft refponfio. *Ad* 1. Ecclefia minimè corrigit Divinum ftatutum, fed utitur poteftate fibi à DEO conceffa, qua reftringere, vel dilatare poteft prohibitionem Matrimonii, prout expedire viderit pro diverfitate temporum. Et Hebræis quidem expediebat, ne plures confanguinitatis gradus DEUS prohiberet, quòd rari effent illi, & valdè proni ad repudium, à quo arcerentur ducentes confanguineas: quæ ratio modò ceffat, & ideo expediens fuit plures ab Ecclefia gradus prohiberi. *Ad* 2. Ab illis Conciliis enumerantur aliquot gradus prohibiti; quòd verò etiam cæteros ufque ad feptimum Jure antiquo, & quartum Jure novo velint Matrimonium fidelibus effe prohibitum, fatis patet, quia remittunt fe ad ftatuta veterum, & anteriora Concilia S. Gregorius *in Epift.* 31. apertè profitetur, fe cum folis Anglis ob recentem eorum converfionem difpenfaffe, ut in tertio, & quarto gradu poffent contrahere Matrimonium, quòd de Jure non licet. *Ad* 3. Matrimonium, poftquàm à Chrifto elevatum eft ad dignitatem Sacramenti, eft res Spiritualis, quas tractandas Chriftus affignavit Ecclefiæ: conf. ceffavit effe res merè Politica: quin Ethnicis quoque vifum eft, hoc munus effe eorum, qui Sacra tractant, ut patet ex Cicerone *l.* 2. *de LL.* 54

Quæritur 14. An ad hos gradus fe extendat etiam Impedimentum confanguinitatis, ortum ex copula illicita? 55 Ratio dubitandi eft, quòd affinitas, ex ea orta, per Trid. ut *infrà n.* 108. videbimus, ad primum, & fecundum gradum reftricta fit. confanguinitas autem, & affinitas quoad prohibitionem Matrimonii æquiparantur. igitur cùm favorabile fit pro libertate Matrimonii refpondere, & ejus Impedimenta minuere, dicendum videtur, quòd nec Impedimentum Confanguinitatis, ortum ex copula illicita, fe ultra gradum primum, & fecundum extendat.

Sed longè probabilius eft, circa confanguinitatem nihil à Trid. immutatum effe; fi enim voluiffet Trid. utique eadem facilitate, ficut de Affinitate, ita & de Confanguinitate id expreffiffet: aliunde autem notum eft, correctionem Jurium fine aperto textu non effe admittendam *arg. c. cùm expediat* 29. *de elect. in* 6. *l. præcipimus* 32. §. *fin. C. de Appell.* Engl *hic* §. 1. *n.* 10. Konig *ibid. n.* 11. 56

Neque

57 Neque verum est, quòd consanguinitas, & affinitas in omnibus æquiparentur, cùm major sit conjunctio ex consanguinitate, quàm affinitate: & insuper ea causa, quæ restringi suadet affinitatem, ortam ex copula illicita, non persuadeat sic restringendam consanguinitatem, ex illa natam, quòd frequentiùs ex copula illicita oriatur affinitas, quàm consanguinitas.

58 Quæritur 15. An universim quicunque quinto gradu inter se distant, Matrimonium contrahere possint, licèt unus eorum à communi stipite distet intra gradum quartum? Satis constat, posse Matrimonialiter copulari saltem si is, qui propinquior est communi stipiti, distet ab eo secundo, tertio, aut quarto gradu. Habetur expressè *c. fin. h. tit.* Ratio est, quia computatio fit à remotiori, & sic inter se distant quinto gradu, in quo gradu nulla est prohibitio. Sanch. *l. 7. de Matr. D.* 53. *n.* 4. Fagnan. *in c. fin. cit. n.* 2.

59 *Difficultas* est, si unus ex contrahentibus solùm distet primo gradu à stipite communi? In quo casu *Hostiensis*, *Joannes de Friburgo*, *Henricus de Boich*, & quidem alii antiquiores apud Sanch. *n.* 5. negant hoc casu per Jus Canonicum contrahi Matrimonium ab ita conjunctis posse. *Rationem dant* 1. Quia *c. fin. cit.* solùm approbatur illud Matrimonium, in quo uxor quinto, & vir quarto gradu distat à communi stipite: igitur non approbatur, si vir distet primo. 2. Decisio *c. non debet cit.* pertinet magis ad lineam obliquam æqualem, quàm inæqualem; nam in linea inæquali is, qui propinquior est communi stipiti, & ab eo tantùm unico gradu distat, est quasi in linea ascendentium, in qua secundùm dicta *n.* 35. Matrimonium in infinitum interdicitur. 3. Ex Bulla S. Pii V. exprimendus est gradus propinquior alterius; & ibi protestatur Summus Pontifex, se nunquam intendere dispensare, si unus illorum solùm distet primo gradu à stipite: ergo ex mente illius primus gradus absolutè obstat Matrimonio.

60 Sed dicendum, conjugium inter collaterales, quorum unus distat à communi stipite quinto gradu, alter solùm primo, etiam de Jure Ecclesiastico esse validum. Ita aliis citt. Sanch. *n.* 5. *cit.* Fagn. *l. cit. n.* 3. P. Frider. *de consang. & affinit. qu.* 4. *art.* 2. *nu.* 52. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *nu.* 94. Ratio est, quia *c. non debet cit.* sine exceptione traditur, quòd Consanguinitatis, & Affinitatis impedimentum ultra quartum gradum non extendatur; possunt igitur validè contrahere, qui distant quinto; atqui illi, quorum unus à communi stipite distat quinto gradu, alter primo, adhuc inter se distant quinto gradu, cùm juxta *c. fin. cit.* remotior trahat ad se viciniorem: ergo &c.

61 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Quòd Pontifex in *c. fin. cit.* solùm ponat gradum unius quartum, & alterius quintum, causa fuit, quia de eo dumtaxat casu fuit interrogatus: cæterùm Constitutionem illam extendendam etiam ad casum, quo propinquior à communi stipite distat tertio, secundo, & primo gradu, evincit ratio in *c. fin. cit.* data; quia videlicet non attenditur distantia vicinioris, sed remotioris. *Ad* 2. In *c. non debet cit.* non distinguitur inter lineam transversam æqualem, & inæqualem; igitur dispositio illius indistinctè est intelligenda: neque verum est, quòd distans unico gradu in linea collaterali à communi stipite sit quasi in linea ascendentium respectu collateralis remotioris, cùm iste ab illo originem suam non trahat. *Ad* 3. Id verum est, quando remotior adhuc intra quartum gradum distat à stipite communi, non verò, si quinto, vel ulteriori, ut declaravit *S. Congregatio*, teste Tambur. *de Jur. tripl. l.* 8. *tr.* 2. *c.* 9. §. 7. *n.* 3.

62 Quæritur 16. Quam pœnam incurrant Consanguinei, qui in gradu prohibito Matrimonium ineunt, & incestas nuptias contrahunt? Resp. Jure Canonico incurrunt Excommunicationem ipso facto, nisi probabilis ignorantia, vel metus excuset. *Clem. un. h. tit.* ubi etiam aliæ pœnæ, contra ejusmodi incestuosos conjuges per Leges Civiles, vel alia Jura latæ, confirmantur. Tales de Jure Civili sunt bonorum publicatio, exilium, & verberatio, si persona vilis sit *c. cùm secundùm* 19. *de Hæres. in* 6. *Auth. incestas C. de incest. nupt.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 8. Zoes. *hic n.* 16. Honor. *n.* 5. Schamb. *n.* 36. Quæ pœnæ, maximè Canonicæ, locum habere videntur, etiamsi nuptiæ non sint consummatæ. Barbos. *in Clem. cit. nu.* 20. Zoes. *n.* 16. *cit.* Schamb. *n.* 38. Konig *n.* 16.

63 An verò pœnæ Civiles extendendæ sint ad nuptias, quæ de Jure solùm Civili incestuosæ sunt, prout sunt nuptiæ inter ascendentes, & descendentes, inter fratrem, & sororem, ejusque filiam, an verò etiam ad eas, quæ tales sunt de Jure Canonico, controversum est inter DD. Affirmat Cov. *l. cit.* & quidam alii DD. Negat Jul. Clar. §. *incestus n.* 3. Canis. *in c. non debet cit. n.* 13. *vers. sunt in hac quæstione*, Konig *l. cit.* arg. *l. Gracchus* 4. *C. ad l. Jul. de adult.*

Quæritur 17. Qualis ignorantia excuset ab ista pœna? *Certum* est excusare omnem ignorantiam facti, quæ probabilis est. Schambog. *hic num.* 39. Et idem dicendum de Ignorantia Juris non culpabili.

An verò etiam excuset ignorantia Juris culpabilis, dubium moveri potest: quod tamen distinctione tolli potest; nam affectata, qualem habent illi, qui scire nolunt, quod scire deberent, idque ut liberiùs peccent juxta *Ps.* 35. *v.* 4. ibi, *Noluit intelligere, ut bene ageret*, non excusat, cùm æquiparetur scientiæ: Contrà ignorantia etiam crassa, si affectata non sit, probabiliùs excusat sic contrahentes ab Excommunicatione per *Clem. cit.* lata; quia hæc exigit, ut scienter tale ineatur Matrimonium, quæ scientia verum requirit dolum, & malam fidem; atqui dolo caret non solùm is, qui factum nescit, sed & is, qui in Jure erravit, ut ait *l. sed & si* 15. §. *scire* 6. *ff. de hæred. petit.* 64

Idem dicendum putant Barbos. *in Clem. cit. n.* 7. *& seqq.* Zoes. *n.* 19. Schamb. *n.* 39. de eo, qui ab initio ignoranter Matrimonium cum tali impedimento iniit, tametsi illius ex post facto fiat conscius, & post adeptam scientiam ab eo non recedat; quia *Clem. cit.* non punit cohabitationem incestuosam, sed eos, qui scienter talem contractum ineunt; in casu autem posito non ineunt: ergo &c. *Excipit* Barbos. *l. cit. n.* 18. si intentione maritali cohabitent: quam tamen Exceptionem alii negant. *Procedit* autem hoc non tantum post Trid. sed etiam ante illud, quo Jure copula subsequens Sponsalia de futuro faciebat illa transire in Matrimonium; quia id verum erat, si non subesset impedimentum dirimens. Ita *citt.* 65

§. II.

De Affinitate.

SUMMARIUM.

66 QUæritur 1. Quid ſit *Affinitas* ? Reſp. *Affinitas* ſic dicta eſt à *Finium* propinquitate ; cùm enim per copulam carnalem perfectam, & conſummatam vir, & mulier fiant una caro. *Matth.* 19. *v.* 5. & *can. fraternitatis* 1. *cauſ.* 35. *q.* 10. conſanguinei unius accedunt ad fines alterius *l. non facilè* 4. *§. ſed quoniam* 3. *ff. de gradib. & affinib.* & hinc conſanguinei mariti affines uxoris fiunt, & viciſſim conſanguinei uxoris affines mariti ; nam *ſi una caro fuerit* (maritus, & uxor) *quomodo non poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere* (ſeu propinquitate jungi) *niſi pertineat alteri*, ut *can. fraternitatis cit.* loquitur Gregorius Papa.

67 Definitur autem *Affinitas* communiter, quòd ſit *propinquitas perſonarum, proveniens ex copula carnali perfecta, omni carens parentela*, ſeu cognatione, & conſanguinitate. Ita S. Thom. *in* 4. *diſt.* 41. *q. un. art.* 1. *qu.* 3. *arg.* 2. Gloſſ. *in arbor. affinit. cauſ.* 35. *qu.* 5. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 64. *num.* 1. Gutier. *c.* 99. *de Matr. nu.* 1. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 5. *num.* 1. Palao *tract.* 28. *D.* 4. *part.* 8. *num.* 1. Barboſ. *in Rubr. h. tit. n.* 10. Gonzal. *in c.* 1. *eod. n.* 5. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tract.* 2. *part.* 2. §. 4. *n.* 18. Vallenſ. *hic* §. 3. *num.* 1. Engl §. 2. *num.* 1. Zoeſ. *num.* 8. Honor. *num.* 37. Pithing *num.* 21. Konig *n.* 20. Vvieſtner *num.* 34. Reiffenſtuel *num.* 32. Magnif. P. Schmier *par.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 108. & paſſim TT. ac JCti cæteri. Ultima verba non ſic accipienda ſunt, quaſi Affinitas cum Conſanguinitate ſtare non poſſit (poteſt enim aliquis eſſe ſimul Conſanguineus, & Affinis, uti fuit Jacob, poſtquam duas ſorores Liam, & Rachaelem ſuas Amitinas duxit) ſed quòd Affinitas per ſe ſtare poſſit (uti etiam plerumque ſtat) abſque conſanguinitate.

68 *Ex quo ſequitur* 1. Virum, & uxorem non eſſe inter ſe propriè affinis, ſed principium affinitatis, & quaſi ſtipitem, ex quo Affinitatis gradus numerantur, & diſtinguuntur. Covar. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 6. §. 7. *num.* 7. Sanch. *D.* 64. *cit. num.* 5. Gutier. *c.* 99. *cit. nu.* 6. Vivian. *in c. quod ſuper* 5. *h. tit. verſ. inter virum*, Fagn. *ibid. num.* 6. Gonzal. *in c.* 1. *eod. nu.* 7. *fin.* Honor. *hic num.* 9. Engl §. 2. *num.* 2. Schambog. *nu.* 22. Ratio eſt, quia Affinitas non eſt, nec contrahitur, niſi mediante alia perſona; conjuges verò ſunt ſibi immediate matrimonialiter conjuncti ; ergo &c.

69 *Sequitur* 2. Neque ex Sponſalibus de futuro, neque ex Matrimonio rato oriri Affinitatem propriè dictam ; quia in utroque caſu deeſt ratio Affinitatis, nimirum conjunctio carnalis per quam ſolam vir, & mulier una caro efficiuntur : orietur igitur dumtaxat Impedimentum publicum Honeſtatis. Gloſſ. *in canon. ſiquis deſponſaverit fin. cauſ.* 27. *q.* 2. Abb. *in c.* 3. *de Sponſal. n.* 4. Covar. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 6. *§.* 2. *n.* 1. *&* §. 7. *n.* 3. Sanch. *D.* 64. *cit. n.* 25. Gutier. *c.* 99. *n.* 7. Conink *D.* 32. *n.* 46. Palao *p.* 8. *n.* 2. Vallenſ. *§.* 3. *n.* 2. Zoeſ. *n.* 8. Pirhing *nu.* 23. Konig *n.* 25. Vvieſtner *num.* 34. Reiffenſtuel *num.* 41. Quidam exiſtimant, in effectu parum intereſſe, an ex Matrimonio rato oriatur impedimentum Affinitatis, an publicæ Honeſtatis tantùm, cùm utrumque impedimentum protendatur ad gradum quartum. Quod verum eſt in ſententia eorum, qui putant Excommunicationem latam in *Clem. un. h. tit.* incurri etiam ab iis, qui contrahunt Matrimonium cum conſanguineis prioris Sponſæ de præſenti non cognitæ, quam ſententiam probabilem dicit Petr. de Ledeſm. *qu.* 55. *art.* 9. *dub.* 1. *ad* 6. In ſententia, negante Excommunicationem hoc caſu incurri, quam certam ſibi eſſe teſtatur Sanch. *l.* 7. *D.* 48. *n.* 14. effectum habet, quòd contrahens Matrimonium cum conſanguineis uxoris cognitæ Excommunicationem iſtam incurrat, quam in hac ſententia non incurrit contrahens Matrimonium cum conſanguineis Sponſæ non cognitæ : quæ ſententia fundamentum habet in *Clem. cit.* ubi Excommunicatio ſolùm fertur in contrahentes cum triplici impedimento, videlicet conſanguinitatis, affinitatis, & Voti ſolemnis, aut Religioſi : proinde cum pœnalis ſit Conſtitutio iſta, ad impedimentum publicæ Honeſtatis extendi non debet.

70 *Sequitur* 3. Affinitatem oriri non ſolùm ex copula licita, ſed etiam ex illicita; nam *qui adhæret meretrici, unum corpus cum illa efficitur*, ut dicitur 1. *Cor.* 6. *v.* 16. Sanch. *D.* 64. *n.* 16. Conink *D.* 32. *cit. n.* 46. Laym. *c.* 5. *n.* 1. Palao *p.* 8. *nu.* 4. Caniſ. *ad Rubr. h. tit. nu.* 4. Barboſ. *num.* 10. Gonzal. *num.* 5. Vallenſ. *n.* 2. Zoeſ. *n.* 8. Engl §. 2. *n.* 8. Schambog. *n.* 20. Konig. *n.* 25. Reiffenſtuel *nn.* 26. *Neque obſtat* textus *l. non facilè* 4. *§. ſed quoniam* 3. *&* §. *ſciendum* 8. *ff. de grad. affinib.* ubi diſertè negatur, affinitatem aliunde oriri, quàm ex juſtis nuptiis; quia id negatur non abſolutè, ſed ſolùm quo aliquos effectus Civiles v. g. Succeſſionem : de cætero autem Jus Civile illiciti concubitus rationem habet, dum *l. liberi* 4. *C. de nupt.* Matrimonia, inita à liberis cum parentum concubinis, tanquam minùs religioſa, & probabilia rejicit : & ſic etiam iſto Jure iſtius ratio non haberetur, ſufficeret Jus Eccleſiaſticum, quod in re iſta præcipuè ſpectandum eſt ; nam hoc Jure Affinitatem ex copula fornicaria oriri patet ex *c. in litteris* 24. *de teſt. & atteſt. c. diſcretionem* 6. *de eo, qui cognovit &c.* & Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 2. *de reform. Matr.*

Sequitur 4. Affinitatem non contrahi per copulam ſo- 71
lùm attentatam, etiam cum reſeratione clauſtri virginalis, ſeu penetratione vaſis fœminei, ſed opus eſſe, ut copula ſit perfecta, immiſſo, & recepto ſemine, ſaltem virili, intra vas naturale fœminæ. S. Thom. *in* 4. *diſt.* 41. *q. un. art.* 1. *q.* 3. *Corp. & q.* 4. *ad* 2. S. Bon. *ibid. art.* 11. *q.* 1. S. Anton. 3. *p. tit.* 1. *c.* 15. *pr. paulò ante not.* 2. Abb. *in c. Juvenis* 3. *de Sponſal. nu.* 4. Alex. de Nevo *in c. fraternitati* 7. *de eo, qui cognovit &c. num.* 10. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 19. *dict.* 2. Navar. *Man. c.* 22. *nu.* 42. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 16. *nu.* 2. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 64. *n.* 8. Conink *D.* 32. *n.* 46. Palao *p.* 8. *n.* 2. *&* 3. Boſco *de Imped. Matr. D.* 12. *ſect.* 6. *concl.* 1. Barboſ. *in c. fraternitati cit. num.* 2. Gonzal. *ibid. n.* 2. *&* 7. Engl *hic* §. 2. *n.* 7. Pirhing *nu.* 22. Schambog. *nu.* 20. Konig *num.* 25. Vvieſtner *num.* 37. Reiffenſtuel *n.* 37. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 111. & ſumitur ex *can. extraordinaria* 11. *cauſ.* 35. *q.* 3. Ratio eſt, quia ad Affinitatem contrahendam requiritur talis copula, per quam vir, & mulier fiunt una caro ; atqui non fiunt una caro, niſi per copulam perfectam, & ſufficientem ad generationem prolis, qualis eſt ſola illa, in qua ſemen virile recipitur intra vas fœmineum, ut conſtat ex *l. lex Divinæ* 18. *cauſ.* 27. *q.* 2. Et hinc quando *c. Juvenis, & cap. fraternitati citt.* innuitur ; attentationem copulæ ad producendum Impedimentum Matrimonii ſufficere, id intelligendum eſt de Impedimento non Affinitatis, ſed publicæ honeſtatis, ut cum aliis notat Sanch. *l. cit. n.* 19.

Sequitur 5. non oriri affinitatem ex copula Sodomi- 72
tica habita in vaſe præpoſtero, & contra naturam, uti neque ex quacumque pollutione extra vas debitum ; quia ex ea non poteſt ſequi generatio prolis : è contrario oriri illam ex copula habita cum fœmina dormiente, ignorante, coacta, ebria, inſana, ſeu amente, vel ex copula occulta ; quia ea ſufficiens eſt ad generationem prolis. Sanch. *l. cit. num.* 12. 13. 17. *&* 18. Laym. *n.* 1. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Honor. *hic n.* 7. Pithing *n.* 23. Schambog. *n.* 21. Reiffenſt. *n.* 40. *&* 44.

Sequitur 6. Non contrahi Affinitatem ex copula, in 73
qua ſola fœmina ſeminat ; quia ea non eſt ſatis ad generationem prolis. Sanch. *n.* 10. Pirhing *nu.* 22. *propè fin.* Schambog. *n.* 20. Reiffenſtuel *nu.* 42. *&* 43. An verò ſufficiat copula conſummata ſolùm ex parte viri, an verò requiratur etiam ſemen fœminæ, controverſum eſt inter DD. Sanch. *n.* 21. & ab eo *citt.* putant ad Affinitatem inducendam ſufficere conſummationem ex parte ſolius viri. Contrà Clericat. *de Sacr. Matr. deciſ.* 31. *n.* 6. cum aliis apud Sanch. *n.* 20. requirunt conſummationem etiam ex parte fœminæ ob *can. Lex Divinæ cit.* ubi requiritur utriuſque *ſanguinis commixtio*.

Quæritur 2. Quotuplex ſit Affinitas ? Reſp. Olim tri- 74
plex fuit Affinitatis genus juxta *can. de propinquis* 3. *& can. fin. cauſ.* 35. *q.* 3. *Primum*, quod mediante una tantum perſona, contrahebatur. *Alterum*, quod mediantibus duabus. *Tertium*, quod mediantibus tribus. Quod meliùs exemplo, quàm alia ratione declaratur. Itaque ſi Titius frater meus Matrimonium ineat, & conſummat cum Bertha, hæc mea, & cæterorum Titii conſanguineorum affinis eſt in primo genere Affinitatis. Quodſi dein Titio fratre meo mortuo, Bertha copuletur Sempronio, oritur ſecundum genus Affinitatis, qua Sempronius, alter Berthæ maritus, me, cæteroſque Titii conſanguineos contingit. Si demum, mortua etiam Bertha, Sempronius Matrimonio jungatur Cajæ, cum hac Sempronii uxore ego, & reliqui Titii conſanguinei contrahimus tertium Affinitatis genus.

Omnia

75 Omnia hæc Affinitatis genera antiquo Jure dirimebat Matrimonium, prout constat ex *can. de propinquis cit. & seqq.* Postea *in Concil. Later. sub Innocentio III.* statutum fuit, ut sublato secundo, & tertio genere, conjugia non dirimantur, nisi inter Affines primi generis, prout patet ex *cap. non debet* 8. *h. tit.* & notant Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *n.* 117. Barbos. *in Rubr. hoc tit. n.* 11. Gonzal. *in c.* 1. *eod. n.* 6. Fagnan. *in cap. non debet cit. n.* 14. Canis. *ibid. n.* 8. Vallens. *hic* §. 3. *nu.* 5. Zoes. *n.* 9. Honor. *n.* 13. Engl §. 2. *n.* 6. Pirh. *num.* 27. Schamb. *numer.* 28. Konig *num.* 22. Vviestner *num.* 39. Reiffenstuel *num.* 34. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 119.

76 *Excipiunt* nonnulli cum Schneidevvin. *Inst. de Nupt. de Arb. Affinit. n.* 13. eos, qui constituti sunt in secundo Affinitatis genere in linea recta, & se habent per modum parentum, & liberorum, ut si quis vellet ducere privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ. *Rationem* dat, qui ita expressè disponitur Jure Civili *l. uxorem* 15. *ff. de rit. nupt.* ubi Papinianus, *Uxorem*, inquit, *quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportet; nec in Matrimonium convenire novercam ejus, qui privignæ maritus fuit.* Conf. ex *l. non facilè* 4. *§. hos itaque* 7. *ff. de gradib. & affinib.* ubi pro regula traditur, *nefas esse, eos, qui affinitatis causa parentum, liberorumque loco habentur, Matrimonio copulari.*

77 Sed dicendum cum Zoes. *hic n.* 9. Engl *nu.* 6. *fin.* Konig *n.* 22. P. Friderich. *de Consang. & affin. p.* 2. *q.* 1. *art.* 1. *n.* 58. Leges illas Civiles per *c. non debet cit.* abrogatas esse; neque enim verum est, quod ait Schneidevvin, textum illius *cap.* solùm loqui de Affinitate Affinitatis in linea transversa: nam textus universalis est, & Canonistæ passim eum universaliter intelligunt. *Neque dicas*, juxta multorum sententiam, quam ego *nu.* 37. amplexus sum, *c. cit.* dum Consanguinitatis, & Affinitatis Impedimentum reducit à septimo gradu ad quartum, loqui solùm de Linea obliqua, ac proinde de hac sola etiam loqui tunc, quando aufert Impedimentum, quod olim oriebatur ex affinitate affinitatis. *Negatur enim sequela*: rationem cur in priore casu loquatur solùm de linea obliqua dedi *n. cit.* illa autem ratio non pugnat in casu posteriore, ut consideranti patebit.

78 Poterit igitur aliquis ducere privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ. Dixi *privignam, vel novercam*; vera enim mater, & vera filia uxoris, licèt ex alio Matrimonio habita, in uxorem duci non potest, ut bene Engl *n.* 6. *cit. v. notanter*, & patet ratio; quia est primo affinitatis genere conjuncta.

79 Quæritur 3. Inter quos oriatur affinitas? Resp. contrahitur inter consanguineos uxoris ex una parte, & inter maritum ejus ex altera: & rursum inter consanguineos mariti ex una parte, & inter uxorem illius ex altera: non autem mutuò inter consanguineos uxoris, ut constat ex *c. non debet* 8. *h. tit.* Engl *hic* §. 2. *numer.* 5. Schamb. *n.* 21. *ibid.*

80 *Ex quo sequitur*, consanguineos mariti licitè, & validè contrahere posse Matrimonium cum consanguineis uxoris, & hos vicissim cum illis, prout sumitur ex *c. quod super* 5. *hoc titul.* & notat Gloss. *ibid. V. impediri*, Vivian. *ibid. pr.* Fagnan. *n.* 1. & 3. Barbos. *n.* 1. Gutier. *c.* 99. *n.* 8. Schambog. *n.* 21. *cit.* Ratio est, quia Affinitas non causat Affinitatem: intellige, propriè dictam; nam latè loquendo consanguinei mariti, & consanguinei uxoris affines dicuntur. Vel si velis litigare de nomine, concedam tibi, etiam hos inter se invicem dici simpliciter Affines posse, non tamen tales, ut propterea inter eos impediatur, aut dirimatur Matrimonium. Alex. de Nevo *in c. quod super cit. numer.* 4. Pirhing *hic num.* 25.

81 Et hinc 1. validè, & licitè Matrimonium ineunt duo fratres cum duabus sororibus, uti etiam pater, & filius cum matre, & filia. Canis. *in c.* 5. *cit. nu.* 1. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 1. Zoes. *n.* 8. Engl §. 2. *n.* 5. Vviestnier *nu.* 35. 2. Privignus cum matre, filia, aut sorore Novercæ, & privigna cum patre, filio, aut fratre Vitrici; quia Privignus, & Privigna solius Vitrici, aut Novercæ, non etiam personarum, his sanguine conjunctarum, Affines sunt. 3. Fratris, & sororis mortuorum superstites conjuges inter se, ita, ut Bertha Titii demortui uxor nubat Cajo marito superstiti Mæviæ sororis Titii; nam Bertha, & Cajus nulla affinitate conjuncti sunt. 4. Filius mariti, & filia uxoris, ex matrimoniis antea cum alia, vel alio initis procreati. 5. Valida sunt Matrimonia, successivè inita cum duabus viduis, quarum defuncti mariti erant fratres Germani inter se invicem. Pluribus exemplis hanc rem illustrant Tann. *to.* 4. *D.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *nn.* 118. & Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 5. *n.* 4.

Quæritur 4. An etiam Affinitas Stipitem, Lineas, & Gradus habeat? *Ratiò dubitandi* sumitur ex *l. non facilè* 4. §. *gradus* 5. *ff. de gradib. & Affinib.* ubi negatur, quòd gradus Affinitati ulli sint. Verùm hic textus intelligendus est, quòd non habeat gradus, sicut Consanguinitas, quæ per diversas generationes diversos gradus sortitur, cùm tamen Affinitas ex una copula contrahatur ad omnes consanguineos alterius partis. De cætero negari non potest, quòd etiam Affinitas gradus suos habeat, quod clarè admittitur *l. Jurisconsultus* 10. *ff. eod.* & probat ratio; sicut enim unus ex consanguineis est propinquior altero, ita etiam inter Affines; utique enim magis propinqua Affinitate mihi jungitur soror uxoris meæ, quàm illius sororis filius, aut nepos. 82

Hinc sicut Consanguinitas, ita & Affinitas in Stipitem, Lineam, & Gradum distingui solet. *Stipitem* constituunt mas, & fœmina, inter quos carnalis copula intercessit, utpote cùm ipsi non fiant affines inter se, sed principium Affinitatis sint, ut dictum est *n.* 68. *Linea* alia est Recta, alia Obliqua. *In linea recta* Affines uxoris sunt, qui in linea recta sunt consanguinei mariti; & vicissim, qui in linea recta consanguinei sunt uxoris, sunt in eadem linea Affines mariti. *In linea obliqua* ponuntur respectu uxoris, qui in linea obliqua consanguinei sunt mariti; & vicissim, qui in linea obliqua consanguinei sunt uxoris, Affines in linea obliqua sunt marito. *Gradus* est distantia unius personæ ab altera, sicut dictum est suprà de Consanguinitate *n.* 14 83

Porro pro Gradibus Affinitatis veræ inter se dignoscendis, & statuenda illorum distantia, Regula hæc communiter recepta est apud DD. videlicet: *In eo aliquis gradu est Affinis uxoris, in quo gradu consanguineus est mariti; & vicissim in eo gradu affinis est mariti, in quo gradu consanguineus est uxoris.* Unde consanguinei viri in primo gradu sunt Affines uxoris etiam in primo gradu; & consanguinei viri in secundo gradu, sunt affines item uxoris in secundo gradu, & sic de cæteris. Idemque est de consanguineis uxoris. Tanner. *to.* 4. *D.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *n.* 118. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 64. *num.* 3. Vivian. *in c.* 1. *h. titul. pr.* Gonzal. *ibid. numer.* 7. *fin.* Zoes. *hic num.* 9. Pirhing *num.* 24. Schambog. *numer.* 4. Konig *num.* 29. Vviestner *num.* 39. Reiffenstuel *num.* 51. 84

Pro dignoscenda vera Affinitate ab Affinitate per accidens, & impropriè dicta Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 5. *nu.* 4. ex Navar. *l.* 4. *cons.* 3. *h. tit.* hanc tradit Regulam, videlicet quando neque vir carnaliter cognovit consanguineam mulieris, cum qua ille Matrimonium inire cupit, neque mulier carnaliter cognovit consanguineam viri, tunc siqua inter eos Affinitas est, ea tantùm est per accidens, ita, ut Matrimonium postea contractum non impediat, nec dirimat. Exempli causa Titius contraxit Matrimonium cum Caja, & hoc consummavit: ex Matrimonio sic consummato consanguinei Titii fiunt propriè dicti Affines Cajæ, & consanguinei Cajæ Affines Titii, frater verò Titii sorori Cajæ tantùm fit affinis per accidens, & impropriè: quia, ut ponitur, nec frater Titii carnaliter cognovit aliquam consanguineam sororis Cajæ, nec soror Cajæ aliquem Consanguineum fratris Titii: quare si Matrimonium inire voluerint inter se, poterunt, non obstante hac sua Affinitate. 85

Quæritur 5 An vinculum Affinitatis ex Matrimonio sit naturale, vel potiùs inventum Ecclesiæ, ut publica Honestas ex Sponsalibus de futuro, & Cognatio Spiritualis? Merum Ecclesiæ inventum esse duplex videtur probare ratio. 1. Quia, ut *n.* 86. dixi, inter ipsos Conjuges non oritur Affinitas; non autem apparet, quomodo per conjunctionem, per quam ipsi Affines non fiunt Affines fiant aliorum. 2. Inter Consanguineos datur propinquitas naturalis, quia à natura participant communem sanguinem; Affines autem nihil à natura commune participant, ex quo aliqua inter ipsos necessitudo resultare possit; neque enim copula inter eos intercedit, neque ex eodem sunt sanguine. 86

Sed

87 Sed dicendum procul dubio est, affinitatem, ex copula conjugali ortam, non esse merum Ecclesiæ inventum, sed quid naturale, instar Consanguinitatis, etiam stante ea sententia, quæ docet, nullam Affinitatem Jure naturali dirimere Matrimonium, de quo *infrà*. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 41. *q. un. art.* 1. *Corp.* Durand. *ibid. q.* 1. *n.* 7. S. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 11. *fin. princ.* Veracrux *p.* 1. *Specul. art.* 47. *concl.* 1. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 55. *art.* 1. *diffic.* 1. *ad* 2. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 65. *nu.* 4. Ratio est, quia ob id Consanguinitas est quid naturale, quia naturalis cujusdam amicitiæ, & conjunctionis fundamentum est; simile autem fundamentum reperitur etiam in Affinitate; nam teste Aristotele 8. *Eth. c.* 12. duplex est naturalis amicitiæ causa, una, quæ per carnis propagationem descendit, altera, quæ per carnis unitatem, & conjunctionem ad eandem generationem, qualis in copula conjugali reperitur. *Conf.* 1. nam quòd per carnis conjunctionem conjuges efficiantur una caro, est de Jure naturæ, cujus instinctu Adam dixit, *Erunt duo in carne una Gen.* 2. ergo necesse est, ut eodem Jure naturæ consanguinei unius contrahant propinquitatem cum altero conjuge, & hæc est Affinitas. *Conf.* 2. quia ut cum aliis notat Sanch. *l. cit.* etiam Gentes barbaræ agnoverunt Affinitatem inter conjuges, & eorum consanguineos; & ideo ad hanc significandam varia invenerunt nomina *Soceri*, *Vitrici*, *privigni*, *generi*, *novercæ &c.*

88 *Ex quo sequitur*. Infidelem, qui cùm uxore consummavit Matrimonium tempore infidelitatis, non posse post Baptismum validè inire Matrimonium cum consanguinea uxoris usque ad quartum gradum. Constat ex *c. fin. de Divort.* ubi deciditur, Infideles conversos ad fidem, non posse ducere uxores, quibus cum illorum fratres tempore infidelitatis contraxerunt Matrimonium. *Ratio est*, quia cùm talis Affinitas juxta dicta *nu. præced.* sit vinculum quoddam naturale, etiam oritur inter Infideles, & manet etiam post Baptismum; post Baptismum autem jam subjacent Legi Ecclesiæ irritantis conjugia inter Affines intra quartum gradum; ergo &c. Dixi *post Baptismum*; nam si ante Baptismum Infidelis Matrimonium contrahat cum uxore fratris sui infidelis defuncti, Matrimonium valet; quia Affinitas illa, ut *nu.* 96. dicetur, non dirimit Matrimonium Jure naturali, sed solo Ecclesiæ, à quo illi exempti sunt.

89 Neque urgent Argumenta opposita. *Ad* 1. licèt Affinitas inter conjuges nulla detur, datur tamen unitas, quæ principium Affinitatis est. Unde sicut nemo consanguineus sibi est, sed communio sanguinis facit, ut aliis sit consanguineus, ita licèt uxor, & maritus sibi non sint Affines, unitas tamen carnis, quæ fit per copulam, facit, ut aliis Affines fiant, & ipsi aliis. *Ad* 2. sicut ut quis fiat consanguineus fratris, quem sua ipsi mater pariet, necesse non est, ut aliquid ei cum fratre commune de novo accedat; ita ut quis Affinis fiat uni conjugum, opus non erit, ut ex parte ipsius aliqua detur mutatio, sed sufficit, ut ejus consanguineus fiat alterius conjux.

90 Quæritur 6. an naturale sit etiam vinculum Affinitatis, ortum ex copula illicita? Negant Navar. *l.* 4. *cons.* 7. *de Sponsal. edit.* 1. *n.* 3. *& tit. de consang. cons.* 12. *n.* 3. 4. *&* 6. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 1. *num.* 2. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 65. *n.* 9. Treutl. *Vol.* 2. *D.* 6. *th.* 3. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 8. Fundamenta illorum sunt. 1. Quia si vinculum naturale induceret copula illicita, illud fuisset agnitum etiam Jure antiquo Romano; non autem hoc Jure agnita fuit Affinitas, nisi ex solis nuptiis *l. non facilè* 4. §. *sed quoniam* 3. *&* §. *sciendum* 8. *ff. de Gradib. & Affinib.* 2. Affinitas, sicut omnis necessitudo inter personas, jus est; coitus autem illicitus, eo ipso, quòd illicitus sit, non Juris, sed facti est. 3. Si Affinitatis, ex copula illicita ortæ, vinculum naturale esset, naturaliter inclinaretur filius ad exhibendam aliquam reverentiam fœminæ, a suo patre cognitæ; teste autem experientia, fit contrarium; nam potiùs inter illos ex hac ratione oritur odium, & aversio. 4. Ad significandum vinculum naturale amicitiæ, ortum ex Matrimonio, imposita sunt nomina *Soceri*, *Generi*, *Vitrici*, *Novercæ &c.* nulla hujusmodi nomina imposita sunt Affinibus per copulam fornicariam; ergo &c.

91 Sed probabiliùs etiam vinculum Affinitatis ex copula illicita est naturale. Ita Joan. Andr. *in c.* 1. *n.* 3. *de convers. infidel.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 7. *n.* 2. Palæot. *de Spuriis cap.* 7. Vinn *in* §. 9. *Inst. de Nupt.* Vvisenbach *part.* 1. *D.* 44. §. 22. Bachov. *in Treutl. Vol.* 2. *D.* 6. *th.* 3. *Lit. D.* P. Melchior Friderich. *de consang. & affinit. p.* 2. *q.* 2. *art.* 2. *n.* 68. Ostenditur, quia tota ratio, ob quam ex copula conjugali oritur affinitas Jure naturæ, est, quia vir, & uxor per copulam efficiuntur una caro ad prolis generationem, ac consanguinei proinde unius Jure naturali efficiuntur affines alterius; atqui hæc ratio, secluso omni præcepto Ecclesiastico, invenitur etiam in copula fornicaria; nam ut Apostolus 1. *Corinth.* 6. *v.* 16. ait, *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*. *Ex quo sequitur*, quodsi Infidelis in infidelitate aliquam fornicariè cognovit, si deinde suscipiat Baptismum, non possit ille ducere matrem illius, vel filiam, aut sororem; quia cum his contraxit affinitatem, quæ licèt Matrimonio ejus non obstet, dum infidelis est, cùm Legibus Ecclesiæ non ligetur, obstare tamen incipit post Baptismum, cùm post hunc affinitas contracta perseveret.

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. etiam 92 Jus Civile Affinitatem agnovit ex copula illicita, & ideo *l. liberi* 4. *C. de Nupt.* vetuit, ne liberi Matrimonium cum parentum concubinis inirent, ut *nu.* 70. *suprà* monui: & hinc, quando *l. non facilè cit.* negatur Affinitas ex copula illicita, id intelligendum de Affinitate, non naturali, sed civili, ut ibidem dictum est, ne admitti debeat Antilogia Legum. *Ad* 2. Argumentum probaret, quòd ex copula illicita etiam non oriatur Consanguinitas. Dicendum ergo, Dictionem *Jus* in duplici sensu posse accipi, in uno, prout idem est, quòd *Justum*, in altero, prout significat id, quod est Jure statutum: in primo sensu affinitas ex copula illicita jus non est, est autem in secundo. *Ad* 3. reverentia, quæ ex copula carnali Patris cum concubina in prioris filio naturaliter oritur, est, quòd iste vereatur carnaliter jungi concubinæ patris: quæ reverentia non stat necessariò cum amicitia; & ideo juncta esse cum aversione, & odio talis fœminæ potest ob dedecus, quod flagitio suo pater aspersit filiis. Certè affinitatem filii cum Noverca sua indubitatò contrahunt, licèt sæpe contingat, ut illa aversetur privignos, & hi illam. *Ad* 4. iisdem nominibus etiam compellari possent Affines ex copula illicita: abstinemus tamen communiter ab iisdem, quia talis Affinitas probro ducitur; quæ autem probrosa nobis judicamus, eorum etiam appellatione erubescimus.

Quæritur 7. Quo Jure dirimatur Matrimonium, ini- 93 tum inter Affines lineæ transversæ? *Certum est* 1. in nullo gradu Lineæ transversæ dirimi Matrimonium ob Affinitatem, ortam ex copula fornicaria; licèt enim, ut *n.* 91. dixi, vinculum illius sit naturale, tantum tamen non est, ut sufficiat ad dirimendum Matrimonium ipso Jure naturæ. *Conf.* quia cum sic Affinibus, si Impedimentum occultum sit, ad Matrimonium contrahendum dispensat Pontifex in Sacra Pœnitentiaria, & dispensandi facultatem concedit aliis: quod certè non fieret, si Affinitas, ex fornicatione orta, de Jure naturæ obstaret valori Matrimonii, inter sic Affines contracti.

Certum est 2. non esse Jure Naturæ irritum Matrimo- 94 nium, initum inter Affines secundi, & ulterioris gradus Lineæ transversæ, etsi Affinitas orta sit ex copula licita, seu conjugali, ob eandem rationem: cui accedit; quia minus vinculum est Affinitas, quàm Consanguinitas; atqui conjugium inter Consanguineos secundi, & ulterioris gradus non est Jure naturæ irritum, ut dictum est *n.* 44. *& seq.* ergo nec initum inter sic Affines. Dixi, *non est irritum Jure naturæ*; negari enim non potest, quòd hujusmodi Matrimonium, nisi illud causa aliqua cohonestet, illicitum sit; quia indecentiam aliquam continet, eamque tanto majorem, quanto propinquiori inter se gradu Affinitatis contrahentes conjuncti sunt.

In dubium revocari potest duntaxat, an Jure naturali 95 irritum sit conjugium, initum inter Affines, in primo gradu lineæ transversæ conjunctos, ut sunt maritus, & uxoris defunctæ soror, uxor, & mariti defuncti frater? Affirmant cum quibusdam antiquioribus temporis nostri Sectarii. *Fundantur* 1. textu *Lev.* 18. *v.* 16. ubi disertè vetatur conjugium cum fratris uxore. 2. Ex eodem *v.* 9. ubi prohibetur conjugium fratris cum sorore, uxor autem fratris sororis rationem respectu istius habet, quippe quæ per Matrimonii consummationem unus sanguis, & caro facta est cum marito suo; conf. etiam fratre illius. 3. Ex *Matth.* 14. *v.* 4. *& Marc.* 6. *vers.* 18. ubi S. Joan-

Joannes Baptista increpat Herodem ob ductam fratris sui Philippi uxorem, dicens, *Non licet tibi ducere uxorem fratris tui*. Atqui malè de hoc objurgasset Herodem Joannes, si ejusmodi conjugium non esset prohibitum Jure naturali; nam præceptis *Levitici*, tanquam Gentilis, non adstringebatur. 4. Ex *cap. gaudemus* 8. *de Divort.* ubi in principio dicuntur Infideles conjuges, cùm ad Fidem convertuntur, non separandi, si antea in Infidelitate conjuncti fuerint in Matrimonium secundo, & ulteriori gradu. igitur Argumento à sensu contrario, separandi sunt, si sint conjuncti in primo gradu: hoc autem non ex alia causa, quàm quòd conjugia ejusmodi Jure naturali sint irrita; nam Lex Divina de hoc non ampliùs extat, Jure Ecclesiæ autem, quamdiu Infideles sunt, non obligantur. ergo &c.

96 Sed his non obstantibus, dicendum, etsi Matrimonium in primo gradu Affinitatis Lineæ transversæ naturalem quandam indecentiam habeat, & propterea illicitum sit, tanta tamen non est ista indecentia, ut etiam sit irritum Jure naturali, & ita, ut ex justa causa, præsertim accedente publica Superioris authoritate, cohonestari non possit. Ita Cajet. *to.* 3. *Opusc. tr.* 14. *de Conjug. Reg. Angl. ad Clem. VII.* Duaren. *ff. solut. Matr. tit. de Nupt. c.* 3. Cujac. *l.* 8. *obs.* 18. *& ad tit. de Grad.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 10. *n.* 7. *& seqq.* Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 28. Valent. *p.* 4. *D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. *v. in aliis*, Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 55. *artic.* 6. Menoch. *de arbitr. cas.* 502. *n.* 22. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 66. *nu.* 11. Pont. *l.* 9. *de Matr. c.* 34. *n.* 3. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 8. *n.* 11. Zoes. *hic n.* 35. Pirh. *n.* 34. Schambog. *n.* 33. Konig. *n.* 24. Vviestner *n.* 46. Reiffenstuel *nu.* 48. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *n.* 140. & cæteri RR. magno consensu, habentque omnes doctrinam istam instar Veritatis Catholicæ.

97 *Ostenditur* 1. Exemplis Legis Naturæ adhuc durantis; nam *Gen.* 29. *v.* 23. *&* 28. Jacob Patriarcha in uxorem accepit duas sorores filias Laban, Liam, & Rachelem; & *ibid. c.* 38. *v.* 8. Judas relictam primogeniti sui dedit alteri suo filio Onan: neuter autem in Scriptura propterea reprehenditur tanquam transgressor Legis naturæ, 2. *Ex Lege Mosaica*, ubi *Deut.* 25. *v.* 5. præcipitur universim, ut frater ducat uxorem fratris sui, si hic sine liberis defunctus sit, ut suscitet ei semen. 3. Ex Jure Ecclesiastico *cap. fin. de divort.* ubi Innocentius III. statuit, permittendos in conjugio Infideles conversos ad fidem, etsi istud contraxissent cum sorore uxoris suæ defunctæ. atqui permitti non possent in conjugio isto persistere, sed separandi essent, si ejusmodi conjugia forent Jure naturæ irrita. 4. *Ex paritate*; nam arctius est vinculum inter consanguineos lineæ trasversæ in primo gradu, quàm inter Affines lineæ transversæ in illo gradu conjunctos. atqui, ut *à n.* 46. ostensum est, inter consanguineos lineæ transversæ etiam primi gradus Matrimonium non est ipso Jure naturæ irritum. ergo &c. 5. *Ex ratione*; quia ex Affinibus lineæ transversæ neuter est alterius Superior: proinde à neutro alteri debetur specialis reverentia, & submissio; vel siqua debetur, ea tanta non est, ut Matrimonium inter eos exigat irritari Jure naturæ. 6. *Ex praxi Ecclesiæ*, quæ in eodem gradu primo lineæ tranversæ sæpius dispensavit; sic enim legimus dispensatum fuisse ab Alexandro VI. cum Rege Lusitaniæ; à Julio II. cum Henrico VIII. Rege Angliæ ad ducendam Catharinam Arcturi fratris sui defuncti uxorem; à Clemente VIII. cum Casimiro Poloniæ Rege ad ducendam relictam fratris sui Uladislai; & novissimè adhuc vivens exemplum habet Italia in Francisco Farnesio Duce Parmensi, qui mortui fratris conjugem uxorem habet Serenissimam Dorotheam Sophiam Neoburgicam. Impugnavit quidem Dispensationem à Pontifice secum factam Henricus, tanquam illegitimam, qui propterea Catharinam repudiavit; sed pro valore ejus steterunt celeberrimæ per Europam Universitates, imò pro ipsa à Clemente VII. speciali Bulla edita pronuntiatum, ut adeo dubium ampliùs esse nequeat de veritate responsionis.

98 Neque veritatem istius convellunt, aut dubiam reddunt, quæ à Sectariis opponuntur. *Ad* 1. Jam *suprà à n.* 38. ostensum est, non in omnibus Gradibus, prohibitis in Levitico, Matrimonia Jure naturali irrita esse. *Ad* 2. Ostensum est à *n.* 46. conjugium fratris cum sorore probabiliùs Jure naturali non esse irritum: quòd si Jure hoc non subsisteret, inde tamen non sequeretur, quòd eodem Jure etiam irritum sit initum cum uxore fratris, aut mariti fratre; nam Affinitas minor est consanguinitate, & frater cum uxore sua unus efficitur sanguis, & caro, non verè, ac propriè, sed impropriè propter utriusque sanguinis commixtionem, & conjunctionem carnis in copulatione. *Ad* 3. S. Joannes Hærodem reprehendit ob ductam uxorem fratris sui, quia is adhuc vivebat, ut cum *S. Hieronymo*, *Beda*, *Doctore Angelico*, *Josepho* & aliis testis est Bellarm. *l. cit. num.* 27. & esto, quòd Philippus Herodis frater jam fuerit mortuus, adhuc non licuit Herodi uxorem fratris sui ducere ob Legem Judaicam, quam Herodes teste Josepho *l.* 3. *antiq. c.* 17. cum cæteris Idumæis sectatus fuit; hæc enim vetuit conjugium cum uxore fratris jam defuncti, si iste liberos reliquisset. *Levit.* 18. *v.* 16. reliquit autem Philippus filiam saltatricem. *Ad* 4. Imprimis *cap. gaudemus cit.* ut observant Sanch. *D.* 66. *cit. nu.* 12. *fin.* Perez *D.* 31. *sect.* 4. *n.* 3. & cum his P. Vviestner *hic nu.* 48. *fin.* sermo est de solis consanguineis: deinde esto, sermo sit etiam de Affinibus, de secundo, & ulteriori gradu ibi meminit Pontifex, quia de primo non fuit consultus; aliàs mentem suam clariùs explicasset, sicut fecit *c. fin. de Divort.*

Quæritur 8. Quo Jure irritum sit Matrimonium inter Affines lineæ rectæ in primo gradu? Dupliciter formari hoc dubium potest, an in isto gradu, & linea Matrimonium Jure naturali dirimat Affinitas, orta ex copula fornicaria; & an saltem eo Jure dirimat Matrimonium Affinitas, orta ex copula conjugali? 99

Etiam ex copula fornicaria ortam Affinitatem in isto gradu, & linea Jure naturali dirimere Matrimonium, affirmant D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 11. §. 1. *pr.* Celaja *in* 4. *dist.* 40. *q. un. post* 4. *Argum. dub.* 1. Coninck *D.* 32. *n.* 53. ex ratione, quia indecens esse videtur, etiam secluso Jure Ecclesiastico, concubinam patris sui in uxorem ducere, quod etiam prohibitum reperitur *l. liberi* 4. *C. de Nupt.* nam tota ratio, ob quam contrahitur Affinitas inter aliquos, est, quia per copulam carnalem fiunt una caro. hoc autem fit verè, & propriè etiam per copulam fornicariam juxta illud Apostoli. 1. *Corinth.* 6. *Qui adhæret meretrici* (scilicet per fornicationem, de qua ibi sermo est) *unum corpus efficitur cum ea*, *& erunt duo in carne una*, ut ibi additur. ergo etiam hæc copula naturaliter inducet Affinitatem: si Affinitatem, etiam Impedimentum Matrimonii. ergo &c.

Sed meliùs cum Navar. *l.* 4. *cons.* 12. *h. tit. n.* 3. Petr. 100
de Ledesm. *de Matr. q.* 55. *art.* 6. *circa* 1. *statum Affinitatis*, *diffic.* 2. *concl.* 3. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 66. *n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 7. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 8. *n.* 10. Pirhing *hic n.* 33. Vviestner *n.* 49. Reiffenstuel *num.* 50. P. Melchior Friderich *p.* 2. *de consang. & affinit. quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 81. dicendum est, inter sic affines conjugium solùm dirimi Jure Ecclesiastico: cons. siquis tempore Infidelitatis fornicatus fuit cum Titia, & postea duxerit ejus filiam, Matrimonium erit validum, neque separandi conjuges, si postea ad fidem convertantur. *Ratio* responsionis est 1. Quia Affinitas ex fornicatione non est ita perfecta, sicut illa, quæ oritur ex legitimo Matrimonio, ut observat Card. de Lugo *l.* 1. *respons. mor. dub.* 40. *num.* 29. & licèt indecentiam gravem habeat Matrimonium in tali gradu Affinitatis initum, tanta tamen illa non est, ut ob eam asserendum sit, quòd Author naturæ ejusmodi Affinibus negarit potestatem tradendi se invicem in conjugium. 2. Quia, ut statim *n.* 103. dicetur, Matrimonium Jure naturæ non dirimit Affinitas in primo gradu Lineæ rectæ, licèt illa sit orta ex copula licita. igitur multo minùs illud dirimit, si sit orta ex copula fornicaria, & illicita. 3. Quia ad conjugium, inter ejusmodi Affines contrahendum, & jam contracti usum, quando Affinitatis Impedimentum est occultum, Sedes Apostolica non rarò dispensat in Sacra Pœnitentiaria, & ita dispensandi facultatem committit aliis, prout teste Rebell. *p.* 2. *de Just.* *l.* 3. *q.* 25. *n.* 9. S. Pius V. Cardinali Henrico Lusitano Principi facultatem concessit dispensandi in Affinitate cujuscunque gradus, proveniente ex fornicatione occulta.

Ex quo cadit Argumentum Sententiæ oppositæ; neque enim omnis Affinitas, etiam Jure naturali orta, eodem Jure dirimit Matrimonium.

Dis-

101 *Difficultas* igitur potissima præsentis quæstionis est, an Affinitas, quæ orta est ex copula conjugali, inter primi gradus Affines in linea recta, v. g. socerum, & nurum, socrum, & generum, vitricum, & privignam, novercam, & privignum, naturali, an solùm positivo Jure Matrimonium irritet?

Naturali Jure hoc casu Matrimonium irritari, affirmant S. Thom. *in* 1. *Corinth.* 5. *vers.* 1. Paludan. *in* 4. *dist.* 41. *q.* 1. *art.* 5. *concl.* 2. *n.* 27. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 11. §. 1. *pr.* Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 15. *dict.* 6. & *V. Papa q.* 17. Sot. *dist.* 41. *cit. q. un. art.* 3. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 10. *n.* 6. Bellarm. *l.* 2. *de Matr. c.* 28. *not.* 2. Valent. *p.* 4. *D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. Vasq. 1. 2. *q.* 74. *art.* 8. *D.* 112. *n.* 7. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *q.* 4. *dub.* 7. *n.* 123. Coninck *D.* 32. *n.* 53. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 5. Canis. *in c.* 3. *h. tit. n.* 15. Zoes. *hic n.* 36. Pirh. *n.* 32. Schambog *n.* 30. Reiffenstuel *nu.* 49. P. Melchior Friderich *p.* 2. *de consang. & affinit. q.* 3. *art.* 1. *n.* 72. & favet admodum S. Augustinus relatus *can. si vir* 15. *caus.* 35. *q.* 2. *&* 3. ubi sic ait: *Si vir, & uxor non duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quàm filia.* atqui patris cum filia Matrimonium Jure naturali est irritum. igitur etiam Soceri cum nuru.

102 Ostendunt 1. Ex Lege Divina veteris Testamenti, primò quidem *Levit.* 20. *à v.* 11. ubi ejusmodi nuptiæ, tanquam grande nefas, gravissimis pœnis subiiciuntur: deinde autem *Amos* 2. *v.* 7. ubi tanquam gravissimum scelus exaggeratur filii, & patris cum eadem puella concubitus, quòd eo *Nomen DEI sanctum violarint*, i. e. Gentibus, tales concubitus abominantibus occasionem dederint, Nomen Domini DEI sanctum blasphemandi. 2. Ex Lege nova, & illo Apostoli 1. *Corinth.* 5. *v.* 1. ubi ait: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat*: qui textus intelligi nequit de uxore patris adhuc viventis, cùm magis id factum exaggerare videatur propter extraordinariæ libidinis turpitudinem, ut notat Coninck *l. cit. nu.* 51. & ex eo Pirbing *hic num.* 32. 3. Authoritate Concilii Arvernensis, quod *c.* 11. ait, conjugio, inito inter novercam, & privignum, naturæ Jura perrumpi. 4. Textibus Juris Civilis *l. si adulterium* 38. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* & *l. fin.* §. *noverca* 1. *ff. de condict. fin. caus.* ubi ejusmodi nuptiæ pro incestuosis habentur. 5. Gentium omnium bene institutarum moribus, apud quas abominabiles fuerunt hujusmodi nuptiæ, ut colligitur ex *l. liberi* 4. *C. de Nupt. & l. fin.* §. *noverca cit.* ubi Glossa ait, quòd tale Matrimonium prohibeatur Jure naturali, & Civili 6. Usu Ecclesiæ; quia nunquam auditum hactenus in Ecclesia est, quòd Pontifex dispensarit in hoc Affinitatis gradu. 7. Ratione; nam vitrico, & novercæ, socero, & socrui, cùm parentum sint loco §. *socrum* 7. *Inst. de nupt. & leg. quia parentis* 16. *ff. solut. Matr.* eadem ferè, quæ parentibus, reverentia, & submissio debetur. huic autem adversari videtur mutua conjugum obligatio, & actus conjugalis turpitudo. ergo &c.

103 Verùm his non obstantibus, dicendum, probabiliùs Matrimonium, contractum inter Affines etiam primi gradus in linea recta, non naturali, sed Ecclesiastico tantùm Jure irritum esse. Ita videtur sentire S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. ubi inter solos parentes, & filios clarè dicere videtur prohiberi Jure naturæ Matrimonium. Sequuntur Cajetan. *ibid.* Abulens. 1. *Reg.* 8. *q.* 149. 151. *& seqq.* Armill. *V. dispensare num.* 9. *&* 10. Veracrux *p.* 2. *Specul. art.* 25. *concl.* 3. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 1. *n.* 2. *& c.* 9. *num.* 5. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 55. *art.* 6. *circa* 1. *statum affinitatis, diffic.* 2. *concl.* 1. *&* 2. Emman. Sà *Summ. V. Matrimonium de Imped. dirim. n.* 4. *v. cum parentibus*. Vega *to.* 2. *Summ. c.* 34. *cas.* 126. *ad fin.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 66. *n.* 7. Pont. *l.* 7. *cap.* 34. *n.* 5. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 8. *num.* 12. Dian. *p.* 4. *tr.* 4. *resol.* 93. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. num.* 9. Clericat. *de Sacr. Matr. decis.* 31. *nu.* 34. Wiestner *hic n.* 50. Konig *num.* 24. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matrim. c.* 3. *à n.* 149.

104 Fundamentum Sententia ista habet 1. ex Conciliis, Agathensi relato *canon. de incestis* 8. *caus.* 35. *q.* 2. *&* 2. & Epaunensi *can.* 30. quibus statuitur, non dissolvenda esse Matrimonia, inita cum privigna ante suam prohibitionem, ut textum illorum explicant DD. *citati.* Simile quid habetur in Concilio Aurelianensi III. *can.* 10. ubi decidit, conjugia, in infidelitate contracta cum relicta patris, & cum filia uxoris, post susceptum Baptismum solvenda non esse. 2. Exemplis Sacræ, & profanæ Historiæ: sic enim Adonias sibi petiit copulari Abisag, David patris sui relictam 3. *Reg.* 2. *v.* 17. & Seleucus Rex Stratonicen uxorem secundam Antiocho filio prioris Matrimonii, ex vehementissimo erga eandem amore periculosè decumbenti, facto divortio cessit, teste Valerio Magno *l.* 5. *c.* 7. 3. Ratione; nam si ejusmodi conjugia forent Jure naturali irrita, talia essent ob submissionem, & reverentiam, quam privignus, & privigna debent Vitrico, & Novercæ, gener & nurus Socero, & Socrui. atqui neutrum probat, conjugia ejusmodi Jure naturæ esse irrita: *non primum*; quia ex sic Affinibus neuter alterius superior est, aut alteri, tanquam naturali suo principio, connubiale fœdus simpliciter excludenti, subjectus. *Non secundum*; quia ex reverentia ista non sequitur, quòd per eam conjugium Jure naturali excludatur; & si excluderetur, non excluderetur absolutè, & ita, ut sic initum esset irritum, sed tantùm, ut sine gravissima causa sit illicitum.

Neque plus probant Argumenta *n.* 102. allata. *Ad* 1. 105
Meritò *Levit.* 20. gravissimis pœnis subjecit DEUS sic contrahentes, cùm Matrimonium inter ejusmodi personas repugnet naturali decentiæ: ex quo tamen non sequitur, quòd naturali Jure sit irritum. Quod additur ex Amos Propheta, concubitus patris, & filii cum eadem puella reputatum fuit abominandum scelus, quia non incestus tantùm, sed adulterii etiam rationem habebat, quod omni Jure damnatur, & apud Gentes scandalosum est. *Ad* 2. Apostolus textu *citat.* loquitur de Matrimonio, quod filius iniit cum uxore patris adhuc viventis, & renitentis: quod non obscurè insinuat ipsemet, dum eam vocat *uxorem*, quam si pater jam fuisset mortuus, appellasset *relicta patris*, ut notat Gonzal. *n.* 9. *citat.* aliàs Paulus non dixisset, ejusmodi peccatum non esse auditum inter Gentes; nam, ut *num. prac.* dictum est, volente patre adhuc vivo, Antiochus uxorem ejus duxit, & Persæ ducebant relictam Patris, ut notat Sanch. *nu.* 9. *Ad* 3. Adhuc verum est, hujusmodi Nuptiis perrumpi Jus naturæ; quia licèt Jure naturæ non sint irritæ, sunt tamen eo Jure illicitæ. Quòd autem *citat.* Concilium dicere non voluerit, quòd hujusmodi conjugia sint Jure naturæ irrita, patet, quia idem asserit de Matrimonio inito cum sorore uxoris, quod tamen, ut *n.* 96. vidimus, non est Jure naturali irritum. *Ad* 4. Leges Civiles aliud non evincunt, quàm quòd ejusmodi Nuptiæ propter naturalem indecentiam meritò prohiberi, & irritari potuerint, quà prohibitione, & irritatione supposita, jure pro incestuosis habentur. *Ad* 5. Patet ex Probationibus nostris, conjugia ejusmodi non fuisse ita universaliter reprobata, ut non ex aliqua causa gravi licuerint. Et esto, omnes Gentes ejusmodi conjugia reprobarint unanimiter, ex eo solùm sequitur, quòd sint naturaliter illicita, non verò, quod etiam sint irrita. *Ad* 6. Causa est naturalis indecentia; nam propter hanc Dispensatio ab Ecclesia ad contrahendum inter ejusmodi Affines Matrimonium nunquam est impetrata: sed neque sperari potest, quòd ea aliquando sit impetranda extra casum urgentis omnino extraordinariæ necessitatis. *Ad* 7. Responsum est Argumento tertio, ex Ratione ducto.

Quæritur 9. Ad quotum Affinitatis gradum extenda- 106
tur prohibitio Matrimonii Jure Ecclesiastico? Resp. hic distinguendum esse inter Jus antiquum, & recentius. *Jure antiquo* Matrimonium inter Affines Legibus Ecclesiæ prohibitum erat usque ad septimum gradum, sicut inter Consanguineos, prout constat ex *can. de Affinitate* 1. *can. nullum* 7. *can. æqualiter* 13. *caus.* 35. *q.* 3. Quæ prohibitio intelligi debet non tantùm de Affinitate legitima, seu illa, quæ provenit ex legitimo Matrimonio, sed etiam de illegitima, sive ea, quæ oritur ex fornicatione; quamvis enim in *citt.* Juribus non fiat expressa mentio illegitimæ Affinitatis, nec Jus extet, quod explicet in ea gradus, ad eam tamen DD. omnes, teste Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 67. *num.* 3. prohibitiones illas extendunt. *Ratio est*, quia Jura *citt.* universim statuunt, Affinitate dirimi Matrimonia, oritur autem Affinitas etiam ex copula illicita, ut ostensum est *suprà n.* 70. ergo cùm hanc non excipiant, etiam ipsam comprehendunt.

Si lo-

107 Si loquamur *de Jure recentiore*, iterum distingui debet inter Jus constitutum per Concilium Lateranense relatum *c. non debet* 8. *h. tit.* & novissimum Tridentini. Nam *priore Jure* Affinitatis impedimentum contractum fuit ad gradum quartum, ita, ut inter quarti duntaxat gradus Affines inita conjugia sine dispensatione essent invalida. *Ratio* restringendi vim Impedimenti istius, quam Jure antiquo habuit, fuit, quòd prohibitio veterum Canonum tam latè patens, propter gravia scandala, aliaque incommoda inde orta, jam non ampliùs observari possit, prout dictum est suprà de Consanguinitate. *numer.* 58. Non autem hoc Jure fiebat discrimen inter copulam licitam, & illicitam: unde, ut Sanch. *numer* 3. *citat.* notat, etiam Affinitas, orta ex copula illicita, usque ad gradum quartum inclusivè diremit Matrimonium.

108 Jure autem novissimo Trid. *sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform. Matrim.* inductum est discrimen inter Affinitatem, ortam ex copula illicita, & inter eam, quæ provenit ex copula licita; nam illam ita restrinxit, ut deinceps non dirimat Matrimonium, nisi inter Affines primi, & secundi gradus, quod hujusmodi Affinitas sæpissimè contrahatur occultè, & sic ob ignorantiam impedimenti alterutrum sequi necesse esset, ut in sic inito Matrimonio vel non sine magno peccato perseveretur, vel illud non sine magno scandalo dirimatur. *Ex quo sequitur*, Affinitatem ex copula conjugali adhuc dirimere Matrimonium usque ad quartum gradum; tum quia Tridentinum *c. cit.* restringens Impedimentum hoc ad gradum secundum expressit solùm illam, quæ ex fornicatione oritur; tum quia in illa, quæ provenit ex copula conjugali, rationes restringendi cessant Sanch. *D.* 67. *cit. n.* 5. & apud eum plurimi alii.

109 Quæritur 10. An restrictio Impedimenti Affinitatis ex copula conjugali ad gradum quartum intelligi debeat etiam de Affinitate in Linea recta? Negant Host. *in Summ. h. tit. n.* 6. §. *sed nunquid.* Palæot. *de Noth. c.* 6. *n.* 3. Rebell. *p.* 2. *l.* 3. *q.* 15. *nu.* 6. P. Melchior Friderich *de Consang. & Affinit. p.* 2. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 87. & Mag. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 3. *nu.* 171. *&* 172. & videtur istud probari posse iisdem rationibus, quibus *à num.* 34. ostendi, Impedimentum Consanguinitatis in linea recta extendi in infinitum. Nam, ut inter Consanguineos, ita etiam inter Affines lineæ rectæ Nuptiæ Jure Civili prohibitæ sunt in infinitum prout patet ex *l. adoptivus* 14. §. *fin. ff. de rit. nupt. & l. non facilè* 4. §. *hos itaque* 7. *ff. de Gradib. & Affinib.* & tradunt Vinnius §. 6. *Inst. de Nupt. num.* 4. Schneidevvin. *Inst. eod.* Vvissenbach *D.* 44. §. 19. cum aliis. hæc autem Juris Civilis constitutio non est correcta per Jus Canonicum: ergo &c. *Conf.* Quia motivum, propter quòd SS. Canones Matrimoniale Impedimentum restrinxerunt ad gradum quartum, quod scilicet in gradibus ulterioribus absque difficultate non possit observari, non stringit in Linea recta, in qua vix erit possibile, ut quis Matrimonium cum Affine ultra quartum gradum possit contrahere, obstante scilicet brevitate vitæ humanæ.

110 Quæritur 11. An in tertio, & quarto gradu Affinitatis, ortæ ex copula illicita, etiam licitè contrahi possit Matrimonium? *Ratio dubitandi* est; quia olim ante *Tridentinum* nec licuit, nec valuit Matrimonium in illis gradibus, & Sacra Synodus tantùm disposuit de validitate contractus, nulla mentione facta de ejus licentia. igitur cùm juxta *l. præcipimus* 32. §. *final. C. de Appellat. Quidquid nova lege non est expressum, id veterum Legum, Constitutionumque regulis omnes relictum intelligant*, restrictio per eandem Synodum facta, utpote contra antiquos Canones, ita debebit intelligi, ut in tertio, & quarto gradu Contractus Matrimonii sit quidem validus, maneat tamen illicitus.

111 Sed dubium hoc resolvit S. Pius V. *Motu proprio*, incipit *Ad Romanum edito* 1566. ubi expressè declaratur, liberè, & licitè posse contrahi Matrimonium: quo proinde Motu proprio viso, *Navarrus*, qui antea *in edit.* 1. *Man. c.* 22. *nu.* 34. tenuit priorem sententiam, opinionem suam mutavit: quem sequuntur Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 55. *artic.* 3. *dub. ult.* Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 228. *n.* 4. Vega *tom.* 1. *Summ. c.* 34. *cas.* 53. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 69. *num.* 4. Gutier. *c.* 99. *de Matr. n.* 12. Engl *hic* §. 2. *n.* 10. *v. præterea*, P. Melchior Friderich *p.* 2. *de consang. & affinit. q.* 3. *art.* 2. *num.* 89. Ratio est, quia Affinitas non ponit duplex Impedimentum, sed tantùm unum, videlicet dirimens, quod à fortiori, dum dirimit, etiam impedit: dum ergo à Trid. quoad tertium, & quartum gradum Affinitatis, ortæ ex copula illicita, ablata est vis dirimendi Matrimonium, etiam ablata est ei vis impediendi. *Ex quo sequitur*, per *Motum proprium cit.* non inductum esse Jus novum, sed declaratum antiquius Tridentini, quod indicatur Verbo *Declaramus*, quo Pontifex in *Motu cit.* utitur.

Quæritur 12. An illud tantùm Impedimentum Gradus tertii, & quarti sublatum sit, quod contrahebatur ex simplici fornicatione; an verò etiam, quod ex Adulterio, Stupro, Incestu, & Sacrilegio? *Ratio dubitandi est*, quia Trid. *sess.* 24. *c.* 4. *de reform. Matr.* restringens Affinitatem, ortam ex copula illicita, mentionem facit solius fornicationis, quæ in sensu proprio accepta comprehendit duntaxat illam, quæ simplex est, & specialem malitiam adjunctam non habet. verba autem in Decretis, maximè quæ correctoria sunt, quale istud Tridentini est, in sensu proprio accipienda sunt. ergo &c. 112

Sed dicendum, per nomen Fornicationis in illo Tridentini Decreto intelligi omnem illicitum concubitum. Ita Gutier *l.* 1. *qq. can. c.* 23. *nu.* 3. Ludov. Lopez *p.* 2. *Instruct. c.* 50. *fol.* 1159. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 67. *nu.* 6. Engl *hic* §. 2. *n.* 10. *v. præterea.* & teste P. Friderich. *p.* 2. *de Affinit. q.* 3. *art.* 2. *nu.* 91. communis DD. Nec modus iste omnem Veneream intemperantiam significandi fornicationis nomine infrequens in Sacra Scriptura est, prout patet ex illo *Tob.* 4. *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione.* In simili significatione accipitur *Ephes.* 5. *Coloss.* 3. *Act.* 15. Ratio est, quia in omni copula illicita procedit ratio movens Tridentinum ad prædictam restrictionem, nempe quòd Impedimentum hoc communiter ignoretur, ac proinde multa ex eo damna pullulent, nisi restringatur. 113

Ad Rationem dubitandi nomen illud propriè sumitur pro omni illicita Venere, nisi ex circumstantiis colligatur tantùm accipiendum pro fornicatione simplici.

Quæritur 13. An contrahere sine dispensatione Matrimonium possint, quorum unus in tertio, aut quarto, alter in primo gradu Affinitatis, ex copula illicita ortæ, est positus? Resp. negativè: atque ita teste Corrad. *l.* 7. *prax. dispens. cap.* 2. *n.* 26. *&* 27. receptum in praxi, & stabilitum est pluribus Declarationibus *S. Congr. Card. Concill. Interpp.* Ratio est, quia cùm distantia Consanguineorum, & Affinium in linea inæquali sumatur à distantia remotioris à stipite, hi, de quibus hìc quæstio est, revera inter se distant tertio, aut quarto gradu. 114

Neque obstat, quòd in Dispensationibus facienda sit mentio gradus etiam propinquioris; hoc enim verum est in iis gradibus, in quibus opus est dispensatione; in tertio autem, & quarto gradu Affinitatis illegitimæ non est opus dispensatione; ergo &c.

Quæritur 14. Quam pœnam incurrant, qui contrahunt Matrimonium in gradu Affinitatis prohibito? Resp. Si scienter ita contrahant, incurrunt ipso facto Excommunicationem, ut suprà dictum de Contrahentibus Matrimonium in gradu Consanguinitatis prohibito; nam *Clem. unic. hoc titul.* pœnam istam æqualiter utriusque statuit. 115

Ut verò pœna hæc à contrahentibus Matrimonium in gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis prohibito incurratur, requiritur 1. ut Matrimonium reipsa sit contractum: nec enim sufficiunt Sponsalia de futuro inter eosdem inita, ut notat Gloss. *in Clem. citat. V. contrahere*; quia Leges pœnales sunt strictæ interpretationis, nec de casu ad casum extendendæ. Sufficit autem, etsi Matrimonium non sit consummatum; quia in *Clem. cit.* non ponitur copula incestuosa, sed solus contractus Matrimonii, qui quoad essentiam suam perfectus est, etiamsi per copulam consummatus non sit, cùm nuptias non concubitus, sed consensus faciat *l. nuptias* 30. *ff. de R. J.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 49. *n.* 6. Pirhing *hic n.* 45.

2. Ut contractum sit Matrimonium in gradibus Consanguinitatis, & Affinitatis Lege Canonica interdictis, ut habentur *Clem. cit.* *Ex quo sequitur*, non incurri Excommunicationem istam ab eo, qui contrahit Matrimonium cum Cognata Legali, vel Spirituali, aut cum Impedimento publicæ honestatis, vel alio dirimente, præter ea, quæ hìc expressa sunt; quia Lex ista, ut dixi, pœnalis est, & propterea extendi non debet. Gloss. *in Clem. cit. V.* 116

cit. V. eos, Navar. *Man. c. 22. n.* 45. Sanch. *l. cit. n.* 14. Pirhing. *n.* 45. *cit.*

3. Ut impedimentum Consanguinitatis, vel Affinitatis revera subsit: & hinc siquis falsò existimans subesse impedimentum Consanguinitatis, vel Affinitatis, ineat Matrimonium, revera autem impedimentum istud non subsit, non incurrit Excommunicationem sic contrahendo; quia revera non contraxit cum tali Impedimento, & *Clem. cit.* prava voluntas non punitur, nisi opere subsecuto, sicut nec Excommunicationem incurrit, qui percutit Laicum putans esse Clericum. Gloss. *in Clem. cit. V. scienter*, Sylv. *V. Excommunicatio* 9. *cas.* 41. *num.* 77. *dub.* 3. Navar. *l. cit. numer.* 43. Sanch. *num.* 18. Pirhing. *l. citat.*

117 4. Ut Matrimonium cum tali Impedimento sit scienter contractum, ut expresse dicitur *Clem. cit.* Excusat autem à pœna hac incurrenda non tantùm ignorantia probabilis, & facti, sed etiam Juris, & crassa, modò non sit affectata; quia quotiescunque scientia requiritur ad incurrendam aliquam pœnam, exigitur dolus, & mala fides *l. sed etsi* 25. §. *scire ff. de petit. hæred.* dolo autem, & scientiæ æquiparatur sola ignorantia affectata. Sanch. *num.* 19. cum reliquis *suprà*, & dictum est *num.* 64. & 65.

5. Ut sponte, & liberè cum scientia talis Impedimenti contractum sit Matrimonium; nam contrahens per metum gravem ad id compulsus, in Excommunicationem non incidit; quia Ecclesia tam gravi Censura non punit eum, qui ad sic contrahendum compulsus est gravi metu ob imperfectionem consensus. Gloss. *in Clem. cit. V. Matrimonialiter*, Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 141. Sanch. *numer.* 12.

118 6. Ut quis proprio nomine Matrimonium contrahat, vel alius ipsius nomine; nam Procurator, per quem contrahitur tale Matrimonium, non incurrit Excommunicationem istam; uti nec parentes, qui nomine filiorum consensum in Matrimonium exprimunt: imò nec Parochus, Matrimonio tali assistens, & conjungens illud ineuntes; quia in dicta *Clem.* soli Matrimonium tale ineuntes excommunicantur; isti autem non ineunt verè Matrimonium, sed solùm sunt instrumentum eorum, qui verè ineunt. Navar. *n.* 141. *cit.* Sanch. *n.* 3. & 4. Pirhing *n.* 43. Multò minùs Censuram istam contrahunt mandantes, consulentes, vel adjuvantes ad hujusmodi Matrimonium ineundum, ob rationem allatam. *DD. cit.*

119 7. Denique, ut scientia Impedimenti præcesserit contractum; nam siquis ignorans, & bona fide contraxit Matrimonium cum consanguinea, vel affine, etsi postea conscius Impedimenti ipsi cohabitet, & utatur conjugio, hanc Excommunicationem non incurret. Gloss. *in Clem. cit. V. scienter*, Navar. *n.* 20. Pirhing *nu.* 47. Ratio est, quia in *Clem. cit.* non punitur omnis incestus, vel incestuosa cohabitatio, sed solus contractus Matrimonii; hìc autem non fit novus contractus, & per priorem non fuit incursa Excommunicatio, excusationem præbente ignorantia; ergo &c.

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi.

Sequitur aliud Impedimentum Matrimonii, videlicet *Impotentia*, quæ Curiarum Ecclesiasticarum Præsidibus sæpe magnas creat molestias, cùm illius ratio, etiam Medicorum auxilio, aliquoties vix deprehendi possit: ex quo non rarò contingit, ut necesse sit retractare Sententias, quacunque circumspectione super eadem latas, & Matrimonia, quæ priùs ob existimationem Impotentiæ fuerunt dissoluta, iterum reunire, aut è contrario ea, quæ putabantur ob ignorantiam latentis Impotentiæ esse valida, hoc Impedimento detecto, dissolvere.

§. I.

De Impotentiæ Varietate, Causis, & obligatione illam tollendi.

SUMMARIUM.

1 *Impotentiæ duplex acceptio.*
2 *Alia est Impotentia generandi, alia coeundi.*
3 *Et hæc vel Temporanea, vel perpetua.*
4 *Temporanea censetur etiam, quæ sine morbi gravis periculo nequit.*
5 *Impotentia item alia est absoluta, alia respectiva.*
6 *Etiam respectiva potest esse perpetua.*
7 *Solvuntur Argumenta contraria.*
8 *Præterea Impotentia alia est Naturalis, alia Accidentalis.*
9 *Alia antecedens, alia superveniens Matrimonio.*
10 *&c. Quando præsumatur supervenisse?*
14 15 16 *Quas causas habeat?*
17 18 19 *An, & quando detur obligatio tollendi Impotentiam, post Matrimonii contractum detectam?*
20 21 22 *An, & quomodo tolli licitè possit maleficium, quo unus, vel uterque conjux factus est impotens?*
23 *&c. An liceat tollere, vel destruere signa, ad quorum positionem maleficium inducitur, vel continuatur?*
28 29 30 *Quando liceat à malefico petere, ut maleficium tollat?*

Quæritur 1. Quid sit *Impotentia*, & quotuplex? 1
Resp. Impotentiæ nomen dupliciter potest accipi. 1. *Latè*, & *genericè*, in qua acceptione sub *Impotentiæ* nomine venit quæcunque, & undecunque proveniens mariti, ac fœminæ inhabilitas ad procreationem prolis, & speciei propagationem. 2. *Pressè*, ac *specificè*, quo modo sumptum denotat eam duntaxat inhabilitatem, quæ provenit ex naturali defectu partium corporis genitalium, & propterea coitum, sive carnalem commixtionem maris cum fœmina impedit. Sic accepta opponitur Impotentiæ, quæ nascitur ex Frigiditate, vel Maleficio; & propterea etiam Rubrica illam ab his distinguit.

Priori modo, sive genericè accepta Impotentia duplex 2
est, una coeundi, altera generandi. *Impotentia coeundi* est vitium naturale, vel accidentale impediens maris, ac fœminæ carnalem commixtionem, quæ fit per vasis fœminei penetrationem, & seminis in id effusionem. *Impotentia generandi* verò est vitium naturale, vel accidentale, impediens, quò minùs ex maris, & fœminæ coitu, seu copula carnali perfecta sequatur generatio prolis, & speciei propagatio. Hæc posterior dari potest sine priore, prout fit in senibus, & natura sua, vel ex accidenti sterilibus, qui potentes esse ad copulam perfectam possunt, licèt ex ea ob ineptitudinem seminis prolem non suscipiant.

Quæritur 2. quotuplex sit Impotentia coeundi? Resp. 3
Duplex est, alia perpetua, alia Temporanea. *Perpetua* dicitur, quæ per media licita, aut naturaliter aut omnino non, aut non nisi cum gravi vitæ periculo, vel damno salutis corporalis tolli potest. Pirh. *hic num.* 1. *not.* 2. Wiestner *n.* 6. *ibid. Ex quo sequitur*, adhuc perpetuam censendam esse Impotentiam, quæ solùm tolli potest per miraculum, aut artem magicam, aut cum periculo, & damno salutis corporalis. *Temporanea* est, quæ sine tali periculo per naturalia, & licita media tolli potest, ut colligitur ex *c. fraternitatis* 6. *h. tit.* ibi: *Præter miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo removeri potest*: ubi nomine *Operis humani* DD. apud Barbos. *in cap. citat. numer.* 5. intelligunt non quodcunque, sed illud solùm, quod est licitum, & honestum: nam illud solùm facere posse dicimur, quod justè facere possumus *canon. faciat.* 15. junct. Gloss. *V. eod. caus.* 22. *q.* 2.

Dubium est, an perpetua censenda sit Impotentia, quæ 4
tolli potest sine vitæ quidem, non tamen sine gravis morbi periculo? Affirmant Vega *tom.* 2. *Summ. cap.* 34. *cas.* 111. & Henriq. *l.* 12. *de Matr. cap.* 7. *nu.* 6. nixi textu *cap. fraternitatis cit. V. corporali*, quo præcipuè quidem fatentur intelligi periculum vitæ, simul tamen ajunt non excludi periculum morbi gravis, cùm etiam morbi gravis periculum inducat mortis periculum. *Sed melius* tenetur negativa cum Zabarell. *in c. cit. n.* 5. *v. nota*, casum,

caſum, in fin. Sot. *in* 4. *diſt.* 34. *q. un. art.* 2. *col.* 7. *v. dubium autem*, Barth. à Ledeſm. *de Matr. dub.* 48. *concl.* 2. Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 93. *n.* 18. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. *§.* 1. *num.* 4. Vvieſtner *hic num.* 7. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matrim. cap.* 2. *n.* 81. & colligitur ex *c. citat. V. per hæc autem prope finem*, ubi Pontifex explicans, quid intelligat per *corporale periculum*, periculum illud vocat *mortis periculum*. Unde ad *Fundamentum adverſæ Sententiæ* dico non omnem morbum, etiam gravem, inducere diſcrimen vitæ; nam morbus gravis etiam is cenſetur, qui gravem moleſtiam, & dolorem affert, etſi cum mortis periculo non ſit conjunctus.

5 Quæritur 3. Quid ſit Impotentia abſoluta, quid reſpectiva? Reſp. *Abſoluta* dicitur illa, quæ impedit commercium carnale cum omnibus diverſi ſexus perſonis. *Reſpectiva*, quæ copulam non abſolutè, ſed tantùm reſpectu unius, vel etiam plurium perſonarum ſexus diverſi impedit.

Dubium eſt, an Impotentia reſpectiva perpetua eſſe poſſit? Negant S. Bonav. *in* 4. *diſt.* 34. *q.* 2. *art.* 3. Innoc. *in c. fraternitatis* 6. *h. tit. n.* 1. Alex. de Nevo *ibid. §. quamvis n.* 17. Tabien. *V. Impedimentum, Imped.* 12. *q.* 5. *num.* 6. Armill. *V. Matrimonium n.* 50. Sot. *diſt.* 35. *cit. q. un. art.* 2. *col.* 6. *v. ſed ais*, Petr. de Ledeſm. *de Matr. q.* 58. *art.* 2. *dub.* 5. Barth. à Ledeſm. *de Matr. dub.* 48. *fin.* Llmas *p.* 3. *method. Curat. c.* 8. *n.* 13. Et videtur ſententia iſta probari poſſe 1. quia ob Impotentiam perpetuam permittitur diſceſſus conjugis à conjuge, ob Impotentiam reſpectivam autem non permittitur, ut patet ex *can. reliquiſti* 2. *cauſ.* 33. *q.* 1. ubi qui *non poteſt* conjuge ſua *uti pro uxore*, jubetur *habere eam quaſi ſororem*: imò non obſcurè negatur, poſſe dari Impotentiam reſpectivam, dum Pontifex paulò pòſt addit: *Si huic no potuit concordare naturaliter*, i. e. commiſceri, *quomodo alteri conveniet*? cùm naturalis frigiditas, aut maleficium, coitum impediens cum una, eum cum alia quoque ſit impeditura, ut quidam volunt apud Gloſſ. *in can. cit. V. naturaliter.* 2. *capit. laudabilem* 5. & *capit. fraternitatis* 6. *hoc titul.* redintegratum eſt Matrimonium conjugum, qui priùs ob impotentiam coeundi, diuturno experimento probatam, ſeparati fuerunt, ex ea ſolùm cauſa, quòd deinde compertum fuerit, eos, qui reſpectivè impotentes fuerunt, potuiſſe coire cum alio, vel alia. atqui cauſa iſta non ſuffeciſſet ad Matrimonium redintegrandum, ſi impotentia reſpectiva poſſet eſſe perpetua; quia cum hoc, quòd maritus potuerit coire cum alia, adhuc ſtare potuit, quòd reſpectu illius, quam duxit, ſit perpetuò impotens; ergo &c. 3. Impotentia reſpectiva oritur maximè vel ex improportione partium genitalium, vel ex maleficio; primum tolli arte medica poteſt, relaxando muliebrem anguſtiam, vel auferendo virilis membri improportionem; alterum exorciſmis Eccleſiæ, aut à maleficii authore, vel alio.

6 Sed his non obſtantibus, tenendum eſt tanquam certum, quòd Impotentia reſpectu certarum perſonarum poſſit eſſe perpetua. Ita Gloſſ. *in c. fraternitatis cit. V. ſimili*, *& V. debeat.* Scot. *in* 4. *diſt.* 34. *q. un. col. pen.* Paludan. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. *n.* 13. *& concl.* 3. *num.* 14. Valent. *p.* 4. *D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 10. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 7. *nu.* 4. *& 9. eod. n. 9. in comment. lit.* P. *& Lit. Q.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 93. *n.* 5. Gutier. *de Matr. c.* 113. *à n.* 1. Pont. *l.* 7. *de Matr. c.* 65. *n.* 6. Pirhing *hic num.* 24. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 2. *nu.* 85. *& ſeqq.* Ratio eſt, quia inter determinatas perſonas, virum, & fœminam, tanta poteſt improportio, & inæqualitas intervenire, ut neque per media naturalia, neque per ſupernaturalia poſſint ad copulam potentes effici, prout oſtendit Paulus Zacchias *Q. Q. Medico-Legal. l.* 3. *tit.* 1. *q.* 6. *nu.* 2. *& ſeqq.* hæc autem Impotentia eſt perpetua; ergo &c.

7 Neque aliud probant Argumenta oppoſita. *Ad* 1. *c. requiſiſti citat.* Pontifex loquitur de naturali frigiditate, quæ inducit impotentiam abſolutam, apud Sanch. *nu.* 6. obſervat. Gloſſ. *in canon. cit. V. naturaliter*, & *ibi* Turrecr. *paulò poſt p. V. requiſiſti.* *Ad* 2. de eadem quæſtio erat *c. laudabilem cit.* In caſu *c. fraternitatis citat.* Matrimonium prius reſtaurari jubetur, non abſolutè, ſed tum ſolùm, ſi mulier, quæ prætextu Impotentiæ fuit ſeparata à viro priori, & alio ei ſimili cognoſci potuit: quod manifeſtè indicat, ſi ab alio ei ſimili cognoſci non potuiſſet, licèt potuiſſet cognoſci ab aliis, matrimonium, diſſolutum prætextu Impotentiæ, non fuiſſe reſtaurandum, & conſ. Impotentiam reſpectivam eſſe perpetuam. *Ad* 3. experientia compertum eſt, quòd naturalis improportio membrorum genitalium, & maleficium, quo reſpectivè impotentes efficiuntur conjuges, non ſemper tolli poſſit mediis licitis: ſi illicitis quidem tolli ab authore faſcini, vel alio queant, cùm, ut *n.* 3. dictum eſt, id dicamur ſolùm nos facere poſſe, quod facere honeſtè poſſumus, adhuc manebit perpetua Impotentia: & conſ. Impotentia reſpectiva perpetua eſſe poteſt.

Quæritur 4. Quænam ſint aliæ Diviſiones Impotentiæ? Reſp. præter hactenus allatas, duas potiſſimùm ab Authoribus ſolere afferri. Nam 1. dividitur Impotentia in Naturalem, & Accidentalem. *Naturalem* eſt, quæ oritur ex defectu naturali, ac homini quaſi coæva, & connata eſt, veluti ſiquis naſcatur ſine partibus ad copulam requiſitis, aut partes illas quidem habeat, ſed malè conformatas. *Accidentalis*, quæ oritur ex quodam accidenti: quod dupliciter fieri poteſt; nam aliquando Impotentia oritur ex cauſa accidentali *intrinſeca*, qualis eſt humorum intemperantia, ſeu exceſſus in calore, frigore, ſiccitate, humiditate. Aliquando verò ab *Extrinſeca*, puta vitio aeris, maleficio, morbo, &c. *Naturalis Impotentia*, ut Paul. Zacch. *qq. Medico-Legal. l.* 3. *tit.* 1. *q.* 5. *n.* 37. notat, ut plurimùm eſt perpetua, & inſanabilis; *Accidentalis* verò non ſemper eſt abſque remedio, ſed tunc ſolùm, cùm ex maximis, & validiſſimis cauſis ortum habuerit, & diu jam perduraverit, quales ſunt longi, & difficiles morbi, valida capitis, cervicis, vel ſpinæ percuſſio, larga ſanguinis effuſio, & ultra vires facta &c. Ita *cit. Author.* 8

Secundo dividitur in Impotentiam antecedentem, & ſupervenientem. *Antecedens* eſt, quæ Matrimonium jam contractum anteceſſit. *Superveniens*, quæ Matrimonio jam contracto ſupervenit. 9

Dubium eſt, quid præſumendum ſit, quando dubitatur, an Impotentia Matrimonium anteceſſerit, vel ſubſecuta ſit ejus contractum? Hoſt. *in c. fraternitatis* 6. *h. tit. n.* 4. Abb. *ibid. n.* 16. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *quæſt.* 16. *dict.* 9. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 237. *n.* 542. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 8. *n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *n.* 3. *fin.* Pirhing. *hic nu.* 22. Engl. *ibid. n.* 10. volunt præſumendum eo caſu, quod præceſſerit. *Fundantur* 1. textu *c. fin. h. tit.* ubi probato maleficio, & præſumpto, quòd perpetuum ſit, per triennalem experientiam, ſeparatum eſt Matrimonium, nec quæſtio mota, an hoc maleficium Matrimonii contractum præceſſerit, an verò ſit ſubſecutum: quod tamen fieri debuiſſet, ſi Impedimentum in dubio non præſumeretur præceſſiſſe. 2. Ex præſenti ſit præſumptio circa præteritum; quia res præſumitur nunc eſſe, qualis antea fuit, niſi probetur facta mutatio; ergo cùm de præſenti conſtet de Impotentia, præſumitur præceſſiſſe contractum Matrimonii, niſi probetur, quòd ſupervenerit. 3. Si præſumeretur ſuperveniſſe contractui, id præſumeretur ideo, quia ex Regula generali in dubio favendum eſt valori Matrimonii; atqui hæc Regula in caſu præſenti non procedit; nam procedit tunc ſolum, quando Matrimonium poteſt conſequi finem ſuum, nempe bonum prolis, aut fornicationis vitationem: quod minimè contingit, ubi conjux eſt impotens; ergo &c.

Contrà Ant. de Butrio *in c. cit. num.* 20. *&* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 7. *n.* 5. exiſtimant præſumendum eo caſu, quòd non præceſſerit. Quorum ſententiam cum Sanch. *l.* 7. *de Matrim. D.* 103. *numer.* 4. *&* 5. & aliis limitant P. Konig. *hic nu.* 13. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matrim. c.* 2. *n.* 93. ex quorum doctrina Impotentia naturalis præſumitur præceſſiſſe; quia qualitas, quæ à natura ineſt, ſemper ineſſe præſumitur: accidentalis verò ſubſecuta; quia cùm natura producat potentem, quilibet ſupponitur potens, & afferenti, quòd quis aliquando impotens fuerit, incumbit onus probandi, utpote cui adverſatur præſumptio, à natura ipſa deſcendens. *Excipit* Sanch. *l. cit. n.* 6. niſi breve tempus à Matrimonio contracto uſque ad conſummationis attentationem tranſiiſſet, ut communiter accidit; tunc enim fatetur, etiam Accidentalem Impotentiam potius præſumendum præceſſiſſe contractum Matrimonii, cùm præſumi non debeat eam impotentiam tam brevi tempore 10

pore

pore accidisse. Sed cùm etiam naturale vitium cum tempore supervenire post Matrimonii contractum possit, idcirco.

11 Tertia Sententia cum P. Vviestner *hic n.* 30. considerat, an ejusmodi dubium statim ortum sit post contractum Matrimonii, & illius attentatam consummationem, an verò primùm ex intervallo temporis, præsertim notabilis duorum, vel plurium annorum. *Si primum*, cum Authoribus primæ Sententiæ præsumitur Impotentia præcessisse contractum, maximè si orta sit ex vitio naturali, & non merè accidentali e. g. maleficio, aut mutilatione, quam suprà ex Sanch. attuli; quia à potentia, quam homo à natura habet, ad impotentiam adeo brevi tempore non præsumitur transiisse. *Si secundum*, præsumi debet supervenisse Matrimonio jam contracto, ex Regula generali; quia quilibet nasci præsumitur cum iis qualitatibus, quæ à natura debentur homini, nisi probetur contrarium: incumbet ergo onus probandi asserenti, quòd hoc casu Impotentia præcesserit Matrimonium.

12 *Neque obstat*, quòd hoc modo periculum sit, ne quis accedat ad non suam, si scilicet Impotentia antecessit contractum Matrimonii; nam simile etiam periculum est, si præsumatur impotentia Matrimonium præcessisse, & propterea dissoluto Matrimonio, is, qui potens est, contrahat alias nuptias cum alia; posito enim, quòd Impotentia primùm supervenerit Matrimonio, ad secundam accedens committit adulterium, saltem materiale. Cùm igitur in quavis sententia periculum aliquale sit, ne quis ad non suam accedat, videndum, quænam ex his majori præsumptione juvetur. Ea, quæ dicit præsumendum esse, quòd Impotentia contractum præcesserit, unica hac præsumptione juvatur, quòd non probetur mutatio: altera, quæ affirmat præsumendum supervenisse, nititur silentio alterius conjugis, qui cùm Impotentiam intra tam diuturnum tempus non adverterit, præsumitur agnovisse potentiam: unde necesse erit, ut hanc præsumptionem probationibus positivis elidat.

13 Minùs obstant Argumenta *n.* 9. allata. *Ad* 1. in textu *cit.* tantùm quæsitum fuit, quando præsumatur Maleficium perpetuum, ut propter illud Matrimonium subsequens dirimatur: & respondet Pontifex, tunc præsumi perpetuum esse, quando intra triennium cohabitationis non cessat. Supponebatur autem ibi Maleficium præcessisse; quia circa hoc non versabatur dubium: & ideo de eo etiam mentio facta non est. *Ad* 2. Fateor, ex præsenti aliquando præsumi præteritum: in nostro autem casu tenenda est distinctio *nu.* 11. allata ob datas ibidem rationes. *Ad* 3. Quando supervenisse præsumitur Impotentia, ita præsumitur, non ob favorem Matrimonii præcisè, sed quia conjux alter de impotentia tanto tempore non provocavit, quam intra hoc tempus advertere potuisset, & debuisset, si adfuisset initio statim contractus.

14 Quæritur 5. Quas causas habeat Impotentia? Resp. Tam Impotentia generandi, quàm coeundi plures potest habere causas. Et *prior* quidem 1. aliquando se tenet *ex parte maris* ob excessum caloris, frigoris, vel alterius qualitatis prædominantis. 2. Aliquando *ex parte fœminæ* ob eandem, vel aliam causam. 3. Non rarò *ex parte utriusque* ob disconvenientiam temperamentorum, vel eorundem nimiam convenientiam, ut si uterque calidissimi sit temperamenti, aut contrà vir calidissimi, mulier frigidissimi. 4. Sæpe id provenit à *causa aliqua extrinseca*, ex maleficio, medicamentis, cibis &c. femina nimiùm alterantibus: de quibus latè Paul. Zacch. *qq. Medico-Leg. l.* 3. *tit.* 1. *q.* 1. *à n.* 23.

15 *Impotentia coeundi*, seu *ad copulam* secundùm dicta *n.* 3. alia est Temporanea, alia Perpetua. *Temporanea* causa frequentissima est defectus ætatis, ad copulam nondum aptæ, vel non ampliùs aptæ, ut in impuberibus, & nimiùm decrepitis. *Perpetua* alia est absoluta, alia respectiva. *Absoluta* oritur maximè 1. ex temperamento ipsius maris vel nimis frigido, vel nimis calido, quo fit, ut vel omnino seminare non possit ob defectum spirituum ad copulam, & seminationem excitantium, vel nimis propriè expellat semen, illud effundendo, antequam vas fœmineum penetret. 2. Ex defectu partium genitalium ejusdem maris, quòd careat semine, aut testibus, vel quòd semen quidem, & testes habeat, sed illud spurium, & hos ineptos, vel si in neutro sit defectus, ob partium malam conformationem illud in vas debitum non possit immittere. 3. Ex arctitudine fœminæ, ob quam non possit semen intra vas recipere. 4. Ex maleficio, quo mas, aut fœmina, aut uterque, auxilio præsertim Dæmonis, ad coitum inhabilis redditur. 5. Ex medicamentorum, ciborum, & exercitiorum certorum usu, intemperie aeris, morbo, & aliis causis extrinsecis. Sanch. *l.* 7. *D.* 94. *n.* 2. Zacch. *q.* 1. *cit. à nu.* 10. Pirhing *hic n.* 1. Vviestner *ibid. n.* 4.

Iisdem ferè ex causis oritur *Impotentia respectiva*, cum 16
hoc solùm discrimine, quòd Absoluta quidem Impotentia consummationem perfectam Matrimonii impediat respectu omnium alterius sexus personarum, respectiva verò unius tantùm, vel plurium. Frequentissimè verò Impotentia respectiva oritur 1. ex maleficio, impediente commixtionem carnalem viri cum una tantùm, vel certis quibusdam fœminis, aut vicissim fœminæ cum uno, vel certis aliquot viris. 2. Ex partium genitalium maris, & fœminæ disconvenientia, quæ id efficiat, ut licèt ille cum alia muliere, ista cum alio viro congredi valeat, inter se tamen ob defectum proportionis inter partes verè copulari nequeant. 3. Ex alia non congrua dispositione corporum, vel animi passionum, ex odii, vel etiam amoris vehementia &c. de quibus V. Paul. Zacch. *q.* 6. *n.* 1. *& seqq.*

Quæritur 6. An, & quando detur obligatio tollendi 17
Impotentiam, post Matrimonii contractum detectam? Resp. Distinguendo inter diversa media, quibus Impotentia hæc tolli potest: Vel enim tolli illa potest tantùm per media, quæ mortis, aut morbi gravissimi periculum afferre judicantur, vel tolli potest per alia media, quæ simile periculum sibi conjunctum non habent. *Si primum*, neuter conjugum ad tollendam impotentiam obligatur cum tali periculo, ut de mortis periculo concedunt omnes; de periculo gravissimæ infirmitatis docent Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 93. *n.* 32. Gutier. *de Matr. c.* 112. *n.* 31. Barb. *in c.* 6. *h. tit. n.* 13. Perez *D.* 37. *sect.* 7. *n.* 3. Vviestner *hic n.* 12. Reiffenstuel *ibid. n.* 67. Ratio est, quia ad hujusmodi remedia admittenda neuter se obligavit, nec conjugii lege obligatur, ut luculenter patet ex eo, quia etiam divortium permittitur casu, quo ex cohabitatione imminet periculum salutis corporalis. *Si secundum*, obligatur conjux impotens per ejusmodi media tollere impotentiam, ut bene advertunt Sanch. *nu.* 32. *cit.* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 1. *n.* 9. Perez *num.* 3. Barb. *num.* 13. Vviestner *num.* 11. Reiffenstuel *num.* 7. *&* 66. Ratio est, quia id poscit mutuum jus copulæ, quod per matrimonialem contractum in se invicem transtulerunt. *Proceditque hoc*, etsi media illa conjuncta sint cum gravi dolore, ac molestia, modò mortis, aut infirmitatis hujusmodi periculum absit. *Sanchez, Barbos. Reiff. l. citt.*

Ex quo sequitur, quid dicendum sit ad casum, quo 18
fœmina nupta ita arcta est, ut cognosci à viro nequeat? *Respondendum* scilicet est cum distinctione: vel enim Medicorum judicio per incisionem absque mortis, & gravissimæ infirmitatis periculo ad carnale commercium idonea viro reddi potest, vel contrà id fieri eorundem judicio nequit absque eo periculo. *Si primum*, permittere illa scissuram debet, ut aliis allegatis verisimili iis docent Sanch. *num.* 32. Gutier *num.* 31. Perez *numer.* 6. *&* 7. Vviestner *numer.* 13. Reiffenstuel *num.* 66. Ratio est, quia cùm talis Impotentia juxta Definitionem *n.* 3. datam non sit Perpetua, Matrimonium, inter ejusmodi conjuges contractum, est validum: & consf. uterque obligatur ad exhibendos alteri actus conjugales. ergo obligabitur etiam ad tollendum impedimentum, quo impeditur ab eorum exhibitione præstanda; nam qui ad exhibendum aliquod obsequium obligatur alteri, obligatur etiam ad ejus requisita ponenda, & impedimenta, cùm potest, tollenda. *Neque obstat*, quòd ponatur Impotentia tolli non posse, nisi cum gravi dolore, & molestia; modò enim adhibitio talis medii non causet periculum mortis, vel gravissimæ alterius infirmitatis, ad hoc etiam adhibendum obligare videtur lex conjugii, cùm dolori istiusmodi, vel molestiæ multùm præponderent mala, quæ per adhibitionem illius vitari possunt; præterquam enim, quòd negligendo ejusmodi medium adimatur spes procreandæ prolis, cùm debeant hujusmodi conjuges sibi convivere, utpote Matrimonio, ut dixi, valido, gravissimum foret periculum incontinentiæ, & pollutionum,

Si se-

19 *Si secundum* contingat, & arctitudo medicorum judicio tolli incisione sine mortis, aut gravissimæ infirmitatis periculo nequeat, non tenetur conjux illam admittere, ut DD. *citt.* notant, ex ratione *n.* 17. allata; quia scilicet non videtur mulier cum tanto periculo obligari ad debitum conjugale, ex qua obligatione consurgere debet jus viri ad cogendam fæminam, ut patiatur hujusmodi incisionem. Eadem distinctio adhibenda est, quando fæmina non est arcta, sed congressui virili obstat solum naturale virgineum signaculum; nam si hoc reserari absque hujusmodi periculo nequeat per scissuram, ex omnium sententia istam pati non obligatur: pati verò eandem verisimilius tenetur, si scissura sine tali periculo, quamvis cum gravi dolore, vel molestia fieri possit, ut cum aliis à se *citt.* docet Sanchez *n.* 34. contra Petr. de Ledesma *de matr. q.* 58. *art.* 1. *col. penult. Neque obstat*, quod hoc casu defectus consurgat ex parte viri; quia cum vir culpa vacet, & naturali illi imbecillitati suæ mederi nequeat, quærendum est remedium ex parte fæminæ, ut ipsi viro aptetur.

20 Quæritur 7. An, & quomodo tolli licitè possit maleficium, quo unus, vel uterque conjux factus est impotens? *Certum est* 1. Eo casu præ omnibus suadendum esse usum remediorum spiritualium, & supernaturalium, quippe quæ ad ejusmodi præstigias tollendas à Deo specialiter instituta, & ordinata sunt: quales sunt oratio, invocatio SS. Trinitatis, Nominis Jesu, & B. V. jejunia, & alia mortificationis, vel misericordiæ opera, usus Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, Signi Crucis, SS. Reliquiarum, aqua, panis, vel sal benedictus, exorcismi Ecclesiæ &c.

21 *Certum est* 2. Impotentiam, & aliud quodcunque nocumentum, ex maleficio ortum, tolli non posse licitè alio, & potentiori maleficio, ut certa, & ab omnibus recepta est doctrina S. Thom. *in* 4. *dist.* 34. *q. un. artic.* 3. *ad* 3. & ratio est, quia omne maleficium est intrinsecè malum, neque cohonestari potest utilitate, vel etiam bonitate effectus, cum non sint facienda mala, ut inde eveniant bona juxta Apostolum *Rom.* 3. *v.* 8. *Proceditque hoc*, etsi maleficus paratus sit maleficio tali maleficium solvere: nam adhuc ab eo peti non potest talis solutio; quia peteretur ab ipso, quod licitè non potest præstare. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 95. *n.* 7.

22 *Certum est* 3. Casu, quo pactum cum Dæmone non solum simplex, sed duplex est, ita, ut vi illius Dæmon non solum signo posito, & durante, conservare impotentiam, vel aliud nocumentum debeat, sed etiam illo remoto, ejusmodi malum tollere, & potentiam, sanitatem &c. restituere, ac procurare teneatur, non esse licitum, signum ejusmodi tali intentione tollere, ut Dæmon ex pacto malum auferat, & potentiam, sanitatem &c. procuret, ac restituat. Delrio *l.* 6. *Disquis. Mag. c.* 2. *sect.* 1. *q.* 3. *pag.* 5. *not.* 3. Sanchez *l.* 7. *de matrim. D.* 96 *n.* 1. Perez *D.* 37. *sect.* 8. *n.* 4. Gonzalez *in c.* 5. *hoc titul. n.* 13. Vviestner *nu.* 16. *fin.* Ratio est, quia ablatio signi, tali intentione facta, esset approbatio, confirmatio, & usus pacti, cum Dæmone initi, ejusque virtute speraretur recuperatio potentiæ, sanitatis &c. quod intrinsecè malum est.

23 *Controversia* major est, an sine ullius maleficii, vel pactionis hujusmodi interventu, liceat destruere, vel removere, vel petere à malefico, ut destruat, vel removeat signum, ad cujus positionem Dæmon ex pacto impotentiam, vel nocumentum aliud debebat inducere, & conservare? Negant aliqui apud Delrio *loc. cit. quæst.* 3. *pr. Moventur* 1. Exemplo S. Hilarionis, qui non est passus investigari, & removeri signa, quibus ablatis, Dæmon fassus est, se exiturum à puella per ipsum infessa, ut *in ejusdem Vita* narrat *S. Hieronymus*: & subdit S. D. ad hoc S. Hilarionem ea ductum fuisse ratione, ne aut solitis incantationibus Dæmon recessisse videretur, aut ipse sermoni ejus accommodasse fidem. 2. Quia ejusmodi signi destructio est quoddam signum Dæmoni datum ad restituendam potentiam, vel sanitatem, vel ad eam non amplius impediendam; atqui signis à Dæmone datis ad potentiæ, vel sanitatis recuperationem uti non licet; quia hoc intrinsecè, & ita malum est, ut nullo, quantumcunque honesto fine, cohonestari valeat. 3. Quia qui signum ejusmodi removet ad tollendum maleficium, utitur scientia à Dæmone accepta ex pacto, quod Dæmon iniit cum malefico; nam seclusa hac pactione, maleficiatus scire non posset, quod signo illo remoto, cessaturum sit maleficium; atqui usus scientiæ ita acceptæ ad mali propulsationem, & sanitatis recuperationem illicitus est; ergo &c. 4. Sicut se habet signi positio ad tollendam potentiam, ita se habet ejus destructio, vel remotio ad eam recuperandam; nam utraque est adinventio, & effectus Dæmonis; sed signi positio illicita est, non tantum, quia noxia est, sed etiam, quia præstigiosa; ergo talis etiam erit signi remotio. 5. Si removere, aut destruere liceret signa, quibus positis, maleficium induxit Dæmon, uti etiam liceret signis, ac remediis aliis, quibus positis, scitur quod à nocumento ipse sit cessaturus, neque enim apparet ratio, quare unum sit licitum, illicitum alterum; atqui secundum non licet; quia habet pactum cum Dæmone saltem implicitum; ergo nec primum licebit.

Sed dicendum, non esse illicitum destruere, vel removere signa, aut petere à malefico, vel alio, ut hujusmodi signa destruat, vel removeat, si hoc fiat sine novo pacto, & animo præcisè destruendi prius cum Dæmone initum, ut ita iis signis sublatis, tollatur maleficium, quod iis positis, est inductum, & perseverat. Ita Scot. *in* 4. *dist.* 34. *q. un.* Cajet. *Opusc. tom.* 2. *tr.* 12. *de malefic. quæst. un. & in summ. V. maleficium.* Sylvest. *V. eodem q.* 7. Rosell. *V. Impedimentum imped.* 15. *n.* 18. 19. Sot. *dist. cit. quæst. unic. art.* 4. Navar. *Man. c.* 11. *num.* 29. Castro *l.* 1. *de hæret. punit. cap.* 15. Delrio *quæst.* 3. *cit.* Less. *l.* 2. *de J. & Just. cap.* 44. *num.* 36. Suar. *l.* 2. *de superstit. cap.* 17. *à num.* 9. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 96. *n.* 3. Gutier. *c.* 113. *de matr. n.* 10. Perez *D.* 37. *sect.* 8. *à n.* 5. Palao *tr.* 17. *D.* 1. *p.* 11. *n.* 3. Gonzalez *in c.* 5. *hoc tit. n.* 13. Zoes. *hic n.* 12. Vviestner *ibidem n.* 21. & alii RR. 24

Ostenditur: Si talis signi remotio, vel destructio inhonesta, & illicita foret, hoc ideo foret, quia videretur esse usus, & participatio quædam magicæ artis, & Dæmonis tacita invocatio; atqui talis non est remotio, & destructio, quæ in controversiæ præsentis casu ponitur; nam si talis esset, esset vel ex natura sua, vel ex fine, & intentione removentis, ac destruentis, vel ex antecedente pacto, vel ratione effectus, vel denique ratione credulitatis, quod signo sublato, cessaturum sit maleficium; ex nullo istorum capitum talis est. *Non ex primo*; quia remotio, & destructio signi magici ex natura sua est actio omnino indifferens. *Non ex secundo*; quia signum hoc removens Dæmonem non tam invocare, quam invocationem illius, per maleficium, sive signi positionem factam, ejus remotione, vel destructione dissolvere, & impedire intendit. *Non ex tertio*; quia signum removens, vel destruens tali casu se habet, sicut is, qui sciens à civitatis proditore ex pacto, cum hostibus facto, positum iisdem esse signum ad urbem certo loco, & tempore occupandam, illud tollit, vel destruit; atqui iste non censetur colludere, aut pacisci cum hostibus, sed potius adversari, & impedire collusionem; ergo nec is, qui signum magicum tollit, vel destruit, censeri debet consentire in pactum, cum Dæmone initum à malefico. *Non ex quarto*; quia impotentiæ, vel alterius nocumenti cessatio ex se bona, & removenti, vel destruenti debita est. *Non denique ex quinto capite*; quia id credere ullo Jure non prohibetur, cum ex usu, & experientia verisimile sit, Dæmonem, qui manente signo ratione pacti cum malefico initi obligatus erat ad nocendum, eo ablato, atque ita dissoluto pacto, à nocumento cessaturum. 25

Conf. 1. Si signi magici remotio, vel destructio superstitiosa, & conf. illicita foret, opus esset, ut restitutio potentiæ, vel alterius mali ablatio ex novo aliquo pacto procederet, vi cujus teneretur Dæmon aliquid agere, & operari; atqui non procedit ex novo aliquo tali pacto, sed ex mera pacti prius initi dissolutione, nec Dæmon tali casu aliquid operari, vel agere cogitur, sed tantum desinit agere, vel operari; ergo &c. 2. Fas est exspectare fugam Dæmonis ab Energumeno ad exorcismos Ecclesiæ, vel cessationem tentationis ad signum Crucis formatum; igitur etiam fas erit exspectare effectum Dæmonis privativum potentiæ, vel sanitatis ad destructionem, vel remotionem signi, quo inducta est impotentia, vel aliud maleficium; in neutro enim casu exspectatur effectus ille vi alicujus pacti conventi cum Dæmone, sed potius ex solutione pacti, & amicitiæ cum illo. 3. Si maleficus in externo, vel interno pœ- 26

pœnitenriali foro confiteretur maleficium, illatum alteri per signi magici positionem, uterque Judex compelleret, imò deberet illum compellere ad signi remotionem; ad hoc autem compelli non posset, si ejusmodi signi remotio contineret etiam tacitam invocationem Dæmonis, & consf. superstitiosa esset; ergo &c.

27 Ex his sequitur Argumentorum adversæ opinionis solutio. *Ad* 1 S. Hilarion Diabolicæ pactionis signa perquiri, & investigari vetuit; tum ad vitandum præsentis, & rudis populi scandalum, qui credidisset Dæmonem à puella expulsum magicis incantationibus; tum verò quia existimavit fore ad majorem Divini Numinis gloriam, & fidelium in fide, & fiducia in DEUM confirmationem, si miraculo, & virtute Divina potius, quam alio etiam licito medio à maligni spiritus vexatione puellam liberaret. *Ad* 2 Signi ablatio novum à Dæmone signum foret, si eo ablato teneretur Dæmon ex pacto restituere sanitatem, vel potentiam maleficio ablatam: quod non fit in nostro casu; quia per signi ablationem tantum rescinditur pactum, quo stante tenebatur Dæmon nocere, non verò initur novum, vi cujus obligaretur potentiam, vel sanitatem restituendo prodesse. *Ad* 3 Signum tollens non à Dæmone, sed ab iis, quibus hoc manifestavit maleficus, didicit, quod signo ablato, maleficium sit cessaturum: & esto, didicisset ab ipso Dæmone, discendo quidem peccasset graviter, accepta tamen notitia, ad signi magici destructionem licitè uteretur, eo prorsus modo, quo artem aliquam licitam doctus à Dæmone, eam sic procurando quidem graviter delinquit, non autem vetatur artem sic adeptam exercere. *Ad* 4 Lata est disparitas inter positionem signi, & ejus ablationem: nam illa ex pactione procedit; non autem ista: ad illam Dæmon aliquid agit, & operatur; ad hanc agere, & operari desinit præcisè ideo, quia ad agendum, & operandum vi pacti solum obligatur tamdiu, quamdiu signum in loco positum intactum permanet. *Ad* 5 Sequelam concedunt Sanchez *libr.* 2. *mor. cap.* 41. *num.* 25. Less. *loc. cit. num.* 45. Suat. *num.* 16 Palao *num.* 10. Perez *num.* 6. Vviestner *num.* 24. Rationem dant, quia licitum est aliquid ex se bonum, vel omnino indifferens facere, quo facto dissolvatur pactum, à malefico cum Dæmone initum, & cesset maleficium, cum id non signum novæ pactionis, sed prius initæ detestatio, & aversio sit. Sic ex communi sententia percutientem Veneficam licet repercutere, ne Dæmon ad percussionem veneficæ, tanquam signum sibi datum, nocere percusso possit.

28 Quæritur 8. Quando liceat à malefico petere, ut tollat maleficium? Resp. hic distinguendum esse inter tres casus. Nam 1 Si constat, quod maleficium nesciat solvere absque novo maleficio, non licèt à tali malefico petere solutionem maleficii; quia petitur res, quam ipse licitè præstare nequit. Sanchez *l.* 7. *de matrim. D.* 95. *numer.* 8. Idque verum est, etsi maleficus paratus sit ad maleficiis maleficia solvenda, ut contra Aureolum *in* 4 *dist.* 34. *quæst.* 2. & Angel. *V. superstitio num.* 13. melius cum *Turrecr. Rosell. Sylvestr. Armill. Navar. Covar. & aliis* docet Sanchez *loc. citat. numer.* 7. Rationem dant, quia tum solum à parato petere solutionem maleficii licet, qnando is licitè hoc potest præstare, & petentis interest, ut necessitati suæ consulat; tunc enim non est petere peccatum, nec cooperari peccato alterius, sed uti istius peccato, quod non ipsi petenti, sed malefico adscribendum est, cum ille ab isto petierit, quod ipse licitè præstare potuit, prout contingit in petente mutuum ab usurario, & Juramentum ab infideli; atqui maleficus non potest licitè maleficium maleficio solvere ob nullum bonum, cum solutio talis intrinsecè mala sit, & ponitur, quod alium modum sine maleficio maleficium solvendi nesciat; ergo &c. *Conf.* Quia in SS. Litteris *Levit.* 19. & 20. gravissimè condemnantur confugientes ad magos, & ariolos, cum tamen semper hos esse paratos constet.

29 2 Si maleficus plura media ad solvendum maleficium, nosset quædam licita, & quædam illicita, integrum est ab eo petere absolutè, ut maleficium solvat, quamvis constet petenti, fore, ut medio illico utatur. Ita contra Cajer. *tom.* 2. *Opusc. tr.* 12. *de malef. quæst. un. in fin. Corp.* & Delrio *Disq. Mag. l.* 6. *c.* 2. *sect.* 1. *quæst.* 2. *pag.* 8. *dict.* 4. probabilius docent Patr. de Ledesm. *de matr. quæst.* 58. *art.* 2. *dub.* 2. Sanchez *D.* 95. *citat. cap.* 12. & alii. Ratio est, quia omnes fatentur, licitum esse petere ab Usurario mutuum, & ab Infideli Juramentum, quando petens eis indiget, licèt exploratum petenti sit, fore, ut ille sub usuris mutuet, & hic juret per Deos falsos; nec alia datur ratio, nisi quod utrum fieri possit modo licito; atqui hæc ratio militat etiam in casu nostro; nam petitur à malefico solutio maleficii, quam potest medio licito facere, scilicet auferendo signum; igitur solutio ejus ab ipso peti poterit, & si id alio maleficio faciat, id ipsi, non petenti est tribuendum. Duo tamen *loc. citat.* monet *Sanchez*. *Unum est*, non esse licitum admittere medicinam aliquam vanam, & superstitiosam, si eam maleficus applicare velit; quia consentiens in applicationem talis medicinæ, jam non uteretur tantum peccato alterius, sed ipsa tali medicina, cujus usus, cum nullam vim sanandi, nisi ope, & invocatione Dæmonis habeat, intrinsecè malus est. *Alterum*, quando spes est, fore, ut prosit monitio, teneri petentem ex lege Charitatis illum monere, ut medio licito faciat: quod idem fatendum est de petente mutuum ab Usurario, & Juramentum ab Infideli.

Si dubium sit, an maleficus medium aliquod maleficium solvendi licitum norit, nullatenus licet solutionem maleficii ab eo petere. Delrio *sect.* 1. *citat. quæst.* 1 *pag. pen.* Sanchez *num.* 13. quia præsumptio est contra ipsum, ex eo maximè capite, quod malefici frequentius sola media superstitiosa norint. Hinc idem *Sanchez* cum *citat. Delrio* ad vincendum hoc dubium consulit, quærendum esse à malefico, quæ media norit: si renuat explicare, ait vehementissimam esse suspicionem contra illum; si autem explicet, tunc videndum est, an medium sit licitum, vel illicitum secundum hactenus dicta. Ex quo cum eodem *Delrio* Sanchez *nu.* 14. infert, ab eo malefico, qui author maleficii illius non fuit, rarissimè licere petere medelam maleficii, nisi de loco, & modo maleficii ab ipso authore, vel ab alio certior factus sit; quia talis moraliter nescit mederi sine alio maleficio, & nova Dæmonis cooperatione. 30

§. II.

De Impotentia Matrimonium dirimente.

SUMMARIUM.

31 *Qualis Impotentia dirimat matrimonium?*
32 *An illud contrahere possint Evnuchi, & Spadones?*
33 *Senes decrepiti?*
34 *Steriles?*
35 *Mulier, quæ non potest parere sine periculo vitæ, vel non nisi fœtum mortuum.*
36 *Constitutus in articulo mortis?*
37 *Vel non potens seminare intra vas, vel susceptum semen retinere?*
38 *Impotentia temporanea non dirimit matrimonium.*
39 *Dirimit perpetua, tam respectiva.*
40 *Quam absoluta.*
41 *Quacunque ex causa illa sit orta.*
42 *Sive cognita contrahentibus fuerit, sive non.*
43 *Nec convalescit matrimonium sine novo consensu, etiamsi per miraculum.*
44 *Aut per sectionem cum periculo vitæ impotentia tollatur.*
45 *Impotentia perpetua superveniens matrimonio, non tollit matrimonium consummatum.*
46 47 *Imò nec ratum.*
48 *&c. An hujusmodi conjugibus licitus sit matrimonii usus?*
52 *&c. An validum sit matrimonium initum ab Hermaphrodito?*
56 *&c. Utrum, qui dubitat, sitne potens, vel impotens, licitè contrahere matrimonium possit?*
59 *&c. An matrimonium contrahens cum impotente obligetur ad cohabitationem, & exhibenda obsequia conjugalia, quæ potest?*
62 *&c. An vita socialis inita inter impotentes esse possit verum matrimonium?*
65 *&c. Quo Jure impotentia perpetua dirimat matrimonium?*

Quæ-

31 QUæritur 1. Qualis impotentia dirimat matrimonium? Reſp. Sola impotentia ad copulam dirimit matrimonium, non verò impotentia ad generationem. Sumitur ex *c. quod ſedem 2. hoc titul.* & docent S. Thom. *in 4. diſt. 34. q. un. art. 2.* Petr. Barboſa *in l. 1. ff. ſolut. matr. p. 1. n. 98.* Sanch. *l. 7. de matr. D. 92. per tot.* Schambogen *hic n. 3.* Vvieſtner *ibidem n. 25. Ratio eſt*, quia impotentia ad copulam impedit, quò minus vir, & mulier fiant inter ſe una caro.

32 *Ex quo ſequitur* 1. Quid dicendum de matrimonio Evnuchorum, ſpadonum; nam diſtinguendum inter hos eſt: & quidem ſi altero dumtaxat teſticulo privati ſint, & virilia ſana, atque integra habeant, indubitato matrimonium contrahunt validè, ut cum communi ſententia probat Sanch. *D. 92. cit. n. 14.* Gutier. *c. 112. de matr. n. 11.* Barboſa *in c. 2. hoc tit. n. 4.* Konig *hic num. 7* Reiffenſtuel *ibidem num. 21.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de matr. c. 2. n. 116.* Ratio eſt, quia, ut Medici cum Zacch. *qq. Medico Legal. l. 3. tit. 1. q. 9. n. 4. & ſeqq.* oſtendunt, ſpadones ſunt potentes ad coeundum, & generandum, eo quod vis, & virtus, alias in duobus Teſtibus ſita, uniatur in uno. At ſi utroque teſticulo vel à natura, vel ex caſtratione careant, non poſſunt validè contrahere matrimonium, ut notat Sanchez *loc. cit. num. 17.* Conink *D. 31. numer. 76.* Layman *l. 5. tr. 10. part. 4. cap. 11 num. 3.* Palao *tr. 28. D. 4. part. 14. §. 2. num. 1.* Gonzalez *in cap. 5. hoc tit. num. 5.* Vallenſ. *hic numer. 8.* Engl *num. 2* Pirhing *n. 3.* cum *ſupra allegatis*, & Teſte *Sanchez* declaravit Sixtus V. *Motu proprio edito* 1587. *Ratio eſt*, quia non poſſunt emittere verum ſemen, licèt fortè vas naturale mulieris poſſint perrumpere: conſ. habent impotentiam abſolutam coeundi. Accedit, quia iſti nec fini ſecundario matrimonii, qui eſt remedium concupiſcentiæ, poſſunt ſatisfacere; nam iſtud haberi debet non per quamcunque copulam, ſed per eam, quæ ex natura ſua ſit apta ad generationem prolis. Quodſi tamen poſt contractum matrimonium aliquis Evnuchus factus ſit, copulam imperfectam cum miſſione non veri ſeminis exercere non prohibetur, ut docet Tolet. *l. 7. Summ. c. 16. n. 4.* Sanch. *l. 7. de matr. D. 102. nu. 6.* Layman *l. 5 tr. 10. p. 4. c. 11. n. 3.* quia licèt tales matrimonium contrahere nequeant, uti tamen contracto eiſdem licet, quatenus id fieri poteſt.

33 *Sequitur* 2 Quid dicendum de matrimonio ſenum decrepitorum; nam ſi ita decrepiti, & exhauſti ſint, ut ſint impotentes ad copulam habendam, nec judicio medicorum ulla arte juvari poſſint, incapaces ſunt matrimonii; & conſ. invalidè illud contrahunt. Gloſſ. *in l. ſed eſt quæſitum 6. V. nec ætas ff. de Liber. & poſthum.* Hoſt. *in c. 2. hoc tit. fin.* Alex. de Nevo *ibidem nu. 4.* Sylv. *V. matrimonium 8. quæſt. 16. dict. 3.* Gutier *l. 1. qq. Can. c. 16. n. 13.* Sanchez *l. 7. de matrim. D. 92. nu. 24.* Layman *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. num. 7.* Barboſa *in c. 2. hoc tit. n. 6* Palao *tract. 28. D. 4. part. 14. §. 2. num. 5.* & receptiſſima DD. ſententia. At ſi non ſint ita exhauſti, ſed ſemen verum adhuc poſſint emittere, etiam decrepiti matrimonium inire poſſunt, prout ſumitur ex *can. nuptiarum 41. cauſ. 27. quæſt. 1. lib. ſancimus 27. Cod. de Nupt.* & habet uſus Eccleſiæ, quo paſſim admittuntur ſenes ad contrahenda matrimonia in quacunque ætate: unde Leges Julia, & Papia, quibus viri ſexagenarii, & fæminæ quinquagenariæ à conjugiis arcebantur, cenſeri debent fuiſſe correctæ. Sanchez *D. 92. cit. n. 19. & ſeqq.* Gutier. *c. 112. n. 12.* Palao *§. 2. n. 4.* Vivian. *in c. 2. verſ. ſive ſit prop. fin.* Caniſ. *ibidem n. 2.* Gonzalez *in c. 5. num. 5* Zoeſ. *hic n. 1.* Engl *n. 3* Konig *nu. 9. Ratio eſt*, quia licèt ſemen eorum plerumque ſit infecundum, hoc tamen ſolum eſt ex accidenti ob defectum caloris, qui tamen arte medica ſæpe reſtaurari poteſt, ita, ut etiam prolem interdum ſuſcipiant, ut probant exempla Manaſſæ Numidiæ Regis, Catonis Cenſorii, & Uladiſlai Regis Poloniæ, quorum primus poſt octoginta ſex annos, alter anno octogeſimo octavo ætatis filium genuit, tertio verò nonagenario duo filii nati ſunt, Uladislaus, & Caſimirus, prout ex *Tiraquello* refert Caniſ. *numer. 2. cit.* Et eſto, reſtaurari defectus caloris nequeat, ſunt tamen veri coitus capaces, & matrimonium non tantum ad generationem prolis, ſed etiam ad remedium incontinentiæ inſtitutum eſt. Et hoc in fæmina, quantumcunque vetula, certius eſt; quia frigiditas, coitum viri ſenis impediens, ipſi non obſtat, utpote quæ patiens eſt, & ſemen recipit, ad quod calor juvenilis minimè deſideratur. Sylv. *V. matrimonium 8. quæſt. 16. dict. 4. fin.* Cucch. *l. 5. Inſtit. major. tit. 12. num. 262.* Barboſa *in l. 1 part. 1. numer. 97. ff. ſolut. matr.* Sanchez *loc. cit. num. 22* Gutier. *num. 14.*

Sequitur 3 Matrimonium quoque validè contrahere 34
ſteriles, ut contra Felin. *in c. cum ſit n. 15. verſ. demum ſcito, de for. compet.* Teſte Sanch. *D. 92. cit. n. 26.* recepta ab omnibus TT. & Juris Pontificii profeſſoribus ſententia ſuſtinet cum S. Thom. *in 4. diſt. 34. q. un. artic. 2. ad 3.* quod probat 1 exemplum S. Eliſabeth Matris S. Joannis Baptiſtæ, cujus matrimonium cum Zacharia ſubſiſtit, licèt illa eſſet ſterilis *Luc. 2.* 2 Uſus Eccleſiæ; nunquam enim auditum eſt, quod illa matrimonium aliquod diſſolverit ratione ſolius ſterilitatis. 3. Ratio; cum enim ad actum conjugalem verè potentes ſint, non eſt, cur negetur verum matrimonium cum, & inter illos intercedere poſſe. Sanch. *loc. cit.* Gutier. *num. 16.* Conink *num. 86.* Palao *§. 2. num. 3.* Zoeſ. *hic num. 1* Engl *n. 3.* Konig *num. 10.* Reiffenſtuel *num. 17. & 18. Neque obſtat* 1. Authoritas S. Auguſtini relati *can. ſolet. 6. cauſ. 32. quæſt. 2.* ubi cenſere videtur, non eſſe matrimonium, quando ſpes ſobolis deficit; nam textus iſte ſolum loquitur de caſu, quo in pactum deducitur conditio, ut vitetur proles, quæ conditio, cum ſit bonis matrimonii contraria, non eſt mirum, quod illud vitiet. *Non obſtat* 2. Textus *c. accepiſti 1. hoc tit.* ubi clamante muliere, ſe velle eſſe matrem, diſſolvitur matrimonium, & datur ipſi poteſtas nubendi alteri; nam ut ea verba cum *S. Thoma*, & *D. Bonaventura* explicat Sanchez *loc. cit.* ſenſus eorum eſt, *Volo cognoſci à viro. Non obſtat* 3. Quod in ſterilibus natura fruſtretur fine primario matrimonii, cum ex eorum copula non ſequatur generatio prolis, vel ſperetur ſecutura; ſufficit enim, quod obtineat finem ſecundarium, ut in ſenibus *n. præc.* dictum eſt.

Sequitur 4 Validè contrahere matrimonium mulieres, 35
quæ aptæ ad copulam quidem ſunt, parere tamen non poſſunt ſine vitæ periculo, vel non niſi fœtum mortuum. Sanchez *D. 92. cit. num. 28. & 29.* Gutier. *c. 112 num. 17. & 18.* Conink *D. 32. numer. 86.* Palao *p. 14. §. 1 num. 13.* Pirhing *hic num. 5.* quia, ut validum ſit matrimonium, ſatis eſt, quod contrahentes ſuapte natura apti ſint ad copulam perfectam, quæ aptitudo in præſenti caſu ſupponitur non deeſſe. An verò talis mulier licitè nubat, diſtinguendum; nam ſi aliàs pateretur graves tentationes, præſertim cum periculo ſuccumbendi, tali caſu etiam licitè nuberet, ut notat Conink *l. cit.* quia non tenetur dicta incommoda cum tanto ſuo malo ſuperare. Secluſo autem periculo incontinentiæ, nuberet illicitè, ne ſine cauſa ſuam vitam, & prolis ſalutem exponat præſenti periculo. *Neque tamen hinc inferas*, matrimonium ab ea invalidè contrahi; nam ad ejus valorem ſufficit, quod copula ipſi ſecundum ſe, & ex natura ſua ſit licita, tametſi ex accidenti fiat illicita, ut patet in eo, qui Voto Caſtitatis ligatus contrahit matrimonium. Nec tali caſu ſit injuria proli, quæ mortua edenda putatur; quia hoc eſt præter intentionem conjugum, qui ſuo jure utuntur. Accedit, quia probabile eſt ſecundum D. Auguſt. *l. 5. contra Julianum capit. 8.* tali proli melius eſſe ſic eſſe, quam omnino non eſſe. Conink *n. 87.*

Sequitur 5 Etiam in articulo mortis conſtitutum poſſe 36
validè contrahere matrimonium; nam ita habet praxis Eccleſiæ, quæ concubinario, in hoc articulo conſtituto, ſi aliunde impeditus non ſit, permittit ducere concubinam, non tantum favore prolium, ex ea ſuſceptarum, ut fiant legitimæ, ſed ſalutis etiam ſpiritualis ipſius infirmi, qui ob nimium affectum in concubinam, & defectum, aut maximam difficultatem propoſiti ſerii ab ea recedendi de animæ ſuæ ſalute non parum periclitaretur, niſi periculum hoc tolleretur per initum cum ipſa matrimonium. Sanchez *l. 7. de matr. D. 105. n. 3* Gutier. *c. 118. n. 1.* Conink *n. 88.* Layman *cap. 11. num. 6* Palao *§. 2. n. 6.* Engl *hic n. 4.* Pirhing *n. 6.* Konig *num. 11* Vvieſtner *n. 34. fin.* Reiffenſtuel *nu. 20.* Ratio eſt, quia potentia ad actum conjugalem adhuc perſeverat, licèt hunc vis morbi impediat: unde quamdiu vi morbi potentiam iſtam eſſe deſtructam non conſtat, matrimonium pro valido haberi debet. Aliter loquendum, ſi morbus etiam potentiam hanc omnino deſtruxiſſet, ita, ut nulla

nulla humana arte restaurari posset; tunc enim pro absolutè impotente habendus esset, & matrimonium contractum esset invalidum, ut *supra nu.* 33. de sensibus dictum est. Layman *cit. n. 6. & 7.*

37 *Sequitur 6.* Non habendum pro impotente, & consf. matrimonium ab eo contractum valere, si vir non totum semen possit intra vas fundere, sed partem duntaxat; quia ea seminis pars, intra vas recepta, sufficiens est ad consummandum matrimonium, & efficiendum, ut vir cum sua uxore fiat una caro. Gutier. *c.* 112. *de matr. n.* 9 Idem dicendum de fœmina; nam hæc pro potente habenda est, si semen recipere possit intra vas, quamvis semen susceptum retinere nequeat: sed habenda erit pro sterili. Gutier. *l. cit. n.* 10.

38 Quæritur 2. Qualis impotentia coeundi dirimat matrimonium? Resp. Distinguendum est, an impotentia temporanea solum sit, an verò perpetua. *Si temporanea solum sit*, certò non dirimit matrimonium, undecunque demum illa proveniat. Sanch. *l. 7. de matrim. D.* 92. *num.* 2. Gutier. *c.* 112. *de matrim. num.* 1. Conink *D.* 31. *num.* 82. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 2. *num.* 1. Vivian. *in cap.* 1. *hoc tit. pr.* Vallens. *hic numer.* 2. Engl *numer.* 2. Schambogen *num.* 12. Konig *num.* 12. Reiffenstuel *nu.* 11. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de matrim. c.* 2. *num.* 97. & colligitur ex *c. fraternitatis 6. vers. quamvis igitur hoc tit.* *Ratio est*, quia tales non sunt absolutè impotentes ad actum conjugalem, ad quem se immediatè obligant, sed tantum ad tempus; ergo possunt in ordine ad illum actum potestatem sui corporis tradere, licèt modo illum actum exercere non possint. *Et procedit* istud, etiamsi talis impotentia temporanea sit ignorata ab altero contrahente; adhuc enim minimè obstat valori matrimonii, cum nullum Jus valorem eidem tollat: *non Ecclesiasticum*; quia hoc potius eidem favet *c. fraternitatis 6. hoc titul.* ubi indistinctè deciditur per impotentiam temporaneam matrimonium non irritari. *Non naturale*; quia hujusmodi impotentia temporanea non tollit simpliciter finem matrimonii, sed secundum quid, scilicet pro aliquo tempore, ac proinde non efficit involuntarium simpliciter, sed secundum quid, instar erroris in qualitate. Sanch. *D.* 92. *num.* 4. Gutier. *cap.* 112 *citat. num.* 3. Vallens. *numer.* 2. *Et hinc sequitur*, matrimonium, inter impuberes contractum, modò aliunde inhabiles non sint, seclusa speciali constitutione Ecclesiæ, id irritante futurum fuisse validum: & ideo Pontifex cum iis ad id, in ea ætate contrahendum, dispensare potest, ut sumitur ex *c. ubi non est 2. fin. de despons. impub.* *Neque obstat*, quod inhabilis ad solvendum etiam inhabilis sit ad promittendum; nam id verum tantummodo est de eo, qui omnino, & perpetuò est inhabilis, non verò de eo, qui in præsenti solvendo non est, si spes sit, illum fore in futurum solvendo. Posset tamen intervenire aliqua culpa respectu impotentis ratione deceptionis conjugis potentis, si impotentia illa diu duratura esset, & ei non detegeretur. Si tamen alter potens impotentiam illam aliunde resciret, temporaliter impotens cum eo contrahendo non peccaret, etiamsi impotentiam illam ipsi non detegeret; quia juxta Regulam, *eum, qui certus est, non oportet amplius certiorari*; *& fraus, & injuria scienti non fit.* Gutier. *cap.* 112 *cit. n.* 4. Palao §. 2. *n.* 9.

39 *Si verò impotentia sit perpetua*, videndum est, an solum sit respectiva, an verò absoluta. *Si primum*, dirimit matrimonium respectu illius, vel illarum solum personarum, respectu quarum impotentia datur. Gloss. *in c. fraternitatis 6. V. simili, & V. debeat hoc tit.* Abb. *ibidem num.* 19. & 20. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 93. *num.* 3 Gutier. *c.* 112. *de matrim. num.* 19. & 20. Conink *D.* 31 *n.* 81. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *n.* 3. *vers. sequitur* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 3. *n.* 2. Vvex *Ariadn. p.* 5. *tr.* 2. §. 4. *num.* 11. Zoes. *hic n.* 4. Schambogen *num.* 11. Konig *n.* 14. Vviestner *nu.* 27. Reiffenstuel *num.* 10. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de matrim. c.* 2. *num.* 99. & sumitur ex *c. fraternitatis cit.* *Ratio est*, quia matrimonium respicit individuam, & determinatam personam, cum qua matrimonium ineundum est; ergo si respectu illius quis potens sit, etsi respectu aliorum sit impotens, tenebit matrimonium; quia jam ipsi obligatio ad actus conjugales non impossibilis erit cum illa, cum qua matrimonium contrahit: plus autem ad valorem matrimonii non requiritur; ergo &c. *Ex quo sequitur*, casu, quo Titius cum Bertha contraxit matrimonium, & post contractum per legitimas probationes ostendatur, quod ipse respectu istius sit respectivè impotens, ei, dissoluto hoc matrimonio, permittendum, ut, si velit, contrahat cum alia, respectu cujus ipse est potens.

Si secundum, & impotentia sit absoluta, præcedatque contractum matrimonii, illud dirimit respectu omnium. Ita DD. *citt.* Deciditur *c. accepisti* 1. *& seqq. hoc tit.* Accedit *Motus proprius Sixti V.* incipit *Cum frequenter editus* 27. *Jun.* 1587. & per se patet; nam de intrinseca ratione, & essentia matrimonii est obligatio, seu traditio corporis ad usum, & copulam conjugalem; is autem, qui absolutè, & perpetuò impotens est, non potest se obligare ad dandum, vel tradendum corpus suum ad copulam; impossibilium enim nulla est obligatio *Reg.* 185. *ff. de R. J.* & nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. *Reg.* 79. *in* 6. 40

Porro quæ de vi dirimendi matrimonium contrahendum, quam impotentia perpetua tum respectiva, tum absoluta habet, dicta sunt hactenus, *procedunt* 1. quacunque ex causa fuerit orta hujusmodi impotentia perpetua; nam etiam ex maleficio orta matrimonium dirimit, si ejus contractum præcesserit, ut constat ex *can. fin. caus.* 33. *q.* 1. cujus verba, quamvis ex quodam Archiepiscopo desumpta sint, usu tamen Ecclesiæ quoad hoc tanquam textus recepta sunt. Idem constat ex *c. fin. hoc tit.* quem textum universi scribentes de impedimento maleficii intelligunt, dempto *Innocentio*, qui de impedimento frigiditatis eundem explicat, Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 94. *num.* 8. *pr.* Gutier. *c.* 113. *nu.* 1. Censetur autem maleficium perpetuum, si non possit auferri per opus humanum, nisi per aliud maleficium, vel per miraculum; secus, si per exorcismos Ecclesiæ, vel à solo ejus authore, sed modo licito. Gutier. *n.* 5. *& 6.* In dubio, quando constare nequit, an sit perpetuum prædictum impedimentum maleficii, vel temporale, præsumetur esse perpetuum, & dissolvetur matrimonium, quando per triennium conjuges copulæ carnali dederunt operam, nec perficere eam potuerunt *c. fin. cit.* Sanch. *n.* 12. Gutier. *n.* 7. 41

Procedit 2. Sive impotentia illa contrahentibus cognita fuerit, sive non; quia ea conjunctio repugnat mutuæ corporum traditioni ad usum conjugalem, in qua consistit substantia matrimonii. Gutier. *c.* 114. *de matr. nu.* 1 Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 2. *n.* 1. Schambogen *hic num.* 7 Hoc tamen inter eum, qui scienter cum impotente matrimonium contrahit, & inter illum, qui ignoranter contrahit, discrimen interjacet, quod ille, qui ignoranter contraxit, detecta alterius impotentia, permittatur matrimonium contrahere cum alia; ille autem, qui contraxit scienter, cum impotente, jubeatur cum illa habitare, ut frater cum sorore, ut habetur *c. consultationi* 4. *hoc tit.* & notat Vivian. *ibidem* Honor. *hic numer.* 4 Pirhing *n.* 9. Schambogen *n.* 9. Reiffenstuel *n.* 61. quamvis aliqui ad sic cohabitandum probabilius putent nullam dari etiam in hoc obligationem, sed tantum ad alimenta hujusmodi conjugi, ob impotentiam relictæ, præstanda: de quo *infra n.* 59. *& seqq.* 42

Procedit 3. Etiamsi mulier, quæ cum impotentia perpetua contraxit matrimonium, postea per miraculum sanetur; nam adhuc est, & manebit matrimonium illud invalidum, nisi vir ejus per novum consensum denuo cum illa contrahat. Aliud est, si mulier per maleficium sit reddita impotens, & per ordinarios Ecclesiæ exorcismos postea sanetur; nam hoc ipso tunc apparet, temporalem tantum fuisse impotentiam, & matrimonium ab initio fuisse validum. Gutier. *c.* 112. *nu.* 22 Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *n.* 2. *coroll.* 2. Pirhing *hic n.* 12. Schambogen *ibidem n.* 13. 43

Procedit 4 Etsi arctitudo mulieris per sectionem cum periculo vitæ sanari possit, & hanc mulier subire parata sit; adhuc enim matrimonium tale nullum est. Layman *l. cit. coroll.* 1. *Ex quo sequitur*, quod vir, non exspectato incisionis ita periculosæ eventu, separationem petere, atque ad alias nuptias transire possit, quippe cum priores ob defectum potentiæ fuerint irritæ. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 93. *n.* 20. Layman *coroll.* 1. *citat.* Pirhing *numer.* 25. *fin.* Contrà si judicio medicorum impedimentum removeri absque gravi periculo vitæ per opus humanum, & licitum possit, matrimonium tale subsistet, tametsi patiens impedimentum renuat curationem; quia im- 44

Impedimenti perpetuitas non pendet ex voluntate patientis impedimentum, neque ex eo, quod tollatur, vel non tollatur, sed ex eo, quod, spectata rei natura, tolli, vel non tolli possit absque vitæ periculo. Sanchez *n.* 15. Palao §. 1. *n.* 5. Quando autem Medici dubii sunt, an ex medicamentis apponendis ad removendam impotentiam periculum mortis subsit, censendum est subesse. Gutier. *c.* 112. *n.* 27. cum *citt.*

45 Quæritur 3. An matrimonium dirimat impotentia perpetua ad copulam, si hæc superveniat matrimonio? *Certum est*, non dirimere, si superveniat matrimonio jam consummato, ut habetur *canon. hi qui* 25. *caus.* 32. *quæst.* 2. propter omnimodam matrimonii istius indissolubilitatem.

Dubium est, an dissolvat matrimonium impotentia superveniens matrimonio rato solum? Affirmant Gratian. *in fin. Summ. caus.* 33. *quæst.* 1. Sprenger *Mallei Malefic. part.* 1. *quæst.* 8. Alex. Carrer. *lib.* 5. *de spons. capit.* 18. & suaderi videtur 1. *can. quod proposuisti* 18. *caus.* 32. *quæst.* 7. ubi Gregorius III. concessit cuidam licentiam migrandi ad aliud matrimonium propter impotentiam perpetuam, uxori priori, ut quidem DD. hi textum præsentem explicant, supervenientem. 2. *cap. ex litteris* 3. *hoc tit.* ubi Alexander III. potestatem fecit alterius matrimonii ineundi cuidam, cujus uxor ante consummationem reddita fuit copulæ inepta. 3. Ratio, quia non minus requiritur ad matrimonii conservationem, quam ad ejus essentiam. atqui matrimonii essentia consistere nequit, si initio adsit perpetua impotentia coeundi; ergo &c.

46 Sed dicendum, nec matrimonium ratum dirimi per quamcumque impotentiam supervenientem. Ita Gloss. *in c. ex litteris citat. V. contraxit, & V. à natura*, Ancharan. *ibidem in fin.* Abb. *num.* 3. Alex. de Nevo *num.* 2. Brunell. *de sponsal. concl.* 28. *limit.* 5. *numer.* 21. Sylv. *V. matrimonium* 8. *q.* 16. *dist.* 8. Sanchez *l.* 7. *de matrim. D.* 102. *num.* 3. Gutier. *c.* 116. *de matrim. num.* 1. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *numer.* 3. *not.* 3. Vivian. *in c. ex litteris cit. prop. fin.* Barbosa *ibidem nu.* 2. Gonzal. *in c.* 5. *n.* 7. & 8. Vallens. *hic n.* 3. Zoes. *nu.* 4. *fin.* Honor. *n.* 3. Engl *n.* 3. & 9. Pithing *n.* 21. Schambog. *n.* 18. Konig *n.* 13. Vviestner *n.* 29. Reiffenstuel *n.* 12. & sumitur ex *can. si uxorem* 18. *caus.* 32. *q.* 7. & *can. hi qui cit.* quorum utroque, præsertim posteriore, negatur, quod matrimonium contractum, superveniente quacunque infirmitate, vel defectu, solvatur. *Conf.* Nam ut apud melioris notæ DD. receptum est, matrimonium ratum non solvitur quoad vinculum, nisi professione Religiosa, & dispensatione Pontificis, cui etsi ejusmodi impotentia superveniens justam præbeat causam, non tamen sine illa matrimonium ratum dirimit.

47 Neque obstant textus, & ratio in contrarium allegata. *Ad* 1. ibi sermo est vel de muliere correpta infirmitate arctitudinis, ac propterea ad matrimonium contrahendum jam antè inhabili, vel de matrimonio ob supervenientem impotentiam dissoluto per Dispensationem Apostolicam, quia ratum solummodo erat, ut dictum est *supra tit.* 8. *num.* 10. *Ad* 2. Relatum ibi rescriptum Alexandri III. loquitur de impotentia matrimonium antecedente, ut notant *ibidem* Gloss. *V. contraxit*, Barbosa *n.* 2. Gonzal. *n.* 2. & patet ex textu ibi, *Si vitium illud mulier à natura contraxit*. *Ad* 3. Multa sunt necessaria ad rei essentiam, quæ ad conservationem illius minimè desiderantur.

48 Quæritur 4. An licitus sit usus matrimonii, cui impotentia perpetua supervenit? Resp. Cum distinctione: Vel enim impotentia illa solum est ad generationem prolis, vel etiam ad copulam.

Si primum, exploratum est, licitum conjugibus per se loquendo esse usum matrimonii; quia tali casu obtinetur saltem finis secundarius matrimonii, nempe sedatio concupiscentiæ. Sanch. *lib.* 7. *de matrim. D.* 102. *num.* 7. *Excipiunt* nonnulli casum, quo fæmina prolem, ex marito conceptam, semper mortuam, & cum manifesto vitæ periculo in lucem edit. Sed etiam hoc casu licitam esse uxori tam redditionem, quam petitionem debiti, docent Sanch. *loc. cit. num.* 8. & 11. Conink *D.* 32. *num.* 87. Palao *tract.* 28. *D.* 4. *part.* 14. §. 2. *num.* 12 Rationem dant, tum quia periculum hoc certum non est; tum verò quia hoc casu periculo isti præponderat periculum incontinentiæ, & animæ tum propriæ, tum consortis detrimentum, cui matrimonialium actuum privatione ipsa cum consorte exponeretur. An verò hujusmodi uxor marito petenti etiam teneatur debitum reddere cum tali periculo, placet doctrina P. Conink *l. cit. num.* 86. juxta quam tali casu debitum uxor non tenetur reddere, si bona fide contraxit, & à thoro mariti separari vult: secus enim tenebitur reddere; quia non potuit contrahere, nisi ad hoc se obligando, alioquin gravissimè maritum deciperet volendo invitum obligare ad reddendum sine jure petendi. Idemque est, quando vult eodem thoro cum marito uti; quia aliàs hunc gravissimis tentationibus exponeret.

Si secundum, iterum distinguendum est, an dubium sit, sitne impotentia hæc temporalis, vel perpetua, an verò certum. *Si dubium est*, licitum est conjugibus conari ad copulam, quamvis per accidens, ac præter intentionem extra vas semen effundatur, idque tamdiu, quamdiu est spes probabilis seminandi intra vas. Sanch. *l.* 9. *de matrim. D.* 17. *n.* 20. & 24. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4 *c.* 11. *n.* 4. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 2. *num.* 11. Ratio est, quia tales conjuges dant operam rei licitæ, procurando copulam sibi possibilem, & permissam: & si licitum est conari ad copulam, quando impotentia præcedit matrimonium, adeoque dubius est matrimonii valor, usque dum de ea satis constet, multò magis id licebit, quando impotentia subsequitur matrimonium, & valor istius certus est. 49

Si verò certum sit, quod impotentia superveniens matrimonio sit perpetua, Gaeta *in can. ad limina* 30. *quæst.* 1. §. 4. *n.* 539. Sanch. *l.* 7. *D.* 102 *n.* 6. & 7. Layman *n.* 4 Palao *n.* 5. Vviestner *n.* 33. Reiffenstuel *n.* 65. tertiam distinctionem adhibent: Vel enim impotentia hæc provenit ex Testium, aut seminis defectu, & tunc ajunt licitam esse ipsis debiti redditionem, & ipsam etiam exactionem; quia per accidens est non posse veram copulam conjugalem habere, verumque semen effundere. Vel contra impotentia illa aliunde proveniens, & talis est, ut ad seminandum quidem non impotentem faciat, impediat autem seminis intra vas receptionem: & tunc illicitus est coitus, eo quod virile semen extra vas effusum fraudetur contra datutam debito sibi fine, nec ipsa copula conjugalis sit, nec jure matrimonii innitatur, sicut innititur habita intra vas. 50

Ex cæteris actibus hujusmodi conjugibus, non potentibus seminare intra vas, illi tantum permissi sunt, ex quibus sperant aut non effundendum semen, aut effusum quoad partem saltem vase fœmineo recipiendum; contrà prohibiti ipsis sunt actus tales, ex quibus certò scitur, quod seminis effusio extra vas secutura sit, ita, ut nulla illius pars intra illud recipienda speretur. *Ratio est*, quia copula conjugibus post matrimonium contractum solum licita est intra vas legitimum; igitur ejusmodi actus erunt ipsis illiciti, ex quibus receptionis spes nulla haberi potest: cæteri autem licebunt; quia cum sint veri conjuges, omnes cæteri actus censebuntur ipsis esse permissi, ex quibus pollutionis periculum non timetur. *Neque obstat*, quod ejusmodi actus ad copulam referri nequeant; possunt enim fieri ad sedandam concupiscentiam, & ad exhibenda mutui amoris signa. 51

Quæritur 5. An validum sit matrimonium, initum ab Hermaphrodito, sive eo, qui utroque sexu pollet? *Certum est* esse validum, si talis Hermaphroditus secundum sexum, secundum quem contrahit, non sit aliunde impotens. 52

Dubium solum est, secundum quem sexum ille possit contrahere? In quo opus distinctione est: Vel enim unus sexus in eo prævalet, vel neuter. *Si neuter*, eligere poterit, juxta qualem sexum matrimonio jungi velit, num tanquam vir, an tanquam fœmina: & tunc ex sua determinatione habebitur pro mare, vel pro fœmina, ut docent Gloss. *in can. si testes* 2. §. *ad testimonium caus.* 4. *q.* 3. Sylv. *V. Hermaphroditus in fin.* Tabien. *ibidem fin.* Major. *l.* 3. *de Irregul. c.* 25. *num.* 16. Henriq. *l.* 14. *de Irregul. c.* 8. *num.* 6. *fin.* Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 106. *nu.* 1. & 6. Gutier. *c.* 119. *de matr. n.* 1. Conink *D.* 31. *nu.* 89. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 5. *n.* 1. Barbosa *in c.* 2. *hoc tit. num.* 5. Zoes. *hic n.* 6. Engl *n.* 5. Pirhing *n.* 3. Vviestner *n.* 35. Reiffenstuel *numer.* 23. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 2. *n.* 106. *Ratio est*, quia cum utroque sexu polleat, & uti utroque simul non possit, possit autem utroque disjunctivè,

ctivè, & æqualiter, rectè permittitur uti illo, quo uti ipse, adhibito peritorum, præsertim Medicorum, aut matronarum consilio vult, dummodo alterius sexus usui perpetuò renuntiet, præstito Juramento: quod ei à Judice Ecclesiastico deferendum, ex *Hostiensi* rectè monet Sanch. *num.* 1. *cit.* Gutier. *num.* 1. & alii; neque enim electione semel facta, variare potest, & velle altero se xu uti, ut cum *cit.* Sanchez advertunt Conink *num.* 89. Pirhing *n.* 3. Wiestner *n.* 35. *fin.* Et quidem Sanch. *loc. cit. num.* 8. Gutier. *num.* 3. existimant reum esse peccati mortalis Hermaphroditum, in quo uterque sexus par est, si semel electo uno sexu, & juxta illum matrimonio contracto, viduus effectus, juxta alterum sexum matrimonio copuletur. Et hinc Parochus hujusmodi nuptiis, tanquam interdictis debet suam præsentiam negare, licèt contractæ sint validæ, cum jure naturæ valeant, nec positivo Ecclesiæ irritentur.

53 *Si verò unus in eo sexus prævaleat*, certum est, posse secundum illum contrahere validè; quia secundum illum censetur vir, vel fœmina *l. quæritur* 10. *ff. de stat. hom.* Sanch. *num.* 4. Gutier. *num.* 1. Conink *num.* 89. Palao *num.* 2. Zoes. *n.* 6. Engl *n.* 5. Konig *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 22. Atque ita si prævaleat sexus masculinus, contrahere poterit ut masculus, & si prævaleat fœmininus, contrahere potest, ut femina. An verò validè matrimonium possit contrahere secundum sexum debiliorem, e. g. fœmininum, cum ei prævalet masculinus, in controversiam trahitur. Negant ex DD. *citt.* plerique cum Barbosa *in c.* 5. *hoc tit. n.* 5. & Cleric. *de Sacr. matr. dec.* 32. *n.* 51 ex ratione; quia cum Hermaphroditus à sexu prævalente vir reputetur, contrahendo cum alio viro, contraheret cum persona ejusdem sexus. Matrimonium autem, inter ejusdem sexus personas contractum, ipso jure naturæ irritum est; ergo &c.

54 *Sed melius* cum Pont. *l.* 7. *de matrim. c.* 65. *numer.* 8. Hurtad. *D.* 22. *diffic.* 10. *fin. n.* 35. Palao *p.* 14. §. 5. *num.* 3 Perez *D.* 36. *sect.* 13. *n.* 4. Wiestner *hic n.* 36. Reiffenstuel *ibidem n.* 24. Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 112. adhibetur distinctio: & siquidem tali casu sexus fœmineus ita debilis sit, ut eum ad copulam carnalem perfectam cum viro impotentem reddat, certum est, matrimonium secundum illum non posse contrahi validè. Secus, si secundum utrumque sexum ad coitum potens sit: quia tali casu potentiam fœminæ talis Hermaphroditus habet; is autem, qui potentiam feminæ habet, nullo jure prohibetur inire cum viro conjugium, saltem, si diversi sexus usui, præstita cautione, perpetuò renuntiavit: vel si illicitum sit ipsi tale conjugium, saltem non erit irritum.

55 Porro, quinam sexus prævaleat, ex inspectione, à peritis facienda, est judicandum: si verò post hanc adhuc dubitetur, quisnam sexus prædominans sit, standum est ipsiusmet Hermaphroditi dicto, utpote qui de præsenti rem plus, quam alii cognoscere valet: imò Medici judicare debent juxta ea, quæ ipsemet de se asseruerit. Quodsi adhuc res in æquilibrio sit, & judicari nequeat, uter sexus prævaleat, censendum est sexum esse æqualem, quòd æquæ rationes sint pro utroque sexu: & hinc eo casu eligere Hermaphroditus poterit, in quonam sexu velit contrahere, ut dictum est *n.* 52. Sanchez *n.* 2. *& 9.*

56 Quæritur 6. Utrum, qui dubitat, sitne potens, vel impotens, licitè contrahere matrimonium possit? Affirmat licitè contrahere Palacios *in* 4. *dist.* 34. *q.* 1. *concl.* 2. *in fin.* nixus textu *c. laudabilem* 5. *& c. fin. hoc tit.* ubi ad ejusmodi dubium tollendum ab Ecclesia conceditur experimentum triennale. *Sed minus bene*: nam tempus istud solum indultum est ab Ecclesia ad explorandum valorem matrimonii, prius legitimè contracti, quando post ejus contractum suboritur dubium de impotentia contrahentium utriusque, vel alterutrius; cum enim tunc, antequam de valore ejusdem, vel nullitate constet, neque ratum haberi, neque dissolvi illud possit, meritò indulgetur hoc tempus, ut interea explorari possit, an revera impotentia perpetua dirimens matrimonium subsit.

57 Quare dicendum, licitè hoc casu non posse contrahi matrimonium, antequam ejusmodi dubium deponatur. Ita Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 103. *n.* 10. Gutier. *c.* 116. *de matrim. num.* 3. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 7. *num.* 1. Wiestner *hic n.* 37. Reiffenstuel *ibidem num.* 26. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matrim. c.* 2. *n.* 119. *&* 120. Ratio est, quia tali dubio stante, contrahens matrimonium necessitatem contrahit exercendi actus, de quibus rationabiliter dubitari potest, an fornicarii, vel conjugales sint: proinde gravem inferr injuriam illi, cum quo matrimonium contrahit, nec minorem Sacramento quod periculo nullitatis exponit.

An verò cum tali dubio impotentiæ matrimonium ineunti liceat debitum conjugale petere, an solum reddere, aliud dubium est. Palacios *l. cit.* putat, tantum licitam ipsi esse redditionem, non verò petitionem. Sanchez autem *num.* 10. *cit.* existimat licere ipsi tam redditionem, quàm petitionem: & hoc quamvis uterque mala fide illud inierit: non quidem ratione possessionis, quæ mala fide incipienti minimè suffragatur; sed quia jus matrimonii valor necessariò discutiendus est; at quando de impotentia non constat, nullo alio modo dubium id discuti potest, nisi habita copula; igitur ut contrahentibus, & Ecclesiæ constare possit, an validè, vel invalidè contraxerint matrimonium, redditio, & petitio debiti iisdem intra tempus à Jure præscriptum debet esse licita. 58

Quæritur 7. An matrimonium contrahens cum impotente obligetur saltem ad cohabitationem, & exhibenda obsequia conjugalia, quæ potest? *Resp.* cum distinctione: Vel enim uterque matrimonium bona fide, sive cum ignorantia hujusmodi impedimenti contraxit vel cum scientia illius. 59

Si primum, & castè vivere communi consensu velint, ita sibi mutuò cohabitare possunt, ut rectè Sanch. *l.* 7 *de matrim. D.* 97. *num.* 4. Gutier. *c.* 114. *num.* 2. Conink *D.* 31. *num.* 83. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *num.* 4. *fin.* Reiffenstuel *hic n.* 62. & apertè decisum est *c. laudabilem* 5. *hoc tit.* ubi Cælestinus III. de matrimonio, cum frigido ignoranter contracto, agens, *Si*, inquit, *ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem*: quod confirmatur ex motu proprio Sixti V. supra allegato. Sed tunc non licent eis tactus, qui solutis interdicuntur, eò quòd revera conjuges non sint. Sanch. *n.* 4. *cit.* Gutier. *num.* 3. Reiffenstuel *numer.* 63. Et hinc quando incontinenter vivunt, vacando tactibus, aut in eodem lecto dormiunt, nullatenus permittendi sunt sic manere, ut constat ex *Motu proprio cit.* Imò stante tali periculo incontinentiæ, tenentur reclamare ipsimet contrahentes, & petere, ut authoritate Ecclesiæ dissolvatur matrimonium hoc putatitium. Sanch. *n.* 8. Quia vero hujusmodi confœderatio periculosissima, inter juvenes præsertim, est, ideo illa non facilè est concedenda. Sanch. *n.* 6. *&* 7.

Si secundum contingat, & matrimonium cum impedimento impotentiæ contrahatur scienter, non pauci existimant, sic contrahentes teneri tanquam fratres convivere, & præstare sibi invicem alimenta: idque ob *c. consultationi* 4. *hoc tit.* ubi Lucius III. *Romana*, inquit, *Ecclesia consuevit in similibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores*. Et hoc procedere existimant, sive unus tantum impotentiæ suæ conscius fuerit, & sic deceperit secum contrahentem, sive ambo conjuges tempore initi matrimonii sciverint impotentiam: primum, quia fraus sua nemini patrocinari debet: alterum ob Regulam, *Si non valet, quod ago, ut ago, valeat omni meliori modo, quo potest*; possunt autem pacisci de perpetua inter se societate, etiam extra matrimonium, secluso incontinentiæ periculo; ergo &c. 60

Sed etsi hoc casu, si periculum incontinentiæ, & vitæ libidinosæ absit, permitti iisdem possit, ut si ita velint, simul permaneant, probabilius tamen non tenentur sic permanere: idque verum est, sive unus tantum, sive uterque contrahens impotentiæ fuerit conscius, ut pluribus aliis *citt.* advertit Sanch. *D.* 97. *cit. numer.* 10. *&* 12. & sequuntur Engl *hic num.* 8. Konig *num.* 15. nec enim contrahentium mens fuit, ad eam habitationem instar fratrum se invicem obligandi, sed ad verum matrimonium; quare cum verum matrimonium minimè fuerit, non est, cur inde obligatio surgat. Neque obstat *c. consultationi citat.* quia isto nullum indicatur præceptum, sed solum permittitur, ut ita contrahentes secum, continentia servata, cohabitent, si ita velint communi consensu, ut textum illum cum aliis explicat Sanchez *loc. cit.* Axioma *num. præc.* allatum solum 61

pro-

procedit, quando hujusmodi intentio præsumi potest; secus, si magis certum sit, quod agentes eam intentionem voluerint esse exclusam, prout exclusa præsumitur hoc casu, cum inducat cohabitationis obligationem valde onerosam, & periculosam.

62 Quæritur 9. An vita socialis, inter impotentes, cognita ab initio impotentia, inita, verum matrimonium sit, aut esse de Jure possit? Affirmant Paludan. *in* 4. *dist.* 30. *q. un. art.* 2. Tholos. *Synt. l.* 9. *c.* 12. *n.* 6. Medin. *de contin. l.* 5. *à c.* 74. Ponr. *l.* 7. *à c.* 56. & nonnulli alii tum VV. tum RR. quibus non obscure favet S. Thom. *in* 4. *dist.* 34. *q. un. art.* 2. *ad* 4. & apertius 3. *p. q.* 29. *artic.* 2. Nituntur 1. *c. consultationi* 4. *& c. laudabilem* 5. *hoc titul.* ubi mulier impotens, ut *n.* 59. dictum est, si matrimonium cum ipsa, præsertim scienter contractum est, cum haberi nequeat ut uxor, jubetur haberi ut soror. 2. *can. requisisti* 2. *caus.* 33. *q.* 1. ubi Gregorius Pontifex, postquam idem dixisset, quod in duobus *cap.* modò allegatis Lucius, & Cælestinus, addit, *Quodsi retinaculum conjugale voluerint rescindere, maneant utrique innupti*; igitur inter ipsos est retinaculum, seu vinculum conjugale; conf. verum matrimonium. 3. *Ratione*; quia matrimonii essentia consistit in conjunctione animorum, qua duo diversi sexus se mutuò obligant ad naturalem vitæ societatem *arg. l. nuptias* 30. *ff. de R. J.* atqui conjunctio ista stare etiam cum impotentia potest; ergo impotentes in hunc modum validè contrahere matrimonium poterunt. 4. Si ultra hanc conjunctionem animorum exigeretur obligatio ad actus conjugales, non apparet, quomodo inter B. V. & S. Josephum consistere potuerit verum matrimonium, cum illa, & probabiliter etiam S. Josephus ob Votum Castitatis obligare se ad actus conjugales nequiverint. 5. Validè contrahunt aliqui cum Voto continentiæ, & mutua obligatione nunquam petendi debitum, qui tamen moraliter impotentes sunt ad usum matrimonii; ergo similiter validè contrahunt physicè impotentes. 6. Si potentia ad copulam esset de essentia matrimonii, impotentia superveniens illud dirimeret; hoc autem est falsum ex dictis *numer.* 46. ergo &c.

63 Sed, etsi hujusmodi socialis vita, qua vir, & fœmina, cognita ab initio impotentia, se obligant ad mutua obsequia, & fœmina quidem ad inserviendum viro, vir autem ad ministranda alimenta fœminæ, licitè, secluso incontinentiæ periculo, ut ex dictis *ad quæst. præc.* constat, contrahi possit, negandum tamen, quod talis contractus sit verum matrimonium. Ita Sanch. *lib.* 7. *de matr. D.* 97. *num.* 2. Conink *D.* 31 *n.* 78. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 6. *num.* 3. Perez *D.* 37. *sect.* 4. Card. de Lugo *Respons. mor. l.* 1. *dub.* 31. Zoes. *hic nu.* 5. Vviestner *ibidem num.* 41. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 2. *num.* 139. & 140. & passim DD. tum VV. tum RR. *Ostenditur* 1. ex *c. consultationi* 4. *hoc tit.* ubi Pontifex loquens de iis, qui etiam scienter cum arctis, ideoque impotentibus ad copulam contraxerunt, dicit, quòd non possint has habere uxores. 2. Ex *Motu proprio Sixti V.* cujus tenor est: *Mandamus, ut conjugia per quoscunque Evnuchos, & Spadones, utroque Teste carentes, cum quibuslibet defectum illum sive ignorantibus, sive scientibus contrahi prohibeas; eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles authoritate nostra declares, --- & matrimonia ipsa, sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse declares*: quibus verbis matrimonia, cum Evnuchis, & Spadonibus tam ignoranter, quàm scienter contracta, irrita pronuntiantur. 3. Ex *Ratione*; quia matrimonium ex natura, & institutione sua refertur ad propagationem humani generis, sive ad actus ad istam ex se aptos, ut clarè indicatur *Genes.* 2. *vers.* 24. ubi: *Adherebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: cui concordat *can. DEUS* 12. *caus.* 31. *quæst.* 1. *& c. illud quoque* 11. *de præsumpt.* & hinc vi matrimonii, à se contracti, conjuges obligantur ad redditionem debiti; atqui actus isti impotentibus sunt impossibiles; ergo etiam impossibilis erit inter ipsos, & cum ipsis matrimonialis contractus. 4. Ex *absurdis*; nam si matrimonium consistere potest in sola conjunctione animorum sine obligatione tradendi corpus ad actum conjugalem, non est ratio, cur non etiam possit consistere inter patrem, & filiam, filium, & matrem, fratrem, ac sororem, socerum, & nurum &c. nam prædicta animorum conjunctio, & societas vitæ eis non adversantur; ergo &c.

64 Neque obstant Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. in *cap. citt.* dicuntur duo, videlicet impotentem non posse haberi ut uxorem; alterum eam habendam ut sororem: primo Sententia nostra aperte confirmatur; quia clare significatur, quod verum Matrimonium cum illa non intercedat: secundo nobis non contradicitur; quia, ut *num.* 61. dictum est, ibi cohabitatio, secluso incontinentiæ periculo, non præcipitur, sed solum permittitur, si in eam uterque consenserit. *Ad* 2. ibi nomine *conjugalis retinaculi* intelligitur non verum Matrimonii vinculum, sed putatitium, ut patet ex textu; nam ibi permittitur rescissio conjugalis retinaculi; atqui contra naturam Matrimonii est, conjugium, semel valide initum, etiam ratum tantummodo, rescindi aliter, quam Professione Religiosa, & Dispensatione Apostolica. *Ad* 3. patet ex Argumentis *n. præc.* allatis, quod sola animorum conjunctio sine obligatione ad præstandos actus conjugales, si ab altero petantur, non sufficiat ad Matrimonium verum constituendum. *Ad* 4. B. V. virtualiter saltem consensit in obligationem tradendi corpus suum ad actus ejusmodi, si peterentur, idque sine periculo violandi Votum; quia ex revelatione Divina intellexit, eos à S. Josepho nunquam exigendos. *Ad* 5. *Neg. Cons.* quia moraliter solum impotentes habent corpora vere physice potentia ad usum Matrimonii, & conf. illorum dominium, quod ab usu distinguitur, verè possunt tradere; secus est de physice impotentibus. *Ad* 6. *Neg. sequel.* plus enim requiritur ad jus aliquod primo acquirendum, quam ad illud jam acquisitum retinendum.

Quæritur 10. Quo Jure impotentia perpetua dirimat matrimonium? Paludan. *in* 4. *dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 6. Major. *ibidem dist.* 34. *q.* 1. *col.* 2. *concl.* 3. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 15. §. 3. *col.* 4. Angel. *V. matrimonium* 3. *Imped.* 18 *num.* 2. Tabien. *V. Impedimentum Imped.* 12. *num.* 1. Armill. *V. matrimonium n.* 47. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 118. *n.* 328. & 329. Pont. *l.* 7. *c.* 31. §. 2. *& seqq. fol.* 258. & nonnulli alii volunt, matrimonium per eam dirimi solum Jure positivo, præsertim Ecclesiastico. *Nituntur* præcipuè *c. quod sedem* 2. *hoc tit.* ubi Alexander III. *Sicut puer*, inquit, *qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio, sic, qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur*. Unde subsumunt: atqui matrimonium, quod pueri, seu impuberes inter se contrahunt, non est irritum Jure naturali, sed Ecclesiastico tantum, cum ad id dispensare Pontifex possit; ergo etiam matrimonium, inter impotentes celebratum, tantum irritum erit Jure Ecclesiastico. *Conf.* sicut impotentia temporalis se habet respectu temporis, quo ipso durat, ita se habet impotentia perpetua respectu temporis totius vitæ; nam illa pro tempore, quo durat, non minus impedit traditionem ad actus conjugales, ac eam impedit impotentia perpetua pro toto tempore vitæ; atqui impotentia temporanea matrimonium dirimit solo Jure Ecclesiastico; ergo etiam impotentia perpetua. 65

66 Sed melius dicitur, impotentiam perpetuam dirimere matrimonium Jure naturali. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 34. *quæst. unic. artic.* 2. *ad* 1. Scot. *ibidem quæst. unic. pr.* Sot. *artic.* 2. *concl.* 1. Palacios *D.* 1. *ad fin.* Sylv. *V. matrimonium* 6. *quæst.* 5. *dict.* 3. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 98. *n.* 2. Gutier. *c.* 112. *de matr. n.* 2. Conink *D.* 31. *n.* 77. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *n.* 1. Hurtad. *de matrim. D.* 22. *n.* 30. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 6. *num.* 1. Perez *D.* 37. *sect.* 9. *n.* 2. Barbosa *in c. quod sedem cit. num.* 2. Zoes. *hic num.* 4. Engl *n.* 1. Pirhing *n.* 7. Konig *nu.* 5. Schambogen *num.* 7. Vviestner *n.* 45. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 2. *n.* 123. & communissima cæterorum. *Ratio est*, quia contractus matrimonialis essentialiter consistit in mutua traditione, & translatione Juris in corpus, mutuoque consensu in obligationem, non solum ad individuam vitæ societatem, sed etiam ad actus ex se aptos ad generationem prolis, ut indubitatè desumitur ex *Genes.* 2. *vers.* 24. & præsertim ex 1. *Corinth.* 7. *vers.* 3. & 4. *Uxori vir debitum reddat &c. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir &c.* atqui is, qui impotentia perpetua laborat, corporis sui jus ita transferre in alterum, & in obligationem ad ejusmodi actus consentire non potest, hoc ipso, quod actus ad prolis generationem apti ipsi impossibiles sint, per *Reg. impossibilium* 185. *ff. & Regul. nemo* 6. *in* 6. ergo ipsi contractus ma-

matrimonialis ex natura rei est impossibilis: id verò, quod naturæ rei repugnans est, est Jure naturali nullum, & irritum; ergo &c. *Conf.* à paritate cum Emptione Venditione, quæ nullo Jure naturæ est, si fiat de re, quæ tradi non potest, aut in commercio hominum non est.

67 *Proceditque hoc* 1. etsi impotentia ista sit perpetua respectivè solum ad certam, vel certas personas; nam his jus in corpus suum ad actus conjugales ex se aptos ad generationem prolis non potest tradere, quod respectu illarum isti impossibiles eidem sint. Sanch. *D.* 98. *citat. numer.* 5. *Procedit* 2. ex quacunque causa impotentia ista procedat, & conf. etiamsi procedat ex maleficio; qui etiam talis impotentia actum conjugalem impossibilem reddit aliquando respectu omnium, aliquando respectu certarum solummodo personarum: & hinc necesse erit de illa discurrere, sicut de impotentia perpetua absoluta, & respectiva, quæ nascitur ex causa intrinseca. Sanch. *n.* 6. *Procedit* 3. Etiam de conjugiis Infidelium; quia jure naturali obligantur etiam Infideles: conf. matrimonium, ab ipsis inter impotentes contractum etiam ipsum erit irritum.

68 *Ad Argumentum adversæ sententiæ* nego paritatem inter matrimonium contractum inter impuberes, & inter matrimonium contractum cum impotente perpetuò; nam qui ob defectum ætatis ad exhibendos actus conjugales jam non est potens, subire tamen potest obligationem exhibendi illos, cum potens per ætatem effectus fuerit: contra qui laborat impotentia perpetua, nunquam obligare se ad actus istiusmodi potest, hoc ipso, quia actus illi ponuntur ipsi esse in perpetuum impossibiles. Paritas dari potest in quacunque alia obligatione; nam etsi obligare se aliquis possit ad solvendum debitum, cui solvendo quidem nunc non est, erit autem solvendo, non tamen obligare se aliquis potest ad debitum solvendum, cujus solvendi semper incapax erit. *Ad Conf.* Eadem est responsio; nam impotentia temporalis, etsi impediat, ne nunc exhiberi actus conjugales possint, quia tamen exhiberi poterunt, cessante illa Impotentia, non excludit traditionem Juris in corpus, & obligationem ad actus conjugales, quam tamen simpliciter excludit Impotentia perpetua.

§. III.

De Dissolutione Matrimonii, cum Impotente initi.

S U M M A R I U M.

69 *Conjux potens ab impotente propria authoritate non potest recedere.*
70 *Sed requiritur authoritas Ecclesiæ, & plena probatio.*
71 *Potest adversus matrimonium ex causa impotentiæ proclamare non tantum vir.*
72 *Sed etiam fœmina impotens.*
73 74 *Quandiu?*
75 *Quomodo probanda sit impotentia?*
76 *Quæ personæ ad inspectionem corporis sint adhibendæ?*
77 *Quo numero?*
78 79 80 *An semper desideretur triennium experientia?*
81 82 83 *Quid faciendum, transacto triennio?*
84 85 86 *A quo tempore istud sit computandum?*
87 88 *An debeat esse continuum?*
89 90 91 *Quid observandum circa Juramentum, quod imponi conjugibus, & aliis debet, quando petitur dissolutio Matrimonii ex causa Impotentiæ?*
92 93 94 *Quid faciendum, si is, ob cujus Impotentiam matrimonium dissolutum est, deinde aliud ineat?*
95 96 97 98 *Quando restaurandum sit matrimonium ob impotentiam dissolutum?*
99 100 *Quando restaurationi non sit locus, etiamsi impotens declaratus deinde comperiatur potens?*
101 102 *Quid requiratur, ut matrimonium, quod Ecclesiæ authoritate ob impotentiam est dissolutum, restauretur?*
103 *Quid facere debeat alter conjux, ob cujus impotentiam dissolutum est matrimonium?*

Quæritur 1. Quomodo dissolvendum sit matrimonium, quod ob impotentiam perpetuam nullum est? *Certum est*, conjugem potentem ab impotente, etiamsi certus sit de impotentia istius, à conjugio propria authoritate non posse recedere *arg. c. porro* 3. *de divort.* Opus igitur ad dissolvendum ejusmodi matrimonium erit authoritate Ecclesiæ, & Judicis Ecclesiastici, ut rectè notat P. Vviestner *hic num.* 47. Interim tamen hujusmodi conjuges, si certò cognoscant adesse ex parte unius impotentiam perpetuam, abstinere tenebuntur ab omni ulteriori attentatione copulæ, & tactibus lascivis; ubi enim de impotentia certò constat, certò etiam constat, quod matrimonium, inter eos initum, nullum sit: conf. abstinendum erit ab actibus, qui non nisi veris, vel saltem dubiis conjugibus liciti sunt. Reiffenstuel *hic num.* 33. 69

Debet autem propter arduitatem negotii procedere ad matrimonii dissolutionem, ex causa impotentiæ faciendam, Judex maxima circumspectione; neque solis conjugum, etiam utriusque, assertionibus credet, sed eam solum decernet, obtenta plena impotentiæ probatione Gutier. *c.* 120. *de matr. n.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. §. 9. *num.* 1. Vallens. *hic num.* 5. Honor. *num.* 14. Engl *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 34. *Ratio est*, quia aliàs conjuges, mutuæ cohabitationis pertæsi, facilè colludere, & separationem, nec non licentiam alteri nubendi obtinere possent: & sic dissolutio matrimonii semel contracti penderet ex voluntate contrahentium: quod fieri non debet. Pirhing *hic n.* 14. 70

Quæritur 2. Quis proclamare contra matrimonium ex causa impotentiæ possit, an ille solum, qui potens est, an etiam, qui impotens? *Certum est*, quòd proclamare adversus matrimonium possit vir, quamvis ex parte ipsius impotentia se teneat. Gloss. *in can. requisisti* 2. *V. idcirco caus.* 33. *quæst.* 1. Joann. Andr. *in c. accepisti* 1. *hoc tit. num.* 3. Abb. *ibidem num.* 1. *not.* 1. Alex. de Nevo *num.* 1. Sylv. *V. matrimonium* 8. *q.* 16. *dict.* 5. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 114. *num.* 2. quia viri interest ipsum dissolvi, ne cogatur ad onera matrimonii irriti sustinenda. *Excipit* Sanch. *l. cit. nu.* 3. & 4. duos casus: *unum*, quando vir proclamans contra matrimonium eò tendit, ut sibi ad alias nuptias transitus permittatur; tunc enim allegans frigiditatem propriam audiri non debet, quòd petitio ejus adversetur allegationi: secus, si allegaret impotentiam fœminæ, aut maleficium, quia maleficium communiter est tantum respectu illius fœminæ, cum qua contraxerat. *Alterum*, si contraxit conscius impotentiæ propriæ; tunc enim non ipse, sed mulier, cum qua contraxit, adversus matrimonium proclamare deberet, nisi periculum incontinentiæ subesset ex consortio cum ea uxore existimata; nam eo casu petere posset à Judice, ut ex officio suo eos separet. 71

Major difficultas est, an quando impotentia se tenet ex parte fœminæ illiam ignorantis tempore matrimonii, si postea eam comperiat, illa possit proclamare adversus matrimonium, allegando suam impotentiam. *Videtur*, quod non; quòd fœminæ tali casu non intersit id matrimonium dissolvi. Et ita videntur tenere *Glossa*, *Joannes Andr. Alex. de Nevo numer. præced. allegati*, qui putant id speciale esse in viro, ut liberetur à sustinendis oneribus matrimonii: quæ ratio locum non habet in fœmina. Sed melius cum Palud. *in* 4. *dist.* 34. *q.* 2. *art.* 1. *concl.* 3. *n.* 9. *fin.* & D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *cap.* 12. §. 1. docet Sanch. *l. cit. num.* 6. etiam fœminam impotentem proclamare adversus matrimonium ex causa impotentiæ suæ posse: quia satis ipsius interest separari ab eo, qui verè non est suus vir, nec ipsi subiici, & restirui sibi dotem. Accedit, quia æquum non est, cogi simul esse instar sororis, cum tantum se obligatit ad habendum ut virum, & culpa vacet. 72

Quæritur 3. Quandiu proclamare adversus matrimonium, & petere dissolutionem illius liceat? Rationem dubitandi faciunt tres textus, inter se, ut videntur, contrarii; nam *c. accepisti* 1. *hoc tit.* mulieri post annum, & dimidium alleganti impotentiam viri denegatur audientia, & rationis loco ei obiicitur, cur tamdiu tacuerit, cum facilè, & intra breve tempus scire potuerit, an maritus sit aptus ad copulam: contra *c. fin. eod.* adversus matrimonium conquerens auditor post octo cohabitationis annos; imò *cap. fraternitatis* 6. *titul. citat.* statuitur, audiendum post multos etiam annos. Horum 73

rum textuum apparentem Antilogiam ut concordarent, Interpretes antiqui multum laborarunt, & multi frustra; nec defuerunt aliqui, qui dispositionem *c. accepisti cit.* correctam assererent per posteriores textus; imò fuerunt, qui *cit. capit. accepisti* negarent vim Juris, quod ex Brocardico solum in Decretales assumptum sit. Sed utrique male: *primi* quidem; quia correctio Juris vitanda est, quando per congruam aliquam interpretationem vitari potest. *posteriores;* quia si ratio fontis habenda esset, ex quo textus in Decretales est derivatus, vis, & authoritas Juris innumeris textibus adimenda foret.

74 Quare melius contrarietas ista concordat distinguendo: Vel enim uterque conjux fatetur Impedimentum alterutrius, vel unus solum adversus matrimonium ob impotentiam proclamat, altero vero impotentiam negat. *Si primum*, audiendi sunt proclamantes adversus matrimonium quocunque tempore, etiam post multos annos, ut rectè colligitur ex *cap. fraternitatis*, &c. *fin. citt.* quia tractu temporis matrimonium irritum non firmatur. *Si secundum*, videndum est, an proclamatio fiat ante triennium ad experientiam potentiæ, vel impotentiæ à Jure concessum, vel post illud. *Si post illud*, audienda est pars proclamans, etiam contradicente altera, ut iterum colligitur ex *c. fraternitatis*, & *c. fin. citt. Si ante triennium*, iterum distinguendum est, an proclamans allegatæ à se impotentiæ signa certa, aut saltem verisimilia afferat, an vero dubia duntaxat. *Si certa*, *aut saltem verisimilia*, audiri debet etiam ante triennalem experientiam. *Si vero dubia solum*, ante triennalem experientiam audientia illi denegatur, non tamen post illam, imò nec ante illam, si statim, i, e. post unum, vel duos menses, à copulæ attentatione lapsos, proclamet, qui genuinus est sensus *cap. accepisti citat.* Atque ita textus hos explicant Sanchez *lib. 7. de matrim. Disp.* 109. *num.* 14. Gutier *c.* 120. *de matrim. num.* 27. Palao *tract.* 28. *D.* 4. *part.* 14. § 8. *num.* 2. Barbosa *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 8. Pirhing *hic num.* 31. *not.* 2. Vviestner *n.* 49. Reiffenstuel *nu.* 53. *& duobb. seqq.*

75 Quæritur 4. Quomodo probanda sit impotentia, ut procedi ad matrimonii dissolutionem possit? Resp. Opus est plena impotentiæ probatione, ut dictum est *n.* 70. Si aliter de corporis defectu constare non possit, adhibenda erit inspectio corporum, masculini quidem per medicos, & Chirurgos, fæminini autem per obstetrices, aliasque honestas matronas *c. fraternitatis* 6. & *c. fin. hoc tit.* juncto *c. proposuisti* 4. & *c. cum causam* 14. *de probat.* Quod verum est regulariter; nam si quæstio sit de qualitate alia altiore, fæminæ notitiam superante, v. g. an mulier arcta per incisionem absque periculo vitæ apta possit reddi ad copulam perfectam, etiam pro inspicienda fæmina Chirurgi, & Medici adhiberi debent. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 113. *nu.* 21. Reiffenstuel *hic nu.* 41. & probatur ex *c. ex litteris* 3. & *c. fraternitatis* 6. *hoc tit.* ubi de ope Medicorum, ac incisione fit mentio, quæ certè non nisi inspectione per illos facienda fieri potest.

76 Debent autem Matronæ istæ 1. esse honestæ, & bonæ famæ, non leves, aut viles, ne modico pretio subornatæ, falsum deponant *c. causam*, *c. fraternitatis*, & *c. fin. citt.* 2. Debent esse artis peritæ, & ad hoc idoneæ; hinc nec nimia juventus ob experientiæ defectum, nec nimia senectus ob defectum visus iisdem inesse debet. Sanchez *loc. cit. num.* 2. cum Ioan. Andr. *Host. Anchar. Præpos.* Alex. de Nevo, *Brunell. Paclan. & aliis*, 3. Debent esse de Parochia fæminæ inspiciendæ *c. fraternitatis cit.* ubi, *Quasdam Matronas suæ Parochiæ &c.* & ratio est, quia præsumitur eas habituras pleniorem notitiam, 4. Debent eligi à Judice, & non à partibus, quia potius Judicum, quam testium munus obeunt, & vocantur, ut Judicem instruant. Sanchez *n.* 5. cum *Bartol. Angel. Felin.* 5. Ut testimonio suo fidem faciant, desideratur ab ipsis Juramentum, cum res sit gravissima. Juramentum tamen hoc non debet esse de omnimoda certitudine, sed sufficit, si testificentur verisimiliter juxta æstimationem, quam ex artis peritia assecutæ sunt. Sanchez *n.* 15. Et idem cum proportione dicendum de aliis artis peritis, qui ad inspectionem corporis adhibentur. Reiffenstuel *hic num.* 40.

77 De numero matronarum, & aliorum artis peritorum, qui ad hujusmodi inspectionem adhiberi debent, controversia est inter DD. & occasionem eidem præbent duo textus, unus Juris Canonici *cap. proposuisti cit.* ubi plures censentur fuisse adhibitæ matronæ; alter Juris Civilis *l. temporibus* 1. § *si omnes* 8. *ff. de inspic. ventr.* ubi contra fæminam, dicentem se esse prægnantem, quinque requiruntur obstetrices.

Sed dicendum, sufficere duas honestas, & expertas Matronas. Ita Glossa *in can. nec aliqua V. obstetricum* 27. *q.* 1. Alex. de Nevo *in c. fin. hoc tit. n.* 11. Sanchez *lib.* 7. *D.* 109. *n.* 8. & *D.* 116. *n.* 16. Barbosa *in c. proposuisti cit. nu.* 7. Reiffenstuel *n.* 36. & alii satis communiter; quia à generali Regula, quod *in ore duorum*, *vel trium testium stet omne verbum*, res hæc non excipitur. Imò, ut *cit.* P. Reiffenstuel *num.* 40. cum Sanchez *D.* 113. *num.* 17. & Barbosa *num.* 7. *cit. notat*, in casu, & loco, ubi unus tantum peritus, ac fide dignus adesset, ille solus sufficeret *argum. leg. stipulatio* 1. *in fin. ff. de V. O.* quamvis Abb. *in c. proposuisti cit.* putet in causa valde ardua, qualis est dissolutio matrimonii, requiri duos, ita, ut uno tantum existente in loco, secundus è viciniori loco accersiri debeat.

Ad c. proposuisti cit. respondit Sanchez *n.* 8. *cit.* ibi fieri mentionem septem obstetricum, non quasi tot necessariæ sint, sed quia adhibitæ sunt ad majorem cautelam; & hinc quoad hoc est narratio potius facti, quam Juris dispositio; & sic probationem non facit. *Ad l. temporibus* ibi est specialis dispositio, quæ facta est, ne hæredibus præjudicium generetur, ut cum Gloss. *ibid. V. quinque* notat Sanchez *loc. cit.*

Quæritur 5. Utrum ad declarandum matrimonium irritum ratione impotentiæ desideretur triennium experientiæ à Jure præscriptum? Resp. Decisionem istius quæstionis pendere ex qualitate indiciorum, & signorum, quæ ex inspectione peritorum deprehensa sunt; nam 78

1. Si peritorum judicio habeantur indicia, & signa impotentiæ omnino certa, & evidentia physice, v. g. quod mas virilibus, vel utroque teste careat, aut fæmina propter nimiam arctitudinem ad omnem coitum indubitato inepta appareat, matrimonium sine mora, aliave probatione, aut solemnitate dissolvendum est; neque opus erit, eo casu conjugibus deferri Juramentum, sed sufficiet, quod id delatum sit, & præstitum à Medicis, & aliis, qui ejusmodi signa adesse testantur. Glossa *in c.* 6. *hoc tit. V. matrona*, Abb. *ibid. num.* 11. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 107. *num.* 3. Gutier *cap.* 120. *de matr. num.* 3. Pont. *lib.* 7. *c.* 66. *n.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14 § 9. *n.* 3. Vivian. *in c.* 1. *v. sed si hoc tit.* Barbosa *ibid. n.* 2. & *in c.* 5. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 5. *n.* 8. Vallens. *hic nu.* 5. Engl *nu.* 6. Zoes. *num.* 4. Pirhing *nu.* 16. *not.* 1. *fin.* Vviestner *num.* 51. Konig *nu.* 12 Reiffenstuel *nu.* 42. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de matr. cap.* 2. *num.* 149. Ratio est, quia tali casu certa est matrimonii nullitas, quâ comperta, Juri naturali adversatur carnale commercium.

2 Si impotentiæ signa non sint certa physice, sed moraliter tantum, præmittendum est Juramentum, 79 præstandum tum à conjugibus, de quorum matrimonio agitur, tum à septem aliis horum vel consanguineis, vel vicinis; & conjuges quidem jurabunt, se coire non posse, cæteri se credere dictos conjuges jurasse verum, & tum si cum Medicorum, & peritorum, qui corpus inspexere, dicto, quo verisimiliter judicant adesse impotentiam, concordaverint horum Juramenta, dissolvetur statim matrimonium, nulla temporis mora exspectata; si discordaverint testimonia hæc, idem fiet, quod statim dicetur de signis dubiis. Anton. de Butrio *in c. laudabilem* 5. *hoc tit. num.* 14. Alex. de Nevo *ibid. n.* 17. Sanchez *nu.* 4. Gutier *nu.* 4. Honor. *hic n.* 14. Pirhing *num.* 14. *fin.* Vviestner *nu.* 56. Reiffenstuel *nu.* 43. Magnif. P. Schmier *num.* 151. cum reliquis supra, & colligitur ex *c. laudabilem* 5. & *c. fin. hoc tit.* Ratio est, quia probatio per signa solum moraliter certa est minor, quam quæ fit per signa physice certa, major autem, quam quæ fit per signa solum dubia: igitur ut compleatur probatio, in re tam ardua merito exigetur Juramentum; non autem triennalis experientia, quia hæc solum requiritur, quando signa impotentiæ dubia sunt. Igitur

3 Si signa sint dubia, concedendum est conjugibus 80 triennium ad experiendum, an matrimonium per veram copulam carnalem valeant consummare, juxta textus *citt.* Imò, quia fæmina plenam, & perfectam puberta-

bertatem adipifcitur primum expleto 14. & mas 18. ætatis anno, ut habetur de fæmina *l. mala* 14. *ff. de alimenti* de mare *leg. arrogato* 40. § *non tantum* 1. *ff.* & § *minorem* 4. *Inst. de adoption.* idcirco fi in minore ætate contraxerint, eo ufque experientiæ tempus extrahendum erit. Hoft. *in c.* 5. *hoc tit. post pr.* Jo.Andr. *ib. n.* 3. Sanchez *disp.* 108. *num.* 4. Gutier *cap.* 121. *nu.* 4. Conink *D.* 31. *n.* 84. Palao *part.* 14. § 4. *num.* 6. & § 9. *n.* 6. Vivian. *in c.* 5. *cit. vers. alia*, Barbofa *ibid. nu.* 7. Pirhing *hic num.* 14. *fin.* Schambogen *num.* 16. Vviefiner *nu.* 53. Magnif. P. Schmier *num.* 153. cum enim hominum complexiones diverfæ fint, æquitas poftulat, ne matrimonii diffolutio intentetur, quoufque conjux ea ætate polleat, in qua perfectum robur natura comparat. *Excipe* nifi ad oculum pateat, impotentiam non ex imbecillitate naturæ, fed ex frigiditate, vel alio impedimento provenire. Palao §. 4. *num.* 6. *fin.*

81 Quæritur 6. Quid faciendum, tranfacto triennio experientiæ? Refp. Si tum figna impotentiæ certa, aut faltem verifimilia non appareant, videndum, quid afferant ipfi conjuges; nam

1 Si matrimonium vere confummatum neget vir, & fæmina affirmet, fides habenda eft affirmanti, & fententia pro matrimonio ferenda eft. Ita Hoft. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 1. Joan. Andr. *ibid. num.* 4. Ancharan *nu.* 4. Alex. de Nevo *n.* 9. *fin.* Mafcard. *de probat. concl.* 312. *n.* 24. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 109. *n.* 9. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. § 9. *num.* 7. Vviefiner *hic num.* 54. Reiffenftuel *ibid. n.* 48. Ratio eft, quia in pari caufa potior eft conditio poffidentis juxta *Reg.* 65. *nu.* 6. nec præfumitur, quod fæmina viro impotenti cohabitare, & fterilis apparere velit.

82 2 Si contra fæmina neget confummatum effe matrimonium, vir affirmet, fides habenda eft viro, præfertim fi illa diftulit proclamare adverfus matrimonium, prout fumitur ex *c. accepisti* 1. *hoc tit.* ubi ratio redditur; quia tunc duæ præfumptiones concurrunt contra mulierem, una, quod tarde proclamarit, altera, quia vir eft caput mulieris; conf. potius illius, quam hujus affertioni credendum eft. Hoft. *in cap.* 1. *cit. nu.* 1. *V. tamdiu*, Joan. Andr. *ibid. num.* 7. Ancharan. *num.* 7. Abb. *num.* 5. Alex. de Nevo *num.* 7. Sanchez *D.* 109. *nu.* 2. Canif. *in c.* 5. *hoc tit. num.* 4. Barbofa *ibid. num.* 6. Pirhing *hic num.* 14. *not.* 2. Vviefiner *num.* 14. Reiffenftuel *num.* 49. cum aliis. *Excipitur*, nifi Medicorum, aut Chirurgorum affertione probari poffit, quod vir fit impotens, aut teftimonio obftetricum, vel aliarum Matronarum honeftarum, quod fæmina adhuc virgo fit, & incognita; tunc enim pronuntiandum eft pro uxore contra virum. Sanchez *loc. cit. n.* 5. 6.

83 Si denique alterum impotentem effe uterque affirmet, ad tollendam fufpicionem collufionis ipfis cum feptima manu propinquorum, aut vicinorum, vel fi tales, & tot haberi nequeant, aliorum bonæ famæ, & pauciorum, Juramentum modo, quo *supra num.* 79. dictum eft, deferri debet; quo præftito matrimonium irritum declarandum, & ei, qui potens eft, ad alia vota tranfitus permittendus eft. Gloffa *in can. requisisti* 2. *V. septima manu caus.* 33. *q.* 1. Rofell. *V. divortium n.* 4. Sylveft. *ibid.* 20. *num.* 23. *fin.* Mafcard. *de probat. concl.* 816. *n.* 8. Pacian. *probat. l.* 2. *c.* 2. *nu.* 24. Sanchez *l.* 7. *D.* 108. *num.* 7. Gutier *c.* 120. *n.* 9. *vers. desideratur*, Palao § 9. *cit. n.* 11. Vallenf. *hic n.* 5. Pirhing *n.* 17. Konig *num.* 12 *fin.* Vviefiner *nu.* 55. Reiffenftuel *num.* 44. & ftatuitur *c. laudabilem* 5. & *c. fin. hoc tit.* Ratio eft, quia Juramentum hoc petitur, eo quod poffet effe collufio inter conjuges, & ut cautiori diligentia adhibita, diffolutio matrimonii fiat; atqui periculum collufionis etiam poteft effe poft tranfactum triennium; ergo &c.

84 Quæritur 7. A quo tempore computandum fit triennium, à Jure præfcriptum pro experientia Impotentiæ? Videtur computandum à tempore contracti matrimonii, nam ita loquitur Pontifex *cap. laudabilem* 5. *hoc tit.* ibi, *A tempore celebrati conjugii --- cohabitent per triennium.* Sed verba ifta non obftant; nam ut Gloffa *in c. cit. V. celebrati*, Hoft. *ibid. pr.* Ant. de Butrio *nu.* 10. Alex. de Nevo *n.* 10. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 110. *nu.* 1. Pirhing *hic n.* 16. *not.* 2. Vviefiner *ibid. nu.* 56. verba hæc explicant, intelligenda funt de contractu matrimonii, ut fere folet, per copulæ attentationem perfecto. Hinc conveniunt inter fe DD. fatis communiter, triennium iftud non computandum fimpliciter à tempore contracti quomodocunque matrimonii, fed à die attentatæ copulæ. Sanchez *loc. cit.* Gutier *c.* 120. *n.* 19. & *c.* 121. *num.* 1. Conink *D.* 31. *n.* 83. *fin.* Vallenf. *hic num.* 7. Reiffenftuel *num.* 27. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matrim. c.* 2. *n.* 156.

Dubium moveri poteft, an triennium iftud numerandum fit ab ipfa attentatione, vel potius à Decreto Judicis; nam diffentiunt in hoc DD. Qui concordari poffunt per ea, quæ tradunt Riccius *prax. decis.* 239. *n.* 1. Farin. *vol.* 1. *Cons. decis.* 27. *&* 277. & *vol.* 2. *decis.* 192 *&* 226. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. § 10. *n.* 3. Pont. *lib.* 7. *cap.* 66. Gonzal. *in cap.* 5. *hoc tit. num.* 8. Vviefiner *hic num.* 56 juxta quos, fpectato Jure, triennium hoc quidem incipit ab ipfa attentatione copulæ; ex praxi vero Curiæ Romanæ à Decreto Judicis. *Primum* clare fatis colligitur ex *c. laudabilem cit.* & *c. fin. eod.* ubi afferitur, mulierem, quæ viro fuo per octo annos cohabitavit, ab eo ftatim feparandam, *si constiterit, eos intra prædictos annos per continuum triennium insimul habitasse.* *De altero* Farin. *loc. cit.* affert authoritatem Rotæ, additque folere præcipi, ut præmittatur confeffio peccatorum, & SS. Euchariftiæ fumptio. 85

Quando contrahentium unus, vel uterque non plenam adeptus eft pubertatem tempore contractus matrimonialis initi, *nu.* 80 dixi, exfpectandam hanc effe, nifi de impotentia nondum plene puberis conftet per figna evidentia. *Dubium* remanet, an etiam ex tunc tempus experientiæ computandum fit? Quibufdam placet, adveniente pubertate plena, fi conjux alter inftet, ut diffolvatur matrimonium ratione impotentiæ, id diffolvendum effe; non autem explicant, an mora aliqua fit exfpectanda, ac proinde nullam exfpectandam fentire videntur. Alii vero cum *Host. Joan. Andr. Anchar. Alex. de Nevo* apud Sanchez *loc. cit. num.* 9. putant, poft plenam pubertatem expectandum adhuc menfem, vel bimeftre arbitrio Judicis. Benignior, & rationi magis congrua eft opinio Zabarell. *in c. puberes* 3. *de despons. impub.* Sanchez *loc. cit. num.* 10. Palao § 10. *nu.* 4. jufta quam triennium experientiæ à Jure præfcriptum primum incipit à tempore adeptæ plenæ pubertatis; quia quoufque eam ætatem non attigerunt, præfumi jure merito poteft, impotentiam coeundi non ex frigiditate, aut maleficio, fed ex debili complexione, & conditione provenire. 86

Quæritur 8. An experientiæ triennium debeat effe continuum? Affirmant aliqui, alii negant. Non male concordari opiniones in fpeciem contrariæ poffunt, fi dicatur, quod debeat effe continuum moraliter, ita, ut conjuges præfumpti faltem potiffima ex parte & ita, ut conjuges præfumpti faltem potiffima ex parte & ita fibi continuo dici poffint; non autem phyfice, quafi neceffarium fit, ut diu noctuque per triennium illud femper cohabitent. Ita Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 111. *n.* 2. Gutier *c.* 121. *de matr. n.* 7. Conink *D.* 31. *n.* 83. *fin.* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 14. § 10. *n.* 5. Gonzalez *in c.* 5. *hoc tit. num.* 8. Barbofa *ibid. n.* 8. Pirhing *hic num.* 17. *fin.* Vviefiner *ibid. num.* 57. Quod moraliter faltem continuum effe debet ut ex *cap. fin. hoc titul.* ibi, *Per continuum triennium.* Quod autem non requiratur, ut fit continuum phyfice, probat ratio; quia, ut per triennium cenfeantur cohabitaffe, fufficit, fi utantur matrimonio præfumpto ea frequentia, qua alii conjuges matrimonio uti communiter folent. 87

Quare cohabitatio illorum, & experientia non cenfebitur interrupta, etfi peregrinationis, aut alterius negotii caufa unus ab altero aliquot diebus, imò hebdomadis, & uno, alterove menfe abfuerit, vel propter infirmitatem, aut aliud impedimentum tanto tempore ab ufu matrimonii abftinuerit. Neque id tempus fuppleri debet, fi breve fit; fecus, fi prudentis judicio fit notabile, ita, ut moraliter loquendo non cenfeatur plena triennii experientia. Sanchez *D.* 111. *citat. num.* 6. qui addit, minorem abfentiam fat effe, quando eft fimul, quam quando eft interpolate. Hinc cafu, quo fex menfium abfentia continua fuit, dicit illos fupplendos; contra fupplendos negat dies, quibus interpolate unus ab altero abfuit, etiamfi dies illi abfentiæ fimul computati eorundem fex menfium fummam conficerent; quia hoc cafu praxi interpretatur, non effe notabilem abfentiam, quæ fufficiat, ut negari 88

gari possit, morali modo loquendi completum esse triennium.

89 Quæritur 9. Quid observandum sit circa Juramentum, quod n. 79. & 83. dixi; imponi debere tum conjugibus, quorum unus, vel uterque proclamat contra matrimonium à se initum, ex causa impotentiæ, tum propinquis, aut vicinis, qui pro confirmatione hoc casu adducuntur? Resp. Hæc advertenda.

1 Juramentum illud præstari debet tactis Evangeliis, vel, ut consuetudo plerumque habet, super Cruce *c. laudabilem* 5. *hoc tit.* Abb. *ibid. n.* 3. Alex. de Nevo *n.* 4. Covar. *in cap. quamvis pactum p.* 1. § 1. *num.* 2. *ad fin.* Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 108. *num.* 14. Pirhing *hic num.* 17.

2 Consanguinei, qui simul jurant, debent esse septem; & quidem, si uterque conjux fateatur impedimentum impotentiæ, septem esse debent ex utraque parte, adeoque quatuordecim, ut notat Innoc. *in c.* 5. *cit. pr.* Alex. de Nevo *ibid. n. 6.* Sylv. *V. divortium q.* 18. *n.* 21. Sanchez *D.* 108. *n.* 11. Pirhing *n.* 17. *not.* 3.

90 3 Si tot consanguinei haberi nequeant, adhiberi debent totidem vicini bonæ famæ; si neque tot vicini haberi possunt, sufficiunt pauciores arbitrio Judicis; si desint consanguinei, & vicini, assumi debent alii testes bonæ famæ, & omni exceptione majores. Sanchez *n.* 11. *& duob. seqq.*

4 Conjuges emittere debent Juramentum de certa scientia, nempe quod bona fide, & absque dolo per triennium operam dederint copulæ, nec consummare potuerint; at consanguinei de sola credulitate jurare debent, nempe quod verisimiliter existiment, conjuges verum dicere. Glossa *in c.* 5. *cit. V. uterque*, Sanchez *n.* 15. Pirhing *loc. cit. not.* 4. Ratio differentiæ est, quia ipsis conjugibus constare potest, se non potuisse consummare matrimonium, non item consanguineis.

91 5 Ex hoc sequitur, quod etsi postea vir, qui dicebatur esse impotens, dissoluto matrimonio, reperiatur non esse impotens, propterea consanguineos non esse censendos reos perjurii; quia non de certa scientia, sed de sola credulitate jurarunt. Unde cum in *c. laudabilem cit.* dicitur indefinite, eos, qui jurarunt, reos esse perjurii, id intelligi debet de solis conjugibus viro, & uxore, non de consanguineis compurgatoribus, si bona fide jurarunt. Gloss. *in c. cit. V. hi qui*, Innoc. *ibid. fin.* Joan. Andr. *n.* 10 Anton. de Butrio *fin.* Alex. de Nevo *n.* 13. Sanchez *n.* 17. Pirhing *not.* 4. *cit.*

92 Quæritur 10. Quid faciendum, si is, ob cujus impotentiam dissolutum est matrimonium, deinde aliud ineat? Resp. Hic distinguendum est, an ob impotentiam absolutam dissolutum Ecclesiæ judicio sit matrimonium, an ob respectivam. *Si ob respectivam*, qualis plerumque solet esse, quæ orta est ex maleficio, recte initur novum matrimonium; neque postea, si sublato maleficio, reddita sit potentia ad copulam cum priori, propterea rescindentur nuptiæ cum alia persona initæ; nam cum legitime facta sit separatio propter materiæ inhabilitatem perpetuam, licet postea habilitas per miraculum, vel alio modo præternaturali sit restituta, non propterea vitiatur matrimonium posterius, aut convalescit matrimonium prius invalidum. Zoes. *hic numer.* 13. Imò, ut idem Zoes. *num. seq.* notat, licet separati cum alia non contraxerint, sublato postea maleficio, non possunt compelli ad novam conjunctionem, cum ab initio inter eos vinculum nullum fuerit.

93 *Si vero matrimonium judicio Ecclesiæ dissolutum est ob Impotentiam absolutam*, e. g. frigiditatem, si postea impotens declaratus aliud matrimonium ineat, ita contrahens imprimis erit reus perjurii, ut expresse deciditur *c. laudabilem* 5. & *c. fin. hoc tit.* & constat etiam ex *c. accepisti* 1. *pr. eod.* ibi; *Et nunc primum dixisti, te esse frigidæ naturæ, ita, ut non potuisses coire cum illa, nec cum alia aliqua. Ratio est*, quia frigiditas infert impotentiam absolutam; adeoque si post ea matrimonium contrahat cum alia persona, censebitur ex odio, & mala fide negasse potentiam, ut dissolutionem matrimonii prioris obtineat. Estque præsumptio hæc Juris, & de Jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium. Glossa *in can. requisisti* 2. *V. patet caus.* 33. *q.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 108. *n.* 18. *fin.* Pirhing *hic n.* 18. Schambogen *ibid. nu.* 15.

Præterea hoc casu matrimonium posterius statim est dissolvendum absque alia probatione. Joan. Andr. *in c.* 5. *hoc tit. n.* 8. Alex. de Nevo *ibid. n.* 15. *&* 16. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 99. *n.* 6. Pirhing *num.* 19. *Ratio est*, quia cum vir ille per sententiam Ecclesiæ sit declaratus frigidus, præsumptio inhabilitatis ad matrimonium stat contra ipsum. *Proceditque hoc*, sive sit vere frigidus, sive non; nam si vere est frigidus, matrimonium secundum est invalidum propter impedimentum frigiditatis: si autem non est frigidus, obstabit prius matrimonium, quod per falsam probationem frigiditatis est dissolutum. Sanchez *loc. cit.* ubi addit, si tempore, quo frigidus iste ad alias nuptias transiit, prior uxor obierat, nihilominus tamen statim separandum esse à posteriore matrimonio, donec probet, se potentem esse, & Ecclesiam fuisse deceptam; quia interim præsumptio impotentiæ stat contra ipsum. 94

Quæritur 11. Quid agendum, si is, ob cujus impotentiam dissolutum est matrimonium, postea appareat fuisse potens? Resp. Hoc casu Regulæ instar est, quod matrimonium ex hoc capite dissolutum restaurari debeat, & reddi conjux priori marito, etsi hæc cum secundo jam contraxisset novas nuptias. Conink *D.* 31. *n.* 84. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 11. *n.* 5. *v. quodsi*, Vivian. *in cap. accepisti* 1 *hoc tit. pr.* Barbosa *in cap. fraternitatis 6. eodem Vers. quamvis igitur*, Vallens. *hic numer. 6.* Zoes. *n.* 15. Honor. *n.* 17. Konig *n.* 16. *Resp.* 2. Reiffenst. *n.* 56. & statutum est *c. fraternitatis cit. Ratio est*, quia tali casu Ecclesia fuit decepta, & sententia, ab ea contra matrimonii valorem lata, processit ex errore. 95

Proceditque hoc 1. Sive ex matrimonio cum alia contracto, & consummato, sive ex fornicatione cum tali commissa comperiatur esse potens; nam utroque casu, si tanquam impotens absolute per sententiam Ecclesiæ declaratus est, restituendus est priori conjugi, & redintegrandum cum ipso matrimonium. Poterit tamen hoc casu conjux innocens fornicarii conjugis, qui ob impotentiam propriam absolutam ab ipso est separatus, & postea non sine scelere se alteri copulavit, cohabitationem & congressum jure respuere, sicut habetur *c. fraternitatis 6. hoc tit.* & docet *ibid.* Abb. *n.* 7. Sanchez *l.* 7. *D.* 101. *n.* 3. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 11. *n.* 5. *v. quodsi*, Konig *hic n.* 16. *Resp.* 1. Rationem dat *Sanchez*; quia conjux ille impotens eo ipso, quod copulam attentaverit, quasi potentiam suam experiri volens, necessario consensum præstitit matrimonii injuriæ, quæ ex illius copula consummatione consurgere poterat; ex illa enim verificabatur prioris matrimonii valor, ac proinde adulterii injuria. 96

Procedit 2. Ex quacunque causa prætensa fuerit impotentia perpetua, & propterea dissolutum sit matrimonium, ut de fæmina separata à viro suo ratione arctitudinis constat ex *c. fraternitatis cit. v. nos tamen*, ubi postea nubens alteri, & ab hoc cognita, ab isto separata, jubetur redire ad maritum priorem, & cum hoc matrimonium restaurare, si posterior maritus priori similis fuit; quod antequam restauratio prioris matrimonii fiat, diligenter est inquirendum. Gutier *cap.* 115. *de matr. num.* 4 Idem dicendum, si dissolutio facta est ob maleficium: ubi tamen est distinguendum, an facta illa sit ex causa, quod maleficium sit universale respectu omnium, an vero, quod solum sit particulare respectu unius, vel alterius. *Si primum*, & maleficiatus, dissoluto per Ecclesiam priori matrimonio, transiret ad aliud, idque consummaret, separandus esset, & instaurandum prius matrimonium; quia appareret Ecclesiam fuisse deceptam, quæ judicavit impotentiam esse perpetuam, quæ apparet jam esse temporalis. *Si secundum*, matrimonium prius nequaquam est restaurandum, sed utrique conjugi danda licentia transeundi ad alias nuptias; quia restauratio prioris solum est facienda, quando dissolutio matrimonii ob impotentiam facta est ex errore, qualis hoc casu nullus probatur. Probaretur autem, si ita separatus animo fornicario cognovisset illam, à qua separatus est: & hinc eo casu restauratio haberet locum; quia jam apparet nullum fuisse impedimentum. Gutier *loc. cit. n.* 7. *&* 8. Gonzal. *in c.* 5. *hoc tit. num.* 8. 97

Procedit 3. Etiamsi decendium à sententia dissolutionis lata sit lapsum, nec interea appellatum; quia sententia lata ex errore, præsertim contra matrimonium, 98

in rem

in rem judicatam non transit *cap. lator 7. de sent. & re jud.* conf. quandocunque apparet, quod sententia, contra illud lata, ex errore processerit, retractari non solum potest, sed etiam debet juxta dicta *lib. 2. tit. 27. n. 64.* Dixi, *Quando apparet, quod sententia ex errore processerit*; nam si nullus probatur error in sententia, illa non retractatur, nec matrimonium per eam dissolutum restituitur. Atque hinc solvitur, quod

99 Quæritur 12. Quibus casibus matrimonium ob impotentiam dissolutum non restauretur, etsi postea is, ob cujus impotentiam dissolutio facta est, reperiatur potens? Resp. Communiter quinque casus à DD. assignantur. 1. Si impotentia, quæ revera erat perpetua, sublata fuit miraculo; quia tunc matrimonium, cum illa impotentia contractum, fuit invalidum. Sot. *in 4. dist. 34. quæst. un. art. 3.* Sanchez *lib. 7. de matrim. D. 84. num. 10.* Conink *D. 31. num. 85.* Layman *lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 2.* Honor. *hic nu. 16.* Engl *num. 6. & 7.* Vviestner *n. 59.* Reiffenstuel *nu. 57.* Secus est, si sublata illa sit per Exorcismos Ecclesiæ, orationes conjugum, & eorum ad Deum conversionem per confessionem, & alia pia exercitia, quia cum hic effectus soleat sæpe hujusmodi causis à Deo concedi, utpote ad hunc finem ab eo, & Ecclesia ordinatis, non dicitur miraculosus, sicut nec obtentio gratiæ per Sacramenta, & Orationes. Sanchez *n. 10.* Conink *nu. 85* Layman *num. 1.* Barbosa *in c. 5. hoc tit. num. 5.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de matr. c. 2. num. 160.*

100 2 Si eadem impotentia perpetua sublata fuit per artem Magicam; nam adhuc matrimonium, cum illa contractum, effectu caret, quippe cum perpetua impotentia dicatur omnis illa, quæ per ordinaria, & licita media non potest tolli. Sanchez *n. 11.* Layman *n. 2,* cum aliis *supra.*

3 Si Impotentia fuit respectiva solum; nam etiam ista perpetua esse potest. Sanchez *D. 99. nu. 18.* Ponr. *l. 7. D. 64. n. 3.* Conink *n. 84.* Barbosa *in c. 6. n. 4. v. quamvis igitur.* Zoes. *hic num. 15.* Pirhing *n. 26. fin.* Konig *n. 16. resp. 2.* Reiffenstuel *num. 59*

4 Si impotentia provenit ex maleficio; quia hæc persæpe respectiva duntaxat est: unde donec probetur temporaneam tantum illam fuisse, non restaurabitur matrimonium prius dissolutum. Sanchez *D. 99. n. 22.*

5 Si mulier, ob arctationem separata, est professa Religionem, & vir aliam duxit; tunc enim sustinendum est matrimonium secundum, licet comperiatur arctationem non fuisse perpetuam. Barbosa *in c. 6. cit. n. 16.* Ratio est, quia primum non fuit consummatum; conf. dissolutum, subsequente professione.

101 Quæritur 13. Quid requiratur, ut matrimonium, quod Ecclesiæ authoritate ob impotentiam est dissolutum, restauretur? Resp. Duo requiruntur. *Unum*, ut allegata sit impotentia perpetua absoluta; nam si respectiva solum, antequam restituatur priori viro uxor ob impotentiam separata, attente examinandum est, & inspiciendum, an secundus vir sit priori omnino similis ætate, robore, ac membro virili; nam si dissimilis in aliquo existat, non est priori viro reddenda. *Ratio est*, quia non est instaurandum prius matrimonium, nisi constet Ecclesiam fuisse deceptam, judicando de perpetuitate impotentiæ; atqui ex copula cum aliis personis nequit constare, respectivam illam impotentiam non fuisse perpetuam; ergo &c. Secus, si dissimilitudo probata non fuerit; nam eo casu, præsumitur esse priori similis, & conf. potuisse à priore cognosci, prout traditur *c. fraternitatis 6. hoc tit.* ibi, *Sententiam divortii per errorem, licet probabilem, novimus esse prolatam, cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 14. § 1. n. 12.* Et hoc multo magis verum est, si se commiscuisset cum illa, à qua fuit separatus tanquam impotens, quippe cum ex subsequenti copula manifeste constet, impotentiam respectivam temporalem solum fuisse. Konig *hic num. 16. resp. 2.* Quod si non constet impotentiam fuisse respectivam, & impotens post separationem reperiatur potens, præsumitur impotentiam fuisse temporalem, & restauratur prius matrimonium, ut conjuges per triennium iterum probent; secundo autem separatus nunquam restituitur. Conink *disp. 31. n. 84.*

102 *Alterum*, ut potentia in eo, qui impotens habebatur, sit legitime probata. Sanchez *l. 7. de matr. disp. 99 n. 7. & 8.* Gutier *c. 115. n. 9.* Pirhing *hic num. 19. in fin.* *Ex quo sequitur*, ad instaurandum ejusmodi matrimonium non sufficere, nec requiri, ut frigidus, seu ex alio capite habitus pro impotente, transierit ad alias nuptias: non requiritur; quia potentia aliunde probari potest, & undecunque probetur, pronuntiandum erit pro matrimonio dissoluto, ut restauretur; non sufficit; quia sicut primum matrimonium defacto contraxit impotens, ita etiam potest secundum contrahere, neque ex eo, quod secundum contraxerit, potens esse præsumi poterit. Unde necessarium erit eo casu probare, quod posterius matrimonium consummaverit, aut alias fornicatus fuerit; imò etiam hoc probato, non tamen propterea statim præsumendum est prius matrimonium ratum, & male separatum fuisse, cum ob disparitatem virorum potuerit esse vera impotentia respectu prioris, non item posterioris. Et hinc antequam probetur dissimilitudo istorum, restaurari matrimonium non debebit. Sanchez *loc. cit. num. 19.*

Quæritur 14. Quid facere debeat alter conjux, ob cujus impotentiam dissolutum est matrimonium? Resp. 103
Judex, dissoluto matrimonio, debet, quantum potest, illum inducere ad ingrediendam Religionem, & servandam perpetuam continentiam, ut constat ex *c. fraternitatis 6. pr. hoc tit.* Alex. de Nevo *ibid. n. 8.* Canis. *n. 2.* Pirhing *hic n. 24.* quia matrimonii vinculum, si quod forte subest, eo ipso dissolvitur, & sic nullum periculum imminet alteri conjugi, si aliud matrimonium ineat.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

EXplicavimus hactenus impedimenta matrimonii dirimentia, & aliqua etiam impedientia. Supersunt ex ultimis istis tria, quæ hoc Titulo examinanda restant, videlicet interdictum Ecclesiæ, Tempus Feriatum, & Crimen. Subjungentur aliqua de dispensatione impedimentorum.

§. I.

De Interdicto, seu Vetito Ecclesiæ.

SUMMARIUM.

QUæritur 1. Quot modis dicatur matrimonium contrahi contra *Interdictum Ecclesiæ*? Resp. Duobus modis, 1. *Generaliter*; & hoc sensu contra interdictum Ecclesiæ matrimonium celebratum dicitur omne illud, quod celebratum est contra præscriptum Sanctionum Ecclesiasticarum, & vel maxime, si hoc fiat cum impedimento Dirimente, 2. *In specie*: & tum contra interdictum Ecclesiæ contrahi matrimonium dicitur, quod initur à personis, quibus ejusdem contractus à Legitimo superiore ex justa aliqua causa est interdictus. Vvagnereck *ad Rubr. hoc tit. not. 1.* Engl *hic § 1. nu. 3.* Pirhing *n. 1.* Konig *nu. 2.* Vviestner *num. 2.* In hoc secundo sensu acceptum interdictum constituit speciale impedimentum, non dirimens, sed impediens matrimonium; & definitur, quod sit *specialis prohibitio, qua* 1

matrimonium authoritate Ecclesiastica quibusdam personis ex causa legitima redditur illicitum. Magnif. P. Schmiet *part. 3. de matr. c. 1. n. 76.*

2 *Dubium* esse potest, quænam sint causæ, ob quas à superiore interdici matrimonium possit? Resp. sunt tres præcipue, 1. Si alter eorum, qui matrimonium volunt contrahere, ligetur sponsalibus, cum alia prius initis; nam hæc sine gravi causa violari non possunt. 2. Si non vana sit suspicio latentis impedimenti, conjugium inter ipsos impedientis, vel etiam dirimentis. 3. Si ex futura talium personarum conjunctione timeantur graves rixæ, inimicitiæ, scandala, aliave incommoda *c. fin. §. cum autem de clandest. despons. c. littera 1. & c. seq. hoc tit.*

3 Quæritur 2. Quis superior ex hujusmodi causa interdicere matrimonium possit? *Certum est* 1. Quod hoc possit Papa; quia hic est supremus omnium per totum Orbem Christianorum Pastor, & Judex. *Certum est* 2. Idem posse Episcopum respectu suæ Diœcesis, & quemvis alium Prælatum Ecclesiasticum, si is in certi territorii Clerum, & populum Jurisdictionem quasi Episcopalem obtineat. *Certum est* 3. Eandem potestatem competere Capitulo Sede vacante, & istius, aut etiam Episcopi Vicario in Spiritualibus Generali.

4 *Dubium* est, an matrimonium interdicere sponsis possit proprius ipsorum Parochus? Quidam cum Goffred. *in Rubr. hoc tit. num. 1.* & Angel. *V. matrimonium 3. Imped. 1. num. un.* id soli Judici Ecclesiastico tribuunt, cujus est de causis matrimonialibus cognoscere. *Rationem* dant; quia tale interdictum fieri non potest sine causæ cognitione; atqui cognitio causarum matrimonialium non ad Parochos, aut ipsos etiam Decanos, & Archidiaconos spectat, sed ad solum Judicem Ecclesiasticum *c. ex litteris 1. de Consang. & Affinit.* junct. Glossa *V. potestatem*, & Trid. *sess. 24. c. 20. vers. adhæc de reform.*

5 Sed omnino dicendum est, quod etiam Parochus ex causis relatis *num. 2.* præsertim si matrimonio opponatur impedimentum, contractum illius impedire, & extrajudicialiter interdicere possit, ac debeat ex officio, donec causa discutiatur, & decidatur à Judice Ordinario. Ita Host. *in cap. fin. V. interdicatur de cland. despons.* Joan. Andr. *ibid. num. 6.* Alex. de Nevo *n. 16.* Sylvest. *V. matrimonium 7. quæst. 1. dict. 2.* Armill. *V. eod. num. 54.* Navar. *Man. cap. 22. num. 68.* Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 4.* Sanchez *lib. 3. de matr. D. 15. num. 3.* & *lib. 7. D. 6. num. 6.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 15. num. 1.* Palao *tr. 28. D. 4. part. 2. § 1. n. 1.* Gonzalez *in c. fin. hoc tit. num. 2.* Barbosa *ad Rubr. tit. eod. num. 2. & 4.* Wagnereck *ad cit. Rubr. not. 2.* Bosco *de matr. D. 12. sect. 2. concl. 3. num. 114.* Illsung *tr. 6. D. 9. n. 59.* Wex *Ariad. part. 5. tract. 2. § 4. num. 5.* Honor. *hic num. 2.* Pirhing *nu. 1. fin.* Konig *nu. 2.* Schambogen *n. 2.* Wiestner *num. 4.* Reiffenstuel *nu. 4.* Magnif. P. Schmiet *part. 3. de matr. cap. 1. num. 78.* & colligitur ex *c. fin. cit. vers. cum autem*, ibi, *Contractus interdicatur*, ubi agitur de Parocho; & clarius § *fin.* ibi, *Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones (personarum Impedimento laborantium) prohibere contempserit &c.*

6 Dixi, *Extrajudicialiter*; nam tale interdictum causæ cognitionem Judicialem non exigit. *Et hinc patet ad Rationem dubitandi*; nam interdictum, si judicialiter, & per modum sententiæ fiat, causæ cognitionem Judicialem exigit, non tamen, si fiat extrajudicialiter; igitur etsi Parochus non possit de causa matrimoniali cognoscere, interdicere tamen matrimonium extrajudicialiter potest; donec de causa cognoscat Episcopus, vel ille ad quem cognitio harum causarum de Jure pertinet.

7 Quæritur 3. Quomodo obliget, & quem effectum habeat interdictum, seu prohibitio ab Ecclesiastico facta, ne matrimonium ineatur? *Convenit inter DD.* 1. talem prohibitionem obligare sub mortali. Ita Sylvest. *V. Matrimonium 7. quæst. 1. dict. 4.* Sanchez *l. 7. de matr. D. 17. n. 1.* Barbosa *in c. 2. hoc tit. nu. 4.* Pirhing *hic num. 7.* Reiffenstuel *ibid. n. 5.* cum communi aliorum *arg. c. fin. hoc tit.* ubi etiam excommunicari jubetur, qui stante prohibitione, ob suspicionem consanguinitatis facta, matrimonium contrahit. *Ratio patet*; quia est præceptum Ecclesiæ in re gravi. *Excipit* Sanchez *loc. cit.* quando fit ex causa levi ad tempus, vel quando sponsis certo constat, impedimentum, aut aliam causam, quæ timetur, & ob quam factum est interdictum, non subsistere; tunc enim solum obligaret sub veniali.

Concordant 2. regulariter saltem subsistere matrimonium, celebratum contra interdictum Episcopi, vel alterius Prælati Papa inferioris. Abb. *in c. 2. hoc tit. num. 3.* Sanchez *l. 7. de matr. D. 2. n. 2.* & hoc teste omnes. Colligitur ex *c. litteræ 1.* & *c. seq. hoc tit.* ubi sustinetur matrimonium sic contractum, & conjuges ab eo recedere non permittuntur. *Ratio est*, quia cum hujusmodi Prælati non habeant potestatem statuendi impedimenta nuptialia dirimentia matrimonium, ipsorum prohibitio istius valori obstare non potest. Ne tamen præceptum, matrimonii contractum justa de causa prohibens, contemptibile ex pœnæ immunitate fiat, conjuges, contra interdictum matrimonium contrahentes, separandi ad tempus sunt, imposita de tanto excessu pœnitentia condigna, ut statuitur *c. litteræ cit.* Tempus hoc separationis arbitrarium judici est, ut cum *Host. Ant. de Butr. Henr. de Boich. Asten.* notat Sanchez *loc. cit.* *Neque obstat*, quod in *c. cit.* sermo sit de separatione per mensem; nam ut idem *Sanchez* cum alii explicat, Mensis ibi ponitur e. g. & non ad arctandam Judicis facultatem. Imò potest Judex loco separationis decernere pœnam aliam: quod maxime faciendum, si periculum incontinentiæ subsit. Sanchez *loc. cit.* 8

Dubium est, an etiam validum sit matrimonium, contractum contra interdictum Summi Pontificis? *Rationem dubitandi* facit 1. *can. videtur 1. caus. 35. q. 6.* ubi Cœlestinus Papa, *Quod contra interdictum*, inquit, *& ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tam Divinæ, quam humanæ Legis proclamat authoritas.* 2. *c. ad dissolvendum 13. de despons. impub.* ubi Innoc. III. *Quod si*, ait, *contra interdictum nostrum in præjudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere*, 3. *l. non dubium 5. C. de LL.* ubi *nullum pactum, nulla conventio, nullus contractus* dicitur *inter eos subsecutus, qui contrahunt, Lege contrahere prohibente*; sed interdictum vim habet Legis prohibentis. 9

Hæc Argumenta in diversas sententias inclinarunt DD. quorum sex omnino enumerat Sanchez *lib. 7. de matr. D. 2. a n. 3.* Optime sentiunt, qui cum Pont. *l. 6. de matr. c. 7. n. 5.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 2. § 2. n. 2.* Gonzal. *in c. fin. hoc tit. n. 2.* Zoes. *hic nu. 1. & 2.* Wiestner *nu. 5.* Reiffenstuel *n. 9.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de matr. c. 1. n. 83. & seqq.* distinguunt, an hoc interdictum Papæ sit simplex solum, an verò munitum clausula irritante. *Si primum*, DD. *citt.* Matrimonia, contra interdictum hujusmodi celebrata, pro illicitis tantum habent, ex ratione; quia *prohibere*, & *irritare* diversæ significationis sunt; igitur ex simplici prohibitione matrimonii hujus nullitas inferri non debet, cum notissimi Juris Regula sit, quod multa prohibeantur fieri, quæ si facta fuerint, roboris firmitatem obtinent *cap. ad Apostolicam 16. de Regular.* 10

Si secundum, iidem DD. contractus matrimoniales, contra interdictum hujusmodi initos, tanquam invalidos rejiciunt: & de hoc procedunt textus *n. 9.* allati. Parum autem refert, an interdictum hoc à Papa latum sit constitutione generali, an vero præcepto personali, ut bene contra *Goffredum* advertit P. Wiestner *hic num. 6.* quia interdictum, latum constitutione generali, ab interdicto posito per præceptum personale solum differt extensione, non autem vi obligandi, aut irritandi. Item parum interest, an hujusmodi interdictum munitum sit clausula speciali, an solum generali, modo utraque sit actum irritans; nam etiam matrimonium, contra prohibitionem solum clausula generali munitam contractum irritum est, quippe cum alias non appareret, quid per illam irritum redderetur. 11

Porro *num. 8.* consulto addidi *Regulariter saltem*; nam magis controvertitur, & consequenter ulterius.

Quæritur 4. An valeat matrimonium, initum contra prohibitionem Ecclesiæ, qua Apostolica, vel alia Ecclesiastica Authoritate interdictum est sponsi, ne dum lis, vel appellatio pendet super sponsalibus inter se contractis, & carnali copula consummatis, aliud contrahant matrimonium in præjudicium priorum sponsalium? 12

Cer-

Certum est, ante Trid. hujusmodi matrimonium habitum fuisse pro invalido; nam eo tempore sponsalia de futuro, subsecuta inter sponsos carnali copula, transibant in matrimonium, quod id factum præsumeretur animo conjugali, prout habetur *c. veniens* 15. *c. is, qui fidem* 30. *de sponsal. c. de illis* 3. & *c. per tuas* 5. *de condit. appos.* conf. oriebatur ex iis sponsalibus impedimentum Ligaminis, cum quo contractum matrimonium aliud est Jure naturali irritum.

13 *Dubium est*, quid de valore hujus matrimonii sentiendum sit nunc post *Trid.* quo matrimonia hujusmodi præsumpta sublata sunt? Etiam hoc Jure pro invalido habendum, contendunt nonnulli, quos citat, & sequitur Clericatus *de Sacr. matr. decis.* 36. *n.*21. *Fundantur* 1. textu *c. accepisti* 2. *de sponf. duor.* ubi Brocardus, *Accepisti*, inquit, *illam in uxorem tibi, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam; quia nunquam potest tibi fieri legitima*, 2. *c. tua fraternitas* 4. *eod.* ubi Alexander III. *de his, qui coram* Episcopo *super desponsatione facta per consensum mutuum de præsenti controversiam movet*, præcipit Archiepiscopo Genuensi, ut *eis in Ecclesia publice interdicat, ne ante decisionem causæ aliud contrahant matrimonium*: & additur, *si contra interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint*, ipsum Archiepiscopum *matrimonium tam præsumptuosè contractum posse irritare*, 3. Ratione deducta ex *c. tua cit.* nam ut inde colligitur, & tradit Glossa *ibid. V. poteris*, Abb. *num.* 4. Henric. de Boich. *in cap. fin. eod.* cum aliis, irritum nullumque est matrimonium, quod initum est contra interdictum, à Prælato ordinario publicè factum, si interdicti, seu prohibitionis causa non mere temporanea, si perpetua sit; atqui causa sponsalium de futuro, quibus accessit defloratio sponsæ, est causa perpetua; quia probrum sponsæ, ex ea ortum, & illegitimitas prolis, ex ea susceptæ, semper durat, nisi tollatur per superveniens matrimonium; ergo matrimonium, quod insuper habito interdicto Ecclesiæ, contractum est cum alia, irritum, & nullum erit, 4. Delicta suos debent tenere authores, neque decet, ut vel delinquens ex delicto suo sentiat commodum, aut innocens ex eo patiatur detrimentum; hoc autem fieret in casu præsenti; nam si tale matrimonium subsisteret, sponsa deflorata perpetuum pateretur damnum, ac præjudicium, sponsus vero prohibitionis contemptor ex contracto sic matrimonio perpetuum reportaret commodum.

14 *Sed dicendum*, etiam hoc casu, quo prohibetur, ne, dum lis, vel appellatio super sponsalibus prius initis pendet, matrimonium contrahatur cum alia, illud, si nullo alio impedimento obstante, contra hujusmodi prohibitionem ineatur, validum esse. Ita Covar. *part.* 2. *de sponsal. c.* 6. *pr. n.* 6. Lancellot. *de Attent. p.* 2. *c.* 20. *limit.* 18. *n.* 1. Barbosa *in c.* 13. *de despons. impub. n.* 3. *& 5.* Fagn. *in c. litteræ* 1. *hoc tit. n.* 1. Vivian. *in c. ex litteris* 2. *pr.* Vvagnereck *ibid. not.* 1. Engl *tit. de sponsal.* § 3. *nu.* 4. Canis. *hic n.* 2. Vviestner *ibid. nu.* 15. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 1. *n.* 91. *& seqq.* & colligitur ex *c. litteræ*, & *c. ex litteris citt.* in quibus matrimonium, etiam durante controversia super sponsalibus, antehac celebratis, initum deciditur esse validum. *Ratio est*, quia vel interdictum in tali Hypothesi provenit à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, aut alio Prælato Papa inferiore. *Si prius*, constat ex dictis *ad qu. præc.* illud vim irritandi non continere, nisi adjectam habeat clausulam irritantem. *Si posterius*, cum ex dictis *n.* 8. pateat, quod impedimentum dirimens statui Prælato Papa inferiore nequeat, integer hoc casu valor matrimonii, contra hujusmodi prohibitionem contracti, erit.

15 Neque aliud probant Argumenta *n.* 13. allata. *Ad* 1. textus *c. accepisti cit.* loquitur de casu; quo prima sponsalia, super quibus lis pendebat, non erant de futuro sed de præsenti, adeoque verum matrimonium. *Ad* 2. dum *c. tua fraternitas cit.* statuitur, ut secundum matrimonium, quod lite super matrimonio prius inito pendente contractum fuit, ab Archiepiscopo irritetur, ibi, ut Glossa *V. poteris* explicat, Pontifex aliud non voluit, quam ut eo copulati separentur à cohabitatione tamdiu, donec cognoscatur de valore matrimonii prioris; conf. eo textu principaliter declaratur non tam efficacia prohibitionis Ecclesiasticæ, quam vis impedimenti ligaminis, orti ex matrimonio priori litigioso. *Ad* 3. causæ perpetuæ nomine intelligendum est impedimentum dirimens; causæ temporalis autem impediens; quod confirmatur etiam ex eo, quia Glossa *loc. cit.* dicit, quod probato impedimento, conjuges separari debeant ex toto; non probato, permittendum, ut remaneant simul; igitur non ob prohibitionem, sed ob impedimentum, propter quod prohibitum est ejusmodi matrimonium, illud erit irritum: non est autem irritum, nisi ob impedimentum dirimens; ergo &c. *Ad* 4. imprimis idem damnum sponsæ, & proli infertur etiam casu, quo sponsus matrimonium cum alia iniit ante interdictum Ecclesiæ, neque tamen illius contractus propterea irritus est. Deinde damnum illud, atque injuria alio modo reparari potest, & ad hoc tenetur, compellique à Judice Ecclesiastico deflorans potest; quod vero ex delicto suo commodum referat, est præcise per accidens, & non ratione delicti, sed Ligaminis, quod inducitur per matrimonium validum, & solvit sponsalia præcedentia.

Quæritur 5. An interdicti Ecclesiæ nomine veniat hic etiam interdictum Ecclesiasticum, quatenus illud censura est? Ita quidem putarunt aliqui cum Ugolin. *de interdict. tabul.* 5. *c.* 7. § 3. *n.* 1. & *c.* 10. § 1. *n.* 1. qui propterea etiam docuerunt, matrimonium saltem licite non celebrari tempore interdicti Ecclesiastici. *Ducuntur* 1. quia interdicti Ecclesiastici tempore prohibita est administratio Sacramentorum, præter excepta, scilicet baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam per modum Viatici; atqui etiam matrimonium est Sacramentum, neque reperitur exceptum; ergo &c. 2. Causæ, ob quas prædicta tria Sacramenta tempore interdicti Ecclesiastici administrari possunt, juxta *c. fin. de sent. excomm. in* 6. sunt, ne ex talium Sacramentorum negatione *excrescat indevotio populi, pullulent hæreses, pericula animarum insurgant, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahantur.* Atqui rationes istæ in matrimonio cessant, 3. Parochus, cum hodie absque ejus præsentia consistere matrimonium nequeat, est quodammodo ejus minister; atqui Parocho tempore interdicti prohibitum est administrare quævis Sacramenta, exceptis tribus *supra* dictis; ergo &c. 16

Sed tenenda est negativa sententia cum Innoc. *in c. non est* 11. *in fin. de sponsal.* Joan. Andr. *ibid. n.* 5. Abb. *n.* 8. Alex. de Nevo *n.* 21. *& seq.* Sylv. *V. interdictum* 5. *q.* 7. *n.* 9. *except.* 5. Armill. *V. eod. n.* 53. Navar. *Man. c.* 27. *num.* 179. Covar. *in c. Alma p.* 2. § 2. *n.* 7. Henriq. *l.* 11. *de matrim. c.* 16. *n.* 2. *comment. Lit. S.* & *l.* 12. *c.* 2. *n.* 1. *comment. lit.* F. & *l.* 13. *de excomm. c.* 45. *n.* 3. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. D.* 8. *n.* 2. Conink *D.* 30. *n.* 23. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 1. *v. de matrimonio*, Palao *tract.* 28. *D.* 4. *p.* 2. § 1. *nu.* 6. Bosco *de matr. D.* 12. *sect.* 2. *concl.* 2. *à num.* 76. Vviestner *hic n.* 21. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 1. *n.* 94. juxta quos tam sponsalia, quam matrimonium tempore interdicti Ecclesiastici valide, & licite celebratur. Sumitur ex *c. Capellanus* 4. *de Feriis*, ubi habetur, *eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ut quocunque tempore matrimonium contrahatur.* *Ratio est*, quia tempore interdicti vetita sunt solum illa Sacramenta, quæ pure sunt talia, atque à Ministris Ecclesiasticis administrantur; atqui matrimonium habet sibi admixtam naturam contractus, & pro ministris agnoscit ipsos contrahentes, igitur sicut cæteri contractus tempore interdicti licite celebrantur, sic etiam matrimonium. 17

Proceditque hoc 1. etiam de specialiter, & personaliter interdictis: possunt enim & isti licite contrahere matrimonium, si contumaciam deposuerint, ut cum *Innoc. Anchar. Rosell. Sylv. Navar. Henriq.* & aliis à se *citt.* advertit Sanchez *D.* 8. *cit. n.* 5. Secus, si in contumacia sua persistant; nam isti licite contrahere matrimonium nequeunt, non quidem ratione interdicti, & Censuræ, sed quia per contumaciam suam obicem ponunt gratiæ recipiendæ per Sacramentum. *Procedit* 2. ut celebrari matrimonium, & administrari tria Sacramenta supra dicta possint etiam in Ecclesia specialiter interdicto supposita; quia nulla reperitur prohibitio, quippe cum à quovis Interdicto Sacramenta ista exempta sint. Sanchez *n.* 6. ubi addit, decere, ea, alibi celebrari, si commode fieri possit. *Procedit* 3. & à fortiori de denuntiationibus, præmittendis matrimoniali contractui; nam istæ tempore interdicti, & in loco interdicto, saltem in Concionibus licite fieri possunt: In Missa si fiant, peccatur quidem Missam celebrando 18

extra

extra tempora Jure permissa, non tamen faciendo denuntiationes; quia hæ, cum non sint Officium Divinum, minime opponuntur interdicto. Sanchez *n.* 7.

19 Idipsum nonnulli cum *Rosella*, *Angelo*, *Gaeta* apud Sanchez *n.* 9. dicunt de benedictionibus, ajuntque benedictiones nuptiales licite fieri tempore interdicti, & in loco interdicto posse; quia sunt accessoriæ matrimonio; conf. hoc permisso, etiam ipsæ permissæ censentur, sicut permissis tempore interdicti baptismo, & confirmatione, etiam permissa censetur confectio Chrismatis. *Sed longe verius est*, nuptias, tempore interdicti contractas, illo tempore benedici non posse, nisi contrahentes habeant privilegium assistendi Divinis. Sanchez *n.* 11. Conink *n.* 24. Palao *nu.* 27. Vviestner *nu.* 23. Ratio est, quia licet hujusmodi benedictiones sint accessoriæ matrimonio, cum tamen fiant à Sacerdote, & tempore Sacrificii Missæ, adhibitis quibusdam Orationibus, sub Officio Divino continentur, & conf. simul cum illo tempore Interdicti Ecclesiastici prohibentur. Ad id, quod additur de confectione Chrismatis, negatur paritas; nam Chrisma in confirmatione est de essentia, in Baptismo de necessaria ejus decentia, solumque potest in Feria V. Hebdomadæ sanctæ confici, & quo annis renovari debet; unde si tunc ratione interdicti non conficeretur, confirmationis Sacramentum non posset valide, & baptismus non posset decenter administrari; hæ rationes autem in benedictionibus nuptialibus locum non habent.

20 Ad Argumenta *num.* 16. allata patet ex dictis. *Ad* 1. matrimonium non excipitur, quia supponitur, aliunde, & præsertim ex praxi, & usu Ecclesiæ manifestum esse, quod matrimonii contractus nunquam intelligatur prohibitus. *Ad* 2. eæ rationes traduntur respectu Sacramentorum, quæ sunt merè spiritualia; tale non est matrimonium; quia etiam est contractus, qui tempore interdicti non prohibentur; imò ratio Sacramenti in matrimonio tantum accessoria est contractui; & conf. seclusa speciali prohibitione, istius permissionem sequitur juxta *Reg. accessorium* 42. *in* 6. *Ad* 3. Ministri in Sacramento matrimonii sunt ipsi contrahentes; Parochus vero solum est testis.

21 Quæritur 6. An valeat matrimonium, quod contrahitur ab excommunicato, vel cum excommunicato? Negavit, esse validum *Martinus de Magistris* relatus à Cajet. 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 2. *dub.* 3. saltem si contrahens sit excommunicatus vitandus, ex ratione, quia ita Censurato interdicta est mutua communicatio cum cæteris fidelibus, & vicissim istis cum illo; atqui contrahentes matrimonium vel maxime communicant secum invicem; ergo &c.

Sed dicendum, etsi absolute Ecclesia potuerit matrimonium sic contractum irritare, defacto tamen illud non esse irritum. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *quæst. un. art.* 1. *ad* 5. Palud. *ibid. dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 1. *num.* 8. Cajet. *loc. cit. art.* 7. *dub.* 3. Joan. Andr. *in cap. significasti* 6. *de eo, qui duxit &c. num.* 3. Abb. *ibid. num.* 3. Anchar. *num.* 3. Alex. de Nevo *num.* 3. Sylvest. *V. Excommunicatio* 3. *pr.* Armill. *V. eod. num.* 9. *fin.* & *V. matrimonium num.* 67. Covar. *part.* 2. *de sponsal. cap.* 6. *pr. num.* 3. Gaeta *in can. ad limina* 30. *quæst.* 1. § 4. *num.* 13. Henriq. *l.* 13. *de excomm. cap.* 10. *num.* 1. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 9. *num.* 2. Gutier *de matr. c.* 83. *num.* 4. Pont. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 2. Vviestner *hic nu.* 24. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de matr. cap.* 1. *num.* 97. Colligitur ex *cap. significasti cit.* ubi matrimonium initum ab excommunicato diserte legitimum judicatur, modo inter eum, & sponsam non intercesserit impedimentum dirimens criminis ob machinationem nec is uxoris defunctæ vel adulterium cum spe, aut promissione matrimonii commissum cum nova conjuge. *Ratio est*, quia ea Censura ligati non sunt incapaces obligationis ad mutuam cohabitationem, & actus conjugales.

22 *Dubium est*, an, & qualiter peccet excommunicatus, vel is, qui cum ipso contrahit matrimonium, antequam ille à censura hac absolvatur? *Conveniunt satis* DD. 1. ipsum excommunicatum, si ante absolutionem matrimonium præsumat contrahere, graviter peccare. Palud. *in* 4. *dist.* 26. *q.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. *num.* 9. Tabien. *V. excommunicatio* 1. *quæst.* 13. *num.* 17. Navar. *Manual cap.* 22. *num.* 81. Sanchez *D.* 9. *cit. num.* 3. Gutier *num* 4. & 5. Pont. *num.* 2. *cit.* Vallens. *Append. hoc tit. num.* 2. *Vers.* 12. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de matrim. cap.* 1. *num.* 96. & patet ratio; quia graviter peccat, qui in excommunicatione majore administrat, vel recipit Sacramentum; atqui matrimonium contrahentes sibi mutuo administrant Sacramentum, illudque recipiunt; ergo &c.

Convenit inter eodem 2. similiter reum esse mortalis culpæ, qui matrimonium init cum excommunicatione minori, ante absolutionem ab ea, nam & huic Sacramentorum receptio graviter est prohibita *c. fin. v. peccat autem de Cleric. Excomm. vel deposit.* Palud. *num.* 10. Navar *num.* 81. Sanchez *nu.* 5. & alii *supra*. Putatque hoc & priori casu Sanchez *loc. citat.* duplex esse peccatum mortale; unum, quod peccato mortali infectus recipiat Sacramentum, alterum, quod illud recipiat ligatus censura, quippe quod culpa mortalis est, quamvis sic excommunicatus jam esset in gratia. 23

Conveniunt 3. peccare mortaliter eum, qui scienter contrahit cum excommunicato vitando; quia participat in Sacramento cum ligato excommunicatione majori, qui est unus ex casibus, in quibus participatio hæc mortalis est secundum omnes. Sanchez *nu.* 6. 24

Difficultas est, si quis scienter contrahat cum excommunicato tolerato? Viguer. *leg. Institut. capit.* 16. § 7. *Vers.* 8. *imped.* 1. & Petr. de Ledesma *de matrim. qu.* 59. *artic.* 1. §. *penult.* indistincte, & generaliter docent, contrahentem matrimonium cum excommunicato reum esse culpæ mortalis. *Rationem* dant; quia; cum per Concilium Constantiense nullus sit favor factus excommunicato tolerato, iste administrans Sacramentum peccat, & huic peccato cooperatur, qui Sacramentum ab ipso recipit; est autem Jure naturali prohibitum cooperari peccato alterius; ergo &c.

Contra Sanchez *loc. citat. num.* 8. Gutier *num.* 7. & alii verius existimant, nullam committi culpam ab eo, qui matrimonium contrahit cum excommunicato tolerato, ex ratione; quia si peccaret, vel peccaret, quatenus ipse excommunicatum prævenit, & ab eo petit sibi administrari Sacramentum, vel quatenus ab Excommunicato prævenitur, & consentit matrimonio sibi ab excommunicato oblato. *Si primum*, communis doctrina est apud Sanchez *loc. citat.* quod eo casu nec excommunicatus, ex requisitione fidelium Sacramentum administrans peccet: & sic non excommunicatus, id petens ab excommunicato, non cooperatur alterius peccato; conf. cessat ratio, qua adversa sententia nititur. *Si secundum*, iterum non peccat cum excommunicato tolerato contrahens; quia solum utitur malitia alterius parati, ut suæ utilitati consulat: sed hoc non est proprie cooperari peccato alterius; alias etiam peccaret, qui nummos, quibus indiget, sub usuris ab usurario recipit. 25

Ex quo patet Argumentum contrarium: dicendum à Concilio Constantiensi nullum esse factum excommunicato favorem directe, & ex intentione; factum autem indirecte, & quatenus est necessarium, ut fideles possint tutè, & plenè frui privilegio participandi cum ipso excommunicato, quod cum plenissimum sit juxta verba Decreti, *Constituimus*, *ut nemo posthac teneatur abstinere*, etiam ad Sacramenta se extendit; atqui non possent privilegio hoc fideles plenè, & tutè frui, si non etiam Concilium indulsisset excommunicatis toleratis, ut casu, quo id ab ipsis petitur, licite administrare Sacramenta possent; quia cooperando peccato alterius & ipsi peccarent, sicque Decretum Concilii non sortiretur finem intentum, qui fuit evitare scandala, & pericula animarum, & subvenire conscientiis timoratorum. 26

§. II.

De die, seu Tempore Feriato.

SUMMARIUM.

27 *Quid intelligatur nomine temporis feriati?*
28 *Hodierno jure quousque se istud extendat?*
29 30 *Qua diei hora incipiat?*
31 *An prohibeantur eo tempore Benedictiones Nuptiales?*
32 &c. *An contractus ipse matrimonii?*
36 37

36 37 38 *An traductio sponsæ in domum sponsi?*
39 40 41 *An matrimonii consummatio?*

27 QUæritur 1. Quod tempus hic intelligatur nomine *Temporis feriati?* Resp. Intelligitur illud tempus, quo Nuptiæ solemnes ab Ecclesia probibentur. Tempora hæc olim sat ampla fuerant; nam Nuptiæ interdicebantur 1. toto illo tempore, quod intercedit inter primam Dominicam Adventus, & Epiphaniam, 2. à Dominica Septuagesimæ usque ad Octavam Paschæ, 3. à feria II. Rogationum usque ad Octavam Pentecostes, 4. Præterea duabus, vel tribus Hebdomadis, Nativitatem S. Joannis Baptistæ antecedentibus, prout habetur *can. non oportet* 8. *& seqq. caus.* 33. *q.* 4. *c. Capellanus* 4. *v. quia ergo de Feriis*.

28 Hodierno Jure tempus istud angustioribus terminis conclusum est; nam eo Nuptiæ solum prohibentur ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à die Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive, prout statuit Trid. *sess.* 24. *c.* 10. *de Reform. matr.* Ratio prohibitionis istius fuit; quia hæc sunt sacratiora anni tempora, quibus Ecclesia optat, fideles vacare liberius Orationibus, jejuniis, vigiliis, & cæteris pœnitentiæ operibus: cum ergo ab his abstrahant Nuptiæ, merito his temporibus fuerunt interdictæ.

29 Quæritur 2. à qua diei hora tempus feriatum, & prohibitio solemnium Nuptiarum incipiat? Resp. De secundo tempore feriato à die Cinerum ad Octavam Paschæ satis conveniunt DD. illud inchoari die Cinerum à media nocte, seu finita ultima hora feriæ 3. Saturnalium, quæ apud nos Germanos est hora 12. noctis intercedens inter feriam 3. & diem Cinerum: patetque hoc ex praxi Germaniæ nostræ, ubi Nuptialibus solemnitatibus usque ad illam horam liberrime indulgetur, teste Gobat *Experient. tract.* 9. *n.* 74. Vviestner *hic num.* 35.

30 In altero tempore aliqua est controversia; nam Sanchez *lib.* 7 *de matr. D.* 7. *n.* 2. putat, seclusa consuetudine, de jure tempus illud incipere à primis Vesperis Dominicæ primæ Adventus; nam etiam ab illis incipit Officium illius Dominicæ. Pont. contra *l.* 7. *de matr. c.* 8. *n.* 5. illud existimat inchoari primum à media nocte, sicut in die Cinerum; & dat rationem: quia Trid. Decretum, & Jura antiquiora, quibus nuptiæ ab Adventu prohibentur, interpretationem accipiunt à *Concilio* Ravennatensi *XI.* celebrato sub *Clem. V.* ubi dicitur prohibitio illa inchoari à prima Dominica Adventus; hanc autem certum est primum inchoari à media nocte. *Ex quo sequitur*, spectato Jure, licitum esse fidelibus celebrare Nuptias toto Sabbato antecedente Dominicam istam: quod fortassis alia de causa non omittitur, nisi in venerationem diei Sabbatinæ, & quia Ecclesia illa die carnibus vesci prohibet.

31 Quæritur 3. Quid prohibeatur tempore feriato, an solæ benedictiones nuptiales, & cæteræ solemnitates, an etiam ipse contractus matrimonialis? *Certum est*, prohibitas esse benedictiones nuptiales, & quidem sub peccato mortali, ut cum aliis notat Paludan. *in* 3. *dist.* 32. *q.* 1. *art.* 4. *n.* 20. D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 17. *paulo post pr.* Sylv. *V. matrimonium* 7. *q.* 2. *dict.* 1. Cajet. *V. nuptiarum peccata*, Navar. *Man. c.* 22. *n.* 71. Rodriq. *tom.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 241. *n.* 4. Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 7. *n.* 3. Sacerdos, adversus præceptum hoc benedicens Nuptias, puniendus est pœna arbitraria, cum SS. Canones nullam præscripserint: sponsi vero, præceptum hoc transgredientes, sunt delicti pœnam separandi, ut expresse habetur *can. non oportet* 10. *caus.* 33. *q.* 4. ibi, *Separentur*. *Excipitur*, nisi esset periculum incontinentiæ in alterutro conjuge; tunc enim à separatione prædicta abstinendum, & alia pœna injungenda esset, ut cum *Paludano*, *D. Antonino*, *Rosella*, *Sylvestro*, *&c.* notat Sanchez *loc. cit.* 5. Contra fieri tempore feriato possunt denuntiationes matrimoniorum; quia nullus textus eas hoc tempore prohibet.

32 *Dubium est*, an eo tempore etiam illicitus sit ipse contractus matrimonialis? *Affirmant* illicitum esse, Joan. Andr. *in c. Capellanus* 4. *de feriis n.* 3. Host. *in Summ. hic n.* 3. Palud. *in* 4. *dist.* 32. *q.* 1. *art.* 4. *n.* 18. Major. *ibid. q.* 2. *fin.* & non obscure tradit S. Thom. *dist. cit. q. un. art.* 5. *q.* 4. Colligi hoc videtur 1. *ex can. non oport. cit. & seqq.* quibus generaliter prohibentur celebrari nuptiæ istis diebus, 2. *ex c. Capellanus cit.* ubi illæ tempore interdicti suspendi indistincte dicuntur. 3. *Ex ratione;* quia matrimonium nunc celebrari debet in facie Ecclesiæ; atqui in hac celebrari sine benedictione non possunt Nuptiæ; igitur cum benedictiones nuptiales prohibeantur tempore feriato, etiam prohibitus censebitur ipse contractus.

Sed dicendum, hodierno Jure præcise spectato, quocunque anni tempore à fidelibus posse contrahi matrimonium, si absque magna solemnitate, & pompa fiat. Ita Glossa *in c. Capellanus cit. V. quocunque*, Anton. de Butrio *ib. n.* 9. Abb. *n.* 4. Imol. *n.* 1. *not.* 1. Sylv. *V. matrim.* 7. *q.* 2. *dict.* 5. Tabien. *V. Impedimentum*, *imped.* 14. *num.* 1. *&* 2. Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 71. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. capit.* 16. *num.* 2. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 7. *num.* 12 Conink *D.* 30. *num.* 23. *&* 36. Pont. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 8. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 15. *nu.* 1. *vers. alterum*. Palao *tract.* 28. *D.* 4. *part.* 2. §. *nu.* 4. Barbosa *ad Rubr. hoc tit. num.* 2. Illsung *tract.* 6. *D.* 9. *num.* 60. Vvex *Ariadn. part.* 5. *tract.* 2. § 4. *num.* 4. Vallens. *hic num.* 2. Zoes. *num.* 4. Honor. *num.* 5. Pirhing *n.* 10. Engl *nu.* 2. Schambogen *num.* 2. Konig *num.* 3. Vviestner *nu.* 32. Reiffenstuel *num.* 12. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. cap.* 1. *num.* 100. & ita est praxis complurium Ecclesiarum, in quibus permittuntur Parochi interesse Nuptiis, quocunque tempore contrahantur. Consentit *S. Congr. Card. Trid. Interpp.* ac etiam *Rituale Romanum*, quod *Tit. de Sacram. matr.* postquam Sacra, quibus cum solemnitate celebrare non licet nuptias, specificavit tempora, addit, *matrimonium autem omni tempore celebrari potest*, intellige, *sine solemnitate*. *Ratio est*, quia ad evitanda scandala, & pericula gravia peccatorum omnino conveniens fuit, ut conjugiorum contractus hoc tempore esset permissus. 33

Dixi *Hodierno jure præcise spectato*; aliud enim est, spectata consuetudine, qua in pluribus Germaniæ nostræ Diœcesibus obtinuit, ut etiam sine solemnitate Tempore feriato Parochiani celebrare nuptias, & his Parochus assistere nequeat, nisi vel obtenta sit à superiore facultas, vel id petat necessitas, v. g. quia in articulo mortis constitutus, aut miles statim discessurus vult ducere concubinam ad legitimandas proles Marchant. *Resol. Pastor. tr.* 8. *cap.* 3. *num.* 3. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 15. *n.* 1. Gobat *Exper. tr.* 9. *nu.* 71. Schambogen *hic num.* 2. Konig *num.* 3. Vviestner *num.* 34. Reiffenstuel *num.* 13. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de matr. capit.* 1. *num.* 103. Imò, ut Layman *loc. citat.* notat, in Bavariæ Diœcesibus etiam illa consuetudo viget, ut necessitate quoque urgente, licentiam assistendi matrimoniis, tempore feriato celebrandis, ab Ordinario petere debeat Parochus, ubi id fieri potest. Debent itaque quoad hoc Parochi attendere Diœcesis, in qua vivunt, consuetudinem, & eidem se accomodare in assistendo matrimoniis, tempore feriato sine solemnitate celebrandis. 34

Ad Argumenta *n.* 32. proposita facilis est responsio. *Ad* 1. Textus illi, ut cum aliis notat Sanchez *nu.* 14. non prohibent absolutè Nuptias, sed illarum solemnitates: & esto, prohibuerint ipsum matrimonii contractum, Juri huic per contrariam consuetudinem in multis locis, imò per ipsum Trid. *sess.* 24. *c.* 10. *de reform. matr.* derogatum jam est; dum enim dicta Synodus *antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones ab omnibus observari præcipit*, argumento à sensu contrario non solemnes hoc ipso permittit. *Ad* 2. Similiter *c. Capellanus cit.* intelligendum est tantum de Nuptiis solemnibus; nam in his solis pugnat ratio, ob quam Nuptiæ illis temporibus prohibentur. *Ad* 3. In facie Ecclesiæ celebratum jam censetur matrimonium, modo ineatur coram Parocho, & testibus, licet nulla alia accedat solemnitas, & etiamsi celebretur domi, ac sine benedictione, quæ adhiberi tunc tantum debet, quando per SS. Canones potest. 35

Quæritur 4. An traductio sponsæ in domum sponsi Feriarum tempore sit interdicta? Affirmant Sylvest. *V. matrimonium* 7. *q.* 2. *post dict.* 5. *dub.* 2. Rosell. *V. impedimentum*, *imped.* 17. *pr.* Veracrux *part.* 1. *specul. art.* 14. *concl.* 4. Barth. à Ledesm. *de matrim. dub.* 60. *concl.* 3. Ant. Cucch. *l.* 5. *Inst. major tet.* 12. *n.* 9. Graff. *p.* 2. *decis. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. Nituntur textu *canon. nec uxorem* 11. *caus.* 33. *quæst.* 4. ubi Nicolaus Pontifex absolute pro- 36

tè prohibet eo tempore *uxorem ducere*, i. e. traducere. Addunt rationem; quia hujus traductio animum profanis cogitationibus dissipat, & minùs collectum ad devotionem, & Cultum Divinum reddit.

37 Sed distinguendum est intra traductionem solemnem, & non solemnem: illa tempore feriato prohibita est, hæc permissa, prout testatur ipsa consuetudo. Ita Paludan. *in 4. distinct.* 32. *q.* 1. *art.* 4. *num.* 17. Angel. *V. Matrimonium* 3. *Imped.* 2. *final.* Navar. *Man. capit.* 22. *num.* 71. Bellamer. *l.* 1. *de Matr. cap.* 31. *fin.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 7. *num.* 16. & apud hunc alii. Ratio est, quia nimia mentis evagatio, dedecens illius temporis sanctitatem, minimè reperitur in traductione non solemni. Porro traductionis solemnis nomine intelligitur illa, quæ fit cum conviviis choreis, aliisque lætitiæ, aliquando satis effrenatæ signis, ut *canon. nec uxorem citat.* innuit Pontifex, dum postquam dixit, eo tempore non licitum esse *uxorem ducere*, seu traducere, statim subjunxit, *Nec convivia facere*. Estque ex communi DD. apud Sanch. *l. citat. numer.* 18. talis traductio solemnis peccatum mortale, quamvis ipse horum rigorem moderetur, & tum solùm peccatum mortale in tali traductione solemni agnoscat, quando nimius esset excessus, ita, ut sanctitati prædictorum temporum notabiliter detraheretur, & ansa notabilis offensionis, & scandali præberetur spectantium animis.

38 *Ad textum in contrarium allegatum* dico, ex ratione textus colligi, cum intelligendum esse de solemni traductione: & esto, loquatur etiam de non solemni, consuetudo illius Constitutionem ad solemnem restrinxit. *Neque aliud probat ratio*, quippe quæ solùm de solemni traductione procedit.

39 Quæritur 5. An tempore Feriato liceat consummare Matrimonium? Negant non pauci DD. qui tamen circa gravitatem culpæ inter se non conveniunt; nam aliqui cum *D. Antonin. Rosell. Angel. Sylv. Tabien. &c.* putant id esse mortale; alii contrà cum *Armill. Cajet. Barth. à Ledesma* solùm culpam venialem agnoscunt. *Nituntur* tamen omnes iisdem fundamentis. 1. Quia *can. nec uxorem* 11. *caus.* 33. *q.* 4. eo tempore prohibetur traductio uxoris in domum Sponsi. hujus autem ratio alia esse non potest, nisi ut vitetur copula carnalis; ergo &c. 2. *Can. non oportet* 10. *q. cit.* celebrantes nuptias his diebus jubentur separari; malè autem separari juberentur, si liceret illis diebus Matrimonium contractum consummare. 3. Etiam Matrimonio consummato, non licet tempore Orationis, & jejunii vacare copulæ. ergo à fortiori non licet consummare.

40 Sed dicendum, non esse prohibitum eo tempore consummare Matrimonium. Ita Navar. *Man. c.* 22. *n.* 71. Ant. Cucch. *l.* 5. *Inst. major. tit.* 12. *num.* 19. Bellarm. *lib.* 1. *de Matr. capit.* 31. *fin. §. in altero*, Vega *tom.* 2. *Summ. c.* 34. *cas.* 179. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 58. *art. un. col. pen.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 7. *n.* 23. Ratio est, quia nuspiam id reperitur prohibitum; si prohibitum esset consummare primò, eadem ratione prohiberetur consummatio per sequentes copulas.

41 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. Traductio solemnis die feriato prohibetur, non ad vitandam copulam; aliàs enim prohiberetur etiam traductio non solemnis: sed propter vana lætitiæ signa, illam comitari solita, quæ temporis illius sanctitatem dedecent. *Ad* 2. ea separationis pœna non imponitur eò, quòd tempore feriato consummatum sit Matrimonium; sed quia contractum est, intervenientibus Benedictione, & traductione Sponsæ solemni. *Ad* 3. Ex veriore Sententia, teste Sanch. *n.* 23. *cit.* solùm tempore feriato consilium est abstinere à copula conjugali.

§. III.

De Criminibus Conjugium Impedientibus.

S U M M A R I U M.

42 *Quædam crimina dirimunt Matrimonium, alia impediunt.*
43 *Inter posteriora est susceptio propriæ prolis ex Sacro Fonte.*
44 *Presbytericidium.*
45 *Solemnis, seu publica Pœnitentia.*
46 *Matrimonium initum cum Moniali.*
47 *Interfectio proprii filii.*
48 *Uxoricidium, seu cædes uxoris.*
49 50 *Etiam in adulterio deprehensæ.*
51 52 53 *Quod extenditur probabilius etiam ad uxorem, quæ occidit maritum.*
54 *Raptus alienæ Sponsæ.*
55 *An de futuro, vel de præsenti tantùm?*
56 *Incestus commissus cum consanguinea uxoris, vel Sponsæ.*
57 *Quæ tamen impedimenta per consuetudinem defacto videntur sublata.*
58 *In dubio consultius est petere Dispensationem ab Episcopo.*

DUuplicis generis crimina sunt, quæ conjugiis impedimentum præstant; nam aliqua dirimunt Matrimonium, uti est Raptus, Clandestinitas, Machinatio in mortem conjugis, adulterium cum contractu, vel promissione Matrimonii: de quorum primo agetur *Lib.* 5. *Tit.* 17. de secundo dictum est *suprà Tit.* 3. de tertio, & quarto *Tit.* 7. Alia verò solùm impediunt Matrimonium, ne licitè possit contrahi. Talia autem crimina sunt præcipuè octo: & quidem 42

I. *Susceptio propriæ prolis ex Sacro Fonte*, quando hoc fit extra necessitatem, de industria, malitiosè, & animo privandi alterum conjugem debito conjugali: nam iste, si Matrimonium dissolutum per mortem fuerit, aliud Matrimonium licitè ampliùs inire nequit, ut habetur *can. de eo* 5. *caus.* 30. *q.* 1. Et idem est, si simili animo pater filium tenuit in Confirmatione, vel eodem animo baptizavit. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 6. *n.* 8. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 2. *§.* 2. *num.* 19. Vallens. *hic Append. num.* 2. *v.* 9. Pirhing *n.* 11. Schambog. *nu.* 6. *v. convictus*. Konig *num.* 10. Wiestner *n.* 49. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. cap.* 1. *numer.* 133. Oportet autem, ut hic filius aut sit communis utriusque conjugis, aut alterius ab eo, qui levat, vel baptizat; nam si filius sit solius baptizantis, vel levantis, nullum inde consurgeret Impedimentum, quippe cùm eo casu inter conjuges nulla exsurgat Cognatio Spiritualis, & cons. baptizans, & levans non possit habere animum malitiosè privandi alterum conjugem conjugali debito. Sanchez *l. cit.* 43

II. *Presbytericidium*, sive interfectio injusta Sacerdotis *cap. qui Presbyterum* 2. *de pœnit. & remiss.* Ratio est, quia cùm Sacerdos interesse debeat Sacramento Matrimonii, æquum est, ut interfector Sacerdotis hoc Sacramento in pœnam careat. Ad hanc tamen pœnam incurrendam necesse est, ut interfector Sacerdotis de hoc crimine in foro contentioso sit convictus; non enim sufficit, quòd reipsa quidem sit commissum, sed occultum, aut solummodo notum in Pœnitentiæ Tribunali interno, ut bene advertunt Host. *in c. qui Presbyterum cit. V. convictus*, Anton. de Butr. *ibid. num.* 6. Abb. *nu.* 1. Tolet. *l.* 7. *Summ. cap.* 15. *numer.* 6. Emman. Sà *V. matrimonium de Imped. non dirim. num.* 9. Sanch. *l. cit. num.* 9. Palao *nu.* 20. Vall. *v.* 10. Pirhing. *n.* 11. Schambog. *v. mors Presbyteralis*, Konig *nu.* 11. Wiestner *nu.* 49. Magnif. P. Schmier *n.* 128. & colligitur ex ipso textu *c. cit.* nam ibi à conjugio arcetur, qui de ejusmodi cæde est convictus: quod accidit in foro contentioso externo, non interno conscientiæ; in hoc enim crimina solius pœnitentis confessione innotescunt Judici Sacro, cons. ille in eo convictus dici non potest. 44

III. *Solemnis, publica Pœnitentia*, quamdiu hæc agitur; nam hæc, licèt in se delictum non sit, attamen, cùm propter delictum præcedens infligatur, tamdiu pœnitentem impedit à Matrimonio contrahendo, quamdiu peragitur *cap. si quis* 16. & *can. fin. caus.* 33. *q.* 2. Ratio est, quia cùm nuptiæ secum ferant lætitiam, non conveniunt illi, qui pœnitentiæ, & luctui est adstrictus. Dixi autem, *quamdiu hæc agitur*; nam peracta pœnitentia, Matrimonium permissum est. Emm. Sà *numer.* 10. Sanchez *n.* 10. Palao *n.* 21. Pirhing. *n.* 11. Wiestner *n.* 50. Magnif. P. Schmier *nu.* 135. Imò cùm Pœnitentia hæc jam non sit in usu, cum ea etiam sublatum est hoc Impedimentum. Armill. *V. matrimonium*, *Imped.* 10. *n.* 59. Barth. à Ledesm. *de matr. dub.* 59. *v. his additur*. Sanch. *l. cit.* 45

IV. *Matrimonium cum Moniali*, seu Virgine DEO so- 46
lem-

lemniter consecrata, scienter, & sacrilegè initum *can. hi ergo* 13. *caus.* 27. *q.* 1. quantumvis enim propter solemne Votum Continentiæ Matrimonium ita contractum irritum, nullumque sit, vir tamen, qui sacratam DEO fœminam ad injuriam Christi, quem ipsa Sponsum suum elegit, sibi copulare præsumpserit, in tantæ temeritatis pœnam Matrimonium cum alia inire perpetuò prohibetur. Gloss. *in can. cit. V. nunquam*, Sanch. *num.* 11. Palao *num.* 22. Pirh. *l. cit.* Vviestner *num.* 48. Magnif. P. Schmier *num.* 134. Ratio est, quia delinquens in Matrimonium Sponsæ Christi, indignus est Matrimonio. Ut tamen Impedimentum hoc contrahatur, non sufficit simplex solùm contractus Matrimonii, sed requiritur contractus cum copula sacrilega subsecuta, ut innuitur *canon. citat.* & notat *ibidem* Gloss. & Konig *hic numer.* 13.

47 V. *Interfectio proprii filii*: quod colligitur ex *cap. veniens* 1. *de his, qui filios occiderunt*, ubi mulieri prolis suæ interfectrici conjugii ineundi licentia tribuenda dicitur, si repugnante carnis fragilitate, incontinentiæ timor subsit. igitur argumento è contrario, tali timore, & periculo cessante, conjugium est denegandum. Sanch. *n.* 12. Barbos. *in c. cit. n.* 6. Zoes. *hic n.* 10. Vviestner *n.* 51. Magnif. P. Schmier *n.* 150.

48 VI. *Uxoridicium*, si hoc fiat injustè, & privata authoritate; hoc enim casu interfector uxoris suæ impeditur non tantùm à Matrimonio contrahendo cum illa, quæ in cædem illam consensit (nam respectu istius contraxit Impedimentum dirimens Matrimonium, ut dictum est *suprà Tit.* 7. *à nu.* 43.) sed etiam cum quacunque alia, ut pater ex *can. interfectores* 5. *can. quacunque* 7. & *can. admonere* 8. *caus.* 33. *q.* 2. Dixi, *si hoc fiat injustè &c.* nam si maritus uxorem propriam, de crimine convinctam, & ad mortem condemnatam interficiat authoritate publica, Impedimentum istud non incurrit, ut notat Sanch. *lib.* 7. *de Matr. D.* 16. *num.* 4. Gutier. *cap.* 88. *de Matr. num.* 3. Palao *§.* 2. *cit. num.* 7. Vall. *append. num.* 2. *v.* 8. & colligitur ex *can. quicunque citat.* ibi, *Qui uxorem absque lege, & sine probatione interfecerit*, igitur si secundùm Leges, & ex publica probatione facta sit uxoris interfectio, Impedimentum istud non contrahetur.

49 Dub. 1. An siquis occidat uxorem propriam, in adulterio deprehensam, Impedimentum istud incurrat? *Ratio dubitandi est*, quia cædes adulteræ hoc casu permissa erat marito, non tantùm Lege prisca, prolata à Romulo, sed etiam posterioribus Legibus, ut clarè satis innuit Nicolaus I. *canon. hæc* 6. *caus.* 33. *q.* 2. ubi proposita est Pontifici huic quæstio, an secundùm mundanam Legem marito liceat uxorem, in adulterio deprehensam, occidere & Pontifex non negavit hoc permitti à Legibus, sed addidit, *Ecclesiam DEI mundanis nunquam constringi Legibus* Idem Longobardorum, & aliarum etiam Gentium Legibus, ac moribus receptum fuisse perhibet Tholos. *Synt. l.* 36. *cap.* 6. *à numer.* 21. Accedit, quia ut constat ex *l. si adulterium* 38. §. *Imperator* 8. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* etiam adulteri, in flagitio deprehensi, interfector mitiùs puniendus est, *ob justum*, ut ibi dicitur, *dolorem, quem difficillimum sit temperare*.

50 Sed dicendum, etiam maritum, si propria autboritate occidat uxorem in adulterio deprehensam, incurrere Impedimentum istud, ut cum nulla alia contrahere licitè dein Matrimonium possit. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 37. *quæst.* 2. *artic.* 2. *Corp. D.* Bonavent. *ibid. artic.* 2. *quæst.* 3. Palud. *artic.* 2. *numer.* 9. Sot. *quæst. unic. artic.* 4. *concl.* 2. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 7. §. 7. *num.* 15. Molin. *tract.* 3. *de J. & J. D.* 7. *num.* 2. *& D.* 99. *nu.* 14. Henriq. *l.* 12. *de Matr. cap.* 2. *num.* 1. *fin. & cap.* 14. *num.* 2. *pr.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 16. *numer.* 2. Gutier. *cap.* 88. *de Matr. num.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 2. §. 2. *numer.* 7. Petr. Barbos. *in l. si ab hostibus* 10. §. *fin. ff. solut. Matr. num.* 43. Aug. Barbos. *in can. inter hæc cit. n.* 1. Zoes. *hic n.* 6. Konig *n.* 9. Vviestner *n.* 44. & patet ex *can. interfectores, can. inter hæc citt. & can. siquid verius* 9. *q. citat.* ubi Leges Civiles, siquæ sunt, quibus impunita relinquitur cædes adulteræ à marito facta, corriguntur: Nec immeritò; quia nimiam præbebant licentiam, & contra ordinem Juris est, reum non auditum, & non examinata causa, occidere. Accedit, quia etiam repugnat graviter Charitati, cùm interficiendus sit in statu tali, in quo de salute æterna maximè periclitatur. Hinc ita occidens ex communi sententia graviter peccat; cons. de se meretur pœnam hoc Impedimento sancitam.

Dub. 2. An Impedimentum istud incurrat etiam uxor occidens virum? Negant Sylv. *V. Matrimonium* 7. *q.* 6. *dict.* 1. Armill. *V. Matrimonium n.* 58. Tolet. *l.* 7. *Summ. c.* 15. *num.* 3. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 16. *num.* 6. Zoes. *hic n.* 7. Pirhing *n.* 11. Schambog. *n.* 6. *v. Sponsatæ*, & favet S. Thom. *in* 4. *dist.* 37. *q.* 2. *artic.* 27. D. Bonav. *ibid. ar.* 2. *q.* 2. *Corp.* Turrecr. *in can. interfectores cit. art.* 2. *n.* 5. Fundantur 1. quia allegati textus Juris omnes loquuntur de sola cæde uxoris: de cæde autem mariti ab uxore patrata nihil est Jure expressum. 2. Quia etiam non est eadem ratio cædis mariti quæ uxoris; nam cùm viri ex natura sua sint magis audaces, timidiores fœminæ, non est tantum periculum, ne uxor machinetur cædem marito suo, quantum est, ne eandem machinetur maritus uxori; atqui ratio constituendi Impedimentum istud fuit, ut consuleretur vitæ conjugum; ergo cùm minùs frequenter contingat, ut uxor occidat virum, frequentiùs, ut vir uxorem, constitutum de viro ad uxorem extendi non debet. 3. Etsi vir rapiens fœminam incurrat Impedimentum raptus dirimens, non tamen illud incurrit fœmina rapiens virum, ut *Libr.* 5. *tit.* 17. dicetur. 51

Sed probabiliùs etiam fœmina occidens virum Impedimentum istud incurrit. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *n.* 10. Sot. *ibid. q. un. art.* 1. *v. simplex*, Navarr. *Man. c.* 22. *n.* 74. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 2. *nu.* 1. *fin.* Gutier. *c.* 88. *de Matr. nu.* 4. Rebell. *de oblig. Just. p.* 2. *l.* 3. *q.* 18. *ſ. de Uxoricidio*, Pont. *l.* 6. *de Matr. c.* 14. *n.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 2. §. 27. *n.* 18. Canis. *in c. siqua* 1. *de divort. n.* 2. Gonzal. *ibid. n.* 3. *&* 4. Vallens. *hic Append. n.* 2. *v.* 8. Konig *n.* 9. Vviestner *n.* 46. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 1. *n.* 125. Colligitur ex *can. indignentur* 4. *caus.* 32. *q.* 6. & clarè exprimitur *cap. siqua cit.* ubi mulier propter insidias, quas vitæ mariti struxit, spe conjugii perpetuò privatur, quantumvis machinatio effectum non sit consecuta; igitur multo magis spe ejusdem excidet, cùm homicidium consequitur opere. 52

Ex quo sequitur *ad Fundamentum* 1. adversæ Sententiæ; negatur enim, quòd Impedimentum hoc nullo Jure statuatur Viricidio. Deinde esto, quòd nullus esset textus Viridico Impedimentum hoc statuens, textus *suprà citt.* etiamsi expressè solùm loquantur de viris occidentibus uxores, adhuc tamen extendi essent ad fœminas, occidentes maritos suos; quia in correlativis dispositio de uno comprehendit alterum, quando eadem est ratio utriusque. *Ad* 2. ratio, ob quam maritus, qui uxorem suam occidit, removetur à conjugio, *can. admonere cit.* datur ista: *Quia occidisti partem corporis tui, legitimo Matrimonio sociatam, filios orphanos fecisti*; atqui hæc ratio procedit in fœmina æquè, ac in viro; ergo etiam fœminæ occidenti maritum meritò tollitur spes conjugii. *Ad* 3. Impedimentum raptus ad fœminam non extenditur, quia rarissimè contingit, ut fœmina rapiat virum: at Viricidium, licèt minùs frequenter, sæpe tamen patratur ab uxoribus; unde necessum fuit sceleri huic per constitutionem pœnæ occurrere. 53

VII. *Raptus alienæ Sponsæ*: hic enim Matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc in potestate raptoris est, dirimit, ut dicemus *Libr.* 5. *Tit.* 17. ipsius autem Matrimonium cum quacunque alia impedit *can. statutum* 34. *caus.* 27. *q.* 2. *Rationem* dat Sotus *in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 1. quia qui alienum conjugium perturbare ausus est, proprii contrahendi jure meritò privatur, ut in eo, in quo deliquit, puniatur. Sanch. *libr.* 7. *de Matrimon. D.* 12. *numer.* 43. Idem impedimentum contrahit etiam Sponsa rapta, si raptori consentiat, ut rectè advertunt Sanch. *loc. citat. numer.* 44. Coninck *D.* 30. *numer.* 25. Palao *tract.* 28. *D.* 4. *p.* 2. §. 2. *num.* 9. Vviestner *hic numer.* 40. & clarè colligitur ex verbis *can. statutum cit.* per argumentum à sensu contrario; dicitur enim ibi, Sponsæ raptæ, *si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentiam non nubendi alii non negari*; igitur si consenserit, negabitur. *Ratio est*, quia tali casu tam Matrimonio, quàm viro, cui disponsata est, ab ipsa infertur non minor injuria, quàm inferatur à raptore. 54

Dubitatur, an Decretum hoc *can. statutum cit.* intelligendum sit tantùm de Sponsa de præsenti, an etiam de Spon- 55

Sponsa de futuro? Duplex est Sententia, probabilis utraque. *Prima* vult intelligendum etiam de Sponsa de futuro. Ita Gloss. *in can. cit. V. rapuerit*, Archidiac. *ibid. pr.* Bellamer. *n. un.* Turrecr. *n. un.* quos sequitur Konig *hic n.* 8. & Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 1. *num.* 132. Rationem dant, quia textus loquitur generaliter, & sine ulla inter personas desponsatas distinctione, ut adeo locus sit *arg. can. consuluisti* 18. *v. & quod caus.* 2. *q.* 5. *& l. de pretio* 8. *ff. de Publician. in rem. act. Secunda Sententia* cum Palud. *in* 4. *dist.* 34. *q.* 1. *art.* 2. *num.* 13. in quam etiam inclinare videtur Sanch. *l. cit. n.* 45. existimat, Decretum hoc intelligendum tantùm, si Sponsa rapta fuerit Sponsa de præsenti, sive uxor aliena, ea permoti ratione; quia in materia pœnali, & odiosa Sponsæ nomine venit non generaliter quæcunque, sed illa duntaxat, cum qua Sponsalia contracta sunt per verba de præsenti.

56 VIII. *Incestus* commissus cum consanguinea suæ uxoris, vel cum consanguineo sui mariti *c. si quis* 1. *& cap. transmissæ* 4. *de eo, qui cognovit &c.* Item fornicatio Sponsæ de futuro cum consanguineo Sponsi sui: de quo Impedimento, qualiter inducatur, vide *Tit.* 13. *de eo, qui cognovit &c.* ubi de illo agitur ex instituto.

57 *Dubitatur*, an Impedimenta hæc, quæ à Jure annexa sunt criminibus relatis, adhuc hodie obstent Matrimoniis contrahendis? Variè DD. sentiunt, & horum aliqui etiam videntur dubitare, an Impedimenta ista per consuetudinem tolli possint. *Sed dicendum*, tolli illa per consuetudinem contrariam posse, imò defacto esse sublata. Ita Turrecr. *in can. nullus* 31. *q.* 2. *n.* 3. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 408. Henriq. *l.* 12. *de Matrim. c.* 2. *nu.* 1. *Lit. R.* Less. *l.* 4. *de J. & J. cap.* 3. *nu.* 68. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 17. *num.* 8. Pont. *l.* 6. *c.* 14. *n.* 4. Coninck *D.* 30. *n.* 25. *fin.* Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 2. §. 2. *n.* 23. Illsung *tr.* 6. *D.* 9. *num.* 58. *fin.* Pirhing *hic nu.* 12. Konig. *num.* 13. *v. cæterum*, Schambog. *nu.* 8. Wiestner *numer.* 52. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 1. *num.* 136. & alii tum WW. tum RR. communiter, testaturque *Navarrus*, vir in resolutionibus quæstionum conscientiæ, quæ ab ipso ex universo propemodum Orbe perebantur, celeberrimus, se in tanta ætate, quam vixit (vixit autem integro sæculo, & plerosque illius annos in litterariis laboribus absumpsit) se nunquam vidisse, vel audivisse, super hujusmodi Impedimentis dispensationem peti.

58 Quòd verò Impedimenta ista per contrariam consuetudinem abrogari possint, extra controversiam est; nam omnia hæc impedimenta sunt Juris positivi Ecclesiastici; atqui consuetudine abrogari Leges Ecclesiasticæ quæcunque possunt, ut patet *ex c. fin. de consuet.* ergo &c. Quia tamen fortassis consuetudo hæc non omnino generalis est, & dubium aliquando moveri potest, an revera illa in aliquo certo loco inducta sit, hinc P. Konig *hic v. cæterum cit.* monet, tutius fore, si emergente tali casu, saltem dispensatio petatur ab Episcopo, qui eam utique dare poterit.

§. IV.

De Potestate dispensandi in Impedimentis Conjugiorum.

S U M M A R I U M.

59 60 61 *Quis dispensare in Impedimentis Impedientibus possit?*
62 63 *An etiam Episcopus, vel Prælatus alius Papa inferior?*
64 65 66 *An in quibusvis impedimentis dirimentibus dispensare Pontifex possit?*
67 68 69 *An dispenset in omnibus æqualiter, in quibus dispensare potest?*
70 71 *An dispensatio in Impedimentis Dirimentibus spectet ad solum Pontificem?*
72 *Quid circa hoc possit Commissarius Bullæ cruciatæ?*
73 *Episcopi?*
74 *Legati Sedis Apostolicæ?*
75 76 77 *An Episcopus dispensare in illis possit, quando dubium est, utrum opus sit dispensatione?*
78 79 80 *An dispensare is possit in casu aliquo extraordinario?*
81 *Quid requiratur, ut eo casu dispensare possit?*
82 *Pro quo foro dispensare tunc possit?*
83 *An in casu simili possit dispensare Episcopus etiam ante Matrimonium contractum?*
84 85 86 *Requisita ad ita dispensandum.*
87 88 89 *Quam potestatem circa hoc habeat Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius Generalis?*
90 91 92 *Aut Vicarius Generalis Episcopi?*
93 *Vel illi, qui privilegium habent dispensandi in casibus Episcopalibus?*
94 95 96 97 *An potestatem dispensandi Episcopus delegare alteri possit?*
98 *Quomodo delegare illam possit?*
99 *Quibus verbis censeatur delegata?*
100 101 *Quid circa dispensationem in Impedimentis conjugalibus possint Religiosi Mendicantes?*

QUæritur 1. Quis dispensare possit in Impedimentis impedientibus Matrimonium? *Certum est* inter DD. quòd in his Impedimentis omnibus dispensare Pontifex possit: quod ostenditur etiam ratione; nam aliqua illorum, eaque pleraque sunt introducta tantùm Jure Ecclesiastico, sicut sunt omnia, quæ hoc *Titulo* sunt recensita: alia impediunt Matrimonium Jure naturali, & Divino, ut Sponsalia, & Votum. 59

In primo genere Impedimentorum Pontificem dispensare posse, indubitatum est 1. quia est superior omni jure Ecclesiastico, prout patet *ex c. proposuit.* 4. *de concess. Præb.* ubi de sua potestate loquens ait: *Qui secundùm plenitudinem potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare.* 2. Quia ipse est Legum, quibus Impedimenta hæc introducta sunt, Author; potest autem Legislator supremus in quavis Lege sua dispensare, cùm *ejusdem sit solvere, cujus ligare.* 3. Quia hæc Impedimenta abrogari possunt consuetudine; atqui consuetudo non habet majores vires, quàm ipsa potestas Pontificia; imò hæc ipsi vim, & efficaciam tribuit; ergo &c.

Secundi generis Impedimenta, quæ Jure naturali, & Divino Matrimonium impediunt, ut *suprà* innui, duo sunt, Sponsalia, & Votum simplex Castitatis, vel Religionis. Et quidem, quòd dispensare in *Sponsalium* Impedimento Pontifex queat, ex communi docent Sanchez. *l.* 7. *de Matrim. D.* 61. *num.* 2. Bosco *de Matr. D.* 2. *sect.* 13. *nu.* 229. Reiffenstuel *in Append. ad Lib.* 4. *num.* 2. & patet ex eo, quia ex probabilissima sententia, ut *infrà Tit.* 19. dicam, dispensare etiam potest in Matrimonio rato: quamvis, ut rectè *l. cit.* advertit *Bosco*, Sponsalia potiùs solvi, quàm dispensari dicantur. Quòd verò etiam dispensare possit in *Voti* Impedimento, ex eo liquet; quia dispensare potest etiam in aliis Votis, & contractum per ea debitum erga DEUM, DEI nomine, & ab ipso accepta potestate remittere, ut cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 10. Suar. *l.* 6. *de Vot. capit.* 9. *numer.* 15. Coninck *D.* 33. *numer.* 31. est cæterorum TT. & fidelium communis sensus, & usus. 60

Porro inter hæc secundi, & inter prioris generis Impedimenta hoc discrimen interjacet, quòd in *primi generis* Impedimentis, quæ Jure solùm Ecclesiastico inducta sunt, sine causa justa dispensare validè possit, quamvis illicitè; in secundi generis Impedimentis ut validè, & licitè dispenset, necessariò moveri debeat ex justa causa. Nascitur discrimen istud ex natura Jurium, quo Impedimenta hæc sunt introducta; nam Jure Ecclesiastico superior est Pontifex, naturali verò, & Divino etiam ipse subjicitur, ut adeo quoad ista plus ille non possit, quàm ipsi DEUS concesserit; concessit autem potestatem administratoriam tantùm, in quantum hoc bonum Ecclesiæ, & fidelium salus exigit. 61

Dubitatur, an in Impedimentis impedientibus dispensare possit etiam Episcopus, vel alius Prælatus Papa inferior, Jurisdictionem quasi Episcopalem obtinens? *Ratio dubitandi est*, quia inferior dispensare in Lege Superioris non potest, nisi hoc ipsi ab isto concessum sit; atqui non legitur uspiam concessa Episcopo potestas dispensandi in Impedimentis Impedientibus Matrimonium, excepto illo, quod oritur ex incestu, commisso cum consanguineis Sponsæ nondum cognitæ *c. veniens* 2. *de eo, qui cognovit &c.* ergo &c. 62

Sed resumenda est distinctio *suprà* data inter Impedimenta Impedientia, solo Jure Communi Ecclesiastico introducta, & inter ea, quæ Matrimonium impediunt Jure Divi-

Divino, & naturali. *Quoad priora* dispensare potest Episcopus, & alius Prælatus Papa inferior, excepto Impedimento interdicti à superiore se positi; quia esto, potestas hæc de Jure ipsis non competat, tamen illis eandem concessit, *&c. veniens cit.* concessam ad reliqua etiam impedientia extendit consuetudo, omnium ferè Ecclesiarum usu approbata, uti testantur Sylv. *V. Matrimonium 7. q. 6. dict. 2.* Sot. *in 4. dist.* 37. *q. un. art.* 1. Navar. *Man. c. 22. nu.* 85. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 2. *n.* 2. Sanch. *lib.* 7. *de Matr. D.* 17. *nu.* 15. Pont. *l.* 8. *c.* 13. *n.* 12. Perez *D.* 44. *sect.* 4. *n.* 9. Vall. *hic in Append. n.* 2. *v. denique*, Pirhing *n.* 12. Konig *n.* 18. Vviestner *nu.* 55. Reiffenstuel *Append. nu.* 10. *Ad rationem dubitandi* patet ex dictis.

63 *Quoad posteriora*, seu Divino, vel naturali Jure inducta, conveniunt DD. non posse Episcopum, vel Prælatum Papa inferiorem dispensare in Impedimento Sponsalium, cùm Jure alteri quæsito nemo ipsum spoliare possit, nisi Princeps, & quidem ex causa. Idem dicendum de Voto ingrediendi Religionem, & Castitatis perpetuæ, si hoc absolutum sit; quia hæc Vota sunt specialiter reservata Papæ, nec quid juris in illa habet Episcopus, teste etiam experientia qua constat, quòd pro Dispensatione horum Votorum ubique scribatur Romam. In Impedimento Voti non reservari, quale est Castitatis ad tempus, & probabiliter etiam perpetuum conditionale, vel pœnale, item non nubendi, suscipiendi SS. Ordines, &c. communis, & certa sententia iterum concedit potestatem dispensandi Episcopo, & aliis Prælatis inferioribus Papa. Imò etiam in Reservatis ex causa necessitatis, & in iis casibus, in quibus reservata illa non sunt, ex communi sententia dispensare iidem possunt.

64 Quæritur 3. An in quibusvis Impedimentis Dirimentibus Matrimonium dispensare Pontifex possit? Resp. distinguendo; nam etiam Impedimenta dirimentia sunt duplicis generis, alia quidem introducta per Jus naturale, vel Divinum, uti sunt Ligamen, Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, ætas carens usu rationis, Impotentia perpetua, Error circa substantiam, sive individuum personæ. Alia Jure solùm Ecclesiastico adinventa sunt, ut ætas usu quidem rationis prædita, sed infra pubertatem, conditio servilis, Cultus disparitas, Cognatio Spiritualis, Legalis, & Naturalis in linea transversa, & in gradu secundo, & ulterioribus Lineæ rectæ, Ordo Sacer, Professio Religiosa, Crimina adulterii, & homicidii, Vis, seu Metus, Raptus, & Clandestinitas.

65 *In prioris generis* Impedimentis, seu quæ Jure naturali, vel Divino dirimunt Matrimonium, certum est, quòd nec Pontifex dispensare possit excepto vinculo Matrimonii rati, ut rectè notat Host. *in c.* 13. *de restit. spoliat. n.* 3. Abb. *ibid. n.* 4. *&* 12. Imol. *n.* 6. Sylv. *V. Papa q.* 17. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. *§.* 10. *n.* 10. Navar. *man. cap.* 22. *n.* 8. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 6. *n.* 10. Gutier. *de Matr. c.* 122. *n.* 1. Coninck *D.* 33. *n.* 30. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult. §.* 1. *n.* 1. Gonzal. *in c.* 6. *de consang. n.* 2. Bosco *de Matrim. D.* 12. *sect.* 3. *concl.* 1. Honor. *ibid. n.* 6. Engl *hic n.* 3. Vviestner *num.* 57. Reiffenstuel *Append. n.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 1. *n.* 33. Ratio est, quia inferior potestas tollere, & relaxare legem Superioris non potest, nisi accepta ab eo potestate *can. inferior* 4. *dist.* 21. *c. cùm inferior* 16. *de majorit. & obed. & Clem. ne Romani* 2. *de Elect.* atqui neque ex Sanctionibus Canonicis, neque ex traditione, & usu Ecclesiæ constat, quòd unquam Pontifici à DEO concessa sit facultas dispensandi in Impedimentis Juris naturalis, & Divini, excepto vinculo Matrimonii rati; ergo &c.

66 *In posterioris generis* Impedimentis, seu in iis, quæ Jure solùm Ecclesiastico dirimunt Matrimonium, dispensare indubitatò Pontifex potest, ut unanimis DD. sententia habet. *Proceditque hoc* 1. qualecunque illud Impedimentum sit; quia cùm ligandi, & solvendi potestas conjuncta sit, idem, qui tulit legem, etiam tollere illam potest, & multò magis dispensare in illa *arg. capit. non debet* 8. *de Consang. & Affin. c. alma* 24. *pr. de sent. Excomm. in* 6. Coninck *n.* 31. Palao *nu.* 1. Gonzal. *n.* 2. Honor *n.* 16. Engl *n.* 3. Magnif. P. Schmier *n.* 35. cum aliis *suprà*. *Procedit* 2. ut dispensare in Impedimentis hujusmodi possit non tantùm Pontifex, qui tale Impedimentum statuit, sed omnes ejusdem Successores legitimi; quia in quovis Successore par est authoritas.

Sed utut in omnibus hujus posterioris generis Impedimentis dispensare Pontifex possit, non tamen in omnibus æquali facilitate dispensat; nam super Impedimento Affinitatis faciliùs dispensatur, quàm super Impedimento Consanguinitatis in simili gradu: item faciliùs in gradu remotiore Lineæ transversæ, quàm in propinquiore ejusdem lineæ: similiter in Maternitate, & Paternitate Spirituali difficillimè dispensatur; secus est in Compaternitate. Ratio est, quia major conjunctio majorem exigit causam. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 19. *nu.* 7. Coninck *D.* 33. *n.* 44. *not.* 4. Palao *p. ult. cit. §.* 2. *n.* 1. Vivian. *in c.* 5. *de Consang. pr. in fin.* Schambog. *tit. eod. numer.* 43. 67

In Gradu primo Lineæ transversæ, & in secundo, ac ulterioribus Lineæ rectæ Pontifex, etsi possit probabiliter, dispensare tamen non solet; quia cùm arctissima sit conjunctio, dispensatio gravissimam causam exigit, quæ cùm moraliter nunquam futura sit, nunquam spes est obtinendi ejusmodi dispensationem. In gradu secundo Lineæ transversæ Tridentinum *sess.* 24. *capit.* 5. *de reform. matrim. in fin.* decrevit, ut nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam necessitatem. Neque id est acceptio personarum, cùm adsit specialis ratio hujus prærogativæ concedendæ, scilicet bonum pacis, & Sedis Apostolicæ indegentia, vel saltem gravis utilitas, quæ provenit ex eo, quòd has personas specialiter devinctas habeat. Palao §. 2. *cit. numer.* 1. Porro *Principium magnorum* nomine, ut Sanch. *D.* 19. *cit. num.* 2. Gutier. *capit.* 128. *de Matr. num.* 14. Coninck D. 33. *numer.* 44. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *cap.* 6. *numer.* 8. Pirhing. *tit. de consang. & affinit. num.* 49. Schambog. *ibid. num.* 42. notant, veniunt etiam Magnates, sive magni Domini Titulares, vel magni Nobiles, qui degunt in aliquo Potentatu, seu Baronia. 68

Dictum Tridentini Decretum ostendit quidem, quid ordinariè faciendum sit, Pontificem tamen non ligat, quin ob causam urgentem in eodem secundo gradu lineæ transversæ dispensare etiam possit cum personis inferioris conditionis, ut rectè Sanch. *n.* 3. Gutier. Pirhing, Schambogen *l. citt.* notant. Causæ ejusmodi forent teste eodem *Sanchez*, si contractum sit Matrimonium inter aliquos, ignorantes tam rigidam prohibitionem, si proles ex eo jam sit suscepta, si ea separatione oriretur scandalum, si puella, quam Patruelis vult ducere, & honestè dotare, sit pauper &c. Concordant Navar. *l.* 4. *tit. de Consang. edit.* 1. *cons.* 6. *& edit.* 2. *cons.* 13. Petr. de Ledesm. *Summ. Sacram. de Matrim. c.* 27. *immediatè ante concl.* 5. Rodriq. *to.* 1. *Summ. edit.* 2. *c.* 237. *n.* 3. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 3. *n.* 9. *fin.* Vega *tom.* 2. *Summ. c.* 34. *cas.* 167. 69

Quæritur 3. An solius Pontificis sit dispensare in Impedimentis, solo Jure Pontificio dirimentibus Matrimonium? Resp. Spectato Jure communi, hoc spectare ad solum Summum Pontificem. Ita Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 6. *n.* 14. Gutier. *de Matr. c.* 122. *num.* 2. Coninck *D.* 33. *n.* 32. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult. §.* 1. *nu.* 2. *&* 3. Barb. *in c.* 3. *de Consang. & Affinit. nu.* 4. Vvagnereck *in c.* 6. *eod. V. pro dispensatione not.* 1. Zoes. *tit. eod. n.* 38. Engl *hic §.* 3. *n.* 11. Vviestner *ibid. n.* 58. & teste Gutier. *l. cit.* declaratum est à *S. Congr. Ratio* clara est, quia Impedimenta ista inducta, & stabilita sunt authoritate Pontificia; inferior autem in Lege Superioris, ut *n.* 65. dictum est, dispensare non potest, nisi hoc ipsi ab isto concessum sit. 70

Proceditque hoc tantùm de Episcopo, & aliis inferioribus Prælatis, sed etiam de Legato à Latere; nam nec iste, Jure communi spectato, dispensare in Impedimentis Dirimentibus potest: *& ratio est*, quia iste in Provincia Legationis suæ Jure communi ampliorem potestatem dispensandi ad Matrimonium non habet, quàm quilibet Episcopus in sua Diœcesi, ut notat Gloss. *in c. quia circa* 6. *V. à Sede de Consang.* Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 6. *n.* 15. Gutier. *c.* 122. *n.* 3. Et hoc verum est etiam casu, quo à Sede Apostolica impetrata fuit Dispensatio, sed propter ob vel subreptionem nulliter. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. *§.* 10. *n.* 15. Gutier. *de Matr. cap.* 48. *num.* 1. Gonzal. *in c. quia circa cit. n.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matrim. c.* 1. *n.* 37. 71

Dixi

72 Dixi autem, *Spectato Jure communi;* nam Jure speciali plerique Legati, & aliquando etiam Episcopi facultatem habent dispensandi in certis Impedimentis, & certis casibus. Sic enim 1. Commissarius Bullæ Cruciatæ ex delegatione Pontificis facultatem habet pro foro conscientiæ dispensandi in Impedimento Affinitatis, ortæ ex copula fornicaria, in primo, & secundo gradu etiam Lineæ rectæ, & prolem susceptam, vel suscipiendam legitimam declarandi, si quinque istæ conditiones concurrant. 1. Ut Matrimonium cum illo Impedimento jam sit contractum; nam ad contrahendum dispensare non potest. 2. Ut contractum illud sit, servata forma Tridentini, nempe coram Parocho, & testibus, præviisque Denuntiationibus. 3. Ut in ejus contractu adfuerit bona fides, saltem ex parte unius, ignorantis Impedimentum. 4. Ut ipsum Impedimentum sit occultum. 5. Ut conjux, qui ignoravit Impedimentum, certior fiat de prioris consensus nullitate, quamvis ei non declaretur causa nullitatis, ut evitentur scandala. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. D.* 6. *num.* 13. Guttier *cap.* 122. *de Matr. num.* 8. Conink *D.* 33. *nu.* 36. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult.* §. 1. *nu.* 5.

73 2 Episcopi Germaniæ, & plures alii ab Urbe Romana remotiores, ex speciali privilegio Pontificio, de quadriennio in quadriennium renovando, communiter dispensare possunt 1. Ad contrahendum Matrimonium in tertio, & quarto gradu simplici, & mixto tam consanguinitatis, quam affinitatis cum pauperibus tantum. 2. Ad perseverandum in contracto cum Hæreticis, ad Fidem conversis, etiam in secundo simplici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum. 3. In Impedimento publicæ Honestatis, proveniente ex Sponsalibus: 4. In Impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante. 5. In Impedimento Cognationis Spiritualis, præter levantem, & levatum in Baptismo. Potestas autem ista exerceri ab Episcopis ita privilegiatis non potest, nisi tanquam à Sedis Apostolicæ Delegatis, neque extenditur ad casum, quo rapta est mulier, & in raptoris potestate adhuc existit. Reiffenstuel *hic num.* 20. *& duobus seqq.* ubi refert, has facultates concedi consuevisse Celsissimis Frisingensi, & Ratisbonensi. Simili ex privilegio Episcopus Leodiensis, ejusque in Spiritualibus Vicarius Generalis dispensant in tertio, & quarto Gradu Affinitatis, quando ob paupertatem Dispensatio Roma obtineri nequit, eamque gravis necessitas exigit, teste Less. *in Auctar. V. Matrimonium cas.* 9. apud Gobat *Experient. tr.* 9. *n.* 596.

74 3 Simile, & nonnunquam amplius etiam privilegium dispensandi solet concedi Legatis Sedis Apostolicæ. In Hispania, teste Garzia *de Benef. p.* 11. *cap.* 5. *num.* 367. Pont. *lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 8. Palao *tr.* 28. *disp.* 4. *p. ult.* §. 2. *num.* 6. dispensant in Impedimento publicæ Honestatis: Nuntiis Apostolicis Lucernensibus, ut ostendit Gobat *loc. cit. n.* 587. consuevit concedi facultas dispensandi in eodem Impedimento publicæ Honestatis; item in gradu Consanguinitatis, & Affinitatis tertio, & quarto inæquali, in Cognatione Spirituali inter levantem, & levatum, in Impedimento criminis, neutro tamen machinante commissi. Quare, quid singuli istorum circa dispensationes hujusmodi possint, consulendæ, & inspiciendæ erunt eorum facultates, à Sede Apostolica ipsis concessæ.

75 Quæritur 4. An Episcopus dispensare possit in casu, quo dubium est, utrum opus sit Dispensatione? Affirmat indiscriminatim Emman. Sà *in Summ. V. dispensatio nu.* 1. ubi ait, in eo casu in arbitrio Episcopi esse vel declarare, quod ibi Matrimonium ineuntes dispensatione non egeant, vel ad cautelam dispensare.

Sed melius distinctionem adhibent Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 6. *n.* 18. Guttier. *de Matr. c.* 122. *n.* 5. Perez *D.* 44. *sect.* 7. *n.* 2. Bosco *de Matr. D.* 12. *sect.* 13. *n.* 113. *& seq.* Wiestner *hic n.* 62. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. cap.* 1. *num.* 40. Vel enim res omnino dubia est, an subsit aliquod Impedimentum, vel non est ita dubia.

76 *Si primum*, Episcopus ad excludendum omne scandalum, declarare poterit, quod dispensatione non sit opus, vel etiam dispensare ad cautelam; quæ tamen dispensatio non est vera dispensatio: conf. casu, quo post contractum ita Matrimonium, apparet Impedimentum dirimens, pro dispensatione ad Sedem Apostolicam adhuc recurrendum erit. Et quidem, quod declarationem hanc faceie Episcopus possit, patet ex eo, quia in dubio præsumptio est pro libertate Matrimonii contrahendi, donec constet, eam, Impedimento intercedente, ademptam esse. Quod autem non sit vera dispensatio, quam Episcopus impertitur ad cautelam inde ostenditur; quia nullo Jure expressum reperitur, quod Episcopus in ejusmodi dubio per viam dispensationis tollere possit Impedimentum revera intercedens; tantum autem potest Episcopus, quantum Jura eidem concedunt.

Si secundum contingat, & præsumptio pro Impedimento urgeat, v. g. si in coitu cum fœmina dubitetur, an semen emissum, aut vase receptum, & conf. cum fœminæ illius sorore contracta sit Affinitas, non proderit dispensatio Episcopi, sed impetrari hæc debebit à Sede Apostolica. *Ratio est*, quia in dubio prævalet præsumptio desumpta ex iis, quæ communiter contingunt; atqui communiter contingit, quod in coitu cum fœmina semen effundatur, & vase recipiatur; igitur præsumptio ista prævalebit, & conf. etiam præsumptio contractæ Affinitatis cum Sorore fœminæ. Estque hoc ita verum, ut probato coitu, illi, qui semen effusum, aut vase receptum negat, in foro externo fides non adhibeatur, teste Perez *loc. cit. n.* 2. *fin.* 77

Quæritur 5. An Episcopus dispensare possit in casu extraordinario, quo post Matrimonium, bona fide contractum, deprehenditur subesse Impedimentum dirimens occultum, & neque conjuges sine scandalo separari, neque Papa ob locorum distantiam, vel personarum paupertatem adiri, neque dispensatio propter periculum incontinentiæ differri potest? Negant Sot. *l.* 1. *de Just. q.* 7. *art.* 3. *& in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 2. Cordub. *l.* 1. *Quæstion. q.* 11. *vers. Hæc igitur secunda*, Veracrux *p.* 3. *specul. art.* 18. *fin.* Medin. 1. 2. *qu.* 97. *art.* 4. Rationem dant, quia, ut *supra nu.* 65. dictum est, Episcopus, & his similes Prælati nequeunt dispensare in Lege Pontificia, vel Decreto Concilii Generalis, nisi id ipsis specialiter concessum sit non autem legitur in hujusmodi casu concessa ipsis esse potestas dispensandi. Igitur non poterunt in ullo Impedimento, quod Jure Ecclesiastico communi dirimit Matrimonium, quantæcunque necessitatis casus sit, dispensare. 78

Sed dicendum, multo verius Episcopum, & his similes Prælatos, si circumstantiæ in quæstione positæ simul concurrant, dispensare, pro foro conscientiæ tamen solummodo, in Impedimento Matrimonii dirimente posse. Ita Sylv. *V. dispensatio qu.* 9. *num.* 15. Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 85. Cucch. *lib.* 2. *Inst. major. tit.* 6. *n.* 310. Henriq. *lib.* 6. *de Pœnit. c.* 10. *n.* 1. *& l.* 12. *de Matr. c.* 3. *n.* 2. Garz. *p.* 11. *de Benefic. cap.* 5. *num.* 343. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 40. *n.* 127. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 40. *num.* 3. Guttier. *de Matr. c.* 122. *n.* 7. Conink *D.* 33. *num.* 32. Pont. *l.* 8. *c.* 13. *num.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult.* §. 1. *num.* 7. *&* 8. Perez *D.* 44. *sect.* 6. *n.* 3. Bosco *de Matrim. D.* 12. *sect.* 13. *n.* 118. *& seqq.* Gonzal. *in c.* 6. *de consang. & Affinit. n.* 2. *prop. fin.* Wagnereck *ibid. V. pro dispensatione not.* 1. Zoes. *tit.* 14. *num.* 38. Honor. *ibid. n.* 17. Engl *hic* §. 3. *nu.* 11. Wiest. *n.* 65. Reiffenst. *Append. n.* 15. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 1. *n.* 43. cum communi, & propemodum certa aliorum, *arg. cap. consilium* 2. *de Observat. jejun. & Reg. quod non est* 2. *de R. J.* ibi, *Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum.* 79

Ratio est 1. Quia, ut cum communi doctrina *Libr.* 1. *Tit.* 1. *num.* 59. dixi, Episcopus quoad alias Leges Pontificias in casu extraordinario, quando urget necessitas dispensandi, & periculum est in mora, neque facile ad Pontificem recurri potest, ex præsumpta istius voluntate dispensare potest. 2. In hujusmodi casu dispensandi facultatem competere Episcopis maximè expedit animarum bono, & ad evitanda gravia peccata fere necessarium est; ac proinde verisimile non est, quod Pontifex illam voluerit Episcopis denegatam. 3. Praxis, & consuetudo, præsertim longæva, optima Legum, Canonumque interpres est; constat autem, quod Episcopis passim DD. eam potestatem tribuant, & ipsi Episcopi illa utantur, sciente, & non contradicente Papa. ergo &c. 80

Dixi autem, *si circumstantiæ in quæstione positæ simul concurrant*; nam ut Episcopus dispensare possit in Matrimonio jam contracto, requiruntur sequentia. 1. Ut publice, & præmissis Denuntiationibus, contractum sit, nisi dispensatum fuerit super istis; nam si culpabiliter 81

biliter omissæ Denuntiationes sint, cum Impedimento contrahentes spe dispensationis super hoc obtinendæ priventur, prout dictum est *Tit.* 3. *n.* 82. 2. Ut contractum sit bona fide, i. e. absque scientia Impedimenti; quia, ut Sanch. *D.* 40. *cit. num.* 4. notat, Pontificis mens non est iniquitati favere, & perversæ contrahentium audaciæ, ne si talis contractus foret facilioris dispensationis occasio, sub ea spe quotidie contraherentur Matrimonia, contemptis Impedimentis dirimentibus: quare tales etiam cum jactura famæ separandi essent; quia sponte se in ea incommoda conjecerunt. Conink *D.* 33. *citat. num.* 33. 3. Ut propter paupertatem, distantiam loci, & incontinentiæ periculum difficilis ad Pontificem, vel alium, qui ex privilegio dispensandi facultatem habet, accessus detur. 4. Ut Impedimentum tale sit, in quo soleat concedi dispensatio, adeoque non in primo, aut secundo gradu Consanguinitatis. 5. Ut Impedimentum sit occultum, seu tale, quod vel omnino probari nequit, vel si probari posset, nullum tamen periculum sit, ne ulterius publicetur. Sanch. *D.* 40. *cit. n.* 11. Bosco *de Matrim. D.* 12. *sect.* 13. *nu.* 138. Reiffenstuel *Append. num.* 44.

82 Addidi *pro foro conscientiæ solummodo*; nam pro Foro externo in prorsus nullo casu super Impedimento aliquo dirimente dispensare potest Episcopus, nisi speciale habeat privilegium concessum à Papa, prout tanquam certum docent, vel potius supponunt Henriq. *l.* 12. *de Matr. cap.* 3. *num.* 2. Sanch. *lib.* 2. *de Matr. D.* 40. *n.* 10. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 35. *n.* 11. Fagnan. *in c. nimis de filiis Presbyt. num.* 37. Bosco *sect.* 13. *cit. concl.* 3. Reiffenstuel *Append. num.* 19. & alii *arg. Concil. Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 6. ubi fere similiter pro solo interno, non autem pro externo foro concedit Episcopis potestatem dispensandi in Irregularitatibus occultis. Patet etiam exemplo ipsius Pœnitentiariæ, utpote quæ non nisi in casibus occultis pro conscientiæ foro dispensat, suasque dispensationes pro illo solo, non item pro externo foro valere ipsamet declarat. *Ratio est*, tum quia si Impedimentum publicum existat, vix tantæ necessitatis casus fingi potest, ut non merito dispensatio exspectetur Roma; tum quia si Episcopus tali casu dispensaret, non tam evitaret, quam generaret scandalum.

Ad Rationem Dubitandi, allatam ab Adversariis, dico, etiam in Lege Pontificia, & Decreto Concilii Generalis dispensare Episcopum, & similes alios Prælatos posse, quando urget necessitas, & ad Sedem Apostolicam non est recursus; talis autem urget in casu proposito; ergo &c.

83 Quæritur 6. An in casu hujusmodi urgentis necessitatis dispensare in Impedimento occulto possit Episcopus etiam ante Matrimonium contractum? Resp. Affirmative. Ita Sanch. *lib.* 2. *de Matr. D.* 40. *nu.* 7. Salas *D.* 20. *de Legib. sect.* 3. Hurtad. *D.* 26. *de Matr. n.* 7. Pont. *l.* 8. *cap.* 13. *n.* 6. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult.* §. 1. *n.* 9. Gonzal. *in c.* 6. *de consang. & affinit. num.* 2. *prop. fin.* Wiestner *hic n.* 66. & sumitur ex fundamento, ex quo probavi, quod Episcopus in casu extraordinario dispensare possit in Impedimento, post Matrimonium contractum detecto; nam ideo eo casu dispensare Episcopus potest, quia tali casu censetur Pontifex non esse invitus, sed præsumitur dare Episcopo facultatem dispensandi, prout communis DD. opinio, & praxis explicat, juxta quam generale est, quod in hujusmodi casu extraordinario dispensare quoad Leges Pontificias possit Episcopus; atqui potest contingere, quamvis minus sæpe, casus talis extraordinarius, in quo par necessitas dispensationem exigat ad contrahendum Matrimonium inter impeditos Impedimento dirimente; ergo &c.

84 Ut tamen tali casu dispenset rite Episcopus, requiritur 1. Ut sit maxima, & urgentissima necessitas, qualis e. g. foret casu, quo aliquis morti proximus ad legitimandas proles cum earum matre vellet contrahere Matrimonium, & id propter intercedens Impedimentum dirimens occultum sine dispensatione non posset: Vel quando ante contractum nuptialem, & omnibus ad hunc paratis, Sponsorum alter in Confessione Sacramentali detegit Impedimentum dirimens occultum, & proveniens ex crimine, cujus detectio notabilem infamiam inferret, & neque à nuptiis abstineri, neque illæ, donec Roma obtineatur dispensatio, differri possent sine verisimili suspicione occulti criminis in Confessione detecti; nam ex simili necessitate communis Sententia concedit ab Episcopo dispensari posse in Impedimento Voti simplicis continentiæ ad contrahendum conjugium; ergo etiam in Impedimentis cæteris; neque enim ista Sedi Apostolicæ magis sunt reservata, quam Votum illud. Sanchez *num.* 7. *cit.*

2 Ut omnibus tentatis mediis, nulla aperiatur evadendi via: nam si aliqua reperiatur via evadendi suspicionem occulti criminis, & inde orituram infamiam, dispensare ad contrahendum Matrimonium cum tali Impedimento nullo modo potest Episcopus. Et fortassis hæc esse posset via, si fœmina voveret Castitatem ad tempus, v. g. per mensem, consulente Confessario, & dicat consanguineis, se Voto Castitatis alligatam esse, jussamque à Confessario, ut à nuptiis abstineret, donec Voti dispensatio impetretur à Pontifice (tacere enim debet, Votum fuisse ad tempus, ne Episcopi Dispensatio petatur) & dum pro illa dispensatione obtinenda Romam mittitur, posset occulte impetrari dispensatio super vero impedimento. Sanch. *loc. cit.* 85

3 Ut dispensationis indigi non possint facilè recurrere ad Pontificem, vel hujus Legatum, aut alium præditum potestate dispensandi in Impedimentis connubiorum pro similibus casibus; nam si adiri aliquis istorum possit, necessitas Episcopi dispensationem non exposcit: cons. iste in eo casu dispensare non poterit. Navarr. *Man. cap.* 22. *num.* 85. Cucch. *lib.* 2. *Inst. major. tit.* 6. *num.* 310. Vega *lib.* 6. *Summ. cap.* 143. *fin.* Sanch. *loc. citat. num.* 8. Wiestner *hic n.* 67. 86

4 Ut Impedimentum sit occultum, seu tale, quod non sit publice notum, & neque timeri possit, quod nunquam in foro externo sit detegendum; nam si occultum non sit, nuptiarum dilatio, dum dispensatio Apostolica impetretur, non affert scandalum. Henriq. *cap.* 3. *cit. num.* 3. Sanch. *num.* 11. Perez *num.* 6. Wiest. *num.* 68. Et hinc dispensatio ista tantum valet pro foro interno conscientiæ.

Quæritur 7. An etiam, & qualiter super Impedimentis Matrimonii Jure Ecclesiastico dirimentibus dispensare valeat Capitulum sede vacante, & Vicarius Generalis ejusdem? Resp. Distinguendo inter casum urgentis necessitatis, de quo dictum est *à n.* 78. & inter casum, quo extra hanc ex quasi privilegio (nam proprie privilegium non est, cum tantum duret ad certum tempus) seu facultate speciali sibi generaliter concessa dispensare potest Episcopus, de quo sermo est *n.* 73. 87

In primo casu sicut Episcopus, ita & Capitulum Sede vacante, & hujus Vicarius Generalis valide, & licite dispensant, si concurrant requisita *num.* 81. & 84. *ac seqq.* allegata. Gobat *Exper. tract.* 9. *num.* 585. Reiffenstuel *Append. num.* 32. *Ratio est*, quia Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in omnibus, quæ sunt Jurisdictionis Ordinariæ (demptis solis casibus in Jure specialiter exceptis) potestque in specie dispensare in omnibus casibus, in quibus Jure Ordinario potest Episcopus, ut dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 9. *num.* 2. & 31. atqui in casibus *num.* 78. & 83. expressis pro foro conscientiæ Jure Ordinario dispensare potest Episcopus, cum hæc potestas ei competat ratione Officii sui Pastoralis, ita, ut statim, ac fit Episcopus, hoc ipso tacite saltem concessam, & perpetuo quidem duraturam habeat præfatam potestatem dispensandi in foro interno, neque hæc facultas specialiter invenitur excepta; ergo &c. 88

In secundo casu, seu illo, quo Episcopus dispensare potest ex quasi privilegio, seu facultate speciali sibi generaliter concessa, nullo modo dispensare potest Capitulum Sede vacante, vel ejus Vicarius Generalis. Ita communis, & quasi certa Sententia, teste P. Reiffenstuel *Append. n.* 33. *Ratio est*, quia Capitulum, Sede vacante, non succedit Episcopo in iis, quæ Episcopo ex facultate, aut privilegio speciali competebant, ut ostensum est *Tit.* 9. *cit. n.* 3. ergo &c. 89

Quæritur 8. An, quando, & quomodo dispensare super Impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus valeat Vicarius Generalis Episcopi? *Certum est*, non posse dispensare vi Officii sui, & sine speciali mandato super Impedimentis, super quibus dispensare Episcopus potest ex quasi privilegio, vel speciali facultate concessa. Ita unanimis teste P. Reiffenstuel *Append. num.* 35. quia ut *num. præc.* dictum est, in his, quæ potest Episcopus ex speciali 90

ſpeciali privilegio, & facultate, neque Capitulum Sede vacante ſuccedit, cum tamen iſtius major poteſtas ſit, quam Vicarii Generalis Epiſcopi.

91 *Dubium eſt*, quando caſus eſt extraordinarius, & urgentis neceſſitatis, in quo ſecundum dicta *n.* 79. *&* 83. diſpenſare Epiſcopus poteſt? *Ratio dubitandi* eſt; quia ex mandato, ſeu commiſſione generali illi competit pertractatio cauſarum Matrimonialium, ut dictum eſt *Libr.* 1. *Tit.* 28. *n.* 23. *verſ.* 3.

Sed dicendum, Vicario Generali Epiſcopi vi officii ſui poteſtatem diſpenſandi in hujuſmodi extraordinariis caſibus ſine ſpeciali mandato non competere. Ita Gloſſ. *in can. quæ de cauſa 9. V. quidquid cauſ.* 2. *quæſt.* 5. Felin. *in cap. at ſi Clerici* 4. *§. de adulteriis n.* 21. *de Judic.* Cucch. *l.* 2. *Inſtit. major. tit.* 8. *n.* 111. Guttier. *lib.* 1. *qq. Canon. cap.* 19. *num.* 15. Sbrozz. *l.* 2. *de Vicar. Epiſc. q.* 35. *num.* 3. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 3. *n.* 2. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 40. *num.* 12. Conink *D.* 33. *nu.* 33. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult.* §. 1. *num.* 12. Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg.* 54. *num.* 121. Perez *D.* 44. *ſect.* 7. *num.* 2. Boſco *de Matrim. D.* 12. *ſect.* 13. *concl.* 3. *n.* 189. Vvieſtner *hic n.* 71. Reiffenſt. *Append. n.* 34.

92 *Ratio eſt* 1. Quia caſus extraordinarii non comprehenduntur in mandato generali. 2. Quia diſpenſatio æquiparatur reſtitutioni in integrum; igitur ſicut hæc commiſſione generali non comprehenditur, ſed indiget ſpeciali mandato *l. illud* 25. *fin. ff. de minor.* ita etiam diſpenſatio in Impedimentis ſpeciale Epiſcopi mandatum exigit, vel ſaltem tale, quo committantur omnes cauſæ, quæ in foro conſcientiæ quomodocunque competunt. 3. à pari cum diſpenſatione in Irregularitatibus, & Suſpenſionibus occultis, in quibus licet diſpenſare, & abſolvere reſpective poſſit Epiſcopus, ſine ſpeciali tamen iſtius mandato non poteſt ejus Vicarius Generalis, ut patet ex Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.* ibi, *Per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum*.

93 Porro quod modo dictum eſt de Vicario Generali Epiſcopi, dicendum etiam de eo, qui privilegium habet diſpenſandi in caſibus Epiſcopalibus; nam neque iſte, etiam pro foro interno, diſpenſare poteſt in Impedimentis Matrimonii, quacunque cauſa urgente, ut recte advertunt Henriq. *lib.* 6. *de Pœnit. cap.* 14. *num.* 7. *& lit. P.* Rodriq. *in Bull. cruciat.* §. 9. *num.* 118. Sanch. *D.* 40. *cit. num.* 9. Ratio eſt, quia caſus, in quibus Epiſcopus præciſè ratione urgentis neceſſitatis diſpenſar, non ſunt proprie Epiſcopales, ſed Apoſtolici, & Epiſcopo præciſè ex quadam Juris interpretatione, & caſualiter permiſſi cenſentur.

94 Quæritur 9. An facultas in prædictis caſibus diſpenſandi in Impedimento occulto delegari alteri ab Epiſcopo valeant? Negant Bald. *in l. ſi cum inter* 2. *Cod. quand. provoc. non eſt neceſſ. nu.* 6. Felin. *in cap. quod ſedem* 10. *de Offic. Ordin. num.* 2. & alii plures apud Gratian. *Reg.* 443. *num.* 13. Nituntur 1. *c. fin. de Offic. deleg.* ubi Gregorius IX. *Nulli*, inquit, *cui commiſſum fuerit ---- excommunicare, vel abſolvere aliquos, diſpenſare in Irregularitatibus --- liceat hæc de cætero aliis demandare.* 2. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* ubi Epiſcopis in caſibus occultis conceditur facultas diſpenſandi *per ſeipſos, aut Vicarium, ad id ſpecialiter deputandum*, non obſcuro indicio, illam facultatem deputari poſſe ſoli Vicario, non etiam aliis. 3. Quando electa eſt induſtria perſonæ, locum delegatio non habet, niſi reſpectu perſonæ à committente expreſſæ. Videtur autem *loc. cit.* à Trid. electa eſſe induſtria perſonæ; ergo poteſtas hæc alteri, quam Vicario, quem exprimit, delegari ab Epiſcopo nequit. 4. Juriſdictio Voluntaria, commiſſa ex privilegio Principis, delegari non poteſt ſecundum Bald. *n.* 6. *cit.* ſed hæc Juriſdictio diſpenſandi in caſu urgentis neceſſitatis commiſſa eſt à Pontifice Epiſcopis; ergo nequeunt eam delegare.

95 *Sed dicendum*, poteſtatem iſtam per delegationem ab Epiſcopo committi alteri poſſe. Ita Gloſſ. *in c. fin. V. caſibus de Offic. Ordin.* Joan. Andr. *ibid. num.* 3. Bald. *n. un.* Abb. *n.* 3. Sylv. *V. delegatus q.* 8. *dict.* 1. *& V. Abſolutio* 4. *q.* 2. *§.* 6. Angel. *V. Excommunicatio* 5. *caſ.* 1. *n.* 39. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 45. Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 6. *& n.* 10. *pr.* Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 3. *n.* 2. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 40. *n.* 14. Conink *D.* 33. *n.* 33. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult.* §. 1. *n.* 13. Vvieſtner *hic num.* 72. Reiffenſtuel *Append. num.* 36. *& duobus ſeqq.* Et quidem, quod ab Epiſcopo poteſtas hæc delegari poſſit Vicario ſuo Generali, patet ex verbis Trid. *in* 2. *dubitandi ratione* allatis.

Conf. Ex praxi, & conſuetudine univerſali, qua conſtat, omnes fere Epiſcopos, ſaltem illos, qui amplas Diœceſes habent (uti in Germania) inſtruere Vicarios ſuos Generales tali mandato, ut notant Abb. *in c.* 8. *de in integr. reſtit. num.* 5. Roland. à Valle. *Vol.* 2. *conſ.* 26. Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 6. *num.* 2. *&* 3. Vvieſtner *hic num.* 71. Reiffenſtuel *Append. num.* 39. conſuetudo autem optima interpres Legum eſt *cap. cum dilectus* 8. *de conſuet.* ac etiam in defectu omnium aliorum tribuit Juriſdictionem *cap. duo ſimul* 9. *de Offic. Ordin. & c. cum contingat* 13. *de for. compet.* 96

Quod vero etiam aliis Clericis idoneis ab eo delegari poſſit, oſtendit ratio; nam Juriſdictio, quæ Principis conceſſione Dignitati, vel Officio perpetuo competit, eſt inſtar Ordinariæ, & conſ. ſicut iſta, ita & illa delegari liberè alii cuicunque idoneo poteſt; talis eſt poteſtas diſpenſandi in Impedimentis Matrimoniorum occultis pro caſu urgentis neceſſitatis; ergo etiam ipſa delegari cuicunque idoneo poterit ab Epiſcopo.

Neque obſtant textus, & Argumenta oppoſita in contrarium. *Ad* 1. textus *§. fin. cit.* ſolum loquitur de caſu, quo perſonæ nudum miniſterium committitur, ut patet ex ſubjectis verbis; *Quia non ſibi Juriſdictio, ſed certum miniſterium committitur*; quando autem nudum miniſterium committitur, delegatio locum non habet; quia electa cenſetur eſſe induſtria perſonæ. *Ad* 2. Tridentinum eo loco ſolum vult dicere, quod poteſtas diſpenſandi in caſibus occultis Vicario generali competat, non vi commiſſionis ipſius Vicariatus, ſed vi mandati ſpecialis ſolummodo; neutiquam autem mens ejuſdem fuit prohibere Epiſcopo, ne ejuſmodi cauſas particulares, & facultatem in iis diſpenſandi deleget aliis. *Ad* 3. quando electa eſt induſtria perſonæ, poteſtas mandata ad mandatarii ſucceſſorem non tranſit; ita autem tranſit poteſtas hæc diſpenſandi in caſu neceſſitatis conceſſa Epiſcopis, cum annexa ſit Dignitati, & Officio Epiſcopi. Hinc *Ad* 4. reſpondeo diſtinguendo; Juriſdictio, conceſſa à Principe, delegari non poteſt, ſi ſit commiſſa perſonæ, *Concedo*: ſi ſit commiſſa Dignitati, vel Officio in perpetuum, *Nego*. 97

Quæritur 10. Quomodo delegare poteſtatem diſpenſandi quoad Impedimenta in cauſa neceſſitatis Epiſcopus poſſit Vicario ſuo Generali, vel aliis? Henriquez *lib.* 11. *de Irregular. cap.* 19. *fin. & lib.* 6. *de Pœnit. cap.* 14. *num.* 7. junct. *Comment. lit. O.* putat eum non poſſe poteſtatem hanc Vicario ſuo Generali, vel alii delegare generaliter, ita, ut habeant facultatem generalem diſpenſandi pro ſuo arbitrio; ſed tantum poſſe Vicario ſuo eam delegare ſpecialiter, ſcilicet, quando caſus occurrerit. *Fundatur* verbis Trid. *citt.* ubi expreſsè conceditur Epiſcopis, ut diſpenſare poſſint per ſe, vel per Vicarium *ſpecialiter* deputatum. Item, quia dum hi caſus Epiſcopo committuntur, eligitur induſtria perſonæ. *Sed hoc caſu* non eſſe electam induſtriam perſonæ, patet ex dictis *num. præc. & confirmatur*; nam ſi perſonæ induſtria electa eſſet, nec ſpecialiter facultatem hanc delegare alii poſſet. Neque aliud probant allegata verba Trid. quia Concilium ſolum innuit, quod diſpenſatio hæc non competat Vicario ex vi generalis commiſſionis, qua Epiſcopus ipſum conſtituit Vicarium ſuum. Quare dicendum, poſse hanc poteſtatem ab Epiſcopo alicui etiam delegari generaliter, ut diſpenſare poſſit, quandocunque talis caſus occurrerit. Sanch. *l.* 2. *de Matrim. D.* 40. *n.* 17. *circa medium.* 98

Porro licet DD. aliqui putent hanc poteſtatem delegatam intelligi, ſi Epiſcopus in genere Vicario ſuo dicat, *Do*, vel *concedo tibi omnem poteſtatem, & Juriſdictionem, quam ego habeo*, vel ſaltem ſi dicat, *do tibi omnem meam poteſtatem etiam ad ea, quæ ſpeciale mandatum requirunt*. Alii tamen cum Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg.* 54. *num.* 59. Engl *de Offic. Vicar. n.* 10. Reiffenſtuel *Append. num.* 40. negant verba iſta ſufficere, eo quod delegatio talis, vel conceſſio nimis generalis ſit, atque adeo ſubintret *Regula* 81. *in* 6. *In generali conceſſione &c.* Quare ut delegata cenſeatur poteſtas diſpenſandi quoad Impedimenta dirimentia in caſibus occultis, Epiſcopus, eam poteſtatem concedens Vicario ſuo Generali, in Com- 99

in Commissione sua vel exprimere verbis debebit, quod hanc potestatem ipsi committat, vel saltem aliqua alia, quæ speciali mandato indigent, expressè ponere, addita dein clausula, *Et omnia alia*.

100 Quæritur II. An eodem urgentis gravissimæ necessitatis casu in Impedimento occulto dispensare possint etiam Religiosi Mendicantes? *Ratio dubitandi est*, quia, ut refertur in *Compend. Privil. Societ. Jesu V. dispensatio* §. 7. Confessarii Societatis, & aliorum etiam Ordinum, qui cum Societate in Privilegiis communicant, si sint viri docti, & juxta formam Tridentini approbati, ex commissione Provincialis dispensare in foro conscientiæ possunt ad petendum debitum cum his, qui consanguineam sui conjugis post Matrimonium carnaliter cognoverint; ergo potuerunt etiam dispensare in ipso Matrimonio, contracto cum Impedimento Affinitatis, ortæ ex copula fornicaria, habita cum consanguinea uxoris ante Matrimonium. Ita quidem nonnemo existimabat inferri posse; sed malè, & sine sufficienti fundamento.

101 Quare tenenda est negativa Sententia, & dicendum, casu, quo ad Confessarium etiam Mendicantem deferrur casus, in quo dispensationem super occulto Impedimento exposcit urgens necessitas, & Papa, aut ejus legatus, vel alius potestate dispensandi præditus adiri nequit, Sponsos, vel conjuges, dispensationis indigos, remittendos esse ad Episcopum, aut dispensandi facultatem ab ipso petendam. Ita Rodriq. *tom.* 3. *Regul. q.* 2. *art.* 2. Henriq. *l.* 12. *de Matr. cap.* 3. *n.* 3. Sanchez *l.* 8. *de Matrim. D.* 6. *num.* 28. Pont. *l.* 8. *cap.* 13. *nu.* 11. Perez *D.* 44. *sect.* 7. *n.* 13. Gobat *Exper. tract.* 9. *n.* 721. Vviestner *hic num.* 73. Afferunt quidem nonnulli privilegium aliquod, quod à Leone X. concessum dicunt Mendicantibus ad dispensandum cum iis, qui scienter, aut ignoranter contraxerunt Matrimonium cum Impedimento Affinitatis, modo id notorium non sit, nec in Judicium deductum. Sed Rodriq. *art.* 2. *citat.* dicit, id privilegium nullatenus esse in usu, & se credere pro unico solo actu fuisse concessum; Henriquez vero *num.* 3. *citat.* ait, eo privilegio nihil concessum aliud Mendicantibus, quam ut ad petendum debitum dispensare possent cum conjuge, qui post contractum Matrimonium commisit incestum cum consanguinea uxoris, aut vicissim.

Ad Rationem dubitandi Nego consequentiam; quia Privilegia non admittunt interpretationem latam, & Argumento à concesso minore ad majus locus non est *arg. Reg. quæ à Jure* 28. *in* 6.

§. V.

De Causis Dispensationis Matrimonialis.

SUMMARIUM.

102 *Causa justa dispensandi in Impedimentis dirimentibus est I. Prærogativa Dignitatis Regiæ, vel Principalis.*
103 *II. Conservatio Illustris Familiæ in eodem sanguine.*
104 *III. Splendor ejusdem alias interiturus.*
105 *IV. Excellentia meritorum.*
106 *V. Extinctio litis.*
107 *VI. Bonum pacis aut conservandæ, aut inducendæ.*
108 *VII. Evitatio scandali.*
109 *VIII. Angustia loci.*
110 *IX. Locus situs ad litus maris.*
111 *X. Defectus Dotis competentis.*
112 *XI. Ætas fœminæ.*
113 *XII. Matrimonium cum ignorantia impedimenti bona fide contractum.*
114 *XIII. Copula inita cum Consanguinea, vel Affine.*
115 *XIV. Infamiæ periculum.*
116 *XV. Causa generalis dicta ex certis, & rationabilibus causis.*
117 *Pro dispensatione in Voto Castitatis, & Religionis ex parte materiæ causa justa est I. mutatio ejusdem.*
118 *II. Dubium superveniens, an Votum sit rite editum.*
119 *Ex parte voventis I. defectu maturæ deliberationis.*
II. Metus, etiam levis.
120 *III. Cessatio causæ.*
IV. Periculum frequenter peccandi contra Votum.
121 *V. Nimia carnis fragilitas.*
122 *VI. Necessitas publica.*
123 *&c. Quando censeatur adesse defectus Dotis?*
129 *&c. Quando non adsit?*
133 *&c. Quænam causæ in singulis personarum generibus sufficiant ad dispensandum in Impedimento Consanguinitatis?*
140 141 *Affinitatis ex copula licita.*
142 *Et illicita.*
143 *Cum quibus, & ex qua causa dispensari soleat in Impedimento publicæ Honestatis?*
144 *Cognationis Spiritualis?*
145 *Criminis?*
146 *Ordinis Sacri, aut Professionis Religiosæ?*
147 148 *An eædem causæ sufficiant, ut dispensare in hujusmodi Impedimentis possit Episcopus, vel alius potestatem dispensandi habens?*
149 *&c. An Dispensatio, obtenta à Papa ad contrahendum Matrimonium inter Consanguineos in gradu prohibito, valeat, si in ea causa falsa expressa sit?*
155 *&c. Qualis error dispensationem vitiet?*
158 *&c. Quo tempore necesse sit veram esse Dispensationis causam?*
166 *&c. An valeat Dispensatio facta ex causa insufficiente, quam dispensans putavit sufficientem esse?*

Quæritur I. Quænam sint justæ causæ dispensandi 102
in Impedimentis Matrimonii dirimentibus? Resp. circa numerum istarum causarum variant DD. Navar. *Man. c.* 22. *num.* 87. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 19. *num.* 8. Conink *D.* 33. *n.* 45. reducunt illas ad ternarium; alii plures statuunt; Corrad. *Praxis Dispens. Apost. l.* 7. *c.* 2. & 3. recenset omnino viginti sex; quæ tamen omnes commodè ad quindecim possunt contrahi, prout illas contrahit P. Reiffenstuel *Append. n.* 69.

Prima est *Prærogativa Dignitatis Regiæ, vel Principalis*; nam hujus intuitu Pontifex dispensare solet etiam in secundo gradu Consanguinitatis, & Affinitatis, ortæ ex legitimo conjugio, ut habet praxis, & non obscurè approbat Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *in fin. de reform. Matr.* ubi, cum statuisset, ut in secundo gradu nunquam dispensetur, provide excipit *Magnos Principes:* Nec immerito; quia inita inter hujusmodi personas conjugia spectant ad conservationem pacis, & tranquillitatis publicæ, atque ad Regnorum, & Principatuum felicitatem tendunt. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 19. *n.* 5. Conink *D.* 33. *n.* 46. Gobat *Exper. tr.* 9. *num.* 604. Vviestner *hic num.* 77. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. cap.* 1. *num.* 46. Neque opus est ad impetrandam pro hujusmodi personis dispensationem allegare aliquam aliam causam; quia licet talis causa in specie non allegetur, semper tamen adesse censetur, scilicet vel excellentia meritorum, vel conservatio publicæ tranquillitatis, consequenter bonum commune.

2 *Conservatio Illustris Familiæ* in eodem sanguine, 103
alias perituræ; quia hujusmodi Familias conservari ad pietatem, & publicum bonum aliquo modo pertinet; cumque Summus Pontifex quoad dispensationem in pluralitate Beneficiorum erga Nobiles se proniorem ostendat, ut patet ex *cap. de multa* 28. *de Præbend.* pariter quoad dispensationem in Matrimonio non erit adeo difficilis. Sanch. *D.* 19. *citat. num.* 31. Henriquez *l.* 12. *de Matr. cap.* 3. *n.* 9. Corrad. *prax. Dispens. Apost. l.* 7. *cap.* 2. *num.* 106. & *seqq.* Conink *D.* 33. *cit. n.* 49. Palao *tract.* 28. *D.* 4. *p. ult.* §. 2. *nu.* 2. Reiffenstuel *Append. num.* 70. Unde ex hac causa Pontifex etiam dispensat cum Sacerdotibus, & Religiosis, ut nubere valeant; & sic Henriq. *loc. cit.* refert, Gregorium XIII. anno 1575. dispensasse cum Luisa Comitissa S. Gadeæ, ut non obstante Voto Continentiæ, quo adstricta erat, & Impedimento tum Consanguinitatis, tum Affinitatis nuberet Patruo, cui prius Soror ejusdem nupserat.

3 *Splendor, ac dignitas Familiæ Illustris, aut Nobilitate* 104
præcellentis, ut hic in ea conservetur, & opes ejusdem ad alienas manus non veniant. Casus præcipuè contingit, quando

quando familiæ alicujus linea, masculis præmortuis, hæredem bonorum habet fœminam; nam ne hujus hæreditas ad extraneos deveniant, aliquando dispensatio datur contrahendi Matrimonium inter Consanguineos etiam propinquiores. Idem contigere potest, si quæ Nobilis instituitur hæres hac conditione, ut aliqui ex familia sua pro ejusdem conservatione nubat. Vin. de Just. *Prax. Dispens. l.* 3. *c.* 13. *&* 14. Bosco *de Matr. D.*12. *sect.* 13. *n.*262. Gonzal. *in c.6. de Consang. n.* 3. Gobat. *tr.* 9. *cit. n.* 606. Engl *hic* §. 3. *n.* 8. Vviest. *n.* 78. *ibid. cum supra allegatis*. Ratio est, quia ad publicum bonum pertinet, Familias Illustres conservari in suo splendore, & bona illarum extra familiam non devenire in manus aliorum, quod sæpe fieret, si personæ propinquæ inter se Matrimonium non possent contrahere. Accedit, quia Illustres Familias maxime affligit, si videnr bona ejusdem, præsertim domum ejus principalem ad extraneos devenire juxta illud *Jerem. c.* 5. *Hæreditas nostra versa est alienos, domus nostra ad extraneos.* Unde cum etiam Deus in antiquo Testamento ad bona in quamvis familia conservanda voluerit, ut fœmina uni de propria cognatione nuberet, eadem conservatio in novo Testamento erit causa sufficiens saltem ad dispensandum.

105 4 *Excellentia meritorum* in Ecclesiam, ratione insignium laborum, vel periculorum, in bello contra Infideles, Hæreticos, aliosque Reip. hostes ab uno contrahentium, vel à parentibus ipsorum, aut eorum conjunctis exantlatorum; nam horum intuitu dispensari aliquando solet, sive ipsi velint contrahere, sive pro contrahere volentibus intercedant, prout habetur *can. tali* 17. ibi: *Nisi quem evidens meritorum prærogativa commendet caus.* 1. *q.* 7. Sanch. *n.* 32. Conink *n.* 49. Corrad. *n.* 109. Palao *n.* 2. Justis *c.* 12. Bosco *n.* 262. Gonzal. *n.* 3. Engl *n.* 8. Vviest. *n.* 79. Reiffenst. *n.* 71. Magnif. P. Schmier *n.* 48. Ratio patet; nam omnino conveniens est, ut Ecclesia benignam, & liberalem se exhibeat erga eos, qui de ipsa bene meriti sunt, aut mereri possunt. Hinc Gobat *tr.* 9. *cit. n.* 606. recte infert, ex hac causa dispensari cum Centurione, qui in bello Turcico insigniter sese gessit.

106 5 *Extinctio litis*, si speretur, ejusmodi conjugio componendam & tollendam litem, quæ inter duas familias agitatur super bonorum successione, & aliis magni momenti rebus, ac Juribus. Idem dicendum, si Oratorum alter habeat litem, quam ipse ob inopiam, vel rerum imperitiam prosequi non potest, prosequetur autem alter contrahentium, quia potentior opibus, & peritior rerum est; nam ex hujusmodi causa in Gradibus remotioribus Dispensationes concedi, ajunt, Conink *n.* 45. Corrad. *à num.* 54. Justis *n.* 4. Palao §. 2. *n.* 2. Bosco *n.* 25. Perez *D.* 45. *sect.* 5. *n.* 6. Fagnan. *in c. quia circa de Consang. n.* 8. *& seqq.* Vviestner *hic n.* 81. Reiffenstuel *Append. n.* 72. quia cum lites causa odiorum, & discordiarum fomenta sint, publice interest eas sopiri, & expediri. Accedit, quia etiam ad pietatem pertinet, omnibus modis subvenire illis, qui pro rerum suarum jactura certant, & auxilio destituti sunt. Cæterum cujus quantitatis, vel qualitatis bona hujusmodi esse debeant, totum pendet ex arbitrio executoris, cui relinquuntur ea, quæ certa lege definita non sunt, certaque sub regula comprehendi non possunt *l. si servus* 1. *in fin. ff. de Jur. deliber.* Corrad. *n.* 57.

107 6 *Bonum pacis* aut conservandæ, aut inducendæ, si scilicet per hujusmodi conjugium, inter personas conjunctas, vel aliter impeditas initum, stabiliri pax, atque concordia, sopiri odia, extingui discordiæ, & inimiciæ graves possint. Sanch. *D.* 16. *cit. num.* 8. Conink *n.* 45. Corrad. *n.* 74. Justis *c.* 5. *&* 6. Perez *num.* 6. Bosco *n.* 259. Palao *n.* 2. Gonzal. *in c.6. de Consang. n.* 3. Honor. *tit. eod. n.* 17. Engl *hic n.* 8. Vviestner *n.* 80. Reiffenstuel *n.* 73. *&* 74. Magnif. P. Schmier *n.* 49. Ratio est, quia pax Civium plurimum conducit pro bono publico, ex inimicitiis vero istud læditur, innumeraque scandala, peccata, & alia mala consequuntur; ut proinde ad pacem procurandam, vel conservandam merito Pontifex dispenset in Lege sua, cum eorum intuitu etiam in aliis recedi soleat à Juris communis Regulis *cap. cum ex injuncto* 2. *de nov. oper. nunt.* Porro quænam inimicitiæ censendæ sint ita graves, ut propterea dispensatio sperari possit, communiter relinquitur arbitrio Judicis. Menoch. *de arbitr. cent.* 2. *cas.* 110. *n.* 3. Justis *l. cit. n.* 19. In specie censetur gravis, quæ vel oritur ex atroci injuria, præsertim si offensus est cupidus vindictæ. Tusch. *lit. I. concl.* 149. vel ex controversia circa magnam partem bonorum; Tusch. *l. cit. n.* 8. Justis *n.* 23. Reiffenst. *n.* 73. *cit. vers. quæ autem*.

108 7 *Evitatio scandali*. Abb. *in c. quia circa* 6. *de consang. num.* 2. Joan. Andr. *num.* 4. Sanch. *loc. cit. num.* 9. Justis *num.* 2. Reiffenstuel *nu.* 75. nam universaliter etiam propter evitanda scandala à communi Jure recedirur *arg. cap. cum ex injuncto cit.* ibi, *Licet opera illa, quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sint pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro vitando scandalo committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt, ab his tamen, quæ sine mortali peccato committi possunt pariter, & dimitti, sit pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistendum.* Ubi Gloss. *V. pro vitando scandalo* ait, *Nota, quod pro aliquo scandalo vitando non debet quis mortale peccatum committere; quia utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur cap.* 3. *de R. J. alias si aliqua possunt fieri, vel omitti sine mortali, detrahendum est Juri. Scandali* autem nomine hic intelligitur occasio, causa, vel periculum peccati, v. g. inimicitiæ, odii, homicidii, incontinentiæ, vel alterius cujuscunque gravis peccati.

109 8 *Angustia loci*: cum scilicet locus, in quo habitant contrahere volentes, valde angustus, aut fœminæ cognatio in eo loco valde sit propagata, ita, ut necesse sit, ut vel contrahat Matrimonium cum persona inæquali sibi, aut ad æqualem habendam se alio transferat, vel si hoc nolit, perpetuo innupta maneat, nisi dispensetur ad contrahendum Matrimonium cum persona conjuncta, vel aliter impedita. Sanch. *n.* 12. Conink *n.* 46. Corrad. *à n.* 6. Justis *c.* 2. Palao §. 2. *n.* 2. Perez *n.* 7. Bosco *n.* 260. Gonzal. *n.* 3. Engl *n.* 8. Vviest. *n.* 82. Reiffenstuel *n.* 76. Magnif. P. Schmier *n.* 51. Ratio est, quia primum indecens est; secundum, fœminæ præsertim, valde difficile, cum solatio propinquorum, & parentum non ita carere possint, ut viri; tertium denique etiam periculosum est ob periculum incontinentiæ. Accedit, quia communi, & privato ipsorum conjugum bono valde expedit, personas ad unum, vel alterum conjugium non coarctari, quod fieret, si tali casu dispensatio non daretur. *Proceditque hoc* 1. etiamsi in locis circumvicinis reperiretur Matrimonium æquale, ut contra *Navar. Petr. de Ledesm. Graff. Lud. Lop: Vega* post *Galleg. Henriq. Rodriq.* docet, & *Declaratione Cardd.* ad instantiam Archi-Episcopi Mediolanensis 18. *Nov.* 1570. data confirmat Sanch. *n.* 13. *Procedit* 2. etsi in loco illo inveniri possit statu, genere, & divitiis æqualis, si dispar sit moribus, genio, Religione; nam æqualitas non ex sola generis, aut divitiarum æqualitate pensanda est, sed magis ex honestate morum, ne inter conjuges pax deficiat. Sanch. *n.* 15. Palao §. 2. *n.* 2. Bosco *n.* 260. Engl *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 76. *Procedit* 3. licet non exacta, sed moralis duntaxat diligentia adhibita sit ad indagandum, at non aliquis Impedimento carens, puellæ ad nubendum æqualis inveniatur in loco, ut cum *Navar. Petr. de Ledesm. Graff. Vega* advertit Sanch. *n.* 14. imo sufficit, si puella decenter ornata, & quasi exposita ad nubendum, per aliquot annos incedebat, & tamen illam nullus pro nuptiis expetiit, ut aliis *citt.* vult P. Reiffenst. *loc. cit.*

9 *Quando loci situs est ad litus maris*, & propterea continuis piratarum, & fidei Catholicæ hostium excursionibus expositus, adeo, ut Extranei difficulter haberi possint, qui nubere velint cum hominibus in tali loco existentibus. Corrad. *c.* 2. *cit. nu.* 40. Barbosa *ad Conc. Trid. sess.* 24. *c.* 5. *de reform. Matr. n.* 16. Engl *n.* 8. *cit.* Reiffenstuel *n.* 96. ob rationes allatas pro causa relata *n. præc.* 110

10 *Defectus Dotis competentis*: quando scilicet vel omnino nullam, vel non competentem habet Dotem ad nubendum alicui æquali. Sanch. *n.* 16. Conink *n.* 47. Corrad. *n.* 21. Iustis *c.* 3. Palao *n.* 2. Gonzal. *n.* 3. Bosco *n.* 261. Engl *n.* 8. Vviestner *n.* 83. Reiffenst. *n.* 81. Magnif. P. Schmier *n.* 52. Ratio est; quia defectus dotis faceret, ut aut innupræ manere cogantur fœminæ cum periculo incontinentiæ, aut compellantur nubere inæquali cum discrimine infausti conjugii, quorum neutrum publice expedit. 111

11 *Ætas fœminæ*, si hæc 24. ætatis annum excesserit, 112
& tamen

& tamen virum paris conditionis, cui nubere possit, hactenus non invenerit. Corrad. *n.* 83. Justis *c.* 8. Barb. *n.* 8. Engl *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 92. & alii communiter. Ratio ex, quia etiam Leges Civiles favere solent puellis 24. ætatis annum excedentibus; & merito, ne in periculo incontinentiæ omnino innuptæ manere debeant. Hæc tamen causa non procedit in Viduis; quamvis enim SS. Canones binubentes tueantur adversus Constitutionem pœnalem Juris Civilis, ut videbimus *infra Tit.* 21. in hoc tamen puncto eisdem Curia Romana deferre non consuevit, ut docet praxis teste Corrad. *n.* 85.

113 12 *Matrimonium* cum ignorantia Impedimenti bona fide saltem unius contractum; estque hoc casu perinde sive proles ex tali conjugio sit suscepta, sive non; nam utroque casu in gradu non valde propinquo dispensatio haud ægre concedi solet, idque non tantum favore prolis, sed etiam Matrimonii, quod hujus separatio sine gravibus incommodis, & scandalo raro fiat *c. quia circa* 6. *de Consang.* Sanch. *n.* 33. Justis *c.* 16. Conink *n.* 49. Perez *n.* 12. Engl *n.* 8. Vviest. *n.* 85. Reiffenstuel *n.* 97. Magnif. P. Schmier *n.* 53. Secus est, si contractum sit mala fide utriusque, vel omissis culpabiliter Denuntiationibus; nam hoc casu, etsi etiam multiplex proles ex tali Matrimonio suscepta esset, Dispensatio tamen Apostolica sperari non posset, quod ita contrahentes gratiam Apostolicam non mereantur, Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *de reform. Matr.*

114 14 *Copula* cum Consanguinea, vel Affine, aut alia impedimentum habente perpetrata, & propalata ex imprægnatione, v. g. subsecuta prole. Corrad. *c.* 3. *n.* 1. *& seqq.* Justis *c.* 17. Reiffenstuel *n.* 94. Ratio autem, cur ob hanc causam dispenset Pontifex, est, ut consulatur famæ, & honori mulieris, utpote quæ alias diffamata, & innupta maneret, vel certe virum parem acquirere non posset. Estque causa ista una ex urgentioribus, adeo, ut intuitu illius, vel potius ob effectus inde secutos, aut secuturos, Papa non tantum cum Nobilibus, sed etiam cum plebeis, non obstante, quod in gradu secundo consanguinei sint, pro foro externo dispenset, modo copula non sit habita sub spe facilius postea impetrandæ dispensationis; id enim in Supplicatione exprimendum esset juxta dicenda *infra n.* 172. Iustis *l.* 1. *de Dispens. c.* 4. *à n.* 322. Reiffenst. *Append. n.* 94.

115 14 *Infamia mulieris*, inde orta, quod ob nimiam Oratorum familiaritatem, & liberiorem inter se conversandi modum orta sit suspicio, licet falsa, eos carnaliter se invicem cognovisse. Corrad. *c.* 3. *cit. n.* 7. Engl *hoc tit. n.* 7. ubi per extensum refert dispensationem factam à Leone X. *Ratio est*, quæ in priori causa, videlicet ne alias mulier graviter diffamata, indeque innupta, non sine scandalo remanere debeat, Vviest. *hic n.* 87. Reiffenst. *n.* 95. Magnif. P. Schmier *n.* 54.

116 15 Denique in Gradibus saltem remotioribus cum personis Nobilibus aut alias valide honestis non raro dispensari à Papa solet *ex certis, & rationabilibus causis* nulla expressa in specie. Dispensationes istæ *sine causa* vocantur: non quod sine causa concessæ sint; nam revera Papam semper justa aliqua causa mover ad eas concedendas: sed quod certa causa in iis non exprimatur, & propaletur. Et hinc etiam Executor in eam non debet inquirere, sed sufficit, quod verificentur alia narrata, v. g. an Oratores sint de familia nobili, vel honesta, prout in Litteris exprimitur. Sanch. *loc. cit. n.* 35. Corrad. *n.* 111. *& seqq.* Iustis *c.* 1. *n.* 114. Vviest. *hic n.* 89. Reiffenst. *n.* 98.

117 Quæritur 2. Quæ sint causæ justæ ad dispensandum in Voto Castitatis, & Religionis? Resp. Causæ in his dispensandi sunt duplicis generis, aliæ scilicet se tenent ex parte materiæ, aliæ ex parte voventis.

Ex parte materiæ causa justa dispensandi in Voto est 1. quando prudentis judicio ob mutationem circumstantiæ dubitatur, an Voti materia facta sit inutilis, mala, aut majus bonum impediens; tunc enim expedit dispensari cum vovente, ne forte Voti impletio ei noceat, aut majorem Dei gloriam impediat. Intelligendum autem hoc est, quando prudentis arbitrio dubium est, an Voti materia sit facta inutilis, mala, & impeditiva majoris boni: nam si certum hoc sit, non esset opus dispensatione, quod eo casu Votum per se desinat obligare. Sylv. *V. dispensatio q.* 14. *n.* 20. *fin.* Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 20. *n.* 10. Conink *D.* 33. *n.* 50. Deinde Voti materia considerari non debet secundum se tantum, sed quatenus ex Voto obligat: & hinc ut votum dici possit impeditivum majoris boni, bonum istud compensare debet non tantum bonitatem actus Voto promissi, sed etiam illam, quam habet ex Voto; alias illud non erit, omnibus consideratis majus.

2 Quando dubium est, an Votum ab initio obligarit. Et quidem cum dubium est, an quispiam voverit, nulla opus est dispensatione, cum eo casu præsumatur pro libertate; opus vero illa est, quando aliquis scit se vovisse, sed dubitat, an satis deliberate voverit, aut cum intentione vere vovendi; tunc enim Voti obligatio est in possessione. Qua proinde, ut vovens se liberet, opus est, ut vel impetret dispensationem absolutam, quæ dari eidem, potest, præsertim si alia causa accedat; vel saltem ut Votum in leviorem materiam commutetur; quia ratio exigit, ut non tam stricte exigatur debitum dubium, atque certum. Sanch. *D.* 20. *cit. n.* 11. Conink *n.* 51. *cit.* 118

Ex parte voventis causa justa dispensandi in Voto est 1. quando Votum leviter, & ut à pueris solet, sine matura deliberatione est editum *c. venientis* 2. *de Vot.* Neque opus est eo casu, ut accedat causa alia, ut contra *Valentiam* recte monet Sanch. *n.* 12. ob rationem, quia alias nihil peculiare tribueretur facilitati, ac imprudentiæ in vovendo. Unde cum DD. ad dispensationem Voti petunt causam illius executioni obstantem, intelligendi sunt de Votis prudenter emissis. 119

2 Quando Votum illud extortum est metu etiam levi, vel dolo obtentum. Sanch. *n.* 15. Conink *n.* 53. Palao *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 9. *n.* 9. Vviestner *hic n.* 88. Ratio est, quia Voti sic editi remissio cedit ad honorem Dei, qui facile remittit obligationem, cui aliena iniquitas causam dedit. Debet tamen ejusmodi metus esse injuste incussus; nam si emissum esset metu mortis imminentis ex naufragio, infirmitate, aut alia simili causa, causam dispensandi justam non præbet, nisi metus talis fuerit, ut maturam deliberationem, & consilium prudens excluderet. Sanch. *n.* 14.

3 Quando causa, quæ impulit ad emittendum Votum, omnino deficit, ut si vovisti Castitatem, quia sperabas ingredi certam Religionem, alias non voturus, & jam nullo modo possis in eam admitti. Conink *n.* 51. Hinc discrimen faciendum est inter causam finalem, & impulsivam, nam si causa finalis omnino cesset, etiam Voti obligatio cessat, nec opus est dispensatione; contra si cesset causa impulsiva tantum; quia tum adhuc manet obligatio Voti, cum etiam non obstante errore circa hanc causam inducatur; atquia ejus cessatio valde minuit voluntarium, idcirco occasionem Dispensationi præbet. Sanch. *n.* 16. 120

4 Quando vovens versatur in periculo frequenter peccandi contra Votum. Et quidem si periculum hoc oriatur ex infirmitate, & fragilitate voventis, facile concedunt omnes. Si vero ex malitia, ac pravo voventis habitu, negant *Sotus*, *Rodriquez*, *Vivaldus* apud Sanch. *n.* 19. Sed hic melius distinguit, an vovens periculum hoc sine magna difficultate possit effugere, vel non. *Si primum*, cum *citt.* DD. negat illud esse causam sufficientem ad dispensandum in Voto. *Si secundum*, affirmat; quia eo habitu supposito, & magna fragilitate inde acquisita, res promissa reddita est viribus impar, & Votum inutile, utpote quod non vitandis, sed augendis peccatis deservit. 121

5 Quando is, qui Castitatem, vel Religionis ingressum vovit, ob nimiam carnis fragilitatem maximam difficultatem habet in illo servando, quam ante non prævidit, vel saltem non ita perpendit; quia Votum tunc videtur non ita mature emissum, vel habuisse aliquid erroris admixtum: & congruit Divinæ liberalitati, non ita rigide exigere debita, ex liberali promissione orta. Conink *n.* 54. & patet ex praxi notoria Curiæ Apostolicæ. *Ex quo deducit* Sanch. *n.* 23. justam esse causam dispensandi, quando vovens ob scrupulos continuos anxius est, an Voto satisfecerit, v.g. an satis attente legerit preces, quas vovit. 122

6 Quando ad publicam pacem necesse est, eam, quæ vovit Castitatem, nubere: quia tunc obstat ratio boni communis, quæ privato voventis anteferenda est. 123

Cajet.

Cajet. 2. 2. *quæstio* 88. *art.* 12. Sot. *l.* 7. *de Just. quæstio* 4. *art.* 3. Sanch. *loc. cit. numer.* 24. Conink *numer.* 54. Causa conservandi progeniem nobilissimi Ducatus, aut Marchionatus sufficit ad dispensationem mixta Commutatione, non tamen meram. quia est causa mere temporalis. Navar. *l.* 3. *tit. de Vot. consf.* 32. *n.* 3. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 3. *n.* 9. *Comment. lit. D.* Sanch. *n.* 25. An vero causa ad dispensandum in Voto Castitatis sufficiens sit morbus continuus, cui periti Medici judicant subveniendum esse Venereis actibus, controversia est inter DD. Sanch. *n.* 26. distinguitur inter Votum solemne, & simplex. In solemni cum *S. Thoma*, & aliis negat; affirmat in simplici, ex ratione; quia servare hoc casu Votum res adeo ardua est, ut merito credendum sit velle Deum, ut Ecclesia, benignitate sua utens, ex hac causa Votum partim relaxet, partim commutet in alia opera.

124 Quæritur 3. Quando tenuitas, vel defectus dotis aut Patrimonii sufficiens causa dispensationis sit? Resp. Sufficiens causa est tum, quamdo fæmina vel nullam, vel adeo tenuem habet dotem, ut innupta manere debeat, vel inæquali nubere. Consequenter defectum Dotis habere dicitur 1. quæ defacto nihil habet, licet spes sit ejus acquirendæ ex successione alicujus consanguinei testati, vel intestati, aut ex Legato, quod ipsi relinquetur, si hæc spes libera consanguinei dispositione destitui potest, aut jus succedendi, quod habet, sit revocabile. Navar. *consf.* 19. *de Rescript. in fin.* Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 19. *n.* 24. Corrad. *prax. Dispens. Apost. l.* 7. *c.* 2. *n.* 24. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult* §. 2. *n.* 2. Vviestner *hic n.* 84. Reiffenstuel *Append. n.* 87. Ratio est, tum, quia, cum ad ista nullum adhuc jus habeat, & possit voluntas hominis mutari vere, adhuc dicitur pauper, & carere Dote; tum quia Dos datur pro sustinendis oneribus Matrimonii. hæc autem statim incipiunt cum ipso contractu Matrimonii. consequenter requiritur Dos in re præsens, & non sufficit futura in spe.

125 2 Si Legitima, quæ filiæ à parentibus Jure est debita, ad constituendam Dotem competentem non sufficiat, ita ut ad eam augendam, ut competens fieret, plus filiæ relinquendum foret, quam cæteris liberis, præsertim masculis; nam etsi certa sit velle parentes eam præferre, adhuc dicetur pauper, & Dotis defectum pati. Sanch. *n.* 23. Reiffenstuel *n.* 86. cum cæteris *supra*; quia jus non habet, ut cæteris præferatur, sed id ex voluntate parentum pendet, qui non tenentur constituere Dotem filiæ cum diminutione Legitimæ, quæ cæteris Liberis de Jure competit.

126 3 Si bona parentum ita se habeant, ut dum ipsi superstites sunt, non possint parte bonorum, ad Dotem competentem necessaria, se spoliare, quod iis ad honestam, statuique suo congruentem vitam ducendam indigeant; nam etsi bona, in quæ parentibus defunctis filia necessario est successura, sint sufficientia ad constituendam Dotem competentem, adhuc illa dicetur pauper, & Dote carens. Henriq. *l.* 12. *de Matr. c.* 3. *n.* 25. Sanch. *loc. cit. n.* 25. Pont. *l.* 8. *de Matr. c.* 21. *n.* 23. Justis *de Dispens. l.* 3. *c.* 3. *n.* 44. Vviestner *hic n.* 84. Reiffenstuel *n.* 88. Ratio est, quia ut onera Matrimonii sustineantur, necesse est statim dari Dotem, qua non statim tradita, contemnetur uxor à viro, & parce cum ea aget.

127 4 Si bona Patrimonii acquisiti, vel cujus acquirendi spes est, sint implicata litibus, & timeri merito possit, ne fœmina, cujus causa agitur, causa cadat, nisi viro in quarto gradu conjuncto, aut aliter impedito nubat; nam si iste sit valde necessarius ratione peritiæ circa illam litem, aut alia de causa, & aliter nollet causam juvare, nisi inito Matrimonio, aliusque non impeditus deficeret, qui operam suam posset addicere, sufficiens erit ad dispensationem causa. Sanch. *n.* 20. Pont. *n.* 23. Corrad. *n.* 59. Vviestner *n.* 84. Reiffenst. *num.* 84. Ratio est, quia ad pietatem spectat, fæminæ ita destitutæ subvenire, ne bonorum jacturam patiatur. Item à fortiori dicendum, si lis solo tali Matrimonio extingueretur; tunc enim subintraret adhuc alia causa dispensandi, nempe extinctio litis, seu bonum pacis secundum dicta *n.* 106. & 107.

128 5 Si fæmina ob deformitatem, vel similem causam non potest reperire maritum dignum suo genere, nisi habeat ampliorem Dotem, quam aliæ similis conditionis, non laborantes eo defectu; si enim talis augmento hoc careat, vere patitur defectum Dotis. Conink *D.* 33. *num.* 47.

6 Si Dotem quidem habeat sufficientem ad nubendum pari in vicinia, vel alio loco extraneo, quæ tamen non sufficiat ad nubendum pari in proprio loco originis juxta dicta *n.* 109. & militat pro hoc Declaratio Cardd. *ibi* allegata.

Contra non est sufficiens dispensandi causa defectus, 129
vel tenuitas Dotis. 1. Si Sponsa quidem sit inops, & proprium nihil habeat, habeat tamen parentes divites, nam isti filiam tenentur dotare *l. fin. vers. neque enim, C. de dot. promiss.* & ratio est, quia Dos succedit loco Legitimæ *l. un.* §. *videamus* 11. *C. de rei uxor. act.* Bald. *Novell. de dot. p.* 6. *privil.* 16. Sanch. *n.* 21. Corrad. *num.* 23. Conink *num.* 48. Pont. *n.* 23. Vviestner *num.* 74. Reiffenstuel *num.* 89. *Excipitur*, si constaret, nullum ex non consanguineis, qui paris conditionis cum ea fæmina sunt, velle eam habere uxorem, eo quod communiter ubi persuadeant; parentes non daturos sufficientem Dotem. *Ratio* responsionis, & exceptionis est, quia sola causa hujus Dispensationis est, ne alias fæmina cogatur aut manere innupta, aut nuptias se indignas contrahere; & hinc quandiu de hoc non constat saltem morali aliquo modo, non est causa petendi Dispensationem; quando vero de eo constat, sufficiens est causa, undecunque proveniat. Conink *loc. cit.*

2 Si fæmina habeat quidem Dotem, quæ sufficiens sit, ut reperiat maritum suæ conditionis, qui tamen 130
sit conditionis multo inferioris, quam sit propinquus, qui eam vult ducere. propterea enim non obtinebit Dispensationem, ut cum hoc contrahere possit nuptias. Sanch. *n.* 17. Pont. *n.* 23. Vviestner *num.* 84. Reiffenstuel *n.* 89. *Ratio est*, quia tunc non agitur de damno vitando, sed de lucro acquirendo: quæ causa est longe diversa, & insufficientior; quia Pietas longe plura suadet facere, ut avertamus proximi damnum, quam ut procuremus illius lucrum. Conink *n.* 47.

3 Si fæmina, quæ Dispensationis impetratæ tempore 131
carebat Dote, antequam illa per Ordinarium expediretur, instituta est hæres, vel Legatum accepit magnæ quantitatis; nam tali casu cessavit causa Dispensationis, & sic Dispensatio ipsa corruet. Sanch. *n.* 27. Corrad. *n.* 25. Vviestner *n.* 84. Reiffenstuel *n.* 90. *Excipitur*, nisi Institutio, vel Legatum innotuerit primum post jam initum Matrimonium; tunc enim valebit adhuc dispensatio, & Matrimonium. Sanch. *n.* 28. Corrad. *n.* 27. Justis *c.* 3. *n.* 68. Reiffenstuel *n.* 91. *Ratio est*, quia cum defectus Dotis fuerit allegatus, & Matrimonium contractum tempore, quo Hæreditas, vel Legatum nondum fuerunt accepta, imo quo fæmina ista fuit inscia Juris, quod per institutionem, vel Legatum acquisivit, pie credendum est, mentem Pontificis esse pro valore Dispensationis, ne Dispensationes, & Matrimonia periculis exponantur.

Porro ad valorem Dispensationis parum refert, an 132
ipse, qui carentem Dote competente ducere intendit, dotare illam velit, an vero alius hac cum conditione, ut cum consanguineo, vel affine, aut aliud impedimentum habente contrahat. Corrad. *n.* 48. ubi addit, non vitiari Dispensationis Breve, etsi nubere volens in supplicatione afferat, se velle dotare, cum tamen alius id faciat. quia hoc mendacium est circa rem, quæ ad dispensationem nihil confert, utpote in qua pro causa dispensationis consideratur paupertas Oratricis, non habentis Dotem competentem, & ut ei cum ista liberalitate succurratur. Et sic idem *Author* fatetur se in facti contingentia pluries consultum respondisse.

Quæritur 4. An ob quamlibet ex dictis hactenus causis, 133
cum quolibet, super quovis Impedimento Ecclesiastico, & in quovis Gradu dispensetur? Resp. Negative; sed habenda est 1. ratio ipsius Impedimenti; nam quo majus est Impedimentum, eo urgentior requiritur causa. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 19. *n.* 7. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *part. ult.* §. 2. *num.* 1. Justis *de Dispens. l.* 3. *c.* 1. *n.* 92. & *seqq.* Vviestner *n.* 91. Reiffenstuel *Append. n.* 99. Ratio perspicua est, quia quo fortius; ac strictius vinculum est, eo magis urget Lex, seu Canon, ipsaque ratio prohibitionis. 2. Consideranda propinquitas Gradus in Consanguinitate, & affinitate; nam quo propinquiori gradu conjuncti sunt Oratores, eo difficilior

rursus

rursus e l Dispensario, & major requiritur causa, cum minus deceat eorum conjunctio. 3. Attendenda est qualitas Personarum, quæ secum dispensari petunt; nam cæteris paribus facilius dispensatur cum Regalibus, Ducalibus, & Principibus personis, quàm cum Nobilibus; facilius cum his, quàm cum divitibus, ac magis honestis personis; facilius cum his, quam cum plebeis Sanch. *num.* 7. Palao *num.* 1. & communiter alii cum S. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 1.

134 In gradibus Consanguinitatis lineæ rectæ Pontifex nunquam dispensat; nec in gradu primo lineæ transversæ inter fratrem, & sororem. In gradu secundo simplici, in primo, & secundo mixto, item in primo, & tertio, nec non in primo, & quarto Consanguinitatis cum Regiis, Ducalibus, & verè Principibus personis dispensat etiam ex sola prærogativa personæ, prout ex multiplici experientia, & Stylo Curiæ patet. *Ratio est*, quia deficiente etiam quacunque causa, sola prærogativa Personæ Principis constituit causam publicam, ut dictum est *suprà num.* 102.

135 Major, & urgentior causa requiritur, ut in præfatis gradibus dispensationem obtineant personæ non Principes; nam 1. cum Personis Illustribus, & valde Nobilibus, Comitibus, Baronibus, Prænobilibus dispensare Pontifex tantum solet, quando adest una ex sequentibus causis. 1. Conservatio familiæ, ne deficiat. 2. Conservatio bonorum intra eandem familiam. 3. Excellentia insignium meritorum in Ecclesiam. 4. Evitatio gravium scandalorum. 5. Infamia mulieris nobilis, orta ex copula, vel conversatione suspecta cum consanguineo. 6. Defectus omnis Dotis. 7. Inimicitiæ lethales 8. Matrimonium bona fide contractum, vel cum mala quidem, si proles jam sit ex illo concepta. 9. Causa generalis, dicta *ex certis*, & *rationabilibus causis*; ubi tamen solvenda est magna, & extraordinaria taxa pecuniaria. 10. Si ex aliis causis, quas *à num.* 102. retuli, plures concurrant simul; quia *singula, quæ non prosunt, simul collecta juvant* arg. *l. instrumentis* 5. *Cod. de Probat.* Videatur Sanchez *lib.* 8. *de Matr. D.* 19. Corrad. *lib.* 7. *prax. Dispens. Apost. cap.* 2. Justis *de Dispens. lib.* 3. *cap.* 1. Reiffenstuel *Append. n.* 111. & *seqq.*

136 2 Cum opulentis, nec non cum præcipuis personis alicujus loci super eodem secundo Consanguinitatis gradu dispensare subinde Pontifex solet. 1. Ob ætatem mulieris, si alia adhuc causa concurrat. 2. Propter inimicitias lethales. 3. Ob defectum Dotis, si Patruelis eam velit dotare, & ducere. 4. Ob præcedentem copulam, ut sic famæ, & honori mulieris consulatur. 5. Ob causam publicam, cui taxa extraordinaria pecuniæ, à dispensatis solvenda, est applicanda. 6. Si plures causæ ex levioribus supra recensitis concurrant. Reiffenstuel *num.* 121. & *citt.*

137 3 Plebejis, & pauperibus in eodem secundo Consanguinitatis gradu dispensatio datur à Summo Pontifice. 1. Ob Matrimonium bona fide contractum, præsertim si jam ex illo concepta sit proles. 2. Ob Dotis defectum, quem supplere vult Patruelis, si fœmina nuptias cum illo ineat. 3. Si proles ex consanguinea per incestum concepta sit, vel saltem copula habita, & patefacta: ob hanc enim causam passim conceditur Dispensatio pro foro externo, ut consanguinei in secundo gradu contrahere valeant, idque tum ob bonum prolis, tum ut Oratores evadant periculum vitæ; quam ultimam rationem addendam in Supplicatione vult Justis *de Dispens. l.* 3. *c.* 1. *n.* 116. Et hinc Corrad. *c.* 3. *nu.* 17. *cit:* monet, in gradu secundo simplici, & in primo, ac secundo mixto ad contrahendum Matrimonium non dispensari, nisi raro, & ubi gravia scandala, & periculum mortis ex copula carnali forsan subsecuta, vel illius suspicione Oratoribus imminent.

138 4 Ad obtinendam Dispensationem in secundo, & tertio gradu mixto pro sufficientibus habentur 1. causæ omnes, quæ sufficiunt ad dispensandum in gradu secundo simplici, aut primo mixto. 2. Ætas mulieris nondum nuptæ. 3. Angustia loci, saltem si addatur in supplicatione, quod mulier etiam extra originis locum virum hactenus non invenerit. 4. Defectus Dotis, quam Consanguineus, qui nuptias illius intendit, augere vult. 5. Extinctio litis magni momenti, aut inimicitiarum gravium. 6. Causa generalis, dicta *ex certis*, & *rationabilibus causis*, dummodo Oratores sint de honesta familia, quales omnes censentur esse, qui nulla laborant nota turpitudinis. 7. Quævis alia causa rationabilis, etiam levior ex allegatis *à n.* 102. teste Corrad. *l.* 7. *Prax. Dispens. Apost. l.* 7. *cap.* 3. *num.* 17. Justis *de Dispens. l.* 3. *c.* 1. *num.* 115. Reiffenstuel *Append. n.* 123.

5 Super tertio gradu simplici, item super tertio, & quarto mixto, & multo magis super quarto simplici dispensare Papa cum quovis solet ob quamlibet causam ex recensitis *à n.* 102. vel aliam rationabilem. Corrad. *l.* 3. *cit. num.* 17. Justis *num.* 115. *cit.* Reiffenst. *num.* 124. & alii communiter, teste continua experientia: & merito; nam hoc ipso, quod Consanguinitas in remotioribus gradibus minus forte constituat vinculum, causam dispensandi minorem exigit. 139

Quæritur 5. Ex quibus causis, cum quibus personis, & in quo gradu dispensare possit, & soleat Pontifex super *Impedimento Affinitatis*? Resp. Etsi Pontifex in quocunque gradu dispensare possit, cum, ut *Tit.* 14. *à n.* 93. ostendi, in nullo gradu Affinitatis Matrimonium Jure naturali sit irritum; tamen in quibusdam gradibus, & casibus dispensat facilius, in aliis difficilius. Hinc ante omnia distinguendum est, an Affinitas orta sit ex copula licita, vel ex illicita. 140

In Affinitate orta ex copula licita quoad *primum gradum lineæ rectæ*, ut vitricus ducere possit privignam, aut privignus novercam, nunquam dispensat Pontifex, ob naturalem indecentiam conjugii inter hujusmodi personas initi, & defectum causæ conjunctionem hanc honestantis. *In primo gradu lineæ transversæ*, ut quis ducere possit sororem uxoris suæ defunctæ, cum Personis Principibus sæpius, cum Nobilibus, & illustribus non nisi raro, cum reliquis rarissime dispensatur in foro externo. *In secundo gradu* cum principalioribus personis alicujus loci, item cum divitibus, aut etiam quibusvis aliis de honesta familia dispensati solet intuitu universalis illius causæ, dictæ *ex certis*, & *rationabilibus causis*, aucta tamen taxa pecuniaria pro bono communi applicanda. Cum taxa communi in eo gradu dispensari cum quovis solet 1. si puella Dotem non habeat. 2. Si cum ea contractam jam bona fide sit Matrimonium. 3. Si proles ex ea suscepta. 4. Si copula inita. 5. Si ex seperatione timeantur scandala. 6. Et universim ex omnibus illis causis, ex quibus dispensari solet cum consanguineis in gradu secundo. Minores causæ sufficiunt ad dispensandum in gradu Affinitatis tertio, & quarto. Reiffenstuel *Append. n.* 125. & *seqq.* 141

In Affinitate orta ex copula illicita quoad *secundum gradum* Pontifex dispensat cum quovis ex quavis rationabili causa, prout ab experientia patet, & ratio probat, quia hic gradus respectu hujus Impedimenti est ultimus, & remotissimus. Ex eadem causa Papa pro foro interno dispensare solet ante, & post Matrimonium contractum etiam in gradu primo. Genuens. *Prax. Cur. Archiep. Neap. c.* 20. *n.* 9. *in addit.* Justis *de Dispensat. l.* 2. *c.* 7. *n.* 49. Reiffenstuel *n.* 129. Et id procedit, etiamsi sit gradus primus Affinitatis ex copula illicita ortæ, ita, ut quis ducere possit filiam, cujus matrem prius fornicarie cognovit, vel matrem cujus filiæ prius carnaliter, & illicite erat commixtus, prout teste Reiffenstuel *num.* 130. habet notorius Stylus Pœnitentiariæ. In foro externo, ut dispensatio obtineatur super primo gradu Affinitatis, ex copula illicita ortæ, ut vult Justis *l.* 3. *cap.* 1. *num.* 116. non sufficit allegare infamiam mulieris, ex copula propalata exsurgentem, & gravia scandala, nisi dispensetur, sed addi debet, utrique Oratori alias etiam imminere vitæ periculum. *Excipit* P. Reiffenstuel *num.* 128. si pro verè Nobilibus sollicitetur Dispensatio; nam pro his absque hoc addito obtineri dispensatio potest ex iis causis, ob quas dispensari potest, & solet super secundo Consanguinitatis gradu. 142

Quæritur 6. Cum quibus, & ex qua causa dispensare Pontifex possit, & soleat super aliis Impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus Matrimonium? In considerationem maxime veniunt Impedimentum publicæ Honestatis ortum ex sponsalibus de futuro, Cognationis Spiritualis, Criminis, Ordinis, & Voti solemnis. 143

In Impedimento publicæ Honestatis ex Sponsalibus de futuro

turo dispensare Pontifex potest, & solet pro foro utroque cum quovis ex quavis rationabili causa; quia est unum ex minoribus Impedimentis, & propterea dispensatio super illo committi solet etiam Legatis Sedis Apostolicæ, & Episcopis ab Urbe longè distantibus, ut dictum est *suprà n.* 73.

144 *In cognatione Spirituali* distinctio est adhibenda; nam si orta illa sit ex *Compaternitate*, facilè Dispensatio impetratur, modò subsit justa causa. Si verò proveniat ex *Paternitate* dispensatio vel nunquam obtinetur, vel difficillimè, & non nisi ex urgentissima causa, qualis v. g. foret periculum vitæ Oratoribus ob carnalem eorum commixtionem imminens. Sanch. *l.* 8. *de Matrim. D.* 24. *n.* 15. Corrad. *l.* 8. *c.* 8. *n.* 15. Vinc. de Just. *de Dispens. l.* 2. *c.* 5. *à n.* 72. Reiffenst. *Append. num.* 136. Videantur dicta *Tit.* 11. *n.* 57.

145 *In Impedimento Criminis* considerandum est, an illud ortum sit ex eo, quòd alteruter machinatus sit in mortem conjugis defuncti, an verò solùm ex adulterio sine machinatione mortis. *Si primum*, & crimen istud sit publicum, pro foro externo nunquam dispensat Pontifex, ne aliis detur ansa machinandi in mortem; si verò sit occultum, dispensatur quidem super eo in Sacra Pœnitentiaria, tamen non nisi difficillime, & urgentissima de causa. Corrad. *l.* 8. *capit.* 9. Vinc. de Just. *l.* 2. *c.* 16. *à num.* 60. Reiffenstuel *num.* 138. *&* 139. *Si secundum*, in eo pro foro externo dispensat Pontifex ex causa rationabili v. g. si Oratrix diffamata, & innupta maneret, si scandala verisimiliter orirentur, & maximè, si Matrimonium jam sit contractum. Pro foro interno, si crimen istud occultum sit, recurrendum est ad Sacram Pœnitentiariam, quæ dispensationem ordinariè committit Confessario per Oratores eligendo. Videantur dicta *Tit.* 7. *à n.* 65.

146 *In Impedimento Ordinis Sacri*, *& Professionis Religiosæ* ad contrahendum Matrimonium dispensatio à Pontifice dari non solet sine causa utilitatis publicæ. Sanch. *l.* 8. *de Matrim. D.* 8. *num.* 2. *&* 8. Corrad. *l.* 8. *c.* 10. *n.* 29. Vinc. de Just. *l.* 3. *c.* 1. *n.* 107. Reiffenst. *nu.* 141. Causas hujusmodi aliquas adducit Gratian. *Discept. for. c.* 457. *usque ad nu.* 22. & alii, juxta quos sufficiens dispensandi causa adesse censetur, si Matrimonium hujusmodi Impedimento ligati necessarium sit. 1. Pro conservatione alicujus Regni, quia scilicet dispensandus est unicus illius hæres. 2. Pro conversione Regni, aut Provinciæ ad fidem, vel conservatione illius in fide. 3. Pro extinguendo, vel avertendo gravi bello, seu pro acquirenda, vel conservanda pace Regni, vel Provinciæ. 4. Pro conservatione Familiæ valde Nobilis, ne absque hærede deficiat; quia conservatio Familiarum hujusmodi etiam pro bono communi servit.

In Voto simplici Castitatis, & *Religionis*, quod est impedimentum tantùm impediens, non requiritur causa communis utilitatis, sed potest, & solet Papa dispensare etiam ex aliis causis privatis.

147 Quæritur 7. Utrum eædem causæ, ob quas ex hactenus dictis dispensare potest, & solet Pontifex, sufficiant, ut etiam Episcopi, vel alii in casibus, in quibus dispensandi facultatem habent, dispensare in Impedimentis Matrimonii possint? Resp. Distinguendo inter casus, in quibus dispensare Episcopus potest Jure Ordinario, & inter eos, in quibus facultatem dispensandi habet ex speciali indulto, vel quasi privilegio.

In casibus, in quibus Episcopus dispensare potest super Impedimento dirimente occulto pro foro conscientiæ, non sufficit quævis causa ex allegatis *à num.* 102. sed requiritur magna, seu gravis, simulque urgens causa, & necessitas, prout patet ex dictis *à n.* 79. In iis verò, in quibus super Impedimento Matrimonii dirimente dispensare potest ex speciali facultate, & privilegio, requiruntur, & sufficiunt eædem causæ, ob quas potest, & solet dispensare Papa. Reiffenstuel *Append. n.* 144. Ratio est, quia hoc ipso, quòd alicui Pontifex per privilegium, aut facultatem specialem communicet potestatem dispensandi super certis Impedimentis, quam ipse habet, præsumitur velle, ut is ea potestate utatur ex omni & sola causa illa, ob quam ipse dispensare potest, & solet; nec justè præsumi potest concedere potestatem dispensandi ex causa, ex qua ipse dispensare non solet, utpote eam insufficientem agnoscens.

148 *Ex quo sequitur*, Episcopos Germaniæ vi specialis facultatis, ipsis juxta dicta *n.* 73. concedi solitæ, ex causis *à nu.* 102. allegatis dispensare posse. 1. Cum quovis paupere super tertio, & quarto simplici, vel mixto gradu Consanguinitatis, & Affinitatis. 2. Cum quovis etiam non paupere super Impedimento publicæ Honestatis. 3. Super impedimento criminis, neutro contrahentium machinante in mortem conjugis defuncti. 4. Super Impedimento Cognationis Spiritualis, præter levantem, & levatum. *Ratio est*, quia sola facultas dispensandi super tertio, & quarto gradu restringitur ad pauperes; reliquæ autem facultates conceduntur universaliter, consf. etiam universaliter de quavis persona intelligendæ sunt. Reiffenst. *n.* 145.

Quæritur 8. An Dispensatio, obtenta à Papa ad contrahendum Matrimonium inter Consanguineos in gradu prohibito, valeat, si in ea causa falsa expressa sit? *Rationem dubitandi* facit textus *c. quia circa 6. de consang. & affinit.* ubi Innocentius III. Absaloni Lundensi Archiepiscopo, de valore Dispensationis hujusmodi interroganti, rescribens, *Dissimulare*, inquit, *poteris*, *ut remaneant* (conjuges) *in copula sic contracta*, *cum ex separatione*, *sicut asseris*, *grave videas scandalum imminere*. 149

150 Sed respondendum est distinguendo, an causa falsò expressa fuerit impulsiva tantùm, an verò motiva, & finalis. *Si primum*, cùm ista ad dispensandum non moveat, sed juvet solùm, & faciat, ut faciliùs dispensetur, ejus falsitas Dispensationem non vitiat. *Si secundum*, ex communi, & certa sententia, ejus falsitate, quamvis per simplicitatem, vel ignorantiam commissa sit, Dispensatio redditur nulla. *Et hoc procedit*; etiamsi in Litteris Apostolicis non exprimatur Clausula, *si ita est*, *si preces veritate nitantur &c.* quia clausulæ istiusmodi semper subintelliguntur. *Neque obest*, quod Pontifex in Impedimentis Juris Ecclesiastici etiam sine causa dispensare possit; quia in dubio non præsumitur istud facere, nisi ex causa expressa.

151 Intelligendum autem hoc est, quando una duntaxat causa motiva, seu finalis expressa est; nam si plures allegatæ sint, & una vera, altera falsa sit, distinguendum est, an quælibet seorsim sumpta sufficiens fuerit ad impetrandam Dispensationem, an verò non nisi simul sumptæ. *Si primum*, subsistet adhuc Dispensatio; quia quando plura non necessaria narrantur, resolvitur copulativa in disjunctivam *arg. c. cùm jam dudum* 18. *de Præbend.* at cùm disjunctivè narrantur causæ, ad valorem Rescripti sufficit unam esse veram *c. inter cæteras* 4. *de Rescript.* & *ibi* Glossa, & DD. communiter. *Si secundum*, Dispensatio corruit; quia tali casu rescribentis, vel dispensantis, consensus deest.

152 Porro an causa allegata sit impulsiva tantùm, an verò motiva, & finalis, ex dictis *Libr.* 1. *Tit.* 3. *n.* 18. ex sequentibus colligitur Regulis. 1. Si una tantùm allegata est causa, illa finalis, non impulsiva censeri debet: consf. si falsa illa sit, Dispensatio corruet. 2. Si plures allegatæ sint causæ, & ex verbis Rescripti non satis constet, an utraque, vel quænam ex illis finalis, aut impulsiva sit, in consilium adducendæ sunt circumstantiæ Rescripti, & maximè stylus Curiæ, & consuetudo Principis; nam si hoc considerato, sufficiant singulæ, quæ allegatæ sunt, singulæ motivæ erunt: contrà, si tantùm sufficiat una, altera, vel aliæ se solis non sufficiat. 3. Quodsi omnibus consideratis, remaneat dubium ex utraque parte æquale, benignius sentiunt, qui tali casu causam falsò expressam, modò non sit unicè allegata, pro impulsiva haberi volunt ex generali principio, quòd in dubio præsumendum sit pro valore actus, si is in nullius præjudicium cedat.

153 *Ad Rationem dubitandi* duplex est expositio *cit.* textus. *Prima* est Gloss. *fin. c. 6. cit.* Host. *ibid. V. dissimulare*, Joan. Andr. *n.* 3. Abb. *n.* 8. Alex. de Nevo *n.* 12. Canis. *num.* 3. Fagnan. *n.* 3. & aliorum præsertim antiquiorum, qui textum istum intelligunt, ut existiment, per dissimulationem illam Pontificis fuisse inductam Dispensationem tacitam in Impedimento, quo copulati adhuc laborabant; nam etsi dissimulatio Principis, factum non punientis, dispensationem non inducat *c. cùm jam dudum cit.* dispensare tamen intelligitur, quando super facto consultus respondet *Toleramus*, aut *Toleretur*. Verùm hæc Expositio aliis DD. plerisque displicet; idque meritò ex duplici capite. 1. Quia Pontifex eo loco solùm dicit, quòd Episcopus dissimulare possit, ut

tales remaneant in Matrimonio, per Dispensationem subreptitiam contracto, si nequeant separari sine scandalo. ergo Papa hoc casu non dispensat; nam si dispensasset, dissimulari id potuisset, licèt separatio cum scandalo non fuisset conjuncta. 2. Etsi dissimulatio haberet vim dispensationis, tamen, ut veri conjuges fierent, oportebat illos renovato consensu denuo contrahere Matrimonium, utpote quorum consensus prior fuit invalidus; neque enim Dispensatio, etiam Pontificia, vim habet convalidandi Matrimonium, quod priùs ex defectu consensus fuit irritum: multo autem minùs efficere tolerantia Papæ dissimulantis potest, ut honestetur usus Matrimonii, quod constat esse invalidum.

154 Quare meliùs Navar. *in canon. si quis autem* 4. *dist.* 7. *de pœnit. à num.* 67. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. capit.* 6. *§.* 10. *num.* 15. Cordub. *Summ. quæst.* 189. *part.* 1. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 38. *num.* 12. Gutier. *de Matr. capit.* 48. *num.* 1. Perez *D.* 45. *sect.* 8. *num.* 15. Barbos. *in c. quia circa cit. num.* 5. Gonzal. *ibid. nu.* 2. Pirhing *tit. de Consang. num.* 54. Vviestner *hìc num.* 61. & alii præsertim RR. putant dissimulationem à Pontifice in casu *c. cit.* permissam esse, quòd existimaverit, consultius esse relinqui conjuges putativos in bona fide, in qua Matrimonium contraxerunt, & adhuc persistebant, quàm separatione illorum occasionem præberi publico fidelium scandalo: & videtur omnino responsio hæc præferenda priori, tum quia magis videtur congruere Litteræ ipsius textus, in quo de Dispensatione nihil agitur, vel exprimitur, sed tantùm dissimulandum esse dicitur, ut illi permaneant in priori Matrimonio; tum verò quia scandali vitandi causa multa permitti possunt, quæ aliàs non conceduntur, multa contrà omitti, quæ fieri deberent: in qua re vel maximè multudinis haberi ratio debet.

155 Quæritur 9. An, & qualis Error vitiet, aut invalidam reddat Dispensationem? Potest Error multipliciter contingere. 1. In Nomine, & Cognomine Oratorum, si v. gr. qui reipsa appellatur Joannes, in Litteris Dispensatoriis vocetur Andreas. 2. In loco Oratorum, præsertim Diœcesis, ut si dicantur Oratores esse Diœcesis Augustanæ, cùm sint Eustadianæ. 3. In Impedimento, vel gradu illius, ut si Impedimentum Affinitatis ponatur pro Consanguinitate, gradus remotior pro propinquiore, aut vicissim.

Ad 1. Error nominis juxta Flam. *de resign. l.* 11. *q.* 6. *numer.* 53. Sanch. *l.* 8. *de Matrim. D.* 25. *numer.* 37. Vinc. de Justis *l.* 3. *de Dispens. cap.* 4. *nu.* 54. & plures alios Dispensationem Matrimonialem non vitiat: quòd colligunt *arg. l. si in nomine* 4. *C. de Testam.* ubi Gordianus Imp. *Si in nomine*, inquit, *vel prænomine, seu cognomine, seu agnomine testator erraverit, nec tamen, de quo senserit incertum sit, error hujusmodi nihil officit veritati.* Et hoc verum est, spectato Jure communi. Verùm de Stylo, & praxi Curiæ Romanæ id non procedit, sed per hujusmodi Errorem nominis Dispensatio vitiatur, ita ut de novo fieri debeat supplicatio, & novæ litteræ expediri, vel saltem prævia nova signatura supplicationis, cum vera nominis expressione, ipsæ jam expeditæ litteræ ipsorum Officialium authoritate corrigi, prout allegato testimonio omnium Curialium, monet Corrad. *Prax. Dispens. Apost. l.* 7. *c.* 5. *n.* 4. *& seqq.* ut scilicet evitarentur multæ fraudes, quæ ob mutationem nominis sub colore erroris intervenire possent. *Excipit* idem Corrad. *num.* 8. si in aliquo Dispensationis Rescripto reperiretur verisimilis error, consistens præcisè in mutatione alicujus litteræ, aut Syllabæ, ut si diceretur *Antonius* pro *Antonino*, *Bernardus* pro *Bernardino*; vel si qui appellatur *Franciscus Antonius*, uno nomine omisso, diceretur *Franciscus*; nam his duobus casibus putat dispensationem non vitiari.

156 *Ad* 2. Distinguendum est, an error contigerit in nomine Diœcesis, an verò solùm circa Patriam Oratorum. *Si in nomine Diœcesis contingat error*, invalida redditur Dispensatio, ut notant Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 21. *num.* 39. Corrad. *cap.* 5. *cit. num* 28. Vinc. de Just. *l.* 1. *c.* 4. *à n.* 66. & teste P. Reiffenstuel *Append. nu.* 213. communis ob notorium Stylum Curiæ. *Ratio est*, quia eo casu nullus Ordinarius posset exequi Litteras: non proprius Oratorum; quia eidem, ut supponitur, non fuit data commissio: nec etiam ille, cui per errorem data est; quia est contra intentionem dantis, qui non nisi Ordinario impetrantium delegare intendit, conformiter ad Conc. Trid. *sess.* 22. *c.* 5. *de reform.* ibi, *Committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Si verò circa Patriam Oratorum contingat error*, regulariter Litteræ Dispensationis, ejusmodi errorem continentes, non vitiantur. Corrad. *l. cit. à n.* 30. Vinc. de Just. *à n.* 59. Reiffenstuel *n.* 214. quia expressio patriæ, nisi sit Diœcesis, omnino non est necessaria; cons. error circa illam nihil importat. *Excipitur*, nisi petatur Dispensatio *ob angustiam loci*, vel *ob locum ad litus maris*; quia tunc locus denominatus est causa finalis, cons. vitiatur Rescriptum.

Ad 3. Interest, an error contingat in genere Impedimenti, an tantùm in numero graduum. *Si in genere Impedimenti*, ponendo Affinitatem pro Consanguinitate, aut vicissim, vitiatur Dispensatio; quia hæc est strictæ interpretationis, & non extenditur ultra expressa. *Si in numero gradus*, distinguendum est, an remotior ponatur pro propinquiore, an verò propinquior pro remotiore. *Si primum*, iterum vitiatur Dispensatio; quia in remotiore faciliùs dispensatur, & fortassis non dispensasset Pontifex, si allegatus fuisset gradus propinquior, quòd fortè causæ allegatæ ad dispensandum in eo non fuissent sufficientes. *Si secundum*, Dispensatio valet, ut rectè Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 24. *n.* 17. Vincent. de Just. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 131. Pont. *l.* 8. *c.* 17. *§.* 5. *n.* 31. Coninck *D.* 33. *n.* 79. Pal. *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult.* §. 3. *nu.* 1. Engl *hìc* §. 3. *n.* 10. Reiffenstuel *Append. n.* 216. quia tunc Pontifex dispensando in tertio, censetur etiam dispensasse in quarto gradu, cùm gradus tertius quartum comprehendat. Debent tamen esse gradus ejusdem speciei: & hinc non valet Dispensatio, quæ per errorem data est in tertio gradu Affinitatis, cùm Oratores inter se conjuncti sint in quarto Consanguinitatis. Gutier. *de Matrim. c.* 124. *num.* 9. 157

Quæritur 10. Quo tempore necesse sit veram esse Dispensationis causam? Quadruplex tempus est, de quo dubitari potest, an causæ in precibus narratæ debeant esse veræ. *Primum* est, quo Oratores Supplicationis litteras mittunt Romam. 2. Quo dispensationis litteræ Romæ expediuntur. 3. Quo istas sibi exhibitas Ordinarius, vel Confessarius exequitur, & cum Oratoribus actu dispensat. 4. Quo isti, post factam sibi dispensationis gratiam, conjugium ineunt. 158

Conveniunt Satis DD. 1. non esse necessarium, ut causa vera sit tempore, quo Oratores Supplicationis litteras mittunt Romam. Ita Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 30. *n.* 2. Perez *D.* 45. *sect.* 6. *n.* 2. Vviestn. *hic nu.* 93. Reiffenstuel *Append. nu.* 218. & teste Sanch. *l. cit.* DD. ferè omnes, dissentiente tamen Vincent. de Just. *l.* 1. *de Dispens. c.* 6. *n.* 299. *&* 300. cum nonnullis aliis Colligitur ex *c. quia circa* 6. *de Consang.* & *capit. si eo tempore* 9. *de Rescript. in* 6. juxta quos textus non tempus antecedens Dispensationem, sed ipsius concessionis Pontificiæ attenditur. Et ad hoc tempus referri etiam debet Clausula, in Dispensationibus addi solita, *Si preces veritate nitantur*. Ratio est, quia veritas precum ad id solùm requiritur, ne Dispensatio à rectitudine deficiens sit dissipatio. talis autem jam non est, quando causa, in supplicatione allata, tempore concessionis Pontificiæ vera est. *Neque obstat* textus *c. super litteris* 20. *de Rescript.* ubi Innocentius III. statuit, eos, qui falsitatem per malitiam exprimunt, in suæ perversitatis pœnam nullum ex Apostolicis Litteris commodo consequi; hoc enim verum duntaxat est, quando causa etiam tempore concessionis falsa est. *Ex quo sequitur*, falsitatem causæ eò usque esse extrinsecam, & ideo per illam Rescriptum Dispensationis non vitiari. 159

Conveniunt 2. Si Litteræ Apostolicæ, ut Stylo veteri fiebat, contineant gratiam jam factam, necessarium esse, ut causa vera sit tempore, quo Dispensationis Litteræ expediuntur Romæ. *Proceditque*; hoc, etsi causa antè extiterit, vel post existat; nisi enim subsistat etiam eo tempore, quo expediuntur Litteræ, gratia non subsistit. Ita Host. *in cap. quia circa cit. V. ingressa*, Joan. Andr. *ibid. numer.* 3. Abb. *numer.* 4. Alex. de Nevo *nu.* 4. Gutier. *qq. Canon. l.* 2. *capit.* 15. *numer.* 131. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 30. *num.* 4. Perez *D.* 45. *sect.* 6. *num.* 3. Barbos. *in cap. quia circa citat. num.* 2. Fagnan. *ibid. num.* 2. Gonzal. *num.* 4. Honor. *tit. de Consang. numer.* 20. Pirhing *ibid. numer.* 59. Vviestner *hìc num.* 94. Magnif. 160

gnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matrim. capit.* 1. *numer.* 59. & colligitur ex *capit. quia circa*, & *capit. si eo tempore citat.* Ratio est, quia Dispensationis gratia fit cum expressa, vel saltem subintellecta clausula, *Si preces veritate nitantur.* igitur Dispensationis sensus erit. *Concedo gratiam, si vera sit causa, pro impetratione gratiæ allegata*: conf. si non sit actu vera, licèt vera fuerit, Dispensatio ex defectu consensus erit irrita Dixi, *Si contineant gratiam jam factam*; nam si, ut moderno Stylo solet, teste Corrad. *prax. dispens. Apost. lib.* 7. *capitul.* 6. *numer.* 25. Litteræ Apostolicæ contineant gratiam faciendam, sive mandatum duntaxat dispensandi, sufficiet, si causa, pro impetranda dispensatione allegata, vera sit tempore actualis Dispensationis, ut cum eodem *Corrado* rectè advertit P. Reiffenstuel *Append. n.* 220.

161 *Conveniunt* 3. Veritatem causæ perseverare, vel saltem existere debere tempore, quo fit executio Litterarum Dispensatoriarum ab Ordinario, vel Confessario, & vi illarum actu ab his conceditur Dispensatio. Ita Sanch. *D.* 30. *cit. n.* 12. Suar. *l.* 6. *de LL. c.* 20. *n.* 13. Pont. *l.* 8. *c.* 20. *n.* 3. Corrad. *c.* 6. *cit. n.* 24. Vinc. de Just. *l.* 1. *c.* 6. *num.* 285. Perez *l. cit. n.* 4. Vviestner *hic nu.* 95. Reiffenstuel *num.* 221. *Ratio est*, quia hoc casu Litteræ Pontificiæ non continent ipsam Dispensationem, sed tantùm Mandatum de dispensando, & quidem conditionatum, *Si ita est, si preces veritate nitantur.* Igitur, ut Dispensatio ab Ordinario, vel Confessario, vi talis mandati facta, sit valida, necesse est, ut conditio illa impleta sit: non autem censetur impleta, quando causa finalis tota tempore Dispensationis actualis cessat; quia jam non est ita, sicut Pontifex voluit, ut sit, pro validè dispensando. *Conf.* Quia Pontifex Ordinario, vel Confessario dedit tantùm facultatem dandi Dispensationem justam, non verò injustam. atqui Dispensatio, in quo tota causa finalis cessat, esse injusta, utpote destituta legitimitate causæ. ergo &c.

62 *Conveniunt* 4. Quando Gratia non facta, sed facienda est, sufficere, si causa motiva verificetur tempore, quo Delegatus actu dispensat, etsi tempore, quo sollicitata, & Romæ impetrata est gratia dispensationis, causa illa nullatenus extiterit, nec vera fuerit. Ita Garc. *p.* 6. *de Benef. capit.* 2. *num.* 283. Corrad. *num.* 24. & 25. *citatt.* Reiffenstuel *num.* 223. nam tunc jam censetur impleta conditio, sub qua Pontifex potestatem dispensandi delegat; mandat enim Delegato, ut dispenset, si invenerit, rem de facto se ita habere, prout proponitur in precibus: quod in hac specie facti verum est. *Ex quo sequitur*, posse Ordinarium, vel quemcunque alium Delegatum vi Litterarum Pontificiarum dispensare cum eo, qui has impetravit ex causa paupertatis, si tempore, quo Dispensatio datur, verè pauper sit, licèt antea tempore Supplicationis, vel expeditionis Litterarum talis non fuerit. *Contrà* non potest dispensare in sequentibus casibus. 1. Si petita fuit Dispensatio ex defectu Dotis, & antequam Delegatus dispenset, puella, quæ antea Dote caruit, eam donatione, hæreditate, vel alia via acquirat. 2. Si petita fuit Dispensatio ex causa litis super re magni momenti, & ante Dispensationem à Delegato factam lis illa plenè sit terminata. 3. Si petita fuit Dispensatio ob angustiam loci, & ante executionem à Delegato factam mulierem pro Matrimonio expetat vir æqualis cùm ipsa conditionis. Reiffenstuel *num.* 222.

163 *Difficultas* est, utrum causa, pro impetranda Dispensatione allegata in Supplicatione, verificari debeat etiam illo tempore, quo Oratores post factam sibi gratiam Dispensationis, ea utuntur contrahendo Matrimonium? Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 30. *num.* 14. & Coninck *D.* 33. *numer.* 94. putant illam fore invalidam, si eo tempore causa non subsistat: quod probant. 1. Quia cessante causa cessat effectus *c. cùm cessante* 60. *de Appellat.* igitur si cesset causa finalis, ob quam concessa est Dispensatio, cessabit, & revocata censebitur ipsa Dispensatio. 2. Paria sunt, nullam ab initio fuisse causam, & fuisse aliquam, sed illam desiisse; nam etiam quando ab initio ex causa promissum est, si dein causa illa finita est, aut non secuta, condictioni est locus, ut dicitur *l. est & hæc* 1. *§. sive* 2. *ff. de condict. final. caus.* sed si ab initio nulla fuisset causa, Dispensatio non valeret; ergo nec valebit, si illa deinde cesset. 3. *Actus agentium non operantur ultra intentionem illorum* arg. *capit. fin. de Præbend.* atqui dispensans non censetur dispensasse, nisi sub hac conditione saltem tacitè intellecta, *dummodo causa permaneat*; nam alioquin malè dispensasset, si voluisset dispensationem suam extendi ad eum casum, quo causa prorsus cessaret. 4. Dispensatio comedendi carnes in Quadragesima propter specialem infirmitatem cessat, cessante postmodum illa infirmitate; ergo etiam cessabit dispensatio. 5. Privilegium Patri concessum substituendi filio furioso cessat, filio sanæ mentis effecto, ut patet ex *l. ex facto* 43. *pr. ff. de substit. vulg.* ex ratione; quia *iniquum incipit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus; auferret enim testamenti factionem hominis sanæ mentis.*

Sed his non obstantibus, probabilius est, Dispensationis gratiam factam in Impedimento non cessare, vel finiri, etsi causa post eam indultam ante Matrimonium à dispensatis contractum cesset existere. Ita Sylv. *V. Dispensatio q.* 11. Suar. *l.* 6. *de LL. cap.* 20. *numer.* 15. Gutier. *de Matr. c.* 120. *n.* 2. *v. si autem in fin.* Pont. *l.* 8. *c.* 22. *n.* 4. Vincent. de Just. *l.* 3. *de Dispens. c.* 1. *n.* 82. Perez *D.* 45. *sect.* 6. *nu.* 6. Gobat *tr.* 9. *nu.* 677. Vviestner *hic. num.* 96. Reiffenstuel *Append. numer.* 27. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. c.* 1. *n.* 60. Ratio est, quia post factam à Delegato executionem, seu actualem Dispensationem, gratia Dispensationis jam est perfecta, & vinculum, seu impedimentum absolutè sublatum; atqui Impedimentum, quod semel, legitimè facta Dispensatione, sublatum est, non ampliùs redit, sed extinguitur ipso actu dispensationis factæ *arg. cap. ex tua* 9. *de fil. Presbyt.* junct. Gloss. *ibid. V. irritari*, & *Regul.* 73. *in* 6. ibi, *Factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.* 164

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. Regula, quòd *cessante causa, cesset effectus*, procedit, quando effectus necdum plenè perfectus, & consummatus est: secus est, quando est plenè perfectus, uti in proposito, ubi per præviam Dispensationem vinculum Impedimenti Matrimonialis est omnino sublatum. *Ad* 2. Condictioni sine causa locus est, quando promissum est ex causa, quæ dein desiit; quia promittens intentionem suam alligavit non solùm existentiæ, sed perseverantiæ conditionis: quod in casu præsenti non fit. *Ad* 3. Conditio *si ita est, si praces veritate nitantur*, solùm refertur ad tempus Dispensationis concedendæ, unde si res ita se habeat tempore, quo concessa est Dispensatio, vinculum Impedimenti absolutè solvitur. *Ad* 4. sicut obligatio abstinendi à carnibus, ita etiam Dispensatio, ob infirmitatem ad his vescendum concessa, successiva, & virtute multiplex est pro numero dierum Quadragesimæ, quorum singulis cùm virtualiter singulæ Dispensationes respondeant, singulæ exigunt justam causam, ut adeo mirum non sit, si causa respectu posteriorum cum tempore cesset, etiam respectu eorum Dispensationem cessare. Secus est in Dispensatione super impedimento; quia hæc unica, & individua est, atque ad unum, & indivisibilem effectum tota simul conceditur, ita ut, si causa tempore concessionis existat, tota consummatur, & consequatur effectum suum, sive ablationem Impedimenti. *Ad* 5. Substitutio illa Exemplaris est, quæ hujus naturæ est, ut si furiosus, vel mente captus sanitatem ita recuperaverit, ut ea stabilis, vel saltem ad notabile tempus duratura sit, exspiret *§. qua ratione* 1. *Instit. de pupill. substit.* & *leg. humanitatis* 9. *C. de impuber.* & *aliis substit.* & ratio clara est; quia jam potest facere sibi testamentum, ob cujus potentiæ defectum unicè inducta est hæc substitutio. 165

Quæritur 11. An valida sit dispensatio facta ex causa, quam Orator fideliter exposuit, & dispensans bona fide, & rationabiliter putavit esse justam, & sufficientem, licèt revera esset insufficiens? Pontius *l.* 8. *de Matr. c.* 14. *numer.* 8. & Palao *tr.* 3. *D.* 6. *p.* 8. §. 2. *numer.* 5. existimant esse invalidam, idque ex duplici Argumento. 1. Quia aliàs sequeretur, etiam Matrimonium fore validum, quod à Sponsis in gradu prohibito initum est, quia bona fide putabant, dispensatione sibi opus non esse. 2. Quia allegantes, Superiorem sine legitima causa dispensasse, audiuntur in Romana Curia, licèt ille bona fide existimarit, eam esse legitimam. 166

Sed

167 *Sed dicendum*, ejusmodi Dispensationem probabiliùs esse validam. Ita Azor *part.* 1. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 6. Thom. Sanch. *lib.* 8. *de Matrim. D.* 17. *n.* 8. Joan. Sanch. *select. D.* 54. *nu.* 39. Perez *D.* 45. *sect.* 1. *nu.* 3. Vviestner *hic numer.* 97. Ratio est 1. quia non est verisimile, quòd alia sit mens Summi Pontificis circa Leges suas, quàm sit DEI circa suas; atqui DEUS ratam haber Dispensationem circa Leges suas, in quibus dispensandi facultatem concessit homini, modò iste dispenset ex causa, quam rationabiliter judicat esse legitimam; ergo & Pontifex. 2. Hujusmodi Dispensationes subsistere petit legitima Ecclesiæ gubernatio, ut fidelium obvietur scrupulis, eorumque conscientiæ tranquillentur. 3. Etiam alia, quæ à Prælatis bona fide, & prudenrer gesta sunt, firmitatis robore non destituuntur; nec facilè infringuntur.

168 Ad Argumenta contraria non est difficilis responsio. *Ad* 1. negatur paritas; nam actus, à privatis bona fide gestos, valere non exposcit recta Ecclesiæ, & fidelium gubernatio, cùm eorum nullitas non sit obnoxia incommodis, quæ secum trahit nullitas eorum, quæ à Prælatis bona fide, & debita circumspectione geruntur *Ad* 2. allegantes, Superiorem sine legitima causa dispensasse, ideo audiuntur, quia dubium est, an is prævia cognitione causæ, & debita circumspectione processerit dispensando. Accedit, quia in Curia Apostolica peti, & impetrari sæpe Dispensationes solent, non ob præcisam earum necessitatem, sed ex superabundantia ad majorem securitatem hominum scrupulosorum, & plenè tranquillandas eorum conscientias, ut rectè observat Perez *l. cit. n.* 4. *in fin.* Vviestner *n.* 98.

§. VII.

De exprimendis in Litteris, quibus impetratur Dispensatio super Impedimento Matrimoniali.

SUMMARIUM.

Sicut Obreptitiam Dispensationem facit falsitas Causæ, in supplicatione expressæ, ita Subreptitiam eandem reddit suppressio, vel reticentia eorum, quæ exprimi de Jure, vel consuetudine, aur Stylo Curiæ Romanæ debenr. *Ex quo sequitur*, super quocunque impedimento peratur dispensatio, hæc omnia diligenter exprimenda esse, aliàs, si aliquid illorum, etiam per ignorantiam, omissum fuerit, Dispensatio erit invalida, etsi illo expresso, adhuc Papa dispensasset. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 21. *à n.* 13. Vinc. de Just. *de Dispens. l.* 1. *c.* 4. *n.* 4. *&* 18. & teste P. Reiffenstuel *Append. n.* 149. communis aliorum. *Ratio est*, quia expressio illorum pro forma requiritur; atqui forma ad unguem est observanda *arg. cap. si motu* 23. *de Præb. in* 6. ubi deciditur, ex quantumvis modici Beneficii taciturnitate alterius impetrationem Subreptitiam reddi. *Contrà* sine vitio Dispensationis in Supplicatione omitti possunt, quæ de Jure, vel stylo exprimenda non sunt, si expressis illis, Papa nihilominùs, etsi difficiliùs, dispensasset; nam si hæc etiam oporteret exprimere, vix ulla Dispensatio foret tuta. Vinc. de Just. *l. cit. n.* 12. 169

Quæritur 1. Quænam observari, & necessariò exprimi debeant in Supplicatione pro impetranda quacunque dispensatione Matrimoniali, ne subreptitia censeatur, vel omnino denegetur, aut defectuosa reputetur? Resp. 1. exprimendum est *Nomen*, & *Cognomen* Oratorum, siquidem Dispensatio petatur in *Dataria*; nam si petatur in S. Pœnitentiaria, hoc non exprimirur, sed fictum loco veri ponitur, e. g. *Titius* &c. Debentque nomina ipsa, sive cognomina in Supplicatione exprimi non abbreviatè, seu truncatè, sed per consequentiam litterarum, & characteres claros, prout teste Corrad. *Prax. Dispens. Apost. libr.* 7. *cap.* 5. *num.* 23. haber stylus Datariæ: ex quo etiam non admittuntur in Supplicatione Nomina Diminutiva *Antonellus*, *Franciscbellus*, sed debet dici *Antonius*, *Franciscus*, teste eodem Corrad. *loc. citat.* Si in Nomine contingat error, & ponatur unum pro altero, vitiatur Dispensatio, seu Mandatum Dispensatorium, ut dictum est *suprà num.* 155. Cognomen tamen Oratorum, si in Urbe ignotum sit, sollicitatore supplere potest ex Arbore Consanguinitatis, si hæc simul cum Supplicatione in Urbem transmissa sit. In Exemplo, si ex dicta arbore constet, patrem Oratoris vocari *Franciscum*, Oratricis verò *Antonium*, sufficiet dicere: *Exponitur pro parte Stephani nati Francisci, & Catharinæ natæ Antonii*: & idem erit, si in ipsa arbore aderunt nomina Matrum Oratorum. Imò vox *Nati*, & *Natæ* ex praxi Curiæ Romanæ, ut Corradus *num.* 19. notat, omitti potest, & sufficiet dicere *pro parte Stephani Francisci*: ne autem puterur unicum esse nomen compositum, juxta praxin ejusdem Curiæ utrumque nomen scribitur cum prima littera majuscula, cùm si sit nomen compositum, primum tantùm nomen scribatur sub littera majuscula, alterum sub parva, nulla distanria adjecta, nempe *Stephanifrancisci*, *Joannæmariæ*. Si verò neque ex ipsa Arbore, neque aliunde haberi possit notitia horum Cognominum, ne tempus propterea amittatur, poterit porrigi Supplicatio, confingendo ad libitum ipsa Cognomina; quia habita postmodum eorum notitia, in Litteris Dispensationis suppleri possunt. Corrad. *l. citat. num.* 20. nisi Dispensatio petita sit *in forma pauperum*; nam ibi defectus cognominum in Litteris Dispensationis suppleri nequit, eodem teste *num.* 21. 170

2. Exprimi debet *nomen Diœcesis*, ex qua Oratores orti, vel oriundi sunt, juxta dicta *num.* 156. Et quidem, si ipsi Oratores sint diversarum Diœcesium, non sufficit explicari Diœcesim alterutrius, ut vult Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 35. *n.* 5. sed exprimi debet utraque, ut ex Stylo notorio Curiæ Romanæ, & ratione probat Corrad. *l. citat. n.* 26. quia mens Papæ, ejusque Cancellariæ est semper Dispensationis executionem committere Ordinario Oratricis; si autem unius tantùm Diœcesis exprimeretur, contingere posset, ut contra mentem Papæ Litteræ dirigerentur non Oratricis, sed Oratoris Ordinario, ac propterea illarum Execuror, si hujusmodi Stylum ignotet, perperam Litteras ipsas exequererur. 171

Quod-

Quodſi Oratores domicilium diſtinctum à loco originis, & in alia Diœceſi habeant, & ipſi velint Litteras dirigi ordinario domicilii, expreſſis verbis iſtud peti in ſupplicatione debebit; quia, ut reſte Corrad. *loc. cit. n.* 31. notorius eſt ſtylus curiæ, Litteras diſpenſationis Pontifex ordinario domicilii non ſolet dirigere, niſi à partibus id expreſsè petatur. *Locus Oratorum* ordinarie non debet exprimi, ſed in tribus duntaxat caſibus, videlicet, ſi ſimul Diœceſis ſit, & ſi petatur diſpenſatio ob anguſtiam loci, vel ob locum ſitum ad litus maris. Corrad. *n.* 30.

172 3 Exprimi debet deſiderium ineundi matrimonium, vel in jam inito remanendi cum una, vel pluribus *cauſis* ad id moventibus. Si copula allegatur pro cauſa diſpenſandi in aliquo impedimento, debet exprimi, an ſub ſpe facilius conſequendi diſpenſationem fuerit habita, vel non. Gutier *lib.* 1. *can. qq. cap.* 15. *num* 20. Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 25. *n.* 38. Vinc. de Juſt. *l.* 1. *cap.* 4. *n.* 266. Gobat *Theol. Exper. tract.* 9. *nu.* 626. Engl *hic* § 3. *n.* 10. Reiffenſtuel *Append. n.* 155. & patet ex notorio ſtylo curiæ Apoſtolicæ, quæ in Reſcriptis diſpenſationum hujuſmodi ſolet inſerere clauſulam; *Dummodo copula habita non ſit ſpe diſpenſationem facilius obtinendi*; idque merito, ne quis ex fraude, & dolo ſuo facile reportet commodum contra *c. ſi vir* 2. *de cognat. ſpir.* & *c. propoſitum* 1. *de eo, qui duxit &c.* cum concordantibus. *Proceditque hoc*, etſi unus duntaxat ea ſpe iniiſſet copulam, vel uterque, quin tamen unus hanc ſuam ſpem manifeſtarit alteri, ut contra *Portell*, *Dianam*, *Gobat*, & alios ex ſtylo curiæ docet Corrad. *l.* 8. *prax. diſpenſ. Apoſt. cap.* 1. *nu.* 18. *& ſeqq. Aliud eſt*, ſi habita copula ſine ejuſmodi intentione, ſed veſana libidine tantum impellente; tunc enim reticentia ejus diſpenſationem non vitiat, ut veriſimilius docent Navar. *Man. c.* 21. *n.* 86. *v.* 5. Henriq. *l.* 8. *c.* 17. § 6. *nu.* 32. Pont. *l.* 8. *c.* 17. *n.* 32. Huttad. *de matr. D.* 26. *num.* 23. Vvieſtner *hic num.* 113. Ratio eſt, quia reticentia veritatis, quæ ſi exprimeretur, Papam moveret ad facilius concedendam gratiam, Reſcriptum non vitiat; talis autem eſt copula carnalis, habita inter ſponſos, ſine intentione facilius impetrandi diſpenſationem, ut omnes agnoſcunt; ergo &c. Et hoc verum eſt teſte Pont. *n.* 33. & alii ab hoc relatis, etſi diſpenſationi, pro foro externo obtentæ, adjecta ſit clauſula, *Dummodo copula non ſit habita*; quia intelligenda eſt de copula habita cum intentione facilius impetrandi diſpenſationem.

173 4 Exprimi debet *genus impedimenti*, ſuper quo petitur diſpenſatio; nam aliqua impedimenta ſunt, in quibus etiam Pontifex diſpenſare non poteſt, quia Jure naturali, vel Divino ſunt introducta, ut ſunt Ætas uſu rationis carens, impotentia, conſanguinitas in primo gradu Lineæ rectæ, Ligamen, ſive matrimonii conſummati vinculum. In aliis diſpenſare quidem poteſt, ſed nunquam ſolet, vel rariſſime, ut in voto ſolemni, diſparitate Cultus, in gradu conſanguinitatis ſecundo, & ulterioribus Lineæ rectæ, in primo Lineę tranſverſæ, in primo Affinitatis lineæ rectæ &c. In aliis denique diſpenſatione opus non eſt, ut in impedimento erroris, conditionis ſervilis, Vis, & Metus, Raptus, Clandeſtinitatis; ſufficit enim, ſi ceſſante errore, ignorantia ſtatus, metu, violentia, renovetur conſenſus per verba de præſenti, idque vel privatim, ſi prius celebratum ſit conjugium coram Parocho, & teſtibus, & impedimentum ſit occultum; vel adhibito Parocho, & teſtibus, ſi prius clam contractum eſt, aut impedimentum publicum ſit, vel timeri poſſit, ne publicum fiat, ut dictum eſt *ſupra tit.* 3. *n.* 118. *& ſeqq.*

174 5 Si Oratores plura impedimenta habeant, debent omnia fideliter exprimi. *Proceditque hoc* non tantum, quando impedimenta ſunt diverſæ rationis, ut ſi ſimul ſint conſanguinei, & affines, vel Cognati ſpirituales &c. ſed etiam quando ejuſdem ſunt rationis; quia duplex conjunctio eſt fortior, & intenſior ſimplici, & propterea difficilius relaxatur. Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 24. *n.* 5. Gutier *c.* 124. *de matr. nu.* 1. Conink *D.* 33. *n.* 81. Pont. *l.* 8. *D.* 17. *n.* 25. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p. ult.* § 3. *n.* 1. Perez *D.* 45. *ſect.* 5. *n.* 4. Vinc. de Juſt. *de diſpenſ. l.* 1. *c.* 4. *a n.* 96. Gonzal. *in c.* 6. *de conſang. n.* 4. Vvieſtner *hic num.* 107. *&* 108. Reiffenſtuel *Append. nu.* 151. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 1. *n.* 65. & ratio univerſim eſt; quia diſpenſatio utpote à Jure exorbitans ultra expreſſa non extenditur; conf. ſi aliquod impedimentum omittitur, diſpenſatione non tollitur, ſed adhuc manet, & obſtat; nam Papa non cenſetur velle ſanare defectum, quem ignorat *argum. cap. ſi eo tempore* 9. *de reſcript. in* 6.

Ex quo ſequitur, non ſatisfieri allegatione ſimplici cognationis, vel alterius impedimenti, ſed neceſſario faciendam mentionem duplicis vinculi in ſequentibus caſibus, 1. Si Titius, & Caja, qui diſpenſationem petunt in impedimento conſanguinitatis, ſint conjuncti tam ex parte patris, quam ex parte matris, 2. ſi Mævius, volens matrimonium contrahere cum Livia, cognovit carnaliter duas ejuſdem conſanguineas in primo, vel ſecundo gradu, 3. Si Sempronius ex Baptiſmo ſuſcepit prolem Mæviæ, quam vult ducere, & hæc viciſſim prolem Sempronii, 4. Si Mævius vult ducere Cajam, ſed cum duabus ejuſdem conſanguineis prius contraxit ſponſalia, vel matrimonium ratum, 5. Si Orator cum duabus ejuſdem viri uxoribus, interveniente adulterio, matrimonium defacto contraxit, vel de contrahendo fidem eiſdem dedit, 6. Si in necem duorum ejuſdem maritorum, ea conſentiente, & Matrimonii cum illa ineundi intentione eſt machinatus, 7. Et multo magis, ſi Oratorum conjugio obſtent plura impedimenta diverſæ rationis, e. g. quod ſimul ſint conſanguinei, & affines, vel cognati ſpirituales. 175

6 Omnia impedimenta, quæ obſtant matrimonio, exponi debent in una, eademque ſupplicatione. *Contrarium* quidem defendunt Navar. *tit. de conſang. conſ.* 1. *&* 4. *n.* 2. Henriq. *l.* 12. *c.* 3. *n.* 8. Conink *D.* 33. *num.* 74 Gonzal. *in c.* 6. *de conſang. n.* 8. qui putant, ſufficere, ſi diverſis litteris diſpenſatio petatur ſuper ſingulis impedimentis, & probant 1. quia nec Jure expreſſum, nec ſtylo Curiæ receptum eſt, quod plurium impedimentorum diſpenſatio iiſdem Litteris peti debeat, 2. Unum impedimentum ſine altero dari poteſt; ergo etiam unum ſine altero tolli, 3. Vallet impetratio Abſolutionis ab una excommunicatione, non facta mentione de aliis, quibus idemmet ligatur, 4. Impetratio veniæ diverſorum criminum, ut furti, & homicidii, valet ſeorſim facta. 5. Alias cogeretur quis facere jacturam propriæ famæ, & fœminæ; qui enim peccaſſet cum ſorore conſanguineæ ſuæ, nequiret impetrare diſpenſationem ad contrahendum cum hac matrimonium, niſi etiam explicaret inceſtum, cum ejus ſorore commiſſum. 176

Sed omnino dicendum, omnia impedimenta iiſdem litteris exponenda eſſe Ita Abb. *in c.* 8. *de conſang. & affinit. n.* 12. Alex. de Nevo *ibid. nu.* 11. Brunell. *de ſponſal. concl.* 26. *num.* 3. Sylveſt. *V. matrimonium* 8. *quæſt.* 14. *dict.* 3. Covar. *part.* 2. *de ſponſal. c.* 6. § 4. *fin.* Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 23. *nu.* 2. Gutier *c.* 123. *de matr. n.* 22. Pont. *l.* 8. *cap.* 13. *num.* 32. Vinc. de Juſt. *de diſpenſ. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 87. Boſco *de matr. D.* 12. *ſect.* 13. *concl.* 11. Vvieſtner *hic num.* 110. Reiffenſtuel *Append. num.* 152. Ratio eſt, quia ne diſpenſatio ſubreptitia ſit, exponi neceſſe eſt impedimentum ſecundum totam ſuam gravitatem, quæ conceſſionem intrinſece difficiliorem reddit; talis eſt concurſus plurium impedimentorum reſpectu ejuſdem matrimonii; quia quo plura ſunt, eo fortius ligant, & hinc ob pluralitatem impedimentorum ſæpe negatur diſpenſatio. *Conf.* quia Papa, concedens diſpenſationem ſecundum allegata, cenſetur ſemper diſpenſare ſub tacita conditione; *Si aliud non obſtet*; obſtat autem in caſu propoſito impedimentum, de quo non eſt facta mentio; ergo &c. 177

Excipi debent duo caſus, in quibus non eſt neceſſarium, ut impedimentum utrumque iiſdem Litteris exprimatur. *Primum eſt*; ſi impedimentum alterum ſine diſpenſatione alia via tolli poſſit, v. gr. ſi cum conſanguinitate concurrat impedimentum Voti Caſtitatis ab impubere editi, vel ſponſalium contractorum cum alia; nam votum tolli irritatione Patris, & Tutorum, ſponſalia ſponſæ prioris remiſſione poſſunt. Sanchez *n.* 6. Gutier *n.* 22. *v. eſt tamen*. *Secundus*, ſi unum impedimentum ſit notorium, alterum occultum, & tale, ut ſine infamia manifeſtari nequeat, e. g. copula inceſtuoſa cum conſanguinea, vel machinatio in necem conjugis, quæ conſanguinea eſt illi, quam quis vult ducere 178

tunc enim unis Litteris super impedimento notorio peti potest dispensatio pro foro externo, aliis ex Pœnitentiaria super impedimento occulto pro foro interno, explicato tamen in his ultimis etiam impedimento notorio, non quod Pœnitentiaria etiam super hoc dispenset, aut quasi ab illa dispensatio super illo petatur, sed quia Pœnitentiaria etiam super impedimento occulto difficilius dispensat, quando jungitur cum alio, vel aliis impedimentis. Sanchez *n.* 7. Gutier *n.* 22. *v. secundo*, & *cap.* 124. *num.* 13. Vinc. de Ju[st]. *lib.* 1. *cap.* 4. *à num.* 103. Reiffenstuel *nu.* 153. Ratio exceptionis hujus secundæ est, quia jure optimo præsumitur, Papam non velle, ut cum infamiæ periculo occultum crimen sibi exponatur. *Neque hoc casu refert*, sive prius proponatur utrumque impedimentum S. Pœnitentiariæ, & postea publicum Papæ, sive econtra; quia idemmet est effectus, & utroque modo satisfit intentioni Pontificis. Sanchez Gutier *loc. cit.* ubi addunt, posse tunc confessarium, cui S. Pœnitentiaria committit dispensationem in impedimento occulto, dispensationem dare, licet nondum sit impetrata dispensatio super impedimento publico, ut postea, hac impetrata, oratores licite possint contrahere.

179 Sic limitatæ responsioni non obsunt Argumenta *n.* 176. opposita. *Ad* 1. Sanchez *nu.* 7. pro nostra sententia allegat declarationem Cardd. Vinc. de Just. *loc. cit.* praxim, & stylum Curiæ Apostolicæ. *Ad* 2. Licet tolli unum Impedimentum sine altero possit, id tamen ordinarie non fit à Papa, quippe qui dispensare non intendit, nisi impedimentum cum tota sua gravitate expositum sit. *Ad* 3. Ad valorem absolutionis ab excommunicatione nullo Jure cavetur, ut impedimentum aliquod expliceiur, præter eam causam præcisè, ob quam excommunicatio, cujus absolutio petitur, incursa est; imò nec eam causam necesse est explicare; quia adhuc ipsa excommunicatione per oblivionem non explicata, manet pœnitens ab ea absolutus per absolutionem generalem ab excommunicatione, quæ absolutioni à peccatis præmitti solet. *Ad* 4. Impetratio veniæ diversorum criminum tendit ad diversos fines, & una non pendet ab altera; at dispensatio utriusque impedimenti tendit ad idem matrimonium ineundum, cui utrumque illud impedimentum resistit. *Ad* 5. Patet ex *n. præc.* ubi excipitur, si ex alicujus criminis expressione sequeretur infamia.

180 7 Si petatur dispensatio super impedimento consanguinitatis, vel alio quocunque, post matrimonium jam contractum, ut ex communi, & certa sententia Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 25. *n.* 22. *& seqq.* Corrad. *l.* 8. *Prax. dispens. Apost. c.* 13. *n.* 1. *& seqq.* Perez *D.* 45. *sect.* 7. *num.* 7. Vviestner *hic num.* 111. Reiffenstuel *Append. num.* 157. *& seqq.* notant, exprimendum est 1. an oratores illud bona, vel mala fide contraxerint, scientes, vel ignorantes inter ipsos intercedere impedimentum. 2. Si mala fide, & cum scientia impedimenti, an illud contraxerint sub spe facilius consequendi dispensationem, vel si hanc intentionem expressè non habuerunt, an ita mala fide contractum consummarint. 3. Si vero bona fide, & cum ignorantia impedimenti contraxerunt, an id contraxerint præmissis, vel omissis sine justa causa denuntiationibus. Patet ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* ubi sic contrahentes dispensationis consequendæ spe carere voluit: non quidem simpliciter; quia Concilium Papæ manus ligare non potuit, nec etiam voluit, ut Synodi laudatæ PP. *sess.* 25. *c.* 21. *de reform.* ipsimet declarant; sed eum instruendo, & hortando, ut hujusmodi dispensationes raro, & non nisi ex justissima causa concedat.

181 *Proceditque hoc* non tantum, quando Oratores cum impedimento consanguinitatis, vel Affinitatis, sed etiam, quando contraxerunt cum quocunque alio impedimento dirimente, ut teste Corrad. *l.* 8. *c.* 3. *nu.* 2. habet stylus, & praxis notoria Romanæ Curiæ. *Neque obstat*, quod Trid. *c.* 5. *cit.* tantum loquatur de iis, qui contrahunt in gradibus prohibitis, & constitutio ipsius sit pœnalis; conf. restringenda; quia etiam constitutiones pœnales extendendæ sunt ad casum, quem ratio, qua moti fuerunt Trid. PP. ad Decretum hoc faciendum, unica fuit, quod *indignus sit, qui Ecclesiæ benignitatem experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit*, quæ ratio omnino militat in contrahentibus cum quocunque impedimento dirimente; ergo &c.

Conf. Quia optima Legum interpres est consuetudo, & praxis recepta; atqui praxis Curiæ, ut ex *Corrado* notavi, hoc Trid. Decretum ad quodcunque impedimentum extendit; ergo &c.

Et quamvis, si una pars bona fide contraxit, probabiliter pro foro conscientiæ dispensare possit Episcopus, casu tamen, quo dispensatio petitur in Curia Romana, securius est, & pro praxi omnino consulitur, ut si saltem una pars fuit conscia impedimenti, casus fideliter proponatur, prout se habet à parte rei, sive dein petatur dispensatio pro foro externo, sive pro interno; & hoc ideo, quia ex probabili doctrina Genuens. *Prax. Cur. Archiep. c.* 20. *n.* 7. Vinc. de Just. *lib.* 3. *de dispens. c.* 16. *n.* 15. Corrad. *lib.* 8. *c.* 1. *num.* 9. & notorio stylo Curiæ, ut hic Author testatur, hoc etiam de necessitate exprimendum est, si una pars conscia fuit impedimenti, & consequenter mala fide contraxit; quia cum agitur de valore Sacramenti, semper securior via suadenda est. Et ob hanc rationem etiam suadetur, ut eo casu, quo una pars saltem conscia impedimenti fuit, non apud Episcopum, sed penitentiariam petatur dispensatio pro foro conscientiæ, allegando ibidem fideliter casum. 182

8 In supplicatione pro dispensatione secunda mentio debet fieri primæ, si utriusque dispensationis materia eadem sit, & utraque ad eundem finem tendat. Sed hoc procedit in duobus duntaxat casibus. 183

Primus est, quando dispensatio, vel privilegium tendit in præjudicium tertii, & huic per posteriorem ampliorem magis præjudicatur, quam per priorem, sicut accidit in casu *c. veniens* 19. *de præscript.* ubi statuitur privilegium posterius, magis ample concessum, subreptitium, & irritum esse, si is, cui illud concessum est, prius impetravit privilegium aliud super eodem articulo minus amplum, & illud in supplicatione pro secundo reticuit. Exemplum est in impetratione beneficii; cum enim pluralitas beneficiorum cedat in præjudicium Ecclesiæ, cui expedit plures habere ministros sibi servientes, ut provisio de secundo beneficio non sit subreptitia, in hujus impetratione mentio facienda est primi jam obtenti *c. cum adeo* 17. *de rescript.* & *c. si motu* 23. *de Præb. in* 6.

Alter casus est, quando Papa non cognoscit sufficienter totum impedimentum, & quantitatem, vel qualitatem gratiæ, quam impedimentum tollendo confert, nisi mentio facta sit etiam dispensationis prius concessæ. Ita accidit *c. fin. de fil. presbyt. in* 6. ubi dispensatio ad secundum beneficium pro subreptitia habetur, quod defectu illo non exposito, Papa non fuerit plene informatus de impedimento, cum defectus ille per primam dispensationem non fuerit plene sublatus. Sed in hoc casu expressio dispensationis facienda est non ratione sui, sed ratione impedimenti: & hinc si in casu *c. fin. cit.* defectus Natalium fuisset expositus, dispensatio ad secundum beneficium non fuisset invalida, etsi in impetratione illius non fuisset mentio facta de prima. Domin. *in c. fin. cit. n.* 7. Franc. *ibid. nu.* 2. Covar. *p.* 2. *de spons. c.* 8. § 8. *n.* 5. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 22. *n.* 6. Pont. *l.* 8. *c.* 17. *n.* 7. Vviestner *hic n.* 116. 184

Extra hos duos casus dispensationis prioris mentio in supplicatione pro secunda, pro eodem articulo obtinenda, non est necessaria, cum nullibi hoc caveatur. multo minus necessaria est expressio dispensationis prius impetratæ, quando secunda dispensatio cadit supra diversam materiam, aut tendit ad finem diversum, v. g. si post impetratam dispensationem in lege jejunii, supplicetur pro dispensatione in voto continentiæ ad matrimonium ineundum; quia neque ex Jure, neque ex praxi constat, quod necessaria sit mentio dispensationis prioris. Navar. *tit. de privil. conf.* 12. *n.* 2. Sanchez *D.* 22. *cit. n.* 5. Vviestner *n.* 114. 185

9 Juxta Menoch. *de arbitr. cas.* 203. *n.* 6. necessarium est facere mentionem, si dispensatio super eodem impedimento jam semel est petita, sed denegata, qui proinde putat dispensationem fore subreptitiam, si in supplicatione denuo facta non fiat mentio dispensationis antea petitæ, & non impetratæ. *Rationem* dat; quia si mentio fuisset facta repulsæ, dispensatio fuisset negata; igitur dum concessa est absque mentione de repulsa, processit ex errore. 186

Sed tenenda est sententia negativa, quam etiam defendunt 187

dunt Sanchez *l. 8. de matr. D.* 22. *n.* 14. Pont. *l.* 8. *c.* 17. *n.* 3. Vviestner *hic n.* 119. Reiffenstuel *Append. nu.* 154. Ratio est, quia neque ex Jure, neque ex stylo Curiæ, neque ex ratione probari potest necessitas ista. *Proceditque hoc*, etsi coram inferiore denegantis iteretur petitio, modo iste Jurisdictionem sufficientem habeat, ut recte notat P. Vviestner *loc. cit.* & ratio est, quia istius facultas non tollitur, nec restringitur per hoc, quod superior dispensationem negaverit.

188 *Ad Rationem in contrarium allatam* dico, præsumptionem illam esse levem; quia in iterata petitione allegari possunt plures, & efficaciores causæ, & rationes quibus etiam superior moveri ad gratiæ ante denegatæ concessionem potuisset, si propositæ illi fuissent.

189 Quæritur 2. Quænam necessario exprimi debeant, quando petitur dispensatio super impedimento *consanguinitatis*. Resp. 1. exprimi debet *gradus*, quo Oratores conjuncti sunt, utrum videlicet conjuncti sint in Linea recta, vel transversali, in secundo, tertio, vel quarto gradu. Ita omnes teste Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 24. *n.* 163. & firmat notorius Stylus Curiæ, in hac parte pro, Lege observandus. *Ratio est*, quia difficilior est dispensatio in gradu propinquiori, quam in remotiori. Hinc pro subreptitia cons. invalida habenda est dispensatio, si gradu non expresso, tantum in genere dicerent Oratores, se esse consanguineos. Quodsi tamen loco remotioris exprimeretur propinquior gradus, e. g. tertius pro quarto, dispensatio non vitiabitur, ut dictum *supra n.* 157. quod verum putat Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 24. *n.* 16. quamvis data opera mendacium contingeret; quia non tangit dispensationis substantiam, & ea non expressa, concederetur facilius. Contra si errore etiam inculpabili explicaretur gradus inferior, e. g. quartus, cum tamen sit superior v. gr. tertius, subreptitia, & irrita erit dispensatio ex defectu intentionis Papæ. Gutier *c.* 124. *de matr. n.* 9. Multo magis irrita erit, si explicaretur per errorem impedimentum majus, ut si dicatur, contrahentes esse consanguineos in 2. gradu, cum tamen in eo gradu sint affines; quia una species non includitur in alia.

190 2 Exprimi debet *modus consanguinitatis*; ad quem pertinet, ut exprimatur, si Oratores conjuncti sint duplici vinculo consanguinitatis, & multo magis, si plura diversæ rationis impedimenta habeant; & quidem expressio hæc fieri debet in eadem supplicatione secundum dicta *à n.* 174. Item si in gradu inæquali conjuncti sint, debet non tantum exprimi gradus remotior, sed etiam propinquior, dicendo, quod sint v. gr. in secundo, & tertio: idque non ideo, quasi super propinquiori gradu necessaria etiam foret dispensatio, sed ut per speciale Breve declaretur, proximiorem gradum non obstare; id namque expresse statuit *S. Pius V. Const.* incipit *Sanctissimus edita* 26. *Aug.* 1566.

191 Distingui tamen debet, an cum remotiori concurrat primus, an vero alius magis remotus, e. g. secundus cum tertio, tertius cum quarto &c. *Si enim cum remotiori concurrat primus*, ut si Titii nepos, pronepos abnepos peteret dispensationem ad contrahendum matrimonium cum ipsius filia, ejus expressio ita requiritur, ut ea non facta, dispensatio fiat subreptitia, prout patet ex *Constit. cit.* ubi dicitur, si Oratores primum gradum quoquo modo attingant, non esse mentem Pontificis in ejusmodi gradibus dispensare, nisi exprimatur; & ratio est, quia hæc matrimonia continent specialem indecentiam ob reverentiam, quæ hujusmodi personis debetur fere similiter, ac parentibus:

192 *Contra est*, si cum remotiori e. gr. quarto concurrat secundus; tunc enim, ut *cit. Const.* declaratum est, valet dispensatio absque dicta expressione gradus propinquioris, ita tamen, ut ex post factæ litteræ declaratoriæ desuper impetrentur, in quibus Pontifex declaret, priorem dispensationem valere. Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 24. *n.* 31. Gutier *c.* 124. *de matr. n.* 11. Engl *hic* § 3. *n.* 10. qui addit, easdem litteras, quia ad scandalum duntaxat tollendum requisitæ sunt, non desiderari, si nullum ex tali dispensatione scandalum oriretur, ut quia res ad forum externum delata non est, & homines ignorant, an supplicantes omnia expressetint.

193 In casu, quo litteræ hujusmodi declaratoriæ, ubi opus iisdem est, impetratæ non sunt, dispensationis Litteras Episcopus, vel alius deputatus executor non potest exequi, ut cum alii notat Corrad. *Prax. dispensat. Apostol. libr.* 7. *cap.* 7. *num.* 59. Imo ut *Author* iste ibidem docet, si tali casu dispensationis breve pro foro externo exequeretur, peccaret mortaliter; quia in materia gravi transgrederetur Legem Pontificiam. Quare exspectare interea, & suspendere executionem debebit, donec oratores, qui absque gradus propinquioris mentione obtinuerunt dispensationem, Litteras declaratorias Roma impetrent.

194 An vero eo casu dispensationis executio, Litteris declaratoriis non impetratis, valide fiat, diversæ sunt duæ sententiæ. Sanchez *D.* 24. *cit. a nu.* 29. Pont. *lib.* 8. *c.* 17. *num.* 26. & 27. Tambur. *l.* 8. *c.* 9. § 7. *n.* 3. Perez *D.* 46. *sect.* 5. *n.* 7. Gobat. *Theol. Exper. tr.* 9. *nu.* 621. putant executionem fieri valide. Corrad. *Prax. dispens. lib.* 7. *c.* 7. *à n.* 71. Vinc. de Just. *de dispens. l.* 2. *c.* 3. *à num.* 40. Reiffenstuel *Append. n.* 172. negant esse validam; additque Corrad. *num.* 72. ita fateri omnes practicos Curiales, seque pluries observasse, matrimonia fuisse declarata nulla, quæ contracta fuere vi dispensationis sine memoratis Litteris. *Confirmant* ex *Const. S. Pii V. cit.* ubi postquam declaravit, sufficere ad valorem dispensationis, si exprimatur gradus remotior, illico addit: *Obtentis tamen postea super propinquiore Litteris declaratoriis*; nam Vox *tamen*, ut Barbosa *dict. us. freq. dict. Tamen n.* 3. notat, de natura sua conditionem, & modum importat; ut adeo conditio hæc impleri debeat, ut valide dispensatio executioni detur. Videatur P. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 170.

195 3 Si super impedimento consanguinitatis petitur dispensatio, & pro causa allegatur copula, seu potius sequentia inde scandala, diffamatio mulieris &c. illaque habita fuit sub spe dispensationis facilius consequendæ, illa necessario debet exprimi; alias dispensatio erit subreptitia, & nulla, etsi una tantum pars tali spe copulam inierit, vel admiserit, prout patet ex dictis *num.* 172.

Proceditque hoc 1. Etiamsi alia causa dispensandi legitima afferatur; nam si copula sit publica, necessario est exprimenda, ut advertunt Genuens. *Prax. Cur. Archiep. cap.* 25. *num.* 4. Bonacina *de LL. D.* 1. *quæst.* 1. *part.* 5. *num.* 9. Barbosa *lib.* 2. *Vot.* 17. *num.* 60. Corrad. *prax. dispens. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 3. qui *num.* 36. addit, ita fateri omnes curiales, & *num.* 38. confirmat *Declaratione Cardd.* quæ ita sonat: *Congregatio Cardd. Concilii censuit dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos, vel affines, aut Spirituali cognatione conjunctos carnalis copula præcessisset, cujus mentionem in Supplicatione non fecissent &c.*

196 *Procedit* 2. Non tantum, quando copula præcedit supplicationem Pontifici porrigendam, sed etiam si eam sequitur; imò etiam quando contingit, postquam Litteræ dispensationis à Papa jam sunt concessæ, à delegato autem executioni nondum mandatæ, prout docent *citt.* DD. & declaratum est à S. Congr. apud Corrad. *n.* 42. cujus verba sunt: *Qui Romani miserunt pro dispensatione, & habito nuncio, quòd Litteræ fuerunt expeditæ, contraxerunt, vel se cognoverunt, & ita verum est, fuisse expeditas, & habere datam ante contractum, vel commixtionem, nullas dispensationes esse congregatio Cardinalium censuit.*

197 *Limitari* autem debet, si copula sit occulta; tunc enim non est necessaria ejus expressio, ut cum aliis docet Sanchez *l.* 8. *de matrim. D.* 25. *num.* 10. Ratio est, quia præsumi non potest, quod Ecclesia pia mater velit, ut quis seipsum gravissime diffamet, & vitæ periculo exponat, manifestando incestum occulte commissum. *Neq; opus est* hoc casu copulam occultam exponi apud S. Pœnitentiariam, & sollicitari, ut vitium dispensationis suppleat; tum quia incestus cum propria consanguinea dispensatione non indiget; tum vero quia non apparet solidum fundamentum hujus expressionis.

198 *Ex quo patet*, obligationem exprimendi copulam non esse nimis duram; quia cum occulta est, exprimenda non est; quando autem est publica, expressa dispensationem magis facilitat, & exprimentem non diffamat, utpote jam ante diffamatum. *Neque obstat*, quod expressa copula, major debeat sustineri pœna, & major taxa solvi; nam utrumque æquitati conforme est, & aliis ad terrorem, & exemplum non immerito statutum.

199 Quæritur 3. Quid exprimi debeat, quando petitur dispensatio super impedimento *Affinitatis*? Resp. 1. Debet exprimi gradus, in quo oratores sibi affines sunt; nam quo propinquiori gradu conjuncti sibi sunt invicem, eo difficilior est dispensatio, ut *supra n.* 189. dictum est. In hoc tamen dispar ratio est consanguinitatis, & Affinitatis, quod in consanguinitate, quando oratores inæqualiter inter se distant, exprimendus sit etiam propinquior gradus. Contrà in Affinitate, ut Sanchez *lib.* 8. *citat. Disp.* 24. *num.* 13. notat, satis est exprimere inæqualitatem gradus; quia in Affinitate ea peculiaris reverentia non exhibetur propinquiori stipiti, quæ in consanguinitate.

200 2 Addendum, an sint affines in Linea recta, vel transversali; nam indecentius est ducere affinem in linea recta, e. g. matrem, aviam, aut neptem uxoris defunctæ, aut patrem, avum, vel nepotem mariti defuncti, quam affinem in Linea transversali v. g. sororem, aut ex sorore neptem uxoris defunctæ. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 34 *n.* 14. Vinc. de Just. *de dispens. l.* 1. *c.* 4. *n.* 152. Reiffenstuel *Append. n.* 198. Quod saltem verum est, quando Affinitas oritur ex copula licita; nam quando oritur ex copula illicita, ut Sanchez *loc. citat.* notat, expressio Lineæ rectæ, & transversæ necessaria non est, quod ex ea copula non oriatur notabiliter specialius vinculum, aut notabiliter major obligatio reverentiæ erga affines in linea recta, quàm in obliqua.

201 3 Si petatur dispensatio super Affinitate in primo, & secundo gradu, exprimendum est, an ea proveniat ex copula licita, vel illicita; nam si proveniat ex copula licita, sive conjugali, includit etiam publicam honestatem, ortam ex sponsalibus matrimonium præcedentibus, & propterea vinculum ejus est fortius, quam vinculum Affinitatis, ortæ ex copula illicita, quæ hujusmodi publicam honestatem non includit. Sanchez *loc. cit. n.* 40. Conink *D.* 33. *n.* 79. Pont. *l.* 8. *c.* 17 *n.* 30. Vviestner *hic num.* 105. Dixi, *si petatur dispensatio in primo, & secundo gradu*; nam si petatur in tertio, & quarto, opus non est exprimere, an ex copula licita, vel illicita orta sit Affinitas, cum impedimentum illius, quæ orta est ex illicita, ultra secundum gradum nunc post Trid. *sess.* 24. *c.* 4. *de reformat. matr.* non amplius extendatur.

202 4 Exprimi debet, si oratorum conjugio præter Affinitatem obstet adhuc aliud impedimentum. *Excipit* Gobat *tr.* 9. *nu.* 618. si Affinitas concurrat cum publica honestate; nam hujus expressionem existimat non esse necessariam. *Sed distinguendum est*, an Affinitas talis oriatur ex copula licita, vel conjugali, an vero ex illicita. *Si ex licita*, e. g. si Titius matrimonium velit inire cum Caja, consanguinea Berthæ uxoris suæ carnaliter cognitæ, non est opus, ut exponatur impedimentum publicæ honestatis, copulam illam præcedens; quia hoc ipso, quod Bertha fuerit ejusdem uxor, etiam intelligitur, quod fuerit ejusdem sponsæ; ergo expressa Affinitate, proveniente ex copula licita, jam intelligitur impedimentum publicæ honestatis contractum ab eodem Titio cum consanguineis uxoris suæ in primo gradu. *Si vero Affinitas orta sit ex copula illicita*, v. g. si Titius inire velit matrimonium cum Caja consanguinea Berthæ, cum qua prius est fornicatus, exprimi publicæ honestatis impedimentum debet; quia fornicariam copulam sponsalia sæpe non præcedunt; igitur expressa Affinitate, orta ex copula fornicaria, nondum satis exprimitur impedimentum publicæ honestatis.

203 5 Si Affinitas orta est ex Copula illicita, exprimendum est, an habita illa fuerit cum pluribus consanguineis sponsæ, cum qua Orator contrahere vult Matrimonium; quia tunc pro numero personarum conjunctarum, cum quibus copula est habita, multiplex constituitur impedimentum. Dixi autem, *cum pluribus consanguineis sponsæ*; nam si cum eadem consanguinea plures commissæ sint fornicationes, non est opus, exprimere copulam fuisse repetitam, sed sufficit mentio Affinitatis. Quod procedit, etiamsi obtenta Pontificia dispensatione in Affinitate, antequam ordinarius eam exequatur, impetrans iteraret copulam cum eadem consanguinea fœminæ à se ducendæ in uxorem; quia adhuc valuit dispensatio, eo quod nondum consummata sit, sed tantum mandata ordinario ejus executio. Secus est, si accederet copula, postquam jam dispensavit ordinarius, vel Confessor, cui committitur dispensatio in foro conscientiæ; quia cum prior Affinitas per dispensationem sublata omnino sit, contraheretur nova Affinitas per hanc copulam, pro qua nulla facta est dispensandi commissio. Egent ergo contrahere volentes in hac specie nova dispensatione. Gutier *de matr. D.* 124. *n.* 2. Conink *D.* 33. *n.* 81. Sanch. *D.* 24. *c.* 1. *n.* 7. *&* 8.

6 Denique exprimi debet, si petatur dispensatio in matrimonio contracto cum Affine, an bona, vel mala fidæ, præmissis, vel omissis denuntiationibus contractum sit, item an consummatum illud jam sit, ut *supra* dictum est *n.* 180. Item si pro causa dispensationis allegetur copula, illaque habita sit sub spe facilius consequendæ dispensationis, opus est etiam istud exprimi, prout exprimendum *n.* 195. dixi in consanguinitate. Ratio est, quia Jura, Stylus Curiæ, & rationes in hoc puncto de consanguinitate, & Affinitate æqualiter procedunt, juxta communem DD. & patet ex Bulla S. Pii V. *n.* 190. allegata. 204

Quæritur 4. Quænam necessario exprimi debeant, quando petitur dispensatio super *impedimento publicæ honestatis*? Resp. Distinguendo, an ortum sit ex sponsalibus de futuro, an vero ex matrimonio rato. *Si primum*, in supplicatione dispensationis super illo non est necessarium gradum addere, cum defacto post Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *de reform. matr.* tantum in primo dirimat matrimonium. *Si secundum*, exprimi gradus debet. Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 33. *nu.* 16. Gutier *de matr. c.* 124. *n.* 1. *&* 7. Conink *D.* 33. *n.* 79. Pont. *lib.* 8. *cap.* 17. *nu.* 29. Perez *disp.* 45. *sect.* 5. *num.* 15. Gonzalez *in capit.* 6. *de Consang. num.* 4. Vviestner *hic num.* 104. & hoc teste communis doctrina. *Ratio est*, quia quo gradus propinquior est, eo difficilior est dispensatio, & majori compositione exacta, & urgentioribus causis petitio conceditur. 205

Dubium est, an necessarium sit exprimere etiam matrimonium, quando petitur dispensatio in hoc impedimento? Resp. Si in primo gradu petatur dispensatio exprimi debet; non verò, si in secundo, & ulterioribus. Ita Gutier *c.* 124. *n.* 7. *& alii supra*. *Ratio primi membri* est, quia si in primo gradu super publica honestate petatur dispensatio, nescitur, an illud ortum fuerit ex sponsalibus, an vero ex matrimonio, cum ex utroque impedimentum istud inducatur in gradu primo; atqui oportet hoc scire dispensantem; quia multo gravior est indecentia matrimonio jungi cum sorore, filia, aut matre sponsæ de præsenti, quam sponsæ de futuro. *Ratio secundi*; quia cum hodie, uti dictum est, ex solo matrimonio rato oriatur impedimentum publicæ honestatis in secundo, & ulterioribus gradibus, hoc ipso, quod petatur dispensatio tali gradu, satis intelligitur, eam peti ex impedimento hoc, quatenus ortum est ex matrimonio rato. 206

Quæritur 5. Quænam necessario exprimi debeant, quando petitur dispensatio super impedimento cognationis spiritualis? Resp. 1. exprimendum est, an ea sit Paternitas, vel compaternitas. Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 24. *n.* 15. Gutier *c.* 124. *de matr. n.* 7. Coninck *D.* 33. *nu.* 79. Vinc. de Just. *l.* 1. *de dispens. c.* 4. *num.* 168. Aversa *de matrim. quæst.* 19. *sect.* 5. *vers. sexta*, Gonzalez *in capit.* 6. *de Consang. & Affinit. n.* 4. Ratio est, quia longe indecentius est matrimonium inter patrem, & filiam spiritualem, quam inter Compatrem, & matrem hujus filiæ, aut inter commatrem, & patrem ejusdem; & hinc facilius dispensatur in Compaternitate, quam in Paternitate. Imò Sanchez *n.* 15. *cit.* diserte negat, se unquam audisse, vel legisse, quod dispensatum fuerit ad contrahendum matrimonium cum filio, aut filia spirituali. Pontius *l.* 8. *c.* 17. *n.* 28. unum quidem dispensationis hujusmodi exemplum refert, sed fatetur, quod conjugium istud infaustum habuerit exitum. 207

2 Exprimi debet, si cognatio spiritualis sit duplex, ut siquis alicujus prolem unam levavit ex Sacro Fonte, & candem in confirmatione tenuit; vel si ejusdem prolem una levavit ex Baptismo, alteram tenuit in confirmatione; aut si unus alterius liberos vicissim levat. Vinc. de Just. *loc. cit. n.* 169. Avers. *v. cit.* Reiffenstuel *Append. num.* 201. Quodsi tamen quis plures ejusdem liberos è Sacro Fonte levavit, aut in confirmatione tenuit, per hoc non multiplicatur cognatio spiritua- 208

ritualis; & proterea numerus susceptarum prolium non debet necessario exprimi, ut ex *declaratione Clementis VIII.* refert Garc. *p.* 8. *de benef. c.* 3. *n.* 78. Corrad. *l.* 8. *Prax. dispens. Apost. cap.* 8. *nu.* 16. Vinc. de Just. *num.* 170. Vviestner *hic n.* 106. Reiffenstuel *loc. cit.*

209 3 Juxta aliquos exprimendum est, an Cognatio orta sit ex Baptismo, vel confirmatione; quia cognatio orta ex Baptismo magis imitatur cognationem naturalem, quam cognatio orta ex confirmatione; & hinc teste Corrad. *cap.* 8. *cit. n.* 16. Supplicationes, in quibus origo cognationis spiritualis non exprimitur, in curia Apostolica admitti non solent.

210 Quæritur 6. Quomodo sit formanda supplicatio dispensationis super impedimento matrimoniali. Resp. Distinguendo: Nam dispensationes, sive Mandata Apostolica dispensandi super impedimentis conjugiorum sunt duplicis generis, & diversa dantur, prout ipsum est impedimentum. Et si quidem impedimentum sit publicum, expeditur dispensatio, vel Mandatum dispensandi in *Dataria*, seu *Cancellaria Apostolica*. Si vero occultum sit, petitur, & expeditur in *Pœnitentiaria Romana*.

211 Differentia inter dispensationem impetratam in Dataria, & inter impetratam in Pœnitentiaria Romana est multiplex. Nam 1. expedita in Dataria servit etiam in foro externo; expedita in Pœnitentiaria pro foro interno tantum, 2. Prior datur in impedimento etiam publico; posterior in impedimento occulto tantum, 3. à Dataria in impedimento consanguinitatis dispensatur tam ad contrahendum matrimonium, quam ad remanendum in contracto; à Pœnitentiaria tantum ad remanendum in contracto, 4. In Pœnitentiaria dispensationes solum dantur in gradibus secundo remotioribus; in Dataria etiam in secundo consanguinitatis, & primo Affinitatis. Fill. *tr.* 10. *c.* 10. *n.* 51. Vinc. de Just. *de dispens. l.* 1. *c.* 8. *n.* 30. Vviestner *hic num.* 120. & 121.

212 Debet autem supplicatio fieri 1. in scriptis; alias non conceditur dispensatio. Corrad. *l.* 7. *Prax. dispens. Apost. c.* 4. *n.* 6. & *l.* 2. *c.* 1. *nu.* 23. Vinc. de Just. *l.* 1. *c.* 3. *nu.* 1. & habet Stylus Curiæ, 2. Concipi debet Idiomate Latino, & quantum fieri potest, verbis propriis, in Curia usitatis, ac sine ambagibus, simpliciter, & resectis superfluis Ceremoniis. Corrad. *lib* 2. *cit. cap.* 1. *à num.* 24. Vinc. de Just. *a num.* 2. Reiffenstuel *Append. n.* 236. 3. Si dispensatio petitur in Dataria, vel Cancellaria Apostolica, dirigitur ad ipsum Papam supplicatio; si in Pœnitentiaria, dirigi potest etiam ad Cardinalem majorem Pœnitentiarium, 4. Cum in Dataria, & pro foro externo petitur, supplicatio incipit, *Beatissime Pater*, subjicitur dein Nomen, Cognomen, & Diœcesis oratorum, causa, ob quam petitur dispensatio, genus impedimenti, in quo pro dispensatione supplicant, & denique ipsa petitio, seu supplicatio, ut impedimento hoc non obstante matrimonium contrahere, vel in contracto persistere liceat, 5. Eodem fere modo concipi supplicatio debet, quando petitur dispensatio pro foro interno, & in Pœnitentiaria, excepto eo, quod tunc Litteræ inscribantur, ut dictum est, Cardinali Pœnitentiario, à foris quidem *Eminentissimo*, & Reverendissimo *Domino, Domino S. R. E. Cardinali majori Pœnitentiario, Romæ.* Intus vero incipiunt, *Eminentissime, & Reverendissime Domine.* In fine per modum Postscripti, procurans Litteras addit in hunc modum: *Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere Ingolstadium v. g. ad me infra scriptum:* qui proinde in calce addere nomen suum, & cognomen debet.

213 Formulas supplicationum ejusmodi DD. passim referunt, & inter hos Corrad. *Prax. dispens. Apost. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 32. Arsdekin *Theol. trip. tom.* 2. *tr.* 4. § 5. Vviestner *hic num.* 124. & *seq.* Reiffenstuel *Append. num.* 240. & *seqq.* Pro dispensatione super impedimento consanguinitatis ex causa defectus competentis Dotis, concipi supplicatio in hunc modum potest.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte Devotorum ipsius Oratorum Friderici N. & *Margaritæ* N. (appositis utriusque cognominibus) *Diœcesis Eystettensis* (vel si Oratores diversarum Diœcesium sint, *Friderici Eystettensis. & Margaritæ Augustanæ Diœcesis*) *quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem juxta statûs sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, dictus Orator cum dicta minus competente dote Oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia tertio, & quarto à communi stipite provenientibus gradibus conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestræ Oratores præfati, quatenus cum ipsis, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere, libere, ac licite valeant, dispensare; distantiam vero prædicti gradus eis non obstare, declarare prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando dignetur de gratia speciali. Non obstantibus præmissis, & Constitutionibus, atque Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis.*

Ex causa componendæ pacis, & extinctionis inimicitiarum supplicatio pro dispensatione super impedimento publicæ honestatis ita concipitur. 214

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati vestræ pro parte devotorum ipsius Oratorum Henrici N. Laici, & Beatricis N. Diœcesis Ratisbonensis, quod cum inter dictorum Oratorum parentes & consanguineos, vel affines graves inimicitiæ ortæ jam sint & de præsenti vigeant, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii, inter eos contrahend., provenientes, & ante istius tractatum exortæ, spesque certa sit, quod si Oratores sibi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiæ hujusmodi omnino componerentur, pro illis componendis, & bono pàcis cupiunt Oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari: Sed quia alias dictus orator sponsalia per verba de futuro cum oratricis sorore ad præsens defuncta contraxit, quæ quidem oratricis soror ab eodem oratore intacta, & in nullo attentata ab humanis decessit, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter Sanctitati vestræ Oratores præfati, quatenus cum ipsis, quod hujusmodi primi gradus publ. æ honestatis justitiæ impedimento non obstante, matrimonium inter se publicè &c. ut in forma præcedenti.

Et in hunc modum, mutatis mutandis, formari debent etiam aliæ supplicationes, quibus super aliis quibusvis impedimentis dispensatio pro foro externo petitur.

Quando dispensatio in S. Pœnitentiaria pro foro conscientiæ, allegata infirmitate carnis, petitur, omisso oratorum nomine, & posito NN. vel nomine ficto, supplicatio pro dispensatione in voto castitatis sic efficitur: 215

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

Exponitur humiliter Eminentiæ Vestræ pro parte devoti Oratori NN. vel Titii Laici Diœcesis Ratisbonensis, quod ipse aliàs vovit se Castitatem perpetuò servaturum. Cum autem infirmitatibus oppressus carnis stimulis ita agitetur, ut se continenter vivere posse diffidat, pro suæ conscientiæ tranquillitate cupit per Sedem Apostolicam Votum prædictum ad effectum contrahendi matrimonium commutari. Quare Eminentiæ Vestræ humiliter supplicat, quatenus prædictum Votum ad hoc, ut Matrimonium publicè juxta formam Trid. Concilii contrahere, & debitum conjugale exigere, ac reddere licite possit, in alia Pœnitentiæ, ac pietatis opera dispensando commutare Authoritate Apostolica dignetur.

Brevius eadem supplicatio super eodem Voti impedimento sic afferri potest. 216

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

Titius Laicus Diœcesis Ratisbonensis emisit Votum simplex Castitatis perpetuæ; sed cùm adsit, vel ad futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, nisi nubat supplicat sibi Votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium.

Additur postscriptum, ut *supra n.* 212. *in fin.* ubi notandum, quod ille, ad quem dirigitur mandatum dispensatorium, Confessarius debeat esse Magister in Theologia, vel Decretorum Doctor, aut aliunde ad hoc privilegiatus. Quodsi autem in oppido talis non sit, vel Oratori difficile sit ei conscientiam suam aperire, vel hæc aperta jam sit alteri Confessario non graduato, hoc ipsum in Litteris erit significandum, & rogandum, ut alii committatur dispensationis executio in hunc modum.

Et quia in Oratoris loco nullus reperitur Confeſſarius in Theologia Magiſter, vel Canonum Doctor, vel alias ad exequendum privilegiatus, dignetur Eminentia Veſtra providere, & diſponere, ut etiam alius exequi valeat.

§. VII.

De Commiſſione, & Executione Diſpenſationum ſuper Impedimentis Conjugiorum:

SUMMARIUM.

217 *Cui committi ſoleat diſpenſatio impedimenti in foro externo?*
218 *Quid circa hoc poſſit Vicarius Generalis Capituli, Sede vacante?*
219 *An ſi diſpenſatio commiſſa eſt Epiſcopo, ingerere ſe poſſit ejus Vicarius Generalis, aut viciſſim, ſi huic, Epiſcopus?*
220 *An commiſſio tranſeat ad ſucceſſorem?*
221 *Quid operetur abſolutio ab excommunicatione &c. diſpenſationi præmitti ſolita?*
222 *An executionem litterarum facere commiſſarius poſſit ante præſentationem illarum?*
223 224 *Quid debeat examinare?*
225 *Quomodo, & an judicialiter?*
226 *An poteſtatem iſtam ſubdelegare alteri poſſit?*
227 *An aliquid pro Diſpenſationis executione accipere?*
228 *Quid faciendum illi, ſi reperiat oratorem laborare alio impedimento?*
229 *Quam vim habeat diſpenſatio ad legitimandam prolem?*
230 *Quid faciendum, ſi Litteris certa qualitas perſonæ adjecta ſit?*
231 *Quando dicatur diſpenſatio data in forma pauperum?*
232 *Ut in hac forma diſpenſatio detur, requiritur I. ut Oratores ſint pauperes?*
233 *II. Ut ſint miſerabiles.*
234 *III. Ut de proprio labore, & induſtria vivant.*
235 *IV. Et quidem tantum:*
236 *V. Uterque Oratorum debet eſſe pauper.*
237 *VI. Fidem de hoc facere debent atteſtationes Parochi, & teſtium.*
238 *VII. Præceſſiſſe debet copula, vel hujus ſuſpicio.*
239 *VIII. Periculum mortis.*
240 *IX. Diſtare debent* 100. *ab Urbe milliaribus Italicis.*
241 *X. In executione obſervandæ ſunt clauſulæ, expreſſæ in Litteris.*
242 *Diſpenſationes pro foro conſcientiæ expediuntur nomine majoris Pœnitentiarii.*
243 *Diriguntur ad Confeſſarium ab Oratore eligendum.*
244 *Qui, antequam diſpenſet, examinare debet, an preces veritate nitantur &c.*
245 *Diſpenſatio hæc fit in ipſo actu Sacramentali.*
246 *Sublata prius occaſione peccandi.*
247 *Præmiſſa Abſolutione à cenſuris.*
248 *Injuncta Pœnitentia.*
249 *Super impedimento tantum expreſſo in litteris.*
250 *Certiorata parte nullitatis ignara.*
251 *Prole legitimata.*
252 *Diſpenſatio hæc dari debet ſine atteſtatione de ea data.*

217 QUæritur 1. Quid attendendum ſit illi, cui diſpenſatio, vel executio diſpenſationis à Sede Apoſtolica committitur pro foro externo? Reſp. Hic, ut munus ſibi commiſſum debito modo impleat, præ oculis habere debet tenorem Litterarum Apoſtolicarum, atq; intelligere, & diligenter obſervare clauſulas illis inſertas. In ſpecie ſequentia ſunt notanda.

1 Committitur diſpenſatio plerumque Ordinario Oratorum, vel Vicario Generali, aut Officiali ejuſdem; & hinc, ut *ſupra num.* 171. dictum eſt, in ſupplicatione exprimi debet Diœceſis, unde orti, vel oriundi ſunt Oratores. Solent autem in hujuſmodi Litteris Diſpenſatoriis nomina *Officialis*, & *Vicarii Generalis* pro Synonymis accipi; imò ſi committuntur diſpenſationes ultra Montes, v. g. apud nos in Germania exequendæ, in Litteris Apoſtolicis Vicarii Generales ſemper appellantur *Officiales*, fitque inſcriptio in hunc modum; *Dilecto Filio Officialis Eyſtettenſi*. Quod eſt diſcrimen inter diſpenſationes commiſſas citra Montes, & inter eas, quæ committuntur ultra Montes; nam ſi comittantur citra Montes Vicario Generali, appellatur ille nomine Vicarii, ſic: *Dilecto Filio Venerabilis Fratris noſtri Archi-Epiſcopi Neapolitani in ſpiritualibus Vicario Generali*. Corrad. *Prax. diſp. Apoſt. lib.* 7. *cap.* 4. *n.* 12.

2 Vicario capituli, Sede vacante, non committitur 218
diſpenſatio, ſed eo caſu, uti & quando Oratores nullius ſunt Diœceſis, committi illa ſolet Ordinario viciniori aut ejus Officiali, ſeu Vicario Generali. Garc. *part.* 6. *de Benef. cap.* 2. *à num.* 44. Franc. Leo *Theſaur. For. Eccleſ. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 8. Corrad. *cap.* 4. *citat. num.* 11. Et hinc Litteras diſpenſatorias, directas ad Vicarium Generalem Epiſcopi, Vicarius capitularis non poteſt executioni dare, prout de diſpenſationibus matrimonialibus decrevit *S. Congr. Concil.* 24. *Maii* 1621. de Commiſſionibus Apoſtolicis in forma *dignum*, & aliis 2. *Auguſt.* 1631. Eſtque hoc verum, etſi is ipſe, qui prius fuit Vicarius Epiſcopi, fuiſſet confirmatus in Vicarium Capituli; nam neque ipſe hujuſmodi diſpenſationes exequi poteſt, ut contra Salas *de LL. D.* 20 *ſect.* 17. *nu.* 124. Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 27. *nu.* 32. & alios nonnullos docet, & notoria praxi Datariæ conconfirmat Corrad. *loc. cit. num.* 11 *verſ. ſed hic*. Eſtque diſpenſatio, caſu, quo Litteræ directæ ſunt Vicario, ſeu Officiali Epiſcopi, à Vicario capitulari facta, irrita, & nullum matrimonium, vigore talis diſpenſationis contractum, prout reſolutum eſt *in Abulenſ. Beneficii* 13. *Jul.* 1597.

3 Si diſpenſatio per Reſcriptum commiſſa ſit Epi- 219
ſcopo, non poteſt ejus executionem ſuſcipere illius Vicarius, & viciſſim, ſi Vicario, non poteſt ſe ingerere Epiſcopus, ſed ſiquidem commiſſa ſit Epiſcopo, & hic ante præſentationem Litterarum obierit, exſpectare Oratores debent, donec Eccleſiæ vacanti fuerit de Paſtore proviſum, vel debent ſuper prædictis Litteris petere novam commiſſionem, quæ de Stylo Curiæ *Mutatio Judicis* nuncupatur, qua committatur Ordinario viciniori, ut dictas Litteras exequatur, ſervata alias earum forma perinde, acſi ad ipſum à principio hujuſmodi Litteræ directæ fuiſſent. Et idem erit, ſi Vicarius Epiſcopi defuncti cœpiſſet Litteras exequi, nec potuit eas expedire ante obitum ſui Epiſcopi. Corrad. *loc. cit. n.* 22. Eadem *Mutatio Judicis* dari etiam conſuevit, quando proprius Oratorum Ordinarius tempore jam impetrati Reſcripti longè diſtat, non relicto Vicario, quando eſt ſuſpenſus, quando ſuſpectus, vel quando ſine rationabili cauſa recuſat procedere ad executionem Litterarum. Corrad. *n.* 25.

4 An ſucceſſor Epiſcopi, vel Vicarii, cui commiſſa 220
eſt executio Litterarum, exequi illas poſſit, pendet ex eo, an commiſſio facta ſit ipſi ſub nomine perſonæ, an ſub nomine dignitatis, & Officii. *Si ſub nomine perſonæ*, commiſſio cum perſona exſpirat; quia hujus adhæret oſſibus, cenſeturque ejus electa induſtria. *Si ſub nomine dignitatis, vel Officii*, ad ſucceſſorem tranſit, Priori modo commiſſio cenſetur facta, ſi in Litteris exprimatur nomen perſonæ; poſteriori, ſi in iiſdem exprimatur nomen dignitatis, vel Officii. Vvieſtner *hic n.* 135. Reiffenſtuel *Append. num.* 298.

5 Solent Oratores in Litteris diſpenſatoriis abſolvi 221
à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque ſententiis, in eum finem, ut reſcripti impetrandi capaces fiant; nam caſu, quo irretiti eſſent e. gr. excommunicatione, gratia per ipſos impetrata non valeret *cap. ipſo Jure* 1. *de Reſcript. in* 6. Notandum autem hic eſt diſcrimen, quando diſpenſatio petitur ſuper impedimento conſanguinitatis, vel Affinitatis primi, & ſecundi gradus, copula ſubſecuta, & quando petitur diſpenſatio ſuper aliis impedimentis; nam in primo caſu ad inceſtuoſorum petitionem executoribus abſolute conceditur poteſtas abſolvendi ab Excommunicatione, & aliis pœnis, quæ in hujuſmodi inceſtuoſos per *Conſtitut. Gregor. XIV.* incipit *Sicut antiquus editam Calend. Mart.* 1590. ſunt conſtitutæ. In ſe-

In secundo autem casu Pontifex tantum absolvit ad reincidentiam; quæ absolutio proprie non est à censura; quia per ipsam non censura, sed effectus duntaxat aliquis censuræ tollitur. Palao *tr.* 29. *D.* 1. *p.* 11. § 2. *n.* 12. Vviestner *hic n.* 137. Reiffenstuel *num.* 312.

222 6 Executor, quicunque deputetur, nullam habet Jurisdictionem, nec potest Litteras exequi, cons. nec dare Oratoribus potestatem contrahendi, antequam Litteræ Apostolicæ in Originali eidem præsententur, etsi aliunde jam sciat, illas fuisse concessas. Garc. *p.* 6. *de benefic. c.* 2. *n.* 8. Sperell. *decis.* 85. *n.* 31. Vinc. de Just. *l.* 1. *de dispens. c.* 6. *n.* 2. Reiffenstuel *nu.* 299. & alii communiter *arg. c. super eo* 12. *de Appell.* ibi, *Ex tunc terminus incipit currere, cum Judices contigerit Litteras recepisse*. Et hinc nullum est matrimonium, quod Oratores contrahunt, licet dispensationis Litteras jam habeant in suis manibus, & deputatus ad dispensandum executor ad id dedisset licentiam; sed requiritur, ut eæ Litteræ prius dicto executori præsententur, & ab ipso videantur, iisque visis gratia dispensationis ab ipso detur, ut bene Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 30. *n.* 12. & *D.* 35. *num.* 18. Imò in tali casu nulliter contrahentes indigent novis Litteris dispensationis obtinendis Romæ, ut teste Corrad. *Prax. dispens. Apost. l.* 8. *c.* 1. *nu.* 44. *v. proindeque*, resolvit *S. Congr. Conc.* 12. *Jan.* 1606. & patet ex Trid. *sess.* 22. *c.* 5. *de reform.* ubi dispensationes, etiam *in forma gratiosa* carere dicuntur effectu, nisi prius ab Ordinario cognoscantur.

223 7 Præsentatis sibi Litteris in Originali, Executor debet ante omnia diligenter considerare, & videre, an sint conformes consueto stylo Curiæ, & an solitas, vel insolitas habeant clausulas. Si enim Litteræ Stylo Curiæ non sint conformes, aut insolitas contineant clausulas, suspectæ sunt de fraude, & dolo; cons. executioni dari non debent. Menoch. *de Præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 3. *num.* 103. Gonzalez *ad Reg. Cancell.* 8. *Gloss.* 36. *n.* 86. Barbos. *l.* 2. *Vot.* 17. *n.* 151. Vinc. de Just. *l.* 1. *de dispens. cap.* 6. *n.* 13. & colligitur *ex cap. quam gravi* 6. *de crim. fals.*

224 8 Præterea executor diligenter informare se debet super causa dispensationis, & si preces veritate nitantur, tum primum Authoritate Apostolica dispensare. Ubi notandum discrimen inter Clausulam, *Si ita est*, *si preces veritate nitantur*, & inter Clausulam, *si preces veritate niti repereris*. Nam si *prior Clausula* Rescripto adjecta sit, valet dispensatio, etiamsi dispensans causæ cognitionem non præmiserit, modo reipsa preces veritate nitantur. At si adjecta Rescripto sit *Clausula posterior*, omissa causæ cognitionem, dispensatio invalida est, licet reipsa veræ sint preces; quia tunc causæ cognitio induit naturam conditionis, ut adeo, ea nondum impleta, executori jus dispensandi nondum competat. Garc. *p.* 6. *de benef. c.* 2. *n.* 165. Gutier *l.* 2. *qq. Can. c.* 15. *n.* 112. Sanchez *lib.* 8. *de matr. D.* 35. *n.* 15. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *p.* 2. *c.* 10. *nu.* 354. Vinc. de Just. *l.* 1. *c.* 6. *à num.* 246. Vviestner *hic num.* 138. Reiffenstuel *nu.* 322. & hoc teste sæpius decidit Rota.

225 9 Sufficit autem, si cognitio ista causæ sit extrajudicialis, ut cum communi DD. notat Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 35. *n.* 15. Gutier *c.* 128. *de matr. nu.* 10. Perez *D.* 48. *sect.* 4. *n.* 2. Vinc. de Just. *c.* 6. *cit. n.* 262. Vviestner *nu.* 139. Reiffenstuel *n.* 324. cons. sufficit, si executori undecunque precum veritas innotescat. Res clara est, quando dispensatio committitur *pro foro interno*; quia in hoc sola partis informatio accipienda est, utpote quæ occulte omnino fieri debet, & solius fori interni Leges sequitur. De dispensatione commissa *pro foro externo* ostenditur ex eo; quia in hac etiam cognitio veritatis precum conscientiæ, & arbitrio executoris relinquitur, quod cum sit, judicialis cognitio causæ non requiritur. Si tamen adesset contradictor, citari pars, & acta in scriptis deberent redigi. Garc. *p.* 6. *de benef. c.* 2. *nu.* 247. Vinc. de Just. *c.* 6. *cit. num.* 246. Reiffenstuel *num.* 326.

226 10 Commissa dispensationis executio subdelegari non potest, ut communiter DD. notant, qui tamen in ratione istius danda non conveniunt. Corrad. *l.* 7. *prax. dispens. Apost. c.* 6. *n.* 40. putat, istud ideo fieri non posse, quod electa in hoc censeatur fides, & industria personæ, ut indicare videntur verba, *discretioni tuæ, de qua in his specialem fiduciam obtinemus*, & *super quo conscientiam tuam oneramus*. Sed revera ex his verbis efficaciter nil probatur, cum iisdem potius monitio, & declaratio officii executoris denotetur, ut bene advertit P. Vviestner *hic num.* 141. Quare id melius ducitur ex *arg. c. fin. §. cæterum de Offic. deleg.* ubi inhibetur subdelegatio dispensationis pro Irregularitatibus; quæ dispositio, ut *arg. l. cum pater* 77. § 20. *ff. de Legat.* 2. notant Abb. *in c. fin. cit. num.* 2. Felin. *n.* 8. Layman *n.* 5. Pirhing *de offic. deleg. nu.* 12. porrigitur ad casus expressis similes, saltem eos, qui subjecta ratione afficiuntur; est autem dispensatio super impedimento matrimoniali non minus gravis, quam dispensatio cum Irregulari. Intelligendum autem hoc est de ipso ministerio dispensationis; nam pro capienda informatione necessaria executor alios subdelegare potest, ut cum aliis advertit Corrad. *loc. cit. n.* 41.

11 Dispensans intuitu dispensationis non potest quidquam, etiam sponte oblatum, accipere, sub excommunicatione latæ sententiæ, ut in Litteris Apostolicis semper additur. Et intelligendum hoc etiam est de esculentis, & poculentis, quæ paucis diebus consumi possunt. Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 35. *n.* 11. Corrad. *cap.* 6. *cit. num.* 15. Vinc. de Just. *num.* 241. Reiffenstuel *nu.* 316. quia verba sunt generalia, adeoque generaliter intelligenda sunt *cap. quia circa* 22. *de privil.* Neque aliud probatur ex *c. statutum* 11. § *insuper de rescript. in* 6. ubi sub inhibitione receptionis munerum, esculenta, & poculenta excepta dicuntur; quia est sermo de delegato ad lites, cujus commissio, cum ordinarie diu duret, & magni laboris sit, stipendio aliquo digna videtur; quæ ratio non militat in casu præsenti, ubi dispensationis expeditio brevissima, & facillima est. Notarius tamen pro examinandis testibus, & aliis informationibus accipere potest quartam partem aurei, prout expresse declaravit *S. Congr.* apud Corad. *loc. cit. n.* 14. quia præceptum, Litteris dispensatoriis insertum, non hunc, sed executorem solum afficit. Imò etiam iste, postquam facta est dispensationis executio, aliquid gratuito oblatum accipere, non tamen prætendere potest, eo quod cesset tunc prohibitionis ratio, quæ est, ne Iudex muneribus excæcatus inique dispenset. Sanchez *D.* 35. *cit. n.* 13. 227

12 Quodsi Commissarius, causa cognita, repererit Oratores laborare alio Impedimento, non expresso, dispensationis Litteras executioni mandare non potest, sed Papæ offerendæ sunt novæ preces, tali impedimento expresso, ut cum aliis recte notat P. Vviestner *hic num.* 142. Si vero examinatis Litteris, & veritate precum, nullum appareat dispensationis impertiendæ impedimentum, statim pronuntiabit suam sententiam, qua declaret in scriptis, preces esse verificatas, & dispensabit juxta formam Rescripti, suoque nomine subscribet sententiam, tradito partibus Authentico ejus transumpto, ut sic servata forma Trid. (prout in Litteris dispensatoriis poni solet) inter se matrimonium ineant. Hac tamen Clausula non prohibetur Episcopus remittere denuntiationes, ut contra Zerol. *prax. Episc. p.* 1. *V. matrimonium* verius docent Sanchez *D.* 35. *cit. n.* 19. Gutier *c.* 128. *de matr. num.* 11. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 42. *n.* 14. Vviestner *num.* 146. ex generali potestate, Episcopis circa hoc concessa ab ipso Trid. ut adeo, qui præmissa dispensatione hac, sine denuntiationibus coram Parocho, & testibus contrahunt, adhuc dici possint contrahere, servata Trid. forma. 228

13 Quoad legitimationem prolis, interest, an suscepta illa sit ante dispensationem impetratam, vel post. *Si post*, legitima foret, etiamsi in Litteris dispensatoriis non adderetur Clausula, *Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando*. *Si ante*, videndum, an suscepta sit ex fornicatione, an vero ex matrimonio ante dispensationem obtentam invalide inito. *Si ex fornicatione*, vi prædictæ Clausulæ proles erit legitima quoad spiritualia tantum. *Si ex matrimonio invalido* considerandum, an istud mala utriusque fide contractum sit, an saltem unius bona. *Si primum*, iterum quoad spiritualia solum legitima erit, quoad cætera manebit spuria, nisi Papa dispensaret in radice matrimonii nulliter contracti, vel cum subditis ipsius dominio temporali subjectis. *Si secundum*, dispensatione etiam omissa, quoad omnia erit legitima favore bonæ fidei, ut *tit. seq.* dicetur. 229

230 14 Si qualitas personæ Oratorum adjecta sit Litteris dispensatoriis, quod honesti, nobiles, nobili genere procreati, principales loci, vel de populi principalioribus sint, videndum, an narrative tantum qualitas ista inferatur in Rescripto, vel in principio tantum, an vero in corpore Rescripti, & tanquam motivum, seu causa movens ad concedendam dispensationem specifice, vel generice allegetur; nam si hoc secundum fiat, quod indicant verba, *ut asserunt*, *ut asseritis*, *vel asserentes se nobiles &c.* tunc coram executore hæc qualitas probanda est *arg. l. omnes* 2. *C. de his qui ven. ætat.* Sanchez *D.* 35. *cit. n.* 25. Gutier. *c.* 128. *n.* 13. Barbosa *clauf.* 111. *num.* 1. Corrad. *l.* 7. *c.* 2. *num.* 118. Vinc. de Just. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 118. Wiestner *num.* 149. Reiffenstuel *n.* 330. Dicitur autem *honestus*, qui honeste, & decenter vivit, cujusque familia nulla turpitudinis nota, seu vitio laborat. Isidor. *l.* 2. *Etymol. Nobilis simpliciter*, qui vivit nobiliter, sive abstinet ab his, quæ populares tractare solent. *De nobili genere procreatus*, cujus majores, aut saltem parentes nobiles fuerunt. *Principales populi*, seu *loci*, qui in illo, vel populo authoritate, potentia, opibus excellunt. Sanchez *l.* 8. *cit. D.* 19. *n.* 6. Gutier *c.* 128. *n.* 13. *v. at in commissione*, Corrad. *à n.* 118. *cit.* Vinc. de Just. *n.* 132. Wiestner *n.* 149. Reiffenstuel *nu.* 331. *& seqq.*

231 Quæritur 2. Quid notandum, quando dispensatio datur *in forma pauperum*? *Resp. In forma pauperum* dispensatio tunc dari dicitur, quando pro foro externo ex legitima causa gratis dispensatur cum vere pauperibus, & miserabilibus personis, non habentibus sufficientia media ad solvendam taxam, seu compositionem, ut vocant, pecuniariam, quæ in quibusdam impedimentis exhiberi Officialibus Curiæ Romanæ solet: adeoque effectus hujus specialis formulæ est, ut dispensati liberentur à solvenda hac compositione.

232 Ut obtineatur in hac forma dispensatio apud Curiam Romanam, requiritur 1. ut Oratores, qui pro dispensatione in hac forma impetranda supplicant, sint *Pauperes*. Tales autem ad effectum obtinendæ dispensationis in hac forma censentur esse, qui ultra sustentationem, statui suo convenientem, non habent, ex quo compositionem, sive Jura Officialium Curiæ Romanæ solvant. Alii ad hunc effectum pauperem censent fœminam, quæ dotem tantam non habet, quanta exigi solet ad nubendum viro æqualis conditionis extra propriam consanguinitatem, vel Affinitatem; vir autem, cujus patrimonii substantia talis non est, ut æquali conditionis uxorem, inter quam, & ipsum nuptiale impedimentum non intercedat, facile non reperiat, ut ad mentem Ricii *prax. aur. tom.* 1. *decis.* 228. *n.* 8. tradunt Hurtad. *de matr. D.* 16. *difficult.* 3. *n.* 11. Gobat *Exper. tr.* 9. *à n.* 656. Alii arbitrio Judicis hoc decidendum relinquunt, qui attenta personarum, & circumstantiarum qualitate arbitrabitur. Surd. *de Aliment. tit.* 7. *q.* 9. *n.* 10. Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 4. *n.* 43. Barbosa *de Appell. Verb. Jur. V. pauper. num.* 4. Vinc. de Just. *l.* 1. *de dispens. c.* 7. *n.* 70. Reiffenstuel *n.* 372 nam universaliter ea, quæ à Jure definita non sunt, ac sub certa Regula comprehendi nequeunt, Judicis arbitrio relinquuntur *l. si servus* 1. *fin. ff. de Jur. delib.*

233 2 Non sufficit Oratores esse pauperes, sed debent etiam esse *miserabiles*, ita, ut proprio labore, & industria tantum vivant. Corrad. *l.* 8. *Prax. dispens. Apost. c.* 5. *à n.* 4. Vinc. de Just. *c.* 7. *cit. à n.* 72. Ratio est, quia Papa in suis litteris id tanquam conditionem in sensu copulativo requirit, dicens; *Dummodo ipsi sint pauperes*, *& miserabiles*, *& ex labore*, *& industria tantum vivant.* igitur adjectio hæc aliquid operari debet; nam in dictis Litteris nihil frustra apponitur; nihil autem operaretur, si quicunque pauperes, & non miserabiles impetrare dispensationem *in forma pauperum* ex Curia Romana possent. *Conf.* Nam dictio *miserabiles* per Urbanum VIII. est de novo adjecta, cum antea sufficeret dicere, quod Oratores essent pauperes, idque ad obviandum fraudibus, quibus multi, licet potuerint solvere compositiones, aliaque Jura Officialium, ad solutionem hanc evitandam, emendicato paupertatis testimonio, fingebant se pauperes; igitur per dictionem istam inducitur diversitas, & sic verificari specialiter debet. Ex quo sequitur, quod notat Corrad. *loc. cit. num.* 6. perperam à delegatis fieri executionem dispensationum sibi commissarum, si eis non constiterit, Oratores non solum esse pauperes, sed etiam miserabiles.

3 Debent esse miserabiles non quomodocunque, sicut sunt cæci, claudi, diuturno morbo fatigati? pupilli, viduæ &c. etiam divites; sed opus est, ut proprio *labore*, *& industria tantum vivant*; & quidem copulative cum paupertate *num.* 232. explicata, ita, ut ex hoc suo labore, & industria ultra sustentationem, statui suo conveniente, non habeant, ex quo compositionem, quæ pro dispensatione in Dataria requiritur, possint pendere. Parum autem interest, quis ille labor, vel industria sit, qua vitam tolerant. Imò Gobat *tract.* 9. *cit. num.* 658. *fin.* notat, in Diœcesi Constantiensi ex antiqua consuetudine ad effectum dispensationis *in forma pauperum*, & gratis impetrandæ pro pauperibus, & miserabilibus personis haberi omnes illos, qui agricultura, opificio, vel arte, etiam liberali, ut pictorum, vel Pharmacopolarum etiam est, se, & familiam suam alunt. Addit idem Gobat *num.* 661 pro Helvetiis, etiam Nobilibus, & Senatoria dignitate claris, dispensationes matrimoniales *in forma pauperum*, & gratis concedi ex speciali Curiæ Apostolicæ favore consuevisse. 234

4 Oratores, qui impetrare, & commissarii, qui exequi Litteras dispensatorias, datas *in forma pauperum*, volunt, bene notare debent particulam taxativam *Tantum*, cum dicitur, *Labore*, *& industria tantum vivant.* Nam inter eos, qui labore, & industria sua vivunt, distinguendum est, an præter ea, quæ ex labore, & industria sua percipiunt, bona aliqua habeant, vel an nulla habeant. *Si nulla habent bona*, & idcirco ex labore, & industria sua tantum vivunt, tum solum pro pauperibus haberi, & dispensationis *in forma pauperum* capaces censeri debent, quando ex hoc suo labore, & industria lucrantur præcise sustentationem suam honestam; nam si ex partis ita fructibus laboris, & industriæ suæ ultra expensas in sustentationem necessario faciendas supersit aliquid, quo solvere taxam, vel etiam in parte possint, pro omnino pauperibus habendi non sunt, nec liberantur à solvenda hac parte taxa: *Si vero habeant bona alia*, videndum, an ex his bonis suis percipiant, vel saltem, si illa locarent, perciperent tantos fructus, ut absque ulteriori suo labore, & industria per totum, vel per majorem, aut notabilem saltem, v.g. sextam anni partem vivere possint, an vero non percipiant, vel percipere ex locatione possent fructus tantos. *Si primum*, dispensationem *in forma pauperum* sperare non possunt; quia jam non ex labore, & industria sua *tantum* vivunt. *Si secundum*, vere pauperes, & miserabiles ad effectum impetrandi Rescriptum *in forma pauperum* censendi sunt. *Idque verum est*, etsi spem certam, vel jus habeant in futurum acquirendi bona v.g. ex legato, hæreditate consanguineorum, aut fideicommisso; quia à paupertate præsenti non liberat spes, sed res, nec considerarur jus in spe, se in re, cum sola spes non alat, nec vestiat hominem. Videatur Corrad. *Prax. dispens. Apostol. l.* 8. *c.* 5. *à n.* 12 Vinc. de Just. *de dispens. l.* 1. *c.* 7. *n.* 15. Reiffenstuel *Append. num.* 379. *& seqq.* 235

5 Ad obtinendam dispensationem *in forma pauperum*, non sufficit, unum ex Oratoribus esse pauperem, & miserabilem, sed omnino requiritur, ut ambo sint tales, ut contra Gobat *Theol. Exper. tr.* 9. *nu.* 659. advertunt, & Stylo Curiæ confirmant Corrad. *c.* 5. *citat. n.* 2. Vinc. de Just. *c.* 7. *cit. n.* 2. Reiffenstuel *num.* 397. patetque ex ipsa Clausula, quæ cum ambos Oratores *in plurali* pauperes, & miserabiles afferat, in plurali verificari debet; nam numerus pluralis saltem dualitatem requirit, nec uno contentus est *leg. ubi numerus* 12. *ff. de test.* 236

6 Ne falso paupertatis prætextu Officiales Curiæ facile sportulis suis defraudentur, juxta Institutionem ab eadem *Anno* 1658 & postea 1671. *die* 6. *Octob.* transmissam, & formam relatam à laudato Corrad. *num.* 18. Oratores pro dispensatione super impedimento nuptiali *in forma pauperum* impetranda supplicantes, eidem Curiæ fidem facere debent attestatione proprii Parochi, & depositionibus duorum, vel trium testium fide digniorum coram Episcopi Officiale, vel Vicario Generali legitime examinatorum, quod pauperes 237

res, & miserabiles sint, ut ex labore, & industria sua tantum vivant.

238 7 Dispensationem *in Forma pauperum* Curia Romana ob nullam aliam causam dare solet, quam ob copulam, vel suspicionem copulæ inter laborantes impedimento habitæ, vel potius ob mulieris infamiam, & scandala verisimiliter inde secutura, nisi matrimonium inter eos sequatur. Corrad. *capit.* 5. *cit.* Vinc. de Just. *c.* 7. *num.* 2. Reiffenstuel *nu.* 369. Sufficit autem pro valore Dispensationis, si præcessit suspicio etiam falsa incestus inter Oratores commissi: imò, ut nuperrimè Reverendiss. & Illustrissimus Abbas Josephus Melchiori, vir Styli, quem Curia Romana tenet, ex longissimo tempore peritissimus, super Dubio hoc interrogatus, respondit, suspicio incestus ex eo datur, quando pauperes, aliive notæ non magnæ homines pro Dispensatione in secundo Gradu Romam recurrunt, eamque tandem urgendo, & instando evincunt, ut adeo, etsi incestum reveta commissum Oratores in supplicatione sua non exprimant, imò extra Confessionem verecundiæ causa negent, Ordinarius, cui executio Litterarum committitur, sine scrupulo dispensare possit.

239 8 Additur in iisdem Curiæ Romanæ Litteris quod Oratorum utrique, vel uni saltem ex incestu, vel suspicione incestus immineat periculum mortis, licèt de hoc periculo in supplicatione non meminerint Oratores, imò etsi hodie in Germania incestus, in secundo gradu æquali commissus, morte non puniatur; nam esto, in Germania pœna ista à Tribunalium usu recesserit, Legibus tamen illa sancita est, & eadem in incestuosos animadverti assolet in aliis provinciis: ob quam causam Formulæ istius Rescripti antiquissimæ etiam mortis addiderunt periculum, non quod Pontifex semper periculum istud supponat, sed quia à conceptis ab antiquo Formulis S. Sedes recedere nec solet, nec debet; cum enim rerum, pœnarumque olim statutarum circumstantiæ mutentur identidem, nec idem omnibus provinciis mos sit, si itidem S. Sedes mutaret suorum Rescriptorum formulas, quorsum tandem, & in quod Chaos deveniretur? Adde, quod etiam in Germania intercedere præsumatur periculum mortis saltem æquivalenter; cum enim honor, & vita pari passu ambulent, ita contrahentes autem in secundo gradu ob suspicionem incestus se exponant periculo infamiæ, eo ipso se etiam æquivalenter censebuntur exponere periculo mortis. Ita idem Illustriss. Abbas in allegato Responso.

240 9 Distinguere etiam Curia Romana solet inter gradus, quibus se invicem Oratores attinent, & pro illorum varietate facilius, vel difficilius ab actuali ad Urbem accessu dispensat; nam cum iis, qui in quarto gradu simplici, vel in tertio, & quarto mixto se attinent, dispensat ita, ut pro remotione impedimenti ad Urbem non teneantur accedere personaliter, quamvis intra centum milliaria Italica circa Urbem siti sint. Cum iis autem, qui in tertio simplici, vel secundo, & tertio mixto conjuncti sunt, absque eo, quod Urbem personaliter accedant, tantum dispensat, si ultra dicta 100. milliaria ab ea distent. Ii verò, qui primo, vel primo, aut secundo æquali, vel primo, & tertio conjuncti inveniuntur, pro Litteris obtinendis *in forma pauperum*, non obstantibus quacunque paupertate, & distantia ab ipsa Romana Curia, ad eam personaliter debent accedere, ferentes secum attestationem Ordinarii de eorum paupertate: nec remittitur eis iter Romanum regulariter loquendo, etsi mendicando illuc ire, vel redire debeant, ut ex praxi, & Stylo Curiæ docet Corrad. *libr.* 8. *prax. Disp. Apost. cap.* 5. *num.* 26. ubi tamen *vers. Vidimus* addit, Papam subinde ex speciali, & extraordinaria gratia pro Oratoribus, saltem Ultramontanis, expedire Litteras Dispensationum *in forma pauperum*, etsi in dictis propinquis gradibus conjuncti, Urbem personaliter non accedant.

241 10 Ut verò Commissarius, cui executio Litterarum *in forma pauperum* demandatur, ritè dispenset, debet observare clausulas in Litteris allegati solitas, vi quarum debet. 1. Oratores, si cohabitent, à se invicem separare. 2. Imponere ipsis pœnitentiam publicam, seu talem, quæ communitati palam innotescat, ita ut aliis ad exemplum, & terrorem esse valeat. Ipsi Oratori operam personalem ad servitium Ecclesiæ alicujus injungere, per tres saltem menses exercendam. 4. De his peractis attestationem habere. Et tum demum 5. cum iisdem Oratoribus dispensare, idque gratis; nam si aliquid pro executione accipiat, præter reatum culpæ, & pœnarum etiam nulliter agit, ipsaque Dispensatio, & inde secutum matrimonium nulla sunt, ut patet ex Forma Litterarum, quas *in forma pauperum* pro hujusmodi Dispensationibus dare Curia Romana assolet.

Quæritur 3. Quid observandum circa forma, & clau- 242
sulas Dispensationis in foro interno? Resp. 1. Hæ expediuntur nomine majoris pœnitentiarii, qui S. R. E. Cardinalis est, super omnibus, & solis impedimentis occultis, Jure tantum Ecclesiastico dirimentibus, vel impedientibus tam ad contrahendum matrimonium, quam ad remanendum in contracto. Vinc. de Just. *lib.* 1. *de Dispens. cap.* 8. *num.* 29. cum aliis. *Excipitur* impedimentum consanguinitatis; nam super isto ante contractum matrimonium S. pœnitentiaria dispensat nunquam, post contractum vero in tertio, & quarto gradu, si consanguinitas est occulta, minimè verò in primo, vel secundo, quantumvis occulta illa sit, prout ex stylo, & praxi patet.

2 Diriguntur Litteræ Dispensatoriæ ad Confessarium 243
Oratorum, cum Inscriptione, *Discreto Viro Confessori, Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infra scripta specialiter eligendo*: quibus verbis innuitur qualitas personæ delegatæ, sive illarum executoris; nam 1. debet esse Magister in Theologia, vel Doctor Juris Canonici, nisi speciale privilegium à Sede Apostolica habeat, quale habet societas Jesu, ut gradus in Litteris nullus requiratur. 2. Debet esse approbatus ab Ordinario Diœcesano pro confessionibus pœnitentium excipiendis. 3. Debet ad hoc ab Oratore esse specialiter electus; in hac tamen electione non prohibetur idem Orator variare. Sanch. *l.* 8. *de matrim. D.* 27. *num.* 40. Perez *D.* 48. *de matrim. sect.* 5. *num.* 7. Dian. *p.* 8. *tr.* 3. *resol.* 104. Wiestner *n.* 154. Ruditas personæ electæ, modò qualitates prædictas habeat, valori dispensationis non obest, si Litterarum tenorem in executione observet. Sanch. *D.* 34. *num.* 17. Perez *num.* 6. Wiestner *nu. cit.* Reiffenstuel *num.* 450.

3 Executor, antequam vi talium Litterarum dispen- 244
set, debet explorare, & videre, an preces veritate nitantur, videlicet, an contractum reipsa sit impedimentum, an hoc, ut præfertur, occultum sit, an matrimonium cum eo initum revera sine scandalo separari nequeat, an causa finalis alia allegata subsistat &c. Sanch. *D.* 34. *cit. num.* 21. Gobat *tr.* 9. *num.* 168. Wiestner *num.* 155. *&* 156. Reiffenstuel *nu.* 453. Ad examen istud non est opus, ut adhibeatur Notarius, vel Testes, sed sufficit, si executor constitutus examinet Oratorem solum, cui dein, etiam sine juramento, fidem adhibere, & dispensationem impertiri, si preces veritate niti repererit, debet. Sanch. *num.* 21. *cit.* Pont. *l.* 8. *de matrim. c.* 21. *num.* 16. Vinc. de Just. *l.* 1. *c.* 8. *num.* 127. Reiffenstuel *num.* 454. & alii communiter. *Ratio est*, quia cum hæc dispensandi facultas committatur in solo secretissimo conscientiæ foro, illius fori Legibus aptari debet. Dixi, *si preces veritate niti repererit*; nam si invenerit contrarium, dispensare executor non potest; quia veritas precum est conditio requisita ad valorem dispensationis, conditione autem non servata, invalida est dispensatio *arg. l. diligenter* 5. *ff. mandati*. Et idem est, si confessarius, cui delegata est dispensatio, aliunde, quam ex confessionis Sacramento, novit, preces allegatas in Litteris esse falsas, aut tacitam veritatem necessariò exprimendam; nam si hoc sciat, exequi non debet, nec potest Litteras, quamvis pœnitens eas veras esse mentiendo, vel opinando asserat. Sanch. *loc. citat.* Lezan *V. Litteræ Apostolicæ numer.* 23. Diana *part.* 8. *tract.* 3. *resol.* 108.

4 Dispensatio ista fieri hodie debet in ipso actu Sa- 245
cramentalis confessionis, & non aliter, prout liquet ex tenore Litterarum modernarum. Corrad. *lib.* 8. *Prax. Dispens. Apost. c.* 10. *num.* 31. Vinc. de Just. *cap.* 8. *citat. n.* 105. *& seqq.* Gobat. *in Quinar. tr.* 5. *c.* 37. *num.* 176. Wiestner *num.* 157. Reiffenstuel *num.* 457. Et hinc attendi non debet quoad hoc Sanch. *num.* 29. quia hic scripsit ante novum stylum; nam stylo antiquo, quia clausula hæc Litteris non inferebatur, ad valorem dispensatio-

sationis, per confessarium faciendæ pro foro interno, probabiliter non requirebatur confessio Sacramentalis. *Procedit autem hoc*, etiamsi pœnitens jam prius alteri rite confessus, & ab hoc absolutus à peccatis suis fuisset, ac proinde nullum haberet in præsens peccatum mortale; adhuc enim confessio Sacramentalis requiritur; & ratio est, quia Clausula, quæ de stylo hodierno Litteris additur, in ablativo ponitur, *Audita prius Sacramentali Confessione*; conf. conditionem importat *l. à testatore* 109. *ff. de condit. & demonst.* conditio autem dat formam actui.

246 5 Si dispensetur ad remanendum in matrimonio cum uxore putatitia, cujus consanguineam Orator ante ejus contractum cognovit, Dispensatio dari non potest validè, nisi sublata prius occasione peccandi, ut liquet ex Litteris, circa hoc impedimentum dare solitis, & notant Gobat *num.* 190. Vviestner *n.* 158. Reiffenstuel *num.* 462. Hinc si confessarius, cui demandata est executio, ex audita confessione prudenter cognoscat, occasionem adhuc subsistere, debet ante omnia mandare pœnitenti, ut occasionem proximam tollat, & interea, dum sublata illa fit, Dispensationem differre. Sublata autem occasio, & periculum proximum censebitur, si Orator consanguineam uxoris putatitiæ, cum qua, quia in eadem domo existebat, sæpius solebat peccare, è domo dimiserit, vel si illa quidem in eadem domo persistat, emendatio tamen jam est secuta, ita, ut periculum proximum subesse non amplius censeatur. Reiffenstuel *n. cit.*

247 6 Præmittenda Dispensationi est absolutio à quibus sententiis, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis pro vice, ac tempore, quo super impedimento dispensatur, in forma Ecclesiæ consueta, illa scilicet, qua Ecclesia in absolutione sive à censuris, sive à peccatis uti consuevit. Bonacin. *D.* 1. *de LL.* q. 2. *p.* 2. *n.* 19. Gobat. *num.* 207. Vviestner *n.* 159.

248 7 Circa pœnitentias injungendas distinguendum est, an Orator peccatum suum in confessione anteriore jam expiarit, vel non; nam *si primum*, non est opus injungere pro illo excessu pœnitentiam. *Si secundum*, injungi debet, sed minui potest, considerata qualitate peccati, ejus frequentia, & maximè dolore Oratoris, quem de peccato à se commisso concepit: item si Dispensatio fieret tempore Jubilæi. Gobat *n.* 208. Vviestner *n.* 160. *Excipitur* confessio menstrua; hanc enim confessarius temperare pro suo arbitrio nequit, & loco illius bimestrem, vel trimestrem injungere, ut notat Reiffenstuel *n.* 466. & patet ex forma consueta Litterarum, in quibus determinatè præcipitur, ut dispensato injungatur confessio per totam vitam *ad minimum semel* in mense peragenda.

249 8 Dispensatio hæc illud solummodo impedimentum tollit, super quo petita est *arg. c. inter dilectos* 6. §. *caterum de fid. instrum.* Gobat *num.* 238. Vviestner *num.* 162. Reiffenstuel *num.* 471. Hinc si confessarius præter expressum in Litteris impedimentum, etiam alio pœnitentem laborare advertat dispensare nequit, etsi bona fide, & ex ignorantia invincibili illud exprimere omiserit pœnitens; quia per Litteras concessa ipsi est potestas limitata, *Dummodo --- aliud Canonicum non obstet impedimentum*.

250 9 Antequam de novo contrahatur matrimonium, mulier de nullitate prioris consensus certiorari debet, sed ita cautè, ut Oratoris delictum nusquam detegatur. Ipse autem consensus, si matrimonium prius contractum est in facie Ecclesiæ, renovari potest sine Parocho, & Testibus, prout dictum est *Titul.* 3. *num.* 120. *& seqq.*

251 10 Quoad legitimationem prolis videndum, an proles, de cujus legitimitate quæritur, sit nata post matrimonium, vigore Dispensationis contractum, an ante illud. *Si primum*, legitima erit pro utroque foro, etiamsi legitimationis in Rescripto nulla mentio fuisset facta; quia jam suscepta ponitur ex justis nuptiis. *Si secundum*, iterum distingui debet, an suscepta sit ante, vel post matrimonium prius putatitium. *Si ante*, in solo foro conscientiæ habebitur pro legitima, ac proinde casu, quo detegeretur postea impedimentum, favor Dispensationis cessaret. *Si post*, considerandum, an mala utriusque fide contractum sit matrimonium, an saltem unius bona. *Si hoc alterum*, pro utroque foro legitima erit proles. *Si prius*, iterum legitima tantum erit pro foro interno. P. Vviestner *n.* 165. *&* 166.

11 Factæ Dispensationis nulla danda est attestatio, neque litteræ Oratori restituendæ, sed statim lacerandæ, vel alio modo corrumpendæ sunt: si restituerentur Oratori, huic nihil prodessent (intellige, in foro externo) & confessor, si non laceratas asservaret, graviter peccaret, & incurreret excommunicationem latæ sententiæ, ut patet ex formula Litterarum, ibi *Præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita, ut nullum earum exemplum extet.* Litteras tamen illas ita laceratas ad usum aliquem materialem penes se retinere executor posset, ut cum Filliuc. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 10. *num.* 357. notat Gobat *num.* 275. Item potest eas describere, & copiam pro sua, vel aliorum instructione retinere; quia illa verba, *ita, ut nullum earum exemplum extet*, prohibent tantum Copiam authenticam, in debita juris forma factam, quæ ad probandum pro foro externo serviat. Reiffenstuel *num.* 483. 252

§. VIII.

De Matrimonii invalidè contracti Ratificatione.

S U M M A R I U M.

Quæritur 1. An, & qualis consensus requiratur, ut ratificetur matrimonium, quod prius fuit initum invalidè? *Certum est*, requiri novum consensum ejus, cujus prior consensus illegitimus fuit, & talis fuisse apparet ex impedimenti præexistentis acquisita nova notitia. 253

Dubium est, an sufficiat novus hujusmodi consensus merè internus? *Ratio dubitandi est*, quia hic solus videtur pertinere ad substantiam matrimonii ex Rescripto Innocentii III. *capit. quæ* 25. *de sponsal.* ubi hic Summus Pontifex disertè, *matrimonium*, inquit, *in veritate contrahatur per legitimum viri, & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensum exprimentia de præsenti.* Quod maximè locum habere videtur in matrimonio, si nulliter illud contractum sit ob defectum consensus interni tantum; nam hoc posito, nihil amplius videtur desiderari ad matrimonium. 254

Sed dicendum, legitimum matrimonialem consensum exprimendum necessariò esse verbis, vel aliis signis externis. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 40. *art.* 4. Scot. *ibidem dist.* 33. *q. un.* Sylv. *V. matrimonium*, 8. *q.* 2. *dict.* 6. Navar. *Man. c.* 22. *num.* 47. *&* 80. Sanch. *l.* 2. *de matrim. D.* 35. *n.* 3. & Teste *P. Vviestner* præcipui nominis TT. ac JCti. Sumitur ex *c. duobus* 1. *de sponf. duor.* ubi S. Augustinus disertissimè ait, *Fidem consensus* conjugalis *esse*, *quando, etsi non stringit manum, corde tamen, & ore consentit ducere, & mutuo se concedunt unus alteri, & mutuo se suscipiunt.* Ratio est, quia matrimonium est contractus huma- 255

manus, & quidem, si inter Fideles sit initus, Sacramentum; ad utrumque autem necessariò requiritur signum sensibile; ergo &c.

256 *Ad c. tuæ* pro Ratione dubitandi allatum dico, ibi solum ostendi, ad matrimonium non requiri verba formalia, sicut requiruntur ad alia Sacramenta; nam virtualia saltem requiri, patet ex ratione contractus, qui iniri nequit, nisi inter duos, sibi invicem manifestantes consensum. *Ad Conf.* Verba, & signa præcedentia, quibus manifestabatur consensus fictus, non possunt esse signa consensus veri postea secuti, cum ad hunc significandum non apponantur.

257 Quæritur 2. An ratificatio conjugii prius invalidè initi fieri debeat novo consensu utriusque, an verò sufficiat consensus ejus dumtaxat, qui Impedimenti præexistentis, & per Dispensationem sublati notitiam habet? Sufficere consensum ejus, qui impedimento sublato per dispensationem, notitiam illius habet, docent aliqui, suppressis nominibus relati à Sanch. *libr. 2. de matrim. D.* 35. *num.* 1. Nituntur 1. textibus *c. proposuit 2. & c. fin. de conjug. servor.* ex quorum dispositione ratificatur conjugium, cum ancilla ignoranter initum, quando ingenuus, servili illius conditione cognita, verbo, aut facto, puta, affectu conjugali ad ipsam accedendo, consenserit. 2. *lib. si quis 27. & l. eos, qui 65. ff. de Rit. Nupt.* juxta quas ejusmodi conjugia, sublato impedimento, sola alterius in pristino consensu perseverantia convalescunt. 3. *Ratione*: quia primus in matrimonium consensus fuit conjugalis; nam eo animo præstitus fuit, ut contraherent matrimonium; igitur sufficit, ut impedimento per dispensationem sublato, non revocetur.

258 Sed dicendum, requiri novum utriusque consensum. Ita S. Thom. *in 4. dist.* 40. *quæst. unic. artic.* 4. *ad 6.* Scot. *ibidem dist.* 35. *quæst. unic.* §. *responsio vers. primus consensus*, Host. *in cap.* 1. *de eo, qui duxit &c. pr.* Innoc. *ibid. num. unic.* Anchar. *num.* 4. Alex. de Nevo *num.* 15. Sylv. *V. matrimonium 6. quæst.* 5. *dict.* 2. & *V. matrimonium* 8. *quæst.* 2. *dict.* 6. Navar. *Man. capit.* 22. *numer.* 47. & 80. Covar. *part.* 2. *de sponsal. capit.* 4. *pr. numer.* 5. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. capit.* 1. *num.* 7. Sanchez *D.* 35. *citata num.* 2. Gutier. *de matrim. capit.* 47. *num.* 5. Pont. *libr.* 4. *capit.* 24. *num.* 2. Bosc. *D.* 12. *de Imped. matrim. sect.* 14. *concl.* 2. Vviestner *hic numer.* 174. Reiffenstuel *Append. num.* 585. & sequuntur passim RR. *Ratio est*, quia consensus prior ob defectum habilitatis ex parte utriusque fuit nullus; igitur, perseverare moraliter dici nequit cum perseverantia supponat existentiam. *Conf.* Si ambo conjuges prorsus nullum habuissent consensum ad contrahendum matrimonium, ad illud revalidandum requireretur consensus utriusque; ergo etiam si consenserunt quidem, sed invalidè, ac nulliter; quia nulliter, seu invalidè factum, & non factum, seu invalidum esse, & non esse paria censentur *l. quoties 6. ff. qui satisdar. cogant*.

259 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Etiam eo casu Sanch. *D.* 36. *num.* 10. & Pont. *lib.* 4. *de matrim. cap.* 24. *num.* 1. volunt consensum, sublata, aut detecta alterius conditione servili, renovandum ab utroque verbo, aut facto. *Ad* 2. Covar. *loc. cit.* & Sanch. *D.* 35. *num.* 5. Leges *citt.* explicant de perseverantia in eadem voluntate, denuo expressa per supervenientem copulam affectu conjugali habitam, aut per alia signa externa. *Ad* 3. Ratio illa probat, ex parte neutrius renovandum consensum esse, sed sufficere, ut jam datus, & ob impedimentum nullus, non revocetur.

260 Quæritur 3. An, ut hac mutui consensus renovatione revalidetur matrimonium, necessarium sit, ut prius initi nullitas utrique innotescat? Innocentius *in cap.* 1. *de eo, qui duxit &c. num.* 1. Angel. *V. matrimonium* 3. *imped.* 4. *num.* 10. Sot. *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *artic.* 2. *concl.* 3. & *dist.* 29. *quæst.* 2. *art.* 1. *dub. ult.* Veracrux *specul. part.* 1. *artic.* 44. *concl.* 3. Barth. à Ledesm. *dub.* 17. *de matrim. fol.* 1274. §. *sed animadvertendum*, & *dub.* 21. *concl.* 5. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 3. *nu.* 6. Rodriq. *tom.* 1. *summ. edit.* 2. *c.* 220. *n.* 2. cum nonnullis aliis putant, hoc non esse necessarium, sed sufficere, quod impedimenti per Dispensationem sublati conscius ab altero, id ignorante petat, ut pro sua consolatione se in conjugem de novo recipiat, & annuentem vicissim in conjugem ipse recipiat, sicque se sibi mutuò tradant.

261 Fundantur 1. quia, sublato impedimento, sunt personæ habiles ad matrimonium contrahendum; igitur ejusmodi consensu de novo posito, verè evadunt conjuges. 2. Si post sponsalia, cum impedimento occulto inita, hoc per Dispensationem sublato, sequatur carnalis copula animo conjugali, antiquo jure, & nunc, ubi Tridentinum receptum non est, verum fit matrimonium; ergo idem dicendum etiam in præsenti casu. 3. Hic error, ut supponimus, non est error personæ, nec conditionis, sed est error juris, quo conjuges putant, se matrimonio junctos esse, cum non sint; soli autem duo priores matrimonium vitiant; ergo &c. 4. Consensus, qui ad ineundum matrimonium semel verè datur, moraliter semper perseverat, donec revocetur *argum. capit. fin. de Procurat. & l. stipulatio* 1. §. *qui præsens* 1. *ff. de V. O.* ergo etiam perseverat in illo, qui consensum ex ignorantia impedimenti, & bona fide dedit.

Sed dicendum, ut matrimonium consensus renovatione convalescat, ejus prius invalidè contracti nullitas, non tamen causa istius utrique debet innotescere. Ita Sylv. *V. matrimonium* 8. *q.* 2. *dict.* 2. Abul. *in l.* 1. *Reg. c.* 8. *q.* 36. Navar. *Man. c.* 22. *num.* 33. Sanch. *l.* 2. *de matrim. D.* 36. *n.* 4. Gutier. *de matr. c.* 47. *à n.* 4. & *c.* 128. *nu.* 22. Conink *D.* 34. *n.* 90. Pont. *de matrim. l.* 4. *c.* 25. *à nu.* 2. Hurtad. *D.* 3. *diffic.* 2. *p.* 7. §. 2. *n.* 3. Tamburin. *l.* 9. *tr.* 4. *c.* 7. §. 2. *n.* 3. & 6. Bosco *D.* 12. *de matrim. imped. sect.* 14. *concl.* 2. Vviestner *hic n.* 176. Reiffenstuel *Append. n.* 587. 262

Ostenditur 1. ex *Formula Litterarum*, quæ ex S. pœnitentiaria dari solent pro Dispensationibus in matrimonio invalidè contracto, in quibus expressè requiritur, ut pars nullitatem ignorans de eadem certioretur, ibi, *Muliere de nullitate prioris consensus certiorata*. 2. Ex *Diplomate Cruciatæ*, quo istius commissario Generali datur potestas dispensandi cum iis, qui ignoranter in gradu prohibito contraxerunt, & additur, ut hoc fiat, *altero*, impedimentum ignorante, *prius de nullitate prioris matrimonii certificato*. 3. Ex *Responso Clemens VIII.* qui ut ex Comitol. *Respons. mor. lib.* 1. *quæst.* 120. refert Pont. *lib.* 4. *cap.* 24. *numer.* 4. ad casum, quo matrimonium ob defectum consensus ex parte mulieris invalidè contractum erat, ut illud ratificaretur, disertè requisivit novum consensum utriusque, admonito marito de matrimonii, quam ignorat, nullitate. 4. Ex *ratione*; quia renovatio consensus, ut matrimonium inducat, procedere necessariò debet ex intentione efficiendi matrimonium; ille autem, qui credit, matrimonium suum prius initum validum esse, novo suo consensu in novum ejus contractum non consentit, sed tantum renovat, & ratificat prius initum, quod cum nullum sit, ejusmodi consensu ratificari, & revalidari non potest, cum *nihil sit volitum, nisi quod cognitum*, & *actus agentium ultra intentionem illorum non operentur*. 5. Nihil magis contrarium consensui est, quam error *l. si per errorem* 15. *ff. de Jurisdict. & l. nihil* 116. *pr. ff. de R. J.* atqui is, qui novo consensu ratificat matrimonium, quod credit esse validum, in personam consentit ex errore, quo credit sibi novum contractum non esse possibilem; ergo &c. 263

Dixi, *Non tamen causa illius*; nam causam nullitatis detegere non est necessarium, imò nec consultum, præsertim si causa sit crimen, ut patet ex formæ in S. pœnitentiaria consuetæ verbis: *Sed ita caute, ut Latoris delictum nusquam detegatur*. Ratio est, quia hujusmodi manifestatio criminis non est necessaria ad revalidationem matrimonii, & plurimorum gravissimorum incommodorum occasio esse posset. Imò quia hujusmodi mala, puta infamia, periculum vitæ, sui destitutio, desertio prolis susceptæ &c. nonnunquam timeri possunt ex sola manifestatione nullitatis matrimonii, etiam causa nullitatis non detecta, juxta Sanchez *lib.* 2. *de matrim. D.* 36. *num.* 8. Palao *D.* 3. *p.* 7. §. 2. *num.* 4. Tambur. §. 2 *cit. num.* 7. Carden. *Cris. Theol. Dissert.* 2. *c.* 8. *art.* 13. *q.* 3. *num.* 676. Gobat *in Quinar. tr.* 5. *c.* 37. *num.* 132. & *nu.* 245. Sporer *de matr. c.* 2. *sect.* 2. *num.* 460. Vviestner *hic num.* 191. & alios, pars, sciens nullitatem matrimonii, sequi posset sententiam contrariam, quia ex authoritate plurium DD. suprà adductorum probabilis verè est, & renovato ex sua parte consensu post impedimentum remotum, matrimonio uti citra manifestationem nullitatis, & obtentum post hanc ab altera parte novum consensum; quia ejusmodi extrema necessitas cohonestat 264

usum

usum opinionis, cui in ordinariis casibus, & circumstantiis locus non est.

265 Neque obstant Argumenta contraria *num.* 261. posita. *Ad* 1. patet ex dictis *numer.* 262. nam consensus, quo revalidatur matrimonium, invalidè initum, poni debet cum intentione contrahendi denuo, quam intentionem habere non potest, qui nescit matrimonium ante contractum fuisse invalidum. *Ad* 2. etiam copula subsecuta tali casu non sufficit; quia non fit animo contrahendi matrimonium, sed utendi contracto. Unde ut ea præsumatur matrimonium, utraque pars scire debet, quod matrimonium nulliter contractum sit: & sic non est paritas cum casu *Antecedentis*. *Ad* 3. hic error reducitur ad errorem personæ; putat enim conjux, nullitatem matrimonii sui ignorans, se consentire in suam, cum revera non sit sua. Imò est major error, quam personæ, cum ita errans integram contractus substantiam ignoret, & prorsus, quid agat, nesciat. *Ad* 4. Argumentum hoc nimium probat; probat enim, quod etiam ex parte illius, qui post matrimonium contractum in notitiam impedimenti venit, hoc remoto, non sit necessarius novus consensus, sed sufficiat, quod nunquam revocatus moraliter perseveret. Igitur in forma *Dist. Ant.* consensus semel verè datus perseverat, donec revocetur, si fuit validus, *Conc.* si fuit invalidus, *Neg.* tum enim idem est, acsi nunquam extitisset; cons. perseverare non potest.

266 Quæritur 4. An consensus utriusque etiam sit necessarius, quando revalidandum est matrimonium contractum nulliter ex defectu consensus, fictè, per metum, vel errorem præstiti? Host. *in c. dilectus* 24. *de spons. V. contrario*, Joan. Andr. *ibidem num.* 6. Ancharan. *num.* 3. Alex. de Nevo *num.* 18. *fin.* Sylv. *V. matrimonium* 8. *q.* 2 *dict.* 6. *& quæst.* 11. *dict.* 4. Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 51. *&* 80. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. D.* 32. *num.* 9. Conink *D.* 24. *num.* 54. *&* 90. Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 1. Bossius *de matrim. c.* 2. *num.* 38. Tambur. *l.* 8. *tr.* 4. *cap.* 7. §. 1. *num.* 5. *&* 9. putant sufficere, si is, qui prius legitimè non consensit, novum consensum ponat, & propterea putant, hoc casu non requiri notitiam nullitatis, nisi ex parte ejus, qui debet novum consensum ponere.

267 Fundantur 1. quia ad valorem matrimonii non requiritur coexistentia consensus utriusque actualis, sed sufficit moralis, quæ habetur, quando consensus ab uno præstitus tamdiu non revocatur, usque dum etiam alter ponat consensum; hoc autem fit in casu posito; ergo &c. Bonum est Argumentum à matrimonio spirituali ad carnale; sed matrimonium spirituale, seu professio Religiosa, invalidè edita ob defectum ætatis, aut liberi consensus, novo, ac legitimo consensu profitentis convalescit, quantumvis iste non renovetur ex parte Religionis, imò licèt ista nullitatem omnino ignoret. 3. Moralis perseverantia mandati sufficit, ut Procurator nomine mandantis validè contrahat matrimonium *capit. fin. de Procurat. in* 6. ergo moralis perseverantia consensus ab uno verè præstiti sufficiet, ut alter, qui fictè consensit, possit ponere consensum verum, & sic matrimonium redintegrare. 4. Electio ad Ecclesiam ritè facta confirmatur, si consensu electorum nondum revocato, electus in sui electionem consentire velit *c. cum inter* 21. *de elect.* ergo confirmabitur etiam matrimonium, si ad consensum, ab uno præstitum, subsequatur consensus alterius verus. 5. Cæteri contractus, si consensui unius, actu præterito, sed moraliter adhuc perseveranti, ex intervallo accedat consensus alterius, perficiuntur *l. stipulatio* 1. §. *qui præsens* 1. *ff. de V. O.* sequitur autem matrimonium naturam reliquorum contractuum; ergo &c.

268 Sed etsi sententia hæc admodum probabilis sit, sensui tamen Ecclesiæ, & rationi magis conformis videtur, quæ hoc casu requirit novum consensum, & scientiam nullitatis etiam ex parte illius, qui antea posuit novum consensum. Ita Felin. *in capit. ex parte* 33. *de Rescript. numer.* 11. Palacios *in* 4. *distinct.* 27. *D.* 1. *fol.* 566. *col.* 2. Barth. de Ledesm. *de matrimon. dub.* 10. Comitol. *libr.* 1. *Respons. moral. quæst.* 120. Pont. *libr.* 4. *capit.* 25. *numer.* 2. Hurtad. *D.* 3. *de matrimon. difficultat.* 9. *numer.* 31. Palao *D.* 3. *part.* 7. §. 1. Reiffenstuel *Appendic. numer.* 607. & inclinat P. Wiestner *hic numer.* 189. quamvis addat, hanc, & duas priores quæstiones dignissimas esse decisione Apostolica.

Probatur 1. ex Responso Clementis VIII. allegato *n.* 263. ubi Pontifex hoc casu requirit expresse *novum consensum utriusque, admonito prius marito de nullitate matrimonii*. 2. Consensus illius, qui seriò contraxit, moraliter solum perseverat tamdiu, quamdiu consentiens credit matrimonium, à se inchoatum, per alterius consensum perficiendum; igitur hoc ipso, quod credat illud jam perfectum esse per consensum alterius fictum, eo posito, cessat perseverare in eo consensus ad illud contrahendum. 3. Esto, consensus iste perseveret moraliter ultra tempus matrimonii verè, aut fictè contracti, sufficere tamen non potest ad matrimonium revalidandum; quia cum defecerit conditio, sub qua voluit contrahere, nempe si etiam alter habeat animum contrahendi, talis consensus nullus fuit, & nullus manet, utpote qui alligatus fuit conditioni consensus primò præstiti, & non quocunque tempore præstandi; igitur necesse ad matrimonium revalidandum erit, ut habita nullitatis notitia, etiam is, qui verè consensit, ponat novum consensum. 269

Neque contrarium probant Argumenta opposita. *Ad* 270
1. Patet ex allatis probationibus. *Ad* 2. Negatur paritas; nam professio Religiosa sine determinata nullitatis notitia per Habitus delationem, vel quinquennalem perseverantiam renovatur, quia Ecclesia, seu Summus Pontifex, tanquam supremus omnium Religionum prælatus hunc nulliter professi consensum acceptat, & defectum consensus ex parte Religionis, ut harum, & illas profitentium paci tranquillitati, & saluti consulat, suppler: non autem ita supplere Ecclesia, vel Pontifex potest defectum consensus in matrimonio ex parte conjugis, nullitate matrimonii ignorantis, utpote qui jure Divino, & naturali requiritur, & esse personalis debet. *Ad* 3. Mandatum Procuratori datum ad matrimonium contrahendum moraliter perseverat ex mente ipsius mandantis, donec id revocetur, vel tempus, pro quo datum est, præterierit; at consensus seriò consentientis solum durat ex mente consentientis eo usque, donec alter consenserit; consentit enim sub conditione, si & alter consenserit: cum igitur revera non consenserit, eo ipso, & ille cessat. *Ad* 4. Etiam consensus electorum non perseverat moraliter ad omne tempus, sed tantum usque ad tempus, in quod tempus electus consensum in sui electionem differre de Jure potest; nam hoc transacto, cadit Jure per electionem quæsito, & electoribus licet ad novam electionem procedere. Unde hoc exemplo potius confirmatur nostra sententia, qua diximus, consensum conjugis verè consentientis durare solum ad tempus, quo alter conjux debebat consensum verum, & ipse præstare. *Ad* 5. imprimis à cæteris contractibus non semper bene Argumentum ducitur, ut patet ex eo, quod in illis defectus consensus possit suppleri à Jure, & potestate humana, à qua tamen suppleri nequit defectus consensus in matrimonio. Deinde nec in cæteris contractibus consensus unius perseverat ad tempus quomodocunque longum præstiti consensus ab altero; nam *l. stipulatio* §. 1. *qui præsens* 1. *ff. de V. O.* dicitur, quod *intervallum medium*, modicum, ut Gothofred. *ibidem Lit. I.* addit, *non vitiet obligationem*: quale secundum eundem *Gothofredum*, est intervallum *unius diei, dummodo tamen intermedio tempore nullum extraneum actum fecerit*; nam ut idem notat, Intervallum *longum fit, si illo modico tempore ad actus extraneos, seu extranea negotia diverterit*.

Quæritur 5. Qualiter in praxi ignorans nullitatem 271
matrimonii sui de ea certior fieri, & consensus de novo præstari possit, ac debeat? *Certum est* ex dictis *num.* 264. non esse necessarium, ut reveletur ignoranti causa nullitatis, præsertim si ex crimine ista descendat; nemo enim tenetur se diffamare: sed sufficit, si pars impedimentum ignorans certior fiat de matrimonii nullitate, undecunque ista descendat. Pro quo DD. communiter duos proponunt modos.

Primus procedit maximè, quando ex revelatione nul- 272
litatis nullum timendum est periculum scandali, diffamationis, destitutionis alterius partis, & liberorum; tunc enim conjux conscius impedimenti tutissimè aget, si in genere sincerè alteri patefaciat nullitatem matrimonii, dicendo v. g. *Timeo*, *vel puto*, *Matrimonium*

inter

inter nos ex aliqua causa non esse validum: hinc rogo te, ut ad vacandam conscientiam meam mecum de novo contrahas, meque in conjugem tuum de novo accipias, prout ego te ex nunc in conjugem accipio; nam si alter conjugem suum ita amet, ut sine hæsitatione dicat, *Placet, consentio, de novo te in conjugem accipio*, res salva est. Si verò interroget causam, potest vel rogare, ut ad hoc non se adstringat, vel dicere, se tempore contractus non habuisse verum consensum; quia quem habuit, nullus fuit: non esse autem, & nulliter esse paria sunt *l. quotiens 6. ff. qui satisdar. cog.* Sanchez *lib. 2. de matr. D. 36. nu. 7.* Carden. *Cris. Theol. Dissert. 2. c. 8. art. 13. quæst. 3. num. 676.* Vviestnet *hic num.* 180. Reiffenstuel *Append. n.* 596.

273 *Secundus* præcipuè locum habet, quando ex revelatione nullitatis matrimonii immineret periculum vitæ, infamiæ, sui desertio, destitutio prolis susceptæ, & alia similia valde gravia mala; tunc enim revalidari potest matrimonium nulliter contractum sine determinata notitia de nullitate, si remoto impedimento, uterque existimatorum conjugum matrimonium suum ratum esse omni modo, & ita velint, ut in eventum, quo prius initum esset invalidum, illud velint denuo novo, & serio consensu, per verba de præsenti expresso, contrahere, & actu ipso sic contrahant. Sanchez *D. 36. citat. num.* 5. Palao *D. 2 p. 5. n.* 3. Bosco *de Imped. matr. D.* 12. *sect.* 14. *concl.* 2. Gobat *Quinar. tr.* 5. *cap.* 37. *à num.* 132. Sporer *de matr. c.* 2. *sect.* 2. *n.* 459. Hetinx *de matr. D.* 6. *q.* 3. *nu.* 33. Vviestner *num.* 190. Reiffenstuel *n.* 197. nam ita ratificari potest etiam professio Religiosa, sine determinata nullitatis notitia; ergo etiam matrimonium; notitia enim nullitatis in ignorante impedimentum ideo tantum requiritur, ut ignorantis novus consensus non referatur ad antiquum matrimonium, quod putat esse validum; sed casu, quo conjuges putatitii ita ratificant suum matrimonium, ut expressè dicant, se velle de novo contrahere, imò actu ipso per verba de præsenti contrahere, si prius initum sit invalidum, consensus iste jam non refertur ad matrimonium invalidum antè contractum; ergo &c.

274 Quæritur 6. Quæ sint partes Confessarii, si advertat adesse impedimentum, ignoratum à conjugibus putatitiis? Resp. Hoc casu Gobat *Quinar. tr.* 5. *c.* 37. *num.* 28. eundem monet, ut nullitatem matrimonii non temere, sed tum solum aperiat conjugibus putatitiis, quando advertit, eos in conjugio esse concordes, seque amore sincero complecti. *Contra* si malè inter eos conveniat, & frequentes intercedant rixæ, in bona fide potius relinquendi sunt, quam ut in impedimento, non satis cautè detecto, gravissimis incommodis, & scandalis ansam det: quod consilium laudat, & approbat etiam Sporer *§. 6. cit. n.* 4. Vviestner *n.* 192.

275 Quod procedit, quando mala ista alio modo vitari nequeunt; nam si alius superesset modus, hic utique tentandus foret. Modum hujusmodi Confessario suggerit P. Reiffenstuel *Append. nu.* 603. ubi suadet, ut ipse Confessarius conjuges putatitios, productis in medium commodis matrimonii legitimè contracti, incommodis contracti illegitimè, & frequentibus periculis, ne illegitimè contractum sit, observata commoditate temporis, & circumstantiarum, inducat ad renovandum consensum per verba de præsenti conditionatè, si ex aliqua causa matrimonium ipsorum esset invalidum; nam hunc si renovent sub conditione prædicta, sublato per Dispensationem impedimento, revalidabitur matrimonium, & conficietur Sacramentum.

276 Quæritur 7. An ad revalidandum matrimonium, invalidè contractum, denuo requiratur præsentia parochi, & Testium? Resp. interesse, an impedimentum, ob quod invalidè contractum est matrimonium, sit publicum, an verò occultum. *Si publicum est*, vel tale, ut per probationes legitimas publicum fieri possit, certum est apud omnes, ad revalidationem matrimonii adhiberi debere novam præsentiam Parochi, & Testium; hoc ipso enim, quòd palam, & in foro externo sciatur, prius matrimonium publicè contractum fuisse nullum, de novo publicè contrahi debet ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala *argum. Conc. Trid. sess.* 24. *c.* 1. *de Reform.*

277 *Si vero impedimentum occultum sit*, & matrimonium prius in facie Ecclesiæ contractum sit, sufficit, ut conjuges, habita, ut hactenus dictum est, notitia de nullitate matrimonii, inter se solos secretò contrahant. Ita communis, & patet ex formula Litterarum Dispensationis super impedimentis occultis, ubi non tantum non injungitur nova præsentia Parochi, & Testium, sed expressè præscribitur, ut putatitii conjuges inter se de novo *secretè* ad vitanda scandala contrahant, dum contrà in Dispensatione super impedimento publico semper expressè præcipitur, ut conjuges de novo in facie Ecclesiæ juxta formam Concil. Trident. contrahant, manifesto indicio, quod Concilium pro revalidatione matrimonii, ob impedimentum occultum invalidè contracti, dictam præsentiam Parochi, & Testium non requirat. Videantur dicta *Titul.* 3. *de Despons. Clandest. à num.* 118.

PARS IV.

De Nuptiarum Legitimarum Effectu, & Dissolutione.

POst relata hucusque Impedimenta Nuptiarum tum Dirimentia tum Impedientia, sequitur de *Effectu* illarum. Alii autem effectus sunt Nuptiarum legitimè initarum, alii initarum illegitimè. Legitimè initarum effectus præcipuus est Liberorum, ex iis susceptorum legitima, Jureque approbata nativitas. Initarum illegitimè est matrimonii accusatio, quam, si probata sit, sequitur ejus dissolutio, restitutio Dotis, & Donationis propter Nuptias, ac nonnunquam secundæ Nuptiæ: quæ omnia parte hac ultima complectemur.

TITULUS XVII.

Qui Filii sint Legitimi?

TRiplici modo Filii Legitimi esse possunt. 1. Quia tales nascuntur. 2. Quia tales fiunt per matrimonium parentum subsequens. 3. Quia Legitimitatis gratiam impetrant Rescripto Principis. Sit ergo

§. I.

De Liberis legitimè natis.

SUMMARIUM.

1 *Vocis Filius origo, & significatio.*
2 *Quando extendatur ad fæminas?*
3 *Alii sunt Legitimi tantum.*
4 *Alii Legitimi, & naturales simul.*
5 6 *Alii illegitimi, ubi quinam ex his sint Naturales, vel spurii jure civili?*
7 8 *Quatuor Filiorum spuriorum species.*
9 10 *An pro Legitimis habendi sint, qui nati sunt contracto matrimonio, sed concepti ante matrimonium ex copula fornicaria?*
11 *Quid tenendum de natis ex matrimonio putatitio bona fide contracto?*
12 13 14 *Præsertim si nati sint, post contestatam litem, qua impugnatur matrimonii valor?*
15 *Quid requiratur, ut ex tali putativo matrimonio suscepti Liberi habeantur pro legitimis?*
16 *Sufficit unius fides bona.*
17 *Utriusque mala prolem illegitimam facit:*
18 *Ex legitimitate prolis ob fidem unius bonam non redundat favor in parentem impedimenti conscium.*
19 *Contraria tamen sententia est probabilis.*
20 *Proles, genita à parentibus infidelibus ex matrimonio, contracto intra gradum jure tantum Ecclesiastico prohibitum, legitima est.*
21 *Et talis manet etiam post conversionem ad Fidem.*
22 *Secus si contraxerint cum impedimento Juris naturalis, vel Divini.*
23 *&c. Quid dicendum de prole nata ex matrimonio, contracto cum impedimento occulto, culpabiliter omissis denuntiationibus?*
27 *&c. Vel cum errore Juris?*
31 *&c. Quid judicandum de Natalibus prolis, cujus pa-*

parentes dubitant de valore matrimonii sui?
33 *&c. Vel Voto Castitatis ligati sunt?*
37 *Qualis censenda sit proles, procreata à Clerico Beneficiato, constituto in minoribus, vel à Religiosis Novitio?*
38 *Quid de prole nata ex parentibus, quorum unus, vel uterque sponsalibus de futuro alteri est obligatus?*
39 *Vel quæ nata est ex uxore, quam constat sæpius fuisse pollutam adulterio?*
40 *Ex vidua post mortem mariti?*
41 *Aut octavo, vel septimo mense post initum conjugium?*
42 43 *Vel ex matrimonio clandestino?*
44 45 *Coram quo Judice tractari debeat quæstio Natalium?*
46 *Quis sit effectus Legitimationis?*

1 QUæritur 1. Quæ sit Vocis *Filius* origo, & significatio? Resp. *Filii* nomen Latinum est, verisimilius tamen originem suam ducit ex Græco *Philia*, quod *Amorem* significat; nam hoc parentes in Liberos suos excellunt, utpote quorum naturalis erga istos est benevolentia. Tholos. *l.* 10. *Syntagm. c.* 3. *nu.* 4. Significat propriè eos, qui nati sunt ex viro, & muliere, per justas nuptias, seu legitimum matrimonium inter se conjunctis. Hinc significatione differt à Voce *Liberi*; nam Voce *Liberi* etiam intelliguntur Nepotes, & alii ulteriores Descendentes, qui excluduntur à Voce *Filius*.

2 Si vox ista in numero singulari accipiatur, ex sua institutione, & usu communi denotat solum prolem masculam, ad fæminam autem, seu filiam vi interpretationis extenditur *arg. l. Herennius*, vel ut alii, *Servius ait* 122. *& l. justa* 201. *ff. de V. S.* In plurali expressum, si materia sit indifferens, h. e. fæminis æquè, ac maribus conveniens, & par utriusque ratio sit, etiam comprehendit Filias, non quidem figura, & vocis propria significatione; sed communi usu *arg. Rubr. præs. l. siquis ita* 26. *ff. de testam. tutel. l. quisquis* 116. *ff. de V. S.* Velasc. *de Jur. Emphyt. q.* 41. *n.* 3. Barbosa *in Rubr. hoc tit. n.* 11. Pirhing *hic pr.* Vviestner *ibidem n.* 1.

3 Quæritur 2. Quotuplicis generis dentur *Filii*, *& Liberi*? Resp. duplicis; nam aliqui sunt *Legitimi*, alii *Illegitimi*. *Priorum* duæ sunt species; quia aliqui sunt Legitimi tantum, alii Legitimi, & naturales simul. *Legitimi tantum* dicuntur illi, qui cum natura non sint, beneficio tamen Adoptionis, vel Arrogationis, à Legibus approbatæ, in Liberorum numero censentur, sive pro iis habentur §. *adoptio* 1. *Institut. & l. filiosfamilias* 1. *& seqq. ff. de Adoption.* de quibus Vide *supra Tit.* 12. *a num.* 1.

4 *Legitimi, & naturales simul* sunt illi, qui ex nuptiis justis, sive ex matrimonio verè, aut putativè justo, & publicè sine contradictione inito, sunt procreati *c. cum inter* 2. *hoc tit. pr. Inst. de patr. potest, l. filium* 6. *ff. de his, qui sui, vel alien. Jur.* Tholos. *l.* 10. *Syntagm. cap.* 3. *n.* 6. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 165. *num.* 1. Suar. *D.* 5c. *de Censur. sect.* 1. *num.* 1. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. Barbosa *in Rubr. hoc tit. num.* 13. Gonzal. *in c.* 1. *eodem num.* 5. Vallens. *hic num.* 1. Honor. *num.* 2. Pirhing *n.* 1. Schambogen *n.* 2. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 2. & alii communiter.

5 Quæritur 3. Qui sint *Filii illegitimi*, & quotuplicis generis? Resp. *Filii illegitimi* sunt, qui non ex justis nuptiis verè, vel putativè nati sunt, sed extra matrimonium. *Novell.* 89. *c.* 1. *vers. quod vero in fin.* Ex his alii sunt *Naturales*, alii *Spurii*. In horum Nominum acceptione tamen non convenit Jus Canonicum cum civili; nam de *Jure Civili* illi dumtaxar *Naturales* censentur, qui nati fuerunt ex soluto, & concubina unica, uxoris loco domi detenta *l. quæ in concubinatu* 1. *& seqq. ff. de Concub. Novell.* 89. *c.* 6. *Spurii autem* eo Jure dicuntur omnes illi, qui extra justas nuptias ex alia, quam concubina, seu soluta uxoris loco domi detenta, sunt procreati, ut patet ex textibus *citt.*

6 At de *Jure Canonico* dicuntur *Naturales* ii omnes, qui extra matrimonium procreati sunt à parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel nativitatis, vel inter utramque intermedio consistere potuisset matrimonium. Gloss. *in c.* 20. *V. conjugata de elect.* Abb. *ibidem à nu.* 17. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 165. *num.* 4. *&* 6. Barbosa *in Rubr. hoc tit. n.* 16. Gonzalez *in c.* 1. *eodem num.* 6. Zoes. *hic n.* 3. Honor. *nu.* 3. Pirhing *num.* 2. Vviestner *num.* 4. *Non naturales, & Spurii* eodem Jure dicuntur illi dumtaxat, qui nati sunt ex parentibus, inter quos nec matrimonium fuit, nec etiam consistere poterat toto illo tempore, quod à conceptione currit usque ad nativitatem. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 8. §. 5. *num.* 1. Molin. *loc. cit. n.* 7. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 3. Barbosa *loc. cit. num.* 17. Gonzalez *n.* 7. Pirhing *nu.* 2. Vviestner *num.* 4. & alii communiter.

Quæritur 4. Quot sint species *Filiorum, & Liberorum* 7
Spuriorum? Resp. Præ cæteris relatu dignæ sunt quatuor. 1. *Adulterini* qui ex duobus, vel altero saltem conjugato sunt nati *can. nemo* 4. *caus.* 32. *qu.* 4. *& can. lex* 1. §. *cum ergo, vers. adulterium caus.* 36. *q.* 1.

2 *Sacrilegi*, qui nati sunt ex Religioso, vel Moniali: & ut cum communiore volunt Barbosa & Gonzalez *in c. quia circa* 6. *de Bigam. n.* 3. ex Clerico in Sacris constituto. Contrarium tamen defendunt Felin. *in cap.* 4. *pr. de Jud. n.* 14. Decius *ibid. n.* 37. & alii, qui ex isto natos, si matrem solutam habeant, ex simplici fornicatione natis accensent: quibus patrocinari videtur *can. Presbyter* 12. *dist.* 81. *& c. quia circa cit.* ibi, *Cum eis tanquam simplici fornicatione notatis.*

3 *Incestuosi*, qui suscepti sunt ex parentibus, cogna- 8
tione, aut affinitate conjunctis, præsertim ex consanguineis collateralibus in gradu prohibito §. *inter eas* 2. *Inst. de nupt.*

4 *Nefarii*, qui orti sunt ex concubitu patris, & filiæ, aut aliorum Ascendentium, & Descendentium §. *ergo* 1. *Institut. eodem Auth. ex complexu Cod. de incest. & inut. nupt.*

Videatur Tholos. *Syntagm. lib.* 10. *cap.* 3. *à num.* 15: Farin. *prax. crim. quæst.* 149. *à num.* 40. Gonzalez *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 7. Zoes. *hic n.* 3. Vviestner *n.* 5. Reiffenstuel *num.* 28.

Quæritur 5. An pro Legitimis habendi sint, qui na- 9
ti sunt contracto matrimonio, sed concepti ante matrimonium ex copula fornicaria? Resp. Affirmativè. Ita apertè *l. nuper* 11. *vers. & multo magis Cod. de natural. Liber.* ubi etiam generaliter pronuntiatur, quod *in quæstionibus, in quibus de statu Liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partus tempus inspiciatur*. Et hoc procedit, licet partus editus fuerit altero mox die post initum matrimonium. Richter *dec.* 80. Konig *hic num.* 12. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matrim. c.* 3. *num.* 32. Ratio est favor prolis, ob quem semper id tempus attenditur, quod ipsi utilius est. Et hanc ob causam in ordine ad successionem, qui in utero est, pro nato habetur *l. qui in utero* 7. *ff. de stat. homin.* quod tamen non prodest aliis, ut *ibidem* dicitur; Et hinc licèt posthumis restituatur hæreditas, tamen si mater ante partum patiatur abortum, hæres infantis in utero mortui ipsa non evadit. Reiffenstuel *hic num.* 17.

Dubitabis, quomodo pro legitimè natis possint habe- 10
ri filii, qui revera non ex copula matrimoniali, sed fornicaria nati sunt? Resp. Hoc inde contingere, quia quod aliquis legitimè natus dicatur, non est effectus juris naturalis; nam secundum hoc Jus omnes æquales nascimur ex viro, & ex fæmina: sed est potius effectus Legis (unde & *Legitimi* dicuntur) & Juris positivi, quod alicujus nativitatem approbat, eique Jura legitimè natorum attribuit; igitur cum Imperator tamen hoc casu natos constante matrimonio, quamvis antea conceptos, voluerit legitimè natos, ideo etiam à nobis tales dici, & haberi debebunt. *Proceditque hoc* etiam de Jure Canonico: neque obstat, quod constitutio *l. nuper cit.* non habeatur expresse in Jure Canonico; quia Jus Canonicum, & civile sibi mutuum subsidium præstant, ut quod in uno decisum non est, ex altero suppleatur juxta *c. intelleximus* 1. *de nov. oper. nunt.*

Quæritur 6. An pro legitima habenda sit proles, quæ 11
nata est ex matrimonio publicè, & bona fide contracto, quod tamen ob latens impedimentum postea deprehensum est esse nullum? *Certum est*, pro legitima habendam, si nata sit ante contestationem litis, qua agitur adversus valorem matrimonii, ex quo progenita est, ut apertus est Textus *c. cum inter* 2. *hoc titul.* quia bona fides excusat copulam fornicariam, ac proinde illegitimitatem. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 8. §. 1. *num.* 2. *&* §. 3. *n.* 6. Majol. *de Irregul. l.* 1. *c.* 5. *n.* 1. Sayr. *l.* 6.

l. 6. de Irregul. c. 10. Avil. *p.* 7. *de Censur. D.* 3. *dub.* 6. *prin.* Gutier. *de matr. c.* 71. *num.* 2. Pont. *l.* 11. *de matr. c.* 8. *num.* 2. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 1. *num.* 6. Idque verum est, quamdiu durat bona fides: aliud est, si ante copulam cesset bona fides, eo quod uterque conjux adeptus sit notitiam latentis impedimenti, ob quod matrimonium reipsa invalidum est; nam hoc casu proles, post notitiam istam suscepta, non solum illegitima, sed etiam Spuria censeri debet, utpote à parentibus ad contrahendum inhabilibus genita. Palao *l. cit. n.* 7.

12 *Dubium* moveri potest, an bona fides cesset, & cons. pro illegitima habenda sit proles suscepta post litem contestatam, qua impugnatur matrimonii valor? *Ratio dubitandi est*, quia litis contestatione alias bonæ fidei possessor constituitur in mala fide, cum non amplius habeat ignorantiam rei alienæ *l. sed etsi* 25. §. *si ante* 7. *ff. de hæred. petit. & l. certum* 22. *Cod de R. V.* igitur ex tali matrimonio post litis contestationem procreata proles, tanquam procreata à parentibus, in mala fide constitutis, accenseri debebit Liberis illegitimis *arg. c. fin.* §. *si quis de clandest. despons.*

13 *Sed dicendum*, prolem ejusmodi, etiam post contestationem litis procreatam, modo procreata sit ante sententiam divortii latam, legitimam esse, ut expressè habetur *c. cum inter* 2. *hoc tit.* Imò etsi lata sit jam sententia divortii, si illa per Appellationem suspensa sit, vel nondum transit in rem judicatam, legitimi erunt Liberi, qui eo tempore nascentur ex hujusmodi parentibus. Ita Abb. *in c. cum inter cit. nu.* 6. Alex. de Nevo *ibidem n.* 5. Covar. §. 1. *cit. n.* 5. Majol. *c.* 5. *cit. n.* 7. & 11. Pont. *l.* 11. *de matr. c.* 8. *n.* 5. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 1. Palao §. 1. *cit. n.* 7. Barbosa *in c. cum inter cit. n.* 13. Gonzal. *ibidem n.* 8. Pirhing *hic n.* 7. Konig *num.* 6. Vviestner *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 9. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 3. *num.* 53. & *seqq.* & sumitur ex *c. cum inter cit.* ubi Liberi pronuntiantur Legitimi, *qui concepti fuerant ante latam sententiam*; igitur litis pendentia non obstat legitimæ nativitati. *Ratio est*, quia quamdiu lis pendet super matrimonio bona fide contracto, permittitur carnale commercium inter conjuges *c. laudabilem* 2. *ut lit. pend.* ergo & liberi, ex tali commercio procreati, legitimi censeri debent; nam ex eo, quod legitimè factum est, pœna sequi non debet.

14 *Ex quo sequitur* 1. ejusmodi filios, ut alios, qui ex valido matrimonio procreati sunt, admittendos esse ad SS. Ordines, & Dignitates Ecclesiasticas, prout rectè notat Barbosa *in c. cum inter cit. n.* 5. Pirhing *hic n.* 6. *Sequitur* 2. eos capaces esse successionis hæreditariæ paternæ, etiam in Feudis, & Majoratibus, ut advertit Covar *n.* 3. saltem si majoratus sit simpliciter institutus. Barbosa *n.* 7.

Neque obstat Ratio dubitandi allata; quia mala fides per contestationem litis solum inducitur quoad effectum restitutionis fructuum, qui servando servari, ac restitui possunt, non verò quoad effectus alios, præsertim continuationem possessionis conjugii, & usum Juris conjugalis, ut patet ex *cap. laudabilem citat.* ubi prohibetur isto privari conjux ante accusationem probatam, & litem finitam.

15 Quæritur 7. Quid requiratur, ut ex tali putativo matrimonio suscepti Liberi habeantur pro legitimis? *Resp.* Requiruntur duo copulativè. 1. Quod tale matrimonium publicè, & in facie Ecclesiæ sit celebratum. 2. quod celebratum sit bona fide. Si alterutrum desit, non erunt filii legitimi. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 8. §. 1. *num.* 2. Gonzalez *in cap.* 2. *hoc tit. nu.* 4. Engl *hic n.* 4. Pirhing *num.* 5. Schambogen *num.* 3. Konig *num.* 5. Reiffenstuel *num.* 3. & 4.

16 Dubium esse potest, an utriusque conjugis bona fides requiratur, an verò sufficiat bona fides unius? Resp. sufficere bonam fidem unius, ut clarè statutum est *cap. fin.* §. *si quis de cland. despons.* & notat *ibidem* Gloss. *V. si ambo parentes*, Sanchez *l.* 8. *de matr. D.* 34. *v.* 46. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 1. Barbosa *in c.* 2. *cit. n.* 9. Gonzalez *ibidem n.* 4. Vall. *hic n.* 2. Zoes. *n.* 7. & *reliqui supra*: idque in favorem liberorum; esset enim instar monstri, si quis partim legitimus, partim illegitimus esset: cum ergo alterutrum esse debeat, meritò jura, ut proli innocenti faveant, rationem majorem habuerit bonæ fidei conjugis impedimentum ignorantis, quam malæ illud scientis. Ob eundem favorem in dubio potius præsumitur ignorantia, quam scientia impedimenti. Covar. §. 1. *cit. n.* 5. Layman *n.* 1. *fin.* Barbosa *n.* 4. Konig *n.* 14. cum aliis *supra*.

Ex quo sequitur, illegitimam fore prolem, si conjugatus, vivente sua uxore, ducat aliam, & hæc sciat illum conjugatum esse, prout habetur *c. causam* 2. & *c. referente* 10. *hoc titul. Contra* legitima erit, si ista impedimentum Ligaminis, quo vir laborat, ignoret, ut patet ex *c. ex tenore* 14. *eod.* Ratio utriusque est, quia in casu primo uterque est in mala fide, in secundo unus tantum. 17

Addidi autem, *in favorem Liberorum*; nam in parentem impedimenti conscium ex legitimitate Liberorum nihil favoris redundat, ut bene advertit Petr. de Barbosa *in l.* 22. §. *fin. ff. solut. matrim. num.* 12. Sanchez *D.* 34. *cit. num.* 46. Gonzalez *in c.* 2. *hoc tit. numer.* 6. *in fin.* Pirhing *hic n.* 5. Schambogen *ibidem num.* 3. & cons. etsi proles sic ab eo suscepta gaudeat etiam respectu ipsius jure prolis legitimæ, non tamen ipse respectu ejusdem gaudet jure legitimi patris. *Neque obstat*, quod alias pater, & filius sint correlativa, & illorum idem debeat esse judicium; nam hoc verum est, quando eadem est utriusque ratio: quæ in nostro casu non est eadem; nam proles nihil mali fecit, ob quod jure legitimæ prolis privari debeat: plurimum autem mali fecit parens, cum impedimento scienter contrahens matrimonium; igitur dignum sese non reddidit, ut quod in favorem prolis concessum est, ad ipsum extendatur. 18

Contraria tamen sententia, nempe quod uterque parens tali casu censeri debeat tanquam legitimus, & succedere proli ejusmodi præmortuæ, etiam ipsa est valde probabilis: quam sententiam etiam defendunt Rojas *de success. ab intest. c.* 31. *num.* 3. Gutier. *pract. qq. p.* 2. *l.* 3. *q.* 74. *per totam*. Cævall. *Opin. comm. q.* 697. *à num.* 16. Barbosa *in c.* 14. *hoc tit. num.* 4. *fin.* Vviestner *hic n.* 31. & videtur sumi ex *c. cum inter* 2. *hoc tit.* ubi proles pro legitima habetur sine exceptione ullius effectus legitimæ nativitatis. 19

Quæritur 8. An legitima sit proles, quæ ex parentibus infidelibus nata est ex matrimonio contracto intra gradum prohibitum jure tantum Ecclesiastico? Resp. Prolem istam legitimam esse, & talem manere, postquam ad fidem Christianam vel ipsa, vel parentes ipsius conversi sunt. Ita Barbosa *in c. fin. hoc tit. n.* 1. & 2. Pirhing *hic n.* 17. Konig *num.* 11. Schambogen *num.* 9. Reiffenstuel *num.* 13. & statuitur *c. fin. cit.* idque in favorem fidei, & suadente publica utilitate; quia eis sic favendo, alii facilius convertentur. *Ratio est* manifesta; nam legitima proles illa est, quæ procreata est ex matrimonio justo; tale est matrimonium contractum ab infidelibus intra gradus Jure Ecclesiastico tantum prohibitos; quia hoc jure non adstringuntur; ergo &c. 20

Addidi, *Prolem istam manere legitimam, etiam postquam ad Fidem vel ipsa, vel parentes ipsius conversi sunt*; quia per conversionem matrimonium eorum non fit invalidum, sed si ipsi conjuges convertantur, secundum aliquos perfectam rationem Sacramenti, vel saltem omnimodam insolubilitatem acquirit *c. de Infidelibus* 4. *de consang. & affin.* ut adeo nihil sit, quod obstet natalibus Liberorum, procreatorum ex ejusmodi matrimonio. 21

Aliud dicendum, quando contrahunt Infideles cum impedimento juris naturalis, vel Divini, ut si infidelis maritus, repudiata priore conjuge legitima, ea vivente, ducit aliam; tum enim matrimonium ita initum invalidum est, cum etiam Infideles Jus Divinum, & naturale liget. *Quoad legitimitatem prolis* autem distinguendum est, an ita contrahentes fuerint in bona fide, vel non. *Si primum*, quia v. g. contraxerunt secundum Legem suam, secundum quam licebat ejusmodi matrimonia contrahere, filii eorum erunt legitimi authoritate *c. fin. cit. Si secundum*, & in mala fide fuit uterque, manebunt illegitimi. Alex. de Nevo *in c. fin. cit. n.* 4. & 5. & cum eo Pirhing *n.* 17. 22

Quæritur 9. an pro Legitimis habendi sint Filii, suscepti ex matrimonio, quod invalidè contractum est ob impedimentum occultum, ab utroque parente ignoratum, si illud contractum fuit, culpabiliter omissis Denuntiationibus? *Certum est*, ejusmodi prolem in foro externo habendam esse pro illegitima; nam ita expressè statutum est *capit. fin.* §. *si quis de Clandest. despons.* & ratio est, quia ita contrahentes præsumuntur habuisse scien- 23

ſe ſcientiam latentis impedimenti, vel ſaltem ignorantiam affectatam, quæ ſcientiæ æquiparatur, & conſ. fuiſſe in mala fide.

24 *Difficultas eſt*, an proles, ex hujuſmodi matrimonio nata, illegitima ſit etiam pro foro interno conſcientiæ? Negat Suar. *D.* 50. *de cenſur. ſect.* 1. *num.* 10. *Rationem* dat, quia conſtitutio *c. fin. cit.* pœnalis eſt, & nititur præſumptione ſcientiæ, & malæ fidei, ut patet ex textu; atqui Lex pœnalis, quæ fundatur in præſumptione facti, ſi conſtet de veritate contraria, locum non habet in foro conſcientiæ; nam idcirco contra præſumptionem Juris ſponſalia, ſuperveniente copula carnali, etiam de jure antiquo in matrimonium non tranſierunt, quando ſponſorum alter copulam affectu conjugali non admiſit, ut cum communi docet Covar. *p.* 1. *de ſponſal. c.* 4. §. 1. *n.* 9. ergo &c.

25 *Sed dicendum*, prolem, ſuſceptam ex tali matrimonio, etiam in foro conſcientiæ habendam pro illegitima. Ita Pont. *l.* 11. *de matrim. c.* 8. *n.* 3. Barboſa *in c. cum inter* 2. *hoc tit. num.* 22. Vvieſtner *hic num.* 12. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 3. *n.* 42. Ratio eſt, quia, ut dictum eſt *nu.* 15. ad hoc, ut proles, procreata ex matrimonio putativè juſto ſit legitima, duo requiruntur, ſcilicet, ut matrimonium ſit contractum publicè, i. e. cum ſolemnitate, inter quas etiam ſunt Denuntiationes, & ut contractum ſit bona fide, videlicet cum ignorantia impedimenti, ſaltem ex una parte; igitur etſi fortaſſe bona fides non deficiat, ſaltem primum requiſitum deficit. *Conf.* Effectus Legitimitatis in utroque foro pendet ex ſolius juris, ſeu Canonis authoritate; atqui jus, ſeu Canon non approbat ut legitimas proles illas, quæ procreatæ ſunt ex matrimonio, in quo alterutrum duorum requiſitorum deficit, ut patet ex §. *ſiquis cit.*

26 *Ad Argumentum Suarii* dico, in hoc caſu adeſſe quidem bonam fidem privatam, ſed non publicam, & ex publica Denuntiatione ortam: requiritur autem utraque ad effectum, ut legitima ſit proles, ex matrimonio putativo nata; ergo &c. *Deinde* Canon ille fundatur non tam in præſumptione malæ fidei, quàm univerſalis periculi matrimoniorum cum impedimento contrahendorum, ſi ex matrimonio, omiſſis culpabiliter Denuntiationibus, contracto ſuſcepta proles foret legitima: quod periculum univerſale cum maneat, etiamſi in caſu aliquo particulari nullum eſſet periculum, manet etiam, quod præſumptio, qua nititur Canon iſte, falſa non ſit. *Denique* ad id, quod additur de ſponſalibus, hæc ideo non tranſibant in matrimonium, quando conſtabat, quod ſponſorum alter copulam non admiſerit animo conjugali, quia valor matrimonii non pendet ab authoritate juris, ſed à conſenſu legitimo, qui in caſu ejuſmodi deficit. Unde negatur paritas inter hunc caſum, & eum, qui in quæſtione propoſitus eſt; nam Natalium juſtitia tota pendet ab authoritate juris.

27 Quæritur 10. Utrum habenda ſit pro legitima proles, quæ ſuſcepta eſt à parentibus ex matrimonio inito cum errore juris, e. g. quod Titius, qui ante matrimonium contractum cum Bertha, cognovit carnaliter ſororem illius, ignoraverit, hoc delicto induci affinitatem, & impedimentum dirimens matrimonium? *Ratio dubitandi eſt* 1. quia hoc caſu deficit bona fides, cum enim unuſquiſque Legum, quibus vivimus, præcepta ſcire teneatur *l. leges* 9. *Cod. de LL.* hinc ſequitur, quod is, qui adverſus Leges delinquit, meritò præſumatur eſſe malæ fidei. 2. Ignorantia juris cuique nocet *l. regula* 9. *ff. de Jur. & Fact. ignor. & Reg. Ignorantia* 13. *in* 6. ſaltem illi, qui certat, non de damno vitando, ſed de lucro captando *l. Jur.* 7. *& l. error* 8. *ff. eod.* atqui in caſu noſtro Liberi, de quorum natalibus quæſtio eſt, certant non de damno vitando, ſed de lucro captando; quia ſi declarentur eſſe legitimi, cum cæteris in hæreditatem paternam ſuccedunt; ergo &c. 3. Qui rem alienam, quam poſſidet, ſuam eſſe exiſtimat errore juris, tanquam malæ fidei poſſeſſor eam non præſcribit *l. nunquam* 1. *pr. ff. de uſurp. & uſucap. & l. pro emptore* 2. §. *ſi à pupillo* 15. *ff. pro emptor.*

28 Sed his non obſtantibus, dicendum, ex hujuſmodi conjugio procreatas proles eſſe legitimas. Ita Abb. *in c. perlatum* 8. *hoc tit. num.* 5. *& in c. per venerabilem* 13. *eodem fin.* Bartol. *in l. fin. ff. de condict. fin. cauſ. num.* 4. Palæot. *de Nothis capit.* 9. *numer.* 9. Covar. *part.* 2. *de ſponſal. cap.* 8. §. 1. *n.* 9. *fin.* Ruin. *libr.* 5. *conſil.* 15. *numer.* 17. Peregrin. *de Fideicommiſſ. artic.* 24. *numer.* 68. *&* 69. Pont. *lib.* 11. *de matrim. capit.* 8. *num.* 3. Barboſa *in capit.* 2. *hoc tit. num.* 3. *&* 17. Gonzalez *ibidem num.* 4. Vvieſtner *hic num.* 15. *& ſeqq.* Reiffenſtuel *ibidem n.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 3. *n.* 74. *Proceditque hoc*, non tantum, quando parentum error eſt probabilis, & juſtus, ſed etiam quando injuſtus, & liquidi juris, ut *citt. DD.* plerique notant. Et quidem, quod *procedat, quando error eſt probabilis, & juſtus*, clarum eſt; quia error ejuſmodi æquiparatur errori facti, & inſtat hujus excuſat.

29 Quod verò procedat etiam, quando error eſt injuſtus, & juris liquidi, oſtenditur 1. ex eo, quia non obſtante hoc errore, adhuc datur bona fides in contrahentibus; atqui matrimonium bona fide contractum habet hunc effectum, ut legitima ſit proles ex eo ſuſcepta, licèt illud revera nullum ſit; ergo &c. 2. Quia quod proles ejuſmodi illegitima ſit, nullo jure ſufficienter expreſſum; igitur pronuntiandum pro ejuſmodi legitimitate, tum quia exemplum juris in hoc habemus ſufficiens *c. ex tenore* 14. *hoc tit. & l. nuper* 11. *Cod. de natur. Liber.* tum verò quia hoc æquitas naturalis poſtulat, quæ vetat Liberos innocentes ſine perſpicui juris textu illegitimorum natalium notari macula. 3. Quia Gregorius XIII. ad Quæſtionem, ipſi à Maronitis inter alias plures propoſitam, an quando conjugum unus, divortio ob adulterium facto, cum alia conjugium iniit, & ex hoc ſecundo matrimonio ſuſcepti prolem, hæc legitima, & ad Clerum admittenda ſit, reſpondit eſſe legitimam, & ad Clerum admittendam, ex ratione, quia bona fide cum ignorantia juris contractum fuit; putabant enim Maronitæ, eo caſu licitum eſſe nova inire conjugia; atqui ignorantia hæc, & error fuit error juris clari, & liquidi; ergo &c.

30 Neque contrarium evincunt Argumenta oppoſita. *Ad* 1. ſaltem alter bonam fidem veram habet, hoc ipſo, quod laboret ignorantia inculpata: & talem etiam habere præſumitur, quod nuptiæ celebratæ ſint in facie Eccleſiæ, ac præmiſſis Denuntiationibus *arg. l. fin. ff. de Rit. Nupt.* Trenracinq. *lib.* 2. *tit. matrim. reſol.* 4. *numer.* 14. Brunnem. *in l. qui in Provincia* 57. *ff. eodem numer.* 4. Vvieſtner *hic num.* 16. cum aliis. *Ad* 2. quamvis ignorantia juris propria noceat ignoranti, non tamen debet nocere aliena: quod fieret in caſu noſtro, in quo Liberi ob ignorantiam parentum incurrerent maculam perpetuam, & cum graviſſimis detrimentis conjunctam. *Ad* 3. à præſcriptione non bene ducitur Argumentum ad prolium natales; nam his non quævis, ſed affectata ſolum parentum ignorantia officit, ut patet ex *c. fin.* §. *ſiquis citat.* ubi negatur, quod parentum ignorantia ſuffragetur Liberis, tantum ex hac ratione, quod non videantur expertes ſcientiæ, vel ſaltem ignorantiæ affectatores eſſe.

31 Quæritur 11. Quid judicandum de Natalibus prolis, natæ ex parentibus, qui de valore matrimonii inter ſe initi dubitant? Gonzalez *in c. cum inter* 2. *hoc tit. num.* 4. indiſtinctè reſpondet, prolem cenſeri legitimam; quia, qui dubitat, eſt in bona fide. Sed melius diſtinguunt P. Vvieſtner *hic num.* 18. *& ſeqq.* P. Reiffenſtuel *num.* 8. *&* 9. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de matrim. c.* 3. *numer.* 50. *& ſeqq.* Vel enim dubium hoc jam ſublatum eſt, & detectum impedimentum, quando proles illa concepta eſt, vel adhuc perſeverat. *Si primum*, extra dubium eſt, quod proles inde nata ſit illegitima, cum detectione impedimenti ceſſaverit legitima poſſeſſio juris conjugalis. *Si ſecundum*, videndum eſt, an dubium hoc de valore matrimonii ſui initio ſtatim habuerint, an verò illud ſupervenerit matrimonio bona fide contracto.

32 *Si initio ſtatim adfuit dubium iſtud*, & ſtante illo, nec adhibita diligentia ad inveſtigandum impedimentum, matrimonium eſt contractum, proles inde ſuſcepta, impedimento poſtea detecto, habenda eſt pro illegitima, propter malam fidem parentum, qui hoc caſu convincuntur habuiſſe ignorantiam affectatam. *Si* verò dubium matrimonio bona fide contracto ſupervenit, proles, ſtante hoc dubio nata, vel concepta, etiam detecto poſtea impedimento, erit legitima: & ratio eſt manifeſta; quia ad hoc, ut proles ſit legitima, ſufficit bonæ fidei poſſeſſio; atqui proles in caſu dato nata eſt ex parentibus bonæ fidei poſſeſſoribus; quia

quia ut tanquam Regulam tradit Augustinus *can. si virgo* 5. *caus.* 34. *quæst.* 2. *tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum*. *Conf.* 1. quia dubitans, & ignorans regulariter æquiparantur *l. de statu* 15. *ff. qui testam. facer. poss. & l. manifestissimi* 22. §. *sin autem* 2. *C. de furt.* atqui, ut *num.* 28. dictum est, proles, ex Matrimonio contracto etiam cum errore Juris suscepta, modo illud bona fide contractum sit, legitima est; ergo &c. *Conf.* 2. quia tali dubio stante, licitus, & justus est conjugii bona fide contracti usus; ergo etiam justa, & legitima erit proles illius usu procreata.

33 Quæritur 12. An legitima habenda sit proles, quæ nata est ex parentibus ligatis Voto Castitatis? Resp. cum distinctione: Vel enim parentes, ligati ejusmodi Voto, soluti sunt, vel ligati inter se, & veri conjuges. *Si primum*, proles indubitato est illegitima, & naturalis quidem, si Votum, quo uterque, vel alteruter adstrigitur, sit simplex; spuria autem, si sit solemne. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 167. *num.* 8. *fin.* Guttier. *de Matr. cap.* 1. *num.* 24. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 1. *num.* 2. Zoes. *hic n.* 4. Vviestner *ibid. num.* 21. Ratio est, quia si Votum solemne sit, parentes facit inhabiles ad contrahendum Matrimonium; si simplex tantum, exceptis Votis simplicibus Societatis Jesu, ejus contractum duntaxat reddit illicitum. *Neque obstat*, quod etiam ligati Voto simplici Dispensatione indigeant, & sic absque illa impediantur contrahere, non enim pro spuriis habentur omnes illi, qui gignuntur à parentibus quomodocunque impeditis, sed illi tantum, qui nascuntur ex parentibus laborantibus impedimento dirimente, ob quod non possint contrahere valide, ut colligitur ex *c. tanta* 6. *hoc tit.* & notat Palao *loc. cit.*

34 *Si secundum*, iterum distinguendum est, an votum illorum, vel alterutrius sit simplex tantum, an vero solemne, sicut contingit, quando illorum unus post matrimonium consummatum profitetur Religionem, aut suscipit SS. Ordines. *Si simplex sit tantum*, ab iis suscepta proles legitima erit, & successionis hæreditariæ capax, uti etiam SS. Ordinum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, ut recte Azor *p.* 2. *c.* 6. *q.* 8. Palao §. 1. *cit. num.* 5. Vviestner *hic num.* 22. *Proceditque hoc*, etsi uterque parens tali Voto cum consensu alterius edito stringeretur; nam esto, copula illorum ob Votum istud sit illicita, & irreligiosa, ipsum tamen Votum non facit, ut non proles, ex iis suscepta, nata sit ex nuptiis justis. Hinc Palao *loc. cit.* quasi pro regula ponit non induci illegitimitatem in prole suscepta ex Matrimonio, licet impediantur à licito usu matrimonii, nisi Impedimentum hoc tale sit, quod inter solutos alias dirimeret matrimonium.

35 *Quodsi autem Votum, quod unus, vel uterque cum consensu alterius edidit, solemne sit*, diffident inter se DD. nam Host. *in c.* 20. *de convers. conjug. n.* 4. Palæot. *de Nothis c.* 10. *n.* 4. Petr. Barbos. *in Rubr. ff. solut. Matr. p.* 2. *n.* 7. volunt prolem hujusmodi parentibus procreatam esse illegitimam. Contra Ant. de Butr. *in c.* 14. *de fil. Presbyt. n.* 7. Abb. *ibid. n.* 4. Azor *q.* 8. *cit. fin.* Majol. *l.* 1. *de Irregul. c.* 4. *n.* 9. absolute pronuntiant, eam esse legitimam. Ego cum Zoes. *hic n.* 5. & P. Vviestner *ibid. n.* 23. & 24. judico dubium solvendum ope distinctionis inter Ius Civile, & Canonicum; nam *Civiliter*, h. e. quoad successionem hæreditariam, cæteraque Jura, quæ secundum Leges Civiles legitimis competunt, haberi debet pro legitima; *Canonice* autem, sive quoad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica pro illegitima. *Ratio prioris est*, quia proles, ex vere justo, h. e. valido, & non dissoluto Matrimonio procreata, nulla lege à successione hæreditaria, & cæteris Legitimorum Juribus excluditur; talis autem est etiam proles, procreata à parentibus, quorum uterque, vel alteruter post consummatum matrimonium Votum solemne edidit, ergo &c. *Ratio posterioris* sumitur ex *c. litteras* 14. *de fil. Presbyt.* ubi ejusmodi proles ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica solum per viam Dispensationis admittitur, igitur Irregularis est. atqui Irregularitas ista aliunde oriri non potest, quam ex defectu natalium proveniente ex incontinentia paterna; ergo &c.

36 Quæritur 13. Qualis censenda sit proles, quæ nata est ex parentibus, qui post matrimonium ratum, & nondum consummatum, se ligaverunt Voto solemni continentiæ? 2. proles, procreata à Clerico Beneficiato, constituto in minoribus, vel à Religionis Novitio? 3. Proles nata ex parentibus quorum unus, vel uterque Sponsalibus de futuro alteri est obligatus?

Resp. *Ad* 1. cum distinctione: Vel enim illud Votum solemne est annexum susceptioni SS. Ordinum; quia scilicet conjux cum consensu Sponsæ, cum qua Matrimonium ratum antea celebravit, suscepit SS. Ordines: vel est Votum solemne Religiosum; quia alteruter Religionem professus est. *Si primum*, manet responsio data *n. præc. Si secundum*, proles sic procreata dicenda est spuria, ut omnes concedunt. *Ratio discriminis* est, quia Professio Religiosa solvit matrimonium ratum ante contractum, non Ordo Sacer. igitur proles, procreata ex parente, qui post matrimonium ratum Ordinem Sacrum suscepit cum consensu uxoris, adhuc procreata est ex matrimonio vere justo; non autem illa, quæ procreata est ex parentibus, quorum unus, vel uterque post matrimonium ratum emisit professionem Religiosam.

Ad 2. Si nata illa proles sit ex muliere soluta, potius naturalis, quam Spuria censenda est, ut recte Pont. *l.* 11. *de matr. c.* 5. *n.* 5. Vviestner *hic n.* 21. Ratio est, quia uterque, videlicet tam Novitius, quam Clericus in minoribus constitutus, habilis est ad matrimonium contrahendum, & ad conservationem Laicalem libere redire potest, licet contracto matrimonio ille Professionis spem, iste vero Beneficium Ecclesiasticum ipso Jure amittat *c. siquis* 1. & *cap. quoad à te* 3. *de Cleric. conjugat.* 37

Ad 3 Etiam hæc prolibus non spuriis, sed naturalibus tantum est accensenda, Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 1. *num.* 17. Sanch. *l.* 1. *de matr. D.* 2. *num.* 8. Pont. *l.* 11. *de matr. cap.* 2. *num.* 7. Palao *tr.* 13. *D.* 6. *p.* 1. §. 1. *num.* 3. Ratio est, quia licet sic ligatus Sponsalibus, cum illa, ex qua prolem suscepit, non possit matrimonium contrahere licite, nisi obligatio Sponsalium ab altera parte remittatur, potest tamen cum illa, & quacunque alia matrimonium contrahere valide, quod sufficit, ut proles, ex ipsis nata, naturalis potius, quam spuria censeri debeat. 38

Quæritur 14. Qualis censeri debeat proles nata ex uxore, quam constat sæpius fuisse pollutam adulterio? 2. Proles nata ex vidua post mortem mariti? 3. Proles octavo, vel septimo mense post initum conjugium, & primam mariti copulatione edita? 39

Resp. *Ad* 1. Cum distinctione; Vel enim certum est, quod proles illa suscepta sit ex adulterio, quia constat, quod maritus ob diuturnam absentiam, impotentiam temporaneam, vel aliam similem causam nunquam ei fuerit copulatus; vel contra dubium est, utrum proles suscepta sit ex marito, vel ex adultero. *Si primum*, pro illegitima indubitato haberi debet, prout constat ex *c. causam* 4. & *l. filium* 6. *ff. de his, qui sui, vel alien. jur. Si secundum*, præsumitur potius nata ex marito, quam ex adultero. & consequenter legitima *l. miles* 11. §. *quæ propter* 9. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Zoes. *hic n.* 2. Honor. *n.* 14. Engl *num.* 2. Reiffenstuel *n.* 10. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. cap.* 2. *num.* 30. *Proceditque hoc*, etiamsi in facie assimiletur non marito, sed adultero, ut notat Menoch. *de arbitr. c.* 89. *n.* 28. Guttier. *l.* 1. *qq. can. c.* 38. *n.* 30. Barbos. *in c.* 10. *de Probat. n.* 3. Vviestner *hic num.* 26. Reiffenstuel *loc. cit.* Ratio est, quia in dubio semper favendum est proli, & matrimonio, & universim benignior, ac favorabilior præsumptio præferenda est *arg. c. estote* 2. *de R. J.* Neque credi hoc casu debet, etiamsi Mater, vel etiam uterque parens in articulo mortis dicant, prolem illam conceptam esse ex adulterio, ut præter *citt.* monent Abb. *in c. per tuas* 10. *de probat. n.* 4. Paleot. *de noth. c.* 24. Pont. *l.* 11. *de matr. c.* 9. *n.* 3. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 1. *n.* 7. *fin.* Gaill. *l.* 1. *obs.* 97. *n.* 8. & constat ex *c. per tuas citt.* quia alias parentes facile auferre hæreditatem possent filio, quem oderunt, aut ipsi aliter præjudicare.

Ad 2. Certum est, pro legitima habendam prolem, quæ nata est ex Vidua post mortem mariti intra nonum, vel etiam decimum mensem, ut colligitur ex *l. Gallus* 29. *pr. ff. de Liber. & posthum.* & argumento à contrario ex *l. intestato* 3. §. *post decem* 11. *ff. de suis, & legit. hæred. Dubium est* de eo, qui natus est unde- 40

undecimo mense post mortem mariti; nam pro illegitimo habendum videntur suadere §. *post decem cit.* & *Novell. 39. cap. 2.* ubi natus undecimo mense excluditur à legitima hæreditate, & habetur pro illegitimo. *Sed dicendum*, etiam hunc habendum pro legitimo, saltem si editus sit ab initio, videlicet die secundo, aut tertio mensis undecimi à morte mariti, & mater de incontinentia suspecta non sit. Ita Menoch. *de arbitr. c. 89. cit. n. 48.* Engl *hic n. 7.* Konig *nu. 13.* Wiestner *nu. 27. & 28.* Reiffenstuel *n. 21. & 22.* & plures alii tum ICti, tum Medici apud Paul. Zacch. *qq. Medico Legal. lib. 1. tit. 2. q. 6. à n. 3.* Imo, ut Gothofred. *ad Novell. citat. cap. 2. lit. D.* refert, Senatus Parisiensis, arbitrio doctissimorum Advocatorum, partum 14. mensium legitimum judicavit, eo quod mater esset honestissimis moribus prædita. Unde tota hæc res prudenti arbitrio Judicis relinquenda est, qui pro diversa mulierum existimatione, moribus, habitu, & valetudine æstimabit, quid de justitia, vel injustitia partus judicandum sit. Neque contrarium probant textus allegati; nam, ut recte monet Haun. *tract. 4. de J. & J. num. 139.* intelligi debent non de mensis undecimi initio, sed de eo mense jam aliquousque progresso, & adultiore, & quidem tum solum, quando circumstantiæ non jubent præsumere id, quod est mitius.

41 *Ad 3.* Etiam hoc casu partus censeri debet esse legitimus, ut expressè habetur *l. septimo 12. ff. de Stat. hom. & l. intestato cit. §. de eo 12.* ubi dicitur, quod centesimo octogesimo secundo die, h. e. septimi mensis initio editus, justo tempore natus videatur. Mynsing. *cent. 6. observ. 40. fin.* Engl *hic n. 6.* Konig *n. 12.* Reiffenstuel *n. 19.* Imo, ut *n. 9.* monui, pro legitima habenda est proles, quæ altero mox die post celebratum inter parentes ejusdem matrimonium nata est; quia, ut *ibidem* dictum est, semper attendendum est tempus, quod proli utilius est. Videantur *ibidem* dicta.

42 Quæritur 15. An legitima censenda sit proles, quæ nata est ex Matrimonio clandestino, contracto in terris, ubi Tridentinum receptum non est, si illud ob Impedimentum bona fide ignoratum comperiatur fuisse invalidum? *Certum est*, pro legitima habendam, quæ nata est post approbatum ab Ecclesia hujusmodi matrimonium, & ante detectum Impedimentum; nam ita expressè habetur *c. quod nobis 9. hoc tit.* & notant *ibid.* Ant. de Butrio *n. 7.* Ancharan. *n. 6.* Sanch. *lib. 3. de Matr. D. 43. n. 1.* Ratio est, quia tunc cessat ratio *c. fin. §. si quis de Despons. cland.* habent enim parentes justam causam ignorandi Impedimentum.

43 *Dubium est*, an legitima sit proles, quæ nata est ex tali Matrimonio ante approbationem Ecclesiæ? Negativam defendit Gloss. *in cap. quod nobis cit. V. fuerint.* Calderin. *ibid.* Abb. *num. 5.* Rosell. *V. illegitimus n. 4.* Angel. *V. filius nu. 12.* Tabien. *V. eod. quæst. 5. num. 6.* Brunell. *de Sponsal. concl. 2. ampliat. 3. num. 18.* Pro affirmativa stant Joan. Andr. *in c. quod nobis 2. de Cland. Despons. n. 4.* Ancharan. *ibid. n. 6.* Alex. de Nevo *n. 7.* Sylv. *V. Filii q. 8. §. 10.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 8. §. 2. n. 16. vers. 12.* Sanch. *l. 3. de Matr. D. 43. n. 4.* Pirh. *hic n. 12.* & hanc sententiam tenui *Tit. 3. num. 79. & duob. seqq.* ubi videri possunt Fundamenta illius, & in contrarium objectorum solutiones.

44 Quæritur 16. Coram quo Iudice, Sæculari, an Ecclesiastico tractari debeat, vel possit quæstio Nativitatis, seu Natalium? Resp. Coram Judice Ecclesiastico proponenda, atque tractanda est *c. lator 5. & c. causam 7. hoc tit.* idque verum est, sive deinde de ea agatur principaliter, sive incidenter solummodo. *Ex quo sequitur*, quod Iudex Sæcularis interim supersedere debeat in causa principali coram se proposita, donec terminetur causa natalium incidens. Abb. *in c. lator cit. n. 3.* Alex. de Nevo *ibid. num. 3.* Fagnan. *n. 2.* Barbosa *num. 1. & 2. & in c. causam cit. num. 2.* Vallens. *hic num. 5. vers. an autem*, Pirhing *hic num. 25.* Schambog. *n. 11. & 12.* Ratio est, quia causa Natalium est mere Spiritualis, cum sit accessorie annexa matrimonio, quod Spirituale est; atqui Iudex Sæcularis de causa Spirituali ne incidenter quidem potest cognoscere; ergo &c.

45 Intelligendum autem hoc est, quando causa Natalium pendet ex aliqua quæstione Iuris, e. g. utrum matrimonium sit legitime contractum; nam si versetur solum circa factum, quia dubitatur, an matrimonium defacto fuerit contractum inter personas habiles ad contrahendum &c. Judex Laicus non prohibetur incidenter cognoscere de quæstione Natalium. Ita *loc. citt.* Abb. *num. 2.* Alexander de Nevo *num. 3.* Fagnan. *n. 3.* Barbosa *n. 2.* Pirhing *n. 26.* Schambog. *n. 12.* cum Covar. *p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 12. num. 3.* & sumitur ex *c. lator cit.* nam ibi objectus fuit defectus Natalium ex invaliditate Matrimonii, & sic erat quæstio incidens Juris, non facti.

Quæritur 17. Quis sit Effectus Legitimitatis? Resp. 46
Sunt prærogativæ, quibus gaudent Legitimi, quas inter principalis est, quod quantum ad Dignitatem, gentem, & familiam patris, non matris conditionem sequantur *l. cum legitimæ 19. ff. de Stat. hom. l. filiam 9. ff. de Senator. & l. Curialibus 36. Cod. de Decurion.* Et hinc Jure feudali etiam nati ex parte nobili, matre vero ignobili succedunt in Feuda, licet concurrant cum Liberis æquali dignitate natis, ut servatur in Camera Imperiali, teste Schurf. *cent. 1. cons. 1. num. 17.* Neque refert, an Matrimonium, ex quo nati sunt, verum, an putativum sit; nam etiam ex putativo nati quoad omnia cæteris legitimè natis æquiparantur, & propterea si natu majores sint, quoad Fidei commissa, Majoratus, Primogenituras, & alia postea ex vero matrimonio natis præferuntur. Herm. Hermes *fascic. Jur. Publ. cap. 18. qu. 10. num. 18.* Konig *hic num. 17.*

§. II.

De Legitimatis per Matrimonium Parentum subsequens.

SUMMARIUM.

47 48 49 *Matrimonium subsequens legitimat prolem ante susceptam.*
50 *Etiam ratum duntaxat.*
51 *Contractum in articulo mortis.*
52 *Omissis culpabiliter Denuntiationibus,*
53 *Initum cum dispari,*
54 *Aut mediante alio Matrimonio.*
55 *Vel cum publica meretrice contractum.*
56 57 58 *Vim istam habet etiam Matrimonium putative justum.*
59 60 61 62 *Et procedit, quamvis proles solum putative sit naturalis, reipsa spuria.*
63 *&c. Quo tempore parentes debeant esse habiles ad Matrimonium contrahendum, ut hoc subsecuto, legitimetur proles?*
69 *&c. An per Matrimonium avi legitimentur nepotes, suscepti ex filio naturali?*
73 *An ut legitimetur proles illegitimæ per Matrimonium subsequens, requiratur consensus parentum?*
74 *Vel fratrum cæterorum.*
75 76 77 *Aut ipsius legitimandi?*
78 *An Instrumenta Nuptialia?*
79 80 81 *Quid circa horum necessitatem sit dicendum de Jure Civili?*
82 *An filii naturales, subsecuto parentum Matrimonio, vere legitimi evadant?*
83 *&c. Quæ sint privilegia, & jura legitimatorum per Matrimonium subsequens?*
88 *&c. An legitimatus per subsequens Matrimonium in Majoratu, & Juribus Primogenituræ sit præferendus fratribus post ipsum, sed ante ejus legitimationem natis?*

Quæritur 1. Quam vim habeat Matrimonium subsequens in ordine ad defectum natalium prolis, ante illud susceptæ? Resp. Defectum illum omnino tollit, & prolem ante susceptam facit legitimam, prout aperte habetur *cap. tanta 6. hoc tit.* & constat etiam ex Jure Civili *l. jubemus 6. l. si quis 10. & l. nuper 11. Cod. de natural. Liber.* ubi ab Anastasio, & Justiniano Impp. Constitutio Constantini M. primum lata de Liberis natis ex concubinatu, & postea à Zenone Imp. restituta, extensa est ad proles naturales quascunque, ex quibuscunque fœminis susceptæ illæ sint, vel imposterum suscipiendæ. Hinc ita Legitimati in dispositione hominis, & Statutorum veniunt sub nomine Legitimorum, 47

der

der vvoll-bertigen, und ehrlich-gebohrnen Rinder, iisque Litteræ Natalitiæ, *Geburts-Brieff* dari possunt, quod nati sint ex probis, honestisque parentibus, ac thoro legitimo. Richter. *part.* 2. *decis.* 80. *num.* 17. Konig *hic n.* 29. Reiffenst. *num.* 43.

48 Ut vero effectum hunc consequatur Matrimonium subsequens, duo requiruntur. 1. Ut proles sit suscepta ex utroque parente, qui deinde contraxit Matrimonium; nam si Bertha v. g. dum soluta erat, prolem suscepit ex Titio, & deinde Matrimonio jungatur Cajo, de quo constat, quod ipse non sit pater prolis, ista per subsequens matrimonium non fit legitima. 2. Ut proles illa non sit Spuria, sed Naturalis, seu suscepta ex parentibus, qui tempore conceptionis, vel nativitatis, aut intermedio fuerunt habiles ad contrahendum matrimonium, seu nullo Canonico Impedimento prohibiti contrahere *c. tanta cit.*

49 Hæ duæ conditiones si adsint, contractus matrimonii subsequens fictione Juris retrotrahitur ad tempus, quo proles nata, aut concepta est, ita, ut sublata macula, & purgato vitio antecedentis turpitudinis, proles perinde habeatur, acsi suscepta illa esset ex matrimonio, jam tunc inter parentes inito. Gloss. *in c. tanta cit. V. legitimi*, Abb. *ibid. n.* 4. Alex. de Nevo *n.* 4. *&* 5. Azor *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 6. Sarmient. *l.* 1. *select. cap.* 5. *num.* 8. Pont. *l.* 11. *de Matr. c.* 1. *à n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *part.* 1. §. 2. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 1. *hoc tit. n.* 13. Pirh. *hic num.* 30. *&* 31. Vviest. *ibid. n.* 22. Ratio sic statuendi fuit favor tum Liberorum, tum matrimonii: *Liberorum* quidem; quia sic evadunt culpæ alienæ pœnam, & consequuntur legitime natorum jura: *matrimonii* autem; quia hoc modo illegitime copulati amore Liberorum alliciuntur ad conjunctionem legitimam, seu matrimonialem.

50 Quæritur 2. In quibus casibus locum habeat ista legitimatio facta per matrimonium subsequens? Resp. Locum habet 1. etiamsi matrimonium parentum, postea contractum, tantum fuerit ratum, Pont. *l.* 11. *de matr. cap.* 1. *num.* 16. Barbos. *in c.* 6. *hoc tit. n.* 12. Pirhing *hic num.* 36. Engl *n.* 9. Konig *n.* 21. Vviestner *n.* 33. Reiffenstuel *num.* 31. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. cap.* 3. *num.* 61. Ratio est, quia *cap. tanta* 6. *hoc tit.* in ordine ad effectum legitimandi prolem ante susceptam requirit tantum matrimonium verum. verum autem matrimonium est, quod ratum duntaxat, & nondum consummatum est. ergo &c. Accedit praxis Ecclesiæ, qua moribundis datur licentia ducendi suas concubinas, in ordine ad Liberos, ex illis illegitime genitos, legitimandos: ubi sane non censetur aliud matrimonium esse contractum, quam ratum.

51 *Procedit* 2. Etiamsi contractum sit à senibus, infirmis, & constitutis in articulo mortis, modo contrahentes non sint aliunde inhabiles, & ipse contractus celebratus sit in facie Ecclesiæ, h. e. coram Parocho, & testibus. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 3. *n.* 10. Azor *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 11. Molin. *tr.* 2. *de l. & l. D.* 172. *n.* 13. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 105. *n.* 5. *&* 6. Guttier. *de matr. cap.* 118. *num.* 1. *&* 2. Pont. *cap.* 1. *cit. n.* 7. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *part.* 1. §. 2. *n.* 4. Barbos. *in c.* 2. *hoc tit. n.* 24. *& in cap.* 6. *n.* 8. Gonzal. *in c.* 1. *eod. num.* 11. Vallens. *hic num.* 3. Zoes. *num.* 14. Honor. *n.* 21. Pirhing *n.* 36. Konig *num.* 21. Vviestner *num.* 34. Reiffenst. *num.* 32. cum enim matrimonia, à talibus inita, Jure subsistant, etiam sortientur effectus veri matrimonii, & consf. per ejusmodi Matrimonium legitimabitur proles ante suscepta. *Neque obstat*, *quod juxta L. Titio* 51. *ff. de Usufr.* actus non possit incipere ab eo tempore, quo finitur; nam hoc verum est, quando in id tempus actus confertur, v. g. *Contraho tecum*, *quando moriar*; quia non haberet eventum utilem; secus, si simpliciter tempore mortis actus celebretur; nam simili modo etiam recte libertas datur *l. un.* §. *sed scimus* 3. *C. de Latin. libert. tollend.* Minus obest *l. nuper* 11. *C. de natural. Liber.* ubi ad effectum Legitimationis requiritur *Spes tollendæ prolis*; nam hæc non deest in matrimonio hujusmodi, quantum est ex natura contractus, quippe quo radicale jus datur ad copulam, & prolis generationem.

52 *Procedit* 3. Etiamsi Denuntiationes sine dispensatione, & justa causa omissæ sint; quia omissio Denuntiationum temeraria matrimonii valorem non impedit. ergo nec impedit effectum Juris *c. conquæstus* 1. *& cap. tanta* 6. *hoc tit.* Idem dicendum de Matrimonio clandestino ex absentia Parochi, & testium, contracto in locis, ubi Tridentinum receptum non est? nam etiam per hoc legitimatur proles ante suscepta, si validum illud revera sit, & aliud Impedimentum non obstet, ut pluribus aliis *cit.* notat Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 44. *num.* 2. ex ratione, quia *c. tanta cit.* generaliter decernitur, filios naturales legitimari per subsequens matrimonium, nec invenitur textus contrarium decidens de matrimonio clandestino valido; nam textus *c. fin.* §. *siqui de clandest. Despons.* solum loquitur de matrimonio clandestino invalido ob Impedimentum ignoratum à parentibus, & susceptos ex illo matrimonio pronuntiat esse, & fore illegitimos. igitur sicut legitimi suscepti ex matrimonio clandestino valido, ita legitimi fient per illud ante suscepti. *Ratio disparitatis* inter matrimonium clandestinum validum, & invalidum ob ignorantiam Impedimenti est, quia in hoc Jus punit ignorantiam impedimenti affectatam, quæ abest in casu, quo matrimonium contractum est valide.

Procedit 4. Etiamsi Nuptiæ initæ sint cum dispari 53
e. g. à nobili, illustri, divite cum plebeja, paupere, & vili fæmina. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 2. *n.* 9. Menoch. *vol.* 1. *con.* 18. *num.* 14. Sanch. *l.* 3. *D.* 44. *num.* 2. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 57. Gaill. *l.* 2. *obs.* 141. *n.* 4. *&* 5. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *part.* 1. §. 2. *n.* 6. Barbos. *in cap.* 6. *hoc tit. n.* 3. Pirhing *hic n.* 36. Konig *n.* 23. Vviestner *n.* 36. nam etiam inter hos consistit matrimonium? & consf. habebit effectum à Jure sibi concessum.

Procedit 5. Etsi post susceptam illegitimam prolem alte- 54
rutet tempore intermedio contraxisset aliud matrimonium. Abb. *in cap. tanta cit. num.* 3. Covar. §. 2. *cit. num.* 28. Sayr. *l.* 6. *de Irregul. cap.* 10. *n.* 19. Azor p. 2. *l.* 2. *cap.* 13. *q.* 5. Suar. *D.* 50. *de Censur. sect.* 1. *n.* 4. Bachov. *ad Treutl. vol.* 2. *D.* 16. *th.* 2. *litt. A.* Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *c.* 5. *n.* 2. Palao §. 2. *cit. num.* 5. Barbos *in cap.* 6. *cit. num.* 7. Gonzal. *ibid. n.* 2. Zoes. *hic num.* 13. Honor. *n.* 23. Engl *num.* 8. Pirhing *n.* 36; Konig *num.* 22. Vviestner *num.* 37. Reiffenstuel *num.* 32. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 3. *num.* 66. quia ut matrimonium subsequens habeat effectum legitimandi prolem, plus non requiritur, quam ut pater ineat matrimonium cum matre, quæ susceptæ prolis tempore potuit esse ejusdem uxor; quod tali casu impletur. Unde ex tribus prolibus eorundem parentum prima & tertia legitima, secunda autem illegitima esse potest, si videlicet Titius post primam prolem ex Bertha genitam matrimonio jungatur Cajæ, eoque constante, secundam prolem suscipit ex adulterino concubitu cum Bertha, & postea Caja mortua, ex ea legitime sibi copulata procreat tertiam. Vviestner *loc. cit. Neque obstat*, quod casu, quo aliquis Sempronio promisit 1000. in dotem, si duxerit Bertham, juxta *l. dotis promissio* 68. *fin. ff. de Jur. Dot.* is nihil amplius accipiat, si prius duxerit Cajam, & hac mortua Bertham; negatur enim paritas *Ratio Disparitatis est*, quia promissionis effectus dependet ab intentione promittentis, qui præsumitur de primo solum matrimonio cogitasse: contra Legitimationis effectus non ab intentione contrahentium, sed à matrimonio pendet, quod ex se virtutem legitimandi accepit.

Procedit 6. Etsi proles suscepta sit ex publica mere- 55
trice; nam si hanc pater legitimo matrimonio sibi jungat, proles fit legitima, ut recte advertunt Palao §. 2. *cit. n.* 6. Barbos. *in c.* 6. *cit. n.* 3. Engl *hic n.* 10. Konig *num.* 25. Vviestner *n.* 36. Reiffenstuel *num.* 38. & colligitur ex *c. tanta cit.* ubi parentum nuptiis amplissima conceditur potestas legitimandi proles ante susceptas, & soli excipiuntur Spurii. *Neque contrarium probatur* ex textu *Novell.* 74. *pr. vers. sed & aliud.* ubi negatur, quod natus ex meretrice per matrimonium subsequens legitimetur; imprimis enim Sanctio hæc Imperialis in materia hac, quæ Spiritualis jam est, attendi non debet: deinde, ut Jason. *vol.* 2. *cons.* 234. *in fin.* Abb. *loc. cit. n.* 17. Palao *n.* 6. *cit.* cum aliis explicat textum istum, ibi sermo est de prole suscepta ex meretrice, de qua incertum est, utrum illam susceperit ex eo, cui postea nupsit, an ex alio viro conjugato, vel libero, cum passim se prostituerit omnibus; nam istam per subsequens matrimonium asserunt non legitimari ob incertitudinem Patris.

Quæritur 3. utrum illegitime conceptæ, vel etiam 56
natæ proles legitimentur etiam per subsequens matrimonium

nium invalidum, sed putative justum, quia cum Impedimento dirimente, in facie tamen Ecclesiæ, & ignoranter contractum est? Negant Abb. *in c. tanta 6. hoc tit. n. 9.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c.* 8. §. 2. *n.* 20. Sarmient. *l.* 1. *select. cap.* 6. *nu.* 2. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 172. *num.* 11. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 55. Zoes. *hic num.* 13. *&* 22. Engl *n. 9. vers. per Matrimonium*, Schambog. *num.* 16. *prop. fin.* Konig *num.* 24. Reiffenstuel *num.* 36. *Rationem dant*, quia *cap. tanta cit. pr.* vis legitimandi Liberos illegitimos concessa est Matrimonio, non bonæ fidei: atqui Matrimonium, quod solum est putativum, revera non est Matrimonium, neque venit ejus nomine simpliciter, & proprie accepto. ergo cum verba Legum accipienda sunt de eo, quod simpliciter, & proprie denotant, vis legitimandi per *c. cit.* data Matrimonio ad putativum extendi non debet.

57 Sed tenenda est affirmativa sententia, utpote non tantum benignior proli, sed etiam Juri conformior, & dicendum, per ejusmodi Matrimonium legitimari prolem ante susceptam, saltem si vere illa sit naturalis. Ita Ant. de Butrio *in c. tanta cit.* Molin. ICtus *l.* 3. *de Primogen. c.* 1. *n.* 11. Suar. *de Irregul. D.* 50. *sect.* 1. *num.* 30. Sanch. *l.* 3. *de Matrim. D.* 42. *num.* 2. Gatc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 2. *n.* 30. Pont. *l.* 11. *de Matrim. cap.* 1. *num.* 13. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *part.* 1. §. 2. *num.* 3. *vers. cæterum*, Henr. Canis. *in cap. tanta cit. num.* 2. Gonzal. *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 6. Pirhing *hic num.* 36. Vviestner *ibid. n.* 38. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 3. *num.* 70. *& tribus seqq. Ratio est*, quia ejusmodi Matrimonium, si initum sit in facie Ecclesiæ, & præmissis Denuntiationibus, licet in se irritum sit, prolem tamen ex eo natam facit legitimam, ut dictum est *supra n.* 11. & patet ex *c. cum inter* 2. *& c. ex tenore* 14. *hoc tit.* igitur etiam legitimam faciet prolem naturalem ante editam. *Prob. Conf.* nam vis illius retrotrahitur ad tempus susceptæ prolis; atqui si tempore susceptæ prolis constitisset ejusmodi Matrimonium putativum, prolem effecisset legitimam; ergo etiam legitimam faciet ante editam.

58 Et hinc *ad Rationem in contrarium allatam* dicendum, nomen Matrimonii sumendum large, & quatenus includit etiam matrimonium putativum, contractum in facie Ecclesiæ, & præmissis Denuntiationibus; nam ita accipiendum probat allata ratio, & authoritas textuum *citt.*

59 Quæritur 4. An per subsequens Matrimonium putativum legitimetur proles solum vere, an etiam putative naturalis, reipsa Spuria, quod fieret, si parentes habuissent copulam, & edita prole, contraxissent Matrimonium cum Impedimento e. g. Consanguinitatis à se, vel alterutro illorum ignotato? Negativam tuentur gravissimi TT. & ICti, ut inter hos Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 8. §. 2. *num.* 16. Sarmient. *l.* 1. *select. c.* 6. *num.* 2. Molin. *tr.* 2. *D.* 172. *num.* 11. Gatc. *p.* 7. *de Benef. c.* 2. *num.* 33. Guttier. *pract. l.* 2. *q.* 105. *num.* 9. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 55. Barbos. *in c. tanta 6. hoc tit. num.* 42. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 4. *n.* 13. Gletle 1. *p. Pandect. q.* 7. *n.* 4. Vall. *hic n.* 3. *vers. dixi*, Zoes. *ibid. n.* 20.

60 *Fundantur* 1. generalitate textus *c. tanta cit.* juxta quam, ut per subsequens Matrimonium legitimetur proles, requiritur, ut illa progenita sit ex parentibus habilibus ad contrahendum Matrimonium, neque sit discrimen inter bonam, vel malam fidem. 2. *Ratione*: quia quando aliquis rei illicitæ dat operam, inspicitur rei veritas, non opinio, sive existimatio operantis, prout sumitur ex *l. eum qui* 10. §. *si injuria* 3. *ff. de Injur.* atqui soluta, carnaliter se cognosci patiens, dat operam rei illicitæ? igitur eo casu inspicietur rei veritas; est autem rei veritas, quod inter ipsam, & patrem prolis consistere non potuerit Matrimonium tempore susceptæ prolis, ob Impedimentum dirimens Consanguinitatis, vel Ligaminis; ergo proles ejusmodi quoad effectum Legitimationis censebitur Spuria, non naturalis. 3. *Paritate*: nam, ut habetur *c. fin.* §. *siquis vero de Clandestina Despons.* si contractum sit Matrimonium, omissis culpabiliter Denuntiationibus, in gradu prohibito, à parentibus ignorato, proles, detecto dein Impedimento, illegitima est, solum ex eo capite, quia omittendo Denuntiationes deliquerunt, & cum delictum committitur, inspicitur rei veritas; atqui etiam in casu nostro intercessit delictum; ergo &c.

Sed his non obstantibus, tenenda est Sententia affirmativa, & dicendum, etiam prolem tantum putativè naturalem subsequenti Matrimonio legitimam effici. Ita Gloss. *in cap. tanta cit. vers. aliam.* Sylv. *V. filius q.* 8. Tholos. *Syntag. l.* 10. *cap.* 4. *num.* 4. Surd. *cons.* 303. *n.* 20. *libr.* 2. Gratian. *Discept. forens. cap.* 83. *n.* 22. Pont. *l.* 11. *de Matr. cap.* 2. *num.* 8. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *part.* 1. §. 3. *num.* 9. Engl *hic num.* 12. *vers. contrarium*. Konig *num.* 26. *fin.* Vviest. *num.* 40. Sumitur 1. ex *c. cum inter* 2. *& c. ex tenore* 14. *hoc tit.* juxta quos textus, ut legitima sit proles, ex Matrimonio ita contracto nata, sufficit bona fides conjugum, etiam unius ipsorum; igitur etiam sufficiet ad legitimandam prolem, ante illius contractum susceptam. 2. Si tempore copulæ hujusmodi Matrimonium putativum inter parentes ejusdem jam fuisset initum, proles propter bonam fidem contrahentium fuisset legitima juxta textus *citt.* ergo legitimabitur propter eandem etiam ante suscepta, cum Matrimonium retrotrahatur ad tempus susceptæ prolis. 3. Proles ista nata est ex copula solum materialiter adulterina, vel incestuosa, formaliter autem fornicaria; igitur non Spuria, sed naturalis solummodo erit. 61

62 Neque obstant Argumenta Sententiæ oppositæ. *Ad* 1. sumptum ex *c. tanta cit.* ibi bonæ fidei non fit mentio, quia illa in tali copula præsumitur adfuisse, quando non probatur abfuisse. *Ad* 2. in dante operam rei illicitæ inspicitur veritas quoad ea solum, quæ oriuntur ex opere formaliter, non materialiter tantum injusto, ut constat *arg. can. inebriaverunt 9. caus.* 15. *quæst.* 1. & exemplo Loth ibi adducto, cui non incestus, quem materialiter solum commisit, sed ebrietas duntaxat est imputata, atqui, ut *n. præc. in fin.* dictum est, copula ista formaliter solum fornicaria fuit, quamvis materialiter adulterina, vel incestuosa; ergo &c. *Ad* 3. negatur paritas; quia in contrahentibus Matrimonium, omissis culpabiliter Denuntiationibus, præsumitur vel scientia Impedimenti, vel ignorantia affectata, quę scientiæ æquiparatur.

63 Quæritur 5. Quo tempore parentes debeant esse habiles ad Matrimonium contrahendum, ut hoc subsecuto, legitimetur proles? *Certum est* recte Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. *vers. dubium*, sufficere, si tales fuerint tempore conceptionis, etsi forte ob interveniens Impedimentum v. g. Affinitatis, Ligaminis &c. tempore nativitatis sint facti inhabiles. *Ratio est*, quia talis proles non est suscepta ex coitu damnabili; Jura autem solum statuunt prolem per subsequens Matrimonium non legitimari, si ex coitu damnabili inter personas inhabiles, seu contrahere impeditas suscepta sit. *Conf.* quia proles concepta, cum de commodo illius agitur, pro nata habetur *l. qui in utero* 7. *ff. de Stat. hom.* ita enim ingenua est proles edita à matre, quæ libera fuit, saltem conceptionis tempore *pr. Inst. de Ingenuis*, *& l. & servorum* 5. §. *ingenui* 2. *ff. de stat. hom.* ergo sicut si nata fuisset eo tempore, quo concepta est proles, fuisset legitimata per subsequens matrimonium, ita etiam si concepta, licet nata fuerit tempore, quo parentes ejusdem facti sunt inhabiles.

64 *Majus dubium est*, an sufficiat, parentes ad Matrimonium fuisse habiles tempore nativitatis? Negant Bald. *in l. Paulus* 11. *ff. de stat. hom.* Sylv. *V. filii q.* 8. *num.* 10. Sarmient. *l.* 1. *select. cap.* 5. Suar. *Disp.* 50. *de Censur. sect.* 1. *num.* 3. Garc. *part.* 7. *de Benef. cap.* 2. *num.* 38. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *cap.* 5. *num.* 2. *vers. quod talis*. Zoes. *hic num.* 18. Pith. *n.* 34. Schamb. *n.* 14. & alii plures. *Moventur* variis textibus utriusque Juris. 1. *c. tanta 6. hoc tit.* ubi expresse dicitur, *si vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, nihilominus spurium fore filium, & ab hæreditate repellendum:* conf. in *c. cit.* videtur haberi ratio conceptionis, non nativitatis. 2. *l. Paulus cit.* ubi pro illegitima habetur proles, quæ concepta fuit ex Matrimonio contracto à filia sine consensu patris, & conf. de Jure Civili invalido, licet nata sit, avo jam mortuo. 3. *l. ex libera 6. C. de suis, & legit. Liber.* qua pro Spurio habetur conceptus ex servo, & libera, quamvis patris libertas superveniat, & is natalibus restituatur.

65 Verum his non obstantibus, dicendum, legitimari per subsequens Matrimonium prolem, cujus parentes, quando concepta fuit, ob impedimentum Ligaminis, Consanguinitatis, Ordinis Sacri &c. inhabiles fuerunt

fuerunt ad Matrimonium inter se contrahendum, modo tempore nativitatis, vel intermedio aliquo inter eosdem consistere potuerit Matrimonium. Ita Covar. *part. 2. de Sponsal. c.* 8. §. 2. *num.* 2. Azor *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 13. *quæst.* 3. Sayr. *l.* 6. *de Irregul. cap.* 10. *num.* 29. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 172. *n.* 2. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 50. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 7. *n.* 19. Gutier. *de Matr. c.* 72. *à n.* 6. Pont. *l.* 11. *c.* 3. *n.* 2. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 3. *n.* 5. Barbos. *in c.* 6. *hoc tit. n.* 31. Engl *hic n.* 11. Vviest. *n.* 43. Reiffenst. *n.* 39. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 3. *n.* 75.

66 Ostenditur 1. clarissimo textu *l. nuper* 21. *C. de Natural. Liber.* circa cujus finem Imperator generaliter, & sine exceptione ait, *In quæstionibus, in quibus de statu Liberorum est dubitatio, non conceptionis, sed partus tempus inspiciendum : & hoc favore - - Liberorum*, solumque excipit *casus illos, in quibus conceptionem magis approbari, infantium conditionis utilitas exposcit*. 2. Ex *Novell.* 89. *c.* 8. *fin.* ubi Imperator, *Tempus illud*, inquit (videlicet conceptionis, vel partus, vel intermedium) *valere magis præcipimus, quod utilius sit nascenti*. 3. à pari; nam ut proles ingenua sit, sufficit Matrem conceptionis, vel partus, vel intermedio aliquo tempore liberam fuisse *l. & servorum* 5. *& l. qui in utero* 7. *ff. de Stat. hom.* ergo etiam legitimabitur, si parentes, sive conceptionis, sive nativitatis, sive in termedio tempore ad Matrimonium contrahendum fuerint habiles, licet aliquo ex his inhabiles fuerint.

67 *Ex quo sequitur*, quid dici debeat ad casum, quando Titius, vivente uxore sua, cognoscit Cajam, mortua autem uxore, & Caja uterum ferente, cognoscit sororem Cajæ, quæ stante Impedimento affinitatis, secum contractæ ex copula cum sorore habita, parit; nam si impedimento isto per Dispensationem sublato, Titius ducat Cajam, legitima fit proles ex hac suscepta; quia parentes ejus intermedio aliquo tempore habiles fuerunt ad contrahendum. *Et confirmatur*; nam juxta *l. qui in utero cit. qui in utero est, perinde est, ac si in rebus humanis esset constitutus, quando de commodis ejus agitur*; sed si proles ista eo medio tempore, quo in utero est, & parentes ejus sunt habiles, nasceretur, legitima esset Matrimonio subsecuto; ergo etiam legitima censenda est, esto, tunc non nascatur.

68 Argumenta in contrarium allata efficacia non sunt. *Ad* 1. *c. tanta cit.* solum pro illegitima habetur proles, quæ vivente propria uxore ex alia concepta simul, & nata est: quod eruitur ex ipso textu, ubi Pontifex utitur Verbo *Susceperit*; proles enim suscepta non dicitur ante nativitatem. igitur si nascatur, uxore non amplius vivente, ac proinde ex parentibus saltem nativitatis tempore ad contrahendum habilibus ipsa, subsecuto dein Matrimonio patris cum matre, legitimabitur. *Ad* 2. *l. Paulus cit.* filius post mortem avi pro illegitimo habitus est ex ea causa, quia non constabat de vero consensu, quo Matrimonium, prius invalidum, postea confirmari debeat, ut recte advertit Fachin. *c.* 50. *cit. Ad* 3. *l. ex libera cit.* is, qui ex libera, & servo, quorum Matrimonium Jure Civili invalidum est *l. cum ancillis* 3. *C. de incest. nupt.* non tantum conceptus, sed etiam natus est ante libertatem à patre obtentam; quia *loc. cit.* verbo *Conceptus* natus significatur, prout ex Cujacio observat Pont. *loc. cit. n.* 7.

69 Quæritur 6. An per Matrimonium avi legitimentur nepotes suscepti ex filio naturali? *Certum est* legitimari, si avus cum fæmina, ex qua filium naturalem suscepit, vivente isto, contrahat Matrimonium; quia per ejusmodi Matrimonium subsequens filius fit legitimus; ergo etiam nepotes, quos filius ex Matrimonio à se legitime contracto suscepit; nam his, quo minus respectu avi legitimorum jura consequerentur, solum oberat defectus paternorum natalium, qui ejusmodi legitimatione sublatus est.

70 *Dubium est*, si filius, antequam pater cum matre ejusdem contraheret Matrimonium, jam est mortuus? Nam hoc casu avi Matrimonio legitimari nepotes, negant Decius *cons.* 343. Barb. *in l. benignius* 18. *ff. de LL.* Ant. Gabriel. *de Legitimat. concl.* 1. *n.* 52. *Fundantur* 1. quia avi Matrimonio nepotes non legitimantur, nisi dependenter à suo parente; nam legitimatio filiorum videtur esse fundamentum legitimationis nepotum; atqui parens horum nepotum jam mortuus per Matrimonium avi legitimari non potest: ergo &c. 2. Impossibile est conjungi extrema per medium, quod cum uno extremorum conjungi non potest *arg. l. qui Sella* 7. §. *in rusticis* 1. *ff. de Servit. præd. rust.* atqui si legitimarentur nepotes per Matrimonium avi subsequens, eidem conjungi deberent per filium, qui postquam mortuus est, ei conjungi non potest; ergo &c. 3. Non potest quis adoptari in nepotem ex mortuo filio juxta textum, & Gloss. *l. si is*, 44. *ff. de adopt.* ergo nec legitimari. 4. Juxta *l. qui libertinus* 27. §. *posthumus* 7. *ff. de opert. Libertor.* nativitate posthumi ab operis præstandis domino non liberantur hæredes patris, licet liberaretur pater, si dum viveret, haberet duos, vel plures filios; eo quod, ut textus loquitur, *proficisci liberatio à liberto debeat, nec quisquam post mortem liberari intelligi possit*; sed idem videtur dicendum in nepotibus comparatione avi, ut sc. legitimari non possint, filiis avi non legitimatis.

71 Sed probabilior est affirmativa, cum qua dicendum, Matrimonio avi, etiam mortuo filio, legitimari nepotes. Ita Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 2. *n.* 19. Azor *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 13. *q.* 13. Molin. *tr.* 2. *de I. & I. D.* 172. *n.* 10. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 56. Pont. *l.* 11. *c.* 1. §. 3. *num.* 23. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 2. *num.* 12. Barbos. *in cap.* 6. *hoc tit. num.* 32. Gonzal. *ibid. n.* 3. Haun. *tom.* 1. *tr.* 4. *n.* 133. Zoes. *hic n.* 23. Vviest. *n.* 41. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 3. *n.* 86. *Ratio est*, quia avi Matrimonium fictione Juris retrotrahitur ad tempus, quo ejus filius nepotis pater susceptus est; atqui si inter avum, & aviam nepotis jam constitisset Matrimonium eo tempore, quo conceptus est pater ejusdem, iste fuisset legitimus; igitur post mortem ejus matrimonio inito nepos erit legitimus; cum enim in filio matrimonium subsequens operari legitimitatem non possit, operabitur eam in nepote. *Conf.* ex *l. si filium* 5. *ff. de gradib. & Affinib.* secundum quam adoptatus in filium censetur frater naturalis filii jam mortui; atqui non est minor vis matrimonii, quam adoptionis; ergo etiam ob Matrimonium avi legitimus evadet nepos, etsi Matrimonium primum ab avo contractum sit post mortem patris.

72 Neque obstant Argumenta opposita in contrarium. *Ad* 1. Legitimationis nepotum fundamentum est non legitimatio filiorum, sed ipsum Matrimonium, inter avum, & concubinam illius celebratum; nam ab hoc, & non à filiis illa comparatione avi communicatur nepotibus, utpote quo non contracto, nunquam nepotes comparatione avi fierent legitimi. *Ad* 2. nepos cum avo medio filio per generationem conjungitur conjunctione naturali, qua conjunctione supposita, conjungi potest in ratione legitimationis absque ullo medio. *Ad* 3. *adoptare quis nepotis loco potest, etiamsi filium non habeat*, ut dicitur *l. adoptare* 37. *ff. de Adopt.* ergo adoptare etiam poterit nepotem ex filio mortuo, modo exprimatur, cujus filius sit. *Ad* 4. negatur paritas; nam liberatio hæredum à liberto provenire debebat; at in præsenti, ut antea dictum est, Legitimatio nepotum non à filiis provenit, sed à Matrimonio tempore habili contracto.

73 Quæritur 7. An vis legitimandi prolem matrimonio competat, tametsi parentes, vel liberi legitimationi contradicant? *Certum est* 1. per subsequens matrimonium legitimari prolem ante susceptam, etsi legitimationi contradicant parentes; quia favor iste matrimonio absolute datus est; ergo sine fundamento ad consensum parentum restringitur: præsertim cum satis receptum sit, quoties à Jure fit retrotractio alicujus actus, eam fieri cum omnibus illius qualitatibus *l. potior* 11. *ff. qui potior. in pignor.* atqui matrimonium postea subsecutum per favorem concessum *cap. tanta* 6. *hoc tit.* retrotrahitur ad tempus copulæ cum concubina habitæ, & fingitur à Jure, quasi eo tempore jam constitisset matrimonium; ergo cum omnibus suis qualitatibus, & conf. cum vi legitimandi ante genitos independenter ab ullius alterius contradictione retrotrahi debet.

74 *Certum satis est* 2. etiam non requiri consensum cæterorum Liberorum, qui legitime nati sunt: quod probat ratio allata *n. præc. Et confirmatur* 1. si esset aliqua ratio, quod requireretur consensus cæterorum fratrum, susceptorum ex legitimo matrimonio, esset, quod per legitimationem ejusmodi præjudicium aliquod iisdem crearetur: atqui nullum verum præjudicium iisdem creatur; quia Jus illud, quod filiis, constante Matrimonio gene-

generatis, ad hæreditatem patris, & portionem majorem acquiritur, est jus tantum in spe, & sub conditione, nisi prius genitus ex concubina legitimetur. quod proinde cessat, eodem legitimato. *Conf.*2. etsi post mortem primogeniti Jus primogenituræ acquiratur secundo genito, si tamen ille resurgat à mortuis, ab eodem tollitur, & redit ad primogenitum ideo solum; quia secundo-genito concessum est sub conditione tantum, nisi resurgat Primogenitus; ergo similiter licet genitis ex legitimo Matrimonio acquisitum sit jus excludendi ab hæreditate patris quoscunque alios, quia tamen hoc conditionatum solum est, videlicet, nisi ex concubina genitus legitimetur per subsequens Matrimonium, idcirco jus illud etiam ad istum transit, quin opus sit cæterorum consensu.

75 *Controversia est*, an requiratur consensus ipsius legitimandi? In qua Controversia multi Civilistæ, præsertim Acatholici, Affirmativam defendunt, idque ob sequentia fundamenta. 1. Ob textum *Novell.* 89. *c.*11. ubi statuitur, ut naturales efficiantur sui, opus esse, ut ratum habeant modum legitimationis, & additur, *Si solvere jus patriæ potestatis, invitis filiis, non est permissum patribus, multo magis in potestatem redigere invitum filium, & nolentem --- justum non est.* 2. Invito non debet obtrudi beneficium *l. invito* 69. *ff. de R. J.* est autem beneficium tolli per legitimationem natalium vitium; ergo &c. 3. Generalis est Regula invitos filios naturales, vel emancipatos non redigi in patriam potestatem *l. fin. ff. de his, qui sui, vel alien. Jur.* atqui per legitimationem redigitur legitimatus in patriam potestatem legitimantis. ergo &c.

76 Sed his non obstantibus, probabilius legitimandi consensus non requiritur. Ita ex communi DD. sensu docent Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 2. *q.* 12. *&* 16. Azor. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 13. *n.* 12. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 172. *num.* 5. Pont. *l.* 11. *de Matr. cap.* 1. *num.* 22. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 2. *num.* 10. Zoes. *hic num.* 12. Honor. *num.* 22. Vviestner *n.* 44. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Matr. cap.* 3. *n.* 90. & colligitur ex *c. tanta* 6. *hoc tit.* ubi favor iste conceditur Matrimonio generaliter; conf. est favor publicus, cui privatorum contradictio, aut renuntiatio prævalere non potest *c. si diligenti* 12. *de for. compet. & l. jus publicum* 38. *ff. de Pact.* ergo &c. *Conf.* 1. quia quoties ipso Jure & sola Lege quid fieri dicitur, toties effectus, factumque hominis excluditur *arg.* §. *sui autem* 3. *Inst. de Hæred. quæ ab intest.* atqui Legitimatio per subsequens Matrimonium potius proficiscitur à Lege publica, quam à voluntate patris, ergo &c. *Conf.* 2. quisque alterius, etiam inviti, & ignorantis, conditionem meliorem reddere potest *l. solvendo* 39. *ff. de Negot. gest.* atqui per legitimationem fit melior conditio Liberorum. ergo &c.

77 Argumenta in contrarium allata intentum non evincunt. *Ad* 1. Jus illud *Novell. cit.* amplius observari non debet; quia in Materia Legitimationis, provenientis ex Matrimonio, Jus Canonicum prævalere debet Juri Civili, cum Imperator non possit Matrimonio adimere favorem, quem ipsi Jus Canonicum tribuit; Igitur cum Jus Canonicum favorem hunc Matrimonio tribuat generaliter, dicendum est, quod procedat etiam nolentibus filiis. *Ad* 2. Regula illa solum procedit, quando Beneficium acceptare, vel non acceptare dependet ab illius voluntate, cui beneficium fit: contra, si veniat ex natura actus, sicut Legitimatio venit ex natura Matrimonii. Patet à pari cum solutione debiti; nam si, te invito, solvo tuo creditori, liberaris à debito? quia hæc natura solutionis est *pr. Inst. quib. mod. toll. oblig. & l. solutione* 23. *ff. de Solution. Ad* 3. id verum est tantum, quando Jus non statuit contrarium, prout fit in casu præsenti *c. tanta cit.*

78 Quæritur 8. An ad talem legitimationem requirantur Instrumenta Nuptialia, quibus Dos, aut propter Nuptias Donatio constituatur? *Certum est* non requiri de Jure Canonico: nam hoc Jure Matrimonium quoad valorem suum ab his Instrumentis non pendet; conf. nec Legitimatio, ut favor absolute datus Matrimonio, quod aut vere, aut putative justum est.

79 *Dubium est* de Jure Civili; nam hoc Jure Instrumenta hæc exigi ad ejusmodi legitimationem, volunt Covar. *p.* 2. *de Sponf. c.* 8. §. 2. *n.* 8. Azor *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 13. *q.* 4. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 51. & plures alii ab hoc relati, ex ratione; quia hoc Jure cum ea, cum qua consuetudo prius habita fuit, sine dotalibus Instrumentis nuptiæ non contrahuntur, ut patet ex §. *fin. Inst. de Nupt. & Novell.* 89. *c.* 8. ibi; *Siquis igitur dotalia scripserit ad liberam in principio, sive ad liberam mulierem, cui omnino licet copulari in concubinæ schemate sibi, aut legitimorum filiorum jam pater existens, aut etiam naturalium filiorum pater, legitimas esse nuptias, & filios vel præcedentes, vel conceptos, legitimos ei esse sancimus*; igitur si dotalia instrumenta non scripserit, liberi naturales per matrimonium subsequens non fient legitimi.

Sed dicendum, etiam Jure Civili ad Legitimationem per Matrimonium subsequens ejusmodi Instrumenta non esse necessaria. Ita Donell. *l.* 2. *comment. c.* 21. *vers. nuptiis*, Pont. *l.* 11. *cap.* 1. *num.* 2. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 2. *num.* 8. *vers. dicendum*, Zoes. *ad ff. de Concubin. n.* 15. Konig *hic num.* 28. Vviestner *ibid. num.* 45. & conforme est hodiernis moribus, juxta quos iis Instrumentis opus non est, testibus Vvesenbec. *conf.* 44. *n.* 44. & Stryck. *in Us. modern. Pandect. ad tit. de his, qui sui, vel alien. Jur. nu.* 9. Ratio est, quia neque de Iure Civili dotalia Instrumenta necessaria sunt ad substantiam, & valorem Nuptiarum, ut patet ex *Novell.* 74. *c.* 4. ibi, *Quia enim & antiquis promulgatum est Legibus, & à nobis ipsis sunt hæc eadem constituta, ut etiam nuptiæ extra dotalia Instrumenta ex solo affectu valeant, & ratæ sint*; igitur nec erunt necessaria ad valorem legitimationis. *Conf.* quia finis, ob quem legitimatio prolis per subsequens matrimonium etiam Jure Civili conceditur, est, ut contrahentes, alias turpiter viventes, à turpitudine cessent affectu legitimandi prolem, sed hujusmodi affectus non pendet à promissione Dotis, & solemnitate Nuptiarum, sed à matrimonio inter ipsos contracto; ergo ab illis etiam non pendebit Legitimatio. 80

Unde ad *Novell.* 89. in contrarium allegatam respondendum, in hoc matrimonio per Leges requiri dotalia Instrumenta, non quod sine ipsis matrimonium stare non posset, sed quia sine ipsis Instrumentis raro constare poterat contractum esse; illis namque deficientibus, præsumebatur simulatio, & concubinatus continuatio. Requirebantur ergo Dotalia Instrumenta solum ad certiorem probationem Nuptiarum, & legitimationis Liberorum ex his provenientis. 81

Quæritur 9. an filii naturales, subsecuto parentum Matrimonio, vere legitimi evadant? *Ratio dubitandi est*; quia *cap. tanta* 6. *hoc tit.* dicitur, *Legitimi habeantur*? quo verbo fictionem importari notat. Barbosa *Usufr. Dict.* 130. *n.* 4. 82

Sed distinguendum est inter tempus post Matrimonium à parentibus illorum contractum, & inter tempus; quod à conceptione, vel nativitate illarum lapsum est usque ad contractum Matrimonii. *A primo tempore* legitimi fiunt vere & proprie; *à secundo* ficte quidem; sed ita, ut legitimorum numero, & nomine intelligantur, & vere legitimorum Jura, quæ specialiter recepta non sunt, consequantur omnia, perinde, acsi procreati essent ex Matrimonio, jam tunc constante inter parentes. Ant. de Butrio *in c. tanta cit. n.* 13. Abb. *ibid. n.* 7. Anchar. *n.* 10. Barb. *n.* 13. *&* 14. Gonzal. *n.* 4. Vviest. *hic n.* 46.

Neque obstant verba *Legitimi habeantur*, allegata in contrarium, quia cum prolata sint a conditore Juris, qui poterat defectum Natalium authoritate sua tollere, idem significant, quod *Legitimi sint*, ut *loc. cit.* observant Abb. *n.* 4. Alex. de Nevo. *n.* 4. Barbos. *n.* 14. Vviest. *n.* 46. *cit.*

Quæritur 10. quæ sint Privilegia, & Jura legitimatorum per matrimonium subsequens? Resp. 1. sunt capaces SS. Ordinum, Beneficiorum, Officiorum, & Dignitatum Ecclesiasticarum quarumcunque, obtinendarum sine Dispensatione, excepto solo Cardinalatu S. R. E. cujus incapaces primum redditi sunt à *Sixto V. Const.* incipit *Postquam publicata* 1590. Covar. *p.* 2. *de Sponf. cap.* 8. §. 2. *num.* 25. Azor *part.* 2. *l.* 2. *cap.* 13. *q.* 14. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 162. *n.* 6. Pont. *l.* 11. *de Matr. cap.* 11. *num.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 5. *n.* 2. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 2. *n.* 15. Barbos. *in c.* 6. *hoc tit. n.* 24. Vallens. *hic n.* 3. Honor. *n.* 23. Engl. *n.* 15. Schamb. *n.* 16. Konig *n.* 19. Vviest. *n.* 27. Reiffenst. *n.* 42. *&* 44. Estque hoc ita verum, ut etsi hujusmodi filius naturalis ante Matrimonium à parentibus suis inter se contractum SS. Ordines susciplat, 83

piat, illo contracto Ordines exercere possit; quia jam sublata est Irregularitas, quæ solum ex illegitimitate pendebat. Palao *loc. cit.*

84 2 Capaces sunt hæreditariæ successionis respectu tam majorum suorum, quam etiam respectu Cognatorum lineæ transversæ: item succedunt in Feudis, Emphiteusi Ecclesiastica, Fideicommisso, ita, ut sicut legitime nati, excludant substitutum sub conditione, *Si eo gravatus sine liberis decesserit*; quia per omnia habentur Legitimi, ac propterea in omnibus æquiparantur cæteris fratribus suis legitime natis. Covar. *n.* 27. *&* 30. Zoes. *hic nu* 14. *&* 24. Konig *n.* 29. Vviestner *nu.* 48. cum cæteris *supra*. Et hoc procedit, etiamsi à Parentibus ejus Matrimonium contractum sit in articulo mortis, & animo excludendi Substitutum; quia utuntur Jure suo. Guttier. *de Matr. cap.* 118. *n.* 3.

85 3 Tali legitimatione revocatur Donatio omnium, vel majoris partis bonorum, sicut supervenientibus Liberis juxta *l. si unquam* 8. *c. de revocand. Donat.* habentque sic legitimati Querelam inofficiosi, & rumpunt testamentum patris, perinde, acsi post idem jam conditum essent nati: item admittuntur ad retractum, & habiles sunt ad cætera omnia, quæ Legibus municipalibus filiis legitimis deferuntur. Barbosa *num.* 27. *&* 29. Vviestner *num.* 49. & DD. *citt.*

86 4 Patris, quantumvis Illustris, nobilitatem consequuntur, & arma, ac insignia paterna, seu familiæ deferre possunt. Tiraquell. *de Nobilit. c.* 15. *n.* 21. Myler. ab Ehrenbach *Gamolog. Princ. c.* 24. *nu.* 2. Gonzal. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 9. Et hinc etiam Parentibus suis succedunt in Regnis, Principatibus, & Majoratibus, quæ expressè filiis ex legitimo Matrimonio natis deferuntur nisi aliud in fundatione cautum sit, vel ex circumstantiis, & tenore Litterarum fundationis colligatur, prout colligeretur, si in istis pluries esset repetitum, quod ad illa tantum admittantur nati ex legitimo Matrimonio. Gonzal. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 10. *& in c.* 2. *eod. n.* 8. Barbosa *loc. cit. n.* 22. Vviest. *n.* 50.

87 Ratio horum omnium est, quia cum Matrimonium fictione Juris retrotrahatur ad temptus conceptionis filiorum, filii antea geniti, illoque Matrimonio honestati, ex legitimo Matrimonio nati dicuntur; quod confirmat optimè Covar. *loc. cit.* ex *c. cum in cunctis* 7. *de Elect.* ubi statuitur Episcopum eligi debere, qui sit ex legitimo Matrimonio natus, & tamen *in cap. innotuit* 20. *eod.* juncta Glossa communiter recepta admittitur Legitimatus per subsequens Matrimonium. *Ex quo fit*, ut ita Legitimatus in Majoratibus, & Primogeniturìs etiam præferatur filiis postea natis ex iisdem Parentibus Matrimonio jam junctis. Barbosa *n.* 22. Vviestner *n.* 50. & alii apud istos. Gravis autem controversia est, qua

88 Quæritur 1. an per subsequens Matrimonium legitimatus in Majoratu, & Juribus Primogenituræ etiam præferendus sit fratribus, qui post ipsum quidem, sed ante tamen nati sunt, quam pater eorum cum Matre legitimati contraheret Matrimonium? Negant Tiraquell. *de Primogen. quæst.* 34. *num.* 5. *& seqq.* præcipuè *num.* 43. Azor *p.* 2. *l.* 2. *c.* 13. *q.* 15. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 172. *num.* 7. Gaill. *l.* 2. *obs.* 141. *num.* 3. Gonzal. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 9. *Fundantur* 1. quia iis, qui prius legitimi sunt, jus prælationis in Majoratu jam absolute quæsitum fuit, antequam naturalis per parentum Matrimonium legitimaretur; atqui jus absolute quæsitum per Matrimonium subsecutum non tollitur; quia legitimatio intuitu illius facta est privilegium, quod nemini debet esse præjudiciosum, nisi id exprimatur. 2. quando ad alicujus Juris acquisitionem requiruntur duo, is potior est, in cujus persona duo illa prius conveniunt *arg. l. quoties* 15. *Cod. de R. V.* atqui ad successionem, & prælationem requiruntur hoc casu nativitas, & legitimitas, hæcque duo prius adsunt in legitime nato, quam in legitimato; ergo huic præferendi sunt, qui legitime nati sunt, antequam iste legitimaretur. 3. si filius naturalis postea legitimè nato præferretur, uxor prius ducta graviter decepta esset; & si id futurum scivisset, in Matrimonium, ex quo tantum prolium præjudicium timere poterat, sæpe consensisset nunquam.

89 Hæc sententia admodum probabilis est, & ita quidem, ut Palao *tract.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 2. *num.* 17. asserat, ab eadem in praxi, & tam in judicando, quam in consulendo non esse recedendum. Sed hoc ipsum etiam affirmat Pont. *l.* 8. *de Matr. cap.* 11. *num.* 9. de sententia affirmante; & revera si vim rationis spectemus, ista videtur potior. Nam 1. sententia hæc favorabilior est Matrimonio. 2. Matrimonium ob singularem ejus favorem fictione Juris retrotrahitur ad tempus, quo filius natus est, vel conceptus, & perinde habetur, acsi eo tempore jam constitisset, & ex eo filius talis natus fuisset; atqui si eo tempore Matrimonium; cum matre ejus initum constitisset, & ipse ex eo natus fuisset, indubitate præferretur fratribus, ex Matrimonio postea vere inito procreatis; ergo &c. 3. copula cum concubina, ex qua filius naturalis est genitus, subsecuto cum ea Matrimonio, fingitur fuisse conjugalis; ergo ita genitus merito ut nativitate, ita & quoad successionem præfertur postea genitis; licet hi geniti sint, antequam legitimatio per subsequens Matrimonium fieret.

Quare dicendum, spectata saltem ratione, probabiliter omnino sustineri, quod legitimatus per subsequens Matrimonium in Majoratu, & Juribus Primogenituræ præferendus sit etiam iis fratribus, qui post ipsum quidem, sed ante tamen nati sunt, quam pater eorum cum matre legitimati contraheret Matrimonium. Atque hanc sententiam sustinent Felin. *in cap. prudentiam col.* 3. *de Offic. Deleg.* Covar. *p.* 2. *de sponsal. cap.* 8. §. 2. *num.* 35. Pont. *num.* 9. *cit.* Canis. *in cap. tanta* 6. *hoc tit. n.* 3. Vviest. *hic num.* 53. *Excipiendi* tamen sunt duo casus. *Unus* est, quo res non amplius esset integra, quod legitimè natus ex cessione Patris ante legitimationem naturalis prius nati jam possessionem Primogenituræ, vel Majoratus ceperit; hoc enim casu locus esset; *arg. l. quoties cit.* ut rectè advertit Prænob. D. de Bassis *Decis. Justin. decis.* 41. *num.* 7. *in fin.* & cum eo P. Vviest. *hic n.* 53. *Alter est*, quando ut *n.* 86. monui, Majoratus fundator per subsequens matrimonium legitimatos excluderet, & ipsis legitimè natos præferri vellet; cum enim in ipsius potestate sit ad successionem vocare, quos vult, etiam legitime natos legitimatis per subsequens matrimonium præferre potest. 90

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. negatur, quod legitime nato tali casu jus prælationis absolute quæsitum sit, sed dicendum, quod eidem solum quæsita sit spes ejusdem sub conditione, nisi prius natus, inito inter parentes Matrimonio, spem illam elidat, & jus prælationis acquirat. *Ad* 2. quando actus aliquis ad tempus anterius à Jure retrotrahitur, retrotractio illa cum omnibus qualitatibus fieri solet *arg. l. potior* 11. *ff. qui potior. in pign.* igitur retrotracto in casu præsenti matrimonio ad tempus, quo legitimatus natus est, iste quoad omnia habebitur pro eo, quasi eo tempore fuisset legitime natus; si autem eo tempore legitime fuisset natus, habuisset prælationem; ergo &c. *Ad* 3. neque prima uxor hoc casu decipitur, nec filiis ejusdem infertur injuria: uxor non decipitur, quia sibi imputare debet, quod proli suæ jura primogenituræ per pacta Nuptialia non confirmarit; proli autem injuria non infertur, quia jus primogenituræ ipsi, ut dictum est, non absolute competit: & si absolute competeret, auferretur ex dispositione Juris, à quo nemini infertur injuria. 91

§. III.

De Legitimatis Rescripto Principis:

SUMMARIUM.

92 *Illegitimi Jura Legitimorum etiam possunt consequi Rescripto Principis.*
93 *&c. Differentia inter Legitimationem per Rescriptum, & per Matrimonium subsequens.*
99 *&c. Effectus Legitimationis per Rescriptum.*
103 *Item legitimare Iure communi potest solus Princeps.*
104 *Episcopus legitimare potest ad minores Ordines, & Beneficia Simplicia.*
105 *Electores, Principes, & cæteri Status Imperii legitimant ex observantia hodierna.*
106 *Comites Palatini, & Legati Sedis Apostolicæ ex privilegio.*
107 *Potestas horum est strictæ interpretationis.*
108 *Comites Palatini non possunt legitimare illegitimos Nobilium, & multo minus illustrium personarum.*

109 *A principe Sæculari facta legitimatio non prodest in Ecclesiasticis.*
110 111 *Papa in terris Dominio suo temporali subjectis legitimare potest etiam ad temporalia, in aliis ad Ecclesiastica tantum.*
112 113 *Casus, quibus legitimare Papa etiam potest ad temporalia.*
114 *&c. Quando Papa dispensare possit in radice Matrimonii?*
124 *&c. Quid requiratur, ut legitimari aliquis per Rescriptum possit?*
129 *&c. Quid exprimi debeat, ut validum sit Legitimationis Rescriptum?*
133 *Quid dicendum de modo legitimandi per Oblationem Curiæ?*

92 QUæritur 1. quam vim in ordine ad legitimationem habeat Rescriptum Principis, & quomodo legitimatio ista differat ab ea, quæ fit per subsequens Matrimonium? Resp. quoad hoc Regula est ab omnibus DD. recepta, quod Rescripto Principis illegitime geniti Jura legitimorum consequi, & restitui natalibus possint. Patet ex *c. per venerabilem* 13. *pr. hoc tit. & Novell.* 89. *cap.* 9. ibi, *Per nostrum Rescriptum.* Ratio est, quia illegitimitas solum est incapacitas quædam ad SS. Ordines, Beneficia, Officia, successionem &c. Jure humano introducta; igitur ab eo, qui Juris conditor est, auferri potest.

93 Differt autem Legitimatio hæc ab ea, quæ per Matrimonium fit, multipliciter. Nam 1. per Matrimonium legitimantur soli naturales; Rescripto Principis legitimari possunt etiam Spurii, & ex damnato coitu procreati. Azor *p.* 2. *l.* 2. *c.* 14. *pr.* Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 4. *n.* 2. Pirhing *hic ante n.* 39. Vviestner *ibid. n.* 57. & comprobat hoc etiam usus Germaniæ nostræ, dum passim Spurii, & ex damnata conjunctione nati legitimantur, dari que facultas hæc legitimandi tales ab Imperatore solet ipsis quoque Comitibus Palatinis, teste Stryk. *Us. Modern. Pandect. ad tit. de his, qui sui, vel alien. Jur.* §. 15.

94 2 Legitimati per Matrimonium per omnia æquiparantur Legitime natis, & etiam legitime nati vocari possunt, comprehenduntur que in Statutis requirentibus, ut aliquis sit legitime natus; nam ab ipsis per Matrimonium subsequens omnes inhabilitates tam Civiles, quam Canonicæ tolluntur ex integro. *Contra* per Rescriptum Principis solum tolluntur inhabilitates illo Jure proditæ, cujus est author Princeps per Rescriptum legitimans: & sic si Rescripto Principis Ecclesiastici filius legitimetur, ejus legitimatio non extenditur ad inhabilitates Jure Civili introductas; & vicissim si Rescripto Principis sæcularis fiat legitimatio, nequaquam ad inhabilitates Jure Pontificio introductas, extenditur; & ratio est, quia non potest extendi ad id, quod est extra ejus potestatem. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. §. *n.* 15. Palao *num.* 2. *cit.* Vviestner *n.* 58.

95 3 Per Matrimonium subsequens legitimatus omnia prorsus Jura legitimorum, præter capacitatem ad S. R. E. Cardinalatum, consequitur juxta dicta *num.* 83. per Rescriptum legitimati, nisi aliud exprimatur, censentur solum habilitati ad ea, quæ non cedunt in præjudicium legitime natorum: & hinc per se solum istis deficientibus, fieri solet; nam Rescripta Principis generaliter ita intelligi debent, ut aliorum Jura non lædant. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tract.* 4. *num.* 138. Konig *hic num.* 42. Vviestner *ibid. num.* 59.

96 4 Quod ex priore sequitur, per Matrimonium legitimatus succedit etiam in feudo, Majoratu, & aliis similibus Juribus, ut dictum est *num.* 84. & 86. per Rescriptum legitimatus in his non succedit, si potestate Principis ordinaria legitimatus sit: secus, si absoluta; nam hac si uti velit, potestatem succedendi in feudo tribuere Princeps etiam Spurio à se legitimato potest. Ne tamen ejusmodi Rescriptum evadat Subreptitium, necesse est, ut addatur Clausula derogatoria v. g. *de gratia speciali, de plenitudine potestatis, non obstantibus quibuscunque Juribus*, vel alia similis. Covar. *c.* 8. *cit.* §. 9. *n.* 7. Canis. *in c. tanta* 6. *hoc tit. n.* 9. & 11. *fin.* Engl *hic n.* 14. Konig *n.* 42. Vviestner *n.* 61.

97 5 Legitimatio facta per Matrimonium non revocatur per nativitatem filiorum legitimorum, sed vim habet, & retinet, etiam istis supervenientibus. Contra si pater, antequam filios haberet legitimos, obtinuit Rescriptum Principis pro legitimatione filii naturalis, nativitate filiorum legitimorum quoad successionem paternam videtur revocata legitimatio; quia censetur sub hac conditione concessa, ne filiis legitimis præjudicium fiat: nam ea de causa, stantibus filiis legitimis, legitimatio pro filio naturali, nisi illorum mentio facta sit, communiter pro subreptitia habetur; quia non præsumitur Princeps velle præjudicare filiis legitimis, nisi hoc exprimat. *Conf.* nativitate filiorum donatio à patre facta extraneo revocatur; ergo etiam revocari debet beneficium legitimationis, cum & ipsa sit quædam donatio, à Principe cum Patris consensu facta. Addidi *quoad successionem paternam*; nam quoad honores, & dignitates patris, item quoad successionem agnatorum, & cognatorum non revocatur, ut cum *Anton. Gomez, Matienzo*, & aliis notat Palao *loc. cit. num.* 5. *cit.* Imo etiam quoad successionem paternam firma manet, si concessa sit à Principe sub hac conditione expressa, ut firma maneat, tametsi legitimi nascantur; quia in ejus potestate est conditiones à se inductas pro legitimatione facienda abrogare, & legitimas filiorum diminuere. Palao *n.* 6. pro se allegans *Greg. Lop. Emm. à Costa, Anton. Gomez, Matienzo, Molin.*

6 Denique per Matrimonium legitimantur illegitimi, 98
extantibus etiam, & contradicentibus liberis legitime natis, ipsoque legitimando, ut dictum est *supra n.* 73. & *seqq.* Contra, ut legitimentur per Rescriptum Principis, requiritur, ut tam pater, quam filii legitimandi, & secundum quorundam opinionem, de quo *infra n.* 126. alii filii legitimi, si extent, consentiant.

Quæritur 2. quis sit effectus Legitimationis facta 99
per Rescriptum Principis? Resp. in hoc pro Regula est, Legitimationem illos duntaxat effectus inducere, ad quos se potestas Legitimandi extendit. Et hinc siquis legitimatus sit per Rescriptum Summi Pontificis, habilis per illud fit in ordine ad Officia, honores, beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas quascunque, nisi ubi de Jure, vel Statuto speciali requiritur aliquem esse legitime natum: neque opus est, ut si plura beneficia obtineat, illegitimitatis habitæ mentionem faciat; quia hæc jam est sublata beneficio Principis. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 8. §. 8. *num.* 5. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 173. *n.* 35. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 4. *num.* 9. Addidi, *nisi ubi de Jure, vel Statuto speciali requiritur, aliquem esse legitime natum*; nam hæc observari debent, si extent: & hinc juxta Statuta particularia hodie talis legitimatus à Canonicatibus Germaniæ repellitur, & Jure communi ad Episcopatum admitti non potest propter textum *c. cum in cunctis* 7. *pr. de Elect.* ibi, *De legitimo Matrimonio sit natus.* Similiter non recipitur ad Prætorium Rotæ Romanæ, ut refert Ludov. Gomez *ad Regul. Cancell. de possessor. triennal. quæst.* 2. atque ex hac causa Philippus Decius, tametsi à Rom. Pont. hoc munus ei delatum esset, ab eodem Prætorio rejectus est. Konig *hic num.* 41.

Quodsi legitimatio facta sit Rescripto Principis sæcula- 100
ris, ita legitimatus 1. instar legitimi habilitatur ad Officia, & Dignitates Sæculares, nisi speciali statuto, vel consuetudine obtentum sit, ut ad Officium hujusmodi, vel Dignitatem, requiratur, eum, qui illa obtinet legitimè natum esse: & hac de causa ejusmodi legitimatus nec Assessoris officio in Camera Imperiali, nec Consiliarii Principis munere defungi, aut Doctoris titulo decorati potest. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 31. Konig *nu.* 42. *cit.* Reiffenstuel *n.* 59.

2 Legitimatus Rescripto Principis Sæcularis, defi- 101
cientibus filiis legitimis, succedit in bonis parentis, & aliorum consanguineorum, potestque agere querela inofficiosi Testamenti, in quo exhæredatur, & dicere esse nullum Testamentum, in quo præteritur, eo modo acsi legitimus esset. *Novell.* 89. *cap.* 3. & 8. Covar. §. 8. *cit. num.* 2. Molin. *n.* 24. Palao *num.* 3. cum aliis. Neque obstat *cit. Novell. cap.* 4. ubi Legitimatus dicitur *ipsi soli genitori legitimus* esse; nam textus ille duntaxat loquitur de Legitimato per Oblationem Curiæ, prout constat ex illis verbis, *Per hujusmodi causam*, quibus *cap.* 4. *cit.* connectitur cum *cap.* 3. *præc.* ubi solum sermo erat de Legitimato per oblationem Curiæ. Dixi, *deficientibus filiis legitimis*; nam his existentibus, & contra-

contradicentibus jus succedendi in bonis paternis regulariter sic legitimato per Rescriptum non acquiritur, ut dictum est *n.* 95. nisi expresse hoc concedatur cum clausula derogatoria. Potest etiam legitimatio per Rescriptum ita concedi, ut solum succedere sic legitimatus possit in eo, quod pater ei reliquerit; & tunc si prætereatur à patre, conqueri de præteritione non poterit, quod jus succedendi tantum conditionatum hujusmodi Legitimatione acquisiverit. Palao §. 4. *cit. n.* 3. *fin.*

102 3 Legitimatus Rescripto Principis in patriam potestatem transit, sicut filius legitimus, si tamen legitimationi consenserit, ut habetur *Novell. cit. c.* 11. ubi limitationi istius rationem addit Imperator, quod *si solvere jus patriæ potestatis invitis filiis non est permissum patribus, multo magis in potestatem redigere invitum filium, & nolentem --- justum non sit.*

103 Quæritur 3. quinam possint legitimare Rescripto suo? Resp. potestas hæc per se, & Jure communi competit soli Principi. Abb. *in c. per venerabilem* 13. *hoc tit. n.* 23. Bald. *in l.* 1. *pr. Cod. de Jur. aureor. anul.* Azor *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 14. *quæst.* 5. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 173. *n.* 7. Pont. *l.* 11. *de Matr. c.* 5. *n.* 1. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 5. *n.* 1. Vviestner *hic n.* 55. Ratio est, quia huic soli competit potestas Jus à se, vel prædecessoribus suis constitutum abrogandi, vel ei derogandi. *Principis* autem nomine hic venit Princeps supremus tantum, qualis est in Ecclesiasticis Papa tantum, in Civilibus Imperator, Rex, vel alius Superiorem non recognoscens, Zoes. *hic nu.* 29. *vers. legitimandi*, Konig *hic n.* 32. Reiffenst. *ibid. n.* 52.

104 Dixi, *per se, & Jure communi*; nam Jure speciali etiam aliis potestas hæc competit. Et 1. quidem Episcopo, ac Capitulo, Sede vacante, quoad Ordines minores, & Beneficia Simplicia, ut dictum est *Lib.* 1. *Tit.* 17. *num.* 12. Quo casu tamen proprie non fit Legitimatio, cum vitium natalium quoad potissimos effectus adhuc maneat; sed potius Episcopus eo casu dispensat relaxando Jus, ut vitium natalium ad Ordinum minorum susceptionem, & Beneficii simplicis acquisitionem non obsit. Abb. *in c.* 13. *cit. n.* 23. Molin. *n.* 7. Palao *n.* 1. *vers. inferioribus*, Pirhing *hic n.* 44. Vviestner *n.* 56. Reiffenst. *n.* 48.

105 2 Electores, Principes, & Status Imperii cæteri, ex observantia hodierna, quæ sicut alias sæpè, ita etiam hic deflectit à Jure communi. Videatur Myler. ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imper. part.* 2. *cap.* 54. Laym. *l.* 2. *Jur. Publ. c.* 8. *n.* 142. Stryk *Us. mod. Pandect. ad Tit. de his, qui sui, vel alien. Jur.* §. 14. Konig *hic n.* 34. *vers. porro*, Reiffenstuel *ibid. n.* 53.

106 3 Comites Palatini, & Sedis Apostolicæ Legati, qui legitimare, & natalibus restituere illegitimos possunt privilegio à Principe sibi concesso, sed limitate ad tenorem Rescripti, quo potestas hæc ipsis data est: unde si limites hujus sui mandati excedant, ab ipsis acta nullius momenti sunt *c. dilecta.* 22. *de Rescript. l. diligenter* 5. *ff. mandat.* Pont. *c.* 5. *cit. n.* 16. Palao *n.* 2. Canis. *in cap.* 13. *hoc tit. n.* 12. Honor. *hic num.* 37. Vviest. *ibid. num.* 56.

107 *Atque hinc sequitur* 1. eum, cui potestas legitimandi concessa est simpliciter, non posse legitimare ad feuda, & majoratus; quia ex ea potestate solum potest legitimare simpliciter, sed simpliciter legitimatus Rescripto Principis non fit propterea aptus ad Majoratus, & feuda, ut teste Palao *n.* 3. tenet communis sententia. Simili modo simpliciter potens legitimare, non potest legitimare, stantibus filiis legitimis; sed ut hoc quis possit, opus est, ut id clare exprimatur, saltem sub clausula generali, qua concedatur plena, & libera potestas legitimandi. Pont. *l.* 11. *de Matr. c.* 5. *fin.* quia neque Princeps, dum simpliciter legitimat Rescripto suo, censetur legitimare cum præjudicio legitimorum.

108 2 Comites Palatini non possunt legitimare illegitimos Nobilium, nisi specialiter hoc eis concessum fuerit: & si etiam concessa sit facultas legitimandi Nobiles, ea ad Baronum, Comitum, aliarumque personarum Illustrium filios legitimandos non porrigitur. Nolden *de Stat. Nobilit. c.* 16. *th.* 15. nam prout Diploma super concessis Comitivis testantur, S. C. Majestas hanc potestatem sibi soli reservat, eamque expedit per judicium suum Aulicum, cui supplicantes preces suas offerre debent, & hoc deinde S. C. Majestati referri curat, atque demum id quod S. C. Majestas desuper decrevit, per Cancellariam Imperialem expediri facit. *Capitul. Leopold. art.* 44. Konig *hic n.* 34. Reiffenst. *n.* 57.

3 Legitimatio per Rescriptum Principis Sæcularis, 109
vel Comitis Palatini non habet effectum in foro Ecclesiastico, ut v. g. talis legitimatus possit suscipere Ordines. Abb. *in c.* 13. *hoc tit. n.* 26. Imo, ut teste Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 28. non pauci DD. volunt, Legitimatio ab uno Principe facta non habet effectum in territorio alterius Principis, adeo, ut v. g. legitimatus ab Imperatore non succedat in bonis in Papali territorio sitis.

Quæritur 4. An Papa naturales, & spurios legitimare possit ad Successionem hæreditariam, honores, 110
dignitates, & munera mere temporalia? Resp. distinguendo: nam in terris dominio suo temporali immediate subjectis potest? non potest in terris quoad temporalia subjectis alii Principi, vel Reip. regulariter loquendo. Ita Abb. *in c.* 13. *hoc tit. n.* 15. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 8. *n.* 43. Pont. *l.* 11. *de Matr. c.* 5. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 16. Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 7. *num.* 1. Canis. *in c.* 13. *cit. n.* 5. Barbos. *ibid. n.* 1. Gonzal. *num.* 19. Vallens. *hic n.* 4. Zoes. *n.* 25. Honor. *n.* 32. Pirhing. *num.* 41. & 43. Schambog. *n.* 18. Konig *num.* 33. Vviestner *n.* 63.

Ratio primæ partis est, quia Pontifex in territorio, 111
Jurisdictioni suæ temporali immediate subjecto fungitur authoritate Principis supremi *c. per venerabilem* 13. *vers. idem autem hoc tit.* igitur sicut alius Supremus Princeps illegitimos Rescripto suo habilitare potest ad successionem, dignitates, & munera, ita etiam Papa in territorio, subjecto Jurisdictioni suæ temporali.

Ratio secundæ partis; quia inhabilitas ad successionem &c. ex defectu natalium nata fere provenit ex dispositione Juris Civilis; atqui Pontifex Jus Civile, quando peccatum non nutrit, nec Ecclesiæ gubernationi, vel aliis bonis Spiritualibus adversatur, abrogare, mutare, vel relaxare nequit *arg. can. cum ad verum* 5. *dist.* 96. *per venerabilem cit. vers. nam si.* ergo &c.

Dixi *Regulariter loquendo*; quia non desunt casus, 112
quibus Pontifex illegitimos legitimare ad hujusmodi effectus etiam extra territorium, temporali dominio suo subjectum, potest. Et quidem 1. quando dubium est de valore Matrimonii; nam si hoc casu Papa legitimum pronuntiaverit Matrimonium, proles illa omnino legitima est ratione Matrimonii quoad utramque Jurisdictionem. Ant. de Butr. *in c. per venerabilem cit. n.* 10. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 8. *n.* 41. Gonzal. *in c. cit. n.* 25. Vviestner *hic n.* 64. & sumitur ex *c. quod nobis* 9. *& cap. per venerabilem cit.* ubi Papa ad Regis Franciæ filios natalibus restituendos ejusmodi dubio permotus fuit.

2 Quando ejusmodi Legitimationem exposcit causa 113
gravis necessitatis alicujus Regni, vel Provinciæ, quia v. g. alias exponeretur periculo Religionis pervertendæ, aut alterius boni Spiritualis amittendi. Abb. *in c. per venerabilem cit. n.* 25. Covar. §. 8. *cit. num.* 45. Molin. *D.* 173. *num.* 14. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 7. *num.* 1. Pont. *l.* 11. *cap.* 5. *n.* 6. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *part.* 1. §. 5. *n.* 4. Zoes. *hic num.* 25. Vviestner *n.* 65. Reiffenstuel *n.* 50. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Matr. c.* 3. *num.* 94. Colligitur ex *cap. cit. V. quod autem*, sicque habet Ecclesiæ praxis. *Ratio est*, quia Papa vi generalis potestatis à Deo acceptæ potest omnia, quæ ad gubernandam Ecclesiam, & Religionis, ac Justitiæ Christianæ bonum in ea conservandum necessaria vel admodum utilia sunt, ut alibi sæpe diximus.

Quæritur 5. An eosdem illegitimos, temporali suæ 114
Iurisdictioni non subjectos, ad successionem &c. legitimare Pontifex possit dispensando in radice Matrimonii, auferendo sc. impedimentum pro illo tempore, pro quo natalibus eorum legitimis obstitit? *Certum est* 1. si inter parentes talis illegitimi nullum, & ne fictum quidem contractum fuit Matrimonium, non posse illum à Pontifice legitimum reddi ad temporalia; quia cessante Matrimonio, cessat radix, ex qua legitimatio ortum habere potest, essetque legitimatio hæc directa ad temporalia, quæ Pontifici secundum dicta *n.* 110. concessa non est.

Certum est 2. si Matrimonium, inter parentes talis 115
ille-

illegitimi contractum, nullum fuit Iure naturali, vel Divino, quia v. g. consensus defuit, vel contrahentes laborabant Impedimento Ligaminis, non posse illum à Pontifice legitimari dispensando in radice Matrimonii, ut rectè Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 7. *n.* 4. Pont. *l.* 11. *cap.* 5. *n.* 8. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 5. *n.* 6. Pirh. *hic n.* 43. *coroll.* 2. Vviest. *ibid. n.* 68. Ratio est, quia naturalis, & Divini Juris est Impedimenta tollere, ac proinde conjugium ad effectum legitimationis cohonestare Papa nequit. Quod intellige cum Sanch. *n.* 10. quando Impedimentum est certum; secus, si dubium est; quia in dubio non est spoliandus Pontifex possessione potestatis, quam habet ad dispensandum.

116 *Certum est* 3. illegitimos Spurios per subsequens Matrimonium legitimari posse, si id Pontifex concedat; sicut enim Pontifex illegitimos naturales legitimos reddit per Matrimonium subsequens, ita poterat illegitimos Spurios; quod autem per Legem statui poterat, potest etiam pro casu aliquo speciali decerni. Pont. *cap.* 5. *cit. num.* 1. Palao *num.* 6. qui tamen addit, non esse credendum id fieri, nisi clare constet, cum sit derogatio Juris communis statuti *c. tanta* 6. *hoc tit.*

117 *Dubium est*, quando contractum est Matrimonium defacto inter parentes illegitimi, affectu quidem conjugali, sed nulliter ob Impedimentum dirimens Juris tantum Ecclesiastici, an eo casu Pontifex dispensando in radice Matrimonii sic contracti, legitimare possit prolem ex eo susceptam, ita, ut impedimento pro tempore, quo Matrimonium illud celebratum est, sublato, Matrimonium pro legitime inito habeatur, & proles ex eo suscepta evadat legitima, & habilis ad effectus tam Canonicos, quam Civiles, acsi ex legitimo Matrimonio suscepta esset?

118 Negant Anr. de Butrio *in c. per venerabilem* 13. *hoc tit. n.* 10. Navar. *Cons.* 2. *hoc tit.* Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 624. *n.* 3. Conink *D.* 33. *de Matr. dub.* 4. *n.* 41. Perez *de Matr. D.* 44. *sect.* 5. *n.* 9. 1. Quia ut Navar. *loc. cit.* refert, ejusmodi legitimatio à Gregorio XIII. petita, & ab eodem denegata est cum addito, se dispensare non posse. 2. Quia Papa non potest facere, ut Matrimonium quod fuit nullum, tale non fuerit, & conf. ut legitime nata sit proles, quæ ex reprobato concubitu est procreata. 3. Si absque ullo Matrimonio ex copula fornicaria talis proles prognata esset, non posset illam Pontifex legitimam reddere ad temporalia, ut dictum est *n.* 114. ergo nec poterit, cum Matrimonium irritum est; quia esse irritum Matrimonium, ac non esse Matrimonium pro eodem reputari debet.

119 *Sed dicendum*, posseà Pontifice prolem susceptam ex Matrimonio, quod Jure tantum Ecclesiastico invalidum fuit, etiam ad Successionem hæreditariam, & alios similes effectus legitimari dispensando in radice ejusdem. Ita Abb. *in c.* 13. *hoc tit. n.* 21. Joan. Andr. *ibid. n.* 30. Alex. de Nevo *n.* 18. Sylv. *V. Papa q.* 18. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 8. *n.* 20. Garc. *de benef. p.* 7. *c.* 2. *n.* 41. & 42. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 7. *n.* 4. Guttier. *de Matr. c.* 84. *n.* 20. Pont. *l.* 11. *c.* 5. *n.* 9. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 5. *n.* 8. Barb. *in c.* 13. *cit. num.* 4. Gonzal. *ibid. n.* 22. Honor. *hic n.* 22. Pirh. *num.* 42. Schamb. *n.* 18. Konig *n.* 33. Vviest. *n.* 69. Reiffenst. *n.* 51. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 3. *n.* 96. & allegatur pro hac sententia authoritas *Curiæ Granat. & Rot. Rom.* relatæ à Farin. *p.* 2. *decis.* 687. *n.* 8.

120 *Ratio est*, quia quod proles tali casu illegitima sit, tantum oritur ex Lege Ecclesiastica, qua conjugia, cum ejusmodi Impedimento contracta, irritantur; atqui Pontifex, utpote Superior omni Lege Ecclesiastica, ut Legem ipsam, ita etiam effectus Legis tollere, & abrogare potest, perinde, acsi nunquam fuisset; ergo etiam poterit tollere, vel dispensare in Lege, qua illegitimitas ex tali Matrimonio est inducta, & hac sua dispensatione facere, ut quoad Ordines, Beneficia, Successionem &c. respectu certarum personarum ita se habeat, acsi nunquam eosdem affecisset: hoc autem si fiat, proles, ex tali Matrimonio procreata, habenda erit pro legitima, utpote sublata ea inhabilitate, quam Lex induxit; ergo &c.

121 *Proceditque hoc* 1. non tantum casu, quo parentes talis prolis adhuc vivunt, sed etiam quando mortui sunt, ut bene *loc. cit.* Sanch. *n.* 6. Pont. *n.* 10. Palao *n.* 9. Barb. *n.* 6. Gonzal. *n.* 23. Honor. *n.* 25. Vviest. *n.* 20. & rationem dant; quia legitimatio per dispensationem in radice Matrimonii consistit non tam in abolitione Impedimenti, ut Matrimonium ineatur, quam in revocatione Legis Ecclesiasticæ quoad vim irritandi Matrimonium, & reddendi prolem illegitimam.

Procedit 2. ut valida sit hæc legitimatio, etsi in aliorum cedat præjudicium; quia præjudicium aliis proveniens impedire non potest facultatem Pontifici. Palao *n.* 10. cum *Sanch. Pontio*. Debet tamen ad ita dispensandum Pontifex moveri justa causa, quia sine hac Juri alteri, vel aliis quæsito præjudicare non potest; & hinc stante præjudicio tertii, nunquam censendus est legitimationem istam concedere, nisi clare id exprimat. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 7. *n.* 6. *fin.* Guttier. *de matr. c.* 74. *n.* 16. Palao *loc. cit. n.* 10. Ita autem censendus esset dispensare, quando ita dispensat, ut Matrimonium, ex quo genita est proles illegitimet, & approbet ex tunc, i. e. ab eo tempore, quo genita fuit; quia tunc haberi tale Matrimonium debebit pro legitimo, conf. etiam proles ex eo suscepta. 122

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. de responso illo Gregorii non satis constat; & si constaret, intelligendum esset, id Pontificem non posse, quando Dispensationis ejusmodi justam causam non habet. *Ad* 2. Papa sic dispensando non facit, ut Matrimonium reipsa non fuit nulliter contractum, sed tantum revocat, & tollit damna, ex Jure Ecclesiastico profecta, & prolem restituit in statum, in quo fuisset, si Lex Ecclesiastica Matrimonium irritans tempore Matrimonii contracti non fuisset. Gonzal. *loc. cit. n.* 22. *fin. Ad* 3. negatur paritas; quia prolis, ex fornicatione susceptæ, inhabilitas principaliter oritur ex Jure Civili, quod relaxare Papa regulariter nequit; contra ita dispensando in radice Matrimonii exercet Jurisdictionem suam directe, & immediate circa materiam Juris proprii, tollendo sc. impedimentum, Iure Ecclesiastico introductum. *Neque obstat*, quod dispensatione hac facta, sequatur habilitas ad effectus Juris Civilis; nam hoc tantum fit mediate, & consecutive, semperque contingit, quando Pontifex dispensat in aliquo impedimento dirimente ad Matrimonium contrahendum; nam sic dispensatorum parentum proles dein suscepta efficitur habilis ad omnes effectus etiam Iuris Civilis, ad quos, si dispensatio data non fuisset, fuisset inhabilis. 123

Quæritur 6. Quid requiratur, ut legitimari aliquis per Rescriptum Principis possit? Resp. 1. Requiritur, ut filius legitimandus sit subditus legitimantis, tum ob textum *c. per venerabilem* 13. *hoc tit.* tum quia legitimatio est actus Iurisdictionis, saltem voluntariæ, qui non nisi in subditum exerceri potest *toto Tit. C si non a compet. Iudic.* Hinc Princeps subditum alterius, nec quoad bona, quæ sunt in territorio suo etiam patre consentiente, legitimare potest. Abb. *in c. per venerabilem cit. n.* 23. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 8. *n.* 43. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 58. *pr.* Pont. *l.* 11. *de matr. c.* 6. *n.* 2. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 6. *n.* 3. cum aliis. Potest tamen legitimare proprium suum filium, ut videtur innuere Pontifex *c. per venerabilem cit.* & facit *l. siquis* 3. *Cod. de natural. liber.* ibi, *Indignum enim est, ut qui sacratissimæ Urbis ubere gloriatur, naturales suos non illustris ordine Civitatis illuminet.* 124

2 Ut per subsequens Matrimonium legitimari non possit, forte quia mulier, ex qua filium legitimandum suscepit, est mortua, aut cum honore duci non potest; si enim per subsequens Matrimonium legitimari possit, non est locus legitimationi per Rescriptum Principis. *Novell.* 74. *c.* 1. & *Novell.* 89. *c.* 9. propterea, quia legitimatio per Rescriptum est remedium extraordinarium, quod cessat, suppetente ordinario *l. in causa* 16. *princ. ff. de minor.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 9. *n.* 6. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 173. *n.* 22. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 7. *n.* 1. Reiffenst. *hic n.* 63. Procedit autem hoc regulariter; nam absolute loquendo potest Princeps ex plenitudine potestatis illegitimum elevare ad statum legitimorum, licet concubina in uxorem duci possit; sed non intelligitur id voluisse facere, nisi supplicans in supplicatione, & Princeps in Rescripto expresserit. Mynsing. *cent.* 1. *obs.* 15. Zoes. *hic n.* 27. Honor. *num.* 39. Konig *n.* 38. Reiffenst. *n.* 6. 125

3 Ut nulli adsint liberi legitimi; quia spectata ordinaria potestate non censetur Princeps cum præjudicio legitimorum velle legitimationem concedere. *Novell.* 74. *c.* 1. & 2. Excipit Pont. *l.* 11. *de Matr. c.* 7. *n.* 3. si liberi legitimi consentirent; tunc enim cessaret eorum præjudicium, 126

dicium, de quo tamen Palao *loc. cit. num.* 2. dubitat. Quidquid sit, & ex quocunque capite requiratur consensus Liberorum Legitimorum, Agnatorum tamen, & Cognatorum alias ab intestato succedentium consensus non requiritur; tum quia nulla lex consensum istum requirit; tum quia agnati, & cognati nondum habent jus aliquod, sed tantum spem ad bona, eamque remotam, cum eos pater, etiam sine liberis decedens, non teneatur instituere. *Proceditque* hoc non tantum vivente patre, sed etiam illo mortuo, si tamen in morte petierit legitimationem filii sui illegitimi, & sub conditione illa ipsum instituerit hæredem; nam tunc si Princeps voluntati parentis defuncti annuerit, legitimando filium, iste cæteros Agnatos, Cognatosque excludet. Ita post *Bartolum* Covar. §. *9. cit. num.* 7. Molin. *D.* 174. *n.* 4. Palao *n.* 3.

127 4 Ut vel pater libello supplici legitimationem à Principe exoret, vel filius post mortem patris producto testamento, quo, ut legitimaretur filius, pater desideravit. *Novell.* 74. *cap.* 2. §. 1. *Novell.* 89. *cap.* 9. §. 1. *& cap.* 10. Potest tamen Princeps, & motibus hodiernis solet, absoluta potestate, ad solam instantiam Liberorum illos legitimare, ita tamen, ut legitimationis effectus solum restringatur ad legitimatum, nec extendatur in patris, aliorumque præjudicium. Stryck. *Us. modern. Pandect. tit. de his, qui sui, vel alien. Jur.* §. 18. Zoes. *hic num.* 28. Reiffenst. *ibid. n.* 64.

128 Ut ipse legitimandus consentiat; quia invitis beneficium legitimationis non confertur. *Novell.* 89. *c.* 11. Sufficit tamen tacitus consensus, & quod non contradicat, aut ex post facto legitimationem ratificet; & hinc etiam infans legitimari potest, ut bene Zoes. *hic nu.* 26. Pithing *n.* 46. Konig *n.* 40. Reiffenst. *n.* 61.

129 Quæritur 7. Quid exprimi debeat, ut validum sit Legitimationis Rescriptum? Resp. Exprimi debet 1. an filius naturalis, cujus legitimatio petitur, sine dedecore patris legitimati possit per subsequens Matrimonium; nam si hoc possit, ut *n.* 125. dictum est, legitimatio per Rescriptum regulariter non conceditur.

130 2 Exprimi debet, an adsint Liberi legitimi; quia, ut patet ex dictis *n.* 126. his existentibus, & contradicentibus, Princeps regulariter non legitimat. Imo moris est inseri legitimationibus per Summum Pont. vel Principem clausulam, ut ita legitimati succedant Patri, matri, & aliis, ita demum si proximi ex Cognatione consenserint, sine præjudicio venientium ab intestato, quam inseri debere testatur Felin. *in c. cum olim n.* 17. *de sent. & re judic.*

131 3 Explicari debet qualitas illegitimitatis, non solum in genere, sed etiam in specie, an scilicet legitimandus sit naturalis, an spurius; & si spurius, an ex incestu, sacrilegio, adulterio, vel ex omnibus simul; Si ex incestu, explicari debet, ex quo incestu legitimandus sit natus, an ex incestu cum matre, cum sorore, filia, nuru &c. Si ex sacrilegio, an ex Sacerdote, Religioso, Moniali, vel utrinque simul. Si ex adulterio, an illud sit geminatum, vel simplex. Abb. *in cap. per venerabilem* 13. *hoc tit. num.* 27. Molin. *tract.* 2. *D.* 173. *num.* 28. Palao *tr.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 7. *n.* 14. Pith. *hic n.* 45. Konig *n.* 35. *fin.* Wiest. *n.* 73.

132 4 Requiritur causa ad concedendam legitimationem, ut multis relatis probat Molin. ICtus *de Primogen. lib.* 3. *cap.* 3. *fere per totum*, & ex eo notat Palao *loc. cit. n.* 16. cum enim Princeps legitimationem concedens, Jura, Legesque à se statutas relaxet, aliisque præjudicet, nequit absque causa hanc concedere; alias non esset administrator, sed dissipator.

133 Superesset pro complemento istius Rubricæ aliquid dicendum de Legitimatione *per Oblationem Curiæ*, qua pater Liberos suos naturales, aut defuncto patre ipsimet Liberi seipsos offerebant Curiæ, seu Ordini Decurionum §. *fin. Inst. de Nupt. l. si quis* 3. *de Natural. Liber. & Novell.* 89. *cap.* 2. Sed quia ex concordi Jurisperitorum sententia hic modus legitimandi hodie penitus exolevit, hinc diutius eidem inhærere supervacaneum est. Id solum addo, quod ex Stryck. *Us. mod. Pandect. ad Tit. de his, qui sui, vel alien. Jur.* §. 19. monet Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matrim. cap.* 3. *num.* 104. si hodiedum filius spurius à Principe id sciente in Senatorem reciperetur, eum tacitè legitimatum credendum; cum enim ad Senatum alii, quam Legitimi non admittantur, Princeps, qui voluit consequens, etiam antecedens voluisse præsumitur.

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.

SUMMARIUM.

1 *Causæ Matrimoniales definiri debent authoritate Judicis.*
2 *Et quidem Ecclesiastici.*
3 *Licet sit causa incidens.*
4 *Aut de Sponsalibus.*
5 *Vel summarie tractanda tantum.*
6 *Quæ causæ nomine Matrimonialium hic veniant?*
7 *Judex Sæcularis cognoscit de causa Dotis, Donationis propter nuptias &c.*
8 *Et quando est quæstio mere facti.*
9 *De causis proprie Matrimonialibus Jure ordinario Episcopus.*
10 *Capitulum Sede vacante, Vicarius utriusque Generalis, & alii Prælati, qui Jurisdictionem Episcopalem in certo territorio habent.*
11 *Jure extraordinario competere cognitio eorum potest privilegio, Delegatione, & consuetudine.*
12 *Matrimonium contrahendum accusare quilibet potest, qui notitiam Impedimenti habet.*
13 *Contractum solus innocens conjux, sive agatur ex causa adulterii ad separationem quoad habitationem, & thorum.*
14 *Sive ad dissolutionem vinculi ob Impotentiam.*
15 *Vel defectum consensus.*
16 *Ob Consanguinitatem, Affinitatem, publicam Honestatem ad accusandum Matrimonium præ cæteris admittuntur parentes, & consanguinei.*
17 *Ex causa alterius Impedimenti quicunque de populo.*
18 *&c. Quinam repellantur ab accusatione Matrimonii?*
22 23 *Quinam testes in causa hac esse possint?*
24 25 *Quinam repellantur à testimonio in ea dicendo?*
26 *Intra quod tempus accusatio Matrimonii proponi debeat?*
27 *An accusationi huic præscribi possit?*

Actum *Tit. præc.* de Effectu Nuptiarum Legitime initarum: sequitur de effectu initarum invalide, qui est 1
dissolutio, seu potius declaratio nullitatis vinculi. Quia vero ad hanc deveniri propria authoritate nequit, causa nullitatis proponenda est Judici, & hujus Judicio terminanda; quod ut legitimè fiat, regulariter prærequiritur accusatio Matrimonii, & receptio testium contra id deponentium.

Quæritur 1. Ad quem Judicem pertineat causarum Ma- 2
trimonialium cognitio, & definitio? Resp. certum est apud omnes Catholicos, eam ad Judicem Ecclesiasticum pertinere; ita enim aperte decisum habetur *cap. tuam* 3. *de Ordin. Cognit. c. lator* 5. *& c. causam* 7. *qui fil. legit. c. accedentibus* 12. *de Excess. Prælat.* & præsertim in Trid. *sess.* 24. *can.* 12. *de Sacr. Matrim.* ibi, *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos, anathema sit.* Ratio est, quia matrimonium, utpote unum ex septem Sacramentis, est res Spiritualis; de rebus autem Spiritualibus cognoscere, & judicare non sæcularis, sed Ecclesiasticæ potestatis est *cap. decernimus* 2. *& cap. quanto* 3. *de Judic. cap. si Judex* 12. *de Sent. Excomm. in* 6. ibi, *ad Judicem Ecclesiasticum (quia de re Ecclesiastica, & Spirituali ---) cognitio pertinebit.*

Proceditque hoc 1. tametsi causa principalis sit sæcula- 3
ris, & quæstio tantum incidat de valore matrimonii e. g. si agatur de hæreditate, & filius, qui hæreditatem prætendit, negetur esse legitimus, & natus ex valido matrimonio, nam hoc casu Judex sæcularis in causa principali supersedere, & illam quæstionem de valore matrimonii ad Judicem Ecclesiasticum decidendam remittere debet, licèt alias causa connexa dividenda non sit *l. nulli* 10. *Cod. de Judic.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 8. §. 12. *num.* 1. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 84. *num.* 16. *& seqq.*

Engl

Engl *hic num.* 1. Schambog. *n.* 14. Reiffenstuel *num.* 24. Contra non prohibetur Judex Ecclesiasticus, quæstione de causa matrimoniali principaliter apud ipsum mota, cognoscere de causis incidentibus, alias pertinentibus ad Iudicem Sæcularem, v. g. de hæreditate, de Dote, de alimentis &c. Molin. *de primog. l.* 2. *c.* 15. *n.* 76. Guttier. *pract. qq. l.* 1. *quæst.* 44. *à num.* 6. *& l.* 3. *q.* 29. *num.* 28. Petr. Barbosa *in l.* 1. *p.* 1. *n.* 46. *ff. solut. Matr.* August. Barbosa *alleg. cit. n.* 19. Reiffenstuel *hic n.* 25. cum communi; patetque clare ex *cap. conquestus* 1. *qui fil. legit. cap. de prudentia* 3. *cap. nuper* 6. *& c. per vestras* 7. *de Donat. int. vir. & uxor.* Ratio est, quia Judex Ecclesiasticus ex se non est incapax cognoscendi causas temporales, uti Laicus incapax est cognoscere Spirituales.

4 *Procedit* 2. etiamsi lis moveatur tantum de Sponsalibus; quia Sponsalia Matrimonium, tanquam sponsio, & promissio illius tangunt; atqui causarum, quæ quoquo modo Matrimonium tangunt, idem est Judicium, quod ipsius Matrimonii *arg. c. translato* 3. *de Constit. & Clem. dispendiosam* 2. *de Iudic.* Gloss. *ibid. V. Matrimonii.* Ancharan. *n.* 5. Zabarell. *num.* 30. Oliva *for. Eccl. p.* 3. *quæst.* 37. *num.* 3.

5 *Procedit* 3. ut Judex Sæcularis de causa Matrimoniali, vel Sponsalium ne quidem cognoscere possit summariè. Joan. Andr. *in addit. ad Specul. tit. qui fil. legit.* §. 1. *vers. competit*, Decius *in c. decernimus cit. n.* 24. *vers.* 3. *fallit*, Barbosa *cit. n.* 32. Ratio est, quia etiam in causis Summariis cognitio Judicialis est necessaria; igitur cum secundum dicta Iudex Laicus sit omnino incapax cognoscendi de causis Matrimonialibus, etiam summarie de illis cognoscere nullatenus poterit.

6 Quæritur 2. quæ causæ hic nomine matrimonialium veniant? Resp. proprie hoc nomine, prout ad præsentem Titulum spectat, veniunt illæ, quibus controversia, & quæstio est de matrimonii & Sponsalium natura, qualitatibus, contractu, & Benedictionibus nuptialibus: de conjugum, & Sponsorum juribus, & obligationibus, ortis ex contractu Sponsalitio, vel matrimoniali; de Sponsalium, & matrimonii valore, & de legitimitate prolium ex isto orta: de ipsorum impedimentis. Dispensationibus in hujusmodi Impedimento, ipsius matrimonii, vel Sponsalium ab ista dissolutione, aut redintegratione &c. nam de his, & similibus, sicut Leges condere, ita & controversias super illis exortas decidere Ecclesiasticæ est potestatis.

7 *Contra* ad forum Sæculare, & Iudices Sæculares pertinent causæ, quibus de Dote, & propter nuptias Donatione, de hæreditaria successione, alimentis, & similibus agitur, ut ex communi sensu docet Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 32. Tanner. *tom.* 4. *D.* 8. *num.* 166. Pith. *hic num.* 17. Schambog. *n.* 13. Vviest. *n.* 5. *Excipitur*, nisi hujusmodi quæstio incidat in causam matrimonialem proprie dictam, quæ principaliter agitatur; hoc enim casu, ut *n.* 3. dictum est, cognoscere de hujusmodi causis, & pronuntiare Iudex Ecclesiasticus potest.

8 Porro cum *n.* 6. dictum est, causas super matrimonio, Sponsalibus &c. ortas decidendas à solo Iudice Ecclesiastico, id intelligendum est, quando causa ejusmodi habet admixtam quæstionem Iuris; nam si sit mere facti e. g. si diceretur filius mere ex concubinatu genitus, & negaretur inter parentes ejus aliquando matrimonium fuisse contractum, de isto facto, an matrimonium contractum sit, abstrahendo à valore ejus, etiam Iudex Sæcularis recte cognosceret, ut cum *Bartolo*, *Covar. Petr. Barbos. Cabed.* docent Cævall. *Opin. comm. contr. comm. q.* 403. Engl *hic n.* 1. *fin.* Schamb. *n.* 15. & dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 10. *nu.* 13. Videantur dicta *Libr. citat. Tit.* 2. *à num.* 53.

9 Quæritur 3. quis Iudex Ecclesiasticus cognoscere, & pronuntiare possit de causis matrimonialibus proprie dictis? Resp. distinguendum inter Ius Ordinarium, & Speciale. *Iure Ordinario* cognitio, & decisio harum causarum pertinet ad Episcopos, & non ad inferiores Prælatos. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. §. 12. *num.* 1. Sbrozz. *de Vicar. Episc. lib.* 2. *quæst.* 43. *pr.* Franc. Leo *Thesaur. for. Eccl. p.* 2. *c.* 9. *num.* 6. Guttier. *pract. l.* 3. *q.* 26. *n.* 1. Ruccius *prax. for. Eccl. decis.* 245. *edit.* 1. *& resol.* 215. *edit.* 2. Barb. *de Offic. Episc. alleg.* 84. *n.* 2. Engl *hic nu.* 2. Schambogen *n.* 14. Konig *n.* 7. Vviestner *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 18. *&* 21. & patet ex *c. accedentibus* 12. *de excess. Prælat.* & Trid. *sess.* 24. *c.* 20. *vers. adhuc de reform.*

Intelligi autem hic nomine Episcopi debent non tantum Prælati Ordinis Episcopalis, sed quicunque alii, qui Iurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum obtinent, etiamsi Ordinem Episcopalem non habeant. Atque hinc 1. cognoscere, & pronuntiare de causis matrimonialibus potest Capitulum Sede vacante; nam ista vacante, Iurisdictio Episcopi Ordinaria ad istud transit *cap. his quæ* 11. *& cap. cum olim* 14. *de major. & obed.* Covar. *n.* 1. *cit.* Pavin. *de Offic. & potest. Capit. part.* 1. *quæst.* 10. *num.* 8. Quarant. *Summ. Bullar. V. Capitulum Sede vacante quæst.* 5. Dian. *p.* 8. *tract.* 4. *resol.* 22. Barbosa *Alleg.* 84. *num.* 4. Vviestner *num.* 7. *hic*, Reiffenstuel *ibid. num.* 20. Vicarius Generalis Episcopi, vel Capituli, Sede vacante: neque opus est, ut ad id habeat speciale mandatum, ut contra *Rebuff. Petr. de Ledesm. Ugolin.* melius docent Covar. *n.* 1. *cit. vers. potest*, Sbrozz. *q.* 44. *fin.* Sanch. *lib.* 3. *de Matr. D.* 29. *n.* 18. *vers.* 2. Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 45. *q.* 2. Narbona *de Appell. à Vicar. ad Episcop. p.* 1. *n.* 201. Barbosa *n.* 3. Patet ex *c. fin. de Cognat. Spirit. & c. accepisti* 1. *de frig. & malef.* ubi dicitur proponendam esse querelam coram Episcopo, aut ejus *Misso*, ubi Gloss. *V. Misso* explicat, *i. e. Vicario.* Videantur dicta *Libr.* 1. *Tit.* 28. *num.* 23. *vers.* 3. 3. Prælati alii, Episcopis non subjecti, si Iurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio, & in ejus populum habeant, Riccius *Decis. Cur. Neapol. p.* 4. *decis.* 184. Barbosa *alleg. cit. n.* 2. *fin.* 10

Jure extraordinario obtineri potestas cognoscendi de Causis Matrimonialibus potest etiam ab aliis triplici modo. 1. Privilegio Apostolico. 2. commissione tum Pontificis, tum Episcopi; potest enim Episcopus potestatem hanc delegare, & quidem non Vicario suo tantum, sed etiam aliis, qui tamen subdelegare illam non possunt; quia in causis Matrimonialibus, quòd graves illæ, & arduæ sint, censetur esse electa industria personæ; quando autem industria personæ electa est, non potest quis vices suas mandare alteri *c. fin.* §. *is autem*, *de Offic. deleg.* Et ita, præsertim in amplioribus Diœcesibus, de ejusmodi causis ex commissione Episcopi in prima instantia cognoscit Officialis minus principalis, & principali, sive Vicario Episcopi Generali subordinatus, Archidiaconi, & Vicarii Foranei, quos *Commissarios* vocant, ne partes cum magnis sumptibus, & temporis dispendio cogantur semper adire Consistorium Episcopale. Engl *hic n.* 2. Konig *n.* 7. Reiffenstuel *num.* 22. 3. præscriptione, vel consuetudine legitimè præscripta: quæ tamen, ut talis sit, non quadragenaria, ut olim juxta *cap. auditis* 15. *de præscript.* sed immemorialis esse debet, prout à *S. Congr. Cardd. Trid. Interpp.* declaratum esse testatur Gonzal. *ad Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 33. *n.* 5. Barb. *alleg.* 84. *cit. num.* 5. Fagn. *in cap. accedentibus cit. n.* 6. Reiffenstuel *hic n.* 23. 11

Quæritur 4. quibus conjugum, & conjugiorum accusatio competat? Resp. cum distinctione: Vel enim agitur ad impediendum Matrimonium nondum initum ob Impedimentum inter Sponsos intercedens, vel ad divortium jam contracti. *Si primum*, ad accusationem, vel potius denuntiationem Impedimenti admittuntur, imo si probare id valeant, graviter obligantur omnes de populo, qui talis Impedimenti notitiam habent, & de malitiosa denuntiatione suspecti non sunt, ut ostensum est *supra Tit.* 3. *num.* 52. *Si secundum* altera distinctio est adhibenda, & videndum, an agatur ad Matrimonii legitimè contracti divortium quoad cohabitationem, & thorum duntaxat, an ad dissolutionem vinculi ob Impedimentum dirimens. 12

Si prius, Abb. *ad Rubr. hoc tit.* Canis. *ibidem num.* 2. Vvagnereck *not.* 2. Gonzal. *in cap. fin. eod. n.* 3. Honor. *hic num.* 12. Pirhing *n.* 1. Schambog. *n.* 2. cum communi aliorum ad agendum, sive alterum accusandum admittunt solum innocentem, desumentes id ex *cap. tuæ* 5. *de Procurat. cap. quemadmodum* 25. §. *Illud de Jurejur. & cap. maritis* 4. *de adult. & stupr.* Rationem dant, quia divertendi jus principaliter ipsius favore est introductum, atque idcirco iste injuriam sibi illatam conjugi saltem pœnitenti remittere potest *can. quod autem* 7. *caus.* 32. *q.* 1. *& cap. si vir* 3. junct. Gloss. *V. debet Rubr. citat.* Aliud foret, si reus accusaretur, non ad divortium, sed ad pœnam adulterii infligendam; ad hoc enim, quia crimen publicum est, admittitur quilibet, modo mas, & 25. annis major sit *l. palam* 43. §. *Senatus* 10. *ff. de Rit. Nupt. l.* 13

si maritus

si maritus 15. §. *Lex Iulia 6. ff. & l. publico* 1. *Cod. ad Leg. Iul. de Adult.*

14 *Si posterius*, tertia distinctione opus est, & considerandum, quale sit Impedimentum, ob quod declarari debeat Matrimonium esse nullum. Nam 1. si Impedimentum Matrimonii contractum irritans sit impotentia, ex alterius conjugis frigiditate, arctatione &c. proveniens, ad Matrimonii accusationem iterum admittuntur soli conjuges; quia conjux, sic velit, impotenti cohabitare, saltem ut frater sorori, potest *can. requisisti* 2. *caus.* 33. *q.* 1. *cap. consultationi* 4. *& c. laudabilem* 5. *de frigid. & malef.* Canis. *ad Rubr. hoc tit. nu.* 2. Vvagnereck *ibid. not.* 2. Gonzal. *in c. fin. eod. n.* 3. Vall. *hic n.* 2. Honor. *n.* 8. Pirhing *n.* 1. Schambog. *n.* 2. Vviest. *n.* 12. Reiffenst. *n.* 3.

15 2 Idem dicendum, si Impedimentum, ex quo ad Matrimonii, tanquam invalide contracti, dissolutionem agitur, sit Error circa individuum personæ, aut ejus conditionem, vel metus. Konig *hic num.* 5. Vviest. *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 4. cum *citt.* quia errore, metuve cessante, actioni suæ renuntiare, & in Matrimonium consentire denuo possunt *can. siquis ingenuus* 4. *caus.* 29. *q.* 2. *cap. proposuisti* 2. *& cap. fin. de conjug. servor. cap. insuper* 4. *hoc tit.* Imo in præfato casu, ubi conjuges solo consensu suo mutuo Impedimentum tollere, & Matrimonium ratificare valent, ipsimet non amplius audientur, si post acquisitam Impedimenti notitiam adhuc carnaliter se invicem cognoscunt; quia Matrimonium novo consensu ratificasse, & cons. inseparabile effecisse de Jure præsumuntur. Reiffenstuel *cit. num.* 5.

16 3 Si Impedimentum sit Consanguinitas. Affinitas ex copula conjugali orta, vel Publica Honestas, ii præ cæteris ad accusandum Matrimonium admittuntur, qui meliorem hujusmodi Impedimenti notitiam habere solent, & possunt; quales sunt imprimis parentes; deinde Consanguinei cæteri; & his deficientibus vicini *can. consanguineos* 1. *& can. notificamus* 3. *caus.* 35. *quæst.* 6. *c. videtur* 3. *hoc tit.* Abb. *ad Rubr. hoc tit.* Canis. *ibidem n.* 2. Vvagnereck *not.* 2. Vallens. *hic n.* 2. Zoes. *num.* 4. Honor. *n.* 10. Pirhing *n.* 1. Schambog. *n.* 2. Vviest. *n.* 14. Reiffenstuel *n.* 6.

17 4 Si agatur ex alio aliquo Impedimento, non conjuges tantum, sed alii etiam veraces, & non suspectæ fidei, qui Impedimenti notitiam habent, & ab accusatione alias non repelluntur, admitti possunt, præsertim si eorum intersit. Gonzal. *in c. fin. cit. n.* 3. Honor. *num.* 9. *&* 16. Konig *n.* 13. Vviestner *n.* 15. Reiffenstuel *n.* 7. & colligitur ex *c. perlatum* 1. *de his, quæ vi, metusve causa &c.* ubi Matrimonium tanquam irritum propter Impedimentum Professionis Religiosæ impugnarunt Monasterii Priorissa, & Sorores.

18 Quæritur 5. quales esse debeant, qui Matrimonium accusare volunt? Resp. ut ad Matrimonium accusandum admittantur, debent esse fidei non suspectæ. Hinc ab ejusdem accusatione repelluntur. 1. qui id accusant turpis quæstus causa, sive quia pecunia ad accusandum inducuntur, vel eam exigunt, ut ab accusatione desistant *cap. significante* 5. *hoc tit.* quia falso, & malitiose accusare præsumuntur *can. prohibentur* 14. *princ. vers. alii propter turpem caus.* 2. *q.* 1. *l. accusare* 8. *ff. de Accusat.* Gloss. *in c. significante cit. V. eod.* Abb. *ibid. n.* 4. Vivian. *in Ration.* Vvagnereck *in Exeges.* Barbosa *n.* 1. Gonzal. *in cap. fin. cit. n.* 3. Honor. *n.* 9. Pirhing *n.* 4. Schamb. *n.* 6. Konig *n.* 3. Vviestner *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 9. Debent autem resistentes accusationi probare, quod quæstus causa accusatio intentetur; quia delicta non præsumuntur, sed probari debent. Reiffenst. *loc. cit. fin.*

19 2 Qui cum proclamationes, sive Matrimonii Denuntiationes publicæ fierent, Impedimentum non manifestarunt; quia manifestationem illius in tempus Matrimonii jam contracti differendo calumniose accusare præsumuntur, nisi præsumptionem istam elidant ostendendo medio Iuramento, quod Denuntiationes factas ex causa absentiæ, infirmitatis &c. ignoraverint, vel ipsius Impedimenti notitiam primum acceperint. Canis. *in cap. fin. hoc tit. nu.* 1. Vivian. *ibid. pr.* Vvagnereck *in Summ.* Barbosa *n.* 1. Gonzal. *n.* 3. Vallens. *hic num.* 1. Zoes. *n.* 12. Honor. *n.* 9. Engl *n.* 5. *vers. oritur* Pirhing *n.* 6. Schambog. *n.* 7. Konig *n.* 3. Vviestner *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 10. & expresse statuitur *cap. fin. citat.* Additur *ibidem*, talem posse alteri dictum Impedimentum aperire, & hic alter idem Judici per modum accusationis proponere; qui proinde hoc casu audiri debet, quia, ut *ibi* dicitur, *etiamsi ab impetitione hujusmodi culpa de silentio tali contracta illos* (scilicet, qui post factam Denuntiationem siluerunt) *excluderet, iste tamen amoveri nequiret, cum culpabilis non existat.*

3 Ea, quæ Matrimonium ab initio quidem invita, & gravi metu coacta contraxit, postea tamen carnalem copulam admisit *cap. insuper* 4. *hoc tit. & ibi* Vivian. *pr.* Barbosa *n.* 1. Gonzal. *loc. cit. n.* 3. Zoes. *n.* 12. Pirhing *n.* 14. Schamb. *n.* 11. Vviestner *n.* 16. quia per talem copulam Matrimonium ratificatur Iure antiquo *c. is qui fidem* 3. *de Sponsal. & Matrim.* An etiam, & quomodo Iure novissimo Tridentini hoc procedat, dictum est *supra Tit.* 3. *num.* 92. 20

4 Qui id accusant non præsentes personaliter, sed absentes duntaxat per litteras, nisi alia adminicula suffragentur *can. per scripta* 5. *caus.* 2. *q.* 8. *c. à nobis* 2. *hoc tit.* ut eo magis calumniosæ delationes vitentur, quæ expeditiores fuissent, si accusatoribus licuisset per solas litteras Matrimonium accusare. Vivian. *in c. à nobis cit. pr.* Barb. *ibid. n.* 1. Gonzal. *n.* 2. Vvagnereck *not.* 1. Honor. *n.* 9. Pirhing *n.* 11. Schamb. *n.* 9. Konig *n.* 8. Vviestner *num.* 16. Reiffenstuel *n.* 13. 21

Quæritur 6. quinam testes admittantur adversus Matrimonium contractum in facie Ecclesiæ? Resp. illi præ aliis, qui Impedimenti, quod ab accusatore objicitur, notitiam certiorem habent, & non sunt suspectæ fidei *cap. licet* 47. *de testib. & attest.* Et hinc ad testimonium in hac causa dicendum admittitur etiam pater, licet in aliis causis filii testis esse non possit; item consanguinei cæteri, saltem casu, quo agitur de Matrimonio dissolvendo ob impedimentum Consanguinitatis, affinitatis, & Publicæ Honestatis *c. videtur* 3. *hoc tit. & cap. quoties* 5. *de test. & attest.* quia non solum distantiam Affinitatis, vel Consanguinitatis melius censentur nosse, sed etiam creduntur incestarum nuptiarum probrum in sua familia non toleraturi. Abb. *in cap.* 3. *cit. num.* 2. Alex. de Nevo *ibid. num.* 2. Vivian. *in Ration.* Barbosa *num.* 1. *& seqq.* Honor. *hic num.* 14. Engl *n.* 8. Pirhing. *n.* 2. *&* 3. Schambog *n.* 3. Vviestner *n.* 17. cum communi. 22

Proceditque hoc, etsi deponant pro matrimonio sustinendo, & contra accusantem illud tanquam invalidum, nisi appareat, quod alter contrahentium affectet illud matrimonium, vel ex circumstantiis testimonium illorum suspectum appareat arbitrio Iudicis, ut si Sponsa petat in virum aliquem se superiorem divitiis, nobilitate, potentia, aut honore; tunc enim ad testificandum nequaquam sunt admittendi. parentes, vel consanguinei talis Sponsæ, sive quæratur de Consanguinitate, sive de contractu matrimonii, nisi concurrant circumstantiæ, propter quas testimonium tale judicaretur non suspectum. Vivian. *in cap.* 3. *cit. prop. fin.* Vvagnereck *ibid. not.* 4. Vallens. *hic num.* 2. *fin.* Honor. *ibid. n.* 15. 23

Repelluntur autem à Testimonio contra matrimonium dicendo præter alios aliunde suspectos. 1. qui ad id faciendum, vel omittendum pecunia inducuntur *cap. sicut* 29. *de test. & attest.* 24

2 Qui testimonium non propria voce præsentes, sed absentes per litteras perhibent *cap. à nobis* 2. *hoc tit. can. testes* 15. *caus.* 3. *quæst.* 9. *l. testium* 3. §. *idem* 3. *ff. de test. & attest.* quia veritatis à præsente obtinendæ spes major est, quam ab absente, cujus Iudex nec vocem audire, nec vultum intueri potest. Abb. *in cap.* 29. *de testib. n.* 10. Vivian. *in c. à nobis citat. pr.* Barbosa *ibid. num.* 1. Gonzal. *num.* 2. Vvagnereck *not.* 1. Vallens. *num.* 3. Pirhing *num.* 12. Schambog. *n.* 9. Vviest. *n.* 19. Reiffenstuel *n.* 16. *Excipitur*, si sint personæ Nobiles, & Illustres; nam istæ ex praxi plurium Germaniæ Provinciarum non tenentur personaliter ad testimonium dicendum comparere, sed possunt depositiones suas scriptas, & obsignatas transmittere Gaill. *lib.* 1. *obs.* 101. *num.* 4. Barbosa *loc. cit. n.* 2. Pirhing *n.* 12. Schamb. *n.* 10. Vviest. *n.* 19. Reiffenst. *n.* 16.

3 Qui matrimonium accusat, & actor est, ex generali principio, quod non possit idem esse actor simul, & testis. *Excipitur*, si Iudex ex officio inquirat; hoc enim casu is, qui Impedimenti Denuntiator est, ad testificandum de Impedimento admittitur *arg. cap. in omni* 4. *de testib.* 25

testib. & attest. & cap. cum in tua 27. *de Sponsal. & Matrimonio.* Abb. *in Rubr. hoc tit. fin.* Canis. *ibid. nu.* 3. Vvagnereck *not.* 3. Vviestner *hic num.* 18. Reiffenstuel *ibid. n.* 15.

26 Quæritur 7. intra quod tempus volens Matrimonium accusare audiri debeat? Resp. auditur etiam post 30. vel 40. annos, modo paratas probationes offerat, vel alias suspicionem purget; neque enim Matrimonium, ab initio invalidum, tractu temporis convalescit, aut mediante Præscriptione Impedimentum tollitur. Konig *hic n.* 4. Reiffenstuel *ibid. n.* 8. Imo datur Accusatio contra illud, etsi pro valore illius sententia lata jam esset; quia in Matrimonio sententia nunquam transit in rem judicatam *c. Lator* 7. *de sent. & re jud.*

27 *Ex quo sequitur*, quod etiam actioni, vel accusationi præscribi nequeat, quamdiu causa accusandi durat. *Excipitur*, si mortui jam sint conjuges, & post 30. vel 40. annos moveatur lis filiis super legitimitate, quod Matrimonium nullum fuerit; nam hoc casu, cum cesset periculum peccati, ob quod perpetua est actio contra Matrimonium, nihil obstat, quo minus dispositio Juris communis locum habeat, juxta quod Actiones Civiles quæcunque post 30. vel 40. annos, accusationes criminum autem 20. annorum spatio extinguuntur. Konig *n.* 4. *cit.*

Porro quomodo Causa Matrimonialis tractari, & probari debeat, item quando recipi testes super ea debeant, videri possunt, quæ sparsim *Lib.* 2. dicta sunt.

TITULUS XIX.

De Divortiis.

INstituta, & legitime probata Matrimonii accusatione, proceditur ad Divortium, & dissolutionem illius. Quæri autem potest de duplici dissolutione, quoad vinculum, & quoad thorum. Dissolutio Matrimonii quoad vinculum duplici modo fieri potest: *uno*, cum dissolvitur vinculum Matrimonii rite contracti, *altero*, cum invalide contracti nullitas declaratur. Similiter etiam dissolutio Matrimonii quoad thorum, & cohabitationem duplex est, perpetua, & temporanea; hinc tribus §§. præsentis *Tituli* tractatio concludetur.

§. I.

De Indissolubilitate Matrimonii quoad Vinculum.

SUMMARIUM.

1 2 *Differentia circa insolubilitatem Matrimonii inter jus civile, & Canonicum.*
3 4 5 6 *Inducta est insolubilitas hæc Jure naturali, supposita institutione Divina.*
7 8 9 10 11 *In Lege Mosaica permissus olim erat Hebræis Libellus repudii.*
12 13 14 *Et extendebatur hoc etiam ad cæteras Gentes.*
15 16 17 *Nunc Libellus hic antiquatus est.*
18 19 20 *An dissolvi de facto possint Matrimonia Infidelium semel legitime contracta?*
21 22 23 *Quid dicendum, quando duo fideles conjuges ad Paganismum, vel Judaismum transeunt, & unus postea redit ad Fidem, alter in Infidelitate permanet?*
24 25 26 27 *An Matrimonium hoc ipso dissolvatur per hoc, quod infidelis conjux nolit cohabitare conjugi converso ad fidem?*
28 29 *An etiam infidelis, altero conjugum ad fidem converso, Matrimonium aliud inire possit?*
30 *&c. An licite hoc possit?*
34 *&c. An conversus ad fidem ad alias nuptias transire possit, & alter conjux converti quidem nolit, cohabitare tamen converso sine injuria Creatoris velit?*
37 *&c. An conversus ingredi Religionem, vel Ordines Sacros possit suscipere?*
42 *An, & quibus casibus solvi possit Matrimonium ratum fidelium?*
43 *An solvi etiam possit Dispensatione Pontificia?*
44 *Fundamenta Sententiæ negantis.*
45 *Deciditur pro affirmativa.*
46 47 48 *Argumenta istius.*
49 *Solvuntur Objectiones.*
50 51 *An valida sit Dispensatio, in Matrimonio rato à Papa indulta, si illam sine justa causa indulserit?*
52 *An existente justa causa, ad dispensandum requiratur mutuus conjugum consensus?*
53 *&c. Quæ sint justæ causæ ad dandam, & impetrandam hanc Dispensationem?*
58 *&c. Utrum Pontifex dispensare possit in Matrimonio infidelium conversorum ad fidem, si post Baptismum non supervenerit nova consummatio.*
62 *An præter Professionem Religiosam, & Dispensationem Apostolicam ex aliis causis dissolvi Matrimonium ratum possit?*
63 *Quanta sit insolubilitas Matrimonii fidelium consummati?*
64 *An insolubilia sint conjugia, quæ ineuntur ab Hæreticis nostri temporis tum inter se, tum cum Orthodoxis?*
65 *&c. Argumenta Sententiæ negativæ.*
69 70 71 *Respondetur cum distinctione.*
72 73 *Corollaria.*
74 *&c. Solvuntur Argumenta opposita.*
77 *An in Lege Evangelica vinculum Matrimonii fidelium consummati dissolvi possit ex causa adulterii, à conjugum altero perpetrati?*
78 *&c. Argumenta Heterodoxæ Sententiæ.*
81 *&c. Propugnatur Sententia negans Catholica.*
88 *&c. Objecta solvuntur.*
93 *&c. Quid requiratur, ut Matrimonium sive ratum, sive consummatum, contractum cum Impedimento dirimente, dissolvatur quoad vinculum?*

QUæritur 1. An, & quomodo matrimonii valide contracti vinculum sit indissolubile? Resp. Diffident in hoc Jus Civile, & Canonicum; nam Jure Civili Matrimonium, semel legitime inter aliquos contractum, vere, & omnino dirimi potuit etiam quoad vinculum solo utriusque consensu, vel etiam alterius tantum voluntate, civibus tamen Romanis septem adhibitis, hac verborum formula, *Tuas res tibi habeto*, vel *Tuas res tibi agito*. Idque fiebat vel inter præsentes, vel inter absentes, videlicet per Libellum Repudii *l. divortium* 2. *& l. nullum* 9. & passim *ff. hoc tit.* donec Theodosius, & Valentinianus Impp. Christiani ad certas causas divortium restrinxerunt, quæ recensentur *l. consensu* 8. *C. de repudiis*. Verum & istarum postea pleraque Justinianus sustulit, ut videre est in *Novell.* 117. *c.* 8. 1

Hodie in causis Divortii Jus Civile sequi Leges Juris Canonici debet, ex cujus declaratione matrimonium, legitimè semel contractum, superstite utroque conjuge, quoad vinculum dissolvi nequit, nisi tribus ex causis, scilicet per conversionem unius ad Fidem Catholicam, Professione Religiosa, & Dispensatione Apostolica, de quibus *infra*: in quo discedit à natura cæterorum Contractuum, quorum obligationes varie, & facile tolli possunt. Nec immerito; nam idipsum indicant verba Servatoris; *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. 19. v. 6. & ipsa matrimonii Definitio, qua dicitur, quod sit maris, ac fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens, ut dictum est *supra Tit.* 1. *n.* 23. 2

Dub. 1. à quo Jure indissolubilitas hæc descendat? Non conveniunt DD. nam aliqui adscribunt illam soli Juri naturali; alii soli Divino positivo; quidam utrique; nonnulli distinguunt, & matrimonii consummati quidem indissolubilitatem tribuunt Juri naturali, & Divino, Rati autem refundunt in Jus Ecclesiasticum. Melius sentiunt, qui dicunt, connubiorum insolubilitatem quidem aliquo modo fundari in Jure naturali, non tamen ex illo solo competere, sed eo Jure primum induci, supposita institutione Divina. Hæc Sententia cæteris præferri meretur; quia quantum fieri potest, diffidentes DD. opiniones in concordiam redigit. 3

Dixi 1. *Insolubilitatem istam aliquo modo fundari in Jure naturæ*. Est exploratum apud Catholicos, neque istorum Doctor aliquis facile hoc inficiabitur. *Ratio est*, quia Matrimonium ex sua natura exigit 4

amorem mutuum conjugum, & tendit ad procreationem, rectamque educationem prolis, atque institutionem ejusdem congruentem Reip. atqui ad hæc perpetuitas, & insolubilitas Matrimonii plurimum confert; ergo &c.

5 Dixi 2. *Insolubilitatem istam non competere matrimonio ex solo Jure naturali*. Ita Sanch. *l.* 2. *de matrim. D.* 13. *n.* 7. Conink *D.* 24. *à n.* 19. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 1. Perez *de matr. D.* 20. *sect.* 2. *n.* 4. Pirhing *tit. de Sponsal. & matr. n.* 139. Vviestner *hic num.* 4. *Ratio est*, quia Ius naturale semper idem est, & immutatum manet, ita, ut actus, qui illo Iure sunt absolute illiciti, nullo unquam casu evadere possint liciti §. *sed & naturalia* 11. *Inst. de I. N. G. & C.* atqui matrimonii dissolutio non est, nec fuit omni casu illicita. nam ante Legem Evangelicam apud Judæos ob rationabilem causam dissolvi matrimonium consummatum poterat etiam quoad vinculum per Libellum repudii, ut dicetur *infra n.* 7. & aperte colligitur ex *Deut.* 24. *pr.* post Legem Evangelicam autem dissolvi potest, quando unus tantum conjugum Infidelium ad Fidem convertitur, ut dictum est *supra n.* 2. & pluribus explicabitur *n.* 20. *Conf.* quia spectato præcise matrimonio, ut est in naturæ officium, vel in remedium concupiscentiæ institutum, non appaeet ratio efficax, cur dimitti à marito non possit uxor ex gravissima causa v. g. sterilitatis, lepræ, aut alterius infirmitatis, quæ debiti redditionem aut impossibilem, aut difficillimam reddat.

6 Dixi 3. *Supposita institutione Divina, insolubilitatem matrimonii induci Jure naturali*. Ita Conink *D.* 24. *num.* 24. Perez *sect.* 2. *cit. n.* 6. Vviestner *loc. cit. num.* 8. *Ratio est*, quia Iuri naturali adversatur concessio usus rei alienæ invito Domino, aut alio modo, quam ab illo permissum sit; atqui Deus est corporis, & membrorum in corpore humano dominus, & dum conjugium instituit, permisit quidem illorum usum ad actus ex se aptos ad generationem prolis in alterum transferri, sed non nisi per nexum insolubilem, ut patet ex illo Matth. 9. *vers.* 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, & declaratur *can. sunt qui* 19. *pr. caus.* 27. *quæst.* 2. *c. debitum* 5. *de Bigam. c. un. de Vot. in* 6. & in duabus Synodis Oecumenicis. Florent. *in Decret. Union.* §. *septimum*, & Trid. *sess.* 24. *pr.* conf. ii, qui suorum corporum mutuum usum ad hujusmodi actus solum temporaneum transferunt, illis aliter utuntur, quam à Deo sit ipsis concessum; igitur peccant contra Jus naturale.

7 Dub. 2. An matrimonium insolubile fuerit etiam in Lege veteri? Resp. distinguendo inter Legem naturæ, & scriptam, seu Mosaicam. *In Lege naturæ* fuit insolubile, ut patet ex illo Christi Domini, Pharisæis, de uxoris dimittendæ licentia sciscitantibus, inter alia reponentis: *Ab initio autem non fuit sic. Matth.* 19. At in *Lege Scripta*, seu *Mosaica* viris Hebrææ Gentis Dispensatione Divina permissum fuit Repudium uxorum suarum, ut habetur *Deut.* 24. *v.* 1. Hoc certum:

8 *Controversia* est, an Repudium istud uxorum Judæis licitum, an vero solum ad majora mala excludenda toleratum fuerit, vinculo matrimonii adhuc manente. Hoc secundum affirmat S. Hieron. *l.* 1. *comment. in Matt. cap.* 5. *& l.* 3. *cap.* 19. Lyran. *in Deut. cap.* 24. *cit. post pr.* Magister *in* 4. *dist.* 33. S. Bonav. *ibid. art.* 1. *quæst.* 1. Sot. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 2. Innoc. *in cap. gaudemus* 8. *hoc tit. num.* 1. Host. *ibid. V. qui autem*, Alexander de Nevo *V. cit. num.* 5. Tiraquell. *l.* 9. *connub. num.* 5. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 7. §. 4. *num.* 4. Navar. *de convers. Infid. cons.* 3. *fin.* Tholos. *Syntagm. l.* 9. *cap.* 16. *num.* 1. Beyrlinch *tom.* 2. *theatr. V. divortium, & V. matrimonium*. Moventur præcipue verbis Christi, *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*: quibus verbis, ut *c. gaudemus cit. vers. qui autem* diserte dicitur, Repudium Hebræorum à Christo Domino reprobatum fuit; atqui reprobatum non fuisset, si illis fuisset licitum; ergo &c.

9 Sed verius est, Repudium Hebræis, ex Dispensatione Divina, modo justa ex causa fuisset factum, fuisse licitum. Ita S. Thom. 1. 2. *q.* 102. *art.* 5. *ad* 3. Abb. *in cap. gaudemus cit. num.* 10. Durand. *in.* 4. *dist.* 33. *quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 7. Palud. *ibid. quæst.* 1. *art.* 2. *n.* 28. Abulens. *in Matth. c.* 19. *q.* 46. *&* 49. Gaeta *in can. ad limina caus.* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 203. Eckius *de Sacram. Homil.* 74. Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 17. *ad* 14. Medin. *l.* 4. *de contin. contr.* 1. *c.* 10. Angl. *florib. p.* 1. *de Matr. q.* 7. *de Bigamia art.* 2. *diffic.* 2. *concl.* 1. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 68. *art.* 3. *concl.* 1. *&* 2. Becan. *de Sacram. c.* 47. *q.* 2. *num.* 3. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 8. *num.* 13. *fin.* Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 1. *n.* 7. Balboa *in c. gaudemus cit. num.* 136. Pont. *l.* 7. *cap.* 50. *num.* 1. Layman *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 1. *vers. probatur* 2. Perez *D.* 55. *sect.* 1. *n.* 2. Gonzal. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 6. Pirhing *hic num.* 49. Vviestner *ibid. num.* 54. & alii apud illos.

Ostenditur 1. ex *Deut.* 24. *cit. v.* 1. ubi non solum 10
datur licentia marito, ut dare libellum repudii uxori possit, sed etiam clare supponitur, quod maritus aliam uxorem, & uxor repudiata alium maritum possit ducere. 2. *Ibid. v.* 4. noluit Deus, ut repudiata, si à viro secundo, cui post repudium nupsit, etiam repudiata fuit, à primo viro reciperetur in uxorem; atqui si repudio nuptiale vinculum dissolutum non fuisset, non fuisset prohibitum, sed potius optandum, ut ab hoc reciperetur, ad excludendum periculum peccati, & animæ; ergo &c. 3. *Levit.* 21. *v.* 13. specialiter cautum est, ut Sacerdos uxorem viduam, & repudiatam, atque meretricem non accipiat; igitur aliis viris, sicut licuit ducere Viduam, ita etiam licuit ducere repudiatam; ut quid enim speciali prohibitione opus fuit respectu Sacerdotis, si id indiscriminatim fuit inhibitum omnibus? 4. Si uxoris repudio nuptiale vinculum dissolutum non fuisset, nuptiæ, quas deinde maritus repudiatæ cum alia, & repudiata cum alio contrahebanr, fuissent adulterinæ, & conf. debuissent reprobari à Deo; atqui in Lege Veteri neque Repudium, neque nuptiæ post hoc contractæ uspiam reprobatæ leguntur; ergo &c. 5. Permisso repudio, omnino conveniens fuit, ut permitterentur etiam novæ nuptiæ repudiatæ ab alio, ne si cogeretur perpetuo manere innupta, adulterii periculis exponeretur.

Argumentum ex *citt.* in contrarium Christi verbis 11
desumptum inefficax est; dicendum enim, quod Christus reprobaverit Libellum Repudii, non pro Lege veteri, & scripta, sed pro nova, & gratiæ, utpote perfectiore, quam illa fuerit: & hinc permittendum in ista non fuit, quippe quod in illa permissum tantummodo fuit, ut minus bonum, idque intuitu fragilitatis, & obstinationis Iudæorum.

Dub. 3. An Lege veteri durante, Repudium licitum fuerit etiam cæteris Gentibus? Negant Sot. *in* 4. 12
dist. 33. *quæst.* 2. *art.* 2. *concl.* 1. Sanch. *l.* 10. *de matrim. Disp.* 1. *num.* 8. Perez *Disp.* 55. *sect.* 2. *num.* 3. Pirhing *hic num.* 38. *Rationem* dant, quia Repudium repugnat primævæ institutioni conjugii; igitur nisi ex Dispensatione Divina permittatur illicitum est; atqui solum legitur in Scripturis Divinis, quod dispensatum in hoc fuerit à Deo cum Gente Hebræa, non cum aliis; igitur aliis repudium uxorum illicitum fuit. Estque hæc Sententia admodum probabilis.

Sed non minus probabilis est affirmativa, quam et- 13
iam defendunt Abulens. *in Matth.* 19. *q.* 76. *ad ult.* Vetacrux *Specul. p.* 2. *art.* 13. *per totum*, Pont. *l.* 7. *de matr. c.* 50. *n.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 6. *n.* 1. *vers. adde*, Barbos. *in c. gaudemus* 8. *hoc tit. n.* 17. Vviestner *hic n.* 55. *Ratio est*, quia etiam cæterarum Gentium moribus, ut uxorum pluralitas, ita & repudium receptum fuit, ut de Cretensibus memoriæ prodidit Aristoteles *l.* 2. *Ethic. c.* 8. de Atheniensibus Alexander *Genial. dier. l.* 4. *c.* 8. de Romanis Plutarchus *Problem. cap.* 13. & patet ex *Rubr. & textibus ff. hoc tit.* ubi etiam forma iisdem præscribitur.

Neque obstat, quod de Dispensatione cum cæteris Gen- 14
tibus à Deo facta ad repudiandas uxores nihil legatur in SS. Litteris; nam etiam de Dispensatione cum illis facta ad pluralitatem uxorum nihil in utriusque Testamenti tabulis legitur, & tamen Divinam in ea Dispensationem ad istas porrigi docet August. *l.* 22. *contra Faust. c.* 47. Bellam. *l.* 1. *de matr. c.* 11. Valent. *tom.* 4. *D.* 10. *q.* 1. *p.* 3.

Dub. 4. An defacto post Legem Evangelicam pro- 15
mulgatam licitum sit Repudium Judæis, & Gentilibus? Resp. negative. Ita Sanch. *l.* 10. *de matr. D.* 1. *n.* 9. Vivian. *in c.* 8. *hoc tit. vers. & si*, Gonzal. *in c.* 1. *eod. n.* 12. Pirh. *hic n.* 49. estque res omnino certa; nam Lege Evangelica *Matth.* 19. *v.* 6. Repudii Libellus antiquatus, & nu-

& nuptiale fœdus, ficut ad Monogamiam, fic etiam ad primævam indiffolubilitatem à Chrifto Domino revocatum eft; ut exprefsè definitum eft *cap. gaudemus* 8. *hoc tit.* ibi, *Qui autem fecundum fuum ritum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente, licite poterit aliam, etiam ad Fidem Chrifti converfus, habere. Neque obeft*, quod aliis præceptis Legis Evangelicæ, excepto Baptifmo, ante iftius receptionem non obligentur Infideles; id enim verum eft de præceptis Divinis mere pofitivis, non vero de iis, quæ obligationem fuam ducunt ex Iure naturali, quale etiam juxta dicta *n.* 3. eft hoc noftrum, Repudii Libellum prohibens.

16 Et hinc fi Iudæorum, aut Paganorum aliquis ad Fidem convertatur, qui in Iudaifmo, vel Infidelitate adhuc conftitutus, plures fucceffivè uxores duxit, ex omnibus primam, eamque folam retinere, vel fi etiam repudiavit, cæteris abdicatis, recipere debet, faltem fi fine Creatoris contumelia cum ipfo habitare velit, ut Tiberiadis Epifcopo refcripfit Innocentius III. *cap. gaudemus citat. verf. qui autem*, & notat Sanch. *D.* 1. *cit. num.* 10. *&* 11. Perez *D.* 55. *fect.* 2. *n.* 3. *&* 4. Vivian. *in c. gaudemus* 8. *hoc tit. verf. fi paganus*, Canif. *ibid. n.* 3. Barbofa *num.* 1. Engl *tit.* 16. §. 2. *num.* 4. *verf. fi vero*, Vallenf. *hic* §. 1. *n.* 4. Zoef. *n.* 7. Pirhing *n.* 38. *verf. confultus*, *& nu.* 43. Schambog. *n.* 31. *&* 33. Vvieftner *n.* 11. *&* 56. *Ratio eft*, quia prima conjuge vivente, conjugium cum alia initum nullum fuit.

17 Addidi, *Saltem, fi fine Creatoris contumelia cum ipfo habitare velit*; nam fi vel fimpliciter, vel fine Creatoris contumelia uxor ejufmodi, in Infidelitate permanens, cum marito converfo cohabitare nollet, eo cafu converfus à Iudaifmo, vel Paganifmo, ea deferta, cum fecunda, vel alia muliere aliunde non impedita matrimonium inire poffet, prout declarabitur *n.* 20.

18 Quæritur 2. An diffolvi defacto poffint Matrimonia Infidelium femel legitime contracta? Refp. cum diftinctione: Vel enim uterque conjugum perfeverat in Infidelitate, vel uterque ad fidem convertitur, vel unus convertitur, alter manet in infidelitate.

Si primum, conjugium, femel ab ipfis legitime contractum, non nifi morte diffolvi poteft, etfi per carnalem copulam non fit confummatum. Palao 28. *D.* 3. *p.* 2. §. 3. *num.* 1. cum cæteris. *Ratio* perfpicua eft; fi enim diffolvi poffet, diffolvi poffet vel à Papa, vel à Principe, aut Magiftratu ipforum fæculari, vel ipfo contrahentium confenfu; atqui nec diffolvi poteft à Papa, utpote cujus poteftas fe folum eos porrigit, qui per Baptifmi januam ingreffi aliquando Ecclefiam funt: nec à Principe, aut Magiftratu fæculari; non enim conftat, quod Deus hanc poteftatem folvendi Matrimonium ulli Principi, aut Magiftratui infideli concefferit: neque denique ipfo contrahentium confenfu; quia infolubilitatem, ficut fuo confenfu non induxerunt, ita neque eam tollere poffunt.

19 *Si fecundum*, difcurrendum eft de iftorum Matrimonio, ficut de Matrimoniis Fidelium, de quibus *infra nu.* 63. dicetur, quod fi confummatum fit, nulla poteftate humana quoad vinculum diffolvi poffit, cum à Deo ipfo infolubilitatem habeat; Si vero confummatum non fit, folvi poffit duobus cafibus, videlicet Profeffione Religiofa, & Difpenfatione Pontificia. Palao *loc. cit. num.* 2. Engl *tit.* 16. §. 2. *n.* 5. *verf. fi infidelis*, Pirhing *hic num.* 37. *not.* 7. *Neque obftat*, quod tale matrimonium Sacramentum non fit, & etiam non fiat poft converfionem Infidelium conjugum ad fidem; nam imprimis, ut *Tit.* 1. *nu.* 309. monui, multi afferunt, ejufmodi Matrimonium, converfo ad Fidem utroque conjuge, in Sacramentum tranfire; deinde conceffo hoc, prout *n.* 310. conceffi, quod in Sacramentum non tranfeat, non tamen inde fit, illud folubile effe, cum jam nullus adfit cafus, in quo à Chrifto folutio concedatur, quippe quæ in Matrimonio confummato folum conceditur cafu, quo unus conjugum ad fidem convertitur, altero renuente converti, ut mox dicemus.

20 *Si tertium*, duo funt cafus, quibus id folvi, etiam quoad vinculum, poteft. *Unus eft*, quo perfeverans in errore cum converfo abfolute cohabitare renuit, fed ab ipfo difcedit ideo folum, quod ille Baptifmum fufceperit *can. fimili* 3. *can. uxor* 4. *can. infidelis* 7. *&c. cauf.* 28. *q.* 1. *c. quanto* 7. *verf. nos igitur*, *& c. gaudemus* 8. *verf. qui autem hoc tit.* & innuit S. Paulus 1. *Corinth.* 7. *verf.* 15. *Alter* eft, quo ille cohabitare quidem converfo vult, fed non fine contumelia Creatoris: quæ duplici modo fieri poteft. *Primo* directe nomen, & Fidem Chrifti defpiciendo, ejufque laudes, & domefticorum converfionem prohibendo *can. infidelis*, *cap. quanto*, *& cap. gaudemus citt. & fecundo* indirecte, fidelem inducendo ad peccatum v. g. latrocinii, lenocinii, vel ad alterius flagitii participationem *can. uxor. cit. can. Idololatria* 5. *& can. non folum* 6. *quæft. cit. cap. quanto*, *& cap. gaudemus citt.* His cafibus diffolutio Matrimonii etiam confummati conceditur in favorem Fidei, & Religionis ex privilegio, & Difpenfatione Divina, quam S. Paulus *loc. citt.* innuit, & docent communiter DD. Et hinc refponfioni noftræ non obftant verba Chrifti, *Quod Deus conjunxit, homo non feparet*. Matth. 19. v. 6. negatur enim, quod diffolutio hæc authoritate humana fiat.

Dub. 1. An fimili modo, fi duo conjuges fideles ad Paganifmum, vel Iudaifmum tranfeant, deinde vero unus ad Fidem Chriftianam redeat, altero perfeverante in infidelitate, jus habeat converfus diffolvendi Matrimonium, & difcedendi à perfeverante in errore? *Affirmativam* videtur probare paritas rationis, nempe Fidei Chriftianæ favor. 21

Sed revera nulla eft paritas; cum enim illorum matrimonium propter fufceptionem Baptifmi ratum, & carnali copula confummatum jam fit, ac proinde indiffolubilem unionem Chrifti cum Ecclefia perfecte fignificet, nullo etiam fidei favore quoad vinculum diffolvi poteft. Ita Vivian. *in c.* 2. *hoc tit. verf. & tunc*, Barbof. *in c.* 7. *eod. num.* 1. Canif. *ibid. n.* 1. Vvagnereck *not.* 2. Engl *tit.* 16. §. 2. *n.* 6. Vallenf. *hic* §. 1. *n.* 3. Pirhing *n.* 33. Schambog. *n.* 16. *fin.* Konig *n.* 28. Vvieftner *nu.* 25. & innuitur in Trid. *feff.* 24. *can.* 5. *de Sacr. Matr.* ibi, *Si quis dixerit, propter Hærefin --- diffolvi poffe Matrimonii vinculum, anathema fit. Proceditque hoc*, etfi perfeverans in Infidelitate converfo vel fimpliciter, vel fine contumelia Creatoris cohabitare nolit per *textum*, & DD. *in c. quanto cit. verf. fi vero alter*. 22

Addidi *quoad vinculum*; nam divortium quoad thorum, & cohabitationem tali cafu is, qui in fide permanet, vel ad eandem redit, facere poteft, ut patet ex *cap. fin. de converf. conjugat. c. de illa* 6. *hoc tit.* & docent Canif. *in c. quanto cit. n.* 2. Barbofa *in c. de illa n.* 2. Engl *num.* 6. *cit.* Vvieftner *n.* 25. *fin.* 23

Dub. 2. An eo ipfo, quod infidelis fideli, vel fimpliciter, vel fine contumelia Creatoris cohabitare renuat, eorum conjugium dirimatur? Affirmant Gloff. *in cap. quanto* 7. *V. qui relinquitur hoc tit.* Innocent. *ibid. paulo poft pr.* Hoft. *n.* 3. Abb. *n.* 7. Præpof. *n.* 5. Goffred. *Summ. hoc tit. n.* 7. Abul. 1. *Reg.* 8. *q.* 30. Cucch. *l.* 5. *Inftit. major. tit.* 12. *num.* 100. & videtur fumi 1. ex *can. fin. cauf.* 28. *quæft.* 2. ubi relatus S. Gregorius, *Contumelia Creatoris*, ait, *folvit jus Matrimonii, circa eum, qui relinquitur.* 2. Idipfum innuere videtur S. Paulus 1. *Cor.* 7. *v.* 15. ubi docet, fidelem ob difceffum infidelis *fervituti*, h. e. prioris conjugii vinculo, non effe fubjectum. 3. Confirmat etiam ratio; nam tali cafu novum conjugium cum fideli iniri à converfo valide nequit ante prius initi diffolutionem; poteft autem converfus à tempore difceffus prioris conjugis infidelis inire aliud matrimonium; ergo à tempore difceffus, & conf. poft ipfum difcefsum prius conjugium videtur difsolutum. 24

Sed dicendum, hoc cafu prius matrimonium non ante folvi, quam converfus Matrimonium aliud ineant cum alio fideli: & fic contractus fecundi erit difsolutio primi. Ita S. Thom. *in* 4. *dift.* 39. *q. un. art.* 5. *ad* 2. S. Bonav. *ibid. art.* 2. *q.* 2. *fin.* Durand. *q.* 2. *n.* 14. Palud. *q. un. art.* 2. *n.* 12. Sot. *q. un. art.* 4. Sylv. *V. Matr.* 8. *quæft.* 10. *dict.* 6. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 49. Covar. *p.* 2. *de Sponfal. c.* 7. §. 4. *n.* 5. Henriq. *l.* 11. *de Matr. cap.* 8. *n.* 4. Valent. *p.* 4. *D.* 10. *q.* 1. *p.* 7. Sanch. *l.* 7. *D.* 75. *n.* 4. Conink *D.* 26. *n.* 63. Rebell. *p.* 2. *de Oblig. Juft. l.* 3. *q.* 10. *fect.* 2. Pont. *l.* 7. *c.* 48. *n.* 17. *& l.* 9. *c.* 4. *n.* 17. Palao *tr.* 28. *difp.* 3. *p.* 2. §. 3. *n.* 5. Clericat. *de Sacram. Matr. dec.* 11. *num.* 19. Canif. *in c.* 7. *hoc tit. n.* 3. Barbofa *ibid. num.* 3. Vvagnereck *not.* 2. Engl *tit.* 16. §. 2. *n.* 5. Zoef. *hic num.* 5. Pirhing *n.* 35. *not.* 3. Schambog *n.* 22. *fin.* Vvieftner *num.* 27. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 5. *n.* 54. 25

Sumitur 1. ex *c. gaudemus* 8. *h. tit.* ubi *v. fuper quo*, generaliter 26

raliter dicitur, *per Sacramentum Baptismi non solvi conjugia*. 2. Idipsum habetur *canon. siquis* 1. *caus.* 28. q. 2. Ubi Concilium Meldense statuit, eum, *qui habuerit uxorem virginem ante Baptismum, vivente illa post Baptismum, alteram habere non posse*, addita ratione; quia *crimina in Baptismo solvuntur, non conjugia*. 3. Si uxor, quæ post conversionem mariti sui in infidelitate aliquamdiu mansit, & eidem aut simpliciter, aut sine contumelia Creatoris cohabitare noluit, dein mutata voluntate, & ipsa converratur, maritus conversus recipere illam compellitur, nisi interea aliam duxerit; atqui si vinculum Matrimoniale per ipsum discessum fuisset dissolutum, non esset ratio, quare ipsam teneretur recipere, cùm, vinculo conjugali dissoluto, tam parum ipsi, quàm aliis obligetur. ergo &c.

27 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. Contumelia Creatoris eatenus jus Matrimonii dicitur solvi, quatenus is, qui relinquitur, non obstante vinculo Matrimonii à se contracti, nec tenetur cum infideli cohabitare, nec impeditur à novo Matrimonio contrahendo, ut adeo textus ille non de actuali, sed de potentiali solùm Matrimonii solutione intelligendus sit. *Ad* 2. eadem responsio; dicendum enim, per discessum infidelis fidelem conversum liberatum esse à servitute, seu vinculo Matrimonii, non quasi istud jam actu solutum sit, sed quia ex eo iste occasionem acquirit vinculum istud per novi Matrimonii contractum solvendi. *Ad* 3. retorquetur Argumentum in corruptione formæ antiquæ, & introductione formæ novæ, qui juxta probabiliorem sunt effectus simultanei ejusdem actus primi proximi, qui dum generat formam novam, corrumpit antiquam; pariter igitur effectus simultanei ejusdem voluntatis novum matrimonium ineundi erit dissolutio antiqui, & contractus novi: unde non sequitur (ut argumentum videtur intendere) quòd in instanti Contractus fidelis, ad alia Vota transiens, ligatus sit duobus Matrimoniis.

28 Dub. 3. an etiam Infidelis, altero conjugum ad Fidem converso, Matrimonium aliud inire possit? *Certum est* 1. quòd hoc non possit statim, & antequam conversus ad Fidem aliam uxorem ducat, aut vicissim conversa ad Fidem alii marito nubat. Quo confirmatur Responsio *n.* 25. data; nam si Matrimonium statim, & ipso discessu solveretur, aliud conjugium posset ab ipso discessu inire uterque, & non solùm is, qui relinquitur, seu fidelis; ac proinde, si infidelis statim iniret aliud, validum illud foret: quòd à nemine admitti testis est Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 75. *n.* 4.

29 *Certum est* 2. dissoluto Matrimonio per transitum fidelis ad alias nuptias, validè infidelem ad aliud Matrimonium transire; quia cùm Matrimonii vinculum claudicare nequeat, eo ipso, quòd dissolvatur ex parte fidelis, dissolutum manet ex parte utriusque: ac proinde nihil est, quod valori Matrimonii, tunc per infidelem initi, obest. Sanch. *D.* 77. *n.* 1.

30 *Controversia* est, an hoc secundo casu Infidelis ad alias nuptias transire possit etiam licitè; Negativam defendit S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. artic.* 5. *ad* 3. Sot. *ibid. art.* 4. *v. contra hoc tamen*, Angl. *florib. p.* 1. *de Matr. q.* 12. *art.* 2. *dub.* 6. Barth. à Ledesm. *de Matr. dub.* 56. *post concl.* 4. & alii apud Sanch. *D.* 77. *cit. n.* 3. & sumi videtur ex *can. fin. caus.* 28. *q.* 2. & *cap. quanto* 7. *h. tit.* ubi prius Matrimonium dissolvi dicitur quoad eum, qui relinquitur. *Rationem* dant, quia Infidelis renuens converti, & propterea discedens à converso *& in DEUM peccat, & in Matrimonium*, ut *can. fin. citat.* ait Gregorius; meritò igitur arcetur à novo conjugio ineundo: & hoc quidem non Jure Ecclesiastico, quippe cui ipse non subest, sed naturali Divino, quod conjugem infidelem ex Matrimonii lege obligabat, ut fidelem sequeretur.

31 Diffident tamen DD. isti à se invicem, dum aliqui illorum cum *S. Thoma* putant, Infidelem hujusmodi etiam post conversionem suam ad fidem arceri ab aliis nuptiis contrahendis, nisi cum ipso dispensatum fuerit. Alii contra cum S. Bonav. *in* 4. *dist.* 39. *art.* 2. *quæst.* 2. Astens. *p.* 2. *Summ. lib.* 8. *tit.* 21. *art.* 2. *q.* 12. Turrecr. *in can. simili* 3. *caus.* 28. *q.* 1. Lud. Lop. *p.* 2. *instruct. de Matr. c.* 53. *col. antep.* rigorem hunc moderantur, dum ajunt hujusmodi Infidelem non posse quidem hoc casu contrahere novum Matrimonium, si perseveret in infidelitate, posse autem, si postquam conjux ejus, ad fidem conversus, novum Matrimonium iniit, etiam ipse convertatur ad fidem ex ratione, quia in pœnam peccati, quod commisit discedendo à conjuge converso, interdicitur ipsi Matrimonium; cùm ergo ratione Baptismi absolvatur à culpa, necesse est, ut etiam extinguatur pœna culpæ illi correspondens.

Sed dicendum, licitè hoc casu posse infidelem, etiam obstinatum, dissoluto jam Matrimonio à fideli, aliud inire Matrimonium. Ita Gloss. *in canon. fin. cit. V. & in Matrimonium*, Durand. *in* 4. *dist.* 94. *q.* 2. *n.* 25. Abul. 1. *Reg.* 8. *q.* 127. Veracrux *p.* 2. *Specul. art.* 34. *concl.* 2. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 8. *num.* 5. *fin.* Sanch. *D.* 77. *cit. n.* 6. Hurtad. *D.* 8. *difficult.* 13. *fin.* Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 2. *§.* 3. *nu.* 14. Vviestner *hic num.* 28. & communis aliorum. *Ratio est*, quia nullum Jus extat, quod ipsum tali casu prohibeat à Matrimonio. *Conf.* à pari; nam conjuge mortuo, novum conjugium inire superstes liberè potest secundum omnes alicujus nominis DD. ex ratione, quia vinculum Matrimonii per mortem dissolvitur; atqui non minùs dissolvitur vinculum Matrimonii, altero, qui conversus ad fidem est, conjugium aliud cum fideli ineunte; ergo &c. 32

Neque contrarium probant textus *n.* 30. ab Adversariis allegati; dicendum enim quòd iis tantùm innuatur diversa ratio, quæ est inter conversum, & non conversum; converso enim per discessum infidelis datur jus dissolvendi Matrimonium cum ipso initum per contractum novi Matrimonii, quale jus non habet perseverans in infidelitate, quippe qui secundum dicta *nu.* 28. exspectare debet, donec conversus ad alia Vota transeat. *Ad argumentum ductum ex ratione* peccavit quidem infidelis violans obligationem prioris Matrimonii, qua adstringebatur sequi priorem conjugem ad fidem conversum; at priori illo Matrimonio per contractum novi dissoluto, nulla Lex Divina naturalis superest, quæ ipsum arceat à novo conjugio. 33

Dub. 4. an, altero conjuge converti quidem renuente, sed tamen converso conjugi sine ulla contumelia Creatoris cohabitare volente, iste nihilominus ab infideli recedere, & Matrimonium aliud cum fideli inire valeat? Affirmat Abb. *in c.* 7. *h. tit. nu.* 6. *&* 7. Sot. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 4. *v. est tamen*, Henriq. *l.* 11. *de Matrim. c.* 8. *n.* 4. *fin.* & *in Comment. Lit. S. fin.* Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 74. *num.* 9. Rebell. *p.* 2. *de oblig. Just. l.* 3. *q.* 10. *sect.* 2. Pont. *l.* 7. *c.* 48. *nu.* 10. Clericat. *decis.* 11. *n.* 40. & videtur colligi ex *can. Judæi* 10. *caus.* 27. *q.* 1. ubi mulieri Judææ, ad fidem conversæ, cohabitatio cum viro, in Judaismo perseverante, prohibetur. *Et confirmatur ex ratione*: quia hodie saltem Infidelium animi ita obstinati sunt, ut nec conversionis, nec cohabitationis, sine contumelia Creatoris stabiliendæ, spes ulla affulgeat, sed contrà manifestum periculum sit pervertendi conjugis, & huic famulantium domesticorum. 34

Sed verius est, in prædicto casu fidelem conversum non posse aliud Matrimonium inire. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 5. *Corp.* S. Bonav. *ibid. art.* 2. *q.* 1. Palud. *q. un. art.* 2. *n.* 12. Gratian. *post. can. fin.* §. *hic distinguendum caus.* 28. *q.* 1. Host. *in c.* 8. *h. tit. num.* 13. Ant. de Butr. *ibid. nu.* 3. Sylv. *V. Matrimonium* 8. *q.* 10. *dict.* 6. Navarr. *Man. c.* 22. *n.* 49. Valent. *de Matr. D.* 10. *q.* 1. *p.* 7. *circa pr.* Tolet. *l.* 7. *Summ. c.* 7. *n.* 3. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 2. *§.* 3. *n.* 9. Engl *tit.* 16. *§.* 2. *n.* 5. *fin.* Vviestner *hic nu.* 29. & desumitur ex *c. quanto* 7. & *c. gaudemus* 8. *h. tit.* ubi Innocentius III. recessum ab infideli non permittit, nisi cùm iste prior discedit, aut ejus cohabitatio conjuncta est cum contumelia Creatoris. Clara est authoritas S. Pauli 1. *Corinth.* 7. *v.* 12. *&* 13. ubi hoc casu non concedit recessum ab infideli: & addit rationem, quia per conjugem fidelem quodammodo sanctificatur conjux infidelis. 35

Ad textum *can. Judæi cit.* dico, illum esse sumptum ex *Concil. Tolet. IV.* quod non universale, sed solummodo Provinciale fuit. Accedit, quia textus ille non loquitur de omnibus infidelibus, sed de solis Judæis, imò de istorum duntaxat uxoribus, quibus ob specialem ejus sectæ pervicaciam majus perversionis periculum imminet, ut notat Barbos. *in canon. cit.* 1. *Ad Conf.* responsio nostra procedit casu, quo non est morale periculum perversionis: certè teste Palao §. 3. *citat. numer.* 10. etiam hodie Æthyopes, & Indi Neophyti cohabitant conjugibus infidelibus, periculo perversio- 36

nis suæ aut nullo, aut exiguo, contrà verò magna spe convertendi conjugis infidelis.

37 Dub. 5. an conjugum uno ad fidem converso, & altero propterea ei cohabitare nolente, Matrimonium etiam solvatur, si conversus suscipiat Ordinem Sacrum, aut profiteatur Religionem? *Certum est*, tali casu conversum licitè suscipere SS. Ordines, aut Professionem edere in Religione: neque isto casu, Ordinibus jam assumptis, aut Professione edita, instaurandum conjugium, etsi postea ad fidem convertatur etiam alter, ut notat Sanch. *l.* 7. *de Matr.* *D.* 76. *n.* 6. Coninck. *D.* 26. *n.* 62. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 2. §. 3. *n.* 11. Zoes. *hic n.* 5. *fin.* Vviestner *ibid. n.* 31. cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 5. Ratio est quia Jure, & legitimè statum incompatibilem assumit. igitur sicut qui ob adulterium uxoris celebravit divortium, & Religionem professus, vel ad Ordinem Sacrum promotus est, non restituitur, sic nec restituetur, qui ad fidem conversus à conjuge, in infidelitate perseverante, discessit, & dicto modo mutavit statum.

38 *Controversia* est, an per assumptionem SS. Ordinum, aut Professionem Religiosam dissolvatur Matrimonium etiam quoad vinculum, ita, ut is, qui perseverat in infidelitate, postea aliud Matrimonium validè inire possit? Affirmat S. Bonav. *in* 4. *distinct.* 39. *art.* 2. *quæst.* 2. Ovand. *ibid. D. un. fin.* Major. *q. un. v. ad aliud*, & nonnulli alii, quòd uterque status priori conjugio repugnans sit, *Contra* Sanch. *D.* 76. *cit. nu.* 9. & 11. Salmanticens. *de Matr. tr.* 9. *cap.* 4. *num.* 52. Clericat. *de Matr. c.* 5. *n.* 71. distinguunt, & concedunt hanc vim quidem Professioni Religiosæ, negant susceptioni SS. Ordinum. *Rationem* dant, quia nuspiam in Jure exprimitur, nec ratione evincitur, quòd Sacer Ordo vim habeat aliquo casu Matrimonia infidelium dissolvendi. At de Professione Religiosa probare videtur ratio; nam Professio Religiosa dissolvit Matrimonium ratum fidelium, quod est vinculum fortius Matrimonio consummato infidelium, cùm illud in casu *nu.* 42. solvat. igitur juxta tritum illud, *Si vinco vincentem te, multo magis vinco te l. de accessionibus* 14. §. *si mihi* 3. *ff. de divers. & temporal. præscript.* Professio Religiosa etiam vim habebit solvendi Matrimonium consummatum infidelium.

39 Sed meliùs hæc vis solvendi matrimonium consummatum infidelium etiam negatur de Professione Religiosa. Ita Abulens. 1. *Reg.* 8. *q.* 68. & 74. Coninck *D.* 26. *n.* 65. Pont. *l.* 9. *c.* 4. *n.* 19. Hurtad. *de Matr. D.* 8. *difficult.* 14. *n.* 52. Palao *tr.* 38. *D.* 3. *p.* 2. §. 3. *nu.* 12. Perez. *D.* 36. *de Matr. sect.* 8. *n.* 2. Vviestner *hic n.* 33. Ratio est, quia dissolutio matrimonii fieri non potest, nisi ex concessione Divina; atqui nuspiam invenitur concessum Professioni Religiosæ, ut possit dirimere matrimonium consummatum infidelium; ergo &c.

40 *Ad Rationem in contrarium allatam* negatur paritas; nam 1. matrimonio rato, quod infidelis conversus ad fidem post Baptismum susceptum iniit, vis dissolvendi matrimonium consummatum, antea cum perseverante in infidelitate initum, à DEO data est, ne infidelis post conversionem suam, & susceptum Baptismum vel à matrimonio abstinere, vel in priùs inito perseverare cogatur cum contumelia DEI, salutis suæ periculo: quæ ratio cessat in eo, qui Religionem profitetur. 2. quòd Professio Religiosa possit dissolvere matrimonium ratum fidelium, & matrimonium ratum, à fideli converso initum, dissolvat consummatum, antè initum cum infideli, sunt privilegia singularia, & à communibus Regulis exorbitantia; singularium autem, & exorbitantium extensio facilè admittenda non est, nisi fortiter probetur *arg. Reg. quæ à Jure* 28. *in* 6. 3. qui Novitiatum auspicatur post matrimonium ratum, non tenetur priùs monere conjugem mansurum in sæculo, vel illo petente ad sæculum regredi: ad utrumque tenetur fidelis conversus; nam Novitiatum ingredi non potest, nisi infideli priùs monito, & si hic convertatur ad fidem, antequam Novitiatum ingressus Professionem faciat, tenetur iste, illo petente, ad sæculum regredi, & redintegrare cum illo matrimonium.

41 Non plus probatur per Argumentum ductum ex *l. accessionibus cit.* nam illi locus non est in iis, quæ proveniunt ex diverso Jure: proveniunt autem ex diverso Jure vis dissolvendi Matrimonium consummatum infidelium, & vis dissolvendi matrimonium ratum fidelium; nam prior Matrimonio rato fidelis conversi competit Jure Divino, posterior Professioni Religiosæ Jure Ecclesiastico.

Quæritur 3. an, & quibus casibus solvi possit Matrimonium ratum fidelium? *Certum est*, illud dissolvi, etiam quoad vinculum, Professione solemni in aliqua Religione, à Sede Apostolica approbata, edita. Patet ex *c. verum* 2. *c. ex publico* 7. *de convers. conjug. Extrav. antiquæ Joan. XXII. de Vot.* & Trid. *sess.* 24. *can.* 6. *de Sacr. Matr.* ibi, *Siquis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. Ratio est*, quia licèt etiam matrimonium ratum præter vinculum ex contractu ortum habeat rationem veri, ac propriè dicti Sacramenti novæ Legis, non tamen significat unionem insolubilem Christi cum Ecclesia, sed solubilem animæ per gratiam cum DEO; & hinc neque ipsum est insolubile. 42

Dub. 1. an Matrimonium ratum possit dissolvi dispensatione Summi Pontificis, ita, ut deinde utrique conjugi aliud matrimonium inire liceat? Negant Scot. *in* 4. *dist.* 31. *q.* 1. *v. tertio*, S. Bonavent. *ibid. dist.* 27. *art.* 3. *q.* 2. Alex. de Nevo *in c. tuas* 5. *de Sponsal. duor. nu.* 14. Turrecr. *in can. sicut, qui dicunt* 27. *q.* 2. *art.* 3. *nu.* 5. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 4. *n.* 13. Victoria *de Matrim. in Summ. num.* 281. Sot. *l.* 7. *de Just. quæst.* 2. *art.* 5. *v. & licèt peregre*, & *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 4. Gutier. *l.* 1. *can. qq. cap.* 17. *numer.* 12. Valent. *tom.* 4. *Disp.* 10. *quæst.* 1. *p.* 6. Pont. *l.* 9. *de Matrim. cap.* 3. *numer.* 1. Palao *tr.* 28. *Disp.* 3. *p.* 2. §. 2. *numer.* 3. Reiffenstuel *hic n.* 3. 43

Nititur Sententia ista partim authoritate, partim ratione. Nam 1. si Matrimonium ratum Pontificia Dispensatione dissolvi posset, posset dissolvi maximè casu, quo uni ex duobus amentia, aut furor, vel infirmitas aliqua accesserit, aut quo vir à Barbaris exsectus, excæcatus, vel membris truncatus fuerit, atqui ob hanc causam conjugia posse dissolvi, expressè negat Nicolaus Papa *can. hi qui* 25. *caus.* 32. *quæst.* 5. imò Christus ipse, dum *Matth.* 19. *vers.* 6. ait. *Quod DEUS conjunxit: homo non separet*; & *Quicunque dimiserit uxorem -- nisi ob fornicationem, mœchatur.* 2. Innocentius III. *cap. ex parte* 14. *de convers. conjug.* ad consultationem Archiepiscopi Lugdunensis respondit, *quòd ex quo Matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahitur, illis viventibus, in nullo casu possit dissolvi --- nisi fortè secus fieret ex revelatione Divina.* 3. Alexander III. in *capit. licèt* 3. *de Spons. duor.* reprobat judicium Prædecessorum, qui pronuntiaverunt pro Matrimonio, quod post primum cum una ratum initum est cum alia, & carnali copula consummatum; atqui non fuisset causa hoc judicium improbandi, sed potiùs credi debuisset dispensatum fuisse in priori rato, si in hoc Pontifex dispensare posset. 4. si Pontifex dispensare in matrimonio rato posset, aliquando in hoc dispensasset, atqui non constat antiquos Pontifices unquam in eo dispensasse: imò Innocentis VIII. ut testis est *Abb. in cap. ex publico citat. num.* 14. cùm supplicaretur ipsi pro matrimonii nondum consummati dispensatione, disertè respondit id se non posse. 5. si Papa in conjugio fidelium nondum consummato dispensare posset, in eodem dispensare cum infidelibus sibi subjectis possent Gentiles Principes; quia circa contractus, cujusmodi eorum Matrimonium ante consummationem est, non minus possunt, quam circa contractus fidelium possit Papa. 6. non potest Pontifex dispensare in Jure Divino, & naturali ex communi, & recepta TT. sententia; atqui Matrimonium etiam ratum Jure Divino, & naturali est insolubile; nam etiam de illo procedunt verba Christi, *Quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Matth. 19. *vers.* 6. 7. Matrimonium ratum est verè Sacramentum, & hujus essentia est, ut sit perpetuum, & insolubile; atqui Pontifex mutare essentiam Sacramenti nequit. 8. Matrimonium consummatum, ut *infrà numer.* 63. dicetur, ex indulgentia Pontificis dissolvi nequit; ergo nec ratum, utpote quod juxta communem non nisi accidentaliter à consummato differt, cùm carnale commercium solùm ad integritatem, non ad essentiam Matrimonii spectet. 44

Verùm his non obstantibus, dicendum, quòd Papa possit dispensare in matrimonio rato fidelium. Ita Gloss. *in cap. ex publico cit. fin.* Innocent. *ibid. in fin.* Joann. Andr. 45

Andr. *n.* 9. Anton. de Butrio *n.* 16. Abb. *nu.* 14. Sylv. *V. divortium q.* 4. Brunell. *de Sponsal. concl.* 1. *num.* 11. & *concl.* 30. *n.* 1. Navar. *Man. c.* 22. *n.* 21. Bellarm. *l.* 2. *de Monachis cap.* 38. *§. altera solutio est*, Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 8. *num.* 11. & *l.* 12. *c.* 5. *n.* 3. & *c.* 16. *n.* 7. Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 2. *c.* 16. Sanch. *l.* 2. *de Matrim. D.* 14. *nu.* 2. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 40. *nu.* 146. Suar. *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *cap.* 17. *nu.* 21. Petr. Barbos. *in Rubr. ff. solut. Matrim. part.* 2. *num.* 103. Aug. Barb. *l.* 2. *l. E.U. c.* 2. *n.* 121. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 4. Gobat *Theol. Exper. tr.* 10. *n.* 691. Clericat. *de Sacr. Matr. decis.* 15. *nu.* 38. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 148. *n.* 5. & 6. Vallens. *hic §.* 2. *n.* 2. Zoes. *ibid. n.* 9. Engl *n.* 8. Konig *n.* 6. Vviestner *nu.* 39. & *seqq.* Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5. *n.* 14. & *seqq.* estque sententia ista hodie receptissima, & vetissima, ita, ut Gobat, & Pignatell. *l. cit.* asserant, sine temeritate, & contumelia Sedis Apostolicæ contrarium afferi non posse.

46 *Ostenditur* 1. ex facto plurium Summorum Pont. in ejusmodi conjugiis dispensavit Gregorius VII. apud Baronium *in Annal. Eccl. ad annum Christi* 1074. Martinus V. & Eugenius IV. apud S. Antonin. *in Summ. p.* 3. *tit.* 1. *c.* 21. §. 3. Alexandet VI. apud Clericat. *l. cit. nu.* 22. Paulus III. & Pius IV. apud Navar. *Man. c.* 22. *n.* 21. Gregorius XIII. & quidem undecies una die apud Henriq. *l.* 11. *c.* 8. *n.* 11. *in Gloss. Lit. F.* Paulus V. præmissa consultatione S. Congreg. Concil. apud Fagn. *in c. perniciosam* 1. *de Offic. Jud. Ord. nu.* 61. Urbanus VIII. apud Corrad. *Prax. Dispens. Apost. l.* 8. *c.* 7. *num.* 35. & Vinc. de Just. *de Dispensat. Matr. l.* 2. *c.* 10. *nu.* 17. quos omnes Pontifices in re tam gravi erraffe sine temeritate dici non potest, ut rectè notant Valent. 3. *p. D.* 10. *q.* 1. *p.* 7. Pirhing *tit. de Sponsal. & Matr. nu.* 142. Vviestner *hic num.* 40. *Neque dicas*, hunc esse tantùm errorem facti, qui etiam admittitur in Pontifice; quia est de solubilitate vinculi matrimonii rati, de honestate, & valore Dispensationis in eo concessæ, item de valore, & honestate conjugii, post ita factam Dispensationem cum alio initi, in quibus si erratum est, apertè est error Juris.

47 *Ostenditur* 2. Potestas Papæ in iis præsertim, quæ publicum Ecclesiæ, & animarum bonum concernunt, extendi debet, quantum potest, hoc ipso, quòd eidem universalem gubernationem Ecclesiæ Christus commiserit verbis, *Quodcunque ligaveris*, & *Quodcunque solveris &c.* Matth. 16. *v.* 18. atqui Dispensatio in matrimonio rato concernit Publicum Ecclesiæ, & animarum bonum, quippe cùm per illam gravia Ecclesiæ mala impediri, ejusque, & animarum bonum promoveri possint; ergo nisi vinculum matrimonii rati aliunde sit penitus indissolubile, etiam ad hoc extendi debet potestas dispensandi Pontifici concessa à Christo; non est autem omnino indissolubile, si enim tale esset, esset vel ex ratione contractus, vel ex ratione Sacramenti, & significationis illius: non est tale ex ratione contractus, ut patet ex matrimoniis infidelium, quæ dissolvi possunt: non ex ratione significationis suæ; quia matrimonium ratum solùm significat conjunctionem Christi per Charitatem cum anima Justa, quæ conjunctio solvi potest; ergo &c.

48 *Ostenditur* 3. Potifex dispensare potest in Voto Solemni Religionis, ut habet verior Sententia, & dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 31. *numer.* 211. ergo etiam, & multo magis in matrimonio rato, cujus vinculum est infirmius vinculo Professionis Religiosæ, cùm per hanc matrimonium ratum solvatur: ut adeo locus sit Regulæ: *Si vinco vincentem te, à fortiori vinco te*; quam tradit Gloss. *in l. in accessionibus* 14. *ff. de divers. & temporal. præscript. Confirmatur* Sententia hæc non mediocriter ex resolutione Congregationis specialis, jussu *Clementis VIII. die* 16. *Jul.* 1599. super hoc puncto indictæ, in qua intervenerunt octo Cardinales, quatuor Auditores Rotæ, & duo alii Theologi, omnes viri sapientissimi, qui omnes unanimiter dixerunt, Papam in matrimonio rato dispensare posse, ut refert Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 148. *num.* 5.

49 Argumenta *n.* 44. allata plus apparentiæ, quàm veritati habent. *Ad* 1. textus ille *canon. hi qui citat.* uti & verba Christi, *Quod DEUS conjunxit, homo non separet &c.* intelligi debent de matrimonio consummato, ut liquet ex *c. de publico* 7. *de convers. conjug. Ad* 2. Pontifex in *c. ex parte cit.* non dicit, quòd matrimonium ratum, utroque conjuge vivente, aliter, quàm Divina revelatione solvi non possit, sed solùm ait, quòd *id possit non inconsultè videri*: quo tamen ipse nihil motus, ad Archiepiscopum Lugdunensem rescribit, non obstante vinculo matrimonii rati, licitum esse cuilibet, altero etiam inconsulto, ad Religionem transire, & ibi profiteri. Et hinc potiùs confirmatur nostra sententia; nam Professio Religiosa præcisè ratione solemnitatis, quæ tamen Jure Ecclesiastico introducta est, vim dissolvendi matrimonium ratum habet, ut dictum est *supra Tit.* 6. *num.* 48. igitur certum est, quòd potestas Ecclesiæ ad dissolutionem matrimonii rati se extendat, si autem ad hanc se extendit, authoritate ejusdem Ecclesiæ obtineri illa etiam per viam Dispensationis poterit. *Ad* 3. in *capit. licèt citat.* solùm receditur à facto Prædecessorum, pronuntiantium pro valore secundi matrimonii consummati, initi motu proprio, & non petita, vel obtenta Apostolica Dispensatione. *Ad* 4. Minoris propositionis falsitas patet ex *nu.* 46. Dum Innocentius VIII. negavit se dispensare posse, id intelligendum est, non quòd hoc non possit absolutè Pontifex, sed quod istud non possit licitè sine justa causa; nam facere id solùm posse dicimur, quod à nobis fieri justè, honestèque potest. *Ad* 5. negatur paritas; nam Principes infideles potestatem in suos subditos ordinariam, merèque humanam habent; dum verò Papa dispensat in matrimonio rato fidelium; utitur potestate extraordinaria, & Divina, sibi à Christo concessa. *Ad* 6. retorqueri potest in Voto; nam etiam in hoc dispensare Pontifex potest, etsi obligatio illius sit Juris Divini, imò & naturalis. In utroque ergo dispensat Pontifex, quia ita ipsi concessit Christùs: quamvis propriè non sit Dispensatio, quippe cùm dispensando Pontifex solùm tollat contractum, vel Votum, quo tanquam fundamento sublato, cons. tollitur obligatio Juris Divini. *Ad* 7. licèt Matrimonium ratum sit Sacramentum, pendet tamen ex contractu humano, in quo fundatur ratio Sacramenti: hoc igitur dissoluto per authoritatem Pontificis, indirectè etiam definit ratio Sacramenti, dum Contractus irritatur. Quare dicendum, quòd Pontifex solùm non possit aliquid directè mutare circa essentiam Sacramenti. Ad id, quod additur, essentiam Sacramenti esse, ut sit perpetuum, & insolubile, dico, per hoc non excludi potestatem Papæ concessam à Christo. *Ad* 8. imprimis si Argumentum istud probaret aliquid, probaret, quòd neque per Professionem Religiosam dissolvatur Matrimonium ratum. Deinde esto, quòd Matrimonium ratum non differat essentialiter, sed integraliter tantùm à Matrimonio consummato, insollubilitas vinculi non oritur ex differentia essentiali, sed ex significatione diversa; nam consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ insolubilis est, ratum verò solùm significat conjunctionem ejusdem cum anima per gratiam, quæ conjunctio per peccatum mortale solvitur, mirum igitur videri non debet, quòd ratum quidem solvi possit, consummatum verò sit insolubile.

Dub. 1. An valida sit Dispensatio, in Matrimonio 50
rato à Papa indulta, si illam sine justa causa indulserit? Affirmant Gloss. *fin. in c. ex publico* 7. *de convers. coniug.* Gotfred. *ibid.* Berojus *in c. quæ in Ecclesiarum* 7. *de Constit. n.* 104. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 8. *nu.* 11. *in comment. lit. G.* & alii apud Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 15. *n.* 1. sed non omnes eadem ducti ratione; nam *Glossa* cum duobus prioribus id affirmat, quòd existiment indissolubilitatem Matrimonii rati solùm haberi ex Jure humano: *Henriquez* autem, quia indissolubilitatem ejus cum plerisque aliis Jure Divino inductam agnoscit, id refundit in necessitatem Ecclesiæ; putat enim ad tollendam rerum, & conscientiarum perplexitatem omnino necessarium, vel saltem valde expediens fuisse, Pontifici à Christo concedi potestatem, ut etiam sine justa causa validè in Matrimonio rato dispensare possit.

Sed probabilius est, ejusmodi Dispensationem, sine 51
causa concessam, invalidam esse. Ita Abb. *in c. ex parte* 14. *de convers. coniug. num.* 3. Curt. Jun. *cons.* 170. *n.* 28. Menoch. *de Præsumpt. l.* 2. *præsumpt.* 10. *n.* 37. Barbos. *ff. solut. matr. p.* 2. *rubr. n.* 105. Sanch. *D.* 15. *cit. n.* 6. Gutier. *de matr. c.* 53. *n.* 3. Tanner. *to.* 4. *D.* 8. *dub.* 4. *n.* 68. Pirhing. *tit. de Sponsal. & matr. c.* 145. Vviestner

hic n. 46. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5. *n.* 36. Ratio est, quia insolubilitas, quam Matrimonium ratum habet, juxta communem ferè omnium alicujus nominis DD. sensum descendit ex Jure Divino; atqui in hoc non pro libitu, sed suadente tantùm, aut exigente justa causa, dispensandi potestatem Pontifex à DEO accepit, ut cum S. Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. & Gloss. *in cap. non est* 5. *v. adimplere de Vot.* passim tradunt TT. & Canonistæ: cujus ratio ulterior est, quia ad ædificationem, non verò ad destructionem, ac dissipationem hæc potestas à Christo concessa Pontifici est.

52 Et hinc ruit utraque ratio allata in contrarium; quia nulla utilitas Ecclesiæ, vel necessitas potest exigere, ut dispensatio præsertim in Jure Divino sine justa & rationabili causa detur, cùm talis dispensatio sit dissipatio, non verus usus rectus potestatis concessæ. Porro, existente justa causa, ut Pontifex dispenser in Matrimonio rato, non desideratur mutuus conjugum consensus, sed dispensare potest, altero eorum invito; quia repugnantia alterius Pontificis potestatem impedire nequit, ne alteri habenti justam causam, & dispensationem petenti consulat, ut aliis *citt.* notat Sanch. *l. cit. n.* 7.

53 Dub. 3. Quæ sint causæ justæ, & sufficientes ad dandam, & impetrandam Dispensationem in Matrimonio rato? *Certum est*, non sufficere quamlibet causam, sed omnino gravem postulari; quia in illis casibus, in quibus obligatio nascitur ex Jure Divino, & naturali, urgentiora Dispensationis motiva requiruntur, quàm si tantùm ex humano Jure descendat obligatio. Non autem opus est semper causa publica; nam, ut Gobat *Theol. Exper. tract.* 10. *numer.* 691. testatur, Innocentius X. præmissa accurata discussione, dispensavit cum homine plebejo, & absque causa, bonum publicum spectante.

54 Pro sufficientibus in specie habentur. 1. Valde notabilis disparitas in statu, & conditione inter contrahentes, quæ est mater discordiarum, & sæpe tristissimos parit exitus. Et hac ex causa apud Romanos nuptiæ inter impares illegitimæ habebantur, ut testatur Boetius *in Comment. Topic. Ciceronis.*

2. Inter hos, & eorum consanguineos metuendæ graves inimicitiæ, rixæ, cædes, & scandala; quia id cedit in magnum damnum commune. Et hinc pro justa ad petendam, & impetrandam in Matrimonio rato dispensationem habet Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 16. *n.* 4. quando vir omni conatu quærit uxorem repellere, absque sanioris mentis spe probabili; quia sicur duorum in unum consensus amicitiam, ita dissensus discordias, & inimicitias perpetuas parit.

55 3. Superveniens Matrimonio rato Impotentia; quia cessat Matrimonii finis. Et in hoc sensu intelligendi sunt Alciat. *resp.* 21. *num.* 16. & Menoch. *præsumpt.* 16. *n.* 44. dum dicunt sterilitatem esse justam causam; nam sterilitas, quæ Impotentiam non habet sibi adjunctam, causa justa non videtur esse, cùm non apparet, qualiter ante consummationem cognosci valeat.

4. Superveniens alteri lepra, vel alia infirmitas, Matrimonii usum impediens; quia cùm Matrimonium ordinetur ad mutuum corporis usum, lepra autem ob magnum contagionis periculum hunc usum impediat, Matrimonii finis non obtinebitur: & sic Borgasius *de Irregul. part.* 6. *tit. de Sponsal. n.* 74. dicit Martinum V. dispensasse ob Lepram.

56 5. Si contrahentium alter constanter assereret, se non habuisse animum contrahendi: quod cum Sanch. *l. cit. num.* 6. *v. quarta* tunc credo verum, quando ille nullo modo induci potest, ut præstet verum consensum, & ita ex Matrimonio tam coacto graves inimicitiæ oriantur.

6. Si vir eligatur in Episcopum, quo limitat Sanch. *n.* 7. quando ille iisdem dotibus præditus est, ut valde necessarium sit ad bonum commune, eum in Episcopum promoveri; tunc enim causa bono communi consulendi esset sufficiens: extra hunc eventum autem non apparet, cur sufficiat.

57 7. Quem casum addit P. Wiestner *hic n.* 45. si Sponsa, præsertim Regia, cum ad Sponsum deduceretur, ab hostibus fuisset intercepta, & ejus liberandæ, aut recuperandæ non esset spes.

Videantur Sanch. *D.* 16. *cit.* Perez *D.* 20. *sect.* 7. *nu.* 13. Gobat *Theol. Exper. tr.* 10. *n.* 691. Clericat. *de Sacr. Matr. dec.* 15. *à n.* 44. Pith. *tit. de Sponsal. & Matr. n.* 145. Konig *de Sponſ. duor. n.* 8. *v.* 3. *fin.* Zoes. *hic num.* 9. Wiest. *ibid. num.* 45. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5. *num.* 35.

Dub. 4. Utrum Pontifex dissolvere dispensando possit Matrimonium ratum, vel etiam consummatum infidelium, si post susceptum ab utroque Baptismum consummatio nova non superveniat. *Certum* est ex causis hactenus allatis post susceptum ab utroque Baptismum dissolvi posse, si ratum duntaxat sit; tunc enim contrahentes jam subjiciuntur secundùm se, & secundùm Matrimonium suum potestati, & Jurisdictioni Pontificis. 58

Controversia est de Matrimonio consummato ante Baptismum ab utroque susceptum. Affirmant etiam hoc casu Dispensationi Pontificis locum esse. Navarr. *titul. de convers. Infid. edit.* 1. *cons.* 1. & *edit.* 2. *cons.* 3. *ad* 2. *à n.* 12. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 17. *num.* 2. Pithing *tit. de Sponſ. & Matr. n.* 146. Rationem dant; quia Pontifex, ut hactenus dictum est dispensatione solvere potest Matrimonium ratum fidelium, cujus firmitas major est, quàm Matrimonii consummati infidelium, cùm istud per Matrimonium ratum ab infideli ad fidem converso initum, solvatur; ergo multo magis dispensare Pontifex poterit in Matrimonio consummato infidelium, conversorum ad fidem. 59

Sed meliùs respondetur negativè. Ita Coninck. *D.* 26. *de Matr. n.* 66. Pont. *l.* 9. *c.* 2. *n.* 8. Wiestner *hic n.* 34. Ratio est, quia suscepto Baptismo, Matrimonium illorum jam est ratum, & consummatum, ac proinde indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia jam repræsentat *cap. debitum* 5. *de Bigam.* ut adeo nulla ampliùs potestate humana dissolvi possit. 60

Ad rationem in contrarium allatam negatur paritas inter Matrimonium ratum fidelium, & consummatum infidelium ad fidem conversorum; quia ex dissolutione Matrimonii rati fidelium non oriuntur illa incommoda, quæ oriuntur ex dissolutione Matrimonii consummati. Accedit, quia Matrimonium validum semel consummatum insollubilitatem habet à DEO, neque constat, quòd ejus solvendi potestas concessa sit Ecclesiæ, aut ab ista aliquando usurpata. 61

Dub. 5. Utrum extra prædictos duos casus, videlicet Professionis Religiosæ, & Dispensationis Pontificiæ, alio modo Matrimonium ratum dissolvi possit? Resp. non posse solvi alio modo, nisi morte alterutrius conjugis, etiam per Matrimonium subsequens consummatum; nam hoc invalidum est, & neque licitè, neque validè contrahi potest, antequam vinculum conjugii, inter contrahentes initi, solvatur morte *can. cùm per bellicam* 1. *caus.* 34. *q.* 1. *c. in præsentia* 19. *de Sponsal. cap. Dominus* 2. *de secund. nupt. c. licèt* 3. *de Sponſ. duor.* 62

Quæritur 4. Quanta sit insollubilitas Matrimonii fidelium consummati? Resp. Matrimonium fidelium consummatum quoad vinculum sola morte naturali alterutrius conjugis dissolvi potest, non autem ulla aut privata, aut publica, etiam Apostolica Authoritate, & ex quacunque, etiam gravissima causa. Ita definitum est à Trid. *sess.* 24. *can.* 5. *de Sacr. Matr.* ubi, *Si quis dixerit*, inquit, *propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit.* Idem de adulterii causa exprimitur *can.* 7. Ratio est, quia Matrimonii consummatione conjuges una caro efficiuntur, & Matrimonium sic consummatum perfectè significat admirabilem illam unionem Christi cum Ecclesia, igitur sicut unio ista est insolubilis, ita etiam insolubile erit Matrimonium consummatum, quod illam unionem significat. 63

Dub. 1. An insolubilia sint conjugia, quæ ineuntur ab Hæreticis nostri temporis tum inter se, tum cum Orthodoxis? Negativam non improbabilem esse existimavit non ita pridem Doctor quidam Catholicus apud Gobat *Theol. Exper. tr.* 10. *num.* 703. & Lohner *Biblioth. Man. tit.* 141. *q.* 40. quam suam opinionem Author iste sequentibus firmat Argumentis. 1. Quia Hæretici non intendunt contrahere Matrimonium aliud, quàm quod ipsi, eorumque secta agnoscit; ipsi autem cum secta sua tota non agnoscunt in Matrimonio Sacramentum, sed contractum merè humanum, atque civilem, adeoque solubilem; ergo etiam talem, matrimonium contrahendo, intendunt inire. 64

2. Si esset aliqua ratio, ex qua etiam ipsi censeri deberent 65

rent contrahere insolubiliter, esset, quia dum volunt contrahere matrimonium, semper intentionem generalem habent contrahendi matrimonium, prout illud à Christo est institutum; atqui ex isto non probatur; quòd contrahant insolubiliter; nam generali huic intentioni prævalet judicium particulare, quo per errorem existimant institutum à DEO, & in Ecclesia receptum esse contractum matrimonii solùm solubilem, & quo errore determinati matrimonium defacto contrahunt, ut patet ex praxi Consistoriorum Hæreticorum, ad secundas nuptias transitum permittentium conjugibus, quorum consortes conjugalem thorum polluerunt adulterio, vel ejuratis erroribus, ad Ecclesiæ gremium sunt reducti.

66 3. Licèt voluntas intentione generali semper feratur in bonum, quia tamen sæpè à judicio particulari erroneo, generali illi intentioni prævalente, determinatur ad malum, malum aliquando præ bono eligit; atqui eodem prorsus modo judicium erroneum, quod Hæretici de matrimonii solubilitate habent, prævalet intentioni generali contrahendi matrimonium, Divinæ institutioni, & veræ Ecclesiæ doctrinæ conforme; igitur si ab hoc judicio erroneo determinetur voluntas, contrahetur Matrimonium tantùm solubile.

67 4. Si hoc judicium erroneum non prævaleret, contra communem omnium sensum sequeretur, non dari ullos Hæreticos materiales; quia assensus erroneus particularis, ex falsis motivis ortus, non prævaleret, sed corrigeretur ab assensu generali, & Orthodoxo, quem ipsi in genere præstant omni veritati Divinitus revelatæ.

5. Si contrarium non probetur Matrimonium iniri præsumitur juxta morem loci, in quo versantur contrahentes; atqui moderni Hæretici communiter intendunt contrahere Matrimonium, quod sit solubile; ergo &c.

68 Quibus ita deductis, Doctor memoratus infert, casu, quo conjugum unus ad fidem Orthodoxam conversus, alter verò in Hæresi perseverans Heterodoxi Consistorii authoritate à nuptiali vinculo absolutus, & alteri copulatus est, etiam converso ad fidem Catholicam permitti posse transitum ad alia Vota: *& rationem*, dat, quia cùm in primo Matrimonio contrahentes non Sacramentum, sed contractum tantùm humanum, eumque solubilem inire intenderint, intentio autem ista repugnet substantiæ, & bono Sacramenti, Matrimonium ita initum invalidum fuit ob defectum consensus.

69 Sed his non obstantibus, ad propositum dubium respondetur distinguendo: Vel enim sic contrahentes laborant quidem errore, existimantes, Matrimonium inter Christianos in quibusdam casibus solvi posse, simul tamen habent intentionem contrahendi Matrimonium, quale ex institutione Divina contrahi potest, & necessarium est contrahi ad procreationem legitimæ prolis; vel contra ita Matrimonium ineunt, ut errori huic suo intentionem suam alligent, & expresè aliter nolint contrahere, quàm sub conditione solubilitatis.

70 *Si primum*, error ille, sive unius, sive utriusque contrahentis sit, valori, & insolubilitati Matrimonii nullum ponit obstaculum. *Ratio clara* est, quia tali casu prævalet intentio generalis contrahendi Matrimonium legitimum, quale revera inter Christianos unicè est Matrimonium insolubile. *Si secundum*, intentio illa particularis Matrimonii valori, & insolubilitati obstat, ut in terminis docent Suar. *de Sacram. D.* 13. *sect.* 2. §. *superest*, Lugo *de Sacr. D.* 8. *n.* 131. Pont. *Append. de Matrim. Hæret. c.* 9. *n.* 10. Perez *de Matr. D.* 14. *sect.* 7. *n.* 5. Gobat. *Theol. Exper. tr.* 10. *n.* 707. Vviestner *hic num.* 17. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5. *n.* 74. *&* 75. *Ratio est*, quia talis intentio, & consensus apertè repugnat substantiæ matrimonii, sive ejus bono, quod dicitur Sacramenti; intentio autem, & consensus repugnans substantiæ matrimonii contractum ejus invalidum reddit *c. fin. de Condit. apposit.* Responsio utraque satis certa est.

71 *Punctum difficultatis* in eo consistit, qua intentione censeantur Hæretici contrahere, dum contrahunt matrimonium, existimantes, id certis casibus solvi posse? Resp. nisi de contrario constet, semper præsumendum est, quòd contrahant cum intentione generali ineundi matrimonium tale, quale inter Christianos validè iniri potest. *Ratio est*, quia in dubio favendum est matrimonio jam contracto, & pronuntiandum pro ejus valore, prout est Regula *c. fin. de sentent. & re judic.* quæ ab omnibus recepta, adeoque constans est, ut etiam opinio unius Doctoris Classici singularis, si pro valore ejusdem militet, præferri debeat Sententiæ etiam plurium, valorem illius impugnantium, prout docent Abb. *in c. si vir* 2. *de Cognat. Spirit. n.* 3. Alex. de Nevo *h. tit. n.* 6. Berojus *in c.* 1. *de Constit. n.* 27. Menoch. *l.* 1. *præsumpt.* 71. *num.* 31. Gaill. *l.* 2. *obs.* 94. *n.* 19. Vviestner *hic n.* 19.

Ex quo sequitur 1. quòd matrimonium Hæreticorum, si aliud requisitum non desit, etiam sit Sacramentum; quia volunt matrimonium contrahere, quale inter Christianos, & in vera Ecclesia contrahi validè potest; non potest autem aliter illud contrahi, nisi simul sit Sacramentum, ergo &c. 72

Sequitur 2. quòd ita contractum ab Hæreticis, etsi per errorem existiment, illud certis casibus solvi posse, revera sit insolubile; habent enim, dum contrahunt, intentionem generalem, & efficacem contrahendi matrimonium verum, sive quod institutioni Divinæ, & Ecclesiasticæ traditioni conforme est, atque ad legitimæ prolis procreationem habile; atqui hujusmodi intentio virtualiter includit insolubilitatem vinculi, quippe quæ ad veri, & Divinæ institutioni, atque Ecclesiasticæ traditioni conformis conjugii substantiam pertinet, vel saltem ex ea promanat; ergo &c.

Sequitur 3. si conjugum unus ad fidem Orthodoxam convertatur, alter in Hæresi perseverans, Heterodoxi Consistorii authoritate ad alia Vota transeat, non posse permitti converso, ut etiam ipse aliud Matrimonium celebret, nisi probet vel conjugem Hæreticum vita functum, vel in priùs inito contractu insollubilitatem expresè exclusam. Patet ex praxi tum veteri, tum hodierna Curiarum Ecclesiasticarum, quæ Hæreticis, ad Fidem Orthodoxam conversis, ante conjugis, in Hæresi relicti, obitum nunquam permittit facultatem novas nuptias ineundi, solùm ex præsumptione, qua Matrimonia, ab Hæreticis inita, pro validis habet, qualia tamen non essent, si fuissent contracta solubiliter. 73

Neque obstant Argumenta *à numer.* 64. pro contraria Opinione allata. *Ad* 1. etsi Hæreticus, dum contrahit Matrimonium, nihil cogitet de conficiendo, vel administrando etiam Sacramento, imò etsi nolit expressè conficere Sacramentum, modò errori huic suo intentionem non alliget, sufficienter adhuc intendit conficere Sacramentum, dum intendit contrahere verum Matrimonium; nam verum Matrimonium, post elevationem illius ad dignitatem Sacramenti, inter Christianos solùm est illud, quod simul est Sacramentum: ex quo sequitur, quòd intentio conficiendi Sacramentum jam includatur in intentione celebrandi verum, & legitimum Matrimonium. Accedit, quia insolubilitas Matrimonii non oritur ex eo, quòd sit Sacramentum; nam Matrimonium ratum est Sacramentum, & tamen Professione Religiosa, & Dispensatione Apostolica solvi potest, & è contrario Matrimonium infidelium Sacramentum non est, quamvis si uterque convertatur ad Fidem, per ipsam susceptionem Baptismi reddatur insolubile, sed insolubilitas ista oritur ex significatione, qua, si consummatum sit, ex institutione Divina significat insolubilem unionem Christi cum Ecclesia: & hinc, etsi, ut magni nominis DD. existimant, Matrimonium, à fidelibus initum cum intentione non conficiendi Sacramentum, Sacramentum non sit, si tamen consummatum sit, omnimodam nihilominus insolubilitatem habet. 74

Ad 2. error ille insolubilitati Matrimonii tum solùm obest, quando contrahens eidem alligat intentionem suam: quòd verò non semper illum eidem alliget, sed potiùs, ubi de contrario non constat, prævaleat intentio generalis, apertè colligitur ex doctrina Apostoli, qui 2. *Corinth.* 7. *v.* 12. *&* 13. conjugi fideli consulit, ut perseveret in conjugio inito in infidelitate, si infidelis ei cohabitare consentiat; atqui hoc consulere non potuisset Apostolus, nisi existimasset, Matrimonia etiam infidelium Jure Divino insolubilia esse, & taliter etiam contrahi, non obstante errore, quòd juxta Leges suas per Libellum repudii existimarent ea posse dissolvi. *Conf.* ex *c. gaudemus* 8. *v. qui autem h. tit.* ubi ex Rescripto Innocentii III. vir, qui in infidelitate secundùm sanctiones Legales, prima uxore repudiata, duxit aliam, Baptismo suscepto, ad primam, si illa absque contumelia Crea- 75

toris ipsi cohabitare velit, redire cogitur; non autem potuisset cogi, nisi Pontifex laudatus præsumpsisset, quòd Matrimonium, in infidelitate initum, validum, & insolubile sit, non obstante, quòd initum sit cum errore ab existimantibus repudium sibi permissum esse. Quod additur de praxi Consistoriorum Heterodoxorum, non obest; quia ab his in certis casibus solvuntur conjugia, non tam, quòd contrahentes habuerint intentionem ineundi Matrimonium solubile, quàm quòd per errorem existiment ista inter fideles validè inita certis casibus dissolvi posse.

76 *Ad* 3. negatur paritas: nam bonitas illa apprehensa in re, quæ ex se mala est, movet voluntatem ad appetendum; non autem movet Hæreticos ad contrahendum conjugium judicium illud erroneum, quo existimant illud solubile esse: quod inde constat, quia etsi scirent illud Jure Divino insolubile esse, id nihilominus adhuc contraherent, tanquam remedium concupiscentiæ, & conjunctionem necessariam ad legitimam prolis procreationem.

Ad 4. nego sequelam; nam hoc ipso Hæretici materiales sunt, dum judicium erroneum in aliquo Fidei articulo inculpabiliter habent.

Ad 5. præsumptione illa est fortior alia, qua præsumuntur Hæretici potiùs vera, & valida contrahere velle Matrimonia, ex quibus possint habere liberos legitimos, quàm invalida, & nulla, ex quibus non prodeant, nisi illegitimi, aut Spurii.

77 Dub. 2. & inter nos, ac temporis nostri Sectarios percelebris controversia est, an in Lege Evangelica vinculum Matrimonii fidelium consummati dissolvi possit ex causa fornicationis, vel adulterii, à conjugum altero perpetrati? Affirmant Sectarii, præsertim Lutheri, atque Calvini asseclæ, & probant. 1. Ex verbis Christi *Matth.* 5. *v.* 31. *&* 32. ibi: *Dictum est autem: Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii; ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Item *cap.* 19. *vers.* 9. ait Servator: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ex quibus duobus textibus sic argumentatur: Exceptio ex natura, & significatione sua ponit oppositum Antecedentis, cui immediatè adversatur, per ea, quæ *arg. Reg. Peccatum* 4. *in* 6. & *l. actione* 4. *C. de Transact.* cum aliis DD. tradit Barbos. *Usufr. Dict.* 217. *à numer.* 2. atqui *citt.* textibus Christus Dominus utitur exceptione in casu fornicationis. igitur cùm extra hunc casum non sit permissum viro aliam ducere, priore repudiata, id licebit in casu fornicationis, seu adulterii ab uxore commissi.

78 2. Si per verba Christi *citt.* non permitteretur dissolutio Matrimonii ob causam fornicationis, seu adulterii, ab altero conjuge commissi, ideo non permitteretur, quia verba *citt.* intelligenda forent de sola uxoris dimissione quoad thorum, & cohabitationem. atqui hic sensus verborum *citt.* esse non potest, quod partim ex interrogatione Pharisæorum constat, qui non de dissolutione matrimonii quoad thorum, & cohabitationem, sed quoad ipsum vinculum proponebant quæstionem, cui proinde non concordaret responsio, si Christus dixisset, eo casu permitti solùm dissolutionem matrimonii quoad thorum: partim verò ex eo, quia Christus ibi adulterii, & mœchiæ arguit illum, qui uxorem suam alia, quàm fornicationis, causa dimittit. atqui hujus reus non fit, qui uxorem ex alia, quàm fornicationis causâ, dimittit à thoro, & cohabitatione tantùm sed ille solùm, qui ea dimissa, alteri copulatur. ergo &c.

79 3. Divortium novæ, & Evangelicæ Legis à Christo Domino subrogatum est Repudio Legis antiquæ, per Moysen promulgatæ. atqui Repudio Legis antiquæ, ex justa, e. g. fornicationis causa instituto, dissolvebatur matrimonium quoad ipsum vinculum. igitur etiam sic dissolvetur divortio novæ Legis.

4. Ipse Zacharias Papa agnoscit solubilitatem vinculi ex causa fornicationis; nam, ut refertur *can. concubuisti* 23. *caus.* 32. *q.* 7. *Concubuisti*, inquit, *cum sorore uxoris tuæ si fecisti, neutram habeas: & si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit.*

80 4. S. Ambrosius, cùm retulisset verba Apostoli 1. *Corinth.* 7. *Uxor à viro non discedat, nisi causa fornicationis: quod si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro suo: & vir similiter non dimittat uxorem*, hæc verba subdit: *Ideo non subdit de viro, quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam*, prout refertur, *can. uxor.* 17. *q. cit.*

6. Concilium apud Vermerias celebratum, ut habetur *can. si qua mulier* 6. *caus.* 31. *q.* 1. ita statuit: *Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest ille vir, eam ream esse consilii, potest (ut nobis videtur) ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam ducere.*

Verum his non obstantibus, est Ortodoxa veritas, & ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio ad nostra usque tempora propagata traditio Ecclesiæ, quòd divortio, ex causa fornicationis instituto, nuptiale vinculum non dissolvatur, & conjugi innocenti duntaxat à communi thoro, & cohabitatione, non verò etiam ad alia Vota, vivente altera consorte, transire permissum. 81

Ostenditur 1. ex verbis Christi, *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Marc. 10. *v.* 11. Et: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Luc. 16. *v.* 18. quibus verbis generaliter negatur, quòd conjux, postquam dimisit conjugem, ex quacunque causa illum dimiserit, eo superstite, cum alio copulari possit, quod pulchrè observat August. *l.* 1. *de Adult. conjug. cap.* 9. ubi, *Quicunque*, ait, *uxore sua dimissa, alteram ducit, sine dubio ibi sunt ambo, & qui præter, & qui propter causam fornicationis dimittit; hoc enim* Quicunque, *hoc est, omnis qui dimiserit.* 82

2. Ex Apostolo 1. *Corinth.* 7. *v.* 10. ubi, *iis*, inquit, *qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* atqui eo loco, ut bene advertit August. *l.* 1. *cit. capit.* 1. 2. *&* 21. *l.* 1. *de Serm. Dom. cap.* 26. & alibi, Apostolus loquitur de casu, quo integrum est mulieri discedere, nempe ob viri fornicationem; aliàs enim determinatè præciperet ei reditum, & reconciliationem, ergo nec quando ex causa fornicationis, vel adulterii conjux discedit à conjuge, ad alia vota innocenti transire licet. 83

3. *Ex significatione*, quam matrimonium fidelium consummatum habet; ex Divina enim institutione significat perpetuam, & insolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia: in qua significatione deficeret, si ejus vinculum per se perpetuum, & indissolubile non foret.

4. *Ex can.* 47. *Apostolorum*, ubi à *communione* fidelium *segregari* jubetur *Laicus, si cùm suam à se uxorem abiicit, alteram duxerit, aut ab alio dimissam*: quo loco nulla excipitur causa. Concordant aliæ Constitutiones Pontificiæ, præsertim Evaristi, qui quartus à D. Petro universalis Ecclesiæ Pontifex fuit; nam *Epist.* 2. cum dixisset, *neque ab Episcopo Ecclesiam, neque ab Ecclesia Episcopum deberi deseri*, id probans à paritate, ait: *Sicut vir non debet ducere aliam, nec uxor alium, etiamsi vir fornicatus fuerit.* 84

5. *Ex Concil. Flor. & Trid.* Florentinum *in Decret. Union.* §. *septimum*, *Quamvis autem*, inquit, *ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cùm Matrimonii legitimè contracti vinculum sit perpetuum.* Tridentinum *sess.* 24. *can.* 7. *de Sacr. matr.* ita statuit, *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit; & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit, Anathema sit.* 85

6. *Ex incommodis*, quæ dissolutio matrimonii quoad vinculum, ex causa fornicationis facta, afferret; præterquam enim, quòd ejusmodi dissolutio cederet in grave damnum, & præjudicium prolis, si novis conjugiis ab utroque parente initis, pro Patre Vitricum, vel pro Matre Novercam inciperent habere, plurimis divortiis aperiretur via: imò sæpe, ut ad divortium, & nova conjugia perveniri posset, committerentur adulteria, à quibus è contrario conjuges absterrentur, si sciant, 86

ob

ob adulterium, à se commissum, separationem quidem fieri posse quoad thorum, & cohabitationem, cum obligatione tamen, facto divortio, se continendi, vel reconciliandi.

87 7. *Ex ratione* sumpta ex communi Regula: nam ex delicto suo non debet delinquens referre commodum. referret autem commodum ex adulterio adulter, si innocente ad alia Vota transeunte, matrimonii vinculum solveretur; nam eo soluto, etiam adulter dimissus aliud Matrimonium inire posset: imò ipsius conditio foret melior, quàm sit conjugis, qui nulla sua culpa, v. g. ex causa gravis morbi, aut ex odio, & per injuriam à thoro, & cohabitatione perpetuò excluditur; nam talis non potest inire Matrimonium aliud, quod tamen inire posset adulter dimissus.

88 Ex his facilè solvuntur Argumenta Hæreticorum *à n.* 77. recensita. *Ad* 1. textus ille S. Matthæi, ut cum duobus *citat.* S. Marci, & S. Lucæ plenè concilientur, intelligi debent non de dissolutione vinculi, sed tantùm de separatione quoad thorum, & cohabitationem. *Neque obstant* verba *Excepta fornicatione* & *nisi ob fornicationem*; nam verba ista referri debent ad sola verba antecedentia, ita, ut sensus sit: *Omnis, & quicunque dimiserit uxorem suam, extra causam fornicationis, mœchatur, aut facit eam mœchari*; quia dum illam sine justa causa dimittit, occasionem illi fornicandi præbet, ut propterea dimissæ fornicatio ipsi imputetur: ita exceptionem hanc cum *S. Thom. S. Bonav.* & aliis melioris notæ Interpp. explicant Canis. *in c.* 2. *hoc tit. num.* 9. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 4. *v. non obstat*, Zoes. *n.* 2. Engl *n.* 9. Reiffenstuel *n.* 12.

89 *Ad* 2. etiamsi *cit.* Christi verba solùm accipiantur de separatione quoad thorum, & cohabitationem, adhuc tamen responsio satisfecit interrogationi Pharisæorum; interrogarunt enim isti de dimissione uxoris perfecta, quæ duo continet, separationem quoad thorum, & cohabitationem, & separationem quoad vinculum: quarum primam Christus Dominus ex causa fornicationis licitam esse concessit, alteram denegavit.

Ad 3. ut rectè Abulens. *in Matth. c.* 19. *q.* 76. *ad* 5. notat, Repudio Veteris Legis in Lege nova subrogatum est Divortium quoad solam uxoris dimissionem, & separationem à thoro, & cohabitatione & quidem ex unica fornicationis causa; quoad illius dimissionem autem ex aliis causis, & quoad potestatem, adultera dimissa, ducendi aliam antiquatum est.

90 *Ad* 4. Decretum Zachariæ Pontificis *can. concubuisti* relatum intelligendum est de nuptiis contrahendis post primas nuptias morte dissolutas, quas Pontifex hoc suo Decreto permittit uxori innocenti post obitum viri adulteri, huic verò post obitum uxoris spem omnem adimit sive cum sorore uxoris defunctæ, cum qua adulterinè, matrimonio durante, concubuit, sive cum alia. Patet explicatio hæc ex *can. hi verò* 22. *caus.* 32. *q.* 7. ubi neutri, altero vivo, permittuntur novæ nuptiæ, innocenti verò non aliàs, quam altero defuncto.

91 *Ad* 5. aliqui textum *can. uxor cit.* pro apocrypho, & ab Hæreticis supposito habent. Illi, qui textum istum adscribunt S. Ambrosio, dicunt eum esse tantùm duntaxat, quòd secundùm Legem Juliam, quæ eo tempore fori usu recepta erat, nuptiæ permissæ fuerint marito innocenti, non verò uxori adulteræ. Quod verò hic S. D. agnoverit, id non procedere secundùm Legem Christi, patet ex *l. Abraham c.* 4. *&* 7. & *in Luc. cap.* 16. ubi docuit, secundùm Legem Christi, æquam viri, & mulieris rationem esse.

92 *Ad* 6. imprimis Concilium illud, apud Vermerias, sive Vvormatiam celebratum, particulare est. Deinde eo textu non permittitur aliud conjugium, sed tantùm dicitur permissum videri. Denique textus ille videtur esse mendosus; nam apud S. Ivonem verba, *Potest, si voluerit, aliam ducere*, non reperiuntur, & *cap. siqua mulier* 1. *hoc titul.* ei substituta leguntur verba: *Potest ipse post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere*; quod viro mortuo, non permittitur uxori, cùm ad perpetuam pœnitentiam publicam sit condemnata.

93 Quæritur 5. quid requiratur, ut matrimonium sive ratum, sive consummatum, contractum cum Impedimento dirimente, dissolvatur quoad vinculum? Resp. 1. requiritur, ut dissolutio fiat authoritate legitimi Judicis; nam privata conjugum authoritate dissolvi, aut unus alterum dimittere nequit, etiamsi certi sint de Impedimento dirimente, idque notorium existat. Ita Vivian. *in capit. porro* 3. *hoc tit. pr.* Vallens. *hic pr. num.* 3. *vers. dixi*, Zoes. *ibid. n.* 28. & patet ex *c. porro citat.* Et hinc si unus ab altero absque judicio Ecclesiæ ex hac causa discedat, tenetur Judex ante omnia illum compellere etiam per Censuras, ut ad conjugem suum redeat, nisi de Impedimento dirimente, conf. etiam de nullitate Matrimonii notoriè constet, aut pars discedens habeat probationes in continenti paratas, prout expressè statuitur *c. litteras* 13. *v. quod si de Restit. Spoliat.* ubi ratio additur; *quia præsumitur contra eam, quæ sine judicio Ecclesiæ sua tantùm temeritate recessit à viro.* Videantur dicta *Lib.* 2. *Tit.* 13. *n.* 62. *&* 63.

2. Non debet, nec potest Judex matrimonium, in facie Ecclesiæ contractum, dissolvere quoad vinculum ex hoc solo, quòd unus, vel ambo conjuges ipsimet, accedente etiam rumore viciniæ, fateantur, se cum Impedimento e. g. criminis, affinitatis, consanguinitatis &c. contraxisse, nisi sufficientes probationes accedant. 94
Ita expresse statutum est *cap. super eo* 5. *de eo, qui cognovit &c.* ubi etiam ratio subjungitur his verbis: *Cùm quandoque nonnulli inter se contra Matrimonium velint colludere, & adeo ad confessionem incestus* (aut alterius Impedimenti) *facilè prosilirent, si suo judicio crederent per judicium Ecclesiæ concurrendum.* Additur de rumore viciniæ: *Rumor autem viciniæ non adeo est judicandus validus, quòd nisi rationabiles, & fide digne probationes accedant, possit bene contractum Matrimonium irritari.*

3. De ipso Impedimento Judici constare debet per plenam, & perfectam probationem: qualis est, quæ fit per duos testes omni exceptione majores *arg. capit. ex litteris* 1. *de consang.* & *capit. super eo* 22. *de test. & attest. Ratio est*, quia dissolutio Matrimonii quoad vinculum est una ex causis gravioribus, & in præjudicium magnum tum tertii, tum Sacramenti redundantibus; conf. exigit plenam probationem. Quod intellige, nisi constet notoriè de Impedimento; nam si notoriè constet, etiam nemine accusante, Judex Ecclesiasticus dissolvere Matrimonium debet etiam quoad vinculum, prout constat ex *capit. porro citat.* ubi Alexander III. Episcopo Ambianensi respondet, *quòd non apparentibus accusatoribus, & parentela* (idem dic de alio Impedimento) *manifesta, seu publica existente, tui officii interest, Matrimonia illa, adhibita gravitate, dissolvere, quæ illicitè contracta noscuntur.* Imò etsi notoriè de Impedimento non constet, existat tamen fama de illo, potest Judex Ecclesiasticus ex officio inquirere, & quemcunque compellere, ut testimonium de illo deponat. Gloss. *in cap. porro citat. V. seu publica*, Abb. *ibid. n.* 4. Vivian. *v. si fama*, Reiffenstuel *hic n.* 20. arg. *cap. perniciosam* 1. *de Offic. Ordinar.* junct. *can. Episcopus in Synodo* 7. *caus.* 35. *q.* 6. 95

4. Si causa rite examinata, non habetur plena probatio Impedimenti, sed dubium manet, an illud revera subsit, conf. an Matrimonium valeat, necne, debet Judex Ecclesiasticus in foro externo pronuntiare pro valore Matrimonii *arg. capit. super eo* 22. *de testib.* & sequitur ex dictis. *Conf.* nam Matrimonium jam contractum est res favorabilis *capit. videtur* 3. *final. qui Matrimon. accusar.* Hinc licèt ad Impediendum Matrimonium sufficiat unus testis, fama, aut dubium de Impedimento, juxta unanimem, non tamen sufficit pro vinculo dissolvendo, ut bene advertit Gloss. *in cap. super eo cit. V. firmatum.* 96

5. Quodsi conjuges, vel unus eorum sciat certò Impedimentum dirimens inter ipsos intercedere, nec reddere, nec petere debitum potest, etiamsi Impedimentum probare nequeat, & propterea forsan à Judice Ecclesiastico per Censuras compellatur ad reddendum debitum per textus expressos *capitul. inquisitioni* 44. *de sent. Excommunic. & capitul. litteras* 13. *de restitut. spoliat.* ubi etiam datur ratio; *quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, & quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* Discedere tamen à se invicem hoc casu propria authoritate nequeunt, sed cohabitare simul, ut frater, & soror, debent. *Excipitur*, si periculum sit incontinentiæ; tunc enim in foro conscientiæ tenentur à se invicem discedere, neque tenentur obedire Episcopo, contrarium etiam sub Censura præci- 97

pienti *c. litteras cit.* Quodsi tamen Impedimentum dirimens tale esset, in quo Pontifex dispensare potest, petere dispensationem possunt; imò aliquando tenentur, si bonum prolis, aut alia gravis ratio hoc exigeret. Videantur dicta *Libr. 2. Tit. 13. n. 62. & 63.* ubi plura de isto casu.

§. II.

De Matrimonii perpetua Separatione quoad thorum, & cohabitationem.

SUMMARIUM.

98 QUæritur 1. quot modis Matrimonium quoad thorum, & cohabitationem separari in perpetuum possit? Resp. potest duobus modis: *uno* per mutuum consensum ipsorum conjugum, si Votum solemne, in susceptione SS. Ordinum, aut Professione Religiosa ab uno conjugum, altero consentiente, emittatur *cap. cùm sit. 4. cap. conjugatus 5. &c. de convers. conjugat.* de quo modo dictum est *Libr. 3. tit. 32. à n. 19. Altero*, qui huc pertinet, ob adulterium ab uno commissum; nam ex causa adulterii conjugem innocentem ab adultera uxore posse divertere, & se à thoro, & cohabitatione illius separare, constans est omnium Catholicorum sententia ex illo Matth. 5. & 19. *Ego autem dico vobis, Quicunque dimiserit uxorem suam; excepta causa fornicationis &c.* Idem clarè statutum extat *cap. significasti 4. cap. ex litteris 5. & cap. gaudemus 8. hoc tit. Ratio est*, quia cùm adulterium per se, ac directè fidei conjugali repugnet, ex ipsa natura contractus Matrimonialis oritur, ut liceat innocenti discedere ab adultero, idque Jure naturæ dictantis, quòd frangendi fidem fides servanda non sit. Henriq. *l. 11. de Matr. c. 17. nu. 1. & 6.* Sanch. *l. 10. de Matr. D. 3. n. 4.* Pirhing *hìc nu. 2.*

99 *Dubium est*, an tam marito ob adulterium uxoris, quàm uxori ob adulterium mariti liceat divortium perpetuum facere? Cajetan. *in Matth. cap. 19. cit.* id solis viris permissum censet: idque 1. ob textum *citat.* ubi Christus tantùm de dimissione uxoris meminit. 2. quia Repudium in Lege Veteri solis viris concedebatur. *Deutr. 24.* ejus autem loco successit Divortium in Lege nova, ut constat ex *Matth. cap. 5.* 3. quia uxoris adulterium est gravius, quam adulterium viri, ut adeo inter hoc, & illud non videatur facienda paritas.

100 *Sed dicendum*, etiam uxori permissum esse perpetuum Divortium ob adulterium viri. Ita S. Thom. *in 4. dist. 35. q. un.* S. Bonav. *ibid. quæst. 3.* Abb. *in cap. intellleximus 5. de adult. nu. 3.* Sylv. *V. Matrimonium 9. quæst. 6.* Covar. *p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 5. num. 8.* Sanchez. *l. 20. de Matrim. D. 3. num. 6.* Gutier. *de Matrimon. c. 129. n. 2.* Farin. *prax. crim. q. 143. n. 9.* Coninck *Disp. 35. n. 6.* Pont. *l. 9. c. 16. à n. 4.* Laym. *l. 5. tract. 10. pag. 3. c. 7. num. 8.* Palao *tract. 28. Disp. 3. p. 6. §. 1. num. 1.* Bosco *de Matrim. Disp. 12. sect. 16. conclus. 2.* Canis. *in c. 2. hoc tit. n. 5.* Zoes. *hic n. 13.* Engl *numer. 12.* Pirh. *n. 2. & 8.* Schambog *n. 3.* Konig *n. 9.* Wiest. *num. 71.* Reiffenstuel *num. 58.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Matr. c. 5. n. 77.*

Constat 1. *ex can. Idololatria 5. caus. 28. q. 1. canon. præcipit 19. caus. 22. q. 5. c. quæsivit 2. c. significasti 4. c. ex litteris 5. hoc tit.* ubi mulier, & vir quoad hoc æquiparantur. 2. *ex S. Paulo*, qui dum 1. *Corint. 7. v. 12.* uxorem, si à viro (ob justam, scilicet fornicationis causam) discesserit, ex præcepto Domini jubet manere innuptam, aut reconciliari viro; cons. supponit, ob talem causam posse illam à viro discedere. 3. *ex ratione*, quia Divortii jus, ex adulterio ortum præcipuè fundatur in violatione fidei, & thori conjugalis. atqui quoad hoc adulterium mariti, & uxoris æqualia sunt; ergo &c. 101

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* dico Christum intelligi locutum fuisse de eo, quod frequentiùs contingit, prout etiam in *can. fin. caus. 32. quæst. 5* Innocentius ait, quòd viri frequentiùs soleant mulieres de adulterio accusare, quam econtra mulieres viros suos. Item dici potest, quòd ibi Christus tantùm de dimissione uxoris à Judæis interrogatus fuerit; & ideo ad interrogata respondit. *Ad 2.* jam suprà dixi, quòd Divortium non in omnibus succedat in locum Repudii: quòd verò in antiqua Lege Repudium solis viris concessum fuerit, S. Thom. *q. un. citat. artic. 4. ad 1.* hanc rationem dat, quia illud permittebatur ad vitandum homicidium conjugis adulteri, cujus periculum, cùm inventum fuerit in solis viris, ideo solis viris permissum fuit Repudium. *Ad 3.* gravitas fornicationis quoad divortium non est consideranda quoad se, cùm odium DEI, & blasphemia longè graviora peccata sint adulterio, & tamen ad divortium non sufficiant: sed attendendum est, an magis repugnet fidei Matrimonii, illudque lædat, in quo cùm paria sint adulterium viri, & adulterium uxoris, hinc fit, etsi ex aliis capitibus, & circumstantiis unum sit gravius altero, disparitatem tamen istam divortio instituendo non obesse. 102

Quæritur 2. quid requiratur, ut ratione adulterii institui possit hæc separatio? Resp. 1. debet esse actus carnalis per copulam consummatus; nam copula solum attentata non sufficit: & multo minùs amplexus, oscula, tactus, vel alii actus turpes cum proprii, vel alieni corporis pollutione. Covar. *pag. 2. de Sponsal. capit. 7. §. 6. num. 4.* Sanch. *libr. 10. de Matr. D. 4. n. 9. 10. & 12.* Coninck *D. 35. n. 5.* Laym. *lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 7. v. secundum.* Bosco *D. 12. sect. 16. conclus. 2.* Zoes. *hic num. 18.* Pirhing *n. 5.* Engl *nu. 13.* Schambog. *n. 3.* Wiestner *num. 73.* Reiffenstuel *num. 60.* Magnif. P. Schmier *p. 2. de Matr. cap. 5. num. 80.* Ratio est, quia justum divortium ex eo oritur, quòd conjux contra fidem Matrimonii carnem suam dividat in carnem aliam, quod non fit, nisi actu consummato. Perinde autem est, sive copula illa sit naturalis, sive etiam Sodomitica, bestialis &c. ut S. Thom. *in 4. dist. 35. q. un. art. 1.* Abb. *in c. maritis 4. de adult. n. 3.* Pont. *l. 9. de Matr. c. 16. n. 5.* Sanch. *D. 4. n. 3.* Vall. *hic §. 2. n. 1.* Wiestn. *n. 72.* Reiffenstuel *nu. 59.* & alii *suprà allegati* notant; nam per has copulas omnes conjux contra fidem Matrimonii dividitur in alienam carnem. 103

2. Ut talis actus exercitus sit cum alio, quàm conjuge; nam Sodomia viri etiam completa cum uxore propria, quamvis in vita, non præbet justam causam perpetui divortii, sed tantùm ad tempus, quamdiu scilicet vir à scelere isto desistere renuit. Tabien. *V. Matrimonium 3. q. 2. num. 2.* Palacios *in 4. dist. 35. D. un. v. vocant. in dubium*, Sanch. *D. 4. cit. n. 8.* Pirhing *hic nu. 5. vers. & hinc.* Ratio est, quia vir per talem copulam non dividit carnem suam in alium. Non improbabilis tamen est etiam Sententia contraria, quam cum *D. Antonin. Monald. Astens. Joan. de Friburg.* defendit Schambog. *hic num. 4.* juxta quos etiam hoc casu locus divortio est, ex ratione; quia talis actus, circa uxorem propriam commissus, est gravis abusus dominii, quod maritus habet sibi concessum in corpore uxoris, quip- 104

quippe quo uti quidem potest modo licito, non verò etiam illicito, præcipuè si repugnet usui illi Jus naturale, prout fit in peccato isto.

105 3. Non sufficit, si solùm sit adulterium materiale, sed requiritur formale. Sanch. *D.* 5. *n.* 11. *& seqq.* Conink *D.* 35. *n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *num.* 13. Bosco *D.* 12. *sect.* 16. *concl.* 4. *per totam.* Gonzal. *in c.* 5. *h. tit. n.* 3. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 2. Pirhing *nu.* 9. Konig *n.* 10. Reiffenstuel *n.* 62. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5. *n.* 82. Ratio est, quia Jus divortii competit propter solam injuriosam fidei conjugalis violationem; talis autem non est adulterium merè materiale ex parte conjugis. Et hinc justam causam faciendi divortium uxor non præbet. 1. Si putans maritum esse mortuum, alii nubat, vel etiam fornicetur, nisi tamen certiora de vita conjugis perstiterit in Commercio prohibito. Canis. *in c.* 2. *hoc tit. num.* 7. Honor. *hic num.* 6. Engl *num.* 17. Schambog. *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 65. cum *suprà* allegatis, & constat ex *can. per bellicam* 1. *caus.* 34. *quæst.* 1. 2. Si invincibiliter ignoret, adulterum ad se accedentem non esse suum conjugem *canon. in lectum* 6. *caus.* 34. *q.* 2. *Conink. Laym. Canis. Gonz. Schamb. Konig.* cum *aliis suprà*; nam sicut hoc casu bona fides tollit culpam adulterii, ita etiam pœnam divortii. Ad probandam autem hanc conjugis bonam fidem sufficit ejus Juramentum, habito respectu ad ejus honestatem, & alias probabiles conjecturas, ut cum *Host.* notat Engl. *l. cit. v.* 3. 3. Si ab ipsa omnino invita per violentiam extorqueatur copula *can. ita ne* 3. & *can. seqq. caus.* 32. *V.* 5. Bosco *l. cit. n.* 164. Pirhing *nu.* 10. cum allegatis. Addit Sanch. *n.* 14. idem dicendum, etiamsi causam violentiæ dedisset uxor, quòd viro momenti, ut fugitat, ne vi hostium opprimeretur, non paruerit; nam nihilominus non potest accusari de adulterio ad instituendum divortium, vel ad aliam pœnam, quòd in *l. vim passam.* 39. *pr. ff. ad Leg. Jul. de adult.* indistinctè decidatur, non esse mulieri vim passæ adulterium imputandum. Bosco *n.* 164. Pirh. *n.* 10. Reiffenstuel *n.* 63. Si metu gravi injustè incusso extortum sit adulterium ab uxore, DD. dissident. Sanch. *num.* 16. Laym. *num.* 13. Bosco *concl.* 5. Reiffenstuel *nu.* 64. putant Divortio locum esse; quia cùm metus gravis à peccato mortali non excuset, hoc casu uxor verè, & formaliter committit adulterium. Contrà Sylv. *V. adulterium n.* 10. in cujus sententiam inclinat Engl *num.* 17. *v.* 1. defendit negativam, ex ratione, quòd metus gravis, licèt à peccato non excuset, excuset tamen à pœnis legalibus. In praxi propter Sententiam practicè dubiam suadendum, ut conjux alter injuriam ex metu illatam condonet, nec propterea divortium petat. Konig *num.* 10. *fin.*

106 4. Non debet maritus adulterii uxoris fuisse authot eam prostituendo, vel in ejus fornicationem consentiendo expresse, vel tacitè, illam, cùm sciret, & facilè posset, non prohibendo. Sanch. *l.* 10. *de Matrimon. D.* 5. *num.* 4. & 5. Gutier. *de Matrim. capit.* 129. *numer.* 15. Coninck *D.* 35. *num.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *num.* 13. *v.* 3. Pont. *l.* 9. *cap.* 17. *num.* 7. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *part.* 6. §. 2. *num.* 2. Canis. *in cap.* 2. *h. tit. n.* 7. Gonzal. *in c.* 5. *eod. nu.* 3. Bosco *D.* 12. *sect.* 16. *concl.* 5. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 2. Zoes. *n.* 16. Honor. *n.* 6. Pirh. *n.* 11. Engl *n.* 16. Konig *n.* 11. Vviestner *n.* 75. Reiffenstuel *numer.* 66. Idque verum est, licèt uxor volens committat adulterium, ut apertè probatur ex *cap. discretionem* 6. *de eo, qui cognovit &c.* ibi, *Cùm adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam.* Ratio est, quia permissio Divortii fundatur in injuria illata viro per adulterium uxoris. hæc autem in casu præsenti cessat, si ipse consentiat; ergo &c. Dixi, *cùm facilè posset*; secus, si difficulter. Et hinc, etsi uxor mariti delictum non prohibeat sciens, adhuc tamen Divortium eidem permittitur; quia fœminæ, præsertim bonæ, hoc ipso, quòd viris inferiores sint, non censentur facilè posse ipsos reprehendere, & à delictis abstrahere. Sanch. *num.* 5. Palao *numer.* 2. Bosco *num.* 201. Pirhing *n.* 11. Reiffenstuel *nu.* 68. *Excipit* Bosco *n.* 202. si uxor in iis rerum circumstantiis existeret, ut commodè, & absque damni periculo contradicere, & impedire posset adulterium; nam tunc non impediendo, vel contradicendo tacitè consentire censeretur. Sed nec in marito quæcunque dissimulatio adulterii uxoris suæ vim taciti consensus habet; nam ut cum *S. Thoma* notant Bosco *n.* 201. Pirhing *n.* 12. Reiffenst. *num.* 69. & alii, potest maritus sciens adulterium uxoris suæ, simulare, tanquam illud ignoret, ut interea testes idoneos constituat ad illam observandam, & de adulterio convincendam. Imò, ut Sanch. *n.* 6. Gutier. *c.* 129. *n.* 8. Coninck *D.* 35. *n.* 7. Canis. *in c.* 2. *h. tit. n.* 5. Fagnan. *in c. ex litteris* 5. *n.* 2. *& duob. seqq.* Barbos. *in c.* 4. *n.* 5. *& 9.* Vvagnereck *ibid. V. cogi not.* 2. Honor. *hic n.* 5. Zoes. *n.* 16. *&* 17. Reiffenst. *n.* 70. notant & expresso textu *c. significasti* 4. *h. tit.* patet, adhuc divortium petere potest, conf. taciti consensus in adulterium uxoris reus non est maritus, si eidem ad adulterium causam quamcunque remotam dederit v. g. debitum conjugale, aut alimenta negando, ex domo ejectæ non cohabitando &c. debuisset enim uxor agere contra maritum, & petere alimenta, interea autem mala potiùs pati omnia, quàm in corpus suum peccare, aut malo tanto consentire *can. ita ne* 3. *caus.* 33. *q.* 2. *c. Sacris* 5. *de his, quæ vi, metusve caus. l. palàm* 43. *ff. de rit. nupt.* ubi Ulpianus, *Neque enim*, inquit, *ignoscendum est ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitã agit Excipitur*, nisi per hoc uxor constitueretur in periculo incontinentiæ proximo, ut nota Engl *hic nu.* 16. Konig *num.* 11. aut vir ea intentione uxorem expelleret, aut ei alimenta denegaret, ut ob necessitatem urgentem adulterium perpetraret; tunc enim perinde esset, acsi in adulterium consentiret. Sanch. *n.* 9. *fin.* Gutier. *nu.* 8. Coninck *num.* 7. Zoes. *n.* 16. Pirhing *n.* 12.

5. Qui instituere Divortium vult propter adulterium, 107
non debet etiam ipse esse reus adulterii à se commissi; nam si hoc & ipse commiserit, denegatur Divortium, quòd paria delicta, quando civiliter, sive ad utilitatem privatam agitur, prout fit, cùm ob adulterium agitur ad separationem thori, mutua compensatione tollantur *capit. final. de adult.* & *capit. porro* 3. *hoc titul.* Imò si ob adulterium uxoris facta est separatio quoad cohabitationem, & thorum, & vir postea etiam fornicetur, sive adulterium committat, redintegrari Matrimonium antea dissolutum debet, ita, ut ad uxorem suam teneatur redire, eique cohabitare *cap. ex litteris* 5. *h. tit.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. capit.* 7. §. 6. *num.* 5. Sanch. *lib.* 10. *de Matrim. D.* 9. *num.* 30. Pirhing *hic num.* 6. *&* 7. *not.* 5. Schambog *ibid. num.* 6. Idque probabilius verum est, etsi divortium factum sit per sententiam Judicis; sicut enim uxor ex primo adulterio amisit jus quæsitum per contractum Matrimonii, ita, & multò magis maritus per adulterium suum subsequens amittit jus quæsitum per Sententiam, cùm jus quæsitum ex Matrimonio, & cohabitatio Matrimonialis sit favorabilior separatione per sententiam inducta. Engl *hic n.* 15. *fin.* Pirhing. *n.* 4. *not.* 5. *& n.* 7. Konig *n.* 13. *fin.* Reiffenstuel *num.* 81. *& seqq.* Videantur dicenda *infrà nu.* 133. *& tribus seqq.* *Neque refert* 1. quòd adulterium uxoris gravius sit, quàm mariti; nam quoad violationem thori, & fidei conjugalis, quam præcipuè in adulterio considerant Jura, paria delicta sunt, ut monui *suprà nu.* 101. *&* 102. *ad* 3. *Non refert* 2. quòd unus priùs altero adulterium commiserit, vel unus sæpiùs, quàm alter; quia Jura magis rationem habent fractæ fidei conjugalis, quàm numeri. Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *capit.* 7. *numer.* 13. *vers. neque refert*, Zoes. *hic numer.* 14. Pirhing *nu.* 8. Schambog. *num.* 6. Reiffenstuel *p.* 71. *&* 82. *Non refert* 3. quamvis etiam unius conjugis adulterium sit occultum, solique DEO notum, alterius verò publicum; nequit enim adulter occultus Divortium petere, sed adhuc in foro conscientiæ compensare tenetur adulteria, cùm in hoc foro non requiratur probatio, sed sufficiat sola veritatis cognitio: in foro tamen externo, seu contentioso adulter publicus contra occultum non compensatur, sed prior causa cadit propter defectum probationis. Sanch. *l.* 10. *D.* 6. *n.* 9. Pirhing. *n.* 8. *cit.* Schambog. *n.* 6. Reiffenst. *n.* 83.

6. Ut institui possit divortium, necesse est, innocen- 108
tem nondum fuisse reconciliatum adultero; nam divortium reconciliatione, vel condonatione injuriæ tollitur, cùm jus illud instituendi inductum sit favore innocentis injuriam passi, & quilibet possit favori pro se principaliter introducto renuntiare. Estque perinde, sive condonatio hæc sit facta expressè, sive tacitè, utendo Matrimonio, domi retentæ uxori exhibendo solita obsequia, & signa affectus conjugalis, cum ea ludendo,

do, ridendo, comedendo; & multo magis amplexus, & oscula dando; nam talia si exercuerit scienter, & sponte, & nulla etiam honestatis necessitate compulsus, censetur adultero condonasse injuriam, ut adeo ad agendum pro divortio non amplius admittatur, modo nova causa, & novum adulterium non supervenerit. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 5. *num.* 19. Gutier. *cap.* 129. *nu.* 15. & 17. Coninck *D.* 35. *n.* 11. Laym. *l.* 5. *tr.* 19. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 14. Canis. *in c.* 2. *h. tit. nu.* 7. Gonzal. *in c.* 5. *eod. n.* 3. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 2. Honor. *n.* 6. Pirhing *n.* 14. Schambog. *n.* 6. Engl *num.* 18. Konig *num.* 11. *vers.* 3. Reiffenstuel *n.* 71. *& seqq.* Notanter autem dixi, *debere id factum fuisse scienter, & sponte:* unde ex sola adulterii suspicione sine apertis indiciis per usum Matrimonii non sibi præjudicat innocens. Schambog. *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 77. & 78. Item si lite pendente super adulterio Judex jubeat uxorem debitum reddere marito accusato, ne lite pendente commodo possessionis privetur juxta *capit. laudabilem* 2. *ut lit. pend.* Aut denique si maritus gravi metu uxorem ad usum Matrimonii cogat; nam his casibus innocenti per hujusmodi usum circa petitionem Divortii præjudicium nullum nascitur. Coninck *D.* 35. *numer.* 11. cum aliis *suprà*. Addidi, *modò novum adulterium non supervenerit*; nam si post reconciliationem, mutuo consensu factam, novum sequatur adulterium, in illud lapsus denuo accusari de eo, & ratione illius denuo divortium institui potest; quia præcedens venia non extenditur ad futura delicta, sed sola præterita respicit, nec æquum est, ut reconciliatio facta futuro crimini impunitatem præstet. Sanch. *l.* 10. *D.* 5. *num.* 20. Pirhing *n.* 17. Schambog. *numer.* 7. *Proceditque hoc* non tantùm de casu, quo adulter relapsus in adulterium est, sed etiam quando post reconciliationem in illud lapsus est innocens; poterit enim eo casu emendatus agere ad divortium, neque objici eidem ampliùs adulterium præcedens potest, quippe cui per reconciliationem jus Matrimonii est restitutum, acsi nullum adulterium præcessisset. Pirhing *l. cit.* Imò in casu, quo post utriusque conjugis adulterium unus emendatus est, alter verò in fornicatione persistit, emendatus, quamvis non facta mutuo consensu inter se reconciliatione, Divortium instituere potest, si tamen de emendatione pariter facienda conjugem alterum commonuerit. Sanch. *D.* 7. *n.* 4. Coninck *D.* 35. *num.* 17. Pirhing *numer.* 18. Ratio est, quia admonitio illa, per quam offertur reconciliatio alteri, habet vim reconciliationis, & ideo, quatenus in favorem admonentis cedit, censetur facta reconciliatio, hoc ipso quòd oblata sit, sed non acceptata, cùm tamen debuisset; ac proinde priùs commissum adulterium conjugi emendato obesse non debet, quo minùs petere divortium possit. Non autem censetur facta reconciliatio in favorem recusantis, qui proin jus divortii non habet, si reconciliationem non acceptavit. Pirh. *l. cit.*

109 Quæritur 3. An conjugum uno in adulterium lapso, innocens divertere ab eo valeat propria authoritate? Negativam defendunt Innoc. *in c. intelleximus* 6. *final. de adult.* Anchar. *ibid. numer.* 4. Turrecr. *in can. Agathosa V. uxorem* 27. *q.* 2. Gabr. *in* 4. *D.* 35. *q. un. art.* 2. *concl.* 6. Gonzal. *in c.* 3. *n.* 8. *prop. fin. h. tit.* ex quorum sententia, ut conjux innocens ab adultero possit divertere, necessarium est judicium Ecclesiæ. Fundantur 1. textu *capit. porro* 3. *hoc tit.* ubi disertè negatur, conjugum separationem absque judicio Ecclesiæ fieri posse, etiam cùm Parentela, sive Consanguinitas (eadem aliorum Impedimentorum ratio est) publica, & notoria est. 2. *canon. sæculares* 1. *caus.* 33. *quæst.* 2. ubi excommunicari jubentur viri, qui uxores suas sine judicio Ecclesiæ dimittunt. 3. Quia sic recedentes sibi jus dicunt in propria causa contra *l. unic. C. ne quis in sua causa &c.* 4. Divortium est pœna nocentis, quam Jus ipso facto non imponit, sed Judici remittit imponendam. 5. Matrimonium est Ecclesiæ authoritate celebratum; igitur authoritate Ecclesiæ, & non ipsorum conjugum dissolvi debet.

110 Sed adhibenda est distinctio: Vel enim sufficienter constat de adulterio, ab altero conjugum commisso, vel contra dubium duntaxat, aut suspicio probabilis de illo habetur. *Si hoc secundum*, certum est, non posse conjugem innocentem ab altero, qui tali suspicione gravatur, propria authoritate divertere. Patet ex *c. significasti* 4. *h. tit.* & clarè statuitur *c. ex parte* 9. *de sponsal.* ubi Alexander III. asserit, uxoris dimissionem *sine manifesta causa fornicationis* nemini esse permissam. *Ratio est*, quia antequam moraliter constet certò de adulterio, saltem per violentam præsumptionem, alter conjux non potest privari possessione, cùm melior in dubio sit conditio possidentis; ideoque non potest pœna hæc infligi ab homine, donec, saltem moraliter certo constet de adulterio perpetrato. Et hinc quando *can. dixit.* 2. *caus.* 32. *quæst.* 1. uxor permittitur dimitti ob suspicionem fornicationis, id intelligendum est de suspicione, seu præsumptione violenta, & orta ex circumstantiis, cum fornicationis actu ferè semper conjunctis, & fundantibus moralem certitudinem, prout *in can. cit.* notat Barbos. *n.* 1. Sanch. *l.* 10. *de Matrim. D.* 12. *n.* 42.

Si primum, videndum est, an Adulterium conjugis sit notorium, an occultum publicè, sed certò notum innocenti. *Si publicè notorium sit*, sive deinde notorietas illa sit facti, sive Juris, conjux innocens authoritate propria ab adultero potest recedere, tam quoad debiti redditionem, quàm cohabitationem mutuam. Abb. *in c.* 4. *de Donat. int. vir. & uxor. n.* 4. Paludan. *in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. Sylv. *V. divortium* 9. *q.* 8. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 5. *num.* 12. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 17. *n.* 2. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 12. *n.* 42. Gutier. *c.* 129. *de Matr. n.* 9. Fachin. *l.* 8. *contr. c.* 10. Coninck *D.* 35. *n.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 8. *v. quartum.* Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 4. *nu.* 2. & 3. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 1. *v. cæterum*, Zoes. *nu.* 28. Pirh. *num.* 16. *not.* 2. Wiestner *n.* 76. *& seqq.* Reiffenst. *n.* 89. *& seqq.* Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5. *n.* 91. & patet 1. ex *c. significasti cit.* ubi ratihabetur unius conjugum recessus ab altero, ob adulterium propria authoritate factus, *si notorium est, mulierem adulterium commisisse.* 2. Ex *can. de Benedicto* 5. *caus.* 32. *q.* 1. & *c. de illa* 6. *h. tit.* ubi mulier ad maritum, à quo propter Hæresin propria authoritate recessit, redire non compellitur, antequam iste, abjurata Hæresi, ad Ecclesiæ gremium fuerit reversus. 3. Ex *c. ex parte cit.* ibi, *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere*; igitur per argumentum à sensu contrario ea ob manifestam fornicationem dimitti potest. 111

Quodsi verò Adulterium alterius publicè occultum sit, sed innocenti privatim certò cognitum, major est controversia. Negant tunc dimitti uxorem adulteram posse S. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *q.* 1. *artic.* 3. S. Bonav. *ibid. q.* 3. Turrecr. *in can. sæculares cit.* Ponr. *l.* 9. *de Matr. c.* 18. *à n.* 6. Sed communior etiam hoc casu permittit innocenti, ut propria authoritate possit recedere, saltem pro foro conscientiæ, & secluso scandalo. Ita cum allegatis *num.* 111. Clericat. *de Sacr. Matr. decis.* 39. *num.* 31. *Ratio est*, quia Matrimonium ex natura sua non aliter obligat ad thorum, & redditionem debiti conjugalis, quàm sub conditione, si etiam alter conjux fidem conjugalem servet *c. quemadmodum* 25. *pr. de Jurejur.* igitur si hanc alter non servet, sed carnem suam in alienam dividat, obligatio ista cessabit: & quidem cùm negatio debiti sit actus privatus, privatim etiam, & authoritate privata fieri potest. *Conf.* ob adulterium notorium, ut *num. præc.* dictum est, licet conjugi innocenti propria authoritate à nocente divertere, ergo æquè ei hoc licebit in foro conscientiæ ob adulterium secretum; nam jus divertendi non ex publicitate, sed ex delicto nascitur, & ubi publicitas requiritur ad faciendum divortium, id requiritur duntaxat ad vitandum scandalum: unde hoc cessante, sufficiet, si de adulterio innocenti quomodocunque certò moraliter constet. 112

Dixi autem 1. *saltem pro foro conscientiæ*; quia in foro externo ex causa adulterii nec notorii, nec legitimè probati uxorem dimittens, eam recipere compellendus est, ne hominum malitiæ præbeatur ansa conjugem innocentem ejusmodi dimissione vel recessu injustè vexandi. Dixi 2. *secluso scandalo*; quia ad grave scandali periculum vitandum liberæ dimissioni, aut recessui, etiam in foro conscientiæ interno, vix locus est extra casum, quo conjugium est occultum. Sanch. *D.* 12. *cit. numer.* 34. quod intellige de separatione quoad cohabitationem mutuam, nam ex debiti negatione, cùm hæc omnino occulta sit, nullum scandali periculum esse potest in vulgo: & hinc eo casu, quo vir certò scit adulterium commissum esse ab uxore sua, licet 113

licèt deficientibus probationibus à Judice Ecclesiastico compellatur debitum reddere, non tamen parere tenetur præcipienti; quia sententia nititur præsumptione falsa. Sanch. *l. citat.* Dixi 3. *si certò constet innocenti de adulterio conjugis*. Porro talem certitudinem, ut Palao §. 4. *cit. numer.* 8. notat, habere censebitur conjux innocens, si pro adulterio talia indicia habeat, quæ in Judicio externo probata sufficerent, ut Judex divortii sententiam proferre posset; nam conjux innocens recedens ab adultero, quasi sententiam profert. Qualis autem ad sententiam divortii ferendam requiratur probatio, & quæ indicia ad hoc sufficiant, dicetur *infrà n.* 115.

114 At Argumenta *num.* 109. allata facilis est responsio. *Ad* 1. negatur paritas inter separationem Matrimonii, quæ fit ex causa adulterii, & inter eam, quæ fit ex causa Impedimenti Consanguinitatis, vel alterius Impedimenti dirimentis: per *primam* conjux privatur sola possessione, sive usu communis thori, & commodis obsequii conjugalis; per *secundum* verò deiicitur ipsa proprietate: quod cùm multis majoris sit præjudicii, meritò ad separationem hanc decernendam exigitur judicium, & authoritas Ecclesiæ, ut Sanch. *D.* 12 *citat, numer.* 38. *prop. fin.* Coninck *D.* 35. *numer.* 3. Pirhing *hic num.* 25. notant, *Ad* 2. in textu illo non agitur de eo, qui uxorem suam dimisit ex causa adulterii, cujus notitiam certam habet; sed de eo, qui illam dimisit sine ulla graviori culpa, aut probabili causa, animo ad illicita consortia accedendi. *Ad* 3. innocens discessu illo non tam sibi jus dicit, quàm utitur Jure, sibi ex natura Matrimonii certò competente, & nulla Lege adempto; imò apertè firmato per *canon. dixit citat.* ubi uxor ob fornicationem, cùm de ea constat, permittitur dimitti *liberè*, h. e. nulla alia licentia, vel sententia exspectata, cùm dictione illa sententia jam lata denotetur juxta Tiraquell. *in l. si unquam* 8. *C. de revocand. Donat. V. revertatur num.* 134. *Ad* 4. Divortium non est propriè pœna, sed quasi conditio imbibita in ipso Matrimonii contractu, quæ cùm sit in favorem innocentis, satis est, ut innocens adulterii conscius adulterum jure debitum exigendi privet. *Ad* 5. Conceditur Sequela pro foro externo: in interno spectatur natura Contractus matrimonialis, qui ad debitum reddendum, & cohabitationem mutuam non obligat, nisi sub conditione servatæ fidei ab altero conjuge.

115 Quæritur 4. Qualiter constare debeat de adulterio, & quales probationes requirantur, ut Judex Ecclesiasticus ratione illius Divortii sententiam proferre possit? Resp. cùm delicta carnis sint difficilis probationis, ad adulterium probandum non requiruntur testes, de visu ipsius adulterii deponentes, sed sufficiunt conjecturæ, & præsumptiones violentæ, ex quibus si non physica, saltem moralis certitudo inducatur, ut scilicet quilibet prudenter credere possit, adulterium commissum esse, Engl *hic n.* 14.

116 Quænam autem tales præsumptiones sint, traditur per textum, & DD. *in capit. litteris* 12. *de Præsumpt.* & multis aliis explicant Farinac. *prax. crim. de delict. carn.* Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 12. Gutier. *de Matr. c.* 129. *num.* 12. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 4. *n.* 8. alii passim. Desumuntur verò Præsumptiones istæ ex circumstantia loci, temporis, & personarum, veluti si uxor, aliàs malè diffamata, aut suspecta, sola cum solo, tempore, & loco ad peccandum apto deprehendatur. Oscula etiam, & amplexus, tactus &c. quamvis ex se, ut *num.* 130. dictum est, non constituant causam divortii, concurrentibus tamen aliis circumstantiis, valde aggravant præsumptionem Adulterii, ut aliquando sufficiant, si non ad condemnationem criminalem pœnæ ordinariæ, saltem ad faciendum divortium, ut pluribus allegatis docet Bursat *cons.* 218. *num.* 3. *vol.* 1. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.* 7. §. 6. *num.* 3. Graff. *part.* 1. *decis. l.* 2. *cap.* 84. *num.* 5. Palao *tract.* 28. *D.* 3. *part.* 6. §. 4. *numer.* 8. Engl *hic n.* 14. Idem dicendum, si aliquæ litteræ amatoriæ reperirentur, à muliere missæ amasio, & his adjungatur confessio adulterii præteriti; nam esto, confessio ista, utpote extrajudicialis, non plenè delictum probet ad faciendum divortium per sententiam Judicis, sufficiet tamen probatio hæc ad faciendum divortium extrajudicialiter, & authoritate propria, utpote ad quam faciendam minor requiritur probatio Palao *l. citat.* Imò ad divortium propria authoritate faciendum, juxta Sanch. *nu.* 51. Gutier. *n.* 12. *concl.* 4. Palao *l. cit. v. idem*; sufficit, si conjux innocens de alterius adulterio, seu de violento illius indicio certior fiat à persona fide dignissima, cui meritò prudentissimus quisque fidem haberet; quia illud dictum certitudinem moralem præstat.

Est verò attendendum, quòd tales præsumptiones, & conjecturæ, ex quibus adulterium præsumitur, ut pro divortio per sententiam Judicis faciendo sufficiant, plenè probandæ sit per testes, aut confessionem propriam uxoris adulteræ: proin non sufficiet, si v. g. solus maritus dicat, se actus suspectos uxoris vidisse; quia in causa propria nemo testis idoneus reputatur, ex qua nimirum aliquid speret, sicut hoc casu maritus, ubi propter adulterium uxoris ipse non tantùm à jugo Matrimonii liberatur, sed insuper uxoris Dotem lucratur. Gutier. Engl *l. citt.* 117

Quæritur 5. an conjugem adulterum dimittere innocens teneatur? *Ratio dubitandi* sumitur 1. ex *Prov.* 18. *v.* 24. ibi, *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est, & insipiens.* 2. ex *can. sicut crudelis* 1. *caus.* 32. *quæst.* 1. & *cap. si vir* 3. *de adult. & stupr.* in quorum textuum priore uxorem meretricem retinens *fatuus*, & *Patronus turpitudinis*, in posteriore *reus*, *& ejus criminis particeps* dicitur. 3. ex facto Sanct. Josephi, qui *Matth.* 1. eò *quòd esset justus*, voluit dimittere B. V. quam adulterii ream suspicabatur. 118

Sed dicendum, per se, & ratione adulterii innocentem non obligari ad conjugem adulterum dimittendum. Ita Navar. *in can. divortium* 21. *dist.* 1. *de pœnit. nu.* 8. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 13. *nu.* 6. Gutier *de Matr. c.* 129. *n.* 15. Coninck. *D.* 36. *n.* 19. Pont. *l.* 9. *c.* 17. *n.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 3. *n.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *nu.* 15. Hurtad. *Disp.* 12. *diffic. à num.* 15. Vivian. *in cap.* 5. *h. tit. pr.* Clericat. *de Sacr. Matrim. decis.* 39. *n.* 25. Vallens. *hic §.* 2. *num.* 1. *v. fidem*, Engl. *num.* 18. Pirhing. *num.* 20. Schambog. *num.* 10. Wiestner *nu.* 83. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. cap.* 5. *num.* 87. Sumitur ex *can. de Benedicto* 5. *can. si quis uxorem* 6. *caus.* 32. *q.* 1. & *c. quemadmodum* 25. *§. illud de Jurejur.* ibi, *Tutius est adulterium non accusare. Ratio est*, quia adulteræ dimissio à Christo *Matth.* 19. *vers.* 9. ut notat S. Augustinus relatus. *can. Idololatria* 5. *caus.* 28. *q.* 1. non præcipitur, sed solummodo permittitur favore innocentis, qui illatam sibi injuriam condonare, & juri divertendi, ex ea sibi quæsito, renuntiare potest, ne quod in favorem ejus est introductum, in ejus incommodum detorqueatur; durum enim accidere posset conjugi innocenti, si cogeretur cælebs vivere, & solus familiam regere, & administrare. 119

Dixi *per se*, *& ratione adulterii*; nam per accidens, & ratione scandali, ac sinistræ suspicionis, cui ansam præbet, sipost correctionem, & non secutam emendationem non dimittat uxorem adulteram, aliquando renetur illam dimittere, licèt rarò admodum, maximè si vir adulter sit, & uxor innocens; cùm enim ad viri correctionem tanquam subdita non obligetur, ex ejus retentione scandalum, aut consensus suspicio non facilè oritur. Pirhing *hic n.* 20. *fin.* 120

Neque contrarium probant Argumenta *n.* 118. allata. *Ad* 1. dico, id intelligendum de casu, quo ex retentione oriretur scandalum in populo, uti contingere posset, si adulterium esset publicum; vel si retentio scandalum foret ipsius conjugis adulteræ, utpote ex hoc liberiùs peccantis, tunc enim ad illam dimittendam, saltem ad tempus, & ad correctionem peccantis obligatio esse posset. *Ad* 2. textus *citati.* loquuntur de marito retinente uxorem adulteram, nulla adhibita correctione; is namque ejus turpitudinis particeps, & patronus censeri debet, quòd adulteram per silentium suum ad flagitii continuationem animet. *Ad* 3. S. Josephi justitia in eo consistebat, quòd aspiciens eximiam Virginis Sanctitatem Judicium suspenderit circa adulterium ejus, cujus tam vehemens habebat indicium, & proinde noluerit eam traducere, ne lapidaretur, potiusque elegerit occultam dimissionem. 121

Quæritur 6. an si conjux innocens velit ultro reconciliari nocenti post factum ab ea divortium, teneatur nocens acceptare, & ad cohabitationem redire? *Ratio dubitandi est*, quia innocens dimittendo adulterum, dimisit jus suum, quod in ipsum habuit. remittentibus autem 122

autem Jura sua non est dandus regressus *libr. quæritur* 14. *ff. si venditor* 9. *ff. de Aedilit. Edict.*

123 Sed verior est Sententia affirmativa, quam cum communi defendunt Pont. *l.* 9. *de Matr. c.* 9. *nu.* 1. *& seqq.* Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 7. *n.* 1. Fagnan. *in c. ex litteris* 5. *h. tit. n.* 11. Engl *hic n.* 19. Reiffenstuel *ibid. nu.* 100. Ratio est, quia divortium ex causa adulterii, ut dictum est *numer.* 119. solùm in gratiam innocentis concessum est. ergo non debet in ejus odium, & incommodum detorqueri *capit. quod ob gratiam* 61. *de R. J. in* 6. sententia non debet prodesse reo, contra quem lata est *l. evidenter* 16. *ff. de Except. rei judic. Proceditque hoc*, etiamsi Divortium actum sit per sententiam Judicis, nam adhuc, si velit, innocens revocare potest adulterium dimissum, eumque cogere ad redeundum; cùm per divortium, & ejus sententiam nullum jus amiserit innocens, & obligatione non liberatus sit nocens, nisi consecutivè, quamdiu scilicet non fuerit revocatus ab innocente. Sanch. *Disp.* 10. *numer.* 3. Gutier *capit.* 129. *nu.* 14. Pirhing *hic n.* 21.

124 Intelligendum autem hoc est, modò neuter conjugum statum mutarit: nam si vel conjux innocens, vel adulter statum mutavit cum consensu expresso, vel tacito conjugis innocentis profitendo Religionem vel SS. Ordines suscipiendo, nullum superest jus innocenti ad revocandum adulterum; quia assumendo statum immutabilem, & incompatibilem cum Matrimonio, vel permittendo, ut ab adultero assumatur, omne jus conjugale à se abdicasse censetur. Sanch. *l. cit. n.* 6. Fagnan. *in c. ex litteris* 5. *hoc tit. n.* 12. Pirhing. *n.* 21. *cit.*

125 Addidi autem, *si conjux adulter statum mutavit cum consensu expresso, vel tacito innocentis*; nam ut aliis *citt.* notat Palao *num.* 1. *cit.* ipsi non est integrum Ordinem Sacrum assumere, aut profiteri religionem, quamdiu spes subest reconciliationis. Et in hoc dispar est conditio nocentis ab innocente; hic enim Religionem ingredi, vel SS. Ordines assumere, facto divortio, etiam invito conjuge nocente, potest, ut cum aliis notat Fagnan. *l. citat. num.* 15. quia propter adulterium conjugis liberatur ab omni servitute, quam illi debebat ratione conjugii.

126 Durat autem hæc obligatio non mutandi statum in adultero solùm tamdiu, quamdiu spes reconciliationis, ut dixi subest; nam illa sublata, liberum ipsi est statum mutare, utpote qui non præsumitur à conjuge innocente repetendus. In specie mutare statum adulter & ipse potest. 1. si innocens SS. Ordinibus initiatus, vel Religionem professus est; quia tunc repeti adulter ab eo ampliùs nequit, utpote qui elegit statum usui conjugali oppositum. Sanch. *l.* 10. *D.* 10. *n.* 6. Pont. *l.* 9. *cap.* 19. *nu.* 2. Palao §. 7. *cit. nu.* 3. 2. si adulter emendatus sæpius reconciliationem petat, & innocens deneget; quia hac denegatione tacitè innuit, nolle se unquam sibi nocentem reconciliari, qua spe sublata, injustè, & irrationabiliter vellet, ut nocens de suo statu semper existat suspensus. Sanch. *l. cit. n.* 8. *&* 16. Pont. *nu.* 4. Palao *num.* 2. 3. si innocens uxorem adulteram, à Judice sæculari ob adulterium in Monasterium ad pœnitentiam agendam detrusam, intra biennium illius reclusionis non repetat; ea enim repetitionis omissione censetur, Jure sic disponente, consentire ingressui. *Auth. sed hodie C. ad Leg. Jul. de Adult.* Sanch. *n.* 8. Pont. *n.* 3. Palao *n.* 2.

127 Neque obstat Ratio dubitandi *num.* 122. allata; quia per petitionem, & sententiam divortii innocens non remittit Jus suum, sed potiùs adulter jure suo, quod priùs in innocentem ex Matrimonio habuit, volente conjuge innocente, privatur.

128 Quæritur 7. an adulterum resipiscentem recipere, & cum eo redintegrare conjugium innocens teneatur? Videtur teneri 1. ob textum *c. si vir* 3. *de Adult. & stupr.* ibi, *Quodsi mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpe, recipere peccatricem.* 2. ex *can. quod autem* 7. *caus.* 32. *q.* 1. ibi, *Nunc autem, postquam Christus dixit, Nec ego te condemnabo, vade, deinceps noli peccare, quis non intelligat debere maritum ignoscere, quod videt ignovisse Dominum amborum.* 3. ex *can. ego dixi* 7. *caus.* 34. *q.* 1. ubi textus, *Si vir*, inquit, *non receperit* uxorem suam pœnitentem, *peccat, magnum peccatum sibi admittit.*

129 *Sed dicendum*, etsi conjux innocens, si velit, possit reconciliari adultero, & cum illo redintegrare Matrimonium, non tamen ad hoc teneri. Ita S. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 6. *ad* 2. S. Bonavent. *ibid. art.* 1. *q.* 5. Sot. *dist.* 39. *q. un. art.* 3. *concl.* 4. Gutier. *de Matr. cap.* 129. *n.* 13. Coninck *D.* 35. *n.* 18. Pont. *l.* 9. *c.* 19. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 16. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 6. §. 6. *n.* 1. Bosco *D.* 12. *sect.* 16. *concl.* 7. Canis. *in c.* 2. *h. tit. n.* 6. Honor. *hic num.* 11. Pirhing *num.* 22. Schambog. *n.* 12. Wiestner *n.* 85. *& seqq.* Reiffenstuel *n.* 97. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matrim. c.* 5. *n.* 103. *& trib. seqq.*

Et quidem quod conjux innocens possit, si velit, reconciliari adultero, & cum eo redintegrare Matrimonium, ratio est, quia, ut *n.* 119. dixi, conjux innocens non tenetur nocentem dimittere, si non velit. ergo etiam non prohibetur dimissum recipere, si velit. Quòd verò regulariter non teneatur illum recipere etiam pœnitentem, & emendatum, ratio est, quia etsi per pœnitentiam tollatur culpa apud DEUM, non tamen tollitur injuria facta homini, nec reatus pœnæ, cujus rationem Divortium, ob adulterium institutum, habet. *Conf.* 1. quia conjux innocens absolutè liber est ab onere conjugali, & adulter violando semel fidem Matrimonii, omne jus conjugale amisit. *Conf.* 2. quia potest conjux innocens conjugem adulterum accusare in ordine ad divortium, postquam multis jam annis pœnitentiam egit de commisso crimine, textu claro *can. admonere* 8. *caus.* 33. *q.* 1. *v. pœnitentia.* igitur multo magis potest illum non recipere etiam pœnitentem; nam *turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.* 130

Excipi tres casus debent. 1. quando resipiscentis receptione magnum aliquod malum averti, aut bonum promoveri potest. Wiestner *hic n.* 86. 2. quando innocens injuriam, per adulterium sibi illatam, expressè, vel tacitè remisit secundùm dicta *n.* 108. 3. quando qui priùs erat innocens, etiam ipse in adulterium lapsus est, juxta ea, quæ docui *n.* 107. 131

Ad textus in contrarium *nu.* 128. allegatos facilis est responsio. *Ad* 1. textus ille de honestatis solùm, & æquitatis cujusdam, non verò de necessitatis, & legali debito intelligi debet, ut cum Gloss. & Host. *V. debet* notant Pont. *num.* 6. Palao *n.* 2. Canis. *n.* 6. *l. citatt. Ad* 2. eadem est responsio *Ad* 3. id intelligendum est, quando ex indignatione, & odio reconciliationem negaret innocens, & non ex jure per adulterium sibi quæsito: vel dic, eum peccare, si timeat incontinentiæ periculum uxoris eam repellendo, cui tamen periculo absque gravi incommodo subvenire posset. 132

Quæritur 8. an ob adulterium dimissus authoritate sententiæ judicialis, quæ transiit in rem judicatam, agere ad conjugii restaurationem possit, quando alter in idem delictum postea lapsus est? Negant hoc casu conjugem adulterum habere jus ullum repetendi innocentem, qui post sententiam divortii adulteratus est, adeoque ea delicta in casu isto non compensari valde probabiliter docent S. Thom. *in* 4. *dist.* 35. *q. un. art.* 6. Abb. *in c. fin. de adult. n.* 5. Sylv. *V. divortium n.* 27. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 9. *num.* 30. Gutier. *de Matr. c.* 129. *num.* 18. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *num.* 14. Zoes. *hic num.* 15. dubitativè tamen, Pirhing *n.* 19. Schamb. *n.* 8. Moventur 1. quia quod semel bene definitum est, minimè est retractandum *can. quod bene* 6. *caus.* 6. *q.* 4. 2. quia conjugem repetenti obstat exceptio rei judicatæ, quam abolere non potest adulterium commissum post transitum sententiæ in rem judicatam. 3. quia per Sententiam divortii dissolvitur jus communis thori, & cohabitationis; consic dimissus jus ad thorum, & in corpus alterius non ampliùs habet; igitur adulterio postea commisso, non fit ipsi injuria, quamvis reus fiat adulterii coram DEO. 133

Sed his non obstantibus, verius est, tali casu agi posse ad Matrimonii redintegrationem. Ita Gloss. *in cap. ex litteris* 5. *V. ad invicem h. tit.* Host. *ibid. num.* 2. Joan. Andr. *n.* 10. Anchar. *n.* 5. *fin. & n.* 13. Gaeta *in can. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4. *n.* 228. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 6. *n.* 5. Petr. Barbos. *in l. viro* 36. *ff. solut. Matr. n.* 4. August. Barbos. *in c. fin. de adult. n.* 4. Coninck *D.* 35. *n.* 13. *& duob. seqq.* Pal. *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 6. *n.* 11. Fagnan. *in cap. ex litteris citat. numer.* 6. Gonzal. *ibid. numer.* 3. Engl *hic num.* 15. Honor. *numer.* 6. Wiestner *num.* 89. Reiffenstuel *num.* 87. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5. *n.* 109. 134

Ratio

135 *Ratio est*, quia Sententia non dat jus divertendi, sed solùm illud ex adulterio innocenti quæsitum declarat, ut eo publicè uti possit. atqui jus divertendi, ex adulterio quæsitum innocenti, solùm est conditionatum, *Si actor servaverit continentiam*, & *Quamdiu ipse innocens est*; aliàs Matrimonium restaurare non teneretur innocens, si post divortium, propria authoritate institutum ipse etiam labatur in adulterium. igitur etiam sententia habebit adjectam hanc conditionem, qua proin cessante, reus agere poterit ad redintegrationem Matrimonii. *Conf.* quia quando causa sententiæ venit ad non causam, sive quando cessat causa, ob quam sententia lata est, agenti non obstat exceptio rei judicatæ. Bartol. *in l. si fullo 2. ff. de condict. sin. caus. numer.* 1. hoc fit, quando adulterium etiam ab altero commissum est; ergo &c.

136 Neque contrarium persuadent Argumenta allata. *Ad* 1. *can. citat.* intelligi debet de retractatione ex iisdem causis, non de ea, quæ fit ex nova causa, prout fit in casu quæstionis præsentis. *Ad* 2. exceptio rei judicatæ agenti obstat, si is velit in dubium revocare sententiam, quæ ita transiit; non verò si velit agere ob novam causam, quæ novam declarationem exigit. *Ad* 3. Sententia divortii tantùm eximit ab obligatione thori, & cohabitationis, non autem ab ea, qua conjuges prohibentur aliis copulari; nam hoc ne fiat ab innocente, dimissus jure suo petit: conf. si fiat injuria eidem infertur. Retorqueri hæc omnia possunt in divortiente authoritate propria ex notorio adulterio; nam sententia, ut dixi, non tribuit novum jus, sed quæsitum declarat.

§. III.

De Temporanea Dissolutione Matrimonii quoad thorum, & cohabitationem.

S U M M A R I U M.

137 138 139 *Præter fornicationem adhuc sunt aliæ justi Divortii causæ.*
140 *Et* 1. *quidem Hæresis, & Apostasia à Fide.*
141 *II. Periculum animæ.*
142 *III. Periculum corporis.*
143 *IV. Sævitia, & furor mariti.*
144 *V. Molesta cohabitatio ob frequentes rixas, & jurgia.*
145 146 *An quando maritus in Hæresim lapsus est, teneatur illum uxor dimittere?*
147 *&c. An dimissum, & postea resipiscentem recipere?*
151 *&c. An Hæreseos crimina quoad Divortium compensentur inter se?*
155 *&c. Vel cum adulterio carnali?*
159 *&c. Quale crimen esse debeat, ut ejus periculum alteri conjugi det justam causam Divortii.*
163 *&c. An & quando justi Divortii causa sint verbera inflicta, vel timenda à marito?*
168 *&c. An etiam maritus divertere possit ob sævitiam uxoris?*
171 *&c. An ex causa sevitiæ liceat innocenti divertere authoritate propria.*
175 *&c. An post divortium ex causa sævitiæ ita separatis permissus sit ingressus Religionis, aut susceptio SS. Ordinum?*
178 *&c. Quid dicendum, quando conjugum alter factus est furiosus?*
181 *&c. Apud quem, facto Divortio, Liberi educari, & ali debeant?*

137 QUæritur 1. an præter fornicationem, sive adulterium conjugis aliæ etiam sint causæ justi Divortii? Videtur respondendum negativè ob textum *Math.* 5. *v.* 32. & 19. *v.* 9. ubi Christus dicit, *eum mœchari, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis*; igitur ex sola fornicationis causa uxor dimitti, & divortium institui potest. *Conf.* si ob aliam causam institui Divortium posset, maximè posset ob unius lepram, vel aliam infirmitatem; atqui ob hanc conjuges quoad thorum, & cohabitationem non sunt separandi, prout statuit Alexander III. *cap. quoniam* 2. *de conjug. leprof.* ergo &c.

Sed Catholica, & à S. Synod. Trid. *sess.* 24. *de Sacr. Matr.* definita veritas est, fornicationem non esse unicam causam faciendi Divortii, ut patet ex ejus Synodi *canon.* 8. *sess. citt.* cujus tenor est: *Siquis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, Anathema sit.* 138
Conf. nam si Apostolus 1. *Corinth.* 7. potuit concedere temporalem separationem conjugum ex consensu causa orationis, potuerunt utique etiam Pontifices ex aliis justis causis scilicet propter periculum corporis, vel animæ, talem separationem indulgere; etenim Pontifices, tanquam Christi in terris Vicarii, Apostolica authoritate perfruuntur, nec minorem, quàm Apostoli, Jus Divinum interpretandi, ac declarandi potestatem habent.

Ad Argumentum sumptum ex verbis Christi dico, fornicationem esse unicam causam faciendi Divortii perpetui, & absoluti; plures verò alias sufficere ad faciendum Divortium ad tempus certum, vel incertum, quamdiu scilicet illæ durant: & ita textus illos *Matth.* explicant Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 14. §. *secunda* Maldonat *in Matth. c.* 5. *v.* 32. Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 62. *artic.* 5. Zoes. *hic num.* 19. Engl *num.* 10. Vviestner *nu.* 92. Reiffenstuel *n.* 30. estque explicatio hæc valde conformis menti Trident. dum ait, ob plures causas divortium *ad certum*, *incertumve tempus* (quod idem est, ac non perpetuò) esse permissum. *Ad Conf.* textus ille, *Tit.* 8. *de conjug. Leprof. n.* 10. respondi, intelligendus est, quando lepra judicio Medicorum non est contagiosa, & propterea conjugi alteri nullum, aut leve infectionis periculum imminet. 139

Quæritur 2. quænam in specie sint causæ justæ faciendi Divortii non perpetui? Resp. quinque maximè enumerantur. 1. *Hæresis*, & multo magìs *Apostasia à Fide canon. Idololatria* 5. & *can. seq. caus.* 28. *q.* 1. *c. de illa* 6. & *c. quantò* 7. *fin. h. tit. cap. final. de convers. conjugat.* imò hæc tanquam Spiritualis fornicatio aliquando est justa causa divortii perpetui juxta *c. de illa cit. v. fin.* Coninck *D.* 35. *n.* 24. Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *nu.* 16. *v. nunc demum*, Palao *tract.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 8. *n.* 2. Vivian. *in c.* 2. *hoc tit. v. nisi*, Canis. *ibid. nu.* 8. Barbos. *n.* 3. Gonzal. *in c.* 1. *eod. n.* 12. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 1. Zoes. *n.* 20. Engl *n.* 9. *fin.* Pirhing *n.* 27. Schambog. *n.* 15. Konig *nu.* 7. Reiffenstuel *n.* 29. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5. *n.* 111. Ratio est, quia plerumque ex cohabitatione cum Hæretico pertinaci Catholico conjugi, ejusque proli periculum perversionis imminet. 140

2. *Periculum animæ*, quando conjux conjugem ad grave peccatum v. g. latrocinii, veneficii, maleficii &c. vel etiam ad peccata carnalia, ipsis conjugibus inter se prohibita v. g. ad præposteram Venerem, incitat, aut impellit *arg. can. Idololatria cit.* quia cùm naturali, & Divino Jure cuilibet sit permissum, animæ periculum & ruinam Spiritualem evitare, non erit interdictum propter tale periculum etiam recedere à conjugio. S. Thom. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 6. Abb. *in c.* 2. *hoc. tit. n.* 3. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 17. *n.* 5. Conink *nu.* 23. Laym. *n.* 16. *v. altera*. Palao §. 9. *n.* 1. Canis. *num.* 3. Valles. *nu.* 1. *cit.* Zoes. *n.* 25. Engl *nu.* 9. Pirhing *n.* 58. & 61. Schambog. *n.* 40. Konig. *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 29. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 5 *n.* 126. Propter alia delicta conjugis, quæ in periculum animæ, vel corporis alterius conjugis non redundant, divortium minimè conceditur, prout *arg. c. quæsivit* 2. *hoc tit.* notanr Vivian. *ibid. pr.* & *v. & tunc*. Canis. *n.* 1. Barbos. *n.* 2. Gonzal *n.* 4. Engl *hic n.* 22. Pirh. *num.* 28. & 59. aliàs enim infinita ferè peterentur divortia. 141

3. *Periculum corporis*; nam quoties conjugi grave damnum corporis imminet ex mutua cohabitatione, quod alia via averti non potest, nisi facto divortio, fieri illud rectè potest; neque enim Jus Naturale, vel Divinum prohibet, quò minùs aliquis grave malum corporis declinare valeat. Et ex hac ratione 1. conjux sanus separare se potest à leproso, vel alio contagioso morbo laborante Navar. *Man. c.* 22. *num.* 22. Sà *V. divortium n.* 8. Henriq. *l.* 11. *de Matrim. c.* 4. *fin.* Coninck *l. cit. n.* 22. Laym. *n.* 16. Palao *n.* 5. Engl *n.* 24. Pirhing *nu.* 61. *coroll.* 5. Konig. *num.* 8. Reiffenstuel *num.* 29. 2. divertere potest uxor, si vir latrocinium exerceat, timeatque mulier Prudenter, ne tanquam illius criminis socia sit pu- 142

sit punienda, vel saltem reputanda, nisi alia via præter fugam ad periculum hoc evitandum occurrat; quia societati mariti adstricta non est cum gravi suæ vitæ, & honoris detrimento, ut rectè D. Antonin. 3. *p. tit.* 1. *c.* 30. §. 10. *caf.* 1. Palud. *in* 4. *dist.* 32. *q.* 1. *art.* 2. *n.* 7. Navar. *n.* 22. *cit.* Sà *n.* 5. Sanch. *D.* 18. *n.* 21. Palao *nu.* 5. *cit.* cum aliis.

143 4. *Sævitia* aut *furor mariti* v. g. consortem suam capitali odio persequentis, cujusquæ vitæ ferro, veneno &c. insidiantis, mortem, vel mutilationem seriò minitantis, aut aliis modis crudeliter tractantis *c. ex transmissa* 8. & *c. litteras* 13. *de restit. Spoliat.* Sanch. *D.* 18. *per totam*, Coninck *n.* 23. Laym. *n.* 16. *v. tertia*, Palao *num.* 6. Canis. *in cap.* 2. *num.* 3. Barbos. *ibid. nu.* 4. Gonzal. *in c.* 1. *n.* 12. Vall. *§.* 2. *num.* 1. Zoes. *n.* 21. Pirhing *n.* 51. *coroll.* 2. & 3. Engl *n.* 24. Konig *n.* 8. Schambog. *nu.* 40. Reiffenstuel *nu.* 29. Wiestner *num.* 98. Magnif. P. Schmier *numer.* 133. Ratio est, quia uxor non est mancipium viri, sed consors thalami, & rerum humanarum, ac Divinarum socia; igitur si tractetur ut serva, tanto justius petere separationem potest, quanto aliàs notius est, quòd cuilibet jus defensionis contra vim alterius injustam concessum sit.

144 5. *Molesta cohabitatio* ex frequentia jurgiorum, & rixarum, quas conjugum alterius inveterata, & indomita improbitas solet excitare; quia hujusmodi incommodorum metus est gravis; & in constantis animi hominem cadens: imò in hujusmodi conjugio salus corporis, & animæ periclitatur. Henriq. *l.* 11. *de Matr. c.* 17. *n.* 7. Sanch. *D.* 17. *cit. n.* 11. Laym. *n.* 17. *v. præterea*, Pirhing *n.* 61. *not.* 3. Schambog. *n.* 40. Wiestn. *n.* 99. Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 138.

145 Quæritur 3. an quando maritus in Hæresim lapsus est, teneatur illum uxor dimittere? Resp. distinguendo, an ex cohabitatione cum conjuge in Hæresim lapso conjux Catholicus patiatur periculum perversionis solùm commune, an verò grave. *Si primum*, non videtur conjux Catholicus obligatus ad faciendum divortium, ut notat Palao *tract.* 28. *D.* 3. *part.* 6. §. 8. *numer.* 2. Ratio est, quia nemo tenetur communia pericula peccandi fugere cum gravi suo detrimento, atqui negari non potest, Catholico grave esse se à conjuge separare, ejus cohabitatione, & obsequio carere, ac cælibem vivere; imò ex tali separatione sæpe oritur incontinentiæ periculum conjugi: quomodo igitur obligari poterit ad fugiendum periculum perversionis non graviter urgens, si ex ejus fuga incidat in periculum gravius incontinentiæ?

146 *Si secundum*, conjux, qui tale periculum perversionis graviter urgens patitur, tenetur se separare à conjuge in Hæresim lapso; quia periculum tale Jure naturæ quilibet vitare tenetur. Sanch. *lib.* 10. *de Matr. D.* 15. *n.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *nu.* 16. Pont. *l.* 9. *c.* 22. *n.* 2. Palao *n.* 2. *cit.* Neque opus est hoc casu authoritate Ecclesiæ, cùm obligationem discedendi Jus naturæ ipsum injungat. Poterit ergo conjux Catholicus tali casu eum, qui in Hæresim lapsus est, propria authoritate dimittere *c. de illa* 6. *h. tit.* Konig *n.* 14.

147 Quæritur 4. utrum teneatur conjux innocens conjugem Hæreticum resipiscentem recipere, & cum eo redintegrare Matrimonium? *Certum est*, quòd teneatur illum recipere, si propria authoritate divertit, sive se separavit; quia Hæresis, seclusa Ecclesiæ declaratione, non præbet causam perpetui divortii, sed temporalis, nempe donec alter emendetur; unde emendatione secuta, cessat causa divortii, & conjux innocens, obligatur hæretico pœnitenti reconciliari, in quo maximè differt ab adulterio carnali, quippe quod, cùm directè opponatur Matrimonio, perpetui divortii causam præbet; secus verò adulterium Spiritualc, seu Hæresis, quippe quod permanentiam petit. Sanch. *l.* 10. *de Matrim. D.* 15. *num.* 10. & *seqq.* Coninck *D.* 35. *num.* 24. Pont. *l.* 9. *c.* 22. *nu.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *cap.* 7. *num.* 16. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *part.* 6. §. 8. *numer.* 3. Idque verum est, etiamsi conjux Catholicus, dimisso conjuge in Hæresim lapso, ingressus fuisset Religionem, aut Ordinibus SS. initiatus sit; nam ante sententiam divortii nec istos suscipere, nec illam ingredi eidem licet, sed repetere illum conjux ad Religionem Orthodoxam reversus potest, ut patet ex *c. de illis* 6. *h. t.* & notat Pal. *n.* 3. *cit.* Vivian. *in c.* 6. *cit. pr.* Zoes. *hic n.* 27. Schamb. *n.* 16.

Controversia inter DD. est, an si Hæreticus post Sententiam latam revertatur, recipiendus ille sit ab altera parte Catholica. Sanch. *l.* 10. *de Matrimon. D.* 15. *nu.* 19. Palao §. 8. *cit. num.* 5. Pirhing. *hic num.* 29. & 30. negativæ patrocinantur propter textum *cap. de illis cit.* qui satis apertè pro Sententia ista loquitur. *Conf.* ex *cap. final. de Hæretic. in* 6. ubi in pœnam Hæresis omnes, qui aliqua obligatione Hæretico obstricti sunt, absolvuntur. 148

Sed quamvis Sententia hæc de rigore Juris sit valde probabilis, de æquitate tamen præferenda videtur illa, quam tenent Vivian. *in cap.* 6. *cit. v. secus.* Wagnereck *ibid. not.* 3. Barbos. *num.* 5. Pirhing. *numer.* 31. *not.* 5. *hic*, Honor. *numer.* 9. Engl *num.* 21. Konig *numer.* 17. Reiffenstuel *numer.* 32. & alii plures, juxta quos distinguendum est: Vel enim conjux Catholicus vult ad Religionem transire, aut in sæculo remanere. *Priore casu* ex speciali privilegio Religionis non tenetur accipere conjugem ab Hæresi reversum, sicut decisum est *capit. fin. de convers. conjugat. Posteriore* autem recipere illum tenetur, tum quia, ut *num.* 147. dictum est, causa perpetui divortii solum adulterium carnale assignatum à Christo est; tum quia separatio Matrimonii propter periculum incontinentiæ, & alia scandala, ac damna non est facilè concedenda, præsertim si uterque vivere velit in sæculo; tum denique, quia id satis colligitur ex *cap. quanto* 7. *fin. h. tit.* 149

Ad *cap. de illis cit.* dico id explicandum esse juxta *c. fin. de convers. conjugat. Ad Conf.* constitutio *c. fin. citat.* pœnalis est; conf. extendi non debet ad obligationem matrimonialem, quæ est ex Jure Divino. 150

Quæritur 5. an sicut Adulterii carnalis, sic & Spiritualis, sive Hæreseos crimina quoad Divortium compensentur? Videtur esse compensationi locus, & sic neutrum eo casu ob istam causam facere posse Divortium, ex ratione; quia utriusque conjugis in Hæresim lapsi delicta paria sunt, paria autem delicta mutua compensatione tolluntur *l. final. C. de Compensat.* præsertim in Matrimoniis, ac Divortiis *capit. intelleximus* 6. & *c. fin. de Adulter. & stupr. l. viro, atque uxore* 39. *ff. solut. Matr.* 151

Sed tenenda est Sententia negativa, & dicendum adhuc esse divortio locum, cum distinctione tamen, qua utitur Sanch. *l.* 10. *de Matrim. D.* 16. *nu.* 4. Vel enim judicio Ecclesiæ de Hæresis crimine uterque, vel alter solùm est condemnatus. *Si primum*, uterque potest ab altero, hoc etiam invito, divertere, donec mutuo consensu pristinum conjugii statum, & amicitiam uterque restauret. *Ratio est*, quia per Sententiam, super Hæresis crimine latam, uterque conjux Jure conjugali perpetuò est privatus: quod inde colligitur; quia uno tantùm in Hæresim lapso, post talem sententiam licitum est alteri, invito illo, Religionem ingredi. atqui jus semel extinctum non reviviscit *arg. l. in tantum* 6. *§. sacræ* 3. *ff. de rer. divis.* & *l. inter stipulantem* 83. *§. sacram* 5. *ff. de V. O.* 152

Si secundum, is, qui Ecclesiæ judicio condemnatus non est, à condemnato potest divertere, nec tenetur eidem reconciliari; contrà condemnatus etiam, postquam resipuit, licèt divertere ab illo possit, quamdiu iste perseverat in Hæresi, si tamen & ipse resipiscat, tenetur eidem reconciliari. *Ratio est*, quia condemnatus absolutè per sententiam, ut dictum est, amisit jus conjugale, non condemnatus nondum amisit. *Conf.* nam Hæresis ante Sententiam Divortii causa tantùm est ratione periculi perversionis. Igitur cùm periculum istud, Hæretico resipiscente, cesset, etiam cessabit Divortium; post sententiam autem Divortium est pœna perpetua. 153

Ad rationem dubitandi dico, compensationi in delictis solùm locum esse, quando delicti pœna imposita est in favorem alterius; atqui non sic imposita est pœna privationis Juris conjugalis ob Hæresim; quia imposita est ob injuriam, & violationem fidei, non conjugi, sed DEO datæ. 154

Quæritur 6. an quoad Divortium compensentur crimina adulterii carnalis, & Spiritualis, seu Hæresis? *Certum est*, non compensari, antequam alter judicio Ecclesiæ de Hæresi est condemnatus; nam ut crimina quoad Divortium compensentur, necesse est, ut utrumque crimen sit causa ex se sufficiens ad faciendum Divortium perpetuum, prout rectè advertit Sanch. *lib.* 10. *de Matr.* 155

Matr. D. 16. *num.* 3. atqui in tali casu solum Adulterium ex se est causa sufficiens divortii; Hæresis enim ante sententiam solùm præbet causam Divortii ratione periculi perversionis, quod conjuge in Hæresim lapso, & postea emendato, cessat.

156 *Difficultas* igitur solùm est in casu, quo sententia Hæresis in conjugem reum lata est. Videntur hoc casu crimina ista compensari; quia hoc casu etiam Hæresis est causa sufficiens perpetui divortii: conf. quoad hoc paria sunt. *Neque obstat*, quòd sint diversa crimina; nam in materia Justitiæ duo debita ejusdem rationis compensantur, licèt injuriæ, ex quibus debita illa sunt orta, sint diversæ, nec compensationi obnoxiæ, ut fit in casu, quo Titio Cajus debet 100. ratione furti, & Cajus Titio itidem 100. ratione atrocis injuriæ ipsi illatæ.

157 Sed tenenda est Sententia negativa, & dicendum, conjugem adulterum hoc casu adhuc agere posse ad Divortium adversus conjugem in Hæresim lapsum, & de hac condemnatum, nec intentionem ejus elidi posse exceptione adulterii. Ita Sanch. *D.* 16. *cit. nu.* 3. Pont. *l.* 9. *c.* 22. *n.* 6. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 8. *n.* 8. Perez *D.* 37. *de Matr. sect.* 3. *num.* 3. Vviveftner *hic num.* 95. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matrim. c.* 5. *num.* 119. *& seqq. Ratio est*, quia ratio divortii ex utroque delicto diversa, & ipsius divortii ex utroque concessi finis distinctus est, cùm eorum unum principaliter privatum, alterum publicum favorem spectet. *Conf.* à paritate cum Sponsalibus de futuro, à quibus, si uterque justam causam resiliendi habeat, unus lepram alterius, hic fornicationem, sine ulla compensatione recedere uterque potest *c. quemadmodum* 25. *pr. de Jurejur.*

158 Ex quo cadit Ratio allata in contrarium; licèt enim Adulterium, & Hæresis post Sententiam paria sint quoad vim inducendi Divortium perpetuum, non tamen sunt paria ita, ut invicem compensentur, quippe quæ in se diversa sunt, injuriam diversis inferunt, & finem diversum spectant. *Ad Exemplum* debentium sibi 100. ex diversis causis negatur paritas; nam in hujusmodi debitis aliquid tradendum est creditori: & hinc cùm dolo videatur agere, qui petit, quod statim redditurus est, unum debitum per alterum tollitur. At verò in Divortio nihil ab altero tradendum est, sed solùm amittitur jus conjugale quoad thorum, & cohabitationem; conf. coalescere Matrimonium ita separatum non aliter potest, quam reconciliatione, quam casu, quo uterque nocens est, neuter alteri debet.

159 Quæritur 7. quale crimen esse debeat, ut ejus periculum alteri conjugi det causam Divortii? Resp. sufficere periculum cujuscunque criminis gravis. *Neque obstat*, quòd *c. quæsivit* 2. *h. tit.* uxori Divortium propter furtum, vel aliud crimen viri negetur, & disertè tantùm permittatur ob perversionem Fidei, & periculum illius; id enim ideo ibi statutum est, quia plerumque non est tantum periculum futuræ perversionis ex cohabitatione cum conjuge fure, quantum est ex cohabitatione cum conjuge lapso in Hæresim, vel Apostasiam: & hinc ex textu *cit.* solùm inferri potest, quòd ob alia flagitia regulariter non liceat divertere, ut dictum est *suprà num.* 141. & notat Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 17. *n.* 5. *pr.*

160 *Dubitari potest*, an periculum gravis peccati, alteri conjugi ex cohabitatione imminens, sit causa Divortii perpetui? Affirmat Innoc. *in c. de illa* 6. *h. tit. fin.* ductus paritate cum Hæresi, ex qua Divortium perpetuum fieri posse dictum est *suprà nu.* 140. Consentit ex parte Veracrux *Specul. p.* 3. *artic.* 1. *concl.* 4. ubi ait, probabile esse, quòd etiam ob alia crimina, & periculum illorum Innocenti imminens liceat divertere perpetuò Jure naturæ, & Divino, quamvis Ecclesiastico Jure prohibitum sit *c. quæsivit cit.*

161 Sed retinenda est negativa sententia, & dicendum casu, quo nocens seriò convertitur, & sic periculum perversionis cessat, obligari innocentem, ut conversum recipiat, & Matrimonium cum ipso redintegret. Ita Zabarell. *in c. de illa cit. fin.* Sylv. *V. Matrimonium* 9. *n.* 12. Sot. *in* 4. *dist.* 39. *q. un. art.* 4. *ad fin.* Bellarm. *l.* 1. *de Matr. c.* 14. §. *secunda causa*, Maldonat. *in Matth. c.* 5. *nu.* 32. Lud. Lop. *p.* 2. *Instruct. de Matr. c.* 53. *fin.* Petr. de Ledesm. *de Matr. q.* 62. *art.* 5. *ad* 1. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 17. *n.* 13. Vviestner *hic n.* 97.

162 Ad argumentum *Innocentii* nego paritatem: nam Hæresis post sententiam privat Jure debiti conjugalis exigendi, & cohabitationis mutuæ: quo jure quòd conjux nocens privetur perpetuò ob alia crimina, excepto adulterio, nullo Juris textu probari potest. Distinctio *Veracrucii* fundamento caret: imò si Jure naturali permissum esset divortium perpetuum ob alia crimina, Ecclesia id restringere nec potuisset, nec voluisset.

Quæritur 8. an Divortio justam causam præbeant verbera inflicta, vel timenda à marito? Tres sunt sententiæ. *Prima* affirmat absolutè. *Secunda* negat extra casum, quo ex verberationis atrocitate timetur mortis periculum. *Tertia*, & meo judicio tenenda distinguit inter verberum inflictionem, an levis solùm, ac moderata, an verò gravis, & excessiva sit. 163

Si primum, causam divortii nullatenus præbet; quia censetur facta potiùs causa correctionis, quæ viro respectu uxoris permissa est *can. sicut* 39. junct. Gloss. *V. judicari caus.* 7. *q.* 1. Abb. *in c.* 5. *de Jurejur. n. ult.* Tholos. *Synt. l.* 9. *c.* 15. Petr. Barbos. *ad Rubr. ff. solut. Matrim. p.* 2. *n.* 31. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 18. *num.* 18. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 12. Engl *hic n.* 23. Schambog. *n.* 40. Vviestner *nu.* 110. Reiffenstuel *nu.* 38. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 5. *numer.* 141. *Proceditque hoc*, etiamsi vir levi, & moderata verberatione usus esset sine justa causa, ut cum aliis notat Sanch. *loc. cit.* ex ratione, quòd ea nec virum arguat sævitiæ, nec justi, & in constantem animum cadentis metus causam uxori præbeat: hinc alio remedio vel judiciali, vel extrajudiciali maritum ad limites discretionis debet reducere. 164

Si secundum, altera distinctione est opus, & videndum, an verbera processerint ex insolita quadam ira, & inopinato perturbationis motu, absque timore probabili ejus imposterum exercendæ; an verò imposterum repetenda verisimiliter timeri debeant. Nam si *prius contingat*, non sunt causa justi divortii, ut rectè Barbos. *in Rubr. ff. solut. Matr. p.* 2. *nu.* 32. Gutier. *l.* 1. *QQ. can. c.* 24. *nu.* 9. Sanch. *D.* 18. *num.* 16. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 17. *v. secundò*. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 9. *num.* 7. Pirhing. *hic numer.* 61. *coroll.* 2. Engl *num.* 23. Vviestner *n.* 101. Reiffenstuel *n.* 39. quia unica, etiam excessiva, verberatio non probat sævitiam, quippe quæ assiduitatem, aut saltem propensionem, & proclivitatem quandam ad grave malum inferendum videtur exposcere. 165

Si posterius, hujusmodi verberatio justam præbet divortii causam. Tiraquell. *connub. l.* 1. *Gloss.* 1. *n.* 24. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 5. *n.* 1. Sanch. *n.* 16. *cit.* Pont. *l.* 9. *c.* 23. *n.* 5. Bosco *de matr. D.* 12. *sect.* 16. *concl.* 13. *à n.* 446. Pirhing *hic nu.* 62. Engl *n.* 23. Reiffenst. *nu.* 41. Magnif. P. Schmier *num.* 139. *Et procedit*, etiamsi uxor culpam commiserit tam acri castigatione dignam. Sanch. *n.* 16. *fin.* Pont. *n.* 5. *fin.* Bosco *n.* 443. Canis. *in c.* 2. *h. tit. num.* 3. Pirhing *num.* 61. Reiffenstuel *nu.* 45. *arg. can. de Benedicto* 5. *caus.* 32. *q.* 1. & *l. nec timorem* 7. *ff. de eo, quod met. caus.* Ratio est, quia quamvis uxor ob qualitatem delicti puniri possit, & castigari tam gravi, vel atroci pœna, tamen hæc non competit viro, sed Judici. Non autem necesse est, ut verba ejusmodi sint actu illata, sed sufficit, quòd probabiliter timeantur. Engl *n.* 23. *cit.* 166

Porro quænam gravis verberatio, aut crudelis, & atrox tractatio censenda sit, item quando sint attendendæ minæ, ut sufficientem causam Divortio faciendo præbeant, multùm pendet ex arbitrio Judicis, qui circa hoc in considerationem adducet qualitatem personarum, & alias circumstantias. Juxta Pont. *n.* 5. *cit.* Sanch. *n.* 10. generaliter tunc verberatio gravis, seu atrox, & crudelis tractatio, ad divortium sufficiens est, quando consideratis personis, metum gravem, cadentem in constantem animum, etiam citra periculum vitæ, incutit: & talis, ut examplificat *Pontius*, est percussio, ex qua abortus sequitur; item quæ sanguinolenta est (non tamen ex naribus) aut vulnus facit, præsertim in capite, aut facie; item quæ ad tempus infirmitatem uxori causat, ita, ut ad dies aliquot se continere in lecto cogatur; item quæ fit in pectore, ita ut per aliquot dies sanguinem spuat uxor, vel quæ fit baculo, in percussione fracto; item & vel maximè, quæ fit cum periculo vitæ, ut si vir apponat uxoris collo, aut pectori cultrum, gladium, sclopetum cum animo, aut minis occidendi; secus, si id faciat ad secretum aliquod eruendum. Advertit insuper *l. c.* Pontius, & cum eo *Bosco*, 167

mino-

minores molestias sufficere ad probandam sævitiam viri, si uxor Nobilis est, pudica, honesta, & morigera, quam si plebeja, rixosa, immorigera &c.

168 Quæritur 9. an ob sævitiam uxoris divertere etiam valeat maritus? Negat Gloss. *in c. 2. hoc tit. vel alio*, Host. *in c. 25. de Jurejur. in fin.* Ant. de Butrio *ibid. §. illud autem in fin.* 1. quia SS. Canones, qui divortii ex sævitiæ causa meminere, de sola uxore, à viro sibi timente, loquuntur. 2. quia *can. quidquid 22. caus. 32. quæst. 5.* *Quidquid mulier contra virum cogitaverit, aut fecerit, non esse, excepta causa fornicationis, rejiciendam.* 3. non est eadem ratio uxoris, & mariti; nam iste uxoris caput, conf. ipsa marito suo subjecta est: ac propterea coercere virum, ipsumque punire non potest.

169 Sed meliori ratione etiam maritus ab uxore, vitæ suæ insidias struente, si ab ea aliter se tueri nequeat, divortium potest facere. Ita Abb. *in c. 1. hoc tit. n. 4.* Joan. Andr. *ibid. n. 3.* Host. *n. 2.* Alex. de Nevo *n. 4.* Gaeta *in can. ad limina 30. quæst. 1. §. 4. n. 235.* Covar. *p. 2. de Sponf. cap. 7. §. 5. n. 2.* Barbosa *ff. solut. Matr. q. 2. num. 23.* Ledesm. *q. 62. art. 1. dub. 4.* Gutier. *l. 1. qq. can. c. 24. num. 8.* Sanch. *l. 10. de Matr. D. 18. n. 8.* Pont. *lib. 9. c. 23. n. 8.* Palao *tr. 28. D. 3. p. 6. §. 9. num. 6. fin.* Gonzal. *in c. 1. hoc tit. n. 12.* Vviestner *hic n. 104.* Reiffenst. *n. 53. ibid.* *Ratio est*, quia Jus naturale concedit cuivis facultatem se adversus vim injustam tuendi, & mortis sibi inferendæ periculum quoquo modo declinandi; atqui periculum hoc etiam potest imminere marito ab uxoris malitia; igitur sicut uxor ob sævitiam mariti discedere à marito potest, ita maritus ab uxore. *Conf.* nam cum tali periculo Matrimonium non censetur ullum ex conjugibus obligare.

170 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad 1.* SS. Canones solius uxoris meminerunt, quod viri in uxorem sævitia sit frequentior, quam uxoris in virum: unde cum in correlativis, quod dispositum est de uno, etiam dispositum censeatur de altero, si eadem sit de utroque ratio, textus isti etiam de marito debebunt intelligi. *Ad 2. can. cit.* intelligi debet de Divortio perpetuo; nam temporale ex aliis causis permissum esse uxori, patet ex Trid. *seff. 24. can. 8. de Sacr. Matrim.* *Ad 3.* ratio, quare uxor ob sævitiam mariti possit divortium facere, est, quia vitam adversus insidias quovis modo tueri Jus naturale permittit *l. ut vim 3. ff. de J. & J. & l. itaque 4. pr. ff. ad Leg. Aquil.* quæ ratio non minus pugnat in marito, cum ipsi insidias struit uxor.

171 Quæritur 10. an ob sævitiam conjugis, vel aliud simile incommodum liceat conjugi propria authoritate divertere? Resp. non licere, sed opus esse, ut interveniat authoritas Judicis. Ita Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 7. §. 6. n. 10.* Sanch. *l. 10. de Matr. disp. 18. n. 3.* Pont. *l. 9. de Matr. c. 23. n. 7.* Palao *tr. 28. disp. 3. p. 6. §. 9. n. 6.* Vviestner *hic n. 105.* arg. *c. licet 1. c. litteras 13. c. ex transmissa 8. de restit. spoliat. c. porro 3. & c. significasti 4. hoc tit.* *Ratio est*, quia agitur de dissolutione Juris, & obligationis Sacramenti Matrimonii, quod cedit in valde grave præjudicium conjugis, à quo fit separatio; ut adeo sine judicio Ecclesiæ instituenda non sit.

172 *Excipitur* si periculum sit in mora, ut plerumque esse existimat Engl *hic n. 23.* Reiffenstuel *ibid. num. 48.* tunc enim conjugi non vertetur vitio, si propria authoritate à sæviente recedat, nec restituitur, nisi à sæviente cautio de non offendendo præstetur, ut dictum est *Libr. 2. Tit. 13. num. 62. vers. 2.* Cautio autem ista, ut *ibidem* monui, regulariter præstari debet per pignora, aut fidejussores, ut mulier in eventum læsionis habeat, unde satisfactionem, etiam pecuniariam, propter injuriam exigere possit. Quodsi tamen conjux sæviens ob inopiam pignora, aut fidejussores habere nequeat, ejus Iuramentum pro cautione acceptabitur *auth. generaliter C. de Episc. & Cleric.* Si vero adhuc diffidat uxor ob capitale odium viri, vel irreligiositatem illius, quod Iuramentum credatur facile violaturus, cohabitatio injungi uxori fugienti non debet, sed apud parentes, cognatos, aut in alio tuto loco collocari poterit, dum causa videatur. Sanch. *disp. 18. cit. n. 40. & 41.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 17.* Canis. *in cap. 2. hoc tit. num. 3.* Engl *hic n. 23.* Pirhing *n. 62.* Schamb. *n. 40.* Konig *num. 8.* Reiffenstuel *n. 48. & 49.*

173 Imo Pont. *lib. 9. cap. 23. n. 6.* allegans plures alios, & Rotæ decisionem, docet, quod si uxor plene probet sævitiam viri, cautionem de non offendendo accipere non teneatur, sed divortium absolutè petere possit, eo quod tunc tantum cautioni huic locus sit, quando sævitia plene probata non apparet, sed indicia solum, & signa adsunt quæ sævitiam concludenter non probent; tunc enim fragilitati cautionis fidendum non est.

Porro Iudex, qui cognoscere de causa Divortii potest, est solus Iudex Ecclesiasticus; quia est causa Spiritualis. Procedet autem ad sententiam Divortii tum solum, quando cognoverit, quod causa sit legitima, & quod uxori contra sævitiam mariti per pignoratitiam, fidejussoriam, aut juratoriam cautionem, ut dictum est, prospici sufficienter nequeat. Vviestner *hic num. 105. cit. cum aliis.* 174

Quæritur 11. an, postquam Divortii sententia ob sævitiam lata est, conjugibus ita separatis sit licitus ingressus Religionis, vel susceptio SS. Ordinum? *Certum est*, non esse licitum nocenti sine innocentis consensu; quia hic sævitiam deponere, & ea deposita Matrimonium ad innocentis petitionem redintegrare tenetur. Sanch. *lib. 10. de Matrim. D. 18. num. 49. fin.* Vviest. *hic num. 106.* 175

Dubium est, de innocente. Videtur non esse licitum; quia ingressus in Religionem, & susceptio S. Ordinis supponit Divortium perpetuum, cujus justa causa non sævitia, sed sola conjugis fornicatio est *can. quidquid 22. caus. 32. q. 5.* *Conf.* cessante sævitia, vel præstita sufficienti cautione de incolumitate, Matrimonium est redintegrandum: quod non fieret, aut fieri posset post Professionem editam, vel Ordinem Sacrum susceptum.

Sed distinguendum est, an Sententia Divortii solum temporanea, & ad certum, incertumve tempus lata sit, vel omnino sit absolutè lata & in perpetuum, quod ob sævientis improbitatem spes de emendatione nulla appareat. *Si primum*, & spes emendationis sit, ingressus Religionis, & Ordinis Sacri susceptio divertenti procul dubio permissa non est ob rationem deductam. Barbosa *Rubr. ff. solut. Matr. p. 2. n. 25.* Sanch. *disp. cit. num. 49.* Palao *tract. 28. disp. 3. p. 6. §. 9. num. 12.* Perez *disp. 57. de Matr. sect. 5. num. 9.* Vviestner *hic num. 107.* cum aliis. *Si secundum*, & Iudex arbitratus fuerit, conjugem sævum non corrigendum, innocens ad Religionem transgredi, etiam altero conjuge invito, potest; quia ingressui in Religionem solum obstat obligatio reddendi debitum conjugale: quæ obligatio cum per sententiam Divortii perpetui tollatur, idcirco non apparet causa, quæ transitum hujusmodi illicitum reddat. Navar. *Man. c. 22. num. 22. §. quinto.* Henriq. *l. 12. cap. 5. n. 10.* Barbosa *loc. cit. num. 26.* Sanch. *num. 49.* Palao *num. 12.* Perez *n. 9. cit.* 176

Ad Rationem dubitandi fornicatio est causa per se divortii perpetui, sævitia vero solum per accidens, quatenus scilicet correctio nulla sperari potest: & hinc sicut sperari reconciliatio nequit, ita innocens ab ingressu Religionis impediri non poterit. *Ad Conf.* id verum est, quando sententia divortii est solum ad tempus certum, incertumve lata: secus si absolutè; nam tunc innocens semel jam professus, aut in Sacris constitutus ab altero contra spem correcto revocari non amplius potest, ex Regula, quod factum legitime revocari non debeat; fuit autem ingressus innocentis in Religionem legitimus, nec sententia divortii processit ex falsa præsumptione, sed in pœnam sævitiæ alterius, & tutamen innocentis lata est absolute. Sanchez *loc. cit.* Perez *num. 9. & 49.* Vviestner *num. 109.* & confirmatur à paritate divortii instituti post sententiam latam in causa Hæresis; nam sicut tunc innocens, etiam casu, quo in Hæresim lapsus resipuit redintegrare non tenetur Matrimonium, ita nec tenebitur in casu nostro. 177

Quæritur 12. quid dicendum, quando conjugum alter factus est furiosus & de statu mentis dejectus? Resp. cum distinctione: Vel enim sanus cohabitare cum illo potest sine periculo suo, vel non. *Si primum*, alterius furor non præstat sufficientem divertendi causam, sed sanus cohabitare illi, & ministrare tenetur quia ut *can. si uxorem 18. caus. 32. quæst. 5.* innuit *S. Augustinus*, ob nullum infortunium conjux est dimittendus: conf. tali casu etiam non licebit ingressus in Religionem Sanch. *l. 10. de Matr. disp. 18. nu. 18. & 48.* Neque sufficientem tali casu divertendi causam præbere censenda est molesta cohabi- 178

cohabitatio cum tali conjuge, & frequentes rixæ cum illo; quoniam hæc absque culpa conjugis amentis accidunt; & propterea causam potius miserationi dant, quam discessui.

179 *Si secundum*, & sine periculo suo gravi conjux sanus cum furioso cohabitare nequeat, videndum, an spes probabilis extet fore, ut conjux furiosus ad suam mentem restituatur, vel saltem, ut furor ille ita sedetur, ut possit esse tuta cum illo habitatio; aut contra experientia manuducente, & peritis Medicis id asseverantibus, desperetur reditus ad pristinum statum, ac furoris impetus extinctio, ac proinde tuta cohabitatio. *Si prius*, iterum Religionem ingredi, vel Ordines sacros suscipere conjugi sano non licet; quia tunc divortium est solum temporale, nec conjux furiosus jure conjugali in perpetuum privari absque culpa sua potest. *Si posterius*, integrum est conjugi sano ad Religionem transire; quia tunc divortium est perpetuum, conf. militat eadem ratio, quæ in Divortio ratione adulterii, Hæresis sævitiæ post latam sententiam absolutam. Sanch. *num.* 48. *cit.*

180 Notandum tamen est hic discrimen aliquod inter casum, quo ex causa sævitiæ Divortii sententia lata est absolute, & inter casum, quo ex Ecclesiæ judicio factum est divortium perpetuum ex causa furoris; nam *primo casu*, ut *num.* 177. dictum est, post ingressum in Religionem non redintegratur Matrimonium, quamvis ex post facto conjux sævus præter spem resipiscat, & periculum ex sævitia innocenti imminens ita cesset, ut eidem ex cohabitatione nihil timendum sit; Contra redintegrari debet *casu posteriori*, si præter spem furiosus ad mentem redeat; conf. si conjux sanus mutavit statum, & vel Religionem professus, vel Sacro Ordine initiatus est, revocari à conjuge suo potest, ut recte advertit Sanch. *loc. cit. Ratio disparitatis* est, quia in priori casu in pœnam sævitiæ divortii sententia lata est absolutè; in posteriore autem solum ex falsa furoris perpetui existimatione; sententia autem, quæ ex errore processit, retractatur.

181 Quæritur 13. apud quem, facto Divortio, Liberi educari, & ali debeant? Resp. educari, & ali debent penes conjugem innocentem; & quidem apud matrem, expensis patris, si pater divortio causam dedit; si vero mater, apud patrem, expensis matris locupletis, nisi pater minus idoneus sit; tunc enim apud matrem nutriri debent, ut habetur *Auth. si pater C. divort. fact. & Novell.* 117. *c.* 7. Sanch. *l.* 10. *de matr. D.* 20. *n.* 2. Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 19. Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. §. 10. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 63. Reiffenst. *ibid. n.* 103.

182 *Limitandum tamen hoc* 1. *est*, nisi conjux innocens, qui causam divortio non dedit, sit infidelis, is autem, qui in culpa fuit, sit fidelis; tunc enim in favorem fidei, ne proles in infidelitate educetur, tradenda est alteri conjugi fideli *c. fin. de convers. infid.*

Limitatur 2. quando culpa viri factum est divortium, & mater transiit ad secundas nuptias; tunc enim proles non relinquitur educanda Matri, ut colligitur ex *Auth. si pater cit.* & notant *Sanch. & Pirhing loc. cit.*

183 *Limitatur* 3. si mater causam divortio dedit, & locuples sit, pater autem sit minus idoneus, vel pauper; tunc enim apud matrem proles est educanda. *Auth. si pater, & Novell. citt.* Idemque similiter dicendum est, si è contrario pater dedit causam divortio, & ipse locuples sit, mater autem pauper; tunc enim alenda est proles apud patrem; quia eadem est ratio, & pater, ac mater sunt correlativa, adeoque dispositum de uno censetur etiam dispositum in altero. Sanch. *loc. cit. n.* 3. Laym. *n.* 19. Pirh. *n.* 63. Reiffenst. *n.* 105.

TITULUS XX.

De Donationibus inter Virum, & Uxorem, & de Dote post Divortium restituenda.

MAtrimonio per Divortium dissoluto, restituenda est Dos, & Donatio propter nuptias; unde non immerito de his, & aliis Donationibus, quæ inter conjuges fiunt, agitur.

§. I.

De Valore, & Firmitate Donationum inter conjuges.

SUMMARIUM.

1 *Donationes sunt multiplicis generis.*
2 3 4 *Inter conjuges factæ, si mere liberales sint, invalidæ sunt.*
5 *Alii contractus, inter eosdem celebrati, valent.*
6 *Imo etiam donationes, si non sint mere liberales.*
7 *Aut tales, quibus donans pauperior, donatarius locupletior fiat.*
8 *Casus, in quibus Regula Juris communis locum habet.*
9 *&c. Casus excepti ab ista Regula.*
19 20 21 *An Maritus in gratiam Uxoris repudiare possit hæreditatem sibi delatam, aut Legatum, vel Fideicommissum sibi relictum?*
22 23 24 25 *An valeant Donationes Remuneratoriæ factæ uxori à marito?*
26 27 28 29 *An Renuntiatio lucrorum, constante Matrimonio quæsitorum, vel quærendorum facta ab uno in favorem alterius conjugis?*
30 31 32 *An valida sit donatio inter Sponsos de præsenti, facta ante Matrimonii consummationem?*
33 34 35 36 *Quid dicendum de valore donationis, quæ facta est inter conjuges, quorum Matrimonium ob Impedimentum dirimens fuit nullum?*
37 *Quomodo donatio, inter conjuges facta, confirmetur morte donantis?*
38 39 40 41 *Requisita, ut sic confirmetur.*
42 43 44 *An eadem donatio etiam confirmetur morte Civili?*
45 46 47 *An juramento præstito de ea non revocanda?*

DOnationes, quæ inter conjuges fiunt, sunt multiplicis generis; nam aliquæ fiunt ante, vel propter nuptias; & talis est, quæ à marito contemplatione Dotis, sive ad istius securitatem affertur uxori. Aliæ post nuptias; & hæ iterum sunt duplicis generis, aliquæ videlicet gratis & ex mera liberalitate factæ, aliæ mutuæ, & remuneratoriæ, *Priores*, seu quæ ante vel propter nuptias fiunt, quia naturam Dotis in pluribus imitantur, *sequenti* §. servabuntur, ubi de Dote, *de posterioribus*. 1

Quæritur 1. an, & quatenus Donationes inter conjuges valeant, vel non valeant? Resp. ex Regula Juris communis infirma est omnis Donatio, quæ inter conjuges fit ex mera liberalitate, & donantem pauperiorem, donatarium vero, seu recipientem locupletiorem reddit. Sanch. *l.* 6. *de Matr. D.* 1. *n.* 2. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 1. *num.* 1. Vivian. *in cap. fin. hoc tit. pr.* Barbosa *ibidem num.* 1. Gonzal. *num.* 3. Zoes. *hic num.* 1. Engl *n.* 1. Pirhing *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 3. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 4. *n.* 87. & statuitur *c. fin. cit. & l. moribus* 1. *ff. hoc tit.* ubi ratio redditur, *ne conjuges mutuo amore invicem spoliarentur*, dum *donationibus non temperantes*, *profusa erga se facilitate* uterentur, atque ita, ut *l. hæc ratio* 3. *pr. ff. eod.* Ulpianus addit, *melior in paupertatem incideret, & deterior ditior fieret*. Aliam rationem dat Paulus *l. nec esset* 2. *ff. eod.* ne conjugalis concordia, & conjugia ipsa *venalicia*, aut pretio conciliata videantur, atque ita *discuterentur*, seu dirimerentur *Matrimonia, si non donet is, qui posset*; *concordiam enim* (& societatem, atque affectum conjugalem) *non pretio*, *sed obsequio*, virtute, & industria comparandam Sapientes, & merito censuerunt cum Ciceron. *l.* 2. *de Offic.* 2

Dixi autem 1. *Ex Regula Juris communis*; nam de Jure nostro Bavarico Donationes inter conjuges libere factæ, nullis extantibus, aut supervenientibus liberis valent; his autem supervenientibus evanescunt. *Land Recht Tit.* 1. *art.* 15. *pr.* Putat quidem Arnold. Rath. *assert.* 20. *lit. C.* articulum hunc tantum loqui de Donationibus mortis causa, & aliis ultimis Voluntatibus. Sed ut *ad art. cit.* advertit Illustr. D. Baro Schmid *num.* 2. contrarium clare ostendunt verba textus; quia hic *von sonderer Bermachtung*, i. e. de speciali ultimæ voluntatis dispositione, & *von der Gaab*, i. e. de Donatione, quæ 3

quæ fit inter conjuges, distinctim loquitur, ita, ut prius membrum claré comprehendat ultimas Voluntates, posterius vero complectatur etiam actus Donationum inter vivos. Certe cum hoc textu ne verbo quidem requiratur, ut tales donationes sint morte confirmatæ, manifeste videtur sequi, de Jure nostro Provinciali Donationes inter conjuges semper valere, sive illæ morte fuerint confirmatæ, sive non.

4 Dixi 2. *Infirma est*, intellige, ex parte donantis; nam ex parte illius nullam obligationem nec naturalem, nec civilem inducit ob resistentiam Juris: & ita intelligi debet *l. hac ratio* 3. §. *sciendum* 10. *ff. hoc tit.* ibi *Ipso Jure, quæ inter virum, & uxorem donationis causa geruntur, nullius momenti sunt*. Ex parte tamen donatarii nulla iniquitas committitur: si rem donatam tantisper ex voluntate domini retineat, usque dum per eum aut revocetur, aut ipsa donatio per mortem confirmetur: hinc Donatarius talis eo usque habebitur pro bonæ fidei possessore. Ac propterea 1. lucratur fructus rei donatæ ubi tamen est distinguendum, an revocetur donatio, an vero morte confirmetur. *Si morte confirmetur*, effectus donationis quoad lucrum fructuum trahitur retro ad tempus factæ donationis *l. donationes* 25. *Cod. hoc tit.* Engl *hic n.* 3. Zoes. *ibid. n.* 2. *Si revocetur*, fructus quidem naturales restituendi cum re sunt donatori, ne donatarius contra prohibitionem Legis fiat inde locupletior, eos vero, quos facto, seu industria sua percepit donatarius, irrevocabiliter acquirit sibi *l. de fructibus* 17. *ff. hoc tit.* 2. si res donata sit aliena, & qui donavit, ex hoc non fiat pauperior, donatario procedit Usucapio rei donatæ; nam talis rei donatio quoad hunc effectum, etiam inter conjuges facta, valet *l. sed & si* 25. *ff. eod.* Konig *hic num.* 15. Reiffenstuel *ibid. num.* 7.

5 Dixi 3. *Donatio*; nam alii Contractus, ut venditio, permutatio &c. inter conjuges facti, valent, ut expresse statuitur *l. si sponsus* 5. §. *circa venditionem* 5. *ff. hoc tit.* Excipitur, nisi vendens remiserit pretium emptori conjugi, nam ibi est distinguendum, an conjux habuerit veré animum vendendi, an vero solum commentus fuerit venditionem, ut donaret. *Si primum*, venditio quidem valet, non tamen remissio pretii, quatenus uxor ex ea facta est locupletior; *si secundum*, neque venditio valet, cum ista sine animo vendendi non contrahatur §. *circa venditionem cit.* quia principale propositum semper inspiciendum est *l. rogasti* 11. *ff. si cert. petat.* Sanch. *l. 6. de Matr. D.* 1. *num.* 11. Gaill. *l.* 2. *obs.* 90. *n.* 8. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 1. *num.* 4. Gonzal. *in cap. fin. hoc tit. num.* 7. Zoes. *ff. eod. nu.* 5. Pirhing *hic num.* 3. Vvieftner *n.* 7. Reiffenstuel *num.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 4. *n.* 99. Unde infert Tiraquell. *in l. si unquam V. donatione largitus n.* 4. *Cod. de rescind. vendit.* vendita re minori pretio animo vendendi, licet remissio illa pretii sit donatio, excedatque 500. solidos, non indigere insinuatione; quia principale propositum fuit vendendi: qua tamen indigeret, si principale propositum esset donandi. Et hæc consideratio est magni momenti, ut cum *Alex. de Nevo* advertit Sanch. *loc. cit.* quia quando venditio non valet, ea rescindetur, pretio restituto; quando autem valet, supplebitur pretium, conservata venditione.

6 Dixi 4. *quæ fit inter conjuges ex mera liberalitate*; nam donationes non meré liberales, quales sunt Donationes mutuæ, casu, quo se non excedunt, sunt validæ, si fiant in continenti *l. quod autem* 7. §. *si vir, & uxor* 2. *ff. hoc tit.* ibi, *Si vir, & uxor quina sibi invicem donaverint, placuit compensationem fieri donationum*. Abb. *in cap. fin. hoc tit. n.* 7. Brunnem. *in loc. cit. num.* 2. Pirhing *hic num.* 13. Engl *n.* 1. Vvieftner *nu.* 15. Reiffenst. *n.* 17. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 4. *nu.* 107. & ratio est, quia quod uni decedit per donationem activam, rursus per donationem passivam compensatur, & sic neuter pauperior, aut locupletior evadit. Addidi, *si fiant in continenti*; nam si ex intervallo e. g. post annum contingat Donatio reciproca, non minus prohibitæ erunt tales donationes, quam aliæ per *l. quæ jam* 48. *ff. hoc tit.* cum in illa præcipuæ militent rationes, ob quas originaliter Donationes inter virum, & uxorem sunt prohibitæ. Gaill. *l.* 2. *obs.* 40. *num.* 7. Miller *ad Struv. Exercit.* 30. *th.* 29. *lit. B.* Magnif. P. Schm. *loc. cit. num.* 108.

Dixi 5. *Et donantem pauperiorem, donatarium locupletiorem reddit*; ex quo sequitur per Argumentum à sensu contrario, de Jure subsistere Donationem factam conjugi à conjuge, qua vel donans pauperior, vel donatarius locupletior non efficitur *l. si sponsus* 5. §. *cum igitur* 16. *ff. hoc tit.* Engl *hic n.* 1. Pirhing *n.* 5. Konig *n.* 18. Vvieftner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 5. Porro pauperior tum donans fieri censebitur, cum ejus patrimonium actu habitum diminuitur; donatarius vero dicetur factus locupletior, quando Patrimonium ejus augetur *L. si Sponsus* 5. §. *si maritus* 13. *ff. hoc tit.* 7

Quæritur 2. in quibus casibus Regula *n.* 2. allata procedat? Resp. procedit 1. non tantum de Donationibus quas conjuges sibi invicem immediaté faciunt, sed etiam de iis, quas mediante persona alia, v. g. si Titius det Cajo, ut donet suæ uxori *l. si sponsus* 5. *pr. ff. hoc tit.* nam qui per alium facit, perinde est, acsi faciat per seipsum *Reg.* 72. *in* 6. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 1. *n.* 3. Zoes. *ff. hoc tit. n.* 4. Pirhing *hic n.* 3. Vviestner *n.* 6. Reiffenstuel *nu.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 4. *n.* 89. *& seqq.* 2. in remissione debiti, vel pretii rei venditæ secundum dicta *num.* 5. nam etiam nomina, & actiones censentur esse in nostro patrimonio, quod proinde illis remissis, diminuitur. 3. in donatione, ante Matrimonium initum facta, si ejus effectus, sive translatio dominii conferatur in tempus Matrimonii *l. cum his status* 32. §. *si sponsus* 22. *ff. hoc tit. l. quod sponsæ* 4. *de donat. ant. nupt.* quia idem est aliquid fieri tempore inhabili, & conferri in tempus inhabile *l. in tempus* 62. *ff. de Hæred. instit.* Gloss. *in l. quod sponsæ citat. V. sine effectu* Sanch. *l.* 6. *de Matr. D.* 1. *num.* 7. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 1. *n.* 4. Pirhing *hic n.* 3. Konig *nu.* 16. Vviest. *n.* 10. Reiffenst. *n.* 6. 8

Contra ab hac Regula exceptæ sunt, consequenter de Jure subsistunt Donationes inter virum, & uxorem in sequentibus casibus. 1. si Donatio celebratur inter Principem v. g. Imperatorem, & ejus conjugem; quia, ut *l. donationes* 26. *Cod hoc tit.* Imperator dicit, Imperiales contractus Legis vicem obtinent, minimeque opitulatione quadam extrinsecus egent, Azor *p.* 3. *l.* 11. *cap.* 10. *quæst.* 4. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 18. *num.* 88. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 289. *n.* 17. Sanch. *lib.* 6. *de Matr. D.* 3. *n.* 1. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 12. *q.* 2. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. § 6. *nu.* 1. Barbosa *in c. fin. hoc tit. n.* 4. Vvagnereck *ibid. not.* 2. Pirhing *hic n.* 12. Konig *n.* 14. Vvieftner *n.* 11. Reiffenst. *nu.* 11. Non tamen Uxor illustris, habens adhuc patrem viventem, marito Principi omnia sua pretiosa (vulgo *jocalia* dicta) donare potest, juxta communem DD. sententiam *arg. l. contra* 28. §. *si filius* 2. *ff. de Pact. l. filiusfam.* 7. *ff. de donat.* Besold. *cons.* 44. *per totum*, Konig *hic num.* 14. 9

10 2 Si fiat ante Matrimonium inter Sponsos de futuro absolute, ita ut non suspendatur effectus ejusdem ad tempus Matrimonii contracti, prout patet ex *l. inter eos* 27. *ff. hoc tit.* ubi Modestinus, *Inter eos*, inquit, *qui Matrimonio coituri sunt, ante nuptias facta Donatio Jure subsistit, etiam si eodem die nuptiæ fuerint consecutæ*; ut adeo prohibitio prædicta ad Sponsalia de futuro non sit extendenda, quippe cum Matrimonii nomine non comprehendantur. Vivian. *in c. fin. hoc tit. pr.* Gonzal. *n.* 8. Vvagnereck *not.* 1. Vallens. *hic num.* 4. Engl *n.* 4. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 4. *nu.* 97. cum aliis. Habet tamen talis Donatio, inter Sponsos de futuro facta, tacitam conditionem, *si Matrimonium sequatur*, nisi pactum de non revocando obstet, vel culpa donantis Matrimonium secutum non fuerit, vel copula post Sponsalia intervenerit *l. cum veterum* 15. *Cod. de Donat. ant. nupt.* Sanch. *l.* 6. *de Matrim. Disp.* 18. *à n.* 2. Engl *hic n.* 4. 10

3 Si inter conjuges quidem fiat post Matrimonium contractum, sed conferatur in tempus ejusdem per mortem soluti *l. sed interim* 11. §. *sed quod* 1. *ff. hoc tit.* quia censetur esse mortis causa donatio, quæ inter virum, & uxorem valet *l. si eum* 9. §. *fin. ff. hoc tit.* & perinde est fieri tempore habili, ac in illud tempus conferri. Sanch. *lib.* 6. *de Matr. D.* 3. *n.* 8. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 6. *num.* 2. Struv. *Exerc.* 30. *th.* 29. Miller. *ibid. lit. N.* Barbosa *in c. fin. hoc tit. nu.* 13. Gonzal. *nu.* 7. Vvagnereck *not.* 2. Vallens. *hic n.* 4. Pirhing *n.* 3. *fin. & n.* 14. Konig *n.* 19. Reiffenstuel *n.* 18. Magnif. P. Schmier *num.* 111. Illud tamen speciale Donatio mortis causa, inter conjuges facta, habet, quod per eam non transferatur domi- 11

dominium rei donatæ, donec mors donantis sequatur, etiamsi res sic donata sit tradita; sed dominium ejus medio tempore apud eum manet, qui donavit, prout statuitur *l. sed inter cit. pr.*

12 Si donetur ea lege, ut res donata in alium transferatur, aut in istius bonum convertatur, ut si donetur uxori ad fundationem Capellæ, aut lampadis in ea arsuræ, aut ad pauperem alendum in Studiis; quia hujusmodi donatione donans quidem pauperior, non tamen donatarius locupletior redditur *l. si sponsus* 5. §. *cum igitur* 16. *ff. hoc tit.* Barbos. *loc. cit. n.* 11. Gonzal. *num.* 17. Vvagnereck *not.* 2. Pirhing *n.* 12. Quod procedit, si donatarius in eum usum rem donatam expendat; nam si prodige, & inutiliter rem donatam absumpsisset, repetitioni foret locus, ut contra Sanch. *disp.* 3. *cit. n.* 3. melius censet Molin. *tr.* 2. *de Just. disp.* 289. *n.* 16. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 220. Vviest. *hic n.* 5.

13 5 Si Donationem uxor marito faciat ad consequendam Dignitatem, Nobilitatem, Gradum litterarium, Officium &c. *l. quod adipiscendæ* 40. *& seqq. ff. hoc tit.* quia vel maritus exinde non redditur ditior, vel uxor, quæ splendore mariti corruscat, pauperior non efficitur. Idem est, si maritus uxori donet, ut comptior, & ornatior incedat *per l. si vir* 18. *ff. hoc tit.* quia ornatus uxoris cedit in gloriam mariti, Barbos. *n.* 6. Gonzal. *n.* 17. Vvagnereck *not.* 2. Pirh. *hic n.* 12. Engl *n.* 1. Konig *n.* 18. Vviest. *num.* 12. Reiffenst. *num.* 7. Magnif. P. Schmier *num.* 104. *&* 105.

14 6 Si detur ex quadam commiseratione, vel pietate v. g. ad conjugis valetudinem reparandam, *l. quod in uxorem* 13. *C. de negot. gest.* ac sustentationem illius congruam *l. ex annuo* 15. *pr. ff. hoc tit.* ad sepulturæ electionem *l. si sponsus* 4. §. *concessa* 8. *& seq. ff. eod.* ad refectionem ædium incendio combustarum *l. quod si vir* 4. *ff. eod.* ad levamen, & subsidium exilii *l. inter virum* 43. *ff. eod.* vel ad eleemosynam Barbos. *n.* 7. *&* 14. Gonzal. *num.* 9. *&* 17. Zoes. *hic num.* 1. Pirhing *n.* 12. Konig *n.* 18. Vviestner *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 8. Magnif. P. Schmier. *n.* 109.

15 7 Si conjux in ædibus alterius conjugis permittatur gratis habitare, vel ejus servis, animalibus, vestimentis &c. uti; nam etsi hic usus gratuitus sit species quædam donationis, non tamen prohibita, sed aperte concessa *per l. si vir uxoris* 18. *ff. hoc tit.* quia videtur esse non simplex, sed remuneratoria quædam donatio. Sanch. *l.* 6. *de matr. disp.* 3. *n.* 14. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 12. *q.* 2. Palao *tr.* 32. *disp.* 2. *part.* 25. §. 6. *n.* 7. Reiffenstuel *hic n.* 12.

16 8 Si vir uxori remittat Dotem promissam, vel ejus partem; quia remittit, non quod suum est, sed quod erit, cum sibi traditum fuerit. Sylv. *V. Donatio* 2. *q.* 3. Navar. *Man. cap.* 17. *num.* 149. Sanch. *D.* 3. *cit. num.* 10. Palao §. 6. *cit. n.* 4. & colligitur ex *l. si constante* 19. *vers. sed etsi C. de Donat. ant. nupt.* Et idem est à fortiori, si remittat usuras promissas Dotis non solutæ *l. vir usuras* 54. *ff. hoc tit.* Barbosa *n.* 12. 17. *&* 29. Vvagnereck *not.* 2. Pirhing *n.* 12. Reiffenstuel *n.* 15. Aliud est, si Dos jam sit soluta; nam hæc, constante matrimonio, uxori restitui nequit illa restitutio esset Donatio, cum Dos non sit debita uxori absolute, sed sub conditione, quod matrimonium fuerit solutum. Palao *loc. cit.*

17 9 Quotiescunque ex donatione conjux donatarius non fit ditior, vel donans non redditur pauperior; nam eo casu confirmatio non est necessaria, sed statim Donatio valida subsistit *l. si sponsus* 5. §. *concessa* 8. *ff. hoc tit.* ibi, *Eam demum Donationem impediri solere, quæ & donantem pauperiorem, & accipientem faceret locupletiorem*. Utrumque ergo ad invalidandam Donationem textus requirit: unde quolibet ex illis deficiente, Donatio non prohibetur. Palao *loc. cit. n.* 8.

18 10 Denique quando donata sunt exigui pretii, prout solent, quæ donare conjuges conjugibus solent natalem diem agentibus *l. sed si vir* 3. §. *si vir* 8. *ff. hoc tit.* Quod ex consuetudine non rarum extenditur ad donationem, factam in Natali Domini, vel ad Calendas Januarias, sed etiam ad aliam, quæ solemnioribus anni temporibus fit *arg.* §. *cit. & l. nuper* 42. *ff. eod.* Lauterbach. *ibid.* §. 9. Stryk §. 6. Gonzal. *n.* 17. Vvagnereck *not.* 2. Magnif. P. Schmier *n.* 110.

19 Quæritur 3. an maritus in gratiam uxoris repudiare possit hæreditatem sibi delatam, aut Legatum, vel Fideicommissum sibi relictum? Videtur non posse ob *l. hæc ratio* 3. §. *fin. & l. idemque* 4. *ff. hoc tit.* ubi dicitur, actus, quo maritus *sibi donaturum uxori dare jussit, nullius momenti esse, & perinde esse, ac si maritus rem acceptatam, & suam factam uxori dedisset*. *Conf.* specialiter de Legato; nam Legatarius dominium Legati acquirit à die mortis legantis etiam absque aditione hæreditatis *l. à Titio* 64. *ff. de furt.* igitur illud repudiando censeri debet fieri pauperior, & alter, in cujus favorem repudiatur, locupletior.

Sed adhibenda est distinctio, quam cum communi adhibent, vel insinuant Gomez *tom.* 2. *var. c.* 4. *num.* 24. Sanch. *l.* 6. *de matr. D.* 4. *n.* 2. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 18. *n.* 89. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 6. *nu.* 10. Brunneman. *in l. si sponsus* 5. *ff. hoc tit. n.* 10. Salgado *Labyrinth. credit. l.* 2. *c.* 14 *n.* 41. Canis. *in c. fin. hoc tit. n.* 1. *fin.* Gonzal. *ibid. num.* 14. Zoes. *hic n.* 1. Engl *n.* 1. Pirhing *n.* 5. Konig *n.* 15. Vviestner *numer.* 4. Reiffenstuel *numer.* 5. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *n.* 103. Vel enim repudiatio ista sit ante hæreditatis, vel legati delati acceptationem, vel post illam. *Si primum*, tenenda est affirmativa; quia sic non diminuitur substantia Patrimonii actu habiti, ac proinde pauperior non fit renuntians *l. si Sponsus cit.* §. *si maritus* 13. *&* §. *seqq. Si secundum*, negandum est talem repudiationem, vel cessionem valere, tametsi eodem momento fiat, quia non esset tantum repudiatio, sed donatio rei, vel juris jam acquisiti; conf. conjugibus interdicitur. 20

Ad Rationem dubitandi recte dicitur in *loc. citt.* non valere actus, quo maritus donare volentem sibi juber uxori dare. quia talis jussio donandi duos virtualiter actus continet, unum, quo donatio tacite acceptatur, alterum, quo donatio trasfertur in uxorem, ac proinde ea jussione Patrimonium jam habitum diminuitur. *Ad Conf.* dominium Legati, quod statim à morte Legantis acquiritur Legatario, est revocabile, & imperfectum, pendens ab acceptatione, ac proinde, acceptatione non existente, reputatur, acsi nunquam quæsitum fuisset *l. sed quid* 1. §. *utrum* 6. *ff. siquid in fraud. Patron.* 21

Quæritur 4. an valeant Donationes remuneratoriæ, factæ uxori à marito? Negat Pinell. *ad l.* 1. *p.* 3. *n.* 61. *C. de Bon. matern.* nisi confirmentur, ex ratione; quia omnia uxoris obsequia marito debita sunt titulo subjectionis conjugalis. In eo autem, quod aliunde debetur, locum non habet remuneratio, utpote quæ tantum est meriti aliunde indebiti. 22

Sed tenenda est affirmativa Sententia, quam etiam defendunt Abb. *in cap. fin. hoc tit. num.* 7. Tiraquell. *in l. si unquam* 8. *C. de revoc. donat. V. largitus n.* 108. Sylv. *V. donatio* 2. *quæst.* 1. Joan. Garc. *de donat. remun. n.* 28. Menoch. *de arbitr. l.* 2. *cas.* 132. *num.* 4. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 6. *num.* 11. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 12. *q.* 2. *circa fin.* Palao *tr.* 32. *disp.* 2. *part.* 25. §. 7. *num.* 1. Vivian. *in cap. fin. hoc tit. pr.* Vvagnereck *ibidem not.* 2. Gonzal. *num.* 7. Pirhing *hic num.* 3. Engl *num.* 1. Konig *num.* 17. Vviestner *num.* 16. Reiffenstuel *num.* 4. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *n.* 106.

Ratio est, quia verba Legum, præsertim irritantium, & actum alias valiturum infirmantium, simpliciter prolata, secundum propriam significationem accipienda sunt *l. non aliter* 69. *ff. de Legat.* 3. atqui donatio hujusmodi, hoc ipso, quod supponat præcedentia merita, & obsequia, pro quibus remuneratio ex honestate, & gratitudine debetur, deficit à proprie dicta donatione, quippe quæ solum tunc fieri dicitur, quando donator ad eam faciendam, nulla alia præcedente causa, nisi ut magnificentiam, & liberalitatem exerceat, movetur *l. donationes* 1. *& l. Aquilius* 27. *ff. de donat.* ergo &c. *Conf.* quia per tales Donationes remuneratorias excitantur, & stimulantur conjuges ad obsequia etiam extraordinaria mutuo sibi invicem præstanda: ob quæ expediens omnino videtur, ut tales donationes remuneratoriæ valeant. 23

Excipitur, si donatio talis excedat merita; nam quoad excessum erit Donatio simplex *c. relatum* 12. ibi *juxta servitii meritum, de Testam.* Alex. de Nevo *in c. fin. hoc tit. num.* 7. Tiraquell. *loc. cit. n.* 79. *&* 80. Joan. Garc. *de donat. remun. n.* 51. Clar. §. *donatio q.* 3. *num.* 1. Sanch. *disp.* 6. *cit. num.* 6. Pirhing *hic n.* 13. Engl *ibid. n.* 1. 24

Non tamen requiritur, ut merita fint omnino æqualia, fed fatis eft, fi fint æquipollentia: id quod arbitrio prudentis relinquendum eft, fpectata qualitate donantis, an nobilis fit, vel dives; nam nobiles, & divites magis obfequia fibi præftita remunerari folent. Tiraquell. *loc. cit. n.* 84. *&* 86. Clar. *q.* 3. *cit. in fin.* Sanchez *n.* 10. Pirhing *n.* 13. Et hinc tota donatio dicetur remuneratoria, quamvis excedat merita, fi non excedat id, quod divites, ac nobiles in eo eventu remunerationis nomine donare folent.

25 *Ad Rationem in contrarium allatam* dico, etfi uxor quoad legem conjugii fubjecta marito fit, multa tamen marito præftari obfequia ab ipfa poffe, ad quæ non obligatur: & talia funt omnia illa, quæ ipfa præftat ultra id, quod aliæ ejufdem conditionis uxores in iifdem circumftantiis folent.

26 Quæritur 5. an valida fit renuntiatio lucrorum, conftante matrimonio quæfitorum, vel quærendorum, facta ab uno in favorem alterius conjugis? Refp. diftinguendo: Vel enim ejufmodi lucris renuntiatur ante matrimonium, vel poft illud jam initum. *Si primum*, renuntiatio valet; quia talis renuntiatio non tam Donatio eft, quam contractus onerofus, cum integrum cuivis fit matrimonium fub quibufcunque conditionibus, quæ eidem non repugnant, nec iniquitatem fovent, contrahere. Atqui conditio, ut lucra fint mariti, non repugnat matrimonio, nec etiam iniquitatem fovet, præfertim in cafu, quo vir opulentus cum paupere fæmina contrahit, fub tali conditione, ut fua dote, vel infuper certa quantitate contenta, cæteris lucris renuntiet; ergo &c.

27 *Si fecundum*, fatis convenit inter DD. quod lucris jam quæfitis validè renuntiare nec vir in gratiam uxoris, nec illa in gratiam viri poffit; quia fuæ quifque partis ex tali lucro quæfito dominium habet, & quidem vi contractus, & abfque ulla acceptatione; ac proinde ejus renuntiatione fic renuntians fit pauperior, alter autem locupletior. Menhaca *lib.* 1. *controv. ufu freq. cap.* 13. *n.* 6. Molin. *tr.* 2. *de Juft. D.* 445. *num.* 4. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 6. *n.* 12. Vvieftner *hic n.* 18. *&* 19.

28 *Difficultas* moveri poteft de lucris primum quærendis, à paritate cum Legato, vel hæreditate delata, quæ fecundum dicta *numer.* 20. repudiari in gratiam alterius conjugis à conjuge poffunt. Sed revera non eft paritas; nam ut *numer.* 21. dixi; hæreditatis, & legati dominium non acquiritur, nifi dependenter ab illorum acceptatione, à qua dominium lucrorum, conftante matrimonio quæfitorum, vel quærendorum non dependet.

29 *Hinc dicendum*, etiam renuntiationem lucrorum quærendorum, ab uno conjugum in favorem alterius factam, matrimonio inter ipfos conftante, invalidam effe, ut cum *citt.* DD. communis habet fententia. *Ratio eft*, quia his renuntians cedit juri, ex contractu fibi quæfito quoad lucra futura, quod jus cum pretio æftimabile, & in bonis renuntiantis fit, ejus ceffio cedentem pauperiorem, ceffionarium locupletiorem reddit: & fic urgent rationes, quæ contra Donationes cæteras.

30 Quæritur 6. an valida fit Donatio inter fponfos de præfenti, facta ante matrimonii confummationem? Affirmant *Azor*, *Imol. Alex. Pirrus*, *Compegius* apud Sanchez *l.* 6. *de matr. D.* 1. *n.* 4. Moventur; quia jura folum irritant donationem inter virum, & uxorem, quæ voces in hac materia exorbitante, & correctoria, vel reftrictiva juris naturalis, vi cujus ejufmodi Donationes valerent, in fenfu proprio debent accipi; atqui nomine viri, & uxoris folum comprehenduntur conjuges, poft matrimonium confummatum; nam ante confummationem fponfi dicuntur, inter quos donatio fecundum dicta *num.* 10. valida eft.

31 Sed refpondendum eft non valere. Ita Navar. *Man. c.* 17. *num.* 119. Molin. *tr.* 2. *de Juft. D.* 289. *n.* 3. Sanchez *l.* 6. *de matrim. D.* 1. *num.* 4. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 1. *num.* 5. Struvius *Exercit.* 30. §. 24. Pirhing *hic numer.* 3 Vvieftner *ibidem num.* 20. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de matrim. cap.* 4. *num.* 96. & fumitur ex *l. Seja* 66. *pr. ff. hoc tit.* ubi ad hoc, ut valida fit donatio, requiritur, ut illa facta fit ante matrimonium contractum. Igitur ut invalida illa fit, fufficiet illud effe contractum, licet non fit confummatum. *Conf.* nam inter tales perfonas nonnunquam ardentior amor effe folet, quam ubi confummatum eft matrimonium.

Ad Argumentum fententiæ oppofitæ etiam ad fponfos de præfenti id, quod de viro, & uxore difpofitum eft, extendi debet, quando eadem ratio militat, ut habetur *l. non fine* 5. *verf. quamvis Cod. de bon. quæ liberis &c.* eft autem hoc cafu eadem ratio in fponfis de præfenti, utpote ob quorum amorem inter fe ardentiorem eft idem periculum, ne per donationes exceffivas fe invicem fpolient. *Neque obeft*, quod fponforum tantum appellatione vocitentur; nam fimul funt veri conjuges, utpote quos non concubitus, fed confenfus, per verba de præfenti expreffus, facit *l. nuptias* 30. *ff. de R. J.* 32

Quæritur 7. an valida fit Donatio, facta inter conjuges, qui, quod matrimonium, inter eos contractum, ob impedimentum dirimens irritum fit, folum funt exiftimati? Refp. diftinguendo: Vel enim impedimenti, & nullitatis, ex eo ortæ, confcius eft uterque, vel uterque ignorat, vel unus fcit, & alter ignorat. 33

Si primum, donatio in foro confcientiæ fubfiftit. Sylv. *V. donatio* 2. *q.* 1. Molin. *tr.* 2. *de juft. D.* 200. *n.* 9. Sanchez *l.* 6. *de matr. D.* 2. *n.* 2. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 1. *nu.* 8 Pirhing *hic n.* 14. Vvieftner *n.* 21. Magnif. P. Schmier *p.* 2 *de matr. c.* 4. *n.* 94. Ratio eft, quia cum uterque fe revera conjugem non effe noverit, vera, & nullo Jure irrita, nullo errore inducta eft voluntas ex parte donantis; ex parte donatarii verò adeft capacitas donatum recipiendi, ut adeo nihil defit ad veram, & validam donationem. Addidi *in foro confcientiæ*; nam fpectato foro externo, fic donatum occupat fifcus in pœnam reprobati matrimonii *l. cum hic ftatus* 32. §. *fin. ff. hoc tit.*

Si fecundum, & uterque ignoravit impedimentum, ac nullitatem matrimonii fui, Angel. *V. donatio* 3. *n.* 5. Rofell. *V. eodem* 1. *n.* 36. Sylv. *V. eodem* 2. *qu.* 1. Tabien. *V. eodem* 3. *qu.* 3. *n.* 4. putant validam effe donationem, tametfi veniat à donatore revocanda, ob textum *l. fi ex voluntate* 7. *Cod. hoc tit.* ubi donanti conceditur actio revocatoria, quæ nullatenus concederetur, nifi ipfe impedimenti ignarus fuiffet. Sed dicendum probabilius effe invalidam. Ita Abb. *in c. fin. hoc titul.* 14. Sanchez *D.* 2. *cit. n.* 9. Palao §. 1. *cit. n.* 9. Haun. *tom.* 3. *tr.* 9. *n.* 179. Pirhing *n.* 17. Vvieftner *n.* 22. adeoque res donata ipfi donanti, & poft mortem ejus hæredibus reftitui debet: non quidem Legis, aut Canonis refiftentia; nam his irritatæ funt Donationes inter virum, & uxorem, quales ifti non funt: fed ex defectu intentionis in donante, qui cum voluerit donationem facere uxori, hoc cafu non cenfetur voluiffe donare perfonæ extraneæ *l. cum hic ftatus cit.* §. *fiquis fponfam* 27. *fin.* Neque obftat *l. fi ex voluntate cit.* nam ibi non deciditur donationem tenere, fed cafu, quo ipfo jure tenet, dicitur donanti competere revocationem. 34

Si tertium fiat, & unus fciat impedimentum, alter nefciat, videndum, an impedimenti, & nullitatis confcius fit folus donatarius, an folus donans. *Si folus donatarius*, invalida iterum eft donatio, & res donata reftituenda eft donanti, aut ejus hæredibus. Covar. *p.* 2 *de fponfal. cap.* 7. §. 1. *num.* 8. Molin. *tr.* 2. *de Juft. D.* 200 *num.* 12. Sanchez *num.* 7. Palao *n.* 10. Pirhing *n.* 16. Engl *num.* 1. Vvieftner *num.* 24. Ratio eft, quæ in præcedente cafu, fcilicet defectus confenfus in Donante ob errorem. Neque hoc cafu locum habet fifcus; quia cum donans ignarus fuerit impedimenti, & liber à culpa, æquum non erat illum privari re fua, & quam in donatarium non tranftulit. 35

At fi folus donans nullitatem matrimonii novit, donatio probabilius valet, ut contra nonnullos docent Emman. Acofta *in c. fi pater* 1. *de teftam. in* 6. *V. uxorem p.* 1. *n.* 6. Covar. §. *cit. n.* 8. Molin. *D. citat. in fin.* Sanchez *n.* 3. Palao *n.* 12. Pirhing *n.* 16. Engl *n.* 1. Vvieftner *n.* 23 Ratio eft, quia nullitatis confcius non quafi conjugi, fed quafi extraneo donat, & verè confentit in Donationem. Neque obftat *l. qui contra* 4. *Cod. de inceft. nupt.* Qua fic donata addicuntur fifco; nam Lex hæc folum loquitur de cafu, quo impedimenti confcius eft uterque, non folus donans, ut ibi notat Gloff. *verf. fifco*, & alii relati à Barbofa *à n.* 4 36

Quæritur 8. quomodo donatio inter conjuges confirmetur? Refp. Confirmatur morte donantis, inftar Legati, & Donationis mortis caufa, fi eam antea non revocaverit, Sanchez *l.* 6. *de matr. D.* 14. *num.* 1. Palao *tr.* 32 *D.* 2. *p.* 25. §. 2. *num.* 1. Vivian. *in c. fin. hoc tit. pr.* Canif. *nu.* 2. Barbofa *n.* 21. Vvagnereck *V. nifi donatoris*. Vallenf. *hic num.* 4. Zoef. *num.* 2. Honor. *num.* 25. Pirhing *num.* 19. Engl 37

Engl *n.* 2. Konig *n.* 22. Reiffenstuel *n.* 9. *&* 19. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *n.* 114. & clarè statuitur *c. fin. cit.* ibi *Nisi donatoris obitu confirmetur*. Concordant, *l. cum hic status* 32. §. *oratio* 1. *ff. hoc tit. & l. donationes* 25. *Cod. eod. Ratio est* tum, quia, matrimonio per mortem soluto, cessat periculum mutuæ spoliationis, timendum ex vehementia affectus conjugalis; tum quia non revocans in vita, cum posset, in eadem voluntate perseverasse, ac proinde per ultimam voluntatem relinquere, & legare censetur.

38 Ut tamen sic confirmetur donatio, quatuor à DD. conditiones requiruntur. 1. Ut præcesserit rei donatæ traditio, saltem ficta, ut desumitur ex *l. Papinianus* 23. *ff. hoc tit.* ubi Ulpianus probat sententiam Papiniani, existimantis, non posse conveniri hæredem mariti, qui per stipulationem aliquid uxori spopondit, *licet durante voluntate maritus decesserit*. Sed hoc procedit solum de jure veteri Digestorum; hodie enim etiam donatio, quæ mansit incompleta, per solam conventionem absque traditione, confirmatur morte donantis, si antea non revocaverit, per textum expressum in *Novell.* 162. *c.* 1. *pr. &* §. 1. quæ licèt à Vinnio *l.* 2. *select. qq. cap.* 15. & sequacibus pro authentica non reputetur, eo quod in antiquioribus Codicibus non repetiatur, sed à Neotericis primum ex Græco translata, & sine inscriptione alicujus Imperatoris in Corpus Juris communis translata fuerit, attamen ex quo tempore sedem stabilem in eodem Corpore Juris possidet, & ad modum aliarum Novellarum, quæ sæpe inscriptione alicujus Imperatoris sunt destitutæ, concepta reperitur, tamdiu pro authentica est agnoscenda, quamdiu veritas contraria demonstrari nequit. Canis. *in c. fin. hoc tit. num.* 9 Gonzalez *ibidem num.* 12. Pirhing *hic num.* 7. *vers. verum*, Konig *ibidem n.* 22. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matrim. c.* 4. *num.* 115. *& seqq.*

39 2 Ut donans ante donatarium decedat; nam cum donatario acquirenda sit donatio ex morte conjugis donantis, oportet, ut ipse donatarius supervivat: quare si præmoriatur, donatio concidit, ex præsumpta donantis mente, quòd voluerit soli donatario, non etiam ejus hæredibus donare *c. fin. hoc tit. l. cum hic status cit.* Cov. *l.* 2. *var. c.* 7. *n.* 5. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 289. *n.* 11. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 2. *n.* 8. Canis. *in c. fin. cit. num.* 2. Gonzalez *ibidem n.* 13. Pirhing *hic n.* 6. *fin. & n.* 19. *vers. porro*, Engl *n.* 3. Konig *n.* 22. *fin.* Vviestner *n.* 28. Reiffenstuel *n.* 20. In dubio, cum discerni non potest, quis prior obierit, donans, an donatarius, ut fit, cum ambo interierunt naufragio, incendio, aut alio simili casu, præsumendum est donantem prius obiisse *l. cum hic status cit.* §. *si ambo* 12. Ratio est, tum ut donatio firmitatem obtineat, & donantis voluntas effectum habeat, tum ut donatario possidenti rem donatam, ejusve hæredibus favor impendatur.

40 3 Ut donatio non sit revocata *c. fin. hoc tit. & l. cum hic status cit.* §. *pœnitentiam* 3. Sufficit autem, si revocetur tacitè, exercendo actum, ex quo voluntatis mutatio præsumatur, qualis est, si res donata donetur, vendatur, legetur &c. alteri, si graves inimicitiæ inter conjugem donantem, & donatarium oriantur, si divortium ex displicentia factum, & matrimonii redintegratione non sit sublatum &c. Molin. *tr.* 1. *de Just. D.* 289. *nu.* 12. Sanchez *l.* 6. *de matr. D.* 15. *n.* 10. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 2. *n.* 10. Canis. *in c. fin. hoc tit. n.* 2. *&* 3. Barb. *n.* 22. Gonzalez *n.* 23. Vvagnereck *vers. si revocetur*, Zoes. *n.* 2. Honor. *n.* 28. Pirhing *num.* 6. *&* 19. *vers. porro*, Engl *num.* 3 Vviestner *n.* 29. Reiffenstuel *n.* 19. 21. *& seqq.*

41 4 Ut si donatio excedat 500. solidos, ejus insinuatio fiat Judici; sine hoc enim quoad excessum donatio donantis morte non confirmatur, Clar. §. *donatio q.* 17 *n.* 3. Molin. *D.* 289. *cit. num.* 7. Palao §. 2. *citat. num.* 13 Canis. *in c. fin. cit. num.* 5. Honor. *num.* 26. Engl *num.* 3. Pirhing *num.* 19. *vers. porro*, Vviestner *n.* 30. Reiffenstuel *n.* 32. & constat ex *l. donationes* 25. *Cod. hoc tit.* Si tamen in ultima voluntate, ut in Testamento, aut Codicillo, à donante confirmata sit, tunc valet quidem quoad excessum, non tamen in ratione donationis, sed legati, & ultimæ voluntatis, quæ insinuatione non indiget: ac proinde quoad eundem excessum non retrotrahitur ea donatio ad tempus factæ traditionis, sicut aliæ donationes, inter conjuges factæ, & morte confirmatæ retrotrahuntur; sed solum vim habet à tempore, quo per mortem donantis est confirmata *l. donationes citat. & ibi* Gloss. *V. referatur*, Molin. *n.* 7. *cit.*

Quæritur 9. an Donatio inter conjuges facta confirmetur etiam morte civili? De triplici morte civili sermo esse potest: una est exilium, deportatio, vel alia pœna, ratione cujus bona damnati fiscus occupat; altera, qua efficitur servus hominis, aut pœnæ; tertia, qua profitetur Religionem. 42

Quoad primam mortis Civilis speciem opus est distinctione, an donatio processerit à marito in uxorem, an ab uxore in maritum, & ipsa confiscatione bonorum damnetur; nam *si primum contingat*, confirmatur Donatio respectu fisci, prout desumitur à paritate donationis mortis causa, quæ civili morte confirmatur *l. sed si mors* 13 §. *proinde* 1. *ff. hoc titul.* non verò respectu mariti donantis; quia ab isto ea revocari potest, eaque revocata, res donatæ, hoc ipso, quod in bonorum publicatione non fuerint contentæ, non cedunt fisco, sed ad ipsum donantem revertuntur, ut ex *leg. res uxoris* 24. *Cod. hoc tit.* colligunt Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 289. *nu.* 6. Sanchez *l.* 6. *de matrim. D.* 17. *n.* 3. Palao *tr.* 32. *D.* 2. *p.* 25. §. 3. *num.* 2. Vviestner *hic num.* 2. Engl *ibidem num.* 2. *Si secundum* donatio ab uxore in maritum collata morte donantis civili non confirmatur, sed evanescit, ut patet ex *l. res uxoris cit.* & hujus ratione; nam *donatio maritalis ante tempus criminis, ac reatus collata in uxorem, quia pudicitiæ præmio cessit, observanda est, tanquam si maritum ejus natura, non pœna subduxerit*: quæ ratio locum non habet in viris.

Quoad secundam distinguendum est iterum: Vel enim fit servus hominis, vel servus pœnæ, ut si damnetur ad metallum. *Si primum*, donatio non confirmatur, sed evanescit *l. cum hic status* 33. §. *si donator* 6. *hoc titul. Si secundum*, ea respectu fisci confirmatur, ut donatum non iste, sed donatarius capiat, si à donante non revocetur *loc. res uxoris citat.* Gloss. *ibidem V. deducto*, Sylv. *V. donatio* 2. *q.* 4. Sanchez *lib.* 6. *de matr. D.* 17. *num.* 4. Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tract.* 9. *n.* 194. Pirhing *hic num.* 20. Vviestner *num.* 32. Reiffenstuel *num.* 26. *& duob. seqq.* Rationem discriminis dant, quia si donans fiat servus pœnæ, in nullius potestatem transit, qui revocare donationem valeat; quando autem fit servus hominis, adest dominus, qui revocare possit. 43

Quoad tertiam, rursum distinctione opus est: vel enim Religio, quam donans professus est, possessionis bonorum in communi, & successionis est incapax, ut est Ordo FF. Minorum de observantia, vel contra est utriusque capax. *Si primum* conjugis donantis professione donatio confirmatur, tanquam si mortuus fuisset physice; nam morti naturali quoad hunc effectum professio in tali ordine æquiparatur. Sanchez *D.* 17. *cit. n.* 9. Palao § 3. *cit. n.* 3. Pirhing *num.* 20. *v. utrum*, Vviestner *n.* 34. Reiffenstuel *nu.* 30. *Si secundum*, exspectanda est mors naturalis professi, usque ad cujus eventum professus talis, accedente superiorum voluntate, donationem antea factam revocare non minus valet, quam revocare potest eam, quæ facta est causa mortis. Haun. *tom.* 3. *tract.* 9. *num.* 193. Reiffenstuel *num.* 31. cum aliis *supra*. *Neque obstat*, quod revocare nequeat Testamentum, à se ante professionem conditum; nam hoc ideo non potest, quia ad hujus revocationem requiritur potentia condendi Testamentum § *posteriore* 2. & § *ex eo* 7. *Inst. quib. mod. testam. infirm.* cum igitur Testamentum condere professus nequeat, mirum non est, quod etiam ante professionem à se conditum nequeat revocare. 44

Quæritur 10. an eadem donatio confirmetur Juramento præstito de ea non revocanda? Negant *Bartol. Bald. Salicet. Fulgos. Socin. Senior*, & alii apud Sanchez *lib.* 6. *de matrim. disp.* 5. *nu.* 1. quorum fundamentum est, quia etiam in donatione jurata procedunt rationes, ob quas per Leges, & Canones prohibita est donatio simplex inter conjuges; nec enim majus in hac, quam in illa periculum est, ne conjuges mutuo se amore spolient, ne studium prolis procreandæ deserant, ne matrimonia reddantur, & venalia qui deterior est, fiat ditior, qui melior, pauperior. Igitur non minus inhonesta est, & bonis moribus adversatur donatio jurata, quam simplex. At vero Juris Regula est, *non esse obligatorium contra bonos mores præstitum Juramentum*, ut habetur *Regul. non est* 58. *in* 6. & *Auth. quod eis Cod. de Nupt.* 45

Nupt. Conf. quia per hanc viam facilè eludi posset prohibitio donationis inter conjuges; nam qua facilitate induci potest donator, ut hanc donationem faciat, eadem potest, ut adjiciat juramentum, contra juris Regulam *c. cum quid una* 84. *in* 6.

46 Resolutio istius quæstionis pendet ex dictis *Libr.* 2. *tit.* 24. *à num.* 85. ubi dixi, quod actus Jure civili invalidi per juramentum convalescant, ita, ut sic confirmati inducant obligationem Justitiæ: juxta quam doctrinam respondeo affirmativè. Consentiunt Abb. *in c. fin. hoc titul. num.* 9. Ant. Gomez 2. *var. c.* 4. *num.* 26. Covar. 1. *var. c.* 7. *n.* 4. Clar. §. *Donatio quæst.* 9. *vers. sed quid*. Gutier. *de juram. p.* 1. *c.* 3. *n.* 7. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 18. *dub.* 12 Molin. *tr.* 2. *D.* 289. *num.* 22. Sanchez *libr.* 6. *de matrim. D.* 11. *num.* 2. Gaill. *l.* 2. *obs.* 40. *nu.* 5. Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 81. Vvagnereck *in c. fin. cit. not.* 2. Gonzalez *ibidem n.* 10. Zoes. *hic n.* 2. Pirhing *ibidem n.* 18. & hoc Teste receptior sententia, ex ratione textus *c. cum contingat* 28. *fin. de Jurejur. & c. quamvis* 2. *de pact. in* 6. ubi generaliter traditur, toties juramentum servandum esse, quoties non vergit in dispendium salutis æternæ, nec præjudicium alteri tertio affert. Atqui juramentum de non revocanda donatione, inter conjuges facta, in dispendium salutis æternæ, vel præjudicium tertii non vergit; est enim licitum conjugi talem donationem non revocare, conf. etiam juramentum de ea non revocanda. Ergo &c. *Conf.* juxta fundamenta posita *numer.* 85 *citat.* quoties juramentum adjicitur actui, qui non adversatur bonis moribus naturalibus, esto, Civilibus adversus sit, illum confirmat; talis est donatio facta inter conjuges; solum enim adversatur bonis moribus civilibus.

47 *Excipit* Konig *hic num.* 23. cum Canis. *in cap. fin. cit. numer.* 8. *fin.* si Donatio adeò excessiva esset, ut periculum sit, ne amorem, & concordiam conjugum lædat, studium prolis imminuat, aut liberis præjudicet; tunc enim putant, donationem juramento non confirmari *argument. capit. cum quidam* 12. *de Jurejur. junct.* Gloss. *ibidem* tunc enim tanquam inhonesta, non tantum pugnaret contra mores Civiles, sed etiam naturales.

§. II.

De Dote, & Donatione propter Nuptias.

SUMMARIUM.

48 *Bona uxoris sunt triplicis generis, dotalia.*
49 *Paraphernalia.*
50 *Et Receptitia.*
51 *Dotis diversa acceptio.*
52 *Definitio ejusdem.*
53 *Definitio donationis propter nuptias.*
54 *Dos dividitur in Promissam, & Constitutam.*
55 *Defenditur divisio hæc contra Adversarios.*
56 *Alia est Profectitia, alia Adventitia.*
57 *Quis promittere, vel constituere dotem possit?*
58 *&c. Quando Pater teneatur dotare filiam?*
65 *Quando avus neptem?*
66 *Num etiam Mater cogi possit ad dandam dotem filiæ?*
67 *Aut frater sorori?*
68 *Quæ sit obligatio stupratoris?*
69 *Num fæmina adigi possit ad constituendam sibi dotem?*
70 *Quænam res dari in dotem possint?*
71 *An etiam Usufructus?*
72 *An Feudum possit dotale fieri?*
73 *An Dos indefinitè promitti?*
74 *An si mulier, non facta mentione dotis, maritum omnibus bonis frui permittat, ea in dotem dedisse præsumatur?*
75 *Quo modo, & forma constitui, vel promitti dos possit?*
76 *Quotuplicis generis sint Pacta dotalia;*
77 *Regula dignoscendi pactum simplex à mixto.*
78 *Quis sit effectus dotis promissæ?*
79 *Quis constitutæ?*
80 *Discrimen rerum dotalium à Paraphernalibus:*
81 82 83 *Quale dominium competat Marito in re dotali?*
84 *Affinia dotis sunt donatio propter nuptias.*
85 *Morgengeba, seu Morganatica.*
86 *Sponsalia Largitas.*
87 *Munera nuptialia, dotalitium.*
88 *Proxeneticum.*

QUæritur 1. quotuplicis generis sint bona uxoris? Resp. sunt triplicis generis, Dotalia, Paraphernalia, & Receptitia. *Dotalia*, *das Heurath-Gut*, *Ehe-Steur*, *Braut-Schatz*, dicuntur pecunia, & res quæcunque mobilis, aut immobilis, ab uxore, vel ejus nomine, ab alio data marito, ut ex ejus fructibus alat uxorem, aliaque matrimonii onera sustineat *c. salubriter* 16. *de Usur. l. si quis* 21. §. *si uxor* 1. *ff. hoc tit. l. dotis* 7. *pr. ff. & l. pro oneribus* 20. *Cod. de Jur. dot. l. si cum dotem* 28. §. *sin autem* 8. *ff. solut. matr.* 48

Paraphernalia, Germanicè *dass zugebrachte Gut*, in duplici acceptione sumuntur, latè, & strictè: *Latè* accepta comprehendunt omnia bona, quæ sunt extra dotem, sive marito sint tradita, sive non *l. hac lege* 8. *Cod. de pact. convent.* Et in hoc sensu sub Paraphernalibus bonis comprehenduntur etiam Receptitia, de quibus *numer. seq. Strictè* accepta denotant illa bona, quæ uxor, secluso dotis titulo, tradidit marito *l. fin. Cod. eod.* Et in hoc sensu Paraphernalia à Receptitiis distinguuntur; nam 49

Receptitia illa dicuntur, quæ ex suis bonis uxor per pacta dotalia sibi, suæque dispositioni reservavit, neque voluit esse in potestate mariti. Brunnem. *in l. maritus* 21. *Cod. de Procurat. num.* 11. Lauterbach *ad ff. tit. de Jur. dot.* §. 49. Honor. *hic num.* 24. Engl *num.* 5. Vviestner *num.* 39. Reiffenstuel *num.* 62. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matrim. c.* 4. *num.* 46. Hic præcipuè sermo est de Bonis dotalibus: & hinc ulterius 50

Quæritur 2. quid sit *Dos*, *& Donatio propter nuptias*? Resp. *Dos* à *Dando*, vel *Donando* sic dicta potest accipi tripliciter. 1. *formaliter* pro conventione, qua Dos constituitur per *l. dotis* 1. *ff. de Jur. dot. & l. exigere* 65. *ff. de Judic.* 2. *effectivè* pro jure, quod marito, vel uxori competit in dote *l. quamvis* 75. *& passim ff. de Jur. dot.* 3. *objectivè* pro re in Dotem constituta *l. si pater* 41. *ff. solut. matr. l. quod dicitur* 5. *pr. l. voluptuaria* 7. §. *quarum* 1. *ff. de impens. in res dotal.* 51

Dos in hoc tertio sensu accepta describitur, quod sit species, vel quantitas certa, quæ ab uxore, vel ab alio ejus nomine marito promittitur, vel datur ad sustinenda onera matrimonii, puta, alendam uxorem, liberos, familiam. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 1. Tulden. *ad Cod. de dot. promiss. n.* 1. Gonzalez *in c.* 1. *hoc tit. n.* 9. Konig *hic n.* 25. Reiffenstuel *ibidem n.* 34. & alii passim. Ex quo colligitur finis constitutæ Dotis; cum enim maritus debeat uxorem, liberos, & totam familiam alere, subsidio, & levamine opus habet, ut facilius alimenta suppeditare queat: & in hunc finem Dos constituitur. 52

Donatio propter nuptias, alio nomine *Contrados*, Germanicè *die Gegen-Steir*, *Gegen*, *Fermachung*, *Gegen-Gab*, *Vviderlag*, *Vviderlegung*, describitur, quod sit Donatio, à marito, vel alio ejus nomine uxori facta in securitatem, & remunerationem Dotis; eò namque spectat Donatio ista, ut mulieri sit cautum de Dote recuperanda, soluto matrimonio, si ea vel perierit, vel deterior facta fuerit culpa mariti. Unde, & Jure communi ita adæquata esse debet, ut non modo pari quantitate constituatur, sed, & iisdem pactis, ac conditionibus *l. ex morte* 9. cum *Author. seq. Cod. de pact. convent.* Olim quidem dicebatur Donatio hæc *ante nuptias*; quia post nuptias fieri non poterat, primò quidem id vetantibus moribus, postmodum etiam jure inde otto *libr. moribus* 1. *& duab. seqq. ff. hoc titul.* Cæterum Justinus Imp. exemplo Dotium, quæ augeri etiam post nuptias poterant, permisit etiam Donationes ejusmodi augeri constante matrimonio *l. si constante* 19. *Cod. de donat. ant. nupt.* Justinianus verò constituit, ut non augeantur tantum, sed etiam, constante matrimonio, initium accipiant, nec amplius Donationes *ante nuptias*, sed *propter nuptias* vocentur §. *est & aliud* 3. *Inst. de donat. & l. fin. Cod. de donat. ant. nupt.* Vallens. *hic num.* 2. 53

Quæritur 3. Quotuplex sit Dos? Resp. duplex maximè apud DD. invenitur divisio Dotis. Nam 1. dividitur in Dotem promissam, & constitutam. *Dos promissa* voca- 54

vocatur, quæ conſiſtit in nudis terminis promiſſionis: quod fieri dupliciter poteſt, interveniente ſcilicet ſtipulatione *l. Julianus* 20. *ff. de Jur. dot.* & abſque hac nuda conventione, quæ tamen per *l. ad exactionem 6. Cod. de dot. promiſſ.* evaſit in pactum legitimum. *Dos conſtituta* (ſumendo *Conſtitutionem* ſtrictè) accipitur pro ea, quæ vel actu inter vivos eſt verè, aut fictè tradita, vel per ultimam Voluntatem, puta, Teſtamento, aut Codicillis relicta, Struv. *adſſ. de Jur. dot. Exercit.* 30. *th.* 9. Konig *hic n.* 36.

55 Improbat Diviſionem iſtam cum aliis Lauterbach. *ad ff. de Jur. dot.* §. 5. tum quia *l. de diviſione* 5. *ff. ſolut. matrim.* dicitur, Dotem conſtitui traditione; tum quia dominium rei dotalis non poteſt in maritum abſque traditione transferri *l. traditionibus* 20. *Cod. de Pact.* Sed eam diviſionem cum *Zoeſio*, *&* *Tiraquello* defendunt Fachin. *l.* 10. *contr. c.* 24. Stryck. *diſp. de Jur. marit. in bon. uxor. c.* 1. *n.* 21. partim ob textus *l. nuptura* 57. *l. ſi mulier* 59. *pr. l. ſive generalis* 61. *pr. ff. de Jur. dot. & toto Tit. Cod. de dot. promiſſ.* ubi Dos promiſſa ſupponitur eſſe vera Dos; partim quia mulier, cujus nomine marito Dos tantum eſt promiſſa, dicitur habere Dotem *l. cum poſt* 43. *verſ. reſpondi ff. de adminiſt. & peric. tutor.* partim quia Dos promiſſa ſuos producit effectus, ſingulari conſideratione dignos, de quibus *infrà num.* 78. ut adeo Dotis nomine non videatur eſſe indigna, Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *n.* 8. *& ſeqq.*

56 2 Dividitur Dos in profectitiam, & adventitiam. *Profectitia* eſt, quæ proficiſcitur, vel provenit à patre, vel ab aſcendente paterno, vel quæ datur à quocunque alio, ſed intuitu, ac contemplatione patris *l. profectitia* 5. *pr.* & §. *quod ſi quis* 2. *ff. de Jur. dot. Adventitia* eſt, quæ nec à patre, nec ab aſcendente paterno, nec illius intuitu advenit, ſive deinde habeatur à matre, ſive ab avo materno, ſive à fratre, vel alio conſanguineo, ſive ab extraneo *arg. l. dotem* 35. *ff. eod. & l. un.* §. *accedit* 13. *de Rei uxor. act.* Si uxor ipſamet ex bonis ſuis ſibi Dotem conſtituat, vel promittat, illa quidem *l. profectitia cit.* §. *ſi pater* 11. Profectitia dicitur, propriè tamen loquendo nec Adventitia, nec profectitia eſt, ut ſentit Lauterbach *loc. cit.* §. 8. Miller *ad ſtrav. Exerc.* 30. *ad Pandect. theſ.* 4. *litt. N.* Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de matrim. c.* 4. *num.* 15.

57 Quæritur 4 Quis promittere, vel conſtituere Dotem poſſit? Reſp. Dotem promittere, vel conſtituere poteſt non ipſa ſolum mulier per ſe, ſed quivis alius *l. promittendo* 41. *ff. de Jur. dot.* Nec intereſt, an ſit filiusfam. an paterf. maſculus, an fœmina, *l. fin. Cod. ad S. C. Vellejan.* modo rerum, in quibus Dotem ipſe conſtituit, liberam adminiſtrationem habeat, & alienare illas non prohibeatur; nam poteſtas alienandi ad conſtituendam dotem requiritur, quia Dotis datio eſt ſpecies quædam alienationis. Miller *ad ſtruv. Exerc.* 30. *th.* 3. *litt. B.* At non omnium, qui Dotem conſtituunt eſt eadem ratio; nam alii Dotem dare tenentur, alii tenentur ſolum in aliorum defectum, alii omnino non tenentur. Konig *hic numer.* 28. Reiffenſtuel *ibidem numer.* 36.

58 Dotem promittere, vel conſtituere ex neceſſitate tenetur ante omnes *Pater*; *paterni* enim *officii eſt dotem, vel donationem propter nuptias pro ſua dare progenie*, ut dicitur *l. fin. Cod. de dot. promiſſ.* Ratio eſt, quia Pater Filiæ ſuæ proſpicere de matrimonio honeſto debet. Ergo etiam de Dote, cum ſine hac illam difficulter nubat.

59 *Et procedit hoc* 1 etiamſi pater filiam in matrimonio collocaverit, nulla facta mentione Dotis, ut contra *Bald. Salicet. Fulgoſ. & alios* melius docet Gloſſ. *in l. obligamur V. lege ff. de O. & A.* Abb. *in capit.* 1. *de deſponſ. impub. num.* 6. Alex. de Nevo *ibidem num.* 12. Covar. *p.* 2. *de ſponſal. c.* 3. §. 8. *nu.* 7. Sanchez *l.* 4. *de matr. D.* 26. *n.* 4. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 4. Reiffenſtuel *hic n.* 38 quia Dos non tantum conſtituitur filiæ, ut virum inveniat, ſed etiam ad ſuſtinenda onera matrimonii, & ne à viro ſpernatur: Et hinc duo ſunt officia patris erga filiam nubilem, nempe, ut eam collocet in honeſto matrimonio, & ut illam dotet; ut proinde quamvis primum impleverit, adhuc obligetur ad ſecundum. Eadem ratione, ſi mulier dives, non facta expreſſione Dotis, ducta ſit, tacitè cenſetur ejus bona, vel ſaltem pars bonorum pro conditione, & dignitate viri, in Dotem conſtitutæ, quæ ſi non ſolvatur, juſtam cauſam maritus habet uxori negandi alimenta, Sanchez *l.* 9. *de matr. D.* 5. *concl.* 2. Gaill. *l.* 2. *obſ.* 95. *n.* 10. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13 *n.* 4. *verſ. ſecundo.*

Procedit 2. etiamſi filia, inſcio, & invito patre, nu- 60
pſerit, ſi marito digno nupſit. Ripa *in l.* 1. *ff. ſolut. matr. num.* 57. Covar. *p.* 2. *de ſponſal. c.* 3. §. 8. *nu.* 7. Menoch. *l.* 4. *præſumpt.* 189. *n.* 60. Gutier. *l.* 2. *pract. q.* 1. *num.* 4. Sanchez *l.* 4. *de matr. D.* 26. *nu.* 16. *&* 17. Layman *c.* 13 *cit. n.* 4. *verſ. tertio.* Reiffenſtuel *hic nu.* 39. Ratio eſt, quia pater tenebatur eam maritare, & dotare juxta dicta. Igitur filia, contrahendo matrimonium cum marito digno, rem, ad quam tenebatur pater, utiliter geſſit, ut proinde iſte quoad ſubſtantiam non poſſit eſſe contrarius, licèt ægrè ferre poſſit quoad modum. Dixi, *ſi digno nupſit*, nam ſi nupſit indigno vita, & genere, & hoc inſcio patre, & ante annum 25. tenebitur quidem pater ad præſtanda ipſi alimenta vitæ neceſſaria, ne fame pereat, ad dotandam tamen illam integrè non obligabitur. Sanchez *loc. cit. n.* 19. Layman *n.* 4. *verſ. id vero.* Engl *hic n.* 6. Reiffenſtuel *nu.* 40. *arg. l. non tantum* 3. §. *ſi emancipatus* 5. *ff. de honor. poſſeſſ. contr. tabul.* Ratio eſt, quia non videtur æquum compellere patrem ad dotandam filiam, quæ indecenti matrimonio ipſius, & familiæ decus denigravit. Idem dicendum in omnibus caſibus, in quibus pater filiam poteſt exhæredare; cum enim Dos ſubſtituatur Legitimæ, & in eam imputetur *l. quoniam* 29. *Cod. de inoffic. teſt.* propter quaſcunque cauſas filia exhæredari, etiam Dote privari poteſt, Sanchez *D.* 26. *cit. n.* 1. cum aliis à ſe *citt.*

Procedit 3. etiamſi filiam, quæ dotanda eſt, pater 61
non amplius in poteſtate ſua habeat; nam etiam emancipatam dotare tenetur, maximè ſi ea inops ſit, & ſine dote honeſtam conditionem nubendi invenire nequeat, ut contra *Lauterbach*, & alios notat Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *num.* 3. Zoeſ. *ad ff. de Jur. dot. num.* 7. Struv. *Exerc.* 30. *th.* 3. Miller *ibidem lit. E.* Konig *hic num.* 29 Reiffenſtuel *ibidem num.* 37. Magnif. P. Schmier *p.* 2 *de matrim. c.* 4. *num.* 17. & colligitur ex *l. fin. Cod. de dot. promiſſ.* ubi generaliter ſupponitur, patrem obligatum eſſe ad Dotem pro liberis quibuſcunque conſtituendam. *Conf.* ex textu *l. profectitia* 5. §. *fin. ff. de Jur. dot.* ubi aſſeritur, quod pater ſi emancipatæ filiæ tanquam illius Curator, Dotem conſtituiſſet, *magis quaſi pater, quam curator id feciſſe videatur.* Neque obſtat *l. capite* 19. *ff. de Rit. Nupt.* ubi dicitur, parentes eſſe cogendos, ut Liberos, *quos habent in poteſtate*, dotent; ac proinde à ſenſu contrario videtur inferri poſſe, Liberis emancipatis, velut à patria poteſtate jam dimiſſis, Dotem de neceſſitate non eſſe conſtituendam. *Contra* enim eſt, quia *loc. cit.* duo decernit, unum, dum vetat parentibus, ne liberis matrimonium inhibeant; alterum, dum præcipit, ut liberis Dotem non negent: in priori ſolum fit mentio de liberis in poteſtate conſtitutis, non item in poſteriore; ut proin bene inferatur, quod pater liberis Dotem præſtare debeat, ſive ſint adhuc in poteſtate conſtituti, ſive jam emancipati.

Procedit 4 etiamſi filia dives ſit, & aliunde mediis 62
ſuis inſtructa; nam hoc quoque caſu ad eam dotandam obligari patrem contendit Sanchez *lib.* 4. *de matr. D* 26 *n.* 5. Gaill. *l.* 2. *obſ.* 95. *num.* 14. Vultejus 2. *conſil. Marpurg.* 49. *n.* 4. Perez *in Cod. tit. de dot. promiſſ. num.* 8. ex ratione, quod pater filiæ diviti obſtringatur relinquere legitimam. Ergo etiam conſtituere Dotem, quæ legitimæ ſubſtituitur. Sed contrarium non improbabiliter docent Fachin. *l.* 10. *contr. capit.* 38. Struv. *ad Pandect. Exercit.* 3. *th.* 3. Miller. *ibidem lit. D.* Lauterbach. *ad ff. tit. de Jur. dot.* §. 10. Prænob. D. de Baſſis *deciſ. Juſtinian. ad l. fin. Cod. de dot. promiſſ. deciſ.* 23. *numer.* 8. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matrim. c.* 4. *num.* 22. & colligitur ex *l. fin. citat. & l. profectitia* 5. §. *fin. ff. de Jur. dot.* ubi tanquam caſus dubius proponitur, an ſi pater filiæ locupleti conſtituat Dotem, eam ex bonis propriis, vel ex bonis filiæ cenſeatur conſtituiſſe: quæ ſanè dubitatio prorſus inanis, & Domitiana fuiſſet, ſi pater obligatus foret dotare filiam divitem. *Conf.* quia Pater non eſt obligatus filiæ diviti ſuppeditare alimenta *l. ſi quis* 5 §. *ſed ſi filius* 7. *ff. de agnoſ. & alend. liber.* ergo nec ad conſtituendam ei Dotem, quippe quæ in locum alimentorum ſubrogata videtur. *Ad Argumentum contrarium* negatur paritas; nam legitima primum debetur poſt mor-

mortem, nec præcisè rationem alimentorum habet: contra Dos debetur in vita, & rationem alimentorum participare videtur. Multo magis necessitas dotandi cessat in filia naturali, spuria, vel ex damnato coitu suscepta *argum. l. uxorem* 41. §. *pater* 11. *ff. de Legat.* 3. *l. humanitatis* 18. *Cod. de Natur. liber. Excipitur*, si inops sit; hunc enim sicut à patre sustentari, ita etiam pro modo alimentorum modica ipsi Dos ab eodem ex æquitate constitui debet. Gaill. *l.* 2. *observ.* 88. *n.* 4. *& seqq.* Lauterbach *ad tit. de Jur. Dot.* §. 13. Magnif. P. Schmier *loc. cit. n.* 26.

63 *Procedit* 5. non tantum de filia, quæ vult nubere, sed etiam quæ ingredi Religionem constituit; nam etiam huic pater constituere tenetur Dotem, ut ex communi docent Bald. *in l. fin. Cod. de Dot. promiss.* Anchar. *consil.* 108. *num.* 4. Felin. *in Cod. Ecclesia n.* 79. *vers. cæterum de consist.* Everhard. *loc. à matr. carnal. ad Spirit. num.* 4. Menoch. *l.* 4. *præsumpt.* 189. *num.* 91. Sanchez *lib.* 4. *de matrim. D.* 26. *num.* 7. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *capit.* 13. *num.* 4. *vers. quarto*. Idem dicendum: si filius velit ad Ordines Sacros ascendere. Et Ratio est, quia causa Religionis favorabilior est matrimonio carnali *arg. textus Auth. nisi rogati pr. Cod. ad S. C. Trebell.* Et hac ratione possunt bona restitutioni subjecta distrahi pro Dote descendentis à Testatore, Monasterium volentis ingredi, sicut pro Dote ad matrimonium temporale, ut alias relatis notat Sanchez *l. cit.*

64 Porro quanta Dos filiæ constituenda sit à patre, non omnino conveniunt DD. Multi docent assignandam Dotem parem Legitimæ. Sed hoc verum non est; quia Legitima non debetur ante mortem patris, cum tamen ante ipsam debeatur Dos. Quare dicendum, ad taxandam Dotem considerandas esse facultates patris, liberorum numerum, nec non filiæ, & mariti dignitatem, ac denique loci consuetudinem: ad quod proinde Judicis officio compelli potest juxta *l. capite* 19. *ff. de Rit. Nupt.* Sanchez *D.* 26. *cit. n.* 8. Layman *c.* 13. *n.* 3. Reiffenstuel *hic num.* 44.

65 Quæritur 5. quibusnam aliis post Patrem incumbat obligatio constituendi Dotem? Resp. Post Patrem obligatio hæc incumbit etiam aliis. Et 1. quidem *Avus paternus* Dotem constituere cogitur Nepti, quoties Pater filiæ ob inopiam conficere illam nequit *l. Dotem* 6. *ff. de collat.* ubi Celsus scribit, *Avum propter Patrem hoc facere, officiumque Avi circa Neptem ex officio Patris erga filiam pendere*. Unde si Patri tantum in facultatibus superfit, unde Dotem, deducto ære alieno, salva dignitate, constituere valeat, avus hoc nexu censetur liberatus, ut contra Zoes. *ff. de Jur. Dot. n.* 14. melius docet Menoch. *cons.* 88. *n.* 49. *&* 55. Fachin. *l.* 10. *contr. c.* 40 Konig *hic n.* 30.

66 2 *Mater* cogitur Dotem dare filiæ, non tamen aliter, quam in subsidium, nimirum quando pater, aut avus paternus est inops, vel mortuis his filia manet inops, & legitima ei ad Dotem non sufficit *l. neque mater* 14. *Cod. de Jur. Dot.* cum enim mater in simili circumstantia teneatur alere Liberos, etiam Dotem subministrare tenebitur, quippe qui loco alimentorum succedit. Sylv. *V. Dos q.* 5. Lauterbach. *ad ff. de Jur. Dot.* §. 16. Stryck. *Us. modern. Pandect. ibidem* §. 6. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de matrim. cap.* 4. *num.* 29. *Conf.* ex eo, quia mater obligata est Liberis Legitimam relinquere. Dos autem, sicut Donatio propter Nuptias in Legitima computatur, conferenda post mortem matris, vel alterius Ascendentis *l. quoniam* 32. *Cod. de inoffic. Test.* Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *num.* 5. Idem Juris obtinet in Avo Materno, qui pariter tenetur dotare Neptem ex filia, si ipse dives sit, & neptis à patre, vel avo paterno, aut matre dotem consequi nequeat. Alex. *l.* 6. *cons.* 117. *n.* 8. Farin. *tom.* 3. *decis.* 233. Konig *hic n.* 31. Reiffenstuel *n.* 46.

67 3 *Frater* quoque in defectum Ascendentium tenetur dotare sororem inopem, ex eodem patre natam *arg. l. cum plures* 12. §. *cum tutor* 3. *ff. de administ. & peric. tutor.* ubi dum dotatio sororis, a io patre natæ, dicitur esse actus liberalitatis, tacitè innuitur, dotationem sororis germanæ, vel consanguineæ esse actum necessitatis. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *num.* 5. Perez *ad Cod. tit. de Dot. promiss. n.* 15. Zoes. *ad ff. de Jur. Dot. n.* 16. Lauterbach *ibidem* §. 16. Miller *ad Struv. loc. cit. thes.* 3. *Lit. I.* Burghaber *in Cas. b. select. cent.* 3. *cas.* 16. Konig *hic num.* 32. Magnif. P. Schmier *loc. cit. num.* 30. Et procedit hoc ex mente istorum etiam de Clerico, ut teneatur ad dotandam Sororem inopem.

4 De Jure Canonico tenetur *Stuprator* dotare stupratam, aut eam, nisi ipsa, aut patens ejus dissenserit, in uxorem ducere *c. si seduxerit* 1. *& capit. seq. de adulter.* Quantam autem Dotem dare debeat, relinquitur arbitrio Judicis, qui considerata qualitate defloratæ, & ipsius defloratoris eandem determinabit. Menoch. *de arbitr. Judic. cent.* 3. *caus.* 288. *n.* 16. *& seqq.* Konig *hic nu.* 33. Reiffenstuel *ibidem n.* 48. 68

Ipsa mulier ad Dotem sibi constituendam non potest adigi, cum matrimonium absolutè loquendo sine Dote possit contrahi, & subsistere *l. fin. vers. sicut autem, Cod. de donat. ant. Nupt. l. fin. Cod. de Repud.* ubi Brunnem. *num.* 1. *& seqq.* Miller *loc. cit. lit. A.* Magnif. P. Schmier *numer.* 32. Multo minus dotem dare tenentur alii extranei; est enim in ipsorum arbitrio Dotem de suo dare, vel non dare *l. un.* §. 13. *Cod. de rei uxor. act.* An verò Subditi pro elocanda, vel dotanda filia Principis Collectas, seu, ut vocant, Tallias præstare teneantur, videatur Barth. Muscul. *de success. convent. membr.* 2. *class.* 1. *concl.* 5. *n.* 222. *& seqq.* 69

Quæritur 6. Quænam res dari in Dotem possint? Resp. in Dotem dari possunt res quælibet, mobiles, & immobiles, corporales, & incorporales *l. res* 17. *Cod. de Jur. dot.* Si in Dotem marito debitori detur, quod ipsi est creditum maritus debitor liberatur ab Usuris solvendis, ad quas tenebatur *l. si mulier* 77. *ff. eod.* quia alias ex hujusmodi Dote fructum non haberet. Zoes. *ff. hoc tit. num.* 18. Possunt etiam in Dotem dari omnia mulieris bona *l. nulla* 4. *Cod. eod.* læsæ tamen succurritur ex æquo, & bono. Zoes. *loc. cit.* Res aliena in Dotem non rectè datur, cum vindicari possit à Domino. *Excipitur*, nisi utrinque interveniat bona fides; tunc enim ejus in Dotem datio hunc habebit effectum, ut in maritum usucapiendi conditio transferatur *per l. un. Cod. de Usucap. pro dot. & tot. tit. ff. pro dot.* 70

Dub. 1. utrum Ususfructus possit in Dotem deduci? Resp. Affirmativè Struv. *Exercit.* 30. *th.* 6. Miller. *ibidem lit. C.* Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de matr. c.* 4. *n.* 35. & patet ex *l. dotis* 7. §. *si Ususfructus* 2. *ff. de Jur. dot.* quemadmodum enim ipsa mulier fructus percipere valet, sic etiam jus percipiendi fructus non quidem radicale, sed actuale potest in maritum transferre. 71

Dub. 2. an feudum possit dotale fieri? Resp. affirmativè. Lauterbach *ad tit. ff. de Jur. dot.* §. 24. Magnif. P. Schmier *loc. cit. num.* 36. & constat ex *l.* 2. *feud. tit.* 13. *& tit.* 17. ita tamen, ut ista constitutio non fiat per æstimationem, quæ facit venditionem *argum. l. feud. tit.* 55. *pr.* Miller *l. cit.* 72

Dub. 3. an Dos indefinitè possit promitti? Resp. cum distinctione: Vel enim Dos promittitur à patre, vel ab extraneo. *Si prius*, valet promissio, quantumvis indefinita sit *l. cum post* 69. §. *gener.* 4. *ff. de Jur. dot.* cum enim pater ex officio dotare filiam teneatur, hinc promissio Dotis indefinitè facta, censetur comprehendere talem Dotem, quæ facultatibus ipsius, & dignitati mariti correspondeat. *Si posterius*, promissio non valet *l. frustra* 1. *Cod. de dot. promiss.* & *ibi* Brunnem. *num.* 1. *& seqq.* quia promissio tam vaga respectu extranei, cujus arbitrio quantitas censetur relicta, fieri potest elusoria. *Excipitur*, nisi additum fuerit *arbitrio boni viri*; nam hoc casu quantitas Dotis ex arbitrio boni viri determinanda est *l. si cum* 3. *Cod. de Jur. dot.* 73

Dub. 4. an si mulier, non facta mentione Dotis, maritum omnibus bonis frui permittat, ea in Dotem dedisse præsumatur? Resp. negativè; sed talia bona magis Paraphernalia, quam Dotalia præsumentur. Ita Struv. *Exerc.* 30. *cit. th.* 6. Miller *ibidem lit. N.* Stryck. *disp. de Jur. marit. in Bon. uxor. c.* 1. *num.* 25. Heeser. *p.* 2. *loc. comm.* 12. *num.* 14. Magnif. P. Schmier *c.* 4. *cit. num.* 39. quia cum secundum dicta *num.* 69. mulier non teneatur Dotem sibi constituere, præsumptio magis pro Paraphernis, quam Dote sumenda est. 74

Quæritur 7. Quomodo, & qua forma constitui, vel promitti Dos possit? Resp. id pendet ex voluntate constituentis, & ipsorum sponsorum contrahentium matrimonium: quam voluntatem explicare solent per pacta dotalia. *Hinc* 1. *dubitatur*, quid sint *Pacta dotalia*; Resp. *Pacta dotalia* sunt mutua conventio, qua conjuges 75

ges suam intentionem de dote conservanda, vel retinenda, vel etiam de bonis cæteris, eorumque acquisitione declarant, Germanice *Ghe* - Pact. *Ghe - Beredung*, *Deyrath - Abredung*, *Deyraths - Spruch*.

76 Dub. 2. quotuplicis generis pacta dotalia esse possint? Resp. duplicis; nam aliquando *simplicia* sunt, quando scilicet manent in terminis contractus, vel actus inter vivos; aliquando sunt *Mixta*, quando transeunt in actum ultimæ voluntatis, ac futuram conjugum successionem continent. Interest vero plurimum num illa pacta simplicia, an vero Mixta. Nam 1. Pacta simplicia de Jure communi valent, nisi causam dotis duriorem efficiant, prout fieret, si inter conjuges conveniret, ut maritus, vel ejus hæredes dotem lucrentur, licet decesserit ante uxorem *l. si convenerit* 2. *l. de die* 14. *ff. de pact. dot.* Contra pacta mixta reprobantur *l. hæreditas* 5. *Cod. de pact. convent.* & solum ex consuetudine sustinentur. Stryck. *us. mod. Pand. ad tit. de pact. dotal.* §. 3. 2. in pactis simplicibus testes non requiruntur ad substantiam, sed tantum ad probationem, & sufficiunt eo casu testes duo *l. ubi numerus* 12 *ff. de testib.* Contra in pactis mixtis, cum species ultimæ voluntatis sint, testes quinque ad substantiam requiruntur *l. fin. §. fin. C. de Codicill.* Stryck *de cautel. contract. sect.* 3. *c.* 8. § 16. *& seq.* Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *nu.* 52. 3. Pacta simplicia, non amplius immutari, vel revocari possunt, nisi cum utriusque conjugis consensu *arg. l. sicut* 5. *Cod. de O. & A.* Mixta autem, ut aliæ Voluntates ultimæ, mutationem, & revocationem recipiunt *per leg. quod iterum* 4. *ff. de adimend. vel transf. Legat.* Lauterbach *ad ff. de Pact. Dotal.* §. 14. Stryck. *cap.* 8. *cit.* § 20. Magnif. P. Schmier *num.* 54.

77 Dub. 3. unde cognosci possit, an pacta dotalia sint simplicia, an verò Mixta? Resp. ut discernantur hæc Pacta inter se, necesse est singulariter advertere ad modum paciscendi. Nam si paciscentes utantur terminis, qui actibus inter vivos sunt proprii, v. g. contrahere, pacisci, convenire, *abhandlen*, *vergleichen*, *erretten*, *&c.* Pactum censendum est simplex *arg. leg. verbum* 20. *ff. V. S.* Si autem addantur termini, qui conveniunt Ultimis voluntatibus v. g. succedere, jure hæreditario capere, hæredem instituere, *erben*, *ersessen*; succedi *ren*, *&c.* Pactum est habendum pro mixto. Stryck. *cap.* 8. *citat.* §. 21. Miller. *ad Struv. Exerc.* 30. *th.* 19. *in not. per tot.* Magnif. P. Schmier *cap.* 4. *citat. num.* 56. Sola mentio mortis non facit pactum mixtum; & hic, si conjuges inter se paciscantur, ut unus post mortem alterius dimidiam partem lucretur, pactum ejusmodi simplex remanet; quia tempus mortis hoc casu adjectum censetur, non ut pacto vim tribuat, sed ut executionem eo usque suspendat. Lauterbach *ad tit. de Pact. Dotal.* § 3. P. Schmier *loc. cit. num.* 57. Similiter, licet inveniatur hæc vox *Hæres*, vel *hæreditariè*, Germanicè *Erblich*, negotium in terminis Pacti simplicis consistere potest; quia frequenter in contractibus mentio fit hæredum, ac contrahentes non tantum sibi, sed etiam hæredibus suis prospicere solent. Et hinc idem P. Schmier *n.* 58. cum Stryck §. 27. sollicite monet conjuges, ut ad evitandum omne dubium, intentionem suam specifice exprimant.

78 Quæritur 8. quis sit *effectus dotis*? Resp. aliud est effectus dotis promissæ, alius constitutæ.

Si promissa tantum sit dos, producit ex parte promissoris obligamen ad constituendam, seu tradendam dotem; ex parte promissarii vero confert actionem ad obtinendam dotem promissam. Hæcque actio, si stipulatio intervenerit, dicitur Actio ex stipulatu *tot. tit. ff. de V. O.* si autem promissio fuerit nuda, nascitur Condictio ex lege *leg. ad exactionem* 6. *Cod. de dot. promiss.* Stryck. *tract. de Action. forens. sect.* 1. *membr.* 3. § 32. Konig *hic num.* 38. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de matr. cap.* 4. *num.* 60. Imò de Jure noviori *l. un.* § *& ut plenius* 1. *Cod. de rei uxor. act.* etiam in casu, quo nulla intervenit stipulatio, Actionem ex stipulatu per Juris fictionem competere contra Stryck. *loc. cit.* communiter Interpretes statuunt cum Brunnem. *ad l. ad exactionem cit. num.* 3. Lauterbach *ff. de jur. dot.* § 30. Eckold. *ibid.* § 7. Magnif. P. Schmier *loc. cit. num.* 60. & colligitur ex ipso textu, ubi generaliter *stipulationes inesse dotibus* dicuntur; ex stipulatione autem nascitur actio ex stipulatu.

Si vero dos constituta, seu tradita sit, operatur dominium civile ex parte mariti, naturali tantum, eoque sopito, penes uxorem remanente, sicut explicant Interpretes *ad pr. Inst. quib. alienar. lic.* Unde pro re dotali maritus contra quemcunque possessorem rei vindicationem suo nomine instituere potest. Ejusdem dominii effectus est, quod idem maritus etiam fructus ex re dotali, ut ex his onera matrimonii sustinere possit, pleno jure, & ita lucretur, ut etiamsi dos, soluto matrimonio, ad uxorem redeat, non tamen fructus, licet extantes sint, dummodo non excedant ratam temporis, quo matrimonium duraverit; nam pro rata tantum fructus lucratur; & hinc si maritus post primum quadrantem anni mortuus fuerit, non totius anni fructus, sed quarta tantum pars hæredibus ejus debebitur *leg. dotis fructum* 7. *ff. de jur. tot.* Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 2. 79

Ex quo sequitur discrimen rerum dotalium à Paraphernalibus; nam Paraphernalium bonorum uxoris maritus nulla ratione efficitur dominus, nec pro iis suo, sed uxorio duntaxat nomine, & tanquam Procurator (sine mandato tamen) agere potest. Neque ex his fructus pleno jure lucratur, sed tantum potestatem habet eos expendendi in communes usus suos, & uxoris *l. fin. Cod. de pact. convent.* Quare, si soluto matrimonio, fructus Paraphernalium extent, vel maritus inde locupletior factus sit, vel invita uxore aliorsum, quàm ad communes usus illos expenderit, de Jure Civili (nisi consuetudo alicujus loci sit in contrarium) uxori restituendi sunt, juxta doctrinam Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 9. Engl *hic n.* 7. & alios passim. 80

Dubitatur, an dominium civile, quod, uti dictum, maritus in re dotali habet, sit absolutum, & perfectum? Resp. distinguendo: Vel enim in dotem datæ sunt res mobiles, vel immobiles. *Si mobiles sint*, maritus earum fit absolute, & perfecte dominus *l. res in dotem* 42. *ff. de jur. dot.* si tales illæ sint, quæ pondere, numero, mensura constat; ac proinde libere illas maritus alienare pote , modo tamen ex ejus bonis resarciri possit; quia tunc quasi mutui contractus intervenisse censetur, & id actum, ut, quemadmodum *loc. cit.* dicitur, *soluto matrimonio ejusdem generis, & qualitatis alias restituat maritus, vel hæres ejus.* Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 2. *v. duobus*. Vinnius *ad pr. Inst. quib. alien. lic.* Konig *hic num.* 39. Reiffenstuel *ib. n.* 50. 81

Si vero res in dotem datæ immobiles sint, multum interest, an dos æstimata sit tradita, vel non. *Si æstimata sit tradita*, & quidem æstimatione faciente venditionem, iterum libere illas res alienare maritus potest; quia tunc absolutum illarum dominium acquirit; & propterea, soluto matrimonio, non rem ipsam, sed pretium ejus restituere tenetur *l. plerumque* 10. *ff. de jur. dot.* *Sin verò Dos inæstimata sit tradita*, *vel æstimata quidem*, *sed solum taxationis gratia*, maritus quidem itidem dominus ejus est *l. dotale* 13. §. *dotale prædium* 2. *ff. de fund. dotal.* eas tamen res alienare, vel alio modo obligare non potest, ne quidem cum consensu mulieris *pr. Inst. quib. alien. lic.* Layman *vers. duobus cit.* Engl *hic n.* 8. Konig *n.* 39. Reiffenstuel *nu.* 51. *& duob. seqq.* 82

Excipitur 1. si mulier post biennium lapsum à tempore primi consensus de novo in alienationem rei dotalis consentiat; nam hoc casu alienatio ejus, à marito facta, foret valida; quia lapsus tanti temporis, & repetitus consensus excludit præsumptionem, quod mulier à marito fraude, aut metu inducta sit. *Novell.* 61 *c.* 1. §. 1. Reiffenstuel *n.* 53. *Excipitur* 2. si mulier absque dolo, aut metu juraverit, se non velle revocare rem dotalem alienatam; nam talis alienatio de jure Canonum habetur rata *c. cum contingat* 28. *Jur. jur.* & *c. licet* 2. *eod. in* 6. Engl *hic n.* 8. 83

Quæritur 9. quæ sint Affinia doti? Resp. affinis doti 1. est *donatio propter nuptias*, quam descripsi *supra n.* 53. Nam 1. sicut dos affertur à muliere ad maritum, ita & donatio à viro fit uxori, pro securitate dotis; & hinc Jure communi donatio hæc dotem æquare debet, ac propterea ista aucta etiam ipsa augeri § *est & aliud* 3. *Inst. de donat. l. si constante* 19. & *Auth. sed jam necesse C. de donat. ant. nupt.* & *Novell.* 97. *c.* 1 *&* 2. 2. sicut dos ante, & post matrimonium constitui potest, ita etiam hæc donatio propter nuptias quocunque autem tempore 84

pore conſtituatur, conſtante matrimonio tam adminiſtratio, quam fructus donationis iſtius pertinet ad maritum. Sylv. *V. Donatio* 3. *q.* 3. Abb. *in c. fin. hoc tit. n.* 12 Layman *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 13. *n.* 10. Haun. *tr.* 4. *num.* 346. Reiffenſtuel *hic n.* 64. & alii paſſim, 3. Sicut dos, ſoluto matrimonio, de jure communi reddit ad mulierem vel patrem dotantem *l. ſoluto* 2. *ff. ſolut. matr.* ita & donatio propter nuptias redit ad maritum § *eſt & aliud cit.* § *fin. Inſt. hoc tit. l. cum multæ* 20. *C. de donat. ant. nupt.* Pirhing *hic n.* 1.

85 2 *Morgengeba*, ſeu *Morganatica*: Eſt donatio quædam, quam maritus facit uxori altera nuptiarum die, in præmium, & remunerationem virginitatis delibatæ, vel in pecuniis, vel in aliis rebus pretioſis. Hæc donatio non prohibita, ſed conſuetudine recepta eſt. Vvehner *V. Morgengeba*. Lauterbach, *ff. de jur. dot.* §. 46. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de matr. cap.* 4. *num.* 124 Quantitas ejus deſumenda venit vel ex particularibus loci ſtatutis, vel ex pactis dotalibus. Communiter in Pactis conſtitui ſolet tertia pars dotis, quam mulier attulit, ita, ut ſi dos ejuſdem efficiat 30. fl. Morgengeba efficiat 100. ut bene advertit Illuſtr. D. Baro Schmid *Statut. Bavar. tit.* 1. *art.* 1. *num.* 16. ubi addit deberi Uxori Morgengebam, etſi pactis dotalibus nulla de ea facta ſit mentio, imò debetur etiam Uxori, quæ nullam dotem attulit, cum pauperis puellæ Virginitas æque ac divitiis æſtimanda ſit, ut cum *cit. de Schmid* recte advertit Reiffenſtuel *hic n.* 66. Viduæ, cum qua contrahitur matrimonium, Morgengeba de Jure nulla debetur, niſi ſpecialiter de ea fiat mentio, prout fieri poſſe bene, advertit laudatus D. Schmid *loc. cit.* Adminiſtratio Morgengebæ, & fructus durante matrimonio, ad virum pertinent, ita, ut poſt mortem mariti eidem una cum dote exhibenda ſit, vel ſi contingat eam ante maritum decedere, jus habeat de tali donatione, ſicut de dote Adventitia arbitratu ſuo diſponendi, vel eam hæredibus ab inteſtato relinquendi. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 11.

86 3 *Sponſalitia Largitas*. Eſt, quam ſponſi mutuo faciunt cauſa, & tacita conditione matrimonii, ita, ut ſi matrimonium ſequatur, plane confirmetur talis donatio, & donatum fiat donatarii, adeo, ut ſoluto etiam dein per mortem matrimonio, reſtitui non amplius debeat. Sanchez *l.* 6. *de matr. D.* 18. *nu.* 2. Molin. *tom.* 2. *D.* 290. Layman *n.* 11. *cit. v. denique*. Reiffenſtuel *hic n.* 70. *arg. l. ſi mater* 12. & *l. ſi à ſponſo* 16. *C. de donat. ant. nupt.* Si matrimonium inter ſponſos non ſequatur, intereſt, an hoc fiat culpa donatarii, vel culpa donantis, vel ſine culpa unius, & alterius. *Si matrimonium non ſequatur culpa donatarii, vel ejus, in cujus poteſtate eſt*, tenetur iſte reſtituere ſponſalitiam Largitatem. *Si culpa donantis*, repetere ipſe ſponſalitiam largitatem, alteri collatam, non amplius poteſt, ſed eam lucratur innocens, per textum expreſſum *l. cum veterum* 15. *C. de Donat. ant. nupt. Si vero neutrius culpa, ſed verb. grat. alterius morte, aut profeſſione Religioſa matrimonium impeditum fuerit*, ſponſus omnem ſponſalitiam Largitatem reſtituere debet; & econtra ſponſa eandem à ſponſo acceptam reddere obligatur; niſi oſculum, aut copula poſt ſponſalia intervenerit; tunc enim ſponſæ medietas ſponſalitiæ Largitatis, à ſponſo acceptæ, remanet, ſponſus autem nihilominus cuncta reſtituit, textu expreſſo *l. cum veterum cit.* & *l. ſi à ſponſo* 16. *C. de donat. ant. nupt.* quas Leges Cæſareas, cum injuſtæ non ſint, ideo ubi vigent, etiam in foro conſcientiæ obſervandas eſſe, monet Sanchez *D.* 18. *citat. concl. ult.* Layman *v. denique cit.*

87 4 *Munera nuptialia*, quæ à parentibus, propinquis, & amicis in ſignum benevolentiæ novis conjugibus offeruntur, & ut Lauterbach *ff. ad tit. de jur. dot.* §. 47 docet, inter ipſos æqualiter dividuntur.

5 *Dotalitium*, ſeu Uſusfructus, quem maritus in compenſationem dotis uxori poſt mortem in ſuis bonis, conſtituunt, Germanice *Seib-Deding*, *Seib*, *Vvittumb*, *&c.* quod ſi fiat, niſi aliud convenerit, uxor non poteſt ab hæredibus mariti dotem repetere, ſi dotalitio frui deſideret. Lauterbach *loc. cit.* § 45. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *n.* 126.

88 *Proxeneticum*, ſeu præmium nuptiale, quod proxenetis, qui ſponſalia, vel Nuptias conciliant, in remunerationem adhibiti laboris, vel induſtriæ conceditur; & ſi in quantitate moderata conſiſtat, licite accipitur, *l. fin. ff. de Proxenetic.* Porro hujuſmodi Proxenetæ, etſi liberalius, quàm rei veritas erat, dotes, divitias, pulchritudinem, mores &c. ſponſi, vel ſponſæ celebraverint, niſi dolo id fecerint, conveniri de iſto non poſſunt *l. ſi Proxeneta* 2. *ff. eod.* Lauterbach *loc. cit.* § 24. Magnif. P. Schmier *n.* 128.

§. III.

De Dotis, & Donationis propter Nuptias ſolutione, & repetitione.

S U M M A R I U M.

89 90 91 92 *Quando dos, & donatio propter nuptias debeatur?*
93 94 *Quando repeti poſſit?*
95 96 *Quidnam veniat in reſtitutione dotis?*
97 *Quodnam beneficium circa reſtitutionem dotis habeat maritus?*
98 *Quale beneficium habeat uxor?*
99 100 101 102 *Cui reſtitutio dotis fieri debeat, ſoluto per mortem matrimonio?*
103 104 *An reſtitui uxori dos, & donatio propter nuptias marito debeat caſu, quo matrimonium ob Impedimentum dirimens decernitur nullum, & conjuges ſeparantur?*
105 106 *Quomodo ſolvi Matrimonium debeat, ut proterea dos, & donatio propter nuptias reſtituenda veniat?*
107 108 109 110 *An caſu, quo matrimonium ex aliqua dictarum cauſarum ſolutum eſt, præter dotem etiam alia bona uxoris reſtituenda ſint?*
111 112 113 *An reſtitui dos, & donatio propter nuptias debeat, quando factum eſt divortium propter unius conjugis adulterium?*
114 115 116 *Quibus caſibus dos, & donatio propter nuptias ob adulterium non ammittatur, nec cedant lucro conjugis innocentis?*
117 118 119 *An uxor adultera amittat etiam Paraphernalia?*
120 121 *An ob adulterium dos, & donatio propter nuptias ammittatur ipſo Jure?*
122 123 *An ſemel amiſſa recuperetur, ſi conjuges poſt ſententiam divortii, & privationis reconcilientur?*

Quæritur 1. quando dos debeatur? Reſp. debetur ſolum, ſecutis nuptiis *l. item quia* 4. §. *hujus rei* 2. *ff. de pact. leg. promittendo* 41. §. *ſed ſi* 1. *ff. de jur. dot.* quia ſine matrimonio conſiſtere nequit *leg. fin. C. de donat. ant. nupt.* Et hinc, matrimonio non ſecuto, ſi ſoluta ſit, repeti poteſt *leg. ſi tutor* 7. *Cod. de interd. matrim. int. pupill. & tutor.* & ſi matrimonium ſolvatur, reſtitui debet *l. ſecundum* 2. & *leg. filia* 7. *Cod. ſolut. matrim.* 89

Eadem eſt ratio donationis propter nuptias, ſicut enim dos, ſoluto matrimonio, revertitur ad uxorem, vel ad hæredes illius, ita & donatio propter nuptias ad maritum, vel ejus hæredes; nam pari paſſu cum dote ambulat *leg. ex morte* 9. *Cod. de Pact. convent.* adeoque maritus de Jure communi nihil lucratur de dote, nec mulier de donatione propter nuptias. Alex. de Nevo *in cap. fin.* §. *ſane num.* 2 *hoc tit.* Vallenſ. *hic nu.* 3. Pirhing *ibid. n.* 8. 90

Excipitur, niſi de conſuetudine ſecus obtineat, vel aliter conſtitutum ſit per pacta dotalia; nam valet conſuetudo, & pactum de lucranda dote, & de lucranda donatione propter nuptias; & multo magis valet tale ſtatutum; quia hoc habet expreſſum conſenſum Principis, conſuetudo vero tacitum *l. de quibus* 32. *ff. de LL.* Hinc ubi tale ſtatutum, conſuetudo, vel pacta inter conjuges inita reperiuntur, hac in re obſervanda illa ſunt *l. ex morte cit.* Alex. de Nevo *loc. cit. n.* 3. Vallenſ. *nu.* 3. Pirhing *num.* 9. *not.* 2. Vvieſtner *n.* 41. 91

An vero inter conjuges valeant pacta univerſali, & mutua ſucceſſione eorum in omnibus bonis, controverſia eſt. *Et ratio dubitandi eſt*; quia pactis hæreditas dari nequit, propter periculum captandæ mortis ejus, cujus hæreditas promiſſa eſt *leg. licet* 19. *Cod. de pact.* 92

pact. l. hæreditas 5. *C. de pact. convent.* Sed consuetudine Germaniæ receptum est ut pacta mutua, & reciproca de futura successione inter conjuges tolerentur, teste Gaill. *l.* 2. *obs.* 33. *n.* 3. Mynsing. *cent.* 2. *obs.* 33. Engl *hic n.* 10. Proinde allegatæ in contrarium Leges explicari possunt, ut non loquantur de pacto conjugum, eoque mutuo, & reciproco, cum inter conjuges amor, & vicissitudo pacti excludat mortis captandæ periculum, & suspicionem.

93 Quæritur 2. quando dos, & donatio propter nuptias repeti possit? Resp. si contractum sit matrimonium, regulariter non repetitur, nisi soluto per mortem matrimonio *cap. fin. hoc tit.* Dixi *regulariter*; nam tres casus sunt, quibus repeti dos, etiam matrimonio stante, potest. Et quidem, si maritus sua culpa ad inopiam vergat, ita, ut evidenter constet, facultates ejus non esse sufficientes assecurationi dotis, vel certe esse periculum illius; & ita deciditur *l. si constante* 24. *pr. ff. solut. matr.* 2. Si bona mariti fisco inferantur, veluti propter crimen læsæ Majestatis, vis publicæ, parricidii, veneficii, hæresis &c. *arg. l. si marito* 31. *ff. solut. matr.* Vallens. *hic num.* 1. 3. Pro liberis prioris matrimonii, item pro parentibus, fratribus, aut sororibus egenis alendis, vel iis, si captivi sint, redimendis. Engl *n.* 9. *fin.*

94 Casu, quo ob inopiam mariti dos repetitur ab uxore, tria sunt advertenda, 1. Ut intervenerit culpa ex parte mariti; nam quando vir non ex sua culpa, v. g. dilapidatione, sed ex infortunio, aut casu fortuito ad inopiam vergit, ad restituendam dotem cogi non potest, ut bene observat Gloss. *in c. per vestras* 7. *V. ad inopiam hoc tit.* arg. *Novell.* 97. *cap.* 6. *pr.* ubi tunc tantum dotem reddere maritus cogitur, *si res male gubernat*, præsertim cum uxor etiam teneatur de sua dote sustentare maritum inopem *l. mutus* 73. *fin. de jur. Dot.* Reiffenstuel *n.* 57. 2. Dos sic repetita non debet remanere penes uxorem, sed vel apud sequestrum deponi, vel alicui mercatori pro honesto lucro credi debet, ut ex ejus fructibus maritus oneta matrimonii supportare valeat, & ita sola proprietas salvetur *arg. cap. per vestras citat.* Barbosa *ibid. num.* 1. Vallens. *hic num.* 1. Engl *n.* 9. Reiffenstuel *num.* 55. 3. Si tali casu dos uxoris vel fidejussione, vel alia cautione assecurari sufficienter potest, tenetur illa, arbitrante Judice, id acceptare, prout contra communem Legistarum docet communior TT. & Canonistarum cum Haun. *tr.* 4. *n.* 399. Vvanereck *in c.* 7. *v. cautionem not.* 2. Honor. *hic n.* 2. arg. *c. per vestras cit.* Ubi Judici mandat Pontifex, ut in casu præfati periculi marito sub cautione sufficienti relinquat dotem, vel eam ad honestum lucrum committat uxori: unde Judicis, non mulieris erit eligere, an dos fidejussione, vel alia cautione, an verò committendo illam alicui alteri assecurari debeat. Reiffenstuel *nu.* 56. Unde hic casus est exceptus: nam extra hunc pro conservatione dotis nec fidejussores, nec aliæ satisdationes regulariter intervenire debent, ne conjuges perfidiæ se invicem arguant, & si mulier suam personam non veretur credere marito, tanto minus in credenda dote difficilis esse debet *l. sive* 1. & *l. seq. C. ne fidejussor. vel mandator. dot. dentur.*

95 Quæritur 3. quidnam veniat in restitutione dotis? Resp. In restitutione dotis venit, quidquid maritus dolo, vel culpa lata, aut levi in re dotali deliquit *l. in rebus* 17. *ff. de jur. dot.* Si sine tali culpa mariti res dotalis interierit, aut deteriorata sit, interest, an rem fungibilem, & servando non servabilem, v. gr. pecuniam, vinum, frumentum &c. in dotem acceperit, an verò rem immobilem, aut servando servabilem. *Si primum*, restituere tantundem debet; quia nactus est plenum, & perfectum talis rei dominium; cons. si ea res pereat, etiamsi sine culpa mariti pereat, ipsi perit. Et hinc non rei in specie acceptæ, sed generis, quod nunquam perire potest, debitor est. Est autem regulare, quod quando quis non speciei, sed generis debitor est, etiamsi res accepta sine culpa accipientis pereat, tantundem ejusdem speciei, & bonitatis restitui debeat *l. res in dotem* 42. *ff. de jur. dot.* Ergo &c.

96 *Si secundum*, refert, an res in dotem data sit æstimata æstimatione faciente venditionem, an vero non; nam, si contingat *posterius*, nihil maritus ob eam causam præstabit; contra si *prius*; nam talis æstimatio operatur venditionem, & transfert omne dominium, & periculum in maritum. *Excipitur*, si additum fuerit, ut vel rem, vel pretium, soluto matrimonio, restituere maritus possit; tunc enim ejus, tanquam debitoris, erit electio, utrum restituere velit. *Et procedit*, etiamsi res in dotem data deteriorata sit; nam etiam deteriorem, si hoc sine culpa ipsius factum sit, reddere poterit: & ratio est, quia tale pactum, sub alternativa conceptum, ut res, vel pretium restituatur, arguit non absolutam venditionem fuisse, sed in eum tantum eventum, si maritus eam restituere non vellet *l. plerumque* 10. *princ.* & § *fin.* cum *l. seq. ff. de jur. dot.* Quodsi tamen res interierit, æstimationem omnino præstabit maritus; quia per interitum rei disjunctio determinatur ad præstandum pretium § *fin. cit.*

Quæritur 4. quod beneficium habeat maritus, aut uxor circa restitutionem dotis? Resp. Mariti privilegium est, ut si uxor, vel hæredes illius à marito, vel hæredibus ejus (dummodo isti hæredes sint liberi, & non extranei) soluto matrimonio dotem repetant, maritus & liberi habeant beneficium competentiæ, ob quod non tenentur in plus, quam reservata congrua sustentatione, possunt. *Et hoc procedit*, tametsi tempore contracti matrimonii pactum contrarium appositum fuisset; nam tale pactum contra bonos mores, & invalidum reputatur, cum humanitatis ratio non patiatur, ut inter conjunctas personas tam severa exactio instituatur, & alter per alterum ad paupertatem redigatur *l. maritum* 13. & *l. alia causa* 15. *ff. solut. matr.* Engl *hic n.* 13. 97

Contra uxoris in repetenda dote privilegium est, ut pro illa Hypothecam privilegiatam habeat in omnibus bonis mariti, ut ante omnes alios creditores solutionem accipere debeat *l. in rebus* 30. *C. de jur. dot.* & *l. assiduis* 12. *C. qui potior. in pignor.* Utrum autem præferatur creditoribus, expressam Hypothecam anteriorem habentibus, valde controversum est inter Juris civilis Interpretes. Pro negativa videri possunt Covar. *part.* 1. *de sponsal. c.* 9. *n.* 1. *& seqq.* Gaill. *l.* 2. *obs.* 25. *n.* 10. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 8. & alii. Pro affirmativa vero Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 13. Fachin. *l.* 10. *contr. c.* 35. Haun. *tr.* 4. *n.* 446. Honor. *hic n.* 1. Reiffenstuel *n.* 110. cujus quæstionis decisionem Civilistis relinquo. Quoad Paraphernalia habet quidem uxor etiam Hypothecam tacitam in omnibus bonis mariti, ea tamen non est privilegiata, ut anterioribus creditoribus præferatur, sed computatur à die illationis, quo illa bona ad maritum pervenerunt *l. fin. C de pact. convent.* Unde ob privilegia dotis consultius esset uxori, omnia bona sua marito in dotem dare. Engl *hic n.* 12. 98

Quæritur 5. cui restitutio dotis fieri debeat, soluto per mortem matrimonio? Resp. Cum distinctione; vel enim mulier seipsam dotavit ex propria sua substantia, vel alius. *Si ipsa mulier*, ad ipsam, vel hæredes ejus dos, soluto matrimonio, redit; quia præsumitur sibi stipulata dotem reddi *l. un. pr. C. de rei uxor. act.* *Si alius*, interest, an dotem mulieri dederit extraneus, h. e. qui non habet mulierem in potestate sua, & cons. Dos adventitia sit; an vero pater, vel alius ex ascendentibus, & sic profectitiæ rationem habeat. 99

Si primum, nisi dotem dans stipulatus sit, eam sibi reddi, soluto per mortem mariti matrimonio, dos redit ad uxorem *l. un.* § *accedit* 13. *C. de rei uxor. act.* Si vero matrimonium solvatur per mortem mulieris, restituenda est ejus liberis; siquos reliquit, vel his non extantibus, proximis illius hæredibus cedit, nisi aliter illa per ultimam suam voluntatem disposuerit. 100

Si secundum, videndum est, an uxor adhuc sit in potestate dotantis, an vero emancipata tempore soluti matrimonii; *nam si adhuc in potestate dotantis sit*, nisi aliud conventum fuerit, dos revertitur ad dotantem *l. dos à patre* 4. *C. solut. matr. l. si ab hostibus* 10. *ff. eod. l. jure* 6. *ff. de jur. dot.* *Et hoc procedit*, sive matrimonium solvatur per mortem mariti, sive per mortem uxoris; neque enim succedunt in ea Liberi, quos filia defuncta reliquit. *Neque obstat*, quod alias liberi ab intestato succedant parenti, exclusis Ascendentibus quibuscunque; hoc enim limitatur in bonis profectitiis, utpote quæ ad eum revertuntur, à quo profecta sunt, ut recte Fachin. *l.* 3. *contr. c.* 71. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *n.* 6. Reiffenstuel *hic n.* 77. & patet ex *Novell.* 118. *cap.* 1. 101

Si per

Si per mortem mariti solvatur matrimonium, eidem dotem nihil imminutam dare cogitur, nisi forte substantia patris fortuita aliqua clade decrescat; tunc enim amplius secundo marito in dotem dare non cogitur, quàm facultates ejus patiantur. *Auth. sed quamvis C. de rei uxor. act.* Layman *loc. cit.*

102 *Si vero mulier tempore soluti matrimonii non sit amplius in potestate dotantis.* Dos non revertitur ad dotantem, sed restituenda uxori est, & hac mortua, cedit Liberis illius, vel si nullos reliquerit, ab ea intestato decedente, proximis ejus hæredibus, ut suprà dictum est de dote adventitia; quia per emancipationem definit esse profectitia *l. un. § videamus* 11. *C. de rei uxor. act. Ex quo sequitur*, in iis locis, in quibus liberi, postquam in matrimonium locati sunt, patria potestate soluti censentur, dotem, & donationem propter nuptias non reverti ad patrem dotantem; censetur enim Adventitia; quæ in eo maxime differt à dote profectitia, quod, soluto matrimonio, non reddatur dotanti, nisi aliter conventum fuerit, sed maneat mulieri, ejusque proximis hæredibus, ut *n.* 100. dictum est. Et hinc quia ejusmodi statuta, vel consuetudo passim viget, ut per ipsum matrimonium censeatur emancipata filia, hinc rarus hodie casus est, quo dos profectitia, Liberis à filia relictis, ad dotantem redit. Reiffenstuel *n.* 77.

103 Quæritur 6. an restitui uxori dos, & donatio propter nuptias marito debeat casu, quo matrimonium ob impedimentum dirimens decernitur nullum, & conjuges separantur? Resp. distinguendo. Vel enim cum tali impedimento contraxerunt per ignorantiam, & errorem probabilem, vel scienter, aut cum ignorantia supina, vel crassa.

Si primum, restitui dos uxori, & donatio propter nuptias marito debet *c. mulieres* 1. *hoc tit.* Glossa *ibid. in cas.* Vivian. *v. & hoc si ignoranter*, Canis. *n.* 2. Barbosa *n.* 6. Zoes. *hic nu.* 3. Honor. *n.* 31. Vviestner *nu.* 42. Reiffenstuel *n.* 78. Ratio est, quia cum veri conjuges non fuerint, inter eos dos, & donatio propter nuptias locum non habuit; & hinc restituenda venit, & repeti potest, tanquam datum, ex causa, causa non secuta. Neque eo casu prætendere maritus beneficium competentiæ potest; quia beneficium illud concessum est ob reverentiam maritalem *l. un. § cum autem* 7. *Cod. de rei uxor. act.* quæ nulla est in eo, qui maritus putabatur, & non fuit, ut *in c. mulieres cit.* contra Glossa *V. totam*, advertunt Abb. *ibid. n.* 4. Canis. *n.* 3. Pirhing *hic num.* 27. *not.* 3. Vviestner *n.* 44. Reiffenstuel *nu.* 79.

104 *Si secundum*, dos, & donatio propter nuptias amittuntur, & applicantur fisco *l. qui contra* 4. *C. de incest. & inutil. nupt.* habetque textus istius dispositio locum non tantum in nuptiis Jure Civili, sed etiam Canonico reprobatis; quia jam ante Impp. Valent. Theodos. & Arcadium Legis *cit.* conditores conjugia inter consanguineos, affines &c. inita, à Callisto, Fabiano, & Julio Pont. erant reprobata, & Lex, dum in materia matrimonii Canones sequitur, reprobare censetur omnia illa conjugia, quæ à Canonibus reprobantur. Zabarell. *in c.* 5. *hoc tit. § quæres*, Abb. *ibid. nu.* 10. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 6. § 8. *a nu.* 30. Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. v. & hoc si ignoranter*, Canis. *ibid. n.* 3. Vallens. *hic num.* 3. *v. quod si scienter*, Honor. *n.* 31. Pirhing *n.* 27. *not.* 4. Vviestner *n.* 43. *Excipitur*, nisi minor ætas excuset, & ita contrahentes, ubi legitimam ætatem nacti fuerint, statim ab invicem discedant *l. qui contra cit.* Vivian. Canis. Vallens. *loc. citt.*

105 Quæritur 7. quando solvi matrimonio debeat, ut propterea dos, & donatio propter nuptias restituenda veniat? Resp. Sufficere solutionem sive quoad vinculum, sive quoad thorum, & cohabitationem, si ea solutio facta sit absque alterutrius conjugum culpa, & delicto.

Adeoque 1. restituenda dos, & donatio propter nuptias est, si matrimonium solvatur per mortem alterius conjugis naturalem, nisi per pacta dotalia aliter cautum sit *c. mulieres* 1. *hoc tit. l. un. C. de rei uxor. act. l. fin. C. solut. matr.* quia tunc maritus matrimonii onera portare desinit. Vivian. *in cap.* 2. *pr. & in cap. fin. Vers. vel ex pacto hoc tit.* Gonzalez *in cap. mulieris cit. nu.* 10. Vallens. *hic num.* 4. *vers. quemadmodum*, Pirhing *num.* 9. Vviestner *num.* 46.

2 Si matrimonium solummodo ratum dissolvatur per professionem Religiosam, aut dispensationem Apostolicam, vel consummatum infidelium per conversi matrimonium cum alio fideli de novo initum *c. mulieris cit.* Gonzalez *ibid. n.* 3. *fin.* Vviestner *nu.* 45. *hic*, Reiffenstuel *n.* 80. *ibid.* 106

3 Si alio modo matrimonium sine culpa quoad thorum, & cohabitationem perpetuo dissolvatur, ut si maritus, consentiente conjuge, suscipiat SS. Ordines *c. mulieres cit.* quia in hujusmodi divortium consentientes tacite pacti esse videntur, ut uterque alteri restituat, quod ab eo accepit. Petr. Barbosa *in Rubr. ff. solut. matr. p.* 2. *n.* 56. Aug. Barbosa *in c. mulieres cit. num.* 5. *fin.* Gonzalez *ibid. n.* 3. & 6. Vvagnereck *not.* 2.

Quæritur 8. an casu, quo matrimonium ex aliqua dictarum causarum solutum est, præter dotem etiam alia bona uxori restituenda sint? *Ratio dubitandi* sumitur ex *c. significavit* 2. *hoc tit.* ubi vir, soluto matrimonio, jubetur compelli non solum ad dotis restitutionem, sed etiam ad divisionem bonorum, quæ communiter habuerunt. *Conf.* ex ratione; nam inter conjuges contrahitur Societas *c. præterea* 2. *de Sponsal.* ibi, *instar eorum, qui Societatem --- contrahunt.* Atqui inter Socios lucrum dividi debet *l. Societas* 1. *l. si non fuerint* 29. *pr. l. si unus* 67. *ff. pro socio.* 107

Sed dicendum, eo casu divisioni talium bonorum, & lucrorum locum non esse; sed ea quidem, quæ maritus ex sua pecunia, patrimonio, vel industria comparavit, ad ipsum privative spectant; illa autem, quæ uxor ex suo patrimonio, pecunia, vel industria congregavit, uxoris manent *l. multum* 6. *C. si quis alteri, vel sibi &c. l. ex pecunia* 12. *C. de jur. dot. de sponsal. c.* 7. § 1. *n.* 5. Gutier *pract. l.* 2. *q.* 118. *n.* 5. Petr. Barbos. *in Rubr. ff. solut. matr. p.* 2. *n.* 47. *fin.* Brunnem. *ad l. quintus* 51. *ff. hoc tit. n.* 4. Stryck. *disp. de jur. marit. in bon. uxor. c.* 1. *nu.* 6. Heeser *in loc. com. pract. p.* 2. *loc.* 7. *num.* 8. *& seqq.* Aug. Barbosa *in c. significavit cit. n.* 1. Canis. *ibid. n.* 2. Gonzalez *n.* 5. Vvagnereck *in not.* Pirhing *hic n.* 29. *not.* 1. & *nu.* 30. *not.* 4. Engl *n.* 14. Schambogen *n.* 5. Vviestner *nu.* 49. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *nu.* 63. Ratio est, quia nuspiam jure aut Civili, aut Canonico communi inter conjuges inducta est proprie dicta Societas, per quam generaliter omnia bona, seu lucra inter ipsos communia fiant; sed potius in *l. rerum* 1. *ff. de act. rer. amot.* indicatur, ex communione vitæ non inferri communionem bonorum; nec minus uxorem se furto obstringere, quando aliquid marito surripit, quam filiam, quæ patri quidpiam aufert. 108

Excipitur, quando expresse inter conjuges de Societate conventum est, vel si conjuges paribus expensis, & communi nomine rem emant, aut denique pari labore (ut aliquando inter opifices, & mercatores consuevit) acquisiverint. Engl *hic n.* 14. Et hinc Jure Bavarico *tit.* 1. *art.* 1. 4. *&* 14. statutum habetur, ut ubi conjuges communi labore, & industria communem exercent negotiationem, mercaturam, aut cauponariam, lucrum invicem dividere debeant. Porro quod partium conventione, etiam consuetudine, vel statuto induci potest: & hinc ubi talis est consuetudo, vel statutum, soluto matrimonio, divisio fieri lucrorum inter conjuges debet. Pirhing *n.* 30. *cit. not.* 4. In dubio tamen præsumptio stat pro marito, quod bona, durante matrimonio quæsita, ad ipsum pertineant *leg. quintus* 51. *ff. hoc tit.* Stryck. *ibid.* § 12. *& seqq.* Magnif. P. Schmier *cap.* 41. *cit. n.* 65. 109

Ad textum in contrarium allegatum dico, illius dispositionem procedere solum in iis bonis, quæ conjugibus communiter obvenerunt ex donatione utrique facta, vel Testamento in utriusque favorem condito. *Ad Conf.* conjuges societatem contrahere, & socii esse dicuntur tantum ratione cohabitationis, ad quam ipsos matrimonium obligat. 110

Quæritur 9. an restitui dos, vel donatio propter nuptias debeat, quando divortium factum est propter unius conjugis Adulterium? Resp. Ab innocente restitui non debet, sed id etiam, quod accepit, ipse lucratur, & una id, quod dedit, recuperat: conf. si maritus ob adulterium uxoris fecerit divortium, ipse lucratur dotem, & recuperat donationem propter nuptias ab uxore; si vero uxor, lucratur donationem propter nuptias, & recuperat à marito dotem *c. ple-* 111

rum-

rumque 4. *hoc tit. l. conſenſu* 8. § *hec niſi* 4. *&* § *ſeq. C. de repud. Novell.* 117. *c.* 8. § 2. Covar. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 7. § 6. *n.* 1. Sanchez *l.* 10. *de matr. D.* 8. *num.* 2. Farin. *prax. q.* 142. *nu.* 1. *& ſeqq.* Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 13. *nu.* 7. Vivian. *in c. plerumque cit. pr.* Caniſ. *ibid. nu.* 1. Barboſa *nu.* 1. *&* 9. Gonzalez *n.* 8. Vallenſ. *hic nu.* 3. *v. ſin mulier*, Zoeſ. *n.* 3. Honor. *n.* 2. Engl *nu.* 15. Pirhing *nu.* 36. *&* 38. *not.* 3. Vvieſtner *nu.* 51. Reiffenſtuel *num.* 81. *&* 95. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 4 *n.* 67. ut ſic compenſatio aliqua innocenti fiat, quoad graviſſimam offenſam, quam innocens per adulterium paſſus eſt.

112 *Proceditque hoc*, etiamſi Adulterium poſt matrimonium per verba de præſenti contractum ante illis conſummationem commiſſum ſit; imò, ut Clar. § *Adulterium n.* 9. *&* 14. Covar. *loc. cit. n.* 1. Sanchez *n.* 6. *&* 7. Farin. *n.* 16. Pirhing *n.* 37. *v. extenditur* 3. Vvieſtner *n.* 52. Reiffenſtuel *nu.* 96. rectè advertunt, locum hæc pœna habet, ſi matrimonium ſolum ſit putativum, & ob impedimentum occultum dirimens irritum; nam eo caſu, ſi innocens ob fornicationem alterius divortium fecerit, & dotem, vel donationem propter nuptias receperit, etiam detecta poſtea nullitate, reſtituere acceptum non tenebitur. *Ratio eſt*, quia quamvis tale matrimonium ſit nullum, adeoque non poſſit dici revera commiſſum fuiſſe adulterium à muliere, conſiderari tamen debet hic ſtatus matrimonii, qui erat tempore commiſſi criminis, ſaltem putative, & ipſius mulieris prava intentio, quæ poſtquam declaratum fuit matrimonium nullum, excuſari non poteſt, cum Adulterium fecerit, quantum potuit.

113 Intelligi autem hoc debet tantum, quando dos conſtituta eſt ab adultera ex bonis propriis, vel ab alio quidem, ſed ita, ut ſoluto matrimonio, non ad dotantem, ſed ad ipſam redire debuiſſet; nam quando à patre, vel ab extraneo eſt conſtituta, & hic pactus eſt eam ſibi reddi, adulterium fœminæ iſti non nocet, Gonzalez *in c.* 4. *hoc tit. nu.* 14 Stryck. *diſp. de jur. marit. in bon. uxor. c.* 2. *n.* 75. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *n.* 68.

114 Quæritur 10 quibus caſibus dos, & donatio propter Nuptias ob adulterium non amittantur, nec cedant lucro conjugis innocentis? Reſp. 1. Si conjux adulter innocenti fuerit reconciliatus expreſse, vel tacite eidem cohabitando; quia ſic injuriam, & actionem, quam habebat, tacite remiſiſſe cenſetur, Gloſſa *in c. plerumque* 4. *V. nec reconciliata hoc tit.* Sylv. *V. adulterium q.* 6. Farin. *prax. crim. q.* 142. *n.* 68. Sanchez *lib.* 10. *de Matr. D.* 8. *n.* 21. Pirhing *hic n.* 38. Vvieſtner *ibid. n.* 53 colligitur ex *c. plerumque cit.* argumento à ſenſu contrario ducto ex illis verbis, *Nec reconciliata poſtea ſit*. *Et procedit hoc* teſte *Farinacio*, etiamſi reconciliatio ſecuta ſit poſt cœptum Judicium ſuper amiſſione dotis; imò etiam poſt latam ſententiam. Vivian. *in c.* 4. *citat. prop. fin.* Vallenſ. *hic nu.* 3. *v. ſin mulier*, Engl *nu.* 15. *v. ſciendum* 14 Reiffenſtuel *n.* 97.

115 2 Si uterque ſit reus adulterii; quia tunc utriuſque delictum compenſatur *c. intelleximus* 5. & *c. fin. de Adult. & Stupr. l. viro* 39. *l. cum mulier* 47. *ff. ſolut. Matr.* Palao *tr.* 28. *D.* 3. *p.* 6. § 6. *n.* 14. Farin. *q. cit. n.* 39. Caniſ. *in c.* 4. *cit. n.* 2. Engl *n.* 15. *v. ſed quid*, Pirhing *n.* 38. *not.* 3. Vvieſtner *n.* 56. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 4. *num.* 69.

3 Si in Adulterium uxoris maritus conſenſit, & multo magis, ſi leno fuit, eamque proſtituit *leg. cum mulier cit.* Abb. *in c.* 4. *de Divort. n.* 6. Farin. *n.* 79. Caniſ. *num.* 2. Pirhing *num.* 38. *not.* 4. Vvieſtner *nu.* 55. Reiffenſtuel *n.* 99.

116 4 Si conjux adulter ex eodem, vel alio matrimonio habeat liberos; tunc enim iſtis dos, vel donatio propter nuptias ſervatur quoad proprietatem, & innocens ſolum uſumfructum, dum vivit, in iis habet, *Novell.* 117. *c.* 8. *v. ſi filios*, Covar. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 7. § 6. *n.* 4. *q. cit. à n.* 93. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 15. *n.* 7. Stryck. *diſp. de Jur. matrim. in bon. uxor. c.* 2. *n.* 74. Vivian. *in c.* 4. *cit. circa med.* Caniſ. *ibid. v. idem Juris*, Gonzalez *n.* 12. Engl. *hic n.* 15. *v. ſciendum* 15. Zoeſ. *nu.* 8. Pirhing *n.* 39. *not.* 5. Vvieſtner *n.* 55. Reiffenſtuel *nu.* 101. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. cap.* 4. *n.* 70. Plures alios caſus refert Farin. *loc. cit. n.* 68.

117 Quæritur 11. an uxor adultera amittat etiam Paraphernalia? Affirmant Gloſſa *in c. plerumque* 4. *hoc tit. V. dotalium*, Covar. *p.* 2. *de ſponſal. c.* 7. § 6. *n.* 2. Clar. § *adulterium n.* 15. id deſumentes ex *c. plerumque cit.* ibi, *dotem, & dotalitium repetere non valebit*; putant enim nomine *dotalitii* hic venire Paraphernalia.

Sed retinenda eſt ſententia negativa, quam etiam defendunt Abb. *in c. cit. num.* 8. Sylv. *V. adulterium q.* 6. Menoch. *de arbitr. caſ.* 418. *in addit. ad num.* 5. Nicol Everhard. *vol.* 1. *conſ.* 49. *nu.* 19. *&* 22. Sanchez *lib.* 10. *de matr. D.* 8. *num.* 10 Barboſa *ad Rubr. ff. ſolut. matr. part.* 1. *à num.* 54. Farin. *q.* 142. *nu.* 69. *fin.* Caniſ. *in c.* 4. *citat. num.* 3. Gonzalez *ibid. num.* 6. Engl *hic num.* 15. Pirhing *num.* 37. Zoeſ. *num.* 4. Vvieſtner *num.* 57. Reiffenſtuel *num.* 102. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de matrim. c.* 4. *n.* 72. Ratio eſt, quia *c. citat.* diſpoſitio, tanquam pœnalis, potius reſtringenda, quam extendenda eſt *arg. l. interpretatione* 42. *ff. de Pœnis*, *Reg. odia* 15. & *Reg. in pœnis* 49. *in* 6. 118

Ad textum in contrarium allegatum dico, ibi *dotalitii* nomine intelligi vel donationem propter nuptias, ut volunt *Everhard. Sanchez Gonzalez Engl loc. citt.* vel, idque melius, pretium, & æſtimatio dotis, quæ data eſt in rebus, conſtantibus numero, pondere, & menſura, ut cum *Caniſio*, & aliis explicat P. Schmier *num.* 73. 119

Quæritur 12. an ob adulterium dos, & donatio propter nuptias amittatur ipſo Jure? Variæ ſunt DD. ſententiæ. Eligo viam mediam, & dico, maritum quidem innocentem retinere dotem ſibi traditam, & adverſus adulteram, ſi hæc illam poſt divortium repetat, exceptione adulterii uti poſſe; ipſam vero adulteram ad eam tradendam, vel donationem propter nuptias reſtituendam ante ſententiam Judicis in conſcientia non obligari Ita Hoſt. *in c. porro* 3. *de divort. nu.* 3. Abb. *in cap.* 4. *hoc tit. num.* 4. Alex. de Nevo *ibid. nu.* 6. Sylveſt. *V. adulterium quæſt.* 6. Covar. *part.* 2. *de ſponſal. cap.* 7. § 6. *n.* 1. Sanchez *l.* 10. *de matr. diſp.* 8. *n.* 13. Layman *l.* 3. *tract.* 4. *c.* 13. *n.* 7. Barboſa *in c.* 4. *cit. n.* 12. Engl *num.* 15. *hoc tit. v. ſciendum* 14. Pirhing *nu.* 39. *not.* 6. Vvieſtner *n.* 58. Reiffenſtuel *n.* 105. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matrim. c.* 4. *n.* 74. 120

Primum non obſcure inſinuari videtur *cap. plerumque cit.* juxta quod uxor, *quæ poſt fornicationem judicio Eccleſiæ, aut propria voluntate receſſit* (aut cum de illa notorie conſtaret, expulſa eſt) *à viro dotem repetere non valet*. *Secundi ratio* eſt; quia amiſſio dotis eſt pœna, ad quam ante ſententiam Judicis exſolvendam in conſcientia obligatio non datur *arg. cum ſecundum* 19. *de hæret. in* 6. 121

Quæritur 13. an dos &c. ſemel amiſſa recuperetur, ſi conjuges poſt ſententiam divortii, & privationis reconcilientur? *Certum eſt*, non recuperari caſu, quo reconciliationi adjicitur pactum, ut Jus, ex adulterio innocenti quæſitum, ſalvum relinquatur. Engl *nu.* 15. *v. ſed quid*, Vvieſtner *n.* 59. Reiffenſtuel *n.* 107. 122

Difficultas eſt, quando facta eſt reconciliatio ſine ejuſmodi pacto. Et videtur reſpondendum negative, quod per ſententiam dos pleno Jure tranſierit ad maritum, reconciliatio autem facta cenſeri poſſit quoad ſolum thorum, & mutuam cohabitationem.

Sed veriſimilius eſt recuperari, prout docent Alex. de Nevo *in c. plerumque* 4. *hoc tit. n.* 6. Angel *V. adulterium n.* 3. Sylv. *V. eod. q.* 6. Sanchez *l.* 10. *de matr. diſp.* 8. *n.* 21. Barboſa *in c.* 4. *cit. n.* 12. *&* 14. Engl *n.* 15. *v. ſed quid*, Vvieſtner *hic num.* 60. Reiffenſtuel *n.* 107. *ibid.* Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *nu.* 76. & colligi videtur ex *c. plerumque cit.* ubi ab ejus amiſſione excipitur reconciliatio, cum ſit liberatio à pœna, eſt favorabilis; conſ. operari videtur reſtitutionem in ſtatum priſtinum. 123

TITULUS XXI.

De Secundis Nuptiis.

PRimis nuptiis diſſolutis, tranſitur plerumque ad ſecundas; hinc poſtquam de matrimonio primo, & illud comitantibus hucuſque dictum, merito ſequitur *de ſecundis nuptiis*. Intelliguntur autem nomine *ſecundarum nuptiarum* non tantum illæ, quæ primas immediate ſequuntur, ſed etiam tertiæ, quartæ, & deinceps.

§. I.

§. I.

De Valore, & Licentia Nuptiarum Secundarum.

SUMMARIUM.

1 2 3 *Secundæ nuptiæ sunt honestæ, & Sacramentum.*
4 &c. *Ut ad istas transire liceat de obitu mariti constare debet certitudine morali.*
10 11 12 *Quando censeri debeat, moraliter certum esse obitum conjugis, ut nuptias secundas contrahere superstiti liceat?*
13 14 15 16 *An mortem moraliter certam faciat testimonium unius?*
17 18 *An fama sufficienter probetur?*
19 20 *Quomodo se gerere debeat Parochus quando ab ipso petitur, ut assistat Secundis Nuptiis?*
21 22 23 24 *An uti matrimonio liceat, quod contractum est sine morali certitudine, & cum dubio de obitu prioris conjugis?*
25 26 27 28 29 *Quid dicendum, si dubium matrimonio, bona fide contracto superveniat?*
30 31 *Quid faciendum conjugi, qui secundas nuptias init bona quidem fide, sed postea rescit, suum, vel alterius conjugem adhuc vivere, aut vixisse tempore contracti secundi Matrimonii?*

1 QUæritur 1. an secundæ nuptiæ sint honestæ, & Sacramentum? Montanus, Cataphrygæ, & Novitiani Hæretici damnarunt secundas, & ulteriores nuptias, etiam prioribus morte alterius conjugis dissolutis. in quo errore etiam fuit Tertullianus *l. de Monogam. teste* S. Aug. *l. de Hæresib. c.* 86. alii putarunt saltem illas non esse Sacramentum, ex sequentibus fundamentis. Nam 1. *can. hac ratione 9. caus.* 31. *q.* 1. relatus S. Chrisostom. ait, quod conjugem *secundam accipere secundum veritatis rationem verè fornicatio sit* 2. Concilium Neocæsareense, relatum *can. de his* 8. *q. cit.* ineuntibus secundum matrimonium imponit pœnitentiam, 3. Ecclesia binubos repellit à susceptione Ordinum, ut constat ex *toto tit. de Bigamis*; & iisdem negat benedictionem, ut *infra* videbimus: quod iniquum foret, si nuptiæ secundæ forent, licitæ, 4. eæ non perfecte significant conjunctionem Christi cum Ecclesia; & ideo defectu Sacramenti inducunt Bigamiam *c. debitum 5. de Bigam.* non ergo sunt Sacramentum, 5. Leges Civiles binubentibus diversas statuunt pœnas; igitur Ethnici illarum authores agnoverunt luminis naturalis ductu, nuptias ejusmodi esse abominabiles.

2 Sed est Catholica Veritas, Christianis permissas esse non tantum secundas, sed etiam tertias, quartas, & ulteriores nuptias, modo prius matrimonium quoad vinculum rite sit dissolutum. *Patet* 1. ex Apostolo 1. *Corinth.* 7. *v.* 39. ubi de muliere, *Si dormierit*, inquit, *vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Et 1. *Timoth.* 5. loquens de Viduis Voto Castitatis minimè adstrictis, ait, *Volo juniores nubere*, 2. ex Concil. Nicæn. *can.* 8. Carthag. 4. *can.* 11. & Florent. in Armenorum instructione, à quibus secundæ nuptiæ aperte approbantur, 3. ex *can. aperiant* 11. *caus.* 31. *quæst.* 1. ubi S. Hieronymus, *Libera*, ait, *voce proclamo, non damnari in Ecclesia Bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto, & sexto & ultra, quomodo & secundo marito nubere*, 4. ex antiqua, & universali Ecclesiæ consuetudine. Exemplum ex Hieronym. *ad Gerontiam* refert Menoch. *de arbitr. cas.* 417. *n.* 5. de una muliere, quæ tempore Damasi Pont. successive viginti duobus viris, quorum ultimus & ipse viginti uxores sepelierat, nupsit, 5. ex ratione; quia dissoluto per mortem vinculo prioris matrimonii, nihil est, quod secundum impediat.

3 Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. ille Canon sumptus est ex Authore operis imperfecti, non ex Chrysostomo, qui, ut annotatio Gregoriana advertit, *longe cautius loquitur*: vel dic cum *Glossa*, Canonem hunc loqui juxta sensum antiquæ Legis, qua nova conjugia permittebantur post datum Libellum Repudii; quæ Lex, cum à Christo correcta fuerit, mirum non est, quod tale conjugium fornicatio appelletur. *Ad* 2. imprimis Concilium illud fuit solum particulare; deinde pœnitentia ibi dictata est non propter nuptias secundum se, sed propter inordinatum affectum & concupiscentiam binubentium. *Ad* 3. Irregularitas Bigamiæ inducta fuit, non quod secundæ nuptiæ improbentur, aut à vera Sacramenti ratione deficiant; sed quia non ita perfecte repræsentant conjunctionem Christi cum Ecclesia; & ob hanc causam etiam benedictio iisdem non datur. *Ad* 4. non est de essentia Sacramenti, ut perfecte significet unitatem unici sponsi cum unica sponsa; nam certum est, posse contrahi matrimonium cum deflorata ab alio, quamvis tale matrimonium perfectionem hanc significationis non habeat. *Ad* 5. Pœnæ illæ, ut *infra* dicam, per Jus Canonicum sublatæ sunt, tanquam contra bonos mores, & debitam matrimonii libertatem.

Quæritur 2. quomodo constare debeat de obitu mariti, ut uxor ad nuptias secundas transire possit? Host. *in c. in præsentia* 19. *de sponsal. fin.* Ant. de Butrio *ibid. n.* 7. Ancharan. *n.* 7. Rosell. *V. impedimentum imped.* 11. *n.* 1. & 3. Sylv. *V. matrimonium* 8. *q.* 13. *dict.* 2. & 4. & alii apud Sanchez *l.* 2. *de matr. D.* 46. *nu.* 5. putant non majorem certitudinem exigi, quam ut conjux e. gr. uxor, ad secunda Vota transitura, habeat probabilem causam credendi mortem mariti. Fundantur 1. *can. cum per bellicam* 1. *caus.* 34. *q.* 1. ubi à culpa excusatur contrahens cum muliere, cujus maritus *jam non esse existimabatur*, 2. *c. fin. § porro litt. non contest.* cujus palmaris textus est: *Tamdiu alteruter conjugum exspectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter*, i. e. probabiliter *præsumatur*, 3. *ratione*; quia operans juxta opinionem probabilem prudenter operari existimatur. 4

Sed dicendum, ad hoc, ut transire ad nuptias secundas liceat, exigi certitudinem moralem. Ita Glossa *in c. in præsentia cit. in fin.* Abb. *ibid. n.* 6. Alex. de Nevo *n.* 22. Covar. *p.* 2. *de sponsal. c.* 7. § 3. *n.* 3. Ant. Cucch. *lib.* 5. *Inst. major. tit.* 12. *num.* 231. Gutier *l.* 2. *pract. q.* 8. *nu.* 4. & *seqq.* Sanchez *lib.* 2. *de matr. Disp.* 46. *num.* 6. Palao *tract.* 28. *disp.* 4. *p.* 13. § 1. *num.* 1. & *duob. seqq.* Bosco *D.* 12. *sect.* 12. *concl.* 2. *num.* 22. Canis. *in capit. Dominus* 2. *hoc tit. de spons. duor. num.* 5. Zoes. *hic n.* 4. Pirhing *hic n.* 2. Schambogen *num.* 3. Konig *num.* 3. *vers. Causa efficiens proxima*, Wiestner *num.* 6. Reiffenstuel *nu.* 7. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. cap.* 4. *num.* 134. ob claros textus *c. in præsentia cit.* ubi certus nuntius exigitur de morte conjugis, & *cap. Dominus cit.* ubi Lucius III. super hac re consultus, Christianis, in captivitate Sarracenorum positis, rescribens, *Id vobis*, inquit, *respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet*, videlicet per certum nuntium juxta Glossa *ibid. V. constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus.* 5

Ratio est, quia novi matrimonii contractus cedit in præjudicium prioris conjugis, si forte superstes sit, qui proinde jure suo in casu dubio spoliari non debet. *Accedit*, quia præsumendus est vivere, dum contrarium probatum non fuerit *l. fin. C. de SS. Eccl.* ut adeo illa, quæ solum præstant probabile judicium de morte conjugis, insufficientia sint, ut conjux, forte adhuc superstes, suo jure, & possessione spolietur. 6

Proceditque hoc 1. quantocunque tempore conjux alter absfuerit; nam ob solam absentiam conjugis, quamvis diuturnam, non dissolvitur matrimonium; sed necesse est, ut per certum nuntium de morte conjugis prioris constet. Barbos. *in c.* 2. *hoc tit. n.* 4. Zoes. *hic n.* 4. Pirhing *n.* 3. *not.* 3. Reiffenstuel *hic n.* 7. & patet ex *c. in præsentia cit.* quo corrigitur *l. uxores* 6. *ff. de divort.* quæ dubitanti de morte conjugis absentis licentiam concedit nubendi post quinquennium exspectatum, vel post quadriennium, ut habet *l. uxor* 7. *C. de repudiis.* 7

Procedit 2. non tantum de secundis nuptiis contrahendis authoritate, & judicio Ecclesiæ, sed etiam de contrahendis authoritate propria; nam utroque casu requiritur certitudo saltem moralis, ut probant Argumenta, & textus *nu.* 5. & 6. allati. Habita autem ista certitudine, conjux superstes convolare ad secundas nuptias poterit quando voluerit, etiam intra annum luctus, i. e. intra annum à morte conjugis prioris elapsum; quia Juris civilis dispositio *l. si qua mulier* 1. *C. hoc tit.* prohibens sub pœna infamiæ secundas nuptias ante 8

annum

annum luctus à Canonico correcta est *c. super illa 4. hoc tit.* ibi *Super illa quæstione, qua quæsitum est, an mulier possit sine infamia nubere intra tempus luctus, secundum Leges definitum, respondemus, quod cum Apostolus dicat, Mulier, viro suo mortuo, soluta est à lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit, per licentiam, & authoritatem Apostoli ejus infamia abolетur.*

9 Argumenta, in contrarium allata, facile dissolvi possunt. *Ad 1.* textus ille, ut eundem Barbos. *ibid. n.* 4. & Sanch. *n.* 9. explicant, intelligendus est de existimatione mortis, quæ habetur per certum nuntium, aut alias probationes æquivalentes. *Ad 2. ibi* agitur de casu, quo dissolvendum est matrimonium ob Impedimentum dirimens, & statuitur, ut sententia super nullitate illius lata, antequam alias nuptias conjux præsens contrahat, exspectet tamdiu, donec verisimiliter cognoscat conjugem, cum quo contractum Matrimonium nullum fuisse est declaratum, fuisse mortuum, ne si adhuc vivat, & postea compareat, Exceptionis defensio ei præcludatur. *Ad 3.* hic agitur de valore Sacramenti, & maximo præjudicio alterius conjugis, quibus casibus oportet sectari sententiam moraliter certam.

10 Quæritur 3. quando censeri debeat, moraliter certum esse, quod conjux absens è vivis excesserit, ut nuptias secundas contrahere superstiti liceat? Resp. id judicabit Judex Ecclesiasticus Ordinarius ex sequentibus.

1 Si de ejus obitu legitimus Magistratus Ecclesiasticus, Politicus, Militaris, vel Notarius, aut alia similis persona, in publica authoritate constituta, fidem faciat per Scripturam, Vviestner *hic n.* 7. Reiffenstuel *n.* 11. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *n.* 138.

2 Si Parochus testetur, quod ipse eundem sepelierit; quia in ejusmodi negotiis est quasi Notarius publicus: & hinc ejus Liber de Baptismo, ætate, nuptiis &c. plenam fidem facit. Konig *hic n.* 3. *vers. causa efficiens proxima*, Vviest. *n.* 8. Reiffenst. *n.* 10. Schmier *n.* 138. *cit.*

11 3 Si de obitu ejus deponant duo testes de visu, & attestentur, se interfuisse illius morti, sepulturæ, exequiis, aut vidisse ipsius sepulchrum, vel consanguineos pulla veste indutos, & audiisse talem maritum lugeri? quia generaliter duo testes sufficiunt ad faciendam fidem plenam *l. ubi numerus* 12. *ff. de Testib.* Gobat. *Theol. Exper. tr.* 9. *n.* 312. Konig *vers. cit.* Vviestner *n.* 9. Reiffenstuel *n.* 12. Schmier *n.* 138. Admittuntur autem hoc casu etiam consanguinei, ut post *Joan. Andr. & Mascardum* recte advertit Reiffenstuel *n.* 13. quia consanguinei plerumque magis præsumuntur scire mortem sibi conjunctorum, quam alii. Uxor tamen est insufficiens testis ad probandam mortem conjugis; quia in propria causa nemo idoneus testis esse censetur *l. nullus* 10. *ff. de testib. & l. omnibus* 10. *C. eod.* est autem hæc causa propria uxoris, cum ejus emolumentum, & damnum concernat Matrimonii contractus cum alio. Gobat *n.* 310. Konig *vers. cit.* Reiffenst. *n.* 13. *cit.*

12 4 Si cum uno teste de visu, aut cum fama, vel pluribus testibus de auditu, concurrant alia verisimilia mortis indicia, vel conjecturæ; v. g. quod maritus jam senex, aut æger, cum posset, & fortassis promisisset non redierit; quod secutus bellum, periculosam navigationem ingressus, aut in loco, ubi pestis grassabatur, moratus, ubi plures periisse constat diu non comparuerit; quod testes de fama afferant, id auditum à majore, vel digniore parte civitatis, oppidi, legionis. Hieron. Prævidell. *tr. de Peste* §. *unum, quoad hic à n.* 1. Engl *de Sponsal. duor. n.* 5. Gobat. *n.* 314. Konig *n.* 3. *fin.* Vviest. *n.* 10. Reiffenst. *n.* 13. Schmier *n.* 138. *cit.*

13 Quæritur 4. an mortem moraliter certam faciat testimonium unius? Affirmant Host. *in c. in præsentia* 19. *de Sponsal. fin.* Abb. *ibid. n.* 6. Angel. *V. matrim.* 3. *Imped.* 13. *n.* 4. Veracrux *Specul. p.* 1. *art.* 41. *concl.* 1. Farin. *prax. q.* 140. *n.* 73. ob textum *c. in præsentia cit.* ubi plus non exigit Pontifex, quam *nuntium certum*, quem unius testis depositione jurata haberi volunt. Contra Bartol. *in l. tabularum* 2. §. *si dubitetur* 4. *ff. quemad. Testam. aper. n.* 1. Sanch. *D.* 46. *cit. n.* 12. Zoes. *hic n.* 5. cum aliis negant id sufficere, quod vox unius sit vox nullius *c. veniens* 10. *in fin. & l. Iurisjurandi* 9. *C. de testib.*

14 Concordari Sententia utraque potest, si dicatur, unius quidem, etiam fide digni hominis testimonio mortem sufficienter non probari, eam tamen moraliter certam effici, quando cum ejus depositione concurrunt circumstantiæ, vel conjecturæ aliquæ ex enarratis, vel aliæ similes, & de his legitime constat, Guttier *de matr. c.* 51. *n.* 2. Gobat. *tr.* 8. *n.* 320. Engl *de Sponsal. duor. n.* 5. Schamb. *hic n.* 2. Reiffenst. *ibid. n.* 15. Vviest. *num.* 11. *& duob. seqq.*

Excipit Sanch. *n.* 12. casum, quo conjugis obitus accidisse dicitur in loco valde distante, ut certa ejus probatio omnino, aut facile haberi nequeat? tunc enim putat sufficere depositionem juratam unius fidei probatæ testis, ut alteri conjugi permittatur transitus ad secunda Vota, ex principio generali, quod cum plenæ, & integræ probationes haberi non possunt, sufficiant, quæ sumuntur ex conjecturis *l. non omnes* 5. §. *à barbaris* 6. *ff. de re militar.* ibi, *Sed licet hoc liquido constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est.* 15

Ad cap. in præsentia allegatum dico, vocem *Nuntium* non sumendam in masculino, sed in neutro, ut idem sit, ac *certam relationem*, quam unius testis depositio nequaquam facit. Deinde esto, quod Vox *Nuntius certus* sumatur *in cap. cit.* masculine, adhuc tamen contra assertionem nostram nihil probatur; nam nuntius certus est, qui nuntium certum affert; non potest autem dici afferre nuntium certum, qui solus de re testatur. 16

Quæritur 5. an fama probetur mors ad effectum contrahendi secundas nuptias? Affirmant Ancharan. *in cap. in præsentia cit. num.* 5. Clar. §. *fornicatio vers. penult.* & alii apud Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 46. *n.* 14. *Sed dicendum*, nec solam famam de morte alterius sufficere, nisi simul concurrant alia adminicula, & præsumptiones, vel conjecturæ vehementes de alterius morte: tales sunt, si fama est universalis in loco, ubi conjux morabatur, mortem ejus contestans, si concurrat diuturnitas absentiæ, si mors contigit in loco remoto, ita, ut aliæ probationes difficulter inveniri possint, si vir pugnavit in acie, & uxor accepit litteras ab iis, cum quibus is militavit, si captus fuit ab hostibus, & communis fama testatur ipsum obiisse, & diu uxor nihil contrarium audiit &c. Sanch. *D. cit. n.* 15. Palao *tr.* 28. *Disp.* 4. *p.* 13. §. 1. *n.* 8. Zoes. *hic n.* 6. Schamb. *n.* 2. nam hujusmodi concurrentiæ moralem excludunt dubitationem. 17

Debet tamen hoc casu fama, ut cum adminiculis hujusmodi probetur per eam mors conjugis, etiam ipsa esse plené, & veré probata: ad quod sequentes conditiones requiruntur juxta Sanch. *num.* 16. & alios. 1. ut probetur per duos testes, eosque omni exceptione majores, qui deponant se audivisse à fide dignis. 2. ut concurrat causa rationabilis, ex qua fama orta est, ut si is, de cujus morte agitur, mare navigavit, subortaque tempestate exspectatus tempore congruo, & per loca verisimilia quæsitus non comparuit, nec navis, qua vehebatur; vel si prælium aggressus est; & postea diligenter quæsitus non est, inventus &c. quia fama originem trahere à rationabilibus causis debet; alias attendi non debet. 3. ut testes deponant, se audivisse publice à majore parte populi, in quo in ordine ad probationem famæ considerari non debent pueri, fœminæ, aut aliæ fidei non satis constantis personæ, sed viri probi, & graves, nisi eadem fama confirmaretur ex conjecturis aliis probabilibus; tunc enim non esset opus eam oriri à fide dignis. 18

Quæritur 6. quomodo gerere se debeat Parochus, quando ab ipso petitur, ut assistat secundis nuptiis? Resp. distinguendo: Vel enim habetur certitudo moralis de morte conjugis, vel contra Parochus, aut contrahere volentes dubitant, an adsit sufficiens hujusmodi certitudo. *Si primum*, potest Parochus, nulla petita licentia Ordinarii, & absque illius præscitu Matrimonio novo assistere, eoque novos conjuges licitu copulare. Guttier. *l.* 2. *pract. q.* 8. *n.* 9. Rodriq. *Summ. part.* 1. *cap.* 233. *concl.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 3. *cap.* 3. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *part.* 13. §. 1. *num.* 4. Bosco *disp.* 12. *consl.* 2. *à num.* 27. Reiffenstuel *hic n.* 19. quia tali casu Jus ipsum facultatem nubendi tribuit. igitur ab homine illam petere non est necesse. Accedit quia *eum qui jam certus est, certiorari ulterius non oportet*, ut dicitur, *Reg. eum qui* 31. *in* 6. 19

Si Secundum, Parochus Ordinarium debet consulere, ejusque responsum exspectare, utpote ad quem in dubio pertinet judicare, an adsit sufficiens certitudo de morte con- 20

te conjugis, nec ne. Schambog. *hic n.* 4. Reiffenst. *ibid. n.* 20. Quodsi ipse etiam Ordinarius dubitat de certitudine morali, aut probabilem tantum præsumptionem adesse judicar, non tamen sine timore de opposito, eo quod probationes v. g. non usque adeo perfectæ videantur, potest, & solet conjugi deferre Juramentum, quod non sciat, nec credat conjugem amplius esse in vivis, Reiffenstuel *num.* 21.

21 Quæritur 7. an uti Matrimonio liceat, quod contractum est sine morali certitudine, & cum dubio de obitu prioris conjugis? Resp. distinguendo: Vel enim dubium illud est solum leve, vel contra rationabile. *Si primum*, & ita dubitans post adhibitam moralem diligentiam verisimile, & probabile indicium, quod conjux prioris Matrimonii adhuc superstes sit, reperire non potuit, reddere, & petere debitum à novo conjuge potest *c. inquisitioni* 44. §. *in secundo, de sent. Excomm.* Engl *de Sponsal. duor. n.* 6.

22 *Si secundum*, videndum, an unus cum dubio rationabili de obitu conjugis prioris contraxerit, an uterque. *Si uterque*, neuter debitum reddere, aut petere potest, donec dubio deposito, rationabiliter judicent, prioris conjugii consortem decessisse, antequam inirent posterius. Sanch. *l.* 2. *de Matr. D.* 42. *n.* 8. Perez *de Matr. D.* 53. *sect.* 2. *n.* 4. Gobar *tr.* 10. *n.* 644. Engl *n.* 6. *cit.* Pirh. *hic n.* 3. Vviest. *n.* 17. Reiffenst. *n.* 25. quia inchoarunt possessionem conjugii cum mala fide, quo modo inchoata Juris conjugalis usum non potest tribuere. Dixi *rationabiliter judicent*; nam ad utendum Matrimonio contracto non requiritur certitudo, sed ut notat Sanch. *loc. cit. n.* 9: sufficit, si pro valore secundi Matrimonii prudentis arbitrio sint rationes ita probabiles, ut efficiant opinionem probabilem, quamvis probabilius sit Matrimonium non valere; quia satis est in moralibus sententiam probabilem amplecti juxta veriorem opinionem.

23 *Si vero unus solum contraxit cum tali dubio*, hoc perseverante, petere quidem debitum ipse, tanquam malæ fidei possessor nequit, reddere autem alteri bona fide petenti debet, ne ipsum possessione conjugii, bona fide initi, & usu Juris ratione istius ipsi competentis privet. Abb. *in c. Dominus* 2. *hoc tit. num.* 4. Joan. Andr. *ibid. num.* 1. Ancharan. *n.* 5. Sylv. *V. Matrimonium* 4. *q.* 9. *dict.* 3. Henriq. *l.* 11. *de matr. cap.* 6. *num.* 5. *& 7. comment. lit. S.* Sanch. *D.* 42. *cit. num.* 2. Vivian. *in c. Dominus cit. vers. & si contraxit, & vers. seq.* Canis. *ibid. n.* 2. Barbosa *num.* 1. & 3. Gonzal. *num.* 3. Bosco *D.* 11. *sect.* 12. *concl.* 2. *à. n.* 30. Gobar *Theol. Exper. tr.* 10. *n.* 644. Engl *loc. cit. num.* 6. Zoes. *hic num.* 7. Pirhing *num.* 3. *not.* 2. Schambog. *num.* 2. Vviestner *num.* 15. Reiffenst. *num.* 22. & patet ex *cap. inquisitioni, & cap. Dominus cit.* juncto *c. discretionem* 6. *de eo, qui cognovit &c.*

24 *Ex quo sequitur*, contra *Pontium*, quod tale Matrimonium, cum dubio, & cons. cum mala fide unius initum, casu, quo prior conjux revera obiit, etsi istud à dubitante non sciatur, revera sit validum; hoc ipso enim, quod Papa in tali casu præcipiat redditionem debiti, supponit Matrimonium posse esse validum; alias enim redditionem debiti, quæ est actus non nisi conjugibus licitus, concedere non posset, prout bene argumentatur Bosco *loc. cit. num.* 32.

25 Quæritur 8. quid dicendum, si dubium Matrimonio, bona fide contracto, superveniat? In qua re iterum certum est, posse sic dubitantem reddere, & petere debitum, quando dubium est tantum leve, ut quia audivit à levibus, conjugem suum priorem adhuc esse superstitem; nam his credere non tenetur. Sanch. *l.* 2. *de Matrim. D.* 41. *num.* 42. & habetur expresse *cap. inquisitioni* 44. *de sent. Excomm.* Quare dubium esse duntaxat potest, quando Matrimonio bona fide contracto supervenit dubium probabile, & justum. *Videtur*, etiam hoc casu à debiti exactione, & redditione abstinendum ex Regula generali; *In dubiis tutior via eligenda est*, quæ sumitur ex *c. juvenis* 3. *de Sponsal. c. ad audientiam* 12. *de homicid. & c. illud* 5. *de Cleric. excomm. ministr.*

26 *Sed dicendum*, in casu dubii supervenientis Matrimonio bona fide contracto, sive uni tantum, sive utrique superveniat, teneri dubitantem inquirere de veritate, & interea abstinere à petendo debito, quamvis reddere illud possit bona fide petenti; si vero post factam diligentem inquisitionem de rei veritate, dubium perseveret, licitam utrique esse debiti tam petitionem, quam redditionem. Ita Sot. *l.* 4. *de Just. q.* 5. *art. ult. ad fin.* Veracrux *Specul. p.* 1. *art.* 42. *concl.* 3. *& p.* 3. *art.* 18. *concl.* 5. Henriq. *l.* 11. *de matr. cap.* 6. *n.* 5. *&* 7. Sanch. *D.* 41. *cit. num.* 47. Perez *de Matrim. D.* 53. *sect.* 3. *num.* 9. Gobat. *tr.* 10. *num.* 642. Vviestner *hic num.* 18. Reiffenst. *num.* 28. *ibid.*

Ratio primæ partis est, quia generaliter, etiamsi aliquis bona fide rem incipiat possidere, tamen si postea dubitat, an illa non sit alterius, tenetur inquirere, & donec inquirat, ab ejus usu abstinere; frustra enim alias inquireret dominium rei si non teneretur illam eidem conservare, ut cum aliis bene argumentatur Sanch. *D.* 41. *cit. num.* 21. ergo etiam, licet quis bona fide contraxerit Matrimonium, tamen, si postea dubitat, an non invalidum sit hoc suum Matrimonium, & conjux prior superstes sit, donec indaget circa rei veritatem, abstinere à debito petendo debet: reddere tamen bona fide petenti poterit; quia hic bona fide possidet, & bonæ fidei possessor ob dubium alterius commodis possessionis suæ privari non debet. Secus esset, si etiam hic alter dubitaret de valore Matrimonii; nam tunc neuter reddere, vel petere debitum posset, eo quod dubitans illicite petat, & non præmissa debita diligentia, jus petendi non habeat; tota enim ratio, ob quam tenetur dubitans petenti reddere, est, quod alter petat sibi debitum ratione possessionis. Sanch. *loc. cit. n.* 55. 27

Ratio secundæ partis; quia in dubio melior est conditio possidentis, & ipsa possessio bonæ fidei rei sic possessæ liberum usum tribuit. *Excipitur*, si conjux ita dubitans probabile motivum haberet judicandi, priorem conjugem adhuc vivere, quod unus testis fide dignus asseruerit, eum post initum matrimonium posterius à se visum; in hoc enim casu, si non pariter motivum probabile habeat eundem decessisse, sola redditio, non autem petitio debiti conjugi sic dubitanti permissa erit *c. inquisitioni cit. vers. fin.* Gobat *num.* 642. Reiffenstuel *num.* 29. 28

Ad Rationem dubitandi dico, Regulam illam solum procedere de dubio practico, in quo nemo operari licite potest; non vero de dubio speculativo, quale est in casu præsenti, cum solum dubitetur, an sint veri conjuges, non vero, an licitus sit eo casu conjugii usus, quippe quem tunc Jus ipsum concedit *c. inquisitioni cit.* 29

Quæritur 9. quid faciendum conjugi, qui secundas nuptias iniit bona quidem fide, sed postea rescit, suum, vel alterius conjugem adhuc vivere, aut vixisse tempore contracti secundi conjugii? Resp. Si id moraliter certo intelligat, illico abstinere debet ab omni carnali commercio cum consorte Matrimonii posterioris, etiamsi Ligaminis necdum dissoluti impedimentum, & ex illo provenientem nullitatem probare nequeat. *Proceditque hoc*, etiamsi ad debiti redditionem cujuscunque mali comminatione compellatur; nam potius omnia mala, & ipsam etiam Excommunicationem sustinere humiliter debet, quam debitum reddere *can. ad bellicam* 1. *fin. caus.* 34. *q.* 1. *cap. litteras* 13. *vers. porro de restit. Spoliat. cap. inquisitioni cit. cap. Dominus* 2. *hoc tit.* Sanch. *l.* 2. *de matr. D.* 39. *n.* 8. Perez *D.* 53. *sect.* 1. *n.* 5. Vivian. *in c.* 2. *hoc tit. vers. & si postmodum*, Barbos. *ibid. n.* 2. Gobat *loc. cit. n.* 637. Zoes. *hic n.* 7. Honor. *n.* 9. Vviest. *n.* 19. Reiffenstuel *n.* 30. *Ratio est*, quia matrimonium posterius, superstite priore conjuge, invalidum est, & cons. carnale commercium in taliter conjunctis fornicarium, ac illicitum, quod proinde nullo casu reddi licitum potest. 30

Interest tamen, an conjux prioris matrimonii adhuc vivat, an vixerit quidem tempore contracti secundi matrimonii, jam vero vivere desierit. Nam *in primo casu* ante mortem conjugis primi conjugium secundum convalescere nequit propter Impedimentum Ligaminis, quod non nisi morte dissolvitur. *In secundo casu*, ut in Matrimonio hoc altero manere possint, cum illud invalide contractum sit, nec per mortem solam conjugis prioris convalescat, opus est, ut consensu per verba de præsenti ab utroque conjuge renovato, ratificetur; tum enim in eo perseverare, illoque uti licite poterunt Vviestner *hic n.* 20. *&* 21. qui *num.* 22. bene addit, in utroque casu prolem, à talibus, conjugibus, qui bona fide, & præmissis Denuntiationibus Matrimonium contraxerunt, susceptam, habendam 31

pro

pro legitima, prout dictum est *supra Tit.* 17. *num.* 11. *& seqq.*

§. II.

De Nuptiarum secundarum Benedictione.

SUMMARIUM.

32 *Quid intelligatur nomine Benedictionis Nuptiarum?*
33 34 *Quis benedicere debeat Nuptias?*
35 *An Benedictio nuptialis primis Nuptiis necessario sit adhibenda?*
36 *An, & quomodo peccet, qui sine hac contrahit Matrimonium?*
37 *Vel contractum consummat?*
38 39 40 *An, Jure Ecclesiastico spectato, liceat secundis Nuptiis Benedictionem impertiri?*
41 42 *Quid liceat, attenta consuetudine, circa secundarum Nuptiarum Benedictionem?*
43 44 *An, quando priores Nuptiæ, in quibus uterque conjux Benedictiones accepit, reperiuntur irritæ, istæ in posterioribus sint repetendæ?*
45 *Quam pœnam incurrat Sacerdos, Benedictionem Secundis Nuptiis impertiens in casu non permisso?*

32 QUæritur 1. quid intelligatur nomine *Benedictionis* nuptiarum, an honeste, & in quem finem adhibeatur? Resp. 1. Nomine *Benedictionis* hic veniunt ceremoniæ, & precationes, atque oblationes Sacræ, in solemnitate nuptiarum adhiberi solitæ *can. aliter* 1. *caus.* 30. *qu.* 5. 2. Adhibentur nuptiis saltem primis convenientissimè ab Ecclesia, cum in hoc exemplum sequatur ipsius Dei, Protoparentes nostros in Paradiso benedicentis. Hinc merito Trid. *sess.* 24. *can.* 11. *de Sacr. Matr.* eos, qui Benedictiones, & alias ceremonias, in nuptiis adhiberi solitas, damnant, Anathemate ferit. 3. Sunt autem institutæ hæ Benedictiones, tum ad Sacramenti honorem, tum ut novis Sponsis necessariam gratiam Deus impertiatur ad conjugii onera sustinenda, & educandam Christiane sobolem.

33 Quæritur 2. quis benedicere nuptias debeat? Resp. Ex Decreto Trid. *Sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. Matr. v. præterea* impendendæ sunt à proprio Parocho, & à nullo alio, nisi de licentia Ordinarii, vel Parochi, non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali, vel privilegio. Quodsi alienus Parochus, vel quicunque alius Sacerdos, sive sæcularis, sive regularis, etiamsi id sibi ex consuetudine immemoriali, vel privilegio licere contendat, alterius Parochiæ Sponsis, sine Parochi proprii, vel Ordinarii licentia benedictiones impertiri ausus fuerit, manet ipso Jure tamdiu suspensus, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, à quo Benedictio suscipienda erat, non absolvitur, ut *ibidem* decernitur.

34 Quando contrahentes diversarum Parochiarum sunt, putant aliqui cum Cevallos *q.* 604. *nu.* 148. Benedictionem impertiendam à Parocho mulieris. Sed melius cæteri cum Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 82. *num.* 4. Pirhing *hic nu.* 11. *not.* 2. Schamb. *ibid. n.* 5. docent, sufficere Parochum utriusvis contrahentis; quia eodem verborum tenore in Trid. *loc. cit.* exigitur, ut propriùs Parochus intersit Matrimonio, & ut Benedictionem conferat: sicut ergo ad prius sufficit Parochus utriusque contrahentis, ita & ad posterius.

35 Quæritur 3. an Benedictio nuptialis primis nuptiis necessario sit adhibenda? Resp. Benedictio hæc necessaria est, non quidem ad valorem conjugii, sed ex necessitate præcepti, ut colligitur ex *can. nostrates* 3. *& can. Sponsus* 5. *caus.* 30. *q.* 5. idque approbat Ecclesiæ consuetudo, juxta quam Sponsi in omnibus Diœcesibus compelluntur Benedictiones nuptiales recipere: quod non posset fieri, si solum esset consilium, ut fatentur omnes DD. recte Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 82. *n.* 6. Neque majorem, quam præcepti necessitatem probat textus *can. aliter* 1. *caus.* 30. *q.* 5. ubi dicitur, aliter conjugium non fore legitimum; nam, ut DD. communiter explicant, id intelligendum est, quod non sit Legibus Ecclesiasticis conforme, quibus benedici Nuptiæ primæ præcipiuntur.

36 Qualiter vero per omissionem hujusmodi Benedictionis peccetur, non convenit inter DD. Vvaldensis *de Sacram. cap.* 133. *num.* 3. & nonnulli alii putant omissionem illam esse graviter peccaminosam, ducti *can. aliter cit. can. nullus* 2. *& can. sponsus* 5. *caus.* 30. *quæst.* 5. quibus Benedictiones nuptials seriò præcipiuntur. Alii contra cum Navarr. *Man. cap.* 22. *num.* 83. existimant, eam omissionem ab omni culpa immunem esse, ob Trid. *vers. præterea cit.* ubi S. Synodus Sponsos ad Benedictionis receptionem solummodo hortatur. Tenenda via media, & dicendum, omissionem illam quidem, secluso contemptu, vacare culpa mortali, quod non sit res gravis, & Trid. *loc. cit.* non utatur verbis gravem obligationem significantibus; quia tamen sine aliquo fidelium scandalo omitti vix potest, omissionem istam non omni vacare culpa. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 28. *q.* 2. *art.* 2. *§. postrema*, Sanch. *D.* 82. *cit. n.* 2. Perez *D.* 43. *de Matrim. sect.* 10. *n.* 4. Gobat *tr.* 10. *n.* 562. Pirh. *hic n.* 11. *not.* 3. Schamb. *n.* 5. Vviestner *n.* 26. cum aliis. Dixi, *secluso contemptu*; nam si ex contemptu omittatur Benedictio nuptiarum, esset peccatum mortale. Contemptus autem tunc fieri censetur, quando quis omitteret has Benedictiones, quia eas nihil facit, acsi essent res viles, & vanæ. Sanchez *loc. cit.*

Similiter culpam venialem ad summum committit, qui Matrimonium contractum ante Ecclesiæ Benedictionem consummat: imo, ut Sanch. *lib.* 3. *de Matr. D.* 12. *num.* 7. docet, ne venialem quidem; sed aliquando etiam sanum erit consilium, consummare ante Benedictionem, quando illa ex causa justa differtur, & periculum incontinentiæ est. *Excipitur*. 1. si ex contemptu consummetur Matrimonium ante Benedictionem Ecclesiæ: sed hic, ut constituat culpam mortalem, debet esse gravis, qualem *n. præc.* descripsi. Sanch. *n.* 8. *Excipitur* 2. nisi scandalum sequatur; tunc enim ita consummans peccabit graviter, vel leviter, pro quantitate scandali. Sanch. *n.* 9. *Excipitur* 3. nisi Excommunicatio lata sit in ea Diœcesi adversus consummantes, non præmissis Benedictionibus: sed, ut bene notat Sanch. *n.* 10. non apparet, quomodo hæc Excommunicatio justificari possit, cum fieri illa non possit, nisi ubi adest materia imponendi præceptum ad mortale. Talis autem non videtur adesse in casu præsenti, cum ipsum Trid. *loc. cit.* solum hortetur conjuges, ut ante Benedictionem Sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent. 37

Quæritur 4. an Jure Ecclesiastico spectato, liceat secundis Nuptiis Benedictionem impertiri? Variæ sunt DD. sententiæ; nam 1. aliqui cum *Greg. Lopez* volunt, etiam secundis Nuptiis impertiendam Benedictionem, si justæ sint; & hinc Jura, quæ illam adhiberi prohibent, contendunt intelligenda solum de secundis Nuptiis, dum primæ constant. *Rationem* dant; quia cum Benedictio hæc Sacramentum non sit, nihil obstat, quin iterari possit. 2. Alii cum *Tabiena* docent, eandem neque in justis nuptiis adhiberi posse ob generalitatem *c. vir autem* 3. *hoc tit.* & pœnam Capellano, seu Parocho, hujusmodi nuptias benedicenti statutam *cap. capellanum* 1. *eod.* 3. non pauci cum *Covarruvia* contendunt, si uterque, vel alter conjux in primis nuptiis Benedictionem accepit, non debere in secundis Nuptiis Benedictionem impertiri; secus autem, si neuter conjux in primis nuptiis Benedictionem accepit; *Primi membri* rationem dant, quia pars benedicta ob communicationem, quam conjuges habent inter se, Benedictionem suam transfundit in non benedictam; *pro secundo* hanc rationem afferunt, quod non videantur ejusmodi privandi Spirituali illo fructu, qui per ejusmodi Benedictiones confertur. 4. Nonnulli cum *S. Thoma* distinguunt inter casum, quo ad nuptias secundas transit vir tantum, ducitque virginem, & inter casum, quo uterque vel saltem fœmina; nam in primo casu admittunt Benedictionem repeti posse, negant in secundo. Rationem discriminis sumunt ex significatione Sacramenti Matrimonii; nam Matrimonium consummatum significare debet conjunctionem Christi cum Ecclesia; quæ significatio non ita perfecte salvatur, si mulier binuba sit; melius autem salvatur, si vir sit binubus; quia Christus, etsi unam Ecclesiam Sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia. 38

Ex his Sententiis tertiam præelegit Sanch. *n.* 15. & merito; nam eam sufficienter videtur ex *c. vir autem citat.* ibi, *Vir autem, vel mulier ad bigamiam transiens non debet à Presbytero benedici; quia cum alia vice benedicti sint, eorum Benedictio iterari non debet*; ubi textus loquitur disjun- 39

disjunctive, *Vir*, *vel mulier*. Ergo ubi alteruter Benedictionem accepit in primo conjugio; ejus iteratio, spectato Jure communi, prohibetur. *Neque obstant* verba *ad bigamiam transiens*, quasi bigamiam sit fundamentum prohibitionis; conf. cum hoc casu uterque sit bigamus, nihil interfit, an Benedictionem unus eorum receperit, an vero nullus. Nam contra est, quia textus non innititur bigamiæ, sed sensus est: *Sive vir sive mulier secundas nuptias contraxerit, si unus eorum in primis benedictus fuit, Benedictionem non esse iterandam*. Minus obstat, quod textus dicat in plurali, *Quia cum alia vice benedicti sint*, & sic videtur petere utriusque in primis nuptiis benedictionem; nam intelligendum hoc est in sensu verborum præcedentium, nempe disjunctivo.

40 In vera hujus prohibitionis rationis assignanda multum laborant jus sententiæ Patroni. Illa, quæ *n.* 38. relata est, videtur inefficax; quia licet vir communicet uxori actiones Spirituales *c. Martinus* 4. *de Cognat. Spirit.* non tamen communicat passiones, ut tradunt *ibidem DD.* Deinde id, quod dicitur, partem benedictam transfundere benedictionem suam in partem non benedictam, proceditur tantum, quando fit perfecta rerum commixtio, ut quando aquæ non benedictæ miscetur benedicta; qualis commixtio non fit per Matrimonium consummatum viri, & fœminæ, quippe quæ Metaphorica tantum est. Quare vera prohibitionis ratio, ut cum pluribus aliis existimat Sanch. *n.* 16. erit, quod dedeceat, solemnes rerum, aut personarum Benedictiones, ut sunt consecratio Ecclesiæ, Altarium, Virginum, Nuptiarum, iterari in eadem re, vel persona, ne vilipendantur. Iteraretur autem in eadem persona Benedictio nuptialis; si impertiretur secundis nuptiis, uno Sponsorum jam benedicto in primis; quia non potest unus benedici, quin etiam benedicatur alter Sponsorum. Ergo &c.

41 Quæritur 5. quid liceat, attenta consuetudine, circa secundarum Nuptiarum Benedictionem? Resp. Ex consuetudine (imo alicubi ex particularibus Diœcesium Statutis) Benedictio Sacerdotalis secundis Nuptiis passim impenditur, quoties ea à Sponsa, & alicubi etiam à Sponso ante recepta non fuit, adeo, ut eo solum casu omittatur, quo illa ante recepta jam fuit ab utroque. Atque hæc consuetudo est approbata *in Extrav. Concertationi Joannis XXII.* quæ nondum typis edita est, sed refertur apud Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 88. *n.* 23. in qua declaratur, *quod licet vir, vel mulier, ad secundas nuptias transiens, benedici non debeat, cum alias sit benedictus, contrahens tamen secum benedici debebit; quia si forsitan alter eorum vel ambo, ad secundas nuptias transeuntes, in primis benedicti non fuerunt, danda erit Benedictio in secundis.* Et sic ubique servari ajunt DD. *cit.* apud Sanch. *loc. cit.* qui *n.* 24. addit, ejusmodi consuetudinem, ut in secundis nuptis Benedictio impendatur, quando unus tantum est benedictus in primis, non obligare sub præcepto, sed posse tunc Benedictionem omitti in secundis Nuptiis.

42 Optime fecerit, qui Rituali Diœcesis suæ se accommodaverit; ex his enim consuetudines cujusque Diœcesis perspici possunt; unde in dubio illa sunt inspicienda. In Frisingensi Diœcesi juxta Rituale ejusdem *c.* 9. *membr.* 1. §. 8. ita disponitur: *Caveat Parochus sub pœna suspensionis, ipso facto incurrenda, ne quando conjuges in primis nuptiis Benedictionem acceperunt, eos in secundis benedicat.* Concedit tamen ibidem secundarum Nuptiarum Benedictionem, si vir secunda, uxor vero prima vice nubat; non item si uxor secunda, & vir prima vice nubat. Reiffenst. *hic n.* 33.

43 Quæritur 6. an quando priores nuptiæ in quibus uterque conjux Benedictiones accepit, reperiuntur irritæ, sint in posterioribus repetendæ? Affirmativa videtur probari ex eo, quia deficiente principali, etiam deficere accessorium debet *l. cum principalis* 178. *ff. de R. J.* at Benedictiones sunt accessoriæ Matrimonio.

Sed dicendum, non esse repetendas. Ita Host. *in Summ. hoc tit. n.* 3. *vers. sed contra*, Paludan. *in* 4. *dist.* 42. *q.* 3. *art.* 1. *concl.* 2. *n.* 6. Rosell. *V. nuptiæ n.* 3. Sylv. *V. eod. q.* 3. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 82. *n.* 26. *Proceditque hoc*, ut idem Sanch. *loc. cit.* advertit, sive sint iidem conjuges, qui inter se invalide contraxerunt, & sublato jam impedimento, volunt instaurare prius illud Matrimonium, sive uterque aliud Matrimonium irritum inissent receptis Benedictionibus, & nunc inter illos aliud Matrimonium celebretur.

Ratio est, quia Benedictio non proprie impenditur Nuptiis, sed personis, ut constat ex *c. Vir autem* 3. *hoc tit.* ubi interdicitur Benedictio secundarum Nuptiarum, si semel ab alterutro contrahentium recepta est, ne repetatur Benedictio. Atqui si Nuptiis proprie impertiretur Benedictio, non diceretur repetita in secundis, cum istæ à primis prorsus diversæ sint. 44

Ad Argumentum contrarium dico Regulam illam procedere, quando veritas accessorii pendet ex principali: quod hic non contingit; nam cum, ut dictum est, Benedictio personis, non nuptiis proprie impendatur, licet nuptiæ fuerint, Benedictio tamen suum valorem, & effectum sortita est.

Quæritur 7. quam pœnam incurrat Sacerdos, Benedictionem secundis nuptiis impertiens in casu non permisso? Aliqui putant eum incurrere Suspensionem ab officio, & Beneficio, ferendæ quidem Sententiæ, sed postquam lata hæc est, reservatam ob *c. Capellanum* 1. *h. tit.* Sed quia hæc pœna nimium gravis est, & delicti qualitatem videtur excedere, hinc alii cum Joann. Andr. *ibid. n.* 1. *V. suspensum*, Alex. de Nevo *nu.* 6. Angel. *V. Nuptiæ fin.* Diaz *pract. c.* 74. *num.* 2. Menoch. *de arbitr. c.* 417. *n.* 8. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 82. *n.* 30. Canis. *in c.* 1. *cit. n.* 2. Engl *tit. de clandest. Desponf. n.* 8. Pirhing *hic n.* 16. Schambog. *n.* 10. Wiestner *n.* 30. Reiffenst. *n.* 34. textum *c. cit.* solum intelligunt de Benedicente secundas nuptias, primis adhuc constantibus, vel existente dubio de morte prioris conjugis, cujusmodi benedicens etiam vi Trid. *sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matr.* suspensus est. Alii cum Abb. *in c. cit. n.* 5. respondent, esto, intelligeretur de Benedictione secundi matrimonii legitime contracti, Pontificem eam pœnam statuisse facto illi speciali, nec constitutum ibi Jus esse, ut ea pœna sit ordinaria hujus delicti. 45

§. III.

De Secundarum Nuptiarum Pœnis.

SUMMARIUM.

46 *&c. Pœnæ binubentibus Jure Imperiali aliquæ statutæ sunt in favorem Liberorum primi Matrimonii.*
51 *&c. Aliæ in odium præmaturi, & inconsulti transitus ad secunda Vota.*
57 *&c. Primi generis pœnæ etiamnum vigent.*
60 *&c. Secundi generis per Jus Canonicum sublatæ sunt.*
66 *Habent tamen & ipsæ locum in Vidua fornicante.*
67 *&c. Non tamen ante Sententiam Judicis.*
70 71 *Extenduntur etiam ad viduam fornicantem.*
72 *Licite, & valide à conjuge relinquitur Legatum conjugi, sub conditione, si non amplius nubat.*

QUæritur 1. quænam pœnæ binubentibus Imperiali Jure statutæ sint? Resp. duplicis generis sunt; nam quædam Liberorum, ex priori Matrimonio susceptorum, favorem duntaxat, & utilitatem spectant, conf. cessant, nullis existentibus Liberis, vel his ante parentem binubum mortis *l. fœminæ* 3. §. *illud* 1. *C. hoc tit.* aliæ odium, & punitionem præmaturi, & inconsulti transitus ad Vota secunda respiciunt. 46

Primi generis quinque omnino sunt. Et 1. quidem uxor (idem dicendum de marito ob rationis paritatem, & textum expressum *l. generaliter* 5. *pr. &* §. *in his* 1. *ff. hoc tit.*) amittit dominium omnium eorum, quæ mortui mariti liberalitate, aut ultimæ Voluntatis dispositione accepit, eorumque solummodo Usumfructum retinet, proprietate Liberis, ex priore Matrimonio procreatis, servata *l. fœminæ* 3. *& l. hac edictali* 6. §. *his illud* 1. *C. hoc tit.* Bartol. *in l. fœminæ cit. pr. n.* 2. Ancharan. *in c. fin. hoc tit. n.* 8. Covar. *p.* 2. *de Sponf. c.* 3. §. 9. *n.* 7. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 88. *n.* 2. Guttier. *de Matr. c.* 108. *n.* 23. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 10. *concl.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 13. §. 3. *n.* 1. Gonzal. *in c. fin. hoc tit. n.* 5. Engl *hic vers. secundi generis*, Pithing *n.* 9. Konig *n.* 8. Wiestner *n.* 32. Reiffenstuel *n.* 36. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Matr. cap.* 4. *num.* 153.

2 Eadem mulier ex bonis suis secundo conjugi sive inter vivos, sive ultima voluntate relinquere plus non potest, quam uni ex liberis prioris matrimonii, & si hi non æquis 47

æquis portionibus instituti sint, quam illi, cui minimum, modo legitimam illi reliquerit *l. hac edictali cit. pr. & l. cum apertissime* 10. *pr. C. hoc tit.* idque ideo, ne insano novi conjugis amore capta, plerasque facultates in eum effundat. Gloss. *in l. hac edictali cit. V. dividi.* Alex. de Nevo *in c. fin. cit. n.* 8. Sanch. *n.* 3. Guttier. *n.* 24. Laym. *concl.* 2. Palao *n.* 2. Gonzal. *n.* 5. Honor. *n.* 5. Vviest. *n.* 33. Reiffenst. *n.* 38. Magnif. P. Schmier *num.* 157. cum cæteris *supra*. *Addidi, modo legitimam illi reliquerit*; nam filio, cui minus legitima relictum est, cum possit agere ad supplementum Legitimæ, videtur relicta Legitima, & per consequens conjux secundi Matrimonii debet habere, quantum valet Legitima filii, sive filius egerit ad supplementum Legitimæ, sive non; quia suppletio à Lege fit ipso Jure. Honor. *n.* 7. qui *ibidem* notat, non prohiberi conjugem, ad secundas nuptias transeuntem, plus relinquere filiis natis ex secundo Matrimonio, quam filiis primi, dummodo hos non fraudet legitima.

48 3 Amittit Liberorum tutelam *l. matres* 2. *& Auth. Sacramentum C. quand. mul. tutel. offic.* & curatelam *arg. l. quod si nolit* 31. §. *quod in Procuratore* 14. *ff. de Ædil. edict.* ita quidem, ut etiam novo marito mortuo, non recuperetur. Salycet. *in Auth. cit. n.* 5. Tiraquell. *de cessant cauf. limit.* 12. *à n.* 8. Sanch. *D.* 88. *cit. à n.* 4. Perez *in C. quand. mul. tutel. offic. n.* 3. Guttier. *n.* 25. Laym. *concl.* 2. Palao *n.* 2. Gonzal. *n.* 5. Honor. *n.* 8. Vviest. *n.* 34. Reiffenst. *num.* 39. Schmier *num.* 160. cum *citt.* Imò si Judice adito, tutorem filiis dari non petierit, & susceptæ tutelæ rationem reddiderit, soluto debito omni, incidit in pœnas omnes, impositas à Jure mulieribus, nubentibus intra annum luctus. *Auth. eisdem C. hoc tit. & Novell.* 22. *cap.* 40. *vers. ideoque*, Salycet. *in Auth. cit. fin.* Sanch. *n.* 13. Guttier. *n.* 26. Palao *n.* 9. Pirhing *nu.* 9. Vviestner *nu.* 24. Porro quod dictum est de officio tutelæ, & curatelæ, nonnulli apud Sanch. *loc. cit. num.* 14. extendunt ad executionem Testamenti, putantque, si mulier relicta sit à viro Executrix Testamenti, & ad secundas nuptias transeat, eam id munus amittere, quod officium tutelæ, & executionis testamenti æquiparetur. *Sed melius* cum eodem *Sanchez* negatur; neque enim semper valet argumentum à tutela ad Testamenti executionem, maxime in his pœnalibus, & ubi ratio diversa militat; patet ex *l. cum pater* 77. §. *hæreditatem* 4. *ff. de Legat.* 2. juncta, *l. si arrogatis* 14. *ff. de Tutel.* ubi Tutela finitur deportatione, non tamen officium executionis, vel electionis. Sanch. *loc. cit.* Illud omnino certum, quod patrem binubentem pœna hæc amissionis tutelæ, vel curatelæ Liberorum non stringat, ut aliis *citt.* advertit Sanch. *loc. cit. n.* 12. Palao *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 39. Magnif. P. Schmier *n.* 161. Imo existente patre, non datur Liberis Tutor, nisi eosdem emancipet *l. si infanti* 18. *C. de Jur. deliber.* manetque pater legitimus administrator, gaudens Usufructu bonorum maternorum, proprietate illorum servata filiis *l. generaliter* 5. *vers. negotia C. hoc tit. & l. fin. C. de bon. matern.* ibi, *Pater igitur usumfructum maternarum rerum, etiamsi ad secundas migraverint nuptias, sine dubio habere debebunt.*

49 4 Pupilli, post secundas nuptias, à matre, licet alias eidem Liberorum educatio quam maximè competat, separandi, & apud aliam personam educandi sunt *l. educatio* 1. *C. ubi pupill. educar. deb. & Novell.* 22. *cap.* 38. nisi Statuto, aut moribus loci aliud inductum sit. Perez *in C. Rubr. cit. nu.* 5. Sanch. *nu.* 16. Guttier. *num.* 27. Layman *concl.* 2. Palao *n.* 12, Brunnem. *in l.* 1. *cit. n.* 7. Pirhing *n.* 9. Vviestner *n.* 35. Reiffenstuel *n.* 40. *Dubium est*, an mater secundo nubens absolute privetur jure educationis liberorum, an vero solum ex præsumptione Juris, habentis eam pro suspecta? Sanch. *n.* 17. affirmat hoc secundum *arg. l. educatio cit.* ibi, *Quando autem inter eam, & cognatos, & tutores super hoc orta fuerit dubitatio, aditus Præses Provinciæ, inspecta personarum qualitate, & conjunctione, perpendet, ubi puer educari debeat*; Putat igitur *Sanchez*, si ex conjecturis mater, & vitricus ab omni suspicione immunes videantur, Liberos apud matrem, si velit, educandos esse relinquendos. Glossa tamen *in Novell.* 117. *cap.* 7. *vers. non venerit*, Anchar. *cons.* 316. Menoch. *de arbitr. cap.* 168. *n.* 10. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 13. §. 3. *num.* 14. Reiffenstuel *hic num.* 42. non minus probabiliter contendunt, Matrem secundo nubentem ipso facto Jure, absolutè privatam esse jure educandi liberos, ita, ut quamvis ab ipsa, & Vitrico absit omnis suspicio, alibi tamen educandi collocari Liberi valeant per Jura allegata. Ad textum *l. educatio cit.* respondent, eum intelligendum de casu, quo mater vidua permanet, ita, ut si ipsa existente vidua, inter eam, & tutores, aut consanguineos lis moveatur, ubinam educari debeant Liberi, Judex, inspectis circumstantiis, pronuntiare debeat; potest enim bene contingere, ut mater, etiam vidua manens, privetur jure educandi Liberos *arg. l. educatio cit.* junct. Gloss. *V. conditione, & l. si deceptetur* 5. *ff. ubi pupil.* Hæc pœna iterum non tangit Patrem binubentem; quia nullo Jure cavetur, eum educatione prolis privandum. Sanch. *n.* 20.

5 Quamvis Vidua, dum in eo statu permanet, gau- 50
deat privilegiis honoris mariti, eo, quod censeatur sub præcedenti Matrimonio esse *l. fin. Cod. de bon. matern.* at si ad secundas nuptias transeat, & viro inferioris dignitatis nubat, privilegia honoris, & immunitatis prioris mariti perdit *l. mulieres* 13. *Cod. de Dign. & Novell.* 22. *cap.* 36. quia jam cessat ratio concessionis, cum imposterum non amplius sub priori, sed sub superinducto conjugio censeatur *l. filii* 22. §. *vidua* 1. *ff. ad municipal.* Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 18. *n.* 9. Sanch. *D.* 88. *cit. nu.* 31. Palao §. 3. *n.* 24. Gonzal. *in c. fin. hoc tit. num.* 5. Vviestner *hic n.* 36. Reiffenstuel *ibid. n.* 43.

Secundi generis pœnæ, quæ latæ sunt in Viduam nubentem intra annum luctus, sunt itidem quinque.

1 Enim tam ipsa, quam vir eam ducens contrahunt in- 51
famiam *l. prætoris* 1. *l. liberorum* 11. *ff. de his, qui notant infam. l. Decreto* 15. *C. ex quib. caus. infam. irrogat.* & quidem ipso Jure *l. si qua mulier* 1. *Cod. hoc tit. & Novell.* 22. *c.* 22. Perez *in C. hoc tit. n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 10. *concl.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 13. §. 2. *n.* 2. Gonzal. *in cap. fin. cit. n.* 5. Pirhing *hic n.* 7. Konig *n.* 7. Vviestner *n.* 36. Reiffenstuel *n.* 35. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Matr. c.* 4. *n.* 144. Idque statutum est, ut evitetur turbatio sanguinis per secundum Matrimonium, & incertitudo prolis, forte enim illa mulier ex priore marito concepit; quæ ratio cum cesset in marito, ideo nulla infamia in eum statuta est, quocunque tempore post mortem prioris conjugis ad alias nuptias transeat. Canil. *in c.* 4. *hoc tit. n.* 1. Pirhing *hic n.* 7. Schamb. *ibid. n.* 3.

2 Plus tertia parte bonorum titulo Dotis, vel per ul- 52
timam Voluntatem in maritum transferre nequit; reliquæ enim Liberis, ex priore Matrimonio susceptis, vel his non existentibus, hæredibus legitimis, sive ab intestato venientibus addicentur, ut adeo hoc casu partim testata, partim intestata decedat *l. si qua cit. & ibi* Bartol. *n.* 1. Bald. *n.* 10. Sanch. *n.* 4. Laym. *concl.* 1. Palao *n.* 3. Gonzal. *n.* 5. Pirhing *n.* 7. Konig *n.* 7. Reiffenst. *n.* 35. Vviestner *n.* 39. Magnif. P. Schmier *n.* 142. Quod ad Donationem inter vivos extendit cum aliis Sanch. *loc. cit.* quia ea Donatio, ut *Tit. præc. nu.* 2. dictum est, utpote inter coujuges facta, infirma est, nec convalescit, nisi per mortem confirmetur; tunc autem, quando per mortem confirmatur, jam habet vim relicti in Testamento, vel per aliam ultimam Voluntatem; cont. urget dispositio *l. si qua cit.*

3 Incapax redditur cujuscunque hæreditas, legati, fi- 53
deicommissi, & donationis mortis causa ab alio, quam viro assequendæ, ut proinde quidquid ei fuerit relictum, id vel hæredibus scriptis, vel cohæredibus, ab intestato venientibus, sit applicandum *l. si qua mulier citat. Novell.* 22. *c.* 22. Gloss. *in l. cit. V. relictorum*, Sanch. *n.* 7. Laym. *loc. cit.* Palao *n.* 4. Gonzal. *n.* 5. Pirhing *n.* 7. Konig *n.* 7. Vviestner *n.* 40. Reiffenstuel *n.* 35. Schmier *n.* 146. *Ex quo sequitur*, attenta hac Legum dispositione (nam *infra n.* 62. dicam, pœnas istas per Jus Canonicum fuisse correctas) Viduam hujusmodi intra annum luctus nubentem, teneri in conscientia, sic accepta in ultima voluntate restituere aliis hæredibus, sicut restituere tenetur quicunque alius, qui incapax est accipiendi aliquid per ultimam Voluntatem.

4 Amittit omnia, quæ à priore viro titulo hæreditatis, 54
Legati, fideicommissi, donationis mortis causa, vel propter nuptias relicta sibi sunt *l. si qua mulier cit. v. his etiam, & l. seq. Cod. hoc tit.* quæ proin viri illius consanguineis, primo, & secundo gradu conjunctis, secundum modum succedendi ab intestato addicuntur, hisque deficientibus, fisco cedunt *v. cit.* Gloss. *ibid. V. supremæ*, Sanch. *n.* 10. Palao *n.* 5. Gonzal. *n.* 5. Pirhing *n.* 7. Konig *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 35. Schmier *n.* 147. Ex quo sequitur, quoad pœnam istam, discrimen inter Viduam nubentem intra, & inter

& inter eam, quæ nubit post annum luctus; nam nubens intra annum luctus absolute perdit sic relicta etiam quoad usumfructum, quem in relictis sibi à viro retinet nubens post annum luctus. Sanch. *loc. cit.*

55 5 Eadem ab intestato non succedit consanguineis suis ultra tertium gradum *l. siqua mulier cit. vers. eadem*: ac proinde nec filio fratris; quia jam egreditur tertium gradum, & est in quarto secundum Juris Civilis computationem, quam in his civilibus, & in successionibus observandam dixi *lib.* 3. *Tit.* 25. *n.* 5. & hoc *Libr. Tit.* 14. *c.* 19. Sanch. *n.* 19. Laym. *loc. cit.* Palao *n.* 6. Gonzal. *n.* 5. Pirh. *n.* 6. Konig *n.* 7. Vviest. *n.* 42. Reiffenst. *n.* 35. Schmier *n.* 147.

56 Porro pœnæ istæ nullo modo extendendæ sunt ad virum binubentem intra annum luctus, prout patet ex *l. siqua mulier* 4. *C. ad S. C. Tertull. & Novell.* 22. *c.* 22. qui textus expresse de uxore loquuntur. *Neque obstat*, quod alias dispositum de uno correlativorum etiam dispositum censeatur de alio; nam subintelligi debet, quando est eadem in utroque ratio: quæ tamen non est in præsenti, cum fæminis competat viros lugere, ac proinde à nuptiis abstinere; secus vero viris, qui lugere uxores non compelluntur *l. uxores* 9. *ff. de his, qui notant. infam.* Palao *n.* 9. Schmier *n.* 149.

57 Quæritur 2. an pœnæ hactenus relatæ etiamnum vigeant, vel per Jus Canonicum, quod secundas nuptias approbavit, iisdem sit derogatum? Satis convenit inter DD. plerosque, non esse sublatas pœnas *primi generis*, quæ in favorem filiorum primi Matrimonii statutæ, & *à n.* 46. recensitæ sunt. Ita enim expresse Innoc. *in c. fin. hoc tit. n. un.* Joan. Andr. *n.* 5. Host. *num.* 3. Anchar. *num.* 9. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 9. *n.* 5. Sarmient. *l.* 1. *select. c.* 4. *n.* 4. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 88. *n.* 39. Guttier. *de Matr. c.* 108. *à n.* 21. Gaill. *l.* 2. *observ.* 98. *n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 10. *concl.* 2. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 13. §. 3. *n.* 31. Canis. *in c. fin. cit. n.* 3. Barbos. *ibid. n.* 3. Gonzal. *n.* 9. Oliva *for. Eccl. p.* 1. *q.* 43. *n.* 22. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 4. *n.* 504. Engl *hic vers. secundi generis*, Pithing *ibid. num.* 10. Zoes. *n.* 2. Honor. *num.* 5. Konig *n.* 8. *fin.* Vviestner *n.* 37. Reiffenst. *n.* 48. & alii passim contra Abb. *in c.* 10. *de Const. n.* 15. Felin. *ibid. n.* 56. *&c.*

58 *Ratio est*, quia Legibus, pœnas has inducentibus, nullo textu Canonico est derogatum, nec derogandum suadet ulla rationabilis causa, cum ratione nitantur justissima, dum Liberis primi Matrimonii consulunt, quos parentes binubi plerumque negligere solent, omnemque suum amorem, & substantiam conjugibus superinductis addicere.

59 *Neque obstat*, quod conjugia secunda judicio Ecclesiæ sint permissa, & sic illa contrahentes pœnam non mereantur; quia Leges istæ proprie pœnales non sunt, sed potius dispositiones Iuri, & æquitati naturali maxime consentaneæ, providentes indemnitati Liberorum quibus iteratæ parentum nuptiæ damnosæ, & infaustæ esse consueverunt, cum experientia testetur, quod parentes, post transitum ad secundas nuptias, allecti amore posterioris conjugii, odio persequantur sæpe liberos prioris Matrimonii, hosque spolient, ut conjugem posteriorem ditent.

Et licet uxor binuda per has Leges multis privetur favoribus, ii tamen solum attingunt luctum, ex mariti facultatibus proveniens, & ea conditione uxori delatum, si ad secunda Vota non transeat.

60 Major difficultas est de *Pœnis secundi generis*; nam quamvis infamiæ pœnam Iure Canonico sublatam facile omnes concedant ob clarum textum *c. super illa* 4. *c. fin. hoc tit.* reliquas tamen hodiedum integras persistere, contendunt Cynus *in l.* 1. *fin. C. hoc tit.* Bald. *ibid. n.* 7. Scipio Gentilis *de Secund. nupt. c.* 18. Mancin. *l.* 2. *Genial. c.* 140. Oliva *fol. Eccl. p.* 1. *q.* 42. *n.* 10. & 33. Barbos. *in addit. ad c. fin. cit. n.* 5.

61 *Moventur* 1. quia dictæ Leges, & proditæ ii pœnæ omnes consentaneæ sunt Decretis Conciliorum *Neocæsareensis* relati *can. de his* 8. *caus.* 31. *q.* 1. & *Laodicensis can.* 1. jubentium imponi pœnitentiam iterato nubentibus. 3. Eædem pœnæ consonæ sunt rationi nanaturali, honestati publicæ, & consilio Apostolico; *rationi* quidem; quia tendunt ad impediendam turbationem, & confusionem sanguinis, patrisque incertitudinem; *honestati*; quia festinatæ nuptiæ mulierem arguunt de incontinentia, & de oblivione, irreverentia, & ingratitudine erga priorem maritum: *Consilio Apostoli* denique; quia hic viduitatem aperte suadet, cum 1. *Corinth.* 7. *v.* 40. de Vidua, *Beatior*, inquit, *est*, *si sic* (in viduitate) *permanserit secundum consilium meum*: ad quod consilium amplectendum Ius Civile his pœnis inducit proponendo spem lucrorum in præmium continentiæ. 3. Quia Constitutiones *c. super illa*, & *c. fin. citt.* sunt correctoriæ Iuris Civilis. Igitur extendi, etiam ob identitatem rationis, ad non expressa non debent: extenderentur autem, si non solum infamia, sed etiam cæteræ pœnæ binubentibus per Iuris Canonici dispositionem remissæ essent; nam in textibus *citt.* solum infamiæ non vero cæterarum pœnarum, per Leges Civiles latarum, mentio fit.

Sed his non obstantibus, dicendum, cum infamia cæteras etiam pœnas *c. super illa*, & *c. fin. citt.* sublatas esse. Ita Gloss. *in l.* 1. *V. honorarias C. hoc tit.* Innoc. *in c. fin. cit. n. un.* Ioan. Andr. *ibid. n.* 5. Abb. *n.* 3. Ancharan. *n.* 9. Brunell. *de Sponsal. concl.* 19. *n.* 6. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 3. §. 9. *n.* 5. Clar. *V. Stuprum n.* 6. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 87. *n.* 23. Guttier. *de matr. c.* 108. *n.* 2. Gaill. *l.* 2. *obs.* 98. *num.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 10. *p.* 3. *c.* 6. *n.* 10. *concl.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 13. §. 2. *n.* 10. Canis. *in c. fin. cit. n.* 2. *vers. quod igitur*. Barbos. *ibid. n.* 2. Gonzal. *n.* 9. Vvagner. *in Exeges.* Vallens. *hic n.* 2. Zoes. *num.* 2. Honor. *num.* 4. Engl *vers. sunt vero*, Pirhing *numer.* 8. Konig *num.* 8. *vers. porro*, Vviestner *n.* 45. Reiffenstuel *n.* 45. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de matr. c.* 4. *n.* 150. & alii apud istos magno numero. 62

Suadetur 1. quia ratio principalis dispositionis *c. citt.* fuit, quia cum secundæ Nuptiæ propter Apostoli permissionem, & Ecclesiæ approbationem vacen. culpa, & Matrimonia debeant esse libera, cessare debet etiam pœna infamiæ, qua istorum libertas impediretur. Atqui hæc ratio non tantum probat de infamiæ, sed etiam de aliis pœnis. Ergo etiam istæ dispositione, *c. citt.* comprehensæ, & sublatæ censeri debent. 2. Quia transitus ad secundas nuptias mulieribus viduis sæpe utilis est ad vitanda gravia peccata, & pericula animarum suarum. Igitur merito Ecclesia per *c. cit.* sustulit impedimenta ejusdem, ut ita fieret expeditior. Atqui tale impedimentum non tantum est infamia, sed etiam aliæ pœnæ. Ergo & ipsæ sublatæ censeri debent. 3. Quia in Materia Matrimonii, ut quæ post elevationem ejusdem ad dignitatem Sacramenti Spiritualis est, Ecclesiæ potius, quam Imperialium Constitutionum dispositio est attendenda, per *textum*, & Gloss. *c. fin.* ibi, *in his præsertim &c.* igitur cum hoc Iure Ecclesiæ licitæ sint secundæ nuptiæ etiam intra annum luctus, cessante cum infamia debent etiam pœnæ reliquæ, illarum odio à Legibus constitutæ. 63

Procedit autem hoc non tantum quoad forum Ecclesiasticum, ut vult Cynus *in l.* 1. *q. ult. C. hoc tit.* sed etiam quoad Sæculare; nam in utroque foro pœnæ istæ sublatæ sunt, ut recte Gloss. *in c. fin. cit. V. Legalis*, Ioan. Andr. *ibid. num.* 5. Alex. de Nevo *n.* 12. Surd. *de aliment. tit.* 7. *q.* 22. *n.* 15. Sanch. *D.* 87. *n.* 27. Guttier. *c.* 108. *n.* 8. Palao §. 2. *n.* 11. & alii apud istos. Constat 1. ex *cap. fin. cit.* ibi, *Non debet legalis infamiæ sustinere jacturam*. Ergo vidua illa nec quoad forum Civile erit infamis; nam alias non esset sine jactura. 2. In eodem *c. fin.* dicitur, quod *in his præsertim Sæculares Leges non dedignentur Sacros Canones imitari*. Atqui non imitarentur, si uxor binuba in foro Civili esset infamis. 3. *c. cit.* voluit Pontifex esse liberam facultatem contrahendi secundas nuptias etiam intra annum luctus. Atqui si pœnæ Legales observandæ essent in foro sæculari, non daretur omnimoda libertas; nam à contrahendo Matrimonio secundo vidua merito absterreretur metu Legalis infamiæ, & pœnarum cæterarum. 64

Argumenta opposita non difficilem solutionem habent. *Ad* 1. allegata Concilia pœnitentiam decernunt binubentibus, non quod secundæ nuptiæ illicitæ sint, sed quod indicium, & justam suspicionem præbeant nimiæ intemperantiæ, concupiscentiæ, & aliorum non levium peccatorum antecedentium, ut *in can. de his cit.* notat Barbos. *numer.* 4. Gonzal. *in cap. fin. cit. num.* 13. Vviestner *hic numer.* 45. *Ad* 2. Esto, quod Leges Civiles ex fine suo honestæ sint, quia tamen sunt impeditivæ Matrimonii per se liciti, & sic non raro occasionem fornicationis mulieribus præbent, merito illas 65

Eccle-

Ecclesia sustulit. *Ad* 3. Imprimis multorum doctrina est, Lege correctoria comprehendi casus etiam specificè non expressos, quando ratio expressa in Lege etiam pro istis militat. Deinde *citt.* Dispositionibus satis comprehenduntur pœnæ reliquæ, dum iisdem libera facultas ad Vota secunda transeundi conceditur, & jam ante concessa pœnarum, quibus ea libertas restringebatur, remotione confirmatur.

66 Quæritur 3. utrum pœnæ, conjugi transeunti ad secundas nuptias statutæ, locum habeant in Vidua fornicante? Satis liquet, de Jure Civili has pœnas incurrere, illas quidem, quæ in odium secundarum nuptiarum, intra annum luctus initarum, statutæ sunt, si fornicetur intra tempus luctus, cæteras vero, quæ inductæ sunt favore filiorum, si post illud tempus fornicetur, propter textum expressum *Novell.* 39. *cap.* 2. §. 1. *non enim*, ut *ibi* subditur, *aliquid amplius habebit castitate luxuria*. Similiter convenit inter DD. pœnas istas, quatenus Viduam fornicantem afficiunt, non esse per Jus Canonicum correctas; tum quia non est rationi consonum, ut SS. Canones viduis delinquentibus faveant; tum vero quia *cap. fin. hoc tit.* pœnæ hæ corriguntur, ne illis secundæ nuptiæ, quæ licitæ sunt, impedirentur, quod in fornicatione, quæ omni Jure illicita est, non procedit. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. D.* 90. *nu.* 1. Guttier. *de Matr. cap.* 110. *num.* 1. Palao *tract.* 28. *D.* 4. *p.* 13. §. 6. *num.* 1.

67 Dub. 1. an prædictæ pœnæ locum habeant in foro conscientiæ ante omnem Judicis sententiam, ita, ut vidua, quæ intra annum luctus fornicata est, nulla exspectata sententia, teneatur restituere, quidquid à marito liberali titulo accepit? *Ratio dubitandi* est quia *Novell. cit.* vidua sic delinquens afficitur iisdem pœnis, quibus Jure Civili afficienda erat, si nuberet; atqui si intra annum luctus nuberet, ipso Jure amittit Jure Civili omnia Legata à priori viro, eaque ejusdem hæredibus applicantur, ut dictum est *n.* 53. & satis clare constat ex *l. si mulier* 1. *C. hoc tit.* ergo idem dicendum est, si fornicationem committat; alias plus haberet luxuria, quam castitas contra rationem *Novell. cit.*

68 Sed probabilius Vidua sic delinquens non est obligata hæredibus mariti restituere, quod ab ipso acceperat, aut constante Matrimonio, acquisierat, quousque criminis accedat declaratio. Ita Sanchez *l.* 7. *de Matrim. D.* 90. *n.* 11. Guttier. *c.* 110. *cit. n.* 7. Palao *p.* 13. §. 6. *n.* 6. Ratio est, quia esto, ipso Jure privetur bonis prædictis, cum tamen regulare sit, ad pœnam extra Censuras, & Irregularitates ante criminis declarationem neminem obligari, hinc, ut ita delinquens restituere teneatur, opus erit sententia declaratoria criminis.

69 *Ex quo patet* responsio ad Argumentum contrarium; nam intra annum luctus Matrimonium secundum contrahens exspectare non potest sententiam declaratoriam, cum non commiserit crimen, quod declaretur. Neque inde fit, plus tribui luxuriæ, quam Castitati, siquidem id, quod secundis nuptiis per Jus Civile amittendum erat, etiam amittitur fornicatione, tametsi modus amittendi diversus sit, eo quod Nuptiæ etiam festinatæ non sint delictum, ac proinde amissio ob illas propriè pœna non sit; sit autem delictum fornicatio, & consequenter amissio ob illam proprie dicta pœna.

Dub. 2. an pœna hæc locum habeat etiam in viduo 70
fornicante? Negat Guttier. *de Matrim. cap.* 110. *num.* 23. eo quod in patre non procedat eadem ratio, quæ in matre; nam mater ob ejus levitatem, imprudentiam, ac judicii defectum æque redditur suspecta filiis prioris Matrimonii fornicando, quam nubendo; at pater, utpote prudentior, ac judicio constantior luxuriose vivendo filiis suspectus non redditur: & propterea forte luxuriose viventi mulieri, tanquam prodigæ, interdicitur bonorum administratio, quæ tamen viro luxuriose viventi non interdicitur.

Sed etsi sententia ista sit valde probabilis, probabilius 71
tamen videtur, etiam virum luxuriosum privari proprietate bonorum, titulo lucrativo acceptorum ab uxore defuncta. Ita aliis *citt.* Palao *tract.* 28. *D.* 4. *p.* 13. §. 6. *n.* 9. Rationem dat, quia hæc reservatio bonorum sancita est in satisfactionem injuriæ, quæ per secundas nuptias tum conjugi defuncto, tum illius filiis irrogatur; at hæc injuria gravior fit fornicatione, sive illa commissa sit à fæmina, sive à viro; ergo æquum est, ut maritus post mortem uxoris fornicans eadem pœna mulctetur, locumque habeat *Novell. cit.* ne luxuriæ plus tribuatur, quam Castitati.

Quæritur 4. an licita, & valida, consequenter observanda 72
sit conditio, qua conjux conjugi ita legat; *Lego tibi mille, si non amplius nubas*? Resp. quamvis talis conditio habeatur pro non adjecta, si adjiciatur hæredi, vel legatario, qui nunquam adhuc nupsit *l. quoties* 22. *& l. cum tale* 72. §. *Mæviæ* 5. *ff. de condit. & demonstr.* tamen respectu Viduæ licita, & valida, consequenter observanda est ita, ut si Legatum habere velit, cautionem præstare debeat, quod illa una cum fructibus iterum restituere velit, casu, quo ad alias nuptias transeat. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 91. *n.* 16. Guttier. *de Matr. c.* 111. *num.* 1. Palao *tr.* 28. *D.* 4. *p.* 13. §. 2. *num.* 14. Canis. *in c. fin. hoc tit. num.* 6. Gonzal. *ibid. n.* 9. Vallens. *hic n.* 3. *vers. quarto*, Engl *ibid. vers. istud adhuc*, Reiffenst. *n.* 49. & patet ex *Novell.* 22. *c.* 43. *& seqq. l.* ubi etiam correctum est Jus Civile antiquum *l. ambiguitates* 2. *C. de indict. Vidui.* vi cujus hujusmodi conditio habebatur pro non adjecta; sunt enim secundæ nuptiæ propter honorem, & amorem prioris conjugis, & liberorum conservandum minus favorabiles, quam primæ, & ideo facilius eorum impedimentum conceditur.

Neque *Novella cit.* per Ius Canonicum correcta vide- 73
tur, præsertim cum in potestate viri positum sit legare aliquid uxori, vel non; consequenter legare potest etiam sub conditione honesta, & per quam libertas nubendi non absolute sed tantum sub conditione, si lucro, & favore alias frui velit, adimitur. Reiffenst. *n.* 49. *cit. Conf.* quia per SS. Canones illæ duntaxat Leges corriguntur, quæ absolute omnibus mulieribus intra annum luctus nuptias prohibent. testator autem hoc casu non absolute, sed tantum sub conditione, si conjux superstes lucro gaudere velit, nuptias prohibet. ergo &c.

Finis Libri IV. Decretalium.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM

Numerus major Titulum, minor numerum Tituli indicat.

An

An suf-

An,

Quot

Aut

G

H

I

Con-

Levi-

O

Ordinarius,

P

Pactum.

Pater-

Pro-

Omnia ad Majorem DEI, Deiparæque Virginis Gloriam, & Honorem.

JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM,

BREVI METHODO AD DISCENTIUM Utilitatem explicatum,

SEU LUCUBRATIONES CANONICÆ

IN QUINQUE LIBROS DECRETALIUM GREGORII IX. PONTIFICIS MAXIMI,

IN QUIBUS PRÆCIPUÆ, QUÆ TUM IN THEORIA, tum in Praxi occurrunt, difficultates ſolvuntur, allatis etiam contra ſentientium fundamentis, & horum ſolutionibus.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO SCHMALZGRUEBER

SOCIETATIS JESU, SAC. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM DOCTORE, horumque antehac in Alma, & Electorali Univerſitate Ingolſtadiana Profeſſore Ordinario, & Primario, nunc Epiſcopalis Univerſitatis Dilinganæ Cancellario.

TOMUS QUINTUS.



NEAPOLI, MDCCXXXVIII.

Proſtant

VENETIIS,

APUD JOSEPHUM BORTOLI.

ELENCHUS TITULORUM LIBRI V. DECRETALIUM.



CRIMEN FORI ECCLESIASTICI,

SEU

Decretalium Gregorii IX. Pont. Maximi.

LIBER V.

Post enarratas Libris duobus præcedentibus Causas, de quibus in Judicio Ecclesiastico agitur civiliter, sequuntur illæ, de quibus criminaliter in eodem disceptatur, seu ipsum *Crimen Fori Ecclesiastici*, ejusque pœnæ. In quinque omnino Partes dividi Liber hic potest. *Pars Prima*, postquam Accusationibus, Denuntiationibus, & Inquisitionibus regulam, ac normam statuit, enarrat ea maximè Crimina, quæ in vilipensionem rerum Spiritualium, & Orthodoxæ Fidei subversionem tendunt. *Secunda* subjungit illa, quibus proximi vita, fama, & fortunæ læduntur. *Tertia* persequitur Delicta reliqua: maximè verò illa, quæ perpetrantur Ecclesiasticorum Ordinum temeraria susceptione, & susceptorum usu sacrilego, excessu privilegiatorum, injuriis, & damnis illatis. *Quarta* pœnas Criminibus tum Vindicativas, tum Medicinales statuit. *Quinta* non tam huic Quinto Libro propria, quàm præcedentibus quatuor communis, Significationem Verborum explicat, & certas Judici Ecclesiastico, quibus Sententiam conformet, Regulas ponit.

PARS I.

De Criminibus oppositis Cultui Divino, & veræ Religioni?



EX Criminibus, quæ Cultui Divino, & veræ Religioni bellum movent, sed in hac *Prima Parte* examinantur, nimirum Simonia, Judaismus, Paganismus, Hæresis, Schisma, Apostasia, & Sacrilegium, quod iteratione Baptismi committitur. Quomodo hæc, & alia Crimina in Judicium deduci possint, Titulus primus, quasi Prooemialis istius Libri, commonstrat: cui adhæret Secundus *de Calumniatoribus* ad arcendam Calumniam, quæ in Accusatione sæpe committitur.

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

CRimina, quæ in Judicium deducuntur, aliquando sunt notoria, aliquando primùm notitia illorum acquiri debet à Judice: quod triplici maximè contingit modo, videlicet Accusatione, Denuntiatione, Inquisitione *c. qualiter* 24. *vers. contra quos h. tit.* Addi quartus potest, Delatio per viam Exceptionis.

§. I.

De Processu contra Delinquentem Notorium, & in Flagranti Crimine deprehensum.

SUMMARIUM.

1 *Quot modis aliquod Delictum fieri possit notorium notorietate Juris?*
2 *Quid sit notorium notorietate facti, & quotuplex?*
3 *Quid sit Notorium in genere, & quid occultum?*
4. 5. 6 *Requisita, ut crimen aliquod dici possit notorium notorietate facti.*
7 *In notoriis non adstringitur Judex ad observantiam Ordinis Judiciarii.*
8 *Hinc in iisdem non est opus accusatione, vel denuntiatione.*
9 *Libello, Contestatione litis, vel Juramento calumniæ.*
10 *Aut citatione.*
11 *Vel sententia condemnatoria in scriptis prolata.*
12 *Nec locus est eo casu Appellationi.*

13 *Vel recusationi Judicis*.
14. 15. 16 *Requisita, ut ratione criminis notorii Judex procedere adversus reum possit, Ordine Judiciario non observato*.
17 &c. *An, & quomodo procedi possit adversus deprehensum in flagranti?*

1 Quæritur 1. quotupliciter Delictum aliquod dicatur esse *Notorium*? Resp. Dupliciter, Notorietate Juris, & Facti. *Notorietate Juris notorium* dicitur illud, cujus Notorietas à Jure, vel in Judicio oritur. Scaccia *de Judic. l. 1. c. 76. num. 2.* Sic Notorium Delictum aliquod fieri potest tripliciter. 1. Per Spontaneam confessionem rei, in Judicio factam, & non revocatam *c. vestra 7. c. fin. de cohab. Cler. & mul.* & *cap. cum olim 24. fin. de V. S.* 2. Per plenas Probationes Judiciales, quales sunt depositiones duorum testium omni exceptione majorum, & Instrumentum publicum productum in Judicio, quibus, quod in causa conclusum jam sit, opponi nil amplius potest *c. cum olim. cit.* & *l. fin. C. de Probat.* Farin. *prax. crim. q. 21. n. 23. & seqq.* 3. Per Sententiam definitivam condemnatoriam ad pœnam, vel declaratoriam criminis, quæ transiit in rem judicatam *c. vestra*, & *c. in citt.* imò etiam per interlocutoriam, si ea cum cognitione causæ facta est, & in rem judicatam transijt. Mascard. *de Probat. concl. 1108. n. 31.* quia res judicata pro veritate habetur. Reduci ad hoc genus Notorietatis solet etiam *Notorietas Præsumptionis*, fundata in circumstantiis, ex quibus Jus aliquid ita præsumit, ut id haberi velit pro veritate, & ex eo perinde, ut ex alia probatione plena ad sententiam condemnatoriam procedi possit; sic enim si quis palam, & omnibus cernentibus in domo sua retineat mulierem suspectam, Juris præsumptio est, intercessisse inter eos copulam carnalem P. Vviestner *hic n. 3.*

2 *Facti Notorietate notorium* est, quod perpetratum est in oculis hominum, puta totius, vel majoris partis alicujus viciniæ, Parochiæ, Collegii &c. ut ulla tergiversatione celari, vel negari nequeat. Mascard. *de Probat. concl. 1107. n. 4.* Farin. *prax. crim. q. 21. num. 38. & duob. seqq.* Fagn. *in c. vestra cit. n. 77.* Vviestner *hic num. 3. vers. facti*. Tale delictum erat illius, qui novercam suam uxoris loco habuit, & propterea absens ab Apostolo judicatus, atque in interitum carnis Sathanæ traditus est, omisso Juris ordine. *1. Corinth. 5. v. 1. & 5.* Hoc facti notorium triplex est, permanentis, transeuntis, & interpolati. *Notorium facti permanentis* est, quod notoriè se exhibet oculis, & facti continuationem habet, ut id videre omnes possint. Sic notoria est incarceratio Clerici, qui in carcere publico, & omnium oculis patente detinetur; concubinatus ejus, qui concubinam retinet domi, communem cum ea mensam, lectum, & proles ex illa habet; felonia Vasalli, qui insuper habito Juramento fidelitatis, dominum suum hostiliter persequi non desistit. *Notorium facti transeuntis*, seu *momentanei* illud dicitur, quod in conspectu populi, vel majoris partis illius commissum est, & nec continuationem, nec iterationem facti habet: quale est homicidium patratum in platea, aut foro publico, blasphemia; aut contumeliosa verba prolata palam, & plurimis audientibus. *Notorium* denique *facti interpolati*, quod publicè fit, & sæpius iteratur, non tamen continuè, ut cùm verba blasphema, vel contumeliosa sæpius iterantur publicè. Gloss. *in c. vestra cit. V. notorium*, Abb. *ibid. n. 15.* Sylv. *V. notorium nu. 2.* Durand. *Specul. tit. de notor. crim. §. 8. a nu. 8.* Scaccia *l. 1. de Judic. c. 76. n. 7.* Fagn. *in c. Vestra cit. a n. 78.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 5.* Vviestner *hic n. 4.*

3 Ex his facilè colligitur, quid sit Notorium in genere, & quid occultum Delictum. *Notorium in genere* illud Delictum dicitur, quod vel in Jure, vel ex facto suo ita certum habetur, ut nulla amplius discussione egeat, neque ulla tergiversatione celari possit *can. de manifesta 17. caus. 2. q. 1. c. super eo 3. de testib. cogend.* *Occultum* vero in genere dicitur illud, quod non ita certum est. Et hujus duæ sunt species, Occultum scilicet simpliciter, & Occultum non simpliciter, sed pene, seu quasi occultum. Si probationes removeantur in totum, ut quia nulla ratione actus probari potest, dicitur *Occultum simpliciter*: & ita occulti sunt actus merè interni; quia soli Deo noti sunt. Si verò non removeantur in totum probationes, ut quia actus probari potest, sed cum difficultate, & sic solum deest Judicialis indago, dicitur *pene occultum*, seu *quasi occultum*: & tales actus fere sunt Dolus, simulatio, furtum, adulterium, suppositio partus, Sodomia, Simonia, Conspiratio, tractatus de nece inferenda, Venenatio, & alia Delicta, quæ per se clam, & in occulto committi solent, aut per accidens ita committuntur. Farin. *prax. crim. q. 18. n. 105. & q. 21. num. 7.* Haun. *tom. 6. de J. & J tr. 2. num. 27.* Vviest. *hic num. 2.*

Quæritur 2. quid requiratur, ut aliquod crimen dici possit Notorium notorietate facti? Resp. Tria communiter requiruntur. 1. *Qualitas loci*, ut scilicet sit factum in loco publico. Mascard. *de Probat. concl. 1107. n. 16.* Farin. *prax. crim. q. 21. nu. 55.* & apud hos alii. Hinc quod commissum est in domo privata, aut villula, vel etiam in parva Parochia, in quibus non reperiuntur decem homines, non potest dici notorium. Scaccia *l. 1. de Judic. c. 76. num. 6.* quia debet esse multitudini notum, ut notorium dici possit *cap. fin. de cohabit. Cler. & mulier*. Imo consideranda est etiam ipsa qualitas loci publici; nam pro hujus diversitate major, vel minor notitia criminis commissi requiritur. Si delictum commissum sit in aliqua Parochia, seu vicinia, sufficit, illud notum esse Parochiæ, seu viciniæ, aut saltem majori eorum parti, puta, si ageretur de probando Concubinatu. Si verò sit commissum in loco publico Civitatis, essetque delictum arduum, deberet dici cognitum toti Civitati, vel ejus majori parti: & si diceretur commissum in aliquo loco, qui totam Provinciam respiceret, deberet dici manifestum toti Provinciæ, vel majori illius parti. Scaccia *l. cit.* 4

2. Ad inducendum Notorium requiritur etiam *Qualitas temporis*: Et propterea, si Delictum diceretur commissum de nocte, regulariter non posset dici notorium, ut post *Durand. Bald. Foller. Capr.* notat Scaccia *l. cit.* intellige, nisi Delicto de nocte commisso tanta hominum multitudo fuerit præsens, ut ab his notitia ejus commissi ad aures majoris partis de Communitate perveniat; tunc enim temporis respectu Notorii habenda non foret ratio, quippe quod ideo solum Notorietatem impedit, quia de nocte non solet esse tantus populi affluentis concursus, quantum Notorietas facti exigit. 5

3. Requiritur *Adstantium multitudo*: quot autem hominum scientia requiratur ad faciendum Notorium, Juris nostri Interpretes non modicum variant, ut videre est apud Durand. *Specul. de Notor. crim. §. jam de Notorio n. 5.* nam aliqui requirunt notitiam totius viciniæ, alii majoris partis, alii trium, nonnulli decem hominum. Communior cum Mascard. *de Probat. concl. 1107. n. 18.* Scaccia *l. cit. n. 5.* Passerin. *Trib. Regul. q. 10. n. 3. fin.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. num. 29.* Gonzal. *in c. 9. h. tit. n. 5.* Konig *hic n. 51.* Vviestner *num. 5.* Reiffenstuel *numer. 250.* id reponunt in arbitrio Judicis; quia ubi aliquid non est à Jure taxatum, vel definitum, censetur illud esse commissum arbitrio Judicis: in quo arbitrio ne erret Judex, considerare debebit circumstantias actus, & temporis. Mascard. *l. cit.* 6

Quæritur 3. quid intersit, an crimen sit notorium, an occultum? Resp. Interest plurimum; nam quando occultum crimen est, Judex in ejus cognitione adstringitur ad observantiam Ordinis Judiciarii, ad cujus observantiam non adstringitur, quando crimen notorium est, prout per modum Regulæ tradunt DD. ex *can. prohibentur 14. §. his omnibus*, *can. quæ Lotharius 16. §. in manifestis. caus. 2. q. 1. c. ad nostram 21. de Jurejur.* & ratio est, quia Ordo Judiciarius solùm introductus est ad criminis, aut Juris dubii veritatem investigandam: qui finis cessat in casu, ubi hæc est notoria. Et in hoc discedit Judicium criminale à Judicio Civili, ubi notorium non excusat ab observatione Ordinis Judiciarii; nam in hoc Judicio regulariter Judex non supplet principaliter agendo *l. un. C. ut quæ desunt Advoc. part.* & *l. dies 4. §. hoc autem 8. ff. de damn. infect.* Farin. *prax. crim. q. 21. n. 61.* Ex quibus. 7

Sequitur 1. in notoriis non esse opus accusatione, vel denuntiatione. Gomez *l. 3. var. c. 1. n. 44. post medium*. Farin. *prax. crim. q. 21. n. 62.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n. 32.* Gonzal. *in c. evidentia 9. h. tit. n. 2.* Vallens. *hic §. 6. n. 2.* Pirh. *n. 104.* Vviestner *n. 8.* Reiffenstuel *n. 254.* & sumitur ex *c. evidentia cit.* ubi S. Augustinus, *Evi-* 8

den-

Evidentia, inquit, *patrati sceleris non indiget clamore accusatoris*. *Ratio est*, quia regulariter accusator requiritur, ut crimen manifestetur, & in Judicio per probationem publicetur *can. quisquis* 3. *caus.* 2. *q.* 8. & *l. fin. C. de accus.* atqui hæc manifestatio jam habetur per evidentiam facti *c. fin. de cohabit. Cler. & mul.* Igitur non erit necesse exspectare accusationem, vel Denuntiationem.

9 2. In delictis notoriis non requiritur Libellus, Contestatio litis, Juramentum calumniæ, & aliæ solemnitates pertinentes ad Judicii ordinationem. Gomez *l. cit.* Farin, *n.* 65. Scaccia *l.* 1. *de Judic. c.* 79. *n.* 8. Passerin. *Trib. Reg. q.* 10. *n.* 10. Vviestner *hic. num.* 9. Reiffenstuel *nu.* 254. *Proceditque* hoc, sive agatur contra absentem, sive contra præsentem, sive sit notorium facti interpolati, sive momentanei, sive continui, ut cum aliis notat Farin. *l. cit.* Ratio est, quia ad has solemnitates, ut *n.* 7. dixi, Judex in causa Notorii non adstringitur. Imo doctrina hæc etiam locum habet in Causis Civilibus; quia Jura, quæ ab obligatione offerendi Libellum, contestandi litem, & præstandi Juramentum calumniæ in notoriis liberant, loquuntur indistinctè.

10 3. Non est opus Citatione: quod intellige, quando ita certum est crimen, ut nulla omnino defensio ipsi competat; frustra enim citatur is, qui citatus nihil relevans potest opponere. Farin. *n.* 67. Passerin. *n.* 11. Vviest. *n.* 10. Reiffenstuel *num.* 157. Secus, quando aliqua potest reo competere defensio, vel dubium sit, an non competat, vel possit competere; tunc enim omnino necessaria foret Citatio, ut communiter ab omnibus receptum testatur Farin. *l. cit. n.* 72. Et hinc non facilè contra reum absentem etiam in notorio delicto, citatione non præmissa, est procedendum; quia fortè Exceptio aliqua, causam ejusdem relevans, ipsi competit. Similiter reus etiam in notorio crimine citari debet ad Sententiam: de quo teste Farin. *num.* 69. nullus dubitat. *Excipitur* tamen, quando mora cederet in præjudicium Reip. propter futurum scandalum in populo; quia tunc ratione scandali vitandi potest reus condemnari, etiam sine citatione, ut aliis *citt.* notat Farin. *num.* 73. nam ad vitandum scandalum in Jure permittuntur multa, quæ alias de sui natura illicita, & prohibita sunt. Oportet tamen hoc casu certum esse delictum, & ita quidem, ut simul etiam certum sit nullam reo defensionem competere.

11 4. Etiam non est opus in Notorio Delicto, ut Judex ferat sententiam condemnatoriam solemniter, & in scriptis. Gomez. *l.* 3. *var. cap.* 1. *num.* 45. Farin. *nu.* 115. quia regulare est, quod quando Judex procedit sine ordine, & figura Judicii, non requiratur, quod sententia feratur in scriptis. Sufficiet ergo sententia non solemnis, & præceptum Judicis, reo pœnam intimantis, vel eum mittentis ad supplicium pro tali crimine, nisi tamen reus id esse notorium neget; tunc enim opus foret Sententia notorii declaratoria, Clar. §. *fin. q.* 9. *n.* 8. Farin. *n.* 116. Passerin. *q.* 10. *n.* 12. Pirh. *hic n.* 104. Vviest. *n.* 11. Reiffenst. *n.* 258. Unde contraria Sententia, quæ ait, in Notoriis etiam Sententia declaratoria non esse opus solum procedit, quando vel est notorium facti permanentis, ita, ut quotidie, & semper oculis hominum observetur, vel per reum non negatur notorium: imò etiam in his duobus casibus consultius aget Judex, si pronuntiet super notorio, ut cum *Foller.* notat Farin. *l. cit.*

12 5. Non est in casu Notorii locus Appellationi, sed ista non obstante, Judex ad executionem potest procedere *c. cum sit* 5. *fin. de Appell.* ibi, *Nisi forte manifestus raptor, vel fornicator existat*. Procedit autem hoc solum casu, quo in delinquentem decernitur pœna, tanquam in reum notorii criminis; nam si ad hanc simpliciter, & notorietate non expressa, condemnaretur, locus appellationi foret Durand. *Specul. tit. de notor. crim.* §. 8. *n.* 35. Clar. §. *fin. q.* 94. *n.* 2. Gomez. *l.* 3. *var. c.* 1. *n.* 47. Farin. *q.* 21. *cit. n.* 117. Passerin. *q.* 10. *n.* 13. Vviest. *hic nu.* 12. Reiffenstuel *ibid. n.* 260.

13 Non admittitur recusatio Judicis tanquam suspecti *c. proposuit* 24. *de Appell.* quod verum est solum casu, quo pœna pro delicto determinata est Jure, Statuto, vel consuetudine; nam si arbitrio Judicis infligenda sit, cum in taxatione illius excedere Judex possit recusatio illius, tanquam suspecti, admittitur. Gomez *num.* 46. Farin. *numer.* 130. Haun. *num.* 37. Vviest. *numer.* 13. Reiffenstuel *num.* 256.

14 Quæritur 4. quid requiratur, ut ratione criminis notorii Judex procedere adversus reum possit, ordine Judiciario non observato? Resp. 1. debet ipsum factum, quod in Delictum cadit, esse notorium: Tale erit, quando crimen patratum est coram decem, aut saltem sex hominibus, qui illud certò, & per sensum cognoverint; quia, ut ex hactenus dictis constat, ad notorium facti requiritur, ut illud patratum sit coram populo, vel majore illius parte. Ad populum autem constituendum requiruntur decem saltem homines *can. unio* 3. *caus.* 10. *q.* 3. Sanch. *l.* 6. *cons. c.* 3. *dub.* 3. *n.* 10. Passerin. *Trib. Regul. q.* 10. *n.* 4. Vviest. *hic n.* 5. Reiffenstuel *ibid. n.* 252.

2. Debet notorium esse factum, nontantum in se, sed etiam in ratione delicti; quia nisi hoc modo notorium sit, locus erit tergiversationi, & excusationi, cui tamen locus esse non debet in Delicto notorio *c. tua nos* 8. *de cohab. Cler. & mulier.* Clar. §. *fin. q.* 9. *n.* 3. Farin. *prax. crim. q.* 21. *num.* 49. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *numer.* 30. Passerin. *q.* 10. *cit. n.* 5. Vviestner *num.* 6. Reiffenstuel *n.* 265. Distinguendum tamen videtur inter facta, quæ ex sui natura maleficium arguunt, & inter facta, quæ ex sui natura bona, vel indifferentia sunt: ut *primi generis* facta etiam in genere Delicti notoria dici possint, sufficit ipsum factum notorium esse, & non apparere de Exceptione, quæ opposita facto malitiam tolleret; contra in *secundi*, & *tertii generis* factis, ut notoria fiant in genere Delicti, necesse est, ut notoriæ sint circumstantiæ, quarum adminiculo naturam hæc facta mutant, & mala efficiuntur. *Ratio* utriusque est, quia factum ponderatur secundum naturam suam, & tale præsumitur, quale à natura sua est *l. suus quoque* 4. §. *fin. ff. de hæredib. instit. l. frater* 1. *C. ad leg. Corn. de Sicar.* Farin. *l. cit. numer.* 51. 15

3. Debet constare etiam de ipsa notorietate; nam in hac fundatur processus in causa Notorii: consequenter testes, quibus notorium crimen probatur, deponere non tantum debent de ipso crimine, sed etiam de notorietate ipsius, quod scilicet præsente, & inspectante populo, vel majore illius parte sit perpetratum *c. cum dilectis* 15. *de Purgat. Canon.* Durand. *Specul. tit. de notor. crim.* §. 8. *n.* 17. Farin. *q. cit. n.* 105. Scaccia *l.* 1. *de Judic. c.* 76. *nu.* 11. Passerin. *q.* 10. *n.* 9. Gonzal. *in c.* 9. *h. tit. num.* 5. Vviestner *hic n.* 7. Reiffenstuel *ibid. n.* 263. in qua probatione cautè omninò procedere Judex debet, nec statim credere asserentibus Delictum esse notorium, cùm notoria dicantur multa, quæ non sunt talia *c. consuluit* 14. *de Appellat.* Ideo honestius, tutiusque aget, si quantumcunque delictum videatur esse notorium, super ejus notorietate recipiat a vicinia depositiones testium, quotquot haberi commodè possunt: imò non facilè omittet ipsam etiam citationem, & monitionem Rei, ut ita se liberet à periculo pœnæ, cui alias deposito officio foret obnoxius, si Judiciario ordine non observato, ad condemnationem, & executionem processit ut cum aliis notat Fagnan. *in c. Vestra* 7. *de cohabit. Cler. & mulier. n.* 95. 16

Quæritur 5. an, ordine Juris non observato, procedi etiam possit contra reum, in flagranti crimine, ut loquimur, sive in istius actu deprehensum, & apprehensum? Resp. Distinguendo: Vel enim reus delinquit in conspectu ipsius Judicis, pro Tribunali sedentis, aut alias Jurisdictionis actum exercentis; vel a Ministris, aut etiam ab aliis ita repertus ducitur ad Judicem. 17

Si primum, ad punitionem illius, tanquam notorii delinquentis, procedere Judex, ordine Juris non observato, potest, ita, ut nec processu, nec probatione opus sit; quia aspectus Judicis inducit ipsi evidentem probationem quoad decisionem causæ *l. eadem* 2. *ff. de feriis*, *l. si irruptione* 8. §. *ad Officium* 1. *ff. fin. regund. l. minor* 32. *ff. de minor.* Durand. *Specul. tit. de notor. crim.* §. 8. *n.* 12. Salycet. *in l.* 7. *C. de accusat. nu.* 91. Gomez *l.* 3. *var. c.* 1. *n.* 48. Farin. *prax. crim. q.* 21. *nu.* 158. Passerin. *Trib. Reg. q.* 10. *n.* 17. Vviestner *hic n.* 17. Reiffenstuel *n.* 268. Ne tamen, si postea in Syndicatu negaretur, condemnatum commisisse delictum in ejus præsentia, Judex periculum pœnæ incurrat, tutius aget, si etiam hoc casu recipiat probationes delicti, ut sic ex actis probare possit, commissum in sua præsentia esse delictum. Farin. *n.* 159, & alii *supra*. Follerus *pract. crim. V. item quod notorius nu.* 27. suadet, ut Judex, commisso delicto, reum in continenti examinet: & siquidem Delictum confiteatur, decernere sine alia probatione, vel solemnitate pœnam eidem poterit. Si verò neget, super eo reci- 18

eo recipiat testes, & siquidem in Rei, ut loquuntur, confrontari facie adversus ipsum deposuerint, ad punitionem illius procedet & ita practicari apud Farin. *l. cit.* testatur Lud. de Penna *in l. quoties* 17. *C. de Dignit.*

19 *Si secundum*, & reus in flagranti deprehensus; & apprehensus ducatur ad Judicem, imprimis a Notario in Actis Judicialibus describenda est Relatio eorum, qui reum Judici sistunt, & recipiendi testes super Delicto, & deprehensione in flagranti; deinde examinandus ipse reus: ubi interest, an examinatus fateatur Delictum simpliciter, an cum excusatione, quæ pœnam excludat, vel diminuat, v. g. quòd occiderit justæ defensionis gratia, quòd acceperit rem alterius in compensationem crediti &c. an verò Delictum omnino neget. *Si primum*, pœna ipsi secundum facti, & personæ qualitatem est decernenda. Farin. *q.* 21. *cit. num.* 133. *&* 143. *Si secundum*, ei statuendus est terminus ad allegationis, seu exceptionis suæ probationem, nec antea condemnandus reus, quam ex allegatis, & probatis constet, quòd ipse nihil relevans afferat, vel afferre possit. Farin. *num.* 143. *cit. Si tertium*, reperendi sunt testes super Delicto, & deprehensione in flagranti jam recepti: quorum testimoniis si convictus appareat, & post terminum ipsi datum relevans nihil afferat, promerita ipsi pœna est infligenda. Si verò non sit plenè convictus, deveniendum est ad torturam; quia deprehensio in flagranti facit, ut reus sine aliis indiciis torqueri possit. Farin. *n.* 148. asser. *n.* 21. *&* 22. Vvieftner *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 268.

20 *Dubitatur*, an reo deprehenso in flagranti, postquam delictum extra, vel in tortura confessus, vel de ipso legitimè convictus est, infligi pœna sive prævia Sententia possit? Affirmat Glossa communiter recepta in *l. ictus fustium* 22. *V. eod. pr. ff. de his, qui not. infam.* & hoc ipsum frequentissimo omnium consensu in plerisque locis observari ait Covar. *in cap. alma de sent. Excomm. in* 6. *p.* 1. §. 1. *n.* 9. Juxta principia jacta *n.* 1. præferenda videtur doctrina Clari §. *fin. q.* 8. *n.* 4. & Farin. *q.* 21, *nu.* 153. qui Sententiam hoc casu exigunt, sed absque solemnitatibus Jure præscriptis prolatam, sive Decretum de pœnæ executione: a quo Decreto, tanquam Juris executione Appellationem negant, nisi in casu, quo infligitur pœna arbitraria, & in hac Judex excedat. P. Vvieftner *hic n.* 18.

§. II.

De Accusationibus.

SUMMARIUM.

21 QUæritur 1. quid sit *Accusatio*? Resp. Est *delatio Rei criminis in Judicium, ad publicam vindictam solemniter facta*. Ita quoad sensum Clar. §. *fin. q.* 12. *num.* 1. Canis. *Summ. l.* 4. *tit.* 19. Passerin. *Trib. Regul. q.* 7. *art.* 1. *n.* 1. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 6. Vvagnereck *ad Rubr. eod. not.* 2. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 1. Zoes. *n.* 1. Engl. *nu.* 1. Pirh. *n.* 1. Konig. *n.* 3. Vvieftner *n.* 19. Reiffenstuel *n.* 5.

Dixi 1. *Delatio*: in quo distinguitur Accusatio ab Inquisitione; nam Inquisitio præviam criminis delationem, aut manifestationem, ex instituto propositam, non prærequirit, sed ad eam instituendam sufficit fama, & indicia.

Dixi 2. *Rei criminis*: quod ex sententia Lauterbach. *ff. h. tit.* §. 14. & aliorum, debet esse publicum, & grave. Sed videtur distinguendum, quo Judicii genere agatur de crimine; nam causæ graviores expediuntur Processu Ordinario, Summario Delicta leviora juxta *l. levia* 6. *& ibi* Brunnem *ff. h. tit.* 22

Dixi 3. *in Judicium*; nam causæ criminales, si criminaliter de iis agatur, coram Arbitris proponi non possunt *c. causa* 9. *fin. de in integr. restit.* & *l. non distinguemus* 32. §. *Julianus* 6. *ff. de recept. qui Arbitr.* sed requirunt authoritatem Judicis, & quidem competentis. Talis in hoc genere causarum erit, qui mixtum saltem Imperium habet, cuique criminosus subjectus est titulo domicilii, vel loci Delicti. Miller. *ad Struv. Exerc. ad Pandect.* 49. *th.* 6. Lauterbach. *l. cit.* §. 1. Magnif. P. Schmier *tr. de Judic. c.* 3. *sect.* 5. *per totam.*

Dixi 4. *ad publicam vindictam*: quo differt Accusatio ab Actione, & Denuntiatione Evangelica; nam per Actionem intenditur satisfactio, & utilitas privata ejus, qui damnum, & injuriam passus est; per Denuntiationem vero correctio delinquentis: utilitas verò publica per utramque tantum intenditur mediatè, quam immediatè procurare Criminosorum condemnatione, & pœnis cogitat accusatio; 23

Dixi 5. *solemniter facta*: ad quam solemnitatem olim requirebatur, ut Accusator se inscriberet ad pœnam talionis, sustinendam in casu, quo Delictum non probaverit. Sed hodiernis moribus Inscriptio hæc ob periculum minuendæ Accusationis per consuetudinem sublata est, & ejus loco subrogata cautio de satisfactione, præstanda propter injuriam, & expensas. Struv. *Exercit.* 49. *cit. th.* 9. Lauterbach. *ff. h. tit.* §. 17. Et hinc de ea Inscriptione non est amplius necesse in Definitione Accusationis mentionem fieri.

Quæritur 2. quomodo proponi Accusatio debeat? Resp. Proponi debet in scriptis per Libellum *l. libellorum* 3. *pr. ff. h. tit.* vel saltem viva voce ab Accusatore prolatam, Notarius describere in actis debet: quod Curiarum praxi receptum esse testatur Clar. §. *fin. q.* 12. *n.* 7. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 30. *numer.* 2. Passerin. *Trib. Regul. q.* 7. *art.* 1. *num.* 3. Pirh. *hic num.* 2. Konig *num.* 52. Reiffenstuel *num.* 6. idque non immeritò; sic enim prohibetur variatio, & Judex magis dirigitur ad conformandam petitioni Accusatoris sententiam. *Excipitur*, si crimina forent levissima; tunc enim non est necesse, ut Accusatio in scriptis offeratur, vel viva voce prolata in scripta redigatur *arg. l. levia* 6. *ff. h. tit.* Sanch. *l.* 6. *cons. dub.* 50. *n.* 6. Passerin. *n.* 3. *cit. in fin.* Konig. *n.* 52. Vvieftner *n.* 21. Reiffenstuel. *n.* 6.

Ut rite formatus censeatur Accusationis Libellus, exprimi in illo debent sequentia. 1. Nomen Judicis *l. Libellorum cit. pr.* junct. Gloss. *V. Consul.* ut appareat, an sit competens, necne. 2. Nomen, & cognomen accusatoris, & accusati *pr. cit.* ut appareat, an accusare, vel accusari possint. 3. Species criminis, ut secundum istius qualitatem Judex pœnam mensurare possit *pr. cit.* 4. Locus, & tempus patrati criminis *pr. cit.* 5. Inscriptio, seu subscriptio accusatoris in crimen, sive ad pœnam talionis *pr. cit.* & *c. super his* 16. *h. tit.* quod statuendi justissima causa fuit, ut coerceretur temeritas accusatorum *l. fin. C. de furt.* 25

Hæc, Jure communi spectato. Hodie de praxi passim Accusationis loco successit simplex querela, in qua refertur crimen: nec solemnis porrigitur Libellus; neque fit Inscriptio. Passerin. *Trib. Reg. q.* 7. *art.* 7. *n.* 5. Schambog. *hic n.* 5. Debet tamen Querela hæc, quæ loco Accusationis succedit, continere nomen querelantis, querelati, Judicis, & commissi Criminis speciem, locum, & tempus: quæ nisi fiant, in iis locis, & casibus, in quibus ex forma Statutorum specialium Judex non potest procedere, nisi ad querelam partis, non procedet Querela. Farin. *prax. crim. q.* 12. *nu.* 5. *&* 6. Clar. §. *fin. q.* 12. *num.* 3. Passerin. *Trib. Reg. q.* 7. *art.* 1. *num.* 5. Secus est in 26

est in iis locis, & casibus, in quibus, ut hodie plerumque fit, Judex procedere potest, & procedit ex Officio; nam in his non disputatur multùm super requisitis in Querela, an adsint, vel non. Farin. *n.6.cit.* Passer. *n.* 5.

27 Dub. 1. quale tempus exprimi in Libello, vel Querela debeat? Resp. Exprimi debet annus, & mensis commissi criminis; aliàs hoc non expresso, accusatio criminalis erit ipso Jure nulla, etamsi pars non opponat, ut teste Clar. *q.* 12. *cit. n.* 9. communis habet opinio, & probat ratio, quia sine expressione temporis, & loci, accusatio fiet incerta, ita, ut Reus, probando negativam coarctatam, non possit se aliquo modo defendere, aut testes, qui contra ipsum deposuerunt, de falso convincere. *Excipitur* in Delictis successivis, quale est Ebrietas, item in levibus; nam in his annus, & mensis non est exprimendus. Scaccia *l.* 1. *de Judic. c.* 51. *n.* 3. Guazzin. *defens.* 3. *c.* 3. *n.* 4.

28 Dies commissi criminis non est necessariò exprimenda; quia alioquin potestas accusandi, & probandi nimis restringeretur, cùm quis facilè possit oblivisci diei, vel etiam hebdomadæ, in qua commissum est Delictum; nec enim tempus ita cadit sub sensum, ut locus. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 30. *nu.* 4. Pirhing. *hic num.* 2. cum aliis. *Excipitur*, nisi Delictum ratione certæ diei esset specialiter punibile, aut expressio illius ad sui defensionem reo specialiter foret utilis; tunc enim, saltem hoc exigente, foret exprimenda. Farin. *prax. crim. q.* 1. *nu.* 19 *&* 20. Guazzin. *recr. defens.* 3. *c.* 3. *num.* 10. Passerin. *Trib. Reg. q.* 7. *art.* 1. *n.* 4. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 3. *n.* 62. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. Zoes. *n.* 1. Honor. *n.* 16. Wiestner *num.* 23. Reiffenstuel *n.* 9

29 Dixi *Dies commissi criminis*; nam Accusationis institutæ dies est exprimenda *l. libellorum* 3. *ff. h. tit.* quod etiam de substantia requiri, bene docet Ameno *tit.* 9. *V. Denuntiatio* §. 4. *q.* 4. *n.* 34. tum quia in Jure, ubi præscribitur forma, requiritur dies *l. cit.* tum quia bene potest contingere, ut valor Processus à die dependeat, prout fit, si tali die Judex fuisset suspensus, vel accusator inimicus accusati &c. Et sic consuetudine servari testatur Clar. §. *fin. quæst.* 12. *num.* 8. & quamvis *ibidem* putet expressionem diei porrectæ Accusationis non esse de substantia, ut propterea, si omittatur, vitietur Querela, vel Accusatio, addit tamen, casu, quo Notarius non faceret apparere in actis, quo die fuisset porrecta Querela, eum posse, tanquam imperitum, & suspectum privari officio.

30 Dub. 2. an, si Delictum probetur patratum in alio loco, vel tempore, aut sine qualitate quæ in Libello Accusationis expressa est, Rei condemnatio adhuc sequi possit? Negat Bartol. *in l. is, qui reus n.* 9. *ff. de publ. Judic.* cum quibusdam aliis, imò, ut DD. isti volunt, cum communi Sententia. Sed meliùs adhibetur distinctio: Vel enim qualitas diei est de substantia Delicti, quia v. gr. adest Statutum disponens, ne tali die aliquid fieret, vel non est de illius substantia, sed factum, quod proponitur, est ita Delictum uno die, prout in alio.

31 *Si primum*, procul dubio debet probari dies ad hoc, ut reus de ipso facto, tanquam de Delicto, puniri possit, ut bene advertit Clar. *pract. crim.* §. *fin. q.* 12. *num.* 14. *Si secundum*, probato Delicto, licèt non sit probata dies Delicti, in Libello accusationis proposita, condemnatio Rei sequi debet; tum virtute Clausularum, quæ de Stylo ponuntur in accusatione, ut est illa *Non se adstringens &c.* & illa *Salvo jure &c.* tum quia Judex ex officio potest supplere Libelli Accusationis defectum, ut sustineatur Judicium. Clar. *l. cit.* Scaccia *l.* 1. *de Judic. c.* 51. *n.* 39. *vers. ego tamen*, Guazzin. *defens.* 2. *c.* 3. *n.* 13. *vers. nec non expressio*, Passerin. *Tribun. Reg. q.* 7. *art.* 1. *n.* 6.

32 Idem dicendum, si in Libello proposita sit certa qualitas Delicti, e. gr. quòd accusatus fecerit percussionem cum sanguine, vulnerationem cum cicatrice perpetuò mansura, & qualitate non probata, probatum sit delictum; nam tali casu reus condemnari debet de principali delicto, de quo est convictus, ut communiter servari cum aliis testatur Clar. §. *fin. q.* 66. *n.* 4. *prop. fin.* quia hodie pars in Querela se non adstringit ad aliquam certam condemnationem, sed utitur Clausula generali, qua petit accusatum condemnari *pro prædictis, & quolibet eorum &c.* ut proin sufficiat Delictum principale fuisse probatum. Similiter, si in Processu contra Reum fuit probatum Delictum, vel qualitas non contenta in accusatione, Reus in pœnam ordinariam, illi Delicto, vel qualitati debitam, condemnari potest. Guazzin. *Defens.* 3. *c.* 4. *n.* 2. Passerin. *n.* 7.

Dub. 3. an adhuc hodie in Libello Accusationis sit facienda Inscriptio in crimen, sive ad pœnam talionis? Respond. Negativè; nam pœna talionis, saltem in foro Civili, hodie ab usu Judiciorum recessit, ut *infra Tit.* 2. *n.* 16. dicam. Loco illius hodiernis moribus Accusator per idoneos fidejussores, & pignora cavet de Accusatione ad finem Judicii usque prosequenda, de solvendis in casu succumbentiæ expensis, deque resarcienda injuria, & omni damno *l. si cui* 7. §. *cavent* 1. *ff. h. tit. l. qui crimen* 3. *C. de his, qui accus. non poss.* 33

Antequam verò Accusator hujusmodi Cautionem præstet, *per Constit. Crim. Carol. V. art.* 12. jubetur arrestari ipsius persona, ita tamen, ut tam ad ipsum, quàm ad accusatum, si defensionem suam prosequi velit, omnino indulgendus sit accessus liber earum personarum, quibus prior pro Cautione fidejussoria, posterior pro ostensione innocentiæ suæ uti cupit. *Constit. crim. cit. art.* 14. *Excipitur*, si accusator sit persona in magna Dignitate constituta; nam hic Vadem, qui cum accusato paris conditionis sit, Judicio sistere potest, ut loco ipsius custodiæ committatur, qui tamen & ipse custodia hac liberandus erit, si Cautionem fidejussoriam ipse præstare voluerit. *Const. cit. art.* 14. *fin.* 34

Dub. 4. an in Libello Accusationis sit apponenda Conclusio, seu petitio pœnæ determinatæ? Resp. Non esse necessariò apponendam. Et hoc est discrimen inter Libellum, quo proponitur Actio Civilis, & inter Libellum, quo proponitur Accusatio: in priori post facti narrationem, & causam applicatam, poni debet Conclusio, ut sciatur, quid, & quantum Actor petat, cùm in ipsius sit arbitrio vel totum, vel partem petere: in posteriori autem sufficit sola facti narratio, & obligatio ad probandum sine conclusione ad pœnam; quia quando constat de delicto, tunc Lex ipsa facit Conclusionem ad pœnam, quam remittere, vel moderari non est in Accusatoris potestate. Engl. *hic n.* 4. Magnif. P. Schmier *tr. de Delict. p.* 1. *c.* 4. *n.* 45. 35

Si tamen etiam in Libello criminali apponatur Conclusio, propterea ille non vitiatur. Græveus *p.* 1. *obser.* 61. *n.* 10. Konig. *hic n.* 54. Quin & de usu, ac praxi fori Libellus Criminalis ita concluditur: *Quare peto ipsum puniri juxta formam Juris, & Statutorum, den Beclagten der begangenen Missethat halber nach aus weisung der rechten Zu bestraffen*, ut patet ex *Constitut. Crim. cit. art.* 89. & notat Clar. §. *fin. quæst.* 31. *num.* 13. Decian. *tr. crim. l.* 7. *c.* 43. *num.* 4. Konig. *num.* 54. *cit.* Addit. Gaill. *l.* 1. *obs.* 61. *nu.* 19. consulto Conclusionem, & petitionem certæ pœnæ addi, si tale sit Delictum, cujus pœna pecuniaria est, & partim Accusatori, partim fisco applicanda. 36

Quæritur 3. quinam accusare possint? Inutilis hodie videtur hæc quæstio, cùm, ut hactenus dictum est, hodie de consuetudine, etiam nemine accusante, in quocunque Delicto Judex possit procedere ex Officio. Multo magis igitur procedere poterit, instante aliquo accusatore, licèt inhabili; nam, ut Clar. §. *fin. q.* 14. *n.* 1. *vers. scias tamen*, & Farin. *prax. crim. q.* 12. *n.* 3. advertunt, Querelantis instantia, etiamsi facta sit ab eo, qui accusare non potest, aperit viam Judici ad inquirendum de Delicto, per Querelam delato. Sed his non obstantibus, cum DD. *citt.* dicendum, quæstionis istius etiamnum hodie non modicam esse utilitatem. 1. In iis locis, in quibus cessante prædicta consuetudine, servatur Jus commune. 2. In iis quibus ex speciali Statuto extra certos casus Judex procedere non potest, nisi ad partis querelam; nam cùm ista hodie loco accusationis successerit, ad querelam non admittentur, nisi illi, qui de Jure ad accusandum admittuntur. His prænotatis ad Quæstionem 37

Respondet Macer JCtus *l. qui accusatore* 8. *pr. ff. h. tit.* *Qui accusare possunt, intelligemus, si scierimus, qui non possunt.* Est enim Edictum de non accusando prohibitorium: in quo genere Edictorum, quod non est prohibitum à Jure intelligitur esse concessum *c. inter corporalia* 2. junct. Gloss. *V. non incurritur, de translat. Episc. & l. ab ea parte* 5. *ff. de Probat.* Quare generaliter loquendo accusare permissum erit omnibus, qui non specialiter, & expressè reperiuntur Jure prohibiti. Durand. *Specul. l.* 1. *partic.* 2. *tit. de Accusat. num.* 1. Clar. §. *fin. q.* 12. *n.* 1. 38

Gomez

Gomez *l.* 3. *var. c.* 1. *n.* 31. Farin. *q.* 12. *cit. n.* 8. Pirhing *hic n.* 3. ubi tamen distinguendum est, num crimen sit publicum, vel privatum.

39 *Publici criminis* accusatio plerumque conceditur cuivis de populo §. *publica* 1. *Inst. de Publ. Judic.* quòd illa puniri maximè pertineat ad utilitatem publicam. Gomez *n.* 31. *cit.* Farin. *n.* 8. *cit.* Less. *l.* 2. *de Just. c.* 30. *nu.* 19. Guazzin. *Defens. reor.* 3. *c.* 1. *num.* 2. Rosbach *prax. crim. tit.* 1. *c.* 8. *n.* 42. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 3. *n.* 21. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 1. Pirhing. *nu.* 3. Konig. *n.* 49. & alii passim. Contra *de privato crimine* accusare ii duntaxat possunt, qui suam, vel suorum injuriam prosequuntur, ut cum *citt.* notat Farin. *n.* 7. & sumitur ex *l. manifestissimi* 22. *C. de furt.* Hæc tamen Distinctio non facit Regulam perpetuam; nam Actiones populatores, & de suspectis Tutoribus removendis, licèt Publica non sint Judicia, cuivis tamen è populo conceduntur *l. popularis actio* 4. *ff. de Popular. action.* Contra adulterii, & suppositi partus crimina sunt Judicia publica, ad istorum autem criminum accusationem admittuntur soli parentes, & hi, ad quos ea res pertinet *l. quamvis* 30. *C. ad Leg. Jul. de adulter. & l. lege Cornelia* 30. §. *de partu* 1. *ff. de Leg. Cornel de fals.*

40 Quænam verò Crimina publica, quæ verò privata sint, ut rectè observant Clar. *pract. crim.* §. 1. *nu.* 6. Farin. *qu.* 18. *n.* 17. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 2. & 3. Vviestner. *hic n.* 25. desumendum est à Lege, & consuetudine, quæ illa adnumerat Delictis publicis, vel privatis; ac propterea, quia Jus, & consuetudo Delictum privatum adnumerare potest Delictis publicis, fit, ut denominatio Delicti publici, & privati non sit constans. De Jure Canonico, ut cum *citt.* notat Passerin. *Trib. Regul. q.* 9. *n.* 1. & 5. omnia Delicta censentur Publica: quin etiam de Jure Civili per consuetudinem, & locorum Statuta discrimen inter Delicta publica, & privata passim sublatum est, quòd Judex in omnibus procedat ex officio, & ad Accusationem quivis admittatur Clar. *n.* 6. *cit.*

41 Præscindendo à consuetudine, & locorum Statutis, *Privata Delicta* censentur injuriarum, furti, damni arborum furtim cæsarum, bonorum raptorum, expilatæ hæreditatis, termini moti &c. Gomez *l.* 3. *var. cap.* 1. *n.* 9. Farin. *q.* 18. *cit. n.* 15. Quæ pro *Publico* habentur, in triplici classe consistunt. Nam 1. aliqua directè sunt contra DEUM, aut res Divinas, ut blasphemia, Apostasia, Hæresis, Simonia, Magia, Sacrilegium &c. 2. Alia sunt contra Principis, aut Reip. Majestatem, ut perduellionis, & alia læsæ Majestatis crimina. 3. Alia committuntur quidem contra privatam personam, quia tamen Jus publica esse, voluit, Publicis accensentur, ut Homicidium, Parricidium, Adulterium, Stuprum, Veneficium, Crimen falsi, Vis publicæ, & privatæ, ambitus, peculatus, repetundarum, fraudatæ annonæ &c. *l. non omnia* 1. *ff. de Publ. Judic.* Vviestner. *hic n.* 25.

42 Dixi autem *num.* 38. generaliter loquendo permissum esse accusare omnibus, qui non specialiter, & expressè prohibentur; nam plura hominum genera in plerisque, & aliqui in omni Delicto ab Accusatione removentur. Hinc

Dub. 1. quibus hominum generibus accusare non sit permissum? Respond. Hos enumerat Macer *l. qui accusare* 8. & *duobus seqq. ff. h. tit.* quem è vestigio sequitur Gratianus *can. prohibentur* 14. *caus.* 2. *qu.* 1. juxta quos textus plura sunt capita, ex quibus aliquis ab accusando removetur.

Et 1. quidem *ob Sexum* Mulieres, prout patet ex *l. qui accusare cit. l. non est* 1. *ff. eod. l. de crimine* 12. *C. de his, qui accusare &c.* quia facilè inducuntur ad habendum amorem, vel odium. *Excipiuntur* crimina quædam atrociora, de quibus Farin. *q.* 12. *n.* 16.

43 2. *Ob Aetatem* Impuberes, utpote sufficienti intellectu ad perpendendum Accusationis negotium nondum instructi. Puberes autem, tametsi ante vigesimum annum completum testes in criminalibus causis agere nequeant *l. in testimonium* 26. *ff. de testib.* ab Accusatione tamen non arcentur. Sumitur ex *l. si maritus* 15. §. *lex Julia* 6. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* ubi Minores excluduntur à sola accusatione Adulterii, & ab hac quidem tantùm, quando proprium Matrimonium non est violatum. Igitur cùm exclusio unius sit inclusio alterius, alia crimina accusare poterunt, dummodo illius ætatis sint, ut postulare, seu in publicum procedere valeant, videlicet 17. annorum *l. hunc titulum* 1. §. *initium* 3. *ff. de postul.* eisque assistat Curator *l. clarum* 4. *C. de auth. præstand.* Imò consuetudine hodierna indistinctè admittuntur omnes minores ad accusandum, dummodo 14. ætatis annum impleverint. Clar. §. *fin. quæst.* 14. *num.* 17. Farin. *prax. crimin. quæst.* 12. *num.* 15. Gonzal. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 7. Reiffenstuel *hic num.* 16.

3. *Ob Conditionem* Servus; quia nec in Civilibus ad agendum admittitur *l. servus* 6. *C. de Judicis*. Ex eodem capite *l. accusare cit. fin.* Libertini prohibentur accusare Patronos suos. An verò ob Conditionem suam accusare sine consensu Patris prohibeantur *Filiusfam.* dissident inter se DD. nam aliqui cum Gloss. *in l. fin. pr. vers. necessitate V. imponenda C. de bon. quæ liber.* volunt, Filiumfamil. sine consensu Patris accusare non posse. Alii tamen cum Clar. §. *fin. quæst.* 14. *num.* 5. & Farin. *quæst.* 12. *n.* 10. eum etiam sine consensu patris admittunt ad accusandum, ex illa ratione; quia Accusatio pertinet ad Jus publicum, causam nempe publicam. In iis verò, quæ ad Jus publicum spectant, non attenditur jus Patriæ potestatis *l. filius fam.* 9. *ff. de his, qui sui, vel alien. Jur.* Hinc Clar. *l. cit.* ait, se in praxi de hac doctrina nunquam dubitari vidisse. Illud certum est, quòd filiusf. cùm consensu Patris accusare valeat, etiam Jure communi spectato. Reiffenstuel. *hic numer.* 18. 44

4. *Ob Delictum* Infames: ubi distinguendum est inter Jus Canonicum, & Civile; nam Jure Civili ab accusatione repelluntur tantùm Infames infamia Juris, *l. is, qui Judicio* 4. *ff. h. tit.* Jure Canonico autem etiam Infames infamia facti *can. quærendum* 18. *caus.* 2. *quæst.* 7. *can. infames* 17. *caus.* 6. *q.* 1. Huc reducuntur *Criminosi*, & qui ipsi in reatu sunt *l. neganda* 19. *C. de his, qui accusare &c. l. si quis* 5. *ff. de Publ. Judic.* ubi iterum discrimen faciendum est inter Jus Canonicum, & Civile; nam Jure Canonico quivis Criminosus, etiam nondum accusatus repellitur ab accusando, ut notat Clar. *quæst.* 14. *cit. nu.* 9. *cum aliis*. At Jure Civili, ut criminosus repellatur ab accusando, necesse est, ut sit accusatus, & ejus nomen inter reos receptum; nam simpliciter accusatus, si nomen ejus inter reos nondum receptum sit, potest tam de majori, quam de minori crimine, & sive suam, aut suorum, sive etiam extranei injuriam prosequatur, accusatorem suum, vel alium reaccusare. Secus, si nomen ejus inter reos jam sit relatum; tunc enim nequit accusare alium, nisi priùs se purgaverit, & appareat esse innocens *l. neganda cit.* vel nisi majus crimen illo, de quo ipse fuit accusatus, suo accusatori, vel alteri objiciat *l. prius* 1. *C. eod.* 45

5. *Ob Sacramentum* Miles qui stipendia meret, ne ob tentu Accusationis à signis, & servitiis militaribus abstrahantur. Ad Veteranos, extra Castra degentes, hæc prohibitio non extenditur; quia non militant, conf. in his causa prohibitionis cessat: quamvis delatores esse prohibeantur propter honorem, & merita militiæ *l. deferre* 18. §. *Veterani* 5. *ff. de Jur. fisc.* Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. num.* 8. Quoad Milites nostri temporis Decian. *l.* 3. *tract. crim. cap.* 16. *num.* 7. distinguit inter eos, qui sunt in expeditione, & castris, & inter illos, qui manent otiosi domi, & ad custodiam Civitatum: *illos* putat, etiamsi non subeant Sacramentum more Romano, ab Accusatione tamen adhuc arceri, quòd in his militet ratio assignata, ne scilicet disciplinam militarem deserant; secus verò de *istis*, seu posterioribus: in quo tamen, ut idem Author *num.* 8. addit, in arbitrio Judicis relinquendum est, quando ad accusandum sint admittendi. Rosbachius tamen *prax. crim. tit.* 1. *c.* 8. *n.* 14. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 3. *n.* 23. & alii existimant, Milites nostros ad accusandum indifferenter admitti. 46

6. *Ob Imperium* Magistratus; quia sicut hic sine fraude in Jus vocari nequit, sic æquum est, ne alios interea in jus vocet, vel accuset. Quod tamen DD. communiter intelligunt de Magistratu Romanorum majore, non etiam de inferiore, qui sine Imperio, & potestate est, ut Magistratus municipalis, & Judex Ordinarius *l. nec Magistratibus* 32. *ff. de Injur. & l. de Ordinario* 4. *C. de Offic. Præfect. Prætor. Orient. & Illyr.* quod optimè probat Decian. *l.* 3. *tract. crim. cap.* 15. *num.* 4. & *duob. seqq.* ex *l. qui accusare cit.* ibi *Propter Magistratum, potestatemve*, ubi Lex restringit prohibitionem ad eos duntaxat Magistratus, qui *Potestatem*, seu Imperium merum habent. *Neque obstat*, quòd textus loquatur alternativè; quia, 47

ut idem

ut idem Decianus *nu. 6.* cum Gloss. & Bartol. *in l. 2. V. vel pecudem ff. ad Leg. Aquil.* notat, cùm alternativa ponitur inter genus, & speciem, non servat naturam suam, sed exponitur *vel* pro *id est*, ut adeo sensus sit *propter Magistratum, id est, potestatem, seu merum Imperium.* Clariùs idipsum indicant verba *l. cit.* immediatè subsequentia, ubi pro Regula ponitur, ut accusare non possint, qui non possunt in Judicio conveniri. Certum autem est, quòd in Judicio conveniri possint Magistratus minores *l. nec Magistratibus cit.* Ergo etiam accusare poterunt. Solùm ergo accusare non permittentur Magistratus majores, & qui merum Imperium habent, & quidem solùm, dum in Magistratu sunt. Lauterbach. *ad ff. h. tit. §. 5.* Miller. *ad Struv. Exerc. ad Pandect. 49. th. 7. Lit. N.* Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n. 22.* Ne ob eorum potentiam accusatus opprimatur: quæ ratio in Minoribus Magistratibus cessat, cùm non ita magna sint præditi potestate.

48 7. *Ob turpem quæstum*, qui duo Judicia adversùs duos reos subscriptam jam habent; vel pecunias accusationis gratia receperunt; quia præsumuntur non æqua intentione ad accusandum prorumpere, qui tantopere laborant sanguinem humanum profundere per textus *citt.*

8. *Ob suspicionem calumniæ*, qui falsum testimonium subornati dixerunt *can. prohibentur cit. & l. alii 9. ff. h. tit.*

9. *Ob paupertatem*, qui minùs quàm 50. aureos in facultatibus suis habent *l. nonnulli 10. ff. eod.* nisi tamen constet, quòd bonæ conversationis, & honestæ sint vitæ, Gloss. *in l. cit.* Clar. *§. fin. q. 14. nu. 19.* Decian. *tr. crim. l. 3. c. 22. n. 16.* Fatin. *q. 12. nu. 50.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 8. n. 44.* Carpz. *pract. crim. p. 3. q. 104. num. 29.* Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 8.* Pithing. *hic n. 6.* Konig. *n. 23*, Reiffenstuel *n. 27.*

49 Dub. 2. an præter enumeratos ab accusando repellantur adhuc alii? Respond. Præter enumeratos, & *can. prohibentur, & l. qui accusare, l. alii, l. nonnulli, citt.* comprehensos plures adhuc sunt, qui ab accusando prohibentur vel simpliciter, vel respectu certarum personarum.

Et quidem 1. *ob defectum animi* furiosus, mente captus, & prodigus. Decian. *tr. crim. l. 3. c. 11. n. 1. & 2.* furiosus quidem, & mente captus; quia in Judices voluntas requiritur, cùm in illis dicatur quasi contrahi *l. licèt 3. §. idem scribit 11. ff. de pecul.* prodigus autem; quia æquiparatur pupillo habenti tutorem, vel minori habenti curatorem *l. si curatorem 3. C. de in integr. restit. & l. Fulcinius 7. §. adeo 9. ff. ex quib. caus. in possess. eat. Neque obstat*, quòd prodigus obligetur ex delicto, ut cum Gloss. *in l. si quis in tantam q. 3. C. unde vi* communiter docent *Interpp. & DD.* apud Decian. *l. 3. cit. cap. 11. nu. 3.* conf. etiam videatur posse accusare de delicto; nam disparitas est, quia ex delicto cùm obligatur, delictum jam est commissum, & ideo meritò puniendus, ne delinquendi occasio ipsi detur; contra dum accusat, cùm accusator deficiens in probatione condemnetur ad expensas, & subeat pœnam talionis, periculum incurrit, ne facilitate sua profundat bona sua, ob quod periculum interdictum ipsi est bonis suis.

50 2. *Ob defectum corporis* Surdi, & muti, si tales sint à nativitate: secus, si ex accidenti tantùm, præsertim si scribere noverint. Decian. *cap. 11. cit. nu. 14. & trib. seqq.* Konig *hic num. 17.* Vviestner *ibid. numer. 27. Ratio primi* est, quia non possunt sufficienter explicare consensum, & voluntatem suam: & ideo agere non possunt civiliter, vel postulare pro se, vel pro aliis *l. hunc titulum 1. §. initium 3. vers. propter casum, ff. de postuland. & l. mutus, & surdus 43. pr. ff. de Procurator.* multò minùs igitur accusare poterunt, cùm ad munus accusandi ob gravitatem causæ criminalis major utique personæ habilitas requiratur. *Ratio secundi*; quia mutus, & surdus ex accidenti, si scribere noverit, accusatoris officia omnia implere potest saltem scribendo, & legendo. Igitur cùm nulla Lex eundem ab accusatione removeat, ad eam est admittendus. Multo magis ad accusandum admitti potest Surdus tantùm, aut mutus tantùm, & cæcus, circa ea, quæ sensu proprio possunt percipere, aut quæ perceperunt, antequam in infortunium illud inciderent; nam circa hæc possunt esse testes. Decian. *n. 6. &c.*

51 3. *Ob vinculum Censuræ* Excommunicatus, sive ligatus Excommunicatione majore; nam hic agendo repelli potest, & debet *cap. intelleximus 7. de Judic. & cap. pia 1. de Except. in 6.* Ergo nec accusare potest; quia accusator in causa criminali proprius est actor. Idque servandum etiam in foro Civil. Clar. *§. fin. quæst. 14. num. 16.* Farin. *quæst. 12. num. 29.* Pirh. *hic n. 6.* Konig. *n. 19.* Reiffenst. *n. 24.* cum aliis. Excommunicatus Excommunicatione minori ab accusando non repellitur. Farin. *n. 32. & 33.* & ratio disparitatis est; quia Excommunicatus Excommunicatione majore ab agendo, & accusando repellitur, quòd ista Censura eum privet communicatione cum fidelibus, qua communicatione non privat Excommunicatio minor.

4. *Ob reverentiam* filius prohibetur accusare patrem; quia nec contra ipsum agere potest civiliter sine venia *l. quicunque 4. §. Prætor ait 1. ff. de in Jus vocand.* quod intelligendum etiam de filio naturali, spurio, adoptivo, emancipato: nec de parentibus, & filiis tantùm, sed etiam de descendentibus quibuscunque respectu suorum Ascendentium; nam etiam hi nomine Ascendentium, & illi Filiorum nuncupatione veniunt. Decian. *l. 3. cit. c. 14. n. 1. & trib. seqq.* Ob eandem reverentiæ, & gratitudinis obligationem accusare prohibetur Libertus patronum, vel ejus hæredem *l. qui accusare 8. fin. h. tit.* Alumnus Educatorem *l. iniquum 17. C. de his, qui accusar. non poss.* Vasallus Dominum *2. feud. 33. §. 1. vers. similiter.* Discipulus Magistrum, cùm filio ille, iste patri æquiparetur, utpote qui eundem docuit vitam meliorem vivere: quorum omnium ratio est, quia nimis inhumanum, & brutorum feritate crudelius est vitam naturalem, vel civilem, quam accepisti à parentibus, & patronis, per accusationem iisdem eripere. 52

5. *Ob conjunctionem sanguinis* accusator Fratris non potest esse Frater, ita quidem, ut accusanti exilii pœna statuatur *l. si magnum 13. & l. sororem 18. C. de his, qui accusar.* nimis enim inhumanum videtur, ut frater fratris publicam damnationem desideret. *Excipitur* nisi crimen sit leve; de hoc enim frater fratrem accusare potest *l. citt.* item si accuset ad vitam propriam conservandam, ut quia frater fratris vitæ insidias parat; nam ex ejusmodi causa etiam pater potest accusare filium *l. propter insidias 14. C. eod.* Non est autem discrimen hìc faciendum inter fratres germanos, consanguineos, & uterinos; quia *l. si magnum cit.* indistinctè loquitur, ejusque ratio in jure sanguinis fundatur. Fratrum tamen nomine non veniunt hìc fratres patrueles, fratres adoptivi, fratres spirituales, & multo minùs Privigni, *die zusammen: gebrachte Kinder.* Decian. *l. 1. cit. c. 13. nu. 19. & seqq.* quia non sunt propriè fratres. 53

6. *Ob familiaritatem* accusare prohibetur quis eum, cujus familiaritati inhæsit *l. si quis 20. C. de his, qui accusar.* imò si accusaverit, ultore gladio feriri in *l. cit.* jubetur; quia, ut *ibid.* Arcadius, & Honorius Impp. loquuntur, *vocem funestam amputari oportet potiùs, quàm audiri. Excipiuntur* familiares Episcopi, & aliorum Prælatorum; nam hos, si accusare Episcopum suum, vel Prælatum velint, non possunt hi ab accusando repellere *c. nulli 5. h. tit.* licèt repellere illos, si ita iisdem videbitur, possit Judex. Decian. *c. 14. n. 11.* cum Gloss. Felin. & aliis. *Ratio exceptionis* est, quia Episcopus, & Prælatus debet habere familiam sanctam, & cùm semel approbaverit eorum fidem, non potest ampliùs illos reprobare. Intellige autem, si tales sint, quorum mores ob assiduam cum iis conversationem Prælatus, vel Episcopus potuit cognoscere, ut sunt eorum Cubicularii: secus, si tales sint, cum quibus non adeo frequenter conversatur; nam in his cessat ratio textus *c. nulli cit.* imò etiam priores repelli possunt, si alio laborent impedimento, quia v. gr. sunt Laici, Excommunicati &c. ob quod impedimentum repelli non familiares possunt. Decian. *l. cit. numer. 13. & seqq.* 54

7. *Ob odium* Inimicus capitalis, aut aliàs valde infestus non permittitur accusare eum, quem aversatur *c. meminimus 13. h. tit.* Quia talis præsumitur accusare potiùs privatæ vindictæ causa, quàm zelo Justitiæ. Talis esse præsumitur 1. accusatus respectu ejus, qui illum accusavit; nam hic, nisi suam, vel suorum injuriam prosequantur, recusare accusatorem suum non permittuntur in pari, vel minori crimine, licèt possint de majori *l. prius 1. & l. neganda 19. C. de his, qui accusar.* 2. Qui tulit testimonium in causa criminali respectu ejusdem causæ, nisi coactus tulerit *c. cùm P. 10. h. tit.* quia ex tali testimonio præsumitur oriri inimicitia inter testem, & eum, contra 55

contra quem testis deposuit. 3. Judæus, Paganus, Hæreticus respectu Christiani, & Catholicis *can. Pagani 25. caus. 2. q. 7.* quod circa Hæreticos in Germania non procedit, cùm in hac Hæretici cum Catholicis mixti degant. 4. Laicus respectu Clerici *c. cùm P. cit.* quia horum accusatio præsumitur ex odio proficisci. 5. Inimicis cohabitantes, & cum eis frequenter versantes; quia ejusdem voluntatis, & affectionis esse creduntur, cujus sunt ii, qui domestici, & familiares sunt *c. repellantur 7. h. tit.*

56 8. *Ob conditionem* Clerici, & Religiosi, qui prohibentur accusare Laicos *can. sicut 6. caus. 2. q. 7.* tum quia accusatio est genus illaudabilis, intentionis *can. siquis 50.* & ibi Gloss. *V. illaudabilis q. cit.* ideoque Clericus se immiscere non debet hujusmodi odiosis litigiis; tum quia Clerici debent esse segregati à vita, & actionibus Laicorum. Abb. *in cap. cum P. 15. num. 8. h. tit.* Farin. *q. 12. nu. 12. vers. limita 1.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tract. 3. num. 12.* Engl. *hic num. 6.* Pirhingh. *num. 4.* Schambog. *nu. 6.* Reiffenstuel *num. 19.* qui tamen distinguunt, utrum agatur ad publicam vindictam, vel solùm ad privatæ injuriæ satisfactionem; nam *Si primum*, indistinctè neganda est Clericis, & Religiosis authoritas accusandi, sive agatur ad pœnam sanguinis, sive non, ob rationes allegatas. *Si secundum*, licitè Laicum Clericus accusar, modò in casu, quo pro delicto pœna sanguinis imponenda venit, protestetur, quòd non intendat agere ad vindictam, seu pœnam sanguinis, vel aliam corporalem; quia aliàs daretur Laicis ansa impune delinquendi in Clericos. Neque hoc casu Clericus irregularis efficitur, etiamsi dein Judex, insuper habita protestatione Clerici, reum condemnet ad pœnam sanguinis ordinariam, in quo differt Clericus accusator, prosequens suam, suorum, vel Ecclesiæ suæ injuriam, à Clerico, deponente testimonium in hujusmodi causa, qui non obstante simili protestatione, Irregularis efficitur, si reus postea pœna mortis, vel mutilationis plectatur. Clar. *q. 24. n. 9.* Farin. *num. 12.* Pirh. *n. 4.* Konig. *n. 13.*

57 Dub. 3. an hactenus recensiti aliquando ad accusandum admitti possint? Resp. Plerosque illorum in certis casibus ad accusandum admitti posse, imò debere. Et 1. quidem, quando suam, ac suorum injuriam prosequuntur *can. de crimine 1. & can. seq. caus. 15. quæst. 3. l. certis 2. §. pupillis 1. ff. h. tit. l. de crimine 12. C. de his, qui accusar. Suorum* autem nomine cum Ant. Gomez, Farinac. *num. 58. in fin.* vult intelligi hìc consanguineos usque ad sextum gradum, ultra hunc reliquos reputari pro extraneis, nec prosequentem istorum injurias censeri prosequi injurias suorum.

58 2. In crimine læsæ majestatis *l. in quæstionibus 8. ff. ad Leg. Jul. Majest.* & aliis atrocissimis, uti est crimen Hæresis; quia hæc Majestatis crimini æquiparatur *c. vergentis 10. de Hæretic. c.* item Simoniæ, Sacrilegii, Latrocinii, Assassinii, Testimonii falsi, falsatæ monetæ, fraudatæ annonæ, Census, aut pecuniæ publicæ, *per textus*, aut *arg. l. famosi 7. ff. ad Leg. Jul. Majest. & l. vix certis 53. ff. de Judic.*

59 3. Quando agitur de Ecclesiæ, vel Monasterii, aut alia utilitate publica *arg. c. illa 3. c. nulli 5. & c. ex parte 11. h. tit.* Et ex hoc capite Laicus, etiam extraneus, accusare potest Prælatum, vel alium Clericum super dilapidatione bonorum Ecclesiæ. Clar. *§. fin. q. 14. n. 21.* Farin. *q. 12. n. 13. vers. si vero*, Honor. *hic nu. 4.* Pirhing. *ibid. n. 4. vers. 2. prohibentur.*

60 Dixi autem, *plerosque ex enumeratis à n. 42. in recensitis modo casibus admitti posse ad accusandum.* Nam aliqui ne quidem in istis casibus admittuntur ad accusandum, verò in uno solùm, vel altero.

Absolutè repelluntur 1. infantes, amentes, furiosi, quos defectus rationis à munere isto repellit. 2. Surdi, ac muti simul, si tales sint, ut mentem & voluntatem suam satis explicare non possint, ut per se patet. 3. Excommunicati Excommunicatione majore ob periculum participationis, quod periculum cùm urgeat etiam in casibus à *num. 57.* recensitis, ideo hujusmodi Excommunicati ne quidem in criminibus exceptis, aut quando se, suorumque injuriam prosequuntur, ad accusandum admitti possunt. Decian. *tract. crim. cap. 20. à num. 4. Excipitur* casus rarissimus, quo verteretur causa boni publici, & hujus periculum aliter, quàm accusatione ab Excommunicato facta averti non posset. *Ratio est*, ut sic Censura Ecclesiastica magis timeatur, Communionis periculum evitetur, & contumaciæ vitium reprimatur. Farin. *q. 12. num. 31.* Pirhing. *hic num. 6.* Konig. *numer. 19.* Reiffenstuel *n. 24.*

Limitatè ab accusando repelluntur. 1. Inimicus respectu ejus, respectu cujus inimicitias gerit; nam hic quidem admitti debet ad accusandum, quando suam, vel suorum injuriam prosequitur, ut notat Clar. *§. fin. q. 14. n. 17. in fin.* & Farin. *q. 12. cit. n. 44.* ubi rationem dat, quia aliàs nullus accusando prosequi injuriam suam posset, cùm omnes illi, qui prosequuntur suam, vel suorum injuriam, præsumantur inimici esse accusato propter injuriam. Extra hunc casum tamen ab accusando inimico inimicus repellitur, etiam in criminibus exceptis Decian. *tr. crim. l. 3. cap. 25. num. 6.* Farin. *num. 39.* & alii apud istos: quia non minùs Reip. interest, ne quis injustè damnetur, quod facilè fieret, si capitales inimici ad accusandum inimicum in criminibus præfatis admitterentur. *Et extenditur hoc 1.* etiamsi accusatus culpa sua dederit causam inimicitiæ; nihilominus enim excipere potest contra inimicum accusatorem; dummodo causam inimicitiæ non dederit fraude, & dolo, ut nempe accusatorem posset repellere. Abb. *in c. repellantur, 7. h. tit. n. 5.* Decian. *l. cit. num. 16.* Reiffenstuel *hic n. 25. fin. Extenditur 2.* etiamsi esset reconciliatus inimico suo, si reconciliatio sit recens; secus, si dudum antea facta. Decian. *num. 21.* Farin. *num. 41. & duob. seqq.* Pirhing. *n. 9. fin. Extenditur 3.* etsi crimen opponat per modum Exceptionis tantùm, si hæc voluntaria sit, seu sponte opposita. Decian. *n. 15.* Farin. *n. 40. vers. amplia 2.* Pirhing. *n. 9. cit.* & sumitur ex *c. meminimus 13. h. tit. Extenditur 4.* etsi crimen, de quo accusare inimicum vult, sit notorium; quia non deerunt hoc casu alii accusatores, & si desint, ex officio inquiret Judex. Decian. *n. 8.* Farin. *l. cit. Excipitur* causa Hæresis; nam in hac accusare potest etiam inimicus; quia tunc dicitur prosequi suam injuriam, cum id, quod in Divinam Religionem committitur, in omnium inferatur injuriam. Decian. *n. 7.* Farin. *n. 39.*

2. Liberi Parentes suos, & Liberti Patronos accusare 62
quidem possunt in criminibus exceptis, ut ex crimine læsæ Majestatis cum communi expresse concedit Decian. *l. 3. cit. cap. 14. num. 23.* de crimine Hæresis patet *can. legi 13. caus. 23. quæst. 8. & cap. litteras 14. de præsumpt.* quod multo magis concedendum de consanguineis, & à tenera ætate alimentatis, cùm minor istorum conjunctio, & minor obligatio ad reverentiam sit. Extra crimina excepta tamen accusatio Parentum, Patronorum &c. ipsis non permittitur, etiam quando propriam suam, aut suorum injuriam prosequuntur; sed sufficiet eo casu, si civiliter eosdem conveniant, casu, quo fortè rerum suarum jacturam ab iis sunt passi, Engl. *hic n. 13.*

3. Clerici agere quidem civiliter contra Laicos pos- 63
sunt, prosequendo suam, suorum, vel Ecclesiæ suæ injuriam, cum protestatione, quòd non intendant pœnam sanguinis, ut dictum est *suprà n. 56.* criminaliter tamen accusare illos etiam in criminibus exceptis nequeunt, ob Irregularitatis periculum, quam incurrerent casu, quo ad ipsorum accusationem reus plecteretur pœna mortis, vel mutilationis. Interim tamen nihil obstat, quo minùs Parochus, vel Concionator absque speciali designatione hominis, vel pœnæ in genere monere possit Magistratus, ut pro securitate publica, & ad scandalum vitandum Justitiam administrent, & in malefactores inquirant. Engl. *hic n. 7.*

Dub. 4. an Clerici, præsertim familiares, accusare pos- 64
sint Episcopum suum, vel Religiosi Abbatem, aut Prælatum suum? Videntur non posse ob reverentiam, & obedientiam ipsis debitam.

Sed aperti Juris est, utriusque permissam esse accusationem, Clericis quidem respectu Episcopi *cap. nulli 5. h. tit.* Religiosis verò respectu Abbatis, aut Præpositi sui Regularis *capit. illa 3. & capit. ex parte 11. eod.* quòd ea spectet utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterii, cujus interest, pro Pastore, & Administratore non habere Lupum, aut Dissipatorem. Barbos. *in cap. illa cit. num. 2. & in cap. ex parte num. 2.* Gonzal. *ibid. num. 2. & in c. 2. eod. num. 3.* Vallens. *hic §. 2. num. 6.* Canis. *num. 4. fin.* Zoes. *num. 2.* Honor. *num. 6.* Pirhing. *num. 10.* Schamb. *n. 8.* Konig. *nu. 14.* Reiffenstuel *nu. 19.* Et procedit etiam de Fratribus Conversis, seu Laicis; nam cùm horum enim

etiam intersit habere bonum Prælatum, ad hunc accusandum admitti debent. Abb. *in c. 3. cit. n. 2.* Pirhing *n. 13.* Antequam tamen Religiosus admittatur ad accusandum suum Prælatum, præmitti Summaria causæ cognitio debet, qua disquiratur, etiam in absentia partium, an accusare volens procedat bono, vel malo zelo; nam si alii sine tali prævia inquisitione non accusant, multo minùs accusare Prælatum Religiosis permitti debet. Joann. Andr. *in c. cit. num. 9.* Abb. *num. 9.* Pirhing *numer. 11.*

65 Ubi de bono zelo accusare volentis constiterit, provolare iste ad accusationem Prælati sui potest, etiam venia ad accusandum ab hoc non impetrata, vel petita; quia fortè eam negaret. Abb. *in 2. ex parte cit. n. 6.* Durand. *Specul. de Actore §. un. n. 18.* Sanch. *l. 6. moral. c. 12. n. 19.* Barbos. *in c. ex parte cit. n. 2.* Pirhing *hic n. 10. not. 1.* Schambog *n. 10.* Vviestn. *n. 34.* cum aliis. Quoties verò Religiosus accusat Abbatem suum, sunt ei ministrandæ de rebus Monasterii expensæ litis, usque dum hæc debitum finem accipiat, prout deciditur *c. ex parte cit.* & redditur *ibi* ratio, quia Monachus proprium non habet. Quod intelligendum non solùm de expensis ad victum, sed etiam de iis, quæ necessariæ sunt ad litem prosequendam. Gloss. *fin. in c. ex parte cit.* Joann. Andr. *ibid. in fin.* Anchar. *n. 3.* Abb. *n. 9.* Felin. *n. 4.* Sanch. *l. cit. n. 20.* Pirhing *hic n. 11.* Idque verum est, sive Monachus accuset, sive denuntiet Abbatem; nam licèt textus *cap. ex parte cit.* loquatur de accusatione, eadem tamen est ratio de denuntiatione, ut cum *citt.* advertit Innoc. *in c. cit. fin.*

66 *Excipiendi* tamen sunt tres casus, in quibus Monasterium Religioso suo subministrare expensas pro lite non tenetur. Et 1. quidem; si Religiosus Abbatem accusans habeat peculium aliquod; quia tunc cessat ratio *cap. ex parte cit.* nempe quòd Religiosus aliunde non habeat, ex quo solvat expensas. Abb. *in c. cit. n. 9.* Felin. *n. 4.* Sanchez *n. 21.* Pirh. *n. 12.* 2. Si accuset ob causam non Monasterii, sed propriam. Sanch *n. 23.* Et idem dicendum, si prosequatur causam Electionis suæ, qua electus est ad Dignitatem extra Monasterium: secus, si eligatur ad Prælaturam in suo Monasterio; nam tunc Monasterium tenetur ministrare expensas necessarias ad litem sibi super electione motam, cùm ejus intersit. Felin. *n. 4.* Sanch. *n. 26.* Pirh. *n. 11.* 3. Si Monachus alium, quam Abbabatem accuset. Gloss. *in can. cùm pastor 58. V. eod. caus. 2. q. 7.* Pirhing *l. cit.*

67 Similiter Abbati accusato à Monachis debet Monasterium tribuere expensas ad se defendendum, usque ad finem litis; quia etiam Monasterii interest non deponi Abbatem culpæ expertem. Gloss. *in cap. ex parte cit. V. alia*, Joan. Andr. *ibid. n. 8.* Abb. *nu. 15.* Sanch. *nu. 24.* Pirh. *n. 11.* Idque extenditur etiam, quando Abbas remotus est ab administratione, sive ab illa suspensus; adhuc enim debent illi subministrari expensæ à Monasterio ad se defendendum: secus, si esset omnino privatus titulo, i. e. verè, ac realiter depositus, cùm tunc nihil amplius habeat commune cum Monasterio. Ita *citatt.* Nunquam tamen Abbati Monasterium subministrare tenetur expensas, ut se defendat, quando habet peculium ad id sufficiens. Sanch. *l. cit.*

68 Neque contrarium probat reverentia, & obedientia debita Episcopo, vel Abbati, cùm clari Juris textus accusationem permittat. Hoc solùm sequitur, quòd à tali Religioso propterea non minor obedientia præstanda sit Prælato. *Excipitur* casus, quo præciperet, ut ab accusatione desisteretur; tale enim præceptum, tanquam injustum, & in Ecclesiæ, vel Monasterii detrimentum cedens, non obligaret *c. olim 26. h. tit.*

69 Dub. 5. quando accusare permittantur Servi? Resp. Regulariter quidem, ut dictum est *suprà n. 44.* non permitti Servis potestatem accusandi: quod verum est, etiamsi suam propriam injuriam vellent prosequi. Gloss. *in can. omnibus 2. caus. 4. q. 6.* Decian. *tr. crim. l. 3. c. 8. n. 2.* nisi hanc contra ipsius patronum vellet prosequi in casu statim referendo. Et intelligendum hoc etiam est de Statu Libertis, ut patet ex *l. statu liberi 29. pr. ff. de stat. liber.* ubi dicitur, quod Statu liberi nihil penè à Servis differant, maximè in criminalibus.

70 Plures tamen sunt casus, in quibus Servi ad accusandum admittuntur. Et 1. quidem in criminibus exceptis. Decian. *c. 8. cit. n. 4. & quinque seqq.* 2. Quando Servus communi opinione pro libero habitus fuit; nam tali casu Accusatio ejus valet *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* 3. Quando accusavit, & nil ipsi fuit oppositum, vel supplicavit, & impetravit Rescriptum; quia tunc poterit accusationem prosequi, & impetrata exequi *l. universis 6. C. de precib. Imper. offerend.* 4. Quando vult accusare interfectorem Domini sui *l. licèt 1. C. eod.* cujus textus Constitutio licèt loquatur tantùm de Supplicatione, ob paritatem tamen rationis procedit etiam in Accusatione; nam Supplicationem Servi, deferentis interfectorem Domini sui, duæ causæ admitti faciunt, atrocitas scilicet criminis, & fidei exemplum, quæ rationes etiam suadent deferendum ejusdem Accusationi *Conf.* ex *l. quoniam 1. C. pro quib. caus. Serv. pro præm. libert. accip.* ubi Servus, si necem domini accusaverit, & ejus necis reum convicerit, pro præmio libertatem consequitur. Ergo necesse est, ut accusatio ejus priùs legitima fuerit.

Utrum verò, & quibus casibus Servus accusare dominum suum possit, controversia est inter DD. Antonius Matthæus *de crim. tit. de Accusat. c. 1. nu. 4.* putat, accusationem Domini Servo solùm concedi in crimine læsæ majestatis, nixus textu *l. si quis 30. C. de his, qui accusar.* ibi, *Majestatis autem crimen tantùm excipimus.* Sed clari sunt textus *l. vix certis 53. pr. ff. de Judic. & l. nullo 7. ff. ad Leg. Cornel. de fals.* ubi Servus permittitur accusare dominum suum de suppressis tabulis Testamenti, quo libertas sibi dabatur. Hinc alii ad Legum correctionem excludendam ex *l. si quis cit.* eliminant particulam taxativam *Tantum*: nec sine fundamento; nam *in l. un. Cod. Theodos. ne propt. crim. serv.* ubi ea Constitutio reperitur, particula ista non ponitur, ut advertit Gonzal. *in c. 1. h. tit. n. 8. circ. princ.* 71

Quæritur 4. quinam accusari possint? Resp. Accusari possunt generaliter delinquentes omnes, nulla ætatis, vel sexus habita ratione, modò non careant usu rationis ad delinquendùm requisito, & Lege non prohibeantur. Clar. *§. fin. q. 16. n. 1.* Vvesenbec. *ff. h. tit. nu. 10.* Rosbach. *prax. crim. tit. 1. c. 9. n. 1.* Pirhing *hic num. 23.* Reiffenst. *ibid. n. 34.* Magnif. P. Schmier *tr. de Delict. p. 1. c. 4. n. 33.* 72

Prohibentur autem accusari 1. *Infantes, furiosi, amentes;* nam illos innocentia consilii, hos calamitas, & fati infelicitas excusat, ut dicitur *l. infans 12. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Et hoc adeo verum est, ut furiosus, qui ante furorem homicidium, vel aliud delictum capitale commisit, donec resipiscat, nec reus postulari, nec ultimo supplicio, aut pœnæ corporali addici possit, cùm satis ipso furore puniatur *l. Divus 14. ff. de Offic. Præsid.* Ita post *Bald. Josan. Reip.* tenent Clar. *§. fin. q. 60. n. 7.* Gaill. *l. 2. obs. 110. n. 22.* Konig *hic n. 33.* contra Fachin. *l. 9. cont. cap. 3.* *Excipitur*, si crimen sit atrocissimum; pro hoc enim etiam furiosum propter exemplum puniri posse, notat Hippol. *in l. 1. n. 58. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* cùm etiam pecora rationis expertia eo casu morte puniantur, non propter conscientiam peccati, sed quia refricant indignam memoriam facti. 73

2. *Minores 25. annis*, si puberes, aut paubertati proximi, & doli capaces sint, accusari quidem possunt, sed non aliter, quàm dato à Judice Curatore, qui liti, aut causæ assistat, & in ea authoritatem præstet; alias processus, & Judicium irritum, ac nullo erit *l. clarum 4. C. de Author. præstand.* Idque obtinet, quantumvis Minor accusatus Patrem habeat, qui legitimus ejusdem Administrator est; nam etiam tunc Judex in causa criminali illi Curatorem dabit vel ipsum patrem, vel alium quemcunque idoneum, si ita visum eidem fuerit, quòd legitima Patris administratio solùm pertineat ad bona adventitia filii, & lites super his motas *l. res, quæ 1. C. de bon. matern.* quod procedit, spectato Jure communi; nam praxis nullum penitus Curatorem minori adesse sinit teste Carpzov. *prax. crim. p. 3. q. 145. n. 32.* Konig *hic n. 34.* Reiffenst. *ib. n. 35.* 74

3. Frustra accusantur *Servi* de criminibus, quæ vel Civitatis amissionem, vel pœnam pecuniariam secum ferunt; quia cùm nec Civitatem, nec proprii quidquam habeant, pœna hujusmodi in eos non cadit, sed durior eis extra ordinem imminebit *l. hos accusare 12. §. fin. ff. h. tit.* 75

4. Accusari regulariter nequeunt *ante condemnationem mortui*, ut habetur *l. ex judiciorum 20. ff. h. tit. l. similes 1. & seqq.* 76

& seqq. C. si reus, vel accusat. mort. Quia crimina mortalitate extinguntur. *l. fin. ff. ad leg. Jul. Majest.* unde nec in hæredes pœna Delicti transit *l. ex judiciorum cit. l. si pœna 20. & l. crimen 26. ff. de pœnis*, cùm æquitas postulet, ut delicta suos teneant Authores, nec ulterius progrediatur metus pœnæ, quam delictum reperiatur *l. sancimus 22. C. eod.* Reiffenstuel *hic nu.* 37. *Excipitur* repetundarum, & Majestatis (non quomodocunque, sed perduellione, & hostili animo in Remp. vel Principem) læsæ judicium, item Hæresis, & alia similia crimina; hæc enim Judicia etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur *l. ex judiciorum & l. fin. citt. l. Manichæos 4. §. in mortem 4. C. de Hæretic.* Quodsi lis cum defuncto contestata, & condemnatio, præsertim ad pœnam pecuniariam, secuta fuerit, antequam condemnatus obiit, vel accusatus sibi mortem consciverit, pœna bonorum ademptionis adversùs hæredes ejusdem transit *l. ex judiciorum cit.* Clar. *§. fin. q.* 51. *nu.* 16. Rosbach. *prax. crim. tit.* 1. *c.* 9. *n.* 2. Konig *hic n.* 45.

77 5. Accusari nemo regulariter potest. *si lapsum sit tempus, quo Actionibus criminalibus præscribitur*; sicut enim in Actionibus Civilibus, ita & in causis criminalibus certum constitutum est tempus, quo elapso Delictum obliteratur, & nulla ampliùs accusatio, vel inquisitio admittitur, usque adeo, ut Judex hujus Exceptionis, quamvis à reo non opponatur, vel allegetur, rationem habere debeat, cùm ex officio suo pro defensione Rei laborare teneatur *arg. l. hic titulus 1. §. generaliter 1. ff. de Legat. præstand. l. de pretio 8. ff. de Publ. in rem action. l. si non 19. ff. de Pœnis, l. in criminibus 1. ff. de Quæstion. Auth. qui semel C. quomodo & quand. Jud.* cùm publicè intersit, innocentes defendi *l. servum 33. §. publicè 2. ff. de Procurator.* Carpzov. *Jurispr. for. p. 1. constit.* 25. *defin.* 3. Et hinc si deprehendat Judex, actionem criminalem esse præscriptione sublatam, non magis tunc poterit condemnare reum, quàm si antea fuisset punitus; quia Satisfactio criminis, & præscriptio pari passu ambulant *l. sed si 17. §. ante judicium 6. ff. de injur.* Boet. *dec.* 26. *num.* 18. Carpzov. *l. cit. nu.* 2. & 3. *Proceditque hoc*, etiamsi reus post præscriptionem temporis fateatur Delictum à se commissum, aut aliunde illud fiat notorium; quia per præscriptionem non tantùm accusatio, sed ipsum etiam maleficium aboletur. Farin. *prax. crim. q.* 10. *n.* 14. Carpz. *l. cit. n.* 4. Quomodo autem aboleatur Delictum præscriptione temporis, dicetur *infrà n.* 121.

78 6. Accusari non possunt *Supremi Principes*. Superiorem in terris non recognoscentes, etiam in solis temporalibus. Host. *Summ. hic n.* 7. Talis in Spiritualibus est Summus Pontifex, cujus causa à nemine, quàm DEO judicatur, nisi causa sit Hæresis *can. si Papa 6. dist.* 40. In temporalibus Imperator, qui licèt in Civilibus arbitrium Electoris Palatini sponte eligat juxta *Auream bullam tit.* 5. §. 3. in Criminalibus tamen Judicem, aut Arbitrium non habet. Vitriar *Inst. Jur. Publ. l.* 3. *tit.* 12. *n.* 17. Rhethius *simili tr. l. 1. tit. 4. nu.* 64. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. c.* 4. *n.* 35.

79 7. Nequeunt accusari *Legati Imperatoris*, iterum *Magistratus populi*, durante eorum officio, nisi circa hoc delinquant, & *qui Reip. causa absunt*, prout habetur *l. hos accusare 12. ff. h. tit.* in his enim executio accusationis differtur usque ad depositionem officii, data interim cautione de Judicio sisti *l. si adulterium 38. §. fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Canis. *l.* 4. *Summ. tit.* 19. §. 10. Konig *hic n.* 38. Reiffenst. *ibid. n.* 39. Addidi, *Nisi delinquant circa suum Officium*; nam de Delictis factis in Officio bene conveniri Magistratus possunt. Rosbach. *prax. crim. tit.* 1. *c.* 8. *n.* 14. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr.* 3. *n.* 39. Ratio est, quia tempore Magistratus delinquendo inhonorant ipsam suam dignitatem, & offendunt Supremum Principem, aut Remp. à qua Magistratum acceperunt, modo speciali; digni proinde sunt, qui etiam, durante Magistratu, accusari, & puniri possint, ut hoc modo frenum habeant rite suum officium administrandi. Cautus tamen, & circumspectus sit Magistratus Superior, ne antè decernat Processum, quàm Delicto delato, validis ac certis indiciis instruatur, ne alioquin quisque subditorum pravo affectu, vel odio correptus adversus Magistratum suum præsumat insurgere *arg. l. Prætor. 7. §. præterea 2. vers. nec patietur ff. de Injur.* quia regulariter præsumitur pro Magistratu, nisi alia conjectura sit in contrarium. Gaill. *l.* 1. *obs.* 17. *n.* 6. & 7. Konig *hic n.* 38.

Dub. 1. utrum absentes possint accusari? Resp. Proponi quidem accusationem contra absentem posse, ut accusatus citetur à Judice ad comparendum. Quodsi tamen ille legitimè citatus non comparuerit, nec realiter citari, seu corporaliter apprehendi possit (quia fortasse profugus est, aut Judex, sub cujus districtu latet, non præbet alteri Judici auxiliares manus) interest, an crimen tale sit, ut mereatur solùm pœnam pecuniariam, aut quæ existimationem contingit; an verò tale, ex quo pœna corporalis, vel in metallum, aut alia similis relegatione major infligenda venit. 80

Si primum, poterit accusatio unà cum Judicio criminali ad finem usque perduci, & pœna illa in absentem, si priùs admonitus per contumaciam absit, statui, ac procedi usque ad relegationem. Brunnem. *in l. absentem 6. C. de Pœnis n.* 3. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 3. Magn. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n.* 37. 81

Si secundum, accusatio unà cum Judicio manet suspensa; *neque enim, inaudita causa, quemquam damnari æquitatis ratio patitur*, ut dicitur *l. Divi 1. ff. de requirend. vel absentib. damnand.* Solùm ergo annotabuntur ipsius bona, h. e. à Judice obsignantur, sive arrestantur, ut si intra annum redierit, & se purgaverit, integram rem suam recipiat. Sin autem labi eundem passus sit, bona ejus omnia annotata in fiscum deferuntur, sequente infamia, pœna autem alia non infertur *l. fin. ff. eod.* nisi intra annum decesserit, quo casu expirabit criminis causa, & bona ejus transmittuntur ad successores *l. Divi cit. §. fin.* Brunnem. *l. cit.* Engl *hic num.* 19. Konig *n.* 39. Sed licèt hoc ita sit, spectato Jure tamen, ut Farin. *q.* 11. *nu.* 3. *vers. præmitto* 4. & Brunneman. *l. cit. n.* 4. advertunt, quod de annotatione dictum, & quòd annus exspectari debeat, non ita videtur hodie observari. Et ideo si absens, & contumax, sicque pro confesso habitus compareat ante sententiam, omnia evanescunt, & acta præcedentia resolvuntur in vim simplicis citationis, auditurque accusatus & quoad bona, & quoad personam. Si verò post sententiam ad manus Curiæ venerit, nec quoad bona, nec quoad personam auditur, sed absque alio processu sententia contrà eum lata executioni mandatur. Farin. *l. cit.* Videantur dicta *Libr. 1. tit. 2. n.* 61. 82

Dub. 2. an accusari quis possit à pluribus? Resp. Interesse, an plures isti velint accusare reum super eodem crimine, an super diverso. *Super eodem crimine* plures simul ad accusandum admittuntur tum solùm, quando omnium specialiter interest accusationem moveri, prout colligitur ex *l. si accusatoribus 4. C. h. tit.* & notat *ibi* Brunnem. *num.* 3. in cæteris casibus, si plures accusent, Judex unum ex illis, qui ætate, moribus, & dignitate, vel alia qualitate reliquos præcelluerit, eliget *l. si plures 16. ff. h. tit.* Lauterbach *ibid.* §. 7. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 4. n.* 33. *Proceditque* hoc, sive plures illi simul accusationem proponant, sive dependente accusatione, ab uno proposita, alii accusatores superveniant; nam generaliter *l. hi tamen 11. §. fin. h. tit.* statuitur quòd *ab alio delatum alius deferre non possit*: cui concordat *l. qui de crimine 9. C. eod. Excipitur*, quando accusatione pendente prior accusator decessit, vel ab ea destitit, quia v. g. abolitio privata intervenit, aut pactum, vel transactio, utpote quæ eundem quidem ab accusatione excludunt *l. qui destiterit 2. ff. ad S. C. Turpill.* non verò alium *§. fin. cit.* Konig *hic n.* 40. 83

Contrà *super diverso crimine*, etsi ex eodem facto nascatur, nihil obstat, quin de uno accusatus, de altero ab alio accusetur *l. qui de crimine cit.* Sic qui occidit hominem in Ecclesia, & homicidii, & sacrilegii; qui vitiavit sororem alii nuptam, tam adulterii, quàm incestus à diversis Accusatoribus reus agi potest *l. nunquam 2. ff. de privat. Delict. l. si adulterium 38. ff. ad leg. Jul. de adult. l. siquis 10. C. de Episc. & Cleric.* Schneidevv. *ad Instit. de Publ. Judic. n.* 7. Konig *l. cit.* 84

Dub. 3. an accusari aliquis, possit de crimine, de quo ille nulla laborat infamia? *Ratio dubitandi* est, quia accusatione, quam non præcedit infamia, læditur existimatio delinquentis. Igitur cùm Lex Charitatis prohibeat, famam, & existimationem alterius per criminis occulti manifestationem lædi, ut licita sit accusatio, præcedere illam infamia debet. *Conf.* quia ad Criminum punitionem procedendum est secundùm notitiam publicam, atqui sic non procederetur, si nulla præcedente infamia, institueretur accusatio. Ergo &c. 85

Sed

86 Sed tenenda eft affirmativa Sententia, quam etiam defendunt S. Thom. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. *ad* 3. Card. de Lug. *de J. & J. D.* 37. *n.* 76. & 77. quos citat, & fequitur P. Vvieft. *hic n.* 40. quia nullo Jure requiritur, ut accufationem præcedat infamia: textus autem, qui ad criminalem Proceffum exigunt diffamationem delinquentis, vel alia indicia criminis huic æquipollentia, intelligi debent de cafu, quo Judex procedit per viam Inquifitionis.

87 *Ad rationem dubitandi* delinquentis occulti accufatio adverfari Charitati, & Juftitiæ nequit, cùm fpectet ad Reip. utilitatem publicam, utpote cui bonum privatum debet cedere. *Ad Conf.* notitia publica non tantùm obtinetur per diffamationem, & indicia huic æquipollentia, fed etiam per defpofitiones teftium, quos accufator producit, & per alias allegationes, quibus crimen effe occultum definit, & incipit fieri publicum, ut *l. cit.* obfervat Doctor Angelicus.

88 Dub. 4. an reus criminis accufari de eo poffit, nulla prævia admonitione fecreta? Aliqui cum Sylv. *V. Accufatio q.* 3. putant neceffariò præmittendam admonitionem fecretam juxta illud, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipfum folum.* Matth. 18. *v.* 14. Alii contra cum Gloff. *in c. licet* 31. *V. infcriptio de Simon.* S. Thom. *in* 4. *dift.* 19. *quæft.* 2. *art.* 3. *quæft.* 1. Abul. *in Matth. l. cit. q.* 97. *ad* 6. Vvagnereck *in c.* 1. *V. poftquam h. tit.* negant eam monitionem neceffario præmittendam.

89 Concordari Sententiæ iftæ ope diftinctionis poffunt, qua utuntur Sanch. *l.* 6. *conf. dub.* 28. *nu.* 6. Leff. *l.* 2. *de Juft. c.* 30. *n.* 10. *& trib. feqq.* Vvieftner *hic n.* 42. *&* 43. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 4. *n.* 27. *&* 28. Vel enim crimen omnino occultum, & certa fpes eft delinquentem fecreta monitione corrigendum, & damnum eo illatum, vel inferendum tertio, aut Reip. jufta fatisfactione compenfandum, aut impediendum; vel contra reus jam eft diffamatus de crimine, aut fi diffamatus non eft, prævidetur damnum, inde imminens tertio, vel Reip. non tollendum, vel impediendum.

90 *Si primum* monitionem præmitti accufationi Lex Charitatis præcipit, utpote quia docemur, ut minimo, quo poffemus, difpendio proximi publica, & privata damna tollamus, & avertamus: quamvis accufans, ea monitione omiffa, contra Juftitiam non delinquat, modò crimen fit probabile in Judicio, ut rectè advertit Leff. *l. cit. num.* 10. & rationem dat; quia tunc propter bonum publicum conceffa eft accufatio, ut crimina in aliorum exemplum puniantur, ficque omnes à malo abfterreantur: unde reus non poteft quæri de injuria fibi illata, quòd ante non fuerit monitus.

91 *Si fecundum*, nulla opus eft monitione, fed ftatim deferri crimen ad Judicem poteft, & cafu, quo aliter damnum Reip. vel etiam privato imminens averti non poteft, debet; quia periculum, quod Reip. vel privato innocenti imminet, eft majoris momenti, quàm infamia, & damnum omne, quod reus ex accufatione incurret. Neque hic, ut rectè monet Leff. *n.* 13. fcrupulosè examinandum eft, an fortè reus privata emendatione fit emendandus; quia in re tanti momenti eligendum eft id, quod tutius eft; facilè enim poffet talis privatim monitus fimulare emendationem, & pœnitentiam, ac interea occultè exequi, quæ deftinaverit. Itaque in hujufmodi Delictis, quæ in Reip. vel tertii innocentis detrimentum vergunt, nifi certò conftet, privata monitione periculum caveri poffe, ea non eft adhibenda: fecus eft in aliis delictis, ex quibus non impendet incommodum, nifi ipfi peccatori.

92 Dub. 5. an accufari de crimine iterum poffit, qui de eo per fententiam femel eft abfolutus? Videtur refpondendum affirmativè, quòd res, inter alios acta, iis tantùm, inter quos acta eft, non etiam aliis præjudicet *c. quamvis* 25. *de fent. & re judic. l. fi neque* 1. & *l. res inter* 2. *C. quib. res judic. non noc.* Quod verum etiam eft in criminalibus, ut patet ex *l. Juris* 3. *C. eod.* ubi Imperatores, *Juris manifeftiffimi eft*, inquiunt, *& in accufationibus his, qui congreffi in Judicio non funt, officere non poffe, fiquid fortè præjudicii videatur oblatum.*

93 Sed dicendum, poftquam reus de aliquo crimine femel eft abfolutus, eum neque ab eodem, neque ab aliis de eodem crimine regulariter accufari poffe. Clar. *§. fin. q.* 57. *n.* 1. Covar. *l.* 2. *var. c.* 10. *pr.* Decian. *tr. crim. l.* 3. *c.* 30. *n.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 1. *n.* 51. Barbof. *in c.* 6. *h. tit. n.* 1. Gonzal. *ibid. n.* 2. *& feqq.* Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 3. *n.* 40. Vallenf. *hic* §. 2. *n.* 2. Canif. *ibid. n.* 4. Zoef. *n.* 5. Honor. *n.* 12. Engl *n.* 15. Pirhing *n.* 24. Konig *n.* 41. Vvieft. *n.* 49. Reiffen. *n.* 41. Mag. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 4. *num.* 38. & alii magno numero apud Barb. *l. cit. n.* 2. propter claros textus *c. de his* 6. *h. tit. l. fi cui* 7. §. *iifdem* junct. Gloff. *V. accufari*, *l. fenatus* 14. *ff.* & *l. qui de crimine* 9. *C. eod. Ratio eft*, quia de delicto hominis non debet fæpius quæri *l. licèt* 6. §. *fin. ff. nautæ, caupones &c.* alioquin nulla reo conftaret fides, & ratio innocentiæ fuæ. Zoef. *ff. h. tit. n.* 20. *Conf.* quia accufaturo obftat Exceptio rei judicatæ; cùm enim, ut pulchrè Donell, *in l. fæpe* 63. *ff. de re judic.* Accufatio, refpiciens publicum intereffe, omnibus collectivè de populo competat, is, qui criminaliter agit, totum Jus populi in Judicium deduxiffe cenfetur: proinde cùm omnes cenfeantur egiffe, fuperato per Sententiam abfolutoriam illo Judicio, omnibus populum, & Remp. conftituentibus præjudicabitur.

Dixi, *de eodem crimine;* nam de alio crimine, etfi 94
ex facto prioris criminis ortum fit, accufari reus denuo poteft, ut patet ex *l. qui de crimine cit.* & notat *ibid.* Brunnem. *n.* 6. Gonzal. *in c.* 6. *h. tit. n.* 4. *circ. med.* Vvieft. *hic n.* 49. Unde fiquis vitiavit fororem fuam alii nuptam, abfolutus de crimine Inceftus, adhuc accufari poteft de Adulterio; diverfa enim crimina non tam numero factorum, quàm ratione, & qualitate æftimantur. Gonzal. *l. cit.* Addidi *regulariter*; nam varii cafus funt, quibus iterata ejufdem criminis Accufatio permiffa eft.

Et 1. quidem, fi de crimine civiliter tantùm, & ad 95
privatum intereffe priùs eft actum *l. un. C. quand. civil. act. criminal. præjud.* Gomez *l. cit. n.* 7. Pirhing *hic num.* 26. *limit.* 4. Vvieftn. *ibid. n.* 50.

2. Si cùm criminaliter ageretur, reus abfolutus, vel condemnatus folùm eft per viam Exceptionis, fi hæc propofita fit in Judicio non ad puniendum, fed ad removendum ab accufatione, vel teftificatione. Abb. *in c.* 6. *h. tit. n.* 3. Felin. *ibid. n.* 4. *&* 5. Decian. *tr. crim. c.* 30. *n.* 2. *fin.* Pirh. *l. cit. limit.* 6. Vvieftn. *nu.* 50. Secus effet, fi propofita in Judicio fuiffet Exceptio ad eum finem, ad quem proponi accufatio folet; tunc enim de crimine per Exceptionem propofito abfolutus non poffet amplius accufari. Decian. *l. cit.*

3. Si cùm per viam Accufationis procederetur, reus 96
abfolutus duntaxat fuit ab obfervatione Judicii *can. prohibentur* 14. junct. Gloff. *V. abfolutione cauf.* 2. *q.* 1. *l. libellorum* 3. *§. quodfi libelli* 1. *ff. hoc tit.* dummodo alius accufet, non autem primus accufator; quia hic ob inimicitiam, quæ finita etiam accufatione, remanere cenfetur, ab accufando repellitur, faltem de Jure Canonico. Covar. *l.* 2. *var. c.* 10. *n.* 1. Decian. *c.* 30. *cit. num.* 27. Gonzal. *in c.* 6. *h. tit. n.* 7. Vallenf. *hic* §. 2. *n.* 2. Pirh. *n.* 25. Vvieftn. *n.* 51.

4. Si à criminis accufatione liberatus eft per viam Tranfactionis; nam eo cafu, licèt accufationem non poffit repetere ille, cum quo tranfactum eft, poteft tamen alius, inftituto novo Proceffu. Abb. *in c.* 6. *cit. n.* 3. Felin. *ibid. n.* 3. *limit.* 2. Covar. *c.* 10. *cit. n.* 5. *limit.* 9. Clar. §. *fin. q.* 57. *n.* 6. junct. *q.* 58. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 26. *limit.* 5. Vvieftn. *ibid. num.* 52.

5. Si fecundus accufator probet, aut faltem indicia af- 97
ferat accufationis non fideliter inftitutæ, vel collufionis inter primum accufatorem, & reum accufatum *l. prævaricationis* 3. §. *namfi* 1. *ff. de Prævarication. l. fiquis* 11. *C. h. tit.* Gloff. *in c.* 6. *verf. replicari h. tit.* Felin. *ibid. n.* 11. Clar. *q.* 57. *n.* 5. Covar. *n.* 1. *limit.* 2. Decian. *n.* 22. Vallenf. *hic* §. 2. *n.* 2. Pirhing *n.* 25. Engl. *nu.* 15. Konig *n.* 41. Vvieftner. *nu.* 53. Rationem dat Clar. *l. cit.* quia non debet dolus primi accufatoris obeffe fecundo accufare volenti, pro quo ftat favor publicus, ne crimina maneant impunita.

6. Si accufator fecundus fuam, aut fuorum injuriam profequatur, & per proprium Juramentum doceat, fe accufationem ab alio inftitutam ignoraffe *l. fi cui* 7. §. *iifdem* 2. *ff. h. tit.* Gloff. *fin. in c.* 6. *cit.* Abb. *ibid. n.* 9. Felin. *n.* 12. Covar. *limit.* 3. Decian. *n.* 23. cum proximè citt.

7. Si abfolutus, aut punitus tantùm fuit in foro con- 98
fcientiæ interno; quia in hoc accufatio, & punitio tantùm tendit ad reconciliationem DEI peccato offenfi, non verò ad vindictam publicam, & fatisfactionem læfæ Reip. Gloff. *fin. in c. cit.* Abb. *n.* 3. Clar. *n.* 30. Decian. *n.* 28. Barbof. *in c. cit. n.* 8. Pirhing *nu.* 27. Vvieftner *num.* 54. Idque procedit, etiamfi delinquenti publica Pœnitentia fit

tia fit impoſita à Sacerdote; quia & hæc imponitur ad ſatisfactionem præſtandam DEO, & ad tollendum ſcandalum, non verò ad ſatisfactionem Reip. læſæ. Covar. *n.* 3. cum *citt.* Et hinc etiam per ſuſceptionem Baptiſmi non tollitur accuſatio criminis ante illum commiſſi; quia Baptiſmus tollit quidem peccatum, & pœnam peccati, quæ huic infligitur à DEO, non autem tollit pœnam, quæ imponitur in foro judiciali humano, cùm jus quæſitum Reip. ad ſatisfactionem pro læſione petendam nequaquam auferat, ſicut etiam non aufert jus quæſitum tertio. Pirh. *l. cit.* cum cæteris.

8. Denique, ſi crimen ſit fori mixti, v. gr. adulterium, uſura, ſacrilegium, magia &c. ut patet ex dictis *Lib. 2. Tit.* 1. *n.* 63. *&* 64.

Ad Rationem dubitandi *n.* 92. allatam dico, regulam illam ſolùm procedere in caſibus hactenus allatis.

99 Quæritur 5. quæ ſint partes Judicis in admittenda accuſatione, & Accuſatoris in hac proponenda? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an Judex ex officio repellere poſſit Accuſatorem inhabilem, ſeu non idoneum, etiamſi pars contra illum non excipiat? Reſp. affirmativè. Sumitur ex *c. ſi legitimus* 1. *h. tit.* ubi ſtatuitur, ut *ſi legitimus non fuerit accuſator, non fatigetur accuſatus*. Idque verum eſt, ſive accuſatus contra illum excipiat, ſive non excipiat; nam textus generaliter loquitur: igitur etiam non excipiente accuſato, ex officio Judex repellere Accuſatorem illegitimum debet, & ipſum accuſatum abſolvere ab obſervatione Judicii. Gonzal. *in c. ſi legitimus cit. n.* 9. ſicut enim Reip. intereſt delicta detegi, & in Judicium deduci ad publicam vindictam, ita etiam illi expedit, ne ab omnibus propoſita accuſatione fatigetur accuſatus; alioquin eveniet ſæpe ſæpius, ut innocentes privato odio per iniquas accuſationes fatigentur, nocentes contrà Adverſarii prævaricatione, vel tergiverſatione evadant pœnam.

100 Quod ſaltem verum eſt, quando accuſator eſt omnino, & prorſus inabilis, puta Judæus, infamis, & ſimiles, qui repelluntur odio ipſius perſonæ; nam cæteros, qui non ſunt omnino inhabiles, ſed expreſſo, vel tacito partium conſenſu habilitari poſſunt, parte non opponente, Judex ex officio ab accuſationis munere non repellit, quippe qui hoc ipſo, quòd pars contra eos non oppoſuerit, habilitati cenſentur. Item notandum eſt, an ab accuſatore inhabili accuſatus, fuerit infamatus; tunc enim, licèt Judex repellere talem accuſatorem poſſit ex officio, abſolvere tamen accuſatum non ſtatim debet, ſed priùs indicere eidem Purgationem Canonicam *can. Presbyter* 13. *cauſ.* 2. *q.* 5.

101 *Ex quo ſequitur*, quòd ante omnia quærendum ſit de legitimitate, ſive habilitate perſonarum, quæ litigare volunt in Judicio, *argum. l. ſi quæramus* 4. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 1. Pirh. *hic nu.* 15. Et cùm Exceptio hæc, quòd accuſator non ſit legitimus, Dilatoria ſit, ideo ante litem conteſtatam proponenda eſt, nec poteſt poſtea opponi, niſi reus ignoraverit hanc Exceptionem ſibi competere. Abb. *in c. cit. n.* 2. Pirh. *l. cit. fin.* Judici tamen per hoc, quòd Exceptio iſta non ſit oppoſita legitimo tempore, non præjudicatur; quia accuſatus ſolùm proprio, non Reip. quæſito Juri renuntiare poteſt. Et hinc licèt privatus ob culpam, vel defectum ſuum non admittatur ad repellendum accuſatorem ſuum, poteſt tamen Judex ratione Reip. illum repellere; quia illegitimus accuſator non tantum ob commodum accuſati, ſed etiam ob dignitatem Judicis, & commodum Reip. repelli debet. Pirh. *hic n.* 16.

102 Hodie tamen, quia per conſuetudinem in pleriſque locis abrogata eſt, vel ceſſavit propriè dicta Accuſatio, non magni refert, qui accuſare poſſint, vel non poſſint; nam Judices Denuntiationem, querelam, à quocunque porrigatur, accipiunt, utpote qui ex Officio ſuo poſſunt per Inquiſitionem procedere ad Querelam à quocunque porrectam. Vvagnet. *ad Rub. h. tit. not.* 4. *Excipitur*, ubi peculiari Statuto cautum eſt, ut Judex extra certos caſus non poſſit procedere, niſi ad partis Querelam: de quo dictum eſt *ſupra n.* 37.

103 Dub. 2. an quis ad accuſandum obligetur? Negant aliqui ea inducti ratione, quòd damnum, ex quocunque crimine imminens Reip. tolli, aut impediri valeat ope Denuntiationis.

Sed meliùs adhibetur diſtinctio: Vel enim is, qui dubitat, an obligetur ad accuſandum, poteſt crimen illud probare, vel non poteſt. *Si hoc ſecundum*, ad accuſandum non obligatur, imò non poteſt accuſare, ut rectè obſervat Sanch. *l.* 6. *Conſ. dub.* 28. *n.* 1. Ratio eſt, quia accuſando injuſtè læderet famam Rei, ſeque exponeret pœnæ calumniatorum, quin Reip. conſuleretur.

Si primum, videndum. an Reip. per crimen læſæ ſola delinquentis Denuntiatione conſuli valeat, an verò contra. *Si prius*, accuſatio omitti poteſt *arg. l. un. C. ut nem. invit. ager. vel accuſ. cogat.* Gloſſ. *in can. quapropter* 46. *V. deferre* 2. *q.* 7. Angel. *V. accuſatio n.* 3. Vvieſtn. *hic n.* 41. Konig *ibid. n.* 5. Pirh. *n.* 18. Magnif. P. Schimier *p.* 1. *de Delict. c.* 4. *n.* 29. Dixi, *accuſationem hoc caſu omitti poſſe*; non enim omitti neceſſariò debet, ſed in arbitrio, volentis crimen deferre ad Judicem, eſt, an hoc caſu velit delinquentem accuſare, vel ſolùm denuntiare. Cæterùm, ut bene notat P. Schmier *l. cit. n.* 30. vix aliquis Authorum eſt, qui hoc caſu ſuadeat accuſationem; tum quia propter obligationem pleniſſimæ probationis eſt plena periculi; tum quia plerumque facit, aut excitat deſiderium vindictæ, quod hominibus Chriſtianis oppidò probroſum eſt; tum denique quia inter familias accuſantis, & accuſati perpetuum odium generat. 104

Si poſterius, ad accuſandum obligatur, ut cum S. Thom. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. *in Corp.* Sylv. *V. Accuſatio qu.* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 3. *n.* 6. Pirhing, Vvieſtner, Schmier *l. citt.* docent ex ratione, quòd Lex Charitatis quemvis obliget ad conſulendum communi bono, quandocunque licitè, & ſine gravi incommodo poteſt: imò ſi damnum commune tantum ſit, ut etiam proprio privato præferri debeat, obligatio accuſandi urget etiam cum proprio accuſantis damno. 105

Dub. 3. an deſiſtere liceat ab accuſatione jam inchoata? *Certum eſt* non licere caſu, quo accuſandi obligatio datur. Quando accuſator non tenetur ad accuſandum, diſtinguendum eſt, an accuſationis Libellus jam ſit oblatus Judici, an verò non. *Si hoc ſecundum*, accuſatio liberè poteſt deſeri, prout factum eſt in caſu *c. licet* 14. *h. tit.* ubi Canonici Biſuntini à ſui Archiepiſcopi accuſatione ſine pœna receſſerunt. Deſiſtenti tamen imponitur ſilentium perpetuum, ne deinceps eundem de eodem crimine accuſet, aut infamet *c. licèt cit. & ibi* Vivian. *verſ. ſed ei* Gonzal. *n.* 3. Vvagnereck *not.* 1. Vallenſ. *hic §.* 2. *num.* 8. Konig *n.* 60. Reiffenſt. *n.* 51. 106

Si primum, videndum eſt, ex qua cauſa velit ab Accuſatione deſiſtere; nam ſi ideo velit deſiſtere, quòd advertat ſe erraſſe, & quem accuſavit, innocentem eſſe, non ſolùm poteſt, ſed etiam debet ab accuſatione inchoata deſiſtere: & idem eſt, quando advertit, crimen à ſe probari non poſſe. Sylv. *V. accuſatio n.* 6. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 30. *num.* 14. Paſſerin. *Trib. Regul. q.* 7. *art.* 2. *nu.* 11. *&* 12. Vallenſ. *n.* 8. *cit.* Pirhing *n.* 20. Konig *n.* 60. Reiffenſt. *n.* 52. Vvieſtner *n.* 47. Ut tamen calumniatorum pœnam effugiat, probare debet, ſe probabili errore ductum ad accuſandum acceſſiſſe, aut probationis copiam per mortem, abſentiam, malitiam teſtium, aut Rei ſibi ſubductam. Abb. *in c. fin. de calumn. n.* 5. 107

Si nullum probabilem errorem, vel impedimentum ſibi occurrens allegare poſſit, deſeri ampliùs accuſatio cœpta nequit *l. quæſitum* 5. *ff. ad S. C. Turpill. & arg.* à ſenſu contrario ex *can. fin.* ibi, *Si quem pœnituerit accuſaſſe criminaliter, & inſcriptionem feciſſe*, junct. Gloſſ. *V. pœnituerit cauſ.* 2. *q.* 3. Abb. *in c.* 14. *h. tit. nu.* 6. Gonzal. *ibid. n.* 4. *fin.* Vallenſ. *hic §.* 2. *n.* 8. Pirh. *n.* 19. Vvieſtner *n.* 45. Reiffenſtuel *n.* 30. 108

Quoad pœnam, qua deſiſtens ab Accuſatione plectitur, diſtinguendum eſt, an crimen, à cujus accuſatione deſiſtit, ſit privatum duntaxat, an verò publicum. *Si privatum*, ab ejus accuſatione ſine Rei, vel Judicis conſenſu deſiſtens punitur ſolùm pœna extraordinaria, arbitrio Judicis infligenda *l. ſiquis* 7. §. *ſi Stellionatum* 1. *ff. ad S. C. Turpill.* Sylv. *V. Accuſatio n.* 8. Leſſ. *c.* 30. *cit. n.* 30. Pirhing *n.* 19. Vvieſtner *n.* 46. & cæteri Paſſim. *Si verò publicum ſit*, præterquam, quòd ab ejuſmodi accuſatione, ſi eam proſequi velit, repellatur *l. qui deſtiterit* 2. *ff. & l. quamvis* 3. *C. ad S. C. Turpill.* incurrit alias pœnas ejuſdem Senatus conſulti, ſcilicet pœnam quinque Librarum auri fiſco applicandam *l. prævaricationis* 3. *ff. de Prævaricat.* & infamiam *l. ſi pro eo* 2. *C. ad S. C. cit.* atque inſuper in expenſis, & damnis punitur *l. qui crimen* 3. *C. de his, qui accuſ. non poſſ.* 109

Quæritur 6. quis ſit Effectus Accuſationis? Reſp. Effectus 110

ctus Accusationis varii sunt; nam aliqui concernunt Judicem, alii Accusatorem, alii Accusatum.

Ex parte judicis Effectus Accusationis est, quòd ea posita, possit accusatum citare, ut personaliter comPareat *cap. juris* 1. *hoc. tit. in 6.* idque non verbaliter tantum, sed etiam realiter, & per Apparitores, modò delictum sit atrox, & pœnam corporalem post se trahat, & Judici antea constet per certa, & sufficientia quædam indicia, ac conjecturas, vel alias probationes, quòd accusatus hujusmodi Delicti reus sit; alias namque capi, & incarcerari nequit; etiamsi Accusator se offerat ad subeundum & ipse carcerem, donec maleficium legitimè probet *l. Divus ff.* & *l. fin. Codic. de custod. reor.* Consonat *Ordin. crim. Carol. V. art. 6.* & 11. Imò si Judex temere aliquem incarceret, vel innocentem diutiùs detineat, incidit in Syndicatum. Carpzov. *prax. crim. part.* 3. *quæst.* 111. *num.* 7. & quia capto gravem ignominiam, ac irreparabile damnum infert, eidem adversùs Judicem actio injuriatum conceditur *l. nec Magistratibus* 32. *ff. de Injur.* Farin. *prax. crim. q.* 27. *n.* 135. Fleck. *Biblioth. jur. Civil. lib.* 6. *tit.* 5. *num.* 16. Konig *hic num.* 57.

111 Porro capturam decernere in Malefactores solus ille Judex potest, qui delicti cognitionem habet; privatis enim carcerem habere, vel aliquem delicti, aut debiti causa capere, vel alio modo detinere non licet *l. un. Cod. de privat. carcer.* Executio ejus fit per lictores, satellites, milites, aut publicos ministros, quibus omnino credere, ac parere oportet, licèt de mandato Judicis nihil doceatur, modò se expressam commissionem habere afferant, & tales sint, quibus ejusmodi citatio, vel captura demandare solet. Iidem non debent captivum percutere, vel alia injuria afficere, nisi captivus moram, aut resistentiam fecerit: multò minùs possunt eundem in vita, & membris lædere, nisi sit profugus; tunc enim impune illum possunt traiicere, modo ita fugiat, ut postea vix ampliùs capi possit, quod contra graviores maleficos, non verò civiles reos procedit. Damnoud. *prax. crim. cap.* 84. *n.* 35. Fleck. *l. cit. num.* 7.

112 In levioribus Delictis, quæ tantum pecuniariam, aut levem corporalem pœnam merentur, præstita cautione, captivus carceris relaxationem impetrare potest *l. de custodia* 1. *ff. de Custod. & exhib. reor.* quod adeo verum est, ut Judex absque justa causa idoneam cautionem refutans, ei de injuria, & Syndicatu teneatur. Menoch. *l.* 2. *cas.* 303. *n.* 3. Reusner *l.* 3. *cons.* 1. *n.* 24. Fleck. *l. cit. n.* 12. Secus in Delictis gravioribus; nam in his non admittitur Fidejussor, quòd hujus cautione Judicium non fiat securum, cum Fidejussor se ad capitalem, aut gravem corporalem pœnam nequeat obligare. Menoch. *l. cit. n.* 16. Fleck. *n.* 13.

113 Quodsi reus capi non possit, nec aliter comparare velit, ei petenti à Judice, merum imperium exercente, conceditur *Salvus Conductus*, seu cautio, qua Judex eidem permittat securitatem veniendi, & sine metu carceris in Judicio comparendi. *Ordin. crimen. art.* 76. & 156. qui tamen Salvus Conductus, nisi Judex expresse non tantum securitatem veniendi, sed etiam redeundi promiserit, exspirat, quando Delictum, vel propria Rei confessione, vel aliunde liquido probatum est; quia Salvus Conductus tantummodo contra squalorem, & horrorem carceris ad causam in Judicio liberiùs dicendam, non autem contra Juris, & Justitiæ executionem deservit. Carpzov. *pract. crim. p.* 3. *q.* 112. *n.* 83. Besold. *D. de Regal. cap.* 7. *num.* 5. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 3. *c.* 5. *contr.* 6. *per tot.* Fleck. *l. cit. tit.* 7. *num.* 4.

114 *Ex parte Accusatoris* Effectus Accusationis sunt tres 1. quod subscriptione in crimen facta coniiciatur in similem custodiam, ibidemque detineatur, donec finiatur Judicium, ut si fortè in probatione deficiat, pœnæ talionis subiici possit *l. nullus* 2. *Cod. de exhib. & transmitt. reis*, & *l. fin. C. hoc. tit.* Verùm hæc similitudo custodiæ eadem ratione qua subscriptio ad pœnam talionis à foro recessit, & accusator tamdiu solùm in carcere detinetur, usque dum cautionem præstiterit de expensis, & injuria in casum succumbentiæ præstandis *Ordin. crim. art.* 12. unde custodia accusatoris tunc demum locum habet, quando ille hujusmodi cautionem præstare nequit. Flek. *tit.* 1. *n.* 8.

115 2 Quòd Accusator crimen, cujus accusationem adornat, teneatur probare *can. sciant* 2. *caus.* 2. *quæstio* 8. in qua probatione si defecerit, & conf. temere litigasse convictus fuerit, tenebitur ad reficiendas litis à se intentatæ expensas. *Ordin. Crim. art.* 12. & 13. Jure Canonico *c. accusati* 8. *hoc tit.* siquis aliquem accusaverit per calumniam, & sine culpa accusati, præter pœnam talionis, vel aliam extraordinariam decretum est, ut per 40. dies in pane, & aqua, quæ *Carena* vocatur, vel *Quadragena*, cum septem sequentibus annis pœnitentiam agat: si verò per talem delationem, sive accusationem aliquis debilitatus, i. e. mutilatus est membro, per tres Quadragesimas pœnitere debet, ubi, ut rectè notat Pirhing *hic n.* 40. *not.* 2. *fin.* quando imponitur jejunium certorum annorum in pane, & aqua, non intelligitur, quòd pænitens quotidie jejunare debeat, sed per tres ferias Canonicas in qualibet hebdomada, sc. feria II. IV. & VI.

3 Quòd post Litis Contestationem, aut etiam postquam oblato Libello, inscriptio facta est, Accusationem prosequi teneatur, nec desistere ab illa possit, antequam absolutionem, seu veniam Magistratus impetraverit, nisi velit notari infamia, vel etiam pœnam arbitrariam sustinere, ut dictum est *supra numer.* 107. & 109. nam publicè interest, accusationem non intermitti, ut si vera sit, delictum puniatur; si falsa, ut puniatur calumniator, & sic absterreatur, ne imposterum ita licenter in innocentiam cujusque grassetur. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 8. Konig *ibid. num.* 60. 116

Ex parte accusati alius Effectus est, dum pendet Accusatio, alius, postquam finita est. *Dum pendet Accusatio*, vel Denuntiatio, etsi non infamet, gravat tamen opinionem accusati, vel denuntiati, ut interim ad novas Dignitates sive Ecclesiasticas, sive Sæculares promoveri nequeat *cap. omnipotens* 4. *hoc tit. l. reus* 7. *ff. de muner. l. un. Cod. de reis postuland.* Estque hoc ita verum, ut promotio sic accusati, denuntiati, vel inquisiti non teneat, etiamsi postea per sententiam pronuntietur innocens, sed nova requiratur promotio *l. qui status* 8. *ff. de re militar.* Ratio est, quia declaratio innocentiæ debet præcedere promotionem, nec sufficit eam subsequi; in his enim principium spectandum est, seu an quis habilis sit tempore Electionis, seu promotionis *arg. c. dudum* 14. *de Elect.* & *c. si eo tempore* 45. *eod. in 6.* undè cùm principium fuerit vitiosum, declaratio innocentiæ subsequens non retrotrahitur ad tempus promotionis. Fagnan. *in c.* 4. *cit. num.* 24. *Excipitur*, nisi appareat, accusatorem per calumniam accusasse, vel denuntiasse seu eo animo, ut promotionem impediat *lib. qui de libertate* 29. *ff. de liberal. caus.* Felin. *in c.* 4. *cit. n.* 3. Joan. Andr. *ibid num.* 3. Gonzal. *num.* 9. hinc ne fraudulenter obiiciatur crimen, ut promovendi impediatur commoditas, debet præfigi terminus accusarori, intra quem probet; quo elapso, & nihil probato, poterit superior ferre Sententiam interlocutoriam super innocentia delati, & postea ipsum promovere. Vivian. *in cap.* 4. *cit. fin.* 117

Dixi autem, *non posse accusatum pendente accusatione, promoveri ad Dignitates*; nam obtentis uti non proprohibetur, ut notat Gloss. *in can. nonne caus.* 8. *q.* 4. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 8. *n.* 4. Menchaca *Illustr. contr. c.* 84. *n.* 26. Gonzal. *in c.* 4. *cit. n.* 11. quia in amittendis honoribus, & dignitatibus antea obtentis, & illarum usu viget diversa ratio, & longè majus vertitur præjudicium, quam in his, quæ de novo conferuntur, consequendis, Unde meritò plus requiritur, ut dignitates antea obtentæ amittantur, quàm ut noviter obtinendæ impediantur, cùm in illis de damno, & pœna, in his verò de lucro agatur *arg. l. fin. Cod. de Codicill.* juncta *l. Titio* 70. §. *Titio* 1. *ff. de condit. & demonstr.* 118

Imò ut Accusatio etiam quoad honores, & dignitates consequendas effectum hunc sortiatur, plura concurrere requisita debent. 1. debet esse Dignitas, cujus consecutio per Legem humanam annullari potest; nam si nequeat annullari, uti est promotio ad SS. Ordines, in hac effectum suum non exerit, sed collati etiam accusatio valent, licèt exercitium illorum lege humana impediri possit. Gonzal. *in c.* 4. *hoc tit. n.* 9. *fin.* 2. ut Accusatio teneat, & facta sit à legitimo accusatore *c. meminimus* 13. *hoc tit.* Felin. *in cap.* 4. *cit. num.* 2. *limit.* 2. Pirh. *n.* 43. *limit.* 1. nam si nulla sit accusatio e. g. ob defectum Jurisdictionis, processum vitiosum &c. etiam condemnatio super crimine aliàs famoso non irrogatur infamia 119

ut est casus *can. imprimis* 7. §. *quia ergo cauf.* 2. *q.* 1. 3. ut crimen, de quo aliquis accusatur, vel denunciatur, sit grave, ut colligitur ex *c. omnipotens cit.* ibi, *De quo tanta, & talia nuntiantur?* i. e. gravia, ut exponit *ibidem* Joan. Andr. *n.* 1. *V. talia*. Secus ergo est, si crimina sint minora, & levia; hæc enim promotionem ad Dignitates, etsi probata sint, non impediunt. Fagn. *l. cit. num.* 17. Gonzal. *num.* 10. Pirh. *limit.* 2. Reiffenst. *n.* 133. 4. Ut accusatus sit persona singularis; nam si accusetur, vel denuntietur Collegium, qui de Collegio sunt, pendente lite non impediuntur promoveri ad honores, nisi cujus persona in accusatione, vel denuntiatione specialiter, & nominatim expressa est. Felin. *n.* 16. *limit.* 4. Pirhing. *limit.* 3. 5. Ut accusatio de crimine fiat criminaliter ad pœnam, seu vindictam publicam; nam si civiliter solùm ad interesse proprium prosequendum, non impedit promotionem accusati ad Dignitates; quia infamiam non irrogat *c. tua* 5. *de Procur. c. super his* 16. *fin. hoc tit.* Fagn. *n.* 15. Pirh. *limit.* 4. Reiffenstuel *n.* 136. 6. Ut non appareat ex conjecturis; reum calumniosè, & eo animo delatum esse, ut à novis honoribus arceatur. Fagn. *n.* 17. Gonzal. *n.* 10. Barbos. *n.* 9. Pirh. *num.* 52. & dictum est *supra n.* 117. 7. Ut nondum lapsus sit annus à die propositæ acccusationis; nam eo elapso, si adhuc lis per sententiam definita non sit, potest reus novos consequi honores, nisi per eum steterit, quò minùs intra annum finiatur causa *l. reus* 7. *ff. de muner.* quod procedit Jure antiquo; nam hodie accusatio non terminatur anno, sed biennio: unde hoc novo Jure exspectandum erit biennium; imò quia hodie nec biennium observatur, ex consuetudine hodierna limitatio ista modò locum non habet. Gonzal. *n.* 10. *cit.*

120 *Finita accusatione*, & crimine legitimè probato, sequitur condemnatio Rei ad pœnam ordinariam, & certam, si qua Jure statuta est, vel aliam condignam arbitrariam, & extraordinariam *c. si constiterit* 12. *hoc tit.* Host. *Summ. hoc. tit. n.* 12. Zoes. *n.* 5. Pirh. *n.* 37. Schambog. *n.* 15. De hac condemnatio *Ordin. Crim. art.* 92. *& seqq.* Judici, & Assessoribus præscribitur, ut post causa plenè discussam, & factam ab utraque parte conclusionem, integra Acta Judicialia in medium proferant, singula deligentissimè examinent, ac ponderent, & sententiam summa cum accuratione, & providentia, prædictæ *Ordinationi* pro facti cujusque ratione maximè conformem meditentur, eamque scriptis comprehensam, & denuo requisitis, atque collectis singulorum Assessorum suffragiis comprobatam, Judex per juratam Actuarium publicari, & alta voce in præsentia partium prælegi jubeant; in quo *Constitutio hæc Carolina* discrepat à *Jure communi*, ex cujus præscripto Judex ipse sententiam recitare tenetur, exceptis personis Illustribus *l. hac. lege* 2. & *l. seq. Cod. de sentent. ex peric. recit. Novell.* 71. *cap.* 1. Konig *hic num* 62.

121 Quæritur 7. quibus modis tollatur, & extinguatur Actio criminalis? Resp. Extinguitur quatuor maximè modis.

2 *Præscriptione*, si scilicet à die commissi criminis lapsum sit tempus, à Jure pro extinctionem Actionis criminalis præscriptum: & hoc quoad crimen Peculatus juxta *l. peculatus* 7. *ff. ad Leg. Jul. Peculat.* & quoad Delicta carnis juxta *l. mariti* 29. §. *sex mensium* 5. & §. *seq. ff. & leg. adulter.* 5. junct. *l. reos* 8. *Cod. ad Leg. Jul. de Adulter.* est quinquennale: quoad alia verò delicta, uti etiam quoad crimen raptus, & adulterii cum incestu perpetrati vicennale *l. vim passam* 39. §. *præscriptione* 5. *ff. ad Leg. Jur. de Adult. l. querela* 12. *Cod. ad Leg. Cornel. de fals. l. anni* 2. *& l. seq. ff. de requir. reis*. *Procedit* autem hoc solùm quando crimen patratum transit, & cessat; nam in illis, quæ successiva sunt, & permanentia, ut est Matrimonium initum contra Canones, Hæresis, Apostasia, & similia, in quibus delinquens perseverat, & delictum continuat, nulla præscriptio locum habet, nisi à tempore cessantis delicti. Pirh. *hic n.* 46. Imò etiam in Delictis transeuntibus, ut notat Fleck. *Biblioth. Jur. Civil. l.* 6. *tit.* 1. *num.* 18. quoad vindictam publicam præscriptio hodie non ampliùs videtur attendi.

122 2 *Translatione*; quia nemo invitus crimen accusare, vel manifestare tenetur, nisi sit crimen læsæ Majestatis, vel aliud in futurum noxium secundum dicta *n.* 103. & *duob. seqq.* Porro de Jure Civili duntaxat transigi potest de criminibus, pœnam ultimi supplicii irrogantibus *l. transigere* 18. *C. de Transact.* Bachov. *D.* 7. *th.* 5. *lit. B.* Fleck. *tit.* 1. *citat. numer.* 19. Hodie tamen etiam de Adulterio. Heig. *quæst.* 29. *num.* 79. Carpzov. *prax. crim. quæst.* 55. *num.* 14. & de criminibus, ultimum supplicium non inferentibus tam ante, quàm post institutam accusationem gratis, vel etiam remuneratione interveniente transigere permissum est, ut notat Fleck. *n. cit.* ita, ut nec reus proconfesso, aut convicto habeatur (quia delicta debent evidenter probari) nec accusator in pœnam prævaricationis, vel *S. C.ti* Turpilliani incidat: de quo vide dicta *Libr.* 1. *Tit.* 36. *n.* 9. Per ejusmodi tamen Transactionem soli accusatori quoad interesse suum privatum, non autem fisco quoad publicam vindictam, & continuationem Processus præjudicari censetur, maximè cùm hodie, accusatore quocunque modo deficiente, Magistratus contra reum inquisitoriè procedat. Carpzov. *l. cit. q.* 104. *n.* 50. Fleck. *n.* 20.

3 *Morte accusatoris* ante latam Sententiam; nam isto mortuo nomen Rei aboletur, postulante reo *l. libellorum* 2. §. *fin. ff. hoc. tit.* quod tamen intellige solum quoad eandem instantiam; nam ut *l. cit.* dicitur alii ex integro repetere reum licet, si hoc faciat intra triginta dies utiles. Multo minùs mors Accusatoris præjudicat Judici; nam hic ex officio potest accusationem prosequi, & processum ad finem perducere *l. accusatore* 13. *pr. ff. de publ. judic.* Clar. §. *fin. q.* 51. *nu.* 9. & 11. Pirh. *hic num.* 46. *V.* 2. *extinguitur*. 123

4 *Morte Rei delinquentis*: nam pœna ab hæredibus exigi nequit *l. defuncto* 6. *ff. de publ. judic.* conf. etiam ipsa Accusatio cessat, quippe quæ mortuo accusato in hæredes ejus non transit *l. similes* 1. *& seqq. Cod. si reus, vel accusator &c.* Quod tamen intelligendum de pœna corporis afflictiva: nam quantum attinet ad pœnam pecuniariam, bonorum confiscationem, & realis damni vindicationem rectè distinguit Fleck. *l. cit. n.* 23. inter Jus Civile, & Canonicum. Jure Civili post contestationem litis tam ex publicis, quàm ex privatis Delictis Processus continuatur etiam contra hæredes delinquentis *l. un. Cod. ex delict. defunct. l. omnes* 26. *l. constitutionibus* 33. *& l. sciendum* 58. *ff. de O. & A.* Jure Canonico hæredes delinquentis, etiamsi cum defuncto lis nondum sit instituta, ad reparationem realis damni pro viribus hæreditariis directè conveniri possunt *cap. fin. de Sepult. c. ex præsentium* 3. *fin. de Pignor. c. tua nos* 9. *de Usur.* Covar. *l.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 7. Farin. *prax. crim. quæst.* 10. *num.* 60. Quod Jus hodiernis moribus observari testatur Fleck. *n.* 23. *cit.* & meritò; quia obligatio defuncti, qua ex suis bonis læso satisfacere debeat, non fuit extincta, sed ipsa bona affecisse, & ad hæredes transiisse censetur. 124

Sed hoc intelligendum de illa pœna pecuniaria, qua vindicatur reale damnum illatum alteri; nam si nullum reale damnum per Delictum illatum alicui a delinquente est, sed pœna pecuniaria solùm imponitur ad vindictam delicti, alia adhibenda distinctio est, & videndum, an reus mortuus sit ante sententiam condemnatoriam contra eum latam, an post illam. *Si ante*, accusatio criminalis non transit in hæredes illius, etiamsi lis cum defuncto sit contestata *l. ex judiciorum* 20. *ff. hoc tit. Si post sententiam condemnatoriam*, tum quælibet pœna pecuniaria in hæredes delinquentis transit. Farin. *q.* 10. *cit. num.* 45. Pirhing *hic n.* 46. *Excipiuntur* quædam crimina, in quibus etiam post mortem rei delinquentis procedi potest contra hæredes delinquentis, quamvis lis contestata non fuerit, ut bona eorum fisco vindicentur *l. ex judiciorum cit.* & tale est crimen læsæ Majestatis, Hæresis &c. Clar. *q.* 51. *cit. n.* 13. Farin. *n.* 30. 125

§. III.

De Denuntiationibus.

SUMMARIUM.

126 *Definitio Denuntiationis, & Species triplex.*
127 *In quibus Delictis Evangelica locum habeat?*
128 *Quis ita denuntiare possit?*
129 *An etiam ille, qui juravit se nolle denuntiare?*
130 *Modus*

126 QUæritur 1. quid sit *Denunciatio in genere*, & quæ ejus Species? Resp. Communiter describi solet, quod sit *Delatio sive manifestatio criminis Superiori facta sine solemnitate.* Ita Host. *Cumm. h. tit. Rubr. de Denunt. n.* 1. Sylv. *V. Denuntiatio n.* 1. Honor. *hic n.* 57. Pirhing. *n.* 86. Konig *n.* 95. Reiffenstuel *n.* 58. & quoad sensum communiter DD. alii.

Species ejus communiter referuntur tres, Evangelica, Canonica, & Judicialis. Abb. *in cap. novit* 13. *de Judic. n.* 33. Durand. *Spec. tit. de Denunt.* §. 2. *num.* 8. Maranr. *de Ord. Jud. part.* 6. *tit. de Denunt. num.* 1. Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. VvagnerecK. *in cap.* 14. *V. quando not.* 1. *hoc tit.* Vvallens. *hic.* §. 5. *n.* 1. Pirh. *num.* 86. Konig. *num.* 96. Vviest. *num.* 56.

Rectiùs fortasse alii secundum TT. bifariam illam dividunt in Evangelicam, & Judicialem. Judicialem verò in Canonicam & Civilem; nam & Canonica Judicialis est.

127 Quæritur 2. quid sit *Denuntiatio Evangelica*? Resp. *Denuntiatio Evangelica* sic dicta, quod à Christo tradita sit in Evangelio *Matth.* 18. *v.* 15. est alicujus criminis Rei ad Superiorem delatio, non ut ille, inflicta pœna, publicè plectatur, sed ut ad pœnitentiam perducatur, & correctus resipiscat. Locum habet Denuntiatio hæc in quovis peccato occulto, modò non sit omnino occultum, sed quod possit probari, saltem per duos testes; quia omnino occulta soli DEO servantur *can. si omnia* 7. juxta Gloss. *V. eod. caus.* 6. *quæst.* 1. Abb. *in c.* 13. *de Jud. n.* 41. Pirhing. *hic n.* 86.

128 Denuntiare sic possunt omnes, dummodo in peccato, saltem graviori, & scandaloso ipsi non perseverent; nam si hujusmodi crimine Denuntians ipse obstrictus sit, denuntiatus illum criminis exceptione potest repellere, etiamsi ille injuriam suam persequatur. Gloss. *in can. si peccaverit* 19. *V. eod caus.* 2. *quæst.* 1. Abb. *in cap.* 13. *de Judic. num.* 39. Honor. *hic numer.* 60. Pirhing. *num.* 86. Konig *num.* 99. Vviestner *num.* 58. Reiffenstuel *num.* 77. & colligitur ex *cap. cum dilectus* 20. *hoc. tit. Ratio est*, quia præterquam quòd is, qui propria non corrigit, indignus sit, ut corrigat, & audiatur, præsumitur non bono zelo denuntiare peccata aliena, cùm ipse in se illa non corrigat.

129 Potest autem ita denuntiare etiam ille, qui juravit se nolle denuntiare; quia tale Juramentum est perniciosum, ac illicitum *c. quemadmodum* 25. §. *ult. de Jurejur.* Imo ex opinione Abb. *l. cit. n.* 35. & 36. quem cum aliis sequuntur Pirhing. *l. cit.* & Reiffenstuel *n.* 79. quilibet ex præcepto Charitatis fraternæ ad hanc Denuntiationem obstringitur, eò quòd verba Evangelica apud *Matthæum* sint imperativi modi. Quæ opinio maximè procedit in iis, ad quos correctio spectat ratione curæ, vel Officii, ut sunt Prælatus, Curatus, Paterfam. Maritus, Rector Provinciæ *can. duo ista* 35. *caus.* 23. *q.* 4. & *ibi* Gloss. *V. Episcopo*, Joan. Andr. *in cap.* 13. *de Judic. numer.* 6. Konig *numer.* 99. Quoad cæteros obligationem istam non pauci negant, & putant correctionem hanc solùm esse de consilio, sicut alia pia opera.

Modus in hac Denuntiatione adhibendus præscribitur apud *Matth.* 18. *vers.* 15. & *duob. seqq.* nam 1. corripiendus delinquens est privatim absque arbitris, idque non tantum semel, sed iterum, ac tertiò: deinde coram uno, vel duobus testibus; & denique si secretis his admonitionibus insuper habitis, non resipiscat, tum demum ad Ecclesiam, sive superiorem, tanquam Patrem corrigendus deferri debet Palao *tr.* 6. *D.* 3. *p.* 8. *n.* 1. & 2. 130

Dub. 1. an relatus fraternæ correctionis modus sit præceptus? Gloss. *in can. si peccaverit* 19. *V. eod. caus.* 2. *q.* 1. putat tantùm esse de consilio, saltem respectu Laicorum, quòd præceptum de eo observando videatur esse nimis durum: Salmeron. *tom.* 4. *in Evang. p.* 3. *tr.* 11. Existimat præcepti quidem esse, sed præceptum hoc non esse extendendum, nisi ad ea peccata, quæ injuriosa, & damnosa sunt corripienti, propter verba, *si peccaverit in te* Matth. v. 15. *cit.* 131

Sed dicendum, ordinem hunc in quibuscunque proximi peccatis regulariter non tantùm Divino, sed etiam naturali Jure præceptum, & observandum esse. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. Suar. *tom.* 4. *de Relig. lib.* 10. *c.* 7. *à n.* 10. Cornel. à Lapid. *in Matth. v.* 15. *cit.* §. 3. Conink *D.* 28. *dub.* 8. *num.* 138. Palao *tr.* 6. *D.* 3. *p.* 8. *n.* 4. Vviestner *hic n.* 60. Reiffenstuel *ibid. nu.* 62. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. cap.* 4. *n.* 132. Et quidem, quòd ordo iste observandus sit *Jure Divino*, expressè decisum est *c. novit.* 13. *vers.* & *Rex de Judic. c. licet Heli* 31. *vers. cùm igitur de Simon.* & *c. cùm ex injuncto* 12. *vers. nec quisquam de Hæret.* ubi Alexander III. & Innocentius III. ejusmodi correctionem fraternam *Mandatum Divinum*, & *Evangelicam Regulam* appellant. Quod verò idem ordo etiam sit *præcepti naturalis*, probat evidens ratio; nam Lex Charitatis omnibus insita exigit, ut proximus peccatis corrigendo in salutis semitam reducatur, quàm minimo id fieri potest, ejusdem damno, & præjudicio famæ illius honorisque. Id autem fit, quando ordo relatus observatur. Ergo &c. 132

Dixi autem *Regulariter*; nam varii casus sunt, quibus delinquens, dicto ordine non observato, statim denuntiari potest, & sæpe debet Superiori. Et 1. quidem, quando Delictum jam est notorium; tunc enim, cùm jus famæ una cum possessione jam supponatur amissum, statim ad Superiorem, & Judicem deferri potest, juxta præceptum Apostoli 1. *Timoth.* 2. ibi, *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri metum habeant.* quia u. *can. si peccaverit* 19. *caus.* 2. *quæst.* 1. loquitur Augustinus, *corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. *pr.* Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 3. *concl.* 1. Palao *tract.* 6. *D.* 3. *part* 13. *num.* 3. Konig *hic num.* 106. *fin.* Vviest. *num.* 61. Reiffenst. *n.* 65. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. cap.* 4. *num.* 134. 133

2 Quando delictum etiam occultum, cedit in damnum Reip. aut etiam tertii privati, & id secreta monitione impediri non potest, ut sunt proditio, conspiratio, hæresis, susurratio, perturbatio pacis, & charitatis communis &c. nam quia in his aut raro, aut nunquam sperari potest correctio delinquentis ex secreta monitione, ideo iste statim hac omissa denuntiari debet, ut provideatur bono communi, & caveatur damnum tertii. Laym. *concl.* 2. & 3. Palao *num.* 5. Riffenstuel *numur.* 66. magnif. P. Schmier *numer.* 135. *cum citt.* & colligitur ex *Matth. vers.* 15. *citat.* ubi studiosè dixit Salvator, *si peccaverit in te*, non *in multitudinem*, denotans, in Delictis privatis duntaxat, non in publicis, & Reip. noxiis, ordinem ibi præscriptum esse servandum. 134

3 Quando secreta correctio aut nobis damnosa, aut peccanti non profutura censetur; quia obligatio non datur ad inutilia, aut nociva, & hinc *S. Augustinus*, relatus *can. si quis* 4. *de Pœnit. dist.* 7. ait: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.* Hinc meliùs facit ille, qui Delictum occultum proximi, quod per seipsum corrigere non valet, statim Superiori denuntiat, non ut Judici, sed ut patri, ut illud pro sua, qua pollet, authoritate in secreto studeat emendare. Laym. *n.* 6. *concl.* 6. Palao *n.* 10. Engl *hic n.* 29. Konig *n.* 107. Reiffenstuel *n.* 67. & 69. Schmier *n.* 137. qui cum Passerin. *Trib. Regul. q.* 9. *n.* 43. notat, Prælatos regu- 135

regulares universaliter à strepitu Judicii abstinere debere, quamdiu delinquentes paternè corrigere, & scandala præcavere possunt.

136 4 Quando Delictum sibi statim, absque communicatione cum aliena persona, denuntiari Prælatus præcipit, ut respectu certorum Delictorum solent Inquisitores Hæreticæ pravitatis. Palao *num.* 4. qui *num.* 11. addit, præceptum hoc statim denuntiandi absque communicatione cum alia persona intelligendum de Delictis, de quibus certò constat, quòd contineantur in Edicto. Secus est, quando is, qui scit, delictum esse commissum, dubitat, an illud contentum sit sub Edicto; tunc enim absque dubio poterit consulere Confessarium, vel alium virum doctum: neque hanc communicationem intendit Superior prohibere.

137 *Ad Argumentum* pro Sententia contraria *num.* 131. allatum dico, præceptum servandi ordinem à Christo pro correctione fraterna præscriptum non esse nimis durum, cùm, ut vidimus, non pro omnibus circumstantiis obliget. Verba *si peccaverit in te* cum *S. August. Chrysost.* & alii PP. Suar. *tom.* 4. *de Relig. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 12. & Lorca 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 8. *D.* 46. *membr.* 1. *n.* 12. explicant, ut idem significent, *si peccaverit te sciente*, sive *cum tuo contemptu*, *& scandalo*: vel dici cum Cornel. à Lapide *adv.* 15. *cit. vers. dices* potest, sub peccatis nobis illatis per Synechdochen comprehendi omnia peccata, quòd cùm proximum debeamus diligere, sicut nos ipsos, injuriæ huic illatæ censeantur nobis illatæ.

138 Dub. 2. an dicto Evangelicæ Denuntiationis, & correctionis ordini valeat renuntiari? Negant Philiarc. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *p.* 1. *l.* 4. *cap.* 14. *pr.* & Lorca 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 8. *D.* 47. *num.* 13. ex ratione, quòd ordo iste Jure Divino præscriptus sit intuitu non tantùm privati ejus, qui corrigitur, sed publici boni, quod ex ordinis istius observatione resultat in Remp. cùm plurimum conferat ad conservandam pacem Communitatum, & evitationem rixarum, aliorumque incommodorum. *Conf.* sæpe Prælatus est minùs aptus ad corrigendum alio particulari, tum quia gratus non est delinquenti, tum quia non habet tantam peritiam tractandi proximum, & fortè etiam, quia delinquentem aliàs aversatur. Ergo saltem in hoc casu non licet, omissa correctione utili, descendere ad denuntiationem inutilem; conf. pro hoc casu etiam non potest subditus renuntiare præscripto ordini; quia talis renuntiatio esset prodiga famæ, & perniciosa renuntianti.

139 *Sed dicendum*, ejusmodi Renuntiationem cuilibet in particulari, & totis præsertim Communitatibus permissam, imò laudabilem esse. Suar. *tom.* 4. *cit. lib.* 10. *cap.* 7. *num.* 28. Thom. Sanch. *lib.* 6. *mor. cap.* 18. *num.* 43. Joann. Sanch. *D.* 46. *select. n.* 28. Ribadeneira *de Inst. Societ. Jesu cap.* 34. Conink 2. 2. *D.* 28. *dub.* 11. *nu.* 297. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 5. *vers. præterea*. Palao *tr.* 6. *D.* 3. *p.* 9. *num.* 2. Vviestner *hic n.* 63. *Ratio est*, quia ut communis DD. sententia cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. *ad* 3. defendit, quilibet est dominus suæ famæ, & honoris. Igitur huic suo juri renuntiare, famæque suæ detrimentum subire ex fine honesto potest *arg. cap. si terra* 6. *de privil.* Talis finis honestus est major Spiritualis correcti profectus, submissio, & humilitas propria, major securitas à relapsu, major communitatis integritas; negari enim non potest, Communitatem magis servari indemnem, & ipsos subditos circumspectiùs processuros, si sciant, peccata propria occulta à quolibet, qui extra Confessionem, vel petiti consilii casum notitiam eorum habet, manifestanda esse Superioribus.

140 *Conf.* 1. ex Instituto Societatis Jesu, cujus sequaces majoris abnegationis, & profectus Spiritualis gratia contenti esse debent, si per quemcunque, qui hoc extra Confessionem intellexerint, secuta monitione prætermissa, defectus illorum occulti manifestentur Superiori. *Exam. Gen. cap.* 4. *n.* 8. *Summar. Const. Regul.* 9. *&* 10. *& Congreg. VI. Gener. Decret.* 52. non potest autem dici inhonestè, & illicitè sic esse statutum, ut patet ex Constitutionibus Apostolicis Gregorii XIII. Pauli III. & Julii III. qui institutum Societatis ex integro approbarunt, etiam pœna Excommunicationis in impugnatores proposita. *Conf.* 2. potest aliquis, & laudabiliter quidem; humilitatis, & profectus Spiritualis studio, Prælato proprio, vel aliis manifestare defectus occultos proprios. Ergo ex simili fine potest permittere, ut iidem manifestentur ab aliis *Conf.* 3. si proximus jam amisisset famam apud Prælatum suum, apud hunc rectè potest quis agere de ejus peccato, modò id faciat ex bono fine. Ergo idem videtur dicendum, quando proximus ex justa causa non vult servare suam famam apud Prælatum, sed potestatem ejus alteri facit.

Rectè tamen hoc loco advertunt *l. citt.* Suar. *c.* 12. *n.* 3. *&* 35. Sanch. *cap.* 18. *n.* 50. Palao *p.* 9. *n.* 7. Vviestner *n.* 64. cessionem illam famæ respectu defectus occulti in Societate tantùm fieri, ut ad Superiorem, tanquam Patrem, non tanquam Judicem deferatur; quia sic cedenti est utilior, &c. minus onerosa: quo modo actus testus in dubio semper præsumitur, ut rectè ostendit Menoch. *l.* 4. *præsumpt.* 9. *per totam*. Unde licet Prælatus in denuntiatum animadvertere queat moderata, & paterna correctione, judicialiter tamen, & rigorose contra eum procedere non potest, ut ex allegatæ Societatis Jure ostendunt *Suarez*, *Sanchez*, *Palao loc. citt.* 141

Ad Argumentum contrarium huic fini non obest manifestatio defectus, facta ex voluntate ipsius delinquentis, renuntiantis juri suo ob studium profectus sui Spiritualis; sicut fini, intento per Sigillum Sacramentale non obest manifestatio facta ex voluntate, & licentia expressa ipsius confitentis, ut rectè observant *Sanchez*, *Palao*, *Vviestner loc. citat. Ad Conf.* imprimis rarò omnino contingere potest casus, quòd non meliùs, vel saltem æquè bene correctio, & emendatio delicti obtineatur per Superiorem, præsertim in Societate, ubi Superiores tot informationibus de vita, & moribus factis constituuntur: deinde esto, æquè bene, vel etiam meliùs obtineatur illa per inferiorem, ut rectè Palao *n.* 5. notat, læsio illa famæ proximi, ex delatione ad Superiorem facta contingens, abunde compensatur per fructum Spiritualem, quem ille haurit ex tam generosa renuntiatione Juris in suam famam. 142

Dub. 3. an Superiori denuntiari valeat delictum Religiosi jam emendati? Affirmant Richard. *in* 4. *dist.* 19. *art.* 3. *q.* 1. *in Corp.* Angel. *V. Denuntiatio n.* 10. Graff. *p.* 1. *decis. l.* 2. *c.* 69. *n.* 30. ex ratione; quia tali delicto cognito, Superior potest removere pericula, & occasiones peccandi, quod admodum proficuum est Religioso, quamvis jam emendato. 143

Sed tenenda est Sententia negativa, quam etiam defendunt S. Thom. *Quodl.* 11. *art.* 13. *ad* 3. Sor. *relect. de Secreto membr.* 2. *q.* 4. *concl.* 4. Navar. *Man. c.* 24. *n.* 23. Valent. 2. 2. *D.* 3. *q.* 10. *p.* 5. §. *sed rectiùs*, Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 18. *n.* 49. *&* 60. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 1. *pr.* Palao *tr.* 6. *D.* 3. *p.* 12. *n.* 4. Vviestner *hic n.* 65. & aliis, id desumentes ex verbis, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matth. v. 15. *cit.* quibus Christus, fratre emendato, desistendum non obscurè insinuavit. *Ratio est*, quia Evangelica Denuntiatio in Delictis occultis ex Divina institutione ordinatur ad correctionem fratris delinquentis. Non benè autem applicatur medium, fine jam obtento. Ergo &c. 144

Procedit hoc saltem in casu, quo, certum est denuntiaturo, quòd frater sit emendatus. Quando dubium est, an delinquens emendatus sit, distinguendum est, an Delictum vergat in damnum tertii, vel Communitatis, an verò in damnum solius delinquentis. *Si primum*, casu, quo dubium est, an delinquens sit emendatus, vel periculum sit recidivæ, nisi Prælato manifestetur, denuntiandum illud Prælato est; quia damnum communitati, vel tertio faciendum etiam sub dubio præponderat famæ particularis delinquentis, & communitas, vel tertius innocens habet jus, ut præservetur à damno sibi imminente, etiamsi hoc sit cum aliqua jactura honoris alicujus nocentis. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 18. *n.* 47. Palao *p.* 12. *cit. n.* 6. *& apud* hos *citt.* 145

Si secundum interest, an delinquens cesserit Juri ad suam famam quoad Denuntiationem delicti sui, an verò non. *Si prius*, denuntiari Superiori poterit, etiam stante dubio de emendatione delicti; quia adest finis correctionis, ac proinde causa honestans Denuntiationem. *Si posterius*, non potest stante prædicto dubio, Delinquens denuntiari Prælato; quia dum dubitatur, an emendatus delinquens sit, ignoratur, an adsit cau-

sa ho-

ſa honeſtans denuntiationem; nam hæc ſolùm correctio eſt. Quando autem ignoratur, an adſit cauſa honeſtans Denuntiationem, non poteſt denuntiari delinquens, utpote qui habet jus certum ad famam, & jure certo ſpoliari non debet ob cauſam dubiam. Ergo &c.

147 *Ad Argumentum* contrarium *n.* 143. allatum dico, id ſolùm procedere, quando adhuc periculum recidivæ ſubeſt; nam ſtante periculo probabili relapſus, manifeſtandus delinquens eſt, ut præſervetur, ut cum *D. Thom. Adrian. Sot. Valent.* notat Palao *n.* 5. & probat ratio; nam ob finem iſtum etiam poſſet denuntiari privato, ſi abſque iſtius opera delinquens à relapſu præſervari non poſſet. Periculum autem relapſus probabile, ut idem Palao *l. citat.* advertit, tunc imminere cenſetur delinquenti, quando ita proximis peccati occaſionibus eſt innodatus, ut moraliter loquendo judicetur caſurus, niſi ab illis divertatur.

148 Dub. 4. quomodo in praxi gerere ſe debeat Superior, vel judex facta ſibi Denuntiatione Evangelica, ſeu paterna? Reſp. Diſtinguendo, an Delictum adhuc ſit occultum, & nemini præjudicioſum, an verò notorium, vel occultum quidem, ſed in damnum Communitatis, vel tertii cedens.

Si primum, Superior, ſeu judex debet ſe accommodare juſtæ, & rationabili intentioni, ſeu petitioni denuntiantis, illiuſque modo denuntiandi; conf. ex tali Denuntiatione judicialiter adversùs denuntiatum procedere, & punire illum ita non poteſt, quandiu emendatio delinquentis ſperari poteſt. Poteſt tamen 1. eundem punire injuncta pœnitentia moderata, quæ neque infamiam irroget, neque delictum, ſi grave ſit, manifeſtet. 2. Poteſt à loco, vel miniſterio, ex quo periculum iterum delinquendi eidem naſcitur, ipſum removere, ſi fieri id poſſit abſque infamia delinquentis. 3. Poteſt de modo correctionis adhibendæ cum aliquo, vel aliquibus Conſultorum ſuorum tractare, ſi hoc neceſſarium judicat ad remedium adhibendum. 4. Poteſt eidem Denuntiatio ſocium fidelem adjungere, qui ejus actiones exploret, & ad Superiorem referat. 5. Poteſt, ſi ei moraliter conſtet de delicto ſubditi, ſaltem per delationem unius teſtis oculati, de quo nulla poteſt eſſe ſuſpicio falſitatis, graviter ſubditum reprehendere etiam coram duobus, vel tribus teſtibus, minis eum terrere, injungere præceptum, etiam ſub Excommunicatione, ſi ita neceſſarium videatur, ne locum ſuſpectum adeat &c. Palao *tract.* 6. *D.* 3. *part.* 11. *numer.* 1. *& ſeqq.*

149 *Si ſecundum*, non eſt neceſſe, ut Superior juxta petitionem denuntiantis corrigat denuntiatum ſecretò, ſed poteſt præcipere delatori, ut relicta denuntiatione fraterna, ad judicialem tranſeat: cui præcepto tenebitur obedire delator, niſi ob grave periculum ſibi imminens excuſetur; nam ut rectè dicitur *in Decret.* 58. *Congreg. Gen.* 6. quando prudenter judicaretur non poſſe adhiberi ſufficiens remedium, quo provideatur bono communi, vel perſonæ tertiæ, niſi aſſumatur in ea re officium judicis, tunc tenebitur ſubditus ad Denuntiationem judicialem Superiori faciendam. *Ratio eſt*, quia bonum commune, & innocentis tertii particulari nocentis præferri debet. Quare hoc caſu delator, petens ſolum effectum Denuntiationis Evangelicæ, audiri non debet, cùm irrationabiliter petat, ſed potiùs urgeri debet ad ſatisfaciendum obligationi ſuæ. Ludov. de Ameno *prax. crim. tit.* 9 *V. Denuntiatio* §. 1. *n.* 7. Palao *p.* 11. *cit. nu.* 11. Reiffenſtuel *hic n.* 75. *&* 76.

150 Dub. 5. quis ſit *Effectus* Denuntiationis Evangelicæ, & quando præcipuè ſit ejus uſus? Reſp. *Effectus* illius eſt delinquentis correctio, & aliquando rei debitæ reſtitutio: ad quam, ſi delinquens ſponte illam præſtare nolit, Cenſura Eccleſiaſtica, imò etiam immiſſione in poſſeſſionem bonorum compelli poteſt. Bald. *in Auth. ad hæc C. de Uſur. num.* 1. Felin. *in cap. novit.* 13. *de judic. col. fin.* Mirant. *de Ordin. Judic. tit. de Denunt. n.* 5. Konig *hic n.* 111.

Uſus Denuntiationis iſtius eſt tum maximè, quando quis læſus eſt in foro ſæculari, aut propter deficientiam actionis, tranſitum ſententiæ in rem judicatam, vel alia obſtacula non auditur, nec tamen proximus excuſatur à peccato; nam ad judicium Eccleſiæ pertinet cavere peccata, & illa tollere *cap. novit. cit.*

151 Quæritur 3. quid ſit *Denuntiatio judicialis*? Reſp. Eſt delicti apud competentem judicem facta manifeſtatio. Fleck. *Biblioth. jur. Civil. lib.* 6. *titul.* 3. *numer.* 1. Differt à *Diffamatione*; quia hæc fit extrajudicialiter: ab *Accuſatione*; quia Accuſator ſe obligare debet ad crimen, quod reo opponit, probandum, Denuntiator verò non tenetur regulariter in judicio proponere probationes, ſed judici relinquit, an ipſe in Delictum, & concurrentibus aliis indiciis, in delinquentem velit inquirere. Fleck. *l. cit. n.* 6.

Duplex communiter dicitur eſſe Denuntiatio judicialis, videlicet alia *Generalis*, quando quis delictum abſque denominatione delinquentis prodit. Alia *Specialis*, 152
quando delictum ſimul, & delinquens apud judicem denominatur. Denuntiare autem delictum poteſt omnis, qui accuſare. Brunn. *ad l.* 18. *ff. de jur. fiſc.* quod Fleck. *l. cit. n.* 4. rectè monet intelligendum de jure veteri; nam de hodierno procedendi ſtylo ad denuntiandum admittuntur etiam, qui accuſare non poſſunt. Et hi quidem ſunt duplicis generis; nam aliqui denuntiant ſponte ſua, vel ex conſcientiæ motu; alii ex neceſſitate vel officii, veluti fiſcalis, officialis, aut cuſtos ratione cauſæ ad officium ſuum pertinentis; vel defenſionis, ſeu ad defendendum jus ſuum, veluti ſi teſti obiicitur crimen, ut removeatur à perhibendo teſtimonio.

Dub. 1. quomodo differat Denuntiatio judicialis ab 153
Evangelica, ſeu Charitativa? Reſp. Multiplex inter iſtas diſcrimen eſt. 1. Finis Denuntiationis Charitativæ eſt emendatio fratris, vel ut tertiæ perſonæ, aut bono Communitatis provideatur; hinc ex motivo Charitatis procedere debet; contrà finis judicialis Denuntiationis eſt, ut ſatisfiat Communitati læſæ; tendit enim in quandam injuriam Communitatis, ſi ejus membra delinquant: & hinc Denuntiatio iſta per ſe, ac directè procedit ex motivo juſtitiæ vindicativæ.

2 Denuntiare charitativæ poteſt etiam ille, qui nec 154
probare, nec indiciis ſufficientibus oſtendere poteſt, quòd denuntiatus deliquerit, v. g. quia ſolus hoc vidit, modò exiſtimet fidem ſibi aliquam habendam à Superiore. Contrà denuntiare quis judicialiter non poteſt alterum, non præcedente infamia, vel indiciis criminis; quia cùm ſine his ad punitionem delati procedere non poſſit Superior, fruſtra hujuſmodi Denuntiationem faceret.

3. Qui judicialiter denuntiat, nomen ſuum (ſpecta- 155
to jure communi) inſcribere debet, & poſtea vocatus coram judice comparere ad publicam teſtimonii depoſitionem, Reique convictionem: qui autem charitativè denuntiat, non debet inſcribere ſuum nomen: imò Prælatus deferentem nullo modo manifeſtare poteſt, niſi neceſſitas poſtulet ad finem correctionis obtinendum; tunc enim, ut *n.* 149. dictum eſt, deferens conſenſum dare tenetur, aut ſi dare eundem nolit; ipſo etiam invito, revelari poterit.

4 In Denuntiatione charitativa Prælatus non debet cri- 156
men occultum, & grave manifeſtare aliis, ſi ſolus emendare id poſſit; quia tendit ad delinquentis correctionem tantùm. Contrarium fit in Denuntiatione judiciali; nam cùm iſta eò directè tendat, ut reus per teſtes convictus, aut confeſſus, in publicam notitiam veniat, & puniatur ad exemplum aliorum neceſſariò manifeſtari aliis delictum ita denuntiatum debet. Videatur. Laym. *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 3. *n.* 5.

Dub. 2. quænam crimina judicialiter denuntiari poſ- 157
ſint? Reſp. Denuntiari poſſunt crimina omnia etiam merè præterita, & emendata, nec ampliùs committenda, tam privata, quàm publica, tam aperta, quàm occulta, & de quibus nulla adhuc extitit delinquentis infamia. Ita cum *S. Thom. Sylv. Petr. Navar.* docent *Leſſ. lib.* 2. *de juſt. c.* 30. *n.* 11. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 13. Paſſerin. *Trib. Regul. q.* 7. *art.* 3. *n.* 15. Fagnan. *in c. qualiter* 24. *h. tit. n.* 72. Reiffenſtuel *hic nu.* 88. Ratio eſt, quia publicitas, & infamia delicti tantùm requiritur ad Proceſſum, media Inquiſitione inſtituendum *arg. c. inquiſitionis* 2. & *c. qualiter* 24. *h. tit.* ubi infamia ſupplere debet vices accuſatoris, ſine quo nullus condemnatur: ſecus eſt in Denuntiatione, utpote in qua ipſe denuntians vices accuſatoris gerit, licèt per inſcriptionem ad accuſandum ſe non obliget.

Dixi, *Dummodo probari poſſit*: nam crimen omnino 158
occultum, niſi vergat in præjudicium Communitatis, vel tertii, judicialiter denuntiari non poteſt *arg. can. ſi tan-*

tantum 2. & *can. placuit* 3. *cauf.* 6. *q.* 2. *can. qui crimen* 4. *cauf.* 24. *q.* 8. *l. noftris* 8. *& l. fin. C. de calumn.* Ratio eft, quia cùm Denuntiatio judicialis ad vindictam publicam publico judicio inferendam tendat, ficut accufatio; publico autem judicio fine legitima probatione nemo puniri valeat, injuftè quis judicialiter denunriatur de crimine, quod probari nequit, cùm fine fructu fama ejus lædatur. Imò neque poteft judex recipere Denuntiationem judicialem, vel vi illius ad Inquifitionem procedere, & Proceffum inftituere, nifi videat à Denuntiante tales denominari teftes, aut talia probationis offerri media, per quæ delictum fufficienter probari valeat; fecus faciens cenfebitur effe calumniator, utpote judicium publicum fine probationibus attentans: nec effugiet pœnam calumniatorum faltem extraordinariam, arbitrio judicis imponendam, ut cum *Ameno* notat Reiffenftuel *hic n.* 89.

159 Excepi autem, *nifi crimen vergat in præjudicium Communitatis, vel tertii*; nam delinquens adversùs tertium, vel commune bonum, fi alia via non fuppetat impediendi damnum, denuntiari debet Superiori, ut judici, etiam ab eo, qui folus fcit, modò notitiam ejus non hauferit ex Confeffione, & per manifeftationem delicti damnum illud impediri aliquo modo poffit, quamvis non perfectè. Ita exprefsè, Sylv. *V. correptio quæft.* 5. Valent. *D.* 3. *quæft.* 10. *p.* 5. *pag.* 677. Leff. *l.* 2. *de Juft. capit.* 30. *num.* 43. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 13. *numer.* 2. Palao *tract.* 6. *D.* 3. *p.* 13. *num.* 10. Ratio eft, quia hæc Denuntiatio non tam ad punitionem delinquentis, quàm ad præcavendum damnum, quod intendit inferre, ordinatur. Ergo non eft curandum, quòd ipfe delinquens infametur, aut per Denuntiationem vexetur; nam bonum privatum cedere bono communi, vel tertii innocentis debet. *Neque obftat* delictum probari non poffe; quia hoc cafu non denuntiatur delictum, ut illud probetur, fed ut impediatur damnum, ad quod hujufmodi Denuntiatio, fervit eatenus, quatenus viam aperit judici, ut inquirat, & quærat media illud impediendi.

160 Dub. 3. an Socius criminis admitti poffit ad denuntiandum Socium, ejufque Denuntiatio fit attendenda? Affirmativam videtur probare 1. *l. quoniam* 1. *C. de falf. monet.* ubi Conftantinus Imp. refcripfit, falfos monetarios ab omnibus inquirendos, *ut inveftigati tradantur judici, facti confcios per tormenta illico prodituri.* 2. *l. Divus* 6. *ff. de cuftod. & exhib. reor.* ubi Marcianus, *Caput*, inquit, *mandatorum extat, quo Divus Pius, cum Provinciæ Afiæ præerat, fub Edicto propofuit, ut Irenarchæ, cùm apprehenderint Latrones, interrogent eos de Sociis, & receptatoribus, & interrogationes litteris inclufas, atque obfignatas ad cognitionem Magiftratus mittant.* Fruftra autem mitterentur, fi in judicio non deberent attendi. 3. *Conft. crim. Carol. V. art.* 31. ubi diferte afferitur, dictum Socii criminis facere indicium contra eum, qui pro Socio nominatus eft.

161 Contrà negativa fententia videtur deduci 1. ex *can. non eft* 3. *q.* 11. ubi ex *Decreto Adriani Papæ* dicitur, *non effe credendum contra alios eorum confeffioni, qui criminibus implicantur, nifi fe prius probaverint Innocentes; quia periculofa eft, & admitti non debet Rei adversùs quemcunque profeffio.* 2. Ex *l. fin. C. h. tit.* ubi Impp. Honorius, & Theodofius inquiunt, quòd *veteris juris authoritas de fe confeffos ne interrogari quidem de aliorum confcientia finat.* Simile quid habetur *l. repeti* 16. §. *is qui.* *ff. de quæft.* 3. Ex *ratione*; quia meritò fufpicio effe poteft, hujufmodi Denuntiationem idcirco fieri, ut vel ob dignitatem denuntiati denuntians confequatur impunitatem fceleris, vel fi hoftis ejufdem eft, ut ejus fupplicio in ipfa fupremorum fuorum forte fatietur.

162 Controverfiam decidit *Conftit. crim. cit. artic.* 31. ubi Denuntiatio Socii criminis admittitur folùm, quando quinque hæc obfervantur. 1. Ut Denuntiatio facta fit ad generalem judicis interrogationem in ipfa tortura. Hinc nulla eft, fiquis fponte nominet alium non interrogatus, vel fi interrogatio fpeciatim v. g. de Titio, vel Cajo propofita fit; quia talis interrogatio fpeciem fuggeftionis habet. 2. Ut judex denuntiantem interroget de omnibus circumftantiis, an, quando, ubi, quomodo auxilium fceleri denuntiatus ipfi præftiterit. 3. Ut judex diligenter exploret, num denuntians, feu nominans cum nominato graves inimicitias foveat, & in eo cafu nihil planè fidei denuntianti dabit, nifi alia indicia verifimilia denuntians proferar. 4. Ut nominatus fit talis perfona, in quam delicti, quod in Denuntiatione continetur, fufpicio poffit cadere; nam fi honeftæ fit vitæ, iterum non eft credendum nominanti. 5. Ut reus in illa nominatione conftanter perfeveret, eamque non revocet, vel in illa vacillet; fecus enim admittenda illa non eft, nifi ex ftatu denuntiati, & aliis circumftantiis indicium capiatur, quòd revocationem denuntians tantùm fecerit, ut Socios à periculo liberet. Quæ omnia, fi copulativè concurrant, Denuntiatio Socii contra nominatum facit indicium proximum ad torturam; fecus, fi vel unum defuerit. Konig *hic n.* 103.

Dub. 4. quando Denuntiationi judiciali fit locus in foro Canonico? Refp. Locus eidem eft maximè in fequentibus cafibus. 1. fi is, qui denuntiatur fit Clericus, ut quando Clerici, vel Religiofi conqueruntur de injuftis oppreffionibus, quas patiuntur à fuis Prælatis; nam denuntians judicialiter eft quoddammodo actor, actor autem fequitur forum Rei. 2. Si is, qui denuntiatur, fit quidem Laicus, crimen tamen, de quo denuntiatur, fuapte natura Ecclefiafticum fit, ut Hærefis, Simonia &c. 3. Ob defectum juftitiæ in foro fæculari; quia vel judex fæcularis eft negligens, vel nullus eft, qui judicet, vel in eo foro non datur actio, aut repetitio, e. g. ex nudo pacto. 4. Ratione pacis violatæ, vel juramenti non fervati à Laicis *arg: c. novit.* 13. *de judic.* 5. Si perfona fit miferabilis, quæ denuntiationem proponit. 6. Si fit caufa Spiritualis, & Ecclefiaftica, vel huic annexa, ut fi agatur de Matrimonio ob Impedimentum Canonicum non contrahendo, vel contracto diffolvendo *c. ad diffolvendum* 13. *de Defponf. impub. c. cùm inhibitio* 3. *de clandeft. Defponf.* Abb. *in c.* 13. *cit. num.* 48. *& feqq.* Azor *p.* 3. *c.* 21. *dub.* 5. Pirh. *hic n.* 90. 163

Quæritur 4. quid, & quotuplex fit *Denuntiatio Canonica*? Refp. *Denuntiatio Canonica* eft delatio criminis ad Superiorem Ecclefiafticum fine folemnitate Accufationis. Vvagnereck *in c.* 14. *verf. quando not.* 3. *h. tit.* Duplex eft, fcilicet Generalis, & Specialis. 164

Generalis apud Superiorem agitur, ut impediatur delictum aliquod, vel damnum, aliudve incommodum, ejufque continuatio: cujus exempla paffim inveniuntur in jure noftro, præfertim *c. præterea* 12. *de Sponfal. & Matr. cap. ad diffolvendum* 13. *de Defponf. impuber.* & *c. fin. de clandeft. defponf.* quibus textibus denuntiari debet, Impedimentum impediens, ne cum illo contrahatur Matrimonium, & dirimens, ut cum eo contractum diffolvatur.

Specialis, fit eidem Superiori, ut qui malè præeft, vel adminiftrat, corrigatur, aut fi poft trinam, vel binam faltem admonitionem incorrigibilis fit, à Prælatura, Officio, vel Beneficio removeatur *can. Metropolitanum* 45. *can. ficut* 46. *&c. cauf.* 2. *q.* 7. *can. filus* 31. *cauf.* 16. *q.* 7. *c. cuftos* 1. *de Offic. Cuftod.* & *c. licèt* 31. *de Simon.* Schambog. *hic num.* 35.

Ad *Generalem* admittuntur omnes: imò fi eam facere poffit fine gravi fuo incommodo, & ad damnum, vel peccatum, aut eorum continuationem impediendam judicet profuturam, denuntiare tenetur quivis: Engl *hic num.* 30. Pirhing *num.* 37. Vvieftner *n.* 66. Reiffenftuel *nu.* 147. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. cap.* 4. *n.* 140. & pater ex *c. novit.* 13. *de judic. c. ad diffolvendum*, & *c. fin. citt.* 16

Specialis Denuntiatio iis dumtaxat competit, quorum intereft habere bonum Prælatum, Adminiftratorem, Subditum: adeoque foli Religiofi, & Clerici fuum Prælatum, & foli Parochiani fuum Parochum eo fine denuntiare poffunt, ut ab Officio removeatur. Abb. *in c. novit. cit. n.* 59. Maranr. *tit. de Denunt. n.* 7. Honor. *hic n.* 77. Pirhing *n.* 87. Vvieftner *n.* 67. Reiffenftuel *num.* 147. Schmier *n.* 141. 16

In *Generali* Denuntiatione non eft opus, ut præcedat monitio, Gloff. *in c. ad diffolvendum cit. V. denuntiari*, Honor. *num.* 81. Schambog. *num.* 35. Konig *num.* 108. Specialis requirit monitionem præviam Engl *numer.* 30. *cit.*

Effectus Denuntiationis Canonicæ *Generalis* eft, ut impediatur delictum, damnum, vel aliud incommodum, *Specialis* delinquentis correctio, imò & punitio; fi enim correctionem contempferit, diftrictione Ecclefiaftica coercetur, ab exercitio SS. Ordinum fufpenditur, ab Officio

cio removetur &c. per *can. quapropter* 47. *caus.* 2. *quæst.* 7. Konig *n.* 112.

167 Quæritur 5. quid sit *Denuntiatio Civilis*, & quotuplex? Resp. *Denuntiatio Civilis* sic dicta, quia à jure Civili originem suam trahit, est delatio criminis ad Superiorem tanquam judicem, vel ad interesse proprium, vel ad vindictam publicam. Differt à *Canonica* 1. ratione Originis, quia Canonica originem suam adscribit SS. Canonibus. 2. Ratione judicis, coram quo proponitur; nam Canonica proponi solùm potest coram judice Ecclesiastico, Civilis etiam coram Sæculari, quamvis & ipsa locum habeat in foro Canonico. 3. Ratione finis; nam Canonica tendit ad removendum peccatum, vel damnum, Civilis ad satisfactionem pro damno, vel læsione, quam per delictum vel persona privata, vel ipsa Respublica passa est. Hinc duplex est Denuntiatio Civilis, una privata, altera publica.

168 *Privata* est, qua denuntians proprium suum interesse, sive damni privati reparationem, aut debiti satisfactionem intendit, ut fit, quando gravamen sibi illatum à Patre, Domino, Prælato judici denuntiat filius, servus, Religiosus, ut ab ipso ex officio releventur; item qua quivis alius à judice satisfactionem petit ex pacto nudo, vel ex contractu, quo læsus est infra dimidium. Abb. in *c. novit.* 13. *de Judic. num.* 48. & 51. Marant. *de Ordin. Judic. tit. de Denunt. num.* 3. Vvagnereck *in c.* 14. *vers. quando not.* 1. *h. tit.* Pith. *hic num.* 87. Schambog. *num.* 34. Vviestnet *num.* 68. Reiffenstuel *num.* 84. Denuntiatio hæc in foro Sæculari admittitur, etiam monitione non præmissa: in foro tamen Canonico hæc præmittenda est, si absque incommodo potest, & spes sit emendationis, tollendique injusti gravaminis. Abb. *l. cit. n.* 48. Durand. *Specul. tit. de Denunt.* §. 2. *n.* 12. Honor. *hic n.* 71. Pirh. *n.* 91. cum *citt.* & hoc colligitur ex *can. indignè* 21. *caus.* 12. *q.* 2. *cap. novit.* 13. *de Judic.* & *c. siquis* 2. *h. tit.* Ratio est, quia Lex Charitatis docet, privata damna cum minimo, quo possunt, proximi damno esse tollenda.

169 *Publica* vindictam, & Reip. per crimen læsæ satisfactionem spectat, ut Accusatio: ab hac tamen differt in eo, quòd ad Denuntiationem etiam publicam nulla opus sit inscriptione *c. super his* 16. *h. tit.* & denuntians etiam privatus non subeat onus probandi, saltem ex recepta consuetudine, sed tantùm aperiendi indicia, quibus judex ex officio moveri potest ad ulteriorem Inquisitionem. Laym. *l.* 3. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 4. Fieri potest Denuntiatio hæc vel à constitutis ad id publicis Ministris, vel etiam à privatis. Abb. *in cap.* 13. *cit. numer.* 48. Marant. *l. cit. num.* 1. Pirhing *hic n.* 87. Schambog. *num.* 34. Si à publicis Ministris ad id constitutis, ut ferè consuevit, denuntietur crimen, non est opus præmitti monitionem denuntiandi. Durand. §. 2. *cit. num.* 10. Scaccia *l.* 1. *de Judic. cap.* 55. *num.* 2. Vviestnet *hic num.* 69. sed judex Denuntiatione facta, & allatis aliquibus criminis indiciis, in denuntiatum inquirit ex officio, prout factum est *c. fin. h. tit.* Quando fit à privato aliquo, præmittenda est monitio, sicut Accusationi, siquidem crimen sit occultum, & emendatio sperari possit, ut cum *Sanchez*, *Palao*, & aliis notat P. Vviestner *num.* 69. *cit.* quod saltem verum est in foro Ecclesiastico; nam in foro Sæculari necessaria illa non est, cùm ex consuetudine, quæ est optima juris interpretes, constet, quòd nullus judex denuntiantem judicialiter interroget de prævia monitione: quod tamen fieri deberet, si illa necessaria foret: imò finis hujus Denuntiationis contrarium suadet; nam eò tendit, non ut corrigatur reus, sed publicè puniatur. Reiffenstuel *hic num.* 98.

170 *Forma* Denuntiationis Civilis ferme coincidit cum forma Accusationis, in cujus locum successit. Hinc 1. debet esse scripta vel manu denuntiantis, vel Actuarii, aut Notarii judicii, cui denuntians causam narrat, & in acta referendam dictat. 2. debet exprimi nomen denuntiantis, ne temere quis calumniari possit, & ut, si per calumniam denuntiarit aliquem, ea detecta ad expensas condemnari queat. 3. Exprimi debet nomen denuntiati, sive delinquentis proprium, vel alia signa æquipollentia, quæ illum demonstrent; quia talis demonstratio vice nominis fungitur *l. certum* 6. *ff. de reb. credit.* 4. Exprimi debet ipsum Delictum, quod denuntiatur, cum omnibus circumstantiis loci, ac temporis *arg. l. libellorum* 3. *ff. h. tit.* Videatur Clar. §. *fin. q.* 7. *nu.* 11. Boss. *tr. crim. tit. de accus. n.* 3. Scaccia *l.* 1. *de Judic. c.* 71. *n.* 2. Konig *hic n.* 109.

Effectus Denuntiationis Civilis unus judicem, alter 171
Denuntiantem spectat. *Judici* aperit viam ad Inquisitionem Specialem contra denuntiatum, quemadmodum Diffamatio, & Querela. Scaccia *c.* 71. *cit. n.* 3. Carpz. *pract. crim. p.* 3. *q.* 108. *n.* 54. Konig *hic n.* 113. quam Inquisitionem si judex omiserit, facit litem suam, & de Syndicatu tenetur. Brunnem *Process. Inquis. c.* 1. *n.* 10. & 11. amittitque jurisdictionem criminalem, seu merum imperium. Gaill. *l.* 1. *obs.* 28. *n.* 1. Konig *l. cit.* Reiffenstuel *nu.* 125. *Denuntiantem* hæc Denuntiatio adstringit, ut testes nominet, probationes, quas habet, judici suggerat, & ea, quæ de crimine novit, ostendat; non verò, ut absolutè probet. Reiffenstuel *nu.* 129. Utrum verò testis esse possit in causa denuntiata, dissident inter se DD. Præferenda videtur Sententia distinguens inter causas leviores, vel in quibus agitur de peccato vitando, & inter graviores, præsertim capitales: in prioribus admitti pro teste Denuntians potest, non item in posterioribus, ob affectionem ad causam, quæ in prioribus non solet adeo esse magna, major in posterioribus, quòd Denuntians, si calumniatus fuerit, punitionem timere debeat. Videatur *Libr.* 2. *tit.* 20. *n.* 65.

§. IV.

De Inquisitionibus.

S U M M A R I U M.

172 *Definitio Inquisitionis.*
173 *Ratio illam introducendi.*
174 *Divisio in Generalissimam,*
175 *Specialem,*
176 *Et mixtam.*
177 178 *Alius Divisionis modus.*
179 *Tribus maximè modis fieri solet.*
180 181 *Differentia inter hos modos.*
182 &c. *Differentia Inquisitionis ab Accusatione, & Denuntiatione.*
185 *Quis Inquisitionem facere possit?*
186 *De quo crimine?*
187 *Et contra quem?*
188 &c. *Quinam eximantur ab Inquisitione severa?*
191 &c. *An præcedere hæc debeat Inquisitionem Specialem?*
199 *Qualis ad hanc requiratur diffamatio?*
200 201 *Maximè si inquirendus sit Prælatus Ecclesiasticus?*
202 &c. *Casus, quibus inquiri potest in delinquentem, infamia non laborantem.*
211 &c. *Alia requisita ad Inquisitionem Specialem.*
215 &c. *An, & quomodo constare de corpore delicti debeat?*
219 &c. *Quibus casibus tempus, & locus non debeat exprimi?*
221 &c. *Quid observandum sit in Examine, & Interrogatoriis Inquisitorialibus?*
224 &c. *Quæ sit forma Inquisitionis severæ?*
230 &c. *An pendente Inquisitione, inquisitus accusari possit?*
232 *Effectus Inquisitionis Generalis.*
233 &c. *Et Specialis.*
235 &c. *Effectus Inquisitionis severæ.*
237 &c. *An crimen, detectum, & probatum per viam Inquisitionis, pœna ordinaria puniri possit?*

QUæritur 1. quid sit *Inquisitio*? Resp. *Inquisitio generatim sumpta* est, *criminis, vel criminosi per Judicem legitimè facta indagatio.* Ita Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 3. *n.* 84. Fleck. *Bibl. Jur. Civil. l.* 6. *tit.* 4. *n.* 1. Gonzal. *in cap. inquisitionis* 21. *h. tit. num.* 8. Vallens. *hic* §. 4. *num.* 1. Engl *num.* 23. Pirhing *num.* 47. Konig *nu.* 64. Vviestner *num.* 70. Reiffenstuel *num.* 149. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 4. *num.* 61. Hodie Processu Accusatorio Inquisitorius multo frequentior est, & adeo invaluit, ut quæ olim erat remedium extraordinarium, jam transierit in ordinarium. Farin. *prax. crim. qu.* 12. *num.* 1. Passerin. *Trib. Regul. q.* 8. *art.* 1. *n.* 1. Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 60.

173 Ratio illam introducendi justissima fuit, ne deficientibus, qui reos deferrent ad judices, delicta maximo Reip. damno manerent impunita *c. qualiter* 24. *h. titul.* & *l. congruit* 13. *ff. de Offic. Præsid.* *Neque obstat*, quòd sine accusatore nemo sit condemnandus *can. de manifesta* 17. §. *sciendum*, *cau.* 2. *quæst.* 1. *cap. un. pr. Ut Benef. Eccl. fin. dimin. conf.* *l. rescripto* 6. §. *siquis* 2. *ff. de muner. & honor.* in casu autem Inquisitionis institutæ nullus sit accusator, vel si aliquis est, ille sit ipse judex contra Regulam sumptam ex *cap. forus* 10. *de V. S.* ubi judex, Actor, Reus, & testes referuntur, tanquam personæ in judicio necessariò distinctæ. Dicendum enim, Accusatoris vicem eo casu supplere non judicem, sed publicam infamiam, criminis indicia &c. juxta *c. qualiter cit.* ibi, *Non tanquam idem sit accusator, & Judex, sed quasi denuntiante fama, vel deferente clamore, officii sui debitum exequatur*, ut DD. passim advertunt cum S. Thom. 2. 2. *q.* 67. *art.* 3. *ad* 2.

174 Quæritur 2. quotuplex sit inquisitio? Resp. Triplex est. Una *Simpliciter Generalis*, & propterea ab aliis *Generalissima* dicta, qua Prælatus, vel Præses Provinciæ, aut alius Magistratus Sæcularis, ex mero officio, nulla certa persona, & crimine expresso, investigat, an in Provincia Diœcesi, Civitate, vel Monasterio crimina quædam, vel excessus committantur, prout contingit in Visitationibus *cap. perniciosam* 1. *de Offic. Ordin.* *c. sicut* 25. *h. tit.* *cap. Romana* 1. *de Censib. in* 6. *l. congruit.* 13. *ff. de Offic. Præsid.* Clar. §. *fin. p.* 3. *num.* 1. Fleck. *l.* 6. *Bibl. Jur. Civil. tit.* 4. *num.* 4. Passerin. *Trib. Regul. q.* 8. *art.* 1. *num.* 3. Fagnan. *in cap. qualiter* 24. *h. tit. num.* 41. Gonzal. *in c.* 21. *eod. num.* 10. Vvagnereck *in c. fin. V. ad inquirendum not.* 1. Honor. *hic nu.* 43. & 44. Engl *n.* 23. *vers. est autem*, Pirih. *n.* 48. Konig *n.* 65. Reiffenstuel *nu.* 150. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 4. *n.* 66.

175 Altera *Simpliciter Specialis*, qua judex vel ex mero officio, vel ad alicujus offensi querelam, vel ad Officialis publici denuntiationem in certam personam de certo, & speciali Delicto, an istius rea illa sit, indagat juxta *l. ea quidem* 7. *C. h. tit.* Fleck. *l. cit. n.* 4. Passer. *n.* 3. Gonzal. *n.* 10. Vvagnereck *not.* 1. Honor. *n.* 45. Pirh. *n.* 48. Konig *n.* 65. Reiffenstuel *n.* 151. Schmier *n.* 66.

176 Tertia *Mixta*, sive partim generalis, partim specialis, qua vel nullo determinato crimine expresso, in certam personam, & quæ crimina perpetrarit, quod rariùs; vel quod frequentiùs contingit, nulla certa persona expressa, in certi criminis v. g. homicidii, aut furti commissi authorem inquiritur. Sylv. *V. Inquisitio* 1. *n.* 1. cum *citt.*

177 Aliqui duas dumtaxat Inquisitionis Species agnoscunt, Generalem scilicet, & Specialem. *Generalem* dicunt illam, qua alicujus Provinciæ, vel loci Status omnino generaliter, vel potiùs, qua certi delicti author, nulla persona expressa, inquiritur. *Specialem* verò, qua investigatur de una, vel pluribus certis, ac determinatis personis, an delicti, quod commissum esse constat, reæ, vel participes sint.

178 *Prior* ad delinquentem investigandum, *Posterior* ad eum condemnandum, & puniendum tendit: ad quod deveniri solet per duplicem viam, scilicet per Inquisitionem mansuetam, & per severam. *Mansueta*, seu *Mitior* peragitur per solas interrogationes, aut articulos, ad examinandum reum formatos. *Severa* est, in qua cruciatus corporis, & tormenta ad expressionem veritatis adhibentur; & aliàs simpliciter *Quæstio*, vel *Tortura* vocatur.

179 Quæritur 3. quot modis fieri soleat Inquisitio Specialis? Resp. Fieri solet tribus maximè modis. 1. Ex mero officio judicis, ut quando judex inquirit contra aliquem sine accusatione, querela, aut denuntiatione alterius. 2. Ad querelam alicujus, qui tamen non vult stare in judicio, tanquam accusator, sed solùm exponit querelam judici, eaque proposita judex ex Officio suo ad testes, & informationes recipiendas procedit. 3. Ad Denuntiationem alicujus publici Officialis, ad denuntianda Delicta deputati, qua proposita, inquirere judex ex Officio suo potest, etiam nulla præcedente infamia; nam per solam denuntiationem excusatur à calumnia *l. ea quidem* 7. *C. h. tit.* Marant. *de Ordin. Judic. p.* 6. *tit. de Inquisit. nu.* 12. Azor *p.* 3. *l.* 13. *c.* 17. *dub.* 1. Pirh. *hic n.* 48.

180 Differunt modi isti inter se in plutibus, ut videre est apud Gloss. *in cap. qualiter* 24. *vers. ad inquirendum h. tit.* Abb. *ibid. n.* 7. Pirh. *hic n.* 75. nam

1. Quando ex Officio suo procedit judex ad Inquisitionem Specialem, tunc recipit juramenta ab iis, contra quos facienda est Inquisitio: non item, quando procedit ad instantiam, seu petitionem alterius, ne instruat Adversarium; sed tunc ipse Adversarius probare debet, quæ denuntiavit.

2 Quando procedit ex officio, non tenetur recipere probationem super fama; satis enim est, quòd de ea sibi constet; sed de veritate inquiret, postquam ipsi constat de infamia, licèt inquisitus neget se infamatum: neque tenetur ipse judex fidem facere de infamia; cui enim faceret, cùm ipse sit judex? Contrà est, si procedat ad instantiam, & petitionem alterius; tunc enim tenetur probationes assumere, & fidem facere super infamia.

3 Si judex procedit ad petitionem, vel querelam alterius, admittit probationes contrarias super bona fama: non item, quando procedit ex officio; quia non ita præsumitur contra judicem, sicut contra partem *arg. c. in nostra* 4. *de Procur. c. ad audientiam* 13. *de præscript.* 18

4 Quando proceditur ad instantiam, fit litis contestatio cum eo, qui petit Inquisitionem *c. cùm dilectis* 15. *de Purgat. Canon.* Secus est, quando proceditur ex officio, quia tunc non est, cum quo fiat litis contestatio: fit tamen quasi litis contestatio inter infamiam, quæ tenet locum accusatoris, ex una, & responsionem inquisiti ex altera parte.

5 Quando proceditur ex officio, possunt recipi testes etiam post publicatas attestationes; cùm enim dicta testium semper sint nota judici, cessat tunc timor subornationis eorum: secus est, quando proceditur ad petitionem partis.

Quæritur 4. quomodo judicium Inquisitionis differat ab aliis judiciis, scilicet Accusationis, & Denuntiationis? Resp. Differt in plutibus, ut videre est apud Durand. *Specul. l.* 3. *part.* 1. *tit. de Inquisit.* §. 1. *num.* 33. Pirh. *hic n.* 76. nam 18

1 In Inquisitione fama habetur loco accusatoris *cap. qualiter* 24. *h. tit.* & *c. licèt Heli* 31. *de Simon.* in aliis autem judiciis nullus sine accusatore, vel denuntiatore damnatur *can. relatum* 3. *cau.* 5. *q.* 2. & *cap. un. ut Benef. Eccl. fin. dimin. confer.*

2 In causa Inquisitionis testes recipiuntur, etiam lite non contestata: quod non fit in aliis regulariter *cap. quoniam* 5. §. *sunt & alii*, *ut lit. non contest.*

3 In judicio Inquisitionis recipiuntur testes minùs idonei, cùm fit Inquisitio tam in capite, quàm in membris, vel super statu Ecclesiæ; admittuntur enim qualescunque testes ex ipsa Ecclesia, quòd ipsi meliùs nosse censeantur veritatem, ut notat Durand. *l. cit. num.* 21. quod non fit in aliis causis *c. ex parte* 7. *de testib. & Attest.* 18

4 Inquisitio fit de criminibus manifestis per famam *c. qualiter* 24. *h. tit.* alia verò judicia instituuntur etiam super occultis, dummodo probari possint *can. plerumque* 27. *cau.* 2. *q.* 7.

5 In judicio Inquisitionis proceditur quandoque ad remotionem inquisiti, dum negotium agitur *can. fin. cau.* 3. *q.* 2. probata tamen priùs suspicione dilapidationis *c. licèt* 31. *vers. quia verò*, & *c. per tuas* 32. *de Simon.* in aliis non item *can. volumus* 1. *cau.* 16. *q.* 4. *c. de Quod vult deo* 1. *de Judic.*

6 In Inquisitionis judicio, si crimen sit grave, Prælatus convictus removetur ab administratione *c. qualiter cit.* ibi, *Quatenus, si fuerit gravis excessus, etsi non degradetur ab Ordine, ab administratione tamen removeatur omnino.* In judicio accusationis deponitur *c. super his* 16. *c. inquisitionis* 21. *h. tit.* In Denuntiatione verò judex non debet imponere pœnam ordinariam, sed pœnitentiam, & ad illam compellere. Abb. *in c. qualiter citat. n.* 10. *not.* 14. 18

7 Accusatio, Inquisitio, & Denuntiatio tendunt ad diversos fines, & effectus; nam Inquisitio fit ad investigandam & reperiendam veritatem, Accusatio ad puniendum delictum, denuntiatio ad emendandum delinquentem, ut ait S. Thom. 2. 2. *q.* 67. *art.* 3. *ad* 2. *cum aliis.*

8 Accusator debet se inscribere ad pœnam talionis, si non probaverit, subeundam; in denuntiatione verò debet præcedere Charitativa monitio: neutrum requiri-

tur

tur in Inquisitione, etiamsi fiat ad petionem, vel denuntiationem alterius. Gloss. *in cap. qualiter cit. V. ad inquirendum*, *Vers. & cùm procedìtur*, Jo. Andr. *ibid. nu.* 37 Fagnan *n.* 82. & 83. Pithing *hic n.* 77.

185 Quæritur 5. quis Inquisitionem facere possit, de quo crimine, & contra quem? Resp. Inquisitionem facere potest Judex loci, in quo Delictum commissum est, aut delinquens reperitur, si Judex ille jurisdictionem criminalem in simili delicto habet: distinguere enim oportet inter crimina; nam de criminibus capitalibus, & iis, quæ mutilationem corporis, aut fustigationem infligunt, inquirere solùm illi possunt, qui habent Jurisdictionem altam: contrà de illis, quæ solùm mulcta pecuniaria, & carcere coerceri solent, inquirere valent etiam, qui bassam duntaxat juridictionem habent: pro qua re cujusque loci consuetudines, & jura oportet attendere. Fleck *Bibl. Jur. Civil. lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 8. Potest etiam hodie jurisdictio criminalis delegari, quod de jure Civili non potuit: sed delegatio hæc rarissimè, & restrictè accidit, ut notat idem Fleck. *num.* 7.

186 Inquiri potest de omni crimine. Salycet *in l. ea quidem* 7. *C. de accus.* Heig. *part.* 1. *quæst.* 39. *num.* 7. & *seqq.* Fleck *loc. cit. n.* 9. modò sit crimen magnum, & scandalosum, per quod Reip. tranquillitas turbetur *arg. c. inquisitionis* 21. *h. tit.* & *l. levia* 6. *ff. eod.* cujusmodi scandalosa, & atrocia sunt ea, quæ ad aliam jurisdictionem pertinent, & ultimum supplicium, aut etiam fustigationem, vel mutilationem corporis merentur. De levioribus delictis, quorum pœna solùm est dehortatoria, pecuniaria, seu carceris, & quæ regulariter ad bassam jurisdictionem pertinent, Magistratus non tenetur inquirere, & præstat sæpiùs dissimulare ejusmodi delicta, quàm in ea inquirere, nisi Inquisitio necessaria apparuerit. Fleck *nu.* 9. *cit.*

187 Inquirere autem Judex tantùm potest in eum, qui eidem ratione causæ, domicilii, vel loci delicti subjectus est, nec specialiter ab accusatione privilegiatus; cùm enim Inquisitio in locum Accusationis successerit, consequens est, eum, qui liber est ab Accusatione, etiam ab Inquisitione liberum esse. Konig *hic num.* 69. Hinc quia personæ Ecclesiasticæ coram Judice Sæculari accusari nequeunt, ideo hic in eorum delicta non potest inquirere: & vicissim quia Magistratus Ecclesiastici recipere non possunt accusationem personæ Laicæ circa crimen fori merè Laicalis, ideo neque inquirere possunt de tali crimine in personam Laicam, nisi simul jurisdictionem sæcularem habeant, qualem plerique Germaniæ Episcopi habent, cùm simul sint Principes Imperii.

188 Qui ab Inquisitione severa, seu Tortura eximuntur, reduci possunt ad duo capita; nam vel eximuntur ob defectum animi, aut corporis, vel ob conditionem, & statum. Ob defectum animi, aut corporis eximuntur 1. Impuberes *l. de minore* 10. *pr. ff. de Quæst.* & *l. cùm aliter* 1. §. *impuberi* 33. *ff. de S. C. Silan.* 2. Furiosi *leg. si quis* 3. §. *furiosi* 11. *ff. eod.* 3. Muti, & surdi simul, tam ex natura, quàm ex accidenti tales, si litteras ignorent *l. si quis cit.* §. *surdus* 8. & §. *mutum* 10. 4. Senes, & decrepiti *l. si quis cit.* §. *ignoscitur* 7. 5. Valetudinarii, qui versantur in periculo vitæ *argum. l. quæstionis* 7. *ff. de Quæst.* 6. Mulieres prægnantes *l. prægnantis* 3. *ff. de Pœnis*.

189 Ob conditionem, & statum eximuntur 1. Magistratus majores *leg. Divo Marco* 11. *C. de quæstion.* & *leg. severam* 10. *C. de Dignit.* 2. Milites *leg. milites* 8. *pr. C. de quæstion.* 3. Nobiles, utpote qui plebejorum, quibus tormenta videntur esse præstituta, turba exempti sunt *l. un. C. de Equestr. Dignit.* 4. Doctores, qui non tantùm privilegia militum participant *arg. l. Advocati* 14. *C. de Advoc. divers. Judicior.* sed etiam reipsa sunt nobiles *arg. l. excusantur* 2. §. *fin. l. diximus* 4. *fin. ff. de Excusat.*

190 *Excipitur* crimen læsæ Majestatis, Hæresis, Simoniæ, Proditionis, & similia valdè enormia, in quibus nec status, nec conditio tribuit immunitatem à tortura: de quibus Carpzov. *pract. crim. p.* 3. *qu.* 117. *num.* 87 & *seqq.*

191 Quæritur 6. an Inquisitionem præcedere debeat Infamia? Et, 1. *quidem dubitatur*, utrum infamia debeat præcedere *Inquisitionem Generalem*? *Certum est*, non debere præcedere infamiam cujusquam certæ personæ; nam etiam sine hac inquiri generaliter in Delicti authorem potest. Clar. §. *fin. quæst.* 6. *num.* 1. Marant. *de Ord. Judic. part.* 6. *tit. de Inquisit. num.* 29. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 29. *num.* 108. Gonzal. *in cap.* 21. *h. tit. n.* 10. Vvagnereck *in cap. fin. eod. vers. ad inquirendum not.* 3. Vallens. *hic* §. 4. *num.* 6. Zoes. *num.* 6. Honor. *num.* 43. Pirhing *num.* 50. Konig *num.* 74. Vviestner *numer.* 74. Reiffenstuel *num.* 158. & communi consensu DD. cæteri. *Ratio est*, quia per Inquisitionem generalem solùm inquiritur, an qui notitiam criminis habent, authorem illius sciant; & si hunc ignorant, an non aliquis de illo sit diffamatus: in qua inquisitione, cùm nulla exprimatur certa persona, nulli fit ulla injuria.

Difficultas solùm in eo est, an Generalis hæc inquisitio prorsus nullam, etiam delicti infamiam prærequirat? Distinguunt aliqui inter inquisitionem Generalem Generalissimam, & inter Generalem secundùm quid, seu Mixtam. Ad Generalem generalissimam concedunt, nullam etiam delicti infamiam prærequiri; putant autem prærequiri ad Mixtam, seu Generalem respectu solarum personarum. Sed immeritò, cùm in iis textibus, quos allegant, solùm sermo fit de inquisitione speciali. 192

Et hinc Passerinus *Trib. Regul. quæst.* 8. *numer.* 14. & 38. Fagnan. *in cap. qualiter* 24. *h. tit. nu.* 57. Honor. *hic num.* 45. Pithing *num.* 54. Konig. *num.* 74. Reiffenstuel *num.* 164. cum communi advertunt, etiam ad Inquisitionem mixtam, qua, nulla certa persona expressa, investigatur, quis criminis reus sit, delicti diffamationem non exigi, sed sufficere verisimilem, seu rationabilem ejus suspicionem. *Ratio est*, quia nuspiam in Jure statutum est, quòd non possit inquiri de delicto non famoso, sed solùm prohibetur, ne fiat inquisitio specialis contra delinquentem non famosum, & ideo ubi Superior habet qualemcumque verisimilem, suspicionem, quòd aliquod delictum fuerit commissum, potest inquirere, an hoc verum sit, & ex consequenti potest inquirere generaliter, ut inveniat delinquentem. 193

Quòd verò ad Generalem Generalissimam Inquisitionem fama Delicti non requiratur, patet 1. ex *Trid.* quod *sess.* 7. *cap.* 8. & *sess.* 21. *cap.* 8. *reform.* Episcopos ad visitationem annuam suarum Diœcesium, & faciendam in his Inquisitionem generalem obligat, quamvis nulla præcesserit fama de commissis in Diœcesi à Clero, vel populo certis Delictis, 2. *ex praxi* Regularium Prælatorum, qui Monasteria, & Conventus Religiosorum sibi subjectorum statis temporibus visitant, quamvis nulla tam delictorum, quam delinquentium diffamatio, vel etiam suspicio præcesserit, 3. *ex ratione*; quia per talem Inquisitionem nulli fit injuria, cùm de nemine in particulari fiat inquisitio. 194

In neutro tamen casu, sive cùm sit Inquisitio Generalissima, sive cùm Generalis respectu solarum personarum, tenentur subditi manifestare authorem criminis occultum, nisi de eo publica infamia, vel alia sufficientia indicia præcedant. Et hoc verum est, etiamsi Judex sub juramento interroget generatim, quis delictum commiserit, ut notat Less. *l.* 2. *de Just. c.* 29. *n.* 109. & 118. Pirhing *hic n.* 54. *fin.* Ratio est, quia Judex non habet jus inquirendi de reis occultis, & cons. non potest obligare subditos, ut eos manifestent, sed solùm eos, qui infamia aliqua laborant. Multo minus reus occultus, interrogatus à Judice, renetur seipsum prodere. Less. *l. cit. n.* 117. *Excipitur*, si crimen adhuc esset patrandum, vel continuandum, aut si ex eo gravé damnum alicui immineret, quod alio modo commodè declinari non posset; hoc enim casu subditus interrogatus à Judice, deberet patefacere authorem, etsi omnino occultum, & nulla laborantem infamia, ut sic Judex opportuna possit adhibere remedia ad damnum ejusmodi præcavendum. Less. *n.* 119. 195

Dub. 2. an publica infamia præcedere debeat inquisitionem specialem, qua inquiritur in certam personam, an criminis perpetrati rea sit? Resp. regulariter debet præcedere infamia. Ita Clar. §. *fin. qu.* 6. *numer.* 1. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 29. *num.* 121. Farin. *prax. crim. qu.* 9. *num.* 1. Scaccia *lib.* 1. *de Judic. cap.* 59. *n.* 3. & 84. Barbosa *in cap.* 19. *h. tit. num.* 1. & 3. Fagnan *in c. qualiter* 24. *nu.* 59. Gonzal. *in cap.* 21. *n.* 10. Passerin *in c.* 1. *tit. eod. in* 6. *n.* 8. & *Trib. Regul. quæst.* 8. *art.* 2. *num.* 8. Canis. *Sum. lib.* 4. *tit.* 19. 196

tit. 19. §. 13. Vallens. *hic* §. 4. *num.* 2. & 3. Honor. *numer.* 46 Engl *n.* 24 Pirhing *num.* 56. Schamb. *num.* 29. Konig *nu.* 75. Reiffenstuel *num.* 173. Magnif. P. Schimier *part.* 1. *de Delict. cap.* 4. *nu.* 81. & patet ex *cap. cum oporteat* 19. *c. inquisitionis* 21. §. *tertia*, *cap. qualiter* 24. *h. tit. Cap. si is* 2. *eod. in* 6. *cap. licèt Heli* 31. *de Simon. Ratio est*: quia Judex ad criminum punitionem non debet procedere, nisi ex scientia publica; talis autem de crimine non habetur, quod nec publica diffamatione, aut huic æquivalente alia insinuatione in Judicium deductum est: ergo &c. *Conf.* quia meritò quisque queri potest sibi fieri injuriam, si in vitam ejus juridicè inquireretur, cujus fama alioquin est integra; nam per talem Inquisitionem redditur suspectus, & jacturam famæ, atque existimationis suæ patitur, quod sine gravi causa non licet.

197 Estque hoc adeo verum, ut non sufficiat quoque ad Inquisitionem specialem instituendam, quòd duo, vel plures etiam juratò affirment, aliquem crimen aliquod se videntibus commisisse, de quo non laboret infamia aliqua, & clamorosa insinuatio non præcessit *c. inquisitionis cit.* §. *tertia*; quia alias adhuc occulta res est, & minimè per publicam Inquisitionem prodenda: Hinc necesse erit, ut rumor de tali homine, & commisso ab ipso crimine sparsus sit per majorem partem viciniæ, Collegii, vel Universitatis, in qua inquirendus moratur, Less *cap.* 29. *cit. numer.* 123. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 5. *Vers quod adeo. Excipitur* crimen læsæ Majestatis Divinæ, aut humanæ, monetæ falsatæ, latrocinii &c. in quibus etiam ex sola confessione Socii in Socium inquiritur *l. Divus* 6. *ff. de custod. & exhib. reor. l. quisquis* 5. *C. ad Leg. Jul. Majest. l. quoniam* 1. *C. de fals. monet.* Vallens. *l. cit. vers. Excipitur.*

198 Extra hæc crimina, si inquisitio specialis de crimine in certam personam, non præcedente aliqua criminis infamia, vel aliis indiciis instituatur, processus, sic à Judice institutus, est nullus *cap. inquisitionis* §. *tertia*, & *cap. qualiter citt.* & notant *ibi* DD. & ita quidem, ut neque per subsecutam delicti plenam probationem, ipsamque criminis confessionem convalescat, ut de eo inquisitus condemnari, & puniri possit. Durand. *Specul. tit. de inquisit.* §. 4. *num.* 6. Farin. *quæst.* 9. *numer.* 8. & *seqq.* Barbosa *in cap. qualiter cit. num.* 5. Vvagnereck *ibid. V. ad inquirendum not.* 2. *vers.* 3. Pirhing *hic num.* 58. *not.* 6. Schambog. *num.* 29 Vviestner *numer.* 78. Reiffenstuel *numer.* 198. *Excipitur*, nisi iste in inquisitione esset præsens, & cùm opponere posset, se de crimine diffamatum non esse, taceret; hoc enim casu juri suo renuntiasse, & processum contra se formatum approbasse censeretur, neque eum postea impugnare posset *cap fin. h. tit. in* 6. Clar. §. *fin. quæst.* 6. *numer.* 9. Farin. *quæst.* 9. *cit. num.* 12. Scaccia *lib.* 1. *de Judic. cap.* 84. *num.* 18. Canis. *Summ. lib.* 4. *tit.* 19. §. 13. Passerin. *in capit. fin. cit. num.* 6. Vallens. *hic* §. 4. *num.* 5. *vers. hinc etiam*, Zoes. *num.* 6. Pirhing. *num.* 68. cum aliis *supra*.

199 Dub. 3. qualis requiratur diffamatio ad Inquisitionem Specialem? Resp. non sufficit quævis, sed debet esse talis, ut 1. originem habeat non à malevolis, vel maledicis, sed honestis, & fide dignis personis, 2. ut ad aures ipsius Superioris pervenerit. Et quidem 3. ut sæpius illuc pervenerit. Ita clarè desumitur ex *cap. qualiter* 24. *hic tit.* Ratio est, quia aliàs, si ex qualibet fama contra aliquem inquiri posset, nullus quantumvis honestus vir unquam securus esset à Speciali inquisitione, & inde sequentibus præjudiciis, cùm ex una parte vix ullus esset, contra quem malevoli, & improbi non malè loquantur, ex altera verò parte dictum unius facilè sequatur multitudo *cap. cum in juventute* 12. *de Purg. Canon.* Fagnan *in cap. qualiter cit. num.* 9. Barbosa *ibid. num.* 7. & *seqq.* Vvagnereck *V. sed à providis not.* 1. Passerin. *in cap.* 1. *eod. in* 6. *num.* 2. & præcipuè *a nu.* 24. Reiffenstuel *hic num.* 191.

200 Quod multo magis observandum est, cùm inquisitio Speciali instituenda est contra Prælatum Ecclesiasticum; in hoc enim multo magis requiritur præcedens infamia, quòd status ejus sublimior sit. Hinc, ut adversùs ipsum inquisitio Specialis institui possit, necesse est, ut infamia sit clamorosa. Discrimen tamen faciendum est aliquod inter Prælatum Regularem, & Sæcularem; nam ut speciali inquisitione contra Prælatum Sæcularem procedi possit, diffamatio non solùm clamorosa, sed talis esse debet, ut sine gravi scandalo dissimulari, & sine periculo tolerari nequeat *capit. qualiter citat. vers. sed cum super.* Ut verò procedi possit adversùs Prælatum Regularem, sufficit, si clamorosa sit, etsi dissimulatio, & tolerantia ejus scandalum grave, & periculum non afferret. Abb. *in cap. qualiter cit. n.* 9. Sylv. *V. Inquisitio* 1. *n.* 10. *pr.* Honor *hic n.* 47. Pirhing *n.* 60. *not.* 11. Vviestner *numer.* 68.

Est etiam aliud triplex discrimen inter inquisitionem specialem, quæ instituitur contra Prælatum Sæcularem, & inter eam, quæ instituitur contra Prælatos, & subditos Regulares, ut colligitur ex *cap. qualiter cit.* 1. §. *fin.* Nam 1. in hac posteriore Ordo Juris non est observandus usquequaque, & ad unguem, intellige, quoad subtilitatem, & solemnitatem Judicii; nam hæ in causis Regularium remittuntur: secus quoad veritatis probationem; ista enim nequaquam est omittenda. Joann. Andr. *in cap. cit. nu.* 31. *Host. ibid. fin. V. usquequaque*, Pirhing *hic num.* 78. *arg. Clem.* 2. *de V. S.* 2. Prælati Regulares faciliùs, & liberiùs removeri ab administratione possunt, quàm Prælati Sæculares; nam ad hos removendos sufficiunt etiam leviores causæ, & probationes. Host. *loc. cit. V. facilius*: imò Priores Claustrales, & Officiales minores ab Officiis suis, & administrationibus removeri possunt ad libitum Abbatis, etiam sine ulla causa, & nullo Juris ordine servato, ut notatur *in cap. ad Monasterium* 6. §. *tales*, *de Stat. Monach.* & notat Fagnan. *in cap. qualiter cit.* 3. contra Regulares, non reperiuntur tot Exceptiones, sicut contra Sæculares, & in ipsis Exceptionibus non est necessarium ita exactè servare formam, seu ordinem procedendi. Host. *l. cit. V. liberius*. 201

Dub. 4. quibus casibus speciali Inquisitioni locus sit adversùs delinquentem criminis infamia non laborantem? Resp. plures ejusmodi casus a DD. passim enumerari. Et quidem. 202

1. Si adversùs delinquentem adsint indicia criminis valde propinqua: qualia juxta Fleck *Bibl. Jur. Civil. lib.* 6 *tit.* 4. *nu.* 6. sunt, si quis propositum habuit delinquendi, aut minas fecit, ex quibus secutum est crimen, si conversatus est cum ipsis delinquentibus, aut similis farinæ hominibus, si inventus in loco, ubi delictum commissum fuit, si apud ipsum invenia res furtiva, si fugit ob metum inquisitionis &c. quia hæc succedunt loco diffamationis. Marant. *de Ord. Jud. part.* 6. *tit. de Inquisit. n.* 22. Boss. *tit. de Inquisit. num.* 8. Farin. *prax. crim. quæst.* 9. *num.* 20. Guazzin *Reor. Defens.* 9. *cap.* 1. *nu.* 14. Passerin *Trib. Reg. quæst.* 8. *art.* 5. *n.* 18. & *in cap.* 1. *h. tit. in* 6. *num.* 37. Pirhig *hic nu.* 61. Konig *nu.* 76. Vviestner *num.* 79. Reiffenstuel *nu.* 185.

2 Quando crimen, de quo inquiritur, cum crimine, de quo convictus, vel diffamatus quis est, connexum est vel plerumque esse conjunctum solet; & sic in eum, qui convictus est de adulterina consuetudine cum conjugata, inquiri potest de cæde mariti reperti in camera adulteræ, in infamatum de homicidio, de spoliatione cadaveris occisi &c. Innoc. *in cap. qualiter* 17. *h. tit. num.* 3. Abb. *ibid. n.* 7. Sanch. *Conf. l.* 6. *c.* 3. *dub.* 21. Vviestner *hic nu.* 80. Reiffenstuel *ibid. nu.* 186. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de Delict. cap.* 4. *n.* 93. Aliud est, quando crimen, de quo inquirere vult Judex, non est connexum; nam nisi etiam de hoc diffamatus sit, inquirere de illo Judex in delinquentem, de alio convictum, sine aliis adminiculis nequit, ut rectè Sot. *lib.* 5. *de Just. quæst.* 6. *art.* 2. *vers. enascitur*, Sanch. *dub.* 21. *cit. nu.* 2. *in fin.* Vviestner *num.* 96. Schmier *num.* 91. & 92. Ratio est, quia licèt infamatus de uno crimine jam amiserit famam, & existimationem suam, non tamen amisit totaliter, sed partialiter, remanente adhuc jure ad famam quoad alia crimina; nam utique in communi hominum æstimatione majus dispendium patitur existimationis ille, qui plura, quàm qui unum, Delicta commisit. Alia ratio est in criminibus connexis; in his enim ipsa connexio ex uno suspicione trahit ad alterum. 203

3 Quando Judex procedit ad denuntiationem Officialis publici *l. ea quidem* 7. *C. h. tit.* vel per inquisitionem Generalem venit in alicujus Rei notitiam; quia Generalis est præparatoria ad Specialem Marant *loc. citat. numer.* 24 Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 29. *num.* 125 Farin. *quæst.* 9. *cit. num.* 11. & 19 Fagnan *in cap. qualiter* 24. *num.* 60 Barbosa *ibid. num.* 16 Passerin *in cap.* 1. *h. tit. in* 6. *num.* 30. & 52 Vviestner *hic num.* 81 Reiffenstuel *num.* 176 *Neque refert* quòd 204

quòd testis fortè peccaverit revelando, eò quòd delinquens nulla laboravit infamia; quia, ut rectè notat Less. *loc. cit.* ex quo crimen deductum est in publicam Judicis notitiam, sive bene, sive malè, ille tenetur contra illud procedere per particularem Inquisitionem, & illud punire. *Conf.* quia si privatus quispiam extorsisset crimen alterius per injuriam, & deduceret illud in Judicium, Judex deberet contra illum procedere, ut facile fatentur omnes: ergo etiam procedere debebit, dum per injuriam in Judicio detegitur à privato.

205 4 Quando Judici denuntiatur etiam à privato, sed probo, & fide digno viro: quod tamen intellige, ut hoc casu Judex inquirere possit super infamia, ita denuntiati; nam ad inquirendum super crimine non est sufficiens talis denuntiatio, unde hoc casu, non nisi reperta infamia, pergere valet ad inquirendum super crimine, Abb. *in cap. licet* 14. *hoc tit. num.* 4. *not. ult.* Felin. *ibid. num.* 3. Farin. *quæst.* 9. *cit. nu.* 17. Passerin *nu.* 30. *cit.* Pirhing *num.* 61 Vviestner *num.* 82. Reiffenstuel *nu.* 177. *& seqq.*

206 5 Si Papa, vel Princeps alicui proprio motu, & non ad postulationem partis committat inquisitionem super crimine alicujus, dummodo Princeps non simpliciter narret, reum jam esse diffamatum, sed asserat sibi de Delicto ex ejus fama, & certa scientia constare. Marant. *nu.* 25 Farin. 13 Pirhing *n.* 63. quia sicut Princeps potest inquirere, non præcedente diffamatione Rei, ita & poterat Delegatus ab illo per mandatum, Motu proprio emanatum.

207 6 Si Judex ad Inquisitionem specialem de crimine processit, præsente inquisito, & non contradicente, nec reclamante; quia tunc valet processus, etiamsi non probetur infamia, nec potest ulteriùs opponi contra processum, ut dictum est *supra nu.* 198. & notant Marant. *num.* 27. Clar. §. *fin. qu.* 6. *n.* 9. Farin. *n.* 12. Pirh. *n.* 62 Ratio est, quia, quod infamia præcedere inquisitionem debeat, est introductum principaliter in favorem ipsius Rei, qui tacendo censetur renuntiare huic suo Juri, ideòque sibi imputare debet, quòd passus sit inquiri super veritati criminis, priusquam constaret de infamia. Idem dicendum, quando reus contumaciter, abest; quia habetur pro præsente, Pirhing *num.* 63. *not.* 2.

208 7 In criminibus læsæ Majestatis, Hæresis, Apostasiæ, & aliis enormibus, atque in Reip. grave damnum tendentibus delictis; nam in his ad inquisitionem specialem instituendam sufficit non levis suspicio, Farin. *quæst.* 9. *citat. num.* 14. & 15 Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 29. *numer.* 128. Scaccia *de Jud. lib.* 1. *cap.* 84. *num.* 19 Passerin *Trib. Reg. qu.* 8. *art.* 5. *numer.* 23. *& in cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *numer.* 47. *&* 48 Barbosa *in cap. qualiter cit. num.* 12 Pirhing *hic n.* 64 *vers.* 5. Vviestner *nu.* 82 Reiffenstuel *nu.* 189.

209 8 Quando Inquisitio non tendit ad publicam punitionem, sed ad solam correctionem delinquentis, aut damni evitationem, ut cùm inquiritur in vitam, & mores personæ evehendæ ad Prælaturam, Parochiam, Ordines &c. ne promoveatur indignus. Abb. *in cap. qualiter* 24. *n.* 11. Sylv. *V. Inquisit.* 1. *numer.* 10. *Vers. tertium*, Durand. *tit. de Inquis.* §. 3. *n.* 41 Marant *tit. de Inquis. n.* 32 Passerin *in cap.* 1. *cit. nu.* 6. Vviestner *hic nu.* 84 Reiffenstuel *num.* 175.

210 9 Quando Delictum directè tendit in præjudicium tertii privati, & multo magis Reip. Innoc. *in cap. licèt* 31 *de Simon. num.* 1. Sanchez *Cons. lib.* 6. *dub.* 19. *numer.* 15 Vviestner *hic nu.* 85.

10 Quando Inquisitio Specialis instituitur adversùs Religiosum, cum distinctione tamen, si intendatur sola Religiosi correctio, non verò pœna illius, saltem gravis, v. g. Depositio, incarceratio, ejectio &c. Vviestner *num.* 86. *&* 87. cum aliis *supra*.

211 Quæritur 7. quænam alia præter Infamiam, aut huic æquivalentia indicia requirantur ad Inquisitionem Specialem? Resp. 1. ut fiat à Judice competente *arg. Rubr. & textum C. si à non compet. Jud.* Sylv. *V. Inquisitio* 1. *q.* 1. *dict.* 2. Marant. *de Ordin. Judic. part.* 6. *tit. de Inquis. num.* 102. Farin. *prax. crim. quæst.* 9. *num.* 53. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 3. *num.* 91. Vagnereck *in cap. fin. V. ad inquirendum not.* 5. *hoc tit.* Pirhing *hic num.* 49. Vviestner *ibid. n.* 88 Unde quæ à Judice Sæculari formatur contra personas Ecclesiasticas, ipso Jure nulla est. Imò nec omnis Judex competens inquirere criminaliter potest, sed ille tantùm, qui merum imperium habet: & propterea Judices Civiles, qui causæ criminalis cognitionem non habent, & qui nec corrigere, nec punire possunt, etiam non habent potestatem inquirendi, Sylv. *dict.* 2. *cit.* Farin. *num.* 56 Pirhing *num.* 49. Konig *num.* 68. *Excipitur*, si causa criminalis incidat in causam Civilem, agitatam coram Judice Civili; nam hoc casu iste etiam agnoscere, & inquirere poterit de causa criminali incidente, si tamen illa sit connexa cum causa civili, & quidem ita, ut hæc sine illa definiri non possit, ut, si testis falsum deponat coram Judice Civili. Farin. *n.* 57.

2 Ut priùs de Corpore Delicti, seu quò commissum 212
Delictum sit, constet *l. cùm aliter* 1. §. *item illud* 24. *& l. necessarios* 5. §. *non alias* 2. *ff. de S. C. Silan.* Et procedit hoc etiam casu, quo reus ejusmodi Delictum à se commissum fatetur; nihilominus enim condemnari, vel torqueri propterea nequit, antequam Judex miserit in locum, in quo Delictum commissum sit, & sic habeatur notitia de illo commisso. Clar. §. *fin. q.* 4. *n.* 1. Marant. *loc. cit. n.* 16. Farin. *q.* 2. *n.* 7. Boss. *tr. crim. tit. de Accus. n.* 31. Guazzin. *reor. Defens.* 4. *cap.* 1. *n.* 1. Brunneman *in l. cùm aliter cit. nu.* 4. Carpzov *pract. crim. part.* 3. *q.* 108 Fleck *Bibl. Jur. Civil. lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 13. *&* 14 Passerin *Trib. Regul. q.* 8. *num.* 70 Vvagnereck *in c. fin. V. ad inquirendum not.* 5. *hoc tit.* Vallens. *hic* §. 4. *num.* 2. Konig *num.* 73. Vviestner *num.* 89 Reiffenstuel *nu.* 201. Magnif. P. Shmier *part.* 1. *de Delict. cap.* 4. *num.* 77. quia non est in arbitrio hominis de sua vita disponere, sicut in causa civili, ubi quoad temporalia bona seipsum quis potest ex sua confessione condemnare *arg. l. liber. homo* 13. *ff. ad Leg. Aquil.*

3 Ut Inquisitio contineat Delicti circumstantias, 213
præsertim loci, ac temporis, scilicet anni, & mensis. Clar. *qu.* 31. *num.* 11 Farin. *qu.* 1. *num.* 11. *&* 12 Haun. *tr.* 3. *num.* 90 Vvagnereck *not.* 5. Konig *num.* 77 Vviestner *num.* 90 Reiffenstuel *num.* 210. *arg. l. libellorum* 3. *ff. hoc tit.* & meritò, ut sic inquisito facilior reddatur sui defensio.

4 Ut is, contra quem Judex de Delicto aliquo vult inquirere, de eo non sit absolutus, neque ab eo actioni criminali præscriptum. Haun. *num.* 90. *cit. in fin. & num.* 91 Vvagnereck *not.* 5. *cit.* Vviestner *num.* 94. cum Farin. *num.* 60.

5 Ut idem sit præsens, aut saltem citatus, & per contumaciam absens. Clar. *qu.* 11. *num.* 2. Farin. *qu.* 1. *num.* 69 Haun. *num.* 92 Vvagnereck *not.* 5. Vviestner *nu.* 95 Reiffenstuel *num.* 207. qui tamen addunt, Curiarum praxi istud non observari.

6 Ut eidem Inquisitio ostendatur capitula, seu puncta Inquisitionis, & nomina testium, ut sic Exceptiones suas formare contra dicta, & personas testiùm possit *cap. cùm oportet* 16. *cap. inquisitionis* 21 *cap. qualiter* 24 *fin. hoc tit.* Passerin *in cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *numer.* 79 Engl *hic num.* 25 Konig *num.* 77 Reiffenstuel *num.* 208 Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de Delict. cap.* 4. *num.* 86 *Excipitur*, si timeatur, ne si nomina, & dicta testium publicentur, iis grave periculum immineat, & consequenter, ne propter hoc ipsum testes se subtrahant, aut veritatem in examine metu mali imminentis dissimulent *arg. cap. fin. de Hæret. in* 6. *& ibi* Barbosa *num.* 7. Reiffenstuel *num.* 209 Konig *num.* 79. qui ex Claro addit, quandoque hoc medium observari, ut testium nomina quidem publicentur, sed in confuso, ita, ut nesciat reus, quisnam hoc, vel illud deposuerit.

Dub. 1. quomodo Judici, per viam inquisitionis spe- 214
cialis procedenti, de Corpore Delicti constare debeat? Resp. discrimen statuendum est inter Delicta; nam aliqua sunt *facti permanentis*, & post se vestigia relinquunt, ut homicidium, furtum commissum cum effractione, incendium, falsatio monetæ &c. alia verò sunt *facti transeuntis*, & vestigia post se non relinquentis, ut blasphemia, Magia, injuria verbalis &c.

De *prioris generis* Delictis constare Judici regulariter 216
debet liquidè, & certò, puta, per ocularem inspectionem cadaveris occisi, effractæ cistæ, ædium exustarum, falsæ monetæ &c. De *posterioris generis* autem sufficit constare per conjecturas, & præsumptiones; quia in ipsis Delicti corpus certò investigari non potest. Clar. §. *fin. quæst.* 4. *num.* 3. *&* 4. Farin. *quæst.* 2. *nu.* 4. *&* 13 Guazzin. *reor. defens.* 4. *cap.* 2. *num.* 13 Passerin *in cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *num.* 52. Carpzov. *pract. crim. part.* 3. *quæst.* 108 Fleck *Bibl. Jur. Civil. lib.* 6. *tit.* 4. *numer.* 14 Vviestner *hic num.* 89 Reiffenstuel *ibid. nu.* 203.

Di-

217 Dixi, *regulariter constare Judici debere per ocularem inspectionem &c.* intellige, nisi Delictum occultum sit, & corpus Delicti propterea non facile manifestabile, prout fit, quando Cajus dicitur occidisse Mævium, & ejus cadaver projecisse in aquas; nam hoc casu etiam Delicta facti permanentis pro Delictis facti transeuntis habentur, ut proin sufficiat de eo constare per conjecturas, & præsumptiones in ordine ad faciendam super eo inquisitionem specialem. Fleck *loc. cit. n.*15

218 Porro si de corpore delicti, puta, homicidii quidem constat, dubitatur autem, an dolo, an verò casu, aut facto proprio illud contigerit, dubium hoc resolvi, & qualitas delicti cognosci debet ex ipsius cadaveris inspectione, si hoc extet, per Judicem, & Medicos, Chirurgos, aliosque peritos facta, item ex circumstantiis, aliisque indiciis delicti, Farin. *prax. qu.* 122. *n.*62 in quem finem quandoque cadaver effoditur, Carpzov *pract. crim. p.* 1. *q.* 16. *n.* 8.

219 Dub. 2. quibus casibus Inquisitio, & ea receptæ testium depositiones sine mensis, vel etiam anni, ac determinati loci expressione sustineantur? Resp. tres maximè casus refert P. Vviestner *hic num.*91. *& duob. seqq.* 1. Si alicubi Statuto introductum, vel praxi Tribunalium receptum est, ut adversùs certi generis delinquentes, v. g. Usurarios, aut concubinarios diffamatos, aut graviter suspectos summariè, & sola veritate facti inspecta, procedi soleat. Menoch. *vol.*1. *cons.* 100 *n.* 93 Boss. *tit. de Inquisit. n.*98 Farin. *prax. crim. q.* 1. *num.* 17.

220 2 Quando crimen ante complures annos est perpetratum, ut verisimile sit, testes ejusmodi circumstantiarum non ampliùs recordari. Alex. *l.* 2. *cons.* 65. *ân.* 3. Farin. *prax. q.* 64. *n.* 93. *&* 99 Imò idem Farin. *q.* 79. *n.* 44 & Guazzin *Reor. defens.* 19. *c.* 7. *n.* 4. volunt ejusmodi oblivionem quinquennio, quandoque triennio, aliquando, etiam minoris temporis lapsu induci.

3 Quando delictum tractum Successivum habet, ut sunt crimina Hæreseos, Usurarum, Concubinatus, aut alterius consuetudinis carnalis. Tusch. *pract. V.* *Libellus concl.* 320. *n.* 32 Menoch. *loc.cit. n.* 91 Farin. *q.* 1. *cit. num.*17.

221 Dub. 3. quid observandum sit in Examine, & interrogatoriis inquisitorialibus? Resp. si Judex generalem inquisitionem instituat, cavere omnino debet, ne testem de hac, vel illa persona certa interroget, e. g. an Mævius Cajum occiderit, vel in mortem ejus sit machinatus; quia ejusmodi suggestiones periculosæ sunt *l. in criminibus* 1. §. *qui quæstionem* 21. *ff. de Quæst.* adeo, ut Magistratus sic absque sufficientibus indiciis specialiter inquirens inquisito injuriarum teneatur. Cothman *vol.* 1. *cons.* 47. *n.* 46 Fleck *lib.* 6. *tit.* 4. *num.* 17 nisi Princeps ejusmodi Inquisitionem jusserit, juxta dict. *num.* 206.

222 Si Specialis inquisitio fiat, 1. proponi debent interrogatoria personalia communia de conditione personæ Rei, quodnam sit ejus nomen, qui parentes, quæ patria, quæ Religio, vitæ conditio, habitatio, conversatio &c. Deinde subjungantur interrogatoria realia, ad rem, & causam delicti, ejusque scientiam pertinentia: inter quæ sequens servandus est ordo: priùs regulariter proponi debent interrogatoria debiliora, generaliora, & remotiora à facto: paulatim ea, quæ facto magis, magisque propria, ac propinqua: tandem specialia, imò specialissima quoad objecta, causas, effectus, adjuncta, & circumstantias delicti, de quibus reus satis indiciatus, aut diffamatus est. Scaccia *l.* 1. *de Jud. c.* 86. Brunnem. *process. Inquis. c.* 8. Konig *hic num.* 81.

223 Addidi, de quibus reus satis indiciatus, aut diffamatus est; nam de aliis, de quibus nulla infamia, aut indicia præcesserunt, interrogari non potest, nisi fortè connexionem habeant cum principali. Similiter non potest Judex interrogare de Socio criminis occulto, nisi hoc tale sit, quod socium necessariò requirit, vel quod cum Sociis factum dicitur, vel quod exceptum est, & Reip. noxium, Konig *loc. cit.*

224 Dub. 4. quæ sit forma inquisitionis severæ? Resp. Consistit in sequentibus, 1. Ut ad eam procedi possit, præcedere debent indicia criminis urgentia, certa, & concludentia, ita, ut nihil pene deesse videatur, quàm Rei confessio *l. in criminibus* 1. §. *sed &* 1. *& l. unius* 18. §. *Reus* 1. *de quæst. l milites* 8. §. *oportet* 1. *C. eod Ordin. Crim. Carol. V. art.* 18 Roland. à Vall. *vol.* 1. *cons.* 24 *n.*24 Farin. *prax. crim. qu.* 37. *nu.* 74. *&* 79 Bocer. *tr. de Quæst. cap.* 3. *nu.* 10. Fleck *Bibl. Jur. Civil. lib.* 6. *tit.* 11. *num.* 10 Konig *hic num.* 84 ubi ex Farin. *loc. cit.* tradit, quod nec longo usu induci, nec à Principe mandari possit, ut quis sine indiciis etiam in criminibus exceptis torturæ subjiciatur: imò quanto crimen est gravius, & atrocius, tanto præsumptiones, & indicia debent esse graviora, & vehementiora, cum tunc agatur de graviori periculo.

2 Ad torturam procedendum non est, quando reus per testes de visu, vel per alia media, & argumenta de crimine plenè convinci potest; quia tortura veluti remedium extraordinarium, inventa solùm est in subsidium, & defectum legitimarum probationum *l. edictum* 8. *pr. l. Divus* 9. *pr. ff. de Quæst. Ord. Crim. Carol. V. art.* 69. ubi disertè cavetur, quòd, si reus legitimis probationibus convictus in negatione delicti perseveret, non torqueri, sed damnari, & puniri debeat, Konig *hic n.* 84 *Vers.* 2. Mag. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.*4. *n.*97. 225

3 Post obtenta, & legitimè probata indicia, si ea Judex ad torturam sufficientia esse agnoverit, interloquendo pronuntiat reum esse torquendum, diemque certum executioni præfigit. *Ordin. crim. citat. art.* 45 Antequam verò reipsa suscipiatur tortura, *Ord. crim cit. art.*46 vult, ut reus in præsentia Judicis, duorum saltem Assessorum, & Actuarii Judicialis, seriò, etiam sub torturæ comminatione, de spontanea delicti confessione facienda interpelletur. Quodsi in negatione criminis perseveraverit reus, juxta eandem *Ordin. art.* 47 Judex ipsi injunget, ut indicia diluat, & innocentiam suam probet: in qua probatione si deficiat, tandem torturæ subjicitur. Konig *n.* 84. *v. tertio.*

4 Ipsa verò tortura ita est suscipienda, ut torquendus *salvus sit vel innocentiæ, vel supplicio*, ut *l. quæstionis* 7. *ff. de Quæst.* inquit *Ulpianus*. Hinc ætatis, sexus, virium, ac totius constitutionis corporis, item affectuum animi, delicti, & indiciorum maximè habenda est ratio; nam pro horum diversitate temperanda tortura est. *Ord. crim. cit. art.* 58 Vvaizenegger *de Serv. Dæmon. dissert.* 6. *cap.* 9. *num.* 151 ubi *n.*158 ait, ex eo solo maleficium taciturnitatis non esse præsumendum, nec inusitata propterea tormenta adhibenda, quòd reus, usitatis tormentis subjectus, crimen non fateatur; quia sunt, qui vel sola patientia, & fiducia bonæ conscientiæ tormenta contemnunt. 226

5 In ipsa tortura Judex, vel Commissarius reum ad certos Inquisitoriales articulos, ab accusatore, vel à Fiscali, vel ab ipso Judice exhibitos examinare, superfluas tamen quæstiones, & ad factum non pertinentes rejicere debet. Fleck *l.* 6. *tit.* 11. *n.* 20 Caveat etiam Judex debet, ne reum de alio delicto interroget, quàm de quo ex verisimilibus indiciis suspectus est, nisi cum eo, super quo legitimè quæritur, si ejusdem generis, aut ex eodem dependentiam, vel connexionem habeat. Bocer. *de q. c.* 5. *n.* 5. Fleck *n.* 20. *cit.* Konig *num.* 85. 227

6 Ab Actuario autem gradus, & instrumenta torturæ, temporis diuturnitas, Rei responsiones, lamentationes, gestus, & aliæ circumstantiæ annotari debent. *Ord. cit. art.*46 Fleck *n.* 22 Porro inter Responsiones Rei, non illæ, quas facit in ipso torturæ actu, sed quas eo paulisper remisso facit, attendi debent, ut statuitur in *Ord. cit. art.* 58. 228

7 Post confessionem à reo in tortura obtentam, & intervallum unius, vel plurium dierum reo, extra torturæ locum constituto, in præsentia Judicis, & duorum Assessorum ab Actuario prælegitur confessio in tormentis facta, ipseque denuo interrogatur, an in ea adhuc persistat, vel ab ea recedat ex toto, aut ex parte, & quidquid tunc dixerit, simili modo diligenter annotari debet. *Ord. cit. art.* 58. §. 2. 229

Dub. 5. an pendente Inquisitione, inquisitus accusari possit? Resp. Affirmativè, si Jus commune spectemus; nam hoc Jure spectato, Inquisitio est remedium extraordinarium. Sed hoc cessat, quando adest ordinarium. Et hoc verum est, ut etiam coram alio Judice accusatio institui possit, impediatque Inquisitionem coram uno antea cœptam. Vallens. *hic* §. 4. *numer.* 10. 230

Ex-

231 *Excipitur* 1. crimen læsæ Majestatis, & alia excepta. Gloss. *inl. ex lege* §. *si publico ff. de adult.* 2. Si statuto permittatur Inquisitio; tunc enim est remedium ordinarium, cons. per supervenientem accusationem non tollitur; & hinc quia hodierna consuetudine, ut *num.* 172. dixi, in remedium ordinarium transit, simili ratione per accusationem non tollitur. 3. Si inquisitus data opera affectaret, & procuraret Accusationem coram alio Judice ad impediendam Inquisitionem. 4. Si offensus à Judice rogatus ante cœptam Inquisitionem, an velit accusare, responderet, negativè. Vallens. *loc. cit.*

232 Quæritur 8. quis sit *Effectus* Inquisitionis? *Et* 1. *quidem dubitatur*, quis sit effectus *Inquisitionis generalis*? Resp. Ejus effectus est, quòd præparet viam ad Inquisitionem specialem; nam si ex illa emergant indicia, & probationes, ex quibus verè, vel præsumptivè apparet, quodnam, & quale delictum, & à quo commissum sit, illa loco diffamationis succedunt, & tanquam causæ impulsivæ, legitimæ, & sufficientes inquisitionem specialem exposcunt; neque enim tunc requiruntur indicia alia, ut dictum est *suprà n.* 204. Debet tamen hoc casu, ut descendere ad Inquisitionem specialem possit, Judex diligenter inquirere, & expendere ipsorum Indiciorum, quæ ipsi per Inquisitionem generalem aperta sunt, gravitatem; nec enim statim credendum est, si fortè quid ad aures ejus perveniat, quod suspicionem quamcunque delicti adversùs aliquem causare possit. Konig. *hic num.* 88.

233 Dub. 2. quis sit effectus *Inquisitionis specialis*? Resp. Alium effectum suscepta, alium absoluta habet. *Suscepta* producit obligationem in personis inquisitis ad manifestandam veritatem, quæ tamen obligatio easdem personas inquisitas solùm urget, quando Inquisitionem specialem præcesserunt legitima indicia, & consequenter quando Judex legitimè interrogat; non verò, quando talia indicia non præcesserunt, nisi crimen in futurum damnosum foret tertio, aut Reip. & hoc damnum aliter evitari non posset. Quod multo magis verum de reo est, præsertim quando causa est capitalis, ob gravissimum præjudicium, quod ex confessione sua is pateretur. Quando autem Judici interroganti veritatem reus teneatur fateri, dictum est *Lib.* 2. *tit.* 18. *num.* 3.

234 *Inquisitio absoluta* trahit post se sententiam Judicis; nam si inquisitus de crimine legitimè convictus fuerit, à Judice condemnari debet: absolvi autem, si ille crimen nec sponte confessus, nec legitimis probationibus de illo convictus est; ubi tamen notandum reum hoc casu non esse antea absolvendum purè, simpliciter, ac definitivè, nisi postquam Juramentum purgationis præstiterit. Quod Juramentum si reus sibi delatum à Judice præstare noluerit, habebitur pro confesso, ut est in aliis Juramentis receptum *l. cùm & Judices* 2. §. *quasi* 6. *&* §. *seq. Cod. de Jurejur. propt. calumn.* Heig. *quæst.* 40. *num.* 36. Postquam verò reus illud præstiterit, etiam ab expensis liber pronuntiandus est. Clar. §. *fin. quæst.* 62. *num.* 10. Heig. *loc. cit. n.* 38. Konig. *num.* 91. Habetque Purgatio ista non tantùm in foro Canonico, sed etiam in Civili locum, ut bene advertit. Heig. *loc. cit. num.* 29.

235 Dub. 3. quis sit effectus Quæstionis, seu Inquisitionis durioris? Resp. Alius est, si reus torturæ subjectus delictum constanter neget, alius, si fateatur.

Si constanter delictum neget dicitur purgasse indicia contra se extantia, etsi fuerint urgentissima. Boer. *decis.* 163. *num.* 12. *&* 17. Boss. *tit. de confess. num.* 28. *& tit. de Sentent. num.* 70. Farin. *prax. crim. quæst.* 40. *num.* 8. Narta *cons.* 202. *num.* 10. Konig. *hic num.* 92. Et hinc ad torturam ulteriùs revocandus non est, nisi nova indicia, & quidem evidentia, ac prioribus fortiora supervenerint, aut reus corpus, vel animum magica, aut alia arte adversus tormenta duraverit *l. unius* 18. §. *reus* 1. *ff. de Quæst.* Damhud. *prax. crim. cap.* 38. Clar. §. *fin. quæst.* 64. *num.* 46. Konig. *loc. cit.* sed carcere liberari, & dimitti debet, compensatis litis expensis. *Const. Carol. art.* 61. & præstita prius Urpheda, seu obligatione jurata, qua se ille obstringat, quòd adversùs Judicem, à quo incarceratus est, non aliter experiri velit, quàm si priùs ab hoc Juramento per Magistratum superiorem, causa cognita, fuerit absolutus. Gaill. *lib.* 1. *obs.* 22. *num.* 1. Berlich. *part.* 2. *conclus.* 44. *numer.* 1. Konig *num.* 92. *citat.*

Si reus Delictum fateatur, ejusque confessio sit clara, certa, & specifica, continens locum, tempus, & alias delicti circumstantias, contra eum Sententia ferri, & ipse condemnari potest, si tamen iste post biduum, extra locum torturæ constitutus, confessionem, in tortura factam, ut *num.* 229. dictum est, ratificaverit. Quodsi eandem revocet, iterabitur tortura. *Const. Carol. art.* 57. & si in secunda tortura constanter neget, absolvendus est; si confiteatur, & postea iterum revocet, tertiùm torquebitur. *Const. citat. art.* 58. Si verò etiam in hac tertia Tortura confiteatur, & paulò post neget, extra ordinem punietur. Bocer. *de quæst. cap.* 5. *num.* 39. Carpzov. *pract. crim. p.* 3. *quæst.* 126. *num.* 50. Konig *num.* 92. *cit. fin.* 236

Dub. 4. an crimen directum, & probatum per viam Inquisitionis pœna ordinaria puniri possit? Convenit inter DD. 1. De consuetudine, & praxi Tribunalium infligi ordinariam, ut Anguian. *l.* 2. *de LL. cap.* 6. *num. ult.* Gonzal. *in cap. inquisitionis* 21. *num.* 11. Konig. *hic num.* 91. *fin.* advertunt. 2. Similiter ordinaria pœna infligitur de Jure Civili, ut Abb. *in cap. inquisitionis citat. num.* 1. Felin. *ibidem num.* 3. Tiraquell. *de pœn. temperand. caus.* 53. *num.* 2. Pirhing *hic num.* 80. Konig *num.* 91. *fin.* Reiffenstuel *num.* 220. notant, & favet *l. ordo* 8. *ff. de publ. Judic.* ubi dicitur, quòd *ordo exercendorum publicorum Judiciorum capitalium in usu esse desiert*, cessante scilicet accusatione, & inducto in ejus vicem Processu Inquisitorio, *durante tamen pœna Legum.* 2. *l. abolitio* 2. *Cod. de abolit.* ibi, *Inquisitione facta, pœna competens.* h. e. Jure statuta, & ordinaria *ingeratur.* 3. *l. qui sepulchra* 4. *Cod. de Sepulchr. violat.* ubi huic crimini, sive per viam accusationis, sive per extraordinariam Denuntiationis in Judicium deducatur, eadem pœna decernitur infligenda: quos textus memorata Tribunalium praxis interpretata potiùs esse, quàm correxisse censenda est contra Gonzal. *num.* 12. *loc. cit.* 237

Dubium est, quid censendum sit de Jure Canonico? Abb. *in cap. inquisitionis* 21. *hoc tit. num.* 1. Felin. *ibidem num.* 1. Marant. *de Ordin. Judic. p.* 4. *dist.* 10. *num.* 6. Tiraquell. *caus.* 53. *cit. pr.* Pirhing *hic num.* 80. aliique volunt, hoc Jure locum esse solùm pœnæ extraordinariæ. Moventur textu *cap. inquisitionis cit. pr.* ubi crimini, per viam Inquisitionis detecto, jubetur infligi pœna ordinaria Depositionis, quando crimen impedit executionem, sive usum Ordinis, & Beneficii retentionem, etiam post peractam pœnitentiam; aliàs verò dicitur moderanda. *Conf.* ex ratione: quia sine legitimo accusatore pœna ordinaria nemo puniri debet *can. de manifesta* 17. §. *sed sciendum*, junct. Gloss. *caus.* 2. *quæst.* 1. *c. un. ut benef. Eccl. fin. dimin. confer. & c. si legitimus* 1. *hoc tit.* Atqui accusator ferè deficit, quando adversùs reum proceditur per viam Inquisitionis. Ergo &c. 238

Sed dicendum, etiam de Jure Canonico pœnam ordinariam infligi posse. Ita Abb. *in cap. cùm super* 2. *de confess. num.* 10. sibi contrarius. Laym. *ibidem num.* 1. Gonzal. *in cap. inquisitionis cit. num.* 6. Pirhing. *tit. de confess. num.* 18. sibi contrarius, Vviestner *hic num.* 99. Reiffenstuel *num.* 219. *ibid.* Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. cap.* 4. *num.* 115. Sumitur 1. ex *cap. cùm super* 2. *cit.* ubi Canonico, qui in Processu Inquisitionis, instituto super Electione alterius, crimen Simoniæ, à se commissum, incidenter confessus est; inflicta fuit pœna ordinaria privationis officii, & Beneficii. Neque satisfacit dicere, quòd crimen Simoniæ *in cap. inquisitionis cit.* sit exceptum; solùm enim exceptum est, si committatur circa Ordinis, aut Beneficii proprii assecutionem, ut patet ex textu. 2. Ex *cap. fin. de celebr. Missar.* ubi per viam Inquisitionis processum est adversùs Sacerdotem, qui in pane fermentato, & scypho ligneo, sine igne, sive lumine, & aqua celebravit, & pœna privationis Beneficii, & Officii in perpetuum adversùs eundem lata est, quæ pœna hujus delicti est ordinaria. 3. Ex *consuetudine*; nam ut *num.* 237. annotavi, pœna ordinaria hodiernis moribus infligi solet etiam casu, quo via Inquisitionis proceditur. Consuetudo autem est interpres Legis, & semper in dubio censetur potiùs ei esse conformis, quàm difformis. 4. Ex *communi JCtorum Regula*, qua dubium Jus explicari debet per aliud Jus certum. Est autem Juris Canonici dispositio dubia, certa Juris Civilis. 239

vilis. Igitur sicut Jure Civili etiam, quando via Inquisitionis proceditur, ad pœnam ordinariam procedi potest, ita etiam Jure Canonico. 5. Ex *ratione*: quia Judex aliquando, præsertim quando multis contumaciter delinquentibus, exemplo est opus, potest imponere pœnam ordinaria majorem *l. quid ergo* 12. §. *pœna* 7. *ff. de his, qui notant. infam.* Igitur etiam ordinariam, seu illam, quæ delicto à Jure statuta est.

240 *Ad textum in contrarium allegatum* dico, ibiquidem pœnæ moderationem, spectatis personæ, & delicti qualitatibus, aliisque circumstantiis, permitti, non tamen prohiberi, ne ordinaria infligatur, ut patet ex verbo *Poterit*, quo *ibidem* Pontifex utitur, & notant ad *c. cum super cit.* Abb. Laym. Gonzal. *loc. citt.* quod maximè verum est, si crimen Ecclesiæ esset valde invisum. *Ad Conf.* si ratio illa aliquid probaret, probaret, nunquam in Inquisitione locum esse pœnæ ordinariæ, quod est contra textum *cap. inquisitionis cit. pr.* Dicendum ergo, quòd, cùm Inquisitio succedat in locum Accusationis, iisdem pœnis in ipsa locus esse debeat, quibus in ista.

§. V.

De Criminis delatione per viam Exceptionis.

SUMMARIUM.

241 *&c. Quotupliciter via exceptionis crimen in Judicium deduci possit?*
244 *&c. An casu, quo civiliter opponitur crimen, reus de eo condemnari ad pœnam possit?*
248 *&c. Quis sit effectus exceptionis qua accusatori, vel testi crimen opponitur criminaliter?*
251 *&c. Quem effectum habeat exceptio criminis oppositi ad impediendam consecrationem, ordinationem &c.*
253 *Quid præsumendum sit, quando dubitatur, an crimen oppositum per exceptionem sit civiliter, vel criminaliter.*

241 Quæritur 1. quotupliciter via *Exceptionis* crimen in Judicium deduci possit? Resp. dupliciter, videlicet civiliter, & criminaliter: *Civiliter*, quando crimen objicitur per modum exceptionis ad effectum, ut actoris, seu accusatoris intentio diluatur, ut puta, quando, ne testi adhibeatur fides, excipitur contra eum, quòd sit falsarius, & subornatus; vel ne actor admittatur ad agendum, eidem opponitur infamia, excommunicatio &c.

242 *Criminaliter*, quando crimen objicitur non solùm, ut diluatur Actoris intentio, sed etiam, ut infligatur ei pœna commensurata delicto. Ita Clar. §. *fin. q.* 19. *num.* 2. *& seqq.* Boss. *num. crim. tit. quom. proced. per except. tract.* 1. *&* 3. Scaccia *lib.* 1. *de Judic. cap.* 75. *n.* 2. Schambog. *hic num.* 40. Vviestner *num.* 101. Reiffenstuel *num.* 235. *&* 236.

243 Huic posteriori simillima est illa, qua illi, qui ad Prælaturam, vel aliam Dignitatem, aut Beneficium Ecclesiasticum, aliamve provisionem jam promotus, ejusque titulum assecutus est, objicitur crimen, quod de Jure obstat ejus consecrationi, ordinationi, aut missioni in possessionem. Vviestner *hic n.* 103. *vers. hujusmodi.*

244 Quæritur 2. an casu, quo actori, vel testi civiliter opponitur crimen, de eo convictus condemnari possit ad pœnam ordinariam, vel extraordinariam? Resp. Negativè; sed solùm à proposita accusatione, vel testificatione per Sententiam interlocutoriam removetur *c. cùm dilectus* 2. §. *verùm de Ordin. Cognit.* Clar. §. *fin. quæst.* 19. *num.* 2. Boss. *tit. quom. proced. per except. n.* 8. Decian. *tract. crim. lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 3. Scaccia *lib.* 1. *de Judic. cap.* 75. *num.* 3. Canis. *Summ. lib.* 4. *tit.* 19. §. 19. Vivian. *in cap. cum dilectus cit. vers. sed per hoc*, Barbosa *ibid. n.* 5. Pirhing. *hic num.* 103. *not.* 5. Schambog. *num.* 40. Vviestner *n.* 102. Reiffenstuel *n.* 237.

245 *Ratio est*, quia Judex suum officium impertiri, & sententiam formare debet juxta formam, sive petitionem deductam in Libello, seu finem, ad quem actio, vel exceptio tendit *cap. qualiter* 24. *hoc tit.* & *cap. licèt* 31. *de Simon.* ibi, *Ut juxta judicii formam sententiæ quoque forma dictetur.* Atqui civiliter excipiendo opponens accusatori, vel testi crimen, ipsum petit duntaxat removeri à proposita accusatione, vel testificatione; non verò condemnari ad pœnam *cap. cum dilectus cit.* Ergo &c.

Excipitur tamen casus, quo agenti criminaliter via exceptionis objicitur crimen, contingens Delictum, vel causam principalem, ut si marito uxorem accusanti de adulterio, hæc excipiendo objiciat lenocinium, aut testi reus, vel hujus Advocatus opponat, quòd testimonium falsum circa causam principalem dixerit; nam in primo casu, probato sufficienter crimine, procedi potest ad pœnam ordinariam, ad extraordinariam in secundo, ut desumitur ex *l. nullum* 14. *fin. C. de testib.* & notat Laym. *in cap.* 1. *de except. num.* 5. *&* 6. Vviestner *hic num.* 102. *vers. excipiendus.* 246

Neque opus est hoc casu novo processu, cùm ob connexionem censeatur eadem esse causa illa, quæ principaliter in Judicium deducta est. Bartol. *in l. ex lege* 2. §. *si in publico* 5. *ff. ad Leg. Jul. de adult. n.* 20. Decian. *tr. crim. lib.* 3. *cap.* 30. *n.* 3. Scaccia *l.* 1. *de judic. cap.* 75. *num.* 3. Vviestner *loc. cit.* 247

Ne tamen eo casu, quo civiliter per exceptionem opponitur Actori, vel testi crimen, Delicta maneant impunita, poterit hoc casu Judex inchoare novum Processum via Inquisitionis: & ubi delatus de crimine legitimè convictus fuerit, ad ejus condemnationem, & punitionem procedere, ut cum DD. *citt.* observat Passerin. *in cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *num.* 13.

Quæritur 3. quis sit effectus exceptionis, qua accusatori, vel testi crimen opponitur criminaliter? Resp. Est idem ferè, qui accusationis: nam ita excipiens dicitur assumere partes Accusatoris. Clar. §. *fin. q.* 19. *num.* 3. Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 75. *num.* 2. *Ex quo sequitur* 1. quod sicut in Accusatione exprimi debet criminis commissi locus, & tempus, ita & in exceptione criminaliter opposita accusatori, vel testi. Clar. *num.* 3. *cit. vers. hinc infertur*, Gaill. *lib.* 1. *observ.* 64. *n.* 10. Scaccia *num.* 2. *cit.* Rosbach. *prax. crim. tit.* 1. *cap.* 10. *num.* 12. Pirhing. *hic num.* 103. *not.* 5. Vviestner *num.* 103. Reiffenstuel *num.* 239. 2. Sicut, quando cœptum est agi via Accusationis, & Inquisitionis, non potest intervenire Procurator, ita nec etiam, quando agitur hac via exceptionis criminaliter intentatæ. Clar. *loc. cit. vers. item sicut.* Scaccia *loc. cit.* 3. Denique omnia, quæ servantur in Judicio accusationis, servanda sunt etiam in hoc Judicio exceptionis criminalis; quia hæc exceptio tendit ad puniendum, & ideo accusationi æquiparatur. Clar. *loc. cit. vers. & breviter.* 248

Hinc si excipiens criminaliter crimen à se objectum legitimè probaverit, accusator, vel testis, contra quem probatum est, non tantum removeri debet ab accusatione, vel testificatione proposita, sed etiam puniri pœna à Jure statuta illi crimini, vel si nulla talis statuta est, condemnari ad arbitrariam. Clar. *num.* 3. *cit. pr.* Scaccia *num.* 2. Schambog. *hic num.* 40. Pirhing, Vviestner, Reiffenstuel *loc. citt.* Contrà si excipiens in probatione defecerit, is, cui ita objectum est crimen, ab eo absolvitur per sententiam, & ita, ut super eo crimine denuo accusari etiam ab alia non ampliùs possit *arg. cap. super his* 16. *hoc tit. l. si cui* 7. §. *iisdem criminibus* 2. *ff. eod.* Bartol. *ad cap. cit. n.* 5. Decian. *tr. crim. lib.* 3. *c.* 30. *num.* 2. Vviestner *num.* 130. *cit.* 249

In hoc tamen differt Judicium exceptionis criminaliter oppositæ à Judicio Accusationis, quòd si excipiens in probatione defecerit, non propterea contra ipsum procedatur ad pœnam, puta de calumnia, vel alias, ad quas proceditur contra accusatorem de calumnia convictum. Felin. *in cap.* 1. *de except. num.* 18. Rosbach. *prax. crim. tit.* 1. *cap.* 10. *n.* 6. quia parcitur accusato, qui provocatus est *arg. l. si adulterium* 38. §. *Imperator* 8. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* 250

Quæritur 4. quem effectum habeat exceptio criminis oppositi electo, vel aliter proviso in Dignitate vel Beneficio, antequam consecretur, ordinetur, vel mittatur in possessionem? Resp. Eundem ferè effectum habet, quem exceptio criminis criminaliter opposita accusatori, vel testi; nam sicut iste non tantùm repellitur à proposita accusatione, vel testificatione, sed etiam punitur, ita etiam talis, probato crimine, non solùm impeditur à Consecratione, & possessionis apprehensione, sed insuper Jure, per Electionem, Confirmationem, vel aliam Provisionem sibi quæsito privatur 251

c. super

c. super his 16. *hoc tit.* Joan. Andr. *ibid. num.* 10. Viviani *vers. Excipiens*, Pirhing. *hic n.* 102. *not.* 2. Vviestner *ibid. num.* 103. *vers. hujusmodi.*

52 *Ratio est*, quia hujusmodi exceptio, ut *num.* 243. dixi, imitatur eam, quæ opponitur accusatori, vel testi criminaliter; igitur & ipsa ad pœnam, probato crimine, infligendam tendit. *Conf.* quia bonum Ecclesiæ exigit, ut non diu habeat Prælatum inutilem; esset autem inutilis, si retineret titulum provisione sibi quæsitum, & ob crimen sibi objectum, ac legitimè probatum impediretur à Consecratione, Ordinatione &c. suscipienda; igitur non tantùm ab ista impediri, sed etiam jure, per electionem &c. sibi quæsito, privari debet, ut sic de alio sibi idoneo Prælato providere Ecclesia possit.

53 Quæritur 5. Quid præsumendum sit quando dubitatur, an civiliter, vel criminaliter ab excipiente objectum crimen, & in Judicium deductum sit? Resp. præsumitur objectum civiliter: proinde qui asserit illud objectum criminaliter, istud probare debet; quia contra se habet Regulam, quòd exceptio natura sua non ad vindictam, sed agentis intentionem excludendam tendat *cap. cum Dilectus* 2. §. *verum de Ordin. Cognit.* & *l. exceptio* 1. *pr. ff. de except.*

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

SUMMARIUM.

1 *Quis dicatur calumniari, & esse Calumniator?*
2 *Discrimen inter Calumniam veram, & præsumptam.*
3 *&c. Casus, in quibus Accusator liberatur à Calumnia præsumpta.*
9 *&c. Quod sit Officium Judicis, quando accusator in probatione criminis delati succubuit?*
11 *&c. Quæ pœna Calumniatoribus in jure statuta sit?*
16 *&c. Utrum pœna talionis locum defacto in foro habeat?*
19 *&c. Quousque hodie in puniendis Calumniatoribus Judex possit procedere?*
23 *Quis dicatur prævaricari?*
24 *Quotupliciter prævaricatio possit contingere?*
25 *Pœna Prævaricatorum.*
26 *Quid sit tergiversari?*
27 28 *Pœnæ istius criminis.*

IN Accusatione, de qua hactenus, tripliciter delinqui potest, calumniando, prævaricando, & tergiversando *can. si quem* 8. §. *accusatorum*, *caus.* 2. *quæst.* 3. & *leg. accusatorum*, 1. §. *calumniari* 1. *ff. ad S. C. Turpill.*

1 Quæritur 1. quis hoc loco dicatur *calumniari*, & esse *Calumniator*? Resp. *Calumniari* in criminalibus dicitur ille, qui falsum crimen scienter, ac dolo malo intendit §. *accusatorum*, & §. *calumniari citt.* Estque Calumniator alius verus, alius præsumptus. *Verus* dicitur ille, de quo certò, videlicet ex ipsius propria confessione Judiciali, aut depositionibus testium, vel aliis probationibus legitimè receptis constat, quòd ex malitia, & scienter de falso crimine detulerit alterum. *Præsumptus* autem, qui defecit in probatione delati criminis *can. calumniator* 2. & *can. qui non probaverit* 3. *caus.* 2. *quæst.* 3. quia cum is, qui in Judicium aliquem vocat, paratas habere probationes debeat, calumniandi animo litem movisse præsumitur, qui in probatione criminis intentati defecit. Gloss. *in cap. fin. V. calumniandi hoc tit.* Abb. *ibid. num.* 5. Vivian. *in cap. cit. pr.* Canis. *Summ. lib.* 4. *tit.* 19. §. 4. Guazzin. *Reor. defens.* 3. *cap.* 13. *num.* 42. Passerin. *Trib. Reg. q.* 7. *art.* 5. *n.* 22. Vallens. *hic n.* 1. Pirhing *n.* 1. Schambog. *n.* 3. Vviest. *num.* 2. Reiffenstuel *num.* 3.

2 Quæritur 2. quod sit discrimen inter Calumniam veram, & præsumptam? Resp. præter alia hoc maximè intercedit discrimen, quòd à *Calumnia vera*, ubi de ea constat, nullus Accusatorem color excuset; liberetur autem à *Calumnia præsumpta*, si is adversus illam innocentiam suam probaverit: & hinc Calumnia præsumpta non inducit præsumptionem Juris, & de Jure, cùm probationem recipiat. Passerin. *art.* 5. *citat. numer.* 29. & 30. cum *Abb. Vivian. Vviestner*, ubi suprà.

Porrò à Calumnia præsumpta liberatur Accusator. 1. si non spontè, sed ex necessitate officii denuntiavit, ut sunt Tutor *l. si cautiones* 2. *Cod. de his, qui accusar.* & Procurator fiscalis *l. monente* 2. *Cod. de Delator.* modò fiscalis, aliave persona publica, ex necessitate officii accusans, vel deferens reum, suspectas delicti circumstantias, aut ipsum factum cum quadam veritatis specie allegaverit, vel ad alterius delationem denuntiaverit Judici; secus enim si fecerit, in casu deficientis probationis perinde, ac privatus Denuntiator injuriarum tenetur. Mevius *p.* 1. *decis.* 41. Fleck. *Bibl. jur. civil. lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 11. & 12. 3

2 Si quis non ipsum delictum positivè, sed circumstantias duntaxat quasdam suspectas detulit; eo enim casu Judex priùs explorare debet, an ex officio inquirere possit. Quod verum est, etiamsi Denuntiatio facta sit ab Officiali publico; neque enim Judex statim relationibus, etiam quæ à publicis personis factæ sunt, credere sed rei veritatem inquirere, & quidem, an sufficientia sint Delicti indicia, an fiscalis delictum positivè, an tantùm præsumptivè denuntiaverit, omnia diligenter expendere debet, antequam ad Inquisitionem procedat. 4

3 Si præcesserunt criminis indicia sufficientia ad inquirendum, vel accusati infamia, & hæc sufficienter ab Accusatore, vel Delatore probentur. Idem est, si is ostendat, se audivisse à personis fide dignis, quòd accusatus, vel delatus commiserit crimen delatum Judici. Barbosa *in cap. fin. hoc tit. num.* 5. 5

4 Si Accusator crimen probavit semiplenè, e. g. per unum testem omni exceptione majorem; vel si probavit illud per duos testes, qui deinde propter ipsorum inhabilitatem, antè non cognitam, fuerunt repulsi à testificando.

5 Si accusavit deceptus à testibus, in Judicio negantibus se scire, quod extra asseruerunt. Unde prudenter faciunt practici illi, qui antequam forment articulos, super quibus testes sunt examinandi, petunt scripto dari ea, quæ testes volunt attestari, ut ex ea scriptura articulos forment, & ea ipsa scriptura, si testes contrarium edicant, se postea accusator tueri à calumnia possit. Schambog. *hic num.* 3. 6

6 Si testes sint mortui, procul absentes, à testimonio perhibendo impediti, aut alio modo probationes malitiosè subtractæ.

7 Si homicidium accusavit hæres defuncti, cujus necem vindicare tenetur *c. cum tantum* 9. *Cod. de his, quibus ut indignis* &c. 7

8 Si accusavit mulier; nam hæc ob sexus fragilitatem excusatur à calumnia præsumpta, etsi crimen non probarit *l. accusatorum* 1. §. *accusationem* 10. *fin. ff. ad S. C. Turpill.*

9 Si accusavit ductus immanitate criminis, vel doloris v. g. ex morte parentis, filii, consanguinei &c. occisi morte concepti.

10 Si lethaliter sauciatus ante mortem dixerit, se à Titio v. g. vulneratum esse.

In his ergo casibus Accusator, vel Delator excusantur à Calumnia præsumpta; quia in iisdem non præsumitur calumniosè ad accusandum processisse, nisi contrarium pateat aliunde. Et hinc plurimùm in prudentis Judicis arbitrio est positum, qui consideratis rerum circumstantiis, rem decidat. Schambog. *num.* 3. *cit.* 8

Videantur Clar. §. *fin. q.* 62. *num.* 6. Menoch. *de arbitr. cas.* 321. *num.* 7. & *seqq.* Farin. *prax. crim. quæst.* 16. *à num.* 40. Guazzin. *Reor. defens.* 3. *cap.* 13. *à num.* 11. Passerin. *Trib. Regul. q.* 7. *art.* 5. *a num.* 32. Fleck. *lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 11. Gonzal. *in cap. 1. hoc tit. num.* 11. Vvagnereck *in cap. fin. eod. not.* 1. Engl. *hic num.* 3. Pirhing *num.* 5. Schambog. *num.* 3. Vviestner *num.* 3. Reiffenstuel *num.* 12. & *seq.*

Quæritur 3. quod sit officium Judicis in casu, quo accusator in probatione criminis celati succubuit? Resp. hoc casu ipsi Judici cautè est procedendum; neque enim statim potest de calumnia condemnare accusatorem, qui, quòd in probatione criminis delati defecerit, pro Calumniatore præsumpto habetur: sed priùs admittere, & discutere probationes, & præsumptiones debet, quibus accusator dolum, & calumnian- 9

calumniandi animum à se conatur amoliri *capit. fin. citat.*

Imò tali casu Judex etiam inquiret ex officio, qua mente ductus sit Accusator, an non justa aliqua causa impellente, processerit ad falsi criminis delationem, & sic à calumniæ impactæ crimine excusetur *l. accusatorum cit.* §. *sed non* 3. Menoch. *cas.* 32. *cit. n.* 3. Vviestner *hic num.* 3. Pirhing. *ibid. num.* 5. *fin.*

10 Et hinc ubi compererit Judex, Accusatorem, justa causa ductum, processisse ad accusationem falsi criminis, cum non solum à pœna talionis, sed injuriarum etiam actione immunem pronuntiabit; quia huic locus non est, ubi dolus, & animus pravus defuit *l. illud* 3. §. *fin. ff. & l. si non convicii* 5. *ff. de injur.* Covar. *l.* 1. *var. c.* 11. *n.* 6. Farin. *quæst.* 16. *cit. n.* 67. Vviestner *hic n.* 4. Reiffenstuel *ibid. num.* 23.

Quin aliqui etiam negant, talem in expensas condemnari posse: quod verum est, si causa, qua ductus ad accusandum est, eundem non tantum à dolo, sed etiam à culpa excuset; nam si ab ista non excuset, in expensas condemnabitur, quòd temeritate non vacet accusatio *l. eum, quem temere* 79. *ff. de judic.* Menoch. *cons.* 145. *num.* 14. Farin. *loc. cit. num.* 71. Vviestner *hic n.* 4. Reiffenstuel *n.* 26.

11 Quæritur 4. quæ pœna Calumniatoribus in Jure statuta sit? Resp. 1. condemnandus est ad expensas refundendas, & resarciendum omne damnum, quod ex improba accusatione passus est accusatus; quia ad hoc obligatur actor etiam Civilis, quando temere litigasse convincitur; igitur multo magis tenebitur Accusator, utpote qui reo accusato multo gravius præjudicium affert. Clar. §. *fin. quæst.* 62. *num.* 4. Menoch. *cas.* 321. *n.* 34. Farin. *quæst.* 16. *cit. n.* 10. *& seqq.* Guazzin. *reor. defens.* 3. *cap.* 3. *num.* 8. Passer. *Trib. Regul. quæst.* 7. *art.* 5. *n.* 23. Engl. *hic n.* 1. Konig. *n.* 11. Vviestner *num.* 5. Reiffenstuel *n.* 6. Hinc Carolus V. *in Const. crim. art.* 12. jubet, ut accusator idoneam cautionem præstet, quòd delicto non probato, expensas, & damna accusato velit refundere, ac de injuria satisfacere; præterea accusati arbitrio relinquit, an velit Accusatorem convenire coram Judice suo Ordinario, an coram eo, apud quem criminaliter fuit accusatus. Neque ab hac pœna immunis est Fiscus, aut ipse Judex, si aut ille quempiam per Procuratores suos accusando indebitè vexasset, aut iste ad Specialem Inquisitionem contra eum temere processisset. Farin. *num.* 14. *&* 25. Guazzin. *n.* 8. *cit.* Passerin. *n.* 26.

12 2 Irroganda Accusatori calumnioso est pœna talionis, sive similis illi, quam probato crimine accusatus subjisset: & quidem de *Jure Canonico* sine discrimine inter crimina, & calumniatores, cùm eo Jure etiam Calumniatori præsumpto decreta sit, ob generalitatem textuum *can. calumniator* 2. *can. qui non probaverit* 3. *caus.* 2. *q.* 8. *can. quisquis* 3. *& can. qui crimen* 4. *caus. cit. quæst.* 8. *De jure civili.* tamen fit discrimen inter crimina, cum eo Jure pœna Talionis locum duntaxat habeat in Ordinariis, sive illis criminibus, quæ certum titulum, nomen, & pœnam Lege definitam habent *l. fin. C. de accusat. l. fin. Cod. de Calumniat. & Auth. sed novo Cod. ad Leg. Jul. de Adulter.* nam in extraordinariis, & iis criminibus, quæ certum criminis titulum, nomenque, & pœnam Lege comprehensam non habent, item in criminibus privatis falso Calumniatori injungitur pœna arbitraria *l. & in privatis* 3. *ff. ad S. C. Turpill.* Farin. *q.* 16. *cit. num.* 1. & DD. ab hoc relati. *Ratio* pœnæ istius in falsos Accusatores decretæ gravissima fuit, ut scilicet Accusatorum refrænaretur temeritas, & securior esset innocentum vita.

13 3 Secundùm aliquos apud Farin. *quæst.* 16. *cit. num.* 4. tenetur calumniosus Accusator falsi pœnis. Sed melius istud negant Clar. §. *fin. q.* 62. *num.* 7. Menoch. *de arbitr. cas.* 312. *num.* 5. Farin. *n.* 4. *cit.* Guazzin. *cap.* 13. *cit. n.* 11. Passerin. *Trib. Regul. q.* 7. *art.* 5. *n.* 46. Vviestner *hic n.* 11. tribus casibus exceptis. 1. si Accusator interrogatus, an velit uti querela, & probationibus superinde factis, respondeat, quòd velit uti; nam tunc tanquam sciens de falso puniri potest, si querela tanquam falsa convincatur. 2. quando accusator, uti testis, medio Juramento falsum deposuit. 3. quando produxit falsos testes, aut falsis instrumentis usus fuit ad criminis malitiosè impacti probationem.

14 4 De Calumnia condemnatus redditur infamis infamia Juris *can. si quis* 1. *caus.* 2. *q.* 3. *l. Prætoris* 1. *& l. Athletas* 4. §. *calumniator* 4. *ff. de his, qui not. infam.* ac proinde Irregularis, ut neque promoveri ad Ordines, neque ministrare in susceptis valeat *can. fin. dist.* 51. *& can. infames* 17. *caus.* 6. *quæst.* 1. & inhabilis ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica *cap. inter* 11. *de Excess. Prælat. & Reg. infamibus* 87. *in* 6. Navar. *Man. c.* 27. *num.* 204. Suar. *de censur. D.* 48. *sect.* 2. *n.* 1. Passerin. *art.* 5. *cit. num.* 24. Vviestner *hic num.* 12. Reiffenstuel *ibid. num.* 7. Dixi autem *De Calumnia condemnatus*; nam Infamia à Calumniatore non incurritur ipso Jure, sed primùm ubi de ea convictus fuerit per sententiam *l. Athletas*, & §. *calumniator citt.* atque ideo verba Judicis pronuntiantis diligenter attendenda sunt; nam si ita pronuntiaverit Judex, *Calumniatus es*, intelligitur eum notasse; quod si verò dicat, *Non probasti*, ei pepercit *l. accusatorum* 1. §. *quorum* 4. *ff. ad S. C. Turpill.* Gonzal. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 8. Konig *hic n.* 11. *vers. secundò*, Reiffenstuel *ibidem num.* 8.

5 Denique Clericus, qui alium Clericum calumniose accusasse convictus est. Beneficio, & Officio Ecclesiastico privatus, & verberibus castigatus, deportari, sive in exilium mitti à Gregorio Papa jussus est *cap. cùm fortiùs* 1. *hoc tit.* Hodiernis moribus hæc publicæ verberationis pœna quoad Clericos generali consuetudine non usurpatur teste Clar. §. *fin. q.* 70. *num.* 2. Altera tamen pœna privationis Beneficii, & officii Ecclesiastici, item exilii Clerico calumniatori à potestate Ecclesiastica infligi etiamnum potest. Diaz *pract. crim. can. c.* 37. *n.* 1. Barbosa *in c.* 1. *cit. n.* 3. Vviestner *hic num.* 13. 15

Quæritur 5. utrum pœna talionis de facto locum in foro habeat? Resp. à foro Civili hæc talionis pœna, & in hanc inscriptio paſſim recessit, ut notant Clar. §. *fin. quæst.* 12. *num.* 17. Farin. *prax. crim. quæst.* 16. *num.* 3. Laym. *lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 3. *num.* 4. Saccia *lib.* 1. *de judic. cap.* 51. *num.* 13. Gonzal. *in cap.* 16. *de Accusat. n.* 7. quorum sententiæ accedunt *in Titulum præcedentem* scribentes Engl. *n.* 2. Pirhing. *n.* 2. Schambog. *n.* 4. Konig *n.* 54. Reiffenstuel *num.* 11. 16

Idem factum est quoad forum Canonicum, ut advertunt Felin. *in cap. super his* 16. *num.* 5. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 9. *num.* 1. Farin. *quæst.* 16. *cit. num.* 3. Ratio communiter datur, quia metu pœnæ istius refugiebant homines onus probandorum criminum, accusatori incumbens: unde factum, ut cùm nemo ea accusaret, eadem magno Reipublicæ damno invalescerent. 17

Sanct. Pius V. tamen *Constit.* incipit *cùm primum* 6. *Cal. April.* 1566. *publicata* §. 14. testibus Farin. *q.* 16. *cit. num.* 5. & Gonzal. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 10. eandem pœnam talionis innovavit in Calumniatores veros: & sic vigore istius Bullæ pœna talionis in foro Canonico adhuc habet locum, licèt inscriptio ad istam pœnam non sit amplius in usu.

Et intelligendum hoc est, ut vult Passerin. *Trib. Reg. q.* 7. *art.* 5. *n.* 44. non tantum, quando quis in hoc foro accusatur per Calumniam de crimine Simoniæ, Blasphemiæ, Sodomiæ, & Concubinatus, quæ crimina in ea Constitutione exprimuntur, sed etiam quando alia crimina calumniosè alicui ab accusatore impinguntur; quia non est verisimile, quòd ad relata solum delicta Constitutionem suam voluerit restrictam Papa.

Illud certum est, pœnam talionis adhuc procedere, & infligi debere in illis locis, vel Religionibus, ubi speciatim de illa extant Statuta: & tale statutum in Ordine Sancti Francisci Minorum extare refert Reiffenstuel *hic num.* 21. Idem de Ordine Prædicatorum meminit Passerin. *art.* 5. *cit. num.* 21. Hinc quoad hoc punctum singulorum Ordinum Statuta, & Constitutiones considerandæ, & observandæ sunt. 18

Quæritur 6. quousque hodie in puniendis calumniatoribus Judex possit procedere? Nonnulli sustinent, Judicem posse procedere etiam ad pœnam ultimi supplicii, præsertim in illo casu, quo quis per calumniam facit aliquem capi, quem innocentem non ignorat, falsis tamen accusationibus ad id agit, ut plectatur capite; nam tali casu volunt accusatorem, detecta calumnia, plecti capite posse; in cujus sententiæ Confirmationem Clar. §. *fin. q.* 81. *n.* 3. *prop. fin.* tria affert exempla. 19

Alii contra apud Farin. *prax. crim. q.* 16. *n.* 5. *&* 7. tunc solùm pœnam capitalem in Calumniatorem decernunt, quando quis Judicem ipsum, aut Magistratum de capitali,

pitali, & gravissimo crimine accusat, vel si privatus quidem sit accusatus, quando accusator contra eum falsa instrumenta conficit, aut testes subornatos producit.

21 Verùm, ut mitior, ita verior sententia est, Calumniatorem nunquam ultimo supplicio addicendum, nisi ad ipsius calumniam accusatus reipsa condemnatus, & pœna mortis affectus sit, ex ratione; quia intentio hominem occidendi etiam privata authoritate non punitur pœna capitali, nisi effectus, & mors reipsa consequatur: minùs igitur pœnæ ejusmodi locus erit ob accusationem calumniosam, utpote quæ tam periculosa non est, cùm accusato defensio integra sit. Konig *hic num.* 12.

22 Quare dicendum, si statuta, & consuetudines pœnam calumniæ non determinent, arbitrio Judicis determinationem pœnæ istius relinquendam, qui eandem metietur consideratis circumstantiis, & gravitate maximè, vel similitudinem hujus delicti cum aliis, quæ pœnam in Jure definitam habent. Ascendere autem gravitas delicti istius quandoque poterit, ut procedi possit ad deportationem, condemnationem ad triremes, aut publicam infamiam. Konig *nu.* 12. *cit. fin.*

23 Quæritur 7. quis dicatur *prævaricari*? *Resp. Prævaricatores*, sumpto nomine à *Varicando*, juxta Ulpianum *l. prævaricatores* 212. *ff. de V. S.* appellantur illi, *qui causam adversariis suis donant, & ex parte actoris in partem Rei concedunt*. Consentit *l. prævaricator* 1. *ff. de prævarication.* ubi idem Ulpianus, *Prævaricator*, inquit, *est quasi varicator, qui diversam partem adjuvat, prodita causa sua.* Item *l. accusatorum* 1. §. *calumniari* 1. *ff. ad S. C. Turpill.* ubi Marcianus, *Prævaricari est vera crimina abscondere*: & paulò pòst §. *prævaricatorem* 6. addit; *Prævaricatorem eum esse ostendimus, qui colludit cum reo, & translativè munere accusandi defungitur, eò quòd proprias quidem probationes dissimularet, falsas verò excusationes admitteret.*

24 Ex quibus textibus infertur, duobus modis aliquem prævaricatorem effici; *uno*, quando quis ut Advocatus, vel Procurator Clientem, vel principalem, à quo habet mandatum, prodit, secreta causæ illius detegendo ejusdem adversario, de quo modo loquitur *l. prævaricator & l. prævaricatores citt. Altero modo*, cùm quis se fingens accusatorem, vel denuntiatorem criminis, colludit cum reo, de quo modo sermo est *l. accusatorum, & §. calumniari citt.* Primo modo ut Advocatus, & Procurator dici Prævaricatores possint, non sufficit, si Juribus clientis visis, patrocinium suum illi quamvis iniquè, & pretio absterriti præstare negent, sed opus est, ut in aliam partem transeant. Et hinc etsi probro id datum fuerit Demostheni, non tamen propterea prævaricator effectus est, dum is, postquam una die Reip. Atheniensis causam contra Milesiorum Legatos defendit, altera die pretio victus, tacuit, in publicum prodiens collo lanâ circumvoluto, se anginam pati asserens, cui unus ex populo exclamans, dixit, *Non anginam, sed argentaginam pateris Demosthenes*, authore Gellio *lib.* 11. *noct. Attic. cap.* 9.

25 Hujus criminis condemnatus, 1. incurrit Infamiam Juris *l. Athletas* 4. §. *fin. ff. de his, qui not. infam. & l. si is* 4. *ff. de Prævaric.* Menoch. *de Arbitr. cas.* 323 *n.* 8. Vviestner *hic n.* 14. 2. fit Irregularis *can. infames* 17. *caus.* 6. *q.* 1. *& Reg. infamibus* 87. *in* 6. Thesaur. *de pœn. Eccl. p.* 2. *V. accusator c.* 1. *n.* 3. *& c.* 2. Vviestner *l. cit.* 3. punitur pœna extraordinaria, sive arbitrio Judicis juxta delicti qualitatem, & circumstantias *l. accusatorum cit. & l. sciendum* 2. *ff. de Prævaricat.* Menoch. *l. cit. n.* 4. Passerin *Trib. Regul. qu.* 7. *art.* 2. *n.* 8. Vvagnereck *in cap.* 1. *V. fortius not.* 2. *hoc tit.* Vallens. *hic. n.* 2. Honor. *n.* 7. Engl *n.* 4; Pirhing *n.* 1. *vers. prævaricari*, Vviestner *l. cit.* Reiffenstuel *n.* 29 Plura de hoc *infra Titul.* 22.

26 Quæritur 8. quid sit *tergiversari*? *Resp. Tergiversari* dicitur ille, qui à publici criminis accusatione semel instituta desistit *l. accusatorum cit.* §. *calumniari* 1. nisi abolitio intervenerit, qua accusatus à reorum numero exemptus est, & accusationis memoria abolita *l. si interveniente* 12. *ff. ad S. C. Turpill.*

27 Hujus criminis reus 1. ex S. C. Turpill. mulctatur pœna quinque librarum auri *l. prævaricationis* 3. §. *fin. ff. de prævaricat.* Jure Codicis autem *l. quisquis* 1. *C. ut intr. cert. temp.* quarta bonorum parte, 2. de eo convictus, & condemnatus redditur infamis *l. noverint* 2. *C. eod. & l. si is* 4. *ff. de Prævar.* 3. efficitur Irregularis juxtà antè dicta Thesaur. *V. cit.* 3. Vviestner *hic n.* 15.

Hodie tamen, cùm nunc receptum sit, ut accusatore ab accusatione desistente, Judex, novo processu instituto, ex Officio procedat, hæc pœna Tergiversationis sublata est, ut notant Clar. §. *fin. q.* 58. *num.* 3. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 47. *num.* 10. *& tr.* 4. *D.* 9. *n.* 11 Passerin *Trib. Regul. q.* 7. *art.* 2. *nu.* 14. Vviestner *n.* 15. *cit.* 28

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel promittatur.

POstquam præliminarium loco de Accusationibus, & vitiis, quæ in Accusatione contingunt, egimus, procedendum ad ipsa crimina, quæ per Accusationem in Judicium Ecclesiasticum criminale trahuntur. Ex his primo loco occurrunt ea, quæ in contumeliam Dei, & rerum Sacrarum vilipensionem tendunt. Initium sumitur à simonia propter ejus gravitatem; nam, ut *can. fin. caus.* 1. *q.* 7. dicitur, *omnia crimina ad comparationem Simoniacæ Hæresis quasi pro nihilo reputantur.*

§ I.

De Natura, & Varietate Simoniæ.

SUMMARIUM.

1 *Simonia est crimen gravissimum.*
2 *Ejus origo.*
3 *Definitio.*
4 *Est peccatum ex genere suo mortale.*
5 6 *In quo consistat ejus malitia?*
7 &c. *Cui Virtuti opponatur?*
11 &c. *An sit Species Sacrilegii?*
14 &c. *An admittat parvitatem materiæ?*
18 *Casus, in quibus datio rei temporalis occasione rei Spiritualis excusatur à Simoniæ peccato.*
19 &c. *Dividitur Simonia in eam, quæ est Juris Divini, & illam, quæ est Juris positivi Ecclesiastici.*
22 23 *Quando utraque committatur?*
24 &c. *An simonia Juris Ecclesiastici sit propriè dicta simonia?*
27 *Simoniæ subdivisio.*
28 &c. *Quando committatur simonia mentalis?*
31 *Quomodo hæc possit contingere?*
32 *Quid requiratur, ut commissa censeatur simonia conventionalis?*
33 *Ejus divisio.*
34 35 *Requisita ad simoniam realem.*
36 *Quotupliciter simonia committi possit circa Beneficia?*
37 *Definitio simoniæ confidentialis.*
38 39 *Ejus species præcipuæ.*
40 &c. *An committi possit sine pacto expresso?*
43 44 *An locum habeat etiam in Beneficiorum permutatione?*

QUæritur 1. quid sit *simonia*? Resp. Est crimen gravissimum, quod etsi corruptum hoc sæculum ex Jure Canonico non minùs, atque ex usu, & observantia expunctum, aut expungendum velit, semper tamen abhorruit, & adhuc abhorret Ecclesia: quod suum judicium ut satis indicaret, in SS. Canonibus variis, & abominandis illam descripsit nominibus; nam in his passim appellatur Turpissimum lucrum *can. siquis* 8. *caus.* 1. *quæst.* 1. vulnus cancrosum *can. reperiuntur* 7. *quæst. cit.* Flagitium piaculare, seu par illi, quod morte expiatur *can. quisquis* 5. junct. Gloss. *qu. citat.* Crimen horribile nimis *cap. cùm in Ecclesiæ* 9. *hoc tit.* comparandum blasphemiæ Judæorum, & peccato Judæ proditoris *can. eos qui* 21. *q. cit.* Lepra *can. cùm ordinaretur* 14. *qu. cit.* Labes, & pestis tanta, ut sui magnitudine alios morbos, & Hæresim ipsam vincat *can. quis-* 1

quisquis cit. cap. quoties 5. & duob. seqq. hoc tit. Nec immeritò; quia vix aliud crimen est magis injuriosum Deo, & perniciosum Ecclesiæ; nam Deum offendit, quia ejus præstantissima Dona, & gratias temporali pretio æstimat: Ecclesiam autem; quia viam ad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas sternit indignis, & sæpæ sceleratis hominibus.

2 Originem nomine suo antiquiorem hoc vitium habet: nam in antiquo jam Testamento dona, & jura spiritualia vendita, vel empta fuisse constat ex numer. 22. ubi Balaam ad munus prophetandi vendendum sollicitatur; 3. Reg. 14 ubi Jeroboam misit uxorem ad Abiam Prophetam cum muneribus, ut indicaret sibi, quid futurum esset de infirmo filio; & 4. Reg. 5. ubi Giezi famulus Elisæi Naaman Syro sanitatem divinitus datam vendidit. Nomen tamen hoc crimen à nullo istorum, sed à Simone Mago accepit, utpote qui hac in re gravius, quàm priores, peccavit; illi enim solùm vendiderunt gratias gratis datas: at verò Simon Magus emere voluit ipsum Spiritum Sanctum, h. e. gratiam sanctificantem per quam Spiritus Sanctus in nobis inhabitat, & quidem ex fine capiendi inde turpissimum lucrum scilicet, ut illud donum iterum aliis venderet, & *ex vend tione, quæ per eundem fieret, multiplicatam pecuniam lucraretur*, ut loquitur Urbanus II. *can. Salvator* 8. *caus.* 1. *qu.* 3.

3 Definitur *Simonia*, quòd sit *studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid Spirituale vel Spirituali annexum*. Ita Gloss. *in Summ. V. quidam caus.* 1. *quæst.* 1. Azor *part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 1. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *numer.* 3. Layman *lib.* 4. *tr.* 10. *capit.* 8. *num.* 2. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *part.* 1. *num.* 2. Vivian. *in cap.* 8. *hoc tit. pr.* Gonzal. *in cap.* 1. *eod. num.* 13. Barbosa *ad Rubr. num.* 3. Vvagnereck *ibid. not.* 4. Carden. *Cris. Theol. Dissert.* 27. *num.* 3. Monacell. *part.* 3. *tit.* 1. *form.* 22. *num.* 10. Matthæucc. *Official. Ecc. cap.* 49. *numer.* 2. Vincet. Petra *tom.* 4. *Comment. fol.* 51 *numer.* 9. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 2. Zoes. *numer.* 3. Honor. *num.* 2. Engl *num.* 3. Pirhing *num.* 1. Scambeg *num.* 2. Konig *num.* 3. Reiffenstuel *num.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 1. *num.* 6. & cæteri tum TT. tum Canonistæ pleno agmine cum S. Thom. *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. *art.* 1. & 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. Aliis verbis, sed eodem sensu illam describit Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 7. *Est Sacrilegium, quod committitur emptione, aut venditione, vel quovis alio contractu, quo Spirituale, ut tale est, commutatur pro temporali.*

4 Quæritur 2. quale peccatum sit Simonia? Resp. Est peccatum ex genere suo mortale, & gravissimum. Ita Orthodoxi omnes, & patet ex utriusque Juris Judicio: *Civilis* quidem; nam hoc Jure crimine isto infecti ad instar eorum, qui criminis publici, & læsæ Mejestatis rei sunt, puniuntur, & à Sacerdotii gradu dejecti, perpetua notantur infamia, prout statuit Leo Imp. *l. si quemquam* 31. *C. de Episc. & Cler.* & repetitur *canon. sanè* 4. *caus.* 15. *quæst.* 3. *Canonico* autem, quod gravissimis pœnis, ut *infrà* videbimus, scelus hoc vindicat.

5 Dub. 1. in quo consistat essentialis simoniæ malitia? Resp. Consistit in eo, quòd res sacra, ac spiritualis indignè, ac irreligiosè tractetur, dum in commutationem trahitur pro re temporali, perinde acsi tam vilis sit, ut instar temporalium rerum venalis proponi possit? *Quis enim non vile putat, quod venditur?* ait Hormisda Pont. *in Epist. ad Episc. Hisp:*

6 Ad sui constitutionem tria requirit, ut cum communi notant Vallens. *hic* §. 2. *num.* 2. Engl *ibid. numer.* 6. *fin.* Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 49. *num.* 1. scilicet 1. Pactum Emptionis Venditionis, aut similis alterius commutationis, 2. Pretium, quod consistit in re temporali, 3. Mercem, quæ in illa est res spiritualis, aut spirituali annexa; de quibus in decursu hujus Tituli plura.

7 Dub. 2. cui Virtuti opponatur simonia? Videtur esse opposita Virtuti Fidei, & Justitiæ: *Fidei* quidem ex *canon. Presbyter* 3. & *seqq. caus.* 1. *quæst.* 1. ubi simonia appellatur *Hæresis*, & *can. fin. caus. cit. quæst.* 7. ubi Paschalis Papa, *Pater*, inquit, *Simoniacos veluti primos, & præcipuos Hæreticos, ab omnibus fidelibus respuendos, & si comoniti non resipuerint, ab exteris potestatibus comprimendos*, *Justitiæ* autem; quia hanc committentes vendunt spirituale, quorum non domini, sed dispensatores duntaxat sunt, pro pretio temporali contra voluntatem Christi, qui gratis ea vult dari *Matth.* 10. *vers.* 8. atqui dispensator vendens bona, dispensationi suæ commissa, contra voluntatem domini, peccat contra Justitiam: Ergo &c.

Sed dicendum, per se, & principaliter eandem opponi potius Virtuti Religionis, ut post *Host. Abb.* & alios antiquiores notant Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 1. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *numer.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 4. *coroll.* 2. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *part.* 1. *num.* 3. Vvagnereck *ad Rubr. hoc tit. not.* 9. Pirhing *hic pr. & num.* 3. Schambog *ibid. num.* 6. Vviestner *num.* 76. Reiffenstuel *num.* 9. & alii DD. passim. *Ratio est*, quia, ut *numer.* 5. dictum est; malitia illius in eo consistit, quòd per eam res spirituales tractentur indignè, & irreligiosè, dum pretio temporali coæquantur, quæ tamen omne pretium superant. 8

Neque contrarium probant duo Argumenta opposita. *Ad* 1. Hæresis necessariò requirit judicium intellectus erroneum; contra simoniam committi potest sine judicio intellectus erroneo, solo pravo voluntatis affectu. Igitur Hæresis propriè non est. Vocatur tamen *loc. citt.* Hæresis, tum quia cum tali judicio erroneo conjuncta fuit in Simone Mago, qui donum Dei pecunia posideri posse temere existimavit *Act.* 8. *vers.* 20 tum verò quia etiamnum sæpe cum tali errore hic abest, ita exteriùs operantur, acsi judicarent, supernaturalia Spiritus Sanctus dona obtineri, & possideri pecunia posse, quod esset judicium speculativum Hæresis. 9

Ad 2. simonia dupliciter committitur; nam aliquando spirituale datur pro temporali, ita, ut dans propterea nullum perdat emolumentum, vel incommodum subeat; aliquando autem ita, ut dans se commodo temporali priver, ut fit, quando pro pecunia resignatur Beneficium: in primo casu simonia conjuncta est cum peccato injustitiæ, cùm nihil intercedat, quòd pretio sit æstimabile; non autem in secundo, quòd tunc mercis rationem habeat commodum temporale, in cujus compensationem si exigatur pecunia, illicitè quidem agitur, non tamen jus alterius ullum per hoc ledi videtur. 10

Dub. 3. an simonia sit species sacrilegii? Negant Cajet. *quæst.* 99 *de Sacrileg. dub.* 1. Valent. *tom.* 3. *D.* 6. *qu.* 16. *part.* 4. *circa fin.* Palao *tract.* 17. *Dist.* 3. *part.* 1. *numer.* 4. qui dupliciter illam à sacrilegio differre contendunt, 1. Quia sacrilegium est violatio rei sacræ secundùm usum, ad quem fuit destinata, verb. grat. si quis conculcet rem Divino cultui, & venerationi destinatam, simonia verò est violatio rei sacræ non tam quoad ejus usum, quàm quoad ejus dignitatem, quippe quæ per emptionem, & venditionem minoris fit, quàm par est, 2. simoniam infert injuriam rei sacræ per modum commutationis voluntariæ injustæ, i. e. cum relatione ad alterum ementem, vel vendentem, qui similiter infert injuriam rei sacræ: sacrilegium verò non est per se cum relatione ad alterum, qui similiter violet eandem rem sacram: Ergo &c. 11

Sed retinenda est affirmativa sententia, quam Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 7. supponit, & communiter DD. probant ex eo; nam sacrilegium est rei sacræ violatio. ut cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. definiunt TT. At simonia revera est quædam profanatio, & injuriosa tractatio rei sacræ, dum per eam ista æquiparatur pretio temporali, & sic infra dignitatem suam, qua superat omne pretium, injuriosè abjicitur; Ergo &c. 12

Neque obstant argumenta opposita, *Ad* 1. sacrilegium committitur non tantùm per actum corporeum injuriosum rei sacræ, sed quacunque ejus mala tractatione, & abusu. Atqui simoniacus non minùs malè tractat, & abutitur re sacra, quàm qui eam conculcat, conspuit, furto sublegit &c. *Ad* 2. Imprimis etiam simonia ab uno solo committi potest, sicut eam commisit Simon Magus, quin ejus participes se fecerint Apostoli: deinde esto, quòd committatur cum relatione ad alterum, hoc tantùm probat, quòd illa habeat aliquid speciale, quod non competit sacrilegio genericè accepto; hoc autem non impedit, quin sit ejusdem species, sed potius necessarium est, cùm quælibet species contrahat differentiam, quæ non competit generi. 13

Dub. 4. an simoniæ peccatum ob solam parvitatem mate- 14

materiæ possit esse veniale? Affirmativa videtur colligi ex *capit. etsi quæstiones* 18. *hoc tit.* ubi Archiepiscopus Strigoniensis excusatur à Simonia, quod ab ipso pro Pallio fuerit datum modicum. *Et confirmatur* à pari cum aliis peccatis Religioni oppositis, v. g. cum violatione Voti, aut Juramenti promissorii, quod ex multorum sententia admittit materiæ parvitatem.

15 Sed respondendum est negativè. Ita Navarr. *lib.* 3. *cons.* 52. *num.* 3. *edit.* 2. Ugolin. *tr. de Simon. tab.* 1. *cap.* 17 *pr. num.* 3. Suarez *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. Sanchez *lib.* 1. *mor. cap.* 4. *num.* 1. Layman *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *num.* 4. *coroll.* 2. *vers. addit.* Bonacina *de Simon. quæst.* 3. *numer.* 13 Palao *tr.* 17. *D.* 3. *part.* 1. *num.* 7. Barbosa *in cap. etsi quæstiones cit. num.* 3. Matthæucc. *Offic. Eccles. cap.* 49. *num.* 46. Zoes. *hic num.* 56. & præcipuè *num.* 89 Pirhing *num.* 3. *&* 134 Vviestner *n.* 79 Schambog *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 11.

16 *Ratio est*, quia si parvitas materiæ daretur in Simonia, daretur illa vel ex parte ipsius rei sacræ, quæ emitur, vel ex parte pretii, seu rei temporalis, quæ pro spirituali datur, v.g. solvendo modicum, & leve pretium pro Beneficio Ecclesiastico, aut Jure Patronatus. Ex neutra parte materiæ parvitas peccatum veniale efficit: non ex parte rei ipsius sacræ: hæc enim, quantumcunque parva sit in suo genere, est nihilominus donum Dei, & altioris ordinis, quàm sit quævis res temporalis, ac propterea ejus vilipensio, quæ fit eam æquiparando rei temporali, est injuria gravis Spiritui Sancto irrogata: non ex parte pretii; quia malitia Simoniæ, ut sæpe hactenus dictum est, tota in hoc consistit, quòd Spirituale coæquetur pretio temporali, & sic vilipendatur. Atqui hæc vilipensio semper manet, qualecunque sit pretium, imò eò major erit quò pretium minus est. Ergo &c.

17 *Ad Argumentum oppositum*, Archiepiscopus *in textu allegato* non excusatur, quia pro Pallio dedit modicum, sed quia modicum dando præsumebatur illud dedisse merè liberaliter, & non ex pacto, ut explicant Palao *num.* 7. *cit.* Fagnan *in cap. tua nos num.* 37 *& duob. seqq. hoc tit.* Barbosa *in cap. etsi cit. numer.* 3. Pirhing *hic num.* 134 P. Vviestner *num.* 79 P. Friderich *de Simonia num.* 9. *Ad Conf.* negatur paritas; nam violatione Voti, & Juramenti per se, & directè non violatur res aliqua Divina, sicut tamen contingit per venditionem rei Sacræ; unde Simonia potiùs accensebitur Sacrilegio, Blasphemiæ, & Hæresi, quæ parvitatem materiæ non suscipiunt.

18 Dub. 5. ex quibus capitibus datio rei temporalis occasione rei spiritualis excusetur à Simoniæ peccato? Resp. Sex maximè enumerantur capita, 1. Si temporale pro spirituali, aut contrà omnino gratis sine ullo explicito, & implicito pacto datur, prout dicetur *infrà numer.* 66. 2. Si post acceptum Spirituale datur temporale, aut contrà ex gratitudine ad satisfaciendum obligationi antidorali juxta dicenda *num.* 57 3. Si temporale, quod datur Ministris Ecclesiæ pro administratione Sacramentorum, pro Missis, & aliis functionibus Spiritualibus, iisdem detur per modum stipendi, ad honestam illorum sustentationem juxta explicationem *numer.* 91 4. Si dans, vel accipiens Spirituale pro temporali laborat ignorantia invincibili vel facti, quia non advertit rem hanc esse Spiritualem, vel Juris, dum non existimat illicitam esse pactionem Spiritualis pro temporali; quia ignorantia, etsi Jansenistæ asserant, in statu Naturæ lapsæ operantem reipsa non excusari à peccato formali, contrarium tamen apertè constat ex *Constit. Alexandri VIII.* qua hanc ipsorum doctrinam reprobat, 5. Si temporale solùm detur pro labore extrinseco, qui adhibetur in ministranda re spirituali *numer.* 98 6. Si detur solùm ad redimendam injustam vexam *n.* 134 *& seqq.*

19 Quæritur 4. quotuplex sit Simonia? Resp. Duplex est, una Juris naturalis, & Divini, altera Juris positivi Ecclesiastici. Ita Gloss. *in cap. cùm pridem* 4. *V. illicitæ in fin. de pact.* Gloss. *in cap. ex parte* 12. *Vers. dimittere de Offic. Delegat.* Gloss. *in can. Salvator.* 8. *V. & Judicem caus.* 1. *quæst.* 3. quas post *Innoc: Host. Abb. Felin. Dec. Ancharan. Alex. Turrecr.* sequuntur Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 2. *&* 4. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *part.* 2. *num.* 1. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 49. *num.* 3. Pirhing *hic n.* 5. Schambog. *n.* 9. Konig *n.* 6. *& duob. seqq.* Reiffenstuel *n.* 24 Friderich *de Simon. n.* 11 Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de delict. c.* 1. *à nu.* 17 & teste *Suarez loc. cit.* ferè omnes. Unde *Gonetus*, dum *Dissert. de probabil. num.* 148. dixit, hanc distinctionem ineptam, & Chymæricam videri, & RR. Casuistis excogitatam fuisse, valde peregrinum in DD. antiquis, de Simonia tractantibus, se esse ostendit: imò injurium ipsis SS. Canonibus, qui *cap. quæsitum* 5. *& cap. cùm olim* 7. *de rer. permut.* definiunt, permutationem Beneficiorum, factam sine authoritate Superioris, labem semper continere Simoniæ, quæ tamen certò non est Juris naturalis; aliàs etiam interposita Superioris authoritate, licita fieri non posset.

20 Dub. 1. quid intelligatur sub nomine Juris Divini, quando dicitur, quòd aliqua Simonia sit Juris Divini? Resp. Intelligitur Jus mentibus nostris à Deo insitum, seu Naturale; nam Jus Divinum positivum, specialiter vetans indignum hunc rerum Sacrarum usum, non extat; sed à Christo, dum *Matth.* 10. *vers.* 8. dixit, *Gratis accepistis, gratis date*, solùm fuit explicatum Jus naturale, ut post Franc. Victoriam *relect. de Simon. num.* 11. ac alios tradit, & fusè explicat Suarez *cap.* 2. *cit. à num.* 11. Atque adeo, dum simonia intrinsecè mala aliquando dicitur esse *Juris Naturalis*, aliquando *Juris Divini*, Synonymæ dictiones sunt.

21 *Ratio*, quæ Jure naturali vetitam esse simoniam probat, est, quia est contra Jus naturæ, rem Sacram, & Spiritualem vilipendere, inhonorare, & indignè tractare. Atqui si res Sacra, & Spiritualis venditur, aut pro re temporali conceditur, ipsa vilipenditur, inhonoratur, & indignè tractatur; consideratur enim, ut res temporalis, naturalis, & pretio æstimabilis, cùm tamen ex doctrina Apostoli *ad Philipp.* 3. *v.* 8. res temporales in comparatione Spiritualium æstimentur ut *stercora*. Ergo &c.

22 Dub. 2. quando committatur Simonia Juris naturalis, aut Divini, & quando Juris positivi Ecclesiasti? *Resp. Simonia Juris naturalis, & Divini* committitur: quando pro re temporali datur res de se verè Spiritualis, aut huic annexa, uti est Gratia sanctificans, & aliæ gratis datæ, Sacramenti, Consecratio, Benedictio, Ecclesia, vel Calix post consecrationem, Ecclesiastica Jurisdictio, Spirituale Officium &c. Hæc propriissimè dicta Simonia est, & ei propriè convenit Definitio.

23 *Simonia Juris positivi Ecclesiastici* est, quando una res spiritualis, aut spirituali annexa datur pro alia spirituali, aut huic annexa, qualis committitur ex permutatione Beneficiorum Ecclesiasticorum propria authoritate facta, & in Resignationibus illorum Confidentialibus, prout *infra nu.* 36 *& seqq.* declarabitur. Imò aliquando simonia Juris Ecclesiastici committitur, cùm res in se temporalis datur pro pretio temporali, ut contingit, cùm venduntur, aut emuntur Officia Oeconomi, Vicedomini, Thesaurarii, Sacristæ, & similia; cùm enim ex natura sua non repugnet dari spirituale pro spirituali, temporale pro temporali, tota malitia in his casibus ex præcepto Ecclesiæ provenit, quo hæc ejusmodi rerum, vel Jurium, aut Officiorum commutationem ex motivo Religionis, & reverentiæ rebus sacris debitæ prohibet.

24 Dub. 3. utrum Simonia Juris Ecclesiastici sit propriè dicta Simonia? Negant. Palud. *in* 4. *dist.* 25. *qu.* 4. *art.* 2. Sot. *lib.* 9. *de Just. quæst.* 5. *art.* 2. Tann. *tom.* 3. *D.* 5. *de Relig. quæst.* 8. *dub.* 2. *num.* 30 Layman *lib.* 4. *tr.* 10. *cap. ult. num.* 66. Vvagnereck *ad Rubr. hoc tit. not.* 10 Pirhing *hic num.* 6. Konig *ibid. num.* 8. & videtur istud probare ratio; nam, ut *num.* 6. dictum est, ad simoniam requiritur, ut interveniat simul pretium temporale, & merx Spiritualis. Atqui in simonia Juris Ecclesiastici alterutrum deficit, pretium quidem temporale in permutatione Beneficiorum, res Spiritualis autem in venditione Officiorum Oeconomi, Vicedomini &c. Ergo &c.

25 Sed dicendum, etsi minùs propriè simonia sit, venire tamen illam adhuc nomine simoniæ posse. Ita Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 1. *& c.* 7 *num.* 2. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *numer.* 25. Carden. *Cris. Theol. dissert* 27. *numer.* 9. *& duob. seqq.* Zoes. *hic numer.* 50 Schambog *num.* 10. Vviestner *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 26 & præcipuè *nu.* 31. cum communiori Interpp. & DD. *Ratio est*, quia Beneficia habent annexum aliquid temporale, nempe redditus, & Officia memorata rela-

tionem ad Spirituale, quippe cùm ordinentur ad rerum Ecclesiæ temporalium administrationem, defensionem, vel custodiam. Conf. quando authoritate propria permutantur Beneficia, invenitur adhuc pretium temporale, & cùm Officia dicta venduntur, merx erit res Spiritualis, scilicet quæ talis ob connexionem cum Spirituali efficitur.

26 Ex quo cadit Ratio dubitandi allata: quæ etiam ex eo nimium probare convincitur, quia sequeretur, non esse in contestato Ecclesiæ facere, ut præcipiendo rem indifferentem ex motivo alicujus Virtutis ea res fiat objectum talis Virtutis: quod falsum est; nam exploratum est, quòd præcipiendo actum indifferentem ex motivo Religionis efficiat, ut sit actus Religionis: item ante præceptum Ecclesiasticum non erat Sacrilegium communicare non jejunum, sicut neque est Sacrilegium, si moribundus communicet non jejunus; sed post præceptum Sacrilegium est, quando quis extra periculum mortis communicat non jejunus. Igitur etiam prohibendo actum sub motivo turpitudinis, repertæ in Simonia, efficiet, ut ille sit actus Simoniæ.

27 Quæritur 5. quomodo subdividatur Simonia utraque hactenus explicata? Resp. Tam Simonia Juris Divini, & Naturalis, quàm ea, quæ est Juris positivi Ecclesiastici, subdividitur in Internam, & Externam. *Interna* est, quæ in sola mente, sive interno animi proposito committendi Simoniam consistit, *Externa*, quæ in actum externum exit: quod duplici modo fieri potest. Vel enim intercedit aliquod pactum expressum, vel tacitum, vel non intercedit. *Si hoc secundum*, & nullo interveniente hujusmodi pacto, res Spiritualis in compensationem temporalis, aut hæc propter rem Spiritualem acceptam quasi ex debito datur, committi dicitur *Simonia Mentalis*; si *primum*, appellatur *Simonia Conventionalis* à Conventione, quam superaddit Simoniæ Mentali.

28 Dub. 1. quando committatur Simonia Mentalis? Resp. Tunc, quando quis rem Spiritualem alicui confert, tanquam compensationem, ex Justitia debitam pro re temporali ab ipso accepta, vel animo obligandi alterum ad reddendam rem temporalem; aut vice versa, quando quis alteri confert rem temporalem, tanquam ex Justitia debitam pro re Spirituali, vel cum intentione obligandi ad reddendam vicissim rem Spiritualem, nullo tamen pacto expresso, vel tacito interveniente. Et ita Simoniacus mentalis efficitur qui inservit Episcopo, nullo quidem pacto, vel conventione externa verbis, vel signis facta, eo tamen animo, & intentione, ut pro mercede ei conferat Beneficium Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 26. *not.* 4. Barbosa *in cap.* 12. *num.* 4. *hoc tit.* Matthæucc. *Offic. Eccles. cap.* 49. *num.* 23 Engl *hic num.* 12 Pirhing *ibid. num.* 7. Illust. D. Præpos. Frising. *cons.* 21. *n.* 12

29 Similiter committit Simoniam mentalem ille, qui, cùm vacat Beneficium, quod ipse prensat, accedit Collatorem, vel Patronum, eique se commendat pro collatione, vel præsentatione ad Beneficium, & simul per se, vel per alium ipsi offert certam aliquam quantitatem pecuniæ, aut vas argenteum, vel aureum, absque ullo quidem pacto externo, conditione, aut obligatione externè apposita, ut pro tali re temporali eidem conferat Beneficium; hac tamen interna intentione, fine, & animo, ut intuitu illius Collatorem, vel Patronum moveat, & obliget ad conferendum sibi præ aliis Beneficium.

30 Deducitur ex *Decreto Innocentii XI.* ubi inter prohibitas *num.* 45. refert sequentem propositionem: *Dare temporale pro Spirituali non est Simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed tanquam motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale. Conf.* ex ratione; nam qui ita inservit Episcopo, vel rem temporalem dat Collatori, vel Patrono, hac re temporali, vel servitio æquivalenter censetur emisse collationem, vel præsentationem ad Beneficium; neque enim inservit, aut dat omnino gratis: quod inde colligitur, quia tales, si per servitia, & munera non obtineant, quod desiderant, statim prorumpunt in murmura, & conqueruntur se nihil per ea effecisse, quod non facerent, si obsequia sua, & munera obtulissent omnino gratis.

Dub. 2. quomodo contigere Simonia mentalis possit: Resp. Plerumque contingit ex parte dantium tantùm; quia intentio prava animo retinetur; potest tamen contingere etiam ex parte utriusque, scilicet tradentis rem temporalem ex una parte, & rem Spiritualem ex altera, sed casu, & non conventione, si scilicet uterque habeat pravum animum, & neuter hunc signis externis sufficienter manifestet, Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 41. *num.* 3. Layman *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *n.* 67 Gonzalez *in cap. fin. num.* 2. *hoc tit.* Pirhing *hic num.* 7. Schambog *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 16. 31

Dub. 3. quid requiratur, ut commissa censeatur Simonia Conventionalis? Resp. Ad hanc non sufficit sola promissio rei Spiritualis pro temporalis, aut vicissim; sed ea promissio etiam debet esse à promissario acceptata: nam si acceptata non sit, non Conventionalis, sed mentalis duntaxat erit, ut cum Farin. *lib.* 1. *decis.* 34. *à num.* 4. bene advertit Reiffenstuel *hic num.* 19. quia deest vera conventio, & pactum, quæ *est duorum, pluriumve in idem placitum consensus* tacitus, vel expressus *l. hujus* 1. §. *& est* 2. *ff. de Pact.* 32

Quæritur 6. quotuplex sit Simonia Conventionalis? Resp. Est triplex, *Pura*, cùm traditio ex neutra parte secuta est; *Mixta*, cùm facta est traditio ex alterutra parte, aut mercis, aut pretii Simoniaci; & *Realis*, quando consummata est Simonia traditione tam mercis, quam pretii, Flam. *lib.* 7. *de Resign. quæst.* 2. *nu.* 7. Azor *part* 3. *lib.* 12 *cap.* 2. *quæst.* 1. Gutier *qq. can. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 7. Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 41. *num.* 4 *& duob. seqq.* Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *num.* 36 Layman *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *num.* 67. Gonzalez *ad cap.* 12. *num.* 3. *hoc tit.* Barbosa *ad Rubr. eod. num.* 4. Wagnereck *ibid. not.* 6. Vallens. *hic* §. 3. *num.* 2. *&* 3. Zoes. *num.* 86. Pirhing *num.* 8. *&* 9. Schambog *num.* 13 Konig *num.* 4. Wiestner *num.* 7. Reiffenstuel *num.* 20 Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 1. *num.* 14. 33

Dub. 1. an requiratur ad Simoniam realem, ut totum pretium, quod pro re Spirituali promissum est, tradatur? Resp. Negativè; sed sufficit, si inchoatè, seu ex parte datum sit. Less. *num.* 36. *cit.* Et hinc siquis alicui pro Beneficio promisit alicui e. g. 300. fl. & isto accepto, interea dat 100 vel 50. aut etiam minus, Simonia Realis, pœnas Juris inducens, jam est completa. Idem est, si quis plura promisit obsequia temporalia, & accepto Beneficio, unum tantummodo, idque exiguum præstitit. Reiffenstuel *hic n.* 22. 34

Dub. 2. an ad Simoniam realem requiratur, ut res temporalis pro Spirituali, aut contrà mutuò statim simul tradatur? Resp. Negativè; sed sufficit, si tradatur post aliquod tempus etiam longum v. g. annum. Hinc licèt maneat Simonia mentalis, vel Conventionalis tamdiu, donec ex parte utraque fiat inchoatè saltem traditio, tamen ab illo momento, quo postea fit etiam alterius traditio, Simonia realis completur, & quoad pœnas Juris retrotrahitur ad tempus pactionis præteritæ, Reiffenstuel *n.* 23. 35

Dub. 3. quotupliciter Simonia committi possit circa Beneficia Ecclesiastica? Resp. Committi potest Simonia *Juris communis*, seu *simplex*, & potest committi *Simonia Qualificata*, Jure speciali Ecclesiæ introducta, quæ *Confidentialis* dicitur à Fiducia, quam unus in altero, in quem Beneficium transfert, constituit. Posterior hæc introducta est per *Constitut. Pii IV.* incipit *Romanum* 7. *Calend. Novembris* 1564. *& Sancti Pii V.* incipit *Intolerabilis Calend. Jan.* 1569 De hac ulterius. 36

Quæritur 7. quid sit *Simonia Confidentialis*? Resp. Est, qua quis Beneficium Ecclesiasticum alicui quocunque modo verb. grat. eligendo, præsentando, conferendo, vel in ejus favorem resignando procurat cum expresso, vel tacito pacto, ut is, cui id procurat, post aliquod tempus idem Beneficium ipsi procuranti, vel alteri resignet, aut pensionem, vel fructus ex eo præstet. Consequenter *materia* hujus Simoniæ sunt sola Beneficia Ecclesiastica: & hinc, quando Pensio, vel quodlibet aliud Jus, sub nomine Beneficii propriè non comprehensum, resignatur, etiam reservato accessu; ingressu, & regressu, de quibus *num. seq.* committitur solum Simonia communis, non autem Confidentialis, nec incurruntur pœnæ, istam committentibus constitutæ. Pirhing *hic num.* 113. 37

Dub.

38 Dub. 1. quænam sint præcipuæ species simoniæ confidentialis? Resp. Præcipuam hujus speciem constituunt Collationes, & Resignationes, quæ fiunt cum reservatione Accessus, Ingressus, & Regressus.

Accessus reservatur, quando quis volens Beneficium obvenire Titio, quia iste modò ob defectum ætatis, vel alia ex causa ad id inhabilis est, illud interea confert Cajo, ea conditione, & pacto, ut postquam Titius legitimam ætatem adeptus fuerit, illud dimittat, propria authoritate apprehendendum à Titio. Flamin. *lib. 6. de Resign. quæst.* 5. *num.* 111. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 75. Zoes. *hic num.* 123. Pirhing. *num.* 114. Schambog. *num.* 102. Vviestner *num.* 10. Reiffenstuel *num.* 33.

39 *Ingressus* reservatur ab illo, qui Beneficium sibi collatum, sed nondum possessum resignat alteri eo pacto, ut ubi iste Beneficium dimiserit, ipse resignans jus habeat ingrediendi possessionem illius. Flamin. *loc. cit. num.* 114. cum reliquis suprà.

Regressus reservari ab eo dicitur, qui Beneficium sibi collatum, & jam possessum resignat alteri, eo pacto, ut ubi istud per mortem, Professionem Religiosam &c. istius vacaverit, resignans idem recuperet. Ita *citt.*

Causa prohibendi hujusmodi Resignationes, & Collationes duplex fuit, tum quod speciem hæreditariæ successionis, quam *SS.* Canones oderunt, præbeant, tum quòd ansam dent optandæ, & captandæ mortis alienæ.

40 Dub. 2. an modis hactenus recensitis simonia Confidentialis committatur etiam tunc, quando intercedit sola intentio, non verò etiam pactum expressum? Resp. Distinguendo: Vel enim resignans, eligens, præsentans, aut conferens Beneficium habuit animum obligandi resignatarium, collatarium &c. ad dandum, sibi, aut illi, cui vult, accessum, ingressum, aut regressum, vel sine animo obligandi solùm speravit, quòd is, cui sic Beneficium procuravit, esset illud resignaturus sibi, aut amico, vel consanguineo suo.

41 *Si hoc secundum*, non committitur simonia; quia hac ratione non intercedit voluntas emendi, & vendendi. *Neque obstat*, quòd in Bulla S. Pii V. *num.* 36. allegata ut simoniaca damnetur etiam sola intentio dimittentis Beneficium, non enim per intentionem ibi intelligitur sola spes, sed voluntas obligandi alterum, prout explicant Navarr. *Man. c.* 23. *n.* 109. Ugolin. *tab.* 1. *cap.* 22. §. 1. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 43. *n.* 12. P. Friderich. *de Simon. cap.* 4. *num.* 195.

42 *Si primum*, interest, an intentio illa obligandi expressa sit signo aliquo externo, vel non. *Si non est expressa*, committitur simonia solùm mentalis, ut constat ex dictis *num.* 28. quæ tamen propriè dici *Confidentialis* non potest, cùm nec in Bulla *Pii IV.* nec in *Bulla Pii V.* specialiter damnetur, vel puniatur. *Si verò intentio obligandi signo externo expressa sit*, vera committitur Simonia, licèt alter nihil paciscatur, vel repromittat, ut meritò docent Garz. *p.* 11. *de Benef. cap.* 3. *n.* 2. Flamin. *de Confident. quæst.* 26. *num.* 39. Suar. *de Censur. D.* 22. *sect.* 6. *num.* 15. & 16. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 18. *num.* 4. & patet ex *Bulla Pii V.* ubi dicitur, Confidentiam, seu simoniam Confidentialem censendam esse, si quis Beneficium receperit ex resignatione, vel cessione cujuscunque personæ simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam *sola dimittentis intentione.*

43 Dub. 3. an simonia Confidentialis locum habeat etiam in Beneficiorum permutatione? *Ratio dubitandi* est; quia etiam ista fieri potest cum certa fiducia, sive pacto de permutatione suo tempore dissolvenda, & concedendo regressu ad sic dimissa, vel de iis in favorem nepotum, aut aliorum resignandis, vel pensione sibi, aut aliis solvenda.

Sed dicendum, licèt ita Permutantes committant simoniam Juris communis, Confidentialem tamen ab ipsis probabilius non committi. Ita Navar. *ad hanc Rubr. cons.* 77. Suar. *l.* 4. *cit. cap.* 43. *n.* 11. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *n.* 75. *vers. illud*, Palao *p.* 18. *n.* 2. Zoes. *hic n.* 124. Pirhing. *num.* 113. Vviestner *num.* 11. Reiffenstuel *num.* 39. Ratio est, quia *Constitutiones Pii IV. & Pii V. citt.* pœnales, & odiosæ sunt. Igitur non sunt extendendæ, nisi ad cessionem, & resignationem Beneficiorum. Atqui sub nominibus cessionis, & resignationis ex communi usu Jurium, & DD. in odiosis ea, quæ fit ex causa permutationis, non venit. Ergo &c.

Secus discurrendum de Episcopo, vel quovis alio Beneficii collatore; nam hic, si cum altero, vel utroque permutantium pacisceretur de fructibus, vel pensione sibi, vel alteri solvendis propter admissam permutationem, vel collationem factam, committeret simoniam Confidentialem, prout cum reliquis *suprà* allegatis notant P. Vviestner *num.* 12. & P. Reiffenstuel *num.* 40. & satis clarè expressum est in *Constitut. Pii V. citat.* ibi: *Si Ordinarius, vel alius Collator contulerit, vel conferat Beneficium quovis modo* (ac proinde etiam ex causa Permutationis) *vacans, ea conditione tacita, vel expressa &c.* 44

§. II.

De Pactione Simoniaca.

SUMMARIUM.

INter ea, quæ *num.* 6. dixi ad constitutionem simoniæ requiri, est Emptio Venditio, seu Pactio simoniaca; quia simonia, ut patet ex *n.* 3. est *studiosa voluntas emendi, aut vendendi &c.*

Quæritur 1. quid nomine *Emptionis Venditionis*, seu *Pactionis simoniacæ* veniat? Resp. hoc nomine in Definitione, & materiæ simoniæ venire quicunque contractus onerosus, & reciprocus, & omnis conventio tam tacita, quàm expressa, vi cujus spirituale pro temporali, tanquam pretio datur, vel promittitur. Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. *ad* 5. Navar. *Man. cap.* 23. *num.* 105. Azor *p.* 3. *lib.* 12. *cap.* 1. *quæst.* 1. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *n.* 3. Laym. *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *num.* 2. *vers. emendi*, Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 1. *n.* 2. Fagn. *in cap. in ordinando n.* 5. *hoc tit.* Barbosa *ad Rubr. eod. n.* 3. *circa fin.* Vvagnereck *ibid. not.* 4. Carden. *Cris. Theol. Dissert.* 27. *num.* 4. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 2. Zoes. *n.* 3. *fin.* Engl. *n.* 4. & 7. Pirhing. *n.* 1. *vers. dicitur* 2. Schambog *n.* 4. Konig *n.* 17. Vviestner *num.* 13. Reiffenstuel *num.* 68. Monacell. *p.* 3. *tit.* 1. *form.* 22. *num.* 10. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 49. *n.* 2. P. Friderich *de Simon. cap.* 1. *n.* 3. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de delict. c.* 1. *num.* 8. & cæteri DD. passim. 45

Ex quo sequitur 1. nomen *Emptionis Venditionis* in definitione simoniæ sumi latè, prout scilicet complectitur etiam Locationem, Transactionem, Permutationem, aut Contractum innominatum *Do, ut des &c.* & quamvis aliam pactionem expressam, vel tacitam. S. Thom. *loc. cit.* Imò etiam nominatio, sive præsentatio, electio, institutio, confirmatio, renuntiatio, remissio, & similes actus, si gratis non fiant, sub nomine Emptionis Venditionis 46

ditionis compræhenduntur. Nec actus positivi tantùm, se etiam omissio, ut si quis accepto pretio omittat aliquem ordinare, absolvere, eligere &c. sub Pactionem Simoniacam cadit, ut *infra n.* 207. dicetur. Fundaturque acceptio hæc in Jure *l. statu liberi* 29. §. *Quintus* 1. *ff. de Stat. liber.* ibi, *Lex duodecim tabularum emptionis verbo omnem alienationem complexa videtur.*

47 *Sequitur* 2. nihil referre ad Simoniam, qualecunque nomen tali pacto imponatur; quia Lex non est imposita verbis, sed rebus *l. omne* 2. *fin. C. commun. de Legat.* & quidquid fit in fraudem Legis, est habendum pro infecto *l. jubemus* 41. *C. de liberal. caus.* & quoniam *certum est, quòd is committit in Legem, qui Legis verbum complectens, contra Legis nititur voluntatem*, ut habet *Reg. certum* 88. *in* 6. Quare non excusabitur à simonia, qualecunque quis nomen pacto suo imposuerit, cùm nulla variatio nominis purget id, quod per se, & ex natura sua malum est: & prudenter Ulpianus *l. si quis* 4. *ff. de Legat* 1. inquit, *Rerum vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia*. Abb. *in c.* 16. *not.* 2. *hoc tot.* Vivian. *in c.* 36. *vers. vel nominis eod.* Barbos. *ibid. n.* 5. Pirhing. *hic n.* 36. *not.* 2.

48 *Sequitur* 3. non requiri ad simoniam, ut interveniat pactum expressum: sed sufficit tacitum, etiam ex una solùm parte inchoatum, vel intentum, quo quis temporale quidem dat, aut præstat, aut præstare intendit animo, & intentione alterum obligandi; nam dari potest simonia ex parte unius duntaxat, quando videlicet unus offert, dat, aut præstat, aut præstare proponit aliquid temporale animo obligandi alterum ad dandum spirituale, & alter id vel non advertens non consentit, & propterea non acceptat, vel spirituale non vicissim dat, aut dat quidem, non tamen intuitu illius temporalis. Ita ex parte unius simonis Magi, non item S. Petri fuit simonia commissa, dum ille huic quidem obtulit pecuniam pro dono Spiritus Sancti, S. Petrus verò non acceptavit, sed recusavit dicens, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Hinc in Definitione non dicitur *Pactum*, vel *Contractus*, sed *studiosa voluntas &c.*

49 Quæritur 2. an simoniæ vitium habeat pactum onerosum, quod ex parte unius fictum est; *Certum* 1. Eo casu committi simoniam, saltem mentalem ab eo, qui verè habet animum præstandi temporale, vel spirituale, quod promisit. Pirhing. *hic n.* 9. *Certum* est 2. etiam alterum, qui talem animum non habuit, peccare graviter; quia fictæ promittendo perniciosè, scandalosè, imò & sacrilegè mentitur, atque alterum inducit ad simoniam. Less. *l.* 2. *de Just. tr.* 35. *n.* 11. Vviest. *hic n.* 18. Reiffenstuel *ibid. n.* 130. & alii apud istos. *Certum est* 3. eundem, qui ita facilè pactus est, in foro saltem externo habendum pro simoniaco, donec probaverit fictionem; quia opus simoniacum externum posuit, & intentio operantis præsumitur esse conformis operi externo.

50 *Dubium est*, an ex parte ita paciscentis fictè pactio hæc ficta verè sit simoniaca? Affirmat Navar. *Comment. ad c. fin. hoc tit. num.* 10. *& Man. cap.* 23. *numer.* 106. *vers. est autem*. Cum aliis ex ratione, quia sic promittens, mediante promissione rei temporalis, licèt ficta, & deceptoria obligare intendit alterum ad conferendum Spirituale. Ergo jam aliquo temporali consequitur spirituale; nam ipsa promissio, qua spirituale consequitur, temporalis est, & pretio æstimabilis, quia onerosa, & multis periculis obnoxia.

51 Sed dicendum, à fictè paciscente in foro conscientiæ interno saltem simoniam nullam incurri, & cons. neque pœnas in Jure latas contra simoniacos: & hinc si ex tali promissione ficta accepit Beneficium, retinere illud poterit, modò à legitimo Colatore acceperit. Ita Cajet. *tom.* 2. *Opusc. tr.* 9. *q.* 2. Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 8. *art.* 1. Rodriq. *V. Simonia c.* 56. *n.* 6. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 42. *num.* 5. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 11. Tann. *tom.* 3. *D.* 5. *de Relig. q.* 8. *dub.* 2. *n.* 29. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 67. *Coroll.* 2. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 6. *n.* 2. Vvagnereck *ad Rubr. hoc tit. not.* 6. *fin.* Pirh. *hic num.* 9. Reiffenstuel *num.* 130. Vviest. *num.* 15. Ratio est, quia ad simoniam incurrendam requiritur animus emendi spirituale pro temporali. Atque iste in casu præsenti non adest in fictè paciscente. Ergo &c.

Ad Argumentum oppositum dico, illo non probari aliud, quam quòd hujusmodi fictione committatur peccatum scandali gravis; neque enim hoc casu intervenit aliquid, quod respectu ita paciscentis habeat rationem pretii: nam si aliquid tale esset, illud esset vel ipsum temporale, quòd ita fictè promittit, vel ipsa promissio ficta. Non ipsum temporale; quia non adest animus illud dandi pro spirituali, quod requiritur, ut aliquid habeat rationem pretii in actu 2. non ipsa promissio ficta; quia licèt hæc pretio aliquo modo sit æstimabilis, non tamen offertur in pretium beneficii accepti, sed tantùm est conditio, qua pretium pro illo offertur. 52

Quæritur 3. utrum simonia sit dare quodcunque donum, vel obsequium temporale absque ulla recipientis obligatione ex sola spe gratitudinis, & intuitu remunerationis per spirituale donum exhibendæ. E. g. Titius inservit, vel aliud obsequium, præstat Patrono Beneficii, vel Episcopo ejus Collatori gratis, & absque animo ullius obligationis illi imponendæ, sub spe tamen, & intentione ejus animum conciliandi, ut postea Beneficium ex gratitudine, & benevolentia ei præstet; quæstio est, an Titius hoc casu committat simoniam? Resp. Negativè. Ita omnes teste Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 45. *num.* 4. Ratio est, quia tali casu obsequia non habent rationem pretii, sed solùm conciliant benevolentiam, à qua procedit gratuita Beneficii collatio, vel præsentatio. *Conf.* qui spe obtinendi aliquid ultra sortem, ex gratitudine sibi præstandum à mutuatario, dat ipsi mutuum, non committit Usuram, juxta doctrinam S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. Ergo nec simoniam, qui spe obtinendi spirituale gratis, & sine pacto explicito, vel implicito, dat temporale; est enim par ratio; nam sicut id, quod exigitur suprà sortem, Usuram efficit, ita simoniam illud temporale, quod datur pro spirituali. 53

Dubitari potest, an simoniacus in dato casu efficiatur, qui spem hanc suam accipiendi Beneficium Ecclesiasticum, vel aliud quid spirituale explicat illi, cui dedit temporale, & gratum ab illo animum postulat? Sed dicendum, neque sic committi simoniam, modò temporale omnino gratis detur, & absit omne pactum, & voluntas alterum obligandi. Ita Suar. *cap.* 45. *cit. n.* 8. & caret assertio sic limitata omni difficultate. Nam 1. quod licitum est optare, licitum est etiam signis exprimere. Atqui juxta *n. præc.* licitum est optare, & sperare spirituale ex gratitudine sibi vicissim dandum ab eo, cui ipse dedit antea temporale. Ergo &c. 2. Quod licitum est in mutuo, quin propterea committatur Usura, licitum etiam est in materia præsenti, ne committatur simonia. Atqui in mutuo, *si munus ab obsequio, vel lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex benevolentia, quæ sub æstimatione non cadit, licèt hoc accipere, exigere, & expetere*, ut docet Sanct. Thom. *loc. cit. ad* 3. nec propterea committitur usura. Ergo nec committetur simonia, si dans temporale accipienti illud explicet spem, quam habet, recipiendi ab ipso spirituale. 3. ipse Deus temporalium bonorum promissione Populum Hebræum sæpe provocavit ad sui cultum, & præceptorum suorum observantiam; cujus exemplum secuti probi parentes sæpe munerum oblatione liberos, aliosque excitant ad orationem, & aliarum Virtutum actus, quin eos propterea quisquam reprehendat, & simoniæ arguat. 54

Dixi, *Modò absit omne pactum*; nam si pactum explicitum, vel implicitum, aut etiam intentio sola obligandi ex justitia hujusmodi spei, vel expressioni accedat, certò simonia committitur. Et tale Pactum adesse in foro externo præsumitur, quando e. g. aliquis per longius tempus inservit Collatori, vel Patrono Beneficii, nullum, vel tenue duntaxat habens salarium; nam ex tali servitio voluntariè acceptato nasci videtur obligatio Justitiæ ad reddendam ei mercedem, & cons. obligatio remunerandi per collationem Beneficii, quod serviens intendit. Pirhing *hic n.* 137. & alii apud istum. Imò ut in hujus dubii, & præcedentis Quæstionis casu simonia non committatur, quidam cum *P. Reiffenstuel* requirunt, ut hujusmodi obsequia donationes &c. præstentur principaliter ex alio fine, & titulo; nam si ideo præcipuè, & principaliter ea præstitisti, ut ab altero, cui illa præstitisti, obtineres 55

neres spirituale, v. g. Beneficium &c. Simoniam, ut notat *cit. Author, & hoc tit. à num. 94.* fusè deducit, jam commisisti. Quidquid sit, talia obsequia, etsi gratis præstentur cum spe obtinendi Beneficium, non carent periculo propter scandalum, & quia speciem saltem simoniæ habent.

56 Quæritur 4. an sit simonia dare Beneficium Ecclesiasticum benefactori temporali ex gratitudine, & ad satisfaciendum obligationi antidorali inde ortæ, ut si Episcopus, cui Clericus, vel ejus pater diu obsequia temporalia præstitit, eidem Clerico gratitudinis causa conferat Beneficium, aut Patronus ad illud præsentet Clericum, qui liberos ipsius instituit? *Ratio dubitandi* est, quia qui dat spirituale donum pro temporali obsequio, etiam titulo gratitudinis, videtur comparare, & adæquare spiritualia temporalibus, in quo malitia simoniæ consistit. *Conf.* Spiritualia ex præcepto Christi gratis dari debent; at quod datur ex obligatione antidorali, non datur gratis, cum repugnet dari ex obligatione, & dari gratis; ergo &c.

57 Sed dicendum, in hujusmodi collatione, vel præsentatione, modò gratis omnino fiat, non intercedere simoniam. Ita Navar. *Man. cap.* 23. *n.* 106. *vers. conferens.* Sot. *l. 9. de Just. q. 7. art. 1. & 5.* Carden. *Cris. Theol. Dissert. 27. num.* 111. P. Friderich. *de simon. cap.* 2. *num.* 18. Ratio est, quia in hoc modo conferendi, vel præsentandi nullum intercedit pactum, vel pretium: *non pactum*; quia ponitur, quòd ille, qui sua obsequia temporalia Episcopo, vel Patrono impendit, illorum compensationem per Beneficii collationem, aut præsentationem non intendat, sed illa vel gratis omnino, vel pro mercede temporali exhibuerit. *Non pretium*; quia dum aliquid datur ut pretium, id, quod datur, adæquatur accepto; non ita adæquatur, quòd datur ad satisfaciendum obligationi antidorali; quia, ut Sanct. Thom. 2. 2. *q. 78. art. 2. ad 2. & q. 106. art. 5. ad* 1. notat, gratitudo non tam respicit datum, quàm affectum; & hinc ex gratitudine conferri potest aliquid longè nobilius, quàm fuerit acceptum, absque vilipendio, & injuria muneris; quod rependitur; ergo &c.

58 Adde, nec Simoniam, nec illicitum aliunde esse, si Patronus, vel Collator Beneficii Ecclesiastici prædictam suam intentionem explicet Clerico, eique dicat, se ipsi conferre Beneficium ex gratitudine propter obsequia, quæ vel ipse, vel ejus Pater Collatori præstiterit; nam licitè exprimitur causa, ob quam aliquid licitè fit; at licitè, ut *n. præc.* dictum, Beneficium confertur Clerico ob recepta obsequia temporalia ex gratitudine; ergo &c. Imò, ut Suar. *tom. 1. de Relig. L. 4. cap. 45. num.* 13. existimat, potest Collator, vel Patronus à Clerico, cui contulit, vel procuravit Beneficium, petere, ut obligationem antidoralem, qua ipsi Collator tenebatur, remittat, modò Beneficium non detur in compensationem mercedis, quæ Clerico, vel patri ejus debetur propter obsequia collatori præstita. *Ratio est*, quia dum petitur remissio obligationis antidoralis, nihil petitur pretio æstimabile, sed solùm petitur, ut recognoscat alter, quòd remunerationem obsequiorum suorum acceperit: quod natura sua inest, & nullam novam obligationem imponit.

59 *Ad Rationem dubitandi* in contrarium *n.* 56. allatam patet ex Probatione *num.* 57. Certè tam parum hìc æquatio, sive æquiparatio Spiritualis cum temporali intercedit, quàm parum intercedit tum, cùm pauperes orant pro Benefactoribus, à quibus acceperunt nummos, aut cùm Deus propter opera Virtutis dat bona temporalia. *Ad Conf.* donum gratuitum non excludit omnem, sed tantùm Justitiæ obligationem: aliàs etiam simonia committeretur, quando pro Fundatoribus Monasteriorum, aliisque Benefactoribus offeruntur Sacrificia, & Orationes, aut quando illi participes fiunt bonorum operum, quæ fiunt in Ordine Religioso, cujus illi sunt Benefactores; nam nec ista fiunt sine omni obligatione, scilicet gratitudinis.

60 Quæritur 5. an simonia committatur, quando obligatio gratitudinis, pro spirituali exhibito præstandæ, deducitur in pactum? Pro negativa citantur *Felin. Covar. Machad. Hurtad. Vidal. &c.* & videtur hoc ipsum probare ratio; quia quod naturaliter inest actui in pactum licitè deduci potest, ita inest obligatio gratitudinis collationi Beneficii; ergo &c.

Sed distinguendum est inter duos casus, *unum*, quo is, qui spirituale accepit, obligationem suam antidoralem explicaturus, promittit se eam observaturum, non determinando gratitudinis genus, quo obligationem suam implere velit, *alterum*, quando determinatè se obligat ad temporale pro spirituali, aut vicissim.

In primo casu non committitur simonia; quia quilibet potest promittere, ad quod ex Jure naturali obligatur. Carden. *Cris. Theol. Dissert. 27. num.* 65. P. Friderich *de Simon. cap. 2. num.* 36. P. Reiffenstuel *hic num.* 114. Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. cap. 1. num.* 180. Et in hoc sensu explicari debent AA. pro negativa allegati, & de *Covarruvia* patet *l. 2. var. cap. 20. num.* 4. ubi asserit, ita pariter sentire *Gloss. Card. Anan. Abb. Major. Gabr.* Debet tamen hoc casu vitari scandalum, quod facilè eodem casu contingit in eo, cui fit talis promissio, quippe qui per talem obligationem intelligere potest sibi offerri temporale pro spirituali; & ita moveri ad Beneficium Ecclesiasticum conferendum; hoc enim videns alter induceret proximum in peccatum. Reiffenstuel *loc. citat.* 61

In casu secundo ita promittens, & se obligans ad gratitudinem simoniam committit. Ita Suar. *tom. 1. de Relig. l. 4. cap. 45. num.* 11. Laym. *lib. 4. tr. 10. cap. 8. n.* 9. Gibalin. *de Simon. q. 10. consect. 3. num.* 5. Carden. *Cris. Theol. Dissert. 27. num. 43. & seqq.* P. Pirhing *hic n.* 125. *vers. verum*, P. Friderich *loc. cit. num.* 37. P. Reiffenstuel *num.* 107. Magnif. P. Schmier *num.* 173. estque sententia hodie certa post Decretum Innocentii XI. ubi inter Propositiones à Pontifice isto prohibitas refertur *n.* 45. Propositio his verbis proposita: *Dare temporale pro Spirituali non est simonia, si temporale solum sit gratuita compensatio pro Spirituali, & contrà.* Ratio est, quia tali casu fit contractus onerosus dandi temporale pro spirituali, & gratitudo deducitur in pactum, mutaturque obligatio antidoralis in obligationem Justitiæ; cujus signum est, quòd ita promittens post promissum jam obligetur ad aliquid certum, cùm tamen antea ex titulo gratitudinis obligatus duntaxat fuerit ad obsequia incerta, ut proin jam sit aucta obligatio. 62

Imò simonia etiam committitur, quando sub hac formula fit promissio, *Procura mihi Beneficium, jam exhibebo me gratum*, si verba hæc ita proferantur, ut attentis circumstantiis significent, datum iri temporale pro spirituali; nam sensus verborum istorum dubius est, cùm indifferentia illa sint vel ad significandam obligationem præcisè antidoralem, vel ad aliam Justitiæ dandi temporale pro spirituali; verba autem dubia in casu, quo non aliter de intentione proferentis constat, interpretationem accipiunt ex circumstantiis; ergo &c. Eritque simonia ista, si partis alterius acceptatio intercessit, non tantum simonia merè mentalis, sed Conventionalis, quia celebratus censebitur Contractus reciprocus, completus intentione dandi temporale pro spirituali ex una, & ex altera parte spirituale pro temporali. 63

Ad Argumentum contrarium allatum *num.* 50. in pactum deduci potest, quod naturaliter inest actui, quando per adjectionem pacti non alteratur obligatio prior; secus, quando alteratur, & commutatur in obligationem aliam graviorem, nempe justitiæ; atqui dum per pactum obligatio gratitudinis determinatur ad præstandum temporale pro spirituali, utique obligatio gratitudinis alteratur; nam præciso hoc pacto, ex honestate tantùm dabatur obligatio ad servitium arbitrarium, nunc verò, eo pacto supposito, surgit obligatio Justitiæ ad servitium certum, pecuniarium, & temporale, cùm quidquid debetur ex pacto, ex Justitia debeatur. Quare hoc casu Donatio remuneratoria naturam suam exuet, & migrabit in naturam Permutationis, quæ secundùm dicta *num.* 46. si fiat inter temporale, & spirituale, simoniaca est, quidquid in contrarium sentiant, & faciant Beneficiorum prensatores summi infimi, qui gratitudinis exhibendæ pallio tegere simoniam contendunt. 64

Quæritur 6. an aliquando simonia committi possit per solam gratuitam donationem, factam absque pacto explicito, vel implicito, & absque intentione obligandi donatarium vicissim ex Justitia ad dandum spirituale? *Ratio dubitandi* sumitur 1. ex *can. emendari* 104. *caus. 1. q. 1. & cap. in ordinando 1. hoc tit.* ubi prohibetur baptizatus bapti- 65

baptizanti, ordinatus ordinanti, &c. quidquam, etiam gratis dare. 2. ex Trid. *seß.* 21. *cap.* 1. *de reform.* ubi S. Synodus vetat, ne pro collatione Ordinum quorumcunque, & Clericalis Tonsuræ pro Litteris Dimissoriis &c. Episcopi, & alii eorum collatores quidquam, *etiam sponte oblatum*, quovis Prætextu accipiant: Et additur *seß.* 24. *c.* 18. *vers. caveantque de reform.* eos, qui pro Examine ad Beneficia curata quidquam receperint, vel dederint, Simoniæ vitio obnoxios esse, 3. ex ratione; nam si gratuita donatio rei temporalis, facta occasione, vel intuitu acceptæ, vel accipiendæ rei Spiritualis, non esset Simonia, etiam Simonia non foret dare temporale pro Spirituali, tanquam gratuitam compensationem pro isto. Sequelam damnavit Innocentius XI. *Propositione* 45. ergo &c.

66 Sed dicendum, si donatio fiat merè gratuitò, sine pacto & animo alterum sibi obligandi, sic donando ex rei natura Simoniam non committi. Ita Navar. *Man. c.* 23. *numer.* 106. Sot. *lib.* 9. *de Just. quæst.* 7. *art.* 1. *&* 3. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 36. *n.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *num.* 8. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 5. *n.* 6. Cassian. à S. Elia *Theol. mor. expurg. V. Simonia* 1. *cap.* 1. *numer.* 6. Fagnan. *in cap. in ordinando* 1. *hoc. tit. num.* 4. Gonzal. *ibid. n.* 8. Moya *p.* 1. *select. qq. D.* 1. *q.* 3. *n.* 2. Zœs. *hic n.* 55. Engl. *n.* 7. Pirhing. *n.* 125. Schambog. *n.* 29. Konig *n.* 18. Wiestner *n.* 15. Reiffenstuel *n.* 117. & exploratum est ex *can. quam pio* 2. *fin. can. sicut.* 4. *vers. is autem cauf.* 1. *q.* 2. *& c. dilectus* 30. *hoc. tit.* ubi in fine additur: *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione*, seu ut Gloss. *ibidem V. taxatione*, pactione *gratis oblatum.* Ratio est, quia, ut committatur Simonia, temporale debet habere rationem pretii; atque pretium non intercedit in Donatione merè gratuita; quia quod datur ut pretium, datur ex obligatione, & pactione: ergo &c.

67 *Proceditque hoc*, sive donum temporale detur post Spirituale donum, vel officium præstitum, sive etiam ante, aut simul cum ipso sit datum; nam modo gratis, & pure, sine ullo pacto expresso, vel tacito; aut intentione obligandi ex Justitia datum sit, ita dare Simonia non erit. Suar. *n.* 2. *cit.* Laym. *n.* 8. Pithing. *n.* 125. & colligitur ex *cap. quæstiones* 18. *hoc tit.* ubi habetur, quòd quando ex circumstantiis præsumi potest, donum temporale priùs gratis esse datum, id non sit prohibitum. In foro tamen externo, quando spiritualis dationem præcedunt munera temporalia, plerumque præsumitur mala, & Simoniaca intentio; quia hujusmodi munera solent animum valde inclinare, ideoque etiam interdum Jure Ecclesiastico prohibentur, tanquam Simoniæ saltem speciem referentia. Gonzal. *lib. cit. num* 8.

68 Imò si intentio, vel Pactio Simoniaca, aut ejus præsumptio cessset, nec aliunde illicitum erit post Spirituale acceptum gratis dare temporale; quia non apparet, ex quo capite talis datio possit esse illicita. *Exceptio* facienda est in iis, ubi Jus specialiter prohibet acceptare etiam gratis oblata, prout secundum allegata *num.* 65. prohibetur Ordinanti, ne aliquid gratis oblatum acceptet ab ordinato, Examinatoribus, ne aliquid gratis oblatum acceptent à venientibus ad concursum pro Parochia. Similes prohibitiones speciales extant, ne antè, vel post recipiantur gratis oblata pro recognitione, aut expeditione Indulgentiarum &c. Carden. *Cris. Theol. Dissert.* 27. *num.* 81. *& seqq.* Reiffenstuel *hic nu.* 121. Quodsi tamen his casibus contra prohibitionem Ecclesiæ acciperetur aliquid gratanter oblatum, non proptereà committeretur Simonia, modò absit pactio, & intentio Simoniaca, sed dantes, & accipientes solum inciderent in pœnas eo Decreto, quo prohibitio facta est, inflictas. Fagnan. *in cap. tua nos hoc tit. num.* 30. *fin.* Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 49. *n.* 29. contrà Carden. *loc. cit. num.* 81.

69 Bene autem, ut cum *Hostiensi* notant Fagnan. *loc. cit. num.* 27. cavendum his casibus erit, ne fraus sub specie talium munerum committatur; nam etsi ex hactenus dictis planum sit Simoniam, vel quasi non committi, nisi interveniente pacto, vel quasi, facilè tamen tali casu committitur Simonia mentalis ob intentionem Simoniacam. Imò licèt etiam hæc intentio absit, non tamen facilè hujusmodi munera offerri deberent saltem ante collationem Spiritualis, etiam cessante omni alia prohibitione, præsertim in materia Beneficiali; cum enim datio muneris ante collationem Beneficii Ecclesiastici saltem speciem Simoniæ habeat, & movere animum collatoris possit, ut indigno potiùs, quàm digno illud conferat, ideo, si antecedenter donatio fiat ab eo, qui Beneficium prensat, propter scandalum, malam consequentiam, & præsumptionem affectionis Simoniacæ in foro externo meretur pœnam, in interno plerumque peccatum incurrit *arg. c. etsi quæstiones* 18. *vers. quod autem h. tit.* nam munera excæcant sapientes, & Apostolus nos abstinere vult non tantùm à malo, sed propter scandalum etiam à specie mali. Engl *hic n.* 7. Konig *ibid. n.* 18. *pr.*

Ad Argumenta *num.* 65. proposita facilis est responsio. *Ad* 1. textus *ibi* allegati non loquuntur de donatione merè gratuita, sed primus quidem de datione facta cum exactione, secundus autem sub forma venditionis, ut ex verbo *Vendere*, quod ibi ponitur, clarè indicatur. *Ad* 2. Trident. *capit.* 1. *citat.* eo casu receptionem spontè oblatorum, non ut Simoniacam, sed tanquam ex avaritiæ affectu profectam prohibet, ut Pal. *l. cit. num.* 2. & colligitur ex verbis Concilii, *Quoniam --- omnis avaritiæ suspicio abesse debet.* Quod additur ex *cap.* 18. *seß.* 24. intelligendum est de receptione ex obligatione, & in commutationem datorum, prout desumitur ex *can. quando* 5. *dist.* 24. ejus margini adjecto, ubi ponitur verbum *vendere.* *Ad* 3. ea prohibitione Pontifex non correxit Jus antiquum, quo donationes gratuitæ absque Simoniæ vitio fieri possunt; sed tantùm damnatur doctrina eorum, qui à Simoniæ labe absolvebant gratuitas rerum Spiritualium compensationes, factas interveniente pacto, vel quasi, ut ex ejus Propositionis Declaratione observat Cassian. *l. cit. nu.* 7. Est autem magnum discrimen inter Donationem gratuitam, & compensationem gratuitam, factam interveniente pacto, vel quasi; nam gratuita donatio est, quæ fit ex mera liberalitate, ita, ut non detur propter debitum, neque cum onere: contrà gratuita compensatio, si fiat ex gratitudine deducta in pactum, gratuiti rationem exuit, & obligationis justitiæ rationem induit, ut ostensum est *suprà n.* 62. 70

Quæritur 7. utrum sit Simonia dare temporale pro Spirituali non ut pretium, sed solùm ut motivum? Negabant aliqui, & patrocinari iisdem videbatur ratio; nam dare temporale spe obtinendi Spirituale, aut vicissim, si pactum absit, & animus obligandi alterum, non est Simonia, ut dictum est *numer.* 53. & cum *S. Thoma* docent ferè omnes TT. & Canonistæ. atqui iste verè dat ex motivo obtinendi Spirituale per temporale, aut contra. ergo Simonia non est dare temporale pro spirituali solùm ut motivum, & non ut pretium. 71

Verùm affirmativa hodie certa est post Decretum Innocentii XI. quo inter prohibitas *num.* 45. retulit Propositionem sequentis tenoris: *Dare temporale pro Spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat ut motivum conferendi, vel efficiendi Spirituale. Proceditque hoc*, sive alter agnoscat intentionem dantis temporale, & inde moveatur ad conferendum vicissim Spirituale; sive non agnoscat eam intentionem, vel agnita illa, ad dandum spirituale non moveatur, nam in primo quidem casu Simonia committetur ab utroque, in secundo à solo dante. Carden. *Cris. Theol. dissert.* 27. *n.* 16. *& seq.* Sbogar *Theol. radic. tract.* 146. *n.* 7. P. Fridcr. *de Simon. c.* 2. *nu.* 25. *& seqq.* Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 167. 72

Ostenditur 1. ex *cap. tua nos* 34. *h. tit.* ubi apud districtum Judicem DEUM culpabilis, & conf. Simoniacus pronuntiatur, qui bona sua offert Ecclesiæ, nullo expresso pacto, sed ea tamen intentione, *ut per temporalia bona, quæ offert Spiritualia* (nempe Canonicatum) *valeat adipisci*. atqui iste non offert bona hæc sua in pretium, sed solùm ut motivum, quo Canonici moveantur ad se recipiendum in fratrem. ergo &c. 2. ad Simoniam non requiritur venditio expressa, & formalis, sed sufficit virtualis, & voluntas etiam interna emendi, aut vendendi Spirituale pro temporali. talem habet, qui temporale pro spirituali dat, ut motivum, & non aliter; non enim dat illud omnino gratis, cùm ita sit constitutus, ut non daret, si alterum non speraret movendum ad dationem spiritualis, & si spe sua frustretur, queratur sibi fuisse illusum. ergo &c. 3. si dicto 73

modo

modo permitteretur dare temporale ad obtinendum Spirituale, & vicissim, cessaret omnis Simonia in foro externo, & eluderentur omnes Canones eam damnantes, eorùmque pœnæ in Simoniacos statutæ; quia quivis diceret, se temporalem non dare ut pretium, sed solùm ut motivum: sicque sub isto Schemate, & pallio fœda passim fieret nundinatio Spiritualium, præsertim Beneficiorum Ecclesiasticorum, atque ad hæc non ampliùs merita, sed opes præberent aditum cum non exiguo Ecclesiæ, & animorum damno.

74 *Ad Argumentum* contrarium *n.* 71. allatum nego paritatem inter spem, & motivum; nam qui dat temporale, sperans fore, ut is, cui dedit, ex gratitudine, & liberalitate postea conferat Spirituale, e. g. Beneficium Ecclesiasticum, nulla ratione vult obligare Episcopum, vel Collatorem ad dandum Beneficium, sed relicta ipsi omnimoda libertate tantùm sperat ipsius liberalitatem, & gratitudinem. At qui Colatori dat temporale, tanquam motivum ad dandum vicissim Spirituale, revera non dat gratis, & liberaliter, sed vult, ut is oblatum temporale aut non accepter, aut si acceptat, Beneficium, quod petit, conferat, sicque re ipsa tacitè paciscitur, ac per consequens habet voluntatem emendi.

75 Quæritur 8. an Simonia sit dare, vel facere aliquid Spirituale ad acquirendum temporale, seu finem? *Rationem dubitandi* ex una parte facit Decretum Innocentii XI. ubi inter prohibitas *n.* 46. refertur Propositio, quæ dicebat, *non esse Simoniam si temporale sit finis rei Spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quam res Spiritualis*. Ex altera verò parte legitimare actum ejusmodi videtur ratio; quia Simonia solùm committitur, quando aliquis emit, vel intendit emere Spirituale pro temporali, aut vicissim; atqui intendere lucrum temporale etiam tanquam finem principalem non est emere, vel vendere rem Spiritualem, si non intendatur lucrum principaliter tanquam pretium; ergo &c.

76 Respondeo cum Magnif. P. Schmiet *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *num.* 183. distinguendo inter Finem intrinsecum, & extrinsecum *Finis intrinsecus* est, ad quem res ex natura sua destinatur: & ita finis intrinsecus Beneficii Ecclesiastici est subsidium temporale, seu sustentatio Clericorum; nam ad hanc Beneficia in prima mox constitutione sua sunt ordinata. *Finis extrinsecus* est, ad quem persona agens rem aliquam libere destinat, absque eo, quòd ex sua natura ad illum ordinetur, ut fit, quando Confessarius Absolutionem Sacramentalem ordinat ad remunerationem temporalem, cùm tam Absolutio ex fine intrinseco tantùm ordinetur ad finem, & utilitatem supernaturalem. Præterea Finis intrinsecus alius est *Principalis*, quem per se primò res respicit, uti est in Beneficio Ecclesiastico Servitium Divinum, & commodum Spirituale; alius *Minus principalis*, quem res secundariò, & quasi in consequentiam respicit, uti in Beneficio est alimentatio & sustentatio Beneficiati. His suppositis.

77 Dicendum 1. Si res, vel actus Spiritualis detur, aut exerceatur ob *Finem temporalem extrinsecum*, committitur Simonia; nam hujus malitia, ut *numer.* 5. dictum est, consistit in eo, quòd res Sacra, & Spiritualis indignè, & irreligiosè tractetur, eam in commutationem trahendo pro re temporali; hoc fit, spectata intentione operantis, quando datur res Spiritualis, aut hujusmodi actus exercetur ob finem temporalem extrinsecum; quia ad hunc eum detorquendo minus æstimatur, quàm temporale; ergo &c.

78 2 Similiter committitur Simonia, quando res, vel actus Spiritualis præstatur *principaliter* propter finem temporalem intrinsecum, prout jam ante memoratum Decretum Innocentii XI. docuerunt S. Thom. *quodl.* 8. *art.* 11. & Gerson. *p.* 2. *tr. de Simon. propos.* 1. Ratio est, quia hoc casu res temporalis pluris æstimatur, quam Spiritualis, hoc ipso, quòd principaliter moveat dantem, vel agentem: adeoque verificatur sensus Propositionis damnatæ in illis terminis, in quibus damnata est. Card. *Cris. Dissert.* 27. *n.* 95. *&* 99.

79 3 Contra liber à labe Simoniaca est, qui rem, vel actum Spiritualem præstat *minùs principaliter* propter finem temporalem intrinsecum; nam hic nec vendit rem, vel actum Spiritualem, sed potiùs juxta naturam, & institutionem suam confert, nec eam inhonorat, sed potiùs eam dirigendo ad finem temporalem intrinsecum minùs principaliter pluris illam æstimat quàm temporale. Adde, quia in hoc casu, ut bene notat Cardem. *n.* 95. *cit.* propriè non ipsum Spirituale e. g. Beneficium, cui quis inservit propter commodum temporale, ordinatur ad finem temporalem, sed solùm temporalitas Beneficio annexa, adeoque adhuc æquiparatio fit temporalis cum temporali.

Ex quo patet Responsio ad *Rationem dubitandi* allatam *n.* 75. & simul deciditur dubium, an Simoniam committat Beneficiatus, qui Beneficio suo deservit propter fructus, Clericus, qui Missam legit propter stipendium, Canonicus, qui Chorum accedit propter Præsentiam, seu Distributiones quotidianas &c. *Dicendum* enim, si isti commoda hujusmodi temporalia intendant minùs principaliter, principaliter autem velint honorare Deum, culpa, & labe Simoniaca immunes esse; contrà eandem contrahent, si hujusmodi commoda habent pro fine principali, utpote evertentes naturam rei, & sic æquiparantes temporali Spirituali. 80

In dubio tamen, ut bene notat Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 1. quilibet præsumitur eo fine operari, quo jus, & opus postulat: adeoque præsumitur Clericus principaliter intendere ministerium Sacrum, minùs principaliter commodum, ac emolumentum temporale. 81

Quæritur 9. an Simonia sit dare, promittere, legare &c. aliquid temporale sub modo, vel conditione rei, aut operis Spiritualis, prout fit, si parentes aliquid donant liberis, ut Ecclesias, aut Sacramenta frequentent, si Christianus Infideli offert præmium, ut Sacrum Baptisma suscipiat, si Puella Hæretico promittit nuptias, ut ad Fidem Orthodoxam se convertat, si Testator Ecclesiæ legat 1000. florenos ut Anniversarium pro se, & familia sua fiat, si Pater Legatum aliquod, tanquam præcipuum, relinquit filio, sub conditione, si Ordinem Religiosum intraverit, &c. 82

Ratio dubitandi esse potest; quia Simoniam committit, qui Episcopo temporalia exhibet, ut Beneficium Ecclesiasticum ipsi conferat. Ergo etiam, qui Religiosis offert temporalia, ut celebrent Anniversarium; nam utrobique temporalia cum Spiritualibus quasi permutantur. *Conf.* dare temporale, ut motivum, pro Spirituali juxta dicta *num.* 72. est Simonia. Ita dari videtur temporale in casibus *num. præc.* quia per hujusmodi Legatum, vel Donationem sub conditione operis pii, moveri Legatarius, vel Donatarius potest, ut ex motivo solius pecuniæ sibi legatæ seu fine principali exequatur opus pium, suscipiat Fidem, Religiosum Statum assumat &c. Ergo &c. 83

Sed dicendum, in casibus allatis, nullam committi Simoniam. Ita Gloss. *in can. debet* 53. *caus.* 23. *quæst.* 4. Suar. *tom.* 1. *de Relig. cap.* 39. *num.* 18. Laym. *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *num.* 11. Barbosa *in cap.* 30. *hoc tit. nu.* 6. *&* 7. Zoes. *hic n.* 78. Engl. *n.* 8. Konig *n.* 19. Pirhing. *n.* 129. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 1. *num.* 192. & habet praxis communis, à nemine improbata, imò approbata satis clarè à SS. Canonibus *cap. olim* 12. *de restit. spoliat. cap. fin. de Testam. cap. ex parte* 31. *de V. S.* ubi varia Legata, & Donationes sub conditione, vel modo construendæ Ecclesiæ, celebrandi Anniversarii, conservandæ fabricæ &c. approbantur: imo *cap. verum* 4. *de condit. appos. & Clem. dudum* 2. *de Sepultur.* generatim admittitur facultas donandi, vel legandi Ecclesiis, aut causis piis sub conditione honesta. 84

Ratio est, quia in hujusmodi donatione, promissione, vel Legato non intervenit contractus onerosus, imponens obligationem absolutam; sed id, quod conditione impleta datur, adhuc gratuitò, & merè liberaliter datur, sicut gratuitò, & liberaliter datur, quod donaturum se quis promisit sub conditione, *Si pax sequatur, si Imperator Turcam vicerit &c.* Certe si hoc modo committeretur Simonia, omnes, aut pleræque fundationes Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum &c. Simoniacæ forent; nam in omnibus, vel plerisque assignantur proventus temporales sub conditione operis pii. 85

Conf. ut committatur Simonia, temporale, quod datur, debet habere rationem pretii, motivi, aut saltem finis principalis respectu Spiritualis, ita, ut huic quodammodo adæquet temporale. Nihil istorum fit in 86

casibus

casibus allatis; quia temporale in iisdem non consideratur tanquam pretium, aut motivum, vel finis rei Spiritualis, sed potiùs tanquam liberalis remuneratio actus Spiritualis, exerciti in gratiam legantis, vel donantis: ut adeo, teste Suar. *loc. cit.* ne quidem umbra simoniæ cernatur in data Hypothesi.

87 Benè tamen observat Laym. *num.* 11. *cit. vers. neque enim*, simoniacum fore, si res temporalis ea ratione detur, ut simpliciter imponeretur obligatio ad opus Spirituale, v. g. ad ingressum Religionis &c. videtur enim ejusmodi opus Spirituale, ad quod aliquis absolutè obligatur, pretio æstimari: & sic intelligi debet textus *can. quàm pio* 3. *caus.* 1. *q.* 2. ubi Bonifacius Pontifex, *Nunquam*, inquit, *legitimos Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocasse*.

88 *Ad Rationem dubitandi* allatam *n.* 83. duplex dati disparitas potest; nam primò, qui offert temporale, ut obtineat Beneficium Ecclesiasticum, re ipsa intendit adæquare, & compensare spirituale cum temporali; quia autem offert temporale pro Anniversario, neutiquam talem adæquationem intendit, sed temporalia solùm dedicat, ut pro commodo spirituali deserviant ad opus spirituale. *Deinde*, qui facit Legatum pro habendo Anniversario, non dat pecunias in compensationem rei spiritualis, sed solùm in retributionem, aut stipendium laboris, & obligationis susceptæ: is autem, qui pecunias præsentat pro Beneficio, alium titulum nequit ostendere, quàm compensationis, quo titulo dari temporale pro spirituali non potest.

Ad Conf. finis legantis, vel donantis hoc casu est simpliciter supernaturalis, nempe honor Dei, vel Beatitudo animæ, cujus intuitu per temporale, tanquam medium donatarium, vel legatarium invitat ad opus pium. Quodsi verò iste pervertat ordinem, & opus pium peragat principaliter propter temporale, quod per Donationem, vel Legatum eidem obvenit, enim verò secundum dicta *n.* 78. reum se simoniæ faciet, sed non ex vi Legati, vel Donationis, quæ optima intentione à Legante, & Donante facta est: sibi enim, & suæ malitiæ imputare debebit sic operans, quod intentionem donantis evertat.

89 Quæritur 10. an simoniaca sit pactio, qua Clericus convenit de stipendio, sive congrua personæ suæ sustentatione, antequam in se suscipiat obligationem ministrandi spiritualia? Pro simoniaca eam habent Richard. *in* 4. *dist.* 25. *art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 2. Sylv. *V. Simonia q.* 9. *dist.* 3. Host. *in c. significatum* 11. *de Præb.* & quidam alii. 1. Quia in spiritualibus omnis pactio, & conventio cessare debet *can. quàm pio* 2. *caus.* 1. *q.* 2. *& c. fin. de Pact.* 2. Quia juxta SS. Canones stipendia quidem spontè oblata possunt accipi pro ministratione spiritualium, non tamen exigi *can. de Eulogiis* 8. *dist.* 18. *can. nullus* 100. *& can. seq. caus.* 1. *q.* 1. *can. placuit* 1. *& c. sicut Episcopus* 4. *caus. cit. q.* 2. 3. Quia gratis dare, & ex pacto dare videntur inter se pugnantia.

90 Sed dicendum, hujusmodi pactionem non esse simoniacam. Ita Gloss. *in c. significatum cit. V. ita quod.* Abb. *ibid. n.* 8. *& in cap. suam* 29. *hoc tit. num.* 12. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *cap.* 36. *numer.* 3. *& cap.* 46. *num.* 4. Gutier. *qq. can. cap.* 29. *num.* 13. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *n.* 48. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *num.* 15. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *par.* 4. *num.* 4. Moya *p.* 2. *select. qq. tr.* 2. *D.* 1. *q.* 1. *§.* 2. *num.* 25 Pirhing *hic num.* 127. Vviestner *num.* 21. *ibid.* P. Siderich. *de Simon. cap.* 2. *num.* 54. estque communis aliorum, & in praxi recepta sententia. *Ratio est*, quia quod ex Justitia debitum est, & quoad quantitatem Lege, vel consuetudine nondum determinatum, in pactum deduci potest, ut quoad hanc determinetur. Atqui Clericis spiritualia ministrantibus stipendium Jure naturali, & Justitiæ debitum est; huc enim pertinet textus *Matth.* 10. *vers.* 10. *Dignus est operarius mercede sua*; & 1. *Corinth.* 9. *vers.* 7. *nemo stipendiis suis militat unquam*. Igitur ubi stipendium Lege, vel consuetudine determinatum non est, per pactum determinari potest,

91 Ubi tamen tria notanda sunt. 1. Nomen *Mercedis* hic accipi debet non pro mercede proportionata operi spirituali; tunc enim haberet rationem pretii temporalis: sed pro mercede commensurata conditioni personæ operantis, quæ haud dubiè ob labores suos spirituales sustentatione, & stipendio digna est. 2. si certa quantitas stipendii pro hujusmodi functionibus spiritualibus determinata sit per consuetudinem, vel taxata à superiore Ecclesiastico taxatio hæc, & consuetudo est observanda *cap. ad Apostolicam* 42. *hoc tit.* 3. Abesse debet turpe pactum, vel exactio avaritiæ speciem præferens, qualis esset, si denegaret aliquis peragere spiritualia, antequam pecunia numeretur, vel cautio pro ea præstetur; nam in his animus, & affectus quodammodo simoniacus exprimitur *can. quàm pio* 2. *& duob. seqq. caus.* 1. *q.* 2. *cap. in tantum* 36. *& cap. audivimus* 41. *hoc tit.* Konig. *hic n.* 18. *vers.* 2. *Ministri.* Pirh. *ibid. num.* 127.

Neque obstant argumenta in contrarium allata *n.* 90. 92
Ad 1. textibus *citt.* solùm prohibentur pacta inhonesta, i. e. quæ pugnant cum gratuita donatione spiritualium, & quibus ista pro temporalibus commutantur, ut exponit Gloss. & DD. *in cap. fin. de Pact. & in cap.* 2. *de Transact.* Atqui pactum de stipendio sustentationis non pugnat cum gratuita spiritualium administratione, nec includit permutationem spiritualis pro temporali, sed solùm exprimit obligationem naturalem, qua illi, quibus sacra ministratur, tenentur alere eos, qui ministrant. *Ad* 2. Jura allegata solùm damnant pactionem, qua aliquid exigitur ut pretium rei spiritualis; aut titulo etiam sustentationis, sed pro iis ministeriis, pro quibus vetante speciali Lege Canonica nihil exigi potest; aut pro illis, pro quibus nunc ex determinatione Ecclesiarum, vel consuetudine aliquid exigi potest, tunc verò non poterat. *Ad* 3. Licèt hoc stipendium debeatur ex Justitia, non tamen tollit, quo minùs gratis spiritualia dispensentur, cùm debeatur, non ut pretium, sed ut supplementum necessitatis.

Quæritur 11. an stipendium sustentationis exigere 93
possint non tantum Clerici pauperes, sed etiam divites, & qui aliunde, videlicet ex suo patrimonio, vel ex redditibus Ecclesiasticis ea, quæ pro honesta sustentatione necessaria sunt, habent? Negant Richard. *in* 4. *dist.* 25. *art.* 3. *quæst.* 1. *ad* 2. Angel. *V. simonia* 2. *num.* 6. Sylv. *V. eod. quæst.* 9. *§. tertium.* Cajet. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. *dub.* 2. & videtur hoc colligi ex *can. Clericos* 6. *& duob. seqq.* ubi S. Hieronymus, & S. Prosper negant, Clericos propria habentes debere è bonis Ecclesiæ sustentari.

Sed dicendum, posse etiam sacerdotem divitem exi- 94
gere id, quod fideles ex statuto, vel consuetudine ratione Ministeriorum sacrorum tenentur solvere, saltem si ex vi Officii sui ad hæc non sint obligati. Ita Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 46. *num.* 7. Laym. *l.* 4. *trat.* 10. *cap.* 8. *n.* 14. Pirhing. *hic num.* 128. Engl. *n.* 15. Reiffenstuel *n.* 193. & 194. & communis TT. ac Canonistarum cum S. Thom. *Quodl.* 6. *art.* 10. Sumitur ex *can. fin. caus.* 1. *quæst.* 2. ubi universaliter, & sine restrictione dicitur: *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundùm servitii meritum, per ordinationem Canonum à Sacerdotibus consequantur*. Ratio est, quia quòd aliunde necessariam, ac sufficientem sustentationem habeant, est per accidens, neque impedit, quò minùs adhuc stipendium debeatur ex Justitia.

Aliud est in Parocho, vel alio Beneficiato, qui ex 95
vi Officii sui obligatus est ad ministranda spiritualia: nam hi, si sufficientem aliunde sustentationem habeant, v. g. ex Decimis, & aliis proventibus Ecclesiasticis, contra Justitiam peccant, si novum stipendium petant, vel de eo pactum ineant. Ita communis DD. & sumitur ex Sanct. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 3. Ratio est, quia universim contra Justitiam est exigere temporale stipendium ratione operis aliunde ex Justitia debiti, cùm eo casu desit titulus illud exigendi; si enim exigi illud posset, exigeretur vel ex pacto gratuito, vel ex oneroso: non ex gratuito; quia dans non vult donare; sed tanquam pretium dare: non ex oneroso; quia hujus pacti ea conditio, & natura est, ut utrinque obligationem pariat. Nulla autem nova obligatio imponitur ei, qui jam antè ex Justitia obligatus est facere, vel intermittere aliquid. Ergo cùm quis cum altero paciscitur de novo stipendio, dando pro eo, quòd aliàs ex Justitia debitum est, injuriam ei infert. Suar. *cap.* 46. *cit. num.* 9. *& cap.* 47. *num.* 5. Laym. *cap.* 8. *num.* 16. *& l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 9. Zoes. *hic num.* 55. Pirhing. *ibid. n.* 128. & alii

& alii passim. Quin imò talis exactio speciem quoque simoniæ habet, & est simonia saltem præsumpta: ideoque Jure positivo, ut simonia, interdum prohibetur. Pithing. *loc. citat.*

96 Ad textus *num.* 93. allegatos dico, ibi solùm asseri, quòd Clericis non indigentibus nihil debeatur ex bonis Ecclesiæ, destinatis in sustentationem pauperum: nam si intelligi deberent de stipendio, nimium ex iis probaretur; probaretur enim, quòd Clerici, qui ex suo patrimonio se alere possunt, neque possent percipere Decimas, & alios beneficiorum suorum redditus: quod falsum est, & contra mentem Ecclesiæ.

97 Quæritur 12. pro quali labore Clerici exigere possint sustentationis stipendium? Nam duplex in hujusmodi functionibus spiritualibus distinguitur labor: unus iisdem intrinsecus, qualis est, qui adhibetur in ipsa celebratione Missæ, vel collatione Ordinum, & est ab his functionibus inseparabilis; alter, qui est illis extrinsecus, & ab iis per se separabilis, ut quòd celebraturus Missam debeat exspectare certam horam, aut alienum nutum, quòd debeat facere iter, vel adire certum locum, quòd alia incommoda subire, vel negligere sua commoda, sua negotia &c.

98 Respondeo, in compensationem laboris intrinseci peti, vel accipi nihil potest, cùm æstimationem ab ipso actu distinctam non habeat, potest autem in compensationem laboris extrinseci. Ita Gloss. *in cap. significatum* 11. *de Præb.* Sylv. *V. simonia q.* 9. Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 6. *art.* 1. Azor *p.* 3. *l.* 12. *c.* 3. *q.* 1. Suar. *l.* 4. *c.* 29. *num.* 15. *&* 18. Gutier. *l.* 2. *qq. can. c.* 21. *num.* 12. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 35. *n.* 45. Bonac. *de Simon. D.* 1. *q.* 6. *p.* 3. *n.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *num.* 41. *&* 42. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 11. *n.* 3. Barbosa *in cap.* 29. *hoc tit. n.* 5. Vvagnereck *in cap.* 10. *V. pro Sepultura not.* 2. *&* 3. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 10. *n.* 61. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 5. Zoes. *n.* 37. Schambog. *n.* 4. Konig. *n.* 4. Vviest. *n.* 62. *&* 63. Reiffenstuel *n.* 305.

99 Ut tamen ritè fiat hujusmodi exactio pro labore extrinseco, necesse est, ut labor ille non sit aliunde debitus v. g. ex officio, fundatione, contractu &c. nam hoc si fiat, & pro eo labore competens salarium, vel stipendium habeat, pro illo nequaquam aliquid ulterius exigere valet absque peccato simoniæ; quia cum in ejusmodi casu talis careat omni justo titulo aliquid exigendi, pro ipsa re spirituali temporale exigere censeretur, prout cum cæteris bene advertit Reiffenstuel *hic num.* 307. Hinc Parochus, aut Capellanus vel nihil, vel non plus, quàm pia, & laudabilis consuetudo habet, exigere potest pro itinere, & incommoditate, quam habet, dum S. Viaticum portat ad infirmum Parochianum, una, vel duabus horis distantem; quia ad id ex Officio tenetur, & propterea redditus, & stipendium habet. Deinde cavendum est, ut non plus exigatur, quàm talis labor, incommoditas, aut damnum extrinsecum à parte rei juxta prudentum æstimationem valet; secus enim haud dubiè committeretur simonia, cum excessus ille non jam pro temporali, sed pro Spirituali exigeretur, ut bene cum communi aliorum advertunt DD. *citt.*

100 Non minus simoniæ reos se faciunt, qui excedunt stipendium taxatum statuto, vel consuetudine; quia illud, quod hac ratione exigunt, jam non debetur ut stipendium sustentationis, quo solo titulo aliquid exigi potest, sed ut pretium ministerii Sacri P. Friderich. *de Simon. cap.* 2. *num.* 67. qui proinde infert, à peccato excusari non posse Parochum, vel alium Curatum, qui redditus Stolæ ipse sibi augeret exigendo plus, quàm hactenus alii perceperint. Idem dicendum de alio Clerico non Beneficiato, si pro Missis, Concionibus habendis, funeribus ducendis &c. excederet stipendia, pro hujusmodi functionibus ex praxi Diœcesis, & approbatione Superiorum pendi solita. P. Friderich. *loc. citat.*

101 Quæritur 13. an simoniam committat etiam ille, qui temporale dat, vel promittit, non quidem illi, à quo exspectat spirituale e. g. Beneficium Ecclesiasticum, sed alteri apud Collatorem, vel Patronum Beneficii gratioso pro intercessione, commendatione, precibus apud hunc interponendis. *Ratio dubitandi est* 1. quia preces, commendatio &c. sunt aliquid merè temporale, & quidem ex Justitia indebitum illi, qui eas petit. Atqui temporale, quod ex Justitia non debetur, est pretio æstimabile, conf. in pactum deduci potest. 2. Non est simonia accipere, vel dare aliquid pro informatione de meritis, & qualitatibus personæ, ad Beneficium, Ordines &c. aspirantis. Ergo neque simonia est dare aliquid pro commendatione. 3. Quod in temporalibus non est Usura, hoc in spiritualibus non est simonia, ut tradunt Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 7. & alii communiter. Atqui potest licitè Titius accipere munus à Cajo rogante ipsum, ut det mutuum Sempronio, modò ab isto nihil accipiat, ut docet *Aravio* apud Moya *p.* 2. *qq. select. tr.* 2. *D.* 1. *q.* 4. *n.* 1. Ergo pariter non erit simonia dare aliquid intercessori, modò non detur Collatori Beneficii Ecclesiastici.

Sed dicendum, oblationem, & exactionem pecuniæ pro hujusmodi intercessione, commendatione &c. à labe simoniæ, saltem Juris Ecclesiastici, excusari non posse. Ita Sylv. *V. simonia q.* 6. Navarr. *Man. cap.* 23. *n.* 106. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 46. Suar. *l.* 4. *c.* 53. *n.* 14. Zoes. *hic n.* 81. P. Friderich. *de Simon. cap.* 2. *n.* 42. P. Vviest. *hic num.* 68. & ipse S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. Sumitur 1. ex *can. statuimus* 107. *caus.* 1. *quæst.* 1. ubi Nicolaus II. tres species simoniacè ordinatorum refert, quas inter una est, quando *Simoniaci Simoniacè à non Simoniacis ordinantur*. Hi autem alii non sunt, quàm qui ad impetrandos Ordines dant pecuniam non Episcopo ordinanti, sed cuidam tertio, qui ab Episcopo ipsis impetret Ordines; nam si Episcopo darent pecuniam, jam essent in prima classe simoniacorum, eorum videlicet, qui *simoniacè à simoniaco ordinantur*. 2. Ex *can. fin. caus. cit. quæst.* 5. ubi Urbanus II. cum aliquo, tanquam simoniacè ordinato, dispensavit ad usum Ordinum, pro quibus consequendis parentes illius pecuniam dederunt non ipsi Episcopo ordinanti, sed *alicui Principum*, h. e. familiarium istius. 3. *Ex ratione*; quia intercessio, & preces sunt causa moralis ipsius collationis &c. quam qui emit, virtualiter præsumitur emere ipsam collationem, utpote in ordine ad quam unicè æstimat preces. 102

Aliud est, quando aliquis temporale dat, vel promittit ministro, aut famulo Episcopi, Collatoris, vel Patroni Beneficii, non ut pro dante intercedat, aut ipsum commendet, sed tantum audientiam procuret, vel aditum faciat ad ipsum, monendo v. g. adesse aliquem, qui audientiam petat, vel aliquid proponendum habeat &c. nam iste nullam hoc modo simoniam committit. Suar. *cap.* 53. *n.* 17. Palao *n.* 17. *D.* 3. *p.* 11. *n.* 5. *vers. tertiò*. P. Friderich *num.* 48. P. Reiffenstuel *num.* 127. Ratio est, quia obsequium, quod à tali famulo præstatur, est quid merè temporale, & indifferens, nullamque connexionem cum spirituali habens, ut adeo non possit censeri esse causa moralis collationis. 103

Imò ex eadem ratione non tantùm memoratis ministris, & famulis, sed etiam ipsis, qui pro aliquo ad Beneficium obtinendum intercedunt, temporale aliquid dari, vel promitti potest, non quidem pro intercessione, vel commendatione, sed pro labore, quem occasione hujus subire debent, v. g. eundo, ac redeundo ad Patronum, scribendo Litteras, aut supplicem libellum; & multò magis si propter operam alicui impensam aliquod ipsi damnum emersit, vel lucrum cessavit. Ita post *Navar. Less. Suar.* advertit Palao *num.* 5. *cit. pr.* P. Friderich. *num.* 49. P. Reiffenstuel *n.* 128. qui tamen monent hujusmodi dationes, & promissiones valde periculosas esse, & ideo in praxi ab iis abstinendum, cum plerumque intuitu precum, & commendationis, & non laboris temporale promittatur, aut certè in dando temporali excedatur æstimatio laboris, lucri cessantis, damni emergentis; quod si fieret, simonia non subterfugeretur, quòd excessus ille non intuitu laboris, sed precum, aut Beneficii desiderati factus censeatur. 104

Denique, ut Navar. *cap.* 23. *cit. num.* 106. Sanch. *l.* 2. *cons. mor. cap.* 3. *dub.* 26. *n.* 5. & alii advertunt, potest aliquid mediatori dari absque pacto tacito, vel expresso ad habendum ipsum benevolum, modò sistatur intra limites solius spei, seu temporale detur omnino gratuitò, ac liberaliter solum cum spe, quòd accipiens ex gratitudine sit exhibiturus obsequium. Tutiùs agunt, qui hujusmodi mediatoribus dant, vel promittunt temporale post preces, vel commendationem jam interpositam pro Beneficio obtinendo; nam istud nec simoniacum, nec aliunde illicitum est, modo nullum pactum expressum, vel tacitum 105

tacitum de illo præcesserit. Reiffenstuel *n.* 129. si enim Spirituali jam accepto, licet ipsi etiam conferenti spirituale ex gratitudine, promittere, dare, aut præstare temporale, multò magis id promittere, aut dare licebit intercessori.

106 Argumenta *n.* 101. in contrarium allata facilè dissolvi possunt. *Ad* 1. licèt intercessio, & commendatio, pro Beneficio obtinendo facta, de se sint aliquid temporale, & propterea pretio æstimabile; quia tamen viam parant ad obtinendum Beneficium, & consf. referuntur ad Spirituale, ob hanc connexionem naturam Spiritualis induunt: imò qui dat temporale pro istis, potius dare censetur illud propter Spirituale obtinendum, quàm propter preces, utpote quas non curat alia ex ratione, quàm quòd connexionem aliquam habeant cum Spirituali. *Ad* 2. negatur paritas inter preces, & informationem; hæc enim solùm est applicatio meritorum, quæ deinde movent Collatorem ad Beneficium conferendum: ut adeo Navar. *num.* 106. *cit.* Suar. *cap.* 53. *num.* 7. Dian. *p.* 11. *tr.* 6. *resol.* 31. Barbos. *in c.* 14. *n.* 4. *fin. hoc tit.* Moya *p.* 2. *qq. select. tract.* 2. *D.* 1. *quæst.* 4. *num.* 9. Zoes. *hic n.* 60. Vviestner *n.* 68. Reiffenstuel *n.* 125. cum communi aliorum ita dantem, & accipientem meritò à crimine simoniæ absolvant: Quod verum est speculativè saltem loquendo; nam, ut idem P. Reiffenstuel *l. cit.* advertit, in praxi hujusmodi Informationes pro temporali vix, aut rarò absque simonia petuntur, & præstantur, eo quòd pecuniæ, vel aliud temporale ordinariè non pro sola, & nuda veritatis informatione (utpote quæ plures parùm juvaret ad finem intentum) sed etiam pro præcibus, intercessione, & commendatione dentur: qua ratione jam committitur simonia. *Ad* 3. sententia *Aravii* videtur carere sufficienti probabilitate, & quia viam Usuris aperir, periculosa est; nam volens lucrari ex mutuo, illud petenti facile potest dicere, se non daturum, nisi Titio intercedente, & tunc cum Titio paciscetur, & aliquid pro mutuationis officio accipiet.

107 Examinari hìc solent plures aliæ quæstiones, & præsertim quomodo, vel quando simonia committatur per Beneficiorum renuntiationem, permutationem, transactionem ad terminandam litem super Beneficii proprietate ortam; sed de primo jam satis dictum est *Libr.* 1. *Tit.* 9. *à num.* 23. de secundo *Libr.* 3. *Tit.* 19. *per totum*, de tertio *Libr.* 1. *Tit.* 36. *n.* 10. ad quos proinde in re ista recurri poterit.

§. III.

De Pretio Simoniaco.

SUMMARIUM.

108 *In simonia necessario debet intervenire Pretium.*
109 110 *Quid hoc nomine intelligatur in simonia?*
111 *Triplex communiter dicitur.*
112 *Munus à manu.*
113 *Ab obsequio.*
114 *Et à Lingua.*
115 *&c. Quando Munus, vel obsequium constituat Pretium simoniacum?*
120 *&c. An pretii simoniaci rationem habere possit etiam res spiritualis?*
124 *&c. Aut cessio Beneficii priùs obtenti facienda ab eo, cui aliud Beneficium confertur?*
126 *&c. An simoniaca sit Pactio solvendi debita ab Antecessore in Beneficio nomine Ecclesiæ contracta?*
129 *&c. Vel expensas, pro Beneficio litigioso ab eodem factas?*
134 *&c. Utrum rationem pretii simoniaci habeat, quod datur ad redimendam vexam, qua quis impeditur a Beneficio obtinendo, vel obtento pacifice possidendo?*
139 *&c. Quid requiratur, ut redemptio vexæ in Beneficio accepto sit licita?*
142 *&c. An qui injustè impeditur ab acquirenda possessione Beneficii sibi collati, possit pecunia vexationem redimere.*
146 *&c. An dari absque simonia possit pecunia Electoribus, ne eligant indignum, vel minùs dignum?*
149 *&c. Quænam circumstantiæ considerandæ sint, ut cognoscatur, an munus aliquod temporale habeat rationem pretii simoniaci?*

Alterum simoniæ constitutivum juxta dicta *n.* 6. est *Pretium*: quod ita necessario in simonia intervenire debet, ut absque illo nulla committi simonia possit. Patet ex definitione ejusdem *n.* 3. data, ubi dictum est, quod simonia sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Est autem Emptioni Venditioni essentiale, ut in ea interveniat pretium *l. inter* 2. *sine pretio* 1. *& l. pacta* 72. ibi, *Emptionis substantia consistit ex pretio ff. de contrah. empt.* 108

Quæritur 1. quid nomine *Pretii* hoc loco veniat? Resp. Quamvis in Emptione Venditione pretium consistere debeat in pecunia numerata, & si alia res detur, quàm pecunia v. g. bos pro equo, non fit Emptio, sed Permutatio *l. origo* 1. §. *sed an* 1. *ff. de contrah. empt.* quia tamen in materia simoniæ nomine *Emptionis Venditionis*, ut *n.* 45. dictum est, intelligitur omnis contractus onerosus, & utrinque obligatorius, ideo etiam *Pretii* nomine hic venit quæcunque res temporalis pretio æstimabilis, & afferens utilitatem temporalem. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 1. *n.* 13. Lotter. *l.* 3. *de re Benef. q.* 29. *n.* 97. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. §. 2. *pr.* Pirhing *hic n.* 2. *vers. dicitur* 4. *fin.* Engl *n.* 10. Konig *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 56. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 134. 109

Pretium hoc in Jure Canonico frequenter appellari solet *Munus*, quo nomine hic non intelligitur donum liberale, & gratuitum, sed potiùs debitum Justitiæ commutativæ, quod ex vi conventionis onerosæ & reciprocæ præstari, & exigi solet: adeoque gravamen aliquod est, & onus. Quæ acceptio Munerum frequenter etiam usurpatur in Jure Civili, in quo Officia, seu obsequia, & Tributa, quæ, tanquam ex Justitia debita, præstari, & exigi solent, munera appellantur, prout videre est in toto *Tit. ff. de Muner. & honorib.* Laym. *c.* 8. *cit. n.* 25. Engl. *hic n.* 11. Pirhing. *n.* 135. Schambog *n.* 110. *vers. circa hanc.* 110

Quæritur 2. quotuplex sit Munus, seu Pretium simoniacum? Resp. Triplex communiter dicitur, scilicet *Munus à manu*, *Munus ab obsequio*, *& Munus à lingua*. Habetur divisio ista *can. ordinationis* 113. *can. sunt nonnulli* 114. *caus.* 1. *q.* 1. *& can. Salvator* 7. *caus. cit. q.* 3. & posteriora non minus, ac primum, habere rationem Pretii, ac sufficere ad constituendam simoniam, constat tum ex *citt.* textibus, tum etiam ex *toto hoc titulo*. 111

Munus à manu dicitur quæcunque res temporalis pretio æstimabilis, sive deinde sit mobilis, sive immobilis, corporalis, vel incorporalis, nam etiam Jure, Census, Pensiones, Mutuatio pecuniæ, solutio debiti, vel Solutionis dilatio rationem muneris à manu habent, & pretium simoniacum constituunt *can. totum* 6. *caus.* 1. *q.* 3. *c. etsi quæstiones* 18. *c. tua nos* 34. *c. in tantum* 36. *hoc tit.* Neque refert, utrum res ista præstetur vere, an virtualiter, & æquivalenter; nam etiam, qui debitum alteri remittit, aut se remissurum promittit, ut spirituale donum consequatur, simoniacus est *can. talia* 1. *caus.* 8. *quæstio* 3. *cap. si quis* 45. *hoc tit. c. veniens* 10. *de testib.* Navar. *Man. cap.* 23. *num.* 101. Suar. *l.* 4. *cap.* 38. *num.* 1. *& seqq.* Laym. *lib.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 25. *not.* 2. Vvagnereck *in cap.* 12. *hoc tit. not.* 1. Monacen. *part.* 3. *tit.* 1. *form.* 22. *n.* 11. Zoes. *hic n.* 57. *&* 58. Vallens. §. 2. *num.* 3. Engl. *n.* 11. Pirhing. *n.* 136. Schambog. *n.* 111. Konig *n.* 16. Vviestner *n.* 23. Reiffenstuel *n.* 59. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 1. *n.* 135. *&* 136. 112

Munus ob obsequio sunt quæcunque obsequia, & servitia e. g. famulatus, administratio rerum, negotiorum gestio &c. facta ex pacto, vel sub obligatione rei spiritualis conferendæ *c. cum essent* 12. *hoc tit.* Abb. *ibid. n.* 5. Suar. *c.* 39. *n.* 2. Laym. *loc. cit. not.* 4. Vvagnereck *not.* 2. Zoes. *numer.* 76. Pirh. *n.* 137. Schambog. *n.* 112. Reiffenstuel *num.* 60. Magnif. P. Schmier *num.* 137. cum reliquis *supra*. Ubi tamen est distinguendum, utrum in pactum veniat obsequium spirituale, an verò temporale; nam *si hoc secundum*, committitur simonia Juris naturalis, & Divini. *Excipitur*, si illud annexum sit rei spirituali e. g. Beneficio ante hujus collationem, sicut quando- 113

quandoque, Beneficio annecti solet munus docendi Theologiam, vel Grammaticam, cantandi, ministrandi in officio Sacristæ &c. hoc enim eventu Beneficium concedi potest ea conditione, & pacto, ut Beneficiatus his oneribus satisfaciat, modò illa annexa sint Beneficio ab habente legitimam potestatem annectendi. Suar. *cap.* 39. *num.* 8. *&* 9. *Si secundum*, cùm in hoc casu non intercedat aliquid temporale, committetur Simonia solùm juris Ecclesiastici, & quidem tum solùm, quando hujusmodi obsequium non est aut ex natura sua, aut aliunde ex dispositione juris annexum Beneficio; nam si annexum ita sit, sicut Canonicatui annexum est onus assistendi Choro, & Beneficio Curato onus administrandi Sacramenta &c. patet sub tali onere Beneficium conferri posse, imò & debere, cùm obligatio ejus sit imbibita actui.

114 *Munus à lingua* denique vocantur laudes, commendationes, preces, v. g. siquis alicui, apud Principem gratioso, conferat Beneficium cum pacto, ut hic apud Principem interponat pro conferente suas preces, commendationem, intercessionem &c. pro obtinendo favore, vel gratia certa, quam ipse desiderat. Abb. *in c. cuam* 10. *de ætat. & qualit. n.* 3. Navar. *c.* 23. *n.* 102. Suar. *c.* 40. *n.* 13. Laym. *n.* 26. *not.* 3. Vvagnereck *not.* 3. Zoes. *nu.* 79. Pirh. *n.* 138. Schambog. *n.* 113. Reiffenstuel *num.* 61. Magnif. P. Schmier *n.* 142. *&* 143. *cum citt.* Neque refert; etsi intercessio ordinetur ad aliquid spirituale, e. g. ad impetrandum per eam Beneficium Ecclesiasticum; quia intercessio hæc in se est aliquid temporale. Ergo dum pro ea Beneficium datur, jam datur spirituale pro temporali; conf. committitur Simonia. Simili modo, ut rectè notat Suar. *c.* 40. *nu.* 13. & Palao *p.* 3. *nu.* 8. Simoniam conventionalem committit, qui non vult conferre Beneficium, nisi persona nobilis, quam desiderat obligatam sibi habere, istud à se petat, ut sic occasionem habeat eam personam sibi demerendi; est enim talis gratia, & favor, qui à Collatore Beneficii hoc casu expostulatur, pretio æstimabilis, conf. Spirituale iterum datur pro temporali.

115 Quæritur 3. quando Munus vel Obsequium ei, qui rem spiritualem exhibet, præstitum, constituat pretium Simoniacum? Resp. Tunc solùm, quando non fit purè, sed sub conditione, aut pacto expresso vel tacito, vel cum exactione, aut animo commutandi illud pro spirituali, vel ad conferendum alterum obligandi: & hoc modo fieri præsumitur, quando antecedit exhibitionem rei Spiritualis. *Contrà*, si hujusmodi munus detur, vel obsequium præstetur purè, & sine conditione, pacto, exactione, vel animo commutandi, vel alterum sibi obligandi, maximè si hoc fiat post exhibitionem, rei spiritualis, talis datio, & obsequii præstatio libera erit à labe Simoniaca; quia erit merè gratuita secundùm dicta *n.* 66. & textus *can. quàm pio* 2. *can. sicut Episcopum* 3. *&c. caus.* 1. *q.* 2. *c. etsi quæstiones* 18. *c. dilectus* 30. *fin. c. tua* 34. *h. tit.* Suar. *l.* 4. *c.* 45. *nu.* 4. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 118. Laym. *c.* 8. *n.* 26. Zoes. *hic n.* 76. Pirhing *n.* 138. Vviestner *n.* 24.

116 Hinc Simonia non est 1. si detur Beneficium aliquod alicui intuitu solius consanguinitatis, vel amicitiæ. Azor *p.* 3. *l.* 12. *c.* 2. Suar. *c.* 37. *n.* 6. Zoes. *hic n.* 72. Pirhing *nu.* 139. Reiffenstuel *num.* 65. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 1. *numer.* 159. & communis DD. cùm S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 5. *ad* 3. Ratio est, quia licèt motivum consanguinitatis, vel amicitiæ sit motivum temporale, non tamen est aliqua compensatio temporalis pro Beneficio, utpote cum Beneficii collator in vicem Beneficii collati nihil accipiat; dat igitur illud omnino gratis; conf. locus Simoniæ non est, sicut non est in casu, quo Beneficium confert, ut mere Beneficiatum favorem, & gratiam humanam aucupetur. *Neque obstat*, quòd SS. Canones improbent collationem Beneficii ex motivo consanguinitatis; non enim improbant tanquam Simoniacam, sed tanquam ex minùs sincero affectu profectam, & tum solùm, quando consanguinei aliis dignioribus præferuntur: & in hoc sensu intelligendum est *cap. un. Ut Eccl. Benef. fin. dim. confer.* nam casu, quo consanguineus æquè dignus, aut dignior est aliis, & aliunde Scandalum nullum sequitur, potest ille absque peccato cæteris in collatione Beneficii præferri; sicut enim vinculum sanguinis non debet esse adjumento, ut ejus intuitu dignioribus quis præferatur, ita nec debet esse alicui impedimento, quo minùs ad Beneficia eluctari possit.

2 Non est Simonia simpliciter orare, rogare, intercedere, laudem, aut commendationem afferre ad Collatorem, vel Patronum, ut sibi, vel certo alicui conferat Beneficium, vel aliud quid spirituale. Item non est Simonia, si intuitu solius intercessionis, commendationum, aut precum absque alio tacito, vel expresso pacto Collator conferat, vel Patronus præsentet ita commendatum *arg. can. latorem* 121. *can. filium* 122. *caus.* 1. *quæst.* 1. *cap. tua nos* 34. *h. tit.* Suar. *c.* 40. *nu.* 2. Laym. *cap.* 8. *num.* 26. Zoes. *hic num.* 79. Pirhing *num.* 138. Reiffenstuel *num.* 63. Friderich *num.* 123. Magnif. P. Schmier *cap.* 1. *cit. num.* 244. Ratio est, quia, qui dat aliquid, quod rogatur, nulla ratione illud vendit, sed omnino gratis dat; conf. Simoniam non committit. *Conf.* ex universali totius Orbis Christiani praxi, & consuetudine, qua constat, preces, & commendationes ad obtinenda Beneficia pro se, & pro aliis ubique, etiam apud Sedem Apostolicam liberè interponi, & intuitu earum Beneficia nonnunquam conferri. *Proceditque* hoc probabiliùs etiam, quando intuitu hujusmodi precum, & commendationum Beneficium conferetur indigno; licèt enim ita conferens graviter peccet juxta dicta *lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 37. non tamen committeret Simoniam, cùm non det spirituale pro temporali, seu ad hoc obtinendum pro illo. Neque obstat *can. ordinationes* 113. *caus.* 1. *q.* 1. ubi asseri videtur, Simoniam esse spirituale dare pro precibus; quia ibi sermo non est de precibus, quibus spirituale datur, sed de illis, quas per spirituale impetrare nititur is, qui dat Spirituale secundùm dicta *n.* 102. 117

3 Non est Simonia dare Beneficium, vel aliam rem spiritualem propter preces armatas, sive gravem metum injustè incussum, si nullum interveniat pactum. Suar. *c.* 37. *n.* 10. Less. *c.* 35. *n.* 119. Zoes. *hic n.* 83. Pirhing *n.* 140. Friderich *n.* 116. & hoc teste communis aliorum contra *Durandum*, & alios paucos. *Ratio est*, quia collatio, vel resignatio Beneficii non fit tanquam pretium, cum quo cessatio injuriæ commutatur, sed tanquam medium spirituale offertur gratis ad tollendam injustam vexationem temporalem. Aliud foret, siquis daret, vel resignaret Beneficium alicui sub ea conditione, & modo, ut alter vicissim promittat, quòd futuro tempore nullum injustum damnum collatori, vel resignanti illaturus sit: tunc enim Simonia committi videtur, cùm alteri imponatur nova obligatio in commodum exigentis ultra illam obligationem, qua quivis tenetur ex naturali lege justitiæ neminem lædere, quæ obligatio est pretio æstimabilis; nam pretio æstimabilis est securitas in futurum, quæ per hujusmodi pactum præstatur. Suar. *n.* 16. Less. *n.* 120. Zoes. *l. cit. vers. quæ ita procedunt*. Pirh. *n.* 140. Reiffenstuel *n.* 66. 118

4 Non est Simonia, si Collator e. g. Episcopus Beneficium debitori conferat timore amittendi debitum, sive ut debitum ab ipso consequi possit, modò pactum nullum intercedat, per quod imponatur nova obligatio in futurum debitori; nam hoc casu petit Episcopus, quod suum est, adeoque adhuc gratis confert Beneficium. Suar *cap.* 37. *num.* 18. Zoes. *numer.* 85. Pirhing *n.* 141. Aliud foret, si conferetur Beneficium, addito novo pacto securitatis in futurum; nam istud est onus pretio æstimabile. 119

Quæritur 4. an Pretium Simoniacum constituere etiam possint res spirituales? *Certum est* 1. quòd hujus pretium ex dispositione saltem Juris positivi Ecclesiastici constituant Beneficia relativè ad se invicem, ut patet ex *c. quæsitum* 5. *c. cùm olim* 7. *de rer. permut.* & dictum est *suprà nu.* 19. 120

Dubium est, an id contingat etiam circa alias res spirituales? Affirmant Richard. *in* 4. *dist.* 25. *art.* 3. *quæst.* 1. Paludan. *ibid. quæst.* 2. *num.* 15. & alii apud Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 30. *num.* 3. id desumentes ex *cap. fin. de pact.* ubi tanquam Simoniaca generaliter rejicitur omnis pactio circa rem spiritualem.

Sed dicendum, rem verè spiritualem, extra materiam Beneficialem, & cùm Beneficiis connexam, per se rationem pretii Simoniaci non habere respectu alterius rei verè spiritualis. Ita Gloss. *in cap. cit. V. cessare*, Abb. *in cap. statuimus* 2. *de Transact. num.* 5. Sot. *lib.* 9. *de Just. qu.* 5. *in fin.* Azor *p.* 3. *lib.* 12. *c.* 3. *q.* 2. Suarez *c.* 30. *cit. n.* 4. 121

Less.

Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *num.* 31. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *v.* 7. Palao *tr.* 16. *D.* 3. *p.* 15. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 2. Zoes. *n.* 76. *vers. quantum*. Engl *n.* 10. Pirhing *nu.* 123. *&* 124. Konig *n.* 16. *vers. verùm*. Vviestner *n.* 26. Reiffenstuel *n.* 226. *&* 227.

122 Hinc absque Simonia, vel periculo ejus committendæ propria authoritate commutari possent Reliquiæ pro Reliquiis, functio spiritualis pro alia simili functione spirituali, vasa, & vestes Sacræ pro aliis hujusmodi vestibus, & vasis, quæ quoad materiam sunt ejusdem valoris. Similiter, spectato solo jure naturali, authoritate propria, & nunc post prohibitionem juris positivi Ecclesiastici, cum authoritate Episcopi sine Simonia permutari inter se possunt Beneficia Ecclesiastica.

123 *Ratio est*, quia malitia Simoniæ, ut *num.* 5. dictum est, in hoc consistit, quòd spirituale in æstimationem veniat pro pretio temporali, hoc autem non fit in casu, quo unum spirituale datur pro alio spirituali. Ergo dari pro illo potest, juxta illud, *Gratiam pro gratia*. Joan. 1. *vers.* 17.

Ad *c. fin.* & alios textus, qui in contrarium allegari solent, dico, illos intelligendos tantùm de pactionibus inhonestis, qualis non est, qua spirituali, extra materiam Beneficialem.

124 Quæritur 5. an pretii Simoniaci rationem habeat cessio Beneficii priùs obtenti, facienda ab eo, cui aliud Beneficium confertur? Resp. Distinguendo, an Beneficium obtentum, & obtinendum incompatibilia sint, an contrà sint compatibilia.

Si primum, periculum Simoniæ non est, ut bene Gloss. *in c. ad audientiam* 31. *de Rescript.* Abb. *in c. significasti* 4. *de elect. n.* 8. Garc. *p.* 8. *de Benef. cap.* 2. *n.* 23. Sanch. *l.* 2. *cons. c.* 3. *dub.* 25. *n.* 9. Gibalin. *de Simon. q.* 16. *coroll.* 8. Cardén. *Cris. Theol. dissert.* 27. *n.* 120. Vviest. *hic n.* 27. Ratio est, qua quando Beneficium obtinendum est incompatibile cum Beneficio priùs obtento, obligatio dimittendi priùs obtentum Collationi inest ipso jure, ut dictum est *lib.* 3. *tit.* 5. *n.* 105. *& seqq.* atqui illa, quæ ipso jure tacitè insunt, sine labe Simoniæ exprimi in traditione rei spiritualis possunt, ut Regulæ instar præter DD. *citt.* tradunt Felin. *in c. ad audientiam cit. nu.* 8. Flamin. *l.* 7. *de Resign. q.* 7. *c.* 22. Barb. *in c. significasti* 4. *de Elect. nu.* 6. & communiter cæteri. Ergo &c.

125 *Si secundum*, talis Beneficii dimissio habet rationem pretii Simoniaci, saltem ex dispositione juris Ecclesiastici, ut cum *citt.* docet Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 3. *num.* 5. & hoc teste communis sententia. *Ratio est*, quia per tale pactum Collatarius subitet onus indebitum, & obligationem aliunde non imminentem. Idem dicendum, si Beneficium priùs obtentum cum obtinendo quidem esset incompatibile, sed exigatur, ut illud Collatarius dimittat ante pacificam obtentionem secundi; nam ante hanc non tenetur illud jure dimittere.

126 Quæritur 6. an simoniaca sit pactio, qua à Clerico resignante Ecclesiam, vel Prælaturam transfertur in resignatarium obligatio solvendi debita, nomine Ecclesiæ, vel Prælaturæ contracta? Affirmant *Joan. Andr. Feder. de Sen. Gammar.* apud Flamin. *l.* 14. *de resign. q.* 7. *n.* 64. quia per talem pactionem onus imponitur resignatario, quod pretio æstimabile est, ut adeo videatur dari temporale pro spirituali, & talis obligatio videatur habere rationem pretii simoniaci.

127 Sed tenenda est negativa sententia cum eodem Flamin. *l. cit. nu.* 65. & ratio est, quia, ut *n.* 124. dictum est, quæ jure insunt, exprimi, & in pactum deduci possunt. Inest autem resignationi ipso jure obligatio solvendi debita, ratione Ecclesiæ contracta, licèt non exprimantur, per *c. ad hoc* 1. *de Solut.* ubi Successor, in Ecclesia, vel Prælatura Canonicè institutus, obligatur ad solvenda hujusmodi debita. Ergo &c.

128 Ex quo cadit Argumentum contrarium; nam simoniacam pactionem constituit solùm illa expressio, quæ novam obligationem affert, vel antiquam adauget. Talis autem non est in casu dato; quia solùm inexistentem declarat. Ergo &c.

129 Quæritur 7. an is, qui pro Beneficio litigioso multas expensas fecit, si deinde illud, postquam possessionem pacificam illius adeptus est, resignet cum onere, ut resignatarius sibi solvat expensas, quas pro lite fecit, simoniam committat? Negant aliqui, à Suar. *l.* 4. *c.* 35. *n.* 24. tacitis nominibus relati, ex ratione, quia ita resignans adhuc Beneficium tribuit gratis, nullumque lucrum temporale exigit, sed solummodo se servat indemnem.

Sed meliùs tenetur affirmativa cum eodem Suar. *l. cit.* 1
cui adstipulantur Flamin. *de resign. l.* 14. *q.* 7. *n.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 94. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 17. *n.* 15. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 49. *n.* 20. Zoes. *hic n.* 68. Vviestner *ibid. n.* 30. & teste Flamin. *l. cit.* Rota *in una Canonicatus S. Andr.* 19. *Oct.* 1553. *Ratio est*, quia obligatio solvendi expensas istas non est annexa ipsi Beneficio; cons. nova est. Atqui ubi imponitur obligatio, quæ ipso jure non inest, committitur simonia. Ergo &c.

Conf. pactio, qua Resignatarius obligatur ad compen- 1
sandos labores, & expensas, quas resignans fecit pro assecutione Beneficii resignati, juxta omnes simoniaca est, ideo præcisè, quia illæ expensæ, & labores non sunt annexi per se Beneficio. Igitur ob eandem rationem etiam simoniaca erit pactio, qua resignatarius obligatur ad solvendas expensas. Quas resignans fecit in litem pro Beneficio resignato.

Ad Argumentum contrarium dico, Beneficium hoc casu non dari gratis, sed titulo oneroso; quia datur pro obligatione solvendi expensas, quæ pretio æstimabilis est, cùm resignanti sit lucro, oneri verò resignatario.

Quæritur 8. an obligatio solvendi hujusmodi expen- 13
sas, & subeundi alia onera, ex natura sua, aut fundatione Beneficio non annexa, à resignante in resignatarium transferri possit authoritate Apostolica? Resp. Affirmativè: imò resignans, & resignatarius de iis transferendis prævio tractatu convenire inter se absque periculo simoniæ possunt: non quidem absolutè, sed sub conditione futuri beneplaciti, & approbationis Apostolicæ. Et quidem, quòd absolutè super hujusmodi onerum translatione non possunt inter se authoritate propria convenire, patet ex *cap. cùm Clerici* 6. *cap. fin. de Pact. cap. quæsitum* 5. *& cap. cùm olim* 7. *de rer. permut.* ubi hujusmodi pactiones, propria pacifcentium authoritate factæ, tanquam simoniacæ, apertè reprobantur.

Quòd verò tales conventiones, & promissiones de 13
Beneficiis, factæ sub conditione beneplaciti Apostolici, & in Pontificis voluntatem collatæ, licitæ, & à vitio Simoniæ immunes sint, præter alios docent Felin. *in cap. ad audientiam* 31. *de rescrip. numer.* 3. Navar. *Man. cap.* 23. *num.* 107 Flamin. *de Confident. quæst.* 40. *num.* 38 Suarez *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 24. Sanchez *lib.* 4. *cons. capit.* 3. *dub.* 39. *num.* 2. Card. de Luca *tr. de Benef. disc.* 36. *à num.* 24. *& tr. de Canon. disc.* 29. *num.* 4. Vviestner *hic num.* 31 Ratio est, quia tunc, quæ ex tali tractatu præstanda sunt, præstari censentur non tam ex conventione resignantis, & resignatarii, quàm ex beneplacito, & voluntate Papæ, qui liberrimam potestatem de Beneficiis Ecclesiasticis disponendi, iisque onera imponendi habet.

Quæritur 9. utrum rationem Pretii simoniaci habeat, 13
quod datur ad redimendam vexam, qua quis impeditur à Beneficio per Electionem, Confirmationem, liberam Collationem, aut aliam quamvis provisionem obtinendo, vel obtento pacificè possidendo? *Rationem dubitandi* faciunt textus quoad speciem sibi contrarii: nam *can. quæsitum* 4. *caus.* 1. *quæst.* 3. *& cap. dilectus* 28. *hoc tit.* ejusmodi redemptio non redarguitur. Contrà verò *cap. Matthæus* 23. *eod.* pro simoniaca habetur Electio ejus, pro quo quidam ipsius amicus alteri, qui eidem contradicebat, pecuniam dedit, ut desisteret à vexatione.

Sed concordari textus hi ope distinctionis possunt; 13
Vel enim redimuntur molestiæ, & vexatio, facta post jus in Beneficio jam plenè quæsitum, vel redimuntur illæ, quæ opponuntur ante jus plenè quæsitum ad impediendam Confirmationem delicti, Institutionem præsentati &c.

Si primum, vexationem hujusmodi injustam redimens simoniam nullam committit. Ita Gloss. *in cap. dilectus cit. V. restituere*, Abb. *ibid. num.* 3. Navar. *Man. capit.* 23 *num.* 102 Sylv. *V. Simoniam quæst.* 13. *pr.* Azor *part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæst.* 4. Suarez *lib.* 4. *cap.* 50. *num.* 2. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 35. *num.* 110 Layman *lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *n.* 22 Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 20. *n.* 1. Vivian. *in c. Matthæus cit. pr.* Barbosa *ibid. nu.* 4. Gonzal. *nu.* 2. Vvagnereck *not.* 1. Fagn. *in c. nobis eod. nu.* 104 Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 49. *nu.* 21 *& cap.* 50. *nu.* 25 Præposit. Frising. *cas.* 21. *n.* 19. P. Friderich *de Simon. c.* 2. *n.* 88 Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 1. *n.* 204 & ad Rubricam præsentem docent Zoes. *n.* 64

Pirh.

Pith. *n.* 105. Engl *n.* 31. Konig *n.* 15. *vers. ad hæc*, Schambog. *n.* 90. Vviestner *n.* 70. Reiffenstuel *nu.* 309. cum S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. & reliquis tum TT. tum Canonistis, propter *can. quæsitum*, & *c. dilectus citt.* Ratio est, quia hoc casu pecunia non datur pro aliquo spirituali (nam hoc jam ponitur esse plenè obtentum,) sed solùm pro cessatione ab injuria, & molestiis.

136 *Si secundum*, altera distinctio est adhibenda, an vexatio, & molestiæ opponantur ab eo, qui ad Beneficii consecutionem prodesse potest, ut sunt Electores, Collatores, Patroni &c. an ab alio, qui tantùm potest obesse v. g. impediendo Electorem, ne suffragium ferat, vel eligendum, ne eligi possit. *Si priùs*, redemptio talis vexæ simoniaca est, ut cum S. Thom. *l. cit.* ad vertunt Abb. *in c. dilectus cit. nu.* 4. Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 6. *art.* 1. *ad* 5. Ugolin. *in tab.* 1. *c.* 9. §. 8. *n.* 3. Suar. *c.* 50. *n.* 18. Less. *nu.* 106. Laym. *n.* 22. *concl.* 8. Palao *p.* 20. *nu.* 4: Vvagnereck *not.* 3. Matthæucc. *c.* 49. *n.* 22. & *c.* 50. *n.* 25. Friderich. *n.* 99. Pirhing. *n.* 109. Schambog. *n.* 93. Vviestner *n.* 71. Magnif. P. Schimier *n.* 207. & alii *supra* propter textum *cap. Matthæus cit.* ubi sermo est de vexatione illata ad impediendam Confirmationem, cons. ante Beneficium plenè obtentum. *Ratio est*, quia qui non habet jus spirituale, quòd acquirere intendit, licèt redimendo vexationem pecunia, immediatè non det pecuniam pro re spirituali, sed pro vexatione, vult tamen mediante pecunia hanc removendo parare sibi viam ad rem spiritualem, quod cùm unicè sit æstimabile propter rem spiritualem, ita redimens vexam virtualiter censetur emere velle ipsam rem, vel jus spirituale, quod ita cupit acquirere. *Cons.* quia tunc impetrare pecunia ab injustè vexante, ut impedimentum removeat, idem est, ac petere, ut eligat, vel conferat Beneficium; nam vexatio illa consistit in injusta negatione debitæ Electionis, Confirmationis, vel Institutionis, negatio autem non tollitur, nisi per actum contrarium, qui in casu proposito est ipsa Electio, Confirmatio, vel Institutio; igitur dare aliquid temporale alicui, ut cesset à tali injusta vexatione, idem est, ac dare pro ipsa Electione, quod est simoniacum, saltem contra jus positivum Ecclesiasticum.

137 *Si posteriùs*, non erit hujusmodi redemptio simoniaca. Ita Suar. *n.* 23. Less. *nu.* 108. Laym. *concl.* 8. *vers. secundò*, Palao *n.* 4. Pirhing *n.* 110. Vviestner *n.* 72. Reiffenstuel *n.* 310. Friderich *n.* 97. Schmier *nu.* 208. cum *citt. Ratio est*, tum quia talis redemptio nullo jure prohibetur; tum quia sic redimens tantùm removet injuriam, viam autem ad Beneficium non facit expeditiorem, quàm fuerit ante oppositionem injustam impedimenti. *Conf.* quia jus, quod hoc casu intendo per redemptionem vexationis, non est jus primum quærendum, sed jam quæsitum, habeo enim jus quæsitum, ut mihi non fiat vis, & injuria, seu ut alter me non impdiat v. g. à concursu ad examen, à petenda Electione Confirmatione, Institutione, &c. & ad hoc liberum, & expeditum conservandum do pecuniam, sicque nihil aliud emo, quàm immunitatem istius juris. Quòd autem postea consequar jus in Beneficio per Institutionem, vel Confirmationem, respectu illius redemptionis, & cessationis à violentia per accidens est, cùm ex ea per se non dependeat, neque ex illa sequatur jus in Beneficio, sed à Collatore liberè tribuatur.

138 Porrò, quod *n. præc.* dictum est de extraneo, extendendum etiam est ad casum, quo ipse Elector, vel Collator aliquem vexat, si ita vexet non *formaliter*, & quà talis, scilicet negando suum suffragium, Institutionem, Confirmationem; sed *materialiter*, & ut quivis alius privatus, v. g. injustè diffamando, aut Collectores injustè avertendo, ne suffragium pro aliquo ferant; nam in hoc casu, si pecunia pro redemptione talis vexæ injustæ detur, simonia non incurritur. Suar. *n.* 28. *circa fin.* Less. *n.* 107. P. Friderich *nu.* 99. *fin.* P. Schmier *num.* 209. est enim redemptio injuriæ, quam aliquis sustinere non tenetur.

139 Quæritur 10. quid requiratur, ut redemptio vexæ in Beneficio accepto sit licita? Resp. Ex communi DD. necessariæ sunt sequentes conditiones.

1 Jus, quod pecuniis contra injustam vexationem tueor, debet esse certum, saltem secundùm commune judicium peritorum; aliàs non est simpliciter habitum, seu acquisitum. Hinc certò committit simoniam, qui, quando videt Electionem suam impugnari, vel Beneficium collatum fieri litigiosum posse, iis, qui impugnare illam, aut litem super Beneficio movere contendunt, dat pecuniam, vel aliud temporale, ut ab impugnatione vel lite desistant, Gloss. *in c. cùm pridem* 4. *V. non duximus de Past.* Abb. *ibid. n.* 9. Felin. *in c. dilectus* 28. *h. tit. n.* 3. Rebuff. *tit. de Simon. n.* 18. Suar. *l.* 4. *c.* 50. *nu.* 10. Less. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 107. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 20. *n.* 2. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 49. *n.* 22. Schambog. *hic n.* 91. Pirhing *n.* 108. P. Friderich *n.* 89. P. Reiffenstuel *nu.* 316. Ratio est, quia quando quis in Beneficio acquisito impugnatur, aut impugnari potest, jus firmum in illo non habet; cons. si mediante temporali justam impugnationem avertit, per temporalem viam sibi parat ad spirituale, & sic mediante temporali sibi procurat jus spirituale, vel saltem firmitatem ipsius. *Secus est*, si Jus quidem non foret omnino certum, sed is, qui illud impugnat, aut impugnaturus est, ad hoc uti vult malis artibus, mendaciis, & subornationibus testium; nam ab hoc vexam liceret per temporale redimere, cùm reverà injusta sit, & redimens jus certum habeat ad petendum à quovis, ne malis artibus impugnetur. Suar. *numer.* 12.

2 Vexatio, quam quis vult redimere, debet esse injusta; quia si justè turbatur, v. g. quia dubium est, an Electio, Collatio &c. Beneficii fuerit legitima, propriè vexationem non patitur: cons. non jam redimet vexam, quàm ipsum jus, quod non habet, sibi comparat, vel saltem firmitatem illius. Suar. *n.* 11. Zoes. *n.* 64. Pirh. *l. cit.* P. Friderich *n.* 91. 140

3 Res, quæ datur pro illicita vexatione, debet esse temporalis; nam si daretur res spiritualis, committeretur simonia; quia daretur pro re temporali, scilicet injusta vexatione, quæ est res temporalis. Suar. *n.* 14. & 15. Zoes. Pirh. *l. citt* Friderich *n.* 90.

4 Non debet superesse alia via tollendi vexationem, e. g. adeundo judicem, & jus suum via juris defendendo; nam si via suppeteret se liberandi à vexa, pecunia istam redimens illicitè ageret, non quidem simoniam committendo (quia adhuc daret temporale pro temporali) sed contra Charitatem, & peccato scandali; quia cooperaretur, peccato alterius, dando pecuniam, quam alter licitè acceptare non potest. P. Friderich *numer.* 92. & 93.

5 Ut *Innoc. Abb.* & alii *in c. dilectus cit.* volunt, jus, quod ita injustè impugnatur, debet esse plenum. Hinc siquis in Beneficio plenum jus nondum acquisivit, e. g. si tantùm est præsentatus, nondum verò institutus, electus, nondum verò confirmatus &c. & in hoc suo jure injustè vexatur, secundum istos DD. non potest pecunia redimere vexationem. Sed meliùs etiam huic permittitur redemptio vexæ injustæ; quia Jus hujusmodi personale æquè certum est, ut ponitur, quàm illud reale, quod acquiritur per institutionem præsentati, Confirmationem electi: & præterea videtur eadem esse ratio; nam hoc casu vexationem redimens non acquirit novum jus, sed tantum tuetur illud, quòd habet removendo obstaculum injustè positum. 141

Quæritur 11. an siquis post Confirmationem, vel Collationem factam, adeoque post acquisitum plenum jus in Beneficio quoad proprietatem, injustè impediatur ab acquirenda possessione, possit pecunia redimere vexationem, etiam ab eo, qui potest prodesse, sive in possessionem mittere? Negant Abb. *in c. ad aures* 24. *h. tit. n.* 6. & *in c. dilectus* 28. *eod. n.* 4. Redoan. *p.* 3. *de Simon. c.* 22. *n.* 2. Lotter. *l.* 3. *de re Benef. q.* 29. *n.* 130. Honor. *hic n.* 18. ex ratione, quia dare aliquid alicui, ne impediat possessionem, est dare, ut mittat in possessionem; non enim aliter desinit impedire possessionem, quàm mittendo, seu inducendo in possessionem. Possessio autem est quid spirituale, vel ei annexum; quia per illam acquiritur exercitium spiritualium, & ipsa ratione spiritualis tituli confertur. Ergo non licet vexationem redimere pecunia ad acquirendam possessionem; quia daretur temporale pro spirituali. 142

Sed probabilius affirmant Suar. *l.* 4. *c.* 50. *nu.* 32. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 110. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 22. *vers. exinde* Barbosa *in c.* 36. *h. tit. n.* 4. Vvagnereck *in c.* 23. *eod. not.* 4. Zoes. *hic n.* 66. Pith. *n.* 111. Scambog. *num.* 95. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. *ad* 5. ubi absolutè ait, postquam alicui jus acquisitum est in Beneficio, licitum 143

tum esse pecunia injusta impedimenta removere, utique acquirendæ possessionis. *Ratio est*, quia possessio, secundùm se spectata, non est jus aliquod spirituale, sed tantùm quiddam temporale, sive corporalis apprehensio rei, & tantùm est rei spirituali annexa, quatenus ex titulo spirituali pendet, cujus vi capitur. Postquam ergo titulus spiritualis plenè est acquisitus, etiamsi possessio de novo acquiratur, non tamen acquiritur tanquam annexa rei, seu juri spirituali, sed secundùm se, ut quid corporale, per se, & immediatè debitum, licèt postea conjuncta cum titulo spirituali fiat spiritualis. Ergo non est simonia pecunia redimere vexationem possessionis; quia solùm redimitur factum, non jus Beneficii.

144 *Procedit* autem hoc solùm casu, quo jus spirituale Beneficii certum est quoad Proprietatem: nam si illud in dubium vocaretur, & ideo denegaretur possessio, redemptio istius per pecuniam simoniaca foret, ut *l. citt.* advertunt *Suar. Laym. Pirh. &c.* & ratio est, quia tunc non per se solam redimeretur possessio, sed ut juri, vel titulo spirituali annexa, adeoque hoc modo redimeretur ipsum Jus spirituale.

145 *Ad Argumentum* in contrarium allatum patet ex hactenus dictis. *Neque obstat* textus *can. Decimas 7. caus. 16. q. 7.* ubi injungitur Episcopis, ut prohibeant, quolibet munere redimi Decimas, quas populus dare non vult: quæ prohibitio ideo facta videtur, quòd Decimæ sint spiritualibus annexæ, ideoque emi non possint etiam ad redimendam vexam. Nam respondetur, ibi tantùm prohiberi Laicis, ne hujusmodi extorsionem faciant; vel si etiam Clericis prohibentur, ne tali casu Decimas à Laicis redimant, id factum est, non quòd talis redemptio verè sit simoniaca, sed quia inde Laici spe lucri faciendi occasionem arriperent similes injurias inferendi Ecclesiis: hinc Episcopi compellere illos debent ad Decimas solvendas, & Clericis prohibere, ne eas redimant, qui tamen, si contra hujusmodi prohibitionem agant, non propterea fient simoniaci. Suar. *c. 50. cit. num. 33.* Pirh. *num. 111 cit.*

146 Quæritur 12. an dari absque simonia possit pecunia Electoribus, ne eligant indignum, vel minùs dignum? Resp. Distinguendo, an certæ alicujus personæ electio directè intendatur, an verò solùm intendatur remotio personæ indignæ, vel minùs dignæ, aliàs fortassis eligendæ.

Si primum, in praxi pecunia ad excludendam personam indignam sine simonia vix dari potest; censetur enim data pecunia ad removendum quidem indignum, sed eo fine, ut fiat sic locus personæ, quam dans pecuniam directè intendit. Azor *p. 3. l. 12. c. 7. q. 3.* Suar. *c. 50. cit. num. 4.* Barbosa *in c. 27. n. 4. vers. potest.* Honor. *hic n. 18. cas. 7.* Reiffenst. *ibid. nu. 146.* Marthæucc. *Offic. Eccl. c. 50. num. 27.* Magnif. P. Schmier *part. 2. c. 1. n. 213.*

147 *Si secundum*, periculosa quidem & hoc casu est datio, fieri tamen absque labe simoniæ potest, præsertim si electio indigni, & damnum ex ista impendens Ecclesiæ per recursum ad Superiorem impediri nequeat. Ita præter *citt.* advertunt Navar. *Man. c. 23. n. 102.* Sot. *l. 9. de Just. q. 6. art. 1. ad 1.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 23.* Less. *l. 2. de Just. c. 35. n. 113.* Palao *tr. 17. D. 3. p. 20. n. 8.* Zoes. *hic n. 28.* Pirhing *n. 87.* Schambog. *n. 59.* Wiest. *num. 73.* Reiffenstuel *n. 145.* Ratio est, quia in tali casu non datur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indignè, & malè conferatur: & ita dans temporale redimit injustam vexationem Ecclesiæ, & impedit damnum, quod huic ex electione indigni foret secuturum.

148 Addidi. *Si electio indigni, & damnum ex ista impendens Ecclesiæ per recursum ad Superiorem impediri nequeat*; nam si absque gravi incommodo adiri potest Superior, qui vexationem impediat, redemptio vexæ per pecuniam ex parte dantis simoniaca quidem fortè non erit, semper tamen erit illicita, ut notat Barbosa *n. 4. cit. in fin.* & teste P. Friderich *de Simon. c. 2. nu. 102.* communis est Canonistarum. *Ratio est*, quia ut bene notat Palao *l. cit. n. 9.* hoc casu Rectores accipientes pecuniam, cùm non habeant causam legitimam, quæ talem receptionem honestet, Simoniam committunt, cui dans cooperatur. Non licet autem cooperari alterius peccato, quando malum, quod tali cooperatione vitare contendimus, alia via vitare sine gravi nostro incommodo possumus. Ergo &c.

Quæritur 13. quænam circumstantiæ considerandæ sint, ut cognoscatur, an munus aliquod temporale habeat rationem pretii simoniaci dati pro re spirituali, vel non? 149
Resp. *Pro foro conscientiæ* res caret omni difficultate; nam in hoc foro attenditur cujusvis conscientia, ejusque inspicitur mens, & intentio. Zoes. *hic n. 55.* Reiffenstuel *ibid. n. 100.*

In foro externo considerandum est 1. an Pactum intercesserit: nam si intercessit, major est præsumptio simoniæ, quàm cùm simpliciter aliquid temporale datum est; quia *SS.* Canones valde improbant Pacta in hujusmodi negotiis: quamvis etiam interdum Pacta honesta fieri possint sine simonia, ut ad redimendam vexam, ad compensandum accidentalem, & extraordinarium laborem, ad securitatem stipendii &c. Suar. *l. 4. de Simon. c. 36. nu. 8.* Zoes. *n. 55. cit.* Pirh. *n. 132.* 150

2 Considerandum, an in tali pacto intervenerit aliqua causa, ob quam datio temporalium cohonestari, & excusari à simonia possit; nam si talis aliqua causa subsit, præsumi simonia non debet, nisi aliæ circumstantiæ, & conjecturæ moraliter ad id cogant; quia in dubio tenemur factum proximi interpretari in meliorem partem, si factum talis interpretationis sit capax *c. estote 2. de R. J.* cujusmodi causa honesta, & titulus esse potest vel ratione gratuitæ donationis, vel ex obligatione justitiæ, vel ex lege, aut consuetudine &c. Suar. *n. 9. & 10.* Zoes. Pirh. *l. citt.*

3 Consideranda qualitas personæ dantis, & accipientis; nam nobilitas, consanguinitas, specialis amicitia, vel honestas morum &c. in dante, vel accipiente est signum donationis gratuitæ. Suar. *c. 36. cit. n. 12.* Barbosa *in c. 18. h. tit. n. 1.* Pirh. *n. 133.* 151

4 Consideranda quantitas rei temporalis datæ; nam si modici pretii sit, pro nihilo reputatur; quia non est verisimile dari illud tanquam pretium pro re tam præstante, uti est res spiritualis. Secus si magni pretii, licèt magni pretii sit tantum respectivè ad dantem, vel accipientem. Suar. *n. 13.* Barbos. Pirh. *l. citt.*

5 Consideranda est circumstantia temporis, sive occasio dationis; nam si fiat urgente necessitate, quia hic & nunc is, cui datur, tali re indiget, censetur potiùs dari liberaliter, & ad sublevandam necessitatem. Abb. *in c. 18. h. tit. n. 3* Barb. Pirh. *l. cit.* 152

6 Considerari debet, an munus temporale detur ante receptionem spiritualium, vel post illam immediatè, an verò ex intervallo; nam si ante receptionem, vel in receptione, aut immediatè post illam, res temporalis non ita facilè præsumitur data ex liberalitate, sed potiùs ex necessitate, ut colligitur ex *can. emendari 104. caus. 1. q. 1.* & *can. sicut 4. caus. cit. q. 2.* Secus, si datio fiat ex intervallo; tunc enim facilius præsumitur facta ex liberalitate, & gratitudine *can. quàm pio 2. & can. sicut cit. q. cit.*

§. IV.

De Merce Simoniaca, sive Re Spirituali.

SUMMARIUM.

153 Quæritur 1. quidnam hìc veniat nomine *Rei Spiritualis*, ut *Mercem* simoniæ constituat? Resp. Hic nomine *Rei Spiritualis* non intelliguntur res incorporeæ, ut Deus, Angeli, Anima rationalis; sed quod aliquo modo est supernaturale, & ad spiritualem animæ salutem vel ex institutione Divina, vel ex destinatione Ecclesiæ est ordinatum. Navarr. *Man. c.* 23. *num.* 99 Suarez *l.* 4. *de simonia c.* 8. *n.* 6. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *num.* 5. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 1. *num.* 2. Vvagnereck *ad Rubr. hoc tit. not.* 4. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 49. *num.* 2. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 4. Pirhing *num.* 2. Schambog. *num.* 4. Reiffenstuel *num.* 44. Magnif. P. Shimier *part.* 2. *de Delict. c.* 1. *num.* 2.

154 Hinc etsi fama, & vita hominis non sint pretio æstimabilia, ideoque per pecuniam compensari nequeant, quippe cùm bona sint altioris generis, & ordinis; quia tamen sunt bona humana, temporalia, & ordinis naturalis, sive humano juri, & arbitrio subjecta, ideo possunt cum pecunia, vel alia re pecunia æstimabili aliquo modo commutari. Secus est de bonis merè spiritualibus, quæ sunt Ordinis supernaturalis, & humano juri, ac arbitrio non sunt subjecta, nec ulla industria, aut viribus naturæ comparari possunt; nam his omnino repugnat instar humanarum, ac temporalium rerum pecunia æstimari, aut veniali exponi. Less. *l.* 2. *de just. c.* 35. *num.* 6. Layman *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 6. Pirhing *hic. n.* 4. *fin.*

155 Porro spiritualia, quæ Mercem simoniæ possunt constituere, quadruplicis maximè generis sunt; nam 1. Aliqua sunt spiritualia in se, & per essentiam, ut gratia sanctificans, virtutes Theologicæ, & Morales Divinitus infusæ, Dona Spiritus Sancti, & gratiæ gratis datæ, quasi in habitu consideratæ, character Sacramentalis, & similia, 2. Alia sunt spiritualia causaliter; quia gratiæ sanctificantis, & aliorum prioris generis spiritualium causæ sunt, ut Sacramenta, Sacramentalia, & Officia Ecclesiastica, ad Spiritualem, sive supernaturalem finem ordinata, 3. Alia spiritualia dicuntur, quòd sint effectus, sive actus à gratia, dono, & officio, ac potestate spirituali, tanquam à causa, proximè procedentes, ut est baptizare, ordinare, officium Divinum celebrare, prædicare Verbum Dei, miracula facere &c. 4. Denique aliqua dicuntur spiritualia per connexionem seu spirituali annexa, quòd licèt in se spiritualia nequaquam sint, cum spiritualibus tamen connexionem habeant.

156 De *Spiritualibus primi generis* nullum est dubium, ea Mercem, seu materiam simoniæ esse: idque verum est, sive emantur, vel vendantur secundùm se, & quasi in abstracto, quo modo Simon Magus *Act.* 8. oblata pecunia, emere voluit Spiritum Sanctum, seu potestatem ministerialem conferendi gratiam sanctificantem, & Dona Spiritus Sancti, ut ea postea aliis vendere posset; sive in concreto, ut si quis captivum Christianum carius venderet, quia baptizatus est, vel Sacerdotem propter characterem Sacerdotalem: quia hic gratiam sanctificantem, fidem, & characterem Sacramentalem vendere censeretur. Ugolin. *de simon. tab.* 1. *c.* 36. *n.* 3. Suarez *l.* 4. *c.* 9. *nu.* 9. Layman *c.* 8. *cit. n.* 33. Pithing *hic n.* 10. Schambog. *n.* 15 Vviestner *n.* 34.

Quæritur 2. an, & quomodo vendi, & emi possint, vel non possint spiritualia *secundi generis*? In his *n.* 155. posui Sacramenta, Sacramentalia, & officia Ecclesiastica. 157

Dubitatur 1. an, & sub qua ratione Sacramenta constituant mercem simoniacam? Resp. Sacramenta dupliciter considerari possunt, scilicèt secundùm se, & quatenus sunt signum practicum gratiæ sanctificans, & secundùm materiam. *In prima consideratione*, certum est, illa constituere mercem simoniæ. Patet in genere de Sacramentis omnibus ex *c. cùm in Ecclesia* 9. *h. tit.* & in specie de Sacramento Baptismi, & confirmationis *can. baptizandis* 99 *can. quidquid* 101. *&c. caus.* 1. *q.* 1. de Sacramento Eucharistiæ *can. nullus* 100. *can. dictum* 105. *q. cit.* de Sacramento pœnitentiæ *c. nemo* 14. *h. tit.* de Sacramento Extremæ Unctionis *can. fin. caus. cit. q.* 3. de Sacramento ordinis *can. gratia* 1. *& pluribus seqq. caus. cit. q.* 1. de Sacramento Matrimonii *c. suam nobis* 29. *hoc tit.* Ratio est, quia licèt Sacramenta in quibusdam actionibus, & passionibus consistant, sunt tamen Divina, & supernaturalia Dona, à Christo eorum authore nobis collata, & cùm gratia conferant, sunt secundùm se spiritualia: Ergo eo ipso, quòd talia sint, contra Religionem, & reverentiam illis debitam est illa pretio vendere; imo & contra verbum Christi: *Quod gratis accepistis, gratis date.* Matt. 10.

Neque obstat, quòd in Matrimonio passim intervenire soleant pecuniæ, dotis augmenta &c. quia non interveniunt, nec exiguntur pro eo, quatenus est Sacramentum, sed quatenus est contractus, ut ex iis alatur uxor, & sustineantur alia onera Matrimonii, & si fortè inter Sponsum, & Sponsam inæqualitas detur, hæc compensetur auctione dotis &c. & meritò; nam in aliis contractibus licet inæqualitatem ad æqualitatem reducere per pecunias, vel alias res pretio æstimabiles. Atqui Matrimonium sequitur naturam aliorum contractuum: Ergo &c. *Conf.* antequam ad dignitatem Sacramenti elevaretur Matrimonium, inæqualitas inter Sponsum, & Sponsam ad æqualitatem reduci licitè poterat: Ergo etiam nunc potest; quia Christus illud sic elevando, in ratione contractus non immutavit. Abb. *in c. cùm in Ecclesia* 9. *hoc tit. nu.* 3. Suarez *l.* 4. *de simonia c.* 10. *n.* 11. *&* 12. Layman *l.* 4. *tr.* 10 *c.* 8. *n.* 34. Barbosa *in c.* 9. *cit. n.* 4. Vvagnereck *in c.* 10. *eod. V. Benedictionibus not.* 2. Zoes. *hic n.* 8. Pirhing *n.* 12. *not.* 2. Schambog. *num.* 16. Magnif. P. Schimier *p.* 2. *c.* 1. *n.* 33. *&* 34 158

Quoad alteram considerationem distinguenda in Sacramentis est duplex materia, Remota, & proxima. *Remota* est res, seu symbolum externum, e.g. panis, vinum, oleum &c. *Proxima* est ipsa actio, qua applicatur materia remota, vel pronuntiatur forma. *Prior* secundùm se spectata est res temporalis, & pretio æstimabilis. Igitur ita considerata vendi, & emi potest, si scandalum absit, nec adsit obligatio ad ministrandum illa gratis, & nulla Lex id prohibeat. *Posterior* citra simoniæ piaculum pretium nullum recipit; quia tota quanta spiritualis est, sive consideretur tanquam materia Sacramenti; sive tanquam actus ministerii spiritualis; sive tanquam opus, ex intentione Ministri ad finem supernaturalem destinatum. Suarez *l. cit. c.* 11. *n.* 3. *&* 4 Layman *num.* 33. Pirhing *not.* 3. Magnif. P. Schimier *n.* 36. *&* 37. 159

Dub. 2. quotuplicis generis sint Sacramentalia, & quomodo Mercem, seu materiam simoniæ constituant? Resp. Sacramentalia alia sunt *Transeuntia*, quæ in actione transeunte consistunt, prout sunt Nuptiales, & similes aliæ Benedictiones, Exorcismi Ecclesiæ &c. Alia vero *Permanentia*, quæ habent effectum permanentem, ut sunt consecratio Ecclesiæ, altaris, calicis, benedictio aquæ, salis, olei, cerei, & ipsæ res sic consecratæ, vel benedictæ &c. Utraque materiam simoniæ constituunt: Suarez *l.* 4. *c.* 14. *n.* 2. *&* 3. Layman *c.* 8. *n.* 36 Pirhing *n.* 14 Schambog *n.* 18. *&* 19. Vviestner *n.* 36. *fin.* De *prioribus* patet; quia sunt ministeria, sive ritus Sacri, & actus ordinis clericalis. Hæc autem materiam simoniæ constituunt, ut *infrà n.* 169. statuetur. Ergo &c. De *posterioribus* sumitur ex *can. si quis* 7. *caus.* 1. *q.* 3. ubi generaliter statuitur, quòd res, quæ ex consecratione proveniunt, vendi, & emi non possint. *Ratio est*, quia hujusmodi res sunt merè sacræ, & spirituales tum ratione principii, quia institutæ sunt potestate supernaturali, Ecclesiæ à Christo concessa; 160

sa; tum quia ordinantur ad finem supernaturalem, & salutem animarum; ideoque si ut tales vendantur, magna irreverentia afficiuntur, & simonia committitur contra Jus naturale, & Divinum. Suarez, Pirhing. *loc. citt.* cum communi cæterorum.

161 *Difficultas* est, an res, consecratione, vel benedictione Ecclesiæ affectæ, vendi saltem queant secundùm materiam, & ejus æstimationem? *Negant* vendi posse, quamdiu consecrationem, vel benedictionem suam retinent, Abb. *in c.ea quæ* 16. *h tit. n.* 1. & quidam alii ex VV. Canonistis: & videtur hoc sumi 1. ex *can. siquis objecerit* 7. *caus.* 1. *q.* 3. ubi Ecclesia prohibetur vendi non solùm quoad consecrationem, sed etiam quoad materiam, ex ratione, quia cùm consecratio absque materia corporali non proveniat, vendens materiam nec consecrationem invenditam dereliquisse censeri debet, 2. Ex *can. dictum* 105. *caus. cit. q.* 1. *& c.non satis* 8. *h.tit.* ubi interdicitur, ne pro oleo, chrismate, & balsamo, ex quo chrisma conficitur, aliquid exigatur, 3. Ex *cap. querelam* 15. *hoc tit.* ubi deciditur, Ecclesias nec emi, nec redimi posse.

162 Sed tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Navar. *Man. c.* 23. *à n.* 108 Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 6 *art.* 1. Redoan. *p.* 3. *de simon. c.* 17. *à n.* 6. Azor *p.* 3. *l.* 12. *c.* 17 *pr.* Suarez *l.* 4. *de simon. c.* 14. *n.* 6. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 17 Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 8. *n.* 2. Vvagnereck *in c.* 15. *h. tit. not.* 1. Gonzalez *in c.* 12. *eod. n.* 8. Zoes. *hic n.* 10. Engl *n.* 17. Pirhing *n.* 72. Scambog. *n.* 21. Vviestner. *n.* 55. Reiffenstuel *n.* 221. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *c.* 1. *n.* 59 cum S.Th. 2. 2. *q.* 100 *art.* 4. *ad* 1. 2. *&* 3. *& in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 3. Ratio est, quia materia istarum rerum per consecrationem, & benedictionem non amittit valorem, & æstimationem suam. Igitur sicut antea secundùm materiam vendi poterant, ita & post illam. *Et confirmatur* ex praxi, qua passim videmus emi, vendique calices, etiam consecratos.

163 Duo tamen hoc loco sunt annotanda. *Primum* est, ut quando hujusmodi vasa, aut ornamenta consecratione, vel benedictione affecta venduntur Laicis, & ad usus profanos, v.g. hosti pro lytro, aut exatoribus pro tributo, antequam vendantur, & tradantur, conflentur, confrigantur, vel dissuantur *l. sancimus* 21 *& Aut præterea C. de SS. Eccl.* Sot. *l.cit. ad* 2. Palao *n.* 3. Vvagnereck *not.* 2. Vviestner *n.* 56 Reiffenstuel *n.* 225 *Alterum*, ut propter consecrationem, vel benedictionem rerum istarum pretium non augeatur; hoc enim simoniacum foret, quòd augmentum pretii censeatur peti pro Benedictione, vel consecratione Suarez *l. cit. n.* 16 Zoes. *n.* 10 Pirhing *n.* 72 Vviestner *n.* 57 Reiffenstuel *n.* 223 cum aliis *suprà*, *Excipitur*, nisi aliunde constet de legitimo titulo augendi pretium supra æstimationem materiæ, & ex hac ratione Cruces Hispanicæ licitè vendi possunt cariùs, quàm exigat materiæ valor, & artificii æstimatio, ad compensandos scil. sumptus, & labores itinerum, qui impendi debebant ad eas res ex Hispania asportandas. Engl *n.* 17 *hic fin.* Vviestner, Reiffenstuel *loc.cit.*

164 Neque contrarium probant textus *n.* 161 allegati. *Ad* 1. Pontifex *in can. cit.* non loquitur de materiali Ecclesia, sed de Ecclesia collata in Beneficium, & de jure percipiendi redditus temporales, & de hac ibi disponitur, quòd jus percipiendi redditus temporales non possit vendi, nisi etiam vendatur ipsum beneficium, vel dignitas constituta in tali Ecclesia, ob inseparabilitatem, quam habent ad sese invicem: quod cum Gloss. *ibid. V. sed res* notant Suarez *c.* 14 *cit.* n. 13 Barbosa *in can. cit. n.* 2 Vvagnereck *not.* 3. Zoes. *n.* 10 & desumunt ex decreto Gregoriano correcto, ubi pro verbis, *Nam cùm corporalis Ecclesia, aut Episcopus, vel Abbas*, tanquam mendosis, legitur, *Nam cùm corporalis Ecclesiæ Episcopus, vel Abbas &c.* Vel si velimus inhærere litteræ incorrectæ, dici potest cum Valent. *tom.* 3. *D.* 16. *p.* 2. *§. ult.* textum illum intelligendum de rebus consecratis, quarum materia à consecratione separabilis non est, v.g. de Ecclesia, ut Ecclesia est &c. quo modo accepta Ecclesia, cùm simul utrumque includat, vendi nequit secundùm unum, quin etiam vendatur secundùm alterum, *Ad* 2. communiter DD. respondent, venditionem chrismatis prohiberi, quia cùm materia sit exigui pretii, potiùs vendita censetur ipsa benedictio, *A* 3. in *c. querelam cit.* agitur de locatione Ecclesiæ sub annuo censu, & venditione rerum Ecclesiasticarum sine consensu capituli celebratis: quod utique fieri nequit.

165 Dub. 3. an, & quomodo committatur simonia accipiendo temporale pro officiis Ecclesiasticis, ut sunt prædicatio Verbi Divini, Orationes, quæ ex Ecclesiæ institutione, in choro, processionibus &c. publicè, privatimque fiunt? Resp. Interesse, an aliquid hoc casu exigatur ut pretium pro hujusmodi officiis, an verò ut stipendium ad sustentationem necessarium.

Si primum, citra simoniam accipi nihil potest Suarez *l.* 4. *c.* 15. *n.* 3. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 9. *n.* 1. Pirhing *hic n.* 26 *&* 27. Vviestner *ib. nu.* 37 & teste Palao *l. cit.* DD. omnes cum S. Thom. 2. 2. *q.* 100 *art.* 3. Sumitur 1. ex illo *Matth.* 10. *v.* 8. ubi Christus Apostolis, ad Evangelii prædicationem missis, *Gratis*, inquit, *accepistis*, *gratis date*, 2. Ex *cap. ad nostram* 21. *hoc tit.* ubi generaliter prohibetur, ne pro ministerio, seu Officio Ecclesiastico pecuniæ exigantur, 3. Ex *ratione*; quia hæc ministeria principaliter instituta sunt ad consequendam gratiam, aliaque bona spiritualia.

Si secundum, licitè, & absque simonia accipitur, quod ita in stipendium sustenrationis offertur: imò hujusmodi stipendium etiam licet exigere, & de eo pacisci. Ita expressè Suarez *n.* 5. Palao *n.* 1. Pirhing *n.* 26. cum Sylv. *V. simonia q.* 9. *dict.* 1. Gutier *qq. can. l.* 1 *c.* 29. præcipuè *à n.* 15 Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 38. Quod procedit saltem de Sacerdote non obligato aliàs ad obeunda hujusmodi officia Ecclesiastica; nam quoad Parochos, & alios, qui ex officio, & Justitia obligantur ad hujusmodi functiones, observandum est, quod dictum est *n.* 99. ita, ut occasione illarum, vel nihil, vel non plus saltem, quàm Lege superioris Ecclesiastici, aut consuetudine taxatum sit, possint accipere. *Ratio disparitatis* est, quia hi posteriores pro hujusmodi functionibus jam habent aliunde stipendium ex redditibus suis beneficialibus; istud verò non habent priores. Igitur cùm dignus sit operarius mercede sua, stipendium possunt accipere, imò petere, & de eo pacisci. 166

Quod de orationibus, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, dictum est, id ferè dicendum etiam de orationibus privatis; nam si ejusmodi oratio consideretur, ut impetratoria, vel meritoria saltem de congruo etiam alteri, pro quo funditur, non potest emi, vel vendi pro pretio sine simonia, cum ut sic sit actus merè spiritualis. Potest tamen, aliquis dare pecuniam pauperibus, vel Religiosis, ut pro se orent, non ut pretium operis, sed per modum Eleemosynæ, vel etiam stipendii ad sustentationem necessarii, maximè si Oratio sit diuturna. Suarez *num.* 9. Palao *num.* 1. Pirhing *num.* 26. *fin.* Schambog. *num.* 35. Reiffenstuel *num.* 21 8. 167

Quæritur 3. quænam ex spiritualibus *tertii generis* materia esse simoniæ possint? Resp. hæc multiplicis generis sunt. Et 1. quidem materiam simoniæ constituunt Prophetia, patratio miraculi, & similes actus, si pro iis temporale quid detur, vel petatur; quia proficiscuntur à gratiis gratis datis, de quibus Christus Dominus: *Gratis accepistis*, *gratis date*. Matt. 10. *v.* 8. 168

2 Actus ordinum, v.g. collatio Baptismi, & Confirmationis, consecratio, Ordinatio, actus sepeliendi &c. Patet ex *cap. in ordinando* 1. *cap. non satis* 8. *cap. cùm in Ecclesia* 9. *cap. ad nostram* 21. *cap. suam nobis* 29. *hoc tit.* & docet S. Thom. 2. 2. *qu.* 100 *art.* 3. Sylv. *V. simonia qu.* 9. Suarez *cap.* 13. *n.* 1. Zoes. *hic nu.* 13. Pirhing *num.* 15. *&* 16 Scambog. *n.* 27. Reiffenstuel *n.* 48. Ratio est, quia licèt hujusmodi actus materiales sint physicè, principium tamen, & finem spiritualem habent; oriuntur enim ex spirituali potestate Ordinis, & intenduntur ad spiritualem animæ salutem. 169

3 Actus jurisdictionis spiritualis fori interni, & externi, ut sunt absolutio à peccatis, & censuris, dispensatio in Votis, juramentis, & canonicis impedimentis ordinum, vel Matrimoniorum, in Legibus Ecclesiasticis &c. Suar. *lib.* 4. *de Simonia cap.* 19. *numer.* 1. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. *n.* 40. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 12. *n.* 1. *& seqq.* Zoes. *hic n.* 13. Pirhing *n.* 46. *&* 49. Schamb. *n.* 49. *& seqq.* Engl. *nu.* 19. Vviestner *n.* 45. Reiffenst. *n.* 49 & patet ex *can. nullus Episcopus* 124. *caus.* 1. *q.* 1. *c. nemo* 14. *& c. ad aures* 24. *hoc tit.* *Trid. Sess.* 24. *c.* 5. *de reform. matr.* ubi in conjugiorum impedimentis, & *Sess.* 25. *c.* 18. *de reform.* ubi in SS. Canonibus, & Legibus Ecclesiasticis dispensationes gratis concedi jubentur. *Ratio est*, quia actus isti spirituales sunt tam ex parte principii: promanant enim ex potestate spirituali: quàm ex parte finis; quia conscientiarum vincula relaxando intendunt supernaturalem animarum salutem. 170

4 Admissio ad Novitiatum, & Professionem Religiosam 171

sam Suarez *c.* 17. *n.* 4. & 5. Palao *q.* 9. *n.* 4. & *seqq.* Barbos. *in c. non satis* 8. *h. tit. n.* 2. Gonzal. *in c.* 18. *eod. n.* 3. Monacell. *p.* 3. *tit.* 3. *form.* 10. *n.* 14. Zoes. *hic n.* 16. Pirhing *n.* 58. Schambog. *n.* 64. Engl *n.* 21. Reiffenstuel. *n.* 162. Magnif. P Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *nu.* 101. & patet ex *can. nullus* 3. *caus.* 1. *q.* 2. *c. non satis* 8. *cap. cùm in Ecclesiæ* 9. *c. de Regularibus* 25. *c. quoniam* 40. *c. audivimus* 41. & *Extrav.* 1. *inter comm. h. tit.* quia est actus Jurisdictionis, & potestatis spiritualis, & tanquam finem intendit perfectionem Charitatis, & spirituale animæ salutem.

172 5. Electio, Confirmatio, nominatio, præsentatio, institutio, investitura, Pallii concessio, & similes actus, quibus Beneficia, Dignitates, & Prælaturæ Ecclesiasticæ obtinentur *c. cùm in Ecclesiæ* 9. *c. de hoc* 11. *c. Matthæus* 22. *c. in tantum* 36. *fin. c. audivimus* 41. *c. ne DEI* 43. &c. *h. tit.* Monacell. *p.* 3. *tit.* 1. *form.* 22. *n.* 6. Zoes. *n.* 13. Pirhing *n.* 79. & *seqq.* Schambog. *n.* 30. & 80. Vviestn. *n.* 49. Reiffenst. *n.* 50. Ratio est, quia hi omnes sunt actus Jurisdictionis, aut Officii, sive muneris, & potestatis spiritualis, Electoribus, Patronis, Collatoribus ab Ecclesia ad finem spiritualem specialiter concessæ, & ad jurium, & administrationis spiritualis concessionem ordinatæ.

173 6. Alii actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sive voluntariæ, sive contentiosæ. Suar. *c.* 20. *n.* 15. Zoes. *n.* 23. Pirh. *n.* 48. & *seqq.* Schamb. *n.* 55. Vviestn. *n.* 50. Reiffenst. *n.* 51. cum relatis, & sumitur ex *can. vendentes* 10. junct. Glos. *V. justitiam caus.* 1. *q.* 3. & *c. cùm ab omni* 10. *de Vit. & honest.* Ratio est, quia sunt ministerium Ecclesiasticum, & proficiscuntur à potestate spirituali gratis data, & propterea ex vi suæ institutionis gratis exercenda.

174 Dub. 1. quorumnam Ordinum actus constituant Materiam Simoniæ? *Certum est* 1. materiam Simoniæ constituere actus Ordinis Sacerdotalis, & Pontificalis, sive deinde illi institutionem suam habeant à Christo, ut Sacramentorum administratio, sive ab Ecclesia, ut consecratio Ecclesiæ, altaris, benedictio vestium Sacrarum, aquæ, salis &c. Suar. *l.* 4. *c.* 14. *num.* 4. & 5. & textus passim de hoc sunt Jure nostro Ecclesiastico. *Ratio est*, quia omnes ordinantur ad salutem animæ spiritualem, & sic spirituales factæ sunt. Igitur omnes materia Simoniæ sunt, & quidem ex Divino Jure, utpote quo commissa Ecclesiæ potestas est consecrationes, & benedictiones ab ipsa instituendas committendi certis Ministris.

175 *Certum est* 2. materiam Simoniæ constituere functiones proprias Diacono, & Subdiacono, ut sunt assistere Sacerdoti sacra solemniter facienti, cantare Evangelium in Missa, vel Epistolam &c. quia hæc valde sacra sunt, & spiritualia, & ad illa Diaconus, & Subdiaconus specialiter ordinantur. Suar. *l. cit. n.* 6. qui addit, probabile esse, Simoniam committi etiam, quando pro pretio temporali, cantatur Epistola non solemniter in choro ab aliquo Laico; quia est aliquo modo Sacrum ministerium, & quasi pars celebrationis Missæ, igitur cùm ut sacra, & spiritualis tractari debeat, ex natura rei actio ista erit invendibilis.

176 *Major est dubitatio* de actibus quatuor inferiorum Ordinum; quia non sunt ita spirituales, ut non etiam à Laicis eodem exteriori modo fieri possint. *Sed dicendum*, etiam istos materiam Simoniæ esse; quia sunt ministeria sacra, & ex sua institutione, ac fine ordinata ad Divinum sacrificium. Idque verum est, non tantùm, quando fiunt à constitutis in Ordinibus Minoribus; quia tunc sunt actus procedentes ex potestate spirituali per Ordinationem data: sed etiam quando à Laicis; nam licèt accipere aliquid possint pro obligatione, & sustentatione, non tamen tanquam pretium. Suar. *num.* 7. Laym. *c.* 8. *num.* 36. *vers. exinde*, Pirhing. *n.* 15. Schambog. *nu.* 27. Rationem dat Suar. *l. cit.* quia eo ipso, quòd talis Laicus voluntariè cooperatur tali ministerio sacro, & suam operationem cum eo conjungit, qui sacramentum efficit, debet illam cum debita reverentia exhibere, & consequenter gratis.

177 *Excipit* Suar. *l. cit. n.* 8. si actus ita sit materialis, ut non exerceatur tanquam actus Ordinis, sed præcisè eo modo, prout fieri à Laico potest, quale est munus Ostiarii, præsertim quatenus ad eum spectat custodire res mobiles Ecclesiæ; tali enim casu non erit Simonia pro eo pretium temporale dare, vel accipere. Idem multò magis dicendum de Officio Cantoris; quia hoc non est proprium alicujus Ordinis. Suar. *l. cit.*

178 Dub. 2. an saltem Ordinans, vel ejus Ministri accipere aliquid possint pro Litteris Dimissoriis, aut Testimonialibus Ordinum susceptorum absque vitio Simoniæ? Resp. Interesse, an accipiatur ex hac occasione aliquid, præcedente pacto, vel exactione, an sine isto spontè, & merè gratuitò. *Si primum* committitur Simonia, saltem Juris Ecclesiastici. Fagn. *in c. in ordinando* 1. *h. tit. n.* 2. & 3. Zoes. *hic n.* 27. Pirh. *n.* 27. *not.* 3. quia quando principale debet fieri gratis, etiam accessoria debent præstari gratuitò, & sine mercede.

Si secundum, ita oblatum, spectato Jure communi, 179
pro hujusmodi actibus spiritualibus licitè accipitur *c. etsi quæstiones* 18. & *c. dilectus* 30. *in fin. h. tit.* modò id, quod offertur, modicum sit, & non detur in ipso actu Ordinationis, sed ex intervallo. Addidi, *Spectato Jure communi*; nam de Jure Trid. *Sess.* 21. *c.* 1. *de reform.* ne gratuitè quidem oblata pro collatione Ordinum, Litteris Dimissoriis, & Testimonialibus possunt accipi: & meritò; quia non censetur tunc facilè quid spontè dari, maximè ante Ordinationem, & cupidi homines facilè sibi persuaderent spontè dari, quod coactè offertur. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 61. Fagn. *l. cit. n.* 11. qui tamen addit, non fore Simoniam, si revera aliquid temporale spontè daretur, & ut tale acciperetur; quia tunc cessat pactio, & ratio debiti, quæ requiritur ad Simoniam.

Excipiuntur tamen à laudato Concilio *l. cit.* Notarii, 180
qui in iis tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis Dimissoriis, seu Testimonialibus decimam tantùm unius aurei partem possunt accipere, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro Officio exercendo, & Episcopo nullum exinde emolumentum indirectè accedat. Fagnan. *in c. in ordinando cit. n.* 27. Gonzal. *ibid. n.* 6. Per *Aureum* autem hìc intelligitur Ducatus, ut declaravit *S. Congr. Conc.* apud Zerol. *Prax. Episc. p.* 1. *V. Dimissoriæ §. ad* 7.

Pœna dantium, & accipientium munera ab Ordinatis 181
est Excommunicatio, suspensio ab Officio, & executione Ordinum quoad Ordinatos *can. reperiuntur* 7. *caus.* 1. *q.* 1. Et extendit has pœnas Trid. *l. cit.* etiam ad dantes, & accipientes munera spontè oblata, quamvis ea Constitutio in pluribus locis non sit recepta, ut refert Less. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 62. *vers. adverte*, Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 40. *vers. cæterùm in fin.* Fagn. *l. cit. n.* 11. Pirhing *hic n.* 19. Schambog. *n.* 29.

Dub. 3. quomodo possit tolerari consuetudo, qua pas- 182
sim consuevit pecunia offerri à fidelibus, imò exigi à Parochis pro Missis, sepultura, assistentia Matrimonii, administratione Sacramentorum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis? *Rationem dubitandi* facit 1. *c. non satis* 8. *fin.* & *c. cùm in Ecclesiæ* 9. *h. tit.* ubi prohibetur aliquid accipi pro Sacramentis conferendis, pro Sepultura &c. & contraria consuetudo non obscurè reprobatur. 2. si legitimari consuetudo hæc posset, posset ex eo, quòd quæ ita accipiuntur, accipiantur pro debita sustentatione Parochorum, & aliorum Curatorum. Atqui sustentationem congruam jam aliunde habent ex Decimis, & aliis redditibus Parochialibus. Ergo &c. 3. Ex recepta Regula per actus merè liberos, & meræ facultatis consuetudo, vel præscriptio induci non potest. Atqui fideles, quando solverunt initio aliquid Parochis occasione Sacramentorum sibi administratorum, id solverunt per actum meræ facultatis, & gratuitum. Ergo &c.

Sed dicendum, consuetudinem hanc accipiendi, imò 183
& exigendi aliquid in curæ Pastoralis administratione, si exactio fiat moderatè juxta taxam, ab Episcopis approbatam, sine violentia, & post spiritualium administrationem, tolerari posse, præsertim si sit immemorabilis, & Parochus paratus sit ea administrare, etsi nihil inde accipiat. Azor. *p.* 3. *l.* 12. *c.* 19. *q.* 1. Vivian. *in c.* 29. *h. tit. circ. med.* & *in c.* 42. *circ. med. h. tit.* Barbos. *ibid. nu.* 17. Zoes. *hic n.* 39. Engl. *n.* 13. Pirhing. *n.* 43. Schambog. *n.* 35. Vviestner. *nu.* 42. *Ratio est*, quia quod hac occasione datur vel exigitur, non datur, vel exigitur tanquam pretium pro ejusmodi administratione, & actu spirituali, sed tanquam stipendium necessarium pro sustentatione Ministrorum, qui aliunde sæpe non habent congruam; & hinc quod ita datur, non commensuratur valori, & æstimationi operis, seu laboris, hujusmodi administrationi intrinseci, sicut tamen deberet commensurari, si pro eo daretur tanquam pretium: sed necessitati ministrantis secundùm qualitatem ipsius: quod

æquissimè petitur, & admittitur; debentur enim temporalia spiritualia ministrantibus.

184 Addidi, *si Parochus paratus sit ea administrare &c.* nam casu, quo nollet illa administrare, nisi pecunia ipsi numeretur, juxta omnes committeret Simoniam Parochus istam exigens: imò etiam eidem solvens. Barbos. *in c.* 44. *h. tit. n.* 7. Pirhing *hic n.* 43. Vviestner *n.* 43. *Excipitur* casus necessitatis, ut cùm baptizandus est infans proximè moriturus, aut Sacramentum Pœnitentiæ petit moribundus obstrictus peccato mortali; tunc enim pecunia injustè neganti offerri posset, non pro ipsa datione Sacramenti, & in ejus commutationem, sed ad ejus voluntatem flectendam, satiandam avaritiam. Suar. *l.* 4. *c.* 12. *n.* 13. *& seqq.* Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *nu.* 38. *& seqq.* Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 21. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 3. Barbos. *in c.* 9. *h. tit. n.* 3. Vvagnereck *in c.* 10. *V. Benedictionibus not.* 3. Pirhing *hic num.* 13. Ratio est, quia gravis necessitas sufficiens est ad tollendam irreverentiam, quæ aliàs extra casum necessitatis irrogaretur Sacramento; & habet talis honestam, & gravem causam permittendi malitiam alterius.

185 Exceptionem istam cum aliis Suar. *l. cit. n.* 19. extendit etiam ad necessitatem sumendi Eucharistiam per modum Viatici, aitque casu, quo Parochus aliter Sacrum Viaticum dare nollet ægroto disposito, quàm pro pecunia, istum probabiliter posse hanc ei dare, etiamsi ipse jam sit confessus, vel non habeat conscientiam peccati mortalis; quia malitia alterius non debet me privare tanto bono, quando ego habeo jus, & possum uti bene malitia alterius sine ulla cooperatione cum illius peccato. Imò Palao *p.* 7. *cit. n.* 4. à Simonia absolvit etiam illum, qui extra casum necessitatis daret pecuniam petenti illam pro administratione, si protestetur, se illam non solvere pro ipsa administratione Sacramenti, sed solùm ad redimendam injustam vexam.

186 Neque obstant Argumenta *n.* 182. allata. *Ad* 1. in *citt.* textibus solùm reprobatur consuetudo non legitimè præscripta, vel introducta sine rationabili causa, & cum exactione violenta, immoderata, aut cum minis negandi ea Sacramenta non solventibus: nec immeritò; nam talis consuetudo scandalosa est, & vel avaritiæ, vel Simoniæ speciem habet. Contra consuetudo *n.* 183. descripta *c. ad Apostolicam* 42. *h. tit.* apertè approbatur, imò *Conc. Later.* ibi præcipit eam observari: idem constat ex Trid. *Sess.* 24. *c.* 14. *de reform.* ubi supponit aliquas consuetudines hujusmodi esse pravas, & alias pias; & ideo eas præcipit ab Episcopis examinari, & discerni, ut pravæ tollantur, piæ retineantur. *Ad* 2. non est verum, quòd hodie ubique Parochi aliunde congruam sustentationem habeant, & si haberent, nihilominus non deberet statim reprobari hæc consuetudo, cùm ratio illius introductæ congrua assignari possit, scilicet, quòd hujusmodi redditus *Stolæ*, ut vocant, successerint in vicem Decimarum Personalium, & aliarum, quæ per desuetudinem sublatæ sunt. *Ad* 3. etsi primitus præstationes istæ fuerint facultatis, postea tamen tum per *c. ad Apostolicam cit.* tum per consuetudinem, dum Parochiani eas solverunt ut debitas, inducta est obligatio, justissimo titulo, scilicet, in compensationem, ut dixi, Decimarum personalium &c. Porro ad consuetudinem hujusmodi inducendam sufficit decennium, ut monet Laym. *c.* 8. *cit. n.* 16. Barbos. *in cap. ad Apostolicam cit. num.* 20. Pirhing. *n.* 45. Schambog. *n.* 47. Præposit. Frising. *tom.* 1. *cons.* 9. *n.* 5. *fin.*

187 Dub. 4. quinam alii sint tituli præter consuetudinem hactenus descriptam, ut in administratione Sacramentorum, & aliorum Divinorum recipi aliquid temporale possit? Resp. triplex maximè assignari potest. 1. *Pro labore*: ubi tamen juxta dicta *n.* 97. *& seqq.* distingui debet inter laborem intrinsecum, & extrinsecum; nam pro labore intrinseco, cùm aliam æstimationem non habeat, præter illam, quam habet ipsa actio sacra, seu spiritualis, cui intimè cohæret, sine Simoniæ vitio nihil accipi, vel peti potest: potest autem aliquid accipi, imò peti pro labore extrinseco, & qui actioni sacræ per accidens tantùm connexus, & ab illa per se separabilis est; estque perinde, sive præcedat actionem sacram, sive illam comitetur. Pirh. *hic n.* 30. cum cæteris.

188 2. *Pro obligatione*, quam Ministri Sacramentorum in se suscipiunt; nam si ejusmodi Minister non aliunde ad hoc obligetur, sicut obligantur Parochi ex Officio suo Parochiali, pro ejusmodi obligatione aliquid accipere, imò in pactum etiam deducere, modò taxa ab Episcopo per Statutum, vel per consuetudinem taxata non excedatur, à Simoniæ labe immune est, ut cum P. Engl *hic n.* 15. docet Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 44. *& duob. seqq.* ex ratione, tum quia obligatio hujusmodi separabilis est ab ipsa functione, quippe quam exercere possum citra obligationem omnem; tum quia eadem obligatio est pretio æstimabilis, quatenus privat hominem sua libertate, parit incommoda non pauca, & insuper subministrat causam sæpe non levibus sumptibus, expensis, aliisque incommodis quoad studia, libros, honoraria &c.

3. *Pro sustentatione*: Et quidem si Clericus Sacramenta administrans aliunde non habeat sustentationem ejus titulo aliquid ab ipso accipi, & peti posse, est extra dubium; sic enim Divino Oraculo *Luc.* 10. *Rom.* 15. *&* 1. *Corinth.* 9. definitum legitur, ex naturali ratione, quòd congrua sustentatio debeatur non tantùm illis, qui ministrant temporalia, sed etiam aliis qui spiritualia administrant. Quoad alios Clericos, quibus ex propriis mediis de sustentatione congrua jam prospectum est, negativam cum aliis, nonnullis defendit Sylv. *V. Simonia q.* 9. *§. tertium*. Sed affirmativa etiam quoad hos defendenda est juxta dicta *n.* 93. *&* 94. ubi *nu.* 95. *seq.* excepi Parochos, & alios Beneficiatos, qui ad hæc Divina ministranda obligantur ex officio. Videantur ibidem dicta. 18

Dub. 5. quando exercitium Jurisdictionis spiritualis constituat materiam Simoniæ? Resp. Constituere semper, quando temporale datur pro pretio illius, vel exigitur: estque perinde, sive sit actus Jurisdictionis fori interni, & conscientiæ, sive externi, & contentiosi. Quare committitur Simonia. 1. Quando datur, vel accipitur pretium pro audienda Confessione, tum quia inchoatur inde Sacramentum, tum quia ipsa auditio Confessionis per clavem scientiæ, & in tali foro est actus Jurisdictionis supernaturalis. Suar. *l.* 4. *c.* 19. *n.* 2. 2. Quando post exceptam Confessionem pecunia datur, vel extorquetur pro absolutione conferenda *cap. nemo* 14. *vers. nec quemquam h. tit.* vel pro ea neganda; quia tam absolutio, quàm negatio ejusdem est actus Jurisdictionis spiritualis. Suar. *n.* 2. *cit.* 3. Quando pro pretio delegatur alteri potestas audiendi Confessiones, vel datur alicui licentia eligendi sibi Confessarium; nam talis delegatio, & licentiæ datio ex Jurisdictione spirituali procedit. Suar. *n.* 5. 4. si pro simili pretio datur potestas absolvendi à Censuris. Suar. *n.* 6. 5. si detur, aut petatur aliquid pro concessione Indulgentiarum. 6. si pro pecunia dentur Dispensationes e. g. ut propter occurrentem necessitatem laborare liceat die festo, vel comedere carnes die aliàs prohibito &c. Suar. *c.* 20. *n.* 8. 19

Neque obstat praxis Romanæ Curiæ, & Legatorum Sedis Apostolicæ, a quibus exigi pecuniæ pro Dispensationibus solent, & earum quantitas eo magis augetur, quo difficilior est Dispensatio. Nam 1. plurimæ Dispensationes etiam Romæ expediuntur gratis. 2. In iis, quæ gratis non expediuntur, pecunia nunquam exigitur pro ipsa Dispensatione, sed vel ex titulo commutationis, quatenus obligatio ex Voto e. g. in opus aliud pium, ac Eleemosynam commutatur; vel ex titulo coercitionis in vicem pœnitentiæ, quando dispensatio petitur ob præcedens delictum: vel ex titulo sustentationis pro Papa dispensante, & Officialibus Curiæ. 3. Dispensationes utpote odiosas, decet onerosas reddi petentibus, ne si facilè, & absque sumptibus obtineri possint, major licentia præbeatur eas importune petendi, ob quam causam etiam fieri potuit, ut quo difficilior est dispensatio, eo major pro ea exigatur pecuniæ quantitas, ut tanto rarius petatur. Suar. *c.* 20. *n.* 11. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 49. *n.* 36. Pith. *hic n.* 49. Reiffenst. *n.* 216. 19

Interim tamen nulli Ordinario Papa inferiori permissum est hujusmodi exactiones facere pro Dispensationibus, etiam nomine stipendii, sustentationis, ob Decretum Trid. *Sess.* 25. *c.* 18. *de reform. & Sess.* 24. *c.* 5. *de reform. Matrimon.* quibus prohibetur in Dispensationis concessione quidquam quocunque titulo, præsertim in suam concedentis utilitatem exigi, vel acceptari: quibus Decretis, tanquam Legibus Ecclesiæ universalibus, etiam Episcopi adstringuntur. Garz. *de Benef. part.* 8. *cap.* 1. *n.* 101. Ugolin. *tab.* 1. *c.* 52. *n.* 5. Suar. *c.* 20. *n.* 14. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *nu.* 57. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 12. *nu.* 11. 19

Vvagne-

Vvagnereck *in c.* 3. *h. tit. not.* 2. Zoes. *hic nu.* 25. Honor. *n.* 13. Vviestner *n.* 46. *fin.* Reiffenstuel *n.* 217. Et quamvis Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 35. *n.* 11. & Salas *de Legibus D.* 20. *sect.* 10. *fin.* afferant, posse ipsos aliquid accipere, si ita consuetudine receptum sit, pro labore, & receptione, ac examine testium, quando ipsis à Sede Apostolica committuntur Dispensationes Matrimoniales, & aliæ; rectiùs tamen id negant alii cum Garc. *l. cit. à num.* 102. qui hanc suam Sententiam probant tum ex Conc. Trid. *l. cit.* tum ex variis *Declarationibus Cardd.* apud eundem Garc. *l. cit.* in quibus derogatur consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorialibus. Non tamen est deneganda Episcopis licentia imponendi onus Eleemosynæ per modum Commutationis in Dispensando super Votis, observatione Festi, & similibus. Dico *Eleemosinæ* in pauperes, vel pia opera distribuendæ; nam ut sibi applicent, non caret specie Simoniæ, vel saltem turpis avaritiæ Zoes. *n.* 25. *cit.*

93 Dub. 6. an, & quando occasione admissionis ad Novitiatum, aut Professionem aliquid accipi, vel peti possit? Resp. tres esse maximè casus, in quibus licitè aliquid accipi, & aliquando etiam peti potest ab ingressuris, vel ingressis in Religionem. Et 1. quidem quando ab istis aliquid sponte offertur Monasterio; nam hoc modo oblatum per Concilia, & Summorum Pontt. Decreta accipi licitè posset, rectè ostendit Thomassin. *p.* 3. *l.* 1. *c.* 54. *n.* 1. & sequuntur Engl. *hic n.* 21. Reiffenst. *ibid. num.* 181. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *nu.* 99. Patet ex *c. dilectus* 30. *h. tit. & Extrav. sanè* 1. *eod.* ubi acceptio hæc expresse approbatur. *Ratio est*, quia hoc casu cessat omne periculum, & species Simoniæ, cùm gratanter oblatum pretii rationem habere nequeat. *Conf.* quia Prælatis Regularibus licet conditionem Ecclesiæ, & Monasterii sui meliorem facere per media aliàs licita, sed non est illicitum accipere pro spirituali aliquid temporale gratanter oblatum, ut constat ex dictis *n.* 66. Ergo &c.

94 2. Si Monasterium sit inops, & non sufficienter dotatum potest ab ingressuris, vel ingressis aliquid exigi titulo sustentationis. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. Sylv. *V. Simonia q.* 15. *dict.* 2. Navar. *Man. c.* 23. *n.* 106. Suar. *l.* 4. *c.* 17. *n.* 18. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 71. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 39. Tambur. *de Jur. Abb. tom.* 3. *D.* 6. *q.* 9. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 9. *n.* 4. Vivian. *in c.* 8. *pr. h. tit.* Barbos. *in c.* 40. *eod. n.* 5. Gonzal. *in c.* 18. *n.* 6. Vvagnereck *in c.* 19. *not.* 4. Monacell. *p.* 3. *tit.* 3. *form.* 10. *n.* 16. Engl. *hic n.* 21. Pirhing. *n.* 59. Schambog. *n.* 65. Vviestn. *n.* 48. Reiffenstuel *n.* 163. Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 103. Ratio est, quia ex tali causa licet etiam accipere aliquid in Matrimonio Carnali, cum quo spirituale pari passu ambulat. *Conf.* ex Trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de Regular.* ubi dicitur, quòd licitum sit pro victu, & vestitu Novitii tempore, quo in probatione est, aliquid ex bonis ejusdem dare, & accipere: & quamvis Concilium *ibi* non exprimat, an etiam de eo pacisci liceat, non tamen id *ibi* prohibetur: quodsi autem pro tempore probationis licitum est sustentationem exigere, etiam licebit pro tempore Professionis, & reliquo vitæ tempore, si ex parte Monasterii sit eadem exigentia: ergo &c.

95 Neque obstat *c. quoniam* 40. *h. tit.* ubi tanquam Simoniacum prohibetur, etiam sub prætextu paupertatis aliquid temporale exigere ab ingredientibus Religionem; dicendum enim cum Gloss. *ibid. V. paupertatis* Suar. *c.* 17. *cit. n.* 14. Less. *n.* 71. Palao *n.* 6. & aliis, id non prohiberi ex causa veræ, sed ex prætextu, & sub colore falsæ, & fictæ paupertatis, prout textus ipse indicat. Vel dici potest, ibi tanquam Simoniacum prohiberi, ne Monasterium cæteroquin inops sub prætextu, vel ex causa paupertatis plus exigat, quàm pro sustentatione talis personæ necessarium est; quia tunc revera non ampliùs pro honesta sustentatione, sed pro ipso ingressu, conf. Simoniacè exigeretur illud superfluum. Addit tamen Palao *n.* 6. *cit.* rarò contingere, ut Monasterium non egeat subsidio ingredientis, ne propter illius ingressum alii officia sibi utilia impediantur, neve aliis aptioribus præcludatur ingressus.

96 3. Potest indiscriminatim in Monasteriis Monialium, etiam iis, quæ redditibus abundant, ab ingressuris, vel ingressis aliqua certa pecuniæ summa exigi titulo dotis. Ita universalis totius propemodum Orbis consuetudo, quam speciali indulto firmavit Innocentius VIII. apud Tambur. *de Jur. Abbatissa D.* 5. *quæst.* 2. *&* 3. Ratio est, quia quilibet maritus, sive dives, sive inops sit, Matrimonium contracturus exigere à Sponsa sua potest Dotem pro statu suo congruam *l. fin. C. de Dot. promiss.* sed Matrimonium spirituale, quod cum DEO, & Religione in Professione pangitur, pari passu ambulat cum Matrimonio carnali, & ab hoc ad illud rectè ducitur argumentum: ergo etiam Monasterium à Monialibus ingressuris, vel ingressis rectè exigit Dotem, etiamsi illud sit dives. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 1. *num.* 109. *& duob. seqq.*

Conf. ex sententia *S. Congr. Episc. & Regul.* apud Fagn. *ad c. non ampliùs de Inst. n.* 25. quæ animadvertens, Sanctimonialium Monasteria sine Dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter ingruentes necessitates, & casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontif. approbantibus, sanxit, ut dotales Eleemosynæ à Monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram redditHuum Monasterii. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 32. *n.* 13.

Tres tamen Limitationes hîc sunt addendæ. *Prima* est, 197
ut pactum hoc casu non fiat de aliquo dando pro ipso ingressu; nam tale pactum, utpote de temporali dando pro spirituali, Simoniacum foret, etiamsi Monasterium inops foret. Ut non admittatur aliqua inhabilis ex sola spe recipiendi ab ea aliquid temporale; nam tali casu finis susceptionis, ab admittentibus intentus, isque principalis foret aliquid temporale, atqui secundum dicta *num.* 77. iterum Simoniacum est dare aliquid spirituale ob finem temporalem extrinsecum, præsertim si is principaliter intendatur: ergo &c. 3. ut Dos non ab omnibus exigatur sine discrimine; sic enim pauperes, sæpe magis dignæ, & idoneæ, statu Religionis excluderentur, & aliæ forsan minùs idoneæ, quia divites sunt, reciperentur: quod utique est irrationabile. Nec procedit tunc ratio (quæ sola forsan excusationi locum facere poterit) Dotes exigi, ut plures, ac etiam pauperes possint recipi. P. Friderich. *de Simon. c.* 4. *n.* 134.

4. Possunt Regulares, tam viri, quàm fœminæ, quo- 198
rumvis Monasteriorum, etiam divitum, cum parentibus pacisci, & exigere certam quantitatem pecuniæ, vel aliorum bonorum temporalium ea conditione, ut persona ad Religionem suscepta, eamque professa, ea portione contenta, renuntiet Juri hæreditatis, vel alterius cujuscunque justæ prætensionis. P. Reiffenstuel *hic n.* 182. Magnif. P. Schmier *c.* 1. *cit. n.* 115. Ratio est, quia in tali casu exigitur solùm temporale pro temporali, nempe quantitas certa pecuniæ pro jure hæreditatis: & quidem justè; cùm enim per Professionem susceptus in Religionem in hanc transferat omnia sua jura, & bona, de quibus ante Professionem non aliter disposuit, etiam transferet in illam jus hæreditatis, modò successionis hæreditariæ capax illa sit; non tenetur autem Religio Jus istud remittere gratis, cùm subinde valde sit æstimabile, igitur licitissimè pro hujusmodi remissione exigere aliquid temporale poterit.

Neque obstat, quòd Legitima liberis ante mortem pa- 199
rentum non debeatur, cùm viventis non sit hæreditas *l. qui superstiti* 5. *ff. de acquir. vel omitt. hæred.* debetur enim saltem iisdem Jus ad Legitimam suo tempore consequendam: & pro hujus juris remissione fit pactio, est autem licitum pacisci super remissione hujusmodi Juris, imò super ipsa Legitima, si non Jure Civili Romano, saltem Jure Canonico, quod hodierna consuetudo sequitur, *c. quamvis* 2. *de Pact. in* 6.

5 Juxta Sylv. *V. Simonia q.* 15. *vers. si autem Mona-* 200
sterium. Arragon. q. 100. *art.* 3. *vers. sed quid dicendum*, Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 6. *art.* 2. etiam in Monasteriis opulentis, & sufficienter dotatis potest aliquid accipi, & exigi ab ingressuris, vel ingressis ex nudo sustentationis titulo: pro qua sua Sententia allegant consuetudinem, quæ passim invaluit, præsertim in Monasteriis Monialium, ubi neminem videbimus recipi, nisi sufficientem pecuniam ad sui sustentationem afferat, vel alia ratione Monasterio proficua sit; imò quæ suscipitur de novo, ultra summam illam, quæ Dotis nomen obtinuit, aliquid in usum præexistentium Monialium debet erogare: neque consuetudinem istam damnandam sustinent Suar. *de Censur. D.* 22. *sect.* 5. *n.* 13. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *num.* 70. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 39. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 9. *nu.* 4. Pirhing *hic n.* 59. *vers. tertia pars*, Schambog. *n.* 69. *&* 71. Vviest. *n.* 48. modo pro sustentatione admittendi tantum, & non pro admissione accipiatur, vel exigatur. *Ratio est*, quia hoc

casu non exigitur temporale pro spirituali tanquam pretium sed solùm requiritur tanquam conditio, ut secum afferat necessaria pro sustentatione, ne Monasterium accessu novarum personarum gravetur, & ut plures, quæ alioquin non possent, valeant recipi. *Conf.* nam hoc modo certificatur magis sustentatio necessaria, quæ sæpe ob pericula, & varios casus, quibus fundationes Monasteriorum, & bona, quibus fundationes inhærent, exposita sunt, & vitatur, ne personæ Religiosæ ad acquirenda media, quæ domi deficiunt, extra septa Monasterii sui cogantur egredi, quod in Monialibus præsertim inconveniens est.

201 Sed verior videtur Sententia negativa, quàm cum S. Thom. 2. 2. q. 100. *art.* 3. *ad* 4. Rodriq. *tom.* 2. *quæst.* 49. *art.* 2. Marchant. *tom.* 3. *tract.* 10. *tit.* 6. *quæst.* 10. *concl.* 4. & 5. defendit P. Reiffenstuel. *hic n.* 169. *& seqq.* P. Friderich. *tr. de Simon. c.* 4. *num.* 133. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *num.* 107. & colligitur ex *cap. quoniam* 40. *h. tit.* ubi dum quævis exactio, quando fingitur necessitas, aut paupertas, inhibetur, satis, indicatur, illam quoque exactionem inhiberi, quando petitur aliquid pro sustentatione, cùm tamen Monasterium ad hanc præbendam sufficientia bona habeat; tunc enim potiùs fingitur, quàm revera datur titulus necessariæ sustentationis. *Ratio est*, quia redditus Monasterii sunt Ecclesiastici, ordinati ad sustentationem Religiosorum gratis faciendam: ergo hoc ipso, quòd quis ad Religionem suscipiatur, habet jus ad sustentationem ex redditibus Monasterii capiendam: conf. sub titulo sustentationis temporale ab ingrediente non potest exigi; alius autem titulus adesse non potest, nisi pro ingressu, quo titulo si quid petatur, Simonia committitur. *Conf.* 1. Simoniaca est pactio, quia Beneficiario datur possessio Beneficii, sub conditione, ut ex patrimonio suo sustentare se teneatur, ut fructus Beneficii aliis Clericis pauperibus applicari possint: ergo etiam Simoniaca erit pactio, facta cum Religioso, ut secum sustentationem afferat, ut sic redditus Monasterii aliis Religiosis, & operibus applicentur. *Conf.* 2. quia hoc modo facilè eludi poterit omnis Simonia, quæ ratione ingressus in Religionem contingit; nam Præpositi Monasteriorum etiam opulentissimorum possent dicere, se temporale non exigere pro ingressu, sed pro honesta sustentatione ingressi.

202 Argumentum *n.* 200. allatum solùm probat, quòd tali casu non committatur Simonia Juris naturalis, & Divini: interim tamen committetur Simonia Juris Ecclesiastici, quod dum exactionem specialiter prohibet Monasterio diviti, seu valenti Candidatum alere, non prohibet tantùm, ne quid exigatur ut pretium pro ingressu (nam hoc prohibitum est etiam Monasterio pauperi) sed etiam pro alimentis: vel saltem committetur peccatum injustitiæ, ut quidam volunt cum Suar. *c.* 17. *cit. nu.* 9. & 10. quia indecens, & intentioni Fundatorum prorsus est dissonum, aliquid titulo sustentationis expetere, quando à piis fidelibus pro honesta Religiosorum sustentatione abundantia media subministrata fuere. *Ad Conf.* cautela illa saltem signum est avaritiæ, cùm pericula hujusmodi rara sint in Monasteriis opulentis.

203 Dub. 7. qualis committatur Simonia, quando pro collatione Beneficii Ecclesiastici datur, accipitur vel exigitur aliquid temporale? Resp. interesse, an temporale illud accipiatur, quia spontè oblatum est, an verò præcedente pacto, vel exactione. *Si primum*, committitur ad summum Simonia Juris Ecclesiastici, ob prohibitionem Ecclesiæ, quæ vetat occasione collationis Beneficii accipi, etiam si quid spontè offeratur, ut declaravit *S. Cong. Conc.* apud Fagn. *in c.* 1. *h. tit. n.* 31. Pirh. *hic n.* 19. *vers. illud*.

204 *Si Secundum*, committitur Simonia Juris naturalis, & Divini: Et hinc nulla consuetudo hoc casu dantem, & accipientem excusat. Gloss. *in c.* 36. *V. consuetudinem h. tit.* Pirhing. *n.* 38. Ratio est, quia consuetudo Juri naturali, & Divino derogare non potest *c. fin. de consuetud.* Estque hoc verum etsi longissimi temporis sit; quia pravæ consuetudines tempore non firmantur. *Novell.* 134. *c.* 1. *vers. neque verò angariis*.

205 Dub. 8. an Simoniam committat Episcopus, vel alius similis Prælatus Ecclesiasticus, quando accipit, vel exigit aliquid temporale pro actu Jurisdictionis, qui proximè versatur tantùm circa materiam temporalem, & Politicam? Resp. distinguendo; nam si actus tales procedunt ab Ecclesiastica, & spirituali potestate, ut cùm Judex Ecclesiasticus cognoscit causas merè Civiles, & Sæculares inter Clericos de bonis temporalibus, & profanis, vel de criminibus, quæ communia sunt Clericis, & Laicis; & tunc ejusmodi actus Jurisdictionales, quatenus procedunt ab Ecclesiastica, & spirituali potestate, cadunt sub materiam Simoniæ Juris Divini, & naturalis Suar. *l.* 4. *c.* 20. *n.* 19. Zoes. *hic n.* 26. Pirhing. *n.* 52. Schambog. *n.* 57. P. Friderich. *tr. de Simon. c.* 4. *n.* 141. post *Gloss. Abb. Joan. Andr. & alios VV.* Ratio est, quia quandocunque Episcopus, vel alius Prælatus, Ecclesiasticam Jurisdictionem obtinens, aliquid facere debet ratione Officii sui spiritualis, si aliquid pro eo accipiat ex pacto, vel exigat, Simoniam committit, etiamsi materia praxim, circa quam versatur actus, sit politica, & temporalis; quia prout cadit sub spiritualem potestatem, ordinatur ad finem spiritualem, & aliquo modo ad illum conducit: conf. actus spiritualis efficitur, non solùm ex parte principii, sed etiam ex parte finis. Suar. *l. cit. n.* 20.

Aliud est de iis actibus, qui procedunt ex propria Jurisdictione temporali, qualem habet Pontifex in suo territorio temporali, & plerique Episcopi in Germania; nam pro his exigere, & accipere pretium, quamvis illicitum, & injustum aliquando sit, non tamen est Simonia, Suar. *l. cit. n.* 17. cum *citt.* Ratio est, quia licèt exerceantur à Prælatis Ecclesiasticis, non tamen procedunt à propria potestate Ecclesiastica; aut spirituali, sed potiùs temporali, & prout illi sunt Domini, & Principes Sæculares. 206

Dub. 9. an Simoniaca sit actuum spiritualium omissio, si illa fiat accepto pretio? Resp. hoc pendere ex ipsorum actuum omissorum qualitate. Nam si illi actus Jurisdictionis sint, eorumque omissione homo moraliter ligetur, detineatur, repellatur &c. hujusmodi sunt absolutio à peccatis, vel Censuris, approbatio pro Ordinibus, aut Cura animarum, administratio Justitiæ in foro Ecclesiastico contentioso &c. eorum omissione Simonia committi potest. Gloss. *in c. nemo* 14. *V. celet h. tit.* Abb. *ibid. n.* 6. Ugolin. *tab.* 1. *c.* 40. §. 3. Suar. *l.* 4. *cap.* 22. *num.* 9. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *num.* 64. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *nu.* 43. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 12. *num.* 16. Zoes. *hic num.* 29. Pirh. *num.* 54. Schambog. *num.* 50. Wiestner *nu.* 51. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 80. & patet ex *cap. nemo cit.* ubi Simoniaca declaratur largitio muneris, sive illud detur pro pœnitentis reconciliatione, sive pro talis reconciliationis negatione. 207

Neque obest, quòd omissio actus sit non ens; nam omissio rei debitæ æquiparatur commissioni, juxta *Regul.* 121. *ff.* ubi Paulus, *Qui non facit*, inquit, *quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit*: unde sicut actus hujusmodi, ita etiam omissio illorum sunt actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Imò omissio talis non exercetur sine actu aliquo positivo; quia quidquid sit physicè, certè moraliter non datur pura omissio, præsertim in usu, seu exercitio Jurisdictionis: Actus autem iste in casu præsenti erit voluntas interna, qua Judex Ecclesiasticus non vult absolvere e. gr. à Censuris, declarata per actum positivum externum; & hæc ipsa declaratio est quidam usus, & exercitium Potestatis spiritualis, & Ecclesiasticæ, utpote qua Judex condemnatoriam, ut absolutionem petens maneat inabsolutus. 208

Contra est, si actus, qui omittuntur sint independentes à potestate Jurisdictionis spiritualis, ut sunt Oratio, celebratio Missæ, baptizatio infantis &c. nam horum omissio, etiam pretio pecuniario, & temporali impetrata, Simoniæ vitio caret, ut ex communi DD. notant Suar. *l. cit. n.* 11. Less. *n.* 64. & 65. Pirh. *nu.* 56. Schamb. *nu.* 58. & 62. cum aliis *suprà*. *Proceditque hoc*, sive hujusmodi actus exerceretur injustè, & sacrilegè, sive justè, & ex debito; nam utroque casu omissio talis actus spirituale nil continet, sed est tantùm usus naturalis libertatis: Imò si actus exerceretur sacrilegè, & injustè, ejus redemptio potiùs laudabilis est; conf. Simoniacum nihil continet, etiamsi pro eo omittendo detur pretium temporale. *Excipitur*, nisi fortè pro talis actus omissione oblatum pretium daretur; vel acciperetur in compensationem alicujus fructus, aut boni spiritualis aliàs percipiendi, prout addit Laym. *n.* 43. 209

Addit Less. *n.* 65. *cit.* etsi Simonia non sit hujusmodi contractus, quo aliquid datur, vel exigitur pro omissione alicujus spiritualis, si tamen sine justa causa fiat, eum contractum conjunctam habere quandam turpitudinem affinem Simoniæ. *Rationem* dat; quia dum exigitur, vel offertur pretium 210

pretium pro omissione actus spiritualis, tacitè insinuatur, actum illum esse vendibilem: si enim æstimabile pretio est ipsum non fieri, etiam æstimabile pretio videtur ipsum fieri; conf. per hujusmodi contractum irreverentia aliqua committetur in rem Sacram. Et hinc, si accedat præceptum Ecclesiæ, quo vetatur acceptio, vel oblatio pecuniæ pro hujusmodi omissionibus in reverentiam SS. functionum, facilè committetur Simonia, non quidem Juris Divini, aut naturalis; quia contractus non fit de re Sacra: sed humani.

11 Dixi autem *si fiat sine justa causa*; quia in multis casibus licitum est dare aliquid Ministro Ecclesiæ, ut aliquem actum spiritualem omittat, quem malè perageret, modò illa omissio non sit connexa usui spiritualis potestatis; possumus enim injurias DEI, oblata pecunia, impedire. Idem dicendum de gravissimis injuriis proximi, quæ aliter averti nequeunt, ut si Superior Ecclesiasticus aliquem vellet injustè excommunicare. His ergo casibus dabitur licitè pecunia pro omissione hujusmodi actuum: is tamen cui illa datur, licitè illam non potest accipere, nisi fortè in casu pro damni, vel incommodi compensatione, quod omittendo subiturus esset. Less. *n.* 65. *cit.*

12 Quæritur 4. quænam ex spiritualibus *quarti generis*, seu spirituali annexis materiam, & objectum Simoniæ constituant? Resp. hæc triplicis generis sunt. 1. enim aliqua sunt spirituali annexa *antecedenter*, quòd ad spirituale præsupponantur, idque præcedant, ut sunt Templa, Altaria, Calices, aliaque vasa, & vestes, resque Sacræ, aut benedictæ, quæ Sacrificium Missæ, & quoad materiam ipsam suam Consecrationem, vel Benedictionem antecedunt: item jus Patronatus, quod præcedit Institutionem in Beneficio, vel Officio Ecclesiastico, & ad hanc ordinatur. 2. alia sunt spiritualia *concomitanter*, quòd iis intrinsecè sint conjuncta, ut est labor corporis, qui ipsa Sacrificatione, aut alio ministerio, & functione spirituali subitur. 3. alia connexa sunt spirituali *consequenter*, quia spirituale tanquam causam supponunt, sint Beneficia, & Pensiones Ecclesiasticæ, Decimæ, Primitiæ, Oblationes, spectatæ secundum jus illas percipiendi; oriuntur enim ex officio, & ministerio spirituali.

13 Dub. 1. an vendi sine Simonia possit Jus Patronatus? Resp. negativè. Ita Lambertin. *l.* 1. *de Jur. Patron. p.* 2. *q.* 1. *art.* 12. *n.* 17. Vivian. *tr. simil. l.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Suar. *l.* 4. *c.* 28. *nu.* 5. Lotter. *de re Benef. l.* 2. *q.* 9. *nu.* 60. *& seqq.* Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 14. *n.* 1. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 28. *n.* 47. Zoes. *hic n.* 30. Engl. *n.* 24. Vvieftn. *n.* 53. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 123. & patet ex *c. de Jure* 16. *de Jur. Patron. c. prætcrea* 9. *de transact. & Trid. sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* ubi venditor hujus Juris, præter Excommunicationem, à Judice Ecclesiastico infligendam, ipso facto Jure Patronatus privatur. *Ratio est*, quia causam, & finem spiritualem habet: causam quidem; quia à spirituali potestate, non minùs, ac ipsa Beneficia institutum est: finem autem; quia ordinatur ad institutionem Clerici in Beneficio Ecclesiastico.

214 *Difficultas* est, quo Jure Jus Patronatus sit invendibile? Jure Ecclesiastico solùm invendibile esse, contendunt Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 7. *art.* 1. Sylv. *V. Simonia quæst.* 2. Navarr. *Man. c.* 23. *n.* 98. *&* 99. post *Abb. Decium, & alios.* Rationem dant 1. quia est Jus commune Laicis, qui non sunt capaces spiritualium. 2. quia transit non tantum ad hæredes sanguinis, sed etiam extraneos, v. g. ad emptorem Castri, cui annexum est Jus Patronatus. 3. ejus actus, nempe præsentatio ad Beneficium, non videtur spiritualis, cùm ratione illius præsentatus nullum acquirat jus in Beneficium, quousque Prælatus illud conferat. 4. Jus istud inventum est Ecclesiæ.

215 Sed dicendum, probabiliùs venditionem Juris Patronatus esse Simoniam Juris naturalis, & Divini. Ita Glos. *in can. piæ mentis* 16. *q.* 7. *& in c. præterea cit.* Suar. *c.* 28. *cit. n.* 7. Less. *c.* 35. *n.* 128. Palao *p.* 14. *n.* 3. P. Friderich. *de Simon. c.* 4. *n.* 198. cum aliis. *Ratio est*; quia licèt hoc Jus fortè non sit purè spirituale, est tamen spirituali annexum: conf. si vendatur, jam irreverentia, & injuria infertur rei Sacræ, in quo consistit malitia Simoniæ, Jure naturali prohibitæ.

216 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. quod Jus præsentandi, & Patronatus competat Laicis, provenit ex gratia, & favore Ecclesiæ, quæ iisdem etiam potuisset dare jus eligendi ad Beneficia, licèt istud sit magis spirituale. *Ad* 2. similiter favore Ecclesiæ est, quòd idem jus transeat non solùm ad hæredes, sed etiam ad emptorem, si rei emptæ jus illud annexum sit: quo tamen casu non transit jus istud vi emptionis (nam propterea majus pretium non potest exigi) sed per consequentiam, quòd accessorium castro sit, & accessorium sequi ad suum principale debeat. *Ad* 3. præsentatio dat præsentato jus ad Beneficium, non quidem proximum, sed remotum, quatenus ex vi præsentationis, si persona idonea sit, necessariò debet institui. *Ad* 4. etiam prima Tonsura, Consecratio Calicis, aliaque hujusmodi instituta sunt ab Ecclesia, nec tamen absque Simonia Juris naturalis vendi possunt; quia supposita institutione, verè Sacra sunt, & spiritualia: dare autem spirituale, vel spirituali annexum pro pretio temporali est Simonia contra Jus naturale.

Dub. 2. an, & quomodo vendi sine Simoniæ vitio possit Sepultura? Resp. hìc distinguendum esse inter quinque diversos casus. 1. Nam ipsa terra, sive locus, ad sepulturam fidelium defunctorum deputandus, vendi absque Simonia potest. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 3. Gloss. *in c. abolendæ* 13. *V. Sepultura de Sepult.* Abb. *ibidem num.* 4. Redoan. *de Simon. p.* 3. *c.* 16. *à nu.* 14. Suar. *l.* 4. *c.* 14. *n.* 17. Azor. *p.* 3. *l.* 12. *cap.* 17. *q.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 7. *num.* 36. *concl.* 7. *not.* 1. Vvagnereck *in c.* 10. *V. pro Sepulturis not.* 1. *h. tit.* Zoes. *hic num.* 32. Vviester. *nu.* 58. & non obscurè supponit *S. Ambrosius* relatus *can. aurum* 70. *caus.* 12. *quæst.* 2. Ratio clara est, quia terra est res merè materialis, & pretio æstimabilis: ergo sicut potest vendi aurum, vel argentum pro calice, ita etiam terra pro sepultura. 217

2. Eadem terra, & locus, postquam jam semel authoritate Ecclesiastica ad sepulturam fidelium est deputatus, & benedictus, prout tali benedictione affectus est, sine Simonia vendi non potest Suar. *num.* 18. Vvagnereck *not.* 1. *cit.* Vviestner *num.* 58. Friderich. *n.* 126. & sumitur ex *can. questa est* 12. *& tribus seqq. caus.* 13. *q.* 2. *cap. abolendæ* 13. *de Sepult. c. cùm in Ecclesiæ* 9. *& c. audivimus* 41. *h. tit.* Ratio est iterum clara; quia illa Benedictio est etiam constitutiva talis loci, considerati sub tali respectu, & ipse locus, vel terra, prout ejusmodi Benedictione affecta est, pro re Sacra, & spirituali habetur, utpote cùm authoritate Ecclesiastica ad finem supernaturalem proximè deputata sit. 218

3. Si quis habeat Sepulchrum proprium, suis, aut majorum suorum sumptibus pro se, vel suis extructum, non committitur Simonia, si vendatur alteri præcisè juxta valorem fundi, & expensarum in ejus constructione factarum S. Thom. *l. cit.* Sylv. *V. Sepultura qu.* 12. *dict.* 3. Suar. *num.* 18. Barbos. *in c. abolendæ cit. num.* 7. P. Vviestner *hic n.* 59. P. Friderich. *nu.* 126. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 129. Ratio est, quia ita vendi etiam calices, & terra potest, ubi fuit Ecclesia, saltem si necessitas urgeat; & tali casu non venditur Benedictio, aut proprium jus Sepulturæ, sed materiale illud, ad quod consequitur Jus Sepulturæ. 219

4. Quando locus aliquis Sacer communis est pro Sepulturis fidelium, vendi Sepultura in illo loco non potest sine Simonia, prout patet ex *can. questa, c. audivimus, c. abolendæ, & c. cùm in Ecclesia citt.* ubi tanquam corruptela reprobatur consuetudo aliquid pro ea exigendi: quod intelligendum, si exactio ista fiat, habito respectu ad Consecrationem talis loci, aut fructus spiritualis amplioris, ex precibus fidelium, aut vicinia alicujus Altaris consequendi: & multo magis, si exactio hæc fiat cum minis, fidelium cadavera; nisi certa pecunia numeretur, ex loco Sacro excludendi, inhumata relinquendi, aut jam tumulata exhumandi; hoc enim sordities, & avaritia esset intolerabilis, & à Christiana pietate, imò humanitate prorsus aliena. Suar. *n.* 19. Barbos. *ad Trid. sess.* 25. *c.* 13. *de ref. n.* 36. Laym. *c.* 8. *cit. nu.* 36. *concl.* 7. *not.* 1. Engl. *tit. de Sepult. n.* 16. Vviestner *hic n.* 60. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *c.* 1. *n.* 128. 220

5. Potest occasione Sepulturæ aliquid exigi pro conservatione fabricæ, vel cœmeterii, pro sustentatione Cantorum, & aliorum Sepulturæ ministrorum, pro obligatione ad eum locum non admittendi, nisi cadavera certæ familiæ, pro concessione loci honoratioris, & eminentioris, absque respectu tamen ad istius Sanctitatem, aut fructum spiritualem; nam sicubi consuetudo ex causis istis aliquid accipiendi, vel exigendi viget, illa non foret damnanda. Videantur Suar. *c.* 14. *cit. num.* 21. Barbos. *de Offic. Paroch.* *c.* 26. 221

c. 26. àn. 16. Frances de Eccl. Cathedr. c. 16. à nu. 92. Laym. n. 36. cit. not. 3. Palao tr. 17. D. 3. p. 8. n. 4. Gonzal. in c. abolendæ cit. n. 2. Vvagnereck in c. 10. cit. not. 2. Engl n. 16. Vviestner n. 61. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 1. n. 129.

222 Dub. 3. an, & quo Jure materiam Simoniæ constituant Beneficia Ecclesiastica? *Certum est* 1. committi Simoniam Juris Divini, si vendatur, vel ematur Beneficium, quatenus est jus administrandi spiritualia; quia hoc jus est aliquid in se sacrum, & spirituale, atque à Christo institutum Suar. l. 4. c. 24. n. 4. Palao tr. 17. D. 3. p. 13. n. 2. *Certum est* 2. absque Simonia distrahi posse à Beneficiario fructus ex Beneficio suo jam perceptos: imò etiam antequam percepti sint, eorum commoditas sine periculo Simoniæ potest ab eodem locari alteri per c. vestra 2. de Locat. & conduct. c. fin. ne Prælat. vic. suas &c. Redoan. de Simon. p. 1. c. 29. n. 5. & seqq. Pirhing hic n. 6. & duob. seqq. Schambog. ibid. n. 5. & seqq. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 1. n. 86. Ratio est, quia nec fructus aliquid spirituale sunt, nec eorum commoditas; nec cum Jure spiritualis ministerii, postquam titulus Beneficii jam obtentus est, tantam habent connexionem, ut separari nequeant; alioquin si Beneficiarius illos distrahere non posset, persæpe Beneficium ipsi onerosum, & nocivum foret. *Certum est* 3. absque Simonia vendi, aut emi non posse ipsum Beneficium, quatenus est Jus percipiendi fructus. Patet ex can. Presbyter 3. &c. caus. 1. q. 1. can. siquis datur 2. &c. caus. cit. q. 3. c. cum quidem 4. c. cum Clerici 6. & c. fin. de Pact. c. constitutus 4. & c. super eo 7. de Transact. c. un. ut Benef. Eccl. fin. dimin. c. querelam 15. c. tua nos 34. & aliis h. tit.

223 *Controversia* est, quo Jure sub ista consideratione evaserint materia Simoniæ? Gloss. in c. ex parte 12. V. dimittere de Offic. Deleg. Felin. ibid. n. 1. Decius n. 7. Navar. Man. c. 23. n. 108. Clar. V. Simonia n. 5. Garc. p. 1. de Benef. c. 2. n. 9. Less. l. 2. de Just. c. 35. n. 26. Zoes. hic n. 42. putant id constitutum fuisse Jure solùm Ecclesiastico. 1. quia in S. Scriptura, tanquam Simoniacum, nihil damnatur præter venditionem prædicationis Evangelii, Sacramentorum, & gratiæ Miraculorum Matth. 10. v. 8. & Act. 8. v. 19. 2. Ecclesiasticorum Beneficiorum institutio facta est ab Ecclesia, uti & titulorum divisio. igitur eorum venditio tantùm erit contra prohibitionem Ecclesiæ. 3. in Beneficiis temporale est separabile à spirituali; potest enim Pontifex jus spirituale conferre uni, alteri autem, vel sibi applicare jus percipiendi fructus illius tituli. 4. in Beneficiis spirituale annexum est temporali; quando autem spirituale annexum est temporali, transferri per venditionem potest saltem temporale, ut patet in vasis sacris, & Jure Patronatus, quod castro, aut villæ annexum est. ergo &c.

224 Sed dicendum, venditione Beneficii, etiam ut est jus percipiendi redditus temporales, committi Simoniam, Jure naturali prohibitam. Ita Abb. in c. 1. h. tit. n. 6. Sylv. V. Simonia q. 12. dict. 6. & 7. Covar. Reg. peccatum p. 2. §. 8. fin. Victoria Relect. de Simon. p. 1. n. 44. Suar. l. 4. c. 24. àn. 7. Azor. p. 3. l. 12. c. 11. q. 3. V. tertia sententia, Laym. l. 4. tr. 10. c. 8. n. 44. Vivian. in c. 2. h. tit. pr. Fagn. in c. ex diligenti 17. eod. n. 3. Gonzal. in c. 8. n. 5. Engl hic n. 26. Pirhing n. 75. Schambog n. 77. Vviestner n. 66. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 1. n. 83. Sumitur 1. ex can. Salvator 8. vers. igitur caus. 1. q. 3. ubi Urbanus II. venditionem rei Ecclesiasticæ, vel ut Gloss. V. Ecclesiasticam notat Beneficii Simoniacam esse colligit ex verbis, *Pecunia tua tecum sit in perditionem* Act. 8. v. 19. quibus verbis damnatur Simonia vetita Jure Naturali, & Divino. 2. ex can. ex multis 9. vers. Chalcedonense q. cit. ubi Alexander II. testatur, à Concilio Chalcedonensi pari pœna plecti eum, qui Beneficium vendit, & eum, qui vendit Sacram manus impositionem, sive Spiritum Sanctum non autem alia ex causa, quàm quòd paris delicti uterque sit reus. 3. Ex *ratione*; quia Beneficium, seu jus percipiendi redditus temporales annexum est officio spirituali; igitur donec separetur authoritate Apostolica, qua sola potest, ut Officium, ita & Beneficium invendibile erit, eò quòd ob connexionem naturam rei spiritualis induat.

225 Neque obstant Argumenta opposita? *Ad* 1. imprimis Christus Dominus verbis, *Gratis accepistis, gratis date* prohibet venditiones omnium actuum spiritualium: deinde vendito Jure percipiendi redditus, nisi istud Pontifex separaverit, etiam venditum censetur ipsum Officium spirituale juxta can siquis objecerit 7. caus. 1. q. 3. atqui si ipsum Officium spirituale vendatur, committitur non tantùm Simonia Juris positivi Ecclesiastici, sed etiam Divini, & naturalis. ergo &c. *Ad* 2. Neg. Conf. nam postquam talia inducta sunt ex institutione Ecclesiæ, facta sunt spiritualia, adeoque Jure Divino prohibita vendi. *Ad* 3. licèt Officium spirituale separabile sit absolutè per Pontificem à Jure percipiendi redditus temporales, antequam tamen separetur, per connexionem jus illud posterius spirituale efficitur. *Ad* 4. negatur paritas inter Beneficium, & Jus Patronatus, aut materiam Calicis; nam in Beneficio temporale est accessorium, principale verò est spiritualis potestas, aut Jus: contrà in Calice, & Castro, habente Jus Patronatus annexum, temporale est principale, accessorium autem spirituale; non est autem mirum, quòd accessorium sequatur post principale; valde autem mirum esset, si principale sequeretur ad accessorium. ergo &c.

Dub. 4. quid dicendum de Capellaniis, Commendis, Coadjutoriis, Præstimoniis, & Hospitalibus. Resp. *Ad* 1. interesse, an tali *Capellania* sit erecta authoritate Episcopi, an verò non; nam *priores* Beneficiis accensentur, adeoque pretio temporali vendi nequeunt; *posteriores* nihil vetat pecunia obtineri, cùm nullo modo rationem Beneficii habeant. Palao tract. 17. D. 3. part. 13. num. 14. & apud hunc Gonzal. Regul. 8. Cancell. Gloss. 5. pr. num. 23. & hoc teste sæpius declaratum à *Rota*. 226

227 *Ad* 2. conveniunt DD. non posse sine Simonia vendi *Commendas Spirituales*, per quas alicui commendatur Ecclesia, ut in ea Sacramenta administret, tametsi temporariæ duntaxat sint. Patet ex c. non satis 8. & c. ad nostram 21. h. tit. & ratio est, quia per illam committitur Jurisdictio spiritualis. Contrà *Commendas militares* sine Simonia vendi, & obtineri pecunia posse, cum Arragon. Victor. & aliorum communi existimat Suar. l. 4. c. 27. num. 6. & Palao p. 13. cit. num. 13. Ego cum P. Friderich tr. de Simon. cap. 4. num. 153. id concedo de Commendis Ordinum Militarium Calatravæ, Alcantaræ, & aliorum, qui sunt in Hispania, Lusitania, Gallia &c. nego de Commendis, & Præceptoriis Ordinum Militarium S. Joannis Jerosolymitani, & S. Mariæ Teutonicorum; nam istæ Beneficiis, saltem Manualibus accensentur, ut dictum est Libr. 3. Tit. 5. nu. 12. non verò illæ, utpote cùm non ob finem spiritualem, sed in præmium duntaxat, aut stipendium militiæ conferantur, earumque administrationem supremam Laici Principes habeant.

Ad 3. existimat quidem Palao p. 13. cit. n. 14. ejusmodi *Coadjutorias*, tametsi cum futura successione conferantur, pecunia obtineri posse, & si ita obtineantur, non committi Simoniam Jure Ecclesiastico punibilem; imò nec ullam Simoniam, si pecunia non ut pretium facultatis, sed in sustentationem concedentis Coadjutoriam detur. Sed meliùs cum Suar. c. 27. cit. n. 5. respondet P. Friderich de Simon. c. 4. num. 154. eas sine dubio materiam Simoniæ constituere: idque verum est, etiamsi talis Coadjutor non detur cum jure succedendi; quia est quasi Vicarius Coadjuti, & sic de eo procedit, quod n. præc. dictum est de Commendis spiritualibus temporaneis. Et multo magis hoc verum est de Coadjutore dato cum jure succedendi; quia jus istud directè spirituale est. 228

Ad 4. inter *Præstimonia* distinguendum est; nam si talia sint, ut Laicis æquè, ac Clericis, & his sine spiritualis obsequii obligatione concedi possint, non sunt materia Simoniæ; quia tunc alimentorum solummodo rationem obtinent e. g. pro faciliori studiorum prosecutione. At si spirituale obsequium annexum habeant, prout habent ex Motu proprio S. Pii V. incipit *Ex proximo* ad recitandas Horas Canonicas, vel Officium B. V. Simonia committitur, quando pecunia obtinentur; quia Beneficii rationem habent, licèt Simplicissimi. Accedit, quia conferuntur solùm à Prælatis Ecclesiasticis, & cum solemnitate, qua cætera Beneficia; quod signum est reputari spiritualia, ac proprerea earum fructus esse spirituali annexos. 229

Ad 5. interest, an *Hospitalia* ejusmodi erecta sint authoritate Episcopi, an sine hac. *Si hoc secundum*, eorum regimen merè temporale est, & per consequens pretio æstimabile, & vendibile. Suar. c. 27. cit. n. 11. Gonz. Reg. 8. 230

Can-

Cancell. Gloss. 5. §. 4. *num.* 22. Palao *p.* 13. *cit. num.* 15. *Si primum*, iterum distinguendum est; nam si regimen hujusmodi Hospitalis habet conjunctam administrationem spiritualem, nemini dubium est committi Simoniam, si pecunia obtineatur. Selva *de Benef. p.* 1. *q.* 3. *n.* 3. 4. *&* 28. & *p.* 2. *q.* 11. *n.* 14. Hoyed. *de Benef. in comm. in præfat. n.* 4. Rebuff. *in pract. tit. de Devolut. n.* 73. Suar. *c.* 27. *cit. n.* 11. Palao *n.* 15. Idque verum est, etsi administratio hujusmodi spiritualis solùm sit temporanea; quia licet tunc proprie dictum Beneficium non sit, ob officium tamen spirituale hujusmodi regimen invendibile redditur. P. Fridarich *n.* 156. Aliud est, si officium gubernandi Hospitale non habet functionem aliquam spiritualem, sed tantum temporale regimen, consistens in cura infirmorum, gubernatione familiæ Laicæ, & administratione redditaum profanorum; tunc enim, cum ejusmodi Officium temporale duntaxat sit, si pecunia vendatur, vel obtineatur, Simonia non committetur, saltem Juris Divini, & naturalis, quamvis committatur Simonia Juris Ecclesiastici, ut notant Suar. *nu.* 13. Palao *n.* 15. & teste P. Friderich *l. cit.* docent DD. nemine refragante.

231 Dub. 5. utrum materiam Simoniæ etiam constituant *Pensiones Ecclesiasticæ*? Resp. 1. *Pensiones mere temporales*, quæ etiam Laicis pro ministerio mere temporali, vel ob aliam justam causam assignari, & competere possunt ex redditibus Ecclesiasticis citra Titulum spiritualem, absque Simonia vendi; & obtineri possunt. Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 7. *art.* 2. Victoria *relect.* 1. *de Simon. num.* 54. Suar. *l.* 4. *c.* 26. *n.* 4. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *num.* 123. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *nu.* 46. *q.* 3. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 13. *n.* 7. Zoes. *hic n.* 47. Pirh. *ibid. n.* 116. contra Rebuff. *de pacif. possess. num.* 34. Ratio est, quia talis Pensio non fundatur in spirituali titulo, nec ei est annexa, sed legitima authoritate a spirituali titulo separata, nec ordinatur ad functionem spiritualem, adeoque est quid mere temporale.

232 Resp. 2. *Pensiones proprie spirituales*, quæ scilicet dantur in titulum Beneficii, sive ad serviendum, & juvandum Parochum in Officio suo, quæ solet *Capellania* vocari, sive ad serviendum tantum in Choro, & Officiis Divinis, uti sunt Chori Vicarii, sunt propria materia Simoniæ; quia sunt proprie dicta Beneficia, fundata in titulo spirituali, eoque perpetuo, simulque canonicè erecta, & instituta: conf. licet Pensiones hujusmodi obtinens, ipsas Pensiones, seu fructus vendere, & commoditatem illorum locare aliis sine Simonia possit, non tamen potest easdem vendere sine Simonia. Suar. *c.* 26. *nu.* 23. Less. *n.* 122. Laym. *n.* 47. Pirh. *nu.* 117. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 89. Idem dicendum de aliis Pensionibus spiritualibus, quæ pro Beneficio, sive loco Beneficii ad spirituale ministerium exercendum dantur v. g. Coadjutori, vel Vicario Episcopi, aut Concionatori: imò extendendum hoc etiam videtur teste P. Friderich *de Simon. c.* 4. *n.* 159. *fin.* etiam ad stipendia, quæ Sacerdotibus, dum in studiis versantur, dari solent cum obligatione legendi Sacra certo numero, & in Parochiis assistendi Choro certis temporibus, aliaque Divina Officia obeundi; nam etiam istæ pensiones fundantur in spirituali Officio, nihilque eis deest ad rationem Beneficii strictè dicti, nisi quod non conferantur in titulum perpetuum.

233 Resp. 3. *Pensiones mixtæ*, quæ scilicet dantur Clericis, ut Clerici sunt, non tamen ob ministerium spirituale, sed ob aliam causam e. g. pro sustentatione Parochi senis, qui renuntiavit Parochiæ, spectata quidem natura rei, & Jure communi antiquo, licitè, & absque Simonia vendi possunt, & emi, non tamen secundum stylum Curiæ Romanæ, quæ hujusmodi venditiones tanquam Simoniacas damnat post Decretum S. Pii V. *de Pensionibus*. Suar. *n.* 7. *&* 8. Less. *n.* 125. *&* 129. Laym. *n.* 48. Zoes. *n.* 47. Pirh. *n.* 118. Friderich *n.* 161. *&* 162. *Pars* 1. patet ex eo, quia talis Pensio non datur propter spiritualem titulum, seu Officium obeundum, sed præcise in sustentationem, vel ob aliam causam mere temporalem. *Neque obest*, quod detur intuitu prioris Officii; nam hoc tantum est motivum, & conditio, sine qua non ei daretur: unde ex hoc nullam participat spiritualitatem. *Pars* 2. patet ex *Bulla S. Pii V. cit.* ubi Pontifex habentibus Pensiones ejusmodi imposuit obligationem recitandi Officium B. V. conf. habent spirituale onus annexum: ex quo sequitur, si nunc talis Pensio venderetur, commissum iri Simoniam Juris non tantum Ecclesiastici, sed etiam Divini, & naturalis; quia vendens illam censeretur vendere ipsum Officium spirituale, quod ipsi annexum est.

Dub. 6. an Pensio pecunia redimi absque Simonia possit, seu an Beneficiarius, qui hujusmodi Pensionem solvere ex Beneficio suo alteri debet, possit se liberare hoc onere, Pensionario consentienti dando unam summam integram v. g. 1000. fl. & sic extinguere obligationem quidquam solvendi imposterum? Negant Flamin. *l.* 6. *de Resign. q.* 2. *num.* 128. Navar. *Comment.* 52. *&* 53. *de Præbend.* Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 7. *art.* 2. Victoria *relect. de Simon. n.* 52. *&* 53. Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 10. *q.* 10. apud Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 13. *n.* 9. 234

Sed distinguendum iterum inter Pensiones est. Nam 1. *certum est*, redimi posse Pensiones merè temporales, nullam habentes annexam obligationem spiritualem. Patet ex ratione allata 231. 235

2. *Certum est*, posse præsenti pecunia redimi Pensiones mixtas, ut praxis recepta confirmat. quia tunc non emitur, vel commutatur jus spirituale pro temporali, sed extinguitur onus, seu obligatio temporalis solvendi quot annis certam summam pecuniæ, vel fructuum. Suar. *l.* 4. *c.* 26. *n.* 10. Less. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 124. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 48. Pirh. *hic num.* 118. *vers. posterior pars*. Quod procedere videtur non tantum de Jure antiquo (nam illo Jure etiam vendi hujusmodi Pensiones poterant, ut dictum est *n.* 233.) sed etiam de Jure novo post *Bullam S. Pii V. cit.* modo obligatio recitandi Officium B. V. quæ per *Bullam cit.* hujusmodi pensionibus annexa est, non dimittatur; nam.

3. *Certum est*, non posse hujusmodi Pensiones mixtas, quæ habet annexam obligationem Officii B. V. & quascunque alias spirituales sine Simonia pecunia redimi, si Pensionarius hujusmodi redemptione velit se liberare ab obligatione spirituali, vel illam in ipsum Beneficiarium, aut tertium quendam transferre; quia hac ratione accipit temporale pro spirituali. P. Friderich *de Simon. c.* 4. *n.* 163. 236

Difficultas est, quando Pensioni solvendæ adstrictus præsenti pecunia Pensionem ita redimit, ut ipse quidem ab ea annuatim præstanda deinceps solvatur, Pensionarius tamen perseveret obligatus esse ad munus spirituale, ut prius, & ante pecuniam acceptam obligabatur? *Ratio dubitandi* est, quia Beneficiarius redimens Pensionem reddit Beneficium sibi magis utile; quia potest colligere illam partem fructuum, quam alias teneretur solvere singulis annis. potestas autem hæc colligendi fructus est annexa titulo spirituali, cum detur propter officium spirituale. igitur pretio comparari absque Simonia non potest. 237

Sed dicendum, hoc modo posse redimi Pensiones etiam spirituales, ut cum *Cajetano* docent Valent. *D.* 6. *q.* 16 *p.* 3. *vers. validius in fin.* Suar. *c.* 26. *cit. n.* 10. 17. *&* 20. Less. *c.* 35. *n.* 124. *&* 129. Tolet. *in Summ. l.* 5. *c.* 92. *n.* 1. Palao *p.* 13. *n.* 10. Ratio est, quia hac ratione non datur spirituale pro temporali, sed solum temporale pro temporali, cum illa libertas, & immunitas a solvendis annuis Pensionibus, quam comparat Beneficiarius data una integra summa, spiritualis non est. *Conf.* quia redemptio Pensionis hoc casu nihil aliud est, quam locatio, aut venditio, & anticipata solutio fructuum, qui alias singulis annis pendendi forent. atqui fructus vendi, redimi, & locari possunt, ut dictum est *n.* 222. ergo &c. 238

An verò hujusmodi redemptio egeat licentia Summi Pontificis, non conveniunt DD. Et quidem de Stylo Curiæ etiam licentiam requiri, volunt Garc. *p.* 1. *de Benef. c.* 5. *à n.* 23. & Gibalin. *l.* 9. *de Scient. Canon. c.* 4. *q.* 4. *n.* 5. & alii, quos alligavi *Libr.* 3. *Tit.* 12. *nu.* 36. At *Card. Toletus*, Styli Curiæ & ipse expertissimus *l.* 5. *Summ. c.* 29. *num.* 1. asserit posse hujusmodi redemptionem fieri absque alia facultate: addit tamen, pro majore securitate fore, si cum facultate fiat redemptio, ne alter negare possit redemptionem. Qui hanc secundam sententiam vult defendere. 239

Ad Rationem dubitandi in contrarium allatam imprimis respondere potest, eo Argumento probari nimium; sequeretur enim, etiam pensionem temporalem, quam ob Officium merè temporale Beneficiarius ex redditibus Beneficii sui debet solvere alteri, non posse pe- 240

se pecunia redimi, cum hujusmodi redemptione Beneficium fiat magis utile, & id, quod vi redemptionis remaner Beneficiario, ab hoc percipiatur titulo spirituali. Deinde jus illud spirituale, vi cujus Beneficiarius colligit fructus, non primum comparatur per redemptionem, sed prius jam existebat; sed comparatur solum per illam libertas à pensionibus deinceps solvendis, quod est aliquid mere temporale. Plura de redemptione Pensionum videri possunt *Tit. cit. a n.* 34.

241 Dub. 7. an valeat Pactum, quod init Vicarius perpetuus cum Monasterio, cui Parochia ipsius est incorporata, ut pensionem annuam 100. fl. quam ex proventibus Parochiæ debet solvere, statim ab initio redimat 500. fl. Resp. si Vicarius liberè, ac sponte citra ullam obligationem redimat Pensionem, ita, ut vi pacti optio ipsi detur Pensionem ipsam vel quotannis præstandi, vel statim redimendi, tunc nulla Simonia intervenit; quia nullum onus pretio æstimabile ipsi imponitur, sed potius ei fit gratia, ut una solutione liberare se possit ab obligatione solvendi Pensiones annuas, quæ liberatio est aliquid mere temporale. *Suar. l.* 4. *c.* 26. *n.* 20. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 49. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 124. Zoes. *hic n.* 47. Pirh. *ibid. n.* 119. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 90. *&* 91.

242 Aliud est, si vi pacti Vicario determinatè imponeretur obligatio, Pensionem illam annuam pecunia redimendi; nam tale pactum invalidum foret, & committeretur in eo Simonia saltem Juris Ecclesiastici, vi cujus hujusmodi Vicariæ perpetuæ, sicut alia Beneficia debent conferri purè, & simpliciter sine omni pacto, & obligatione.

§. V.

De Pœnis Simoniacorum, & Obligatione restituendi per Simoniam obtenta.

SUMMARIUM.

243 QUæritur 8. quales Pœnæ in Simoniacos sint constitutæ? Non hic agitur de Pœnis constitutis in Tribunali æterni Judicis; nam in hoc certum est, per quamlibet Simoniam, etiam mentalem, & merè internam, cum Sacrilegii species, ut *n.* 12. *supra* dictum est, sit, incurri reatum pœnæ æternæ. Deinde etiam sermo non est de pœnitentia injungenda in foro arcano conscientiæ; cum enim gravissimum crimen sit Simonia, ejus gravitati Confessarius commensurare Pœnitentiam debet. Solum igitur hic agitur de Pœnis, quæ propter hoc crimen vi SS. Canonum, aut ipso Jure, & facto incurruntur, aut per sententiam Judicis Ecclesiastici infligi debent, vel possunt. Plura circa has solvenda sunt dubia,

244 Dub. 1. de quanam Simonia intelligendæ sint pœnæ, quæ de Jure Canonico in Simoniacos sunt constitutæ? Resp. 1. Pœnæ istæ non tangunt reos Simoniæ merè internæ, aut etiam mentalis. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. Navar. *Man. c.* 23. *n.* 102. Garc. *p.* 8. *de Benef. c.* 1. *n.* 45. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 55. Gutier. *l.* 2. *qq. Canon. c.* 23. *a n.* 31. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 30 *not.* 2. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *nu.* 68. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 22. *n.* 1. Canis. *Summ. l.* 3. *tit.* 14. §. 6. Vivian. *in c. fin. h. tit.* Vvagnereck *in Extrav.* 2. *eod. n.* 6. Monacell. *p.* 3. *tit.* 1. *form.* 22. *n.* 12. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 49. *num.* 38. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 1. Zoes. *n.* 90. Engl *n.* 33. Pirh. *n.* 152. Scambog. *n.* 114. Konig. *n.* 21. Vviestner *nu.* 80. Reiffenstuel *n.* 234. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 246. & colligitur ex *c. fin. h. tit.* ubi Gregorius IX. dicit *eo casu sufficere, si ita delinquentes per solam pœnitentiam suo satisfaciant Creatori. Ratio est*, quia non constat huic Simoniæ constitutam aliquam in Jure pœnam esse: imò nec constitui expediebat; quia cum Simonia interna consistat in solo actu interno, mentalis autem prodeat quidem in actum externum, scilicet ipsam dationem, vel receptionem rei temporalis pro spirituali, sine pacto tamen fiat; & intentio, per quam delinquit dans, vel accipiens, sit occulta, cognoscere de ea potestas Ecclesiæ externa nequit, & propterea frustra ei infligeretur pœna.

245 2. Nulla Juris, & facti pœna incurritur per Simoniam merè Conventionalem (si Confidentialem excipias) seu talem, quæ nec pretii, nec mercis traditione perfecta est, quamvis arbitrio Judicis sic delinquentes coerceri debeant. Ita Navar. *Man. c.* 23. *n.* 104. Covar. *Reg. peccatum p.* 2. §. 8. *n.* 7. Suar. *c.* 55. *nu.* 12. Less. *n.* 149. Laym. *n.* 68. *Suppon.* 2. Palao *n.* 2. Matthæucc. *n.* 42. Vallens. *n.* 2. Zoes. *n.* 91. Engl. *nu.* 34. Pirhing *n.* 153. Schambog. *n.* 115. Konig. *n.* 22. Vviestner *nu.* 81. Reiffenstuel *n.* 235. Magnif. P. Schmier *n.* 247. & alii *l. citt.* & ita servatur secundum Stylum Curiæ Romanæ. *Ratio est*, quia SS. Canones, quibus pœna statuitur Simoniacis, utuntur verbis, per quæ denotantur non puræ conventiones, sed actus ab ipsis procedentes, ut sunt datio, & receptio pretii, Ordinatio, Electio, Confirmatio &c. ut constat ex textibus passim obviis. igitur pœnales illorum dispositiones extendi non debent ad Simoniam non conjunctam cum datione, vel receptione rei spiritualis pro temporali *arg. Reg. odia* 15. & *Reg. in pœnis* 49. *in* 6. *Neque obstat*, quod Emptio Venditio perficiatur solo consensu in rem, & pretium ejus; cons. Simonia, quæ dicitur, quod sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi &c. ante traditionem actualem perfecta sit; nam quamvis perfecta illa sit in ratione Simoniæ, non tamen perfecta est in ea qualitate, quam requirunt Decreta pœnalia de Simonia SS. Canonibus. *Excipitur* cum Fagnan. *in c. nobis h. tit. nu.* 13. Simonia Conventionalis, commissa in Electione Summi Pontificis; nam in hanc Julius II. *Constit.* incipit *Cum tam Divino*, & habetur *tom.* 1. *Bullar. Rom.* inter Constitutiones *cit.* Pontificis ordine tertia, pœnas statuit, ut patet ex verbis dictæ *Constit.* ibi, *In dando, promittendo, vel recipiendo pecuniam*; item ibi, *Promissiones, & obligationes*, ex ratione speciali, ut eo sanctius celebretur Electio Pontific. Summi Christi in terris Vicarii.

246 3. Non incurruntur Juris pœnæ per Simoniam etiam mixtam, quæ solius pretii traditione perfecta sit. Ita Gutier. *qq. Can. l.* 1. *c.* 9. *a n.* 8. Suar. *l. cit. nu.* 16. Palao *n.* 2. Zoes. *n.* 87. & præcipue *n.* 92. Pirh. *n.* 153. Schambog. *n.* 115. Vviestner *n.* 82. & teste Palao *l. cit.* omnes DD. additque Suar. *l. cit.* in hoc non esse controversiam. Ratio est, quia solius pretii traditione, spirituale nondum contrectatum est irreverenter.

247 An verò incurrantur hæ pœnæ casu, quo solum spirituale, v. g. Beneficium traditum est, pretium verò promissum, controversia est inter DD. Sot. *l.* 9. *de Just. q.* 8. *art.* 1. Valent. *to.* 3. *D.* 6. *q.* 16. *p.* 6. Tolet. *l.* 5. *Summ. c.* 92. *n.* 3. Garc. *p.* 8. *de Benef. c.* 1. *n.* 28. *& seqq.* allegantes pro se *S. Thomam*, Decisiones Rotæ, & Stylum Curiæ, affirmant hoc casu incurri Pœnas Simoniacorum Jure latas. quos secutus est novissimè meus in hac Cathedra Antecessor p. m. P. Melchior Friderich. *tr. de Simon. c.* 5. *n.* 204. Colligi videtur 1. ex *can. ea quæ* 5. *caus.* 1. *q.* 3. *c. cum super* 2. *de Confess. c. nobis* 27. & *c. si quis ordinaverit* 45. *h. tit.* quibus locis omnibus Simoniæ

pœnis

Pœnis Jure latis subijciuntur Ordinationes, Electiones &c. factæ, pecunia data, vel promissa, 2. *Extrav. cum detestabile 2. h. tit.* & *Const. S. Pii V.* incipit: *Cum primum edita Calend. April.* 1566. ubi ordinati, & promoti Simoniacè asseruntur generatim suspensi ab Ordine, & privati Dignitatibus ipso Jure: atqui Simoniacè ordinati, & promoti propriè loquendo sunt etiam, qui Ordines, vel Dignitates sunt assecuti, interveniente promissione pecuniæ. ergo &c.

248 Negativam contra defendunt Navar. *Man. c.* 23. *n.* 103. Covar. *Reg. peccatum p.* 2. §. 8. *n.* 7. Guttier. *qq. can. l.* 1. *c.* 9. *n.* 14. Garc. *p.* 8. *de Benef. c.* 1. *nu.* 19. Flamin. *de Resign. q.* 2. *n.* 16. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 149. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 68. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 49. *n.* 42. Zoes. *hic n.* 87. & præcipuè *n.* 92. *cum seqq.* Schambog. *n.* 115. Reiffenstuel *n.* 239. quorum sententiam probabilem, & in praxi tutam existimat Palao *tr.* 17. *D.* 3 *p.* 22. *n.* 5. *& 6.* quamvis putet, contrariam & affirmativam, spectato Jure, probabiliorem esse. Allegant hi DD. & ipsi Stylum Curiæ, & rationem, quod pœnæ in dubio sint potius restringendæ, quam extendendæ *arg. Reg. odia*, & *Reg. in pœnis citt.* præsertim quod Jura, & *Extrav. citt.* loquantur de datione, & receptione tam pretii, quam mercis Simoniacæ.

249 Unde juxta istos AA. pœnæ Juris incurrentur solum per Simoniam realem, seu illam, quæ tam pretii quam mercis Simoniacæ traditione perfecta est. Dum verò etiam ob promissam pecuniam in textibus à contraria sententia allegatis Ordinationes, Electiones &c. subjiciuntur pœnis Jure latis, id intelligendum volunt AA. isti, quod his pœnis affici possint per sententiam. Alii volunt ea alternativa solum innui, quod pœnæ istæ in Simonia reali incurrantur tam à promittente spirituale, quam à dante temporale. Bulla S. Pii V. tantùm loquitur de Simonia Confidentiali, in qua hoc est speciale, ut dictum est *n.* 245. vel si aliqua alia Bulla de hac re edita sit, ea non videtur usu recepta, ut inquit Less. *n.* 149. *cit.*

250 Quodsi tamen postmodum Pactio Simoniaca, quæ prius fuerat solum Conventionalis, utrimque vel in totum, vel etiam in partem fiat completa, ut siquis saltem partem aliquam etiam modicam v. g. sex aureos det, qui 100. pro spirituali promisit, ex Conventionali faciet Simoniam realem, & incurret pœnas Juris, quæ retrotrahentur ad tempus pactionis prætéritæ, non secus, acsi illo tempore fuisset traditio utrinque facta. Navarr. *Man. c.* 23. *n.* 104. Suar. *l.* 4. *c.* 56. *n.* 37. & *c.* 57. *n.* 53. Less. *c.* 35. *cit. n.* 151. Reiffenstuel *hic n.* 145. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *c.* 1. *n.* 252. & ita habet Stylus antiquus Curiæ, cui standum est. Et hinc si Collator conferat Beneficium Ecclesiasticum Titio, sub pacto 100. aureorum sibi solvendorum, ante factam solutionem nondum incurritur pœna Excommunicationis, & aliæ a Jure latæ, nec collatio illa erit invalida. Si tamen ex intervallo, etiam post annum solutio fiat, sicque utrinque compleatur Simonia, jam censebitur incursa Excommunicatio, ab utroque, & inhabilitas à Titio ad Beneficium.

251 Dub. 2. quæ pœnæ Juris incurrantur per Simoniam commissam circa ingressum in Religionem, vel alicujus in Monachum, vel Monialem receptionem? Resp. 1. dantes, & recipientes pro ea ex pacto pecuniam, si personæ sint singulares, incurrunt Excommunicationem; Capitulum verò, in receptionem ita factam consentiens, Suspensionem à Capitulari Officio. *Extrav. sane* 1. *h. tit.* Opus tamen est, ut hoc casu adsit præsumptio, ut colligitur ex textu, ubi bis repetitur, *Qui præsumunt.* Barb. *in Extrav. cit. n.* 2. Estque absolutio ab his Censuris reservata Papæ, ut patet ex textu *cit.* quamvis, si delictum occultum sit, vigore Decreti S. Synod. Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* eandem impertiri possint etiam Episcopi, & Mendicantes ex privilegio; quo absolvere possunt à casibus Papæ reservatis Anton. Thesaur. *de pœn. Eccl. p.* 2. *V. Simonia c.* 10. *n.* 1. Suar. *l.* 4. *c.* 61. *num.* 4. Less *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 131. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 28. *n.* 2. Barbos. *l. cit. num.* 1. Zoes. *hic n.* 97. Engl. *nu.* 35. Konig *n.* 25. *&* 28. Schambog. *n.* 72. Vviestner *num.* 86. Reiffenstuel *n.* 251.

252 2. Ita scienter aliquem recipientes, & recepti, postquam de Simonia convicti, & condemnati fuerint, jubentur expelli è Monasterio, & in arctius detrudi *c. de Regularibus* 25. *c. quoniam* 40. *h. tit.* & *Extrav. cit.* nisi cum ipsis Episcopus, ut remanere possint, dispenset, prout ex *Extrav. cit.* desumit Thesaur. *l. cit. nu.* 5. *Ex quo sequitur*, Professionem ita editam validam esse, ac proinde ita professum ad Sæculum redire non posse. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 57. Sanch. *l.* 2. *conf. c.* 3. *dub.* 104. *n.* 1. Less. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 132. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 70. *fin.* Barbos. *in c.* 25. *cit. n.* 2. *&* 4. Honor. *hic nu.* 15. Pirh. *n.* 63. *not.* 2. Konig. *n.* 25. Vviestner *n.* 86. Reiffenstuel *n.* 254. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *numer.* 220. Et hinc tamdiu potest in Monasterio Professionis persistere, ac commodis alimoniæ frui, donec cognito Simoniæ crimine, per sententiam expellatur, ut *l. citt.* notant *Suar. Less. Laym. Schmier &c.* & probat ratio; cum enim pœna expulsionis, in textibus *citt.* contenta, videatur solum esse ferendæ sententiæ, illa non obligabit Professum, ut, antequam è Monasterio recedere jubeatur, recedat, sed cùm oneribus Ordinis per Professionem adstrictus sit, ejusdem commodis temporalibus licitè gaudet.

3. Incurrunt infamiam Juris *Extrav. cit.* §. *cæterum*, & conf. fiunt Irregulares, saltem si crimen sit notorium notorietate Juris, aut facti. Ant. Thesaur *c.* 10. *cit. nu.* 3. *&* 4. Vviestner *l. cit.* Reiffenstuel *n.* 253. 253

Excipiuntur tres casus, in quibus pœnæ istæ locum non habent. Et 1. quidem, quando ingressus per Professionem consummatus non est. Laym. *c.* 8. *cit. n.* 70. *vers. duo adde*, Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 23. *num.* 3. Barbos. *in Extrav. cit. n.* 5. Zoes. *hic n.* 96. Vviestner *n.* 87. Reiffenstuel. *n.* 255. P. Friderich. *n.* 117. cum aliis. Et hinc, si receptio ad Habitum, vel Novitiatum facta sit Simoniacè, Professio verò deinde admittatur gratis, quia scilicet factum retractatur, & pecunia non recipitur, vel recepta redditur, Excommunicatio non incurritur; sicut ex opposito incurreretur, si receptio ad Habitum gratis facta est, sed postea tempore Professionis aliquid exigitur. Barbos. *n.* 5. *cit.* 254

2. Quando aliquid sponte offertur, aut etiam exigitur ad sustentationem Professi ex antiqua consuetudine, juxta dicta *n.* 194. *& seqq.* 255

3. Ubi *Extrav. cit.* quoad pœnam Excommunicationis non est usu recepta: & ita non receptum esse existimant *Navarrus* Constitutionum Apostolicarum scientissimus, quem sequuntur Less. *n.* 131. Palao *n.* 3. *cit.* & antecessit *Sylvester*, dum docent sola Simonia in Ordinibus, & Beneficiis Excommunicationem incurri. Imò easdem pœnas quoad Moniales, super Dote recipienda pascicentes, à Clem. VII. & Martino V. revocatas monent Illsung *Theol. pract. tr.* 5. *num.* 314. & Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. c.* 1. *num.* 217. cum Suar. Less. Laym. *l. cit.*

Ex quo sequitur, pœnas istas rarò admodum incurri etiam in Monasteriis virorum; quia si aliquid accipitur in receptione ad Monasterium, ferè tantùm recipitur, quia sponte oblatum est, vel si etiam exigatur, & ea exactio cohonestatur ob Monasteriorum tenuitatem, quòd ita necessarium videatur ad sustentationem Professi; vel denique si Monasterium sit dives, exactio illa, & pactio, licèt forte non eximatur à peccato Simoniæ, tamen eximitur à pœnis ejusdem, quòd *Extrav. cit.* in tali loco quoad pœnas non sit recepta. 256

Dub. 3. quæ pœnæ incurrantur per Ordines Simoniacè susceptos, vel collatos? Resp. qui Simoniacè aliquem ordinat, vel ad Ordines præsentat, 1. incurrit Excommunicationem ipso facto, quæ Summo Pontifici reservata est juxta *Extrav. cùm detestabile* 2. *h. tit.* ita, ut à nemine alio absolvi possit, nisi à Summo Pont. etiamsi delictum occultum sit, prout statuit *Sixtus V. in Bulla* incipit *Sanctum edita Non. Jan.* 1588. cum derogatione Trid. *Sess.* 24. *c.* 6. *de reform. Neque obstat*, quòd *Constitutio cit.* per *Clementem VIII. Constit.* incipit *Romanum* edita *prid. Calend. Mart.* 1595. ad terminos Juris communis redacta sit; nam hoc intelligendum est quoad cætera in *Constitutione* illa contenta: pœnæ enim, & Censuræ, contra Simoniacos latæ à Sixto V. per memoratum Clementem stabilitæ, & repetitæ sunt, ut advertunt Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 56. *n.* 10. *&* 15. Sanch. *l.* 2. *conf. c.* 3. *dub.* 104. *n.* 28. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 134. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 24. *n.* 2. Barbos. *in Extr.* 2. *h. tit. nu.* 4. Vincent. Petra *tom.* 1. *Comment. fol.* 304. *n.* 12. Pithing. *hic nu.* 159. *fin.* Vviestner *ibid. n.* 88. 257

2. Ipso

258 2. Ipso Jure, & facto incurrit Suspensionem a collatione quorumcunque Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, & omnium munerum Pontificalium executione *c. si quis* 45. *h. tit. Extrav.* & *Const. Sixti V. citt.*

3. Interdicitur ingressu Ecclesiæ, & si interdictum, aut Suspensionem hujusmodi violaverit, præter Irregularitatem, a regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, & fructuum omnium, ex Beneficiis suis provenientium, perceptione suspenditur. *Const. cit.*

259 Similes fere pœnas incurrit; qui ordinatus est Simoniacè; nam 1. incurrit Excommunicationem ipso facto *Extrav. cit.* quæ & ipsa est reservata Summo Pontifici. 2. Suspenditur ab executione suorum Ordinum *Extrav. cit.* saltem illius, quem Simoniacè suscepit. 3. si supensionem, quam incurrit, violet, præterquam quod & ipse irregularis fiat, si Sæcularis sit incurrit privationem officiorum, & Beneficiorum, & ad ea inhabilitatem; si verò Regularis, privationem vocis activæ, & passivæ, & ad eam inhabilis redditur *Const. Sixt. V. cit.*

260 *Extenduntur* autem hæ pœnæ 1. ad eos etiam, qui Simoniacè conferunt, & suscipiunt primam Tonsuram, ut vult Suar. *c.* 56. *n.* 5. Laym. *c.* 8. *n.* 71. & alii apud Barbos. *in Extrav. cit. n.* 8. tum quia per primam Tonsuram communi modo loquendi dicitur quis ordinari, i. e. constitui in Ordine Clericorum, & hoc sensu prima Tonsura dicitur Ordo; tum quia verba *Extr. cit.* valde generalia sunt, & afficiunt quomodolibet dantes: & accipientes. Contrarium tamen alii tenent, nec malè, ut notat P. Vviestner *n.* 88. & approbat Palao *p.* 24. *cit. numer.* 1. post Lessium *c.* 35. *cit. num.* 133. quia prima Tonsura non est verus Ordo & pœnæ debent restringi.

261 *Extendit* eas 2. Ugolinus *tab.* 4. *c.* 3. *nu.* 2. *& c.* 4. *n.* 1. ad Notarium vel Ministrum; qui pro Litteris Dimissoriis, vel sigillo aliquid accipit: quam sententiam sumpsit ex Salzedo *in addit. ad pract. Bernar. c.* 91. *vers. quinto*, ubi dicit, ita dispositum esse in Trid. *Sess.* 21. *c.* 1. *de reform.* Sed Concilium ibi nullam talem extensionem ponit, sed concludit: *Qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes ultra Divinam ultionem pœnas a Jure inflictas ipso facto incurrant*: ubi non imponit pœnam novam, sed confirmat pœnas a Jure inflictas, ut bene expendit Less. *n.* 133. *cit.* Non est ergo verisimile, incurrere hanc Censuram, qui absque Simonia Ordinem suscepit, etiamsi aliquid postea det pro hujusmodi Litteris, cum ex vi dictæ *Extrav.* illam non incurrat; quia non potest dici Ordinem Simoniacè suscepisse, nec pro illo aliquid dedisse: & idem dicendum de Notario, & similibus Suar. *num.* 5. *cit.* Palao *n.* 156. *vers. porro.*

262 Multo minus in hanc Excommunicationem, & pœnas incidit 1. Episcopus, si post Ordinem gratis collatum aliquid postea acceptet spontè oblatum; nam esto, peccet ita accipiendo, & probabiliter etiam Simoniam Juris Ecclesiastici committat juxta Trid. *Sess.* 21. *c.* 1 *de reform.* non tamen in hanc Excommunicationem incurrit, cum Jure inflicta non sit pro eo crimine; & si Concilium voluisset de novo illam imponere, certè clarius expressisset, cum sit gravissima pœna, & valde dura pro tali delicto. Suar. *n.* 5. *cit.* Palao *n.* 1. Less. *n.* 133.

263 2. Nec Excommunicationem, nec Suspensionem ab Ordine suscepto, saltem quæ sit propriè, & vera Censura, incurrit, qui ordinatus fuit Simoniacè absque sua culpa, quòd v. g. alius, ipso inculpatè ignorante, pecuniam dederit Episcopo, ut ipsum ordinaret; nam Excommunicatio, & suspensio, quæ propriè Censura est, pœna est: conf. culpam supponit. Navar. *Man. c.* 25. *n.* 68. Less. *c.* 35. *n.* 136. Palao *p.* 24. *n.* 3. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 4. Pirh. *ibid. n.* 161. *Excipitur.* nisi ignorantia fuerit culpabilis, & Juris clari, quam supponit textus *can. præsentium* 3. *caus.* 1. *q.* 5. & *c. per tuas* 37. *h. tit.*

264 3. Etsi ex multorum sententia, quam etiam tenet Palao *nu.* 3. *cit. pr.* qui sua culpa Simonicè suscepit Ordinem, suspensus sit ab executione omnium Ordinum, etiam non Simoniacè susceptorum, & ab omni spe, & facultate ad alios superiores ascendendi perpetuò suspensus sit, ab hujusmodi tamen ascensu non impeditur, qui Simoniacè ordinatus est sine sua culpa, contra *Sylvestrum* probabilissime docet Less. *num.* 136. & sequitur Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 227. ex ratione. quia scilicet innocens Clericus non debet pœna tam gravi sine expressa Juris sanctione percelli.

Dub. 4. quæ pœnæ statutæ sint in Jure obtinentibus, & conferentibus Beneficia Ecclesiastica per Simoniam? Resp. 1. sic ea obtinentes, & ii etiam, à quibus, & quorum mediatione, vel cooperatione ita obtinentur, ipso Jure, & facto incurrunt Excommunicationem. *Extrav. cùm detestabile* 2. §. *per Electiones h. tit.* & *Bulla S. Pii V.* incipit *Quam primum edita Calend. April.* 1566. estque Excommunicatio hæc reservata Papæ, nisi occultum relictum sit; tunc enim ab ea absolvere potest Episcopus vi Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* & Mendicantes vi specialis Privilegij. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 137. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 61. *n.* 4. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 28. *n.* 2. Barbos. *in Extrav. cit. n.* 6. *& n.* 15. Vallens. *hic.* §. 4. *n.* 10. Egl. *n.* 36. Pirhing *n.* 174. *vers. porro.* Konig *n.* 26. Vviest. *n.* 89. Reiffenstuel *n.* 263. Nomine *Beneficii* autem quoad hanc, & sequentes pœnas hìc intelliguntur Beneficia propriè dicta, sive Sæcularia, sive Regularia, qualia sunt Regularium Prælaturæ, quæ non consistunt in nuda commissione ad nutum ravocabili, sed in munere ordinario, ut sunt Generalatus, Abbatia, Præpositura, Prioratus, Guardianatus &c. non verò Pensiones, Vicariæ temporales, munus Inquisitoris, Legati, Delegati; qui non sunt Beneficia propriè dicta. Et hinc, etsi Simoniam committat, qui emit, aut vendit Pensionem spiritualem, aut Vicariam temporalem, non tamen Excommunicationem, vel alias pœnas mox referendas contrahit, ut notat Navar. *Man. c.* 23. *n.* 111. Suar. *c.* 57. *n.* 45. Less. *c.* 35. *n.* 137. Palao *p.* 25. *n.* 1. & alii.

2 Electio Confirmatio, Institutio, & quævis alia provisio ad Beneficium, Officium, Dignitatem &c. Ecclesiasticam est ipso Jure nulla, ita ut per eam provisus nullum jus consequatur. *Extrav. cum detestabile cit.* §. *per electiones.* Less. *c.* 35. *n.* 137. Suar. *c.* 57. *n.* 2. Garc. *p.* 8. *de Benef. c.* 1. *n.* 3. Laym. *c.* 8. *n.* 72. Palao *ß.* 25. *n.* 3. *pr.* Barbos. *in Extrav. cit. n.* 5. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 10. Zœs. *n.* 103. *&* 107. Engl. *n.* 36. Pirhing. *n.* 164. Schambog. *n.* 82. Konig *n.* 24. Reiffenstuel. *n.* 264. Et hoc adeo verum est; ut possessor talis Beneficii etiam per vim spoliatus, non restituatur; quia non habet in illo titulum etiam coloratum, qui desideratur ad restitutionem in Beneficialibus juxta Regulam *c. constitutis* 1. *de eo, qui nititur &c.* Gonzal. *in c.* 12. *h. tit. n.* 6. Neque etiam defenditur Regula de triennali possessore, cùm in eadem expressè exceptus sit ibi, *absque Simoniaco ingressu.* Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 131. *Proceditque hoc* 1. etiamsi in Electione ad Beneficium, vel Prælaturam unus tantùm Votum dedisset Simoniacè, majori parte eligente absque Simonia, ut rectè notant Joann. Andr. *in c. nobis* 24. *h. tit. n.* 1. Anchoran. *ibid. not.* 2. Garc. *p.* 8. *c.* 1. *n.* 10. Laym. *c.* 8. *n.* 22. *concl.* 8. Barbos. *in c. nobis cit. n.* 2. Fagnan. *n.* 3. 4. *&* 16. Vvagnereck *in c.* 27. *not.* 1. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 50. *n.* 4. *&* 5. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 11. *vers. sic quoque*, Honor. *n.* 29. Reiffenst. *n.* 137. & decidit *Rota* apud Farin. *decis.* 22. Idem dicendum de Præsentatione, si hæc fiat à pluribus jure Communitatis, vel Collegii. Secus, si illa fiat ab ipsis, ut singuli sunt; cum enim tunc tot sint Præsentationes, quot Patroni, una Præsentatio Simoniacè facta non inficit aliam, nec influit in illam. *Barb. Fagn. Vvagner. Vall. Honor Reiffenst. l. citt. Procedit* 2. etiamsi Simoniam non ipse promotus, sed ipso ignorante parentes ejus, cognati, amici &c. commisissent, nisi hoc factum fuisset in fraudem, & ad præsentatum &c. reddendum inhabilem ad Beneficium, tunc enim sustinetur provisio, ne perversorum hominum malitiis, quàm innocentum meritis plus tribuatur. Less. *c.* 35. *n.* 143. Suar. *c.* 57. *n.* 33. Laym. *n.* 73. Palao *n.* 2. Vivian. *in c.* 27. *vers. nisi*, Gonzal. *in c.* 12. *n.* 3. Vallens. *n.* 10. *&* 13. Zœs. *n.* 106. Honor. *n.* 19. *post. med.* Pirhing. à *n.* 95. Schambog. *n.* 84. *&* 88. Konig *n.* 24. Vviestner *n.* 91. Reiffenstuel à *n.* 274. & patet ex *c. insinuatione* 26. *h. tit. c. nobis* 27. *eod.* & *Extrav. cit. vers. Electiones.* Idem à fortiori dicendum de eo, qui scivit ab alio datum iri pecuniam, & non in fraudem ipsius: ubi tamen est distinguendum; nam si ille ante collationem expressè contradicat, non vitiatur, sed valida est collatio Beneficii, etsi alter, ipso contradicente, & ignorante, in Simonia pergat, eaque mediante Beneficium revera obtineatur *c. sicut* 33. *h. tit.* Secus est, si non contradixit, vel contradixit quidem, sed postquam scivit, quòd alter, non obstante contradictione, & protestatione sua, nihilominiùs in Simonia pergeret, Beneficium mediante Simonia obtinuit, ut colli-

colligitur ex *c. ficut cit.* ubi tantùm excufatur à pœna nullitatis ille, qui poft, contradictionem ignorat, Beneficium ab alio Simoniace pro fe obtineri: conf. ille, qui fcit, non excufatur hoc ipfo, quòd fciat, Beneficium Simoniacè effe obtentum, & tamen illud acceptat, cùm fic acceptando videatur in re approbare Simoniam, & confentire in illam, non obftante fua proteftatione, quæ contraria facto eft. Leff. 35. *n.* 143. Suar. *n.* 29. Pirhing *n.* 103. Schamb. *n.* 88. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 238. Similiter receffiffe à proteftatione fua cenfetur ille, qui ante obtentum Beneficium refundit pecuniam ei, qui folvit, ut habetur *c. ficut cit.* Si poft obtentum Beneficium refundat, Simoniam quidem & ipfe committit (nifi hoc faciat præcife ex amicitia, & ne alter damnum fua caufa patiatur; nam hoc cafu non peccare refundentem docent Leff. *c.* 35. *cit. n.* 144. Gonzal. *in c.* 12. *h. tit. n.* 3. *fin.* Vallenf. §. 4. *n.* 13. Zœf. *n.* 106.) non tamen videtur incurrere pœnam irritationis ipfo facto; conf. ufque ad fententiam privationis retinere Beneficium poterit, ut volunt *Vall. Pirh. l. citt.* *Neque obftat*, quòd ratihabitio retrotrahatur, & æquiparetur mandato *Reg.* 10. *in* 6. quia id intelligendum eft in iis, quæ pendent à confenfu ratificantis, non autem quæ antea plane, & abfolutè peracta funt.

67 3 *Sic* promotus reftituere tenetur fructus, ex Beneficio ita obtento comparatos. Suar. *c.* 57. *n.* 25. Laym. *c.* 8. *n.* 72. Barbof. *in Extrav. cum deteftabile* 2. *h. tit. n.* 5. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 50. *n.* 15. Zœf. *hic n.* 103. Pirh. *n.* 164. Konig. *n.* 24. Reiffenftuel *n.* 288. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 239. & ftatutum eft *Extrav. cit.* §. *per Electiones*: ubi tamen eft diftinguendum, an Simonia commiffa fit ab ipfo beneficiario an ab alio, & fi ab alio, an ipfo fciente, & contradicente, an verò contra; nam fi ab ipfo Beneficiario commiffa eft Simonia, vel ab alio ipfo fciente, & non contradicente, fructus non facit fuos, fed reftituere illos tenetur, cùm bonam fidem, & titulum, in quo jus percipiendi fructus Beneficiales radicatur, non habeat. *Proceditque hoc* non tantùm quoad fructus extantes, fed etiam quoad confumptos: imò tali cafu reftitui debent etiam fructus, qui percipi potuiffent à quolibet poffeffore; quia cùm prædonis loco habeatur, fempre dicitur effe in mora, & ad omnia damna tenetur. Gonzal. *in c.* 12. *h. tit. n.* 6. Si verò Simonia commiffa fit ab alio, Beneficiario ignorante, fructus quidem, quamdiu manet in bona fide, ut alius bonæ fidei poffeffor, lucratur; fed quia collatio eft invalida fecundùm dicta *n. præc. verf. procedit.* 2. fublata ignorantia, fiqui extant, reftitui debent, cùm dominium illorum poffeffor tantùm irrevocabile nactus fit, ut dictum eft *Libr.* 2. *Tit.* 13. *n.* 49. Quodfi tamen cum bona fide per triennium in pacifica poffeffione perftiterit, defenditur Regula de triennali, adeo ut triennio illo elapfo nec fructus, nec Beneficium reftituere obftringatur. Leff. *c.* 35. *n.* 140. *verf. quartò* Garc. *p.* 8. *de Benef. c.* 1. *n.* 15. Suar. *c.* 57. *n.* 36. Palao *p.* 25. *n.* 3. Antonell. *de Regim. Eccl. l.* 6. *c.* 18. *n.* 6. Gonzl. *n.* 6. *cit.* P. Friderich *tr. de Simon. c.* 5. *n.* 213. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 241.

68 4 Simoniacè recipiens Beneficium ad idem obtinendum pro ea vice inhabilis redditur. Suar. *c.* 58. *n.* 9. Garc. *p.* 8. *de Benef. c.* 1. *n.* 56. Leff. *c.* 35. *n.* 139. Engl. *hic n.* 36. Pirhing *n.* 170. Reiffenftuel. *n.* 266. & conftat ex *c. fi alicujus* 59. *de elect. c. nobis* 27. *h. tit.* & *Bulla S. Pii V.* incipit *Cum primum.* In qua inhabilitate, fi Beneficium quodcunque fcienter, vel duplex etiam ignoranter Simoniacè obtentum fit, folus Papa, fi verò ignoranter obtentum ita fit Beneficium fimplex, poft liberam ejus refignationem difpenfare etiam Epifcopus poteft. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 73. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 28. *n.* 3. Barbof. *in c.* 22. *n.* 1. & 3. Gonzal. *in c.* 26. *n.* 3. Vallenf. *hic* §. 4. *n.* 11. Honor. *n.* 19. *circ. med.* Pirhing. *n.* 173. Vvieftner *n.* 91. Reiffenftuel *n.* 336. & *feqq.* Quod faltem verum eft in cafu, quo Electio, vel Collatio Beneficii per fententiam fuit reprobata, vel irrita declarata in foro externo reprobata non fuit talis Beneficii provifio, etiam pro illa vice difpenfare poterit Epifcopus, ut quis Dignitatem quoque, aut Beneficium Curatum per Simoniam alterius bona fide obtentum retinere, vel potiùs de novo acquirere valeat, fi priùs illud refignet. Palao *l. cit. n.* 4. Vall. *n.* 11. *verf. quodfi*, Reiffenftuel *nu.* 337. Imò fi ignorantia fuerit inculpata, juxta eundem Vallenf. *l. cit.* neque opus eft difpenfatione, Epifcopi, cùm nulla fub-fit culpa, ob quam ea inhabilitas induci debeat.

5 Juxta aliquos fic recipiens Beneficium privatur etiam Beneficiis aliis antea legitimè obtentis: quod defumunt ex *c. inquifitionis* 21. *de accuf.* ubi *in pr.* Simonia hujusmodi retentionem Beneficii, etiam poft peractam pœnitentiam, dicitur impedire. *Sed dicendum*, iisdem privari quidem à Judice per fententiam condemnatoriam poffe, non tamen privatum effe ipfo Jure, & facto, cùm hoc nec in *c. cit.* nec in aliis Juribus exprimatur. Felin. *in c. infinuatum* 13. *h. tit. pr.* Navar. *conf.* 92. *de Simon.* Ugolin. *tab.* 4. *de Simon. c.* 6. §. 6. *n.* 3. Suar. *l.* 4. *c.* 58. *n.* 6. Laym. *c.* 8. *n.* 74. Palao *D.* 3. *p.* 25. *n.* 4. Gonzal. *in c.* 12. *n.* 4. Zoef. *hic n.* 112. Honor. *n.* 23. Pirhing *n.* 169. Konig *num.* 24. Vvieftner *n.* 94. Reiffenftuel *nu.* 269. Friderich *num.* 210. *Ex quo fequitur*, etiam cafu, quo quis privatus eft per fententiam Beneficio legitimè antea obtento, fic privatum non hoc ipfo privatum cenferi fructibus, quos ante fententiam ex eo percepit, nifi etiam horum privatio in ipfa fententia contineatur; quia aliud eft privari beneficiis, aliud fructibus, ac idcirco pœna una non involvit alteram. Suar. *n.* 8. Palao *n.* 5. Pari ratione fi is, qui legitime electus, aut præfentatus eft, per Simoniam obtinet Confirmationem, aut Inftitutionem, non eo ipfo irrita redditur Electio, aut præfentatio. Leff. *n.* 138. Suar. *n.* 7. Pal. *n.* 6. & colligitur ex *c. fi electionem* 39. *de Elect. in* 6. juxta quod fi Confirmatio propter defectum folemnitatis, aut poteftatis in confirmante eft irrita, *non propter hoc præcedens Electio (fi alias fit Canonica) intelligitur infirmari.* 269

Dub. 5. quæ pœnæ incurrantur per Simoniam Confidentialem? Refp. per hanc incurritur 1. Excommunicatio refervata Papæ, lata in quofcunque, qui eam committunt five dando, five recipiendo. 2. Interdictum ab ingreffu Ecclefiæ, latum in Epifcopos, aliofque fuperiores Prælatos. 3. nullitas refignationis, & collationis per eam factæ. 4. privatio omnium Beneficiorum, & penfionum prius obtentorum. 5. inhabilitas ad idem, & alia Beneficia obtinenda. 6. denique Beneficium ita Simoniacè refignatum refervatur Sedi Apoftolicæ, ut ab Ordinario collatore conferri nequeat, & fructus illius malè percepti applicantur Cameræ Apoftolicæ. Ita decrevit *Pius IV. conft.* incipit *Romanum edita* 17. *Calend. Nov.* 1564. & *S. Pius V. Conft.* incipit *Intolerabilis Calend. Jun.* 1569. Videatur Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 43. *n.* 13. Leff. *l.* 2. *de Juft. c.* 35 *n.* 147. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 76. & 77. Pal. *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 25. *nu.* 8. Vvagnereck *in Extrav.* 2. *h. tit. not.* 5. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 49. *n.* 43. Vallenf. *hic* §. 4. *n.* 15. Zoef. *n.* 125. Engl *n.* 37. Pirh. *n.* 115. Konig. *n.* 27. Vvieftner *n.* 95. Reiffenftuel *n.* 284. P. Friderich *n.* 206. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Simon. c.* 1. *n.* 242. & *feqq.* 270

Circa pœnas iftas *notandum* 1. eas incurri ipfo facto. Privatio tamen Penfionum, & Beneficiorum, quæ Beneficiati ante Simoniam commiffam jam habuerunt, requirit fententiam criminis declaratoriam juxta communem DD. tefte P. Friderich *l. cit.* quia pœna, qua quis privatur jure jam quæfito, & re jam poffeffa, non debetur ante fententiam, tametfi Lex dicat eum effe privatum ipfo jure, aut facto, ut docet Gloffa communiter recepta *in can. fraternitas* 11. *cauf.* 12. *q.* 2. Similiter fententiam declaratoriam requirit, inhabilitas ad reliqua Beneficia juxta communem ufum tefte eodem P. Friderich. *l. cit.* 271

Not. 2. ut incurrantur pœnæ iftæ, neceffarium quidem eft, ut Simonia fit impleta opere, dato, & accepto Beneficio in confidentiam, non tamen requiritur, ut ex utraque parte fit completa, ita, ut accipiens viciffim fuam promiffionem impleverit v. g. penfionem folverit; nam nihilominus ab utroque incurruntur prædictæ pœnæ, eo ipfo, quod Beneficium ab uno fit datum, & ab altero acceptum, ut habetur in prædictis *Bullis*, & notat Suar. *c.* 43. *n.* 14. Laym. *n.* 78. Pal. *n.* 8. *verf. deinde*, Zoef. *hic n.* 125. Pirh. *n.* 115. *verf. porro*, Friderich *l. cit.* Hinc Navarr. *Man. c.* 23. *n.* 110. *verf. fecundò nota*, ait Simoniam Confidentiæ effe pejorem omni alia, videlicet quoad pœnas; quia nimirum continet innumeras fraudes, cum magis latenter, quam aliæ committatur, & fpeciem habeat Succeffionis hæreditariæ. *Excipiuntur* Mediatores Simoniaci; nam hi non incurrunt Excommunicationem etiam in Simonia Confidentiali, donec illa ab utraque parte tam accipientis, quam dantis completa fit. *Ratio eft*, quia de illis non loquitur Bulla Pii IV. & Pii V. fed illi incurrunt Excommunicationem Pauli II. *in Extrav.* 2. *h. tit.* 272

2. *h. tit.* quæ non incurritur, nisi per Simoniam realem utrimque completam, ut contra *Navarrum* notavit Suar. *l. cit. n.* 15. Palao *n.* 8. *fin.* Zoes. Pirh. *l. citt.*

273 *Not.* 3. Pœnam ex allatis *n.* 270. ultimam, qua Beneficia Simoniacè resignata reservantur Sedi Apostolicæ, in Germania vix habere locum, propter Concordata Germaniæ, ubi §. *de cæteris* promittit Pontifex, se extra menses Papales per nullam aliam reservationem, aut dispositionem, Concordatis non comprehensam, Ordinariorum liberam collationem velle impedire. Konig *hic n.* 27. & dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 5. *n.* 245. Et quamvis, ut *Libr.* 3. *Tit.* 5. *n.* 271. dictum est, Summus Pontifex iisdem Concordatis de plenitudine potestatis suæ, justa causa hoc exigente, derogare possit, tamen, ut *ibidem n. seq.* addidi, nunquam censetur per quantumcunque etiam generales, & amplas clausulas iisdem derogare velle, nisi expressam, & specificam eorum mentionem fecerit, hujusmodi autem mentionem in prædictis suis Bullis non fecerunt Pius IV. & S. Pius V. ergo &c.

274 Dub. 6. an recensitæ hactenus pœnæ incurrantur etiam ab illis, qui propria authoritate permutant Beneficia, ac universim, quando non committitur Simonia contra Jus naturale, sed tantum contra Ecclesiasticum? Negant quidam RR. secuti Petr. Navar. *l.* 2. *de restit. c.* 2. *nu.* 436. & Arragon. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *dub. penult.* ubi malè allegat *Mart. Navar. Cassador. & Covar.* Rationem dant, tum quia Canones, quibus pœnæ illæ statuuntur, explicari possunt, tanquam in materia odiosa, de sola Simonia Juris naturalis, utpote quæ secundum quosdam, quos *n.* 24. retuli, sola propriè dicta Simonia est; tum quia Jura, permutationem prohibentia, mentionem non faciunt pœnæ ipso facto incurrendæ.

275 Sed communius, & longè probabilius DD. affirmant. *Ratio est*, quia SS. Canones, dum detestantur, & puniunt Simoniam, indiscriminatim de ea loquuntur, imò apertè conprehendunt etiam eam, quæ est Juris solum Ecclesiastici, ut patet ex *c. quæsitum* 5. & *cap. cum olim* 7. *de rer. permutat.* 1. *de hoc* 11. *de Simon.* multisque aliis *caus.* 1. *q.* 3. & *cit. Extrav.* 2. *h. tit.* feruntur dictæ pœnæ in eos, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo Simoniam commiserint*, quique fecerint quasvis dispositiones, *quas Simoniaca contigerit labe fieri.* atqui certum est ex *citt.* Juribus, pacta circa Beneficia, propria authoritate inita, tametsi tantum contra Legem Ecclesiasticam, damnari ut continentia labem Simoniæ; & certum iterum est, Simoniam, quæ committitur dando pecuniam pro beneficio Ecclesiastico reputari in Jure veram Simoniam, quamvis, ut *n.* 223. ostendi, sub opinione sit, an non contraria sit Juri tantum Ecclesiastico. ergo &c.

276 Ex quo cadit *Ratio dubitandi* allata in contrarium; dicendum enim, etsi fortè Simonia contra Jus Ecclesiasticum sit non verè, & propriè dicta Simonia quoad culpam, ita tamen vocari, quod subjiciatur pœnis veræ Simoniæ; quæ est responsio *Durandi* apud P. Friderich *tr. de Simon. c.* 5. *n.* 211. *fin.*

277 Dub. 7. an aliqua pœna ipso facto incurratur per Simoniam, commissam in aliis materiis, extra Beneficia, Ordines Ecclesiasticos, & ingressum in Religionem? Resp. negativè. Ita Sylv. *V. Simonia q.* 19. Navarr. *Man. c.* 23. *n.* 111. *vers. sexto*, & *septimo*, Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *n.* 130. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 55. *n.* 5. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 69. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 21. *n.* 2. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 2. Engl *n.* 35. Pirh. *n.* 154. Schambog. *num.* 116. Vviestner *n.* 85. Reiffenstuel *n.* 229. & teste Suar. *l. c.* aliorum communis. Ratio est, quia nullo Jure expressæ sunt aliquæ pœnæ, nisi in tribus relatis materiis.

278 *Ex quo sequitur* 1. etiamsi in administratione, & susceptione Sacramentorum, Benedictionibus, Consecrationibus, vendendis, vel emendis Pensionibus, conferendis Vicariis temporalibus &c. ut a *n.* 155. dictum est, Simonia committi possit, non tamen ipso facto, aut Jure incurri aliquam vel Excommunicationem, vel suspensionem, vel Interdictum, vel aliam pœnam.

279 *Sequitur* 2. validam esse Simoniacam collationem Sacramentorum, Consecrationem Ecclesiæ, vel Calicis, actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ extra provisiones Beneficiorum, Professionem Religiosam, acquisitionem Officiorum Ecclesiasticorum merè temporalium, Juris Patronatus, aliarumque rerum, ac Jurium spiritualium, exceptis Beneficiis, & actionibus Jurisdictionis, Administrationis Sacræ, ac Juris Ecclesiastici, ad conferendum Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum ordinatis, ut fusè explicat, & probat Suar. *c.* 57. *n.* 2. & *seqq.*

Sequitur 3. non esse obligationem in conscientia ad ea dimittenda, donec per sententiam condemnatoriam in pœnam commissæ Simoniæ quispiam iisdem privetur. *Neque obstat*, quòd Contractus Simoniacus sit nullus; consequenter jus nullum tribuere possit ad retinendum id, quod per eum acceptum est; nam hoc, ut mox dicetur, intelligendum est, quantum ex vi ipsius Contractus, non verò, quantum est ex vi traditionis liberè factæ ab eo, qui jus transferendi habet, & acceptionis ex parte alterius animo rem habendi ut suam, nisi Jus humanum resistat. 280

Dixi *ipso Jure & facto*; nam per sententiam infligendæ statuuntur variæ *can. reperiuntur* 7. *can. si quis* 8. & *seqq. caus.* 1. *q.* 1. *c. si quis* 6. *c. de hoc* 11. *c. veniens* 19. *h. tit.* *Neque obstat*, quod *Extrav. cum detestabile* 2. *h. tit.* Paulus II. postquam renovavit Censuras omnes, & pœnas, Juribus antiquioribus latas, addiderit, *Quas ipso facto eos incurrere volumus*; nam idem intelligendum est de Beneficiis, & Officiis Ecclesiasticis, de quibus ibi sermonem præmisit Pontifex. Certè, si ex illis verbis Censuræ, quæ Jure antiquo erant ferendæ sententiæ, nunc essent ipso Jure latæ, ut cum *Garcia* optimè advertit Palao *p.* 21. *cit. n.* 3. *vers. respondeo*, etiam pœnæ depositionis, & privationis Beneficiorum essent nunc ipso Jure latæ, siquidem *Extrav. cit.* de omnibus locuta est: hoc autem nullus est ausus affirmare. ergo &c. 281

Quæritur 2. an, & quomodo restituenda sint illa, quæ accepta sunt Simoniacè? Videntur indiscriminatim restituenda omnia, ex ratione; quia, ut *c. fin. de pactis* Gregorius IX. statuit, pactiones, & conventiones, super rebus spiritualibus initæ, nullius penitus momenti sunt. atqui pacta, & conventiones, quæ nullius penitus momenti sunt, vim non habent transferendi mercem, & pretium a dante, vel promittente in accipientem, & promissarium; quia quoties actus ob Legis prohibitionem nullus est, ex eo adeo nihil transit, ut recipiens neque Exceptionis ope defendatur *arg. c. illud* 8. *de Jur. Patron.* & *l. non dubium* 5. *C. de LL.* Farin. *Fragment. V. Lex n.* 176. Barbos. *axiom. V. nullum n.* 5. Vviestner *hic n.* 96. ergo &c. 282

Sed distinguendum est inter materias, circa quas Simonia contingit; nam si committatur in materia Beneficiali, datum, & acceptum ante omnem sententiam Judicis in foro conscientiæ restituendum est, non quidem Jure naturali, ut voluerunt Adrian. *Quodl.* 9. *artic.* 3. *lit. D.* Armacan. *l.* 10. *qq. Armeniac. c.* 23. sed Ecclesiastico, ut cum communi tradunt Navar. *Man. c.* 23. *a n.* 103. Covar. *Reg. peccatum p.* 2. *c.* 8. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 35. *num.* 166. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 60. *numer.* 3. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *num.* 83. Pirhing *hic n.* 181. & 185. & constat ex *cap. de hoc* 11. *h. tit.* Ratio est, quia Jus tam Beneficium, quam pretium accipientem impedit, quo minus dominium accepti acquirere possit; idque in pœnam tam gravis delicti. 283

Si verò committatur Simonia in alia materia extra Beneficialem, altera distinctio est adhibenda, & differentia facienda inter mercem, seu rem spiritualem, & pretium Simoniacum. Nam Merx Simoniaca obligationi restitutionis non est obnoxia, ut ex unanimi ferè DD. calculo advertunt. Less. *c.* 35. *cit. num.* 168. Suar. *c.* 59. *a n.* 28. Bonacin. *de Simon. q.* 7. Laym. *c.* 8. *n.* 86. Palao *p.* 26. *n.* 1. & 4. Pirhing *n.* 185. Schambog. *n.* 124. Vviestner *n.* 97. Reiffenstuel *n.* 286. idque 1. quia nullo Jure obligatio ista imposita est. 2. quia obligatio restituendi solum oritur ex violatione Justitiæ. atqui per Simoniam plerumque solum contra Religionem, non autem contra Justitiam peccatur, ut dictum est *supra n.* 8. 3. quia ut valida sit rei spiritualis translatio, Jure Divino plus non requiritur, quam potestas transferendi illam in conferente, & capacitas in recipiente. talis adest in utroque respectu Mercis Simoniacæ, nisi aliunde in altero sit defectus aliquis. igitur valebit translatio Jure Divino. si Divino, etiam positivo humano; neque enim isto irritatæ reperiuntur, nisi ferè solæ provisiones Beneficiales Simoniacæ. 284

Neque dicas: qui dedit rem spiritualem, non voluit eam aliter dare, nisi ut ipse acquireret pecuniam. ergo si hæc causa non habuit effectum, nec datio rei spiritualis valida erit. Resp. *Tr. Ant. N. Conf.* quia velle dare rem spiritualem, non aliter, quam pro pecunia involvit: 285

injuſtam, & turpem conditionem, & ſic pro non adjecta habetur, ita, ut datio rei ſpiritualis, ea non obſtante, valeat, & ſic accipiens eam retinere valeat. Schambog. *n.* 125. *Excipiunt* quidem nonnulli penſiones ſpirituales, quarum collationem ſimoniacè factam invalidam, ac proinde illas dimittendas eſſe contendunt. Sed cum jura allegata loquantur ſolùm de Beneficiis, non ſunt extendenda ad penſiones, utpote odioſa, quia in materia pœnali, ut bene advertit P. Frider. *de Sim. c.* 5. *n.* 220.

6 Quoad pretium ſimoniacum tertia attendum eſt diſtinctione, & videndum, an ſimoniacè ſolum, an etiam injuſtè receptum ſit. *Si primum*, non datur obligatio illud reſtituendi ante ſententiam judicis condemnatoriam, niſi pretium excedat æſtimationem commodi temporalis, quod cum re ſpirituali in alterum translatum eſt, ut rectè Leſſ. *c.* 35. *n.* 160. Suar. *c.* 59. *n.* 35. Palao *p.* 26. *n.* 7. Laym. *c.* 8. *n.* 82. Zoeſ. *n.* 119. Pirh. *n.* 177. Schamb. *n.* 116. Vvieſtner *num.* 104. Reiffenſtuel *num.* 302. Friderich *n.* 222.

7 *Ex quo ſequitur* 1. ad reſtitutionem pretii accepti non obligari, qui vendidit vaſa ſacra, Chriſma, vel Oleum ſacrum, ſi quod accepit, non excedat valorem illius materiæ, quamvis teneatur reſtituere, ſiquid accepit ratione conſecrationis, vel benedictionis, quæ pretio æſtimari non poteſt. Suar. *c.* 59. *cit. n.* 42. Pirh. *n.* 178. Ratio eſt, quia hujuſmodi res per conſecrationem pretium ſuum non amittunt: & hinc, qui pro illis juxta æſtimationem materiæ pretium dat, vel ſimoniam omnino nullam committit, vel non committit ſaltem ſimoniam juris Divini, & naturalis.

8 *Sequitur* 2. ad reſtitutionem pretii accepti pariter non obligari, qui alteri contra SS. Canones vendidit Officium temporale Eccleſiæ v. g. Cuſtodis, Oeconomi, vel ſyndici. Suar. *n.* 36. Laym. *n.* 82. Pirh. *n.* 178. *cit.* quia etſi committat ſimoniam, non tamen committit injuſtitiam, cum dando tale Officium ſe privet commodo temporali. Ex eadem ratione ad pretii reſtitutionem, jure ſolum naturali ſpectato, non obligatur etiam is, qui Beneficium ſuum vendit alteri. Leſſ. *n.* 158. Suar. *n.* 87. Laym. *n.* 82. *aſſert.* 2. Pirh. *l. cit.* *Neque obſtat*, quòd Beneficiarius non ſit dominus Beneficii; quia, ut rectè advertit Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *num.* 257. non transfert dominium Beneficii, ſed inſtar Uſufructuarii commodum rei Beneficiariæ, in quo etſi committat ſimoniam juris etiam Divini, ut dictum eſt *n.* 224. non tamen peccat contra juſtitiam.

9 *Sequitur* 3. Similiter ad reſtitutionem non teneri Monaſterium, ſi accepit pecuniam pro admiſſione alicujus ad Religionem. Leſs. *c.* 35. *dub.* 30. *circ. fin.* Suar. *n.* 41. Palao *n.* 6. Laym. & Pirh. *l. citt.* & ſumitur ex *Extr. ſanè* 1. *h. tit.* ubi Papa concedit, quòd ſimoniacè accepta in ingreſſu Religionis retineri poſſint, dummodo non in privatum Abbatis, vel Abbatiſſæ, vel alterius, ſed in communem uſum convertantur. Poſſuntque, ut notat P. Reiffenſtuel *hic n.* 298. favere hujus *Extrav.* uti etiam Regulares Monaſterii opulenti; quia licèt iſti, etiam quando pro ſuſtentatione honeſta tantum aliquid ab ingredientibus exigunt, ſimoniam juxta pleroſque DD. juris Eccleſiaſtici ſaltem committant, tamen quia Papa concedit, ut hujuſmodi ſimoniacè accepta communi Monaſterii uſui tanquam piæ cauſæ remanere, & applicari valeant, à reſtitutione ſic applicatorum excuſabuntur. *Ratio eſt*, quia licèt admiſſio ſit actus ſpiritualis, ideoque ſine ſimonia accipi pretium nequeat, quia tamen annexum habet onus temporale ſuſtentandi perſonam, quod eſt pretio æſtimabile ideo pecuniæ acceptio, modò non excedat æſtimationem oneris temporalis, ſive alimentorum, juſtitiæ non repugnabit.

0 *Sequitur* 4. ſiquis Caſtrum, cui annexum eſt jus patronatus, carius vendat ratione juris illius, ob temporale commodum, quod afferre ſolet tale jus, & quo ſe privat in gratiam alterius, v. g. ob honorem humanum, qui eſt pretio æſtimabilis, eum poſſe retinere pretium acceptum, donec per ſententiam reſtituere compellatur; quia licèt venditio illa ſit ſimoniaca, eò quòd honor ille ſit annexus juri ſpirituali, in eoque fundatus, non tamen eſt injuſta. Suar. *n.* 42. Laym. Pirh. *l. citt.* Idemque eſt, ſiquis vendat Imaginem miraculoſam, ex qua lucrum percipiebat, vel aliam rem ſpiritualem, ſeu ſacram, ex qua voluptatem hauriebat, aut aliam commoditatem ex uſu, & poſſeſſionem talis rei. Suar. Pirh. *l. citt.*

Sequitur 5. ſiquis pro functione ſpirituali v. g. Sacrificio Miſſæ, ad quam ex officio, & juſtitia non tenebatur, accipiat temporale aliquid, non tanquam pretium ſpiritualis functionis, ſed tanquam ſtipendium, quod omni laboranti in gratiam alterius eſt jure naturæ debitum, non tamen teneri illum ad reſtitutionem, niſi poſt condemnationem judicis, ſiquid acceptum fuit titulo ſuſtentationis contra prohibitionem Legis Eccleſiaſticæ. Laym. *n.* 81. Pirh. *n.* 176. Imò etiamſi accepiſſet tanquam pretium ſpiritualis functionis, ſi tamen pretium acceptum non excedat juſtum ſtipendium, ipſi ad ſuſtentationem pro actione illa temporali debitum, non tenetur ad reſtitutionem, quia licèt ſimoniam commiſerit accipiendo pretium pro re ſpirituali, non tamen commiſit ullam injuſtitiam: ideoque mutata intentione poteſt retinere tanquam ſtipendium, quod prius acceperat tanquam pretium Suar. *nu.* 16. Laym. *n.* 85. Palao *n.* 7. Pirh. *n.* 176. Vvieſt. *n.* 103. Ratio eſt quia non tam acceptione, quàm accipiendi modo, ſeu prava intentione peccatum eſt igitur ſi hæc deponatur, aut mutetur, id per modum ſtipendii juſtè, honeſteque retinebitur. 291

Contrà obligabitur ad reſtituendum pretium ante omnem ſententiam, quando acceptio repugnat Juſtitiæ commutativæ. Leſſ. *c.* 35. *n.* 162. Suar. *c.* 59. *n.* 11. Laym. *c.* 8. *n.* 70. Gonz. *in c.* 3. Zoeſ. *hic n.* 116. Pirh. *n.* 175. Schamb. *n.* 118. Reiffenſt. *n.* 292. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 253. Ratio eſt, quia exploratum eſt, ex violatione juſtitiæ commutativæ obligationem reſtituendi exſurgere. Atque hinc. 292

Sequitur 1. ad reſtitutionem teneri eum, qui pretium accepit pro re merè ſpirituali, & quæ nullum commodum temporale affert. Leſſ. *n.* 162. Suar. *n.* 11. Laym. *num.* 79. Vvieſt. *nu.* 101. Ratio eſt, quia tales res non ſunt pretio æſtimabiles, aut vendibiles, ſed qui vendit pro pretio rem, cujus nullum eſt pretium, contra juſtitiam peccat, nec pretium pro ea receptum licitè retinet. ergo &c. 293

Sequitur 2. Similiter ad reſtitutionem teneri, qui pretium accepit pro re temporali etiam tali, quæ commodum temporale affert, ſi ea ex juſtitia e. g. ex officio Parochiali à Parocho debeatur; quia contra juſtitiam peccat, qui recipit pretium pro re, quam ex juſtitia aliunde debet. Suar. *n.* 12. Pirh. *n.* 176. *coroll.* 2. Vvieſtner *n.* 102. 294

Sequitur 3. ex eodem capite ad reſtitutionem pretii accepti teneri Epiſcopum, vel alium Eccleſiæ Prælatum, ſi vendat Beneficia, vel Officia Eccleſiaſtica, quorum collatio ad ipſum pertinet ratione muneris ſui, quia non eſt illorum Dominus, ſed Diſpenſator à DEO conſtitutus, quæ gratis debet diſpenſare ex officio ſuo, adeoque peccat contra juſtitiam, ſi pro tali collatione pretium accipiat. Suar. *n.* 13. Laym. *n.* 81. Pirh. *coroll.* 3. quamvis contrarium teneat Leſſ. *n.* 161. 295

Ex quo patet Reſponſio ad Rationem dubitandi *n.* 282. allatam; dicendum enim, diſpoſitionem *c. fin. cit.* reſtringendam ad materiam Beneficialem. Si verò contendas, extendendam etiam ad cætera ſpiritualia, non renuo, ſed cum diſtinctione dico, hujuſmodi Pactiones eſſe irritas, antequam compleantur traditione mercis, & pretii; non enim ita paciſcentes obligantur ad complendum pactum à ſe initum, cum complere illud ſine peccato non poſſint: ſi tamen pro re temporali rei ſpiritualis traditio, & ejus acceptatio facta ſit, iſtam ſubſiſtere, & acceptam rem ſpiritualem retineri licitè poſſe; habet enim ſe res hic, ſicut ſe habet in pacto, quo quis pro pecunia conducit ſicarium, aut uſum corporis ſibi emit à meretrice, ubi datur obligatio non implendi pactum per cædem, & fornicationem; ſi tamen hæc facta ſint, exſurgit obligatio in altero paciſcente ad ſolvendum pretium, & poſtquam illud ſolutum eſt, dominium ſoluti ab accipiente acquiritur, donec per ſententiam judicis auferatur. 296

Dub. 1. cui facienda ſit reſtitutio pretii ſimoniaci? Reſp. ſecluſa ſpeciali Lege Eccleſiaſtica, & ante ſententiam judicis, illud Eccleſiæ, vel pauperibus addicentis, facienda eſt ei, à quo acceptum eſt *can. fin. cauſ.* 14. *q.* 5. Sot. *l.* 9. *de Juſt. q.* 8. *art.* 1. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 35. *n.* 170. Suar. *l.* 4. *de Simon. c.* 59. *n.* 23. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 79. & 81. Zoeſ. *hic n.* 117. Pirh. *n.* 179. Schamb. *n.* 122. Vvieſt. *num.* 102. Ratio eſt, quia per ſe, & Lege, vel ſuperiore aliud non ſtatuente, ratione injuſtæ acceptionis reſtitutio facienda eſt læſo. atqui in caſu dato læſus eſt, qui pretium dedit. ergo &c. Et hinc, ſi is, qui ſimoniacè dedit, gratuitò remittat pretium, ille, qui id accepit, licitè 297

iſtud

iſtud retinet, donec in criminis pœnam Eccleſiæ, vel pauperibus illud applicate per ſententiam jubeatur. Vvieſtner *l. cit.*

298 *Neque obſtat* 1. quòd dans pecuniam pro re ſpirituali, voluntariè dederit, adeoque habuerit voluntatem verè dandi, & transferendi dominium in alterum, ſicque de injuria non poſſit conqueri. Nam quod ille dedit, non voluit donare ſed dare, quantum juſtitia permitteret, nec plus voluit à ſe abdicare, quàm ex juſtitia deberet. at verò pretium illud non fuit ex juſtitia debitum, nec juſtè exigi poterat: & ideo voluntas illa dandi non habuit effectum, nec tranſtulit dominium rei datæ in accipientem; nam quando cauſa dandi non ſubſiſtit, nec ipſa datio ſubſiſtit. Suar. *n.* 26. Laym. *n.* 5. Zoeſ. *n.* 117. Pirh. *n.* 180. Scamb. *n.* 123.

299 *Non obſtat* 2. quòd quando pecunia data eſt ex turpi cauſa, tenente ſe ex parte utriuſque tam dantis, quàm accipientis, ea non ſit reſtituenda danti; quia non eſt dignus, ut ipſi reſtitutio fiat *l. ut puta* 2. *l. ubi* 3. *& l. ſi ob turpem cauſam* 8. *ff.* & *l. cùm te* 2. *C. de condict. ob turp. cauſ.* Nam ex hoc ſolùm, ſequitur, quòd emptor rei ſpiritualis mereatur privari pretio dato, in pœnam ſui delicti, & per ſententiam judicis.

300 *Non obſtat* 3. quòd accipiens rem ſpiritualem pro pecunia non teneatur illam reſtituere danti. ergo nec accipiens pecuniam tenebitur illam danti reſtituere. *Reſpondeo* enim *Neg. Conſ.* nam accipiens rem ſpiritualem pro pecunia non peccat contra juſtitiam, peccat autem contra juſtitiam accipiens pecuniam pro re ſpirituali, quæ vel commodum temporale nullum affert, vel ſi affert, ex Juſtitia debebatur.

301 *Neque obſtat* 4. quòd qui dedit rem ſpiritualem, non voluerit illam dare, niſi ob talem cauſam, ut acquireret dominium pecuniæ. ergo ſi hæc cauſa non habuit effectum, nec datio rei ſpiritualis valida fuit. Reſp. *Tr. Ant. N. Conſ.* quia velle dare rem ſpiritualem non aliter, niſi pro pecunia, involvit conditionem turpem, & injuſtam, & ideo habetur pro non adjecta, & datio rei ſpiritualis, non obſtante tali conditione, valet; conſ. accipiens poteſt illam retinere. At verò acceptio pretii pro re ſpirituali, quæ commodum temporale annexum non habet, aut aliunde ex juſtitia debetur, non valet, quia eſt injuſta, & turpiter, ac injuſtè petitum fuit pretium; ideoque reſtitui iſtud debet. Quando verò jura dicunt: quòd donatio facta ob certam cauſam, ſi cauſa illa non ſubſiſtat, non teneat, id intelligi debet, quando cauſa eſt honeſta, & licita, vel ſaltem non injuſta. Suar. *n.* 39. Pirh. *n.* 180. *fin.*

302 Dub. 2. cui reſtituendum ſit pretium datum in collatione Beneficii ſimoniaca? Reſp. ex jure Eccleſiaſtico reſtituendum eſt Eccleſiæ, in qua Beneficium ſitum eſt *c. de hoc* 11. *h. tit.* vel ſi ſuperior ita velit, reſtitui poteſt etiam pauperibus, ut notat S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3. Victoria *Relect. de ſimon. p.* 2. *n.* 6. Covar. *Reg. peccatum p.* 2. §. 2. *n.* 6. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 35. *n.* 172. Suar. *l.* 4. *de ſimon. c.* 60. *n.* 8. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c* 8. *n.* 84. Palao *tr.* 17. *D.* 3 *p.* 26. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 182. Vvieſtner *n.* 100. Reiffenſtuel *n.* 295. Friderich *n.* 224. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 258.

303 Antequam tamen per ſententiam ad ita reſtituendum Eccleſiæ, vel pauperibus condemnetur, reſtitui pretium poteſt illi, à quo receptum eſt, prout ſuſtinet *Sot. l.* 9. *de Juſt. q.* 8. *art.* 1. §. *de ſimonia*, & §. *ad ſextum*, Bannez 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *dub.* 2. Barth. Medin. *Summ. l.* 1. *c.* 14. *n.* 21. Aravio *p.* 2. *deciſ. D.* 14. *art.* 6. *n.* 19. Leſſ. *c.* 35. *cit. n.* 171. Moya *tr.* 6. *Miſcell. D.* 4. *q.* 6. §. 2. *n.* 13. Pirhing *n.* 182. *cit.* Reiffenſtuel *n.* 296. Friderich *n.* 224. Schmier *n.* 259. Ratio eſt, quia dans pretium non abdicavit à ſe dominium, cum nulla alia ratione intenderit eo ſe abdicare, niſi quatenus in venditorem transferret. non transfert autem in venditorem; quia incapax eſt. manet ergo dominium pretii apud dantem: & licèt ob delictum mereatur hoc dominio ab Eccleſia privari, non tamen aliter, quàm, ſecuta ſententia, privatur, ut contingit in aliis pœnis Legalibus, quæ, ut amiſſum retineri nequeat, judicis ſententiam putant *arg. cap. cùm ſecundum* 19. *de Hæret. in* 6.

304 Et ita intelligendum eſt *c. de hoc* 11. *h. tit.* nam ex hoc ſolum infertur, quòd ante ſententiam judicis condemnatoriam in conſcientia reſtitui debeat pecunia accepta, *cùm ea ſine gravi ſalutis periculo retineri non poſſit. Neque obſtat*, quòd turpiter acceptum non ſit reſtituendum danti, cùm in pari turpitudinis cauſa melior ſit conditio poſſidentis juxta *l. cùm te* 2. *ff. de condict. ob. turp. cauſ.* Nam illa Regula, ut notat Pirhing *n.* 182. procedit ſolum in foro externo, in quo Judex in pœnam delicti præcipit, ne reſtituatur pecunia danti, quæ aliàs, ſpectato jure naturali, ipſi reſtitui deberet, cum accipiens non habuerit juſtum titulum acquirendi ſed injuſtum.

Dub. 3. an ſimonia mentalis obliger ad reſtitutionem? Tres ſunt ſententiæ. *Prima* negat, mentalem ſimoniacum teneri reſtituere. Ita Sylv. *V. ſimonia quæſt.* 20. *dict.* 1. Garc. *de Benef. part.* 8. *capit.* 1. *num.* 45. & alii apud ſum *cit.* quod probat ex *cap. fin. h. tit.* ubi Gregorius IX. reſpondet, eos, qui nullo pacto dandi, vel recipiendi interveniente, ſolo affectu animi, ſeu intentione præcedente, ſpiritualia ſunt adepti, ad reſignationem ſpiritualium, quæ ſic adepti ſunt, non teneri, ſed ſufficere, ſi per ſolam pœnitentiam ſatisfaciant ſuo Creatori.

Altera ſententia, quam poſt *Hoſt.* & *Abb.* tenet Azor *p.* 3. *l.* 10. *c.* 20. *q.* 2. ait, pecuniam acceptam per ſimoniam mentalem, jure Divino prohibitam, eſſe reſtituendam; quia eſt contra voluntatem Domini recepta, & contra ipſam naturam: At verò pecuniam acceptam per ſimoniam, prohibitam ſolo jure Eccleſiaſtico, non eſſe reſtituendam; quia Jus Canonicum non præcipit, ut reſtituatur.

Tertia & probabilior ſententia cum Suar. *l.* 4. *de ſimon. c.* 59. *n.* 46. *&* 47. Gonz. *in c. fin. cit. n.* 3. *fin.* Pirhing *hic n.* 190. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *nu.* 261. diſtinguit, an pretium ſimoniacè acceptum ſit ſine injuſtitia annexa, an verò cum injuſtitia. *Priore* caſu ſimonia mentalis non obligat ad reſtitutionem pretii; quia tali caſu nec jus naturale ad reſtituendum obligat, utpote quo reſtitutio imperatur ſolum ex capite læſionis: nec jus poſitivum Eccleſiæ, utpote quod ultra obligationem naturalem pretii reſtitutionem tantum imperat per modum pœnæ. ſufficiet ergo hoc caſu, ſi mutetur intentio, & ſimoniacè acceptum deinceps retineatur ſub juſto titulo.

Poſteriore caſu dabitur obligatio reſtituendi, non quidem vi juris Eccleſiaſtici, ſed ex jure naturali. *Ratio eſt*, quia omnis acceptio externa, quæ ex ſe injuſta eſt, & procedit ex intentione injuſta, obligat ad reſtitutionem. Unde quoad hoc inter ſimoniam mentalem, & realem nullum erit diſcrimen; ſed in hoc ſolum una ab altera differet, quòd ſimoniacus mentalis non ſubjaceat pœnis à jure poſitivo ſtatutis, quibus ſubjacet is, qui committit ſimoniam realem.

Hinc quando *c. fin. cit.* dicitur, quòd ſimonia mentalis, quæ nullo pacto, ſed ſolo affectu animi præcedente committitur, ad reſtitutionem non obliget, id limitandum eſt, ſi non concurrat injuſtitia: talis concurreret in caſu, quo quis recipit pecuniam, vel aliam rem temporalem, probabiliter credens illam dari ut pretium rei ſacræ, ſeu ſpiritualis, etſi nullum pactum interveniat, hujus ſimoniacæ intentionis expreſſivum; nam hic injuſtitiam committit, quia nullum habet titulum juſtum retinendi pretium acceptum, & retinet rem alienam, cum per talem dationem non ſit translatum dominium pretii, adeoque damnum infert alteri; & conſ. ad reſtitutionem tenetur.

Quæritur 3. quid poſſit Diſpenſatio, vel conſuetudo in materia ſimoniæ? Duplex formari hic dubium poteſt, primò quoad culpam, deinde quoad pœnas. *Ad culpam* quod attinet, diſtinguendum eſt inter eam, quæ ſolùm eſt juris Eccleſiaſtici, & inter eam, quæ eſt juris naturalis, & Divini. Quoad culpam, quæ committitur in ſimonia prohibita *Jure Eccleſiaſtico*, tam diſpenſatio, quàm conſuetudo modò illa non inveniatur ſpecialiter reprobata à jure, locum habet, vel patet ex *c. ad Apoſtolicam* 42. *de ſimon.* & ratione, quia Diſpenſatio, & conſuetudo non reprobata à jure prævalere poſſunt adversùs quamcunque Legem Eccleſiaſticam.

Circa hanc tamen Diſpenſationem tria notanda ſunt. 1. diſpenſari hoc caſu poteſt à ſolo Pont. nam ejus eſt diſpenſare ſuper Legibus humanis, qui eas poſuit. 2. Diſpenſatione iſta facit Pontifex, non ut, manente ſimonia, abſit culpa; quia ſimonia ex conceptu ſuo ſignificat rem malam: ſed ut Emptio Venditio, quæ obligante Lege foret ſimoniaca, illa ſublata, talis non ſit. 3. non ſolet

solet Pontifex sic dispensare, ex eo, quòd id nec sibi sit necessarium, cùm possit aliter providere sustentationi suæ, nec Ecclesiæ utile, cum non expediat res ejus fieri venales. Suar. *l.* 4. *de simon. c.* 61. *n.* 1. *&* 2. Zoes. *hic n.* 130.

311 Quoad culpam, quæ committitur in simonia prohibita *Jure naturali*, nec consuetudo, ne Dispensatio, etiam Apostolica, vim aliquam habet: idque verum simpliciter est de illa simonia, in qua res intrinsecè spiritualis pro temporali venditur: nam ista vendi, & emi per Jus Divinum, & naturale prohibetur absolutè. Jus autem naturale, & Divinum, quod absolutè prohibitivum est, dispensationem, aut consuetudinem adversam non suffert. Pirhing *hic n.* 42. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 264.

312 Quoad illam simoniam, in qua res extrinsecè spiritualis datur pro temporali, distinguendum est; nam dispensatione Apostolica aliquando cohonestari potest, non verò ulla consuetudine. Schmier *n.* 265. *& trib. seqq.* Et quidem quòd *Dispensatione Apostolica* cohonestari aliquando possit, patet ex eo, quia cùm hujusmodi res ab intrinseco temporales sint, & per connexionem, à Pont. factam, spiritualium naturam induerint, uti contingit in Beneficio, & Jure decimandi, non repugnabit, connexionem hanc dissolvi à Pontifice; quo facto, objectum illud, quod in sensu composito connexionis terminabat prohibitionem Juris Divini, & Naturalis, in sensu diviso, & casu separationis eandem non ampliùs terminabit; sicque non ampliùs erit illicitum, pro eo, quod est temporale, pretium accipere, modo illud, quod spirituale censetur, conferatur gratis.

313 Quòd vero Emptio Venditio talis rei extrinsecè solùm spiritualis cohonestari nequeat per *Consuetudinem*, exinde ostenditur; quia nullum extat in Jure vestigium, quo Summus Pontifex consuetudini tribuerit virtutem dissolvendi connexionem cum spirituali, & tollendi spiritualem à temporali ita connexo; tamdiu autem venditione illius committitur simonia Juris naturalis, & Divini, quamdiu manet ista connexio; igitur cùm consuetudo prævalere adversùs Jus naturale, & Divinum nullo unquam tempore possit *c. fin. de consuet.* etiam non poterit tollere culpam à tali venditione.

314 Restat dubium circa Dispensationem quoad pœnas simoniæ: circa quod sequentia sunt notanda; 1. in his à Summo Pont. rarissimè dispensari, etiamsi allegentur causæ gravissimæ, teste Flam. *de Confid. q.* 58. *n.* 55. Corrad. *prax. Dispens. l.* 5. *c.* 9. *n.* 13. *& c.* 10. *num.* 12. Reiffenstuel *hic n.* 341. pro quo Corradus *l. cit.* appellat experientiam Curialium. *Ratio est*, quia vitium simoniæ, tanquam pestem extremè adversatur Ecclesia, illudque omni quasi misericordia indignum reputat, & ordinaria negatione Dispensationis, ac indulgentiæ alios ab illo comittendo deterrere vult.

315 2 Nonnunquam tamen dispensat Pontifex in pœnis, simoniæ, ita, ut illius reus non tantùm absolvatur ab omnibus Censuris, & Irregularitate, sed etiam dispensetur in inhabilitate ad idem, & alia Beneficia retinenda, ac obtinenda, simulque immunis reddatur à restitutione fructuum perceptorum. Pro qua Dispensatione obtinenda inter alias causas serviunt scandalum in dimissione Beneficii timendum, & paupertas supplicantis. Reiffenstuel *n.* 342.

316 3 Quando simonia est publica, & consequenter dispensatione in foro externo opus est, debet fieri recursus ad Datariam Apostolicam, eique offerri Supplicatio, in qua præter alia exprimendi sunt fructus quoque, ex Beneficio simoniacè obtento percepti, eò quod casu existente publico, fructus illi debeantur Cameræ Apostolicæ, & propterea consignandi sint Datariæ Præfecto, quamvis hodie pro dictis fructibus fiat Transactio, ita, ut ex illis tertia, vel etiam major pars remittatur Oratori, prout visum fuerit ipsi Datario Corrad. *c.* 9. *cit. n.* 14. *&* 15. Reiffenstuel *n.* 343.

317 4 Quando simonia est occulta, & consf. Dispensatio necessaria pro foro interno, supplicari debet S. Pœnitentiariæ, & Litteræ inscribi Cardinali Summo Pœnitentiario; nam huic *S. Pius V. Constit.* incipit *In sublimi*, edita pro reformatione Officii Pœnitentiariæ, facultatem concessit, ut possit cum his etiam, qui scienter simoniam commiserunt, dispensare, dummodo tamen prius dimiserint Beneficium, super quo simoniam commiserunt, & fructus inde perceptos restituerint Ecclesiæ ipsius Beneficii, vel cum Datario composuerint; qui si allegent se neutrum facere posse ob paupertatem, dispensatur cum ipsis cum clausula, ut fructus restituant Ecclesiæ, cùm primùm poterunt. Corrad. *c.* 11. *n.* 1. Reiffenstuel *n.* 345.

318 5 In executione Litterarum Dispensationis obtentarum diligenter observandus est tenor illarum. Si detur in foro interno conscientiæ, executio committitur Confessario, ex approbatis ab Ordinario, ut Oratorem, audita confessione illius Sacramentali, absolvat à quibusvis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis simoniæ labe, & excessibus hujusmodi, injuncta pœnitentia salutari, & imposito ipsi præcepto, ut Correos moneat, & inducat, quatenus & ipsi consulant saluti animarum, suarum, petendo Dispensationem Apostolicam &c. Corrad. *c.* 11. *n.* 1. *cit. & seqq.* apud quem vide plura *c.* 9. 10. *&* 11. *citt.*

319 Quæritur 4. quis accusator, testis, & Judex esse in crimine simoniæ possit? Resp. 1. accusare de hoc crimine potest quilibet Catholicus, etiam Servus, & criminosus *c. si dominus* 3. *hoc tit. & c. tanta* 7. *eod.* Idem dicendum de testibus; neque enim admittitur Exceptio criminis in causa simoniæ contra testes, nisi qua iisdem opponitur capitalis inimicitia; quam gerunt contra reum, ut patet ex *c. licèt* 31. *hoc tit.* & notat Abb. *ibid. n.* 1. Redoan. *de simou. p.* 4. *c.* 5. *n.* 7. *&* 8. Pirhing *hic n.* 148. Paganus, vel Hæreticus volens accusare Catholicum simoniacum, vel etiam testimonium contra ipsum ferre, non admittitur. Gloss. *in c. Dominus cit. V. Catholicus*, Abb. *ibid. n.* 2. Pirhing. *n.* 143. Reiffenstuel *num.* 349. *& seqq.*

320 2 Accusari de eo possunt tam dans, quàm accipiens pecuniam, vel aliam rem temporalem pro spirituali *cap. non satis* 8. *vers. unde quisquis*, *c. dilectus* 30. *cap. sicut* 33. *fin. cap. consulere* 38. *& cap. quoniam* 40. *hoc tit.* Item is, pro quo sciente, & consentiente alius dedit *c. Matth.* 23. *& cap. sicut* 33. *eod.* non autem is, pro quo ignorante, aut invito alius dedit *cap. nobis* 27. *eod.* Pirh. *numer.* 144.

321 3 Ad condemnandum ex hoc crimine sufficiunt probationes, quæ fiunt per signa, & conjecturas *c. sicut* 6. *hoc tit.* idque tum ob atrocitatem criminis, tum quia illud occultè solet committi; adeoque est difficilis probationis, in hujusmodi autem criminibus admittuntur probatione per signa. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 27. *n.* 2. Pirhing *n.* 146. Requiritur tamen, ut illa signa, & indicia sint evidentia, ita, ut violentam præsumptionem faciant, & reum de ipso crimine convincant; aliàs non sufficient ad condemnationem Rei. Gloss. *fin. in c. insinuatum* 12. *hoc tit.* Clar. §. *simonia n.* 12. Mascard. *de Probat. concl.* 1034. *n.* 27. Palao *l. cit.* Pirh. *n.* 146. Deinde requiritur, ut illa signa, & præsumptiones plenè probentur. Mascard. *n.* 33. Pirh. *n.* 146. *cit. fin.*

322 4 Cognoscere, & definitivè pronuntiare potest solus Judex Ecclesiasticus: idque verum est, etsi reus sit Laicus, ut notat Gloss. *in c. cùm sit* 8. *V. malefactores de for. compet.* Abb. *ibid. n.* 20. Clar. §. *simonia num.* 7. Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 86. *n.* 4. Belben. *de Immun. c.* 10. *dub.* 2. *n.* 1. Monacell. *p.* 3. *tit.* 1. *form.* 22. *n.* 7. Pirh. *hic n.* 142. Vviest. *n.* 105. Reiffenstuel *n.* 348. *Ratio est*, quia cùm simonia, ad instar criminis Hæreseos, ex Divino, & Ecclesiastico Jure discendat, causæ ejus spirituales, & Ecclesiasticæ sunt, & secundùm Juris Divini, & Ecclesiastici, non verò Civilis Sanctiones definiendæ. *Proceditque hoc* licèt facti quæstio in Judicium veniat; quia facti quæstio, de simonia mola, sicut in Hæresi, plerumque Juris quæstionem simul involvit; atqui quoties in facti quæstione, mota de re spirituali, vel spirituali annexa, involvitur aliqua Juris quæstio, ea Curiæ, sive Judicis Ecclesiastici propria est, ut dictum est *Libr.* 2. *Tit.* 10. *n.* 12. *& duob. seqq.*

323 *Dubium est*, an non saltem Judex Sæcularis Simoniacum Laicum punire ob Simoniam commissam possit? Resp. posse, si crimen sit notorium aut notorietate facti, aut Juris, quòd videlicet delinquens in foro Ecclesiastico jam de eo sit condemnatus; nam etiam hoc dicemus *infrà Tit.* 7. *num.* 183. de Hæresi, Imol. *in c. cùm sit cit. num.* 8. Felin. *ibid. num.* 5. Vviestner *hic num.* 107. erit igitur punitio hujus criminis mixti fori, ut notat Barbosa *in cap. cit. num.* 8.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo Censu concedant.

SUMMARIUM.

1 *Utrum sub annuo Censu concedi possint Prælaturæ, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, hisque annexa potestas Spiritualis?*
2 *Rationes dubitandi.*
3 *Resolvitur negativa.*
4 *Argumentis contrariis respondetur.*
5 *Utrum vendi, aut pro censu annuo locari possit jurisdictio temporalis?*
6 *An Prælatus à Vicario, sibi substituto in Beneficio incorporato Ecclesiæ suæ, possit accipere, vel exigere Pensionem annuam sub titulo Absentiæ?*
7 *Pœnæ contravenientium textibus istius Rubricæ?*

1 HActenus generaliter actum de simonia: subiiciuntur duæ satis celebres ejus species, una, quæ in Ecclesiasticæ Jurisdictionis, altera, quæ in Licentiæ docendi concessione committi potest: de hac posteriore agetur *Tit. seq.* de priore hic, ubi examinatur, utrum sub annuo censu Prælaturæ, Dignitates, Officia, & Beneficia Ecclesiastica, hisque annexa Jurisdictio, & potestas spiritualis concedi possint?

2 *Rationem dubitandi* facit 1, *cap. fin. hoc tit.* ubi cum Ecclesia sub annuo censu ad septimum annum concessa ante istius lapsum Conductori ablata fuisset, ejus restitutionem Alexander III. imperavit. 2. potest ab Episcopo pro annua Pensione remitti Jurisdictio quæ eidem in Ecclesiam, vel Monasterium competebat, ut patet ex *cap. constitutus 6. de Relig. Domib.* sunt autem paria quoad simoniam remittere, & dare *cap. veniens* 10. junct. Gloss. *V. remittere de test. & attest. & cap. querelam* 15. *de simon.* igitur etiam concedi sub hujusmodi pensione potest. 3. pro spirituali Jurisdictione exercenda pecunia potest accipi, & non raro accipitur à Vicariis *cap. extirpandæ* 30. §. *qui verò de Præb. & Dign.* atqui non magis dare, quàm accipere temporale pro spirituali simoniacum est, ut patet ex Definitione simoniæ, quæ, ut *Tit. præc. num.* 3. vidimus, dicitur esse studiosa voluntas emendi, aut vendendi spirituale, vel spirituali annexum. 4. in curia Romana solent vendi Clericatus cameræ, & munera Auditorum cameræ, quæ tamen habent annexam Jurisdictionem Ecclesiasticam, nomine Papæ exercendam; igitur etiam locari poterunt.

3 Sed his non obstantibus, dicendum, non posse sub annuo censu, vel pensione concedi regimen, & Jurisdictionem, ac potestatem spiritualem, Prælaturis Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis annexam. Patet ex præsenti rubrica, & textibus subjectis, ubi Alexander III. ejusmodi concessiones generaliter prohibet, & eos, qui illas faciunt, puniri jubet ademptione Ecclesiarum, sub annua pensione concessarum. Concordat Trid. *Sess.* 25. *cap.* 11. *de reformat.* ubi dicitur, *Non liceat etiam jurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in spiritualibus locare, nec Conductoribus per se aut alios exercere, aliterque concessiones, etiam à Sede Apostolica factæ, subreptitiæ censeantur.* Ratio est, quia sunt quid spirituale, aut spirituali annexum, quod pretio temporali æquiparari nequit; ita autem æquipararetur tam venditione, quàm locatione pro pretio temporali; ergo &c.

4 Argumenta contraria non evincunt intentum. *Ad* 1. in *cap. fin. citat.* non agitur de Locatione ipsius Ecclesiæ, vel Prælaturæ, aut Jurisdictionis, & Administrationis his annexæ, sed de locatione fructuum, & obventionum duntaxat, quorum, uti & ipsorum prædiorum, ex quibus illi proveniunt, Locatio ad modicum tempus Jure Decretalium antiquo permissa est, ut patet ex *cap. ad audientiam 9. de reb. Eccl. non alien. c. vestra* 2. *de Locat.* & dictum est *Lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 28. *& seqq. Ad* 2. *cap. constitutus cit.* occasione remissæ Jurisdictionis Ecclesiasticæ datur, & accipitur pecunia, ea non accipitur tanquam pretium, & æstimatio remissæ Jurisdictionis, sed in istius, & præteritæ subjectionis recognitionem, & concessæ libertatis signum juxta *cap. recepimus* 8. *de Privil.* Gloss. *in cap. constitutus cit. V. recompensationem fin.* Suar. *l.* 4. *de simon. cap.* 24. *n.* 37. Vviest. *hic num.* 5. *Ad* 3. Vicarii pecuniam, sive salaria non recipiunt tanquam pretium, sive compensationem exercitii Jurisdictionis, sed ut stipendium congruæ, & sibi debitæ sustentationis *can. charitatem* 45. *caus.* 12. *quæst.* 2. *cap. pervenit* 28. *de Appell. & cap. de Rectoribus* 3. *de Cler. ægrot.* ne cogantur propriis stipendiis millitare contra doctrinam Apostoli 1. *Corint.* 9. *vers.* 7. *Ad* 4. in Clericatu cameræ, & auditoratu distinguendum est inter Jurisdictionem spiritualem, & emolumentum temporale; illa absolutè sine simonia non potest vendi; istud vendi potest, si Papæ authoritate ab Officio spirituali separetur. Angel. *V. simonia* 2. *num.* 2. Suar. *l.* 4. *de simon. cap.* 20. *num.* 6. Palao *tract.* 17. *D.* 3. *p.* 12. *n.* 7. Gonzal. *in cap.* 3. *hoc tit. numer.* 5. Zoes. *hic numer.* 2. Vviestner *ibidem num.* 6. Magnif. P. Schmier. *p.* 2. *de Delict. cap.* 1. *num.* 66.

Dub. 1. utrum vendi, aut pro censu annuo locari possit Jurisdictio temporalis? Resp. negativè. Et quidem si Jurisdictio ista habeatur ab Ecclesia, venditione tali simonia committitur, ut dictum est *tit. præc. numer.* 205. quia talis Jurisdictio censetur spiritualis dependenter, cùm procedat, ac dependeat ab Ecclesia, vel ejus capite Summo Pont. Suarez *lib.* 4. *de Simon. cap.* 20. *n.* 19. Barbosa *in cap. quoniam* 2. *hoc tit. nu.* 4. Pirhing *hic num.* 3. 5

Si non habeatur ab Ecclesia, venditio quidem ejus simoniaca non est, est tamen turpe, & illicitum lucrum; & quia ejus emptores, & conductores magis solliciti esse solent, ut pecuniam datam cum auctario, à litigantibus extortam recuperent, quàm ut his tribuant jus, aut Remp. nocentibus purgent, ideo hujusmodi mercatus, tanquam redundans in gravamen subditorum, & Judiciorum perversionem, meritò damnatur *cap. quoniam cit. Novell.* 8. *pr. vers. administrationes*, Host. *in Summ. hic num.* 1. Abb. *in c.* 1. *hoc tit. num.* 1. Fagnan. *in cap. quonia cit. num.* 5. Gonzalez *in cap.* 3. *eod. num.* 4. Zoes. *hic num.* 1. Pirhing *num.* 1. Vviestner *nu.* 4. Reiffenstuel *n.* 1. 6

Dub. 2. utrum Prælatus, cujus v. g. Monasterio parochia, vel aliud Beneficium incorporatum est, impune, & absque simonia, à Vicario, ad id substituto, exigere, & accipere possit pensionem annuam sub titulo *Absentiæ*, ut vocant? Resp. affirmativè: quia eam non accipit pro concessa administratione, aut Vicariatu, sed pro fructibus, tali Vicario relictis; cùm enim fructus isti ex natura incorporationis directè ad eum prælatum, & Monasterium, cui Beneficium incorporatum est, pertineat, & Vicario solum congrua portio, sive sustentatio debeatur, nihil prohibet, quò minus cum eodem Vicario, Prælatus tractare, & contrahere queat de integris fructibus ei relinquendis pro certa pecuniæ quantitate annuatim sub nomine *Absentiæ*, vel alio quocunque titulo solvenda. *Conf.* nam tale pactum in sua natura est locatio fructuum; possunt autem fructus Ecclesiarum, cum rei spiritualis rationem non habeant, ad breve tempus, scilicet triennii sine solemnitate, & ad longius cum solemnitate concedi, & locari etiam Laico *cap. fin. hoc tit.* junct. *Extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.* Trid. *sess.* 25. *cap.* 11. *de reform.* Vallens. *hic num.* 2. Konig *num.* 3. 7

Dub. 3. quas pœnas incurrant, qui contra prohibitionem istius Rubricæ, & textuum subjectorum, sub annuo censu concedunt Regimen, & potestatem spiritualem, Prælaturis, Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis annexam? Resp. 1. tam dans, quàm accipiens excluduntur ab Ecclesia, in cujus contumeliam res data, & accepta est *cap. consuluit* 38. *de simon.* 2. Qui dat pecuniam pro Officio, aut Jurisdictione spirituali, tale Officium perdit, malè autem ita conferens amittit conferendi illius potestatem *cap. præterea* 1. *hoc tit.* 3. Dans pecuniam removetur à Clero; Episcopus verò, pro illa conferens spiritualem Jurisdictionem, quandoque deponitur, quandoque suspenditur ad tempus pro qualitate delicti *cap. quoniam* 2. *hoc tit.* Gloss. *ibid. V. Canonica.* Fagnan. *in c. præterea cit. n.* 1. Honor. *hic n.* 2. Reiffenstuel *n.* 5. 8

TITU-

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

PRincipalis Rubricæ præsentis intentio est determinare, num aliquid peti pro Licentia docendi possit: quod antequam examinem, aliqua præmittenda sunt de Magistris, & Doctoribus, horumque Juribus, creatione &c.

§. I.

De Gradibus, & Honoribus Litterariis.

SUMMARIUM.

1 2 3 *Quot sint Ordines Graduatorum?*
4 *&c. Privilegia, quibus gaudent Magistri, seu Doctores Theologiæ, Juris, & Medicinæ.*
16 *&c. Ordo Doctorum in congressibus, & suffragatione in Senatu.*
19 *&c. Penes quos resideat potestas illos creandi?*
22 *&c. Quinam creari Doctores possint?*
28 *&c. Quæ sit forma illos creandi?*
30 *&c. Quid observandum circa sumptus Inaugurationis?*
32 *An Doctorum privilegia competant male promotis?*
33 34 *An iisdem privilegiis gaudeant Doctores Bullati?*
35 36 *An Licentiati?*

1 QUæritur 1. quot sint Ordines Graduatorum? Resp. tres inveniuntur, videlicet primo Baccalaurei, deinde Licentiati, denique Magistri, seu Doctores.

Infimum ex his locum obtinent *Baccalaurei* sic dicti à *Baca Lauri*, seu frontibus Lauri baccatis, quæ ad gradum istum promotis concedi solebant, ad significandum, quòd sicut in Baccis, quas ea arbor, ut Flores, germinat, spes fructus est, ita Gradus iste iis tantùm Studiosis conferri debeat, de quibus spes concipitur, eos merituros aliquando Laurum, seu Lauream Coronam, quæ olim imponebatur in promotione Doctorum, & Magistrorum. Mend. *de Jur. Acad. l.* 1. *n.* 285. Nomenclationem istam nonnulli impugnant: & alii quidem cum Besol. *Dissert. de Studios. &c. c.* 6. *fol.* 37. volunt eos rectius dici *Baccalarios* à voce *Bachelier*, quæ Gallis militem tironem, aut inferioris ordinis Nobilitatem significat; alii *Battalarios* nominant à *Battulo*, quod veteribus Gallis prælium denotabat; *Dresserus* apud Mend. *l. cit. n.* 289. censet eos dictos *Baccalaureos*, seu potiùs *Bacularios* à *Baculo*, eo quod liceret Baccalaureis baculum portare in templo, & in ludo litterario. Veniunt autem *Baccalaureorum* nomine illi, qui sui in scientia profectus primum testimonium publicum sunt consecuti. Conferri hic Gradus in plerisque Universitatibus solet ex Philosophia ad finem primi, vel initium secundi anni; ex Theologia ad finem secundi, vel initium tertii: in Facultate Medica, & Juridica ut plurimum exolevit; imò nec in cæteris Facultatibus eum Gradum ad Doctoratum in Italia requiri, affirmat Mandos. *ad Reg. Cancell.* 16. *quæstio* 11.

2 *Licentiati* ita dicti à *Licentia*, quæ in hoc Gradu conceditur promoto, ut quandocunque velit, possit ascendere ad Gradum Doctoris, vel Magistri, ab aliis *Mellodidascali*, quasi futuri Magistri, seu Doctores appellantur. Veniunt hoc nomine illi, quibus collata est *Licentia*, seu facultas Gradum supremum, seu Magisterium, Doctoratum in aliqua Facultate, cùm voluerit, capessendi. *Licentia* ista nemini concedi solet, nisi tempus, Prælectionibus, & Exercitationibus, in aliqua scientia frequentandis præscriptum, expleverit, & per experimenta omnia summo eo honore dignus sit judicatus. Antequam Licentia hæc concedatur, in plerisque Universitatibus Candidatus jurare debet, se non accepturum esse Gradum Magisterii, aut Doctoratus in alia Academia; quod de Salmanticensi testatur Mendo *loc. cit. numer.* 88. *de* Coloniensi Middendorp. *de Academ. l.* 1. *pag.* 135. de nostra Ingolstadiensi, & aliis Germaniæ nostræ Magister usus. Idem affirmat Besold. *Dissert. de Studios. cap.* 8. *pag.* 91. contingere in quavis Academia, sed in Hispanis id falsum esse ex praxi ostendit Mendo *loc. cit. fin.*

3 *Magistri*, & *Doctores* ita nuncupantur, quòd habeant ab Academia testimonium suæ doctrinæ, & eruditionis, ut ab omnibus consuli queant, eorumque judicio fidatur, & scientiæ ab eis dictatæ ab Auditoribus excipiantur quasi à docentibus cum approbatione summa. Mendo *loc. cit. num.* 290. Aliqui inter *Magistros*, & *Doctores* discrimen faciunt, & *Magistros* quidem appellant eos, qui ex Philosophia, vel Theologia, *Doctores* autem, qui ex Jure, vel Medicina supremum Gradum adepti sunt. Alii tamen utrumque nomen confundunt, & sub eo comprehendunt quovis è quavis Facultate ad supremum in ea Litterarium Gradum promotos. In Germaniæ nostræ Universitatibus nomen *Magistri* solis Philosophis remansit, & *Doctoris* titulus indiscriminatim tribuitur omnibus, qui in aliqua ex tribus Facultatibus cæteris supremos honores sunt consecuti, ut notat Konig *hic num.* 2. Vviestner *n.* 4. Reiffenstuel *n.* 3.

4 Quæritur 2. quænam privilegia habeant Magistri, & Doctores Theologiæ, Juris, & Medicinæ? Resp: ex his quædam sunt communia Doctoribus Theologiæ, Juris, & Medicinæ, quædam particularia. Inter communia est 1. quòd per Gradum Doctoralem à plebeja conditione eximantur, & cons. in Dignitate constituantur *arg. cap. quanto* 3. *hoc tit. Clem.* 2. *eod.* Mend. *lib.* 1. *de Jur. Academ. num.* 312. Konig *hic num.* 16. Reiffenstuel *n.* 6. *ibid.* & teste Mend. *loc. cit.* consentiunt communiter DD.

5 2 Nobilibus annumerantur, & consequuntur veram Nobilitatem *argument. leg. excusantur* 2. §. *fin. in fin. & l. diximus* 4. §. *si pater* 1. *ff. de excus. tutor.* ubi dicitur *Nobilis*, & *Nobilissimus* Ulpianus ratione scientiæ suæ; & hinc etiam gaudent Nobilium prærogativis *arg. cap. de multa* 28. *de præbend. & l. providendum* 7. *C. de postuland.* Mend. *loc. cit. num.* 313. Konig *num.* 17. Reiffenstuel *num.* 7. portant enim sine speciali Imperatoris permissu Insignia Nobilium, *Mappen mit offenen Helm*; iisdem unà cum uxoribus jus est gerendi aureas catenas, annulos, & vestes Nobilibus proprias. *Recess. Imp. de Anno* 1577. *Titul.* 11. §. 2. item *Reformat. guter Policey Anno* 1530. *Titul.* 15. Una cum Nobilibus in Capitulares Ecclesiarum Cathedralium eliguntur. Matth. Stephan. *de Jurisd. part.* 1. *Tit.* 2. *cap.* 7. *membr.* 2. *num.* 68. & *seqq.* nisi mos, & consuetudo Regionis aliud introduxerit. In Camera paribus cum Nobilibus fruuntur stipendiis. *Ordin. Camer. part.* 1. *Titul.* 43. & acceptantur loco Nobilium, & maximè si Nobiles non extent idonei *Ordin. Camer. de Anno* 1533. §. 5. & si fæmina, etiam nobilissima, nubat Doctori, non dicitur indigno nupsisse. Mendo *loc. cit. n.* 313. & apud hunc *Salicet. Philipp. Paschal. Fontanella.*

6 3 Pro Doctoribus, & Magistris stat virtutis, integritatis, & innocentiæ præsumptio. Hinc 1. præ reliquis admovendi sunt ad Officia, & Dignitates sive Ecclesiasticas, sive Sæculares *arg. cap. cùm in cunctis* 7. *de Elect. cap. de multa* 28. *de præbend.* Trid. *sess.* 24. *cap.* 12 *de reform.* 2. In gratiis factis de eodem Beneficio, & in pari Data Graduati non Graduatis, & inter Graduatos magis Graduatui, & inter æqualiter Graduatos priùs Graduati præferuntur juxta *Reg. Canc.* 17. *de præbend. num.* 28. 3. In testimonio dicendo testis Doctor prævalet alteri testi non habenti Dignitatem: imò si ex una parte duo Doctores testimonium perhibeant, ii prævalent tribus ex altera parte contrarium deponentibus. Alex. *cons.* 18. *libr.* 1. *fin.* Menoch. *de arbitr. cas.* 96. *num.* 9. Farin. *quæst.* 65. *prax. crim. num.* 114. Benius *de privil. Jurisconsul. part.* 2. *privil.* 53. Besold. *Dissert. Studios. pag.* 128. Mend. *loc. cit. num.* 323. Konig *hic num.* 18. & favet *textus*, ac Gloss. *in cap. nostra* 32. *de test.* & *Attest.* 4. Si Instrumentum, à Tabellione confectum, amittatur, & de ejus veritate Doctores deponant, ejus veritas, & tenor censetur probatus. Benius *loc. cit. privil.* 83. 5. Interpretatio Legis dubiæ, à Doctoribus tradita, donec error inveniatur, est observanda. Benius *privil.* 79. 6. Ubi Lex non reperitur, sententia Doctorum pro Lege servatur. Idem *privileg.* 80. 7. Doctori, in praxi bene versato, ac seni, qui attestatur de consuetudine loci, aut Curiæ, in qua existit, seu de stylo, vel de communi opinione, aut de usu loquendi, fides

fides præstanda erit, donec oppositum probetur. Idem *privil.* 80.

7 4 Doctores singulari præ cæteris reverentia, & honore affici debent *arg. l. qui necessario* 2. *& l. seq. C. de Offic. divers. Judic.* Zas. *l.* 1. *cons.* 2. *numer.* 20. Konig. *hic n.* 19. Hinc 1. si inferatur injuria aliqua Doctori, reputatur pro atroci, & major sane quàm si plebejo irrogatetur: imò hanc ipsi inferens dicitur committere Sacrilegium (quo latè est accipiendum) qui offendit Jurisconsultum, & si Doctorem actu profitentem peteutiat, Lege Julia de vi publica tenetur. Mendo *l. cit. n.* 324. 2. Non possunt in carcerem mitti propter æs alienum. *Tuschus*, *Philippus Paschalis*, *Fontanella*, *Halbriter* apud Besold. *Dissert. de Studios. pag.* 131. quod privilegium adeo à nonnullis extenditur, ut velint Doctorum facultates non posse inter creditores à Judice distribui, nisi illi eis non indigeant: sed contradicit Zas. *ad l. miles n.* 8. *ff. de re judic.* & contrarium docet praxis teste Mend. *l. cit.* 3. Testimonii, vel Jurisjurandi causa non debent ad Tribunal evocati, sed domi coram Actuario examinari, ibique jurare *arg. l. ad personas* 15. *ff. de Jurejur.*

8 5 Eximuntur à muneribus tam realibus, quam personalibus *l. Medicos* 6. *& l. fin. C. de Medic. & Profess.* Hinc excusantur 1. à munere, seu onere hospitandi milites *l. Medicos cit.* Zas. *ff. de Procurat. n.* 35. Harm. *l.* 2. *tit.* 52. *obs.* 7. Mend. *l. cit. num.* 310. cum aliis. 2. A Gabellis, & vectigalibus, cùm libros, aliasque res transferunt ad suæ habitationis, seu studiorum locum *Auth. habita C. ne fil. pro patr.* Besold. *Dissert. de Studios. c.* 9. Mend. *l. cit. num.* 310. Konig *hic n.* 20. 3. A Solutione Collectarum, etiam tempore belli, nisi publica necessitas adeo urgeat, ut non aliter Princeps queat ei providere, nisi Doctores, & privilegiati Collectas ejusmodi solvant; nam tali necessitate stante, privilegium omne dormit. Mend. *l. cit.* Quod etiam confirmant *Recessu Imperii*, dum neminem, quocunque Immunitatis privilegio munitum, à Turcicis contributionibus immunem esse volunt, ut præter alios statutum est Ratisbonæ *de anno* 1613. §. 7.

9 6 Criminum Rei mitiùs puniendi sunt, quam plebeii *arg. cap. fin. de pœnis*. Hinc 1. criminis, etiam capitalis, suspecti ex arbitrio Judicis potiùs domi, vel in alio privato loco, adhibitis custodibus, Arresto constringi, quàm in publico carcere detineri debent. Farin. *prax. crim. q.* 33. *à n.* 60. Mend. *l. cit. n.* 325. Konig *n.* 21. Reiffenstuel *n.* 10. 2. Non debent subiici cruciatibus, & torturis, etiamsi legitimis indiciis gravati sint, eò quòd fruantur privilegiis militum, & eorum, qui in dignitate egregia sunt constituti, præterquam in criminibus exceptis, veluti læsæ Majestatis, proditionis, hæresis &c. Menoch. *de arbitr. cas.* 236. *n.* 22. Farin. *prax. q.* 39. *n.* 58. Mend. *l. cit.* & alii *supra*. 3. Etiam non sunt afficiendi pœna triremium, fustigationis, laquei, vel alio ignominioso suplicij genere, sed si delictum illorum ultimo supplicio dignum sit, gladio puniri debent *arg. l. moris* 9. §. *ista* 11. *ff. de pœn. & l. Decuriones* 5. *C. ex quib. caus. infam. irrogat.* Besold. *Dissert. de Studios. c.* 9. imò nullus Doctor potest pœna mortis affici, nisi priùs solemniter degradatus. Konig *n.* 21. *cit.* cum aliis.

10 Specialia Professorum privilegia sunt, 1. Professores, quantumvis juniores, præferuntur Doctoribus non Professoribus etiam senioribus *arg. l. antiquitus* 1. *C. de Consulib.* Alex. & Jason. *in l. cùm quis C. de reb. credit.* Konig *hic n.* 22. *vers. ad peculiaria.*

2 Pro Professoribus militat singularis peritiæ præsumptio, ut patet ex *Ordin. Cam. p.* 1. *tit.* 4. §. 4. ubi Jurisconsulti, qui in Academiis legerunt, in Cameræ Assessores præ aliis jubentur eligi. Konig *n.* 23.

11 3 Doctor, qui publicè alicubi profitetur, ejusdem loci Civis esse judicatur. Benius *de privil. JCt. p.* 1. *c.* 6. atque adeo fruitur cunctis commodis, quibus ex Jure Civitatis reliqui Cives gaudent. Mend. *l.* 1. *de Jur. Acad. n.* 308. Et quamvis nemo rem suam teneatur locari alteri juxta *l. invitos* 11. *C. de locat.* tamen Doctor potest alienam domum conducere, etiam invito domino, si hic illa non utatur. Mend. *l. cit.*

12 4 Eidem domus non est assignanda in loco remoto, sed inpervio ac frequentiori, ut tum à Shcolasticis, tum ab aliis commodè consuli queat; censeri enim debet quasi quoddam Civitatis Oraculum, ad quod omnes confugere valeant. Benius *l. cit. c.* 9. Besold. *Dissert. de Stud. c.* 9. Mend. *l. cit.* Hinc ut commodè studiis vacet, potest fabrum obstrepentem è vico expellere, nisi ipse Doctor elegerit domum in vico proprio fabrorum, vel nisi ipse faber ante conductionem domus illum prævenisset. Menoch. *de arbitr. caus.* 236.

5 Qui S. Thæologiæ Lectores sunt, præter alia à *Conc. Lat. cap fin. vers. docentes h. tit.* & Trid. *Sess.* 5. *c.* 1. *de reform. in fin.* hoc sibi concessum privilegium habent, ut quamdiu illam publicè docuerint, etsi absint ab Ecclesiis suis, Præbendarum, & Beneficiorum suorum integros fructus percipiant; imò & Distributiones quotidianas, sed tantùm pro illo die, quo legunt, juxta privilegium indultum à Gregorio XIII. teste P. Vviestner *Lib.* 3. *tit.* 4. *n.* 49. nam pro reliquo tempore, aut si sit omnino absens, & extra locum Ecclesiæ suæ, Distributiones Professor non percipit *arg. c. licèt* 32. *de Præbend.* Gloss. *ibid. V. integrè*, Fagnan. *in c. fin. cit. n.* 2. Engl. *hic n.* 5. Pirhing *n.* 7. *not.* 7. *fin. & n.* 9. *not.* 2. Schambog *n.* 2. Excipitur duo casus. 1. Nisi eas alicubi consuetudo Ecclesiæ ipsis concedat. 2. Nisi Beneficiorum fructus omnes, aut major pars in Distributionibus consistat; hoc enim casu, cum Præbendarum loco succedant, duas saltem partes illarum lucrantur, tertia parte accrescente præsentibus, & inservientibus, ut *à S. Congr.* decisum testatur Fagnan. *l. cit. num.* 3. *Et procedit* privilegium hoc, etiamsi nullum habeant stipendium, nec sint conducti mercede, sed voluntariè doceant, dummodo id faciant cum facultate, seu licentia Universitatis, sive Collegii Doctorum. Garc. *p.* 3. *de Benef. c.* 2. *num.* 60. Fagnan. *l. cit. n.* 7. Reiffenstuel *hic n.* 15. *Extenditurque etiam* ad eos, qui publicè tradunt Jus Canonicum, ut notant Abb. *in c. fin. cit.* Felin. *ibid. n.* 2. Sylv. *V. residentia n.* 7. Garc. *l. cit. num.* 54. Engl *hic n.* 4. Pirhing *n.* 9. *not.* 2. Schambog. *numer.* 5. Konig *n.* 23. Vviestner *n.* 29. Reiffenstuel *n.* 14. & declaratum est a *S. Congr.* teste Fagnan. *l. cit. n.* 4. De aliarum Facultatum Professoribus secus de Jure communi dicendum videtur; idem tamen etiam istis, si in pnblica Universitate doceanr, conceditur per *Bullam Eugenii IV.* quam ad omnem Universitatem extendi docet Barbos. *in Consult. Canon. l.* 3. *resol.* 88. *dub.* 1. Engl *hic n.* 4. Konig *n.* 23. Ratio hujus privilegii TT. & Canonistis concessi est; quia Sacras istas Scientias explicando non minus, imò magis prosunt Ecclesiæ, quàm in loco Beneficii residendo. 13

6 Professoribus, si superveniente senectute, vel morbo, professuræ suæ amplius superesse nequeant, integrum debet stipendium solvi, acsi viribus integri essent. Speckhan *cent.* 2. *class.* 1. *q.* 10. Mendo *l.* 1. *de Jur. Acad. num.* 311. *fin.* Hermes *fascic. jur. publ. c.* 37. *n.* 23. Konig *hic n.* 24. spectat enim ad curam Principis, curare, ne indigeat in senectute is, qui in officio præclare gerendo consenuit *arg. l. Lucius* 11. ibi *Veteranis in præmium ff. de EvictIon.* Imo si Professor intra annum post inchoatas à se Lectiones moriatur, totius anni salarium ipsi debetur, & transmittitur ad hæredes etiam extraneos, tametsi præstatio salarii per angarias, aut menses fieret. Benius *de privil. JCt. p.* 1. *c.* 22. Besold. *Thesaur. pract. V. Besoldung.* Mendo *l. cit. n.* 311. Herm. *n.* 22. Konig *n.* 24. qui tamen subsistit, utrum istud in praxi subsistat. Idemque est, si Doctores in medio anni cum licentia Superioris ab Academia recedant, aut ratione pestis, vel incursus hostilis a loco Universitatis cogantur exire. Mend. *l. cit.* Quod quidem beneficium speciale est, cùm ex se aliis, nempe artificibus, merces non nisi pro rata temporis debeatur *l. Si jo* 10. *ff. de annuis Legatis.* 14

7 Ex communi sententia, qui per 20. annos publicè docuerunt Jura, Illustribus annumerantur *arg. l. un. Cod. de Profess. qui in Urb.* Menoc. *de arbitr. cas.* 68. *numer.* 43. Vvesenbec. *cons.* 40. *numer.* 5. Laym. *in annot. ad Capit. Ferdinand. III. art.* 47. *pag.* 791. Arumt. *vol.* 2. *de jur. publ. disc.* 4. Benius *l. cit. c.* 14. Herm. *cap.* 37. *numer.* 179. Konig *numer.* 24. *vers. quintum* cum *Bartol. Bald.* & aliis. Neque ut Reincking *de Reg. Sæc. l.* 1. *class.* 5. *c.* 11. *& ult.* contendit, *l. un. cit.* restringenda est tantum ad Professores Urbis Constantipolitanæ; quia ratio Legis generalis est. *Benius*, *Hermes*, *Konig l. cit.* 15

Quæri-

16 Quæritur 3. quis sit ordo Doctorum in congressibus, & suffragatione in Senatu? Resp. hoc plurimum pendet à consuetudine. In plerisque locis *primum* locum obtinent Doctores Theologi, *secundum* juris, *tertium* Medici, *ultimum* Philosophi, Lenaud. *part.* 3. *num.* 1. & 2. Cassan. *Catalog. Glor. Mund. part.* 10. Mend. *l.* 1. *Jur. Academ. num.* 300. Herm. *Fasc. Jur. publ. c.* 37. *à n.* 149. Vviestner *hic n.* 21. Videtur ordo iste inductus contemplatione objecti, finis, necessitatis, & utilitatis scientiarum, ex quibus Gradus hi conferuntur, cum Theologia conferat ad salutem animarum supernaturalem, jurisprudentia ad salutem, & bonum publicum, Medicina ad incolumitatem corporis humani, Philosophia denique Auditores suos ad altiores Disciplinas disponendo, subserviat omnibus.

17 Potest autem ordo iste præcedentiæ mutari in tribus maximè causis, & casibus. 1. Si, qui inferioris Gradus est Doctor, munus excellentius habeat; ob hoc enim præferri Doctori Gradus superioris debet. Gottofred. *p.* 1. *de jur. præc. cap.* 3. §. 21. Menoch. *cons.* 92. *nu.* 65. Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 12. *n.* 33. Vviestner *hic n.* 22. 2. Si alicui inferioris Gradus Doctori præeminentia concedatur ratione singularis excellentiæ, doctrinæ, experientiæ, meritorum &c. Pignatell. *l. cit. num.* 30. Vviestner *num.* 22. 3. Si consuetudine, vel alio jure speciali ita sit introductum: sic in Salmantina Universitate, teste Mendo *num.* 300. *cit.* in itu, sessuque, & suffragio ferendo inter Doctores S. Theologiæ, & juris in locum superiorem obtinet, qui in Inauguratione Doctorali alterum antecessit.

18 Quoad præeminentiam inter Doctores ejusdem Gradus pro Regula datur, eum, qui pluribus Gradibus ornatus est, præcedere unum dumtaxat habenti, si unus ex illis, quos ille habet, sit major, vel saltem æqualis illi, quem unicum habet iste. Hinc Felin. *in Rubr. de major. n.* 3. Bordon. *de Professor. c.* 5. *n.* 59. Pellizar. *Man. Regul. tr.* 8. *c.* 6. *n.* 217. Vviestner *hic n.* 23. Doctorem ex S. Theologia, & jure Canonico simul præferunt illi, qui ex sola Theologia est Doctor, & juris utriusque illi, qui tantùm Doctor est ex jure Canonico. *Ratio est*, quia sunt gemina Dignitate conspicui. *Contrà* non præfertur Doctor utriusque juris, vel juris simul, & Medicinæ Doctori Theologo, & multo minus illi, qui Theologiæ simul, & SS. Canonum Doctor est; quia Gradus juris, & Medicinæ inferior est Gradus Theologico.

19 Quæritur 4. penes quos resideat potestas creandi Magistros, seu Doctores? Resp. 1. ea potestas indubitatò competit Summo Pontifici, Imperatori, & alii Principibus superiorem non recognoscentibus: his quidem ex jure civili, Medicina, & Philosophia: illis autem ex Theologia, & jure Canonico, quòd scientiæ istæ ex fine suo spirituales sint, conf. eas moderari, & profectum in iis examinare, probareque doctrinam Ecclesiasticæ sit potestatis. Exercuit potestatem hanc Pius IV. quando Fridericum Staphilum, Universitatis nostræ illustre decus, cui tamen, quia uxoratus erat, nec hæc, nec ulla alia Academia Germaniæ Gradum Doctoratus in S. Theologia, & jure Canonico concedere voluit, ex utraque scientia Doctorem renuntiavit, transmisso, & per Archiepiscopum Salisburgensem capiti ejus imposito pileo rubro, ut refert Mendo *l.* 1. *Jur. Acad. num.* 73. Idem quoad juris civilis Gradum fecit Lotharius II. Studiorum civilium restaurator, qui complures Doctores solemni ritu inauguravit, teste *eodem* Mendo *l. cit. n.* 360. Item Rudolphus II. qui eodem honore condecoravit Bersium, quem destinarat Legationi Turcicæ, ut præter alios testis est Mendo *l. cit. n.* 371. Besold. *de Studios. c.* 9. Herm. *Fasc. jur. publ. c.* 37. *n.* 167. Konig *hic num.* 5. Vviestner *ibid. n.* 6.

20 2 Eandem facultatem, à Pont. & supremis Principibus sibi concessam, habent præ cæteris Studiorum Generalium Universitates, quàm variè exercent: nam in Bononiensi supremos Gradus Litterarios quoscunque confert Ecclesiæ Majoris Archidiaconus: in Parisina, & Cadomensi Academiæ Cancellarius teste Lenaud. *de privil. Doct. p.* 1. *n.* 4. & in Salmantina Universitate scholasticus, seu Magister scholæ, testibus Gonzal. *in c.* 4. *h. tit. n.* 5. & Mend. *l.* 1. *cit. num.* 171. Neque necesse est, ut ipse Promotor Gradum in ea Facultate habeat, in qua Doctores promovet, ut patet in exemplis allatis, ubi Promotores plerumque solius S. Theologiæ, aut juris Canonici Doctores sunt; & ostenditur duplici ratione: *una* est, quia Gradus collatione Candidatus pro eo non primum approbatur, sed Doctorum examine, ac judicio approbatus Doctor solummodo declaratur, & Insignium traditione quodammodo investitur. Faber *in l. tanta* 2. *C. de vet. jur. enucl.* & Lenaud. *l. cit. n.* 4. *Altera*, quia potestas conferendi Gradus Litterarios, ut *n. præc.* dictum est, residet penes Pontificem, & Principes supremos, qui potestatem illam per viam communicationis possunt transferre in quoslibet. Mendo *n.* 171. *cit.*

3 Communicare hanc potestatem solet Pontifex, & alii Principes Comitibus Palatinis, & aliis tum personis, tum Collegiis, prout Doctores S. Theologiæ creandi potestatem cum privilegio Pontificio, & Cæsareo habet Rector Collegii Romani, & Germanici societatis Jesu, licèt ipse nullum plerumque in Litteris Gradum habent. 21

Quæritur 5. quinam creari Doctores possint? Resp. omnes, qui non prohibentur. Considerandus autem 1. est *Sexus*; nam fæminæ ut docere, ita & doctorari prohibentur *can. mulierem* 17. *caus.* 33. *q.* 5. & *l. fæminæ* 2. *ff. de R. J.* Bartol. *in l. fin. n.* 16. *ff. de Colleg. & corporib.* Et licèt Tiraquell. *leg. connub.* 11. *n.* 30. referat, Accursii filiam jura civilia Bononiæ publicè docuisse, illam tamen Gradu insignitam fuisse non constat. Benius *de priv. Doct. p.* 3. *privil.* 64. *n.* 20. Konig *hic n.* 6. 22

2 *Natales*: nam Spurii, & Illegitimi in plerisque Europæ Universitatibus excluduntur à Dignitate Doctorali. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 31. Harppr. *ad* §. 1. *Inst. de injur. num.* 241. Konig *n.* 7. etiamsi legitimati sint; quia utcunque legitimentur, tamen infames de facto inter bonos, & graves viros. Mynsing. *l. cit.* Addit tamen Harppr. *l. cit.* alicubi rigorem istum non semper attendi, & in virtutem, & eruditionem tantùm, non verò in natales inquiri, idque testatur de sua Tubingensi Academia. In aliis Illegitimi Dispensationem facilè obtinent, si paternorum criminum sint exhæredes, & à morum honestate, ac scientia singulariter commendati: & meritò, ne quos propria virtus extulit, culpa aliena deprimat *argum. can. Presbyterorum* 1. §. *sed hoc intelligendum distinct.* 56. *capit. innotuit* 20. *de Election.* & *l. spurii* 6. *pr. ff. de Decur.* Et ita constat Joannem Andreæ, Gratianum, ejusque fratres Petrum Lombardum, & Comestorem, Jasonem item, & alios natalium quidem defectum passos, sed postea clarissimos Doctores, ac Professores fuisse. Konig. *numer.* 7. *citat.* 23

3 *Ætas*: sufficit autem annus ætatis 17. completus juxta Anchatan. *procem. l.* 6. *Decret.* Besold. *V. Doctor*, & Herm. *Fasc. jur. publ. c.* 37. *n.* 182. hæc enim ætas sufficit, ut quis titulo JCti insignatur, item ad advocandum, & postulandum, ut dictum est *Lib.* 1. *Tit.* 37. *nu.* 6. Et hac ætate Nerva publicè de jure responsitasse legitur *l. hunc titulum* 1. §. *initium* 1. *ff. de postuland.* quæ forma olim ad constituendos jurisconsultos exigebatur: item ea ætate quis Judex Pedaneus esse potest *l. quidam* 57. *ff. de re judic.* Et meritò; quia non annorum numerus, sed scientia Doctorales honores meretur. Gloss. *in l.* 11. §. 1. *vers. jurisperitos C. de Advoc. divers. judic.* & ut in aliis malitia, ita hic scientia ætatem supplet. Konig *hic num.* 8 24

4 *Fides*: ob hanc à Gradu Doctoratus repelluntur Judæi; quæ Doctoratus est Dignitas, cujus Judæi sunt incapaces *l. fin. C. de Judæis. Idque procedit* non tantùm de Doctoratu S. Theologiæ, & juris Canonici, sed etiam Legum: quia Leges ad DEI obedientiam præsertim diriguntur, ideoque sacratissimæ vocantur *l. Leges sacratissimæ* 9. *C. de LL.* Imò ne quidem ad Doctoratum promoveri possunt ex Medicina, ut cum *Bartolo*, *Host. Anchar. Abb. Felin.* & aliis à se *citt.* notat Pignatell. *tom.* 8. *consult.* 144. *n.* 3. quidquid de contraria praxi opponat Ricciull. *de jur. person. l.* 2. *c.* 25. *n.* 4. quæ teste eodem Pignatell. *l. cit. n.* 6. non est attendenda, ob duplex responsum Summi Pontificis, unum, quod dedit 8. *Nov.* 1618. ubi cum diceretur, quòd quidam Judæi tam in Universitate Urbis, quàm aliarum civitatum ad Doctoratus Gradum ex Medicina promoti essent, dixit, ista fuisse facta per abusum, & propterea mandavit moneri Rectorem Universitatis Urbis, ne ipse, aut ipsius Collegæ id porro facerent: *alterum*, quo, cùm quidam Judæus in Universitate Pisarum suscepisset Lauream 25

Doctoratus, de ejusdem Pontificis mandato 16 *Sept.* 1621. scriptum est Nuntio Apostolico, ut ageret cum Magno Duce Hetruriæ, quò provideret, ne deinceps in ea Universitate Judæo couferretur Gradus Doctoratus.

26 5 *Litterarum scientia*, quæ in Candidatis si non eminens, & exquisita, saltem debita, & sufficiens desideratur. Konig *hic n.* 10. Et hinc, qui in præmisso Examine inventus est minùs habens, & Gradu isto indignus, ad eum Gradum promoveri nequit: quod patet 1. ex *Formula*, qua constituuntur Comites Palatini, ubi potestas ipsis conceditur admittendi ad Gradus Litterarios, non nisi eos, qui prævio, diligenti, & rigoroso Examine probati fuerint. 2. Ex *Constitutione Sixti IV.* confirmatoria nostræ Universitatis incipit *In eminenti edita Cal. Aug.* 1477. ubi hic Pontifex dictæ Universitati concedit potestatem promovendi ad Gradus Litterarios scholares solùm habiles & idoneos, rigoroso præcedente Examine. 3. Ex *ratione*; quia cùm graviora utriusque tam Ecclesiasticæ, quàm Politicæ Reip. negotia plerumque committi soleant personis Graduatis, si ad eos Gradus promoverentur indigni, periculum foret, ne muneri suo malè præsint, quòd ad illud gerendum necessaria doctrina destituti sint: quod cùm in grave damnum boni publici cedat, idcirco plerisque DD. cum Lenaud. *de privil. Doctor. p.* 1. *n.* 55. Mend. *l.* 1. *Jur. Acad. n.* 365. Konig *hic n.* 10. Vviestner *ibid. n.* 14. reos gravis peccati faciunt eos, qui ita indignos ad hujusmodi Gradus promovere præsumunt.

27 6 *Morum honestas*, nam Magistros Studiorum; Doctoresque *excellere oportet moribus primùm, deinde facundia*, ut dicitur *l. Magistros* 7. *C. de Profess. & Medic.* & immorigeri, ac mali ingenio, licèt periti sint, ac boni ingenio, reprobari possunt. Konig *n.* 11. *hic.* Præsertim verò à Gradibus Academicis arcendi sunt infames infamia, sive juris, sive facti; quia sunt Dignitas, & *infamibus portæ Dignitatum patere non debent*, ut dicitur *Reg. infamibus* 87. *in* 6.

28 Quæritur 6. quæ ut forma promovendi Doctores, sive Magistros? Resp. 1. præmittendum est rigorosum examen, quo exploretur ipsius Candidati scientia, & eruditio *l. Magistros* 7. *C. de profess. & Medic.* Examen tamen istud, si aliunde satis de idoneitate constet, Professores, ut quorum discretioni, & conscientiæ examinatio à Principibus committitur, remittere possunt per ea, quæ tradit Bald. *in c. constitutis* 46. *de Appell.* & ex eo Konig *hic n.* 13.

29 2 Præmittenda est Professio Fidei juxta *Bullam Pii IV.* alioquin irrita erit collatio Gradus, prout censuit *Sac. Congr.* apud Joann. Gallemart ad Trid. *sess.* 25. *c.* 2. *de reform.* Benium *de Privil. Doct. privil.* 11. *nu.* 3. Konig *num.* 13. *cit.*

3 In ipsa promotione tradantur Candidato Insignia Doctoralia, necesse est: atque hinc Besold. *Dissert. de Jur. Academ. c.* 4. *n.* 7. infert, absentem post rigorosum examen post Procuratorem promoveri non posse, cùm hæ solemnitates quædam actio Legis esse videantur, quæ Procuratorem respuit *l. nemo* 123. *ff. de R. J.*

30 Quæritur 7: quid observandum circa sumptus, impendendos in solemnitate Inaugurationis Doctoralis? Resp. hos moderata est *Clem.* 2. *h. tit.* ubi sub pœna semestralis suspensionis à Collatione Graduum iis omnibus, penes quos Gradus Litterarios conferendi potestas sita est, præcipitur, ut à Candidatis ante promotionem exigant juramentum, quo promittant, se in ea solemnitate ultra tria millia Turonensium argenteorum, seu ducentos quinquaginta aureos secundùm Gloss. *in Clem. cit.* non impensuros. Cujus *Clem.* usus in quibusdam Universitatibus, teste Pirhing *hic num.* 14. abolitus; in aliis nunquam introductus; in nostra autem Universitate Ingolstadiana etiamnum viget, & juramentum exigitur ab omnibus, qui Licentiam Supremi Gradus capessendi sibi conferri petunt. Potest autem, ut addit Schambog. *hic nu.* 7. etiam ubi viget observantia hujus *Clem.* excedi in ista quantitate casu, quo promovendus fuerit notabilis conditionis, seu status altioris, ita tamen, ut summa ei taxetur.

31 *Rationem* hujus suæ *Constitutionis* innuit *Clem. cit.* Pontifex, quòd tempore illius *Constitutionis* conditæ multi in suam Doctoralem Inaugurationem adeo excessivè impensas fecerint, ut *transeunte hac expensarum vanitate, plerumque remanerent vacui*, & ære alieno *gravati*, ex hausto in eos sumptus Patrimonio suo: cui rationi ibidem *altera* additur, quòd *cæteri, qui vel nolunt, vel nequeunt similes expensas subire, hac occasione frequenter a receptione honoris hujusmodi retraherentur*, licèt fortasse digniores aliis essent, cum non parvo rei litterariæ, & boni publici detrimento. Adjungi potest ratio *tertia*, quòd indignum videatur, scientiæ defectum pecunia, sive, ut Gloss. *V. excedunt*, & Abb. *numer.* 8. loquuntur, imperfectum scientiæ suppleri perfectione expensarum.

Quæritur 8. an Doctorum Privilegia competant malè promotis? Negant Guid. Pap. *q.* 88. Ripa *l.* 2. *respons. c.* 20. Roland. à Vall. *l.* 1. *cons.* 76. *n.* 40. *&* 41. Menoch. *de arbitr. cas.* 379. *n.* 12. Besold. *Dissert. de Studios. c.* 10. *fol.* 145. quòd cessante privilegii causa, privilegium cesset *c. cessante* 60. *de Appell.* P. Vviestner *hic nu.* 15. licèt æquitati consonam sententiam istam dicat, monet tamen in praxi magnopere cavendum esse, ne communes Doctorum prærogativæ, & privilegia facilè denegentur ei, cui ab aliquo Collegio Academico, vel Comite etiam Palatino Doctoralis Laorea concessa est, nisi nomen hoc Dignitatis, quòd malè obtinuit, Principali, vel alia legitima authoritate ablatum ei sit. 32

Quæritur 9 an iisdem Privilegiis gaudeant *Doctores Bullati*, seu illi, qui Gradum Doctoralem non in aliqua Studiorum Generalium Universitate, sed Rescripto Principis, vel à Comite Palatino adepti sunt? Negant Alex. *in l. Centurio de vulg. subsistit. n.* 10. 20-21. Guid. Pap. *q.* 68. *n.* 3. Coler. *de process. Execut. p.* 2. *c.* 3. *num.* 129. *& alii.* Sed distinguendum inter eos Doctores est, & iis quidem, qui à Summo Principe sæculari, vel Ecclesiastico, prævio Academicorum, vel aliorum Doctorum examine, Gradu isto judicati sunt digni, asserenda privilegia Doctoralia omnia; imò prærogativa inter Doctores cæteros. 33

De aliis autem, qui à Comitibus Palatinis, & aliis, prætextu facultatum, à Sede Apostolica sibi indultarum, promoti sunt, S. Pius V. *Const.* incipit, *Quamvis* 1568. *edita* statuit, ut nulla ejusmodi gradus prærogativa, Dignitates, cæteraque Beneficia Ecclesiastica concernente, gauderent. Qua in re Sanctus hic Pontifex inhæsit vestigiis *S. Synod. Trid.* quæ *sess.* 22. *c.* 2. *de reform.* exigit, ut ad Dignitates, & Beneficia illi assumantur, qui in Universitate Studiorum aliqua Magistri, aut Doctores vel Licentiati in S. Theologia, vel jure Canonico meritò sunt promoti; hocque declaravit *S. Congr. Card. Trid. Interpp. in Elnens.* 17. *Jan.* 1643. iidem per *Ordin. Cam. p.* 1. *tit.* 3. *&* 18. excluduntur ab Ordine Assessorum Cameræ, ejusque Commissariorum. 34

Quæritur 10. an *Licentiati* gaudeant juribus, & Privilegiis Doctorum? Magna circa hos est AA. dissensio. *Negant* aliqui, ex ratione, quòd ea jura, & Privilegia primùm tribuantur in Inauguratione cum Insignibus Doctoralibus. igitur ante illam Licentiatis non competunt. *Affirmant* alii, ex fundamento non levis momenti, quòd jura illa, & privilegia Doctoribus competant non ratione solemnitatis adhibitæ in Promotione, sed ratione excellentis doctrinæ, quæ per examina manifestatur, & per Licentiæ concessionem legitimè approbatur; in promotione autem, cùm ea absque novo experimento fiat, non crescit, nec magis apparet. 35

Tenenda est sententia media, & cum Alciat. *ad l.* 57. *ff. de V. S.* Ricc. *prax. p.* 2. *resolut.* 467. Lenaud. *de privil. Doct. p.* 4. *n.* 11. Besold. *de Studios. c.* 8. Herm. *Fasc. Jur. publ. c.* 37. *n.* 166. Konig *hic n.* 26. Vviest. *n.* 18. Reiffenst. *nu.* 12. dicendum Licentiatos jure Doctorum censeri in favorabilibus, non verò in odiosis: cons. admittendos ad Dignitates, Beneficia, & Officia omnia, ad quæ admittuntur Doctores, nisi expresse requiratur promotionis qualitas; non verò repellendos, sicubi, ut Hamburgi à Dignitate Senatoria, repelluntur Doctores. Probat hoc ratio secundæ sententiæ, & confirmatur *arg. l. filiusf.* 43. *ff. de Testam. milit.* sicut enim hoc textu proximè accingendus pro accincto, ita hic proximè doctorandus pro Doctorato habendus est. 36

§. II.

§. II.

De Magiſtro, præſertim Theologo, & Præbenda Theologali.

SUMMARIUM.

37 *Ex Decreto Concilii Later. conſtituendi ſunt Magiſtri ad inſtruendam juventutem.*
38 *Ubi?*
39 *Quid conſtituerit de his Tridentinum?*
40 *Unde hujuſmodi Magiſtro ſubminiſtranda vitæ ſubſidia?*
41 *An ad Præbendam Theologalem ab Epiſcopo admitti valeat etiam Canoniſta?*

37 PLurimùm ſemper attendit Eccleſia, ut ad Divinorum adminiſtrationem, & cæteras functiones Sacras idoneos ſemper haberet Miniſtros: hinc Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. *cap. quia nonnullis* 4. *h. tit.* relatum ſtatuit, ut Magiſtri ubivis conſtituerentur, qui juventutem in bonis artibus, & Clericos in ſacris Diſciplinis inſtruerent.

38 Quæritur 1. ubinam hujuſmodi Magiſtri conſtituendi ſint? Reſp. juxta *cit. Conc. Later.* conſtituendi ſunt in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, cum diſcrimine tamen; nam ſi Collegiata, vel Cathedralis inferior eſſet, voluit, ut ibi ſaltem conſtitueretur Magiſter, qui Clericos, & alios ſcholares pauperes Grammaticæ præceptis gratis erudiret: ſi verò Metropolitana, præcepit addi Magiſtrum Theologum, à Prælato cum conſenſu Capituli ſui deputandum, qui Sacerdotes, & alios in ſacra Pagina doceat, & in his præſertim informet, quæ ad curam animarum ſpectant *c. quoniam* 1. & *c. quia nonnullis* 4. *h. tit.*

39 Auxit obligationem hanc *S. Synodus Trid.* dum *ſeſſ.* 5. *c.* 1. *de reform.* voluit, Magiſtrum Theologum conſtituendum in quavis Eccleſia Cathedrali, & Collegiata, ſi exiſtat in inſigni aliquo Oppido, niſi reddituum tenuitas hoc prohiberet; tunc enim ſtatuit in ea conſtituendum ſaltem Grammaticum. Addidit *ibidem verſ. in Monaſteriis*, Lectionem S. ſcripturæ, vel Theologiæ habendam etiam in Monaſteriis, & Conventibus Regularium, in quibus id fieri commodè poteſt, data Epiſcopis poteſtate, ut in caſu, quo Abbates ea in re negligentes fuerint, eoſdem etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati ad ejuſmodi Lectionem inſtituendam compellerent. Hodie tamen, ut notat Vvagnereck *in c.* 4. *cit. in Exegeſ.* ob multiplicatas paſſim Academias, & Gymnaſia Eccleſiæ Cathedrales, & Collegiatæ (idem dici poterit de Monaſteriis) à curis, & impenſis ejuſmodi Magiſtros conſtituendi pleriſque in locis liberantur.

40 Quæritur 2. unde hujuſmodi Magiſtro ſubminiſtranda ſint vitæ ſubſidia? Reſp. hic diſtinguendum eſt inter Jus antiquum *Concil. Later.* & novum *Trid.* nam *antiquo jure* eidem unius Præbendæ redditus erant aſſignandi *c. quia nonnullis cit. verſ. Aſſignetur.* At *novo jure Trid.* diſcrimen fit inter Grammaticum, & Theologum. Et *Grammatico* quidem, quamdiu in docendi munere perſtiterit, jubentur aſſignari fructus ſimplicis Beneficii, vel ex redditibus Menſæ, aut Capitulari, vel aliunde merces condigna perſolvi. *ſeſſ.* 5. *c.* 1. *cit. verſ. ideoque.* De *Magiſtro Theologo* autem ſtatuit, ut eidem Præbenda quomodocunque, aliter, quàm per reſignationem, primò vacatura, & aliud onus incompatibile annexum non habens, deputetur *c.* 1. *cit. verſ. in Eccleſiis* quæ proinde ad eum uſum, ut *ibidem* dicitur, perpetuò deputata manet, & *Præbenda Theologalis*, eam verò obtinens *Scholaſticus*, vel *Magiſter Scholæ* dicetur, evaditque verus Canonicus. Barb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 12. Gonzal. *in c.* 4. *eod. nu.* 5. Pirh. *hic n.* 7. *not.* 7. Vvieſt. *ibid n.* 27.

41 Quæritur 3. an ad Præbendam hanc ab Epiſcopo admitti valeat etiam Canoniſta? *Rationem dubitandi* facit textus *Concil. Later.* & *Trid. citt.* ubi pro iſta Præbenda Theologus, & Lector Theologiæ ad S. ſcripturæ interpretationem diſertè requiritur, ut videre eſt *l. citt. Sed dicendum*, poſſe ad eam admitti Canoniſtam. Ita ad dubium iſtud, ab ipſo Papa propoſitum, unanimi conſenſu declaravit *S. Congr.* 14. *Novembr.* 1626. & confirmavit *in Polignan. die* 3. *Dec.* 1639. *in Oſtunenſi* 20. *Jul.* 1641. *in Aſtenſ.* 2. *Febr.* 1646. *in Mazarienſ.* 12. *April.* 1651. apud Pignarell. *tom.* 1. *conſult.* 147. *n.* 1. & 17. *Ratio eſt*, quia cum SS. Canones non ſolùm Spiritu S. inſpirante ſint editi, ſed moralis Theologiæ Regulas præcipuas, & ferè omnes ſuppeditent, hos explanando Canoniſta officium Theologi implet, & etiam ipſe S. ſcripturam explanat: ut proinde Sylv. *V. Doctor num.* 5. *fin. V. de Doctoratu verò Juris Canonici* Jus Canonicum non immeritò appellet Theologiam practicam.

§. III.

De Pretii exactione pro Licentia, & officio docendi.

SUMMARIUM.

42 &c. *Utrùm ſine ſimonia accipi, vel peti aliquid poſſit pro docendi Licentia?*
48 *Vel pro ipſo actu docendi?*
49 &c. *Præſertim in Theologia, & Jure Canonico?*
54 &c. *An ſine periculo ſimoniæ pretium peti poſſit pro Conſilio, ſeu Reſponſo Theologico, aut Canonico?*

QUæritur 1. utrum pro docendi licentia aliquid accipi, vel peti ſine ſimonia poſſit? Videtur non poſſe 1. ob Rubricam, & textum *c. prohibeat* 2. *h. tit.* ubi vetatur, *ne aliquid exigatur pro licentia docendi*, & ſubjungitur ratio, ut ſcilicet gratis detur, quod gratis acceptum eſt: quæ ratio etiam ſimoniacos percutit: 2. Quia aliquid ex iſta cauſa accipientibus eadem pœna ſtatuitur, quam ſimoniam committentes incurrunt, ut adeo ſignum ſit idem committi delictum. 3. Quia Gradus Litterarii authoritate Apoſtolica, quæ ſpiritualis eſt, inſtituti ſunt, & eadem authoritate conferuntur; adeoque ſpirituales videntur eſſe, & conſ. conſtituere materiam ſimoniæ. 42

Sed dicendum, etſi illicitè agat, qui pro licentia docendi, aut Gradu Litterario petit pretium, per hoc tamen ſimoniam revera nullam committere. Ita poſt *Innoc. Abb. Antonin. Tabien.* & alios antiquiores docent Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. c.* 35. *n.* 82. Suar. *l.* 4. *de ſimon. c.* 18. *n.* 19. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. *n.* 31. Palao *tr.* 17. *D.* 3. *p.* 10. *n.* 3. & 4. Fagnan. *in c. quoniam* 1. *h. tit. n.* 12. Barboſ. *ibid. n.* 8. Vvagnereck *in c.* 2. *eod. not.* 1. Gonzal. *in c.* 4. *num.* 6. Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 51. *n.* 6. Vallenſ. *hic num.* 2. Zoeſ. *n.* 1. & 3. Engl. *n.* 8. Pirhing *n.* 2. *not.* 2. *num.* 12. *coroll.* 1. & *num.* 13. *coroll.* 4. Konig *numer.* 30. Vvieſtner *n.* 37. Reiffenſtuel *n.* 18. & 19. Friderich *de ſimon. c.* 4. *num.* 137. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 1. *n.* 72. & 73. 43

Et quidem quòd *illicitè* agat, patet ex *Rubrica Tit. præſ.* quæ cùm ſenſum perfectum habeat, ex communi Regula vim juris obtinet. 44 Eſtque hoc ita verum, ut hujuſmodi exactio, vel acceptio nulla etiam conſuetudine cohoneſtari poſſit, utpote quæ *c. quantò* 3. *h. tit.* apertè reprobatur. Qui verò hujuſmodi prohibitioni contrajerint, id, quod acceperunt, jubentur reſtituere, & ſimul puniri ademptione Dignitatum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quibus potiuntur *c. quoniam* 1. & *duob. ſeqq. h. tit.* Idque meritò, ſordities enim eſt à viris doctis extorquere pretium pro facultate docendi honeſtas, & Reip. ſalutares Diſciplinas, ad quas tradendas muneribus, honoribus, precibus invitari eoſdem oporteret. Ex eadem cauſa, ſi quid ex cauſa iſta promiſſum dumtaxat, non verò ſolutum ſit, remitti debet, ne melioris conditionis ſit is, cui promiſſum, quàm cui ſolutum eſt: quod *confirmatur*: nam turpes, & illicitæ promiſſiones nullæ ſunt, & non obligant *cap. fin. de Pact. l. generali* 26. *ff. de V. S.* Gloſſ. *in cap.* 2. *h. titul. V. remitti*, Pirhing *hic numer.* 3.

Quod verò per talem acceptionem, vel exactionem ſimonia non committatur, inde oſtenditur; nam Gradus Litterarii duo includunt; ſcilicet Dignitatem, & privilegia, quæ æſtimationem, & pretium nullatenus reſpuunt; & licentiam docendi, quæ, niſi proveniat à poteſtate ſpiritualis juriſdictionis, merè quid temporale eſt, ut adeo nihil ſit, quod in hac materia mercem ſimoniæ conſtituat. *Excepi*, niſi proveniat à poteſtate ſpiritualis Juriſdictionis; nam hoc ſi fiat, & Prælatus Eccleſiaſticus, cui ex Officio incumbit, Profeſſuram aliquam 45

cum Beneficio Ecclesiastico, quod ei Professuræ annexum est, conferre, pro ejus concessione pretium præsumat exigere, vel accipere, simoniæ vitio se indubitatò obstringit. Laym. c. 8. cit. n. 31. coroll. 1. Engl hic n. 8. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 76.

46 Addidi n. 43. prohibitum esse aliquid accipere pro ipsa docendi licentia; nam pro labore, qui subitur in Candidatis Graduum examinandis, approbandis, & approbatis inaugurandis, peti aliquid tanquam stipendium laboris potest. Gonzal. in c. 4. h. tit. n. 6. fin. Imò etiam tanquam pretium, si hoc accipiatur non pro ipsa licentia docendi, sed pro honore, emolumentis temporalibus, communicatione privilegiorum &c. quæ in Graduum Litterariorum collatione acquiruntur, ut cum aliis notat Zoes. hic n. 3. Schambog. n. 10. Konig n. 31. Potestque pretium istud augeri, quanto sublimior Gradus, & emolumenta majora sunt, quippe quorum æstimatio ex quantitate crescit. Et ex hoc capite accipitur, quod defacto in collatione Graduum ex Universitatum usitatissima; & universali praxi accipitur.

47 Neque obstant Argumenta n. 42. in contrarium allata. *Ad* 1. ad simoniam non sufficit aliquid esse gratis dandum; sed requiritur, ut temporale detur pro spirituali, aut spirituali annexo. *Ad* 2. sæpe diversis criminibus eadem taxatur pœna. *Ad* 3. authoritate Pontificia conferri possunt etiam aliqua temporalia ad utilitatem, & splendorem spiritualium, quæ tamen non hoc ipso materia simoniæ fiunt, nisi specialiter prohibeantur intuitu Religionis, quod in præsenti casu non contingit.

48 Quæritur 2. utrum accipi, vel peti aliquid possit pro ipso actu docendi, ut simoniæ labes non contrahatur? *Certum* est, posse sine periculo simoniæ aliquid accipi, & etiam peti pro actu docendi Scientias merè naturales, puta juris Civilis, Medicinæ, Philosophiæ, & Artium Liberalium; quia istarum Scientiarum nec explicatio, nec notitia aliquid spirituale est, aut spirituali annexum: consf. mercem simoniacam non constituit.

49 *Controversia* est de S. Theologia, & jure Canonico: in qua dissident inter sese DD. nam Paludan. in 4. dist. 25. q. 5. n. 20. Antonin. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 7. not. 6. fin. Sylv. *V. simonia* q. 10. Simoniæ accusant eos, qui pro his scientiis docendis recipiunt, aut promittunt pecunias. *Contra* Gloss. in can. de quibusdam 12. *V. Magistri* dist. 31. Adrian. quodl. 9. art. 1. fin. Victor. relect. de simon. num. 6. cum aliis eosdem à simoniæ culpa absolvunt.

50 Tribuendum utrique sententiæ aliquid, & 1. distinguendum, inter Theologiam merè naturalem, seu quæ de DEO ut authore naturæ agit, & inter eam, quæ eundem, tanquam Authorem supernaturalium explicat. De *prima* certum est, quòd pro illa docenda recipi, & peti aliquid temporale possit; quia nihil supernaturale continet. Sanch. l. 2. cons. c. 3. dub. 5. n. 1. Mendo l. 2. Jur. Academ. n. 101. Vviest. hic n. 36.

51 Quoad *secundam* adhibenda est secunda distinctio, an alia scientia Theologica sit infusa à DEO ad cognoscendas veritates Divinarum Scripturarum, quæ in SS. Litteris *Interpretatio sermonum* dicitur, & inter Dona Spiritus sancti connumeratur; an verò sit acquisita. *Si primum*, communicatio ejus pro pretio simoniaca est; tum quia Donum Spiritus S. pecunia possideri non potest; tum quia per interpretationem veritatum S. scripturæ ordinatur ad generandam DEI, rerumque supernaturalium cognitionem, & amorem, qui finis supernaturalis; & spiritualis est. Less. l. 2. de Just. c. 35. n. 77. concl. 3. Mendo l. cit. n. 102.

52 *Si secundum*, tertiò distinguendum est, & videndum, quomodo, & in quem finem communicetur; nam si ordinata sit ad infideles instruendos, Hæreticos erroris convincendos, Fidelium animos ad amorem, & cultum DEI excitandos, absterrendos à peccatis, eorùmque conscientias à scrupulis liberandas, prout Concionatores; Catechistæ, & Confessarii solent, exactio pretii, vel alterius rei temporalis simonia non caret; quia scientia talis ex fine suo est supernaturalis. Less. num. 77. cit. concl. 2. & n. 78. vers. ubi notandum, Azor p. 3. l. 12. c. 17. quæst. 4. Suar. l. 4. de simon. c. 18. num. 22. Laym. l. 4. tr. 10. c. 8. num. 32. Palao tr. 17. D. 3. p. 10. num. 6. & 7. Mendo l. cit. num. 104. Vviestner hic num. 38. Reiffenstuel ibid. num. 15. cum S. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 3.

53 At si interpretatio illius solùm ordinetur, & instituta sit ad Auditorum intellectum illustrandum, vel eorum memoriam juvandam, ut in Scholis Professores solent, sine periculo simoniæ pro ea docenda pretium potest accipi, ut verisimiliùs docent Azor quæst. 4. cit. & cap. 18. quæst. 6. Less. num. 6. & num. 79. vers. de prima, Suarez num. 7. Laym. n. 30. concl. 2. Palao n. 2. Mendo n. 103. Barbosa in cap. 1. hoc tit. num. 8. Vvagnereck in cap. 2. eod. not. 3. Zoes. hic num. 5. Pirhing n. 11. Vviestner n. 39. Reiffenstuel num. 25. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. cap. 1. num. 73. Ratio est, quia non apparet, ex quo capite supernaturalis sit, ut mercem simoniacam possit constituere: non enim 1. supernaturalis est ex ratione *principii*; quia Fidem supernaturalem necessario non supponit, cùm Discursus Theologicos formare etiam Hæreticus, & de Fide voluntariè dubius possit: non 2. ratione *finis*; quia, ut ostensum est, finis ejus, in quem proxime est instituta, naturalis duntaxat est: non 3. ratione *veritatum supernaturalium*, & à Deo revelatarum, quas supponit; quia istæ in Discursu Theologico non necessario à Fide pendent, & in Conclusionem Theologicam modo solùm naturali influunt.

Quæritur 3. an sine periculo simoniæ pretium possit exigi pro Consilio, seu Responso Theologico, aut Canonico? Resp. hìc adhibendam distinctionem ultimam præcedentem; nam si responsum redderetur ad obtinendam Pagani conversionem, Hæretici ad gremium Ecclesiæ reductionem, ad timorem Dei, & amorem, rerum fluxarum contemptum, virtutis studium in Fidelibus excitandum, sine labe simoniæ pro ejusmodi Responso pretium peti, & accipi, nequit, quia est actio spiritualis, & ex fine suo supernaturalis. 54

Contra pretium pro eo absque periculo simoniæ exigi potest, si ordinetur ad intellectum duntaxat propositæ dubitationis resolutione, istiusque rationibus deductis illustrandum; ut cum S. Thom. art. 3. cit. defendunt Suar. cap. 18. cit. n. 19. & 20. Laym. num. 32. fin. Palao num. 5. Correa Idea Consil. D. 8. n. 2370. Vvagnereck in cap. 2. hoc tit. not. 3. Zoes. hic n. 6. Pirh. n. 13. coroll. 3. Vviest. num. 40. Friderich. de simon. cap. 4. num. 139. Ratio est, quia Responsum hoc est actus naturalis, quo communicatur Scientia, humana industria acquisita, per modum Magisterii ad finem naturalem. 55

Neque obstat, quòd interrogans tali Responso aliquando utatur ad dirigendam, & pacandam conscientiam; quia istius intentio non mutat naturam actionis, seu Responsi, quod ex se ad intellectum veritatis cognitione erudiendum ordinatur. Zoes. num. 6. cit. aliàs simoniacus foret etiam Legum Doctor, aut causarum Patronus, ex Jure Civili docens, utrum hic, vel ille Contractus sit licitus, aut non, si alter Responsum petit ad vitandum peccatum, aut tranquillandam conscientiam, vel ad exercendam Jurisdictionem Ecclesiasticam, quod nemo, ut opinor, asseruerit. 56

TITULUS VI.

De Judæis, Sarracenis, eorumque Servis.

SUMMARIUM.

1 *Infidelitatis Species.*
2 *Definitio Paganismi.*
3 *Et Judaismi.*
4 5 6 *An Divisio Infidelitatis in Paganismum, Judaismum, & Hæresim sit adæquata?*
7 *Quænam ex his Speciebus sit gravior.*
8 &c. *An, & qualis communicatio cum paganis, & Judæis prohibita Christianis sit in Divinis?*
13 &c. *An licitè inter Cristianos tolerentur Judæi, horum Synagogæ, & ritus.*
20 &c. *An, & quousque Christianis prohibita sit communicatio cum Judæis, & Infidelibus in humanis, & Politicis?*
27 &c. *Quænam Judæis, Christianorum Principum potestati subjectis, sint interdicta?*
31 &c. *Quænam Jura iisdem, in Tutelam legitimè receptis concessa sint, quæ contra illos fieri prohibita?*
36 &c. *Quomodo, & à quo Judæi delinquentes possint, & debeant puniri?*
40 &c. *An ab Ecclesia procedi possit adversus invalidè baptizatum?*

45 &c.

45 *&c. Quanam Christianis Jure Canonico interdicta sint circa Sarracenos, seu Paganos, & alios Infideles?*
48 *&c. An liceat Principi Christiano cum his inire fœdus auxilii contra fideles ferendi causa?*
51 *&c. An Judæi, Sarraceni, & alii Infideles cogi possint ad suscipiendum Baptismum?*
55 *&c. Et audiendam prædicationem Evangelii?*

SImoniam sequitur *Infidelitas*, quæ, quòd veri Cultus Divini ipsa fundamenta convellat, multò magis, quàm simonia Religioni opponitur.

1 Quæritur 1. quotuplex sit *Infidelitas*? *Resp. Infidelitas* in genere accepta dicitur esse triplex, 1. *Infidelitas negativa*, eorum scilicet, qui nihil unquam de fide audiverunt; & hæc non tam est peccatum, quam peccati pœna; quia si fecissent, quod in ipsis erat, Deus Fidem eis non abscondisset, 2. *Contraria*; hæc penes illos est, qui Fidem sibi sufficienter propositam vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaciter, quales sunt Hæretici, 3. *Privativa*, sic dicta, quia privativè opponitur fidei, & est culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei. Busenbaum *lib. 2. tr. 1. cap. 4. dub. 1.* Schambog *hic nu. 2.*

2 Infidelitas Contraria ex modo repugnandi fidei subdividitur in paganismum, Judaismum, & Hæresim; de hac ultima dicitur *Tit. seq. paganismus* est error, vel secta repugnans Fidei scriptæ, sive negans Mysteria, & varitates, à Deo revelatas tum in veteri, tum in novo Testamento; qui hunc sectantur, *Pagani, & Gentiles* dicuntur. Hujus species est *Secta Sarracenorum*, à Sara uxore Abrahæ, à qua se originem trahere mentiuntur, vel potiùs, ut ex Paul. Æmil. *lib. 7. Franc. Histor.* referunt Azor *part. 1. lib. 8. cap. 23 quæst. 1.* & Vincent. Petra *tom. 1. comment, fol. 559 num. 4.* à Sarraca Arabiæ civitate nuncupatorum, qui neque vetus, neque novum Testamentum integrè, sed utrumque ex parte duntaxat admittunt, & impii Mahumetis Alcorano adhærent: quales hodie sunt Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Ægyptii, Mauri &c. Azor *loc. cit. quæst. 4.* Barbosa *in cap. 6. hoc tit. numer. 3.* Vallens. *hic nu. 9.* Pirhing *ibid. pr.* Schambog *num. 4.* Vviestner *num. 2.* Mag. P. Schimier *part. 2. de delict. cap. 3. nu. 3.*

3 *Judaismus* est error hominum Legem duntaxat Mosaicam sectantium; quamvis enim Lex vetus, digito Dei conscripta, & per Moysen Hæbræo populo promulgata fuerit, quia tamen (quoad præcepta ceremonialia, & Judicialia) solùm erat umbra, & figura eorum, quæ in Testamento novo erant sancienda, proindeque cum adventu novæ Legis disparuit, hinc graviter errant, & peccant Judæi, qui Legem veterem jam abrogatam, anteponunt novæ. Porro vocis *Judæus* duplex acceptio est; nam aliquando accipitur ad significandam Gentem, sic dictam à Tribu Juda, quæ cæteris erat bellicosior, & præstantior, cùm prius appellarentur Hebræi ab Hebro, cujus familia cultum veri Dei semper tenuit, cæteris Idololatria fœdaris Host. *Summ. hoc tit. num. 1. & 2.* Sylv. *V. Judæus pr. num. 1.* Pirhing *hic pr.* Aliquando verò (prout etiam sumitur in præsenti Titulo) est nomen Sectæ: & sic *Judæi* dicuntur illi, qui, ut dictum, adhærent soli Veteri Testamento absque fide in Christum, tanquam verum Messiam, & humani generis Redemptorem, quem proinde non venisse, sed venturum credunt. Silv. *loc. cit.* Vallens. *hic num. 1.* Scambog *num. 3.* Konig *n. 1.* Reiffenstuel *nu. 2.*

4 Dub. 1. an divisio Infidelitatis in Paganismum, Judaismum, & Hæresim sit adæquata? *Ratio dubitandi est* 1. quia aliqui fuerunt Hæretici, qui admittebant novum Testamentum, & non verus; sed hi non erant Pagani, neque Judæi, neque Hæretici, prout communiter describuntur, 2. in Lege naturæ, & in Lege veteri scripta esse poterat Hæresis, si Judæus non crederet omnibus à Deo revelatis, 3. Atheismus videtur esse species distincta à Paganismo; quia nullum agnoscit Deum, cùm Paganismus è contrario agnoscat vel unum, sed superstitiosè, vel plures, ut faciunt Ethnici, 4. Apostasia est speciale peccatum contra Fidem, & tamen neque est Paganismus, neque Judaismus, neque Hæresis: ergo &c.

Sed retinenda est affirmativa. Ita S. Thom. 2. 2. *qu. 10. art. 5.* Suarez *de Fid. D. 16. sect. 5. num. 8.* Palao *tr. 4, D. 2. part. 1. num. 8.* Vviestner *hic num. 3.* quod Palao *loc. cit.* optimè declarat in hunc modum; nam peccato Infidelitatis peccari non potest, nisi adversùs revelata in duplici Testamento veteri, & novo, sub quo comprehendendæ sunt etiam Traditiones, peccari autem adversùs hæc tripliciter potest, 1. Negando utrumque Testamentum: & hoc est Paganismus, 2. admittendo vetus, negando novum: & tunc est Judaismus, 3. Admittendo novum, vel vetus non integrè: & sic est Hæresis. Item per ordinem ad Christum, authorem fidei, & salutis peccari potest 1. si neges ejus adventum, prophetias, & figuras; & tunc Paganus es; 2. si admittis Prophetias, & figuras, negas adventum; & tunc Judæus efficeris, 3. si admittis ejus adventum, tamen ejus dictis integrè fidem non habes; & tunc es Hæreticus; ergo nullus alius Infidelitatis casus excogitari potest. 5

Neque aliud probant Argumenta pro Ratione dubitandi allata. *Ad* 1. admittentes novum Testamentum, & non vetus sunt veri Hæretici; quia ex veritatibus novi Testamenti est, vetus esse revelatum à Deo, igitur hoc negantes jam ex parte recedunt à Testamento novo. *Ad* 2. divisio in Paganismum, Judaismum, & Hæresim facta est, quatenus in præsenti statu peccari contra Fidem potest. *Ad* 3. Atheismus reduci potest ad Paganismum, & tantùm distinguitur ab illo per majorem, vel minorem extensionem, cùm per utrumque Testamentum negetur integrè. *Ad* 4. Apostasia ad unam ex tribus speciebus in divisione allatis pertinet, prout est error, quem amplectitur Apostata à Fide; nam si recedis à Fide ex toto, es paganus; si ex parte admittendo Christi adventum, Hæreticus; si negas ejus adventum, Judæus; & hoc solùm inter Paganos, & Judæos ex una, & inter Christianos, qui ad hos descifcunt, ex altera parte discrimen interjacet, quòd isti ratione Baptismi semel validè suscepti, Hæreticorum instar Ecclesiæ subjecti maneant, cui subjecti nullo modo sunt pagani & Judæi, qui Christiani nunquam fuerunt. 6

Dub. 2. quænam ex suprà dictis speciebus Infidelitatis sit gravior? Resp. Hæresis est Infidelitas omnibus gravior absolutè; quoad Extensionem autem paganismus est gravior. Ita S. Thom. 2. 2. *q. 10. art. 6.* Valent. *D. 1. q. 10. p. 3. circ. fin.* Suar. *D. 16. cit. sect. 4. n. 14.* Coninck *D. 18. dub. 6. à n. 70.* Palao *tr. 4. D. 2. p. 1. n. 11.* cum aliis passim. *Pars* 2. constat; nam Paganismus plures articulos fidei negat, quàm Judaismus, & Hæresis. *Pars* 1. ostenditur à Palao *l. cit.* per duplex Argumentum; 1. quia Hæretici majorem Dei, & Scripturarum cognitionem habent, & proinde eorum peccatum magis est voluntarium, & inexcusabile; 2. quia sub nomine Christi Christum oppugnant, & simulantes cum illo amicitiam illi sunt inimici, ejusque Sacris verbis, & testimoniis sub simulata Religionis specie ad Religionem destruendam abutuntur: de quibus S. Petrus *Epist. 2. c. 2. Melius erat illis*, inquit, *non cognoscere viam Justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reverti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* 7

Quæritur 2. an, & quatenus Fidelibus prohibita sit communicatio cum Judæis, paganis, & Sarracenis? *Et 1. quidem dubitatur*, an, & qualis communicatio cum Paganis, & Judæis prohibita Christianis sit in Divinis? *Certum est* 1. non licere Catholico admittere Infidelem ad Sacramentorum participationem; quia est incapax illorum, cum nondum ingressus sit januam Ecclesiæ per Baptismum. Quodsi verò iste per vim se ingerat, poterit Ecclesia eum, tanquam injuriosum Religioni repellere, & punire. Palao *tr. 4. D. 2. p. 9. n. 2.* 8

Certum est 2. Jure Ecclesiastico prohibitum esse Fideli admittere Infidelem non baptizatum ad Sacrificium Missæ. Patet *arg. can. Episcopus 67. de consecr. dist. 1.* ubi ex Decreto *Concil. Carth. IV.* injungitur Episcopo, ne prohibeat Infideles, *ingredi Ecclesiam, & audire Verbum Dei, usque ad Missam Catechumenorum*; igitur per argumentum à sensu contrario, transacta illa parte, quæ Missa Catechumenorum dicitur, repelli Infideles à Sacris Christiani possunt, & debent. *Excipitur*, si ex admissione specialis fructus v. g. conversio Infidelis sperari pos- 9

posset; tunc enim admitti posset ad integrum Sacrificium Missæ. Coninck *D.* 18. *de fid. dub.* 11. *n.* 164. Palao *p.* 9. *cit. n.* 4. Vviestner *hic n.* 4.

10 *Certum est* 3. Jure Divino, & Naturali prohibitam esse communionem Fidelis cum Infidelibus in suis ritibus, & superstitioso cultu v.g. sacrificando, orando, & alia efficiendo, quæ ipsi Infideles præstant. Palao *num.* 1. Ratio clara est, quia cùm talis cultus intrinsecè malus sit, nequit ulla ratione honestari; alias Idololatria externa honestari posset.

11 Et hinc 1. Prohibentur Christiani vesci Azymis Judæorum *can. nullus* 13. *caus.* 28 *qu.* 1. etiam seorsim ab eis; quia sunt cibi discreti à Judæis. *Excipitur* casus extremæ necessitatis; tunc enim pane Azymo vesci liceret, non ut est cibus discretus à Judæis, sed ut est simplex panis, sicut etiam tali casu vesci licet Idolothytis, seu cibis, quos Gentiles Idolis suis consecrarunt, modò non in venerationem doli comedantur: & de hoc intelligi debet, quod dicitur *can. sicut* 8. *caus.* 32. *quæst.* 4. *Satius est fame mori, quàm Idolothytis vesci.* Gloss. *ibid. V. fame*, Sylv. *V. Judæus quæst.* 1. *dict.* 3 Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 31. *nu.* 7. Pithing *hic nu.* 3. *V. quartò*, Schambog *ibid. n.* 8.

12 2 Nefas quoque est Gentilium templa, aut Judæorum Synagogas ingredi, & invisere ejus temporibus, quibus superstitiosa ibi à Paganis, vel Judæis celebrantur; quia tali ingressu plerumque Catholicis præbetur grave scandalum, & ipse ingrediens sæpe incurrit perversionis periculum. Secus est, siquis aliis temporibus ingrediatur hujusmodi templa, ut structuram, & ornatum eorum spectet, & multo magis, ut vanas, & superstitiosas illorum ceremonias confutet. Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 3. *fin.* Imò si absit scandalum, vel periculum perversionis ex parte personæ invisentis, non erit mortale ea invisere etiam eo tempore, quo superstitiosa sacrificia à Gentilibus, vel Judæis celebrantur; sed si finis vanus sit, ut vana curiositas, erit veniale; si autem finis bonus, vacabit omni culpa. Sanchez *cap.* 31. *cit. num.* 18. Pirhing *hic num.* 5.

13 *Difficultas* præsentis dubii in eo sita est, an licitè inter Christianos tolerentur Judæi, horum Synagogæ, & ritus? *Ratio dubitandi* est 1. quià ab impietate, injustitia, usuraria pravitate, invidia, & abominandis blasphemiis Judæorum in Christum, & Sanctos ejus nil, nisi incommoda, eversiones, & pericula tam Reip. quàm Ecclesiæ metuenda sunt, ob quam causam etiam pridem ex Hispania, Gallia, Belgio, Bavaria, & aliis Provinciis pluribus expulsi sunt, 2. Ex paritate cum Paganis, quorum templa claudi, dejici jubentur *l. placuit* 1. *C. de Pagan.* 3. alia paritate cum Hæreticis, quos omnes Principes Sæculares jubentur expellere ex finibus suis *cap. excommunicamus* 13. §. *moneantur* 3. *de Hæretic.*

14 Verum licet rationes istæ, & aliæ plures, quas accumulat Pignatell. *tom.* 5. *consult.* 14. *à num.* 1. suadeant, Judæos non facilè recipiendos, non tamen evincunt, quòd non possint recipi à Principibus Christianis, & recepti in Rep. Christiana tolerari, prout idem Pignatell. *loc. cit. à numer.* 70. illustrat pluribus argumentis. Nam 1. Judæis tutela à Jure data est, ne Christiani in eos insultent, vel ipsos offendant vel in personis, vel in bonis *cap. sicut* 9. §. *nullum hoc tit.* & *l. nullus* 14 *C. eod. si quiete degant, nihilque tentent turbulentum, legibusque contrarium*, ut dicitur *l. Christianis* 6. *C. de Pagan.* 2. exemplo Summi Pontificis, qui Judæos in ipsa Urbe tolerat: cujus ratio esse potuit dictum Christi ad Petrum. *Pasce oves meas*, quæ verba Pignatell. *loc. cit. nu.* 71. intelligi vult non tantum de ovibus, quæ jam sunt in ovili Christi, sed etiam de aliis, de quibus *Joan.* 10. *v.* 16. dicitur, quòd non sint adhuc de illius ovili, sed ad hoc adduci debeant, quales vocatione, gubernatione, & redemptione ex parte Christi etiam sunt Judæi, 3. ipse Deus vult Judæos, à Christianis non opprimi, atque arceri, quod non obscurè colligitur ex eo, quòd Apostolus *Rom.* 11. *v.* 25. & 26. scribat, Judæos ante finem mundi, cùm inter Gentes Electorum numerus completus fuerit, ad Christum convertendos esse: igitur, dum tempus illud conversionis Divinitus definitum adveniat, inter Christianos ferendi, & tolerandi sunt.

15 Atque hinc in Imperio jus recipiendi Judæos inter Regalia numeratur; idque à Carolo IV. primitus solis Electoribus concessum *in Aur. Bull. Tit.* 9. *vers. auch Juden haben*; deinde verò ad omnes Principes, Status, & alios, Regalia immediatè ab Imperatore recognoscentes, translatum est *Ordin. Polit. August. de Anno* 1530 *Tit.* 27 Non facilè tamen suadendum, ut perfida hæc Gens in pagos, urbes, & provincias facilè recipiatur, ob infinitas fraudes, fallacias, & alia vitia, quibus sordescunt, cum non exiguo detrimento populi Christiani, prout experientia Magistra sæpiùs docuit.

16 Quoad Synagogas illorum, & ritus ex communi sententia, ut videre est apud Sylv. *V. Judæus quæst.* 4. *dict.* 5 Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæst.* 10. Vivian. *in capit.* 3. *hoc tit. pr.* Barbosa *ibid. num.* 1. & 2. Gonzalez *num.* 5. & *seqq.* Zoes. *hic num.* 2 Honor. *num.* 8. Engl *num.* 2. & 3. Pirhing *num.* 13. Konig *num.* 3. Schambog *num.* 15. Vviestner *num.* 15. Reiffenstuel *num.* 4. & 5. & alios passim, tria notanda sunt, 1. Novæ Synagogæ ipsis excitari, vel antiquæ funditus eversæ ibi, ubi steterunt, extrui prohibentur tam per SS. Canones, quàm per Jus Civile, prout patet ex *cap. Judæi* 3. *cap. consuluit* 7. *hoc tit.* & *l. fin.* §. *illud* 1. *C. eod.* imò si novas erigant Synagogas, in 50 auri libras puniendi sunt *loc. cit.* §. *quisquis* 2. *Vers. & qui.*

17 2 Antiquæ possunt iisdem relinqui, imò ad pristinam formam (non autem augustiorem) reparari, & veterum rituum exercitium ibidem permitti, prout patet ex textibus *citt.* Rationem dat Gonzal. *in cap. Judæi cit. nu.* 10. quia ceremoniæ, ritus, & mores Judaici, tametsi post promulgationem Legis Christianæ ponantur illicitè, veritatem tamen Evangelii, juxta illud S. August. *contr. Faust. cap.* 23. dicentis: *Quid est aliud hodie gens ista, nisi quædam scriniaria, bajulans Legem, & Prophetas, ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod illa nuntiat per litteram?*

18 3 Non licèt Architectis, vel fabris Christianis laborare in ædificandis, vel restaurandis Synagogis Judæorum, aut Delubris Paganorum; si enim non licet eis vendere ligna, & lapides, quibus erigantur, vel restaurentur Synagogæ eorum, vel alias res, ut eis utantur ad cultum Judaicum, vel Idololatriæ, ut docet S.Th. 2.2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 4. multo minus licebit laborare ad ædificandum, vel restaurandum Synagogas; quia hæ per se, & natura sua ad Judaicos ritus, & ceremonias ordinantur. Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæst.* 6. & *cap.* 24. *quæst. ult.* Barbosa *in cap.* 3. *hoc tit. num.* 3. & *in cap.* 7. *eod. num.* 5. Pirhing *hic nu.* 14. *not.* 2.

19 Ad Argumenta *num.* 13. in contrarium allata facilis est responsio. *Ad* 1. Argumentum illud solùm evincit, sacra, ac negationes Judæorum ita restringenda esse, ut nihil in contemptum Religionis Christianæ, aut detrimentum Reip. moliri valeant; & si eorum cohabitatione cum Christianis periculum, vel scandalum immineat, ejici possint, prout ejecti propterea sunt ex memoratis Regnis, & Provinciis. Secus est, si absque scandalo quiete, & pacificè secundùm Leges, & Statuta vivant; tunc enim semel in protectionem recepti expelli nequeunt, cùm nefas sit fidem datam etiam Infidelibus frangere *arg. l. sicut* 5. *C. de O. & A. Ad* 2. negatur paritas cum Paganis; nam horum ritus nullam utilitatem afferunt Christianis; afferunt verò aliquam, ut S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 11. *in Corp.* advertit, ritus Judæorum, utpote qui nobis in figura repræsentant veritatem Fidei, quam nos corde credimus, ore, atque actionibus profitemur: igitur hi tolerari possunt non autem illi, nisi fortè ad aliquod malum v. g. scandalum, vel dissidium vitandum, vel ut paulatim sic tolerati convertantur ad fidem, ut cum S. Thom. *loc. cit.* notant Sylv. *V. Judæus quæst.* 6. *dict.* 3. Vivian. *in cap.* 7. *circ. med. hoc tit.* Pirhing *hic num.* 14. *fin. Ad* 3. disparitas est; quia majus periculum perversionis inducunt Hæretici, quàm Judæi, cùm vix auditum sit, aliquem à Christianis ad Judæos transire.

20 Dub. 2. an, & quousque Christianis prohibita sit communicatio cum Judæis, & Infidelibus in humanis, & Politicis? Resp. 1. prohibentur Christiani cohabitare cum Judæis *can. nullus* 13. *caus.* 28. *qu.* 1. & *cap. Judæi* 5. *hoc tit.* & multo magis contrahere cum ipsis Matrimonium *can. cave* 15. *cum seqq. q. cit. l. ne quis*

quis 6. & l. seq. C. hoc tit. imò Matrimonia, cum Judæis, & Paganis inita, ob disparitatem cultus sunt irrita, ut patet ex *Conc. Nicæn. can. 67. & 69* Quodsi tamen quis ita firmus sit Fide, ut ex ejus cum Judæis, & infidelibus conversatione non rimeatur ejus subversio, sed potiùs ex hoc sperari possit Infidelium conversio, talis, extra Matrimonium, non prohibendus esset communicare cum illis: unde prohibitio hæc cohabitationis juxta S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9. Sylv. *V. Judæus quæst.* 1. *dict.* 1. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 2. solùm intelligi debet de infirmis, de quibus timeri potest. Probabile tamen existimat Palao *tract.* 4. *Disp.* 2. *part.* 9. *num.* 7. adhuc familiaritatem prohiberi, etiamsi in casu particulari cesset periculum subversionis, aut scandali: quia Lex non casus singulares, sed ea, quæ communiter contingunt, respicit: & propterea Suarez *D.* 18. *de Fid. sect.* 6. *num.* 6. solùm putat, familiaritatem cùm Judæis permitti iis duntaxat personis in Fide ita firmis, ut infidelium eorum conversio specialiter ipsis commissa sit.

21 2 Prohibetur Christianis ingressus, & usus ejusdem balnei cum Judæis *can. nullus citat.* ubi transgredientibus imponitur pœna depositionis, si Clericus sit; Excommunicationis, si Laicus, non ipso facto, sed ferenda, ut colligitur ex *can. cit. V. excommunicetur*, quod nominis actionem significat. *Excipitur*, si id exigat necessitas v. g. sanitatis recuperandæ; nam hoc casu, si scandali, & perversionis periculum absit, id esse permissum existimant Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 31. *num.* 11. Pirhing *hic num.* 2. *Vers. tertiò*. Vviestner *ibid. num.* 8. Imò Phillarc. *de Offic. Sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. Sanchez *num.* 11 *cit.* Palao *part.* 9. *num.* 12. putant, non esse absolutè prohibitum Christiano uti balneo, quo Judæi utuntur, etsi istud causa solius recreationis fieret, dummodo Christianus non accedat lavari cum Judæo, aut propter Judæum ex intentione, & conventione, neque huic in balneo se familiarem exhibeat: quia *can. nullus cit.* solùm prohibetur Christianum cum Judæo in eodem balneo levari, ut vitetur eorum inter se familiaritas: at non dicuntur simul lavari, ita, ut familiaritas aliqua contrahatur, quando prædicto modo se in eodem balneo lavant, sicut non dicuntur simul furari, qui non tanquam socii, nec ex conventione inter ipsos inita, sed casu ingrediuntur separatim simul vineam ad furandum, *Ex quo sequitur*, neutiquam teneri exspectare Christianum, aut abstinere à balneo casu, quo viderit Judæum priùs ingressus in balneum, aut postquam ipse ingressus est prior, supervenientem. Palao *loc. cit.*

22 3 Non possunt Christiani uti Medicis Judæis, aut Medicinis, quas hi præpararunt *can. nullus cit. & Constitut. Gregor. XIII.* incipit *Aliàs piæ edita* 1581. Unde non poterit Christianus extra casum necessitatis permittere, ut Judæus illi venam secet, Chirurgi officium exerceat, vel alias Medicinas applicet; secus verò, ut barbam radat, aut capillos rondat; quia hæc nusquam prohibentur, cùm non sit Medicinarum applicatio, Sanchez *capit.* 31 *cit. num.* 9. Palao *num.* 11. Similiter non est prohibitum emere Medicinas à Judæo, si illas non præparet, vel saltem non applicet; quia, ut *infrà num.* 34. dicam, contractus Emptionis Venditionis, & alios specialiter non prohibitos Christianus cum Judæo celebrare potest, nec specialiter prohibetur emptio Medicinæ. Imò si nullus alius Chirurgus, aut Medicus æquè peritus haberi posset, licitum foret uti etiam opera Judæi Medici; tunc enim obligatio Legis Ecclesiasticæ ex benigna interpretatione mentis Legislatoris cessat: Sylv. *V. Judæus quæst.* 1. *dict.* 4. Sanchez *cap.* 31. *num.* 8. Pirhing *hic num.* 2. *vers. secundò*, Engl *num.* 7. Schambog. *num.* 8. Vviestner *num.* 8. *fin.* Reiffenstuel *num.* 10. Eadem necessitas juxta Sanchez *loc. cit.* foret, si morbi gravitas multis Medicis indigeret, & non esset copia tot catholicorum; tunc enim perinde est, ac Christianos non esse sufficientes pro eo morbo. An verò sicut Christianus extra casum necessitatis prohibetur admittere Judæum sibi applicantem medicinam, ita etiam idem Christianus prohibetur medicinas applicare Judæis, ambiguæ quæstionis est. *Affirmat* Sanchez *n.* 10. quòd eadem sit ratio prohibitionis. Sed probabilius negat Palao *num.* 11. *cit.* quia quando Christianus curatur à Judæo, ratione beneficii accepti procurat se magis familiarem, & gratum ostendere, quam familiaritatem non contrahit, quando ipse curat; conf. non est eadem ratio prohibitionis, & si esset; prohibitio non est extendenda extra casum comprehensum in verbis Legis.

4 Prohibentur Christiani Judæos invitare ad convivia, & ab his præparata accedere *can. omnes* 14. *caus.* 28. *q.* 1. tum quòd familiaritas, quæ in conviviis contrahitur, periculum perversionis afferat; tum quòd Judæi discretionem ciborum superstitiosè faciant, & hanc ipsorum superstitionem Christianus convivia illorum accedens, videatur approbare, vel si more suo vivat contemptui apud Iudæos exponit Religionis Christianæ sanctitatem. Gloss. *in can. cit. V. omnes*, Turrecr. *in can. nullus cit. n.* 4. Abb. *in c. quàm sit* 10. *hoc tit. n.* 2. Sylv. *V. Judæus q.* 1. *dict.* 2. Azor *p.* 1. *lib.* 8. *c.* 22. *q.* 3. Sanchez *c.* 31. *n.* 7. Conink *D.* 19. *n.* 196. Palao *p.* 9. *n.* 13. Pirhing *hic n.* 2. *v.* 5. Vviestner *n.* 9. Reiffenstuel *n.* 15. *Neq; obstat*, quòd Christianis permissum sit colloquium cum Judæis; nam major familiaritas contrahitur in convivio, quàm in colloquio, & faciliùs quis inter epulas decipitur *arg. can. unusquisque* 8. *caus.* 22. *q.* 4. ubi Herodes caput S. Joannis Baptistæ promisit inter Epulas saltatrici puellæ, vix promissurus, si inter epulas non contigisset. Schambog. *hic num.* 9. Neque id tantùm procedit de conviviis, sed etiam extenditur, ut nec liceat adire eorum nuptias, ludos, aut choreas cum eis agere; quia per hæc non modica contrahitur familiaritas. Azor *c.* 22. *cit. q.* 3. *fin.* Sanchez *n.* 17. Palao *n.* 13. *fin.* Barbosa *in c.* 5. *hoc tit. n.* 8. Pirhing *n.* 5. Et procedit ulterius, ut neque cum Sarracenis, aut aliis Gentibus liceat Christiano convivia, ludos &c. celebrare; quia etsi isti non contineantur verbis Edicti, sive constitutionis *can. omnes cit.* continentur tamen sententia; quia & ipsi hodie cibos discernunt, sive Judaizant. Gloss. *in can. omnes cit. V. Judæorum*, Sylv. *q.* 1. *cit. dict.* 2. Pirhing *n.* 4. & alii communiter. Bene tamen notat Palao *loc. cit. v. adverto*, prohibitionem hanc intelligendam solùm de convivio formali, in quo Christianus vel invitat, vel invitatur: secus, si nulla intervenerit invitatio. Et hinc licitè à Judæo caupone Christianus cibos emit; item licitè in hospitio diverrens apud Judæum cauponem in eadem mensa cum isto, vel cum alio Judæo in idem hospitium casu divertente sibi appositos absumit. Sanchez *c.* 31. *n.* 13. *& trib. seqq.* Bonacina *D.* 13. *q.* 2. *p.* 5. *cas.* 5. Palao *n.* 13. *cit. v. adverto.* Pirhing *n.* 3. *v. inde*, Engl *n.* 7. Scambog. *n.* 9. Vviestner *n.* 9. Reiffenstuel *n.* 15. qui cum Sylv. *V. Judæus q.* 1. *dict.* 2. Barbosa *in c.* 10. *hoc tit. n.* 1. *&* 2. Vivian. *ibid. pr.* Vallens. *hic n.* 4. Zoes. *ibid. n.* 4. etiam excipiunt clericos, & Religiosos; nam his, præsertim, quando Fidem Christianam prædicare volunt, Judæorum, & Gentilium convivia, aliaque politicam communicationem spectantia non prohibentur; quia aliàs non possent ita facilè eos lucrari. Atque ita intelligi debet, quod dicitur *can. ad mensam* 24. *caus.* 11. *q.* 3. ubi permittitur accessus ad mensam Paganorum. *Neque obstat*, quòd ibi tantùm sermo sit de Paganis; nam idem ob identitatem rationis etiam dici debet de missis ad conversionem Judæorum, & aliorum infidelium procurandam. Sanchez *n.* 16. Pirhing *n.* 4. *v. excipiuntur*. 23

24 5 Prohibentur Christiani famulari Judæis *c. Judæi* 5. *& c. ad hæc* 8. *hoc tit.* qui textus cùm servitii assidui in domibus Judæorum meminerint, hinc nonnulli cum Coninck *dub.* 12. *n.* 171 Bonacina *D.* 3. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 2. *vers. primus casus*, Palao *p.* 9. *cit. n.* 15 Vviestner *n.* 10. *hic*, & aliis putant, Christianis permissum esse, ut servire possint Judæis extra ipsorum domos, ex ratione; quia ratio prohibitionis potissima est periculum perversionis, quod cessat in famulitio extra domum præstito, modò talis famulatus non sit diuturnus, & assiduus. Verùm alii cum Sylv. *V. Judæus n.* 3. *dict.* 1. Azor *c.* 22 *q.* 7. Sanchez *c.* 31. *n.* 20. Barbosa *in c. ad hæc cit. n.* 4. Gonzalez *ibid. n.* 1. Pirhing *hic n.* 6. Schambog. *n.* 12 Reiffenstuel *n.* 12 Vincent. Perra *tom.* 3. *comment. fol.* 20. *n.* 10. censent, non licere Christiano Judæis servire sive in domo, sive extra illam, sive assiduò, & frequenter, sive raro; quia non propter solam familiaritatem vitandam illud prohibitum est, sed etiam ne Judæi superiores sint Christianis, & filii liberæ serviant filiis ancillæ contra dictum Apostoli: & hinc quando in *cap. ad hæc cit.* dicitur, *ne Judæorum servitio se Christiani assiduè pro aliqua mercede exponant*, subintelligi debet *maximè si assiduè*. Non tamen prohibitum est Christiano locare operas suas Judæis sive in domo, sive extra domum illorum, dummodo Judæi non sint assiduè præsentes, nam si essent assiduè præsentes, illis quodammodo inservirent Christiani: si verò sint absentes, tunc possunt Chri-

Christiani colere agros illorum, vel aliquod ædificium in illorum utilitatem fabricare, ut colligitur ex *c. multorum* 2. *hoc tit.* etiamsi Judęus aliquando veniat ad inspiciendum ędificium, vel agriculturam; quia tunc non censetur moraliter præsens esse, sicut si continuò assisteret operario. Multo minùs Christiano interdictum est locare Judæis res suas v. g. currus, animalia &c. Azor *cap.* 22. *qu.* 8. Sanchez *cap.* 31. *nu.* 21. Pirhing *num.* 6. *fin.* Schambog. *nu.* 13. Petra *loc. cit. nu.* 11. *Dubitari potest*, an sicut Christianus non potest famulari Judæo, ita nec possit uti Judæo famulo? quod dubium distinctione solvitur; nam ita habere eum famulum nequit, ut fiat ejus domesticus, & familiaris *can. sæpe* 12. *& duob: seqq. caus.* 28. *qu.* 1. secus potest *cap. etsi* 13. *hoc tit.* Sylv. *V. Judæus qu.* 3. *dict.* 1. Sanchez *num.* 6. Pirhing *num.* 2. *Vers. hinc infertur*. In quo dispar est ratio cum Sarracenis, & aliis infidelibus; nam hos tanquam servos habere intra eandem domum non est prohibitum Christianis: & ratio disparitatis est; quia Judæi sunt magis obstinati, & difficilius convertuntur, magisque periti sunt ad subvertendum, quàm Gentiles. Sylv. Sanchez Pirhing *loc. cit.* & praxis ubique recepta.

25 6 Non licèt Christianis mulieribus nutrire, & lactare liberos Judæorum *c. Judæi*, *& c. adhæc citt.* quod iterum procedit probabilius, etiamsi hoc faciant extra illorum domos; quia parentes ob amorem prolis sæpe illam invisunt, & sic periculum perversionis manet, etiam quando nutriuntur extra domum Judæorum. *Conf. ex Const.* 3. *Pauli IV.* incipit *Cum enim*, *& Const.* 70. *Gregorii XIII.* incipit *antiqua*, ubi prohibitio habendi Nutrices Christianas est facta absque ulla mentione domus, adeoque secundùm has constitutiones prohibitio procedit sive in domibus Judæorum, sive extra. Unde dum *cap. adhæc cit.* dicitur *in domibus eorum*, ut vitetur correctio Jurium, subintelligi debet *maximè*, ita, ut hæc verba addita sint non gratia restringendi prohibitionem, sed quia infantes frequentiùs in domo parentum nutriri solent. Azor *c.* 22. *q.* 9. Sachez *c.* 31. *nu.* 19 Barbosa *in c.* 8. *hoc. tit. n.* 4. Gonzalez *ibid: nu.* 1. Pirhing *n.* 7. Schambog. *n.* 11. *Excipiunt* DD. *citt.* duplicem casum: *unus* est, si tali modo Infantes Judæorum nutriri possent extra domum, ut vitaretur familiaritas cum Judæis; *alter*, si parentibus essent destituti, vel propter nutricis inopiam essent in periculo vitæ; tunc enim licitum id foret, vel saltem posset dispensare Episcopus, ita tamen, ut prohibeat omnino quodcunque commercium cum ipsis Judæis, & omnino separatæ Nutrices Christianæ existant, & infantes in propriis domibus nutriant, & retineant, prohibendo Judæis, ne ad illas accedant. Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 190. *nu.* 22 Extra hos casus, si Judæi Nutrices (idem est de Servis & Famulis Christianis) non dimiserint, possunt Christiani inhiberi sub pęna excommunicationis *c. Judæi* 5. *& c. etsi* 13. *hoc tit.* absolvendi tamen sunt ab hac excommunicatione, quamvis iteratò huic prohibitioni contravenerint, si cum debitis circumstantiis absolutionem petant, ut resolvit *S. Congr. Conc.* 25. *Jun.* 1639. *ad* 2. apud Petram *tom.* 3. *comment. fol.* 21. *n.* 7.

26 Porto circa communicationem, fidelibus modò explicato prohibitam, tria sunt advertenda, 1. Communicatio hæc, excepta cohabitatione, & invitatione, ad convivia, non est prohibita quoad alios Infideles, prout notant *Sylv. V. Judæus q.* 3. *dict.* 1. Sanchez *cap.* 31 *n.* 25. Pirhing *n.* 7. *coroll.* 2. tum quia *c. Judæi* 5. *hoc tit.* casus cohabitationis, & invitationis specialiter exprimitur, & extensio fit ad infideles, quod non fit in aliis casibus, non obscuro indicio, quòd in his prohibitio non procedat; tum verò quia Judæi magis odibiles sunt Ecclesiæ, item quia obstinatiores sunt, & magis periti ad pervertendum, quàm alii Gentiles, 2. Communicatio hæc non prohibetur Fidelibus in pœnam infidelium, sicut prohibetur cum Hæreticis in pęnam istorum; quia cùm Infideles sint extra Ecclesiam, adeoque extra jurisdictionem illius, non possunt ab hac spirituali judicio puniri, privando illos directè communicatione fidelium; sed communicatio hæc prohibetur fidelibus ob periculum perversionis ex illa ipsis imminente; & sic indirectè solùm prohibitio infideles afficit. Pirh. *n.* 1. *hic* 3. In casibus, in quibus quasi continua, & nimia familiaritas cum Judæis contrahitur, ac Fidei dignitati detrahitur, ut est habitare cum illis, famulari iisdem domesticè in quibusvis ministeriis, eos in officiis publicis tolerare &c. est peccatum mortale. At verò in aliis communicare, si absit contemptus, & scandalum, & periculum perversionis saltem justa accedente causa, excusari à mortali potest. Sanchez *n.* 26. Pirhing *n.* 8. *coroll.* 3. *Excipit* Armill. *V. Judæus n.* 3. esum Azymorum Judæi, qui semper peccatum mortale est extra casum necessitatis.

Dub. 3 quænam Judæis, Christianorum Principum potestati, & imperio subjectis, Jure tam canonico, quàm civili sint interdicta? Resp. 1. ne habeant Nutrices, obstetrices, & famulos Christianos, prout dictum est *n.* 24. *&* 25.

2 Ne aliquo officio publico fungantur inter Christianos, aut jurisdictio in hos ipsis committatur *c. cùm sit* 16. *hoc tit. & l. fin. pr. C. eod.* Et hinc si inter hos, & illos oriantur lites, etiam cùm Judæi à Christianis conveniuntur, non à Senioribus Judæorum, sed ab Ordinariis Judicibus Christianis, & secundùm Imperialia, & Provincialia istorum Jura sunt dirimendæ *leg. Judæi* 8. *C. hoc titul.* Sylv. *V. Judæus quæst.* 4. *dict.* 9. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 17. *n.* 5. *fin.* Gonzalez *in cap.* 16. *cit. n.* 8. Scambog. *hic n.* 21. Konig *n.* 7. Vviestner *nu.* 13. Reiffenstuel *n.* 23.

3 Ipsi, & alii Infideles non possunt institui hæredes 28
à Christianis: quod primò quidem inductum Jure duntaxat fuit in Episcopis, & Clericis *can. sanè* 6. *v. multi caus.* 24. *q.* 2. *c. si quis* 5. *& c. inter eos* 6. *de Hæret.* sed postea consuetudine passim receptum est etiam in Laicis Christianis: quod ita verum est, ut ne consanguineis quidem, & fratribus, si quos in istis habent, aliquid possint testamento relinquere, extra casum extremæ, aut gravis necessitatis. Sylv. *V. Judæus q.* 1. *dict.* 6. Suarez *D.* 16. *de Fid. sect.* 6. *n.* 9. Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 31. *nu.* 22. Palao *tract.* 4. *D.* 2. *p.* 9. *num.* 16. Vviestner *hic num.* 15.

4 Non permittuntur Judæi retinere mancipia, & 29
servos Christianos; ubi tamen distinguendum est inter Servos Adscriptitios, & Originarios, & inter Servos propriè dictos; nam Servos *Adscriptitios*, *& Originarios* habere non prohibentur *c. multum* 2. *hoc tit.* Sylv. *V. Judæus quæst.* 2. *dict.* 2. Sanchez *cap.* 31. *nu.* 21. Vivian. *in cap.* 2. *cit. pr.* Barbosa *ibid. num.* 2. Vviestner *hic num.* 12 Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 22. *num.* 12 quia non sunt propriè Servi, nec præstant Judæis servitium personale, sed solummodo possidentur ab eis consequentiam ruris, seu fundi, cui adscripti sunt, adeoque est Servitium merè reale, quo pacto possunt Christiani Judæis servire. Sanchez *num.* 21. *cit.* Hinc non sunt audiendi, qui cum Joan. de Plat. *in l. quemadmodum num.* 9. *v. sed quia C. hoc tit.* putant non esse permissum Judæis emere fundum, habentem adscriptitios Christianos, ita, ut venditio facta sit nulla. *Contrà* Christianos Servos *propriè tales* Judæi habere prohibentur *c. præsenti* 1. *c. Judæi* 5. *& c. fin. hoc tit.* ubi istos, si ante Baptismum susceptum eos emerint, post conversionem intra tres menses justo pretio jubentur vendere Christianis, ne aliàs sine pretio ad libertatem veniant: quod constitutum est ob favorem Fidei, & perversionis periculum. Imò ob istas causas quilibet Christianus Princeps subditos suos Infideles potest reddere incapaces potestatis Dominicæ in fideles, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10 *art.* 10 Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 17. *num.* 6. Vviestner *num.* 12 *cit.* Dixi *Subditos suos Infideles*; nam Infideles non subditos Princeps Christianus, aut Ecclesia potestate dominica in servos Christianos privare nequit; tum quòd ostendi non possit, unde acceperint hanc potestatem; tum quòd ipsa S. scriptura jubeat parere dominis discolis, & his non obedientes DEI ordinationi dicantur resistere *Rom.* 12. *vers.* 1. *Ephes.* 6. *vers.* 1. & 1. *Petr.* 2. *vers.* 13. Navar. *Man. cap.* 17. *à n.* 103. Covar. *Reg. peccatum p.* 2. §. 11. *n.* 6. Suar. *D.* 18. *sect.* 5. *num.* 3. *&* 10. Coninck *D.* 18. *de fid. dub.* 10. *concl.* 1. 3. *&* 4. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 8. *num.* 9. Vviestner *hic n.* 14. *Excipitur*, si servus talis esset in periculo perversionis valde propinquo; nam hoc casu eximi fidelis à servitute domini infidelis posset, ut cum DD. *citt.* tradit Palao *l. citat. num.* 10.

5 Interdictum est Judæis, ut ostia vel fenestras in die 30
parasceves, seu Veneris sancto apertas habeant, sed clausas tenere debent tota illa dic *c. quia super* 4. *h. tit.* Ratio

tio eft, quia tunc confueverunt deridere Chriftianos in contumeliam Creatoris. Gloff. *in cap. cit. V. aperta*. Imò tota hebdomada Sancta in publicum prohibentur *cap. in nonnullis* 15. *verf. in diebus eod.* folebant enim his diebus ornatiores, & hilariores procedere, Chriftianis illudere, qui illo tempore mortem Servatoris lugent. Eodem *cap. pr.* præcipitur, ut Judæi, & Sarraceni, in Provinciis Chriftianorum degentes, habitu diftinguantur à Chriftianis: quod Decretum in Italia, aliifque Provinciis ftrictè obfervatur, non item in Germania, quamvis deberet, juxta *Ordin. Polit. Tit.* 22. ubi ftatuitur, ut Judæi circulum flavum in vefte, aut pileo fuo patenter ferant, ex quo à Chriftianis difcernantur. Infuper Paulus IV. ut Petr. Matth. *in* 7. *Decret. lib.* 5. *Tit.* 1. *cap.* 4. refert, eofdem Judæos etiam habitatione, & cæteris privilegiis à Chriftianis difcriminari voluit.

31 Dub. 4. quænam Jura Judæis, inter Chriftianos degentibus, & legitimè in tutelam receptis, Jure communi conceffa, feu permiffa fint, & quæ contra illos fieri fint prohibita? Refp. 1. non poffunt inviti, & nolentes ad Baptifmum fufcipiendum compelli *c. ficut* 9. *pr. hoc tit.* ubi ratio datur, quia *Chrifti fidem habere non creditur, qui ad Chriftianorum Baptifmum non fpontaneus, fed invitus cogitur pervenire*: de quo *infrà* latius *num.* 42.

2 Nullus Chriftianorum fine judicio Sæcularis poteftatis Judæum aliquem occidere, vel vulnerare, vel pecunias fuas ipfi auffetre præfumat *cap. ficut cit.* Ratio eft, quia nulli permiffum eft occidere, vel pœnam infligere, nifi cui ex officio id commiffum eft *can. miles* 13. *can. cum minifter* 14. *& can. qui malos* 29. *cauf.* 23. *quæft.* 5. & pœna non eft inferenda, nifi per Judicem. Gloff. *in cap. ficut citat. V. fine judicio*.

32 3 Nullus præfumat bonas confuetudines Judæorum immutare, præfertim in feftivitatibus fuis celebrandis nemo eos perturbet fuftibus, aut lapidibus *cap. ficut cit.* modò nihil faciant in opprobrium Chriftianorum. *Ex quo fequitur*, Judæos libere poffe celebrare Sabbata, & alia putatitia fua Sacra, ita, ut illo tempore in jus vocari aut aliter impediri non valeant *l. in feftivitatibus* 2. *& l. Judæos* 11. *Cod. hoc tit.* Konig *hic num.* 4. Reiffenftuel *ibidem num.* 20.

4 Nemo coacta fervitia ab eifdem exigat, nifi quæ ipfi tempore præterito facere confueverunt, vel ad quæ fe fponte offerunt, vel quæ Jura præcipiunt *c. cit. verf. neque aliquis*, Hoft. *ibid. V. confueverunt*.

33 5 Nemo Cœmeterium Judæorum mutilare, i. e. perrumpere, vel deftruere, aut invadere, five obtentu pecuniæ humata corpora effodere audeat: fi quis verò contra hoc Decretum præfumpferit facere, honoris, i. e. Dignitatis, fi quam habet, & officii fui periculum, feu jacturam patiatur, aut excommunicetur, nifi condignè fatisfecerit *cap. ficut citat.* ubi Gloff. *fin.* Abb. *in fin. ibidem*, Pirhing *hic num.* 26. *fin.* notant, in optione Judicis effe, quam velint ex his pœnis reo imponere, fi nolint fatisfacere, pœnam privationis, an Excommunicationis.

34 6 Judæi legitimè recepti frui valent jure Civium aliorum. Mynfing. *cent.* 5. *obf.* 6. ita, ut rerum dominia non tantùm habere, fed de iis etiam tam inter vivos, quàm mortis caufa liberè difponere, Emptionis Venditionis; & alios quofvis contractus inter fe, & cum Chriftianis inire. Matrimonia inter fe ritu fuo contrahere, actiones inftituere, & excipere queant &c. Alex. *vol.* 3. *conf.* 71. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 22. *quæft.* 4. Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 31. *num.* 23. Befold. *Thefaur. pract. V. Juben*, Konig *hic num.* 4. Reiffenftuel *ibid. num.* 21. & alii communiter; quod confirmatur univerfali confuetudine, quæ eft optima Legum interpres.

35 7 Si qui Judæi, vel Sarraceni ad Fidem Chriftianam fint converfi, poffeffionibus, & bonis fuis nullatenus fpolientur, cum melioris conditionis debeant effe ad Fidem converfi quam ante fidem fufceptam, ut dicitur *cap. Judæi* 5. *verf. fi quis hoc tit.* Si verò fecus factum fuerit, principibus, feu Magiftratibus locorum injungitur *cap. cit.* fub pœna Excommunicationis, ut partem hæreditatis, & omnium bonorum fuorum eis integrè faciant exhiberi, & reftitui. *Ex quo fequitur*, fic converfos retinere Jura fucceffionis erga parentes, & alios Agnatos, eifque fuccedere, ficut prius. Abb. *inc. cit. num.* 2. Barbofa *ibid. n.* 6. Honor. *hic n.* 24. *&* 26. Pirh. *n.* 27. *coroll.* 3. Konig *num.* 8.

Dub. 5. quomodo, & à quo Judæi delinquentes poffint, ac debeant puniri? Refp. diftinguendum effe inter delicta; nam fi in contemptum noftræ Religionis aliquid faciant, puniri poffunt etiam ab Ecclefia, & Inquifitoribus; prout conftat ex *Conftitut. Gregorii XIII.* incipit *Antiqua*, & eft inter Conftitutiones ipfius 70. non tamen pœna Excommunicationis; quia non funt membra Ecclefiæ, conf. feparari ab ifta per Excommunicationem nequeunt: nifi indirectè prohibendo Chriftianis, ne communionem cum Judæis habeant, & fic privando illos communione Chriftianorum. Pirhing *hic num.* 30. *coroll.* 2. Quoad alia delicta de Jure communi coerceri debent, non ab Ecclefia, quippe cujus Jurifdictioni fpirituali non fubiiciuntur, fed à Principibus, & Magiftratibus Chriftianis, in quorum territorio degunt *cap. poftulafti* 14. *hoc tit.* Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 22. *q.* 11. Pirhing *hic n.* 30. Quod fi verò Judex Sæcularis in hoc deficeret, à Judice Ecclefiaftico per Cenfuras ad id compellendus effet *cap. cit.* 36

Et hoc modo Chriftiani Magiftratus adversùs Judæos poffunt procedere ufque ad ejectionem, & extirpationem illorum; quamvis enim legitimè receptos, fi pacificè, & honeftè vivant, pro arbitrio ex territorio, & ditione fua non poffint ejicere, ut Decian. *tr. crim. lib.* 5. *cap.* 11. Vafq. *illuftr. Contr. cap.* 8. *num.* 12. Barbofa *in cap.* 9. *cit. num.* 4. Pirhing. *hic num.* 31. & alii advertunt; ex juftis tamen caufis propter eorum facrilegia, vel alia gravia crimina ejici, & extirpari poffunt; quia fi abutantur gratia, & privilegiis, merentur illa amittere, prout de facto ex multis Regnis, & Provinciis ejectos fuiffe refert Barbofa *in cap.* 9. *cit. num.* 5. 37

Contra Chriftianos, qui ad ritus Judæorum tranfeunt, uti & contra fautores, & receptatores eorum, procedere poffunt Inquifitores, ficut contra Hæreticos, & horum fautores &c. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 444. *n.* 3. *&* 4. & ftatuit Clem. IV. 7. *Cal. Aug.* 1267. Gregorius X. *Conftitut.* 2. Nicolaus IV. *Conftitut.* 1. Gregorius XI. *Conftitut.* 2. Paulus III. *Conftitut.* 32. ubi extenditur hoc etiam ad Judæos, qui ad lumen Fidei Chriftianæ converfi revertuntur ad priorem perfidiam: & par eft ratio de Sarracenis ad Fidem converfis, fi redeant ad Sarracenos. Petra *loc. cit. num.* 6. *&* 7. 38

Eftque hoc verum, etiamfi coacti, & inviti Baptifmum fufceperint, modò coactio non fuerit abfoluta, feu præcifa, & omnimoda, nam coacta voluntas eft voluntas: ut adeo fic Baptizatus jure compellatur veram tenere Fidem, ne, ut *can. de judæis* 5. *dift.* 45. dicitur, *nomen Domini blafphemetur, & fides, quam fufceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur*. Et propterea in *Concil. Later. IV. can.* 70. confultò cautum eft, ne Judæi, ad Fidem converfi, quidquam de Judaicis fuperftitionibus retinere finantur. Ad idem collimaffe videtur Paulus IV. *Conftitut.* 32. *citat.* §. 4. dum Epifcopus monuit, ut operam dent, ne (Judæi converfi) cum aliis Judæis, feu Infidelibus, faltem per longum tempus, converfentur, ne, ficut quandoque contingit, ab infirmitate curatis modica occafio ad priftinam damnationem recidivam efficiat. 39

An verò ab Ecclefia ad pœnam Hæreticorum procedi etiam poffit adverfus Judæum, qui volens baptizatus eft, fed invalidè ex defectu materiæ, aut formæ, vel intentionis Miniftri, dubitari poffet; in quo dubio *certum eft*, fi non conftet de invaliditate Baptifmi, talem reputandum pro Apoftata, non tantum quoad Deum ratione Baptifmi Flaminis, fed etiam quoad Ecclefiam, quæ præfumit illum validè baptizatum, quamdiu de invaliditate non conftat. Idem eadem ex ratione dicendum eft, fi Judæus fictitiè accedat ad Baptifmum, qui præfumetur validus, quoufque non probatur defectus intentionis in fufcipiente. *Neque obftat*, quòd Ecclefia in neminem *judicium*, exerceat, qui non prius in ipfam per Baptifmi januam fuerit ingreffus, ut ait Trid. *feff.* 14. *cap.* 2. *de Pœnit.* nam hoc procedit tantùm, fi appareat aliquem nunquam fuiffe baptizatum, aut Baptifmum invalidè fufcepiffe. 40

Controverfia eft, quando præfumptio validitatis Baptifmi ceffat, quòd conftet de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Affirmant nonnulli graves DD. & in his 41

in his Farin. *prax. crim. quæst.* 178. *n.* 135. Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 78. Gonzal. *in cap.* 4. *de Apostat. n.* 4. & putant etiam contra talem, tanquam contra Apostatam procedi posse ab Ecclesia; quibus favere videtur S. August. *l. unic. de Baptism. contr. Donatist. cap.* 3. ubi invalidè baptizatos, deficientes à Fide, Hæreticos vocat, dum asserit, nonnullos Hæreticos esse denuo in Ecclesia recipiendos sine novo Baptismo, nonnullos verò denuò baptizandos, & utrosque esse veros Hæreticos.

42 Sed dicendum, invalidè baptizatum, etiamsi credat se validè baptizatum esse, non posse puniri tanquam Hæreticum, si à Fide resiliat. Ita Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 7. *num.* 34. Suar. *D.* 21. *de Censur. sect.* 2. *num.* 4. *& D.* 19. *de Fid. sect.* 5. *n.* 8. Palao *tr.* 4. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 20. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 456. *n.* 19. Ratio est, quia Baptismus Flaminis operatur quidem, ut quis in foro interno, & coram Deo ob fidem Sacramenti, per quam Christo unitur, fidelis fiat, adeoque si à fide recedat, in eo foro evadat Apostata: non tamen eundem fidelem, & si revertatur ad errores suos, Apostatam facit in foro externo Ecclesiæ, ut propterea ab hac sit punibilis; nam ad hoc requiritur, ut subjectus sit Jurisdictioni Ecclesiæ, adeoque ut sit hujus membrum visibiliter aggregatum ejusdem corpori; talem non facit Baptismus invalidè collatus; ergo cessantæ præsumptione de hujus valore, Jurisdictio Ecclesiæ circa sic baptizatum cessat. *Authoritas S. August.* in contrarium allegata intelligi debet, ut tales sint Hæretici coram Deo, non autem, ut puniri possint ab Ecclesia, ut notat Delben. *de Offic. Inquis. p.* 1. *dub.* 2. *sect.* 1. *coroll.* 1. *num.* 6.

43 Multo minùs puniri possunt Hæreticorum pœnis Catechumeni renuentes baptizari, etsi ob Baptismum Flaminis possint esse Hæretici in foro animæ, ut contra Alphons. de Castr. *de just. Hæret. punit. l.* 1. *cap.* 8. *quæst.* 3. tenent Farin. *quæst.* 178. *cit. num.* 131. Delben. *dub.* 2. *cit. petit.* 1. *num.* 5. *cum seqq.* Petra *fol.* 457. *num.* 20. Puniri tamen possunt extraordinariè propter injuriam, quam Ecclesiæ faciunt. Passerin. *in cap.* 13. *n.* 10. *de Hæret. in* 6. Delben *petit.* 1. *cit. coroll.* 1. *num.* 28. Petra *fol.* 457. *citat. num.* 21.

44 Idem dicendum de eo, qui non obstante, quòd sciat, nunquam se esse baptizatum, se tamen pro baptizato gerit, & pro tali ab omnibus se haberi vult; nam si constet, eum baptizatum non esse, tanquam Apostata puniri non potest, licèt postea, mutato animo, se gerat pro non baptizato, ut rectè tenet Card. de Lug. *de Virt. Fid. D.* 20. *sect.* 4. §. 1. *num.* 146. quem citat, & sequitur Petra *loc. cit. num.* 24. aliàs tamen est graviter puniendus ratione delicti, quemadmodum puniuntur Judæi, dum nostram Religionem lædunt, ex *Const. Gregor. XIII.* 70. incipit *Antiqua*. Nec absimiliter sentiendum de eo, qui verè Baptismum nunquam suscepit, si deinde constet non esse baptizatum. Petra *numer.* 25.

45 Quæritur 3. quænam Christianis Jure Canonico interdicta sint circa Sarracenos, seu Paganos, & alios Infideles? Resp. 1. prohibentur Christiani etiam extra belli tempora Turcis, aliisque Infidelibus deferre, aut vendere arma, aliaque belli Instrumenta, & materialia: quod delictum utroque Jure gravissimis vindicatur pœnis; nam *Jure Civili* ejusdem rei capite puniuntur, & confiscatione bonorum *l. fin. Cod. quæ res exportar. &c.* & additur ratio; quia *perniciosum Romano Imperio, & proditioni proximum est Barbaros, quos indigere convenit telis eos, ut validiores reddantur, instruere. Jure Canonico* autem sunt ipso facto excommunicati, rerum suarum privatione mulctantur, & capientium servi fiunt, sunt infames, intestabiles, inhabiles ad quoscunque actus legitimos, & hujusmodi sententia per omnes urbes maritimas diebus Dominicis, & Festis, postquam constiterit de hujusmodi eorum temeritate, publicè innovatur *cap. ita quorundam* 6. *cap. significavit* 11. *vers. illi quoque cap. ad liberandum* 17. *hoc tit. & Extrav. un. Joan. XXII. eod.* Absolutio ab hac Excommunicatione per *Extrav.* 1. *int. comm. eod.* reservatur Summo Pontifici: quæ eis non indulgetur, nisi tandundem in subsidium Terræ Sanctæ de suo transmiserint, *quod si fortè solvendo non fuerint, sic alias reatus castigari debet, quòd in pœna ipsorum aliis interdicatur audacia similia præsumendi*, ut dicitur *cap. ad liberandum citat. in fin.* Innovatur Excommunicatio hæc, & reservatio per *Bulla Cœn. cas.* 7. & cum priores textus tantùm comprehenderint eos, qui deferunt arma ad Sarracenos, extenditur etiam ad illos, qui arma deferunt ad alios infideles non Sarracenos, & Hæreticos. Cujus ratio est, ne Christiani nominis inimici, nostris subsidiis, armisque instructi, ad bellum nobis inferendum expeditiores fierent. *Excipiunt* aliqui casum, quo id fieret ad redemptionem fidelium apud eos captivorum, si hi aliter liberari non possent. Sed Gloss. *in cap.* 11. *citat. V. aliquod commodum*; Abb. *ibidem num.* 2. Pirhing. *hic num.* 35. probabiliùs tenent id fieri non posse sine speciali licentia Papæ, ne fraus aliqua committatur; nam facilè prætendere aliquis posset, se merces prohibitas deferre pro redimendis captivis, quibus tamen postea uterentur Sarraceni ad impugnandos Christianos: ideoque Excommunicationis sententiam non evadet.

2 Tempore belli, quod inter Christianos, & infideles geritur, eandem Censuram, à Jure inflictam, incurrunt non solùm illi, qui commeatum, arma, aut alia belli subsidia, sed etiam qui merces quascunque ad eos deferunt; ne occasione commercicorum iisdem prodantur arcana Christianorum consilia *cap. quod olim* 12. *hoc tit. & ibi* Abb. *num.* 1. Barbosa *num.* 2. Vivian. *ibid. fin.* Palao *D.* 3. *de Censur. p.* 8. *num.* 2. Honor. *hic num.* 18. Pirhing *num.* 36. Konig *num.* 11. Wiestner *num.* 27. Extenditur etiam ad tempus, quo Treuga facta est inter Christianos, & Sarracenos *cap. significavit* 11. *vers. illi quoque hoc tit.* quia qui Treugam facit, non facit pacem, nec desistit à bello nisi ad tempus. Gloss. *ibid. V. post treugam*. Quare quæ Christiani prohibentur ad hostes deferre tempore belli, prohibentur quoque tempore treugæ, seu induciarum deportare. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 23. *q.* 16. Pirhing *hic num.* 35. *vers. secundo*. Porrò ab Excommunicatione hac olim absolvere poterat Episcopus, cùm Papa sibi absolutionem non reservaverit. Gloss. *in c.* 12. *cit. V. supponimus*. Hodie tamen ab ea absolvit solus Pontifex, cùm sit Casus reservatus in Bulla Cœnæ §. *cæterùm à prædictis sententiis* ut notat Gloss. *marg. V. cit.* 46

3 Prohibetur sub eadem Censura Pontifici reservata, ne quis per se, vel per alios de rebus ad statum Christianæ Reip. concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos in damnum Catholicæ Religionis certiores faciat, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstet, ut habetur *in citat. Bull. Cœn. cas.* 7. quod intelligendum est non tantùm accessoriè ad prohibitionem, ne arma ad ipsos deferantur, de quo *suprà num.* 45. sed principaliter, ut aliis *citt.* notat P. Emman. Correa *Idea Consil. D.* 6. *num.* 1345. *& duob. seqq.* Adeoque *procedit* 1. etiamsi non sit secutus effectus consilii. Correa *l. cit. n.* 1350. cum Alterio *l.* 5. *D.* 8. *c.* 10. *col.* 8. Leand. à S. Sacram. *tom.* 4. *tr.* 3. *D.* 7. *q.* 54. & aliis; & dat rationem. quia in hoc ipso ea, quæ principaliter ratione sui proprohibentur accessoriè, quòd ista simpliciter posita, & nullo effectu secuto, incurrant pœnam, ista verò non nisi secuto effectu. *Procedit* 2. etsi consilium Christianus dederit Infideli aut Heretico jam parato ad inferendum damnum Christianis sine tali consilio. Correa *n.* 1352. cum Ugolin. *ad Bull. Cæn. c.* 4. §. 2. contra *Bonacin.* quia quòd Infidelis jam aliunde sit determinatus facit solum quod consilium non sit causa moralis damni; id quod in casu præsenti non requiritur ad incurrendam Censuram, cùm hæc lata sit in consulentes æquè principaliter. *Procedit* 3. ut nonnulli volunt, etiam de iis, qui gravissimo vitæ, vel alterius damni metu coacti consilium, auxilium ut remiges faciunt (Infidelibus, vel Hæreticis) præstant in damnum Reip. Christianæ. *Sed meliùs* contrarium tenent. Sayr. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 18. Azor *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 7. *q.* 6. Palao *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 8. *n.* 22. Correa *l. cit. n.* 1358. & alii apud istos; nam esto, sic cooperantes delinquant, & propterea potuerint ab Ecclesia Censura affici, verisimiliùs tamen est, quòd afficere ista illos defacto noluerit, cum hoc videatur à pietate, & benignitate Ecclesiæ alienum. Imò si cooperatio sit materialis tantum, & valde remota, ut remigum, ita coacti ex magis recepta sententia RR. teste Correa *n.* 1367. ne quidem peccant; quia Gratias, ex qua sola daretur obliga- 47

obligatio, non obstringit cum tanto periculo proprio, præsertim quando probabile non est posse vitari damnum temporale proximi.

48 Dub. 1. num liceat Principi Christiano inire fœdus cum Sarracenis, & Infidelibus auxilii contra fideles ferendi causa? Affirmant Abb. *in c.* 8. *de Vot. n.* 15. Oldardin. *cons.* 71. Matth. de Afflict. *de Feud. tit. de Pace V. conventicula n.* 32. Dacian. *tom.* 3. *cons.* 20. Farin. *prax. crim. q.* 125. *n.* 90. & alii apud Corream *Idea Consil. D.* 6. *n.* 1404. quod probant 1. exemplis adductis ex S. Scriptura; sic enim Abraham iniit fœdus cum Aner, Eschol, & Mambre infidelibus, David, & Salamon cum Hiram Gentili, Machabæi cum Romanis. 2. fas est hostes propulsare dolo, atque insidiis *can. Dominus* 2. *caus.* 23. *q.* 2. ergo multo magis auxilio Infidelium? 3. unusquisque jure id facere existimatur, quod ad sui tutelam facit, præsertim si juste timeat, quòd se aliter tueri nequeat *l. ut vim.* 3. *ff. de J. & J. l. scientiam* 45. §. *qui cùm* 4. *& l. siquis* 49. §. *quod dicitur* 1. *ff. ad Leg. Aq. il.* ergo & Princeps jure ab Infidelibus implorat auxilium, quando id facit ob necessariam patriæ, ac Reip. conservationem; 4. fideles in bello justo juvare possunt ipsos Infideles; sic enim Julianus Apostata sub se habuit Christianos milites, qui jussis ejus obsequebantur *can. julianus* 94. *caus.* 11. *q.* 2. ergo vicissim Infideles etiam Fideles juvare possunt. 5. Ipse Deus ad punienda delicta Judæorum usus est, & sæpe etiam ad castigandos Christianos utitur flagello Gentilium.

49 *Contra* negativam defendunt Reinking *de Regim. Sæcul. & Eccl. l.* 2. *class.* 3. *c.* 3. *à n.* 63. Albéric. *de jur. Bell. l.* 3. *c.* 19. Armius *in Aur. Bull. dist.* 6. *thes.* 7. Miler. *ibid. p.* 2. *dissert.* 4. *thes.* 35. Herm. *Fasc. jur. publ. c.* 11. *n.* 157. Konig *hic n.* 13. propter textus S. Scripturæ, in quibus Deus conjunctiones, ac fœdera ejusmodi cum Paganis & Infidelibus severè prohibet *Exod.* 23. *fin. &* 34. *vers.* 12. *&* 15. *Deut.* 7. *vers.* 2. *Judic.* 2. *vers.* 2. 2. *Paralip.* 16. 2. *Corinth.* 6. *vers.* 14. & alibi. Accedit, quia fœdera; & auxilia Infidelium Christianis sæpe fuerunt, & ferè semper sunt periculosa propter perversionis, invasionis, ac desertionis periculum, certè Joannis Palæologi Imp. Orientis confœderatio cum Amurathe I. ipsi, & toti Græciæ exitio fuit,

50 Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 31. *n.* 25. incedit via media, dum ait, si solam naturam spectemus, fas esse fidelibus, bellum justum gerentibus, advocare in adjutorium quoscunque Infideles, sicut licet uti ministerio Elephantorum; & aliorum: quia tamen raro id fieri potest sine scandalo, & magna strage Religionis, morum, ac rei familiaris Christianorum, addit sæpè, & plerumque ejusmodi fœdera esse illicita. Consentire videtur Correa *Idea Consil. D.* 6. *n.* 1415. *& seqq.* ubi distinguit, an Princeps Christianus per se, & cum solo auxilio fidelium contra alium Principem Catholicum gerere bellum possit an vero non. *Si primum*, vult nullo modo licitum esse uti auxilio Infidelium etiam ad bellum justum defensivum; quia ut defensio justa sit, fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ; quod hoc casu excederetur. *Si secundum*, concedit licitum esse uti auxilio Infidelium etiam in bello offensivo justo, quod probant argumenta primæ sententiæ, modò damna; & pericula, quæ ex tali consortio oriri solent, pro viribus caveantur: quòd multò magis procedit in Infidelibus, qui tali Principi subjecti sunt; nam hi non ita liberè audent tot sacrilegia in Religionis Christianæ injuriam committere; tum quia cohibentur metu supplicii, tum quia hoc ipsum existimant cedere in despectum sui Principis, & Ducis.

51 Dub. 2. an Judæi, Sarraceni, & alii Infideles cogi possint ad suscipiendum Baptismum, & Fidem Christianorum? Videtur respondendum affirmativè; 1. ob *can. jam vero* 4. *caus.* 23. *q.* 6. ubi Gregorius I. Januario Episcopo Calaritano mandat, ut subditum quendam suum infidelem *tanto pensionis onere gravet, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem* (veræ fidæi) *festinare.* 2. *l. cælicolarum* 12. *Cod. hoc tit.* præcipitur, ut Cælicolæ, ad Fidem Christianam converti renuentes, iisdem, quibus Hæretici, stringantur pœnis. Hæretici autem ad Fidem Catholicam cogi possunt juxta dicenda *Tit. seq. n.* 69. ergo &c. Consentit *l. fin.* §. *si vero* 3. *Cod. de Pagan.* ubi infideles, baptizari renuentes, jubentur puniri confiscatione bonorum, & exilio. 3. Sisebutus Gothorum Rex propterea Religiosissimus à PP. Concil. *Tolet IV.* dicitur, quod Judæos in Hispania baptizari renuentes, turpiter decalvatos, centum flagellis cædi, & confiscatione bonorum, atque exilio puniri jusserit; & cùm eorum aliquot millia in Galliam se recepissent, turpe visum fuit Dagoberto Galliarum Regi ejectos Religionis nostræ hostes; finibus suis receptos, retinere, ac Visigothis Religione cedere; & hinc ipse diem præscripsit, intra quam quisquis mortalium Religionem nostram non profiteretur, hostis judicaretur, comprehensusque capite lueret, ut aliis *citt.* refert Gonzal. *in c.* 9. *hoc tit. n.* 6. 4. Per Ferdinandum, & Isabellam Reges Catholicos ex Hispaniarum Regnis ad 40000. Judæorum, Sarracenorum expulsi sunt, recte Cenedo *ad Decret. collect.* 15. *n.* 3. quos propterea laudibus extollunt Scriptores. 5. Christus Dominus sub nomine Regis invitantis ad cœnam, dixit compellendos esse intrare Ecclesiam eos, qui in viis, & plateis sedebant, h. e. extra eam. 6. Cogi Infideles subditi possunt ad observantiam Legis Divinæ, & naturalis, sed hujus præscripto Fidem sufficienter propositam quivis obligatur recipere. 7. coactio hæc non cedit in præjudicium infidelium, sed potius in maximam eorum utilitatem, cùm Baptismus ad salutem animæ simpliciter sit necessarius.

Sed dicendum, Infideles ad Fidem directè cogi non posse. Ita S. Ambros. *serm.* 13. *in Psalm.* 118. S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 8. Sylv. *V. judæus q.* 6. *dict.* 1. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 24. *q.* 2. Tholos. *Synt. l.* 2. *c.* 3. *n.* 15. Suar. *D.* 18. *de Fide, sect.* 3. *q.* 4. Becan. *de Fid. c.* 13. *q.* 4. *n.* 2. *&* 3. Conink *D.* 18. *dub.* 14. *concl.* 4. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 6. *n.* 3. del Bene *de Offic. Inquis. p.* 2. *dub.* 230. *sect.* 8. Vivian. *in c.* 9. *hoc tit. pr.* Barbos. *ibid n.* 1. Gonzal. *ibid. n.* 5. Pignatell. *tom.* 4. *cons.* 75. *n.* 40. Vallens. *hic n.* 6. Zoes. *n.* 2. Honor. *n.* 20. Engl. *n.* 10. Pithing *n.* 26. Schmtog. *n.* 18. Vviestner *n.* 19. Reiffenstuel *n.* 40. & TT. ac Canonistæ. Sumitur 1. ex *can. qui sincera* 3. *can. de judæis* 5. *dist.* 45. *& c. judæi* 9. *hoc tit.* ubi talis eorum coactio disertè prohibetur. 2. Ex *c. majores* 3. §. *item quæritur de Baptism. & Concil. Tolet. IV. c.* 55. ubi coactio ista dicitur esse contraria Religioni Christianæ, & adversari usui, atque institutioni Apostolorum. 3. Ex *usu, & praxi Ecclesiæ* perpetuo observata, quæ nunquam Infideles compulit ad Fidem vi, & armis, sed patientia, humilitate, & mansuetudine, *juxta* illud *Luc.* 10. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculum, neque virgam &c.* 4. Ex *ratione*; quia neque Ecclesia, neque Princeps sæculares Jurisdictionem ad hoc sufficientem habent: Ecclesia quidem; quia ejus Jurisdictio ad Infideles non baptizatos se non extendit juxta illud; *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* 1. *Cor.* 5. *vers.* 12. non Principes, & Magistratus Sæculares; quia horum potestas solùm politica, & ad finem naturalem, videlicet pacem, & felicitatem Reip. temporalem promovendam est ordinata. 5. Coactio ista faceret odiosam Christianam Fidem, de tyrannide suspectam redderet, & alia incommoda secum plura inveheret. 6. Credere libere voluntatis est, ut ait S. Thom. *l. cit.* & Fides non ex necessitate, sive coactione suscipi debet *can. sincera cit. can. ad fidem* 33. *caus.* 23. *q.* 5. Gloss. *in c. sicut. Judæi cit. V. Christi fidem.* De Liberis Infidelium, num invitis parentibus baptizari possint, videri potest *Lib.* 3. *Tit.* 42. *n.* 36. *& seqq.* 52

Dixi, *directè Infideles ad Fidem Christianam non posse cogi*; nam indirectè id fieri potest v. g. si iis, qui eandem amplexuri sunt, proponantur præmia, honores, privilegia; negentur illis, qui in Infidelitate manserint: si illis remittantur Tributa, aut pœnæ promeritæ; hæc severè, & secundùm Justitiæ rigorem exigantur ab istis; si veri Dei cultus ubivis promulgetur, prohibeantur superstitiosi ritus, nulli permittantur pro iisdem Sacerdotes &c. Valent. *D.* 1. *q.* 10. *q.* 6. *vers. at eadem ratione*, Suar. *D.* 18. *sect.* 3. *n.* 8. Conink *D.* 18. *dub.* 14. *n.* 238. Becan. *c.* 13. *q.* 4. *n.* 4. Bonacin. *D.* 3. *q.* 2. *de Fid. p.* 7. *n.* 3. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 6. *n.* 4. Vviestner *hic n.* 20. Reiffenstuel *ibid. n.* 43. Imò si Infideles Prædicatoribus Evangelii resistant, aut licentiam prædicandi denegent, teste P. Engl. *hic n.* 10.

n. 10. *fin.* plerique fatentur tunc licere infideles etiam bello cogere, & expugnare propter injuriam, quam inferunt Evangelio, dum ejus prædicationem, quæ ex mandato Christi toti mundo debet innotescere, impediunt. Consentit Suar. *D.* 18. *sect.* 2. *circa fin.* Palao *part.* 5. *num.* 8.

54 Neque aliud probant Argumenta opposita. *Ad* 1. id intelligendum est de coactione indirecta tantùm; nam de hac explicandum *cap. cit.* & alios textus suadent Canones *num.* 42. allegati, quibus coactio Infidelium ad Fidem manifestè prohibetur. *Ad* 2. imprimis Cælicolæ, ut constat ex August. *Epist.* 163. *circa fin.* erant verè baptizati: deinde factis suis, & sceleribus contra naturam ita Remp. turbabant, ut meritò potuerit Imperator eos pœnis Hæreticorum punire, nisi desertis illis vitiis, & erroribus, ad fidem converterentur. Confiscatio bonorum, & exilium *l. fin. cit.* Infidelibus renuentibus baptizari imponi jubetur ob alia delicta, quæ tamen pœnæ iisdem fuissent remissæ, si Baptismum voluissent recipere: conf. iterum de indirecta tantùm coactione est sermo. *Ad* 3. Sisebutus Rex *Religiosissimus* appellatur non propter factum, sed propter Zelum, ut notat Gonzal. *in c.* 9. *hoc tit. n.* 8. *prop. fin.* nam factum ipsius improbarunt PP. *Concil. cit. can.* 56. *dist.* 45. & D. Isidorus *in Chron. Gothor. circa* 651. ubi agens de Sisebuto, *Qui initio*, ait, *Regni sui Judæos ad Fidem Christianam movens, æmulationem quidem Dei habuit, sed non secundum scientiam, potestate enim compulit, quos provocare fidei ratione oportuit.* *Ad* 4. Ferdinandus, & Isabella Judæos, & Sarracenos ex Hispania expulerunt; tum quia eorum conversatio periculosa erat fidelibus, & machinationes illorum perniciosæ Principibus; tum quia bello justo superati, & capti ad victoris arbitrium exui bonis, & expelli potuerint, ut notat Palao *p.* 6. *cit. num.* 5. *Ad* 5. illud *compelle intrare* de solis Hæreticis intelligit S. August. *Epist.* 48. & 50. qui cùm subditi sint Ecclesiæ, cogi directè possunt: vel si de Infidelibus non baptizatis intelligatur, sicut intelligit S. Chrysost. *ibid.* dicendum, illos compellendos esse ad fidem in fine mundi, ut numerus prædestinatorum impleatur, non vi, & potentia, sed signis, & miraculis, & efficacia prædicationis. *Ad* 6. ut ad observantiam Legis naturalis, & Divinæ, præcipientis amplecti Fidem rectè propositam, cogi Infideles possint, necesse est, ut hoc fiat ab illo, qui in eosdem ad hoc sufficienti Jurisdictione instructus est. *Ad* 7. nemini facienda est injuria, ut inde ipsi altioris ordinis bonum proveniat; fit autem injuria illi, qui ita cogitur; quia cogitur ab eo, qui cogendi potestatem non habet.

55 Dub. 3. utrum Infideles compelli possint ad prædicationem Evangelii audiendam? *Certum est* 1. compelli ad hoc posse Infideles baptizatos, quales sunt, qui à Christiana Fide desciverunt ad Judaismum, Mahumetismum, Paganismum; quia Ecclesiæ Jurisdictioni subjecti manent. *Certum est* 2. Infideles non baptizatos, qui temporali Jurisdictioni Papæ, aut alicujus Principis Christiani subjecti non sunt, nec à Papa, nec ab alio Principe Christiano ad audiendam Fidem, & Evangelium compelli posse; quia compulsio esse non potest sine Jurisdictione; at isti Infideles sunt extra Jurisdictionem Ecclesiæ, & Principum Christianorum, ut ponitur. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 5. *num.* 3. & apud hunc *Suar. Valent. Conink*, *Bonacin.*

56 *Controversia est*, utrum ad Fidem audiendam à Papa, vel alio Christiano Principe compelli possint Infideles subditi? Negativam probabiliorem existimat Palao *loc. cit. num.* 5. & citat pro ea Valent. 2. 2. *D.* 1. *q.* 10. *p.* 6. *circ. fin. num.* 5. & citat pro ea Valent. 2. 2. *D.* 1. *q.* 10. *p.* 6. *circ. fin.* Salmer. *tom.* 12. *tract.* 38. *in Evang.* Conink *D.* 18. *dub.* 14. *concl.* 5. *junct. concl.* 4. & videtur istud probari 1. quia, ut *num.* 42. dictum est, Infideles non possunt compelli ad suscipiendum Baptismum; sed Verbum Dei, seu Evangelium audire directè tendit ad Fidem amplectendam; ergo &c. 2. Papa, & Princeps Catholici in Judæos, & alios Infideles, temporali Jurisdictioni suæ subjectos, non habet aliam potestatem, nisi merè politicam, & ad finem politicum, & naturalem; at auditio Legis Evangelicæ ad finem supernaturalem dirigitur; ergo &c.

57 Sed affirmativam communiter docent TT. & Canonistæ, præsertim Innoc. *in cap. quod super num.* 8. *de Vot.* Turrecrem. *in cap. sicut Judæi* 9. *hoc tit. pr.* Bannez 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. *dub.* 3. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 24. *q.* 3. Suar. *D.* 18. *sect.* 2. *n.* 3. Scott. *in select. Epit.* 136. *theor.* 352. Bonacin. *D.* 3. *de Fid. q.* 2. *p.* 7. *n.* 3. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 468. *num.* 6. & constat ex *Const.* 92. *Gregorii XIII.* ubi omnibus Ecclesiarum Prælatis præcipitur, ut in quibuscunque Civitatibus, & locis, in quibus competens numerus Judæorum, qui Synagogam constituat, commoratur, Sabbati, vel alio die uniuscujusque hebdomadæ pro eorum conversione prædicationem haberi curent, cui sub pœna privationis commercii cum Fidelibus, aliisque arbitrariis tertia pars Judæorum utriusque sexus à duodecimo ætatis anno, & suprà intersint: idemque etiam quandoque servari curatunt Principes sæculares, ut de Jacopo Arragonum Rege ex *Ricciul.* refert Petra *loc. cit. num.* 7. *in fin.*

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. per coactionem directam ad Fidem infertur Infideli coacto injuria, ut ostensum est: non autem injuria infertur coacto ad audiendum Evangelium; quia hoc non præcipitur audiri, ut illud amplectatur Infidelis, sed solùm, ut distinguat inter veram, & falsam Religionem, & ut possit veram eligere, falsa contempta. *Ad* 2. præcipere Infidelibus subditis, ut audiant doctrinam Religionis Christianæ, ut ea audita eligere possint Religionem, quæ sibi visa fuerit magis conformis rationi, non excedit potestatem politicam, & temporalem Gubernatoris; alias nullus temporalis Gubernator posset subditorum peccata adversùs Religionem punire, nec illos obligare ad media exequenda, ex quibus electio Religionis veræ fieri posset. 58

TITULUS VII.

De Hæreticis.

TRia Infidelitatis Species, ut *Tit. præc. n.* 2. dixi, est *Hæresis*, in hoc distincta à Paganismo, & Judaismo, quòd sit peccatum hominis baptizati, cùm priores etiam in non baptizatos cadant.

§. I.

De Hæresis Natura, Varietate, & Requisitis.

SUMMARIUM.

1 2 *Hæresis definitio, & divisio.*
3 &c. *In quo consistat ejus malitia?*
5 &c. *An Hæreticus sit? qui dubitat de Fide?*
9 &c. *An ad Hæresin incurrendam requiratur, ut ille, qui eam committit, sit baptizatus.*
12 &c. *Utrum Hæreticus censendus sit, qui errat in Fide per ignorantiam?*
17 &c. *Quid discredit alicui revelationi sibi privatim factæ?*
19 &c. *Aut qui negat propositionem Theologicam, deductam ex una propositione naturaliter evidenti, & altera revelata?*
22 &c. *Quænam causa excusent à peccato Hæresis?*

QUæritur 1. quid sit *Hæresis*, & quotuplex? Resp. 1
Hæresis Græcum nomen, quòd Latinis *Electionem* significat, in communi Ecclesiæ acceptione in deterius sonat, & Electionem non quamcunque, sed malam & erroneam circa Fidei doctrinam indicat. Duplex autem dividitur Hæresis, alia Materialis, alia Formalis. *Materialis* est, quando quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitæ informationis, vel ex positivè sinistra informatione errat circa Fidem. *Formalis* est voluntarius, & pertinax error contra aliquam veritatem Fidei Christianæ in eo, qui hanc suscepit. Ita ad mentem Sanct. August. *contra Faust.* & S. Thom. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 1. eam definiunt Albertin. *quæst.* 1. *num.* 19. *hoc tit. in* 6. Canus *l.* 12. *de Locis c.* 8. Farin. *prax. crim. quæst.* 178. *num.* 5. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 9. *quæst.* 1. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 7. *nu.* 1. Suar. *D.* 19. *de Fid. sect.* 1. *num.* 5. & *sect.* 3. *n.* 8. Conink *n.* 18. *dub.* 7. Bonac. *D.* 2. *de Censur. quæst.* 5. *num.* 1. Laym. *l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 13. *num.* 1. Palao *tract.* 4. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 1. Barbosa *ad Rubr. hoc tit. n.* 4. Correa *Idea Consil. D.* 6. *num.* 1309. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 4. *num.* 2. Engl *hic num.* 1. Pirhing *num.* 1. Schambog.

Schambog. *num.* 2. Konig *num.* 2. Vviestner *num.* 1. Reiffenstuel *num.* 3. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 3. *num.* 23.

Hæresis *Materialis* tantùm est error intellectus; *Formalis* præter errorem intellectus ob pertinaciam dicit etiam peccatum in voluntate; & subdividitur in *Internam*, seu *Mentalem*, *& Externam*. *Illa* est, quæ in mente retinetur, & nec verbis, nec facto externè manifestatur. *Ista*, quæ externè vigens, verbis, vel facto aliquo externo sufficienter exprimitur. *Ex quo sequitur*, Externam Hæresin sola expressione, per signum externum facta, à Mentali differre; nam in substantiali malitia cum illa convenit.

3 Quæritur 2. in quo consistat formalis malitia Hæresis; Resp. ad hanc duo copulativè requiruntur, nimirum error in intellectu, & pertinacia in voluntate, *Error intellectus* quidem; quia Hæresis est species Infidelitatis, quæ errorem intellectus contra veram Fidem importat. *Pertinacia* verò ex parte voluntatis; quia sine voluntate non est peccatum; hinc dicitur in Definitione *Error voluntarius*. Neque sufficit voluntarietas qualiscunque; sed juncta hæc esse debet cum pertinacia, prout affirmant DD. omnes cum S. Hieronymo *can. dixit* 29. *caus.* 24. *quæst.* 3. S. Augustino *can. qui in Ecclesia* 31. *quæst. cit.* & Concil. Vienn. *Clem.* 1. §. *porro* 1. *de Summ. Trin.* Porro *Pertinacia* hæc, ad constituendam Hæresin requisita, non respicit, aut requirit formaliter durationem temporis, aut firmam persistentiam in errore, quidquid sit de foro externo; sed satis est, quòd errans sciat, vel cognoscat contrarium teneri à vera universali Ecclesia; judicium suum hujus judicio præferat, & non obstante definitione Fidei, errorem suum retineat, quamvis in hoc non persistat per tempus; talis enim jam pertinax esse censendus est, cùm resistat definitioni Ecclesiæ, & per illam non corrigatur. Sanch. *l.* 7. *mor. c.* 7. *à num.* 2. Valent. 2. 2. *D.* 1. *q.* 11. *p.* 1. *diffic.* 4. *ad* 2. Vasq. 1. 2. *D.* 126. *num.* 6. Conink *D.* 18. *dub.* 7. *n.* 78. *& à num.* 93. *& seq.* Palao *tract.* 4. *D.* 3. *p.* 2. *num.* 1. Mastrius *Theol. mor. D.* 10. *num.* 24. Correa *Idea Consil. D.* 6. *n.* 1310. Pirhing *hic n.* 2. Schambog. *num.* 3. Reiffenstuel *num.* 5. Neque refert, ut ex P. Vasq. 2. 2. *D.* 29. *num.* 4. Correa *loc. cit.* addit, quòd ita affectus sit, ut articulum Fidei amplecteretur, si à viro docto rationibus convinceretur; quia reipsa, non obstante definitione fidei, contrarium credit.

4 *Ex quo sequitur*, quinam dicendi sint Formales Hæretici, nempe illi, qui cum pertinacia modò descripta tuentur errorem. Neque ad hoc necessarium est, ut quis novæ Sectæ moliatur initium, ut Hæresiarchæ, vel ut Sectam aliquam, ab Ecclesia damnatam sequatur; sed pro Hæretico etiam habendus ille est, qui privatim in aliquo etiam minimo, & unico articulo Fidei à veritate Catholica deviat, pertinaciter negando aliquid, quod vel in SS. Litteris expressum, vel à Summo Pont. aut Conciliis Generalibus definitum est, quantumvis de cætero se ut Catholicum gerat, & hunc ipsum suum errorem inter alios disseminare non attentet. Konig *hic num.* 7. Ratio est, quia cujusvis Hæresis tantum est pondus, ac momentum, ut quamvis minima sit, & unius tantùm articuli, vel minimæ etiam partis articuli firmum assensum tollat, aut in dubium revocet, universam Fidem subvertat, propterea quòd tolli quoad partem nequeat, nisi tollatur formalis ratio credendi, quæ cùm in indivisibili posita sit, tota tollitur, quoties tota non est, aut aliquid illi deest, adeoque ut veridicè dici possit, quòd reus in uno, factus sit omnium reus, Vincent. Petra *tom.* 4. *comment. fol.* 5. *num.* 14.

5 Imo pro Hæretico habendus est non tantum ille, qui aliquem Catholicæ Fidei articulum absolutè negat, sed etiam, qui de aliquo, sibi sufficienter proposito, dubitat positivè, pertinaciter affirmando eum dubium esse, ut cum S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *art.* 5. *& q.* 11. *art.* 1. docent Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. n.* 1. Sylv. *V. Hæresis* 1. *q.* 3. Canus *l.* 12. *de Locis cap.* 8. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 5. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 12. *prop. fin.* Suar. *D.* 19. *de Fid. sect.* 4. *n.* 10. Tolet. *Summ. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 7. Conink *D.* 18. *dub.* 7. *concl.* 6. *n.* 102. Bonac. *D.* 2. *de Censur. q.* 5. *p.* 1. *n.* 3. Farin. *prax. crim. q.* 178. *n.* 90. Laym. *l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 13. *n.* 5. Palao *tr.* 4. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 9. Barbos. *in cap.* 1. *hoc tit. n.* 1. Gonzal. *ibid. n.* 3. Correa *Idea Consil. D.* 6. *n.* 1311. *& seqq.* Pirhing *hic n.* 4. Schambog. *n.* 6. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 10. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 3. *n.* 29. & patet ex *cap. dubius* 1. *hoc tit. cap. firmiter* 1. *de Summ. Trinit. Clem.* 1. §. *porro eod.* & definitum est in *Concil. Lateran.* celebrato sub *Leone X. sess.* 8. Consentiunt S. Athanasius in *Symbolo Fidei* ibi; *Nisi fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*; S. Augustinus in *Enchir. cap.* 7. *&* 19. ubi ait, salva Fide, non posse usurpari particulam *fortè* in rebus Fidei, & apertè indicat S. Jacobus Apostolus in Epistola Catholica *cap.* 1. *vers.* 6. ibi, *In Fide nihil hæsitans*. *Ratio est*, quia ex Fidei Catholicæ articulis unus, isque fundamentalis est, eam esse certam, & infallibilem; igitur de uno aliquo articulo positivè, & pertinaciter dubitans, errat contra aliquam Catholicæ Fidei Veritatem.

Dixi autem 1. *qui dubitat positivè*. Aliud est, si 6
quis negativè tantum dubitet de articulo Fidei, quia suspendit omne judicium, ita, ut neque assentiatur objecto proposito, neque etiam dissentiat, quod nec judicet esse certum, neque etiam incertum; talis enim non habet judicium ullum de articulo Fidei proposito, adeoque nec errorem contrarium Fidei habere potest, modo tamen non suspendat judicium circa objectum, seu articulum Fidei, eò quòd virtualiter, & implicitè judicet eum esse incertum, & dubium; tunc enim intellectus sic dubitans non habet se merè negativè; quia ideo objecto sibi proposito assentiri non vult, quòd ipsi incertum, & dubium esse videatur; ac proinde saltem impliciter, & virtualiter judicat, incertum esse objectum, seu articulum Fidei propositum. Laym. *l. cit. n.* 5. Pirhing *n.* 4. Schambog. *n.* 6. Correa *n.* 1315. *& seqq.*

Dixi 2. *de Articulo sibi sufficienter proposito*; nam is, 7
cui veritas Fidei Orthodoxæ nondum est sufficienter proposita, quia inter Acatholicos natus, & educatus, aut nihil, aut falsa tantùm de vera Fide percepit, non peccat contra Fidem, etiamsi de articulis veræ Fidei dubitet, & judicet illos esse incertos, donec instruatur, & argumenta, seu motiva Fidei Catholicæ ipsi fiant evidenter credibilia; ideoque talis non est Hæreticus, nisi materialis; quia in ipso dubitatio, vel judicium sive expressum, sive implicitum procedit ex ignorantia, ideoque non est junctum cum pertinacia, quæ non potest simul consistere cum ignorantia. Pirhing *num.* 4. *cit.* Konig *num.* 12. *hic.* Quare cùm in *cap. dubius* 1. *hoc tit.* dicitur, *Dubius in Fide infidelis est*, & conf. etiam Hæreticus, si baptizatus sit, id intelligendum est de eo, qui non merè negativè, sed positivè dubitat judicando expressè, vel saltem implicitè talem articulum esse incertum. Pirhing. *numer.* 5.

Dixi 3. *pertinaciter affirmando*; nam ut dubitans in 8
Fide censeatur esse Hæreticus, requiritur, ut in tali dubitatione habeat firmitatem animi, sive judicii, & quandam pertinaciam, ita, ut in dubitatione illa contumaciter perseveret. Joan. Andr. *in cap.* 1. *hoc tit. n.* 1. Clar. §. *Hæresis n.* 2. Pirhing *hic n.* 5.

Quæritur 3. an ad Hæresin incurrendam requiratur, 9
ut ille, qui eam committit, sit baptizatus? *Certum* satis est 1. Baptismum non requiri ad hoc, ut aliquis reus sit Hæræsis coram Deo. Palao *tr.* 4. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 20. quia tota Hæresis malitia sita est in dissensu alicujus veritatis à Deo revelatæ, & sufficienter propositæ; atqui hunc dissensum habere potest etiam ille, qui nondum est baptizatus; ergo &c. *Conf.* juxta dicta *Tit. præc. n.* 1. tres tantùm species Infidelitatis sunt, videlicet Paganismus, Judaismus, & Hæresis, atqui is, qui ante Baptismum confitetur Christum, tanquam generis humani reparatorem, & negat ejus Sacramenta, non est Paganus, nec Judæus; ergo Hæreticus.

Certum satis est 2. Ut Hæresis peccatum punibile sit 10
ab Ecclesia, requiri, ut ejus reus sit baptizatus. Azor *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 3. Suar. *D.* 21. *de Censur. sect.* 2. *n.* 4. *& D.* 19. *de Fid. sect.* 5. *num.* 8. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 7. *n.* 34. Farin. *prax. crim. q.* 178. *n.* 128. *& seqq.* Palao *n.* 20. *cit. vers. at licèt*, Pirhing *hic n.* 6. Schambog. *num.* 4. *&* 7. Vviestner *num.* 3. *Ratio* est manifesta; quia Baptismus est janua, per quam in Ecclesiam quis ingreditur, & ejus Jurisdictioni subditur: & hinc Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Pœnit.* dixit, Ecclesiam in neminem exercere Jurisdictionem, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.

Ex quo sequitur, si Catechumenus à Fide, quam 11

animo recepit, recedat, & aliquem ejus articulum, sibi sufficienter propositum, pertinaciter neget, vel de illo dubitet, eum quidem Hæreticum fore coram Deo ab Ecclesia tamen ex defectu Judisdictionis, cui per actualem primùm Baptismi susceptionem subiicitur, puniri non posse. Ita *l. cit.* Azor *p.* 3. Suar. *sect.* 5. *n.* 6. *&* 8. Sanch. *n.* 34. Farin. *n.* 135. *vers. sublimita*. Palao *vers. at licet cit.* Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 13. *num.* 1. Plura vide *Tit. præc. à n.* 36.

12 Quæritur 4. utrum Hæreticus censendus sit etiam ille, qui errat in Fide per ignorantiam? *Certum* est, non esse pro Hæretico, nisi præcise materiali, reputandum illum, qui errat in Fide per ignorantiam invincibilem; quia tali casu abest voluntarietas, que sicut ad omne peccatum, ita vel maximè ad hæresin est requisita.

13 *Dubium* procedit de eo, qui laborat ignorantia vincibili, & crassa; in quo nonnulli cum Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *post concl.* 5. *cas.* 1. Lopez *p.* 2. *Instruct. c.* 20. *tit. de Excomm. reserv. in Bull. Cœn. cas.* 1. Lorca 2. 2. *q.* 11. *D.* 41. *num.* 15. contendunt, talem esse Hæreticis annumerandum. 1. Quia ignorantia vincibilis, & crassa non excusat in furto, homicidio, & aliis delictis; ergo neque in Hæresi. 2. Qui vincibiliter ignorat, peccat contra Fidem; ergo vel Paganismo, vel Judaismo? vel Hæresi; quia non sunt aliæ Infidelitatis species. 3. Peccatum ex ignorantia est ejusdem speciei cum peccato ex malitia; quia species peccati ex objecto desumitur, non verò ex modo; sed error contra fidem ex malitia est Hæresis; ergo etiam error ex ignorantia.

14 Sed dicendum, Baptizatum, qui errat in Fide per ignorantiam etiam vincibilem, & crassam, per hoc non effici Hæreticum. Ita Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 4. *& c.* 9. Conink *D.* 18. *dub.* 7. *concl.* 4. *&* 5. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 7. *n.* 20. Suar. *D.* 19. *sect.* 3. *num.* 9. *&* præcipue 18. Farin. *prax. crim. q.* 179. *n.* 29. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 13. *n.* 2. Palao *tr.* 4. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 3. Emm. Correa *Idea Consil. D.* 6. *n.* 1310. Vinc. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 4. *n.* 2. Engl *hic n.* 1. *vers. dico* 2. Pirhing *n.* 2. *vers. ex quo infertur*, Schambog. *n.* 3. Konig *n.* 11. Vviestner *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 9. Ratio est, quia ad incurrendam Hæresim, ut *n.* 3. dictum est, requiritur pertinacia *can. dixit* 29. junct. Gloss. *V. pertinaci, can. qui in Ecclesia* 21. *q. cit. c. damnamus* 2. *vers. in nullo* junct. Gloss. *Clem.* 2. *porro de Summ. Trinit.* ibi, *Qui asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit &c.* conf. ut Hæreticos quis censeatur, debet universalis Ecclesiæ aliquid docentis, ac definientis authoritati voluntariè, h. e. sciens, ac prudens contradicere, suumque judicium illius judicio præferre; atqui non ita contradicit ille, qui errorem aliquem, judicio Ecclesiæ oppositum, tuetur ignorans, etsi vincibiliter, contrarium ab ea definitum esse; fortè enim paratus actu est eum deponere, si sciret sic definitum esse. *Confirmatur* quia peccatum Hæresis non est peccatum ignorantiæ, sed infidelitatis positivæ, ad quam requiritur scientia, quòd contrarium teneatur à vera Ecclesia.

Quinimò, etsi quis etiam ex ignorantia Affectata, errer contra Fidem, propter tœdium inquirendi veritatem, vel ob similem causam, non est propriè Hæreticus. Sayr. *Clav. Reg. l.* 2. *c.* 9. *n.* 34. Sanch. *c.* 7. *n.* 23. Laym. *c.* 13. *n.* 2. Palao *n.* 3. *cit.* Pirhing *n.* 2. *vers. ex quo infertur*, Schamb. *n.* 3. Konig *n.* 11. Vviestner *n.* 5. Ratio est, quia qui sic ignorat, & errat in rebus Fidei, non credit scienter aliquid contra id, quod definitum est ab Ecclesia; aliàs plurimi Catholici ob ignorantiam, quamvis culpabilem, & affectatam, definitionis Ecclesiæ, & traditionum censendi essent Hæretici. *Conf.* qui voluntatem habet mutandi sententiam propriam, quoties istam viderit contradicere definitioni Ecclesiæ, nullo modo potest dici pertinax in suo errore; quia paratus est corrigi; sed cum ignorantia etiam affectata stare potest talis voluntas; nam affectare quis potest ignorantiam, ne cogatur aliud sentire cum Ecclesia; ergo &c.

15 *Excipi* debet, si quis affectate ignorare velit articulos Fidei, aut inquirere circa eos intermittat, ob contemptum authoritatis Ecclesiæ, & parvam ejus æstimationem; quia talis non est paratus judicium suum subiicere Ecclesiæ, etiam errore cognito: adeoque pertinaciter errat in Fide. Sanch. *n.* 23. *cit.* Laym. *n.* 2. Palao *n.* 4. Engl *hic n.* 1. *fin.* Pirhing *n.* 2. *vers. excipi debet*, Schambog. *n.* 3. Konig *n.* 11. Hinc, quod supra dictum est de ignorantia, intelligendum est tantum de iis, qui alioquin præter unum, vel alterum articulum credunt Fidem Catholicæ, atque Romanæ Ecclesiæ esse veram fidem, eamque profitentur; nam illi, qui alienam ab Ecclesia Catholica fidem tenent, v. g. Lutherani, Calvinistæ, & ex crassa, vel affectata ignorantia infallibilem Ecclesiæ authoritatem non agnoscunt, aliaque Dogmata Catholica non credunt, pro Hæretici reputari, & propterea Ecclesiasticis Censuris subjecti esse censeri debent, ut *l. cit.* advertunt *Laym. Pirhing &c.* Ratio est, quia, qui veram Christi Ecclesiam, in cujus fide baptizatus fuit, oppugnat, ejusque authoritatem culpabiliter negat, is ipsi inobediens est, & in eam contumax, ac rebellis, adeoque ab illa separatus: & sic meritò inter Hæreticos computatur.

Neque obstant Argumenta in contrarium *n.* 13. allata. *Ad* 1. negatur paritas; nam ignorantia vincibilis in materia Justitiæ, Caritatis, & Honestatis non mutat objectum peccati, sed modum duntaxat operandi magis, vel minùs voluntarium; contra in materia Fidei ignorantia etiam mutat objectum, nam objectum Fidei est Divina revelatio ab Ecclesia proposita, & hæc in errore, etiam ex ignorantia affectata commisso, occultatur; igitur mirum non est, quòd ejusmodi ignorantia excuset ab Hæresi, non autem excuset à peccato contra alias virtutes. *Ad* 2. error, commissus ex ignorantia crassa, & affectata, non est peccatum directè contra fidem, sed contra obligationem sciendi res fidei; qui tota ejus malitia consistit non tam in errore positivo, sed in neglectu obligationis prædictæ, ex quo deinde error ejusmodi nascitur. *Ad* 3. peccatum ex ignorantia tum solum ejusdem speciei est cum peccato per malitiam, quando ignorantia mutat solummodo modum; secus, quando etiam mutat objectum, sicut mutat in materia Fidei.

Quæritur 5. an Hæreticus sit, qui discredit alicui revelationi sibi privatim factæ, & sufficienter ad credendum propositæ? Negat cum quibusdam Lorca 2. 2. *q.* 11. *D.* 39. *n.* 2. *& ratio dubitandi* est; quia talis non habet Judicium aliquod contrarium Fidei Ecclesiæ universalis. Verùm hæc ratio non subsistit, cùm certum sit Ecclesiam in genere proponere omnibus, quòd credendum sit summæ; primæque veritati quomodocunque aliquid revelanti; cui veritati cum jam contradicat is, qui discredit revelationi sibi privatim factæ, ideo dicendum, hunc coram Deo esse Hæreticum, Ita Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 4. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 7. *n.* 32. Suar. *D.* 19. *de Fid. sect.* 5. *n.* 11. Conink *D.* 18. *dub.* 7. *n.* 118. Palao *tr.* 4. *D.* 3. *p.* 2. *n.* 14. Vviestner *hic n.* 7.

An verò hujusmodi revelationem privatam negans incidat in Excommunicationem, & alias Hæreticorum pœnas, controversia est inter DD. Sanch. *n.* 32. & Conink *n.* 120. putant incidere, si in actum externum prodeat. Sed hoc verum est, si negans revelationem privatam simul etiam verbis, aut facto dicat, non esse credendum primæ Veritati per privatam revelationem manifestatæ; quia tunc negat propositionem à tota Ecclesia receptam; si tamen sistatur intra solum dissensum specialis revelationis, multo probabilius est, hanc negantem pœnas Hæreticorum non incurrere. Cordub. *l.* 1. *q.* 17. §. 1. *dub.* 2. *vers. respondet.* Azor *q.* 4. *cit.* Suar. *n.* 12. Palao *n.* 14. Vviestner *n.* 7. Ratio est, quia cum supponamus, revelationem illam esse privatam, neque alteri cognitam præter illum, qui eam habet, non apparet, quomodo constare aliis possit de vero dissensu revelationis reipsa propositæ, cùm de hoc dissensu constare nequeat, nisi simul etiam constet, quòd ita neganti facta sit revelatio privata.

Quæritur 6. an Hæreticus sit, qui negat Propositionem Theologicam, deductam ex una Propositione naturaliter evidenti, & altera à Deo revelata; v. g. quòd Christus sit risibilis? Affirmant Canus *l.* 13. *de Locis c.* 9. *col.* 16. *vers. enim verò*, Valent. 2. 2. *D.* 1. *q.* 11. *p.* 1. *diffic.* 3. Bonacin. *de Censur. D.* 2. *q.* 5. *n.* 5. quia talis negatio saltem mediatè Divinæ revelationi opponitur. Sed melius negatur talem Hæreticum fieri. Arragon. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *vers. his tamen*, Sanch. *c.* 7. *n.* 33. Suar. *sect. ult. n.* 3. *& seqq.* Laym. *cap.* 13. *n.* 7. Palao *p.* 2. *num.* 19. Vviestner *num.* 8. Ratio est, quia optimè stare potest, ut quis credat quidquid

quidquid à Deo revelatum eft, cum negatione alicujus propofitionis Theologicæ, quia vel negat duntaxat univerfalitatem principii, quòd omnis homo fit rifibilis, vel ob mentis hebetudinem non agnofcit evidentiam illationis, quorum neutrum eft objectum à Deo revelatum.

20 Addunt tamen DD. *citt.* talem in foro externo præfumi Hæreticum, quòd judicetur non errare in principio naturaliter evidenti, aut non apprehendere evidentiam illationis: hinc nihil fupereft, quàm ut præfumatur negare principium fupernaturale fidei, quòd fcilicet Chriftus fit homo. Et in hoc fenfu vera eft fententia oppofita, & procedit Argumentum in probatione ejus allatum.

21 *Dubitari* poteft, in qua peccati fpecie ponatur talis negatio? *Refpondet* Palao *num.* 19. *citat.* probabiliùs per fe, & formaliter pertinere ad peccatum curiofitatis ftudiofitati oppofitum in materia omnium graviffima; quia temere, & imprudenter conatur fcire contra id, quod ab omnibus receptum eft: per accidens tamen ad Hærefin pertinet; quia talem propofitionem negans ponitur in proximo periculo labendi contra Fidem.

22 Quæritur 7. quænam caufæ excufent à peccato Hærefis? Refp. 1. Ignorantia ex parte intellectus, prout dictum eft à *num.* 12.

2 Indeliberatio Voluntatis; nam qui voluntariè, & indeliberatè errat circa res Fidei, non eft Hæreticus: & multo minùs, qui invitus patitur tentationes repugnantes articulis Fidei; quia ficut actus Fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita etiam Hærefis eft affenfus procedens ex libera voluntatis electione. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *numer.* 13. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 13. *num.* 5. *verf. id obiter*, Correa *Idea Confil. D.* 6. *num.* 1310. Pirhing *hic num.* 1. Schambog. *ibidem num.* 2.

23 3 Defectus veri diffenfus ad objectum Fidei; quia Hærefis eft peccatum Fidei oppofitum. Fides autem confiftit in voluntario intellectus affenfu circa objectum revelatum; ergo Hærefis neceffario debet confiftere in voluntario diffenfu circa tale objectum. Et hinc qui Fidem duntaxat negat verbis, aut factis externis, animo autem retinet, etfi in foro externo ob præfumptionem confenfus interni pro Hæretico habeatur, & puniatur, revera tamen non eft Hæreticus, neque pœnas Hæreticorum in confcientiæ foro incurrit; quia revera non habet voluntarium diffenfum, & judicium contrarium fenfui Ecclefiæ, & revelationi Divinæ per hanc propofitæ. Navar. *Manual. cap.* 17. *numer.* 56. Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæft.* 9. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 8. Suarez *D.* 14. *de Fid. fect. ult. num.* 5. Palao *tract.* 4. *D.* 3. *p.* 2. *num.* 16. Zoef. *hic num.* 1. *fin.* Vvagnereck *ibidem not.* 2. Pirhing *num.* 7. Schambog. *num.* 8. Konig *num.* 10. Vviestner *num.* 6. Reiffenftuel *num.* 6.

24 4 Defectus pertinaciæ: & hinc Hæreticus non eft, qui tenet aliqua, quæ funt contra Fidem, dummodo paratus fit corrigi; quia fecundùm dicta *num.* 3. Hærefis eft error cum pertinacia junctus; is autem, qui paratus eft, corrigi non poteft cenferi pertinax. Pirhing *hic num.* 2. Reiffenftuel *ibidem num.* 7. Non autem fufficit quæcunque pertinacia; fed infuper requiritur, ut exiftimet fe contravenire doctrinæ Ecclefiæ: & propterea pro Hæretico haberi non poteft, qui ab Inquifitore Fidei, vel à fuo Epifcopo, vel à viro Theologo, per Inquifitores, vel Epifcopum ad docendum deftinato, inftructus de re Fidei, illis non credit afferens contrarium, modò exiftimet fe non contravenire doctrinæ Ecclefiæ, vel definitioni Pontificis, ut contra *Bartol. Rebuff. Hugolin.* & alios docent Canus *lib.* 12. *de Locis cap.* 9. *col.* 7. *verf. ad quid pertinacia*, Valent. 2. 2. *D.* 1. *quæft.* 11. *p.* 1. *diffic.* 4. Vafq. 1. 2. *quæft.* 76. *art.* 3. *D.* 226. *cap.* 3. *num.* 7. Sayr. *Thefaur. Caf. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 17. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 7. *num.* 25. Ratio eft, quia folius Ecclefiæ, ac Pontificis eft, res fide tenendas definire; cæteri autem & fallere, & falli poffunt.

§. II.

De quibufdam Cautelis adversùs Hæreticos.

SUMMARIUM.

25 26 *Quinam obligentur ad faciendam Profeffionem Fidei?*
27 *&c. An, & fub qua pœna prohibita fit Lectio Librorum Hæreticorum?*
32 *&c. Quinam incurrant Excommunicationem latam occafione iftorum Librorum?*
36 *&c. Quæ conditiones requirantur, ut incurratur hæc Excommunicatio?*
44 *&c. An eam incurrat, qui ejufmodi Libros legit animo errores in eo contentos refutandi?*
47 *Quomodo oporteat legere talem Librum, ut propterea incurratur Excommunicatio Bullæ Cœnæ?*
48 *&c. An incurrat illam, qui aufcultat legenti?*
51 *&c. Vel qui legit Librum Hæretici, in quo dogma Hæreticum incidenter folùm refertur?*
53 *&c. An eam incurrat etiam, qui legit, vel penes fe retinet Epiftolam, Concionem, vel aliud fcriptum, quod Hærefin continet?*
56 *&c. Quinam Libri prohibeantur in Indice Librorum prohibitorum?*
59 *&c. An prohibitio hæc in Germania fecundùm rigorem fuum recepta fit?*
61 *Quid agendum cum Libris Hæreticis, aut fufpectis de Hærefi?*
62 *Ad arcendum periculum Hærefis prohibentur occulta conventicula.*
63 *Et Laicis prædicatio Verbi Divini.*
64 *Iifdem prohibetur etiam difputatio de Mifteriis Fidei.*
65 66 *Non tamen Clericis.*
67 *Epifcopis injungitur Vifitatio annua.*
68 *&c. An Hæretici ab Ecclefia cogi poffint ad abjurationem erroneorum dogmatum.*
71 *&c. An ad Hærefin deferendam armis compelli poffint?*
74 *Inftitutio S. Officii Inquifitionis.*
75 *&c. Inquifitorum Fidei Jurifdictio probabiliùs eft delegata.*
79 *&c. Qualis effe debeat, cui committitur inquifitionis Officium?*
82 *&c. Quomodo Inquifitores debeant procedere?*

Quæritur 1. quænam Cautelæ per SS. Canones inductæ fint, ne Hærefis fpargatur per perfonas de hac fufpectas? Refp. in hunc finem inducta eft à *Trident.* Profeffio Fidei Catholicæ, quam facere cum Juramento fub peccato mortali obligantur. 25

1 Provifi de quocunque Beneficio, curam animarum habente: qui eam facere tenentur, intra duos menfes à die adeptæ poffeffionis, coram Epifcopo, vel ejus Vicario Generali, aut Officiali. *Seff.* 24. *cap.* 12. §. *provifi etiam de reform.*

2 Provifi de Canonicatu, vel Dignitate in Ecclefia Cathedrali tam Sæculari, quàm Regulari: quod præftandum eft coram Capitulo intra duos menfes à die fuæ receptionis, vel participationis maffæ Capitularis, fub pœna non faciendi fructus fuos *cap.* 12. *cit.* §. *provifi autem.*

3 Patriarchæ, Primates, Archiepifcopi, Epifcopi: qui hanc facere tenentur in prima Synodo Provinciali, cui intererunt *feff.* 25. *cap.* 2. *de reform.* 26

4 Prælati quicunque Monafteriorum, & Religionum, etiam Militarium, vi *Bullæ Pii IV.* incipit *Injunctum editæ Idib. Novemb.* 1564.

5 Omnes promovendi in Doctores, item Magiftri, Regentes, & alii cujufcunque artis, ac difciplinæ profeffores, vi Conftitut. S. Pii V. incipit *In Sacrofancta*: cujus difpofitio in noftra Univerfitate accuratè obfervatur, etiamfi eam non ubique ufu receptam videri notet Suar. *D.* 14. *de Fid. fect.* 6. *num.* 2. Plura videantur *Libr.* 1. *Tit.* 1. *à num.* 7.

Quæritur 2. quæ Cautelæ contra Hærefes per Canonicas Sanctiones introductæ fint circa Libros Hæreticos, & horum Lectionem? Refp. quia frequentiffimè per Libros Hæreticorum venenum Hærefis ab his in- 27

stillatum incautis est, idcirco cum ipsis Hæresum Anthoribus, ac propagatoribus etiam Libri illorum, & scripturæ condemnantur *cap. fraternitatis* 4. *hoc tit.* Sed hinc

Dubium oritur 1. an ergo Lectio Librorum, ab his editorum, prohibita sit? *Ratio dubitandi* est 1. quia illicita non est Lectio Librorum Gentilium, & Judæorum, qui Hæreticis non sunt meliores. 2. Scripta Origenis, & Tertulliani sine scrupulo leguntur: atqui constat eos in Hæresin prolapsos esse. 3. In his Libris multa continentur bona & utilia, quæ propter mala, & inutilia non debent reijci juxta *Reg. utilia* 37. *in* 6.

28 Verùm his non obstantibus dicendum, ejusmodi Librorum lectionem ab Ecclesia graviter esse prohibitam, ut constat tum ex *c. fraternitatis cit.* tum ex Decretis Concilii Constantiensi *sess.* 8. Lateran. sub Leon. X. *sess.* 10. & Trid. *sess.* 4. quod confirmarunt Constitutionibus sui Summi Pontt. Gelasius & Leo I. Gregorius IX. Innocentius, & Alexander IV. Paulus & Julius III. Paulus & Pius IV. Pius, & Sixtus V. aliique sparsim, injuncta etiam pœna Excommunicationis Pontifici reservate, incurrende ab iis, qui sine licentia Sedis Apostolicæ, vel alterius habentis potestatem hoc concedendi, Libros hæreticorum, de Religione ex instituto tractantes, scienter legunt, retinent, imprimunt, defendunt &c.

29 Concordat *Jus Civile*, in quo non solùm hujusmodi Librorum lectio prohibetur, sed ne perversionis Hæreticæ ulla vestigia existerent, ipsi libri perfectissimo interitui mancipari, & concremari jubentur *l. decere* 3. §. *sancimus* 1. *C. de Summ. Trinit. l. quicunque* 8. §. *fin. l. ex Manichæo* 16. §. *fin. C. de Hæret. & l. Eunomianæ* 34. *fin. Cod. Theodos. eod. Ratio est*, tum quia in contemptum Ecclesiæ: & veræ Fidei scripti sunt; tum verò maximè, quia periculum perversionis incautis præbent, dum falsa dogmata veris miscent, sicque venenum propagant.

30 Estque perinde, sive impressi illi sint, sive manuscripti, ut ex communi sententia advertunt Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 10. *n.* 28. Suar. *D.* 20. *sect.* 2. *n.* 10. Farin. *prax. crim. q.* 180. *n.* 30. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *n.* 15. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 10. §. 1. *n.* 3. Barbos. *in c.* 4. *hoc tit. n.* 3. Pirhing *hic n.* 20. & veluti certum refert Neusser *D.* 74. *q.* 5. quidquid aliter sentire visus sit *Thom. Tamb..r.* quia adest eadem ratio, & manuscripta, saltem si longiora sint, verè Libri sunt, & dicuntur, prout dicebantur ante Typum inventum.

31 Neque contrarium probat Argumenta *n.* 27. allata. *Ad* 1. in Libris Ethnicorum, quatenus de Idolis, & ritibus suis agunt, non est periculum perversionis; cons. non urget ratio, ob quam prohibiti sunt Libri hæreticorum. *Ad* 2. Errores Origenis, & Tertulliani extincti jam sunt; cons. ex his periculum perversionis legentibus nullum imminet. *Ad* 3. utilia, siquæ Hæreticorum libris inserta sunt, æquè facilè; & sine periculo haberi in libris Catholicorum possunt. Accedit, quia sicut non omnium, sed Medici duntaxat est, explorare, quinam morbi contagiosi sint, ita examinare, qui libri periculosi sit, eosque reiicere, vel approbare non ad quemcunque, sed ad eos duntaxat pertinet, qui rerum Divinarum veram Scientiam habet.

32 Dub. 2. quinam Excommunicationem *n.* 28. relatam, & per *Bullam Cœnæ cas.* 1. Summo Pontifici reservatam incurrant? Resp. 1. incurrunt illam, qui legunt hujusmodi librum conscriptum ab Hæretico, vel publicè pro tali habito; estque perinde, sive editus sit ab Authore suo, antequam is de hæresi damnaretur, sive post illius damnationem; neque refert, an iste sit ex hæreticis RR. an ex VV. nam etiam horum libri prohibentur, nisi, ut Origenis, & Tertulliani Opera, expresse permittantur. Gloss. *in c. fraternitatis* 4. *V. Cælestinus hoc tit.* Barbos. *ibid. à n.* 2. Pirhing *hic n.* 20. Vviestner *n.* 15. Reiffenstuel *n.* 39. *Excipitur*, si parum admodum sit, quod ex tali libro lectum est; quia parvitas materiæ in lectione hujusmodi excusat ab Excommunicatione Bullæ Cœnæ, prout dicetur *infra n.* 40.

33 2 Qui tales libros retinent; neque refert, an illos retineant in domo propria, an in aliena, suo, an alieno nomine, an causa addiscendæ, & propagandæ hæresis, vel curiositatis, venditionis, compactionis, vel alia simili causa. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 10. *n.* 52. Suar. *D.* 20. *sect.* 2. *n.* 21. Laym. *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *n.* 7. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 10. §. 2. *num.* 7. Barbosa *in cap.* 4. *hoc tit. n.* 6. Vviestner *hic num.* 16. Reiffenstuel *num.* 71. & 72. adeoque Excommunicationem istam incurrunt etiam Bibliopolæ, qui hujusmodi Libros vendunt, Bibliopegi, qui compingunt &c. Et sufficit quoque ad Censuram hanc incurrendam, si quis partem solummodo talis Libri retineat. Sanch. *num.* 54. Reiffenstuel *num.* 73. quia verè dicitur retinere Librum, sicut dicitur legere Librum, qui partem illius legit. Hinc idem Sanch. *num.* 53. excommunicatos censet Aromatarios, Mercatores, & quosvis alios, qui hujusmodi Libros, aut partem eorum retinent ad involvendas merces, aut similia. Evitat tamen Excommunicationem istam, qui unum duntaxat, duo, aut tria folia de tali libro retinet, vel integrum Librum, aut partem notabilem, sed per unum duntaxat, vel alterum diem, aut per longius etiam tempus, sed ideo, quia non habet tempus, & occasionem opportunam tradendi eum Inquisitoribus, vel habenti licentiam illos legendi, & retinendi. Laym. *n.* 7. Palao *n.* 11. Reiffenstuel *num.* 75.

3 Qui talem Librum imprimunt, aut proprie cooperantur ad illius impressionem: quales sunt 1. qui pro impressione componunt litteras, præparant papyrum, & atramentum, premunt torcular &c. 2. Patronus officinæ, etiamsi propriis manibus non laboret; quia verè imprimere dicitur, & impressor nominatur. 3. Author Libri, seu is, in cujus nomine liber imprimitur; quia in communi modo loquendi hic est, qui imprimit. 4. Corrector Typi; nam quatenus hic juvat ad librum emendatè imprimendum, etiam ipse cooperari ad impressionem dicitur: & esto, non comprehenderetur ut cooperans, comprehenderetur tamen ut legens librum Hæreticum. 5. Qui expensas pro impressione facit; sed hic, nisi simul hujusmodi Librum imprimendum tradat, videtur Excommunicatione ista non comprehendi; quia valde remotè ad impressionem concurrit; & idem judicium est de eo, qui litteras æneas, atramentum, papyrum, & reliqua ad impressionem necessaria donat, vel vendit; sunt enim hæ actiones nimis remotæ. Ugolin. *de Censur. Pap. reserv. p.* 2. *cap.* 1. *V. imprimentes*, Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 10. *num.* 58. Suar. *D.* 20. *sect.* 2. *num.* 24. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *n.* 7. *vers. quod attinet*; Palao §. 2. *cit. n.* 13. Vviestner *n.* 16. Reiffenstuel *num.* 71. & 77. Addit tamen Palao *loc. citat.* eos, qui remotè ad impressionem concurrunt, posse fautores Hæreticorum esse, si eas actiones præstent, ut Hæresi faveant. 34

4 Qui hujusmodi Libros verbo, vel scripto tuetur, aut commendat, vel eosdem, ne ad Inquisitorum manus perveniant, occultat, aut postquam in Ministrorum Inquisitionis manus venere, ex istis eripit, ab incendio, aliove interitu vindicat. Sanch. *num.* 58. Laym. *n.* 7. Palao *n.* 14. Vviestner *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 71. & 78. Merito tamen *loc. cit. Sanc. & Palao* observant, Excommunicationi huic non subjacere eum, qui Librum aliquem defendit, verè demonstrando, illum prohibitum non esse, vel approbando, quod in eo Catholicum est, aut præcisè laudando ingenium authoris, vel Stylum libri, idque non in ordine ad tuendum, ne comburatur, aut Inquisitoribus tradatur; quia hoc non est defendere Librum Hæreticum, quà Hæreticum. 35

Dub. 3. quæ conditiones requirantur, ut ob Lectionem, retentionem &c. Libri Hæretici incurratur Excommunicatio in Bulla Cœnæ *cas.* 1. *cit.* lata? Resp. 1. requiritur, ut liber sit alicujus Hæretici; nam qui legit librum alicujus Pagani, Excommunicationem istam non incurrit, ut notat Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 10. *n.* 22. Suar. *D.* 20. *sect.* 2. *num.* 11. *fin.* Farin. *prax. q.* 180. *num.* 10. *vers. quid autem*, Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 10. §. 1. *n.* 1. quia Infideles non sunt Hæretici. Idem dicendum de eo, qui legit librum alicujus Catholici, etsi iste aliquos errores contra Fidem per ignorantiam Authoris, vel per malitiam alicujus Hæretici infertos habeat. Sanchez *n.* 25. Suarez *n.* 13. & 14. Palao *n.* 2. & consentiunt Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 56. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 16. *q.* 2. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 15. *n.* 2. Vvex *Ariadn. p.* 4. *Append.* 1. *ad cas.* 10. *Decad.* 1. *num.* 2. Schambog. *hic n.* 15. Vviestner *ibidem n.* 17. Excipiunt Suar. *l. cit.* & Coninck *D.* 18. *de Fid. n.* 177. nisi Scholia, & errores tali Libro inserti ita creverint, ut ex illis major pars Libri constare videatur; quia tunc Liber à parte præcipua 36

cipua denominandus eſt : etſi contrarium ſentiat Sanchez *loc. citat.* cum Bonacina *D.* 2. *de Cenſur. q.* 5. *p.* 4. *num.* 6.

37 2 Ut liber ille tractet hæreſin, vel de Religione, aut ſi de alia tractat, hæreſin contineat. Et hinc ab Excommunicatione hac liber eſt, 1. qui legit Libros, quibus continentur Ritus Græcorum, Ruthenorum, Armenorum; quia iſti ab Eccleſia pro hæreticis non habentur. Azor q. 8. Sanch. *num.* 27. Farin. *num.* 10. *verſ. quid autem*, Vvieſtner *n.* 18. Si tamen Authores talium Librorum ſint verè hæretici, ſicut communiter eſſe ſolent, etiam iſti Libri ſub prohibitione Bullæ Cœnæ comprehenduntur; quia ſunt Libri hæreticorum de Religione tractantes. Suar. *n.* 12. Pal. *n.* 1. 2. Eandem Excommunicationem etiam non incurrit, qui legit, imprimit, retinet, &c. Libros Magicos, conſcriptos à Catholico, vel etiam Infideli; quia Magia non eſt hæreſis. Navar. *num.* 55. Sanch. *n.* 32. Vvieſt. *loc. cit.* 3. Ab eadem Excommunicatione immunis eſt, qui legit, retinet &c. Libros hæreticorum Juridicos, Medicos, Philoſophicos, Mathematicos, Politicos &c. ſaltem ſi hæreſin nullam contineant. Suar. *de Cenſur. D.* 21. *ſect.* 2. *n.* 10. Sanch. *n.* 33. Laym. *num.* 3. Pirh. *num.* 20. Vvex *num.* 6. Vvieſtner *loc. citat.*

38 3 Ut prohibitus hæretici Liber legatur &c. ſcienter; nam qui legit, retinet &c. hujuſmodi Librum ignorans, quòd ſit Liber hæretici, vel quòd hæreſin contineat, Excommunicatione iſta non afficitur; eſtque hoc verum, etſi ea ignorantia ſit craſſa, & affectata; licèt enim iſta non excuſet à delicto *cap. fin. de Conſt. in* 6. excuſat tamen à pœna, quòd ad eam contrahendam deſideretur ſcientia, prout deſideratur in Bulla Cœnæ in caſu præſenti. Sanch. *num.* 38. Laym. *n.* 4. Pirh. *num.* 20. Schambog. *n.* 16. Vvieſtner *n.* 21. Reiffenſtuel *num.* 55. *Excipitur*, quando ignorantia eſt adeo craſſa, ut temeritas cenſeri poſſit; nam cum tali ignorantia Librum hæreticum legens excommunicationi huic obnoxius foret. Sanch. *loc. cit.*

39 4 Ut talis Liber legatur, retineatur &c. ſine legitima facultate; nam ſi quis ad hoc legitima facultate inſtructus ſit, licitè illos legit, modò abſit periculum perverſionis; nam cùm hoc vitare Juris ſit naturalis, & Divini, idcirco lectio Libri hæretici cum tali periculo nulla diſpenſatione fieri licita poteſt. Schambogen *n.* 16. Vvex *n.* 11. Poteſt autem hanc facultatem dare ſolus Pontifex, & ii, quibus Pontifex ſpecialiter conceſſit, ut etiam aliis dare poſſent poteſtatem legendi Libros hæreticos. Pirh. *loc. cit.* Et talem facultatem à Summo Pont. conceſſam ordinariè habent Epiſcopi Germaniæ. Reiffenſtuel *num.* 56. Sed hi, quia juxta formulam conſuetam conceſſionis hæc facultas ipſis tantùm datur ad quadriennium, vel quinquennium, non poſſunt dare aliis facultatem legendi hujuſmodi Libros in perpetuum, ne dent, quod ipſimet non habent. Ad quantum autem tempus dare facultatem hanc poſſint, controverſia eſt; in qua ſatis certum eſt, ſi initio ſtatim quadriennii, vel quinquennii ſibi conceſſi concedant hanc facultatem, eam ab ipſis extendi poſſe ad quadriennium, vel quinquennium; ſi verò poſt tres, vel quatuor annos elapſos, plerique putant, facultatem ab ipſis conceſſam non poſſe ultra tempus de quadriennio, vel quinquennio reſiduum porrigi. Verum, ut bene advertit Reiffenſtuel *num.* 63. melius in hac re expectatur deciſio ex Oraculo *S. Congreg.*

40 5 Ut id, quod legitur ex libro hæretico, ſit materia notabilis, & ſufficiens ad peccatum mortale; nam parvitas materiæ, quæ legitur ex tali Libro, ſicut excuſat à peccato mortali, ita etiam excuſat ab Excommunicatione Bullæ Cœnæ. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 16. *q.* 3. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 10. *num.* 31. Suar. *D.* 20. *ſect.* 2. *num.* 20. Coninck *D.* 18. *dub.* 11. *num.* 179. *fin.* Bonacin. *D.* 2. *de Cenſur. q.* 5. *p.* 4. *n.* 13. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *cap.* 15. *n.* 5. Palao *tr.* 4. *D.* 1. *p.* 10. §. 2. *n.* 6. Engl *hic n.* 11. Reiffenſt. *n.* 67. cum communi aliorum contra Ugolin. *de Cenſur. part.* 2. *Gloſſ. ac eorundem libros n.* 1. *verſ.* 8. Tolet. *l.* 1. *Inſtruct. Sacerd. cap.* 19. *num.* 9. & paucos alios, volentes, Excommunicationem incurrere etiam illum, qui modiciſſimam partem v. g. unam, vel alteram lineam legit, præſertim ſi intentionem habeat plura legendi. *Ratio reſponſionis* eſt, quia cùm univerſaliter loquendo in aliis Legibus Eccleſiaſticis, præſertim graviſſimam Excommunicationis Cenſuram infligentibus, excuſet parvitas materiæ juxta unanimem DD. non apparet, quare non etiam excuſet in hac lege.

Porro hanc parvitatem materiæ Sanch. *n.* 31. *cit.* cùm *Vivald. Sa*, *& aliis* extendit uſque ad unam integram paginam Libri etiam in folio impreſſi, eò, quòd regulariter loquendo non videatur ſubeſſe aliquod perverſionis periculum in lectione unius paginæ. Sed *Suar. Bonac. Palao* putant, hanc extenſionem eſſe nimiam, & meritò; quia cùm verſemur in materia periculoſa, in hac non ſunt laxandæ habenæ, & in pagina magni Libri in folio impreſſi hæreſis inſperſa facilè ipſi deduci, & propugnari poteſt, ut periculum perverſionis ſubſit; conſ. ratio Legis, indeque obligatio adſit. Accedit, quia, ut fatetur *Sanchez* cum aliis, Excommunicationem incurrit, qui legit tantùm Epiſtolam Dedicatoriam, vel Præfationem; ergo multo magis eam incurret, qui legit ipſam ſubſtantiam Libri in quantitate, quæ Præfationi æqualis ſit. Hinc aliis communiter dicunt, ad incurrendam hanc Excommunicationem ſufficere minorem aliquam materiam, quàm unius folii. Quanta autem reipſa ſufficiat, non conveniunt: conveniunt autem in eo omnes, quòd is, qui plus, quam ejuſmodi paginam legit, Excommunicationem certò incurrat. 41

Neque excuſatur, ſi in illis paginis, quas legit, de Religione nullatenus tractetur, nec Hæreſis contineatur, ut cum communi bene advertunt Sanch. *n.* 35. Suar. *D.* 21. *Cenſur. ſect.* 1. *n.* 10. Laym. *n.* 5. Reiffenſtuel *n.* 70. Ratio eſt, quia Bulla Cœnæ, quæ omnem aditum legendi Libros Hæreticos præcludere intendit, ad incurrendam dictam Cenſuram non requirit, ut quis legat ipſam hæreſin, vel materiam de Religione tractantem, ſed tantùm, ut legat Librum, in quo hæreſis continetur, vel de Religione tractatur. Hinc juxta DD. *cit.* ad incurrendam Excommunicationem Bullæ Cœnæ, ut *n. præc.* inſinuavi, ſufficit, ſi quis legat Prooemium, Epiſtolam Dedicatoriam, Præfationem ad Lectorem, vel Indicem duntaxat talis Libri. 42

Quod hactenus dictum eſt de Lectione, procedit etiam de retentione Libri hæretici; nam & hæc parvitatem materiæ admittit, ita, ut excuſetur à peccato mortali, qui vel ad breve ſolùm tempus v. g. per unum, vel alterum diem, vel partem tantum exiguam Libri heretici apud ſe ſine legitima conceſſione retinet; & quamvis, ut *num.* 41. dixi, unum, duo, vel tria folia reſpectu Lectionis ſint materia gravis, reſpectu retentionis tamen videntur eſſe parva, cum minus delictum ſit retinere, quàm legere. Sanch. *n.* 54. Palao *num.* 11. 43

Dub. 4. an Excommunicationem iſtam incurrat etiam ille, qui hæreticos Libros abſque legitima facultate legit animo errores in iis contentos refutandi? Negativam tuentur Felin. *in c. ſi quis Epiſcopus in fin. verſ. pro quo infertur hoc tit.* Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 46. *n.* 26. *&* 27. Maſchard. *de Probat. concl.* 862. *num.* 14. Caramuel *Theol. fund.* 17. *q.* 2. *num.* 434. ex ratione, quòd cum talis Lectio, vel retentio hæreſeos odio fiat, vacet culpa; ac proinde pœnæ non ſit obnoxia. 44

Sed dicendum, quocunque fine quis librum heretici retineat, vel legat, abſque licentia illius, qui illam dare poteſt, incurrere Excommunicationem Bullæ. Ita Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 16. *q.* 5. Toler. *l.* 1. *Summ. cap.* 19. *n.* 9. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 10. *n.* 53. Suar. *D.* 20. *ſect.* 2. *num.* 21. Farin. *prax. q.* 180. *n.* 39. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 10. §. 2. *num.* 9. Tambur. *Decal. tom.* 1. *l.* 2. *c.* 1. §. 7. *num.* 46. Dian. *p.* 6. *tr.* 6. *reſ.* 49. Vvex *Ariad. p.* 4. *Append* 1. *ad Decad.* 1. *caſ.* 10. *num.* 25. Vincent. Petr. *tom.* 1. *comment. fol.* 136. *nu.* 15. Vvieſtner *hic num.* 23. & clarè patet ex Bulla Cœnæ, ubi ſub Excommunicatione prohibetur lectio, & retentio hujuſmodi Librorum *ex quavis cauſa*, *& quovis ingenio, vel colore*; adeoque Bulla non curat, qua intentione fiat Lectio, vel retentio. 45

Ratio eſt, quia in ea Bulla lectio, & retentio iſtorum Librorum prohibita eſt ſub pœna Excommunicationis ob periculum generale perverſionis multorum; quod periculum cùm non ceſſet, etiamſi particulari alicui perſonæ nihil ſit inde timendum, idcirco etiam iſte prohibitione illa, & pœna tenebitur, qui bono licet fine, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ, vel alterius, qui dare eam poteſt, illos legit, vel retinet. Ex quo cadit Argumentum Sententiæ oppoſitæ. 46

47 Dub. 5. quomodo oporteat legere Librum Hæretici, ut propterea incurratur Excommunicatio Bullæ Cœnæ? Satis convenit inter DD. 1. non sufficere Lectionem solùm materialem, quæ verba duntaxat profert, sed requiri formalem, quæ sensum verborum intelligit, ut contra Bonacin. *D.* 2. *de Censur. q.* 5. *p.* 4. *num.*14. notat Palao *tr.*4. *D.*2. *p.*10. §. 2. *n.* 2. quia hæc sola est lectio propria. 2. Non esse necessarium, ut verbis proferatur res lecta, sed sufficere, si visu percurratur talis liber, nullum pronuntiando verbum, attendendo tantùm ad verborum sensum. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 10. *num.* 41. Suar. *D.* 20. *sect.*2. *n.* 18. Bonac. *D.*2. *de Censur. q.*5. *p.*4. *n.*12. Palao §. 2. *cit. n.* 2. Vviestner *hic num.* 21. ex ratione, quia ad veram lectionem verborum prolatione opus non est *arg. l. tabularum* 2. §. *inspectio* 5. *ff. testam. quemad. aperiant.*

48 *Difficultas* est, an Excommunicatio incurratur etiam ab illo, qui auscultat legenti Librum Hæreticum? Affirmat Suar. *D.* 20. *sect.* 2. *n.* 19. negat Sanch. *cap.* 10. *cit. num.*48. Conink *D.* 18. *dub.* 11. *n.* 178. Palao §. 2. *cit. num.* 4. Melius distinguunt Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 16. *q.* 4. Sayr. *thesaur. cas. tom.* 1. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 14. Graffis *p.*1. *decis. l.*4. *c.*18. *n.* 45. Laym. *l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 15. *n.* 6. Vviestner *hic n.* 24. Vel enim jussit eundem sibi prælegi à famulo, aut alio, aut contrà solùm auscultat ejusdem lectionem, quam alius sua sponte, aut jussu quidem, vel suasione, non sua tamen auscultantis, sed aliena incepit.

49 *Si primum*, tenetur ea Excommunicatione auscultans; quia ita jubens ita prælegi in morali æstimatione ipse censetur legere, cùm ex generali Regula, quod quis facit per alium, perinde sit, acsi faciat per seipsum, quæ est 72. *in* 6. Accedit, quia aliàs censura, per Bullam lata, facilè posset eludi, & ita fieri, ut prohibitio careret fine.

50 *Si secundum*, non afficitur Excommunicatione; quia eo casu legere ipse moraliter non censetur. Quod extendit P. Vviestner *nu.* 24. *cit.* etiam ad eum, qui talem Librum prælegi aliis mandat, vel consulit, sed lectionem ipse non audit; quia cùm Libri lecti Hæreses nec visu, nec auditu mediante percipiat, non potest censeri legens, qui solus Excommunicatione ista afficitur. *Excipit* casum, nisi mandato, vel jussu suo Hæresi favorem præstet.

51 Dub. 6. quid dicendum de eo qui legit Librum Authoris Hæretici, in quo iste de Religione non tractat ex instituto, sed dogma tamen Hæreticum unum, vel alterum incidenter solum, & obiter refert, vel probat? Resp. spectato tenore Bullæ Cœnæ, & hujus rigore, etiam istum Excommunicationem incurrere, ut notant Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 10. *num.*35. Suar. *D.*21. *de Censur. sect.*2. *num.*10. Conink *D.*18. *de Fid. dub.* 11. *n.* 177. Farin. *prax. q.* 180. *n.*22. *fin.* Bonacin. *D.*2. *q.*5. *p.*4. *n.* 19. Palao *tr.*4. *D.*2. *p.*10. §. 1. *n.*7. Vviestner *hic num.* 20. & patet ex *Bulla cit.* ubi sub censura illa prohibetur lectio Librorum Hæreticorum, non solum illorum, qui de Religione tractant, sed etiam eorum, qui Hæresin continent. Manetque talis liber prohibitus, etiamsi Hæresin, quam continet, ex illo expunxeris; quia particularis expunctio non tollit communem Libri prohibitionem, ut *loc. citt.* monent *Sanch. Bonac. Palao.*

52 Addidi, *spectato rigore*; nam huic rigori Germaniæ nostræ usu videtur derogatum in pluribus ejus Provinciis, ubi sine censuræ metu Viri timorati, & docti legunt, & in Bibliothecis suis retinent Opera Hæreticorum Authorum, profanum argumentum tractantia, licèt errores aliquos, ab Ecclesia damnatos, contineant, modò isti frequentes non sint, aut in odium Fidei ab Authoribus conscripti. Laym. *l.* 2. *tract.* 1. *c.*15. *n.*4. Vvex *Ariad. p.*4. *Append.* 1. *ad cas.* 10. *Decad.* 1. *n.* 8. Pirhing *hic n.*20. *vers. requiritur*, Engl *n.* 10. Schambog. *num.*15. Vviestner *num.*20. & teste Reiffenstuel *n.* 50. plerique post *Layman* scribentes, qui *num.*51. addit, ejusmodi Libros, si obiter solùm, & brevissimè, simulque apertè futiliter defendunt, aut referunt doctrinam Hæreticam, nec eam ex instituto tractant, legi tutò posse etiam extra Germaniam.

53 Dub. 7. an eidem censuræ subjaceat etiam ille, qui legit, vel penes se retinet Epistolam, Concionem, vel aliud scriptum, quod Hæresin continet, vel de Religione tractat? Affirmant, ut probabilius, Suarez *D.* 20. *sect.* 2. *numer.* 10. Ugolin. *de Censur. part.* 2. *Gloss. ac eorundem num.* 2. *vers. nono*, Farin. *prax. q.* 180. *n.* 31. & nonnulli alii, quos sequitur P. Reiffenstuel *hic num.* 45. Moventur 1. quia hæc prohibitio non est odiosa, sed favorabilis; quia est in favorem Fidei, & defensionem Catholicorum; ergo debet extendi, & non limitari ad Librum. 2. Non est signata magnitudo, quæ ad constituendum Librum requiratur; ergo Concio, Disputatio, annotatio, quæ decem folia continet, jam poterit nuncupari liber. 3. Talis Epistola &c. potest esse pars saltem modica alicujus Libri; atqui partem etiam minimam Libri Hæretici v. g. Procemium, Epistolam ad Lectorem, Syllabum Capitum, aut Indicem legens Excommunicationem incurrit secundùm dicta *num.* 42. *fin.* ergo &c. 4. Etiam talis Epistolæ, Concionis &c. lectio periculum perversionis afferre potest, & solet. 5. S. Congregatio, circa Decretum *Trid. sess.* 4. *de Edit. Libror.* interrogata, quænam ibi comprehendantur nomine Libri, respondit comprehendi sub illo Decreto *Conciones*, *Lectiones*, *Disputationes*, & similia; ergo etiam in casu nostro Bulla Cœnæ prohibendo lectionem Librorum Authoris Hæreticis, censenda est quoque prohibere Conciones, & alias hujusmodi scripturas paucorum foliorum.

Verum, etsi Sententia hæc in praxi suadenda, tenendaque sit, probabile tamen admodum est, hujusmodi scripti, quod Tractatus formam non referat, lectione Excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurri. Ita Sanch. *l.*2. *mor. c.*10. *n.*29. Bonacin. *D.*2. *de Censur. q.*5. *p.*4. *n.* 18. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *cap.*15. *n.*3. Palao *tr.*4. *D.*2. *p.*10. §. 1. *n.* 5. Herinx *D.* 9. *de Fid. q.*8. *num.*86. Vviestner *hic n.* 19. Ratio est, quia dispositio *Bullæ cit.* pœnalis, cons. odiosa est; igitur cum per eam sub dicta censura prohibeatur solum lectio, retentio &c. Librorum, ea pœna extendi non debet ad eos, qui legunt, retinent &c. Epistolam, Concionem, vel aliud scriptum paucorum foliorum; quia hujusmodi scripta propriè, & secundum communem loquendi usum non veniunt Libri nomine. 54

Ex quo patet *ad* 1. *argumentum* adversæ sententiæ. Certè si Constitutio hujus Bullæ, quatenus Censuram Excommunicationis infligit legentibus Libros Hæreticos, simpliciter favorabilis, esset, quòd in favorem Fidei, & defensionem fidelium ordinata sit, etiam favorabilis simpliciter foret Lex pœnalis, qua homicidæ, & latrones puniuntur, cum & ipsa ad bonum Reip. & defensionem innocentium ordinetur. *Ad* 2. cum à Jure non sit determinata quantitas requisita ad constituendum Librum, quantitas ista sumi debet à communi loquendi usu; atqui secundum communem loquendi usum scriptura, quæ foliis decem minor est, Liber dici non solet, quamvis, ut vult Palao *loc. cit. num.* 5. *ad* 5. talis nuncupàri possit decem folia saltem continens. *Ad* 3. etsi talis Scriptura brevior posset esse pars Libri, non tamen est actu, nec unquam fuit pars Libri; & ideo nunquam fuit prohibita sub clausula Bullæ Cœnæ; secus est de Præfatione, Epistola Dedicatoria &c. quæ de facto Librum prohibitum composuit; quia prohibito Libro, etiam partes prohibitæ manent. *Ad* 4. præterquam quod Constitutiones pœnales neque ob paritatem rationis extendi debeant ad casum non expressum in tali Constitutione etiam non est par ratio talis scripti, quæ Libri; quia hi manent diutius, evulgantur latius, & majoris authoritatis sunt, quam Epistola, & similes scripturæ non redactæ in Tractatum. *Ad* 5. quòd sub Decreto Trid. *de Edit. Libror.* comprehendantur etiam annotationes, scholia, disputationes, mirum non est, quia Decretum *Concil. Lat. sub Leon. X.* cujus Constitutio *cit.* Trid. explicatio, & renovatio est, expresse includit *quamcunque Scripturam*: contrà Bulla Cœnæ duntaxat prohibet lectionem, retentionem &c. Libri Hæretici. 55

Dub. 8. quinam Libri prohibeantur in Indice Librorum prohibitorum, edito authoritate Pii IV. & postea per Sixtum V. Clementem VIII. & Successores Pontr. continuato, confirmato, & aucto? Resp. in hoc Libri prohibiti dividuntur in duas Classes. *In prima Classe*, continentur Libri, qui propter ipsos Authores, Hæreticos scilicet, damnati, seu prohibiti sunt. Et tales sunt 1. Libri Hæresiarcharum, i. e. qui Hæresin invenerunt, aut suscitarunt, vel Hæreticorum qua talium Capita, & Duces sunt, vel fuerunt, ut Lutherus, Calvinus, 56

vinus, Zvvinglius, quorum Libri omnes, & singuli, etsi de Religione non tractent, nec Hæresin contineant, sed de alia quacunque materia tandem agant, per hunc Indicem prohibiti sunt, ita decernente Ecclesia in odium Authorum; quia *damnato Authore, damnantur ejus Scriptura, & Libri, & Opera*, ut habet Summarium, *c. fraternitatis* 4. *hoc tit.* 2. Libri aliorum Hæreticorum Authorum, vel de Hæresi publicè suspectorum, continentes Hæresin, vel de Religione tractantes etiamsi Hæresin non contineant.

7 Ad *Secundam Classem* pertinent Libri, qui prohibentur, aut prohibiti sunt non propter ipsum Authorem, sed propter doctrinam, quam continent: quales sunt 1. Libri, qui continere judicantur doctrinam non sanam, suspectam, vel moribus fidelium repugnantem, licèt eorum AA. Catholici sint. 2. Libri & scripta tradentes Artem Magicam, aut res obscœnas, vel lascivas, si hoc faciant ex professo. In novo Indice, edito authoritate Alexandri VII. & Successorum Pontt. omnes Libri prohibiti ponuntur ordine Alphabetico, & illis, qui primæ Classis sunt, utpote speciali nota dignis, additur *Primæ Classis*, ut videre est in moderno Indice: adeoque Libri omnes, quibus Characteristica ista non adiicitur, censentur esse secundæ Classis.

8 Jam 1. *Libri primæ Classis* omnes in Indice prohibentur legi sub pœna Excommunicationis reservatæ Papæ. 2. Sub eadem Excommunicatione, non tamen reservata Summo Pontifici, prohibentur Lectio Librorum *secundæ Classis*, qui prohibiti sunt, quia judicantur continere doctrinam non sanam, suspectam vel moribus fidelium repugnantem. 3. Lectio Librorum, & scriptorum tradentium artem Magicam, aut res obscœnas, & lascivas sævere, sed arbitrariæ Episcoporum coercitioni subjecta est per *Constit. Pii IV.* incipit *Dominici* 24. *Mart.* 1564. *& Alexandri VII.* incipit *Speculatores* 5. *Mart.* 1664.

9 Notat tamen P. Vviestner *hîc n.* 25. ex Laym *l.* 2. *tract.* 1. *c.* 15. *n.* 8. memoratum Librorum prohibitorum Indicem quoad secundam Classem in Germaniæ nostræ Provinciis non esse usu receptum. Imò Becan. *tom.* 2. *tr.* 1. *de Fid. c.* 15. *q.* 8. *n.* 5. putat eundem Indicem, & Bullam Cœnæ in eadem Germania etiam non receptam plenè quoad aliquos Libros primæ Classis, scilicet Hæreticorum Authorum, saltem qui non sunt Hæresiarchæ; hinc putat, Catholicos in Germania non esse excommunicatos, qui legunt Libros Hæreticorum, quamvis peccent mortaliter, si eos legant cum periculo erroris, aut deceptionis, ut frequenter fit. Pirhing *hîc num.* 21. *in fin.* Contrà non receptionem, & usum Bullæ, aut Indicis nec in Germania prætendi posse, multis acriter defendit P. Reiffenstuel *hîc numer.* 113. *& seqq.* Utramque Sententiam mitigat P. Engl *hîc num.* 9. qui cum prima asserit receptam non esse prohibitionem Bullæ, & Indicis in Germania quoad pœnam Excommunicationis, urgere tamen quoad reatum peccati, quod plerumque ob periculum perversionis, aut malæ delectationis ex lectione talium Librorum committitur.

1 Quidquid sit, certum videtur, etiam in Germania plures Libros, qui inter secundæ Classis prohibitos in Indice recensentur, licitè legi non posse, quales sunt, qui à Catholicis Authoribus scripti sunt de rebus obscœnis, de sortilegiis, maleficiis, incantationibus practicandis, de Astrologia Judiciaria, & prædicendis futuris contingentibus, quæ dependent à libera voluntate humana &c. Unde doctrina *Laymanni* videtur locum potissimum habere in iis Libris qui cæteroquin boni, & optimi sunt, sed ob unam, vel alteram, aut plures doctrinas minus convenientes cum Theologia, SS. Canonibus, & Constitutionibus Pontificiis, vel quia scripserunt de, aut super materia, de qua scribere, aut glossare non licet &c. prohibiti sunt; nam tales Libros in Germania, non obstante Indice expresse illos prohibente, passim teneri, & legi in comperto est, quales v. g. sunt Francisci Pellizarii Manuale Regularium, Augustini Barbosæ collectanea, Declarationes, & remissiones &c. in qua doctrina consentit ipse P. Reiffenstuel *n.* 119. quamvis addat, securius, & laudabilius esse, etiam in his simpliciter obedire Sedi Apostolicæ.

6 Dub. 9. Quid agendum cum Libris prohibitis Hæreticorum, vel suspectorum de Hæresi? Resp. in locis, ubi viget Officium Inquisitionis contra Hæreticam pravitatem, ut in Italia, Hispania &c. sub Excommunicationis, & aliis pœnis contra Hæreticos latis tradi debent inquisitoribus, nec sufficit eos propria authoritate comburere. Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 10. *num.* 56. Farin. *prax. quæst.* 180. *num.* 40. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 90. *num.* 50. Palao *tr.* 4. *D.* 2. *p.* 10. §. 2. *num.* 12. Vincent. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 191. *num.* 12. Reiffenstuel *hic n.* 127. & ita expressè statuit *Julius III. Constitut.* incipit *Cùm Meditatio*. In aliis locis, ubi Inquisitionis Officium non viget, sufficit, & necesse est, ut vel comburantur, vel tradantur alicui, vel aliquibus, qui specialem facultatem legendi, aut retinendi Libros Hæreticos habent.

Quæritur 3. quænam aliæ Cautelæ per SS. Canones præscriptæ sint ad arcendum periculum Hæresis disseminandæ, & propagandæ? Resp. 1. prohibentur occulta conventicula, præsertim in locis Hæresi infectis, vel de ea suspectis *cap. cum ex injuncto* 12. *& c. excommunicamus* 13. §. *adjicimus* 7. *hoc tit.* Concordat Jus Civile *l. denuntiamus* 5. *Cod. de his, qui ad Eccl. confug.* adeo, ut ædes, in quibus conventicula hujusmodi celebrantur, si hoc fiat consentiente domino, publicentur, & addicantur fisco *l. conventicula* 15. *C. de Episc. & Cleric.* Ratio est, quia hujusmodi clancularíæ coitiones periculosæ sunt admodum, & prout exempla docuerunt, Fidei veræ, quæ lucem amat, inimicæ. 62

2 Laicis interdicta est omnis prædicatio Verbi Divini *can. mulier* 29. *dist.* 23. *cap. cùm ex injuncto cit. & cap. excommunicamus* §. *quia verò* 6. idque ad exemplum Christi, qui munus prædicandi Verbum Divinum; non quibusvis, sed Discipulis tantùm, & præcipuè Apostolis commisit. *Matth.* 28. *v.* 19. *Marc.* 16. *v.* 15. *Act.* 13. *v.* 2. Imò etiam Clerici, qui Prædicationis officium, non accepta ad hoc à Pontifice, vel locorum Ordinariis authoritate, suscipere in se præsumpserint, excommunicati jubentur §. *quia vero cit.* Barbosa *ibid. num.* 40. Gonzal. *in cap.* 12. *citat. à num.* 6. Pirhing *hic num.* 31. Schambog. *num.* 21. Vviestner *num.* 27. Reiffenstuel *num.* 32. 63

3 Iidem Laici sub pœna Excommunicationis, per sententiam inferendæ, prohibentur publicè, ac privatim de Catholicæ Fidei Mysteriis disputare *cap. quicunque* 2. §. *inhibemus* 2. *hoc tit. in* 6. Et afficit prohibitio hæc etiam Laicos alias doctos, ut contra Cajet. 2. 2. *q.* 10. *art.* 7. *dict.* 1. probabiliùs docet Gloss. *in* §. *inhibemus cit. V. tenet*, Franc. *ibidem num.* 1. Sylv. *V. Disputatio num.* 1. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 1. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 6. *num.* 5. Farin. *prax. quæst.* 178. *num.* 112. Barbosa *in cap.* 2. *cit. n.* 17. Passerin. *ibidem num.* 24. Pirhing. *hic num.* 27. Vviestner *num.* 29. Reiffenstuel *num.* 27. Ratio est, quia Jus indistinctè, & generaliter loquitur; conf. etiam indistinctè intelligi debet *arg. cap. quia circa* 22. *de privil.* Accedit, quia Leges feruntur de iis, quæ communiter accidunt *l. nam ad ea* 5. *ff. de LL.* frequentiùs autem accidit, Laicos non habere sufficientem scientiam rerum Fidei, & Scripturarum; igitur omnibus censeri debet de Jure prohibita esse illa Disputatio, etiam Doctis, & ex eo quoque capite, ne fortè de hujusmodi Mysteriis disputante Laico docto, idem faciendi ansam accipiant rudes. 64

Contrà sub Excommunicatione in *cap. quicunque cit.* lata non continentur Clerici, quippe cùm textus tantùm loquatur de Laicis. *Proceditque* hoc, etsi prima solùm tonsura initiati sint, & indocti. Pirhing *hic num.* 27. Dixi, *sub Excommunicatione Clericos non contineri*; nam & ipsis disputare cum Hæreticis de Fide regulariter illicitum est *can. cum quibus* 36. *fin. caus.* 24. *q.* 3. Gloss. *ibid. V. Certamen* Farin. *prax. q.* 178. *n.* 113. indoctis quidem; quia ita disputando se exponunt periculo errandi in multis: doctis autem; quia ex hujusmodi disputatione cum Hæreticis, præsertim illis, qui aliquo modo Magistri erroris fuerunt, cùm obstinati plerùmque, & pertinaces in errore sint, nulla est spes conversionis, sed potiùs major perturbatio pacis inde consequitur, ut adeo imprudenter se gerant, qui ita disputant cum talibus Hæreticis. Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 6. *n.* 12. Becan. *tr. de Fid. c.* 15. *q.* 7. *n.* 11. Pirhing *n.* 27. *citat. vers. extenditur* 2. cum aliis. Imò si hujusmodi Disputatio instituatur coram Catholicis simplicioribus, periculum est, ne auditis 65

ne auditis Hæreticorum argumentis, in Fide incipiant dubitare, aut titubare. Sanch. *l.cit.n.*10. Farin. *n.*126. Pirh. *n.* 27. *Extenf.* 3.

66 Sunt tamen nonnulli casus, in quibus Clerici, & in aliquibus Laici saltem docti de Fide disputare tum inter se, tum cum Hæreticis sine peccato, & periculo Excommunicationis possunt. Nam 1. possunt Clerici, modò circa Fidei controversias sufficienter instrúcti sint, disputare de Fide cum Hæreticis etiam publicè coram instructis. & firmis in Fide ad confutandos eorum errores, & ad defensionem Fidei S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. *in Corp.* Gloss. *in can. cum quibus cit. V. certamen*, Farin. *q.* 178. *cit. n.* 122. Passerin. *in c.* 2. *hoc tit. in* 6. *n.* 17. Pirh. *hic n.* 28. cum aliis; 2. licita est disputatio de Fide cum Hæreticis etiam coram simplicioribus, si is, qui cum ipsis disputat, non tantùm sit vir doctus, sed etiam clarus, qui possit ita perspicuè proponere solutiones Argumentorum, ut etiam rudes, & simplices id possint facilè capere, quod tamen raro contingit; imò quando simpliciores ab Hæreticis sollicitantur ad Hæresin, tenentur, viri docti coram simplicibus se illis opponere, & veram Fidem disputando defendere. Sanch. *n.* 10. Farin. *n.* 126. Pirh. *n.* 27. *Extenf.* 3. cum communi, 3. non est prohibita etiam Laicis disputatio de rebus Fidei materialis, quæ fit exercitii tantum causa inter idem sentientes, & credentes, non ad persuadendam opinionem, vel sententiam disputantis ei, cum quo disputatur, sed ad veritatem elucidandam, & confirmandam, modò non adsint simpliciores, qui inde occasionem accipiant dubitandi de Fide S. Thom. *l. cit.* Sanch. *n.* 9. Farin. *n.* 123. Pirh. *limit.* 2. Passerin. *n.* 10. 4. si in aliquo loco esset Hæreticus, qui perverteret fideles, nec adesset Clericus, vel Religiosus, qui ei posset resistere, cum illo Hæretico disputare Laicus, si sufficienter doctus sit, non solùm licitè posset sed ad id etiam lege Charitatis teneretur, ut proximorum saluti spirituali consuleret. Sanch. *n.* 7. Becan. *n.* 6. Pirh. *limit.* 3. Passerin. *n.* 23. 5. in Germania nostra, & aliis locis, ubi Hæretici cum Catholicis permixti degunt, Laici, præsertim docti, non peccant, neque Excommunicationem incurrunt, etsi cum Hæreticis disputent de Fide; quia in his terris Constitutio *c. quicunque cit.* non est usu recepta, aut per contrariam consuetudinem abrogata. Sanch. *n.* 7. Becan. *n.* 6. Pirhing *limit.* 4. Passerin. *n.* 25. Vviestner *n.* 29. *fin.* Riffenst. *n.* 28. Magnif. P. Schmierp. *p.* 2. *de Delict. c.* 3. *n.* 58. Plura de his videri possunt apud *citt.* & apud Palao *tract.* 4. *D.* 2. *p.* 4. *à n.* 1.

4 Injungitur Episcopis, & Archiepiscopis Visitatio saltem annua Diœcesium, & Provinciarum, in Virtute S. Obedientiæ, & sub pœna Depositionis *cap. excommunicamus* 13. §. *adiicimus* 7. & §. *fin. hoc tit.* Possunt tamen ipsi hujusmodi Visitationes obire per Archidiaconos, aut alias honestas, & idoneas personas, ut *ibidem* dicitur, quibus proinde incumbet, eos, quos Hæresi infectos, vel de ea suspectos invenerint, deferre ad suos Antistites, ut coram istis Hæresin abjurent, aut de ea se purgent, vel subeant pœnas Hæreticorum. Sed hinc ulteriùs.

Dubium oritur 1. an Hæretici ab Ecclesia cogi possint ad abjurationem erroneorum dogmatum? Rationem dubitandi faciunt ea, quæ *Tit. præc. numer.* 42. dicta sunt de Infidelibus, ubi cum communi DD. negatur, illos directè cogi posse ad deferendos suos errores, & amplectendam veritatem Fidei Christianæ; videtur autem esse paritas istorum cum Hæretici.

69 Sed ab Ecclesia ad hujusmodi abjurationem compelli Hæreticos posse est certa DD. Orthodoxorum sententia, probaturque 1. ex §. *adiicimus cit.* aliisque textibus præsentis *Tituli*. 2. ex usu antiquissimo Ecclesiæ, quem jam olim S. Augustinus *Epist.* 48. *contr. Donatistas* vindicavit. 3. ex ratione; quia Hæretici Ecclesiæ, quam per Baptismum ingressi sunt, subjecti manent *cap. majores* 3. *fin. de Baptism.* & Trid. *sess.* 14. *c.* 2. *de Pœnit.* neque enim per hoc, quòd ab ea defecerint, se liberare à Jurisdictione illius possunt; atqui subditos suos quivis Magistratus compellere ad præstinam fidem, & obedientiam potest; ergo & Ecclesia.

70 Ex quo cadit Ratio dubitandi opposita; negatur enim paritas cum Infidelibus, qui quòd per Baptismi januam in Ecclesiam nunquam ingressi sint, etiam eidem nullo modo sunt subiti.

Dub. 2. an liceat Principi Catholico contra Hæreticos ob solam Hæresin bellum gerere, eosque bello adigere, ut Hæresin deserant, & veram Religionem amplectantur? Resp. distinguendo: Vel enim Hæretici isti hujusmodi Principi in temporalibus subjecti sunt, vel non sunt subjecti: *si primum*, nisi aliud obstet, Principes Catholici non tantum possunt, sed etiam tenentur contra subditos sibi Hæreticos ob solam Hæresin bellum gerere, eosque sic expugnare, quando alio modo eosdem coercere non valent. Ita communis, & certa sententia teste P. Reiffenstuel *hic n.* 225. Ratio est, quia, ut ex *infra n.* 221. dicendis patebit, eos tolerare in Provinciis suis non possunt, sed exterminare tenentur: igitur si hoc aliter præstare nequeunt, Hæreticis forsan invalescentibus, & aliorum Hæreticorum auxilium implorantibus, utique bello eos expugnare poterit, ac tenebitur Princeps Catholicus. 71

Si secundum, tales Hæreticos bello aggredi ob solam Hæresim propria authoritate non potest Princeps Catholicus; quia caret omni Jurisdictione respectu ipsorum: potest tamen, nisi aliud quid obstet, contra eos bellum gerere authoritate summi Pontificis, ad id exhortantis, suadentis, vel mandantis; quia Papa, tanquam supremus Ecclesiæ universalis Pastor, etiam in Hæreticos, utpote per Baptismum jam semel sibi subjectos, Jurisdictionem habet: conf. sicut alius Princeps rebelles sibi subditos, ita & ipse Hæreticos, si alia media non proficiant, per se, vel per alios coercere, & expugnare potest. Reiffenstuel *n.* 228. 72

Addidi autem in utroque *n. præc. Nisi aliud quid obstet*: obstaret autem, si ex vi publicæ, & validæ Pacis, vel per alium legitimum Contractum, aut Pactum publicum securitas ipsis promissa, & præstita fuisset; tunc enim non possent ejici, nisi nova justa causa eos ejiciendi superveniat v. g. periculosæ machinationes &c. nam cuilibet, etiam Hæretico, servanda Fides est. 73

5 Cùm Archiepiscopi, & Episcopi extirpandæ Hæresi, quæ sub specie pietatis indies invalescebat, non viderentur sufficere, ita sollicitante S. Dominico, Religiosissimi Ordinis Prædicatorum fundatore, institutum est à Summo Pontifice Officium Inquisitionis in Hæreticam pravitatem, & constituta successu temporis in variis Regnis, & Provinciis ejusdem S. Inquisitionis Tribunalia, Romæ autem S. Congregatio Cardinalium, quæ eandem Inquisitionem, per alias Provincias, & Regna exercendam, dirigeret, erecta à *Paulo III. Const.* incipit *licèt ab initio* 12. *Cal. Aug.* 1542. quam deinde alii Pontifices Successores approbarunt, & facultates respectivè auxerunt, prout constat ex *Const.* 74. *Sixti V.* & refert Card. de Luca *Relat. Cur. Rom. Discurs.* 14. *n.* 2. & *seqq.* Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 165. *n.* 8. 74

Dub. 1. an Inquisitores sint Judices Ordinarii, an Delegati? Ordinarios esse Affirmant Archidiac. *in c. ne aliqui* 10. *hoc tit. in* 6. Host. *in c. ad abolendam* 9. *eod. n.* 2. Joan. Andr. *ibid. n.* 3. & videtur probari ex ratione; quia habent Jurisdictionem ad universitatem causarum, concernentium Fidem, & Hæresin, ab Apostolica Sede sibi concessam per modum Officii, seu publici Magistratus, ut colligitur ex *c. ne aliqui cit. c. ut officium* 11. & *c. ut commissi* 12. *hoc tit. in* 6. atqui Jurisdictio, quæ per modum Officii concessa est, seu quæ competit ratione muneris, & Magistratus, quem quis gerit, Ordinaria est, non Delegata per *textum*, & Gloss. *l. more* 5. *V. suo Jure ff. de Jurisd.* ergo &c. *Conf.* Jurisdictio Inquisitorum non minùs descendit à Jure, seu Canone, quam Jurisdictio Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ordinatorum; atqui Jurisdictio, quæ descendit à Jure, ordinaria est *arg. l.* & *quia* 6. *ff. eod.* ergo &c. 75

Sed verius dicitur esse Delegata. Ita Franc. *in c. ne aliqui cit. n.* 1. Decius *in c. causam* 16. *de Offic. Deleg. n.* 10. Sylv. *V. Hæresis* 2. *q.* 1. *n.* 2. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 18. *q.* 6. Farin. *prax. q.* 186. *n.* 39. Scaccia *de Judic. c.* 67. *n.* 5. Molin. *tr.* 5. *de I.* & *I. D.* 28. *n.* 4. *vers. hos vero.* Petr. Barbos. *in l. cum Prætor* 12. §. 1. *n.* 44. & 51. *ff. de Judic.* Aug. Barbos. *in c. per hoc* 17. *n.* 4. *h. tit. in* 6. Palao *tr.* 4. *D.* 8. *p.* 12. §. 2. *n.* 2. Delben. *p.* 2. *de Offic. S. Inquis. dub.* 195. *sect.* 2. *n.* 5. Vinc. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 167. *n.* 22. Pirh. *hic n.* 131. Schamb. *ib. n.* 54. *Ratio est*, quia Jurisdictionem, quam exercent, non exercent nomine proprio; sed alieno, 76

alieno, & Apostolica authoritate, ut colligitur ex *c. ut officium cit.* ibi, *Ut Officium Inquisitionis contra Hæreticos --- authoritate Apostolica possitis efficacius adimplere*; atqui exploratum est, Jurisdictionem, quæ non proprio, sed alieno nomine exercetur, delegatam esse *l. etsi Prætor* 3. *ff. de Offic. ejus, cui mandat. &c.* & dictum est *Libr.* 1. *Tit.* 29. *num.* 1. ergo &c.

77 Addo tamen, hanc ipsorum Jurisdictionem Ordinariæ valde affinem esse, ut notant Molin. *loc. cit. n.* 1. & 4. *vers. illa verò*, Barbosa *in c.* 17. *hoc tit. n.* 11. & 12. Palao *n.* 2. *cit.* Petra *fol.* 167. *n.* 29. nam 1. adhæret Officio. 2. est ad universitatem causarum Fidei. 3. est perpetua, ita ut uno cedente, vel decedente sufficiatur alius. 4. non exspirat morte Papæ delegantis, etiam re integra, & quoad negotia nondum cœpta, quamvis data sit *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, vel *Summi Pontificis*, ob favorem Fidei, ne casus eveniat, in quo vel non possit contra Hæreticos inquiri, vel inquisitio diutiùs, quàm par sit differri debeat. Farin. *loc. citat. num.* 23. 5. subdelegando etiam aliis committi potest, prout supponitur *cap. ne aliqui* 10. *hoc tit. in cap. Clem.* 1. §. *porro* ibi, *Coram dictis Inquisitoribus, & substitutis ab eis eod.* quòd etiam concedunt *Constitut. Clementis VII. & Pii II.* apud Pegna *Direct. p.* 3. *q.* 13. *comm.* 62. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 18. *q.* 10. Palao §. 2. *cit. num.* 12. Ex quo sequitur, quòd Officium hoc habeat perfectiones Jurisdictionis Ordinariæ, & Delegatæ, sublatis cujuslibet imperfectionibus.

78 Ex quo cadunt Argumentum, & ejus Confirmatio in contrarium allata; solùm enim probatur, quòd Jurisdictio Inquisitorum magnam affinitatem cum Ordinaria Jurisdictione habeat.

79 Dub. 2. Qualis esse debeat, cui committitur Inquisitionis officium? Resp. In assumendis ad hoc Officium requiritur vitæ probitas, prudentia non mediocris, doctrina non vulgaris, & quidem tam in Theologia, quàm in Jure Canonico: in Theologia quidem, ut Hæreses cognoscat; in Jure Canonico autem, ut causas, & lites possit decidere. Azor *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 3. Farin. *prax. quæst.* 186. *num.* 54. Palao *tract.* 4. *D.* 8. *p.* 12. §. 2. *num.* 25. Qui ab alio, quam Papa deputantur ad hoc Officium, debent attigisse annum ætatis 40. prout statuitur in *Clem.* 2. *hoc tit.* aliàs constitutio erit nulla, quippe facta contra præscriptam formam, & conditionem à Jure requisitam. Gloss. *in Clem. cit. V. committi*, Farin. *n.* 50. *loc. cit.* Palao *num.* 24. Et sic major ætas requiritur in Inquisitore Fidei, quàm in Episcopo, licèt iste sit Ordinarius Inquisitor: cujus fortè ratio est, quia Officium Inquisitionis non cum tanta indagatione soler committi, cum quanta indagatione constituuntur Episcopi. Abb. *in cap.* 7. §. 1. *n.* 6. *de Elect.* Azor *q.* 4. Palao *n.* 24. *cit.* Pirhing. *n.* 132.

80 Dixi, *Qui ab alio, quàm à Papa deputantur*; nam si à Pontifice immediatè eligantur, non videtur necessarium, ut attigerint annum 40. sed in quacunque ætate eligantur, valet eorum electio, sive Pontifex sciat illorum ætatem, sive nesciat. Farin. *num.* 51. Palao *num.* 24. *cit. vers. notanter.* Et hinc in Inquisitoribus, qui eliguntur à consistorio Cardinalium, ut idem Farin. *loc. citat. in fin.* notat, parum hodie curandum est de eorum ætate; quia eliguntur de scientia Summi Pontificis.

81 Eandem ætatem, & qualitates, quæ juxta *num.* 79. requiritur in Inquisitoribus, Gloss. & Joan. Andr. *in Clem.* 2. *cit.* requirunt etiam in Commissariis Inquisitorum, & Episcoporum; quia substitutus sapere naturam principalis debet *l. parabolanos* 18. *Cod. de Episcop. & Cleric.* Sed etsi hoc verum sit de cæteris qualitatibus, quoad ætatem minus aliquid requiri, patet ex *Constit. Clem. VII.* incipit *Cùm sicut*, ubi Pontifex, *decernimus*, inquit, *insuper, ut vestros Vicarios, sive Commissarios instituere valeatis viros scientia probos, providos, aptos, & idoneos, dummodo ætatis trigesimam annum attigerint.* Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 4. *vers. quæres deinde.* Molin. *tr.* 5. *D.* 28. *num.* 23. Palao *loc. cit. num.* 26. Neque mirum est, minorem ætatem requiri in Commissario, quàm in Inquisitore, cum raro illis committatur integra Inquisitorum potestas.

82 Dub. 3. quomodo procedere Inquisitores in cognitione causarum Hæreseos, & aliarum, cum ista connexarum, atque incidentium debeant? Resp. possunt procedere vel conjunctim cum Episcopis, aut Capitulis, tanquam Judicibus Ordinariis, vel separatim ab istis *c. per hoc* 17. *hoc tit. in* 6. *Clem.* 1. §. *propter* 1. & *Extr.* 1. *intr. comm. eod.* si separatim procedant, instruere quidem Processum, & prosequi illum seorsim usque ad sententiam condemnatoriam possunt, condemnare tamen de Hæresi convictum nequeunt, nisi processu Episcopis communicato, prout patet ex §. *propter cit.* & notat *ib.* Gloss. *V. contra eos.*

83 Dixi, *Condemnare non possunt*; nam an unus sine altero procedere possit ad sententiam definitivam, per quam reus omnino absolvatur, quia delictum plenè probatum non fuit, vel ad interlocutoriam, quæ vim definitivæ habet, per quam reus absolvitur à tortura, vel alia pœna, controversum est inter DD. Affirmant Gloss. *V. contra eos cit.* Clar. §. *Hæresis num.* 5. Molin. *tr.* 5. *D.* 28. *n.* 15. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 18. *q.* 16. Farin. *q.* 186. *num.* 60. qui dicunt hanc sententiam, stando solo Jure communi, esse communiorem, & probabiliorem; quia in *Clem. cit.* solùm prohibetur unus sine altero ferre Sententiam contra Hæreticos; ergo per Argumentum à sensu contrario pro accusatis sententiam ferre potest unus sine altero. *Negativa* tamen sententia tutior, æquior, & magis recepta est, teste Pirhing *hic num.* 150. quam proinde in praxi servandam putat Palao *tr.* 4. *D.* 8. *p.* 13. *num.* 19. quia quamvis de sola condemnatoria expressè loquatur textus, tamen hoc ipso, quòd requirat, ut sententiam præcedat communicatio processuum inter utrosque Judices, ut examinetur, utrum reus condemnandus sit, vel absolvendus, tacitè etiam requiritur, ut reus non absolvatur ab uno Judice sine altero, sicut non potest condemnari ab uno tantum.

84 Quod dictum est de Inquisitoribus, etiam dicendum de Episcopis, si procedant separatim ab Inquisitoribus; nam nec Episcopus coram Judicio suo convictum de Hæresi condemnare potest, nisi processu communicato Inquisitoribus. *Procedit* autem hoc in iis duntaxat Provinciis, ubi Officium S. Inquisitionis viget; nam ubi non viget, uti in Germania, Polonia, Gallia, possunt Episcopi totum processum inchoare, & per Sententiam etiam condemnatoriam soli finire, absque hoc, quòd processum suum trasmittant ad alienam Diœcesim, vel Provinciam, ubi Inquisitionis Officium, & inquisitores existunt, eò quòd in præfatis locis, ubi Inquisitio non viget, munus Inquisitorum obeant, & eandem, quam illi, in Hæreticos potestatem habeant, ac privativè exerceant Episcopi, uti post Azor *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *q.* 2. benè observat Pirh. *hic num.* 130. & receptus probat usus, ac consuetudo.

85 Quodsi Episcopus, & Inquisitores discordes sint, Papam consulere, vel causam cum summaria informatione ad eum omnino remittere debent *cap. per hoc* 17. *hoc tit. in* 6. & *ibi* Vivian. *in Ration.* Barbosa *n.* 1. & 15. Passerin. *n.* 11. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 5. Pirh. *n.* 145. Wiestner *num.* 35. post Farin. *prax. q.* 186. *num.* 64. Similiter ad Papam referri debet, quando Episcopus, etiam Titularis, & Episcopus, quando Inquisitor, uterque autem, quando Sedis Apostolicæ Legatus, vel alius ejus Officialis Hæreticæ pravitatis insimulatur, ut statuitur *cap. inquisitores* 16. *hoc tit. in* 6. *Extrav.* 3. *int. comm. eod.* & Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.* Decian. *tr. crim. sect.* 5. *cap.* 21. *n.* 5. Molin. *tr.* 5. *D.* 20. *à n.* 19. Farin. *quæst. cit. à n.* 113. & 124. Palao *tr.* 4. *D.* 8. *p.* 12. §. 2. *à n.* 6. Vivian. *in cap.* 16. *cit. pr.* & *vers. sed si eum*, Barbosa *ibid. num.* 1. Passerin. *n.* 1. & *seqq.* Vallens. *hic* §. 2. *n.* 3. Pirhing. *n.* 134. & *duob. seqq.* Schambog. *num.* 55. Reiffenstuel *num.* 446. apud quos plura videri possunt circa modum instituendi Inquisitionis processum.

§. III.

De Pœnis Hæreticorum, & præcipuè de Spiritualibus.

SUMMARIUM.

86 &c. *Quomodo Hæretici ab Ecclesia puniri possint?*
89 &c. *Quænam pœnæ Spirituales in eos sint latæ?*
91 &c. *Quinam istas incurrant?*
97 &c. *Conditiones requisitæ, ut incurrantur?*
101 &c. *Pœna sepelientium Hæreticos &c. contra Ecclesia prohibitionem.*

104 &c.

104 *&c. An Irregularitas, ob Hæresin contracta, hac relicta, perseveret?*
106 *&c. Quis in ea dispensare possit?*
109 *&c. An Beneficia antè obtenta ob Hæresim amittantur ipso Jure?*
115 *&c. An Irregularitatem istam, & inhabilitatem incurrant etiam filii, & nepotes Hæreticorum?*
119 *&c. Quid de his dicendum in Germania?*

86 QUæritur 1. quomodo Hæretici ab Ecclesia puniri possint? Videntur non posse puniri; quia, ut *supra num.* 1. dictum est, Hæresis est error, ac proinde actus intellectus internus; atqui ad actum internum potestas Ecclesiæ, quæ exterior est, se non extendit *can. cogitationis* 14. *de Pœnit. dist.* 1. *cap. sicut* 33. *& c. tuæ nos* 34. *de Simon.*

Sed distinguendum est inter Hæresin materialem, & formalem. *Materialis* non subjacet censuris, & pœnis aliis in Hæreticos latis; quia hæ non feruntur, nisi ob culpam conjunctam cum pertinacia; atqui in hæresi materiali vel nulla adest culpa, vel si adest, saltem pertinacia abest. *Ex quo sequitur*, Hæreticos materiales, si ad Catholicam Fidem convertantur, non debere absolvi ab Excommunicatione, nisi ad cautelam; sed sufficient, si faciant professionem Fidei, & suscipiant Sacramentum Pœnitentiæ, ut observat Laym. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 13. *num.* 4. Konig *hic num.* 14. *vers. Hæresis.*

87 *In Hæresi formali* distingui debet inter Hæresin purè mentalem, sive merè internam, & inter eam, quæ manifestatur verbis, vel aliis signis externis, Hæresin internam sufficienter exprimentibus. *Prior* iterum censuris, & pœnis relatis obnoxia non est, prout docent Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 10. *q.* 3. Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 8. *num.* 2. Barbosa *in cap.* 13. *hoc tit. num.* 2. Vvagnereck *loc. cit. not.* 2. Zoes. *hic num.* 1. Konig *n.* 15. Reiffenstuel *num.* 234. & 235. Vincent. Petra *tom.* 3. *fol.* 177. *num.* 11. & probatur per rationem dubitandi allatam. *Ex quo fit*, Hæreticum mentalem à quocunque Confessore, qui à mortalibus absolvendi potestatem habet, posse absolvi. Sanch. *num.* 3. *Neque obest*, quòd peccatum Hæresis consummetur sola mente; quia ut peccatum aliquod punibile sit ab Ecclesia, non sufficit, ut illud in sua specie consummatum sit, sed requiritur insuper, ut etiam aliquo modo externo sufficienter manifestetur. Sanchez *num.* 2.

88 *Posterior* puniri hujusmodi pœnis potest, ut monent Navarr. *Man. cap.* 27. *num.* 56. Suar. *D.* 21. *de fid. sect.* 2. *à num.* 9. Sanch. *loc. cit. num.* 6. Vviestner *hic num.* 41. *Proceditque* hoc, etiamsi signa illa adeo occultè sint data, ut in Judicio probari Hæresis iis prodita nequeat; nam adhuc ab hujus reo incurruntur pœnæ Hæreticorum, non quidem illæ, quæ requirunt sententiam, sed quæ sunt latæ sententiæ, & ab ipso Jure inflictæ; nam hæ accusationem, & Judicialem hominis sententiam non requirunt. Azor *cap.* 10. *cit. quæst.* 4. Sanch. *n.* 6. Pirhing *n.* 16. Vviestner *n.* 41. Reiffenstuel *n.* 236. Petra *n.* 11. & communissima TT. & Canonistarum.

89 Quæritur 2. quænam pœnæ Spirituales in Hæreticos latæ sint? Resp. 1. incurritur ab ipsis excommunicatio major ipso Jure *cap. cum Christus* 7. *cap. ad abolendam* 9. *c. excommunicamus* 13. *&* 15. *pr. & cap. noverit* 49. *de sent. Excomm.* estque Excommunicatio hæc reservata Papæ per *Bullam Cœnæ cas.* 1.

2 Privantur ipso Jure Sepultura Ecclesiastica *cap. sicut* 8. *vers. si autem hoc titul. & cap. quicunque* 2. *eodem in* 6.

3 Fiunt Irregulares, ita, ut nec Ordines suscipere, nec in susceptis sine Dispensatione ministrare possint, etiamsi ab Hæresi sint absoluti *can. saluberrimum* 21. *caus.* 1. *q.* 7. *cap. quicunque cit.* §. *Hæretici* 2. *& cap. statutum* 15. *pr. hoc tit. in* 6.

90 4 Redduntur inhabiles ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, aliaque Officia publica obtinenda: estque collatio talis ipso jure irrita per textus *citt.*

5 Privantur Dignitatibus, Beneficiis, & Officiis, ante eorum in Hæresin lapsum obtentis *c. ad abolendam* 9. *hoc tit. & cap. ut commissi* 22. *eod. in* 6.

6 Quicunque Viri Ecclesiastici, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum, Dignitates, personatus, & quæcunque alia Beneficia Ecclesiastica sunt adepti, iis privantur perpetuò, ita, ut nec mortua persona intermedia possint ea consequi; & si receperunt ea scienter, ad alia, & similia nequaquam imposterum admittuntur *cap. quicunque cit.* §. *adhæc* 3. Joann. Andr. *ibidem V. perpetuo*, Franc. *not.* 2. Pirhing. *hic num.* 51. Konig *n.* 20. Reiffenstuel *n.* 291.

Quæritur 3. Quinam incurrant Excommunicationem, 91
& pœnas hactenus relatas? Resp. incurrunt illas 1. ipsi Hæretici: quod *cap. excommunicamus* 13. *cit.* §. *qui autem* 2. extenditur etiam ad suspectos de Hæresi, nisi juxta considerationem suspicionis, & qualitatis personæ se debitè purgaverint; nam & isti excommunicari, & vitari debent, donec competenter satisfecerint: & si per annum contumaciter in Excommunicatione perstiterint, tanquam Hæretici sunt condemnandi: imò ut post *Hostiens. & Joann. Andr. in cap. cit. n.* 4. tradit Abb. *ibidem num.* 11. Barbos. *num.* 10. Pirhing. *num.* 32. ipso Jure pro Hæreticis habentur, ita, ut tantùm opus sit sententia declaratoria criminis. Potest tamen ab ita suspecto purgari contumacia, ostendendo, se legitimè fuisse impeditum, ne in Judicio citatus compareret; & tunc effugiet omnem pœnam. Pirhing *numer.* 35. *not.* 4.

2 Eorum *credentes*, seu illi, qui erroribus ipsorum 92
sive in particulari, sive in communi, sive expressè, sive confusè per signum aliquod externum assentiuntur: qualis esse censetur ille, qui sciens, aliquem esse Hæreticum, credit, ipsum rectam fidem habere, etsi in particulari nesciat ipsius errores; item qui dicit se credere, quidquid ipse credit; qui animo assentiendi ipsius erroribus prædicationem, vel lectionem ipsius audit; imò etiam ille, qui licèt non habeat animum assentiendi absolutum, habet tamen illum sub conditione, si ipsi rationes, & motiva Hæretici placuerint; nam talis jam credens est, saltem sub conventione; quod videtur sufficere, ut talis sub credente comprehendatur; quia ratione illius animi dubii amittit fidem. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 55. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 10. *n.* 2. Suar. *D.* 21. *de Censur. sect.* 2. *n.* 6. *& D.* 24. *de Fid. sect.* 1. *n.* 1. *&* 3. Bonacin. *D.* 2. *de Censur. q.* 5. *p.* 3. *n.* 2. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 14. *n.* 5. Barbos. *in c.* 13. *hoc tit. n.* 20. Palao *tr.* 4. *D.* 3. *p.* 5. *num.* 1. Pirhing *hic n.* 106. Reiffenstuel *ibid. num.* 248.

2 Eorum *Receptatores*, seu illi, qui Hæreticis ob cau- 93
sam Hæresis fugientibus, seque occultantibus alicubi hospitium præbent *c. sicut* 8. *hoc tit.* Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 15. *q.* 2. Farin. *prax. q.* 182. *num.* 134. Sanch. *loc. cit. num.* 10. Suar. *sect.* 1. *cit. num.* 4. Laym. *num.* 5. Palao *num.* 4. Passerin. *in c.* 11. *hoc tit. in* 6. *n.* 11. Pirging. *n.* 112. Schambog. *num.* 30. Konig *num.* 8. Reiffenstuel *n.* 249. Neque ad hunc effectum requiritur multiplicata receptio, sed sufficit, si unica vice receperis; licèt enim *receptare* secundùm Grammaticos sonet iterationem, & repetitionem; at secundùm Ecclesiæ morem accipitur in simpliciori significatione, & pro uno duntaxat actu, ut *loc. citt.* notant *Suar. Palao*, *Farin. num.* 152.

4 *Fautores*, seu qui Hæreticis ob causam Hæresis fa- 94
vorem præstant; quod fieri potest omissione, & commissione. *Omissione*, si, qui teneretur eos capere, aut Judicibus indicare, eos non capit, non indicat; si captos, & curæ suæ commissos non custodit diligenter; si puniendos non punit &c. *Commissione*; quod fieri potest verbis, aut factis. *Verbis* favet, qui laudat Hæreticum, ut talis est, affirmans esse virum probum, injustè ipsum damnari; qui consilium ipsi dat, ut possit errores suos celare, & condemnationem effugere; *Factis*, qui Hæreticos occultat in domo, auxilium illi præbet, ut effugiant, aut alia facit, ex quibus Inquisitionis officium erga ipsos impeditur. Azor *q.* 7. Sanch. *n.* 11. Laym. *n.* 5. Palao *num.* 6. Barbosa *num.* 23. Pirhing *num.* 114. Konig *num.* 8. Vviestner *num.* 43.

5 *Defensores*; quod dupliciter fieri potest, scilicet 95
defendendo Hæretici errores, & defendendo ejus personam ob causam Hæresis. *Errorem* defendere dicitur, qui argumenta in ejus favorem facit, & contrarias objectiones dissolvit; qui verbis laudat, scriptis extollit &c. sive deinde errori defenso assentiatur, sive non; in foro enim externo præsumitur errori assentiri, & tanquam hæreticus omni hæretico deterior est condemnandus *can. qui aliorum* 32. *caus.* 24. *quæst.* 3. *Personam* propter causam Hæresis defendere dicitur, qui impedit, ne capiatur à Judice, aut captum ab eo liberat; qui quo-

vis modo

vis modo vi, dolo, muneribus, potentia &c. facit, ut tutò vivat, eumque in, vel extra Judicium protegit &c. Azor *quæst.* 6. Sanchez *numer.* 18. Farin. *numer.* 63. Palao *numer.* 5. Barbosa *numer.* 2. Pirhing *num.* 113. Konig. *numer.* 8. Vviestner *n.* 45. Reiffenstuel *n.* 250.

96 Dixi *Ob causam Hæresis*; nam 1. qui Hæreticos recipiunt, eos defendunt, aut ipsis favent ob aliam causam, quàm causam Heresis, non incurrunt Excommunicationem, vel alias Juris pœnas, ut Caupones, quia latæ sunt in Hæreticos ratione Hæresis, ideoque non extenduntur ad alios, nisi quatenus in Hæresi iisdem favent. Azor *q.* 8. *fin.* Sanch. *n.* 19. Pirh. *n.* 116. *not.* 2. 2. Idem dicendum de iis, qui recipiunt, vel defendunt Hæreticum coacti per vim, vel metum mortis illatum, non tanquam Hæreticum, sed ut vitam suam tueantur; quia Leges humanæ non obligant cum certo aut probabili vitæ periculo. Azor *q.* 5. Farin. *n.* 162. Pirhing *l. cit.* 3. similiter nullam pœnam incurrunt, qui recipiunt Hæreticos, ignorantes, illos esse Hæreticos. Gloss. *in c.* 8. *V. ille quoque*, *& V. non possit hoc tit. in* 6. Farin. *num.* 163. Pirh. *loc. cit.*

97 Quæritur 4. quænam conditiones requirantur, ut quis ob Hæresin incurrat Excommunicationem? Resp. requirunt hæ quatuor conditiones. 1. Ut sit Hæreticus formalis; nam Hæretici materiales, qui ex ignorantia solùm peccant, & parati essent errores suos deserere, si veritatem Agnoscerent, Censura hac non ligantur, cùm iisdem desit pertinacia, & sic non sint propriè Hæretici. Laym *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 14. *n.* 1. Pirhing *hic n.* 16. Engl *num.* 6. Konig *num.* 4. Schambog *num.* 14. Vviest. *numer.* 46. Riffenstuel *numer.* 234. *&* 239. Et pro talibus in Germania habentur Rustici, & alii homines simpliciores, qui sectam Lutheri, & Calvini profitentur; qui proinde absolvi possunt à suis Parochis, si postquam examinati sunt, appareat, quod in ignorantia invincibili, vel saltem mortaliter non culpabili hactenus fuerunt constituti, edita prius Professione Fidei coram testibus, si id fieri possit; nisi tamen in aliqua Diœcesi consuetudo vigeat, ut tales etiam Materiales Hæretici mittantur ad Episcopum, vel ejus Vicarium, aut ad illos, qui habent facultatem absolvendi ab Hæresi, qui eos examinent, ac judicent, an falsam Sectam tenuerint ex ignorantia invincibili, vel culpabili quidem, sed sine pertinacia. Laym. *tr.* 1. *cit.* 1. 13. *n.* 4. Pirhing *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 239.

98 2 Ut Hæresin animo conceptam verbis, vel aliis signis externis sufficienter prodat; nam Hæresis mere interna Excommunicationi non subest, neque absolutio ab illa est reservata, ut dictum *n.* 87. & notant Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 8. *n.* 2. *& seqq.* Laym. *c.* 14. *n.* 1. Engl *hic n.* 6. Pirhing *n.* 17. Konig *n.* 4. Schambog. *n.* 14. Reiffenstuel *numer.* 240. Dixi *merè interna*; nam ob exteriorem, etiam penitus occultam, quia v. g. aliquid contra Fidem voluntariè, & pertinaciter quis mente affirmat, & ore, ac lingua exteriùs profert, etiam nemine præsente, & audiente, Excommunicatio ipso Jure incurritur. Pirhing *l. cit.* cum aliis *Ratio* est, quia tunc Hæresis est verè externa, ac per se non est occulta, sed solum per accidens? ideoque potestati & Jurisdictioni Ecclesiasticæ est subjecta.

99 3 Ut externa actio, per quam Heresis interna proditur, sit ex se mortaliter peccaminosa, & non tantum, prout substat actui interno, & ab illo procedit; quia Excommunicatio, & similes pœnæ graves non imponuntur, nisi propter peccatum mortale externum. Laym. *n.* 3. Engl *n.* 6. Konig *n.* 4. Schambog. *n.* 14. Vviestner *n.* 48. Riffenstuel *n.* 242. Hinc non est excommunicatus, qui Hæresin internam manifestat alteri animo capiendi ab eo consilium, aut instructionem; quia talis manifestatio non est actus malus, sed bonus, qui ab Ecclesia puniri non potest; nec est professio Hæresis, sed potius detestatio. Azor *c.* 10. *q.* 5. Sanch. *n.* 20. Laym. *num.* 3. Pirhing *n.* 18. Reiffenstuel *numer.* 244. *Limitant* aliqui, & volunt hoc intelligi tantum, quando consilium petitur animo acquiescendi consilio; secus enim negant. Sed meliùs etiam hoc casu procedere existimat Sanch. *loc. cit.* quia mens illa in Hæretici animo latet, nec exteriùs aliquo modo explicatur; ipse verò actus externus petendi consilii bonus est, nec ad profitendam Hæresin ordinatus.

4 Ut actus externus ponatur, aut omittatur animo Hæresi asserendi, profitendi; nam si alio animo fiat, Hæresis peccatum non est, conf. ne pœnis ejusdem obnoxius. Laym. *n.* 3. Pirhing *n.* 19. Engl. *n.* 6. Schambogen *n.* 34. Vviestner *n.* 49. Reiffenstuel *n.* 241. Unde si quis legendo, narrando, vel disputando Hæresin, prius conceptam mente, pronuntiet lingua, non animo, seu voluntate eam confirmandi, vel exprimendi errorem, sed tantùm legendi, narrandi, vel disputandi gratia, non est Hæreticus externus; quia non profert illam ut propriam, sed ut alienam. Azor *c.* 10. *q.* 7. Sanch. *n.* 23. Pirhing *n.* 4. Reiffenstuel *n.* 245. *Contra* Hæreticus externus est, qui ex interna Hæresi, quam animo fovet, Sacro non interest, à S. Communione abstinet, aut dum S. Hostia elevatur, non flectit genua, si quidem istæ omissiones prodeunt ex vi internæ Hæresis, & spectatis circumstantiis, censeri potest, eas positas animo virtualiter, & tacitè profitendi Hæresin. *Secus* est, si ob circumstantias oblivioni, aut inadvertentiæ probabiliter possint attribui, licèt reipsa ex animo Hæretico proficiscantur. Sanch. *n.* 16. Laym. *n.* 4. Pirhing *n.* 19. Engl *n.* 7. Schambog. *n.* 14. Reiffenstuel *n.* 243. 100

Quæritur 5. quam pœnam incurrant, qui contra prohibitionem Ecclesiæ sepeliunt Hæreticos, horum credentes &c. Resp. 1. incurrunt Excommunicationem, neque ab hac absolvuntur, antequam satisfactionem congruam præstiterint, & corpus Hæretici ita tumulati exhumaverint *c. quincunque* 2. *pr. hoc tit. in* 6. Navar. *hic cons.* 12. *n.* 6. Farin. *prax. q.* 192. *n.* 45. Barbos. *in c.* 2. *cit. n.* 1. *&* 8. Vvagnereck *hic not.* 3. Zoes. *n.* 2. Honor. *n.* 9. Pirh. *n.* 54. Schambog. *n.* 33. Vviestner *n.* 52. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 3. *n.* 37. & dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 28. *num.* 53. si plures fuerint, qui Hæreticum sepelierunt, & unus tantùm illius ossa extumulavit, vel eadem ossa fuerint ab aliquo extraneo extumulata, omnes absolvi possunt; quia jam posita est conditio, ad cujus positionem cessat prohibitio absolvendi illos ab Excommunicatione. Farin. *loc. citat. numer.* 43. & hoc teste omnes. 101

2 Sunt suspecti de Hæresi; & propterea Inquisitor potest contra eos procedere, tanquam contra suspectos de Hæresi. Farin. *n.* 49. ubi addit cum *Francisco Pegna*, hanc Hæresis suspicionem, quæ oritur contra eos, qui Hæreticos sepeliunt, esse aliquando levem, aliquando vehementem reputandam, juxta personarum qualitatem. 102

3 Clerici, dantes sepulturam Hæreticis, vel eorum fautoribus &c. suo privantur officio; ad quod nunquam restituuntur absque indulto Sedis Apostolicæ *c. excommunicamus* 13. §. *credentes vers. sanè Clerici in fin. hoc tit.*

Immunes autem ab istis pœnis sunt 1. qui Hæreticum sepeliri curant, non ex causa Hæresis, vel favore Hæresis, sed ne illius cadaver putredine aerem corrumpat, vel ob amicitiam, vel consanguinitatem, modò hoc fiat extra locum Sacrum. Farin. *l. cit. num.* 50. & apud hunc *citt.* 2. Qui sepeliunt Hæreticum ignorantes esse Hæreticum. Farin. *num.* 51. & sequitur *ex cap. quicunque cit.* ubi pœna Excommunicationis fertur in sepelientes *scienter*. 3. Qui metu coacti hoc fecerunt, ut colligitur ex *c. eod. V. præsumpserint*? metus autem, & vis tollit præsumptionem. 103

Quæritur 6. utrum Irregularitas ad Ordines suscipiendos, & ministrandum in susceptis, item inhabilitas ad Dignitates Beneficia, & Officia Ecclesiastica, per Hæresin contracta, hac relicta, vel ejurata perseveret? Pugnant in hoc DD. sententiæ, ut videre est apud Farin. *prax. q.* 189. *n.* 82. *& seqq. & q.* 193. *n.* 66. *& seqq.* Palao *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 5. *n.* 2. distinguit, & concedit quidem, Irregularitatem, & Inhabilitatem istam perseverare, quando contracta est per Hæresin publicam, usque dum in ea fuerit dispensatum; contra verò, si orta illa fuerit ex Hæresi occulta, quod nullibi caveatur, hanc Inhabilitatem ex Hæresi occulta, hac per pœnitentiam deposita, manere. 104

Imò *Avil. p.* 7. *D.* 4. *dub.* 2. Henriq. *l.* 14. *c.* 4. *n.* 6. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 12. Pal. *l. cit. p.* 4. *num.* 2. Pithing *hic num.* 46. Sahambog. *num.* 28. Vviestner. *num.* 55. non improbabiliter putant, ab occulto Hæretico Irregularitatem, & Inhabilitatem istam non con- 105

contrahi: ac propterea, si is, qui in Hæresim occultam incidit, resipiscat, validè eidem Beneficium conferri posse, *arg. cap. ad abolendam 9. hoc tit.* ubi sermo est de hæretico publico. Rationem dant, quia non propter hæresim solam, sed quatenus annexam habet Juris infamiam, Irregularitas in hæreticos decreta est; atqui infamia Juris non habet locum in hæretico occulto; ergo &c. *Contrariam* sententiam probabiliorem, & Juri conformiorem putant Sylv. *V. crimen q. 2. n.* 3. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 11. *q.* 3. *& c.* 21. *q.* 8. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 25. *n.* 2. Fatin. *q.* 192. *n.* 68. Zoes. *hic n.* 4. Reiffenstuel *n.* 255. *ib.* tum quia Jura universaliter loquuntur; tum quia Clemens VII. Inquisitoribus concedit facultatem dispensandi in Irregularitate ob hæresin occultam.

106 Quidquid sit, licet Irregularitas contrahatur ex delicto hæresis occulto, satis tamen communis sententia est eorum, qui cum Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 25. *num.* 16. Fatin. *prax. quæst.* 192. *nu.* 79. Palao *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 4. *num.* 3. docent, in hac Irregularitate virtute *Trid.* dispensare posse Episcopum; quia Concilium non limitavit in Irregularitatibus potestatem, sed absolutè dixit, in omnibus, quæ oriuntur ex delicto occulto, licere Episcopis dispensare, & unicam duntaxat excepit, quæ ex homicidio voluntario nascitur; exceptio autem firmat Regulam in casibus non exceptis. *Neque obstat*, quòd per Bullam Cœnæ, ut *infra n.* 197. dicetur, Episcopis sit adempta potestas absolvendi ab hæresi occulta, quæ antea virtute Trid. ipsis competebat? Quia potestas absolvendi, & potestas dispensandi sunt omnino diversæ, & à diversis non fit illatio, præsertim si unum sit majus altero, sicut potestas absolvendi est major potestate dispensandi.

107 Aliud est in Irregularitate, contracta ob hæresim notoriam; nam in hac, ut Clericus in eam lapsus ascendere ad superiores Ordines, & Laicus ad istos promoveri possit, dispensare solus Pontifex potest. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 205. Sanch. *cap.* 25. *cit. num.* 13. Pirh. *hic num.* 47. Ut verò ministrare possit in Ordinibus jam antè susceptis, dispensare potest etiam Episcopus, ut notat Sanch. *l. cit.* ex ratione; quia SS. Canones *can. convenientibus* 4. *& can. saluberrimum* 21. *caus.* 1. *q.* 7. item *can. nos consuetudinem* 8. *dist.* 12. permittunt, ut hæreticus conversus ex dispensatione in Ordinibus, ante hæresin susceptis, ministret; at Canon dispensationem permittens eo ipso censetur illam concedere Episcopo. Sanchez *num.* 14. *Excipitur* Episcopi, & Sacerdotes lapsi in hæresin nam cum his, ut celebrare Missam &c. possint, dispensat solus Papa. Sanch. *loc. citat.*

108 In Germania, & aliis Provinciis Septentrionalibus Episcopi ex hæresi ad Fidem Catholicam conversos, & ab ea absolutos, si cætera digni sint, ordinare solent absque alia dispensatione; quia tales neque in foro Civili à publicis Dignitatibus, & Officiis excluduntur. Navar. *l.* 1. *cons.* 1. *q.* 14. *n.* 4. *tit.* 2. Laym. *l.* 1. *p.* 5. *c.* 4. *fin.* Pirhing *hic n.* 47. *vers. illud.*

109 Quæritur 7. an Beneficia antè obtenta ob hæresin amittantur ipso Jure? Negant Castro *l.* 2. *de just. Hæret. punit. c.* 4. Gomez *Regul. de annal. possess. q.* 52. Vasq. 1. 2. *D.* 172. *c.* 2. *n.* 11. & alii apud Palao *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 5. *n.* 3. ex ratione; quia quando dubium est, an pœna aliqua ut Jure lata, an sententiæ ferendæ, præferenda est interpretatio benignior, seu illa, quæ dicit pœnam esse ferendæ sententiæ *arg. Reg. in pœnis* 49. *in* 6. atqui verba *c. ad abolendam* 9. *hoc tit. & c. ut commissi* 12. *eod. in* 6. sunt dubia, & intelligi possunt de privatione, per sententiam condemnatoriam inducenda; ergo &c.

110 Sed dicendum, hæreticos Beneficiis antè obtentis ipso Jure privatos esse. Ita Covar. *l.* 2. *var. c.* 8. *n.* 4. Gonz. *Reg.* 8. *Gloss.* 15. *n.* 65. Flamin. *l.* 3. *de Resign. quæst.* 1. *n.* 31. Garc. *p.* 11. *de Benef. c.* 10. *n.* 66. Menoch. *de arbitr. cas.* 416. *n.* 61. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 26. *n.* 6. Suar. *D.* 21. *de Fid. sect.* 5. *nu.* 17. Farin. *prax. quæst.* 189. *n.* 77. Palao *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 5. *n.* 4. Fagnan. *in c. fin. hoc tit. n.* 21. Barbos. *in c.* 9. *eod. n.* 6. Pirhing *hic n.* 50. Konig *n.* 18. Wiestner *n.* 58. additque Barbos. *l. cit.* hanc Sententiam adeo receptam esse, ut videatur ab omnium sententia discere velle, qui illam impugnare audeter.

111 Sumitur 1. ex *cap. ad abolendam cit.* ubi Pontifex utitur verbo *Spoliatus*, quod significat executionem sententiæ privationis à Jure latæ. 2. Ex *Const.* 2. *Nicolai II.* incipit *Novit universitas*, & habetur in *Bullar. tom.* 1. *pag.* 124. ubi sic legitur: *Hæretici autem, & receptores, defensores, fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu Officium admittantur; quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane; nos enim prædictos NB. ex nunc privamus Beneficiis acquisitis, volentes, ut tales & habitis perpetuò careant, & ad similia nequaquam imposterum admittantur.* 2. Ex *praxi*, & *stylo* Curiæ Apostolicæ, quo Beneficia Hæreticorum pro vacantibus habentur ab ipso lapsu eorum in heresim, ita, ut à quovis imperrari valeant, & à criminosis resignari amplius nequeant.

Ut tamen hæreticus facto ipso Beneficium, à se antè obtentum, teneatur dimittere, requiritur Sententia Declaratoria criminis; nam ante illam non tenetur hereticus se Beneficiis suis spoliare, ut rectè advertit Azor *p.* 1. *l.* 5. *cap.* 8. *q.* 3. Sanch. *c.* 26. *cit. n.* 7. Suar. *sect.* 5. *fin.* Fatin. *num.* 80. Palao *num.* 5. Fagnan. *in cap. ad abolendam cit. num.* 41. *&* 42. Barbosa *ibidem num.* 8. Pirhing *hic num.* 50. Reiffenstuel *ibid. nu.* 265. quo facit Regula generalis, quòd in omni casu, in quo pœna ipso Jure incurritur, sententia delicti declaratoria requiratur. Imò non solum requiritur sententia declaratoria criminis, sed etiam executio facta per Judicem. Azor *loc. cit. quæst.* 4. Sanch *num.* 8. Farin. *num.* 79. Palao *n.* 5. nisi Judex in sententia præciperet, ut condemnatus statim dimitteret Beneficium. Porro sententia hæc declaratoria retrotrahitur ad tempus commissi delicti, ita, ut restituendi veniant non tantùm fructus percepti à tempore hujus sententiæ latæ, sed etiam illi, quos hæreticus percepit à tempore commissi delicti. Sanchez *num.* 10.

Quodsi tamen hæreticus continuo, ac spontè ad unitatem Fidei Catholicæ redeat, antequam de heresi convictus fuit, & tanquam hereticus declaratus, ratio æquitatis suadet, ut ex dispensatione Papæ in Beneficio relinquatur, vel amissum restituatur. Rebuff. *prax. Benef. p.* 3. *tit. de mod. amitt. Benef. num.* 5. Sanch. *cap.* 26. *n.* 13. Farin. *q.* 189. *num.* 82. *&* 84. Barbosa *in cap.* 9. *cit. num.* 9. Pirhing *hic num.* 50.

Porro suspecti, & diffamati solùm de Hæresi non privantur ipso Jure Beneficiis obtentis, sed juxta criminis qualitatem illis per sententiam sunt privandi. Sanch. *n.* 14. Farin. *n.* 86. Pirh. *num.* 50. *cit.*

Ad Argumentum Sententiæ adversæ dico, dubietatem textuum sufficienter explicari per Curiæ Romanæ praxin, & consuetudinem, quæ optima est Legum interpres. *Neque obstat*, quod *cap. ut commissi cit.* Hæretici ob crimen heresis dicantur Beneficiis Ecclesiasticis *privandi, vel privati nuntiandi*; nam verba ista non vim disjunctionis habent, sed posteriora sunt declaratoria priorum, ita, ut sensus sit, pœnam privationis Beneficiorum priùs obtentorum incurri quidem facto ipso, sed ut cogatur illa hereticus dimittere, opus est sententia declaratoria criminis, prout dictum est.

Quæritur 8. an Irregularitatem istam, & Inhabilitatem ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda, & retinenda incurrant etiam Filii, & Nepotes hereticorum? Resp. distinguendo; Vel enim nati sunt, antequam parentes ipsorum laberentur in heresin, vel postquam lapsi in eam sunt. *Si primum*, per lapsum parentum, nisi & ipsi consentiant, non fiunt Irregulares, neque Beneficia legitimè obtenta amittunt. Abb. *in cap.* 10. *hoc tit. num.* 4. Clar. §. *Hæresis num.* 17. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 13. *pœn.* 8. *vers. si roges*, Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 28. *num.* 28. *&* 30. Farin. *prax. quæst.* 191. *num.* 58. Palao *tract.* 4. *D.* 5. *p.* 2. *num.* 9. Pirhing *hic num.* 101. *&* 106. Wiestner *ibidem num.* 59. Ratio præcipua est, quia nullibi invenitur cauta talis privatio; ergo asserenda non est; quia pœnæ, præcipuè respectu innocentium extendendæ non sunt.

Si secundum, interest, an heresis parentum occulta sit, an verò notoria. *Si occulta est*, Irregularitate hac non afficiuntur; quia, ut dictum est *num.* 105. probabiliter ea etiam non afficiuntur parentes ipsorum; vel si afficiuntur, ab Episcopo dispensari cum iis potest, sicut dispensari ab isto potest cum parentibus heresis occultæ reis, juxta *n.* 106. *Si notoria est*, inhabiles ad Beneficia deinceps obti-

obtinenda fiunt tam filii ipsorum, quàm nepotes, sed in his tantùm illi, qui ab ipsis descendunt per lineam paternam *cap. statutum* 15. *hoc tit. in* 6.

Discrimen tamen faciendum est aliquod inter Irregularitatem, parentum Hæreticorum, & Irregularitatem filiorum, ac nepotum Catholicorum, nam parentibus quidem Irregularitas hæc non remittitur, quando absolvuntur ab Hæresi, sed debent necessariò dispensari: *Contrà* Irregularitas filiorum cessat ipsa reconciliatione impertita parentibus. Molin. *tract.* 2. *de I. & I. D.* 658. *n.* 19. *vers. filii*, Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 27. *num.* 21. Schambog. *hic num.* 46. Konig *num.* 17. Vviestner *num.* 59. Reiffenstuel *num.* 270. *&* 271.

Aliud dicendum de Filiis, & Nepotibus Hæreticorum relapsorum; nam quamvis hi, si pœnitentes, & conversi sint, ad Sacramenta Ecclesiæ admittantur, tamen eorum filii adhuc remanent privati Beneficiis, & inhabiles ad alia obtinenda; quia, ut filii Hæreticorum evadant pœnas privationis, & inhabilitatis ad Beneficia, in *cap. statutum* 15. *vers. hoc sane hoc tit. in* 6. duo requiruntur, scilicet ut parentes eorum sint emendati, & simul etiam reconciliati Ecclesiæ; at verò relapsi, quamvis per pœnitentiam resipiscant, non habentur tamen pro reconciliatis, sive incorporatis; quia sine audientia traduntur Curiæ Sæculari puniendi *cap. super eo* 4. *hoc tit. in* 6. Et hæc sententia videtur probabilior, quam etiam tenet Gloss. *in cap. statutum cit. V. incorporatos*, Anchar. *ibidem not.* 3. Franc. *n.* 4. *fin.* Sanch. *n.* 23. Farin. *num.* 65. Zoes. *num.* 12. *hic*, Pirhing *num.* 105. *vers. aliud*, Schambog. *n.* 47. Reiffenstuel *n.* 272. quamvis alii contrarium sentiant, ut videre est apud Sanch. *n.* 22.

Quæritur 9. an Hæreticorum filii, & nepotes Irregulares, & proptera ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda inhabiles sint etiam in Germania? Affirmativa videtur colligi ex praxi Curiæ Apostolicæ quæ hujusmodi filios, & nepotes, undecunque orti sint, ad Beneficia non admittit, nisi prævia Dispensatione in Irregularitate, parentum Hæresi contracta.

Sed retinenda est sententia negativa. Ita Sà *V. Hæresis num.* 4. Henriq. *l.* 14. *cap.* 5. *num.* 4. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 27. *num.* 28. *fin.* Bonacin. *D.* 7. *de Irregul. q.* 3. *p.* 7. *n.* 9. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 4. *nu.* 12. *fin.* Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 19. §. 2. *n.* 7. Gibalin. *c.* 5. *de Irregular. n.* 13. Pirhing *hic num.* 101. *fin.* Engl *n.* 14. Konig *n.* 7. Schambog. *n.* 48. Vviestner *num.* 61. & hoc teste plerique Germaniæ nostræ DD. *Ratio est*, quia Irregularitatis istius radix, & causa est infamia, quam ob parentum Hæresim etiam incurrunt filii, ac nepotes eorum; atqui in Germania, & aliis Septentrionalibus Provinciis parentes illorum nullam incurrunt aut Juris, aut facti infamiam, tum propter facta, & fœdera cum ipsis inita, tum quia innumerabiles ex illis sunt tantùm materiales Hæretici.

Ad Argumentum contrarium dico, ex praxi Curiæ Apostolicæ dispensationem præmitti ex causa, quòd pacta publica, quæ cum Hæreticis in Germania inita sunt, Apostolica Sedes nondum approbaverit.

§. IV.

De Pœnis Hæreticorum Temporalibus.

SUMMARIUM.

123 *Hæretici incurrunt Infamiam.*
124 *Et quidem ipso Jure.*
125 *&c. Non tamen ea notantur ipsorum filii, & nepotes.*
128 *Fiunt intestabiles tam activè, quàm passivè.*
129 *&c. De quibus bonis?*
132 *&c. An successione priventur tanquam incapaces, an tanquam indigni?*
135 *Confiscantur ipsorum bona.*
136 *Quænam?*
137 *An etiam Jus Patronatus?*
138 *Majoratus, aut Fideicommissi?*
139 *Emphyteusis, & Feudi?*
140 141 *Quale peculium filiifamilias comprehendatur sub confiscatione facta ob Hæresim?*
142 *&c. An ob Hæresim mariti confiscetur etiam Dos & bona Uxoris?*
146 *Aut vicissim bona mariti ob Hæresim Uxoris?*
147 *&c. Cui applicari debeant bona tum Clericorum, tum Laicorum confiscata ob Hæresim?*
151 *&c. An Hæreticus bona confiscata tradere fisco teneatur ante sententiam Declaratoriam criminis?*
154 *&c. Si in Hæresim lapsus Liberos habeat, amittit in hos patriam potestatem.*
156 *&c. Servi ab obsequio domini Hæretici liberi fiunt.*
160 *&c. An Hæresis etiam liberet à fide servanda Hæretico?*
163 *Si pœnis istis insuper habitis, non resipiscant, traduntur Curiæ Sæculari.*
164 *&c. A qua puniri possunt pœna capitali.*
171 *&c. Num pœnæ temporales hactenus relatæ afficiant etiam Hæreticos in Germania?*

POenæ Temporales, quæ in Hæreticos, hotumque credentes, receptatores, defensores, fautores tum Jure Canonico, tum per Leges Civiles latæ sunt, etiam ipsæ complures sunt. Et quidem 123

Incurrunt Infamiam *can. infames* 17. *caus.* 6. *q.* 1. *c. excommunicamus* 13. §. *credentes* 5. *hoc tit. Auth. Gazaros C. eod.* & aliis pluribus apud Tholos. *Synt. Jur. l.* 33. *c.* 8. *num.* 2. *fin.* Farin. *prax. crim. q.* 189. *num.* 40. & alios. Et hinc 1. repelluntur ab honoribus, & dignitatibus *l. quæ de Samaritis* 18. *Cod. hoc tit.* ibi, *Neque ulla dignitate decorantur*. 2. Non possunt exercere aliqua Officia publica *loc. citat.* ibi, *Neque publicam adipiscuntur curam*. 3. Privantur omnibus privilegiis, quibus fruebantur, quando erant Catholici *l. privilegia* 1. *Cod. eod.* 4. Censentur privati omni actu legitimo, ut decrevit *Leo X. Constitut.* incipit *Exurge vers. nec non ad omnes edita* 1520.

Dub. 1. utrum pœna hæc Infamiæ incurratur ipso Jure? Resp. Incurri ipso Jure; ut tamen afficiat actu ipso delinquentes, opus esse sententia declaratoria criminis. Ita Azor *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 8. *vers. septima*. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 26. *num.* 1. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *cap.* 16. *num.* 4. *vers. tertia pœna*, Barbosa *in cap.* 13. *hoc tit. n.* 24. Pirhing *hic num.* 52. Schambog. *num.* 32. Konig *n.* 21. Vviestner *num.* 63. & hoc teste communiter DD. *Ex quo sequitur*, infamiam Juris ab Hæretico non contrahi perfectè ipso in Hæresim externam lapsu; sed si quidem lapsus iste notorius sit notorietate Juris, contrahetur infamia facti, Juris verò tantùm, quando per sententiam omnibus innotescit. Palao *tract.* 4. *D.* 4. *part.* 4. *num.* 4. inter quas Infamiæ species hoc discrimen est, quòd Infamia quidem facti tollatur per pœnitentiam, & emendationem; Juris verò solùm per sententiam, sicut per sententiam inducta est. 124

Dub. 2. an eadem Infamia notentur etiam filii, ac nepotes descendentes ab Hæreticis, & horum fautoribus? Affirmant Covarr. *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 1. *vers. tertiò*, Castro *de Punit. Hæret. l.* 2. *cap.* 9. Pegna *Direct. Inquis. p.* 1. *comment.* 4. *vers. hæc autem infamia*, Molin. *tr.* 2. *de I. & I. D.* 658. *n.* 25. Farin. *prax. crim. q.* 191. *num.* 23. Reiffenstuel *hic num.* 336. neque negari potest teste Palao *loc. cit.* communem esse sententiam, quæ dicit, ita infames esse Nepotes per paternam, & filios per maternam lineam ab Hæreticis descendentes. *Fundantur* 1. quia Infamiam contrahunt filii reorum læsæ Majestatis humanæ *l. quisquis* 5. §. *filii* 1. *Cod. ad Leg. Jul. Majest.* atqui ab istis ad reos læsæ Majestatis Divinæ legitimè ducitur argumentum, ut Salicet. *in Auth. Gazaros citat. fin.* Igneus *in l. necessariò* 5. §. 2. *ff. ad S. C. Syllan. num.* 44. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 26. *num.* 7. monent; ergo &c. 2. Horum filii, nepotes contrahunt Irregularitatem, & inhabilitatem ad Beneficia obtinenda, secundùm dicta *n.* 116. hæc autem non videtur aliunde, quam ex infamia eorum provenire; ergo &c. 3. Quòd Hæreticorum filii infames sint, apertè colligitur ex *Const. Pont. Innoc. IV. Alex. IV. Clem. IV. Honor. IV.* incipientibus *Ad extirpanda* quibus excluduntur à publicis Officiis. 125

Sed tenenda est sententia negativa, quam etiam defendunt Menoch. *vol.* 9. *cons.* 808. *num.* 44. Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 28. *num.* 5. Suar. *D.* 48. *de Censur. sect.* 3. *num.* 2. *& D.* 24. *de Fid. sect. ult. num.* 7. Palao *tract.* 4. *D.* 5. *p.* 2. *num.* 10. Pirhing *hic num.* 107. Schambog. *n.* 49. 126

Konig

Konig *num.* 21. *fin.* Vvieſtner *num.* 64. Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 160. *num.* 46. Ratio eſt, quia Infamia filiis, & nepotibus Hæreticorum nullo Juris textu impoſita eſt. *Conf.* ſi infamiam contraherent, removerentur, etiam à teſtimonio dicendo, ab hoc non removentur, ut ex praxi conſtat; ergo &c.

127 Neque contrarium probant Argumenta allata pro oppoſito. *Ad* 1. Argumento ducto à Liberis reorum læſæ Majeſtatis humanæ locus eſt in iis duntaxat, in quibus æquiparatio expreſſa eſt Jure, non verò in illis, in quibus ea fundatur tantum in ſimilitudine rationis; nam ex hac ſola Lex pœnalis extendi non debet *Reg. odia* 15. *in* 6. *Ad* 2. Irregularitas hæc in filiis, & nepotibus oriri ex delicto, & infamia parentum poteſt, quin ipſi filii, & nepotes infames fiant; patet ex liberis ortis ex copula fornicaria. *Ad* 3. etiam illegitimi, quamdiu tales ſunt, excluduntur ab Officiis publicis, & Dignitatibus.

128 2 Fiunt inteſtabiles tam activè, quàm paſſivè, ita, ut neque Teſtamentum condere, neque ſuccedere ex Teſtamento, vel ab inteſtato poſſint. *Primum* conſtat ex *cap. Excommunicamus* 13. §. *credentes hoc tit.* ibi, *Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtandi liberam habeat facultatem*; qui textus, etſi de fautore Hæreticorum loquatur, à fortiori de ipſo Hæretico eſt intelligendus, ut bene notat Palao *tr.* 4. *D.* 5. *p.* 26. *num.* 1. *Secundum* patet ex *cap. cit.* verbis immediatè ſequentibus, ibi, *Nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat.* Concordat Jus Civile *l. Manichæos* 4. §. *ipſos* 2. *l. Arriani* 5. *verſ. cunctis*, & *l. fin. Cod. hoc tit.* quibus textibus Hæretici incapaces redduntur non tantum ſucceſſionis ab inteſtato, vel ex teſtamento, ſed etiam Legati, Fideicommiſſi, Donationis inter vivos &c. Qui ſcienter Hæreticum inſtituit in Teſtamento, incurrit Excommunicationem *c. ſi quis* 5. & *cap. ſeq. hoc tit.* qui textus licèt tantum loquantur de Epiſcopis, & Clericis, communiter tamen diſpoſitio eorum extenditur etiam ad fideles quoſcunque, qui ſcienter inſtituunt Hæreticos, etiamſi Laici fuerint. Farin. *prax. crim. quæſt.* 190. *num.* 111. *Excipitur*, niſi hoc fiat cauſa pietatis, & ad eorum neceſſitatem ſublevandam, ne fame pereant; quia adhuc ad Fidem converti poſſunt. Gloſſ. *in cap.* 6. *hoc tit. V. nihil conferant.* imò etiam in Teſtamento neceſſaria alimenta legari poſſunt. Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 14. *num.* 41.

129 Dub. 1. de quibus bonis Hæreticus teſtari non poſſit? Reſp. diſtinguendo inter bona, quæ acquiſivit poſt ſententiam declaratoriam criminis, & inter illa, quæ habuit ante eam ſententiam. *De prioribus* teſtari liberè poteſt, quia bona illa ſub confiſcationem non veniunt, & Jus Canonicum prohibens Hæreticos teſtari intelligendum eſt de bonis publicatis ob Hæreſim. *Proceditque hoc* non tantum de illis bonis, quæ acquiſivit Hæreticus, poſtquam delicti pœnitens abjuravit Hæreſim, & Eccleſiæ reconciliatus eſt; ſed etiam de iis, quæ acquiſivit poſt ſententiam ante abjurationem; quia confiſcatio non extenditur ad bona futura, & poſt ſententiam acquiſita. Palao *tr.* 4. *D.* 5. *p.* 27. *num.* 1. contra Farin. *prax. q.* 190. *n.* 93.

130 *De poſterioribus* Hæreticus teſtari nequit, poſtquam ſententia declaratoria criminis in ipſum lata eſt, utpote poſt quam illa non amplius delinquentis, ſed fiſci ſunt. An verò, ſi ante ſententiam declaratoriam criminis teſtatus de illis eſt, Teſtamentum hoc ipſo Jure nullum, an verò revocationi duntaxat obnoxium, dubiæ quæſtionis eſt. Communius negatur eſſe ipſo Jure nullum, quamvis revocationi obnoxium ſit. Ita Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 95. *n.* 24. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 24. *n.* 3. Vaſq. 1. 2. *D.* 171. *cap.* 1. *n.* 11. Farin. *quæſt.* 190. *n.* 89. *fin.* Palao *p.* 26. *cit. n.* 1. Pirhing *hic n.* 74. Vvieſtner *ibidem n.* 65. quod ſatis indicatur in *cap. excommunicamus* 13. §. *credentes hoc tit.* ibi, *Nec teſtandi liberam habeat facultatem*, quaſi diceret, *Habet quidem facultatem teſtandi, ſed non liberam*; alias diceret: *Nec teſtandi ullam habeat facultatem.*

131 *Ratio eſt*, quia ſecundum probabiliorem ſententiam, de quo *infra num.* 152. hæreticus non privatur dominio utili ſuorum bonorum, & poteſtate illa in alios transferendi, quouſque ſententia criminis declaratoria lata in ipſum ſit; ergo ex vi hujus dominii, & poteſtatis, ſicut poteſt ſua bona quolibet contractu validè, quamvis revocabiliter, alienare, ita etiam poterit Teſtamento.

Ex quo ſequitur, eos, qui capiunt ex tali Teſtamento, non teneri hæredibus venientibus ab inteſtato ante ſententiam declaratoriam reſtituere, quod acceperunt; quamvis teneantur poſt ſententiam, utpote quæ retrotrahitur ad tempus commiſſi delicti. Vvieſtner *loc. citat.*

Dub. 2. an Hæreticus ita privetur ſucceſſione ex Teſtamento tempore Hæreſis, ut illius ſit incapax, vel ſolùm ſit indignus? Multum intereſt, quo modo ex his duobus privetur Hæreditate; nam ſi privatur ut incapax ſucceſſionis, omnia, quæ illi deferuntur, aut relinquuntur, non fiſco, ſed venientibus ab inteſtato proveniunt; contrà ſi capax quidem Hæreditatis per ſe eſt, ſed ab ea repellitur tanquam indignus; tunc enim ipſi relicta fiſco, non venientibus ab inteſtato applicantur, ut dictum eſt *Libr.* 3. *Tit.* 26. *num.* 90. & *ſeqq.* Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 14. *num.* 31. putat, Jure communi ſpectato, probabiliùs ſolùm eſſe indignum, ex ratione, quia nullo textu Juris communis hæc incapacitas ſtatuta eſt.

Sed communis ſententia, teſte Palao *tr.* 4. *D.* 5. *p.* 26. *num.* 4. defendit, Hæreticum, durante Hæreſi incapacem ſucceſſionis eſſe; ſumitur ex *cap. excommunicamus* §. *credentes cit.* ubi apertè dicitur, *Neque ad Hæreditatis ſucceſſionem accedat.* Neque obſtat, quòd textus iſte tantùm loquatur de fautore Hæreticorum, qui Excommunicatione notatus, contemnit intra annum ſatisfacere; nam ſi iſte, qui fictione Juris ſolùm ob cauſam allatam Hæreticus eſſe cenſetur, incapax ſucceſſionis Hæreditariæ redditur, multo magis incapax reddetur, qui verè, & propriè Hæreticus eſt.

Ex quo ſequitur, poſt ſententiam ſaltem ab Hæretico Hæreditatem, quam Hæreſi durante, obtinuit, reſtituendam Hæredibus ab inteſtato venientibus; quia his acquiritur. Palao *num.* 5. Addidi *poſt ſententiam ſaltem*; nam, an ob Hæreſim Hæreticus ita incapax fiat ſucceſſionis durante Hæreſi, ut etiam ante ſententiam, & in foro conſcientiæ, quæ accepit, teneatur ipſis reſtituere, controverſia inter DD. eſt: Vaſq. *Opuſc. mor. cap.* 9. §. 4. *dub.* 2. *num.* 122. Farin. *q.* 190. *n.* 102. & 104. & alii apud Sanch. *c.* 14. *nu.* 31. *cit.* hoc affirmant; quia ipſe Hæreticus non habet titulum ad retinendum. Negant Leſſ. *lib.* 2. *de J. & J. cap.* 19. *numer.* 52. Sanch. *num.* 31. *cit.* Pirhing *num.* 75. Schambog. *num.* 39. juxta quos retinere Hæreticus res Hæreditarias ſibi relictas tamdiu poteſt, donec per ſententiam declaratoriam criminis eæ ipſi auferantur. *Rationem* dant, quia valde durum eſſet, ut teneantur delinquentes Hæreditatem ſibi delatam, vel Legatum ſponte reſtituere ante præceptum Judicis.

3 Confiſcantur ipſorum bona *cap. vergentis* 10. *cap. excommunicamus* 13. §. *damnati*, & §. *credentes, hoc tit. Manichæos* 4. & *Auth. Cazaros Cod. eod.* ubi ratio redditur, quòd *longè gravius ſit æternam, quàm temporalem offendere Majeſtatem*, ſed læſioni temporalis Majeſtatis annexa eſt pœna confiſcationis bonorum, *l. quiſquis* 5. *pr. Cod. ad Leg. Jul. Majeſt.* ergo &c. *Proceditque hoc*, ut nec Catholicis eorum filiis aliquid relinquendum ſit *c. vergentis cit.* & *ibi* Gloſſ. *V. exhæredatio*, Fagnan. *ibid. num.* 1. & 16. Farin. *prax. quæſt.* 191. *à num.* 1. Zoeſ. *hic num.* 14. Pirhing *n.* 57. *nos.* 6. Schambog. *num.* 44. Procedit hoc ſtricto Jure ſpectato; nam ex miſeratione ejuſmodi bona Liberis Catholicis relinqui poſſunt, ſcilicet benignitatem rigori Juris præferendo *cap. vergentis cit.* Et hoc ſenſu aliqui exaudiunt *l. Manichæos* 4. §. *ſed nec* 6. *l. Hæretici* 13. §. *Orthodoxi* 1. *l. quæ de Samaritis* 18. *pr.* & §. *ſi alter* 1. *l. cognovimus* 19. *pr.* & *Auth. idem eſt Cod. hoc tit.* quæ Liberos Orthodoxos fiſco præferunt. Imò ex eadem miſericordia ipſi Hæretico, ſi ad cor redeat, & errores ſuos relinquat, bona confiſcata condonari poſſunt, ut habetur *cap. vergentis cit.* & notat Gloſſ. *ibidem V. miſereri*, Abb. *num.* 2. *not.* 3. Felin. *num.* 2. Barboſa *nu.* 24. & alii apud ipſum. Et ita condonari bona confiſcata Hæretico ad cor revertenti, conſuetudine totius Italiæ receptum eſſe, ſcribunt Clar. §. *Hæreſis n.* 7. Decian. *tract. crim. l.* 5. *tit.* 44. *n.* 19. Barboſa *loc. citat.*

Dub. 1. quænam bona cadant ſub confiſcationem ob Hæreſim?

Hæresim? Resp. regula est ab omnibus DD. recepta, omnia bona tam mobilia, quàm immobilia, Jura, & actiones, quæ Hæretici propria erant, cùm delictum commisit, ipso Jure confiscari; nam Jura generaliter Confiscationem bonorum decernunt in Hæreticos. Dixi, *quæ Hæretici propria erant*; nam bona, quæ sunt alterius, etiamsi in potestate Hæretici reperiantur, in pœnam confiscationis non deveniunt, ut bene notat Palao *tract.* 4. *D.* 4. *p.* 2. *num.* 2. quia æquum non est, innocentem alterius delicto prægravari. Addidi, *cùm delictum commisit*; nam bona, quæ Hæreticus acquisivit post sententiam declaratoriam criminis, sub confiscationem non veniunt, ut dictum est *suprà num.* 129. Similiter ab ea forte excepta sunt bona, quæ, dum commisit delictum, non amplius fuerunt ipsius propria, eo quod illa alienaverit donatione simplici, aut contractu Palao *num.* 3. *Excipitur*, nisi alienatio hęc facta esset in fraudem fisci; quia tunc nulla est donatio, aut venditio, sed omnino revocatur à fisco, ut ex omnium sententia testatur Farin. *prax. crim. q.* 164. *num.* 48. & 50. Præsumitur autem in fraudem fisci facta alienatio. 1. Si facta est donatio, vel venditio personæ conjunctæ jure sanguinis, vel amicitiæ, à qua donans, aut vendens facilè donatum, aut venditum recuperare possit. Farin. *quæst.* 164. *num.* 126. 2. Si facta alienatione statim committatur delictum, nisi appareat necessitas alienandi. Farin. *num.* 154. 3. Si donata, aut vendita sint bona delinquentis omnia, vel major eorum pars, vel minor quidem, sed pretiosior, nisi intervenerit justum pretium. Farin. *n.* 122.

7 Dub. 2. an publicatis bonis hæretici, etiam publicetur Jus Patronatus, Majoratus, Fideicommissi, Emphyteusis, Feudum? Resp. *ad* 1. distinguendo: Vel enim accessoriè venit ad Castrum, aut Villam, cui annexum est, vel contrà ratione solius personæ competit. *Si primum*, Jus Patronatus cum Castro, aut re directè confiscabili, cui adhæret, etiam ipsum publicatum censebitur, transibitque cum illa ad fiscum; quia transit ad quemcunque legitimum rei illius possessorem. Palao *tract.* 4. *D.* 5. *p.* 5. *num.* 9. & hoc teste DD. omnes. *Si secundum*, interest, an transitorium Jus istud sit ad alios, vel non. *Si hoc posterius*, propriè non confiscatur, sed confiscatis hæretici bonis, extinguitur, & Ecclesia fit libera. Palao *num.* 1. nisi alii præter delinquentem compatroni sint; tunc enim penes istos remanet. *Si prius*, transit ad istos, qui dispositione instituentis vocantur, ne delicto alterius prægraventur. Farin. *quæst.* 190. *num.* 24. non verò ad hæredes extraneos, sed eo casu Jus istud sibi vendicat Fiscus Ecclesiasticus, bonis hæretici publicatis. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 19. *num.* 3.

Ad 2. iterum distinguendum est, an hereticus effectus sit is, qui Majoratum, aut Fideicommissum instituit, an verò ille, qui iis fruitur. *Si primum*, interest, an institutio facta sit, ante, vel post commissum delictum; nam si *post delictum* de bonis, quæ tempore delicti delinquentis fuerunt, facta illa fuit, ea confiscationem non impedit; quia facta est de bonis fisco obligatis, ac proinde, facta declaratione delicti, perit institutio, & confiscatur in perpetuum majoratus. Sanch. *l.* 2. *mor. cap* 18. *num.* 60. Palao *p.* 7. *num.* 4. Si verò institutio sit facta *ante delictum*, non subjicitur confiscationi, saltem si facta sit per contractum irrevocabilem; quia jus, ad majoratum, aut fideicommissum vocatis, quæsitum, per instituentis delictum auferri nequit. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 659. *num.* 1. Palao *p.* 7. *cit. num.* 7. *Si secundum* contingat, & in hæresim incidit is, qui Majoratu, vel Fideicommisso fruitur, interest, an ad ipsum tempore condemnationis jam delata fuerit successio in Majoratu, aut Fideicommisso, an verò nondum delata ad ipsum sit; nam *si hoc posterius*, nec dominium, nec usus fructus transferetur ad fiscum, cùm delinquens nondum sibi comparaverit illius dominium. *Si prius* fiscus quidem commoditatibus, & fructibus consurgentibus ex eo Majoratu, gaudebit omnibus, dum possessor ille vivit; post mortem verò illius bona cum fructibus transferentur ad successorem, qui ex voluntate primi Institutoris ad hæc vocatur. *Excipit* Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 18. *n.* 15. nisi iste alienationem expresè prohibuisset; tunc enim statim ea bona cum fructibus pertinerent ad sequentem vocatum. *Rationem* dat, quia fructuum commoditas in hac specie non est separata à rerum dominio, sed cum eo est annexa, & conjuncta *l. & ex diverso* 35. §. *ubi autem* 1. *ff. de R. V.* quare sicut rerum illarum dominium nequit ad fiscum transire ob vim expressæ prohibitionis, ita nec perceptio fructuum. Plura videri possunt apud Sanch. *c.* 18. *cit.* Molin. *tr.* 2. *D.* 658. Palao *D.* 5. *cit. p.* 6. & alios.

Ad 3. distinguendum est inter Emphyteusin, quæ ex vi institutionis suæ ad Hæredes extraneos transmitti non potest, & inter eam, quæ ad hos transitoria est. 139
Prior sub confiscationem non venit, sed post declarationem criminis ad proximè vocatum transibit statim quidem, quando ultra prohibitionem Legis, quam secum trahit Emphyteusis, addita fuit expressa alienationis prohibitio à domino Emphyteusim concedente; post mortem verò delinquentis primùm, quando non est expressa ab institutore alienationis prohibitio, sed relicta Emphyteusis naturæ suæ; nam, ut *supra* dictum de Majoratu, & Fideicommisso, quoad fructus, & commoditates, quamdiu delinquens vivit, ad fiscum pertinet, Palao *p.* 8. *n.* 4. & *seqq.* *Posterior*, seu ad Hæredes extraneos transitorię Emphyteusis, per hoc, quod publicata sint bona delinquentis, etiam ipsa censetur publicata, & sic fiscus erit deinceps Emphyteuta habentis dominium directum; quia quæ ad Hæredes extraneos devenire possunt, non existente alia prohibitione speciali, possunt quoque ad fiscum devenire. Sanch. *c.* 19. *n.* 25. Et hoc probabiliùs verum est etiam de Emphyteusi Ecclesiastica: quo casu tamen Ecclesiæ datur optio, ut intra biennium deliberet, an velit Emphyteusim revocare, an fiscum perpetuo habere Emphyteutam. Sanch. *n.* 31. Porro, quæ de Emphyteusi dicta sunt, ad Feudum accomodari etiam debent; quia naturam Emphyteusis imitatur. Palao *p.* 9. *num.* 1.

Dub. 3. an, & quale peculium filiifam., compre- 140
hendatur sub confiscatione facta ob Hæresim? Resp. distinguendo: Vel enim filiusf. commisit Hæresim, & propterea confiscantur bona ipsius; vel contra eam commisit Pater, & propter hoc confiscanda veniunt bona patris.

Si primum, & solus filiusf. commisit Hæresim, *Profectitium* quidem hujus peculium sub confiscationem venit, sed totum cedit Patri. Palao *tr.* 4. *D.* 5. *p.* 10. *n.* 6. & *seqq.* & ratio est manifesta; nam bona, quæ sub nomine Peculii, profectitii veniunt, non sunt filii, sed patri tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum; ergo ob delictum filii publicari non possunt; quod verum est, etiamsi à patre filius haberet illorum administrationem; quia non per hoc censetur data potestas alienandi. Imò, esto, filio à patre etiam fuisset data potestas donandi, & dissipandi, adhuc tamen non intelligeretur data facultas, ut per delictum alienare posset; quia non præsumitur de delicto fuisse cogitatum. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 15. *num.* 18. Venit vero sub confiscationem ob causam Hæresis Peculium istis *Adventitium & Castrense*, vel *quasi Castrense*, servato tamen patri Ususfructu in peculio Adventitio, si illum in eo (prout in Adventitio Regulari contingit) patet antecedenter habuit. Palao *loc. cit. numer.* 7. & *seqq.* & demonstratur ex ratione opposita; nam etiam filiof. imponitur pœna confiscationis bonorum suorum; atqui Peculium adventitium Castrense, & quasi Castrense verè sunt in bonis ejusdem quippe quorum proprietatem, & posterioris etiam administrationem liberam independenter à patre habet; ergo &c.

Si secundum, & solus Pater commisit Hæresin, bona *Castrensia*, vel *quasi Castrensia* filiif. ob delictum patris nullo modo publicantur; quia hæc tam quoad proprietatem, quam quoad Usumfructum, & Administrationem sunt filii; igitur ob patris delictum publicari nequeunt; Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 16. *n.* 1. Farin. *prax. q.* 190. *num.* 17. Palao *D.* 5. *cit. part.* 11. *num.* 8. similiter etiam non publicantur bona ipsius *Adventitia*, neque quoad proprietatem, nec quoad usumfructum: *quoad proprietatem* quidem; quia quoad hanc sunt bona propria filii, qui delicto patris prægravari non debet: *quoad usumfructum* autem; quia ususfructus in bonis Adventitiis filii debetur patri ob patriam potestatem, quæ, ut *infra n.* 154. dicetur, per crimen Hæresis facto ipso solvitur, conf. à 141

puncto latæ in partem sententiæ declaratoriæ criminis Ususfructus extinguetur, & consolidabitur cum proprietate, quam filius in Peculio isto habet. Farin. *n.* 27. Palao *n.* 11. Solum igitur publicabitur peculium *Profectitium*, & meritò; nam etsi filiusfamilias hujus administrationem habeat, eam tamen duntaxat habet dependenter à possessione patris, quæ a puncto sententiæ declaratoriæ criminis in patrem latæ eidem tollitur: unde cum regula sit, quòd Hæretico confiscentur bona propria omnia, consectaneum est, etiam confiscari peculium profectitium filii, quippe quod tam quoad proprietatem, quàm quoad Usumfructum est tantum patris. Palao *num.* 15.

142 Dub. 4. an propter Hæresim maritorum confiscentur etiam Dotes, & bona uxorum? Resp. negativè. Patet ex *cap. decrevit* 14. *hoc tit. in* 6. Ratio est, quia universim loquendo *ob maritorum culpam uxores inquietari Leges vetant*, ut habetur *l. ob maritorum* 2. *Cod. ne uxor pro marit. & delicta suos debent, tenere Autores* juxta *l. sancimus* 22. *Cod. de Pœn.* Neque rationi est consentaneum, ut innocens propter alterius delictum puniatur, nisi id expressum sit, sicut expressum est puniri filios ob crimen læsæ Majestatis Divinæ, vel humanæ commissum à patre. Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 17. *num.* 2. Palao *tract.* 4. *D.* 5. *p.* 12. *num.* 1. Vivian. *in cap.* 14. *cit. pr.* Barbos. *ibid. num.* 1. *& seqq.* Passerin. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 8. Pirhing *num.* 63. Schambog. *num.* 35. Imo hæc sua bona, publicatis mariti bonis, conjux innocens, propria authoritate potest capere, & occupare *l. si quis* 9. *pr. Cod. de bonis præscriptor.* nam licèt aliàs Jure cautum sit, neminem in re propria habere manuum injectionem *l. extat* 13. *ff. quod met. caus. l. si quis in tantam* 7. *C. unde vi.* hoc tamen uxori quasi in prærogativam Matrimonii conceditur, ut res proprias, detentas à viro, cujus bona publicantur, propria authoritate occupet. Sanch. *num.* 3. *fin.* Farin. *quæst.* 25. *num.* 119. Palao *n.* 4. Barbosa *n.* 3.

143 In specie uxori manent 1. Dos. 2. Bona ipsius Paraphernalia. 3. Donatio propter nuptias. 4. donata ipsi à consanguineis mariti, etsi hujus intuitu, nisi donans tempore donationis expresserit, ut res donatæ marito acquirantur. 5. res acquisitæ ab uxore constante Metrimonio, ut medietas bonorum. 6. quæcunque alia bona propria uxoris. Sanch. *cap.* 17. *citat. n.* 3. Farin. *quæst.* 190. *num.* 43. *& seqq.* Palao *n.* 1. *& duob. seqq.* Pirhing. *num.* 64. Estque hoc ita verum, ut nequidem Ususfructus, qui ex dote, & bonis uxoris percipitur, publicatis mariti bonis, publicetur. Palao *loc. cit. num.* 7. Pirh. *num.* 64. *cit. not.* 2. Neque obstat, quod Ususfructus Dotis, constante Matrimonio, pertineat ad virum; quia pertinet ad virum ad effectum alendi uxorem: unde reddita uxori Dote, redditur illi etiam Ususfructus; quia cum proprietate consolidatur. Similiter publicatio bonorum etiam locum non habet in Donatione mortis causa facta inter conjuges; quamvis enim ista, si alteri, quàm conjugi facta sit, morte Civili non confirmetur, sed si is, qui donavit, supplicio afficiatur, ita donata transeant ad fiscum *l. si aliqui* 7. *ff. de mort. caus. donat.* morte viri tamen Civili confirmatur donatio mortis causa facta uxori, licèt vir donans usque ad suam mortem naturalem revocare ejusmodi donationem possit *l. sed si* 13. §. *proinde* 1. *ff. de Donat. int. vir. & uxor. & l. res uxoris* 24. *Cod. eod.* Sanch. *n.* 16. Pirhing *not.* 3.

144 *Excipitur*, nisi uxor cum marito Matrimonium contraxisset, quem sciebat tempore contractus Hæreticum fuisse; tunc enim privatur Dote, ut constat ex *cap. decrevit* 14. *cit.* non tamen ipso Jure, sed solum per sententiam condemnatoriam Judicis, ut notat Sanch. *n.* 18. Pirhing *num.* 65. Non verò propterea uxor privatur aliis bonis, quæ habuit tempore contracti Matrimonii, vel quæ etiam acquisivit, durante Matrimonio, ut contra Gloss. *in cap. citat. in cas.* Franc. *ibidem not.* 1. Farin. *quæst.* 190. *numer.* 49. *&* 50. probabiliùs docet Sanch. *num.* 22. Barbosa *in cap. citat. num.* 3. Pirhing *num.* 66. Schombog. *num.* 36. quia *cap. decrevit. cit.* de sola Dote loquitur, & in pœnalibus non est facienda extensio; & si Papa voluisset omnia bona uxoris tali casu publicari, non sola Dotalia expressisset, sicut id expressit *cap. cùm secundum* 19. *hoc tit. in* 6. & durum est, per eandem generalem confiscationem bonorum plecti æquè uxorem Catholicam, ac ipsum Hæreticum, cùm uxoris delictum multo levius sit: & nullus Juris textus est, qui eam generalem confiscationem bonorum ob tale delictum imponat. *Neque obstat*, quòd Dos magis privilegiata sit, quàm cætera uxoris bona; nam ex hoc non infertur, amissa Dote, etiam hæc amitti ab uxore, si scienter nubat marito Hæretico. Pirh. *num.* 66. *citat.* Schambog. *num.* 37. quia hæc pœna soli Doti imposita est, fortè ob eam causam, ut quia gaudet majori privilegio, gravior etiam sit pœna: unde pœna ista extendi ad alia bona non potest.

Dixi, *quem sciebat tempore contractus Hæreticum fuisse*, nam si ignoravit Dos ei salva permanet. Præsumitur autem ignorasse Hæresim viri, nisi probetur scivisse: ideoque fisco probatio scientię ejus incumbit Gloss. *fin. in cap.* 14. *cit.* Franc. *ibidem nu.* 2. *in Gloss. fin.* Barbos. *num.* 11. Passerin. *num.* 5. *Proceditque* hoc, etiamsi postea superveniat scientia de Hæresi viri; adhuc enim Dos manet uxori, nisi superveniente scientia peccato mariti sui consentiat. Farin. *quæst.* 190. *num.* 52. tunc enim perinde est, acsi ab initio scivisset Hæresin mariti adeoque Dotem perdet, & ea fisco applicabitur. Pirhing. *num.* 65. *hic.* Quodsi Dos uxori ab alio data sit ea conditione, ut ipsi, vel alteri tertio, soluto Matrimonio, restituatur, fiscus quidem in casu, quo ipsa nupsit scienter Heretico, durante eorumdem Matrimonio, percipiet fructus Dotis, ipsa tamen Dos, sicut aliud quodlibet Fideicommissum, non potest publicari in perpetuum: quia id crederer in præjudicium tertii. Sanch. *c.* 17. *cit. n.* 19. Passerin. *in cap.* 14. *cit. n.* 5. Pirhing *num.* 65. *not.* 5.

Porro sicut uxor innocens ob Hæresim mariti bona sua non perdit, ita neque maritus innocens ob Hæresin uxoris suæ. Estque hoc verum, etsi scienter Matrimonium contraxerit cum Hæretica; quamvis enim sic contrahendo regulariter à peccato non excusetur, nulla tamen bonorum suorum parte propterea spoliatur; quia textus *cap. decrevit cit.* de sola uxore, & hujus dote loquitur. *Neque obstat*, quòd vir, & uxor sint correlativa, & dispositum de uno correlativorum censeatur etiam dispositum de altero illorum *arg. l. si quis* 1. *Cod. de Cupress.* ubi *Gottofredus* ait, Argumentum à Correlativis dari, si emptio est prohibita, & venditio quoque; nam id solùm obtinet tunc, quando in utroque est eadem ratio: secus si sit diversa, ut in proposito; quia mulier ob ejus facilitatem, & sexus fragilitatem, & quia subjecta marito est, gravior periculo perversionis se exponit nubens marito Hæretico, quàm vir, quare cum non sit adæquatè eadem ratio in viro, quæ in muliere, non est extendenda hæc pœna ad virum. Sanchez *num.* 23. Barbosa *num.* 6. Passerin. *num.* 7. Pirh. *n.* 67. Schambog. *num.* 38.

Dub. 5. cui applicari debeant bona tum Clericorum, tum Laicorum confiscata propter Hæresim? Resp. bona Laicorum Hæreticorum confiscata, spectato Jure communi Canonico, in terris Ecclesiæ applicantur fisco Ecclesiæ, in terris verò Imperii fisco Sæculari *cap. vergentis* 10. *hoc tit.* ubi distinguendum est inter bona immobilia, & mobilia; nam ista pertinent ad fiscum loci, in quo fit confiscatio; quia mobilia bona non territorio adhærent, sed personæ damnatæ, eamque sequuntur Clar. §. *fin. q.* 78. *num.* 27. Sanchez *l.* 2. *mor. c.* 20. *num.* 34. Pirhing *num.* 73. *not.* 2. *Illa* autem, scilicet *immobilia* applicantur fisco domini loci, ubi sita sunt, & quidem illi, cui damnatus de Hæresi immediatè subjectus est, modò Imperium merum, & Regalia habeat, ideoque & jus confiscandi. Farin. *prax. crim. quæst.* 190. *num.* 167.

Quoad *bona Clericorum*, cùm diversa illa sint, opus est distinctione. Nam 1. bona, quæ ad Ecclesiam, cui præsunt, quo ad proprietatem, & ad Clericos solùm quoad administrationem & usumfructum spectant, ut sunt domus, prædia, & similia, ex quibus Clerici redditus percipiunt, non confiscantur ob Hæresim Clericorum, qui illa possident; & Judex illa confiscans Excommunicationem ipso Jure incurrit, à qua quidem absolvere Ordinarii possunt, non tamen antea, quàm plenè satisfactum sit illis, à quibus pecuniæ extortæ sunt, præterquam in articulo mortis. *Clem. nolentes* 2. *post pr. hoc tit.*

2 Bona

149 2. Bona Clericorum acquisita ratione Beneficii Ecclesiastici non fisco, sed Ecclesiæ, cui inservierunt, applicari debent, prout habetur *cap. excommunicamus* 13. §. *damnati* 1. *h. tit.* & notant Clar. §. *Hæresis numer.* 13. Covar. *l.* 2. *var. capit.* 9. *numer.* 12. Azor. *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 12. *q.* 25. Sanch. *capit.* 20. *cit. numer.* 24. Farin. *q.* 190. *n.* 160. Palao *D.* 5. *p.* 14. *num.* 3. Vivian. *in cap.* 13. *cit.* §. *damnati*, Barbos. *ibid. numer.* 7. Pirhing *hic numer.* 69. Reiffenstuel *ibid. numer.* 306. Ratio est, quia de bonis, intuitu Ecclesiæ acquisitis, Clerici de Jure communi testari nequeunt, sed ea post illorum obitum penes Ecclesiam remanere debent *capit. quia nos* 9. & *capit. relatum* 12. *de Testam.* sed ea, quæ in hæredes extraneos transmitti nequeunt, etiam transmitti non possunt in fiscum loco hæredis extranei succedentem. ergo &c.

150 3. Bona Patrimonialia, & quasi Patrimonialia Clericorum deferuntur fisco, & quidem spectato Jure communi, & seclusa consuetudine, Ecclesiastico, quia sunt accessoria personæ, eamque sequuntur. Sanch. *capit.* 20. *cit. numer.* 22. Palao *p.* 14. *numer.* 2. Farin. *q.* 190. *numer.* 154. Vivian. *in capit. vergentis citat. pr.* Fagnan. *ibid. numer.* 1. *& seqq.* Barbos. *in capit.* 13. *cit. numer.* 8. Dixi, *spectato Jure communi*, *& seclusa consuetudine*; nam in quibusdam Regnis consuetudine receptum est, ut bona immobilia, imò & mobilia Clerici committentis crimen Hæresis deferantur ad fiscum Principis Sæcularis: quam consuetudinem approbat Covar. *capit.* 9. *cit. num.* 12. Neque consuetudo ista contraria est aut *SS.* Canonibus, aut rationi: non *SS. Canonibus*; quia hi, dum statuunt bona Clericorum esse applicanda Ecclesiæ, solùm loquuntur de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis: non *rationi*; quia bona patrimonialia, & quasi patrimonialia Clericorum transeunt ad quoscunque Clericorum successores. ergo etiam ad fiscum Sæcularem transire possunt, si ita consuetudine inductum sit. Quare circa hoc, & universim circa applicationem bonorum confiscatorum ob Hæresim servandæ sunt consuetudines, quæ in variis Provinciis variæ, ac diversæ sunt, modò eæ sint rationabiles, legitimè præscriptæ, & conformes Juribus, ac Constitutionibus Papalibus. Farin. *n.* 187. Pirhing *l. cit. not.* 3.

151 Dub. 6. an Hæreticus, qui confiscationem bonorum suorum ipso Jure incurrit, ante sententiam declaratoriam criminis teneatur ea fisco tradere? Affirmant Castro *l.* 2. *de leg. pœnal. capit.* 10. *&* 11. & *l.* 2. *de Just. Hæret. punit. c.* 5. *&* 6. Ant. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 2. *num.* 5. *fin.* & nonnulli alii; quia aliàs possideret, & retineret ea bona contra voluntatem fisci, qui est dominus illorum, quod est illicitum. Sed communior; & probabilior cum Navar. *Man. capit.* 23. *numer.* 66. Ant. Gomez *l.* 3. *var. cap. ult. num.* 3. qui sibi contrarius est, Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 12. *q.* 3. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 22. *numer.* 7. Suar. *D.* 22. *de Fid. sect.* 3. *num.* 3. Farin. *prax. quæst.* 190. *numer.* 22. Palao *tract.* 4. *D.* 5. *p.* 18. *num.* 2. negat, hanc obligationem esse delinquenti imponendam; quia nimis grave foret in seipso facere executionem pœnæ Juris.

152 Hinc usque ad sententiam declaratoriam criminis possessio bonorum Hæretico, aut horum fautoribus &c. non aufertur *capit. cum secundum* 19. *vers. confiscationis h. tit. in* 6. Franc. *ibid. not.* 1. *&* 2. Surd. *de aliment. tit.* 9. *q.* 32. *num.* 24. Gonzal. *in c.* 10. *h. tit. num.* 12. *prop. fin.* Barbos. *ibid. num.* 3. *&* 4. & *in cap.* 19. *cit. n.* 7. Zoes. *hic num.* 15. Pirhig. *num.* 60. *not.* 1. Schambog. *num.* 34. Vviest. *nu.* 66. Reiffenstuel *num.* 304. cujus possessionis ea vis est, ut Hæresis reus circa ejusmodi bona ante sententiam declaratoriam quidem non possit facere alienationes voluntarias, utpote quæ jam obligata sunt fisco; possit tamen facere necessarias v. g. ad alendum se, & familiam suam, ad solvenda debita &c. quia prohibita alienatione censetur interdicta voluntaria, non necessaria. Sanch. *cap.* 22. *num.* 55. Pirhing *num.* 61. *Except.* 2.

153 Si tamen sententia declaratoria postea lata sit, etsi lata sit primum post mortem Hæretici, retrotrahitur illa sententia ad ipsum delicti commissi diem: consf. res postea alienatæ cum fructibus perceptis tunc restitui debebunt fisco *capit. accusatus* 8. §. *in eo* 7. *h. tit. in* 6. Joan. Andr. *ibid. num.* 1. Host. *in cap.* 10. *eod.* Sanch. *num.* 33. Pirhing. *num.* 60. *not.* 8. *& num.* 68. Vviestner *n.* 66. Reiffenstuel *n.* 307. *Excipitur*, nisi possessor possessiones bonorum, quæ fisco addicta sunt, legitimè contra fiscum præscripserit, ad quod in crimine Hæresis requiruntur 40. anni, ut possessor præscribat bona defuncti adversus fiscum *c. fin. vers. si post de præscript. in* 6. Pirhing *n.* 61. *cit. Except.* 1.

IV. Si in Hæresim lapsus Liberos habet, amittit in hos patriam potestatem, ita, ut hi a die commissi criminis ante omnem sententiam sui juris efficiantur *c. quicunque* 2. §. *fin. h. tit. in* 6. ubi emancipatio, quæ a parentibus Hæreticis dignoscitur facta, pronuntiatur *nullius esse momenti*, *tanquam facta de hominibus sui juris*. 154

Ex quo sequitur 1. patrem, sic effectum Hæreticum, non posse pupillariter substituere filio suo impuberi. Gloss. *in* §. *fin. cit. V. desierint*, Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 24. *n.* 6. Palao *tr.* 4. *D.* 5. *p.* 26. *num.* 13. Barbos. *in c. fin. h. tit. num.* 3. Passerin. *in c.* 2. *cit. n.* 45. *&* 46. Pirhing *n.* 79. Schamb. *n.* 40. Reiffenstuel *n.* 301. ex defectu patriæ potestatis, quæ ad substitutionem pupillarem requiritur.

Sequitur 2. non esse obligatum filium Catholicum parenti Hæretico extra necessitatem extremam præbere alimenta. Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 51. *n.* 39. *&* 68. *&c.* 44. *n.* 28. Sanch. *l. cit. n.* 7. Palao *n.* 14. quia filius, exemptus a patria potestate, reputatur extraneus; extraneus autem non tenetur Hæretico alimenta præbere extra casum extremæ necessitatis. ergo nec filius. Addit tamen Farin. *prax. crim. q.* 182. *n.* 13. in casu necessitatis prius subveniendum esse parenti, fratri, vel cognato Hæretico, quam extraneo, ob sanguinis conjunctionem. 155

Hæc autem pœna ad receptatores, fautores, & defensores Hæreticorum non extenditur; quia *c. cit.* solùm loquitur de Hæreticis, & pœnæ extendi non debent Sanch. *l. cit. n.* 5. Farin. *q.* 197. *nu.* 29. *fin.* Palao *p.* 26. *n.* 15.

V. Servi ab obsequio domini Hæretici liberi fiunt, non ipso Jure statim post lapsum in Hæresim, ut vult Gloss. *in c. fin. V. absolutos h. tit.* & Abb. *ibid. num.* 2. Sed post sententiam declaratoriam criminis, ut colligitur ex *cap. fin. cit.* ibi, *lapsis manifestè in Hæresim.* ergo requiritur, ut Hæresis sit manifesta, nempe judicialiter per Sententiam, quæ est præcipua, & principalis manifestatio. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 24. *num.* 13. ubi ait, illam Sententiam retrotrahi ad diem commissi criminis, sicut *suprà num.* 152. dictum est de Confiscatione bonorum ob Hæresim. 156

Distinguendum tamen est, an servi isti sint Catholici, an verò Hæretici & Infideles. *Priores* omnino liberi fiunt, nec restituuntur, licèt dominus, abjurata Hæresi, ad Fidem Orthodoxam redeat, eique beneficio Principis restituantur bona, quæ ob Hæresim amisit, ut colligitur ex *l. Manichæos* 4. §. *fin. C. h. tit.* ubi dicitur, *servos insuper extra noxam esse volumus*, i. e. ut explicat *Accursius*, liberos fieri volumus. libertas autem, semel acquisita quocunque modo revocari non debet *l. si post* 1. & *seq. C. si advers. libert. Posteriores* una cum reliquis bonis in dominium fisci transeunt, cum inter bona domini reputentur *l. rem in bonis* 52. *ff. de acquir. rer. dom.* nullo autem Jure reperitur hæc libertas eis concessa. Azor. *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 12. *q.* 7. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 40. *numer.* 1. *vers. cæterum*, Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 24. *nu.* 10. *&* 11. Farin. *q.* 197. *n.* 30. Palao *tr.* 4. *D.* 5. *p.* 26. *n.* 18. Pirhing *hic nu.* 81. Reiffenstuel *n.* 314. *&* 315. 157

Extenditur autem liberatio hæc 1. etiam ad Vasallos, Famulos, Libertos; nam hi non ampliùs obligantur ad obsequium domino præstandum. *capit. fin. hoc tit.* 2. ad debitores; nam liberantur à quocunque debito, & obligatione. *Neque obstat*, quòd *c. fin. cit.* tantum loquatur de obligatione fidelitatis; quia constitutio hujus *capit.* ut notat *ibid.* Gloss. *in not.* Abb. *numer.* 1. Pirhing *numer.* 82. & hoc teste communiter alii Canonistæ, id ipsum procedit quoad omnia debita, & quascunque obligationes. 3. ad quascunque obligationes, & Jura, etiam Juramento vallata. *Gloss. V. absolutos*, Abb. *in cap. fin. cit. num.* 1. *& seqq.* Fagn. *nu.* 1. *&* 5. Barbos. *n.* 3. Gonz. *n.* 1. Pirh. *n.* 80. Vviest. *n.* 86. Reiffenstuel *nu.* 309. *& seqq.* Neque Hæreticus nomina 158

mina debitorum jam confiscata, vel obligationem fidelitatis, qua Vasalli erant obstricti, recipit, etsi postea resipiscat, & reconcilietur Ecclesiæ, quia obligatio semel extincta non reviviscit *can. quæris* 129. & *ibi* Gloss. *V. contrahatur de consecr. dist.* 4. & *l. qui res* 98. §. *aream* 8. *ff. de Solut.* Abb. *in cap. fin. cit. numer.* 4. Fagnan. *ibid. numer.* 60. Pirhing *hic numer.* 82. *fin.*

159 Interest tamen, an jam pronuntiata sit Sententia declaratoria criminis vel non. Nam *si primum*, quod alias Hæretico præstandum fuisset, si non incidisset in Hæresim præstari deinceps fisco debet, utpote qui succedit in jura delinquentis condemnati de Hæresi. *Si secundum*, debita illa solvi, & obsequia præstari probabilius possunt, & debent adhuc domino Hæretico. Azor. *cap.* 12. *quæst.* 8. Sanchez *capit.* 24. *numer.* 8. Palao *p.* 26. *numer.* 20. Pirhing. *numer.* 82. quia fiscus ante sententiam saltem declaratoriam criminis bona Hæreticorum non potest occupare *cap. cùm secundùm* 19. *hoc tit. in* 6. ibi, *Sententia fuerit pronuntiata.* occuparet autem, si debitores Hæreticis non deberent solvere, sed fisco. ergo &c. *Ex quo sequitur*, quod debita, & obligationes per Hæresin non omnino extinguantur, cùm in credito post sententiam succedat fiscus, si alii vocati non sunt. Palao *numero* 21.

160 *Dubitatur*, an etiam Hæresis liberet à fide servanda illi, qui de Hæresi condemnatus est? *Videtur* non esse ipsi servandam fidem. 1. Quia, ut à *num.* 156. dictum est, Vasalli, Servi &c. liberantur a fidelitate, obedientia, & aliis obsequiis, quæ Hæreticis ipsorum dominis debuissent præstare. 2. Frangenti fidem terrena fides servanda non est *l. qui fidem* 16. *ff. de Transact. c. sicut* 29. §. *fin. de Jurejur.* & *Reg. frustra* 75. *in* 6. ergo multò minùs est servanda Hæretico violanti fidem Divinam. 3. Hussio in Concilio Constantiensi data fides est. atqui hæc, ut Sectarii nostri temporis passim jactitant, & conqueruntur, eidem servata non est. ergo &c.

161 Sed etsi cum Hæreticis paciscendum non facilè sit, si tamen pacta cum iis inita quædam sint, ea inviolabiliter custodiri, & observari debent, quoties res promissa ex se licita, & possibilis est. Sumitur ex *cap. qualiter* 3. *de Pact.* & *l. hujus* 1. *pr. ff. eod.* ubi pacta generaliter, *can. noli* 3. *caus.* 23. *quæst.* 1. & *l. postliminii* 5. §. *in pace* 2. *ff. de captiv. & postlim. revers.* ubi etiam hostibus servanda dicuntur. *Ratio* est, quia ad hujusmodi pacta servanda obligat veracitas, fidelitas, & Justitia: quarum prima dictat nihil promittendum, nisi cum animo se obligandi, & promissa servandi; secunda obligat ad id præstandum, quod est promissum; tertia obstringit ad tribuendum cuique suum: & hoc tamdiu, quamdiu obligatio, ex promissione orta, non est remissa, vel relaxata.

162 Argumenta contraria non urgent. *Ad* 1. distinguendum est inter pacta publica, & privata: illa absolutè servari debent, si de re licita, quamvis cum Hæreticis, inita sint; ista relaxantur per sententiam declaratoriam criminis, ante illam autem etiam ipsa stringunt. *Ad* 2. ratio illa tantùm probat, quòd fides non sit servanda Hæreticis quoad Divina & quæ Religionem spectant; nam pacta publica servari debent etiam Infidelibus. igitur etiam Hæreticis. *Ad* 3. Concilium Hussio nunquam fidem dedit, sed Imperator Sigismundus ei dedit Salvum conductum, qui quia tantum secundum Jus commune concessus eidem est, illum tutari solum potuit contra violentiam inferendam contra Jus. talem violentiam autem passus non est Hussius, utpote convictus de Hæresi, & propterea mortis reus factus, prout fatentur nonnulli etiam Acatholici AA. Accedit, quia ipse Hussius fidem Imperatori datam violavit prior arripiendo fugam, sibi sub pœna capitali prohibitam, ut bene demonstrat Becan. *de Fid. cap.* 16. *q.* 6. & per consequens malè factum non fuisset, si dato, non concesso, fides eidem fracta fuisset.

163 VI. Denique Hæretici, si pœnis istis insuper habitis, errores suos pertinaciter abjurare noluerint aut in eos abjuratos relapsi, sponte non redierint, Curiæ Sæculari, præmissa, si Clerici fuerint, Degradatione, sunt tradendi *cap. ad abolendam* 9. *cap. excommunicamus* 15. *pr. h. tit.* & *c. quoniam* 1. *cod. in* 6. Clar. §. *Hæresis n.* 7. Menoch. *de arbitrar. cas.* 374. *n.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 189. *n.* 11. Pirhing *hic num.* 84. Wiest. *numer.* 71.

Dub. 1. an Hæretici pertinaces puniri possint pœna capitali? Negarunt id ex VV. Hæreticis Donatistæ, teste S. Aug. *Epistol.* 50. & ex RR. Hussius, ut patet *ex Concil. Constant. sess.* 15. *artic.* 14. 1. Quia id videtur esse contra morem Ecclesiæ primitivæ, a qua cædes, & vincula aliena fuisse, testis est Athanasius *Apolog.* 2. 2. Quia ipse Servator *Matth.* 13. *vers.* 30. voluit zizania permitti crescere simul cum tritico usque ad messem. 164

Sed certa est affirmativa Sententia, ut Covar. *l.* 2. *var. cap.* 10. *num.* 10. Bellarm. *l.* 3. *de Laicis cap.* 21. & 22. Vallent. *tom.* 3. *D.* 1. *q.* 11. *part.* 3. Suar. *D.* 20. *de Fid. sect.* 3. *numer.* 18. & *D.* 23. *sect.* 1. *per totam*, Palao *tr.* 4. *D.* 6. *p.* 2. *num.* 2. Engl *hic num.* 15. Konig *num.* 27. Wiestner *num.* 72. notant. Patet 1. ex *cap. ad abolendam, capit. excommunicamus, & c. quoniam citt.* & concordat Concilium Calcedonense *act.* 1. ubi Episcopus Alexandrinus, *Si Eutyches*, inquit, *præter dogmata Ecclesiæ sapiat, non solum pœna dignus est, sed & igne.* 2. Ex *l. Manichæos* 4. §. *in mortem* 4. *l. Arrian* 5. *l. quicunque* 8. *&c. C. h. tit.* ubi in Hæreticos, post alias minores, tandem exilii, & ultimi supplicii pœna constituta est. 3. *Ex ratione*; quia Hæresis est crimen valde enorme, & non solum Religioni, sed etiam paci, ac tranquillitati publicæ maximè contrarium, quod demonstrant clades maximæ, ea incitante illatæ Regnis, atque Provinciis. 165

Et quidem hodie ex consuetudine comburuntur igne, ut testatur Abb. *in c.* 9. *h. tit. num.* 13. Clar. §. *Hæresis num.* 7. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 13. *vers. ultima pœna.* Decian. *tr. crim. l.* 5. *cap.* 42. *num.* 4. *vers. hoc autem*, Farin. *q.* 189. *num.* 4. Palao *p.* 2. *cit. num.* 3. Barbos. *in c.* 15. *num.* 3. *h. tit.* Vallens. *hic* §. 2. *num.* 6. Zoes. *num.* 17. Engl *num.* 15. Wagnereck *not.* 1. Schambog. *num.* 41. Konig *num.* 27. Reiffenstuel *num.* 319. ubi tamen est distinguendum, an ejusmodi Hæretici, de crimine Hæresis condemnati, pœnitentes sint, an verò impœnitentes. *Si hoc secundum*, quandoque etiam vivi comburuntur, præsertim si fuerint Hæresiarchæ, ut notat Farin. *l. cit. n.* 5. 166

Si primum, ultimo supplicio, nisi relapsi sint, non afficiuntur, sed vel pœna exilii puniuntur, vel ad triremes damnantur, saltem per triennium, vel ad aliam pœnam. Farin. *q.* 193. *num.* 85. 88. & *seqq.* Palao *p.* 2. *cit. num.* 1. Fagnan. *in cap. ad abolendam cit. numer.* 15. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 10. *num.* 13. Zoes. *num.* 18. Pirh. *num.* 92. *fin.* Reiffenstuel *num.* 325. & 328. potestque hæc pœna etiam esse pecuniaria. Farin. *l. cit. numer.* 111. Ratio est, quia licèt aliàs ordinariè loquendo pœnitentia non liberet à pœna mortis per crimen promerita, tamen hoc speciale est in crimine Hæresis, in qua pia Mater Ecclesia nullum vult pœnitentem è gremio suo abjicere, sed ad exemplum Dei, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat pœnitentes ita misericorditer recipit, ut saltem pœnam mortis evadant. 167

Addidi autem, *nisi relapsi sint*; nam relapsi, etsi, cum pœnituerint, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ipsis deneganda non sint, non tamen evitant pœnam corporalem, quin, non obstante pœnitentia, tradi debeant Curiæ sæculari, ut igni comburantur, non tamen vivi, sed post strangulationem. Gloss. *in cap. super eo* 4. *in cas.* & *V. deneganda hoc titul. in* 6. Abb. *in cap.* 9. *cit. num.* 1. Felin. *numer.* 2. Host. *numer.* 9. Clar. §. *Hæresis num.* 7. Farin. *q.* 193. *nu.* 32. Palao *p.* 2. *num.* 7. Barbos. *in c.* 9. *cit. n.* 20. Gonzal. *ibid. num.* 6. Vivian. *in c.* 4. *cit. pr.* 20. *tit. in* 6. Passerin. *ibid. n.* 5. Pirhing *n.* 98. Schambog *n.* 42. Reiffenstuel *num.* 320. 168

Excipit Palao *nu.* 7. *cit.* si Hæreticus relapsus sponte, & a nullo alio præventus, veniat, & manifestet, se in Hæresin abjuratam reincidisse; tunc enim putat pœnam mortis evasurum: rationem dat, quia causa, quare pœna mortis Hæreticis relapsis imponatur, est, quod præsumantur fictè converti, & esse incorrigibiles. atqui à nullo præventus seipsum defert, & pœnitentiam expostulat, clarum signum tribuit veræ conversionis. ergo &c. 169

go &c. Ampliat exceptionem istam cum aliis *Palao* etiam ad casum, quo quis jam est captus ob hæresin, dummodo fateatur hæresin, de qua in processu non constabat.

70 Argumenta contraria *n.* 164. allata non obstant. *Ad* 1. Ecclesia primitiva in hæreticos tam severè non animadvertit, quia propter multitudinem, & potentiam Infidelium tunc dominantium destituebatur viribus ad hoc necessariis. *Ad* 2. ex parabola zizaniorum discimus pati hæreticos, quando eorum extirpatio majora in publicum mala afferret.

71 Dub. 1. num pœnæ temporales, & corporales hactenus relatæ afficiant etiam hæreticos in Germania, & Rom. Imperio? Resp. distinguendo inter hæreticos Laicos, & inter Clericos, qui in hæresim inciderunt. Quoad *Laicos Hæreticos*, addictos sectis, quæ in Imperio tolerantur, pœnis istis in foro Sæculari locus non est, ob pacta, & fœdera publica, primò pacis Religiosæ, qua *anno* 1555. in Comitiis Augustanis Confessio Augustana quantum ad immediatos Status Imperii impune tolerari cœpit; *Pax Religios.* §. *doch sollen.* deinde etiam pacificationis Osnabrugensis, ubi privilegia, Augustanæ Confessionis Sectatoribus, seu protestantibus concessa, etiam ad Calvinistas, qui cum aliis hæreticis in pace Religiosa excludebantur, extensa sunt, dum unanimi consensu conclusum est, ut quæ vel in pace Religiosa, vel in ipso Instrumento pacis Osnabrugensis Augustanæ Confessionis Statibus, & subditis tributa sunt, etiam iis, qui inter illos *Reformati* dicuntur, competant. *Instrum. Pac. Osnabr. art.* 7. §. *unanimi.*

72 Dixi, *addictos sectis, quæ in Imperio tolerantur*; nam cæterarum Sectarum, quæ in Imperio non tolerantur, asseclis nulla est promissa securitas; hinc ad pœnas Jure latas meritò trahi possunt tam in foro Ecclesiastico, quàm in Sæculari. Imò etiam quoad Calvinistas dubitat P. Reiffenstuel *hic n.* 342. quia per pacem Religiosam quam Summi Pontt. non reprobatunt, soli illi, qui Confessioni Augustanæ addicti sunt, non item alterius sectæ immunes à pœnis, & participes Jurium, & privilegiorum facti sunt, & licèt, horum participes facti sint etiam Calvinistæ sub *Reformatæ Religionis* nomine per pacem Monasteriensem, & Osnabrugensem, Pax tamen ista positivè reprobata, & irrita declarata est ab Ecclesia per *Bullam Innocentii X.*

73 Hinc quamvis in foro Civili pax ista defacto observetur, ac propterea etiam alii hæretici, qui *Reformatæ Religionis* nomen sibi vendicant, à pœnis immunes esse permittantur, spectando tamen Jura, idem Pater Reiffenstuel *loc. cit.* cum P. Konig *hic n.* 21. *Vers. addidi* existimat, adversùs eos procedere posse Judicem saltem Ecclesiasticum, illos temporaliter punire, inque carceres perpetuos detrudere; tum quia pacta illa pacis Osnabrugensis ab Ecclesia expresè sunt irritata; tum quia esto, quòd valeant, majorem tamen vim, quàm Legis Civilis habere nequeunt, cons. Ecclesiam nullo modo obligant. Addit tamen laudatus P. Reiffenstuel *n.* 345. non expedire, ut Judex Ecclesiasticus hujusmodi Laicum propter Hæresim temporaliter, aut corporaliter in his partibus puniat, eò quòd sine publica perturbatione id fieri vix posset, hæreticis punitionem istam interpretaturis pro violatione pacis publicæ, & propterea vel ad manutentionem apud Catholicos, vel ad arma apud potentias externas Acatholicas conclamaturis.

74 Quidquid sit de pœnis temporalibus, Spiritualibus certè hæretici etiam *Laici* defacto in Germania possunt affici, quippe cùm Pontificis solius sit pœnas has relaxare. *Clerici* verò, & *Religiosi*, si in hæresi incidant, ne quidem temporales evadunt, sed iisdem pœnis (excepta Supplicii ultimi) etiam in Imperio à Judice suo Ecclesiastico executivè affici possunt, & debent, non aliter, acsi pax nulla unquam conclusa fuisset: tum quia Principes Laici per illum publicum Tractatum circa personas Ecclesiasticas quoad pœnas illarum statuere nil potuerunt *argum. cap. quæ in Ecclesiarum* 10. *de Constit.* tum quia Fœdus illud, seu pactum quoad easdem personas nec tacitè, nec expresè approbatum fuit ab Ecclesia eximendo hæreticos à pœnis Juris; imò contrarium hucusque practicavit, & adhuc practicat Ecclesia Clericos, & Religiosos Apostatas deprehensos temporaliter, & corporaliter puniendo, & ad carceres etiam perpetuos detrudendo. Reiffenstuel *n.* 341. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 3. *nu.* 50.

§. V.

De Judice in crimine Hæresis, Absolutione ab isto, & obligatione vitandi Hæreticos.

S U M M A R I U M.

175 &c. *Quinam sint Judices competentes in causa Hæresis?*
181 &c. *An de illa cognoscere possit etiam Judex Sæcularis?*
183 &c. *An cùm puniendi ad hunc transmittuntur, examinare processum ab Ecclesiastico Judice institutum?*
185 *An Judex Sæcularis Hæreticos possit capere?*
186 *Et pœnas por SS. Canones latas exasperare?*
187 &c. *Quis absolvere possit ab hæresi, & Excommunicatione per eam incursa?*
191 &c. *Quid requiratur, ut Episcopus possit absolvere ab hæresi occulta pro foro conscientiæ vi Tridentini?*
195 *An facultas hæc ipsis concessa per Trid. per Bullam Cœnæ sit revocata?*
200 &c. *Quid nunc Episcopi post Bullam Cœnæ possint quoad absolutionem ab hæresi?*
204 &c. *Quam facultatem ab hæresi absolvendi habeant Regulares?*
207 &c. *An ab ista absolvere possint Confessarii vi Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi?*
209 *Quis absolvere ab illa possit in articulo mortis?*
210 *Vel quando adiri non potest Pontifex?*
211 &c. *An hæretici, eorumque credentes &c. sint vitandi?*
213 &c. *Quæ communicatio cum his sit permissa?*
218 &c. *Quæ prohibita?*
221 &c. *An Principes Catholici possint recipere, vel tolerare in suis territoriis hæreticos, & ritus eorum?*
224 &c. *An, & qualiter cum iis inire fœdus, uti ipsorum auxilio &c.*

QUæritur 1. quinam sint Judices competentes Ordinarii in crimine hæresis? Resp. talis 1. est *Pontifex*; nam hic est Supremus Judex in crimine hæresis à quo omnis aliorum Judicum Jurisdictio Spiritualis descendit, & dependet. Farin. *prax. crim. qu.* 186. *nu.* 1. Palao *tr.* 4. *D.* 8. *part.* 12. §. 1. *num.* 1. Pithing *hic num.* 123. Schambog. *num.* 52. Reiffenstuel *n.* 113. Imò in quæstione, an aliquod dogma hæreticum sit, necne, solus Papa judicare, & cognoscere potest. Farin. *loc. cit. nu.* 2. 175

2 *Legatus à latere*, Jure communi spectato; quia hic Summi Pontificis vices in omnibus plenissimè gerit: & ideo etiam supra Inquisitores Jurisdictionem habere videtur, ex *Constitut.* seu *Literis Urbani IV.* quarum tenorem recenset Umbert. Locat. *in Judicial. Inquisit. V. Legatus n.* 2. Gundisal. *tr. de hæret. qu.* 7. *nu.* 8. ubi dixit, quòd in crimine hæresis in his, quæ jam per Ecclesiam definita sunt, Legatus Sedis Apostolicæ sit Judex competens per textum *c. ut commissi* 12. *hoc tit. in* Addidi autem *Jure communi spectato*; nam de consuetudine Legati Sedis Apostolicæ sine speciali commissione Papæ, vel Supremi Tribunalis S. Inquisitionis non solent se intromittere. Farin. *loc. cit. num.* 4. Palao *n.* 1. *cit.* Passerin. *in c.* 17. *n.* 7. *hoc tit. in* 6. Pithing *hic nu.* 123. 176

3 *Episcopus* respectu omnium Hæreticorum suæ Diœcesis, sive Clerici illi sint, sive Laici. Host. *in capit.* 9. *V. singuli hoc tit.* Joan. Andr. *ibid. num.* 3. Azor *p.* 7. *libr.* 8. *capit.* 18. *quæst.* 2. Farinac. *quæst.* 186. *numer.* 5. *& seqq.* Palao §. 1. *citat. num.* 2. Passerin. *in cap.* 17. *citat. num.* 2. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 166 *num.* 3. Pithing *hic num.* 124 Scambog. *num.* 52. & constat ex *Clem.* 1. §. *propter quod* 1. *hoc tit.* ibi, *Per Diœcesanos Episcopos*. Idque extenditur etiam ad Exemptos à Jurisdictione Episcopali; nam etiam adversùs 177

istos

istos procedere potest in crimine Hæresis, non quidem ut Judex Ordinarius, sed ut Judex Delegatus Papæ juxta *capit. ad abolendam 9. fin. hoc titul.* Petra *loc. citat.* Passerin. *num.* 3. Ratio est, quia ad Episcopum spectat extirpare Hæreses, & lupos à causa arcere. Imò si Episcopus in expurganda Diœcesi sua ab Hæreticorum erroribus negligens fuerit, idque certis indiciis constiterit *capit. excommunicamus* 13. §. *ultim. hoc titul.* ab Episcopali Officio jubetur deponi, & in ejus locum alius idoneus institui, qui velit, & possit Hæreticam pravitatem confundere.

178 4 *Capitulum, Sede Episcopali vacante*, prout constat ex *cap. ad abolendam cit.* ibi, *Vel Clerici ipsi, Sede vacante, cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, Hæreticos judicaverint &c.* quia vacante Ecclesia Cathedrali, Jurisdictio manet penes Capitulum. Gloss. *in cap. ad abolendam cit. Vers. Clerici*, Abbas *ibid. num.* 4. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 21. *nu.* 13 Farinac. *quæst.* 186. *num.* 177 Palao §. 1. *cit. num.* 5. Fagnan. *in cap. cit. num.* 13. Barbosa *ibid. numer.* 22 Passerin. *in cap.* 17. *cit. num.* 6. Pirhing *hic numer.* 125 Reiffenstuel *ibid. num.* 440 Idque procedit, sive Sedes propriè vacet per mortem Episcopi, sive quasi vacet per captivitatem, vel quia propter Litteras Confirmationis non expeditas Episcopus electus administrare non potest, Gloss. *in Clem.* 1. *V. Sede vacante hoc tit.* Farinac. *loc. cit. num.* 179 cum *citt. Excipitur*, si Clericus in hæresim lapsus exemptus sit; in hunc enim probabiliùs non potest procedere capitulum, ut notant Decian. *loc. cit. num.* 14 Farinac. *num.* 182 Palao *num.* 6. Petra *num.* 13 Pirhing *num.* 125 Reiffenstuel *numer.* 441 quia capitulum non succedit Episcopo, nisi in iis, quæ ei competunt Jure ordinario, non autem, quæ Jure delegato, ac speciali.

179 5 *Prælati inferiores Episcopo*, habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum ab Episcopis independentem; nam hi non minùs, ac Episcopi procedere possunt in causa hæresis, ut notat Molin. *tract.* 5. *de Just. D.* 28. *num.* 11. Palao §. 1. *cit. num.* 6 *fin.* Passerin. *in cap.* 17. *citat. num.* 4. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 166. *num.* 18 Secus est de prælatis non habentibus territorium, etiam Regularibus; nam hi de subditis Hæreticis, vel de Hæresi suspectis cognoscere non possunt, nec illos citare, aut contra illos inquirere, vel procedere ex *Constitut. Pauli V.* incipit *Romanus*, quæ in Bullario est 26 ubi idem Pontifex, abrogatis omnibus privilegiis, prohibuit omnibus Religiosorum Superioribus, ne in hujusmodi causis se ingerant, voluitque eas solùm ab Inquisitoribus, aut Ordinariis cognosci posse: quam Constitutionem confirmavit *Alexander VII.* alia *Constitut.* incipit *Licet alias* 8. *Jun.* 1660 In Germania tamen, ut notat P. Reiffenstuel *hic num.* 438. videtur usus, & consuetudo obtinuisse, quòd prælati Regulares suos subditos etiam in causa Hæresis judicent, & pœnis Juris afficiant, ut patet ex praxi; nam casu, quo Regularis Apostata, Hæreticam Sectam amplexus, denuo revertitur, aut capitur, non ab Episcopo, sed à prælato suo Regulari judicatur, ac punitur.

180 Præter enumeratos Judices, qui Ordinaria potestate cognoscere de crimine Hæresis possunt, alii de eo cognoscere possunt potestate Delegata. Inter hos præcipuum locum obtinent *Inquisitores Sac. Officii*; de quibus suprà *à num.* 74. Potest autem potestas hæc etiam aliis delegari, præcipuè verò ab Episcopo Vicario suo: independenter à qua delegatione Vicarius Generalis non est Judex competens in crimine Hæresis; quia ob gravitatem istius criminis requiritur specialis commissio, ut colligitur ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* ibi, *Ipsis Episcopis, & non eorum Vicariis commissum* Farin. *quæst.* 186 *num.* 13. Palao §. 1. *cit. num.* 8. Passerin. *in cap.* 17. *cit. num.* 9. Petra *fol.* 166. *cit. nu.* 16 Pirhing *num.* 124. Reiffenstuel *num.* 439 Idem de Vicario Capituli Sede vacante etiam docet Farin. *num.* 13 & Palao *num.* 8. *cit.* Sed attentis principiis, quæ *Libr.* 1. *Tit.* 28. *num.* 30. jeci, videtur tenendum contrarium; quia secundùm ibi dicta Vicarius capituli Sede vacante vi generalis suæ commissionis potest omnia, quæ Sede plena indigent speciali mandato, quòd Capitulum omnem suam potestatem, & Jurisdictionem transfuderit in Vicarium à se electum: ergo nisi hoc alteri specialiter delegaverit, hic ejus Vicarius etiam cognoscere poterit de causa Hæresis.

Dub. 1. an de causa hæresis cognoscere etiam possit Judex Sæcularis? Resp. olim hunc potuisse cognoscere de crimine Hæresis, quando ejusdem insimulatus est Laicus, prout cum Decian. *tract. criminal. lib.* 5. *cap.* 25. *numer.* 8. communis DD. habet, & sumitur ex *l. cunctos* 1. §. *fin. C. de Summ. Trinit. & l. quicumque* 8. §. *fin. C. hoc tit.* Hodie verò ejus cognitio, sive principaliter, sive incidenter in Judicium deducatur, est fori Ecclesiastici tantùm. Ita Gloss. *in cap. ut inquisitionis* 18. *V. quoque hoc tit. in* 6. Joan. Andr. *ibid. V. prohibemus*, Farin. *prax. qu.* 186. *à num.* 153 Palao *D.* 8. *cit. part.* 14. *num.* 2. Thom. del Ben. *de Immunit. cap.* 16 *dub.* 22. *nu.* 12. Petrus Barbosa *in l. Titia* 34. *ff. solut. Matrim. num.* 37 August. Borbosa *in cap.* 18. *cit. num.* 7. Passerin. *ibid. num.* 23 & 24 Fagnan *in cap. ad abolendam* 9. *num.* 10 & 21 Vincent. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 6. *num.* 7. & 8. Honor. *hic num.* 1. Pirhing *num.* 126 & 127 Schambog. *num.* 53 Vviestner *num.* 36 Reiffenstuel *num.* 431 & patet ex *cap. ut inquisitionis cit. vers. prohibemus quoque*, cujus Constitutionem confirmavit *Julius III. Constit.* incipit. *Licèt edita* 1551 *Gregorius XIV. Const.* incipit *Quia aliàs edita* 28. *Maii* 1591. ibi, *De crimine Hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertinet, neque Curia Sæcularis se quoquo modo intromittat. Ratio est*, quia Hæresis crimen merè Ecclesiasticum est, utpote contra quod ex Divinis Litteris, & secundùm SS. Canones pronuntiandum est; atqui de re merè Ecclesiastica, sive incidenter, sive principaliter in Judicium deducatur, cognoscere, & pronuntiare non Sæcularis, sed Ecclesiasticæ est potestatis *cap. decernimus* 2. & *cap. seq. de Judic. cap. tuam* 3. *de Ord. cognit. cap. lator* 7. *qui fil. legit. cap. si Judex* 12 *de Sentent. Excomm. in* 6. 18

Proceditque hoc, etiamsi facti sit quæstio, ut notat Barbosa *in l. Titia cit. num.* 38 Pirhing *num.* 127 *coroll.* 3. Vviestner *num.* 37 Reiffenstuel *num.* 432 *Ratio est*, quia facti quæstio, de Hæresi mota, à Juris quæstione ferè separari non potest: quod inde ostenditur; quia ut Hæreticorum pœnis quis affici possit, non sufficit constare, quòd Hæretica verba protulerit, sed ulteriùs investigandum an ea protulerit ex scientia, vel ex ignorantia, ex malitia, vel simplicitate, cum, vel sine pertinacia, verbo, an adsint omnia, quæ ad Hæresin, pœnis Ecclesiasticis obnoxiam, à SS. Canonibus exiguntur: hoc autem est Juris quæstio: ergo &c. 18

Dub. 2. an Magistratus Sæculares, quando in Hæreticos, de Hæresi condemnatos, ac sibi traditos, jubentur debita animadversione procedere, possint examinare justitiam causæ, & processus, ab Inquisitoribus, & Episcopis instituti? Resp. non posse, sed absque, dilatione, h. e. intra quinque, vel sex dies sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ in eosdem debent procedere *capit. ut inquisitionis Vers. prohibemus citat.* junct. *Gloss. V. percussum, & Constit. Innocent. IV. & VIII.* apud Farin. *q.* 186. *n.* 162 Palao *p.* 14. *cit. n.* 5. Fagn. *in c. abolendam* 23. Barb. *in c. ut inquisitionis n.* 4 Reiffenstuel *hic num.* 452 Eamdem censuram incurrunt Magistratus Sæculares, quando Judicibus Ecclesiasticis, brachium ipsorum invocantibus, succurrere renuunt in iis, quæ Officium Inquisitionis spectant, præsertim in incarceratione, & custodia reorum *cap. ut inquisitionis cit. post pr.* Palao *num.* 10 Imò recusantes exequi sententiam ab Inquisitoribus latam, vel omittentes his succurrere pro Hæreticis puniendis, quando requisiti sunt, suspecti redduntur fautoriæ, ac proinde adversus ipsos, tanquam fautores Hæreticorum procedi potest, Farinac. *n.* 164. Palao *n.* 10. *cit.* 18

Excipitur, si Judex Laicus evidenter, & certò, absque ulla tergiversatione, & processus visione cognoscat, eum, qui de hæresi condemnatus est, & sibi traditus ad executionem supplicii capitalis, innocentem esse, quòd verb. grat. testes falsi adversùs ipsum deposuerint; tunc enim supersedere ab executione Sententiæ debet, & Judicem Ecclesiasticum de innocentia condemnati informare; quia secundùm dicta *libr.* 1. *Titul.* 32. *num.* 30. innocens, qui ut talis certò est cognitus, non potest in causa capitali ad pœnam sanguinis secundùm allegata, & probata condemnari, quòd intrinsecè malum sit innocentem occidi: igitur 18

neque

neque exequi ſententiam ab alio latam, Judex poterit tali caſu, ſi ipſe certò cognoverit condemnatum innocentem eſſe. Aliud eſt, ſi nullitas, vel injuſtitia Sententiæ ex ſe evidenter non appareat; tunc enim nullo modo licet Judici Sæculari executionem ſententiæ contra Hæreticum differre prætextu nullitatis, aut probationes recipere ad effectum ſuperſedendi ab executione illius, & remittendi cauſam Superiori. *Neque obſtat*, quòd in aliis delictis hoc fieri poſſit, quando in continenti probationes offeruntur; nam in crimine Hæreſis ob favorem Fidei hoc prohibitum eſſe videtur ex Reſcripto *Innocentii VIII.* ut aliis *citt.* notat Palao *p.* 14. *cit. num.* 7. *fin.*

185 Dub. 3. an Principes, cæterique Magiſtratus Sæculares ſaltem poſſint de Hæreſi diffamatos, aut ſuſpectos capere, & incarcerare? Reſp. poſſe, non tamen, ut ipſimet cauſam examinent, ſed ut Eccleſiaſticorum Judicum examini eos remittant. Clar. §. *Hæreſis nu.* 5. Farin. *quæſt.* 186. *num.* 158. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 7. *num.* 13. Pirhing *hic num.* 127. *coroll.* 3. Schambog. *numer.* 53. Vvieſtner *numer.* 38. Reiffenſtuel *numer.* 455.

186 Similiter valida, imò & laudabilia ſunt illorum Statuta quibus proceſſus, à locorum Ordinariis, & Inquiſitoribus adversùs Hæreticos inſtituti, promoventur, pœnæque, Hæreticis per SS. Canones inflictæ, augentur, & exaſperantur. Decian. *tract.* *crim. lib.* 5. *cap.* 25. *num.* 2. *Verſ. ſed & Canoniſtarum*, Farin. *loc. cit. num.* 157. Palao *num.* 4. Vvieſtner *num.* 39 Reiffenſtuel *num.* 456.

187 Quæritur 2. quis abſolvere poſſit ab Hæreſi, & Excommunicatione per illam incurſa? Reſp. intereſſe, an crimen Hæreſis occultum adhuc, ſit, & ad forum contentioſum nondum deductum, an contra ad hoc deductum. *Occultum* cenſebitur non tantum tunc, quando per teſtes probari non poteſt, ut putat Garc. *part.* 2. *de Benef. cap.* 11. *num.* 46. ſed quod non eſt publicum, ſeu notorium, & famoſum: quare etiamſi delictum ab aliquibus ſciatur, & probari poſſit, ſi tamen non ſciatur à majore parte viciniæ, aut Parochiæ, vel Collegii, ſeu Communitatis, in qua ſaltem decem ſint perſonæ, adhuc debet cenſeri occultum. Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæſt*, 9. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 19. Barboſa *de Offic. Epiſcop. alleg.* 39. *num.* 21 Pirhing *hic nu.* 39. *not.* 4.

188 *Ad forum contentioſum deductum* tunc cenſebitur, quando accuſatio, vel denuntiatio coram legitimo Judice facta eſt, & reo intimata, iſque citatus; quia citatio eſt primus actus Judicii Sanchez *loc. cit. num.* 21 *& lib.* 8. *de Matrim. cap.* 34. *num.* 58. Alii vero probabiliter putant, non poſſe dici delictum deductum ad forum contentioſum, niſi poſt litis conteſtationem; quòd ante hanc non dicatur propriè cœptum Judicium, nec lis mota, cùm forum verè contentioſum dici non poſſit, niſi ſuper delicto commiſſo negando, vel confitendo contendatur, per quem actum etiam in criminalibus inducitur conteſtatio litis Barboſa *alleg. cit. num.* 29. *& duob. ſeqq.* Pirhing *num.* 40 Id verò intelligendum eſt dum lis pendet, ſeu durat Judicium; nam ſi delinquens ob defectum plenæ probationis in foro externo ſit abſolutus, delictum iterum ſit occultum, neque dici poteſt cum effectu deductum ad forum contentioſum, Sanchez *capit.* 11. *citat. num.* 21. Barboſa *num.* 32. *&* 33. Pirhing *num.* 40. *citat.*

189 His prænotatis, dicendum, ſi Hæreſis crimen ad forum contentioſum deductum eſt, Jure ordinario, & præſcindendo à ſpecialibus privilegiis, abſolvere ab ea poſſe ſolum Summum Pontificem, cui abſolutio illius reſervata ratione Excommunicationis illi annexæ, ut omnes fatentur. Et afficit reſervatio hæc non tantùm Cenſuram, ſed etiam ipſum peccatum Hæreſis per ſe, & immediatè, adeò, ut etſi quis bona fide abſolutus ſit ab eo, qui poteſtatem abſolvendi à Cenſuris Pontifici reſervatis non habet, abſolutio iſta ſit irrita etiam quoad culpam, ideòque peccatum illud reus iterum confiteri debeat; quod non eſſet neceſſarium, ſi peccatum Hæreſis non eſſet reſervatum per ſe: tunc enim abſolutio peccati valeret, & ita abſolutus abſolvi ſolum deberet à Cenſura. Sublata verò Excommunicatione Hæreſis per eum, qui legitimè poteſt ab ea abſolvere, ceſſat quoque peccati reſervatio, ita, ut quilibet Confeſſarius ab Hæreſis peccato tunc poſſit abſolvere; quia non reſervatur, niſi ut conjunctum cum Excommunicatione. Hinc etiam, qui aliquo ex capite ob Hæreſim, quam commiſit, Excommunicationem non incurrit, e. g. quia ignoravit, Cenſuram iſtam annexam Hæreſi eſſe, etiam non incurrit reſervationem culpæ. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 8. *num.* 5. *& cap.* 11. *num.* 1. Suarez *D.* 21. de *Fid. ſect.* 4. *num.* 2. Palao *tr.* 4. *D.* 4. *part.* 3. *pr.* Pirhing *hic nu.* 37. Schambog. *nu.* 42. Reiffenſtuel *n.* 346.

Si crimen Hæreſis occultum, & necdum ad forum contentioſum deductum ſit, abſolvere ab Hæreſi, & Excommunicatione ipſi annexa pro foro conſcientiæ ex vi Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* poteſt Epiſcopus. Quo nomine hic veniunt 1. *Epiſcopi etiam electi, & confirmati tantùm*, etiamſi non ſint conſecrati, imò nec Sacerdotes; quia abſolutio ab Excommunicatione non eſt abſolutio Sacramentalis, etiamſi fiat in foro conſcientiæ tantùm, ſed actus Juriſdictionis. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 3. *fib.* Baboſa *de Offic. Epiſc. alleg.* 39. *numer.* 2. *&* 3. Palao *part.* 3. *citat.* §. 1. *num.* 2. 2. *Capitulum, Sede vacante*, ut docet Sanchez *loc. cit. num.* 4. ex ratione; quia poteſtas iſta, licèt per privilegium, Jure tamen communi, & Juriſdictione ordinaria competit, quæ autem ſic competunt, tranſeunt in Capitulum: contrarium tamen aliis *citt.* defendit Palao *num.* 3. 3. *Prælati alii inferiores*, Juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem habentes in territorio ſuo. Avil. *de Cenſur. part.* 7. *D.* 10. *dub.* 6. Sanchez *num.* 5. Palao *num.* 4. Pirhing *num.* 38. contra Garc. *part.* 7. *de Benef. cap.* 11. *num.* 13. *&* 17. & quoſdam alios; quia poteſtas hæc, in Decreto iſto Conciliari conceſſa Epiſcopis, ad Juriſdictionem pertinet, ſed hujuſmodi Prælati Juriſdictione Epiſcopali gaudent, ſolùmque differunt ab Epiſcopis in conſecratione, 4. *Prælati Regulares exempti*, quamvis non habeant territorium, non quidem vi *Trid.* quia hoc tantùm loquitur de habentibus Diœceſim propriam; ſed ex conceſſione Sancti Pii V. qui ſpeciali privilegio Facultatem, per *Trid.* conceſſam Epiſcopis, extendit etiam ad Prælatos conventuales exemptos *Mot. propr.* apud Rodriq. *tom.* 1. *qq. Reg. quæſt.* 61. *art.* 9. *fin.* Palao *numer.* 5. *&* 6. Pirhing *num.* 39. contra Sanchez *num.* 7. 190

Dub. 1. quid requiratur, ut Epiſcopus in foro conſcientiæ abſolvere poſſit ab Hæreſi occulta, & incurſa per eam Excommunicatione? Reſp. 1. requiritur, ut ſubditos & Diœceſim habeat; nam ratione ſubditorum in propria Diœceſi datur Epiſcopo hæc poteſtas: conſ. Epiſcopi Titulares de Jure abſolvere nequeunt ab iſta Excommunicatione, Pirhing *hic num.* 38. 191

2 Ut non exerceat poteſtatem iſtam, niſi in ſubditos: quo nomine tamen ex conſuetudine generali Eccleſiæ, & benigna interpretatione Summi Pontificis, veniunt omnes illi, qui à tali Epiſcopo percipere poſſunt Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, adeoque non tantùm illi, qui domicilium, vel quaſi in Diœceſi ipſius habent, ſed etiam peregrini, & vagabundi. Garc. *part.* 11. *de Benef. cap.* 10. *num.* 139. *in Declar.* 3. Sanchez *cap.* 11. *cit. num.* 8. 9. *&* 17 Barboſa *alleg.* 39. *num.* 4. *&* 5. Palo *part.* 3. *cit.* §. 1. *num.* 8. Pirhing *num.* 39.

3 Non poſſunt Epiſcopi abſolvere ab Hæreſi etiam pro foro conſcientiæ extra Diœceſim exiſtentes, prout patet ex Decreti verbis *in Diœceſi ſua*. *Neque obſtat*, quòd hæc abſolutio ſit actus Juriſdictionis voluntariæ, quem erga ſubditum exercere Epiſcopus, etiam extra Diœceſim ſuam exiſtens, poteſt; nam verba prædicta conceſſionem reſtringunt ad Diœceſim, conſequenter reſtringunt dictam Regulam Barboſa *alleg. citat. num.* 7. Palao *numer.* 13 Pirhing *numer.* 39 *Verſ. deinde.* 192

4 Abſolutionem ab Hæreſi impertiri Epiſcopus ſolum poteſt per ſeipſum, non autem per Vicarium; nam ita expreſsè *Trident.* in Decreto allegato *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform. fin.* ibi, *Eis tantum, non eorum Vicariis. Excipiunt* aliqui, quòd Epiſcopus pro una, vel altera vice poſſit alicui ſpecialiter committere facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta. Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæſt.* 11 Sanchez *cap.* 11. *cit. num.* 23 193

Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. Contrarium tamen tradit Molin. *tr.* 5. *de J. & J. D.* 18. *num.* 2. Gutier *l.* 1. *qq. can. cap.* 13. *num.* 29. Garc. *part.* 11. *de Benef. cap.* 10. *num.* 113. Palao *num.* 20. & alii; quia dictio taxativa *Tantum* apposita Episcopis restringit potestatem absolvendi ab hæresi ad eorum personas, & particula *Non* posita ante Vicarios excludit omnes Vicarios, etiam ad unum, vel alterum casum deputatos. Et hæc Sententia videtur esse probabilior, & tutior, cùm opposita non sit certa ante Declarationem Summi Pontificis: quare antequam iste mentem suam ulterius declaret, abstinendum erit ab hujusmodi commissione in casu etiam speciali; quia in dubio illicitum est uti Jurisdictione, de qua non constat, an sit concessa, præsertim si excommunicatio annexa sit, ut notat Molin. *loc. cit.* quem sequitur Pirhing *num.* 40. *cit. fin.*

194 Imò vix in aliquo casu potest contingere, ut necessarium sit Episcopum absolutionem ab hæresi committere alicui alteri, ut bene advertit Palao *loc. cit.* quia ut in ejusmodi commissione prudenter procedat Episcopus, debet instructus esse causa sufficiente ad delegandum: cùm autem de causa requisita ad delegationem illam specialem instruitur, etiam potest instrui de causa requisita, & conveniente ad tollendam Censuram. Poterit ergo eo casu Episcopus, etiam reo absente, Censuram absolutione sua tollere, qua sublata, peccatum hæresis non ampliùs reservatum est, sed ab illo absolvere quivis Confessarius potest, ut adeo non ampliùs necessarium sit ejus absolutionem delegare alteri.

195 Dub. 2. an facultas, ex relato *Trid.* Decreto concessa Episcopis, per *Bullam Cœnæ* quoad absolutionem ab hæresi, & cæteris casibus contentis in Bulla ista sit revocata? Verba Bullæ §. *cæterum* sunt sequentia: *Cæterum à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem nisi in articulo mortis constitutus - - - absolvi potest, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscunque personis Ecclesiasticis - - - etiam Episcopali vel alia majori dignitate præditis - - - per Nos, & dictam Sedem, aut cujusvis Concilii decreta - - - concessorum &c.* Et additur Excommunicatio adversùs eos, qui sic absolvere præsumpserint. Ita *Gregorius XV.* & *Urbanus VIII.* in suis Bullis.

196 Negant hanc potestatem Episcopis pro foro conscientiæ in peccato Hæresis occulto revocatam esse, Banez 2. 2. *quæst.* 11. *artic.* 4. *dub.* 2. *post Conclus.* 2. *argument.* 3. Navar. *lib.* 5. *consult.* 11. *quæst.* 1. *de Privileg.* Gutier. *lib.* 1. *qq. canon. cap.* 13. *fin.* Henriq. *lib.* 6. *de Pœnit. cap.* 14. *num.* 7. & alii plures, quos referunt Sanchez, Barbosa, & Palao *num. seq.* allegandi. *Fundamentum* illorum præcipuum est, quia correctio Juris vitanda est, quoad fieri potest, potest autem vitari, si dicatur, quòd Bulla Cœnæ revocans, quas vis facultates absolvendi ab Hæresi, & aliis casibus expressis, intelligi debeat, de peccatis publicis, & de absolutione, quæ etiam in foro externo prosit.

197 *Sed dicendum*, longè probabiliùs per Clausulam Bullæ relatam Episcopis revocatam esse facultatem absolvendi ab Hæresi, & reliquis ibi contentis. Ita Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 10. Marc. Ant. Genuef. *prax. Archiep. Neapol. cap.* 67. *num.* 10. *edit.* 1. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 27. Suarez *D.* 21. *de Censur. sect.* 3. *numer.* 5. Garc. *part.* 11. *de Benef. cap.* 10. *num.* 115. Farinac. *prax. quæst.* 192. *num.* 61. Bonacina *D.* 1. *de Censur. quæst.* 3. *part.* 2. *numer.* 1. *Vers.* 1. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 40. *num.* 23. *& seqq.* Palao *tract.* 4. *D.* 4. *part.* 3. §. 1. *num.* 22. Sperell. *decis.* 112. *num.* 61. Pignatell. *tom.* 1. *consult.* 291. *num.* 2. Vinc. Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 178. *numer.* 10. Reiffenstuel *hic num.* 362. sicque teste Marc. Anton. Gen. *loc. citat.* declaratum est à *Gregor. XIII.* & *Clement. VIII.* item à *Sac. Congregat. Concil.* teste Fagnan. *in cap. quoniam de Constit. num.* 29. *& cap. dilectus de temp. ordin. num.* 31. ubi subjungit; *Unde frustra nonnulli ex RR. TT. hunc articulum in controversiam adducunt, cùm habeamus claram determinationem Sacr. Congregat.* Similes Declarationes refert Piasec. *prax. part.* 1. *cap.* 1. *art.* 3. *numer.* 6. *& seqq.* & novissimam *in Causa Hiberniæ* 9. *Septembris* 1690. Vinc. Petra *fol.* 178. *citat. num.* 19. Hinc meritò Alexander VII. in Decreto edito 1665. inter alias propositiones tanquam scandalosam damnavit sequentem: *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno* 1629. *die* 18. *Julii in Consistorio S. Congregat. Eminentissimorum Cardd. visa, & tolerata est.*

Fundamentum præcipuum istius sententiæ est quia in Bulla Cœnæ Papa prohibet, ne quis absolvat ab Hæresi, aliisque casibus in Bulla contentis, prætextu facultatum, vel privilegiorum, quæ Episcopis, aliisque sunt concessa à Sede Apostolica, etiam vi Decreti alicujus Concilii, sed nullum Concilium, nisi *Trid.* hanc facultatem absolvendi in casibus occultis concessit Episcopis: ergo illum intendit Pontifex revocare. *Argumento*, quod in contrarium *num.* 196. allegatum est, locus duntaxat est stante dubio de intentione Legis; fallit autem, si aliunde constet de contraria intentione Legis, seu dispositione Legislatoris, prout fit in proposito. 198

Excipiunt aliqui Episcopos in Regionibus ab Urbe remotioribus, quos putant sententiam priorem, scilicet facultatem hanc, Episcopis à *Trid.* datam, per *Bullam Cœnæ* revocatam non esse, in praxi tutò amplecti posse, & propterea Lutheranos, Calvinistas, ac similes Hæreticos, qui Catholicam Fidem suscipere volunt, per se, vel per Delegatos suos in foro conscientiæ absolvere non tantùm ab Hæresi occulta, sed etiam à notoria, & publica; quia ob nimiam frequentiam, & multitudinem absolvendorum adest necessarium, & evidens impedimentum eos mittendi Romam, & ideo tales casus Papales fiunt Episcopales. Layman *de Jurisd. Ordin. concl.* 72 Wagnereck *in c. licèt de offic. Vicar. in* 6. Pirhing *hic num.* 42. Sed hoc verum credo, non vi *Trid.* vel alterius juris, sed vigore specialium facultatum, quæ hujusmodi Episcopis remotioribus à Sede Apostolica singulis quinquenniis renovandæ concedi solent, ut notat P. Wiestn. *hic num.* 50. 199

Dub. 3. quam ergo potestatem absolvendi ab Hæresi nunc post Bullam Cœnæ habeant Episcopi? Resp. 1. *in foro externo*, non obstante hac Bulla, possunt Episcopi, præsertim Germaniæ, ubi alii Inquisitores Hæreticæ pravitatis non sunt, de Jure communi absolvere Hæreticos (dummodo non sint Hæresiarchæ, seu novæ Hæresis authores, aut relapsi) ab Excommunicatione Papæ reservata, tanquam Delegati Sedis Apostolicæ, abjurata priùs Hæresi, & injuncta illis Pœnitentia, prout sumitur ex *c. ut officium* 11. *pr. Vers. si verò hoc tit. in* 6. & tradit *ibidem* Franc. *nu.* 2. Farin. *prax. q.* 192. *n.* 51 Palao *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 3. §. 1. *n.* 23 Pirhing *hic num.* 42 Reiffenstuel *ibid. n.* 369 quæ absolutio illis prodest etiam in foro interno, ita, ut ablata Excommunicatione, à quovis Confessario approbato à peccato Hæresis absolvi possint, cùm è contrario absolutio, data in foro interno, non prosit pro foro externo: & hinc absolutus in foro interno, si postea de Hæresi accusetur in foro externo, non evadit pœnas illius fori, Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 12. *num.* 7. Barbosa *alleg.* 40. *num.* 29 Pirhing *num.* 44. *Vers. illud Ratio est*, quia utrumque Judicium tendit ad diversos fines; nam pœnitentia, in foro interno imposita, tendit ad hoc, ut satisfiat Deo, & imponitur tanquam medicina propriæ salutis: at pęna fori Judicialis externi tendit ad vindictam publicam, ut satisfiat Reip. pravo Hæretici exemplo læsæ. 200

2 *In foro* etiam *interno* possunt Episcopi ab Hæresi absolvere Jure Ordinario, & secluso speciali privilegio eum, qui ob impedimentum perpetuum, vel ad longum tempus duraturum prohibetur adire Pontificem. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. Diana *par.* 12. *tract. de Conclav. resolut.* 24. Palao *part.* 3. *cit.* §. 5. *numer.* 4. *& seqq.* Reiffenstuel *hic num.* 372 Ratio est, quia casus Papalis, superveniente impedimento, adeundi Papam, fit Episcopalis; imò ejusmodi impedimentum perpetuum, vel diu duraturum reputatur tanquam verus articulus, seu periculum mortis in ordine ad impetrandam dictam absolutionem ab alio, quàm à Papa, cùm moraliter certus sit, se ante mortem non posse adire Papam pro obtinenda absolutione. 201

Ne-

202 Neque ita impeditus tenetur mittere procuratorem, vel scribere ad Sac. pœnitentiariam pro obtinenda absolutione à Censuris Papæ reservatis Sanchez *lib.2.mor. cap.* 13. *n.* 14 Diana *loc. cit. resol.* 24. §. *nec in tali casu*, Barbosa *alleg.* 41. *num.* 7. Palao §. 5. *cit. num.* 7. Bassæus *V. absolutio num.* 30 Reiffenstuel *num.* 393 Ratio est, quia Jura solùm exigunt, ut reus personaliter adeat Papam, seu ut Apostolico conspectui se præsentet; ergo si hoc non potest, ad aliud à Jure non impositum minimè tenetur, Dixi, *minime tenetur;* nam ad majorem quietem conscientiæ rectè fit contrarium, idque in praxi observatur, præsertim in locis ab Urbe parum distantibus, ut notant DD. apud Diana *resol.* 25. *assert.* 3.

203 Debet tamen Episcopus, in casu Impedimenti absolvens Hæreticum, ita absoluto sub juramento injungere, ut cessante impedimento, Romam se conferat, ut notat P. Reiffenstuel *numer.* 375. ubi addit in locis remotioribus Episcopos censeri præscripsisse Jurisdictionem absolvendi impeditos sine onere. Imò ut Layman *cap. 6. citat. num. 6.* testatur, in Germania Lutherani, & Calvinistæ, qui Catholicam Fidem amplecti volunt, quamvis notoriè tales sint, ordinariè ne quidem ad forum contentiosum Episcopi deducuntur, sed mox instituuntur in Fide Catholica, & post abjurationem Hæresis ad Confessionem Sacramentalem, & susceptionem Sac. Eucharistiæ admittuntur.

204 Dub. 4. quam potestatem absolvendi ab Hæresi habeant Regulares? Resp. in his spectanda sunt Ordinum singulorum privilegia. In Societate JESU vi privilegii Apostolici concessi à *Julio III.* 22. *Octobr.* 1552 & confirmati à *Gregorio XIII.* 28. *Martii* 1584. ab Hæresi, & Censuris, per eam contractis (extra Hispaniam & Italiam juxta *Declarationem Clem. VIII.* 16. *Novembris* 1592.) quoscunque absolvere in foro conscientiæ potest præpositus Generalis, & facultate ab eo communicata Provinciales, qui etiam eandem facultatem aliis sibi subjectis communicare possunt, ut habetur in *Compend. privil. dict. Societ. V. Absolutio* §. 7.

205 Item omnibus superioribus Societatis, & iis, quibus ipsi communicaverint, concessa est facultas absolvendi ab Excommunicatione, incursa ob Lectionem Librorum prohibitorum, in iis locis, ubi possunt nostri ab hæresi absolvere, prout concessit *Gregorius XIII.* 6. *Novembris* 1583. & habetur in *cit. Compend. V. Absolutio* §. 4. ubi advertitur, si Libri prohibiti editi sint ad stabilienda Dogmata Hæretica, facultatem hanc à Superioribus communicari non posse, nisi in casibus particularibus, perspectis circumstantiis. In iis verò Provinciis, in quibus peculiari concessione amplior esset facultas, liber permittitur illius usus. Palao *tr.* 4. *D.* 4. *p.* 3. §. 3. *n.* 3.

206 Respectu illorum, qui sub obedientia Societatis vivunt, facultas absolvendi ab hæresi, & à relapsu in hæresim reservatur Præposito Generali, communicatur tamen Provincialibus sub onere monendi pęnitentem, quòd sub pęna peccati mortalis maneat obligatus, vel se Præposito Generali præsentandi, vel rem eidem manifestandi eo modo, qui servata Sigilli integritate, Provinciali videbitur. Palao *loc. cit. n.* 2.

207 Dub. 5. an sub facultate generali absolvendi à casibus reservatis, concessa per Bullam Cruciatæ, vel Jubilæi, comprehendatur etiam facultas absolvendi ab omnibus casibus contentis in Bulla Cœnæ, & sub facultate absolvendi à reservatis in eadem Bulla, facultas absolvendi ab hæresi? Affirmant Sot. *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 3. *conclus.* 5. Cordub. *Summ. quæst.* 8. Reginald. *prax. lib.* 8. *num.* 53. *fin.* Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 165. & novissimè Gobat. *tr.* 3. *Quinar. num.* 248. ubi notat, intrepidè à Confessariis Septentrionalibus hanc sententiam in usum deduci, cùm præsertim hæresis in hisce partibus propter suam frequentiam vix annumeranda sit Casibus Papæ reservatis.

208 Sed meliùs negativam defendunt Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 12. Garc. *part.* 11. *de Benef. capit.* 10 *num.* 109. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 12 Suarez *D.* 21. *de Fid. sect.* 4. *num.* 21. Farin. *prax. crim. quæst.* 192. *num.* 63. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 40. *num.* 31. Palao *tract.* 4. *D.* 3. *part.* 3. §. 4. *num.* 2. Vincent Petra *tom.* 3. *comment. fol.* 180. *num.* 25 Pirhing *hic numer.* 44 Reiffenstuel *ibid. numer.* 405. & apertè constat 1. ex *Decreto Alexandri VII. edito* 23. *Martii* 1656. ubi ad removendam omnem dubitandi occasionem, & ne circa id imposterum ullo tempore hæsitati contingat, cùm hæresis crimen præ cæteris gravissimum speciali nota dignum sit, decrevit, facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi, 2. Confirmat usus, & stylus Curiæ Romanæ, qui hac in parte vim Legis habet; nam in Jubilæis post concessam facultatem absolvendi à reservatis in Bulla Cœnæ, interdum exprimi solet *Etiam ab Hæresi*, quod superfluum foret, si sub generali illa clausula contineretur, 3. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus *Reg.* 81. *in* 6. at hæresis absolutio est ita reservata, ut verisimiliter Papa eam non concessisset; neque enim verisimile est Papam tot Legibus, in favorem Fidei latis, derogare voluisse, nisi id exprimat.

Dub. 6. quis absolvere ab hæresi, & excommunicatione per eam incursa possit in articulo mortis? Resp. in hoc absolvere potest quivis Sacerdos. Habetur *can. de his 9. & seqq. caus.* 26. *quæst.* 6. *& in* Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de Sacram. pœnit.* ubi dicitur ita *in Ecclesia Dei custoditum semper fuisse*: & ratio additur, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat.* 209

An verò ab ea absolvere quivis Confessarius etiam possit extra verum mortis articulum etiam illum, qui impedimento perpetuo prohibetur, ne possit adire Papam, controversia est inter DD. Affirmant Palao *tract.* 4. *D.* 3. *p.* 3. §. 5. *n.* 4. & alii *cit.* à Dian. *part.* 12. *de Conclav. resol.* 24. *Vers. sed hic oritur.* Rationem dant, quia, ut paulò antè dictum est, Sacerdos quilibet absolvere potest ab Hæresi in mortis articulo, sed juxta dicta *n.* 201. perpetuum impedimentum, & mortis articulus æquiparantur.

Sed meliùs tenetur negativa cum Navar. *Manual. cap.* 25. *num.* 90. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 41. *num.* 32. Diana *loc. cit. resol.* 25 Reiffenstuel *hic num.* 396. quia Major illa propositio, in Argumento Sententiæ adversæ allata, intelligenda solùm est de vero mortis articulo, in quali non est sic impeditus. *Conf.* quia potestas absolvendi impeditos datur tantùm Episcopis *capit. de cætero* 11. *& capit. ea noscitur* 13. *de Sentent. Excommun.* ergo non competit simplici Sacerdoti. 210

Excipitur, nisi impediatur etiam accedere Episcopum, & alios facultate absolvendi præditos; tunc enim poterit absolvi à quovis Sacerdote approbato, & potestatem habente absolvendi à peccatis mortalibus, ut bene advertit Tambur. *de casib. reservat. cap.* 12. §. 2. *num.* 28. *&* 34. Stoz *Tribun. lib.* 2. *num.* 68. Reiffenstuel *nu.* 397.

Quæritur 3. an hęretici, eorumque credentes, fautores &c. sint vitandi? *Certum est*, antiquo Jure fuisse vitandos, ut quoscunque alios Excommunicatos, publicè quidem, si notorii erant, privatim autem, si occulti. De Jure recentiori non eadem sententia DD. est; nam Gutier *lib.* 1. *qq. canon. cap.* 1. *num.* 42. & Suarez *D.* 9. *de Censur. sect.* 2. *numer.* 10. putant esse vitandos, postquam ut hęretici denuntiati sunt, etiam sine mentione Censurę. Sotus verò *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *post conclus.* 3. vitandos asserit, etiamsi denuntiati non sint, modò notorium sit esse hęreticos, aut horum fautores &c. quòd notorium sit, ei crimini ipso Jure annexam esse excommunicationem, & sic denuntiati sint satis. 211

Sed dicendum, non esse vitandos, nisi nominati denuntiati sint, quamvis sint manifesti, & notorii. Ita Navar. *de Oration. Miscell.* 47. *num.* 2. Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæst.* 7. Sanchez *lib.* 2. *moral. capit.* 9. *num.* 3. Pirhing *hic num.* 23. Wiestner *ibid. nu.* 45. cum aliis. *Proceditque hoc probabilius*, etiamsi aliquis ut hęreticus nominatim condemnatus, & declaratus sit, ut notat Sanchez *loc. cit. nu.* 4. quia vigore *Extrav. ad evitanda, à Martino V.* in Concilio Constantiensi edita, & relata apud Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 35. nemo

mo vitare teneiur excommunicatum, nisi censura à Judice contra personam denuntiata sit specialiter, & expresse; hoc autem non fit sola denuntiatione Hæresis, vel alterius criminis, habentis excommunicationem sibi ipso Jure annexam: ergo &c. Addit Sanchez *loc. cit. fin.* idem dicendum, etsi quis declaretur per sententiam esse Hæreticus, & incurrisse omnes illius pœnas, vel apertiùs, omnes censuras; quia nondum est specialiter, & expressè denuntiatus ut excommunicatus, & multi adhuc nescirent sub censuris comprehendi excommunicationem. Schambog. *hic numer.* 20. Reiffenstuel *ib. n.* 22.

213 *Ex quo sequitur* 1. licitum esse Catholicis, præsertim in locis, ubi permixti cum Hæreticis vivunt, uti in Germania, Gallia, Anglia, cum Hæreticis conversari, civilia cum iis commercia inire &c. quia quamvis sint publici Hæretici, non tamen sunt expressè, & nominatim denuntiati. Azor *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *quæst.* 1. Sanchez *cap.* 9. *cit. nu.* 5. Pirhing *n.* 25. Reiffenstuel *nu.* 4.

214 Licitum est cum Hæreticis nondum denuntiatis simul orare, & rem Divinam, ac Conciones cum eis audire, comitari funus, eosque ad Sepulturam deducere; sicut enim licitum est communicare cum vivo Hæretico non denunciato, & eum comitari ad rem per se licitam, ita & cum mortuo deducendo eum ad Sepulturam. Navar. *consf.* 12. *numer.* 7. *hoc tit.* Azor *cap.* 11. *cit. quæst.* 4. Sanchez *num.* 7. Pirhing *nu.* 24 *coroll.* 2. modò id non fiat 1. animo favendi Hæreticis ut Hæretici sunt (quia hoc intrinsecè malum est) sed solo affectu humanitatis, & amicitiæ, 2. Dummodo id fiat sine scandalo, & offensione Catholicorum, & sine communicatione in ritibus, & ceremoniis Hæreticorum, 3. Dummodo Hæretici sepeliantur in loco profano; nam si comitarentur ad rem illicitam, & cooperarentur peccato sepelientium. *Navar. Sanch. Pirhing loc. cit.*

215 3 Licitum est Catholico adire templa Hæreticorum & in ejus preces fundere ritu Catholico, vel conciones eorum audire, si ex justa causa fiat, verb. grat. ut famulus dominum suum comitetur, vel ut errores Ministri Hæretici annotentur ad confutandum, modò absit scandalum, & periculum propriæ perversionis. Azor *cap.* 11. *cit. quæst.* 4. Becan. *tr. de Fid. cap.* 9. *qu.* 5. *num.* 7. Layman *lib.* 2. *tr.* 1. *cap.* 11. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 4. *num.* 26. Pirhing *loc. cit. coroll.* 3. Reiffenstuel *ibid. num.* 24. Neque id est per se signum professionis falsæ Religionis, cùm audire Conciones Hæreticas sit quid indifferens, & ordinari possit ad alios fines malos, & bonos.

216 4 Licitum est Catholico in prædictis locis filium Hæretici ex Baptismo suscipere, si hic ritu, & modo Catholico, non Hæretico, aut Schismatico ministretur; quia id nullo Jure prohibitum est. Non tamen ordinariè, & sine gravi causa licebit vice versa, ut Catholicus adhibeat Hæreticum in Patrinum filii sui; qui juxta Canones Ecclesiæ Patrini officium est susceptum è Baptismo instruere in primis Fidei Rudimentis; ideoque Hæreticus hoc munus obire non potest. Navar. *lib.* 1. *consult.* 1. *num.* 67. *de Constitut.* Azor. *cap.* 11. *quæst.* 9. Sanchez *cap.* 9. *num.* 12. Pirhing *num.* 26. *coroll.* 5. Videantur, quæ dixi *Lib.* 4. *Tit.* 11. *num.* 75. *& seqq.*

217 5 Possunt filii Hæreticorum admitti ad Scholas Catholicorum, etiamsi jam adulti sint, & erroribus Hæreticorum imbuti: quia non sunt nominatim denuntiati: non tamen possunt filii Catholicorum adire scholas Hæreticorum, ob periculum perversionis. Navar. *loc. cit. num.* 64. Azor *qu.* 8. Sanchez *num.* 11. Pirhing *coroll.* 6. Reiffenstuel *n.* 24.

218 Contrà 1. illicitum est Catholicis à Parochis, & Episcopis Hæreticis Sacramenta recipere, sive Baptismi extra casum necessitatis, sive Eucharistiæ, sive pœnitentiæ, sive alia, si inde oriatur scandalum, vel periculum perversionis, vel si Sacramentum ritu Hæretico ministretur: quamvis quantum precisè est ex vi Hæresis, excommunicationis, id non sit directè prohibitum, si Hæretici illi non sint nominatim denuntiati, vel notorii percussores Clericorum, adeòque non sint vitandi Sanchez *num.* 10. & in extremo vitæ periculo etiam Sacramentum pœnitentiæ ab Hæretico Presbytero rite ordinato percipere esse licitum, docet Azor *cap.* 11. *citat. quæst.* 10. quia tunc Excommunicatus etiam denuntiatus non caret Jurisdictione.

2 Generaliter loquendo illicitum est Catholicis contrahere Matrimonium cum Hæreticis, quamvis illud sit validum; tum quia id specialiter prohibitum est Jure Ecclesiastico *canon. cave* 15. *& canon. seq. caus.* 28. *quæst.* 1. tum quia præbetur aliis scandalum; tum quia per tale Matrimonium conjux Catholicus exponit se, & liberos periculo perversionis, & quia Sacrilegium committitur, dum profanatur Sacramentum, illudque Hæretico administratur. Sanchez *numer.* 9. Videantur, quæ dixi *Libr.* 4. *Titul.* 6. *à numer.* 132. 219

3 Universim vitandi Hæretici sunt in rebus Divinis; & quidem Jure Divino in tribus sequentibus casibus, 1. Si ex communicatione cum illis in hujusmodi rebus apud Catholicos oriatur scandalum, & offensio, vel si ea suspicio nascatur, quòd Catholici Hæreticorum ritus, mores, & dogma verbo, signo, vel facto profiteantur, 2. Si ex communicatione in his rebus periculum animæ Spirituale immineat, videlicet perversionis in Fide, aut Catholicæ Religionis contemptus, 3. Si Catholicus cum Hæretico habeat comercium in crimine, ob quod fuit excommunicatus. Extra hos casus non Jure Divino, sed Canonico tantùm Hæretici in rebus Sacris vitandi sunt. Azor *capit.* 10. *quæst.* 2. Pirhing *numer.* 22. Schambog. *n.* 18. 220

Dub. 1. an Principes Catholici recipere, vel tolerare in suis territoriis Hæreticos, vel ritus eorum possint? Resp. ordinariè loquendo non posse illos recipere, vel tolerare, & multò minùs eorum ritus, seu exercitium, seu Religionis, seu Sectæ; sed tenentur illos ubique locorum repellere, vel expellere. Patet ex placitis utriusque, Canonici *cap. ad abolendam* 9. *vers. statuimus*, *cap. excommunicationis* 13. §. *moneantur* 3. *hoc tit. cap. ut officium* 11. *Vers. statuimus eod. in* 6. Civilis verò *l. omnes* 2. *& Auth. Gazaros C. eod.* tum quia Hæresis gravissimum, & Deo maximè injuriosum delictum est; tum quia eorumdem tolerantia occasionem præbet scandalo, periculo perversionis gravissimo: imò in ea Republica, ut loquitur Sanctus Ambrosius 3. *Offic. Vix firma esse possunt pacis jura, inter quos est fidei bellum*; quod experientia passim oculis oberrans probat. 221

Dixi *Ordinariè loquendo*; nam tolerari, imò recipi Hæretici, ut inter Catholicos degant, possunt, 1. Si prudenter consideratis omnibus, id omnino necessarium videatur vel ad majus malum, puta dissidii, aut perturbationis Reip. impediendum, vel ad majus bonum puta ipsorum Hæreticorum conversionem, procurandam, Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 17. *num.* 4. Reiffenstuel *hic nu.* 146. 2. Si Hæreticis per pacis, aut alium contractum, vel pactum ex objecto suo non malum, nec invalidum per Principem Catholicum fuit promissum, ut in territorio aliquo recipiantur, vel recepti tolerentur; nam fides publica cuique servanda est, etiam paganis, Judæis, & Hæreticis à quovis etiam Catholico. Layman *loc. cit.* 222

Monet tamen idem *Layman*, libertatem Religionis Hæreticis permissam, multoque magis promissam adeo perniciosam esse saluti animarum, ac cuivis Reip. ut inter mala ejusdem maxima censeri debeat; ideoque Catholicis Principibus, rectè omnia considerantibus, & in Deum confidentibus, non facilè malum aliquod gravius videri possit, cujus vitandi causam Hæreticis subditis suis libertatem exercitii Religionis promittere, aut juramento confirmare liceat. 223

Dub. 2. an, & qualiter Principes Catholici in bello, quod intenditur, vel actu jam geritur, sub certo fœdere auxilium præbere Hæreticis, aut istos in auxilium vocare contra alios, præsertim Principes Catholicos, vel cum illis fœdus, ut vocant, defensivum, & offensivum inire possint de mutuo auxilio ferendo contra quoscunque? 224

Certum est 1. non posse Principes Catholicos præbere Hæreticis auxilium, aut istud ab ipsis petere ad bellum sive defensivum, sive offensivum injustum, sive sine justa causa suscipiendum, aut susceptum contra Catho- 225

tholicos, vel etiam contra Acatholicos. Ita omnes teste P. Reiffenstuel *hic n.* 157. Patet ratio; quia tale bellum intrinsecè malum est, taleque foret, etiamsi ejusmodi Princeps ad illud prosequendum non uteretur Hæreticorum auxilio.

125 *Certum est* 2. gravissimè peccare Principes Catholicos, si pecuniis, armis, militibus, annona, aut alio modo Hæreticis vi fœderis succurrant ad bellum, quod isti contra Principes Catholicos gerunt, aut gerere intendunt pro dilatanda sua, & infirmanda nostra vera Religione, præsertim in bello offensivo, aut defensivo Religionis; quia hoc nihil aliud est, quàm Hæresin propugnare, & veram Religionem oppugnare: & propterea hoc facientes excommunicantur in *Bulla Cœnæ* §. 7.

126 *Certum est* 3. non licere Principi Catholico promittere, aut præbere auxilium Hæreticis etiam in bello justo adversùs alios, præsertim Catholicos Principes, aut populos cum conditionibus Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ præjudiciosis, seu talibus, ut inde certò prævideatur oriturum grave damnum, vel præjudicium ejusdem. Reiffenstuel *numer.* 159. & patet ex *Bulla Cœnæ* §. *cit.*

127 *Certum est* 4. non licere Principi Catholico ab bellum, etsi aliàs justum, pro conservandis; vel recuperandis bonis temporalibus jure sibi debitis invocare in auxilium Hæreticos, aut fœdus cum ipsis inire, vel pactum contra alios præsertim Principes, & populos Catholicos cum conditionibus Ecclesiæ, ac Religioni, Catholicæ graviter præjudiciosis, aut si exinde certò securuturum prævideatur grave damnum, seu præjudicium Ecclesiæ, ac Religioni Catholicæ; nam bonum hujus commune, utpote spirituale, & à quo innumerarum pendet salus animarum, semper præferendum est bonis temporalibus, prout omnes fatentur.

128 *Difficultas* est, an liceat Hæreticos juvare, vel illorum auxilium implorare, aut fœdus cum iisdem inire, si hoc fiat cum conditionibus honestis, & Ecclesiæ, aut Religioni Catholicæ nequaquam præjudiciosis, nec aliunde eidem Ecclesiæ, vel Religioni periculum, aut damnum ex tali fœdere imminere prævideatur? Negant non pauci, existimantes, nunquam fieri posse, ut fœdus cum Hæreticis ineatur, vel auxilium eis præstetur, aut petatur ab eisdem, quin vel scandalum, vel præjudicium Ecclesiæ, & Religionis directè, aut indirectè sequatur.

129 Sed dicendum, regulariter quidem, & ordinariè illicitum, & graviter peccaminosum esse Principibus Catholicis inire fœdus cum Hæreticis, illosque in bello etiam justo juvare, vel auxilium illorum invocare contra alios saltem Catholicos Principes, dari tamen aliquos casus, in quibus id licitum est, tunc videlicet, quando nullæ adhibentur conditiones Ecclesiæ, vel Religioni graviter præjudiciosæ, simulque moraliter apparet, quòd ex tali fœdere, vel auxilio nec scandalum, nec grave aliquod damnum, vel præjudicium Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ sequi valeat: & multò magis quando tale fœdus redundat in certum emolumentum Ecclesiæ, aut necessarium est ad avertendum longè majus Ecclesiæ, vel Religionis damnum.

130 *Quod ordinariè, & regulariter illicitum sit*, constat 1. ex S. scriptura, ubi DEUS similia fœdera cum Infidelibus graviter prohibuit, & contrà agentes severè punivit, ut passim exempla extant in eadem scriptura. 2. Ex Oraculis summorum Pont. SS. Patrum, & aliorum DD. qui hujusmodi fœdera gravissimè improbarunt sæpiùs, licèt non exprimerentur conditiones Ecclesiæ præjudiciosæ. 3. Ex ratione: quia ordinariè ex hujusmodi fœderibus scandalum, & damnum Ecclesiæ, ac Religioni Catholicæ directè, vel indirectè sequitur, quippe cùm Hæretici, quantumcunque arcto fœdere Catholicis colligati, ob implacabile tamen, quod gerunt, nostræ Religionis odium, semper, ubi minimè prævidetur, Ecclesiæ, & Religioni nocere, suamque sectam promovere allaborent, ut plurimis exemplis demonstrant Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 185. ubi quidem tantùm loquitur de fœdere inito cum Infidelibus, sed eadem ratio pugnat etiam de eo, quod initur cum Hæreticis.

131 *Quod vero sub conditionibus allatis licita esse possint ejusmodi fœdera*, ostenditur ex ratione, quia fœdus cum Hæreticis inire, vel auxilium ab eis petere, aut hoc ipsis præstare non est ex se, & ex natura sua malum, sed tantum ratione scandali, & periculi damnorum, quæ Ecclesiæ, & Religioni Catholicæ exinde plerumque imminent. igitur licita erunt, quando moraliter certum videtur, abesse omne tale periculum, & multò magis, quando apertè conspicitur; inde sequi commodum, & emolumentum Ecclesiæ, vel averti majus ejusdem malum. *Conf.* Quando Catholicus aliquis privatus injustè, & sine omni causa vellet occidere alium Catholicum, non est dubium, quin iste contra illum in auxilium vocare posset Hæreticum ponè stantem. ergo id licebit etiam Principi Catholico ad defensionem boni publici, servatis conditionibus suprà positis.

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

HÆreticis affines sunt Schismatici, & Apostatæ, imò non infrequenter etiam Hæresis rei: quare ex ordine doctrinæ etiam de his agendum, hoc quidem Titulo de prioribus, de posterioribus in sequenti.

Quæritur 1. quid sit *Schisma*? Resp. *Schisma*, à quo *Schismatici*, Græca vox, idem, quod *Scissura* significat. In præsenti sumitur pro scissione, vel divisione, qua se aliquis, vel aliqui dividunt ab unitate Ecclesiæ. Et hinc, quia unitas Ecclesiæ consistit tum in conversatione, seu communione membrorum inter se, tum in ordine ad unum Caput, quod est Christus, cujus vices gerit Summus Pontifex, scilicet ut in una Fidei doctrina, cultu Religionis, & in spirituali regimine omnes fideles sint subjecti uni Capiti Ecclesiæ, nempe Romano Pontifici. hinc *Schismaticus* dicetur ille, qui subesse summo Pontifici, & membris Ecclesiæ illi subjectis communicare renuit. Ipsum verò *Schisma* definiri poterit, quòd sit divisio, sive discessio ab unitate Ecclesiæ, quatenus hæc est Corpus Mysticum, ex universis fidelibus tanquam membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans. Ita Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 36. *num.* 1. Barbosa *ad Rub. h. tit. n.* 4. Gonzal. *in c.* 2. *eod. n.* 4. Passerin. *in cap. un. eod. in* 6. *n.* 4. Zoes. *hic n.* 1. Pirh. *nu.* 1. Engl *num.* 1. Schambog *n.* 2. Konig *nu.* 2. Reiffenstuel *nu.* 2. & communiter DD. cæteri cum Sanct. Thom. 2. 2. *quæst.* 39. *artic.* 1. 1

Quæritur 2. quomodo differat Schisma à seditione, & Hæresi? Resp. à *Seditione* differt; quia hæc dissensionem solùm inducit in Corpore Politico, illa in Ecclesiastico S. Thom. 2. 2. *q.* 42. *art.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 184. *n.* 6. Wiestner *hic n.* 3. & alii passim. Ab *Hæresi* differt ex triplici capite. 1. Quia Hæresis ad schisma se habet, sicut species ad genus: nam omnis Hæreticus est schismaticus; quia ab Ecclesia Romana secundùm aliquod dogma perversum se dividit: non tamen vice versa omnis schismaticus est Hæreticus; quia potest aliquis credere omnes articulos Fidei, etiam illum, quo decernitur suprema potestas, & Primatus Papæ, & tamen eidem ex perversitate voluntatis se nolle subiicere, nec aliis membris Ecclesiæ conjungi. Azor *part.* 1. *l.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 1. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 36. *num.* 8. Gonzal. *in capit.* 2. *h. titul. num.* 3. Vallens. *hic numer.* 1. Pirhing *numer.* 2. Schambog. *numer.* 3. Konig *numer.* 7. 2

2 Hæresis per se, & directè opponitur Fidei, aliquem ejus articulum negando, vel de eo dubitando; schisma autem Charitati Ecclesiæ unitatem tollendo, ut cum *Doctore Angelico* advertit Sanch. *capit.* 36. *cit. n.* 7. 3

num. 7. Farinac. *numer.* 5. Barbosa *ad Robr. h. tit. numer.* 5. Vviestner *hic numer.* 2. Reiffenstuel *numer.* 7. cum *cit.*

3 Schisma est via ad Hæresim, sicut amissio Charitatis ad amissionem Fidei; nam schismaticus saltem in fine fingit Hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur. Sanct. Thom. *quæst.* 39. *artic:* 1. *ad* 3. Sylv. *V. Schismaticus quæstion.* 1. Pirhing. Schambog. *l. citat:*

4 Quæritur 3. quotuplex sit schisma? Resp. schisma aliud est Purum, aliud conjunctum cum Hæresi. *Schisma purum* non opponitur Fidei, sed Charitati, & Paci, quando scilicet aliquis ex sola malitia voluntatis non vult summo Pontifici quà tali obedire, vel reliquis membris unitus esse, ut si certum aliquod Regnum constituat sibi Archiepiscopum, vel Patriarcham, cui in spiritualibus obediat, aut alios speciales Religionis cultus ab Ecclesia reprobatos adhibeat, & non obtemperet mandatis Pontificis quà talis, quamvis de cætero non neget Pontificatum Romanum, vel alios Fidei articulos. *Schisma conjunctum cum hæresi* est, quod præter separationem ab Ecclesia insuper in Fide dissentit, ut qui a negat Pontificem Romanum esse Christi Vicarium, & Ecclesiæ caput, vel Eucharistiam legitimè distribui sub una specie &c. Engl *n.* 1.

5 Quæritur 4. utrum dari possit schisma purum, & non conjunctum cum hæresi? Resp. practicè quidem vix unquam dari purum schisma, teste *D. Hieronymo can. inter hæresim* 26. *caus.* 24. *qu.* 3. ubi, *Nullum*, inquit, *schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Engl *hic n.* 2. Konig *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 4. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 3. *n.* 63. Absolutè tamen schisma purum, & sine hæresi dari potest, sed non diu. Gonzal. *in c.* 2. *h. tit. n.* 3. Vvagnereck *in c.* 1. *eod. V. dictos*, Passerin. *in c. un. in* 6. *n.* 13. Vallens. *hic n.* 1. *fin.*

6 Et quidem quòd schisma purum dari aliquamdiu sine hæresi possit, patet ex descriptione ejusdem *num. præc.* Quòd verò dari sine hac non possit diu, constat exemplo schismatis Anglicani, & aliorum septentrionalium, cujus Rei, postquam recesserunt à Pontificis Romani obedientia, simul recesserunt à Fidei veræ dogmatis. *Ratio à priori* est, quia schisma, ut *n.* 3. dictum est, est via ad Hæresim, & dum, insuper habitis Ecclesiæ Censuris, pertinaciter detrectat obedire summo Pontifici, tanquam universalis Ecclesiæ Capiti, tacitè disponit, ut schismaticus profiteatur, eidem non esse obediendum, per quod fit hæreticus. Addo tamen, ex schismate oriri hæresim non ex vi schismatis, & necessariò, sed ex malitia schismaticorum, ut patet in Orientalibus, qui à Romani Pontificis obedientia quidem sæpius recesserunt, aliquamdiu tamen omnes Fidei articulos professi sunt.

7 Quæritur 4. quinam sint propriè schismatici? Resp. tales sunt ii dumtaxat, qui recedunt vel à summo Pontifice, ei negando reverentiam, & obedientiam debitam, vel à cæteris Ecclesiæ membris, seorsim Orationes, jejunia, & alias functiones spirituales, tanquam si essent corpus à reliqua Ecclesia distinctum, exercendo. Sylv. *V. schismaticus pr.* Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 20. *qu.* 4. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 36. *n.* 2. Farin. *prax. crim. q.* 184. *n.* 3. Palao *tract.* 6. *D.* 4. *p.* 5. *num.* 2. Fagnan. *in cap. quod à prædecessore* 1. *h. tit. num.* 12. & 13. Passerin. *in cap. un. eod. in* 6. *num.* 5. Pirhing *hic num.* 3. Schambog. *num.* 4. Konig *n.* 6.

Potest autem hoc fieri directè, vel indirectè. *Directè* se dividit ab unitate Ecclesiæ, qui expressè, & formaliter intendit non recognoscere Pontificem, ut superiorem: *indirectè*, qui facto ipso ostendit non recognoscere, dum ita se gerit, ac si ei subjectus non esset. Et tales censentur esse 1. qui præsumunt absque debita authoritate congregare Concilium universale, aut ipsum, postquam per legitimam authoritatem est dissolutum, prosequuntur. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 36. *nu.* 14. Suar. *de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *n.* 13. Conink *D.* 30. *dub.* 5. *n.* 38. Delben: *dub.* 235. *sect.* 1. *num.* 13. Palao *p.* 5. *cit. num.* 3. Passerin. *l. cit. n.* 9.

8 2 Qui appellant à sententia summi Pontificis ad Concilium Generale, si per Concilium Generale intelligant illud, cui sua authoritate non præsit summus Pontifex; nam appellare ad Concilium, cui cum capitis summa authoritate Pontifex ipse præsideat, est appellare ad ipsum Pontificem: & ideo id non est schismaticum, licèt sit prohibitum sub pœna excommunicationis in *Bulla Cœnæ Cas.* 1. Habet tamen talis appellatio saporem schismatis: quia qui sic appellat, videtur sentire, quòd Concilium sit supra Papam, & quòd liceat à Papæ judicio recedere. Passerin. *l. cit.*

3 Similiter schismatici habendi sunt Catholici existentes in Anglia, qui Regi exhibent obedientiæ signa, quibus testantur eum esse Christi Vicarium in spiritualibus, quamvis interiùs sic esse nullo modo credant; quia sejunctio ab unitate Ecclesiæ, ejusque obedientia in opere externo consistit. Suar. *n.* 13. *cit.* Sanch. *n.* 14. Palao *n.* 3. Passerin. *n.* 15. Pirhing *n.* 4. *not.* 1. quo schisma distinguitur ab hæresi, quippe quæ necessariò errorem intellectus requirit. 9

Quæritur 6. quid requiratur, ut aliquis dicatur verè schismaticus? Resp. 1. requiritur, ut recedat ab obedientia summi Pontificis, & communione cæterorum fidelium qua talium. 2. Ut hic recessus junctus sit cum pertinacia; quia verum schisma est quædam rebellio in summum Pontificem, vel Ecclesiam. 3. Ut idem recessus, fiat quoad illa, quæ pertinent ad unitatem Ecclesiæ; nam verum schisma est separatio ab unitate Ecclesiæ inter se, & cum suo capite. 4. Ut sic recedens agnoscat, eum, cui obedire detrectat, esse caput Ecclesiæ, & verum Christi Vicarium. 5. Ut exerceat actum formalis inobedientiæ, h. e. ut obedire Pontifici nolit, licèt agnoscat eidem ex doctrina fidei esse obediendum. 10

Et hinc 1. non est propriè schismaticus, qui quomodocunque peccat mortaliter; licèt enim, quamdiu peccato isto tenetur, sit membrum Ecclesiæ mortuum, non tamen ex vi illius se separat ab unitate Ecclesiæ, quæ in Fide, & Sacramentorum usu, cum debita ad Christum, ejusque Vicarium subjectione consistit. Reginald. *l.* 9. *n.* 258. Farin. *prax. q.* 184. *num.* 24. Bonacin. *D.* 3. *q.* 4. *p. ult.* §. 5. *vers.* 3. *propos.* 1. Palao *tr.* 6. *D.* 4. *p.* 5. *n.* 10. 11

2 Qui solummodo est excommunicatus; quia à fidelium communione non ipse se separat, sed separatur. Farin. *n.* 26. Passerin. *in c. un. cit. num.* 10. Vviestner *hic n.* 5. cum *cit.*

3 Qui recedit ab obedientia unius Episcopi, & Diœcesis communicatione, si perseveret in obedientia Papæ, & in communicatione cum aliis Ecclesiis. Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 20. *q.* 4. Sanch. *l. cit. n.* 13. Farin. *nu.* 27. & 30. Palao *n.* 6. Passerin. *n.* 12. Engl *hic n.* 6. Pirhing *n.* 3. *coroll.* 3. Schambog *n.* 7. Konig *n.* 4. Vviestner *n.* 6. Reiffenstuel *num.* 6. Ratio est, quia verè, & propriè dictum schisma importat separationem ab Ecclesia Catholica & universali, ejusque capite. Neque obstant *can. scire* 7. *caus.* 7. *q.* 1. & *can. loquitur* 18. *caus.* 24. *q.* 1. ubi dicitur schismaticus, qui à suo Episcopo, & solis membris Ecclesiæ Diœcesis particularis se separat; nam textus isti, & similes intelligi possunt de summo Episcopo, & Ecclesia universali: vel si urgeas, eos intelligendos etiam de Episcopo inferiore, respondeři potest, tales dici schismaticos latè tantùm, & impropriè, non etiam strictè. Schamb. *l. cit.* 12

4 Qui agit solummodo contra præceptum, vel prohibitionem Papæ, eò quòd ipsi videatur difficile, & arduum, vel extra Pontificis potestatem, ut si jussus nolit v. g. arma deponere, alienum restituere &c. quia hic potest, adhuc recognoscere Pontificem tanquam caput Ecclesiæ, & cum ipso, ac cæteris Ecclesiæ membris communicationem habere: & hinc propriè non schismaticus, sed inobediens erit; aliàs quilibet transgressor præcepti Ecclesiastici esset schismaticus, quod non est dicendum. S. Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.* 2. Cajet. *ibid. dub.* 2. Azor *c.* 20. *cit. quæst.* 4. Sanchez *num.* 3. Farin. *num.* 11. Palao *nu.* 7. Passerin. *num.* 10. Vall. *hic num.* 1. *fin.* Pirh. *num.* 3. *coroll.* 2. Schambog *num.* 5. Konig *n.* 5. Vviestner *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 5. 13

5 Qui Papæ recusat subesse, & obedire, quòd persona ipsius videatur sibi suspecta, vel odiosa, in odium, & vindictam illius. Azor *q.* 4. *cit.* Pirh *l. cit.* Engl *n.* 6. Schambog. *n.* 5. Quod multò magis procedit, quando probabiliter credit talem non esse verum Pontificem, vel an verus sit, probabiliter dubitat, ut fit, quando duo electi sunt, & non constat, quis ex illis ritè electus sit, 14

prout

prout contigit tempore Urbani VI. tunc enim schismaticus non erit, qui nulli adhæret, sed utrique obedientiam denegat, quantumvis à parte rei unus eorum sit verus Pontifex, modò paratus sit obedire illi, quem Concilium Generale, ad quod eo casu recurrendum erit, declaraverit esse verum, & legitimum Pontificem. Abb. *pr. h. tit. num.* 2. Barbosa *ad Rubr. eod. num.* 6. Passerin. *in capit. unic. eod. in 6. numer.* 11. Konig *numer.* 5. cum *citt.*

15 6 Qui Papam non recognoscit, ut Dominum temporalem alicujus Provinciæ, vel à cæteris Ecclesiæ membris se sejungit, quatenus constituunt Rempublicam merè civilem; quia adhuc potest conjungi Pontifici, quatenus est caput Ecclesiæ, & membris ejus, ut talia illa sunt. Sylv. *V. schismaticus pr.* Azor c. 20. *cit. q.* 4. Sanch. *cap.* 36. *num.* 4. Palao *p.* 5. *num.* 8. Gonzal. *in cap.* 2. *h. tit. n.* 4. Passerin. *n.* 12. Konig *n.* 5. Vvieſtner *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 5.

16 Quæritur 6. quale peccatum sit schisma, & quæ illius pœnæ statutæ à Jure? Resp. est peccatum gravissimum, nec admittit parvitatem materiæ; quia malitia illius consistit in superbia, & contemptu Ecclesiæ, cujus unitatem, quantum est ex se, scindit: quæ malitia tota reperitur, in quacunque re fiat ab ea unitate recessus Valent. 2. 2. *D.* 3. *quæst.* 15. *part.* 2. *pr.* Bonacin. *D.* 3. *de Charit. quæst.* 4. *part. ult.* §. 5. *propos.* 2. Palao *tr.* 6. *D.* 4. *part.* 5. *num.* 5. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 36. *num.* 9. Vviestner *hic numer.* 8. Hinc meritò in ejus criminis reos gravissimæ per SS. Canones constitutæ pœnæ sunt.

17 Et quidem 1. excommunicatio major *can. nulli* 5. *dist.* 19. & *can. de Ligoribus* 43. *caus.* 23. *quæst.* 5. quæ ipso jure lata, & Sedis Apostolicæ absolutioni reservata est per *Bullam Cœnæ cas.* 1. *fin.* Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 20. *q.* 5 Sanch. *l.* 2. *c.* 36. *num.* 11. Suar. *de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *à num.* 12. Palao *tr.* 6. *D.* 4. *p.* 6. *n.* 4. Barbosa *in c. fin. h. tit. nu.* 6. Gonzal. *in c.* 2. *n.* 5. Vvagnereck *in cap.* 1. *V. factas fin.* Passerin. *in cap. un. eod. in* 6. *n.* 15. Vallens. *hic n.* 2. Engl *n.* 3. Scamb. *n.* 13. Konig *n.* 9. Vvieſt. *n.* 9. Reiffenst. *n.* 9. Tangit excommunicatio hæc solùm schismaticos propriè dictos, quos descripsi *n.* 9. non verò impropriè tales, seu illos, qui in re una tantùm, vel altera recedant ab obedientia Papæ, & generaliter eum recognoscunt, ut superiorem, & Vicarium Christi, ut contra nonnullos cum communi advertit Azor *l. cit. q.* 5. Sanch. *num.* 12. Suar. *n.* 12. *&* 13. Palao *n.* 7. Pirh. *n.* 4. *not.* 1. Neque illa afficiuntur schismaticorum receptatores, fautores, & defensores; quia in suprà dicta Bulla non exprimuntur, cons. cùm verba ejus pœnalia sint, ad istos excommunicatio hæc extendi non debet. Sanch. *n.* 16. Suar. *n.* 14. Pirh. *not.* 2. Konig *n.* 9. Incurrunt tamen isti excommunicationem non reservatam, per textum *c. un. h. tit. in* 6. & *Const. Pauli IV.* incipit *Cùm ex Apostolatus*, ubi excommunicantur, aliisque pœnis afficiuntur fautores schismaticorum, ut notarunt Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 65. *n.* 6. & *c.* 67. *n.* 2. Farin. *prax. q.* 184. *n.* 17. *&* 18. Palao *p.* 6. *cit. num.* 7. Gonzal. *in cap.* 2. *h. tit. n.* 5. Passerin. *in c. un. cit. num.* 29.

18 2 Inhabilitas ad Beneficia, & Dignitates Ecclesiasticas præsertim Episcopalem, imposterum obtinendas *cap. quia diligentia* 5. *de Elect.* manetque ista probabiliter etiam post peractam pœnitentiam, & schismatis abjurationem, ut contra nonnullos melius docent Azor *c.* 20. *cit. q.* 8. Sanch. *c.* 36. *n.* 18. Suar. *D.* 43. *de Censur. sect.* 2. *num.* 7. Farin. *quæst.* 184. *num.* 36. Palao *p.* 6. *num.* 12. Barb. *in c.* 2. *h. tit. num.* 4. Gonzal. *ibid. num.* 5. Passerin. *in c. un. cit. num.* 20. Pirh. *hic num.* 5. Vviestner *num.* 10. Reiffenst. *num.* 10. & colligitur ex *cap. quia diligentia cit.* ubi electus in Episcopum, abjurato schismate, *dispensative* permissus est confirmari. ergo signum est inhabilem remansisse. Porro in hac inhabilitate dispensat solus Pontifex, vel qui potestatem ab eo specialiter habet, si schisma publicum sit, ut contra Abb. *in c.* 2. *h. tit. num.* 7. Decium. *in cap. at si Clerici* 4. §. *de adulteriis num.* 124. *de Judic.* & *in cap. quia diligentia cit. n.* 17. Lambertin. *part.* 1. *l.* 2. *quæst.* 9. *artic.* 8. meliùs docet Garc. *p.* 11. *de Benef. capit.* 10. *num.* 164. Sanch. *num.* 18. *cit.* Farin. *num.* 36. *fin.* Bonacin. *D.* 3. *quæst.* 4. *de Charit. p. ult.* §. 5. *num.* 10. Palao *part.* 6. *num.* 13. Pirhing. *num.* 5. quia ejus est solvere, cujus est ligare. Dixi autem, *si schisma sit publicum*; nam si occultum sit istud crimen, dispensare in illo posset Episcopus ex vi Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* ubi conceditur Episcopis potestas dispensandi in casibus, & Irregularitatibus occultis, & excipitur sola hæresis. Imò Garc. *l. cit. numer.* 162. putat, schismaticum occultum nullam incurrere inhabilitatem: quod probabile existimat Palao *l. cit. numer.* 14. & dat rationem; quia pœna inhabilitatis non cuilibet schismatico videtur imposita, sed publico, & manifesto, qualis erat Episcopus in *capit. quia diligentia cit.*

3 Bonorum confiscatio: item privatio Beneficiorum, 19
Officiorum, Honorum, ac Dignitatum Ecclesiasticarum priùs obtentarum, ut vult Rebuff. *prax. Benef. titul. de mod. amitt. Benef.* Flamin. *l.* 3. *de resign. quæst.* 1. *num.* 36. Farin. *quæst.* 184. *num.* 42. qui pro se adducunt *can. nos consuetudinem* 8. *dist.* 12. *cap. quia diligentia cit.* & præcipuè *capit. un. h. tit. in* 6. ibi, *Omnibus Beneficiis Officiis &c. perpetuò privantes, & inhabiles reddentes ad habenda. Sed dicendum*, si schisma hæresi conjunctum non sit, privationem Beneficiorum, Officiorum &c. ipso facto non inducere; quia *can. nos consuetudinem*, & *capit. quia diligentia citt.* non loquuntur de Beneficiis antea obtentis, & *capit. un.* loquitur tantum in casu speciali, quo postposita electione Canonica unius Pontificis alius eligitur: & esto, illius dispositio universaliter intelligenda foret, tamen postea per *Extrav. un. int. comm. h. tit.* excepta bonorum confiscatione, est penitus revocata, ut notat *ibid.* Barbosa *numer.* 2. Et ideo negativam sententiam meritò tenent Garc. *capit.* 10. *cit. num.* 151. Sanch. *cap.* 36. *num.* 19. Palao *part.* 6. *num.* 15. Pirhing *numer.* 7. Vviestner *num.* 10. Reiffenstuel *numer.* 11. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 3. *n.* 65.

4 Infamia, & Irregularitas, non quidem juris, cum 20
de ea nihil reperiatur expressum in jure, sed facti tantùm, ob enormitatem criminis, quæ proinde, isto per pœnitentiam sublato, cessat, imò non inducitur, nisi crimen notorium sit. Suar. *de Censur. D.* 43. *sect.* 2. *num.* 7. Bonacin. *D.* 3. *quæst.* 4 *de Charit. part. ult.* §. 5. *num.* 12. Sanch. *cap.* 36. *numer.* 20. *fin.* Farin. *quæst.* 184. *num.* 42. Barbosa *in cap.* 1. *h. tit. num.* 5. Passerin. *in cap. un. eod. in* 6. *num.* 17. Pirhing *hic num.* 8. Schambog *numer.* 8. Vviestner *num.* 11. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 3. *num.* 67. & ratio est, quia talis infamia, & Irregularitas provenit ex quovis crimine notorio depositione digno. Quodsi tamen schisma adjunctam habeat hæresim, tunc ille schismaticus, utpote hæreticus, etiam incurret Irregularitatem ipso jure, quæ proinde, etiam schismate tali ejurato, perseverat, ut dictum est *Tit. præc. num.* 104.

5 Privatio Ecclesiasticæ Jurisdictionis *can. Novatianus* 6. *vers. qui ergo caus.* 7. *quæst.* 1. *can. didicimus* 31. *pr. caus.* 24. *q.* 1. *cap. quod à prædecessore* 1. *h. tit.* & hinc irritæ sunt collationes Beneficiorum, alienationes rerum Ecclesiasticarum, Ecclesiarum uniones &c. ab Episcopis, vel aliis Prælatis schismaticis factæ *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 19. *art.* 3. Azor *p.* 1. *l.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 9. *&* 12. Farin. *quæst.* 184. *num.* 43. Palao *p.* 6. *cit. num.* 1. *&* 18. Vivian. *in cap.* 1. *h. tit. pr.* Fagn. *ibid. num.* 1. Barbosa *n.* 1. Gonzal. *num.* 2. *&* 7. Vallens. *hic numer.* 3. Zoes. *numer.* 2. Honor. *num.* 5. Engl *n.* 5. Pirhing *n.* 9. Schambog *n.* 15. Konig *n.* 10. Vviestner *num.* 12. Reiffenstuel *nu.* 13. Magnif. P. Schmier *l. cit. num.* 66. Verum, ut ejusmodi privatio Jurisdictionis effectum habeat, necessaria est saltem sententia declaratoria criminis, ut patet ex dictis *Tit. præc. num.* 112 21

6 Suspensio ab usu, & exercitio Ordinum, à schisma- 22
tico, qui publicè, & nominatim denuntiatus est, scienter receptorum *can. ordinationes* 5. *caus.* 9. *quæst.* 1. *cap. quod prædecessore* 1. & *c. fin. h. tit.* Gloss. *in c.* 1. *cit. V. irritus*, Barbosa *ibid. nu.* 3. *& seqq.* Fagn. *n.* 2. Vvagnereck *V. factas*, Gonzal. *n.* 1. & *c.* 2. *n.* 1. *&* 6. Vivian. *ad dict. c.* 2. *p.* 2. Passerin. *in c. un. h. tit. in* 6. *n.* 17. Vallens. *n.* 13. Zoes. *n.* 2. Honor. *n.* 5. *&* 7. Schambog *n.* 12. Konig *n.* 10. Vviestner *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 14.

TITU-

TITULUS IX.

De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Apostasia, & quotuplex?*
2 *Quid sit Apostasia à Fide?*
3 *Quale sit peccatum?*
4 *Quot modis committatur?*
5 *An pro Apostata habendus sit etiam, qui coactè Idolis sacrificat &c.*
6 *Pœna Apostatarum à Fide.*
7 *Quid sit Apostasia Inobedientiæ?*
8 &c. *Ejus pœnæ.*
11 *Quid sit Apostasia à Religione?*
12 &c. *Requisita ut aliquis constituatur verus Apostata à Religione.*
16 &c. *An pro Apostata habendus sit etiam, qui ad Urbem recurrit pro gravamine, sibi illato per Superiores?*
19 &c. *Vel qui discedit à Religione sua animo ingrediendi aliam?*
22 &c. *Pœna Apostatarum à Religione.*
26 *Quid sit Apostasia ab Ordine?*
27 &c. *An pro Apostata ab Ordine habendus sit etiam, qui Ordinibus solùm minoribus, vel prima tonsura initiatus est?*
30 &c. *Pœnæ hujusmodi Apostatarum.*
33 &c. *Quando hæ locum habeant?*
36 *Pœna rebaptizantium, & rebaptizatorum.*
37 *Quinam istas incurrant?*
38 *Quis dispensare quoad istas possit?*
39 40 *An pœnas istas etiam incurrant, qui Sacramentum Confirmationis iteratò conferunt, vel recipiunt?*

1 POst schismaticos sequuntur Apostatæ: quibus junguntur reiterantes Baptismum; quia hi, dum recedunt à priore Baptismo, per reiterationem quasi Apostatare videntur. Abb. *hic in Rubr.* Pirhing *ibid. pr.* Honor. *numer.* 1. Est autem *Apostasia* vox Græca, quæ desertionem, seu defectionem significat: hic sumitur pro defectione, qua receditur temerariè à vitæ prioris instituto, quod tuendum publica, & solemni professione susceperat; conf. *Apostata* Christianus ille dicetur, qui ita à DEO, & vitæ instituto recessum facit. Azor *p.* 1. *l.* 8. *capit.* 21. *quæst.* 1. Pirhing *hic numer.* 1. Schambog *ibidem numer.* 2. Est autem triplex Apostasiæ species, videlicet perfidiæ, Inobedientiæ, & Irregularitatis, quæ ultima duplici modo committi potest, scilicet recedendo vel ab Ordine, vel à Religione. His præmissis.

2 Quæritur 1. quid sit Apostasia *Perfidiæ*, seu *à Fide*? Resp. est omnimoda desertio Fidei Orthodoxæ, susceptæ in Baptismo: ac proinde committitur, cùm quis à Fide Christiana transit ad Judaismum, vel Paganismum. Ita Azor *part.* 1. *l.* 8. *cap.* 21. *quæst.* 1. Farin. *prax. crim. quæst.* 183. *num.* 13. Gonzal. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 5. & *in cap.* 4. *num.* 4. Barbos. *ibid. num.* 2. Vvagnereck *ad Rub. not.* 3. Vallens. *hic num.* 1. & 2. Zoes. *num.* 1. Pirhing *num.* 2. Konig *num.* 2. Schambog *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 2. & sumitur ex *can. non potest* 24. *caus.* 2. *quæst.* 7. *can. Beatus* 2. *caus.* 3. *q.* 4. *l. si quis* 1. & *l. seq. C. h. tit.* Hinc licèt illi, qui à vera Religione, & Fide Catholica ad sectam aliquam hæreticam, v. g. Lutheranam, aut Calvinianam transeunt, vulgò Apostatæ dicantur, verè tamen, & propriè loquendo Apostatæ à Fide non sunt, sed hæretici. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 7. *num.* 15. Gonzal. *ad cap.* 4. *cit. num.* 4. Vvagnereck *ad Rubr. not.* 3. Reiffenstuel *n.* 3.

3 Dub. 1. quale peccatum sit Apostasia à Fide? Resp. est peccatum Infidelitatis, & quidem gravius hæresi imò hanc includit; quia & ipsa est error cum pertinacia circa objectum Fidei. Differt tamen ab hæresi, quia per hanc à Fide Christiana receditur solum ex parte, per Apostasiam autem in totum. Sanch. *l.* 2. *mor. capit.* 7. *num.* 15. Farin. *quæst.* 183. *num.* 16. Laym. *l.* 2. *tract.* 1. *c.* 16. *n.* 2. Vallens. *hic num.* 2. Pirhing *nu.* 2. *not.* 1. Engl *n.* 2. Konig *n.* 7. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 3. Et hinc licèt omnis Apostata sit simul hæreticus, non tamen vicissim omnis hæreticus est simul Apostata. Vviestner *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 4.

Dub. 2. quot, quibusque modis possit quis esse Apostata? Resp. tribus. 1. Quando quis mente sola recedit à Fide Catholica: quo casu quidem aliquis Apostata constituitur coram DEO, pœnas tamen juris non contrahit; quia est peccatum internè tantum patratum, de quo Ecclesia non potest cognoscere. 2. Quando quis mente simul, & verbis, vel factis Fidem Catholicam deserit: quod fieri potest vel omnino occultè, ita, ut nemo delictum illius noverit; vel manifestè, & ita, ut plures alii compertum habeant. Utroque modo commissum hoc crimen authorem suum ipso jure excommunicatione, & aliis pœnis à jure constitutis afficit. 3. Quando quis verbis tantum, aut factis, non tamen animo descïscit à Fide Catholica. Et hic probabilius in foro conscientiæ non afficitur excommunicatione, aut aliis Apostatarum pœnis; quia hæreticus, aut Apostata nemo est, nisi qui scienter, & spontè animo à Fide, & Religione Catholica discedit: in foro tamen exteriori censetur Apostata, ac proinde, tanquam hæreticus, & Apostata punitur ab Ecclesia, utpote quæ probabiliter credit, eum mente, & animo recessisse à Fide. Eadem ratione Ecclesia etiam condemnat, & plectit delicta alia externa, vel quia sunt peccata, quæ opere, & facto externo complentur, qualia sunt homicidium, adulterium, sacrilegium, cujusmodi non est hæresis, vel Apostasia; vel quia Ecclesia probabiliter judicat, voluntate, & animo delinquere eos, qui scienter aliquid exteriùs committunt, quod cum Fidei Catholicæ confessione pugnat. Sylv. *V. Apostata quæst.* 1. Angel. *V. eodem quæst.* 9. Tabien. *V. Apostasia quæst.* 3. Azor *part.* 1. *libr.* 8. *capit.* 21. *quæstion.* 4. & 6. 4

Dub. 3. an pro Apostata habendus sit, qui coactè Circumcisionem à Judæis vel Turcis passus est, aut Idolis sacrificavit, Fide in corde retenta? Resp. si coactio fuit *præcisa*, & *absoluta*, nempe quia animo renitens, ligatus manibus, & pedibus, circumciditur, vel ejus genua flectuntur coram Idolis, certum est, hanc passum in neutro foro censeri posse Apostatam *can. Presbyteros* 32. *distinct.* 50. *can. constat* 91. *caus.* 1. *quæst.* 1. Gonzal. *in capit.* 4. *h. titul. num.* 5. Ratio est, quia eo casu pati potiùs, quàm agere censetur. Si verò vis illata non fuit præcisa, sed *conditionalis*, videlicet metus mortis, aut alterius mali gravis, distinguendum est inter forum externum, & internum. *In foro externo* pro Apostata habebitur, & ut talis punietur juxta *can.* 61. *Apost. In foro* tamen *interno*, & reipsa non erit Apostata, nec excommunicationem, qua Apostatæ innodantur, incurret, cum corde Fidem retineat, & absit error pertinax, qui ipsum separare posset à communione fidelium. Azor *part.* 1. *l.* 8. *capit.* 21. *quæst.* 5. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 7. *num.* 8 Golzal. *l. cit. numer.* 5. Gravi tamen peccato se obstringet contra obligationem profitendi Fidem exterius juxta dictum Christi, *Qui negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est* Matth. 10. *vers.* 33. & Apostoli, *Corde creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Rom. 10. *vers.* 10. quamvis enim talis nolit Christum abnegare, eligit tamen illum negare potius, quàm subire pœnam. Et hinc olim presbyteri, & Diaconi, qui ex metu Idolis immolarunt, si postea ad seriam pœnitentiam redierunt, ad honores quidem, & Beneficium Ecclesiæ, non verò ad Officium, & Ministerium Altaris restituebantur *can. Presbyteros cit.* 5

Dub. 4. quæ pœnæ latæ sint in Apostatas fidei, horumque fautores, receptatores &c. Resp. incurrunt excommunicationem, & cæteras pœnas, quas incurrunt hæretici, & horum fautores &c. prout constat ex *cap. contra* 13. *de hæret. in* 6. & notant Abb. *in cap.* 1. *h. tit. num.* 3. Host. *Summ. eodem num.* 3. Sylv. *V. Apostasia numer.* 11. *quæst.* 8. Azor *part.* 1. *l.* 8. *capit.* 21. *quæstion.* 7. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 7. *num.* 18. Farin. *prax. quæst.* 183. *num.* 19. Laym. *l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 16. *num.* 3. Gonzal. *in capit.* 4. *h. titul. numer.* 6. Honor. *hic numer.* 4. Pirhing *numer.* 2. *Resp.* 2. Engl *numer.* 2. Konig *num.* 9. Vviestner *numer.* 3. Reiffenstuel *numer.* 4. Quin severius longè tractantur; nam 1. vivi in perpetuum, mortui usque ad quinquennium accusari possunt *l. si quis* 2. & *l.* 6

Apo-

Apostatarum 4. *C. h. titul.* 2 Si errore suo alios corrumpant, cum dispendio fortunarum capite plectuntur *l. eum qui* 5. *C. eod.* 3 Iisdem nullatenus prodest pax Religiosa, & pacificatio Osnabrugensis de hæreticis in Imperio impune tolerandis, sed hodiedum, siquis Catholicus, sive hæreticus in totum à Fide desciscerer, & sectam Judaicam, Mahumetanam, vel aliam amplecteretur pœna infamiæ, confiscationis bonorum, mortis, & aliis, utroque jure vel Nominatim in Apostatas, vel generaliter in Hæreticos constitutis plecti posset, & deberet, Konig *hic numer. 9.* Reiffenstuel *ibidem num. 6.* Magnif. P. Schmier *part. 2. de Delict. capit. 3. numer.* 70.

7 Quæritur 2 quid sit Apostasia *Inobedientiæ*? Resp. *Apostasia Inobedientiæ*, seu *ab Obedientia* est delictum, quo aliquis DEO, vel superioribus legitimè constitutis, & agnitis præfractè renuit obedire, horumque præcepta transgreditur *capit. siquis* 2. & *capit. illud* 5. *de major. & obed.* Adeoque *Apostata inobedientiæ* dicetur ille, qui præfractè, i. e. ex contemptu, vel superbia transgreditur præcepta sui Prælati, illisque, vel SS. Canonibus, & DEI præceptis non obedit. Gloss. *in cap.* 1. *V. Apostasiæ h. tit.* Sylv. *V. Apostasia pr. vers. similiter*, Decian: *tr. crim. l.* 5. *c.* 71. *num.* 2. Mascard. *de Probat. concl.* 112 *n.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 546. *n.* 24. Farin. *prax. crim. q.* 183. *n.* 54.

8 *Dubitatur*, quæ sit hujus Apostasiæ pœna? Resp. est diversa pro diversitate originis, ex qua oritur. Nam si inobedientia hæc oritur ex infidelitate, ut cum quis non credit, Papam habere summam potestatem in Ecclesia, talis habetur pro Hæretico, & ut talis punitur *can. nulli fas* 5. *dist.* 19. Innoc. *in capit.* 1. *numer.* 1. *vers. & tamen h. titul.* Host. *ibidem numer.* 1. *vers. quod verum est*, & *vers. fin. autem*, Sylv. *l. cit. num.* 3. Menoch. *numer.* 25. Decian. *n.* 2. *vers. hi tamen*, Farin. *n.* 56. & alii apud istum.

9 Si autem oriatur ex superbia, & contemptu formali, quo quis contemnit obedire præcepto DEI, vel Canonum, aut Prælatorum suorum, pluribus punitur pœnis; est enim infamis, repellitur ab accusando, & ferendo testimonio, excommunicatur, si contumax post monitionem esse perstiterit, deponitur, si incorrigibilem se ostendat, denique Curiæ sæculari traditur *can. siquis* 3. *caus.* 3. *quæst.* 4. *can. si autem* 11. *caus.* 11. *quæst.* 3. Innoc. *in cap.* 1. *cit. vers. Apostata inobedientiæ*, Marian. Socin. *ibidem numer.* 3. & 4. Goffred. *Summ. de Apostat. num.* 3. *vers. pro Apostasia inobedientiæ*, Armill. *V. Apostasia num.* 5. Angel. *V. eod. pr.* Sylv. *num.* 3. Decian. *l. cit. num.* 2. *fin. vers. sunt tamen*, Menoch. *n.* 7. & *n.* 26. Farin. *n.* 57. & hoc teste communiter omnes Canonistæ. excommunicatio tamen ista non erit reservata; quia Bulla Cœnæ, per quam reservatio inducta est, solum loquitur de Apostatis fidei, & non aliis. Farin. *l. cit. fin.*

10 Si denique quis non obedit solum ex ignorantia, fragilitate, & concupiscentia, vel etiam aversione à superiore, sine contemptu tamen formali, minus peccat, & propterea minus punitur. Sylv. *num.* 3. *fin.* Menoch. *num.* 27. Farin. *num.* 59. & *num.* 60. Imò si non obediat, quia Prælatus præcipiens non habet Jurisdictionem, aut si habet, injusta præcipit, immunis ab omni pœna est; quia immunis etiam à culpa. Farin. *numer.* 58.

11 Quæritur 3. quid sit Apostasia *à Religione*? Resp. est omnimoda defectio, sive temerarius recessus à Statu Religioso, per Professionem, aut Vota Religionis substantialia inito, sine proposito redeundi, vel cum proposito non redeundi Sylv. *V. Apostasia quæst.* 4. *num.* 9. Rodriq. *tom.* 1. *qq. reg. quæst.* 30. *art.* 1. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 41. *num.* 109. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 8. *n.* 2. Laym. *l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 16. *num.* 1. Pirhing *hic num.* 8. Vviestner *ibid. num.* 4. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. capit.* 3. *num.* 74. Estque perinde, sive ita recedens abiiciat habitum, sive retineat; sicut enim habitus susceptio non facit Monachum, ita neque ejus retentio ab Apostasiæ excusat crimine. Abb. *in c.* 1. *num.* 2. *h. tit.* Sylv. *V. Apostasia num.* 9. *vers. si verò*, Decian. *l.* 5. *tr. crim. cap.* 73. *num.* 21. & *n.* 25. Mascard. *de Probat. concl.* 112. *num.* 1. Menoch. *de arbitr. cas.* 546. *num.* 36. Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 17. *quæst.* 6. Farin. *prax. crim. quæst.* 183. *n.* 62. Sanch. *l. cit. n.* 4. Laym. *n.* 2. *vers. porro* cum citt. Maneisque talis, etsi non multo post suum discessum pœnitentia ductus revertatur, si, cum discederet, animum non redeundi habuit Tamburin. *tom.* 3. *de Jur. Abbat. D.* 8. *quæst.* 1. *numer.* 2.

Dub. 1. quid requiratur, ut quis constituatur verus Apostata à Religione? Resp. 1. requiritur, ut recedat à statu Religioso: ex hujus requisiti defectu Virgines Anglicanæ, Ursulinæ quædam, & similes devotæ fœminæ, ab instituto suo recedentes, pro Apostatis haberi nequeunt; quia earum status non est Religio à Sede Apostolica approbata. Ita *l. citt.* Sanchez *num.* 7. Tambur. *n.* 4. Vviestner *num.* 4. Reiffenstuel *num.* 11. & teste *Tamburino* decidit *Rota*. 12

2 Ut in Religione tali approbata ediderit Vota substantialia Religionis: Nam Novitius, etsi Vota Devotionalia fecerit, post ea recedendo non fit Apostata; quia per ea Vota non fit Religiosus, Sanch. *n.* 6. Tambur. *n.* 3. Vviestner *n.* 4. Perinde autem est, sive Vota illa solemnia sint, sive simplicia; nam etiam recedens à societate JESU post Vota biennii Apostata efficitur, ut declaratum est à *Gregorio XIII Const.* incipit, *Ascendente edita* 10. *Sept.* 1558 13

3 Ut recessus iste completus sit opere; nam qui solum animum habet recedendi, etsi istum profiteatur verbis, Apostatarum pœnis non subjacet. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 41. *numer.* 109. Gonzal. *in cap. fin. h. tit. numer.* 4. Vviestner *n.* 5.

4 Ut istud fiat sine licentia superioris; nam si hujus authoritate fiat, sive sponte, sive coactè, quia ob culpam sic jussus, egreditur, non est Apostata, nisi casu, quo culpam hujusmodi eo fine commisit, ut extorqueret dimissionem, Less. *l. cit.* Laym. *cap.* 16. *cit. num.* 1. Barbosa *in cap. fin. cit. num.* 5. Pirhing *hic num.* 8. Vviestner *ibid. num.* 6. 14

5 Ut ita recedens sine licentia non habeat animum redeundi, Barbosa Pirhing *l. citt.* nam si animum redeundi habeat, saltem post breve tempus, habendus potiùs est pro fugitivo. Engl *hic numer.* 4. Si diutiùs v. g. per tres, vel quatuor annos extra Religionem manere intendat, in foro externo quidem habebitur pro Apostata, donec animum redeundi probet, in foro tamen interno solum erit fugitivus. Clar. §. *fin. quæst.* 78. *num.* 4. Less. *cap.* 41. *num.* 109. Farin. *quæst.* 183. *num.* 63. Palao *tract.* 16. *D.* 4. *part.* 16. *num.* 4. Laym. *cap.* 16. *numer.* 1. *cit.* Vviestner *numer.* 7. & dictum est *Libr.* 3. *Titul.* 31. *numer.* 269. 15

Dub. 2. an pro Apostatis haberi, & horum pœnis affici possint Regulares, recurrentes ad Urbem à gravaminibus, per superiores suos sibi illatis? Resp. negativè, si recto tramite ad Urbem recurrant, seque sine ulteriori vagatione præsentent secretario Sacræ Congreg. *Proceditque hoc*, etsi discesserint sine eorundem superiorum licentia, ut advertit Nicol. *Lucubr. Canonic. l.* 3. *Tit.* 31. *de Regular. post numer.* 43. ubi plura *Sacr. Congreg.* Decreta refert, cujus novissimum Decretum refert Monacell. *Append. part.* 1. *fol.* 342. *num.* 1. editum 6. & 27. *Jun.* 1698. *in Valent. Lectorat.* Si autem temerè, levique de causa Urbem, sive Curiam peterent, absque superioris sui licentia, ad eundem superiorem remittendi essent plectendi juxta *Decretum Sacr. Congr. Episc. & Regul.* relatum à Fagnan. *in capit. de priore num.* 38. *de Appell.* 16

Qui è Claustris egrediuntur, & Monasteria relinquunt (retento, vel dimisso habitu) prætextu nullitatis suæ Professionis, non audiuntur (quamvis ad Urbem accedant) super eadem prætensa nullitate ex quacunque causa, nisi priùs redeant ad Claustra, juxta dispositionem Trident. *sess.* 25. *capit.* 19. *de Regular.* ut sæpe sæpiùs respondit *Sacr. Congr. Concil.* & recenter *in Bononiens.* 4. *Jun.* 1689. Claromont 29. *Novembr.* 1692. & *in Grenens.* 9. *April.* 1701. *Proceditque hoc*, etsi egressi vellent transire ad aliam Religionem, ut declaravit *Sacra Congreg. Episc. in Provinciæ Peticæ* 30. *April.* 1700. & plenè tradit Donat. *Prax. Regular. tom.* 2. *tractat.* 12. *quæstion.* 11. Imò etsi tanquam incorrigibiles, servata forma Constitutionum Apostolicarum, fuissent ejecti. *Sacra Congregat. Concil. in Papiens.* 15. *Martii* 1692. 17

Quoad Apostatas tamen Regulares, qui dimisso habitu, more sæcularium in terris hæreticorum vagantur, ut eos ad reditum in gremium piæ Matris Catholicæ, ut 18

sæpe

ſæpe cupiunt , alliciant , iiſdem , ſi ad propriam Religionem redire reformident, Sacra pœnitentiaria Urbis (cui ad hunc effectum porriguntur preces) facto verbo cum Sanctiſſimo , ſolet per Reſcriptum indulgere , ut invento benevolo receptore , ad quamcunque aliam Religionem , & aliquando (quamvis rarò) etiam ad non Clauſtralem tranſire valeant : & ſic bis , terque ad terminos *Indulti Generalis Innocentii XII. editi* 1694. obtentum ſe vidiſſe teſtatur Monacell, *l. cit. numer.* 3.

19 Dub. 3. utrum Apoſtata verus ſit etiam ille , qui à ſua ad aliam Religionem diſcedit animo illam ingrediendi, ſed non petita licentia à ſuperiore Religionis, quam deſerit ? Duæ ſunt opiniones DD. è diametro ſibi oppoſitæ.

Gloſſ. *fin. in c. fin. h. tit.* Butrio *ibid. n.* 2. Abb. *num.* 4. Sylv. *V. Apoſtaſia quæſt.* 4. *n.* 9. Rodriq. *tom.* 1. *Regul. q.* 30. *art.* 1. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 41. *n.* 102. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 8. *num.* 8. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 16. *n.* 1. Fagnan. *in cap. fin. cit. num.* 11. *& ſeqq.* Gonzal. *ibid. num.* 4. Honor. *hic num.* 10. Pirhing *num.* 8. Reiffenſtuel *num.* 13. negant , talem habendum pro Apoſtata , etiamſi ab Ordine, quem profeſſus eſt, non petita Prælati licentia , & illicitè , ad alium Religioſum Ordinem , quantumvis laxiorem , tranſierit, ex ratione, quia per talem tranſitum non recedirur omninò à ſtatu Religioſo, quod hi DD. requirunt ad Apoſtaſiam propriè dictam.

20 *Contrà* Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *l.* 3. *cap.* 12. *à n.* 17. & *tom.* 5. *de Cenſur. D.* 31. *ſect.* 6. *num.* 4. Palao *tr.* 16. *D.* 4. *p.* 16. *nu.* 7. cum aliis tranſeuntem habent pro vero Apoſtata ; quia ſtatum Religioſum, quem profeſſus eſt, temere , & perpetuò deſerit , quod putant ad veram Apoſtaſiam ſufficere. *Media via* cum aliis incedit Farin. *prax. quæſt.* 183. *num.* 105. ubi diſtinguit, & Apoſtaſiæ pœnas evitare exiſtimat eum , qui intrat Religionem aliam , quæ ejuſdem eſt Regulæ , licèt diverſi habitus, ab illa, ex qua egreſſus eſt : ſecus, ſi intrat Religionem, quæ ſimul eſt diverſi habitus, & diverſæ Regulæ; hunc enim , & Apoſtatam eſſe , & Apoſtatarum pœnis ſubjacere exiſtimat.

21 Quidquid ſit quoad hoc punctum in aliis Religionibus , in ſocietate JESU ſic recedentem pro vero Apoſtata habendum patet ex *Conſtit. Pauli III.* incipit *Licèt debitum edita* 15. *Calend. Novembr.* 1549. *S. Pii V.* incipit *Aequum reputamus* 10. *Calend. Februar.* 1565. & *Gregorii VIII.* incipit *Aſcendente* 8. *Calend. Jun.* 1584. ubi Præpoſito ejuſdem ſocietatis conceditur poteſtas in ſic egreſſus procedendi , tanquam in veros Apoſtatas :

22 Dub. 4. quænam pœnæ in Apoſtatas, à Religione deficientes, jure communi ſtatutæ ſint? Reſp. jure communi in eos ſtatuta eſt pœna triplex . 1. excommunicatio major : quæ tamen ipſo facto (extra ſocietatem JESU *ob Conſtitutionem Gregorianam cit.*) non incurritur, niſi poſt habitum dimiſſum *cap. ut periculoſa* 2. *ne Cleric. vel Monach. in* 6. Abb. *in capit. fin. h. tit. num.* 2. Sylv. *V. Apoſtaſia quæſt.* 8. *num.* 11. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 8. *num.* 20. Suar. 3. *p. D.* 31. *ſect.* 6. *num.* 1. Gonz. *in cap. fin. cit. num.* 6. Engl *hic num.* 5. Pithing *numer.* 9. Schambog *num.* 6. Vvieſtner *num.* 10. Reiffenſtuel *num.* 14. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 3. *num.* 76. Unde alii Religioſi Apoſtatæ , habitum non deponentes , non videntur ipſo jure excommunicati , quamvis ſint excommunicandi. *Ratio* diſparitatis poteſt dari ; quia ſi habitum retineant , poterunt ex habitu adhuc cognoſci , & faciliùs capi , ut ſic ad Religionem ſuam reducantur. Schambog *n.* 6. *cit.*

23 2 Suſpenſio ab uſu , & exercitio Ordinum Sacrorum, durante Apoſtaſia ſuſceptorum : quæ etiam manet poſt pœnitentiam peractam , & perpetua eſt, niſi Papa diſpenſet *cap. fin. h. tit.* Gloſſ. *ibidem V. diſpenſatione*, Vivian. *in ration. pr.* Fagnan. *num.* 1. Barboſa *num.* 1. Gonzal. *numer.* 1. Zoeſ. *hic num.* 2. Konig *num.* 12. Schambog. *num.* 6. Reiffenſtuel *num.* 15. Ex quo Sanch. *l. cit. num.* 21. Suar. *ſect.* 6. *num.* 3. Farin. *quæſt.* 183. *num.* 118. Palao *part.* 16. *num.* 12. Fagnan. *num.* 4. Vvieſtner *num.* 11. & alii inferunt , iiſdem prohiberi etiam aſcenſum ad Ordines altiores , quòd majora prohibita cenſeantur , cui vetita ſunt minora *capit. cum illorum* 32. *verſ. primos de Sent. Excom.*

24 3 Amiſſio omnium privilegiorum ſuæ Religionis. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* quæ pœna ut incurratur , neceſſe eſt, ut ſic egrediens habitum Religioſum dimiſerit, & ſecuta ſit ſententia declaratoria criminis. Sanch. *n.* 33. Tambur. *q.* 9. *n.* 2. Vvieſtner *n.* 11.

25 Præter has aliæ plures in eoſdem Apoſtatas ſancitæ pœnæ ſunt per Conſtitutiones particulares, & privilegia Religioſorum Ordinum, inter quæ non minimum eſt, quòd Prælati Regulares Apoſtatas, & Fugitivos ſuos, ubicunque fuerint, perſequi, & deprehenſos, invocato etiam ad id brachio ſæculari , capere, incarcerare , & aliis modis, ac pœnis coercere poſſint : de quo vide *Lib.* 3. *Tit.* 31. *num.* 272.

26 Quæritur 4 quid ſit Apoſtaſia *ab Ordine* ? Reſp. eſt temeraria defectio, ſeu tranſitus à ſtatu Clericali ad converſationem Laicalem : quando Clericus, relicto Ordine ſuo , & dimiſſo habitu , ac tonſura , ad matrimonium, militiam, vel aliam vitam Laicalem propria authoritate tranſit. Hoſt. *Summ. hic num.* 2. Sylv. *V. Apoſtaſia quæſt.* 2. *num.* 5. Farin. *prax. crim. quæſt.* 183. *numer.* 115. Laym. *l.* 2. *tract.* 1. *cap.* 16. *numer.* 1. *prop. fin.* Pirhing *hic num.* 4. Konig *num.* 11. Vvieſtner *numer.* 12. Reiffenſtuel *n.* 25. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. c.* 3. *num.* 72.

27 Dub. 1 an hujuſmodi Apoſtaſia committatur etiam ab eo , qui Minoribus Ordinibus , aut prima ſolum Tonſura initiatus eſt ? *Certum* eſſe videtur, non poſſe dici Apoſtatam , ſi Beneficium nullum habeat ; quia ejuſmodi Clerici liberam habent poteſtatem tranſeundi ad nuptias , vel ſtatum ſæcularem , poſſuntque renuntiare Ordini , ſeu ſtatui Clericali , ipſo facto dimittendo Habitum , & Tonſuram , vel exercendo negotia ſæcularia, nec poſſunt cogi ad reaſſumendum habitum . Honor. *hic numer.* 11. Engl *numer.* 7. Pirhing *numer.* 4.

28 *Controverſia* inter DD. eſt de iis, qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent . In qua affirmativam defendunt. Abb. *in cap.* 3. *h. tit. num.* 3. & *numer.* 4. *verſ. idem de conſtitutis in minoribus*. Joan. Andr. *num.* 2. *poſt med.* Butrio *num.* 6. *verſ. hoc intellige*, Duual. *de Fid. q.* 8. Scuſay *Panopl. Cleric. l.* 7. *c.* 1. Farin. *q.* 183. *n.* 132. Gonz. *in c.* 1. *h. tit. num.* 5. Honor. *hic num.* 11. *Contra* ad Apoſtaſiam, & pœnas iſtus incurrendas opus eſſe , ut ſacro aliquo Ordine initiatus ſit Clericus, contendunt Gloſſ. *fin. in cap.* 3. *cit.* Sylv. *V. Apoſtaſia num.* 5. Laym. *l.* 2. *tr.* 1. *c.* 16. *num.* 1. *prop. fin.* Reiffenſtuel *hic num.* 26. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. capit.* 3. *numer.* 73. & alii ab his *citt.*

29 Difficultatem hanc P. Vvieſtner *hic numer.* 13. aliis *citt.* putat tolli ope diſtinctionis poſſe, ſi dicatur, Apoſtaſiam , in ſenſu ſtricto , & proprio acceptam , committi ab iis dumtaxat, qui ab Ordine ſacro ad converſationem Laicalem recedunt; eos autem, qui ita recedunt ab Ordine minore , vel prima Tonſura , ſolum committere Apoſtaſiam in latiori ſenſu, & minus propriè dictam, quæ propterea non eſt peccatum , ſaltem grave , neque eos redire cogit ad ſtatum Clericalem, modò Beneficia , quæ habent , dimittant.

30 Dub. 2 quæ ſint pœnæ Apoſtatarum ab Ordine propriè dictorum? Reſp. quadruplex eſt. 1 Excommunicatio major , ſed ferendæ ſolum ſententiæ , ut ex *capit. tuæ* 3. *h. tit.* deſumit Abb. *in cap.* 1. *eodem num.* 3. & ſequuntur Engl *hic num.* 7. Pithing *num.* 5. Schambog *nu.* 5. Vvieſtner *num.* 14. Reiffenſtuel *num.* 28. niſi præſumat Matrimonium defacto contrahere; hoc enim inito , ipſo facto excommunicatur . *Clem. unic. de Conſang.* ab hac tamen Excommunicatione , quia jure reſervata non eſt , abſolvi poſſunt ab Epiſcopo , ut dictum eſt *Libr.* 3. *Titul.* 3. *numer.* 33. & patet ex *Clement. cit.*

31 2 Infamia, quæ tamen non juris , ſed facti dumtaxat eſt : conſ. per pœnitentiam tollitur . Theſaur. *de Pœnit. Eccleſ. part.* 2. *V. Apoſtaſia capit.* 4. *numer.* 3. Pirhing *hic numer.* 5. Schambog *numer.* 5. Vvieſtner *numer.* 15.

3 Irregularitas , impropriè tamen dicta , & orta ex infamia : hinc cum iſta per pœnitentiam tollitur, niſi Apoſtata Matrimonium contraxiſſet , & hoc conſummaſſet ; tunc enim contraheret Irregularitatem propriè dictam ob Bigamiam ſimilitudinariam, in qua diſpenſare Epiſcopus poteſt ſecundum dicta *Libr.* 1. *Tit.* 21. *numer.* 14.

4 Amiſ-

2 4. Amissio privilegii Canonis, ita, ut talem Apostatam, postquam habitum, & tonsuram dimiserit, percutiens Excommunicationem Canonis non incurrat, prout ex *c. 1. h. tit.* colligunt Abb. *ibid. n.* 5. Gonzal. *n.* 3. & alii: quod saltem verum est, postquam ab Episcopo ter monitus non resipuerit *c. in audientia* 25. *de sent. Excomm.* Gloss. *in c. 1. V. liberari fin.* Vivian. *ibid. pr.* Barbos. *n.* 4. Pirhing *hic n.* 15. Schambog. *n.* 5. Konig. *n.* 11. *vers. an ex hac causa*, Reiffenstuel *n.* 31. Wiestner *n.* 16. Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. c. 3. n.* 71.

3 Dub. 3. quando pœnæ hæ locum habeant? Resp. locum habent tantùm in Clericis, qui in Majoribus Ordinibus constituti sunt; nam Clerici, in Minoribus constituti, si habitum, & tonsuram deponant, secundùm dicta *n.* 29. non fiunt propriè Apostatæ. Et quidem in Clericis constitutis in Majoribus tunc solùm locus est pœnis prædictis, quando constat de Apostasia ab Ordine, & Statu Clericali.

4 Si verò graviter de illa fuerint diffamati, vel suspecti, tunc deficiente probatione, per Censuram Ecclesiasticam compellendi sunt ad canonicè se purgandum, prout statuitur *c. tuæ* 3. *h. tit.* quam purgationem si non præstiterint, habentur pro convictis, & compelluntur reassumere habitum, etiam per incarcerationem, si alia media nil proficiant, poteritque incarceratio hæc tamdiu continuari, donec *à suæ præsumptionis* nequitia resipiscant, ut habetur *c. à nobis* 5. *eod.*

5 Porro carcer iste pro gravitate culpæ, & contumaciæ potest ita exasperari, *ut solummodo vita ipsis misera reservetur*, ut dicitur *c. à nobis cit.* non tamen debet esse ita durus, ut ob ejus asperitatem periculum mortis incurrat detentus; alioquin Judex Ecclesiasticus pœnam Irregularitatis non evadet. Abb. *in c. à nobis cit. n. 1. not.* 3. Pirhing *hic n. 7. coroll.* 3.

5 Quæritur 5. quæ pœnæ incurrantur ab iis, qui rebaptizant, vel rebaptizari se scienter permittunt? Resp. præter reatum gravissimi Sacrilegii, quem utrique incurrunt, si rebaptizatio fiat scienter, & absolutè, nullo præcedente dubio de valore primi Baptismi, in eos utroque Jure gravissimæ constitutæ sunt pœnæ: *Imperiali* enim tam rebaptizans, quàm rebaptizatus ultimo supplicio afficiuntur *l. si quis* 2. *C. ne Sanct. Baptism. iter. Ecclesiastico* autem uterque Irregularitatem contrahit *can. confirmandum* 65. *dist.* 50. *can. Afres* 3. *dist.* 98. *can. qui in qualibet* 10. *caus.* 1. *q.* 7. *& cap. ex litterarum* 2. *h. tit.* Et si Clerici sint, deponi *can. eos, quos* 118. *de consecrat. dist.* 4. Si verò Laici, excommunicari debent, ut Abb. *in c. ex litterarum cit. n.* 2. Thesaur. *p. 2. V. Baptisma nu.* 2. Pirhing. *hic n.* 13. 16. *&* 17. *fin.* Engl. *n.* 8. Schambog. *n.* 8. *&* 14. Wiestner *n.* 18. docent.

Dub. 1. an præter rebaptizantem, & rebaptizatum Irregularitatem istam incurrant etiam alii, & quis in ea dispensare possit? Respond. *ad* 1. eam incurrunt etiam Acolythus, Subdiaconus, & Diaconus, qui rebaptizanti ministrant, si crimen ejus publicum sit *c. ex litterarum cit.* Vivian. *ibi in ration.* Barbos. *num.* 8. Gonzal. *n.* 3. Honor. *n. 16. hic*, Pirhing. *n.* 14. Schambog. *n.* 9. Konig. *n.* 13. Wiestner *n.* 18.

Ad 2. distinguendum est, an crimen occultum sit, an verò publicum; nam si publicum est, in ea Irregularitate dispensat solus Pontifex: si occultum, etiam Episcopus vigore Trid. *sess.* 24. *c. 6. de reform.* Palao *tr.* 27. *D.* 6. *p.* 16. *n.* 14. Barbos. *in cap. 2. cit. n. 6. &* 7. Pirh. *n.* 16. *fin.* Wiestn. *n.* 18. Reiffenst. *n.* 40.

Dub. 2. an qui bis Sacramentum Confirmationis alicui contulit, vel qui bis illam suscepit, Irregularitatem incurrat? Resp. negativè; quia id Jure Canonico non est expressum, & Irregularitas nunquam est statuenda, nisi in Jure expressa reperiatur *cap. is, qui* 18. *de Sentent. Excomm. in* 6.

Neque refert, quòd *can. dictum* 8. *dist.* 5. *de consecrat.* æqualiter prohibeatur iterari Sacramentum Baptismi, & Confirmationis; non enim inde sequitur, eandem pœnam imponi iteranti Confirmationem, quæ Baptismum repetenti, cùm pœnæ non sint extendendæ de casu expresso ad casum non expressum. Pirhing. *hic num.* 17. Schambog. *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 41. Dicunt tamen quidam, de consuetudine contrarium observari.

PARS II.

De Criminibus adversantibus Charitati Proximi.

A Criminibus, quæ DEO, ejus Cultui, & veræ Religioni immediatè opposita sunt, descenditur ad illa, quæ lædunt Charitatem Proximi: quod in triplici bonorum genere potest contingere, scilicet in bonis vitæ, famæ, & fortunæ. Hæc igitur crimina, quamvis non omnia Pars hæc Secunda complectetur: initium fit à bonis vitæ.

TITULUS X.

De his, qui Filios occiderunt.

SUMMARIUM.

1 *Parricidium est crimen gravissimum.*
2 *Ejus Definitio.*
3 *&c. Quinam Parricidarum nomine veniant?*
8 *&c. Utrum Parricidii culpa, & pœna etiam porrigatur ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad Parricidium?*
12 *&c. Quinam casus, & causæ excusent à culpa, & pœna Parricidii filios, si parentes occidant?*
18 *&c. Pœnæ decretæ in filios, qui occiderunt suos parentes.*
23 *&c. Pœnæ Parentum interficientium Liberos.*
28 *&c. Pœnæ procurantium abortum.*
34 *Pœna Parricidii impropriè talis.*

EX iis Criminibus, quibus vita Proximi læditur, gravissimum facilè est Parricidium: & hinc non immeritò illud Imperator *§. alia* 6. *Inst. de Public. Judic.* vocat *Asperrimum crimen*; quem sequitur Host. *Summ. h. tit. pr.* ubi ait, inter delicta, quæ in hominem committuntur, nullum gravius esse, quàm homicidium, & inter homicidia pariter nullum reputari gravius, quàm Parricidium. Adstipulatur cum aliis Decian. *tr. crimin. l. 9. cap. 6. nu.* 1. ubi Parricidium maximum omnium scelus, & etiam Sacrilegium appellat. 1

Quæritur 1. quid sit *Parricidium*, & quinam in Jure *Parricidarum* nomine veniant? Respon. voce *Parricidii* olim quodvis Homicidium, & Delictum Capitale venit *arg. l. necessarium* 2. §. *& quia* 23. *ff. de origin. Jur.* juxta quam ii, qui præerant rebus capitalibus, *Quasi res Parricidii* appellabantur. Harppr. *ad §. alia cit. n.* 2. Konig. *hic n.* 1. In præsentiarum significat Homicidium in personas conjunctas impiè commissum: dividitur in *Parricidium propriè, & verè tale*, quod à Liberis in Parentibus in Liberos commissum est *l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider.* Et in *impropriè* tale, quando occiduntur cognati collaterales, vel affines, itemque conjuges *l. lege 1. ff. de Leg. Pompei de Parricid.* 2

Quare *Parricidarum* nomine veniunt 1. Liberi, qui occidunt proprium Patrem, vel Matrem: quod verum est, etiamsi tantùm sit Vitricus, vel Noverca *l. lege cit.* vel etiam naturalis tantùm, & non legitimus, vel legitima. Clar. §. *Parricidium n.* 2. Azor. *p. 2. l. 2. c. 25. q.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 120. *n.* 105. 110. *&* 111. Perez *in C. tit. de his, qui parent. vel liber. occid. nu.* 5. *&* 6. Harppr *in §. alia cit. num.* 2. *&* 10. Brunnem. *ad l. lege cit. num.* 1. Stryck. *Us. modern. Pandect. tit. de Leg. Pomp. de Parricid. circ. med.* Engl. *hic n.* 1. Pirhing *nu.* 1. Konig. *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 2. Magnif. P. Schmier *p. 5. de Delict. c. 2. n.* 58. quia Lex Pompeja sanguinem potiùs, quàm respectum Civilem attendit. 3

2. Parentes, qui occidunt filios §. *alia*, *& l. leg. cit.* junct. *l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider.* Et extenditur etiam ad Vitricum, & Novercam, si occidat Privignum, vel Privignam. Farin. *l. cit. n.* 111. Harppr. *in §. alia cit. n.* 5. Manz. *ibid. n.* 9. cum aliis *suprà*. *Neque obstat*, quòd olim Lege Regia parentum potestas etiam in vitam Liberorum fuerit *l. in suis* 11. *fin. ff. de Liber. & posthum. & l. fin. C. de Patron. potest.* ibi, *Patribus, quibus jus vitæ in liberos, necisque potestas olim erat permissa*; nam potestas ista iisdem Patribus postea etiam per Legem humanam adepta fuit, quòd patria 4

pote-

poteftas in pietate debeat, non atrocitate confiftere, ut dicitur *l. Divus* 5. *ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Berlich. *l.* 4. *concl.* 6. *num.* 73. Harppr. *l. cit. num.* 7. Manz. *ibid. num.* 10. Gonzal. *in cap.* 3. *h. tit. num.* 6. Reiffenftuel *hic num.* 3.

5 3. Nepotes, & neptes, occidentes Avum, vel Aviam, aut alios quofcunque Afcendentes, & contrà in infinitum *l. lege cit. & ibi* Gloff. *V. Aviam*, *V. Pœnam*, *& Verf. filium*, Azor. *q.* 2. Farin. *q.* 120. *n.* 108. *&* 109. Berlich. *concl.* 6. *nu.* 24. *&* 25. Harppr. §. *alia cit. num.* 5. Fleck. *Biblioth. l.* 4. *tit.* 33. *n.* 12. Pirhing. *n.* 1.

4. Socer, aut Socrus occidens Generum, vel Nurum, & vice verfa *l. lege cit. & ibi* Gloff. *V. Socerum*, Azor. *quæft.* 2. Farin. *quæft.* 120. *nu.* 117. Belich. *concl.* 7. *num.* 83. Brunnem. *num.* 1. Harppr. *num.* 5. Pirhing. *l. cit.* Konig. *num.* 8.

6 5. Maritus occidens uxorem, & contrà *l. lege cit.* Farin. *n.* 129. quod extenditur etiam ad eum, qui occidit Sponfam, & contrà *l. fciendum* 3. *& ibi* Gloff. *V. in pari fin.* Azor. *q.* 2. Farin. *n.* 132. Berlich. *concl.* 7. *num.* 39. *& feqq.* Brunnem. *n.* 1. Pirhing. Konig *l. citt.* Imò Parricidii reum fe facit etiam, qui occidit Patrem, vel Matrem Sponfæ, & viciffim; quia Pater, & Mater Sponfæ veniunt appellatione Soceri, & Socrus, & contra Sponfus venit appellatione Generi. Farin. *n.* 132. *cit.*

6. Frater occidens Fratrem, vel Sororem, & contrà *l. lege cit.* Eftque perinde, five fint utrinque conjuncti, five per Patrem, aut Matrem tantùm. Gloff. *marg. in l. cit.* Azor. *quæft.* 2. Farin. *num.* 124. Berlich. *concl.* 7. *num.* 63. Brunnem. *num.* 1. Harppr. *n.* 5. Pirhing. *num.* 1. Konig. *num.* 8.

7 7. Confanguineus quicunque tranfverfalis occidens alium Confanguineum intra quartum Gradum inclufivè. Clar. §. *Parricidium n.* 4. Azor. *q.* 2. Farin. *nu* 126. Berlich. *concl.* 7. *n.* 79. *&c.* Brunnem. *nu.* 1. Harppr. *num.* 5. Fleck *tit.* 33. *n.* 12. Pirhing Konig. *l. citt.*

8. Libertus occidens Patronum, vel Patronam *l.* 1. *cit. & ibi* Gloff. *V. Patronum*, Farin. *n.* 113. Brunnem. *n.* 1. Harppr. *n.* 5. Pirh. *l. citt.*

8 Dub. 1. utrum Parricidii culpa, & pœna etiam porrigatur ad extraneos, qui aliquo modo cooperantur ad Parricidium? Refp. affirmativè. Sic enim 1. porrigitur ad eum, cujus mandato commiffum eft Parricidium *l. lege cit.* ibi, *Cujufve dolo malo id factum erit* Azor. *p.* 2. *l.* 2. *c.* 25. *q.* 2. Farin. *quæft.* 120. *num.* 136. Berlich. *l.* 4. *concl.* 6. *n.* 38. Harppr. *in* §. *alia* 6. *Inft. de Publ. Judic. num.* 11. Pirhing, *n.* 1.

9 2. Ad eum, qui ad Parricidium opem aliquam, confilium, vel auxilium præftitit. Farin. *num.* 139. Et hinc Parricidii reus eft, qui emit venenum, ut illud filius Patri daret. *Proceditque hoc*, etfi filius Patri illud non potuerit dare *l. fciente* 7. *ff. de Leg. Pompon. de Parricid.* ubi Gloff. *marg.* ait, *Conatus interdum punitur fine effectu*, Berlich. *concl.* 6. *num.* 45. *& feqq.* Harppr. *num.* 12. *&* 14. Manz. *num.* 11. Pirhing. *l. cit.* Konig. *num.* 9. *Neque obftat*, quòd tefte Clar. *§. fin. quæft.* 92. *num.* 2. & aliis, nunc confuetudine per totum Orbem inolevetit, ut nifus, vel conatus pro effectu non fit putandus, vel puniendus; nam, ut idem Clar. *l. cit. num.* 2. excipienda funt crimina atrociffima; nam in his, quando conatus venit ad actum proximum, ita, ut per delinquentem non fteterit, fecutum fuiffe effectum, affectus pro effectu punitur: imò juxta eundem *Clarum* neque in aliis delictis conatus debet effe fine omni pœna.

10 3. Ad omnes confcios, & participes hujus criminis *l. utrum* 6. *ff. de leg. Pomp. de Parricid.* Hoft. *Summ. hoc tit. num.* 1. Azor. *c.* 25. *cit. quæft.* 2. Berlich. *concl.* 6. *num.* 39. *& feqq.* Perez *in Cod. tit. de his, qui parent. num.* 7. Brunnem. *ad l.* 1. *ff. de Leg. Pomp. de Parricid. num.* 2. *& ad l. utrum cit. n. un.* Harppr. *n.* 11. Manz. *n.* 12. Pirhing *l. citt.*

11 Dixi *Confcios, & participes*; nam fcientibus folùm, nec patefacientibus, & non participibus, etiam eventu fecuto, non ordinariam, fed leviorem pœnam imponendam exiftimant Berlich. *concl.* 6. *num.* 42. Perez *n.* 7. *cit.* Harppr. *n.* 23.

12 Dub. 2. quinam cafus, & caufæ excufent à culpa, & Pœna Parricidii filios, fi parentes occidant? Refpond. 1. excufantur, fi fint furiofi, & in furore, quo de ftatu mentis dejecti funt, parentes occiderint; nam hi *furore ipfo fatis puniuntur*, ut dicitur *l. pœna* §. *fin. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Farin. *q.* 120. *n.* 181. *limit.* 7. Berlich. *l.* 4. *concl.* 6. *n.* 55. Perez *in Cod. tit. de his, qui parent. vel fil. occider. n.* 10.

2. Si filius Patrem ignoranter, & fine dolo, puta de 13
nocte, vel in conflictu, incognitum, aut infolito veftitu indutum occidat, quia Parricidii culpa, & pœna requirit, ut dolus intervenerit. Menoch. *de arbitr. caf.* 356. *n.* 28. Decian. *l.* 9. *tr. crim. c.* 15. *n.* 1. *& n.* 35. Berlich. *concl.* 6. *n.* 57. Farin. *n.* 182. *limit.* 8.

3. Si filius à Patre fuit expofitus, & major factus eundem occidat; quia per talem expofitionem Pater amifit jus patriæ poteftatis: & idcirco occifio illius non dicitur Parricidium, faltem in foro externo. Menoch. *caf.* 356. *n.* 30. Decian. *l.* 9. *c.* 8. *n.* 9. *& c.* 15. *n.* 29. Farin. *nu.* 164. *limit.* 3. Berlich. *n.* 59.

4. Si filius fit adoptivus; nam hic fi Patrem Adopti- 14
vum occidat, non punitur ut Parricida, tum quia *Lex Pompeja de Parricid.* inducta fuit ob violatam naturam, quæ in Adoptivis nullam patitur injuriam; tum etiam, quia filiorum appellatione non veniunt adoptivi, qui non verè, & propriè, fed fictè, & imaginariè filii dicuntur. Menoch. *caf.* 356. *n.* 36. Farin. *n.* 163. Berlich. *n.* 56. qui tamen addunt, tale homicidium graviùs puniendum, quàm aliud fimplex.

5. Si filius occidat Parentem ex caufa defenfionis, ne- 15
ceffariæ, obfervato moderamine inculpatæ tutelæ; quia defenfio Jure naturæ cuivis permiffa eft, & omnis honefta ratio expediendæ falutis, ut habetur *l. ut vim.* 3. *ff. de J. & J. l. Itaque* 4. *ff. ad Leg. Aquil. l. Prætor.* 1. §. *vim vi* 27. *ff. de vi, & vi armat.* Menoch. *l. cit. num.* 35. Farin. *numer.* 186. Berlich. *numer.* 62. *&* 63. Konig. *hic numer.* 6.

6. Si filius occiderit Patrem in Patriam perduellem; 16
Minimè enim, ut Juris Confultus *l. minimè* 35. *ff. de Relig. & fumpt. fun.* nobiliter loquitur, *Majores lugendum putarunt eum, qui ad patriam delendum, & parentes, & liberos interficiendos venerit: quem fi filius patrem, aut pater filium occidiffet, fine fcelere, etiam præmio afficiendum, omnes conftituerunt*; nam pietas patriæ pietati in parentes præferenda eft. Perez *in Cod. tit. de his, qui parent. vel fil. occider. n.* 10. Berlich. *concl.* 7. *n.* 28. Harppr. §. *alia cit. n.* 32. Engl. *n.* 1.

Plures alios cafus enumerant Farin. *q.* 120. *cit. à n.* 159. 17
Berlich. *concl.* 6. *à n.* 55. *& alii*. Hoc tantùm notandum eft, ex iifdem caufis excufari etiam parentes, fi filios occidant, ut videre eft apud Berlich. *à num.* 82. Item aliquæ ex iftis caufis, quia omnino excufant à culpa, etiam excufant ab omni pœna, aliæ contrà, quia culpam non omnem tollunt, idcircò etiam folùm excufant à pœna ordinaria Parricidii.

Quæritur 2. quænam pœnæ decretæ fint in eos, qui 18
occiderunt fuos Parentes? *Et* 1. *quidem debitatur* de pœnis, quæ per Jus Imperiale in eos latæ funt? Refpond. hìc diftinguendum inter Jus antiquum, & novum. Olim virgis fanguineis, h. e. ufque ad fanguinem cæfus Parricida, & culeo, h. e. facco coriaceo cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & fimia inclufus, in mare, aut flumen proximum jactabatur; vel fi mare, aut flumen non effet proximum, beftiis objiciebatur, ab iis lacerandus §. *alia* 6. *Inftitut. de Publ. Judic. l. pœna* 9. *pr. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. & l. un. Cod. de his, qui parent. vel liber. occider.* ubi ratio redditur, *ut omni Elementorum ufu vivus carere incipiat, & ei cœlum fuperftiti terra mortuo auferatur*. Mixtura autem dictorum animalium, ut refert Vivian. *in cap.* 1. *h. tit.* ad majorem Parricidæ pœnam adinventa eft; quia canis naturaliter fugat Simiam, Simia Gallum, Gallus Viperam, & cum Vipera non inveniat refugium, intrat corpus Parricidæ.

Pœna ifta in Hifpania, tefte Gomez *l.* 3. *var. cap.* 3. 19
num. 4. adhuc ufus eft, hoc folùm immutato, quòd Parricida, ad evitandam defperationem, priùs interficiatur, ejufque folummodo corpus, cum ejufmodi animalibus facco inclufum, in undas jactetur. In Saxonia, tefte Berlich. *part.* 4. *concluf.* 6. *num.* 14. *&* 15. & Stryck. *Uf. modern. Pandect. tit. de Leg. Pomp. de Parricid.* §. 1. loco Simiæ fubftituitur felis, & fi ferpentes vivi haberi nequeant, in charta, feu linteo ferpens depingitur, & ita pictura cum Parricida facco inferitur. In aliis locis animalia illa, de quibus in Legibus Romanis fit

nis fit mentio, non adduntur; sed Parricida, sacco linteo inclusus, tamdiu deprimitur in aquam, donec suffocetur. Carpzov. *prax. crim. q.* 120. *nu.* 19. Berlich. *l. cit. n.* 13. Stryck. §. 1.

20 In plerisque Provinciis, & Regnis culei, & submersionis pœna propter ejus crudelitatem exolevit, & ejus loco successerunt aliæ pœnæ, potestate Judici data, ut pro varietate circumstantiarum exasperare illas, vel mitigare possit. Alicubi Parricidarum membra rotæ subijciuntur; alibi ad caudam equi affixi, & crati vimineæ insidentes, dedecorosè ad supplicii locum pertrahuntur, ibique decapitantur, & rotæ imponuntur; in aliis locis strangulati, & dolio inclusi in flumen abjiciuntur: in nonnullis in quatuor partes dissecti suspenduntur, vel canibus lacerandi traduntur &c. Clar. §. *Parricidium n.* 5. Farin. *q.* 120. *n.* 12. Perez *in Cod. tit. de his, qui parent. vel liber. occider. num.* 3. Brunneman. *ad l. 7. ff. de Leg. Pomp. de Parricid. n.* 1. Harppr. §. *alia cit. nu.* 30. Manz. *ibid. n.* 22. Engl *hic n.* 2. Pirhing. *n.* 2. Vviestner *num.* 3. Reiffenstuel *n.* 6.

21 Dub. 2. quænam pœnæ in parentum interfectores latæ sint de Jure Canonico? Resp. antiquioribus Ecclesiæ Sanctionibus *can. aut facta* 19. *dist.* 1. *de pœnit.* habetur, in illos generatim animadvertendum severiùs, quàm in Homicidas cæteros. Postea *can. latorem* 15. *caus.* 33. *quæst.* 2. à Nicolao Papa interfectori parentis interdictus est ingressus Ecclesiæ uno anno, tribus Sacra Communio, decem annis Oblationes, præter jejunia, abstinentiam à carnibus, & vino, & alia pœnitentiæ opera. Jure Decretalium nulla extat constituta pœna, fortassis ideo, quòd, ut olim Salon, teste Seneca *l.* 1. *de Clementia*, ita etiam Summi Pontifices existimarent, tam abominando, & ab humanitate omni alieno scelere se neminem contaminaturum, ut eruditè advertit Gonzal. *in cap. fin. h. tit. num.* 4. Hodie de Jure isto Parricidarum pœna est arbitraria, pro excessu augenda, vel minuenda. Engl *hic num.* 2. *fin.* Konig *ibid. num.* 12.

22 Dub. 3. an aliquo tempore extinguatur accusatio, & Pœna Parricidii? Respond. negativè: sed accusatio ejus propter atrocitatem, & enormitatem criminis perpetua est, ejusque pœna nullo unquam tempore, ne quidem immemoriali, præscribi potest per textum expressum *l. fin. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* Decian. *tr. crim. l. 9. cap. 6. num.* 10. *& cap.* 14. *num.* 2. Farin. *q.* 120. *num.* 138. Berlich. *part.* 4. *concl.* 7. *num.* 86. Harppr. *in* §. *alia* 6. *num.* 34. *Inst. de Publ. Jud.* Fleck. *Biblioth. l.* 4. *tit.* 33. *num.* 56.

23 Quæritur 3. quæ sit pœna Parentum interficientium Liberos? *Et* 1. *quidem dubitatur* de pœna Juris Civilis? Respond. hoc Jure spectanda sunt tria tempora. 1. Legis Regiæ, qua introductum fuit, ut Pater in Liberos suos vitæ, ac necis haberet potestatem *l. in suis* 11. *ff. de Liber. & Posthum. & l. fin. Cod. de patr. potest.* quæ tamen potestas eidem postea etiam per Jus Civile sublata est, prout dictum est *num.* 4. 2. Posteriorum temporum usque ad tempora Constantini M. ubi nex filio illata in Parente pœna Homicidii ordinaria puniri cœpit. P. Vviestner *hic num.* 6. 3. A temporibus Constantini, ubi Parricidii pœna, de qua *n.* 18. extensa est etiam ad Parentes, qui suos occidunt filios §. *alia* 6. *Instit. de Publ. Judic. & l. un. C. de his, qui parent. vel liber. occider.*

24 Juxta *Constit. crimin. Carol. V. art.* 131. mater, quæ vivum infantem à se editum malitiosè occidit, viva in terram defoditur, & per ejus corpus stipes, seu palus transfigitur: quæ tamen pœna *ibidem* ad desperationem evitandam mitigatur, & permittitur Judicibus, ut, ubi copia fluminis adest, trucidatrix sui proprii partus aqua suffocetur; & ubi delictum hoc frequens esset, ante submersionem candentibus forcipibus torqueatur, secundùm arbitrium Judicis. Sed etiam hæc submersionis pœna in usu esse desiit, ejusque loco aliæ, pœnæ pro diversitate circumstantiarum, arbitrio Judicis, & consuetudine locorum vel Legum municipalium exasperandæ, vel mitigandæ, infliguntur. Berlich. *part.* 4. *concl.* 6. *numer.* 2. *& seqq.* Fleck. *Biblioth. l.* 4. *tit.* 33. *num.* 57. Konig *hic num.* 11. Reiffenst. *ibid. num.* 6.

25 Additur in *cit. art.* 131. *Constit. Carol.* quòd meretrix, quæ clam peperit, & se abortum fecisse dicit, infanticidii rea esse præsumatur, & nisi innocentiam suam legitimè probaverit, eamque præsumptionem ex aliis circumstantiis legitimè diluerit, per tormenta ad confessionem veritatis cogi possit. Berlich. *p.* 4. *concl.* 7. *numer.* 29. & *concl.* 8. *num.* 30. Fleck. *Biblioth. l.* 4. *tit.* 33. *num.* 59.

Dub. 2. quæ sit pœna Juris Canonici, in Parentes Liberorum interfectores lata? Resp. de his duo sunt constituta. 1. Mater filii interfectrix, si vidua sit, per *cap. veniens* 1. *h. tit.* jubetur detrudi in Monasterium, & si de ejus incontinentia non timeatur arceri à secundis Nuptiis. Si verò sit conjugata, à marito quidem non est separanda, aliis tamen modis puniri debet *cap. intelleximus* 2. *eod.* Hodie tamen hujusmodi homicidæ tam Parentes, quam Liberi vix unquam puniuntur à Judicibus Ecclesiasticis, sed à Curia tantùm Sæculari, ad quam proinde Reus, si Laicus sit, remitti solet. Si verò sit Clericus, prius juxta præscriptum Canonum degradari debet, sicque degradatus traditur Curiæ Sæculari, non exspectata alia incorrigibilitate. Farin. *quæst.* 120. *num.* 21. Vivian. *in capit.* 1. *citat. pr.* Schambog. *numer.* 4. *hic*: & meritò; cùm enim propter simplex Homicidium Clericus degradari, & in arctum Monasterium detrudi debeat *cap. cum non ab homine* 10. *de Judic.* & *cap. tuæ* 6. *de Pœnis*, pro qualificato homicipio utique gravius puniri debet, cons. Curiæ Sæculari tradi, cum Ecclesia aliam graviorem pœnam non habeat. Pirhing *hic n.* 5. Reiffenstuel *ibid. num.* 10. 26

2. Parentes, qui tenellos adhuc infantes, in suo lecto collocatos, opprimunt, etiamsi oppressionem illorum nec intenderint, nec præviderint, quia tamen, eos in lectum communem recipiendo, periculo oppressionis exposuerunt, a Lucio III. *capit. fin. hoc tit.* jubentur tres annos agere in Pœnitentia, & horum unum in pane, & aqua: quæ pœna hodie sublata est, testibus Menoch. *de arbitr. q.* 356. *numer.* 61. Decian. *l.* 9. *capit.* 8. *numer.* 20. Vvagnereck *in capit. fin. citat. in Exeg.* Schamb. *hic num.* 8. Konig *numer.* 12. *fin.* Ejus loco in plerisque Diœcesibus Germaniæ est Casus reservatus, in aliis pro arbitrio Judicis puniendus, Vviestn. *hic. num.* 8. Quod intelligendum, si oppressio talis culposa sit; nam quandoque culpa prorsus caret, si videlicet lectus sit amplus, & infans alias implacabilis, vel aliter à frigore defendi nequeat: tunc ergo opprimens etiam nulli pœnæ erit obnoxius. Navar. *Man. c.* 5. *n.* 13. Barbos. *in c. fin. cit. n.* 2. Engl. *n.* 4. *hic*. 27

Quæritur 3. quibus pœnis subjaceant parentes, & alii Abortum procurantes? Resp. si fœtus fuit animatus, mater, quæ abortum procurat, eumque vel in utero necat, vel vivum expellit, atque interimit, verum Parricidium committit, pœnarumque illius, Jure Civili constitutarum, rea est *l. Cicero* 39. *ff. de pœnis*, & *Const. crim. Carol. V. art.* 133. ubi pœna capitalis contra ita delinquentem specialiter statuitur. Azor *capit.* 26. *quæst.* 3. Berlich. *concl.* 8. *num.* 1. Engl *hic num.* 3. Reiffenstuel *num.* 13. Plerumque tamen mitius punitur Mater, quæ infantem in utero perimit, prout advertunt Decian. *tr. crim. l.* 9. *cap.* 8. *num.* 14. Konig. *n.* 7. & quidem meritò; licèt enim non minùs impia sit Mater, quæ lucem invidet nascituro, & prolem extinguit, antequam eam in lucem effundat, longè tamen crudelior est illa, quæ filio, quem jam natum vidit, & amplexata est, præsentem adimit vitam, & propterea etiam crudelius meretur supplicium. Interim etiam priori casu mater capitali pœna plectenda est *l. Cicero cit. & Const. Carolin. art.* 133. 28

Si verò fœtus nondum animatus fuit, Jure Civili nec homicidii, nec ultimi supplicii rea, sed pœna Judicii arbitraria v. gr. exilii, fustigationis &c. punienda erit mater abortum procurans Clar. §. *fin. q.* 68. *numer.* 2. Menoch. *de Arbitr. cas.* 357. Berlich. *p.* 3. *concl.* 8. *num.* 1. Konig *hic num.* 7. Reiffenstuel *ibid. num.* 14. & statuitur *l. Cicero cit. & Const. Carol. art.* 133. *cit.* Porro fœtus animatus ex Physicorum, & Medicorum communi Sententia præsumitur, n masculus sit, quadragesimo, si fœmina, octogesimo die. Menoch. *cas.* 357. *citat. num.* 3. Gomez *l.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 32. Farin. *q.* 122. *a num.* 139. Barbos. *in Summ. dist.* 5. *nu.* 2. Vviest. *tit. de Homicid. num.* 54. 29

Jure Ecclesiastico contra quoscunque sive directè, 29

five indirectè procurantes Abortum graviſſimæ conſtitutæ ſunt pœnæ, præcipuè verò per *Conſtitut. Sixti V.* incipit *Ad effrenatam*, quæ eſt 87. inter Conſtitutiones dicti Pontificis in *Tom. 2. Bullarii Cherubini*, & per extenſum refertur à P. Reiffenſtuel *hic n.* 16. Hanc tamen poſtea moderatus eſt *Gregorius XIV. Conſt.* incipit *Sedes Apoſtolica*, eſtque inter Conſtitutiones iſtius Pont. ordine 8. in *Tom. 2. Bullar. Cherub.* per extenſum relata apud P. Reiffenſtuel *num.* 18. *hic*. Et quidem, quando fœtus non eſt animatus, in totum tollitur Conſtitutio Sixti V. & reducitur ad diſpoſitionem Juris communis: quando verò animatus fuit, fit moderatio quoad Abſolutionem à peccato, & Excommunicationem reſervatam Ordinario in foro conſcientiæ tantùm, Barboſ. *de Offic. Epiſcop. allegat.* 51. *num.* 136. circa cæteras pœnas autem dicta *Conſtitutio Sixtina* in pleno ſuo vigore manſit. Azor. *part.* 2. *l.* 2. *cap.* 26. *quæſt.* 3. Barboſ. *l. cit.* Sporer *part.* 4. *cap.* 4. *ſect.* 2. *num.* 714. & hoc teſte omnes, patetque ex ipſa *Bulla Gregoriana*.

31 Adeoque, qui directè, vel indirectè, per ſe, vel per alium quocunque modo procurat Abortum fœtus animati, vel ad id conſilium, aut auxilium præſtant, vel favorem incurrunt 1. omnes pœnas ab utroque Jure contra Homicidas voluntarios conſtitutas. 2. Contrahunt Irregularitatem. 3. Sunt privati omni privilegio Clericali. 4. Sunt inhabiles ad omnia Officia, & Beneficia tam Simplicia, quàm Curata. 5. Ipſo facto excommunicantur. 6. Si Beneficium, vel Officium Eccleſiaſticum habent, ipſo facto eo privantur, & tam ad idem, quàm quodvis aliud perpetuò ſunt inhabiles. 7. Inſuper ſi ita delinquens ſit Clericus, debet deponi, & degradari, ſicque degradatus tradi Curiæ Sæculari puniendus juxta Leges Divinas & humanas.

32 Et quidem pœna Irregularitatis, Excommunicationis, & inhabilitatis ad Beneficia obligat in foro conſcientiæ ante omnem Judicis ſententiam, & quantumvis delictum occultum ſit. Reiffenſtuel. *hic num.* 20. Pœna verò Beneficii priùs habiti, quia executionem externam requirit, ante ſententiam Judicis ſaltem declaratoriam criminis non obligat, ut proin hæc, ſicut, & Degradationis, & traditionis ad Curiam ſæcularem, locum non habeat, quamdiu Delictum occultum manet. Reiffenſtuel *num.* 21. Quia tamen ante eandem ſententiam, & licèt Delictum occultum ſit, ut paulò antea dictum eſt, ipſo facto Irregulares ſunt, conſ. præter alios Irregularitatis effectus non ampliùs poſſunt celebrare Miſſas (quod tamen plurima Beneficia requirunt) ſaltem ex hoc capite ante omnem Sententiam in foro conſcientiæ tenebuntur dimittere Beneficia ſua; quia obligationi, vigore Beneficii impoſitæ, ſatisfacere non ampliùs poſſunt, niſi à Papa diſpenſetur: quod tamen difficillimè, & non niſi urgentiſſimis de cauſis fieri poteſt, ut habet *Bulla Sixtina cit.* §. 8. *circ. fin.* Reiffenſtuel *num.* 25.

33 Circa diſpenſationem, & abſolutionem ab his pœnis id ſolùm moderatus eſt Gregorius XIV. quòd ab Excommunicatione, in Bulla priùs ſtrictiſſimè reſervata, abſolvere poſſit quivis Epiſcopus, & quivis Confeſſarius ab eo ſpecialiter deputatus. Unde nec in Irregularitate, nec in privatione Beneficiorum, ac inhabilitate ad illa ullo modo diſpenſare valet Epiſcopus poteſtate ſua Ordinaria, ut contra Sporer *part.* 4. *c.* 4. *num.* 722. *fin.* rectiùs docet Reiffenſtuel *hic num.* 22. & patet ex *Conſtit. Sixtin. cit.* ubi Pontifex Diſpenſationem hanc expreſsè ſibi reſervavit, quæ quoad hoc per *Gregorium XIV.* non eſt correcta. Neque ſuffragatur in hoc Epiſcopis Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.* quia ibi ſolùm conceditur Epiſcopis facultas diſpenſandi in Irregularitatibus, & ſuſpenſionibus, provenientibus ex Delicto occulto, excepta illa, quæ provenit ex Homicidio, non item in aliis pœnis lege Pontificia latis; eſt autem procuratio Abortus fœtus animati verè Homicidium: ergo &c.

34 Quæritur 5. Quæ ſit Pœna Parricidii improprie talis, quando occiditur conſanguineus collateralis à conſanguineo, uxor à marito &c. Reſpond. Jure Civili in hos animadvertitur pœna ordinaria Legis Corneliæ de Sicariis, i. e. ſupplicio ordinario Homicidii, ut patet ex §. *alia* 6. *fin. Inſtitut. de Publ. Judic.* ibi, *ſiquis autem alias cognatione, vel affinitate perſonas conjunctas necaverit, pœnam Legis Corneliæ de Sicariis ſuſtinebit.* Quod item habetur *l. pœna* 9. §. *qui alias* 1. *ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* ibi, *Qui alias perſonas occiderint, præter patrem, & matrem, avum, & aviam, --- capitis pœna plectantur, aut ultimo ſupplicio mactentur:* ita tamen, ut etiam pro diverſitate circumſtantiarum, & conſuetudine locorum pœna hæc interdum exaſperetur. Et quidem juxta *Conſtit. crim. Carol. V. art.* 137. *fin.* perſona, quæ conjugem, aut conſanguineum propinquiorem occidit, ante forcipibus candentibus aduritur, vel trahæ impoſita, ad locum ſupplicii rapitur. Stryck. *Uſ. modern. Pandect. de Leg. Pomp. de Parricid.* §. *final.* Konig *hic numer.* 13. Reiffenſtuel *ibidem numer.* 7.

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expoſitis.

SUMMARIUM.

1 *Quinam in hac Rubrica veniant nomine Infantium, & Languidorum?*
2 &c. *Peccati, quod expoſitione iſtorum committitur, gravitas.*
6 &c. *Pœna exponentium Infantes, & Languidos.*
9 &c. *Amittunt patriam, & dominicam poteſtatem in expoſitos.*
12 *Non tamen iſtam acquirunt, qui eos ſuſcipiunt.*
13 *Quamvis alimenta poſſint repetere.*
14 *Quo caſu iſtud non poſſint?*
15 &c. *Unde hujuſmodi expoſiti ſubminiſtrari alimenta debeant?*
21 &c. *An, & qualiter domus famulo ægrotanti providere de neceſſaria cura, & alimentis debeat?*
25 &c. *An Expoſiti, & alii, quorum parentes ignorantur debeant haberi pro Legitimis?*

Parricidio propinqua eſt inhumanitas, qua infantes, & languidi cujuſcunque ætatis, quibus æducatio, alimenta, aut cura debetur, contra Pietatis officium expoſiti deſeruntur *can. fin. diſt.* 87. *can. unic. h. tit. & l. necare* 4. *ff. de agnoſc. & alend. Liber. l. fin. Cod. h. tit. Infantium* autem nomine hìc veniunt Liberi ſeptennio minores; *Languidorum* verò infirmi ſeu illi, qui gravi, ac diuturna, præſertim verò perpetua, & incurabili detinentur infirmitate, per quam ad labores, & quæcunque negotia, aut res gerendas inhabiles exiſtunt, cujuſcunque ætatis ſint. Barboſ. *in Rubr. h. tit. num.* 2. Wagnereck *in cap. un. V. de prædictis not.* 1. *eod.* Pirhing *hic num.* 3. Schambog. *num.* 4. Reiffenſtuel *num.* 21. 1

Quæritur 1. Quale peccatum ſit exponere infantes, & languidos? Reſpond. hos exponentes incurrunt graviſſimum reatum culpæ, adeò, ut proprii partus expoſitio in quibuſdam Diœceſibus ſit Caſus Epiſcopo reſervatus. Idque verum eſt non tantùm, ſi expoſitio fiat, ut infans pereat, ſed etiam ſi fit, ut ab aliis alenda, & educanda aſſumatur. *Pars* 1. eſt extra controverſiam; quia quantum in ipſis eſt, ſic exponentes expoſitos necare videntur *can. paſce* 21. *diſt.* 86. *canon. fin. diſt.* 87. *l. necare* 4. *ff. de agnoſc. & alend. Liber. & leg. fin. Cod. h. tit.* & hinc etiam tanquam Homicidæ puniuntur, ſecundùm dicenda *numer.* 7. 2

Pars 2. tenetur à communi, & quaſi unanimi DD. quia etiam tali modo facta Expoſitio ab utroque Jure graviſſimè prohibetur, ut patet ex textibus *citt.* qui loquuntur generaliter. Concordat *Novell.* 153. ubi *pr.* Expoſitio infantium univerſaliter vocatur *crimen à ſenſu humano alienum, & quod ne ab ullis quidem Barbaris admitti credibile eſt.* Ratio eſt, quia dum alimentis prolem ſuam exponentes deſtituunt, ignari, num aliquis illam, antequam moriatur, aſſumat, & alat, periculo mortis eam exponunt, & ſic etiam ipſi, quantum in ſe eſt, necare illam videntur. 3

Nec excuſat à peccato parentem, ſi dicant, ſe non ex malevolentia erga prolem, ſed ad declinandam infamiam exponere infantem ad hanc autem declinandam non modò prolis, ſed etiam propria vita periculo exponi poteſt; quia *viris bonis iſte* (infamiæ, & honoris perden- 4

perdendi) *metus major, quàm mortis esse debet*, ut dicitur, *l. isti 8. §. 2. ff. quod met. caus.* Nam hoc procedit solùm, quando fama ab alio injustè invaditur, vel aufertur, non verò, quando læditur justè, juxta illud vulgatum: *Ubi justa est offensio, ibi injusta est defensio*, in hoc autem casu nemo injustè lædit famam matris illicitè inprægnatæ: ergo &c. *Conf.* quia aliàs ad famam propriam tuendam posset quis licitè etiam procurare abortum fœtus animati, vel inanimati, & natum propriis manibus occidere, cùm non referat, sive ferro, aut violenta manu, sive fame, & alimentorum subtractione infans occidatur *arg. l. necare, & Novell.* 153. *citt.*

5 *Excipitur* tamen casus, quo parens, aut dominus ob egestatem infantem suum, aut servum languidum sustentare non potest; tunc enim, si exponant illos in loco pio, vel alio, in quo commodè sustentari possunt, præsertim si iste pro hujusmodi Expositis specialiter erectus sit, ut sunt Hospitalia, Orphanotrophia &c. à culpa, & pœna immunes sunt, ut notant Azor *p. 2. l. 2. c. 26. q. 2.* Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 51. *nu.* 147. Gonzal. *in c. un. h. tit. num.* 10. *fin.* Pirhing. *hic num.* 2. *not.* 2. Vviestner *n.* 1. Reiffenstuel. *num.* 10. Quam Exceptionem nonnulli etiam extendunt ad Casum *n. præc.* quia tunc morale periculum, ne defectu alimentorum moriatur expositus, nullum est.

6 Quæritur 2. quæ sit pœna exponentium infantes, & languidos? Resp. de *Jure Canonico* pœna arbitraria puniuntur. Engl. *hic num.* 2. *De Jure Civili* ex Sententia Gloss. *in l. fin. Cod. de Patrib. qui fil. distrax.* & quorundam aliorum DD. hujusmodi Parens tenetur pœna capitis: quod videtur insinuari *can. fin. dist.* 87. *& l. fin. C. h. tit.*

Sed distinguendum est, an exponantur in loco solitario, e. g. silva, an verò in via publica, aut alio loco non infrequenti.

7 *Si primum*, & infans expositus fame, frigore, aut ferarum laniatu pereat, omnino tenendum est, exponentem teneri pœna capitis, ut colligitur ex *l. necare* 4. *ff. de agnosc. & alend. Liber.* & statuitur in *Constit. crim. Carol. V. art.* 132. *fin.* notanque Bartol. *in l. necare cit.* Boss. *tit. de Homicid. num.* 7. Brunnem. *in l. necare cit. numer.* 8. Fleck. *Biblioth. l.* 4. *tit.* 33. *numer.* 7. Monacell. *part.* 2. *tit.* 13. *form.* 7. *numer.* 5. Vviestner *hic num.* 2. Reiffenstuel *num.* 7.

8 *Si secundum*, alteram distinctionem DD. adhibent, an eo casu infans expositus reperiatur vivus, an vero præter intentionem, & opinionem moriatur. In hoc *posteriori* casu Carpz. *pract. crim. part.* 1. *quæst.* 10. *num.* 11. existimat, exponentem satis plecti fustigatione, vel alia simili pœna: quod desumitur ex *cit. art.* 132. *Constit. Carolin.* ibi, *Bach Celegenheit des gefahrlichen dinlegens*. In *priore* sufficiet relegatio, aut alia mitior pæna arbitrio Judicis, ut pariter innuitur *art.* 132. *citat.* & notat Menoch. *de arbitr. cas.* 396. *num.* 5. Vvesenbec. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. num.* 14. Berlich. *part.* 4. *conclus.* 7. *num.* 31. Gonzal. *in cap. un. h. tit. num.* 10. Monacell. *num.* 5. *cit.* Engl. *hic num.* 1. Zoes. *num.* 1. Konig. *nu.* 8. Vviestner *num.* 2. Reiffenstuel *n.* 9. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 2. *num.* 70. *Excipitur* iterum, si causa expositionis sit egestas parentis tanta, ut prolem alere nequeat; tunc enim sicut expositio talis culpa vacat, ut dictum est *num.* 5. ita etiam à pæna immunis est.

9 Pœnæ hactenus relatæ utroque Jure adjungitur alia, qua Pater, qui filium & dominus qui Servum languidum exponunt, vel in expositionem eorum consentiunt, aut ratam eandem habent, privantur patria, & dominica potestate, quatenus hæc filio onerosa est, ita ut filius efficiatur sui Juris, servus verò libertatem, & libertus ingenuitatem consequatur *cap. un. h. tit. l. sancimus* 3. & *l. fin. C. h. tit.* Ratio est, quia eos censetur habere pro derelictis: & sic jus patriæ, ac dominicæ potestatis remisisse *l. fin. ff. pro derel.* huic repetere illos non amplius possunt; quia *remittentibus actiones suas non est regressus dandus*, ut dicitur *l. quæritur* 14. §. *si venditor* 9. *ff. de Aedilit. Edict.* nec *suum quis dicere poterit, quem pereuntem contempsit*, ut habetur *l. unusquisque* 2. *C. h. tit.*

10 Dixi, *Qui exponunt, vel in expositionem consentiunt &c.* Secus est, si parentibus, ignorantibus, vel invitis infans ablatus, & expositus fuisset; tunc enim pro suo eum agnoscere, & sibi iterum, ubicunque existat, solutis expensis, assumere valent. Barbos. *in Rubr. h. tit. n.* 6. Vvagnereck *in c. un. eod. vers. infans expositus.* Zoes. *hic n.* 2. Schambog. *n.* 3. Reiffenstuel *num.* 19. Ratio est, quia cùm in tali casu parentes omni culpa vacent, jus patriæ potestatis erga filium retinent. Imò tali casu potiùs furtum, seu Plagium commissum esse censendum est, & Patri actio furti competit *l. eum, qui* 14 §. *si filiusf.* 13. *ff. de Furt.*

Addidi, *Quatenus patria potestas filio onerosa est*; nam 11
in quantum favorabilis eidem est, non amittitur: conf. ita expositus alimenta à parentibus exponentibus semper prætendere, iisque succedere adhuc valet; non autem hi vicissim, ut clare decisum est *c. un. h. tit. & l. unusquisque* 2. *cum duab. seqq. Cod. eod.* Vallens. *hic num.* 1. Engl *num.* 2. Reiffenstuel *num.* 11. Ratio est, quia eo casu expositus videtur incertum habere Patrem, cùm Pater, quem habet, non sit filio dignus, quòd filium indignum se existimaverit, ut proinde meritò omni utilitate, ex eo proveniente, carere debeat.

Quæritur 3. an is, qui infantem, & languidum ex- 12
positum suscipit, aut sustentat, in ejus personam aliquid acquirat Juris? Respond. negativè, Patet ex *cap. un. h. tit. l. sancimus* 3. *C. h. tit. & l. nemini* 24. *C. de Episcop. audient.* idque meritò; tum quia sustentatio, & educatio nullo Jure habetur pro Adoptione; tum ne infans, qui non peccavit, contra Juris præcepta aliena impietate fortè amittat libertatem, & plectatur macula servitutis. Azor. *part.* 2. *l.* 2. *cap.* 26. *quæst.* 1. Tholosan. *l.* 11. *Syntagm. cap.* 13. *num.* 3. Vivian. *in cap. unic. cit. vers. si tamen*, Barbos. *ibid. num.* 1. Gonzal. *num.* 4. & 8. Vvagnereck *V. de prædictis not.* 1. Vallens. *hic numer.* 2. Honor. *num.* 3. Konig *num.* 9. Vviestner *num.* 5. Reiffenstuel *n.* 14.

Expensas tamen in alimenta, & educationem, quas 13
ita suscipiens fecit, repetere ab iis, qui hæc eis præstare tenebantur, non prohibetur; quia per expositionem infans, ut *n.* 11. dictum est, à patria potestate liberatur solùm in odiosis, in favorabilibus autem, quale est jus alimentorum, sed potestate ejusdem manet. Stephan. Gratian. *Discept. for. c.* 267. *n.* 41. Barbos. *in c. un. h. tit. n.* 8. Engl. *n.* 4. Honor. *n.* 5. Pirhing. *nu.* 2. *not.* 2. Konig *n.* 9. Vviestner *n.* 6.

Excipitur, nisi expensæ istæ ex officio, aut liberalita- 14
te, vel pietatis, & misericordiæ causa facta essent, sicut factæ esse præsumuntur, quando sic expositi educantur ab Ecclesia, vel Hospitali, aut alio loco publico in hunc finem fundato, vel etiam à privato divite, & liberali viro *arg. can. Sacrorum* 15. *caus.* 12. *q.* 2. Unde eo casu repeti expensæ haud ampliùs poterunt, ut notant Azor. *c.* 26. *cit. q.* 1. *vers.* 3. *quæres*, Pirhing *nu.* 2. *not.* 2. Vviestn. *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 15. & 17.

Quæritur 4. unde subministrari alimenta infanti expo- 15
sito debeant, si nemo privatus curam illius suscipiat? Respond. eo casu subministranda sunt à Brephotrophiis, Hospitalibus, & aliis piis locis, erectis ad hujusmodi pietatis officia; ita enim exigit pia Fundatoris intentio, quam implere utique oportet. His deficientibus, succurrere debet Ecclesia, utpote cujus redditus propterea dicuntur esse Patrimonium Christi, & pauperum: & servit huc, quod dicitur *can. aurum* 70. *caus.* 12. *q.* 2. ibi, *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.*

Si Ecclesia sufficientes redditus non habeat, alendi ex- 16
positi sunt à Communitate loci, in quo inventi, & baptizati sunt. Ubi verò nec Hospitalia publica pro expositis recipiendis adsunt, nec bursa Communitatis, & Eleemosynæ piorum locorum suppetunt, possunt in subsidium divites tam Sæculares, quàm Ecclesiastici collectari pro his nutriendis. Abb. *in cap. un. h. tit. nu.* 3. Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 81. Barbos. *in cap. un. cit. num.* 4. & 5. Vvagnereck *ibid. V. prædictis not.* 2. Monacell. *part.* 2. *tit.* 13. *form.* 7. *num.* 4. Pirhing *hic numer.* 3. *not.* 4. Engl. *num.* 3. Konig *num.* 9. Vviestner *nu.* 6. Reiffenstuel *num.* 12.

Quicunque autem Infantem expositum assumunt, & 17
educant, id Juris acquirunt, quòd eis (excluso Fisco, parentibus, & consanguineis tanquam indignis) ab intestato succedant, si absque descendentibus decedens bona temporalia reliquit *argument. Novell.* 115. *c.* 3.

c. 3. Surd. *de aliment. tit.* 16. *q.* 18. *n.* 19. Barbof. *in cap. un. cit. n.* 9. Engl. *hic n.* 4. Reiffenftuel *n.* 18.

18 Quæritur 5. à quo alenda fit proles, quæ in uno loco expofita, in alio nata, & baptizata eft? Videtur ex una parte alenda ab Hofpitali, Ecclefia, vel Communitate loci, ubi expofita eft; quia expofitus confequitur libertatem Romanam *cap. un. h. tit. & l. fancimus* 3. *C. cod.* ac proinde Jura Civilia loci, in quo expofitus fuit. *Contrà* ex *l. municipem* 1. *l. qui ex vico* 30. *ff. ad municipal. & l. cives* 7. *Cod. de Incol.* videtur colligi, educandam fumptibus loci, in quo nata eft; quia origo, & nativitas Civem quemque faciunt, commodorum, & incommodorum, munerum, & onerum capacem: vel fi locus nativitatis, & Baptifmi diftincti fint, ab hoc pofteriore ex Decreto *Conf. Bafileenf.* quod *feff.* 19. ftatuit, Jura Civitatis aliquem confequi, quo quis loco eft baptizatus, cùm quod tribuit nativitas carnalis, magis tribuere debeat Spiritualis.

19 Difficultas folvi ope diftinctionis poteft: Vel enim locus, in quo prolem natam, & baptizatam conftat, eft originarius, & domiciliarius, in quo parentes ftabilem fedem habuerunt, vel non, quòd fcilicet proles nata fit ex matre vagabunda illac tranfeuntes. *Si primum*, proles alibi expofita, & baptizata ad iftum remitti poteft, prout ex *citt. ll.* defumi poffe exiftimat Zypæus *Confultat. Can. h. tit. num.* 7. & fequitur P. Vvieftner *hic numer.* 7. *Si fecundum*, verùs adhuc non eft remittenda, fed alenda in loco expofitionis; quia vagus commodis, & incommodis loci non afficitur, nifi quando in eo actu exiftit.

20 Neque obftat *ll. citt.* quia intelligendæ funt de Nativitate originaria. *Ad textum* Concilii Bafileenfis dicendum, eum procedere de Judæis, Turcis, & aliis Paganis baptizatis alicubi extra patriam fuam, ut cum eodem Zypæo *n.* 5. *& 6.* obfervat P. Vvieftner *n.* 8.

21 Quæritur 5. an, & qualiter dominus famulo ægrotanti teneatur providere de neceffaria cura, & alimentis? Refp. dominum non teneri ad magnas, fed tenues duntaxat expenfas pro cura famuli ægrotantis ratione famulatus. Bartol. *in l. fi cum dotem* §. *fui autem ff. folut. Matr.* & *in l. in rebus ff. commod.* Sylv. *V. familia num.* 4. Engl *hic num.* 5. Reiffenftuel *ibid. numer.* 25. Ratio eft, quia cum ratione famulatus præftet ei competens falarium, uti fupponitur, intuitu ejus ad magnas expenfas non videtur adftringendus, quamvis fine dubio laudabiliter valde agat, fi, quando alias bene habens eft, liberalius famulo fuo ægrotanti fuccurrat.

22 Dixi *ratione famulatus*; nam ex obligatione Charitatis ut proximo etiam per majores expenfas fuccurrere debet, fi habet, & famulus pauper eft. Sylv. *l. citat.* ubi addit, poffe ægrotum famulum contra Dominum, imò etiam contra quemvis alium divitem implorare officium Judicis, faltem Ecclefiaftici, ut fibi ægroto, & pauperi fubveniatur *arg. canon. ficut* 8. *dift.* 47. & *ibi* Gloff. *V. efurientium*, id probans ex *cap. ad Apoftolicam* 42. *de Simon.* Ratio patet, quia quivis tenetur pauperi, in extrema, vel gravi neceffitate conftituto, fubvenire de fuperfluis naturæ, vel ftatus: de quo plura TT.

23 An verò cafu, quo dominus in famulum ægrotantem majores expenfas fecit, illam poftea de mercede poffit deducere, pendet ex eo, an proteftatus fit de earum deductione a fe facienda, an non. *Si primum*, deductionem ejufmodi facere poteft. *Si fecundum*, non poteft; quia cenfetur intuitu pietatis feciffe, conf. fine obligatione ad refufionem *arg. l. cùm tutores* 1. *& l. alimenta* 11. *C. de negot. geft.* Engl. *hic n.* 5.

24 Alia quæftio eft, an dominus famulo ægrotanti tempore infirmitatis teneatur præftare Salarium, feu mercedem: ad quam *Libr.* 3. *Tit.* 18. *num.* 71. *fin.* refpondi, ex multorum valde probabili fententia eum teneri: quod P. Engl. *n.* 5. *cit.* putat limitandum, ut procedat quoad illum annum dumtaxat, quem famulus fervire faltem inceperit *arg. l. poft duos* 15. §. *his quoque* 1. *ff. de Advocat. diverf. Judicior.*

25 Quæritur 7. an pro legitimis, vel illegitimis habendi fint Expofiti, & alii, quorum parentes ignorantur? Covar. *in Clem. fi furiofus part.* 1. *num.* 9. Garc. *p.* 7. *de Benefic. cap.* 2. *num.* 8. *& feqq.* Suar. *de Cenfur. D.* 50. *fect.* 4. *n.* 4. Vafq. 1. 2. *D.* 66. *c.* 8. *n.* 48. putant, habendos pro Illegitimis: & hanc fententiam de Stylo Datariæ fervari, & hujufmodi Expofitos cum Difpenfatione folùm admitti ad Ordines, & Beneficia, teftatur Cotrad. *prax. difpenf. l.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. *&* 2. Eandem effe magis tutam, & in praxi fequendam monent Sayr. *de Cenfur. l.* 6. *cap.* 10. *num.* 39. Piafec. *prax. Epifc. part.* 1. *c.* 1. *art.* 4. *de requif. ætat. confirm. & natal.* Pignatell. *tom.* 7. *confult.* 34. *per totam.*

Contrà hujufmodi Expofitos legitimis accenfent Palæot. *de Noth. & Spur. c.* 63. *nu.* 3. *&* 7. Menoch. *l.* 6. *de Præfumpt. q.* 54. *nu.* 20. Stephan. Gratian. *Difcept. for. c.* 35. *à n.* 31. Pont. *l.* 11. *de Matr. c.* 6. *n.* 4. Palao *tract.* 13. *D.* 4. *p.* 1. §. 1. *n.* 9. Barbof. *in Rubr. h. tit. num.* 3. Gonzal. *ibid. num.* 8. Vvagnereck *ibid. verf. de prædictis not.* 3. Vvieftner. *hic num.* 10. Reiffenftuel *num.* 20. *ibid.* quorum Sententiam tenui *Lib.* 1. *Tit.* 17. *nu.* 3. Et meritò, quia non illegitimi tantùm, fed etiam legitimi quandoque ob egeftatem, & alias caufas exponi folent, ut patet in Moyfe, Cyro, Paride, Semiramide, & aliis apud Gonzal. *n.* 8. *cit.* ut proin in re dubia capi debeat præfumptio proli favorabilis. 26

Limitant hanc fecundam Sententiam nonnulli ad eos, qui Expofiti funt Hofpitalium, & Confraternitatum, quibus Pontifex Indultum conceffit, ut pro legitimis habeantur Expofiti, qui ab iis, & in iis educantur. Secus exiftimant, fi fuerint Expofiti in aliis Hofpitiis, & locis, quæ tale Indultum non habent; tunc enim putant habendos pro Illegitimis, ac proinde tanquam Irregulares ad Ordines faltem fine Difpenfatione Epifcopi promoveri non poffe. Amoftaz. *de cauf. piis l.* 4. *cap.* 11. *num.* 76. & favet Monacell. *part.* 2. *Tit.* 13. *form.* 7. *nu.* 8. fed ratio *num. præc.* data generaliter procedit de Expofitis omnibus. 27

Neque officit Stylus Datariæ; quia hujufmodi Difpenfationes non fiunt de neceffitate, fed vel expediuntur ad cautelam, vel pro iis tantùm, in quibus adeft certitudo maculæ illegitimitatis, non autem pro aliis, qui in occulto dubio facti verfantur. Monacell. *l. cit. n.* 9. Quod adeo verum puto, ut ne quidem neceffaria videatur effe difpenfatio Epifcopi: & fi neceffaria foret aliqua Difpenfatio, hujus difpenfatio non fufficeret; quia Irregularitas ex defectu natalium non defcendit immediatè ex delicto: atqui Epifcopus vi Trid. *feff.* 24. *c.* 6. *de Reform.* folùm difpenfare poteft in Irregularitate occulta, quæ ex delicto defcendit. 28

Ex quo fequitur, hujufmodi Expofitos capaces effe Ordinum, Beneficiorum, Dignitatum, artium &c. neque in hunc finem illos adftringendos, ut probent Natales legitimos, utpote qui in ipfis ex Juris benignitate præfumuntur. *Contra* non funt capaces Canonicatuum, Dignitatum, & Officiorum illorum, quæ ex fundatione, vel Statuto requirunt Nobilitatem. Steph. Gratian. *Difcept. forenf. cap.* 267. *num.* 26. Barbof. *de Offic. Epifc. alleg.* 51. *num.* 151. *& ad Rubr. h. tit. numer.* 3. Gonzal. *ibid. num.* 8. Reiffenftuel *numer.* 20. Ratio eft, quia Nobilitas, cùm non communiter infit, non præfumitur, fed probari debet; non poffunt autem illam probare Expofiti, cùm certum Patrem demonftrare nequeant. Vide quæ dixi *Libr.* 1. *Titul.* 17. *numer.* 3. *allegat.* 29

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario, vel Cafuali.

A Parricidii, & Expofitionis criminibus Compilatio Gregoriana nos ducit ad Homicidii explicationem genericam, de quo fit

§. I.

De Natura, & Varietate Homicidii, & Mutilationis.

SUMMARIUM.

1 2 *Definitio Homicidii in genere.*
3 4 *Divifio in Voluntarium, & Cafuale.*
5 *Voluntarii in Juftum, & Injuftum.*
6 *Injufti in Simplex, & Deliberatum.*

7 *Po-*

7 *Posterioris diversæ species.*
8 *Casuale duplici modo potest contingere.*
9 *Alia divisio Homicidii.*
10 &c. *Ut pœnæ Homicidii voluntarii incurrantur, requiritur animus occidendi, & ipsa mors.*
14 &c. *Unde in dubio colligendus sit animus occidendi?*
16 *Mutilatio est amputatio alicujus membri.*
17 *Quid sit Membrum?*
18 &c. *Quis dici mutilatus possit, vel non?*

1 QUæritur 1 quid sit *homicidium*? Resp. *homicidium*, dictum ab hommine occidendo, *est violenta exanimatio hominis ab homine facta*. Host. *Summ. hic numer.* 1. Wesenbec. *quæst. ad Leg. Corn. ad Sicar.* Harppr. *ad §. item Lex Cornelia* 5. *Inst. de publ. Jud. num.* 6. Farin. *prax. crim. quæst.* 119. *num.* 3. Vallens. *hic num.* 1. Pithing *num.* 1. Schambog *num.* 2. Konig *numer.* 2. Wiestner *numer.* 1. Reiffenstuel *num.* 2. & communiter alii. Dixi *ab homine;* nam si homo occidatur à fera, vel bruto, propriè non Homicidium, sed *Pauperies* appellatur. *Rubr. & textus Inst. & ff. si quadrup. pauper. fecer.*

2 Addidi *hominis*, sive humani corporis. Perinde autem est, quis occidatur, cujus ætatis, sexus, conditionis, & an editus jam in lucem sit; nam etiam qui fœtum jam animatum interimit, homicida est *l. necare* 4. *ff. de agnosc. liber:* & homicidii pœna tenetur *l. siquis* 8. *C. ad Leg. Corn. de Sicar.* & ibi Gloss. *V. infantis*. Covar. *in Clem. si furiosus un. h. tit. part.* 2. §. 3. *num.* 1. Gomez. *tom.* 3. *var. cap.* 3. *nu.* 32. Farin. *prax. crim. quæst.* 122. *n.* 131. Paulus Zacchias *qq. Medico legal. l.* 1. *tit.* 2. *quæst.* 9. *numer.* 16 Pirhing *hic num.* 1. Konig *nu.* 12. *& seqq.* Wiestner *num.* 1. Magnif. P. Schmier *tract. de potest. Ord. cap.* 6. *num.* 287.

3 Quæritur 2 quotuplex sit homicidium? Resp. duplex est, Voluntarium, & Casuale. *Voluntarium* duplici modo committi potest, illud intendendo vel directè, & in se v. g. ferro impetitum feriendo ex proposito, & animo occidendi; vel indirectè ponendo causam adeò propinquam, ut ex ea mortem moraliter certò secuturam prævideri potuerit, licèt hæc in se non intendatur formaliter, & explicitè, sicut contingit, siquis graviter percutiat fœminam prægnantem, & inde sequatur abortus; si sclopum exploserit in locum frequentem hominibus, & inde aliquis occidatur &c. Covar. *in Clem. si furiosus part.* 2. *pr. numer.* 5. *vers. voluntarium*, Wagnereck *ad Rubr. h. titul. not.* 2. Vallens. *hic numer.* 2. Engl *num.* 1. *vers. cæterum*, Pithing *numer.* 2. Schambog *num.* 3. Konig *num.* 3. Wiestner *numer.* 2. Reiffenstuel *num.* 3.

4 *Casuale*, sive *Involuntarium est*, quod accidit præter intentionem occidentis, adeo, ut hic id non intenderit directè, nec etiam indirectè, dando causam ejus valde propinquam, etsi fortè culpam admiserit non adhibendo debitam diligentiam ad id præcavendum, sicut fit, cum pila modo in ludo non insolito ictus corruit mortuus, cum ex vulnere non lethali Chirurgi malitia, vel imperitia mors sequitur. Covar. *in Clem. cit. part.* 2. §. 4. *num.* 1. Wagnereck *not.* 2. Vallens. *numer.* 6. Pirhing *numer.* 2. Schambog *num.* 4. Konig *num.* 3. Wiestner *num.* 2. Reiffenstuel *num.* 4.

5 Quæritur 3 quotuplex sit homicidium voluntarium? Resp. homicidium voluntarium aliud est *Justum*, quod nulla prohibetur Lege: aliud Injustum, quod prohibetur Lege vel naturali, vel Divina, vel humana. *Prius* vel est *Necessarium*, ac *Defensivum*, cum quis se, vel res suas defendendi causa interficere cogitur; vel est *Punitivum*, quod publica authoritate Magistratus fit ad puniendа delicta. Pirhing *numer.* 2.

7 *Posterius* & ipsum duplex est, scilicet simplex, & Deliberatum. *Simplex* dicitur, quod commissum est quidem animo occidendi, non tamen cum deliberatione, ex intervallo præcedente cædem, ut si factum est in rixa subitò coorta, & calore iracundiæ superveniente. *Deliberatum*, seu *Præmeditatum*, quod perpetratur cum deliberatione, & occidendi proposito ex intervallo præcedente.

Poteѕtque hoc fieri quinque potissimum modis. 1 Simpliciter, & sine alia qualitate, quæ delicto specialem malitiam addat. 2 Ex Insidiis. 3 Proditoriè. 4 Per Assassinium. 5 Per Veneficium. *Veneficii* autem nomine hic non intelligitur cum vulgo sacrilegium, aut Incantatio, vel alia Magiæ pars, sed homicidium, quo aliquis veneno, dolosè porrecto, necatur *l. ejusdem* 3. *pr. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Carpzov. *pract. crim. part.* 1. *quæst.* 20. *numer.* 1. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 2. *numer.* 66. Qui ita veneno occiderit, juxta *const. crim. Carol. V. art.* 130. si masculus sit, punitur rota; si fœmina, suffocatur aquis, aut alio modo morte afficitur.

Quæritur 4 quotupliciter contingere possit homicidium Casuale? Resp. contingere potest dupliciter, videlicet 1 ita, ut vacet omni culpa occidentis. 2 Ut intervenerit aliqua istius culpa, eo, quod ab ipso non sit adhibita debita diligentia ad homicidium cavendum. *Prius* dicitur *Merè casuale*; posterius cum additu *Culposum* vocatur. 8

Hinc alii omnes hactenus relatas species homicidii una divisione complexi, illud dividunt in Necessarium, Dolosum, Culposum, & Casuale. *Necessarium* dicunt, quod fit ob necessariam sui defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ; *Dolosum*, quod dolo malo, sive animo, & intentione occidendi; *Culposum* quod sine tali intentione, sed culpa aliqua in præcavendo commissa; *Casuale* denique, quod ex casu omnino fortuito committitur. 9

Quæritur 5 quid requiratur ad homicidium voluntarium injustum, ejusque pœnam incurrendam? Resp. duo requiruntur. 1 Ut sit commissum per directam, & expressam, ac spontaneam voluntatem occidendi, per quam scilicet mors ipsa vel in se fuerit intenta, vel saltem in sua causa proxima, sive actione tali, ex qua certò, & inevitabiliter mors sequi soleat, ita, ut moraliter loquendo sit impossibile velle illam, & non velle mortem, ut siquis velit absolutè aliquem gladio ferire punctum circa præcordia, vel cæsim circa caput, & sic eum occidat. Suar. *D.* 44. *de censur. sect.* 1. *numer.* 5. Gonzal. *in capit.* 11. *h. tit. numer.* 5. Pithing *hic num.* 5. Schambog *numer.* 6. Konig *num.* 16. & colligitur ex *cap. siquis* 1. *h. tit.* ibi, *per industriam*, -- *& per insidias*, & *capit. sicut* 6. §. *illi autem* 1. *eod.* ibi, *qui animo occidendi*: & similiter loquuntur Leges Civiles. 10

2 Requiritur, ut effectus, sive mors reipsa sequatur actu; quia generatim pœna à jure decreta non incurritur, nisi per delictum consummatum, cum in pœnis mitior interpretatio sit facienda *Reg.* 49. *in* 6. nec sint extendendæ, sed ad proprietatem verborum Legis restringendæ *Reg.* 15. *in* 6. Covar. *in Clem. si furiosus part.* 2. *pr. num.* 5. Suar. *D.* 44. *cit. sect.* 2. *num.* 2. Gonzal. *in cap.* 11. *h. tit. numer.* 5. & *in cap.* 18. *num.* 1. Passerin. *in cap. fin. eod. in* 6. *numer.* 3. Zoes. *hic numer.* 3. Honor. *numer.* 3. Pirhing *numer.* 5. *vers. deinde*. Schambog *numer.* 7. Konig *numer.* 16. & apertè colligitur ex *cap. relatum* 4. *de Cleric. non resid. cap. perpetuo* 7. *de Elect. in* 6. *cap. pro humani* 1. *h. tit. in* 6. 11

Ex quo sequitur 1. non esse reum homicidii, qui animum occidendi habuit, & ipsa cædes aliunde, etiam per miraculum, fuit impedita, quamvis eam intendens in actum aliquem externum, etiam propinquum, prodierit. 2 Qui tendens ad occidendum inimicum, & inveniens eum mortuum, ut suam rabiem satiet, amputat ei caput, vel cadaver alio modo deformat; quia non potest dici occidisse hominem, qui homo dici non ampliùs potest. Navar. *Man. cap.* 27. *num* 219. Gonzal. *in capit.* 11. *h. titul. numer.* 5. Zoes. *hic numer.* 5. 3 Qui intendit solum percutere, & vulnerare, non tamen in parte corporis periculosa, sine voluntate occidendi, vel instrumento usus est, quod ex se non erat aptum ad inferendam mortem; nam si mors nihilominus sequatur, censebitur præter intentionem percutientis, & per accidens sequi, neque erit directè, ac perfectè voluntarium homicidium, utpote quod nec in se, nec in causa directè intendit. Suar. *D.* 44. *citat. sect.* 1. *numer.* 4. Zoes. *hic numer.* 4. Pirhing *numer.* 5. Schambog *numer.* 6. 12

Sunt autem animus occidendi, & cædes ipsa ita necessaria ad constituendam in foro externo malitiam homicidii, ut si alterutrum desit, non solum homicidium commissum esse non censeatur, sed nec ordinariæ homicidii pœnæ sit locus *l. Lege Cornelia* 1. §. *Divus* 3. *ff. de Leg. Corn. de Sicar.* *Neque obstat*, quod antiquitus etiam conatus ad occidendum pro delicto perfe- 13

cto habitus fuerit, atque punitus, prout patet ex §. *item Lex* 5. *Inst. de Publ. Judic. l. Lege Cornelia* 1. *pr. &* §. *præterea* 1. *l. Divus* 14. *ff. & l. is qui* 7. *cum auth. seqq. C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* nam hic Legum rigor successu temporis per consuetudinem multùm est diminutus, & pœnæ ordinariæ extraordinaria, etiam quando conatus ad actum proximum pervenit, substituta, uti testantur Clar. §. *fin. quæst.* 92. *numer.* 2. Mynsing. *cent.* 3. *obs.* 9. Gaill. *l.* 1. *de Pace publ. l.* 1. *capit.* 14. *numer.* 16. *& seq.* & ostendit certa, ac notoria praxis Germaniæ. Konig *numer.* 17.

14 Quæritur 6 unde animus, seu propositum occidendi in dubio colligendum sit? Resp. præsumitur ex facto, sive cæde, ita, ut si homicida propositum occidendi abfuisse afferat, probandi onus sustinere cogatur *l. frater* 1. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* nam animus talis præsumitur, qualem verba, vel facta ipsa declarant. Menoch. *l.* 6. *præsumpt.* 35. *numer.* 2. Gaill. *l.* 2. *obs.* 110. *num.* 7. *&* 8. Konig *hic nu.* 16. *Excipitur*, nisi aliæ adsint conjecturæ, quæ ejusmodi præsumptionem tollant, & probationis onus in Adversarium rejiciant.

15 Tales sunt 1. si Homicida occiso consanguinitate, vel intima amicitia tempore cædis conjunctus fuit; hoc quippe casu homicidium non tam dolo, quàm casu factum esse præsumitur. Tusch. *concl. pract.* 143. *num.* 36. 2 Si genus armorum, quo homicida ad occidendum usus est, minus ad id aptum fuerit *l. Lege Cornelia* 1. §. *Divus* 3. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Clar. §. *homicidium nu.* 5. maximè si aptiora ad occidendum arma ad manus habuerit. Menoch. *de arbitr. cas.* 361. *n.* 6. 3 Si manu tantum occidat. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 3. *n.* 17. His tamen, & similibus casibus juramentum, quod Purgationis appellant, reo deferendum cum Barthol. Bertazol. *cons.* 85. *num.* 23. *vol.* 1. existimat Konig *hic n.* 16.

16 Quæritur 7 quid sit *Mutilatio*? Resp. est amputatio, vel truncatio alicujus membri, ut colligitur ex *cap. Clericis* 5. *ne Cler. vel Monach.* & *cap. in Archiepiscopatu* 4. *de Raptor.* Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *capit.* 11. *num.* 2. Engl *hic n.* 51. Pirhing *num.* 119. Schambog *n.* 91. Reiffenstuel *num.* 55. Magnif. P. Schmier *de potest. Ord. cap.* 6. *n.* 292.

17 *Membrum* autem propriè dicitur pars corporis, quæ peculiarem functionem, sive officium, ab aliis partibus corporis distinctum, habet, ut sunt oculus, auris, manus, pes, lingua, maxilla, mamilla fœminæ, & similes. Abb. *in cap. cum illorum* 32. *de sent. excomm. num.* 8. Sylv. *V. homicidium* 3. *quæst.* 3. *dict.* 2. Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 206. Avil. *part.* 7. *D.* 5. *sect.* 1. *dub.* 1. Molin. *tract.* 3. *de I. & I. D.* 69. *num.* 2. Laym. *cap.* 11. *cit. num.* 1. *vers. hoc ex communi*, Gonzal. *in cap.* 11. *h. tit. num.* 6. Correa *Idea consil. D.* 8. *num.* 2280. *&* 2281. Zoes. *hic numer.* 77. Honor. *n.* 6. Engl *num.* 52. Pirhing *numer.* 119. Schambog *num.* 91. Konig *numer.* 35. Wiestner *numer.* 8. Magnif. P. Schmier *l. citat. numer.* 292. & colligitur ex illo Apostoli *Rom.* 12. *vers.* 4. ibi, *Omnia membra corporis non eundem actum habent*, ubi membra ex actibus distinctis distinguit.

18 *Ex quo sequitur.* 1 non posse dici mutilatum esse, cui infligitur solum vulnus, etiam cum copiosa sanguinis effusione; quia ad mutilationem requiritur amputatio, Suar. *D.* 44. *de Censur. sect.* 2. *num.* 6. Zoes. *hic num.* 81. Engl *num.* 51. Pirhing *num.* 119. Correa *numer.* 2280. *&* 2281. *Neque obstat*, quòd Martinus V. quibusdam Religiosis concesserit privilegium dispensandi in Irregularitate orta ex homicidio, mutilatione, & enormi sanguinis effusione; quia ut *l. cit.* advertit *Suarez*, tertia illa particula, vel tantum addita est ad tollendos scrupulos, vel non sumenda est per se sola, sed conjuncta cum aliis, ita, ut sensus sit, vi talis privilegii dispensare illos posse, etiamsi occisio, vel mutilatio facta sit cum enormi sanguinis effusione: neque gratis fit ista additio; nam quo cum majori sanguinis effusione mors, aut mutilatio facta est, eo Irregularitas est difficilius dispensabilis.

19 *Sequitur* 2 non censeri mutilatum, cui abscissus est digitus; quia digitus non membrum, sed pro parte membri habetur *l. idem* 10. junct. Gloss. *ff. de Aedil. Edict.* Layman. *l. cit.* Suar. *sect.* 2. *num.* 9. Gonz. *in cap.* 7. *n.* 6. Monacell. *part.* 2. *tit.* 13. *num.* 36. Correa *num.* 2290. *&* 2291 Zoes. *num.* 77. Honor. *num.* 6. Engl *num.* 52. Pirhing *num.* 119. *vers. ex quo sequitur*, Schambog *num.* 91. Reiffenstuel *num.* 55. Schmier *num.* 294 de quo tamen aliqui ex *cit.* dubitant; quia etiam digitus, licèt sine consortio manus operari nequear, sæpe tamen aliquid proprium habet in actione manus, ut patet in Musica, scriptura, & similibus: hinc Suar. *l. cit.* putat hunc casum esse dubium: & propterea in casu hoc petenda est Dispensatio ad cautelam, prout 13. *Julii* 1687. respondit *Sacra Congregat. Concil.* apud Monacell. *numer.* 36. *citat.*

Sequitur 3 similiter non censeri mutilatum, cui abscinditur cartilago aurium, vel nasi; quia non est membrum, & licèt ad sensationem aliquid conferat, non tamen per illam exercetur operatio sentiendi, sed potius spectat solum ad ornatum, & custodiam membri, videlicet auris, & nasi, Laym. *l. citat.* Correa *numer.* 2287 Zoes. *numer.* 180. cum aliis *supra*. Sed & hunc casum in controversiam trahit cum nonnullis aliis Suar. *numer.* 9. *citat.* quia hujusmodi cartilaginis abscissio, considerata deformitate, quam inducit, videtur esse satis gravis diminutio integritatis corporis humani. 20

Sequitur 4 multo minus mutilatum censendum, cui excutitur dens, aut rescinditur pars carnis; quia nec ipsa sunt membrum, sed officium solum habent membrum aliquod in sua functione coadjuvandi. Suar. *l. cit. numer.* 6 cum reliquis *supra*. In dubio, an abscissio aliqua pro vera mutilatione habenda sit, vel non, determinatio relinquitur arbitrio Ordinarii, qui, ut Suar. *l. cit.* monet, semper inclinabit in favorem Legis, & Irregularitatis, cæteris paribus; quia supponitur certa mutilatio. 21

§. II.

De Homicidio Voluntario Justo.

SUMMARIUM.

137 &c. *Quinam in bello injusto incurrant Irregularitatem?*

143 &c. *An eam incurrant, qui milites animant ad pugnandum?*

JUstum homicidium secundum dicta *num.* 5. dupliciter potest contingere, scilicet vel authoritate privata ob necessariam sui defensionem, vel authoritate publica per sententiam condemnatoriam nocentis, vel per cædem hostis in bello justo: Hinc

22 Quæritur 1. an aggressorem injustum liceat occidere? Resp. licèt, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. Ita S. Thom. 2.2. *quæst.* 64. *art.* 7. Clar. §. *homicidium num.* 24. Farin. *prax. crim. quæst.* 125. *num.* 3. Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 1 Gonzal. *in cap.* 3. *h. titul. num.* 11. Barbosa *in cap.* 2. *num.* 3. & *in cap.* 18. *numer.* 12. Vvagnereck *ibidem not.* 1. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 2. *num.* 630. Vallens. *hic num.* 3. Zoes. *num.* 27. Konig *n.* 20. & 31. Vviestner *num.* 26. Reiffenstuel *num.* 130. & alii TT. ac JCti. Patet èx *l. ut vim* 3. *ff. de J. & J.* ubi Florentinus, *Quod quisque*, inquit, *ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimatur.* Concordant *l. sed & si* 5. *pr. ff. ad Leg. Aquil. l. is, qui* 2. & *seqq. C. ad Leg. Corn. de Sicar.* & *Const. crim. Carol. V. art.* 140.

23 *Ratio est*, quia talis occisio habet speciem defensionis, quæ à natura cuilibet permissa est. *Conf.* quia si hoc Leges non permisissent, innoxii, & bonæ conscientiæ homines à malis, & iis, qui iræ, vindictæ, & aliis passionibus indulgent, passim, & liberè invaderentur, cujusmodi invasionum licentia magis perniciosa Reip. est, quàm esse possit facultas, quibus quis potest, modis contra injustum invasorem se defendendi.

24 *Ex quo sequitur*, ita occidentem in foro tam Civili, quàm Canonico ab omni pœna immunem esse. *Clem. un. h. tit. l. is qui cit. & l. seq. C. ad Leg. Corn. de Sicar.* & *const. Carolin. cit. art.* 139. & 140. adeò, ut invasus nec impensas in curam, vel Medicos factas, nec damnum operarum amissarum, neque aliud quidpiam hæredibus interfecti resarcire cogatur. *Const. crim. art.* 140. *citat.* Berlich. *p.* 4. *concl.* 12. *n.* 3.

25 Dub. 1 an vim vi repellere, & observato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere liceat tantum in defensionem propriam, an verò etiam in defensionem aliorum innocentum, quos alius, vel alii injustè aggrediuntur? Resp. affirmativè: & procedit hoc non tantùm, quando defendendi sunt parentes, uxor, liberi, aut alii conjuncti, sed etiam quando extranei innocentes vim ejusmodi patiuntur. Patet ex *can. fortitudo* 5. & *seqq. caus.* 23. *quæst.* 3. *cap. dilecto* 6. *vers.* & *quidem de Sent. Excom. in* 6. & *const. crim. cit. artic.* 150. §. *Item so einer.* Clar. §. *homicidium num.* 27. Farin. *prax. crim. quæst.* 124. *à num.* 267. Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 5. Vivian. *in cap.* 2. *h. tit. pr.* Barbosa *ibidem num.* 6. & *in Clem. un. h. titul. num.* 19. Haun. *de J. & J. tom.* 6. *tract.* 2. *numer.* 318. Zoes. *hic num.* 36. Engl *num.* 18. Vviestner *n.* 27. Reiffenstuel *num.* 137. Magnif. P. Schmier *de potest. Ord. cap.* 6. *num.* 300

26 *Ratio est*, quia præcepto Divinæ Legis jubemur proximum diligere, sicut nos ipsos, igitur eundem, quibus nos ipsos possumus, & solemus, modis periclitantem defendere licebit, licet autem nos ipsos defendere etiam occidendo injustum aggressorem, si aliter periculum avertinequeat, ergo & proximum. *Conf.* exemplo Moysis, qui in defensionem Hæbræi cujusdam occidit Ægyptium, & propterea à Spiritu S. per os S. Stephani fuit laudatus. *Act.* 7. *vers.* 24

27 Est autem hæc obligatio aliquando ex Charitate tantum, qua tenemur succurrere proximo periclitanti; aliquando insuper ex justitia, & quidem rigorosè etiam cum proprio periculo, veluti cum alicui ex officio incumbit alios ab injuriis, & damnis defendere, uti sunt 1 Principes, & Magistratus respectu subditorum. 2 Vasalli respectu Dominorum, à quibus feuda acceperunt, ex pacto. 3 Milites respectu eorum, pro quibus militant, & respectu Ducum suorum, ex Sacramento. 4 Filii respectu Parentum, ex pietate, & gratitudine. Engl *num.* 18. & 19

28 Interest autem plurimum, an quis teneatur ex Charitate, an ex justitia; nam si ex Charitate solum renetur, non tenetur cum magno sui periculo; secus, si ex justitia: item quando aliquis tenetur ex justitia, si obligationem suam non impleat, obligatur ad reparandum damnum, quod inde oritur; at quando aliquis obligatur solum ex Charitate, omittens implere hanc obligationem peccat quidem, ad reparationem tamen damni, ex omissione orti, non obligatur. Engl *numer.* 20.

Porro licentia hæc suam, aut alterius vitam contra injustum aggressorem defendendi procedit, etiamsi defensio hæc fieri non possit, nisi cum periculo alterius innocentis; nam per innocentis interpositionem non potest eripi alicui jus defendendi se à natura competens. Et hinc arcem, aut urbem oppugnans, in qua sunt innocentes, non tenetur ideo minus eam oppugnare, ut nocentes puniat: & à triremi Turcarum invasus, non tenetur à sui defensione cessare propter remiges Christianos, qui in ea sunt, & lædi possunt; quia damnum hoc per accidens contingit. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 119. *n.* 7. Zoes. *hic n.* 32 29

Dub. 2 quid requiratur, ut censeatur observatum moderamen inculpatæ tutelæ? Resp. ex communi DD. requiruntur sequentia. 1 Ut is, qui sic occiditur, fuerit aggressor injustus; non enim potest esse justa defensio ibi, ubi non præcessit injusta offensio. Suar. *D.* 46 *de Censur. sect.* 1. *num.* 7. Avil. *part.* 7. *de Censur. D.* 5. *sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. Zoes. *hic numer.* 27. Pirhing *numer.* 92. Konig *num.* 21. Vviestner *num.* 28. Reiffenstuel *num.* 132. Magnif. P. Schmier *de potest. Ordin. capit.* 6. *numer.* 303. Censetur autem injustus aggressor etiam, qui ferrum stringit, aut sclopum expedit animo occidendi; neque enim quis tenetur exspectare ictum, vel explosionem, sed potest antevertere occidendo, ut præter *citt.* notat Clar. §. *homicidium num.* 33. Navar. *l.* 5. *cons.* 31. *h. tit.* & *Man. capit.* 15. *numer.* 2. *fin.* Farin. *prax. crim. quæst.* 125. *num.* 74. Gaill. *l.* 2. *observ.* 110. *num.* 13. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. Carpzov. *pract. crim. part.* 1. *q.* 29. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tract.* 2. *num.* 635. Engl *hic num.* 16. & patet ex *l. sed & si* 5. *pr. ff. ad Leg. Aquil. l. si quis* 3. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* & *constitut. crim. Carol. V. artic.* 140. 30

2 Ut defensio offensioni avertendæ sit proportionata *cap. ut famæ* 35. *de Sent. Excomm. fin.* ibi, *Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio --- exigit* Concordat *l. sed, & si* 5. *pr. ff. ad Leg. Aquil.* & *l. scientiam* 45. §. *qui cum aliter* 4. *ff. eod.* Hinc quando vis illata averti, & vinci potest pugno, aut baculo, vel aggressorem exarmando, fugando, humi prosternendo &c. mors inferri nequit. Sylv. *V. homicidium* 3. *quæst.* 4. *dict.* 1. Suar. *sect.* 1. *cit. num.* 8. Zoes. *hic num.* 27. Pirhing *numer.* 92. *vers.* 2. *requiritur* Konig *num.* 22. Vviestner *num.* 29. Reiffenstuel *num.* 133. Magnif. P. Schmier *c.* 6. *cit. num.* 302. 31

3 Ut conflictus fiat paribus armis: quod tamen, ut rectè explicat Navar. *Man. cap.* 15. *num.* 3. & ex eo Engl *hic num.* 17. tunc solum procedit, quando inter invasorem, & invasum est paritas in fortitudine, & conditione status. Hinc damnandus non est, qui contra validum latronem cum fuste venientem sclopetum explodit, vel Nobilis, qui contra plebejum non pugno, sed gladio se defendit, dummodo à majori violentia, quàm ad sui defensionem necessaria sit, abstineat. Navar. *numer.* 3. *cit.* Berlich. *part.* 4. *concl.* 13. *numer.* 54. Engl *numer.* 17. *cit.* Konig *numer.* 22. Imò cum, ut *numer. seq.* dicam, defensio fieri in continenti debeat, plerumque neque locus, neque tempus est inquirendi, vel sollicitandi paritatem armorum. Magnif. P. Schmier *l. cit. num.* 304. Interim tamen, si conflictus paribus armis factus sit, major erit præsumptio pro eo, qui alterum sui defendendi causa occidit, quod moderamen rectè observarit. Konig *l. cit. fin.* 32

4 Ut defensio fiat in continenti, h. e. in ipsa invasione, & concertatione *l. quod est* §. *eum igitur* 9. *ff. de vi, & vi arm.* & *cap. si vero* 3. ibi, *Si in continenti vim vi repellat, de Sent. Excomm.* nam si ex intervallo hoc fiat, & ubi jam aggressor nullam amplius aut vult, aut potest inferre vim, non tam defensio, quam vindicta foret occidere. Glos. *in capit.* 18. *V. moderamine h. titul.* Abb. *ibidem num.* 9. Clar. §. *homicidium num.* 34. Azor *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 2. Boer. *decis.* 168. *nu.* 6. & *seq.* Farin. *prax. crim. quæst.* 125. *numer.* 338. Gaill. *l.* 1. *de Pac. publ. cap.* 16. *numer.* 17. Pirhing *hic num.* 92. Konig *numer.* 22. Vviestner *num.* 30. Reiffenstuel *n.* 134. Magnif. P. Schmier 33

c. 6.

c. 6. cit. nu. 303. Hinc si digladiantes aliquamdiu separati fuerint, & postea invasus invasorem, & hostem suum invadat, occidatque, frustra necessariam defensionem prætendit Damhoud. *prax. crim. c. 67. num.* 11. Idem est, si invasus, & læsus se domum conferat, indeque arrepto gladio, ad aggressorem revertatur, & eum interficiat. Tusch. *concl. pract.* 129. *numer.* 15. *tom.* 2. & ex eo Konig *numer.* 22. *cit.* Secus foret, si postquam invasor aggredi jam cessavit, & aufugit, sit periculum novæ invasionis; quia in tali casu præventio nec vindicta, nec injusta aggressio, sed pura defensio foret. Navar. *Man. capit.* 15. *numer.* 2. Pirhing *hic numer.* 92. Reiffenstuel *ibidem num.* 135.

34 Porro an requisita hæc, & consistens in iis moderamen sit observatum, prudentiæ, & arbitrio Judicis pro foro externo est relinquendum. Suar. *sect.* 2. *cit. num.* 7. Farin. *quæst.* 125. *numer.* 395. Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. Pirhing *num.* 92. *fin.* Reiffenstuel *num.* 136. Dixi *in foro externo*; nam in foro conscientiæ unusquisque sequi potest judicium conscientiæ suæ, vel alterius viri prudentis, & docti, pensatis circumstantiis. Suar. *l. citat.*

35 Dub. 3 an qui ob sui, suorumque, aut etiam extranei defensionem injustum invasorem occidit, servato dicto moderamine, incurrat Irregularitatem? Affirmant aliqui, quibus consentit Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 35. *num.* 30. ubi ait, sic occidentes Irregulares fieri, sed Irregularitate facilè dispensabili. 1. *can. de his* 6. & *can. si quis* 8. *dist.* 50. quibus textibus reus Homicidii, ob defensionem commissi, à susceptione, & usu Ordinem repellitur. 2 Ex Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* ubi loci Ordinario facultas committitur dispensandi cum illo, qui ut morte se liberaret, vim vi repellendo occidit.

36 Sed tenenda est negativa sententia, quam etiam defendunt S. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 7. *Corp.* Abb. *in Clem. si furiosus h. tit. num.* 10. Covar. *ibidem part.* 3. §. *un. num.* 1. & 5. Clar. §. *homicidium num.* 27. & 28. Navar. *Man. cap.* 27. *numer.* 207. & 212. Suar. *D.* 46. *de Censur. sect.* 1. *num.* 4. & 7. Avila *p.* 7. *D.* 5. *sect.* 3. *dub.* 5. Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 9. *num.* 1. & 2. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 109. *concl.* 3. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 8. *num.* 1. Barbosa *in Clem. cit. num.* 11. Gonzal. *in cap.* 11. *h. tit. num.* 9. & *in cap.* 18. *eod. n.* 5. Zoes. *hic num.* 28. Engl *num.* 55. Pirhing *num.* 77. & 81. Schambog *num.* 50. Konig *num.* 32. Reiffenstuel *num.* 146. & 154. Magnif. P. Schmier *tract. de potest. Ordin. cap.* 6. *num.* 297. & *seqq.* Et quidem, quòd Irregularitatem non incurrat, qui injustum invasorem propriæ vitæ occidit, aut mutilat, patet ex *Clem. cit.* ubi expresè ita occidens ab Irregularitatis incursu absolvitur.

37 Quòd verò eandem Irregularitatem etiam non incurrat, qui occidit injustum invasorem patris, matris, vel alterius cognati, aut etiam extranei innocentis, ostendere videtur ratio: quia si per tale homicidium incurreretur Irregularitas, illa incurreretur vel ex delicto, vel ex defectu lenitatis Christianæ: non autem incurrit eam *ex delicto*; quia non delinquit, cum licitè occidat, & aliquando etiam ex obligatione Legis naturalis, & Divinæ, vi cujus tenetur quis defendere proximum, neque etiam *ex defectu lenitatis Christianæ*; quia talis defectus esse, vel dici non potest, quando quis occidit hominem, ad quod Christiana pietate, vel etiam ex Justitia obligatur, cum una virtus non contradicat alteri, nec repugnet cum altera. *Conf.* quia Irregularitas solum jure Ecclesiastico est introducta, non autem est credibile, quòd Ecclesia voluerit aliquem inhabilem reddere ad Ordines suscipiendos, vel exercendos, propterea, quòd Legem naturalem servaverit, & noluerit incurrere mortem spiritualem animæ; nam alioquin abstraherentur fideles ab observatione præcepti Divini metu Irregularitatis.

38 *Neque obstat*, quòd in *Clem. citat.* ab Irregularitate tantum excipiatur is, qui occidit alium ad defendendam vitam propriam; nam ibi non excluditur necessaria defensio proximi: neque in illa *Clem.* Pontifex condidit Jus novum, sed declaravit antiquum quoad casum particularem defensionis vitæ propriæ, qui est casus gravissimus, & non rarò contingit; reliquos verò, qui rariùs accidunt, reliquit opinioni DD. Avila *dub.* 5. *cit.* Pirhing *num.* 81. *Minus obstat*, quòd etiam Judex Irregularis fiat, quamvis licitè, & sine culpa, imò ex obligatione justitiæ ad mortem malefactores condemnet; nam Homicidium hoc in causa voluntarium est judici, utpote qui officium judicis suscepit sponte, vel saltem non ita coactè, ut non posset sine peccato illud recusare. Avil. Pirhing *l. cit.*

Aliud est, si in defensione propria, aut proximi innocentis moderamen inculpatæ tutelæ non observetur, & injustus aggressor occidatur, à quo quis defendere se potuisset illum mutilando, aut debilitando tantum; nam tali casu Irregularitatem incurrit occidens, cum occisio talis non necessaria, adeoque illicita, & injusta sit. Sylv. *V. Homicidium* 3. *quæst.* 4. *pr.* Henriq. *l.* 14. *capit.* 10. *num.* 2. Suar. *D.* 46. *cit. sect.* 1. *num.* 8. Avil. *part.* 7. *D.* 5. *sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 3. Hurtad. *D.* 2. *de Irregular. Difficult.* 10. *numer.* 35. Palao *part.* 15. §. 8. *citat. numer.* 3. & colligitur ex Trident. *sess.* 14. *capit.* 7. *de reform.* 39

Et propterea tale homicidium etiam in foro sæculari punibile est, non quidem pœna ordinaria, ut nonnulli cum Bald. *in l.* 11. *C. de emend. Servor.* volunt, sed extraordinaria, & mitiore carceris, relegationis, mulctæ pecuniariæ &c. pro qualitate delicti; ut habetur *Constit. crim. Carol. V. artic.* 142. §. *fin.* eo quod aggressor sibi imputare debeat damnum, ex offensione alterius secutum, & ignoscendum aliquo modo sit invaso, & provocato, si non potuit in continenti justam iram temperare *arg. l. si adulterium* 38. §. *Imperator* 8. *ff. ad Leg. Juli de adulter.* 40

Et hoc verum est, licèt excessus lata culpa commissus sit *l. in lege* 7. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Tiraquell. *tract. de Pœnit. tempor. caus.* 1. *numer.* 8. Imò etiamsi probaretur, aut constaret, excessum dolo malo, & cupidine vindictæ esse factum. Clar. §. *homicidium num.* 34. Berlich. *part.* 4. *concl.* 18. *n.* 1. & 14. Konig *hic num.* 34. estque sententia hæc teste Clar. *l. cit.* communis, & receptissima. 41

Textus *numer.* 35. in contrarium allegati, ut notat Gloss. *fin. in can. de his*, & *in can. si quis V. defensione*, Suar. *sect.* 1. *cit. numer.* 3. Barbosa *de Offic. Episc. Alleg.* 39. *num.* 54. Pirhing *hic num.* 77. intelligendi sunt de casu, quo occisor moderamen inculpatæ tutelæ excessit: quod etiam colligitur ex eo, quia non est credibile, quòd Synod. Trid. PP. voluerint corrigere *Clem. si furiosus cit.* & Irregularitatem inducere, à qua *Clem.* ista absolvit. 42

Dub. 4 quibus casibus Irregularitas non incurratur ex occisione injusti aggressoris, facta in defensionem vitæ propriæ, aut proximi? Resp. in nullo casu incurritur, quando defensio est necessaria, & moderamen inculpatæ tutelæ ab occidente observatur. Estque perinde, sive occisus sit aggressor formaliter injustus, sive materialiter, sive actu vim intentet, sive eam moliatur in actu proximo. Patet ex dictis. 43

Ex quo sequitur 1 Irregularem non esse, qui prævenit aggredi se volentem, & priùs occidit; quia, ut *n.* 30. dictum est, non tenetur exspectare, donec ab ipso præveniatur, modò aliud medium evadendi mortem non supersit; quia plus tenetur quis providere vitæ suæ, quàm alienæ, ut ait S. Thom. 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *Corp.* Pirhing *hic n.* 78. *Extens.* 1. Engl *ibid. n.* 16. 44

2 Irregularis non est, qui alium occidit, à quo ipse, vel proximus ejus innocens aliàs fuisset mutilandus, v. g. manu, pede &c. si aliàs integritas membrorum propugnari nequeat: quia sicut mutilatio alteri injustè facta æquiparatur Homicidio quoad Irregularitatem contrahendam, ita defensio à mutilatione æquiparatur defensioni à morte quoad excusandam Irregularitatem, præsertim cum contingere possit, ut ex abscissione membri, vel vulnere lethali mors consequatur. Suar. *D.* 46. *de Censur. sect.* 2. *num.* 6. Pirhing *numer.* 78. *citat. Extens.* 2. 45

3 Irregularis non est, qui ob sui necessariam defensionem occidit innocentem invasorem, ut furiosum, vel amentem, si aliter se contra istum tueri nequeat; quia tunc cædes innocentis tantùm per accidens contingit, utpote non intenta per se, sed secuta ex opere licito, & necessario, quod est defendere vitam propriam. Barbosa *in Clement. un. h. titul. numer.* 17. Pirhing *l. cit. Extens.* 3 Contra Ministros justitiæ tamen maleficus se defendere eos mutilando, vel occidendo ne- 46

nequit; quia cùm illi exequantur justum imperium Judicis, non sunt aggressores injusti: & hinc contra eos se defendendi jus nullum reo competit.

47 4 Irregularis non est, qui cùm seipsum non possit defendere, evocat alium, ut ipsum defendat ab injusto aggressore, & hunc occidat; quia quod licet alicui facere per seipsum sine Irregularitate, potest etiam per alium, cùm id censeatur per seipsum facere. Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 212. Zoes. *hic num.* 35 Pirhing *Extens.* 4.

48 5 Irregularis non est, qui invasorem suum ad se defendendum occidit, licèt cum interno odio, vel appetitu vindictæ; quia actus internus sine actu externo non sufficit ad Irregularitatem inducendam, si revera quis occidat ad defendendam vitam suam. Barbos. *in Clem. cit. nu.* 16. Pirhing *Extens.* 5.

49 6 Irregularis non est, qui ob sui defensionem occidit aggressorem, quem tamen ad se invadendum contumeliosis verbis, inflicta alapa stupro illato ipsius uxori, aut filiæ, vel alia injuria irritavit, si non prævidit, quòd illata injuria necis sibi intentandæ periculum allatura sit. Secus, si prævidit, & non præcavit; tunc enim Irregularis fit ita occidens, vel mutilans, ut cum aliis monet Navar. *Man. cap.* 27. *numer.* 238 Gutier. *can. qq. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 43. Molin. *tract.* 3. *de J. & J. D.* 72. *num.* 5. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 8. *num.* 2. *fin.* Gonzal. *in cap.* 11. *hoc tit. num.* 9. Zoes. *hic n.* 29. & 30 Vviestner *num.* 34 Reiffenstuel *num.* 152 Magnif. P. Schmier *de potest. Ordin. cap.* 6. *num.* 308. & 309. Ratio est, quia tale homicidium injustum est in causa: cons. ita lacessens alterum reus est homicidii saltem casualis, sed hujus reus in casu, quo debitam diligentiam non adhibuit in præcavendo, Irregularitatem incurrit, ut *infrà n.* 210. declarabitur: ergo &c.

50 Dub. 5. an Irregularitatem incurrat is, qui pro sui defensione occidit invasorem injustum, à quo illatam vim declinare potuisset fugiendo? Conveniunt DD. non fieri Irregularem, quando fugiendo se exponeret periculo, quia dubitabat ne fortè cadat, aut aggressor, ex fuga ipsius audacior factus ipsum insequatur, & occidat, vel mutilet; tunc enim non tenetur quis tali periculo se exponere, ideòque, etsi non fugiat, sed occidat aggressorem, non incurrit Irregularitatem ullam, etsi Clericus sit; neque enim qualitas loci, & temporis patitur pleniùs deliberandi consilium. Sylv. *V. homicidium* 3. *quæst.* 4. *dict.* 2. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 8. *num.* 4. *fin.* Barbosa *in cap.* 10. *hoc tit. num.* 3. Pirhing *hic nu.* 79. *fin.*

51 *Difficultas* est, an, qui morale periculum nullum videt fore in fuga, Irregularis fiat, si omissa fuga invasorem injustum occidat? Affirmant Gloss. *in Clem. un. V. non valens hoc tit.* Abb. *in c. olim* 1. *de restit. spoliat. num.* 28 Sylv. *V. Excommunicatio* 6. *quæst.* 9. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 211. Majol. *lib.* 5. *de irregul. cap.* 48. *num.* 6. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 10. *n.* 3. Avil. *part.* 7. *D.* 5. *sect.* 3. *dub.* 2. *Vers. ex dictis*, Barbosa *in Clem. cit. num.* 13. Pirhing *hic num.* 79. & desumunt istud ex textu *Clem. cit.* ubi ab Irregularitate pronuntiatur immunis ille, qui aggressorem aliter non potuit declinare, potuisset autem in casu præsente occidens: ergo &c.

52 Sed meliùs adhibetur distinctio, qua utuntur Covar. *in Clem. cit. part.* 3. §. *un. num.* 1. & 4. Suarez *D.* 46. *de Censur. sect.* 1. *num.* 5. & 6. Conick *D.* 18. *dub.* 6. *num.* 90 Berlich. *part.* 4. *conclus.* 13. *num.* 31. & *seqq.* Bonacina *de Censur. D.* 7. *quæst.* 4. *lib.* 6. *num.* 4. Layman *lib.* 3. *tract.* 3 *part.* 3. *cap.* 3. *n.* 2. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 8. *nu.* 5 Barbosa *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 5. Gonzalez *in cap.* 11. *eod. nu.* 9. Haun. *tom.* 1. de *J. & J. tract.* 2. *num.* 637. & 638. Zoes. *hic num.* 31 Engl *num.* 15. Pirhing *num.* 80. Schambog. *n.* 51. Konig *num.* 22. Vviestner *num.* 36. Reiffenstuel *num.* 149. & 150.

53 Vel enim fugere invasus potest sine infamia, & dedecore gravi, ut homines plebeii, Clerici, & Religiosi, vel non potest, ut milites, & viri nobiles sæculares. *Si primum*, occidens eo casu incurrit Irregularitatem; quia respectu ipsius ad vitæ defensionem non est necessaria occisio. *Si secundum*, eam non incurrit; quia hujusmodi hominibus æqualis, immò major est jactura famæ, quàm vitæ igitur si ob defensionem vitæ occidens ab Irregularitate excusatur, etiam talis excusabitur, qui occidit aggressorem vitæ, & violentiam illius non potest evitare, nisi cum suo magno dedecore.

Neque obstat *Clem. cit.* nam esto, ibi non excipiatur occidens invasorem, qui non potest absque ignominia mortem vitare, excipitur tamen, ut bene advertit Palao *loc. cit.* in communi Regula, qui solùm homicidio illicito, & injusto hanc Irregularitatem imponit. Deinde ita occidens revera adhuc occidit in defensionem vitæ, & licitè ipsi simul cum occisione etiam proponatur aliud medium evitandi periculum vitæ, nempe fuga, non tamen credibile est, quòd Ecclesia obligare illum voluerit ad eligendum medium sibi graviter ignominiosum, cùm adsit aliud, quo defendere se possit absque ignominia. 54

Dub. 6. an liceat occidere injustum invasorem famæ, & honoris? Affirmant Azor *part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 16 Sot. *lib.* 5. *de Just. quæst.* 1. *art.* 9. Tann. *tom.* 3. *D.* 4. *qu.* 8. *num.* 73. Diana *tom.* 8. *tract.* 5. *resol.* 9. *num.* 5. & alii nonnulli: quod etiam videtur deduci ex dictis *num.* 53. ubi ab Irregularitate immunem pronuntiavimus eum, qui injustum invasorem vitæ occidit, quamvis fuga evitare posset periculum, si hæc iidem graviter ignominiosa sit. Atqui iste revera occidit in defensionem honoris; nam vitam fuga salvare posset: ergo &c. *Conf.* fama, & vita pari passu ambulant *l. isti* 8. §. *quod si* 3. *ff. quod met. caus. l. just.* 9. *ff. de manumiss. vindict.* & crudelis in se est, qui famam suam negligit *can. non sunt* 56 *caus.* 11. *quæst.* 3. & *can. nolo* 10. *caus.* 12. *quæst.* 1. atqui secundum hactenus dicta injustus aggressor vitæ impunè occidi potest: ergo & famæ. 55

Contra negativam defendunt, & propterea sic occidentem Irregularem pronuntiant Sylv. *V. homicidium* 3. *qu.* 4. *dict.* 1. Navar. *lib.* 5. *cons.* 6. *num.* 4. *hoc tit.* Reginald. *prax. tom.* 2. *l.* 21. *cap.* 5. *n.* 63. Less. *tract.* 2. *de J. & J. cap.* 9. *num.* 79. & 82. Fill. *tr.* 29. *cap.* 3. *nu.* 51. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Barbosa *in cap.* 10 *hoc tit. num.* 3. *fin.* Carden. *Cris. Theol. dissert.* 21 *cap.* 2. *per totum*, Pirhing *hic num.* 79 Schambog. *num.* 51. Konig *num.* 23 idque colligi videtur ex *Clem. un. hoc tit.* ubi ab Irregularitate pronuntiatur immunis, *qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem:* ergo à sensu contrario, si non agatur de vita, sed tantùm de fama, & honore, is, qui propterea occidit, vel mutilat, Irregularis efficitur: 56

Quidquid sit, esto, quòd Sententia affirmans probabilitate aliqua speculativa non careat, ea locum habere non potest, nisi quando invasio præsens est, & quasi in puncto illius factæ, aut faciendæ; nam quando facta jam est, occisio propterea facta non defensionis, sed vindictæ potiùs rationem obtineret. Imò etiam tunc, quando occisio fit ad calumniam injustam, vel effectum illius impediendum, in praxi rarissimè locus huic sententiæ est; nam 1. sæpe contingit, quòd calumniator calumniam in vulgus jam sparserit; quo casu nihil proderit calumniatoris occisio, utpote qua non impeditur effectus calumniæ, 2. Ignominiam tolerare non est vera ignominia, sed apud Deum, & homines prudentes verus honor, & gloria, quæ ex virtute, & animi constantia nascitur; imò plerumque ignominia illata, aut inferenda per occisionem non cavetur, aut tollatur, sed augetur, ut adeò occisio non sit medium aptum ad propulsandam calumniam, 3. Ad defensionem honoris, famæ, & existimationis multa alia prodita sunt legitima media, veluti actio injuriarum tam Civilis, quàm Criminalis, actio ad Palinodiam, & retorsio verbalis, ut adeò injuriantem ob defensionem honoris occidere vix unquam cogat necessitas. Quæ omnia confirmantur ex Decreto *Alexandri VII. prop.* 17. & 18 & *Innocentii XI. prop.* 30 ubi inter prohibitas refertur sententia, quæ docet, quòd liceat viro honorato occidere eum, qui nititur gravem calumniam sibi inferre, aut qui minatur libellis famosis, vel revelatione injusta veri, falsive criminis honorem graviter diminuere. 57

Ad Argumentum contrarium *n.* 55. allatum dico, in casu illo adhuc defendi vitam, sed ex duobus mediis eam defendendi eligi unum minùs ignominiosum invaso, nempe occisionem invasoris, ex præsumptione, quòd Ecclesia usum illius sub pœna Irregularitatis eo casu non prohibeat. *Ad Conf.* etsi fama, & honor respectivè æquiparentur vitæ, in eo tamen maxima dispari- 58

ſparitas eſt, quòd honor, ut *num: præc.* oſtenſum eſt, plerumque alia ratione, ſi non conſervari, ſaltem recuperari poteſt: adeoque cùm habeatur aliud remedium Jure conſtitutum, non licebit per viam facti procedere. Contrà autem vita hominis, niſi in continenti defendatur, ſemel amiſſa nulla arte revocari poteſt. Nec dici poteſt famam ſuam negligere, ac inſuper habere is, qui injurias legitimo Magiſtratus auxilio, non per cædes vindicat.

59 Dub. 7. an liceat occidere aggreſſorem injuſtum pro defenſione rerum temporalium? Satis convenit inter DD. licitam eſſe occiſionem, ſi defenſio ſit mixta, i. e. ſi conſideratis circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum, periculum ſit, ne raptor non tantùm in bona, ſed etiam perſonam aliquid moliatur, prout patet ex *cap. interfeciſti 2. hoc tit.* Et hinc Jure Civili licèt occidere furem nocturnum, ſi abſque periculo capi, aut expelli nequeat; quia cùm nox reddat homines terrerarios, non poteſt facilè dignoſci, an ad furandum, an ad occidendum venerit, aut quale facinus tentaturus ſit; diurnum autem furem tunc occidere licet, ſi ſe armis defendat *cap. ſi perfodiens* 3. *hoc tit. l. itaque* 4. *ff. ad Leg. Aquil: & l. furem* 9. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.*

60 Tota autem difficultas eſt, an idem dicendum, ſi nullum perſonæ periculum immineat, an ſi v. g. fur cum meo equo, aut ſarcina jam aufugiat, quem adhuc telo, aut ſclopo inſequi poſſum, hoc mihi liceat? Negant hoc caſu licitum eſſe occidere Gloſſ. *fin. in c.* 2. *hoc tit.* Abb. *ibid. num.* 2. Sylv. *V. homicidium* 2. *qu.* 16. *num.* 11. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 211. *& ſeqq.* Gutier. *qq. can. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 61. Molin. *tract.* 3. *de J. & J. D.* 72. *num.* 3. Avil. *part.* 7. *D.* 5. *ſect.* 3. *dub.* 4. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 9. *num.* 3. Fagnan. *in cap. interfeciſti* 2. *num.* 4. *& ſeqq. & in cap. ſuſcepimus* 10. *hoc tit. num.* 7. *& ſeqq.*

61 Moventur 1. textu *Clem. un. hic tit.* ubi ab Irregularitate ſolùm abſolvitur, qui invaſorem occidit ad defenſionem vitæ; 2. *cap. interfeciſti cit.* ubi illud homicidium tantùm fieri impune dicitur, quod aliquis committit ſe, *& ſua deliberando*: adeoque non tantùm res, ſed & perſonam defendendo, 3. *cap. ſuſcepimus cit.* ubi Irregularis pronuntiatur, qui furem occidit, & ratio datur, quòd *expediebat potius poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam*, quàm interficere pro earum conſervatione, 4. *cap. ſignificaſti* 18. *eod.* ubi Clericus, pro defenſione rerum Eccleſiæ percutiens, Irregularis judicatur, ſi vulnus, ab eo inflictum, lethale fuerit, 5. *Ratione*; quia notabilis defectus lenitatis eſt, pro bonis inferioris ordinis vitam alteri tollere; ſunt autem bona fortunæ inferiora vita; ergo &c.

62 Sed diſtinguendum eſt inter caſum, quo levis ſolùm momenti invaduntur bona, & inter eum, quo invaduntur bona magni momenti: item an iſta poſteriora, ſi ſubtracta fuerint, via Juris facilè recuperari valeant, an verò non. Si levis ſolùm momenti bona ſint, aut magni quidem, ſed via Juris facilè recuperabilia, illicita eſt occiſio, & propterea Irregularitas ab occidente certò incurrit. Covar. *in Clem. ſi furioſus part.* 3. §. *un. num.* 6. *Verſ. decimò.* Farin. *prax. crim. quæſt.* 125. *num.* 238. Zoeſ. *hic num.* 34. Pirhing *num.* 91. Vvieſtner *n.* 38 Reiffenſtuel *num.* 139. & ipſa conſentiunt DD. *num.* 65. allegandi. Et hinc meritò Innocentius XI. damnavit propoſitionem ſequentem: *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.*

64 *Excipit* Carden. *Criſ. Theol. Diſſert.* 21. *cap.* 4. *num.* 82. *&* 90 duos caſus, 1. Quando fur intentat rapere aureum, aut rem talis valoris de manibus viri nobilis, & is raptus ſit viro nobili ignominioſus; tunc enim iſte poteſt rem talem defendere opponendo gladium, & ſi quidem fur deſiſtat, non licebit illum percutere: ſi verò etiam ipſe educat gladium contra dominum illius rei, jam fur non ſolùm eſt invaſor rei, & honoris, ſed etiam vitæ; conſ. contra eum ſe invaſus defendere poterit defenſione occiſiva cum moderamine inculpatæ tutelæ, 2. Quando res ablata, licèt in ſe nec aureum valeat, ratione neceſſitatis tamen æquivalet multis aureis, ut ſi fur intentet auferre artifici inſtrumentum artis, quo ablato, cùm aliud ſimile invenire non poſſit, neceſſe eſt illum ceſſare ab opere, atque adeò ceſſate ſuſtentationem ſuam, & ſuorum; in hoc enim caſu attenditur non ad valorem, quem habet inſtrumentum in ſe ſed ad detrimentum, quod ex ablatione reſultat artifici, & fortaſſe multis aureis æſtimabitur.

Quodſi verò bona, quæ fur auferre tentat, ſint magni momenti, & aliter non recuperabilia, cædes pro eorum defenſione eſt licita. Sylv. *V. bellum* §. 2. *q.* 2. Clar. §. *Homicidium num.* 25 Covar. *num.* 6. *V. decimo cit.* Suarez *de Cenſur. D.* 46. *ſect.* 2. *à num.* 4. Farin. *quæſt.* 125 *num.* 168. *& ſeq.* Leſſ. *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 73 Coninck *D.* 18. *dub.* 9. *num.* 80. *&* 88. Fill. *tr.* 20. *cap.* 5. *q.* 6. *num.* 16 Bonacina *de Irreg. D.* 7. *q.* 4. *part.* 6. *num.* 10. Gaill. *lib.* 1. *de Pac. Publ. cap.* 16. *nu.* 10. 15. *&* 16. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 8. *num.* 7. Barboſa *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 4. *& in Clem. un. num.* 20 Gonzalez *in cap.* 3. *num.* 11. Vvagnereck *in c.* 18. *not.* 5. Zoeſ. *num.* 34. *hic*; Pirhing *num.* 86. Konig *num.* 24 Vvieſtner *num.* 39 Reiffenſtuel *num.* 138 Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. cap.* 6. *num.* 312. & ſumitur ex *l. rectè* 1. *C. unde vi, l. quod eſt* 3. §. *cum igitur* 9. *ff. de vi, & vi armat. l. furem* 9. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar. & Conſt. crim. Carol. V. art.* 150. *circa pr.* ubi inter Homicidia inculpata numerat, ſiquis pro defenſione vitæ, vel bonorum alterius hominem occidit. 65

Ratio eſt 1. quia res, vel bona alter hominis ſanguis, & vita eſſe dicuntur propter ſummam eorum neceſſitate ad vitam conſervandam; & hinc metus amiſſionis omnium, vel majoris partis bonorum æquipararur metui mortis à Gloſſ. *in l. advocatis* 14. *C. de Advocat. diverſ. Judic.* & Tiraquell. *de Nobil. cap.* 31. *à num.* 364 2. Licitum eſt bellum tam offenſivum, quàm defenſivum, quàmvis ſæpe in eo aliquot millia hominum intereant: ergo etiam licitum erit occidere injuſtum aggreſſorem bonorum, 3. Si ejuſmodi rerum, ac fortunarum defenſio non eſſet licita, homines improbi ad illas diripiendas facilè, & liberè moverentur. 66

Ex quo ſequitur, eum, qui occidit in defenſionem bonorum magni momenti, & non facilè recuperabilium, etiam non incurrere Irregularitatem, prout DD. *citt.* notant, & ſumitur *arg. can. quia te* 38. *diſt.* 50 ubi Stephanus V. ab Impedimento Canonico immunem prenuntiat eum, qui occidit ob defenſionem libertatis: igitur Irregularitatis impedimentum non evitatur ſola defenſione vitæ. *Ratio eſt*, quia Irregularitas incurritur vel ex delicto, vel ex defectu lenitatis, in caſu præſenti ex neutra cauſa incurritur: non ex delicto; quia, ut ex *num. præc.* patet, culpa vacat hoc caſu occiſio; non ex defectu; quia ex hoc Irregularitas incurritur ſolùm, quando cædes committitur authoritate publica, ſcilicet vel in bello juſto, vel prolatione, & executione ſententiæ condemnatoriæ ad mortem, vel mutilationem. 67

Neque obſtant Argumenta *num.* 62. in contrarium allata. *Ad* 1. patet ex duobus *n. præc.* Irregularitatem evitari non ob ſolam defenſionem vitæ. *Ad* 2. verba illa, *te, tuaque liberando*, ut cum aliis notat Gonzalez *in cap.* 2. *hoc tit. num:* 4. debent accipi disjunctivè, ut ſenſus ſit, *Te, vel tua &c. Ad* 3. in caſu *c. ſuſcepimus cit.* Monachus occidens non obſervavit moderamen inculpatæ tutelæ; quia occidit, recuperatis jam rebus ablatis, & has aliò transferendo abſque vitæ ſuæ, & ipſarum periculo potuiſſet ſervare, antequam latrones ſolverentur, Suarez *ſect.* 2. *cit. num.* 10. *Ad* 4. Preſbyter, de quo *ſignificaſti cit.* etiam ipſe exceſſit moderamen; quia ſola vociferatione potuiſſet impedire furrum, accurrentibus Parochianis pro ſubſidio, ſicut de facto accurrerunt, quando ille clamavit. *Ad* 5. vitam proximi tunc ſolùm bonis noſtris præferre debemus, quando proximus eſt poſitus in extrema, vel gravi neceſſitate, & ita, ut neceſſitate illa ſe liberare non poſſit; quod non ſit in caſu præſenti. 68

Quæritur 1. an licitè, & juſtè in malefactores, & per publicos miniſtros executioni detur ſententia, quibus illi condemnantur ad mortem, aut membrorum truncationem? Videtur tenenda negativa; quia ſolus Deus vitæ, ac membrorum Dominus eſt juxta illud *Sap.* 16. *v.* 13. *Tu es enim, Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem*; *& Deut.* 32. *v.* 39. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me: ego occidam* 69

cidam, & ego vivere faciam. Sed textus isti non tollunt Magistratui publico potestatem maleficos per sententiam ad mortem condemnandi, & executionem istius præcipiendi; quia quando hoc facit Magistratus, exigente enormitate criminis, id facit, non propria, sed Dei voluntate, quatenus hic ipsi potestatem istam concessit, juxta illud *Rom.* 13. *vers.* 4. *Non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*

70 Hinc dicendum, licitè, & justè malefactorem, priùs legitimè convictum, per sententiam ad mortem & mutilationem corporis condemnari, ejusque executionem præcipi Ministris Justitiæ posse. Est Catholica veritas, & patet 1. *Exod.* 22. *vers.* 18. ubi præcepit Deus, *Maleficos non patieris vivere*, 2. *can. quali* 44 *caus.* 23. *quæst.* 5. ubi Pelagius Papa dicit non posse *quidquam majus esse, unde Deo Sacrificium possit offerri, quàm si* Sacerdotes Justitiæ *ordinent, ut hi, qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci*. Similia habentur *can. prodest* 4. *quæst cit. can. quæsitum* 45 *& can. si quos* 47. *caus. cit. qu.* 4. *cap. postulasti* 21. *hoc tit.* 3. Ex *ratione*; quia omnem potestatem legitimo Magistratui dedit Deus, quam ei datam esse Reip. salus exposcit; atqui hæc exposcit animadverti in facinorosos, & malefactores, ne isti, tanquam putrida, & noxia membra, reliquum corpus inficiant; ergo &c. Servari tamen in pœna, de his sumenda, debet ordo Juris; nam si hoc non servato, Domini tyrannidem in subditos exerceant, sine dubio graviter peccant, & propterea Jurisdictionibus suis per superiorem privandi sunt. Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 8. *n.* 2. & 3. Engl *hic nu.* 2.

71 Dub. 1. an aliquando liceat seipsum occidere, vel mutilare? Resp. negativè; quia vitæ, & membrorum suorum nemo dominus est *l. liber homo* 13. *ff. ad Leg. Aquil.* Quare qui seipsum occidit, vel mutilat, ordinariè non tantùm gravissimè peccat contra Charitatem sui, sed etiam injuriam infert Deo, tanquam usurpans potestatem Deo, vel subordinato ejus Magistratui competentem; & propterea suicida rectè punitur Jure utroque; Canonico quidem privatur sepultura Ecclesiastica, dummodo constet, quòd sanæ mentis, & deliberatè seipsum occiderit, adeòque in statu peccati mortalis decesserit, ut dictum est *Lib.* 3. *Tit.* 28. *num.* 49. 64. *& duob. seqq.* De Jure Civili bona occidentis seipsum applicantur fisco, si tamen duo concurrant, 1. Quòd id fecerit metu pœnæ promeritæ, non ex impatientia carceris, tristitia, & alia causa. Farin. *prax. crim. quæst.* 128. *num.* 74. 2. Quòd jam priùs crimen commiserit, habens annexam pœnam confiscationis bonorum, ut læsæ Majestatis, Hæresis &c. sicut habetur *l. fin.* §. *idem rescripsit* 2. *ff. de bonis eorum &c.* & clariùs *Constit. crim. Carol. V. art.* 135 Farin. *loc. cit. n.* 77.

72 Quodsi quis tantùm se vulneravit, præsertim animo occidendi, videtur quidem alicubi præter infamiam etiam pena capitis statui, si scilicet ex malitia, non ex impatientia doloris, luctu, aut alia causa id fecerit *l. si quis* 38. §. *fin. ff. de Pœnis*, *& l. omne delictum* 6. §. *qui se vulneravit* 7. *ff. de re militar.* Ex generali tamen consuetudine, secundùm quam conatus non punitur eadem pœna, effectu non secuto, Judex imponere ei potest arbitrariam, sicut vulneranti alterum. Clar. §. *fin. quæst.* 68. *num.* 38. *Vers. seipsum occidere volens*, Menoch. *de arbitr. cas.* 284. *num.* 23. *& seqq.* Gomez. *tom.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 14. *Vers. sed advertendum est*, Farin. *q.* 128. *cit. n.* 37. Engl *hic n.* 35.

73 Dixi autem, ordinariè non esse licitum seipsum mutilare, ut mortis suæ causam præbere; nam 1. licet seipsum mutilare, vel mutilationem procurare, si ita necessarium sit ad conservandam vitam totius individui, ut si partem aliquam comprehenderit gangrena; quia licèt homo non sit dominus suorum membrorum, est tamen custos, & conservator; atqui rectè custodit, qui ad conservationem totius partem amputat, cùm utique sit meliùs partem, quàm totum perire, Engl *num.* 10. 2. Licet carnem suam moderatè affligere, ut hæc subjiciatur Spiritui, modò id non fiat cum notabili vitæ, vel membrorum periculo; nam hoc peccaminosum potiùs, quàm meritorium foret. Engl *n.* 11. 3. Excusat specialis Dei instinctus, & jussus, qualem censentur habuisse SS. quædam Virgines, quæ timore violandæ Castitatis in persecutionibus se in flumen præcipitarunt: Samson, qui *Jud.* 16. concussis columnis domus, se unà cum Philistæis oppressit &c. Engl *n.* 12. 4. Licitum est, quando causa justa subest, aliquid facere, vel omittere; unde certò scitur secuturus interitus indirectè; & sic miles potest, & tenetur non deserere stationem in communi periculo, etsi certus sit se occidendum; sic potest reus non fugere ex carcere, etsi certò sciat se morte plectendum &c. Less. *lib.* 2. *de Just. c.* 9. *n.* 27. *& seqq.* Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. Engl *num.* 13. 5. Non prohibetur aliquis etiam positivè cooperari ad sui cædem, quando ista ex Judicis sententia ob commissum delictum est infligenda; & sic condemnatus ad furcam potest sibi ipse aptare laqueum, condemnatus ad mortem per famem potest abstinere à cibo clanculum sibi submisso, condemnatus ad mortem per venenum potest, imò ut *Arragon. & Victoria* volunt, tenetur illud bibere. Less. *loc. cit. num.* 29.

74 Dub. 2. an Bannitum, cujus occidendi potestas cuilibet à Magistratu publicè concessa est, etiam in conscientia occidere liceat? Resp. affirmativè; cùm enim Magistratus habeat potestatem occidendi malefactorem, eandem aliis demandare rectè potest, quando propter fugam Rei non est occasio per Judices ordinarios eam exequendi. Lex autem Superioris, & mandatum justum in foro externo, etiam in foro interno justum censetur. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 2. *numer.* 2. Engl *hic num.* 4. Konig *ibid. num.* 18 Reiffenstuel *num.* 67 *resp.* 2. Ut verò Magistratus facultatem occidendi Bannitum cuivis dare, & hic uti illa bona conscientia possit, opus est, ut tam ex parte dantis, quàm ex parte utentis plures conditiones concurrant.

75 *Ex parte dantis* requiritur 1. ut is, in cujus vitam potestas cuivis conceditur, sit proscriptus, seu bannitus propter capitalem crimen, & ut de hoc sufficienter constet, 2. Ut ordinario procedendi modo in Bannitum præsentem executio fieri nequeat; secus enim obtinet Regula Juris in contrarium, quòd *non sit singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi*, prout dicitur *l. non est* 176. *ff. de R. J.* 3. Ut periculum aliquod grave ex ita Banniti malitia immineat Reip. ut si sit proditor, perduellis, prædo, insidiator vitæ Principis, veneficus &c. Konig *n.* 19. Reiffenstuel *l. cit.*

76 *Ex parte utentis* requiritur 1. ut talis occisio fiat ex Zelo Justitiæ, & non ex privata vindicta, aut cupiditate lucri, 2. Ne fiat pendente Appellatione, vel eo tempore, quo reus per Appellationem, a tali sententia Banni interpositam, coram Superiore causam suam prosequitur, 3. Ne extra territorium proscribentis *argum. l. fin. de Jurisd. omn. Jud. & cap. fin. de Constitut. in* 6. nisi etiam in aliis territoriis denuntiatus in talem delinquentem sit Bannus, 4. Ut proscriptus non sit parens, filius, frater, vel conjux, cui Jure naturæ debentur alimenta, quem cons. occidere natura abhorret; naturalia enim Jura per Civilia immutari non possunt §. *sed naturalia* 11. *Inst. de J. N. G. & C.* Clar. *V. Homicidium num.* 54 Farinac. *prax. crim. quæst.* 163. *num.* 199. *& seqq.* Layman *part.* 3. *cit. cap.* 2. *num.* 2. Engl *hic num.* 5. Konig *num.* 20. Reiffenstuel *num.* 68.

77 Porro, ut bene notat Molin. *tr.* 3. *de J. & J. Dist.* 7. *num.* 1. facultas hæc, ut quilibet Bannitum possit occidere, non est facilè danda à Magistratu, tum ob alia incommoda, tum quòd tales Malefactores, regulariter sine Sacramentis, in peccatis lethalibus moriuntur, & sic corpore, & anima simul pereunt: quod utique Christianæ pietati repugnat. *Ex quo sequitur* 1: sententiam hanc pro foro conscientiæ raro admodum practicabilem esse, & ferè in eo duntaxat casu, quo ex vita malefactoris proscripti quotidianum Reip. periculum immineret; tunc enim publica Reip. salus ab occisione talis hominis, sicut cujuscunque hostis excusaret. Engl *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 70.

78 Dub. 3. an licitum sit patri occidere filiam, aut marito uxorem, aut adulterum in adulterio deprehensos? Affirmat Clar. §. *homicidium num.* 48. cum aliis nonnullis, quia hoc permittitur per LL. Civiles *l. patri* 20 *ff. ad Leg. Jul. de adult. & leg. marito* 24. *ff. eod.* cum aliis

aliis concordantibus. Neque dici poteſt, quòd Leges iſtæ injuſtæ ſint; nam 1. injuſtitiam hanc tot præclara ingenia Græcorum, & Romanorum tot ſæculis à Solonis tempore non notarunt, 2. Easdem Leges Juſtinianus Princeps Chriſtianus inſeruit ſuo Codici; totque alii Principes, & Juriconſulti Chriſtiani approbarunt, 3. Poteſt Lex Civilis, ut *num.* 74. dictum eſt, facere poteſtatem cuivis occidendi Bannitos: ergo poteſt etiam concedere patri poteſtatem occidendi filiam, aut adulterum cum hac, vel uxore ſua in adulterio deprehenſos.

79 Sed dicendum, lethaliter peccare patrem, ſi filiam, & maritum, ſi uxorem, vel adulterum in adulterio deprehenſos occidat. Ita S. Thom. *in* 4. *diſt.* 37. *quæſt.* 2. *art.* 1. Palud. *ibid. quæſt.* 2. *ad ult.* Medin. *de Reſtit. quæſt.* 3. *cauſ.* 4. Sot. *lib.* 5. *de Juſt. quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 2. Covar. *de Sponſal. part.* 2. *cap.* 7. §. 7. *num.* 9. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 7. *num.* 2. Leſſ. *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 9. *n.* 16 Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. Engl *hic num.* 7. Ratio eſt, quia qui ſic occiduntur, exponuntur manifeſto periculo interitus tam quoad animam, quàm quoad corpus, & hoc abſque ulla neceſſitate, cùm capi, accuſari, & per ſententiam puniri poſſint. Accedit, quia nimis durum eſt, inauditum, & indefenſum, nec ſpiritualibus mediis munitum, à privatis occidi: & inde fieret, ut multoties ex ſola ſuſpicione homicidia patrarentur.

80 Ad LL. in contrarium allegatas plerique DD. volunt, eas, quatenus occiſionem talem poſitivè permittunt, eſſe correctas per Jus Canonicum *canon. inter hæc* 6. *cauſ.* 33. *quæſt.* 2. ubi Nicolaus Pontifex conſultus, utrum marito liceat ſecundùm *Legem mundanam* (nempe Longobardorum, ut ait *Gloſſa*, quæ tunc in Italia obſervabatur) uxorem, quæ adulterium perpetravit, occidere, reſpondit, *Sancta Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur Legibus; gladium non habet, niſi Spiritualem, quo non occidit, ſed vivificat*, non obſcurè inſinuans, Legem illam ab Eccleſia improbari. Alii verò cum Molin. *loc. citat.* putant per eas Leges tale homicidium ſolùm permitti negativè, quatenus ſcilicet propter juſtum, nimiùmque dolorem, quo laceſſitus id efficit, & propter dedecus maximum, quod ex adulterio uxoris ei ſequitur, hujuſmodi homicidæ condonant pœnam. Cum Bannitis lata diſparitas eſt; quia hi tantùm tunc permittuntur à quovis impune occidi, quando ordinario procedendi modo in ipſum executio fieri nequit, ut dictum eſt *num.* 75.

81 Dub. 4. an propter Homicidium juſtum, ſecutum ex ſententia condemnatoria, incurratur Irregularitas; Videtur non incurri; quia Irregularitas pœna eſt, & pœna infertur propter delictum; atqui in tali Homicidio, ſi ſententia Legibus ſit conformis, nullum eſt delictum; ergo &c. Sed duplex eſt cauſa incurrendi Irregularitatem, ex delicto, & ex defectu Chriſtianæ lenitatis; cùm ex delicto incurritur, pœna eſt; cùm ex defectu lenitatis, ſolùm eſt inhabilitas, & eatenus nullam ſupponit culpam propriam, ut patet in laborante defectu natalium, qui abſque ſuo delicto Irregularis eſt, & ab Ordinibus ſuſcipiendis impeditur.

82 *Dicendum* igitur, Irregularitatem propter Homicidium etiam juſtum incurri. Eſt exploratum in Jure Eccleſiaſtico: & cauſa hujus inductæ fuit, quia inconveniens videbatur Eccleſiæ, ab eo, qui alienum ſanguinem voluntariè fudit, incruentam Deo offerri Hoſtiam, & repræſentari perſonam Chriſti mitiſſimi, & ſanguinem ſuum pro nobis fundentis, præſertim poſt exemplum Legis Veteris, in qua Deus ſibi Templum, non à Davide, quòd multum ſanguinis fudiſſet, ſed à Salomone Rege pacifico ædificari voluit 1. *Paralip.* 22. *verſ.* 8. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 3. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 205. *fin.* Zoeſ. *hic num.* 39. Engl *num.* 45. 46 & 61. Schambog. *num.* 60. Pirhing *num.* 94. Konig *num.* 30. Vvieſtner *num.* 13. Reiffenſtuel *num.* 75. Magnif. P. Schmier *tract. de Poteſt. Ord. cap.* 6. *n.* 290.

83 Dub. 5. quinam Irregularitatem ex hac cauſa contrahant? Reſp. contrahit eam 1. *Judex* ſententiam mortis, aut mutilationis dictans, vel proferens *can. aliquantos* 1. *diſt.* 51. *can. ſæpe* 29. & *can. his, à quibus* 29. *cauſ.* 23. *quæſt.* 8. *cap. ex literis* 10. *de exceſſ. Prælat. cap. Clericis* 5. & *cap. ſententiam* 9. *ne Cleric. vel Monach.* Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 14. §. 1. *num.* 1. Fagnan. *in cap. de cætero* 11. *hoc tit. num.* 9. Gonzalez *ibid. num.* 10. Zoeſ. *hic num.* 40 Engl *num.* 61. Schambog. *n.* 62. Konig *num.* 30 Reiffenſtuel *num.* 89 Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ord. cap.* 6. *nu.* 340 Et hinc ſi Judex Eccleſiaſticus aliquem dignum morte inveniat, ſi Clericus eſt, illum degradat, & brachio ſæculari remittit, ut juxta qualitatem delicti eum judicet, ſententiam proferat, ac tandem exequatur. Ne verò ita tradendo videatur cooperari ad mortem Rei, apud eundem Judicem Sæcularem efficaciter intercedit, ut citra mortis periculum circa eum ſententiam moderetur *capit. novimus* 27. *de V. S.*

2 *Aſſeſſores*, & alii, qui Judici ad ejuſmodi ſententiam proferendam aſſiſtunt, ſuoque ſuffragio, aut conſilio eam promovent *cap. citt.* quia complent perſonam Judicis, & ad ſententiam ferendam concurrunt. Suarez *de Cenſur. D.* 47. *ſect.* 1. *num.* 4. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 14. §. 1. *num.* 2. Gonzalez *in cap.* 11. *cit. num.* 10. Zoeſ. *hic num.* 40 Engl *num.* 61. Pithing *num.* 96. Schambogen *num.* 62. Konig *num.* 30 Vvieſtner *num.* 10 Reiffenſtuel *num.* 99 Magnif. P. Schimier *loc. cit. n.* 347. 84

3 *Accuſator*, & *Denunciator*, ſaltem ſi accuſatione, vel denuntiatione ſua non proprium tantùm intereſſe, ſed vindictam publicam intendat, & ex illa Rei mors, aut mutilatio ſit ſecuta, prout ſumitur ex *can. ſiquis* 8. *diſt.* 50 & ſupponitur *c. poſtulaſti* 21. *hoc tit.* & *c. Prælatis* 2. *eod. in* 6. Suarez *D.* 47. *ſect.* 2. *num.* 1. Layman *cap.* 7 *num.* 1. Palao *part.* 14. §. 2. *num.* 1. Gonzalez *num.* 10. *cit.* Zoeſ. *nu.* 46. Engl *nu.* 61. Schambog. *num.* 73. Konig *nu.* 30 Schmier *nu.* 352. cum aliis *ſuprà*. 85

4 *Advocatus* accuſatoris, ſi accuſatus ad mortem, vel mutilationem condemnetur: nec proficit ei, etiamſi proteſtatus fuerit, ſe non agere, vel intendere pœnam ſanguinis; quia valde efficaciter influit docendo, & movendo Judicem ſuis argumentis ad ſententiam ferendam, & proteſtatio eſt facto contraria, ideòque fit particeps homicidii inde ſecuti. Suarez *D.* 47. *citat. ſect.* 4. *num.* 3. Palao *part.* 14. §. 3. *num.* 5. Zoeſ. *num.* 58 Pirhing *num.* 112. Schambogen *num.* 80 idque ſumitur ex *cap. Prælatis cit.* ubi tantùm excipitur Accuſator in propria cauſa: ergo hæc Conſtitutio locum non habet in Advocato, qui defendit cauſam alienam. 86

5 *Teſtes* deponentes contra reum in cauſa ſanguinis *can. his, à quibus* 29. *cauſ.* 23. *qu.* 8. 6. *Notarius* ſententiam capitalem ſcribens *c. ſententiam* 9. *ne Cleric. vel Monach.* 7. *Miniſtri Juſtitiæ* ſententiam illam exequentes, 8. Omnes deferentes reum ad mortem, & comitantes Judicem ad cuſtodiam tam equeſtres, quàm pedeſtres, 9. Quicunque alii, qui ad prolationem ſententiæ, vel ejus executionem authoritate publica concurrunt. Sylv. *V. homicidium* 3. *quæſt.* 2. *num.* 3. *dict.* 2. Navar. *Man. cap.* 27. *à num.* 208. Covar. *in Clem. ſi furioſus part.* 2. §. 5. *à num.* 1. Suarez *D.* 47. *ſect.* 4. *num.* 1. Avil. *part.* 7. *D.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 1. Layman *cap.* 7. *citat. num.* 1. Gonzalez *num.* 10. *citat.* Zoeſ. *num.* 60. Engl *numer.* 61 Pirhing *num.* 96. Schambogen *num.* 62. Konig *numer.* 30. Vvieſtner *numer.* 12. Reiffenſtuel *numer.* 368. 87

Dub. 6. quinam ex hoc capite Irregularitatem non incurrant? Reſp. 1. illam non incurrit *Pontifex*; quia cum Lege Eccleſiaſtica, qua Irregularitas inducta eſt, non ligetur, ejus incurrendæ incapax eſt: imò ſi quam Irregularitatem ante obtentam Pontificalem Dignitatem contraxiſſet, iſta ipſa ad hanc Dignitatem evectione tolleretur, *argument. capit. licet* 6. *de Elect.* & *cap. ubi periculum* 3. *eod. in* 6. Majol. *de Irregul. lib.* 2. *cap.* 4. *pr.* Suarez *de Cenſur. D.* 47. *ſect.* 1. *num.* 4. Fagnan. *in c. de cætero* 11. *hoc tit. num.* 22. Zoeſ. *hic num.* 5. & 40 Pirhing *num.* 96. Schambogen *n.* 62. Vvieſtner *nu.* 14 Reiffenſtuel *num.* 91. 88

2 *Pagani*, *Judæi*, & alii *Infideles* non baptizati; tum quia Legibus Eccleſiæ non ligantur; tum quia in ipſis defectus lenitatis Chriſtianæ locum non habet, vel ſaltem non conſideratur, Suarez *D.* 40. *de Cenſur. ſect.* 7. *num.* 1. Avil. *part.* 7. *D.* 5. *ſect.* 1. *num.* 1. Zoeſ. *num.* 5. Pirhing *numer.* 94. Vvieſtner *numer.* 15. Reiffenſtuel *num.* 93. 89

3 *Inquiſitores* Hæreticæ pravitatis, eorum *Commiſſarii*, & *Conſultores*; nam hi ſpeciali favore Fidei abſq; Irre- 90

Irregularitatis incurrendæ periculo poſſunt convictos de Hæreſi condemnare, declarare, quòd pœnas Legibus latas incurrerint, inſtare, etiam minitando, apud Judicem Sæcularem, ut Rei comburantur, ex conceſſione *Pauli IV.* & *S. Pii V.* ut obſervat Pegna *Direct. Inquiſ. p. 2. comment.* 20. Henriq. *l.* 14. *c.* 12. *n.* 5. *lit. D.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 3. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 1. *numer.* 1. Fagn. *in c. de cætero cit. num.* 26. Reiffenſtuel *num.* 92. Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ord. cap.* 6. *n.* 346.

91 4. *Judex* quicunque alius *Eccleſiaſticus*, ſaltem ſi cum Reum Curiæ ſæculari tradit, apud Sæcularem Judicem efficaciter intercedat, ut citra mortis periculum circa eum ſententiam moderetur; hac enim interceſſione appoſita, liberatur ab Irregularitate, ut cum communi docent Covar. *in Clem. ſi furioſus* 2. *p.* 2. §. 5. *nu.* 6. Suar. *D.* 47. *ſect* 1. *n.* 11. Coninck *D.* 18. *dub.* 10. *n.* 91. Avil. *D.* 5. *cit. ſect.* 2. *dub.* 2. Bonacin. *D.* 7. *q.* 4. *p.* 1. *num.* 3. Palao *ſ.* 1. *cit. n.* 1. & meritò; nam Judex Eccleſiaſticus ita tradendo reum non influit directè in pœnam ſanguinis, ſed ſolum declarat delictum, & degradando privat Clericum privilegio Clericali, eumque excludit a foro, & jurisdictione ſua: quo facto, per conſequentiam tantùm Clericus ſubjicitur poteſtati Judicis Sæcularis, ut hic adverſus illum procedere ſecundum Leges poſſit.

92 5. Advocatus Reum defendens, & teſtes pro eo deponentes: quod procedit, etiamſi Accuſator, de calumnia ex horum depoſitionibus convictus, condemnetur ad pœnam talionis; nam hæc præter intentionem ipſorum ſequitur. Zoeſ. *hic n.* 59. Pithing *ibid. n.* 112. *verſ. quartò.* Imo ab eadem Irregularitate immunis eſt Advocatus Rei, etiamſi iſte ſuccumbat, & condemnetur ad pœnam mortis, vel mutilationis; quia ex ejus patrocinio non ſequitur mors, imò citius ſecuta fuiſſet ſine ejus defenſione: ideoque neutiquam influit in pœnam illatam à Judice: niſi tamen Advocati culpa, imperitia, vel negligentia reus condemnatus fuerit; tunc enim Irregularitatem incurrit, non ex defectu lenitatis, ſed ex delicto injuſtitiæ commiſſo. Bonacin. *D.* 7. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 6. *fin.* Palao *p.* 14. §. 3. *n.* 6. Gonzal. *in c.* 11. *h. tit. n.* 10. Zoeſ. *hic n.* 58. Honor. *n.* 16. Pirh. *n.* 112. *verſ. ſecundò*, Schambog. *n.* 80.

93 6. Denique nec Accuſator, nec cæteri a *n.* 83. relati eam Irregularitatem incurrunt, niſi reipſa ſequatur mors, aut mutilatio, ad quam per ſententiam condemnatus eſt reus; qui Jura, dum Irregularitatem ſtatuunt, conſiderarunt factum. Hinc ſi Judex tantum jubeat delinquentem flagellari, vel aliter cædi, abſque eo, quod mors, aut abſciſſio membri conſequatur, Irregularis non efficitur per *c. in Archiepiſcopatu* 4. *raptor.* Pirh. *hic n.* 99. Magnif. P. Schmier *c.* 6. *cit. nu.* 343. Monacell. *p.* 2. *tit.* 13. *form.* 3. *n.* 35. & hoc teſte declaravit *S. Congreg. in S. Severini* 2. *Jun.* 1703. Item nulla Irregularitas incurritur, ſi poſt ſententiam mortis, aut mutilationis latam, ea pœna ob condonationem Principis, gratiam facientis, executioni non mandetur. Pirhing. *l. cit.* Schmier *n.* 344.

94 Contrà pro Irregulari habendus eſt Judex, qui non quidem profert mortis, aut mutilationis ſententiam, ſed mandat, ut reo denegentur alimenta, vel detrudatur in carcerem, in quo veriſimiliter intra paucos dies moriturus credebatur; quia reipſa ſententiam, ex qua mors ſequitur, dictaſſe videtur. Covar. *in Clem. ſi furioſus p.* 2. §. 5. *numer.* 7. Gonzal. *in cap.* 11. *hoc titul. numer.* 10. Zoeſ. *hic numer.* 40. Honor. *numer.* 5. Schmier *numer.* 345.

95 Item Irregularis fit Advocatus Accuſatoris, qui injuſtè accuſavit, ideoque reo abſoluto, pœna talionis punitur, quia probatum fuit ipſum eſſe calumniatum. Suar. *D.* 47. *ſect.* 4. *nu.* 6. Pirhing *nu.* 112. *verſ. tertiò.* Rationem dant. quia accuſatorem moraliter conſtituit in periculo mortis, utpote qui non fuiſſet auſus accuſare, ſi Advocatus cauſam ejus defendendam non ſuſcepiſſet. *Excipiunt*, niſi Advocatus bona fide exiſtimarit cauſam Accuſatoris eſſe juſtam; quia Irregularitas, quæ oritur ex Accuſatione injuſta, non contrahitur ex defectu lenitatis, ſed ex delicto Homicidii ſaltem indirectè voliti, ideoque ſi ob ignorantiam invincibilem excuſetur quis a delicto, excuſabitur etiam ab Irregularitate.

96 Dub. 7 qualis cooperatio ad mortem, vel mutilationem requiratur, ut incurratur Irregularitas ex defectu lenitatis: Reſp. requiritur, ut is, qui eam dicitur incurriſſe, notabiliter, & non valde remotè, aut per accidens cooperetur. Gloſſ. *in cap.* 11. *V. cauſam h. tit.* Pirh. *num.* 97.

Hinc Irregularis 1. non eſt Princeps, vel Dominus temporalis, ſive Clericus, ſive Laicus, condens Statuta, aut Leges, in quibus pœna mortis, aut mutilationis propter certa delicta ſtatuitur, etiamſi inferiores Judices ſecundùm illas Leges judicent, & capitales pœnas affligant; quia talis impoſitio pœnarum per ſe non ordinatur ad Homicidium, ſed ad bonam gubernationem Reip. ut vitentur crimina, & Lex generaliter ſolùm tales pœnas decernit, non in certam perſonam: ideoque non cenſetur mors, niſi per accidens, & valde remotè ſubſequi. Sylv. *l. Homicidium* 3. *q.* 7. *nu.* 10. Suar. *D.* 47. *de Cenſur. ſect.* 1. *n.* 7. Fagnan. *in c. de cætero* 11. *h. tit. n.* 21. Gonzal. *in c.* 17. *eod. n.* 1. Zoeſ. *hic nu.* 43. Pirhing *num.* 97. *not.* 5. Schambog. *num.* 66. Reiffenſtuel *n.* 96.

2. Non fit Irregularis Profeſſor, in Scholis docens Leges pœnales in genere, & theoricè, ſeu ſpeculativè, ac velut in abſtracto: nec Concionator, ſi publicè è Cathedra moneat Judices, ut ſervent Leges, & Remp. malis, ac noxiis hominibus purgent; quia nimis remotè ad cædem concurrunt. Secus eſt, ſiquis practicè, & in particulari de certa perſona diceret, eam puniendam morte ſecundum Leges; tunc enim moraliter cenſeretur concurrere ad cædem non ſine ſcrupulo Irregularitatis. Suar. *l. cit. n.* 8. cum reliquis *ſuprà.* 97

3. Non fit Irregularis Clericus, vel Laicus Juriſperitus, qui conſultus de aliquo reo, etiam in particulari, an licitè poſſit ob delictum à ſe commiſſum, condemnari ad mortem, ſolùm generatim reſpondeat, & explicet, quid Juris ſit, & quid Leges de hac re ſtatuant, nihil in particulari circa reum ſuadendo, vel præſcribendo; quia talis non incitat, vel monet Judicem ad inferendam pœnam mortis, ſed ſolum aperit rei veritatem, qua cognita, Judex per ſeipſum movetur ad infligendam pœnam. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 74. *n.* 6. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 4. *Aſſert.* 4. Zoeſ. *hic n.* 43. Pirh. *n.* 98. *coroll.* 3. Schambog *n.* 68. Reiffenſt. *num.* 100. Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. c.* 6. *n.* 348. 98

4. Non fit Irregularis Confeſſarius, ſi abſolutionem Sacramentalem deneget Judici, non volenti reum condemnare ad mortem, quem ex officio deberet: neque etiam ſi cogat, ſive obliget Reum pœnitentem ad confitendum in Judicio delictum dignum morte, quod Juridicè interrogatus fateri tenetur, vel ne a Sententia juſta appellet; quia Confeſſarius talis per ſe, & directè tantùm intendit mederi animæ pœnitentis, & mors per accidens. & præter intentionem illius ſequitur: nec veriſimile eſt, quòd Eccleſia voluerit impedimentum Irregularitatis ponere, quò minùs Confeſſarius rite, & liberè officio ſuo fungi poſſit, cum detrimento ſalutis animarum, Suar. *n.* 8. *cit.* Laym. *l. cit. verſ. inſuper*, Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 3. *n.* 8. & 9. Gonzal. *in c.* 11. *h. tit. n.* 10. Pirh. *coroll.* 4. Schambog. *num.* 69. Schmier *l. cit. num.* 350. 99

5. Non fiunt Irregulares Opifices, qui fecerunt gladium, quo carnifex reo caput abſcindit, vel qui fabricarunt furcam, vel qui fecerunt reſtim, qua ille ſuſpenditur, aut ſcalam, qua furca conſcenditur: contra verò Irregulares fiunt, qui laqueum afferunt, aut ſcalam applicant ad ſuſpendendum furem, vel ligna apportant, quibus poſtea reus comburitur. Molin. *D.* 74. *cit. n.* 1. & 2. Laym. *c.* 7. *n.* 2. Pirh. *nu.* 98. *coroll.* 1. Schamb. *numer.* 66. Reiffenſt. *num.* 109. Ratio eſt, quia hi poſteriores ſunt cauſa propinqua mortis; illi verò ſolum remota. 100

6. Non eſt Irregularis, qui præter intentionem eſt in cauſa, ut jumentum, quo reus ad ſupplicium capitale trahitur, celerius ambulet illud pungendo, aut verberando, aut qui hortatur reum, ut in via procedat, & ſic per accidens contingat mortem Rei accelerari; quia parum pro nihilo reputatur, & non eſt cenſendum, quòd mens Eccleſiæ ſit in his caſibus Irregularitatem inducere; hoc enim foret nimis durum, & minùs rationabile. Secus eſt, ſiquis hortetur reum, ut ſcalas ad furcam aſcendat, vel manum porrigat, ut amputetur, vel adhortetur Miniſtrum Juſtitiæ, ut citò expediat executionem ſupplicii; talis enim Irregularis fieret, ſi ob id in cauſa reipſa eſſet, ut mors, vel mutilatio citius ſequeretur. 101

Laym.

Laym. *n.* 2. *coroll.* 4. Pirh. *coroll.* 2. Schambog. *num.* 67. Reiffenftuel *n.* 110.

102 Dub. 8. an Irregularitatem incurrant Prælati Ecclefiaftici, obtinentes Jurifdictionem temporalem, dum ad caufas fanguinis conftituunt Judices, cum claufula, ut cognita caufa, Juftitiam adminiftrent? Non incurri Irregularitatem per generalem caufarum hujufmodi delegationem, convenit inter DD.

Difficultas moveri poteft in cafu, quo talis Prælatus particularem aliquam hujufmodi caufam delegat conftituto à fe Judici, cum præcepto, ut jus pronuntiet. Videtur contrahi Irregularitas ex Regula, *Quod quis facit per alium, eft perinde, ac fi faciat per feipfum*, quæ eft 72. *in* 6.

103 Sed etfi confultius fit, fi tales caufas Prælati ejufmodi delegent generaliter, cafu tamen, quo delegarent caufam aliquam particularem dicto modo, ab Irregularitate excufantur, modò Delegato non determinatè de pœna mortis, aut mutilationis reo infligenda, fed generaliter de Juftitia adminiftranda mandatum dent. Abb. *in c. Clericis* 5. *num.* 12. *Ne Cler. vel Monach.* Covar. *in Clem. fi furiofus p.* 2. *§.* 5. *num.* 8. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 8. *nu.* 2. Suar. *D.* 47. *de Cenfur. fect.* 1. *num.* 5. *& feqq.* Avil. *p.* 7. *de Irregul. fect.* 2. *D.* 5. *dub.* 4. Coninck *D.* 18. *n.* 91. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 4. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 1. *num.* 3. Barbof. *in c.* 2. *h. tit. in* 6. *n.* 13. Fagn. *in c. de cætero* 11. *eod. n.* 20. Gonzal. *ibid. n.* 10. Zoef. *hic n.* 41. Honor. *n.* 13. Engl *n.* 63. Pirhing *n.* 97. Schamb. *num.* 63. Vvieftner *num.* 16. Reiffenftuel *numer.* 95. Magnif. P. Schmier *de Poteft. Ordin. c.* 6. *num.* 34. & patet ex *cap. fin. Ne Cleric. vel Monach. in* 6. *Ratio eft*, quia ita delegans non cooperatur proximè, & immediatè morti.

104 Aliud foret, fi Prælatus mandaret Judici à fe delegato, ut fententiam fanguinis hoc, vel illo cafu proferret; quia eo mandato directè cooperatur morti: fed quia non cooperatur ut Minifter publicus, fed ut perfona quædam particularis, cui cooperatio directa ad mortem interdicta eft, ideo Irregularitas, quæ ex hoc mandato contrahitur, potius eft ex delicto, quam ex defectu lenitatis, ut notat Palao *l. cit.* Quodfi tamen ejufmodi Prælatus fententiam, jam antè a Judice Ordinario inferiore vel Delegato latam, folùm mitigaret, & moderaretur, ut v. g. reus, damnatus ad rotam, vel rogum, plectatur capite, vel alia mitiore pœna, probabiliter per hoc folum Irregularis non fieret; quia non eft caufa mortis, vel fupplicii, fed potiùs, ut pœna minuatur, qui eft actus non feveritatis, fed mifericordiæ. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 4. Engl *hic n.* 63. Pirhing *n.* 97. Schambog *n.* 65. Reiffenftuel *n.* 98.

105 Ad Regulam in Ratione dubitandi allatam dicendum, hunc cafum effe exceptum à Regula. Adde quod delegantis voluntas non tendat ad homicidium, fed folùm ad exercendam Juftitiam, & fic inde non nifi remotè, & per accidens fubfequitur Homicidium, ut adeò, quod per Delegatum agitur, Deleganti nequeat imputari. Et hinc etiam Delegans non fit Irregularis, tametfi Delegatus ille aliquem condemnaret injuftè; hoc enim ille Delegans non intendit, qui folam Juftitiam adminiftrari cupit; nifi fortè in culpa effet, aliquem imperitum delegando. Schambog. *n.* 64.

106 Dub. 9. an Irregularitatem incurrat Accufator accufans aliquem criminaliter, fed cum proteftatione, coram Judice facta, quòd intendat non pœnam capitalem, & fanguinis, fed aliam mitiorem? *Ratio dubitandi* fumitur à paritate cum Actore agente de crimine civiliter, qui, etfi deinde reus condemnetur ad pœnam capitalem, faltem fi proteftatus eft coram Judice, fe eam pœnam non intendere, Irregularitatem non incurrit *c. poftulafti* 21. *h. tit.* & *c. Prælatis* 2. *eod. in* 6. Sed magna eft inter hunc, & Accufatorem difparitas: quia agens civiliter, & proteftationem interponens, oftendit fe proprium duntaxat intereffe profequi; conf. ex ea actione mors, vel mutilatio per accidens tantùm fequi cenfetur at quando agitur criminaliter, non eft in arbitrio Accufatoris petere, imò nec Judicis infligere quamcunque pœnam, fed eam, quam Leges tulerunt, vel delicti gravitas exigit, ferre debet; conf. adverfus iftam proteftans ponit proteftationem contrariam facto.

107 Hinc dicendum, non obftante has proteftatione, Irregularitatem ab Accufatore contrahi. Ita Covar. *in Clem. fi furiofus p.* 1. §. 5. *n.* 1. Suar. *D.* 47. *de Cenfur. fect.* 2. *n.* 10. Avilla *p.* 7. *D.* 5. *fect.* 2. *dub.* 10. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 6. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 2. *n.* 4. Zoef. *hic n.* 27. Pirhing *n.* 101. Schambog *num.* 73. Vvieftner *n.* 17. Reiffenftuel *n.* 76. Ut tamen ex hoc capite accufans, vel denuntians in Irregularitatem incidat, opus eft, ut accufatio, vel denuntiatio fiat coram Judice Sæculari, & hæc fit caufa per fe mortis, vel mutilationis.

Et hinc non incurrit Irregularitatem. 1. Qui agit criminaliter coram Judice Ecclefiaftico; nam eo cafu, etiamfi de pœna fanguinis non proteftetur, & crimen fit valde enorme, ita, ut ob id Clericus accufatus pœna realis Degradationis puniendus fit, nihilominus tamen accufator Irregularitatem nullam incurrit, quia accufavit in foro, in quo pœna fanguinis non irrogatur, neque accufando cenfetur magis concurrere ad mortem accufati, quàm ipfe Judex Ecclefiafticus eum degradando, & tradendo Curiæ Sæculari. Suar. *fect.* 2. *cit. n.* 18. Barbof. *in c.* 2. *h. tit. in* 6. *n.* 10. Pafferin. *ibid. n.* 4. Zoef. *hic n.* 46. Pirh. *n.* 110. Vvieftner *n.* 20. Reiffenftuel *n.* 84. 108

2. Similiter ab Irregularitate immunis eft, qui accufat etiam coram Judice Sæculari de crimine non capitali, feu quod pœnam mortis, aut mutilationis non meretur, efto, Judex excedens limites Juftitiæ condemnet accufatum ad mortem, vel aliam pœnam fanguinis, cùm malitia Judicis non debeat nocere Accufatori, qui eam rem non potuit prævidere. Covar. *in Clem. fi furiofus p.* 2. *§.* 5. *n.* 2. Navar. *c.* 27. *n.* 214. Suar. *fect.* 3. *nu.* 18. Laym. *c.* 7. *num.* 6. *verf. tertio dixi*. Palao *p.* 14. *§.* 2. *n.* 2. Pafferin. *l. cit. n.* 5. Zoef. *n.* 46. Pirhing *nu.* 110. Vvieftner *n.* 21. cum aliis. Idem eft, fi reus accufatus de levi crimine, & propterea conjectus in carcerem, poftea aliis criminibus cumulatis, morte mulctetur; quia tantùm remotam caufam dedit prior accufans. Zoef. *n.* 46. *cit. fin.* 109

Dub. 10. an femper Irregularitatem effugiat, qui civiliter agit de crimine, quod aliàs mortem, vel mutilationis pœnam meretur? Refpond. diftinguendo: Vel enim agit in caufa propria, aut Ecclefiæ fuæ, aut patriæ; parentum, liberorum, fratrum, & aliorum fibi conjunctorum, ita, ut injuria, & damnum, his illatum, in ipfum Actorem cenfeatur redundare; vel contrà agit in caufa perfonarum extranearum. 110

Si primum, Irregularitatem effugit, modò proteftetur, fe pœnam fanguinis non intendere, fed fatisfactionem. Covar. *in Clem. fi furiofus p.* 2. §. 5. *nu.* 1. *verf. undecimo*, Navar. *Man. c.* 27. *n.* 228. Avil. *p.* 7. *D.* 5. *fect.* 2. *dub.* 9. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 5. *verf. funt tamen*, Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 2. *n.* 2. *&* 6. Fagn. *in c. de cætero* 11. *n.* 18. Gonzal. *ibid. n.* 10. Vivian. *in c.* 21. *in Ration.* Vvagnereck *ibid. not.* 1. *&* 3. Barbof. *in c.* 2. *eod. in* 6. *n.* 1. Pafferin. *ibid. n.* 2. Honor. *hic nu.* 17. Pirhing *n.* 102. Vvieftner *n.* 18. Reiffenftuel *nu.* 78. Magnif. P. Schmier *de Poteft. Ordin. cap.* 6. *n.* 359. *&c.* 111

Proceditque hoc 1. etiamfi non folum verifimiliter, fed moraliter certum fit, Judicem pœnam mortis, vel mutilationis reo illaturum, modò tamen Actor non inducat Judicem ad iniquam fententiam ferendam, quod fieret, fi proponeret quidem verum delictum, fed quia erat occultum, & probari non poterat, induceret falfos teftes, & per eos convinceret reum; nam tali cafu non effet extra culpam, & fic fecuta rei morte, aut mutilatione; incurreret Irregularitatem ex delicto: idque fumitur ex *c. Prælatus* 2. *h. tit. in* 6. ibi *Juftitia exigente*, nempe, ut non folum actor petat rem juftam, fed etiam per juftas, & legitimas probationes. Suar. *fect.* 2. *cit. n.* 8. Pirhing *n.* 105. *not.* 4. 112

Procedit 2. ut poffit Clericus cum dicta proteftatione civiliter agere, etiamfi aliud remedium adfit ad recuperandum damnum; quia textus *c. Prælatis cit.* generaliter loquitur, & non folùm concedit ipfi poteftatem agendi propter fatisfactionem damni illati, fed etiam, ne in futurum tale damnum inferatur, ut patet ex illis verbis, *Et provideri, ne contra eos talia de cætero præfumantur*: id quod moraliter præcaveri non poterat, nifi per Judicem, vel Superiorem. Suar. *numer.* 7. Zoef. *num.* 50. Engl *numer.* 62. Pirhing *not.* 5. Schambog. *numer.* 75. 113

Procedit 3. ut hujufmodi Actor Clericus Irregularis 114
etiam

etiam non fiat ob mortem reo per Judicem illatam, etiamsi ipsemet reum capiat, detineat, Judici tradat ad puniendum, vel eidem indicet, ubi lateat, ut capi possit, si id faciat ad resarciendum damnum illatum, ut colligitur ex *c. tua nos* 19. §. *ad ultimum h. tit.* & notant Govar. §. 5. *cit. nu.* 3. *fin.* Laym. *c.* 7. *n.* 5. Vivian. *in c.* 19. *&* §. *cit. pr.* Gonzal. *ibid. n.* 1. Barbos. *in c.* 2. *h. tit. in* 6. *n.* 4. Zoes. *n.* 52. Pirhing *nu.* 106. *not.* 7. Schambog. *num.* 75. Reiffenstuel *n.* 79. Ratio est, quia cùm accusatio hoc casu sit licita ad resarciendum damnum, conf. etiam licita erunt media, quæ ad hunc finem tendunt.

5 *Si secundum* contingat, & civiliter agat aliquis in causa personarum extranearum, altera distinctio est adhibenda, & videndum, an qui apud Judicem Sæcularem pro persona extranea ita agit, vel delictum denuntiat, persequatur injuriam, & damnum huic jam illatum; an verò agat de injuria huic inferenda, vel de crimine in futurum pendente. *Si prius*, Irregularis efficitur, qui ita agit, vel denuntiat, pœna mortis vel mutilationis secuta, quamvis protestetur, se criminalem vindictam non intendere, ut cum communi notat Felin. *in c. postulasti* 21. *h. tit.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 213. Covar. §. 5. *cit. n.* 4. Suar. *sect.* 2. *n.* 17. Palao §. 2. *n.* 7. Pirh. *num.* 109. Schambog. *n.* 77. & colligitur per Argumentum a sensu contrario ex *c. Prælatis* 2. *h. tit. in* 6. ubi favor vitandi Irregularitatem conceditur iis duntaxat, qui *de Laicis* NB. *suis malefactoribus querelam apud Judicem Sæcularem deponentes, petunt emendam sibi fieri*. igitur eo favore non gaudent, qui querelam deponunt pro alienis, & pro istorum satisfactione.

5 *Si posterius*, & damnum imminens alia ratione impediri non potest, quam per denuntiationem, vel accusationem factam coram Judice, sine Irregularitatis metu etiam Clericus potest non tantum ad proprium, sed etiam ad alienum malum, sive damnum Reip. aut etiam privatæ personæ extraneæ imminens, cavendum, vel avertendum denuntiare, vel accusare, ut docet Covar. §. 5. *cit. n.* 4. *not.* 11. Molin. *tr.* 3. *de Just. D.* 8. *n.* 9. Suar. *sect.* 2. *n.* 11. Laym. *c.* 7. *n.* 6. *pr.* Palao *ff.* 2. *n.* 8. Barb. *in c.* 21. *h. tit. n.* 5. & *in c.* 2. *eod. in* 6. *n.* 4. Passerin. *ibid. n.* 8. Zoes. *hic n.* 55. Pirhing *n.* 109. Schambog. *n.* 78. Reiffenstuel *n.* 86. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. c.* 6. *n.* 363. idque sumitur ex *c. accusasti* 8. ibi, *Nisi pro pace hoc feceris &c.* Ratio est, quia SS. Canones non imponunt Irregularitatis notam propter opus, ad quod aliquis ex lege naturali, vel præcepto Divino Charitatis, vel alterius Virtutis obligatur: cujusmodi opus Charitatis est accusare, vel denuntiare malefactorem, si ita necessarium sit ad defendendam Remp. vel alium innocentem, aut avertendum grave istorum damnum. Et hinc tali casu nec requiritur, ut præcedat protestatio; quia hæc solum necessaria est, quando sine illa incurreretur Irregularitas. atqui nullo Jure statutum est, quòd ad evitandam Irregularitatem hoc casu necessaria sit protestatio; nam opus hoc absolutè, & secundum se ab Irregularitate exemptum est. ergo &c.

Dub. 11. qualis debeat fieri protestatio, ut agens civiliter ex delicto in causa propria, vel conjunctorum non incurrat Irregularitatem? Resp. debet esse protestatio expressa; nec enim sufficit tacita, ut patet ex *cap. Prælatis* 2. *h. tit. in* 6. ibi, *protestando expressè*, & notat Gloss. *ibid. V. eod.* Diaz. *pract. crim. c.* 102. *nu.* 2. Barbos. *in c.* 2. *cit. n.* 7. Vvagnereck *in c.* 21. *not.* 1. Pirhing *n.* 104. Schambog. *n.* 73. Mag. P. Schmier *de Potest. Ordin. c.* 6. *n.* 366. Sufficit autem, si interponatur ante prolationem sententiæ. Pirhing *l. cit. nu.* 2. Schambog *n.* 73. Vviestner *n.* 19. Reiffenstuel *n.* 83. Eo usque si omittatur, accusator, etsi interius habeat voluntatem, ut non occidatur reus, erit Irregularis; quia Canones externam protestationem requirunt, & voluntas, mente retenta, nihil exterius operari potest; adeoque nec excusare ab Irregularitate actum externum directè contrarium interno: idque procedit etiam in foro conscientiæ. Pirhing *n.* 104. *not.* 3. *fin.*

Controversia moveri potest, an sufficiat protestatio ficta, sive expressa quidem verbis, sed cum interno desiderio supplicii sanguinis? Negant sufficere Sylv. *V. Homicidium* 2. *q.* 8. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 226. Majol. *l.* 5. *de Irregul. c.* 48. §. 6. *n.* 4. Tolet. *l.* 1. *Summ. c.* 82. *n.* 5. Gonzal. *in c.* 11. *h. tit. n.* 10. Zoes. *hic n.* 49. ex ratione, quod talis protestatio mendax, nec ea sit, quam requirunt SS. Canones; conf. ad Irregularitatis evitationem non possit sufficere.

Sed dicendum, tali protestatione Irregularitatem excludi. Ita Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 5. *nu.* 2. *vers. sextò*, Henriq. *l.* 14. *c.* 11. *circa fin.* Suar. *D.* 47. *de Censur. sect.* 2. *num.* 3. Avil. *p.* 7. *D.* 5. *sect.* 2. *dub.* 9. *concl.* 3. Bonac. *D.* 7. *q.* 4. *p.* 2. *n.* 11. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *fin.* Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 2. *n.* 2. Barbos. *in cap.* 2. *h. tit. in* 6. *n.* 9. Passerin. *ibid. num.* 18. Pirhing. *hic n.* 104. *not.* 3. Vviestner *n.* 23. Reiffenst. *n.* 81. Magnif. P. Schmier *c.* 6. *cit. n.* 367. Ratio est, quia Ecclesia tantùm secundùm externa judicat; indèque apud Judicem, qui interna non potest perspicere, protestatio ficta eadem vi pollet, qua protestatio vera; igitur sicut ista ab Irregularitate liberat, ita etiam illa. 119

Conf. quia Irregularitas communiter, & extra casus Jure expressos non imponitur actui; sive intentioni merè internæ: atqui si in casu præsentis controversiæ incurreretur, intentionem merè internam plecteret; nam actus externus, cùm fictionem, ut dictum est, advertere Judex non possit, ipsum potiùs à pœna sanguinis inferenda avertit, quàm allicit: conf. protestans ita non potest dici cooperari ad pænam sanguinis. 120

Dub. 12. utrum Irregularitatem incurrat Laicus aspirans ad Clericatum, & in foro Sæculari deponens contra reum? Resp. distinguendo: nam si id faciat omnino voluntariè, pro irregulari habendus est, non minùs ac Clericus. Ita Clar. *ff. fin. q.* 24. *nu.* 8. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 5. *n.* 5. *fin.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 212. Henriq. *l.* 14. *c.* 12. *n.* 9. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 74. *nu.* 10. Suar. *D.* 47. *de Censur. sect.* 3. *fin.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 5. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 3. *num.* 2. Pirh. *hic n.* 111. Schambog. *n.* 79. Reiffenstuel *n.* 105. estque recepta DD. sententia. *Ratio est*, quia testis deponendo de crimine movet Judicem ad ferendam Sententiam mortis, adeoque est causa moraliter influens in Homicidium: imò nemo est, qui ita cooperetur in Judicio sanguinis, quàm testis, per quem elicitur veritas criminis, & super hujus attestatione firmatur Sententia Judicis. Neque ab Irregularitate excusatur ob factam protestationem; non enim idcirco desinit testimonio suo influere in sententiam mortis, quæ ex allegatis, & probatis per testes fertur. *Laym. Palao Pirhing. Scamb. l. cit.* 121

Si verò testis, Judicis præcepto compulsus deponat, benignior, & verior est Sententia, ab eo Irregularitatem non incurri, etsi ejus depositione mortis, aut mutilationis promoveatur Sententia, ut dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 21. *n.* 20. Et in hoc differt testis Laicus à Clerico; nam Clericus à nullo Judice cogi potest ad testificandum in causa sanguinis, cùm cogi nequeat ad sibi illicitum, & graviter damnosum. Intellige, ut deponat contra reum; pro isto enim deponere Clericus, etiam non coactus, potest, nec propterea ullam pœnam incurrit, cum hoc illi nullo sit Jure prohibitum. Pirhing *num.* 111. *fin.* 122

Quòdsi civiliter agatur de crimine ab eo, qui sine Irregularitatis timore querelam movere potest, Irregularitatem non incurret testis in ea causa deponens, etiam non coactus, licèt per accidens sequatur condemnatio ad pœnam mortis, vel mutilationis, ut aliis *citatt.* notat Palao §. 2. *cit. num.* 4. & rationem dat, quia eo ipso, quòd in eo casu concessum actori sit, ut possit querelam, protestatione facta, sine Irregularitatis metu proponere, censetur ei etiam concessa potestas producendi testes, cum depositio istorum sit necessaria, ut in causa obtineat. atqui testes, si Irregularitatem deberent timere, detinerentur à testificando; igitur conveniens erat, testes sic productos ab Irregularitate liberari. 123

Dub. 13. an Irregularitatem incurrant Spectatores suppliciorum? Affirmant DD. aliqui, saltem si Clerici sint: quod desumunt ex *capitul. sententiam* 9. *ne Cler. vel Monach.* quo textu sanguinis judicio interesse prohibentur. 124

Sed communis Sententia DD. est, non incurrere, modò assistant sine ulla cooperatione, nec sua præsentia authoritatem præstent executioni supplicii. Ita nominatim tenent Gloss. *fin. in c. cit.* Abb. *ibid. nu.* 6. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 214. Suar. *D.* 47. *de Censur. sect.* 4. *num.* 10. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 4. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 11. *h. tit. n.* 10. Zoes. *hic n.* 57.

n. 57. *&* 61. Pirhing *n.* 113. Schambog. *n.* 12. Vvieſt. *n.* 35. Reiffenſtuel *n.* 112. Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. c.* 6. *n.* 372.

125 Idque verum eſt non tantum de Clericis, & Religioſis, qui reo, morte afficiendo, aſſiſtunt, modo caveant, ne aliquid faciant, vel loquantur, quo ſupplicium notabiliter accelerare, vel quovis modo juvare videantur: ſed etiam de iis, qui ſpectant ex curioſitate. *Ratio eſt*, quia Irregularitas ſolum ſtatuitur iis, qui ad ſententiam, vel hujus executionem concurrunt; non ita concurrunt ii, qui ſupplicii ſpectatores ſunt.

126 Textum in contrarium allegatum Gonzal. *ibid. n.* 1. interpretatur de præſentia authoritativa, & eorum, qui executioni ſententiæ aliquo modo cooperantur. Vel ſi contendas, eum loqui de qualicunque præſentia, non abnuo, id Clericis eſſe prohibitum: tranſgreſſio tamen prohibitionis, ſecluſo gravi ſcandalo, peccatum veniale non excedet, ut Suar. *ſect.* 4. *fin.* Palao *n.* 2. *cit.* & alii *ſupra* allegati docent: imò ſi Clericus ſupplicium ſpectet ex loco diſtante, aut è domo paulò remotiore, præſertim feneſtris non apertis, & taliter, ut a populo notari nequeat, neque venialiter peccabit. Addit Palao *l. cit.* præceptum iſtud alicubi conſuetudine abrogatum videri.

127 Quæritur 3. quodnam ſit Bellum juſtum, ſeu licitum, & quotuplex illud ſit? Reſp. eſt, quod geritur propulſandorum hoſtium cauſa *can. juſtum* 1. *cauſ.* 23. *q.* 2. Duplex illud eſt, Defenſivum ſcilicet, & Offenſivum. *Defenſivum* eſt, quo vis, aut injuria vi repellitur; *Offenſivum*, ſeu *Aggreſſivum*, quod publica Principis, vel alterius Supremi Magiſtratus authoritate ad vindicandam illatam injuriam, rerum ablatarum recuperationem, aut damnorum compenſationem, adeoque Reip. cauſa ſuſcipitur *can. noli* 3. *cauſ. cit. q.* 1. & dictum eſt *Lib.* 1. *Tit.* 34. *a n.* 1. ubi plura de Belli utriuſque licentia, conditionibus, cauſis, item quænam in Bello juſtè ſuſcepto liceant &c.

128 Dub. 1. an in Bello juſto pugnantes incurrant Irregularitatem? Reſp. diſtinguendo inter Bellum defenſivum, & Offenſivum. Qui pugnant in *Bello juſto Defenſivo*, & neceſſario ſuſcepto ad patriæ, vel Eccleſiæ defenſionem, nullam incurrunt Irregularitatem, ut colligitur ex *cap. pervenit* 2. *de Immunit. Eccleſ.* & notant Suar. *D.* 47. *de Cenſur. ſect.* 6. *n.* 1. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 110. *concl.* 2. Coninck *D.* 18. *dub.* 10. *n.* 96. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *n.* 2. *in coroll.* Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. *n.* 5. Gonzal. *in c.* 24. *h. tit. n.* 2. Zoeſ. *numer.* 62. *hic*, Engl *n.* 59. Pirhing *nu.* 115. Schambog. *n.* 85. Vvieſtner *n.* 43. Reiffenſt. *num.* 113. *&* 124. Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. c.* 6. *n.* 418. *Ratio eſt*, quia defenſio Eccleſiæ, & patriæ non minus, imò magis favorabilis eſt, quam defenſio vitæ propriæ, aut alterius perſonæ privatæ *l. utilitas* 3. *C. de Primipil.* igitur ſi Irregularitati obnoxia non eſt defenſio vitæ propriæ, aut aliorum, eidem etiam obnoxia non erit defenſio Eccleſiæ, & patriæ.

129 *Proceditque* hoc etiam in Clericis, ſi ad hoſtem propulſandum non ſufficiant Laici: ſecus, ſi iſti ſufficiant; tunc enim occidendo, vel mutilando contrahunt Irregularitatem, ut colligitur ex *c. petitio* 24. *h. tit.* & notant Laym. *l. cit.* Barboſ. *in c. cit. n.* 2. Gonzal. *ibid. num.* 7. Pirhing *hic n.* 115. *&* 116. Schambog. *n.* 85. Vvieſtner *n.* 44. Schmier *n.* 423. *&* 424. Imò Engl *hic n.* 58. univerſaliter, & indiſtinctè de cunctis, etiam Laicis, docere videtur, quod omnes, qui in aliquo bello, quocunque tandem modo juſto, etiam ad defendendam Eccleſiam, vel patriam ſuſcepto, non neceſſario, nec coactè, ſed liberè pugnantes aliquem occidunt, vel mutilant, Irregulares evadant *arg. Clem. un. h. tit.* ubi illi duntaxat occidentes, vel mutilantes ab Irregularitate excuſantur, qui mortem aliter evitare non valentes id faciunt, quod non verificatur in iis, qui, dum alii milites ſufficientes adſunt, ad Patriam, vel Eccleſiam defendendam, liberè, ac ſponte, gratis, vel ſtipendio pugnant, aut nomen militiæ dant, ſicque occidunt, vel mutilant. Idque confirmari poteſt a pari cum publicis Miniſtris Juſtitiæ, utpote qui, licèt pro bono patriæ publico conſervando malefactores occidant, tamen Irregulares fiunt ex eo, quòd hujuſmodi officium aſſumpſerint liberè. P. Schmier *l. cit. n.* 426.

130 Plures tamen DD. cum P. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 9. *n.* 2. *in Corollar.* diſtinguunt inter Laicos, & Clericos: & illos quidem, etſi libere pugnent in bello defenſivo juſto pro Eccleſiæ, aut Patriæ defenſione, ab Irregularitate excuſant: non item Clericos, & Religioſos; quia hos abſque neceſſitate propria manu pugnare non convenit. *Excipit* Vincentius Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 171. *n.* 6. Equites Melitenſes, & alios hujuſmodi Milites Eccleſiaſticos; nam hi poſſunt in Bello Defenſivo principaliter ſe exercere, præſertim pro defenſione patriæ ditionis, ut glorioſè fuit pluries factum Melitæ: & ratio eſt, quia primario ſunt conſtituti ad militiam, & ſic quoad ipſos non procedit ratio prohibitiva, quæ eſt in Clericis. Secus eſt in bello offenſivo; nam ſi in hoc aliquem Infidelium necaverint, etiam ipſi Irregulares fiunt. Petra *l. cit. n.* 22. Matthæucc. *Offic. Eccl. c.* 35. *numer.* 34.

Dub. 2. utrum Irregulares fiant, qui pugnant in bello juſto offenſivo? Reſp. ſi propriis manibus occidant, vel mutilant, Irregulares fiunt; ſecus, Irregularitatem nullam incurrunt *can. aliquantos* 1. *diſt.* 51. & *c. petitio* 24. *h. tit.* Abb. *ibid. n.* 1. Sylv. *V. Homicidium* 3. *q.* 6. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 215. Suar. *D.* 47. *de Cenſur. ſect.* 6. *n.* 6. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 8. *num.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 6 *p.* 14. §. 5. *n.* 4. Barboſ. *in c. petitio cit. nu.* 2. Gonzal. *ibid. n.* 5. Zoeſ. *hic n.* 62. Engl *n.* 58. Pirhing. *num.* 117. Schambog *n.* 86. Vvieſtner *n.* 45. Reiffenſtuel *nu.* 125. eſtque teſte Palao *l. cit.* omnium ſententia. Oritur Irregularitas hæc ex defectu perfectæ lenitatis, a qua Juſtitia cauſæ non excuſat, ſi cædes actu ſecuta ſit. Et extenditur, etiamſi ita pugnantes in Bello juſto offenſivo, ex poſt facto in periculo vitæ conſtituti, occiderint, vel mutilaverint; quia *Clem. un. h. tit.* tantum illos excipit, qui mortem evitare non valentes, occidunt. tales autem potuiſſent evitare non dando nomen militiæ: unde liberè cenſentur ſe periculo Homicidii expoſuiſſe, atque ideo perfecta lenitate carere. Engl *n.* 58. *cit.* Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. c.* 6. *n.* 416. 131

Addidi, *non fieri Irregulares, ſi propriis manibus non occidant, aut mutilent.* Et hoc verum eſt, quamvis alii occidant, aut mutilent. Covar. *in Clem. ſi furioſus p.* 2. *ſ.* 3. *n.* 2. Molin. *tr.* 2. *D.* 110. *concl.* 2. Suar. *ſect.* 6. *n.* 4. Laym. *c.* 8. *n.* 2. Palao §. 5. *n.* 2. Pirhing *n.* 117. Reiffenſtuel *n.* 118. & conſtat ex *cap. præſentium* 3. *de Cleric. percuſſ.* & *c. petitio cit.* ubi præcipitur ſolum, ut abſtineat ab Altaris miniſterio is, qui in publico conflictu aliquem occidit, vel de hoc conſcientiam habet. *Neque obſtat*, quod in caſu iſtius textus fuerit bellum defenſivum; nam quamvis tale fuerit initio, quia hoſtes infideles cœperunt invadere Caſtrum Chriſtianorum, tamen poſtea tranſiit in bellum offenſivum ex parte Chriſtianorum, quòd hi exeuntes è Caſtro hoſtes infideles aggreſſi, & perſecuti ſint. 132

Minus obſtat, quod quando plures ſimul concurrunt ac occidendum in bello injuſto, ut *infra an.* 174. dicetur, omnes fiant Irregulares; quia cenſentur omnes eſſe una cauſa moralis. Nam 1. ut aliqui reſpondent apud Avil. *p.* 7. *D.* 6. *ſect.* 3. *n.* 2. *Reſp. ad* 1. pugnantes in bello juſto ideo non fiunt Irregulares, qui licèt ſint una velut cauſa moralis, dant tamen operam rei licitæ, quod non eſt in iis, qui pugnant in bello injuſto. 2. Ita pugnante in bello juſto non cenſentur, niſi remotè, & per accidens cooperari ad cædes ab aliis factas, ideoque cum ſimul culpam nullam committant, id eis ad Irregularitatem non imputatur. 3. Specialis cauſa fuit, cur Jus Canonicum Irregulares pronuntiare noluerit pugnantes in bello juſto; quia alias nimis multi fierent inhabiles ad Ordines, & ſic retraherentur a bellis juſtis. 133

Dub. 3. quid dicendum de Clerico pugnante in bello juſto offenſivo? Reſp. neque iſte ſit Irregularis, niſi propria manu occiderit, vel mutilaverit, ut ex communi docet Abb. *in c. petitio* 25. *h. tit.* & *in c. fin. de Cleric. percuſſ.* Innoc. *ibid. pr.* Palao *p.* 14. §. 5. *nu.* 2. Pirh. *hic n.* 116. *coroll.* 2. Reiffenſtuel *ibid. num.* 117. & clarè deducitur ex *c. petitio cit. Proceditque* hoc, etſi ejuſmodi Clericus in tali bello aliquem vulneraverit, etiam cum ſanguinis effuſione, ſed citra cædem, aut mutilationem hominis; quia Irregularitas non incurritur, niſi in caſibus Jure expreſſis. at in Jure ſolum expreſſa eſt Irregularitas ob cædem, & mutilationem, non verò ob vulnerationem hominis. ergo &c. 134

Neque

1 *Neque obstat*, quod pugna propria manu in bello offensivo interdicta sit Clericis *can. Clerici* 5. *caus.* 23. *q.* 8. *c. ex multa* 9 *de Vot.* & *c. multa* 1. *Ne Cleric. vel Monach.* quia ex hoc tantum sequitur, quòd ita pugnantes Clerici peccent, nisi gravis necessitas ad id cogat, non verò, quod Irregulares fiant; *Non obstat* 2. textus *cap. quod in dubiis* 5. *de pœnis*, ubi de Sacerdotibus gubernantibus navim ad pugnam, seu exercentibus conflictum, vel alios ad pugnam excitantibus affirmatur grave peccatum eos committere, & esse deponendos; quia prædictus textus, ut ait *ibidem* Gloss, loquitur solum de bello injusto, & ibi non Irregularitas, sed Suspensio, vel Depositio, non ipso Jure, sed post sententiam incurrenda fertur; *Non obstat denique* 3. *cap. sicut* 6. §. *fin. hoc tit.* nam etiam *hoc cap.* loquitur de bello injusto, in quo Clerici Irregulares fiunt, etiamsi solùm consilium præstent, vel armati assistant, si exinde ab aliis plures, vel etiam unus tantùm sint occisi, aut mutilati, ut colligitur per argumentum à sensu contrario *can. quantum* 48. & *seqq. dist.* 50. Innoc. *in cap. petitio* 24. Abb. *ibid. fin.* Pirhing. *coroll.* 2. *fin.*

13 *Excipitur* à doctrina ista casus, quando Clericus militiæ nomen dedit, & armatus in bello servivit, stipendium accepit, & expeditionibus militaribus se associavit, talis enim indiget dispensatione ab Irregularitate incursa, licèt moraliter certus sit, se neminem mutilasse, læsisse, aut occidisse, ut decrevit *S. Congr. Conc. in Iprensi* 13. *Jan.* 1703. & ipso Jure amittit Beneficium, etiamsi sit Jurispatronatus, ex Decreto ejusdem *S. Congr. in Firman.* 13. *Jan.* 1618. Si accusetur, vel inquiratur in ipsum de Homicidio extra bellum justum commissio, & fuit absolutus, interest, an fuerit absolutus tantùm, quia contra ipsum nihil probari potuit, an verò quia repertus est innocens. *Si primum*, & nihilominus de delicto fama remaneat, non debet promoveri; quia remanet infamia facti; *C. Congr. Concil. in Navariens.* 1. *Oct.* 1661. *Si secundum*, absolutione non indiget, prout decrevit eadem *Congr.* 8. *Jul.* 1684. Monacell. *part.* 2. *tit.* 13. *form.* 3. *numer.* 37. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 37. *numer.* 38.

3 Dub. 4. quinam in bello injusto incurrant Irregularitatem; Resp. in hoc incurrunt Irregularitatem omnes, qui in eo militantibus cooperantur, vel qualecunque auxilium ferunt sive arma præbendo, sive ipsos adhortando ad pugnam, vel sarcinas militum custodiendo, vel alio quovis modo adjuvando, etiamsi ipsi propriis manibus neminem occidant, aut mutilent, secuta unius etiam ex hostibus, qui tali bello impugnantur, cæde, vel mutilatione; Abb. *in cap. sicut* 6. *nu.* 10. Sylv. *V. Homicidium* 3. *num.* 8. *quæst.* 6. *dict.* 1. Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 218. & 224. Covar. *in Clem. si furiosus part.* 2. §. 3. *num.* 2. *fin.* Suar. *D.* 47. *de Censur. sect.* 5. *numer.* 1. Avil. *part.* 7. *D.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 8. *numer.* 2. *concl.* 3. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 14. §. 5. *n.* 1. *fin.* Barbos. *in cap.* 24. *hoc tit. numer.* 36. Vinc. Petra *tom.* 2. *fol.* 172. *num.* 13. & 18. Matthæuc. *Offic. Eccl. cap.* 35. *num.* 36. Zoes. *hic num.* 65. Engl *num.* 57. Pirhing. *num.* 116. *coroll.* 2. Schambog. *num.* 83. Vviest. *n.* 46. Reiffenstuel *n.* 114. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *n.* 411.

38 Sumitur ex *can. siquis* 4. *dist.* 51. *c. sic* 6. §. *fin. hoc tit.* & *cap. quod in dubiis* 5. junct. Gloss. *V. incitant. de Pœn.* Ratio est, quia quando plures communi consilio, aut auxilio concurrunt ad injustum Homicidium, vel aliud Delictum, censentur veluti una causa moralis. quæ tamen Irregularitas non ex defecto perfectæ lenitatis, sed ex Homicidio injusto contrahitur; *Excipitur* illi, qui in bello injusto assistunt solum ad pacem componendam, vel ad milites in spiritualibus adjuvandos. Fagn. *in cap. petitio* 24. *hoc tit. num.* 13. Pirhing *numer.* 19. *cit.* Schambog. *num.* 113. Reiffenstuel *numer.* 116.

13 Addidi, *secuta unius etiam ex hostibus cæde, vel mutilatione*; nam si nulla in tali bello fiat occisio hominis, vel mutilatio, certum est, Laicos saltem non contrahere Irregularitatem; quia ad hanc intentio occidendi, vel mutilandi; sine actu externo non sufficit, ut dictum st *n.* 12. *supra.*

4 *Majus dubium* est de Clericis propter duplicem textum. 1. *can. Clerici* 5. *caus.* 23. *quæst.* 8. ubi dicitur, Clerici, qui in quacunque seditione (aliàs factione) arma volentes sumpserint, reperti, amissio Ordinis sui gradu, in Monasterium pœnitentiæ tradantur. 2. *can. sententiam* 9. *Ne Clericus vel Monachi* ubi prohibetur, ne Clericus sit Dux etiam in bello justo.

Sed dicendum, etiam Clericos, in bello injusto assistentes, Irregulares non esse, nisi saltem per alios Homicidium, vel mutilatio fiat. Zoes. *hic num.* 66. Pirhing *n.* 114. *vers. de Clericis*, Schamb. *n.* 84. Sumitur ex *can. si quis cit.* ubi sermo est non solùm de Clericis, sed de omnibus militantibus sive in bello justo, sive injusto, & statuitur illos Irregulares esse, si (ut *Loaysa* apud Suar. *D.* 47. *de Censur. sect.* 5. *num.* 6. *in fin.* legit) *sæva præcepta sint executi*, adeoque si secutum sit Homicidium, vel mutilatio hominis. 141

Neque obstant textus in contrarium allegati. *Ad* 1. pœna ibi imposita non est propriè dicta Irregularitas, sed suspensio, non ipso Jure lata, sed à Judice imponenda, ut colligitur ex verbo *Tradantur*, qui per sententiam suspendere debet Clericum seditiosum ab executione Ordinis, ob grave scandalum datum, dum arma sumpsit in publica seditione, etsi nullum Homicidium sit secutum. *Ad* 2. inde non magis sequitur, Clericum militantem in bello irregularem esse, sive illud justum sit, sive injustum: imò ibi de Irregularitate ob transgressionem illius Legis nulla fit mentio, sed simplex ponitur prohibitio. 142

Dub. 5. an Irregularitatem contrahant, qui in bello justo offensivo ad fortiter pugnandum animant milites? Affirmant nonnulli ob *cap. sicut* 6. §. *fin. hoc tit.* ubi pro Irregulari habetur, qui consilio est cooperatus ad cædem. 143

Sed tenenda est sententia negativa, quam etiam defendunt Abb. *in cap. fin. de Cler. percuss. num.* 1. Covar. *in Clem. si furiosus part.* 2. §. 3. *num.* 2. Suar. *D.* 47. *de Censur. sect.* 6. *num.* 8. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 110. *concl.* 2. Layman. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 8. *n.* 2. *concl.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. §. 4. *num.* 2. Vivian. *cap. petitio* 24. *pr.* Fagnan. *ibidem num.* 2. Barbosa *n.* 2. Gonzal. *num.* 4. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 35. *n.* 35. Correa *Idea Consil. D.* 8. *num.* 2334. Zoes. *hic n.* 63. Honor. *n.* 14. Engl *n.* 60. Pirhing *n.* 118. *coroll.* 2. Konig *num.* 30. Schambog. *nu.* 89. Vviestner *n.* 47. & communiter cæteri.

Proceditque hoc non tantùm de Duce ita exhortante suos milites, sed etiam si Clericus istud faciat; nec refert, sive talis exhortatio fiat ante, vel in ipso actuali conflictu, ut *loc. cit.* cum aliis ex recepta sententia notat *Suarez*, modò non incitet ad hunc, vel illum in particulari occidendum. *Ratio est*, quia ita exhortans non provocat directè ad cædes, sed ad fortiter pugnandum, quod licitum, & justum est; adeoque non nisi remotè, & per accidens concurrit ad Homicidium. Accedit, quia ex nullo Juris textu constat, Irregularitatem tali casu incurri. 144

Ad textum in contrarium allegatum patet, ibi sermonem duntaxat esse de bello injusto.

§. III.

De Homicidio Voluntario Injusto.

SUMMARIUM.

170 *&c. An Consulentem ab Irregularitate excuset, si revocavit consilium?*
174 *&c. Quid de cooperantibus ad cædem injustam?*
181 *&c. Quid Juris, quando dubitatur, an vulnus lethale fuerit?*
185 *&c. An Irregularis fiat, qui debilitat membrum, & reddit inutile?*
187 *&c. Vel qui tale membrum abscindit?*
189 *&c. Aut notabiliter alterum deformat vulnerando?*
191 *&c. An Irregularitas mutilationis sit distincta ab Irregularitate Homicidii?*
193 *&c. Quæ sit pœna Homicidii præmeditati?*
200 *&c. Facti per insidias?*
202 *&c. Proditorii?*
204 *&c. Assassinii?*

145 Dictum est *supra n. 6.* Homicidium Voluntarium injustum aliud esse Simplex, aliud Deliberatum, seu Præmeditatum; quod ut *n. seq.* diversimode fieri potest, scilicet per insidias, proditionem, Assassinium &c. de horum pœnis hic agendum est.

146 Quæritur 1. quæ sit pœna Homicidii voluntarii injusti simplicis; Resp. Jure Divino pronuntiatur in reos illius pœna mortis; *Gen. 9. v. 6. Levit. 24. v. 17. Matth. 26. vers. 52. Apoc. 13. v. 10.* Quod Jus imitatæ Leges in Homicidas capitis pœnam sanxerunt, cum discrimine tamen; nam nobiliorum vitæ voluerunt parci, & eis loco pœnæ capitis decreverunt Deportationem in Insulam, prout constat ex *l. ejusdem 3. §. Leges 5. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Verùm hoc discrimen successu temporis sublatum, & Homicidæ indistinctè, & sine respectu personarum ultimo supplicio coerceri cœperunt *§. item 5. Inst. de Publ. Judic. & l. quoniam 6. C. ad Leg. Jur. de vi publ.* quas Constitutiones confirmavit Carolus V. *Const. crim. art. 137. pr.* ubi omnes Homicidæ pœna mortis indistinctè puniuntur. Porro pœna hæc mortis, si Homicidium factum in rixa sit, inferri passim gladio solet. Clar. *V. Homicidium n. 28.* Haun. *tom. 6. tract. 2. numer. 267.* Vallens. *hic numer. 8.* Engl *numer. 24.* Pirhing *n. 6.* Konig *num. 27.* Schambog. *num. 8.* Vviest. *numer. 49.* Reiffenstuel *num. 17.*

147 Jure Ecclesiastico 1. Homicida, si Laicus sit, excommunicatur per sententiam *can. itaque 20. caus. 24. quæst. 3.* si Clericus, ab Ordine, & Officio est deponendus *can. Presbyter 12. dist. 81. & cap. cum non ab homine 10. de Judic.* & juxta *can. si Episcopus 7. dist. 50. c. tua 6. de Pœn. & cap. sicut 6. §. fin. hoc tit.* in arctum Monasterium detrudendus; cujus tamen loco hodie successit condemnatio ad carceres, vel triremes, ut notat Farin. *prax. crim. quæst. 119. num. 49.* Vallens. *hic n. 8.* Honor. *n. 9.* Engl *nu. 23.* Pirhing *num. 7.* Konig *num. 29.* Schambog. *n. 8. & seqq.* Reiffenstuel *n. 21.* nisi crimen sit iteratum, & Homicida Clericus incorrigibilis; nunc enim degradatus, tradendus est Curiæ Sæculari *cap. cum non ab homine cit.*

148 2 Inhabilis fit ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda; Trid. *sess. 14. c. 7. de Reform.* ante obtentis autem per sententiam est privandus. Diaz *pract. Can. cap. 98. numer. 2. & V. ipso Jure lit. A.* Clar. *§. Homicidium numer. 21.* Covar. *Clem. si furiosus part. 2. §. 3. n. 6. fin.* Suar. *D. 44. de Censur. sect. 4. n. 33.* Garc. *p. 11. de Benef. c. 10. n. 39.* Farin. *q. 119. cit. n. 64.* Vallens. *hic n. 8.* Zoes. *n. 91.* Honor. *n. 10. & 11.* Pirhing *n. 10.* Engl *n. 23.* Vviestner *n. 42.* Reiffenstuel *n. 23. & 24.* Ratio est, quia nullum crimen infert privationem Beneficii ipso Jure, nisi id Jure exprimatur. Imo nec collatio novi Beneficii, Homicidæ Clerico facta, est ipso Jure irrita, sed solùm prohibita, ut patet ex Trid. *l. cit.* ibi, *Nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat.* Suar. *l. cit. n. 34.*

149 3 Contrahit Irregularitatem, ut quantumvis Homicidium sit occultum, etiam post peractam pœnitentiam Ordines suscipere, & in susceptis ministrare sine Dispensatione nequeat *can. minor 4. & seqq. dist. 50. can. inquisitionis 21. & ibi* Gloss. *V. si Homicidium de Accusat. c. sicut 6. hoc. tit. & ibi* Gloss. *V. consilium hoc tit.* & aliis pluribus textibus, notanque Engl *n. 23.* Pirh. *n. 10. fin.* Schamb. *n. 11.* Konig *n. 29.* Vviest. *n. 53.* Reiffenst. *n. 20. & 22.*

Dub. 1. quis Irregularitatem istam incurrat? Resp. incurrit eam 1. qui per actum graviter peccaminosum occidit, etsi Homicidium nec præmeditatum, nec alio modo qualificatum sit; sufficit enim mortaliter peccasse occidendo. Neque refert, an qui occiditur, editus jam in lucem sit, vel non quia etiam, qui procurat abortum fœtus animati, Irregularitatem incurrit *c. si aliquis 5. & c. sicut 20. hoc tit.* 15

2 Qui dat causam propinquam efficacem mortis, licèt ea post longum tempus sequatur, ut si quis præbeat venenum, quod post multos menses primùm operatur, & interimit, quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur *c. fin. de injur. & l. qui occidit 30. §. in hac 3. & ibi* Gottofred. *Lit. F. ff. ad Leg. Aquil. & nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat*, ut monet Ulpianus *l. nihil 15. ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Pirh. *hic n. 22.* Debet autem causa ista esse propinqua; nam qui causam dat solàm remotam homicidio, non fit Irregularis. Zoes. *hic n. 7.* 15

3 Qui lethaliter alterum percussit, aut vulneravit, licèt ab aliis fuerit omnino interemptus; quia jam sufficientem mortis causam dedit. Zoes. *hic numer. 10.* Pirhing. *numer. 17.* Schambog. *numer. 12.* Reiffenstuel *numer. 50.* Idemque est, si non constet, sed dubium sit, an ex ictu prius percutientis, an verò ex posteriore percussione mors sit secuta; quia tutius est abstinere ab Officio Sacerdotali, quam temere celebrare. Pirhing *loc. cit.* Imò Irregularitatem non effugit etiam ille, qui percussit aliquem non lethaliter, si appareat, quòd ob percussionem illum non potuerit fugere, ideoque postea occisus est ab alio; quia causam aliquam, vel saltem occasionem dedit homicidio postea secuto. Abb. *in c. significasti 17. hoc tit. numer. 10. & 11.* Pirhing *numer. 17. citat. not. 2.* Quod etiam dicendum, etiamsi non constet, an vulnus lethale vel non læthale fuerit, si illud infligens animum occidendi habuit, & vulneratus ex aliorum posteriore percussione exspiravit; nam tali casu Irregularis censebitur etiam primus percussor, propter voluntatem occidendi, effectu reipsa secuto. Abb. *in cap. significasti cit. numer. 1. & 6.* Pirh. *numer. 17. cit. not. 1.* Reiffenstuel *numer. 54.* & colligitur ex *cap. cit.* ibi, *Et si percussor voluntatem non habeat occidendi;* igitur à sensu contrario, si voluntatem occidendi habuit, qui percussit primò, etsi non lethaliter, quando percussus ex aliorum ictibus deinde mortuus est, Irregularis censebitur; Porro intentio occidendi præsumitur ex qualitate armorum, quibus Homicidium fuit illatum, sicut etiam, an vulnus fuerit lethale, vel non; Clar. *§. Homicidium numer. 5.* Pirhing *numer. 18.* 15

4 Qui voluntarie mutilat, aut truncat membrum alienum; nam mutilatio in Jure æquiparatur homicidio, & in quibus casibus Irregularitas contrahitur ex Homicidio, iisdem ex mutilatione inducitur. Gloss. *in Clem. si furiosis hoc tit. V. mutilat.* Covar. *ibid. part. 3. pr. num. 8.* Barbosa *num. 27.* Palao *tract. 29. D. 6. p. 15. §. 1. num. 3.* Pirhing *hic num. 121.* Vviestner *num. 15.* Reiffenstuel *num. 56.* & sumitur ex *can. fin. dist. 55. cap. Clericis 5. ne Cler. vel Monach. cap. in Archiepiscopatu 4. de Raptor. cap. fin. hoc tit. in 6. & Clem. si furiosus cit.* Dixi, *qui mutilat, vel truncat membrum alienum*; nam sola illa mutilatio, si fiat in alieno corpore, Irregularitatem inducit, quæ est truncatio membri, membro sumpto pro ea parte corporis, quæ actionem aliquam habet ab alia distinctam, ut notat Palao *loc. cit. num. 4.* & explicatum est *suprà num. 17.* Ratio est, quia dum membrum aliquod abscissum non est, corpus humanum non est mutilatum, aut truncum, & absolutè, & simpliciter integrum, ac perfectum; aliàs cujuslibet partis corporis, quæ cum alio membro operatur, nec solùm digiti, sed articuli etiam ejusdem abscissio Irregularitatem induceret, & truncum corpus humanum dicendum esset: quod nemo admittit. Minus quid sufficit ad Irregularitatem ex mutilatione corporis proprii; nam contrahitur etiam abscissione partis membri, e. g. digiti, vel articuli ex digito. Engl *hic num. 53.* Pirhing *num. 124.* Schambogen *num. 97.* Reiffenstuel *num. 59.* & dictum est *Libr. 1. Tit. 20. num. 3.* 1

Dub. 2. utrum ad hoc, ut quis Irregularitatem incurrat 1

currat ratione Homicidii, vel mutilationis, requiratur, ut per seipsum occidat, mutilet, vel abortum procuret? Resp. negative; sed sufficit, si etiam id fiat per alium. Et hinc 1. eam contrahit *Mandans*, si ex mandato intimato homicidium, abortus, aut mutilatio sit secuta *can. siquis viduam* 8. *dist.* 50. *cap. fin. hoc tit. in* 6. & notant Navar. *Man. cap.* 27. *numer.* 233. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 3. *numer.* 39. Suar. *D.* 44. *de Censur. sect.* 3. *numer* 6. Avil. *D.* 6. *sect.* 2. *dub.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 2. *n.* 2. Gonzal. *in c.* 11. *hoc tit. n.* 4. *& in c.* 17. *eod. num.* 2. Zoes. *hic n.* 11. Pirhing. *num.* 20. Konig *num.* 11. Schambog. *num.* 12. Vviestner *num.* 56. Reiffenst. *num.* 27. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *numer.* 376. Ratio est, quia homicidium principaliter adscribitur mandati, ut perinde, quod per alium facit, per seipsum censeatur fecisse, juxta *Reg.* 72. *in* 6. Neque excusatur; etsi ante cædem patratam mandatum revocarit, si revocatio mandatario non innotuit; adhuc enim iste nomine mandatis agit, & sic mandans manet causa principalis cædis. Innoc. *in cap. ad audientiam* 12. *hoc tit.* Navar. *cap.* 27. *num.* 233. Suar. *sect.* 3. *cit. num.* 7. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 2. *num.* 2. Dian. *p.* 2. *tr.* 2. *Miscell. res.* 17. Barbos. *in c. fin. cit. n.* 9. Gonzal. *in c.* 11. *hoc tit. n.* 5. *fin.* Vviest. *hic n.* 57. Reiffenstuel *n.* 28. Schmier *n.* 381.

155 2 *Consulens*, & persuadens homicidium, abortum, mutilationem si istud ex vi talis consilii reipsa sequatur *can. siquis viduam cit.* ibi, *Præcepto, aut consilio*, *can. perniciose* 23. ibi, *per quorum consilium*, *dist.* 1. *de Pœnit. cap. sicut* 6. §. *qui verò*, & §. *fin.* ibi, *Qui consilium dederunt*, & *c. fin. de Clem. pugn.* Ratio est, quia etiam ipse est vera causa moralis Homicidii &c. *can. perniciose*, & *cap. fin. citt.* ubi dicuntur Homicidæ, fieri consilio. Dixi autem, si reipsa ex vi talis consilii sequatur Homicidium; nam si is cui consilium datum est, sine illo delictum alias commisisset, consulens Irregularitatem non incurrit. Covar. *in Clem. si furiosus part.* 2. §. 2. *n.* 1. Suar. *sect.* 3. *cit. num.* 10. Avil. *part.* 7. *D.* 6. *sect.* 2 *dub.* 3. *concl.* 3. & 4. Bonacin. *D.* 7. *quæst.* 4. *p.* 8. *num.* 19. & *seqq.* Palao §. 2. *cit. num.* 3. Pirhing *hic num.* 31. Schmier *num.* 391. Correa *Idea Concil. D.* 8. *n.* 2301. & alii passim. *Excipitur*, nisi consulendo auxerit, vel exacuerit voluntatem, & animum illius, ut tanto promptius, vel citiùs, aut etiam crudelius aliquem occideret; tunc enim etiam consulens Irregularis fit; quia verè influit in homicidium confirmando, & augendo voluntatem occisoris, prout sumitur ex *cap. sicut cit.* §. *quia vero*, & notant Barbos. *ibidem numer.* 33. Zoes. *hic num.* 17. Pirhing. *num.* 31. Schamb. *num.* 19. Correa *num.* 2302. qui tamen *num. seq.* addit, contrariam sententiam non carere probabilitate.

156 3 *Consentiens* in homicidium, abortum, mutilationem ab altero factam. Debet tamen hic consensus non esse qualiscunque, sed requiritur, ut efficaciter influat v. g. occidenti cooperando, ei assistendo, robur, & animum addendo, ejus occidere volentis propositum approbando, vel ab eo occisum, aut mutilatum, se defendant, impediendo, ut colligitur ex *c. sicut cit.* §. *illi etiam*, *cap. significasti* 18. *hoc tit.* ibi, *Si - - - ipsius studio, consilio, vel mandato processerint.* Suar. *sect.* 3. *cit. num.* 21. Farin. *prax. crim. q.* 131. *à num.* 67. Barbos. *in cap. sicut* §. *illi cit. n.* 11. & 14. Schambog. *hic num.* 15. Konig *n.* 11. Vviestner *n.* 60. Secus est, si purè, & sine ulla cooperatione consentiat in Homicidium, quod nullo modo fit nomine ipsius consentientis; nam talis non fit Irregularis, nec ullam pœnam incurrit, etiamsi consensum verbis exprimat. Suar. *n.* 21. *cit.* Pirhing *hic num.* 27. Ratio est, quia talis consensus solum est mentale homicidium, & licèt verbis, vel alio signo externo sit expressum, non tamen efficaciter influit in cædem alterius, ideoque propter illum pœnæ Homicidi non incurruntur, nisi Lex specialiter, & expresse id declaret, quod hoc casu factum non est.

157 4 Ut volunt Sylv. *V. Homicidium* 1. *q.* 7. *n.* 11. Felin. *in c. sicut cit. num.* 12. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 233. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 33. *membr.* 4. *n.* 3. Honor. *hic n.* 3. & quidam alii, *Ratum* habens homicidium, suo nomine, sive in sui gratiam factum, ex ratione; quia ratihabitio retrotrahitur, & æquiparatur mandato *Reg.* 10. *in* 6. etiam in Delictis, ut patet in percussione Clerici, quam suo nomine factam ratam habens incurrit Excommunicationem Canonis *c. cùm quis* 23. *de Sent. Excom. in* 6. Sed meliùs negant Gloss. *in can. siquis viduam* 8. *V. aut consilio dist.* 50. Host. *Summ. n.* 4. §. *quid ergo hoc tit.* Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 1. *n.* 4. Henriq. *l.* 14. *cap.* 16. *n.* 2. Suar. *D.* 44. *sect.* 3. *n.* 24. Avil. *p.* 7. *D.* 6. *sect.* 2. *dub.* 6. Conink *D.* 18. *dub.* 8. *fin.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 4. *n.* 6. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 2. *n.* 7. Gonzal. *in c.* 11. *hoc tit. n* 5. & *in c.* 17. *n.* 2. Barbos. *in c. fin. eod. in* 6. *n.* 10. Passerin. *ibid. n.* 8. Zoes. *hic n.* 22. Pirhing *n.* 28. Schambog. *n.* 15. Vviestner *n.* 62. Reiffenstuel *n.* 48. Ratio est, quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis *cap. is, qui* 18. *pr. de Sent. Excomm. in* 6. atqui nullo Juris textu ratihabitioni cædis Irregularitas imposita legitur; ergo &c. *Conf.* quia Irregularitas ista non contrahitur, nisi per concursum ad cædem, vel mutilationem liberè factam. Atqui ratihabitio Homicidii hoc ipso, quia est cæde posterior, ad eam nequit concurrere; ergo &c. *Ad principium*, pro sententia contraria allatum, dico, ratihabitationem æquiparari madato quoad culpam, non autem quoad pœnam Irregularitatis; quia hæc, ut dictum est, non incurritur, nisi in casibus Jure expressis. Ad id, quod additur de ratihabitione percussionis Clerici, respondeo, Excommunicationem ad ratihabentem extendi ob clarum textum *cap. cum quis citat.* nullus autem ejusmodi textus exrat de ratihabente Homicidium &c. suo nomine factum, quòd is Irregularitatem incurrat; ergo dicendum non incurrere, cum versemur in materia pœnali, & odiosa, in qua Argumentum à pari non valet;

5 *Non impediens* Homicidium &c. cùm id absque gravi suo damno, & periculo posset, & ad hoc ex Justitia teneretur, ut sunt Magistratus, & eorum officiales, ac Milites, Domini respectu servorum &c. nam hos Irregularitatem incurrere facilè DD. omnes concedunt; quia moraliter occidere, & occidenti cooperari censentur, & propterea obligantur etiam ad restitutionem. 158

An verò etiam ille Irregularitatem incurrat, qui solum ex Charitate tenebatur impedire Homicidium &c. & omisit impedire, cùm potuisset, dubium movere potest duplex textus, ubi generaliter videtur decerni, illum Irregulatem esse, qui non impedit Homicidium, cùm posset, & deberet; 1. *c. sicut* 6. *illi etiam hoc tit.* ubi Homicidis accensetur etiam ille, qui hominem à morte non liberat, cum posset; 2. *cap. quantæ* 47. *de Sent. Excomm.* ubi percutientium fautoribus annumerantur etiam illi, qui Clerici percussionem, cùm possent, non impediebant.

Sed dicendum, si ex Charitate solum quis impedire tenebatur, & non impediit, eum pro Irregulari non habendum. Ita Sylv. *V. Homicidium* 3. *q.* 5. Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 231. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 76. *n.* 8. & *D.* 33. *membr.* 5. Suar. *D.* 45. *de Censur. sect.* 4. *num.* 3. Filliucc. *tr.* 26. *c.* 4. *n.* 127. Bonac. *de Irregul. D.* 7. *q.* 4. *p.* 8. *n.* 37. Laym. *l.* 3. *p.* 3. *cap.* 4. *n.* 7. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 7. *n.* 1. Barbos. *in c.* 6. *hoc tit. n.* 18. & 19. Gonzal. *in c.* 3. *eod. in* 7. Zoes. *hic n.* 23. Pirh. *num.* 42. & 43. Schamb. *n.* 23. Vviest. *num.* 66. Reiffenstuel *numer.* 42. & *seqq.* Magnif. P. Schmier *de potest. Ordin. c.* 6. *n.* 402. *Ratio est*, quia Irregularitatem ab hoc incurri, nullo Jure cautum est. Accedit, quia Homicidium est peccatum contra Justitiam: cons. qui istam non violat, nec occidere, nec ad occisionem moraliter cooperari censetur per *can. fin. caus.* 23. *q.* 7. ibi, *Qui tantum adfuerunt* (homicidio) *extra noxam sunt.* 159

Neque obstat, quod Gloss. *fin. ibid.* id exponant de illis, qui occiso subvenire non poterant; nam distinguendum est inter eos, qui extra noxam sunt apud Deum, & qui extra noxam sunt apud Judicem humanum. Ut non impediens Homicidium sit extra noxam apud Deum, necesse est, ut sine gravi suo damno, & periculo non potuit subvenire: ut verò sit extra noxam apud Judicem humanum, & Irregularitatem non incurrat, sufficit, quod ex Justitia non fuerit obligatus Homicidium impedire; Suar. *sect.* 4. *cit. numer.* 4. Quin etiam Jure Civili non impediens, 160

cum posset, non tenetur de Homicidio, ut docet Bartol. *in l.* 1. §. *sed in eo n.* 2. *ff. de S. C. Silan.*

161 *Ex quo inferunt* nonnulli 1. Irregularem fieri eum, qui mandat alicui, ut alium non defendat à cæde, ad quod ipso mandatarius non obligatur ex Justitia; quia mandans injuriam facit occiso, & contra justitiam peccat, ac positivè concurrit ad mortem illius, quamvis mandatarius tantum peccet contra Charitatem, & ideo Irregularis non fiat. *Contrarium* tamen probabilius tenent Avil. *part.* 7. *D.* 6. *sect.* 2. *dub.* 7. *vers. ex dictis sequitur* 1. Zoes. *hic n.* 24. Schamb. *ibidem num.* 26. nempe, quòd siquis volenti ex Charitate alium defendere, persuaserit, ne defendat, & alter indefensus moriatur, non fiat Irregularis; quia talis consulens non peccat contra Justitiam, sed solùm contra Charitatem: nisi tamen per vim, fraudem, aliamque injuriam retrahat alterum à defensione; tunc enim ageret contra Justitiam respectu occisi, & fieret irregularis. *Ratio est*, quia licèt volens defendere ad id teneatur solùm ex Charitate, tamen proximus habet jus, ne defensio ista ab alio per injuriam impediatur, prout idem docetur de Eleemosyna.

162 *Infertur* 2. Si Medicus ratione stipendii, quod accipit à Civitate, teneatur curare ægrotos, & aliquem culpabiliter omittat curare, quem potuisset, isque moriatur, ipsum fieri Irregularem; secus est, si nullum stipendium accipiat. Avil. *l. cit.* §. *sequitur* 4. Gonzal. *in cap.* 11. *hoc tit. num.* 7. Pirh. *hic num.* 44. Schamb. *numer.* 27.

Infertur 3. Non fieri Irregularem, qui scit Homicidium occultè tractari, & non revelat, nisi ex Justitia teneatur revelare. Avil. §. *sequitur* 2. Pirhing. *loc. citat.* Schambog. *num.* 28.

163 Ad Argumenta *num.* 158. allata facilis est responsio, *Ad* 1. ibi sermo est de non impedientibus non simpliciter, sed cum consilio, & auxilio homicidis præstito *can. facientis* 3. *dist.* 86. vel dici potest cum P. Pirhing *numer.* 42. ibi Homicidium accipi latè, & prout Homicida dicitur omnis ille, qui contra Charitatem proximi non conservat vitam alterius. *Ad* 2. est casus specialis, in quo non impediens delinquentium fautoribus accensetur; ex quo tamen casu ad nostrum duci nequit Argumentum, cùm versemur in materia pœnali, in qua opus est adesse textum expressum.

164 Dub. 3. in quibus casibus ratione mandati mandans incurrat Irregularitatem? Resp. in omnibus illis casibus, in quibus mandatum est causa moralis cædis, vel mutilationis; Et hinc ratione mandati à se dati Irregularis fit.

1 Qui mandavit tantum aliquem verberari, si mandatarius excedens fines mandati occidat, prout decernitur *c. fin. hoc tit. in* 6. quia talis mandando in culpa fuit, & operam dedit rei illicitæ; ideoque ipsi omnia imputantur, quæ possunt sequi ex re illicita; quia cogitare potuit, ac debuit, ex tali verberatione sequi posse mortem, vel mutilationem; ubi autem culpa præcessit, regulariter quis tenetur de casu, si culpa sit ordinata ad casum; Gloss. *in cap. fin. cit. V. culpa*, Ancharan. *ibid. not.* 2. Fagnan. *in cap. ad audientiam* 12. *eod. n.* 27. Gonzal. *in cap.* 11. *num.* 5. *& in cap.* 17. *num.* 2. Vivian. *in cap. fin. cit. pr.* Barbos. *ibidem numer.* 1. Passerin. *numer.* 5. Zoes. *hic numer.* 11. Honor. *num.* 2. Pirh. *numer.* 21. Schambog. *numer.* 12. Reiffenstuel *numer.* 30. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *num.* 378. *Procedit hoc*, si verberatio sit illicita; nam si licita est, ut si Pater, Dominus, vel Magister mandat verberari filium, servum, aut discipulum, & mandatarius excedat fines mandati, & occidat, vel mutilet, mandans non fit irregularis; quia cùm tunc cesset culpa, etiam pœna cessat. Gloss. *V. culpa citat.* Anchar. *ibidem not.* 3. Franc. *numer.* 4. Barbos. *numer.* 4. Passerin. *numer.* 2. Honor. *num.* 18. Pirhing *num.* 21. *vers. procedit*.

165 2 Mandans Irregularis efficitur, etsi non dederit mandatum expressum, sed tacitum duntaxat, etiam præmissa protestatione de non occidendo, vel mutilando; ut si Pater, aut Dominus, injuria affectus à Titio, dicat filio, vel servo, *Non occidas illum, non tamen redeas domum, donec aliquid novi audiam à te circa Titium*. Covar. *in Clem. si furiosus part.* 2. §. 1. *n.* 3. Avil. *part.* 7. *D.* 6. *sect.* 2. *dub.* 2. *concl.* 1. Gonzal. *in c.* 17. *hoc tit. num* 2. Barbos. *in c. fin. eod. in* 6. *n.* 5. Zoes. *hic n.* 18. Pirh. *n.* 22. Schamb. *n.* 12.

3 Irregularis fit mandans occidi alium, etiam tunc, 166 si ipse mandatarius occidatur, vel mutiletur; quia licet præter intentionem ejus, & voluntatem directam accidat mors mandatarii, cogitare tamen poterat, ac debebat, illam accidere posse *c. fin. hoc tit. in* 6. Sylv. *V. Homicidium* 1. *quæst.* 7. *dict.* 7. Suar. *D.* 44. *de Censur. sect.* 3. *n.* 18. *&* 19. Avil. *sect.* 2. *cit. dub.* 5. *concl.* 4. Gonzal. *in cap.* 11. *numer.* 5. Barbos. *in cap. fin. citat. numer.* 6. Passerin. *ibid. numer.* 3. Zoes. *numer.* 14. Honor. *numer.* 2. Pirhing. *numer.* 22. *vers. extenditur* 3. Schamb. *num.* 13. Reiffenstuel *n.* 29.

Excipitur 1. si homicidium non sit secutum; quia regulariter nulla Irregularitas, vel alia pœna ordinaria incurrit propter homicidium, nisi illud fuerit perfectum, & consummatum, vel aliud Jure expressum. Avil. *sect.* 2. *citat. dub.* 3. *pr.* Barbosa *in cap. fin. cit. num.* 7. Zoes. *hic num.* 11. Pirhing *num.* 23. Reiffenstuel *num.* 31.

Excipitur 2. si mandatarius etiam sine mandato fuisset occisurus, nisi mandato suo mandans fuerit causa, ut mandatarius citiùs occideret; quia hoc casu mandans, licèt habuerit voluntatem influendi in homicidium, vel occidendi, de facto tamen non influxit. Avil. *dub.* 3. *citat. concl.* 6. Barbosa *loc. citat. n.* 8. Pirhing *n.* 23. *limit.* 2. Schambogen *n.* 14. 167

Excipitur 3. si mandans revocavit mandatum, sive 168 expressè, sive tacitè, illum, quem mandavit occidere, in pristinam amicitiam restituendo, affinitatem cum illo contrahendo &c. modò revocatio hæc fuerit intimata mandatario, vel ad ejus notitiam aliunde pervenerit: quia si tunc occidat mandatarius, non occidit ut commotus voluntate mandantis, sed ex propria sua voluntate, & malitia, adeòque mandans non ampliùs est causa moralis talis homicidii, cùm cesset ejus voluntas, & consequenter etiam effectus illius. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 237. Suar. *D.* 44. *sect.* 3. *n.* 7. Avil. *sect.* 2. *dub.* 4. *concl.* 1. *&* 2. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 2. *num.* 2. Gonzal. *in cap.* 17. *hoc tit. num.* 2. Barbosa *in cap. fin. eod. in* 6. *num.* 9. Passerin. *ibid. num.* 7. Pirhing *n.* 23. *limit.* 3. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *num.* 382.

Quodsi tamen constet mandanti, ipsum mandatarium, non obstante revocatione mandati, nihilominus ex pertinacia occisurum, tenetur non solùm ex Charitate, sed etiam ex Justitia impedire effectum hujus mandati, quoad commodè potest; alioquin fieret Irregularis. Suar. *num.* 8. Zoes. *num.* 12. Pirhing *loc. citat. fin.* Schambogen *num.* 14. Ratio est, quia dans tale mandatum hoc ipso injustitiam alteri fecit. Ergo ex Justitia tenetur impedire damna, quæ ex tali injuria sequi possent. Igitur si scit inde imminere aliter, periculum mortis, ex justitia tenetur id impedire, prout commodè poterit, verb. grat. admonendo alterum saltem in communi, quòd vitæ ejus insidiæ parentur, vel aliquid simile. Suar. *loc. cit.* 169

Dub. 4. an sicut mandantem revocatio mandati, ita 170 & consulentem revocatio consilii ab Irregularitatis incursu liberet? Resp. Non liberare, etiamsi revocatio consilii ei, cui hoc datum est, intimata sit, sed adhuc Irregularem fieri consulentem, si mors fuerit secuta. Suarez *D.* 44. *sect.* 3. *num.* 11. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. *concl.* 2. Correa *Idea Consil. D.* 8. *num.* 2310. Zoes. *hic num.* 19. Pirhing *numer.* 32. Schambogen *num.* 20. *&* 21. Konig *num.* 11. Wiestner *num.* 32. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *num.* 387. *&c.* Ratio est, quia etiam post retractatum consilium consulens est causa moralis cædis subsequentis, si rationibus, à consulente suggestis, occisor ad cædem inferendam est motus. Hinc disparitas est inter consilium, & mandatum; nam is, cui datur consilium, agit postea sua voluntate, & nomine, quæ voluntas per consilium inducitur, & non sufficienter revocatur, retractato consilio: mandatarius autem agit tantùm voluntate, & nomine mandantis; & ideo per solam revocationem sufficienter tollit suum influxum.

Difficultas est, an qui omni ex parte possibilem adhi- 171 buit diligentiam, ne ex consilio suo, quod retractavit, sequeretur Homicidium, excusetur ab Irregularitate? Negant

Negant aliqui ex ratione; quia consilium se habet, sicut venenum alicui propinans. Is autem, qui venenum propinavit, quamvis postea pœnitentia ductus, fecerit, quantum potuit ad impediendam mortem, si tamen mors ex veneno sequatur, Irregularis efficitur. Ergo etiam ille, qui consilium dedit, quantumvis omnem possibilem diligentiam adhibuerit, ne ex consilio sequatur mors.

72 Sed affirmativa sententia, teste Suar. *sect.* 3. *citat. numer.* 13. communis, & magis consentanea rationi est. *Ratio est*, quia consilium non est causa mere naturalis, & physica necessitate influens in mortem, ut venenum, sed moralis duntaxat, quæ per rationem auferri, & per liberam voluntatem impediri potest. Ita autem ablata, & impedita creditur, quando consiliarius fecit, quod moraliter potuit, & debuit ad tollendam illam, & impediendum ejus effectum; nam hoc facto, effectus jam non amplius imputari consiliario potest.

73 Ad Argumentum contrarium, paritas cum veneno tunc procederet, quando consiliarius retractavit consilium, & non potuit intimare ei, cui consilium dedit; nam iste, non obstante hac retractatione, & conatu, quo illam per litteras, vel nuntium intimare voluit, si tamen litteræ istæ; vel nuntius ad eum, cui consilium datum est, non pervenerunt, & hic consilio motus occidit, Irregularis est; quia causam mortis quamvis voluerit removere, non tamen removit, quippe cum consilium hoc casu se habeat, acsi nullo modo revocatum fuisset.

74 Dub. 5. utrum Irregularitatem, & alias pœnas ordinarias Homicidii incurrant omnes, qui ad cædem alterius cooperantur? *Certum est* 1. si ex proposito ad occidendum aliquem concurrerint, omnes ordinaria homicidii pœna puniri, licèt unus duntaxat occiderit, ut rectè notaut Gonzal. *in cap.* 18. *hoc tit. numer.* 4. Stryck. *Us. Modern. Pandect. tit. ad Leg. Corn. de sicar.* §. 7. Engl *hic n.* 30. Konig *n.* 10. Schambog. *n.* 22. Reiffenstuel *n.* 35. Correa *Idea Concil. D.* 9. *numer.* 2435. & decisum est *Const. crim. Carol. V. art.* 148. unus enim alterum jussit, ut cædem perficiat, si ipse perficere non possit. Igitur, licèt singuli pro causa physica haberi nequeant, tamen causa moralis existunt.

75 *Certum similiter est* 2. omnes, qui ita communi consilio concurrunt, fieri Irregulares *cap. sicut* 6. §. *fin. hoc tit. cap. quod in dubiis* 5. *de Pœnis*. Estque perinde, sive directè cooperentur, v. g. percutiendo, & infligendo vulnus; sive indirectè detinendo hominem, ne fugiat, vel comitando occisorem, eique assistendo, suaque præsentia tuendo, eumque animando &c. quia favet occisori, sciens eum intendere mortem alterius, licet ipse homicidium directè non intendat. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 2. *numer.* 2. *vers. quatenus vero*, Pirhing *hic n.* 33.

76 *Difficultas* est, quando non ex condicto, sed in rixa, subitò exorta inter plures, unus occisus est. Ubi satis convenit inter DD. casu, quo de vero occisore constat, vel ille investigari potest, hunc solum pœna Ordinaria affici, reliquos verò pro diversitate circumstantiarum arbitrariè coercendos, nisi & ipsi vulnera lethalia occiso intulerint; tunc enim omnes pœna ordinaria manent. Quodsi verò de eo, qui vulnus lethale intulerit, planè non constat, neque per tormenta, aut alias probationes id detegi potest, tali casu propter incertitudinem nullus capite, sed omnes extraordinaria pœna plectentur; quia omnes aliquo modo rei sunt vel propter auxilium præstitum, vel quod mortem non impedierint. Clar. §. *Homicidium num.* 38. Covar. §. 2. *cit. n.* 5. Gonzal. *n.* 4. Stryck §. 7. *prope fin.* Engl *n.* 30. Konig *n.* 10. *fin.* Reiffenstuel *n.* 39. & patet ex *Const. crim. art.* 148. *cit.* Idem dicendum, quando nemo per se vulnus lethale occiso intulit, sed vulneratus ex omnibus vulneribus conjunctim sumptis propter nimiam sanguinis effusionem mortuus est. Stryck *loc. cit.*

77 Quoad pœnam Irregularitatis DD. inter se dissident. Distinguunt nonnulli, & siquidem de authore patratæ cædis non constet, fatentur, pro Irregularibus habendos omnes *ex can. fin.* junct. Gloss. *caus.* 23. *quæst.* 8. *& cap. significasti* 18. *vers. quodsi hoc tit.* quia tali casu pro homicidis habentur omnes *lib. item Mela* 11. *sed si plures* 2. *ff. ad Leg. Aquil.* Si verò de occisore constet, putant istum solum pro Irregulari habendum, non verò cæteros, licèt percusserint & ipsi, sed non lethaliter, quod colligunt ex *l. &* §. *citt.* ubi iste solus pro homicida habetur, & *c. significasti cit.* ubi Presbyter ab Irregularitate immunis pronuntiatur, si constet ab ipso inflictum vulnus non fuisse lethale.

Sed neutrum argumentum sufficienter probat intentum. Non sumptum ex *l. &* §. *citt.* nam dispar est ratio inter Jus Civile, & Canonicum. Illud punit Homicidium: & hinc cùm istud ponatur tantum ab uno commissum, mirum non est, quòd unus tantùm puniatur ut Homicida. Contra Jus Canonicum Irregularitatis-pœna afficit non tantùm homicidas, sed etiam ad homicidium cooperantes. Sed neque ductum ex *cap: significasti*; quia Presbyter, de quo ibi sermo est, Parochiani maleficum occidentibus non est cooperatus, cùm vulnus non lethale, & sine animo occidendi separatim inflixerit, & in cædem, postea à Parochianis patratam moraliter non influxerit, quippe quam illi patrarunt, Presbytero isto nec mandante, nec persuadente. 178

Hinc dicendum, tali casu pro Irregularibus habendos etiam cæteros. Ita verisimiliùs docent Navar. *Man. cap.* 27. *numer* 124. *vers. decimo* Covar. *in Clem. si furiosus part.* 2. §. 2. *numer.* 4. Suar. *D.* 45. *de Censur. sect.* 3. *numer.* 9. Avil. *part.* 7. *D.* 6. *sect.* 3. *dub.* 3. *concl.* 4. Conink *D.* 18. *dub.* 8. *num.* 70. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 6. *num.* 4 Barbos. *in cap* 18. *hoc tit. num.* 9. Correa *Idea Concil. D.* 9. *num.* 2436. Zoes. *hic n.* 26. Honor. *n.* 5. Pirh. *num.* 34. 40. & 4. Schambog. *num.* 22. Vviestner *num.* 64. & sumitur ex *can. fin. cit.* ubi à Canonica pœna absolvuntur soli illi, qui occisum *nec impugnabant, nec vulnerabant, nec consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt*. Atqui in casu dato omnes occisori favorem, & auxilium præstant, & sua aggressione occisum impediunt, ne se contra occisorem defendat, ac proinde cooperantur, ut facilius sequatur cædes; ergo &c. 179

Aliud est, si constaret homicidium factum esse ab uno ex quatuor hominibus, qui erant in domo, ex quo projecto lapide præterientis occisus est, & ignoretur, à quo illorum projectus fuerit: tunc enim in foro externo nullus Irregularis censebitur; quia nullus in particulari censebitur deliquisse, nisi probetur, & melius est unum nocentem dimittere, quàm tres innocentes condemnare; ideoque unusquisque relinquendus est conscientiæ suæ. Suar. *sect.* 3. *cit. n.* 11. Avil. *part.* 7. *de Censur. D.* 7. *sect.* 3. *dub.* 3. *concl.* 3. Pirh. *nu.* 41. *extens.* 3. *fin.* Schamb. *n.* 22. 180

Dub. 6. quid Juris, si vulneratus per aliquod tempus vixerit, & ideo dubitetur, an vulnus inflictum fuerit lethale, an potius ex imperitia Medicorum, inordinata vita, vel alio morbo superveniente vulneratus decesserit? Resp. Judici hoc casu incumbere, ut mature per se, vel per Delegatum adhibitis peritis Medicis, & Chirurgis, saltem duobus, si haberi possint, vulnus inspiciat, qui Medici, & Chirurgi (nisi sub initium officii sui hoc fecerint) juramentum præstare debent, quod opinionem suam edicere sincere velint: ex quorum deinde Medicorum, & Chrirurgorum depositione, consideratis aliis quoque circumstantiis Judex sententiam suam formabit. *Constet. crim. Carol. V. art.* 149. Clar. §. *Homicidium n.* 43. Stryck *Us. mod. Pandect. tit. ad Leg. Corn. de sicar.* §. 2. 181

Si vulnus ex assentione Medicorum, & Chirurgorum, vel aliunde constet lethale esse, vulnerans de occiso tenetur, pœnisque ordinariis, nisi justam vulnerationis causam habuerit, subjicitur, non attento, utrum vulneratus brevi, vel longo post vulnerationem intervallo mortuus sit, nec habita ratione malæ curæ, aut regiminis vulnerati, aliarumque cirumstantiarum *c. significasti* 18. *hoc tit.* Socin. *vol.* 2. *cons.* 178. Gaill. *l.* 2. *obs.* 111. *numer.* 9. Konig *hic numer.* 17. Reiffenst. *ibid. n.* 50. 182

Si liquidò constet, vulnus non fuisse lethale, & vulneratum non ex vulnere, sed ex imperitia, aut incuria Medici, vel ex propria culpa, & negligentia, vel ex alio accidente extrinseco periisse vulnerans ab homicidio, ac pœnis Homicidii absolvendus erit. 183

erit. Socin. *concil.* 178. *cit. col.* 2. Zoes. *hic n.* 8. Konig *num.* 17. Reiffenstuel *n.* 51. Idem dicendum, si consideratis omnibus, dubium sit, an vulnus lethale fuerit, vel non; quia ubi de vita hominis agitur, probationes dubiæ ad mortem inferendam non sufficiunt *l. fin. Cod. de Probat.* & melius est in dubio nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare *l. absentem* 5. *pr. ff. de pœn.* Gaill. *l. cit. n.* 11. Utroque tamen casu condemnabitur vulnerans ad pœnam extraordinariam, ut cum eodem Gaill. *loc. citat.* notat Stryck *loc. citat.* §. 6. *Excipitur*, nisi præsumptio in contrarium militet; talis foret, si vulneratus de malo processit in pejus, & intra breve tempus mortuus est; tunc enim præsumitur ex vulnere obiisse. Gaill. *l. cit.* Secus est, si mortuus sit ex intervallo. Quantum autem intervallum hoc esse debeat, DD. diffident, Clar. §. *Homicidium n.* 44. Carpzov. *p.* 1. *q.* 26. *per totam*, Engl *hic n.* 31. Konig *n.* 17. *fin. ibid.* putat sufficere, si vulneratus ambulavit per triduum, vel decumbens in lecto superstes fuit per dies 40. quam opinionem teste Konig *l. cit.* sequitur communis usus.

184 Quoad *Irregularitatem* interest, an mors secuta sit occasione vulneris, an verò à causa prorsus extrinseca. Si occasione vulneris secuta mors est, quamvis non immediatè ex vulnere, ut quia febris aut inflammatio supervenit, quam imperiti Medici curare non potuerunt, vulnerans erit Irregularis; danti enim operam rei illicitæ imputantur, quæ sequuntur *cap. de cætero* 11. *& cap. seq. hoc tit.* Si verò mors contigerit à causa prorsus extrinseca, si vulnus fuit levissimum, & nullo modo periculosum, Medicus verò, vel ipse æger nocivum medicamentum adhibuit, his, & similibus casibus vulnerans nullam incurret Irregularitatem *cap. ad audientiam* 12. *hoc tit. fin.* Engl *hic numer.* 54.

185 Dub. 7. an qui membrum debilitat, i. e. lædendo, vel vulnerando aridum, & inutile reddit ad operandum, citra mutilationem tamen, & abscissionem, Irregularis efficiatur? Resp. negativè; quia aliud est propriè loquendo mutilare, vel detruncare, sive abscindere membrum, aliud debilitare, sive aridum, & inutile reddere ad operandum, ita tamen, ut vivum maneat, nec abscindatur. Cum ergo SS. Canones Irregularitatis pœnam solùm imponant homicidio, & mutilationi, sub iis non comprehenditur sola debilitatio, neque ad istam pœna hæc debet extendi, cùm regulare principium sit, Irregularitatem non incurri, nisi in casibus Jure expressis; quod confirmatur ex *can. sicut* 47. *caus.* 1. *quæst.* 1. ubi dicitur, quod verum sit membrum, quamvis sine sanguine, & inefficax, & mortuum sit, scilicet quoad operationem. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 205. & 219. Suar. *D.* 47. *sect.* 2. *numer.* 5. & 11. Conink *D.* 18. *dub.* 8. *concl.* 2. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 1. *numer.* 5 Passerin. *in cap. fin. in* 6. *num.* 3. Correa *Idea Concil. D.* 8. *num.* 2295 Zoes. *h. c n.* 83. Honor. *n.* 58. Engl *num.* 51. Pirhing *num.* 122. Konig *num.* 35. *fin.* Schambog. *n.* 93. Reiffenstuel *n.* 58. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *num.* 476.

186 *Neque obstat*, quòd paria sint non esse, & inutile esse: nam paria sunt quoad operationem: quia quod inutile est, perinde non operatur, ac si non esset; non autem quoad effectum Irregularitatis: quia non est Jure expressum, quòd propterea hæc incurratur. Accedit, quia membrum aridum valet saltem ad decorem, sive non deformat, etsi operari non possit, sicut tamen deformat membrum omnino abscissum, Navar. *n.* 206. Suar. *n.* 5. Correa *n.* 2296. Pirhing *numer.* 122. Schambog *numer.* 94. cum aliis, *Ex quo infertur*, quod Judex, qui torquendo reum debilitat, & inutile reddit membrum, non fiat Irregularis Pirhing *n.* 122. *fin.* Schambog. *n.* 94.

187 Dub. 8. an qui abscindit membrum aridum, & inutile, seu impeditum ad officium suum exercendum, fiat Irregularis? Resp. distinguendo; Vel enim est omnino mortuum, nec anima rationali ampliùs informatum, vel adhuc ea est informatum.

Si primum, ille, qui detruncat tale membrum, non est Irregularis; quia est quasi non membrum; is tamen, qui tale membrum ita debilitavit, Irregularis efficitur; quia substantialiter mutilat corpus humanum, cum tale membrum non amplius sit membrum; & in hoc sensu verum est, quod paria sint non esse, & inutile esse. Zoes. *n.* 82. Pith. *n.* 123. Schambog. *n.* 95. Correa *n.* 2297.

Si secundum, fit Irregularis; quia revera mutilat corpus humanum abscindendo vivum ejus membrum, & partem organicam principalem. *Neque refert*; quod sit membrum inutile ad exercitium sui muneris; quia hoc est per accidens, & eo non obstante, talis abscissio est gravis deformatio, quæ sufficit, supposita alicujus membri, seu partis principalis truncatione. Navar. *c.* 27. *n.* 219. Suar. *D.* 44. *sect.* 2. *n.* 11. Zoes. Pirh. Schambog. *l. citt.* 188

Dub. 9. an Irregularis fiat, qui aliquem notabiliter deformat, v. g. faciem vulnerando, & relicta deformi cicatrice, ita, ut ad Ordines promoveri non possit. Resp. si talis deformatio facta sit citra mutilationem, ita deformans Irregularis non efficitur. Suar. *sect.* 2. *cit. n.* 12. Pirhing *l. cit.* Schambog *numer.* 96. Ratio est, quia præter homicidium, & mutilationem nulla alia Irregularitas, quæ ex læsione, seu vulneratione corporis incurratur, est Jure expressa. *Neque refert*, quòd sic deformatus Irregularis fiat; nam non semper, qui alterum Irregularem facit, ideo etiam ipse Irregularis fit, sed eo solùm casu, quando id Jure expressum est, ut si aliquem deformat per cædem, vel mutilationem. *Suarez*, *Pirhing*, *Schambog. loc. citt.* 189

Ex quo sequitur, fieri posse, ut quis interdum faciat alterum Irregularem v. g. percutiendo, aut vulnerando, licèt ipse non fiat Irregularis; quia potest alterum inhabilem reddere ad Altaris ministerium sine mutilatione; & vice versa contingere potest, ut Irregularis fiat mutilans, non verò mutilatus, ut si quis per injuriam, & invitus ab alio fuit castratus. Et hinc duplex distinguenda est mutilatio, una activa, altera passiva; ratione mutilationis activæ Irregularitatem incurrit illam inferens, si truncaverit, vel absciderit membrum, ut dictum est *num.* 153. ratione passivæ, qui eam passus est, Irregularis tunc solùm redditur, quando per eam factus est inhabilis ad congruum exercitium Ordinis, præsertim verò ad celebrationem Missæ, juxta dicta *Libr.* 1. *Tit.* 20. *n.* 2. & *seqq.* 190

Dub. 10. an Irregularitas mutilationis sit distincta ab Irregularitate Homicidii? Resp. affirmativè; quamvis enim conjungantur propter similitudinem culpæ, revera tamen distinguuntur, sicut perfectum, & imperfectum. Suar. *D.* 44. *sect.* 2. *num.* 3. Plurimum autem refert, has Irregularitates æquiparari quidem, sed tamen distingui; ex hoc enim, quòd æquiparentur inter se invicem, sequitur, quòd quidquid in Jure statutum est de Irregularitate mutilationis, si rigorem contineat, extendi debeat ad Homicidium, non propter argumentum à simili, vel à minori ad majus, quocunque modo, sed propter Argumentum à parte ad totum; quia in homicidio mutilatio continetur formaliter, vel eminenter, tanquam pars in toto. Suarez *loc. cit. n.* 4. Pirhing *n.* 121. *hoc tit.* 191

Contrà quia distinctæ Irregularitates sunt, sequitur, non omnia, quæ in Jure statuta sunt circa Irregularitatem Homicidii voluntarii, etiam extendi ad mutilationem voluntariam. Exemplum est; nam dispensatio in Irregularitate ex Homicidio voluntario est reservata Summo Pontifici, ut notavit *Sacr. Congr. Concil. ad sess.* 24. *Trid. cap.* 6. *de reform.* apud Suar. *num.* 4. *citat.* quæ tamen reservatio non debet extendi ad dispensationem Irregularitatis ex Mutilatione voluntaria occulta, cùm ex vi memorati Decreti Trid. & ut *infra num.* 256. dicetur, concedatur Episcopo. Similiter ex eadem ratione, & quia minorem culpam committit, qui mutilat, quàm qui occidit, si quæ disposita sunt de mutilatione, favorem contineant, non debent extendi de mutilatione ad Homicidium; quia si pœna minuatur in delicto minore, non sequitur illam etiam diminui in majori, vel totali. Pirhing *loc. cit.* 192

Quæritur 2. quæ sit pœna Homicidii præmeditati? Resp. hujus, sicut atrocius crimen, ita gravior etiam pœna est, quàm Homicidii simplicis, seu illius, quod in rixa tantùm, aut impetu passionis commissum est. In foro Sæculari hujus reo, si mas sit, rotæ pœna, si fæmina, culeus dictari solet, vel etiam, quando istud delicti qualitas petit, ante executionem delinquens 193

quens forcipibus candentibus prehenditur, prout habet *Const. crim. Carol. V. art.* 137. & notat Stryck. *Us. mod. Pandect. tit. ad Leg. Corn. de sicar.* §. 1.

14 In foro Ecclesiastico præter alias pœnas inducit Irregularitatem, quæ difficillimæ relaxationis est. An verò reus Homicidii præmeditati etiam privetur Asylo, seu Immunitate locali Ecclesiastica, ancipitis quæstionis apud DD. est. Et quidem de Jure Civili certum est, istum Immunitate hac non gaudere, prout patet ex *Novell.* 17. *cap.* 7. *pr.* ubi *Templorum cautela non nocentibus*; *sed læsis à Lege data* asseritur. Sed quia resolutio propositæ dubitationis non ex Legum institutis, sed SS. Canonum Regulis petenda est *arg. can. certum est* 3. *dist.* 10. *can. bene* 1. *can. duo sunt* 10. *&c. dist.* 96. *c. Ecclesia* 10. *de Const.* & fatentur Orthodoxi DD. omnes, hinc dubii istius difficultas in eo consistit, an hujusmodi Homicidii præmeditati Rei ab Asylo Ecclesiastico excludantur etiam de Jure Canonico.

195 Affirmant Clar. §. *fin. q.* 30. *num.* 32. Decian. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 15. Fachin. *l.* 9. *contr. c.* 93. *vers. ego existimo*, Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 23. *n.* 3. ducti textu *c. siquis* 1. *hoc tit.* ubi præceptum Legis veteris, datum *Exod.* 21. *vers.* 14. per Christi mortem extinctum, Gregorius IX. illud in Decretales transferendo, resuscitavit, & constituit, ut *siquis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari evellatur, ut moriatur*? quæ verba aliqui interpretantur ita, ut particula *Et* habeat sensum Disjunctivum, & textus ab Asylo excludat quemcumque Homicidam, qui occiderit vel *per industriam*, conf. Homicidii præmeditati reus est, vel *per insidias*, i. e. proditoriè, accipiendo Homicidium proditorium saltem in sensu largo.

196 Negativa sententia se fundat in Jure Canonum Gregorio XI. antiquiorum, quibus cujuscunque cædis patratæ reo, si ad Ecclesiam, vel Monasterium se recipiat, Asylum datur, modò non sit Latro publicus, aut voluntaria hominis interfectione, vel mutilatione Ecclesiam, aut Cœmeterium contaminarit *cap. inter alia* 6. *& cap. fin. de Immunit.* quibus casibus recentiori Jure à Gregorio XIV. *Const. cùm alias edita* 9. *Cal. Jan.* 1591. additum est omicidium Proditorium, assassinium, & crimen læsæ Majestatis in personam Principis; conf. cæteri omnes juxta hanc sententiam Asylo gaudent.

197 Ad *c. siquis* in contrarium allegatum respondet hujus Sententiæ negativæ Patroni, mentem Pontificis admodum incertam esse, neque constare, qua intentione eum textum Decretalibus inseruerit. Nam 1. Interpretes Gregorio coævi, aut proximi considerantes, quòd mortis naturalis pœna per Canones non infligatur, intelligi volunt textum illum non de morte naturali, sed spirituali peccati, vel Civili per privationem Beneficii, si delinquens Clericus, aut Excommunicationem, si Laicus sit. 2. alii, cum *Innocentio, & Antonio de Butrio* concedunt quidem eo textu decerni privationem Asyli, sed tantùm in Latrones, qui viatores occidunt in Stratis publicis, ut hoc modo evitetur correctio Jurium, per quæ cæteris Homicidis præstatur defensio; 3. alii cum Archidiac. *in cap. siquis citat. V. & si forte*, Host. *pr. ibidem* Ancharan. *num.* 2. Felin. *pr.* Joan. Andr. *n.* 2. Fagn. *numer.* 4. Farin. *lib.* 1. *cons.* 76. *numer.* 18. Vincent. de Franch. *decis.* 713. Sperell. *decis.* 23. *numer.* 18. volunt eo textu excludi solùm Homicidam verè, ac propriè proditorium.

198 Ex his interpretationis plerique tertiam approbant; nam 1. eidem consentit *Glossa interlinearis*, quæ maximæ authoritatis est, & verba *per insidias* declarans ait, *sicut legitur de Joab, occidente Abner & Amasam*, Amicitiæ specie deceptos; 2. textus Hæbræus, in quo legitur, *siquis proximum suum occiderit in astutia*; 3. versio Græca 70. Interppr. quæ legit, *si aliquis aggressus fuerit proximum, ut occidat in dolo*. 4. versio Vatabli, quæ habet, *si aliquis volens, & callidè*, in quibus omnibus simulatio amicitiæ, vel dissimulatio inimicitiæ intervenire innuitur. Verùm hæc Controversia modò finita est per Constitutionem novissimam Sanctissimi D. N. Benedicti XIII. in Libro 3. tit. 49. à me relatim, per quam modò Homicidium præmeditatum, etiam non Proditorium ab Asylo excluditur.

Porro quale Homicidium censeri debeat *Præmeditatum*, sumitur est deliberatione, & proposito occidendi, ex intervallo necem præcedente, ut dictum est *numer.* 6. An verò hujusmodi animus, & propositum ex intervallo ita necem præcesserit, Menoch. *de arbitr. cas.* 361. *numer.* 1. & alii passim decernendum relinquunt arbitrio Judicis, qui id coniiciet ex facti qualitate, & circumstantiis, aliis prout sunt. 1. si nulla ira, vel rixa, nec justus aliquis animi dolor, & similis passio alia præcessit; 2. si homicida fuit inimicus capitalis occisi. 3. si occidit ex insidiis, proditoriè, sive sub specie amicitiæ. 4. si post necis inferendæ jactationem, vel comminationem. 5. si prævio tractatu, vel consultatione de ea inferenda. 6. si congregavit socios, arma, & alia ad aggressionem necessaria comparavit. 7. si præter morem armis se accinxit, cædisve locum frequentavit; 8. si ad fugam, tutumque receptum omnia præparavit &c. 199

Dub. 1. quid dicendum de Homicidio perpetrato ex Insidiis? Resp. istud Deliberato Homicidio supperaddit qualitatem dolosæ machinationis in necem hominis; ex insidiis enim occidere ille dicitur, qui Latronis more secus viam, vel in alio loco absconditus, inimicum prætereuntem exspectat, & nihil tale metuentem improviso adoritur, strictoque ferro, vel sclopo exploso interficit: quo modo Clodium in Milonis necem, machinatum ostendere conatus est Cicero *Orat. pro Milone*. 200

Est Homicidium hoc gravius longè delictum, quam si aperta vi sit illatum; & hinc graviori vindicta coerceri semper consuevit, usque adeo, ut alicubi conatus quoque, si ad actum proximum processisset, capite puniretur; alibi per locorum Statuta pœna Sicariorum ordinaria is, qui ex hujusmodi insidiis inflixit vulnus lethale, puniri solet, etsi postea vulneratus præter spem ex eodem convaluerit. Ant. Matth. *in lib.* 48. *ff. tit. de Sicar. numer.* 4. Vviestner *hic numer.* 99. Jure Canonico circa privationem Asyli hactenus fuit Controversia inter DD. aliqui ex his volebant per insidias occidentem privari Asylo Ecclesiastico; communior negabat, quia putabat, ad effectum Privationis Asyli non sufficere, quòd Homicidium patratum sit quomodocunque per insidias, sed insuper requiri, ut accesserit species amicitiæ cum occiso. Nunc post Const. novissimam cit. tenenda est prima Sententia. 201

Dub. 2. quid Jure Canonico si statutum de Homicidio proditorio? Resp. In hoc quoad privationem Asyli plerique hactenus volebant distingui debere, utrum Homicidium sit proditorium in sensu *largo, & improprio*, in quo sensu proditoriè occidisse dicitur etiam ille, qui clandestina circumventione, vel occulta machinatione quacunque insidiatur vitæ proximi, etiam inimici, eumque nihil mali prævidentem, adeoque ad sui defensionem hìc, & nunc impotentem aggreditur, & necat: an verò in sensu *stricto, & proprio*, in quo sensu proditoriè occidisse ille duntaxat dicitur; qui non præcisè, per insidias, & dolum, sed sub specie amicitiæ, incautum, nihilque tale præcaventem occidit, ut olim Joab occidit Abner Principem militiæ Istael, exhibendo ipsi officiosum amplexum, & Amasam Principem exercitus Juda eum exosculando. 202

In primo sensu Homicidium proditorium communior hactenus sententia voluit non excludere Asylo Ecclesiastico; qui ab Homicidio per insidias, quod putabant Asylo gaudere, non distinguitur; excludi verò acceptum *in sensu altero, & posteriore*, de quo vide *Tit.* 49. *cit. num.* 224. *& seqq.* &c. ubi integrum DD. Catalogum, sententiam hanc defendentium posui, & confirmavi assertionem authoritate Clementis VIII. qui ad casum Panormitanum, cum quatuor illorum, qui Nobilem quendam suum inimicum per insidias ex fenestris tormenti bellici brevioris ictu occiderant, & ad Ecclesiam confugerant, peteretur extraditio, Brevi Apostolico die 6. Februar. 1597. desuper edito disertè declaravit, omnes istos Ecclesiastica Immunitate gaudere, & frui debere, licèt duos illorum ex rationabilibus causis, animum suum moventibus, voluerit Curiæ Sæculari 203

Sæculari tradi. Nunc dicendum, etiam in priori sensu acceptum Homicidium Proditorium excludere ab Asylo, non quia Proditorium, sed quia præmeditatum est, quod Constitutio novissima cit. Asyli Jure privavit.

204 Dub. 3. quæ sit pœna Assassinii? Resp. Jure Civili, & Ordinatione criminali Caroli V. in Assassinos nulla pœna specialis constituta extat, ex usu tamen Tribunalium hujus criminis Rei non simplici mortis pœna afficiuntur. Nam 1. alicubi alligati caudæ equi rapiuntur ad locum supplicii, & prævia ustulatione plectuntur capite. 2. alibi subjiciuntur rotæ, vel huic in altum erectæ imponuntur, vel implectuntur punitorum membra. 3. in quibusdam locis laqueo præfocantur, & cadavera eorum in frustra dissecantur. 4. in nonnullis quoad punitionem æquiparantur Latronibus publicis, quòd istorum instar ad hominis interemptionem lucri cupiditate sint inducti. Placha *lib.* 1. *de Delict. cap.* 19. *num.* 5. Clar. §. *Assassinium n.* 3. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 18. *à num.* 13. *&* 17. Vviestner *hic numer.* 154.

205 Jure Ecclesiastico in Assassinos diversæ sunt latæ pœnæ. Et 1. *Excommunicatio* probabiliùs latæ Sententiæ, non tamen reservata. Joan. Andr. *in cap.* 1. *hoc tit. in* 6. *num.* 5. Farin. *prax. crim. quæst.* 123. *num.* 11. Vivian. *in cap. cit. pr.* Barbos. *ibid. n.* 1. Passerin. *n.* 2. *&* 8. Honor. *hic num.* 21. Pirhing *num.* 24. *& num.* 26. *not.* 7. Vviestner *num.* 151. 2. *Depositio* à Dignitate, honore, ordine, officio, & Beneficio, quæ etiam ipsa ipso facto incurritur, non tamen ante Sententiam Declaratoriam. Clar. §. *fin. quæst.* 36. *num.* 30. *&* 31. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 20. *num.* 10. *vers. sexto.* Farin. *loc. cit. n.* 13. *&* 17. Barbosa *loc. cit.* Passerin. *loc. cit. & n.* 9. Reiffenstuel *num.* 62. *hic* cum reliquis *suprà*. 3. *Infamia*, quæ declarationem criminis Assassinii sequitur. Barbos. *loc. citat. num.* 13. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 43. *num.* 4. Vviestner *num.* 151. 4. *Irregularitas*; nam hæc in omnes eos est constituta, qui Homicidii, vel mutilationis injustæ rei sunt, juxta dicta *num.* 149. *& seqq.* 5. *Privatio Immunitatis* Ecclesiasticæ localis, seu Asyli, juxta dicta *Lib.* 3. *Tit.* 49. *num.* 186. *&* 241. *cum seqq.* 6. *Amissio privilegii* Clericalis: quæ tamen ut inducatur, opus est, ut præcesserit actualis, & realis degradatio, per quam Assassinii reus tradatur Curiæ Sæculari. Pirhing *num.* 26. *citat. not.* 4. 7. *Diffidatio* perpetua à toto Populo Christiano, ita, ut saltem post sententiam declaratoriam criminis Assassinii, instar ejus, qui perduellionis reus est, à quolibet privato impune offendi, & occidi valeant, eorumque bona à consanguineis proximioribus, aut fisco occupari. Sylv. *V. Assassinus num.* 3. Farin. *l. cit. num.* 8. *& duob. seqq.* Barbos. *num.* 1. Passerin. *num.* 11. Honor. *num.* 21. Pirhing *num.* 24. Vviestner *num.* 151. Reiffenstuel *num.* 62.

206 Porro circa crimen hoc Assassinii, & pœnas illi statutas tria ista notari debent. 1. ad probationem istius criminis sufficiunt argumenta probabilia, ut constat ex *cap. pro humani* 1. *hoc tit. in* 6. *fin.* & quidem non tantum ad pœnam extraordinariam, sed etiam ad ordinariam, & capitalem imponendam. Farin. *q.* 123. *cit. num.* 46. Barbos. *in c. pro humani cit. n.* 20. Passerin. *ibid. num.* 12. Pirhing *num.* 26. *not.* 6. 2. Pœnæ ejusdem, saltem quæ de Jure Canonico statutæ sunt, locum habent, etiamsi mors, sive cædes non sit secuta; quia tale mandatum quo præsertim infidelis ad occidendum Christianum pecunia conducitur, atrocissimum reputatur, & cedit in infamiam nominis Christiani. Barbosa *nu.* 8. Passerin. *num.* 5. Pirhing *num.* 25. *not.* 3. 3. eædem pœnæ Canonicæ porriguntur *in cap. citat.* etiam ad eos, qui Assassinum, sive eum, quem ad necem Christiano inferendam pretio conductum sciunt, receptaverint, vel defenderint, vel occultaverint, & ea receptatione, defensione, occultatione verè causa fuerint necis per illum illatæ. Farin. *à num.* 29. Barbosa Passerin. *loc. citt.* Pignatel. *num.* 16. Pirhing *num.* 25. *not.* 3. Vviestner *num.* 153. Neque refert, an constitutus ad occidendum sit fidelis, an infidelis; quamvis enim in textu *cap. pro humani citat.* tantum fiat sermo de Infidelibus, ex communi tamen usu, & sensu Constitutio ejus etiam ad Fideles extenditur. Vviestner *hic num.* 149. Plura videri possunt *Libr.* 3. *Tit.* 49. *n.* 241. *& seqq.*

§. IV.

De Homicidio Casuali.

SUMMARIUM.

207 *&c.* *Utrum Irregularitatem incurrat occidens quando hic vacat omni omnino culpa?*

210 *&c.* *Quomodo puniatur Homicidium casuale culposum, secutum ex actione alias licita?*

216 *&c.* *An Irregularitatem incurrat dans operam rei illicitæ, sed nulla debita diligentia omissa ad Homicidium præcavendum?*

221 *&c.* *Qualis culpa præcedere debeat ad incurrendam Irregularitatem, quæ oritur ex Homicidio casuali?*

228 *&c.* *An Irregularitatem incurrat, qui aliquem occidit in ebrietate?*

233 *&c.* *An qui correptus ira occidit, propterea puniri possit?*

237 *&c.* *An pœna ordinaria Homicidii puniendus sit, qui volens occidere unum, per errorem occidit alterum?*

240 *&c.* *An pro Irregulari habendus sit, qui dubitat, an ex Homicidio Irregularitatem incurrerit?*

HOmicidium Casuale, & Involuntarium, quod *n.* 4. descripsi, dupliciter potest contingere, videlicet 1. ut vacet omni culpa occidentis. 2. ut intervenerit aliqua Istius culpa, eò quòd ab eo non sit adhibita debita diligentia ad Homicidium cavendum.

Quæritur 1. utrum Irregularitatem contrahat occidens, quando hic vacat omni omnino culpa? Resp. negativè: sed ita occidens ab omni omnino pœna immunis est *l. si putator* 31. *fin. ff. ad Leg. Aquil. l. frater* 1. *& l. eum qui* 5. *Cod. ad leg. Corn. de Sicar. Const. crim. Carol. V. art.* 146. *vers. ein andere gleichnus*, Bartol. *in l. perspiciendum* 11. §. *delinquunt ff. de pœn. num.* 3. Farin. *prax. crim. quæst.* 126. *num.* 56. Gaill. *lib.* 2. *obs.* 110. *num.* 38. Layman *l.* 3 *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 4. *num.* 1. Vivian. *in cap.* 9. *hoc tit. pr.* Barbosa *ibidem num.* 1. Zoes. *hic num.* 67. Konig *n.* 34. Vviestner *num.* 67. Reiffenstuel *num.* 176. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *n.* 428. 207

Et hinc 1. ex Homicidio, & mutilatione Irregularitatem non incurrunt infantes, furiosi, amentes, dormientes. *Clem. unic. hoc tit.* ibi, *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc Irregularitatem incurrit.* Vivian. *in Clem. citat. pr.* Barbosa *ibidem n.* 1. *& seqq.* Zoes. *num.* 73. Honor. *n.* 12. Pirhing *num.* 70. *&c.* Konig *n.* 7. Schambog. *n.* 30. *&* 46. Magnif. P. Schmier *loc. cit.* *Proceditque hoc*, etiamsi in hujusmodi furorem culpa sua inciderit. Barbosa *loc. cit. num.* 3. Quod intellige, quamdiu durat furor; nam si occidat, dum lucida intervalla habet, Irregularitas manet. Barbosa *loc. cit.* 208

2 Irregularis non est, qui actioni piæ, honestæ, aut saltem licitæ dat operam, si ex hac præter omnem exspectationem, & opinionem mors, aut mutilatio sequitur, ut dum quis cautè levat ægrotum, aut ei Medicinam ex Medici præscripto porrigit, iste ex hoc moriatur; si dum loco, & tempore debito pila, conis, jaculatione, aut alio honesto ludo se recreat, alium repentè accurrentem trajiciat; si dum campanarum compulsatione populum ad rem Divinam convocat, tintinnabulo casu decidente aliquis opprimatur *cap. lator* 9. *cap. dilectus* 13. *cap. ex litteris* 15. *cap. significasti* 16. *cap. exhibita* 22. *cap. Joannes* 23. *cap. fin. hoc tit.* & notant Barbosa *in cap.* 14. *hoc tit. num.* 1. *& in cap.* 23. *eod. n.* 1. *& seqq.* Gobat *Quinar. tr.* 5. *c.* 20. *n.* 16. *&* 17. Zoes. *num.* 67. Honor. *num.* 29. Pirhing *num.* 46. Schambogen *numer.* 32. *&* 47. Vviestner *numer.* 69. Schmier *numer.* 429. Ratio est, quia Irregularitas ex Homicidio, quod à privato commissum est, pœnæ rationem habet. Pœna autem supponit culpam, quæ tali casu non adest. 209

Quæritur 2. utrum qui operam dat, rei aliàs licitæ, sed quia non adhibet diligentiam ad præcavendum homicidium, vel mutilationem alterius, Homicidium sequitur, ratione talis Homicidii casualis immunis à pœna sit? Resp. negativè; sed Jure Civili quidem conve- 210

conveniri potest ex Lege Aquilia de damno injuria dato liberis, conjugi, sociis, & omnibus, quorum interest, hominem talem occisum non esse: de qua actione agemus *infra Tit. 36. de Injuriis, & damno dato*. Insuper pœna extraordinaria juxta facti, & personarum qualitatem punitur *l. lege* 4. §. *cum quidam* 1. *ff. ad Leg. Corn. de sicar. l. frater* 1. *l. cum qui* 5. *Cod. eod.* & non obscurè insinuatur in *const. crim. Carol. V. art.* 146. §. *der zbathet teiner*.

Porro quænam in quovis casu pœna sit infligenda, considerari debent locorum Statuta, & consuetudines; quæ diversæ admodum in isto sunt, & diversas etiam pro culpæ qualitate pœnas statuunt; nam aliquando, licèt rariùs, pœna Homicidii casualis, & culposi & fustigatio cum relegatione, aut relegatio simplex perpetua, vel ad aliquot annos; aliquando carcer; aliquando mulcta pecuniaria; aliquando, in Bavaria nostra saltem, peregrinatio ad celebrem locum Sacrum cum obligatione inde ferendi testimonium peractæ Confessionis Sacramentalis &c. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 6. num.* 278. Vviestner *hic n.* 76.

12 Nunquam autem propter Homicidium culposum infligitur pœna Ordinaria *Legis Corneliæ de sicariis*, seu ultimum supplicium, adeò ut ne quidem culpa lata locum eidem facit *l. in lege* 7. *ff. ad Leg. Corn. de sicar. Neque obstat*, quod culpa lata æquiparetur dolo: hoc enim procedit in contractibus *l. quod Nerva* 32. *ff. Depositi*; non tamen in Delictis; nam in his ad pœnam ordinariam infligendam non sufficit culpa lata, sed propositum, & directa voluntas occidendi &c. requiritur, ut habetur *l. in lege cit. Constit. crim. art.* 150. Unde non dolo, sed culpa, & absque animo occidendi Homicidium factum præsumitur (nisi aliunde de animo occidendi appareat) siquis armis, ad occidendum ordinariè non usitatis, in alteto mortem causatit, velut si alter alterum, lapide, baculo, cantharo, calceo, sive pede in rixa percusserit, & exinde secuta sit mors, prout pluribus declarat Farin. *quæstio.* 126. *numer.* 127. *& seqq.* & sequitur Engl *hic numer.* 27.

13 Jure Ecclesiastico ex Homicidio culposo contrahitur Irregularitas, ut notant Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 2. *n.* 9. *vers. quantus, &* §. 4. *num.* 5. Suar. *D.* 45. *de Censur. sect.* 5. *numer.* 1. Fagnan. *in cap. ad audientiam* 12. *hoc tit. num.* 1. Vivian. *ibid. pr.* Barbos. *ibid. num.* 1. *& in cap.* 7. *eod. num.* 1. Vvagnereck *in cap.* 8. *in Exeges.* Vallens. *hic num.* 7. Pith. *num.* 46. *&* 55. Engl *n.* 48. Vviestner *n.* 77. Reiffenstuel *n.* 181. & sumitur 1. ex *c. continebatur* 8. *hoc tit.* ubi Irregularis pronunciatur Clericus, quòd falcem non removerit à tergo, in quod alius ex more regionis insiliens, lethaliter est vulneratus. 2. ex *cap. Presbyterum* 7. *eod.* ubi pro Irregulari habetur Presbyter, qui quemdam puerum disciplinæ intuitu percussit in capite, ex qua percussione dein iste post paucos dies expiravit; 3. ex *cap. fin. eod. in* 6. ubi is, qui mandat aliquem verberari, licèt exptesse præcipiat, ne occidatur, Irregularis efficitur, si mandatarius, fines mandati excedens, occidat, & ratione; quia, ut textus addit, mandando *in culpa fuit, & hoc evenire posse debuit cogitare*. *Ratio* autem, quare pœna affici homicidium tale possit, est, quia aliquo modo est voluntarium, & licèt opus secundum se, & ex objecto suo sit licitum, tamen non licitè fit propter annexum periculum homicidii, quòd non fuit debita diligentia vitatum.

14 Hinc Irregularitatem incurrit, qui tectum reficiens poiicit tegulam, per quam viator præteriens occiditur, nisi alta voce præmonuerit, vel signum de more posuerit; quia alias non censetur adhibuisse diligentiam debitam in opere periculoso ad alterius mortem cavendam. *Secus* verò dicendum, si signum posuit, vel clamando præmonuit prætereuntes, ut sibi caverent; tunc enim non fit Irregularis, si ex projectione tegulæ aliquis sit occisus. Farin. *q.* 126. *num.* 22. *&* 23. Gonzal. *in cap.* 11. *hoc tit. num.* 9. Barbos. *in cap. fin. num.* 2. *eod.* Pith. *hic num.* 54.

15 Quare Regula est, Irregularitatem nullam incurrere, qui dat operam rei licitæ, & sufficienter præcavet periculum, ne ex tali actu mors alterius, vel mutilatio consequatur. Et propterea reprobandus est quorundam scrupulus, qui vulnerato, vel ægro subvenire recusant illum levando, ne si fortassis inter eorum manus exspiret, ipsi accelerasse mortem, & propterea Irregularitatem incurrisse censeantur; nam casu, quo adhibuerint cautelam debitam, neque ex delicto (quod in tali casu nullum est) neque ex defectu lenitatis (quia hæc solùm incurritur ex homicidio, vel mutilatione facta authoritate publica) Irregularis efficitur; Nec est verisimile, quòd Pontifices voluerint, per Irregularitatem tollere Charitatem; imò si ex defectu lenitatis Irregularitas oritur, sanè ex ejus contrario, scilicet ipsa lenitate actus misericordiæ, & Charitatis Christianæ oriri non potest.

Quæritur 3. utrum Irregularitatem incurrat ille, qui dans operam rei illicitæ occidit, sed nulla debita diligentia omissa ad Homicidium præcavendum? Affirmant S. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Innoc. *in cap. tua nos* 19. *hoc. tit.* Sylv. *V. Homicidium* 2. *pr.* Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 220. *& seqq.* Fagnan. *in c. ad audientiam* 12. *hoc tit. n.* 19. Honor. *hic n.* 30. & alii præsertim VV. Canonistæ. Moventur 1. *arg. c. dilectus* 13. *& c. ex litteris* 15. *hoc tit* ubi occidentes ab Irregularitate absolvuntur, ex ratione, quòd operam dederint rei licitæ, & adhibuerint diligentiam debitam in Homicidio præcavendo. Igitur Irregulares essent, si operam dedissent rei illicitæ, etsi adhibuissent diligentiam debitam. 2. *c. tua nos* 19. *hoc tit. & c. sententiam* 9. *ne Cler. vel Monach.* ubi Clerici, in Sacris constituti, & Monachi Irregulares fiunt, quando ipsis Medicinam, vel Chirurgiam exercentibus, etiam omni adhibita diligentia, mors sequitur, quòd ejusmodi actus exercitium ipsis illicitum sit extra casum necessitatis; 3. Irregularitas faciliùs contrahitur Homicidio, quod ex illicito, quam quod ex licito opere secutum est *c. dilectus, c. ex litteris & c. Joannes* 23. *hoc tit.* atqui hoc verum non esset, si ex illicito opere secutum eam non induceret, quando debita deligentia adhibetur; ergo &c. 216

Sed meliùs adhibetur distinctio, qua utuntur Castro *de Leg. Pœn. l.* 2. *cap.* 19. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 4. *n.* 10. Sot. *lib.* 5. *de Just. quæst.* 1. *art.* 9. Cordub. *l.* 1. *qq.* 26. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 15. *num.* 3. Sanch. *l.b.* 9. *de Matr. D.* 32. *n.* 5. Suar. *D.* 45. *sect.* 5. *n.* 9. Avil *p.* 7. *sect.* 1. *dub.* 1. Molin. *tract.* 3. *D.* 77. *num.* 5. Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. *&* 3. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 4. *numer.* 4. Fagnan. *in cap. ad audientiam* 12. *hoc tit. num.* 61. Barbos. *in cap.* 9. *eod. num.* 3. Vvagnereck *in cap.* 13. *V. nec dedit not* 2. Monacell. *part.* 2. *tit.* 13. *form.* 3. *n.* 34. Matthæuc. *Offic. Eccl. cap.* 35. *num.* 39. Zoes. *hic num* 69. Engl *num.* 50. Pithing *n.* 65. *& seqq.* Schambog *num.* 41. Vviestner *n.* 80. Reiffenstuel *n.* 195. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *numer.* 439. *& seqq.* Vel enim opus, aut actio illicita, ex qua Homicidium, vel mutilatio sequitur, est ex se periculosa, mortisque, vel mutilationis facilè inductiva, & propterea graviter prohibita, vel non. 217

Si primum, uti sunt exercitium Chirurgiæ, artis Ballistariæ, Torneamentorum respectu alicujus imperiti, contrahitur Irregularitas, si ex tali opere, vel actione sequatur mors, vel mutilatio, etiamsi ad hanc præcavendam omnis diligentia sit adhibita; quia tale homicidium aliquo modo est voluntarium exercenti, scilicet in causa; conf. qui hanc voluit, ex Juris interpretatione, aut præsumptione ipsum homicidium voluisse censetur. *Excipitur*, siquis in casu necessitatis extremæ, & in defectu peritiorum ex misericordia adhibuit medicamentum, quod putavit expedire? tunc enim ab Irregularitate excusat Christiana Charitas. Avil. *dub.* 10. *concl.* 3. Palao *num.* 8. Engl *num.* 50. 218

Si secundum, Irregularitas non contrahitur extra casus in Jure specialiter expressos. Et hinc Irregularis non est Clericus, qui venationi insistens occidit hominem, putans esse feram; aut equo vadens ad fornicandum, vel furandum, si iste rupto freno, ungulis conculcaverit prætergredientem, modò ipse Clericus nesciverit esse ferocem, & ad eum continendum omnem adhibuerit diligentiam: item Irregularis non est adulter, si sequatur inopinata cædes adulteræ; aut Religiosus, contra Prælati sui prohibitionem conis ludens, si globus, è manu ejus fortuitò excussus, hominem improvisò occurrentem prosternat &c. Ratio est, quia cùm opus, cui vacant, 219

quamvis

quamvis illicitum fit ; tamen nec viam patet ad homicidium, nec ratione iftius periculofum fir, ipfum ejufmodi Homicidium nec directè, nec indirectè voluntarium ullo modo, & propterea ad culpam imputari ipfis non poteft.

220 Neque aliud evincunt Argumenta oppofita. *Ad* 1. *N. Conf.* nam Argumentum à fenfu contrario nullam, vel exiguam vim habet in pœnalibus : quod maximè verum eft in Irregularitatibus ; quia iftæ non contrahuntur, nifi in cafibus Jure expreffis. *Neque dicas*, pœnam iftam fufficienter expreffam effe illis Juribus, quibus ftatuitur, quòd Irregularitatem incurrant omnes Homicidæ, & tantùm excipiuntur, qui rei licitæ dant operam ; dicendum enim, quòd generalitas ifta fit limitanda ad fenfum *Clem. un. hoc tit.* ubi non obfcurè excipiuntur Homicidia omnino involuntaria, cujufmodi fæpe funt, quæ fequuntur ex opere illicito. *Ad* 2. cafus ille eft fpecialis ob periculum mortis, prout patet ex dictis *num.* 218. *Ad* 3. adhuc faciliùs Irregularitas contrahitur exercitio operis illiciti, quàm liciti ; quia licito operam dans præfumitur ad Homicidium cavendum adhibuiffe diligentiam debitam, quod non præfumitur in eo, qui actionem illicitam exercet : & idcirco ifte probare debet, fe diligentiam fufficientem adhibuiffe, quod onus non incumbit illi, qui operam dedit rei licitæ.

221 Quæritur 4. qualis culpa five negligentia præcedere debeat ad incurrendam Irregularitatem, quæ oritur ex homicidio cafuali ? *Certum eft* 1. fi Homicidium ortum fit ex opere illicito, de fe periculofo, illud exercentem Irregularem fieri abfque ulla alia culpa ; quia fat magnam commifit culpam, quòd videns, ex opere fuo poffe probabiliter fequi homicidium, aut mutilationem, illud tamen exercuerit. Patet ex *n.* 218. *Certum eft* 2. ad incurrendam Irregularitatem etiam ab eo, qui operam dedit rei licitæ, fi ex ea fecutum eft Homicidium, fufficere culpam latam, faltem pro foro externo ; quia tunc Homicidium fatis voluntarium eft in caufa, quando fcilicet omittitur illa diligentia in cavendo Homicidio, quam homines mediocriter prudentes adhibere folent. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *part.* 3. *cap.* 10. *num.* 4. Gonzal. *in cap.* 11. *hoc tit. numer.* 1. Zoef. *hic num.* 68. Pirhing *num.* 62. Vvieftner *num.* 82. Riffenftuel *num.* 181. Magnif. P. Schmier *de Poteft. Ordin. cap.* 6. *num.* 433.

222 An verò culpa lata omnino requiratur, vel contra fufficiat culpa levis, aut leviffima ad incurrendam Irregularitatem ob Homicidium fecutum ex opere licito, dubiæ quæftionis eft apud DD. Nam 1. aliqui apud Suar. *D.* 45. *de Cenfur. fect.* 5. *num.* 4. fatis communiter putant fufficere culpam levem : quod videtur colligi ex *cap. continebatur* 8. *hoc tit.* nam culpa, vel negligentia, quæ in cafu *cap. citat.* intervenit, videtur non nifi levis fuiffe.

223 2 Alii cum Abb. *in cap.* 7. *de Pœnit. & remiff. num.* 3. Covar. *in Clem. fi furiofus p.* 2. §. 4. *num.* 9. Rofell. *V. Homicidium* 3. *num.* 11. Tabien. *V. Irregularitas* 2. *n.* 4. & aliis apud Suar. *loc. cit. num.* 5. volunt fufficere aliquando etiam culpam leviffimam, tum fcilicet, quando talis culpa eft in committendo, dum non adhibetur debita diligentia in cavendo periculo Homicidii, proveniente ex propria, & pofitiva actione ; fecus, fi ea culpa fit in omittendo, feu non impediendo Homicidium : & ad probandum primum affertionis fuæ membrum allegant *cap. Presbyterum* 7. *& cap. ad audientiam* 12. *hoc tit.* Verùm nec ex iftis, nec ex aliis Juribus clarè conftat, ibi effe fermonem de culpa leviffima, fed potius de levi : quod probari poteft ex *c. lator* 9. *eod.* ubi Pontifex declarat, non effe Irregularem eum Clericum, cujus cum alio luctantis cultello, ad latus appenfo, alter vulneratus, & mortuus eft ; nam ille Clericus non potuit excufari à culpa leviffima, quia ad luctandum cum altero debuiffet cultellum deponere, utpote cùm res per fe fpectata periculo non caruerit, ut rectè advertit Suarez *loc. citat. num.* 6.

224 3 Denique alii exiftimant, neque levem culpam fufficere, fed requiri latam. Ita Avil. *p.* 7. *de Cenfur. D.* 6. *fect.* 1. *dub.* 11. *fin.* Layman *l.* 3. *tr* 3. *p.* 3. *cap.* 10. *n.* 3. & alii : & innuere videtur *cap. quæfitum* 7. *de Pœnit. & remiff.* ubi Papa confultus de Sacerdotibus Græcis, qui filios in lecto oppreflerunt, refpondet, *fi ipfis procurantibus, vel ftudiosè negligentibus, filii in lectis reperiuntur oppreffi, ab Officio Altaris* ipfos *debere perpetuò abftinere* : ubi Gloff. *V. negligentibus*, ait, quòd *diffoluta*, feu ftudiofa *negligentia prope dolum eft*, adeoque culpa lata. Et juxta iftud *cap.* explicandus eft textus *can. confuluifti* 20. *cauf.* 2. *q.* 5. ibi, *Ne negligentia qualibet proveniente, fuffocentur, vel opprimantur* ; nam quod ibi in confufo dixit Pontifex, id diftinctè expreffit *in c. quæfitum*.

Cæterum quidquid fit de præfumptione fori externi, in foro confcientiæ non incurritur hæc Irregularitas ob folam culpam Juridicam, fed neceffe eft, ut interveniat culpa Theologica, cùm fit pœna fpiritualis, adeoque fupponat verum peccatum. Covar. *loc. citat. num.* 9. *verf. ex his*, Molin. *tr.* 3. *D.* 77. *num.* 6. Suarez *fect.* 5. *cit. num.* 7. Pirhing *hic num.* 63. *Neque obftat*, quòd Irregularitas ex homicidio, publica authoritate facto, incurri fine peccato poffit ; nam aliud eft in Homicidio facto à privato ; hoc enim, ut Irregularitatem inducat, debet effe aliquo modo voluntarium, faltem indirectè, & in caufa, quod non fit, quando omnis culpa Theologica abeft. 22

Porro an ad Irregularitatem pro foro confcientiæ inducendam fufficiat culpa Theologica venialis, an verò requiratur mortalis, controvertunt DD. Gloff. *in cap. fignificafti* 16. *V. fciviffet*, Armill. *V. Irregularitas num.* 14. Covar. *in Clem. fi furiofus p.* 2. §. 4. *num.* 9. & alii quidam exiftimant, ex fola veniali hanc poffe Irregularitatem incurri. Sed rectiùs requiritur, ut omiffio diligentiæ debitæ fuerit mortaliter peccaminofa. Ita Sot. *lib.* 5. *de Juft. qu.* 1. *art.* 9. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 251. Henriq. *l.* 14. *cap.* 15. *num.* 7. Suar. *fect.* 5. *n.* 8. Bonac. *D.* 7. *quæft.* 4. *part.* 7. *fin.* Palao *p.* 15. §. 4. *num.* 1. Gonzal. *in cap.* 11. *hoc tit. num.* 1. *& feqq.* Vvagnereck *in cap.* 13. *V. non dedit not.* 6. Pirhing *hic n.* 63. Vvieftner *n.* 82. Magnif. P. Schmier *de Poteft. Ord. c.* 6. *n.* 434. & 435. 22

Sumitur 1. ex *cap. quæfitum* 7. *de Pœn. & remiff.* ubi Pater Irregularis declaratur, fi filii, cum ipfo dormientis, fuffocatio accidit, *eo procurante, vel ftudiofe negligente* : quæ faciens utique graviter peccat. 2. *cap. exhibita* 22. *hoc tit.* ubi ab Irregularitate abfolvitur, qui *ex obitu* occifi *læfam* (videlicet graviter, ut communiter intelligunt DD.) *non habuit confcientiam*. 3. *c. dilectus*, *cap. ex litteris*, *& cap. fignificafti citt.* ubi ab Irregularitate immunes pronuntiantur perfonæ, quæ à peccato levi immunes non erant, ut cum aliis exiftimat Engl *hic num.* 48. 4. *ratione* ; quia Irregularitas cùm fit pœna graviffima ; non videtur effe proportionata culpæ veniali. 22

Quæritur 5. an Irregularitatem incurrat, qui aliquem occidit in ebrietate ? Affirmant Zabarell. *in Clem. un. hoc tit.* Sylv. *V. Homicidium quæft.* 4. *num.* 5. ex ratione ; quia fe inebrians graviter peccat, & in ebrietate occidens aliquando ordinaria Homicidarum pœna, vel faltem extraordinaria plectendus eft, *l. omne delictum* 6. §. *qui fe vulneravit* 7. *verf. per vinum ff. de re militar.* igitur nec ab Irregularitate immunis erit. 22

Sed refpondendum eft diftinguendo : Vel enim occidens Theologicè fuit ebrius, ita, ut privaretur rationis ufu ; vel folùm crapulofus, ut intemperantiore potu factus fit tantummodo animofior. *Si hoc fecundum*, ficut non liberatur à pœna ordinaria Juris Civilis, ita nec ab Irregularitate ; quia ebrietas talis improbitatem confilii non adimit, nec animum dolofum fuffocat. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 3. *n.* 533. Zoef. *hic n.* 74. Konig *n.* 8. Reiffenftuel *num.* 204. 22

Si primum, altera diftinctio eft adhibenda, & videndum, an ebrietas acciderit præter omnem culpam, quòd v. g. vinum multò, quàm æftimabatur, fuerit generofius ; an verò acciderit ex culpa ipfius ebrii ; ftudiosè fe inebriantis. *Si prius*, ita ebrius occidens alterum nec Irregularitatem, nec aliam propterea pœnam incurrit. Layman. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 4. *n.* 2. Barbofa *in Clem. un. hoc tit. num.* 10. Engl *hic num.* 28. Pirhing *num.* 74. Reiffenftuel *num.* 205. & 208. quia ut Auguft. *l.* 1. *retract. cap.* 9. ait, *Omnis pœna, fi jufta eft, peccati pœna eft*. Ponitur autem in hoc cafu nullam adeffe culpam, vel peccatum ; ergo ficut fecundùm dicta *n.* 207. ab Irregularitate immunis eft infans, furiofus, dormiens, fi occidat, ita etiam in hoc cafu ebrius. 23

Si pofte-

Si posterius, applicanda est distinctio tertia, an ira se inebrians præviderit probabile Homicidii, vel mutilationis, à se in ebrietate, committendæ, periculum, quòd noverit in temulentia se arma corripere, & obvior invadere solitum; vel contrà nullum tale periculum præviderit, aut potuerit prævidere. *Si prævidit*, & tamen se inebriavit, pro Irregulari habendus est. Imò etiam in foro Sæculari pœnæ subjacet; non quidem ordinariæ homicidii, sed extraordinariæ, nisi animo occidendi se inebriaverit, prout ex *l. omne delictum* 6. §. *qui se vulneravit* 7. *vers. vinum ff. de re militar.* desumunt Clar. §. *fin. q.* 60. *num.* 12. Tiraquell. *de Pœn. temperand. cas.* 6. *num.* 11. Covar. *in Clem. cit. p.* 3. *pr. num.* 4. Menoch. *de arbitr. cas.* 326. *num.* 3. Less. *l.* 4. *de l. & l. cap.* 3. *num.* 16. Engl *hic num.* 29. Pirhing *nu.* 74. Vviestner *ibid. num.* 72. *Ratio est*, quia ordinaria Legis Corneliæ, sive mortis naturalis pœna solummodo plectitur Homicidium, quod ex proposito, & dolo malo est perpetratum *l. lege Cornelia* 1. *pr.* §. *præterea* 1. & §. *Divus* 3. *l. in lege* 7. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* atqui dolo non occidit, qui id facit in ejusmodi ebrietate *l. perspiciendum* 11. §. *delinquitur* 2. *ff. de Pœnis*. *Neque obstat*, quòd ita inebriando commiserit culpam latam, quæ aliàs æquiparatur dolo; quia, ut jam nuper dixi, æquiparatio hæc locum duntaxat habet in contractibus, non verò in homicidio, & aliis delictis, pœnam corporalem, & infamiam irrogantibus.

232 Si verò ita se spontè inebrians non prævidit, nec potuit prævidere periculum Homicidii in ebrietate sua committendi, ab Irregularitate immunis est, ut rectè advertunt Navar. *Man. cap.* 27. *à num.* 230. Covar. *p.* 3. *pr. cit. n.* 3. Azor *p.* 1. *l.* 7. *cap.* 33. *quæst.* 7. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. Fagnan. *in cap. ad audientiam* 12. *n.* 26. Barbosa *in Clem. un. hoc tit. num.* 10. Zoes. *hic n.* 74. Engl *num.* 28. Pirhing *num.* 74. Vviestner *nu.* 71. Reiffenstuel *num.* 205. & 2. *seqq.* & alii TT. ac Canonistæ. Idem, spectato Jure naturali tantum, immunis est etiam ab aliis Homicidii pœnis. Castro *l.* 2. *de Leg. pœnal. c.* 14. *concl.* 1. Molin. *l.* 3. *de l. & l. D.* 38. *n.* 8. Less. *l.* 4. *de l. & l. cap.* 3. *num.* 27. Laym. *num.* 2. *cit. concl.* 3. Engl Vviestner *loc. citt.* & eò confert *can. inebriaverunt* 9. *caus.* 15. *quæst.* 1. ubi S. Augustinus de Loth in ebrietate incestum committente; *Culpandus est quidem*, inquit, *non tamen, quantùm ille incestus, sed quantùm illa meretur ebrietas*. *Ratio est*, quia hoc casu, licèt aliqua culpa intervenerit in ebrietate, nulla tamen intervenit quoad eædem, hoc ipso, quia ista inopinato accidit. Dixi autem, *spectato Jure naturali*; nam plurium Provinciarum Statuto, vel consuetudine ebrii, quantumvis aliàs impunes sint, ob eventum Homicidii in foro externo extraordinaria pœna plectuntur, juxta §. *qui se vulneravit citat. vers. per vinum*, & *l. aut facta* 16. §. *eventum* 8. *ff. de Pœn.* Bartol. *in* §. *citat.* Laym. *loc. cit. fin.* Vviestner *n.* 75. cum aliis.

233 Quæritur 6. an is, qui ira correptus homicidium committit, propterea puniri possit? Sunt, qui homicidium, in calore iracundiæ commissum ab omni, aut saltem ab ordinaria pœna eximant; quia juxta Philomonem insanimus omnes, cùm irascimur: estque Sapientum consensus, quòd ira sit brevis furor, & temporaria insania. Accedit *l. perspiciendum* 11. §. *delinquitur* 2. *ff. de Pœn.* ubi distinguitur delictum, quod fit ex proposito, ut in publicis Latronibus, ab eo, quod fit ex impetu, e. g. iræ.

234 Sed dicendum, propter iram, quantumvis vehementem, regulariter Homicidam à pœna ordinaria Homicidii non liberari: ostenditur 1. ex *l. aut facta* 16. §. *causa* 2. *ff. de Pœn.* ubi dicitur puniri eum, qui per iram extraneum pulsat. 2. ex *l. si non convitii* 5. *Cod. de injur.* ubi tradunt DD. actionem injuriarum adversùs eum dari, qui in rixam inconsulto calore prolapsus, homicidii convitium objecit. 3. ex *Const. crim. Carol. V. art.* 157. ubi decernitur pœna gladii in eum, qui in ira homicidium fecit, & alia causa legitima non excusatur. 4. ex *Ratione*; quia aliàs punitioni rarò locus esset, cùm ira ad omnia ferè Homicidia incitet.

235 *Excipitur*, si ira sit adeò vehemens, ut etiam rationis usum, dum illa durat, pervertat; tunc enim ita iratus similis est furioso, qui pœnæ ob Homicidium, à se commissum, non est obnoxius. Sed quamvis hoc procedat in foro interno conscientiæ, in foro tamen externo rarò Exceptioni isti est locus; quia tam vehemens ira non præsumitur, nisi probetur. Illud exploratum est, quòd quando justa, & gravis causa iratum ad iram commovit, & is flagrante illo calore, homicidium patraverit, ut si pater, aut maritus filiam, uxorem, aut adulterum in adulterio deprehensos occiderit, non ordinaria, sed arbitraria, & alia mitiore pœna sit coercendus; quia difficillimum est justum dolorem temperare. Carpzov. *pract. crim. p.* 3. *q.* 147. *num.* 55. & *seqq.*

Ad Argumentum oppositum iratus insanire, & ira brevis insania, ac furor dicitur, non per proprietatem, quasi in totum cognitionem, & rationem voluntarii auferat, cùm vix unquam tanta sit, & præsumi possit, ut judicium rationis penitus extinguat; sed per quandam Analogiam, quatenus iræ impetus quodammodo minuit voluntarium, & consultationem, atque electionem prævenit. 236

Quæritur 7. an pœna ordinaria Homicidii puniendus sit, qui volens ex proposito occidere Titium per ignorantiam, sive errorem occidit Cajum? Putant aliqui, istum non puniendum pœna mortis, vel corporali, sed teneri ex Lege Aquilia, & afficiendum pœna arbitraria, propter homicidium non voluntariè, sed casu commissum. 237

Sed dicendum, etiam hoc casu locum esse pœnæ ordinariæ Homicidii; esto enim homicidium hoc casuale sit respectu personæ occisæ, verè tamen ita occidens Homicidium intendit, & intentio effectum habuit: & licèt, si scivisset esse Cajum, non occidisset, tamen non ignoravit esse hominem, quem ignoravit esse hominem, quem occidit; conf. non habuit ignorantiam, quæ tollat voluntarium respectu homicidii in genere: neque enim requiritur ad crimen homicidii, ejusque pœnam ordinariam incurrendam, ut quis in specie noverit personam, quam occidit. Ita Bartol. *in l. perspiciendum* 11. §. *delinquitur* 2. *num.* 7. *ff. de Pœn.* Covar. *in cap. alma part.* 1. §. 10. *num.* 4. Gonzal. *in cap.* 11. *hoc tit. num.* 12. Zoes. *hic num.* 16. Pirh. *ibidem num.* 19. 238

Idem eadem ex ratione dicendum de casu, quo aliquis sagittam projicit animo vulnerandi Mævium, & casu ibi aderat Sempronius, qui occisus est. Conf. utroque in casu ita occidens etiam Irregularis efficitur, & quidem ex Homicidio voluntario. Suar. *D.* 45. *de Censur. sect.* 6. *num.* 18. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 5. *num.* 4. Secus esset, si quis projecisset sagittam animo occidendi feram, & debitam diligentiam adhibuisset, ne hominem occideret; quia eo casu occisio hominis voluntaria ipsi non est, etiam indirectè. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. *cap.* 4. *num.* 10. Suar. *sect.* 6. *n.* 14. Palao *num.* 4. *fin.* 239

Quæritur 8. an pro Irregulari haberi, & se gerere debeat, qui dubitat, an ex Homicidio incurrerit Irregularitatem? Satis certum videtur, non habendum pro Irregulari eum, qui dubitat de Jure v. g. an actui, quem exercuit, Irregularitas sit imposita. Suar. *D.* 40. *de Censur. sect.* 5. *num.* 4. Sanch. *lib.* 1. *mor. cap.* 10. *num.* 42. Gonzal. *in cap.* 12. *n.* 2. Vvagnereck *ibidem not.* 1. Pirh. *hic num.* 59. *vers. altera pars*, Schamb. *num.* 35. Vviestner *num.* 83. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. cap.* 6. *n.* 444. Ratio est, quia Irregularitas inducenda non est, nisi in casibus Jure expressis, ut sæpe dictum est. Atqui in Jure expressum dici non potest, de quo, an Jus aliquod, vel Canon existat, dubitatur; ergo &c. 240

Difficultas est in dubio facti, e. g. cùm dubitatur, an quis perpetrarit Homicidium; Videtur, quòd ita dubitans similiter pro Irregulari non sit habendus, ex ratione; quia juxta *Reg.* 125. *ff.* & *Reg.* 11. *in* 6. Rei favorabiliores sunt, quam Actores: & hinc in dubio delicto, si istud actor non probet, reus est absolvendus, etsi nihil præstiterit *cap. fin.* §. *sanè de Jurejur. Conf.* quia juxta *Reg.* 65. *in* 6. in dubio melior est conditio possidentis. Sed quisque in dubio, an pœnam, vel obligationem incurrerit, est in possessione libertatis suæ; ergo &c. 241

Sed distinguendum est, an dubitetur de corpore delicti, utrum scilicet homicidium, mutilatio, aut fœtus animati abortus sit factus, an verò, postquam de corpore delicti constat, dubium duntaxat sit, 242

num

num sua dubitantis culpa contigerit. *Si primum*, Argumenta, pro Ratione dubitandi allata, rectè probant eo casu Irregularitatem non incurri; qui non extat speciale Jus, quod tali casu Irregularitatem inducat, & *c. ad audientiam* 12. ac *c. significasti* 18. *hoc tit.* expresse agunt de casibus, ubi constat Homicidium patratum esse. Sanch. *cap.* 10. *cit. n.* 49. Bonacin. *de Censur. quæst.* 1. *part.* 4. *numer.* 4. Dian. *part.* 11. *tr.* 6. *resol.* 24. Barbos. *in cap.* 12. *cit. n.* 2. *&* 3. Gonzal. *ibid. n.* 2. Mendo *de Jur. Acad. lib.* 3. *numer.* 321. Gibalin. *de Irregul. cap.* 4. *quæst.* 1. *num.* 17. Moya *select. qq. tract.* 5. *quæst.* 6. *à num.* 3. Vviest. *hic num.* 84.

243 *Si secundum*, ita dubitans irregularis censendus est. Covar. *in Clem. si furiosus part.* 1. *pr. numer.* 3. Azor *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *quæst.* 10. *fin. & q.* 11. Suar. *D.* 40. *de Censur. sect.* 5. *numer.* 12. *& sect.* 6. *numer.* 10. *&* 11. Sayr. *Clav. Reg. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 23. Sanch. *cap.* 10. *cit. n.* 12. Vvagnereck *in cap.* 12. *cit. not.* 1. Schambog. *hic n.* 34. & clare decisum est *cap. ad audientiam*, *& cap. significasti citt.* Ratio est, quia in dubio tutior pars est eligenda; quæ ratio licèt universalis sit, & videatur probare etiam de prima parte distinctionis, ad eam tamen extendenda non est, cum hic versemur in materia pœnali, in qua Legislator moveri potuit ad aliquid prohibendum, vel speciali pœna afficiendum ex ratione, quæ etiam pro aliis casibus militat, in quibus tamen non voluit propterea esse eandem constitutionem Juris.

244 Proceditque resolutio hæc non tantùm in Homicidio injusto, sed etiam in justo, quod fit in bello offensivo, si constet aliquem, vel aliquos interfectos fuisse in pugna, cui interfuit, qui dubitat, an sua manu aliquis occisus sit, nam hic, si pro parte affirmativa verisimiles conjecturæ adsint, in tali dubio tutiorem tenere viam, & ab Ordinibus usque ad Dispensationem abstinere debet *cap. petitio* 24. *hoc tit.* Secus est, si leve solummodo dubium sit; tunc enim videtur melior esse conditio possidentis jus accipiendi Ordines. Engl *hic numer.* 58. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ordin. cap.* 6. *numer.* 417.

§. V.

De Dispensatione in Irregularitate orta ex Homicidio, vel Mutilatione, & de Compensatione damnorum inde secutorum.

SUMMARIUM.

245 *&c. In Irregularitate, quæ oritur ex Homicidio quocunque, potest dispensare Pontifex.*

249 *Episcopus solùm in ea, quæ oritur ex Homicidio casuali occulto.*

250 *Non verò in ea, quæ oritur ex Homicidio Voluntario sive justo, sive injusto.*

251 *&c. Exceptiones.*

255 *&c. An Episcopus dispensare possit in Irregularitate, quæ orta est ex mutilatione voluntaria, si hæc occulta sit;*

259 *&c. Quando censeatur Homicidium, aut Mutilatio occulta esse?*

261 *&c. Quando crimen istud dici possit deductum esse ad forum contentiosum?*

264 *&c. An Episcopus dispensare possit in Irregularitate, quæ orta est ex Delicto, deducto ad forum contentiosum, Judicio per sententiam finito?*

266 *&c. Quam potestatem dispensandi in hujusmodi Irregularitate habeant Prælati Regulares, & alii privilegiati?*

269 *&c. An, & quatenus occisor, vel vulnerator teneatur compensare damnum per homicidium, aut vulnerationem illatum?*

273 *&c. Quid requiratur, ut ille ad hoc teneatur?*

245 QUæritur 1. an dispensari in Irregularitate hac possit? Videtur non posse, saltem si orta sit ex Homicidio injusto; quia videtur inducta Jure Divino, veteri quidem *l.* 2. *Reg. cap.* 7. *vers.* 5. ibi, *Non ædificabis mihi templum; quia vir sanguinum es*; novo autem 1. *Tim.* 3. *v.* 3. ibi, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum -- non percussorem.*

246 Sed revera ex istis textibus non evincitur, quòd in Irregularitate ex Homicidio, etiam injusto, non dispensare possit saltem Pontifex. Non *primus* Legis Veteris; quia prohibitio illa inter Leges cæremoniales est referenda, quæ morte Christi exspirarunt; non *secundus* S. Pauli; quia ad summum probat, quòd Irregularitas Bigamiæ, & Homicidii ortum habeat ex præcepto Apostolico, & sit ex illis, de quibus idem Apostolus 1. *Corinth.* 11. *vers.* 34. ait, *Cætera, cùm venero, disponam.*

Neque obstat, quòd Irregularitas ista dicatur indispensabilis; quia talis dicitur, non quasi omnino in illa dispensari nequeat, sed quòd consueverit in ea dispensari rarò, & per quam difficulter, ac ferè tantùm cum Religiosis, & qui Mendicantium Ordinem ingredi volunt, ut cum aliis notant Abb. *in cap.* 6. *hoc titul. numer.* 12. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. §. 3. *num.* 3. Pirhing *hic num.* 125. Schambogen *num.* 98. Reiffenstuel *num.* 216. 24

Hinc dicendum, in Irregularitate hac dispensare posse saltem Summum Pont. qui supra omne Jus Ecclesiasticum est. Abb. *loc. cit.* Sylv. *V. Homicidium* 3. *qu.* 8. *dict.* 2. Covar. *num.* 3. *citat.* Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 3. *num.* 1. Engl *hic num.* 64. Pirhing *num.* 125. Schambog. *nu.* 98. Reiffenstuel *num.* 215. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. cap.* 6. *num.* 451. 24

Quæritur 2. an dispensare in hac Irregularitate orta ex homicidio possit etiam Episcopus? Resp. distinguendo inter Irregularitatem ortam ex Homicidio voluntario, & inter eam, quæ orta est ex Casuali. In Irregularitate, quæ oritur ex *Homicidio casuali* quocunque occulto, quantumvis illud ex opere illicito secutum, & in eo præcavendo debita diligentia omissa sit, dispensare potest Episcopus. Navar. *Manual. cap.* 27. *numer.* 219. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 10. *num.* 2. Gutier. *qq. Can. lib.* 1. *c.* 65. *num.* 13. Mirand. *Man. Prœl. tom.* 2. *q.* 8. *art.* 3. *concl.* 2. *&* 3. Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 12. *num.* 2. *assert.* 4. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 39. *nu.* 48. Zoes. *hic num.* 85. Pirhing *num.* 127. Konig *num.* 33. Et hinc dispensare potest Episcopus 1. cum eo, qui mulierem prægnantem incautè percussit, & sic abortui causam dedit. 2. cum eo, qui tegulam ex tecto incautè dejecit, ex cujus lapsu præteriens aliquis est occisus. 3. cum eo, qui mandavit alterum citra mortem percuti, si mandatarius omnino occidit &c. *Ratio est*, quia Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* Homicidium casuale non excipit. 24

Contrà in Irregularitate, quæ orta est ex *Homicidio voluntario*, potestate ordinaria dispensare Episcopus nequit, sive deinde justum illud sit, & induxerit Irregularitatem ex defectu lenitatis, sive injustum, & Irregularitatem causaverit ex delicto. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 217. *& lib.* 5. *consl.* 39. *hoc tit.* Covar. *in Clem. si furiosus p.* 2. *pr. &* §. 1. *num.* 2. Suar. *D.* 47. *de Censur. sect.* 6. *fin.* Avil. *p.* 7. *D.* 6. *sect.* 5. *dub.* 1. *concl.* 1. *& dub.* 3. *concl.* 1 *&* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 12. *assert.* 1. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 15. §. 3. *num.* 1. Vinc. Petra *tom.* 2. *comment. fol.* 173. *num.* 17. Honor. *hic numer.* 23. Zoes. *num.* 84. Pirhing *num.* 125. *&* 129. Reiffenstuel *n.* 219. *&* 220. quia Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Homicidium voluntarium expressè excipit. 25

Et procedit hoc, quamvis Homicidium tale occultum adhuc sit, & necdum ad forum contentiosum deductum. *Excipitur* 1. casus urgentis necessitatis ad vitandam infamiam, vel scandalum, aut aliud grave peccatum, & si non sit facilis recursus ad Papam; nam tunc dispensare cum Irregulari, qui occultum commisit homicidium, pro foro conscientiæ potest Episcopus, ut in Ordinibus etiam Sacris ministrare, & celebrare possit, quamdiu culpa, & defectus occultus manet, & donec Dispensatio à Papa impetretur. Avil. *loc. cit. dub.* 3. *concl.* 1. *fin.* Layman *cap.* 12. *assert.* 6. Pirh. *n.* 125. *fin.* Schambog. *n.* 98. 25

Excipitur 2. casus, quo in defensione sui invasus ab injusto aggressore non observavit moderamen inculpatæ tutelæ; nam quamdiu Homicidium tale occultum est, dispensare in Irregularitate inde orta pro eodem conscientiæ foro potest Episcopus. Navar. *Man. cap.* 27. *numer.* 239. Molin. *tract.* 3. *de J. & J. D.* 79. *num.* 8. Avil. *loc. cit. dub.* 5. *concl.* 1. Laym. *cap.* 12. *num.* 2. *concl.* 3. Pirhing *hic n.* 128. Zoes. *nu.* 85. Schamb. *num.* 102. Vviestner *num.* 166. Reiffenstuel *num.* 221. 25

Ratio

Ratio eſt, quia in *cit. Decret. Concil.* quoad poteſtatem diſpenſandi in Irregularitatibus, provenientibus ex delicto occulto, solùm excipitur homicidium directè, & ſimpliciter voluntarium, & illicitum, homicidium verò, defenſionis causa factum, ſed cum exceſſu inculpatæ tutelæ, eſt quidem illicitum ratione hujus exceſſus, non tamen eſt ſimpliciter involuntarium; quia non ſponte, ſed coactè fit ob neceſſariam ſui defenſionem, in qua solùm quoad modum peccatur. *Neque obſtat*, quod Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de reformat.* dicatur, in homicidio caſuali commiſſo, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, diſpenſationem committendam eſſe Ordinario loci, aut ex cauſa Metropolitano, vel Epiſcopo viciniori: quo videtur ſignificari, commiſſionem non eſſe factam, ſed faciendam à Papa. Nam ibi ſermo eſt de Homicidio caſuali, aut neceſſario publico, non autem de occulto, ut patet ex verbis ſubjunctis; *qui non niſi, cauſa cognita, & probatis precibus, & narratis, nec aliter diſpenſare poſſit*, Pirhing *num.* 128.

253 *Excipitur* 3. quandocunque homicidium occultum eſt, & non ex propoſito, ac directè, ſed indirectè ſolùm, & in cauſa intentum, ut ſiquis in rixa ſubitò contingente ira ſuccenſus, occidat authorem rixæ, ne ab illo occideretur. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 240. & *lib.* 5. *conſ.* 27. *hoc tit.* Suar. *D.* 44. *ſect.* 1. *n.* 4. Avil. *p.* 7. *D.* 6. *ſect.* 5. *dub.* 5. *concl.* 3. Layman *cap.* 12. *cit. aſſert.* 4. Antonell. *de Regim. Eccl. Epiſc. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 12. Pirhing *num.* 127. Konig *num.* 33. Vvieſtner *num.* 166. Magnif. P. Schmier. *de Poteſt. Ordin. cap.* 6. *num.* 466. Ratio eſt, quia licèt hujuſmodi homicidium non ſit merè caſuale, non tamen eſt ſimpliciter, & perfectè voluntarium, cùm non fiat ex propoſito directo, & formali, ſed ſolùm eſt voluntarium ſecundùm quid indirectè, & in ſua cauſa, & veluti mixtum ex voluntario, & caſuali, ſecundum doctrinam S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 8. ideoque probabile eſt, quòd à *Trid.* ſub exceptione homicidii voluntarii non fuerit comprehenſum; & conſ. quòd Epiſcopus in Irregularitate, quæ ex hujuſmodi Homicidio caſuali mixto, & occulto exorta eſt, diſpenſare poſſit.

254 Dixi, *Quando hujuſmodi Homicidium caſuale mixtum occultum eſt*; nam quando publicum eſt, & notorium, vel ad forum contentioſum deductum, in Irregularitate, exinde orta, ſaltem ad Ordines SS. & Beneficium Curatum obtinendum diſpenſare nequit; quia Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* ſolùm tribuit Epiſcopo poteſtatem diſpenſandi in Irregularitatibus, ortis ex delicto occulto. Addidi *ſaltem ad Ordines SS. & Beneficium curatum obtinendum*; nam ad Ordines Minores, & Beneficium Simplex etiam poſt *Trident.* diſpenſandi poteſtatem adhuc habet Epiſcopus cum eo, qui ex Homicidio caſuali mixto, ſive indirectè voluntario Irregularitatem incurrit, quamvis Homicidium illud notorium, & publicum ſit, ut bene notat Pirhing *loc. cit.* & rationem dat; quia ex Jure antiquo id poterat Epiſcopus, ut quoad Ordines minores conſtat ex *cap. ad audientiam* 12. *hoc tit.* & quoad Beneficium *c. fin. in fin. de Cleric. pugn.* Concilium autem non abſtulit Epiſcopis, quod poterant Jure antiquo quoad Homicidium indirectè voluntarium. Imò idem Pirhing *loc. citat.* addit, poſſe Epiſcopum cum hujuſmodi Homicida quantumvis publico diſpenſare etiam ad Beneficium Curatum jam obtentum retinendum.

255 Quæritur 3. an Epiſcopus diſpenſare poſſit in Irregularitate, quæ orta eſt ex mutilatione voluntaria, ſi hæc occulta ſit; Negant Medin. *in Summ. lib.* 1. *cap.* 11. §. 12. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 9. *num.* 3. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *num.* 49. Franc. Leo *Theſaur. for. Eccl. p.* 1. *cap.* 8. *num.* 89. ob paritatem cum Homicidio, cui mutilatio quoad Irregularitatem æquiparatur *can. ſiquis abſcidit* 4. *diſt.* 55. ubi mutilans *Homicida* vocatur.

256 Sed meliùs affirmativam defendunt Navar. *Man. c.* 27. *num.* 240. Suar. *D.* 44. *de Cenſur. ſect.* 4. *num.* 35. Garz. *p.* 7. *de Benef. cap.* 11. *à num.* 3. Avil. *p.* 7. *D.* 6. *ſect.* 5. *dub.* 4. Bonac. *D.* 7. *q.* 4. *p. ult. circa fin.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 12. *n.* 1. *aſſert.* 2. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *p.* 15. §. 3. *num.* 3. Barboſa *in Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform. num.* 36. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 71. Antonell. *de reg. Eccl. Cath. l.* 2. *cap.* 8. *n.* 11. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 35. *n.* 45. Engl *hic n.* 64. Pirhing *n.* 126. Schambog. *num.* 99. Vvieſtner *n.* 167. Reiffenſtuel *n.* 226. eſtque ita deciſum à *S. Congreg.* ut *cit.* DD. teſtantur.

Ratio eſt, quia S. Synodus Trid. *ſeſſ.* 24. & *cap.* 6. *citt.* tantum excipit Irregularitatem ortam ex Homicidio voluntario; igitur cum exceptio firmet Regulam in caſibus non exceptis, dicendum, in Irregularitate, quæ orta eſt ex mutilatione, ſi hæc occulta ſit, Epiſcopum diſpenſare poſſe, præſertim cum iſta ſit delictum multo minus Homicidio. *Conf.* poteſtas diſpenſandi *cap.* 6. *citt.* conceſſa Epiſcopis eſt beneficium Principis, & quidem inſertum Juri communi; & indulta eſt non tam perſonæ, quàm Dignitati; igitur latè interpretanda, & exceptio ibi facta ad caſus non expreſſos extendi non debet. 257

Ad Argumentum contrarium dico, Homicidium, & mutilationem æquiparari quidem quoad Irregularitatem contrahendam, non tamen quoad gravitatem culpæ, & diſpenſationem. 258

Quæritur 4. quando Homicidium caſuale, mutilatio, aut aliud delictum adhuc cenſeatur eſſe occultum, ut in Irregularitate, per illud incurſa, diſpenſare Epiſcopus poſſit? Diverſæ ſunt DD. ſententiæ. Communis illud delictum ad effectum diſpenſationis pro occulto habetur, quod neque eſt evidens, neque ſive ex natura ſua, ſive ex accidenti probari poteſt. Ita Zabarell. *in cap.* 7. *de cohabit. Cler. & mulier. num.* 18. Abb. *ibidem num.* 7. Boich. *num.* 5. Riccius *prax. deciſ.* 523. Garz. *p.* 7. *de Benef. cap.* 11. *num.* 46. Gutier. *qq. can. l.* 1. *cap.* 13. *num.* 27. Fagnan. *in cap.* 7. *cit. num.* 126. Corrad. *prax. Diſpenſ. Apoſt. lib.* 7. *c.* 7. *num.* 13. Vvieſtner *hic num.* 168. 259

Ex quo ſequitur 1. non obſtare, quòd pro Diſpenſatione ſupplicans Epiſcopo, de crimine inducente Irregularitatem ſuſpectus, vel diffamatus ſit; quia ſuſpicio ad probationem non ſufficit. 2. etiam non obeſt quòd illud crimen commiſſum ſit coram uno tantum, vel coram pluribus quidem, ſed qui à teſtimonio dicendo Jure, aut facto impediuntur; nam adhuc verum eſt, quòd tale crimen probari nequeat. 3. imò nec obeſt, quòd ab aliquibus ſciatur, & probari inſuper poſſit, ſi excuſari, vel tergiverſando celari poſſit; quia nondum notorium eſt, ad quod requiritur, ut nulla excuſatione, vel tergiverſatione celari poſſit. Videantur dicta *Tit.* 1. *à num.* 1. 260

Quæritur 5. quando crimen Irregularitatem inducens cenſeatur ad forum contentioſum deductum, ut per hoc Epiſcopo tollatur poteſtas diſpenſandi in Irregularitate? Reſp. duo requiruntur. *Unum* eſt, ut ſuper eo conteſtata ſit lis. Boſſius *de Jubil. privil. ſect.* 1. *caſ.* 10. §. 3. *num.* 36. Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg.* 39. *num.* 29. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *p.* 7. *num.* 11. Gavant. *Man. Prælat. V. abſolutio* 12. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *n.* 93. Vvieſtner *hic n.* 170. Reiffenſtuel *num.* 232. Magnif. P. Schmier *de Poteſt. Ordin. cap.* 6. *num.* 474. *Ratio eſt*, quia forum contentioſum dicitur ex eo, quòd in ipſo, ſive in Judicio contendatur; atqui non contenditur in foro, ſive Judicio, antequam inter partes contradictio detur, quod per litis conteſtationem contingit. 261

Alterum eſt, ut crimen, ita deductum in Judicium, & forum contentioſum, in eodem cum effectu probari potuerit. Araujo *de Stat. Eccl. tract.* 3. *caſ.* 6. *num.* 27. Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. D.* 34. *num.* 57. Barboſa *Alleg. citat. num.* 33. Gobat. *Theol. Exper. tr.* 7. *num.* 379. Paul. Leon. *prax. S. Pœnit. p.* 2. *cap.* 1. *n.* 64. Vvieſtner *hic num.* 171. 262

Ex quo ſequitur, diſpenſationem Epiſcopalem ſuper Irregularitate non impediri ſola accuſatione, denuntiatione, aut citatione criminoſi; imò nec litis conteſtatione, ſi Judicium per ſententiam Rei abſolutoriam finitum eſt; vel etiam ſine ſententia, quòd accuſator Delicti probationem non fuerit proſecutus. Barboſa *loc. cit. num.* 39. Palao *num.* 12. Vvieſtner *num.* 171. Schmier *num.* 475. 263

Quæritur 6. an Epiſcopus diſpenſare in Irregularitate poſſit, quæ orta eſt ex delicto, deducto ad forum contentioſum, poſtquam Judicium finitum eſt per ſententiam condemnatoriam Rei, & executionem illius? Affirmant Avil. *part.* 7. *D.* 10. *dub.* 7. Hurtad. *diffic.* 20. *num.* 68. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 21. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 9. *num.* 5. Dian. *p.* 4. *tract.* 2. *reſ.* 97. 264

ex ratione,

ex ratione, quod reo punito, jam obtentus sit finis, ob quem à S. Synodo Trid. negata Episcopis est potestas dispensandi in Irregularitate, ne scilicet minueretur authoritas Curiæ de eo cognoscentis, & reus per absolutionem subtraheretur à pœna, Reip. ob scandalum offensæ præstanda.

265 Sed tenenda est negativa Sententia, quam etiam defendunt Gutier *l.* 1. *can. qq. cap.* 3. *num.* 10. Garz. *p.* 7. *de Benef. cap.* 11. *num.* 50. Barbosa *de Potest. Episc. alleg.* 39. *num.* 35. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 7. *num.* 13. Dalvin. *de Potest. Episc. cap.* 21. *fin.* Wiestner *hic n.* 172. estque declaratum *à Sacr. Congr.* ut testantur DD. *citt.* Ratio est, quia Trid. *sess.* 24. *& cap.* 6. *citt.* Episcopo potestatem sustulit dispensandi in Irregularitate orta ex crimine notorio; tale autem est, & manet crimen, etiam post sententiam condemnatoriam, & hujus executionem; imò per hoc evadit notorium notorietate Juris; ergo &c.

Ex quo patet ad Argumentum adversæ Sententiæ; dicendum enim, rationem denegatæ facultatis non fuisse unicam ibi relatam.

266 Quæritur 7. quam potestatem dispensandi respectu suorum subditorum habeant Prælati regulares? Resp. in Societate Jesu, & aliis Ordinibus Mendicantibus Prælati istorum Ordinum in foro conscientiæ dispensare possunt cum subditis suis Regularibus in omnibus Irregularitatibus, ortis ex delicto occulto, etiam Homicidii, Mutilationis, & enormis sanguinis effusionis, ut constat ex *Compend. Privil. Societate Jesu V. Dispensatio* §. 5. *&* 6. Hæc facultas, ut §. 6. *cit. fin.* annotatur, communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confessariis, quibus ipsi eam commiserint, præterquam in Irregularitate ex Bigamia, & aliis tribus casibus in §. 5. contentis, nempe Homicidio, Mutilatione, enormi sanguinis effusione, qui Præposito Generali reservantur. In aliis Ordinibus Religiosis attendenda in hoc sunt specialia ipsorum Statuta, & Privilegia.

267 Cæterùm Privilegia hujusmodi dispensatoria juxta terminos concessionis intelligenda, & explicanda sunt. Quibus concessum est privilegium dispensandi in omni Irregularitate, excepta Bigamia, & Homicidio voluntario, vi illius dispensare possunt in omni Irregularitate; proveniente ex Homicidio indirectè, & imperfectè voluntario, & in eo, quod factum est ob defensionem cum excessu moderaminis. Item in Irregularitate ob defectum perfectæ lenitatis, quale est Homicidium justum, commissum à Judice, & quam incurrit accusator, testis; & similes concurrentes ad illud, & similes in bello justo. Avil. *part.* 7. *D.* 6. *sect.* 5. *dub.* 1. *&* 2. Layman *libr.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 12. *numer.* 4. *assert.* 7. Pirhing *hic numer.* 130. Schambogen *ibidem numer.* 105. *Ratio est*, quia homicidium justum proprie, & in rigore loquendo non est homicidium, sed hominis occisio, quæ non est crimen; & homicidii voluntarii nomine in illa exceptione, quæ semper fieri solet in hujusmodi Privilegiis, intelligitur homicidium injustum.

268 Aliud est, si per privilegium specificè & expresse concedatur facultas dispensandi in homicidio casuali; tunc enim vi illius non potest dispensari in Irregularitate ex defectu lenitatis, ut cum Avil. *loc. citat. concl.* 3. monet Pirhing *num.* 130. *citat.* & rationem dat, quia homicidium justum est directè voluntarium, non item casuale. Præterea monet Layman *loc. citat.* si facultas dispensandi in Irregularitatibus tantùm concessa sit Regularibus pro foro conscientiæ, ea ipsos non debere facilè uti, si factum sit notorium; quia talem dispensationem Episcopi in foro externo non tenentur admittere.

269 Quæritur 8. an, & quatenus occisor, vel vulnerator teneatur illis, quibus per homicidium, aut vulnus damnum intulit, compensationem pecuniariam facere? Resp. 1. debet reficere expensas in Medicos, & Chirurgos, seu generaliter in curationem vulneris factas *cap. si rixati* 1. *de Injur. l. qua actione* 7. *pr. ff. ad Leg. Aquil. l. fin. ff. de his, qui effuderint &c.* Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 6. *numer.* 1. *pr.* Engl *hic num.* 37. Sumptus tamen funeris non veniunt in restitutionem, nisi occasione necis illatæ v. g. extra Patriam majores fieri oportuerit. Petr. Navar. *lib.* 4. *c.* 1. *num.* 73. Azor *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 5. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 83. *num.* 1. *vers. Navarrus*, Layman *c.* 6. *citat. num.* 2. *assert.* 3.

2 Si vulneratus ejus conditionis sit, ut quotidiano labore victum, aut lucrum quærat, quo lucro jam propter vulnus caret, etiam eo nomine compensatio facienda est *cap. si rixati cit. & l. fin. ff. de his, qui effuderint &c.* Layman *loc. citat. num.* 1. Engl *num.* 37. Deducendæ tamen sunt expensæ, quas vulneratus lucrum quærendo fecisset, verb. grat. si pingendo tabulam debuisset emere colores, & alia materialia, quia non est lucrum, nisi deductis expensis. Engl *loc. citat.* Non verò deduci debet æstimatio laboris intermissi, ut bene Sot. *lib.* 4. *de Just. quæst.* 6. *art.* 3. *circa* 3. *argum.* Covar. *var. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 7. Petr. Navar. *cap.* 1. *cit. num.* 68. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 9. *dub.* 19. Layman *num.* 1. *cit. vers. sed dubitant*, Engl *num.* 37. contra Major. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 19. Rebell. *p.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 13. Molin. *tract.* 3. *D.* 87. *concl.* 1. *Ratio est* tum, quia alioquin parum, vel nihil restituendum foret, cum lucrum plerumque labori commensuratum sit; tum quia operarius libenter laborem ejusmodi subit pro necessario victu, aut pro lucro. 270

3 In fœmina compensatio etiam facienda cicatricis, aut deformitatis, ex vulneratione, aut mutilatione, sed tantum tunc, quando propterea difficilius nubit; tali enim casu verè patitur damnum pretio æstimabile. Secluso hoc damno, ante sententiam Judicis pro cicatricis deformitate, aut membri etiam, vel ipsius vitæ jactura nulla compensatio est facienda, ut contra Sot. *lib.* 4. *de Just. quæst.* 6. *art.* 3. Sylv. *V. Restitutio* 3. *quæst.* 2. Azor *cap.* 3. *cit. quæst.* 4. docet Gloss. *in cap.* 1. *de injur.* Navar. *Man. cap.* 45. *num.* 22. Gomez *tom.* 3. *resolut. cap.* 6. *dub.* 23. *&* 25. Vasq. *de Restit. cap.* 2. §. 3. *dub.* 6. Layman *cap.* 6. *citat. num.* 2. *assert.* 2. *Ratio est*, quia vita hominis liberi, membrorumque integritas, & incolumitas alterius generis, altiorisque ordinis sunt, quàm ut in commutationem pro pecunia venire, & quasi venalia fieri possint. Similiter etiam non tenetur Homicida ex justitia, ante sententiam, ut pro anima occisi Sacrificia, preces, eleemosynas Deo offerre. Layman *loc. citat. vers. deinde*; quia nemo tenetur resarcire damnum ex bonis diversi generis, & ordinis, si in eodem non possit. Dixi *ex Justitia, intellige, commutativa, & ante sententiam*; quia nemo negat, quin Judex in foro externo secundùm Justitiam vindicativam decernere homicidæ possit mulctam pecuniariam, applicandam offenso, vel ejus hæredibus. Item in foro interno pœnitentiali rectè faciet Confessarius, si eundem Homicidam pro majori satisfactione obliget ad preces, sacrificia, & alia opera pia, pro anima occisi præstanda. Layman *loc. citat.* Engl *num.* 40. *&* 41. 271

4 Homicida tenetur damnum resarcire illis, qui ex tali Homicidio per se, & directè læduntur, h. e. illis, quibus defunctus ad alimenta, vel rem aliam præstandam ex Justitia obligatus fuit, qua nunc propter mortem ejus carere debent, prout sunt liberi parentes, uxor; item ex probabili sententia Creditores, si propterea debito suo privati fuerint. Layman *num.* 3. *assert.* 4. *& num.* 4. *assert.* 6. Engl *num.* 38. quia occisus arctiore obligatione Justitiæ tenebatur erga Creditores, quàm erga Parentes, uxorem, & filios, quippe quibus alimenta, & hæreditas non præstatur, nisi deducto ære alieno. Familiaribus verò, & Clientibus defuncti ab Homicida non videtur ex Justitiæ lege resarciendum damnum, quod iisdem per accidens ex tali homicidio provenit; cùm enim defunctus ex Justitia ipsis nihil debuerit, non fuit aliquod jus ipsis ablatum, sed omnis injuria tendebat in occisum. Sot. *lib.* 4. *de Just. quæst.* 6. *art.* 3. *circa* 3. *Arg.* Molin. *tract.* 3. *D.* 83. *num.* 6. Layman *num.* 3. *assert.* 5. Porro pro quanto tempore debeat fieri æstimatio alimentorum in casu, quo ista compensanda sunt Liberis, Parentibus, Uxori, nisi in thesi certò determinari non potest; forsan enim occisus, dum vixisset, naturaliter, vel alio casu brevi fuisset mortuus: ideò in qualibet Hypothesi, consideratis circumstantiis personarum, ætatis, valetudinis, loci, & temporis Judex vel transactionem inter partes procurabit, vel per sententiam, quod sibi æquum videbitur, 272

bitur, jubebit restitui. Less. *lib.* 2. *de just. cap.* 9. *dub.* 20. Engl *num.* 38.

73 Quæritur 9. quid requiratur, ut homicida ad restitutionem damni illati teneatur? Resp. 1. requiritur, ut quibus restitutio ob Homicidium facienda est, revera læsi sint; nam si læsio propterea nulla secuta est, nulla etiam est obligatio restitutionis. Et hinc si Liberi, aut Uxor ex bonis occisi pinguem hæreditatem acceperint, utique ipsis nihil est restituendum, cùm ex occisione potiùs lucrum, quàm damnum sentiant. Engl *n.* 39. 2. ut percussus percussori omnem restitutionem non sponte condonarit; tunc enim hæredes nihil exigere possunt. Layman *num.* 3. *assert.* 4. *fin.* Imò ex plurimorum locorum consuetudine, si homicida fuerit affectus supplicio ultimo, nihil ampliùs ab ejus hæredibus petitur, quasi damnum vitæ pœna talionis fatis compensatum fuisse censeatur. Ubi tamen nulla est talis consuetudo, de puncto Juris ex communiori sententia id non obtinet: quia vindicta publica non tollit civilem persecutionem ad damna, & interesse privatorum *l. qui nomine* 25. *ff. ad Leg. Corn. de fals.* Covar. 2. *var. cap.* 10. *num.* 2. Farin. *prax. crim. qu.* 119. *num.* 39. Engl *num.* 39. *hic*, Konig *ibid. n.* 28. 3. ut homicida occidendo peccaverit contra Justitiam. Layman *num.* 5. Ex quibus.

74 *Sequitur* 1. non teneri ad restitutionem ullam eum, qui ab altero injustè invasus est, etsi illum occiderit, si tamen observavit moderamen inculpatæ tutelæ: secus, si istud excessit; tunc enim ad restitutionem modò hactenus recensito tenebitur; probabiliter tamen non ad totum damnum, sed juxta proportionem injusti excessus, ut putant Sylv. *V. restitutio* 3. *quæst.* 2. Sot. *lib.* 4. *quæst.* 6. *art.* 3 *ad* 3. Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 21. *num.* 135. Contrariam tamen sententiam, quòd integrum damnum hoc casu restituendum sit, in rigore veram existimat Layman *num.* 5. *coroll.* 2. ex ratione, quia talis excedendo moderamen, peccat mortaliter; is autem, qui damnum injustè infert culpa mortali, ad integram compensationem tenetur; ergo & iste tenebitur, nisi tamen Judex restitutionem damni condonet, quòd potest facere partim in pœnam injusti aggressoris, partim in satisfactionem injuriæ, quam vulnerans, vel occidens prior acceperat.

75 *Sequitur* 2. similiter non tenetur ad reparationem damni vulnerato, vel ejus hæredibus, qui cum isto ludo periculoso, v. g. hastiludio, congressus est, si ludi leges servaverit, & vulneratio, vel occisio sine dolo, seu formali intentione occidendi secuta sit, propter pactum remissionis, quod implicitè inter ludentes intercedere censetur. Molin. *tr.* 3. *D.* 37. *num.* 4. Layman *coroll.* 1. Quoad pœnam in foro externo distinguendum est, an talis ludus publica authoritate permissus sit, an verò prohibitus. *Si primum*, ait occidenti nulla pœna decerni debet; *Si secundum*, pœna arbitraria affici poterit. Layman *loc. cit.*

76 *Sequitur* 3. pariter ad reparationem damni non obligari, qui provocatus ad pugnam accessit, & provocantem vulneravit, vel occidit, licèt graviter per hoc peccaverit; quia provocans, quantum in se erat, per provocationem intelligitur ipsi dedisse potestatem inferendi damnum, quatenus potuerit. Azor *p.* 3. *l.* 5. *cap.* 3. *quæst.* 7. Less. *dub.* 21. *concl.* 1. Layman *coroll.* 3. Engl *num.* 43. etsi aliter Molin. *D.* 82. Imò si duo ex condicto in Duellum descenderunt, & unus, quicunque ex illis duobus sit, alteri vulnus, aut mortem inferat, ab obligatione damni reparandi vulnerato, vel ejus hæredibus ex sententia communi DD. absolvitur; quia respectu damni ex vulneratione, & morte consecuti alter alterum injuria non afficit? hæc enim non fit volenti, & consentienti. Molin. *D.* 82. *cit.* Less. *dub.* 21. *concl.* 1. *cit. fin.* Layman *coroll.* 1.

Cæterum si Homicidium non sit dolo, sed culpa commissum, qualis tunc culpa ad restitutionem obliget, & an casu, quo occisor, antequam in Judicium fuerit vocatus, est mortuus, hæres ejusdem ad compensationem illius teneatur, dicetur *infrà Tit.* 36. *de Injur. & damn. dat.*

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

1 *Quid sint Torneamenta?*
2 *Quot modis fieri possint?*
3 4 5 *An, & qua ratione sint prohibita?*
6 *An licita sint Clericis?*
7 *Pœna Torneamentorum in casu prohibito.*
8 *Ea celebrantes, si in illis occumbant, privantur Sepultura Ecclesiastica, non tamen S. Viatico.*
9 *Quinam immunes sint ab ista pœna?*
10 *Sub eadem pœna prohibita est agitatio Taurorum:*
11 *Nisi caveatur sufficienter, ne cædes contingat.*

HOmicidii, de quo hactenus, causæ, & occasiones frequentiores sunt Torneamenta, Duella, & Ars Sagittariorum, seu Ballistariorum: hinc ista voluit Ecclesia prohibere, ut Homicidia evitarentur.

Quæritur 1. quid sint *Torneamenta*, & quot modis fieri possint? Resp. *Torneamenta*, Germanicè *Zthurnier*, sunt Nundinæ, sive Hastiludia, & solemnes pugnæ equestres, in quibus milites, sive, ut superioribus Sæculis in Germania frequens erat, Nobilitas equestris ex condicto convenire, & ad ostentationem virium, peritiæ tractandi arma, & audaciæ suæ congredi solent per textum *c. Felicis* 1. *hoc tit.* & notant Host. *hic num.* 1. *in Summ.* Vivian. *in cap.* 1. *cit. pr.* Gonzal. *ibid. num.* 5. Vallens. *hic num.* 1. Zoes. *num.* 1. Honor. *nu.* 1. Engl *num.* 1. Pirhing *num.* 1. Konig *num.* 1. Schambogen *n.* 2. Wiestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 3. *n.* 97. 1

Fieri autem Torneamenta duplici modo possunt. 1. temerè, adhibendo hastas, habentes acutas sibi præfixas cuspides, aliaque arma expedita ad infligenda vulnera. 2. adhibita cautela, utendo v. g. hastis sine cuspide, aut aliis armis hebetatis. 2

Quæritur 2. an, & qua ratione Torneamenta prohibita sint? Resp. distinguendo inter Jus antiquum, & novum; nam veteri Pandectarum Jure etiam primus ex duobus *num. præced.* relatis congrediendi modis videtur fuisse permissus *l. qua actione* 7. §. *si quis* 4. *ff. ad Leg. Aquil. & l. solent* 2. §. *S. C. tum ff. de Aleatorib.* Antiquo autem Jure Canonico etiam alter congrediendi modus per *Clem. V. in Concil. Vienn. Constit.* incipit *Passiones* sub Excommunicatione Papæ reservata erat vetitus, propter immodicos sumptus, qui tunc melius in subsidium Terræ Sanctæ, Bello Sacro fervente, fuissent impensi. 3

Novo Jure tam Civili, quam Canonico solùm prohibentur Torneamenta primo modo exercita, ut patet ex *l. un. Cod. de Gladiator. & cap. felicis* 1. ac *cap. fin. hoc tit.* Ratio additur *cap. felicis citat.* quia inde *mortes hominum, & animarum pericula sæpe proveniant*: unde etiam *ibidem* nuncupantur *Detestabiles nundinæ, vel feriæ*. Neque obstat, quòd *Clemens V.* ut dictum est *num. præced.* Torneamenta prohibuerit generaliter, adeoque etiam ea, quæ secundo modo, & sine vitæ periculo committuntur; nam prohibitio illa dein ad instantiam Regis Franciæ, & Navarræ, nec non Principum Germaniæ à *Joanne XXII. Extrav. unic. hoc tit.* est revocata, ex ea causa, ut plures haberentur exercitati milites, qui mitti possent pro subsidio Terræ Sanctæ contra Barbaros, contra quos tunc adhuc Bellum Sacrum fervebat. Azor *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 15. *not.* 1. Vivian. *in Extrav. citat. pr.* Wagnereck *ibidem in Summ.* Gonzal. *in cap. fin. citat. nu.* 6. Barbosa *in cap.* 1. *citat. num.* 2. Vallens. *hic numer.* 3. Zoes. *num.* 2. Engl *num.* 2. Konig *num.* 3. Schambogen *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 8. 4

Dicendum igitur, Torneamenta, si cum debita moderatione, atque ita instituantur, ut non sit periculum cædis, aut gravis vulneris, nisi casu, & per accidens secuturi, defacto etiam de Jure Canonico licita esse. Ita Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 8. Navar. *Man. c.* 15. *n.* 9. Stephan. Costa *tract. de Ludo art.* 1. §. 2. *num.* 31. Azor *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 15. *not.* 1. Barbosa *in cap.* 1. *cit. nu.* 2. Gonzal. *in c.* 1. *fin. eod. n.* 6. Wagnereck *in Extrav. cit. in* 5

Exeges.

Exeges. Vallens. *hic num.* 3. Zoes. *num.* 2. Konig *num.* 3. Schambog. *n.* 2. Vviestner *num.* 4. Reiffenstuel *num.* 8. & patet ex praxi Aularum, ubi hujusmodi Torneamenta, & innoxii Ludi Equestres in Principum inauguratione, nativitate, nuptiis &c. frequenter, & nemine improbante adhibentur.

6 Quod tamen intelligendum de Laicis tantum: nam Clericis etiam hoc secundo modo accepta Torneamenta prohibita sunt sub pœna Anathematis in Concil. Herbipol. *can.* 4. sub Honorio IV. & Salisburgensi sub Martino V. ut refert Gonzal. *loc. citat. num.* 6. & 11. tametsi enim in hujusmodi Torneamentis nullum immineat profligandæ vitæ periculum, tamen vel ipsa species bellicæ exercitationis, à pace abhorrens, dedecet Clericos.

7 Quæritur 3. sub qua pœna vetita sint Torneamenta primo modo accepta? Resp. si quis in hujusmodi Torneamentis occubuit, occidens plectendus est instar Homicidæ voluntarii, & occisus, si Laicus sit, privatur sepultura Ecclesiastica *cap. felicis* 1. & *c. fin. hoc tit.* Host. *Summ. hoc tit. num.* 3. Barbosa *in cap.* 1. *cit. num.* 1. Engl *hic num.* 2. Pirhing *num.* 2. *not.* 2. Konig *num.* 2. Schambogen *n.* 2. Reiffenstuel *num.* 6.

8 *Proceditque* hoc, etsi pœnitens decesserit, in hoc enim casu S. Viaticum quidem ei non denegatur, non tamen Sepultura Ecclesiastica conceditur *can. si quis* 6. *caus.* 26. *quæst.* 6. Gloss. *in cap.* 1. *V. negetur hoc tit.* Host. *in Summ. hic num.* 3. Vivian. *in cit. vers.* & *vulnerato*, Barbosa *ibidem n.* 7. Gonzal. *ibidem n.* 1. & *in c. fin. num.* 3. Vallens. *n.* 2. Zoes. *n.* 1. Honor. *n.* 2. Schambog. *n.* 2. Et sic conceditur ei, quod majus est, scilicet Corpus Christi, & quod minus est, nempe Sepultura Ecclesiastica prohibetur, ex causa, ut potiùs consulatur vivis, quàm defunctis, nempe ut vivi deterreantur à talibus, cum viderint decedentes ex hujusmodi Torneamentis sepeliri extra locum Sacrum. Gonzal. *loc. citat. num.* 8.

9 Ab hac pœna immunes sunt 1. Clerici; nam si occisus sit Clericus, in hujusmodi Torneamentis pugnans, pro eo quidem fieri prohibentur Oblationes, & Orationes publicæ; si tamen decesserit pœnitens, quia est persona Deo dicata, sepultura Ecclesiastica non privatur *can. quicunque Clericus* 4. *caus.* 23. *quæst.* 8. Host. *hic in Summ. num.* 4. 2. etiam Laici, qui non animo ludendi, sed ad recipienda credita ad locum, Torneamentis exercendis destinatum devenerint; licèt enim ibi casu fortuito, qui prævideri non potuit, objerint, corpora tamen eorum dispensatione, scilicet illa generali, qua conceditur sepultura in Cœmeteriis omnibus Christianorum corporibus, Ecclesiasticæ sepulturæ tradi debent, ut habet *cap. fin. hoc tit.* & notant *ibidem* Vivian. *vers. secus si*, Barbosa *num.* 2. Vvagnereck *not.* 2. Vallens. *num.* 8. Zoes. *num.* 1. Honor. *n.* 2. Schambog. *n.* 2. & 3. Reiffenstuel *n.* 6. 3. qui curiositatis etiam, & spectandi gratia tantùm accesserunt; quia cùm privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ sit pœna, debet restringi ad proprios terminos. Abb. *in cap. fin. citat. not.* 1. Host. *in summ. hic n.* 4. Sylv. *V. Torneamentum* §. *privatur*, Pirhing *num.* 3.

10 Eadem ratione, qua Torneamenta, & ob causam periculi animæ, & corporis, ut constat ex *Const. S. Pii V. edita* 1567. & aliorum Pont. prohibentur etiam agitationes taurorum, & ferarum bestiarum, ne homines cum iis periculosè in pugnam descendant: additurque pœna Excommunicationis contra Dominos permittentes tales agitationes, & ibidem decedentes Ecclesiastica sepultura privantur, prout notant Azor *p.* 3. *l.* 2. *cap.* 15. *not.* 2. Gutier. *can. qq. lib.* 1. *c.* 7. Quarant. *in Summ. Bullar. V. Torneamentum*, Barbosa *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 3. Gonzal. *in cap. fin. eod. n.* 7. Vvagnereck *not.* 1. Vallens. *n.* 4. Engl *n.* 3. Jure Civili, qui pro mercede cum bestiis in arena dimicant, vel aliquod præmium pugnæ cum bestiis initæ accipiunt, infames efficiuntur *l. hunc titulum* 1. §. *removet* 6. *vers.* & *qui operas ff. de Postuland.* Engl *num.* 4.

11 Si tamen sufficienter caveatur, ne cædes contingat, Taurorum agitatio permitti potest: & sic permittitur in Hispania, pro qua idcirco quoad Laicos prædictæ pœnæ, & Censuræ revocatæ fuerunt per Gregorium XIII. duabus adhibitis conditionibus, scilicet, ut agitationes Taurorum diebus festis non fiant, & ut per eos, ad quos spectabit, provideatur, ne exinde alicujus mors, quantum fieri poterit, sequi possit. Barbosa *in cap.* 1. *cit. n.* 4. Porro hanc Constitutionem confirmavit Clemens VIII. simulque sustulit pœnam privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, & alias positas à S. Pio V. reducendo illas ad terminos Juris communis, in quo privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ, contra taliter decedentes sancita, non invenitur. Barbosa *loc. cit. num.* 7.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

IN hoc Titulo, ut sæpe aliàs vidimus, Nigrum amplius Rubro est; nam etsi Rubrica solùm meminerit de Clericis pugnantibus in Duello, in decursu tamen ad omnes Duellantes fit extensio.

§. I.

De Duelli Natura, Varietate, & prohibitione.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Duelli.*
2 *Ejus divisio in Publicum, & Privatum.*
3 *Causæ, ob quas iniri Duella solent.*
4 *&c. Casus, in quibus licitè iniri Duella non possunt.*
7 *&c. Casus, in quibus possunt iniri licitè.*
12 *&c. An licitè iniri Duellum possit, si illud oblatum sit ab accusatore, vel detractore injusto, qui aliter ab injuria cessare non vult, nisi Duellum invitatus admittat?*
15 *&c. Quid si non acceptans propterea non modicam honoris jacturam facturus esset?*
21 *&c. Quo Jure prohibita Duella sint?*
25 *&c. Quomodo se gerere debeat, & possit provocatus?*
28 *Utrum illicita sint, Duella etiam non fatalia?*
29 *&c. Aut ficta sine animo offendendi?*
32 *&c. An in casibus, in quibus Duellum est licitum, licitum quoque sit apponere conditionem, ut nullus ex circumstantibus opem alicui ferat?*

QUæritur 1. quid, & quotuplex sit *Duellum*, Resp: *Duellum*, sic dictum, quasi duorum sit bellum, dupliciter potest accipi. 1. *latè* pro certamine inter duas partes quocunque. 2. *strictè* pro certamine singulari duorum: in quo sensu accipitur in præsenti Rubrica, & Græco nomine *Monomachia* dicitur *can. Monomachiam* 22. *caus.* 2. *quæst.* 5. Definiri potest, quòd sit *singularis pugna duorum, inter se suscepta ex condicto*, Host. *Summ. hic num.* 1. Sylv. *V. Duellum num.* 1. Azor *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. *not.* 2. Engl *hic num.* 1. Pirh. *n.* 1. Konig *num.* 2. Schambogen *num.* 2. Vviestner *num.* 1. Reiffenstuel *n.* 1. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 3. *num.* 102. 1

Duellum ita descriptum aliud est Publicum, aliud Privatum. *Publicum* est, quòd initur certa forma, seu solemnitate in congressu observata; *Privatum*, in quo talis forma, & solemnitas non observatur. Dessel. *Erotem. hic num.* 2. Konig *ibidem not.* 3. Vviestner *n.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 3. *num.* 103. Porro Forma, seu Solemnitas Duelli publici, seu solemnis in eo præcipuè consistit, quòd habeatur loci securitas, quem propterea *Campum Francum* appellant; quòd Litteræ provocatoriæ, seu denuntiationis Chartulæ (vulgò *Cartel*) Adversario mittantur; & denique quòd adhibeantur testes, quos *Patrinos*, & *Secundantes* vocant: proinde illud Duellum; in quo forma ista, & solemnitas non observatur, Duellum privatum erit. 2

Causæ, ob quas Duella, seu Pugnæ singulares iniri solent, communiter afferuntur sex. 1. Diremptio belli, sive ejus resolutio in Duellum: quo modo per singularem pugnam cum Goliat Philistæo congressus est David 1. *Reg.* 7. *v.* 40. & tres Horatii cum totidem Curiatiis apud Livium *Hist. Rom. Decad.* 1. *Lib.* 1. 2. defensio vitæ aut fortunarum, ut quando alicui mors, ædium propriarum incendium &c. intentatur, nisi pugna singulari congrediatur cum eo, qui hæc intentat. 3. ostentatio virium, audaciæ, & peritiæ 3

peritiæ militaris ad gloriam captandam, aut præbendam ſpectantibus voluptatem. 4. vindicatio, & reparatio injuriæ illatæ, ſicut fit, cùm quis ulturus injuriam ſibi per vebra contumelioſa &c. illatam, alterum provocat. 5. veritatis, innocentiæ, aut Juſtitiæ manifeſtatio, vel objecti criminis purgatio. 6. denique defenſio proprii honoris amittendi, aut evitatio ignominiæ, vel infamiæ alias incurrendæ, ſi Duellum non acceptetur.

4 Quæritur 2. an, & ex qua cauſa Duellum licitè initi poſſit? *Certum eſt* 1. non poſſe acceptari, & offerri Duellum ad oſtentationem virium, & peritiæ militaris. Sylv. *V. Duellum q.* 1. Azor *p.* 3. *l.* 2. *c.* 5. *q.* 2. Sayr. *Clav. Reg. l.* 7. *cap.* 13. *num.* 13. Valent. 2. 2. *D.* 3. *q.* 17. *p.* 1. *cauſ.* 5. *&* 6. Suar. *D.* 13. *de Bello ſect. ult. n.* 2. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 39. *n.* 12. Palao *tr.* 6. *D.* 5. *p.* 7. *n.* 5. Becan. *de Fid. cap.* 26. *q.* 1. *nu.* 1. Vallenſ. *hic num.* 4. Engl *num.* 1. *fin.* Pirhing *n.* 1. Schambog. *num.* 2. Vvieſtner *num.* 6. Reiffenſt. *n.* 36. & patet *arg. cap. felicis* 1. *de Torneam.* Ratio clara eſt, quia utique rectæ rationi graviter repugnat, ad finem tam vanum tam atrox, & periculoſum remedium adhibere.

5 2. Similiter non licet ſuſcipere Duellum ad vindicandam injuriam illatam; tum quia ob eventus incertitudinem non eſt medium proportionatum ad obtinendum finem intentum; tum verò præcipuè, quòd vindictam ſumere non liceat authoritate privata, ſed ad id Judicis officium ſit conſtitutum *l. nullus* 14. *C. de Judæis.* Azor. *q.* 2. *cit.* Becan. *q.* 2. *n.* 1. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 5. *nu.* 3. Palao *n.* 7. Vallenſ. *n.* 4. *cit.* Pirhing *n.* 1. *fin.* Vvieſt. *nu.* 7. Reiffenſtuel *n.* 37.

6 3. Non minus prohibita ſunt Duella ſuſcepta ad manifeſtationem veritatis, innocentiæ, aut Juſtitiæ. S. Th. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *ad* 3. Sylv. *V. Duellum q.* 1. *n.* 2. Azor. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 5. *q.* 1. *& q.* 5. Sanch. *l.* 2. *moral. cap.* 39. *numer.* 3. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 5. *pr. & nu.* 1. *verſ. altera cauſa.* Palao *p.* 7. *cit. n.* 6. Vivian. *in capit.* 1. *h. tit. pr.* Fagn. *in cap. fin. eod. num.* 2. *& ſeqq.* Gonzal. *ibid. nu.* 11. Pignatell. *tom.* 9. *conſult.* 88. *n.* 33. *& ſeqq.* Vallenſ. *n.* 4. *cit.* Engl *n.* 1. Pirhing. *n.* 1. Schambog. *nu.* 2. Reiffenſt. *n.* 38. Vvieſt. *n.* 8. & patet ex *can. Monomachiam* 22. *cauſ.* 2. *q.* 5. *c. ſententiam* 9. *fin. Ne Cler. vel Monach. c. cum ſuſcepti* 1. *& c. ſeq. de Purgat. vulg.* Ratio eſt, quia Duellum non ſolum ſuperſtitioſum, & periculoſum, ſed etiam fallax, & omnino inſufficiens medium eſt ad veritatem, innocentiam, & cauſæ Juſtitiam demonſtrandam, cum DEUS aſſertori veritatis, innocenti, & juſtam cauſam foventi non promiſerit victoriam; & propterea plerumque fortioribus debiliores, innocentibus nocentes &c. prævaleant.

7 *Contra* 1. licitum eſt acceptare Duellum, imò etiam ad illud inducere, & provocare, inito pacto inter utramque factionem, ut cauſa, per prælium decidenda, paucis utrimque pugnaturis, aut duobus decidenda committatur, & ejus partis ſit victoria, cujus milites vicerint. Azor. *q.* 3. Sanch. *n.* 16. Laym. *n.* 3. *verſ. tertius.* Mendo. *l.* 3. *Jur. Acad. q.* 29. *Append. de Duell. §.* 4. *verſ. rurſus.* Pignatell. *n.* 48. Vallenſ. *n.* 6. Zoeſ. *n.* 6. Engl *n.* 10. Pirhing *n.* 2. Schamb. *n.* 3. Konig *n.* 6. Vvieſt. *num.* 3. Reiffenſt. *n.* 39. conſultius enim eſt aliquorum duntaxat, quam omnium militum vitas in periculum occiſionis præcipitare. Debent tamen in hujuſmodi oblatione, & acceptatione duo hæc obſervari. 1. ut qui illud offert, vel acceptat, moveat bellum juſtum; nam bellum injuſtum, etiam ſingulare, prohibitum eſt. 2. ut victoria, alia ſatis certa, per hujuſmodi duellum oblatum, vel acceptatum non reddatur dubia; nam ſi dubia redderetur, etiam bellum juſtum gerenti duellum non eſſet permiſſum offerre, vel acceptare, quod illicitum etiam Principi ſit Remp. ſine cauſa in majus diſcrimen adducere. Vvieſt. *n.* 3. *cit.*

8 2. Licitum eſt militibus acceptare Duellum, ſeu ſingulare certamen, ſibi oblatum ab hoſtibus, ut unus contra unum, duo contra duos, decem contra decem &c. inter ſe utrinque pugnent, ſi periculum eſt, ne Duello non acceptato, exercitus bonam exiſtimationem amittat apud hoſtes, & iſti animoſiores reddantur, exiſtimantes id certamen recuſari ex timiditate; plurimum enim amolitio utriuſque periculi ad victoriam obtinendam conducit. Ubi autem finis permiſſus eſt, ibi etiam permiſſa ſunt media unicè neceſſaria, vel admodum utilia ad conſecutionem finis, niſi iſta aliunde repugnent alicui virtuti, vel Legi. Navar. *Man. c.* 15. *n.* 28. Azor. *p.* 3. *l.* 2. *c.* 5. *q.* 3. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 39. *n.* 14. Mendo *verſ. rurſus cit.* Pignatell. *tom.* 9. *conſult.* 88. *n.* 47. & alii apud iſtos. Duo tamen etiam hoc caſu ſunt obſervanda. 1. Ut tale certamen à militibus non ineatur authoritate privata, ſed publica ſupremorum Ducum utriuſque exercitus; quia cædes hominis, ad quam per ejuſmodi Duellum devenitur, nunquam licet authoritate privata facta, niſi in defenſionem vitæ, & fortunarum. 2. ut hujuſmodi Duellum acceptetur non ſolum ob curioſitatem, aut vanam fortitudinis oſtentationem; quod ob ejuſmodi finem acceptatum intrinſecè malum eſt ſecundum dicta *n.* 4. ſed principaliter acceptari debet gratia conſervandæ bonæ exiſtimationis exercitus apud hoſtes. Sanch. Pignat. *l. citt.* Manet autem licita acceptatio, ob finem exiſtimationis iſtius conſervandæ facta, etſi hoſtis Duellum obtuliſſet cauſa ſolius ſpectaculi, vel oſtentationis, ut monet idem Sanch. *l. cit.*

3. Licita eſt acceptatio, & oblatio Duelli ad defenſionem vitæ, & fortunarum, ſi alia ratio hæc defendendi non appareat. Valent. 2. 2. *D.* 3. *q.* 17. *p.* 1. *verſ. talis autem*, Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 39. *n.* 8. Leſſ. *l.* 2. *de Juſt. cap.* 9. *n.* 49. Palao *tr.* 6. *D.* 5. *p.* 7. *nu.* 9. Maſtr. *D.* 11. *nu.* 113. Haun. *tom.* 1. *tr.* 2. *n.* 652. Pignatell. *tom.* 9. *conſult.* 88. *n.* 36. Vallenſ. *hic n.* 6. Zoeſ. *n.* 6. Engl. *n.* 10. Konig *num.* 7. Vvieſtner *n.* 5. Reiffenſt. *n.* 19. *& duob. ſeqq. Ratio eſt*, quia hoc caſu acceptatio, & oblatio duelli eſt potius prælatio minoris mali, quam invitatio ad malum, cùm per eam mortis periculum non eligatur abſolutè, ſed periculum alterius mali graviſſimi certum commutetur in dubium, & incertum. Ut tamen Duellum hoc caſu liceat, neceſſe eſt, ut conferatur cum eo, qui hæc mala intentat; nam cum alio iniri duellum etiam ad propriæ vitæ conſervationem illicitum eſt, ut contra Petr. Navar. *l.* 2. *de reſtit. c.* 3. *in* 2. *p. dub.* 13. *n.* 295. Tolet. *in Summ. l.* 5. *c.* 6. *n.* 31. Sanch. *l. cit. n.* 8. probabilius docent D. Antonin. 3. *p. tit.* 4. *cap. ult. §. ult.* Tabien. *V. Duellum q.* 3. *n.* 4. Sylv. *V. eod. n* 3. Palao *tr.* 7. *cit. n.* 10. Pignatell. *n.* 41. Vvieſtner *n.* 5. Ratio eſt, quia eſſet via ad occiſionem innocentis, quem directè occidere nullo modo eſt licitum. *Neque dicas*, quòd aggreſſor medio illo tertio innocente te impetat; nam ille tertius te non impetit, ſed tu illum impetis, & aggrederis: atque nequis cum illo pugnare in Duello, ut damnum evites. 9

4. Licitè acceptat, interveniente authoritate Judicis, Duellum ille, qui per calumniam ab alio coram hoc accuſatus, certò, vel probabiliſſimè prævidet ſe condemnandum ad mortem, vel membri mutilationem, niſi oblatum ſibi Duellum acceptet, modò ſimul etiam videat, quòd aliter ab iniquo accuſatore ſe liberare nequeat, Azor *p.* 3. *l.* 2. *c.* 5. *q.* 3. Sayr. *Clav. Reg. l.* 7. *c.* 13. *n.* 15. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 2. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 652. Pirhing. *hic n.* 2. *verſ. ſecundò*, Schamb. *ibid. num.* 3. *Ratio eſt*, quia tali caſu innocens ſe, vitamque ſuam tantum defendit ab injuria illata, quod Jure naturæ licitum eſt. Idem eadem ex ratione dicendum, quando ab iniquo Judice innocens condemnatur, ut vel in duello pugnet, vel mortem ſubeat; quia tunc poteſt per incertum duelli periculum certam alioquin mortem, a Judice intentatam effugere, etiam cum detrimento tertii, cum quo pugnaturus eſt: imò tali caſu non ſit propriè Duellum, ſed defenſio, & depulſio injuriæ. Sayr. *n.* 15. *cit.* Sanch. *n.* 4. Laym. *n.* 1. Pignat. *n.* 51. Pirh. *l. cit.* Duæ tamen, ut bene advertit Laym. *l. cit.* utroque hoc caſu obſervandæ conditiones ſunt. 1. ut Duellum ineatur non cauſa veritatis, vel innocentiæ certo ſigno demonſtrandæ; nam hoc intrinſecè malum eſt ſecundum dicta *n.* 6. niſi fiat ex ſpeciali DEI inſtinctu: ſed ſolum intentione ſe defendendi, & ut acceptans mortem certam periculoſo Duello evadat. 2. ut is, contra quem Duello certandum eſt, nocens ſit, & iniqui Judicis tanquam Miniſter, vel Satelles, ut proinde locum habeat Jus naturale defenſionis, tanquam contra aggreſſorem; nam ſi alter innocens ſit, non apparet, quo Jure Duello congredi cum illo liceat: & hinc caſu, quo duo in criminis falſam ſuſpicionem venerunt apud Judicem, & hic optionem iiſdem dat, ut vel mortem ſubeant, vel Duello congrediantur, non poſſunt confligere, cum per ſe, atque intrinſecè malum ſit ad innocentis occiſionem congredi. 10

5. Si duo Rei, à Principe, aut Judice condemnati ad mor- 11

mortem sint, & eis ab isto offeratur conditio, ut unus alterum occidat, ea lege, ut qui vicerit, & alterum prævenerit, vitæ obtineat veniam, illicitè quidem agit Princeps, aut Judex Duellum hujusmodi offerendo, quod hujusmodi oblatio speciem quandam crudelitatis habeat: ipsi tamen Rei talem facultatem, a Principe, vel Magistratu sibi factam, licitè acceptare possunt, & exequi, modò non ex odio, sed zelo Justitiæ publicæ, & propriæ vitæ servandæ causa id faciant. Azor *p.* 3. *l.* 2. *c.* 5. *q.* 7. Layman. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 1. *dub.* 2. Pignat. *to.* 9. *consult.* 88. *n.* 52. Pirhing *hic n.* 2. *vers. tertio*, Schambog. *ibid. n.* 3. *Ratio est*, quia cum uterque sit reus mortis, unus constituitur in alterum Minister Justitiæ, ut sententiam mortis in eum exequatur: adeoque occidit authoritate publica.

12 Quæritur 3. an licitè acceptari possit Duellum, si illud oblatum sit ab accusatore, vel detractore injusto, qui promittit, se cessaturum ab iniqua accusatione, & detractione, si invitatus Duellum admittat, secus, si respuat? Affirmat Palao *tr.* 6. *D.* 5. *p.* 7. *n.* 13. allegatis aliis. *Rationem dat*, quia Duellum tali casu sibi oblatum acceptans neque offerenti facit injuriam illum occidendo, cùm ipse se tali periculo exposuerit; neque aliunde malè facit suscipiendo duellum oblatum, & procurando occisionem ejus, qui obtulit, cum in defensionem propriam, & ad evitandam injuriam istud faciat. *Confirmat*: quia si Titius injustè aggrederetur Cajum infamare in platea publica de gravi crimine, neque alia via vellet desistere, nisi duellum admitteret, vel offerret, posset Cajus illud admittere, vel offerre, ut honorem suum defenderet, & à calumnia se liberaret. Igitur a fortiori poterit, cum apud Judicem ipsum infamare contendit, cùm hæc infamatio sit magis publica, & exposita periculo majoris damni.

13 Sed dicendum cum Pignatell. *to.* 9. *consult.* 88. *nu.* 43. & aliis, non esse licitum in hoc casu acceptare, vel offerre Duellum. *Ratio est* 1. quia pluribus modis occurri potest, quibus impediatur accusatio, vel detractio, quæ prævidetur futura, e. g. per minas justæ punitionis, præsertim si fiant ab eo, qui potest punire, aut detegendo malignitatem criminatoris etiam Judici, vel enervando fidem ipsius, ut nimirum audientes ei non credant, aut aliquo alio modo. 2. si impediri non potuit, ne fieret accusatio, vel detractio, à Judice præparatum habetur præsens remedium, nempe Actio injuriarum; item remedium retorsionis, quo diluitur omnis macula, ex verbis injuriosis illata: quod remedium continet debitam defensionem concessam a Jure naturali *l. ut vim* 3. *ff. de J. & J.* habetque locum etiam, quando læsio fit in absentia, modò adhibeatur, quamprimum commodè potest; nam tunc censetur in continenti fieri. 3. accedit, quia occidere invasorem vitæ ideo permissum est, quia is, dum invadit personam, ejusque vitam, infert damnum irreparabile. Tale damnum non infert accusatio, & detractio, ac quælibet alia injuria verbalis; quia damnum hoc reparari potest aut media satisfactione, aut restitutione famæ, aut defensione apud Judicem.

14 *Ex quo patet* ad Rationem Sententiæ oppositæ; dicendum enim, locum hoc casu non esse defensioni per occisionem, & quòd huic locus non sit, nisi quando damnum, ad quod impediendum defensio hujusmodi adhibetur, alia via reparari non potest. *Ad Conf.* ex iisdem fundamentis etiam negatur *Ant.* Neque contrarium probat, quòd fama, & vita pari passu ambulent; quia in hoc casu non ambulant pari passu, cum à similitudine discedere rationis diversitas suadeat, quod alia ratio pugnet pro defensione vitæ, quæ non pugnat pro defensione famæ per occisionem.

15 *Dubium est*, utrum saltem Vir Nobilis, aut miles provocatus ad Duellum, illud acceptare possit, quando videt, se casu, quo istud respueret, non modicam honoris jacturam facturum esse? Videtur hoc casu acceptari licitè. 1. quia videtur esse justa defensio, pro qua cùm liceat occidere injustum invasorem vitæ, & fortunarum, etiam licebit occidere injustum aggressorem famæ, cùm ista vitæ æquiparetur. 2. Vir nobilis, aut militaris non tenetur injustum aggressorem vitæ, aut fortunarum fugere, etiamsi ita fugiendo vitam salvare posset, si ita fugiendo incurreret existimationem ignaviæ, & timiditatis. Igitur etiam Duellum acceptare poterit, si id recusando pateretur jacturam honoris, & famæ. 3. juxta Statuta Ordinis Equestris S. Jacobi is, qui compertus est, non acceptasse Duellum post provocationem, tanquam ignavus, & indignus ad eum Ordinem non admittitur, ut liquet ex Interrogatorio Informationum ejusdem Ordinis *n.* 8. & refert Mendo *l.* 3. *Jur. Acad. q.* 29. *Append. de Duell.* §. 2. *vers. secundum.* atqui non est credibile, quòd Reges Hispaniæ, qui alias Decretorum Conciliarium, & Pontificiorum sunt observantissimi, approbaturi, & laturi fuissent talia Statuta, si acceptatio Duelli ex tali causa foret illicita. ergo &c.

Sed dicendum, acceptationem Duelli etiam hoc casu illicitam. Ita Cajetan. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *circ. solution. ad* 3. *cas.* 3. Sot. *l.* 3. *de Just. q.* 1. *art.* 8. Valent. 2. 2. *D.* 3. *q.* 17. *p.* 1. *caus.* 2. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 39. *n.* 9. Suar. *D.* 13. *de Bello sect. fin. n.* 5. Molin. *tr.* 3. *de Just. D.* 17. *n.* 2. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 9. *n.* 84. Conink *D.* 32. *dub.* 2. *n.* 8. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 5. *numer.* 2. *concl.* 2. Palao *tr.* 6. *D.* 5. *p.* 7. *num.* 8. Mendo *Jur. Acad. l.* 3. *q.* 29. *Append. de Duell.* §. 4. *vers. censeo.* Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 88. *n.* 28. *& 54. cum seqq.* Engl *hic n.* 11. Konig *n.* 7. Schambog. *num.* 2. Wiestner *n.* 10. Reiffenstuel *n.* 22. *& seqq.* & teste P. Wiestner *l. cit.* plerique alicujus nominis, & notæ DD. quibus cum tempore accessit authoritas Apostolica Alexandri VII. qui inter Propositiones à se damnatas Decreto *edito* 24. *Sept.* 1665. *n.* 2. refert hanc, *Vir equestris, ad Duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* 16

17 *Ratio est*, quia acceptatio Duelli ad veri honoris defensionem nec necessarium medium est, nec idoneum. *Necessarium non est*; quia aliter quis consulere honori suo cum laude potest, si profiteatur, se, licèt in reverentiam Legis Divinæ, & Ecclesiasticæ Duellum non acceptet, nihilominus obviaturum provocanti, si ipsum aggrederetur: quod a multis Illustribus, & Militaribus viris cum gloria factum *ex Hurtado* refert Mendo §. 2. *cit. vers. Id non semel. Idoneum* non est; quia Duellum acceptans apud verè cordatos, ac sapientes viros potiùs existimationem suam amittit, imò ex Decreto Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de reform.* perpetuæ infamiæ notam contrahit. Certè fortis non est ille, qui imprudenter, & sine causa in quævis pericula sese conjicit; sic enim etiam furiosi homines laudem fortitudinis plerumque reportarent: sed ille fortis est, qui supposita periculi adeundi justa causa, ex prudentiæ præscripto periculum non declinat, malens vita, si res ferat, quàm honestatis amore cædere. In Duello autem, privata authoritate suscepto est summa iniquitas, adeoque nulla laus fortitudinis esse potest, sed barbara tantum atrocitas, & immanitas. ergo &c.

18 *Excipit* P. Reiffenstuel *hic n.* 31. casum, quando ex oblatione, vel non acceptatione Duelli oblati, non provocans, aut non acceptans duellum pateretur gravissimum damnum, eo quòd ab aliis despectus, & abjectus adeò haberetur, ut nullus cum eo amplius militaret, nec aliquis miles eidem, si Officialis est, amplius pareret, etsi offensus alia via satisfactionem pro injuria habere possit: item si sub privatione Officii ad Duellum acceptandum urgerent ipsi primarii belli Duces; nam hoc casu licèt gravissimè peccent Principes, & Belli Duces, qui dum possunt, similem praxim non tollunt, & multo magis, qui positivè concedunt, vel ut Duella fiant, urgent, ipsos tamen, qui ita compelluntur, & urgentur, in hujusmodi casu & culpa, & pœna vacare docent, sive Duellum acceptent, sive offerant. *Rationem* dat, quia in tali casu, ut supponitur, acceptatio, & oblatio Duelli est absolutè necessaria, sicque justa, & licita defensio famæ, & bonorum fortunæ, & æquivalenter etiam vitæ contra injustum aggressorem, puta injuria afficientem, cons. ad oblationem Duelli necessitantem, vel ad Duellum provocantem, adeoque verbis aggredientem &c. igitur sicut pro necessaria defensione vitæ, & bonorum fortunæ magni momenti licitum est cum moderamine inculpatæ tutelæ iniquum aggressorem occidere, ita etiam hoc casu licebit Duellum offerre, & acceptare.

19 Verùm ut ratio ista teste Less. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 84. sit speculativè probabilis, nondum tamen convincor, ut Exceptioni huic deferam; quia timor perdendi Officium honoratum, amittendi honorem, & existimationem generositatis

sitatis &c. tanti esse non potest, ut propterea fieri possit aliquid, quod intrinsecè malum est, prout intrinsecè malum est occidere alterum privata authoritate extra casum justæ, & necessariæ defensionis. Atqui non video, quomodo in tali casu oblatio, vel acceptio Duelli habeat rationem defensionis necessariæ. 1. quia qui Duellum offert, non nititur me spoliare meo honore, sed si istius amissio consequatur, per accidens solùm consequitur. igitur non apparet, quomodo Duellum offerens sit injustus aggressor. Ubi autem aggressio non est, ibi nec est defensio. 2. defendere seipsum cum moderamine inculpatæ tutelæ ille duntaxat dicitur, quem alter invitum aggreditur, nec potest ullo modo vitare certamen, sed tenetur vel minori, vel cum gravi dedecore fugere aut invasorem occidere. atqui acceptans duellum hoc casu potest vitare certamen, neque est dedecus hoc vitare, nisi (quod impium est dicere) re servare legem Christi haberetur pro dedecore. igitur non defensor, sed potius congressor est. 3. non est licitum subdito furari, fornicari &c. etiamsi minitetur eidem Princeps, quod si non furetur &c. accessum ad aulam, vel honoratum officium &c. habiturus non sit. Igitur neque licebit Officiali Bellico acceptare duellum, quamvis ex non acceptatione secutura sit jactura officii militaris, nisi fortè tum, quando provocans ideo principaliter ad duellum provocat, ut cum sciat provocatum esse bonum Christianum, & ideo non acceptaturum Duellum, hac via ipsum spoliet Officio suo militari; tunc enim idem dicendum videtur, quod *supra n. 9.* dictum est de casu, quo acceptatio duelli necessaria est ad tuendam vitam, & bona fortunæ.

20 Argumenta *nu. 15.* allata facilè dissolvi possunt. *Ad 1.* defensio non datur, ubi non datur offensio, & aggressio. hæc autem in casu dubii abest; nam provocando solum, ut hactenus ostensum est, non censetur aggredi. *Ad 2.* negatur Suppositum *Cons.* quia acceptans Duellum potius infamiæ notam incurrit acceptando, eamque effugit recusando. *Ad 3.* Statuta Ordinis Equestris S. Jacobi ut Mendo *l. cit. Resp.* 1. notat, solum inquiri præcipiunt, in causam, ex qua provocatus Duellum non acceptavit; nam si recusavit ex timiditate, meritò indignum Ordine suo reputant; non verò quando recusat in reverentiam Legis Divinæ, Ecclesiasticæ modo *supra* descripto; nam ex ista causa recusantem Duellum Statuta prædicti Ordinis non excludunt.

21 Quæritur 4. quo Jure Duella prohibita sint? Respond. prohibita sunt omni Jure: *Ecclesiastico* quidem, prout patet ex *toto hoc tit.* & novissimè ex Decreto Trid. *sess. 25. cap. 19. de Reform. Constit. Pii IV.* incipit *Ea quæ edita Idib. Nov.* 1560. *Gregorii XIII.* incipit *Ad tollendam, publicata 24. Dec.* 1582. *Clem. VIII.* incipit *Illius vices* 17. *Sept.* 1592. ut videre est apud Sanch. *l. 2. mor. c. 39. n. 19. & duob. seqq.* & Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 50. *n.* 120. Deinde *Civili*, ut patet ex *l. un. C. de Gladiat.* cujus dispositio, etsi videatur loqui tantùm de congredientibus in ludo Gladiatorum, vel qui operas suas locabant, ut cum bestiis decertarent, tamen etiam duellantes comprehendi, post *Bartolum*, & alios Interpp. volunt Castillo *tr. de Duello proœm. n. 27.* Ferret. *tr. de Duello nu.* 35. Bocer. *de Duell. n. 2.* Brunnem. *in l. un. cit. n. 2.* Wiest. *hic n. 11.* Denique *Jure Divino*, *& naturali*; nam maximam iniquitatem Duella hujusmodi privata continent, ob multiplicem injustitiam, quæ in eorum oblatione, & acceptatione committitur.

22 Et provocans quidem contra Justitiam peccat tripliciter. 1. Injuriam infert DEO, dum vitam tam propriam, quàm alienam, cujus dominium unicè apud Deum est, manifesto mortis temporalis, & æternæ periculo subjicit, & audet sævire in rem, dominio solius DEI subjectam. 2. Infert injuriam provocato; nam etsi iste non sit dominus vitæ suæ, habet tamen jus custodiæ, de quo jure provocans vult provocatum dejicere, dum se ad occidendum ipsum in duello accingit. 3. Infert injuriam Reip. dum sibi in propria causa assumit personam Judicis, & contra violatorem honoris, aut famæ, non adito Judice competente, nec discussis causæ meritis, privata authoritate pœnam gladii decernit, quam decernere solus Magistratus potest; ad hoc enim gladium portat, ut Apostolus pronuntiavit.

23 Provocati Duellum sibi oblatum acceptantis minor quidem malitia, & culpa est, quòd non suo impetu in hoc barathrum ruat, sed quasi tractus ab alio, culpæ tamen, & injustitiæ non dissimilis reus est. 1. in Deum, cujus bonis vastandis se accingit, invito Domino. 2. in Remp. cujus præcepta spernit, & potestatem negligit. 3. in provocantem, quem vita, si facultas suppetat, privare aggreditur. *Neque obstat*, quod provocans eo ipso, cùm alterum ad Duellum prolicit, videatur potestatem ei facere vitæ, si possit, adimendæ; nam cum jus custodiæ, quam quisque homo circa vitam suam habet, inabdicabile sit, adhuc jus istud lædit, qui provocatus pugnat, & interimit.

Præterea tam provocans per Duelli oblationem, quam provocatus per ejus acceptationem gravissimè peccat contra Charitatem proximo debitam; nam Duellum omnibus simul bonis evertit hominem. 1. bono vitæ, quam impetit. 2. bonis fortunæ, quorum dominium vitam pro fundamento habet. 3. bono famæ, cujus jus in defunctis quoque superstes est, & per Duellum impetitur; dum juxta Leges, & Canones infamem etiam occisum reddit. 4. denique bonis animæ, dum gravissimo peccato, & occisum insuper æterno adstringit supplicio. 24

Quæritur 5. quomodo se gerere debeat, & possit provocatus ad Duellum, ut simul honorem, & existimationem suam salvet, & in Leges Divinas, SS. Canones, aliasque Leges, Duellum vetantes non impingat? Resp. 1. potest dicere provocanti: *Acceptare Duellum, ad quod me provocas, & exire in locum ex condicto ad bellandum inter duos, non est hominis Christiani, & obedientis Legi DEI, & Ecclesiæ; ego ita volo habere nomen viri fortis, ut simul nomen boni Christiani non amittam: hinc quamvis in reverentiam Ecclesiarum, & Divinarum Legum Duellum, a te mihi oblatum, non acceptem, paratus tamen sum, ubicunque me aggressurus fueris, & si etiam nunc velis, vim vi repellere, meque defendere.* Mendo *l. 3. Jur. Acad. q. 29 Append. de Duell. §. 2. vers. rursus.* Similia habet Pignatell. *tom. 9. consult.* 88. *n.* 31. 25

2. Potest ad Duellum provocatus ad sua negotia peragenda armatus incedere, quantum ad se defendendum contra vim a provocante inferendam necessarium est, acsi esset cum inimico pugnaturus, dummodo non accedat ad locum Duelli condictum, neque per loca, in quibus certò scit se obvium habiturum provocantem. Pignatell. *Consult. cit. n. 62.* Ratio est, quia non tenetur relinquere illas actiones, quas sine suo notabili damno prætèrire non valet, quamvis ex illis alius occasionem suæ ruinæ sit accepturus: & armare se hac occasione, non est peccatum, sed potius prudentia, dum scit non sine periculo se incedere, ut ita tueri se possit, quando provocans pugnare ipsum coegerit. 26

3. Juxta aliquos potest provocatus exire in campum, in quo destinatum est Duellum; quia talis egressio est actio indifferens, & qui sic egreditur, solum contendit, ut agnoscatur ipsum non esse ignavum; nec obesse videtur, quòd hoc modo sit causa invasionis, quæ à provocante fiet; quia hujus non est causa per se, sed per accidens tantum: unde sicut fœmina non peccat, si in publicum absque intentione prava exeat concinnè ornata quamvis credat, aliquem eam aspiciendo peccaturum, ita nec peccabit provocatus egrediendo ad locum Duelli. Sed tenenda est negativa, quam cum Pignatell. *l. cit.* defendit Mendo *Append. cit. §. 4. v. denique.* quia etsi egressus iste secundùm se sit actio indifferens, in his tamen circumstantiis, ubi conjunctus est cum periculo mutuarum cædium, indifferens esse cessat: & hujus periculi ipse egrediens est causa non per accidens tantùm, sed per se; quia semel designato campo, & indicto Duello, hic effectus habet moralem connexionem cum eo exitu: Hinc paritas non est cum fœminæ egressu, & ornatu, si hic, ut fieri debet, ponatur esse indifferens. 27

Quæritur 6. utrum illicita solum sint Duella, quæ omnino fatalia sunt, & ea conditione, atque intentione inita, ut non desistatur, donec alter prostratus jaceat; an verò etiam, quæ ineuntur ea lege, inter duellantes, & Patrinos, posita, ut quamprimum alteruter vulneratus fuerit, aut certus ictuum, atque congressuum numerus factus, dirimatur certamen? Resp. etiam hoc secundo modo initum Duellum esse illicitum, prout patet ex *Bulla Clementis VIII.* incipit *Illius vices*, §. 5. ubi Censuræ & pœnæ omnes, quæ in Duellantes à Jure latæ sunt, etiam ad hæc duella extenduntur. Konig *hic n.* 12. 28

29 *Majus dubium* est de alio genere Duelli ficti, quando amici duellantium rem ita disponunt, ut illi animum non habeant sese vulnerandi, aut lædendi, sed ut legibus Duelli fiat satis, ad pugnam loco, & tempore destinato exeant, gladios evaginent, illisque leviter rixentur, donec amici spectatores accedent, eosque dirimant? Pignatell. *tom. 9. consult.* 88. *n.* 92. citatis pro se Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *miscell.* 2. *res.* 1. & *p.* 7. *tr.* 11. *miscell.* 2. *res.* 44. *num.* 8. Trullench. *in Decal. tom.* 2. *l.* 5. *cap.* 2. *dub.* 13. *n.* 22. contendit, istos, quamvis in foro externo præsumantur verum Duellum committere, in foro interno tamen Excommunicationem, in Duellantes latam effugere: quæ sententia, si vera esset, valde favorabilis foret militibus, eorumque Officialibus, & Ducibus; dum ab aliis ad Duellum provocantur, & comparitionem negare non possunt sine periculo, ne pro ignavis habeantur, & sic paritionem apud milites sibi subjectos cum existimatione perdant.

30 Verum hæc Sententia non videtur satis convenire cum textu *Bullæ Clementinæ cit.* ubi pœnæ, Decreta, & Constitutiones, contra Duellantes latæ, extenduntur etiam ad Duella non fatalia. *Respondere* quidem ad hoc *Pignatellus* posset, hoc textu tantum comprehendi illos, qui animo offendendi, vel saltem sine pacto, aut intentione mutua de non lædendo invicem insinuata congrediuntur, conf. incerti sunt, an non unus ex determinatis ictibus lethalis futurus sit: non verò comprehendi illos, qui de intentione, invicem insinuata, præcisè honorem defendere, indeque aliquos ictus simulare, nullo modo autem invicem lædere volunt.

31 An autem responsio ista satisfaciat intentioni Pontificis, dubitat P. Reiffenstuel *hic nu.* 16. Interim verò etiam tale Duellum illicitum esse cum Peregrino *de Duell. quæst.* 24. docet Mendo *l.* 3. *Jur. Acad. q.* 29. *Append. de Duell.* §. 4. *vers. datur etiam*: idque ex duplici ratione. 1. quia sic duellantes intendunt, ut omnes sibi suadeant, se commisisse verum Duellum; nam si scirent, fuisse fictum, nihil prodesset ad conservandum honorem, quin potiùs obesset. Igitur intendunt præbere scandalum scientibus, duellum patratum fuisse contra Leges Divinas, Ecclesiasticas, & Civiles, indeque exemplum pravum ad Leges hujusmodi proterendas exhibent. 2. finis adæquatus Legum Ecclesiasticarum, duella prohibentium, non est tantum impedire cædes, sed etiam tollere usum detestabilem Duellorum: & finis iste non obtineretur, si licerent hujusmodi Duella ficta, quæ respectu omnium (si amicos rei conscios excipias) habent speciem veri Duelli. Ergo etiam hæc per Leges Ecclesiasticas sunt prohibita. Neque dici potest, has Leges non obligare in conscientia; nam Leges humanæ in conscientia obligant, quando noscitur, Legislatorem illas protulisse animo obligandi: hic verò ex fine colligitur.

32 Quæritur 7. an in casibus, in quibus Duellum est licitum, licitum quoque sit conditionem apponere, ut nullus ex circumstantibus opem alicui ferat? Videtur esse contra Charitatem succumbenti non succurrere, utpote qui in extremo vitæ periculo est, nisi eidem succurratur.

33 Sed distinguendum est cum P. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 39. *num.* 17. nam casu, quo bellum commune resolvitur in duellum, ex pacto, ut illa pars habeatur victrix, cujus miles, aut milites in Duello vicerunt, secundum dicta *numer.* 7. neutrius factionis militi succumbenti tenentur circumstantes succurrere, imò tenentur non succurrere, etiam conditione illa non expressa; semper enim tacitè includitur in eo pacto. *Proceditque hoc*, ut vult Sanch. *l. cit.* etiamsi succumberet miles pugnans pro parte, habente causam bellandi justam; quia bonum commune, quod in omnibus præferendum est, postulat fidem servari hostibus, maximè in rebus ad bellum attinentibus.

At si Duellum sit privatum, ad defensionem vitæ, vel rerum innocentis a personis privatis susceptum, interest, an nocens succumbat, an verò innocens. *Si prior*, & cùm succumbere se advertit, adhuc a vexatione injusta non vult desistere, tenentur circumstantes illi succumbenti opem non ferre; nam ex parte illius Duellum est injustum, & illi succurrere esset cooperari peccato alterius. *Si posterior*, circumstantes tenentur illi succurrere, non obstante ea conditione adjecta, ut nullus ex circumstantibus opem succumbenti ferat; quia ex parte innocentis duellum est justum, conf. illicita est conditio, qua contra Jus naturale obteritur innocens. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 88. *n.* 49.

§. II.

De Pœnis Duelli illiciti.

SUMMARIUM.

Quæritur 1. quæ sint pœnæ illicitè Duellantium? 34 Resp. Jure Civili, si alteruter Duellantium ceciderit, ratione Pœnæ Criminalistæ communiter distinguunt inter provocantem, & provocatum; nam si provocans occiderit provocatum, puniendus est pœna ordinaria Legis Corneliæ, nempe gladii. At si provocatus interfecerit provocantem, mitius, & extra ordinem puniri solet, ex ratione, quòd ignoscendum sit ei, qui provocatus se ulcisci voluit *l. qui cùm major* 14. §. *si libertus* 6. *ff. de Bon. libert.* & provocatis semper Jura faveant, cùm difficillimum sit injuriato dolorem temperare *l. Gracchus* 4. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* Clar. §. *fin. q.* 60. *n.* 18. Gaill. *l.* 2. *obs.* 110. *n.* 15. Konig *hic n.* 21.

Jure Canonico communi antiquo in Clericum, si 35 Duellum ineat, duplex statuta pœna est. 1. jubetur deponi *c. porro* 1. *h. tit.* vel ut communiter textum istum Interpretes intelligunt, ab Officio, & Beneficio perpetuò suspendi, quamvis si mors, aut mutilatio secuta non sit, eo Iure quoad hoc dispensare possit Episcopus. Suar. *D.* 31. *de Censur. sect.* 4. *num.* 48. Sanch. *l.* 2. *mor. capit.* 39. *n.* 18. Vvagnereck *in c.* 1. *cit. not.* 1. Pignatell. *to.* 9. *consult.* 88. *n.* 70. Zoes. *hic n.* 4. Honor. *n.* 3. Pirhing *nu.* 5. Schambog. *num.* 4. 2. si in eo Clericus, per se, vel per alium pugnans, aliquem mutilet, vel occidat, contrahit Irregularitatem *can. siquis viduam* 8. *dist.* 50. *c. fin. h. tit.* & *c. fin. de Homicid. in* 6. Host. *Summ. hic nu.* 2. & 3. Fagn. *in c. fin. h. tit. n.* 1. Vivian. *ibid. in Ration.* Barbos. *n.* 1. Vvagnereck *ibid. in Exeg.* Vallens. *hic n.* 3. Zoes. *n.* 3. Honor. *n.* 3. Konig *n.* 16. Schambog. *n.* 4.

Novissimo Jure Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. *de Reform.* am- 36 pliores constitutæ sunt pœnæ. Nam 1. Domini temporales, qui duellantibus locum in terris suis concedunt, incurrunt Excommunicationem latæ sententiæ, & si locum ejusmodi, Castrum, aut Civitatem, in quo Duellum fieri permiserint, obtineant ab Ecclesia, privantur ejus Jurisdictione, & dominio; si verò in feudum illud obtineant ab alio domino directo, istud ad hunc revertitur. 2. Pugnantes in Duello, & eorum Patrini incurrunt pœnam Excommunicationis, proscriptionis bonorum suorum omnium, ac perpetuæ infamiæ, & si in duello adversarium suum occiderint, ut Homicidæ, juxta SS. Canones, puniri debent; si verò in ipso conflictu decesserint, privantur Ecclesiastica sepultura. 3. illi denique, qui consilium in causa Duelli tam in Jure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, Excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo adstringuntur.

37 Eandem Concili Conſtitutionem ſequentes Pontifices per ſuas Bullas non ſolùm approbarunt, ſed etiam ampliarunt. Ita enim *Pius IV.* in *Bulla* incipit *Ea quæ* addit alias pęnas, contra Clericos quidem privationis Beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, contra omnes autem pęnas criminis læſæ Majeſtatis, carceris, inhabilitatis ad teſtamentum faciendum, & alias ſimiles, quas extendit etiam ad eos, qui chartas provocatorias ſubſcribunt, affigunt, publicant, vel quomodolibet ad Duellum concurrunt. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 39. *num.* 19. Gonzalez *in cap. fin. hoc tit. num.* 10. Pignatell. *tom.* 9. *conſ.* 88. *num.* 72. Engl *hic n.* 3. Konig *num.* 18. Reiffenſtuel *n.* 5.

38 *Gregorius XIII.* in *Bulla* incipit *Ad tollendam* extendit Decretum *Trid.* etiam ad Duella privata, ſtatuitque, ut omnes, qui ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco convento Duellum commiſerint, etiamſi nulli Patrini, aut Socii ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nec provocatoriæ Litteræ præceſſerint, eadem excommunicatione, & pęnis in *Trident.* contentis ligentur; quibus etiam voluit ſubjacere Dominos locorum, hæc privata Duella permittentes, & omnes mandantes, inſtigantes, auxilium, vel conſilium dantes, equum, arma, pecuniam, commeatum alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, item ex propoſito ſpectatores, aut ſocios ſe præbentes, etiamſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerint, impediti pugnam non commiſerint, ſi per ipſos non ſteterit, quo minùs illa committatur.

39 Denique *Clemens VIII.* in *Bulla* incipit *Illius vices* confirmat, declarat, & extendit ſupra dictas Conſtitutiones, ut locum habeant ubique terrarum, etiam circa milites, ex privata inimicitia inter ſe duellantes, eorumque Duces talia duella permittentes: ipſas autem Civitates, Oppida, Caſtra, vel loca, in quorum territoriis id facinus, ſcientibus, & non contradicentibus Dominis, Magiſtratibus &c. commiſſum eſt, Interdicto Eccleſiaſtico ſupponit: cujus, uti & excommunicationis propterea incurſæ abſolutionem reſervat Sedi Apoſtolicæ. Sanchez *cap.* 39. *cit. num.* 21 Correa *Idea Conſil. D.* 5. *num.* 1029 Engl *hic numer.* 5. Konig *ibid. num.* 18.

40 Poteſt tamen Epiſcopus ab Excommunicatione iſta abſolvere, ſi occulta eſt, virtute *Trident.* Palao *tract.* 6. *D.* 5. *part.* 7. *num.* 19. Correa *loc. citat.* & alii apud iſtos. Item virtute Bullæ cruciatæ poterit Confeſſarius electus ab hac Excommunicatione abſolvere ſemel in vita, & ſemel in morte: quia, excluſa Hæreſi, omnes aliæ Cenſuræ conceduntur; neque eſt veriſimile Pontificem voluiſſe ſuprà dictum privilegium limitare. Palao *num.* 19. *cit. fin.* Similiter ab excommunicatione iſta, ſicut ab aliis caſibus, & Cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ex Declaratione Clementis VIII. Pontif. ut ex *Comitolo*, *& Reginaldo* refert Layman *libr.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 4. *Verſ. ſed & hoc*, per privilegia ſua extra Italiam abſolvere poſſunt Confeſſarii Ordinum Mendicantium.

41 Imò idem Layman *num.* 4. *cit. verſ. poſtea fin.* ſeu ob ignorantiam, ſeu quia Conſtitutiones iſtæ ſecundùm ſenſum hactenus relatum promulgatæ, & in uſum deductæ non ſunt, exiſtimat, Germanos, alioſque Septentrionales populos iiſdem Conſtitutionibus non ligari: quod concedi fortè poteſt quoad pœnas temporales, puta proſcriptionis, privationis Juriſdictionis & infamiæ, & fortè etiam quoad reſervationem excommunicationis, maximè ubi mors non fuerit ſecuta; nam quoad pœnas Spirituales, puta excommunicationis, privationis Sepulturæ, Beneficiorum, item inhabilitatis ad illa &c. dictas Conſtitutionnes etiam in Germania receptas eſſe, non eſt, qui dubitet, niſi quòd nonnunquam aliqui ob ignorantiam excuſentur à Cenſura in foro interno, Konig *hic nu.* 19 Reiffenſtuel *ibid. nu.* 41. *&* 42.

42 Quæritur 2. quid requiratur, ut pœnæ relatæ incurrantur à provocantibus, & acceptantibus Duellum? Reſp. 1. requiritur, ut pugna inter provocantem, & provocatum actu ipſo conſeratur; nam ſi ſolùm ſe provocaverint, aut etiam tempore, & loco conſtituto comparuerint, pugna autem non congrediantur, pęnas iſtas non contrahunt, ut contra Filliuc. *tract.* 29. *capit.* 8. *numer.* 170. *&* 176. Peregrin. *de Duell. quæſt.* 4. *numer.* 5. *&* 7. *item quæſt.* 41. *numer.* 2. *&* 4. Floron. *de Duell. cap.* 1. §. 1. *num.* 3. *& cap.* 3. §. 1. *num.* 14 Pignatell. *tom.* 9. *conſult.* 88. *à num.* 94. probabiliter docent Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 39. *num.* 28. Scortia *in Bull. Pont. Epit.* 155. *theor.* 392. Hurtad. 2. 2. *D.* 170. *ſect.* 21. §. 190 Fagund. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 29. Diana *part.* 2. *tract.* 16. *miſcell.* 2. *reſ.* 53. *alias* 55. *& part.* 3. *tract.* 6. *miſcell.* 2 *reſol.* 1. *num.* 8. *& part.* 5. *tract.* 14. *miſc.* 2. *reſ.* 102. Barboſa *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 4. Wagnereck *ibid. not.* 2. Engl *hic num.* 7. *fin.* Pirhing *n.* 5. *not.* 2. *fin.* Konig *nu.* 13. Wieſtner *num.* 15. Ratio eſt, quia in Decreto *Trid. & Conſtit. citt.* pœnæ illæ ſolùm feruntur in provocantem, & provocatum, *qui pugnam, vel Monomachiam commiſerint*: ergo &c. Aliter ſe res habet cum Patrinis, eorumque Sociis; hos enim Pontifex excommunicationi ſubjecit, etſi pugna, quam promovere conati ſunt, non ſit ſecuta, Sanchez *cap.* 39. *cit. num.* 31. Theſaur. *de Pœn. Eccl. V. Duellum cap.* 4. *num.* 1. *pr.* Mendo *lib.* 3. *Jur. Acad. quæſt.* 29. *num.* 311. Wieſtner *hic num.* 16.

2 Ut duellum fiat ex condicto, i. e. ex pacto, & 43 conventione, ut patet ex *Conſt. Greg. XIII. cit.* ibi *in loco convento*. Hinc pœnæ duellantium non contrahuntur ab illis, qui in loco aliquo ad pugnam minùs apto, v. g. in Eccleſia, in Principis, aut Magnatis reſidentia, vel etiam in domo privata, aut ejus hypocauſto contendere, & rixari incipiunt, & unus alterum ſine, vel cum determinatione loci, v. g. plateæ, vel prati provocat, dicendo; *Veni foras;* vel *exeamus, & pugnemus gladio*; aut *egredere mecum in plateam, vel in pratum &c.* modò durante calore iracundiæ, aut vindictæ nullo morali intervallo mediante, ſtatim ad locum pugnæ progrediantur, & dimicent. Sanchez *c.* 39. *num.* 28. Pignatell. *conſ.* 88. *num.* 87. Konig *hic num.* 10. Reiffenſtuel *ibid. numer.* 11. *Ratio eſt*, quia ſi provocatio, & pugna in uno continuo ex ſubita iræ calore procedunt, non ſunt duæ, ſed una moraliter actio, nec videtur eſſe pugna ex condicto; conſ. nec Duellum propriè dictum, ſed potiùs rixa.

3 Ut pugna ſit inita ſtatuto loco, & tempore, pro- 44 ut iterum patet ex *Conſtitut. cit.* ibi *Statuto tempore*, *& in loco convento*: quod utrumque, ut cum aliis notat P. Reiffenſtuel *hic num.* 9. adeò neceſſarium eſt, ut ſi ſolus condicatur locus, & non tempus, vel tempus, & non locus, Duellum propriè dictum non ſit, ac propterea nec pœnis, contra Duellantes ſtatutis, ſubjectum. Atque hinc à pœnis iſtis liberi ſunt, qui ex impatientia injuriæ ſibi illatæ, aut ad occurſum ſuum, cùm antea jam eſſent inimici, ſe invicem provocant, & ſtatim congrediuntur, Sanchez *cap.* 39. *num.* 28. Palao *tract.* 6. *D.* 5. *part.* 7. *num.* 18. Pignatell. *conſult.* 88. *cit. num.* 88. Vallenſ. *hic numer.* 5. Engl *num.* 7. Konig *num.* 10. Wieſtner *nu.* 14. Reiffenſtuel *num.* 10 Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 3. *num.* 102. Idem dicendum, quando quis armis deſtitutus, cum altero contendens, adit domum ad capiendum enſem, ac rediens cum Adverſario ſuo confligit, eumque occidit; quia neutro caſu ſit pugna ex condicto, ſtatuto loco, & tempore; igitur non Duellum propriè dictum, ſed rixa eſt. Aliud eſſet, ſiquis injuriam inferenti, aut inermi inimico diceret: *Aſſume arma, & hoc loco te exſpecto;* vel *Exeamus ad talem, vel talem locum, & ibi congrediamur*; nam hi incurrerent duellantium pœnas, utpote pugnam ineuntes ex prævia conventione, & ſtatuto loco, ac tempore.

4 Ut pugna conſeratur tali armorum genere, ac 45 confligendi modo, ut duellantibus probabile periculum mortis nullum immineat. Qua de cauſa, ſi mulieres inter ſe verbis, aut evulſione capillorum altercentur, aut viri pugnis, virga, vel levi baculo congrediantur, duellum non erit, nec Duellantium incurrentur pœnæ, etſi aliquando mors per accidens ſubſequatur, Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 5. *quæſt.* 5. *numer.* 107 Diana *part.* 3. *tract.* 6. *Miſcell.* 2. *reſol.* 1. *& part.* 7. *tract.* 11. *miſcell.* 2. *reſol.* 44. *num.* 8. Pignatell. *conſult.* 88. *citat. num.* 92. Engl *hic num.* 7. Konig *nu.* 12. Reiffenſtuel *num.* 12. *&* 13. Ratio eſt, quia Duellum ſub tam gravibus pœnis prohibetur, ob grave periculum mortis, mutilationis, aut vulneris, indeque ſubſequentis ruinæ animarum, ut colligitur ex *cap. felicis* 1. *de Torneam.* & Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de reform.*

5 Ut

46 5 Ut Duellantes sponte inter se pugnent; nam si ob necessitatem, quam alteruter evitare non potuit, cum aggressore coactus congreditur ad vitam propriam defendendam, congreditur licitè, & sine peccato, cons. pœnæ locus non est. Idem dicendum de omnibus casibus, quibus licitum est acceptare, vel offerre Duellum: quos retuli à *n.*7.

47 Quæritur 3. quando Princeps, qui locum ad Duellum concedit, excusetur ab Excommunicatione, propter hoc à *Trid. & Constit. Pont. citt.* statuta? Resp. duplex maximè affertur casus, 1. quando locum ad Duellum dat solùm Infidelibus; quia *Trid.* expresse dicit, *Inter Christianos*, Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 39. *n.* 29 Palao *tract.* 6. *D.* 5. *p.* 7. *n.* 20 Correa *Idea Consil. n.*1032 Ob eandem rationem nonnulli, quorum sententiam Correa *loc. cit.* probabilem esse judicat, putant, eandem excommunicationem etiam non incursum Principem, qui concedit in terris suis locum Christiano ad Duellum cum Infideli; quia *Trid.* exprimit *inter Christianos*; tale autem Duellum non est inter Christianos, cùm unus duellantium sit Infidelis: igitur cum Lex ista pœnalis sit, ad hunc casum extendi non debet. Sed contrarium docent *Sanchez*, *& Palao loc. cit.*

48 2 Excusatur Princeps à suprà dicta excommunicatione, & pœnis, quando justam habet causam permittendi Duellum: quia cùm ista permissio licita sit, non cadit sub pœnam: Posse autem aliquando adesse causam, quæ permissionem istam honestet, non videtur posse dubitari, cùm sæpe occurrat occasio permittendi aliqua minora mala, ut evitentur majora, Sanchez *n.* 30 Palao *n.* 20. *cit.*

49 Quæritur 4. quid requiratur, ut prædictas duellantium pœnas incurrant spectatores, & comitantes ad Duellum? Resp. necesse esse, ut id faciant ex proposito, sive data opera, & Duellum quasi approbent, prout patet ex *Const. Greg. XIII. cit.* Hinc has pœnas non incurrunt 1. qui casu solùm veniunt ad locum pugnæ, ibique etiam curiosi exspectantes manent; quia Pontifex laudatus in *Const.* sua addit *Ex proposito spectatores*; quales illi non sunt, 2. qui ex ædium suarum fenestris, aut januis, præsertim ex quo observari à duellantibus non facilè possunt, congredientes spectant; quia sunt quasi non præsentes, 3. qui duellantes solùm comitantur animo pugnæ, vel congressus impediendi; quia talis comitatus laudabilis est, & fortè ex obligatione suscipiendus; igitur non debet affici pena, sed præmio, Sanchez *cap.* 39. *num.* 31. Palao *num.* 20. *cit.* Mendo *quæst.* 29. *cit. num.* 312 Pignat. *consult.* 88. *num.* 150 *& duob. seqq.* Zoes. *hic num.* 5. Vviestner *nu.* 17 Reiffenstuel *num.* 46.

50 *Dubium* est de consulentibus Duellum, quando isti excusentur ab istis pœnis? Resp. consulens ab his pœnis excusatur 1. si ante Duellum, vel saltem ante provocationem ad istud efficaciter revocavit consilium; faciendo, quantum potuit, ne provocatio sequeretur; nam hoc casu, si adhuc Duellum sequatur, non ex consilio, sed ex prava voluntate duellantis sequitur, ut probabiliter docet Bonacina *tract. de Excomm. D.* 2. *quæst.* 6. *part.* 1. *num.* 35. Peregr. *de Duell. qu.* 29. Diana *part.* 6. *tr.* 6. *misc.* 1. *resolut.* 21. *num.* 4. Pignat. *tom.* 9. *consult.* 88. *num.* 98 *&* 99. probabiliùs tamen non excusari putat Correa *Idea Consil. disput.* 9. *num.* 2478 cum aliis.

51 2 Si is, cui consilium datum est, ante dationem consilii jam aliunde erat determinatus ad duellandum; quia consulens non ligatur Censura, nisi verè influat in effectum prohibitum sub Censura, ut cum *Navarr. Avil. & Bonacina* supponit Pignatell *l. cit. nu.* 100 contrarium tamen cum aliis sentiente Correa *nu.* 2477 quando autem quis jam antè fuit determinatus ad duellandum, consilium non influit; ergo &c. *Excipitur*, si consulens consilio suo confirmaret voluntatem illius, & faceret, ut liberiùs; & libentius provocaret, & iniret Duellum; tunc enim consilium jam haberet influxum suum, cons. consulens Censuram incurreret, Pignatell. *loc. cit.* cum *Vasquez*, *& Bonacina*.

52 3 Si consulens, quia non potest consilio suo, vel authoritate impedire aliunde jam determinatum ad duellum usque ad mortem, ut illud intermittat, eidem consulat, ut pugnet tantùm usque ad primum sanguinem; quia hoc est minus malum consulere; atqui non peccat, qui consuluit minus malum parato majus committere, ut docent Sanchez *lib.* 7. *mor. D.* 11. *num.* 11. Vasquez *opusc. de Scandal. quæst.* 1. *dub.* 1. *num.* 9. & SS. PP. authoritate, ac rationibus firmat. Pignat. *num.* 107.

Quæritur 5. utrum pœnæ, per *Trid. & Const. Pontif. citt.* in Duellantes, horum Patrinos &c. statutæ, sint latæ, an ferendæ solùm sententiæ? Resp. esse latæ sententiæ, cum discrimine tamen; nam excommunicatio, Interdictum, Irregularitas, & probabiliter etiam Inhabilitas ad obtinenda Beneficia incurruntur absque ulla sententia, etiam declaratoria criminis; quia hujusmodi pęnarum privativarum, cùm nullo jure quæsito privent, ea natura est, ut statim ligent animam, quando sunt latæ sententiæ. 53

De privatione Beneficiorum ante obtentorum autem, amissione Jurisdictionis, & dominii loci ad duellandum concessi, confiscationis bonorum, & aliis hujusmodi, jure jam quæsito privantibus, dicendum, ad eas incurrendas opus esse Sententia declaratoria criminis; quia pœna, privans jure jam quæsito, est satis gravis, & exequi illam in se ipso est valde acerbum, ac proinde excipienda est à regula pœnarum privativarum, quæ ante sententiam declaratoriam incurruntur. Videantur Azor *part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 7. *not.* 3. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 39. *num.* 32 Palao *tract.* 6. *D.* 5. *part.* 7. *num.* 21 Pignat. *tom.* 9. *consult.* 88. *nu.* 117 *& seqq.* Correa *Idea Consil. D.* 9. *num.* 2480 *& seqq.* & dicenda *infrà Tit.* 37. *de Pœnis.* 54

Dubium est, an ut morienti in Duello denegetur sepultura Ecclesiastica, sententia Judicis requiratur? *Certum est*, non requiri sententiam condemnatoriam; quia est latæ sententiæ pœna. Ita Peregrin. *de Duell. quæst.* 7. *numer.* 4. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 88. *numer.* 84 Vviestner *hic num.* 18 & sumitur ex Trid. *sess.* 25. *capit.* 19 *de Reform.* ubi utitur verbo *Careat*, quod latam sententiam denotat, per tradita à Tiraquell. *in l. si unquam* 8. *C. de revoc. Donat. V. revertatur nu.* 16. *Conf. ex Const. Clem. VIII. sæpiùs citt.* ubi Pontifex, *Sepultura* Ecclesiastica, inquit, *privatos esse volumus*. 55

Difficultas est, an requiratur saltem sententia declaratoria. Putat eam requiri Baunius *Theol. mor. D.* 3. *tom.* 2. *quæst.* 19. ex ratione, quia pœnæ, quæ privant hominem Jure acquisito, non solent incurri ante sententiam Declaratoriam, ut dictum est *nu.* 54. Fideles autem per Baptismum acquisiverunt Jus ad Ecclesiasticam sepulturam: igitur, ut hac priventur, sententia Judicis Declaratoria opus est. 56

Sed dicendum, si notorium sit, talem in Duello decessisse, contra Concilii Trid. Decreta, & Constitutiones Apostolicas *citt.* commisso, ipsum nullatenus in loco Sacro sepeliendum, etiamsi sententia criminis Declaratoria nulla præcesserit. Ita Peregrin. *de Duell. q.* 7. *n.* 3. Diana *part.* 3. *tr.* 11. *miscell.* 2. *resol.* 44. Pignatell. *tom.* 9. *consult.* 88. *num.* 162. & hoc teste observat Ecclesiæ usus. 57

Si verò notorium non esset, Parochus rem deferre ad Episcopum, vel ejus Vicarium debet, qui capta sumaria informatione, sententiam ferat. Ut tamen sententiam privationis hic ferat, Duellum plenè probari debet, prout requiritur ad privandum fidelem communibus Ecclesiæ suffragiis, quæ in ipsa Sepultura includuntur; quæ probatio, si adhibitis diligentiis haberi nequeat, poterit permitti Sepultura in loco sacro, secreto tamen, & sine pompa funebri. Pignatell. *loc. citat.* 58

Quæritur 6. an adhuc Sepultura Ecclesiastica privetur occumbens in Duello, etiamsi constiterit, quòd decesserit pœnitens? Negat Portel *Respons. mor. part.* 3. *cas.* 10. *num.* 2. *&* 4. quia *Tridentinum* Sacra humo solùm privat cadaver duellantis, si iste in conflictu decesserit. Atqui non ita in conflictu, sed post conflictum jam finitum decedit, qui accepto lethali vulnere decedit pęnitens, & præsertim acceptis Sacramentis Ecclesiæ: ergo &c. *Conf.* explicari debet ad sensum Juris antiqui Canonici, hoc Jure autem Ecclesia Sepultura Ecclesiastica solùm privat eos, qui decedunt in notorio peccato mortali sine Pęnitentiæ signis; ergo &c. 59

Sed dicendum, Sepulturam Ecclesiast. denegari etiam 60
iis,

iis, qui occumbunt ex Duello, editis pœnitentiæ signis; ita Joan. Sanchez *select. D. 36. num. 9.* Diana *part. 4. tract. 4. resolut.* 192. Lezan. *tom. 2. V. Duellum num.* 14. Gonzalez *in cap. fin. hoc tit. num.* 10. Pignat. *tom. 9. consult.* 88. *numer.* 166. Konig *hic num.* 20. Vviestner *num.* 19 Reiffenstuel *num.* 43. Magnif. P. Schimier *part. 2. de Delict. cap. 3. num.* 112 *&* 113. & clarè patet ex *Rituali Romano*, edito jussu *Pauli V. Titul. de Exequiis*, cujus verba sunt, *Negatur Sepultura Ecclesiastica morientibus in Duello, etiamsi ante obitum dederint signa pœnitentiæ. Ratio est*, quia *Trid. & Constit. Clem.* non distinguit inter eos, qui cum pœnitentiæ signis decedunt, & qui sine illis, sed omnes, in Duello occumbentes, generaliter Sepultura Ecclesiastica privat. *Conf.* à paritate cum iis, qui obeunt in Torneamentis, & in ludo agitationis Taurorum, quibus Sacræ Sepulturæ honos denegatur, etiamsi pœnitentes obierint, ut de prioribus patet ex *Titul. præced. num.* 7. *&* 8. de posterioribus constitutum est à *S. Pio V. Constit.* incipit *De salute edit. Calend. Novemb.* 1567.

61 Facienda tamen videtur duplex Exceptio, 1. si ex vulnere, in Duello accepto, post aliquot primùm dies decessisset pœnitens, & absolutus à peccatis, ac Censuris suis; nam talem à Sepultura Ecclesiastica non excludendum, contra Thom. Huttad. *var. tom. 2. tract. ultim. resol.* 51. *num.* 111. *&* 112. Lavor. *var. tit. 2. cap.* 12 *num.* 16. Santarell. *de Sepult. tract. 2. concl. 8. num.* 12 Bichium *Prompt. Confess. part. 2. cap. 18. cap. 9.* Pignat. *loc. cit. num.* 164. docent Diana *part. 11. tract. 6. misc. 6. resol.* 26 Bassæus *V. Sepultura num.* 5. Caraffa *de Duell. tract. 2. sect 2. quæst. 19. num. 9.* Baucius *in Misc. tom. 1. quæst.* 438 *pet.* 8. Mancin. *pract. de infirm. in ordin. de Sepultur. num.* 34 Trullench. *de Jur. Paroch. cap. 9. dub. 7. num.* 7. Lezan. *V. Duellum num.* 14 & plures alii. Patet ex *Trid.* & *Const. Clement. VIII. citt.* ubi pœna solùm fertur in eum, qui in ipso conflictu, & non post istum decessit; igitur ad eum, qui ex vulnere ibi accepto post unum, vel alterum diem à Conflictu decedit pœnitens, pœna ista extendi non debet.

61 *Excipitur* 2. si consuetudo in contrarium vigeat: & ita teste Sanchez *D.* 36 *cit. nu.* 5. quem citat, & sequitur P. Engl *hic n. 9. fin.* in quibusdam locis consuetudo est, ut præsertim in Duellis privatis, & datis pœnitentiæ signis decedentibus Sepultura Ecclesiastica non denegetur.

Ad Argumentum *num.* 59. allatum dico, pœnitentiam non impedire, quo minùs in conflictu moraliter decessisse censeatur, qui non multo post conflictum decessit; imò si contrarium verum esset, rarò omnino locus huic pœnæ foret, cùm plerumque vulnerati aliquamdiu post congressum supervivant. *Ad Conf.* id verum est, ubi contrarium non satis clarè ex ipso Jure desumitur.

TITULUS XV.

De Sagittariis:

SUMMARIUM.

1 *Quinam hic veniant nomine Sagittariorum, vel Ballistariorum;*
2 *Utrum artis istius exercitium prohibitum sit Christianis?*
3 *Quæ sint pœnæ utentium arte ista in casu prohibito?*

1 QUæritur 1. quinam hic veniant nomine Sagittariorum, vel Ballistatiorum? Resp. hoc nomine in hac Rubrica veniunt ii, qui sagittas, præsertim veneno illitas ex arcubus, saxa ex ballistis, vel catapultiis, aut prout hodie solet, glandes, globos plumbeos, pilas ferreas, vel lapides ex tormentis, & machinis bellicis ejaculando, arcium, vel urbium obsessarum mænia, turresque aut hostium agmina prosternunt in acie. Gonzalez *in cap. un. hoc tu. num.* 3. Vallens. *hic num.* 1. Engl *num.* 1. Reiffenstuel *num.* 1: Magnif. P. Schmier *p. 2. de Delict. cap. 3. num.* 1-16.

2 Quæritur 1. utrum artis istius exercitium sit Christianis prohibitum? Resp. si Christianus ea arte uti velit pro hostibus Christiani nominis contra fideles, & Catholicos, præsertim prohibitum est, prout patet ex *capit. unic. hoc titul.* Si pro Christianis contra Christianos, & bellum sit justum, permissum est; quia in bello justo non interest ad justitiam, an apertè quis pugnet, an verò ex insidiis, prout hac arte fieri existimat Sylv. *V. Ars quæst. 6.* modò qui hujusmodi armis utuntur, iisdem vim feriendi, & certitudinem non concilient incantationibus, aut aliis Diabolicis artibus; nam hoc *c. un. cit.* præcipuè cavetur, ut monet Delrio *Disquis. Magic. lib. 3. c. 1. q. 4. sect.* 4. Barbosa *in c. un. cit. n.* 2. Honor. *hic n.* 1. Schambogen *n.* 2. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 2.

Quæritur 3. quæ sit pœna utentium arte Sagittariorum, vel Ballistariorum in casu prohibito? Resp. est Excommunicatio: quæ, si bellum inter Christianos, & Christianos geratur, etsi ferendæ solùm sententiæ. Si autem bellum sit inter infideles, & Christianos, tunc Christiani, qui Infidelibus deserviunt, excommunicationem reservatam, aliasque pœnas incurrunt, de quibus *suprà Tit. 6. de Judæis n.* 45. 3

TITULUS XVI.

De Adulteriis, & Stupro.

POst Homicidium; quo læditur corpus, & vita proximi, examinatur crimen Luxuriæ, qua ejusdem proximi vel thorus, vel pudicitia violatur. Species istius sunt Fornicatio, Concubinatus, Stuprum, Adulterium, Incestus, Sacrilegium, Raptus, & vitium contra Naturam. De Raptu, agetur *Tit. seq.* de cæteris hìc.

§. I.

De Fornicatione Simplici; & Concubinatu.

SUMMARIUM.

1 2 3 *Fornicationis triplex acceptio.*
4 *Est illicita Jure Divino.*
5 &c. *Et naturali.*
8 *Concubinatus diversa acceptio.*
9 *Differentia à simplici Fornicatione.*
10 *Non minùs, quàm ista, imò magis prohibita est.*
11 *Pœna Simplicis Fornicationis.*
12 &c. *Et Concubinatus.*

QUæritur 1. quid sit *Fornicatio, & Concubinatus*? Resp. *Fornicatio* sic dicta à *Fornicibus*, sub quibus Scorta, sive Meretrices habitare, & prostare quondam Romæ solebant, teste Isidoro *lib.* 10 *de Origin.* tripliciter potest accipi, 1. *latè*, quo sensu significat quemcunque concubitum extra Matrimonium *can. lex illa* 2. §. *cùm ergo*, *vers. fornicatio autem cauf.* 36 *q.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 137. *n.* 6. 1

2 *Strictè* pro concubitu, sive coitu soluti cum soluta: quo nomine hìc veniunt, qui liberi sunt ab omni vinculo non solùm conjugii, sed etiam cognationis, affinitatis, voti saltem solemnis, & alterius Impedimenti Matrimonialis, ita, ut sic peccantes sine prævia dispensatione conjugium validè inter se inire possent. Sylv. *V. Luxuria quæst.* 1. Azor *part. 3. lib. 3. cap. 4. princ.* Farin. *loc. cit. nu.* 6. *&* 7. Pirhing *hic num.* 74. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *nu.* 55. Et in hoc sensu etiam Stuprum complectitur. 2

3 *Strictissimè*, & prout etiam à Stupro distinguitur, pro eo solùm concubitu, qui fit à soluto cum soluta jam deflorata, ut colligitur ex §. *cùm ergo citat.* ibi, *Fornicatio autem --- specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.* Haun. *tom. 6. de J. & J. tract. 2. num.* 198. Konig *hic num.* 31. Vviestner *num.* 1. Reiffenstuel *nu.* 54 Magnif. P. Schmier *part. 3. de Delict. cap. 2. num.* 23. Et hoc sensu accepta, si absque consuetudine fiat, dicitur *Fornicatio simplex*; si verò sit consueta cum aliqua, *Concubinatus*. Azor *c. 4. cit. not.* 2. 3

Quæritur 2. quo Jure prohibita sit Fornicatio Simplex? Fuerunt aliqui, qui putabant non esse illicitam. Sed contra unanimem omnium TT. sententiam teste Clar. §. *Fornicatio numer.* 1. quæ fundatur in ipso 4

ipso Jure Divino, explicato per S. Apostolum Paulum 1. *Corinth.* 6. *verf.* 9. & 18. 1. *Thessal.* 4. *verf.* 3. *Galat.* 5. *v.* 19 & ipso Servatore Christo *Matth.* 15. *v.* 19 ubi inter opera, turpitudine, seu malitia mortali hominem coinquinantia, etiam fornicationem refert: ut proinde Concilium Viennense, relatum *Clement. ad nostrum* 3. *verf. septimò de Hæretic.* meritò tanquam erroneam & Hæreticam damnaverit propositionem, dicentium, quòd *actus carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non sit, maximè cùm tentatur exercens.*

5 Dubitarunt aliqui, an malitia Fornicationis simplicis descendat solùm ex Jure positivo Divino, an verò etiam ex Naturali: quibus patrocinium præstitere Caramuel *tom.* 1. *Fund. Theol. Fund.* 12. *num.* 541. & Franc. Verde *in Apolog. pro ipso contra Borglam q.* 2. & 4. Nituntur 1. textu *Oseæ* 1. *verf.* 2. ibi, *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum*, ubi videtur Deus præcepisse Prophetæ procreationem filiorum extra Matrimonium, & conf. istam, seu Fornicationem, non esse intrinsecè, & Jure naturali malam; nam in hoc Deus dispensare non potest, 2. *l. si uxor.* 13. §. *sed & 2. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. l. quæ in concubinatu* 1. & *l. in concubinatu* 3. *cum duabus seqq. ff. de Concubin.* ubi fornicatio videtur esse permissa; non autem est credibile, quòd harum legum authores Jus Naturæ ignoraverint, 3. quia non apparet ulla ratio, quæ persuadeat, Fornicationem simplicem ex se, & intrinsecè malam, atque idcirco, seclusa Lege Divina positiva, prohibitam esse, 4. quia eadem passionis, ac voluptatis vehementia est in coitu viri cum sua uxore, quæ est in coitu soluti cum soluta: igitur vel uterque, vel neuter, Jure naturali præcisè spectato, illicitus est, 5. si esset aliqua ratio, quare fornicatio simplex esset Jure naturali prohibita, esset periculum malæ educationis prolis; atqui ne proles male educetur, singulari parentum providentia caveri potest: ergo &c.

6 Sed his non obstantibus, est certa cæterorum DD. Orthodoxorum sententia cum S. Thom. 2. 2. *qu.* 154 *art.* 2. *Corp.* quòd Fornicatio simplex sit Jure naturali illicita, ut adeo *Innocentius XI.* Decreto edito 2. *Martii* 1679. inter alias scandalosas, & in praxi perniciosas propositiones meritò retulerit hanc prædictorum duorum DD. sententiam, expositam his verbis: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omni rationi dissonum videatur.* Ostenditur 1. ex textibus S. Pauli, & Christi Domini *suprà* relatis, ubi fornicatio, & omnis immunditia carnalis non primùm vetatur, sed tanquam actus ob turpitudinem, & inhonestatem suam maximopere vitandus proponitur; conf. supponitur jam aliunde veritas: quod colligitur ex *Matth.* 15. *verf.* 19. & 1. *Corinth.* 6. *verf.* 9. ubi annumeratur, & comparatur Idolorum servituti, veneficio, furto, homicidio &c. quæ ex omnium sententia ex se inhonesta, & intrinsecè mala sunt, 2. si fornicatio, & alii actus carnales, extra Matrimonium exerciti, non essent intrinsecè mali, sed tantùm Lege Dei positiva prohibiti, Gentiles, quibus Lex Dei positiva promulgata non est, his indulgendo non peccassent, peccarunt autem secundum Apostolum *Rom.* 1. *verf.* 18. & *seqq.* ubi illos, qui Deum, quem *per ea, quæ facta sunt*, cognoverant, *non sicut Deum glorificaverint, traditos* esse ait *in reprobum sensum, ut facerent ea, quæ non conveniunt* creaturæ rationali, *& replerentur omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia &c.* 3. conjugium à Deo, ut est Author naturæ, in Paradiso institutum, & intentum est ad rectam educationem prolis inde susceptæ; atqui huic fini adversatur fornicatio; nam plerumque ex hac susceptæ proles non educantur bene: ergo &c. 4. intrinsecè malus est actus, qui præcipuas duas hominis potentias, Intellectum, & Voluntatem, per se hebetat, impedit, & inordinatas reddit in actibus suis; hoc autem facit fornicatio, & quicunque coitus viri cum fæmina, alio, quàm qui à Naturæ Conditore Deo ad humani generis conservationem, & multiplicationem ordinatus est, modo factus, cùm per se ex eo oriatur *cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, vel desperatio futuri*: quas octo Luxuriæ filias cum Sancto Gregorio *Moral. capit.* 31. relatis verbis recenset Doctor Angelicus 2. 2. *quæst.* 153. *artic.* 5. *pr.* & quomodo ex actibus luxuriosis oriantur *loc. citat. in Corp.* pulchrè declarat.

Neque contrarium probant Argumenta allata pro 7
Sententia negante. *Ad* 1. Oseas jussus est accipere *mulierem fornicationum*, h. e. ut *Cornelius à Lapide* cum aliis *Interpp.* ibidem annotat, fornicationibus deditam, non in concubinam, sed in veram uxorem, ut ex textu patet; & ex ea genuit *filios fornicationum* h. e. conceptos quidem ex justo Matrimonio, sed qui secuturi erant exemplum Matris, & proclives similiter futuri ad libidinem, *Ad* 2. Legibus illis fornicatio non fuit approbata, sed tolerata tantùm ad vitanda graviora carnis flagitia, ut hodie alicubi Lupanaria; vel si contendas, etiam approbatam fuisse, dicendum, eas Leges, utpote peccatum foventes, fuisse abrogatas à SS. Canonibus *canon. fornicari* 10. *dist.* 88. *canon. nubendi* 20. *fin. caus.* 27. *quæst.* 1. *canon. nemo* 4. *canon. meretrices* 11. & *seqq. caus.* 32. *quæst.* 4. & *Clem. ad nostrum* 3. *verf. septimò de hæretic.* Imò etiam Juribus plerarumque Gentium, honestatis laude florentium, quibus fornicatio à Magistratu Sæculari punitur pœna arbitraria, eaque pro Statutis loci diversa. *Ad* 3. malitia fornicationis intrinseca patet ex probationibus, pro resolutione quæstionis allatis. *Ad* 4. negatur paritas; nam conjunctio mariti cum uxore legitima fit ex intentione naturæ, non autem soluti cum soluta. Ne verò ex priore ob vehementiam passionis oriantur effectus perversi, quos *numer. præced.* ex fornicatione oriri diximus, imprimis Christus Dominus apud fideles sufficienter cavit, dum Matrimonium elevavit ad rationem Sacramenti, quo confertur gratia ad portanda onera conjugii; in cæteris Author naturæ providit auxilia naturalia, quorum vi intra fines Matrimonii se contineant conjugati. *Ad* 5. ratio, quare illicita sit fornicatio, est periculum malæ educationis prolis inde susceptæ generale, quod manet, etsi in uno, vel altero casu singulari parentum providentia eveniat contrarium.

Quæritur 3. quotupliciter sumatur Concubinatus, & 8
quo Jure prohibitus sit? Respond. Concubinatus aliter sumitur Jure Civili, aliter Jure Canonico. Jure Civili Concubinarius dicitur, qui mulierem solutam domi suæ loco uxoris detinet, & cum ea consuetudinem habet. Diaz. *pract. crim. canon.* 79. *V. concubinarii numer.* 1. Mascard. *de Probat. lib.* 1. *conclus.* 341. *num.* 16 & 21. Farinac. *prax. crim. quæst.* 138. *numer.* 9. & 10. Azor *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *not.* 4. Engl *hic num.* 21. Schambogen *num.* 29. Reiffenstuel *numer.* 61. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 2. *numer.* 24 Canonico Jure autem omnis ille Concubinarius appellatur, qui cum muliere aliqua soluta carnale commercium habere consuevit, sive illam in sua, sive in aliena domo retineat. Farinac. *loc. citat. num.* 12 Pirhing *hic num.* 76. Wiestner *num.* 13. *ibid. cum citt.*

Differt ergo Concubinatus à Simplici Fornicatione; 9
quia per unicum concubitum fornicarium fit, & denominatur quis Fornicator; ad Concubinarium verò consuetudo, & actus sæpius frequentatus requiritur. Diaz *num.* 1. *citat. verf. consuetudinem*, Farinac. *num.* 9. Pirhing *num.* 76. Schambogen *num.* 29. Si mulier, cum qua hujusmodi consuetudo habetur, sit conjugata, sanguine, vel affinitate juncta, sacrata Deo, aut si hoc non sit, si vir conjugii, aut Voti solemnis vinculo adstrictus sit, carnale commercium, inter eos initum, Fornicationi, & Concubinatui superaddit malitiam Adulterii, Incestus, Sacrilegii, aut alterius criminis. Azor *cap.* 5. *cit. not.* 2. Wiestner *nu.* 13.

De licentia Concubinatus dubitandi rationem dat 10
canon. is qui 4. *&c. distinct.* 34. ubi Christianis uxor, aut concubina permittitur. *Sed dicendum*, eum non minùs, imò magìs, quàm fornicationem esse prohibitum, & quidem Lege non solùm Ecclesiastica *canon. nemo* 4. *caus.* 32. *quæst.* 4. sed etiam Divina, ac Naturali, per rationes, & textus allatos contra fornicationem simplicem; quia Concubinatus, quòd duret longiori tempore, est delictum longè gravius fornicatione. Pirhing *num.* 76. *citat. fin.* Ad textus in contrarium allegatos dico, ibi Concubinæ nomine venire mulierem non omni-

omnino solutam, sed desponsatam per verba de præsenti, cum minori tamen solemnitate: quo sensu etiam Agar dicitur Concubina Abrahæ, licèt esset ejusdem uxor legitima.

11 Quæritur 4. quæ pœna constituta sit Fornicarionis, & Concubinatus delicto? Resp. de jure civili Fornicationi simplici, & Concubinatui nulla constituta est pœna, ut patet ex *l. si uxor* 13. §. *sed & 2. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* & *l. quæ in concubinatu* 1. *ff. de concubin.* Jure Canonico Clericus fornicarius, præsertim si in SS. Ordinibus constitutus, & Sacerdos sit, punitur pœna arbitraria, & pro locorum, ac circumstantiarum varietate mitius, vel severius, & tales ordinariè solent esse incarceratio, mulcta pecuniaria, suspensio ab Officio, & si crimen notorium, aut valde scandalosum, & Clericus incorrigibilis depositio, ac Beneficiorum privatio. Menoch. *de arbitrar. cas.* 289. *num.* 1. Farin. *prax. crim. quæst.* 137. *numer.* 16. 21. *&* 24. Engl *hic numer.* 19. Konig *ibidem numer.* 32.

12 Similiter arbitraria pœna in foro Ecclesiastico juxta Menoch. *l. cit.* animadvertit potest in Laicos. Imò hunc animadvertendi in Fornicarios modum cum tempore assumpsit etiam forum sæculare; nam ut advertunt Engl *hic num.* 19. Konig *num.* 32. Reiffenstuel *num.* 57. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 2. *num.* 26. & ego *suprà num.* 7. *ad* 2. insinuavi, defacto apud omnes bonos, præsertim Germaniæ Magistratus simplex Fornicatio arbitrariè juxta loci consuetudinem punitur. Et ita in Fornicarios animadvertere jubentur Judices, & Magistratus de jure nostro Bavarico *Landt-und Policey Ordnung Lib.* 5. *Tit.* 9. *art.* 19.

13 Acrius, quàm Fornicatio simplex, punitur concubinatus: & meritò, cum utique perseverantia in crimine sit circumstantia aggravans, & tanto sint graviora crimina, quanto diutius durant, sicut dicitur *cap. fin. de consuet.* ac diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet *cap. cum haberet* 5. *de eo, qui duxit &c.* Engl *num.* 22. Konig *num.* 32. Reiffenstuel *num.* 62. Schmier *num.* 26. *cit.* Nec tolerari ejusmodi cohabitatio etiam inter sponsos de futuro debet, cum inter illos præsentius sit peccati periculum: ad quod tollendum de jure nostro Bavarico *l. cit. artic.* 16. salubriter constitutum est, ne Magistratus hujusmodi inter sponsos cohabitationem ante publicam Nuptiarum Benedictionem tolerent, sed eos vel ad actualem Matrimonii contractum urgeant, vel illos interea à se invicem separent, nec aliter in suis Territoriis patiantur subsistere.

14 In Concubinarios Clericos quomodo prisco, & moderno jure Ecclesiæ procedi soleat, dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 2. *à num.* 7. Quoad Laicos *S. Synodus Trid.* ut huic tanto malo opportunis remediis provideret, *sess.* 24. *c.* 8. *de reform.* statuit, hujusmodi Concubinarios tam solutos, quàm uxoratos, cujuscunque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab Ordinario etiam ex officio ter moniti ea de re fuerint, & concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine sejunxerint, excommunicandos esse, nec absolvendos, donec reipsa admonitioni factæ paruerint: si verò in Concubinatu per annum, Censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severè pro qualitate criminis procedendum. Circa ipsas quoque concubinas, & mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ sint, Concilium *l. cit.* constituit, ut ab Ordinariis locorum ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra Oppidum, vel Diœcesin, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato etiam, si opus fuerit brachio sæculari, ejiciantur, aliis pœnis, contra adulteros, & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus. Et huic Constitutioni Concilii, & prohibitioni Concubinatus etiam in foro sæculari parendum est; quia Leges civiles in materia peccati à SS. Canonibus correctionem accipiunt Engl *hic numer.* 23. Konig *numer.* 32. Schmier *numer.* 26. *&* 27.

15 Ad dotationem, vel Matrimonium ob fornicarionem simplicem, sine qualitate stupri commissam, fornicator non tenetur: debet tamen alere prolem, quam fæmina ex eo concepit *capit. cum haberet* 5. *fin.* & *ibi DD. de eo, qui duxit &c.* Nec audiri solet, tametsi neget se esse patrem; nam si confessus, vel convictus fuerit de copula, hoc ipso præsumetur pater, nisi aliud monstrare possit. Engl *hic num.* 29. Quodsi constet, aut fornicator probet, plures cum eadem muliere commercium habuisse, recurritur ad circumstantias, cui nimirum ex iis, qui cum illa deliquerunt, vel tempus partus, & physiognomia prolis magis respondeat: imò aliquando favore prolis, ne ob defectum alimentorum intereat, juramento mulieris statur. Engl *n.* 20. Plura *infrà num.* 26. *& seqq.*

§. II.

De Stupro.

SUMMARIUM.

16 *Stupri definitio.*
17 *Et requisita, ut tale dicatur.*
18 *Factum vi, fraude, vel metu continet malitiam Injustitiæ.*
19 *Factum volenti à Simplici fornicatione non differt specie.*
20 *&c. Pœna Stupri Jure Civili.*
25 *&c. Pœna ejusdem Jure Canonico.*
28 *&c. Sufficit, si Stuprator corruptam ducat, vel dotet.*
30 *&c. Quando alternatio hæc locum habeat?*
33 *&c. Penes quem sit electio?*
35 *&c. Quibus casibus ad nihil teneatur Stuprator?*
38 *&c. Ad quid teneatur, si puella ad Stuprum inducta est suasionibus, blanditiis &c.*
40 *Aut metu?*
41 *&c. An stuprator aliquid teneatur restituere patri puellæ?*
45 *Quæ sit obligatio ipsius in conscientia ante sententiam?*
46 *Quando per sententiam condemnatus ad dotandum, teneatur eam dotare?*
47 *Modi, quibus ab obligatione hac liberare se potest.*
48 *An ita liberatus, etiam sit immunis à pœna?*
49 *Quis sit Judex in causa Stupri?*
50 *&c. Quomodo istud probandum & à quo?*
55 *&c. A quo ali debeat proles, ex, Stupro vel alio concubitu illegitimò procreata?*

Quæritur 1. quid sit *Stuprum*? Resp. *Stuprum* potest dupliciter accipi. 1. *latè*, quo modo acceptum est illicitus concubitus cum Virgine, aut Vidua honestè vivente §. *item lex* 4. *Inst. de Publ. Judic. l. inter* 6. §. *lex stuprum* 1. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* imò etiam cum puero *l. stuprum* 34. §. *adulterium* 1. *ff. eod.* 2. *propriè*, & prout accipitur in præsenti Rubrica, est illicita Virginis defloratio, non præcedente pactione conjugali. Farin. *prax. crim. quæst.* 147. *num.* 4. Layman *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 13. *pr.* Vallens. *hic* §. 2. *n.* 1. Engl *num.* 10. Schambog. *num.* 12. Konig *num.* 22. Reiffenstuel *num.* 44. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 6. & habetur *can. Lex illa* 2. §. *cùm ergo, vers. Stuprum autem, caus.* 36. *quæst.* 1. 16

Ex quo sequitur, ad hoc, ut fœminæ corruptio Stuprum dicatur, duo debere concurrere. *Unum* est animus, & propositum fœminam honestam contaminandi: & hinc Stupri condemnari non potest, qui virginem, veste meretricali indutam, defloravit *arg. l. item apud* 15. §. *si quis virgines* 15. *ff. de injur.* Bajard. *ad Clarum* §. *Stuprum num.* 4. Konig *hic num.* 27. *Alterum*, ut delictum sit consummatum; conatus enim, licèt ad actum proximum devenerit, arbitraria, non ordinaria pœna coercendus est, sicut in aliis delictis. Bursat. *vol.* 1. *cons.* 49. *num.* 31. Boer. *decis.* 316. *num.* 3. Konig *loc. citat.* 17

Quæritur 2. quotupliciter fieri Stuprum possit, & an Simplici Fornicationi superaddat specialem malitiam? Resp. fieri potest dupliciter nempe vi, fraude, vel etiam metu injustè incusso, aut sine istis. *Si primum* contingat, Fornicationi simplici superaddit malitiam injustitiæ: & ideò circumstantia hæc in Tribunali conscientiæ necessariò aperienda est. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 14. *num.* 9. Laym. *c.* 13. *cit. num.* 3. Illsung *Theol. pract. tract.* 4. *D.* 1. *num.* 60. Pirhing *hic num.* 37. Schambog. *n.* 13. Wiestner *n.* 16. Reiffenst. *n.* 46. Magnif. P. Schmier *p.* 8. *de Delict. c.* 2. *n.* 30. 18

Idem cum *Sylv. Azor, Toleto* aliqui dicunt de secundo casu, quando Stuprum infertur Virgini volenti,

& in

& in sui violationem sponte, ac liberè consentienti: & videtur probari à pari cum raptu Virginis, qui Injustitiæ peccatum continet, etiamsi puella consentiat in sui raptum.

19 Sed meliùs negant Sot. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 4. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 10. *num.* 2. *&* 6. Thom. Sanch. *D.* 14. *citat. num.* 5. Joan. Sanch. *select. D.* 29. *numer.* 7. Conink *de Sacr. D.* 7. *dub.* 4. *num.* 19. Vasq. *de Restitut. cap.* 3. §. 1. *dub.* 1. *num.* 6. Laym. *l. citat. num.* 1. Barbosa *in cap.* 1. *num.* 12. *vers. altera sententia h. tit.* Zoes. *hic nu.* 14. Pirhing *num.* 37. Schambog *num.* 13. Vviestner *n.* 17. Reiffenstuel *num.* 46. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 2. *n.* 29.

Ratio est; quia tali casu nulla injuria infertur ipsi Virgini, nulla ejus proli, nulla parentibus. *Non Virgini*; quia volenti, & consentienti non fit injuria *l. injuria* 1. §. *usque adeò* 5. *ff. de injur. Reg. nemo* 145. & *Reg. scienti* 27. *in* 6. *Non proli*; quia nondum nata jus nullum habet, & si haberet, pariter violaretur per fornicationem simplicem, cum idem in hac sit malæ educationis periculum. *Non denique Parentibus* talis Virginis; quia hi non magis jus habent in corpus filiæ incorruptæ, quàm corruptæ.

Ad Rationem dubitandi nego paritatem. Disparitas est; quia per Raptum puellæ etiam volentis violatur jus patriæ potestatis, non vero per deflorationem ejusdem, cum quoad usum corporis sui parentibus non subdatur.

20 Quæritur 3 quæ sit pœna stupri de jure civili? Resp. cum distinctione: Vel enim illud commissum est sine vi, vel hac adhibita. *Si primum*, & stuprator sit honestæ conditionis, pœna stupri est publicatio dimidiæ partis bonorum; si vilioris, est corporis coercitio, seu verberatio cum relegatione §. *item Lex* 4. *vers. pœnam Inst. de Publ. Judic.* Clar. §. *Stuprum num.* 3. *fin.* Farin. *prax. crim. quæst.* 147. *num.* 6. Vvagnereck *in cap.* 2. *h. tit. in Exeg.* Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tract.* 2. *num.* 697. Vallens. *hic* § 2. *numer.* 2. Pirhing *num.* 38. Konig *num.* 29. Vviestner *num.* 19. Reiffenstuel *numer.* 47. Verum hæc pœna, ut notat Manz. *ad* §. *item Lex. cit. num.* 15. hodie non practicatur, sed magis pœna juris Canonici, quæ est, ut stuprator vel dotet puellam, cum qua stuprum commisit, vel eam uxorem ducat, prout dicetur mox *num.* 25. Quod tamen limitat Harpp. *ad* §. *citat. num.* 91. si contra stupratorem Civilis actio instituatur; secus, si agatur criminaliter, ut si pater, vel consanguinei puellam stupratam in Matrimonium stupratori dare nolint, sed ad vindictam agere velint ob stuprum illatum; tunc enim, sicut & aliis casibus similibus pœnæ Civilis infligi possunt.

21 *Si secundum* fiat, & stuprum commissum sit, vi adhibita, iterum distingui debet; nam si *imperfectum* sit stuprum, eo quod Virgo, aut Vidua honesta, cui vis illata est, è manibus stupratoris, antequam flagitium perfecisset, se eripuerit, vel erepta sit, in hujusmodi stupratorem decreta est pœna deportationis, aut fustigationis, ut habetur *l. sollicitatores* 1. §. *fin. in fin. ff. de Extraord. crim.* nunc verò juxta *constit. crim. Carol. V. artic.* 119. extraordinaria. Si verò *perfectum* flagitium sit, in stupratorem decreta est pœna capitis, sive mortis. Gloss. *in cap. pervenit* 2. *V. plectendus h. tit.* Abb. *ibidem n.* 5. Clar. §. *Stuprum num.* 3. *fin.* Farin. *quæst.* 147. *num.* 22. Vvagnereck *in Exeg. cap.* 2. *cit.* Haun. *num.* 697. Pirhing *num.* 38. Vviestner *num.* 19. & constat ex *l. sollicitatores*, & *const. crim. l. citt.* præsertim si valde honestæ, & pudicæ fœminæ, vel puellæ nondum maturæ, aut etiam interveniente raptu corruptæ Stuprum illatum fuisset. Farin. *num.* 26. *&* 46. Gonzal. *in cap.* 2. *num.* 6. Haun. *l. cit.* Zoes. *num.* 14. Engl *n.* 16. Konig *n.* 29. Vviestner *n.* 19. *cit.* Reiffenstuel *num.* 48.

22 Imò aliqui cum Paul. de Castro *in l. Raptores numer.* 4. *C. de Episc. & Cler.* pœnam mortis infligendam putant tantum illi stupro, quod junctum cum Raptu est. Alii etiam eum, qui stupravit Virginem immaturam, seu minorem duodecim annis, à supplicio mortis eximunt, & pœnam illius remittunt arbitrio judicis, ut videre est apud Farin. *l. citat. numer.* 39. Alii denique à pœna mortis exemptum volunt eum, qui vi meretricem compressit, ut notant Konig *hic numer.* 29. Reiffenstuel *ibidem numer.* 49. Hæc *tertia* sententia videtur habere assistentem sibi *constit. crim. artic.* 119. *cit.* ubi ob stuprum violentum tunc pœna capitis dictatur, si stuprata fuerit *ein unverleimbte Ehefrau, Wittib, oder Jungfrau. Altera* sententia sufficiens fundamentum non habet, cum certum sit magis delinquere eum, qui immaturam, quàm qui maturam Virginem corrumpit: & ideo teste Farin. *numer.* 37. non dubitandum, quin acrius puniri debeat. Æquè debile fundamentum habet *prima:* hinc communior contrarium tenet. Illud indubitatum, quod vi stuprata, si hæc non conditionalis, sed absoluta sit, nullam pœnam incurrat, cum etiam sit immunis à culpa *l. si uxor* 73. §. *si quis* 7. *ff.* & *l. fœdissimam* 20. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* Konig *hic numer.* 29. Reiffenstuel *ibidem numer.* 50.

De casu, quo stuprator, nulla vi adhibita, puellam blanditiis, persuasionibus, & muneribus, aliisque fraudibus, & fallaciis ad flagitium induxit, dissident inter se DD. Bajard. *ad clar.* §. *stuprum nu.* 38. Menoch. *de arbitr. cas.* 288. *num.* 10. *fin.* & alii apud Farin. *quæst.* 147. *cit. numer.* 21. putant, etiam huic pœnam capitis infligendam. Contrà alii cum Tusch. *pract. V. stuprum concl.* 710. *num.* 3. Farin. *l. citat. numer.* 30. negant; quia aliàs ferè semper pœna capitis infligenda Stupratori foret, cum ferè semper interveniant fallaces persuasiones, ac promissiones. 23

Porro quod, spectato jure communi controversum inter DD. est, id satis clarè deciditur in jure nostro Bavarico *Landtsund Policey Ordnung Libr.* 5. *Tit.* 9. *artic.* 19. ubi circa stupratores Virginum statuitur, ut, si Virgo per insidias, lenocinia, dona, promissiones, inebriationem, promissionem Matrimonii stuprata sit, stuprator ad aliorum exemplum irremissibiliter, & ponderatis omnibus circumstantiis, conditione personæ violatæ, frequentia criminis, etiam pœna mortis puniatur. Si verò oppressa sit vi, aut potu amatorio inducta, post notitiam de flagitio habitam, delinquens sine mora incarceretur; & consideratis iisdem circumstantiis, secundum eadem statuta Bavarica, & jus commune pœna mortis afficiatur. Is autem, qui sub promissione Matrimonii etiam consentientem in hujusmodi conditionem stupraverit, coerceatur secundum conditionem personæ, & fœminæ vitium passæ satisfiat eo modo, quo jure communi statutum est. 24

Quæritur 4 quæ sit pœna stupri de Jure Canonico? Resp. referre, an stuprator sit Clericus, an verò Laicus. *Si Clericus est*, jure veterum Canonum puniebatur Depositione ab Officio *can. lator* 44. *caus.* 2. *quæst.* 7. cum dotatione puellæ stupro violatæ *c. si seduxerit* 1. *h. tit.* Hodie autem præter Dotis præstationem arbitrio judicis aliquando pecuniaria, aliquando incarcerationis, aliquando suspensionis, vel depositionis pœna plectitur, Menoch. *de arbitr. cas.* 88. *num.* 6. Farin. *prax. crim. quæst.* 147. *nu.* 65. Vallens. *hic* §. 2. *numer.* 2. Engl *numer.* 15. Pirhing *nu.* 43. Vviestner *num.* 20. Reiffenstuel *numer.* 52. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *numer.* 31. Imò si vis accesserit, idem Clericus condemnari potest etiam ad carceres perpetuos, qui succedunt pœnæ mortis in Laicos statutæ. Reiffenstuel *num.* 53. 25

Quodsi autem delinquens Laicus sit, tenetur corruptam ducere, vel si hanc pater dare renuerit, dotare *c. si seduxerit cit.* & *c. pervenit* 2. *h. tit.* nisi malit pœnam fustigationis, aut intrusionis in Monasterium subire *capit. pervenit cit.* Quæ etiam pœnæ ex communi interpretatione tum demum infliguntur, quando ob inopiam deflorator Dotem præstare nequit, ut locum habeat, quod dicitur, *Qui non habet in ære, luat in cute.* Barbosa *in cap. pervenit cit. n.* 1. *& seqq.* Gonzal. *ibidem n.* 6. Engl *numer.* 11. Neque hoc casu, si venerit ad pinguiorem fortunam, tenetur eam amplius dotare; quia per luitionem in corpore dicitur satisfactum, & sic illa castigario loco solutionis succedit *arg. l. sed si unius* 17. §. *si ante* 6. *ff. de Injur.* Barbosa *l. cit. n.* 4. 26

Porro pœnæ istæ Canonicæ infligendæ sunt in terris temporaliter subjectis Ecclesiæ Romanæ, imò etiam in terris Imperii in foro, seu Tribunali Ecclesiastico, licèt stuprum sit commissum à Laico; in terris verò Imperii, & in foro sæculari observandæ sunt pœnæ proditæ jure Civili, ut notat Fagnan. *in capit. pervenit citat. numer.* 6. *&* 7. nisi etiam in hoc foro, ut *numer.* 20. annotavit, abolita per consuetudinem pœna juris Civilis, observari, & infligi consueverint pœnæ juris Ecclesiastici. 27

Quæ-

28 Quæritur 5 an sufficiat, si stuprator, puellam à se corruptam, vel ducat, vel dotet? Videtur requiri utrumque, ob textum *cap. si seduxerit* 1. *h. titul.* ubi stuprator seductam jubetur simul *dotare*, *& in uxorem habere* copulativè: quæ Constitutio cum primum per Gregorium IX. inserta fuerit Corpori Juris Canonici, non potest dici fuisse restricta, & limitata per *c. pervenit* 2. *h. titul.* ubi videtur proponi solum obligatio disjunctiva; nam textus hujus *capit.* cum sit S. Gregorii M. longè antea vim juris Ecclesiastici habuit, quam textus *cap. si seduxerit cit.*

29 Sed dicendum, de juris rigore quidem stupratorem obligari ad puellam, à se corruptam, dotandam simul, & ducendam, si pœnas Canonicas, in *cap. pervenit cit.* dictatas, velit effugere, ut notat Fagnan. *in cap. pervenit cit. num.* 2. Gonzal. *ibidem num.* 8. Vviestner *hic num.* 21. & clarè sumitur ex *cap. si seduxerit cit.* De consuetudine autem tantum obligari ad alterutrum, ut scilicet eam ducat, vel si hoc renuit, Dotem illi constituat, juxta qualitatem suæ personæ, seu talem, qualem Virgines ejusdem cum ipsa conditionis accipere solent. Clar. §. *stuprum num.* 3. Salycet. *in l. eum qui* 18. *C. ad Leg. Jul. de Adult. num.* 3. Gomez *in l. Tauri* 80. *num.* 6. Farin. *qu.* 147. *num.* 97. Layman *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 13. *num.* 3. Berlich *p.* 5. *concl.* 38. *num.* 20. Fagnan. *in cap. pervenit cit. num.* 3. Barbosa *in c.* 1. *h. tit. num.* 7. Gonzal. *in cap.* 2. *eodem num.* 3. *&* 8. Carpzov. *pract. crim. p.* 2. *q.* 68. *num.* 13. Engl *hic num.* 11. Pirhing *num.* 41. *&* 42. Konig *nu.* 30. Schambog *n.* 18. Vviestner *n.* 21. & teste Barbosa *l. cit.* decidit Rota *in Taurin. Matrim.* 15. *Januarii* 1590

Ad Rationem dubitandi dico *cap. si seduxerit cit.* dispositionem hodie intelligendam disjunctivè juxta *l. sæpe* 53. *ff. de V. S.*

30 Quæritur 6 quando alternatio hæc locum non habeat? Resp. 1 quando puella in sui violationem consensit spe Matrimonii, sibi à stupratore promissi; tunc enim determinatè tenetur eam ducere, si promissio sit seria. Secus, si ficta, & simulata: quia tunc in foro saltem conscientiæ sufficiet, si damnum, quod decepta patitur, eidem compensetur constitutione, vel auctione Dotis, ut dictum est *Libr.* 4. *Tit.* 1. *n.* 32

31 2 Quando is, qui puellam corrupit ducere eam non potest, quia impedimento Ordinis Sacri, Ligaminis, vel alio dirimente prohibetur contrahere; tum enim stupratam determinatè tenetur dotare. Fatin. *prax. crim. q.* 147. *num.* 107. *&* 110. Molin. *tr.* 3. *de J. & Just. D.* 104. *numer.* 9. Pirhing *hic numer.* 42 quia compensare illi debet, quòd non ducat ipsam uxorem, prout obligatus fuisset, si Impedimentum non obstitisset. Addunt communiter DD. in hoc eventu eum, qui cum vitiata non potest contrahere Matrimonium, insuper puniendum pœna aliqua alia levi, vel pecuniaria, vel alia arbitraria ratione Delicti, si verò Clericus in Sacris constitutus sit, etiam graviori. Molin. *l. cit.*

32 3 Si puella corrupta ex justa aliqua causa nubere stupratori renuat, aut parentes illam eidem dare recusent; nam tunc iterum ad dotandam eam determinatè obligatur, ut contra Boich. *in capit. pervenit cit. numer.* 3 defendunt Clar. §. *stuprum nu.* 3. Salycet, *in l. eum qui* 18. *C. ad Leg. Jul. de Adult. nu.* 3. Gomez *in l. Tauri* 80. *num.* 6. Menoch. *de Arbitr. cas.* 288. *n.* 19. *vers. Secundus est casus in addit.* Molin. *D.* 104. *n.* 9. Farin. *n.* 105. Barbosa *in c.* 1. *num.* 11. *h. tit.* Gonzal. *ibid. nu.* 7. Pirhing *hic n.* 42. Vviestner *n.* 25. *ibid.* ne si puella, aut parentes alieni sint à conjugio, stuprator à pœna immunis sit.

33 Quæritur 7 penes quem sit electio, cum alternatio aut ducendi, aut dotandi stupratam permittitur? Resp. est penes stupratorem: sed tunc solum, quando in conjugium puella, & istius pater consentire paratus est; non enim tenetur ista corruptori nubere, etiamsi iste Matrimonium in satisfactionem offerat, sed potest petere augmentum Dotis, ut possit alteri æquè benè nubere. *Idque procedit* non solum, si fraude inducta fuit ad stuprum, quia v. g. stuprator finxit se esse nobilem, aut divitem, cum non esset; tunc enim contra omnem æquitatem foret, fœminam nobilem obligare ad contrahendum cum eo Matrimonium, utpote cujus contractu non compensaretur, sed potiùs augeretur damnum ipsi illatum: sed etiam si paris sint conditionis; adhuc enim, recusato Matrimonio stupratoris: petere potest augmentum Dotis, ne privetur libertate nubendi, cui vult, quam ante stuprationem habuit. Pirhing *hic num.* 46. & apud hunc *Azor*, *Lessius*, *Card. de Lugo*.

Porro etsi puella vitium passa, & ejus pater in conjugium cum Stupratore consentire parati sint, per hoc tamen isti necessitatem ad hoc contrahendum nullam imponunt; imò tunc primùm electio, an ducere illam, vel dotare velit, ut dictum est; locum acquirit, nisi defloratio facta fuerit cum promissione Matrimonii. Quod adeò verum est; ut neque tunc ducere defloratam injustus corruptor teneatur, quando damnum ei illatum pecunia, seu augmento dotis resarcire non potest, si deflorata sit longè inferioris conditionis, ita, ut illam ducere nisi cum longè majori suo damno nequeat; quia generatim loquendo in omnibus debitis, etiam quæ ex delicto descendunt, non tenetur debitor cum notabiliter majore suo damno restituere, sive solvere creditori plus, quàm sit valor ipsius debiti; sive quando nequit solvere, seu reparare damnum, nisi cum longè majori suo damno, quàm sit id, quod intulit alteri. Sufficiet ergo casu hoc, ut si longè majus damnum stupratori ex Matrimonio, cum fœmina corrupta inito, sequeretur, quàm sit illud, quod ipsi per Stuprum illatum fuit, aliis mediis, quibus poterit, data opportunitate, illud compensare procuret. Less. *lib.* 2. *de J. & J. capit.* 10. *num.* 13. Card. de Lugo *tom.* 1. *de Just. C.* 12. *sect.* 1. *num.* 10 Pirhing *nu.* 46. *citat.* 34

Quæritur 8. quibus casibus ad nihil teneatur Stuprator? Resp. 1. si puella in sui violationem, nulla interveniente vi, fraude, aut metu, sponte ad id se offerendo consensit; quia *cap. si seduxerit* 1. *& cap. pervenit* 2. *hoc tit.* ad ducendam, vel dotandam violatam stuprator obligatur tantùm, qui Virginem *seduxit*, vel *decepit*, non ita seducta, vel decepta est, quæ seipsam obtulit, ac liberè consensit. *Conf.* obligatio ducendi, vel dotandi solùm inducta est in compensationem injuriæ, per seductionem, vel deceptionem illatæ; atqui ea, quæ liberè in sui violationem consensit, non potest dici passa injuriam; nam ea non fit scienti, & consentienti *l. nemo* 145. *ff. & Reg. scienti* 27. *de R. J. in* 6. Molin. *tract.* 3. *de Just. D.* 106. *num.* 1. Less. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 9. Barbosa *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 2. Gonzalez *ibid. num.* 2. Vvagnerek *in Exeg. fin.* Haun. *tom.* 1. *de Just. tract.* 2. *num.* 687 Pirhing *hic numer.* 49. Schambog. *num.* 19 Vviestner *n.* 23. Idem dicendum, si fœmina, per vim, metum, aut fraudem stuprata remittat obligationem satisfaciendi stupratori. Vasquez *de Rest. cap.* 3. §. 2. *dub.* 4 Layman *lib.* 3. *tr.* 3. *cap.* 13. *num.* 2. cum *citt. Proceditque hoc*, sive deflorans sit Clericus, sive Laicus; poterat enim puella cedere jure petendæ Dotis, Pirhing *num.* 53 & locum habet in utroque foro, conscientiæ, & externo, ita, ut neque à Judice tali casu deflorator compelli possit ad corruptam dotandam, vel si Laicus sit, ducendam; quia obligatio hæc, ut dictum est, innititur injuriæ, Pirhing *n.* 49. Schambogen *n.* 19. 35

2 Si mulier post corruptionem, ad quam vi, vel fraude inducta est, virum ejusdem conditionis invenit, perinde ac si esset virgo, nec ob eam causam aliud detrimentum passa est, quia stuprum occultum mansit, etiam viro, cui nupsit; nam hoc casu deflorator Virginis, saltem ante sententiam, & in conscientia non tenetur ad ullam satisfactionem, vel compensationem ei faciendam, Vasquez *de Restit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 3. *num.* 8. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 10. *num.* 15. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 13. *n.* 3. *concl.* 3. Haun. *tom.* 1. *tract.* 2. *num.* 691 Engl *hic num.* 15. Pirhing *ibid. n.* 47. Ratio est, quia pro injuria, prout contra distincta est à damno subsecuto nihil debet restitui, adeoque nec pro defloratione, sive violatione claustri, seu sigilli virginalis; quia illa est irreparabilis; nec si damnum est, potest pecunia æstimari, aut compensari, sicut nec compensari potest, si alicui sit manus abscissa, vel oculus erutus: aliud verò damnum pretio æstimabile, ut supponitur, fœminæ ex stupro secutum non est. *Neque obstat*, quòd puella injustè stuprata constituatur in periculo non inveniendi commodum Matrimonium, ac antea habere poterat, quòd cùm sit damnum pretio æstimabile, à stupratore compensari debet. *Contra* enim est 1. quia qui alterum constituit in periculo etiam vitæ amittendæ, aut facultatum, non obligatur ad restitutionem, nisi damnum 36

reipsa

reipsa sequatur; quia periculum damni non est damnum, ergo si aliunde cessat periculum, etiam obligatio damnum compensandi cessat; quia ablatum fuit totum damnum, ad quod solum tollendum tenebatur is, qui injustè alicui damnum, vel periculum damni intulit. Less. *l. cit. numer.* 16. Pirhing *numer.* 47. *citat. Excipitur*, nisi fœmina, antequam se periculo tali non inveniendi æquè commodas nuptias exposuerit, de illo compensando pacta fuerit. Pirhing *l. citat. in fin.*

37 3 Si mulier jam fuisset antea corrupta ab alio, aut alias inhonestæ vitæ, & profligatæ famæ; nam huic nec Matrimonium, nec Dos, præscindendo à speciali pacto, à stupratore suo debetur, cum nullum per ipsum passa sit damnum: Sufficiet ergo, si stuprator arbitrio Judicis puniatur alia mitiori pœna. Clar. §. *stuprum numer.* 3. Fagnan. *in cap. pervenit cit. numer.* 4. Pirhing *hic num.* 41. Vviestner *numer.* 22. *ibid.* Aliud est, si quæ corrupta jam antè fuit ab alio, vulgo, & publicè habebatur pro virgine; huic enim is, qui carnaliter illam per vim, aut fraudem cognovit, si inde infamiam passa sit, ita, ut non possit tam commodè alteri nubere, sicut antea, satisfacere teneretur arbitrio prudentis viri. Nav. *Man. c.* 16. *numer.* 19. Azor *p.* 3. *l.* 5. *c.* 5. *difficult.* 11. Vasq. *de Restit. c.* 3. §. 2. *dub.* 2. Pithing *numer.* 48. Similiter ad reparandum honorem, & damnum infamiæ injustè illatum resarciendum tenetur stuprator, qui Virginem, postquam liberè in stuprum sine vi, fraude, vel metu consensit, ipse postea, divulgato flagitio, infamavit, Molin. *tr.* 3. *D.* 104. *num.* 13. *fin.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 13. *n.* 2. *vers. Excipe*, Pirhing *n.* 48. Paupertas puellæ defloratæ sola, si aliàs honestæ vitæ illa sit, ab obligatione eam ducendi, vel dotandi non absolvit eum, qui illam vi, fraude, vel metu compulsam corrupit. Vviestner *n.* 22. *hic* cum aliis passim.

38 Quæritur 9 an dotare, vel ducere stuprator teneatur puellam, quam suasionibus, blanditiis, precibus, etiam importunis, aut assiduis, vel muneribus induxit ad consensum in stuprum, sine alia tamen vi, fraude, vel minis? Resp. negativè, si spectemus præcisè obligationem in conscientia, & ante sententiam Judicis. Ita ex probabiliore sententia docet Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 10. *numer.* 14. Molin. *tract.* 3. *D.* 106. *num.* 1. Vasq. *de Restit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 1. *numer.* 4. & 5. Lugo *tom.* 1. *de Just. D.* 12. *sect.* 1. Haun. *tom.* 1. *tract.* 2. *numer.* 687. Pirhing *num.* 50. *hic*, Schambogen *numer.* 19. *ibidem* contra *Navarrum*, & *Toletum*. Ratio est, quia preces, & dona vim non inferunt, nec cogunt, vel faciunt involuntarium, etiam mixtum, sicut metus, sed solum blandè alliciunt; adeoque facilè repelli possunt, si fœmina seriò velit.

39 *Excipi* debet, si preces fuissent adhibitæ à tali persona, cui fæmina non facilè audet dissentire, uti sunt adhibitæ à Domino, Principe, vel Superiore; his enim inducta si consensisset in stuprum, stuprator eam teneretur ducere, vel dotare; quia ejusmodi preces causant metum reverentialem, & multum minuunt libertatem consensus, imo injuriam quandam continent. *Less. Lugo*, *Pirhing*, *Schambogen l. citt.* Idem dicendum, si fæmina præ verecundia non est ausa dissentire: tunc enim coacta consentire censenda est, nec stuprator excusabitur ab obligatione restituendi. Pirhing *l. citat.* & apud hunc *Molin. Vasq.* Imò ut idem Pirhing cum *allegatis* monet, etiam in casu *prac. numer.* quando preces &c. nullum sibi habent admixtum metum, probabile est admodum, quòd stuprator, qui puellam honestam istis induxit ad consensum in stuprum, dotare illam, aut ducere teneatur: quæ sententia, sicut miseris puellis est favorabilis, ita consulenda in praxi, prout etiam fatetur Vasq. *l. cit. n.* 6.

40 Quoad metum distingui debet, an injustè incussus puellæ sit, an verò justè. *Si injustè*, & propterea puella consensit in stuprum, injuriam continet, & propterea obligatio nascitur ad compensandum damnum illarum vel per contractum Matrimonii, vel per constitutionem, aut auctionem Dotis. *Si justè*, ut si stuprator comminatus est ei, quod vel ipsam apud Patrem, vel judicem accusare in casu, & causa in qua licitè, & justè facere istud poterat, non tenetur ad restitutionem. Lugo *sect.* 1. *citat. num.* 18. Pithing *numer.* 50. *fin.*

Quæritur 10. an Stuprator teneatur aliquid restituere Patri puellæ, in potestate ejus constitutæ; quam liberè consentientem stupravit, si Pater propterea augeat Dotem, ut possit filiam in æquè bono Matrimonio collocare? Affirmant D. Antonin. *part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 6. §. 1. Bern. Diaz *pract. canon. cap.* 83. *num.* 6. Cordub. *lib.* 1. *quæst.* 13. *col.* 4. §. *ubi & isti*, & *seq.* Gutier. *lib.* 1. *qq. can. cap.* 37. *num.* 24. Valent. 2. 2. *D.* 9. *quæst.* 3. *part.* 3. §. *an autem*, & *quando &c.* & alii apud Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. D.* 14. *num.* 11. Fundantur 1. quia Stuprum filiæ redundat in injuriam Patris. 2. per illud læduntur facultates Patris, dum cogitur aut Dotem filiæ stupratæ augere, si velit illam locare in Matrimonio, aut innuptam perpetuò alere. 3. præjudicatur etiam potestati patriæ; nam Patris est custodire filiam, ejusque integritatem usque ad nuptias; dum ergo stuprator integritatem filiæ aufert, patri præjudicat. 41

Sed probabilius est, Stupratorem hoc casu ad nihil teneri Patri. Ita Sot. *lib.* 4. *de Just. q.* 7. *art.* 1. *ad* 2. *vers. an vero vice versa*, Petr. Navar. *lib.* 2. *de Restit. cap.* 3. *p.* 4. *dub.* 2. *n.* 423. *vers. mihi aliter videtur*, Molin. *tract. de Just. D.* 106. *num.* 2. Vasq. *de Restit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 4. Sanch. *D.* 14. *citat. num.* 11. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 10. *num.* 9. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 13. *nu.* 2. *vers. neque obstat*, Barbosa *in cap.* 1. *num.* 2. *hoc tit.* Haun. *tom.* 1. *tract.* 2. *num.* 690. Pirhing *hic num.* 51. Ratio est 1. quia filia est Virginitatis suæ domina, & nuptiarum jacturam pati volens potest, etiam renitente Patre. 2. si filia, deflorationi suæ consentiens, haberet pecunias proprias, quibus Patri posset satisfacere, non teneretur, cùm tamen sit causa principalis injuriæ, & damnorum, quæ ex defloratione ipsius spontè admissa sequuntur; igitur multò minùs tenebitur deflorator, qui est causa minùs principalis. 3. ipsa virgo potest invito Patre nubere, cui voluerit, ita ut nec ipsa, nec vir propterea aliquid teneantur restituere Patri pro injuria hoc modo ipsi illata. 42

Similiter ad nihil tenetur patri stuprator, saltem in conscientia, & ante sententiam Judicis, si fœmina, per vim, metum, aut fraudem stuprata, remittat ipsi obligationem satisfaciendi. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 10. *n.* 9. & 19. Vasq. *de Restit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 4. Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 3. *cap.* 13. *num.* 2. Card. de Lug. *tom.* 1. *de Just. D.* 12. *sect.* 1. *num.* 9. & 10. Haun. *tom.* 1. *tract.* 2. *n.* 690. Pirging *hic num.* 52. *Ratio est*, quia sicut filia ante damnum illatum potuit cedere jure suo sine injuria Patris, ita etiam post damnum acceptum potest cedere Jure suo ad petendam ejus compensationem, etiam sine consensu patris, cùm debitum istud, quo stuprator vitiatæ obligatur, non sit immediatè pecuniarium, sed tantùm ad nuptias, vel dotem, cui debito ipsa renuntiare potest, cùm possit velle non nubere. 43

Neque contrarium probant Argumenta adversæ partis. *Ad* 1. ex injuria, secluso damno, non oritur obligatio satisfaciendi per pecuniam, vel aliud temporale ex natura rei, & in foro conscientiæ, sed solùm respondet ei pœna, quæ non debetur ante sententiam Judicis, & pro læso honore potest satisfieri petitione veniæ, vel simili honoris exhibitione. *Ad* 2. imprimis Pater non tenetur augere dotem filiæ, ut honesto Matrimonio locari possit, si ipsa volens stuprata est; & si spontè augeat, damnum volens patitur. Deinde damnum istud solùm indirectè sequitur, interceden te videlicet voluntate filiæ, quæ tanquam corporis sui, & nuptiarum domina, jus habet, ut absque injustitia id damnum indirectè inferat utendo jure suo, à quo non tenetur abstinere ex Justitiæ præcepto, ut id damnum caveat. *Ad* 3. jus illud custodiæ pater habet dependenter à voluntate filiæ, quæ tanquam domina potest liberè absque injustitia uti suo corpore. 44

Quæritur 11. utrum Stuprator, qui juxta *c. si seduxerit & c. pervenit* 2. *hoc tit.* corruptam à se tenetur ducere, aut dotare, ad hoc obligetur in conscientia, & ante Sententiam condemnatoriam? Resp. ad neutrum teneri, modò damnum stupro illatum alio modo sufficienter reparet, ut corrupta æquè honestum Matrimonium inire, quàm ante corruptionem, possit. Covar. *part.* 2. *de Sponsal. cap.* 6. §. 8. *num.* 15. Vasq. *de Restit. cap.* 3. §. 2. *dub.* 5. *n.* 14. Less. *de Just. l.* 2. *c.* 10. *n.* 11. Pirhing *hic n.* 44. Vviestner *num.* 27. & 28. *ibid.* 45

Post

46 Post Sententiam, qua condemnatus est ad corruptam dotandam, statim obligatur ad præstandam Dotem, non exspectato tempore nuptiarum, ut ex *l. un. §. & si quidem* 1. *vers. sive maritum nolentes C. de de Rapt. Virgin.* colligit. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. nu.* 586. Et hinc si mulier sic corrupta sine nuptiis moriatur, ejus exigendæ jus ad istius prolem, vel alios hæredes transmittitur, ut cum Bajard. *ad Clar. §. Stuprum nu.* 74. *vers. sed ego vidi* notat Haun. *l. cit.* & sequitur P. Vviestner *n.* 28.

47 Potest tamen Stuprator, ne ad dotem præstandam condemnetur, duplici via eximi. 1. si cum puella deflorata transigat. Clar. *§. fin. q.* 58. *n.* 14. Haun. *l. cit. nu.* 597. Vviestner *n.* 28. *cit.* estque receptum quotidiana praxi. 2. si puella corrupta aliud à Judice nihil exigat, nisi ut Stuprator eidem condemnetur ad certam pecuniam in prolis, ex Stupro procreatæ, alimenta impendendam. Haun. *n.* 583. Imò si Stuprator cum puella ante, vel post flagitium convenit de certo pretio, non potest ista plus petere, quam de quo inter ipsos conventum est; quia residuum censetur remisisse ultro. Haun. *nu.* 591. Vviestner *num.* 24.

48 Integrum tamen his casibus adhuc Judici erit, tam puellam consentientem, quam stupratorem aliis modis plectere. Puellæ quidem ferè, sicut ob fornicationem simplicem, plecti solent, ut Haun. *num.* 596. observat. Stuprator verò puniri potest, & puniri passim consuevit pœna carceris, vel pecuniaria, aliquando etiam, si circumstantiæ valde aggravantes accedant, ad fustigationem, & alias graviores pœnas proceditur Haun. *numer.* 595.

49 Quæritur 12. quis sit Judex in causa Stupri, & quomodo hoc probandum? Resp. si Stuprum commissum est à Clerico, vel persona Ecclesiastica, de eo cognoscit Judex Ecclesiasticus. Si verò à Laico, est crimen mixti fori, ita, ut de eo cognoscere possit tam Judex Sæcularis, de quo per se clarum est, quam etiam Ecclesiasticus prout deducitur ex *c. pervenit* 2. *h. tit.* ubi sermo est de Laico, qui Virginem decipiendo ad stuprum induxit, & Gregorius Papa Episcopo Sipontino præcipit, ut non solùm excommunicetur, sed etiam corporaliter castigetur, & in Monasterium detrudatur, si renuerit stupratam ducere in uxorem. Judex autem Sæcularis non potest excommunicare, nec in Monasterium detrudere. igitur cognitio de Stupro etiam pertinet ad Judicem Ecclesiasticum: conf. est causa mixti fori. Pirhing *hic n.* 60. Schambog. *ibid. n.* 20. & alii passim.

50 Quoad probationem Stupri distinguendum est, an Stuprator fateatur, se rem habuisse cum fœmina, an verò neget. *Si primum*, duplex adversus ipsum præsumptio militat pro fœmina: una, quòd Virgo fuerit; *altera*, quòd seducta a stupratore: conf. si stuprator alleget contrarium, dicendo illam non fuisse Virginem, quando illam carnaliter cognovit, vel non fuisse à se seductam, quod utrumque, vel alterutrum corrupta asserit, ipse istud probare debet; quia præsumptio stat pro puella, & propter delictum transfertur onus probandi in ipsum Stupratorem. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Clar. *§. Stuprum n.* 4. Barbos. *in c.* 1. *cit. n.* 2. *&* 4. Engl. *hic nu.* 14. Honor. *n.* 18. Pirhing *n.* 61. Vviestner *n.* 24. Quod si intentionem suam non probet Stuprator, credetur puellæ asserenti se Virginem fuisse, & à Stupratore seductam, etiam sine juramento, nisi istud petatur, & idem condemnabitur Stuprator ad illam vel ducendam, vel dotandam. Tusch. *V. Stuprum concl.* 1237. *n.* 39. Mascard. *de Prob. concl.* 1237. *n.* 6. *& concl.* 1410. *n.* 2. Pacian. *l.* 2. *de Probat. c.* 2. *n.* 10. Barbos. *in c.* 1. *cit. n.* 5. Haun. *to.* 1. *tr.* 2. *n.* 687. Pirhing *hic n.* 62.

51 *Excipitur*, si aliunde constet, quod puella jam antea corporis sui copiam aliis fecerit, vel si præsumptio contra stupratam promineat: qualem præbet, si die, noctuque alios ad se liberè admisisset, aut permisisset non permittenda. Bald. *in l. neque* 10. *numer.* 4. *C. de Probat.* Mascard. *de Probat. concl.* 985. *nu.* 3. Konig *hic num.* 26. Et admittuntur ad hujusmodi probationem faciendam etiam testes singulares, de diversis actibus inhonestis deponentes; quia hi actus ex diversis particularibus tendunt ad probationem generis. Farin. *prax. crim. q.* 136. *n.* 74. *& seqq.* Sufficit etiam, allegari, & probari, quod ejusmodi puella jam ante fuerit malæ famæ, & pro virgine passim non habita; tunc enim eidem etiam jurantí credendum non foret, cùm ejusmodi mulieres facilè contemnant juramentum. Farin. *q.* 146. *nu.* 139. Pirh. *hic n.* 62. Engl *ibid. n.* 14.

Aliud dicendum in *casu secundo* distinctionis *n.* 50. allatæ, quando mulier asserit se corruptam, vel imprægnatam à Titio, is verò negat se carnaliter ipsam cognovisse; tunc enim non est standum nudæ assertioni etiam juratæ mulieris, si alias probationes non afferat *arg. c. significasti* 5. *h. tit.* Pirhing *hic n.* 63. Konig *ibid. n.* 25. *Ratio est*, tum quia generatim loquendo onus probandi incumbit affirmanti, non neganti *l. ei incumbit* 2. *ff. de Probat.* tum quia uni soli testi non creditur *c. licet* 23. *de testib.* præsertim si testis ille sit in causa propria; quia in hac nullus idoneus testis est *l. nullus* 10. *ff. & l. omnibus* 10. *C. de testib.* Imo cæteris paribus plus credendum est viro, quam mulieri; nam testimonium mulieris varium, & mutabile est *c. forus* 10. *§. fin. de V. S.* 52

Quare Stuprum, à Titio sibi illatum, puella vitium passa aliis modis, & per probabiles conjecturas, atque indicia probare debet, quæ si non convincant, neque ad plenam probationem sufficiant, deferendum est Juramentum viro ad purgandam suam innocentiam, ejusque Juramento standum est *arg. capit. significasti citat.* Si verò nihil omnino probavit puella, ne præsumptivè quidem, absolvendus est reus, etsi nihil omnino præstiterit *cap. fin. §. sanè de Jurejur.* Et hanc esse praxin in pluribus Curiis Episcopalibus testatur Gobat *p.* 2. *Alphab. Matr. num.* 188. & cum eo Pirhing *hic nume.* 63. *vers. quare si.* 53

Cæterum stuprum, sicut & simplex fornicatio iisdem ferme modis probari potest, quibus Adulterium: de quo *infra n.* 92. *& seqq.* Sicut ergo ad hoc sufficiunt probationes ex præsumptionibus vehementissimis, & moraliter connexis cum flagitio, ita etiam sufficient ad probandum stuprum. Aliæ præsumptiones, quamvis vehementes, ad probandum plenè Stuprum, aut Fornicationem simplicem commissam, in ordine ad pœnam ordinariam infligendam non sufficiunt: quales sunt, si Juvenis, & Puella per plana, & nemora, per vias, & invia vagari pluries conspecti sint, nisi præcesserit monitio, aut alia indicia, vel adminicula concurrant *c. tertiò* 13. *de Præsumpt.* & *ibi* Abb. *n.* 4. Pirhing *n.* 63. *vers. cæterum.* Item non est sufficiens probatio Stupri, aut Fornicationis, quando reperti sæpe sunt invicem soli in loco obscuro: imo Gobat *in Theol. Juridico Moral. c.* 32. *sect.* 2. *n.* 21. putat, non induci vehementem præsumptionem flagitii actu commissi, si deprehensi sunt simul jacuisse in eodem lecto, præsertim induti; quia sæpè contingit, ut nihil omnino impudicum agant, vel non nisi oscula, & turpes tactus exerceant sine intentione ipsius copulæ. 54

Quæritur 13. à quo proles, ex Stupro, vel alio illegitimo concubitu procreata, ali debeat, an à patre, an verò à matre? Resp. si stuprator cum matre prolis transegerit super alimentis ipsi præstandis, conventione illorum standum est *arg. Reg. contractus* 85. *in* 6. Si nulla compositio, vel transactio facta inter eosdem sit, dissident inter se DD. Nam Gloss. *in c. fin. V. post triennium de convers. infidel.* Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 8. *§.* 6. *nu.* 19. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 19. *n.* 42. Antonell. *l.* 2. *de Temp. Legal. c.* 58. *num.* 2. ad hujusmodi prolem alendam primo triennio obligant matrem, postea patrem: quod desumunt ex *c. cùm haberet* 5. *de eo, qui duxit &c.* ubi statuitur, filiis spuriis præstanda necessaria ab utroque parente secundùm facultates, cujus ambiguitatem, quo tempore quisque parentum succedere tali proli debeat, videtur tollere *l. nec filium* 9. *C. de Patr. potest.* ubi dicuntur alimenta trimo subministranda à patre: igitur nondum trimo præstari debebunt à matre. 55

Sed revera ex neutro textu allegato probatur aliquid. Non ex *c. cùm haberet*; quo ibidem Pontifex solùm corrigit Jus Civile *Auth. ex complexu C. de inCest. nupt.* qua filiis Spuriis adimebantur alimenta paterna. Non ex *l. nec filium cit.* quia Lex ista solùm loquitur de filio legitimo; ponitur enim sub Titulo *De Patria potestate*, in qua filii Spurii non sunt *l. cùm legitimæ & l. lex naturæ* 24. *ff. de Stat. homin.* 56

Hinc dicendum, quòd mater primo triennio (nam antè triennium à lactè depelli non solebant infantes) solùm teneatur ad alimenta lactis, patet verò in reliquis. Ita Abb. *in c. ex litteris* 2. *n.* 4. *de convers. infidel.* Lambertin. *de Jur. Patron. art.* 6. *q.* 3. *pr. nu.* 21. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 168. *n.* 11. & teste Colero apud Berlich. 57

p. 5.

p. 5. *concluf.* 38. *n.* 43. à celerrimis Juris Confultis pronuntiatum eft. Oftenditur ex ipfis textibus in contrarium allegatis; nam à Jure Canonico quoad Jus alimentorum, à parentibus accipiendorum, illegitimi quodammodo coæquantur legitimis: atqui legitimis primo triennio mater tantùm tenetur ad præftanda alimenta lactis, pater verò ad reliqua: ergo idem dicendum de illegitimis.

58 Duæ tamen Exceptiones hìc faciendæ funt. *Una* ex parte Matris; nam fi hæc ob paupertatem, infirmitatem, nobilitatem lactandæ proli vel omnino, vel ob patriæ confuetudinem fine dedecore vacare non poffet, conducenda patris expenfis foret nutrix. Surd. *tr. de Aliment. tit.* 1. *q.* 14. *num.* 8. Joan. Garc. *de Expenf. c.* 13. *num.* 31. Molin. *D.* 168. *cit. n.* 12. Barbof. *Additam. in c. cùm haberet cit. n.* 3. Vvieftner *hic n.* 33. *Altera* ex parte patris; nam fi hic ob paupertatem præftare alimenta proli nequeat, ad ea obligabitur mater, & in hujus defectum avi, ut monet cum aliis Molin. *l. cit. n.* 13. Konig *hic n.* 36. Vvieftner *l. cit.*

59 Et ita fe res habet, quando Stuprator fatetur ftuprum à fe commiffum, & de aliis corrivalibus non conftat. Secus eft, quando ftuprata ex indiciis, & probationibus de fornicatione, cum alio commiffa, fufpecta eft; tunc namque ei juramentum purgationis indicitur, ut fe liberet à fufpicione fornicationis, certumque infantis patrem indicet, antequam alimentorum onus ftupratori imponatur, ut cum Fontanell. Carpz. & Mævio notat Konig. *n.* 30. *fin.*

60 Quodfi conftet unum ex duobus prolis illegitimæ patrem effe, incertum autem, quis determinatè ex illis, videndum eft, an cum utroque confiftere Matrimonium potuerit refpectu Matris, an cum uno tantùm, non verò cum altero ob impedimentum dirimens. *Si hoc fecundum* alimenta proli debebuntur ab eo, cum quo Matrimonium potuit confiftere, & hic agnofcendus pro patre; quia in dubio præfumendum eft, quòd eft honeftius, & favorabilius proli: eft autem favorabilius fi præfumitur fufceptam ex eo, qui impedimento dirimente non laborat; fic enim potius erit naturalis, quàm fpuria: ergo &c.

61 *Si primum*, obligatio præftandi alimenta proli inter utrumque dividi debet, & uterque ad id concurrere, eo ferè modo, quo dividenda eft res, quæ certò fpectat ad duorum alterutrum, nefcitur autem, ad quem illorum. Vafquez *in* 1. 2. *D.* 66. *num.* 44. & 47. quem fequitur P. Vvieftner *hic n.* 34. & 35.

§. III.

De Adulterio.

SUMMARIUM.

62 *Adulterii Definitio.*
63 *Ejus malitia in quo confiftat?*
64 *An purgetur per confenfum alterius conjugis?*
65 66 *Quotuplex fit Adulterium?*
67 68 *An committatur cum uxore putativa, vel Sponfa alterius?*
69 70 *Pœna adulterii Civilis.*
71 *Pœna criminalis Jure Ecclefiaftico.*
72 &c. *Et Jure Imperiali.*
75 &c. *Caufæ excufantes à Pœnis adulterii.*
80 *Quo tempore accufatio ejufdem ceffet?*
81 *An conjux innocens agere contra alterum de adulterio poffit.*
82 83 *An uxor accufare adulterium mariti?*
84 85 *Quis ordo obfervandus inter eos, qui poffunt hoc accufare?*
86 *An illius accufare etiam poffit minor* 25. *annis?*
87 88 89 *Quinam accufari de illo poffint?*
90 *Quid fit Lenocinium, & quæ illius pœna?*
91 &c. *Quænam probatio requiratur, & fufficiat ad probandum Adulterium?*
95 96 *Quis fit Judex competens in caufa ejufdem?*
97 98 *An qui criminaliter egit de adulterio, poftea de illo agere poffit civiliter, & viciffim?*

62 QUæritur 1. Quid fit *Adulterium*? Refp. *Adulterium* dupliciter poteft accipi. 1. *latè*, in quo fenfu eft quæcunque conjunctio carnalis, non conjugalis *can. nemo* 4. *cauf.* 32. *q.* 4. 2. *ftrictè*, & *propriè*, & eatenus eft violatio thori aliena. Sylv. *V. Adulterium nu.* 1. Hoft. *in Summ. hic n.* 1. Vallenf. §. 1. *n.* 1. Pirhing. *nu.* 1. Konig *n.* 3. Reiffenftuel *n.* 2. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 36. Vel, ut alii ex mente S. Auguft. *de Bon. conjug. c.* 4. loquuntur, eft violatio fidei, & thori conjugalis.

Hinc duplex eft ejus malitia: *una* Luxuriæ; quia eft concubitus viri cum fœmina extra conjugium: *altera* Injuftitiæ; quia eft violatio juris, quod conjuges ad fe invicem habent, ut obligare fe invicem poffint ad non dividendam carnem fuam cum alio. S. Thom. 2. 2. *q.* 154. *art.* 8. Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 7. *pr.* Pirh. *hic n.* 1. Schamb. *n.* 2. Illfung. *Theol. pract. tr.* 4. *D.* 1. *n.* 58. 63

Neque malitia hæc purgatur, vel tollitur per confenfum alterius conjugis, eò, quòd hic confentiat in adulterium conjugis adulteri; quia adhuc injuria infertur DEO authori naturæ, qui indiffolubili vinculo utrumque conjugem adftrinxit fibi invicem: quamvis tali cafu conjux confentiens in adulterium alterius non poffit actionem, vel querelam inftituere fuper injuria à conjuge fibi illata; quia fcienti, & confentienti non fit injuria, neque dolus. *Reg.* 26. *in* 6. Hinc Innocentius XI. inter alias meritò vetuit hanc propofitionem: *Copula cum conjugata, confentiente marito, non eft Adulterium, adeoque fufficit in Confeffione dicere, fe effe fornicatum.* 64

Quæritur 2. quotuplex fit Adulterium? Refp. Adulterium dividi poteft in Simplex, five Unilaterale, & in Duplex, feu Bilaterale. *Simplex* eft, quod vel à marito alieno cum foluta, vel ab uxore aliena cum foluto committitur. *Duplex*, feu *Duplicatum* dicitur, quòd à marito alieno cum uxore aliena perpetratur. Azor. *part.* 3. *l.* 3. *c.* 7. *not.* 2. Konig. *hic nu.* 4. Reiffenftuel *ibid. n.* 3. & 4. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 41. Iftud priore gravius eft; quia per illud adulter non tantùm lædit fidem propriæ uxori debitam, fed etiam jus alterius mariti, & frequenter liberorum ejus, fi ex tali adulterio filius nafcatur, quem deinde veri Liberi, tanquam putativum fratrem, pro cohærede habere, & pater alimentare debet. Engl. *hic n.* 3. 65

Utrumque tamen eft verum, & proprium Adulterium, ut patet ex *can. illæ* 14. §. *cùm ergo*, & *can. feq. cauf.* 32. *q.* 5. *can. fin. cauf. cit. q.* 6. *c. tranfmiffæ* 4. *de eo, qui cognovit &c. Ratio eft*, quia utroque modo violatur fides conjugalis. Neque *refert*, quòd Jure civili carnalis conjunctio viri conjugati cum foluta Adulterium effe non cenfeatur, & adulterii pœnis non puniatur; nam hoc Jure in Adulterio tantùm confideratur feminis confufio, & ab hoc proveniens incertitudo prolis, quam conjunctio conjugati cum foluta non inducit. *Contrà* Jure Canonico confideratur violatio fidei conjugalis. atqui eadem caftimonia debetur à viro, quæ ab uxore, & uterque conjux ad fidem mutuò promiffam æqualiter obligatur *canon. nemo* 4. *princ. cauf.* 32. *q.* 4. Clar. §. *Adulterium n.* 2. Gonzal. *in c.* 3. *h. tit. n.* 5. Zoef. *ff. ad Leg. Jul. de Adult. nu.* 2. Vallenf. *hic* §. 1. *n.* 1. Engl *n.* 2. Pirh. *n.* 2. *verf. ubi tamen in fin.* Konig. *numer.* 6. Reiffenftuel *numer.* 18. Vvieftner *n.* 37. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *nu.* 43. 66

Quæritur 3. an Adulterium committatur cum uxore alterius putativa, vel Sponfa? Refp. *Ad* 1. reipfa, & Theologicè loquendo concubitum cum uxore putativa alterius adulterium non effe, cùm nullum inter hujufmodi conjuges putatitios intercedat vinculum, quod adulterio violatur: de rigore tamen Legum pro tali habetur, prout patet ex *l. fi uxor* 13. §. *planè* 1. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ubi Ulpianus, *Planè* inquit, *five jufta uxor fuit, five injufta, accufationem* (adulterii ab ea commiffi) *inftituere vir poterit; nam & Sextus Cæcilius ait. Hæc Lex ad omnia Matrimonia pertinet.* Ex quo textu Abb. *in c. plerumque de Donat. int. vir. & uxor.* arguit, mulierem, pro conjugata habitam, fi dormierit cum alio viro, amittere Dotem in pœnam delicti fui, licèt aliàs probaretur nullitas Matrimonii. Confentit Gloff. *in c. plerumque cit. V. repetere*: ubi citat alios textus, & ponit hanc Regulam: quod *crimina fecundum intentionem judicentur.* 67

Ad 2. certum eft Adulterium committi per violationem Sponfæ alterius *de præfenti*; quia nuptias non concubitus, fed confenfus facit. Idem non pauci volunt committi, quando violatur alterius Sponfa de futuro, ob duplicem textum. 1. *l. fi uxor* 13. §. *Divi* 3. *ff. ad Leg. Jul.* 68

Jul. de Adult. ubi adulterii crimen etiam in Sponsa vindicandum asseritur. 2. *can. omne* 10. §. *item cauf.* 27. *qu.* 2. ibi, *Qui Sponsam alterius in agro opprimit, morte moriatur; quia uxorem alterius violavit*. Verùm ego ad hoc dubium jam dixi *Lib.* 4. *Tit.* 1. *n.* 88. violationem Sponsæ alterius de futuro adjunctum quidem sibi habere peccatum Injustitiæ, non tamen esse propriè adulterium, ex Rationibus allatis. *Neque obstant*, textus allati in contrarium. *Ad* 1. ibi non deciditur, quòd corruptio Sponsæ alienæ sit adulterium, sed tantùm deciditur, quòd similem mereatur pœnam, cùm similem innocenti Sponso injuriam inferat. *Ad* 2. ibi sermo est de desponsata per verba de præsenti, ut patet ex *can. siquis* 11. *& can. seq. q. cit.* & notant Zoes. *hic num.* 2. Pirhing *ibid num.* 3. *fin.*

9 Quæritur 4. quot modis agi ex adulterio possit? Resp. potest agi vel civiliter, vel criminaliter. Quando *civiliter* agitur, duplex Adulterii pœna est. *Prima* Divortium, seu separatio quoad thorum, & cohabitationem, ad quam agere conjux innocens potest; *c. tuæ* 5. *de Procurat. c. ex litteris* 5. *de Divort. & Novell.* 117. *c.* 8. imò si Adulterium notorium sit, ab Adultero conjux innocens divertere probabiliùs propria authoritate potest, ut colligitur ex *c. significasti* 4. *fin. de Divort.* & dictum est *Lib.* 4. *Tit.* 19. *n.* 110 ad quem *Titulum* plura videri possunt, quæ alii sub *Rubrica* præsenti disputant. *Altera* pœna est amissio Dotis, & Donationis propter nuptias; nam hæc conjugi innocenti restitui debet cum omnibus, quæ nocenti attulit *cap. plerumque* 4. *de Donat. int. vir. & uxor. l. ex consensu* 8. §. *hæc nisi* 4. *&* §. *seq. Cod. de Repud. Novell.* 11. *c.* 8. §. 2. *&* dictum est *Lib.* 4. *cit. Tit.* 20. *nu.* 111. *& seqq.* ubi plura de amissione Dotis, & Donationis propter nuptias ob Adulterium.

10 Præterea civilis obligatio etiam in foro conscientiæ incumbit adultero, si ex assertione adulteræ, aliisque sufficientibus argumentis sibi persuadeat, vel persuadere debeat, prolem ex se genitam esse, ut restitutionem faciat marito adulteræ, qui patrem se credens, proli adulterinæ alimenta, vel dotem dedit: item Liberis legitimis adulteræ, qui propter successionem Spurii læsi sunt; quia adulter vera causa hujus læsionis est, cons. sicut quilibet alius, qui alterum contra Justitiam læsit in bonis, ad restitutionem meritò obligatur. Sed & ipsa mater adultera, tanquam simultanea causa dictæ læsionis, tenetur vel prolem adulterinam manifestare marito, aut aliis Liberis, vel aliam compensationem iisdem facere de bonis propriis: de quo plura *infrà Tit.* 38.

71 *Criminalis* pœna alia est Jure Ecclesiastico, alia Jure Civili prodita. Jure Ecclesiastico aliter puniuntur Adulteri Laici, aliter Clerici. Laicis olim infligebatur pœna Excommunicationis *c. intelleximus* 6. *h. tit.* & fœminæ adulteræ, si mariti eas nollent recipere, ad agendam pœnitentiam in Monasterium perpetuò detrudebantur *cap. gaudemus* 19. *de convers. conjugat.* Hodie tamen Adulterorum Laicorum punitio passim relinquitur Curiæ Sæculari, ut notat P. Wiestn. *hic n.* 41. Circa *Clericos* hoc Jure tria sunt constituta. 1. si adulterium in Judicio confessus, vel convictus de eo est Clericus, deponi ab Officio, & Beneficio, atque insuper in Monasterium ad agendam toto vitæ tempore pœnitentiam detrudi debet *can. siquis Clericus* 10. *& can. seq. dist.* 81. cui tamen detrusioni, cùm hodie exoleverit, suffici potest pœna carceris, vel alia similis, & aliquando etiam pecuniaria. 2. si suspectus, vel diffamatus de crimine isto, nondum autem convictus sit, eidem indicenda est Purgatio Canonica, in qua si defecerit, ab Officio est suspendendus *cap. significasti* 5. *fin. h. tit.* Farinac. *prax. crim. q.* 141. *n.* 33. Vallens. *hic* §. 1. *nu.* 5. Honor. *n.* 17. Pirhing *n.* 20. Schambog. *n.* 10. Wiestner *nu.* 41. Reiffenstuel *nu.* 14. 3. Eundem cum uxore, matre, filia, aut sorore in adulterio, vel stupro deprehensum, in continenti percutiens Excommunicationem Canonis non incurrit *c. si verò* 3. *de Sentent. Excomm.* quia talis percussio, licèt peccaminosa sit, justi tamen doloris vehementia impellente potiùs, quàm suadente Diabolo facta præsumitur. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 84. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 7. *n.* 12. Barbos. *in c. si verò cit. n.* 6. Wiestner *n.* 41. *cit.*

72 *Jure Imperiali* in Adulteros olim quidem per Legem Juliam statuta duntaxat fuit pœna deportationis, vel exilii *l. siquis* 5. *ff. de quæstion.* postea tamen in eosdem pœnam gladii sanxit Constantinus Imp. *l. quamvis* 30. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* secutus in hoc Legem Divinam Veteris Testamenti per quam pœna Adulterii fuit mors. *Levit.* 20. *v.* 10. *Deut.* 22. *v.* 22. *& Dan.* 13. *v.* 41. & quidem lapidatio, ut constat ex *Joan.* 8. *v.* 5. Quam gladii pœnam deinde Justinianus Imp. in fœminis adulteris propter sexus fragilitatem mitigavit, ut circa illas cessante, pœna mortis, verberatæ in Monasterium detrudantur, easque marito intra biennium recipere liceat, biennio verò transacto, si maritus non recepit, toto vitæ tempore in Monasterio ad agendam pœnitentiam manere debeant, prout habetur *Auth. sed hodie C. ad Leg. cit.* Atque ad has Leges sese remisisse videtur Carolus V. *in Const. crim. art.* 120. dum ibi statuit, ut Adulteri secundùm Antecessorum suorum edicta, & Leges Imperiales puniantur. Stryck. *Us. Mod. Pandect. ad Leg. Jul. de adult.* §. 2. *fin.*

Hodiernis moribus pœna capitalis etiam pro duplici adulterio in plerisque Provinciis ab usu recessit, & loco ejus subrogata est relegatio, sive exilium, statio ante fores Ecclesiæ cum accensa face tribus diebus Dominicis, aut alia pœna arbitraria, etiam pecuniaria. Clar. §. *adulterium nu.* 8. *fin.* Menoch. *de arbitr. cas.* 419. *n.* 62. *& seqq.* Farin. *prax. crim. q.* 141. *nu.* 74. Harppr. *in* §. *item Lex Julia* 4. *n.* 78. *Inst. de Publ. Judic.* Vallens. *hic* §. 1. *n.* 2. Engl. *n.* 6. *vers. verùm*, Pirhing *n.* 18. Wiestn. *n.* 42. Hinc varia est pœna hæc pro varietate Provinciarum. Stryck. §. 2. *cit.* Jure nostro Bavarico Adulteri, si personæ vulgares sint, & Adulterium simplex duntaxat, per mensem incarcerantur in pane, & aqua, vel alio æquivalente levi victu, & insuper, si pinguioris fortunæ sint, 100. Libris, h. e. 113. fl. 26. si tenuioris, dimidia parte plectuntur, applicanda piis causis, & manifestatori. Qui verò solvendo non erit, finito carcere, per dies tres Dominicos continuos cum candela (non tamen denudatis brachiis, & sine virgis) ante templi fores illi standum erit. Si verò adulterium duplex sit, inter easdem viliores personas commissum, nulla pœna pecuniaria recipienda erit, sed prima vice deprehensi, post duram incarcerationem, tribus diebus Dominicis continuis ante templi fores cum candela ardente, & denudatis brachiis, cum virga in manibus ferro inclusis collocandi sunt. Si secunda vice deprehendantur, relegantur extra Bavariam in perpetuum. Si verò tertia, Judici in criminalibus traduntur, pro diversitate circumstantiarum puniendi, ut videre est *Landts, und Policey Ordnung Lib.* 5. *Tit.* 9. *art.* 1. *& seqq.* ubi etiam, quomodo Pœnæ adulterii secundùm diversitatem conditionis, & status delinquentium mutandæ sint. In cæteris Provinciis peculiaria locorum Statuta, & consuetudines observandæ sunt. Si arbitraria sit alicubi hujus delicti pœna, curandum Judicibus, ne in puniendis adulteriis nimis remissi sint; aliàs, ut monent DD. gravis peccati se reos facient, cùm multoties ex tali facilitate maxima scandala, imò & cædes proveniant. Clar. §. *adulterium n.* 7. Farin *qu.* 141. *n.* 66. Engl *n.* 6. *verùm*, Reiffenst. *n.* 17. 73

Graviùs verò puniendum est illud adulterium, quod sub specie Matrimonii committitur, & Polygamia dicitur, quando scilicet adhuc priore Matrimonio stante, & vivente conjuge, scienter simul, & voluntariè cum alia persona nuptiæ contrahuntur; cui sceleri, quia gravissimam Sacramento Matrimonii infert irreverentiam, pœnam capitalem videtur statuisse Carolus V. *in Constit. crim. art.* Sed hæc Constitutio ita interpretanda est, ut ad pœnam capitalem non sufficiat solummodo secundum Matrimonium contractum esse, sed requiritur, ut accesserit carnalis copula; habet enim ibidem Imperator tales Polygamos pro adulteris. Adulterium autem sine copula non committitur. Item quia Imperator tantùm statuit pœnam viro, vel fœminæ jam alio Matrimonio ligatis, ideò hæc pœna non erit extendenda ad personam solutam, licèt cum Polygamo Matrimonium ineat scienter, maximè si fuerit fœmina, in qua nec pœna ordinaria adulterii de Jure Civili locum habet, utpote quod eo Jure non in solutam, sed conjugatam tantùm committitur, ut dictum est *n.* 66. Engl *hic n.* 7. 74

Quæritur 5. quænam sint causæ excusantes à pœnis adulterii? Resp. plures sunt causæ, ob quas cessant pœnæ adulterii privatæ, sive Civiles, vel etiam publicæ, & 75

cæ, & criminales, ut videre eſt apud Gloſſ. *in cap. 6. V. mutua compenſatione h. tit.* Hoſt. *ibid.* Farin. *prax. crim. q.* 141. *n.* 95. *& ſeqq.* Haun. *tom.* 1. *de Juſt. & J. tr.* 2. *à nu.* 708. Zoeſ *hic à n.* 9. Pirhing *n.* 34. Konig *nu.* 10. Reiffenſt. *n.* 23. *&* 24. & alios paſſim. Et 1. quidem pœna adulterii Civilis ceſſat, ſi etiam alter conjux commiſerit adulterium; nam tunc neuter conjux agere ad Divortium, & Dotis, vel Donationis propter nuptias reſtitutionem poteſt, quòd eo caſu compenſetur crimen pro crimine, prout patet ex *c. intelleximus* 6. *& cap. fin. h. tit. l. viro* 36. junct. Gloſſ. *ff. ſolut. Matr.* & dictum eſt *Lib.* 4. *Tit.* 19. *n.* 107. *& Tit.* 20. *nu.* 115. Aliter ſe res habet quoad pœnas criminales; nam his adhuc locus eſt, etiamſi uterque conjux adulterii reus ſit. Abb. *in cap. 6. cit. n.* 5. Covar. *p.* 2. *de Sponſal. cap.* 3. §. 6. *num.* 5. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 8. *n.* 36. Vivian. *in c. 6. cit. circ. med.* Barboſ. *ibid. nu.* 5. Vvagnereck *not.* 2. Gonzal. *in c. fin. n.* 1. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 2. *num.* 707. Ratio eſt, quia pœnæ criminales ſpectant ſatisfactionem Reip. quæ per ſecundum adulterium graviùs læditur, ut adeò neutrum manere impunitum debeat. Quare, non obſtante exceptione ſimilis adulterii à viro commiſſi per uxorem oppoſita, poterit adhuc vir accuſare uxorem adulteram Proceditque hoc etiam in foro conſcientiæ; quia idem ſervandum eſt in utroque foro, quando forum externum non nititur falſa præſumptione. Sanch. *l. cit. n.* 48. Pirh. *hic n.* 33. *fin.*

76 2. Si uxor violenter ſit oppreſſa *l. ſi uxor.* 13. §. *ſiquis plane* 7. *& vim paſſam* 39. *pr. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* quia tunc ceſſat culpa; igitur etiam pœna ceſſare debet. Aliud eſt, ſi uxor non per vim abſolutam, quæ omne voluntarium tollit, ſed per gravem metum ſit carnaliter cognita; nam tunc, quia coacta voluntas non excuſat in maleficiis, hujuſmodi metum paſſa uxor pœnam meretur, ſed mitiorem, non verò ordinariam ſed civilem, vel criminalem: & hinc nec dote, nec conſortio mariti privari poteſt; quia metus excuſat à dolo: *adulterium* autem (in ordine ad pœnam ordinariam) *ſine dolo malo non committitur*, prout dicitur *l. ſi ex lege* 43. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Sylv. *V. Adulterium n.* 10. Minus excuſatur à pœna adulterii conjux, quæ adulterium commiſit propter neceſſitatem extremam famis, vel paupertatem; nam adhuc punienda eſt tanquam adultera, tam civiliter, quàm criminaliter quamvis fortaſſe hoc ſecundo modo aliquantum mitius. Farin. *q.* 142. *n.* 15. Zoeſ. *hic nu.* 13. Pirh. *n.* 35. Ratio eſt, quia Adulterium intrinſecè, & ita malum eſt, ut nulla voluntate, vel conſenſu humano, nec alia circa circumſtantia, extrinſecus accedente, purgari, vel tolli poſſit; debet enim quis potiùs omnia mala pati, & mori, quàm in adulterium, vel fornicationem conſentire.

77 3. Excuſat à pœna adulterii ignorantia ſaltem inculpabilis, qualem habet mulier, quæ ab alieno viro decepta, putans hunc eſſe ſuum maritum, ab eo carnaliter cognoſcitur; item credens maritum ſuum eſſe mortuum, cum alio nuptias contrahit: quod etiam dicendum de Virgine, quæ nubit alieno viro, neſciens hunc eſſe jam uxoratum; neque enim in his caſibus adulteræ dici poterunt, quamdiu inculpabiliter laborant hujuſmodi ignorantia: illa tamen ſublata, adulteræ eſſe incipient, ſi hujuſmodi perrexerint adhærere, & continuare flagitium *can. ſi virgo* 5. *cauſ.* 34. *q.* 1. Vveſenbec. *ff. h. tit. nu.* 14. Gonz. *in c.* 3. *h. tit. n.* 9. Zoeſ. *hic n.* 9. Pirh. *n.* 9. Konig *n.* 10. Reiffenſt. *n.* 23. Quin ab adulterii pœnis Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 8. *not.* 8. Farin. *q.* 141. *n.* 97. Pirh. Konig. *l. citt.* excuſatum volunt etiam illum, qui ignorat mulierem, quam cognoſcit, eſſe nuptam viro; quia, ut ex *l. ſi ex lege* 43. *ff. h. tit.* dictum eſt *n. præc.* Adulterium ſine dolo malo non committitur. Ignorantia autem excuſat à dolo. Alii tamen cum Diaz, Deciano, & aliis hoc caſu exceptionem nullam agnoſcunt; quòd talis à principio dederit operam rei illicitæ.

78 4. Accuſari Adulterii nequit in foro externo, nec pro adultero haberi, qui adulterium animo meditatus, ſolutam polluit, quam conjugatam; putavit utut enim cogitatione ita adulterium committatur, revera tamen non committitur, quod in delictis forum externum veritatem, non verò opinionem ſpectet: nec quis propter opinionem, vel cogitationem, ſed propter factum, & delictum ipſum punitur. Konig *hic n.* 11. Reiffenſt. *ibid. n.* 24. Contrarium tamen cum Diaz *pract. crim. can. c.* 85. *V. Adulteri n.* 5. *verſ. quando autem Clericus*, defendit Farin. *q.* 141. *n.* 102. ubi putat hoc caſu intrare pœnam adulterii, ex ratione ad finem *n. præc.* data.

5. A pœna ordinaria Adulterii eximitur ille, qui ex parte ſua conatus eſt thorum alienum conſpurcare, atque ad actum propinquum defacto pervenit, ſi reipſa commixtio ſecuta non fuit ob duplicem rationem, unam generalem; quia conſuetudine, per totum Mundum approbata, teſte Clar. §. *fin. q.* 92. *n.* 1. conatus, quamvis actui proximus, regulariter non punitur: alteram ſpecialem; quia hoc caſu ceſſat confuſio ſanguinis, & incertitudo prolis, quæ cauſæ pœnæ ordinariæ ſtatuendæ locum dediſſe videntur. Quare hujuſmodi conatus compeſci fuſtigatione, carcere, vel alia pœna arbitraria poterit. Farin. *q. cit. n.* 103. Carpzov. *pract. crim. p.* 2. *q.* 16. *n.* 2. Konig *hic n.* 11. *fin.* Reiffenſt. *n.* 24. 79

6. Ceſſat accuſatio adulterii, ſi tempus ipſi præfixum ſit elapſum. Zoeſ. *hic n.* 9. Pirhing *n.* 34. Haun. *l. cit. nu.* 710. Porro Maritus jure ſpeciali mariti accuſare poteſt uxorem adulterii intra 60. dies utiles, computandos à tempore ſoluti Matrimonii per divortium *l. non ſolùm* 3. *& ibi* Gloſſ. *V. ex diſſolutione*, *& l. Jure* 6. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* Gonzal. *in c.* 4. *h. tit. n.* 3. Zoeſ. *hic nu.* 3. Pirh. *ibid. num.* 8. Idem tempus 60. dierum conceſſum eſt Patri adulteræ, quòd tamen ipſi non currit, dum maritus accuſat: ſi verò uterque tam maritus, quàm pater differat accuſare, utrique hoc tempus currit *l. ſi maritus* 4. *pr. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Gonzal. Zoeſ. Pirhing. *l. citt.* Poſt dies 60. elapſos admittuntur ad accuſandum etiam extranei (& inter hos quoque maritus, & pater, ſi privilegium 60. dierum neglexerint, ſed jure extranei) intra quatuor menſes utiles *l. ſi maritus cit.* §. *extraneis* 1. *& l. miles* 11. §. *Sexaginta* 6. *ff. eod.* Porro accuſatio hujus criminis, uti & reliquorum Legis Juliæ, puta ſtupri, lenocinii &c. illud ſpeciale habet, quòd quantumvis reliqua crimina regulariter tantum ſpatio 20. annorum extinguantur *l. querela* 12 *Cod. ad Leg. Cornel. de falſ.* Adulterium tamen, & ſimilia præſcribantur quinquennio, ita, ut eo lapſo, nullum ampliùs accuſandi jus ſit: numeraturque quinquennium iſtud à tempore commiſſi criminis, & eſt continuum *l. adulter* 5. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* 80

Porro quibus aliis modis præter mutuam compenſationem ceſſet pœna Civilis Divortii, & amittendæ Dotis, vel Donationis, propter nuptias, dictum eſt *Lib.* 4. *Tit.* 19. *à n.* 103. *& Tit.* 26. *n.* 114. *cum duob. ſeqq.*

Quæritur 6. an conjux innocens adulterium conjugis accuſare, aut agere ex cauſa adulterii adversùs eundem poſſit? *Certum eſt* 1. utrumque conjugem adverſus nocentem poſſe civiliter ad Divortium, & lucrum Dotis, vel propter nuptias Donationis. Ita omnes. Neque hìc diſtinguendum eſt, an maritus acceſſerit ad ſolutam, vel aliam conjugatam. Farin. *prax. crim. qu.* 141. *n.* 164. *Certum eſt* 2. actionem injuriarum ex adulterio non ſolùm marito innocenti contra uxorem adulteram, ſed etiam uxori innocenti contra maritum nocentem competere; quia ex viri adulterio injuriam, & ipſa patitur. Bald. *in l.* 1. *C. ad Leg. Jul. de Adult. nu.* 3. Brunnem. *ibid. num.* 2. Farin. *l. cit. n.* 106. Pirhing *hic nu.* 6. *verſ. ex quo infertur*, Vvieſtn. *ibid. n.* 48. *Certum eſt* 3. à marito innocentem ad pœnam adulterii Legalem accuſari uxorem poſſe *l. ex lege* 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Imò huic ante omnes alios, ipſum etiam Patrem, & cognatos uxoris adulteræ accuſatio competit *l. cit.* §. *ſi ſimul* 8. quòd juſtus dolor eum præ aliis impellat. 81

An verò etiam uxor ad pœnam Legalem de adulterio accuſare Maritum poſſit, dubium moveri poteſt: quod tamen diſtinctione diſſolvitur inter Jus Civile, & Canonicum. Nam *Jure Civili* uxor accuſare maritum ſuum adulterum non permittitur *l. publico* 1. *C. ad Leg. Jul. de Adult. & ibi* Gloſſ. *V. violato*, Hoſt. *Summ. hic n.* 1. Covar. *p.* 2. *de Sponſal. c.* 7. §. 6. *nu.* 5. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 8. *n.* 33. Farin. *q.* 141. *cit. nu.* 104. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *num.* 106. Pirhing *hic nu.* 6. Vvieſtner *num.* 49. Reiffenſtuel *num.* 28. tum quòd marito, tanquam capiti ſuo, majorem reverentiam debeat uxor; tum verò, quòd adulterium in uxore ob ſobolis incertitudinem, quam inducit, & falſi partus ſuppoſitionem multò graviùs jure reputetur, quàm in marito. Tiraquell. *connub. l.* 1. Gloſſ. 1. *p.* 1. *n.* 44. Imò ſi uxorem maritus criminaliter accuſet de Adulterio, ipſa eidem ſimilis criminis exceptionem nequit opponere, quòd adulterium ipſius adulterio 82

terio mariti par esse non videatur, ob rationes allatas, quibus accedit, quòd injuria, quàm ipsa adulterando infert marito suo, sit longè gravior, quam ea, quam ipsi infert maritus; ipsa enim adulterando inquinat thorum mariti sui, iste autem, sive accedat, ad solutam, sive ad conjugatam aliam, non inquinat suum ipsius thorum, adeoque nec uxoris suæ, sed thorum viri illius, cum cujus uxore rem habet. *Sot. in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 3. Covar. *n.* 5. *cit.* Sanch. *n.* 34. Pirh. *n.* 6. *vers. ex quo infertur.*

83 At Jure Canonum ad mariti adulteri accusationem etiam uxor admittitur *can. fin. caus.* 32. *q.* 5. Durand. *Specul. de Adult. n.* 5. Farin. *q.* 141. *n.* 105. Pirhing. *hic n.* 7. Reiffenstuel *ibid. n.* 29. quia hoc Jure adulterium æquè in utroque conjuge damnatum est *can. fin. cit. & can. siquis uxorem* 4. *caus. cit. q.* 1. ubi Gloss. *V. ad imparia* ait, eos in adulterio deprehensos *ad imparia non judicari quoad debitum reddendum, quoad divortium, quoad accusationem.* Quam SS. Canonum constitutionem imitatus est Carolus V. *Const. crim. art.* 120. ubi uxori accusationem mariti adulteri disertè permittit Vvesenbec *ff. ad Leg. Jul. de Adult. n.* 12. Brunnem. *in l.* 1. *cit. n.* 4. Pirh. *nu.* 7. *cit. fin.* Vviestner *n.* 51. Reiffenst. *n.* 29.

84 Quæritur 7. quis ordo observandus inter eos, qui Adulterium accusare possunt, & volunt? Resp. Ante omnes alios, etiam patrem adulteræ, ut *n.* 82. dictum est, admittitur ad accusandum adulterium uxoris suæ maritus: idque procedit, etiamsi pater prævenerit in accusando adulteram, modò maritus non fuerit negligens in accusatione instituenda, ut *l. ex lege* 2. *§. si simul* 8. *ff. ad Leg. Jul. de Adul.* additur; vel *nisi pater maritum infamem arguat, aut doceat colludere magis cum uxore, quàm ex animo accusare*; tunc enim pater præfertur marito; alias *postponetur*, ut habet textus *l. nisi* 3. & notat *ibidem* Gloss. *V. infamem*, Vivian. *in c.* 4. *vers. & in accusando h. tit.* Barbos. *ibid. n.* 1. Gonzal. *n.* 3. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 105. Zoes. *hic n.* 3. Pirhing *nu.* 4. Reiffenstuel *num.* 25.

85 Post maritum cessantem, aut nolentem agere admittitur ad accusandum adulterium Pater mulieris *l. ex lege cit. §. si simul* 8. *& l. seq. ff. eod.* Post patrem verò reliqui cognati, scilicet frater, patruus, avunculus adulteræ, & alii, quos verus dolor ad accusandum impellit *l. quamvis* 30. *C. eod.* Cessantibus propinquis admittuntur denique extranei *l. si maritus* 4. *§. extraneis* 1. *ff. eod.* quia adulterium inter Delicta publica connumeratur *l. non omnia* 1. *ff. de Publ. Judic. §. item Lex Julia* 4. *Instit. eod.* de delicto autem publico quilibet de populo ad accusandum admittitur, modò mas sit, & major 25. annis *l. palam* 43. *§. senatus* 10. *ff. de rit. nupt.* Vvesenbec. *ff. ad Leg. Jul. de Adult. n.* 10. Harppr. *§. item Lex Julia cit. n.* 38. Gonzal. *in c.* 4. *h. tit. n.* 3. *&* 4. Zoes. *hic nu.* 3. Pirh. *n.* 5. Reiffenst. *n.* 26. *&* 27.

86 Minor 25 annis adulterii accusare non potest; quia non videtur idoneus accusator, qui nondum est robustæ ætatis: suum tamen Matrimonium si velit vindicare, admitti debet *l. si maritus* 15. *§. lex Julia* 6. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* cum authoritate tamen Curatoris *l. clarum* 4. *Cod. de author. præstand.* Gloss. *in l. & §. cit. V. audietur*, Gonzal. *l. cit. n.* 4. Pirhing *num.* 5. *prop. fin.* Non obstat autem volenti vindicare proprium Matrimonium, quòd sit adhuc filiusfam. nam etiam iste accusare uxorem potest de adulterio, perinde acsi sui juris esset, etiam invito patre *l. inter* 6. *§. filiusfamilias* 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Pirh. *n.* 5. *fin.*

87 Quæritur 8. quinam adulterii accusari possint? Resp. accusari possunt tam adulter, quam adultera, modò per dolum adulterium sit commissum, i. e. modò sciverit eam, cum qua scortatus est, alterius uxorem esse; nam, ut ex *l. ex lege* 43. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* dictum est *nu.* 77. adulterium sine dolo malo non committitur. Host. *Summ. hic n.* 4. Pirh. *n.* 9. Konig *n.* 10.

88 *Proceditque hoc* 1. Etiamsi talis mulier sit publica meretrix; nam si conjugata sit, accusari, & puniri potest, tanquam rea adulterii *l. si uxor* 13. *§. sed, & in ea* 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ubi ad litteram dicitur, *sed & in ea uxore potest maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit.* Gloss. *ibid. V. vulgaris.* Azor. *part.* 3. *l.* 3. *cap.* 8. *not.* 8. Farin. *quæst.* 141. *num.* 84. Pirhing *n.* 9. *cit. Extens.* 1. ne, quæ publica adultera est, minùs puniatur, quàm mulier, quæ occultè solùm adulteratur. *Neque obstat*, quòd *l. si ea* 22. *C. h. tit.* dicatur, cum meretrice adultera crimen cessare; nam ibi adulterium accipitur pro Stupro, juxta Gloss. *ibid. V. adulterii.* Conjugatus tamen, accedens ad talem adulteram conjugatam, non potest accusari, ac puniri, tanquam reus adulterii; quia non videtur violasse thorum alienum, ubi nullus est thori pudor, & respectus, sed promiscua, & vulgaris, marito connivente, turpitudo. Farin. *l. cit. num.* 85. ubi ait, hodie ita servari in praxi. Quamvis Clar. *§. adulterium n.* 3. dicat, quòd etiam quoad mulierem meretricem cesset pœna, adeoque etiam accusatio criminalis adulterii.

Procedit 2. ut accusari possit non tantùm, qui mœchantur, sed etiam qui quavis ratione quæstum ex adulterio faciunt: quales sunt, qui lenocinium exercent, sive prostituunt uxores suas *l. mariti* 29. *§. qui quæstum* 3. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* qui domum scientes præbent, ut adulterium in ea fiat *l. qui domum* 8. *ff. eod.* item qui prohibitas, & illicitas nuptias contrahunt, ut qui pupillam suam uxorem duxit *l. qui pupillam* 7. *ff. eod.* Host. *Summ. hic n.* 4. Pirh. *l. cit. extens.* 2. 89

Est Lenocinium delictum publicum, & committitur prostituendo virgines, uxores, liberos, vel alias fœminas, aut earum prostitutionem permittendo. Pœna ejus, si liberi à parentibus, aut uxores à maritis prostituantur, probabiliter est pœna gladii *arg. l. ex lege* 2. *§. lenocinii* 2. *ff. ad Leg. Jul. cit.* Si personæ aliæ, est arbitraria pro qualitate, & circumstantiis delicti modò major, modò minor, veluti præcisio aurium, fustigatio, pœna exilii &c. *Const. crim. Carol. V. art.* 123. Haun. *tom.* 6. *tr.* 2. *n.* 369. *& seqq.* ubi plura de Lenocinio videri possunt. 90

Quæritur 9. quænam probatio requiratur, & sufficiat, ut quis condemnari, tanquam reus adulterii possit? *Ratio dubitandi* est, quia ut criminaliter condemnari aliquis possit, aliàs requiritur, ut is crimen in Judicio confessus, vel de eo per probationes legitimas, & luce meridiana clariores convictus sit. Atqui de adulterio, cùm plerumque in locis secretis, & arbitris, qui de eo testificari possent, remotis, perpetretur, talis probatio haberi non potest, nisi casu, quo constat maritum ultra annum fuisse absentem, vel impotentem ad coitum. ergo his duobus casibus demptis, nulla videtur esse probatio sufficiens. 91

Sed dicendum, ad probationem adulterii sufficere, si in ejus probationem afferantur violentiæ, & vehementissimè urgentes præsumptiones, seu tales, quæ ex indiciis, sive actibus, & circumstantiis delicto proximis, & cum eo ordinariè conjunctis sunt ortæ. Sumitur ex *cap. Maritis* 4. *h. tit.* ibi, *Maritis etiam ex suspicione uxores accusare permissum est*, intellige, non qualicunque, sed hactenus descripta. *Ratio est*, quia habita tali præsumptione, jam habetur certitudo moralis perpetrati criminis, & qualis, spectata ejus qualitate, moraliter haberi potest; cons. nullum morale periculum est, ne innocens condemnetur: quod tamen foret, si præsumptio minor sufficeret. Sylv. *V. Adulterium nu.* 9. Berojus *in Rubr. de Judic. nu.* 20. *fin.* Menoch. *l.* 1. *de præsumpt. q.* 58. *num.* 3. Mascard. *de Probat. concl.* 57. *num.* 6. Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 12. *n.* 40. *&* 41. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 117. Pirh. *hic n.* 3. Vviestner. *num.* 52. Reiffenst. *n.* 30. 92

In specie præsumptiones hujusmodi sunt. 1. si *solus cum sola, nudus cum nuda, in eodem lecto jacere* visus sit, *multis locis secretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis*, ut habetur *c. litteris* 12. *de Præsumpt.* Abb. *ibid. n.* 3. Navar. *ad Rubr. de Judic. nu.* 19. Menoch. *l.* 5. *præsumpt.* 41. *n.* 11. *& seqq.* Sanch. *D.* 12. *cit. n.* 45. Pirh. *n.* 13. Vviestner *n.* 53. Reiffenstuel *n.* 32. 2. si accusati de adulterio, ut crimini derogarent fidem, obtenderunt consanguinitatem, & nihilominus, conjuge mortuo, inierunt inter se Matrimonium *l. si qui* 34. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* Durand. *Specul. tit. de Præsumpt. §.* 2. *n.* 4. Menoch. *l. cit. n.* 7. Pirhing *nu.* 13. Vviestner *num.* 53. Reiffenstuel *n.* 33. 3. si is, qui de crimine adulterii suspectus est, propterea à marito ter in scriptis, & testibus præsentibus monitus est, ut à colloquio, & conversatione cum uxore sua abstineat, & nihilominus, hac denuntiatione insuper habita, in loco suspecto, & ad adulterium idoneo cum ea conversari non desinit *Auth. si quis ei C. ad Leg. Jul. cit.* Durand. *nu.* 4. Menoch. *num.* 9. cum reliquis *suprà*. Operanturque præsumptiones istæ non tantùm, ut iis habitis, & legitimè probatis, procedi possit 93

possit ad Divortium, & amissionem Dotis, sed etiam ut infligi possit pœna criminalis adulterii, ordinaria quidem in duobus posterioribus casibus, extraordinaria saltem in primo, ut bene advertit Menoch. *l. cit. num.* 8. 10. *&* 15.

94 Præter has præsumptiones afferuntur adhuc aliæ quædam. 1. si mulier à marito proprio discedat, & viro de incontinentia suspecto, aut diffamato adhæreat, eique cohabitet. Barbos. *in c. 6. h. tit. n. 6.* 2. si ea, invito, aut inscio marito, clàm accedat, & pernoctet in domo viri suspecti. Menoch. *l. cit. nu.* 23. Pirh. *num.* 14. Reiffenstuel *n.* 36. 3. si absente, aut ignorante marito, ab ejusmodi viris, aut juvenibus clam, & noctu frequentetur. Barbos. Pirh. Reiffen. *l. citt.* cum Menoch. *l. cit. n.* 21. 4. si inhonestam cum alio consuetudinem jactet, aut litteræ amatoriæ, ejusmodi consuetudinem confitentes, fuerint repertæ. Menoch. *n. 29.* cum *citt.* 5. si vir, & mulier inveniantur soli in loco abdito se mutuò osculantes, & amplexantes. Abb. *in c. præterea 27. n. 2. de Testib.* Sanch. *l.* 10. *de Matr. D.* 12. *n.*46. *&* 47. Pirhing. *nu.* 13. 6. si xenia, & munera sibi invicem miserint. Sanch. *n.* 48. Pirh. *n.* 13. *cit. fin.* Sed licèt ex his, & similibus actibus magna adulterii fiat præsumptio, nisi tamen alia concurrant adminicula, crimen hoc ad pœnam ordinariam infligendam non satis probant. Unde relinquendum erit prudentis Judicis arbitrio examinare, quam vim probandi in casibus particularibus quævis ex dictis præsumptionibus habeat. Vvesenbec. *ad ff. ad Leg. Jul. cit. n.* 17. Brunnem. *ad Auth. cit. nu.* 3. & alii ab his relati putant, consultò ferè factutum Judicem, si reo, crimen in Judicio non confesso Ordinariam pœnam non irroget.

95 Quæritur 10. quis sit Judex competens respectu criminis Adulterii? Resp. hìc videndum, an de eo crimine agatur criminaliter, an civiliter tantùm. *Si primum*, distinguendum est inter pœnam Legalem, seu Capitalem, quæ per *l. quamvis* 30. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* constituta est, & inter alias, quæ iisdem infligi possunt, & solent. *Pœnam capitalem* Adulteris infligendam solus Judex Sæcularis potest decernere; quia Ecclesiasticus causas sanguinis tractare non potest. Vall. *hic* §. 1. *nu.* 5. *fin.* Schamb. *n.* 3. Reiffenstuel *num.* 41. Cæteras infligere potest etiam Judex Ecclesiasticus prout liquet ex *cap. perniciosam* 1. *de Offic. Ordin.* cùm enim adulterium injuriam inferat Sacramento, Sacrilegium quoddam est, & nominatur *l. quamvis cit.* ac proinde erit crimen mixti fori, & inter Judicem Ecclesiasticum, ac Sæcularem locus præventioni dabitur. Abb. *in c. tuæ* 5. *de Procurat. num. 6.* Clar. §. *fin. q.* 37. *num.* 3. Barbos. *in l. soluto* 2. *ff. solut. matr. p.* 1. *pr. num.* 139. Haunold. *tom.* 5. *tract.* 1. *nu.* 340. Pirhing *hic num.* 10. Schambog. *num.* 3. Vviestner *num.* 57. Reiffenstuel *n.* 42.

96 *Si secundum*, distinguendum iterum est, an agatur de Divortio, & separatione conjugum quoad thorum, & cohabitationem, an verò de causa Dotis, & Donationis propter nuptias. *Si prius* Judex competens est solus Ecclesiasticus *c. ad hæc* 1. *ut lit. non contest. c. tuæ* 5. *vers. si verò de Procurat. c. porro* 3. *& cap. seq. de Divor.* Clar. §. *fin. q.* 37. *num.* 3. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. cap.*7. §. 6. *num.* 8. Sanch. *l.* 10. *de Matrim. D.* 8. *nu.* 15. Haun. *l. cit. n.* 341. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. Pirhing. *nu.* 10. Schambog. *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 39. Ratio est, quia tunc agitur de sublata obligatione conjugum quoad thorum, & cohabitationem, quæ cùm oriatur ex Matrimonio, quod inter fideles Sacramentum est, Spiritualis est. *Si posterius*, videndum, an de causa Dotis, aut Donationis propter nuptias agatur principaliter, an incidenter solùm, quòd scilicet causa illius incidat in causam divortii. *Si principaliter* de ea agatur, cognitio illius propria erit fori Sæcularis. *Si incidenter*, pertinebit, & ipsa ad Judicem Ecclesiasticum, ex generali principio, quòd Judex, qui competens est respectu causæ principalis, etiam cognoscere possit de incidente, modò is Jurisdictionis, quam causa incidens exposcit, non sit incapax. Videantur dicta *Lib.* 2. *Tit.* 10. *n.* 8. *& seqq.*

97 Quæritur 11. an vir, qui contrà uxorem, aut uxor, quæ contra virum instituit actionem criminalem Adulterii ad publicam ejus punitionem, hoc Judicio finito, agere de adulterio possit civiliter ad divortium instituendum, seu ad thori separationem, & amissionem Dotis, vel Donationis propter nuptias; aut vice versa, finito Judicio Civili, vir uxorem, & hæc virum adulterii criminaliter accusare? Resp. negativè. Ita Abb. *in c. tuæ* 5. *de Procurat. num.* 5. Sot. *in* 4. *dist.* 37. *q. un. art.* 3. *ad fin. Corp.* Barbos. *ad l.* 2. *p.* 1. *pr. n.* 138. *& seq. ff. solut. Matr.* Sanch. *l.* 10. *de Matr. c.* 8. *n.* 19. Pirhing *hic n.* 11. & probatur ex *l. quod Senat. Consult. ff. de Injur.* ubi in fine dicitur, *Planè si actum est publico Judicio, denegandum est privatum*; *similiter ex diverso*, quando scilicet utrumque ad vindictam tendit juxta Gloss. *fin. ibid.* atqui utraque hæc actio, ex adulterio competens, tam criminalis, quàm civilis, tendit ad punitionem Adulterii, licèt prior ad vindictam publicam, posterior ad privatam; nam quamvis Divortium propriè non sit pœna, sed prosecutio juris, quod conjux innocens acquisivit ob alterius conjugis adulterium, tamen quoad hanc actionem separatio quoad thorum, cohabitationem censetur, & appellatur pœna, quia ea petitio non pertinet ad compensandum rei familiaris damnum, sed potiùs instituitur in pœnam ingratitudinis, & fidei coniugalis violatæ: & ideo *c. tuæ cit. fin.* actio tendens ad Divortium vocatur *Mixta inter Civilem & Criminalem*: criminalis enim quodammodo est, quatenus tendit ad Divortium instituendum; Civilis autem, quatenus tendit ad Dotis amissionem, quæ tamen etiam pœna quædam est, licèt applicanda actori. Sanch. *n.* 19. *cit. fin.* Pirh. *n.* 11.

Aliud verò est dicendum, si instituatur Actio Civilis, 98 directè tendens ad interesse, seu jacturam rei familiaris compensandam; ea enim non præjudicat criminali: & hinc finito uno Judicio, alterum institui potest. Et in hoc sensu intelligenda est *l. un. C. quand. Civit. act. &c.* ubi deciditur actionem Civilem non præjudicare criminali; nam Civilem Actionem ibi Impp. appellant eam, quæ est *de re familiari*, & pœnam principaliter non intendit. Porro hoc casu etiam non refert, quænam actio priùs intentetur, prout expressè habetur *l. un. cit.* & hinc siquis alicui surripuit rem suam, potest dominus ejus contra furem agere vel civiliter ad compensationem damni illati, vel post illam obtentam criminaliter ad publicam vindictam, nec una actio per alteram tollitur. Pirhing *num.* 11. *cit.* Non potest tamen utraque simul intentari in eodem Judicio, ut notat Gloss. *in l. un. cit. V. utraque*; quia cùm actio criminalis sit dignior, & major, quàm Civilis, non possunt simul æquè principaliter cumulari: *æquè principaliter*, inquam; quia nihil impedit, quo minùs actor, quando principaliter instituit actionem criminalem, accessoriè possit petere compensationem damni in re familiari. Sanch. *l cit. n.* 19. *pr.*

§. IV.

De Crimine Incestus, Sacrilegii Carnalis, & Peccato contra Naturam.

SUMMARIUM.

99 *Definitio Incestus?*
100 *Casus, in quibus non committitur.*
101 *Est gravius crimen Adulterio.*
102 &c. *Pœna in foro Sæculari.*
105 &c. *Pœna in foro Canonico.*
107 *Definitio, & Divisio Sacrilegii.*
108 &c. *Pœna Sacrilegii carnalis.*
111 *Quale peccatum sit, & qua pœna afficiendus Christianus peccans cum Infideli?*
112 *Sodomiæ definitio, & divisio.*
113 &c. *Pœna Sodomiæ perfectæ in foro Sæculari.*
115 &c. *Pœna ejusdem in Jure Canonico.*
117 *Pœna Sodomiæ imperfectæ.*
118 *Bestialitatis.*
119 *Mollitiei.*

Quæritur 1. quid sit *Incestus*? Resp. est coitus, sive 99 concubitus inter personas consanguineas, vel affines, Jure prohibitas contrahere Matrimonium *can. Lex illa* 2. §. *cùm ergo vers. incestus caus.*36. *q.* 1. Tholos. *Syntagm. l.* 36. *c.* 7. *n.* 1. Bajard. *ad* Clar. §. *incestus n.* 1. Azor. *par.* 3. *l.* 3. *c.* 9. *not.* 2. Farin. *prax. crim. qu.* 149. *n.* 4. *&* 5. Illsung. *Theol. pract. tr.* 4. *D.* 1. *nu.* 59. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 1. Engl *n.* 29. Pirh. *n.*64. Konig. *n.*20. Schambog. *n.* 21. Vviestner *n.* 58. Reiffenstuel *num.* 65. Magnif. P. Schmier

P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 46 Dixi *inter consanguineos*, *& affines Jure prohibitos*, intellige, proprie dictos, & quarto, vel proximiori gradu conjunctos post *Concil. Later.* relatum *c. non debet* 8, *vers. prohibitio de consang. & affin.*

100 Et hinc crimen incestus propriè non committi, ac proinde non hujus, sed alia mitiori pœna castigandus est. 1. qui carnaliter peccat, aut conjugium init cum consanguinea suæ Sponsæ, quam nondum cognovit carnaliter; quia inter ipsos nondum intercedit Affinitas, seu quasi affinitas, seu Impedimentum publicæ Honestatis. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. *§.* 8. *nu.* 4. Engl. *hic num.* 31. Vviestn. *n.* 59. Reiffenst. *n.* 67. 2. qui carnaliter delinquit cum Cognata legali per Adoptionem, vel Arrogationem; quia hæc ejus consanguinea propriè non est. Azor. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 9. *q.* 4. Farin. *q.* 149. *n.* 46. Pirhing. *nu.* 67. Engl. *n.* 31. Schambog. *n.* 23. Vviestn. *n.* 60. Reiffenstuel *n.* 67. 3. qui peccat cum cognata Spirituali ex Baptismo, vel Confirmatione, etsi graviùs peccet, quàm prior. Clar. §. *Incestus n.* 4. Azor. *q.* 3. Farin. *n.* 50. cum reliquis *supra*. 4. qui carnaliter delinquit cum consanguinea collaterali, vel affine, in quinto, vel ulteriori gradu conjuncta; quia impedimentum consanguinitatis, & affinitatis per *c. non debet cit.* ad quartum gradum restrictum est. Farin. *n.* 57. Vviestner *n.* 61. Magn. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 46. 5. qui commercium carnale habet cum duabus, inter se tertio, vel ulteriori gradu conjunctis; quia juxta Trid. *sess.* 14. *c.* 4. *de Reform.* Affinitas ex copula fornicaria se tantùm extendit ad secundum gradum. Gutier. *l.* 1. *qq. Can. c.* 23. *n.* 3. Barbos. *ad Trid. c.* 4. *cit. n.* 12. Engl *hic n.* 30. cum *citt.*

101 Dub. 1. quàm grave hoc crimen Incestus sit? Resp. est gravius Adulterio *can. adulterii* 11. *caus.* 32. *q.* 6. *l. si adulterium* 38. §. *nonnunquam* 3. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Farin. *q.* 149. *n.* 1. præsertim si committatur inter Ascendentes, & Descendentes; nam inter hos coitum etiam bruta animalia detestantur, & aversantur, ut Aristoteles *Hist. anim. lib.* 5. Pirh. *Hist. nat. l.* 8. *c.* 42. Boer. *dec.* 318. *n.* 2. & alii ostendunt. Hinc gravissimæ pœnæ huic sceleri ab utroque Jure sunt constitutæ.

102 De Pœna, quæ infligi debeat in foro Sæculari, controversia est inter DD. quòd in *Const. Carol. V. art.* 117. observandum quoad hoc dicatur Jus Imperiale; in isto autem certa pœna, qua incestus puniatur, expressa non sit; hinc plerique dicunt, Jure Civili Incestui etiam Simplici infligendam eandem pœnam, quæ infligitur Adulterio, ob *l. si adulterium cit. pr.* ibi, *Id enim, remoto etiam adulterio, eveniret*.

103 Dub. 2. quæ pœna hodie in foro Sæculari infligatur Incestui? Resp. esse distinguendum, an commissus incestus sit sub velamine conjugii, an sine illo. *Si primum*, nuptias incestuosas scienter contrahentes, si honestæ conditionis personæ sint, puniuntur privatione dignitatis, confiscatione bonorum, quæ liberis legitimis, si quos habent, aliàs fisco, sunt applicanda, & exilio; si autem personæ viles, etiam fustigatione *Auth. incestas C. de incest. & inutil. nupt.* Farin. *q.* 149. *à nu.* 122. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 349. Vallens *hic* §. 3. *n.* 3. Engl. *n.* 33. Pirhing *n.* 65. Vviestner *n.* 64. Reiffenstuel *n.* 71. Intelligi autem hoc debet, si hujusmodi nuptiæ contractæ non sint inter personas, inter quas commissus incestus etiam sine velamine conjugii pœna mortis afficitur; nam si hoc factum fuisset, multò magis pœnam mortis mererentur, qui sub velamine conjugii hujusmodi incestum commiserunt. Addidi etiam scienter; nam qui ignoranter contraxit incestas nuptias, si bona fide, ut culpa, ita & pœna caret, si ex culpabili negligentia in impedimento inquirendo, mitiùs arbitrio Judicis puniendus est: sicut etiam puniri debet, qui ab initio bona fide contraxit, sed postmodum detecta consanguinitate, vel affinitate, nihilominus perseveravit. Gloss. *in Clem. un. V. scienter de Consang.* Clar. §. *incestus n.* 9. Vall. §. 3. *n.* 3. *vers. qui verò*.

104 *Si secundum*, videndum, an Incestus conjunctus cum adulterio sit, an sine illo. *Si prius*, non minùs, quàm adulterium pœna gladii coercetur. Clar. §. *incestus nu.* 2. Haun. *n.* 346. Vviestner *num.* 63. *Si posterius*, pœna pro varietate circumstantiarum varia est. Et quidem si inter Ascendentes, & Descendentes perpetratus, sit mortis, & gladii ferè pœna afficitur. Host. *in Summ. h. tit. num.* 12. Bajard. *ad* Clar. *§. cit. n.* 3. Farin. *quæst.* 149. *n.* 61. *& seqq.* Haun. *nu.* 347. Vviestn. *num.* 62. Reiffenst. *num.* 70. Eadem pœna incestuosum concubitum, commissum inter fratrem, & sororem, plectendum volunt Menochius, & alii quidam apud Haun. *n.* 348. & docet praxis quarundam Provinciarum. In aliis Provinciis rei Incestus, commissi in gradu primo collaterali, fustigati, seu virgis cæsi perpetuò relegantur. Berlich. *p.* 4. *concl.* 33. *n.* 5. *&* 12. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 73. *à n.* 11. Stryck. *Us. Mod. Pandect. tit. ad Leg. Jul. de Adult.* §. 39. Haun. *num.* 348. Reiffenstuel *num.* 70. apud quos videri potest de Pœna incestus commissa inter Consanguineos collaterales in secundo, & ulteriori gradu, & inter Affines.

Dub. 3. quæ pœnæ in incestuosos sint latæ de Jure Canonico? Resp. hoc Jure, si istius criminis reus sit Clericus, præsertim si jungatur adulterium, est deponendus, & Beneficio privandus *arg. can. si quis* 10. *& seqq. dist.* 81. Clar. §. *Incestus n.* 2. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 8. *n.* 3. Farin. *q.* 149. *n.* 34. *&* 35. Vallens. §. 3. *n.* 4. Engl *n.* 32. Pirh. *n.* 66. Vviestn. *n.* 65. Reiffenst. *n.* 74. 105

De Laico eodem Jure tres casus sunt distinguendi. Nam 1. in Incestu quocunque perseverans, donec satisfecerit, jubetur excommunicari *can. de his, qui* 9. *caus.* 35. *q.* 2. 2. si maritus peccaverit cum consanguinea uxoris suæ, aut hæc cum consanguineo mariti privantur jure exigendi debitum conjugale *c. si quis* 1. *c. transmissæ* 3. *de eo, qui cognovit &c.* & olim prohibebantur, conjuge mortuo, contrahere Matrimonium cum alio, vel alia *can. si quis cum matre* 5. *caus. & q. cit. & c. si quis cit.* quod tamen alterum per consuetudinem modò est derogatum. 3. qui incestas nuptias scienter contraxit, præterquam quòd tale Matrimonium invalidum sit, ipso facto Excommunicationem incurrit. *Clem. un. de Consang.* & à conjugio cum alia licitè ineundo impeditur *can. qui propinquam* 4. *q. cit.* Farin. *q.* 149. *n.* 142. Engl. *hic n.* 33. Pirhing *num.* 66. Vviestner *num.* 65. Reiffenstuel *n.* 72. *&* 73. 106

Quæritur 2. quid, & quotuplex sit Sacrilegium carnale? Resp. hoc tamen dupliciter committi potest, scilicet violatione loci DEO consecrati, quod fit effusione seminis in loco Sacro, ita, ut polluatur Ecclesia: de quo dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 40. *n.* 68. *&* 81. & violatione personæ DEO dicatæ per Votum Continentiæ. Hujus species est fornicatio, sive coitus cum Moniali, per Continentiæ Votum DEO consecratæ *can. sciendum* 37. *caus.* 27. *qu.* 1. *& l. si quis* 10. *C. de Episc. & Cler.* Imò, ut Abb. *in c. Monasteria* 8. *de Vit. & Honest. n.* 9. Decian. *tr. crim. l.* 6. *c.* 20. *n.* 1. Farin. *q.* 146. *n.* 6. notant, Monialis violatio etiam Adulterii, & Incestus rationem habet, quod committatur in Sponsam DEI, qui Pater noster est. Quare meritò Ecclesia, ut gravissimum hoc scelus impediat, Clausuram Monialium introduxit, aliasque invenit cautelas, ut viri à Virginum, & aliarum mulierum DEO sacratarum congressu, colloquio, & aspectu removerentur. 107

Dub. 1. quæ sit pœna Sacrilegii Carnalis? Resp. cum distinctione nam fornicatio Religiosi professi, & Clerici, in Sacris constituti, cum soluta, licèt ratione Voti Castitatis, annexi SS. Ordinibus, verè sit Sacrilegium ut docet Azor. *p.* 3. *l.* 3 *c.* 4. *q.* 8. *fin.* Abb. *hic nu.* 68. & propterea hæc circumstantia, tanquam mutans speciem, in Confessione necessariò exprimenda sit. Engl *n.* 40. Vviestner *n.* 70. Reiffenstuel *n.* 76. quòd ob Spiritualis conjugii vinculum, quo Ecclesiæ, vel Religioni suæ junguntur, adulterii quodammodo rei fiant. In foro tamen externo, seu contentioso non censetur, nec puniuntur, ut Sacrilegium, sed ut Simplex Fornicatio tantùm. Clar. *§. Fornicatio n.* 18. Farin. *q.* 146. *nu.* 30. Pirhing. *nu.* 68. Schambog. *n.* 20. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *num.* 51. 108

Graviùs utroque Jure animadvertitur in Sacrilegium commissum cum Moniali. Nam Jure Civili is, qui Matrimonium cum Moniali attentavit, vel aliàs illam corrupit, plectendus est pœna capitali, seu mortis, & bona ejus Monasterio, in quo corrupta Monialis degebat, applicantur *l. si quis* 5. *C. de Episc. & Cler. Novell.* 123. *c.* 43. Hodie pœna quidem capitalis remansit, ut tradunt Menoch. *de arbitr. cas.* 389. *n.* 27. Tambur. *de Jur. Abbatiss. D.* 11. *q.* 2. Barbos. *in c. sicut* 2. *de Privil. n.* 3. bona tamen sic punitorum, saltem quando Raptus, aut violentia non intervenit, non Monasterio, aut Fisco, sed delin- 109

quentis hæredibus delinqui solent juxta *Auth. bona damnatorum C. de Bon. proscript.* Farin. *q.* 146. *nu.* 1. Reiffenstuel *n.* 79.

110 Jure Ecclesiastico Sacrilegus corruptor Monialis, si Laicus sit, excommunicatur; si Clericus, privatur Beneficio, & depositus ab Ordine ad agendam pœnitentiam detruditur in Monasterium *can. si quis Episcopus 6. can. si qua Monacharum* 28. *fin. caus.* 27. *q.* 1. Menoch. *cas.* 389. *cit. n.* 24. Farin. *n.* 24. *&* 26. Pirhing. *nu.* 68. Engl *n.* 41. Schambog. *n.* 24. Reiffenst. *n.* 80. *&* 81. ipsa verò Monialis, se violari passa, aut detrudi debet in Monasterium arctius cum rebus suis, aut mancipari perpetuo carceri *can. impudicas* 11. *can. Virgines* 25. *can. si qua Monacharum* 28. *can. si quis rapuerit* 30. *caus.* 27. *q* 1. Farin. *n.* 12. Imò sunt, qui Sanctiones Imperiales, quibus pœna capitalis secundùm dicta *n. præc.* sceleri huic statuitur, putant canonizatas esse per *can. si quis rapuerit cit. & can. si quis non dicam* 3. *caus.* 36. *q.* 2. Sed meliùs negatur; quia uterque *can. cit.* textus in Decretum relatus est à Gratiano ex Jure Civili; consf. non aliam authoritatem, quàm ipsæ Leges Civiles, unde desumpti sunt, habet, adeoque Juris Civilis tantùm, non verò Ecclesiastici.

111 Dub. 2. quale peccatum sit, & quali pœna afficiendum sit commercium carnale viri Christiani cum fœmina Judæa, vel Pagana, aut vicissim viri Judæi, vel Pagani cum fœmina Christiana? Resp. crimen hoc à Simplici fornicatione non differt: quia tamen magna irreverentia, & injuria Legi, ac nomini Christiano per illud infertur, graviori, quàm aliæ Simplices Fornicationes pœna plectendum est, præsertim si conjugii velamen accedat; tunc enim adulterii vicem crimen hujusmodi obtinebit *l. nequis 6. C. de Judæis*: & consf. adulterii pœna, mitiori tamen, quàm capitali, plectendum est. Clar. §. *Fornicatio n.* 26. Menoch. *de arbitr. cas.* 290. *n.* 9. Farin. *prax. crim. q.* 193. *n.* 3. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr.* 2. *n.* 580. Pirh. *hic n.* 79. Vviestn. *ibid. n.* 78.

112 Quæritur 3. quotuplicis generis sit peccatum contra naturam? Resp. est triplicis maximè generis, videlicet Sodomia, Mollities, & Bestialitas. *Sodomia*, à Sodomis accepto nomine *Gen.* 19. *v.* 5. aliquando accipitur *genericè*, prout omnem libidinem contra naturam includit; aliquando *specificè*: & eatenus duplex est, Perfecta, & Imperfecta. *Perfecta* est coitus contra naturam inter duos, non servato debito sexu, sicut contingit, quando concumbit mas cum mare, fœmina cum fœmina, ut ex textu *Gen. cit. & can. usus* 14. *caus.* 32. *q.* 7. sumitur: propter quod vitium, igne de cælo descendente, quinque civitates combustæ sunt. *Gen. l. cit. Imperfecta* est concubitus maris cum fœmina, non servato debito vase: committique peccatum hoc potest etiam cum propria uxore. Pirhing *hic numer.* 69. Schambog. *n.* 25. Reiffenstuel *n.* 88. *Mollities* est, qua homo voluntariè seipsum polluit. *Bestialitas* est coitus cum bruto; quod, quamvis diversæ speciei sit brutum, cum quo fit coitus, species tamen diversum peccatum per hoc non efficitur; quia est eadem formalis ratio turpitudinis, quæ consistit in hoc, quòd copula habeatur cum re diversæ speciei. Azor *p.* 3. *l.* 3. *c.* 22. *q.* 1. Pirhing *hic n.* 73. Schambog. *ibid. n.* 27.

113 Dub. 1. quæ sit pœna Sodomiæ propriè dictæ, statuta per Jus Civile? Resp. hoc Jure crimini isti statuta est pœna mortis, prout patet ex §. *Item Lex Julia* 4. *Inst. de Publ. Judic. l. cum vir* 31. *C. ad Leg. Jul. de Adult. & Novell.* 77. *c.* 1. *ƒ.* 2. quæ pœna hodie fere ubique recepta, sic exasperata est, ut hodie ejus criminis rei vivi, aut eorum saltem morte punitorum cadavera igne comburantur. Clar. *ƒ. Sodomia n.* 4. Azor *l.* 3. *c.* 19. *not.* 1. Farin. *q.* 148. *n.* 7. Haun. *tom. 6. tr.* 2. *n.* 576. Pirhing *hic n.* 70. quam Sodomitas comburendi consuetudinem observari etiam voluit Carolus V. *Const. crim. art.* 116. Habetque pœna hæc locum tam in agente, quam in patiente, nisi huic vis inferatur. *Clar. Pirh. l. citt.* Insuper ejusmodi criminosi etiam ante accusationem, & condemnationem ipso Jure infames sunt *l. cum vir cit.* & *ibi* Gloss. *V. infames*, rerumque suarum, fisco cedentium, dominio ipso Jure privantur *cap. cum secundum* 19. *de Hæret. in* 6. Gloss. *ibid. V. perdant*, Pirhing *n.* 70. Reiffenstuel *num.* 86. *&* 87. quod tamen ultimum non ubique usu receptum notant. Clar. §. *Sodomia n.* 6. Farin. *l. cit. n.* 15.

114 An verò pœnæ istæ extendendæ sint, etiam ad eos, qui crimen istud nefandum solummodo attentarunt, controversum est apud DD. Affirmant hoc aliqui apud Farin. *q.* 148. *cit. n.* 56. Sed contrarium cum eodem Farin. *n.* 64. tenent Clar. §. *Sodomia n.* 8. Menoch. *cas.* 286. *n.* 28. & alii, ex quorum doctrina ob crimen Sodomiæ non consummatum, etiamsi ad actum proximum perventum sit, non debet imponi pœna mortis, sed alia extraordinaria Judicis arbitrio, & mitior *arg. l. sollicitatores* 1. §. *qui puero* 2. ibi, *Perfecto flagitio, punitur capite, imperfecto, in insulam deportatur, ff. de extraod. crim.*

Dub. 2. quæ huic crimini pœna statuta sit Jure Ecclesiastico? Resp. hoc Jure flagitii istius nefandi reus, si Laicus sit, a fidelium communione, donec condignam pœnitentiam egerit, penitus est excludendus *c. Clerici* 4. *fin. de Excess. Prælat.* & si conjugatus sit, conjux innocens non secus, ac ob adulterium ab eo potest divertere *arg. can. omnes* 7. *caus.* 32. *q.* 7. & dictum est *Libr.* 4. *Tit.* 19. *n.* 103. Clericus verò per *c. Clerici cit.* Beneficio privatus, & ab Officio, atque Ordine Clericali depositus, detrudendus est in arctum Monasterium ad agendam pœnitentiam. Quam pœnam auxit *S. Pius V. Const.* incipit *Horrendum edita* 3. *Sept.* 1568. ubi statuit, ut Clerici quicunque, Sodomiam exercentes, omni privilegio Clericali, Officio, Dignitate, & Beneficio Ecclesiastico privati, & per Judicem Ecclesiasticum degradati, tradantur Curiæ, seu potestati Sæculari, afficiendi pœnis, quæ in Laicos hujus criminis reos per Leges sunt constitutæ. Quæ pœna privationis privilegiorum Clericalium tamen ut incurratur, duo requiruntur. 1. ut Sodomia sit consummata, eaque non semel, sed iteratò, ut notant Azor *p.* 3. *l.* 3. *cap.* 19. *q.* 2. *& duabus seqq.* Quarant. *V. Sodomia in Addit. limit.* 4. Suar. *de Censur. D.* 31. *sect.* 4. *n.* 21. Barbos. *in c. Clerici cit. n.* 7. *&* 8. Pirhing *hic n.* 72. *vers. præterea*, Reiffenstuel *n.* 92. *ibid.* 2. ut lata sit sententia condemnatoria Judicis, vel saltem declaratoria criminis. Azor *q.* 5. Quarant. *limit.* 5. Suar. *n.* 22. Pirhing *n.* 72. *cit.* quia nemo tenetur exequi pœnas in seipsum. Addit Quarant. *l. cit.* ex *Tolet.* & *Henriq.* dictam Constitutionem quoad forum internum conscientiæ in praxi receptam non esse, sed tantum respicere forum externum. 115

An verò Sodomita, si interim celebret, vel ministret in Ordine, Irregularitatem incurrat, dubitari potest. Videtur distinguendum. *Si notorius sit*, quia ab executione Ordinis suspensus est, illam incurrit: nec poterit in hac Irregularitate cum ipso dispensare, nisi solus Papa, vel cui iste potestatem dispensandi in illa specialiter committit. Azor *c.* 19. *cit. q.* 6. Pirhing *n.* 71. Contra, *si sit Sodomita occultus*; nam quia iste nec ab homine, nec à Jure suspensus est, etsi ante peractam pœnitentiam celebret, Irregularis non efficitur. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 249. Azor *q.* 7. Quarant. *limit.* 1. ubi rationem reddit; quia Irregularitas hæc non provenit ex Delicto, sed ex infamia, & scandalo, quæ ex delicti notorietate oriuntur, hæc autem cessat, quando Sodomia est occulta. ergo &c. Contrarium tamen tenent Diaz *pract. can. c.* 90. *in addit. V. detrudatur. Lit. B.* Clar. *V. Sodomia num.* 5. Farin. *q.* 148. *n.* 27. qui volunt, quod Sodomita occultus, etiam peracta pœnitentia, sit suspensus ab Ordinis executione, ideoque si interim celebret, fiat Irregularis, in qua tamen Suspensione, & Irregularitate hodie ex concessione *Trid.* dispensare possit Episcopus. 116

Dub. 3. quæ sint pœnæ reliquorum peccatorum contra naturam, quæ *n.* 112. relata sunt? Resp. 1. *Sodomiam imperfectam*, seu concubitum maris cum fœmina extra vas naturale, Clar. §. *Sodomiam n.* 2. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 7. §. 5. Menoch. *de arbitr. cas.* 286. *n.* 33. *& seq.* Farin. *q.* 148. *n.* 35. ordinaria Sodomitarum pœna castigandum, variarum Provinciarum praxi allegata, contendunt. Sed Sylv. *V. Luxuria q.* 1. Azor *p.* 3. *l.* 3. *c.* 20. *q.* 4. Tann. *t.* 2. *D.* 3. *q.* 3. *dub.* 7. *n.* 149. Pirhing *hic n.* 66. *fin.* Reiffenstuel *n.* 88. *ibid.* & alii probabilius docent, hanc imperfectam Sodomiam non ordinariæ, sed extraordinariæ, & mitiori pœnæ subjacere *arg. l. sollicitatores* 1. §. *qui puero* 2. *ff. de Extraord. crim.* ibi, *Perfecto flagitio, puniuntur capite. Ratio est*, quia etsi ad peccatum Sodomiæ meritò reducatur, indeque tanquam species distincta in Confessione necessariò explicanda sit, tamen quia saltem adest adhuc debita diversitas sexus, perfecta Sodomia, sed minus aliquod peccatum est; ac propterea pœnis Sodomiæ ordinariis non subje- 117

subjecta, præsertim cum in pœnis benigniora sint amplectanda.

7 2 *Bestialitatis* rei, instar verorum Sodomitarum, in *Constit. Carolin. artic.* 116. morte plectendi, & comburendi dicuntur: quod aliquando vivis, plerumque ad evitandam desperationem capite plexis fieri solet: & iisdem flammis consumitur etiam brutum ad imitationem Legis Veteris *Lev.* 20. *vers.* 15. ne tam horrendi, flagitii memoria, & vestigium ullum inter homines extet. Clar. §. *Fornicatio numer.* 27. Menoch. *de arbitr. cas.* 286. *num.* 31. Farin. *quæst.* 148. *num.* 46. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 2. *num.* 576. Pirhing *hic n.* 73. Vviestner *ibidem n.* 77.

9 3 *Peccatum Mollitiei*, quia clanculum, & secretò exerceri solet, ad forum contentiosum vix unquam deducitur: cùm autem deducitur, extraordinaria v. g. relegationis, aut fustigationis pœna coercendum censet Damhouder. *prax. crim. cap.* 96. Haun. *l. cit.* 525. Engl *hic num.* 28.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

POst discussum Adulterium, & affinia huic crimina, considerationi nostræ se offert *Raptus*, qui si rerum sit, ad Furtum pertinet, de quo *Titul. seq.* si personarum, est Luxuriæ species. Quare sit.

§. I.

De Raptu Personarum.

SUMMARIUM.

1 *Raptus definitio.*
2 &c. *Conditiones ad hunc requisitæ.*
8 &c. *Differentia à Stupro.*
11 &c. *Pœnæ in raptores statutæ de jure civili.*
16 &c. *Pœnæ juris Canonici antiqui.*
20 &c. *Pœnæ in raptores statutæ per Jus novissimum Trid.*
23 &c. *An pœnas istas incurrat etiam fœmina rapiens virum?*
28 &c. *An rapiens fœminam liberè, & sponte consentientem?*
32 &c. *Quid si consentiente ipsa, parentes inviti sint?*
37 &c. *An Conciliari Decreto, & pœnis afficiatur etiam ille, qui Sponsam de futuro propriam rapit?*
41 &c. *Aut qui non Matrimonii contrahendi, sed libidinis tantum liberiùs exercendæ causa rapuit?*
46 *Quid si fœmina, quæ in abductionem sui consensit, postea invita carnaliter cognoscatur?*
47 *Aut contrà, quæ invita abducta est, postea liberè consentiat in copulam?*
48 *An raptus pœnæ subjaceat, qui rapuit Virginem adhuc impuberem?*
49 *Conjugatam?*
50 *Vel inhonestè viventem?*
51 *An pœnas raptus, in fautores decretas, incurrat Parochus assistens Matrimonio, inter raptorem, & raptam inito?*
52 *Quam pœnam incurrat raptor alienæ sponsæ?*
53 *An sicut Matrimonium, ita etiam sponsalia de futuro ab iis inita invalida sint?*
54 *A quo Judice puniri raptores possint?*

1 QUæritur 1 Quid sit *Raptus* in hoc sensu acceptus? Resp. *est Virginis, vel alterius solutæ, aut ligatæ, honestæ tamen mulieris, vel etiam masculi violenta abductio de loco in locum moraliter diversum, libidinis exercendæ, vel etiam conjugii cum ea ineundi causa.* Ita quoad rem Host. *Summ. hic* §. *de Pœn. rapt. corpor. num.* 1. Clar. §. *raptus num.* 1. Molin. *tom.* 3. *de J. & J. D.* 105. *num.* 1. Less. *l.* 4. *de just. cap.* 3. *num.* 66. *vers. raptus*, Farin. *prax. crim. quæst.* 145. *num.* 5. & 6. Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *cap.* 13. *num.* 1. Gobat. *tom.* 1. *Theol. Exper. part.* 2. *tr.* 9. *cas.* 19. *nu.* 541. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *num.* 541. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 3. Vvagnereck *in c.* 6. *eodem not.* Begnudell. *V. raptus num.* 2. Konig *lib.* 4. *tit.* 7. *numer.* 33. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 1. Pirhing *nu.* 1. Vviestner *num.* 1. Reiffenstuel *nu.* 2. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 53.

Ex quo sequitur, quæ conditiones requirantur, ut Raptus sit propriè dictus, & Raptor incurrat pœnas Jure Canonico, & Civili contra hujus Delicti reos statutas. Nam 1. requiritur, ut Raptus fiat cum violentia: in quo differt à stupro: nam stuprum fieri etiam sine violentia potest: Raptus contra ex essentia sua vim includit. Perinde autem est in ordine ad Raptus crimen, sive violentia inferatur ipsi raptæ, sive iis, quorum potestati subest, ut parenti, marito, sponso, tutori &c. nam utroque casu Raptus fieri dicitur *can. de raptoribus* 3. *caus.* 36. *q.* 1. *l. un. C. de rapt. Virg.* Vallens. *hic* §. 1. *num.* 1. quamvis diversa imponenda sit pœna secundum dicenda *infrà num.* 28. & *seqq.* 2

2 Requiritur, ut fiat causa libidinis exercendæ, aut Matrimonii ineundi; quia propriè est species Luxuriæ, ut dictum *pr. h. tit.* Hinc Raptus non est, sed Plagium, si abductio fiat causa redigendi personam abductam in servitutem, aut vindicandi dominii: quod etiam dicendum, si abductio fiat ex alia causa. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 7. Decius *cons.* 234. *num.* 8. Clar. §. *raptus num.* 1. Less. *l.* 4. *de just. cap.* 3. *num.* 66. *vers. si abducatur*, Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 12. *numer.* 17. Tambur. *l.* 7. *Decal. cap.* 6. §. 2. *num.* 6. Vvagnereck *in cap.* 6. *h. tit. not.* 5. Pirhing *hic num.* 9. Vviestner *num.* 4. Reiffenstuel *numer.* 7. 3

3 Requiritur, ut mulier traducatur de loco in locum moraliter diversum; nam si abducatur solùm de uno cubiculo in aliud, vel de via publica per aliquot solùm passus ad locum secretum, occultandæ libidinis causa, etiamsi vis intercedat, ita abducens non Raptus, sed stupri violenti pœnas incurrit, prout ex *l. mariti* 29. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* desumit Sanch. *D.* 12. *cit. num.* 20. & concordant Boss. *prax. tit. de rapt. mul. num.* 3. Clar. §. *raptus num.* 1. Navar. *l.* 5. *cons.* 1. *numer.* 1. Decian. *tr. crim. l.* 8. *cap.* 7. *num.* 34. Tholos. *Syntagm. l.* 36. *capit.* 33 *n.* 1. Molin. *tr.* 3. *D.* 105. *n.* 3. Farin. *q.* 145. *n.* 74. Tambur. *l.* 7. *Decal. cap.* 6. §. 2. *n.* 7. Haun. *tom.* 6. *de just. tract.* 2. *num.* 541. Konig *l.* 4. *tit.* 7. *num.* 34. Zoes. *hic numer.* 5. *fin.* Pirhing *num.* 10. & 25. Vviestner *numer.* 5. Reiffenstuel *num.* 6. 4

4. Conditio est, ut mulier Rapta sit honestæ vitæ; nam abductio etiam violenta mulieris non viventis honestè v. g. publicæ meretricis, propriè Raptus non est *l. un. pr.* junct. Gloss. *V. Virginum C. de rapt. Virg.* quia Meretrix non præsumitur vim pati à cognoscente illam, nisi probetur; Raptus autem, ut *num.* 2. dictum est, non censetur fieri sine violentia. Et propterea talis fœminæ etiam violenta abductio non Raptus ordinaria, sed alia arbitraria pœna est punienda. Clar. §. *raptus n.* 5. Covar. 3. *var. c.* 14. *num.* 2. *fin.* Menoch. *de arbitr. cas.* 291. *num.* 3. Mascard. *de Probat. vol.* 3. *concl.* 1253. *nu.* 12. & 13. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 12. *num.* 23. Farin. *quæst.* 145. *nu.* 153. & *seqq.* Antonell. *de regim. Eccl. l.* 6. *cap.* 31. Vvagnereck *in cap.* 6. *h. tit. not.* 5. Begnudell. *V. raptus n.* 1. Engl *cit. de Adult. n.* 37. *fin.* Zoes. *hic num.* 6. Pirhing *n.* 11. Vviestner *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 5. *Excipiendi* tamen sunt duo casus, in quibus locus est Raptus pœnæ, etiamsi rapta fuerit meretrix. *Unus est*, si meretrix, vitæ impuræ pœnitentia ducta, cœperit honestè vivere: quod colligi potest ex loco, in quo habitat, & ex habitu, quem defert, ut notat Farin. *quæst.* 145. *cit. num.* 182. Quod si desiit quidem publica esse meretrix, non tamen desiit inhonestè vivere, quia facta est alicujus concubina, pœna Raptus ordinaria absolvitur eam rapiens. Mascard. *l. cit. num.* 24. Molin. *tract.* 3. *de just. D.* 105. *num.* 15. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *num.* 552. Zoes. *num.* 6. Pirhing *num.* 11. *Alter casus* est, si mulier rapta inhonestæ quidem sit vitæ, sed conjugata tamen *l. un. cit. vers. quæ multo magis*; quia tunc Raptor duplici tenetur crimine, adulterii scilicet, & rapinæ, & irrogatur injuria marito. Mascard. *num.* 15. nisi tamen maritus esset leno, qui uxorem prostituisset; tunc enim etiam respectu illius cessaret injuria. Mascard. *num.* 19. Farin. *num.* 175. Sanch. *n.* 23. *fin.* Pirhing *n.* 11. 5

Addunt aliqui *quintam Conditionem*, ut copula cum rapta secuta sit: quod colligunt ex *l. un. citat. paulò post principium*, ibi: *Cùm Virginitas, vel Castitas corrupta restitui non possit.* Sed dicendum, in ordine ad pœnam raptus in- 6

currendum non esse necessarium, ut copula secuta sit cum rapta. Clar. §. *Raptus num.* 4. Molin. *tr.* 3. *D.* 105. *n.* 6. Less. *l.* 4. *de Just. cap.* 3. *n.* 66. *vers. si abducatur*, Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 12. *num.* 18. Haun. *tom.* 6. *tr.* 2. *n.* 541. *&* 550. Neque aliud probatur ex *l. un. cit.* quia per eam Legem non punitur principaliter ablatio Castitatis (sic enim Raptus cum stupro confunderetur) sed punitur malitiosa intentio, & conatus ille violentus privandi fœminam tanto Castitatis decore, quod rapiens scit à se restitui non posse. Quoad pœnam tamen discrimen aliquod faciendum est inter casum, quo raptor ideo Raptam non cognovit carnaliter, quia id commodè facere non potuit, & inter casum, quo, etsi potuisset, sponte tamen noluit, sed copula abstinuit, pœnitentia ductus; nam *primo casu*, raptor obnoxius manebit pœnis Ordinariis Raptus: secus *in secundo*: tunc enim non erit puniendus pœna ordinaria, sed citra mortem alia gravi pœna extraordinaria arbitrio judicis, propter infamiam illatam puellæ raptæ, cujus pudicitia violata esse probabiliter ab omnibus creditur. Menoch. *de arbitr. cas.* 360. *numer.* 32. Mascard. *de Probat. concl.* 1259. *num.* 37. Clar. §. *Raptus num.* 4. Sanch. *D.* 12. *numer.* 18. Zoes. *hic num.* 5. Pirhing *ibidem numer.* 9. *Excipi* debet, si rapta sit Monialis; nam tunc raptori pœna ordinaria est infligenda, ex quacunque causa copula non sit secuta, prout cum *Covar.* & *Deciano* limitant Sanch. *num.* 18. *cit. fin.* Begnudell. *vers. raptus n.* 6. Zoes. *n.* 6. Pirhing *n.* 9. quia Raptus Monialis est longè gravius crimen, quàm simplicis Virginis.

7 In foro conscientiæ, & ut raptus constituat crimen diversæ speciei à simplici fornicatione, ex memoratis conditionibus solùm requiritur prima, & secunda. Et hinc in eodem foro jam censebitur esse commissum Raptus crimen, quando fœmina cujuscunque status, etiamsi meretrix sit, violenter cognoscitur, vel abducitur, ob injuriam, quæ per hujusmodi violentiam ei infertur. Pirhing. *hic numer.* 11. *vers. verùm*. Neque necessarium est, ut Raptor abducat fœminam de loco in locum, sed sufficit, si quomodocunque vim ei inferat ad extorquendam copulam; quia tunc jam duplicem malitiam specie diversam factum continet, unam fornicationis contra Castitatem, in quantum est illicitus concubitus, altera injustitiæ ratione violentiæ, quæ infertur fœminæ, vel parentibus, aut iis, in quorum potestate est constituta, in qua duplici malitia specifica malitia Raptus pro foro conscientiæ sita est. Sanch. *D.* 12. *citat. num.* 30. *&* 31. Pirhing *num.* 10. *vers. porro* cum *S. Thoma*. Imò neque in foro externo ad incurrendas pœnas Raptus opus est, ut qui abduxit fœminam de loco animo illam abducendi in certum alium locum, ad illum cum ea pervenerit, sed sufficit ipsa actualis abductio cum eo animo sufficienter manifestato facta. Sanch. *numer.* 21. *fin.* Pirhing *hic numer.* 10 Konig *l.* 4. *titul.* 7 *numer.* 34 nam ibi Raptus commissus dicitur, ubi puella, de cujus nuptiis antea nil actum est, videtur abducta *canon. lex illa* 2. *caus.* 36. *quæst.* 1. Zoes. *hic numer.* 5.

8 Quæritur 2 quomodo differat Raptus à stupro? Resp. à stupro propriè, & strictè dicto differt 1 quia stuprum semper est cum Virgine: at Raptus est de quacunque muliere; neque ad rationem illius confert status fœminæ raptæ, quippe quæ æquè invenitur, sive illa sit virgo, sive soluta, sive conjugata: imò committi etiam potest cum puero, qui sanè raptus turpissimus est. Sanch. *l.* 7 *de matrim. D.* 14. *numer.* 7. Tambur. *l.* 7. *Decal. cap.* 6 §. 1. *num.* 1

2 Raptus sæpe fit consentiente, & volente puella, vel muliere, quæ rapitur, si reluctentur, & inviti sint parentes, tutores, vel illi, in quorum potestate illa est constituta: Stuprum autem propriè dictum non item, sed illud semper, vel per absolutam violentiam citra omnem consensum, vel saltem non omnino liberè, sed invitè, & coactè consentienti infertur, ut patet ex dictis *Tit. n.* 19. *præc.* Pirhing *hic n.* 1

9 3 Ad crimen Raptus præter injuriam, illatam mulieri, vel ejus parentibus, ac tutoribus, requiritur saltem in foro externo, ut mulier per vim Rapta de loco in locum abducatur: quod in stupro non requiritur, sed solùm, ut virgo, vel mulier sit violenter oppressa Tambur. §. 1. *citat. n.* 2 Pirhing *n.* 1

4 Raptus ut plurimùm fit ea intentione, ut quis puellam, quam cum consensu parentum, & cognatorum habere non potest, per vim rapiat, & in uxorem ducat: Stuprum verò violentum non eo fine, sed solum libidinis explendæ causa committitur. Zoes. *Cod. de rapt. Virg. in Annot.* Pirhing *n.* 1 *cit.*

5 Raptus est longè gravius delictum, ideoque etiam 10
graviùs punitur; quia ex eo plura scandala, & quandoque etiam homicidia oriuntur *l. un. pr. C. de Rapt. Virg.* ibi, *pessima criminum peccantes*, *& fin. pr.* ibi. *Cum nec ab homicidii crimine hujusmodi raptores sint vacui.* Et hinc publicis criminibus accensetur, & ad accusandum illud admittitur quilibet. Farin. *prax. crim. quæst.* 145. *numer.* 1.

Quæritur 3 quænam pœnæ per jus civile statutæ sint 11
Raptus crimini? Resp. Raptui mulieris inhonestè viventis, seu meretricis nulla jure civili statuta est pœna, sed pro qualitate criminis infligenda est pœna arbitraria, seu extraordinaria, prout insinuavi *suprà num.* 5. & notant §. *Raptus n.* 6. Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *num.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 191. *num.* 3. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 2. & alii *l. cit.* allegati.

In Raptores Virginum, & aliarum fœminarum hone- 12
stè viventium *l. un. C. de Rapt. Virg.* gravissimæ constitutæ sunt pœnæ. Nam 1 Raptor in Raptu deprehensus, eique auxiliantes ab ipsius Raptæ cognatis, & propinquis impunè occidi poterant *l. citat. vers. ne igitur*. Idque multo magis obtinet contra eos, qui nuptas mulieres ausi sunt rapere; quia duplici tenentur crimine, adulterii scilicet, & rapinæ, prout additur *l. citat. vers. quæ multo magis*: & extenditur ad eum, qui sponsam suam per vim rapere ausus est *vers. quibus connumeramus*.

2 Post fugam deprehensi, & de Raptu legitimè con- 13
victi indifferenter jubentur ultimo supplicio affici, negata appellandi licentia *ibidem vers. fin. autem*, & §. *pœnas autem* 2. quam pœnam confirmavit Carolus V. *constit. crim. art.* 118.

3 Eorundem bona mobilia, & immobilia addicuntur raptæ, si ingenua fuerit: si verò ancilla, vel libertina fuerit, raptori quidem mortis supplicium irrogatur, non tamen ipsius bona raptæ applicantur *l. citat.* §. *siquidem* 1.

4 Inter Raptorem, & Raptam non potuit consistere 14
Matrimonium §. *& siquidem cit. vers. nec sit facultas*, & §. *pœnas* 2. ubi ulterius declarat Imperator, non esse distinguendum, an mulier volens, vel invita Rapta fuerit, eò quòd semper præsumatur fœmina dolo raptoris ad consensum inducta. Neque etiam poterant parentes in hujusmodi nuptias Raptæ cum Raptore consentire; alioquin si consenserint, deportari jubentur, prout habetur *Novell.* 150. ubi etiam statuitur, ut si mulier Rapta nupserit suo raptori, ex ejus Testamento quid capere, & alio quocunque modo vindicare non possit, sed omnia bona Raptoris, & ei auxiliantium ad parentes Raptæ, si ambo, vel unus adhuc supersit, ipso jure transferantur: si verò parentes jam decesserint, vel in ejus nuptias cum Raptore consenserint, tunc bona Raptoris, & eorum, qui criminis participes fuerint fisco vindicabuntur.

Videantur Clar. §. *Raptus numer.* 7. Molin. *tract.* 3. *de* 15
J. & J. D. 105. *num.* 8. Farin. *q.* 145. *à nu.* 7. Less. *l.* 4. *de Just. c.* 3. *num.* 68. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 12. *num.* 41. Wagnereck *in cap.* 6. *h. tit. not.* 2. & *in cap. fin. ibidem not.* 1. Gonzal. *ibidem num.* 5. *&* 6. Haun. *tom.* 6. *de Just. tr.* 2. *num.* 542. Engl *tit. de Adult. numer.* 34. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 1. *&* 2. Pirhing *hic num.* 14. Wiestner *num.* 17. Reiffenstuel *n.* 8.

Quæritur 4 quæ pœnæ crimini Raptus decretæ sint 16
Jure Canonico antiquo? Resp. Jure antiquo 1. inter Raptorem, & Raptam interdicebatur Matrimonium, quamvis validè contrahi illud potuerit *canon. de puellis* 4. *fin. can. denique* 9. & *canon. seq. caus.* 36. *quæst.* 2. quod Jus postea correctum fuit, ita, ut inter Raptorem, & Raptam licitè, & validè iniretur, si Rapta, etiam in potestate Raptoris adhuc constituta, liberè consentiret, ut patet ex *capit. fin. h. titul. fin.* Pirhing *hic num.* 14.

2 Raptor puniebatur pœna servitutis; nam casu, quo 17
Rapta fuit per vim, & reluctans, Raptor efficiebatur quasi servus illius; patris autem, si Rapta consensit Raptui, patre reluctante: utroque tamen casu poterat seipsum redimere, pro competente pretio *can. de raptoribus*

ribus 3. *cauſ.* 36. *q.* 1. Gloſſ. *ibidem V. redimendi* Sylv. *V. Luxuria q.* 6. Azor *p.* 3. *l.* 3. *c.* 15. *not.* 2. Molin. *D.* 105. *num.* 21. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 5. Pirhing *n.* 3. Reiffenſtuel *n.* 9.

18 3 Si rapta eſſet Monialis, Raptoris, & eorum, qui ejus ſceleris communione contaminati ſunt, bona addicebantur Monaſterio, in quo illa habitabat *can. ſiquis rapuerit* 30. *cauſ.* 27. *q.* 1. ubi additur, quod rapta cautiori, ſive arctiori Monaſterio tradenda ſit, ut quantum ad Uſumfructum ex bonis ſuis, vel à Raprore ei acquiſitis ſuſtenretur, quoad ipſa vixerit: poſt mortem verò ipſius redeant illa bona ad primum Monaſterium vel Eccleſiam, in qua mulier DEO dicata eſt. Gloſſ. *in can. ſiquis cit. V. cautiori*, Farin. *quæſt.* 105. *cit. n.* 10. Pirhing *n.* 3. *verſ. tertio.*

19 4 Raptor cum ſibi faventibus, ſi Laicus fuit, excommunicabatur *can. eos, qui* 1. *cauſ.* 36. *quæſt.* 2. ſi Clericus, à Gradu, ſive Ordine Clericali decidebat, ſive deponebatur *can. de puellis* 4. *cauſ. & q. cit. c. ſiquis* de Purg. Can. Hoſt. *Summ. hic num.* 1. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 12. *num.* 2. Farin. *quæſt.* 105. *num.* 20. Gonzal. *in cap. fin. cit. num.* 6. Begnudell. *V. Raptus num.* 12. Pirhing *hic num.* 3. *verſ. ſecundo*, Vvieſtner *ibidem numer.* 8. cum quibus notandum, excommunicationem iſtam non fuiſſe latæ, ſed ferendæ ſententiæ. *Neque refert*, quod in *can. ſiquis* 5. *quæſt. citat.* dicatur: *ſiquis Virginem, vel Viduam, niſi deſponſaverit, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, cum ſibi faventibus Anathema ſit*: quia ex aliis Canonibus *quæſt. citat.* conſtat, Raptores non eſſe ipſo jure excommunicatos, ſed excommunicandos per ſententiam; dicitur enim *Anathematizentur can.* 1. *cit* & *à communione ſuſpendi præcipimus can.* 2. vel *Anathematis gladio feriatur can.* 6. quæ verba, cum ſint futuri temporis, & actionem hominis ſignificent, important excommunicationem ferendam, non latam. Sanch. Pirhing *l. citt.*

20 Quæritur 5 quid circa Raptum ſtatutum ſit jure noviſſimo Tridentini? Reſp. hoc jure *ſeſſ.* 24. *capit.* 6. *de reform. matrim.* ſtatutum eſt 1. ut inter Raptorem, & Raptam, quamdiu hæc in illius poteſtate manſerit, Matrimonium nequeat iniri validè: adeoque hoc jure Raptus inducit Impedimentum dirimens, quod ut contrahatur, vel perſiſtat, tria ſunt neceſſaria. 1. Ut Raptus contigerit, puella invita; nam ea conſentiente, licèt invitis parentibus factus non dirimit Matrimonium; quia finis Concilii fuit, ne puella metu conſentiat, qui tali caſu ceſſat; & conſenſus parentum non requiritur ad valorem Matrimonii, nec Concilium petit, ut parentibus reſtituatur rapta, ſed ut ponatur in loco tuto. Dian. *part.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 83. Begnudell. *V. Raptus numer.* 3. Konig *l.* 4. *Titul.* 7. *numer.* 33. 2 quamvis perinde ſit, ſive quis rapuerit fœminam, quam vult ducere, per ſeipſum, ſive per alium ipſo conſentiente, vel mandante, ad Impedimentum hoc incurrendum tamen neceſſarium eſt, ut rapuerit, pro ſe; nam qui pro alio rapuit, licèt tanquam fautor incurrat excommunicationem, & cæteras pœnas, validè tamen cum ea muliere, etiam non ſeparata, ſi velit, inire Matrimonium poteſt; quia invaliditas Matrimonii ſolum infertur contra rapientem pro ſe, non contra rapientem pro altero. Tambur. *l.* 7. *Decal. capit.* 6. §. 2. *numer.* 16. Pirhing *hic numer.* 23. Konig *l. citat. numer.* 30. 3 Impedimentum hoc durat ſolummodo, quamdiu rapta in poteſtate Raptoris extiterit; nam poſtquam ab eo ſeparata, & in tuto, ac libero loco conſtituta eſt, id Impedimentum ceſſat, & matrimonium inter eos iniri etiam licitè poteſt, ut ſtatuit Trident. *l. citat.* Et hoc caſu probabilius rapta non amittit bona ad ſe devoluta, neque iſta devolvuntur fiſco, prout ſecundum dicta *numer.* 14. devolvuntur jure civili, ſed retinere illa poſt Matrimonium cum raptore contractum rapta poteſt, ut pluribus oſtendit Molin. *tract.* 3. *D.* 105. *numer.* 9. & rationem dat, quia conditio illa, vel modus, ut bona raptoris addicerentur raptæ, niſi iſta raptori nuberet, appoſita tunc fuit, quando ſimpliciter prohibitum, imò invalidum fuit Matrimonium raptæ, cum raptore, quæ prohibitio cum in caſu noſtro per *Trident.* ſublata fuerit, cenſentur abſque eo modo, & conditione bona illa ad raptam deferri.

21 2 Juxta idem Concilium *l. citat.* Raptor, & alii, qui conſilium, auxilium, & favorem eidem præbent, ipſo jure ſunt excommunicati, & infames, omniumque Dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu, ſeu ſtatu Clericali decidunt ſive deponuntur. Excommunicatio iſta ſtatim animam ligat, quando crimen Raptus patratum eſt; conſ. actum judicis non deſiderat: quamvis non ſit reſervata Papæ; quia in *Trid.* Decreto non reſervatur: & ſic locum habet Regula, quando Conditor Canonis Cenſuræ abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſervavit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi *cap. nuper* 29. *de Sent. Excomm.* Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 13. *numer.* 1. Pirhing *hic numer.* 20. Pœna tamen perpetuæ infamiæ, & inhabilitas ad omnes Dignitates, quæ proximè infamiam ſequitur, Judicis petunt ſententiam: quod multo magis verum eſt de pœna depoſitionis à gradu, ſeu ſtatu Clericali. Sanch. Pirhing *l. citt.* Imò non defuerunt aliqui, qui aſſererent, ſi raptor uxorem duceret raptam, infamiam non incurrere; quia id eſſet in damnum raptæ, & retraheret illam à Matrimonio contrahendo. *Sed contrarium* ſatis clarè colligitur ex Trident. *l. citat.* verbis *Et nihilominus*, quaſi diceret, *Eſto, de conſenſu libero raptæ raptor ipſam habeat in uxorem, tamen ipſe Excommunicationem, & reliquas pœnas incurret.* Accedit, quia nemo ex Adverſariis dicet, raptorem tempore illo intermedio, quod intercedit inter Raptum, & contractum Matrimonii ſubſequentem, non incurriſſe infamiam; nam pœna infamiæ abſolutè, & non tantum ſub conditione, *Niſi raptæ nupſerit*, in ipſum fertur. Igitur contracta infamia manet etiam poſt Matrimonium, cum nulla Lex ab ea abſolvat. Molin. *D.* 105. *cit. num.* 22. *verſ. tertio. Ratio Adverſariorum* in contrarium allegata ſolum probat, eſſe non levem cauſam, ut Princeps propterea à raptore auferat infamiam, eum quoad illam in priſtinum ſtatum reſtituendo, capacemque efficiendo Dignitatum, ut notat Molin. *l. cit.*

3 Ex ejuſdem *Trid.* Synodi ſtatuto Raptor mulierem raptam decenter arbitrio judicis dotare debet. Quod intelligendum, ſi raptor abduxerit puellam invitam, & renitentem; nam ſi volentem, & conſentientem, abduxit, niſi fraus, & dolus, aut importunæ preces, quæ violentiæ æquiparantur, interceſſerint, non tenetur eam dotare, etſi parentibus reclamantibus abducta ſit. Navar. *Man. capit.* 16. *numer.* 16. quia obligatio dotandi raptam non incurritur, niſi ob injuriam damnoſam. In hoc autem caſu talem injuriam nec rapta patitur, nec ejus parentes: non rapta; quia volenti non ſit injuria: non parentes; quia licèt iſtis per raptum filiæ injuria illata ſit, non tamen damnum, cum non teneantur augere dotem, ut filia nuptias ſibi dignas habere poſſit, & integrum ſit filiæ nuptiarum jacturam pati. *Ex quo ſequitur*, quod neque parentibus hoc caſu aliquid reſtitui debeat, ut pluribus relatis notat Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 14. *numer.* 11. in caſu, quo obligatio raptam dotandi incurritur, illam non incurritur ante ſententiam Judicis, ut patet ex Decreto Trid. *ſeſſ.* 6. *citat.* ubi Dos arbitrio Judicis taxanda venit. Sanch. *D.* 13. *num.* 1. *Excipitur*, niſi per raptum non tantum injuria, ſed etiam damnum injuſtè illatum fuiſſet raptæ; nam hoc caſu damnum iſtud in foro conſcientiæ ex communi doctrina de Reſtitutione damni ante omnem ſententiam reſarciendum foret. Sanch. *l. citat.* Pirhing *numer.* 20 22

Quæritur 6 an hoc Conciliari Decreto, & aliis juris antiqui conſtitutionibus comprehendatur etiam fœmina rapiens virum? Affirmant Gloſſ. *in l. un. V. Sponſam C. de Rapt. Virg.* Bald. *ibidem num.* 23. Tiraquell. *connub. l.* 9. *num.* 112. Henriq. *l.* 12. *de matrim. cap.* 14. *num.* 4. Gutier. *cap.* 86. *de matrim. nu.* 6. & alii apud Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 12. *num.* 24 quibus conſentit Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *numer.* 549. *in fin.* Fundantur, quia eadem videtur eſſe ratio in muliere rapiente virum, & in viro rapiente mulierem, atqui juxta tritum *Ratio ubi eſt eadem, ibi debet eſſe eadem juris diſpoſitio*, quod ſumitur ex *l. illud* 32 *ff. ad Leg. Aquil.* præſertim in Correlativis, uti ſunt vir, & mulier, raptus, & rapta per *l. fin. C. de indict. Viduit. Conf.* paritate cum Adulterio, ubi ſive maritus ſive uxor illud commiſerit, innocenti nullo diſcrimine licet divortium facere. 23

Sed dicendum, fœminam raptricem viri hac diſpoſitione Con- 24

Conciliari, & aliis juris antiqui Constitutionibus non comprehendi, ac proinde non pœna Raptus ordinaria, sed alia extraordinaria, & mitiori arbitrio judicis plectendam esse. Ita Clar. §. *Raptus num.* 6. Decian. *tract. crim. l.* 8. *c.* 7. *num.* 27. *fin.* Menoch. *de arbitr. cas.* 291. *à nu.* 30. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 12. *num.* 25. & *D.* 13. *nu.* 16. Riccius *prax. Matr. part.* 4. *res.* 45. Farin. *prax. crim. qu.* 145. *num.* 41. Pont. *de Matr. l.* 7. *cap.* 69. *num.* 6. Escob. *Theol. mor. l.* 27. *cap.* 33. *dub.* 141. Dian. *part.* 10. *tract.* 16. *res.* 83. Bonac. *quæst.* 4. *de Matr. part.* 14. Tambur. *l.* 7. *Decal. cap.* 6. §. 2. *num.* 8. Barbosa *ad Trid. sess.* 24. *capit.* 6. *de reform. Matr. num.* 5. Gonzal. *in c. fin. h. tit. prop. fin.* Gobat. *tom.* 1. *p.* 2. *tract.* 9. *cas.* 19. *num.* 543. Begnudell. *V. Raptus num.* 10. Zoes. *hic numer.* 6. Pirhing *n.* 12. *&* 28. *vers. septimò*, Vviestner *num.* 16. cum communi cæterorum. *Ex quo sequitur*, ut Matrimonium inter Raptricem, & Raptum valeat, non esse opus servari formam Decreti Conciliaris *cit.* nimirum, ut vir raptus sit à potestate raptricis liber; sed sufficere, ut liberè consentiat, sub illius potestate adhuc existens.

25 *Ratio Responsionis* est, quia dispositio hæc pœnalis est; pœnales autem dispositiones ob solam rationis paritatem ad casus, & personas non expressas extendi non debent juxta Gloss. *Reg. in pœnis* 49. *in* 6. Castro *de Leg. pœn. c.* 7. *Docum.* 3. Suar. *l.* 6. *de LL. cap.* 3. *num.* 5. *Conf.* quia Leges non respiciunt ea, quæ rarissimè, sed quæ frequenter contingunt *l. nam ad ea* 5. *ff. de LL.* atqui Raptus periculum minus frequens est in fæminis, frequentius autem in viris, igitur cum aliàs fæminæ in dispositionibus pœnalibus, & odiosis secundum multos DD. sub masculino non comprehendantur, neque comprehendentur fæminæ raptrices sub dispositione lata in Raptores viros.

26 Procedit autem hoc quoad forum externum, & pœnas Raptus, nam in foro interno conscientiæ nihil refert, sive vir rapiat fæminam, sive fæmina virum; cum enim uterque Raptus violentiam injustè illatam claudat, uterque malitiam specificam diversam à fornicatione, ac propterea in Confessione necessariò aperiendam habet: quamvis sit major injuria, quando vir fæminam rapit, & solus hic Raptus, ut dictum est, pœnis juris subjaceat. Sanch. *D.* 12. *cit. num.* 40. Pirhing *num.* 12. *hic.*

27 Ad Argumentum *numer.* 23. pro parte adversa allatum negatur, quod sit eadem ratio viri, & fæminæ, cum gravius delictum sit, quando vir rapit fæminam, & huic, ut dictum est, ejusque parentibus, gravior inferatur injuria ob damna, & scandala, quæ ex ejusmodi Raptu consequuntur. *Ad Conf.* negatur paritas: nam adulterio æquè frequenter polluuntur fœminæ, ac viri, & uterque, sive vir, fæmina adulterium committat, fidem, ac thorum conjugalem violat, ob quam causam innocenti permittitur divortium à nocente conjuge.

28 Quæritur 7 an Raptus crimen, & pœnæ illius incurrantur raptu fæminæ, liberè, & sponte consentientis in sui abductionem? Resp. Distinguendo: Vel enim illa est sui juris, vel contra parentum, aut aliorum potestati subjecta. *Si primum* ejus abductio non est Raptus; quia vis abest, quæ secundum dicta *num.* 2. ad Raptum requiritur. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *artic.* 7. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 105. *num.* 2. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 12. *numer.* 6. Vvagnereck *in c. cum causa* 6. *h. tit. not.* 3. Pirhing *hic n.* 4. Reiffenstuel *ibidem num.* 3. & patet ex *c. cum causa cit.* ubi Summarium sic habet: *Raptus non dicitur, ubi volens pro Matrimonio abducitur.* Concordat jus civile, juxta quod *rapi sine vi non potest*, ut habetur *l. quo naufragium* 3. §. *aliud* 5. *ff. de incend. ruin. naufrag.*

29 *Neque obstat* 1 textus *l. un.* §. *pœnas* 2. *C. de Rapt. Virg.* ubi statuitur, ut Raptus pœnæ subjaceant omnes, *sive volentibus, sive nolentibus Virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum*; quia textus iste supponit fæminam, abductioni consentientem, esse inductam vel minis, vel importunis, & dolosis precibus, aut promissionibus, quæ quia vi æquiparantur, juris pœnis ita rapientem subiiciunt. Gutier. *qq. Can. l.* 1. *cap.* 37. *numer.* 21. Farin. *q.* 145. *num.* 131. Sanch. *D.* 12. *num.* 10. *&* 11. Antonell. *de Regim. Eccles. l.* 6. *capit.* 31. Begnudell. *V. Raptus num.* 4. Vvagnereck *in cap.* 6. *cit. not.* 3. Reiffenstuel *hic numer.* 4. & sumitur ex *l. un. &* §. *citat.* ibi, *Nisi odiosis artibus circumvenerit*. Sed hoc intelligendum duntaxat est de pœnis civilibus; nam Decretas in *Trid.* non incurrit, qui puellam, dolo circumventam, consentientem abducit; quia Concilium decernit pœnas raptoribus propriè dictis, quales non sunt in casu doli, quippe qui non est violentia propriè dicta. *Neque refert*, quòd etiam dolus adversetur libertati Matrimonii, cum etiam ipse tollat voluntarium; nam non omnis dolus, sed ille duntaxat tollit voluntarium, qui inducit errorem personæ, & conditionis illius, an sit libera, vel serva. Pirhing *numer.* 26 Addidi *dolosis precibus*; nam si fæmina sui juris solis precibus importunis, aut metu reverentiali, circa omnem dolum, aut fraudem abducta est, non censetur Raptus, ob quem ordinaria pœna incurratur, sed solùm extraordinaria puniendus est, cum tales preces per se solæ non inferant vim. Pirhing *numer.* 5. *coroll.* 4

Non obstat 2 quod fæmina non habeat dominium membrorum sui corporis, ita, ut licitè possit corpus suum exponere raptui: adhuc enim hujusmodi fæminam consentientem, si sui sit juris, abducens, à raptus crimine immunis est; quia hoc crimen requirit violentiam justitiæ contrariam. Non peccat autem contra justitiam aut vir illam abducens, aut fæmina in abductionem consentiens, Sanch. *D.* 12. *citat. numer.* 6 Pirhing *numer.* 4. *coroll.* 1 Et hoc verum est, etiamsi fæmina, postquam volens abducta est, postea, mutata voluntate, renitatur, & resistat abductioni, Pirhing *numer.* 25. 30

Debet autem Raptor, nisi puella hoc ipsamet fateatur, probare, quod abducta absque dolo, minis, & importunis precibus spontè consenserit abductioni; aliàs in foro externo præsumptio capietur contra ipsum, & subjacebit pœnæ Juris, ut cum *Mascardo* advertit Gonzal. *in c. fin. h. tit.* Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *nu.* 547. Reiffenstuel *hic n.* 4. *arg. l. un.* §. *pœnas* 2 *C. de Rapt. Virg.* ibi, *quia hoc ipsum velle mulierum ab Insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur; nisi etenim eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus sese prodere.* 31

Major difficultas est circa *membrum secundum* distinctionis *num.* 28. propositæ, quando scilicet fæmina, quæ parentum, vel aliorum potestati subjecta est, his invitis volens abducitur. In qua difficultate satis conveniunt DD. quod per abductionem hujusmodi puellæ, factam invitis illis, in quorum potestate est, committatur delictum Raptus, nisi tamen præcessissent Sponsalia, ob gravissimam injuriam ipsis illatam, quam ipsa filia non potest remittere, spontè præbendo consensum in sui abductionem cum præjudicio parentum suorum. Host. *Summ. hic num.* 1. Abb. *in capit.* 6. *h. tit. numer.* 4. Clar. §. *Raptus num.* 3. Molin. *tract.* 3. *D.* 105. *num.* 2. Sanch. *l.* 7. *de matrim. D.* 12. *num.* 12. Farin. *q.* 145. *num.* 118. Vvagnereck *in c.* 6. *cit. not.* 3. *&* 4. Gonzal. *in c. fin. eod. num.* 4. Konig *l.* 4. *tit.* 7. *num.* 33. Pirhing *hic num.* 4. *coroll.* 5. Vviestner *ibidem num.* 2. 32

Dubium est, an pœnæ raptus incurrantur hoc casu à rapiente? Affirmant Navar. *l.* 5. *cons.* 2. *h. tit.* Tusch. *pract. V. Raptus concl.* 5. *num.* 4. Gutier. *cap.* 86. *de matrim. n.* 17. Henriq. *l.* 12. *cap.* 14. *num.* 4. cum quibusdam aliis. Sed distinguendum est inter pœnas statutas jure civili, & inter pœnas per jus novissimum *Trid.* proditas. *Pœnam Juris Civilis ordinariam* consentientem invitis parentibus rapiens non incurrit, sed puniendus est pœna alia mitiore arbitrio Judicis; quia pœna commensurari debet delicto *can. afferamus* 21. *caus.* 24. *quæst.* 1. atqui longè minus delictum est tunc, quàm si ipsa etiam fæmina dissentiret, cum sit respectu solius patris, non verò respectu fæminæ, cujus voluntas præcipuè in his injuriis spectanda est, quippe cui directè per Raptum injuria infertur. Sanch. *l.* 7. *de matr. D.* 12. *num.* 12. Farin. *prax. crim. q.* 145. *num.* 120. Pirhing *hic nu.* 5. *coroll.* 5. & alii apud istos. 33

Similiter non habet locum pœna juris civilis ordinaria, quando puella consentiens abducta est, ignorantibus hoc parentibus, sed imponi hoc casu debet pœna extraordinaria, & quidem mitior, quàm si parentes expressè contradixissent; quia minus delictum est. Sanch. *num.* 13. Farin. *n.* 122. Less. *l.* 4. *cap.* 3. *nu.* 66. *vers. si non.* Laym. *l.* 5. *tract.* 10. *p.* 4. *cap.* 13. *nu.* 2. Tambur. *l.* 7. *Decal. cap.* 6. §. 2. *numer.* 15. Barbosa *in capit.* 6. *h. tit. numer.* 3. Pirhing *l. cit.* Idem dicendum, quando abducta est puella sine 34

la sine voluntate, & consensu tutorum, vel curatorum, in quorum potestate est constituta. Sanchez *num.* 14 Pirhing *loc. cit.*

35 Quoad pœnas, Jure novissimo *Trid.* proditas, *patet* 1. ex dictis *nu.* 20 Raptum puellæ, invitis, vel ignorantibus parentibus factum, si ipsa in abductionem sui sponte, & libere consentiat, non inducere impedimentum dirimens inter raptorem, & ita raptam, sed Matrimonium, inter eos contractum, licet extra potestatem raptoris rapta antea non sit constituta, si coram Parocho, vel testibus contractum sit, esse validum, ut præter DD. *num. cit.* allegatos defendunt Sanchez *lib.* 7. *Decal. D.* 13. *num.* 13. Less. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 70 *v. secundum* Conink *D.* 41. *num.* 48 Perez *D.* 38. *f.* 4. Escob. *Theol. mor. lib.* 27. *cap.* 33. *dub.* 141 Layman *lib.* 5. *tract.* 10 *part.* 4. *cap.* 13. *num.* 4. Tamburin §. 2. *cit. n.* 11. *v. rursus,* Gobat *tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 9. *cas.* 19. *num.* 546. Haun. *tom.* 6. *tract.* 2. *num.* 547 Pirhing *hic n.* 19 & 27. Ratio est, quia consensus parentum non requiritur ad valorem Matrimonii, sed solus consensus Sponsi, & Sponsæ, qui satis liber est, si rapta in abductionem sui consentiat: conf. satisfit intentioni *Trid.* quippe quod solum loquitur de Raptu, quo læditur Matrimoniorum libertas.

36 *Patet* 2. ex dictis *num.* 22. eum, qui volentem abduxit, etiam non teneri ita abductam dotare, aut aliter quid restituere vel ipsi, vel ejus parentibus, nisi ipsis damnum exinde aliquod sit subsecutum, ex ratione *ibi* allata. Excommunicationis pena, licet per sententiam Judicis ob contumaciam Raptoris ad instantiam parentum, quorum filiam rapuit, infligi possit, ipso tamen Jure à sic rapiente non incurritur, prout ex Ratione suprà allata deduci potest; nam *Trid.* ut dictum est, solùm loquitur de Raptu, quo læditur Matrimoniorum libertas. Igitur ejus dispositio, cùm odiosa, & penalis sit, ad casum, quo libertas hæc integra manet extendi non debet.

37 Quæritur 8. an Conciliari Decreto, & penis afficiatur etiam ille, qui Sponsam de futuro propriam rapit? Negant Heriquez *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 4. Less *lib.* 4. *de J. & J. c.* 3. *n.* 70 *vers. tertium,* Barbosa *ad Trid. sess.* 24 *c.* 6. *de ref. matr. n.* 6. & *in c.* 6. *hoc tit. n.* 4. ex ratione quia istius raptu non læditur libertas Matrimonii, cùm ad hoc vi Sponsalium jam sit obligata, & possit compelli ad hæc implenda *can. desponsatam* 17. *caus.* 27. *quæst.* 2. *capit. ex litteris* 10 *de sponsal. & Matr.*

38 Sed distinguendum est, an Sponsa in sui raptum liberè consentiat, an verò quoad hoc sit invita? *Si primum*, à pœnis, Conciliari Decreto proditis, absolvitur, ex ratione allata: quod etiam confirmatur; quia Raptus hic liberatur à pœnis, Jure Ecclesiastico communi proditis *cap. cum causa* 6. *hoc tit.* quod Jus per Tridentinum minimè corrigitur, ut patet ex contextu. *Neque obstat* textus *l. un. pr. Vers. quibus connumeramus C. de Rapt. Virg.* ubi Raptus committi dicitur, quando quis *Sponsam suam rapere ausus fuerit*; quia, post quam Sacramentum inter Christianos elevatum est ad dignitatem Sacramenti, factum est Juris Ecclesiastici, quod proinde quoad ea, quæ ad Matrimonium pertinent, eique annexa sunt, etiam in foro Sæculari est observandum. Abb. *in cap.* 6, *citat, num.* 1. & 4. Pirhing *hic nu.* 7.

39 *Si secundum*, Concilii dispositio procedit ut notant Azor *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 14. *quæst.* 3. Sanchez *l.* 7. *de Matr. D.* 13. *num.* 15. Gutier. *de Matr. cap.* 86. *num.* 22. Hurtad. *de Matr. D.* 23. *dific.* 3. Escop. *Theol. mor. lib.* 27 *cap.* 33. *dub.* 142 Vvagnereck *in cap. cum causa cit. not.* 4. Gobat *tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 9. *cas.* 19. *numer.* 545 Engl *tit. de Adult. num.* 37. Pirhing *hic num.* 7. *vers. porro*, & *num.* 28 Vviestner *ibid. num.* 14. & sumitur ex *cap. cum causa cit.* ubi Lucius III. dum à Raptu excusat abductionem desponsatæ factam cum istius consensu, non obscurè indicat, abductionem invitæ Raptum fore.

40 Responsio certa est casu, quo Sponsa justam causam à Sponsalibus resiliendi habet; nam tali casu idem est, acsi Sponsalia non præcessissent, Konig *lib.* 4. *tit.* 7. *nu.* 31. In casu, quo eadem Sponsa causam justam habet standi fide data; major controversia est apud DD. Tamburinus *lib.* 7. *Decal. cap.* 6. §. 2. *num.* 14 putat quoad penas probabile esse raptum ejusmodi Sponsæ invitæ non includi in hoc Decreto Conciliari; quia non est abductio strictè injuriosa, cum eam rapiens recipiat, quod sibi legitimè promissum est. Sed communis etiam hoc casu locum esse pœnis *Trid.* defendunt cæteri *num. præc.* allegati; quia esto, legitimè promissum raptori sit Matrimonium, & propterea Sponsam suam rapiens recipiat, quod suum est, per hoc tamen potestas ipsi non datur eam sibi vindicandi authoritate sua privata, sed publica opus foret. Igitur hanc sibi usurpando injuriam raptæ facit, & libertatem illius quoad hoc lædit.

Quæritur 9. an pœnæ, per *Trid.* proditæ, contrahantur Raptu, qui non Matrimonii ineundi, sed libidinis solùm liberiùs exercendæ causa factus est? Affirmant Azor *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 14. *quæst.* 8. *fin.* Sà *V. Matrimonium pr. num.* 6. Bonacina *de Matr. quæst.* 4. *part.* 18 *num.* 3. cum aliis apud Sanchez *lib.* 7. *de Matr. D.* 13 *num.* 3. Fundantur 1. quia *Trid.* innovare voluit pœnas per antiquos Canones Raptoribus decretas. Istæ autem comprehendebant etiam Raptorem libidinis causa, 2. idem *Trid.* generaliter loquitur de Raptu mulieris, neque distinguit inter raptus, & istius causas. Igitur ad Raptorem causa solius Matrimonii ineundi restringi non debet, 3. ab eodem *Concilio* statuuntur pœnæ etiam in Raptores Clericos; sed hi Matrimonii causa mulierem non possunt rapere, quippe cujus ineundi sunt incapaces: ergo &c. 41

Sed probabiliùs hujusmodi Raptus non afficitur pœnis, per Concilium *citat.* latis, prout existimant Diaz *pract. can. cap.* 82. *in addit. lit. A.* §. *Clericus autem*, Sanchez *D.* 13. *cit. num.* 4. Less. *lib.* 4. *de Just. cap.* 3. *num.* 70 Gutier. *de Matr. cap.* 86. *num.* 8. Dicast. *de Matr. D.* 17 *dub.* 58. *num.* 660 Perez *simili tract. D.* 45. *sect.* 4. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *num.* 4. *cap.* 13. *num.* 5. Tamburin *l.* 7. *Decal. cap.* 6. §. 2. *num.* 11. Antonell. *de Regimin. Eccles. lib.* 6. *cap.* 31 Gobat. *tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 9. *cas.* 19. *num.* 542 Haun. *tom.* 6. *tract.* 2. *num.* 547 Bognudell. *V. Raptus nu.* 7. Pirhing *hic n.* 22 Vviestner *ibid. num.* 12 & ità decisum fuisse à *S. Cong. Conc. die* 23 *Jan.* 1586 testatur Joan. Galemart ad *cit.* Decretum *Trid.* 42

Ratio est, quia ut patet ex *sess.* 24 *cap.* 6. *cit.* summa, & ipso textu *pr.* Patres conditores ejus Decreti punire intendunt violantes libertatem Matrimonii; atqui hæc solùm violatur, quando raptus fit causa Matrimonii, non verò, quando solùm ad libidinem liberiùs exercendam. Igitur ad hunc casum dispositio *Trid.* non extenditur. *Conf.* quia Decretum hoc pœnale, & insuper Juris antiqui correctorium est quo Jure, ut *n.* 16 dictum est Matrimonium inter Raptorem, & Raptam, si hæc liberè in istud consentiat, absolutè sustinetur & pro valido agnoscitur. Igitur pœna saltem nullitatis Mottimonii per *Trid.* Decreta ad eum, qui libidinis solùm exercendæ causa rapuit, extendi non debet. 43

Neque refert, etsi postmodum etiam intentio Matrimonium contrahendi ex parte Raptoris, & Raptæ superveniat; quia hoc per accidens est, & qualitatem Raptus non immutat, conf. si cessante metu, fœmina liberè consentiat, validum erit Matrimonium, tametsi rapta adhuc in potestate Raptoris existat, modo observentur ea, quæ alias ex *Trid.* Decreto ad valorem Matrimonii requiruntur, Konig *lib.* 4. *Tit.* 7. *n.* 35 contra Bonacina *de matr. q.* 4. *p.* 18 *n.* 2. 44

Ad Argumenta *n.* 41 in contrarium allata facilis est responsio, *Ad* 1. Tridentinum non intendit pœnas antiqui Juris innovare, sed potiùs voluit penas imponere violantibus libertatem Matrimonii per Raptum, ut *n.* 43 dictum est, *Ad* 2. etiam Clerici rapere fœminam possunt Matrimonii contrahendi causa, in Minoribus quidem constituti verè, in Majoribus verò defacto. Deinde Clerici quicunque possunt esse fautores Matrimonii medio Raptu contrahendi. Igitur capaces sunt incurrendæ pœnæ, si non nullitatis Matrimonii, saltem cæterarum à laudata Synodo propositarum. 45

Quæritur 10 an committatur Raptus, & ejus pena incurratur, si puella quæ sui est juris, ab initio consensit in sui abductionem, sed postea invita, & repugnans carnaliter est cognita? Resp. negativè; quia in delictis initium spectatur *l. Divus* 14 *ff. ad Leg. Corn. de Siccar.* ubi dicitur, quòd *in Maleficiis voluntas spectetur, & non exitus*; & Raptus secundùm dicta *n.* 2. requirit abductionem violentam, & cum injuria raptæ, 46

ptæ, quæ hoc casu abest, cùm scienti, volenti, & petenti non fiat injuria, nec dolus *l. nemo videtur* 145 *ff. de R. J.* Neque obest, quòd injuriam inferat eam violenter cognoscendo; quia hoc solum probat, quòd hoc casu committatur Stuprum violentum. Pirhing *hic n.* 4. *coroll.* 3. *Ex quo sequitur*, quòd si ità rapta cum Raptore Matrimonium in facie Ecclesiæ, coram Parocho nempe, & testibus contrahat, illud Matrimonium valeat, licèt rapta non sit constituta extra potestatem Raptoris, vel ab isto antea separata, Pirhing *l. cit. n.* 19.

47 *Contra* si fæmina ab initio abducta est vi, sed postea liberè consensit in copulam, tunc Raptus censendus est; quia initium spectandum est, in quo violentia adfuit: quamvis si plenè probaretur, fæminam omnino liberè consensisse in copulam, Raptor non incurrat pœnam ordinariam Raptus; quia non fuit consummatus, & completus, ad cujus consummationem requiritur, & violenta abductio, & violenta copula saltem quantum est ex parte voluntatis Raptoris, qui fecit, quod potuit, Sanchez *lib.* 7. *de matr. D.* 12. *n.* 7. Farin. *qu.* 145. *nu.* 134 Pirhing *num.* 4. *coroll.* 3. Konig *lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 33. Procedit hoc quoad pœnas Juris Civilis; nam pœnæ per *Trid.* proditæ hoc casu manent integræ; adeòque nisi sic rapta ante contractum Matrimonii cum Raptore initi constituatur in plena libertate extra potestatem Raptoris, istud erit invalidum, licèt Rapta in illud consentiat liberè; quia Consilium ad valorem talis Matrimonii exigit non tantùm liberum consensum raptæ in Matrimonium, sed ut plenè sit libera à potestate raptoris, & ab eo separata, Sanchez *D.* 13. *n.* 2. Begnudell. *V. Raptus n.* 3. Pirhing *nu.* 19 Konig *loc. cit.*

48 Quæritur 11. an Raptus pœnæ subjaceat, qui rapuit Virginem adhuc impuberem, conjugatam, vel meretricem? Resp. affirmativè; & quidem quod pœnis Raptus obnoxius sit, qui Virginem impuberem, & nondum viri potentem per vim rapuit, & corrupit, patet ex *l. un. pr. v. ne igitur C. de Rapt. Virg.* ibi, *Aut à Tutoribus*, ubi supponitur, Virginem raptam fuisse sub Tutela, adeoque minorem 12 annis, & adhuc impuberem: & licèt corrumpens talem Virginem non dicatur commisisse Stuprum, sed illud attentasse, punitur tamen pœna mortis propter ipsum Raptum, & vim adhibitam, & illatam puellæ *leg. si quis* 5. *C. de Episc. & Cleric.* Menochio *de arbitr. cas.* 294. *nu.* 7. & 8. Farin. *q.* 145. *n.* 51. Pirhing *n.* 13. *v. similiter.*

49 Similiter Raptus pœnis, etiam de Jure *Trid.* sancitis, subjacet, qui rapit fæminam conjugatam, vel alio impedimento dirimente jam ante affectam, ne cum raptore contrahere Matrimonium possit, si eam rapiat animo matrimonii cum illa defacto contrahendi, & ut notat Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 13. *n.* 14. Pirhing *n.* 24 Neque obstat, quod aliàs inter se matrimonium Raptor & sic rapta, contrahere prohibeantur; quia laudata Synodus non spectat, sintne habiles, nec ne ad illud contrahendum, neque requirit, ut actu id contrahatur, sed attendit violentiam, qua sola consummatur crimen Raptus, Sanchez Pirhing *loc. citt.*

50 Si Fæmina violenter rapta sit inhonesta, distinguendum est inter pœnas Juris Civilis, & inter eas, quæ proditæ sunt in *Trid.* Ad *priores* incurrendas juxta dicta *n.* 5. requiritur, ut rapta sit honestæ vitæ: Cons. rapiens meretricem, aut inhonestè viventem pœnam Raptus ordinariam non incurrit. *Contrà* incurrit pœnas à *Trid.* proditas, & propterea cum ita rapta non potest validè contrahere matrimonium, nisi postquam illa ab ipso est separata, & plenæ libertati restituta; quia talis etiam Raptus impedit libertatem matrimonii, quam Sacra Synodus esse voluit salvam, Sanchez Pirhing *loc. citt.*

51 Quæritur 12 an pœnas raptus, in fautores decretas, incurrat Parochus, assistens matrimonio, inito inter Raptorem & Raptam, quæ non est constituta in pristina libertate, & extra potestatem Raptoris? Resp. hunc pœnas Concilii Tridentini non incurrere; non enim favet delicto raptus, quod jam est commissum, & consummatum, sed ipsi matrimonio, Sanchez *D.* 13. *n.* 1. *fin.* Pirhing *hic n.* 21. *not.* 4. *Excipitur*, nisi ante raptum promisisset Raptori, quod assistere velit matrimonio contrahendo cum rapta, adeòque illum ad raptum exequendum animasset; tunc enim tanquam fautor pœnis, raptus obnoxius fieret, Sanchez, Pirhing *l. citt.*

Quæritur 13 quam pœnam incurrat Raptor Sponsæ alienæ? Resp. præter pœnas raptoribus cæteris communes raptorem alienæ Sponsæ SS. Canones publica pœnitentia mulctant, jubentque manere sine spe conjugii, ita, ut raptor nec cum rapta, nec cum alia quacunque inire matrimonium possit, ut constat ex *can. raptor.* 33. & *can. statutum seq. caus.* 27. *q.* 2. ubi dicitur: *Si quis Sponsam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & sine spe conjugii maneat.* Idemque dicendum de Sponsa rapta, cui denegatur etiam licentia aliis nubendi, si postea in raptum consensit, ut colligitur *canon. statutum cit.* per argumentum à sensu contrario. *Ratio est*, quia qui alienum matrimonium perturbare ausus est, jure proprii contrahendi meritò privatur, ut in eo puniatur, in quo deliquit. Est autem Impedimentum hoc non dirimens; sed impediens tantùm. Navar. *Man. c.* 12. *n.* 74. Sanchez *D.* 12. *n.* 43. & 44. Vallens. *hic* §. 2. *nu.* 3. Pirhing *n.* 16. *ibid.* In quibusdam locis non est amplius in usu; at ubi viget, locus ei duntaxat est, quando quis alienam Sponsam de præsenti rapuit, non autem si Sponsam de futuro; quia hæc in odiosis, & pœnalibus nomine Sponsæ non comprehenditur, ut ex probabiliore sententia docet Sanchez *l. cit. n.* 45. 52

Quæritur 14 an tempore, quo rapta in potestate Raptoris est constituta, etiam Sponsalia de futuro validè inire nequeant? Duplex est Sententia. Navar. *l.* 5. *cons.* 4. *hoc tit.* Riccius *prax. matr. p.* 4. *res.* 454 Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 12. *n.* 17. Gutier. *de matr. c.* 86. *n.* 24 Layman *lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 4. *c.* 13. *fin.* Bonacina *q.* 4. *p.* 18. *n.* 10 Diana *p.* 10. *tr.* 16. *res.* 83. Barbosa *in Trid. sess.* 24. *c.* 6. *n.* 9. Begnudell. *V. Raptus n.* 8. Pirhing *hic n.* 29 Konig *l.* 4. *tit.* 7. *n.* 36 putant iniri invalidè, quoad *arg. l. oratio* 16. *ff. de Sponsal.* dispositum de matrimonio etiam locum habeat in sponsalibus. *Contrà* validè iniri existimat Perez *D.* 38. *de matr. sect.* 4. *n.* 8. cui adstipulatur P. Wiestner *hic n.* 15 ex ratione, quia dispositio *Trid.* est correctoria Juris antiqui, quo matrimonium inter Raptorem, & raptam sustinebatur *c. cum causa* 6. & *c. fin. hoc tit.* ergo ad casum ea dispositione non expressum extendi non debet, sed hic potiùs relinquendus sub dispositione Juris antiqui; hoc autem Jure Sponsalia de futuro, inter raptorem & raptam inita, nusquam irritantur: ergo &c. *Ad Argumentum* sumptum ex *l. oratio cit.* dicunt regulam illam solùm procedere in casu, quo eadem est ratio sponsalium; & matrimonii, non videtur autem eadem esse ratio in casu præsenti; quia matrimonium inter raptorem, & raptam irritatur, quòd minùs liberè præsumatur esse contractum, & semel contractum validè solvi nequeat: quæ ratio non pugnat in Sponsalibus de futuro, utpote quæ etiam validè contracta facilè solvuntur. Hæc Sententia satis esset probabilis, nisi in contrarium staret authoritas *S. Congreg.* quæ, ut refert Molin. *tract.* 3. *de J. & J. D.* 105. *num.* 22. interrogata, num valida sint Sponsalia eo tempore celebrata, respondit esse invalida. Unde potiùs adhærendum primæ. 53

Quæritur 15 à quo Judice puniri raptores possint? 54
Resp. puniri possunt, ubicunque reperti fuerint, absque ulla fori præscriptione *l. un. pr. v. sin autem fin.* ibi *Sine fori præscriptione C. de Rapt. Virg.* modo Judex sit competens respectu rei, qui capitur; & respectu loci, in quo capitur quia Clericus non respondebit Judici Laico; idq; ob enormitatem istius criminis, Farin. *q.* 145. *num.* 62. & *duob. seq.* An verò raptor, captus extra locum delicti, debeat remitti ad Judicem loci delicti, si iste hoc petat, ut videre est apud Farin. *loc. cit. num.* 67. controversum est inter DD. Affirmant Marsil. *in loc. citat. num.* 141. & *seqq.* Bald. *in l. raptores in Summar. C. de Episcop. & Cler.* Negant Paul. de Castro *num.* 7. & Ludov. Peguera *decis. crim.* 43. *num.* 8. Conveniunt in hoc, quod crimen istud non sicut cætera delicta carnis, præscribatur quinquennio: & ita expressè *l. qui cœtu* 5. §. *fin.* ibi *sine quinquenii præscriptione ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* Farinac. *loc. cit.* Pirhing *num.* 23. *fin. hic.*

§. II.

§. II.

De Rapina Rerum.

SUMMARIUM.

55 QUæritur 1. quid sit *Rapina*? Resp. *Rapinæ* nomen triplici in significatione accipitur, 1. *Latè*: & in hoc sensu accepta sumitur pro illicita usurpatione, vel occupatione rei temporalis, sive manifestè, sive occultè; quo sensu *canon. siquis* 10 *caus.* 14. *quæst.* 4. ex S. Ambrosio dicitur: *Si quis usuram acceperit, rapinam facit*; & *canon. siquid* 6. *caus. cit. quæst.* 5. ex Sancto Augustino, *Siquid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.*

1. *Strictius* pro ablatione violenta, & publica; & in hoc sensu multi Raptores confundunt cum Latronibus, quamvis si proprietatem Vocis *Latrocinium*, & *Rapina* attendamus, ista duo à se invicem differant; Latrocinium enim magis est Homicidium, quàm deprædatio, neque committitur absque interfectione alterius, licèt deprædationem semper conjunctam habeat; Rapina autem, ceu minus delictum, est deprædatio absque occisione, adeoque propiùs ad crimen furti accedit, Caspz. *pract. crim. quæst.* 90. *num.* 3. & 4. Et hinc.

3 *Propriè* accepta rapina, & prout à Raptu, Furto, & Latrocinio distinguitur, est deprædatio violenta sine occisione, vel homicidio; quod delictum in Tribunalibus *Robbaria*, & ejus rei *Robbatores* vocantur, In hoc sensu.

56 Definitur *Rapina*, quòd sit *injusta ablatio rei alienæ mobilis aut se moventis, per vim facta*. Host. *Summ. de Raptor. rer. num.* 1. Sylv. *V. Rapina pr.* Covar. *Regul. Peccatum part.* 2. §. 1. *num.* 2. Gonzalez *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 10. Vallens. *hic* §. 3. *num.* 1. Pirhing *n.* 30. Konig *n.* 2. Vviestner *n.* 17.

Dixi 1: *Ablatio*; hinc rapinam propriè non committit, qui alteri in rebus, vel bonis suis infert damnum, ea destruendo, vel deteriorando; quia nihil aufert. Et ob hanc causam aliqui non malè in Definitione addunt *Lucrifaciendi causa* Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 683. *num.* 2. Gonzalez *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 10 Vviestner *nu.* 23.

Dixi 2 *injusta*. Hinc rapinam non committit, qui hosti rem suam aufert violenter in bello justo; vel in extrema necessitate; aut legitimi Magistratus authoritate; quia non aufert injustè, Sylv. *loc. cit.* Molin. *num.* 2 Vviestner *n.* 21 Reiffenstuel *num.* 15.

57 Dixi 3 *Rei*; quo rapina distinguitur à *Raptu & Plagio*; nam *Raptus*, *ut nu.* 1. dictum est, committitur, quando Virgo, vel alia persona honesta per vim abducitur libidinis causa; *Plagium* verò committunt, qui alia ex causa furantur homines liberos, vel servos, eosque vendunt, vel iis persuadent, ut à parentibus, vel dominis suis aufugiant; at *Rapina* per ablationem violentam, & injustam rei committitur.

58 Dixi 4 *alienæ*; nam rei propriæ non est rapina. Et hinc rapinæ reus non est, qui alteri violenter rapit rem suam, aut quam saltem suam esse contendit, opinatus licere domino rem suam quovis modo ex possessoris manibus vindicare; quia in rapina duplex infertur injuria, dum scilicet alteri rapitur res sua, & dum violentè rapitur, cùm tamen in casu dato ille, cui res rapitur, patiatur duntaxat unam injuriam, nempe violentiam. Ex quo sequitur, quòd ita rapiens nec teneatur actione *vi bonorum raptorum*, nec etiam raptorum pœnas incurrat, utpote quem ignorantia Juris excusat. Quia tamen res pessimi exempli, & periculosæ consequentiæ est, Spreto Juris ordine, jus sibi dicere, & partes publicæ potestatis sibi usurpare, alia pœna vindicatur imprudens factum, & si quidem ita auferens rei dominus fuerit, ejus patitur jacturam, si minùs, præter rem ejus æstimationem præstare tenetur §. *ita tamen* 2. *Inst. de vi bonor. rapt. l. siquis* 7. *C. unde vi*; & quidem ex singulari æquitatis ratione, ne vincula tranquillitatis publicæ convellantur, aut quis juxta propriam libidinem authoritate privata jus sibi dicere audeat *Reg. non est* 176 *ff.* Sylv. *V. Rapina pr.* Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 683 *num.* 3. Gonzalez *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 10 Pirhing *hic n.* 30 Konig *num.* 6. Vviestner *numer.* 23 Reiffenstuel *numer.* 12 Magnif. Dom. Verlohner *tract. de Act. forens. fol.* 623. *n.* 2.

Dixi 5 *Rei mobilis, aut se moventis*: hinc dejiciens alterum de possessione prædii propriè non est Raptor; quia prædium est res immobilis, quæ propriè non auferri, sed invadi dicitur §. *ita tamen citat.* Layman *l.* 3. *Theol. mor. tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 1. Gonzalez *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 10 Pirhing *hic num.* 30 Konig *num.* 5. Reiffenstuel *num.* 13. cujus causa non actio vi bonorum raptorum, sed vel Interdictum *unde vi*, vel condictio triticaria, vel Judicium publicum Legis Juliæ competit *l. vi bonorum* 1. *C. vi bonor. rapt. l. prætor* 1. §. *hoc interdictum* 3. *ff. de vi & vi armat l. sed & ei* 2. *ff. de Condict. tritic. l. in eadem* 3. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. ut vi publ.* Parum autem interest in ordine ad rapinam, & hujus pœnas, cujus quantitatis, & valoris sit res ablata; nam eadem pœna imponenda venit raptori rei minimæ, quæ grassatori rerum maximi pretii, ob generalitatem *Const. crim. Carol. V. art.* 126. & ratio est, quia in crimine rapinæ non tam noxa, & damnum, per ablationem rei datum, quàm violatio securitatis publicæ attenditur: hæc autem æquè violatur per ablationem rei minimæ, ac per ablationem rei maximi pretii. Math. Steph. *in not. ad art. cit.* Carpzov. *pract. crim. quæst.* 90. *num.* 43. & *seqq.* Konig *hic num.* 5. Ob eandem rationem etiam non attenditur qualitas rei ita ablatæ: sed sive pecunia illa sit, sive vestis, sive res alia, eam rapiens hujus criminis pœna tenetur Georg. Remus *ad art. cit.* Carpzov. *loc. cit. num.* 51. Neque his pœnis se liberat Raptor, si dicat res raptas fuisse furtivas, & vero suo domino ablatas. Carpzov. *numer.* 53. aut si illas domino suo jam restituerit. Carpzov. *num.* 55. quia rapinæ crimen jam semel ab ipso est consummatum, & securitas publica violata, quæ per restitutionem spolii non redintegratur; quo rapina differt à Furto; nam hoc ex damno illato æstimari, & puniri solet, & si res furtiva sit domino reddita, pena laquei est remittenda, furque virgis cæsus, in perpetuum relegandus, etiamsi furtum multum superet valorem quinque solidorum. Carpzov. *l. cit. n.* 56. & *q.* 80. *n.* 14.

Dixi 6 *per vim facta*: quo iterum distinguitur à Furto, item à Latrocinio, & prædatione; quia Furto Rapina superadidit vim, quippe quæ est Furtum violentum, seu adhibita vi, & violentia commissum, & hinc duplicem malitiam continet, una furti, ratione cujus omnes illæ actiones, quæ oriuntur ex furto, etiam oriuntur ex Rapina *pr. Inst. de vi bon. rapt.* alteram violentiæ, ob quam aliis, & diversis pœnis hujus criminis reus afficitur. A Latrocinio autem, & Prædatione Rapina differt; quia Latrocinium quidem superaddit furto & violentiæ occisionem, Prædatio verò insidiosam aggressionem in viis, & stratis publicis. *Ex quo sequitur*, casu, quo res sua alteri aufertur per dolum non adhibita, aut parata vi, non Rapinam, nec Prædationem, vel Latrocinium, sed Furtum duntaxat committi. Host. *Summ. de Rapt. rer. num.* 1. Sylv. *V. rapina num.* 1. Pirhing *hic num.* 30 Vviestner *num.* 21 Reiffenstuel *num.* 16. Cæterùm parum refert, an vis armis, vel sine armis inferatur *l. Prætor*

tor ait 2. §. *hoc edicto* 1. *ff. vi bonor. rapt.* imò etsi nulla vis actu inferatur, dummodo Raptores rem mobilem palàm auferant parati vim inferre, si eis resisteretur, Rapina est *l. Prætor ait cit.* §. *damni* 9. Farin. *prax. crim. q.* 166. *n.* 31. Carp. *pract. crim. q.* 90. *n.* 68. Konig *hic n.* 7. *fin.* Reiffenstuel *ib. n.* 17. Et esto talis extorsio, nulla adhibita vi, sed metu illato facta non sit Rapina propriè dicta, sed concussionis species, ejusmodi Coactores pœna Robbatiæ ordinaria afficiendos satis liquet ex *Recess. Imp. sub Ferdin. I. de anno* 1555. §. *Vvir ittmen, ordnen, vvo sie in gefanus kommen, & Const. crim. Carol. V. art.* 128. & 129 nam & ipsi violant pacem, & securitatem publicam Gaill. *lib.* 1. *de Pac. publ. cap.* 1. *num.* 6. Carpzov. *loc. cit. numer.* 69. & 70 Similiter in ordine ad Rapinam, & hujus pœnas parum interest, an vis hujusmodi exerceatur in viis, & stratis publicis, an verò in villis, oppidis, & ædibus privatis; nam etiam qui in istis Rapinam exercent, pœna Robbariæ ordinaria tenentur, ob generalitatem textus *Const. cit. art.* 126. ibi, *Ein ieglicher bosshafftiger ubervvundener Rauber soll mit dem Schvverdt zum Todt gerichtet vverden.* Accedit, quia eadem ratio eandem dispositionem Juris facit *cap. inter corporalia* 2. *Vers. unde cùm non sit de Translat. Episc. l. illud* 32 *ff. ad Leg. Aquil.* atqui illa ipsa ratio, ob quam deprædatio in via publica tam graviter punitur, obtinet etiam in Rapina exercita in domo privata, quippe quæ cujusque tutissimum receptaculum est, ita, ut in illa tam ratione personæ, quàm ratione bonorum suorum securus esse debeat *l. plerique* 18. *ff. de in Jus vocan.* Carpzov. *loc. cit. num.* 71. & *seqq.*

61 Quæritur 2. quæ sit pœna Raptorum de Jure Civili, quando conveniuntur civiliter? Resp. Jure Civili Raptor conventus civiliter etsi res ablata sit minima, Actori intra annum utilem condemnatur in quadruplum, cui tamen ipsa res ablata inest; conf. præter rem ablatam tantùm debebit præstare triplum, h. e. triplicatum rei æstimatæ pretium; post annum verò solùm obligatur in simplum; conf. satisfacit, si restituat rem ablatam, vel si ea non extet, æstimationem ejusdem cum refusione damni emergentis, & lucri ex ablatione cessantis *l. Prætor ait* 2. §. *in hac act.* 13. & *l. Prætor ait* 4. *prin. ff. vi bon. rapt.* junct. *pr. Inst. tit. eod.* & §. *ex maleficiis* 19. *Inst. de Action.* Sylv. *V. Rapina q.* 1. Gonz. *in c.* 2. *hoc tit. num.* 11. Konig *hic num.* 10 Reiffenstuel *ibid. num.* 18. Magnif. Dom. Verlohner *tr. de Action. forens. fol.* 627. *num.* 11. In foro conscientiæ, & ante sententiam Judicis Raptor, vel alius, qui injustè rem alienam abstulit, etiam intra annum plus restituere non tenetur, quàm quantum accepit, unde ad quadruplum solùm tenetur, postquam ad hoc per sententiam est condemnatus, & tum obligatio id solvendi producitur etiam in conscientia, S. Th. 2. 2. *q.* 62. *art.* 4. *Corp.* Sylv. *q.* 1. *cit.* Pith. *hic num.* 32. Reiffenstuel *ibid. n.* 19.

62 Actio, quæ ex Rapina datur, dicitur *Actio vi bonorum raptorum*, & describitur, quòd sit actio prætoria, personalis, & mixta, qua rei, violenter nobis ablatæ, quadruplum, cui simplum inest, persequimur. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 1. *num.* 44. Quoad triplum pœnalis est, quoad simplum autem rei persecutionem continet *pr. Inst. de vi bon. rapt.* Et hinc quoad simplum est perpetua, & quoad triplum annalis; quia actiones pœnales Prætoriæ annum non debent excedere, Schmier *numer.* 45. cum *citt.* Datur actio hæc omnibus illis, quibus actio furti conceditur §. *sanè* 2. *fin. Inst. eod.* Passivè dirigitur contra solos Raptores, non item contra hæredes illorum, licèt aliquod lucrum ad illos ex rapina pervenerit; Prætor enim, veluti Actionis istius author, Condictionem furtivam contra hæredes sufficere existimavit *l. Prætor ait* 2. §. *fin. ff. vi bon. rap.* Quoad *objectum*, quatenus est pœnale, & triplum continet, æstimatur hæc actio, sicut actio furti *l. prætor ait citat.* §. *in hac actione* 22. Quoad *Probationem* nihil aliud desiderat, quam ut interesse vel modicum doceatur, & ostendatur, rem in, vel ex bonis actoris extitisse, & violenter à reo ablatam fuisse §. *sanè cit.* & *l. Prætor ait* 2. §. *si in re* 23. *ff. eod.*

63 Disputant hic aliqui DD. quare Raptor præter rem ablatam tantùm condemnetur in triplum, fur autem manifestus in quadruplum, cùm tamen Rapina sit delictum longè gravius furto? Hunnius *in Tractl. vol.* 2. *D.* 30. *quæst.* 34. desperat de inveniendo ratione; sed sine ratione; nam ratio non incongrua rapinæ mitiorem pœnam civilem constituendi assignari potest hæc, quòd furta longè frequentiùs committantur, quàm rapinæ, & propterea, ut consuleretur indemnitati privatorum, quorum interesse præcipuè pœna Civilis spectar, conveniens fuerit, ut pœna in fures manifestos decerneretur major. Neque dicas, hoc modò pejoris fore conditionis furem, quàm Raptorem; imprimis enim Raptor indistinctè condemnatur in triplum, in furto autem distinguitur, & etsi fur manifestus, exigente hoc bono communi, condemnetur in quadruplum, non manifestus tamen solùm condemnatur in duplum: adeoque non respectu cujuscunque furti est gravior pœna Civilis. Deinde esto, quòd fur manifestus pecunialiter graviùs puniatur, quàm raptor, tamen quoad alia, & in genere multo gravius punitur Raptor, quippe contra quem non privatum duntaxat, sed publicum quoque Judicium ex Lege Julia de vi datur, ut advertit Harpprecht *ad pr. Inst. de vi bon. rapt. num.* 22. Vallens. *hic* §. 3. *num.* 1. Vviestner *ibid. num.* 25.

Quæritur 3. quæ de Jure Civili sit pœna Raptorum 64 criminalis? Resp. si Rapinam sine armis exercuere, olim *Lege Julia de vi privata* puniebantur amissione tertiæ partis bonorum, & dignitatis, honorisque omnis cum infamia §. *item lex Julia* 8. *Inst. de vi publ. l. de vi* 1. *pr. ff. ad Leg. Julia de vi privat. l. tutoris* 2. *C. ad Leg. Jul. de vi publ. & privat.* Host. *Summ.* §. *de Raptor. rer. num.* 9. Mynsing. *ad* §. *item Lex Julia citat. num.* 5. Pithing *hic num.* 32. Si verò cum armis, eadem *Lege Julia de vi publica* in illos statuta fuit Deportatio §. *item Lex Julia citat.* junct. Gloss. *fin. in l. qui dolo* 10. *ff. ad Leg. Jul. de vi publ.* cui cum tempore successit Bannum Imperiale. Mynsing. *ad* §. *cit. num.* 3. Pirhing *num.* 32. *cit.* Reiffenstuel *num.* 20. & 21.

Per *Ordin. Pœnal. Carol. V. art.* 126. Raptores in- 65 distinctè jubentur affici gladii, vel alia mortis pœna juxta consuetudinem loci, quæ varia est. Communiter distinctio fit, an hujusmodi Rapinæ rei eam exercuerint cum cæde, vel sine illa; nam si cum cæde, præsertim in viis, & stratis publicis, ut Latrones affici solent Rotæ supplicio. *Const. Carolin. cit. art.* 130 & 137. Si sine cæde, ut Grassatores, & Prædatores plectuntur capite. *Const. citat. num.* 126. & aliquando ita punitorum corpora implectuntur, vel imponuntur Rotæ: cujus usus in Tribunalibus ita passim invaluit, ut hoc Carpzov. *pract. crim. quæst.* 90. *num.* 12 pro Regula generali non dubitet ponere. Et quamvis istud augmentum supplicii nulla manifesta Imperiali Sanctione reperiatur statutum, meritò tamen per consuetudinem est introductum, ut ita omni tempore, omniumque in oculis spectaculum, & recordatio animadversionis remaneat, & à similibus ausis quoscunque absterreat. Carpzov. *loc. cit. num.* 14. & *seqq.*

Neque à pœna ista 1. excusat Nobilitas; nam per 66 *Constit. Carol. cit. art.* 126. grassatores omnes indifferenter, & absque respectu personarum hac pœna jubentur affici. Sed qui universaliter affirmat dicendo, *Quilibet*, vel *Omnis*, nihil videtur excludere *can. si Romanorum* 1. *vers. dicendo verò omnia dist.* 19. Decian. *lib.* 1. *cons.* 57. *num.* 12. Carpzov. *loc. cit. n.* 39. 2. non excusat materiæ parvitas; quia, ut *num.* 58. dixi, etiam rapiendo rem minimi pretii, violatur pax, & securitas publica: & fortè raptor plus abstulisset, si vim passus plus habuisset, 3. non excusat, quòd Reus semel tantùm Rapinam exercuerit in via; quia in *Carolin. art.* 126. pœna mortis statuitur generaliter, nulla habita ratione, an reus semel duntaxat, an verò sæpius hoc delicti genere sese contaminaverit. Carpzov. *num.* 22. & *seqq.* Econtrario non est propterea exasperanda pœna capitalis raptorum, quòd reus iteratò hoc crimen commiserit; quia Legis authoritas deficit, sinequa nec supplicium regulariter aggravandum, nec temere quidquam asseverandum est *l. dissentientis* 5. ibi, *Nulla Juris præcipit constitutio C. de Repud. & Novell.* 2. *capit.* 3. ibi, *Nec Lex est aliquid tale dicens &c.* Hartm. Pistor. *lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 100. & *quæst.* 13. *numer.* 35. Carpzov. *numer.* 28. 4. non est de rigore

gore Juris parcendum illi, qui fortè post factam rapinam pœnitentia ductus rem ablatam restituit; per hoc enim in aliis metus non tollitur, nec securitas ablata restituitur quia non constat de talis hominis motivo restituendi, & seria, ac constanti pœnitentia. Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n.* 538. Carpz. *n.* 55. *& seqq.* qui tamen *n.* 60. suadet; ut tali non difficulter gratia fiat, & pœna gladii in mitiorem mutetur. 5. eadem prædationis pœna juxta Carpzovium *numer.* 68. & Haun. *num.* 539. afficiendus etiam est, qui non quidem vi adhibita viatori suum eripit, sed solo incusso metu adigit, ut ipse sponte tradat; quia etiam tale factum continet formalem malitiam prædationis, nempe turbationem pacis, & securitatis publicæ. 6. nec refert, an in via publica, an verò in domibus privatis sit Rapina exercita, si hoc factum sit cum magna vi, & domus devastatione aut domesticæ pacis turbatione: secus mitius is puniendus erit; quia licèt unicuique domus sua debeat esse tutissimum receptaculum, cùm tamen quivis possit in domo sua se aliis mediis tueri facilius, quam in via publica non videtur opus esse tanta pœna ab abstertendum à tali domestica Rapina, quàm à publica. Carpz. *n.* 78. Haun. *nu.* 540. 7. eadem Robbariæ pœna plectendi sunt omnes delicti consortes. Carpzovius *n.* 34. & sumitur a paritate cum furto commisso à pluribus, quibus omnibus suspendii pœna imponitur, modò cujusque portio summam quinque solidorum excedat.

67 Contrà pœna Robbariæ ordinaria mitiganda erit in sequentibus casibus. 1. Si Robbaria, seu Rapina non adeo hostilis, & violenta sit; non enim quævis turbatio, aut violentia Constitutione pacis fractæ coercetur, sed tantum ea, quæ vi majori, atque hostili committitur, cui resisti vix potest: quod innuunt verba Constitutionis Pacis publicæ, *mit gewaltiger zhat. Recess. Imp. Vworm. de Ann.* 1495. 1521. *August. Ann.* 1548. *&* 1555. *Reusner. l.* 4. *Decis.* 17. *n.* 12. Mindan. *Process. Camer. l.* 1. *c.* 23. Carpzov. *q.* 91. *n.* 2. *& seqq.* Quænam autem vis major, & quæ Rapina dicatur violenta, Carpz. *n.* 8. cum aliis existimat committendum arbitrio Judicis, qui omnes circumstantias, & qualitates Rapinæ perpendens, & diligentia exactiori examinans, de hoc facilè judicare poterit. 2. pœna Robbariæ ordinaria cessat in Servo, qui jussu, & mandato Domini rapuit, si de Rapina nil speravit, vel participavit: secus, si de ea ipse participet; quia tunc de approbatione, & consensu illius satis constat. Carpz. *num.* 14. *& seqq.* Mandans tamen pœnæ ordinariæ subjacet; quia hujus gravius est delictum. Carpzov. *n.* 21. Et multo magis idem pœnæ subjacent, qui Raptoribus opem, & auxilium cooperativum præbent, sine quo Rapina forsan perpetrari non potuisset. Carpzov. *n.* 26. Quod adeò verum est, ut nec illi, qui Prædonibus Robbariam committentibus, interea in excubiis stant, hanc pœnam effugiant, modò tamen insuper aliud quidpiam auxilii præstiterint, aut ad minimum de Rapina participaverint. Berlich. *p.* 5. *concl.* 55. *n.* 38. *&* 39. Carpz. *l. c. n.* 27. 3. Pœna ultimi supplicii cessat, si Robbaria solum est attentata, effectus autem non secutus; quia ut in reliquis delictis, ita etiam in Rapina conatus solus non subjacet pœnæ ordinariæ: quare ob hunc alia pœna extraordinaria fustigationis, vel relegationis Prædones afficientur. Carpz. *num.* 31. 4. similiter non est afficiendus ultimo supplicio, qui aggreditur, & spoliat Prædatorem, vel eum, a quo prius fuit spoliatus, & offensus; quia justo dolore commotus facere istud creditur. is autem, qui tali dolore commotus delinquit, mitiùs puniendus est *l. si adulterium* 38. *§. Imperator* 8. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Carpzov. *n.* 36. *& seqq.* 5. Ordinaria pœna est mitiganda, si hoc suadeat alia justa causa, v. g. quia quis ob diræ famis necessitatem edulia surripuit *arg. art.* 166. *Const. Carolin.* qui licèt loquatur de furto, haud ineptè tamen ex rationis identitate ad Robbariam extenditur. Carpz. *n.* 48.

68 *Dubitari* potest, quænam pœna infligenda sit reo, gladii, an suspendii, si is furtum simul, & Rapinam distinctis patravit vicibus? Resp. Regula quidem aliàs vulgatis est, quod singulis delictis singulæ pœnæ competant, ita, ut una alteram non consumat. Verum hæc Regula intelligi solum potest, quando pœnæ sunt iterabiles, & compatibiles inter se, uti est pœna pecuniaria, & relegationis, vel exilii; hæ enim pro quantitate delictorum compatibiliter multiplicari possunt. Secus est de pœnis non iterabilibus, nec inter se compatibilibus, quales sunt pœna gladii, & suspendii, hæ enim nemini insimul infligi possunt. Tunc ergo unica tantum pœna, eaque, quæ major est, infligi debet; nam pœna major absorbet minorem. Gloss. *in l. nunquam plura V. ob aliud fin. ff. de privat. delict.* Bald. *in l. quicunque n.* 5. *C. de Serv. fugit.* Cæpoll. *in Auth. sed novo Jure n.* 42. *C. eod.* Reusner. *l.* 2. *Dec.* 20. *num.* 16. Carpozov. *pract. crim. quæst.* 91. *n.* 49. *& seqq.* In casu quæstionis pœna furti, & pœna Rapinæ videntur esse pares, ita, ut neutra quoad gravitatem, & atrocitatem alteri sit præferenda; licèt enim laquei pœnæ vulgò gravior censeatur, quàm pœna gladii, id tamen forsan ex eo nascitur, quòd gladio punitus sepeliatur, laqueo verò suffocatus in conspectu omnium suspensus maneat in furca, non absque insigni macula totius familiæ: hinc cum etiam Raptorum gladio punitorum cadavera maneant exposita in Rota, Judicis arbitrio relinquendum videtur, utrum suspendii, vel gladii pœnam cum impositione Rotæ irrogare velit, aut prout alicubi solet, considerandæ circumstantiæ utriusque delicti, præsertim iteratio, & si quidem circumstantiæ Rapinæ sint graviores, eaque sæpius iterata, reus plectendus capite cum impositione Rotæ; si verò furti, dictari poterit supplicium furcæ. Carpz. *l. cit. numer.* 52. *& seqq.*

Sed quid, si Raptor, spolio non contentus, spoliatum insuper percutiat, & vulneret graviter, num propterea Rapinæ pœna exacerbanda erit? Negat Reusner *l.* 2. *Dec.* 21. quam sententiam, ceu benigniorem, Judici etiam suadet Carpzov. *q.* 90. *numer.* 30. Alii distinguunt: & siquidem animo occidendi hoc factum sit, putant Reum pro qualitate facti, & ratione circumstantiarum, secundum Juris rigorem, etiam Rota ob Latrocinium attentatum puniri posse. *Secus*, si animus interficiendi defuerit, & Raptor eo fine duntaxat spoliatum percusserit, ut Robbariam commodius posset perficere; tunc enim pœna propter vulnus etiam lethale inflictum nequaquam exasperanda erit. *Rationem* dat Carpz. *l cit. nu.* 31. quia majus delictum absorbet minus, præsertim quando unum delictum tendit ad finem delicti principalis commodius perficiendi. Reusner *l.* 12. *Dec.* 20. *numer.* 9. 69

Quæritur 4. quæ sit pœna Raptorum Jure Ecclesiastico? Resp. hoc Jure 1. excommunicantur: quod fieri potest ab Episcopo loci, ubi delictum commissum est, etsi delinquens sit subditus alterius Diœcesis; quia ubi quis committit Rapinam, ibi maximè læditur Resp. ad cujus læsionem reparandam præcipuè in foro contentioso imponitur pœna. Sylv. *V. Rapina quæst.* 1. Vivian. *in cap. de illis* 1. *h. tit. pr.* Barbos. *ibid. num.* 1. Zoes. *nume.* 8. Hinc, si hoc petat pars læsa, remitti Reus debet ad locum delicti, ut ibi puniatur ad aliorum exemplum, & Reip. læsionem compensandam, quamvis sit vagabundus, ut tradit Covar. *pract. qq. c.* 11. *n.* 3. quod juxta Barbos. *in l. Hæres absens §. proinde ff. de re jud. art. defor. delict. n.* 12. *&* 13. procedit, si pars læsa petat remissionem ad locum delicti secus, si accusator velit prosequi causam in loco, ubi vagabundus reperitur; tunc enim ibi eandem prosequi potest, neque locus erit remissioni. Vvagnereck *in c. de illis cit. not.* 1. Barbos. *ibid. nu.* 3. Porro ab Excommunicatione, per Judicem in ipsum lata, absolvendus non est antea reus, quam plenè satisfecerit, vel caverit de satisfaciendo *c. de illis cit.* 70

2. Si ante obitum Raptor non satisfecerit, vel in ipsa deprædatione interficiatur, tanquam mortuus in peccato mortali, privatur Sepultura Ecclesiastica, & Ecclesiæ suffragiis, ac Orationibus publicis fidelium *c. super eo* 2. *h. tit.* & *c. fures* 2. *de furt.* Contra si satisfecit, scilicet restituendo cavit; tunc enim in vita, & in morte ad pœnitentiam, & sepulturam admittitur. Sylv. *V. Rapina q.* 1. Vivian. *in c. super eo cit. pr.* Barbos. *ibid. nu.* 3. quia Ecclesia nunquam claudit gremium redeunti *can. Schismatici* 1. *caus.* 23. *q.* 6. Quodsi, cùm posset, in vita cavere noluit, & in morte, cum vellet, non potest, pœnitentia quidem ipsi conceditur, Sepultura tamen Ecclesiastica, ut cum quibusdam vult Gonzal. *in c. super eo cit. n.* 4. *&* 12. denegatur, ob gravitatem sceleris, & ut alii terreantur. Alii tamen cum Joan. Andr. *in c. cit.* Vivian. *ibid. vers. si vero*, Barbos. *num.* 2. contendunt, ejusmodi pœnitenti concedi quidem Sepulturam Ecclesiasticam, denegari verò solemnitatem sepeliendi, ita, ut Cle- 71

ut Clerici ejus Sepulturæ interesse non debeant; quia licèt, quando ablatum non potest restitui, data Contritione de peccato commisso, illud dimittatur *c. cum tu 5. de Usur.* meritò tamen in pœnam denegatur sepulturæ solemnitas non restituentibus, quando poterant, ut Raptores, & eorum hæredes, atque alii hoc videntes, absterreantur ab isto scelere, & facilius ad restitutionem inducantur. Porro Clerici, interessentes hujusmodi Sepulturæ, vel injungentes pœnitentiam contra hanc dispositionem, deponuntur ab Officio, & Beneficio *c. super eo cit. fin.* quia quis puniendus est in eo, in quo delinquit *c. litteras 13. de temp. Ordin.* & quoniam qui facit contra Legem, committit in Legem *l. non dubium 5. C. de LL.* Vvagnereck *in c. super eo cit. in Summ.*

3. Latrones publici, & Grassatores viarum, si ad Ecclesias, & alia loca Sacra, aut Religiosa confugiant, tanquam Asylo Sacro indigni, permittuntur inde vi extrahi. *can. sicut antiquitus 6. caus. 17. q. 4. c. inter alia 6. de Immunit.* & *Const. Gregor. XIV.* incipit. *Cum alias edita 28. Maji 1591.* de quo dictum est latius *Libr. 3. Tit. 49. n. 186. & seqq.*

72 Gravius puniuntur, qui Christianos naufragium passos rebus suis exspoliant; nam hi, si cum possent, eas non restituerint, ipso Iure, & facto incurrunt Excommunicationem, in eos latam per *Concil. Later.* relatum *c. Excommunicationi 3. h. tit.* Imò qui bona Catholicorum naufragantium in mari rapiunt, incurrunt Excommunicationem reservatam Summo Pontifici, ut habetur in *Bulla Cœnæ Caf. 4.* & meritò; quia afflictio afflicto addi non debet *c. ex parte 5. de Cleric. ægrot.* & iniquum est, ut quis lucretur in aliena calamitate, & de re tam calamitosa compendium sectetur *l. si quando 1. C. de naufrag.* Vivian. *in c. 3. cit. vers. excommunicati sunt*, Barb. *ibid. n. 1.* quæ ratio probat, quod neque fiscus hujusmodi bona sibi capere possit, prout apertè statuit Constantinus Imper. *l. cit.*

73 Addidi *Christianos*, & *Catholicos*? nam pœna hæc non videtur extendenda ad illos, qui diripiunt bona naufragantium Infidelium, aut Hæreticorum, vel etiam Piratarum, quòd hi Ecclesiæ, & Reip. hostes sint, ac propterea indigni, ut eos Ecclesia Censuræ talis comminatione protegat. Suar. *D. 21. de Censur. sect. 2. n. 21.* Bonacin. *de Censur. in partic. D. 1. q. 5. p. 3.* Palao *tr. 29. D. 3. p. 5. n. 8.* Pirhing *hic n. 39.* Vviestner *num. 29.* Reiffenstuel *n. 23.*

74 Sed & illi, qui accipiunt bona naufragantium fidelium, aliquando Excommunicationem istam evitant: quod fit in sex maximè casibus, quos enumerant Zerol. *prax. Episc. p. 2. V. Naufragium*, Quarant. *Summ. Bullar. V. Bona naufragorum fol. 1406.* Gonzal. *in c. 3. h. tit. n. 9. prop. fin.* Barbos. *ibid. n. 7.* Pirhing *hic num. 42.* Et 1. quidem si hujusmodi bona naufragantium acceperunt non animo usurpandi illa, & ad proprium commodum convertendi, sed animo ea conservandi, vel restituendi domino, habita istius notitia, nisi tamen in mora fuerint; quia tunc ratione illius moræ sunt Excommunicati per *Conc. Later.* relatum *c. 3. cit.* 2. si ignorant, talia bona esse naufragantium, sed putent esse aliorum; tunc enim, etsi nolint restituere, & sint in mora, non incurrunt hanc Excommunicationem. 3. si acceperunt talia bona, quæ dominus habuit pro derelictis, amissa omni spe ea recuperandi; tunc enim fiunt primò occupantis: secus est, si ea dominus projecisset in mare propter vim tempestatis ad navem exonerandam, ut periculum evadat; quia tunc dominium remanet penes pristinum dominum. 4. si illi, quorum bona hæc fuerant, sint hostes illi populo, & genti, à qua bona illa occupantur; quia tunc occupatio jure belli justificatur. 5. si quod acceptum est de bonis naufragantium, tam modicum est, ut non sufficiat ad lethalem culpam: imò aliqui ad incurrendam Excommunicationem Bullæ requirunt; ut furtum, seu bona rapta excedant duos aureos. 6. si accipiantur tales res, quæ de sui natura statim periissent, nisi quis ad eas recuperandas, seu servandas periculo mortis se exposuisset.

75 *Dubitatur*, an dicta Censura, ejusque reservatione afficiantur etiam illi, qui naufragantium fidelium res surripientibus consilium, favorem, vel auxilium præbent, aut illos recipiunt? Affirmant Navar. *Man. c. 27. n. 59.* Pirhing. *hic n. 40.* & nonnulli alii; quod ex morali ad ablationem concursu res, seu bona surripere etiam ipsi censeantur. Alii verò cum Suar. *D. 21. de Censur. sect. 2. num. 22. & 32.* existimant, Censuræ huic subjacere illos duntaxat, qui ex naufragantium rebus aliquid sibi surripiunt, sibique retinent. Sed melius alii cum P. Vviestner *hic n. 30.* distinguunt inter illos, qui moraliter solum concurrunt, & inter eos, qui ad eorum bonorum surreptionem concurrunt physicè, & realiter. *Priores* ab hac Censura absolvunt, *posteriores* illa ligatos esse pronuntiant. *Rationem* dant, quòd isti soli, non verò illi verè, & propriè naufragantium bona surripere dicantur. Accedit, quia Canonum conditores, quando consulentes, fautores, receptatores &c. Constitutione pœnali esse comprehensos volunt, eorum semper mentionem expressam faciunt, quod in præsenti casu per *cap. excommunicationi*, & *Bullam Cœnæ citt.* non fit.

Præter illos, qui bona fidelium naufragorum accipiunt, Excommunicationem Bullæ Cœnæ facto ipso incurrunt Latrunculi maritimi, infestantes mare ad ditionem Ecclesiæ Romanæ pertinens, ut habetur *in Bull. cit. caf. 3.* si hoc animo prædandi faciant; nam qui principaliter discurrunt per mare animo negotia, seu mercimonia cum amicis tractandi, vel etiam belli sive justi, sive injusti gerendi causa cum inimicis, ab Excommunicatione hac liberantur, etsi incidenter, & casu aliquando prædentur. Navar. *Man. c. 27. n. 59.* Molin. *to. 3. de Just. tr. 2. D. 694. n. 3.* Barb. *in c. 3. cit. nu. 4.* Pirhing *hic n. 40.* quia non censentur Piratæ, vel Latrones, sed injusti bellatores. 76

An verò Axcommunicatio hæc tangat solos illos, qui discurrunt deprædandi animo per mare Ecclesiæ, an verò omnes, qui depredantur bona itinerantium in quocunque mari, dissident inter se DD. Posterius docent Graff. *Decis. p. 1. l. 4. c. 17. n. 67.* Suar. *de Censur. sect. 2. cit. nu. 18.* Corolian. *in Explicatione Bull. Cœn. Excomm. 3. pr.* Contra Barbos. *in c. 3. cit. num. 3.* allegans pro se Tolet. *Summ. c. 20. V. advertendum*, Ugolin. *de Censur. Pap. reservat. vers. item excommunicamus §. 2. v. 3.* Anton. de Souf. *Relect. Bull. Cœn. c. 4. D. 25.* putat probabilius illo loco excommunicari solos Latrones maritimos; qui discurrunt per mare Ecclesiæ, præcipuè a Monte Argentario usque ad Terracinam. 77

Quæritur 5. an Princeps, Comes, vel alius Dominus, in cujus territorio facta est Deprædatio, & Robbaria, teneatur damnum resarcire viatori? Videtur respondendum affirmativè. 1. quia Magistratus cujusque terræ tenetur malis hominibus territorium suum purgare *l. præses 3. fin.* & *l. congruit 13. pr. ff. de Offic. Præsid.* item curare debet, ut dispositos habeat stationarios, & limitaneos milites ad tuendam popularium quietem *l. omnia 1. §. quies quoque 12. ff. de Offic. Præfect. Urb. l. in nomine 2. §. pro limitaneis 8. & §. seq. C. de Offic. Præf. Prætor Affric.* igitur si hoc negligendo occasionem det, ut pax territorii sui turbetur, & viatores spolientur per malos homines, ex culpa, & quasi delicto tenetur; nam quasi delinquere dicitur, qui sua negligentia, & culpa aliis nocet *arg. tot. tit. Inst. de oblig. quæ ex delict. l. si quis absentis 5. §. si Judex 4. & §. seq. ff. de O. & A.* 2. Principes, Comites, cæterique territoriorum domini ab iter facientibus Pedagia capiunt. igitur vicissim ad securitatem eis præstandam sunt obligati; nam qui commodum sentit, ratione æquitatis etiam ad onus subeundum se gravare non debet *Reg. qui sentit 55. in 6.* 78

Sed distinguendum cum Carpz. *pract. crim. q. 91. n. 59.* & aliis. Vel enim Dominus spoliatis dedit Salvum conductum, vel non. *Si hoc secundum*, nulli spoliato ad damnum resarciendum est obligatus. *Si primum*, & spoliatus via regia incesserit, nec ab ea deflexerit, ad resarcitionem tenebitur. Utrumque patet ex *Recess. Imper. in Comit. August. Ann. 1559. §. darmit den die Obrigkeit*, ubi expressè statuitur, Dominum territorii teneri resarcire damnum spoliatis, si dederit Salvum conductum: quæ obligatio cum imponatur conditionatè, inde sequitur, casu, quo Dominus Salvum conductum non dederit, eum ab obligatione resarciendi damnum absolvi; nam quidquid sub conditione disponitur, sub contraria conditione pro non disposito habetur *l. quibus 40. §. quidam 2. ff. de condit. & demonstr. l. hac venditio 7. pr. ff. de contrah. empt. l. si procuratorem 8. §. si ignorantes 7. & §. seq. mandat.* 79

Addi-

Addidi, *si spoliatus via regia incesserit, nec ab ea deflexerit*; nam, ut Dominus territorii ad resarciendum damnum sit obligatus, duo conjunctim requiruntur, quorum *primum*, est, ut dederit spoliatis Salvum conductum; alterum, ut deprædatus via regia usus fuerit, nec ab ea deflexerit; si enim per vias insolitas vagatus fuerit, sibi, quod imputet, habet Gaill. *l.* 2. *obs.* 64. *n.* 11. Coler. *de Procesſ. execut. p.* 1. *c.* 2. *nu.* 197. Regner. Sixtin. *de Regal. l.* 2. *c.* 2. *n.* 4. Carpzov. *q.* 91. *cit. n.* 60. *&* 68. Quod adeo verum est, ut etiamsi Elector, aut ejus nuntii, ad Comitia Imperialia proficiscentes, insolitam viam, cujus conductum petere neglexerunt, ingrediendo spolientur, Dominus tamen territorii ad damni emendationem non teneatur. *Aur. Bull. tit.* 1. *vers. Vvir Vvollen* bi, *auch den Vveeg, den er reisen Vvill, fer Rundige, und anzeige &c.* & *ibi* Arum. *Discurs.* 1. *th.* 22.

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. etsi hujusmodi Magistratus ob talem negligentiam teneatur ex culpa, & quasi delicto, pro tali culpa tamen nulla certa pœna per Leges sancita est. Jam autem certa pœna foret, si teneretur damnum resarcire spoliatis. *Ad* 2. esto, Dominos Provinciarum ab iter facientibus vectigalia capere, inde tamen absque Lege inferendum non est, quòd propterea obligentur ad compensandum damnum viatori à Prædonibus datum, cum jus exigendi vectigalia Principibus, Comitibus, & aliis Magistratibus datum sit, vel *ad angustiarum solatia*, ut loquitur *l. vectigalia* 10. *C. de vectigal.* vel ad compensanda dispendia, quæ pro publicis necessitatibus tolerant *l. final C. eodem*.

§. III.

De Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

82 *&c. Quinam sint, & dicantur Incendiarij?*
86 *&c. Quotuplicis sint generis?*
88 *Incendium potest contingere casu,*
89 *Culpa.*
90 *Et Dolo.*
91 *Dolus nunquam præsumitur.*
92 *&c. In dubio præsumitur Incendium contigisse casu fortuito.*
95 *Quæ probatio requiratur, ut dicatur contigisse culpa?*
96 *&c. Quis obligetur ad reparandum damnum, si culpa alicujus probata est?*
99 *Quæ sit pœna Incendii excitati culpa?*
100 *Pœna illius excitati dolo de Jure Civili.*
101 *&c. Pœna Juris Ecclesiastici.*
104 *&c. In quibus personis, & casibus pœna ordinaria Incendiariorum locum habeat?*
106 *&c. Quibus casibus sit mitiganda?*
112 *&c. An exasperanda propter frequentiam?*
115 *Quinam censeantur esse Violatores Ecclesiarum, & quæ sit eorum pœna Jure Imperiali antiquiori?*
116 *Recentiori Ordinationis Carolinæ?*
117 *Ecclesiastico?*
118 *Quid requiratur, ut incurrant Excommunicationem?*
119 *An sint ad pœnitentiam admittendi?*

82 QUæritur 1. quid sint *Incendiarii*? Resp. *Incendiarij* hoc loco vocantur, qui doloso, ac deliberato animo, & sive odio, & vindictæ, sive alicujus commodi, & lucri consequendi studio impellente, oppida, pagos, prædia, domos, aut alia ædificia, vel bona aliena, ut segetes, acervos fructuum, fœni &c. per se, vel per alios apposito igne incendunt, vel ad hoc auxilium, aut consilium scienter præstant *can. cum devotissimam* 8. *caus.* 12. *q.* 2. *can. pessimam* 32. *caus.* 23. *q.* 6. *c. si quis domum* 6. *de Injur.* Pirhing *hic n.* 47. Konig *n.* 19. Vviestner *n.* 31. Reiffenstuel *n.* 25.

83 *Ex quo sequitur* 1. non esse Incendiarium, qui propriam domum, vel segetem incendit, quamvis peccet abutendo re sua. Pirh. *hic n.* 47. *Excipitur*, nisi hoc faciat eo fine, ut propria domo, vel segete conbusta, ignis vicinorum quoque domus, aut segetes corripiat, easque consumat; nam iste, etiamsi flamma mox extinguatur, & non nisi Incendiarii ædes comburat, vicinis verò ædibus non noceat, nihilominus Incendiariorum supplicio debet affici. Carpzov. *pract. crim. q.* 38. *n.* 46. quia per eum non stetit, quo minus vicinæ ædes fuerint inflammatæ, quippe quas, nisi conservatæ fuissent protectione Divina, & hominum industria, Reus volebat perditas.

2. Non est Incendiarius, neque Incendiariorum pœnis subjacet, qui alienam domum, vel aliam rem incendit authoritate, vel mandato ejus, qui potestatem habet indicendi bellum. Pirhing *l. cit.* siquidem bellum justum sit, secus est, si bellum sit apertè injustum, aut ab eo mandatum datum, qui non habet potestatem indicendi bellum. Et hinc, qui in seditione, vel ab hostibus publicis emissi domos & villas incendunt, mandato suo incendere jussi sunt a pœnis Incendiariorum non excusantur. 84

3. Denique non est Incendiarius, qui negligentia sua est causa incendii; quamvis enim iste teneatur ad interesse, & damnum reparandum *c. fin. de Injur.* non tamen tenetur pœna Incendiarii, nisi fuerit tam lata culpa, ut dolo sit proxima *l. si fortuito* 11. *ff. de Incend.* Host. *Summ. h. tit. de Incendiar. n.* 1. Sylv. *V. Incendiarius n.* 1. Pirh. *n.* 47. Reiffenst. *n.* 26. 85

Quæritur 2. quotuplicis generis sint Incendiarii? Respond. alii sunt *Simplices*, alii *Conductitii*, quòd certa pecuniæ summa conducti, operam suam ad committendum incendium locent. *Priores* Joan. Schneid. *in §. capite* 14. *Inst. de Leg. Aquil. n.* 5. *vers. de Jure veteri Saxon.* vult simpliciter vocari Brenner, & gladii pœna afficiendos: posteriores verò indigitari per vocem Mordbrenner, & puniendos rota. 86

Sed usu Tribunalium constat, omnes etiam simplices incendiarios affici pœna ignis, neque inter hos, & conductitios in vulgari nostra sit nomenclationis discrimen, cùm indifferenter Incendiarii omnes Germanicè Mordbrenner appellari queant: nisi fortè Mordbrenner illos vocare velis, qui incendium necandi, spoliandique causa committunt; Brenner verò eos, qui solo odio, invidia, & nocendi libidine agitati, nullius alterius lucri, vel spolii intuitu, certam aliquam domum, vel prædium incendunt: quam differentiam non improbat Carpzov. *q.* 38. *n.* 12. 87

Quæritur 3. quot modis contingere possit Incendium? Respond. tribus modis hoc potest, contingere, casu, culpa, & dolo. Si *casu* contigerit, ut culpa caret, sic etiam à pœna immune est, neque obligationem reparandi damnum illatum affert. Gaill. *l.* 2. *obs.* 21. *num.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 110. *à n.* 3. Konig *hic n.* 25. *vers. incendii*, Reiffenstuel *n.* 31. Vviestner *nu.* 32. & constat ex *l. fortuito* 11. *ff. de Incend.* junct. *l. si quis* 9. *§. si colonis* 3. *ff. locat.* ibi, *Siquidem fortuitus casus incendii causam intulerit, non præstabit periculum Locator.* 88

Si *culpa*, distinguendum est; nam si *culpa lata* contigerit, ejusdem reus in foro utroque tenetur ad reparationem ædium incendio consumptarum, & aliorum damnorum; si verò *Levi*, aut *Levissima*, in foro externo quidem condemnatur ad interesse, in interno autem, & ante Judicis sententiam ad nihil obligatur; quia in hoc foro ad reparationem solùm obligat culpa Theologica, & quæ hanc supponit, scilicet Culpa lata. Sylv. *V. Culpa n.* 6. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 698. *n.* 6. Vviestner *n.* 33. Reiffenst. *n.* 30. 89

Superest igitur, ut pœna Incendiariorum ordinaria duntaxat tangat reos Incendii dolo causati; nam quæcunque Culpa etiam lata in delictis non æquiparatur dolo *l. in lege Cornelia* 7. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* Gloss. *ibid. V. culpa lata*, Clar. *§. fin. q.* 84. *pr.* Farin. *prax. crim. q.* 110. *n.* 10. Vviestner *n.* 34. 90

Quæritur 4. Quonam modo ex tribus hactenus recensitis excitatum præsummatur incendium, in alicujus ædibus exortum, de cujus origine, & authore non constat? *Certum est*, non præsumi excitatum dolo; nam dolus nunquam præsumitur *l. meritò* 51. *ff. pro Socio*, sed perspicuis indiciis probandus est *l. dolum* 6. *C. de Dol. mal.* Reiffenst. *hic n.* 36. 91

Dubium est, an casu fortuito, an verò inhabitantium culpa præsumatur exortum? Fachin. *l.* 1. *contra cap.* 87. Vvesenbec. *ff. de Incend. n.* 6. Carpzov. *pract. crim. q.* 39. *a num.* 62. Pirhing *hic num.* 49. *vers. præterea*, Reiffenstuel *ibid. n.* 37. putant, quod præsumendum sit potius 92

tius

tius exortum culpa inhabitantium: conf. docent, Patremfam. cùm hic alias ex domesticorum culpa obligetur, teneri hoc casu ad reparationem damni, per incendium in suis ædibus exortum vicinis illati, si non probaverit id casu accidisse: quam sententiam theoricè veriorem censet Haun. *tom. 6. de J. & J. tr. 2. n.* 342. *Rationem* dant, quia in dubio præsumitur id, quod plerumque contingit. Ædium autem incendia culpa inhabitantium plerumque excitantur *l. nam salutem* 3. *§. cognoscit* 1. *ff. de Offic. Præf. vigil.* & *l. si vendita* 11. *ff. de peric. & commod. rei vendit.* ergo &c.

93 Sed dicendum, incendium tale, nisi probetur ortum culpa alicujus hominis certi, inter casus fortuitos numerandum. Alex. *cons.* 50. *n.* 9. Gaill. *l.* 2. *obs.* 21. *n.* 2. & *obs.* 23. *n.* 4. Farin. *prax. crim.* q. 110. *n.* 93. Harpprecht *in §. capite* 14. *Inst. de Leg. Aquil. nu.* 9. Vviestner *hic n.* 37. Reiffenstuel *ibid. n.* 37. & 38. & sumitur ex *l. contractus* 23. *ff. de R. J. l. si ut certo* 5. *§. quod verò* 4. & *l. in rebus* 18. *ff. commodat.*

94 *Ratio est*, quia etsi incendium præsumatur ortum culpa inhabitantium, & quidem omnium, quando de uno certo non constat, tamen hæc præsumptio non sufficit ad condemnandum omnes, vel unum; nam ad hoc requiritur probatio certa aut verè, aut præsumptivè, & dubia non sufficit *capit. in præsentia* 8. *de Probat.* igitur si post inquisitionem, quæ utique fieri debet; contra aliquem in specie culpa præsumi non potest, debent absolvi omnes, & ipse etiam Paterfam. cùm utique æquum non sit, ut hic præter maximum detrimentum proprium sine sua culpa ferat damnum, quod aliis alterius, præsertim incerti negligentia damnum est, ne afflicto addatur afflictio contra Regulam, sumptam ex *c. ex parte* 5. *de Cler. ægrot.* & *l. Divus* 15. *pr. ff. de Offic. Præsid.*

95 Dixi *verè*, *aut præsumptivè*; nam ad probandam culpam, ex qua incendium oritur, sufficiunt præsumptiones, & conjecturæ, modò tales illæ sint, quæ moralem faciant certitudinem. Gabr. *cons.* 159. *n.* 7. *& seqq.* nam in dubio contra aliquem certum procedi non potest. Quænam autem præsumptiones, & conjecturæ culpam aliquorum sufficientes probent, explicat Farin. *q.* 110. *cit.* ubi totam hanc materiam latè discutit.

96 Superest ergo quæstio, quis ad reparandum damnum, incendio datum, obligetur, quando hoc ortum probatur ex culpa alicujus hominis certi? quæ tamen facilè solvitur distinguendo, an sit ortum ex culpa ipsius Patrisfam. in domo propria, an verò ex culpa alicujus alterius. *Si ex culpa ipsius Patrisfam.* hic ad reparandum damnum, ex incendio vicinis ortum, tenebitur secundum dicta *num.* 96. *Si ex alterius culpa*, videndum, an ortum sit ex culpa famuli, an alterius ædes incolentis.

97 *Si hoc secundum*, Patref. circa reparationem damni, ex incendio orti, conveniri non potest, cum rationem pro cæteris inquilinis non teneatur reddere, nisi illi suspecti essent, & iste ipse, dum pro talibus habebantur, recepisset. *Si primum*, Paterfamilias ex culpa famuli solum tenetur, si hic deliquit in officio, & a Patref. sciente cum negligentem esse, assumptus fuit: secus, si pro fideli, & diligente communiter fuit habitus. Mascard. *concl.* 894. *num.* 19. Farin. *prax. crim. quæst.* 110. *num.* 115. Carpzov. *pract. crim. q.* 39. *num.* 53. *& seqq.* Vviestner *hic numer.* 37. Reiffenstuel *ibid. numero* 40.

98 Dixi, *si hic deliquit in officio*; nam siquid extra officium sibi commissum patravit, ut si ignem a focario, coquo aut aliis officio isti a Patrefam. præpositis rectè subjectum, tectum, extinctum, vel sopitum alius ex domesticis suscitet, accendat, negligenter custodiat, & sic incendii causam præbeat, facto, vel delicto illius dominus non obligatur: & ratio est, quia Patref. non præstat culpam illorum, qui deliquerunt in officio, & quod ab ipso deputati non sunt. Estque perinde, sive sint famuli, sive uxor & liberi, sive advenæ, & extranei, quorum opera Patref. non fuit usus. Mascard. *de probation. Concl.* 892. *n.* 11. & 12. Menoch. *l.* 2. *arbitr. cas.* 390. *n.* 12. Carpzov. *q.* 39. *cit. n.* 54. & 55.

99 Quæritur 5. quænam sit pœna incendii culpa, aut dolo excitati? Respond. incendii culpa quacunque, etiam lata, sine dolo excitati pœna certa per Leges definita non est: hinc dictanda est arbitrio Judicis, qui id faciet, adducta in considerationem qualitate culpæ, incendii ex ea orti, & personarum, pro quarum varietate plecti potest, & solet vel severa reprehensione, vel mulcta pecuniaria, vel etiam corporali v. g. incarcerationis, relegationis, fustigationis aut alia simili pœna, citra mutilationem tamen, & mortem. Farin. *prax. crim. quæst.* 110. *num.* 115. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 39. *a num.* 33. Vviestner *hic num.* 34. Reiffenstuel *ibid. num.* 29.

Incendii dolo excitati rei Jure Imperiali veteri pro 100
qualitate personarum, incendii, & damni ex eo orti multabantur exilio, deportatione in Insulam, vel capite plectebantur, aut verberati tradebantur bestiis, vel comburebantur *l. qui ædes* 9. & *l. fin. ff. de incend. l. siquis* 10. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & *l. capitalium* 28. *§. incendiarii* 12. *ff. de pœn.* Recentiori autem *Ordinationis Carolinæ art.* 125. Incendiarii dolosi, absque ulla personarum, & damni distinctione jubentur vivi comburi: ad evitandum tamen desperationis periculum, præsertim si reus sit penitens, prius ei intercluditur spiritus, quam comburatur, prout statutum est Jure nostro Provinciali Bavarico Malefiss *Process. Tit.* 8. *art.* 9.

Jure Ecclesiastico distinguendum est inter Incendiarios Clericos, & Laicos. In *Clericos* nulla pœna certa est prodita, forte quia Conditores Canonum non sunt arbitrati aliquem Clericorum tantum scelus patraturum sine omni sua voluptate, aut utilitate, & cum magna aliorum jactura: hinc arbitraria est eorum animadversio. Diaz *pract. crim. c.* 109. Pirhing *hic n.* 50. Quoad *Laicos SS.* Canones distinguunt inter eos, qui incendunt Ecclesias, Cœmeteria, aliaque loca Sacra, & Religiosa, vel his contigua ad 30. passus, & inter eos, qui incendunt, vel mandant incendii ædificia alia profana. 101

Priores incurrunt Excommunicationem ipso facto *can. canonica* 107. junct. Gloss. *V. violatores caus.* 11. *q.* 3. & *can. omnes Ecclesiæ* 5. *caus.* 17. *numer.* 4. a qua Excommunicatione ante denuntiationem quidem absolvere potest Episcopus, post denuntiationem verò eorum per Ecclesiam factam solus Papa *capit. tua* 19. *de Sent. excomm.* Host. *Summ. Rubr. de Incendiar. h. tit. num.* 9. Sylv. *V. Incendiarius quæst.* 1. *num.* 2. Clar. *§. fin. q.* 77. *num.* 19. & 20. Farin. *q.* 110. *num.* 15. Barbos. *in cap. tua cit. n.* 2. Gonzal. *in c.* 5. *h. tit. num.* 5. Vallens. *hic §.* 3. *n.* 5. *vers. quantum*, Zoes. *ibid. num.* 9. Pirhing *num.* 49. Konig *num.* 25. *vers. ob incendium*, Reiffenstuel *nu.* 35. Vviestner *n.* 39. *Excipitur* articulus mortis; nam in hoc Incendiarios pœnitentes absolvere potest quilibet Sacerdos, & absoluti sepeliri in cœmeterio, seu loco Sacro. Vallens. *l. cit.* 102

Posteriores per sententiam excommunicandi sunt *can. siquis* 31. & *can. pessimam* 32. *caus.* 23. *quæst.* 8. Sed consuetudine & ipsi Excommunicationem ipso Jure, & facto incurrunt, prout cum *Host.* & *Sylv. loc. citt.* afferunt Azor. *p.* 1. *l.* 9. *c.* 17. *q.* 11. Barbos. *hic n.* 4. Pirh. *num.* 42. *vers. incendiarii*, Vviestner *num.* 39. Reiffenstuel *nu.* 32. Præterea nec isti, nec priores sunt admittendi ad pœnitentiam, absolvendi, aut sepeliendi in loco Sacro, nisi prius damna resarciant, aut de iis resarciendis cautionem præstiterint *can. pessimam cit.* & *c. litteris* 5. *h. tit.* Quodsi cautione ante mortem præstita, Incendiarius pœnitens fuerit absolutus, in loco Sacro sepeliri poterit, ita tamen, ut hæredes illorum ad reparationem damnorum, ex incendio secutorum, teneantur, & compellantur, quantum facultates defuncti ferunt *c. in litteris cit.* quia adeundo hæreditatem videntur ex quasi contractu se obligare ad ea, ad quæ tenebatur defunctus *l. ea depositi* 22. *ff. de O. & A.* Vivian. *in c. cit. pr.* Barbos. *ibid. n.* 1. Vallens. *n.* 5. *cit.* Zoes. *n.* 11. Konig. *n.* 25. *vers. ob incendium.* 103

Quæritur 6. in quibus personis, & casibus pœna ordinaria Incendiariorum, nempe ignis locum habeat? 104
Respond. 1. locum habet in omnibus cujuscunque sortis, & conditionis reis: adeoque nec fœminas excusat fragilitas sexus; quia hæc eas non subtrahit a pœnis ordinariis, nisi in casibus Jure expressis. Tiraquell. *de Pœn. temper. caus.* 9. *num.* 5. & *caus.* 11. *nu.* 23. Oddus *de rest. in integr. p.* 1. *q.* 10. *art.* 5. Farin. *prax. crim. q.* 98. *num.* 11. Carpzov. *pract. crim. q.* 38. *numer.* 19. & *seqq.* Neque ab hac pœna recentiori Jure *Const. Carolin. citat.* immunes sunt Nobiles, vel alia in dignitate constituti; quia

quia *cit. Constitutio* loquitur generaliter. Qui autem generaliter loquitur, nihil excludit, & pro expresso habetur, quod in genere statutum est. Tiraquell. *Leg. connub. gloss.* 8. *n.* 87. *& seqq.*

15 2 Locum habet in Imperio Romano nunc post *Constit. Carolin. cit.* pœna ignis, sive in civitate, sive in villa, & pago incendium sit excitatum, ob generalitatem textus *art.* 125. qui indifferenter pœnam ignis huic delicto decernit. Adeoque non minus pœna ignis afficiendus, qui in domo rustica, villa, vel pago incendium excitat, quam is, qui in civitate Palatium igne comburit: neque refert, an ædificia, in quibus incendium factum, constructa sint ad inhabitandum, vel ad alium usum, ut sunt torcularia, officinæ artificum, reconditoria fœni, & frumenti, stabula &c. & extenditur etiam ad eos, qui non ædificia, sed frumenti acervum, ligna, & res similes dolosè incendunt. Carpzov. *quæst.* 39. *citat. à num.* 31. & ab hoc *citt.*

6 3 Pœna ignis locum habet, sive ingens & magnum, sive modicum etiam damnum ex inflammatione provenerit; quia *Constitut. Carolin. in art.* 125. *cit.* indifferenter incendiarios ad pœnam ignis condemnat, nec considerat qualitatem damni per conbustionem dati sed nequitiam incendiarii, & atrocitatem delicti, accedente periculo incendii majoris, quod facilè evenire potuisset, licèt Deo impediente non evenerit. Carpz. *loc. citat. num.* 38. *&* 39. Atque hinc 1. eidem pœnæ subjacet, qui materiam igni concipiendo aptam in ædibus deposuit, & nocendi animo inflammavit, licèt ipsæ ædes nondum ardere cœperint. Carpzov. *numer.* 41. *&* 42. 2. qui proprias ædes incendit, eo fine, ut iisdem combustis, etiam vicinorum domus corriperentur, licèt, antequam hoc fieret, ignis fuerit extinctus. Carpzov. *numer.* 46. 3. qui damnum, quod scelere suo dedit, vult resarcire, & ad restitutionem se offert. Carpzov. *num.* 44. & ratio est, quia nec transactio, nec remissio, delinquenti à parte læsa facta, vindictæ publicæ derogare, vel eidem præjudicare potest *leg. inter* 2. *Codic. inter alios acta &c.*

7 4 Quoad pœnam ignis infligendam nihil interest, an quis ipse incenderit, an verò alium hoc facere jusserit; uterque enim, mandans scilicet, & mandatarius, conductor, & locator huic pœnæ subjicitur. Carpzov. *num.* 48. Et quidem quoad *mandatarium*, *& locatorem*, qui mercede accepta operam suam ad inflammandum locat, nullum est dubium; quia in delictis ob mandatum acceptum nemo excusatur. Bartol. *in l. non solum §. si mandato ff. de injur.* Decian. *tract. crim. lib.* 9. *cap.* 37. *num.* 1. Carpzov. *num.* 49. Quin gravius peccat, qui lucri causa tam horrendum crimen non veretur committere, quam qui odio, & invidia agitatus hoc facit. Bartol. *loc. citat. num.* 14. Damhud. *prax. crim. cap.* 83. *num.* 4. Farin. *quæst.* 123. *numer.* 5. Carpzov. *num.* 50. Quoad *mandantem*, *& conductorem* pariter constat; quia quod quis per alium facit, ipsemet facere censetur *cap. qui facit* 72. *de R. J. in* 6. *& l. is damnum* 169. *ff. eod.* Salicet. *in l. non ideo minus Cod. de accus. quæst.* 6. & hujus gravius crimen est, quam mandatarii: quia triplici modo delinquit, in seipsum, in mandatarium, quem corrumpit, & in eum, cujus ædes comburuntur. Carpzov. *n.* 54.

8 5 Extenditur pœna ignis etiam ad eos, qui ab aliis offensi, & ulcisci volentes incendunt; neque enim offensio antecedens relevare eosdem potest, cum tantum facinus inter modos defensionis legitimæ referri nequaquam possit, præsertim si offensio diu antè præcesserit, & temporis spatio sopita, vel extincta fuerit. Carpzov. *num.* 58. *& duobus seqq. Neque obstat*, quod juxta vulgatam Regulam delictum ira commissum mitius puniri soleat: nam Regula ista tum solum vera est, quando ira ex justa causa provenit, & delinquens versatur in licitis, prout fit, quando aliquis ab alio per injuriam percussus, calore iracundiæ commotus, defensionis modum excedendo excidit. At incendiarius versatur in re planè illicita, & defensionem nullam potest prætendere, cum incendium non sit modus defensionis. Carpzov. *numer.* 63.

Quæritur 7. quibus casibus pœna Incendii ordinaria sit mitiganda? Jam dictum est *num.* 89. *&* 90. pœnam ordinariam non habere locum, quando incendium casu, vel culpa contigit. Præterea tres maximè aliæ causæ excusant à pœna ordinaria.

1 Si reus pœniteat, crimine nondum perfecto, & consummato, materiamque igni concipiendo aptam, & inflammatam alicubi depositam auferat, antequam incendium exoriatur. Coler. *part.* 1. *decis.* 186. *n.* 2. quia dolum pœnitentia aliquo modo purgat, & reum, delicto non consummato, excusat. Host. *in cap. pro humani num.* 22. *vers. si vero perficere de homicid. in* 6. Felin. *in cap.* 1. *num.* 4. *de præsumpt.* Clar. *§. fin. qu.* 60. *num.* 21. Farin. *prax. crim. quæst.* 124. *num.* 150. Heig. *quæst.* 32. *num.* 15. *& seqq.* Carpzov. *pract. crim. qu.* 39. *num.* 3. *&* 4. qui *num.* 5. *seq.* ob hanc rationem non ignis, sed gladii pœna plectendum existimat eum, qui in ipso actu delicti, incendio jam exorto, pœnitet, & ut damnum majus avertat, homines ad flammam extinguendam convocat; quamvis enim, delicto jam perfecto, locus pœnitentiæ non sit amplius, neque ea post crimen consummatum ab omni pœna excuset, ordinariam tamen mitigari suadet.

2 Si reus causam aliquam prætendat, ex qua ipsum non jam dolosè, ac deliberato, & perverso animo, quam ex simplicitate quadam deliquisse conjecturari potest. Carpzov. *loc. citat. numer.* 9. Quænam autem causa tanti sit ponderis, ut reum excuset à pœna ordinaria ignis, arbitrio Judicis relinquendum est; nam hujus est sagaciori studio circumstantias, & causæ qualitates quasvis perpendere, & examinare, quas si sufficientes, & prægnantes esse invenerit, ignis supplicium in gladii pœnam commutare poterit; modò de causa excusationis certò constet, vel quòd conjecturis, & præsumptionibus probata fuerit, vel eam reus in tortura obtinuerit; aliàs enim quilibet incendii reus, fingendo aliquam causam, severitatem pœnæ, & ignis cruciatum posset effugere. Carpzov. *numer.* 11. 110

3 Si reus adhuc sit minorennis, & licèt sit pubes, paucos tamen annos post inchoatam pubertatem excesserit, quales sunt, qui anno decimo sexto, vel decimo septimo hoc delicti genere se contaminant; licet enim minor ætas delinquentem in totum neutiquam excuset, tamen quia infirmius est hominum hujus ætatis judicium, minor in hoc, quàm in majore apparet perversitas, ut propterea meritò puniantur mitius. Clar. *§. fin. quæst.* 60. Decian. *cons.* 24. *num.* 4. *lib.* 3. Menoch. *de arbitr. cas.* 329. *n.* 1. Farin. *quæst.* 92. *num.* 41. & hinc Carpzov. *loc. citat. num.* 14. gladi pœna hos afficiendos existimat. 111

Quæritur 8. utrum casu, quo Incendiarius sæpius iteravit hoc crimen, Judex pœnam ignis exasperare possit, addito majoris alicujus reatus judicio, nempe ut reus vel trahæ illigatus ad locum supplicii rapiatur, vel ante executionem forcipibus candentibus prehendatur, & adutatur? Rationem dubitandi facit 1. *Constitutio criminalis Caroli V. art.* 130. ubi exasperatio hæc respectu criminis Veneficii, & Latrocinii ob enormitatem, & reiterationem permittitur. 2. reiteratio delicti regulariter graviorem requirit pœnam, ut DD. ferè communiter docent. 3. ex causa Judex pœnas ferè quas vis pro arbitrio exasperare, & aggravare potest *l. & si severior* 3. *Cod. ex quibus caus. infam. irrog. & ibi* Glossa, atque DD. 112

Sed tenenda videtur negativa cum Carpzov. *pract. crim. quæst.* 58. *num.* 71. quòd nuspiam aliquid de ista exarperatione supplicii in Incendiariis per Leges sit constitutum, adeoque hoc temere asseverandum non sit; aliàs etiam adulter ob reiterationem adulterii, & fur ob repetitionem multiplicis furti candenti ferro lacerari deberet: quod aperte falsum est. Bald. *in l. quicunque* 4. *col.* 2. *Cod. de Serv. fugit.* Jason *in l. eum qui* 30. *§. in popularibus num.* 5. *ff. de injur.* Reusner *l.* 2. *decis.* 20. *num.* 13. 113

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. pœna ignis gravior per se jam est pœna Rotæ, qua Venefici, & Latrones afficiuntur; igitur licèt ista quandoque ob reiterationem exasperetur, non tamen sequitur etiam exasperandam pœnam ignis, sed locum habebit Regula, quod in pœnalibus, & odiosis extensio ad casus non expressos fieri non debeat; 114

Ad 2. id verum est in delictis leviusculis, aut non capitalibus, in quibus Judex tutò pœnam mitiorem, aut leviorem exasperare potest. Farin. *qu.* 23. *num.* 5. aut si lex expressa exasperationem pœnæ in atrocissimis admittat. *Ad* 3. exasperatio Judici permittitur, quando aliud crimen diversi generis concurrit, e. g. Incendium cum Latrocinio, non verò quando idem reiteratur, nisi hoc Lege expressum sit.

115 Quæritur 9. quinam censeantur esse Violatores Ecclesiarum, & quæ sint eorum pœnæ? Resp. hoc nomine hic veniunt, qui Ecclesias, aliaque loca Sacra, aut Religiosa violenter effringunt, aut spoliant. Pirhing *hic num.* 54. Reiffenstuel *ibidem numer.* 42. *Antiquiori Jure Imperiali* pro qualitate delicti, & delinquentium, aliarumque circumstantiarum varietate multabantur exilio, vel deportatione ad Insulam, vel damnabantur ad metalla, aut etiam ad bestias, vel plectebantur capite, aut suspendebantur, aut vivi comburebantur *l. sacrilegi 9. l. hac lege* 10. *ff. ad Leg. Jul. Peculat. l. siquis* 10. *& Auth. Cod. de Episcop. & Cleric.*

116 Hodierno Jure *Ordin. Carolin. art.* 172. *& duob. seqq.* qui Hierothecam cum Sacra Hostia abstulerit, jubetur comburi vivus; qui calicem, patenam, vel aliud vas sacrum aureum, vel argenteum cum, vel sine Reliquiis, præsertim cum effractione, supplicio capitis; qui verò alias res Sacras v. g. candelabrum, mappas Altaris, aut res privatas depositas interdiu, & sine fractura abstulerit, sicut furti profani reus, non tamen ita facilè, sicut hic, mitigata pœna, plectendus est. Vviestner *hic num.* 40. Reiffenstuel *ibidem num.* 45.

117 *Jure Ecclesiastico* verisimilius, ut Ecclesiarum incendiarii, violentiæ, & spoliationis in Ecclesia commissæ rei incurrunt ipso facto Excommunicationem *can. canonica* 107. *caus.* 11. *quæst.* 3. *can. omnes* 5. *can. quisquis* 21. §. *siquis domum caus.* 17. *quæst.* 4. & præcipuè *cap. conquesti* 22. *de Sent. Excomm.* ibi, *Excommunicatos nuntietis*: quæ verba propriè supponunt jam Excommunicationem ab ipso Jure latam esse, eamque ab homine, seu Judice publicandam, ut explicant Suarez *D.* 22. *de Censur. sect.* 2. *n.* 10. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 3. Konig *ibidem n.* 33. eritque hæc reservata Summo Pontifici. Suar. *loc. cit. n.* 4. Sayr. *de Censur. l.* 3. *c.* 29. *à n.* 13. & alii apud Barbosa *in cap. conquesti cit. n.* 2.

118 Porro ad Excommunicationem hanc incurrendam non sufficit sola effractio, quamvis violenta, sed necesse est, ut sequatur aliqua spoliatio Ecclesiæ, & ut eo fine fiat per furtum, sive per aliam gravem læsionem, illatam in bonis, & rebus Ecclesiæ: sicut vice versa nec sufficit, si spoliatio, etsi gravius, fiat sine effractione. Alii vero Sacrilegi violatores Ecclesiarum citra effractionem, & spoliationem, ut siquis furetur calicem ex Ecclesia sine violenta effractione, non incurrunt ipso facto Excommunicationem, sed sunt excommunicandi. Gloss. *in cap. conquesti citat. V. excommunicatos.* Suar. *sect.* 2. *citat. num.* 6. Pirhing *hic n.* 54. & constat ex *cap. fin. de Furt. & cap. conquestus* 16. *de for. compet* ubi dicitur, Invasores Ecclesiæ, tanquam Sacrilegos, anathemati usque ad congruam satisfactionem supponendos esse. Non ergo sunt ipso Jure excommunicati, sed per sententiam excommunicandi. Pirhing *loc. cit.* Reiffenstuel *n.* 43.

119 Præterea si satisfacere noluerint, ad pœnitentiam non admittuntur; si autem volentes nequiverint, pœnitentibus quidem absolutio, & Sacrum Viaticum non denegatur, eorum tamen Sepulturæ interesse Clerici prohibentur *cap. super eo* 2. *de Raptorib.* Barbosa *ibidem n.* 2. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 3. Pirhing *hic n.* 55. Vviestner *n.* 41. Reiffenstuel *n.* 42.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

POst Raptus, & Rapinæ crimen sequitur *Furtum*: cujus vocis triplex acceptio est. 1. *lata*, prout Sacrilegium, Peculatum, Abigeatum, Expilationem, & quamcunque aliam injustam rei alienæ acceptionem includit. 2. *strictior*, prout à præcedentibus contra distinguitur, quia tamen in hac acceptione à modo auferendi, an scilicet clam, & sine vi, an verò palam, & vi intentata fiat, adhuc Rapinæ delictum comprehendit. 3. *strictissimè*, *& specificè*, prout per violentiam, quæ essentialis Rapinæ est, etiam ab ista distinguitur, & designat speciale aliquod delictum privatum: in quo sensu accipitur in præsenti Rubrica. Quare sit

§. I.

De Furti Natura, & Varietate.

SUMMARIUM.

QUæritur 1. quid sit *Furtum*? Resp. duo in quæstione hac expendi debent, scilicet *primò* Etymologia istius Nominis, *& secundò* ipsa Delicti, hoc nomine significati, essentia. Et quidem §. *furtum autem* 2. *Instit. de oblig. quæ ex delict. & l. furtum* 1. *princ. ff. hoc tit.* hujus Nominis Etymologia juxta diversa JCtorum placita affertur quadruplex. 1. enim aliqui cum Labeone putabant dictum à *Furvo*, i. e. nigro, quod clam, & in obscuro fiat, & plerumque noctu. 2. alii cum Sabino à *Fraude*; hinc fraudulosa rei contrectatio dicitur *l. furtum citat.* §. *fin.* 3. non pauci à *ferendo*, *& auferendo*; sibi enim fur affert, & alii aufert. 4. A Græco vocabulo *Phor*, quod Latinè *Furem* significat. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 681. *num.* 1. Farin. *prax. crim. quæst.* 165. *num.* 8. Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. Manz. *ad* §. *furtum autem cit. n.* 1. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 1. Pirhing *num.* 1. Konig *num.* 1. Reiffenstuel *num.* 2. 1

Duplex autem Furti communiter affertur Definitio; 2
nam *primò* TT. cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 3. dicunt, quòd *Furtum* sit *occulta acceptio rei alienæ, domino rationabiliter invito.* Azor *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 11. Sylv. *V. Furtum num.* 1. *pr.* Molin. *D.* 681. *citat. nu.* 14. *vers. S. Thomas*, Less. *lib.* 2. *de J. & J. cap.* 12. *num.* 1. Layman *num.* 1. *cit.* Illiung *tract.* 4. *D.* 3. *n.* 127. Pirhing *hic num.* 1. Reiffenstuel *num.* 2. *Contra* Juristæ communius cum Paulo JCto, & Imp. ajunt, quòd Furtum sit *fraudulosa contrectatio, sive acceptio rei alienæ, vel ipsius usus, aut possessionis ejusdem, lucri faciendi causa*, prout habetur §. *furtum* 1. *Inst. de oblig. quæ ex delict. & l. furtum cit.* §. *fin.* Sylv. *V. furtum num.* 1. Azor *cap.* 11. *citat. V. furtum à Jurisperitis*, Molin. *D.* 681. *n.* 2. Less. *loc. citat.* Farin. *quæst.* 165. *num.* 5. Layman *cap.* 1. *num.* 1. Manz. *ad* §. *furtum citat. num.* 4. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 2. *num.* 253. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 3. Pirhing *n.* 1. Konig *num.* 3. Vviestner *num.* 1. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 1. *n.* 1.

Addunt aliqui, *Rei mobilis, & corporalis*; quia in 3
rebus immobilibus, ut sunt agri, & incorporalibus, ut sunt jura, actiones, & servitutes, furtum propriè committi non potest *l. verum ff. hoc tit.* quia talia nequeunt attrectari, vel auferri, ideoque dicuntur potius vi, vel dolo occupari, usurpari, aut retineri, quam furto surripi. Sylv. *num.* 1. *citat.* Azor *cap.* 11. §. *dicitur primò*, Pirhing *hic n.* 5. *fin.*

Quæritur 2. quotuplex sit Furtum? Resp. variè 4
hoc JCti dividunt 1. in Furtum manifestum, &

nec manifestum, seu non manifestum §. *furtorum autem* 3. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* & *l. furtorum* 2. *ff. hoc tit. Manifestum* est, cùm is, qui furatur, in ipso facto, seu actu furandi, vel in loco, in quo furtum factum est, sive publico, sive privato, antequam inde egrederetur, vel postquam egressus inde est, cum re furtiva? antequam illam perferret in locum, ad quem destinaverat illam perferre; & ea die cum eadem re permanere, sive è domino, sive à quovis alio est visus, vel deprehensus §. *furtorum autem cit. l. fur* 3. & *seqq. ff. hoc tit. Ex quo colligitur*, quod *Furtum nec manifestum*, seu *non manifestum*; nam ut §. *citat. fin.* Imperator ait, *quod manifestum non est, id scilicet nec manifestum est*; Adeoque *Furtum non manifestum* est, quando fur non est visus, vel deprehensus cum re furtiva, vel si deprehensus est, primum deprehensus est, postquam pertulit rem furtivam ad locum, quò destinavit deferre §. *furtorum cit.* ibi, *sed si pertulit, quo destinavit, tametsi deprehendatur cum re furtiva, non est manifestus fur*.

Perinde autem est, sive deprehendatur in loco publico, sive privato *l. sive igitur* 5. *ff. hoc tit.* Item parvi refert, an deprehendatur ab eo, cujus est res furto ablata, an ab alio *l. fur est cit.* §. *parvi refert* 1. & *l. siquis* 7. §. *fin. ff. eod.* ibi, *Parvique referre putat, dominus, an vicinus, an quilibet transiens apprehendat*. Hodie tamen differentia inter Furtum manifestum, & non manifestum recessit ab Aula; quia pœna pecuniaria dupli, aut quadrupli mutata est in corporalem, ut notat Farin. *prax. crim. quæstio* 165. *numer.* 25. & *quæst. seq. numer.* 18. Manz. *ad* §. 3. *Inst. de oblig. quæ ex delict. numer.* 4. & *ad* §. 5. *numer.* 11. *eod.* & vix unquam petitur duplum, aut quadruplum. Oldendorp. *Forens. act. class.* 7. *act.* 3. *in pract. n.* 4. Mynsing. *ad* §. *ex maleficiis n.* 21. & 24. *Inst. de Action.* quamvis ex Jure *Const. crim. Carol. V. art.* 157. & 158. peti posset. Manz. *num.* 11.

Dividitur 2. in *Furtum parvum*, cujus æstimatio est infra 5. solidos; & *magnum*, cujus æstimatio quinque solidos, seu aureos Hungaricos æquat, aut excedit. *Const. crim. cit. art.* 157. & 160. Konig *hic numer.* 5. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 1. *num.* 10. An autem Furtum excedat quinque solidos, id non ex eo, quod forsan ex re furtiva ad furem pervenit, *Wie hoch er es ohngefehr ferkaufft*, est æstimandum, sed ex vero valore ipsius rei contrectatæ per *Constitut. Carolin. citat. art.* 160. ibi, *und in solchen fallen mus man ansehen den Werth des Diebstahls*; & paulò post: *und Wie schudlich der Diebstahl dem beschadigten seyn mag*. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 78. *numer.* 51. & *duob. seqq.*

Quando dubitatur, an res furto subducta excedat æstimationem quinque solidorum, vel non, interest, an illa adhuc exstet, vel non. *Priori casu*, ad officium Judicis, & Assessorum ipsius spectat res furto contrectatas judicialiter taxare, & æstimare adhibitis etiam, si res ita postulet, opificibus, & magistris artis mechanicæ peritis; qui cujusque rei pretium scire præsumantur, quibus tamen non aliter, quam juratis, credendum est; *In casu posteriori* statur juramento illius, cui furtum est factum, ejusque æstimationi juratæ omnino creditur. Clar. §. *furtum num.* 13. Boss. *tit. de Rapin. num.* 36. Mascard. *de probat. concl.* 471. *num.* 32. Menoch. *de arbitr. cas.* 208. *num.* 2. Carpzov. *q.* 78. *citat. num.* 57. & *seqq.*

Dividitur 3. in *Furtum Simplex*, Germanicè *ein gemain, schlechter Diebstahl*, cui nulla circumstantia aggravans est annexa; & in *Qualificatum*, seu *Periculosum*, vulgo *ein gefflissner, gefahrlicher Diebstahl*, quod habet annexam circumstantiam aggravantem v. g. vim, effractionem, &c. Ut verò effractio Furtum qualificatum efficiat, debet effractio hæc esse violenta, & seditiosa, seu quæ fit cum telo, & armis, magna adhibita violentia, ex qua facilè seditio oriri posset, & unde latrocinium à fure cum telo accedente metuendum. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 79. *num.* 3. & *seqq.*

Et hinc juxta eundem Carpzov. *loc. cit. num.* 34. & *seqq.* effractio violenta, cons. furtum qualificatum non est. 1. siquis horreum, tugurium, vel stabulum effringat, vel etiam casam, aut ædes rusticas ex limo confectas securi, aliove instrumento rumpat, vel pariete perfosso, aut fenestris ejectis intret; quia hæc apertura & effractio absque peculiari violentia perfici potest, neque ex ea seditio, aut latrocinium est præsumendum. 2. quando fur cistam, arcam, januam manu rumpit, vel clave adulterina, vulgò *mit einem Dietrich*, aperit. 3. quando in ædes, scalis admotis, vel alia quavis ratione ascendit, & sic furtum committit. 4. quando per tectum, stramine, quo tegebantur, remoto, ædes rusticas intrat; aut quando in oppidis tegulas in tectis diffringit, atque evellit, ut furtum faciat.

10 Dividitur 4. in *Furtum primum*, & *iteratum*. Porro ut iteratum dici possit, requiritur, ut non solum in rebus diversis, sed distinctis, & moraliter interpolatis temporibus sit commissum; nam continuatio facit unum actum: unde siquis uno die, actu continuato, pluries furetur, unicum furtum commisisse reputatur *l. eum, qui* 14. §. *idem dicunt ff. hoc tit.* Gloss. *V. non in totum ibidem*, Clar. *V. furtum numer.* 14. Menoch. *de arbitr. cas.* 295. *num.* 20. Farin. *quæst.* 167. *n.* 73. Haun. *tom.* 6. *tract.* 2. *num.* 213. Pirhing *hic n.* 23. Konig *ibidem num.* 9.

11 Dividitur 5. in Furtum Rei, Furtum Usus, & Furtum Possessionis *l. furtum* 1. §. *fin. ff. hoc tit. Furtum rei* committitur, cùm res aliqua mobilis aliena, domino invito, aufertur. *Furtum usus* est, cùm quis re aliena utitur aliter, quàm uti deberet §. *furtum* 6. *Inst. de Oblig. quæ ex delict.* ubi si creditor, vel depositarius re oppignorata, vel deposita contra voluntatem domini utitur. *Furtum possessionis*, cum ipse dominus alium, cui rei suæ possessio jure competebat, possessione ad illum pertinente privat, ut si debitor creditori invito pignus ante solutionem debiti occulte aufert §. *aliquando* 10. *Inst. eodem*. Verùm hæc duo posteriora furtorum genera puniri criminaliter non solent, & nomine *Furti* communiter primum genus intelligitur.

12 Dividitur 6. in *Furtum diurnum*, & *nocturnum*. *Illud* interdiu, *hoc* noctu fit. Atque hæc divisio eo spectat, ut intelligatur, an liceat furem, in ædibus, & loco delicti repertum, interficere; nam de *Nocturno* fure id affirmatur *l. itaque* 4. §. *fin. ff. ad Leg. Aquil.* quod *ibidem* negatur de *Diurno*. Molin. *tract.* 2. *de J.* & *J. D.* 684. *num.* 1. Konig *hic n.* 4. de quo dictum est *Tit.* 12. *num.* 59. & *seqq.*

13 Dividitur 7. in Furtum Domesticum, & Extraneum. *Domesticus* DD. vocant, quod fit a personis domesticis, & propinquis, puta ab uxore, liberis, servis &c. de quo agitur in *Constitut. Carolin. art.* 165. & 170. *Extraneum* est, quod à quolibet peregrino, qui ad familiam domini non pertinet, admittitur. Konig *hic numer.* 10.

14 Quæritur 3. quid requiratur, ut commissum ab aliquo dicatur Furtum? Resp. Juxta Definitionem Furti *numer.* 2. datam quinque hæc requiruntur. 1. ut res, circa quam furtum versatur, sit corporalis, & mobilis. 2. ut sit aliena. 3. ut actu ipso contrectetur, seu auferatur. 4. contrectatio hæc fiat animo frauduloso, & lucri faciendi causa. 6. ut dominus ejus rationabiliter sit invitus.

15 *Ex quo sequitur* furtum non committi 1. sola voluntate, aut etiam conatu contrectandi rem alienam *l. possideri* 3. §. *si rem* 18. *ff. de acquir. vel amit. possess.* & *l. vulgaris* 21. §. *qui furti* 7. *ff. hoc tit.* quia nondum sit contrectatio, quæ ultra animum etiam exigit ablationem, & detentionem rei. Hinc fur, saltem in foro externo, non est, qui furti faciendi causa conclave intravit, vel etiam illud, aut arcas, cistas &c. effregit, si nihil adhuc abstulit. Sylv. *V. furtum num.* 1. *pr.* Azor *part.* 3. *l.* 5. *c.* 11. *vers. dicitur primo*. Molin. *tr.* 2. *de J.* & *J. D.* 695. *num.* 11. Farin. *prax. crim. quæst.* 174. *numer.* 2. & *seqq.* Manz. *ad* §. *furtum* 1. *Inst. de obl. quæ ex delict. num.* 6. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 3. *vers. dicitur contrectatio*. Konig *n.* 21. Reiffenstuel *n.* 3. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 1. *nu.* 3. & alii passim. Dixi *in foro externo*; nam in foro interno coram Deo furti jam reus est, qui furari solum intendit, etsi actu non furetur juxta *can. si propterea* 29. *de Pœnit. dist.* 1. ibi, *Si propterea non facis furtum, quia times, ne videaris, intus fecisti, in corde fecisti, furti teneris, & nihil tulisti*.

16 2. Non committitur furtum in re merè incorporali; quia non cadit sub sensum, ac proinde contrectari nequit §. *incorporales Inst. de reb. corpor. & incorp.* Sylv. *num.* 1. *citat.* Azor *vers. dicitur primo*, Molin. *D.* 681. *num.* 14. *vers. jurisperiti*, Farin. *q.* 174. *n.* 67. Manz. *n.* 9. Pirhing *hic num.* 5. Reiffenstuel *num.* 8. Dixi *merè incorporali*, scilicet tali, quæ nullo modo circa rem corporalem versetur; nam circa usum, & possessionem, ut ex *numer.* 11. *suprà* constat, potest committi furtum: & sic extra dubium est, quòd furtum etiam in rebus incorporalibus locum inveniat. Magnif. P. Schmier *loc. citat. num.* 14.

17 3 Non committitur furtum in re corporali immobili; explosa enim est sententia existimantium, etiam fundi, locive furtum fieri, prout constat ex *l. verum* 25. *pr. ff. hoc tit.* tametsi enim res hujusmodi immobiles tangi possint, non tamen possunt de loco in locum moveri; conf. nec furto surripi. Ita cum *Sylv. Azor*, *Molina loc. citt.* docent Farin. *num.* 64. *& seqq.* Less. *lib.* 2. *de just. cap.* 12. *n.* 4. Manz. *ad* §. 1. *citat. num.* 8. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. *vers. dicitur contrectatio*, Reiffenstuel *ibidem n.* 9. Magnif. P. Schmier *loc. cit. n.* 15. Magnif. D. Verlohner *de Action. Furt. num.* 4.

18 4 Non committitur furtum in re propria, si ita sit propria, ut in ea nulli alteri competat jus; quia furtum est contrectatio rei alienæ: & re sua quilibet liberè uti, vel abuti potest *l. sed & si* 25. §. *consuluit* 11. *ff. de hæred. petit.* cum quilibet rerum suarum sit moderator, & arbiter *l. in re* 21. *Cod. mandat.* Addidi, *si ita sit propria, ut in ea nulli alteri competat jus;* nam si alius jus in re mea habeat, ut habet creditor in re sibi oppignorata, utendo re illa contra jus istius committo furtum, non quidem rei, sed usus *l. si is* 66. *ff. hoc tit.* Similiter sui, & partus sui furtum facit ancilla à domino suo fugiens, quippe cujus jus ita fugiendo lædit *l. ancilla* 60. *ff. eod.* Imò coram Deo, & in foro conscientiæ potest aliquis effici furti reus in re propria, nulli alteri obligata, per accidens, & ratione conscientiæ erroneæ, si accipiat rem, vel ea utatur, quam putat esse alienam, cùm revera sit propria. Sylv. *V. furtum num.* 1. Azor *p.* 3. *l.* 5. *cap.* 11. *vers. dicitur rei alienæ*. Tambur. *lib.* 8. *Decal. tr.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Pirhing *hic num.* 5. Vviestner *n.* 4. Reiffenstuel *n.* 6.

19 5 Non committitur furtum in re, quæ in nullius est bonis, aut à domino habetur pro derelicta *l. falsus* 43. §. *quodsi* 5. *ff. hoc tit.* cùm enim hujusmodi res fit primò occupantis, illarum occupatio caret fraude, & fieri nequit domino invito. Azor *loc. cit.* Manz. *in* §. 1. *citat. num.* 18. Pirhing *hic num.* 5. *& 8. vers. tertio*, Vviestner *num.* 4. Reiffenstuel *num.* 7. Quodsi res contrectata ad alium quidem spectet, qui tamen nondum ejus possessionem cepit, ejus rei quidem in foro interno furtum fit, non tamen in foro externo, quamdiu à nemine possessa est; quia per quodlibet furtum possessio interrumpi debet: conf. ubi non est possessor, ibi nec furto locus est. Et hinc qui ex hæreditate jacente aliquid sublegit, furti in foro externo non tenetur, nec furti contra eum actio datur; quia subtili jure nullus censetur esse possessor, usque dum hæreditas ipsa sit adita: sed factum hoc in aliud crimen incidit, scilicet expilatæ Hæreditatis *tot. tit. ff. & Cod. de expil. hæred.* Excipiuntur res servandæ navis causa in mare, aut flumen ejectæ; hæ namque licèt non possideantur *l. possideri* 3. §. *Nerva* 13. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* tamen siquis eas in mari repertas, aut fluctibus expulsas lucrandi animo sustulerit, furti reus est §. *fin. Inst. de rer. divis.* Konig *hic num.* 18.

20 6 Non committit furtum, qui accipit rem, quam bona fide, & probabili ratione ductus putat esse suam, vel si alienam esse scit, eodem errore credit contentam fore dominum, etsi illam accipiat, vel usurpet *l. inter omnes* 46. §. *rectè* 7. *& l. qui re* 76. *pr. ff. hoc tit.* quia ejus contrectatio non est fraudulosa. Sylv. *V. furtum num.* 1. Azor *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 11. *vers. dicitur fraudulosa*, *& dicitur invito*, Farin. *quæst.* 174. *prax. crim. num.* 34. Manz. *in* §. 1. *cit. num.* 10. Haun. *tom.* 6. *de Just. tract.* 2. *num.* 272. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 3. *vers. dicitur fraudulosa*, Pirhing *num.* 3. Konig *num.* 20. Vviestner *num.* 5. Reiffenstuel *num.* 4. *&* 6. Et hinc, etsi revera dominus invitus sit, non teneatur rem ablatam restituere ex ratione injustæ acceptionis, sed tantùm ex ratione rei acceptæ, quod ex illa extat, aut quantum ex illa factus est ditior. Molin. *tract.* 2. *de l. & l. D.* 684. *num.* 6. Qui accipit rem alterius, putans ipsum esse invitum, cùm revera invitus non sit, coram Deo quidem, & in foro conscientiæ reus est furti, in foro externo tamen à furto absolvitur §. *sed etsi credat* 8. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* Farin. *quæst.* 184. *num.* 139. *& seqq.* Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 12. *num.* 4. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. *vers. per vocem*, Tambur. *lib.* 8. *Decal. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. Pirh. *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 4. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 1. *num.* 7.

21 7 Non committit furtum, qui rem alterius accipit ob aliam causam, sine animo furandi, aut lucrum faciendi. Azor *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 11. *vers. dicitur fraudulosa*, Farin. *prax. crim. quæst.* 174. *num.* 16. Pirhing *hic num.* 3. Magnif. D. Verlohner *de Action. furt. num.* 2. *&* 7. Estque perinde, sive id fiat joci, aut injuriæ inferendæ, & damnificandi causa. Et hinc furti reus non est 1. qui alterum damnificandi causa fructus immaturos, quibus uti non potest, decerpit, aut petulanter januam illius injuriæ causa effringit, quamvis alii, hac occasione usi, furati sint res domino domus *l. qui injuria* 53. *pr. ff. hoc tit.* ubi additur ratio; quia maleficia voluntas, & propositum delinquentis distinguit. Azor *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 11. *vers. dicitur lucri*. Farin. *qu.* 174. *num.* 11. Manz. *ad* §. *citat. num.* 13. Pirh. *num.* 4. Konig *num.* 23. Reiffenstuel *num.* 5. Magnif. P. Schmier *cap.* 1. *citat. num.* 5. 2. qui rem alienam in flumen abjicit, vel igne comburit, vel pecus alienum occidit; nam si hoc sine suo lucro facit, non ex furto, sed ex damno tenetur. Azor *loc. cit.* Tambur. *lib.* 8. *Decal. tr.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. Pirhing *num.* 4. Reiffenstuel *num.* 5. Magnif. P. Schmier *num.* 5. Quodsi tamen iste initio tempore contrectationis habuit animum lucrandi, per hoc à furto, & hujus pœna non excusatur, quod deinde rem ablatam à se abjiciat, ne fortasse deprehendatur; quia initium rei inspiciendum est, non quod accessit postea *l. si tantum* 12. *ff. de S. C. Maced.* Gaill. *lib.* 2. *obs.* 8. *num.* 3. Manz. *ad* §. 1. *Inst. de oblig. quæ ex delict. num.* 15. 3. qui abducit alterius ancillam libidinis exercendæ causa *l. verum* 39. *pr. ff. hoc tit.* ubi ratio redditur; quia *non factum quæritur, sed causa faciendi, quæ libido fuit, non furtum.* Sylv. *V. furtum num.* 2. Farin. *quæst.* 174. *num.* 13. Manz. *num.* 14. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. *vers. dictum fuit*, Pirhing *ibidem num.* 4. Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. num.* 2. Neque obstat textus *l. Fullo* 82. §. *qui ancillam* 2. *ff. hoc tit.* ubi dicitur is, *qui ancillam non meretricem libidinis causa surripuit, furti actione teneri*, quia, ut laudatus D. Verlohner *num.* 2. *citat. fin.* cum aliis textum hunc explicat, hic intelligendus est de illo, qui talem ancillam principaliter quidem abducit propter libidinem, secundariò tamen intendit lucrum consequi, & abductam in usus domesticos retinere.

22 Quæritur 4. quando, & per quem actum censeatur aliquis furtum committere? Resp. generatim loquendo non solum is, qui rem alienam, invito domino, aufert intercipiendi, sive sibi acquirendi causa; sed etiam is, qui illam contra voluntatem domini contrectat, vel ea utitur, furtum committere censetur §. *furtum autem* 3. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* Neque hìc vox *Dominus* sumitur, in sensu proprio, & pro eo, qui jus proprietatis in re aliqua habet, sed prout significat illum, qui quodcunque jus reale in re sibi ablata habet. Atque hinc furtum committit.

23 1 Dominus Creditori clàm auferens rem à se oppignoratam, aut Usuario, vel Usufructuario rem in usum, vel usumfructum concessam §. *unde* 14. *Inst. de oblig. quæ ex delict. l. itaque* 12. §. *sed & si* 2. *l. creditoris* 15. *pr. l. in actione* 19. §. *fin. l. inter* 46. §. *si servus* 1. *l. si is* 66. *pr. & l. si debitor* 79. *ff. hoc tit.* quia, ut *num.* 11. *suprà* dictum est, furtum fit non tantum ipsius rei, seu proprietatis, sed etiam Usufructus, vel alterius Juris, aut possessionis. Sylv. *V. furtum num.* 16. *quæst.* 12. Layman *l.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. *vers. nomen rei*, Tambur. *lib.* 8. *Decal. tr.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Pirh. *hic num.* 5. *& num.* 10. *vers. sexto*, Konig *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 10.

24 2 Creditor, si pignore, Depositarius, si deposito, Commodatarius, si re commodata contra domini volun-

voluntatem aliter, vel diutius utatur *l. qui jumenta* 40. *& l. si pignore* 54. *pr. ff. hoc tit.* quia furtum committitur etiam fraudulosa contrectatione ipsius usus, aut possessionis Sylv. *V. furtum num.* 13. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *cap.* II. *vers. ultimo*, Molin. *tr.* 2. *de J. & J.* 696. *num.* 15. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 12. *num.* 4. Farin. *prax. crim. quæst.* 169. *num.* 2. *& seqq.* Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* I. *cap.* I. *num.* I. *vers. nomen rei*; Manz. *ad* §. *furtum* I. *Inst. de oblig. quæ ex delict. n.* 20. Vallens. *hic* §. I. *numer.* 3. *vers. dicitur rei*; Pirhing *numer.* 7. Konig *numer.* 16. Vviestner *numer.* 7. Reiffenstuel *num.* 10. Begnudell. *V. furtum num.* 3. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* I. *num.* 2. Addidi *contra domini voluntatem*: Secus est; siquis probabiliter credat, se uti commodato alio modo, quàm conventum fuit, domino non invito, quia scilicet id permitteret, si sciret; tunc enim furtum non committeret Commodatarius, cum *furtum sine affectu furandi non committatur*, ut dicitur §. *placuit* 6. *Inst. de Oblig. quæ ex delict.* Et sic tacite Depositario concessus præsumitur usus pecuniæ, quæ apud ipsum deposita in sacculo non clauso, non signato, argumento à contrario sensu ex *l. si sacculum* 29. *ff. deposit.* ubi tum demum furti actio mihi conceditur, quando apud aliquem deposuero *sacculum, vel argentum signatum, & is, penes quem depositum fuit, me invito contrectaverit*; Farin. *quæst.* 169. *num.* 4. Pirhing *num.* 8.

5 3 Liberi fraudulose, & lucri faciendi causa contrectantes rem patris; quia verè contrectant rem alienam, cujus dominium ipsi non habent. Sylv. *V. furtum num.* 15. *quæst.* II. Pirhing *n.* 9. *vers. quarto*, Konig *num.* 14. Vviestner *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 15. *Neque obstat*, quòd hoc casu Patri in Liberos non competat furti actio *l. ne cum* 16. *ff. hoc tit.* nam ex denegatione actionis furti non infertur legitimè, furtum non fuisse commissum, prout patet ex §. *hi, qui* 12. *Inst. de Oblig. quæ ex delict.* ubi Imperator decidit, quandoque furtum fieri, quin tamen ex eo nascatur actio furti; *Ex quo sequitur*, quòd res ab iis subtracta furti vitio contaminetur, ita, ut propterea ad usucapiendum inepta reddatur §. *hi qui citat.* Denegatur tamen inter patrem, & liberos actio furti, tum quia isti fictione Juris eadem censetur esse persona cum patre *l. fin. Cod. de impub. & aliis substit.* tum quia dum liberorum, parentum quoque fama periclitatur; quod adeo verum est, ut nec Judici ex officio inquirere liceat, & graviore pœna in hujusmodi domesticos fures animadvertere *l. perspiciendum* II. §. *furta* I. *ff. de pœn.* esto, parentes hoc liberorum delictum negligant vindicare, quod patri permissum est per *l. servi* 17. *pr. ff. hoc tit.* Carpzov. *pract. crim. quæst.* 82. *num.* 40. Similiter furti rea est.

6 4 Uxor, quæ de rebus mariti fraudulenter aliquid sublegit, quamvis contra ipsam, si constante Matrimonio istud faciat, ob hujus reverentiam, & honorem turpis actio furti non detur, sed tantum actio rerum amotarum *l. nam in* 2. *ff. de act. rer. amotar. l. siquis* 52. *ff. & l. manifesti* 22. §. *cum autem* 4. *Cod. hoc tit.* ubi ulterior ratio additur, *quia Lex ita atrocem actionem dare in personam ita sibi conjunctam erubuit.* Sylv. *V. furtum n.* 7. Farin. *quæst.* 174. *n.* 104. Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* I. *cap.* I. *n.* 4. Konig *hic n.* 15. Reiffenstuel *ibid. n.* 16. Et multo minus in ea habebit locum pœna ordinaria furti; Vvelenbec. *ff. hoc tit. num.* 8. Interim tamen, qui ope, aut consilio uxoris, aut liberorum furtum coadjuvant, actione furti omnino tenebuntur, & furti pœnis obnoxii erunt, prout circa furtum filiorum expressum est §. *hi qui* 12. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* de juvantibus autem furtum uxoris *l. siquis cit. pr.* Farin. *n.* 116. Reiffenstuel *n.* 17.

7 5 Qui furtum mandat, aut furi auxilium, vel consilium præstat, si furtum sit secutum §. *interdum quoque* II. *Inst. de oblig. quæ ex delict. l. in furti* 50. §. *ope* I. *ff. hoc tit.* imò & qui furem cum rebus furtivis scienter recipit, & occultat *l. qui vas* 48. §. *qui furem* I. *ff. hoc tit.* quia hi omnes moraliter, & fraudulosè rem alienam contrectant. Tusch. *V. furtum concl.* 562. *n.* I. *&* 2. Farin. *q.* 168. *à num.* 32. Pirhing *hic numer.* 9. *vers. quarto, & vers. quinto*. Konig *num.* 13. Vviestner *n.* 9. Reiffenstuel *num.* II. & huc pertinet vulgatum illum: *der Hehler ist so gut, als der Stehler*.

Dixi autem, *Si furtum sit secutum*, nam furto non secuto, qui consilium, vel opem ad furtum præstitit, furti non tenetur *l. siquis* 52. §. *neque verbo* 19. *ff. hoc tit.* ubi dicitur, *Quare & opem ferre, vel consilium dare tunc nocet, cum secuta contrectatio est*. Farin. *num.* 39. Imò & quando secuta est contrectatio, tunc solum furti tenetur consulens, quando aliàs non erat facturus is, cui consilium datum est, ut notat Gloss. *in* §. *cit. vers. vel consilium*; si enim sine consilio erat furaturus, non punitur consulens eadem pœna, qua fur, saltem ordinaria, sed tantum extraordinaria. Farin. *num.* 41. Pirhing *num.* 9. *vers. quarto*. Addidi, *qui scienter recipit &c.* Aliud est, si quis ignoranter receperit fures, vel res furtivas; tunc enim non tenetur furti. Farin. *num.* 56. *&* 59. Sed & cum iis, qui scienter res furtivas receperint, quantùm ad pœnam criminalem mitius agitur, quàm cum ipsis furibus, & nisi aliquid auxilii præstiterint, solùm arbitrariè puniri solent. Carpzov. *quæst.* 87. *num.* 51. Konig *num.* 13. Reiffenstuel *num.* 12.

6 Qui rem furtivam scienter à fure emit *arg. l. incivilem* 2. *& l. civile* 5. *Cod. hoc tit.* vel eandem accipit in solutum; quia datio, & acceptio in solutum emptio, & venditio reputatur *l. litis* 3. *ff. pro Emptor. & l. fin. ff. ex quib. caus. in possess.* Hic tamen furti non ordinaria, sed extraordinaria pœna plectitur. Farin. *quæst.* 176. *num.* 16. *&* 17. Harppr. *in* §. *fin. Inst. de oblig. ex delict. nu.* 14. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 2. *n.* 254. *fin.* Vviest. *n.* 10. Reiffenstuel *n.* 12. 28

7 Denique Jure Canonico quasi furtum, aut rapinam committunt, qui Beneficium Ecclesiasticum sine legitima institutione occupant, vel postquam per adeptionem alterius ipso Jure vacaverint, retinent *can. non furem* 10. *caus.* 7. *quæst.* I. *cap. dudum* 54. *de Elect. cap. sæpe* 18. *de Restit. Spoliat.* ubi Gloss. *V. injustè detinere* ait, *Jura pro eodem reputant auferre, & injustè detinere*. Furtum tamen hoc non est propriè dictum, quippe quod committitur in re immobili, vel incorporali, quæ contrectari, sive auferri non potest, secundum dicta *numer.* 16. *&* 17. quod verum est ratione ipsius Beneficii; nam quatenus malæ fidei possessor, fructus Benefiii, vel alterius rei injustè percipit, verè, ac propriè furtum committit. Abb. *in cap. dudum citat. n.* 19. Layman *ibidem n.* 3. Pirhing *num.* 10. *vers. septimò*, Begnudell. *V. furtum n.* 3. 29

Quæritur 5. an furti reus sit, qui rem alienam accipit, vidente illius domino? Resp. distinguendo, an sciat dominum videre, an verò ignoret. *Si ignoret dominum videre*, & credere possit, eum esse rationabiliter invitum, furti reus est; quia vult rem auferre, domino ignorante, ita, ut si sciret ipsum videre, non acciperet. Less. *lib.* 2. *de J. & J. cap.* 12. *num.* 20. Pirhing *hic num.* 3. *Si verò sciat* hoc dominum videre, interest, an iste ablationi resistat; & tunc potius fit rapina, quàm furtum: an verò taceat; & tunc considerand a est causa taciturnitatis; nam si tacet, & permittit ablationem sibi fieri, quia non audet præ metu, aut verecundia contradicere, vel quia vult in facto ipso deprehendere furem, adhuc est furti reus ita accipiens §. *sed & si* 8. *Inst. de oblig. quæ ex delict. l. siquis* 91. *ff. & l. siquis* 20. *Cod. hoc tit.* Si verò tacet, quia seriò consentit in rei ablationem, furtum fecisse dici non potest, quippe quod ex ratione sua postulat, ut fiat invito rationabiliter domino. Et hic consensus præsumitur, quando dominus videt rem aliquam sibi auferri; & cùm nulla ratio ipsum prohibeat, ne contradicat, non contradicit *arg. can. error* 3. *& can. consentire* 5. *dist.* 83. 30

Quod discrimen est inter casum quo præsenti, & videnti res aliqua aufertur, & inter casum, quo aufertur res absenti, & ignoranti; nam si absenti, & ignoranti auferatur, in dubio dominus præsumitur invitus *l. qui vas* 48. §. *quod si dominus* 3. *fin. hoc tit. ff. hoc tit.* ubi dicitur. *vetare dominum etiam eum, qui ignorat, hoc est, eum, qui non consensit*; qui enim non consentit, dissentit. Gloss. *ibidem V. ignorat*, Sylv. *V. furtum n.* 2. Azor *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* II. *vers. dicitur invito*, Gomez. *lib.* 3. *var. cap.* 5. Farin. *prax. crim. quæst.* 184. *num.* 148. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 681. *num.* 3. Tambur. *lib.* 8. *Decal. tract.* 2. *cap.* I. *num.* 4. Begnudell. *V. furtum n.* 21. Vallenr. *hic* §. I. *num.* 3. *vers. dicitur fraudulosa*. Pirhing *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 4. 31

32 Et univerſim ſemper præſumitur dolus, ubi de contrectatione rei alienæ conſtat *arg. l. ſi un.* 5. *Cod. de Injur.* niſi probabiles, taleſque cauſæ concurrant, ut accipiens prudenter hìc, & nunc credere poſſit, dominum non fore rationabiliter invitum, qualis eſt ſingularis amicitia, vel familiaritas *l. cùm creditor* 55. *ff. de Injur. l. meritò* 51. *pr. ff. pro Socio*. Gomez *loc. cit.* Bachov. *ad Treutl. vol.* 2. *D.* 30. *Theſ.* 1. *lit E.* Brunnem. §. 7. *Inſt. de oblig. quæ ex delict. Ex.* 23. *num.* 2. Haun. *tom.* 1. *de I. & I. tract.* 2. *numer.* 272. Konig *hic num.* 20. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 1. *n.* 4. præſertim ſi acceptio fiat modo inter homines non inſueto, prout ſolent opifices vicini, quandoque ab officina alterius abſentis inſtrumentum, vel etiam materiam animo reſtituendi auferentes, aut ſi creditor rem ſibi oppignoratam à debitore amovet, vel ſocius rem communem; nam in his, & ſimilibus caſibus dolus non præſumitur, niſi perſona ſit aliunde ſuſpecta. Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. n.* 5. Debet autem probari hujuſmodi cauſa, niſi aliunde de ea conſtet; alioquin ſoli contrectantis aſſertioni vix creditur. Konig *loc. cit.*

33 Quæritur 6. an furti reus ſit, qui furem non indicat? Videtur reſpondendum affirmativè ex *cap. qui cum fure* 4. *hoc tit.* cujus in rem hanc clarus eſt textus, ibi, *Ille reus tenetur, qui furti conſcius quærente poſſeſſore, non indicat*. *Conf.* nam talis furi conſentit; igitur pari cum eo crimine, & pœna tenetur §. *interdum* 11. *Inſt. de oblig. quæ ex delict. & arg. cap. quantæ* 47. *de Sent. Excomm.*

34 Sed tenenda eſt negativa ſententia, niſi ex officio publico, adeoque ex Juſtitia teneatur criminibus, & injuriis obviare: quod conſtat clarè ex *l. qui vas* 48. §. *qui furem* 1. *ff. hoc tit.* ibi, *Qui furem novit, ſive indicet eum, ſive non indicet, fur non eſt, cum multum interſit, furem quis celet, an non indicet, qui novit, furti non tenetur; qui celat, hoc ipſo tenetur*. Neque diſpoſitio iſtius Legis correcta eſt per *cap. qui cum fure citat.* quia textus iſte, ut eum explicat Abb. *in cap. citat. num.* 3. intelligendus eſt de non indicante, & rei furtivæ participe, vel ut Barboſa *ibid. num.* 2. de non indicante ipſum furtum, ſeu rem furtivam; hanc enim ſi non indicet, Actione furti concepti, aut non exhibiti tenetur etiam de Jure Civili §. *conceptum* 4. *Inſt. de oblig. quæ ex delict.*

35 Ex quo patet Reſponſio ad Argumentum contrarium: *Ad Conf.* furi conſentire cenſetur, qui furtum, quod ſcit, non detegit, non verò is, qui non detegit perſonam furis; quia hæc, ſi ejus ſupplicium grave timeatur, ut Sanct. Auguſtin. *can. nequis* 14. *cauſ.* 22. *quæſt.* 2. relatus monet, rectius ſupprimitur, niſi præceptum ſuperioris, aut Charitas proximi, quòd hìc rem ablatam aliter obtinere nequeat, ad ejus perſonam detegendam urgeat.

36 Quæritur 7. an furtum committat creditor, debitori auferens, quantum hic ipſi debet? *Certum eſt* furti reum cenſeri, quando debitum eſt dubium; quia tunc melior eſt conditio poſſidentis, & compenſatio occulta juxta omnes illicita eſt. *Quæſtio* procedit, quando debitum eſt omnino liquidum, & certum. *Affirmant* nonnulli apud Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 273. *arg. l. un. C. nequis in ſua cauſa &c.*

37 Sed dicendum, hujuſmodi ablationem, & compenſationem, ſi debitis conditionibus inſtructa ſit, non eſſe furtum. Ita Navar. *Man. cap.* 17. *num.* 112. Sylv. *V. furtum quæſt.* 13. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 691. *num.* 1. Vvieſtner *hic num.* 13. Reiffenſtuel *ibid. num.* 28. *Ratio eſt* quia furtum committitur contrectatione rei alienæ animo lucrifaciendi; atqui in noſtro caſu hoc animo res aliena non contrectatur, ſed tantum, ut creditor acquirat id, quod ſibi eſt debitum, & ſe præſtet indemnem.

38 *Ex quo ſequitur*, caſu, quo Epiſcopus, vel ejus Vicarius publicat Monitorias generales, ut qui res alienas injuſtè detinent, ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ illas reſtituant, vel eos, qui ita detinent, revelent, his Monitoriis non continentur, qui ita ſibi occultè compenſarunt, nec vi illarum tenentur reſtituere, quod ex hac cauſa acceperunt à debitore; quia Excommunicatio ſolùm fertur in injuſtè detinentes, & in non revelantes eos, qui ita injuſtè detinentur. Sylv. *V. furtum quæſt.* 15. *num.* 19. Molin. *tract.* 2. *citat. D.* 692. *num.* 2. & 3. Barboſa *in cap.* 4. *hoc tit. num.* 4. Pirhing *hic num.* 12. *not.* 2.

Addidi, *Si debitis conditionibus inſtructa ſit*. Requirunt autem DD. 1. ut debitum ſit liquidum, ut jam dictum eſt; nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis. 2. ut alia ratione ſine magno incommodo obtineri non poſſit *l. extat* 13. *ff. quod met. cauſ.* nam ſi alia ratione, e. g. authoritate Judicis, ſine incommodo obtineri poteſt, compenſatio eſt prohibita, cum prohibitum ſit, ut quis in propria ſua cauſa Judex ſuus ſit *l. un. Cod. ne quis in ſua cauſa &c.* 3. ut fiat in re uſu conſumptibili, & quantùm fieri poteſt, ejuſdem ſpeciei. 4. ut conſulatur ſaluti ſpirituali ipſius debitoris, ſignificando nihil amplius ab ipſo deberi. 6. ut caveatur, ne ab ipſo, vel hæredibus debiti compenſati ſolutio fiat. *Navar. Molin. Vvieſtner loc. citt.* 39

Quæritur 8. an pro fure habendus ſit detentor rei inventæ? *Certum eſt* pro tali habendum, quando conſtat de rei inventæ domino, niſi illam accipiat animo eam huic reſtituendi *l. falſus* 43. §. *proinde* 8. *ff. hoc tit.* vel niſi illa à domino ſit pro derelicto habita; nam hoc caſu etiam qui animo furandi talem rem accepit, licèt in foro conſcientiæ furti affectati reus ſit, in foro tamen externo furtum non facit, quippe cùm furtum non fiat, niſi ſit, cui fiat *l. falſus cit.* §. *quod ſi dominus* 5. Et idem dicendum, ſi probabili ratione ductus putavit eſſe derelictam *loc. citat.* §. *ſed ſi* 6. Farin. *prax. crim. quæſt.* 186. *num.* 64. *& ſeqq.* Molin. *tr.* 2. *de I. & I. D.* 681. *num.* 4. Pirhing. *hic num.* 8. *verſ. tertiò*, Reiffenſtuel *ibidem num.* 18. 40

Dubitatur, quando ignoratur dominus rei inventæ. Et *ratio dubitandi* ſumitur ex *l. falſus citat.* §. *qui alienum* 4. ibi, *Qui alienum quid jacens lucri faciendi cauſa ſuſtulit, furti obſtringitur, ſive ſcit, cujus ſit, ſive ignoravit; nihil enim ad furtum minuendum facit, quod, cujus ſit, ignoretur*. *Conf. ex can. ſiquid* 6. *cauſ.* 14. *quæſt.* 5. ubi Sanct. Auguſtinus, *Siquid inveniſti*, inquit, *& non reddidiſti, rapuiſti; & can. multi* 8. *quæſt. cit.* ubi S. Hieronymus, *Multi ſine peccato*, ait, *putant eſſe, ſi alienum, quod invenerint, teneant, & dicunt, Deus mihi dedit, cui debeo reddere? diſcant ergo peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſiquis inventa non reddat*; ubi hi duo SS. PP. rerum inventarum detentores Raptoribus æquiparant. 41

Sed cum communi, quam etiam tenet Sot. *lib.* 5. *de Juſt. quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 2. Sà *V. theſaurus num.* 4. Palao *tract.* 31. *D. un. part.* 19. *num.* 4. Zoeſ. *hic nu.* 13. Vvieſt. *num.* 16. eſt diſtinguendum, an inventor in rei inventæ dominum debito modo, v. g. per præconem, promulgationem ex cathedra, aut ſchedam in publico loco affixam, juxta qualitatem, & æſtimationem rei inventæ inquiſiverit, vel non. *Si hoc ſecundum*, inventor reus furti eſt; quia rem alienam animo lucri faciendi, & invito domino fraudulosè contrectaſſe cenſetur. *Si primum*, à furti, atque etiam injuſtitiæ labe immunis erit, licèt eam retineat. 42

Imò ſi poſt dictam, vel ſimilem indagationem domini ſufficienter factam ſpes nulla appareat de comparituro domino, eam diſtrahere, & conſumere licitè inventor poteſt, prout cum *citt.* advertit Reiffenſtuel *hic n.* 20. quamvis conſultius faceret, ſi eandem expenderet in uſus pios. *Ratio eſt*, quia ſi poſt debitam indagationem ſpes compárituri domini non amplius appareat, res dominum non habere ampliùs, ſed derelicta, naturalemque libertatem nacta cenſetur; atqui res derelictas qui accipit, furti reus non eſt *l. falſus cit.* §. *quod ſi dominus* 5. & ſi bona fide eaſdem diſtrahit, vel abſumit, à reſtitutione immunis eſt, quia tales res derelictæ ſunt primò occupantis *l. ſi res* 1. *& l. ſeq. ff. pro derelict.* ergo &c. *Conf.* quia nullo Jure naturali, aut poſitivo probari poteſt, res ita inventas erogari debere pauperibus, ſi poſt diligentem inquiſitionem domini compárituri ſpes nulla appareat. 43

Quantum autem tempus requiratur, & quamdiu inventor notitiam domini exſpectare debeat, item quanta diligentia indagandi ſufficiat, aut requiratur, certa Regula tradi non poteſt, ſed arbitrio prudentis juxta circumſtantias eſt judicandum. Palao *loc. citat. n.* 5. Reiffenſtuel *num.* 23. 44

Ad Rationem dubitandi *num.* 41. allatam dico, *loc. cit.* intelli-

intelligendam de casu, quo inventor debito modo in dominum non inquisivit. Similiter explicandi sunt Canones allegati in *Conf.* dicendum enim, illos loqui tantùm de illis, qui vel de dominis indagare nolunt, vel si sciunt dominos rei inventæ, eas ipsis, cùm possent, non restituunt: adeoque loquuntur de malæ fidei detentoribus; minimè verò de illis, qui cognito domino rem suam restituere parati, de illo indagant, & sic facta sufficienti indagatione, bona fide existimarunt, eum non ampliùs compariturum.

44 Quæritur 9. an furti reus sit rem auferens in necessitate? *Ratio dubitandi* sumitur ex *cap. siquis* 3. *hoc tit.* ubi pro fure absolutè haberi videtur, ac propterea pœnitentia ipsi decernitur.

Sed distinguendum est, an necessitas illa sit communis tantùm, an gravis, an verò extrema. *Si primum*, certum est apud omnes, quòd in tali necessitate accipiens rem alterius, eo invito, committat furtum; quia talis necessitas non facit res communes, nec tribuit jus in re aliena.

46 *Si tertium*, auferens à furti labe immunis est. Sylv. *V. furtum quæst.* 5. Less. *lib.* 2. *de I. & I. cap.* 12. *num.* 4. & præcipuè *num.* 67. *& seqq.* Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 1. *vers. per vocem*, & præcipuè *num.* 7. Tambur. *lib.* 8. *Decal. tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. *& cap.* 6. §. 1. *num.* 1. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. *vers. dictum fuit*, Pirhing *n.* 14. Konig *n.* 12. Reiffenstuel *num.* 24. & sumitur *arg. can. discipulos* 26. *& ibi* Gloss. *V. fame dist.* 5. *de Consecr. cap. exiit* 3. §. *nec quidquam de V. S. in* 6. & ratio est, quia tali casu res ablata esse aliena desinit, cùm eam patienti communem necessitas faciat. Imò potest quis tunc etiam alias res, quàm comestibilia, quando hæc non reperiuntur, accipere, & iis venditis, comparare sibi panem, & cibaria; quia in *cap. siquis citat.* fit mentio de cibariis, veste, & pecore solùm exempli causa, exempla autem non restringunt Regulam, & paria sunt, quòd quis rapiat panem, vel pecuniam ad emendum panem. Barbosa *in cap. cit. num.* 4.

47 *Neque obstat*, etsi dominus illius rei invitus sit; quia irrationabiliter invitus est, cùm auferre nequeat, quod natura tribuit. *Excipitur* autem, si in tali necessitate etiam versaretur dominus; quia in pari periculo, & necessitate melior est conditio possidentis *arg. Reg. cùm par.* 154. *ff. & Reg. in pari* 65. *in* 6. Unde in eo casu non esset licitum auferre similem patienti necessitatem. Sylv. *quæst.* 5. *citat. dict.* 3. *fin.* Less. *n.* 70. Laym. *num.* 7. Tambur. §. 1. *citat. num.* 3. Begnudell. *V. furtum num.* 5. Pirhing *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 25.

48 *Dubium est* de secundo distinctionis *num.* 45. allatæ membro, nempe siquis laboret necessitate gravi; & in hac necessitate non posse aliquid ad eam sublevandam accipi domino invito, videtur probari ex Decreto *Innocentii XI.* in quo damnat & prohibet Propositionem his verbis conceptam; *Permissum est furari non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate.* Sed distinguendum videtur inter necessitatem gravem, quæ est quasi extrema, cujusmodi est periculum proximum subeundi jacturam valde gravem bonorum, quæ natura voluit omnibus hominibus esse communia, ut sanitatis, libertatis, famæ per positivam gravem infamiam, & inter necessitatem non quasi extremam, sed minus gravem, & ferè communem, quæ est circa bona alia, uti sunt status dignitatis, officia, opulentia, & similia, quæ natura non voluit esse communia, & æqualia omnibus.

Pro *primi generis*, seu *quasi extrema necessitate* depellenda licitum est rem alienam accipere, si aliter gravi illi necessitati succurri non possit, Less. *lib.* 2. *de I. & I. cap.* 12. *num.* 71. *&* 72. cum communi; cui sententiæ satis clarè assentitur Doct. Angel. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 7. *in Corp.* his verbis; *Si tamen adeò sit evidens, & urgens necessitas, ut manifestum sit, instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum, puta, cum imminet personæ periculum, & aliter subveniri non potest, tunc licitè potest aliquis de rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifestè, sive occultè sublatis, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ.* Hæc disertè *S. Thomas*. *Ratio est*, quia hæc licentia, & concessio est benignitati Authoris naturæ magis congrua, & toti humano generi ante omnem casum eventualem optabilior, & melior, ut adeò in illam omnes homines censeantur per pactum implicitum consensisse.

Contrà non licèt rem alienam accipere in *necessitate secundi generis*, seu *quasi communi*; quia bona, circa quæ versatur, talia non sunt, ut æstimari meritò natura possit illa velle uni conservare, ac protegere per gravem jacturam alterius; cons. præsumendum non est, quòd in tali necessitate aut Deus tanquam naturæ Author, aut homines communi consensu dederint licentiam rem alienam pro illa tollenda accipiendi. Sylv. *V. furtum quæst.* 5. Azor *p.* 2. *lib.* 12. *c.* 8. *quæst.* 8. Farin. *prax. crim. q.* 174. *n.* 69. Layman *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *cap.* 1. *n.* 8. Illsung *tr.* 4. *D.* 3. *num.* 132. & alii cum S. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 7. *ad* 1. 50

Neque obstat Decretum Pontificium *num.* 48. allegatum; quia ut Carden. *Crist. Theol. Dissert.* 33. *cap.* 1. *art.* 3. notat, & tanquam certum supponit, sub ea damnatione non comprehenditur sententia, quæ docet licitum esse in necessitate evidenter urgenti, & quasi extrema auferre necessaria ad talem necessitatem depellendam, quippe quæ, ut ostensum est, clarè est ipsius S. Thomæ, cujus doctrinam utique Sedes Apostolica damnare non voluit; sed Decretum hoc intelligendum est loqui tantum de necessitate minus gravi, aut ferè communi, in qua aliena surripere est verè, & propriè furtum; ut proin sententia afferens licentiam hoc casu rem alienam surripiendi meritò damnetur, quippe cum furtum intrinsece, & in omni casu inhonestum, atque illicitum sit. 51

Quæritur 10. an furti objectum constituat liber homo? Diversæ DD. sententiæ sunt. Aliqui cum Gletie *Jurispr. terrib. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. §. 5. *num.* 11. distinguunt; nam juxta istos, si liber homo spectetur secundum se tantum, cum æstimationem non recipiat; non constituit objectum furti. Si autem consideretur, quatenus patriæ potestati adhuc subjectus est, constituit furti objectum; quia jus patriæ potestatis, quod æstimationem non refugit, intervertitur. 52

At Gonzal. *ad cap.* 1. *hoc tit. num.* 7. admittit, quòd liber homo, etiam secundum se consideratus, objectum furti constituat, per textum *cap. cit.* & rationem, quod furtum etiam in rebus Sacris, quæ sunt extra commercium, admittatur. 53

§. II.

De Obligatione, quæ nascitur ex Furto.

S U M M A R I U M.

54 *Quæ obligatio nascatur ex furto?*
55 *Cui, adversus quem, & quando occasione furti competat rei vindicatio?*
56 *Quo Jure furtum prohibitum sit?*
57 *&c. In quantum fur, aut possessor rei furtivæ obligetur ad restitutionem?*
60 *&c. An ad restituendum obligetur etiam, qui in necessitate rem alienam accepit?*
65 *&c. An rem, apud furem inventam vindicare sibi possit Magistratus jure fisci?*
67 *&c. An huic saltem restituendæ sint expensæ factæ in furis capturam &c.*
69 *Quid, & quotuplex sit Condictio furtiva?*
70 *&c. Cui competat?*
72 *&c. Adversus quem?*
76 *&c. Quod sit ejus objectum?*
78 *Quid in ea deducenda probandum?*
79 *Quid, & quotuplex sit actio furti?*
80 *&c. Cui competat?*
82 *&c. Contra quem?*
86 *&c. Quod sit ejus objectum?*
88 *Quare fur manifestus condemnetur in quadruplum, non manifestus in duplum?*
89 *Effectus istius actionis.*
90 *Probatio quæ requiratur?*
91 *&c. Pœna furti criminalis de Jure Ecclesiastico.*
94 *Pœna ejusdem in foro Sæculari:*
95 *&c. An rectè illi statuta sit pœna capitalis?*
97 *&c. An illa incurratur per furtum primum, simplex, & magnum?*
100 *An per secundum?*

101 *&c.*

54 Ex furto nascitur duplex obligatio, una restituendi rem furto ablatam, altera subeundi pœnam taxatam à Jure. Hinc læso per furtum duplicis generis Remedia à Lege dantur; rei persecutoria, & pœnalia. Priora adversùs furem duo competunt, nempe *rei vindicatio & Condictio furtiva;* posteriora & ipsa sunt duplicis generis, scilicet *Actio furti, & Accusatio criminalis;*

55 Quæritur 1. cui, adversus quem & quando competat Rei vindicatio occasione furti? Resp. competit domino rei furto sublatæ, adversus possessorem rei furtivæ, sive fur ipse possidat, sive alius quilibet; quia vitium rei furtivæ reale est, consf. semper illud rem sequitur, ad quemcunque possessorem devenerit §. *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict.* Institui hæc actio potest etiam contra emptorem rei furtivæ, sive bona, sive mala fide rem emerit, & ab eo peti, ut illam restituat, etiam pretio, quod ipse pro ea emenda exposuit, non refuso *l. incivilem* 2. *Cod. hoc tit.* nisi hoc exiguum sit, ut ejus refusionem tanquam mercedem negotii bene gesti videatur mereri emptor. Locus huic actioni est etiam post dupli, vel quadrupli pœnam solutam *l. si pignore* 54. §. *cum furti* 3. *ff. hoc tit.*

56 Dub. 1. quo Jure prohibitum sit Furtum? Resp. est prohibitum Jure non tantùm humano, sed etiam Divino, & Naturali. Patet ex Decalogo *Exod.* 20. *v.* 14. *& Deut.* 5. *vers.* 18. quod etiam agnovit Ulpianus *l. probrum* 42. *ff. de V. S.* ubi furtum recenset inter probra natura turpia, cùm Lex naturæ jubeat *honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere*, & relinquere §. *Juris* 3. *Inst. de J. & J. locupletari non debeat aliquis cum alterius injuria, vel jactura*, ut habet *Reg. locupletari* 48. *in* 6.

57 Dub. 2. unde oriatur obligatio restituendi rem furtivam in fure; Resp. oritur ex Jure naturali, & quidem ex duplici radice, scilicet ex re accepta, & injusta acceptione; & quidem quamdiu res furtiva vel in se, vel in æquivalenti, seu fructu a se relicto adhuc est penes furem, obligatur iste ex utroque capite; si verò res illa interiit, vel ablata est furi, vel ab illo in alium translata, quin ditior inde factus sit, cessat obligatio ex re accepta, & manet obligatio ex injusta acceptione.

58 Et quidem obligatio restituendi tamdiu furem afficit quamdiu actualem rei furtivæ restitutionem non fecit; quia juxta *Reg. peccatum* 4. *in* 6. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur oblatum*; si tamen fur possit restituere, & habeat, unde restituat; nam ad impossibile nemo obligatur *Reg. impossibilium* 185. *ff. & Reg. nemo* 5. *de R. J. in* 6. quo casu tamen obligatio restituendi non omnino tollitur, sed suspenditur, & implenda est, quando fur ad pinguiorem fortunam venerit, ex communi, & certa DD. sententia.

59 Eadem obligatio restituendi etiam tenet rei furtivæ possessorem, quocunque titulo hæc ad illum pervenerit; & quidem si mala fide rem furtivam detineat, tam titulo rei acceptæ, quam titulo injustæ acceptionis; si verò bona, solùm ex titulo re acceptæ. Consf. eam restituere etiam debet emptor rei furtivæ, quamvis dominus eidem pretium, pro ea expensum, non velit refundere *l. incivilem* 2. *Cod. hoc tit.* Covar. *Reg. peccatum part.* 2. §. 1. *numer.* 3. Sichard. *in loc. cit. num.* 1. Konig *hic num.* 24. Idemque procedit, etsi in loco publico, verb. grat. in mercatu, & nundinis publicis rem emerit; Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 29. *numer.* 22. Konig *loc. citat.* Quin etiamsi protestatus sit se rem emere, ut domino refuso pretio restitueret *l. incivilem cit.* nisi fortè cùm protestatione alia concurrat bonæ fidei conjectura. Menoch. *loc. cit. numer.* 17. aut nisi modico pretio rem emat eo animo, ut domino illam restituat, quam aliàs iste vix recepturus fuisset *arg. can. rapinam* 5. *caus.* 14. *q.* 5. Covar. *l. cit. n.* 5. Konig *loc. cit. fin.*

Dub. 3. an, qui in extrema necessitate alienam rem abstulit postea locupletior factus obligetur ad restitutionem? Affirmant Clar. §. *furtum n.* 25. Navar. *Man. cap.* 17. *num.* 6. Covar. *Reg. peccatum part.* 2. §. 1. *n.* 4. Zoes. *ff. hoc tit. num.* 46. Begnud. *vers. furtum n.* 5. Nituntur *cap. siquis* 3. *hoc tit. & l. Nesennius* 34. *ff. de negot. gest.* Et *confirmatur* 1. quia jus in hac necessitate accipiendi rem alienam commensuratur obligationi, quam habet dominus eam pro necessitate hac sublevanda dandi; atqui dominus necessitatem etiam extremam patienti non tenetur donare rem suam, sed satisfacit eam mutando; sic enim jam sublevat necessitatem; ergo &c. 2. quia extrema necessitas facit res alienas communes solùm quoad usum, non quoad dominium, quod non transit in accipientem; Igitur licèt talem necessitatem patiens ad evitandum gravius malum mortis possit rem alterius accipere, non tamen, ut eam quasi suam habeat; 3. quia necessitas adveniens debitum antiquum non extinguit, sed solum suspendit ad tempus, donec debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit. Igitur neque necessitas præcedens acceptionem.

Sed distinguendum est, an res accepta sit usu consumptibilis, an verò non; *Si hoc secundum*, eam accipiens, postquam necessitas transiit, restituere debet, ut exploratum est apud omnes; *Si primum*, & in ea necessitate consumpta est res accepta, nulla est obligatio illam restituendi. Sylv. *V. furtum quæst.* 5. *n.* 10. *dict.* 3. Azor *p.* 2. *l.* 12. *cap.* 8. *q.* 8. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 7. *concl.* 2. Tambur. *l.* 8. *Decal. tr.* 2. *c.* 6. §. 2. *n.* 2. Barbos. *in c.* 3. *hoc tit. n.* 3. Pirhing *hic n.* 16. Konig *n.* 12. Wiestner *n.* 22. *Ratio est*, quia non apparet, unde obligatio hæc restituendi nascitur; non enim oritur ex re accepta; quia ponitur bona fide esse consumpta; non ex injusta acceptione; quippe quæ facta est licitè; non ex contractu, vel quasi contractu; quia talis non intercessit, nec à Jure præsumitur intercessisse.

Porro quod dictum est de acceptis in extrema necessitate, etiam dicendum de iis, quæ ablata sunt causa necessitatis valde gravis, & quasi extremæ; nam neque iste tenetur ad restitutionem, etiamsi postea sit ditior factùs, si tenebatur subvenire eidem dives, ob eandem rationem; Sylv. *loc. cit.* Pirhing *n.* 17. cum aliis; quia qui semel acquisivit jus perfectum in re accepta, non tenetur illam restituere, etsi causa accipiendi ob pinguiorem postea fortunam advenientem cessset; Idemque dicendum est, siquis accipiat rem alienam, non ut sibi, sed alteri v. g. Titio extremè, vel quasi extremè indigenti subveniat S. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 7. *ad* 3.

Ad textus in contrarium allegatos dico, neutrum agere de acceptis in extrema necessitate; *Ad Conf.* 1. Nego Majorem; potiùs enim jus accipiendi in tali necessitate commensuratur concessioni naturæ, quæ voluit eo casu omnia esse communia. *Ad* 2. ante consumptionem quidem accipiens non est dominus rei, fit tamen dominus per consumptionem, hoc ipso, quòd in ea necessitate licitè, & tuta conscientia possit eam consumere; adeoque restituere non tenetur, sicut restituere non tenetur possessor bonæ fidei fructus ex re aliena perceptos, quippe quos ipsa consumptione facit irrevocabiliter suos; *Ad* 3. negatur paritas; nam debitum ex contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto, superveniente extrema necessitate, ideo non extinguitur, sed tantum sopitur, & suspenditur, quia per eam necessitatem non extinguitur obligatio ex contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto nata: at verò licentia accipiendi rem alienam in extrema necessitate non nascitur ex contractu, vel quasi contractu, sed ex eo, quod extrema necessitas faciat res omnes communes, & proprias accipientis, & consumentis.

Dub. 4. an res furtivæ, apud furem à Judice apprehensum inventæ, restituendæ sint domino, an verò Magi-

Magistratus illas sibi vindicare possit jure Fisci? *Ratio dubitandi est*, quia de damno, quod quis sua culpa sentit, conqueri nemo potest *Reg. quod quis* 203. *ff. de R. J.* furtum autem sæpe non vacat culpa domini in rei suæ custodiam negligentis. Gloss. *ibid. V. subreptum*; ergo &c.

Sed dicendum, rem furtivam inventam apud furem, restituendam domino, quando is certus est. Ita Marsil. *tract. crim.* §. *quoniam num.* 102. Damhouder. *prax. crim. cap.* 110. *à num.* 53. Besold. *delibat. Jur. p.* 2. *ex Pandect. l.* 47. *quæst.* 6. Harppr. §. *furtum* 3. *Inst. de oblig. quæ ex delict. nu.* 28. Schneidevvin. *ad* §. *fin. Inst. ibid. num.* 8. Haun. *tom.* 6. *de l. & l. tract.* 2. *num.* 260. Pirhing *hic num.* 24. *not.* 5. Vviestner *num.* 29. Reiffenstuel *nu.* 44. *arg. l. si captivus* 20. §. *verum* 1. *ff. de captiv. & postlim. revers.* ubi deciditur, quòd expulsis hostibus ex agris, quos occuparunt, dominia agrorum ad priores dominos redire, non verò publicari debeant.

Proceditque hoc, non obstante statuto, & consuetudine contraria; nam hæc à Carolo V. *Constit. crim. art.* 207. & à Ferdinando I. *Recess. Imp. August.* 1559. §. 35. tanquam abusus, & corruptela reprobatur: & meritò; nam 1. domino rei furtivæ persecutio competit, qua non solùm condicere illam à fure, & illius hæredibus, sed etiam à quocunque possessore, quamvis pretio non refuso, vindicare potest *l. incivilem* 2. *Cod. de furt. l. mater* 3. *& l. mancipium* 23. *Cod. de R. V.* prout dictum est *suprà num.* 59. 2. contra naturam est, ut quis cum jactura, & damno alieno locupletetur, & domini res sine ipsius facto in alium transferatur *l. nam hoc* 14. *ff. de Condict. indeb. l. id quod* 11. *ff. & c. locupletari* 48. *de R. J. in* 6. 3. iniquissimum & à naturali ratione alienissimum est ex facto unius alterum prægravari, & delictum unius in alterius perniciem trahi *l. omnibus* 1. *ff. de alien. judic. mut. caus. & l. factum* 155. *pr. ff. de R. J.* cùm peccata, hisque promerita pœna suos tantùm authores, & delinquentes tenere debeant *l. crimen* 26. *C. de Pœnis*: & hæc res ansam præberet iniquis, & avaris Magistratibus suspendendi fures, ut bona furto ablata sibi vendicare possent.

6 *Ad Rationem dubitandi* dico, furtum quoque annumerari casibus fortuitis, qui culpa carent *l. ex ratione* 30. *pr. ff. ad Leg. Falcid. & l. pignus* 9. *C. de Pignor. act.* Accedit, quia licèt is, cui res ablata est, aliquando in culpa sit respectu alterius v. g. concedentis, in culpa tamen non est respectu furti; & si esset respectu istius, ea esset minor, quàm ut rei injustè ablatæ, & extantis damno coerceri valeat.

7 Quæritur 5. utrùm dominus saltem Magistratui restituere teneatur expensas, factas in capturam, custodiam, torturam, & executionem furis? Videtur respondendum affirmativè; nam restituere debet etiam sumptus, quos bonæ fidei possessor fecit, secundum æstimationem Judicis *l. sin autem* 27. §. *fin. ff. & l. siquis* 11. *C. de R. V.*

Sed respondendum est, rem furtivam domino restituendam sine diminutione, vigore *Constit. crim. Carol. V. art.* 213. ubi illi duntaxat excipiuntur sumptus, qui in sustentatione animalium furtim sublatorum sunt facti. *Conf.* ex eadem *Const. art.* 214. ubi decernitur, quòd Judici ex officio incumbat, ut, prout quisque deliquerit, in eos animadvertat. Quæ autem Judici ex officio incumbunt, absque ullo alicujus privati adminiculo, damnoque expedire, & gratis administrare tenetur *arg. l. ut puta* 2. §. *sed si* 2. *ff. de condict. ob turp. caus.* Berlich. *pract. p.* 5. *Concl.* 45. *num.* 32. Haun. *tom.* 6. *de l. & l. tract.* 2. *num.* 261. Vviestner *hic n.* 30. Reiffenstuel *ibidem num.* 45.

8 Dixi *vigore Const. crim. Carol. V.* nam Jure nostro Provinciali Bavarico, cùm res furtiva æquat valore asses duodecim, nummus duodecimus; cùm verò duodecim asses excedit, nummi 36. solvendi sunt Judici. *Malefis*, *Process. Tit. art.* 5.

Ad Rationem dubitandi negatur paritas; nam bonæ fidei possessor sumptus à se factos repetere potest, tanquam utilis negotiorum gestor.

9 Quæritur 2. quid, & quotuplex sit *Condictio furtiva*? Resp. est actio personalis, civilis, rei persecutoria, irregularis, seu extraordinaria, perpetua, qua rei furto ablatæ restitutio, si extat, vel si non extat amplius, ejus æstimatio, omneque interesse petitur. Konig *hic num.* 24. *vers. Condictio furtiva*, Reiffenstuel *ibidem num.* 34. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 1. *nn.* 18. Magnif. D. Verlohner *de Condict. furtiv. num.* 1. Explicatio Definitionis patebit ex dicendis. Dividitur autem Condictio furtiva in Condictionem certi, & incerti. *Condictio certi est*, qua res ipsa, furto sublata, repetitur. *Condictio incerti*, qua non res ipsa, sed possessio, usus, vel interesse postulatur. Magnif. P. Schmier *loc. citat. num.* 19.

Dub. 1. Cui Condictio furtiva competat? Resp. *Condictio certi* (quæ simpliciter vocatur Condictio) competit soli domino ejusque hæredi *l. in furtiva* 1. *ff. de Condict. furt. l. eum qui* 14. §. *qualis* 16. *ff. de furt.* ubi tamen notandum, Domini nomen hic non accipi strictè, seu pro eo, qui dominium verum rei furtivæ habet, sed latius, prout includit etiam illum, qui habet dominium fictum, & quasi dominium. Et hinc condicere rem furtivam possunt etiam bonæ fidei possessores; quia locum Domini sortiuntur *tot. tit. ff. de Public. in rem act.* item Tutor, & Curator loco pupilli, & minoris in cura existentis; nam & hi loco domini existunt. Magnif. D. Verlohner *loc. cit. num.* 6. Contra condicere nequit Commodatarius, Depositarius, Conductor §. *qualis cit.* quia non sunt domini, vel instar domini: nec Legatarius, si res legata subrepta ei fit ante factam traditionem *l. sed nec ff. de Condict. furt.* quia cum hactenus ejus rei possessionem non sit adeptus, per consequens ei furtum non censetur fuisse factum: minimè verò juvatur hac Actione, à quo dominium rei furto submotæ facto suo recessit; nam hoc amisso, non amplius moveri potest *l. sive* 10. §. *tamdiu* 2. *ff. eod.* 70

Condictio incerti datur 1. Creditori, cui pignus surreptum est *l. & ideo* 12. §. *fin. ff. de Condict. furt.* 2. Commodatario, & Conductori, quibus subtracta fuit res commodata, vel locata *l. fin.* §. *sed cum* 3. *Cod. de furt.* 3. Usufructuario, si fructus jam ad maturitatem perducti sunt *arg. l. arboribus* 12. §. *Julianus* 5. *ff. de Usufr.* Ratio de omnibus relatis est, quia eorum vel maximè interest, rem subreptam non esse. Magnif. P. Schmier *loc. citat. numer.* 21. Magnif. D. Verlohner *numer.* 7. 71

Dub. 2. adversus quem detur Condictio furtiva? Resp. 1. datur adversus ipsum furem, qui rem actu ipso contrectavit, sive deinde sit fur manifestus, sive nec manifestus, sive prædo, aut in specie latro *l. sive manifestus* 10. *pr. &* §. *ei quoque* 1. *ff. de Condict. furt. l. Prætor ait* 2. §. *rerum raptarum* 16. *ff. vi honor. rapt.* Quod prorsus est singulare, cum reliquæ Condictiones dentur non domino contra dominum. Introductum autem hoc est in odium furis, ob quod iste fingitur esse dominus, ut Condictione pulsari queat, & sic pluribus Actionibus teneatur §. *sic itaque* 14. *Inst. de Action.* Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 1. *num.* 22. Magnif. D. Verlohner *de Condict. furt. num.* 4. *fin.* Quoad cætera intacta Domino perseverant omnia jura, & privilegia, annexa dominio. 72

2 Datur hæc Condictio adversus Hæredes furis, non solum ob id, quod de re furtiva ad illos pervenit, sed etiam in solidum, quamvis nihil ad eos pervenerit, ut contra Cujac. *l.* 7. *obs. cap.* 37. Vult. *in* §. 14. *Inst. de Action.* & quosdam alios melius docent Bachov. *tract. de Action. D.* 4. *thes.* 21. Struv. *Synt. jur. civil. exercit.* 18. *thes.* 54. Vvisenbach. *ad Pandect. D.* 26. *thes.* 5. Lautterbach. *ff. de Condict. furt.* Pirhing *hic n.* 18. *vers. præter actionem*, Magnif. D. Verlohner *loc. cit. n.* 10. & sumitur ex §. *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict. & l. in condictione* 9. *ff. de Condict. furt.* quod adeo verum est, ut etiamsi fur ultimo supplicio sit affectus, hæres nihilominus ad restitutionem rerum furto sublatarum, vel æstimationem rerum furto sublatarum, vel æstimationem illarum conveniri Condictione hac possit, vi *Const. crim. Carol. V. art.* 207. *&* 213. Struv. *obs. crim. cap.* 4. *obs.* 10. Carpz. *pract. crim. quæst.* 190. *num.* 4. Konig *hic num.* 24. *fin.* Reiffenstuel *ibidem num.* 34. Magnif. P. Schmier *loc. citat. num.* 23. 73

3 Si plures sint fures, aut raptores, datur Condictio hæc contra omnes in solidum, ita tamen, ut si unus plenè satisfecit, cæteri liberentur *l. præses* 1. *Cod. de Condict. furt.* quia Condictio hæc est rei persecutoria, adeoque consumitur, quando id, quod abest, 74

præsta-

præstatur; idem enim bis peti nequit *l. bona fides* 57. *ff. de Resp. J.* quo Condictio ista differt ab Actione furti; nam si actione furti unus complicum pulsatus solvit, reliqui non liberantur: & ratio discriminis est quia actio furti est pœnalis; conf. omnes, qui delicto se contaminarunt, onerat *l. præses cit.* Porro si unus complicum hac condictione pulsetur, nec beneficium divisionis, nec si solvit, regressum contra reliquos habet; Salicet. *ad l. præsts cit.* Brunnem. *ibid.* Verlohner *l. cit. n.* 8.

75 4 Hæc Condictio porrigitur etiam adversùs illos, quorum opera, & consilio furtum, aut rapina est perpetrata *l. sæpe* 1. §. *item dubitatum* 1. *ff. de V. S. & l. un. C. de noxal. act.* Requiritur autem, ut consilio concurrerit cum opera, & hæc talis sit, quæ instrumentaliter in causam physicam influat, prout influit, qui rem raptam, aut furto sublatam raptoris, vel furis humeris imposuit, ut iste faciliùs in fugam sedaret, aut qui pecus abegit ex pascuis, ut alter id occuparet, vel qui pecunias alicui excussit è manibus, vel sacculo, ut alter eas auferret. *Secus est*, si consilium, & opera se habent solùm per modum causæ moralis, ut si excubias quis agat, ne delinquentes deprehendantur; nam adversùs talem non datur ista Condictio. Magnif. D. Verlohner *loc. citat.*

76 Dub. 3. quod sit objectum hujus Condictionis; Resp. est res furto sublata; & hanc persequi potest Condictionem istam instituens 1. etiamsi res illa sit in aliam transmutata formam, ut si ex argento furtivo sint effotmata pocula; nam hæc repeti condictione hac possunt, cum furtiva censeantur *l. ex argento* 13. *ff. de Condict. furt.* item repeti possunt vestimenta, confecta ex lana furto amota *l. sequitur* 4. §. *si ex lana* 20. *ff. de Usucap. Neque obstat*, quod huic Condictioni non subjaceat res comparata ex pecunia furtiva *l. quis vas* 48. *ff. de furt.* negatur enim paritas; cum enim nec res succedat in locum pretii, nec pretium in locum rei, ex eo, quòd pretium furtivum sit, non sequitur furtivam etiam esse rem per tale pretium emptam, aut si res furtiva sit, etiam furtivum esse pretium ex ea distracta redactum.

77 Persequitur autem hæc Condictio rem furto amotam cum omnibus fructibus tam perceptis, quam illis, qui percipi potuissent, extantibus non minùs, ac consumptis *l. in re furtiva* 8. §. *fin. ff. de Condict. furt.* estque perinde, sive post litem contestatam, sive ante acceptum Judicium percepti sint *l. indebiti* 15. *& l. hæc condictio* 66. *ff. de Condict. indeb. l. videamus* 38. §. *item* 2. *ff. de Usur. & fruct.* Struv. *Exerc.* 18. *thes.* 56. Myllerus *ibid.* Oldendorp. *class.* 7. *act.* 4. Magnif. D. Verlohner *loco citat. numer.* 14. Quodsi autem res furto sublata etiam per casum fortuitum perempta sit, petitur æstimatio illius, habita ratione ejus temporis, quo res post commissum furtum plurimi unquam fuit usque ad sententiam *l. in re furtiva cit.* §. *si ex causa* 1. quia, ut ibi dicitur, *semper moram fur facere videtur*; Excipitur, si fur per oblationem rei furto sublatæ moram purgaverit; tunc enim si res absque furis culpa perempta est, domino suo periit *loc. citat. pr.* Struv. *loc. citat.* Bachov. *de Act. D.* 4. *thes.* 22. Vvisenbach. *ad ff. D.* 26. *th.* 1. Lautterbach. *ff. de Condict. furt.* §. 13. Verlohner *loc. citat. num.* 14.

78 Dub. 4. quid in deducenda hac Condictione probandum sit? Resp. præter furtum probari debet dominium, si *Condictio certi* instituatur *arg. l. in furtiva* 1. *ff. de Condict. furt.* non quidem exactè, & plenè, sed minus plenè, ut post Gletie *Jurispr. terrib. part.* 2. *cap.* 1. §. 7. *n.* 6. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 1. *numer.* 24. quia absurdum foret actorem à reo convento, seu fure tantùm eo ex capite repelli, quòd dominium accuratè non probaverit. Si tamen constaret, vel à fure probari posset, rem non ad actorem, sed tertium pertinere furem audiendum *arg. l. cum, qui* 14. §. *qualis* 16. *ff. de Furt.* existimat Stryck. *tr. de Action. forens. sect.* 1. *membr.* 10. §. 4. & approbat P. Schmier *n.* 25.

In *Condictione incerti* probandum est, quòd Actoris intersit, rem ablatam non fuisse *l. & ideo* 12. §. *fin. ff. de Condict. furt.* P. Schmier *n.* 26.

79 Quæritur 3. quid, & quotuplex sit actio furti? Resp. alia consurgit ex furto manifesto, alia ex furto nec manifesto; *Prior* Prætoria est, & datur in quadruplum; *posterior* est Civilis, & datur in duplum §. *pœna* 5. *&* §. *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict.* §. *ex maleficiis* 18. *Inst. de action.* Utraque merè pœnalis, personalis, perpetua, & famosa est per *text. citt. & pr. Inst. de perpet. & temp. act.* §. *ex quibusdam* 2. *Inst. de pœn. tem. litig.* Farin. *prax. crim. q.* 167. *n.* 17. Manz. *ad* §. 5. *cit. num.* 3. Vallens. *hic* §. 2. *numer.* 3. Pirhing *ibid. num.* 18. Begnudell. *V. furtum numer.* 9. Dicitur autem Actio merè pœnalis; quia tantum ad pœnæ persecutionem pertinet. Hinc in eam non venit ipsa res §. *fin: cit. & l. qui vas* 48. *pr. ff. hoc tit.* Si res ipsa contrectata fuit, duplicatur, vel quadruplicatur æstimatio rei, seu verum ipsius pretium, quod habebat tempore quo commissum est furtum, vel quo pretiosior facta est *l. in furti* 50. *pr. hoc tit.* Si vero solum usus, vel possessio sit interversa, multiplicatur tantummodo interesse; conf. bonæ fidei possessori, & Usufructuario, si furtum eisdem fiat in re possessa, aut in Usumfructum data, solummodo duplicatur, vel quadruplicatur fructuum æstimatio *l. inter* 46. §. *si servus* 1. *& l. furtivam* 74. *ff. hoc tit.*

Dub. 1. cuinam competat hæc furti actio? Resp. datur tam domino rei, quam alteri, cujus interest, rem ablatam non fuisse *l. cujus* 10. *& l. seq. ff. hoc tit.* sub hac tamen modificatione, quòd, si dominus ipsemet rem actualiter & naturaliter non possideat, sed eam v. g. commodaverit, locaverit, deposuerit, non possit aliter agere, quam si conductor, aut depositarius extra culpam, aut non solvendo sit §. *item si* 15. *Inst. de oblig. quæ ex delict. l. itaque* 12. *& l. eum qui* 14. §. *idem scribit.* 6. *ff. hoc tit.* Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 695. *n.* 3. nam si culpam admisit, & solvendo sit, non tam interest domini, quàm Conductoris, & Depositarii, quippe qui eo casu conveniri à domino potest vel ad restitutionem, vel ad æstimationem rei, quæ culpa eorum furto ablata per alium est §. *item si cit. & l. eum qui cit.* §. *si res* 14. *&* §. *qualis* 16. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 1. *numer.* 29. *&* 30. Aliud est, quando Conductor &c. versatur in dolo, vel quia rem ipsam dolosè retinet, sicuti fur, vel quia per dolum dat ansam furto; tunc enim iste nullatenus actione furti juvatur, sed hæc domino competit tam adversùs Commodatarium &c. ita dolosè agentem, quam adversùs eum, qui furto rem abstulit *l. tum is*, 11. *l. itaque* 12. §. *sed si* 1. *l. eum qui* 14. §. *item Pomponius* 8. *ff. hoc tit.* 80

Idem, quod dictum est de Conductore, & Depositario, Jure Digestorum juxta *textus allegatos* dicendum foret de Commodatario; sed Jure Codicis *l. manifestissimi* 22. §. *tales* 1. *Cod. hoc tit.* aliquantum à paritate cum Conductore recessum est, & tum demum Commodatario, cujus culpa res commodata per alium furto ablata est, actio furti contra furem conceditur, quando dominus rei commodatæ adversùs ipsum Commodatarium elegerit instituere actionem commodati; nam *l. &* §. *citat.* Domino rei commodatæ liberum datur arbitrium, utrum actione furti contra furem, vel commodati contra Commodatarium velit agere, cum hac tamen limitatione, ut una per litis contestationem electa, ad alteram transire nequeat. *Ratio disparitatis* inter Conductorem, & Commodatarium est, quia ille pro re conducta præstat mercedem, iste verò nullam, ut adeo ratio sit, cur priori actio furti concedatur indistinctè, posteriori vero limitatè solum: cum non tanti istius intersit, utpote qui jacturam non patitur ex re sua, sed tantum privatur commodis rei sibi commodatæ. 81

Dub. 2. contra quem detur Actio furti? Resp. datur contra eum, qui furtum fecit, vel ad id auxilio, vel consilio suo cooperatus est; nec refert, quamvis res ablata perierit *l. inter omnes* 46. *pr. ff. hoc tit.* Quodsi plures eandem rem contrectaverunt, etsi dispar illorum sit opera, singuli tamen in solidum hac actione pulsantur, nec uno solvente, cæteri liberantur *l. vulgaris* 21. §. *si duo* 9. *ff. eod.* Neque fit in actione hac discrimen ætatis; nam etiam contra impuberem doli capacem, si furtum fecerit, hæc actio datur *l. impuberem* 23. *ff. eod.* 82

Contra non datur hæc Actio 1. in hæredem furis; quia 83

quia merè pœnalis est *l. civilis* 1. *ff. de privat. delict.* *Excipitur*, nisi lis cum defuncto priùs fuerit contestata §. *non autem fin. Inst. de perpet. & temp. act. & l. pœnalia* 164. *ff. de R. J.* ibi, *Pœnalia judicia semel accepta, in hæredes transmitti possunt*. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 696. *n.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 1. *num.* 32. Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. numer.* 22.

2 Non datur parentibus contra liberos, aut liberis contra parentes, si aliquid sibi invicem auferant *l. ne cum* 16. & *l. siquis* 52. §. *idem* 4. *ff. hoc tit.* Molin. *loc. cit. n.* 3. Schmier *num.* 33. nisi peculium sit castrense; nam in hujus subtractione potest quidem actio furti moveri, non tamen directa, vel famosa, sed utilis in factum, non famosa *l. siquis cit.* §. *sed si* 5. & §. *seq.* Lauterbach. *ibidem* §. 43. Molin. *loc. cit. num.* 3. Schmier *n.* 34.

3. Similiter si durante Matrimonio unus conjugum alteri quid surripiat, non actio furti, sed si absque intentione divortii res ablata fuerit, intentatur simplex Condictio, ex Jure Gentium descendens, ut loquitur Marcianus *l. rerum quidem* 25. *ff. de Act. rer. amot.* aut actio in factum, ut eam vocat Imperator *l. divortii* 2. *Codic. rer. amot.* vel si intuitu futuri divortii subtractio contigerit, instituitur actio rerum amotarum *tot. tit. ff. & C. de act. rer. amot.* Sylv. *V. furtum num.* 2. Farin. *prax. crim. q.* 168. *n.* 52. & *seqq.* Molin. *D.* 696. *cit. num.* 2. Stryck. *tr. de Action. forens. sect.* 1. *membr.* 10. §. 7. 8. & 9. Schmier *n.* 36. & 37. Pirhing *hic n.* 18. *vers. porro*, Reiffenstuel *ibid. num.* 30. & 31.

Dub. 3. quod sit objectum hujus Actionis? Resp. est duplum, vel quadruplum, prout nimirum furtum est vel manifestum, vel non manifestum; cum distinctione tamen; nam si res ipsa surrepta est multiplicatur ipsius pretium; si verò usus, & possessio, ad duplum, vel quaduplum æstimatur interesse, ut dictum est *numer.* 79. Potest ad duplum, vel quaduplum hodiedum agi, ut contra Gronevvegen *de LL. abrog.* qui putat pœnam istam hodiernis moribus omnino exolevisse, meliùs tenet Stryck. *loc. citat.* §. 6. & confirmari potest ex *Const. Crim. Carol. V. art.* 157. & *seq.* ubi expressa fit mentio dupli, & quadrupli. Quod autem rarius agatur ad duplum, vel quadruplum, causa est, ut bene notat Magnif. P. Schmier *loc. citat. numer.* 38. quia plerumque fures sunt pauperes, & actores plus non quærunt, quam indemnitatem suam.

Dub. 4. utrùm actio furti moveri queat etiam ob rem minimam? Videtur, quòd non; 1. quia æquitati adversatur, ut ob furtum rei minimæ fama fugilletur. 2. quia minima in Jure non curantur *l. scio* 4. *ff. de in integr. restit. & l. res bona* 54. *ff. de contrah. empt.* 3. quia actio doli ob rem, seu læsionem minimam non conceditur. Sed tenenda est affirmativa cum Clar. §. *furtum numer.* 23. Farin. *prax. crim. quæst.* 174. *numer* 71. Pirhing *hic numer.* 13. Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. numer.* 24. Constat ex §. *gallinarum* 16. *Inst. de rer. divis.* ubi furtum facere dicitur, qui gallinam aufert. Constat autem gallinam in numerum rerum exiguarum referri *Novell.* 69. *cap.* 1. quod etiam confirmatur ex *l. vulgaris* 21. *ff. hoc tit. & can. fin. caus.* 14. *quæst.* 6. ibi, *Fur non solum in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur; non enim id, quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur*. Neque obstant Argumenta contraria *Ad* 1. per actionem *vi bonorum raptorum* fama magis in discrimen adducitur, quàm per actionem furti, & tamen actio *vi bonorum raptorum* datur etiam ob minimam rem ablatam *pr. Inst. de vi bonor. raptor. Ad.* 2. minimo non curantur in ordine, ut detur remedium extraordinarium; secus, ut remedio ordinario peti possint. Ex quo patet *Ad* 3. nam Actio doli est remedium extraordinarium.

Dub. 5. quare fur manifestus condemnetur in quaduplum, non manifestus in duplum? Rationes varias DD. afferunt, ut videre est apud Schneidevv. §. *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict. numer.* 4. Harpprecht *in* §. *pœnam Inst. eod. numer.* 2. & 3. Congrua est, quod manifestum ultra læsionem, quam proximo infert in bonis, etiam scandalum publicè perniciosum præbeat, & majorem indicet impudentiam, ac turpitudinem, nec omni suspicione violentiæ carere censeatur *arg. can. nemo* 2. §. *tolerabilior caus.* 32. *quæst.* 4. *cap. ex tenore* 4. *de tempor. Ordin.* Schneidevvin. *loc. citat. numer.* 4. Harppr. *numer.* 2. & 3. Pirhing *hic num.* 18. Vviestner *num.* 22. Reiffenstuel *num.* 32.

89 Dub. 6. quis sit effectus actionis furti? Resp. præter obligationem restituendi rem furto ablatam, si extet, vel æstimationem ejus, si sit perempta, & pœnam dupli, vel quadrupli, etiam hunc producit effectum, quod furti, saltem notabilioris, condemnatus fiat infamis §. *ex quibusdam* 2. *Inst. de pœn. temer. litig. l. Athletas* 4. §. *fin. ff. de his, qui not. infam.* etiamsi civiliter tantùm conventus sit? Brunnem. *ad loc. cit. numer.* 4. Begnudell. *vers. furtum num.* 9. Vviestner *hic num.* 25. Reiffenstuel *ibidem numer.* 35.

Dub. 7. quæ probatio in hac actione sit necessaria? 90
Resp. probatio in præsenti actione facilis est; nam id solùm est probandum, quòd furtum ab Adversario sit commissum, & nostra propterea intersit. Gletle *Jurispr. terrib. part.* 2. *cap.* 1. §. 6. *n.* 14. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 1. *num.* 39.

Quæritur 4. quæ sit pœna furti, quando criminaliter 91
seu ad vindictam publicam de eo agitur? Resp. de *Jure Ecclesiastico*, seu *Canonico* 1. fur notorius, aut furti condemnatus fit infamis, sicut infamis fit fur Laicus condemnatus de furto in foro sæculari *can. infames* 17. *caus.* 6. *quæst.* 1. quia quicunque secundùm Leges infamis est, etiam infamis est secundum Canones, nisi reperiatur oppositum statutum *can. Euphemium* 7. §. *hinc colligitur caus.* 2. *quæst.* 3. Abb. *in cap. fin. hoc tit. num.* 14. Felin. *ibid. num.* 16. Diaz *pract. crim. can. cap.* 94. *num.* 2. *fin.* Farin. *prax. crim. quæst.* 167. *num.* 10. Vallens. §. 2 *hic num.* 4. Pirhing *num.* 26. Vviestner *num.* 31. Reiffenstuel *num.* 49. Begnudell. *V. furtum n.* 26. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. c.* 1. *n.* 42. Intelligi autem hoc debet, si adversùs furem sit instituta actio pœnalis furti; nam si tantum actum fuerit contra furem Condictione furtiva, cùm hæc non infamet per Leges Civiles, neque in foro Ecclesiastico hac condictione conventus Clericus infamis reddetur: & tali condictione conventus intelligitur, quando condemnatus est tantum ad restituendam rem furto ablatam, ut post *Diaz l. cit.* notat Pirhing *n.* 26. *cit.*

2 Quod ex priori sequitur, fur notorius, aut fur- 92
ti condemnatus, fit Irregularis, ut neque ad Ordines promoveri, neque in susceptis ministrare possit, ut colligitur ex *can. qui in aliquo* 5. *dist.* 51. *can. testes* 39. *caus.* 2. *quæst.* 7. *cap. infamibus* 87. *de R. J. in* 6. & argumento à sensu contrario ducto ex *cap. fin. hoc tit.* Abb. *in cap. fin. cit. num.* 3. & 14. Navar. *Man. cap.* 17. *n.* 204. Suar. *de Censur. D.* 48. *sect.* 2. *num.* 2. Pirhing *hic n.* 27. Reiffenstuel *num.* 50. Begnudell. *loc. cit.* Notanter autem *hoc*, & *præc. num.* dixi, *Fur notorius*, aut *furti condemnatus*; quia fur occultus infamiam non inducit, & per consequens nec Irregularitatem. *Ex quo sequitur*, quòd ejusmodi furem occultum, si infamiam Juris per condemnationem nondum incurrit, peracta pœnitentia, sine dispensatione, admittere possit etiam Episcopus *cap. fin. hoc tit.* Abb. *in cap. at si Clerici* 4. §. *de Adulteriis de Judic. num.* 4. Thesaur. *de pœn. Eccl. part.* 2. §. *furtum cap.* 1. *num.* 2. *fin.* Vivian. *in cap. fin. citat. pr.* Fagnan. *ibidem num.* 1. Pirhing *hic num.* 27. Vviestner *num.* 31. Reiffenstuel *num.* 51. Si publicum crimen furti sit, & incursa infamia Juris, Irregularitatem inde ortam directè tollere, & cum ejusmodi Irregulari dispensare ad Ordines *SS.* potest solus Papa, quod tamen, nisi infamia prius abolita, nunquam consuevit facere, ut rectè advertit Molin. *tract.* 4. *de J. & J. D.* 10. *num.* 3. Addidi *directè*; nam indirectè auferre Irregularitatem istam etiam Princeps, & alia potestas Sæcularis infamiam Jure Civili introductam per restitutionem famæ abolendo, potest, ut Henriquez *lib.* 14. *cap.* 5. *num.* 3. Suar. *de Censur. D.* 48. *sect.* 2. *num.* 10. Vviestner *hic num.* 31. & alii DD. notant.

3. Si Clericus in furto notabilis quantitatis, aut itera- 93
tò deprehensus, vel convictus sit, ab Ordine, & Officio Clericali deponendus *can. Presbyter* 12. *dist.* 81. si verò non resipiscat, excommunicandus, ac tandem, si incorrigibilis evadat, Curiæ sæculari tradendus est, vi *Constitutionis Clem. III. cap. cum non ab homine* 10. *de Judic.* Tholosan. *Synt. part.* 3. *l.* 37. *cap.* 2. *num.* 23.

Farin.

Farin. *prax. crim. quæst.* 167. *num.* 9. Vallenf. *num.* 4. *cit.* Pirhing *num.* 25. Reiffenftuel *num.* 53. Begnudell. *loc. citat.* Magnif. P. Schmier *cap.* 1. *citat. num.* 42. In Laicos, quando fures funt, aut rem furtivam injuftè detinenr, fertur Excommunicatio, qua etiam afficiuntur, qui furem fciunt, & non indicant, ut cum *Abbate* tenenr communiter DD. *in cap. qui cum fure* 4. *hoc tit.* Atque in hunc finem ab Epifcopis vel eorum Vicariis ad inftantiam partis læfæ concedi poffunt Litteræ Monitoriæ generales fub Excommunicatione contra eos, qui rem alienam vel injuftè retinent, vel ab alio detentam fcientes non revelant, ita, ut fi intra certum tempus, in iis præfixum, non reftituant, vel non indicent, ipfo etiam facto Excommunicationem incurrant. Hæ Excommunicationes dicuntur fieri *ad finem revelationis*, ut habetur in Trident. *feff.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* ubi fimul decernitur, ne ab alio prorfus, quàm ab Epifcopo, vel ut tefte Joan. Gallematt *ibidem V. à nemine prorfus* declaratum eft à *Cardd.* ab ejus Vicario generali decernantur; & fi ab iftis fiant, ut fiant monitionibus præmiffis, ex re non vulgari deperdita, & non nifi caufa diligenter cognita.

94 Dub. 1. quæ fit pœna furti, quando de eo agitur criminaliter in foro Sæculari? Refp. olim crimen hoc variè punitum fuit, & quidem ex *Lege* 12. *tabularum tab.* 2. fur manifeftus, fi fuit homo liber, verberabatur; & addici jubebatur ei, cui furtum factum eft; fervus autem verberibus cæfus è faxo dejiciebatur. *Jure Digeftorum* autem *l. fin. ff. hoc tit. l. fures* 1. *& feqq. ff. de furib. baln. l. de his* 1. §. *expilatores* 1. *& feqq. ff. de Effractor.* pro commiffi criminis qualitate, & varietate circumftantiarum coercebatur aut mulcta pecuniaria applicanda fifco, vel pœna carceris, relegationis, damnationis ad metalla, vel alia corporali pœna. Sylv. *V. furtum num.* 8. *verf. quartum*, Carpz. *pract. crim. quæft.* 77. *num.* 5. Vallenf. *hic* §. 2. *num.* 3. Begnudell. *V. furtum num.* 9. Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. num.* 25. Mortis autem, aut mutilationis pœnam propter furtum irrogari difertè noluit Imperator *Auth. fed novo Cod. de Serv. fugit. & Novell.* 134. *cap.* 13. *verf. pro furto.* Hac tamen poftea, cum fucceffu temporis invalefceret furum audacia, furtorum graviorum Rei cœperunt affici juxta *Conftit. Friderici I. l.* 2. *feud. tit.* 27. §. *fin. & Conft. Crim. Carol. V. art.* 159. *& feqq.*

95 Dub. 2. utrum rectè pœna capitalis ftatuta fit furto? In controverfiam iftud nonnulli trahunt apud Carpzorv. *quæft.* 77. *cit. num.* 13. hoc præcipuè nixi fundamento; quia nimis durum, & inhumanum videtur, cum qui in pecunia tantum deliquit, in corpore punire, & multo magis ei pro bonis temporalibus ablatis vitam adimere, inter quæ nulla eft proportio, cum vita hominis longè fuperioris ordinis fit, & præftantior omnibus bonis temporalibus. Pœna autem debet effe proportionata delicto.

96 Sed nihilominus dicendum, licitum, & juftum effe fures in furca fufpendere, & ultimo fupplicio afficere, præfertim fi fint incorrigibiles. Covar. *lib.* 2. *var. c.* 9. *num.* 7. Vafq. *de Reftit. cap.* 5. §. 1. *dub.* 7. *n.* 36. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 695. *num.* 1. Harppr. *ad* §. 5. *num.* 7. *& feqq. Inft. de oblig. quæ ex delict.* Befold. *Claff.* 3. *Difp. polit.* 2. *thef.* 25. Carpzov. *pract. crim. quæft.* 77. *num.* 13. *& feqq.* Pirhing *hic num.* 20. Idque quia ita neceffarium eft ob furtorum frequentiam, ad pacem publicam, & tranquillitatem fervandam, & refrenandam hominum crefcentem malitiam, avaritiam, & rapacitatem, quæ aliis modis, & pœnis levioribus coerceri non poteft, ut experientia teftatur.

97 Dub. 3. an pro unico furto, fi quantitate magnum, fed fimplex, & abfque violentia, & effractione commiffum fit, poffit inferri pœna mortis? Affirmant Bald. *in Auth. fed novo num.* 3. *verf. ego dico Cod. de Serv. fugit.* Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 9. *num.* 7. *verf. fic fane*, Bajard. *ad Clar.* § *furtum num.* 42. Menoch. *de arbitr. cent.* 2. *caf.* 295. *num.* 9. Molin. *tract.* 2. *D.* 695. *n.* 9. Berlich. *p.* 5. *concl.* 43. *n.* 22. Reiffenftuel *hic num.* 43. Idque fuaderi videtur ex *Conftit. Frideric. & Carolin. citt.* ubi habetur, quod is, qui una vice admifit furtum, laqueo in furca, fi mas fit, fi verò fœmina, immerfione in aquam vitam finire debeat.

98 Sed contrarium tenent Salicet. *in Auth. fed novo citat.* Barrol. *ibidem verf. an autem.* Jafon *in l.* 1. *num.* 7. *Cod. de precib. Imper. offerend.* Clar. §. *furtum num.* 9. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 5. *num.* 7. Damhoud. *prax. rer. crim. cap.* 110. *numer.* 35. Farin. *prax. crim. quæft.* 167. *num.* 47. Fachin. *l.* 9. *contr. cap.* 91. Harppr. *in* §. *pœna* 5. *num.* 56. *& feqq. Inft. de oblig. quæ ex delict.* Pirhing *hic num.* 21. Rationem dant, quia nulla Lege, aut Jure invenitur cautum, ut fur pro unico furto morte mulctetur; neque enim Judex in imponendis pœnis debet effe rigidior ipfa Lege *l. perfpiciendum* 11. *& l. interpretatione* 42. *ff. de pœnis.* Et cum olim non capitalia, fed folùm pecuniaria pœna furti Jure communi ftatuta fuerit, ideo ftandum eft adhuc Jure antiquo, nifi ubi pœna capitalis Jure novo expreffa eft.

Hæc fententia, quia benignior, videtur fuadenda 99 præ priore, fed tria tamen circa eam funt obfervanda. 1. gravius puniri debent, qui magnas res furripiunt, quàm qui parvas, videlicet damnando eos ad metallum, vel opus publicum, vel ad triremes, aut fuftigatione, vel alia ratione, citra mortem tamen. Harppr. *loc. citat. num.* 63. 2. perpendendæ circumftantiæ furti; nam fi infignis malitia Rei appareat, aut alia jufta caufa concurrat, pœna fufpendii tutò furi etiam pro primo furto, fi 5. folidos excedat, imponi poteft: & ita intelligi debet *Conft. Carolin.* dum *art.* 160. pœnam mortis etiam pro primo furto imponit. Carpzov. *pract. crim. quæft.* 78. *num.* 73. 3. iifdem circumftantiis, & caufis exigentibus, ftatuto, vel confuetudine induci poteft, ut etiam primum furtum morte puniatur. Pirhing *num.* 21. *citat.* & talem confuetudinem per totam ferè Germaniam ufu, & praxi receptam effe cum *Mollero* teftatur Carpzov. *loc. citat.*

Ad *Conftitut. Frider.* in contrarium allegatam dico, eam non obeffe Sententiæ fic explicatæ, præfertim cum in ea fermo fit non de fimplici furto, fed de feditiofo, five eo, quod cum effrectatione, violentia, aut armis factum eft.

Dub. 4. an pœna mortis imponi poffit pro fecundo 100 furto? Refp. licèt hujus reo imponi debeat alia pœna gravior, quàm quæ imponitur pro furto unico, v. g. abfciffio auriculæ, aut manus, vel alia nota corporalis, aut pœna flagellorum, aut triremium ad tempus, mortis tamen pœnam non imponi; fed ad hanc imponendam, talem ex generali confuetudine requiritur, ut delinquens tria, vel plura furta commiferit, qui *Fur famofus* dicitur, five qui furari confuevit. Jacob de Butrio *in Auth. fed novo verf. quod attende Cod. de Serv. fugit.* Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 5. *num.* 5. Menoch. *de arbitr. caf.* 295. *num.* 17. Farin. *prax. crim. quæft.* 167. *num.* 42. *&* 44. Pirhing *hic num.* 22. *Excipitur*, ubi circumftantiæ tales concurrunt, ob quas morte puniri poteft etiam furtum primum, fecundùm dicta *num.* 99. Videatur *Conftit. crim. Carol. V. art.* 161. *&* 162.

Porro hæc tria furta debent effe commiffa diverfis, & 1 interpolatis temporibus; nam fi uno die, actu continuato, pluries quis furetur, reputabitur pro furto unico, prout dixi *nu.* 10. Parum autem refert, utrum omnia commiffa fint in territorio; in quo quis ob ultimum furtum captus eft, an verò aliqua ex illis commiffa fint extra illud; nam & alibi commiffa effectum, & actuum frequentiam, ac confuetudinem indicant, unumque aliud aggravat, ut adeò merito cum furto ultimo in ordine ad pœnam mortis inferendam computentur. Clar. §. *furtum num.* 10. Menoch. *caf.* 295. *citat. num.* 18. Farin. *quæft.* 167. *num.* 51. *&* 59. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 2. *num.* 215. Pirh. *hic num.* 23. Similiter etiam non refert, quòd reus de prioribus furtis fit abfolutus, vel ei illa ex gratia remiffa fint; quia remiffio non minuit iteratum crimen, fed potiùs auget. Clar. *num.* 13. Farin. *num.* 68. Pirhing *num.* 23. Denique etiamfi fur propter duo priora furta jam fuerit punitus, nihilominus propter tertium à fe commiffum eft fufpendendus; quia furta duo priora non computantur ad ea iterum punienda, fed ad aggravandum tertium furtum, & puniri ob priora delicta, fi ea continuent; gravius puniendi funt *l. capitalium* 28. §. *folent*, 3. *ff. de Pœn.*

Dub. 5. qualia debeant effe tria illa furta, ut propterea aliquis fufpendii fupplicio poffit affici? *Certum eft*, fufpendi poffe, fi furta omnia fimul computata valorem quinque aureorum Hungaricorum excefferint ob textum

textum manifestum; *Const. crim. Carolin. art.* 162. Utrum vero *articulus iste*, & pœna mortis in eo sancita extendi etiam debet ad casum, quo furta omnia simul computata ad summam quinque solidorum non ascendunt, controversia inter DD. est & videtur affirmativa erui posse ex *art. cit.* nam ibi Imperator indifferenter pro furto, tertia vice iterato, pœnam laquei decernit, non habita ratione, an parva, an magna furta illa fuerint, & an summam quinque solidorum excesserint, nec ne, ut adeò non tam magnitudinem furti, quàm frequentiam, & reiterationem, quæ consuetudinem delinquendi inducit & destinatam malitiam, ac furandi perseverantiam arguit, respexisse in hoc videatur Imperator.

Sed etsi, ut *n.* 101. dictum est furtum, sæpius iteratum delictum aggravet ad hoc, ut facilius pœna suspendii infligi possit, qui genuinus sensus esse videtur *art.* 162. *cit.* nihilominus tantùm abest, ob solam reiterationem laquei supplicio locum esse, ut etiam in furto iterato quoad pœnam mortis furi indicendam, rationem quantitatis, & valoris rei furtivæ habendam esse expresse sanciat Imperator Carolus V. *art.* 161. *fin. vers. Wo aber solche*; *Quare dicendum*, ob solam iterationem triplex furtum non posse puniri suspendio, nisi omnia simul computata excesserint quinque solidos. Carpzov. *pract. crim. q.* 78. *n.* 80. ob rationem, quia in pœnalibus semper benignior sententia est eligenda *l. interpretatione* 42. *ff. de Pœn.*

Dub 6. an pœna mortis ob quantitatem furti exorbitantem, aut multiplicem ejus iterationem, vel quòd commissum sit in loco insigni, e. g. Palatio Principis exasperari debeat, addito majoris alicui severitatis reatu, ut nempe fur trahæ illigatus ad locum supplicii rapiatur, vel ferro candenti ustuletur? Videtur respondendum affirmativè, ex ratione, quia pœnæ sunt commensurandæ delictis *l. perspiciendum* 11. *& l. capitalium* 28. *§. grassatores* 10. *ff. de Pœn.* atqui gravius peccat fur delictum sæpiùs iterans, vel quantitatem exorbitantem sublegens, aut in loco insigni; Igitur severiori pœna afficiendus erit.

Sed negativa sententia, ut benignior ita etiam verior est, teste Carpzov. *pract. crim. quæst.* 78. *n.* 83. *& seqq.* quia nuspiam severior aliqua pœna in fures ob causas *num. præc.* allegatas statuta reperitur; Quòd autem Lege non cavetur, in practica non habetur, juxta tradita à Bald. *in cap. nihil* 44. *num.* 25. *vers. item quoad de Elect.* Jason. *in l. illam* 19. *n.* 8. *Cod. de Collat.* Hartm. Pistor. *l.* 2. *q.* 13. *n.* 36. Consequenter non est exasperanda pœna mortis 1. ob solam quantitatem, quod furtum sit maximi pretii. *Neque obstat*, quod in *Constit. Carolin. art.* 160. dicatur attendendum esse ad quantitatem furti; nam ibi Imperator loquitur de furto primo, quod juxta dicta *n.* 98. non afficitur regulariter pœna mortis, sed alia extraordinaria mitiore, in qua infligenda utique quantitatis ratio haberi debet. 2. ob multiplicem iterationem; quia non est Lege cautum; erubescimus autem sine Lege loqui; 3. ob loci excellentiam, in quo furtum commissum est; quia contrarium docet quotidiana praxis, quæ ob loci qualitatem exasperationem pœnæ suspendii non permittit.

Dub. 7. ad quam pœnam pro furtorum diversitate adversus furem procedere Judex jure Carolino possit? Resp. in hoc distinguendum est inter furtum manifestum, & non manifestum, primum, & iteratum, magnum, & parvum, simplex, & violentum. Nam furtum non manifestum, primum, simplex, & parvum punitur pœna dupli, si fur solvendo sit; si vero non sit solvendo, jubetur ad aliquod tempus includi carcere, ex quo lapso hoc tempore, post restitutionem rei ablatæ domino factam, & soluta alimenta in carcere consumpta, ac mercedem apparitoribus, tandem dimittitur cum Urpheda; *Constit. Carol. art.* 157.

Ob manifestum, simplex, primum, & parvum; si fur sit vilis conditionis facta prius restitutione rei ablatæ, vel æstimatione illius, si potest, ad numellas exponitur, & virgis cæsus, territorio eliminatur cum Urpheda; si vero sit conditionis honestæ, & spes emendationis affulgeat, condemnatur ad quadruplum, si existit solvendo, secus carcere ad arbitrium Judicis castigatur *art.* 158.

Furtum simplex, primum, & magnum coercendum 108
relinquitur arbitrio Judicis, qui adhibito consilio prudentum, pro modo admissi criminis pœnam mitigare, seu exasperare potest, nec tamen facilè ad pœnam capitalem descendere debet, secundum dicta *n.* 98. & habetur *art.* 160. Secundum aliter mulctatur, si utriusque summa sit infra quinque solidos, aliter si eosdem excedat: illius pœna est pro numellis expositio, relegatio, vel confinatio; hujus pœna est arbitraria *art.* 161. Tertium furtum etiam simplex capitale est, ut dictum est *num.* 100. *& seqq.* & mas quidem laqueo, fœmina suffocatione in aquis, vel alia quadam simili mortis pœna punitur *art.* 162.

Denique furtum violentum, seu periculosum, sive 109
parvum, sive magnum, sive primum, sive iteratum, sive manifestum, sive non manifestum plectitur pœna capitali, vel si circumstantiæ aliud suadeant, non capitali, corporali tamen, eaque gravi, e. g. oculorum excæcatione, manus amputatione &c. *art.* 259. Porro quodnam furtum pro violento habendum sit, dictum est *num.* 8. *& 9.*

Dub. 8. Ex quibus causis, & casibus pœna suspendii, 110
etiam ob furtum quinque solidos excedens, aliàs de Jure infligenda, mitigari, & in mitiorem capitali converti debeat? Resp. varias communiter assignari causas. 1. Ratione damni modici per furtum dati, prout fit, quando damnum furto datum est infra quinque solidos, vel si istos superat, facta transactione, aut restitutione, Domino resarcitur, antequam fur conjiciatur in carcerem; nam hoc casu fur virgis cæsus, in perpetuum est relegandus. Carpz. *prax. crim. quæstio* 80. *numer.* 8. *& seqq.* qui *numer.* 23. addit, hoc procedere etiam, cum majorem tantum rerum furto ablatarum partem Dominus recipit, & id, quod adhuc abest, atque à fure consumptum est, quinque solidorum valorem non excedit.

2 Ob incertitudinem furti commissi, si de eo, an 111
revera perpetratum sit, certò non constet; universalis enim regula est in causis criminalibus, quod nemo ad mortem condemnari possit, nisi liquidè de crimine ipso, seu delicti corpore cum omnibus qualitatibus, & circumstantiis constet. Clar. §. *fin. quæst.* 4. *num.* 1. *& seq.* Mynsing. *cent.* 3. *obs.* 81. *num.* 1. Farin. *prax. crim. quæst.* 2. *num.* 1. idque multo magis procedit in delictis facti permanentis, quale est furtum. Carpz. *pract. crim. quæst.* 81. *nu.* 3. Proinde licèt quis fateatur se furtum commisisse, si tamen de re furtiva, & personis, quibus id factum est, adeoque de corpore delicti non constet, Reo non est infligenda pœna mortis, sed alia arbitraria. Boss. *pract. crim. Rubr. de furt. num.* 15. Berlich. *part.* 5. *concl.* 46. *n.* 1. Carpz. *loc. cit. n.* 4. *& 5.*

3 Ob qualitatem personæ; nam hanc in pœna furti di- 112
ctanda observandam monet Imperator Carolus V. *Const. crim. art.* 160. ibi, *Mehr soll ermessen Werden der Stand, und das Wesen der Person, so gestohlen hat.* Et hinc 1. regulariter non suspendio, sed alia mitiori pœna, pro ratione intellectus, & capacitatis doli afficiendi sunt Impuberes pubertati proximi. *Constitut. crim. citat. art.* 164. ibi, *unter vierzehen Jahren.* 2. extraordinaria, e. g. carceris, relegationis, aut pecuniaria pœna vindicandum est furtum inter parentes, & liberos, maritum, & uxorem, & reliquos cognatos intra quartum gradum conjunctos, ob reverentiam Matrimonii, & necessitudinis. Schneidewin. *in §.* 12. *num.* 2. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* Carpz. *quæst.* 82. *à numer.* 59. 3. Personæ nobiles, & aliàs privilegiatæ, si in furti crimen inciderint, non furca, sed gladio puniendi sunt, nisi aliud usus obtineat. Tiraquell. *tract. de Nobil. cap.* 20. *num.* 110. Clar. §. *fin. quæst.* 60. *num.* 24. Farin. *quæst.* 98. *num.* 116. *& 117.* Berlich. *p.* 5. *concl.* 44. *n.* 33.

4 Ob necessitatem: & hinc à pœna suspendii ordi- 113
naria liberatur, qui ob necessitatem famis furatur edulia, vel etiam alias res, ut ex harum venditione pecuniam redigat, ac postea panem sibi comparet; Carpzov. *quæst.* 83. *à num.* 38. quod etiam dicendum de eo, qui ad tegendam nuditatem suam, cum aliunde non suppetant media, furatur vestem. Carpzov. *l. cit. num.* 46. ob rationis identitatem. Quod si non extrema, aut quasi extrema necessitas, sed gravis duntaxat sit, ita auferens, cùm vere furti reus sit; pœna alia extraordinaria,

naria, sed mitiori veniet puniendus, prout indicatur *cap. si quis* 3. *hoc tit.* & *Constitut. Carolin. art.* 166. ibi, *Sollen abermahls die Richter, und Urtheiler, als obstehet, Raths pflegen*: adeoque arbitrio Judicis relinquendum est, quam pœnam, consideratis circumstantiis, & probè ponderata necessitate, fur sit promeritus. Imò si furtum sit modicum in tali necessitate perpetratum, Judex reum, præsertim si in crimine deprehensus, per dies aliquot in carcere detentus fuerit, non imposita ulteriori pœna, omnino potest absolvere. Carpzov. *num.* 50.

114 Dub. 9. qua pœna afficiendi sint auxiliatores in furti crimine? Resp. interesse, an auxilium sit præstitum ante furtum, an in furto, an post illud jam commissum, *Si auxilium sit præstitum ante furtum*, refert; an auxiliator dederit causam immediatam furto per actum furto proximum, sine quo vel omnino non, vel non tam facilè fuisset commissum furtum, vel contra talem causam non dederit; nam qui deliberato, & doloso animo præbet furi auxilium reale per actum proximum, & per hoc dat causam immediatam furto, lucrandi animo, pœna furti ordinaria plectendus est: contra ad pœnam extraordinariam, & mitiorem condemnandus, qui auxilium præbet furi per actum magis remotum, nec per id dat causam immediatam furto. Ita Menoch. *de arbitr. cas.* 349. *num.* 5. Natta *lib.* 1. *conf.* 151. *num.* 3. Boer. *decis.* 167. *num.* 3. Marsil. *pract. crim.* §. *constante num.* 49. Carpzov. *quæst.* 87. *num.* 11. & *seqq.* Porro causam proximam, & immediatam furto dedisse censetur, qui scalas alicui ad furtum committendum applicat, vel qui ferramentum ad effringendum sciens, volensque porrigit &c. Contrà per actum remotum furi auxilium præbere censetur, qui indicio, ac demonstratione modum, & occasionem furandi notam facit, aut locum, ubi res continentur, ostendit &c. Carpzov. *loc. citat. numer.* 17. & 23.

115 *Si auxilium sit præstitum in ipso actu furti*, ut propterea aliquis plecti pœna ordinaria furti possit, necesse est 1. ut Auxiliator dolosè, & fraudulenter auxilium furi præbeat, consilio deliberato præcedente. Cyn. *in l. is, q i opem ff. de furt.* Boer. *decis.* 167. *num.* 2. *fin.* Clar. §. *fin. quæst.* 90. *num.* 1. Carpzov. *quæst.* 87. *citat. n.* 33. 2. ut lucri causa hoc fiat; sicut enim propositum, & animus alia delicta distinguit, ita etiam furti delictum animus lucrandi indicat §. *furtum* 1. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* & *l. qui injuria* 53. *ff. hoc tit.* 3. ut auxilium sit cooperativum, & ipso facto in actu furandi præstetur. Marsil. *tract. crim.* §. *constante num.* 50. & 61. Menoch. *de arbitr. cas.* 349. *numer.* 10. Carpzov. *num.* 33. *citat.* 4. ut furtum ipsum sit subsecutum, & res à fure, cui auxilium præbetur, contrectata *l. si quis* 52. §. *neque* 19. *ff. hoc tit.* Gloss. *in l. is, qui opem cit. V. manifestus.*

116 Denique *si auxilium præstatur post furtum commissum*, non ordinariæ laquei, sed extraordinariæ mitiori pœnæ est locus pro Judicis arbitrio, prout cum communi DD. monent. Clar. §. *fin. quæst.* 90. *num.* 2. Menoch. *cas.* 349. *num.* 1. Mascbard. *de Probat. concl.* 159. *num.* 23. Farin. *prax. crim. quæst.* 132. *num.* 1. & *seqq.* Carpzov. *quæst.* 87. *citat. num.* 36. & *seqq.* quia opem præstans post furtum commissum non dicitur propriè auxilium præbere ad furtum, vel illud promovere. Et hinc extraordinariæ mitiori pœnæ subjacent 1. qui opem præbent furi ad evadendum, & fugam arripiendam, 2. qui viam monstrant, ut manus Judicis, illum persequentis effugiat. 3. qui eum occultant, ne deprehendatur. 4. qui res furto ablatas vendunt, vel de iis commisso furto participant. 5. qui easdem scienter receptant, aut emunt, nisi aliæ circumstantiæ concurrant, ob quas pœna furum ordinaria istis irrogari debeat. Carpzov. *loc. citat. à n.* 40.

117 Dub. 10. utrum quando plures commiserunt furtum, cujus summa quidem excedit quinque solidos, ita tamen, ut divisione inter illos æqualiter facta, nullus illorum quinque solidorum æstimationem acceperit, omnes furca sint puniendi? Videtur tenenda affirmativa sententia, sumpta paritate ab his, qui homicidium dolosum commiserunt; nam etsi ex his unus citius altero comprehensus, Legis Corneliæ pœna punitus sit, per hoc tamen cæteri non liberantur *l. item Mella* 11. §. *sed si plures* 2. *ff. ad Leg. Aquil.* item quando plures corruperunt album Prætoris, unus pœnam præstitutam solvendo, cæteros non liberat *l. si quis* 7. §. *fin.* & *l. seq. ff. de Jurisd.*

Sed non videtur esse paritas; etsi enim delinquentes regulariter omnes in solidum teneantur, quando agitur ad pœnam pecuniariam, secus tamen est in criminibus, in quibus imponitur pœna corporalis, vel capitalis; in his enim factum uniuscujusque, quantum quis ad delictum contulit, considerandum est *l. fin. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Imo si paritas est cum homicidio à pluribus commisso, potius hæc nobis servit; nam ideo omnes puniuntur pœna homicidii, quia omnes ejusdem sunt rei, quæ est ratio formalis, ob quam dicta est pœna homicidii; ergo etiam ut complices omnes puniri possint pœna capitali furti, necesse est, ut in omnibus inveniatur ratio hujus pœnæ per Leges statutæ; atqui ratio hæc non est, quod qualecunque commiserint furtum, sed quòd fur assecutus sit valorem 5. solidorum; quod in casu posito de singulis verum non est; ergo &c. 118

Quare tali casu nullus puniri furca poterit, sed omnes fustigati potius relegari debent; Berlich. *p.* 5. *concl.* 43. *n.* 121. Carpz. *pract. crim. quæst.* 78. *à n.* 37. Magnif. D. Verlohner *de Act. furt. n.* 30. qui addit, hanc opinionem toties defendendam, quoties facta æquali divisione, nullus valorem quinque solidorum fuisset sortitus, etsi per accidens propter inæqualem divisionem unus plus, minus verò alter sit consecutus; Aliud est, si furtum à pluribus cum effractione violenta, & seditiosa ædium factum est; tunc enim omnes, & singuli laqueo puniri debent, etiamsi facta divisione, uniuscujusque portio valorem quinque solidorum non excedat, quippe quo casu non attenditur furti quantitas, sed vis, cujus omnes hujusmodi complices æqualiter rei sunt. Carpzov. *n.* 49. 119

Dub. 11. an postquam fur ultimo supplicio affectus est, domino rei furtivæ actio civilis pecuniaria competat contra hæredes furis ad damnum, vel interesse, quod prætendit sibi deficere? *Certum est*, de Jure Civili per actionem pœnalem nequaquam consumi Condictionem furtivam, & actionem subsidiariam, sed hanc contra hæredes furis adhuc dari domino, ejusque hæredibus ad rem furto sublatam sibi restituendam, aut si non amplius exter, ad damnum resarciendum, & interesse præstandum §. *fin. Inst. de oblig. quæ ex delict.* §. *ex malefic.* 18. *Inst. de Action. l. civilis* 1. *ff. de privat. delict.* Bartol. *in l. interdum* 56. §. *qui furem* 1. *ff. de furt. numer.* 4. Bajard. *ad Clar.* §. *furtum n.* 31. & *seqq.* Menoch. *de arbitr. quæst.* 91. *num.* 6. & *seqq.* Heig. *p.* 2. *q.* 23. *num.* 17. & *seqq.* Carpzov. *pract. crim. q.* 80. *n.* 102. & 103. cum aliis ab hoc citt. 120

Controversia inter DD. est, an actio Civilis post pœnam de fure sumptam competet, postquam ista cœpit esse capitalis, & mortis? Affirmant nonnulli, non pauci negant, ut videre est apud Carpzov. *q.* 80. *citat. num.* 104. qui melius distinguit, an res furtiva adhuc exter, & ab hæredibus furis vindicetur, an verò fuerit consumpta, vel perdita. *Si primum*, vindicari illa, vel condici non solùm à fure, sed etiam, postquam iste laqueo punitus est, ab hæredibus ejus, imò à quocunque possessore, etiam bona fidei potest, ut non obscurè innuitur in *Constitut. crim. Carol. V. art.* 213. ibi, *die sollen dem, der sie alſo ferlohren hatte: bider ferſtattet vverden*, & quidem pretio non soluto. *Constitut. citat. art.* 214. ibi, *tarumb so derselbe, der also tas Seine, VVider ferlanget, niemand nichts schuldig seyn.* 121

Si secundum, fure per fustigationem, vel suspendium castigato, ex bonis ipsius nec ipsi furi, nec hæredibus ejus quidquam præstandum est; quia durissimum videtur, ut reus ultra pœnam mortis, seu corporis afflictivam, damna quoque, & interesse resarcire teneatur, cum mors omnia solvat *Novell.* 22. *cap.* 20. Aliud est, quando fur relegatione solum, aut carcere punitus est; nam tali casu ad restitutionem damni, & præstationem æstimationis, sive interesse condemnari sine dubio potest. Carpzov. *loc. cit. num.* 118. Imò ut idem *num.* 119. cum *Neguzant. Bald.* & *Salicet.* addit, hoc casu pro malè ablatis Domino rei ablatæ in bonis furis ratione damni, & inte- 122

& interesse competit tacita Hypotheca, vi cujus in concursu creditorum aliis jus plenius non habentibus præferri debeat.

Dub. 12. an sufficiens indicium ad condemnationem de furto sit, quòd res furtiva apud aliquem sit reperta? Resp. non esse sufficiens ad condemnationem, imò nec ad torturam, nisi ille sit homo suspectæ fidei, & malæ famæ; fieri enim sæpe potest, ut quis ignorans apud se habeat rem furto sublatam, cum tamen ad furtum requiratur, ut quis scientiam habeat rei alienæ, vel ut quis mala fide emerit, vel alio titulo acquisiverit rem furtivam. Clar. §. *furtum numer.* 5. Harppr. §. *furtorum autem* 3. *num.* 25. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* Pithing *hic num.* 4. Begnudell. *V. furtum num.* 23.

§. III.

De aliis diversis Furtorum generibus, & eorum pœnis.

SUMMARIUM.

124 *Definitio furti Sacrilegi.*
125 126 *Hujus pœna.*
127 *Est crimen mixti fori.*
128 *Definitio Plagii.*
129 130 *Casus, in quibus committitur.*
131 132 *Pœna illius.*
133 *Definitio Peculatus.*
134 *Modi, quibus committitur.*
135 136 *Pœna ejusdem.*
137 *Definitio Abigeatus.*
138 *&c. Quis censeatur Abigeus.*
141 142 *Pœnæ istius criminis.*
143 *Crimen de Residuis.*
144 *Casus, in quibus committitur.*
145 146 *Pœna.*
147 *Crimen expilatæ Hæreditatis.*
148 *&c. Quis de hoc conveniri possit?*
151 *Pœna.*
152 153 *Sepulcri violatio.*
154 *Pœna ejusdem.*
155 *Amotio termini.*
156 *Ejus pœna.*
157 *Contra quos detur Actio de termino moto.*
158 *Quando committatur furtum tigni?*
159 *Quis conveniri possit Actione de tigne juncto?*
160 *Quæ actio competat ob arbores &c. furtim cæsas?*
161 *Pœna istius criminis.*
162 *Pœna rapientium res ex naufragio, vel incendio.*
163 *Actio Civilis ex hoc furto competens.*

HUc pertinet Sacrilegium; Plagium, Peculatus, Abigeatus, Crimen de Residuis, Expilatæ Hæreditatis, Sepulcri violati, Termini moti, Furtum Tigni, Furtum arborum.

Quæritur 1. quid sit *Sacrilegium*, & quæ pœnæ sint statutæ in fures sacrilegos? Resp. *Sacrilegium*, est quo res sacra contrectatur, quod tripliciter fieri potest; 1. si res sacra è loco sacro; 2. si res sacra de non sacro; 3. si res non sacra de sacro auferatur *can. quisquis* 21. §. *similiter caus.* 17. *quæstio* 5. Ultimo tamen modo, nempe per ablationem rei non sacræ ex loco sacro factum, si illa non custodiæ, & securitatis causa ibi deposita, vel Ecclesiæ concedita, sed tantum casu ibi relicta, & posita sit, ut nonnulli cum Azor *part.* 1. *lib.* 9. *cap.* 27. *quæstio* 6. & Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 45. *numer.* 14. volunt, non est proprie Sacrilegium, sive furtum sacrilegum, superaddens malitiam specie distinctam à furto; quia non habet specialem repugnantiam cum loci sanctitate, sed solum generalem quandam irreverentiam continet, adeoque pœnæ in Sacrilegos fures statutæ tunc non incurruntur; Unde quando *can. quisquis citat.* inter Sacrilegia numeratur furtum rei non sacræ ex loco sacro, id intelligi debet, si ex loco sacro, seu Ecclesia auferatur res, quæ quidem non est sacra, sed aliquo modo ad Ecclesiam pertinet, saltem quoad custodiam.

Pœna furti Sacrilegi *Jure Civili*; præcipuè quo res Sacra è loco Sacro surripitur, est extraordinaria, & arbitraria, ita tamen, ut juxta furti, rei, & personarum qualitatem etiam ad mortem usque extendi possit, prout constat ex *l. sacrilegii* 6. *princ. ff. ad Leg. Jul. Peculat.* ubi dicitur, quod Sacrilegium *pro qualitate personæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel severius, vel clementius*, puniri debeat; unde his circumstantiis spectatis, alii quidem fures sacrilegi etiam vivi comburuntur, nonnulli autem furca, ut alii fures, plectuntur, alii, si eædem circumstantiæ ita suadeant, etiam mitius, quam capitale, patiuntur supplicium. Neque obstat *l. sacrilegi* 9. *ff. eod.* ubi *princ.* dicuntur *Sacrilegi capite puniendi*; nam, ut bene notat Carpzov. *pract. crim. quæstio* 89. *numer.* 11. per capitis pœnam non tantum significatur pœna ultimi supplicii, sive mortis, sed & damnatio ad metallum, deportatio, vel exilium §. *publicorum* 2. *vers. capitalia Inst. de publ. Judic. l. publicorum* 2. *ff. eod. & l. capitalium* 28. *pr. ff. de pœn.* Videantur Clar. §. *Sacrilegium numer.* 3. Host. *Summ. Rubr. de crim. Sacril. num.* 3. *hoc tit.* Monoch. *de arbitr. cas.* 289. Farin. *prax. crim. quæst.* 172. *num.* 11. *& seqq.* Carpzov. *q.* 89. *cit. à n.* 8. Pithing *hic n.* 32. Const. Carolin. *art.* 172. & 174. & dicta *Tit. præc. n.* 115. & 116.

Jure Canonico 1. per *can. quisquis* 21. *pr. caus.* 17. *q.* 4. 126
Sacrilegii reus XXX. libris examinati argenti purissimi debet præstare Episcopis, vel Abbatibus, aut aliis personis, ad quas querela Sacrilegii juste pertinet. 2. per *can. attendendum* 13. *quæst. cit.* perpetua damnantur infamia, quæ tamen non incurritur, nisi post sententiam condemnatoriam; Farin. *loc. citat. numer.* 22. vel traduntur carceri, vel relegantur in perpetuum exilium; 3. per *can. indigna* 21. *caus.* 12. *quæstio* 2. jubentur Sacrilegi res Ecclesiarum injustè accipientes, vel possidentes, aut retinentes, nisi citò se correxerint, anathemate feriri, seu excommunicari; qua Excommunicatione innodati permaneant usque ad congruam satisfactionem *cap. conquæstus* 16. *de for. compet.* Tholos. *part.* 3. *Synt. lib.* 33. *cap.* 15. *numer.* 2. Farin. *cit. quæst.* 172. *num.* 17. Begnud. *V. furtum n.* 7. Pirhing *hic n.* 32. *vers. similiter.*

Cæterùm crimen Sacrilegii, adeoque etiam furti Sa- 127
crilegi est crimen mixti fori, ita, ut etiam Laicus à Judice Ecclesiastico puniri possit, & præventioni inter Judicem Sæcularem, & Ecclesiasticum locus sit *cap. cum sic* 8. *& ibi* Abb. *n.* 1. *de for. compet. c. conquestus cit.* Diaz *pract. crim. can. c.* 91. *in addit. V. definitionem lit. A.* Farin. *quæstio* 172. *citat. numer.* 31. Pirhing *hic num.* 34. quamvis ex consuetudine in aliquibus locis de Sacrilegio solus Judex Sæcularis cognoscat, teste Clar. §. *Sacrilegium numer.* 3. ubi ait, jussum à se suspendi quendam, qui vas S. Eucharistiæ ex Ecclesia abstulit.

Quæritur 2. quid sit *Plagium*, & quæ sit ejus Pœ- 128
na? Resp. est, quo liber, homo, vel servus alienus surripitur, vel abducitur animo celandi illum. Farin. *prax. crim. quæstio* 165. *numer.* 45. Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 83. *n.* 85. & 86. Illsung *tract.* 4. *c.* 3. *n.* 131. *fin.* Pirhing *hic, num.* 35. Konig *ibid. num.* 27. Magnif. D. Verlohner *Act. Leg. de Plagiar. numer.* 1. Committi potest in hominem liberum, & in servum. Propriè tamen committitur in solum hominem liberum, qui sui juris est; nam si liberi, in potestate parentum constituti, surripiantur, vel abducantur, potius furtum committitur §. *interdum* 9. *Inst. de oblig. quæ ex delict.* & ideo patri furti actio competit *l. eum, qui* 14. §. *si filiusf.* 13. *ff. hoc tit.* non autem matri, quæ liberos in potestate sua non habet; *l. mater.* 38. *ff. eod.* Pirhing. *numer.* 35. Reiffenstuel *numer.* 58. Multo magis furtum facit, qui furatur alienum servum, vel ancillam; quia servus, & ancilla est quædam possessio domini: ut adeò hunc surripiens non minus furti se reum faciat, quàm siquis furetur quodcunque alterius animal. Azor *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 12. *pr.* Molin. *tract.* 2. *D.* 681. *num.* 14. *vers. hac eadem ratione.*

In hominem liberum committit Plagium 1. qui eum 129
supprimit, celat, in vinculis detinet *l. non statim* 6. §. *fin. ff. de Leg. Fab. de Plagiar.* 2. qui eum scienter vendit, aut emit. §. *fin. cit. & l. si liberum* 1. *ff. eodem.* 3. qui eum donat, vel dotem, aut alio modo in solutum dat *l. Lege Fabia* 4. *ff. eod. & Novell.* 134. *cap.* 7.

cap. 7. 4. qui eum oppignorat, aut locat alteri. *Novell. loc. cit.* Circa servum autem committit Plagium. 1. qui ei persuadet, ut à domino fugiat, vel illum invito domino occultat, in vinculis retinet *l. non statim citat.* §. *fin.* 2. qui servum fugitivum cum rebus furto ablatis scienter recipit *l. siquis* 12. *Cod. eod.* 3. qui servum fugitivum scienter vendit, aut emit §. *fin. cit. Venditionis* autem verbo comprehenduntur omnes Contractus, per quos dominium transferrur, ut donatio, permutatio *l. Lege Fabia cit.* Vvesenbec. *ib. numer.* 2. Molin. *tract.* 2. *D.* 684. *num.* 7. Pirhing *hic n.* 35. & 38.

130 In hoc crimen non incidunt Principes, & magni Domini, qui donant sibi invicem pygmæos, cantores moriones, & similes; quia non dant illos, ut priventur libertate, sed donant, ut liberi maneant, sicut liberi erant apud donantem; Bartol. *in l.* 4. *cit.* Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. pr.* Myler. *ad Struv. Synt. Jur. Civil. exercit.* 49. *thes.* 83. Pirhing *hic numer.* 38. Magnif. D. Verlohner *loc. citat. numer.* 3. *fin.* Item in crimen istud non incidit Pater, in extrema famis necessitate vendens filios suos; quia hoc ipse in necessitate hujusmodi impune potest per *l. fin. Cod. de Patrib. qui fil. distrax.* non autem mater; quia potestas vendendi filios in tali necessitate est effectus patriæ potestatis; mater autem filios in potestate non habet §. *fœminæ* 10. *Inst. de Adopt.* Utrum verò extra famis necessitem ob aliam causam e. g. quia ab hostibus captus occidendus est, nisi certam pecuniæ summam exsolvat pater filios possit vendere, controversia est inter DD. Affirmant allegati apud Theodoric. *cap.* 9. *aphorism.* 8. *numer.* 3. Melius negat Magnif. D. Verlohner *numer.* 3. *cit.* quia famis necessitati nulla est par.

131 Pœna Plagii olim pecuniaria fuit de Jure Civili, quæ tamen jam olim ab usu recessit *l. fin. ff. de Leg. Fab. de Plagiar.* & gravior pœna pro modo delicti infligi cœpit, nempe ut ejus reus, si ingenuus sit, gladio plectatur; si verò servus, vel libertus, bestiis subjiciatur *l. quoniam* 7. & *l. fin. Cod. eod.* ubi sermo est de Plagiariis, qui liberos homines, aut servos alienos abducunt, & vendunt, vel qui viventium filiorum miserandas orbitates parentibus infligunt, eos distrahendo, quibus est pœna mortis decreta. In aliis tamen casibus Judici permissum videtur imponere Plagiario vel pœnam leviorem metallo, aut exilio, vel præter exilium aliam arbitrariam pro modo delicti, & personarum *l. fin. cit.* & §. *est* & *inter* 10. *Inst. de Publ. judic.* Molin. *tr.* 2. *de I.* & *I. D.* 684. *num.* 7. Vvesenbec. *ff. hoc tit. n.* 5. Carpz. *pract. crim. q.* 83. *n.* 87. & *seqq.* Harppr. *in* §. *est* & *inter cit. n.* 19. Pirh. *hic n.* 36. Konig *n.* 28. Reiffenstuel *num.* 59. Magnif. D. Verlohner *l. cit. n.* 4.

132 *In foro Ecclesiastico* hujus crimini rei debent acriter puniri, sed citra mortem; quia Ecclesia pœnam sanguinis non potest infligere *cap. in Archiepiscopatu* 4. *de Raptor.* Pirh. *num.* 37. *Neque obstat* textus *c. qui furatur* 1. *hoc tit.* ubi refertur textus *Exod.* 21. *v.* 17. in quo pœna mortis sancitur in plagiarios; nam ut Abb. *ibid. n.* 8. notat, hoc *cap.* positum est sub Rubrica istius Tituli, ut sciatur, quòd ii, qui furantur homines liberos, acriter puniendi sint, cum secundùm Legem Divinam antiquam puniti sint morte; vel dici potest, quòd per mortem hodie de Jure Canonico non intelligatur mors naturalis, sed Excommunicatio, quæ est quasi mors Civilis, quippe qua velut mortuus à communione Fidelium Excommunicatus excluditur; consf. juxta hanc interpretationem Judex Ecclesiasticus excommunicare potest plagiarios, etiam Laicos, qui quoad hoc crimen, cum per illud Religioni Christianæ detrahatur, Jurisdictioni etiam Judicis Ecclesiastici subjiciuntur. Abbas *in capit.* 1. *citat. fin.* Item per mortem intelligi etiam potest Depositio ab Ordine, & Officio, quæ est etiam mors quædam Civilis; nam Excommunicatio per hominem infligi non potest, nisi quis contumax sit, & incorrigibilis *can. nemo* 41. & *ibi* Gloss. *V. nemo caus.* 11. *quæstio* 3. Denique nihil etiam obest, quo minus Judex seu Prælatus Ecclesiasticus eum, qui tamen grave Plagii crimen commisit, possit tradere Curiæ sæculari morte puniendum, adjuncta tamen protestatione, ne mortis, vel mutilationis pœna eidem inferatur *arg. cap. Prælatis* 2. *de Homicid. in* 6. Pirhing *num.* 37.

Quæritur 3. quid sit *Crimen Peculatus*, & quæ illius pœna? Resp. hoc nomine intelligitur furtum pecuniæ publicæ *l. sacrilegi* 9. §. *Labeo* 2. *ff. ad Leg. Jul. Peculat.* Sylv. *V. furtum num.* 3. Molin. *tr.* 2. *de I.* & *I. D.* 684. *num.* 4. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. Illsung *tract.* 4. *D.* 3. *n.* 131. Pirhing *hic nu.* 39. Reiffenstuel *ibidem num.* 61. Magnif D. Verlohner *Act. Leg. Jul. Pecul. num.* 1. *Pecuniæ* autem nomine hic comprehenduntur omnes res, ad ærarium Reip. vel fiscum Principis pertinentes *arg. l. Lege* 4. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. Pecul.* Adeoque definiri Crimen Peculatus potest, quòd sit crimen publicum, quo pecunia, resve publica ab eo, cujus fidei, & periculo commissa non erat, surripitur §. *item Lex Julia* 10. *Inst. de publ. Judic. l. Lege Julia* 1. & 4. *pr. ff. ad Leg. Julia Peculat. l. Sacrilegi* 9. §. *Labeo* 2. *ff. eod.*

Variis autem modis committitur hoc crimen. 1. si surripiatur res, aut pecunia publica. Publica olim dicebatur, quæ erat Civitatis Rom. nam ob pecuniam, vel rem, alii Civitati inferiori subtractam, non Peculatus, sed furti dabatur actio *l. ob pecuniam* 81. *ff. hoc tit.* Hodie Pecunia publica dicitur, quæ est Imperatoris, Regis, Principis, aut Civitatis superiorem non recognoscentis, aut etiam quæ spectat ad Principes Imperii, aut Civitates Imperiales; cæteræ verò Civitates pro privatis habentur *l. eum qui* 16. *ff. de V. S.* Decian. *lib.* 8. *cap.* 28. *num.* 11. Harppr. *ad* §. 9. *Inst. de publ. Judic.* Theodoric. *cap.* 9. *aphor.* 3. *num.* 5. Magnif. D. Verlohner *loc. citat. num.* 3. 2. si furto auferantur pecuniæ sacræ, & Religiosæ *l. Lege Julia* 4. *ff. ad Leg. Jul. Pecul.* bona quippe Sacra sunt publica Sylv. *V. furtum num.* 3. Molin. *D.* 684. *citat. numer.* 4. Farin. *prax. crim. quæstio* 171. *numer.* 21. Pirhing *hic num.* 36. *fin.* 3. si quis in tabulis publicis minorem pecuniam, quam quod vendiderit, aut locaverit, scribat *l. hac lege* 10. *ff. eodem*. 4. quando quis muros, aut fores civitatis effringit, perforat, & exinde aliquid submovet *l. qui perforaverit* 11. *ff. eod.* aut prædam ab hostibus captam surripuit *l. is qui* 13. *ff. eodem*. 5. denique de Jure Canonico crimen Peculatus committunt etiam Presbyteri, aliique Clerici, qui bona Ecclesiastica sibi appropriant, vel alienant; ideoque excommunicantur, nisi res surreptas celeriter restituant *cap. si quis* 6. *de rebus Eccl. non alien.* & si restituere non possint, deponuntur *can. Diaconi* 35. *caus.* 12. *quæst.* 2. Farin. *quæst.* 171. *cit. n.* 10. Pirhing *hic n.* 39. *vers. porro crimen.*

Pœna hujus criminis de Jure Civili est duplex; una *pecuniaria*; nam pecuniam publicam surripiens in quadruplum tenetur *l. sacrilegii* 6. & *l. is qui* 13. *ff. tit. citat.* Bartol. *in lib.* 6. *citat.* §. 2. Struv. *Synt. Jur. Civil. exercit.* 49. *thes.* 77. Theodoric. *cap.* 9. *aphorism.* 3. *numer.* 12. Magnif. D. Verlohner *loc. citat. num.* 4. Nec refert, utrum clam, vel palam pecunia fuerit surrepta *l. si quis* 1. *Codic. de his qui ex publ. ration.* & *l. qui in contractibus* 8. *Codic. de jur. fisc.* Et potest pœna ista etiam exigi ab hæredibus, ut cum *Gomez* advertit D. Verlohner *loc. citat.* Quodsi autem surripiat pecuniam fisco quidem debitam, sed nondum incorporatam, ad pœnam dupli adstringitur *l. defensionis* 7. *Cod. de jur. fisc.* & *l. siquis cit. C. de his qui publ. ration.*

Altera pœna est *corporalis*; quæ quidem in privatis regulariter est Deportatio §. *item Lex Julia* 9. *Inst. de publ. judic.* & *l. peculatus* 3. *ff. ad Leg. Jul. Peculat.* in cujus locum hodie successit pœna furti Theodoric. *cap.* 9. *citat. aphorism.* 3. *num.* 17. Struv. *loc. cit.* Konig *hic num.* 62. Reiffenstuel *ibidem num.* 29. Judices autem, sive Magistratus, qui tempore administrationis publicas pecunias subtraxerunt, vel qui ministerium eis ad hoc exhibuerunt, aut subtractas ab eis scienter acceperunt, ultimo supplicio afficiuntur §. *item Lex. Julia cit.* & *l. un. Cod. de crim. Peculat.* Molin. *tract.* 2. *de I.* & *I. D.* 695. *num.* 38. Brunnem. *ad loc. citat.* Struv. *loc. cit.* Pirhing *hic num.* 39. *vers. pœna autem*. Konig *n.* 29. *citat.* D. Verlohner *num.* 5 Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 2. *n.* 94. & alii apud illum.

Quæritur 4. quale sit *Crimen Abigeatus*, & qualis sit ejus pœna? Resp. *Abigeatus* est crimen extraordinarium, quo tenentur, qui dolo malo pecora ex pascuis

fcuis vel ex jumentis, aut armentis lucri faciendi causa abducunt & deprædantur *l. de Abigeis*, *ʃƒ. abigei* 1. *ff. de Abigeis*, Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 684. *numer.* 6. Gœdd. *in l. ferri* 255. *ff. de V. S.* Farinac. *prax. crim. quæst.* 165. *numer.* 39. Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 2. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 16. *num.* 26. Lauterbach. *ad tit. cit.* §. 1. *& seqq.* Struv. *Exercit.* 48. *thes.* 108. Illfung. *tract.* 4. *D.* 3. *num.* 131. Pirh. *hic num.* 40. Konig. *n.* 28. Reiffenst. *nu.* 60. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 3. *n.* 16.

38 *Grex* proprium est ovium, suum, caprarum, aliorumque minorum pecorum, quæ ad pascendum gregatim emittuntur *l. Lege Aquilia* 2. §. *ut igitur* 2. *ff. ad Leg. Aquil. Jumenta* autem vocantur propriè equi, muli, asini, qui bajulando, & onus portando homines juvant *l. legatis* 65. §. *jumentis* 5. *ff. de Legat.* 3. *& l. ædiles* 38. §. *jumentorum* 4. §. *unde* 6. *ff. de Aedil. Edict. Armenta* verò propriè appellantur boves, & equi, qui aratro negotium peragunt *l. legatis*, *& §. jumentis citat. l. boves* 89. *ff. de V. S.* Boves tamen quandoque inter gregem numerantur, quoties plures boves a Patrefam. non arandum, sed ad pascendum emittuntur *l. si grege* 22. *ff. de Legat.* 1. usus siquidem, & finis jumentum, & armentum a grege, nec non armentum à jumento discernit. Gœdd. *in l. Boves cit. nu.* 3. Carpzov. *l. cit. n.* 28.

39 Porro hoc inter pecora minora & majora, discrimen in ordine ad Abigeatus crimen solerter notandum; nam ex minoribus pecoribus unum duntaxat abigeus, de Crimine hoc non tenetur: sed Abigeus is est, qui uno eodemque tempore gregem ovium, caprarum, porcorum, aut vaccarum ex pascuis surripit; nam quantitas discernit furem ab Abigeo, ut ait Saturninus *l. aut facta* 16. *§. quantitas* 7. *ff. de Pœn.* Grex verò abactus dicetur, quando oves ad minus decem, aut porci quinque, vel quatuor abacti fuerunt Gloff. *ibid.* & Bartol. *nu.* 2. Tholof. *Synt. Jur. l.* 37. *cap.* 5. *num.* 1. Gomez. *tom.* 3. *var. c.* 5. *n.* 13. Molin. *tr.* 2. *D.* 684. *num.* 6. Farin. *prax. crim. q.* 167. *n.* 115. Carpzov. *pract. crim. q.* 86. *num.* 30. Konig. *hic num.* 28. Reiffenst. *ibid. num.* 60. *Excipitur*, nisi quis pecora hæc minora furetur, quasi artem exercens; tunc enim si sæpius i. e. ter ut minimum istud fecerit, etiamsi unam duntaxat ovem, vel aliud simile animal singulis vicibus surripuerit, censetur Abigeus, & in pœnas, huic crimini statutas, incidit *l. fin. cit.* §. *qui sæpius* 2. Bocer. *tr. de furt. cap.* 2. *num.* 199. Caball. *resol. crim. cas.* 160. *num.* 4. Carpzov. *l. cit. num.* 31. cum reliquis *supra*.

40 *Contrà* Abigeus dicitur, qui de armentis, vel jumentis etiam unum duntaxat pecus, seu animal majus surripuit *l. fin. cit. pr.* Cujac. *l.* 1. *obs.* 20. Tholof. *c.* 5. *cit. n.* 1. Damhoud. *prax. rer. crim. c.* 113. *nu.* 1. Farin. *l. cit. num.* 117. Carpz. *num.* 32. *cum citt.* Quin & Abigeatus crimen committit non solum ille, qui ex agro, vel pascuis, sed etiam ex stabulo, vel domo quis ea abduxerit *l. fin. cit.* §. *eum quoque* 1. Boer. *de furt. c.* 2. *n.* 219. Gomez. *c.* 5. *cit. n.* 13. Caball. *res.* 160. *cit. n.* 1. Farin. *q.* 176. *n.* 113. Carpzov. *q.* 86. *nu.* 33. Quodsi verò quis bovem aberrantem, vel æquos in solitudine relictos abduxerit, non Abigeus est, sed fur potiùs *l. de Abigeis cit.* §. *abigei* 1. Molin. *n.* 6. *cit.* Pirhing. *n.* 40.

41 Pœna istius criminis est, quod Abigei, qui sæpius hoc crimen patrant, ad gladium damnentur; solet enim frequentia augere pœnam, præsertim si ferro, vel armis abigant pecora *l. de Abigeis citat. prax.* alias damnantur in opus publicum ad tempus *prax. citat.* Molin. *tract.* 2. *D.* 684. *numer.* 6. Farin. *quæst.* 167. *numer.* 111. Carpzov. *quæst.* 86. *numer.* 34. Pirhing. *num.* 40. In honestioribus temperatur pœna, & aut relegandi, aut ordine movendi sunt, nisi gladio abigant; tunc enim tanquam grassatores, seu latrones bestiis objici debent *l. abigei citat.* §. *quanquam* 3. Illi verò, qui pecus ex stabulis abigunt, plenius, sive durius puniri debent, quam qui è grege, silva, aut pascuis *l. fin. cit.* §. *eum quoque* 1. quia cum effractione stabuli Abigeatum committunt. furtum autem quod cum effractione fit, gravius punitur, quam quod sine effractione *l. de his* 1. *ff. de Effractor.* Harppr. *ad §. pœna* 5. *n.* 108. *&* 109. *Instit. de Oblig. quæ ex delict.* Pirhing. *hic numer.* 40. Hodierna consuetudine Abigei puniuntur ut fures, & quidem laqueo, si sine effractione, graviori etiam, si cum effractione delictum istud commissum est, modò pretium rerum ablatarum pretium 5. solidorum attingat. Carpzov. *loc. citat. numer.* 39. Konig. *numer.* 28. Reiffenstuel. *numer.* 60.

Jure Canonico nulla certa pœna in Abigeos constituta est, quia tamen SS. Canones pœnas infligunt juxta qualitatem, & quantitatem culpæ, Abigeus autem improbior fur est, quam alii, ideo hoc Jure major etiam pœna est imponenda, quam ob furtum; adeoque pœna Depositionis imponi Clerico poterit arbitrio Judicis. Farinac. *quæst.* 267. *numer.* 109. Pirhing. *numer.* 40. *vers. porro.* 142

Quæritur 5. quid sit, & quas pœnas habeat *Crimen de Residuis*? Respond. diversum hoc crimen est à crimine Peculatus; nam istud ab eo committitur, cujus fidei & periculo pecunia non est commissa, illud verò ab ipso Administratore. Describi potest, quod sit crimen publicum, quo pecunia publica ab eo, cujus fidei, & periculo erat concredita, retinetur, & in usum publicum, seu in rationes non refertur *l. lege Julia* 2. *& l. lege.* 4. §. *sed & qui* 4. *ff. ad Leg. Jul. Peculat.* Perez. *ad Cod. tit. eod. numer. ult.* Theodoric. *capit.* 9. *Aphorism.* 5. Struv. *Synt. Jur. Civil. Exercit.* 49. *thes.* 70. Magnif. D. Verlohner. *Act. Leg. Jul. Pecul. nu.* 13. Magnif. P. Schmier. *p.* 3. *cap.* 2. *numer.* 95. Adeoque hoc crimine non tenentur, qui pecuniam per modum contractus, vel quasi, sine publica administratione, in suam fidem, & custodiam receperunt, quales sunt Depositarij, & Creditores, factores, socii, negotiorum, gestores, tutores &c. Berlich. *p.* 5. *concl.* 57. *num.* 2. Theodoric. *l. cit. nu.* 4. D. Verlohner *n.* 13. 143

Committitur hoc crimen duplici modo, videlicet aut pecuniam publicam, in certum usum destinatam retinendo, & in eum non consumendo *l. Lege Julia* 2. *l. Lege* 4. §. *sed & qui* 4. *& l. sacrilegi* 9. §. *eum quoque* 6. *ff. ad Leg. Jul. Peculat.* aut eam pecuniam in suum convertendo usum. §. *eum quoque citat.* Tholosan. *Syntagm. l* 33. *cap.* 20. *n.* 20. Decian. *tr. crim. l.* 8. *c.* 28. *num.* 18. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 684. *n.* 5. Carpzov. *pract. crim. q.* 85. *n.* 4. Farin. *q.* 171. *n.* 51. Konig. *hic n.* 30. Reiffenstuel *ibid. n.* 63. D. Verlohner *l. cit.* 144

Pœna Criminis de Residuis Jure Digestorum est, quod præter Infamiam, cunctis criminibus publicis debitam. *l. infamem* 7. *ff. de Publ. Judic.* debeat hujus criminis reus restituere amplius tertiam partem rei iniquè detentæ, vel non debitè erogatæ, ita, ut qui 90. fl. malè retinuit, restituere, & fisco inferre debeat 120. *l. lege Julia* 4. §. *quæ lege* 5. *ff. ad Leg. Jul. Pecul.* ibi, *Qua lege damnatus, amplius tertia parte, quam debet, punitur.* Brunem. *ad Leg. cit.* Theodoric. *capit.* 9. *aphoris.* 5. Struv. *Synt. Jur. Civil. exercit.* 49. *thes.* 80. Lauterbach. *ad eund. tit.* §. 11. Konig *n.* 30. Reiffenstuel *num.* 64. P. Schmier *nu.* 96. D. Verlohner *l. cit.* 145

Hodie hujus criminis rei extra ordinem puniuntur, non autem suspendii pœna, ut reliqui fures. Eckolt. *ad l.* 4. §. *cit.* Damhoud. *prax. rer. crim. c.* 115. *num.* 1. *& seq.* Vvesenbec. §. *item Lex Julia Peculatus num.* 5. *Inst. de publ. Judic.* Berlich. *part.* 5. *concl.* 57. *numer.* 31. *& seq.* Struv. *Exercit.* 49. *cit. thes.* 80. & ibi *Petr. Myler.* Carpzov. *q.* 85. *num.* 9. Konig. *num.* 30. *D.* Verlohner *l. citat.* Ratio mitius, quàm cum cæteris furibus procedendi a Carpzov. *l. cit. num.* 11. *& seqq.* assignatur multiplex. 1. quia hujusmodi Administratores non tam invito domino pecuniam contrectare videntur, quam perfidè agere. *l. tres tutores* 55. *ʃƒ. sed si* 1. *ff. de administr. tutor. l. sacrilegi* 9. §. *Labeo* 2. *vers. & ideo ff. ad Leg. Jul. Pecul.* 2. quia hujusmodi Officiales ut plurimum pecuniam suo periculo suscipiunt, ejusque nomine cautionem præstare, ac fidejussores dare solent. atqui res alicui sub periculo ejus commissæ, quasi propriæ ipsius esse videntur, & nemo in re propria furtum committit. 3. quia juxta vulgatam, & communem Interpretum doctrinam administratio mitigat delictum *l. multi* 6. *ff. de Publ. & vectigal.* ut adeò gravius peccare censeatur, qui contrectat rem existentem adhuc in Domini manibus, quam contrectat fidei suæ commissam; minus autem delictum minus punitur. 146

Quæritur 6. quid sit *Crimen expilatæ Hæreditatis*, & quæ pœna illius? Resp. est, quo quis ante, vel post aditam hæreditatem, sed necdum possessam rem hæreditariam mobilem dolo malo lucri causa contrectat *l. si* 147
expi-

expilatæ 2. §. *apparet* 1. *ff. expil. hæredit.* quia talis censetur reus furti *l. his enim* 70. *ff. h. tit.* quamvis in rigore Juridico propriè furtum non committat; quia furtum admittitur in rebus ab alio jam possessis. Struv, *Synt. Jur. Civil. Exercit.* 48. *thes.* 95. Eckolt. *ff. expil. hæred.* §. 1. Brunnem. *in l.* 2. *cit.* Carpzov. *pract. crim. q.* 83. *n.* 76. Hinc etiam furti actio in talem non datur *l.* 2. *cit. pr.* & §. *apparet.* 1.

148 Committitur crimen istud propriè ab extraneo tantum, qui sub nomine hæredum non continetur; nam cohæres, si res quasdam ex hæreditate jacente sibi applicavit, actione familiæ hercifcundæ pulsandus venit *l. adversus* 3. *C. fam. hercis.* Cujac. *ibid.* Eckolt. *ff eod.* §. 4. Brunneman. *ad l. cit.* Magnif. D. Verlohner. *Act. contr. Expil. Hæred. num.* 7. Ratio est, quia potius suam, quam alienam rem submovisse censetur, & delictum non præsumitur, sed probari debet. Quodsi tamen dolus manifestus cohæredis, res hæreditarias submoventis, pateret, ab accusatione extraordinaria non foret exculpandus, ut tradit Gloss. *in l.* 3. *cit.* sicut nec socius, siquid dolo malo subtraxit ex rebus pertinentibus ad Societatem *l. merito* 51. *ff. pro Socio.*

149 Similiter actione expilatæ hæreditatis conveniri non potest uxor *l. uxor* 5. *ff. expil. hæred.* quia turpis actio adversus uxorem non datur *l. nam in honorem* 2. *ff. de act. rer. amot.* sed res cum fructibus adhuc extantibus rei vindicatione, si autem consumpti sint, Condictione ex Lege ab ea repeti possunt *l. adversus* 4. *C. de crim. expil. hæred. Excipitur*, nisi Matrimonium sit dissolutum per divortium; eo enim casu, si uxor ex hæreditate mariti quondam aliquid submovit, ab hoc crimine non excusatur *l. & ideo* 3. *ff. de act. rer. amot.*

150 Aliud est de Noverca, & Vitrico; nam hi si aliquid ex hæreditate, privigno aliunde, quàm a Patre delata, suppresserint, vel surripuerint, excusationem hujus criminis non promerentur *l. expilatæ* 2. & *l. seq. C. de crimin. expil. hæred.* Ratio est, quia frequentia hujus delicti vincit reverentiam, his personis debitam, nemo quippe frequentius solet hæreditatem expilare, quam Vitricus, & Noverca. Videatur *Salicet. Brunnem.* & alii in *ll. citt.* Magnif. D. Verlohner *l. cit. n.* 3.

151 Pœna hujus criminis Jure Digestorum est extraordinaria, pro diversitate circumstantiarum infligenda. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 681. *n.* 9. Farin. *prax. crim. q.* 174. *n.* 25. Coler. *p.* 1. *decis.* 188. *n.* 6. Carpzov. *pract. crim. q.* 83. *num.* 82. Konig. *hic n.* 31. Reiffenstuel *ibid. num.* 65. & sumitur ex *l. siquis* 1. & *l. Divus* 3. *ff. expil. hæred.* quod tamen ut Magnif. D. Verlohner *l. cit. fin.* cum Ott. Tabor *ad Const. crim. Carol. V. art.* 165. optimè advertit, solum intelligi debet, si cohæres, uxor, vel maritus ex rebus hæreditariis aliquid acceperit: nam si extraneus, qui cohæres non est, istud fecerit, iste non minus, ac cæteri fures, laquei pœnam sustinebit, quippe cum Expilatores *l. de his* 1. §. *expilatores* 1. *ff. de effract.* & *expilat.* fures *atrociores nuncupentur.*

152 Quæritur 7. quid sit *Sepulchri violatio*, & quomodo violatores hujusmodi puniantur? Resp. hæc fieri potest aut circa ipsum sepulchrum, vel monumentum, aut circa cadaver ibi tumulatum. Priori modo violatur sepulchrum 1. demolitione structuræ, ut si quis saxa, aut marmora, seu columnas aufert, insignia, & imagines, monumento infixas, destruit *l. si sepulchrum* 2. *ff. l. qui sepulchra* 4. & *l. seq. C. de Sepulchr. violat.* 2. inhabitatione, aut extructione novi ædificii, non sepulchri causa *l. Prætor ait* 3. §. *siquis* 6. *ff. eod.* 3. illegitima illatione cadaveris *l. prætor citat.* §. *siquis* 3. Requiritur tamen, ut hæc fiant dolo.

153 *Posteriori* modo hoc delictum committitur 1. contrectatione, corpus sepultum extrahendo *l. qui sepulchra cit.* 2. mutilatione, quod incantatoribus solemne est, qui quandoque solent corpora exhumare, & eorum membra mutilare, ut iisdem ad nefaria facta abutantur. 3. spoliatione, detrahendo cadaveribus sepultis vestes, vel aliud, quo ornata sunt. Magnif. D. Verlohner *Act. de sepulchr. viol. n.* 8. Hæc spoliatio, cùm defuncti nil possideant, propriè furtum non est, neque spolium: unde ejus rei nec furti, nec spolii pœnis, sed alia arbitraria plectendi sunt. Carpzov. *pract. crim. q.* 83. *n.* 55.

154 Pœna autem ista solet esse varia; nam 1. qui ex dolosa petulantia corpora humata ex sepulchris extraxerint, & ossa exhumaverint, si humiliores fuerint, ultimo supplicio afficiuntur, si honestiores, aut deportantur, aut in metallum damnantur *l. fin. ff. de Sepulchr. viol.* D. Verlohner *l. cit. n.* 9. 2. qui vi armata more latronum cadavera spoliant, ultimo supplicio etiam ipsi; qui verò sine armis, ad minimum metalli pœna afficitur *l. Prætor cit.* §. *adversus* 7. 3. qui reliquias cadaveris contrectaverit, aut sepulchri saxa, marmora &c. ædificandi causa amoverit, à Constantino Imp. 10. libris auri fisco inferendis puniuntur *l. qui sepulchra cit.* Judex verò, qui hoc delictum vindicare omisit; 20. libris mulctatur *l. siquis* 3. *Cod. eod.*

Quæritur 8. quid sit, & qua pœna, afficiatur *Amotio termini*? Resp. est crimen, quo quis terminos, vel lapides finales, *Uranifs-Stain*, *oder Marchsaulen* dolosè eruit, aufert, aut mutat, vel ut præcisè noceat alteri, vel ut eidem de fundo aliquid detrahat, & suo adjiciat *l. terminorum* 1. & *duab. seqq. ff. de term. mot.* Struv. *Exercit.* 48. *thes.* 110. Konig *n.* 33. Reiffenstuel *num.* 68. 155

Pœna hujus criminis varia est, nam 1. si extraneus terminum movit eo fine, ut discordias, & lites inter confines seminet, in terminos singulos, quos ejecerit, 50. aureos fisco in solidum inferre debet *l. fin. ff. de term. mot.* 2. qui terminos propellit, prædia sua dilatandi causa, pro qualitate personæ, & ætatis puniuntur corporaliter *l. Divus* 2. *ff. eod. Const. crim. Carolin. art.* 114. quæ Constitutio etiam locum habet de Statuto nostro Bavarico *Landt-Freyheit part.* 1. *art.* 16. §. 20. 3. qui post litem in controversia de finibus contestatam terminos communes submovit, aut propulit ad jura adversarii obscuranda, pro facti circumstantia puniendus, & compellendus est ad terminum amotum, & tantundem de suo, ac simul omne damnum, & interesse restituendum. Farin. *prax. crim. q.* 168. *numer.* 104. 4. qui lapides terminales furandi animo aufert, in hunc vel criminaliter animadvertendum, vel civiliter ad dupli, vel quadrupli pœnam est condemnandus. Farin. *loc. citat. num.* 100. 156

Adversus hæredes actio de termino moto non datur, quia ex delicto descendit & hoc verum est, etsi cum defuncto lis contestata sit; quia actio hæc comparata est ad pœnam infligendam delinquenti *l. finis* 3. & *l. defunctis* 5. *C. si reus, vel accus. mort. l. si pœna* 20. & *l. crimen* 26. *ff. de Pœn.* Quodsi verò ex delicto aliquid ad hæredes pervenit, dabitur actio ad exhibendum, Condictio, vel Vindicatio, prout vel res ipsa, vel ejus æstimatio petitur *l. hæc actio* 5. *ff. de calumn. l. Civilis* 1. *ff. de privat. delict. l. prætor. ait* 2. §. *fin. ff. vi bonor. raptor.* Ultra unius anni spatium ad instar Actionum Prætoriarum actio hæc de termino moto non procedit *l. si verò* 5. *ff. de his, qui effud. vel dejec.* & *l. final. ff. de popular. act.* Neque in hoc crimine adversus delinquentem perveniri ad capitis pœnam potest, teste Carpzov. *pract. crimin. quæstion.* 83. *numero* 70. 157

Quæritur 9. quando committatur *Furtum tigni*, & quæ ex hoc nascatur actio? Resp. Furtum tigni committere dicitur, qui tignum, seu materiam, ex qua componitur ædificium, v. g. tegulas, lapides, perticas, columnas &c. ex ædificio alieno mala fide subtrahit, & ædibus suis jungit. Adversus istum domino materiæ datur Actio de tigno juncto, ut in pœnam duplum præstet *l. duodecim* 1. *pr. ff. de tign. junct.* An etiam Actio ista detur contra eum, qui tignum non furtivum, sed solum alienum bona fide junxit, controvertitur inter DD. Negant Duaren. *ad tit. cit.* Manz. *in* §. 29. *Inst. de rer. divis.* Zoes. *ff. tit. de tign. junct. num.* 4. Sed melius affirmant Bachov. *in Treutl. vol.* 2. *D.* 20. *thes.* 6. *lit. A.* Vinn. *ad* §. 29. *cit.* Struv. *Synt. Jur. Civil. exercit.* 48. *thes.* 28. Eckolt. *ad tit. cit.* §. 4. Magnif. D. Verlohner. *Act. de tign. junct. numer.* 3. Magnif. D. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 1. *n.* 54. ex identitate rationis; nam actio hæc de tigno juncto est introducta, quia stante ædificio tignum vindicari non poterat, eamque ob rem domino erat consulendum, ut indemnis servetur: quæ ratio sine dubio locum habet etiam in bonæ fidei possessore. Accedit, quia bonæ fidei possessor, tignum alienum suis ædibus jungens, licèt non dolosè, culposè tamen delinquit, quòd non melius in qualitatem, & conditionem tigni per se, vel per alium inquisiverit. Stryck. 158

tr. de

tr. de Act. forens. sect. 1. *membr.* 10. §. 12. Lauterbach. *ad titul. citat. ff.* §. 2. Miller. *ad Struv. l. cit. lit. B.* P. Schmier *l. cit. num.* 55. In eo tamen melioris conditionis est bonæ quam malæ fidei possessor, quod ille non tantum regressum habeat adversus venditorem, aut alium traditorem tigni, sed etiam à furto censeatur immunis, nec possit conveniri Condictione furtiva, vel alia actione rei persecutoria. Stryck *l. cit.* §. 12. P. Schmier *numer.* 56.

59 Porro actio hæc probabilius non datur adversus fabros lignarios, qui aliena junxerunt tigna, ædificium tamen non possident, ut contra Struv. *l. cit.* advertit Tabor. *in suis Recamat. crim.* quia non jungunt proprio nomine; sed eo casu tenebitur is, cujus nomine jungitur, quippe qui per se ipsum junxisse censebitur juxta *Regul.* 72. *ff. R. J.* Qui si deinde ædificium hoc vendiderit alteri, non poterit actione ista pulsari emptor; quia Leges 12. tabularum actionem hanc attribuunt contra illum, qui convictus est tignum ædificio junxisse, ut patet ex *l. Lex* 1. *pr. in fin. ff. de tign. junct.* Quare eo casu adhuc tenebitur venditor, ne sit in ejus potestate se nexui obligationis invito creditore surripere. Struv. *Exerc. cit. thes.* 29. *& ibi Mylerus*, Schutz *in Lauterbach ff. eod.* D. Verlhoner *l. cit. num.* 5. apud quem plura de hac Actione.

60 Quæritur 10. quænam Actio competat ob arbores, vites, hederas, arundines, virgulta &c. furtim cæsa? Resp. pro his, cessante actione furti, de Jure Civili variæ competunt actiones: & 1. quidem ex Edicto Prætoris actio Civilis arborum furtim cæsarum; ut duplum præstet ejus, quod alterius interest arborem cæsam non fuisse *l. furtim* 7. §. *fin. l. facienda* 8. *pr. & tot. tit. ff. arbor. furt. cæsar.* 2. ex Lege Aquilia in simplum *l. si furtim* 1. *ff. eod.* 3. ex Interdicto quod vi, aut clam *l. sed si* 11. *ff. eod.* & *l. in duobus* 28. §. *colonus* 6. *ff. de Jurejur.* 4. ex Lege 12. tabularum, ut quis in singulas arbores cæsas æris viginti quinque asses luat. Menoch. *de arbitr. cas.* 579. *num.* 2. *sub fin.* Cæpoll. *de Servit. urban. præd. cap.* 81. *numer.* 13. Gothofr. *ad l. furtim* 7. §. *fin. V. duplum ff. eod.* Berlich. *p.* 5. *concl.* 52. *num.* 2. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 83. *numer.* 2. Porro actionum istarum una consumit alteram, ita tamen, ut una finita, ad residuum, quod in priori non continetur, consequendum, reliquis experiri queat *l. furtim* 1. *& l. sed si* 11. *citat.* Cujac. *lib.* 8. *obs.* 24. *vers. si furtim*, Vvesenbec. *ff. tit. eod. numer.* 1. Menoch. *l. citat. num.* 3. Carpzov. *numer.* 2.

61 De Pœna istius delicti in Imperio Romano nil certi est constitutum; præterquam quod Carolus V. Imper. reos illius, sepósito furti supplicio, pro more, ac consuetudine cujusque Regionis puniri voluerit. *Const. crim. artic.* 168. Neque contrarium probat *l. sciendum* 2. *ff. tit. cit.* ubi Gajus asseverat, *eos, qui arbores, & maximè vites ceciderint, etiam tanquam latrones*, conf. ultimo supplicio, *puniri;* nam, ut textum hunc explicat Stryck *l. cit.* §. 15. æquiparatio hæc de necessitate puniendi tantum, non item de pœnæ quantitate intelligenda est; is enim, qui vites cædit, illa, quæ ad vitæ sustentationem homini sunt necessaria, aufert, & hinc, ut Latro, qui hominis vitæ insidias struit, æstimatur.

62 Quæritur 11. quæ sit pœna rapientium res ex naufragio, vel incendio? Resp. rapientes res ex naufragio mulctantur confiscatione bonorum *Auth. navigia fin. C. h. tit.* & alia etiam pœna extraordinaria puniri possunt, ut *ibidem* additur. Farin. *prax. crim. q.* 168. *nu.* 75. *&* 76. Pirhing *hic nu.* 41. Eadem pœna imposita est furantibus res, tempore incendii foras projectas *l. Pedius* 4. *ff. de incend.* Farin. *l. cit. n.* 78. Pirhing *n.* 41. *cit.* Hodie autem auferens res, in naufragio projectas in terram, punitur pœna arbitraria pro qualitatibus personarum *l. de submersis* 5. *C. de naufrag.* Menoch. *de arbitr. cas.* 297. *n.* 1. Pirhing *l. cit.*

63 Præter actionem, & pœnam criminalem contra furem, auferentem res occasione incendii, vel naufragii, datur etiam Actio Civilis ad restitutionem rerum ablatarum intra annum in quadruplum, post annum verò in simplum *l. prætor ait.* 1. *pr. ff. de incend.* Farin. *n.* 80. Pirh. *l. cit. vers. his addendum*.

TITULUS XIX.

De Usuris.

FUrto, & Rapinæ subjungitur *Usura*, sic dicta ab Usu, sicut Cultura a Cultu. *In genere* significat usum alicujus rei: in hoc sensu Cicero *pro Rabir. Posthum.* usum vitæ appellavit *Usuram lucis*. *Magis strictè* adhibetur ad significandum incrementum, vel lucrum, & commodum, seu fructum, ex usu rei provenientem, juxta eundem Ciceronem *de Senect.* ubi, *Terra*, inquit, *nunquam sine usura reddit, quod accipit*, ubi fructus supra semen, & quasi lucrum, quod terra ex semine sibi mandato reddit, *Usuram* vocat. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 1. *not.* 2. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 303. *n.* 1. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 1. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 8. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 1. *vers. Usura*. Engl. *n.* 1. Pirh. *n.* 1. Reiffenst. *nu.* 2. *Strictissimè*, ac *specificè* accipitur pro lucro, quod ex mutuo provenit: & in hac significatione ad Titulum præsentem spectat, ac dividitur in Lucratoriam, Moratoriam, & Compensatoriam.

§. I.

De Usura Lucratoria.

SUMMARIUM.

1. 2 *Usuræ definitio.*
3 *Divisio in internam, & externam, & hujus in Mentalem, & Realem.*
4 *In Expressam, & Tacitam.*
5 *Usuræ Lucratoriæ sunt graviter prohibitæ, non tantum Jure Ecclesiastico.*
6 *&c. Sed etiam Divino, & Naturali.*
11 *&c. Non potest Princeps Lege sua, aut Pontifex via Dispensationis eas licitas facere, licèt exigente bono communi, illas possit permittere.*
20 *Potest Lege, vel consuetudine induci certa quantitas, quæ nomine damni emergentis, lucri cessantis &c. possit exigi.*
21 *&c. Non autem, ut aliquid exigi supra sortem possit titulo solius mutui.*
24 *&c. Etiam in favorem causæ piæ.*
26 *&c. Non est per se illicitum mutuum sub Usuris accipere, aut istas solvere.*

QUæritur 1. quid sit Usura Lucratoria, & quotupliciter possit accipi? Resp. posse dupliciter accipi, 1
scilicet pro ipso contractu, & pro objecto contractus, seu pro lucro quod ex tali contractu percipitur. *Primo modo* sumpta describitur à Covar. *l.* 3. *var. c.* 1. *nu.* 2. *v. Usura*, quem sequitur Konig *hic n.* 3. Pirhing. *nu.* 2. quod sit *actus voluntatis interior, vel exterior conventio dandi, vel accipiendi lucrum aliquod temporale ultra sortem ex vi, & causa mutui principaliter*. *Secundo modo* accepta Usura est *lucrum immediatè ex mutuo proveniens*, seu, ut alii explicant, est *incrementum, quod vi mutui intenditur, & accipitur supra id, quod mutuo datum est*. Sylv. *V. Usura* 1. *pr.* Azor *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 1. *not.* 3. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 303. *n.* 9. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *n.* 18. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 1. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 8. *numer.* 2. Tambur. *l.* 8. *Decal. tr.* 3. *c.* 8. §. 2. *pr.* Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 433. Begnudell. *V. Usura n.* 1. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. Pirhing *n.* 2. Konig *nu.* 2. Vviestner *n.* 2. Reiffenst. *n.* 3. *&* 4. & colligitur ex *can. plerique* 2. *& can. fin. caus.* 14. *q.* 3.

Quod mutuò datum est vocatur, *Sors*, sive *Capitale;* quod ultra hanc accipitur, dicitur *Usura*, seu *Fœnus*, vel *Lucrum ultra sortem*. In exemplo: Titius Cajo dedit Mutuos 100. fl. ea conditione, ut donec eosdem restituerit, in annos singulos ipsi pendat 10. in hoc casu Capitale, seu Sors sunt 100. fl. Usura, seu lucrum sunt 10. Porro nomine *Lucri Usurarii* non tantum hic intelligitur pecunia, sed quæcunque alia res temporalis pretio æstimabilis; nam quidquid Sorti accedit, sive illud sit pecunia, sive frumentum, vinum, oleum, sive quodcunque aliud temporale, si creditor illud ultra sortem ex vi solius mutui, alteri dati exigat, & quasi ex Justitia debitum accipiat, Usura, & Lucrum Usurarium est,

Azor *not.* 3. *fin.* Less. *n.* 18. Laym. *n.* 2. Tambur. *n.* 5. Palao *n.* 2. Illsung *n.* 433. Vallens. *n.* 3. Engl *n.* 2. *vers. dico* 3. Konig *n.* 8. Pirhing *n.* 3. *not.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 9.

3 Quæritur 2. quotuplex sit Usura? Resp. alia est Interna, alia Externa. *Interna* consistit in solo animo, & voluntate lucrum ex mutuo capiendi. *Externa* subdividitur in Mentalem, & Realem. *Mentalis* est, quando, nullo pacto, vel conventione interveniente, ex mutuo speratur, & intenditur lucrum, non gratuito, sed ex obligatione, & quasi ex Justitia debitum, & offerendum. *Realis*, seu ut ab aliis appellatur, *Conventionalis* committitur, quando mutuum datur interveniente pacto, seu conventione, lucrum aliquod ultra sortem v. g. 100. creditos florenos post annum solvendi decem, Azor *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 3. *pr.* Molin *tr.* 2. *de J. & J. D.* 303. *n.* 10. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 4. *fin.* Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 8. *n.* 3. Tambur. *l.* 8. *Decal. tr.* 3. *c.* 8. *§.* 2. *n.* 3. Vvading. *de Contract. D.* 6. *dub.* 14. §. 2. *n.* 1. Begnudell. *V. Usura n.* 2. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 1. Pirhing *hic nu.* 5. *pr.* Konig *n.* 4. Vviestner *n.* 5. Reiffenstuel *nu.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 13. & 14.

4 Pactum Usurarium aliquando est *Expressum* v. g. cum mutuo dans 100. diserte pacifcitur, & convenit cum Mutuatario de decem cum eadem summa tota post annum restituendis. Aliquando vero *Tacitum*, v. g. cum Mercator ob dilationem solutionis ultra annum carius v. g. 100. floren. pretio vendit merces, quarum pretium justum summum sunt 90. vel 95. aut Emptor ob anticipatam solutionem merces emit minoris, quam alias valerent, ut *infra n.* 53. *& seqq.* dicetur pluribus: & hæc Usura *Palliata* dicitur. Azor *l. cit. vers. secundo.* Molin. *n.* 12. Less. *n.* 21. Laym. *n.* 5. *vers. secundo dividitur*, Palao *num.* 3. Begnudell. *n.* 2. Vallens. *n.* 2. Pirhing *num.* 5. *vers. secundo.* Reiffenstuel *num.* 7. Manif. P. Schmier *numer.* 16.

5 Quæritur 3. an quo Jure prohibitæ sint Usuræ Lucratoriæ? *Certum est* 1. exercitium earum prohibitum, & graviter peccaminosum esse: neque de hoc ullus Catholicorum dubitat, postquam Clemens V. in *Concill. Viennens.* prout refertur *Clem. un.* §. *fin. h. tit.* definivit, & statuit, *Siquis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere Usuras non esse peccatum*, eum *velut Hæreticum puniendum*. Ex quo textu Card. de Lug. *tom.* 2. *de Iust. D.* 25. *sect.* 1. *num.* 8. cum communi aliorum infert, de Fide esse, quod Usuræ illicitæ sint. *Certum est.* 2. eas esse prohibitas Jure Ecclesiastico. Patet ex *Can. Apost.* 43. Concil. Nicœn. *capit.* 18. & sententiis SS. Augustini, Hieronymi, & Ambrosii *can. si fœneraveris* 1. *& seqq. caus.* 14. *quæst.* 3. pluribusque aliis Decretis, Constitutionibus, & Rescriptis passim in Corpore Juris Canonici contentis, præsertim hoc Titulo. *Certum est* 3. easdem etiam vetitas esse in imperio Romano, ut patet ex *Const. Carol. V. edita Augustæ* 1530. *tit. den Vvucherlichen* Contracten: quod passim erat olim ab aliis Regibus, & Principibus in suis Provinciis. Vvading. *D.* 6. *de Contrad. dub.* 5. *numer.* 4.

6 *Difficultas est*, an etiam sint prohibitæ Jure Divino & Naturali? Videntur non esse prohibitæ hoc Jure. 1. quia in novo Testamento aperte videntur approbatæ *Matth.* 25. *v.* 27. & *Luc.* 9. *v.* 23. ubi Christus servum pigrum reprehendens, *quare*, inquit, *non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego cum Usuris exegissem illam.* 2. in Veteri Tastamento, etsi exigi prohibebantur a fratribus, respectu Gentium tamen permittuntur *Deut.* 23. *v.* 19. *non fœnerabis fratri tuo, ad usuram pecuniam - sed alieno; & Deut.* 28. *v.* 12. *Fœnerabis gentibus multis.* 3. si Jure naturali Usuræ fuissent prohibitæ, nunquam fuissent approbatæ à Jure Civili *ff. & C. h. tit.* cum incredibile omnino sit, Legum Conditores à naturali Jure, cujus ductu præcipuè regebantur, tam enormiter aberrasse. 4. Usurarum nomine in Imperio licet exigere 5. pro 100. prout patet ex novissimis Constitutionibus, & Recessibus *anno* 1400. *Augustæ* sub Maximiliano I. *an.* 1530. *ibid.* sub Carolo V. *anno* 1548. *ibid.* sub eod. *anno* 1570. *in Comitiis Spirensibus* sub Maximiliano II. & denique *anno* 1600. *in aliis Spirensibus* sub Rudolpho II. 5. ea, quæ parificantur in effectu, debent etiam parificari in Juris dispositione *l. à Titio* 108. *ff. de V. O. & l. illud* 32. *ff. ad Leg. Aquil.* sed pecunia, & opera hominis in effectu æquiparantur *l. societates* 5 §. *societas* 1. *ff. pro Socio.* ergo simile Jus statutum est utraque. potest autem aliquis exigere, & participare lucrum pro opera sua. ergo & pro pecunia sua. 6. potest lucrum accipi, & exigi pro concesso usu vasorum aureorum, & argenteorum. ergo etiam pro usu nummorum. 7. pecunia numerata est pretiosior, quam numeranda. ergo pro sorte actu numerata potest exposci compensatio. 8. usuras accipiens, nemini infert injuriam; quia solvuntur a mutuatario liberè consentiente. scienti autem, & consentienti non fit injuria. 9. quod exigitur ultra sortem, exigitur pro usu, sive jure utendi pecunia, frumento &c. mutuo concesso, aut pro commodo, quod ex mutuo mutuatarius habet, vel pro obligatione non repetendi pecuniam mutuatam, nisi statuto tempore, aut propter onus, & laborem numerandi pecuniam.

Sed dicendum, Usuras Divino quoque, & Naturali Jure prohibitas esse. Ita Covar. *l.* 3. *var. c.* 1. *num.* 5. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 2. *q.* 4. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 104. *n.* 2. *& seqq.* Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *nu.* 24. *& seqq.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 6. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 8. *num.* 5. *& seqq.* Vading *D.* 6. *de Contract. dub.* 5. *n.* 4. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 434. Begnudell. *V. Usura n.* 5. Vallens. §. 3. *n.* 1. *&* 2. Engl *n.* 5. *& seqq.* Pirhing *nu.* 6. Konig *n.* 6. Vviestner *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 13. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 22. *& seqq.* & cæterorum DD. Catholicorum constans, & certa sententia cum S. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. 7

Et quidem quòd *Jure Divino* prohibitæ sint Usuræ post Concilium Nicænum relatum *can. quoniam* 2. *dist.* 47. clarè testantur Alexander III. *cap. quia in omnibus* 2. & *c. super eo* 4. *h. tit.* Urbanus III. *c. consuluit* 10. *eod.* & Innocentius III. *c. quam perniciosum* 11. *dict. tit.* paterque ex claris Juris ejusdem textibus. *Non fœnerabis fratri tuo ad Usuram pecuniam &c.* Deut. 23. v. 19. *Vidi iniquitatem in Civitate -- non defecit in plateis ejus usura, & dolus.* Psal. 54. v. 10. & 12. *Quodsi genuerit filium ad usuram dantem*, & *amplius accipientem, nunquid vivet? non vivet.* Ezech. 18. v. 10. & 13. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Luc. 6. v. 35. quæ Evangelistæ verba Urbanus III. *c. consuluit. cit.* affert ad probandum, Usuram Jure Divino esse prohibitam. *Neque obstat*, quod priora verba, *Mutuum date*, (extra casum necessitatis proximi) consilium tantum contineant, cùm nemo regulariter teneatur mutuum dare; nam hoc non obstante, posteriora præceptum indicant, ut postquam mutuum datum est, nihil ampliùs exigatur, quam quod mutuatum est, prout explicat S. Thom. *art.* 1. *cit. ad* 5. & patet ex *cap. consuluit cit.* ac decisione *Concil. Later. sub Leon. X. sess.* 10. *paulo post pr.* ubi inquit, *Christus Dominus, Luca (Evangelista attestante) aperto nos præcepto obstrinxit, ne ex dato mutuo aliquid ultra sortem sperare debeamus.* Et hinc *c. quia in omnibus*, & *c. super eo citt.* dicitur *crimen Usurarum utriusque testamenti pagina condemnari.* Similis loquendi modus reperitur *Psal.* 75. *v.* 12. *Vovete, & reddite Domino DEO vestro*, ubi quoad votum textus intelligi de consilio, quoad impletionem Voti, postquam editum est, de præcepto debet. Azor *l. cit. q.* 2. Laym. *n.* 6. Engl *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 14. Magnif. P. Schmier *n.* 623. 8

Quod verò etiam *Jure naturali* prohibitæ Usuræ sint, patet 1. ex eo, quia SS. PP. & Summi Pontifices Usuras illicitas esse colligunt ex *citt.* & aliis S. Scripturæ textibus: quæ Consequentia mala esset, si prohibitio Usurarum in Veteri Testamento fuisset Lex tantum ceremonialis, non moralis, seu naturalis; nam his tantum, non ceremonialibus Veteris Testamenti Legibus ligantur Christiani. 2. quia omnes Gentes, & Respublicæ non barbaræ existimant Usuras esse illicitas, ut adeo sit quasi communis persuasio hominum, & per consequens à natura hominibus indita, quod mutui natura sit, ut pecuniæ datæ non respondeat alia obligatio, nisi dandi aliam similem. 3. Jus naturæ exigit illicitum esse modum acquirendi, quo, si permissus ille foret, facilè absorberentur egentium fortunæ: hoc autem fieret per Usuras lucratorias; sensim enim mutuatarii solvendo Usuras omnia perderent. 4. naturalis æquitas non permittit, ut in commutatione v. g. venditione pro re e. g. equo, cujus pretium justum summum sunt 100. fl. exigantur 105. aut 110. hoc faciunt fœneratores, dum pro mutuò datis 100. vi Contractus mutui exigunt 105. 9

aut

aut 110. 5. ut licitè possit exigi lucrum aliquod, exigi debet jure aliquo, & ex aliqua re, quæ eo ipso, quòd ob lucrum detur, non datur gratuitò; atqui in mutuo nihil est, pro quo lucrum possit exigi: non enim *primò* aliquid sortem exigi potest pro translatione dominii rei mutuatæ in mutuatarium; quia hoc ad æqualitatem jam compensatur per sortem redditam: non *secundò* pro usu rei mutuatæ; quia cùm hic in rebus usu consumptibilibus à dominio inseparabilis sit, post dominium translatum ad mutuatarium pertinet; non *tertiò* pro commodo, quod ex mutuo mutuatarius habet; quia commodum hoc situm est in ipso usu: non *quartò* pro labore, & actu mutuandi; quia ordinariè labor iste non est alicujus momenti, & si notabilis sit, pretium exigi potest, non velut ex mutuo, sed tanquam ex opera mutuatario locata: non denique *quintò* pro obligatione non repetendi pecuniam mutuam, nisi post certum tempus; nam hæc obligatio tum solùm est pretio æstimabilis, quando ex dilatione restitutionis oritur mutuanti aliquod damnum, vel lucrum eidem cessat: & tunc ratione istius aliquid peti ultra sortem potest, sed non vi mutui, ut *infrà n.* 90 *& seqq.* dicetur.

10 Neque obstant Argumenta *num.* 6. allata. *Ad* 1. in textibus *citt.* sermo est de *dando ad mensam*, i. e. negotiationem, quæ appellatur aliquando usura, qualis tamen revera non est, cùm lucrum illius non proveniat ex mutuo, quippe dominio pecuniæ expositæ persistente apud negotiantem, Molin. *D.* 304. *citat. numer.* 18 *fin.* Vel si contendas, textus illos intelligendos de propriè dicta usura, dicendum, à Christo usuram ibi non approbari, sed tantum referri factum hominum, eosque commoneri, ut cùm in istis terrenis, & perituris solliciti sint, multò magis solliciti esse debeant in fructu bonorum operum, & lucro vitæ æternæ, prout etiam factum in parabola Villici, defraudantis dominum suum, ut sibi amicos quæreret. *Luc.* 16 *Ad* 2. Hebræis usuræ non concessæ, sed permissæ duntaxat erant ad vitandum majus malum, sicut alicubi tolerantur Lupanaria, prout explicat S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 2. vel dicendum cum Sancto Ambrosio relato *can. fin. caus.* 14. *quæst.* 4. eas usuras non fuisse propriè dictas usuras, & ex mutuo, sed ad speciem tantum, & occasione mutui; quia revera capiebantur per vindicationem facultatum, quæ ad Gentes pertinebant, & quarum domini Hebræi constituti à DEO erant. *Ad* 3. Leges Civiles, quibus permittuntur usuræ, commodè explicari possunt de usuris Compensatoriis, aut Moratoriis: vel si contendas, intelligendas de Lucratoriis, dicendum, eas fuisse permissas ad vitandum majus malum, deinde verò correctas à SS. Canonibus; imò etiam à Jure Civili recentiore *arg. Novell.* 131. *cap.* 1. ubi Imp. Justinianus decrevit, servandas esse Regulas SS. quatuor Conciliorum, easque vicem Legum obtinere; atqui constat usuras fuisse prohibitas in Nicæno Concilio *can. quoniam* 2. *dist.* 47. & ideo, cum Authentica hæc fuerit de ultimis dicti Imperatoris, videtur ille jam quasi pœnituisse ejus, quod alibi permiserat; nam posteriora prioribus derogant. Ita discurrit Glossa *in Auth. ad hæc C. hoc tit. V. cadat*, & notat Reiffenstuel *hic num.* 36 *Ad* 4. in Recessibus *citt.* solùm statuitur modus in usuris, quæ per avaritiam hominum nimis excessivè exigebantur: deinde isti Recessus fundantur in præsumptione tanti lucri cessanti, vel damni emergentis, vel alterius justi tituli, prout clarissimè patet ex textu *Recessus Spirensis sub Rudulpho II. post medium* § *so vil nun*, 152. ubi ita habetur: *So viel nun dissmnach der Dermuthung halber, dass der* Creditor *sein Vel, von solcher Zeit an, anlegen, und zugelassener Vveiss, zum vvenigsten von hundert Vulden fenff vvohl haben mege ec.* & hinc si in casu aliquo, qui tamen rarius accidit, præsumptio illa cesset, & ille, qui v. g. dat 110. aureos mutuos, neque damnum aliquod indè sentiat, neque lucro careat, quinque pro illis accipere ultra sortem usura erit etiam in foro externo; quia tamen, ut dixi, casus iste rariùs accidit, in foro externo usurarius esse non præsumitur, neque pœnas usurariorum incurrit, qui similem quantitatem exigit, Canis. *de usur. cap.* 1. *num.* 9. Engl *hic num.* 10 Vviestner *nu.* 39. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 2. *num.* 49. *Ad* 5. negatur paritas inter operam hominis, & pecuniam; opera hominis fructificare potest, seu fructum, & lucrum producere; non item pecunia, quæ ex se est sterilis, & sine opera hominis natura sua ad fructificandum, seu fructum producendum apta non est. *Ad* 6. iterum negatur paritas; nam vasorum commodatorum dominium retinet commodans, pecuniæ autem mutuatæ dominium ad mutuatarium transit: unde mirum non est, quòd usus rei commodatæ, qui est quasi fructus rei, possit locari pro pretio, non autem rei mutuatæ, cùm quælibet res domino suo fructificet. *Ad* 7. sequela ex illo *Antecedente* deducta manifestam Censuram passa est ab *Innocentii XI.* & meritò; nam si pecunia numerata esset pretiosior, quàm numeranda, & ideò posset aliquid exigi ultra sortem, id proveniret ex utilitate, quam aliquis ex pecunia numerata, tamquam præsente, percipit; atqui pecunia numerata, ceu præsens, non est utilis mutuanti, quamdiu domi otiosa manet, & actu in usum mutuanti proficuum non expenditur; ergo pretiosior dici non potest, quàm pecunia numeranda, tanquam futura, Magnif. P. Schmier *loc. cit. num.* 34. *Ad* 3. Usuræ non solvuntur omnino liberè, sed à coacto tum necessitate sua præsenti, tum improbitate fœneratoris, mutuum gratis non volentis concedere; neque enim quis spontè præsumitur jactare rem suam. Deinde, esto, quòd spontè consentiat, hìc non tam voluntas, & consensus solventis usuras considerari debet, quàm transgressio Legis Divinæ, & Naturalis, quæ prohibet usuras; ideoque promissio de solvendis usuris, contra Legem prohibentem facta, est nulla *l. non dubium* 5. *C. de LL.* & dum Lex prohibet usuras, prohibet etiam eas recipi à spontè solvente, sicut ergo adulter non excusatur, si dicat, se cum consensu mulieris adulterasse, ita neque usurarius dicendo, se cum mutuatarii voluntate libera accepisse usuras, quia nihilominus peccat contra Legem Divinam, Pirhing *hic num.* 11. *fin.* *Ad* 9. patet responsio ex *arg.* 5. proposito *num. præc.*

Quæritur 4 an Imperator, vel alius Princeps supremus per Leges Civiles, vel aliàs permittendo usuras facere eas licitas possit, ita, ut licitè, & sine peccato exigi, vel accipi possint? *Ratio dubitandi est*, quia materia usurarum sunt res, & bona Civium, quæ Principis eminenti dominio subjacent. *Conf.* potuit Legislator Civilis statuere, ut rem aliquam longo tempore possessam titulo Præscriptionis in utroque foro retinere liceat; esto enim Lex naturalis imperet, ut res aliena restituatur, non tamen imperat in circumstantiis, in quibus ex causa utilitatis publicæ possessor per præscriptionem factus est dominus rei alienæ: ergo etiam Legislator Civilis statuere potest, ut liceat in mutuo aliquid supra sortem exigere; esto enim Lex naturalis prohibeat aliquid accipere supra sortem, non tamen prohibet in circumstantiis, in quibus ex causa utilitatis publicæ moderata quantitas est constituta. 11

Sed certa est negativa, quam cum communi defendunt Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 1. *num.* 8. Gibalin. *de usur. lib.* 1 *cap.* 7. *art.* 8. *a num.* 20 Begnudell. *V. usura num.* 6. Pihing *hic num.* 16. Vviestner *nu.* 37 Reiffenstuel *num.* 46 *&* 61. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 2. *nu.* 41 Patet ex *Clem. un. hoc tit.* ubi Clemens V. in Concilio Viennensi non tantùm omnia statuta, & Decreta, Usurarum exercitio faventia, proscribit, sed etiam in fine declarat, illos, qui in tantum errorem inciderint, ut usuras licitè exerceri posse existiment, tanquam Hæreticos puniendos: quo suo Decreto satis indicat, circa usuras non majorem potestatem competere Principibus, quàm circa materiam Hæresis. *Ratio est*, quia Princeps Sæcularis non potest tollere Leges Divinas, aut Canonicas seu Pontificias, maximè in his, quæ continent peccatum *can. lege* 1. *cum seqq. dist.* 10. *& c. inferior* 4. *de major. & obed.* 12

Imò nec Pontifex potest dispensando facere licitas usuras, ut colligitur ex *cap. super eo* 4. *hoc tit.* ibi, *Super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus*, & patet ex ratione, quam ibidem Pontifex affert; comparat enim ibidem usuras cum mendacio, & infert, sicut mendacium ob quamcunque causam, etiam *pro vita alterius*, fieri licèt nequit, ita neque licitas fieri posse usuras, etiam *pro redimenda vita captivi.* Ratio est, quia Papa 13

Papa non poteſt diſpenſare contra prohibitionem Juris Divini, & Naturalis in his, quæ ſecundùm ſe, & ex objecto ſuo mala ſunt, & peccatum continent contra Legem Divinam, & naturalem, Tholoſ. *lib.* 2. *de uſur. cap.* 8. *num.* 3. *&* 6. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 304. *nu.* 19. *circ. fin.* Pirhing *n.* 16. Engl *n.* 10. Reiffenſtuel *n.* 16. *&* 46 Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 43.

14 *Ex quo ſequitur*, graviter peccare Principes Chriſtianos, & Poteſtates publicas, ſi authoritate ſua concedant, vel præcipiant, ut Chriſtiani, qui mutuò acceperunt pecunias à Judæis, vel aliis Infidelibus, Jurisdictionis ſuæ ſubjectis, uſuras eiſdem ſolvant, vel etiam Leges, & Statuta concedant, quibus jubentur uſuras Judæis ſolvere, quas promiſerunt ſe eis ſoluturos; quia cùm uſuræ Jure naturali, & Divino prohibitæ ſint, cedantque in Reip. & membrorum illius detrimentum, non ſolùm graviter peccant, qui uſuras exigunt, & accipiunt, ſed etiam qui ipſis conſentiunt, uſuras authoritativè approbant, aut in eis exigendis, vel accipiendis alio modo cooperantur Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 7. *coroll.* 2. Pirhing *num.* 17 Konig *n.* 17. *v. pœnæ.*

15 Hinc meritò graviſſimæ pœnæ in ipſos per SS. Canones ſunt conſtitutæ. Et ii quidem, qui alienigenis, & non oriundis de terris ipſorum ad uſuras exercendas locant, vel permittunt habere domos locatas in terris ſuis, aut eoſdem intra tres menſes non expellunt, ſi ſint Epiſcopi, & his ſuperiores, pœnam ſuſpenſionis; ſi minores perſonæ ſingulares Eccleſiaſticæ, pœnam Excommunicationis; ſi Collegium, aut univerſitas Eccleſiaſtica, Interdicti ſententiam ipſo facto incurrunt; ſi verò Laici, per ſuos Ordinarios, ceſſante omni privilegio, ob hujuſmodi exceſſum per Cenſuras Eccleſiaſticas compeſci jubentur à Gregorio X. *c. uſurarum* 1. *hoc tit. in* 6. Sylv. *V. uſura* 9. *q.* 4. *Verſ. octava*, Azor *p.* 3. *lib.* 5. *de uſur. cap.* 19. *v. tertia pœna*, Pirhing *hic n.* 168 *&* 169 Engl *ibid. n.* 11.

16 Similiter Excommunicationem ipſo facto incurrunt Poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Judices Communitatum, & Conſiliarii, vel alii quivis Officiales, qui Statuta condunt, ut ſolvantur uſuræ, vel ut ſolutæ, cùm repetuntur, non plenè, ac liberè reſtituantur; item qui ita judicant, & debitores uſurarum ad uſuras ſolvendas vi talium ſtatutorum compellunt, aut hujuſmodi ſtatuta, modò ad hoc poteſtatem habeant, intra tres menſes de Libris ipſarum Communitatum non deleverint, prout habetur *Clem. un. hoc tit.* & cum aliis notant Azor *loc. cit. v. quarta pœna*, Layman *coroll.* 2. Pirhing *n.* 170 Konig *n.* 17. *v. pœnæ.*

17 Contrà à Cenſura iſta, imò etiam à peccato immunis eſt Princeps, & Poteſtas publica, quando ob majus aliquod bonum publicum, & ad vitanda majora mala, & ſcandala, quæ timentur aliàs oritura, permitteret uſuras à Judæis, vel aliis Infidelibus, aut etiam Fidelibus exerceri impunè, eos non puniendo; quia hoc non eſt directè conſentire in peccatum uſuræ, vel illud approbare, ſed eo caſu ſe habet Magiſtratus, ſicut cùm ad majora mala vitanda alicubi permittuntur Lupanaria, & tolerantur hæretici, quod licitè fieri ex cauſa hac poteſt. Azor *p.* 1. *tit.* 8. *cap.* 22 *q.* 13. Molin. *D.* 304. *cit. n.* 19. *fin.* Vvading *D.* 6. *de Contract. dub.* 13. *n.* 1. Pirhing *hic n.* 16. Engl *n.* 10. *verſ. ſed iidem* Magnif. P. Schmier *loc. cit. n.* 47.

18 Limitari tamen hoc debet, modò Principes, & Magiſtratus non dent Judæis licentiam exercendi uſuras cum obligatione, ſeu pacto ipſis ſolvendi majora tributa, quo fit, ut illi augere cogantur uſuras, & pauperes magis exhauriantur, Leſſ. *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 20 *n.* 179 Layman *cap.* 16. *cit. n.* 7. *concl.* 2. Pirhing *n.* 17. *fin.* Inſuper ſtatuere modum uſuris, & determinare certam aliquam quantitatem uſurariis Magiſtratus iidem debent, quam ſi exceſſerint, non ſint impunes; quia hujuſmodi permiſſio ſolùm excuſat à pœna in ea quantitate, in qua uſuræ permittuntur per Leges, & debet refrenari hujuſmodi fœneratorum avaritia.

19 Neque obſtat Ratio dubitandi *num.* 11. allata. Nam materia quidem remota uſurarum ſunt res, & bona Civium, proxima verò eſt lucrum ſupra ſortem principalem, ex ſterili re vi mutui perceptum. De bonis quidem ſubditorum, exigente ita ratione boni publici, poteſt Princeps vi ſui dominii alìi diſponere, non verò poteſt facere, ut licitè quis fructum capiat ex re ſterili, ſine omni titulo, & cum alterius detrimento; immutaret enim naturam rerum, & rem infrugiferam converteret in frugiferam. *Ad Conf.* negatur paritas; nam 1. præſcriptio antecedenter ad Principis conceſſionem ſine peccato inchoari non poteſt; contrà uſura antecedenter ad Principis conceſſionem ſine peccato non exercetur, 2. in præſcriptione tam materia remota, quàm proxima, poſſeſſio ſcilicet rei alienæ bona fide continuata, ſubeſt eminenti dominio Principis; in uſura verò dominio alio Principis ſubſternitur tantum materia remota, non item proxima, ſeu lucrum ex pecunia ſterili, cùm, ut agnovit Ariſtot. 1. *Polit. c.* 7. *maximè præter naturam ſit*, *hic acquirendi modus*, *ut in fœnore nummus nummum pariat*, 3. Præſcriptio tendit in evidentem Reip. utilitatem; quia incerta rerum dominia firmat, & confirmat: contra uſura in evidens Reip. detrimentum tendit, quatenus ejus membra, ære alieno gravata, per uſuras tandem omnino exhauriuntur.

Quæritur 5 an per conſuetudinem induci poſſit, ut liceat aliquid accipere ultra ſortem ex cauſa mutui, adeòque licitæ efficiantur uſuræ Lucratoriæ? *Certum eſt*, ut Lege, & Statuto, ita conſuetudine induci poſſe certam quantitatem, quæ nomine damni emergentis, lucri ceſſantis, aut periculi ſortis exigi poſſint, & excedi nequeat. Patet ex recepto uſu in Imperio Romano, ubi permittuntur exigi quinque pro centum annuatim. Vvading *D.* 6. *de Contract. dub.* 8. § 2. *num.* 2. Engl *hic num.* 10 Vvieſtner *ibid. num.* 36. Imò non repugnat, per conſuetudinem ſtatui certam quantitatem uſuris etiam lucratoriis merè, ita, ut infra illam exercentes uſuras ſint immunes à pœnis, & tantùm eas incurrant, qui quantitatem illam excedunt; nam poteſt iſtud induci Lege, & ſtatuto, ut dictum eſt *n.* 18 ergo etiam conſuetudine. 20

Difficultas eſt, an vi conſuetudinis ſolius, ſecluſo omni alio titulo, accipi aliquid licitè ultra ſortem poſſit? Affirmativa videtur probari Stylo Judiciorum, ubi ſine ullius alterius tituli probatione auctarium petenti adjudicatur, *Conf.* poteſt communitas jure ſuo cedere, & creditoribus mutuum dantibus concedere poteſtatem exigendi aliquid ſupra ſortem: ergo etiam poteſt introducere conſuetudinem, vi cujus aliquid ultra ſortem exigere liceat; ſicut enim voluntas expreſſa, ſic etiam tacita, per conſuetudinem demonſtrata, in ſe habilis eſt ad efficacem Juris ceſſionem. 21

Sed meliùs defenditur negativa, & dicendum, vi ſolius conſuetudinis nihil exigi ultra ſortem poſſe, ut bene cum aliis Vvading *l. cit. num.* 2. Begnudell. *V. uſura num.* 5. Engl *num.* 10 Reiffenſtuel *num.* 54 Vvieſtner *nu.* 37. Konig *num.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *num.* 37. Ratio eſt, quia conſuetudo, quæ Juri naturali, & Divino contraria eſt, non eſt rationabilis, ſed potiùs corruptela: talis autem eſt conſuetudo accipiendi aliquid ultra ſortem præcisè ex vi mutui, ut oſtenſum eſt *n.* 7. *& ſeqq.* ergo &c. 22

Neque contrarium probat approbatio Reip. quia hæc auctarium petentibus ſolùm adjudicat, quòd ejus petendi juſtum titulum, ubi abeſſe, non probatur, adeſſe præſumat. Alia ratione approbare acceptionem auctarii nec Princeps, nec ullus alius Magiſtratus poteſt, ut dictum eſt *n.* 11. *& ſeqq.* *Ex quo ſequitur*, in *Conf.* negandum eſſe *Ant.* Accedit, quia nulla humana diſpoſitio poteſt inducere modum acquirendi, Jure naturali reprobatum; alioquin eodem modo liceret dicere, poſſe communitatem jure ſuo cedere, & efficere, ut liceat in utroque foro impunè furari. 23

Quæritur 6 an uſuræ licitè exigi, vel accipi poſſint in favorem Cauſæ piæ, vel ob aliud bonum opus, ſaltem diſpenſativè? Reſp. negativè. Tholoſan. *l.* 2. *de uſur. c.* 8. *n.* 16 *& ſeqq.* Begnudell. *V. uſura n.* 9. Engl *n.* 10 *hic*, Pirhing *n.* 14 Reiffenſtuel *nu.* 106. & patet ex *c. ſuper eo* 4. *hoc tit.* ubi prohibetur, *ne quis etiam pro redimenda vita captivi* (quæ utique cauſa pia eſt) *uſurarum crimine involvatur*, & negatur, *ſuper hoc diſpenſationem aliquam fieri poſſe.* 24

Ratio eſt 1 quia nulla diſpenſatio fieri poteſt in eo, quod utroque Teſtamento, antiquo, & novo prohibitum eſt, ſicut prohibitæ Uſuræ ſunt juxta dicta *nu.* 8. 2 quia non eſt faciendum malum, ut indè eveniat bonum 25

num *Rom.* 3. Glossa *in cap. cit. V. dispensationem*: nec sunt faciendæ Eleemosynæ de fœnore, & usuris *can. non est putanda* 27 *caus.* 1. *quæst.* 1. *& can. nolite* 1. *caus.* 14 *quæst.* 5. nec auferendum est aliquid divitibus, ut detur pauperibus *can. fortè* 3. *quæst. cit.* 3. quia non licet pro vita altetius servanda mentiri *canon. si quis* 17. *caus.* 22 *quæst.* 2. ergo multo minus licet Usuras exercere ob utilitatem proximi; quia hoc multò gravius est peccatum, quàm mendacium *cap. super eo cit.*

26 Quæritur 7 an licitum sit solvere, vel promittere usuras? Putant nonnulli, non esse licitum; quia ita solventes, vel promittentes dant causam, ut usuræ exerceantur, & cons. etiam ipsi peccant, juxta illud, *Qui causam damni dat, damnum dedisse censetur.*

Sed dicendum, licitum esse petere mutuum, & accipere sub usuris ab eo, qui jam determinatus, & paratus est non mutuare, nisi sub usuris, cùm tamen, si vellet, posset licitè, & sine usuris dare, modò justa causa petendi adsit, videlicet necessitas, vel utilitas petentis mutuum, vel etiam ut alteri egenti succurrat. Ita Sylv. *V. usura* 7. *quæst.* 1. Azor *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 17 *quæst.* 12 Tambur. *lib.* 9. *de Contract. tract.* 1. *cap.* 10. *num.* 1. *& seqq.* Vivian. *in cap.* 4. *hoc tit. circ. med.* Pithing *hic n.* 15 Engl *ibid. nu.* 12.

27 Sumitur ex *cap. debitores* 6. *de Jurejur.* ubi, qui juravit se soluturum usuras, tenetur adimplere Juramentum; ergo solvere usuras non est peccatum; aliàs tale Juramentum esset illicitum, neque servandum *cap. si verò* 8. *eod.* Neque hoc est cooperari peccato usurarii, sed tantùm illud permittere, & uti peccato illius voluntario, ad consulendum propriæ, vel alienæ necessitati, & uti jure suo, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 4. & cum eo communis Doctorum.

§. I I.

Examinantur diversi Casus, & statuitur, an in illis committatur usura?

SUMMARIUM.

Casus isti sunt triplicis generis; nam in aliquibus certum est nullam committi usuram; in aliis contrà est certum, quòd illa committatur; in pluribus est dubium.

28 Quæritur 1 in quibus casibus nulla committatur usura, etiamsi accipiatur aliquid, vel petatur ultra sortem? Resp. cùm usura propriè tantum locum habeat in mutuo, juxta illud, *Mutuum date, nihil inde sperantes* Luc. 6. ubi Christus de mutuo tantùm loquitur, ideo nunquam committitur usura, ubi nullum intervenit mutuum: perinde autem est, sive mutuum hoc, quod intervenit, sit formaliter tale, sive virtualiter solum, prout fit, quando venduntur merces, vel aliæ res quæcunque multo cariùs, quàm sit justum pretium; ob dilatam ad tempus solutionem, prout *infrà num.* 53 *& seqq.* pluribus explicabitur. Præterea necesse est, ut id, quod petitur ultra sortem, petatur, & accipiatur ex vi præcisè mutui, & tanquam ex hoc debitum. Et denique tertiò id, quod petitur, aut datur ex vi mutui, debet esse aliquid temporale, prout patet ex definitione usuræ *n.* 1. allata.

Ex quo sequitur 1. Usurarium non esse, qui in compensationem mutui exigit orationem, aut Sacrificium Missæ, vel accipit Beneficium Ecclesiasticum; cùm enim hæc sint aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum, ea vi mutui exigendo potius Simoniam, quàm usura committitur. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 2. *Vers. porro*, Engl *hic nu.* 2. *Vers. dico secundo*, Pirhing *ibid. n.* 133 Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 2. *n.* 10 Intellige, nisi hæc exigantur, aut accipiantur, tanquam debita ex pacto, & Justitia; tunc enim præter simoniam etiam usuram committet exigens, vel accipiens, quod per ejusmodi obligationem mutuatario adimatur libertas conferendi Beneficium, cui voluerit, & alteri gratificandi, quæ pretio æstimabilis est, Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *nu.* 64 Palao *tr.* 30 *D.* 4. *p.* 11. *nu.* 2. Card. de Lugo *tom.* 2. *de J. & J. D.* 25. *n.* 45 Pirhing *hic n.* 28. 29

2 Usura non committitur, quando nullum intervenit mutuum vel formaliter, vel virtualiter tale; quia ut *num.* 28 dixi, usura locum duntaxat habet in mutuo. Atque hinc usurarius non est, qui pecunias suas alicui concedit ad pompam, & ostentationem, petito certo pretio; quia hoc casu pecuniæ non mutuantur, sed locantur, in contractu autem Locationis Conductionis justè pretium, vel merces accipi, & peti à locante potest, Sylv. *V. usura* 1. *quæst.* 12. Less. *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 20 Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 3. *Vers. tertia particula*, Pirhing *num.* 4. *not.* 3. similiter usurarius non est, qui operario, vel opifici, volenti à se mutuare pecuniam, eam tribuit eo pacto, ut is nullam quidem pecuniam restituat, sed pro ea operas præstet, vel opus aliquod conficiat; quia idem hoc erit, acsi operario mercedem anticipatò dedisset, cons. erit contractus licitus, modò operæ non pluris æstimentur, quàm pecunia numerata, Engl *hic num.* 2. *Vers. notanter*. Quod multò magis verum est, si indigenti pecuniis dicat, *Nolo tibi mutuare pecunias, sed conducere operas tuas ad futuram messem*; aut rustico petenti mutuum, *His pecuniis emo à te triticum mihi tradendum, ubi messis transierit*, nam in neutro casu intervenit mutuum, modò pretium justum sit, sed in primo quidem Locatio Conductio operarum, in secundo Emptio Venditio, anticipata mercede, vel pretio. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 309. *n.* 12. *& seqq.* Layman *num.* 3. *cit. concl.* 2. *Vers. porro*. 30

3 Usura non committitur, quando id, quod datur, 31
petitur, vel accipitur ultra sortem, non datur, vel non petitur, aut accipitur, tanquam ex pacto, & Justitia debitum. Et hinc usuram non committit mutuans, qui honorem obsequium, donum admittit, à mutuatario sibi spontè, & ex mera liberalitate oblatum; si enim mutuatarius potest cuique alteri donare res suas, poterit etiam mutuanti, quilibet sit rerum suarum moderator, & arbiter *l. in re mandata* 21 *C. mandat.* & mutuans ex eo, quòd beneficium præstiterit mutuatario, non debeat fieri deterioris conditionis, quàm alii. Layman *cap.* 16 *cit. num.* 1. Vallens. *hic* § 1, *num.* 4. *v. additum*, Engl *n.* 3. *pr.* Konig *n.* 12 Wiestner *n.* 3. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *num.* 4. Similiter usuram non committit, qui pro mutuo à se dato accipit aliquid sibi à mutuatario oblatum ultro ad ostendendam gratitudinem suam pro beneficio mutuationis; cùm enim naturalis ratio hominibus obligationem antidoralem erga benefactores imponat, non est ratio, quare mutuans ita sibi oblatum non possit accipere, Engl *l. cit.*

4 Usuram non committit, qui mutuum dat, ea 32
conditione, ut aliunde sibi ex Justitia debitum à mutuatario vicissim accipiat, ut fit, quando qui mutuum dat, ea conditione dat, ut mutuatarius sibi restituat depositum,

ſitum, vel rem injuſtè ablatam; quia hæc exigens non imponit obligationem novam, ſed ſolùm petit impleri jam antè contractam, Sylv. *V. Uſura* 1. *quæſt.* 8. *prop. fin.* Azor *part.* 3. *l.* 5. *de Uſur. cap.* 7. *quæſt.* 15. Molin. *D.* 309 *cit. num.* 1. Leſſ. *cap.* 20. *num.* 18. Tambur. *lib.* 9. *de Contract. tract.* 1. *cap.* 3. §. 8. *numer.* 2. Vallenſ. §. 1. *numer.* 3 Pithing *num.* 4. *not.* 3. Vvieſtner *num.* 4. Ex eadem ratione Uſurarius non eſt Dominus, vel Parochus, qui Colono, vel Parochiano mutuum dat frumentum pro ſemine, aut pecunias pro rebus ad culturam agri neceſſariis, ea conditione, ut tantò diligentiùs, & ſine diminutione penſionem annuam pro locato prædio ruſtico, aut Decimas perſolvat; quia iſtæ penſiones, & Decimæ debentur ex alia cauſa, quàm ex mutuo, ſcilicet ex Contractu Locationis, & jure Parochiali, Engl *num.* 3 *cit. verſ. dico denique*. Item neque ille eſt Uſurarius ſed ſuum conſequitur, qui debitori novum mutuum præſtat eo pacto, ut id unà cum vetere debito tantò citius ſibi reſtituatur. Caniſ. *de Uſur. cap.* 1. *num.* 6. Engl *l. citat. verſ. item*.

33 Quæritur 2 in quibus caſibus certò committatur Uſura? Reſp. in omnibus illis caſibus committitur certò Uſura, quando in mutuo accipitur, aut petitur aliquid ultra ſortem, tanquam ex vi mutui, & non aliunde ex juſtitia debitum. Patet ex hactenus dictis. Conſequenter Uſurarius ex omnium ſententia eſt.

1 Qui ex vi mutui à mutuatario exigit obſequium, interceſſionem, vel commendationem apud Principem, vel alios, aut honorem externum ſibi deferendum &c. quia, licèt ipſe honor, & fama ſecundum ſe non ſint pretio æſtimabilia, tamen pretio æſtimabilis eſt obligatio, & onus ad iſta præſtanda, impoſita mutuatario à mutuante, conſ. illa exigens jam exigit aliquid ultra ſortem, Azor *part.* 3. *l.* 5. *de Uſur. c.* 7. *q.* 1. *verſ. ex dictis ſequitur*, Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 2. *verſ. ſecundò*. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 10. *n.* 2. Pirhing *hic n.* 3. *not.* 2. Vvieſtner *n.* 4. Reiffenſtuel *n.* 5.

34 2 Qui mutuum dat eo pacto, ut mutuatarius ipſi, vel alteri procuret Officium publicum, vel Beneficium conferat, aut opera ſua obtineat; quia tunc accipitur aliquid ultra ſortem, tanquam ex juſtitia debitum: quod præſertim verum eſt, quando mutuatarius potuiſſet illud Officium vendere, aut ſibi retinere; tunc enim imponitur magnum onus novum propter mutuum: imò etſi deberet illud conferre alteri, tamen per tale pactum privatur libertate conferendi illud alteri idoneo, cui vellet, quod eſt onus pretio æſtimabile, Sylv. *V. Uſura* 1. *quæſt.* 18. Molin. *tract.* 2. *de juſt. D.* 210. *num.* 13. Leſſ. *l.* 2. *cap.* 20. *num.* 63. Palao *D.* 4. *cit. p.* 11. *num.* 2. Tambur. *l.* 9. *de Contract. tr.* 1. *c.* 4. §. 2. *n.* 4. Pirhing *hic n.* 27 Begnudell. *V. Uſura num.* 12. Præpoſ. Friſing. *conſ.* 15. *nu.* 373. *& ſeqq.*

35 3 Qui ex vi mutui exigit, ut ſibi remittatur injuria, ut ad recantationem non obligetur, ut non teneatur actione injuriarum &c. quia cùm hæc pretio æſtimabilia ſint, ea petendo iterum exigitur aliquid ultra ſortem, Molin. *D.* 307. *n.* 6. *& ſeqq.* Leſſ. *c.* 20. *cit. n.* 48. *& duob. ſeqq.* Palao *p.* 10. *n.* 3. Laym. *c.* 16. *n.* 2. *verſ. quamobrem*, *& verſ. ſeq.* Lugo *tom.* 2. *de juſt. D.* 25. *ſect.* 5. *n.* 37. *&* 38. Pirhing *n.* 3. *not.* 2. *fin.* Vvieſtner *n.* 4. Begnudell. *n.* 12. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 9.

4 Qui à Depoſitario aliquid exigit pro uſu pecuniæ, apud ipſum depoſitæ; nam talis conceſſio revera eſt mutuum, igitur jam exigitur aliquid ultra ſortem. Laym. *c.* 16. *cit. n.* 5. *verſ. tertium*, Vvieſtner *l. cit.*

36 5 Qui mutuat alteri ea conditione, ut iſte ſe obliget ad ipſi remutuandum, quando indiguerit, S. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 2. *&* 4. Sot. *l.* 6. *de juſt. q.* 1. *art.* 2. *ad* 1. Covar. *l.* 3. *var. c.* 2. *n.* 5. Sylv. *V. Uſura q.* 2. Azor *part.* 3. *l.* 5. *de Uſur. capit.* 7. *quæſt.* 1 quia obligatio civilis ad remutuandum eſt pecunia æſtimabilis, ergo qui hujuſmodi obligationem deducit in pactum ex vi mutui, Uſuram committit. Verum de hoc vide *infra nu.* 44 *& ſeqq.*

6 Qui rem aliquam emit eo pacto, ut eandem poſt tempus reſtituat venditori, recipiendo aliquid ultra ſortem *c. illo* 4. *de pignor.* Idem dicendum de eo, qui ſocietatem init, & pecuniam ea Lege confert, ut pars lucri eidem cedat, & tamen, quocunque caſu eveniente, ſors ſibi ſalva perſiſtat *l. ſi non* 29. §. *fin. ff. pro Socio*. Konig *num.* 9

Pro quibus, & aliis caſibus ſit Regula generalis: Per omne pactum, ſeu conventionem, qua præter ſortem propter id, quod mutuo intrinſecum, & proprium eſt, mutuatario imponitur gravamen aliud, ſeu onus quodcunque, ſive nova obligatio, ad quam aliàs non tenebatur, contractus mutui Uſurarius redditur. *Ratio eſt*, quia quando mutuatarius tantundem reddit, quantum accepit à mutuante, tum totum id, quod mutuans dedit, compenſatum eſt ad æqualitatem, ergo quidquid amplius exigitur, vel imponitur mutuatario ultra ſortem, injuſtè exigitur, & imponitur, Card. de Lugo *tom.* 2. *de juſt. D.* 25. *ſect.* 5. *num.* 36. Pirhing *hic nu.* 24. Multum verò res iſta pendet ex intentione dantis, & accipientis. Et hinc 37

Quæritur 3 quomodo intendi debeat lucrum, quod ſperatur occaſione mutui, ut Contractus reddatur Uſurarius? Gloſſ. *in cap. conſuluit* 10. *de Uſur.* Gabr. *in* 4. *diſtinct.* 15. *quæſt.* 11. *artic.* 1. *numer.* 1. Sylv. *V. Uſura pr. quæſt.* 1. Navar. *Man. cap.* 17. *numer.* 207. *& ſeqq.* Comitol. *de Uſur.* 14. *quæſt.* 3. *capit.* 1. *num.* 13. *& ſeq.* exiſtimant, tunc committi Uſuram, quando lucrum occaſione mutui intenditur principaliter; ſecus, ſi minùs principaliter. Variant tamen hi DD. in explicando, quando cenſeatur datum principaliter ob mutuum, quando minùs principaliter; nam *Gloſſ. Gabr. & Sylv.* tunc dicunt principaliter ob mutuum dari, quando aliàs dandum non eſſet, quibus videtur favere textus *capit. conſuluit citat.* ubi Urbanus III ait, eum, *qui mutuam pecuniam credit, non aliàs mutuò traditurus, eo propoſito, ut licèt omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat --- pro intentione lucri, quàm habet, judicandum malè agere.* Contrà *Navar. & Comitol.* tunc principaliter intendi lucrum ex mutuo putant, quando concedens lucrum tanti illud æſtimat, quanti ipſum mutuum conceſſum. 38

Sed dicendum, parum intereſſe ad contrahendum Uſuræ crimen, an lucrum occaſione mutui intendatur principaliter vel minus principaliter; poteſt enim mutuatarius donare mutuanti lucrum aliquod ea intentione, ut niſi ſperaret, mutuum ſe iterum accepturum, illud non fuiſſet daturus, & tamen illud lucrum velle gratis, ſpontè, & merè liberaliter dare; item poteſt mutuans dare mutuum, non daturus, niſi ſperaret, mutuatarium memorem fore obligationis ſuæ antidoralis: quo caſu certò Uſura non committitur, licèt juxta explicationem *citt.* DD. principaliter intendatur lucrum occaſione mutui; quia in hoc caſu lucrum non ſe habet ut pretium, ſed ut donum gratuitum, & liberale, quod Lex Uſuras prohibens nequaquam excludit. 39

Quare utendum diſtinctione, qua utuntur Sot. *l.* 6. *de juſt. q.* 1. *art.* 2. *& art.* 4. *verſ. reſtat autem*, Molin. *tr.* 2. *de juſt. D.* 305. *n.* 5. *& ſeqq.* Petr. Navar. *de reſtit. cap.* 1 *dub.* 2. *n.* 190. Valent. 2. 2. *D.* 5. *q.* 21. *p.* 1. Salas *tr. de Uſur. dub.* 5. Rebell. *p.* 2. *l.* 8. *q.* 3. *&* 4. *per totam* Laym. *l.* 3. *tr.* 4 *c.* 16. *n.* 1. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 2. nam ſi occaſione mutui lucrum ultra ſortem detur, & accipiatur merè gratis, & liberaliter, uſura non committetur, contrà committitur, ſi illud datur, vel comparatur tanquam ex mutuo ſtrictè debitum. 40

Proceditque hoc, ut Uſura non ſit, etiamſi lucrum ejuſmodi, vel commodum ex mutuo ſperetur, vel intendatur tanquam finis principalis, propter quem mutuum datur, ita, ut niſi mutuans ſperaret tale lucrum, aut commodum, non fuiſſet mutuaturus, modò illud non ſperet, aut intendat, tanquam pretium mutui, & ex mutuo ſtrictè debitum, ut cum *citt.* docent Azor *part.* 3 *l.* 5. *de Uſur. cap.* 16. *quæſt.* 3. Leſſ. *l.* 2. *de juſt. c.* 20. *n.* 39 Lugo *tom.* 2. *de juſt. D.* 25. *ſect.* 4. *num.* 28. Tambur. *l.* 9 *de Contract. tract.* 1. *capit.* 3. §. 1. *numer.* 1. Pirhing *hic numer.* 133. 41

Ratio eſt 1 quia Uſuræ malitia in eo conſiſtit, quòd aliquid deſideretur, vel ſperetur, & accipiatur, tanquam pretium, & ex juſtitia debitum pro mutuo, quod tamen natura ſua gratuitum eſſe debet, hoc non fit in caſu, quo aliquid ſperatur, intenditur, vel accipitur occaſione mutui, tanquam datum, vel dandum merè gratis, & liberaliter. 2 licitum eſt per alia beneficia intendere ſibi conciliare gratiam, & benevolentiam alicujus, ut is viciſſim gratum, & liberalem ſe exhibeat, ergo etiam licitum eſt ſperare, & intendere per mutuum datum. 3 Uſura non committitur ſine injuſtitia, per quam 42

quam injuria refertur mutuatario, qui nollet aliquid dare ultra sortem, si mutuans sine illo incremento dare vellet, ac proinde mixtè involuntariè dat; at quod datur, & accipitur ex gratitudine, & liberalitate, omnino voluntariè datur sine admixtione ullius involuntarii; ergo &c.

43 Atque hinc Usurarius non est, nec pœnas Usurariorum incurrit, qui mutuum, ut ultra sortem consequatur amicitiam, vel benevolentiam mutuatarii; quia amicitia, & favor non censetur esse pretio æstimabilis, si non ex obligatione Justitiæ, sed gratis, ac voluntariè, seu liberè exhibeatur, Sylv. *V. Usura* 1. *qu.* 5. Azor *part.* 3. *lib.* 5. *de Usur. cap.* 7. *quæst.* 13. Less. *cap.* 20. *num.* 18. Layman *cap.* 16. *num.* 2. *Vers. secundo*, Pirhing *hic num.* 3. *not.* 2. Præposit. Frising. *cons.* 15 *n.* 354. cum cæteris.

44 Quæritur 4 an ab Usuræ labe absolvi possit pactum, quo quis pecuniam mutuam dat ea lege, ut mutuatarius eidem remutuet, pro eo fidejubeat, scholas ejus frequenret, ædes ipsius conducat, vel suas locet, prædium justo pretio vendat, panem, vinum aut merces ex officina, vel taberna illius emat, ad molendinum, & furnos ejusdem frumentum molendum, & panes coquendos deferat &c. Absolvunt illum ab Usuraria iniquitate, Angel. *V. Usura* 1. § 5. Rosell. *V. eod. nu.* 11 Adrian. *in* 4. *quæst. sed dubium videtur*, §. *juxta prædicta*, Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 11. *art.* 3. *dub.* 1. Major *ead. dist. q.* 29 cum quibusdam aliis antiquioribus.

45 Sed distinguendum est, an ista petantur ut pretium pro mutuo, an verò tanquam mera conditio, cum qua ista petens vult mutuare, & sine qua non vult mutuare. *Si primum*, ista petens pro Usurario habendus est: Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 4. Sylv. *V. Usura* 1. *quæst.* 7. Abb. *in cap. fin. hoc tit. num.* 17 Azor *part.* 3. *lib.* 5. *de Usur. cap.* 7. *quæst.* 2. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16 *num.* 3. Palao *tract.* 30 *D.* 4. *part.* 11. *num.* 2. Tambur. *lib.* 8. *Decal. tract.* 3. *cap.* 8. §. 2. *num.* 8. *fin.* Pirhing *hic num.* 26. *not.* 1. *& num.* 30 Vviestner *num.* 43 Reiffenstuel *num.* 5. *& n.* 93 Ratio est, quia ultra obligationem reddendæ sortis imponit mutuatario onus pretio æstimabile, & libertatem aufert frequentandi scholam, tabernam, molendinum, officinam &c. quam vult.

46 *Si secundum*, & prædicta solùm petantur ut conditio mera, ista petens, & sub tali conditione mutuans non committit Usuram, Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 308 *n.* 7. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *n.* 3. *dict.* 1. Lugo *tom.* 2 *D.* 25. *sect.* 3. *num.* 52 Palao *tract.* 30 *D.* 4. *part.* 11. *num.* 3. Pihing *n.* 26 *not.* 2. *& num.* 30 Ratio est, quia meritò negatur ei beneficium mutui, quod petit, qui in præsenti non vult vicissim dare mutuum, vel aliud beneficium præstare, quod ab ipso petitur, & quod ipse posset præstare; ostendit enim se esse ingratum, & indignum hoc beneficio mutui. Et ex hac ratione 1. Usura non est, quando rogatus de dando mutuo recusat hoc ei dare, qui rogatus, ut pro se fidejubeat, id recusavit, Pirhing *n.* 30. *cit.*

47 2 Licèt usuram committat, qui pro præsente mutuo Mutuatario imponit obligationem mutuandi futurum, sine periculo tamen Usuræ pro mutuo aliud mutuum in præsenti quis exigit à mutuatario, e. g. dicens, *Si vis à me mutuas obtinere pecunias, oportet te quoque mihi mutuare triticum, vel vinum. Ratio disparitatis* est, quia quando pro præsente mutuo imponitur mutuatario obligatio mutuandi in futurum, exigitur obligatio civilis ad vicissim mutuandum, quæ est pretio æstimabilis; at quando pro mutuo aliud mutuum in præsenti exigitur, nulla exigitur obligatio pretio æstimabilis ultra sortem, sed solùm exigitur mutuum, pro quo mutuans nihil potest ultra sortem exigere, Molin. *n.* 7. *cit.* Pirhing *n.* 26. *not.* 3.

48 3 Non est illicitum contractui mutui in futurum celebrando præponere quasdam obligationes, seu onera accidentalia vicissim præstanda, modò ea utrinque sint æqualia, ut; *Obligo me ad mutuandum tibi pecunias, si vicissim te obliges ad mutuandum mihi triticum*; quia licèt pro ipso actu mutuandi non possit exigi obligatio reddendi aliquid ultra sortem, pro obligatione tamen mutuandi in se suscepta, quæ & ipsa pretio æstimabilis est, licitum est vicissim exigere talem obligationem; quia est æqualis utrinque contractus, & onerum paritas; prout requiritur, ut sit justa conventio, Molin. *n.* 7. *cit. fin.* Less. *cap.* 20. *n.* 61 Layman *cap.* 16. *n.* 3. *dict.* 3. Pirhing *n.* 26. *not.* 4.

Porro quando pro mutuo præsenti usurariè imposita est mutuatario obligatio remutuandi, vendendi, aut locandi prædium, aut simile aliquod gravamen, vel onus, interest, an onus istud, & gravamen jam sit præstitum, an verò non. *Si nondum est præstitum*, ad aliud is, qui sub tali gravamine mutuavit, non tenetur, quàm ut obligationem illam, seu gravamen remittat, ita, ut liberum sit mutuatario solùm ex gratitudine tale beneficium præstare, si velit. *Si præstitum illud jam est*, tenetur mutuans ipsi gravato restituere, quantum ejus interest, sive quanti prudentis arbitrio gravamen illud æstimari poterat, nisi is talem restitutionem remittat, Layman *cap.* 16. *n.* 3. *dict.* 2. Lugo *sect.* 5. *cit. n.* 50 Pirhing *n.* 26. *not.* 1. 49

Quæritur 5 an ab Usuraria iniquitate absolvi mutuans possit, qui prædicta sibi præstari petit benevolentiæ, vel gratitudinis titulo? Resp. interesse, an ea petat sibi præstari liberè, an vi pactionis ut debitum. *Si hoc secundum*, talis petitio habenda est pro Usuraria, Sylv. *V. Usura* 1. *quæst.* 2. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 4. *Vers. sed quæstio est*, Tambur. *lib.* 8. *Decal. tr.* 3. *cap.* 8. §. 2. *num.* 8. Palao *tract.* 30. *D.* 4. *part.* 11 *num.* 3 Konig *hic num.* 12 Reiffenstuel *ibid. num.* 92 Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 2. *num.* 5. *&* 6. & patet ex Decreto *Innocentii IX.* edito 2. *Martii* 1679 ubi damnatis propositionibus *num.* 42 accensetur doctrina eorum, qui dicebant, quòd *Usura non sit, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum. Ratio est*, quia pacisci propriè, & obligationem Justitiæ inducere nequeunt separari: est autem manifestè usurarium petere aliquid ultra sortem, tanquam ex Justitia debitum: ergo &c. Et hinc in Jure Bavarico *Landtsfund Policey Ordnung lib.* 2. *tit.* 1 *art.* 2. § *Vveiter*, inter alios pro Usurario habetur, qui præter consuetum Censum, seu Interesse petit aliam pecuniam sibi à mutuatario solvi gratitudinis ergò, vulgò *ein Dienstgel*. 50

Si primum, & prædicta mutuans à mutuatario petat sibi præstari liberè, quamvis petitiones istæ admodum periculosæ, & propterea dissuadendæ sint, eas tamen in rigore ab Usuraria iniquitate absolvunt Layman *loc. cit.* Tambur. *loc. cit.* Palao *num.* 2. Reiffenstuel *numer.* 96 *Ratio*, quare dissuadendæ sint, est, quia Antidoralis obligatio non dirigitur ad determinatum aliquem gratitudinis actum in specie, sed ad aliquam gratitudinem in genere; conf. qui petit sibi prædictorum aliquod præstari à mutuatario, jam petit aliquid, ob quod iste ex gratitudine non obligatur. 51

Præsertim verò magnum Usuræ, saltem mentalis, periculum incurrit ille, qui liberalitatem, & gratitudinem propter mutuum non tam exspectat, quàm extorquet, & indiligentibus hominibus non aliter mutuat pecunias, quàm sub spe, promissione, vel etiam exactione largæ remunerationis; quia talis exactio videtur æquivalere pacto saltem tacito: & Usura principaliter prohibita est ob gravamen indigentium, qui spe recipiendæ pecuniæ cum suo detrimento quælibet pacta etiam facilè ineunt, est verò etiam gravamen indigentium, si sciant, se pecunias mutuas aliter obtinere non posse, quàm si liberaliter donent mutuanti, non sine damno suarum facultatum. Vide P. Engl *hic numer.* 3. 52

Quæritur 6 an Usuræ condemnari possit Contractus, quo res, cujus pretium summum sunt 100. ob dilatam solutionem venditur pretio majori v. g. pro 110. Videtur hac labe immunis esse ob textum *cap. civitate* 6. *hoc tit.* ubi Alexander III rescribit, contractum hujusmodi ex tali forma non posse censeri nomine Usurarum. *Conf.* quia Usura non nisi in mutuo exercetur, cùm sit lucrum ex mutuo proveniens, ut dictum est *numer.* 1 53

Sed distinguendum est, an dubium sit, quòd res tempore solutionis faciendæ plus valitura sit, an verò sperari nequeat augendum ejusdem pretium. *Si primum*, & Venditor eam rem antè non erat distracturus, tam ab Usura, quàm ab Injustitiæ peccato tale pactum immune est, ut notat Vivian. *in cap.* 6. *citat. pr.* Begnudell. *V. Usura numer.* 11. Vallens. §. 1. *numer.* 4. *vers. dictum*. 54

Engl

Engl *hic num.* 20. cum aliis: quod etiam infinuatur *c. in civitate cit.* & exprefsè traditur *cap. fin. Verf. ille quoque hoc tit.* Ratio eft, quia eo cafu tam emptor, quàm venditor æqualiter commodum, vel incommodum exfpectant, & dubius eventus auctioris, vel diminutioris pretii utrique emolumento, vel damno effe poteft. Sunt tamen hujufmodi venditiones periculofæ, ideòque Pontifex in *capit. in civitate citat.* fuader, ut ab iis abftineatur; qui aliquando aliqui dicunt fe dubitare, ubi non eft dubitandum, & in dubio, an contractus contineat peccatum, necne, tutius eft abftinere, Gloffa *ib. V. nifi dubium*, Abb. *ibid. num.* 4. Sylv. *V. ufura* 2. *quæft.* 2. *dict.* 4 Pirhing *hic num.* 63 *Verf. addendum* 2

55 *Si fecundum*, & nullus adfit alius titulus exigendi majoris pretii, Venditor in foro externo quidem, fi de Ufuraria intentione aliunde non conftet, tanquam Ufurarius non condemnabitur, in foro tamen interno reus Ufuræ erit, ut probè agnovit Urbanus III. *cap. confuluit* 10. *h. tit.* & cum *citt.* notant Hoft. *in cap. in civitate cit. V. nomine ufurarum*, Leff. *l.* 2. *de juft. capit.* 20 *num.* 21. *&* 22. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 16. *num.* 5. *verf. fecundò dividitur*. Fagnan. *in cap. in civitate cit. num.* 3. *& feqq.* Gonzal. *ibidem num.* 6. Pirhing *hic num.* 4. *not.* 4. *& num.* 59. *& feqq.* Konig *num.* 9. Reiffenftuel *num.* 97. Ratio eft, quia folutionis prorogatio eft mutuum implicitum, & interpretativum; nam perinde eft, acfi venditor recepiffet pretium rei venditæ, & hoc deinde credidiffet emptori cum pacto, ut poft annum præter credita reddat dena alia.

56 Addidi, *Et nullus adfit alius titulus &c.* nam fiquis cariùs vendat frumentum, vel rem aliam creditò, five dilata folutione pretii, quàm aliàs præfenti pecunia vendidiffet, ratione damni, quòd aliàs paffurus, vel lucri, quod amiffurus effet ob dilatam folutionem pretii, vel ratione laboris expenfarum, aut difficultatum, quas probabiliter fubiturus effet, excufatur ab Ufura, etiam in foro confcientiæ. Fagnan. *l. cit. n.* 12. *fin.* Pirhing *n.* 63 *verf. addendum tertiò*.

57 Quæritur 7 quid dicendum de Contractu, quo res, cujus pretium infimum funt 100. ob anticipatam folutionem emitur minoris v. g. pro 90. Refp. de hoc idem ferè dicendum, quod de Contractu, examinato in *quæft. præced.* Nam *fi dubium fit*, an res, quæ præfenti pecunia minori pretio emitur, quia venditor differt traditionem rei emptæ, plus, vel minus valitura fit tempore traditionis, Ufura non committitur ex ratione affignata *nu.* 54. Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 6. Pirhing *hic n.* 64. idque propter naturam correlativorum, in quibus, quod difpofitum eft de uno, etiam de altero difpofitum effe cenfetur. Canif. *de ufur. c.* 3. *n.* 4. *fin.*

58 *Si verò conftet*, poftea idem fore pretium, & titulus damni emergentis, lucri ceffantis, vel alius juftus abfit, fub hoc contractu Ufura palliata latet; idem enim erit, acfi emptor venditori mutuos dediffet 90. eo pacto, ut his cum auctario poft annum receptis, res emeretur pro 100. Sylv. *V. ufura* 2. *q.* 1. *dict.* 3. Abb. *in c. fin. h. tit. n.* 6 Canif. *de ufur. c.* 4. *num.* 3. *fin.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 5 *verf. alterum* Vallenf. *hic* §. 1. *n.* 4. *verf. dictum* Pirhing *n.* 64. Vvieftner *n.* 51.

59 Dixi, *Ufura palliata*; veftitur enim fub forma Emptionis Venditionis: & hinc neque ifte Contractus in foro externo facilè condemnari de Ufura poteft, nifi de Ufuraria intentione aliunde v. g. per fcripturam, vel confeffionem ipfius Venditoris, aut Emptoris conftet. Fagnan. *l. cit. n.* 9. *cum aliis fuprà*.

60 Quæritur 8 an Ufurarius fit Contractus, quo frumentum, aut vinum mutuò datur in autumno, ea lege, ut tantundem reftituatur in vere, vel ut folvatur pretium, quo conftituta funt tempore verno? Refp. cum diftinctione. Vel enim incertum eft, an hoc tempore frumenti aut vini pretium futurum fit idem, an verò fit certum, vel probabiliùs, valorem ejus augendum.

61 *Si primum*, contractus talis nec Ufurarius, nec injuftus eft, ut apertè decifum eft *capit. fin. verf. ille quoque h. tit.* & notat *ibidem* Gloff. *V. dubitatur* Sylv. *V. ufura* 1. *quæft.* 14. Sot. *l.* 6. *de juft. quæft.* 1. *artic.* 2. *fin.* Navar. *Man. cap.* 17. *num.* 219. *&* 225. Tolet *l.* 5. *cap.* 34. Azor *part.* 3. *l.* 5. *de ufur. cap.* 7. *quæft.* 5. Molin. *tract.* 2. *de I. & I. D.* 311. *num.* 1. Leff. *tract.* 2. *de juft. cap.* 20. *n.* 145 Salas *tract. de ufur. dub.* 24. *num.* 1. Laym. *l.* 3. *tract.* 4 *cap.* 16. *n.* 14. Palao *tract.* 30. *D.* 4. *part.* 13. *n.* 2. Card. de Lugo *tom.* 2. *de juft. D.* 25. *fect.* 7. *n.* 112. Pirhing *hic n.* 54. *verf. in hoc*, & *n.* 62. *fin.* Vvieftner *n.* 53. Reiffenftuel *n.* 99. *Ratio eft*, quia cum periculum jacturæ, & lucri fpes apud utrumque contrahentem fit idem, nulla apparet in Contractu hoc inæqualitas.

62 *Si fecundum*, altera diftinctio eft adhibenda, & videndum, an creditor frumentum, aut vinum mutuò datum fervaturus fuiffet in tempus vernum, an non: *Si prius*, Contractum iftum ab Ufura abfolvunt *l. citt.* Navar. *n.* 219. Azor *quæft.* 5. Molin. *n.* 3. Leff. *n.* 152. Laym. *n.* 14 *verf. excipe*, Palao *num.* 3. Lugo *num.* 133. Pirhing *n.* 54. *verf. certum eft fecundo*, *& num.* 57. Vvieftner *num.* 54 Reiffenftuel *num.* 100. *&* 101. & hoc ob lucrum ceffans, quod habiturus fuiffet, fi, ut conftituerat, frumentum, aut vinum fervaffet. Deducere tamen debebit æftimationem laboris, ac fumptuum, quos facere debuiffet in cuftodiam, vecturas &c. ejufdem Laym. *l. cit.* Pirhing *n.* 57 Vvieftner *n.* 45

63 *Si pofteriùs*, contractus talis Ufurarius erit, ut contra Abbat. *in capit. in civitate cit. n.* 20. Sot. *l.* 6. *de juft. q.* 1. *art.* 2. *ant. folut. arg.* Navar, *Man. capit.* 17. *n.* 225 Tolet. *l.* 5. *capit.* 34. *num.* 3. *& feq.* Garc. *de contract. p.* 1 *cap.* 7. *& alios* veriùs, & probabilius docet Navar. *l. cit. num.* 219 fibi contrarius, Molin. *num.* 4. Leff. *num.* 152 Layman *num.* 14. *&* 15. Palao *num.* 5. Lugo *numer.* 118 Pirhing *num.* 57. Vvieftner *num.* 55. Reiffenftuel *numer.* 100. Ratio eft, quia tali cafu exigitur aliqnid ultra fortem, fcilicet exceffus pretii, quem res habebit tempore verno.

64 Quæritur 9 an fit Ufura vetus triticum mutuare cum pacto, ut poftea reddatur novum? Refp. fi vetus nunc tantum valeat, quantum poftea valebit novum, vel fperatur valiturum, non eft Ufura mutuare cum tali pacto, efto, hoc cedat in commodum mutuantis, quòd novum faciliùs confervari, quàm vetus poffit Sylv. *V. ufura* 1. *q.* 17. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 224. Azor *p.* 3. *l.* 5 *de ufur. capit.* 7. *q.* 10. Molin. *tract.* 2. *de juft. D.* 311. *n.* 8 Palao *tract.* 30. *D.* 4. *part.* 13. *n.* 10. Lugo *tom.* 2. *de juft. D.* 25. *fect.* 7. *n.* 117. Pirhing *hic n.* 56. *verf. quinto*. Præpof. Frifing. *conf.* 15. *n.* 388. *Ratio eft*, quia talis contractus quoad valorem eft æqualis, neque illicitum eft ex mutuo capere commodum, fi id fiat fine injuria, & damno mutuatarii.

65 *Secus eft*, fi triticum vetus, quia fcilicet femicorruptum eft, minus valeat, quàm poftea valiturum fit novum, & mutuatarius ob neceffitatem, vel aliam fimilem caufam vetus triticum accipiat cum pacto reddendi novum; tunc enim Ufura committitur, & tenetur mutuans mutuatario reftituere augmentum illud valoris novi tritici, nifi mutuatarius ex mera fua liberalitate vellet beneficium iftud mutuanti rependere, quod non eft præfumendum. Ita *citt.* Ratio eft, quia tantundem excedit fortem; conf. hoc cafu ex vi mutui jam aliquid fupra fortem acciperetur.

66 Quæritur 10 utrum mutuans, certò, vel probabiliter prævidens, triticum, vel vinum poftea minus valiturum, licitè, & fine ufura pacifci poffit, ut, poftquam diminutio hæc pretii evenerit, mutuatarius ei plures fcaphas tritici, aut vini urnas fibi reddat, ufque dum adæquent valorem tritici, aut vini præfentem? Refp. affirmativè: idque verum eft, five mutuans id, quod dat, aliàs venditurus, aut confumpturus fuiffet, five fervaturus in tempus, quo decrefcet pretium. Ita Molin. *tr.* 2. *D.* 311. *n.* 7. Leff. *tr.* 2. *c.* 20. *n.* 146. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 13. *n.* 9. Lugo *D.* 25. *cit. fect.* 7. *n.* 114. Pirhing *n.* 52. *verf. certum videtur tertio*. Præpof. Frifing. *cauf.* 15 *num.* 386

67 *Neque obftat*, quòd in hoc cafu mutuans plus recipiat, quàm dederit, e. g. quatuor frumenti fcaphas, aut vini urnas, cum tantum dederit duas; quia folum materialiter plus accipit, non autem formaliter, quòd ex hypothefi tantum tunc valeant quatuor fcaphæ, aut urnæ, quantum antea, cum mutuum datum eft, valebant duæ: ex quo patet, nihil accipi ultra fortem, fed potius à mutuante provideri, ut fors integra fibi reddatur. *Conf.* poteft quis vendere fuum triticum pretio nunc currente, eo pacto, ut folutio pretii fiat tempore, quo triticum minus valebit, ergo poterit etiam mutuari ea lege, ut reddatur triticum in ea quantitate, in qua æquabit pretium ejus nunc currens. Ponitur autem pretium quatuor fcapharum tempore folutionis æqua-

æquare pretium duarum scapharum tempore mutuationis, ergo poterunt tunc quatuor scaphæ peti pro duabus nunc mutuatis.

68 *Ex quo sequitur*, Contractum hunc ex parte esse Mutuum, ex parte non esse. Non est propriè mutuum, si nomine mutui intelligatur obligatio reddendi tantundem in eadem specie; quia redditur plus, sed in eodem pretio, & valore: ac proinde erit potiùs Contractus innominatus ex mutuo imperfecto, & inchoata permutatione. Mutuum verò erit, si per hoc intelligatur obligatio reddendi in specie, & in eadem quantitate formali, seu pretio, & æstimatione, quamvis quantitas materialis, seu mensura sit major Lugo *nu.* 115. Pirhing *num.* 55.

69 Porro ut licitè ineatur talis contractus, duo sunt observanda. 1. ut sicut mutuans plures mensuras recipit, quàm dedit, si valor tritici decrevit, ita contrà, si valor crevit, pauciores recipiat; alioquin in tali contractu non servaretur æqualitas. Lugo Pirhing *l. cit.* 2. ut liberum sit mutuatario reddere mutuum etiam antè, quàm pretium tritici creverit, vel decreverit; aliàs imponeretur obligatio pretio æstimabilis, si teneretur exspectare variationem pretii. Lugo *numer.* 116. Pirhing *numer.* 56.

70 Quæritur 11 ad id quod reddendum obligetur mutuatarius, quando inter ipsum, & mutuantem non est expressè conventum, ut restitutio fieri debeat in eadem mensura, an verò in eodem valore, & pretio? Resp. distinguendo: Vel enim tempore contractus nondum prævidebatur postea augendum pretium, aut minuendum, vel hoc prævidebatur. *Si primum*, præsumitur intentio contrahentium fuisse, ut juxta naturam, & conditionem mutui res mutuata reddatur in eadem specie, mensura, ac bonitate, sive pretium postea creverit, sive decreverit, prout supponi videtur *l. vinum* 22. *ff. de reb. credit.* Lugo *D.* 25. *citat. sect.* 7. *n.* 122. Pirhing *hic numer.* 58.

71 *Si secundum*, Lugo *l. citat. numer.* 123. putat iterum distinguendum. Nam si prævisum fuit, quòd postea decresceret pretium, seu valor rei mutuatæ cum damno solius mutuantis: & tunc satis est, si mutuatarius reddat triticum v. g. in æquali mensura, seu quantitate, & bonitate, in qua accepit; quia mutuans, si aliud non expressit, censetur voluisse mutuare juxta naturam puri mutui, & decrementum valoris liberè condonasse. *Si verò vice versa* prævisum fuit, quòd pretium tritici tempore solutionis crescet, non debet regulariter mutuatarius obligari ad reddendum in eadem mensura, sed satisfaciet, si reddat in minore, & tanta, quæ æquet valorem tritici, quem hoc habebat mutui accepti tempore. *Ratio est*, quia mutuans, si prævidit augmentum pretii, non potuit licitè exigere, ut triticum reddatur in eadem mensura, ut dictum est *numer.* 53. & esto, quòd mutuans illicitè voluisset, ut redderetur in eadem mensura, tamen mutuatarius ad id non teneretur, sed potest petere, ut contractus talis injustus reducatur ad æqualitatem, rejecto onere illo, quod justè ipsi ex vi mutui imponi non potuit.

72 Quæritur 12 an Chirographa, & debita immatura emi sine Usura possint minore pretio, quàm sit summa debita? Resp. hanc Quæstionem examinavi *Libr.* 3. *Tit.* 17. *numer.* 110. & 111. ubi usus sum distinctione: Vel enim debitum, quod venditur, dubium est, aut tale, quod sine lite, difficultate, molestiis, expensis obtineri non potest; vel contrà est liquidum, & periculo molestia, difficultate, lucro cessante &c. caret. *Si posterius*, non potest minoris emi; quia debitum liquidum 1000. fl. non valet minus, quàm 1000. cùm sola dilatio, nulli periculo conjuncta, valorem non minuat, igitur si pro eo non dantur 1000. sed 900. vel 905. jam pretium est inæquale, & injustum: consequenter committitur Usura palliata, cùm idem sit, ac si emptori venditor credidisset 900. recepturus ab eo 1000. Reiffenstuel *hic num.* 105.

73 *Si prius*, hujusmodi Chirographa, & debita emi minoris possint; quia ob incommoda enarrata etiam minoris æstimantur, quòd in æstimationem Chirographi etiam ipsa veniant. Reiffenstuel *num.* 102. *Proceditque* hoc probabiliùs etiam casu, quo solus venditor difficultatem hujusmodi, & molestias in obtinendo debito, & solutione ejusdem sentit, Emptor verò talis debiti illud facillimè, & sine ullis expensis integrum possit acquirere, quòd apud debitorem, v. g. Principem, vel Magnatem in speciali sit gratia, vel magna apud ipsum merita habeat, vel aliàs extraordinaria industria acquirendi polleat &c. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 361. *numer.* 10. Less. *l.* 2. *de just. capit.* 21. *numer.* 76. Reiffenstuel *hic numer.* 104. Ratio est, quia debiti valor non ex statu, & qualitate emptoris, sed ex communi æstimatione desumendus est, secundùm communem æstimationem autem, & seclusa gratia, seu favore Principis debitoris debitum hujusmodi minùs valet, ergo &c.

Excipitur, si debitor sit Princeps, & emptor Chirographi sit Præfectus ærarii, Principis, aut alius Officialis, cujus officium est ex ipsius ærario præstare solutionem; tunc enim Emptio Usuraria, aut saltem injusta esset ferè, sicut esset, si ab ipso Principe pro 100. solvendis post annum, anticipatò solverentur tantùm 90. Molin. *tract.* 2. *D.* 361. *num.* 11. Salas *de Usur. dub.* 27. *n.* 8 Less. *cap.* 21. *num.* 78. Vviestner *hic num.* 57. Reiffenstuel *ibidem num.* 105 74

Quæritur 13 an Usurarium sit *Pactum Anticreseos*, vi cujus creditor rei fructiferæ, v. g. prædii sibi oppignorati fructus lucratur, & nihilominus sortem integram recipit. Resp. affirmativè. Ita Abb. *in cap.* 1. *n.* 2. *h. tit.* Covar. *l.* 3. *var. cap.* 1. *n.* 3. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *capit.* 16 *n.* 17. Tambur. *l.* 9. *de Contract. tract.* 1. *capit.* 6. §. 1. *n.* 1. Vvading. *D.* 6. *de Contract. dub.* 9. §. 1. *pr.* Carpzov. *pr. crim. quæst.* 92. *n.* 68. & 69. Canis. *de Usur. capit.* 5. *n.* 15 Vivian. *in cap.* 1. *h. tit.* & *in cap.* 8. *eodem pr.* Begnudell. *V. Usura n.* 13. Præpos. Frising. *cons.* 15. *n.* 404. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 3. *fin.* Engl *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 109. Patet ex *cap. cùm contra* 6. *de Pignor. cap. plures* 1. *cap. quoniam* 2. *cap. conquestus* 8. *h. tit.* secundùm quos textus ejusmodi fructus, deductis tamen expensis, & æstimatione laboris, imputandi in sortem sunt: imò si debitum adæquent, debitum omnino extinguitur, prout dictum est *Libr.* 3. *tit.* 21. *num* 39. 75

Ratio est, quòd hoc modo Usura committatur, est, quia Usura committitur non solùm, quando expressè aliquid ex vi mutui quotannis ultra sortem datur, sed etiam quando sub pallio alterius Contractus, vel Pacti aliquid æstimabile pretio ob dilatam solutionem accedit sorti, quidquid illud sit, sive fructus, sive res alia, ut pensio ex domo. Ita autem accedunt sorti fructus rei oppignoratæ, nisi in sortem computentur, ergo debent computari in sortem vel restitui debitori, ne committatur usura. Pirhing *hic num.* 86. *not.* 1. & *num.* 98. *pr.* Juri Canonico concordat jus civile *l. fructus* 1. & *duab. seqq.* ubi Imperatores clarè constituunt, ut fructus pignoris in sortem computentur. 76

Dubium est, an pignoris fructus percipi à creditore etiam nequeant in favorem piæ causæ? Affirmativa videtur colligi ex *capit. conquestus* 8. *h. tit.* & *cap. insinuatione* 1. *de Feud.* ubi statuitur, quòd Ecclesia lucretur fructus feudi, pro mutuo sibi oppignorati à Vasallo. *Conf.* causæ piæ non minùs favorabiles sunt, quàm causa Dotis, atqui maritus non tenetur computare in sortem fructus possessionum sibi oppignoratarum pro Dote nondum soluta, ut patet ex *cap. salubriter* 16. *h. tit.* ergo &c. 77

Sed tenenda est negativa cum Covar. *l.* 3. *var. cap.* 1 *n.* 8. Tholos. *l.* 2. *de Usur. cap.* 8. *à num.* 16. Gonzal. *in c. super eo* 4. *h. tit. n.* 4. Vviestner *hic n.* 47. Reiffenstuel *ibid. n.* 116. Patet ex dictis *n.* 7. & *seqq.* ubi ostensum est, quòd Usuræ repugnent juri naturali, & Divino: cons. neque intuitu causæ piæ licitæ fieri possunt, ut colligitur ex *c. super eo cit.* & ratione, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, neque eleemosynæ largiendæ de fœnore, & Usuris *can. non est putanda* 27. *caus.* 1. *q.* 1. & *can. nolite* 1 *caus.* 14. *q.* 5. 78

Ad Argumentum, in contrarium allatum, dico, id speciale esse in Feudo, quòd dominus Feudi, sibi à Vasallo oppignorati, fructus non teneatur computare in sortem, si interea non præstentur à Vasallo servitia ratione illius debita, ut dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 20. *n.* 4. *Ad Conf.* possessionum, pro Dote sibi oppignoratarum, fructus in sortem maritus non computat, quia quamdiu Dos non solvitur, jus habet exigendi aliquid æquivalens, ex cujus fructibus onera Matrimonii sustineat toto tempore, 79

quo

quo caret Dote, quod ex dispositione *c. salubriter cit.* sunt fructus provenientes ex pignore.

80 Quæritur 14 an Usuraria iniquitate careant *Montes Pietatis*? Montes Pietatis dicuntur æraria, aut granaria, piorum hominum liberalitate constituta, ad sublevandas necessitates indigentium, quibus ex his certa quantitas pecuniæ, aut frumenti, receptis pignoribus, concedi mutuò solet, ea lege, ut si præfixo tempore debitum non solvant, vendantur pignora, & ex eorum pretio Mons pietatis sortem creditam, & modicum quid ultra sortem recipiat, residuum verò reddatur debitori. Azor *part.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 8. pr. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16 *n.* 11. Tambur. *l.* 9. *de Contract. tr.* 1. *cap.* 3. §. 9. *num.* 1 Vvading. *de Contract. D.* 6. *dub.* 12. *pr.* Engl *hic num.* 15 *quæst.* 3. Pirhing *n.* 99. Reiffenstuel *numer.* 119. Vocantur *Montes*; quia ibidem paupetes, quasi in monte, refugium quærunt, ne à fœneratoribus, aut creditoribus opprimantur. Titulum *Pietatis* assumpserunt inde, quòd opus maximè pium reputetur, pauperibus, in necessitate constitutis, subvenire. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 115.

81 Acriter in hos Montes invehitur cum aliis Acatholicis Carpzov. *pract. crim. quæst.* 92. *à num.* 4. & improbant illos etiam ex Catholicis Cajet. *in Comment. de Mont. Piet. cap.* 1. & Sot. *l.* 6. *de just. quæst.* 1. *art.* 6. existimantes, modum hunc mutuandi ab Usuraria labe excusari non posse, ex ratione, quòd non adsit ullus titulus, vi cujus ultra sortem aliquid, etiam modicum, accipi, vel peti possit.

82 Sed negandum est, quòd quidquam Usurariæ iniquitatis contineant. Ita Navar. *Man. c.* 17. *n.* 123. Tolet. *l.* 5. *Summ. cap.* 38. Valent. 2. 2. *D.* 5. *q.* 23. *p.* 4. *fin.* Azor *cap.* 8. *cit. vers. secunda opinio.* Molin. *tract.* 2. *de just. D.* 325. *n.* 3. Layman *cap.* 16. *n.* 11. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 24 *n.* 2. Tambur. §. 9. *cit. n.* 2. Vvading. *dub.* 12. *n.* 1. Haunold *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 9. *n.* 439. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 433 Pirhing *hic n.* 106. Engl *n.* 16. Vviestner *n.* 49. Reiffenst. *n.* 121. *& seqq.* Magnif. P. Schmier *l. citat. num.* 117. Nam 1. Montes istos licitos esse, & ab omni Usura immunes, definitum est sub Leone X. *in Concil. Later. sess.* 10. 2. idem senserunt Summi Pontifices Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Julius II. 3. accedit *Trid.* quod *sess.* 22. *c.* 8. 9. *&* 10. Montes istos inter opera pietatis recenset.

83 *Ratio est*, quia quod ultra sortem exigitur, non exigitur vi mutui, sed ob alios titulos, quorum complures DD. afferunt. Præcipui apud Vvading. *dub.* 12. *n.* 3 tres sunt. 1. obligatio, quam habent Præfecti Montis, dandi cuilibet de communitate mutuum, quoties petierint, ac propterea habendi semper paratam pecuniam, quæ obligationes sunt magno pretio æstimabiles, ut adeò nemo gratis illas teneatur subire. 2. labor, & sollicitudo in custodiendis pignoribus, quæ si perierint, aut deteriora fiant culpa etiam levi detentoris, Præfectis Montium pereunt, & ipsi tenentur de suo reparare debitori omne damnum, quod incurrit ex Pignore sive perdito, sive deteriorato: & proinde Præfectus Montis non solùm tenetur satis munire domum contra casus fortuitos, sed etiam pignora, cùm omnis generis accepientur, sæpè explicare, purgare &c. quæ iterum magni laboris, & curæ sunt; conf. gratis ad illa nemo tenetur. Quare cùm hujusmodi Præfecti, & Ministri ipsorum laborent in utilitatem Mutuatariorum, meritò ab istis petitur, ut ad ipsos sustentandos succurrant. Id ergo, quod ultra sortem exigitur, exigitur in istorum justum salarium; conf. non deest titulus. Et sic patet Responsio ad Argumentum contrarium.

84 Quæritur 15 quid sit *Cambium*, & an Campsores, dum occasione Cambii lucrum faciunt, de Usura sint condemnandi? Resp. *Cambium* est negotiatio, qua pecunia pro pecunia cum moderato lucro permutatur. Quod duplici modo fieri solet: *uno* quando Mercatori, sive Campsori pecunia unius formæ, & materiæ, v. g. sestertii pro alterius formæ, aut materiæ e. g. pro aureis nummis numeratur: quod Cambium *Reale*, vel *Manuale* dicitur. *Altero*, quando Campsori pecunia in uno loco, e. g Ingolstadii numeratur, ut reddatur v. g. Romæ, aut Viennæ; vel quando à Campsore pecunia hic accipitur, ut ei, vel negotiorum ipsius gestori restituatur alibi: quod Cambium *Locale*, & quia ordinariè per Litteras fit, per quas Campsor suo Correspondenti mandat, ut Campsario certam pecuniæ summam, quam iste Campsori solvit, alibi numeret, vel eidem jam numeratæ solutionem accipiat, *Cambium per Litteras* appellatur, estque usu receptissimum cum magna utilitate itinerantium, ne pecunias magno incommodo, & periculo suo secum deferre cogantur. Sylv. *V. Usura* 4. *quæst.* 6. Covar. *de vet. numm. collat. capit.* 7. *numer.* 4. Molin. *tractat.* 2. *de J. & J. D.* 398. *à n.* 4. Engl *hic n.* 24. *vers. est autem.* Konig *n.* 10. Vviestner *n.* 58. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 83. *&* 84.

Hoc lucri genus DD. quidam retulerunt inter Usuras. Sed melius ab hac labe illud absolvunt. Sylv. *V. Usura* 4. *quæst.* 7. *&* 8. Navar. *Man. capit.* 17. *à numer.* 282. & *libr.* 3. *cons.* 8. *numer.* 2. *&* 3. *de Empt. & Vendit.* Molin. *D.* 399. *numer.* 1. *& seqq.* Less. *l.* 2. *de just. capit.* 23. *à numer.* 7. Laym. *l.* 3. *tract.* 4. *capit.* 16. *numer.* 12. *fin. & capit.* 19. *numer.* 3. *&* 6. Illsung *tract.* 4. *D.* 2. *numer.* 449. *& seqq.* Pirhing *hic numer.* 53. Engl *numer.* 24. Konig *numer.* 10. Vviestner *n.* 58. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 89. nec immeritò, cùm non desint tituli, ob quos ultra pecuniam permutatam tali casu aliquid exigi possit. 85

Talis autem titulus in Campsoribus, publica authoritate constitutis, est obligatio comparandi, & paratam semper habendi pecuniam sortis diversissimæ; in aliis, qui proprio motu talem negotiationem suscipiunt, est. 1. lucrum ex aurea, vel argentea moneta expensa cessans, vel damnum inde emergens. 2. commoditas negotiationis, quam habet una pecunia e. g. aurea præ alia, quòd faciliùs deferatur aliò, alibi pluris valeat, & quævis res ea facilè comparentur. 3. labor in pecuniis numerandis, in scribendis litteris, in Rationibus faciendis. 4. sumptus faciendi in famulos peritos, & impensæ, ac pericula in pecuniæ ex uno loco in alium trajectione. 5. æstimatio unius pecuniæ præ alia ob ejus raritatem, antiquitatem, puritatem &c. 86

Quæritur 16. an Usuram sapiant, qui *Ollam*, ut dicunt, *fortunæ* exponunt, cujus ea Lex est, ut quot quis v. g. denarios numerat ejus domino, tot ex ea schedas, & quod eis descriptum est, tollat, sorte omnino incerta, tamque varia, ut aliquando, qui schedam, unicam pro unico denario accepit, scyphum aureum, vel aliam pretiosam mercem reportet; contrà, qui pro 100. denariis totidem schedas extraxit, præter risum, & ludibrium nihil referat. 87

Videtur hoc pactum, si non propter intentionem lucri ultra sortem capiendi usurarium, saltem ob similitudinem cum lusu alearum, & inæqualitatem inter pecuniam collatam, & rem extractam illicitum, & injustum esse. Sed immeritò: quia non est mutuum; conf. Usura esse non potest. Deinde etiam non est Lusus, sed Emptio, qua, quia non res extracta, sed spes cum pari jactutæ periculo conjuncta emitur, de inæqualitate mercis, & pretii damnari nequit, sicut damnari nequit de simili inæqualitate, qui jactum retis emit, licèt fortè contingat, ut captura sit decuplo major, & æstimabilior pretio. 88

Quare dicendum, eos qui hujusmodi Ollam fortunæ exponunt, neque Usurariæ, neque alterius inæqualitatis reos agi posse, nisi fraus aliqua, & dolus interveniat; nam his intervenientibus, injustitia subinde committitur: & hinc ad loci Magistratum pertinebit; circumspectè examinare schedas, in Urna positas, vel ponendas. *Canis. de Usur. c.* 4. *n.* 8. Pirhing *hic n.* 50. Engl *num.* 19. Vviestner *n.* 59. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 119. *&* 120. 89

§. III.

Causæ, ob quas occasione Mutui accipi potest aliquid ultra sortem.

S U M M A R I U M.

90 *Causæ, ex quibus occasione mutui accipi aliquid ultra sortem potest.*
91 *Quid sint Usuræ moratoriæ?*
92 *Quid Compensatoriæ?*

93 *Quid*

93 *Quid intelligatur nomine Damni emergentis?*
94 *Vel Lucri cessantis?*
95 *Quando censeatur esse periculum Sortis?*
96 &c. *An Usuræ moratoriæ sint licitæ?*
103 &c. *quid requiratur ad earundem licentiam?*
107 *Quando solvendæ sint?*
108 *An titulo damni emergentis accipi aliquid ultra sortem possit?*
109 &c. *Quando?*
111 &c. *An istud deduci in pactum possit?*
113 &c. *Requisita, ut ex hoc titulo possit aliquid ultra sortem accipi?*
118 *An peti aliquid ultra sortem possit ratione lucri cessantis.*
119 &c. *Quando?*
121 &c. *An possit obligatio ista deduci in pactum?*
123 &c. *Requisita, ut ratione Lucri cessantis aliquid accipi ultra sortem possit?*
127 &c. *Utrùm ratione periculi in recuperanda sorte possit aliquid exigi ultra sortem?*
131 &c. *An Usurarium sit accipere aliquid ultra sortem ob periculum sortis in se susceptum?*
136 &c. *Vel pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus?*
141 &c. *Aut pro obligatione solvendi à Fidejussore suscepta?*
144 &c. *Utrùm in Germania, secluso omni alio titulo, accipere aliquid ultra sortem occasione mutui liceat?*
146 &c. *Quomodo accipientes excusari ab Usura possint?*
149 &c. *An 5. pro 100. exigi valeant, si ista mutuatario concedantur retenta facultate post semestre repetendi sortem?*
153 *An licitum sit accipere 6. pro 100. ubi consuetudo ista accipiendi viget?*

90 QUæritur 1. ex quibus causis accipi aliquid ultra sortem licitè occasione Mutui possit? Respond. plures enumerari. 1. in pœnam culpabilis moræ, qua mutuatarius solutionem mutui ultra tempus, cum mutuante conventum, differt. 2. ob damnum emergens. 3. ob lucrum cessans. 4. ob periculum sortis amittendæ. 5. ob sortis periculum à mutuante in se susceptum. Quæ accipiuntur ex primo capite, Usuræ *Moratoriæ*, seu *Punitoriæ* appellantur; quæ ex capitibus reliquis, *Compensatoriæ*, sive *Restauratoriæ*.

91 *Usuræ moratoriæ*, seu *punitoriæ* ergo sunt, quando aliquid ultra sortem Creditori solvitur in pœnam moræ, in restitutione creditæ sortis commissæ, ut si mutuatarius, quòd credita 100. constituto tempore non restituerit, in pœnam moræ, sive dilatæ ultra tempus solutionis teneatur solvere quinque, vel decem. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 3. *vers. quartò*, Tambur. *l.* 9. *de Contract. tr.* 1. *c.* 2. §. 1. *n.* 5. Vvading. *D.* 6. *de Contract. dub.* 6. *pr.* Begnud. *V. Usura n.* 2. Vallens. *hic* §. 2. *nu.* 3. Pirh. *n.* 5. *vers. tertiò*, Konig. *num.* 5. Reiffenst. *nu.* 11. *&* 78. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *nu.* 17. Potestque Usura hæc esse triplex, Legalis, Judicialis, & Conventionalis. *Prima* constituitur à Lege, Statuto, vel consuetudine illis æquivalente; *Secunda* à Judice ad instantiam Creditoris, accusantis moram Debitoris; *Tertia* mutuo consensu, seu conventione contrahentium. Sylv. *V. Usura* 1. *n.* 28. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 317. *num.* 1. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 12. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 16. *n.* 1. Pirhing *n.* 51. Reiffenst. *nu.* 78. Vviestner *nu.* 16. Begnud. *l. cit. n.* 3.

92 *Usura Compensatoria*, sive *Restauratoria* est, quod ultram sortem exigitur, non vi mutui, sed ratione interesse ipsius Creditoris, scilicet ob Damnum emergens, Lucrum cessans, periculum sortis amittendæ &c. Azor *c.* 3. *cit. vers. quartò*, Tambur. *num.* 5. *cit.* Vvading *dub.* 6. Begnud. *n.* 2. Vallens. *nu.* 3. Pirhing *nu.* 5. *vers. tertiò* Konig. *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 11. *&* 66. Magnif. P. Schmier *n.* 17.

93 Porro *Damni emergentis* nomine denotari solet jactura, quam creditor ratione mutui dati patitur in rebus suis, quas jam habet, v. g. si mutuò dat pecuniam, ad reparandas ædes, quæ ruinam minantur, ut ad frumentum; tempore abundantiæ emendum, destinaram: indeque fiat, ut ædes corruant, & pro frumento majus pretium expendendum sit. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. cap.* 4. *pr.* Tambur. *tract.* 1. *cit. cap.* 3. §. 3. *num.* 1. Engl. *nu.* 4. *vers. interesse damni*, Pirhing. *n.* 31. Konig *nu.* 5. Magnif. P. Schmier *n.* 94.

Lucri cessantis nomine à DD. intelligitur incrementum bonorum, quod quis facturus fuisset, si pecuniam mutuò non dedisset; e. g. si Mercator ex 1000. mutuò datis, dum restituantur, interea lucraturus fuisset 100. vel 50. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 8. *pr.* Tambur. §. 3. *cit. num.* 2. Engl *num.* 4. *pr.* Pirhing *num.* 31. Konig. *num.* 5. Schmier *numer.* 94. 94

Periculum sortis tunc dicitur, quando ob lubricam mutuatarii conditionem, quia v. g. est homo pauper, decoctor, parùm fidus &c. est justus timor, ne eum solvendi facultas deficiat, aut solutio sine magnis molestiis, & sumptibus non recuperetur. 95

Quæritur 2. an Usuræ moratoriæ sint licitæ? *Certum est* 1. Lege, Statuto, vel consuetudine posse imponi pœnam, creditoribus à mutuatariis exsolvendam, si debitum ad tempus constitutum culpabiliter non solverint; quia hujusmodi pœnæ constitutio nihil habet iniquitatis, imò conducere potest ad accuratiorem observantiam initorum Contractuum. Sylv. *V. Usura* 1. *q.* 28. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 317. *n.* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *nu.* 12. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 16. *n.* 3. Pirhing *hic n.* 51. Vviestner *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 79. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 110. Et hac ratione videmus in Contractibus bonæ fidei, post moram ab alterutra parte commissam, à Lege inductam obligationem præstandi Usuras, licèt desuper nulla præcesserit conventio *l. mora* 32. §. *in bonæ* 2. *ff. de Usur. & fruct.* 96

Certum est 2. si hujusmodi pœna Lege, vel consuetudine statuta non sit, eam in casu particulari imponi posse per sententiam Judicis, à Creditore implorati; quia, debitoris culpa supposita, etiam ipsa iniquitate caret, & impositio ipsius contractuum firmitatem, ac Reip. rectam gubernationem promovet. *DD. citt.* 97

Dubium ergo tantùm est de pœna Conventionali. Voluerunt aliqui universim, sive debitor sit in mora solvendi, sive non, ejusmodi pœnæ impositionem, & exactionem injustam, & usurariam esse: & videtur hoc probari ex *l. pœnam* 44. *ff. de Usur. & fruct.* & rescripto Gordiani Imp. *l. cùm allegas* 15. *C. de Usur.* quibus Legibus pœna conventionalis reprobatur. 2. ex paritate cum pacto Legis Commissoriæ, reprobato per *c. significante* 7. *de Pignor. & Hypoth. & l. fin. C. de Pact. pignor.* 3. ex ratione, quia nemo potest alteri imponere pœnam, quam teneatur subire, nisi Superior: ergo &c. 98

Sed meliùs respondetur distinguendo: Vel enim solutio, sive pecuniæ creditæ restitutio nulla debitoris culpa dilata est, vel cum culpa ejusdem. *Si primum*, satis convenit inter DD. pœnæ appositionem, & exactionem eo casu injustam esse, ut rectè. Sylv. *V. Usura* 1. *q.* 28. Navar. *Man. c.* 17. *nu.* 215. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 317. *n.* 8. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *nu.* 131. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 16. *n.* 7. Tambur. *l.* 9. *de Contract. tr.* 1. *c.* 3. §. 5. *num.* 4. Vvading. *D.* 6. *de Contract. dub.* 7. *tit.* 3. *n.* 4. Pirhing *hic n.* 52. Viestner *n.* 19. Reiffenstuel *n.* 84. & colligitur ex *c. significante cit. & l. trajectitiæ* 23. *ff. de O. & A.* Ratio est, quia pœnæ exactioni locus non est, nisi culpa adsit; nam quod culpa caret, in damnum vocari non debet *c. cognoscentes* 2. *de Constit. & l. sancimus* 22. *C. de Pœnis. Excipitur*, si mutuatarius ad solvendum culpa sua impotentem se reddidit, quia dilapidando bona sua id secuturum advertit, aut facilè advertere potuit; tunc enim non solvere est volitum in causa culpabili, & conf. si in termino non fiat solutio, pœna debetur. Molin. *n.* 8. *cit. fin.* Less. *n.* 132. Palao *n.* 7. Tambur. *n.* 5. *&* 6. Pirh. *n.* 52. 99

Si secundum, pœna conventa absque Usuræ labe exigi potest. Gloss. *fin. in c. conquestus* 8. *h. tit.* Abb. *in c. suam* 9. *de Pœn. in* 6. Sylv. *V. Usura* 1. *qu.* 28. Scot. 4. *dist.* 15. *q.* 2. §. *secundo articulo*, Navar. *c.* 17. *cit. nu.* 215. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 8. *nu.* 11. Sor. *l.* 6. *de Just. qu.* 1. *art.* 3. *col.* 2. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 6. *q.* 5. Molin *n.* 8. *cit. fin.* Less. *n.* 128. Bonac. *p.* 2. *D.* 3. *p.* 7. Salas *de usur.* 21. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 12. Palao *p.* 16. *n.* 5. Tambur. *num.* 3. Vvading. *tit.* 3. *n.* 1. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *num.* 441. Præpos. Frising. *consf.* 15. *n.* 414 Zoes. *hic n.* 11. Pirhing *n.* 51. Konig *n.* 14. Vviestner *n.* 19. Reiffenstuel *nu.* 80. Begnud. *V. Usura n.* 55. Ratio est, quia hoc casu pœnæ appositio, & exactio nullo Jure prohibita invenitur, imò satis clarè permittitur *c. dilecti* 4. *de Arbitr. l. trajectitiæ cit. & l. si pacto* 15. *C. de Pact.* 100

Pro-

101 *Proceditque hoc*, etiamsi ex mora Creditori nullum emergat damnum, ut contra Scot. *l. cit.* Major. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 23. *alias* 31. Graff. *p.* 1. *Decis. l.* 2. *c.* 106. *num.* 12. Aragon. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 2. & alios VV. docent DD. *citt.* quia adjicitur non tam ad damnum cavendum, quàm ad firmationem Contractus. *Neque obest*, quòd hoc modò accipiatur aliquid ultra sortem: quia talis pœnæ, quæ ultra sortem exigitur, non solvitur ex vi mutui, sed ob moram, & culpam non solvendi mutuum; peccat enim debitor, qui est in mora culpabili, contra Justitiam retinendo alienum, seu alteri debitum: ac proinde dignus est pœna, sicut & illi contrahentium conventione pœna apponi solet, qui à Contractu resilierit.

102 Neque contrarium evincitur ex Argumentis *n.* 98. allatis in contrarium. *Ad* 1. per *l. pœnam*, *& l. cum allegas citt.* solùm reprobatur pœna conventionalis, quæ modum culpæ, & taxam, Legibus, & moribus definitam, excedit. *Ad* 2. Pactum Legis Commissoriæ solùm prohibetur in casu, quo Pignus committitur, sive debitor sit in culpa, sive non; nam si solvenda sit pœna, & committatur Pignus casu, quo debitor culpabiliter moram trahit, universim non est illicitum, prout dictum est. *Libr.* 3. *Tit.* 21. *à n.* 42. *Ad* 3. solus Superior potest invitum obligare ad Pœnam; sed privatus potest alterum obligare consentientem, imò tunc per suum consensum seipsum obligat, sicut in aliis Contractibus.

103 Dub. 1. quid requiratur, ut pœnæ appositio, & exactio labe Usuræ careat? Resp. quatuor DD. exigunt. 1. ut ea non apponatur in fraudem Usurarum, sive ad istas ejus pallio obtegendas, sed ideo tantùm, quòd eam apponens pecuniam creditam ad præfixum tempus velit simpliciter habere; hoc enim si in pactum deducat, & debitor non observet, creditori facit injuriam, & committit culpam obnoxiam, pœnæ, ex conventione solvendæ. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 6. *quæst.* 5. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 317. *nu.* 6. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *n.* 130. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 16. *nu.* 6. Salas *de Usur. dub.* 21. *vers. tertiò* Brunnem. *in l. cùm allegas* 15. *C. de Usur. n.* 4. Tambur. *l.* 9. *de Contract. tr.* 1. *cap.* 3. *§.* 5. *num.* 8. Vallens. *hic* §. 3. *pr.* Pirhing *n.* 52. Konig *n.* 13. Vviestner *num.* 21. Reiffenstuel *nu.* 83. Præposit. Frising. *cons.* 15. *n.* 413. Begnudell. *V. Usura nu.* 55. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 111.

104 2. Ut solutioni non præfigat terminum nimis brevem, sive talem, intra quem scitur illam verisimiliter à debitore exhiberi non posse; quia tali casu præsumeretur magis intendi pœnæ lucrum, quam solutio ad præfixum tempus facienda. Molin. *n.* 6. *cit.* Less. *n.* 130. Lugo *D.* 25. *de Just. sect.* 6. §. 2. *n.* 111. Pirhing *num.* 52. Konig *n.* 14. Reiffenstuel *n.* 86. Vviestner *n.* 22. Schmier *n.* 111. *cit.*

105 3. Ut non solùm inculpabilis sit, sed etiam notabilis, & pœna proportionata culpæ; quia aliàs iterum præsumeretur in fraudem apposita. Azor. *q.* 5. *cit.* Molin. *n.* 8. Less. *n.* 134. Palao *n.* 8. *&* 9. Tambur. *nu.* 9. Vallens. *pr. cit.* Pirhing. *n.* 52. Vviestner *n.* 22. Reiffenstuel *n.* 85. Schmier *nu.* 111. Plerumque autem dilatio unius diei, vel etiam hebdomadæ non est censenda mora notabilis, ut pœna exigi debeat. Less. Pal. *l. citt.* Addit Lessius, hic spectandam qualitatem negotii, & morem Provinciæ, putatque, si concessum est spatium sufficiens, & intra illud solutio facta non sit, posse peti pœnam à debitore, etiamsi vel unum diem excesserit, si Juris rigore uti velit mutuator.

106 4. Ut parte debiti soluta, non exigatur tota pœna, sed pars tantùm, ea nimirum, quæ parti debiti nondum solutæ proportione respondeat. Gloss. *in c. suam* 9. *V. persolutis de Pœn.* Abb. *ibid. n.* 1. Gutier. *p.* 3. *de Juram. c.* 17. *n.* 6. Azor. *q.* 5. *cit.* Molin. *n.* 9. Less. *n.* 133. Palao *nu.* 10. Tambur. *n.* 9. Pirhing. *num.* 52. Vviestner *nu.* 23. Præpos. Frising. *n.* 413. Schmier *nu.* 111. quod tamen intelligendum, quando pars soluta mutuanti utilis est, ut notat Palao *l. cit.*

Addunt aliqui 5. ut ex impositione pœnæ non sequatur scandalum; quia aliàs foret contra Charitatem proximi. Molin. *n.* 7. Pirhing *n.* 52.

107 Dub. 3. an Usuræ moratoriæ solvendæ sint ante sententiam? Satis convenit inter DD. Legalem, Judicialem pœnam non deberi ante sententiam Judicis. Differunt quoad Conventionalem; nam aliqui cum Adrian. *quodl.* 6. *art.* 2. *concl.* 2. *Illat.* 3. putant, nec pœnam conventionalem necessariò solvendam in foro conscientiæ, antequam debitor illius per sententiam Judicis cogatur. *Contra* ante sententiam condemnatoriam eam deberi, contendunt. Sylv. *V. pœna n.* 14. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. §. 8. *n.* 11. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 6. *q.* 5. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *n.* 135. *&* 136. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 16. *n.* 5. Vviestner *n.* 24. *hic*. Qui tamen neque ipsi satis concordes inter se sunt; nam aliqui cum Palao requirunt sententiam declaratoriam culpæ: alii etiam ante istam solvendam esse à debitore existimant, saltem postquam exacta à creditore fuerit. Optimè monet Less. *num.* 136. *fin.* quoad hoc spectandam esse consuetudinem; si verò de hac sententia condemnatoria non requiratur, pœnam deberi ante sententiam, ad solam partis requisitionem.

Quæritur 3. an titulo damni emergentis exigi aliquid ultra sortem possit? Negat Scot. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 3. ex ratione, quia mutuans, qui damnum ex mutuo passurus est, non tenetur mutuum concedere, ideòque si concedere vult, obligatur gratis concedere, cum misericordia non debeat vendi. 108

Sed tenenda est affirmativa, & dicendum, posse titulo damni emergentis aliquid exigi ultra sortem, sine Usuræ labe. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. Sylv. *V. Usura* 1. *qu.* 19. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 4. *pr.* Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 314. *n.* 7. *&* 8. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.* 20. *n.* 69. *& seqq.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 8. *vers. alterum*. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 15. *n.* 1. Vvading *de Contract. D.* 6. *dub.* 7. *tit.* 1. *n.* 1. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 433. Vallens. §. 1. *hic nu.* 4. *vers. additum*. Pirhing. *n.* 32. Engl. *n.* 4. *vers. interesse damni*, Konig *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 67. Præpos. Frising. *cons.* 15. *nu.* 356. Begnudell. *V. Usura num.* 48. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 95. & recepta passim sententia. *Ratio* clara est, quia mutuanti licet se præstare indemnem, & curare, ut beneficium suum non sit sibi damnosum. *Conf.* quia Usura est lucrum ex mutuo. In hoc autem casu nullum lucrum accedit mutuatario, sed tantùm evitatur ejus damnum.

Ex quo patet ad Argumentum Scoti; nam tali casu non venditur misericordia, seu mutuum, quod ex misericordia dari gratis debet, sed jactura mutui, quæ pretio æstimabilis est.

Dub. 1. quando mutuatarius pro damno emergente ratione mutui satisfacere mutuanti sit obligatus? Resp. interesse, an damnum evenerit mutuanti post lapsum termini ad solutionem præstandam præfixi, adeoque ob moram mutuatarii; an verò ante terminum solutioni præfixum, conf. sine mora ipsius mutuatarii. *Si primum*, mutuatarius ex contractu mutui tacitè obligatur ad compensationem istius damni, etiamsi hoc in pactum non sit deductum, neque creditor interpellaverit illum de solvendo; quia ipsa dies interpellat pro homine. Menoch. *de arbitr. cas.* 119. *nu.* 13. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *num.* 69. Begnudell. *V. Usura n.* 53. Pirh. *hic n.* 33. Ratio est, quia omittendo solutionem tempore constituto est causa damni, ideoque tenetur ad illius compensationem. *Excipitur*, nisi mutuatarius sine omni sua culpa factus sit impotens ad solvendum, ut quia incendio res ejus perierunt, vel ob aliud infortunium in tantam paupertatem inciderit, ut non possit solvere, quin se conjiciat in extremam, vel gravem necessitatem. Less. *cap.* 20. *cit. n.* 70. Vvading. *D.* 6. *de Contract. dub.* 7. *tit.* 1. *n.* 2. Pirh. *num.* 33. *cit.* 109

Si secundum, Mutuatarius ad resarciendum damnum sine mora, & culpa sua Creditori eveniens non tenetur, nisi id in pactum deductum fuerit, saltem de solvendo aliquid ultra sortem; alioquin sibi imputare debet mutuans, quòd de eo non caverit. *Conf.* quia fortasse mutuatarius noluisset cum eo onere mutuum accipere, neque id fortasse expediebat. Ita S. Thom. *q.* 13. *de malo art.* 4. *ad* 14. Sot. *l.* 6. *de Just. q.* 1. *art.* 3. Navar. *Comment. de Usur.* 14. *q.* 4. *n.* 46. *& Man. c.* 17. *n.* 21. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 314. *n.* 11. *&* 12. Less. *l.* 2. *c.* 20. *num.* 77. Vvading. *D.* 6. *de Contract. dub.* 7. *tit.* 1. *n.* 2. Pirhing. *hic nu.* 34. Præpos. Frising. *cons.* 15. *nu.* 360. *Excipitur*, quando mutuans coactus fuit ad mutuandum; tunc enim potest exigere interesse damni emergentis, etiamsi in contractu mutui nihil de eo per pactum conventum fuerit; nam damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare. *Reg.* 86. *in* 6. 110

Dub. 2. utrùm licitè, & sine usura ab initio cum mutuatario 111

tuatario pactum expressum inire mutuans possit de solvendo aliquid ultra sortem vel ratione periculi damni ex mutuatione impendentis, vel ratione ipsius damni, si quod evenerit, etiamsi mutuatarius in mora solvendi non fuerit? Resp. affirmativè. Ita S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 314. num. 7. Less. l. 2. de Just. c. 20. nu. 72. Canis. de Usur. c. 1. num. 7. Card. de Lug. tom. 2. de J. & J. D. 25. sect. 6. n. 72. Vvading. D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 1. nu. 2. Haun. tom. 3. de J. & J. tr. 9. n. 387. Pirhing hic n. 33. Begnud. V. Usura n. 48. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 2. num. 98. & communiter DD. cæteri.

12 *Ratio est*, quæ illa pecunia, ut bene advertit Less. l. cit. quæ mihi necessaria est ad aliquod damnum impediendum, non solùm mihi valet, quanti ipsa nudè considerata æstimatur, sed etiam quanti est carere tali damno; non enim res tantummodo æstimatur secundùm seipsam, sed etiam quatenus domino est causa certi boni consequendi, vel mali vitandi: & hinc tali casu licitè vendi potest pluris, quàm per se valeat, cùm in ipsa illud etiam commodum vendi censeatur. *Conf.* quia æquitas non patitur, ut quis ex beneficio mutui damnum reportet: ergo potest à mutuante damnum hoc æstimari, & pro eo peti compensatio per pactum expressum.

13 Dub. 3. quid requiratur, ut licitè pacisci mutuans cum mutuatario possit de aliquo ultra sortem solvendo ratione damni emergentis, vel periculi ejus impendentis? Resp. 1. requiritur, ut mutuum revera sit causa damni, ita, ut aliàs non eveniret, v. g. si domus Titii indigeret reparatione, nec habeat alias pecunias ad eam reparandam, nisi quas mutuas dedit Cajo, tunc mutuum est causa damni, & tali casu, si rationabiliter timeat Titius, tale damnum sibi ex pecuniis mutuò datis eventurum, pro ratione damni, vel periculi illius potest aliquid ultra sortem à Cajo exigere. *Secus est*, si Titius haberet alias pecunias, quibus ædes suas reparare posset, vel si amicus eidem Titio statim offerret pecunias alias ad eam reparandam. tunc enim damnum ipsi nullum proveniret ex mutuo. Azor. p. 3. l. 5. de Usur. cap. 4. post pr. Less. l. 2. de Just. c. 20. n. 73. Palao tr. 30. D. 4. p. 15. n. 6. Pirhing hic n. 34. Reiffenst. ibid. num. 69. Præpos. Frising. conf. 15. n. 357.

14 2. Ut mutuans præmoneat mutuatarium de damno emergente; nam fortè nollet cum tali onere mutuum accipere Azor. l. cit. q. 3. Less. n. 73. cit. Palao. n. 4. Tambur. l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 3. n. 3. Pirhing nu. 34. Reiffenst. n. 69. Præpos. Frising. n. 358. *Excipitur*, nisi mutuans ad mutuandum fuisset coactus; nam coactio illa est implicitus consensus ad omnia damna, quæ mutuans ex mutuatione patitur, compensanda. Tambur. l. cit. Imò, ut Less. n. 74. Tambur. & Pirhing l. citt. advertunt, etiam casu, quo nulla intervenit coactio, si damnum emergens, vel periculum illius certum sit, non opus est, ut exprimatur excessum peti propter damnum emergens, sed sufficit, si fiat pactum de excessu aliquo pecuniæ dando supra sortem; quia regulariter non retardaretur mutuatarius à contractu mutui, etiamsi sciret, justo titulo excessum supra sortem exigi. Addit tamen idem Tambur. & Pirhing, tutius esse exprimere causam exigendi aliquid ultra sortem, tum ad vitandum scandalum, & periculum, ne aliquando mutuans accusetur de Usura, tum ad assecurandum debitum, quia mutuatarius facilè renuet solvere mutuò acceptum, si putet illud Usurarium esse.

15 3. Ut ratione damni emergentis non exigatur pretium, nisi quod æquale sit damno, vel periculo damni; nam plus exigens committit injustitiam, etsi non propriè Usuram, ut notat Tambur. l. cit. n. 4. Pirh. nu. 40. Reiffenstuel n. 69 Quia verò in certa plerumque est quantitas damni, quod ex mutuo alteri dato eventurum est mutuanti, hic perpensis omnibus causis, & circumstantiis concurrentibus, arbitrio boni viri æstimatio est facienda, ut monent DD. citt.

16 4. Ut hoc interesse ratione damni emergentis, vel lucri cessantis non solvatur statim à mutuatario tempore mutui accepti, sed primùm postea. Hinc si Titius mutuet Cajo 1000. fl. cum pacto, ut ratione interesse, sive lucri cessantis, aut damni emergentis solvat 100. & istos 100. mox detrahat Titius, Cajo non nisi 900. numerando, committit Usuram; quia ex 100. illico detractis nullum ipsi potest lucrum cessare, vel damnum emergere: sicque sub hoc prætextu exigens interesse, manifesta committit injustitiam, & Usuram saltem palliatam. Reiffenstuel hic n. 70.

5. Ut mutuans non cogat mutuatarium pacisci de periculo damni potiùs, quàm de damno, sed relinquat ipsius arbitrio; etsi enim periculum illud damni probabiliter eventuri sit ab initio pretio æstimabile, quamvis minori, quàm ipsum damnum, non potest tamen mutuans mutuatarium cogere, ut pro ipso periculo aliquid promittat, sed sufficit, si mutuatarius paratus sit resarcire damnum omne, quod eventus patefecerit, quippe cùm hoc modo mutuans jam servetur indemnis. Quodsi tamen mutuatarius malit pacisci pro periculo ad certum pretium mutuanti solvendum, quàm pro incerto damno manere in ancipiti, potest mutuans acceptare pactum: & tunc quamvis damnum postea non evenerit, poterit tamen conventum exigere; quia periculum, quod in gratiam mutuatarii subiit, est pretio æstimabile. Less. c. 20. cit. n. 76. 117

Quæritur 4. an peti, vel accipi aliquid ultra sortem possit ratione lucri cessantis? *Certum est*, si quis per vim, metum, vel dolum injustè cogatur ad mutuandum, ideòque lucrum ei cesset, quia amittit occasionem lucrandi sua pecunia, qua volebat vel censum, vel domum, vel agrum fructiferum emere, vel negotiatione licita aliud lucrum quærere, tunc posse ipsum exigere lucrum cessans, & petitum debere ipsi à mutuatario compensari, etiamsi illud in pactum deductum non fuerit. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 315. n. 1. Less. l. 2. de Just. c. 20. num. 79. Lugo tom. 2. D. 25. sect. 6. n. 86. Palao tract. 30. D. 4. p. 15. n. 10. Pirhing hic n. 36. Ratio est, quia qui tali modo invitus dat mutuum, injustè privatur lucro, adeoque damnum patitur: ergo is, qui causam talis damni injustè dedit, ad illius reparationem tenetur, etiamsi illud in pactum non sit deductum. *Conf.* à pari cum eo, qui furatus est mercatori pecuniam, quam paratam habebat ad negotiandum; nam fur iste non tantùm tenetur pecuniam ablatam restituere, sed etiam compensare lucrum, quo furando pecuniam Mercatorem injustè privavit. 118

Dubium 1. est, an si quis sponte mutuum dedit, ad certum tamen terminum, quo reddendum sit, & mutuans ex eo, quòd mutuatarius ad tempus præfixum non solvat, lucrum perdat, ratione hujus lucri cessantis possit aliquid exigere ultra sortem? Negarunt olim plures Canonistæ in cap. fin. h. tit. apud Covar. l. 3. var. c. 4. n. 5. quibus favere videtur D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. & qu. 13. de malo art. 2. ad 14. Durand. in 3. dist. 73. q. 2. ad 1. Abul. in Matth. 25. q. 284. ad 1. & q. 227. Scot. in 4. Dist. 15. q. 2. art. 3. & inclinat Sot. l. 6. de Just. q. 1. art. 3. concl. 4. eò quòd lucrum non sit censendum cessare, nisi mutuans à lucro cohibeatur. 119

Sed dicendum, hoc casu mutuantem jure posse exigere à mutuatario, ut iste sibi lucrum cessans resarciat, saltem si moram fecerit in solutione mutui. Ita cum communi. Molin. tr. 2. de Just. D. 315. nu. 5. & 6. Less. c. 20. n. 79. Lugo D. 25. sect. 6. n. 86. Palao p. 15. nu. 3. Pirhing num. 37. Idque verum est, tametsi de hoc pactum explicitum non intervenerit; quia hoc ipso, quòd terminus solutioni mutui præfixus sit, vi taciti pacti tenetur mutuatarius ad interesse, quo mutuans ob moram mutuatarii privatur. Et procedit etiam, quamvis absque culpa mutuatarii solutio mutui tunc non fiat, vel quia solvendo non fuit, vel ob aliam causam, quæ tamen ex parte mutuantis non proveniat, nisi mutuatarius ad extremam necessitatem sine sua culpa sit redactus. Molin. Pirh. l. citt. 120

Dub. 2. an interesse lucri cessantis possit à creditore statim tempore dati mutui in pactum deduci? Resp. affirmativè. Ita Sylv. V. Usura 1. q. 19. Cajet. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1. Navar. Man. c. 17. nu. 211. Covar. l. 3. var. c. 4. n. 5. Azor. p. 3. l. 5. de Usur. q. 1. Less. c. 20. cit. n. 80. Laym. l. 3. tr. 4. cap. 16. num. 10. Vvading. D. 6. de Contr. dub. 7. tit. 2. n. 3. & 4. Engl hic n. 13. Ratio est, quia quod justè possum exigere, possum etiam in pactum, & obligationem expressam deducere. *Conf.* quia non minùs lucrum ratione mutui cessans est pretio æstimabile, quàm damnum emergens ex mutuo: imò si quis paratam habeat pecuniam certam ad negotiandum, ex qua probabiliter sperat, se intra annum lucraturum 100. aureos, longè plus æstimabit lucrum istud in spe, quàm jactu- 121

jacturam, seu damnum minus v. g. aureorum, quod in illa pecunia cum æquali probabilitate incurrere posset: ergo sicut licitum est pacisci cum mutuatario de damno illo emergente, ita & de lucro cessante, cùm carentia lucri damnum quoddam æstimetur.

122 Neque pactum hoc Usurarium, aut id, quod hac ratione ultra sortem exigitur, vel accipitur, est vera Usura, sed exigitur, & accipitur tanquam interesse, prout notat Gloss. *in can. quoniam* 8. *caus.* 14. *q.* 4. *arg. l. socium, qui* 60. *ff. pro Socio*, ibi: *Usuras quoque eum præstare debere, Labeo ait, sed non quasi Usuras, sed quod socii intersit, moram eum non adhibuisse*. Accedit ratio; quia aliud est mutuum, aliud lucrum cessans, vel damnum emergens ratione mutui dati; licèt ergo mutuum debeat dari gratis, sicque ex ipso mutuo secundùm se spectato nihil possit ultra sortem exigi, bene tamen potest exigi, ut lucrum indè verè vocetur interesse *arg. l. un. C. de Sent. quæ pro eo &c. & l. si commissa* 13. *ff. rem ratam haberi &c.* ibi, *Si commissa est stipulatio, ratam rem dominum habiturum, in tantum competit, in quantum mea interfuit, i. e. quantum mihi abest, quantumque lucrari potui*. Reiffenst. *hic n.* 68.

123 Dub. 3. quid requiratur, ut lucri cessantis nomine aliquid possit exigi? Resp. 1. requiritur, ut spes lucri certa, vel admodum probabilis sit; aliàs æstimari non debet, juxta Bartol. *in l. un. C. de sent. quæ pro eo &c. n.* 25. Gutier. *de Juram. p.* 1. *c.* 2. *nu.* 4. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 15. *n.* 5. ideoque petenti lucrum probare incumbit, quòd, si haberet pecuniam, quam mutuam dedit, certò lucraturus foret; aliàs non obtinebit.

124 Debet cessationis causa esse ipsum mutuum, ut sit, si Titius pecuniam à se destinatam negotiationi, aut emptioni rei fructiferæ, subtrahat illi destinationi, ut mutuet eam Cajo, & ita amittat spem illius lucri; nam si relicta illa negotiatione propter datum mutuum, se mutuans conferat ad aliam rationem lucrandi per artificium, vel aliam industriam, & ita compenset totum lucrum negotiationis, non poterit ratione lucri cessantis quidquam exigere; quia per mutuum non cessat ipsi lucrum absolutè. *Excipitur*, si ratio illa lucrandi esset molestior, aut lucrum foret minus; nam tunc posset mutuans æstimare molestiam, vel diminutionem lucri, & pro ea compensationem exigere. Less. *c.* 20. *n.* 85. Palao *n.* 5. & apud hos alii.

125 3. Debet mutuatario à mutuante manifestari spes lucri, quod ex mutuatione cessabit, & ejus compensatio in pactum deduci; nam si in pactum ab initio hoc interesse non deduxerit, ex post facto non potest illud aliter ab invito debitore petere, quàm si iste in mora fuerit, i. est interpellatus à creditore (qui voluit alibi honestum lucrum quærere, vel damnum emergens præcavere) non solverit; aliàs enim debitor rectè excipiet, quòd, si scivisset, tanti creditoris ob mutuatam pecuniam interesse, vel pecuniam ab ipso non fuisset mutuò accepturus, vel certe interpellatus illico soluturus. Palao *n.* 4. & alii apud istum. *Excipitur* quando mutuum ad certum tempus contractum est; nam lapso illo tempore, si debitor non solverit, hoc ipso sine alia interpellatione constituitur in mora, cùm dies interpellet pro homine, ut de damno emergente dictum est *n.* 109.

126 4. Non debet exigi lucrum integrum, quod probabiliter speratur, sed quanti æstimatur spes ejusdem prudentis arbitrio; quia spes non tantùm valet, quantùm res ipsa. Hinc 1. deducendæ sunt expensæ, quas mutuans fecisset in negotiatione; quia lucrum tantum illud censetur, quod remanet, deductis expensis. 2. quando lucrum est dubium vel in se, quia periculo subjacet, vel quoad ipsum mutuantem, quia nondum erat in voluntate firma negotiandi, cùm nesciret occasiones superventuras, multò minus accipere potest, idque judicio experti. 3. longitudo, vel brevitas temporis, sub quo fortè præfigitur redditio mutui, multùm prodest, vel obest ad decernendum lucrum; nam breviore tempore producta negotiatio minùs fructificat, quàm longiore. Tambur. *l.* 8. *Decal. tr.* 3. *c.* 8. §. 3. *n.* 13.

127 Quæritur 5. utrùm ratione periculi in recuperanda sorte possit aliquid exigi ultra sortem? Negant generaliter Navar. *Man. c.* 23. *n.* 81. Sot. *l.* 5. *de Just. qu.* 14. *art.* 1. *ad* 1. Gutier. *qq. can. l.* 1. *c.* 39. *nu.* 30. Reginald. *l.* 25. *c.* 12. *fin.* Rebell. *l.* 9. *de Just. quæst.* 12. & inclinat Vvading. *D.* 6. *de Contract. dub.* 7. *tit.* 4. *numer.* 1. cum Begnudell. *V. Usura num.* 54. Nituntur 1. *c. in civitate* 6. *h. tit.* ubi Pontifex definit, Usuram esse vendere aromata pluris ad creditum, quàm præsenti pecunia valent, quod tamen verum non esset, si ob periculum pretii pretium augeri posset. 2. si liceret aliquid exigere ratione periculi, creditoribus præberetur occasio palliandi Usuras, cùm ejusmodi periculum frequenter adsit, vel fingi possit adesse. 3. eidem periculo, cui sors, etiam exponitur ejusdem auctarium: igitur etiam pro isto licebit exigere aliquid, & sic procedetur in infinitum. 4. sic posset creditor pro periculo amittendæ sortis recipere fructus pignoris, & hos non computare in sortem. 5. similiter posset mutuans non acceptare cautionem pignoratitiam, aut fidejussoriam, quam mutuatarius exhiberet, & vellet, ut sibi periculum solvat.

Sed dicendum, nisi aliunde sufficienter caveatur periculum sortis, posse mutuante à mutuatario ratione istius periculi aliquid petere ultra sortem. Ita S. Thom. *Opusc.* 73. *de usur. q.* 10. Sylv. *V. Usur.* 1. *q.* 34. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 6. *q.* 1. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 318. *num.* 4. Less. *l.* 2. *de J. c.* 20. *num.* 111. Salas *de usur. dub.* 22. *n.* 3. Filliuc. *tr.* 34. *num.* 97. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *num.* 9. *pr.* Bonac. *D.* 3. *de Contract. q.* 3. *p.* 5. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 17. *n.* 3. Tambur. *de Contract. l.* 9. *tr.* 1. *c.* 3. *q.* 6. *nu.* 2. Zoes. *hic n.* 3. Pithing *n.* 45. Engl. *n.* 14. Konig *n.* 15. Vviestner *n.* 31. Reiffenstuel *nu.* 72. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *num.* 102. modò verum, & probabile periculum sit amittendæ sortis mutuatæ, & periculum hoc judicio prudentum tanti valeat, quanti id æstimat mutuans, qui pro eo aliquid ultra sortem petit. 128

Ostenditur 1. quia non tantùm in Jure Civili *l. periculi* 5. *pr. & §. in his* 1. *ff. de nautic. fœn.* sed etiam Jure Canonico *c. in civitate* 6. *h. tit.* ob periculum, quòd res tempore solutionis minus sit valitura, permittitur aliquod augmentum in pactum deduci. 2. quia exponere res suas periculo in gratiam alterius est quid pretio æstimabile: atqui hoc periculum non sequitur necessariò ex mutuo: ergo non est obligatio illud gratis subeundi; nam sola actio mutui gratis ex obligatione præstari debet. 3. quia creditor habet jus à debitore, sive mutuatario exigendi assecurationem per pignora, & fidejussores; & propterea si eam non præstet, exigere ab ipso valet aliquid æquivalens, quale est modicum illud, quod additur ultra sortem. 4. fidejussor, qui non multùm differt à mutuante, ratione periculi, quod fidejubendo subit, potest aliquid exigere *l. hoc jure* 19. *§. Labeo* 1. *ff. de Donat.* 5. etiam in aliis contractibus ob susceptum periculum aliquid exposcere concessum est, eò quòd pretio sit æstimabile res suas exponere periculo, ut adeo in mutuo, quod per se tantùm ordinatur in utilitatem mutuatarii, sine absurdo contrarium dici nequeat. 129

Neque contrarium evincunt Argumenta opposita. *Ad* 1. eo textu Alexander III. solum damnat perversum animum merces pluris vendendi propter dilatam solutionem, ut *in c. cit.* cum Gloss. *V. comparant* notant Abb. *n.* 2. Canis. *de usur. c.* 3. *num.* 2. & passim Interpretes. *Ad* 2. non pro quovis levissimo, sed probabili, & inter homines æstimabili periculo, quale non ita frequens est, aliquid licet exigere. *Ad* 3. auctarium, etiam ut periclitans, esse potest sufficiens compensatio sortis non recipiendæ. *Ad* 4. ex retento pignore jam cessat periculum amittendæ sortis. Igitur ad hoc compensandum non possunt recipi fructus pignoris. *Ad* 5. similiter, data cautione fidejussoria idonea, periculum tollitur; consf. tunc mutuans debet esse contentus, neque potest aliquid exigere ultra sortem. 130

Quæritur 6. an, si mutuatario, qui cum pecunia mutuata trajecturus est mare, vel iturus ad nundinas per loca prædonibus infesta, sortis assecurationem præstet creditor, & illius periculum in se suscipiat, ratione istius periculi iste petere aliquid ultra sortem possit? Obstare videtur *c. fin. h. tit.* ubi dicitur eum, qui aliquid hoc casu exigit, censendum Usurarium. 131

Sed dicendum, posse creditorem hoc casu pro periculi magnitudine, & gravitate aliquid sine Usuraria iniquitate exigere, & acceptare etiam casu, quo pecuniæ mutuatæ deferuntur salvæ. Ita S. Thom. *Opusc.* 73. *de Usur. qu.* 9. Sylv. *V. Usura* 1. *q.* 35. Covar. *l.* 3. *var. c.* 2. *n.* 4. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de usur. cap.* 6. *q.* 4. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 318. *n.* 4. Fachin. *l.* 2. *contr. c.* 48. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 16. *n.* 9. *pr.* & *n.* 13. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *n.* 116. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 18. 132

p. 18. n. 2. Canis. de usur. c. 4. nu. 6. Cardin. de Lugo tom. 2. de Just. D. 25. sect. 6. n. 87. Vvading. D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 5. per totum, Barbos. in c. fin. cit. n. 2. Pirh. hic n. 44. Konig n. 15. Vviestner n. 34.

3 *Ratio est*, quia in tali casu sunt duo actus distincti: unus est contractus mutui; & pro hoc nihil exigitur, neque exigi potest absque Usura: alter est contractus Assecurationis, quam aliàs mutuanti deberet præstare mutuatarius, nunc autem mutuans præstat mutuatario, cum hoc paciscens, ut si pecunia mutuata in mari, vel in via pereat, sibi pereat, & mutuatarius, ejusque hæredes nihil restituere teneantur; atqui talem Contractum assecurationis nemo obligatur gratis inire: ergo &c. *Conf.* 1. ejusmodi assecuratio est pretio æstimabilis, & pro ea præstanda aliquid exigere licet tertio ex communi DD. sensu: igitur etiam creditori mutuanti. *Conf.* 2. Usura fit exigendo aliquid ultra sortem ex vi mutui; hoc autem non fit in proposito, ubi aliquid ultra sortem exigitur ratione periculi à mutuatore suscepti: ergo &c.

4 *Ex quo colligitur*, non esse Pactum Usurarium, siquis mercator, naviganti trans mare cum mercibus, dat 100. aureos, cum pacto ut si navis pereat, nihil omnino reddat mercator; si verò maneat salva, reddat ipsi 125. aureos. Navar. l. 5. cons. 23. h. tit. Laym. l. 3. tr. 4. c. 16. n. 10. Pirhing hic n. 49. coroll. 2. Ratio est, quia lucrum illud accipitur ratione periculi, quod in se suscipit mutuans, & non vi mutui.

5 Neque obstat c. fin. cit. quia ut cum citt. advertit Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 2. n. 107. in illum textum irrepsit mendum, & pro *Usurarius est*, legendum, *Usurarius non est censendus*: quod colligitur ex verbis sequentibus, *Ille quoque non debet Usurarius reputari*; nam si priore Contractum Pontifex habuisset pro Usurario, pro particula *Quoque* meliùs usus fuisse adversativa *Verò*, contra &c. Alii cum Fagn. in c. fin. cit. num. 21. Vvading D. 6. de Contract. dub. 7. tit. 5. nu. 2. Illsung. tr. 4. D. 2. n. 433. Engl hic n. 15. vers. si verò, Konig. n. 15. fin. Reiffenstuel n. 75. volunt, ibi sermonem esse de eo, qui non aliter vult mutuare, nisi cum tali pacto susceptionis periculi in se, sicque sub spe lucri ultra sortem recipiendi; talis enim gravat debitorem cogendo illum, ut pactum ineat de periculo, quod ipsemet in se suscipere, vel datis pignoribus, aut fidejussoribus à creditore avertere voluisset: conf. in foro externo Ecclesiastico, quod de internis non judicat, Usurarius censendus est. *In foro externo*, inquam; nam in interno, & coram DEO, modò revera non intendat lucrari ex mutuo, sed tantummodo accipere pretium periculi in se suscepti, Usurarius non est. Reiffenstuel l. cit.

6 Quæritur 7. an Usurarium sit aliquid ultra sortem accipere, & de eo pacisci ratione carentiæ pecuniæ, seu pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus, v. g. annum? *Ratio dubitandi est*, quia qui mutuò dedit v. g. pecuniam, potest illam repetere, quando voluerit, modò non statim repetat; quia tunc frustra mutuasset; si ergo se obliget, quòd intra annum nolit repetere, poterit pro tali obligatione, quippe quæ pretio æstimabilis est, aliquid accipere.

7 Sed respondendum est affirmativè. Ita Molin. tr. 2. de J. & J. D. 308. nu. 10. & 11. Less. l. 2. de Just. c. 20. num. 126. Laym. l. 3. tr. 4. c. 16. n. 8. vers. cæteri, Tambur. l. 8. Decal. tr. 3. c. 8. §. 6. n. 2. Vvading. D. 6. de Contract. dub. 5. n. 4. vers. secunda ratio. Card. de Lugo tom. 2. de Just. D. 25. sect. 3. n. 17. & seqq. Pirh. hic n. 25. Reiffenst. ibid. n. 87. & 88. *Ratio est*, quia obligatio carendi pecunia, & non repetendi mutuum ad tempus est intrinseca, & essentialis mutuo: sicut ergo non potest sine Usura aliquid accipi pro mutuo, cùm debeat esse gratuitum, ita nec pro obligatione ad non repetendum illud sive ad longum, sive ad brevius tempus; alioquin esset merum precarium.

8 *Conf.* 1. ex mutuo mutuatarius ad plus non obligatur, quàm ut tantum det, quantum accepit: hoc facit, qui pro 100. transacto tempore, ad quod mutuò dati sunt, dat alios 100. ergo &c. *Conf.* 2. Pactio de non repetendo mutuo intra annum nihil aliud est, quàm mutuum prorogatum, seu extensio gratuiti beneficii ad longius tempus: ergo adhuc sistitur precisè intra terminos mutui; conf. nihil pro tali extensione exigi potest. *Conf.* 3. siquis à principio mutuasset v. g. ad mensem, & postea prorogaret tempus solutionis ad alium mensem, non posset pro ista prorogatione aliquid exigere ultra sortem, quia est quasi duplex mutuum: ergo nec potest aliquid exigi ultra sortem, si initio mutuum sit constitutum ad bimestre, ad annum &c. Certè si ratione ejusmodi prorogationis liceret aliquid exigere, facilè tolli omnis Usura posset; posset enim mutuum initio tantùm dari ad hebdomadam, vel diem, & dein prolongando tempus aliquid exigi ultra sortem.

Ad Rationem dubitandi; mutuatarius jam sufficienter 139 compensat obligationem non repetendi, dum solvens mutuum dat mutuanti facultatem utendi pecunia soluta in perpetuum. Deinde licèt obligatio non repetendi mutuum ante annum superaddat aliquid supra mutuum in communi, non tamen superaddit supra hoc mutuum in specie, seu in individuo; adhuc enim sistitur præcisè in ratione mutui. *Dices*: Mutuans, dum mutuum dat sub obligatione illud intra annum non repetendi, se privat interea potestate cum illa pecunia negotiandi. Resp. etiam mutuatarius solvendo mutuum constituto tempore se simili potestate privat, & quidem in perpetuum: igitur jam fit debita compensatio; vel si talis non fieret ob luctum cessans, ob hoc, ut dictum est à n. 118. liceret accipere aliquid ultra sortem, non tamen precisè ratione temporis prorogati.

Multò minùs regulariter accipi potest aliquid ultra rem 140 mutuò datam ob onus, seu laborem numerandi pecuniam dandam in mutuum, ut bene advertunt Navar. Man. c. 17. n. 209. Azor p. 3. l. 5. de usur. cap. 2. quæst. 4. Laym. l. 3. tr. 4. c. 16. n. 7. Pirh. hic nu. 7. fin. Ratio est, quia pecunia mutuari non potest, nisi numeretur, & numeratio fit in bonum utriusque, accipientis, & dantis, ut tantundem reddatur, quantum datum est, & neuter fraudetur. Accedit, quia labor ille numerandi ordinariè exiguus est: quodsi notabilis foret, pretium accipi posset, non vi mutui, sed tanquam merces laboris, sive operæ mutuatario locatæ.

Quæritur 8. an sicut ob periculum sortis mutuans, 141 ita ob susceptam obligationem solvendi pro debitore principali fidejussor pacisci de aliquo sibi dando possit? *Certum est* peti aliquid posse, quando fidejussio periculosa est; quia tale periculum est pretio æstimabile.

Dubium autem est, quando non est periculosa, & quando nullum timetur periculum, ne fidejussor teneatur solvere pro debitore principali. Quo casu Covar. l. 3. var. c. 1. n. 6. cum aliis putant, nihil posse accipi à fidejussore. Sed Molin. tr. 2. de J. & J. D. 319. n. 2. circ. med. putat etiam hoc casu esse licitum aliquid accipere, & exigere, tametsi parum admodum.

Rationem dat, quia obligatio illa, quam in se susci- 142 pit fidejussor, est pretio æstimabilis, non solùm quando verisimiliter timet, se coactum iri ad solvendum pro debitore principali, sed etiam quando nihil tale timet, non secus, ac pretio æstimabilis est obligatio molendi in mutuantis molendino, esto, mutuatarius in alio molendino eadem mercede posset molere, nec difficilius ipsi sit accedere ad molendinum mutuantis, quàm ad alia: & hinc sicut propterea illicitum est, & Usurarium dare mutuum, ut mutuatarius in molendino mutuantis molat, ita illicitum, & Usurarium est dare mutuum ea conditione, ut mutuatarius pro ipso fidejubeat, ut dictum est n. 45. atqui pro eo, quod pretio æstimabile est, pretium peti potest. ergo &c. Accedit, quia ordinariè fidejussio aliquod periculum continet, licèt illud non semper prævideatur: igitur pro hoc periculo semper aliquod pretium justè potest accipi, majus, vel minus, prout majus, vel minus est periculum.

Atque hinc in arbitrando pretio, quod in rigore fas 143 est accipere, ut quis fidejussor existat, attendenda est tum quantitas debiti, tum periculum majus, vel minus, quòd fidejussor pro debitore solvet, item major, vel minor spes, quòd debitor in eventu, quòd fidejussor pro eo solvat, resarciet, id quod à fidejussore pro ipso solutum est: & si aliquid ampliùs acceptum fuerit, talis acceptio quidem non erit Usuraria; quia tale pretium non accipitur pro mutuo, ne virtuali quidem, in tali casu: erit tamen injusta, ideoque incrementum illud restituendum erit debitori, si solvit. Molin. l. cit. fin.

Quæritur 9. utrùm in Germania, secluso omni alio 144 titulo, accipere aliquid ultra sortem occasione mutui liceat? Resp. distinguendo inter forum externum, & internum.

ternum. *In foro externo*, non tantum licitum est pacisci, & exigere annuos quinque pro sorte principali, seu summa capitali 100. fl. sed datur etiam Actio contra debitorem, illos solvere morantem, aut recusantem, etiamsi Creditor nec lucrum cessans, nec damnum emergens, nec periculum sortis principalis, nec alium titulum justum alleget. Ita unanimis, & certa per Germaniam, teste P. Reiffenstuel *hic n.*57. patetque ab experientia quotidiana, qua constat dictos 5. fl. pro 100. datis in pactum passim deduci, exigi, & dari, nec non per actionem repeti, & acquiri, etiamsi nullus ex præfatis, vel alius allegetur justus titulus. *Ratio est*, quia in foro externo Germaniæ præsumitur adesse unus ex præfatis, vel alius justus titulus exigendi annuos 5. pro 100. & ex hac præsumptione conceditur non solùm, quòd absque ulla pœna exigi possint, sed etiam per Judicem mandatur, ut solvantur 5. pro 100. prout patet ex *Recess. Spirens.* & allegatis ex eo verbis formalibus *n.* 10. *ad* 4.

145 *In foro interno* autem accipiens 5. pro 100. mutuò datis, si nullum habeat ex præfatis, aut alium justum titulum, usurarius est. Engl *hic num.* 10. Wiestner *num.*38. Reiffenstuel *num.* 58. Sequitur ex dictis *num. præced.* nam Lex, & consuetudo Imperii fundatur in præsumptione tituli justi: atqui lex, in præsumptione fundata, locum in foro conscientiæ non habet, quando non se habet ita res, prout præsumitur; quia in hoc foro præsumptio cedit veritati. ergo &c. *Conf.* si nullo ex præfatis, vel alio justo titulo existente, liceret in foro conscientiæ annuatim exigere 5. pro 100. mutuo datis, tunc liceret id vel vi consuetudinis, vel ob publicam authoritatem Supremi Principis ex suprema, qua pollet, potestate, & dominio alto, ob bonum publicum id concedentis, alia enim justa causa ab illicito excusans, allegari non potest; atqui ob nullam harum causarum licet; &c. *Prob. Min.* non enim licet *vi consuetudinis*; quia, ut *n.* 7. dictum est, Usuræ merè lucratoriæ sunt contra Jus Divinum, & Naturale, contra quod nulla consuetudo prævalere potest. *Non ob authoritatem Supremi Principis id concedentis*; quia, ut *n. præc.* ostensum est, in Imperio pactum de reddendis quinque annuis pro centum solùm approbatur ex præsumptione justi tituli, Leges verò Romanæ antiquiores, si Usuras approbarunt, per Jus Canonicum correctæ sunt; imò correctione non indigebant; quia cùm Princeps authoritate sua non possit licitum facere, quod per Jus Divinum, & Naturale illicitum est, tale Decretum, aut Lex in seipsa est irrita.

146 Quæritur 10. an ergo omnes illi, qui pro 100. mutuò datis exigunt 5. annuos, & allegare non possunt titulum aut lucri cessantis, aut damni emergentis, aut periculi sortis, Usurarii sint, & in statu peccati mortalis existant? Affirmare hoc ex eo videtur difficile; quia aliàs innumeri Germania, & Rom. Imperio etiam præclari, docti, & DEUM timentes viri, non tantùm Sæculares, sed etiam Ecclesiastici condemnari deberent Usurariæ iniquitatis, cùm constet, plurimos passim sine scrupulo exigere, & accipere 5. annuos pro 100. etiamsi nec periculum sortis adsit, quippe ista per sufficientem Hypothecam, Pignus, aut Fidejussionem assecurata, nec damnum emergens, aut lucrum cessans patiuntur, cùm dederint pecuniam, quæ futura apud ipsos fuisset merè otiosa.

147 *Respondeo*, etiam dato, quòd ita dantibus nullum damnum emergat, nec lucrum cesset, aut periculum sortis immineat, acceptionem, & exactionem quinque pro centum justificari posse, si dicatur, quòd hoc casu non celebretur Mutuum, sed vel contractus Societatis, quo unus dat pecuniam, alter imponit operam suam cum pacto, prout rata lucrum inter ipsos dividatur; vel contractus Emptionis Venditionis, quo ematur census annuus 5. pro 100. expositis tanquam pretio. *Dices* in Contractu Emptionis Venditionis unus habet pretium, & alter mercem; in nostro casu secus contingit; nam dans 100. post quam per 20. ex. gr. annos percepit annuatim 5. adeoque alios 100. soluto contractu recipit etiam sortem, quam exposuit tanquam pretium. *Sed facilè* Argumentum hoc solvi potest, si dicatur Contractui Emptionis Venditionis accedere pactum de retrovendendo, ita, ut Titius e. gr. dicat Cajo: *Ego tibi do* 100. *& pro his emo à te jus percipiendi annuatim partem fructuum aut realium, aut industrialium, quos singulis annis percipis ex fundis, vel industria tua, & hoc jus tamdiu mihi competet, quamdiu illud non redemeris à me, reddito eodem pretio, quod ego tibi pro jure hoc dedi.* Quod si fiat, Titius primò accipit jus percipiendi 5. tanquam merces & Cajus 100. tanquam pretium; soluto autem contractu Titius reddit mercem, & Cajus reddit pretium: sicque fit, ut non uterque, sed unus pretium semper habeat, alter verò mercedem.

Urgebis: Multi, præsertim indocti, & rudiores de alio Contractu ineundo non cogitant, quàm de mutuo: igitur hi saltem condemnari Usurariæ iniquitatis, & peccati mortalis debebunt, quando pro 100. accipiunt annuos quinque: quod tamen faciunt sine scrupulo. Resp. hos imprimis excusari per bonam fidem, & ignorantiam invincibilem: deinde cùm videant passim in Imperio peti 5. pro 100. & hanc acceptionem, & petitionem approbari ab Imperatoribus, & Summis etiam Pontificibus, præsumi debent habere intentionem generalem celebrandi Contractum, quem licitè possunt; non possunt autem licitè percipere velle 5. pro 100. præcisè vi mutui: ergo ex vi Contractus Societatis, aut Emptionis Venditionis, ut dictum est: & sic per intentionem generalem corrigunt errorem particularem, quo putant 5. istos se accipere ex vi mutui. Cæterùm si abfit ignorantia invincibilis, & 5. annui petantur præcisè ex vi mutui, excludendo omnem alium Contractum licitum, omnino concedendum foret, eos omnes, qui ita accipiunt 5. sive multi, sive pauci sint, Usurarios esse, & in statu peccati mortalis existere. 148

Quæritur 11. an 5. pro 100. exigi valeant, si ista mutuatario concedantur, retenta facultate sortem, sive 100. credita post semestre repetendi? *Certum est*, quòd Creditor cum debitore pacisci possit de pecunia credita restituenda intra certum tempus qualecunque, quod ipsi placuerit, adeoque non tantùm intra annum sed etiam post semestre, aut brevius tempus. Abb. *in cap. fin. de Precar. num.* 11. Mozz. *de Contract. col.* 7. *num.* 4. Molin. *tr.* 2. *de J. & Jur. D.* 299. *n.* 5. *&* 6. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *cap.* 16. *n.* 2. Wiestner *hic n.* 40. Ratio est, quia quilibet rerum suarum moderator, & arbiter est *l. in re mandata* 21. *C. Mandat.* ita, ut in earum traditione apponere conditiones valeat, quas vult, modò sint honestæ, & à Jure non reprobatæ *l. in traditionibus* 48. *ff. de Pact.* atqui conditio restituendi post certum tempus pecuniam mutuatam non est inhonesta, aut à Jure improbata ergo &c. 149

Dubium igitur solùm est, utrum si creditor pecuniam, ex tali pacto concessam, post semestre ex pacto constitutum repetat, ultra illam exigere possit quinque? *Ratio dubitandi* est: quia qui sibi reservat jus repetendi pecuniam creditam post semestre, eam concedere videtur, donec se offerat occasio ea utendi cum lucro. igitur eo tempore, pro quo eam dat mutuò, interesse solùm commentitium est; conf. ratio petendi aliquid ultra sortem expirat. 150

Sed distinguendum est: Vel enim post semestre cum sorte quinque illa intendit percipere integra, vel duo cùm dimidio. *Si primum*, in neutro foro excusabitur ab usura, nisi revera eidem ex 100. creditis intra semestre cessaret lucrum quinorum, quia exigeret plus, quàm consuetudo indulget. *Si secundum*, ob præsumptionem supra adductam excusabitur in foro externo, imò etiam in interno, posito, quòd tantum lucri interea eidem cesset; quia in foro interno attenditur ad rei veritatem. 151

Addidi etiam in priori distinctionis membro, *Nisi revera lucrum eidem cesset*; quia per *Recessum Spirensem n.* 10. allegatum non prohibetur mutuans plus petere eo casu, ut patet *ex §.* 152. ibi, *dadem* Creditori *solchsenss Vuldem nit annemblich, sonder er vermeinen wolte*, tam ex lucro cessante, quam damno emergente, *ein mehrers zufordern, dass ihme alsdann sein gans* Interesse *zu deduciren, geberlich zuliquidiren &c. unbenommen seyn solle &c.* Struv. *Exercit.* 27. *thes.* 49. *fin.* Magn. D. Dominic. de Bassis *Semicent. qq. forens. contr.* 36. *n.* 13. Wiestner *hic n.* 41. 152

Quæritur 12. an si in Provincia aliqua vigeat inter mercatores vel alios consuetudo, vel Statuto inductum sit, ut ratione lucri cessantis petantur 6. pro 100. ut in Austria, & Saxonia, hoc observari possit? Resp. posse observari: sed ad alios, quàm inter quos inductum est, & in alias Provincias, quàm pro quibus inductum est, extendi non debet; quia hujusmodi Statuta, & Consuetudines contrariæ sunt Juri publico, conf. ut 153

odiosæ

odiosæ sunt restringendæ potiùs, quàm extendendæ *Reg. odia* 15. *in* 6. Magnif. D. de Bassis *l. cit. num.* 10. Vviestner *num.* 42.

§. IV.

De Emptione Census.

SUMMARIUM.

154 *Diversa Census acceptio, & definitio.*
155 *Modi, quibus ille constitui potest.*
156 *Alius est Reservativus, alius Consignativus.*
157 *Discrimen Reservativi ab Emphyteusi.*
158 *Emptitius alius est Realis.*
159 *Alius Personalis.*
160 *Discrimen inter istos.*
161 *Quid sit Census mixtus?*
162 &c. *Aliæ Census divisiones.*
165 &c. *An permitti, & ab Usura absolvi possit Census Emptitius realis?*
173 &c. *Et qualis?*
180 &c. *An licita sit etiam Emptio Census personalis, inspectu Jure naturæ?*
188 &c. *Quid de hoc statutum Jure Ecclesiastico?*
191 &c. *An licita sit Emptio Census Vitalitii, vel ad certum tempus?*
195 &c. *Quænam alia pacta adjici possint Constitutioni Census Emptitii?*
200 &c. *Conditiones Jure naturali requisitæ ad licitam Constitutionem Census emptitii.*
205 &c. *Conditiones requisitæ per Jus Ecclesiasticum.*
209 &c. *Notanda circa has conditiones.*
212 &c. *Super qua re possit constitui Census?*

154 QUæritur 1. quid sit *Census*, & quot modis constitui possit? Resp. Nomen *Census* dupliciter potest accipi; *primò*, & minùs propriè pro ipsa Pensione pecuniaria, vel fructuaria, singulis annis solvenda; *secundò*, & magis propriè pro Jure ejusmodi Pensionem annuam ex re, vel persona alterius percipiendi. Navar. *Comment. de usur. n.* 69. Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de Cens. c.* 4. *quæst.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 22. *num.* 2. Rebell. *p.* 2. *de oblig. Just. l.* 19. *qu.* 1. Salas *tr.* 3. *de Cens. dub.* 1. *num.* 2. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 18. *n.* 1. Palao *tr.* 30. *D.* 6. *p.* 1. *nu.* 1. & 2. Pirh. *hic n.* 65. Vviestner *n.* 60. Reiffenstuel *num.* 126. Porro, qui jus percipiendi ejusmodi Pensionem habet, *Censualista*, sive *Creditor*; qui verò obligationem solvendi illam, *Censuarius*, sive *Debitor* vocari solet, ut cum *citt.* monent Tann. *tom.* 3. *de Just. D.* 4 *n.* 112. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tr.* 10. *n.* 287.

155 Potest autem hujusmodi Census, & solet variis modis constitui, ex quibus usitatissimi sunt quinque, videlicet Legato, Donatione, Transactione, Condemnatione, & Emptione: ac proinde quinque sunt species Census, Legatarius, Donatarius, Transactitius, Pœnalis, & Emptitius: De quatuor prioribus latè Palao *l. cit. p.* 2. *& quatuor seqq.* Quintus modus, quia Usuræ speciem refert, hujus est loci. Emptio Venditio, qua constituitur, *Contractus Censualis* vocatur, & definiri potest, quòd sit conventio, qua jus percipiendi redditus annuos, ex re, vel industria personæ provenientes, emitur, & venditur. Engl *hic nu.* 22. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *num.* 58.

156 Quæritur 2. quotuplex sit Census in genere? Respond. alius est Reservativus, alius Consignativus. *Reservativo* dominium rei plenum scilicet tam directum, quàm utile, transfertur in Censuarium, reservata solùm pensione, ex fructibus ex illa provenientibus, vel pecuniaria quantitate annuatim solvenda *l. fin. C. de rer. permut.* Illsung. *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 445. Pirhing *hic n.* 66. Reiffenstuel *ibid. nu.* 129. *Consignativo* dominus rei tam directum, quàm utile dominium retinet, & alteri consignat, seu concedit jus exigendi, & percipiendi ex ea annuam pensionem fructuariam, vel pecuniariam. Illsung, Pirhing *l. citt.* Reiffenstuel *n.* 130.

157 *Reservativi* hodie rarus est usus, frequentior verò Emphyteuticos, cui licèt ille affinis sit, differt tamen ab illa, quòd per Emphyteusin transferatur dominium solùm utile, per Censum Reservativum autem etiam directum: & hinc etsi Emphyteuta, Canonem per biennium vel triennium non solvens, dominium utile amittat *c. fin. de Locat. & l. Emphyteuticariis* 2. *C. de Jur. Emphyt.* Censuarius tamen, Pensionem non solvens, dominium utrumque retinet, sed Pensiones solùm extantes solvere tenetur *arg. c. constitutus* 6. *vers. cùm autem de Relig. Domib.* Less. *l.* 2. *de Just. c.* 22. *n.* 5. Haun. *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 288. Pirh. *hic n.* 66. Vviestner *n.* 61. Reiffenstuel. *n.* 128.

Quæritur 3. quotuplex sit Census Emptitius? Frequentissimè Census Consignativus acquiritur Emptione: & hinc *Emptitius* appellatur. Dividitur autem 1. in Realem, & Personalem. *Realis* est, qui constituitur in certa aliqua re fructifera v. g. agro, vinea, domo, ex quibus debetur, quemcumque habeat possessorem, quòd ad hunc cum re transeat obligatio solvendi pensionem instar Servitutis, donec fuerit redempta, velut si Titius à Sempronio emat redditus, & proventus, quos ipse quotannis ex horto suo percipere solet, & potest. Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de Censib. c.* 3. *divis.* 1. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 22. *n.* 6. Laym. *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 18. *nu.* 1. & 2. Palao *tr.* 20. *D.* 6. *p.* 7. *n.* 5. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 445. Pirh. *hic nu.* 66. *vers. Census Consignativus.* Engl *n.* 22. Reiffenst. *n.* 131. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 59. 158

Personalis autem, qui constituitur in certa aliqua persona, obligata ad solvendam annuam pensionem, ex industria, arte, opificio, aut aliunde, non designatis una, vel pluribus rebus certis, ex quibus ea sit præstanda, licèt aliquando ad debiti solutionem obtinendam in re aliqua certa Creditori Hypotheca constituatur. Less. *n.* 7. Laym. *n.* 2. Haun. *n.* 292. Vviestner *n.* 62. Magnif. P. Schmier *n.* 60. cum reliquis *supra*. 159

Discrimen inter Censum Realem, & Personalem hoc statuitur, quòd ille pereunte re, in qua constitutus est, pereat: iste maneat, etiam pereunte re, quæ in securitatem Hypothecata, & Creditori obligata est; quia principaliter in hoc censu obligatur persona. Pirhing *l. cit.* Utilitas Hypothecæ, Censui personali adjectæ, hæc est, quòd si persona ad Censum solvendum impotens fiat, exigi pensio ex re Hypothecata, etiam alienata, possit; idcirco enim obligatur in Hypothecam, ut securitatem habeat Creditor. Vviestner *l. cit.* 160

Addunt aliqui tertiam Speciem, scilicet *Censum mixtum*, qui videlicet constituitur super re, & super persona immediatè: cujus is est effectus, ut etiamsi res pereat, persona tamen maneat obligata: quod secus est in Censu merè reali, ubi, ut *n. præc.* dictum est, re ex parte, vel in totum pereunte, perit simpliciter Census ex parte, vel ex toto. Reiffenstuel *n.* 132. 161

Dividitur 2. Census in Pecuniarium, & Fructuarium. *Census Pecuniarius* est, qui in pecunia; *Fructuarius*, qui in fructibus solvendus est: quod duplici modo fieri potest; nempe in quantitate certa, & stabili, ut quando singulis annis solvendi sunt quinque floreni, vel duæ scaphæ frumenti; vel in quantitate incerta pro quantitate fructuum, ut quando solvenda est quarta pars fructuum colligendorum. Priori modo constitutus Census dicitur *Certus, & Determinatus*; posteriori *Incertus, & Indeterminatus*, quia quantitas ejus pendet ex indeterminato eventu; cùm enim incertum sit, quot colligendi sint fructus, incertum etiam erit, quot fructus quarta illa pars continebit. Palao *p.* 7. *cit. n.* 6. Illsung. *nu.* 445. Pirhing *n.* 66. *divis.* 3. Vviestner *n.* 62. 162

Dividitur 3. in Perpetuum, & Temporalem. *Perpetuus* nullum terminum habet, sed ex se in perpetuum durat: & propterea nec morte venditoris, nec morte emptoris, vel alterius cujuscunque finitur, sed obligatio pensionem designatam solvendi ad hæredes Venditoris, sive Debitoris, & jus illam exigendi ad hæredes Emptoris, sive Creditoris transit. *Temporalis* verò absolvitur tempore, eoque vel certo, & determinato, ut si ad 10. vel 20. annos constitutus sit, vel incerto, & indeterminato, ut quando constitutus est ad vitam unius, vel alterius: & siquidem constituatur ad Vitam Censualistæ *Vitalitius* appellatur. Palao *n.* 7. Illsung. *n.* 445. Pirhing *n.* 66. *divis.* 2. Vviestner *nu.* 63. Reiffenstuel *n.* 135. 163

Dividitur 4. in Redimibilem, & Irredimibilem. *Redimibilis est*, qui redimi potest: quod potest fieri tripliciter, *ex parte Debitoris*, si liceat, restituto pretio, se obligatione Census solvendi liberare; *ex parte solius Creditoris*, si iste possit, Censu resignato, repetere pretium; *& ex parte utriusque*, si tam Debitor, restituto pretio, 164

à Censu liberari, quàm Creditor, resignato Censu, pretium possit repetere. Potestque huic potestati redimendi Censum adjici pactum, ut vel redimi possit quocunque tempore in perpetuum, vel solùm intra certum tempus, ita, ut hoc lapso non ampliùs extingui queat. Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de Censib. c.* 3. *divis.* 4. Palao *n.* 8. Pirh. *l. cit. divis.* 4. Engl. *n.* 22. *vers. uterque*. Vviestn. *num.* 65. Reiffenst. *n.* 135. Magnif. P. Schmier *n.* 61. *&* 62. *Irredimibilis* verò est, qui neque debitore pretium restituente, neque creditore id sibi restitui petente, invito altero, tolli potest, licèt utroque volente redimi semper possit. Pirh. Vviestner, Schmier *l. citt.*

165 Quæritur 4. an permitti, & ab Usura absolvi, possit Census Emptitius realis? Dixi *Emptitius* scilicet Consignativus, per Emptionem constitutus; nam *certum est,* licitum esse Censum reservativum: ut probat exemplum Josephi Pro-regis Ægypti, & communiter affirmant DD. testes Reiffenstuel *hic n.* 136. *Certum est* 2. posse sine periculo Usuræ, aut alterius labis constitui etiam Censum consignativum per Legatum, Donationem, Transactionem, Condemnationem.

166 *Difficultas* solùm est de Censu Emptitio, & in hac quidem Quæstione de Reali; nam Emptiones Censuum, sive Censualium redditnum omni tempore nonnihil visas esse suspectas, & ad instar clypei pro subterfugiendis Usuris adinventas, rectè cum aliis notat Fagnan. *in c. in civitate* 6. *h. tit. n.* 19. Et quidem hujusmodi Emptionem iniquam, & Usurariam esse contendunt Henriq. *quodl.* 1. *q.* 39. *&* *quodl.* 8. *qu.* 24. Salicet. *in Auth. ea lege C. de usur. fin.* Hotoman. *l.* 2. *obs. cap.* 15. & citantur pro hac sententia Joan. Andr. Innoc. Ant. Butrio, & Alex. de Nevo, tametsi non apertè illam docuerint.

167 *Fundantur* autem hujus Sententiæ Patroni 1. quia Usura secundùm omnes DD. est pecuniam præsentem dare pro majore illius quantitate reddenda in futurum. hoc autem facit emptor Census realis, nam si redimibilis sit, pro 100. nunc datis post annum recipit 105. si irredimibilis, post 20. annos, intra quos successivè recepit totam Summam creditam, pergit pro 100. annuatim percipere 5. 2. non tantùm mutuum verum, sed etiam fictum, sive interpretativum Usuram inducit *c. ad nostram* 5. *de Empt. c. illo* 4. *de Pignor. c. in civitate* 6. *h. tit.* atqui hujusmodi mutuum intervenit in contractu Censuali, nam sicut in Contractu mutui tenetur debitor restituere pecuniam ejusdem generis, & quantitatis, ita etiam hoc contractu, si venditor velit Censum à se constitutum redimere. 3. proprius, & primarius pecuniæ usus est, ut per eam res cæteræ æstimentur, non verò, ut ea sit sui ipsius æstimatio, prout contingere videtur in Emptione Census, saltem quo emitur pensio pecuniaria 4. ex contractu Censuali multa mala oriuntur; nam multi, ne incurrant pœnas Usurarum ex mutuo, confugiunt ad hunc Contractum, indeque certius lucrum interdum quæritur, quàm si ad Usuras pecuniam suam dedissent; atqui quod una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti *Reg.* 84. *in* 6. 5. in contractu Emptionis Venditionis debet esse æqualitas inter mercem, & pretium: atqui ista non datur in Censu, præsertim redimibili ex utraque parte, vel perpetuo; quia in priori singulis annis solvuntur 5. pro 100. usquedum, reddito pretio, Census redimatur: in posteriore solutio pensionum continuatur, adeò, ut successu temporis Pensiones duplo, triplo, & ultra pretium datum excedant.

168 Sed dicendum, novum Censum tam pecuniarium, quàm fructuarium constitui, emique absque Usuraria, & omni alia iniquitate posse. Ita *Abb. in c.* 6. *h. tit. n.* 6. Sylv. *V. Usura* 2. *q.* 12. *dict.* 2. Navar. *Comment. de Usur. notab.* 12. *n.* 69. Covar. *l.* 3. *var. c.* 7. *n.* 2. Felician. de Solis *l.* 1. *de Censib. c.* 7. Azor. *p.* 3. *l.* 10. *de Censib. c.* 4. *q.* 3. Molin. *tr.* 2. *de J. & Jur. D.* 385. *n.* 8. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 22. *n.* 13. Salas *de Censib. dub.* 2. *n.* 3. Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 18. *n.* 3. Palao *tr.* 30. *D.* 6. *p.* 10. *nu.* 2. Illsung *tr.* 4. *D.* 2. *n.* 446. Pirhing. *hic nu.* 67. *&* 68. Vviestn. *nu.* 66. *vers. his tamen*. Reiffenstuel *n.* 137. cum TT. & JCtis modernis plerisque: & sumitur ex *Const. Extr.* 1. *&* 2. *int. comm. de Empt. & Vendit.* ubi disertè approbatur Census Realis, si in ejus emptione observetur pretium consuetudine, vel Statuto taxatum, quod in Germania nostra sunt 100. pro 5.

169 Et quidem quòd licitus sit *Census realis fructuarius*, probatur ex eo, quia potest quis emere totum predium, & jus percipiendi omnes fructus; item potest quis emere Usumfructum, remanente dominio directo penes Venditorem: ergo potest etiam quis emere jus percipiendi partem fructuum ex prædio alieno; hoc autem fit in reali Contractu Censuali fructuario, in quo intervenit vera Emptio Venditio; nam res, quæ venit, & emitur, est jus percipiendi fructus, vel partem fructuum, quod Venditor Census tribuit, & obligatio præstandi annuum Censum, sive Pensionem fructuariam ex prædio suo, quam in se suscipit, pretium verò est certa pecuniæ quantitas, quæ pro eo Jure, & obligatione suscepta datur.

Quod verò etiam permissus sit *Census realis pecuniarius*, sequitur ex modò dictis; quia quando Pensio pecuniaria, & fructuaria, æquales in valore sunt, cùm pecunia recipiat æstimationem reum omnium, is, qui pensionem pecuniariam emit, idem fecisse censetur, ac si emisset fructuariam ejusdem valoris; licitus autem est Census realis fructuarius: ergo & pecuniarius. Deinde qui emit Censum fructuarium, potest postea hunc permutare cum pecuniario, ita, ut deinceps debitor loco fructuum teneatur annuatim solvere certam pecuniæ summam, quæ æquivalear valori, seu æstimationi fructuum: ergo idem potest fieri ab initio per unicum contractum, qui duobus æquivaleat. 170

Conf. 1. de Censu reali in genere; nam Usura non committitur, præterquam in mutuo: atqui in Censu nullum intervenit mutuum, sed verus Contractus Emptionis Venditionis; quia Censuarius sub certa pecunia vendit ipsi Censualistæ jus percipiendi partem fructuum ex prædio, vel industria sua: ergo, &c. 2. quia potest quis in bonis suis, vel industria personæ suæ constituere alteri jus percipiendæ pensionis titulo donationis: ergo etiam titulo emptionis; quia quod emitur, non minoris valet, quàm id, quod donatur. 3. licitè emitur partus, & fructus futurus *l. nec emptio* 8. *p.* 2. *ff. de contr. empt.* item Ususfructus, sive jus percipiendi fructus prædii alieni *l. necessario* 8. *pr. ff. de peric. rei vendit.* & cæteræ Servitutes v. g. itineris, aquæductus &c. *§. fin. Instit. de Servit.* ergo etiam Census realis, qui est quædam quasi Servitus, & pars aliqua Usufructus. 171

Neque contrarium probant Argumenta *n.* 167. allata. *Ad* 1. vi Contractus Censualis non emitur ipsa pecunia, sive præsens, sive futura, tanquam merx, sed jus præsens percipiendi suo tempore pecuniam, quod jus non minùs, ac alia jura incorporalia, emi, & vendi potest. Nec contra naturam Emptionis est, quòd jus hujusmodi non statim, sed primùm in futurum currat, cùm etiam jus percipiendi futuros fructus agri, vineæ &c. emi valeat *l. nec emptio cit. Ad* 2. imprimis retorquetur argumentum in Emptione Venditione cum pacto de retrovendendo, ubi emptor justè recipit fructus, donec refundatur pretium. Deinde lata disparitas est intra Mutuum, & Contractum Censualem; nam in Mutuo principalis obligatio est ad reddendam sortem: in Contractu Censuali autem obligatio principalis est ad solvendam pensionem annuam, & pretium retineri potest, quamdiu solvitur pensio. Quòd verò soluto Contractu, & jure ad pensionem annuum restituto, etiam reddi debeat pretium, pro hoc jure expensum, mirum esse non debet; quia tanti hoc jus valet, quando venditori retrovenditur, quanti valebat, quando ab hoc primò fuit emptori venditum. *Ad* 3. pecunia in hoc casu non est æstimatio sui ipsius, sed juris ad pensionem pecuniariam, aut fructuariam, quod emitur, & venditur. *Ad* 4. Regula allegata locum duntaxat habet, quando quid principaliter prohibetur per Legem; secus est, si tantum prohibetur quoad certum modum: Sic etsi hæreditas relinqui alteri per pactum nequeat, relinqui tamen per Testamentum potest *l. hæreditas* 5. *C. de Pact. convent.* & *l. licèt* 19. *C. de Pact.* igitur licèt prohibitum sit capere lucrum ultra sortem ex Mutuo, non tamen prohibitum erit ex Contractu Emptionis Venditionis, cujusmodi revera est Contractus Censualis. *Ad* 5. argumentum probat, illicitè emi agrum, vel domum certo pretio; quia fructus ex agro, & pensiones ex domo locata percipiendi intra paucos annos pretium agri, vel domus superaturi sunt: si ergo hoc non obstante, dominium totius agri, vel domus licèt emere minore pretio, quam sint fructus, & pensiones ex illo, vel illa percipiendæ, multo magis licebit minore pretio emere Cen-

censum in tali agro, vel domo, cùm census iste sit solùm pars illius juris, quod in dominio retinetur, & minus sit habere censum etiam perpetuum, & irredimibilem in re, quàm ejus dominium. Cæterùm inequalitas inter mercem, & pretium in hoc contractu satis evitatur, vel compensatur tum ob periculum amittendi, & pretium, & censum casu, quo res censui subjecta perit; tum ob molestias, & expensas, quas censualista sæpenumero pati debet pro perceptione census; tum propter advenientem aliam impossibilitatem denuo recipiendi pretium, quo forsan emptor indigeret ab facienda lucra, & vitanda damna.

73 Quæritur 5. quisnam census realis constitui, & emi licitè possit? Resp. hic distinguendum esse inter Jus naturale, & jus positivum humanum. nam jure naturali præcisè spectato, licitè emi, vendique potest census tam irredimibilis, quàm redimibilis, & hic, sive sit redimibilis ad arbitrium solius Venditoris, sive ex parte utriusque tam venditoris, quàm emptoris, dummodo census eo pretio ematur, quod consuetudo loci vel Magistratus justum decrevit, prout consuetudine Germaniæ receptum est, ut 5. fl. annui redditus emantur pro 100. Ita Gabr. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 12. *art.* 2. *concl.* 4. Medin. *q.* 15. *de reb. per usur. acquis.* §. *quæ de pacto.* Less. *l.* 2. *de J. c.* 22. *n.* 55. *& seqq.* Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 18. *n.* 5. Engl *hic n.* 22. Pirhing *n.* 71. Reiffenstuel *n.* 140.

74 Et quidem de *Censu reali redimibili ex parte Venditoris* ratio est; quia hic nulli suspicioni, vel præsumptioni Usuræ obnoxius est, cùm etiam aliæ venditiones cum pacto redimendi ad arbitrium venditoris permissæ sint *l. si fundum* 2. *C. de Pact. int. Empt. & Vendit.* Imò hic modus constituendi pensionem approbatur etiam per jus positivum humanum; nam tales sunt census, quos permittunt Pontifices, ut infrà *n.* 178. dicetur.

75 De *Censu redimibili ex parte Emptoris* ostenditur; nam si illicitus esset ejusmodi census, ideo esset, quia in eo includeretur mutuum. atqui in hoc contractu non includitur mutuum, ne quidem palliatum; nam in mutuo periculum rei mutuatæ in mutuatarium transit, contrà in censu, periculum census ad Emptorem spectat: item in contractu censuali lucrum proficiscitur ex re frugifera; in mutuo autem, si Usuram contineat, lucrum quæritur ex re sterili. *Conf.* quia in venditione aliarum rerum potest adjici pactum redimendi ex parte solius emptoris; & nominatim Ususfructus in re aliena immobili constitui potest ea conditione, ut non tantùm liceat venditori, restituto pretio, jus fruendi annuum redimere, sed etiam fas sit emptori, cesso fruendi jure, agere ad restitutionem pretii. ergo hoc modo etiam constitui potest census.

76 *De Censu utrinque redimibili* patet 1. quia contractus ex conventione legem accipiunt *Reg. contractus* 23. *ff.* & *Reg.* 85. *in* 6. 2. quia pactum redimendi ex parte utriusque apponi potest aliis emptionibus, ut dictum est *Libr.* 3. *Tit.* 17. *à n.* 57. 3. quia onus pretium remisso censu reddendi compensati ad æqualitatem potest solvendo pretium majus pro censu. Et hoc omnino fieri debet hoc casu, sicut contrà illud minui debet, quando census est redimibilis solùm ex parte venditoris; quia in priori casu majus, & speciale onus imponitur venditori, quod cum pretio æstimabile sit, meritò in pactum sortis, seu pretii computatur. Hinc fieri potest, ut quando celebratur contractus censualis cum pacto redimendi ad arbitrium solius Venditoris, unius annui floreni redditus emantur tantum pro 17. & sex annui pro 100. cum tamen casu, quo celebratus est cum pacto reciproco redimendi ad arbitrium utriusque, ex recepta Germaniæ consuetudine, unius floreni annui redditus ematur pro 20. & quinque annui pro 100. Laym. *c.* 18. *cit. n.* 6. Pirhing *n.* 72.

77 *De Censu irredimibili* duplex ratio est, quæ ostendit illum esse licitum, & Usuraria iniquitate carere. 1. quia ita vendi potest Ususfructus. ergo etiam census, qui est pars quædam Ususfructus; nam quod juris est in toto quoad totum, hoc etiam est de parte quoad partem *l. quæ de tota* 76. *ff. de R. V.* 2. quia onus Venditori impositum, ut census nequeat redimi, aucto pretio compensari potest, ut rectè observant Card. de Lug. *de J. & J. D.* 27. *sect.* 7. *n.* 111. *fin.* Pirhing *n.* 69. Vviestner *n.* 69. Reiffenstuel *n.* 141

78 Porro hactenus dicta de licentia census realis, ut *n.* 173. monui, procedunt saltem, spectato Jure naturali; nam de Jure positivo humano distinguendum est. Et quidem Emptio census redimibilis ex parte Venditoris hoc jure permittitur, ut patet ex *Extrav.* 1. *&* 2. *int. com. de Empt. & Vendit.* nec non ex *Constit. S. Pii V.* incipit *Cùm onus de censib. edit.* 14. *Calend. Febr.* 1568. ubi census ejusmodi constitutio, & emptio apertè approbatur. Contrà Emptio census irredimibilis, & redimibilis ex parte utriusque rejicitur, ut patet ex *Const. citt.* & *Const. Caroli V. Imp. edita in Comitiis Augustanis* 1548. *&* 1550. non quidem ex ea ratione, quòd ex natura rei contineant Usuram, ut nonnulli crediderunt, sed propter periculum Usurariæ intentionis, quæ propter defectum æqualitatis, ac pretii diminutionem in foro externo facilè præsumitur. Layman *l.* 3. *tract.* 4. *cap.* 18. *num.* 6. Vvading *D.* 6. *de Contract. dub.* 8. §. 3. *num.* 1. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 92. *num.* 64. Engl *hic n.* 22. *vers. verum quidem*, Pirhing *num.* 72. *not.* 3. Vviestner *num* 69 Reiffenstuel *num.* 142. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 2. *n.* 68.

Quia verò uterque census, scilicet tam irredimibilis, quam redimibilis ex utraque parte non adversatur Juri Divino, & naturali, sed soli humano, contra Jus humanum autem valida, & licita sit consuetudo *C. fin. de consuet.* hinc uterque contractus licitè, & validè celebrari poterit in eo loco, ubi præfatæ constitutiones vel non sunt usu receptæ, vel per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam quoad hoc abrogatæ, ut cum aliis notat Reiffenstuel *n.* 143. modò ut dictum est *n.* 176. *&* 177. augeatur hoc casu pretium, & sic inæqualitas illa, quæ impositione oneris non redimendi in censu irredimibili, & pretium acceptum reddendi in redimibili ex parte utriusque Venditori imponitur, ad æqualitatem reducatur. Reiffenst. *n.* 144. Schmier *n.* 69. 179

Quæritur 6. an licita, & honesta sit etiam Emptio census personalis, inspecto naturæ jure? *Certum est*, quòd census personalis non possit constitui in persona libera, ita, ut, si non sit solvendo, creditor possit debitorem vendere, vel servituti subiicere, sicut prædium potest vendi, & vindicari; quia liber homo non potest pignori dari *c. lator.* 2. *de pignor.* jus autem census est majus jure Pignoris: item non potest homo liber in servitutem redigi ob debita. Pirhing *hic n.* 74. 180

Dubium hic tantùm est de eo censu personali, vi cujus Creditor, sive emptor census solum acquirit jus percipiendi annuam Pensionem (cui interdum ad securitatem accedit jus Hypothecæ in omnibus bonis debitoris) in Debitore verò, seu Venditore, tantùm oritur obligatio personalis illam pensionem solvendi (& in bonis obligatio Hypothecaria) sicut Emptor rei alicujus contrahit obligationem personalem solvendi pretium, de quo in contractu conventum est. Et quidem ejusmodi censum constitui posse ob periculum sortis, damnum emergens, & lucrum cessans, satis patet ex dictis *à numer.* 108. modò serventur conditiones ibi descriptæ. 181

An verò Usuraria labe immunis sit emptio census secundum se, & quando nullum timetur damnum emergens, lucrum cessans, vel sortis periculum, controversia est inter DD. Tanquam injustam, & usurariam illam improbant. Navar. *comment. de usur. num.* 8. Gutier. *l.* 2. *pract. q.* 177. *n.* 7. Valasc. *de Jur. Emphyt. q.* 32. *à n.* 10. Fachin. *l.* 2. *contr. capit.* 44. & alii magni nominis DD. 182

Fundantur triplici Argumento. 1. Quia hoc modo facilè palliari Usuræ possent; nam his intenti, cùm videant, se ex vi mutui accipere ultra sortem non posse aliquid, finem hunc obtinerent emptione census personalis: & sic præcluderetur via mutuationi, Usuris aperiretur. 2. Quia talis contractus reipsa non differt à contractu mutui Usurario; nam Usurarius, & mutui contractus est, quando aurum ex auro nascitur *can. sicut* 8. §. *interd. dist.* 47. hoc autem fit in Emptione census personalis, cùm emendo jus exigendi pensiones, emisse quis censeatur ipsas pensiones. 3. Aliàs qui nunc dat 100. per ista 100. posset emere 200. postea per partes, & successivè tradenda. 183

Sed meliùs contractus iste, spectando solum Jus naturale, neque Usurarius, neque injustus est. Ita Abb. *in cap.* 6. *h. tit. n.* 7. Felic. de Solis *l.* 1. *de Censib. cap.* 8. *à n.* 4. Sot. *l.* 6. *de just. q.* 6. *artic.* 1. *concl.* 4. Covar. *l.* 3. *var.* 184

var. cap. 7. *num.* 5. *vers. ego sane*, Azor *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 5, *quæst.* 1. Decian. *consil.* 3. *num.* 70. *vol.* 1. Gail. *l.* 2. *obs.* 7. *n.* 13. Less. *l.* 2. *de Just. q.* 22. *n.* 18. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 18. *n.* 7. Palao *tr.* 30. *D.* 6. *p.* 11. *n.* 2. Illsung. *tract.* 4. *D.* 2. *n.* 446. Engl *hic n.* 22. *Resp.* 2. Vviestner *n.* 72. Reiffenstuel *n.* 72. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *cap.* 2. *de delict. num.* 70. *&c.* & inclinat Pirhing *hic num.* 75. qui licèt putet contrariam sententiam speculativè probabiliorem esse, tamen cùm in multis Provinciis, ut in Germania, Belgio, & Gallia, observetur contrarium, addit sententiam istam non facilè debere damnari, cum tot viri docti, & religiosi faciant.

185 Sumitur ex dictis de censu reali: & *Confirmatur ulterius* 1. quia Emptor sensus personalis minùs securùs est de recipiendis pensionibus annuis, quàm emptor census realis. Igitur si jure naturæ illicita non est emptio census realis, etiam illicita non erit emptio census personalis, 2. Obligatio solvendi singulis annis determinatam pensionem imponi personæ potest Lege, vel Statuto: sic enim Decimæ personales sunt introductæ. Sed quod Lege statuitur, potest etiam statui conventione partium, 3. Persona gratis obligare se potest ad solvendam partem lucri, ex personæ suæ industria percipiendi; ergo etiam obligare se ad istud potest, accepto pretio.

186 *Proceditque hoc*, etiamsi temporis successu pensiones perceptæ excedant pretium; neque enim (ut contendebat *Molina*) pretium acceptum cumulo pensionum debet æquale esse, ut bene notat Palao *loc. cit. num.* 2. quia pensiones, per longa tempora distributæ, ob incommoda, & difficultates, quæ frequenter in earum recuperatione intervenire solent, minoris æstimantur, quam si præsentes essent, ut adeò, quamvìs minùs sit prætium, quàm omnis pensionum cumulus, adhuc illud istis possit æquale esse. Et esto, fingatur, in aliquo casu nullum incommodum, vel difficultatem futuram, non obinde infertur, minoris emi non posse; quia ad honestatem emptionis satis est, quòd frequenter eæ difficultates, & incommoda intercedant, quibus inspectis, Leges statuerunt justum pretium illarum pensionum esse minorem summam numeratam.

187 Neque contrarium probatur ex Argumentis *n.* 183 allatis. Ad 1. nego usuris aperiri viam, aut mutuationi præcludi; nam cùm census non possit constitui, nisi ad longum tempus, nemo cordatus pecuniam suam in censum concederet pauperi, non habenti bona Hypothecanda pro pensionibus, & ipsa sorte; sed potiùs vellet minorem quantitatem pro breviori tempore mutuare. Periculum verò palliandi usuras hic nullum est, cùm usuræ non fiant, nisi in mutuo, *Ad* 2. magna disparitas est inter Emptionem census, & mutuum cum pacto solvendi aliquid ultra sortem; nam 1. in mutuo lucrum præcisè petitur ex pecunia, re per se sterili; in emptione census petitur ex re fructifera, seu industria venditoris, 2. In mutuo pecunia datur pro jure exigendi successivè pensiones annuas, quod ab ipsis pensionibus, quoad singulos annos successivè spectatis, distinguatur, 3. Si persona, ad pensionem obligata, intereat, aut nequeat ampliùs ex industria propria lucrum sibi comparare, jus exigendi pensionem annuam prorsus extinguitur; contrà jus mutuum repetendi manet, etiamsi res mutuata consumpta sit, 4. Si res censualis propter sterilitatem, vel aliam causam tantos fructus non proferat, ut integræ pensioni sufficiant, non tenetur debitor, seu venditor census solvere totum censum, nisi antecedentium, vel subsequentium annorum fertilitas talem sterilitatem compenset; cujus ratio est, quòd hic contractus Emptionis sit, & emptione perfecta, periculum, in re empta contingens, ad emptorem pertineat *tot. titul. ff. de peric. & commod. rei vendit.* at quocunque modo, & causa res mutuata nullum attulerit fructum mutuatario, restitui nihilominus mutuum mutuanti debet, 5. Denique in Censu ex parte emptoris non redimibili non potest pretium, venditori numeratum, ipso dissentiente, ab emptore repeti, sicut tamen repetere summam principalem potest Creditor ex mutuo, licèt dissentiat mutuatarius. *Ad* 3. iterum negatur paritas; nam, ut sæpius dictum, in Emptione Census jus percipiendi pensiones, non ipse pensiones emuntur. *Dices:* qui se obligat ad aliquid dandum pro pretio, quod nunc accipit, non potest vendere jus ad rem illam, quin simul vendat ipsam rem dandam; alioquin quoties venditur triticum, postea tradendum, pro pretio, non venderetur triticum, sed jus ad illud. Resp. Nego iterum paritatem; nam quando triticum venditur, venditur res certa, & determinata; quando verò pensiones annuæ, cùm acquisito illarum ex dubiis eventibus, iisque valde frequentibus pendeat, ipsæ pensiones emi nequaquam censentur, cùm pretium emptionis venditionis debeat esse certum.

Quæritur 7 an Emptio census personalis sit licita etiam de Jure Ecclesiastico? *Certum est* esse illicitam. *Dubium* solum est, ex quibus Juris Ecclesiastici textibus probentur esse illicitæ. Allegant nonnulli *Extrav.* 1. *&* 2. *int. comm. de Empt. & Vendit.* Ubi approbantur soli census, qui constituuntur in re immobili frugifera pro pretio, approbato loci consuetudine, cum libera facultate eum censum, restituto pretio, redimendi, & ea conditione, ut re pereunte, extinguatur census, etiam pretio non restituto. 188

Sed dicendum, ex his textibus nihil probari, cùm aliud sit approbari census reales, & aliud improbari personales. Primum per *Constit. cit.* factum, non secundum. Imò Nicolaus V. & Gregorius XIII. *in suis Const. de censib.* expresseè affirmant, personam in censu obligari posse, & obligationem personæ esse præcipuam, tametsi bona aliqua in securitatem solutionis assumantur Hypothecæ, aut Pignoris jure. 189

Quare meliùs Navar. *Comment. de usur. n.* 78. Sot. *l.* 6. *de just. q.* 5. *art.* 1. Covar. *l.* 3. *var. cap.* 7. *num.* 6. Molin. *l.* 2. *de just. D.* 389. *n.* 4. *&* 5. Palao *tract.* 30. *D.* 6. *part.* 11. *n.* 3. Pirhing *hic n.* 82. Vviestner *n.* 74. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 2. *n.* 79. & alii plerique prohibitionem census personalis desumunt ex *Constit. S. Pii V.* incipit *Cùm onus* 14. *Calend. Febr.* 1568. & conditionibus in hac requisitis ad honestatem census emptitii; nam inter cæteras conditiones, ut videbimus *n.* 207. *& seqq.* Sanctus hic Pontifex requirit, ut census constituatur in re fructifera, non quavis, sed immobili, certaque, & nominatim designata, cons. per eam *Constitut.* census emptitius personalis non est licitus, saltem in iis locis, ubi Constitutio hæc est usu recepta, & viget. 190

Quæritur 8. utrùm licita sit Emptio Venditio Census temporalis, sive ad tempus incertum, v. g. ad vitam ementis, qui census *Vitalitius* dicitur, sive ad certum tempus v. g. ad 10. & 20. annos? Non defuerunt, qui hanc constitutionem, præsertim Vitalitii improbaverunt. Quorum fundamentum potest esse 1. quia hæc constitutio census non est tam emptio, & venditio, quam quædam species sortium aleæ, seu fortunæ à Jure reprobata, cùm æquali lucro, aut jacturæ se contrahentes exponant. 2. Quia non videtur esse æqualitas inter pretium, & mercem, cùm fieri possit, ut successu temporis, pensiones simul sumptæ pretium datum altero tanto, & magis excedant. 3. Census, ad vitam ementis constitutus, præbet occasionem captandæ mortis ejus, cujus vita finitur. 191

Sed dicendum, utroque modo censum Emptitium constitui posse. Et quidem, quòd constitui possit ad tempus incertum, e. g. vitam ementis, concedunt Covar. *l.* 3. *var. cap.* 7. *n.* 3. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 388. *n.* 2. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 22. *n.* 40. *&* 41. Salas *tr. de Censib. dub.* 5. *n.* 2. Palao *tr.* 30. *D.* 6. *p.* 13. *n.* 2. Pirhing *hic n.* 70. cum S. Thom. *Opusc. de usur.* 73. *p.* 1. *c.* 9. Ratio est, quia jus ad pensiones annuas percipiendas, interim dum aliquis vivit, justo pretio æstimari, vendique potest. *arg. Clem.* 1. *de reb. Eccl. non alien.* ubi permittitur Prælato, exigente necessitate, vel utilitate Monasterii, vendere annuum redditum alicujus possessionis ad vitam alicujus; & ita passim Ususfructus ad vitam Usufructuarii æstimatur, & venditur *l. necessario* 8. §. *fin. ff. de peri. & commod. rei vendit.* ergo etiam licebit annuum redditum, etiam pecuniarium, pro vita alicujus vendere, & emere. 192

Quòd verò census Emptitius etiam constitui possit ad tempus certum, e. g. ad 10. vel 20. annos, tenent Covar. *l. cit. n.* 4. Cajet. *V. Usura fin.* Navar. *Man. cap.* 17. *n.* 230. *& comment. de Usur. n.* 71. Less. *cap.* 22. *cit. n.* 42 Pith. *n.* 70. *vers. de censu*, cum aliis. Et quidem si census sit rea- 193

realis, nullum esse videtur dubium; sicut enim emi potest jus percipiendi fructus, seu emolumenta ex re fructifera aliena in perpetuum, ita etiam ad certum annorum numerum: nam si aliquid obstaret, obstaret, quòd successu temporis pensiones excessuræ sint pretium, hoc autem non obstat; quia etiam in censu perpetuo excedunt. Si verò loquamur de censu *personali*, majus est dubium, idem tamen dicendum videtur, quod de reali; quia non potest dari sufficiens ratio, cur communi æstimatione, vel Principum lege non possit Juribus personalibus imponi certum aliquod pretium, quod spectatis circumstantiis justum sit, si autem hoc fieri potest, simile pretium imponi poterit etiam conventione partium.

94 Ad Argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. Constitutio census ad tempus incertum non est contractus sortis, aleæ, seu fortunæ, sed est vera emptio juris ad fructus incertos. *Ad* 2. ex hac ipsa incertitudine provenit, quòd pretium, quo emitur talis census; licèt minus sit, quàm omnes pensiones simul sumptæ, justum nihilominus sit; multa enim sunt, quæ jus istud ad pensiones in futurum exigendas faciunt minùs valere, quàm valeant ipsæ pensiones, tum ob commoditatem pecuniæ præsentis, qua emens se privat, tum ob incertitudinem vitæ ejus, super quem census est constitutus, tum denique quia variis modis accidere potest, ut intra tantum tempus nihil percipi possit: quæ omnia suadent, cùm lucrum illud supra sortem sit merè fortuitum, hoc jus emi posse minore pretio. *Ad* 3. periculum illud captandæ mortis alienæ non oritur ex ipso contractu, sed per accidens ex malitia venditoris; & si propterea illicita esset constitutio census vitalitii, etiam illicita foret promissio, vel donatio domus, aut fundi post mortem donantis: quod tamen falsum est; nam in sola renuntiatione hæreditatis viventis periculum istud à jure præsumitur.

95 Quæritur 9. quænam alia pacta addi possint constitutioni census emptitii? Resp. potest census 1. ita constitui, ut redimi possit intra certum tempus e. g. 10. annos non autem postea; vel contrà, ut intra illud tempus non possit redimi, posteà verò redimere illum liceat; quia licitum est emere censum absolutè irredimibilem, ergo etiam licebit emere irredimibilem sub certa conditione, qualis est in casu quæstionis, modò tamen tantò magis augeatur pretium venditionis, quantò magis restringitur venditori potestas redimendi censum ad suum arbitrium; tantò enim minus valet hoc jus, quantò magis potestas ista restringitur, & tanto plus valet, quantò magis ampliatur. Less. *libr.* 2. *de Justit. capit.* 22. *numer.* 51. *& duob. seqq.* Layman *libr.* 3. *tractat.* 4. *capit.* 18. *numer.* 9. Pirhing *hic numer.* 72. *not.* 2.

96 2 Probabiliter defenditur, & toleratur contractus censualis realis utrinque redimibilis, adjecto etiam pacto assecurationis in perpetuum, nempe, ut si res censui subjecta fortuito casu pereat, id non emptoris, sed venditoris damno accidat, & hic nihilominus obligatus sit pensionem solvere, vel super alia re fructifera censum constituere: modò tamen onus hoc venditori impositum ipsi prudentis arbitrio debitè compensetur augendo pretium census, vel quod in idem recidit, minuendo pensionem solvendam. Less. *numer.* 66. Layman *numer.* 10. Pirhing *numer.* 73. Ratio est, quia tale pactum assecurationis potest addi etiam aliis contractibus v. g. Commodato, Deposito, Mutuo, nempe ut periculum rei non ad commodantem, vel deponentem juxta contractus naturam, sed ad commodatarium, depositarium &c. spectet, ut constat ex *capit. un. de eo commodat.* & *l. depositum* 1. §. *sæpe evenit.* 35. *ff. Deposit.* Neque verò tale pactum est contra naturam contractus, sed præter illam; quia manente ejus substantia, obligat ad aliquid, ad quod natura contractus censualis non obligat, sicut fit in Emptione, Venditione, cui additur pactum de retrovendendo. Less. *num.* 67. Pirhing *num.* 73. Quodsi tamen census realis cum pacto assecurationis instituatur, vel continuetur cum persona, quæ nullos habet redditus ex re fructifera, Usurarias erit; quia tunc reipsa idem est, acsi mutuò daretur cum pacto solvendi quotannis aliquid supra sortem; licèt id sub nomine, & specie census, velut sub pallio occultetur. Layman *n.* 14. Pirhing *n.* 73. *fin.*

3 Licitè contractui Census præsertim reservativi additur pactum, ut si per biennium, vel triennium culpa debitoris soluta non sit pensio, res censui subjecta cadet in commissum, & in pœnam negligentiæ efficiatur domini Census, quia tale pactum implicitè continetur in contractu Emphyteutico, cui Contractus censualis ex aliqua parte similis est, Less. *num.* 68 In contractu consignativo addi pactum istud non potest, nisi ex æquo compensetur, aucto pretio census arbitrio prudentis Less. *loc. citat.* qui *num. seq.* addit posse absque augmento pretii addi pactum, ut si debitor per biennium non solverit sua culpa pensionem, contractus resolvatur, & censuarius teneatur restituere pretium; quia pactum Legis commissoriæ, tali modo contractibus adjectum, permissum est, prout dictum est *Lib.* 3. *Tit.* 17 *à num.* 52. 197

4 Licitè additur pactum, ut debitor census non possit vendere rem censui subjectam, non requisito priùs illo, qui censum in ea habet, sicut in contractu Emphyteutico; quia fieri posset, ut hujusmodi venditione gravaretur ille, cui census debetur, si scilicet res illa alienaretur in potentiorem, & multis privilegiis instructum, à quo difficulter obtineri posset solutio pensionum. Neque ob tale pactum debet augeri pretium, cùm emptor ejus appositione non specialiter gravetur Less. *num.* 71. 198

5 Licitè additur pactum, ut census non possit redimi per partes; nam etiam in cæteris rebus, cùm aliquid venditur cum pacto, ut liceat eodem pretio redimere, non censetur venditor habere jus redimendi per partes, quippe qui modus redimendi posset cedere in grave incommodum emptoris. Et hinc nisi expressè convenerit, ut liceat per partes redimere, vel nisi Jura, aut consuetudines id concedant, non poterit venditor, nolente emptore, sic redimere; sed tenebitur redimere totum simul, sicut totum simul vendidit. 199

Quæritur 10 quænam conditiones requirantur Jure naturali, ut licita, & honesta sit emptio census? Resp. 1. requiritur, ut constituatur in re fructifera; ex qua pensio suo tempore debita sive immediatè, sive mediatè, ut fit, cùm pecunia ex agro solvenda est, solvi possit, Medin. *de usur. quæst.* 12. Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 339. *num.* 12. Less. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 21. Pirhing *hic numer.* 78. Wiestner *numer.* 21. Reiffenstuel *num.* 148. Unde debet ita esse fructifera, ut ordinariè sufficientes fructus ferat ad censum annuum integrè solvendum, deductis expensis, & labore in fructibus colligendis; alioquin si res singulis annis pauciores fructus reddat, quam sit census, eatenus census reputabitur impositus super re infructifera, Azor *p.* 3. *l.* 10. *de usur. c.* 6. *q.* 1. Molin. *loc. cit.* Pirhing *n.* 78. 200

2 Ut jus percipiendi Censum annuum ematur pretio justo, approbato Lege, vel consuetudine, aut ubi illa deficiunt, taxato per arbitrium virorum prudentum; cujusmodi pretium in Imperio Romano ex *Const. Carol. V. in Comitiis Augustanis* 1548. edita in censu perpetuo, sive ex parte solùm venditoris redimibili sunt 100. pro 5. In aliis locis, ubi certa quantitas definita non est, pretia censuum pro varietate temporum, & aliarum circumstantiarum varia sunt, sicut & aliarum rerum, quæ pretio vulgari venduntur. Unde fit, ut nunc infimo, nunc medio, nunc summo pretio vendantur, Navar. *Comment. de usur. num.* 104. Less. *cap.* 22. *cit. num.* 103. Pirhing *num.* 79. Wiestner *num.* 75. Reiffenstuel *num.* 149. 201

3 Ut casu, quo res censualis, citra culpam tamen censuarii, perit, secluso speciali pacto assecurationis, etiam pensionis solvendæ obligatio extinguatur; & quidem tota, si res tota pereat, aut in perpetuum fiat infrugifera; secundùm partem autem, si res censualis ex parte pereat, aut infrugifera reddatur, Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 391. *num.* 3. Tann. *tom.* 3. *de Just. D.* 4. *qu.* 7. *dub.* 4. *num.* 121. Less. *loc. cit. num.* 88. Pirhing *num.* 80. Wiestner *num.* 76. Reiffenstuel *num.* 150. Ratio est, quia quælibet res per se loquendo perit domino suo; sed censualista, sive recipiens pensionem est dominus juris, quod habet ad pensionem ex re censuali percipiendam, quod jus, pereunte re, in qua constitutus est census, simul perit cum re, cui inhæret: ergo ipsi censualistæ, sive Emptori census peribit. Eodem modò extinguitur 202

gitur census personalis, si persona ad percipiendum lucrum fiat inhabilis, vel amittat bona, ut ad censum solvendum impotens fiat. Vviest. *l. cit.*

203 4 Ut res, ex cujus fructibus, vel redditibus annuis solvendus est census, creditore, sive censualista inscio, vel invito, non alienetur in eum, à quo census solutio vel simpliciter, vel sine difficultate obtineri nequit; quia hac ratione censualistæ jus deterius redderetur. Sot. *lib.6. de just. quæst.*5. *artic.*3. Tann. *l.citat. num.* 122. Pithing *numer.*81. Vviestner *numer.* 77. Reiffenstuel *numer.* 151.

204 5 Ut non exigatur, vel in pactum deducatur solutio anticipata, obligando Venditorem, seu censuarium, ut pensionem, pro primo anno debitam, statim solvat, aut patiatur sibi illam de pretio numerato detrahi; quia hoc modo in effectu Venditori non numeraretur totum pretium ad liberum ejus usum. Less. *l. citat. numer.*81. Molin. *D.*390. *numer.* 10. Palao *tract.*30. *D.*6.*part.*16. *n.*9. Haun. *tom.*4. *de J. & J. tract.* 10. *n.*330. Vviestner *n.*78. *Excipitur*, si talis solutionis præstandæ onus alia ratione compensaretur; quia hoc modo pactum de anticipata solutione Juri naturæ non adversaretur. Less. *l. cit.* cum aliis.

205 Quæritur 11 quæ conditiones ad licitam emptionem census requirantur Jure Ecclesiastico? Resp. *in Extrav. Martin. V. & Calisti III. de Empt. & Vendit. int. comm.* approbati sunt contractus censuales initi sub his conditionibus. 1. ut res certa immobilis, & fructifera designetur, cui census imponatur. 2. ut illa sola maneat obligata pro solutione census, non autem persona aut alia ejus bona. 3. ut pretium justum solvatur secundùm temporis qualitatem. 4. ut illud solvatur statim præsenti pecunia. 5. ut liberum sit venditori redimere censum sive totum simul, sive per partes. 6. ut idem venditor ad redimendum censum non adstringatur. 7. ut si res super qua constitutus est census, pereat, ipse quoque extinguatur. 8. ut pensiones non superent æstimationem fructuum rei, in qua Census est constitutus.

206 Verùm hæ conditiones, ut Covar. *l.* 3. *var. capit.*7. *n.* 5. & 6. Molin. *tract.*2. *de J. & J. D.* 386. *n.*4. Less. *l.*2. *de just. capit.*22. *n.*75. Tann. *D.* 4. *quæst.*7. *dub.*4. *n.* 123. Palao *tract.* 30. *D.* 6. *part.*15. *n.* 2. Vviestner *hic num.*82. & alii ab his *citt.* advertunt, à Pontt. memoratis non requiruntur ut necessariæ ad justitiam census (ut quidam opinati sunt) sed dumtaxat affirmatur, census eos, qui hasce conditiones habent, justos esse, & licitos; de hoc enim consulti erant. Unde ex *citt. Extrav.* statuit nequit, quæ conditiones ad justitiam censuum sint necessariæ: imò Sot. *l.* 6. *de just. quæst.* 5. *art.*1. censet, nullam illarum esse necessariam, præter illam justi pretii, & ut venditor ad census Redemptionem non cogatur.

207 Itaque, ut cognoscatur, quando licita sit emptio census, considerandæ sunt conditiones præscriptæ à *S. Pio V. Constit. edita* 1596. nam has Sanctus hic Pontifex jubet observari in contractu censuario, ita, ut sine illis initum decernat habendum pro irrito, & fœneratitio. Constitutionem istam, & conditiones in ea requisitas explicant. Navar. *Comment. de usur. n.* 84. & *seqq.* Less. *l.* 2. *de just. cap.* 22. *num.* 77. & *seqq.* Palao *tract.* 30. *D.*6. *part.* 16. *à n.* 1. Sunt autem universim conditiones quatuordecim.

208 Et 1. quidem, ut census constituatur in re fructifera, immobili, certa, & nominatim designata: ubi proinde vetatur census personalis. 2. ut pretium, sive pecunia, qua ejus percipiendi jus emitur, numeretur in ipso contractu censuali coram Tabellione, seu Notario, & testibus, ut hi ejus recepti fidem facere possint. 3. ut non fiant, aut in pactum deducantur anticipatæ solutiones, i. e. ut venditor non cogatur solvere pensionem, nisi pro rata temporis elapsi. 4. ut censuarius, seu Venditor non obligetur directè, vel indirectè ad præstandos casus fortuitos, ad quos aliàs ex natura contractus non tenetur: ubi prohibetur Pactum assecurationis alioquin jure naturæ permissum, ut dictum est *numer.* 202. 5. ut idem censuarius rem censui subjectam liberè, & sine ulla Laudemii, seu quinquagesimæ partis solutione valeat alienare. 6. ut cùm eadem res venditur, aliis Emptoribus, Retractus jus non habentibus, præferatur censualista, ejusque pretium, & conditiones, quibus ea vendenda est, denuntientur, & de ejus emptione deliberandi spatium menstruum concedatur. 7. ne pacto obligetur Venditor census, ut casu, quo moram fecerit in pensione solvenda, rem censui subjectam, aut partem ejus amittat, vel aliam certam pœnam solvat; quamvis jure naturæ teneatur compensare damna, quæ ex dilatione solutionis Emptori, seu domino census obvenerint: sed hoc priùs in pactum deduci non potest, ob fraudem Usurariam, quamvis postea tanquam debitum exigi possit. 8. ut census jam constitutus non augeatur, vel novus constituatur super eadem re ex pensionibus jam debitis, & nondum solutis, vel in posterum solvendis: secus, si fuerint solutæ; nam ex pecuniæ numeratæ additione census augeri potest. 9. ut non fiat pactum, vi cujus solutio onerum pertineat ad venditorem, quæ ex natura Contractus ad eum non spectabant. 10. ne pacto obligetur Venditor, ut pereunte, vel inutili reddita re censui subjecta, censum nihilominus totum solvat. 11. ut censuarius eo, quo constitutus est, pretio censum possit redimere, dummodo bimestri ante censualistam præmoneat. 12. ut idem censuarius ullo pacto ad census redemptionem non adstringatur, nisi postquam de redemptione à se facienda censualistam monuerit; tunc enim ad eum intra annum redimendum compelli potest. Ex quo sequitur. 13. ut census omnes deinceps constituendi perpetui sint, seu irredimibiles ex parte ementis, quamvis ex parte vendentis semper sit libera facultas redimendi, nisi census irredimibilis justo pretio sit comparatus. 14. ut pretium census semel constitutum non possit augeri, vel minui ob temporis, vel contrahentium qualitatem, aut ob aliud accidens: quod intellige, si hoc fieret in gravamen vendentis; hic enim semper eodem pretio potest censum extinguere, quo vendidit. Videantur AA. *numer. præced. citt.*

Quæritur 12. quid sit notandum circa conditiones per *Bullam Pii V. citat.* requisitas? Resp. 1. eæ non extenduntur ad contractus initos ante illam Bullam editam, sed solum post illam ineundos. Item non extenduntur ad eos census, qui fiunt per Donationem, Dotis constitutionem, Legatum, Fideicommissum, vel aliam ultimam Voluntatem. Navar. *Comment. de Usur. n.* 98. Less. *l.* 2. *de just. cap.* 22. *n.* 96. Pirhing *n.* 84. Omnes tamen contractus, qui fiunt per modum Venditionis, & Emptionis, in quibus census constituitur super alia forma, quàm quæ in *cit. Bulla* præscribitur, censentur Usurarii: nempe saltem quoad præsumptionem fori externi, etsi fortè à parte rei non sint Usurarii Less. *n.* 97. Pirhing *l. cit.* 209

2 Ubi *Constitutio Pii V. citat.* usu recepta est, contractus, sine his conditionibus initi invalidi sunt, ut patet ex *Bulla citat.* Ex quo sequitur, quòd pensiones, per ejusmodi contractum constitutæ, non possit recipi, etiam in conscientia. Unde ante omnem sententiam tam ipsum pretium, quod datum est ad censum constituendum, quàm pensiones, siquæ receptæ sunt, restitui debent, cùm nullus adsit titulus perseverandi in contractu, utpote irrito, & invalido. Cui verò restitutio fieri debeat, distinguendum est; nam ante sententiam restitui possunt danti, post sententiam declaratoriam vindicare illa sibi fiscus potest per verba *Bullæ citat.* 210

3 In iis locis, in quibus Bulla hæc non est promulgata, vel usu recepta, prædictæ conditiones, si jure naturali non sint necessariæ, non obligant in conscientia. Patet autem eam in pluribus locis receptam non esse. De Gallia, Belgio, & Germania nostra testantur Less. *c.* 22. *cit. n.* 99. Tann. *D.* 4. *q.* 7. *dub.* 4. *n.* 131. Haun. *tom.* 4. *de J. & J. tract.* 10. *n.* 316. Pirhing. *n.* 75. Vviestner *n.* 84. Reiffenstuel *n.* 156. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 2. *n.* 81. Pro Hispania, ne ad alias, quàm quæ Juris naturalis, & Divini sunt, conditiones observandas adstringatur, supplicante Philippo II. ab ipso S. Pio V. dispensatum perhibent Gutier. *pract. l.* 2. *q.* 177. *fin.* Felician. de Solis *l.* 1. *de Censib. c.* 7. *n.* 2. Palao *tr.* 30. *D.* 6. *p.* 15. *n.* 6. Quod maximè verum est de censu constituto super re immobili; nam emptio census personalis præsertim redimibilis ex parte emptoris, propter periculum intentionis, ac fraudis Usurariæ, sub pallio contractus censualis facilè latentis, dissuadenda videtur. Vviestner *n.* 81. 211

Quæ-

12 Quæritur 13 super qua re constitui Census possit? Resp. 1. Jure naturæ constitui Census potest etiam in persona, modò ea possit, & velit sua opera & industria tantum lucrari, quantum sufficit ad pensionem ex lucris solvendam; alioquin Census esset inutilis, nec pretio æstimabilis, Medin. *de usur. quæst.* 11. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 22. *num.* 21 Pirhing *num.* 78. *vers. denique.*

13 2 Potest constitui Census non tantùm in re immobili, sed etiam in mobili, aut se movente, quibus uti possumus, salva earum substantia, & quæ utiles, ac fructuosæ sunt, modò tales sint, ut non statim consumentur post primum illatum usum; nam si statim primo usu consumantur, ut sunt frumentum, vinum, oleum &c. in iis Census non potest constitui, Azor. *part.* 3. *lib.* 10 *de usur. cap.* 5. *quæst.* 4. Pirhing *num.* 78. *cit.* Item potest etiam constitui in pecunia, modò ea sit negotiationi exposita, ut possit fructum ferre, cùm ex se sit sterilis, Pirhing *loc. cit.*

14 2 Potest quis Censum constituere in bonis suis omnibus, ita, ut ex illis quotannis certa pensio præstari Emptori debeat, modò ita imponatur, ut pereuntibus ex parte bonis, etiam Census ex ea parte pereat, Azor *cap.* 5. *cit. quæst.* 5. Pirhing *loc. cit.* Quod intelligendum est, si pereat sine culpa Censuarii; nam si culpa illius res destructa sit, aut infructuosa reddita, tenetur is reddere pretium Census, vel illum super alia re immobili constituere, Less. *num.* 91. Pirhing *num.* 80 *in fin.* Deinde intelligi hoc debet, quando res Censui subjecta in perpetuum facta est infructuosa; nam si ad tempus solùm, uno, vel altero anno nullos fructus ferat, tum tota adhuc pensio annua à Censuario, sive domino fundi solvenda est, modò reliquis annis tantum ferat, quantum ad pensionem solvendam sufficit, vel etiam amplius, ita, ut damnum sterilitatis alio anno compenseiur. Tann. *tom.* 3. *de Just. D.* 4. *quæst.* 7. *dub.* 4. *num.* 121. Less. *num.* 88. Pirhing *num.* 80. & patet ex recepta consuetudine, juxta quam Census, constitutus in agris, quotannis ex iis solvitur, licet isti secundo, aut tertio quolibet anno quiescant, & non colantur, ac propterea nullum afferant fructum.

15 4 Potest etiam super ipsum Censum novus alius constitui Census. Pirhing *num.* 78. Debet autem Census ille, super quo fundatur alius Census, esse perpetuus, & irredimibilis; alioquin si esset redimibilis, eo redempto, periret Census in eo fundatus, vel maneret personalis. Azor *lib.* 10. *de usur. cap.* 7. *quæst.* 11. Less. *nu.* 77. Pirhing *num.* 78. *fin.* Plura de Censibus videri possunt *lib.* 3. *tit.* 39. *num.* 1. & *seqq.*

§. V.

De Anatocismo, sive Usuris Usurarum.

SUMMARIUM.

216 *Quid sint usura usurarum, & Anatoscismus?*
217 *Usuræ usurarum illicitæ sint, si lucratoriæ merè sint.*
218 *Secus, si Compensatoriæ.*
219 *Ex usuris jam solutis capiendæ.*
220 *Quid, si nondum solutæ sint? Argumenta Sententiæ affirmantis.*
221 *Deciditur negativè.*
222 *Solvuntur Argumenta contraria.*

216 QUæritur 1 quid sint *usuræ usurarum*, & *Anatocismus*? *Resp. usuræ usurarum* vocantur lucrum, quod ex lucro usurario non soluto ultra hoc, & sortem exigitur à Creditore, v. g. Titius 1000. pro 50. annuatim solvendis credidit Cajo, Cajus hos 50. anno elapso non solvit: hinc Titius in annum sequentem à Cajo ratione eorundem 1000. petit 50. & ratione 50. primo anno non solutorum florenos duos, & dimidium. *Anatocismus* appellatur, cùm usuræ in sortem vel stipulatione, vel sententia rediguntur. Calvin. *Lexic. V. Anatocismus* ex Gottefred. *ad lib.* 3. *C. de usur. rei judic.*

217 Quæritur 2 an licitæ sint *usuræ usurarum*? Resp. distinguendo: nam si *Lucratoriæ* merè sunt, non minùs, quàm ipsæ usuræ, vi mutui solvendæ, imò magis, quàm istæ Jure Divino, & Naturali illicitæ sunt, ut patet ex dictis *suprà num.* 7. & *seqq.* imò etiam Civili, prout patet ex *l. placuit* 29. *ff. de usur. l. ut nullo* 28 *C. eod. improbum* 20. *C. ex quib. caus. infam. irrog. l. præses* 27. *ff. de re judic.* Vallens. *hic* §. 3. *num.* 6. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 92. *num.* 79. Begnudell. *V. usur. num.* 61. Reiffenstuel *num.* 26. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 2. *nu.* 56.

Si non merè Lucratoriæ sint, sed exigantur non vi mutui, sed alterius justi tituli, v. g. damni emergentis, aut lucri cessantis ex usuris debitis non solutis, Jure naturali quidem, & Divino præcisè spectato, exigi licitè possunt, Jure tamen positivo per *citt.* & alias Leges reprobantur, & ita quidem, ut licèt promissæ sint, non tamen debeantur, & solutæ Condictione indebiti repetantur *l. si non sortem* 26. §. *supra duplum* 1. *ff. de Condict. indeb.* Reiffenstuel *hic n.* 29. 218

Quæritur 3 an hujusmodi usuræ exigi etiam nequeant ex usuris redactis in sortem, quem credendi modum diximus *Anatocismum vocari*? *Certum est*, si usuræ compensatoriæ, vel moratoriæ jam perceptæ debitori denuo credantur, ratione illarum alias Usuras Compensatorias, aut moratorias peti posse; quia tali casu verè evadunt sors, & constituunt aliquod principale debitum. Vviestner *hic num.* 85. Reiffenstuel *ibid. numer.* 30. & 31. 219

Dubium est, quando nondum solutæ sunt. Et quidem eas debitori sub obligatione solvendarum usurarum Compensatoriarum denuo credi posse, defendunt aliqui ex sequentibus Argumentis, 1. quia non apparet, quare solutæ possint reddi debitori, & in novum mutuum converti; non autem possint ante solutionem ei relinqui, & ut vocant, brevi manu ipsi credi, Mævius *p.* 4. *decis.* 213. 2. quia Pragmatici, teste Fabr. *de Error. pragm. Decad.* 20. *Error.* 1. passim volunt, quòd casu, quo debitor, facta usurarum condemnatione, & taxatione, taxatam quantitatem non solvit præfixo tempore, ex tunc usuræ ex usuris, quasi in sortem redactis, debeantur, 3. quia ut Gaill. *lib.* 2. *obs.* 7. *nu.* 5. Brunnem. *in l. fin. C. de usur. num.* 2. Prænob. D. de Bassis *Semic. Contr.* 38. *num.* 6. & 11. docent, ita brevi manu in sortem redigi mutuo consensu possunt Census ex Contractu Censuali debiti, & nondum soluti: ergo etiam usuræ saltem compensatoriæ, debitæ ex mutuo. 220

Sed dicendum, Anatocismum esse illicitum; cons. usurarum, ita redactarum in sortem usuras licitè non posse exigi. Ita contra Mævium *part.* 4. *decis.* 213. meritò docent Roderic. *de redit. ann. lib.* 3. *capit.* 7. *num.* 27. Brunnem. *in l. ut nullo* 28. *numer.* 2. *C. hoc tit.* Struv. *Exerc. ad Pandect.* 27. *thes.* 51. Stryck *us. mod. Pandect. tit. de usur.* §. 18. Carpzov. *pract. crim. q.* 92. *num.* 87. Vviestner *hic num.* 87. Reiffenstuel *ibid. n.* 28. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. cap.* 2. *num.* 56. Patet ex *l. si non sortem* 26. §. *supra duplum* 1. *ff. de Condict. indeb.* & *præcipuè l. ut nullo* 28. *C. hoc tit.* ubi Justinianus Imp. decernit, *nullo modo licere cuiquam usuras præteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, & earum iterum usuras stipulari.* Ratio est, quia accessio accessionis, fructuum fructus, servitutis servitus, & lucri de Jure non datur. 221

Neque contrarium probant Argumenta opposita, *Ad* 1. negatur paritas; quia multò faciliùs creditor dat mutuò pecuniam non visam, quàm actu receptam; & debitor promptius promittit usuras usurarum, quàm solvat, & hinc per Anatocismum debitores alieno ære facilè opprimuntur. Brunnem. *num.* 2. *cit. Ad* 2. Usuræ etiam rei judicatæ, quæ ratione usurarum non solutarum percipiebantur, sublatæ sunt ab Imper. *l. sancimus* 3. *C. de usur. rei judic.* ubi statutum, ut usuræ ex sorte tantum, & non ex priore usura, licèt in condemnatione cum sorte deductæ sint, imposterum debeantur. *Ad* 3. ut usuræ usurarum Jure Civili, ita Census Censuum per *Constitutionem Pii V.* prohibiti sunt, ut patet ex *Conditione* 8. inter *num.* 208. allatas; unde in iis saltem Provinciis, in quibus constitutio ista usu recepta est, Census non soluti in sortem redigi, eorumque usuræ non possunt exigi. Ubi *Constitutio* hæc recepta non est, census non soluti redigi in sortem possunt; ex quo tamen non sequitur, quòd redigi in sortem possint etiam usuræ non solutæ ob duplicem disparitatem; *prima* est, 222

quia

quia census ex vero Emptionis Venditionis, usuræ ex Mutui contractu solvuntur, qui titulus cùm à priore sit prorsus diversus, idcirco Decreta, quæ census permittunt redigi in sortem, non rectè applicantur usuris, *Altera*, quia lucrum, quod vi mutui percipitur, accessorium est sorti creditæ; contrà census principale est, cùm in Emptione Census constituat mercem, quæ emitur.

§. VI.

De Usurarum promissarum solutione, & solutarum Dominio.

SUMMARIUM.

223 *&c. An Mutuatarius teneatur solvere usuras merè Lucratorias, promissas usurario.*
225 *&c. An solutarum Usurarius acquirat dominium?*
233 *&c. Quid dicendum de rebus; ex pecunia vel alia re usuraria comparatis ab usurario?*

223 QUæritur 1. an Mutuatarius teneatur solvere usuras merè Lucratorias promissas, & usurarius possit solutas retinere? Resp. *Ad* 1. distinguendo; Vel enim mutuatarius illas simpliciter promisit solvere, vel etiam cum Juramento. *Si primum*, non obligatur ad illatum solutionem; *si secundum*, obligatur quidem ex Virtute Religionis ob Juramentum ad eas solvendas, solutas tamen potest repetere, ut constat ex *cap. debitores 6. de Jurejur.* & notant Vivian. *in cap.* 13. *hoc tit. pr.* Vallens. *hic* §. 4. *n.* 2. Reiffenstuel *ibid. num.* 161. *&* 162. *Ex quo sequitur*, debitori petenti remissionem usuratum promissarum, vel restitutionem solutarum non posse à creditore, sive usurario opponi Exceptionem Juramenti præstiti à debitore, sive solvente usuras, quo juravit se soluturum usuras, aut solutas non repetiturum; quia non obstante hoc Juramento, potest usurarius cogi, ut remittat Juramentum, si nondum solutæ usuræ sunt, vel ut eas restituat, si sint solutæ, prout constat ex *cap. ex administrationis* 1. *de Jurjur. & cap. tuas* 13. *hoc tit.* Pirhing *hic num:* 179. Reiffenstuel *n.* 162. *&* 164. *ibid.*

224 *Ad* 2. respondetur negativè; sed usurarius usuras solutas tenetur restituere in utroque foro, ut patet ex *c. administrationis* 1. *de Jurejur. & cap. cùm tu* 5. *&c. hoc tit.* quia fœnerator æquiparatur furi, & raptori *can. si quis usuram* 10. *caus.* 14. *qu.* 4. igitur sicut isti ad rei alienæ ablatæ, ita ipse quoque ad percepti lucri usurarii restitutionem obligabitur. Sylv. *V. usura 6. quæst.* 2. *dict.* 1. Azor *p.* 3. *lib.* 5. *de usur. c.* 16. Valens. *hic* §. 4. *num.* 1. Engl *ibid. n.* 26. Pirhing *n.* 101. Reiffenstuel *n.* 171. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. cap.* 2. *n.* 129. Ratio generalis est, quia non dimmittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, *cap. cùm tu cit. & Reg. peccatum* 4. *in* 6. Quod si tamen repetens usuras, etiam ipse usuras exercuit, ab usurario in foro externo repelli potest per exceptionem, ita, ut non audiatur, quousque ipse usuras restituat, *cap. quia frustra* 14. *hoc. tit.* Sylvest. *V. usura 6. q.* 4. *Vers. nona.*

225 Quæritur 2 utrum fœnerator usurarum sibi solutarum acquirat dominium? *Certum est*, non acquirere, si mutuatarius non habeat voluntatem transferendi dominium in fœneratorem, sed solùm velit pecunias illas dare exterius propter fidem datam: quia non obligatur transferre dominium, sed potiùs habet jus repetendi. Card. de Lugo *tom.* 2. *D.* 25. *sect.* 11. *n.* 203. Illsung. *tr.* 4. *D.* 2. *nu.* 442. Pirhing *hic num.* 18 Ratio est, quia sola traditio sine interno consensu in alienationem non sufficit ad obtinendum dominium.

226 *Certum est* 2 si res, per usuram acceptæ, consistant in numero, pondere, vel mensura, ut est pecunia, frumentum, vinum, &c. & ea permisceantur cum rebus ejusdem generis, sive similibus usurarii justè acquisitis, ita tamen, ut non possint ampliùs discerni: tunc earum dominium est translatum in usurarium, quia modus acquirendi dominium est per admixtionem rei cum alia ejusdem generis, prout constat ex §. *Si duorum* 29. *Inst. de rer. divis. & l. si alicui* 78. *ff. de solut.* & hoc modo rei furtivæ dominium acquiritur etiam à fure *lege si alicui citat.* Sylvest. *V. usura 6. quæst.* 1. Azor *part.* 3. *lib.* 5. *de usur. cap.* 11. §. *penult.* Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 20. *n.* 156. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 7. *coroll.* 1. Tambur. *lib.* 9. *de Contract. tract.* 1. *cap.* 7. §. 1. *nu.* 3. Vvading. *simil. tract. D.* 6. *dub.* 15. §. 2. *fin.* Begnudell. *V. usura num.* 19. Pirhing *hic num.* 18. Reiffenstuel *ibid. num.* 166.

Dubium est, quando mutuatarius habet expressum animum, transferendi dominium, & nulla facta est permixtio usurarum cum rebus Usurarii justè acquisitis. Quo casu dominium usurarum acquiri ab usurario, sed revocabile, & inefficax, ita, ut usurarius teneatur restituere, quidquid accepit, docent Glossa *in canon. si quis* 10. *caus.* 14. *quæst.* 4. Paludan. *in* 4. *distin.* 15. *quæst.* 1. *artic.* 5. Navar. *Man. cap.* 17. *num.* 265. Lugo *tom.* 2. *de Just. D.* 25. *sect.* 11. *num.* 206. cum aliis, & inclinate videtur Pirhing *hic num.* 20 Rationem dant, quia adest ex parte solventis usuras absoluta, & efficax voluntas transferendi dominium, ut supponitur; solvit enim illas ex pacto, & conventione; & quamvis voluntas illa secundùm quid sit involuntaria, quia necessitate coactus solvit usuras, quòd sine illis mutuans mutuare nolit, tamen simpliciter est voluntaria, & libera; nam propterea etiam, quæ ob metum, etiam gravem, & injustè incussum, dantur, transeunt in dominium accipientis, licèt cum obligatione restituendi. 227

Sed meliùs hoc negant S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. *ad* 3. Sylv. *V. usura 6. quæst.* 1. Angel. *V. eod. q.* 20. §. 18 Gab. *in* 4. *dist.* 13. *q.* 11. *art.* 1. *fin.* Cov. *l.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 6. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 326. *num.* 7. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 20. *num.* 158. Layman *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *nu.* 7. *coroll.* 1. Palao *tract.* 30. *D.* 6. *part.* 25. *num.* 2. Vvading *de Contract. D.* 6. *dub.* 15. §. 2. *n.* 1. Tambur. *lib.* 9. *de contract.* 1. *c.* 7. §. 1. *n.* 8. Begnudell. *V. usura nu.* 19. Vviestner *hic n.* 93. Reiffenstuel *ibid. n.* 167 Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 122. 228

Ratio est, quia ad acquirendum verum dominium non sufficit traditio, sed requiritur justus titulus, ex quo facta traditio est *l. nunquam* 31. *pr. ff. de acquir. rer. domin.* atqui hic in usurarum traditione apertè desideratur; non enim titulus iste potest esse ipse contractus mutui; quia hoc obligationem solvendi, aut jus exigendi aliquid ultra sortem non inducit. Non debitoris sive mutuatarii promissio; quia hæc invalida est *c. debitores 6. de Jurejur.* non denique rem promissam tradentis voluntas; quia hic in creditorem plus non intendit transferre, quàm quod ei debetur, & ipse solvere tenetur ex Justitia. 229

Conf. 1. quia si fœnerator acquireret dominium usurarum sibi solutarum, saltem debile, sufficeret, si restitueret solam æstimationem lucri cessantis, & fructus, quos ex re fructifera, in usuram soluta, mutuatarius percepturus fuisset. Atqui istud non sufficit; nam fœnerator restituere etiam debet fructus, quos ipse percepit, licèt mutuatarius illos non fuisset percepturus, prout dicetur *num.* 273. ergo &c. *Conf.* 2. non minus requiritur ad transferendum dominium rei usurariæ, quàm requiritur ad transferendum jus, quod habet ad illam, sed hoc non intendit transferre mutuatarius, quod adhuc retinet, ergo multò minus dominium, quod majus est, quàm jus ad rem. 230

Ex quo sequitur, cùm in usurarium non sit translatum dominium usurarum, si loco pecuniæ detur ipsi à mutuatario hortus, vel domus, aut alia res fructifera eam ab illo restituendam mutuatario cum fructibus omnibus ex ea perceptis; quia eos percepit ex re alterius. Deinde si res extet, debere præferri omnibus Creditoribus mutuatarium, qui potest agere rei vindicatione ad rem suam obtinendam, & pari loco esse cum depositoribus. Vvading *loc. cit. n.* 3. 231

Ad Argumentum adversæ sententiæ, voluntas mutuatarii transferendi dominium in usurarium insufficiens est non ob defectum voluntarii, cùm sit absolutè libera, sed quia per illam non intenditur, ut usuræ datæ absolutè cedant in dominium usurarii, sed solùm, ut sint ipsius, quatenus ipsi debentur, & non aliter; neque enim usuras dans voluit illas donare, sed dare, quantum Justitiæ ratio permittit, nec plus à se abdicare, quàm ex Justitia debeat. Less. *l. cit. n.* 159. Zoes. *hic n.* 23. Hinc disparitas est cùm metum passo; nam hic verè, & absolutè vult transferre dominium rei, quam metu cogitur dare. 232

Quæritur 3 an pari modo fœnerator etiam non acquirat dominium rerum, pecunia, vel alia re usuraria comparatarum? *Ratio dubitandi est*, quia si radix infe- 233

infecta, etiam rami; ergo quidquid acquiritur ex re usuraria, est usurarium, & restituendum, 2. nullus debet ex iniquitate sua referre commodum. Ergo nec usurarius ex re usuraria, 3. Res empta ex pecunia usuraria succedit loco pecuniæ, seu pretii.

34 Sed distinguendum est; Vel enim res usuraria est pecunia, vel res alia. *Si pecunia*, & ex hac fœnerator rem aliquam emit, aut alio modo e. g. ludendo, negotiando &c. comparavit, dominium istius rei ipsi tradita: ideoque non tenetur iste eam restituere mutuatario, quamvis restituere debeat pecuniam, quam per usuram accepit, & omne lucrum cessans, & damnum emergens mutuatario. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. Sylv. *V. usura 6. q.* 2. *dict.* 2. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 6. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de usur. c.* 13. *v. opinio secunda*, Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 327. *n.* 5. Less. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 161. Tambur. *l.* 9. *de contract. tr.* 1. *c.* 7. §. 1. *n.* 13. Pirhing *hic n.* 21. Engl *n.* 29. Reiffenstuel *nu.* 169. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 126. & colligitur aperte ex *l. qui aliena* 8. *C. Si quis alteri, vel sibi, &c.*

35 *Ratio est*, quia hujusmodi lucra non sunt fructus pecuniæ, quæ ex se sterilis est, sed proveniunt ex propria industria, & diligentia usurarii; ideòque ipsi acquiruntur. *Conf.* à pari; Sic enim sibi acquirit depositarius, quod emit ex pecunia apud se deposita *l. si ex ea* 6. *C. de rei vindicat.* Fur, quod acquirit ex pecunia furtiva; quia quod ex re furtiva acquiritur, furtivum non est, *l. qui vas* 48. *fin. de furt.* Uxor, quod suo proprio nomine emit ex pecunia viri defuncti pertinente ad filium *l. si pecuniæ* 1. *C. si quis alteri, vel sibi &c.* Artifex, qui per instrumenta artis, ablata artifici alii, labore, vel industria sua lucratus aliquid est, licèt omnes isti pecuniam, vel rem alienam acceptam, & omne lucrum cessans, ac damnum emergens teneantur restituere.

36 *Dices*: Talis contractus est involuntarius ex parte emptoris; si enim sciret rem, quæ ipsi venditur, usurariam & alienam, vel saltem alteri restituendam esse nollet eam emere; ergo est irritus; atqui ex contractu irrito non transfertur dominium; ergo usurarius etiam non acquirit dominium rei, ex pecunia, vel re usuraria comparatæ. *Sed respondetur*, eum quidem aliquo modo esse involuntarium, & secundùm quid, cùm ex errore, & ignorantia procedat; quia tamen hic error non est circa substantiam rei, sed circa conditionem quandam extrinsecam, & accidentalem, non est ipso Jure talis contractus irritus, etsi emptor, postquam rei veritatem comperit, possit contractum rescindere, & repetere pretium, Less. *num.* 163. Pirhing *num.* 21. *fin.*

37 Si verò res usuraria sit alia quædam res, quàm pecunia, distinctio altera est adhibenda, & videndum, an quæratur de fructibus illius rei, an de pretio redacto ex ejus venditione. *Si primum*, fructus ex ea re percepti non ad fœneratorem, sed ad dominum rei spectant; quia quælibet res domino suo fructificat §. *si quis a non domino* 35. *Inst. de rer. divis.* *Si secundum*, licèt dominium rei sic venditæ in emptorem non transferatur *l. ex empto* 12. *ff. de act. empt.* fœnerator tamen fit dominus pretii, ab emptore ejus domino accepti pro re sic vendita, quamvis ad evictionem teneatur emptori. Azor *pr.* 3. *l.* 5. *de usur. c.* 12 Molin. *D.* 327. *cit. nu.* 7. Less. *nu.* 163. Pirhing *hic n.* 23. Wiestner *n.* 96. Necesse tamen est, ut emptor bona fide res illas emerit, nesciens esse alienas; alioquin si sciret, contractus foret irritus, adeòque tunc usurarius neque acquireret dominium pretii *l. si in emptione* 34. §. *item si* 3. *ff. de contrah. empt.*

38 Ad Argumenta *n.* 233. allata facilis est responsio. *Ad* 1. lucra parta ex pecunia, vel re usuraria non sunt veluti rami ipsius pecuniæ; quia non oriuntur ex ea, sed ex industria usurarii. *Ad* 2. usurarius non refert lucrum ex usura per se, sed ex propria sua industria, quamvis interveniente usura: neque est iniquum, ut quis interdum ex aliquo actu pravo, & illicito lucrum temporale consequatur, ut patet in actu meretricio. *Ad* 3. quòd pecunia succedat in locum rei, procedit in hæreditate, fideicommisso, & dote, non autem generaliter in aliis rebus quibuscunque, Azor *c.* 12. *cit. fin.* Molin. *n.* 8. Pirhing *n.* 23. *fin.*

§. VII.

De Usurarum Restitutione.

SUMMARIUM.

Quæritur 1 ad quid teneatur usurarius mutuatario, qui usuras eidem solvit? Resp. tenentur ad restitutionem ejus, quod iniquè accepit. Si, quod accepit usurariè, sit pecunia, & hac pecunia usurarius comparavit sibi fundum, vel alia bona, bonorum quidem istorum acquirit dominium, ut dictum est *n.* 234. tenebitur tamen satisfacere aliter Mutuatario. Quòd si verò non habeat alia media huic satisfaciendi propter usuras, cogetur talia bona vel in solutum dare, vel vendere, & de pretio usuras malè acceptas compensare *c. cùm tu* 5. *hoc tit.* Engl *hic n.* 29. 239

Si verò talia bona jam in tertium alienata sunt, contra hunc tertium possessorem probabiliùs debitori nulla actio competit: non personalis; quia cum eo nihil contractum fuit; nec etiam realis Hypothecaria; quia non habemus Legem, quæ Hypothecam in tali casu concedat; nisi fortassis debitor, cum quo usura exercita est, pupillus, aut minorennis fuerit, qui alias in re, ex pecunia sua comparata, tacitam Hypothecam habet *l. idemque* 7. *ff. qui potior. in pignor.* vel Ecclesia, quæ Jure minoris utitur *c. requisivit* 1. *de integr. restit.* vel nisi alienatio in tertium facta in fraudem debitoris sit, quòd creditor usurarius sciverit se aliunde debitori, per usuras læso, non posse satisfacere; tunc enim res alienata revocabitur secundùm ea, quæ traduntur *tot tit. ff. quæ in fraud. credit.* Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 6. Engl *hic n.* 30. *fin.* 240

Quæritur 2 an ad restitutionem obligetur usurarius etiam solùm mentalis? *Ratio dubitandi* sumitur à paritate cum simonia, quæ si mentalis duntaxat sit, sola pœnitentia sine obligatione restituendi expiatur *cap. fin. de simon.* S. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. & alii tam TT. quam Cannonistæ, & dictum est *suprà Titul.* 3. *num.* 308 241

Sed distinguendum est inter quinque casus. *Primus est*, quando mutuator intendit aliquid accipere tanquam pretium mutui, seu tanquam debitum ex pacto mutui, & mutuatarius etiam dat tanquam debitum ratione mutui: quod fieri potest, quia ex signis, vel nutibus novit mutuantem intendere, & velle lucrum ex mutuo, vel saltem, qui aliunde sine externo pacto notam habet indolem mutuantis, quòd nolit gratis, & sine lucro mutuare. Hoc casu ex parte mutuantis intervenit peccatum usuræ, & is tenetur ad restitutionem, Pirhing *hic num.* 135 *Vers. secundus casus.* Ratio est, quia datum, & acceptum est lucrum ultra sortem ratione mutui; & mutuatarius non intendit illud lucrum donare gratis, sed solùm tanquam debitum ex vi mutui; ergo cùm non fuerit debitum, 242

injuste illud recepit mutuator; conf. restituere debet. Et de hoc casu videtur loqui *c. consuluit hoc tit.*

243 2 Quando mutuatarius, quod dat, dat merè gratis, liberaliter, & quasi non debitum, & mutuator tanquam gratis, merè liberaliter, & titulo mutui indebitum accipit. Hoc casu nulla committitur usura, etiam mentalis: conf. mutuans ita datum accipiendo non peccat, neque ad restitutionem tenetur. Sylv. *V. usura 6. qu.* 3. Azor *p.* 3. *lib.* 5. *de usur. c.* 17. *q.* 1. Vvading *de Contract. D.* 6. *dub.* 14. §. 2. *num.* 2. Reiffenstuel *hic num.* 91. Ratio est, quia hoc casu nec datur, nec accipitur aliquid ultra sortem ex vi mutui, quod ad usuram requiritur.

244 3 Quando mutuatarius dat lucrum ultra sortem, tanquam pretium ex mutuo debitum, sed mutuans bona fide illud accipit, tanquam datum gratis, & merè liberaliter, eò quòd nullum pactum de lucro præcesserit. Hoc casu mutuans, postquam novit id lucrum sibi datum esse tanquam debitum ex mutuo, tenetur statim illud restituere, simul cum fructibus extantibus, ex lucro illo perceptis; quia datio fuit mixtè involuntaria, ideòque insufficiens ad transferendum dominium in accipientem, vel acquirendum jus ad rem, cùm defuerit ex parte dantis animus, sive voluntas donandi, Sylvest. *V. usur.* 7. *qu.* 4. Tamburin. *l.* 8. *Decal. tr.* 3. *cap.* 8. §. 2. *nu.* 14. Pirhing *hic n.* 138. Dixi *cum fructibus extantibus*; nam fructus, quos perseverante bona fide consumpsit (idem dicendum de ipso lucro, quod tali occasione accepit, si illud, bona fide durante, consumpsit) non tenetur restituere, nisi ex eo aliquid penes accipientem remanserit. Sylv. *loc. cit.* Molin. *tract.* 2. *de Just. D.* 306. *nu.* 2. §. *tertius*, Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 20. *nu.* 46. Pirhing *loc. citat.* Ratio est, quia tunc obligatio restituendi non oritur ex injusta acceptione, sed tantùm ex re accepta.

245 4 Quando mutuans, accipiens aliquid ultra sortem, dubitat, quo animo mutuatarius id dederit, num ex gratitudine, aut liberaliter, ac proinde plenè voluntariè, an verò mixtè involuntariè tanquam ex mutuo debitum. Hoc casu distinguendum est, an cum dubio isto acceperit ita datum mutuator, an verò dubium postea primùm supervenerit. *Si primum*, peccatum usuræ mentalis committit mutuans, & tenetur ad restitutionem, sicut is, qui dubia fide cœpit possidere rem alienam. *Sylvest. Tambur. Pirhing loc. cit. Si secundum*, tenetur mutuator inquirere, ut tollatur dubium adeòque petere à mutuatario, qua intentione id dederit: si verò is mortuus, aut longè absens sit, & dubium perseveret, ex circumstantiis judicandum, erit, quali intentione mutuatarius dederit, ut si dives sit, vel pauper, liberalis, vel parcus, sive avarus; nam priore casu præsumi potest, liberaliter, & gratis fuisse datum; posteriore tanquam debitum ex mutuo, ideòque restituendum erit, Molin. *D.* 305. *nu.* 6. Pirhing *loc. cit.* Quòd si verò etiam ex circumstantiis desumi nil possit, Molin. *loc. cit.* putat restituendum esse ei, à quo acceptum fuit. Sed probabiliùs retinere potest, sicut quivis alius bonæ fidei possessor, cùm in dubio melior sit conditio possidentis; præsumetur ergo id, quod datum est, datum esse gratuitò, & non tanquam ex mutuo debitum. Lugo *D.* 25. *sect.* 4. *n.* 32. Pirhing *loc. cit.*

246 5 Quando mutuatarius aliquid supra sortem dat gratis, & liberaliter, credens mutuantem hoc nolle exigere vi mutui; sed mutuator id ignorans accipit animo, & intentione usuraria, tanquam datum ex obligatione ratione mutui, nullo tamen præcedente pacto. Hoc casu mutuans, quamdiu conscientiam erroneam non deponit, ratione istius tenetur restituere acceptum, à parte rei tamen talis mentalis usurarius non tenetur ad ullam restitutionem; sed postquam scit gratis, & liberaliter sibi datum, id retinere potest, quamvis peccaverit intentione usuraria accipiendo. Sylvest. *V. usura 6. quæst.* 7. Molin. *D.* 306. *numer.* 9. *&* 10. Less. *cap.* 20. *num.* 42. Lugo *n.* 33. Pirhing *nu.* 139. Ratio est, tum quia mutuatarius habuit animum absolutè donandi, ut ponitur in casu, adeòque transtulit dominium in accipientem; tum quia accipiens non retinet injustè alienum; accepit enim domino non invito, quippe, qui spontè, & gratis dedit; igitur licèt peccarit contra justitiam affectu, non tamen peccavit effectu; conf. ad restitutionem non obligatur. *Neque obstat*, quòd per donationem non transferatur dominium in accipientem, nisi post acceptionem donationis, quæ hoc casu videtur deficere, quia non vult accipiens illud titulo donationis accipere, sed solùm tanquam debitum. *Sed dicendum*, non deficere hunc animum; nam accipiens virtualiter ista est constitutus, ut velit acceptare, & sibi acquirere, quod datum ei est, omni meliori modo, quo poterat. Deinde etsi Mutuans priùs ne virtualiter quidem, & implicitè acceptasset ut donum, si tamen postea intelligat, sibi datum esse à mutuatario gratis, & liberaliter, semper poterit illud acceptare, quamdiu donatio prior non est revocata: idque satis est ad transferendum dominium rei sibi datæ, Molin. *l. cit.* Less. *n.* 43. *&* 44. Lugo *n.* 33. Pirh. *n.* 140.

Ad rationem dubitandi num. 241. allatam, tunc solùm Mentalis simoniacus absolvitur ab obligatione restituendi, quando temporale pro spirituali offertur merè gratuitò, ut ferè fit; nam si offeretur cogente necessitate, quia alias Beneficium Ecclesiasticum v. g. non est obtenturus, etiam ipse ad restitutionem ejus, quod accepit, tenetur Suarez *de Simon. cap.* 59. *num.* 52. Gonzalez *in cap. fin. de Simon. num.* 14. Vallens. *hic* §. 4. *num.* 3. Vviestner *ibid. num.* 98. Unde ex hoc argumento potiùs confirmatur nostra Sententia. 24

Quæritur 3 utrum ad restitutionem usurarii lucri obligari possint etiam Judæi? *Ratio dubitandi* est, quia *c. quanto* 18. *hoc tit.* tantùm jubentur compelli ad restituendas *graves*, *& immoderatas usuras*: ergo per argumentum à sensu contrario ad moderatas restituendas non sunt compellendi. *Conf.* quia Judæi non sunt subditi Ecclesiæ. 24

Sed tenenda est affirmativa. Ita Gaill. *lib.* 2. *obs.* 5. *fin.* Vivian. *in cap.* 12. *pr. & in cap.* 18. *hoc tit.* Canis. *de usur. cap.* 7. *num.* 3. Vallens. *hic* §. 4. *num.* 1. Pithing *num.* 107. Konig *num.* 17. Reiffenstuel *num.* 172. Begnudell. *V. usura num.* 6. *&* 17. & apertè deciditur *cap. post miserabilem* 12. *hoc tit. & Ordin. Polit. de Anno* 1577. *titul.* 20. §. 6. quia ipsa *Ordinatione*, ut omni fraudi obviam iretur, cautum quoque est §. 3. ut Judæi pecuniam, Christianis mutuatam, non Hebraica, sed Germanica lingua coram Magistratu loci conscribant, & adjiciant, quid, & quando crediderint, qualeque pignus acceperint. Ratio est, quia quidquid sortem excedit, vi mutui injustè exigitur, ac detinetur; quod autem injustè detinetur, obnoxium restitutioni est; ergo &c. *Conf.* quia non convenit eos melioris conditionis esse, quàm Christianos, sicut neque stultos, quàm peritos, seu prudentiores *l. Servius* 4. *ff. quod vi, aut clam.* 24

Ex quo patet ad *Rationem dubitandi*; nam immoderatum est, quò injustè exigitur. *Ad Conf.* usuræ lucratoriæ non tantùm Jure Ecclesiastico, sed Divino, & Naturali prohibitæ sunt; atqui ad Jus Naturale, & Divinum obligantur etiam infideles: ergo tenebuntur illas restituere; & ad hoc compelli possunt, si domicilium inter Christianos habent: imò Principibus Christianis, in quorum territoriis degunt, præcipi potest, ne tolerent injustitias, & injurias, quas Judæi inferunt Christianis. *Glossa in c. post miserabilem cit. V. Principes*, Vivian. *ib. in Ration.* Barbosa *à n.* 5. Vviestner *hic n.* 100. 25

Quæritur 4 an ad usuras restituendas teneantur, & compelli possint etiam hæredes usurariorum? *Certum est* teneri, & compelli posse ad restitutionem illarum saltem juxta vires hæreditatis, prout disertè traditur *c. tua nos* 9. *hoc tit.* Ratio est, quia hæ res non fuerunt defuncti; ac proinde nec hæredis esse possunt, ne alieno scelere ditescat. 2

Dubium est, an ultra vires hæreditatis, ac proinde deficientibus aliis bonis, ab usurario relictis, teneantur restitutionem facere ex propriis bonis, & patrimonio? Affirmativam defendit Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 3. *nu.* 7. & desumit hoc ex *cap. tua nos cit. cap. fin. de sepult. & cap. in litteris* 5. *de Raptor.* & hinc dicit, eos saltem teneri de Jure Canonico. 2

Sed veriùs in foro conscientiæ non tenentur; imò ne quidem in foro externo, si Inventarium confecerint. Ita Abb. *in cap.* 9. *hoc tit. nu.* 11. Sylv. *V. usura 6. qu.* 10. *dict.* 4. Azor *part.* 3. *lib.* 5. *de usuris c.* 18. *q.* 11. Vivian. *in c.* 9. *cit. v. sed dices.* Tambur. *l.* 9. *de contract. tr.* 1. *cap.* 9. §. 3. *n.* 2. Vvading *simili tr. D.* 6. *dub.* 14. §. 6. *pr.* Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 9. *num.* 461. Zoes. *hic nu.* 26. Pirhing *num.* 110. *not.* 4. Vviestner *num.* 102. Reiffenstuel *num.* 174. Magnif. P. Schmier *part.* 2. *de Delict. capit.* 2. *num.* 130. Ratio est, quia non est faciendum divortium inter Jus 2

Cano-

Canonicum, & Civile, nisi hoc constet ex aliquo rextu. talis autem textus nullus invenitur, ut mox videbimus:

54 Nam 1. *cap. tua nos cit.* potius confirmat nostram sententiam; quia ibi dicitur, Usurariorum hæredes filios ad restituendas Usuras ea districtione obligari, sicut eorum parentes. Hi autem non obligabantur ultra facultates, quas hæredibus reliquerunt. ergo nec hæredes eorum ultra istas obligabuntur. 2. *c. fin. citat.* ne verbo quidem fit mentio de Usuris, aut satisfactione pro ullo alio crimine facienda ultra vires hæreditatis. 3. *c. ex litteris* generatim solum dicitur, quod hæredes ejus, qui aliis injuriam cum damno intulit, sint compellendi ad satisfaciendum *juxta facultates suas*, h. e. defuncti, ut interpretatur, Gloss. *ibid. V. facultates*, & patet ex ratione adjecta, *ut sic a peccato valeat liberari*, ad quod solum exigitur, ut in restitutionem impendantur facultates relictæ.

55 Quæritur 5. qua actione conveniri hæredes Usurarii defuncti possint? *Certum est*, non posse conveniri actione merè pœnali ad solvendam pœnam, quam incurrit defunctus ob delictum, quia hoc morte defuncti exspiravit Covar. *l. 3. var. c. 3. num. 7.* Molin. *tr. 2. de Iust. D.* 332. *n. 2.* Pirhing *hic n.* 110. Superest igitur, ut conveniri solum possint ad compensandum damnum, a defuncto per Usurariam iniquitatem illatum. Possuntque isti sub iisdem pœnis compelli ad restituendas Usuras, per quas compelli poterat defunctus, prout sumitur ex *c. tua nos 9. hoc. titul.* ibi, *Ea sunt districtione cogendi*. Abb. *ibid. num. 4.* Molin. *num. 2. cit.* Pirhing. *num.* 110. *not.* 3.

56 Et hinc per Rescriptum, impetratum à Papa, vel alio Principe contra Usurarium ad restituendas Usuras, potest etiam conveniri hæres ipsius, etiam re adhuc integra, i. e. si nulla adhuc repetitio Usurarum ab Usurario facta sit, maximè si tempore dati Rescripti adhuc vixit Usurarius; quia hæres censetur eadem esse persona cum defuncto, ut colligitur ex *cap. significavit 36. de Rescript.* Abb. *in c. 9. cit. n.* 5. Pirh. *l. cit.* & regulare est dogma, quod sicut Actiones activæ defuncti transeunt ad hæredes, ita & passivæ, h. e. sicut hæredes possunt agere ad persecutionem, sive compensationem damni, illati in bonis defuncti ab aliis; ita vicissim etiam ipsi conveniri possunt propter delictum defuncti ad compensandum damnum ab eo illatum in bonis alterius. Vvading *de Contract. D. 6. dub. 14. §. 6. pr.*

57 Porro obligatio ista restituendi hæredes premit, etsi res Usuraria ad eos in natura non pervenerit, nec per illam hæreditas illorum aucta sit, ut post Canis. *de usur. c. 7. n. 4.* bene advertit Engl *hic §. 3. n. 3.* Reiffenstuel *n.* 175. quia de Jure Canonico Hæredes ad exonerationem conscientiæ tenentur pro viribus hæreditatis satisfacere cunctis illis, quibus per defunctum damnum illatum est, etiamsi ex tali damno hæreditas aucta non sit *arg. cap. fin. de sepult.* & *cap. in litteris 5. de Rapt.* Et quia res ista concernit salutem animæ, & ipsa ratio naturalis dictat, ut injustè læsus satisfactionem capiat ex bonis hæreditatis, etiam forum Civile huic dispositioni Juris Canonici accommodare se debet. Reiffenstuel *l. cit.*

58 Quæritur 6. utrum deficiente uno ex pluribus hæredibus, inter quos divisa hæreditas est, vel deficientibus cæteris, unus in solidum teneatur? Affirmant Gloss. *in c. tua nos 9. V. cogendi h. tit.* Navar. *Man. c. 17. nu.* 278. Salas *tr. de usur. c.* 43. & alii præsertim Veteris. Fundantur in *cap. cit.* verbis: *Filii ad restituendas usuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur.* Et additur: *Idipsum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum*. atqui parentes usurarii ad restitutionem Usurarum tenentur in solidum. ergo &c. *Conf.* quia sic anima defuncti, plena restitutione facta, certius ac citius a peccatis liberatur, & cavetur, ne bona iniquè parta hæredibus prosint.

59 Sed melius tenetur negativa, quam etiam defendunt. Abb. *in c. 9. cit. nu. 6.* Sylv. *V. usura 6. q.* 10. *Dict. 2.* Cajet. *tom. 2. Opusc. tr. 8. c.* 5. Azor *p. 3. l. 5. de usur. capit.* 18. *q.* 11. Molin. *tr. 2. de J. & J.* 332. *n.* 4. Less. *l. 2. de J. c. 20. n.* 176. Tambur. *l. 9. de Contract. tr. 1. capit. 9. §. 3. n.* 3. Haun. *tom. 3. de J. & J. tr. 9. n.* 464. Pirh. *hic nu.* 111. Vviestner. *ibid. n.* 103. Magnif. P. Schmier *p. 2. Delict. c. 2. nu.* 131. Ratio est, quia ex communi Regula inter hæredes pro rata dividuntur tam bona à defuncto relicta, quam obligationes, & debita, nisi aliud exprimatur in Jure. atqui nullo Jure expressum est, quod singuli hæredes in solidum teneantur. ergo &c.

Proceditque hoc multò magis in Legatariis; quia ad hos personalia defuncti debita non transmittuntur *l. hæreditas 62. ff. de R. J.* Molin. *n. 4. cit.* Less. *n.* 176. Tambur. *n. 6.* Pirhing. *num.* 113. Vviestner *num.* 104. Quod intelligendum est, si hæreditas, solutis ex ea Legatis, & deducta etiam Legitima, seu Quarta Falcidia hæredibus debita; adhuc sufficiens maneat ad solvendas Usuras, & reliqua debita defuncti. Secus est, si non sufficiat: tunc enim tenentur etiam Legatarii contribuere, servata proportione; quia ante omnia debent deduci debita, & istis solutis, etiam Quarta Falcidia, & quod reliquum est, dandum est Legatariis Less. *n.* 177. 260

Præterea à doctrina *num.* 259. tradita duæ aliæ fieri Exceptiones debent. 1. Si res aliqua Usuraria in specie apud aliquem cohæredum extet: nam hæc a quovis possessore illius, etiam Legatario, & mortis causa donatario restitui debet domino; quia est aliena, vel saltem danti debita, & ita semper clamat pro domino. Molin. *n. 4. cit. fin.* Less. *n.* 174. Tambur. *nu.* 5. Pirging *nu.* 112. Vviestn. *n.* 105. 2. si ante divisionem hæreditatis hæredum culpa factum est, quò minus Usuræ restituerentur; tunc enim, si omnes fuerunt in culpa, omnes, si unus illorum, ille obligabitur ad restitutionem illarum in solidum ex delicto proprio. Tambur. *n. 4.* Pirhing. *l. citat. Extept. 2.* Vviestn. *n.* 165. 261

Ad textum in contrarium allegatum ex dispositione illius *cap.* defuncti hæredes, ut ipse defunctus, ad restitutionem Usurarum tenentur in solidum simul sumpti, non singuli; nam singuli defunctum repræsentant tantum in parte, quæ ipsos contingit: & hinc obligationes defuncti in singulos transeunt tantum secundum partem. *Ad Conf.* satis cavetur, ne iniquè parta hæredibus prosint, si solvant respondentem portioni suæ portionem Usurarum. 262

Quæritur 7. quinam, & quo pacto cooperantes ad Usuras exigendas, vel solvendas teneantur ad restitutionem? Resp. Distinguendo; nam aliqui eorum se tenent ex parte Usurarii mutuantis, alii verò ex parte Mutuatarii Usuras solventis. *Priores*, si sint causa efficax, cur Usuræ exigantur, & solvantur, vel potius cur mutuum non detur gratis, & sine Usuris, peccant graviter, & obligantur ad restitutionem, saltem secundo loco, & tunc, quando Usurarius non vult, vel non potest restituere. *Posteriores* ad restitutionem non obligantur, quamvis aliquando peccent ratione scandali, sicut aliquando peccat ipse Mutuatarius mutuum sub Usuris accipiens. Azor *p. 3. l. 5. de usur. cap. 18. pr.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D.* 331. *n. 1.* Less. *l. 2. de Just. c. 20. nu.* 178. *&* 184. Palao *tr.* 30. *D. 4. p. 26. n. 1.* Pirh. *hic n.* 114. 263

Quare per se loquendo non peccant, neque ad restitutionem tenentur 1. famuli, qui recipiunt pignora, eaque asservant. 2. Qui numerant pecuniam. 3. Qui referunt omnia in Libros rationum. 4. Proxenetæ, qui quærunt eos, qui pecunia egent, & adducunt ad Usurarium: hi enim potius beneficium præstant, quam injuriam inferunt: nec est in eorum potestate, ut Usurarius det pecuniam sine Usura. 5. Qui pecuniam suam apud Usurarium deposuerunt; nam hi jure suo utuntur: conf. non peccant contra Justitiam, modo non suadeant Usurario, ut usuras exigat. Sæpe tamen hi peccant contra Charitatem, si prævideant Usurarium his pecuniis fœneraturum; quia præbent ei materiam ad exercendas Usuras: quod intellige, nisi ob necessitatem, vel utilitatem suam deponant. 6. Qui Usuras nomine Mutuatarii solvunt, vel ejusdem nomine mutuum sub Usuris accipiunt, si hoc faciant ipso sciente, & volente: secus, si is graviter fuerit invitus. Ratio horum omnium est, quia posteriores isti se tenent ex parte mutuatarii; priores ex parte mutuantis quidem, sed ad exercitium Usurarium non influunt efficaciter. Videantur Azor *capit.* 18. *cit. q. 2.* Less. *n.* 184. Palao *n.* 5. Pirhing. *num.* 114. *&* 116. *coroll.* 3. 264

Contra ad restitutionem in defectum Usurarii in solidum obligantur 1. Principes, & domini temporales, qui Lege, vel Statuto decernunt, vel per præceptum, aut per sententiam compellunt subditos debitores ad Usuras promissas solvendas, vel etiam, cum Usuræ solutæ repetuntur, prohibent, aut impediunt, ne restituantur. 265

Sylv.

Sylv. *V. usura 9. q.* 22. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de usur. c.* 18. *q.* 4. Molin. *D.* 331. *n.* 5. Leff. *c.* 20. *n.* 179. Palao *p.* 26. *n.* 6. Pirh. *n.* 115. Secus est, si prædicti solum permittant exerceri Usuras ad majora incommoda vitanda, nullum eis auxilium præbentes, nec in peccato participantes; tunc enim non censentur esse causa efficax Usurarum. Sylv. *V. usura* 7. *q.* 11. cum *citt.* Videantur dicta *num.* 11. *& seqq.*

266 2. Qui consulit, & persuadet alicui, ut sub Usuris mutuet, alias gratis mutuaturo, vel in proposito mutuandi sub Usuris confirmat; quia consilio suo est causa damni, mutuatario illati. Secus est, si consilium det, mutuo jam sub Usuris accepto, ita, ut nihil fecerit ad Usuras acquirendas; iste enim ac restitutionem etiam in defectum mutuantis non tenetur. Sylv. *V. usura* 7. *q.* 2. Sot. *l.* 6. *de Just. q.* 1. *art.* 4. *fin.* Navar. *Man. c.* 17. *nu.* 267. Azor *c.* 18. *q.* 1. Molin. *n.* 2. *&* 3. Leff. *n.* 178. Pal. *num.* 3. Pirh. *n.* 116. *coroll.* 2.

267 3. Notarius faciens scienter Instrumentum, in quo sub specie liciti contractus, sive sub nomine alterius debiti pallientur Usuræ, ita, ut ex eo postea reipsa mutuatarius cogatur solvere Usuras: quod procedit, si invito, & non consentiente Mutuatario Instrumentum confecit: secus, si ipso volente, & petente; quia tunc non fit ipsi injuria. Sylv. *l. cit. q.* 7. Azor. *q.* 6. Molin. *numer.* 6. Leff. *n.* 180. Palao *nu.* 7. Pirhing. *coroll.* 4. Hinc raro contingit, ut Notarius teneatur ad restitutionem; quia non facit Instrumentum, nisi volente Mutuatario: peccat tamen semper mortiferè talia Instrumenta conficiendo; quia facit contra juramentum suum, quod Notarii, dum munus illud suscipiunt, facere solent. Leff. *l. c.* Similiter non tenetur Notarius ad restitutionem, quando Instrumentum expresse continet Contractum Usurarium, & hic in Instrumento exprimitur, qualis est, nam ex vi talis Instrumenti non possunt exigi Usuræ. *Excipitur*, nisi alicubi consuetudo, vel statutum iniquum esset, quo cogantur Mutuatarii ad solvendas Usuras. Pirhing *l. cit.* cum reliquis *supra*. Porrò quod de Notario dictum hic est, etiam intelligi debet de testibus, qui interveniunt in tali Instrumento; quia hoc sine testibus non valet. Sylv. *q.* 9. Molin. *n.* 7. Pal. *n.* 8. Pirh. *l. cit.*

268 4. Judices, Procuratores, & Advocati, quorum patrocinio, & ope in Judicio, & extra scienter exiguntur Usuræ, vel non restituuntur, cum repetuntur. Sylv. *q.* 10. Leff. *n.* 179. Palao *nu.* 6. Pirh. *nu.* 117. *coroll.* 5. Idem est de Mediatoribus, si causa sint, cur mutuans non gratis, sed sub Usuris mutuet. Sylv. *q.* 3. Azor *quæst.* 8. Pirh. *l. cit.*

5. Famuli Usurarii, qui domini sui nomine cum Mutuatario Contractum ineunt deducendo in pactum, ut Usuras solvat, vel eum cogunt, & urgent ad eas solvendas. Sylv. *q.* 14. Molin. *n.* 8. Leff. *n.* 181. Palao *num.* 9. Pirhing *coroll.* 6.

6. Tutores, Curatores, Administratores, & negotiorum gestores, qui nomine pupillorum, vel eorum, quorum negotia gerunt, mutuant sub Usuris. Sylv. *q.* 4. Azor *q.* 10. Molin. *n.* 8. Pirhing *coroll.*

269 Quæritur 8. cui restitui Usuræ debeant? Resp. debent restitui illis, a quibus fuerunt extortæ. Si verò isti non superfint, aut inveniri nequeant, restitui debent eorum hæredibus, sive ex Testamento, sive ab intestato sint successores. Quodsi nec isti extent, debent erogari pauperibus, vel Ecclesiis, aut aliis piis locis. Sylv. *V. usura* 6. *quæst.* 12. Vivian. *in c.* 5. *h. tit. pr.* Tambur. *l.* 9. *de Contract. tr.* 1. *cap.* 9. *§.* 4. *num.* 1. *&* 2. Gonzal. *in c. cum tu* 5. *h. tit. num.* 5. Begnudell. *V. usura num.* 14. Engl *hic n.* 27. Konig. *n.* 17. Pirhing *n.* 102. *not.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 134. & sumitur ex *can. nemo* 4. *caus.* 14. *q.* 5. *& c. cum tu cit.* Nunquam autem debent Usuræ dari pauperibus, quamdiu fieri potest restitutio ei, a quo sunt extortæ; quia Justitia exigit, ut suum cuique reddatur. Gloff. *in c. cum tu cit. V. non superstitibus fin.* Pirh. *hic n.* 102. *not.* 2.

270 Quodsi ille, cui debent restitui Usuræ, sit longè absens, interest, an sciatur, ubi habitet, vel hoc ignoretur. *Si ignoretur*, vel sciatur quidem, sed ad eum mitti, quod pro restitutione Usurarum solvendum esset, non potest, restitutio rursum pauperibus fieri debet *arg. c. cum sit* 16. *de Judæis*, nisi spes sit de ejus adventu; tunc enim obsignabitur, & deponetur. Tholof. *l.* 3. *de usur. c.* 12. *n.* 3. Pirhing. *l. cit.* *Si sciatur*, ubi habitet, & Usuræ possint ad eum mitti, debent mitti. Gloff. *V. cit.* Begnudell. *n.* 14. Pirhing. *l. cit.* & quidem suis sumptibus, si Usurarius discessit a loco, ubi Usuras extorsit: alioquin verò expensis absentis, si illi, à quibus extortæ Usuræ sunt, recesserunt a loco illo. Abb. *in c. cit. n.* 9. cum *Begnudell. Pirhing &c.* Si autem sumptus itineris Usuræ summam excedenti, debet dari pauperibus, ut vult *Gloff. Pirh. l. c.* quamvis contrarium teneat Tholof. *l. cit. c.* 13. *n.* 6. quod satis probabile est in casu, quo ipse Usurarius solvere expensas debet; quia id sibi imputare Usurarius debet, quod sumptus majores sint, quam valeat res restituenda, cum damnum sentiat ex sua culpa.

Si facta restitutione pauperibus, vel Ecclesiis in casibus supra positis, postea compareat is, a quo extortæ Usuræ sunt, vel hæres illius, distinguendum est, Nam si Usurarius, qui restituit Usuras, prius diligenter inquisivit de persona ejus, qui solvit Usuras, vel ejus hæredis, ut inveniret, non tenetur amplius ad aliam restitutionem; quia bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur, ut dicitur *Reg.* 83. *in* 6. Si verò non adhibuit diligentiam debitam, renebitur nihilominus debitoribus, à quibus Usuras accepit, vel eorum hæredibus restituere; quia non debet aliena pauperibus erogare *c. sicut* 6. *§. eos insuper de Homicid.* Tholof. *l. cit. n.* 15. Pirh. *n.* 103. *not.* 4. Begnudell. *l. cit. n.* 15. 271

Quæritur 9. quænam restitui debeant ab Usurario? Resp. 1. restitui debent omnia, quæ ex pacto, vel conventione ratione mutui supra sortem accepit. Secus, est si datum sit non intuitu mutui, & sine pacto, aut conventione, ut sunt ea, quæ a mutuatario data sunt gratis, & merè liberaliter, aut in recognitionem beneficii per mutuationem accepti. Item illa, quæ a mutuante accepta sunt ratione ejus, quod interest, sive ratione damni emergentis, lucri cessantis, vel ratione pœnæ Legalis, aut Conventionalis; quia hæc ad Usuras prohibitas non pertinent, ut dictum est *supra*. Tholof. *l.* 3. *de usur. c.* 9. *n.* 1. Pirhing *hic n.* 128. 271

2. Si res fructifera mutuanti data pro Usuris sit, debent etiam restitui fructus percepti, & quos mutuatarius percepisset, si rem illam retinuisset; quia percepti sunt à malæ fidei possessore. Deducere tamen potest expensas necessarias, factas in iis fructibus colligendis, & conservandis; nam has deducere etiam prædo potest. Pirh. *l. c. V. secundò.* Imò probabiliter etiam restituere Usurarius debet fructus illos, quos ipse percepit, quamvis dominus rei illos non fuisset percepturus vel ob casum fortuitum, vel ob negligentiam suam, quia v. g. domum datam non locasset pro pensione, vel agrum non coluisset, quam tamen locavit, vel coluit Usurarius; quia satis est, quod sint fructus rei restitutioni obnoxiæ, & percepti ab Usurario. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de usur. c.* 15. Pirh. *l. c.* quamvis aliqui apud Tholof. *l. cit. n.* 5. putent, saltem in foro conscientiæ tales fructus non esse necessario restituendos. Quidquid de his fructibus sit, in id communiter DD. conveniunt, quòd Usurarius non teneatur restituere fructus, quos neque ipse percepit ob negligentiam suam, nec dominus rei ob suam negligentiam percepisset; quia non apparet, ex quo capite teneatur; non ratione rei acceptæ; quia de his fructibus nihil percepit. non ratione injustæ acceptionis; quia cum neque dominus rei illos fructus percepturus fuisset, hic per hoc Usurarii factum nullum est passus damnum. 27

3. Usurarius restituere etiam debet omne damnum, quòd mutuatarius passus est propter solutionem Usurarum, puta, si, ut posset Usuras solvere, coactus est vendere domum, vel agrum vilius, vel accipere mutuum sub aliis Usuris. Azor *l. c.* Tholof. *nu.* 6. Pirh. *vers. tertio.* Imò & lucrum cessans ipsi mutuatario ex eo, quòd solverit Usuras, cui causam Usurarius dedit. Zoel. *hic n.* 28. Pirh. *l. c.* 27

Quæritur 10. an restitui Usuræ debeant etiam ex rebus, ab Usurario in tertium aliquem alienatis? Resp. distinguendo: Vel enim sunt res ipsius Mutuatarii, Usurario pro mutuo nomine Usurarum datæ, vel sunt res propriæ ipsius Usurarii. *Primi generis* res, qualescunque illæ sint, si in specie extent, restitui debent, ad quemcunque, & quocunque titulo pervenerint, quamvis per talem alienationem ipse Usurarius non sit factus impotentior ad solvendum suis creditoribus. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 14. *dict.* 1. Leff. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *n.* 165. Pirh. *hic n.* 130. Ratio est, quia cum ipse Usurarius non habeat dominium 27

talis

talis rei, non potest illud quocunque titulo transferre in alium adeoque qui illam accepit, tenetur ad ejus restitutionem.

76 Quoad *secundi generis bona* interest, an Usurarius adhuc solvendo sit ex aliis suis bonis, vel non. *Si primum*, non debent res tales à tertio illo, in quem ab Usurario alienatæ sunt, restitui, etiamsi Usurarius post Contractum fiat impotens ad restituendum Usuras. Azor *c.* 14. *cit. dict.* 2. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 329. *n.* 8. Less. *c.* 20. *cit. n.* 167. Pirh. *n.* 131. Ratio est, quia hæ res non sunt alienæ; neque etiam aliis obligatæ pro Usuris, prout dicetur *n.* 279. ergo Usurarius validè earum dominium in tertium transfert: præterea alienatio ista non est facta in fraudem creditorum, utpote quibus, ut ponitur, adhuc satisfieri poterat ex aliis Usurarii bonis, igitur etiam injusta non est.

77 *Si secundum*, videndum est, an accipiens sciverit Usurarium per talem alienationem fieri impotentem ad restituendas Usuras, an verò probabiliter ignoraverit. *Si prius*, tunc Jure Civili cogetur accipiens restituere, etiamsi res non extet amplius, neque ex ea factus sit locupletior; quia mala fide consumpsit. Azor *l. cit.* Molin. *n.* 10. Less. *n.* 169. Pirh. *n.* 132. modò tamen a Creditoribus bona illa, aut illorum valor petantur intrà annum a die scientiæ alienationis in ipsorum fraudem effectæ: secus, si intra annum non petantur, aut petantur elapso jam anno; nam tunc neque in conscientiæ foro ad ullam restitutionem tenetur. Molin. *l. cit.* Dixi, *Jure Civili* seu in foro externo; nam in foro conscientiæ attendendum, an accipiens induxerit Usurarium ad donandum, vel alienandum, an verò iste sponte donaverit: *si induxit*, etiam in foro conscientiæ restitutionis obligatio accipientem stringit; *si verò Usurarius donavit sponte*, in hoc foro accipiens non tenebitur restituere, etiamsi sciat per hoc Usurarium fieri impotentem ad solvendum. Less. *n.* 168. Pirh. *l. cit.* & ratio est, quia in *priori* casu est causa, cur alter cum præjudicio Creditoris velit donare, non verò in *posteriori*.

78 *Si posterius* contingat, & accipiens probabiliter ignoravit, Usurarium per talem alienationem fieri impotentem ad restituendas Usuras, tunc quocunque titulo bona illa acceperit, non tenebitur talem rem restituere accipiens; quia Contractus est validus, & ipse Usurarius nulla Lege inhabilis factus ad transferendum dominium. Molin. *n.* 9. Pirh. *n.* 132. *Proceditque* hoc etiam in foro externo; neque enim hoc casu Creditoribus datur Actio ad rescindendum Contractum, ut expresse habetur *l. quod autem 6. §. hoc edictum* 8. *ff. quæ in fraud. credit. Excipitur*, nisi Usurarius sciens per talem alienationem se fieri impotentem ad restituendas Usuras, bona illa alienaverit titulo lucrativo; tunc enim accipiens teneretur in foro utroque tam externo, quam conscientiæ ea restituere, quæ accepit, si extent, vel si bona fide consumpsit, quatenus illis factus est locupletior, modò hoc a Creditoribus petatur intra annum a die scientiæ alienationis in fraudem ipsorum factæ. Molin. *n.* 9. *cit.* Pirh. *num.* 132.

79 Quæritur 11. an bona Usurarii sint tacitè Hypothecata, vel realiter obligata mutuatario pro solvendis Usuris? Videtur hoc inferri ex *c. cum tu* 5. *h. tit.* ubi jubentur bona Usurarii vendi, & ex iis solvi Usuræ, ut Usurarius, a pœna, & peccato, quod eas accipiendo incurrit, liberetur.

Sed dicendum, non esse tacitè Hypothecata: proceditque hoc, etiamsi sint empta ex pecunia Usuraria, & sive titulo oneroso, sive lucrativo pervenerint ad tertium. Ita Sylv. *V. Usura* 6. *q.* 5. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 6. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 13. *V. tertia opinio*, Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 329. *n.* 6. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *nu.* 167. Tambur. *l.* 9. *de Contract. tr.* 1. *c.* 7. §. 2. *n.* 6. Pirh. *hic nu.* 105. Ratio est, quia talis Hypotheca non oritur ex natura rei, neque ullo Jure Civili, vel Canonico est constituta.

80 *Conf.* 1. ex *c. tua nos* 9. *h. tit.* ubi non dicitur, quòd omnes, ad quos bona Usurarii pervenerunt, cogendi sint ad restituendas Usuras, sed filii, & alii hæredes, etiam extranei. ergo illi, ad quos illa pervenerunt titulo singulari v. g. venditionis, non possunt compelli ad dimittenda illa, ut ex iis restituantur Usuræ; quia non sunt hæredes. possent autem compelli, si bona illa essent tacitè Hypothecata pro Usuris; quia cum onere suo transirent, ergo &c. *Conf.* 2. quia non expediebat talem Hypothecam in bonis illis constituere, utpote qua illaquearentur conscientiæ hominum, & absterrerentur à Contractu cum Usurariis celebrando, quippe qui scirent, quæcunque ab ipsis acciperentur, sive titulo oneroso, sive lucrativo, realiter obligata esse pro solvendis Usuris, ad quoscunque devenirent, adeoque esse restitutioni obnoxia. *Conf.* 3. quia si bona Usurarii tacitè Hypothecata essent pro Usuris, tunc illa etiam quando ex titulo oneroso v. g. per venditionem translata sunt in alium, possent ab eo vendicari, cui usuræ sunt restituendæ. non autem possunt, nisi casu, quo illa accipiens scivit Usurarium tali alienatione fieri impotentem ad restituendas usuras, ut dictum est *num.* 277. ergo &c. Si titulo lucrativo alienata sint, possunt quidem illa in casu exceptionis *n.* 278. positæ vendi à Judice, non tamen strictò Jure, sed ex quadam æquitate: quod iterum probat, nullam in illis constitutam esse tacitam Hypothecam; nam vi istius possent vendi strictò Jure, cum Hypotheca det jus reale in re Hypothecata.

Ad textum in contrarium allegatum dico, *c. cit.* non loqui de bonis acquisitis ex pecunia Usuraria, postquam ab usurario in alium tertium alienata sunt; quia postquam alienata sunt, non amplius usurarius potest ex iis usuras solvere: sed sermo est tantum de illis bonis quæ adhuc manent, & extant apud ipsum usurarium. Et quidem hæc restitutioni obnoxia sunt, non quòd tacitè Hypothecata sint pro restitutione Usuræ, sed quia quamdiu sunt apud Usurarium, obligatione personali ipsius Usurarii sunt obstricta pro restitutione usuræ. & hinc obligatio ista in aliam personam, nisi hæres sit, nequaquam transit. 281

Quæritur 12. quænam causæ excusent Usurarium à restituendis Usuris? Resp. 1. excusatur ob inopiam suam, si videlicet ipse (vel ejus hæres, si Usurarius jam defunctus sit) manifestè non sit solvendo, nec habeat, unde restituere possit; tunc enim nulla pœna cogi potest ad restituendum *c. cum his* 5. *vers. illi autem h. tit.* quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit *c. olim* 16. *de restit. spoliat. l. nam is* 6. *ff. de dol.* & is, qui nihil habet, nihil dare potest *can. Daibertum* 24. *caus.* 1. *q.* 7. Vivian. *in c.* 5. *pr. h. tit.* Engl *hic n.* 28. Pirh. *n.* 103. *not.* 5. Reiffenstuel *n.* 179. Begnudell. *vers. usura n.* 15. Si tamen ad pinguiorem fortunam pervenerint, tenentur restituere, & satisfacere *arg. c. Odoardus* 3. *de solut.* Gloss. *in cap. cum tu cit. V. facultatibus*, Pirh. *l. cit.* 282

2. Excusatur si liberaliter ei a mutuatario fuit remissa hæc obligatio; nam talis remissio, si spontè, & sine fraude sit facta, valida est. Gloss. *in Reg. peccatum* 4. *V. restituatur in* 6. Covar. *ibid. p.* 2. *pr. n.* 5. Canis. *de usur. c.* 7. *n.* 5. Zeos. *hic n.* 40. Pirh. *ibid. num.* 118. Ratio est, quia etiam in aliis debitis sive Civilibus, sive Criminalibus liberè potest creditor remittere debitori jus suum quoad privatum suum interesse, cum quilibet sit rerum suarum moderator, & arbiter *l. in re* 21. *C. mandat.* nisi in casibus, in quibus jus remissioni resistit eamque prohibet, ut in casu *c. statutum* 11. §. *si quid autem de Rescript. in* 6. *& c. exigit* 2. *de censib. eod.* 283

3. Si is, qui Usuras etiam ipse extorsit ab aliis, repetat Usuras à se solutas, & hoc per modum Exceptionis opponat is, a quo repetuntur Usuræ; nam prius restitutionem earum petens non auditur, quam ipse restituerit Usuras, quas ab aliis noscitur accepisse, & extorsisse *c. quia frustra* 14. *h. t.* ubi ratio datur, *quia frustra Legis auxilium invocat, qui committit in Legem*: & nemo potest improbare mores, quibus ipse infectus est *l. in arenam* 11. *C. de inoffic. testam.* Sylv. *V. Usura* 6. *quæst.* 6. Pirh. *hic n.* 121. Imò si pater Actoris, vel alius, cujus ipse est hæres, extorserit Usuras, repetens a se solutas prius non audietur, quàm satisfecerit, prout decernitur *c. Michael* 17. *h. tit.* Abb. *ibid. num.* 2. Pirh. *hic num.* 125. & 126. Et hoc procedit, etiamsi nihil ad ipsum hæredem pervenerit; quia non convenitur ex delicto, sed ex quasi Contractu *l. un. C. ex delict. defunct.* ad compensationem damni illati: idque utroque Jure, etiam Civili. Gloss. *in c. Michael cit. V. pater*. Abb. *ibid. n.* 5. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 7. Pirh. *l. cit. vers. quinto*. 284

Excipi tamen aliqui casus debent in quibus repetens Usuras audiri debet, etiamsi ipse prius Usuras à se extortas non restituerit. Et 1. quidem, si fuit auditus, & admissus ad agendum, nulla opposita Exceptione; tunc enim non amplius potest excipi. Debetque Exceptio 285

ista,

ista, quia Dilatoria est, opponi ante litis contestationem, & probari intra octo dies *arg. c. pia* 1. *de Except. in* 6. Host. *in c. quia frustra cit. fin.* Abb. *ibid. n.* 9. Tholos. *l.* 2. *c.* 12. *n.* 5. Pirhing. *n.* 124. *not.* 3. 2. Si postquam exceptum est contra Usurarium repetentem Usuras, & denuntiatum publicè a Judice, ut, qui tali solverit Usuras, veniat, & restitutionem illarum petat, nemo compareat, qui petat; tunc enim procedet repetitio Usurarum ab actore interposita, non obstante Exceptione. Sylv. *V. usura* 6. *q.* 7. Tholos. *l. cit. n.* 4. Pirhing *not.* 4. 3. Si Actor Usuras repetens non sit solvendo; tunc enim sufficit præstare cautionem, & audiri debet, ut postea alii restituat *arg. cum olim* 16. *de restit. Spoliat. Sylv. Pirh. l. citt.* Similiter sufficiet cautio pignoratitia, aut fidejussoria, si is, cui debetur, consentiat; quia tunc satisfactum intelligitur *l. si rem* 9. §. *omnis* 3. *ff. de Pignor. act.* Gloss. *in c. quia frustra cit. V. restituerit*, Host. *ibid.* Pirhing. *l. cit.* 4. Si Actor Usuras nomine alieno repetat; nam si Clericus nomine Ecclesiæ & procurator nomine principalis eas repetat, audiri debet, etiamsi Usuras, quas ipse extorsit, nondum restituerit. Abb. *n.* 3. Pirh. *l. cit. vers. quarto.*

286 Quæritur 12. an Usurarius habeat beneficium Cessionis bonorum, sicut alii debitores, ita, ut non possit conveniri post cessionem in solidum, sed tantùm, si ad pinguiorem fortunam pervenerit, quantum facere potest, salvis alimentis necessariis juxta *l. is qui* 4. *ff. de cession. bonor.* Tres sunt sententiæ. *Prima* cum Gloss. *in capit. cum tu* 5. *V. in facultatibus* negat, ex ratione, quia hoc beneficium cessionis datur tantum iis, qui casu fortuito ad inopiam redacti sunt, non verò illis, qui ex delicto condemnati ad restituendum; & nemo debet beneficium consequi, ex quo pœnam meretur *l. ne ex dolo* 12. *ff. de dol. mal. & l. non fraudantur* 134. §. *nemo* 1. *ff. de R. J.*

287 2. Alii cum Abb. *in cap. cum tu cit. n.* 10. & 11. Joan. Andr. *ibid. n.* 9. Begnudell. *V. Usura nu.* 16. distinguunt: nam in *foro pœnitentiali* putant Usurarium etiam post cessionem bonorum teneri ad restitutionem omnimodam; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, & nemo ex alieno vivere debet: non verò teneri in foro contentioso, & Judiciali externo, nisi quatenus facere potest, sicut alius, qui cessit bonis.

288 3. Denique alii existimant, quod nec in foro conscientiæ ab Usurario repiti possint Usuræ integræ, nisi deducto eo, ne egeat, si bonis omnibus cedat; quia beneficium Cessionis bonorum concessum est Lege Civili, non in præsumptione, sed in veritate fundata: ideoque dispositio illius servanda est etiam in foro conscientiæ; & in summa necessitate omnia sunt communia.

289 Ex his sententiis prima, ut Pirhing *hic nu.* 104. *vers. alii dicunt* advertit, spectato Juris rigore, est verior, tertia tamen mitior, & æquior. Potestque satis commodè responderi ad Fundamentum primæ, nam dici potest, obligationem restituendi Usuras non tam oriri ex delicto, sed potius ex quasi contractu. Esse autem nimis inhumanum videtur propter debitum privare aliquem etiam alimentis necessariis. *Ad axioma* in eodem *Argumento* dico, satis gravari Usurarium pro debito, si propterea cedat bonis.

290 Quæritur 13. an conventus pro Usuris restituendis, appellare possit ad effugiendam restitutionem? Resp. si sit Usurarius manifestus, non posse appellare, prout decernitur *c. quam perniciosum* 11. *h. t.* Idque non est specialiter statutum in odium Usuræ, sed quia nec alius quilibet criminosus auditur appellans a condemnatione criminis *c. cum sit* 5. §. *fin. de appellat.* Intelligi autem hoc debet, quando Appellatio est manifestè frivola. Pirh. *n.* 127. *hic.*

291 Secus dicendum, si Appellatio sit interposita ex justa causa, ut quia conventus dicit, se non accepisse Usuras ab eo, qui petit eas restitui, & tamen condemnatur; vel si admittantur ejus testes ad reprobandos testes, dicentes ipsum accepisse Usuras; vel si alio modo gravetur: nam gravato, quamvis criminoso, non est deneganda Appellatio, sicut nec alia defensio, quæ est Juris naturalis *c. ut debitus* 59. *de Appellat. c. inter dilectos* 11. *de Excess. Prælat.* Gloss. *in c.* 11. *cit. V. se tueri*, Abb. *ibid. n.* 2. Pirh. *n.* 127. *fin.*

§. VIII.

De Judice criminis Usurarum, ejus Probatione, & Pœnis.

SUMMARIUM.

292 &c. *Quis sit Judex criminis Usurarum?*
296 &c. *Quis Usurarius manifestus?*
299 &c. *Modi, quibus probatur aliquis esse Usurarius manifestus?*
304 &c. *Pœna Usurariorum?*
310 &c. *Requisita, ut pœnæ hæ contrahantur.*
313 &c. *An valeat Testamentum conditum ab Usurario, saltem quoad relicta, ad causas pias?*
316 &c. *An Testamentum, ab Usurario conditum, convalescat, si deinde Usuras restituat, vel cautionem præstet de restituendo?*
320 &c. *Quid si post restitutas Usuras, & cautionem de restituendo præstitam, condito Testamento, iterum Usuras exerceat?*
322 *An valeat Testamentum, conditum ab Usurario, qui desiit quidem exercere Usuras, sed eas ante mortem non restituit, nec cautionem præstitit de restituendo?*
323 *An Testamentum Judæorum, qui sunt notorii Usurarii sit nullum.*
324 *An etiam alii Contractus, vel actus vitientur per additum pactum Usurarium?*

Quæritur 1. quis sit Judex Criminis Usurarum? Satis convenit inter DD. si Jus sit liquidum, & de facto duntaxat quæstio sit, Usurarum causam esse mixti fori, ac proinde cognitionem sæculari quoque Judici competere. 292

Controversia est, quando est quæstio de Jure, v. gr. an Contractus, quem celebratum esse constat, Usurarius sit, vel non. Gloss. *in c. cum sit* 8. *V. malefactores de for. compet.* Clar. §. *Usura nu.* 8. Azor. *p.* 3. *l.* 5. *de usur. c.* 18. *pr.* & alii apud Farin. *prax. crim. tit.* 1. *q.* 8. *n.* 134. volunt cognitionem competere soli Judici Ecclesiastico. Moventur 1. textu *c. quoniam* 2. & *præter ea* 7. *h. tit.* ubi in Laicos Usurarios dicitur districtione Ecclesiastica procedendum, & Excommunicationis ferenda sententia. 2. *Clem.* 2. *de Judic.* ubi causa Usurarum Ecclesiasticis accensetur. 3. *ratione*; quia in ejusmodi quæstione agitur de peccato, cognoscere autem, an actus peccaminosus sit, ad solius Ecclesiæ Judicium pertinet *c. novit* 13. *vers. non enim de Judic. c. per Venerabilem* 13. *v. rationibus igitur. Qui fil. legit.*

Sed dicendum, cognitionem hanc esse mixti fori, & competere tam Judici Sæculari, quam Ecclesiastico. Sylv. *V. Usura* 9. *pr.* Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *nu.* 1. Menoch. *de Arbit. c.* 398. *n.* 4. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 333. *n.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 8. *n.* 140. Canis. *de Usur. c.* 9. *nu.* 4. Pirh. *hic n.* 142. Reiffenst. *ibid. n.* 193. Begnudell. *V. usura n.* 35. quod probatur triplici Argumento. 1. quia talis cognitio Judici Ecclesiastico soli nusquam, bene autem & sæculari attribuitur per *c. post miserabilem* 12. *hoc. tit.* neque ibi distinguitur inter quæstionem Juris, & facti. 2. quia Usura plus Spiritualitatis non continet, quam homicidium, furtum, adulterium, & cætera crimina, quæ Justitiæ, & Juris naturalis præceptis adversantur. ergo sicut horum, ita & Usurarum cognitio ad Judicem sæcularem saltem cumulativè pertinet. 3. quia de facto Usuræ etiam Sanctionibus Imperialibus, & Regiis passim reprobantur, & causæ illarum in foro Sæculari tractantur, ut adeò, si non ex alio capite, saltem ex consuetudine cognitio de isto crimine Judici Sæculari competat. 293

Excipitur 1. quando perpetua, & Legali Sanctione statuendum esset, an pactio, vel Contractus aliquis Usurarius, aut alias injustus, & peccaminosus sit, vel non sit; nam doctrinam, fidelium mores spectantem, firmiter declarare soli Papæ concessum a Christo est verbis, *Pasce oves meas.* Joan. 21. *v.* 18. *Excipitur* 2. si alicubi Usuræ profanis Legibus non essent prohibitæ, nec à Sæculari potestate coercerentur; nam in his locis causarum Usurariarum cognitionem soli Judici Ecclesiastico competere observat Lugo *tom.* 2. *de J. & J. D.* 25. *sect.* 11. *n.* 150. *Excipitur* 3. ubi consuetudo eam cognitionem Curiæ Sæculari ademit. Lugo *l. cit.* Pirh. *n.* 142. Wiestn. *n.* 115. 294

295 Ne-

5 Neque aliud probant Argumenta contraria. *Ad* 1. *&* 2. iis textibus solùm probatur, quod crimen istud non sit fori Sæcularis tantum, quia coerceri etiam pœnis Ecclesiasticis potest. *Ad* 3. adhibenda est distinctio *n. præc.* insinuata; nam etsi ad Judicem Ecclesiasticum solum pertineat, generali & legali definitione decernere, ac definire, an aliquid peccatum sit, vel non; in casu tamen particulari, quando quæritur, an hic, vel ille Contractus injustus, & Legibus contrarius sit, non apparet, cur cognoscere, & judicare nequear Curia sæcularis.

6 Quæritur 2. quomodo probetur quis esse Usurarius manifestus? Resp. Usurarius manifestus, sive notorius potest quis esse duplici modo, scilicet notorietate Juris, & facti; *Priori modo* notorius Usurarius est, qui tanquam talis condemnatus, aut confessus in Judicio, vel legitimis testimoniis, aut aliis argumentis convictus est, *Posteriori* ille, qui sub Usuris mutuum publicè, sive in omnium conspectu, etiam semel, vel domi suæ quibusvis ad se accedentibus assiduè, & frequenter dedit, ut de hoc publicè constet. Sylv. *V. Usura* 9. *q.* 1. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 4. Menoch. *de arbitr. cas.* 235. *à n.* 9. Azor *p.* 3. *l.* 5. *de usur. c.* 19. *vers. quæres*. Vvading. *de Contract. D.* 6. *dub.* 14. §. 3. *vers. manifestus*, Præposit. Frising. *cons.* 15. *n.* 327. Vviest. *hic n.* 106. Reiffenst. *ibid. n.* 183.

7 Dixi, *etiam semel*; nam si publicè exercita Usura sit, non requiritur pluribus actibus hoc fuisse factum, ut Usurarius manifestus quis dici possit, sed sufficit, si unus talis actus exercitus sit. Ita Navar. *Man. c.* 17. *n.* 280. Azor *c.* 19. *cit. vers. quæres*. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 333. *n.* 2. Begnudell. *V. Usura n.* 14. Pirh. *hic n.* 143. Neque etiam necessarium est, ut in mutuo formali quis Usuras exerceat, sed satis est, si in mutuo virtuali, sive implicito, ut si quis rem vendat supra justum pretium rigorosum seu summum ob dilatam ad tempus solutionem. Sylv. *V. usura* 9. *q.* 2. *Molin. Azor. Pirh. l. citt.* & colligi videtur ex *c. ad nostram* 5. *de Empt.*

8 Porro probatio istius criminis difficilis admodum est; nam propter tot titulos, pro Usura coloranda allegari solitos non facilè deprehenduntur, aut convincuntur fœneratores de crimine: hinc rarissime sunt manifesti, & pœnæ in foro externo subjecti; Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 140.

9 Modi, ex quibus probari Usurarius manifestus potest, varii sunt; Et 1. quidem ex evidentia facti, si quis palam, omnibus videntibus, sub Usuris mutuet in ipso foro, aut domi suæ frequenter, & assiduè; nam ob ipsam actuum frequentiam censetur Usurarius manifestus. Sylv. *V. Usura* 9. *q.* 1. *dict.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 235. *n.* 9. *&* 16. Mascard. *de Probat. concl.* 1426. *n.* 3. Præpos. Frising. *cons.* 15. *n.* 328. quamvis addant, requiri sententiam quandam Declaratoriam Judicis. Menoch. *n.* 11. Mascard. *n.* 7. Pirh. *n.* 144. *vers. jam vero*.

2 Per Confessionem propriam in Judicio factam, qua fateatur se sub Usuris sæpius, publice, vel domi frequenter mutuasse; Sylv. *l. cit. dict.* 1: Menoch. *n.* 20. Mascard. *n.* 8. *&* 10. Vvading. *de Contract. D.* 6. *dub.* 14. §. 3. Pirh. *loc. cit. vers. secundo*. Vel etiam per Confessionem extra Judicium factam coram Sacerdote, qui est Judex illius quoad forum animæ, vel Notario, aut saltem coram testibus, ita, ut ad plurium notitiam pervenerit. Gloss. *in c. quanquam* 2. *V. manifesti junct. addit in* 6. Sylv. *loc. cit. dict.* 3. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 4. *vers. tertio*, Menoch. *loc. cit. n.* 21. Mascard. *n.* 11. Pirh. *loc cit.*

3 Per legitimos, & idoneos testes saltem duos, vel tres, qui testentur se sæpius vidisse hunc mutuo dantem sub Usuris: quales sunt, qui nullum commodum vel principaliter, vel in consequentiam ex mutuo, sub Usuris dato, sperare possunt. Menoch. *n.* 22. *&* 2. *seqq.* Pirhing Vvadingus *loc. citt.* Quod si isti deponant solum de fama, & opinione communi, testando, quod audiverint apud omnes, vel majorem partem populi, indicium quidem faciunt, non tamen probationem plenam; hinc ut plenè probatum ab his censeatur Usuræ crimen, accedere alia debent adminicula, quibus probatio integretur Sylv. *l. cit. quæstio* 3. Menoch. *n.* 27. Mascard. *concl.* 1425. *n.* 28. *&* 2. *seqq.* Pirh. *vers. quarto*.

4 Per conjecturas, & incida, dummodo illa sint aperta & evidentia *cap. cum in Diœcesi* 15. *hoc tit.* Sylv. *quæst.* 3. *cit.* Pirh. *numer.* 144. quia cum crimen hoc secundum dicta *num.* 298. difficilis probationis sit, ad illud probandum etiam admittuntur conjecturæ, & indicia, si tamen gravia sint, & cum delicto moraliter certò conjuncta. Porrò Argumenta, seu indicia, quæ cum fama publica sufficiant ad convincendum, & publicandum per Judicem Usurarium manifestum, sunt, si vendebat merces cariore pretio ob dilatam solutionem, secundùm dicta *n.* 53. *& seqq.* si emit res cum pacto de retrovendendo majore pretio aut fructibus sibi retentis *c. ad nostram* 5. *de Empt. c. illo* 4. *de Pignor.* vel quia reperiuntur apud illum instrumenta Usuraria; vel quia aliàs publicè renuntiavit Usuris. Joan. Andr. *in c.* 15. *cit. n.* 2. Abb. *ibidem n.* 6. Pirhing *n.* 146. *not.* 2. *vers. porro*, Begnudell. *V. Usura n.* 27.

5 Ex libris rationum; quia tales Libri, etsi non probent pro scribente *l. instrumenta* 5. *l. rationes* 6. & *l. seq. C. de Probat.* probant tamen contra ipsum scribentem, & quidem eum esse Usurarium manifestum, si ex hujusmodi Rationibus frequentia actuum detegatur. Sylv. *q.* 3. *cit.* Menoch. *n.* 30. Mascard. *concl.* 1426. *n.* 14. Pirhing *n.* 147. Præpos. Frising. *cons.* 15. *n.* 328. Possuntque Usurarii, & eorum hæredes ad libros istos edendos compelli per censuram Ecclesiasticam *Clem. un.* §. *cæterum h. tit.* vel si nihilominus reluctentur, licebit adhibere vim ingrediendo ipsorum domos, & arcam frangendo; quia cùm ad edendas Rationes suas teneantur, quibuscunque modis licitis potest fieri compulsio. Abb. *in Clem. cit. n.* 12. Pirhing *l. cit.* Neque creditur Usurario, etiam jurato, si dicat se non habere rationes, vel illas se amisisse, nisi probet se illas amisisse, casu fortuito v. g. incendio, vel ruina. Pirhing *l. cit.* 303

Quæritur 3 quæ sint Usurariorum pœna? Resp. plures utroque Jure in hos constitutæ sunt. 1. incurrunt Infamiam *can. infames* 2. §. *porro fin. caus.* 3. *q.* 7. *c. inter dilectos* 11. *de Excess. Prælat. l. improbum* 20. *C. ex quibus caus. infam. irrog.* Sylv. *V. Usura* 9. *q.* 4. *pr.* Azor *p.* 3. *l.* 5. *de Usur. c.* 19. *vers. prima*, Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 334. *n.* 1. *&* 2. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 20. *num.* 186. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *cap.* 16. *n.* 21. Carpzov. *pract. crim. q.* 92. *n.* 32. Vvading. *de Contract. D.* 6. *dub.* 14. §. 5. Palao *tract.* 30 *D.* 4. *p.* 30. *n.* 1. Vallens. *hic* § 4. *nu.* 5. Engl *num.* 50. *fin.* Pirh. *n.* 148. Konig *nu.* 17. Reiffenstuel *num.* 184. Præpos. Frising. *cons.* 15. *n.* 334. Begnudell. *V. Usura n.* 21. Magnif. P. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *n.* 137. Quod procedit non tantùm de iis, qui quantitatem à LL. determinatam excedunt, sed etiam, qui Usuras intra terminos à Jure civili permissos exercent, ut probabiliùs post *Gloss. Cyn. Salicet. & alios* docent Covar. *l.* 3. *var. cap.* 3. *n.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 398. *n.* 30. Salas *de Usur. dub.* 47. *n.* 2. Palao *l. cit. num.* 2. ex quo enim Leges civiles Usurarium afficiunt infamia, censendæ sunt omnem Usurarium reprobatum afficere, maximè cùm omnis Usurarius Lege tam Pontificia, quam naturali, & Divina, & civili recentiori reprobetur. Infamia tamen hæc, si Usurarii resipiscant, & usuras restituant, ex æquitate saltem Canonica cessat, ut notant Bald. *in l. Cassius* 17. *fin. ff. de solut.* Felin. *in c.* 1. *de Probat. nu.* 19. Matth. de Afflict. *sing.* 196. Salas *l. cit. n.* 1. Vviestner *n.* 108. 304

2 Neganda ipsis est Absolutio Sacramentalis, Eucharistiæ Sacramentum, Sepultura Ecclesiastica, nec admittendi sunt ad oblationes, præsertim illas, quæ inter Missarum solemnia fiunt, nisi pœnitentes pro facultatum suarum possibilitate Usuras restituerint, vel de restituendis cautionem præstiterint *c. quia in omnibus* 3. *h. tit. cap. quanquam* 2. *eodem in* 6. Abb. *in c.* 3. *cit. à n.* 1. Sylv. *l. cit. vers. secunda*, *& seqq.* Azor *vers. secunda*, Molin. *nu.* 3. *&* 4. Less. *n.* 186. *& seqq.* Layman *n.* 21. Carpzov. *n.* 31. Palao *n.* 6. 7. *&* 8. Vallens. *n.* 5. Engl *n.* 32. *&* 34. Pirh. *n.* 152. *& seqq.* Konig *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 187. Præpos. Frising. *n.* 324. *& seqq.* Begnudell. *n.* 21. Magnif. P. Schmier *n.* 139. Quod si aliquis Clericus Usurarium manifestum admiserit ad Ecclesiasticam sepulturam, ipso facto excommunicatur *Clem.* 1. *de sepult.* à qua excommunicatione non debet absolvi, quousque arbitrio Episcopi satisfecerit. Palao *n.* 8. 305

3 Fiunt Irregulares, & promoveri nequeunt ad Ordines *can. maritum* 2. *dist.* 33. *& can. seditionarios* 8. *dist.* 46. & ad Beneficia, vel Officia Ecclesiastica *can. de Petro* 4. *dist.* 47. *inter dilectos* 11. *de Excess. Prælat.* Less. *num.* 186. Layman *num.* 21. Pirhing *numer.* 149. Reiffenstuel *num.* 186. Præpos. Frising. *n.* 334. *fin.* Schmier *num.* 138. Item si Clerici sint, suspenduntur, & hac pœna non 306

non proficiente, omnino deponuntur à Beneficio, & Officio Ecclesiastico legitimè obtento; si verò sint Laici, excommunicantur, *can. si quis* 5. *dist.* 47. *c. præterea* 7. *hoc tit.* Host. *in summ. n.* 10. Molin. *n.* 2. Palao *n.* 4. Vallens. *n.* 6. Engl *n.* 31. & 32. Pirh. *n.* 149. & 150. Konig *numer.* 17. Vviestner *n.* 110. Reiffenstuel *n.* 186. Præpos. Frising. *n.* 342. Begnud. *n.* 21. Schmier *n.* 38. poterit tamen Episcopus post restitutionem Usurarum factam, & peractam pœnitentiam cum tali Clerico dispensare *c. at si Clerici* 4. §. *de Adulteriis de Judic.* Gloss. *in c. præterea cit. V. suspendas*, Azor *c.* 19. *cit. vers. prima*, Laym. *n.* 21. Palao *n.* 5. Quare poterit illum sic damnatum habilem reddere ad Beneficia obtinenda, & retinenda quæ habet; non vero ad recuperenda, quibus privatus est absolutè, si ea alii collata sint, cum Episcopus jus alteri quæsitum non possit tollere. Palao *loc. cit.*

307 4 Contrahunt Intestabilitatem activam, ita, ut eorum Testamenta, & aliæ ultimæ Voluntates non valeant, iisque nemini interesse liceat; nisi plures restituerint, & de iis restituendis cautionem idoneam præstiterint *c. quamquam* 2. *hoc tit. in* 6. Sylv. *restitutio* 6. *q.* 1. & *V. Usura* 9. *q.* 4. *vers. septima*, Navar. *Man.* 17. *numer.* 280. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 6. Molin. *loc. cit. n.* 13. Less. *n.* 188. *vers. sexta*, Laym. *n.* 21. Palao *n.* 8. *vers. insuper*, Vvading. §. 4. *n.* 1. Carpzov. *n.* 32. Vallens. *n.* 5. Pirh. *n.* 156. 160. & 161. Engl *n.* 35. Konig *n.* 17. Vviest. *n.* 111. Reiffenst. *n.* 189. Præpos. Frising. *n.* 333. Begnudell. *n.* 21. Schmier *n.* 136.

308 5 Puniuntur amissione sortis, alicubi totius, alibi alicujus partis ejusdem, quæ in Germania est pars quarta, & cum Usus, ex ea perceptis, fisco cedit, ex *Constitutione Maximiliani I.* 1500. *Caroli V.* 1548. *Augustæ*, & *Rudolphi II.* 1577. *Francofurti* editus, & promulgatis. Gaill. *l.* 2. *obs.* 4. *n.* 1. Canis. *de Usur. c.* 9. *n.* 5. Modestin. Pistor. *p.* 2. *q.* 97. *n.* 8. Vvading. *de Contract. l.* 6. *dub.* 14. §. 5. Carpzov. *q.* 92. *cit. n.* 23. & 28. Pirhing *n.* 172. Vviestner *n.* 113. Reiffenst. *n.* 188.

309 6 Præter has pœnas etiam aliis arbitrariis; & extraordinariis puniri possunt à Judice tam Ecclesiastico, quam Sæculari, præsertim verò pecuniaria, ut in eo in quo peccarunt, mulctentur. Tholos. *l.* 3. *de Usur. c. ult. n.* 4. & 7. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 4. Pirh. *n.* 172. & interdum etiam fustigationis, relegationis, & carceris. Marant. *p.* 6. *Specul. n.* 114. & *seqq.* Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 2. Clar. §. *Usura n.* 5. Menoch. *de arbitr. cas.* 398. Carpzov. *q.* 92. *cit. n.* 29. nam fœneratores improbi, dolosè exigentes, quod eis non debetur, incidunt in crimen stellionatus *l. stellionatus* 3. *ff. stellionat.* 2. & *l. seq.* §. *pœna ff. eod.*

310 Quæritur 4. quinam Usurarii pœnas hactenus recensitas contrahant; Resp. contrahuntur fere tantum ab Usurariis manifestis *c. cum in Diœcesis* 15. *hoc tit.* Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 334. *n.* 5. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 30. *n.* 16. Vvading. *de Contract. D.* 6. *dub.* 14. §. 3. *pr.* Haun. *tom.* 3. *de J. & J. tr.* 9. *n.* 467. Præpos. Frising. *cons.* 15. *n.* 340. Begnudell. *V. Usura n.* 21. Schmier *p.* 2. *de Delict. c.* 2. *numer.* 139. Engl *hic n.* 25. Pirh. *n.* 15. Vviest. *n.* 106. Possunt tamen etiam non manifesti à Judice tam Ecclesiastico, quam Sæculari pro qualitate delicti affici pœna arbitraria; quia ad rectam Reip. gubernationem pertinet, ut is, qui delictum probatus fuerit commisisse, plecti possit, tum ne iterum delinquat, tum ne alii ex hoc ansam delinquendi sumant; Palao *loc. cit.*

311 Quare, ut pœnæ Juris locum in Usurario habeat, requiritur 1. ut sit Usurarius manifestus; Quinam autem pro tali habendus sit, dictum est, *n.* 296. 2. desideratur sententia Judicis declaratoria, quod aliquis sit Usurarius manifestus seu notorius *arg. c. cum secundum* 39. *de Hæret. in* 6. Ratio est, quia, ut *n.* 298. dixi, propter varium & speciosum interesse adinventum, Usuraria iniquitas adeo facilè declinatur, aut palliatur, ut eam semel, iterumque exercuisse, ne dicam, frequentissime, raro aliquis convincatur, 3. necesse est, ut lucrum actu, & effectivè perceperit ex contractu Usurario; quia si non percepit, non punitur pœna saltem ordinaria, licèt Contractum Usurarium celebraverit, & celebrasse convictus sit, quippe qui nondum censetur esse opere ipso plene perfectus. Ugolin. *de usur. c.* 26. Mantic. *de tacit. p.* 1. *l.* 8. *tit.* 24. Farin. *prax. crim. q.* 163. Begnudell. *V. usura n.* 21.

312 Porro tam à culpa, quam à pœna, & obligatione resti- tuendi immunem se aliquis reddere potest, si loco mutui emat Censum percipiendi v. g. annuos 5. pro 100. vel si id faciant, aut facere intendant per tacitum, vel expressum contractum societatis, ut fieri potest in casu, quo sortem principalem dat ei, qui cum illa negotiatur, & lucrum honestum quærit, ita, ut iste præstet industriam, ille verò pecuniam ea conditione, ut de lucro, quod ex sorte principali acquiritur, tribuatur pars subministranti pecuniam v. g. annuatim quinque de quo vide *supra n.* 146. & *duos seqq.*

Quæritur 5. an valeat Testamentum, ab Usurario notorio conditum, saltem quoad relicta ad causas pias? Conveniunt DD. non valere, quando Usurarius, qui tale Testamentum condidit, decessit impœnitens; quia Testamentum ejus est ipso Jure irritum *can. quanquam* 2. *fin. hoc tit. in* 6. cons. idem est, ac si de rebus suis omnino nullam dispositionem fecisset. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 334. *n.* 11. Pirhing *hic n.* 161. 31

Si verò signis pœnitentiæ editis decessit, ea valere affirmat Sylv. *V. Usura* 9. *quæst.* 7. *vers. quantum*, Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *fin.* Molin. *D.* 334. *cit. n.* 11. Præposit. Frising. *cons.* 15. *n.* 338. Begnudell. *V. Usura nu.* 23. Pirhing *loc. cit.* etiamsi Usurarius, qui Testamentum condidit, non restituerit, nec idoneè caverit de restitutione facienda, & Testamentum sit nullum quoad reliqua; idque ex æquitate, & favore piæ causæ. 314

Contrarium tenent Vasq. *Opusc. Moral. tr. de Testam. c.* 9. §. 1. *dub.* 8. *n.* 32. Lugo *tom.* 2. *de Just. D.* 24. *sect.* 4. *n.* 70. quia id contra expressa verba Legis Canonicæ, sine sufficienti fundamento asseritur. Verum hoc solum probat non valere, spectato rigore Juris; secus de æquitate. 3

Quæritur 6. an si Usurarius manifestus condat Testamentum, non restitutis Usuris, nec idonea cautione præstita de iis restituendis, adeoque Testamentum sit ipso Jure nullum, sed postea ante mortem restituat vel cautionem de restituendo præstet, Testamentum convalescat? Videtur non convalescere; quia quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *Reg.* 29. *ff.* & non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit *Reg.* 18. *in* 6. item quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest *Reg.* 210. *ff.* & hinc invalidum manet Testamentum, ab impubere conditur, etiam pubertate adveniente & factum à filiof. vel Servo, subsequente emancipatione, vel manumissione. 3

Sed tenenda est affirmativa, quam etiam defendunt Gloss. *fin. in c. quanquam* 2. *hoc tit. in* 6. Sylv. *V. usura* 9. *q.* 6. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 9. *vers. duodecimò.* Tholos. *l.* 3. *de Usur. c.* 14. *n.* 4. & *seqq.* Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 334. *n.* 14. Vasq. *Opusc. Moral. tr. de Testam. c.* 9. §. 1. *dub.* 8. *n.* 33. Salas *de usur. dub.* 47. *n.* 10. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 30. *n.* 11. Lugo *tom.* 2. *de Just. D.* 24. *sect.* 4. *n.* 71. Pirh. *hic n.* 163. Præpos. Frising. *cons.* 15. *n.* 337. Begnudell. *V. Usura n.* 24. 3

Ratio est 1. quia causa Testamenti est favorabilis, ideoque pro illo, & in ejus favorem resolvendum est *c. fin. de sent. & re judic.* 2. quia Testamentum non tam pendet à tempore, quo conditur, quam à tempore mortis Testatoris, quia morte confirmatur *Hebr.* 9. & *cap. cum Martha* 6. *vers. cæterum de celebr. Miss.* ejusmodi autem Testamentum ante mortem Testatoris habuit omnia necessario requisita ad ejus valorem. 3. quia voluntas testatoris ambulatoria est usque ad ultimum vitæ spiritum, & ita ex arbitrio ejus mutari, & revocari, vel confirmari potest *l. quod si* 4. *ff. de adim. Legat.* igitur sicut Usurarius potest testamentum validè factum post cautionem idoneam, revocare, ita & invalidè conditum ob omissam cautionem, eadem præstita, velut nova voluntate confirmare. 4. quia quando causa confirmans supervenit, id, quod ab initio fuit nullum, confirmatur ex jure superveniente *l. si rem* 29. *ff. de Pign. act.* & exemplum est in alienatione rei minoris, facta invalidè sine Decreto Judicis, quæ confirmatur, si minor superveniente ætate majore, id ratum habuit *l. si sine C. si major factus &c.* 3

Ad Argumentum contrarium imprimis regula ibi allegata, ut notat Tholos. *l. c. n.* 7. tantum procedit in contractibus inter vivos, qui statim debent valere, & suspendi non possunt; non autem in Testamentis, & ultimis Voluntatibus quæ suspenduntur, & ex tempore futuro effectus eorum pendet. Imo neque in actibus inter vivos universi

versim procedit hæc Regula; sed cum Dyno in *Reg.* 18. *in* 6. *num.* 8. *& seqq.* distinguendum est; Vel enim durat causa impediens, aut cessavit. *Si primum*, Regula illa est simpliciter vera. *Si secundum*, interest, an supervenerit causa confirmans, vel non supervenerit. *Si non supervenit*, Iterum non convalescit actus ab initio invalidus. *Si supervenit*, Regula non habet locum. In casu autem nostro supervenit actus confirmans, scilicet voluntas testatoris non impedita; cons. Testamentum ejus convalescit, non ob solum temporis lapsum, sed interveniente alio actu confirmante. Similiter distinguendum est, cum dicitur, quod Institutio inutilis, & invalida non possit tractu temporis convalescere; nam hoc solum verum est, quando defectus est in substantialibus Testamenti, ut si quis simpliciter sit prohibitus à factione Testamenti; secus est, si solum sit defectus in accidentalibus, quæ extrinsecè tantum impediunt, ut omissa cautio; tunc enim, ablatis hujusmodi accidentalibus impedimentis, confirmari potest Institutio, quæ ab initio fuit nulla, ut notant Joan. Andr. *in c. quanquam cit. n.* 13. Tholos. *loc. cit. n.* 7. *fin.* Pirh. *n.* 164.

10 Quæritur 7. an si Usurarius manifestus, cum Testamentum condere vellet, restituit quidem Usuras, vel saltem de iis restituendis idoneam cautionem præstitit, sed post conditum Testamentum iterum non publicè, sed occulte exercuerit Usuras, Testamentum ejus valeat? Negant valere Abb. *in cap. quia in omnibus* 3. *num.* 10. *hoc tit.* Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 3. *n.* 9. *vers. decimo*; tum quia præsumitur cautio ista, & pœnitentia ficta fuisse; tum quia non videtur destitisse, qui iteravit; & nova delicta repetita etiam repetita pœna plectenda sunt *cap. ea, quæ* 1. *de Pœnis*. Id tamen difficile videtur Vasq. *Opusc. Moral. tr. de Testam. c.* 9. *dub.* 8. *n.* 33. & dubitat etiam Abb. *loc. cit. num.* 11. quia cum talis per occultam repetitionem criminis Usurarum non fiat manifestus Usurarius, non videtur Testamentum propterea debere annullari, præsertim cum pœna hæc sit restringenda.

11 Quare dicendum videtur, quod in foro conscientiæ non valeat Testamentum, si ex reditu ad Usuras appareat pœnitentia fuisse ficta; secus, si ficta non fuit, sed verisimiliter creditur absque fictione sincerè & animo restituendi præstitisse cautionem; tunc enim ex eo, quòd secretè usuras postea iterum exerceat, non redditur invalidum Testamentum. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 334. *n.* 15. Palao *tr.* 30. *D.* 4. *p.* 30. *num.* 11. Lugo *D.* 24. *sect.* 4. *num.* 71. Pirhing *hic num.* 162. Si tamen postea probetur, quòd talis post conditum Testamentum, & præstitam cautionem iterum Usuras exercuerit, nec illas restituerit, tanquam Usurarius manifestus fiet intestabilis. Tholos. *de Usur. lib.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Pirhing *loc. cit.*

12 Quæritur 8. an, si quis ante, vel post conditum Testamentum Usuras exercuit, sed postea desinat eas exercere, non tamen restituit, sed cautionem præstitit ante mortem, Testamentum ejus sit validum? Resp. negativè. Ita Covar. *l.* 3. *var. cap.* 3. *n.* 9. *vers. nono*, Clar. §. *Testamentum q.* 26. *num.* 4. Tholos. *c.* 14. *cit. n.* 12. Pirh. *num.* 165. Ratio est, quia manente ratione, & fine Legis, manet etiam ejus dispositio: atqui ratio Legis, & finis pœnæ per eam statutæ, qua decernitur irritum esse Testamentum Usurarii, & hic prohibetur testari est restitutio Usurarum, ut per eam Usurarius consequi absolutionem à peccato possit *cap. cum tu* 5. *hoc tit.* ergo quamdiu non est satisfactum, debet remanere pœna. *Conf.* quia non ideo minus dicitur Usurarius, quia desiit Usuras exercere.

13 Quæritur 9. an Testamenta Judæorum, qui sunt notorii Usurarii, sint nulla? Valida esse existimant *Sylv. Clar. Azor.* & alii apud Barbosa *in cap.* 2 *hoc tit. in* 6. *n.* 10. Sed probabilius sunt invalida, si sine cautione præstita de Usuris restituendis, sint condita; quia licèt Judæi, & alii Infideles quoad Spirituales pœnas non sint subjecti Ecclesiæ, quoad temporales tamen pœnas, & quoad Contractus subjiciuntur Jurisdictioni Principum, in quorum terris degunt. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *n.* 9. *vers. septimo*, Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 334. *n.* 12. Lugo *D.* 24. *sect.* 4. *n.* 70. Pirhing *num.* 167.

14 Quæritur 10. an si mutuo, vel alii Contractui per se licito & Jure non reprobato adjectum sit pactum Usurarium. Contractus hic vitietur? Resp. non vitiari Contractum, sed solum pactum. quod proinde pro non adjecto habetur; quia utile per inutile viriari non debet, maximè si utile ab inutili separari possit, *Reg.* 37. *in* 6. & ibi Dynus; pacta enim sunt velut accidentia, quæ possunt abesse sine corruptione substantiæ, cui adhærent. Gaill. *l.* 2. *obs.* 4. *num.* 6. *& seqq.* Tholos. *lib.* 3. *de Usur. c. ult. num.* 7. §. 12. *& seqq.* Secus est, quando ipse Contractus principalis est illicitus, & Jure reprobatus; nam tunc ille, & omnia pacta ipsi adjecta essent nulla, & inutilia: quia corruente principali, tanquam fundamento, necesse est corruere etiam omnia accessoria. *Reg. cum principalis* 178. *ff. & Reg. accessorium* 42. *de R. J. in* 6. Gaill. *loc. cit. num.* 10. *& obs.* 5. *num.* 14. Tholos. *loc. cit.* Pirh. *n.* 172. *vers. alterum.*

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

1 *Crimen falsi Furto simillimum est.*
2 *Falsi triplex acceptio.*
3 *Definitio.*
4 *&c. Requisita ad Crimen falsi.*
9 *Est crimen gravissimum.*
10 *Publicum, & exceptum.*
11 12. *Divisio ejus in Species subjectas.*
13 *Dicto committitur a Teste, Advocato, & Judice.*
14 *&c. Modi, quibus contingere Crimen falsi potest circa testimonium.*
17 *&c. Pœna Testis falsi.*
22 *Pœna Advocati.*
23 24 *Et Judicis committentis falsum.*
25 *&c. Modi, quibus Crimen falsi committitur Scripto.*
29 *&c. Pœna falsarii Litterarum Apostolicarum.*
32 *&c. Quinam pœnas istas incurrant?*
36 37 *An pœnas istas incurrat etiam ille, qui in Rescripto Justitiæ immutat aliquid?*
38 *&c. Aut qui Litteras Apostolicas radit in una Syllaba, vel paucis Litteris?*
42 *&c. Vel qui eas corrigit ad mentem Papæ?*
45 *&c. Modi, quibus crimen falsi committitur facto.*
49 *&c. Quinam censeantur falsarii Monetæ?*
51 *&c. Pœna illorum.*
56 57 *Pœna tondentium, radentium, aut tingentium Monetam.*
58 *&c. Pœna cudentium monetam justam authoritate propria.*
61 *Quid dicendum de iis, qui Monetam cudunt ex auro, vel argento Alchimistico?*
62 *Modi, quibus falsi crimen committitur Usu.*
63 *&c. Pœna istorum.*

POst crimen Furti, & Usurariæ iniquitatis sequitur de *Falsi crimine*; nam Usurarii plerumque utuntur falsitate ad extorquendas Usuras illicitas. & Crimen falsi furto simillimum, si non pro specie furti habendum est, ut putat Damhouder. *prax. rer. crim. c.* 119. *n.* 1. Subdolum enim, inquit *ibidem*, & occultum furandi genus est, rem aliquam falso, malitioso, & excogitato animo corrumpere, & falsitatis fuco decipere. 1

Quæritur 1. quid sit *Falsum, & Falsitas*? Resp. Falsum potest accipi tribus modis, largissimè, largè, & strictè. Farin. *prax. crim. q.* 150. *num.* 7. *Largissimè* sumptum est omne id, quod non est verum, etiamsi non procedat ex fraude, vel dolo alicujus *l. si is* 13. §. *utrum* 3. *ff. de reb. dub. Largè* sumptum est mutatio Veritatis cum dolo facta, quamvis alteri ex hoc nullum enascatur præjudicium; & in hac significatione Falsum sub se comprehendit quodvis mendacium, licèt illud in Crimen falsi non incidat. Bartol. *in l. quid sit falsum* 23. *ff. de Leg. Corn. de fals.* Schneidevvin. *in* §. 7. *Inst. de publ. Judic. num.* 2. Farin. *q.* 150. *citat. n.* 7. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 93. *num.* 3. *Strictè, & propriè* acceptum est tantum illud, quod Lege Cornelia de falsis coercetur, seu quando falsitas committitur cum dolo simul, & damno alterius. In quo sensu 2

Falsum, seu *Falsitas* definitur communiter, quod sit *fraudulosa imitatio, vel potius immutatio veritatis, facta in præjudicium alterius*, prout sumitur ex *Novell.* 73. *pr.* & notat Gloss. *ibid V. imitatio*, junct. Gloss. *mera lit. C.* Gloss. *in* §. 7. *V. falsum Inst. de publ. Judic.* Sylv. *V. falsarius num.* 1. Tholos. *Synt. l.* 36. *c.* 1. *num.* 2. Mynsing. *in* §. 7. 3

in §.7. *cit. n.* 15. Schneidevvin. *ibid. num.* 2. Damhoud. *pract. rer. crim. cap.* 122. *n.* 2. Carpzov. *q.* 93. *cit. num.* 5. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 174. Vvagnereck *ad Rubr. hoc tit. not.* 1. Vallens. *hic* §.1. *num.* 1. Engl *n.* 1. Pirhing *nu.* 1. Konig *nu.* 1. Vviestner *num.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 74.

4 Dub. 1. quid requiratur ad Falsi crimen; Resp. tria requiruntur. 1. ut immutetur, & pervertatur veritas. *Novell.* 73. *pr.* nisi enim veritas mutetur, & pervertatur, falsum non committitur, etsi dolus adhibitus fuerit: & hinc si testis doloso animo sub specie falsi verum deponat, h. e. si putet se falsum dicere, & hoc intendat, quod tamen reipsa est verum, animo quidem peccat, & conscientiam lædit; quia verò corpus veri delicti non adest, ejusmodi testis, ut falsarius, coerceri non potest *l. quid sit falsum* 23. *ff. de Leg. Corn. de fals. Novell.* 73. *pr. cit.* Carpzov. *q.* 93. *cit. n.* 9. Konig *hic n.* 9.

5 2 Ut immutatio hæc dolo malo, sive animo veritatis corrumpendæ, & proximi decipiendi fiat *l. pœna* 1. *l. impuberem* 22. *pr. ff. de Leg. Corn. de fals. & l. nec exemplum* 20. *Cod. eod.* Ideo, qui dicit falsum, quod putat esse verum, falsi crimine non tenetur; quia *ream linguam non facit, nisi mens rea*, ut loquitur *S. Augustinus* relatus *can. homines* 3. *fin. caus.* 22. *quæst.* 2. Nec sufficit dolus præsumptus, sed verè illum adfuisse probari debet: quia in dubio error potius, quàm dolus in crimine falsi præsumitur *l. quod adhibitus* 5. *Cod. de his, qui, sibi adscrib. l. dolum* 6. *C. de dol. mal.* Carpzov. *q.* 93. *nu.* 7. Konig *hic num.* 8. Begnudell. *V. falsitas n.* 19.

6 3 Ut ea immutatio afferat, vel saltem afferre alteri possit nocumentum, etsi hoc fortasse impediatur *l. si quis* 6. *ff. l. qui falsas* 6. *& l. si falsos* 8. *Cod. ad Leg. Corn. de fals.* Et hinc, qui sine alterius læsione mentitur, si mendacium hoc etiam aptum non fuit lædere in his circumstantiis, pœna falsi non tenetur *l. quid sit falsum* 23. *ff. eod.* Sylv. *V. falsarius n.* 1. Clar. §. *falsum num.* 35. Mascard. *de probat. concl.* 739. *n.* 12. Molin. *tr.* 2. *de Just. D.* 70. *num.* 3. Scaccia *de Judic. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 524. Damhoud. *prax. rer. crim. cap.* 122. *n.* 10. Farin. *q.* 150. *n.* 291. Carpzov. *q.* 93. *n.* 10. Barbosa *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 5. Haun. *tract.* 2. *cit. num.* 174. Vallens. §. 1. *n.* 2. Pirhing *n.* 1. Konig *n.* 10. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 2. Begnudell. *loc. cit. n.* 20. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 2. *num.* 75.

7 Dixi autem, *Vel saltem afferre alteri possit nocumentum*; sufficit enim nocere posse falsitatem, etiamsi, ne nocumentum actu ipso contingat, impediatur; quia potentia actui proxima habetur pro actu ipso. Caball. *resol. crim. casu* 144. *n.* 3. *& seqq.* Petr. Theodor. *Colleg. crim. D.* 8. *Thes.* 3. *lit. B.* ubi porro infert, producentem falsos testes, etiamsi horum depositiones ipsi non profuerint, nec adversario nocuerint, si nocere tamen potuissent, pœna falsi teneri. Quod Carpzov. *loc. cit. n.* 13. concedit quoad pœnam extraordinariam, & mitiorem; sicut enim in aliis delictis conatus mitiori pœna coercetur, etiamsi ad actum proximum pervenerit, ita & falsarius nocere cupiens, si factum ipsius damnum non sequatur, pœna aliqua mitiori plectendus erit.

8 4 Requirunt aliqui, ut Lege aliqua statutum sit, talem immutationem veri esse punibilem pœna falsi; ideo enim post Legem Corneliam de falsis tot Constitutiones, & SCta sunt prodita, ut casus Lege Cornelia non expressi supplerentur, & ad falsorum classem redigerentur *l. Divus* 15. *ff. de Leg. Corn. de fals. & l. non omnia* 1. *ff. de publ. Jud.* Vallens. §. 1. *n.* 2. Konig *num.* 11. Sed melius hoc requisitum omittitur; quia nuspiam expressa Legis Corneliæ vel alterius notatio requiritur, variisque modis Crimen falsi committitur, etiamsi expressa determinatio Legis deficiat; sufficit enim generalis notatio Legis Corneliæ, quæ omnem dolosam veritatis immutationem, in præjudicium alterius factam, puniri jubet *arg. l. pœna* 1. *& l. quid sit falsum* 23. *ff. de Leg. Corn. de fals.* Constitutiones, & SCta, quæ postea prodita sunt, idcirco sunt prodita, ut de reliquis non expressis casibus ex ratione identitatis facilius judicium ferri, iique ad crimen falsi applicari possint, ut bene notat Carpzov. *n.* 15.

9 Dub. 2. quale crimen sit crimen falsi? Resp. 1. est crimen enorme, & gravissimum, adeò, ut illud homicidio, & veneficio gravius, & detestabilius esse quidam existiment apud Farin. *prax. crim. quæst.* 150. *n.* 12. quibus rectè contradicit Pract. Corrad. *Rubr. de falsar. num.* 24. Farin. *loc. cit. num.* 13. Carpzov. *q.* 93. *num.* 2. Nullumque est crimen, quod ita vituperet famam, & statum hominis, sicut est crimen falsi, ex quo propterea perdirur Nobilitas, & Nobilitatis privilegium. Marsil. *Rubr. ff. ad Leg. Corn. de fals. num.* 17. Castro *cons.* 130. *num.* 1. *post pr. vers. nam est gravissimum lib.* 1. Afflict. *decis.* 404. *n.* 3. Farin. *n.* 15. qui tamen *n. seq.* cum *Afflicto*, notat, per crimen falsi hujus reum non fieri facto ipso infamem.

2 Est crimen publicum, ita, ut quilibet de populo possit de illo accusare, etiamsi sui nihil intersit §. *item Lex Cornelia de falsis* 7. *Inst. de Publ. Judic.* Clar. §. *falsum n.* 1. Molin. *de J. & J. tr.* 2. *D.* 70. *n.* 2. Pirhing *hic n.* 1. *vers. porro*, Konig *ibid. n.* 1. Begnudell. *V. falsitas nu.* 10. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 74. 10

3 Est crimen exceptum, & propterea in generali remissione, & dispositione non comprehenditur. Tholos. *Synt. l.* 36. *cap.* 4. *Rubr. de mutat. nom. n.* 8. *vers. quod non censetur remissum.* Menoch. *de arbitr. cas.* 306. *n.* 11. Farin. *loc. cit. n.* 14. Pirhing *n.* 1. *cit.*

Dub. 3. quotuplex sit Crimen Falsi? Resp. 1. Dividitur in Verum, & quasi tale. *Verum est*, quod Lege Cornelia de falsis notatur, ut quod committitur circa testimonia, testamenta, & nummos *l. pœna* 1. §. *sed & si* 2. *l. filius* 14. *l. Divus* 15. *pr. & §. planè* 1. *l. impuberem* 22. §. *qui liberti* 8. *& duob. seqq. & l. lege Cornelia* 30. *ff. de Lege Corn. de fals. Quasi tale* dicitur, quod Lege Cornelia de falsis non notatur, sed aliis constitutionibus Principum, & SCtis vindicatur, ut siquis rationes, instrumenta falsaverit *l. pœna cit.* §. *qui in rationibus* 4. *l. lege Cornelia* 9. §. *pœna* 3. *l. eos qui* 27. §. *de impudentia* 2. *ff. eod.* Konig *hic n.* 2. 11

Dividitur 2. in Personale, & Reale. *Personale* est, quod circa personam committitur, ut mutatio nominis, suppositio partus, testium subornatio, Judicis corruptio. *Reale*, quod committitur circa res: estque vel *Verbale*, quod fit verbis; vel *Scriptum*, quod fit scriptura, vel *simpliciter reale*, quod fit facto, aut usu, vel potius abusu rei, dum res ipsa falsatur, aut falsata dolo malo quis utitur in nocumentum alterius. Ex quo sequitur Dividi 4. posse Falsum ratione modi quadruplicis, quo potest, & solet committi, in id, quod fit dicto, scripto, facto, & usu. Host. *in summ. hic n.* 2. Mascard. *de Probat. concl.* 739. *nu.* 16. Menoch. *de arbitr. cas.* 316. *n.* 1. Damhoud. *pract. crim. c.* 119. *n.* 3. Farin. *q.* 150. *n.* 6. Vallens. *hic* §. 1. Engl *n.* 2. Pirh. *n.* 1. Vviestner *num.* 3. Reiffenstuel *num.* 2. 12

Quæritur 2. quando Crimen falsi committatur dicto? Resp. committitur maximè in Judicio à triplici personarum genere, à Teste, ab Advocato, à Judice. A *Teste*, dum hic scienter, ac dolosè dicit falsum testimonium, & supprimit verum *cap. falsidicus* 1. *hoc tit. l. qui falso* 16. *ff. de testib. l. pœna* 1. *pr. l. falsi* 20. *l. eos qui* 27. *pr. ff. de Leg. Corn. de fals.* Ab *Advocato*, dum dolo malo causa Clientis sui prodita, & dissimulatis probationibus propriis, vel admissis probationibus, & Exceptionibus falsis, partem adversam juvat, & suam ab ista patitur vinci *l. prævaricator* 1. *pr. ff. de Prævaricat. l. accusatorum* 1. §. *calumniari* 1. *ff. ad S. C. Turpill.* A *Judice*, dum ex malitia, vel munere corruptus, dolose, atque ex proposito, contra Leges, & Constitutiones Principum injustam sententiam profert *l. pœna cit.* §. *sed & si Judex* 3. *ff. de Leg. Corn. de fals.* Clar. §. *falsum num.* 5. Damhoud. *prax. rer. crim. cap.* 121. *n.* 8. Vvesenbec. *ff. ad Leg. Corn. de fals. num.* 6. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 93. *num.* 46. *& seqq.* Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tract.* 2. *n.* 180. Engl *hic num.* 2. Pirhing *n.* 3. *& 8. fin.* Konig *n.* 7. Vviestner *n.* 4. *& 7.* Reiffenstuel *n.* 3. 7. *& 8.* 13

Dub. 1. quot modis circa testimonium contingere possit Crimen falsi? Resp. 1. falsi crimen committitur, quando Testis scienter, & dolosè in Judicio dicit falsum testimonium, ut dictum est *num. præc.* Quodsi testis unum dixerit extra Judicium, & ejus contrarium in Judicio, magis creditur id, quod in Judicio dixit, propter Religionem Juramenti, & authoritatem Judicii. *Sed* an propterea tanquam falsarius puniendus sit, controversum est apud DD. Bartol. *in l. eos qui* 27. *ff. de Leg. Corn. de fals. num.* 8. affirmat. Negat post *Baldum* Clar. §. *falsum* 14

falsum n. 5. Menoch. *de arbitr. cas.* 312. *n.* 2. & alii communius Engl *hic n.* 6. distinguit; nam si per hoc, quod testes, extra Judicium à litigante interrogatus, falsum dixerit, litigans deceptus Actionem instituit, transactionem recusavit, expensas Judiciales fecit; putat procedere sententiam *Bartoli*, eo quòd tunc intervenerit mutatio veritatis cum dolo, & tertii detrimento. *Contra* existimat locum habere sententiam *Baldi*, *Clari*, & seguacium in casu, quando tantum in communi conversatione, nihil cogitans de alicujus interesse, falsum dixit; quia falsum non committitur sine intentione nocendi; quare tunc solùm tanquam mendax, non vero tanquam falsarius puniendus erit.

15 2 Falsi crimen committit testis occultando veritatem. Tunc autem occultando veritatem censetur falsarius, quando interrogatus à Judice sub certo articulo, dicit, se nihil scire, vel se non recordari, cum debeat verisimiliter recordari? item si per malitiam, & dolum respondet versutè, & obscurè, ut sic veritatem occultet; vel quando juravit se cum puta veritate dicturum, quod ad propositum scit, & nihilominus eam tacendo suppressit. Abb. *in c. falsidicus* 1. *hoc tit. n.* 3. Farin. *prax. crim. q.* 67. *à n.* 124. Vivian. *in c. cit. & falsus*, Fagnan. *ibid. n.* 5. Barbosa *n.* 6. Wagnerech *ad Rubr. tit. eod. not.* 3. Pirhing *hic n.* 4. Reiffenst. *n.* 4. *&* 6. Dixi, *Quando interrogatus &c.* Secus est, quando interrogatus non est; tunc enim non tenetur de crimine falsi, quando non dixit veritatem; nam testis non debet esse verbosus, & aliquando melius est tacere verum, quam illud propalare, licèt quis nunquam debeat falsum dicere. Vivian. *loc. cit. in fin.* Fagnan. *n.* 6. Addidi, *Quando juravit se dicturum, quod ad propositum scit*; secus est, quando juravit solum simpliciter, se ad interrogata responsurum; tunc enim, si non interrogatus taceat, non tenetur crimine Falsi. Farin. *loc. cit.*

16 3 Crimen falsi in testimonio dicendo committit, qui testem subornat, vel donis, aut pretio corrumpit ad dicendum falsum testimonium, vel occultandam veritatem, sicut & qui utitur dicto testis falsi. Clar. §. *falsum, n.* 3. 4. *&* 14. Pirhing *n.* 4. *not.* 2. Reiffenstuel *num.* 5. Imò falsi reus est testis, qui pecuniam accipit ad testimonium dicendum, vel non dicendum, etiamsi falsum in Judicio non deponat *l. pœna* 1. §. *sed etsi* 2. *ff. de Leg. Corn. de fals.* neque enim pro testimonio, etiam vero, dicendo pecuniam ex pacto accipere licet, cum quilibet obligatus sit ad testimonium veritati perhibendum *can. nolite* 86. *caus.* 11. *q.* 3. *can. non sanè* 15. *caus.* 14. *quæst.* 5. *& tot. tit. de testib. cog.* Accedit, quia talis agit contra juramentum proprium, quo juravit se nec prece, nec pretio adductum deponere. Hippol. de Marsil. *ad l.* 1. *num.* 6. *ff. de Leg. Corn. de fals.* Harppr. *ad* §. 7. *Inst. de publ. Judic.* Carpzov. *pract. crim. q.* 93. *n.* 49. *& seqq.* Engl *hic num.* 4. Eundem tamen à pœna ordinaria falsi excusant, & mitius pro Judicis arbitrio puniendum existimant Menoch. *de arbitr. cas.* 310. *à n.* 5. Clar. §. *falsum n.* 13. Carpzov. *loc. cit. n.* 50. Engl *n.* 4. *cit.* Pirhing *n.* 8. eo quòd in proprietate verborum vix possit dici falsum committere, cum veritatem non immutet, si, quod supponitur, de cætero verum testimonium dixerit. Imò si procul ad Judicium evocetur, & ibi moram facere debeat, cum dispendio rei familiaris, licèt aliquid accipit, & petit testis in compensationem itineris facti, laborum, vel expensarum, aut lucri domi neglecti *cap. statutum* 11. §. *pro ferendo de Rescript. in* 6.

17 Dub. 2. quæ sit pœna testis falsum deponentis in Judicio vel supprimentis veritatem? Resp. Jure Canonico incurrit infamiam *can. constituimus* 9. *caus.* 3. *q.* 5. & si Clericus sit, deponendus, & ad agendam pœnitentiam in Monasterium detrudendus *can. si Episcopus* 7. *dist.* 50. vel ad ærumnosum carcerem, aut ad triremes est condemnandus, juxta dicenda *Tit.* 37. si tamen falsum scienter, & dolosè circa substantialia causæ, & cum alieno, eoque gravi præjudicio fuerit dictum. Diaz *pract. crim. can. c.* 97. *n.* 1. Clar. §. *falsum n.* 9. Menoch. *cas.* 306. *n.* 22. *& seqq.* Pirhing *hic n.* 5. Wiestner *n.* 6. Reiffenst. *ibid. n.* 29. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 81. nam si falsum commisit tantum circa accidentalia, vel sine præjudicio tertii, pœna est arbitraria, ut cum *Claro* notat P. Pirh. *n.* 6. *limit.* 2. P. Reiffenstuel *loc. cit.*

18 Jure Civili olim hujusmodi testis falsi, uti & cæterorum falsariorum, si nobilis esset, pœna ordinaria erat deportatio cum omnium bonorum publicatione; si persona vilis, damnatio ad metallum; si servus, ultimum supplicium §. *item Lex Cornelia de falsis* 7. *Inst. de publ. Judic. l. pœna* 1. §. *fin. ff. de Leg. Corn. de fals. l. si quis* 38. §. *qui vivi* 7. *ff. de pœnis.* Menoch. *de arbitr. cas.* 306. *num.* 1. *& seqq.* Tholos. *Synt. l.* 36. *cap.* 3. *n.* 4. *& cap.* 5. *num.* 4. Farin. *prax. crim. q.* 150. *num.* 19. *& seqq.* Vallens. *hic* §. 2. *num.* 1. Pirhing *n.* 2. Konig *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 26. *&* 27. Sed quia pœna deportationis hodie non est in usu, & pœna publicationis bonorum correcta est per *Auth. bona damnatorum C. de bon. proscriptor.* ideo hodie pœna Falsi est arbitraria, & major, vel minor pro casuum, & circumstantiarum varietate. Gloss. *in l. pœna cit.* §. *fin. V. eorum* Clar. §. *falsum num.* 5. *&* 31. Farin. *q.* 150. *cit. n.* 21. Carpzov. *q.* 93. *à num.* 16. Franc. Joseph. de Angelis *tract. crim. p.* 1. *c.* 50. *n.* 10. Vallens. *n.* 1. Engl *num.* 6. Pirhing *n.* 2. Konig *n.* 13. Reiffenstuel *loc. cit.* Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 2. *n.* 80. ita, ut quandoque pœna pecuniaria, quandoque corporalis, quandoque etiam capitalis, sive mortis imponi possit, si falsitas sit magna, vel sæpius iterata, *l. ubi falsi* 22. *fin.* ibi, *Supplicio capitali, si id exigat magnitudo commissi C. ad Leg. Corn. de fals.* Diaz *pract. crim. can. c.* 20. *n.* 1. Farin. *n.* 24. Carpzov. & Konig *loc. citt.*

In Imperio distinguitur inter Testem, qui falsum juravit in causa Civili, & inter eum, qui falsum juravit in causa criminali. *Ille* parti perjurio læsæ tenetur de omni damno, & interesse, & redditur infamis, atque insuper ex recepta consuetudine amputari ei solent duo digiti, quos in præstitutione Juramenti erexit. *Const. crim. Carol. V. art.* 107. *Isti* per *art. cit. & art.* 68. constituta est pœna talionis sive eadem, quam subire, probato crimine, debuisset accusatus, ad imitationem Legis Divinæ. *Deut.* 18. *vers.* 19. *&* 21. & merito nam ut *c. falsidicus* 1. *hoc tit.* dicitur, *Falsidicus testis tribus personis est obnoxius; primum Deo, cujus præsentiam contemnit; inde Judici, quem mentiendo fallit; postremo innocenti quem falso testimonio lædit.* 19

Porro ut pœnæ falsi ordinariæ locus sit, ex communi DD. requiritur 1. ut, qui falsitatem dicitur commisisse, directè de hoc crimine accusatus, & convictus, vel in Jure confessus sit; nam si incidenter solum de eo constet, ut quia contra ipsum productum in teste opposita fuit Exceptio falsitatis, & probata tantùm repellitur à testimonio, non verò per hoc infamis redditur, vel alia pœna ipsi imponitur, quamvis deinde agi directè de falso possit; Diaz *pract. crim. can. c.* 97. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 6. *limit.* 1. 2. procedi adversus falsi reum debet per viam accusationis; nam si procedirur tantum per viam Inquisitionis: pœna ejus extraordinaria duntaxat est *c. inquisitionis* 21. *de Accusat.* Menoch. *de arbitr. cas.* 313. *n.* 1. Pirhing *limit.* 5. 3. falsitas debet commissa esse circa substantialia causæ; nam si tantum circa accidentialia, & extrinseca causæ commissa sit, iterum extra ordinem ad arbitrium Judicis puniendus est, prout notavi *n.* 17. 4. falsitas debet esse nociva; nam si nemini præjudicet, rursum locus est pœnæ extraordinariæ tantum, Menoch. *cas.* 306. *n.* 22. Clar. §. *falsum num.* 35. Pirhing *limit.* 3. 5. falsitas debet esse commissa scienter, & dolosè; nam si absque dolo per errorem, vel ignorantiam testis in Judicio falsum dixerit, à pœna excusatur; nisi ignorantia culpabilis sit; tunc enim punitur pro ratione culpæ. Clar. §. *cit. n.* 33. Pirhing *limit.* 4. 6. addunt aliqui, quod ad incurrendam pœnam falsi necessarium sit, ut testis falsum deponens interposuerit Juramentum de veritate dicenda. Sed melius hoc negatur; nam etsi non juraverit testis, falsa tamen est ipsius depositio; unde sufficit, si adsint requisita cætera. *Clar. num.* 11. Pirhing *limit.* 6. 20

Præterea notabile est, quòd de Jure Civili testem, coram se falsum deponentem, punire Judici permissum sit, etiamsi ille alias non sit de Jurisdictione ipsius Judicis, sed aliunde evocatus *l. nullum* 14. *Cod. de testib.* quia delictum tribuit Jurisdictionem in delinquentem *l. quæstiones* 1. junct. *Auth. qua in provincia Cod. ubi de crim. ag. oport.* Idem dicendum de eo, qui hujusmodi testem falsum subornavit ad dicendum falsum. Clar. §. *falsum n.* 4. quia subornans, & subornatus sunt correlativa, & dispositum de uno Correlativorum censetur etiam dispositum de altero eorum. *Excipitur*, nisi ejusmodi testis falsus, vel subornans illum sit Clericus, & Judex, coram quo falsum 22

falsum deposuit, sit Laicus; nam etsi iste in causa Civili cognoscere possit de falsitate, quam Clericus coram eo commisit, non tamen ad effectum eundem puniendi, sed tantum ad expediendam causam, quæ coram ipso controvertitur. Aliud est si Laicus falsum deposuit coram Judice Ecclesiastico; nam hic puniri potest ab utroque Judice, Ecclesiastico, & Sæculari, & erit inter illos locus præventioni. Clar. n. 15. Ratio disparitatis est, quia Clericus non potest prorogare in se Jurisdictionem Judicis Laici, potest autem Laicus in se prorogare Jurisdictionem Judicis Ecclesiastici.

23 Dub. 3. quæ sit Pœna Advocati, & Judicis, qui Criminis Falsi rei sunt? Resp. *Advocatus* olim obnoxius erat pœnæ S. C. Turpilliani. Hodie tenetur ad reparationem damni, per hoc crimen parti læsæ illati, & emolumenti, ipsius malitia intereuntis; & insuper arbitrio Judicis pro diversitate personarum, & circumstantiarum jubetur puniri fustigatione, carcere, numellis, vel relegatione. *Const. crim. Carol. V. art.* 115. Matth. Stephan. *ibid.* Carpz. q. 93. n. 48. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 180. Vviestner *hic n.* 7. cum aliis.

24 *Judex* olim obnoxius erat pœnis exilii, vel capitis *l. Lex Julia* 7. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. repetund.* Clar. §. *fin. quæst.* 73. *num.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 342. *n.* 9. Vviestner *hic num.* 8. Reiffenstuel *ibid. n.* 31. Hodie pro qualitate personæ Judicis, partis læsæ, & damni, per sententiam injustam illati, puniri solet aliquando exilio, vel relegatione temporanea, aliquando privatione Officii, vel confiscatione bonorum aliquando aliis, etiam mortis, pœnis. Menoch. *loc. cit. à n.* 7. Farin. *prax. crim. quæst.* 111. *à num.* 4. Carpzov. *pract. crim. q.* 93. *num.* 55. Vviestner, & Reiffenstuel *loc. citt.*

Jure Canonico Judex Ecclesiasticus, qui contra conscientiam, & Justitiam, per sordes, h. e. prece, pretio, præmio, gratia, odio corruptus in gravamen partis judicavit, ultra æstimationem litis huic præstandam, incurrit pœnam suspensionis à Divinis, & si his, ea suspensione durante, se ingesserit, Irregularitatem, prout statuitur *c. cum æterni* 1. *de sent. & re jud. in* 6. & notavi *ad Lib.* 2. *Tit.* 27. *num.* 112.

25 Quæritur 3. quando Crimen Falsi committatur *Scripto*? Resp. hoc modo Crimen Falsi committit, qui scienter, & dolo malo Testamentum, vel aliud Instrumentum falsum scribit, signat, recitat, subjicit; qui signum adulterinum facit, sculpit, exprimit; qui in Instrumento, vel Testamento in sui, vel alterius gratiam notabilem aliquam falsitatem dolo malo admiscet, prout facit, qui in Testamento sibi adscribit Legatum, aut Fideicommissum; qui aliena Instrumenta, Rationes, tabulas, in parte aliqua substantiali, & considerabili radit, immutat, lacerat, vel supprimit; qui alienum Chirographum, manum, vel sigillum imitatur, & debitum, vel quid simile, in sui favorem, & alterius detrimentum scribit: de quibus §. *item Lex Cornelia de falsis* 7. *Inst. de Publ. judic. & l. pœna* 1. *cum seqq. ff. de Leg. Corn. de fals.* Clar. §. *falsum n.* 19. Carpzov. *pract. crim. q.* 93. *n.* 62. *& seqq.* Gonzal. *in c.* 3. *hoc tit. num.* 5. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 3. Pirhing *n.* 36. Konig *n.* 7. Vviestner *nu.* 9. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 2. *n.* 77. Pœna hujus falsitatis de Jure Civili est deportatio, & omnium bonorum publicatio cum infamia, prout de Testibus falsis dictum est *n.* 18. *suprà*: de consuetudine verò arbitraria pro qualitate personarum, & quantitate damni; quod etiam approbavit *Const. crim. Carol. V. art.* 112.

26 Huc etiam quidam referunt illos, qui privatas alicujus Litteras desigillant, & aperiunt. Verum licèt hoc sine peccato, & injuria illorum, ad quos Litteræ pertinent, regulariter fieri nequeat, plerumque tamen DD. censent, non esse illis pœnam ordinariam falsi, sed aliam mitiorem, & arbitrariam infligendam: nisi aperiens Litteras apertas ostenderit Adversario, vel Testamentum clausum, aut alias Litteras publicas, sigillo publico Magistratus munitas, aperuerit; cum enim crimen falsi inter delicta publica numeretur, ejus pœna ordinaria rarius locum habet, quando potius privatæ personæ, quam publicæ authoritati, & paci Reip. illata injuria est. Sylv. *V. falsarius q.* 1. Clar. §. *falsum n.* 26. Farin. *q.* 150. *n.* 127. Carpzov. *q.* 93. *n.* 70. Engl *hic num.* 11. Dixi *Regulariter*; nam aliquando sine injuria privatæ alterius litteræ aperiuntur, puta, si id fiat jure belli, aut justæ defensionis causa contra inimicum insidias molientem; vel ad impediendum peccatum alterius; ut si Prælatus, parens, paterfam. præceptor, & similes suorum Religiosorum, filiorum, subditorum litteras aperiant, rationabiliter metuentes, ne quid mali in iis contineatur; vel si id in Regulis Ordinis Religiosi cautum sit, ut antea Superior litteras ad Religiosum missas legerit, quàm eæ tradantur illi, cui inscriptæ sunt. Sylv. *loc. cit.* Molin. *tract.* 4. *de J. & J. D.* 36. *num.* 2. *& seqq.* Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *p.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. Engl *hic n.* 12. Pirh. *ibid. n.* 37. *vers. deinde.*

Magis huc referendi sunt Mendici Falsarii, qui in 27
Litteris mentiuntur casum fortuitum incendii, morbi, deteriorationis, aut similem, ut stipem publicam emendicent, hominesque decipiant, inque hunc finem Litteris, & Sigillis alienis abutuntur: quos pœna fustigationis, aut relegationis perpetuæ plectendos esse rectissimè scribit Heig. *p.* 2. *q.* 27. *n.* 21. Coler. *p.* 1. *decis.* 179. *n.* 3. Petr. Theodor. *Colleg. crim. D.* 8. *thes.* 2. *lit. E.* Carpzov. *quæst.* 93. *n.* 72. *& seqq.* Eadem pœna afficiendi sunt iidem Mendicantes, si non ut falsarii, saltem ut stelliones, & impostores, qui licèt Litteris, & Sigillis alienis non abutantur, morbos tamen, vulnera, aut defectus naturæ simulant, iisque prætextibus pecunias colligunt, cum membra habeant sana, & integra. Damhoud. *prax. rer. crim. cap.* 110. *n.* 55. *&* 56. Heig. *loc. cit. n.* 26. Carpz. *num.* 75. *& seqq.*

Præcipuè verò secundum SS. Canones falsi crimen Scri- 28
pto committunt Falsarii Litterarum Apostolicarum; cujusmodi censentur esse, qui Litteras ejusmodi falsas conficiunt; qui confectis Sigilla falsa, aut etiam vera, sine ejus, ad quem spectat, consensu apponunt; qui in Litteris, Apostolica authoritate confectis, radendo, abluendo, aut aliis modis tollunt, vel addunt aliquid, quo earum sensus immutetur *cap. licet* 5. *hoc tit.* Item illi, qui ejusmodi Litteras ex alterius, quam Papæ, vel Officialium, ab hoc deputatorum manibus recipiunt *c. dura* 4. *eod.* Porro *Litteræ Apostolicæ* hic vocantur quæcunque Rescripta, Bullæ, Brevia, tam gratiam, quam Justitiam concernentia, quæ nomine Papæ expediuntur, & Supplicationes, quæ ipsi offeruntur, & ab eo vel S. R. E. Vice Cancellario, eorumque vices gerentibus, aut de mandato Papæ signantur. *Contrà*, pro talibus non reputantur Litteræ S. Congr. Cardd. Sacræ Pœnitentiariæ, Datarii, Legati à Latere, vel Nuntii à Sede Apostolica missi, Episcopi, & similium. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 62. Suar. *de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *n.* 42. Bonacin. *de Censur. D.* 1. *q.* 7. *n.* 1. Vviestner *hic n.* 11.

Dub. 1. quas pœnas incurrant Falsarii Litterarum Apo- 29
stolicarum? Resp. 1. ipso facto incurrunt Excommunicationem reservatam Papæ *cap. ad falsariorum* 7. *hoc tit. & Bullæ Cœnæ can.* 6. Extenditur etiam ad fautores, & defensores illorum; nam & isti ipso facto Excommunicationem incurrunt, quamvis non reservatam. Fagnan. *in cap. ad falsariorum cit. n.* 24. Barbosa *ibid. n.* 4. Gonzal. *in cap.* 3. *eod. n.* 7. Engl *hic n.* 9. Pirhing *n.* 22. *&* 25. Vviest. *n.* 12. Reiffenstuel *n.* 33. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 2. *n.* 82. Quoad recipientes Litteras Apostolicas ab alio, quam de manibus Papæ, & Officialium ejus Excommunicatio in desuetudinem abiit, ut *loc. citat.* advertit Barbosa *num.* 2.

2 Iidem, si Clerici sint, omni Officio, & Beneficio 30
Ecclesiastico perpetuò privantur; & si falsi crimen per se exercuerint, degradandi, & Curiæ Sæculari tradendi sunt, ut de falsitate legitimè convicti secundum Leges puniantur *cap. ad falsariorum cit.* Per eandem potestatem Sæcularem puniuntur etiam Laici rei istius criminis *cap. cit.* Clar. §. *falsum n.* 24. Fagnan. *loc. cit. n.* 45. Barbosa *n.* 9. Vvagnereck *ibid. in Summ.* Vallens. *hic* §. 2. *num.* 2. *vers. de jure vero Canonico.* Pirhing *num.* 22. *&* 26. Konig *n.* 14. Vviestner *n.* 12. Schmier *n.* 82. Puniri autem debent à Judice Sæculari eadem pœna, qua falsantes Rescriptum Principis, quæ est supplicium capitale, seu pœna mortis, propter magnitudinem criminis *cap. ubi falsi* 22. *Cod. ad Leg. Corn. de fals.* Idque speciale est in hac specie falsitatis, cùm alias crimen falsi regulariter pœna mortis non plectatur. Gloss. *in c.* 7. *cit. V. legitimas.* Host. *ibid. V. eod.* Abb. *ad cap. citat. n.* 8. Farin. *prax. crim. q.* 151. *n.* 4. ubi ait ita passim servari. Pirhing *n.* 26. *cit.* Addidi, *si crimen falsi per seipsos exercuerint*; nam qui non per seipsum, sed per alium falsavit Litteras Apostolicas, hanc pœnam Degradationis, & traditionis

Curiæ

Curiæ Sæculari non incurrit; quia *in cap. 7. cit.* expresse restringitur ad eos, *qui per se vitium falsitatis exercuerint* Fagn. *ibid. n.* 42. *&* 43. Pirh. *n. 26. cit. vers. verum.*

1 3 Qui Litteras Apostolicas falsas scienter impetrant, aut iis utuntur, si Laici sint, ipso facto excommunicantur; si Clerici, Officiis, & Beneficiis sunt spoliandi *c. ad falsariorum cit. vers. qui vero;* Innoc. *ibid. V. spolientur*, Host. *V. eod.* Joan. Andr. *n.* 4. Fagn. *n.* 4. *&* 38. Barbos. *n.* 1. Vvagnereck *l. cit.* Pirh. *n.* 27. Vviest. *n.* 12. *cit.*

4 Qui litteras ejusmodi, ab aliis falsificatas, se habere cognoscunt, easque intra 20. dies non destruunt, aut resignant, Excommunicationis pœnæ per sententiam ferendæ, & postquam lata est, Papæ reservatæ obnoxii sunt, etiamsi iis non sint usi, neque habuerint animum utendi *c. dura* 4. §. *adiicientes hoc tit.* Vivian. *ibid. in Ration.* Barbos. *n.* 1. *&* 2. Vivian. *n.* 2. *cit. vers. cæterum*, Pirh. *n.* 12. *&* 13. Vviest. *n.* 12. Reiffenstuel *n.* 33.

2 Dub. 2. quinam pœnas istas incurrant? Resp. 1. incurrunt illas tantùm Clerici falsantes Litteras Apostolicas; non item falsantes Litteras Imperatoris, vel alterius Principis; quia *c. ad falsariorum 7. hoc tit.* solum loquitur de falsantibus Litteras Papæ, & in pœnis benignior pars est eligenda *Reg.* 49. *in* 6. Fagnan. *in c. cit. n.* 16. Pirhing *hic n.* 24. & ratio est, tum quia delictum Clerici falsantis Litteras Papæ gravius est, quam falsantis Litteras Principis Sæcularis, ratione eminentioris Dignitatis Pontificiæ *arg. solitæ 6. de major.* tum quia Clericus non est subditus Imperatori, sed Papæ; longè autem gravius est delictum commissum in personam Principis, cui delinquens est subditus, quam in extraneum, cui non est subditus *l. omne 6. §. qui manus* 1. *ff. de re milit.* Et hinc Clericus falsans Litteras Imperatoris non videtur esse tradendus Curiæ Sæculari, ut notat Farin. *prax. crim. q.* 151. *n.* 22. Multò minus in pœnas *c. ad falsariorum cit.* incidunt falsarii Litterarum Episcopi, vel etiam Nuntiaturæ Apostolicæ; quod plerique ob rationis identitatem extendunt etiam ad falsantes Litteras S. Pœnitentiariæ; quia non sunt Litteræ Papæ, sed ejus Commissarii, constituti vivæ vocis Oraculo. Navar. *Manual. c. 27. n. 62.* Diaz *pract. crim. can. §. falsarii c.* 120. *in addit. §. & nota fin.* Fagnan. *in c. cit. n.* 24. Pirhing *hic n.* 24. Quamvis contrarium quoad falsantes Litteras S. Pœnitentiariæ teneant plures DD. apud Farin. *l. cit. n.* 24.

3 2 Pœnas Decretalis *cit.* non incurrunt Episcopi, & Prælati istis Superiores, falsantes Litteras Apostolicas; tum quia in pœnalibus non comprehenduntur, nisi de illis expressa fiat mentio *c. quia periculum* 4. *de Sent. Excomm. in* 6. tum quia non possunt privari, vel deponi sine speciali mandato Papæ *can. dudum 9. caus.* 3. *q.* 6. Fagnan. *in c. ad falsariorum cit. n.* 56. Pirh. *n.* 29. *fin.* Incurrunt tamen Excommunicationem latæ sententiæ per *Bullam Cœnæ cas.* 6. ubi Excommunicatio generaliter fertur in omnes, adeoque etiam in Episcopos, iisque Dignitate superiores. Suar. *de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *n.* 44. Fagn. *loc. cit. n.* 57. Pirh. *n.* 31.

4 3 Cæteri Falsarii Litterarum Apostolicarum, etiam occulti incurrunt pœnas istius Decretalis, & quidem eas, quæ ipso jure infliguntur, ut pœna Excommunicationis, & privationis Officiorum, ac Beneficiorum, incurrunt, eo ipso, quod crimen commissum est, sive criminaliter, sive civiliter actum fuerit, Quoad pœnas autem quæ per Judicem infliguntur, ut est pœna Degradationis, & traditionis Curiæ Sæculari, distinguendum est: nam si civiliter solùm agatur de isto crimine, illas falsarii non incurrunt, sed solum si criminaliter, & ubi de hoc crimine convicti fuerint; neque tunc interest an per viam accusationis, an inquisitionis actum contra eosdem sit. Abb. *in c. ad falsariorum cit. n.* 8. Fagnan. *ibid. n.* 62. *& duob. seqq.* Pirhing *n.* 29.

5 4 Ad pœnas Decretalis istius incurrendas probabilius sufficit, si quis unica tantùm vice falsaverit Litteras Papæ. *Neque* obstant verba ejusdem Decretalis, ibi, *Qui --- vitium falsitatis exercent*; quia verbum *Exercere* in depositione pœnali in unico actu verificatur, ut patet ex §. *item Lex Julia de Adulteriis* 4. *Inst. de Publ. Jud.* Farin. *q.* 151. *n.* 31. ubi ait ita practicari, Palao *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 2. Fagnan. *in c. cit. n.* 27. Barb. *ibid. n.* 7. Pirh. *n.* 25. *not.* 3.

Dub. 3. an ejusmodi Falsariorum pœnas incurrat etiam ille; qui in Rescripto Justitiæ immutat aliquid, ex quo nullum, aut leve damnum parti, aut fisco infertur? *Ratio dubitandi* est, quia falsificatio interdicitur ob damnum, quod sequitur ex falsitate; igitur si sequatur nullum, aut leve, excusabit à culpa, & consf. à pœna gravi.

Sed probabilius etiam iste pœnas falsariorum incurrit. Ita Alterius *l.* 2. *D.* 7. *c.* 2. §. *cum enim*. Farin. *prax. crim. q.* 151. *n.* 12. Bonacin. *de Censur. D.* 1. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 5. Palao *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 4. Pirhing *hic n.* 18. Vviestner *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 33. *fin.* Addit tamen Farin. *loc. cit. n.* 10. *vers. adde*, in Litteris Justitiæ non facilè præsumi falsitatem; quia generale principium est, quòd dolus, fraus, & falsitas non præsumatur ex modica utilitate.

Ratio autem Responsionis est, quia falsatio ejusmodi Litterarum prohibita sub pœnis prædictis est non tam propter damnum, quod inde sequitur, quam propter injuriam, & contemptum supremæ authoritatis, à qua hujusmodi Litteræ veniunt; & ut omnis occasio falsitatis in his evitetur; quod maximè patet ex Litteris Gratiæ, Dispensationibus, & Indulgentiis, concessis à Sede Apostolica, quæ in nullius damnum cedunt, & tamen si tales Litteræ falsificentur, pœnæ Juris incurruntur; Ex quo patet ad rationem dubitandi *num. praced.* allatam. 37

Dub. 3. an easdem pœnas incurrat etiam, qui Litteras Apostolicas radit in una Syllaba, vel paucis Litteris, si hoc fiat in loco non suspecto? *Rationem dubitandi* facit *cap. fin. hoc tit.* ubi Litteræ hujusmodi, rasuram continentes, pro falsis non habentur; *Sed respondendum* est distinguendo, an rasura facta sit in Curia ab hujus Officialibus, an extra Curiam ab impetrante, vel utente. 38

Si primum, quocunque in loco, etiam suspecto, rasæ sint, si constet in Curia rasas esse, propter hoc tamen falsæ esse non censentur, ut notat Host. *in c. ex Litteris* 2. *de fid. Instrum. num.* 5. Abb. *in cap. fin. cit. num.* 4. Vivian. *ibidem circ. med.* Fagnan. *num.* 6. *vers. primo*, Pirhing. *hic num.* 18. Vviestner *ibidem num.* 14.

Si secundum, quacunque in parte licèt minima illa sit, rasæ sint, falsæ fiunt, & ipse radens tanquam falsarius Excommunicationem reservatam contrahit. Fagnan. *nu.* 8. *col. cit.* Excipiunt Navar. *Man. c.* 27. *n.* 62. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 11. & ali apud Palao *part.* 7. *cit. n.* 3. si hujusmodi rasura non immutatur sensus Litterarum à Papa intentus; nam tunc radentem ob parvitatem materiæ à pœnis falsariorum relatis excusant. *Neque obstat*, quod in privilegiis, summo Pœnitentiario concessis, contentum erat, ut posset absolvere ab Excommunicatione, quæ ex mutatione verborum incurritur, litteræ sensu non mutato; quia ante Clementem VIII. in hac clausula Bullæ Cœnæ addebant Pontifices, *Excommunicamus eos, qui mutant punctum, aut litteram &c.* quæ verba postmodum omissa sunt, utpote non inducentia mutationem, quæ falsitatem constituat Palao *loc. citat. fin.* 39

Dub. 5. quid dicendum, quando dubium est, an rasio in, vel extra Curiam, ab aliquo istius Officiali, an ab alio facta sit? Resp. distinguendo; nam si rasio facta sit in loco suspecto, Litteræ sic rasæ habebuntur pro falsificatis; quia præsumentur rasæ per impetrantem, vel utentem. *Contrà* vero, si rasæ sint in loco non suspecto; nam si paucæ litteræ in tali loco rasæ sint, per hujusmodi rasuram falsitatis suspicio non inducitur; quia præsumetur facta per Officiales Curiæ. Abb. *in cap. fin. hoc tit. num.* 4. Fagnan. *ibid. n.* 20. Vviestner *hic n.* 15. Quinam autem locus suspectus sit, explicatum est *Lib.* 2. *Tit.* 22. *n.* 101. 40

Prædicta autem procedunt, quando Litteræ Apostolicæ redditæ sunt apertæ: secus, si clausæ; quia tunc non nocet rasura, in quocunque loco sit facta. Gloss. *in cap. licet 5. vers. tenuem hoc tit.* Fagn. *loc. citat. num.* 21. Pirhing *num.* 19. nisi character in loco rasuræ esset valde difformis Scripturæ reliquæ, præsertim si rasura esset magna; & notabilis, & in loco suspecto, nec fieret mentio intus de correctione facta; tunc enim præsumeretur falsitas intervenisse. Fagnan. *n.* 22. Pirh. *loc. cit.* 41

Dub. 6. an pœnas memoratas incurrat etiam is, qui Litteras Apostolicas juxta mentem Papæ corrigit, ut si petita sit dispensatio in impedimento Affinitatis, & Notarii errore consanguinitas, vel pro Diœcesi Eystettensi Ratisbonensis expressa sit; Affirmant Suar. *de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *n.* 47. Alterius *l.* 5. *D.* 7. *c.* 2. *prop.* 2. quia verè immutat sensum Litterarum Apostolicarum 42

licarum; & licet Papæ mens fuerit concedere gratiam, non tamen voluit, ut à Notario commissus error per alium corrigatur.

43 Sed quamvis omnino cavendum sit, ne correctio tali casu fiat authoritate propria, sed potius per Notarios, & Officiales Curiæ, casu tamen, quo propria authoritate est facta, probabiliter pœnæ falsariorum à sic emendante non incurrentur, ut rectè Sayr. *l.* 3. *Thesaur. c.* 30. *num.* 12. Reginald. *l.* 9. *num.* 288. Bonacin. *D.* 1. *q.* 7. *p.* 2. *n.* 7. Palao *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 7. *n.* 5. Dian. *p.* 9. *tr.* 7. *resol.* 15. Vviestner *hic n.* 16. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. c.* 2. *num.* 83. quia hujusmodi immutatio non est propriè falsificatio, cum falsum tollat, & Litteras veras reddat; & hinc etiam videtur conformis intentioni, & concessioni Papæ.

44 Ex quo patet ad Argumentum Sententiæ contrariæ. *Neque inferas*, hoc modo licitum fore, etiam novas Litteras fabricare, si factæ à mente Papæ discordent; Negatur enim Illatum; Disparitas est, quia Litteræ sic, ut hactenus dictum est, correctæ, cùm intentioni Pontificis conformes sint, & reverà à Papa datæ, veræ, non falsæ sunt appellandæ. Secus est de iis Litteris, quæ ex integro factæ de novo sunt; nam ista, utpote à Pontifice non expeditæ, suppositițiæ sunt & falsæ.

45 Quæritur 4. quando crimen falsi committi censeatur *Facto*? Resp. facto crimen falsi committunt 1. qui aliqui alienum partum supponunt *l. qui falsum* 21. §. *accusatio* 1. *ff. de Leg. Corn. de fals.* ubi etiam statuitur, quod accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione tollatur: ita tamen, ut de hoc crimine non quilibet de populo, sed tantum parentes, & alii, quorum ratione hæreditatis, aut alimentorum interest, agere permittantur *l. Lege* 30. §. *de partu* 1. *ff. eod.* Engl *hic numer.* 14. Hujus criminis reus, præterquam quòd restituere teneatur omnia damna inde secuta legitimis alias hæredibus, vel quibuscunque aliis, idque in foro conscientiæ ante omnem sententiam. Pirh. *hic n.* 45. etiam graves pœnas alias incurrit. Et quidem si criminaliter agatur, pœna supponentis falsum partum juxta *l. si partus* 1. *Cod. ad Leg. Corn. de fals.* est capitalis: quod aliqui apud Farin. *q.* 150. *n.* 241. interpretantur de pœna mortis. Alii verò rectius intelligunt de pœna deportationis, in cujus locum hodie successit fustigatio; Menoch. *de arbitr. cas.* 306. *n.* 3. Farin. *l. cit. n.* 242. Carpzov. *pract. crim. q.* 93. *n.* 28. siquidem per pœnam capitalem non solùm ultimum supplicium, sed & interdictionem aquæ, & ignis, vel deportationem intelligi, satis & luculenter probatur ex §. *publicorum* 2. *Instit. de publ. Judic.* Adeoque pœna hujus delicti erit fustigatio, non habito respectu personæ, quæ partum alienum supposuit, an parens fuerit, necne, modo supponens damnum per hoc intulerit alteri, & sic cum injuria, & noxa alterius quidquam extorserit, vel extorquere, atque assequi voluerit; Carpzov *loc. citat. numer.* 29.

46 2 Qui diversis Contractibus rem eandem duobus vendit *l. qui duobus* 21. *ff. de Leg. Corn. de fals.* nam hic falsi pœna tenetur, statuitur *l. cit.* quamvis mitius puniri debeat. Farin. *q.* 150. *n.* 219. ex generali Regula, quod delinquens in contractu semper mitius puniatur, quam delinquens in maleficio. Dixi, *rem eandem duobus vendunt*; aliter res se habet in eo, qui rem eandem duobus donat, vel duobus oppignorat, cùm ad utrumque debitum non sit sufficiens, aut qui vendit rem alteri obligatam; nam hi non tenetur pœna falsi, sed puniuntur crimine Stellionatus, ut notat Farin. *l. cit. n.* 220. *& seqq.* nisi in hujusmodi Contractibus falsum dicant, ut puta, donatorem non alteri donasse, venditam, vel obligatam rem alteri non obligasse; tunc enim ex hac falsa assertione, pœna falsi tenentur; Farin. *n.* 227. Effugit autem pœnam falsi rem eandem duobus vendens 1. si primus emptor nondum solvit conventum pretium. 2. si venditor secundo emptori rem venditam non tradidit; 3. si fassus est rem alteri esse venditam, & promisit, quòd velit illam ab onere hoc sublevare. 4. si ante sententiam pœnituerit. 5. si Juribus, punientibus venditionem ejusdem rei duobus factam, sit derogatum. Farin. *n.* 228. *& seqq.*

47 3 Qui pondera, aut publicè probatas vini, frumenti, aut cujuslibet rei mensuras corrumpunt *l. hodie* 32. §. *si venditor* 1. *ff. de Leg. Corn. de fals.* in quos Jure Canonico 30. dierum pœnitentia in pane, & aqua decreta *c. ut mensuræ* 2. *de Empt.* Jure Civili communi præter ordinariam pœnam falsi ad duplum restituendum, nec non ad Insulam damnantur *l. Hodie* §. *cit.* Menoch. *de arbitr. cas.* 317. Molin. *tr.* 2. *D.* 701. *n.* 10. Damhoud. *prax. rer. crim. c.* 123. *n.* 2. Petr. Theodor. *Colleg. crim. D.* 3. *thes.* 12. *lit. F.* Carpzov. *pract. crim q.* 93. *n.* 78. Pirhing *hic n.* 45. Reiffenst. *ibid. num.* 34. In tota ferè Germania horum falsariorum pœna est arbitraria carceris, fustigationis, relegationis, & aliquando etiam mortis pro gravitate, & frequentia delicti, ac damni per id illati, conformiter ad *Const. cr. Carol. V. art.* 113. Carpzov. *loc. cit. n.* 80. Engl *hic num.* 14.

4 Qui mercibus adulterinam, aut minus utilem materiam admiscent; quorum pœna est arbitraria, ut dictum est de depositis *n. præc.* & statutum in *Carol. art.* 113. *cit.* Molin. *D.* 701. *cit. num.* 6. Petr. Caball. *res. crim. cas.* 8. *n.* 3. *&* 4. Matth. Stephan. *ad Carol. art.* 113. *citat.* Carpz. *n.* 86. Vviestner *n.* 17. 48

5 Qui terminos, & limites agrorum dolose mutant; horum pœna iterum est arbitraria pro qualitate delicti, & personæ, in corpore, vel pecunia inferenda. *Const. crim. cit. art.* 114. Engl *num.* 14.

6 Et omnium maximè hoc Crimine tenentur falsarii monetæ *l. quicunque* 8. *& seqq. ff. de Leg. Corn. de fals.* De his ulterius.

Dub. 1. quinam censeantur falsarii monetæ? Resp. tales juxta *Const. crim. Carol. V. art.* 111. sunt 1. qui propria authoritate monetam cudunt, etiamsi illa sit justi ponderis, & mensuræ; quia jus cudendi Monetam numeratur inter Regalia, ut patet ex *l.* 2. *feud. tit.* 56. junct. *l. si quis* 2. *Cod. de fals. monet.* Accedit, quod ad justam monetam non sufficiat materiæ bonitas, sed insuper requiratur publica forma, seu signum publicum *arg. l. origo* 1. *ff. de contrah. Empt.* Ubi pecunia dicitur *materia forma publica percussa*; hæc autem forma publica vel deest, vel falso fingitur in moneta privata anthoritate cusa; cùm illam sine consensu Principis citra falsum adhibere nemini permissum sit *arg. l. falsi* 13. *& l. qui nomine* 25. *ff. de Leg. Corn. de falsum num.* 37. Carpzov. *pract. crim. q.* 93. *num.* 94. Vvagnereck *in Extrav. un. Joan. XXII. not.* 3. *hoc tit.* Engl *hic num.* 15. Pirhing *num.* 40. Vviestner *num.* 18. Reiffenstuel *n.* 21. 49

2 Qui monetæ, publica authoritate cusæ, justum pondus diminuunt, illam tondendo, radendo, sciendo &c. *l. quicunque* 8. *ff. de Leg. Corn. de fals.* Clar. *numer.* 37. *cit.* Carpzov. *n.* 94. Engl *n.* 15. *vers. secundo*, Pirhing *num.* 40. *vers. præterea*, Vviestner *num.* 18. Reiffenstuel *num.* 22. 5

3 Qui monetam adulterinam cudunt, finguntque ex falsa materia v. g. cupro, vitro, stanno, aut veræ materiæ, puta, auro, argento, æs, stannum, aut aliam materiam admiscent, vel nummos falsos tingunt, ut appareant aurei, vel argentei &c. *l. lege* 9. *ff. de Leg. Corn. de fals. l. creditor* 102. ibi, *Pecunia quasi ærosa ff. de Solut.* Clar. *n.* 37. Carpzov. *l. cit. &* *q.* 42. *n.* 21. Engl Pirh. Vviest. *l. citt.*

Dub. 2. qua pœna plectendi sint falsari monetæ? De Jure Canonico, & circa Ecclesiasticos non habetur in Corpore Juris specialis pœna, in singulis istis casibus constituto; erit proinde arbitria, quæ aliquando ad pœnam Depositionis extendi poterit. *arg. c. ad audientiam* 3. *hoc tit.* Neque contrarium probatum ex *Extr. un. Joann. XXII. hoc tit.* ubi pœna Excommunicationis Pontifici reservatæ lata est in illos; qui monetam Regis Franciæ falsificant quia hoc videtur esse speciale aliquod privilegium Regi Franciæ à Pont. memorato datum. & ideo pœna hæc probabiliter non est numeranda inter pœnas generales falsariorum. Gloss. *in Extr. cit. V. ad Regnum prædictum*, Barbosa *ibidem & tract. de Offic. Episc. alleg.* 50. *n.* 188. Engl *n.* 15. Pirhing *n.* 42. 5

Jure Civili distinguendum est inter casus *n.* 49. *&* 50. relatos. Et quidem illis, qui Monetam adulterinam ex falsa, aut vitiata materia cudunt, pœna ignis (cui ferè strangulatio præmitti solet) decreta est à Constantino Imp. *l. si quis* 2. *Cod. de fals. monet.* ibi, *si quis nummos falsa fusione*, i. e. ex adulterina materia *formaverit*, - - - *flammarum exustionibus mancipetur*: quod confirmavit Carolus V. *Const. crim. art.* 111. Clar. §. *falsum num.* 37. 5

Carpzov.

Carpzov. *quæst.* 42. *num.* 15. & 22. Engl *hic num.* 15. Pirhing *num.* 41. Quod intellige, si nummos à se ita cusos expenderit; nam si non expendit, flammarum exustionibus mancipandus non est, sed gladio, seu truncatione capitis puniri debet. Capzov. *loc. cit. n.* 91. & *seqq.* cum aliis.

3 *Extenditur* hæc ignis pœna 1. non tantum ad eos, qui Imperatoris, sed etiam, qui Principum inferiorum, Civitatum, aliorumque Statuum Imperii numismata falsificant, ex vitiosa materia hæc efformantes, & expendentes, ut notant Menoch. *de arbitr. cas.* 316. *n.* 9. & 29. Matth. Steph. *ad Carolin. art.* 111. *cit. vers. cæterum circa infligendam*, Carpzov. *q.* 42. *n.* 37. Neque obstat *l. siquis citat.* quæ illos demum flammarum exustionibus mancipari jubet, qui Imperatoris monetam ex vitiosa materia cudunt; quia Imperatoris ibi duntaxat fit mentio, quòd jus monetæ eo tempore alii, quam Imperatori non competierit. Accedit, quia etiam moneta Principum, & statuum Imperii pro moneta Imperatoris Romani est reputanda, utpote à quo cæteri jus monetæ in Imperio acceperunt.

4 *Extenditur* 2. non tantùm ad eos, qui species grassioris monetæ fabricant, sed etiam qui monetam minoris valoris, puta Grossos, Cruciferos, & id genus alia numismata ex vitiosa materia cudunt; quia Imperator in *Const. crim. ad art.* 111. generaliter loquitur: & confirmatur ex *Recessu Imperii de anno* 1559. §. *Wir ordnen, setzen, und wollen, &c.* ibi, *und Falschung aller alten, und neuen guten Müntzen &c.* Excipit Carpzov. *q.* 42. *cit. n.* 53. & *seqq.* eos, qui minimi valoris falsam monetam cudunt, ut nummos quadrantes, obulos; nam istos cum *Bossio*, *Menochio*, *Deciano* extraordinaria solum pœna fustigationis aut relegationis afficiendos existimat, si semel, aut bis, & paucos formaverint; quia sicut in aliis criminibus, ita etiam in hoc puniendo qualitas, & quantitas rei, in qua commissum est, spectari debet *l. aut facta* 16. §. *qualitate* 6. & §. *seq. ff. de Pœn.*

5 *Extenditur* 3 ut pœna ignis plectendi sint non tantum ii, qui propriis manibus monetam ex materia vitiosa cudunt, sed & qui aliis cudentibus, & falsificantibus favorem, consilium, vel auxilium scienter dant, stando in excubiis, ignem sufflando, domum, aut prædium eis concedendo, in quo illam cudant, vel alio modo delictum promovendo *l. quoniam* 1. junct. *l. si quis* 2. *C. de fals. monet.* Molin. *tract.* 2. *de I. & I. D.* 702. *num.* 2. Carpzov. *q.* 42. *n.* 66. Pirhing *hic n.* 41. ex generali doctrina, quòd præstans auxilium, & opem in aliquo crimine ex proposito, & conventione præcedente, teneatur pœna delicti istius ordinaria.

6 Dub. 3. quæ sit pœna illius, qui tondet, aut radit monetam, vel tingit auro, scilicet, ut aurea appareat? Resp. Jure communi Civili, si homo liber sit, bestiis subjiciebatur: si vero mancipium, pœna ejus erat supplicium ultimum *l. quicunque* 8. *ff. de Leg. Corn. de fals.* Hodierno Jure pœna istius criminis arbitraria est, nequaquam verò pœna ignis, prout de tinctoribus monetæ docet Carpz. *q.* 42. *n.* 83. & confirmat ex *Constit. crim. Carol. V. art.* 111. & *l. siquis* 2. *Cod. de fals. monet.* ubi ignis supplicio puniri jubentur tantum illi, qui falsa fusione nummos formant, h. e. qui nummos cudunt ex falsa materia, aut qui aliud metallum auro, & argento admiscent: quod certè ii non faciunt, qui nummos jam fabricatos deaurant; aliud enim est fabricatio, aliud tinctura.

7 Quod vero hodie pœna arbitraria afficiendi sint, qui monetam radendo, tondendo, & mutilando, justum pondus diminuunt, patet ex *Carolin. art.* 111. *citat.* ubi dispositum est, ut quis hujus delicti rei esse noscuntur, in vincula conjiciantur, & pro commissi gravitate corporis pœna, vel si levius peccarint, mulcta pecuniaria coerceantur. Carpz. *q.* 43. *n.* 32. Neque interest, an nummi rasi, vel tonsi sint aurei, vel argentei; licèt enim Ulpianus *l. quicunque* 8. *ff. de Leg. Corn. de fals.* solum meminerit de aureis, tamen ad argenteos etiam pœnam falsi extendendam suadet identitatis ratio, præsertim postquam *Carolin. art.* 111. *citat.* generaliter, de omni moneta, absque differentia aureorum, vel argenteorum, nummorum, concepta est. Imò arbitraria pœna probabilius puniri potest, qui rasit, vel mutilavit pecuniam, justum pondus excedentem, eam reducendo ad justum pondus, ut cum *Menochio*, & *Bocero*, docet Carpzov. *quæst.* 43. *citat. num.* 33. & *seqq.* ob generalitatem *l. quicunque citat.* quæ non distinguit inter nummos, qui justum excedunt pondus, & eos, qui pondus habent legitimum.

Dub. 4. qua pœna puniendus sit, qui propria authoritate cudit monetam etsi justi ponderis sigillo tamen publico abutens? Hos ignis supplicio comburendos existimant Gloss. *in lib.* 2. *V. obnoxii Cod. de fals. monet.* Farin. *prax. crim. quæst.* 115. *num.* 20. Bocerus *tract. de jur. monet. cap.* 5. *num.* 4. allegans ad hoc *art.* 111. *Constitut. Carolin. citat.* ibi; *Welche falsche Müntz machen, zeichnen &c. die sollen nach Gewohnheit mit dem Fewer vom Leben zum Todt gestrafft werden.* Sed si verba ista probè & exactè ponderentur, satis clarum est, in iis non nisi de nummis ex vitiosa materia formatis agi; nam verbum *zeichnen*, ut cum Gem. Rem. *in Nemes. Carol. art.* 111. *citat.* advertit Carpzov. *pract. crim. q.* 43. *num* 26. referendum est ad subjectum antecedens, monetam scilicet falsam, ex plumbo, stanno, aut alia materia vitiosa, fabricatam, ut sensus sit, eos flammarum exustionibus mancipandos esse, qui monetam ex vitiosa materia vel ipsimet fabricant, vel fabricatam signant, permutant, expendunt. 58

Quare dicendum, istos nequaquam mortis supplicio, sed arbitraria solummodo pœna plectendos esse; quia certum supplicii genus adversus istos nusquam statutum est; quando autem certa Legibus statuta pœna non est, arbitraria dicitur esse animadversio. *Conf.* imprimens signum alienum suæ monetæ committit falsi crimen, ut innuunt verba *Carolin. art.* 111. ibi, *wann einer betrieglicher weisz eines anderen zeichen darauff schlagt &c.* atqui pœna criminis falsi, ut dictum est *num.* 18. arbitraria hodie est; ergo &c. Similiter arbitraria pœna, scilicet carceris, fustigationis, relegationis, vel pecuniaria pro ratione delicti puniendus est, qui suum Sigillum monetæ à se cusæ imprimit, absque privilegio à Cæsarea Majestate impetrato, ut patet ex verbis *Carolin. art.* 111. *citat.* ibi, *Oder auch ohne habende Freyheit müntzet, &c.* Carpz. *loc. citat. num.* 20. & 29. 59

Præter prædictas pœnas is, qui falsam monetam cudit, etiam justi ponderis, ac materiæ, incurrit reatum peccati mortalis, quia in re gravi Juri Principis præjudicat; & tenetur restituere emolumentum, quo Principem injustè privavit; quin & illis, quibus damnum inde provenit, ut quia illa interdicta fuit &c. resarcire illud tenetur in foro utroque, interno, & externo. Similiter falsam monetam cudens, detrahendo de justo pondere, vel puritate metalli, vel illam tondens, radens, aut tingens compensare debet omne damnum, quod singuli passi fuere; si constare possit de illis in particulari; alioquin pauperibus in totum restituendum erit. Sylv. *V. falsarius q.* 6. *n.* 7. Molin. *tr.* 2. *de I. & I. D.* 702. *n.* 10. & 11. Pirhing *hic num.* 44. 60

Dub. 5. quid dicendum de iis, qui monetam cudunt ex auro, vel argento Alchimistico? Videtur ex hoc, si rite confectum sit, Moneta cudi sine crimine falsi posse; quia nummi ex eo cusi verè aurei sunt, & idcirco falsæ monetæ adnumerari nequeunt. 61

Sed quidquid sit, an verum aurum effici per artem possit, quod Albertus M. *lib.* 3. *miner. cap.* 9. Delrio *lib.* 1. *Disquis. Mag. cap.* 5. *sect.* 4. & alii DD. concedunt S. Thom. *in* 2. *dist.* 7. *quæst.* 3. *art.* 1. *ad* 5. Comitol. *lib.* 3. *respons. moral. q.* 33. *n.* 2. cum aliis negant. Joannes XXII. *Extrav. un. int. comm. hoc tit.* ejusmodi auro uti, & ex eo monetam cudi severè prohibuit, quod Alchimistæ ferè adulterinum aurum obtrudant; & si verum aliquando excoquant, in eo plurimum veri argenti decoquant. Pirhing *hic n.* 43. Engl *ibid. n.* 16.

Quæritur 5. quomodo falsi crimen committatur Usu? Resp. Usu, vel potius abusu falsi criminis reatum contrahunt 1. qui nomen, vel cognomen, genus, vel parentes sibi fraudulenter, & dolosè in alterius præjudicium, & damnum mutaverit *l. falsi* 13. *pr. ff. de Leg. Corn. de fals.* Neque interest, utrum quis alterius nomen falsò assumat, ut pro eo haberi possit, vel proprium nomen dissimulet in damnum tertii. Carpzov. *pract. crim. q.* 93. *n.* 34. & 35. Konig *hic n.* 6. Dixi *fraudulenter*, & *in alterius damnum*; nam mutare nomen, & cognomen sine aliqua fraude libero homini licitum est, si nullum inde 62

inde cuipiam præjudicium fiat: Felin. *in procem. Gregor. num.* 36. Menochius *de arbitr. cas.* 318. *nu.* 2. Farin. *prax. crim. quæst.* 150. *num.* 137. *&* 144. Gonzal. *in cap.* 3. *hoc tit. num.* 5. Carpzov. *loc. cit. num.* 33. Engl *hic num.* 13. Pirhing. *n.* 45. Reiffenstuel *n.* 10. & expressè habetur *l. un. C. de mutat. nomin.*

63 2 Qui illicitis, h. e. alienæ familiæ &c. insignibus usus est, *l. eos qui*, 27. *§. fin. ff. de Leg. Corn. de fals.* in quo genere peccant plebeii, qui utuntur Galeis apertis; quia hæc Doctoralem, Equestremque Dignitatem insigniunt. Lymn. *Jur. publ. lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 43. Item illi, qui Doctoris titulum sibi falsò assumunt, cùm tales non sint: quod cum Carpzov. *q.* 93. *cit. n.* 37. tum credo verum esse, si talis actum aliquem faciat Doctori convenientem: secus si verbo tantum Doctorem se jactet; solis namque verbis, non subsecuto aliquo effectu, mendacium quidem committitur, at non falsum *l. quid sit falsum* 23. *& ibi* Bartol. *ff. de Leg. Corn. de fals.* Quod idem dicendum de iis, qui Nobilis, Comitis, vel alterius Dignitatis titulo abutuntur, ut in falsi crimen tunc incidant, si cum damno, vel jactura alterius hanc Dignitatem sibi arrogantes, actum ejusmodi Dignitati convenientem celebrent, eoque modo homines fallant, ut qui facit se Comitem Palatinum, cum talis non sit, & creat Notarios, legitimat Spurios &c. Carpzov. *loc. cit. n.* 38. Aut siquis Nobilem, ex insigni, aut præclara familia oriundum se profitetur, & ab aliis ejusdem, vel alterius familiæ Nobilibus eo nomine pecuniam, vel aliud quiddam emendicat, aut alio modo eosdem fallit, lucro, & commodo suo, aliorumque damno. Carpzov. *loc. citat.* Gravius adhuc peccant, qui se Clericos, & Sacerdotes fingunt, & sub hoc nomine Divina celebrant: de quibus ex instituto agetur *Tit.* 28. *per totum.* Item qui se fingit nondum baptizatum, aut confirmatum, & ea Sacramenta sacrilegè iterat, ut pecuniam à Patrinis suis obtineat, ob gravissimum crimen Sacrilegii, quod crimini falsi adjungunt.

64 Qui proposita edicta dolo malo corrumpunt *l. hodie* 32. *ff. de Leg. Corn. de fals.* qui falso diplomate vias commeant *l. eos qui* 27. *§. fin. ff. eod* item qui falsas Leges, vel Constitutiones, Authoritates &c. dolosè allegant *l. fin. ff. eod.*

4 Et præcipuè, qui adulterinam monetam colligunt, & expendunt.

65 *Dubitatur*, quæ sit falsariorum istorum pœna? Resp. in tres priores relatos supra *num. praeced.* nulla certa constituta est pœna; unde arbitraria erit, scilicet carceris, relegationis, fustigationis &c. pro qualitate admissi falsi, & damni dati. Carpzov. *pract. crim. quæst.* 93. *num.* 38.

66 Quoad ultimo loco positos distinguendum est, an quis scienter, & dolosè hoc fecerit, an ignoranter. *Si secundum*, nullam incurrunt pœnam, cum nullam incurrerint culpam. Menoch. *de arbitr. cas.* 316. *num.* 55. Wiestner *hic n.* 24. *Si primum* interest, an hujusmodi nummi cusi sint ex materia proba, & justa, an contra ex adulterina: nam in *priori* casu pœna illorum est arbitraria; *in posteriori* in ipsos perinde, ut in cudentes, pœna ignis à Carolo V. *art.* 111. *cit.* est constituta; quæ tamen Constitutio, saltem si ejusmodi monetæ expositio sine magno Reip. damno, & non diu exercita sit, Tribunalium usu & praxi alicubi multum, & meritò est mitigata. Carpzov. *pract. crim. q.* 42. *n.* 99. *& seqq.* Wiestner *hic n.* 23.

67 Præter has pœnas expendens falsam monetam tenetur ad restitutionem ei, qui ultimus damnum sensit; neque excusatur per hoc, quod illam ab alio per errorem & deceptus acceperit; quia error ipsius non debet alteri nocere, & satis est, quod regressum habeat contra eos, à quibus accepit: novum enim peccatum committeret alios innocentes decipiendo. Et hæc restitutionis obligatio non tantum stringit eos, qui hujusmodi Monetam falsam scienter, & dolo malo expenderunt; sed etiam illos, qui ignoranter, & bona fide, postquam adverterint fuisse falsam, licèt durante ignorantia excusentur. Sylv. *V. falsarius n.* 8. Navar. *Man. c.* 17. *n.* 167. Molin. *tract.* 2. *de J. & J. D.* 170. *fin.* Wagnereck *in extrav. un. Joan. XXII. not.* 1. *&* 2. Pirh. *hic n.* 44. *fin.* Engl *ibidem n.* 17.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

SUMMARIUM.

POst Falsi Crimen sequuntur *Sortes*, quòd etiam ipsæ 1 falsi speciem, & non rarò etiam malitiam in se contineant; non quidem omnes, sed illæ maximè, ex quibus vani, & superstitiosi homines de futuris eventibus, aliisque rebus omnino reconditis conjicere solent. Quodsi cùm species superstitionis sit, idcirco, antequam ad Sortes digrediar, pauca aliqua de superstitione præfari libet.

Quæritur 1. quid sit *superstitio*? Resp. *superstitio* juxta 2 S. Thom. 2. 2. *quæst.* 92. *art.* 1. est *vitium Religioni oppositum, secundum excessum*; quia nimirum illa exhibetur cultus Divinus creaturæ, cui non debetur, vel Deo, cui debetur, & modo, quo exhiberi non debet. Dicitur autem *secundum excessum*, non quidem quoad circumstantiam *Quantum*; nam nihil potest esse secundum se nimium in materia Religionis; sed secundum alias circumstantias; ut ex dicendis constabit.

Est autem quadruplex superstitio teste S. Thom. *loc. cit.* 3 1. quando Deo exhibetur cultus modo indebito; & hæc appellatur *superstitio indebiti modi colendi Deum*. 2. quando cultus Divinus exhibetur creaturæ, eam loco Dei adorando: & hæc appellatur *Idololatria*. 3. quando homo petit à creatura instructionem, quæ à solo Deo haberi potest, atque ita hunc cultum Divinum creaturæ tribuit, volens per ipsam instrui de futuris, aut de præteritis, aut præsentibus occultis; & hæc appellatur *Divinatio*. 4. quando homo in suis actibus omittit dirigi à Deo, ut petit Cultus Divinus, hunc tribuens creaturæ, petendo directionem ab ipsa; & hæc appellatur *superstitio vanæ observantiæ*. De secunda super-

superstitionis specie, seu de Idololatria nihil hic attinet dicere.

4 Dub. 1. quomodo peccetur per *superstitionem indebiti modi Cultus* Divini; Resp. peccari potest dupliciter 1. quando cultus est falsus, ac proinde perniciosus. 2. quando est superfluus. *Cultus falsus* juxta S. Thom. 2. 2. *quæst.* 93. *art.* 2. contingere potest dupliciter. 1. quando cultus est falsus *ratione rei significatæ*, ut siquis ritibus, & cæremoniis Judaicis modò coleret Deum; nam tunc significatio Cultus discordat à re significata; erant enim cæremoniæ Veteris Testamenti præfiguratio Christi adventuri, quo adveniente exspirabant, nisi quod aliquæ ex certa, & rationabili causa etiam in novo Testamento à Summis Pont. retentæ, receptæque sint, qualis est Purificatio post partum *cap. un. de Purif. post part.* Et 2. quando est falsus *ex parte colentis*; quod accidit, quando quis nomine Ecclesiæ adhibet aliquid ad colendum Deum contra ipsius institutum; sicut enim falsitatis vitium incurrit proponens ex parte cujuspiam aliqua ab ipso minimè commissa, ita idem vitium incurrit, qui in persona Ecclesiæ contra ejus mentem aliquo cultu Deum afficit. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 37. *num.* 2.

5 *Cultus superfluus* juxta S. Thom. *art.* 2. *citat.* est, qui eis cæremoniis exhibetur, quæ judicio proborum, & sapientum nec ad Dei gloriam, nec ad excitandum spiritum, aut illecebras carnis domandas quidquam conferunt, ut siquis in oratione, aut Missa certum numerum, colorem, aut situm candelarum pro certo aliquo effectu obtinendo adhibeat; si velit dici Missam à Sacerdote, qui vocatur Joannes; si præter Rubricas Breviarii, & Missalis, aliquid dicat in Missa, vel Officio Divino, quod dicendum non est, & hoc non ex errore, sed ex fine aliquid propterea obtinendi. Huc pertinet, quod fit alicubi à vinitoribus, qui si Festo S. Urbani serena tempestas sit, statuam hujus Sancti floribus coronatam inter tripudia in popinam inferunt; si verò ea die sint pluviæ, demergunt in puteum; item quod alicubi in pagis apud rudem plebem est usitatum, ut sanctam Crucifixi, vel aliam Imaginem certis diebus butyro deliniant &c. quæ omnia, & his similia à locorum Parochis, & Ordinariis, tanquam superstitiosa, prohibenda & removenda esse præcipit Trid. *sess.* 22. *in Decret. de observ. & evitand. in celeb. Missar. vers. postremo.*

6 Dub. 2. quid sit *Divinatio*, & quot modis contingat? Resp. *Divinatio*, hoc loco dicitur *significatio occultorum ex pacto cum Dæmone*. Dicta autem est *Divinatio*, quasi Divinatis æmulatio, & qui huic studebant, *Divini* appellabantur; quia *Divinitate plenos se esse simulant, & astuta quadam fraudulentia hominibus futura conjectant*, ut ait D. Augustinus relatus *can. igitur* 1. *caus.* 26. *q.* 3. ubi etiam varia Divinationum, & Divinatorum genera, ut incantatores, ariolos, aruspices, augures &c. commemorat, & describit; de quibus S. Scriptura *Lev.* 19. *vers.* 31. inquit; *Non declinetis ad Magos; nec ab Ariolis aliquid sciscitemini*, S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 1. Azor *p.* 1. *l.* 9. *c.* 12. Valent. *D.* 7. *q.* 12. *p.* 1. Suar. *de Relig. l.* 2. *de superst. c.* 7. *n.* 1. & 2. Less. *l.* 2. *de J. c.* 43. *n.* 22. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 38. *n.* 1. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 1. Palao *tr.* 17. *D.* 1. *p.* 3. *n.* 4. Engl *hic n.* 9.

7 Porro Pactum cum Dæmone in Divinatione aliquando est *Expressum*, quando homo expressam, seu explicitam voluntatem habet aliquid sciendi à Dæmone; aliquando verò *Implicitum*, quando pro cognitione rerum occultarum signum aliquod vanum adhibetur, vel inspicitur; Quale signum, cum ex se non habeat potestatem à DEO, vel natura id, quod desideratur, significandi, neque boni Angeli aliquid hominibus revelent absque Dei voluntate, & jussu sequitur, quod ab alia substantia intelligente, videlicet à Dæmone talis significatio implicitè, sive opere ipso petatur. Less. *n.* 24. Sanch. *n.* 12. Laym. *n.* 2. *vers. Divinatio duplex est*, Engl *n.* 10.

Prior, seu illa, quæ fit per pactum expressum, generali nomine appellatur *Necromantia*; ejusque novem sunt species 1. *Præstigium*, quando Dæmon variis apparitionibus superstitiosorum oculos perstringit, se illorum aspectibus objiciens, & occulta docens; 2. *Divinatio per somnia*, quando instructio Dæmonis per somnia speratur. 3. *Necromantia* specificè accepta, quando adhibitis sanguine, & certis carminibus videntur mortui resurgere loqui, & docere. 4. *Divinatio per Pythones*, quando Dæmon per homines arreptitios; 4. *Geomantia*, quando per signa in corporibus terrestribus, *e. g.* ligno, metallo, lapide &c. apparentia; 6. *Hydromantia*, quando per signo apparentia in aqua; 7. *Aeromantia*, quando per apparentia in aere. 8. *Pyromantia*, quando per apparentia in igne; 9. *Aruspicium*, quando per apparentia in extis animalium ipsi sacrificatorum docet. Sanch. *loc. cit.*

9 *Posterior*, seu illa, quæ fit per pactum implicitum, duplex est; *Una* est, quando cognitio occultorum vanè procuratur ex consideratione alicujus dispositionis, alias existentis in quibuscunque rebus. *Altera*, quando quæritur ex dispositione eorum, quæ homines consulto faciunt, causa ejus cognitionis adipiscendæ. *Illam* S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 3. dividit in novem species. Nam 1. est *Genethlia*, quando cognitio hæc quæritur ex syderum motu aut situ. 2. *Augurium*, quando ex animalium vocibus, aut ex hominum sternutatione. 3. *Auspicium*, quando ex avium volatu, aut quorumvis animalium motu. 4. *Omen*, quando ex hominum vocibus, præter intentionem prolatis; 5. *Onyrocritica* quando ex somniis; 6. *Physiognomia*, quando ex totius corporis humani signis, 7. *Spatulamantia*, quando ex spatulæ signis; 8. *Metoposcopia*, quando ex fronte, 9. *Chiromantia*, quando ex inspectione manuum, harumque lineis cognitio futurorum quæritur.

Alterum divinandi modum S. D. *loc. cit.* in duas di- 10
vidit species. *Prima* est *Geomantia*, cùm ex punctorum protractione cognitio quæritur. *Secunda* dicitur *Divinatio per sortes*, quando cognitio futurorum quæritur ex signis resultantibus ex plumbo liquefacto, & in aquam projecto, vel ex consideratione festucæ ex duabus oblatis electæ, vel ex schedulis projectis in urnam, projectione taxillorum, consideratione ejus, quod aperienti librum occurrit &c.

Dub. 3. quid sit *superstitio vanæ observantiæ*? Resp. 11
superstitio vana observantia, ut colligitur ex S. Thom. 2. 2. *q.* 96. *art.* 1. & 2. est quando per media inutilia, & à Divina Providentia minimè ad hoc ordinata procuratur aliquis effectus, e. g. consecutio alicujus boni, vitatio mali, aut damni illati alteri facta. Dicitur autem *Vana observantia*, quia vel non consequitur effectum intentum, vel si consequatur, plus noxæ, quam commodi affert: commodum enim affert in corporalibus, & temporalibus, detrimentum verò est animæ. Quare differt à Divinatione, quod divinatio ordinetur solùm ad cognitionem occultorum, indebito modo comparandam; Vana autem observantia ad effectum externum tendat; Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 40. *n.* 1.

Fieri potest & ipsa dupliciter, scilicet per pactum 12
expressum cum Dæmone, & per pactum implicitum duntaxat, & tacitum. *Prior est*, quando quis à Dæmone expresse invocato, aut in commercium adducto aliqua incognita media addiscit, quæ naturales causæ sunt ad effectus producendos, vel quibus applicatis Dæmon occultè operatur; quod fieri potest dupliciter, scilicet Dæmonem verbis invocando, vel facto ipso, quando quis, sciens Dæmonem per id medium vanum operari, illud usurpat. *Posterior* tribus modis contingit; 1. quando alicujus calamitatis, vel prosperitatis cognitio per vanam Divinationem procuratur, ut ea cognitione homo edoctus aliquid faciat, aut vitet. 2. quando adhibentur preces vel voce, vel scripto, vel appensæ collo, concurrentibus vanis aliquibus circumstantiis, ex quibus appareat illas preces minimè ad Deum referri, ut vel sic ab illo exspectetur effectus; 3. quando vane adhibentur aliqua media tanquam efficaces alicujus effectus causæ, sive sint naturalia, ut herbæ, sive artificialia, ut characteres, figuræ, quæ inefficaces sunt ad eum effectum producendum.

Porro Superstitio vanæ observantiæ, in qua inter- 13
venit pactum expressum cum Dæmone, semper est peccatum mortale gravissimum, sive deinde effectus speratus excedat naturalem Demonis potestatem, sive illam non excedat; nec inter fideles potest aliquis excusari per ignorantiam, quia res ista præ se ipsa fert suam malitiam; Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 38. *num.* 17. & *c.* 40. *num.* 12. Illa verò, quæ fit per pactum implicitum duntaxat, licèt & ipsa ex genere suo peccatum mortale sit (quia est contraria Religioni, & cultui Deo debito) ex di-

ex diversis tamen capitibus potest fieri peccatum veniale scilicet 1. propter ignorantiam vincibilem quidem, sed non crassam, & affectatam. Valent. 2. 2. *D.6. q.* 13. *p.*3. Sanch. *c.*40. *cit. n.*13. 2. ex parte intentionis, ut si quispiam superstitiones istas exerceat, non quasi efficaces, sed tanquam vanas ex levitate quadam. Valent. Sanch. *loc. citt.* 3. ut vult Valent. *loc. cit.* ex parvitate materiæ; sed melius negatur, in hoc genere posse dari parvitatem materiæ; quia usurpatio, talium mediorum, seclusa ignorantia, gravem deordinationem continet in quacunque materia, si serio adhibeantur, secus, si joco, & ad experiendum effectum causa curiositatis; tum enim qui semel uteretur hujusmodi superstitione, Sanch. *loc. citat.* putat esse veniale.

14 Quæritur 2. an, & quale peccatum sit *Divinatio*? Resp. Divinatio, quæ fit per pactum expressum cum Dæmone, semper peccatum mortale est, sive pactum hoc verbis fiat, sive facto ipso; neque excusat fidelem ignorantia, ut *n. præc.* dictum est de Vana observantia. Illa vero, quæ fit cum pacto implicito, licet & ipsa ex genere suo peccatum mortale sit, nec parvitate materiæ excusari possit, à peccato tamen mortali excusari potest vel ratione ignorantiæ, non affectatæ, & nimis crassæ, vel ex intentione Divinantis non superstitiosa, quia scilicet ea divinatione utitur joci causa ad se oblectandum. Sanch. *l.*2. *mor. c.*38. *n.*17. *& tribus seqq.* Similiter venialis est vanitas, quando observantur somnia, auguria, sortes, haruspicia & reliqua, per quæ divinatur, si iis utens non adhibeat illis certam fidem, sed formidinem tantum ex iis concipiat. Less. *l.* 2. *de J. & J. c.*43. *n.* 53. Sanch. *cap.*38. *cit. n.* 21. Layman *l.* 4. *tract.* 10. *c.*3. *n.* 10. Palao *tract.* 17. *D.* 8. *p.* 8. *n.* 4. Engl *hic n.* 17. & alii ab his *citt.* Optimè cum Delrio *l.* 4. *disquis. Mag. c.* 2. *q.* 7. advertit Sanch *loc. cit.* esse rem valde periculosam juxta hæc actiones dirigere illis minimè credendo; quia Dæmon per hujusmodi sæpe in pejora pertrahit, & in magis seriis decipit.

15 Dub. 1. an, & quatenus illicita sit *Astrologia*? Resp. distinguendo; nam Duplex Astrologia apud DD. est. Una *Naturalis*, qua ex siderum situ, cursu, motuumque conjectantur ea, quæ naturaliter contingunt, ut sunt Eclipses, pluviæ, grandines, venti, anni fertilitas, morbi, morborum curationes, & similia, ex syderum influxu dependentia. Altera *Judiciaria*, qua ex Astrorum inspectione prædicuntur futuri eventus fortuiti, & à libero arbitrio hominis dependentes, vel præterita, aut præsentia prorsus occulta manifestantur v. g. Titium esse, aut fore homicidam, furem, contracturum matrimonium cum tali persona, hoc tempore &c. *Prior* non est illicita; est autem *posterior*, cujus ratio est: quia hæc conjectatio vel fundatur in Astris tanquam in causis actuum liberorum; & tunc tollitur libertas liberi arbitrii, utpote quod in actibus suis exercendis supponeret causam necessariam; vel fundatur in astris, tanquam in signis; & tunc cum signa naturalia effectuum istorum non sint necesse est, ut sint signa ex institutione, quæ institutio cum non sit à Deo, vel Angelis bonis, erit cons. à Dæmone; & sic intervenit pactum cum isto tacitum.

16 Quæ causa est, ob quam Astrologiam hanc utrumque Jus gravissimè interdixerit; Civile quidem *l. Mathematicos* 10. *Cod. de Episcop. audient. l. artem* 2. *l. nemo* 5. *l. & si* 7. *C. de Malefic. & Mathemat.* ubi nomine Mathematicorum non illi accipiuntur, qui honestas, & utiles Mathefeos disciplinas docent, sed qui Astrologiam Judiciariam dicto modo exercent, & hujusmodi occulta ex astris, tanquam causis, aut signis illorum necessariis nuntiant *Canonico autem can. igitur* 1. *caus.*26. *quæst.* 3. *can. non liceat* 3. *caus. cit. quæst.* 5. *can. illud* 6. *caus. ead. quæst.* 2. & novissimè in *Motu proprio Sixti V.* quem refert Quarant. *Bullar. V. Astrologia Judiciaria*, ubi etiam in specie damnatur facientes judicia, & Nativitates hominum, qui *Genethliaci*, vel *Horoscopici* dicebantur, teste *Augustino* relato in *can. igitur cit.* Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superstit. c.* 11. *n.*5. *&* 12. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 38. *n.* 27. *& seqq.* Less. *l.* 2. *de Just. cap.* 43. *num.* 32. *& seqq.* Laym. *l.* 4. *tract.*10. *cap.*3. *n.*5. *vers. verum tamen*, Palao *tr.* 17. *D.* 1. *p.* 4. *n.* 1. *& seqq.* Engl *hic num.* 12. Konig *ibid. num.* 5.

17 Dub. 2. quid conjectari, & prænuntiari possit ex avium volatu, vel garritu, motibus animalium, vel hominis, ejusque voce? Resp. ex avium volatu, animalium motibus, horumque voce prænuntiari licitè, & absque superstitione possunt aliqua futura evenientia, quorum illa signa sunt, ut pluvia, tempestas, serenitas; quia revera horum signa sunt. S. Thom. 2. 2. *q.*95. *art.*7. Azor *p.* 1. *l.* 9. *cap.* 15. *fin.* Less. *lib.* 2. *de Just. c.* 43. *n.* 45. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 38. *num.* 38. Imò quia una, eademque causa cælestis, eademque Constellatio movet animalia, & inclinat homines ad effectum aliquem, ex his animalium vocibus, ac motibus probabiliter conjici possunt etiam aliqua ad homines pertinentia, sed ut bene cum *Valentia* advertit Sanch. *loc. cit. n.* 39. conjectura hæc tenuissima est; tum quia hi effectus non necessariò ab eadem communi causa procedunt in homine, à qua in Brutis; tum verò etiam quia homo est dominus passionum suarum, quæ à causis cælestibus concitari quidem possunt, non tamen vinci, si homo non velit. Hinc superstitiosum est, signa ista extendere ad prædicendum ex illis plus, quàm illa indicent. S. Thom. *loc. citat.*

18 Multo adhuc debilior conjectura sumi potest ex motibus humani corporis; tum quia motus isti sæpe non ab impressione cælesti, sed à libera voluntate proficiscuntur; tum etiam, quia cùm reliqua animalia quietiorem phantasiam habeant, signa cælestium impressionum certiora edunt. Valent. 2. 2. *D.* 6. *quæst.*12. *part.* 3. *vers. & idem etiam.* Sanch. *loc. cit. num.* 41. Et quidem si ex iis, quæ prorsus fortuito contingunt, v. g. ex sternutatione, ruptione corrigiæ calcei, occursu funeris, aut certorum animalium &c. conjectare aliquis velit, quidpiam sibi, vel alteri feliciter, vel infeliciter eventurum, manifesta est superstitio, & peccatum ex genere suo mortale, nisi excusatur per simplicitatem, aut ignorantiam, vel fides hujusmodi signis adhibeatur solum dubia, & cum formidine. Azor *cap.* 22. *quæst. un.* Less. *num.* 62. *& seqq.* Sanch. *n.* 42. Laym. *l.* 4. *tract.* 10. *c.* 3. *n.* 10. Engl *hic n.* 14.

19 Ex vocibus hominum, quatenus significant, nulla de effectibus contingentibus potest conjectura sumi; quia cùm significent ad placitum, non ex cæli constellatione, sed ex ratione proveniunt, quare Divinatio per illas est semper superstitiosa, nisi cognitio tunc exspectetur à Deo; nam quandoque per aliquam vocem humanam, præter intentionem dictam, licet exspectare cognitionem à Deo: nec tunc erit omen superstitiosum. S. Thom. *a* 7. *cit. ad* 3. oportet tamen eo casu percipere Divinum lumen, aut præceptum ad hæc, & non ex sola hac facili credulitate, & fiducia moveri ad opus, ut notat. Cajet. *art. cit. fin.*

20 Dub. 3. an, & quando Superstitiosa sit conjectura ex hominum partibus, & manuum lineis? Resp. duplicem à DD. Physiognomiam, & Chiromantiam dici: una est *Naturalis*, altera *Astrologica*. *Hæc* superstitiosa est, quia ex partium corporis dispositione, & manuum lineis prædicit prosperos, & adversos hominis eventus, & multa alia, quæ inde sciri non possunt. Azor *p.* 1. *l.* 9. *cap.* 16. *fin.* Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 38. *num.* 45. *&* 47. Contrà *illa*, seu *Naturalis*, per quam ex inspectione membrorum, & lineamentis corporum conjectura aliqua fit de hominis complexione, ingenio, corporis temperie, bona vel mala valetudine, propensione quoad morbos, aut mores, non est prohibita: quamvis circa mores talis conjectura sit valde fallibilis, cum educatio hominis, societas, regimen vitæ, & rationis multa contra naturalem inclinationem mutare soleant; & quod subinde dispositio unius membri malum indicat, per dispositionem alterius membri in eodem corpore corrigitur. Hinc cautè in istis est procedendum; nec major hujusmodi signis, quàm par est, adhibenda fides. Laym. *n.* 5. *vers. altera species.* Engl *n.* 14. Konig *n.* 5.

Ex quo sequitur, non esse licitum de bona, vel mala fortuna interrogare Ægyptios. eritque istud peccatum mortale, quando interrogantur animo firmiter credendi illorum dictis. Secus, quando hoc fit, prout fit communiter, ob curiositatem, & animo ridendi; tunc enim esset vanitas venialis, prout cum, *Navar*, *Alcozer*, *Ludov. Lopez*, & aliis monet Sanch. *loc. cit. n.* 48. nisi tamen interrogans talis esset, ut videntibus grave scandalum generaret. Sanch. *loc. cit.*

Dub. 4. an, & quo pacto licita sit observatio somniorum? Resp.

Resp. licet aliquando Deus viris Sanctis, vel etiam aliis ad finem aliquem specialem per somnium revelet aliquid, sicut exempla habentur de Josepho Patriarcha *Gen.* 20. de Josepho Christi Nutritio, & Magis. *Matth.* 1. & 2. de quo non potest dari certa Regula, sed ex materia somni, & ad quem finem tendat, item ex qualitatibus somniantis, aliisque circumstantiis interpretatio est facienda à viris probis, & in hoc genere somniorum per specialem Dei gratiam excitatis. Sanch. *l.* 2. *mor.* c. 38. *n.* 52.

Ordinariè tamen ex ipsis SS. Litteris observatio somniorum prohibita est, ut patet *Lev.* 19. *vers.* 26. *Deut.* 18. *vers.* 10. & *Eccl.* 34. nisi quod aliquando ad colligendam dispositionem corporis somnia, præsertim à Medicis observari possunt; quia juxta abundantiam humoris Cholerici, Phlegmatici, Melancholici, Sanguinei diversa somnia causantur in homine; Quare ex somniis colligere bonam, vel malam corporis affectionem, nihil Superstitionis continet; contra Superstitiosum est significationem illorum extendere ad ea, quæ ex liberi arbitrii libertate pendent; cum enim somnia horum causa non sint, nullam cum his effectibus connexionem habent; Sanch. c. 38. *cit.* *n.* 49. & *seqq.* Less. c. 43. *n.* 50. & *seqq.* Laym. c. 3. *cit.* *n.* 6. Palao *tract.* 17. *D.* 1. *p.* 5. *num.* 2. & *seqq.* Engl *num.* 15. Konig *num.* 5.

Dub. 5. quid sit *Sortilegium*, & quotuplicis generis dentur *Sortes*? Resp. Sortilegii nomen dupliciter solet accipi; aliquando *propriè*, & *specialius*, & in hoc sensu *Sortilegium* est Divinatio, qua per Sortes Divinatorias, & falsa signa ope Dæmonis futura, & occulta mani festantur; Aliquando *generalius*; & tunc nomine Sortilegii veniunt omnes Superstitiones, Divinationes, & Magiæ, ut bene advertit Engl *hic n.* 1. In præsenti titulo Sortilegii nomen significat usum Sortium, quæ aliquando licitæ, aliquando illicitæ sunt; nam triplicis generis Sortes inveniuntur apud S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. scilicet Divisoriæ, Consultoriæ, & Divinatoriæ.

Quæritur 3. quid sint *Sortes Divisoriæ*, Resp. *Divisoriæ sortes* sunt, quibus jus indivisum, aut dubium, pluribus competens, inter eos dividitur, aut uni applicatur, Laym. *l.* 4. *tr.* 10. c. 3. *n.* 8. Palao *tr.* 17. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 2. Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. pr.* Gonzal. *in c.* 3. *ibid.* *n.* 7. Pirh. *n.* 1. Hoc Sortium genus ex communi doctrina per se licitum est, ut rectè advertunt Suar. *tom.* 1. *de Relig.* *l.* 2. *de Superst.* c. 12. *n.* 3. & 4. Less. *l.* 2. *de I. & I.* c. 43. *n.* 58. Sanch. *l.* 2. *mor.* c. 38. *n.* 27. Barbos. *in cap. fin. hoc tit. num.* 4. & 5. Vvagnereck *ibid. V. unum elegistis.* Vallens. *hic n.* 2. & alii passim cum S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *in Corp.* & S. August. relato *can. sors* 1. *caus.* 26. *q.* 2. ibi, *Sors non aliquid mali est.*

Ratio est, quia nec in se malæ sunt, cum nullam contineant Superstitionem: nec in damnum ullius injustum cedunt, cum usurpentur ex mutuo consensu, & conventione plurium, æquale jus habentium; nec ullo Jure prohibentur; imò Civili apertè approbantur *l. in tribus* 13. junct. *l. seqq. ff. de Judic.* *l. siquis* 5. *ff. famil. hercisc.* *l. si duobus* 3. *Cod. commun. de Legat.* Et ita olim sorte divisa inter Israelitas est terra promissionis. *Num.* 33. *vers.* 54. & *Jos.* 16. *vers.* 1. *Excipitur*, nisi ob circumstantiam aliquam accidentariam, & extrinsecam hujusmodi Sortes fiant illicitæ, vel Jure positivo specialiter; & expressè sint prohibitæ. Pirhing *hic n.* 5. Et ita prohibitæ sunt in Electione ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, prout dicetur *infra n.* 38.

Dub. 1. quibus casibus licitum sit adhibere Sortes Divisorias? Resp. adhiberi possunt, & solent 1. si inter hæredes, socios, vel commilitones dividenda sint bona hæreditaria, vel communia, aut præda ex hoste relata.

2 Quando de una, & individua re inter duos, vel plures lis est, & quia æquale omnium jus est, ea lis aliter definiri non potest; tunc enim adjudicari uni per sortes potest. Et hoc verum est, etsi ad ejusmodi causam Civilem, & temporalem per Sortes determinandam authoritas Superioris non accedat; quia in his res, de qua litigatur, potest per privatum pactum litigantium alteri adjudicari, adeoque in illis, etiam per Sortes potest lis dirimi. Pirh. *n.* 14. cum aliis.

3 Licitæ sunt Sortes Divisoriæ in Electionibus ad Officia Sæcularia; quia nuspiam id reperitur interdictum; quamvis enim *c. fin. hoc tit. fin.* videatur eas indistinctè in Electionibus prohibere, ibi, *Sortis usum in Electionibus perpetua prohibitione damnantes*; tamen, ut cum aliis rectè advertit Sanch. c. 38. *cit.* *n.* 58. verba illa intelligenda sunt juxta subjectam materiam, de qua textus ille tractabat, nempe in Electionibus Ecclesiasticis. Addo tamen cum Abb. *in cap. fin. cit.* *n.* 3. etiam in Officiis Sæcularibus conferendis melius abstineri à Sortibus. Imò ejusmodi Officiorum per Sortes collatione interdum potest peccari graviter contra Justitiam Distributivam, si Sortes mittantur temerè, & promiscuè inter promovendos, sive digni sint, sive indigni; id enim repugnat rectæ administrationi Reip. ejusque communi bono. Itaque ut hujusmodi Electiones per Sortes licitè fiant, caveri debet, ut non mittantur, nisi inter illos, qui digni sunt, & idonei ad officium, ad quod eliguntur per Sortes, ita saltem, ut non appareat manifestus, & notabilis excessus inter illos; tunc enim vitabitur periculum, ne Sors cadat super indignum, vel notabiliter, & apertè minus dignum, & idoneum Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *de superst.* c. 12. *n.* 15. Sanch. *cap.* 38. *cit.* *n.* 67. Pirh. *hic n.* 11.

29 4 Sorte designari possunt periculosæ Stationes in bello, & aliæ periculosæ functiones; nam ita habet usus passim receptus: Sic enim milites inter se sorte dividere solent, quæ Legio prior hostem, vel civitatem invadere debeat. Sic tempore pestis dirimi potest, quis ex Sacerdotibus. vel Medicis ad curam corporum, vel animarum exponendus sit. Sic in periculo communis naufragii, si necesse sit ad alleviandam navim aliquos in mare prosilire, vel projici, ne omnes pereant, sorte ex omnium consensu decidi potest, quinam ejiciendi sint; imò etiam quibusdam invitis, reliqui navigantes sortiri possunt, & sortis eventum exequi; vel etiam Navarchus eligere potest tale medium ob commune bonum. Less. *cap.* 43. *n.* 58. Sanch. *n.* 59. & *n.* 62. Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. post med.* Pirhing *n.* 6.

30 5 Quando plures sunt rei criminis, nec omnes puniri, aut impunitos dimitti expedit, uni eorum pœna mortis, vel alia per sortes decerni potest, prout in militia est praxi receptum. Less. *n.* 58. *cit.* Sanch. *num.* 60. Laym. *tr.* 10. *cit. cap.* 3 *n.* 8. Palao *tr.* 17. *D* 1. *p.* 6. *n.* 3. Vallens. *hic num.* 2. Engl *n.* 3. Vviestner *n.* 2. Reiffenst. *num.* 5. ubi tamen duo sunt advertenda. 1. ut omnes rei sint, & de hoc constet; nam si de persona, quæ delictum commisit, non constet, nullatenus licet eam sortibus indagare; quia præter Divinationem ibi admixtam est periculum puniendi innocentis, si sors in ipsum cadat, aut rei, non legitimè probato ejus delicto. Sanch. *n.* 61. 2. ut æqualis sortientium culpa sit; quia alias iniqua esset sortitio quoad minus nocentes. Sanch. *num.* 60. Ratio autem, quare in casu, quo omnes sortientes in æquali sunt culpa, est, quia in tali sortitione nemini fit injuria, cùm omnes mortem sint meriti; sed potius singulis fit favor, quatenus eis spes offertur evadendi mortem. Pirhing *num.* 6.

31 6 Denique quotiescunque nulla ratio appatet, cur in aliquo commodo, vel incommodo alter alteri præferendus sit, sorte res definiri potest. Less. *num.* 58. Pirhing *num.* 6. *fin.*

32 Dub. 2. quænam conditiones requirantur, ut sortes Divisoriæ licitæ sint? Resp. requiri quatuor maximè. 1. ut eventus sortis exspectetur à Deo, non à Dæmone, nec ab Astris, fato, aut fortuna. 2. ut sors fiat simplici animo, & cum debita reverentia, sine admixtione alicujus superstitionis, vel abusu rerum Sacrarum, seu S. Scripturæ. 3. ut illi, qui sortiuntur, æquali jure nitantur, aut æquali sint pœna digni. 4. ut præcipua sortientium intentio non sit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario, sed tantum litium, discordiarum, sive invidiarum ablatio. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 38. *num.* 64. & *seqq.*

33 Ex harum circumstantiarum defectu sortes redduntur illicitæ: sed diverso malitiæ gradu; nam ex defectu *primæ* est grave peccatum; quia simul miscetur superstitio. Ex defectu *secundæ* erit vel grave, vel leve peccatum, prout gravis, vel levis committitur irreverentia. Ex defectu *tertiæ* injustitiam continent, & pro hujus gravitate peccatum sunt. Ex defectu *quartæ* continent peccatum vanitatis; quia carent debito fine; etenim finis non debet esse inquirere voluntatem Dei

modo

modo extraordinario, eo quod modus iste sit omnino incertus, utpote nulli Dei promissioni innitens. Gonzal. *in c.* 3. *hoc tit. n.* 7.

34 Quæritur 4. quid sint *Sortes Consultoriæ*? *Resp. Consultoriæ sunt*, quibus occultæ veritatis manifestatio, vel ancipitis consilii directio à Deo postulatur. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 38. *n.* 56. Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. pr.* Gonzal. *in c.* 3. *ibid. n.* 7. Pirh. *hic n.* 1. Engl *ibid. n.* 4. Et sic olim per hujusmodi sortes deprehensum est furtum Achan. *Jos.* 7. *vers.* 14. Saul electus in Regem 1. *Reg.* 12. *vers.* 20. Matthias pro Juda Proditore suffectus in Apostolatum. *Act.* 1. *vers.* 26. juxta illud: *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur. Prov.* 16. *vers.* 33.

35 Dub. 1. an Sortes Consultoriæ sint licitæ? Videntur licitæ esse ob exempla *num. præc.* allata. Sed exempla ista nihil probant; quia in relatis casibus ex speciali Dei instinctu adhibitæ sunt; *Hinc dicendum*, extra casum, quo urgente necessitate, Divina Voluntas alia via investigari non potest, regulariter esse illicitas, prout patet ex *can. sortes* 7. *caus.* 26. *q.* 5. ubi sub gravibus pœnis prohibentur; & merito, quia sunt quædam tentatio Dei, & iis utentes exponunt se periculo, ne Deo permittente, à Diabolo decipiantur. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *cap.* 12. *numer.* 25. Less. *lib.* 2. *de J. & J. c.* 43. *num.* 60. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 38. *n.* 85. Laym. *l.* 4. *tr.* 10 *c.* 3. *n.* 9. Palao *tr.* 17. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 10. Vivian. *in cap.* 1. *hoc tit. circ. med.* Engl *hic n.* 4. Pirhing *n.* 4. Konig *n.* 10. *vers. sortes Consultoriæ*. Vviest. *n.* 3. Reiffenst. *n.* 4. cum S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8.

36 Non tamen in his Sortibus semper peccatur graviter, si non expresse petatur, vel exspectetur revelatio futurorum, aut occultorum, à Dæmone, vel à fato quodam sidereo casu, aut qui non reducantur ad Deum, fiunt enim sæpe ex vanitate, aut curiositate, de qua si taliter sortientes interroges, respondebunt, sibi nihil esse cum Demone, fato, vel casu, quæ à Divina Providentia non proveniant: quamvis saltem leviter hoc modo delinquant, quod ejusmodi Sortibus Divinam Providentiam, sine justa causa subiiciant, ejusque consilia quasi expiscari velint. Vvagnereck *in c.* 1. *hoc tit. art.* 2.

37 Imò si quatuor sequentes conditiones concurrant, absolutè sunt licitæ Sortes Consultoriæ. 1. necessitas spiritualis aut temporalis personæ, vel etiam rerum, ad magnum damnum vitandum. 2. ut cum debita reverentia ad Deum mittantur Sortes; 3. ut servetur modus proportionatus, ne scilicet Sanctorum Reliquiæ, aut Divina Oracula convertantur ad Sæcularia, vel temporalia lucra, secus ad damnum vitandum. 4. ut sint circa debitam materiam, seu talem, circa quam Sortes non sint prohibitæ, prout sunt Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica; Sanch. *c.* 38. *cit. n.* 85. Verum de his ulterius.

38 Dub. 2. an Sortes Consultoriæ, & Divisoriæ adhiberi possint in Electionibus ad Prælaturas, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica? Resp. negativè, ut clarè patet ex *c. fin. hoc tit.* & notant Sanch. *loc. cit. n.* 71. Laym. *n.* 9. Palao *n.* 5. Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. circ. med.* Gonzal. *ibid. n.* 9. Barbos. *in c. fin. cit. n.* 1. & 2. Vallens. *hic n.* 3. *vers. hinc prohibitum est*, Engl *ibid. n.* 4. *Proceditque* hoc etiam casu, quo duo electi habent paria Vota, & neutra eligentium pars vult cedere; quia *cap. fin. cit.* sortium usus in Electionibus ad Dignitates, & Officia Ecclesiastica absolutè, & sine restrictione damnatur, Sanch. *loc. citat. numer.* 74. Palao *p.* 6. *n.* 6. Gibalin. *de negot. tom.* 2. *l.* 4. *c.* 9. *art.* 8. Gonzal *in c.* 3. *hoc tit. n.* 8. Pirh. *hic n.* 10. Reiffenst. *n.* 7. *ibid.*

39 *Ratio est*, quia Electio personarum Ecclesiasticarum ad Dignitates, & Officia debet fieri ex delectu, & cum ratione, attendendo ad capacitatem personarum, & merita illarum; unde illa non est casui, & cæcæ fortunæ temere subiicienda, ne contingat eligi minus dignum, & minùs habilem, Itaque in discordia Electorum, cùm duo paria Vota habent, res per Compromissarios determinanda est, vel Superior adeundus, qui Electores compellere potest ad concordandum, vel certum terminum eis præscribere ad eligendum, quo elapso potestas eligendi ad ipsum devolvatur, ut docet Gloss. *in c. pen. V. teneatur de Rescript. in* 6. Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *de Superst. c.* 12. *n.* 7. Sanch. *c.* 38. *cit. n.* 74. Pirh. *hic n.* 10.

Dub. 3. quo Jure Sortes ab Electione removeantur; 40 *Ratio dubitandi* est, quia Sorti committentes Electionem, exponunt Ecclesiam periculo, ne loco digni accipiat Pastorem indignum, quem præfici Jus Naturale prohibet. *Sed distinguendum est*, an in Electionem, per Sortes faciendam, veniant digni cum indignis, an digni tantum, sicut factum est in Electione S. Matthiæ, ubi cum ipso propositus est Joseph, qui cognominabatur *Justus*. *Si primum*, ratio dubitandi allata rectè probat, Electionem per Sortes Jure naturali prohibitam esse; *Si secundum*, illicita solum est Jure positivo humano per *cap. fin. citat.* Ratio est, quia tali casu nullam dedecentiam Juris naturalis continet. Cajet. *Summ. V. Sors ad fin.* Valent. 2. 2. *D.* 6. *q.* 12. *p.* 3. *vers. ex eodem capite*. Azor *p.* 1. *l.* 9. *c.* 21. *q. un. vers. at vero in Electionibus*; Suar. *l.* 1. *de Superst. c.* 12. *n.* 3. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 38. *n.* 82. Palao *tr.* 17. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 5. Barbos. *in cap. fin. cit. n.* 5. *fin.* Zoes. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 12. Vviest. *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 10.

Estque Electio talis, per Sortes facta, ipso jure nulla, 4 ut notat Abb. *in c. fin. cit. n.* 5. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 9. Palao *tr.* 16. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 9. Zoes. *hic n.* 5. Engl *num.* 4. Reiffenstuel *num.* 8. Ratio est, quia est contra formam Electionis, *in cap. quia propter* 42. *de Elect.* præscriptam; nam in hoc *cap.* statuitur, ut Electio fiat per formam Scrutinii, vel Compromissi, vel Inspirationis, & decernitur, quod forma ibidem præscripta non observata, Electio futura sit ipso Jure invalida. Non debet tamen prohibitio hæc extendi ultra Electiones propriè dictas; & hinc si dubium sit; quis ex pluribus præsentari aut promoveri debeat ad Beneficia, non electiva, & omnes illi sint æquè digni, poterit id Sortibus committi per *Reg. Odia* 15. *in* 6. Vvagnereck *in c. fin. V. Sortis usum not.* 2.

Dub. 4. an etiam invalida sit facta per Sortes Electio Compromissariorum, quibus deinde committatur Prælati Electio? Resp. probabilius eam Jure subsistere, ut notant Suar. *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *de Superst. c.* 12. *n.* 11. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 38. *n.* 83. Palao *tr.* 17. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 9. Passerin. *de Elect. c.* 18. *q.* 5. *n.* 11. Gonzal. *in c.* 3. *hoc tit. n.* 3. Pirhing *hic n.* 13. Vviestner *ibid. n.* 7. quia *c. quia propter cit.* solum irritatur Electio Prælati aliter, quam ut ibi præscriptum est, facta, nulla facta mentione Electionis Compromissariorum; Accedit, quia *c. fin. cit.* Honorius III. Electionem istorum, per Sortes factam, reprehensione quidem dignam pronuntiat, & in posterum vetuit; at fine Decreto irritante; imo eadem Authoritate Apostolica confirmavit.

Dub. 5. an Sorti committi possint Lites Ecclesiasticæ, & Beneficiales? Resp. mutuo colligitantium consensu, & accedente Authoritate Legitimi superioris, posse, & tunc is, cui sors favet, Jus ad Beneficium non à colligitante, quid id propria authoritate in alterum transferre non valet *c. admonet* 4. *de renunt.* sed à Superiore obtinet; *arg. c. nisi essent* 21. *de Præb. & c. quæsitam* 5. *de rer. permut.* Suar. *l.* 2. *de Superst. c.* 12. *n.* 11. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 38. *n.* 78. Laym. *tr.* 10. *cit. c.* 3. *n.* 8. *vers. denique*; Palao *tr.* 17. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 7. Gonzal. *in c. fin. cit. n.* 8. Pirhing *hic numer.* 14. Engl *n.* 6. Vviestner *n.* 8. Secus est, si hoc fiat auctoritate propria: tunc enim erit prohibitum uti sortibus *Sanchez l. cit.* cum enim neuter litigans possit alteri sua authoritate, & pacto conferre titulum legitimum Beneficii, nec constet, uter litigantium habeat titulum Beneficii, periculum est, si fortè alter litigans titulo justo carebat, ne possideat Beneficium absque illo. Accedit, quia omne pactum, initum authoritate propria circa Beneficium Ecclesiasticum litigiosum, est simoniacum *c. fin. de pact.*

Quæritur 5. quid sint *Sortes Divinatoriæ*, & an licitæ illæ sint? Resp. *Sortes Divinatoriæ* sunt, quæ ad cognoscenda futura contingentia, aliaque occulta v. g. ad furti, aut homicidii authorem detegendum adhibentur. Vivian. *in c.* 1. *hoc tit. pr.* Gonzal. *in c.* 2. *ibid. n.* 7. Pirh. *hic. n.* 1. Sortes istæ non tantum, quando per invocationem Dæmonis expressam, sed etiam, quando per verba, scripturam, signa &c. cum eventu, aut alia re occulta nullam connexionem habentia, fiunt, illicitæ & superstitiosæ sunt S. Thom. 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *in Corp.* Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. not.* 1. Suar. *tom.* 1. *de*

3. de Relig. lib. 2. de Superst. cap. 12. n. 28. Less. l. 2. de J. & J. cap. 43. num. 27. & seqq. ac præcipuè nu. 61. Sanch. l. 2. mor. cap. 38. num. 88. Laym. l. 4. tr. 10. cap. 3. n. 9. vers. Divinatoria. Palao tr. 17. D. 1. p. 6. n. 12. Gonzal. in cap. 1. hoc tit. n. 8. Vvagnereck in cap. 2. ibidem, Vallens. hic n. 3. Pirhing n. 2. & 3. Vviestner n. 9. Reiffenstuel nu. 3. & patet ex can. non liceat 3. can. siquis Episcopus 5. can. sortes 7. &c. caus. 26. q. 5. & cap. in talibus 2. hoc tit. Ratio est, quia cùm sint medium improportionatum, & vanum ad talem finem, vel effectum (Deus enim nuspiam promisit, se temperaturum Sortes ad præsignificanda futura, vel occulta aperienda) ideo admixtam habent saltem tacitam Dæmonis invocationem, ut Sortes regat, & occultum manifestet.

Neque obstat, etsi ad tale Sortilegium S. Scriptura, vel alii Libri Sacri adhibeantur, ut si v. g. ex recitatione quorundam versiculorum S. Scripturæ una cum aliis signis adjunctis inquiratur de furto, vel alio delicto hominis; nam nihilominus illicitum, & sub pœna Excommunicationis damnatum est can. aliquanti 6. &c. caus. 26. quæst. 5. & cap. in talibus cit. talis enim Scripturarum applicatio à SS. PP. vana, & temeraria reputatur: proinde Deus per eam non facit revelationem, vel miraculum; sed potius Diabolus qui gaudet tali peccato hominum, in contemptum SS. Litterarum, transfigurans se in Angelum lucis, sub ficta pietate decipit, & ad hanc deceptionem non curat etiam S. Scriptura uti: sicut habetur exemplum in Evangelio *Matth.* 4. ubi Dæmon, tentando Christum in eremo, allegavit illum versiculum *Psalm.* 90. *quia Angelis suis mandavit de te &c.* Engl *hic n.* 7.

Dub. 1. quæ pœnæ in Sortilegos Jure Civili decretæ sint? Resp. hoc Jure in eos bonorum publicatio, imò aliquando ignis supplicium à Constantino Imp. *l. nullus* 3. & *l. nemo* 5. *Cod. de malefic.* decretum est. Hodie pro qualitate delicti, & circumstantiarum istius coercentur pœna arbitraria, nempe carceris, relegationis, & aliquando etiam ultimi supplicii, ut videre est apud Brunnem *ad loc. citt. à num.* 1. Pirhing *hic n.* 18. *vers. denique*, Vviestner *ibidem num.* 10.

Dub. 2. quæ pœnæ in Sortilegos Clericos latæ sint à Jure Canonico? Resp. hoc Jure jubentur ab Officio, & Beneficio deponi, & ad agendam perpetuam pœnitentiam detrudi in Monasterium *can. non oportet* 4. & *duob. seqq. caus.* 26. *quæst.* 5. *cap. in talibus* 1. & *cap. seq. hoc tit.* Gloss. *fin. in cap.* 1. *citat.* Abb. *ibidem num.* 2. Barbosa *in cap.* 2. *hoc tit. num.* 4. Pirhing *hic n.* 17. Konig *n.* 8 Reiffenstuel *n.* 14. Imo eos degradandos, & Curiæ Sæculari tradendos, desumi videtur ex *can. admoneant* 15. *caus. citat. quæst.* 7. quem tamen textum rectè Pirhing, & Vviestner *loc. citt.* cum Diaz *pract. crim. can. V. Sortilegi cap.* 111. *num.* 2. monent intelligendum non de Degradatione reali, sed verbali tantum, seu depositione ab officio, & Beneficio, nisi Divinationes, & Sortilegia saperent Hæresin, & negaretur Deo, vel tribueretur Diabolo, quod Deo soli competit, & reservatum est; tunc enim has exercentes pœnis Hæreticorum forent obnoxii, de quibus actum est *suprà Tit.* 7. *à n.* 86.

Dub. 3. qua pœna coercendi sint Laici Sortilegi? Resp. in hos quando Hæresis suspicio abest, ferè procedit Curia Sæcularis Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 3. Clar. §. *Hæresis num.* 25. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 38. *n.* 92. Vviestner *hic num.* 12. Reiffenstuel *ibidem num.* 13. Potest tamen in eosdem etiam procedere Judex Ecclesiasticus: & quidem, si admoniti se non emendent, & servi, aut viles existant, verberibus, & cruciatibus castigandi sunt, liberi verò, & honestiores in perpetuum carcerem sunt relegandi *can. contra* 10. *caus.* 26. *quæst.* 5. imò etiam excommunicandi *can. admoneant cit.* Possent etiam ab Episcopo turpiter dehonestari, impresso stigmate, atque è Diœcesi ejici *can. Episcopi* 12. *q. citat.* ac insuper, si Magiæ rei sunt, Curiæ Sæculari tradi, per Bullas *infra num.* 52. allegandas.

Quæritur 6. quid, & quotuplex sit *Magia*? Resp. *Magia* est ars, seu ratio operandi mira. Dividitur in *Naturalem*, & *superstitiosam*, seu *Diabolicam*. *Illa* est, qua per causas naturales absque Dæmonis ope quædam producuntur mirabilia: *Hæc vero*, seu *Superstitiosa* est, quæ Dæmonis ope mira facit: & habet duplicem finem, videlicet *primò* propriam ostensionem, vel aliud proprium, aut alienum commodum, ope Dæmonis consequendum; & *secundò* noxam alteri Dæmonis ope inferendam: quæ noxa sic illata vocatur *Maleficium*, vel *Veneficium*, Reiffenstuel *hic n.* 12. Ex quo sequitur differentia Magiæ à Divinatione; nam per Divinationem petitur occultæ veritatis cognitio, per Magiam autem alicujus operis effectio. Engl *num.* 16.

Dub. 1. an Magica, vel superstitiosa censeri debeant etiam illa, quæ speciem pietatis præferunt, ut sunt verba, & signa sacra? Resp. Si his aliqua misceantur vana, & inutilia, quæ ad Dei cultum non pertinent, v. g. quod Sacra verba dici debeant ad aures jumenti ægrotantis, quòd Signum Crucis debeat formari characteribus ignotis, quòd ligatura fieri tribus funiculis &c. usurpationem horum signorum, & rerum non immerito pro superstitiosis, & magicis habendam esse; nam ut post S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. & 4. pro regula tradunt DD. Catholici, quidquid præter Ecclesiæ consuetudinem adhibetur ad operationem aliquam secuturam, si talem operationem efficiendi vim naturalem non habet, ad Magiam superstitiosam pertinet. Engl *hic num.* 16. 50

Dub. 2. quis sit Judex in crimine Magiæ, & sortilegii? Resp. crimen hoc mixti fori est, ita, ut non tantum Clericos, sed etiam Laicos, hujus criminis reos, judicare, & punire Judex Ecclesiasticus possit *arg. can. contra Idolorum* 10. *caus.* 26. *quæst.* 5. Abb. *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 3. Clar. §. *Hæresis num.* 25. Sanch. *l.* 2. *mor. cap.* 38. *nu.* 92. Palao *tract.* 17. *D.* 1. *part.* 13. *num.* 6. Pirhing *hic num.* 19. Reiffenstuel *ibidem num* 18. Estque Jurisdictio in sortilegos, & Magos &c. Ecclesiasticis Judicibus specialiter attributa per *Bullam Sixti V.* incipit *Cœli, & Terræ*, quæ est septima hujus Papæ, & habetur *tom.* 2. *Bullar. Cherubin.* 51

Dub. 3. quæ sit pœna Magorum, Divinatorum, & eorum, qui libros, de tali materia tractantes, edunt, vel legunt? Resp. de *Jure Canonico*, præterquam quod incurrant infamiam *can. constituimus* 9. *caus.* 3. *quæst.* 5. afficiuntur Censuris Ecclesiasticis, item pœna incarcerationis, aliisque similibus, pro qualitate delicti: aliquando etiam Curiæ Sæculari traduntur castigandi. Potestque Judex Ecclesiasticus hujusmodi extraditionem facere absque ullo periculo Irregularitatis, & sine obtenta speciali facultate Papæ Jure ordinario, ita tamen, ut si Clericus Curiæ Sæculari tradendus sit, prius degradetur, ut bene advertit Delrio *Disquis. Mag. l.* 5. *sect.* 16. ubi etiam formam sententiæ contra Maleficos ferendæ, & traditionis ad Curiam Sæcularem faciendæ exhibet. Videantur speciales Constitutiones Pontificiæ de hoc editæ, præcipuè *Innocentii VIII.* incipit *Summis tom.* 1. *Bullar. Cherub. Leonis X.* incipit *Honestatis tom.* 1. *cit. Gregorii XV.* incipit *Omnipotens tom.* 3. & *Sixti V. cit.* 52

De Jure Civili pœna gladii constituta est *l. nemo* 5. *C. de malefic. Ex Constit. crim. Carol. V.* autem facienda est distinctio; nam juxta illam Magiam exercentes cum damno tertii, igne cremandi; sine aliorum damno autem ejusdem rei arbitraria Judicis pœna v. g. relegationis, vel etiam ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum puniuntur. Carpzov. *pract. crim. q.* 49. *n.* 1. & *q.* 50. *num.* 49. & *seqq.* Engl *hic n.* 18. Reiffenstuel *ibidem n.* 17. & patet ex *art.* 109. *Const. cit.* 53

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Collusio?*
2 *Quot modis possit contingere?*
3 *Inter quos?*
4 5 *Et in quibus causis?*
6 7 8 *Quid de hac in Jure statutum sit?*
9 10 11 *Quomodo Accusatio, vel Inquisitio in casu facta Collusionis repeti adversus Collusorem possit?*

SOrtilegiis *Collusio* jungitur; nam & ipsa Falsi species est. De hac proinde

Quæritur 1. quid sit *Collusio*? Resp. est latens, & fraudulenta conventio inter Actorem, & Reum. Gloss. *in cap. audivimus* 3. *V. collusione hoc tit.* Sylv. *V. collusio n.* 1. Host. 1

Summ.

Summ. hoc tit. n. 1. Vivian. *in c.* 3. *cit. pr.* Fagnan. *ibidem num.* 4. Gonzal. *in c. fin. tit. eod. n.* 3. Barbosa *ad Rub. hic vers. colludere.* Vvagnerech *ibid. pr.* Vallens. *n.* 1. Pirh. *n.* 1. Konig *n.* 1. Vviestner *n.* 1. Reiffenst. *n.* 1.

2 Quæritur 2. quot modis Collusio possit contingere? Resp. contingere potest maximè duobus modis. *Unus* est, quando Actor, vel Accusator Rei accusati partes tacitè adjuvat, veras probationes celando, vel omittendo, aut falsas Rei exceptiones, vel defensiones admittendo, ut pœnam reus evitet, & Judicium publicum reddatur illusorium *cap. scripta* 1. *& cap. fin. hoc tit.* Host. *loc. cit.* Engl *hic num. un.* Pirhing *n.* 1. Konig *n.* 2. Vviestner *num.* 2. *Alter*, quando Accusator ab accusatione ob eundem finem omnino desistit. *text.* & DD. *citt.* Priori modo facta collusio à Civilistis dicitur *Prævaricatio*, & colludentes *Prævaricatores*; posteriori *Tergiversatio*, & ejus Rei *Tergiversatores*; de quibus dictum *suprà Tit.* 2. *à n.* 23. Præsumitur Collusio, si Accusator, & Reus repente redierint in gratiam, qui antea erant Adversarii. Vvagnereck *in c.* 1. *hoc tit. in not.* qui addit ex *Barbosa*, ex sola amicitia non præsumi collusionem; sunt enim multi boni amici, qui ultra Aram amici esse nolunt.

3 Quæritur 3. inter quos contingere Collusio possit? Resp. contingere potest tam inter Clericos, quàm inter Laicos, & quidem non tantum inter principales, sed etiam per Advocatos, & Procuratores, dum videlicet horum aliquis in præjudicium sui principalis cum altero principali, vel ejus Advocato colludit manifestando ei secreta, vel dissimulando, aut non refutando refutanda, vel probationes efficaciores omittendo &c. Vallens. *hic n.* 2. *fin.* Konig *n.* 4. Reiffenstuel *n.* 4. ubi tamen notandum, Advocatum ita malè procedendo non dici propriè Collusorem, sed impropriè tantum *arg. l. prævaricator* 1. §. *is autem* 1. *ff. de Prævar.* ibi, *Cæterum Advocatus non propriè Prævaricator dicitur.* Unde etiam potius falsarius, quam Collusor dicitur, & pœnis falsi subjacet, per dicta *Tit.* 20. *n.* 22.

4 Quæritur 4. in quibus causis committi possit Collusio? Resp. juxta Host. *in Summ. hic num.* 1. Vallens. *numer.* 1. Pirhing *num.* 1. Vviestner *n.* 1. & alios committi crimen hoc potest tam in criminalibus, quam in Civilibus, tam in Spritualibus, & Ecclesiasticis, quam in temporalibus, ac profanis causis. Alii autem cum Mascad. *de Probat. concl.* 322. *n.* 2. Barbosa *ad Rubr. hoc tit. vers. colludere*, Konig *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 3. contendunt locum huic crimini solum esse in Criminalibus, & Beneficiis Ecclesiasticis, minimè vero in Civilibus *Rationem* dant, quia in Civilibus; licita est Transactio concordia, & amicitia collitigantium, vel totalis litis sublatio, hoc ipso; quòd agatur tantum de privato interesse ipsorum: dum è contra in processu criminali agitur de bono communi, exigente, ne delicta maneant impunita. Ego utrique Sententiæ aliquid tribuo, & cum prima concedo, Collusionem contingere posse etiam in Civilibus causis, quando lis agitatur per procuratores, & Advocatos, vel per principalem ex una parte, & procuratorem, vel Advocatum ex altera; nego autem, cum secunda in his causis locum Collusioni esse, si utrinque principales per seipsos litigent, nisi tum, quando isti inter se colludunt in causa matrimoniali, vel in præjudicium tertii.

5 In materia Beneficiali factæ Collusionis casus habetur *cap. audivimus* 3. *hoc tit.* & est, quando Clericus Beneficiatus super Beneficio à se possesso litem confingi, aut sibi moveri patitur, ut Actor probans, quòd sibi in illud jus competat, in illo succedat, & possessor quidem, dum vivit, Beneficium retineat, sed Actori solvat pensionem: qua arte à Clericis Anglicanis Beneficia in suos Consanguineos transmissa, & quasi hæreditaria aliquando reddita fuisse patet ex *cap. cit.* & notat *ibidem* Gonzal. *n.* 1.

6 Quæritur 5. quid de ejusmodi Collusionibus in Jure sit constitutum? Resp. tria hoc Titulo statuuntur. 1. si circa Beneficium Ecclesiasticum facta sit, & probetur facta esse, eo privandus est uterque *cap. audivimus* 3. *hoc tit.* idque non solum, ut delicta non maneant impunita, sed etiam, & multo magis, ne colludentium fraus, ipsis luctosa, & damnosa Ordinariis, ac patronis sit, cum istis hoc modo præcludat viam ad collationes, & præsentationes, quæ iisdem alias competit. Gloss. *fin. in cap. cit.* Vivian. *ibidem pr.* Fagnan. *nu.* 1. *&* 2. Barbosa *n.* 1. *&* 3. Gonzal. *n.* 10. Vvagnereck *ibidem in Summ.* Vallens. *hic num.* 2. Pirhing *n.* 6. Konig *n.* 8. Vviestner *n.* 4. Reiffenstuel *n.* 9.

2 Si accusator in Judicio ab accusatione desistat, Judicis erit ex officio inquirere, an id fecerit ex Charitate, & propter resipiscentiam accusati, quod tolerari potest: an vero ob præmium, h. e. pecuniam acceptam; & hoc posterius si factum deprehendatur, ita colludentibus imponenda est pœna arbitraria, seu extraordinaria pro diversitate circumstantiarum *l. sciendum* 2. *ff. de Prævaricat.* ibi, *sciendum, quod hodie iis, qui prævaricati sunt, pœna injungitur extraordinaria*, juncta *l. accusatorum* 7. §. *si quis* 7. *& l. in privatis* 3. *ff. ad S.C. Turpill.* Insuper incurrunt infamiam *l. si is* 4. *ff. de Prævaricat.* Konig *num.* 8. Reiffenstuel *num.* 8. In reum autem denuo inquiri, & juxta merita causæ procedi potest *cap. scripta* 1. *& cap. seq. hoc tit.* ne delicta maneant impunita contra textum *cap. ut fama* 35. *de Sent. Excomm.* Vivian. *in cap.* 1. *cit. circa fin.* Barbosa *ibid. nu.* 1. Engl *hic n. un.* Pirh. *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 5. 7

3 Etsi alias reus super crimine, à quo per sententiam legitimè absolutus est, accusari amplius nequeat, per textum *c. de his* 6. *de Accusat.* & dicta *Tit.* 1. *n.* 93. casu tamen, quo absolutus solum est per Collusionem, nova in ipsum Accusatio, vel inquisitio institui potest *arg. cap. fin. hoc tit. l. prævaricationis* 3. §. *nam si* 1. *ff. de Prævaric.* junct. *l. siquis* 11. *Cod. de Accusat.* Abb. *in cap. fin. cit. num.* 5. Barbos. *ibid. numer.* 1. Gonzal. *n.* 2. Vvagnereck *fin.* Vallens. *hic n.* 2. Pirh. *n.* 3. 4. *&* 5. Konig *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 6. Sed de hoc 8

Quæritur 6. quomodo Accusatio, vel Inquisitio repeti quoad sic absolutum possit? Videtur non posse repeti. 1. quia sententia Judicis absolutoria crimen sic tollit, ut de eo quæri non amplius possit. *c. de his* 6. *de accusat. & l. si cui* 7. §. *iisdem* 2. *ff. eod.* 2. abolitione sopitur crimen. *l. qui potentatus* 1. *Cod. de general. abolit.* ergo multo magis extinguitur transactione, vel compositione cum Accusatore facta. 3. transactio non minorem authoritatem habet, quam res judicata *l. non minorem* 20. *Cod. de transact. & l. jusjurandum* 2. *ff. de jurejur.* Sed per sententiam absolutoriam omnino tollitur crimen; ergo etiam transactione 9

Sed aperta in contrarium stat Juris decisio, qua permittitur Judici inquisitio ex officio *c. scripta* 1. *c. crimina* 2. *& c. fin. cit.* & alteri accusatio Rei sic absoluti *l. prævaricationis* 3. §. *nam si* 1. *ff. de Prævar. & l. siquis* 11. *Cod. de Accusat.* ne delicta maneant impunita, & reus ex malitia sua commodum referat. 10

Neque contrarium probant Argumenta allata in oppositum. *Ad.* 1. id verum est, quando sententia absolutoria valida est, secus, si invalida, qualis est, quæ per Collusionem obtenta est *l. cum non* 3. *ff. hoc tit. l. præses* 5. *C. de Pignor.* *Ad* 2. absolutione sopitur crimen quoad transigentem, non vero perimitur quoad alios; unde formari potest Inquisitio ex officio à Judice. Gonzal. *n.* 6. *Ad* 3. Sententia, & Transactio non in omnibus æquiparantur; nam super crimine publico, non capitali, judicari potest, non tamen transigi. Super capitali autem transigi quidem potest *l. transigere* 18. junct. Gloss. *V. capitali C. de Transact. cum ignoscendum sit ei, qui sanguinem suum qualiter redemptum voluit*, prout dicitur *l. in capitalibus* 1. *ff. de bon. eor. qui ant. sentent.* sed Transactio hæc solum transigentem ab Accusatione denuo facienda arcet, non vero alium, nec Judicem ab Inquisitione instituenda. Clar. §. *fin. q.* 58. *n.* 4. 11

TITULUS XXIII.

De Delictis puerorum.

SUMMARIUM.

1 *Quinam dicantur Infantes, Pueri, Puberes.*
2 *Quinam perfectè puberes, vel proximi Infantiæ,*
3 *Aut pubertati.*
4 *&c. An puniri possint infantes, amentes, furiosi?*
7 *&c. Quid dicendum de proximis Infantiæ:*
9 *&c. Vel pubertati?*
12 *&c. Quid de Minoribus pubertatem adeptis?*
14 *&c. An pueri teneantur etiam crimine Adulterii, & aliis Delictis carnalibus,*

16 &c.

16 &c. *An pœnam pecuniariam, latam in filium impuberem, vel minorem, teneatur præstare Pater?*

Recensuimus hactenus diversorum Delictorum pœnas: discutiendum nunc est, an iisdem etiam teneantur *Pueri*?

1 Quæritur 1. quinam hic veniant *Puerorum* nomine? Resp. hoc nomine veniunt, qui infantiam, h. e. septimum ætatis annum egressi sunt *l. in sponsalibus* 14. *ff. de Sponsal. & c. un. de Despons. impuber. in* 6. & nondum impleverunt annum 14. si mares, vel 12. si fœminæ sint. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 2. Menoch. *de arbitr. cas.* 57. *num.* 2. & 10. Farin. *prax. crim. q.* 92. *num.* 6. Paul. Zacchias *QQ. Medico. Leg. l.* 1. *tit.* 1. *q.* 4. *num.* 11. Vallens. *hic n.* 1. *vers. dicitur*, Vviestner *ibidem num.* 1. nam qui Septimum ætatis annum nondum egressi sunt, *Infantes*; qui verò 14. si mares, vel 12. si fœminæ sint, jam impleverunt, *Puberes* appellantur *capit. pueris* 1. *h. tit.* ibi, *Nisi ab annis* 14. *cum pubescere cœperint*. Et hi quidem *Posteriores* usque ad annum 25. ætatis, a quo virilis ætas incipit, vocari solent *Minores* Zacch. *l. cit. q.* 6. *n.* 9. Farin. *n.* 3. & *seqq.* Vviestner *n.* 1.

2 Multum autem refert in delictis considerare etiam vicinam ad aliquam ex his ætatibus: hinc Jura, & Interpretes distinguunt inter Infantes, & infantiæ proximos; inter puberes, & pubertati proximos; & inter eos, qui plenam pubertatem dicuntur adepti. *Pubertas plena* in fœminis datur ab anno 14. in mare ab anno 17. vel 18. Farin. *l. cit. n.* 20. *Infantiæ proximi* dicuntur, qui septennium multum non excesserunt: tempus verò hoc nonnulli cum Gomez *de Delict. c.* 1. *n.* 57. *vers. & dicitur proximus infantiæ* extendunt usque ad 10. annum cum dimidio, si masculus sit, si verò fœmina, usque ad annos novem cum dimidio. Menochius verò *de arbitr. cas.* 57. *cit. n.* 12. & *seqq.* contendit, Infantiæ proximum dici ab anno 7. usque ad octavum, & inde supra Judicis arbitrio.

3 Circa *Proximos pubertati*, quinam tales dicendi sint, non conveniunt DD. prout notavi *Libr.* 4. *Tit.* 2. *n.* 44. Nam Gloss. *in §. pupillus V. Infantiæ. Inst. de inutil. stipul.* Navar. *l.* 4. *cons.* 39. *numer.* 11. *edit.* 1. Gomez *de Delict. c.* 1. *post n.* 59. Odd. *de restit. in integr. p.* 2. *q.* 80. *n.* 46. & alii apud Sanch. *l.* 1. *de Matr. D.* 51. *nu.* 24. & Farin. *l. cit. n.* 9. contendunt, tunc masculum censeri pubertati proximum, quando excedit decimum, & dimidium annum; fœminam verò, quando nonum, & dimidium. Paulò magis tempus hoc contrahit Gonzal. *in cap. continebatur* 6. *de Despons. impub. nu.* 5. à Jure Ecclesiastico fœminam quidem censeri regulariter pubertati proximam anno undecimo ætatis saltem ad finem vergente, & sub initium duodecimi marem verò sub finem decimi tertii, & initium decimi quarti. Alii arctiorem adhuc statuunt terminum: & aliqui quidem cum *Caldo, Cotta &c.* apud Farin. *n.* 12. pubertati proximum voluerunt dici eum, qui per sex menses; alii verò cum Host. *in c. continebatur cit.* qui per tres dies à pubertate distat. Verius alii, ut *nu.* 44. annotavi, istud relinquunt determinandum arbitrio Judicis, cum contingat alios aliis citius rationis usu, & judicio pollere; quam sententiam hodie magis receptam ait Pirhing *hic num.* 3. *not.* 3. In materia criminali, ut notant Konig *hic n.* 3. Reiffenstuel *ibid. n.* 5. discrimen ætatis inter marem, & fæminam nullum fit, sed in utriusque pubertas habetur exacto anno 14. quod etiam innuere videtur *Constit. crim. Carol. V. art.* 164. ubi indistinctè decernitur reum hac ætate minorem non capitali, sed mitiori pœna plectendum.

4 Quæritur 2. an puniri possint Infantes, amentes, furiosi &c. *Ratio dubitandi est* 1. quia ex mente S. August. *can. adhuc* 31. *de Pœnit. dist.* 3. & S. Hieron. *can. si enim* 40. *§. eligat. vers. nos autem de Pœnit. dist.* 2. nec infans unius diei esse sine peccato potest. 2. quia teste S. Gregorio *l.* 4. *Dial. cap.* 16. quinque annorum infans propter blasphemias è parentum manibus a Diabolo est abreptus. 3. quia hodiernis temporibus etiam minores septennio doli capaces esse satis demonstrat experientia, ex qua patet, infantes hodie melius scire ad taxillos ludere, & alios decipere, quam majores 30. annorum.

5 *Sed dicendum*, in eos nec Civili, nec Criminali pœna posse animadverti. Farin. *prax. crim. q.* 92. *n.* 46. & *seqq.* Barb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 2. Gonzal. *in c. fin. eod. n.* 8. Pirhing *hic n.* 1. Konig *nu.* 1. Reiffenstuel *num.* 1. & constat *l. sed & si §. & ideo* 2. *ff. ad Leg. Aquil. l. quod infans* 60. *ff. R. V. l. infans* 12. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* ubi dicitur, quod infans, vel furiosus, si damnum fecerint, vel aliquem occiderint, non teneantur ad pœnam: & ratio *l. infans cit.* additur, quia *alterum innocentia consilii tuetur, alterum fati infelicitas excusat*. Concordat *Clem. un. de Homicid.* Ratio est quia propter defectum sufficientis usus rationis doli capaces non sunt, & quid agant, ignorant.

6 Neque aliquid aliud probant Argumenta allata. *Ad* 1. id intelligendum est de pronitate ad malum, ut in *can. adhuc cit.* notat. Barbos. *n.* 3. vel ut cum Turrecr. *in can. cit.* vult Gonzal. *in c. fin. n.* 14. de peccato Originali, quod nobiscum in lucem hanc ferimus, & circumferimus, nisi Baptismi lavacro purgemur. *Ad* 2. in puero illo vel malitia prævertit ætatem, vel si doli adhuc incapax erat, ea arreptione DEUS puniit parentum conniventiam, & malam educationem, ut post *Cardin. Aman. & alios* notavit Farin. *q.* 92. *cit. n.* 50. *Ad* 3. licèt quandoque doli capaces infantes fuisse compertum fuerit, tales tamen casus in consequentiam trahendi non sunt, nec propterea dicendum, infantes ex delictis suis puniri posse. Farin. *l. cit.*

7 Quæritur 3. an puniri ob delicta possint infantiæ proximi, seu qui septennium non multum excesserunt? *Certum est*, ob delicta puniri non posse, si doli nondum capaces sint. Farin. *prax. crim. q.* 92. *n.* 46. quia & ipsi, quid agant, ignorant, & non multum distant à furioso *§. sed quod* 10. *Inst. de inut. stipul.*

Dubium duntaxat est de iis, qui doli capaces sunt: & *rationem dubitandi* facit *c. pueris* 1. *h. tit.* ubi Gregorius I. pronuntiat, puerilem ætatem, sicut a peccato, ita a pœna quoque saltem mitiori immunem non esse.

8 Verum hic textus, ut communius eum intelligunt Interpretes, & DD. accipi debet de ætate puerili, quæ pubertati proxima est. *Hinc dicendum*, etiam illos, qui infantiæ proximi sunt, quamvis usum aliquem rationis habeant, a pœna eximi. Farin. *q.* 92. *citat. numer.* 56. Carpzov. *pract. crim. q.* 143. *nu.* 130. Barb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 2. Gonzal. *in c. fin.* 9. Pirh. *hic num.* 1. Konig *num.* 2. Vviestner *n.* 3. Reiffenst. *nu.* 2. Ratio est, quia in his ob infirmitatem Judicii dolus non consideratur.

Addo tamen, etiam istos, si quid delinquant, præsertim ubi doli capacitas haud obscuris signis in iisdem conspicitur, severius nonnunquam compescendos esse, ne delinquere assuescant. Odd. *de restit. in integr. p.* 2. *q.* 80. *n.* 45. Konig *n.* 1. *cit.*

9 Quæritur 4. an à pœna immunes sint pueri, qui infantiæ proximi non sunt, sed ab ea ad pubertatem jam magis accesserunt? Videntur generaliter immunes esse 1. ob textum *c. referente* 2. *h. tit.* ubi Alexander III. nullo facto discrimine, *in pueris*, inquit, *relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ Leges dicunt severius corrigendum*. 2. idipsum habetur *l. impuberem* 22. *pr. ff. de Leg. Corn. de fals.* & *l. quoniam* 1. *vers. impuberes C. de fal. monet.* ubi ratio redditur; *quia ætas eorum, quid videat, ignorat*: & propterea dolus malus in eam non cadit. 3. ex ratione: quia pupilli sine authoritate Tutoris obligari, & conditionem suam deteriorem facere non possunt *l. contra* 28. *pr. ff. de Pact.* & *l. obligari* 9. *ff. de author. Tutor.* hoc autem fieret, si Delictorum pœnis tenerentur.

10 Sed respondendum est distinguendo inter peccata commissionis, & omissionis. Nam *ob peccata commissionis*, ut sunt homicidia, furta, mendacia puniri possunt, sed pœna mitiori, quàm alii. Clar. *§. fin. q.* 60. *pr.* Menoch. *de arbitr. cas.* 329. *n.* 2. Farin. *prax. crim. q.* 92. *n.* 64. & *seqq.* Vivian. *in c.* 1. *h. tit. vers. puniuntur*, & *in c.* 2. *eod.* qq. Gonzal. *ibid. n.* 11. Vallens. *hic num.* 1. *vers. quod si*, Engl *num.* 1. Pirh. *num.* 2. & 3. *not.* 3. Konig. *numer.* 3. Vviestner *n.* 5. Reiffenst. *n.* 3. & clare decisum est *capit. pueris* 1. *hoc. tit.* & *l. excipiuntur* 14. *ff. de S. C. Syllan.* ibi, *Nam is puer nec multum a puberi ætate aberat*. Ratio est, quia ob defectum judicii, & prudentiæ minus malitiosè, & dolosè delinquere præsumuntur, quam ætate perfectiores; & ideo mitius etiam quam isti puniuntur *arg. l. ferè in omnibus* 108. *ff. de R. J.* adeo ut, etsi crimen capitale committant, ultimo supplicio affici non possint; nec etiam torqueri *l. cum aliter* 1. *§. impuberi* 33. *ff. de S. C. Syllan.*

11 Contra *ex Delictis omissionis* ad pœnam pueri non tenen-

nentur, ut aliis *citt.* volunt Farin. *l. cit. num. 69. & 72.* Engl *n. 2.* Vviestner. *n. 6.* Reiffenstuel *nu. 6.* Ratio est, quia in hujusmodi Delictis etiam Minores illæsi servantur *l. licèt 2. C. si advers. Delict. & l. minoribus 6. ff. de his, quib. ut indign.* quòd imprudentia potiùs, quam malitia omisisse præsumantur: ideoque locus sit *Reg. ferè in omnibus citat. Excipitur*, nisi probetur, quòd in omissione intervenerit dolus; nam iste si probetur, pueri a pœna non omnino eximuntur, prout constat ex *l. excipiuntur 14. ff. de S. C. Syllan.* Farin. *nu. 73.* Reiffenstuel *n. 6. cit.*

Neque obstant Argumenta contraria. *Ad* 1. in *c. fin. cit.* inultum dicitur, quod non perfectè, h. e. infra Legis rigorem punitur, ut notant Gloss. & Host. *ibid. V. inultum. Ad.* 2. Lex illa solum intelligenda est de Delicto omissionis; nam Delicta commissionis etiam in pueris puniuntur: & hinc furti, ex Lege Aquilia, & ex quavis injuria tenentur *l. sed & si 5. §. & ideo 2. fin. ff. ad Leg. Aquil. l. impuberem 23. ff. de Furt. l. illud 3. §. sanè 1. ff. de Injur. & l. pupillum 111. ff. de R. J.* & Clericum percutientes Excommunicationem Canonis incurrunt *c. super eo 1.* & *c. fin. de Sent. Excomm. Ad* 3. id tantum procedit in Contractibus, Jure sic disponente, ut velle, & nolle in damnum proprium sine Tutoris authoritate non habeant, ne cum aliis contrahendo ab his facilè decipiantur.

12 Quæritur 5. an similis pœnæ mitigatio etiam observanda sit in Minoribus, qui pubertatem adepti, adhuc tamen 25. annis minores sunt? Resp. hi quidem ob delicta commissionis puniri pœna ordinaria possunt *arg. l. si ex causa 9. §. nunc videndum 2. ff. de Minor.* ibi, *Placet, in delictis minoribus non subveniri.* quod repetitur *l. auxilium 37. §. sed & 1. ff. eod.* tamen regulariter loquendo, & nisi alia delictum aggravantia concurrant, Judex minores mitius punire potest, & solet, quam majores *arg. §. sed & citat.* ibi, *In Delictis autem minor annis 25. non meretur in integrum restitutionem, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam Judicem produxerit.* Concordat *l. ferè in omnibus 108. ff. de R. J.* ibi, *Ferè in omnibus pœnalibus Judiciis & ætati, & imprudentiæ succurritur.* Clar. *§. fin. q. 60. n. 3.* Menoch. *de arbitr. cas. 329. n. 12. & seqq.* Farin. *prax. crim. q. 92. nu. 41. & seqq.* Barbos. *in c. 1. n. 3.* & *in c. fin. n. 6. h. tit.* Vvagnereck *in c. 2. eod. in Exeg.* Vallens. *hic n. 1. vers. quodsi.* Pirhing *n. 4.* Konig *n. 4.* Reiffenstuel *n. 5.*

13 Judex igitur his ob minorennitatem pœnam ordinariam mitigare potest, videlicet pœnam mortis qualificatam convertendo in Simplicem, & hanc in pœnam fustigationis, aut relegationis, modò hujus mitigationis justam, & probabilem causam habeat. Capzov. *pract. crim. q. 123. n. 80. & seqq.* Non enim in omnibus casibus doctrina hæc obtinet; nam 1. *excipiuntur* Delicta Spiritualia, prout est crimen Hæresis, & Simoniæ: nam in his non puniuntur minores mitius; quia in Spiritualibus major 14. annis habetur pro majore. Hinc ordinaria pœna puniendi sunt, nisi eos Delicti commissi pœniteat; tunc enim pœnitentia serviet ad minuendam pœnam. Farin. *q. 92. nu. 180.* & ab hoc *citatt.* 2. Si crimina sint prorsus enormia, nec spes emendationis appareat, uti in Veneficiis; nam hæc committentes ultimo supplicio possunt affici *arg. l. excipiuntur 14. ff. de S. C. Syllan.* & *Const. crim. Carol. V. art. 164.* Farin. *n. 107.* Engl. *n. 2.* Konig. *num. 3.* Reiffenstuel *num. 4.* quod locum habere putat *Decianus* etiam in Crimine læsæ Majestatis apud Farin. *n. 107.* ubi tamen idem *Farinacius* vult duo concurrere, *unum* est, ut delinquens sit major 14. annis; *alterum*, ut super hoc consulatur Princeps: & sic in Urbe idem *Farinacius* advertit, nunquam minores 20. annis fuisse morti traditos, nisi Principe consulto. 3. nisi aliqua nova Constitutione statueretur, ut Minor ordinaria pœna puniatur; talis enim Constitutio servanda est. Farin. *n. 182. &c.*

14 Quæritur 6. an Pueri teneantur etiam Crimine Adulterii, & aliis Delictis Carnalibus? Videntur non teneri ob textum *c. pueris 1. h. t.* ubi ab hujusmodi Criminum pœna, & culpa videntur absolvi.

Sed respondendum est, si malitia præveniat ætatem; & ante hanc ad copulam carnalem habiles reperiantur, eos etiam de his Delictis teneri, quamvis mitiori pœna afficiendi sint, quàm reliqui puberes. Gomez. *de Delict. c. 1. n. 59.* Odd. *de Restit. in integr. p. 2. q. 81. n. 22.* Farin. *prax. crim. q. 92. n. 77. & seqq.* Gonz. *in c. 1. citat. n. 13. fin.* Vviestner *hic n. 8.*

Habetur pro hac responsione expressus textus *l. si minor 36. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ibi, *Si minor annis adulterium commiserit, Lege Julia tenetur; quoniam tale crimen post pubertatem incipit:* & *l. si adulterium 38. §. fratres 4. ff. eod.* ibi, *Cum alias adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, non excusetur ætate.* Item *l. auxilium 37. §. sed & 1. vers. sed ut ff. de Minor.* ubi Tryphoninus generaliter loquitur de omnibus capitibus, sub *Lege Julia de Adulteriis* comprehensis. 15

Unde ex *c. 1 cit.* in contrarium plus non probatur, quam quod ejusmodi Delicta à pueris perpetrata non præsumantur, nisi probetur, quod malitia ætatem prævenerit.

Quæritur 7. an pœnam pecuniariam, latam in filium impuberem, vel minorem, teneatur præstare pater? Videtur teneri saltem ob Delictum filii puberis. 1. ob textum *c. fin. h. tit.* ubi Pater absolvitur à præstanda pœna pecuniaria filii impuberis. igitur tenebitur ad pœnam filii puberis. 2. quia ita alicubi Statuto receptum esse testis est Fachin. *l. 9. contr. c. 52.* 3. quia alias filius ex Delicto suo frustra conveniretur, & condemnaretur. 16

Sed dicendum, si Pater non fuit Delicti particeps, aut in filii correctione negligens, ipsum ad ejusmodi pœnam non teneri. Ita Abb. *in cap. fin. h. tit. numer. 3.* Barbos. *ibid. n. 9.* Manz. *de Legitima q. 15. num. 10.* Pirh. *n. 5. & 6.* Vviestner *n. 11. ibid.* tum quia generaliter constitutum est, neminem alienæ culpæ debere fieri succedaneum *l. crimen 26. ff. & l. sancimus 22. C. de Pœnis*; tum verò quia *l. neque 1. & l. si filiusf. 3. C. ne filius pro patr. &c.* specialiter habetur de patre, quòd ex delicto filii conveniri non possit, nisi in quantum factus est locupletior ex filii delicto *l. licèt 3. §. ex furtiva 12. ff. de Pecul.* Accedit, quia vivente patre legitima non potest separari à bonis Patris *l. hic titulus 1. §. si impubere 21. ff. de collation.* & quamvis pater teneatur filium alere, tamen æs alienum pro eo solvere non cogitur *l. si quis 5. §. si mater fin. ff. de Liber. agnosc.* 17

Neque aliud evincunt Argumenta opposita. *Ad* 1. Argumentum à sensu contrario contra expressam Juris dispositionem non valet. hic autem datur talis dispositio Juris. *Ad* 2. statuta hujusmodi, & consuetudo, cum occasionem præbeant filio degeneri facultatibus spoliandi Patrem, non videntur satis esse consentanea rationi. Host. *in c. 2. h. tit. V. consuetudinem.* Abb. *ibid. num. 2.* Covar. *l. 2. var. c. 9. num. 2.* Clar. *V. Homicidium num. 19.* Menoch. *Cons. 100. num. 119.* Barbos. *in c. 1. cit. n. 8.* Harppr. *in §. fin. Inst. de noxal. act. n. 12.* Pirh. *hic n. 7.* Vviestner *ibid. nu. 11. Ad* 3. non frustra ex Delicto suo convenitur, aut condemnatur filius; nam satisfacere cogitur ex peculio suo Castrensi, vel quasi Castrensi: vel si tale non habeat, aliter, quàm mulcta pecuniaria plectendus erit, ut peccatum suum teneat Authorem. 18

PARS III.

De Delictis propriis Clericorum.

Post examinata Delicta, quæ tum Cultui, & Fidei Divinæ, tum Charitati proximi adversantur, subjunguntur Delicta, quæ in Clericis solis vel deprehenduntur, vel specialiter reprehenduntur. Inter hæc primo loco occurrit Venatio. Sit ergo

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

SUMMARIUM.

1 Quæ-

1 QUæritur 1. quot sint Venationis species, Resp. a Sylv. *V. Venatio pr.* & Sebast. Medices *de Venation. q. 1. n.* 5. tres species referuntur, scilicet *Oppressiva*, sic dicta ab injusta oppressione hominum; *Arenaria*, quæ exercetur cum bestiis depugnando in arena; & *Saltuosa*, seu *Sylvatica*, quæ ad ferarum, volucrum, & piscium etiam (nam etiam *Piscatio* sub nomine generico *Venationis* comprehenditur) ordinatur.

2 Quæritur 2. quænam ex his tribus Venationis Speciebus sit licita, quæ illicita? Resp. *prima* ex his omnino illicita est *can. fin. §. fin. dist.* 6. *Altera*, si exerceatur pro quæstu, inducit infamiam. *hunc titulum* 1. §. *removet* 5. *vers. & qui operas suas ff. de postuland. Tertia* per se licita est: fieri tamen illicita potest ex quadruplici maximè capite. Et 1. quidem ex persona venantis: & sic Venatio interdicta est Clericis *can. quorundam* 1. *dist.* 34. *can. qui venatoribus* 8. *&* 9. *dist.* 86. & *c. Episcopum* 1. ac *c. fin. h. tit.* junct. Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* 2. Ex tempore, quo fit, si scilicet instituatur diebus festis, & ita, ut per eam fiat, ne sacrum audiatur. Less. *l.* 2. *de J. & J.* 5. *n.* 44. Rebell. *l.* 1. *q.* 14. *sect.* 3. *n.* 14. Palao *tr.* 30. *D. un. p.* 14. *n.* 2. 3. ex loco, in quo instituitur, si scilicet venatio in saltu, aut piscatio in lacu alieno contra Domini voluntatem instituatur; quia quilibet habet jus prædio suo utendi, & illius usum omnibus aliis prohibendi. Palao *l. cit. n.* 3. 4. ex detrimento boni communis, vel particularis: quod fieret, si escæ tales projicerentur in flumen, quibus pisces omnes enecarentur, & aquæ inficerentur; aut cum pedibus, equis, canibus conculcantur sata, destruuntur vineæ, dissipantur sepes &c. Less. *l. cit. n.* 40. Palao *n.* 5.

3 Quæritur 3. qualis Venatio prohibita sit Clericis? Nam duplicem DD. Venationem saltuosam distinguunt: ex his una dicitur *Quieta*, qua sine strepitu, laqueis, retibus &c. atque etiam paucis canibus adhibitis, lepores, vulpes, aliæque feræ minores, & aliquando etiam volucres capiuntur. Alia *Clamorosa*, quæ magno armorum, retium, canum, accipitrum apparatu, tumultuque, & vehementia apros, cervos, aliasque præsertim majores feras, & aliquando etiam aves capiendo exercetur. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Pirhing. *hic n.* 3. Vviest. *ibid. n.* 2.

4 Ex his *Venatio Quieta* personis Ecclesiasticis permissa est, si utilitatis, aut necessitatis corporalis, vel etiam honestæ recreationis causa, vel rarius instituatur. Gloss. *in c.* 1. *V. voluptate h. tit.* Sylv. *V. Venatio vers. quantum verò ad personam*. Bellet. *Disquis. Cleric. p.* 1. *tit. de Disciplin. Cleric. §.* 19. Less. 2. *de J. & J. c.* 5. *nu.* 40. Pal. *tr.* 30. *D. un. p.* 14. *n.* 1. Barbos. *in c.* 1. *h. tit. n.* 2. Vvagnereck *in c. fin. ibid. not.* 2. Vallens. *hic n.* 1. *&* 2. Engl *n. un.* Pirh. *n.* 3. Konig *n.* 1. *&* 3. Vviestner *nu.* 3. Reiffenst. *n.* 5. *&* 6. *Ratio est*, quia Venatio ex se actus, sive res indifferens est, & permissa Jure naturali *arg. §. feræ* 12. *Inst. de rer. divis.* igitur nisi prohibita Jure positivo sit Clericis, & Religiosis, etiam ipsius est licita. his autem prohibentur Venationes solum illicitæ, & Statutum illorum decedentes, qualis solum Clamorosa est, non autem Quieta Venatio, prout patet ex *c. fin. h. tit. Clem.* 1. §. *porro de Stat. Monach.* & Trid. *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* ergo &c. Accedit consuetudo, optima Legum interpres, qua constat, hujusmodi Venationem passim etiam à doctis, & timoratis Clericis pro licita reputari, indeque sine scrupulo practicari.

5 Quæritur 4. an rectè Clericis, & Religiosis prohibita sit *Venatio Clamorosa*? Videtur, etiam ipsam permissam, vel saltem permittendam esse, ex duplici argumento. Nam 1. eisdem permissa est Piscatio *can. nunquam* 33. *vers. taxantur de consecr. dist.* 5. huic autem Venatio in Jure æquiparatur *arg. §. flumina* 2. & *§. feræ* 12. *Inst. de rer. divis.* 2. *c. cum venerabilis* 21. *de Censib.* mentio fit de Spallis, seu ut Dufresne *Glossar. V. Spalla* explicat, de armis, sive partibus ferarum, v.g. aprorum, aut cervorum, ab Abbate pro licentia venandi pendendis Episcopo.

6 *Sed dicendum*, rectè Venationem Clamorosam, & Quietam nimis frequentatam prohiberi Clericis, & aliis personis Ecclesiasticis. *Ratio prohibitionis* est, quia Venatio hæc partim propter tumultum, & clamorem satis dissolvit, & dehonestat Clericalem modestiam; partim quia propter immitem calidi sanguinis animalium effusionem refert, quandam speciem belli, simulque excitat in animis aliquam asperitatem, & truculentiam debitæ mansuetudini, & lenitati Clericali valde adversam. Accedit, quia per Venationem etiam Quietam, nimis tamen frequentatam, Clerici a Divinis Officiis, & Spiritualibus aliisque Clericalem Statum decentibus occupationibus abstrahuntur, hoc ipso, quod Venationi nimium dediti primas diei curas, & primum, idemque nobilissimum tempus, quod Divino obsequio, & præfatis occupationibus consecrare deberent, feris, aut volucribus investigandis, & insectandis, capiendisque impendant, prout cum aliis bene observat Menoch. *de arbitr. cas.* 413. *n.* 15. Laym. *l.* 3. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 15. Gonzal. *in c.* 1. *h. t. n.* 7. Pirh. *hic n.* 2. Konig *n.* 1. Reiffenst. *n.* 7.

Multò magis Venatio interdicta est Monachis, & aliis 7
Religiosis. *Clem.* 1. §. *porro de Stat. Monach.* quia adhuc magis illos dedecet, ita, ut nec recreationis causa Venatio eis liceat, si per se Venationi dent operam, ut est communis opinio apud Diaz *pract. crim. can. V. Venatores c.* 71. *in addit. Lit. C. vers. recreationis*. Palao *tr.* 30. *D. un. p.* 14. *n.* 1. *vers. quæ dicta sunt*. Barbos. *in c.* 1. *h. t. n.* 4. & *in c. fin. n.* 2. Pirh. *hic n.* 3. *fin.* Addit tamen Palao *l. cit.* & *tr.* 16. *de Stat. Relig. D.* 4. *p.* 13. §. 5. in his Venationis usum, si scandalum absit, non esse peccatum mortale. Quod multò magis verum est de Clericis Sæcularibus; nam hi etiamsi Venationem etiam Clamorosam per se ipsos exerceant, secluso scandalo, vel alia circumstantia extrinseca, raro peccant mortaliter, ut expressè docuerunt Medin. *Cod. de Restit. q.* 12. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 44. Less. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 43. Emm. *Sa V. Venatio art.* 3. *Edit. Roman.* Rebell. *l.* 1. *de oblig. Just. q.* 14. *sect.* 2. *n.* 10. Laym. *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 15. Palao *n.* 1. *cit.*

Neque obstant Argumenta opposita. *Ad* 1. negatur 8
paritas; quia Venatio propter saltus, & clamores magis dissolvit, & dehonestat Clericalem modestiam, nutrit otium, & vitia, ac per crebram, & immitem calidi sanguinis animalium effusionem, ut *n.* 6. dictum, est, excitat in homine asperitatem, & truculentiam contra Clericalem mansuetudinem; quod non contingit in Piscatione: ut proinde illa, non ista meritò prohibeatur Religiosis, & Clericis, præsertim cum plures sanctos Piscatores, & inter hos ipsos Apostolos, qui artem istam etiam post conversionem exercuerunt, ut passim in Evangelio legitur; Venatorem autem, teste S. Hieron. *canon. Esau* 11. *dist.* 86. ne unum quidem Sanctum in Scripturis legamus. *Ad* 2. Spalli ferarum ab Abbate non pendebantur pro licentia venandi per se, vel per suos Monachos, sed per extraneas, & Sæculares personas, per quas exercere Venationem Religiosis, & Clericis non est prohibitum. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. n.* 9. Vviestn. *hic n.* 9.

Quæritur 5. sub qua pœna Clericis, & Religiosis pro- 9
hibita sit Venatio? Resp. si sæpius exercita fuerit, *cap. Episcopum* 1. *h. tit.* Episcopus jubetur tribus mensibus à communione arceri, Presbyter duobus, Diaconus verò suspendi ab Officio, sine determinatione temporis: ideoque post aliquot dies, vel quando placuerit, Episcopus cum Diacono poterit dispensare; non autem dispensari poterit cum Episcopo vel Presbytero ante trimestre, vel bimestre elapsum. Diaz *pract. crim. canon. c.* 71. *nu.* 1. Porro suspensionem hanc in Diaconum Venatorem latam, Gloss. *fin. in cap.* 1. *cit.* extendit etiam ad Subdiaconum. Minores verò Clerici arbitrio Judicis plectendi sunt *arg. c. de causis* 4. *de Offic. Deleg.* Host. *Summ. n.* 4. Anchar. *h. tit.* Vivian. *in c.* 1. *h. tit. prop. fin.* Barb. *ibid. n.* 6. *&* 10. Medices *de Venat. q.* 9. *n.* 8. *&* 9. Vallens. *hic n.* 1. Pirhing *n.* 1. *&* 4. Konig *nu.* 2. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *nu.* 9. quod tamen restringendum est ad solos Clericos in Minoribus, qui Beneficia Ecclesiastica obtinent: secus quoad alios; hi enim nullam pœnam incurrunt. Pirh. *n.* 4. *cit.*

Porro ad incurrendam pœnam, in Clericos statutam, 10
idem Pirh. *l. cit.* cum Host. *in c.* 1. *cit. fin.* requirit, ut præcedat monitio *arg. can. indignè* 21. *caus.* 12. *q.* 2. ubi dicitur, quòd vindictam debeat præcedere admonitio. *Sed contrarium* tenet Diaz *c.* 71. *cit. n.* 4. ubi ait, quod monitio hæc operetur, ut, si Clericus admonitus a Venationibus cessare nolit, possit deponi, non propter Venationem, sed propter inobedientiam.

Imò has pœnas consuetudine abrogatas, notat Vva- 11
gnereck *h. tit.* qua consuetudine etiam derogatum est Canonibus, siqui essent, quibus talis quoque Venatio, & requisita ad eam v.g. canes, retia &c. prohiberentur,

tur, quæ nec ab Officiis Divinis avocant, nec mansuetudini Clericali contraria sunt; cum enim talis Venatio, & requisita ad eam ex se indifferentia, & Jure naturali, permissa sint, ut dictum est *n.* 4. utique valebit consuetudo contra Legem talia prohibentem *arg. c. fin. de Consuet.* Pirh. *n.* 4. *fin.* Reiffenstuel *n.* 10.

12 Quæritur 6. an bene gravior pœna Episcopo, quam Presbytero, & huic, quàm cæteris Clericis sancita sit? *Videtur* non bene sancita esse; quia *c. usurarum* 1. *V. qui verò de Usur. in* 6. Episcopalis Ordinis Prælato minor, quàm inferioribus Clericis, ubi par delictum est, pœna imponitur; & alias generalis est Regula, quod qui majori nobilitate, & dignitate fulget, mitius puniatur *c. pastoralis* 28. *pr.* ibi, *Dignitati deferat de Offic. Deleg. & l. sacrilegii* 6. *pr.* ibi, *Aut si honestiori loco natus sit ff. ad Leg. Jul. Peculat.*

13 Verum hæc Regula, ut Tiraquell. *de pœn. temper. cas.* 37. notat, solum procedit, quando Dignitas Delicti gravitatem non auget: secus, si ex delinquentis Dignitate crescat, prout fit in casu præsenti. *Hinc dicendum*, meritò Venatores Episcopos graviori, quam inferiores Clericos pœna affici. Gonzal. *in c.* 1. *h. tit. nu.* 8. *fin.* Vviestner *hic n.* 4.

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

SUMMARIUM.

1 *Specialiter prohibentur Clerici percutere alios.*
2 *&c. Quibus id liceat?*
5 *An Prælatus Clericos sibi subditos disciplinæ causa possit percutere manu propria?*
6 *Et, si per alium, per quem?*
7 *Qualis debeat esse ista percussio?*
8 *&c. Pœna Clerici Percussoris.*
10 *Hodierna observantia circa hoc.*
11 *Privilegia.*
12 *Quando Clericus percussor deponi possit etiam ob percussionem non enormem?*

1 VEnationem sequitur *Percussio*, quæ duplex est, manu, & lingua. Manu percutientes *Malefici*, lingua percutientes *Maledici*, appellantur: he his sermo erit *Titulo sequente*, in præsenti de prioribus. Specialiter autem cuivis Clerico, præsertim in Majoribus constituto, prohibitum est Laicum etiam delinquentem sive fidelem, sive infidelem propriis manibus percutere *can. quid autem* 1. & *can. Episcopum* 7. *dist.* 45. *canon. non licet* 25. *dist.* 86. & *c. siquis* 1. *h. tit.* Ratio est, quia percussio repugnat modestiæ Clericali, ac mansuetudini Christi, quàm imitari debent Clerici. Konig *hic n.* 1. Reiffenstuel *ibid. n.* 2. Verum prohibitio hæc limitationem patitur: nam aliquibus Clericis percussio moderata sibi subditorum non est prohibita. Hinc

2 Quæritnr 1. quibus Clericis licitum sit percutere alios Clericos, vel Laicos? Resp. 1. id possunt Præceptores, aut Magistri Artium Liberalium, si verba, & minæ non proficiant, tunc enim possunt venire ad verbera, sed moderata, prout ratio culpæ, & qualitas personæ exigit, & consuetudine receptum est *can. aut facta* 19. *dist.* 1. *de Pœnit. & l. sed & si* 5. §. *fin. ff. ad Leg. Aquil. Proceditque hoc*, etiamsi Discipuli, quos ita corrigunt, sint Clerici; nam si moderata, & correctionis causa sit facta percussio, ea utentes Excommunicationem Canonis non incurrunt *c. super eo* 1. §. *nec Clerici. vers. neque Magister. c. ex tenore* 10. *& c. cum voluntate* 54. §. *fin. de sent. Excomm.* quia nec suadente Diabolo facta, nec violentia censetur. Abb. *in c.* 1. *h. tit. n.* 1. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 81. Suar. *de Censur. D.* 22. *sect.* 1. *n.* 48. Molin. *tr.* 5. *de Just. D.* 56. *n.* 4. Coninck *D.* 14. *de Censur. dub.* 15. *n.* 190. *& seqq.* Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *nu.* 8. *vers. quarta* Bonacin. *D.* 2. *de Censur. in part. q.* 3. *p.* 6. *sect.* 4. *nu.* 4. Palao *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 23. §. 3. *num.* 6. Gonzal. *in c.* 4. *h. tit. n.* 3. Vviestner *hic n.* 2. Reiffenstuel *n.* 3. *&* 9.

3 2. Similiter Excommunicationem Canonis non incurrunt Seniores Sacerdotes, & alii Clerici, si zelo devotionis pueros, vel adolescentes, in minoribus Ordinibus constitutos, dum Officium Divinum turbant, leviter percutiunt *cap. cum voluntate cit.* §. *fin.* & *c. veniens* 16. *de sent. Excomm.* Abb. *ibid. n.* 1. Barbos. *n.* 1. Palao *l. cit. n.* 6. Vviestner *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 9.

3. Possunt Prælati Ecclesiastici tam Sæculares, quam Regulares disciplinæ causa moderatè percutere Clericos, & Religiosos sibi subditos, in Minoribus quidem Ordinibus constitutos etiam pro levioribus culpis, in Majoribus autem tantum pro gravioribus *can. cum Beatus* 8. *dist.* 45. *can. non licet* 25. *pr. dist.* 86. Palao *l. cit. n.* 10. Pirh. *hic n.* 1. Vviestner *n.* 4. Reiffenst. *n.* 9. 4

5 Quæritur 2. an Prælatus Ecclesiasticus Clericos sibi subditos disciplinæ causa percutere propria manu possit? Resp. distinguendo inter Episcopum, & alios Prælatos inferiores Episcopo: hi verberare Clericos sibi subditos etiam in propria persona possunt; non verò Episcopus, sed id facere per alium debet *can. non licet* 25. *dist.* 86. *Excipitur*, si alium Clericum, qui id faciat, reperire non possit; tunc enim etiam Episcopus per se verberare Clericum potest. Gloss. *in can. non licet cit.* Abb. *in c.* 24. *n.* 8. *de sent. Excomm.* Pirh. *hic n.* 1.

6 *Dubitatur*, cui demandari verberatio Clerici, vel Religiosi ab Episcopo, vel Prælato Ecclesiastico possit? Respond. demandari debet alteri Clerico, vel Religioso, non verò Laico; alioquin tam Episcopus verberari mandans, quam Laicus ex mandato Clericum percutiens Excommunicationem incurrunt, etiamsi justa verberandi causa subsit *arg. c. universitatis* 24. *de sent. Excomm.* Diaz *pract. crim. can. V. verberari c.* 136. *num.* 2. *&* 3. Suar. *de Censur. D.* 22. *sect.* 1. *nu.* 42. Barbos. *in c.* 24. *cit. n.* 2. Pirh. *hic n.* 1. Vviestner *n.* 5. Reiffenst. *n.* 7. *Excipitur*, nisi Clericos penitus esset incorrigibilis; tunc enim per Laicum verberari poterit *arg. c. ut famæ* 35. *de sent. Excomm.* Gloss. *in cas. Summ. dist.* 45. Pirh. *l. cit.* de quo tamen dubitat Diaz *l. cit.* cum *c. cit.* loquatur solum de captura facienda per Laicum, & nihil de verberibus.

7 Quæritur 3. qualis debeat esse hæc percussio? Resp. debet esse hæc moderata *can. disciplina* 9. *& seqq.* cum *præfat. Gratiani* incipit *Salomon dist.* 45. Engl. *hic vers. quodsi.* Et hinc si Prælati debitam correctionem in verberando excedant notabiliter, incidunt in Excommunicationem *can. siquis suadente* reservatam Papæ, & mittuntur in exilium *can. cum beatus* 8. *fin. pr. dist.* 45. Abb. *in c.* 24. *de sent. Excomm. n.* 9. & si ex immoderata, & incaute percussione, etiam disciplinæ causa facta, sequatur mors, vel mutilatio, contraheretur Irregularitas *c. Presbyterum* 7. *de Homicid.* Pirh. *hic n.* 1.

8 Quæritur 4. quæ sit pœna Clerici alium, etiam Laicum, illicitè percutientis? Resp. *c. siquis* 1. *h. tit.* primo jubetur corripi pro excessu percussionis, & qualitate delicti, ac delinquentis ad arbitrium Superioris; & si non resipuerit, deponi. *Ex quo sequitur* 1. quod, si se emendaverit, non sit deponendus. Gloss. *fin. in c.* 1. *cit.* Engl *hic pr.* Pirh. *n.* 2. Reiffenst. *n.* 4. & hinc iterum. *Sequitur* 2. non esse deponendum Clericum de gradu, & statu Clericali propter unicam, vel alteram simplicem percussionem; quia post correptionem exspectanda est emendatio, prout dictum est.

9 *Excipitur* autem, si Clericus aliquem lethaliter, vel enormiter percussisset; nam hic etsi istud vel semel tantum fecisset, deponendus esset, etiam sine ulla monitione *arg. can. fin. dist.* 25. & *c. præterea* 2. *h. t.* Gloss. *in c.* 1. *eod.* Host. *ibid.* Pirh. *hic n.* 2. Reiffenst. *n.* 4. *&* 5. Ratio est, quia talis percussio gravissimè adversatur Statui, modestiæ, & mansuetudini Clericali.

10 Quæritur 5. quæ sit hodierna observantia Statutorum de percussione Clericorum, vel Laicorum? Resp. hodie per consuetudinem recessum est in multis a rigore Canonum, præsertim circa prohibitionem, ne Prælati Clericos delinquentes verberari curent per Laicos; nam ut de consuetudine Galliæ testatur Barbos. *in c.* 24. *de Sent. Excomm. n.* 2. ibidem Episcopi Clericos delinquentes castigant per Laicos. Et hanc consuetudinem, ut Prælati Ecclesiastici mediis Laicis capiant, in vincula conjiciant, flagellorum publica punitione afficiunt, &, si opus fuerit, torqueant, ac in triremibus puniant, etiam alibi passim vigere docent Abb. *in c.* 12. *cit. n.* 6. Navar. *comment.* 3. *de Regul. n.* 52. Clar. §. *fin. q.* 77. *nu.* 3. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 56. *n.* 8. Suar. *D.* 22. *de Censur. sect.* 1. *n.* 44. Coninck *D.* 14. *dub.* 15. *n.* 191. Avil. *p.* 2. *de Censur. c.* 5. *D.* 3. *dub.* 12. Filliuc. *tr.* 15. *c.* 1. *q.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *num.* 9. *vers. porro.* Bonacin. *de Censur. in part. D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 4. *n.* 5. Palao *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 23. §. 3.

§. 3. *n.* 11. Vviestner *hic n.* 6. idque meritò; ne alias contra *c. ut famæ* 35. *de sent. Excomm.* delicta maneant impunita, cùm difficile sit reperire Clericos, qui velint in se suscipere munus capiendi, incarcerandi, & verberandi alios delinquentes Clericos. Accedit, quia hujus generis punitionis executio minùs decet personam Ecclesiasticam.

11 Imò id FF. Minoribus ab Alexandro VI. & Leone X. concessum est per Privilegium, ut subditos suos castigare verberibus possint per Religiosos Laicos, seu Conversos, habetur *Compend. privil. Minor. V. Absolutio ordinaria* §. 20. & 27. conf. id etiam competit cæteris Prælatis ordinum, qui cum iisdem privilegiorum communicationem habent, ut notat Palao *loc. cit. fin.* Quapropter partim his privilegiis, partim consuetudine introducta possunt Religiosi Prælati absque ulla necessitate Religiosos sibi subditos correctione dignos punire medio Religioso etiam Laico. Navar. *de Sent. Excom. cons.* 42. *alias* 28. Molin. *tr.* 3. *D.* 51. *n.* 5. Coninck *l. cit. n.* 191. Layman *n.* 9. Palao *l. cit.*

12 Quæritur 6 quando Clericus percussor deponi possit etiam ob percussionem non enormem? Resp. tunc, quando consuetudinem habet percutiendi, ita, ut facilè procedat ad verbera, etiam pro minimis rebus, præsertim juncto scandalo; nam hic, si admonitus se non correxerit, non debet in Gradu, seu statu Clericali permanere, cùm Clericos deceat imitatio mansuetudinis Christi, Pirhing *hic num.* 2. Konig *ibid. n.* 2.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

SUMMARIUM.

1 *Quid, & quotuplex sit Maledictum?*
2 *Quis dicatur Meledicus in proximum privatum?*
3 *Quale peccatum committat?*
4 *Et quam pœnam incurrat?*
5 *&c. Quid sit statutum in eos, qui maledicunt Principi Sæculari?*
7 *&c. Vel Pontifici?*
10 *&c. Aut alii Prælato Ecclesiastico?*
13 *&c. Modi, quibus aliquis Maledicus possit fieri in DEUM.*
15 *&c. Hujus pœna.*
18 *&c. Quando pœnæ hæ incurrantur?*
20 *&c. Quæ sit hodierna pœnarum istarum observantia?*
23 *&c. Quis sit Judex competens respectu criminis Blasphemiæ?*

1 QUæritur 1. quid, & quotuplex sit *Maledictum*; *Resp. Maledictum, vel Maledictio à malè dicendo, vel loquendo* sic nuncupatum est, & dicitur malum dictum, seu mala locutio de alio; & qui ita malè loquuntur; *Maledici* vocantur. Host. *Summ.* 1. *hoc titul.* Pirhing *hic n.* 1. Konig *n.* 1. Reiffenstuel *n.* 2. Dividitur in Detractionem, Calumniam, & Blasphemiam, indèque Maledici in Detractores, Calumniatores, & Blasphemos Blasphemia committitur in Deum, vel Sanctos; Detractio, & Calumnia in homines, idque vel in Principem, vel in privatum aliquem.

2 Quæritur 2 quis dicatur Maledicus in proximum privatum? Resp. qui famam, & existimationem ejusdem deprimit vel aliquid mali e. g. quòd sit fur, aut adulter &c. de eo enuntiando, vel bonum, & qualitatem ipsi competentem v. g. ingenuitatem, nobilitatem &c. inficiando; quod dupliciter fieri potest, scilicet vel absente proximo; & tunc est *Detractio*; vel eo præsente; & tunc *Calumnia* appellatur, Pirhing *hic n.* 1.

3 Utrumque peccatum ex genere suo mortale est, & ejus reus in foro conscientiæ ad reparationem famæ, & existimationis læsæ; in externo autem Actione injuriarum, & Palinodiæ, seu Recantationis tenetur *l. item* 15. §. *generaliter* 27. *ff.* & *l. qui liberos* 9. *cum seqq. C. de Injur.*

4 Clericus in proximum maledicus, maximè Sacerdos, olim ad injuriæ veniam postulandam cogebatur; & si renueret, degradabatur, i. e. suspendebatur, neque ante præstitam satisfactionem ad officium Ecclesiasticum unquam revocabatur ex Decreto *Conc. Carth. IV.* relato *can. Clericus* 5. junct. *Glossa V. revocetur dist.* 46.

Quæritur 3 quid statutum sit in eos, qui maledicunt Principi vel Prælato Ecclesiastico? Resp. distinguendo inter eum, qui maledicit Principi Sæculari, & inter eum, qui Ecclesiastico qui *Principi Sæculari* v. g. Imperatori, Regi &c. maledicit, præterquam quòd gravissimum crimen adversùs Legem Divinam *Exod.* 22. *v.* 28. & *tit.* 3. *v.* 1. committat, secundùm Leges humanas olim Majestatis crimine tenebatur, ob criminis atrocitatem, teste Arnobio *lib. adv. Gentes*; postea tamen Imperatores Christiani, quòd maledicta negligere excelsi, & verè Regii animi esse ducerent, voluerunt, ut, qui hujusmodi maledicta effunderet in Principem, non facilè ad supplicium traheretur: quia, ut prudentissimè, & piissimè Theodosius, Arcadius, & Honorius Imm. *l. un. C. si quis Imperat. maledic.* inquiunt, *si id ex levitate processerit, contemnendum est*; *si ex insania, miseratione dignissimum, si ab injuria, remittendum*; conf. pœna illius. certa non est, sed arbitraria, Menoch. *de arbitr. cas.* 377. *n.* 9. Brunneman. *ad l. cit. n.* 2. Vviestner *hic n.* 4. Reiffenstuel *ibid. n.* 6. 5

Excipitur, nisi maledictum contineret verba spectantia seditionem, aut acclamationes turbulentas, quibus Principis salus, aut status adduceretur in discrimen; tunc enim, & quoties aliàs id justa ratio, vel exempli necessitas scelus puniri exigit, causa remittenda erit ad Principem, ut cognoscat, an, & qua pœna petulantis linguæ audacia puniri debeat, Glossa *in l. un. cit. V. remittendum*, Menoch. *loc. cit.* Brunneman. *n.* 7. Vviestner & Reiffenstuel *loc. citt.* 6

Quodsi maledictum in *Ecclesiasticum* v.g. Pontificem vel Episcopum conjectum fuerit, distinguendum est, an processerit ex temulentia, levitate, insania vel animi injuria exulcerati commotione, an verò ex animo injuriandi. *Si primum*, convenit sic maledicentibus injuriam remitti, juxta *can. inter querelas* 27. *caus.* 23. *q.* 4. & *l. si quis* 10. *C. de Episc. & Cler.* quia, ut ibi dicitur, cuilibet Sacerdoti Status sui *Sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit*, quòd mansuetudo eundem, tanquam Christi Vicarium, maximè omnium deceat. 7

Si secundum, videndum, an per ejusmodi maledictum soli personæ derogetur, an verò etiam Sedi Apostolicæ, & Dignitati Pontificali. *Si prius*; iterum mansuetudo Christi, cujus Papa in terris Vicarius est, omnino requirit, ut ipse talem injuriam, suæ personæ illatam, remittat *arg. l. un. cit.* si enim juxta hanc Legem Principes Sæculares suæ personæ maledicentibus ignoscunt, multò magis id facere debet Papa, qui illis in moribus, & mansuetudine debet esse exemplo, Vvagnereck *in Exeg. c.* 1. *hoc tit.* Qua in re illustre exemplum dedit S. Pius V. qui famosi criminis in se conficti authorem ad se adductum, & supplicia metuentem pari tam demissione, quàm magnitudine animi liberum dimisit, postquam eum his verbis est allocutus: *Si tu mihi, ut summo Pontifici, maledixisses, impunè non ferres*; *verum quia in Fratrem Michaelem* (hoc nomen ei ut Religioso erat) *in Monachum Scarponensem &c. convitia jactasti, liber abi, quo vis*; *ego verò humilitatem generis mei, vitæ, & habitus semper animo retinebo, & libenter confitebor*, Barbosa *in c.* 1. *hoc tit. n.* 2. Pirhing *hic n.* 4. Konig *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 9. 8

Si posterius contigerit, aut grave scandalum sequeretur, condonari maledictum nec potest, nec debet per textus *can. Salonitanæ* 29. *dist.* 63. *can. Guilisarius* 30. *caus.* 23. *q.* 4. & *cap. innotuit* 1. *hoc tit.* ubi Clericus, qui *verba quædam in depressionem Officii, & Beneficii* (Papalis) *protulit*, à Clemente III. ita compesci jussus est, *ut pœna illius aliis terrorem incutiat*, *ne de cætero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant*, Pirhing *hic n.* 2. Reiffenstuel *ibid. n.* 8. Quia verò in *cap. innotuit cit.* nulla certa pœna est declarata, arbitrio Judicis determinanda venit, quæ varia erit pro gravitate culpæ, personæ maledicentis, & loci, aliisque circumstantiis. Diaz *pract. crim. can. V. maledici c.* 70. *n.* 2. Pirhing *n.* 5. 9

Porro distinctio hæc observanda est etiam in Principe Sæculari, per maledictum offenso, ut putat Konig *hic num.* 3. Item in Episcopo: ubi adverto cum Host. *Summ. hoc tit.* §. *alii maledicunt Principem*, Farin. *prax. crim. qu.* 105. *nu.* 402. & *seqq.* Pirhing *hic n.* 5. *not.* 5. Reiffenstuel *ibid. num.* 10. & 11. etsi Episcopus aliquem ob male- 10

maledictum, soli suæ personæ illatum, ipsemet punire non possit, tum ob Statutum suum, quem, ut dixi, Christi mansuetudo præprimis decet, tum ne in propria causa sit Judex; nihilominus talem arbitrio alterius Judicis pro qualitate delicti puniendum esse. Et quidem Judices Sæculares ex officio punire debent illum, qui maledicto offendit Episcopum, vel Sacerdotem, aut alium clericum, etiamsi Episcopus, vel alii clerici eum non accusent; quia universaliter Judicibus Sæcularibus incumbit punire quemlibet, qui aliquam injuriam (qualis utique est etiam maledictum) infert locis, aut personis Sacris, ut expressè statuitur *l. si quis* 10. *C. de Episcop. & Cleric.* Reiffenstuel *n.* 11. *cit.*

11 Si Religiosi aliquem Ecclesiæ Prælatum offendant, vel ei detrahant de Jure communi debent per duos menses subjacere illis pœnis, quæ juxta Regulas, vel Statuta eorum ob gravia crimina imponuntur, textu expresso *Clem.* 1. §. *quibus etiam de Privil.* Pirhing *n.* 5. *cit. not.* 7. Reiffenstuel *n.* 13.

12 Quæritur 4 quot modis maledicus aliquis fieri possit in Deum. Resp. fit hoc triplici modo, 1. quando aliquid affirmatur de Deo? quod ipsi non convenit; e. g. quòd sit crudelis, injustus &c. vel negatur, quod ei competit, v. g. scientia, potentia, providentia &c. aut quod Divinitatis proprium est v. g. Omniscientia, Omnipotentia &c. alicui creaturæ v. g. Dæmoni attribuitur; hæc blasphemia *hæreticalis* vocatur S. Th. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. Sylv. *V. Blasphemia q.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 20. *n.* 11. Gonzalez *in c. fin. hoc tit. n.* 6. Engl *hic n.* 1. Pirhing *n.* 7. Konig *n.* 2. Vviestner *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 15.

13 2 Quando Deum quis detestatur; vel ei imprecatur malum aliquod, v. g. ut pereat, aut moriatur, ut confundatur, contemnatur, vel non ampliùs cognoscat, & punire possit. peccatum; item cùm quis Deum, aut Christum, vel ejus membra contemptim, & indecenter nominat; hæc Blasphemia *simplex* dicitur.

14 3 Quando indecentia, & contumeliosa verba in Deiparam, aliosque Sanctos jaciuntur, v. g. illam non esse Virginem, istos non esse in cœlo &c. sicut enim Deus laudatur in Sanctis suis, ita etiam Blasphemia quæ fit contra Sanctos, in ipsum redundat, indeque ut Blasphemia in Deum reputatur, ac punitur. S. Th. *art.* 1. *cit. in Corp.* Covar. *in cap. quamvis de Pact. p.* 1. §. 7. *n.* 8. Clar. §. *Blasphemia n.* 1. Farin. *q.* 20. *cit. nu.* 25. Gonzalez *in cap. fin. hoc tit. n.* 6. Engl *hic nu.* 1. *v. quod porro*, Pirhing *n.* 7. Vviestner *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 15.

15 Quæritur 5 quale peccatum sit Blasphemia, seu maledictum in Deum? & quibus pœnis per Jus commune, vel consuetudinarium afficiatur? Resp. est gravissimum scelus, & severissimis pœnis ipso Jure castigatur. Nam 1. in *Veteri Testamento*, qui nomen Dei blasphemavisset, à populi tota multitudine lapidibus opprimebatur, ita præcipiente supremo Legislatore Deo. *Lev.* 24. *v.* 16.

16 2 *Jure Ecclesiastico* olim, si Clerici fuerunt, deponebantur ab Officio; si Laici per sententiam excommunicabantur *can. si quis* 10. *caus.* 22. *q.* 1. Postea verò istis Penitentia publica, & mulcta pecuniaria decreta est *c. fin. hoc tit.* Demum in eosdem, & Clericos Blasphemos variæ iam pecuniariæ, quàm corporales pœnæ, pro delicti, delinquentium, & aliarum circumstantiarum varietate infligendæ, statutæ sunt per *Const. Leonis X.* incipit *Supernæ dispositionis*, quæ est septima in *tom.* 1. *Bullar. Cherub.* Julii III. incipit *in multis* quæ est 23. *in dicto tom.* 1. *Bullar.* & S. Pii V. incipit *cum primum*, quæ est quinta *in tom.* 2. *Bullar.* quas tamen usu ferè non receptas, & propterea in Blasphemorum punitione locorum consuetudines & Statuta observandas monet Palao *tr.* 17. *D.* 2. *p.* 2. §. 5. *nu.* 1. Qui Blasphemiam hæreticalem proferunt, de hæresi suspecti sunt; proinde contra eos per Ordinario locorum inquisitio fieri debet, Engl *hic n.* 3.

17 3 *Jure Civili per Novell.* 77. *c.* 1. §. *fin.* in eos constitutum est ultimum supplicium; quod confirmavit Carolus V. *in Recess. Augusl. de Anno* 1548. §. 1. *& seqq.* ubi blasphemi in Deum jubentur puniri morte vel amputatione membrorum; blasphemi in B. V. & Sanctos, si moniti non resipiscant, vel in corpore, puta, fustigatione, linguæ sectione, aut amputatione &c. vel in bonis pro qualitate personæ, gravitate maledicentiæ, & aliarum circumstantiarum.

18 Quæritur 6 quando pœnæ hæ incurrantur? Resp. incurruntur, quando Blasphemia pronuntiatur plenè deliberato animo; nam si hoc fiat ex mala consuetudine, in plena ebrietate, vel etiam in calore, & impetu iracundiæ, ortum habentis ex gravi, & justa causa, talem blasphemiam pronuntians ordinariæ pęnæ non subjacet, sed mitiùs arbitrio Judicis puniri debet, Clar. §. *Blasphemia n.* 16. Menoch. *de arbitr. cas.* 375. *n.* 33. Farin. *prax. crim. q.* 20. *n.* 24. Pirhing *hic n.* 11. Reiffenstuel *ibid. n.* 24. *arg. c. fin. hoc tit.* ibi *præsumpserit*, quòd importat deliberationem, quam ebrii non habent, nec satis habere censentur iracundi, utpote qui nesciunt, quomodo aut quid agant.

Dixi autem notanter, *Ortum habentis ex gravi, & justa causa*; qualis esset, si vir, uxorem in adulterio deprehendens, ita commotus blasphemet; si enim iracundia ex levi, vel etiam gravi quidem, sed injusta causa proveniat, v. g. si quis justè privatus officio, aut alias graviter punitus, vel ob perditam lusu magnam summam pecuniæ, indeque ira commotus blasphemet, pęnæ ordinariæ, & per consequens etiam ultimo supplicio subjacet, ut cum DD. *citt.* notat Abb. *in c. fin. cit. n.* 6. Clar. §. *fin. q.* 60 *n.* 9. Farin. *q.* 20. *cit. n.* 48. *&* 49. 19

Quæritur 7 quę sit hodierna pęnarum istarum observantia? Resp. hodie à pęnarum istarum rigore multùm recessum est. Covar. *in c. quamvis de Pact. p.* 1. §. 7. *n.* 10. Clar. §. *Blasphemia n.* 3. Pirhing *hic n.* 12. Konig *ibid. n.* 4. *fin.* Hinc consideranda sunt Statuta particularia locorum. In aliquibus Provinciis puniuntur fustigatione, sectione linguæ, vel amputatione labii &c. Engl *hic n.* 3. Commutantur tamen hæ pœnæ aliquando in arbitrarias ex qualitate personæ, scilicet ætate, & dignitate illius, ac qualitate Blasphemiæ, si levis fuerit, aut sine sufficienti deliberatione, ex subitaneo impetu iræ, aut in ebrietate, ut *n.* 18. dixi, prolata. 20

In Bavaria ut plurimum vigent pœnæ Jure communi Statutæ, ex Jure ejusdem speciali *Polizey-Ordnung l.* 5. *tit.* 7. *art.* 1. ubi blasphemi pro varietate circumstantiarum aut pecuniaria, aut corporali, & si enormes Blasphemiæ sint, amputatione linguæ, aut capitis pœna plecti possunt. Vviestner *hic n.* 10. 21

Qui sine respectu ad Deum, & Sacramenta, ex mala consuetudine, vel ex subitanea ira, indignatione contra hominem, vel jumentum erumpunt in voces *Votts-Sacrament*, *Volts-tausendet-und Million-Sacramen* &c. & non quidem rei erunt Blasphemiæ saltem formalis, rei tamen fient de indignè pronuntiato Divino nomine contra secundum Præceptum Decalogi, Engl *n.* 2. Et hinc pœnas Blasphemorum ordinarias non incurrunt, bene tamen extraordinariam, quæ in Bavaria nostra per Judices magis timentes Deum imponitur, juxta dispositionem Statutorum Bavariæ *tit.* 7. *cit. art.* 2. Reiffenstuel *n.* 26. 22

Quæritur 8 quis sit Judex competens respectu criminis Blasphemiæ? Resp. cum distinctione; Vel enim ista hæreticali, i. e. conjuncta cum expressa hæresi est, vel non. *Si primum*, cognitio de illo ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, prout constat ex dictis *Tit.* 7. *à n.* 175. & tradunt Farin. *prax. crim. q.* 20. *n.* 39. Barbosa *de offic. Episc. alleg.* 51. *n.* 93. *& in c. fin. hoc tit. n.* 6. Vviestner *hic n.* 11. 23

Si secundum, est mixti fori, Abb. *in c. fin. hoc tit. nu.* 9. Sanchez *l.* 2. *mor. c.* 32. *n.* 37. Farin. *q.* 20. *cit. n.* 39. Marta *de Jurisd. p.* 2. *c.* 13. *n.* 11. Barbosa *alleg. cit. n.* 93. *& in c. fin. n.* 6. Gonzalez *ibid. n.* 7. Pirhing *hic n.* 14. Vviestner *n.* 12. Reiffenstuel *n.* 28. & sumitur ex *c. fin. cit.* ibi, *Per Episcopum suum pœnæ subdatur, -- & per temporalem præterea potestatem coactione, si necesse fuerit, Episcopi Diœcesani adhibita -- mulctetur.* 24

Ex quo sequitur, in crimine Blasphemiæ non hæreticalis contra reum Laicum esse locum præventioni, ita tamen, ut, si unus Judex v. g. Ecclesiasticus Blasphemum punivit, per hoc non impediatur Judex Sæcularis, quin eundem etiam ipse in suo foro punire valeat, si prior minorem commerita reo pęnam imposuerit. Farin. *n.* 39. *cit.* Barbosa *alleg. cit. n.* 95. Pirhing *n.* 14. Vviestner *n.* 12. 25

Imò etiam Blasphemiam hæreticalem, consuetudine in his partibus passim vigente. Judices Sæculares judicare, & punire consueverunt; idque, ut apparet, ideo, quia etiam hæreticalis ordinariè potiùs ex mente blasphema, quam hæreticali, & ex errore intellectus profecta præsumitur. Reiffenstuel *n.* 29. 26

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, Depoſito, vel interdicto miniſtrante.

SUMMARIUM.

1 *Pœna Clerici depoſiti miniſtrantis in ordine, vel officio ſibi prohibito.*
2 *&c. Pœna adminiſtrantis in Cenſura Eccleſiaſtica.*
5 *&c. Requiſita, ut Irregularitas ab hoc incurratur.*
11 *&c. Cauſæ ab Irregularitate hac excuſantes.*
16 *&c. An Irregularitatem incurrat etiam excommunicatus non vitandus miniſtrans in ordine?*
21 *&c. An Sacerdos excommunicatus, ſuſpenſus &c. Sacramentaliter abſolvens?*
24 *&c. Quando per adminiſtrationem invalidam Sacramentorum excommunicatus incurrat Irregularitatem?*
27 *&c. An Irregularitatem incurrat Sacerdos excommunicatus, quando non conficit Sacramentum, ſed tantùm aliquo modo ad illud concurrit?*
32 *&c. An exercens actum proprium ordinis minoris?*
36 *&c. An qui dubitat, num verè excommunicatus ſit?*
41 *&c. An irretitus excommunicatione ſolum minore?*

VEnatio, Percuſſio, Maledicentia Delicta ſunt, quæ Clericos præ Laicis dedecent: ab his tranſimus ad ea, quæ Clericis ſunt magis propria. Talis eſt temeraria ſuſceptio, & uſus SS. Ordinum: quod primò fit, quando in iiſdem Clericus miniſtrat, qui ab ordine eſt depoſitus, vel irretitus aliqua cenſura Eccleſiaſtica, per quam uſus ordinis ipſi prohibetur.

1 Quæritur 1 quæ ſit pœna Clerici depoſiti miniſtrantis, & exercentis actum ordinis, vel officii ſibi prohibiti? Reſp. Clericus depoſitus, ſive verbaliter degradatus, i. e. perpetuò remotus ab ordinibus, & Gradibus Eccleſiaſticis propter crimen, ſi celebret, vel actum ordinis, aut officii, à quo eſt depoſitus, exerceat, vel in eo miniſtret, excommunicari debet, prout ſtatutum eſt *c. ſiquis Epiſcopus* 1. *& c. ſeq. hoc tit.* Hoſt. *in c.* 1. *cit. V. abſcindatur*, Abb. *n.* 1. *not.* 2. Barboſa *nu.* 1. Gonzalez *n*, 3. Pirhing *hic num.* 1. *& trib. ſeqq.* Konig *ib. n.* 2. Et ſi ſit incorrigibilis, exilio mulctatur *c. ſiquis* 2. *hoc tit.* Vvagnereck *ibid. in Summ.* Præcedere tamen debet monitio, ut volunt Alex. de Nevo *in Gloſſ. ad Abb. ad c. ſacro* 48. *de ſent. excomm. lit. B.* Vivian. *in cap.* 1. *hoc tit. pr. & in c.* 2. *eod. pr.* Vvagnereck *ibid. not.* 1. Vallenſ. *hic v. ſiquis*, Pirhing *ibid. num.* 1. quod ſumunt ex *c. ſacro cit. & c. ſiquis* 2. *hoc tit.* ibi, *Et poſtea ab Epiſcopo ſuo correptus &c.*

2 Quæritur 2 quæ ſit pœna Clerici, qui cenſura Eccleſiaſtica inſuper habita, ſe SS. Miniſteriis ingerit, & exercet actum ordinis proprium? Reſp. ab hoc triplex incurritur pœna, 1. Depoſitio ab officio, & Beneficio Eccleſiaſtico, infligenda per ſententiam, etiam monitione non præmiſſa, ut ex *c. latores* 4. *hoc tit.* deſumunt Gloſſ. *in c. Clericus* 3. *V. moniti tit. eod.* Abb. *ibid. n.* 2. Vivian. *ibid. pr. & in c.* 4. *cit. pr.* Vvagnereck *in idem c.* 4. *in Exeg.* Pirhing *hic nu.* 5. Vvieſtner *n.* 2. Reiffenſtuel *n.* 2. *&* 3. Neque obſtat *c. Clerici cit.* ibi, *Niſi moniti*, quia per hunc textum plus non indicatur, quàm quod Epiſcopus poſſit, ſi velit, priùs monere reum, eique, ſi monitus ſtatim ſe emendet, ex gratia diſpenſationis hanc depoſitionis pœnam remittere, Suarez *de Cenſur. D.* 11. *ſect.* 3. *n.* 2.

3 2 Privatio omnium Beneficiorum *cap. fraternitati* 6. *hoc tit.* & quidem ipſo Jure, prout colligitur ex *cap. citat. V. ſpoliare*, quod Sententiæ Jure latæ executionem denotat. Tiraquell. *in lege ſi unquam* 8. *V. teneantur num.* 167. *citat. pr. C. de revocand. Donat.* Vivian. *in cap.* 6. *citat. pr.* Barboſa *ibid. nu.* 1. Vvagnereck *in Exeg. cap. ejuſdem*, Vvieſtner *num.* 2. Reiffenſtuel *num.* 4.

4 3 Irregularitas: quæ etiam ipſo Jure, & facto incurritur, prout de ſuſpenſo conſtat ex *c. Apoſtolicæ* 9. *hoc tit. c. cùm æterni* 1. *v. fin. de ſent. & re jud. in* 6. *& c. cùm medicinalis* 1. *v. fin. de ſent. Excomm. eod.* de interdicto perſonaliter, & exercente hujuſmodi actus in loco interdicto ex *c. is qui* 18. *§. fin. & c. is cui* 20. *de ſent. Excom. in* 6. de Excommunicato ex *can. ſiquis Epiſcopus* 6. *& can. ſeq. cauſ.* 11. *q.* 3. *& c. fin. hic.*

5 Quæritur 3 quid requiratur, ut Irregularitas incurratur à cenſuratis? Reſp. 1. requiritur, ut exerceant actum ordinis. Atque hinc 1. Irregularitatem non incurrit, qui in cenſura exiſtens ſuſcipit ordinem; nam hic tantum incurrit ſuſpenſionem *c. veniens* 1. *de eo, qui furtivè &c.* 2. qui exercet actum Juriſdictionis, diſpenſando in Votis, & Juramentis ferendo cenſuram, vel ab ea abſolvendo, ſi hoc faciat ſine ſtola, 3. qui aſſiſtit matrimonio, modò illud non benedicat &c. Suarez *de Cenſ. D.* 11. *ſect.* 3. *n.* 18. Fagnan. *in c. ſiquis* 1. *hoc tit. n.* 15. Gonzalez *ibid. n.* 7. *& in c.* 4. *n.* 4. Pirhing *hic n.* 36. *not.* 2. Engl *n.* 2. Vvieſtner *n.* 6. Reiffenſtuel *n.* 6.

6 2 Ut exerceant actum proprium ordinis. *Ex quo ſequitur*, Irregulares non fieri Clericos cenſuratos, ſi in cenſura cantent Evangelium, vel Epiſtolam ſine Stola, & manipulo; ſi baptizent privatim, & non ſolemniter &c. quia hi actus exerceri etiam à non ordinatis poſſunt, & quandoque ſolent. Sylv. *V. Irregularitas q.* 13. *dict.* 1. *&* 4. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 244. Gonzalez *in c.* 4. *hoc tit. n.* 4. Engl *hic n.* 2. Pirhing *n.* 35. *&* 36. Vvieſtner *n.* 7. Reiffenſtuel *n.* 6.

7 3 Ut actus ordinis proprius exerceatur temerè; quia Irregularitas iſta Jure lata eſt in pœnam culpæ gravis, & quidem cum temeritate conjunctæ, prout conſtat ex *can. ſiquis Epiſcopus* 6. *cauſ.* 11. *q.* 3. *c. cùm medicinalis* 1. *§. fin. de ſent. Excom. in* 6. *c. latores* 4. *hoc tit.* quibus textibus Irregularitatis pœna fertur in eos, qui; cùm cenſura ſint irretiti, audent, & præſumunt ſe divinis ingerere: Suarez *D.* 11. *cit. ſect.* 3. *n.* 5. Gonzalez *in c.* 9. *hoc tit. n.* 15. Pirhing *n.* 40. Reiffenſtuel *n.* 9.

8 Atque hinc hujuſmodi ordinum exercitio Irregulares non fiunt 1. qui invincibiliter ignorant, ſe cenſura aliqua irretitos *c. Apoſtolicæ* 9. *hoc tit.* quia Irregularitas hæc pœna eſt, & oritur ex delicto, quod in ſic ignorantem non cadit. Gloſſ. *in c.* 9. *cit. V. probabili.* Abb. *ibid. n.* 3. Suarez *n.* 5. *cit.* Avil. *p.* 7. *D.* 9. *ſect.* 2. *dub.* 1. *§. hinc ſequitur.* Vivian. *in c.* 9. *cit. pr.* Baboſ. *ibid. n.* 1. Gonzalez *n.* 7. Vallenſ. *hic v. dixi* Engl *n.* 3. Pirhing *n.* 40. *&* 41. Vvieſtner *n.* 12. Reiffenſtuel *n.* 10. Secus eſt de illis, qui habent ignorantiam vincibilem, ſeu craſſam, & ſupinam; nam ignorantia invincibilis, & probabilis, non verò craſſa, & ſupina excuſat à culpa. Vivian. *in c.* 9. *cit. v. cæterùm*, Barboſa *n.* 1. Gonzalez *n.* 17. Vallenſ. *l. cit.* Pirhing *n.* 41. *coroll.* 1. Reiffenſtuel *n.* 10.

9 2 Irregularis non eſt, qui ejuſmodi actum ordinis exercet, exigente extrema neceſſitate, ut ſi Sacerdos excommunicatus abſolvat moribundum, non habentem copiam alterius Sacerdotis non cenſurati; quia in hoc articulo abſolvere poteſt quilibet, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 7. *de Reform.* Avil. *l. cit.* Engl *n.* 3. Pirhing *n.* 42. Vvieſtner *n.* 13. Reiffenſtuel *n.* 11.

10 3 Non incurritur Irregularitas per exercitium actuum ordinis, ſi ex omiſſione eorum ſequeretur grave ſcandalum, & infamia Sacerdotis, maximè, ſi ex tali omiſſione periculum foret, ne ex eo manifeſtaretur crimen illius occultum; quia Lex Eccleſiaſtica non videtur obligare caſu, quo ejus obſervantia cum tali incommodo eſt conjuncta. Avil. *l. cit.* Engl *nu.* 3. Pirhing *n.* 42. Vvieſtner *n.* 14. Reiffenſtuel *n.* 12.

11 Quæritur 4 quænam aliæ cauſæ cenſuratum, exercentem actum ordinis ab Irregularitate propterea incurrenda excuſent? Reſp. 1. excuſatur, ſi celebret talem actum ob gravem metum alterius gravis mali, dummodo metus iſte non fuerit incuſſus in contemptum cenſurarum, & Eccleſiæ, Engl *hic n.* 3.

12 2 Excuſatur, quando ſententia cenſuræ eſt evidenter nulla, Avil. *p.* 7. *D.* 9. *ſect.* 2. *dub.* 2. *concl. ult.* Pirhing *hic n.* 34 Reiffenſtuel *ibid. n.* 13. Ratio eſt, quia univerſaliter loquendo non debet is pœnam canonicam ſuſtinere, in cujus damnationem non eſt canonica lata ſententia; & *ſicut hujuſmodi ſententia Juris caret effectu, ſic authoritate, & nomine rei careat judicatæ, ut nec in opinione communi, aut vulgi labiis nomen habere mereatur judicatæ*, ut dicitur *Clem.* 2. *v. ut igitur prop. fin. de ſent. & re judic.* & concordat *l. ſi ſe* 4. *§. condemnatum* 6. *ff. de re jud.*

13 3 Si excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, poſt interpoſitam Appellationem à ſententia cenſuræ contra ſe latæ, etiam illegitimam, quam tamen putat eſſe validam, ante abſolutionem à cenſura exerceat actum pro-

proprium Ordinis, à quo est suspensus, vel interdictus, vel etiam alium, si sit excommunicatus, Avil. *dub.* 1. §. *praeterea notandum*, Pirhing *num.* 43. Si tamen sciret, vel scire posset, ac deberet, appellationem suam non esse justam, non esset immunis à peccato in foro animae, & coram Deo, Pithing *loc. cit.*

14 4 Excusat ab Irregularitate parvitas materiae: qualis esset Benedictio Episcopalis, facta ab Episcopo suspenso, excommunicato &c. sine solemnitate in itinere; Suarez *D.* 12. *de Cens. sect.* 2. *n.* 21. Bonacina *q.* 3. *p.* 9. *n.* 3. Gonzalez *in c.* 4. *hoc tit. n.* 4. Item si Clericus suspensus, privatim horas recitans, dicat *Dominus vobiscum*. Suarez *loc. cit. n.* 13. Gonzalez *n.* 4. *cit.* Vel si quis faciat Officium hebdomadarii in choro more monialium, Leander *de Irreg. tr.* 2. *D.* 20. *q.* 19. *& D.* 21. *q.* 15. Gonzal. *l. cit.*

15 5 Denique universim loquendo, quoties intervenit quaedam causa sufficienter excusans à peccato mortali, potest actus Ordinis proprius exerceri etiam ab excommunicato, suspenso, vel interdicto, absque nota Irregularitatis; quia haec gravem culpam in Censuram violante supponit, cùm sit valde gravis poena, Suarez *loc. cit. sect.* 3. *n.* 5. Pithing *n.* 42.

16 Quaeritur 5 an per exercitium actuum Ordinis Irregulares efficiantur etiam Excommunicati tolerati, seu non vitandi? *Ratio dubitandi* oritur ex *Const. Extrav. Martini V. edita in Concil. Constant.* incipit *Ad evitanda*, ubi communicatio non excommunicatis excommunicationis toleratis permittitur. Sed quia constitutio haec non excommunicatis, sed fidelibus ab ea censura liberis favorem conferre voluit, ideo.

17 *Dicendum*, Excommunicatos, etiam toleratos, si temere, & non rogati exercitio ordinum suorum se ingesserint, Irregularitatem incurrere; quia Jura, quibus haec irrogata est, generaliter loquuntur de excommunicatis &c. non distinguendo inter toleratos, & non toleratos, Covar. *in cap. alma part.* 1. §. 2. *n.* 11. Suarez *D.* 11. *de Censur. sect.* 4. *n.* 29. Zoes. *hic num.* 6. Pithing *n.* 34. *not.* 2. Vviestner *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 19.

18 *Dixi, si temere, & non rogati se ingesserint.* Aliud est, si hujusmodi actuum exercitium alius ab hujusmodi excomunicato petat; tunc enim, ut monet Suarez *loc. citat. numer.* 11. videtur servanda haec Regula generalis, ut si ad favorem petentis pertineat, seu moraliter sit necessarium, aut valde utile, ut Excommunicatus hujus actum exerceat, id possit facere sine peccato; si verò non ita pertineat ad favorem petentis, non possit. *Ex quo sequitur*, in primo Regulae casu ipsum Irregularitatem non incurrere, incurrere autem in secundo; quia ad Irregularitatem hanc incurrendam, ut *n.* 15. notavi, requiritur, & sufficit culpa gravis, quae adest in secundo, abest in primo casu.

19 In hoc tamen primo casu Regulae, ut licitè, & conf. absque periculo Irregularitatis ab excommunicato tolerato administretur Sacramentum hoc petenti, requiritur 1. ut hic & nunc non possit priùs absolutionem censurae petere; nam si possit facilè, sine dubio ad id tenetur, quia per se illi prohibitum est Sacramentum cum Censura ministrare; & tunc nulla jam necessitas imminet, cùm possit priùs à Censura se liberare. Dixi autem *hic & nunc*; quia non obstat, quòd antea potuerit, & fuerit in mora; sed attendenda est praesens opportunitas, Suarez *num.* 11. *cit.*

20 2 Ut non possit per alium non excommunicatum satisfacere petenti; nam si hoc possit, tenetur abstinere ab exercitio ordinis: quia jam nihil referr petentis, quòd ipsemet potiùs à quo petit, quàm alius loco illius Sacramentum administret, Suarez *n.* 11. *cit.*

3 Ut, si is, à quo petitur, ex officio non teneatur ministrare Sacramenta, qui hoc petit, cum aliqua necessitate ab ipso petat, Suarez *loc. cit. n.* 12. quia aliàs illicitè petet, sufficit autem, ut idem Suarez *loc. cit.* monet, communis aliqua necessitas, quae ante *Extrav. cit.* non suffecisset.

21 Quaeritur 6 an Irregularitatem incurrat Sacerdos excommunicatus, suspensus &c. Sacramentaliter absolvens? Resp. distinguendo inter excommunicatum &c. toleratum, & non toleratum: *Si toleratus sit*, juxta dicta à *n.* 16. incurrit, vel non incurrit Irregularitatem; quia potest aliquando licitè administrare hoc Sacramentum, aliquando illicitè.

De Excommunicato non tolerato ratio dubitandi est; quia hic, utpote Jurisdictione privatus, non absolvit validè; ac proinde in Ordine verè non ministrat, sed solùm ministrare attentat: atqui *non praestat impedimentum, quod de Jure non sortitur effectum* juxta *Reg. non praestat* 52. *in* 6. *Conf.* quia ad contrahendam Irregularitatem, cùm aliud jure expressum non est, extinguuntur actus in sua specie consummati, ac perfecti, ut patet ex homicidio, & mutilatione, quae si attentata duntaxat sint, Irregularitatem non inducunt.

Sed dicendum, à Censurato sic absolvente Irregularitatem incurri. Ita Suarez *D.* 11. *de Censur. sect.* 3. *n.* 15. Palao *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 8. *n.* 12. Zoes. *hic n.* 14. Vviestner *nu.* 9. Reiffenstuel *num.* 7. Ratio est, quia talis actum ordinis Sacerdotalis proprium exercet, quantùm est in se, cùm habeat ordinem, & idem faciat, quod alius, qui absolvit invalidè poenitentem rite dispositum, & qui baptizatum legitimè invalidè rebaptizat, qui tamen ex communi DD. incurrunt Irregularitatem. 22

Ad Rationem dubitandi, talis absolutio, licèt non sortiatur effectum liberationis à peccato, sortitur tamen effectum attentationis, & exercitii ordinis. Sufficit autem ad effectum Irregularitatis inducendae attentatio, ut patet in rebaptizante. *Ad Conf.* ejusmodi absolutio in ratione exercitii actus Ordinis, sub Irregularitate prohibiti, est perfecta, & consummata. 23

Quaeritur 7 quando per invalidam administrationem Sacramenti poenitentiae, vel aliorum, excommunicatus incurrat Irregularitatem? Resp. distinguendo; nam dupliciter Sacramentum tale potest esse invalidum: *uno*, si talis administratio fuerit invalida ex defectu ordinis, vel intentionis requisitae; *altero*, si invalida fuerit ratione materiae, aut subjecti, veluti si Clericus excommunicatus solemniter baptizat infantem non debita materia, vel baptizatum rebaptizat, aut si Sacramentaliter absolvat hominem, qui revera carebat dolore necessario ad valorem Sacramenti. 24

Si primo modo, scilicet ex defectu intentionis, invalidum sit Sacramentum, probabilissimum judicat Suarez *D.* 11. *de cens. sect.* 3. *n.* 14. ita administrantem non incurrere Irregularitatem; quia actio illa, etiam ut procedit à tali operante, ex intentione ejus non est usus ordinis, sed fictio illius. *Et confirmari potest* à simili de haeretico purè exteriori infidelitate; nam iste non incurrit censuras, vel alias penas, ipso Jure in haereticos latas: *Excipitur*, nisi aliunde admisceatur alia communicatio in divinis officiis, propter quam Irregularitas contrahi possit, ut si quis faciat Sacrum servando ritum Ecclesiasticum, solumque in consecratione sit fictus, non intendendo verum Sacramentum conficere, aut Sacrificium offerre: nam talis nihilominus Irregularis erit; quia illius officii administratio in excommunicatione facta, etiam sine Sacramento, ad Irregularitatem incurrendam sufficit, Suarez *numer.* 14. *citat.* 25

Si secundo modo, & ex defectu materiae, vel subjecti invalidum sit Sacramentum, is hoc modo administrans excommunicatus &c. Irregularitatem incurrit: quia verè violat censuram per execitium ordinis, Suar. *l. cit. n.* 15. Gonzalez *in c.* 3. *hoc tit. n.* 4. *Proceditque* sive ita administrans sciat, materiam, aut subjectum non esse aptum, sive ex aliquo errore Juris, aut facti hoc ignoret, ut si attentet consecrare in aqua, vel aceto, aut pane hordeaceo, existimans se habere panem, & vinum usuale; aut si Episcopus excommunicatus ordinet foeminam, existimans se ordinare virum. Nam quamvis casus isti sint magis extraordinarii tamen in iisdem procedit ratio data; quia scilicet, quantùm est ex parte operantis, ille fuit usus activus potestati Ordinis, & hic est, qui prohibetur sub poena Irregularitatis, sive in re sequatur effectus, sive non Suarez *loc. cit. n.* 16. 26

Quaeritur 8 an Irregularitatem incurrat Sacerdos excommunicatus etiam, qui non conficit ipsum Sacramentum, sed tantùm concurrit aliquo modo ad illud? Dubium hoc locum habet in tribus Sacramentis, scilicet in Matrimonio; in Eucharistia, quando aliquis eam non conficit, sed distribuit; & in Baptismo, quando aliquis solemniter illum confert quoad ceremonias, non verò quoad substantiam, quia supponitur privatim collatus validè. 27

Quoad 1. punctum Sacerdos ad Matrimonium concurrere potest dupliciter: *unus modus* est, quem requirit *Trid.* ad sub- 28

ad fubftantiam matrimonii, dum requirit, ut fiat coram Parocho, & teftibus; *alter*, qui pertinet ad folemnitatem illius accidentalem, & confiftit in folemni Benedictione novorum conjugum. *Primo modo* concurrens non fit Irregularis; quia ad illum actum ex vi *Trid.* non eft neceffarius aliquis actus Ordinis, cùm valeat Matrimonium contractum coram Parocho etiam non Sacerdote. Suar. *D.* 11. *de Cenfur. fect.* 3. *n.* 18. *Altero modo* concurrens Irregularis efficitur; quia actio illa ex inftitutione Ecclefiæ neceffariò requirit Ordinem Sacerdotalem, & exercitium illius, cùm publicum, & folemne fit, continet materiam gravem, & fufficientem ad peccatum mortale. Suar. *n.* 19.

29 *Quoad* 2. de Euchariftiæ diftributione, iterum dicendum; per hoc Irregularitatem incurri, fi diftributio talis fiat extra neceffitatem à Sacerdote excommunicato, vel à Diacono, faltem fi hoc faciat ex Parochi commiffione; Suar. *n.* 21. Ratio eft, quia eft graviffimum minifterium, & divinum ac proprium Sacerdotis ratione fui Ordinis. Accedit, quia Sacerdoti excommunicato non folùm fub pœna Irregularitatis prohibetur, ne Sacramenta conficiat, fed etiam, ne illa miniftret, ut minifter ex officio, fed hæc difpenfatio eft miniftratio Sacramenti ex officio: ergo &c. Dixi, *faltem fi hoc faciat ex Parochi commiffione*; nam fi hoc faciat abfque commiffione Parochi, aliqui illum ab Irregularitate, per textus *Rubr. præfentis* lata, excufant, quòd putent ejufmodi diftributionem, à Diacono fine licentia factam, non effe actum Ordinis Diaconatus, utpote quem tali modo non exercet ut publicus Minifter ex officio deputatus. Sed efto, non poffit actum hunc exercere licitè fine commiffione Parochi, hujus tamen commiffionis defectus magis ad defectum jurifdictionis pertinet, qui non facit, ut evitetur Irregularitas, prout patet in Epifcopo excommunicato, conferente Ordines in alieno Epifcopatu fine licentia Diæcefani. Hinc Suar. *l. cit. n.* 22. putat, talem Diaconum adhuc incurfurum Irregularitatem.

30 *Quoad* 3. de Baptifmi ceremoniis videri poffet, Irregularitatem propterea non incurri; quia plus eft fubftantiam Baptifmi fine ceremoniis dare, quàm ceremonias fine fubftantia, fed primum non fufficit ad Irregularitatem incurrendam, ut dixi *n.* 6. ergo nec fecundum fufficiet. *Si dicendum* incurri Irregularitatem; quia illud minifterium Sacrum eft, & ceremonia fatis gravis in Ecclefia, folique Sacerdoti ex officio commiffa, & ad fummum poteft Diacono delegari, eft ergo actus Ordinis in materia gravi: in quo differt à privata adminiftratione Baptifmi fecundùm fubftantiam; nam illa non eft actus Ordinis, etiamfi contingat ab homine ordinato fieri. Suar. *n.* 20.

31 Cæterùm quoad Irregularitatis hujus incurfum ob exercitium Ordinum in Cenfura factum, adverto, ut ea incurratur, neceffe effe, ut exercitium Ordinis fit prohibitum quoad fubftantiam; nam fi prohibitum dumtaxat quoad modum extrinfecum, & accidentalem, ut quando Epifcopus, fufpenfus à Pontificalibus, Miffam celebrat cum eo apparatu, per tale exercitium non fit Irregularis. Zerol. *prax. Epifc. V. Irregularitas numer.* 18. Layman *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *c.* 3. *n.* 4. Gonzal. *in cap.* 4. *h. tit. n.* 4.

32 Quæritur 9. an Irregularitatem incurrat, qui exercet actum proprium Ordinis Minoris? Negant Sylv. *V. Irregularitas q.* 27. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 6. *n.* 9. *verf. decimò*, Vvagnereck *in c.* 2. *not.* 2. & 3. & alii, præfertim TT. juxta quos ad incurrendam ex hoc capite Irregularitatem requiritur, ut Clericus Cenfuratus exerceat actum proprium alicujus Ordinis Majoris. *Rationem* dant; quia minorum Ordinum functiones hodie non funt actus proprii Ordinis Clericalis, cùm ad eas obeundas ex recepta confuetudine pafsim admittantur, & deputentur Laici.

33 Sed verifimilius eft, incurrere Irregularitatem, fi actum talem exerceat folemniter, & quafi ex officio proprio, h. e. eo modo, quo ab Ordinatis dumtaxat folet. Ita Richard. *in* 4. *dift.* 18. *artic.* 7. *q.* 5. Gabr. *q.* 2. *art.* 3. Hoft. *in cap. fiquis* 2. §. *fed quidquid h. tit.* Joan. Andr. *ibidem n.* 2. Abb. *num.* 4. Ugolin. *de Cenfur. tab.* 1. *cap.* 14. §. 1. Suar. *de Cenfur. D.* 11. *fect.* 3. *n.* 1. Alterius *fimul. tr. l.* 2. *D.* 1. *cap.* 1. Barbof. *in cap.* 2. *cit. n.* 3. Fagnan. *n.* 7. *ibidem* Gonzal. *in cap. eod. n.* 2. Pithing *hic n.* 37. & 39. Vvieftner *n.* 11.

Ratio eft, quia Jura generaliter, & nulla facta diftinctione, inter actus Ordinum Majorum, aut Minorum, pronuntiant, Irregularitatem incurri ab eo, qui, cum cenfuratus fit, exercet actum proprium fui Ordinis, ut patet ex *c. fiquis cit. c. cùm medicinalis* 1. §. *fin.* & *c. is cui* 20. *de fent. Excomm. in* 6. *cap. quia circa* 22. *de Privil.* & apertiùs ex *Conft. Sixti V.* incipit *Sanctum*, edita *contra malè & Simoniacè promotos Nov. Jan.* 1588. ubi ftatuitur, etiam Clericos primæ Tonfuræ, ac Minorum Ordinum fufpenfos, *fi in eis miniftrare præfumpferint, Irregulares effici*. 34

Addit tamen Pithing *n.* 39. *cit.* fecundùm præfentem Ecclefiæ ufum raro incurri hanc Irregularitatem; quia vix aliquid, aut aliquo modo quoad hæc minifteria faciunt Clerici in Minoribus conftituti, quod Laici non confueverunt facere. Poffunt tamen contingere cafus, in quibus hæc Irregularitas contrahatur, ut fi v. g. alicubi Acolythus in Miffa Solemni munus fuum non exerceat, nifi in peculiaribus veftibus Sacris ad hoc munus deputatis, & non nifi ii, qui talem Ordinem fufceperunt; vel fi Exorcifta excommunicatus, vel alia cenfura ligatus, vefte Sacra indutus, Exorcifmos Ecclefiæ fuper Energumenos recitaret: tunc enim uteretur poteftate fibi in Ordine data, adeoque fieret Irregularis; & fic de aliis. 35

Ad rationem dubitandi dicendum, id procedere tantum de cafu quando tales Clerici non miniftrant, folemniter, & quafi ex officio proprio.

Quæritur 10. an Irregularitatem incurrat, qui dubitat, an fit verè excommunicatus, & ftante hoc dubio, exercet actum Ordinis proprium? Refp. diftinguendo. Vel enim talis certò fcit, fe à Judice Ecclefiaftico excommunicatum fuiffe, & folùm dubitat, num excommunicatio hujufmodi legitimè lata, & valida fit, necne: vel contrà dubitat etiam, an de facto excommunicatus fit, eò quòd id audiat quidem per famam, aut rumorem, dubitans tamen, an rumor ille fit verus; & idem eft, fi dubitat, utrum commiferit revera actum, v. g. homicidium, cui aliàs excommunicatio certò annexa eft. 36

Si prius, talis debet pro excommunicato fe habere, ac propterea etiam fub pœna Irregularitatis ab omni exercitio Ordinis abftinere. Ita communis, & certa fententia tefte Reiffenftuel *hic n.* 15. *arg. c. illud* 5. *h. tit.* & *c. per tuas* 40. *de fent. Excomm.* cum concordantiis, ubi habetur, etiam cafu, quo per Epifcopum injuftè lata eft fententia excommunicationis, eam fervari debere, donec excommunicatus abfolvatur. ergo multo magis in dubio. Hinc *can. fententia* 1. *cauf.* 11. *q.* 3. dicitur, quòd *Sententia Paftoris, five jufta, five injufta fuerit, timenda fit.* Neque juvat, fi contra eam jam latam appelletur; bene tamen, fi appelletur contra minas illius ferendæ *arg. cap. per tuas cit.* & *c. paftoralis* 53. *c. præterea* 40. *de fent. & re judic.* prout ampliùs dictum eft *Libr.* 2. *tit.* 28. *de appell. n.* 109. & *trib. feqq.* 37

Si pofterius, fatis conveniunt DD. eum pro Irregulari non habendum, fi poftea conftet, ipfum excommunicatum non fuiffe. *Dubium* tantùm eft, quando ita dubitans revera eft excommunicatus? quo cafu Irregularem fore exiftimant Sylv. *V. Irregularitas n.* 15. *dict.* 5. & Ugolin. *de Cenfur. tab.* 1. *c.* 14. *n.* 12. *fin.* quod fumunt ex *c. illud* 5. *h. tit.* ubi Epifcopus in dubio de fua excommunicatione Divinis fe ingerens, à pœna Canonica per mifericordiam liberatur, non obfcuro indicio, quòd pœnam iftam contraxerit. 38

Sed verifimiliùs negatur, fic miniftrantem Irregularitatem incurrere, fi debitam diligentiam adhibuit ad rei veritatem cognofcendam: fecus fi omifit; quia hanc omittens habet ignorantiam craffam, & fupinam, quæ fcientiæ æquiparatur *c. licèt* 1. *de Conft. i.* 6. Zoef. *hic n.* 9. Engl *n.* 3. *fin.* Vvieft. *n.* 15. Addo tamen, etiam priorem teneri abftinere ab exercitio Ordinum, donec ad cautelam abfolvatur è cenfura; nam tutior in hac re via eft eligenda: & hinc factum Epifcopi *c. illud cit.* improbavit Pontifex. 39

Ad textum *c. cit.* dico, ibi fermonem non effe de Irregularitate, fed de alia pœna, videlicet fufpenfione, vel Depofitione, per fententiam infligenda, ut patet ex ejufdem verbis, *Et non duximus infligendam*; nam Irregularitas non ab homine, fed à Jure infligitur. 40

Quæritur 11. an Irregularis efficiatur etiam is, qui, dum 41

dum excommunicatione minori irretitus eſt, celebrat? Quæſtio hæc diu fuit controverſa inter DD. ex ratione, quia etiam iſte peccat graviter, & cenſuram Eccleſiaſticam violando, Clavium poteſtatem aperte contemnit, quæ ratio vel unica, vel præcipua eſt, ob quam in cenſurarum violatores à Jure ſtatuta eſt Irregularitatis pœna.

42 Sed ab hoc nullam Irregularitatem contrahi, meritò docent Suar. *D.* XI. *de Cenſur. ſect.* 3. *n.* 1. Leander *de Irregul. D.* 21. *q.* 1. Gibalin. *ſimil. tr. cap.* 5. *q.* 2. *conſect.* 1. *n.* 7. Vivian. *in cap. fin. h. tit. pr.* Barboſa *ibidem n.* 1. *&* 4. Gonzal. *n.* 11. Vallenſ. *hic verſ. addidi*, Pirhing *n.* 45. Vvieſt. *num.* 5. *&* 6. & aperte deciſum eſt *in cap. fin. cit.* ubi ſupponitur, Irregularitatem ſolùm contrahi ab eo, qui id facere præſumit in excommunicatione majori: & meritò; nam majori excommunicatione irretitus Clericus pro toto tempore, quo in ea perſiſtit, ſuſpenſus eſt à propriis Ordinibus, ſcilicet ab adminiſtratione Divinorum Officiorum; ſuſpenſus autem celebrare præſumens Irregularis evadit, juxta dicta *n.* 4. Contrà ligato excommunicatione minori ſolum interdicta eſt Sacramentorum ſuſceptio, non verò Ordinum exercitium; conſ. hos exercens cenſuram non violat. *Conf.* quia nullo jure expreſſum eſt, quòd ligatus excommunicatione minori per hoc, quòd Divina celebret, Irregularitatem incurrat. Irregularitas autem non incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis.

43 *Ad rationem dubitandi* ita ligatus peccat graviter, dum inſuper habita ea cenſura excommunicationis minoris, Sacramentum celebrando recipit, non verò quatenus exercet actum Ordinis Sacerdotalis; nam hunc exercens, ſi cum perceptione Sacramenti conjunctus non ſit, juxta Navar. *Man. c.* 27. *n.* 24. Ugol. *de Cenſur. tab.* 3. *cap.* 6. §. 2. Henriq. *l.* 13. *cap.* 3. §. 1. Suar. *D.* 24. *ſect.* 2. *num.* 12. Bonac. *D.* 2. *de Excomm. q.* 3. *num.* 4. nullam etiam venialem culpam admittit. Juxta Anchar. *in cap. fin. cit.* Hoſt. *Summ. hic n.* 2. Sot. *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 2. *art.* 3. Covat. *in c. alma p.* 1. §. 8. *n.* 2. Avil. *p.* 2. *de Cenſur. c.* 6 *D.* 12. *dub.* 3. Palao *tract.* 29. *D.* 2. *p.* 21. *n.* 10. Barboſa *in c. fin. cit. n.* 6. Pirhing *hic n.* 54. culpam quidem committit, ſed venialem dumtaxat.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato miniſtrante.

SUMMARIUM.

1 *Graviter peccat miniſtrans in Ordine non ſuſcepto?*
2 *&c. Hujus pœna eſt Excommunicatio, ſuſpenſio, & Irregularitas.*
6 *&c. Requiſita ad incurrendam propterea Irregularitatem.*
10 *&c. An eam incurrat exercens actum Ordinis ſine tententione eum exercendi?*
13 *&c. An miniſtrans in Ordine defectuosè ſuſcepto?*
15 *&c. Vel in ordine minore?*
18 *&c. An Irregularis fiat Sacerdos ſimplex conferens Ordines conſecrans Eccleſias &c.*
21 *&c. An eam incurrat Laicus ſolemniter baptizans, Miſſas legens &c.*
26 *&c. Quis diſpenſare poſſit in iſta Irregularitate?*

1 Ut uſu Ordinis ſuſcepti, à quo ſuſpenſus eſt, ita, & non minùs delinquit Clericus uſu Ordinis non ſuſcepti, ut ſi in Minoribus dumtaxat conſtitutus cum Dalmatica, & Manipulo ſolemniter cantaret Epiſtolam, vel Diaconus celebraret Miſſam, baptizaret ſolemniter, benediceret nuptias &c.

2 Quæritur 1. quæ ſit pœna Clerici miniſtrantis in ordine non ſuſcepto? Reſp. triplex à jure ſtatuitur. 1. Excommunicatio *capit. ſiquis* 1. *h. tit.* ſed ferendæ tantum ſententiæ, prout ex verbo *Abiiciatur*, quod miniſterium hominis indicat, colligit Suar. *de Cenſur. D.* 42. *ſect.* 4. *num.* 2. Barboſa *in cap.* 1. *cit. num.* 1. Vvagnereck *ibidem in Exeg.* Pirhing *hic num.* 3. Vvieſt. *num.* 1. Reiffenſtuel *n.* 5.

3 2 Suſpenſio ad biennium, vel triennium ab exercitio Ordinis, non cujuſcunque (nam diſpoſitio *cap. fin. h. tit.* ubi ſuſpenſio iſta ſtatuitur, pœnalis eſt, conſ. ad Ordines non expreſſos non porrigenda) ſed proximè, ſeu ultimò ſuſcepti, infligenda Diacono, qui Miſſam celebrare præſumpſerit. Suar. *ſect.* 4. *cit. num.* 2. *&* 4. Avil. *part.* 7. *de Cenſur. D.* 9. *ſect.* 2. *dub.* 15. *concl.* 2. Vivian. *in capit.* 2. *hic pr.* Pirhing *hic n.* 3. Konig *n.* 2. Vvieſt. *n.* 2. Reiffenſtuel *n.* 3. *&* 4.

3 Irregularitas, ſaltem partialis, vi cujus ad ſuperiores Ordines nequeat promoveri *c. ſiquis* 1. & *c. ſeq. h. tit.* 4
quæ Irregularitas tum demum fit totalis, quando durante Suſpenſione biennali, vel triennali, ut dictum eſt, ad actus Ordinis, à quo ita ſuſpenſus eſt, exercendos temere ſe ingeſſerit. Suar. *num.* 4. *cit. fin.* Coninck *D.* 18. *dub.* 6 *concl.* 1. Barboſa *in c. fin. h. tit. n.* 1. Gonzal. *ibid. n.* 1. Vallenſ. *hic verſ. Diaconus*, Engl *n.* 1. Konig. *n.* 2. Vvieſt. *n.* 3. Reiffenſtuel *n.* 2.

Eaſdem pœnas innovavit, & inſuper novas ſtatuit poſt *Gregorium XIII.* & *Sixtum V.* Clemens VIII. *Conſt.* incipit *Etſi aliàs* 81. *Bullar. tom.* 3. & Urbanus VIII. *Conſt.* incipit *Apoſtolatus* 79. *tom.* 4. qui decrevit pœnis à Clemente ſtatutis procedi poſſe contra omnes ſive Laicos, ſive Clericos Sæculares, vel Regulares non promotos, præſumentes Miſſas celebrare, & Sacramentales Confeſſiones audire, dummodo vigeſimum ætatis ſuæ annum compleverint. Matthæucc. *Offic. Eccl. cap.* 10. *n.* 4 *verſ. Sacrilegam.* 5

Quæritur 2 quid requiratur, ut Irregularitas incurratur per miniſtrationem in Ordine non ſuſcepto? Reſp. 1. requiritur, ut, qui in Ordine non ſuſcepto miniſtrat, ſit capax Irregularitatis, ac proinde mas, & baptizatus; nam fœmina, & mas non baptizatus hoc ipſo, quòd jure Divino incapaces ſint Ordinis, ut dictum eſt *Libr.* 1. *tit.* 11. *n.* 21. etiam incapaces ſunt Irregularitatis: & hinc ſi exerceant actum Ordinis, aliter puniendi ſunt. Angel. *V. Irregularitas n* 31. Roſell. *V. eodem nu.* 2. Armill. *n.* 65 Henriq. *l.* 2. *c.* 29. *num.* 5. Suar. *D.* 42. *de Cenſur. ſect.* 4 *n.* 20. Sayr. *de Cenſur. l.* 7. *cap.* 10. *n.* 6. Bonacin. *de Irregul. D.* 3. *q.* 3. *p.* 6. *num.* 1. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 3 *n.* 3. Dian. *p.* 4. *tr.* 2. *reſol.* 77. *&* 91. Cornejus *p.* 3. *tr. de Irreg. D.* 7. *dub.* 291. Gibalin. *de Irreg. c.* 5. *conſect.* 1. Barboſa *in c.* 1. *h. tit. n.* 5. Gonzal. *ibidem n.* 2. Pirhing *hic n.* 8. Vvieſtner *n.* 4. *ibid.* 6

2 Ut exerceat actum Ordinis proprium, & eo modo, quo vi Ordinis ſolet, & non niſi ab ordinatis licitè exerceri poteſt: quod contingeret, ſi ſimplex Sacerdos conferret Ordines, Diaconus celebraret Miſſam, aut ſolemniter baptizaret ſine licentia Epiſcopi, vel Presbyterii, ſubdiaconus cantaret cum Stola Evangelium, & in Minoribus conſtitutus cum Manipulo Epiſtolam &c. Sylv. *V. Irregularitas q.* 12. *limit.* 6. Navar. *Man. cap.* 27 *n.* 242. Avil. *p.* 7. *de Cenſur. D.* 9. *ſect.* 2. *dub.* 13. *limit.* 5 Suar. *ſect.* 4. *cit. n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 18. *num.* 2. Vivian. *in c.* 1. *h. tit. fin.* Vvagnereck *in Exeg. ibidem* Barboſa *n.* 2. Pirhing *n.* 5. Konig *n.* 2. Vvieſtner *n.* 5. Reiffenſtuel *n.* 6. Unde Irregularitatem non incurrit, qui in Officio ſolemni canit Epiſtolam, vel Evangelium, etiam Dalmatica indutus, modo Manipulum, & ſtolam non deferat, cùm proprium inſigne Diaconi ſit ſtola, & ſubdiaconi Manipulus Konig *n.* 2. *cit.* 7

3 Ut id faciat temere per textum *c. ſiquis* 1. *h. tit.* ibi, *Propter temeritatem*, ac proinde ſcienter; quia Irregularitas iſta pœnalis eſt, & ſupponit actum culpabilem. Avil. *dub.* 13. *cit.* Suar. *n.* 16. Pirhing *n.* 5. Vvieſtner *n.* 5. Reiffenſtuel *n.* 8. Hinc, qui ex ignorantia invincibili probabiliter putat, ſe Ordinem, cujus actum exercet, habere, Irregularitatem non incurrit; quia tali caſu culpa abeſt. Imò Avil. *l. cit.* putat, non incurri hanc Irregularitatem etiam ab eo, qui ex craſſa ignorantia miniſtrat in Ordine, quem non habet; quia eſt valde gravis pœna, ideoque non incurritur, niſi à ſciente, & temerariè præſumente, ſive per contemptum miniſtrante. 8

4 Ut actio, ſive exercitium Ordinis, ſaltem externum, fiat ſeriò; nam ſi id joco tantùm, ſive per modum ludicræ, aut ſcenicæ actionis facit, non cenſetur in Ordine miniſtrare, vel illum exercere, ſed potiùs exercitium, vel miniſterium ejus repræſentare: quod intercedente honeſta cauſa, & ſecluſo rerum Divinarum contemptu licitum eſt, ac proinde nequit Irregularitati ſubjici. Sylv. *V. Irregularitas q.* 12. *limit.* 2. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 241. Sot. *in* 4. *diſt.* 26. *p.* 1. *art.* 3. Henriquez *l.* 14 *c.* 6. *n.* 1. Sayr. *l.* 7. *Theſaur. c.* 10. *n.* 2. Suar. *ſect.* 4. *cit. n.* 16. Bonac. *p.* 6. *cit. n.* 1. Palao *n.* 2. Pirhing *n.* 6. Vvieſt. *n.* 6. Reiffenſtuel *n.* 7. 9

Quæ-

10 Quæritur 3 an, ut incurratur hæc Irregularitas, etiam requiratur, ut actus Ordinis exerceatur cum intentione eundem exercendi? Affirmant Tabien. *V. Irregularitas* 4. §. 3. Navar. *Man. cap.* 27. *n.*242. Ugolin. *de Censur. c.* 37. *n.* 10. Avil. *p.* 7. *D.*9. *sect.* 2. *dub.* 13. *vers. quintò.* Hurtad. *D.* 2. *difficult.* 2. *n.* 5. Bonacin. *de Irreg. D.* 7. *q.* 3. *p.* 6. *n.* 2. Moventur 1. quia in *c. si quis* 1. *h. tit.* statuitur hæc Irregularitas, eò quòd non ordinatus solemniter baptizaverit, vel aliud officium Ordini annexum exercuerit, sed qui sine intentione Ordinem exercendi actum Ordinis ponit, revera non ponit actum Ordinis, utpote ad quem vel maximè requiritur intentio faciendi id, quod facit Ecclesia. ergo &c. 2. ad incurrendam hanc Irregularitatem opus esse videtur, ut Officium Ordinis exerceat, si non verè, saltem quantum est ex se, sed qui intentionem non habet illud Officium exercendi, illud, quantum est ex se, non exercet, cùm deficiat in intentione. ergo &c. 3. confirmant exemplo rebaptizantis exteriùs sine intentione, qui ex communi Irregularitatem impositam adversùs rebaptizantes non incurrit; quia, quantum est ex se, non rebaptizavit.

11 Sed verior est negativa, quam etiam defendunt Suar. *de Censur. D.* 42. *sect.* 4. *num.* 18. Coninck *D.* 18. *dub.* 6. *n.* 47. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *part.* 5. *cap.* 3. *num.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 18. *n.* 8. Pirhing *hic n.* 6. Vstiestner *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 7. *Ratio est*, quia aliàs Irregularitas hæc à non ordinatis, ministrantibus in Ordine non suscepto, facilè eluderetur, dicendo, se fictè duntaxat, & sine intentione actum Ordinis exercendi ministrasse: imò Irregularitate hac nemo afficeretur, nisi Hæreticus aut crassissima laborans ignorantia, cùm nemo alius Officium Ordinis, quod sibi scit impossibile, exercendi voluntatem habere possit.

12 Ex quo patet *ad* 1. *argumentum contrarium*; nam SS. Canones punire intenderunt actum externum seriò exercitum. *Ad* 2. ille Minister, qui seriò ponit actum externum Ordinis, quem non habet, jam facit, quantum ex parte sua facere potest ad officium sacrum exercendum; quia aliam habere intentionem est ei ferè impossibile, ut probatum est. *Ad* 3. negatur paritas; nam illa Irregularitas imposita fuit Hæreticis rebaptizantibus, ac proinde supponitur, illos habere intentionem rebaptizandi, & judicare, dari posse rebaptizationem, at hæc Irregularitas, de qua in præsenti, instituta est ad puniendos sacrilegos, qui cum ordinati non sint, Ordinis officium usurpant.

13 Quæritur 4 an Irregularitatem istam incurrat, qui ministrat in Ordine, quem ipse quidem suscepit, sed defectuosè, quòd in collatione illius omissum sit aliquid, quòd aliàs poni debebat? Resp. distinguendo: Vel enim omissum est aliquid accidentale tantùm, quod certum est, non esse de substantia v. g. Unctio aliqua; vel contrà omissum est aliquid substantiale. *Si primum*, ministrans in Ordine sic suscepto, antequam suppleatur omissum, peccat quidem graviter) nisi omissa esset parva ceremonia, quæ necessariò supplenda non est) per hanc tamen culpam, etsi gravem, non incurrit Irregularitatem; quia ea nullo jure expressa est, quamvis prohibeatur interim ministrare, donec defectus ille suppleatur. Angel. *V. Irregularitas n.* 39. Sylv. *V. eodem q.* 12. *limit.* 5 Suar. *D.* 42. *de Censur. sect.* 4. *n.* 12.

14 *Si secundum*, interest, an collatio per omissionem ejusmodi fuerit omnino invalida, an verò remanserit valida, eò quòd Ordinatio substantialiter dividua sit, prout est Ordinatio Sacerdotis, in qua per traditionem patenæ cum Hostia, & calicis cum vino confertur potestas consecrandi Corpus, & sanguinem Christi; & per impositionem manuum Episcopi datur potestas absolvendi à *Si prius*, exercens Ordinem ita susceptum, nisi ipsum excuset ignorantię defectus, Irregularitatem incurrit, ut communis habet sententia, teste Suar. *l. cit. n.* 11. *Si posterius*, ordinatus cum traditione patenæ cum Hostia, & Calicis cum vino, omissa impositione manuum, Irregularis quidem efficitur absolvendo à peccatis; quia revera ministrat in Ordine, quem non habet: probabiliùs tamen, ut putat Suar. *n.* 13. non fit Irregularis, si missam celebret; quia defectus impositionis manuum respectu talis ministerii accidentarius est. Neque obstat *c. fin. h. tit.* ubi Irregularis esse dicitur, qui sine manuum impositione Missas celebrare ausus est; quia per manuum impositionem ibi significatur tota Ordinatio Sacerdotalis, ut ex contextu constat, & notavit Gloss. *ibidem* Suar. *n.* 11. & 13.

15 Quæritur 5 an ad Irregularitatem hanc incurrendam necessarium sit, ut ministret aliquis in Ordine sacro? Affirmant aliqui cum Angel. *V. Irregularitas num.* 38. Sylv. *V. eodem q.* 15. Avil. *part.* 7. *de Censur. D.* 9. *sect.* 2 *dub.* 15. quia in Minoribus ministrare etiam Laici solent, & licitè possunt.

16 Sed adhibenda est distinctio insinuata *Tit. præc. n.* 33 Vel enim ministrat in tali Ordine minore, tanquam ex officio proprio, & eo modo, quo ministrari non nisi ab ordinatis licitè potest; vel ministrat eo modo, quo solet ministrari à Laicis. *Si hoc secundum*, ita ministrans nullam incurrit Irregularitatem; quia non exercet actum proprium Ordinis. Navar. *Man. c.* 27. *num.* 242. *dict.* 7 Suar. *D.* 42. *de Censur. sect.* 4. *num.* 15. Vviestner *hic n.* 7 Reiffenstuel *ibidem n.* 9. Pithing *n.* 9.

17 *Si primum*, incurrit Irregularitatem, prout sumitur ex *c. si quis* 1. *h. tit.* ubi generaliter constituitur, ut *si quis -- aliquod Divinum Officium exercuerit non ordinatus, -- nunquam ordinetur.* atqui etiam Officia minorum Ordinum ad Divinum Officium pertinent. ergo &c. *Conf.* à pari cum excommunicato, ministrante in Ordine minore, qui secundùm dicta *Tit. præc. n.* 33. *cit.* Irregularitatem incurrit *DD. citt.*

18 Quæritur 6 an Irregularitatem incurrat Sacerdos simplex Confirmans, conferens SS. Ordines, consecrans Ecclesias, vel Altaria &c. *Ratio dubitandi* est; quia Episcopatus secundùm aliquos non est Ordo, vel saltem non est Ordo distinctus ab Ordine Sacerdotali.

19 Sed tenenda est affirmativa sententia, quam etiam defendunt Suar. *D.* 42. *cit. sect.* 4. *n.* 7. Layman *l.* 1. *tr.* 5 *p.* 5. *c.* 3. *à n.* 5. Pirhing *hic n.* 3. Vviestner *ibidem num.* 8 quia ut *Libr.* 1. *Tit.* 11. *n.* 4. dictum est, Episcopatus revera est Ordo: & esto, Ordo non sit, ab omnibus tamen instar Ordinis reputatur comparatione Ordinis Sacerdotalis, vi cujus ejusmodi actus ante consecrationem Episcopalem exerceri nequeunt, & per hanc primùm ad eos exercendos Sacerdos elevatur.

20 Unde eo casu Sacerdos Irregularis efficitur, ne in Episcopum consecrari possit; in Sacerdotio verò manebit suspensus biennio, vel triennio arbitrio Episcopi; cæteros verò Ordines inferiores exercere non prohibebitur. Suar. *l. cit.*

21 Quæritur 7 an Irregularitatem incurrat etiam Laicus, solemniter baptizans, vel alios actus Ordini proprios exercendo? Affirmant Navar. *Man. c.* 27. *n.* 242. *vers. septimo*, Sot. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 1. §. *in dubium & dist.* 25. *q.* 1. *art.* 3. *post concl.* 4. Valent. *tom.* 4. *D.* 4. *q.* 2. *p.* 1 & *D.* 7. *q.* 10. *p.* 1. Suar. *D.* 42. *de Censur. sect.* 4. *num.* 10 Avil. *p.* 7. *D.* 9. *sect.* 2. *dub.* 13. Coninck *D.* 18. *dub* 6 *n.* 45. Filliucc. *tr.* 20. *c.* 7. *q.* 8. *n.* 208. Hurtad. *D.* 2. *de Irregul. diffic.* 2. *n.* 4. Vallens. *hic vers. at vero* Zoes. *n.* 4 & 5. Engl *n.* 1. Vviestner *n.* 9. & plures alii valde probabiliter.

22 *Moventur* 1 quia Laicus Ordinum Officium temere usurpando æquè, imò graviùs delinquit, quàm Clericus ad divina per primam Tonsuram jam deputatus. 2 quia *c. si quis* 1. *h. tit.* Irregularis esse pronuntiatur non ordinatus ministrans indistinctè, & nullo facto discrimine, an Clericus ille sit, an verò Laicus. 3 quia per *Const. Clem. VIII* incipit *Etsi aliàs editam* 4. *Dec.* 1601 à foro Ecclesiæ abiici, & ab Ordinibus, siquos habuerint, degradati, Curiæ sæculari tradi jubentur quicunque non Presbyteri generaliter, qui Missam celebrare, aut Sacramentalem Confessionem audire præsumpserint.

23 Sed non minùs probabiliter Irregularitatem tali casu à Laico incurri negant Angel. *V. Irregularitas* 1. *nu.* 38 Rosell. *V. eodem n.* 2. *pr.* Tabien. *ibidem* 4. *nu.* 2. Henriq. *l.* 2. *de Baptism. c.* 29. *n.* 5. & *l.* 14. *c.* 6. *num.* 2. Sayr. *l.* 7 *c.* 10. *n.* 6. Bonacin. *de Censur. D.* 7. *p.* 6. *num.* 1. *vers. dixi Clericus* Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 3. Palao *tr.* 29. *D.* 6 *p.* 18. *n.* 10. Barbosa *in c. si quis* 1. *h. tit. num.* 5. Ratio est, quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis, atqui nullo jure expressum satis invenitur, quòd talis Laicus Irregularitatem incurrat: imò istum dispositione juris, statuentis Irregularitatis pœnam ministranti in ordine non suscepto, non incurri, satis clarè indicat Rubrica *præs. Tit.* quæ loquitur *de Clerico non ordinato ministrante.*

Inte-

24 Interim tamen fatendum omnino eſt, quòd Laicus, Miſſam celebrans, vel Confeſſionem Sacramentalem audiens, committat peccatum, & ſacrilegium graviſſimum, dum Divinis Sacramentis illudit, & fidelibus per falſitatem purum panem cum vino loco veri Corporis, & ſanguinis Chriſti adorandum proponit, non minùs talis Laicus decipit fideles, qui ipſi peccata ſua aperiunt, putantes eum eſſe ſacerdotem; nam exiſtimant ſe obtinere remiſſionem peccatorum ſuorum, quam tamen per abſolutionem, à tali homine factam, ob defectum Ordinum, & Juriſdictionis obtinere nequeunt. Hinc meritò ab Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis, tanquam Idololatriæ, & graviſſimi *Falſi* rei omni miſericordia indigni judicati, & Curiæ ſæculari debitis pœnis afficiendi tradi poſſunt, & debent, juxta *Conſtit. Clem. VIII* incipit *Etſi alias cit.* quam confirmavit *Urbanus VIII Conſt.* incipit *Apoſtolatus*, prout dictum eſt *ſuprà n.* 5

25 Ad Argumenta *numer.* 22 allata in contrarium non difficilis eſt reſponſio. *Ad* 1 dici poteſt, quòd hic verſemur in materia pœnali, in qua à paritate rationis Argumentum non rectè ducitur. *Ad* 2 generalitas textus ad Clericos ſatis reſtringitur per Rubricam, quæ de Clerico expreſsè loquitur. *Ad* 3 Conſtitutio illa non meminit Irregularitatis: conſ. eidem in caſu præſenti non erit locus.

26 Quæritur 8 quis in Irregularitate, quam quis per uſum temerarium Ordinum non ſuſceptorum incurrit, diſpenſare poſſit, & poteſtatem concedere ſuſcipiendi Ordines? Reſp. diſtinguendo inter Jus antiquius, & Jus novum Trident. *Jure antiquo* Decretalium diſpenſare poterat ſolus Pontifex *cap. cum æterni* 1. *verſ. ſciturus de ſent. & re jud. in 6*

Jure novo Trid. autem in Delicto hoc, ſi adhuc occultum ſit, diſpenſare permittitur etiam Epiſcopus *Seſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.* Ugol. *de Offic. Epiſc. cap.* 57. §. 3. *num.* 1. Bonacin. *de Cenſur. D.* 7. *q.* 3. *part.* 6. *num.* 10. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *part.* 18. *num.* 12. Barboſa *in capit. fin. h. tit. numer.* 4. Pirhing *hic num.* 10. Vvieſt. *num.* 10. *fin.* Reiffenſtuel *num.* 16.

TITULUS XXIX.

De Clerico per Saltum promoto.

SUMMARIUM.

1 *In ſuſcipiendis Ordinibus ſervandi ſunt gradus.*
2 *His non obſervatis, Ordo quidem ſuſceptus valet.*
3 *Ita tamen ſuſcipiens ipſo jure ſuſpenſus eſt;*
4 *Irregularis tamen non eſt.*
5 *Niſi in Ordine ita ſuſcepto miniſtret.*
6 7 *Effectus hujus ſuſpenſionis.*
8 9 *An ipſo jure incurratur?*
10 11 *An eam incurrat, qui omiſſa prima Tonſura, aſcendit ad minores Ordines?*
12 13 *Vel qui non recepit antea Sacramentum Confirmationis?*
14 *&c. Quis diſpenſare poſſit in pœnis, ob Ordines per ſaltum ſuſceptos contractis?*

1 Circa Ordines etiam delinquunt, qui ad eos promoventur *per Saltum*, & uno vel pluribus Ordinibus prætermiſſis, ad ſuperiorem aſcendunt; nam ſicut natura, ita & Eccleſia voluit, ut à minimis initium caperetur, & ab inferioribus Ordinibus per ſequentes Ordines gradus ad Ordinem ſupremum fieret *can. un. diſt.* 52 *can. ſi officia* 2. & *can. fin. diſt.* 59. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 2. *de Sacr. Ordin.* & *c.* 11. *de reform.*

2 Quæritur 1 quid ſit conſtitutum circa eum, qui contra has Eccleſiæ Sanctiones ſive ſcienter, ſive ignoranter per ſaltum promotus eſt? Reſp. diſtinguendo inter Ordinem Epiſcopatus, & reliquos Ordines. *Ordo Epiſcopatus* invalidè ſuſcipitur ab eo, qui non ſuſcepit priùs Ordinem ſacerdotalem; quia hunc eſſentialiter ſupponit. Si verò quis ordinatus ſacerdos ſit, quamvis unus, vel plures, aut etiam omnes Ordines ſacerdotio inferiores eidem deſint, validè conſecratur Epiſcopus. Non tamen talis poterit conferre Ordines, quos non recepit; quia ſic per ſaltum ordinatus in ſacerdotem, & Epiſcopum, ſuſcepit quidem characterem Ordinis Epiſcopalis, ſed non ejus executionem, Gloſſa *fin. in cap. un. hoc tit.* Pirhing *hic nu.* 8. *not.* 8. & hoc teſte communis contra Abb. *in c. cit. fin.*

Similiter characterem ordinis recipit, qui per ſaltum ordinatur Sacerdos omiſſo Ordine Diaconatus, aut qui Diaconus, omiſſo Subdiaconatu, Gloſſa *in can. un. V. Subdiaconus diſt.* 52. Gloſſa *fin. in c. un. cit.* Vivian. *ibid. pr.* Barboſa *n.* 8. Gonzalez *n.* 7. Fagnan. *n.* 4. Vallenſ. *v. cum igitur hoc tit.* Pirhing *n.* 1. & 8. Konig *n.* 1. Vvieſtner *n.* 2. Reiffenſtuel *n.* 2. Ipſo tamen Jure ſuſpenſus eſt, donec omiſſus Ordo ſuppleatur, ut habetur *c. un. cit.* & colligitur, ex *Trid. ſeſſ.* 23. *cit. cap.* 14. *fin. de reform.* ubi permittitur Epiſcopo poteſtas diſpenſandi ex juſta cauſa cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint: conſ. ſuſpenſio ab ipſis contracta eſt. Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 242. Avil. *de Cenſ. D.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 2. *concl.* 2. Fagnan. *in cap. un. citat. num.* 22. Barboſa *nu.* 3. Gonzalez *num.* 2. Pirhing *nu.* 3. Zoeſ. *nu.* 4. Konig *n.* 2. Vvieſtner *nu.* 2. Reiffenſtuel *num.* 3. 3

Quæritur 2 an ſic promotus incurrat Irregularitatem? Reſp. non incurrere, niſi miniſtrando temere in Ordine ſic ſuſcepto, Sylv. *V. Irregularitas q.* 11. *num.* 12. Suarez *de Cenſ. D.* 31. *ſect.* 1. *nu.* 45. & *ſeqq.* Avil. *dub.* 2. *cit. concl.* 1. & 2. Sperell. *deciſ.* 114. Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg.* 47. *n.* 2. & *in c. un. hoc tit. n.* 2. Fagnan. *ibid. nu.* 22. Engl *hic Verſ. quamvis*, Pirhing *num.* 2. Vvieſtner *num.* 3. quia hoc nullo Jure expreſſum eſt; imò ex *cap. un. cit.* & Trid. *cap.* 14. *cit.* ſatis clarè colligitur non incurrere, dum Epiſcopus permittitur diſpenſare cum ſic promotis, ſi non miniſtraverint, non alia certè ex cauſa, quàm quòd caſu, quo non miniſtraverunt, Irregularitatem nullam incurrant. 4

Dixi, *niſi miniſtrando temere in Ordine ſic ſuſcepto*; nam caſu quo miniſtravit in Ordine ſic ſuſcepto, Irregularis efficitur, tanquam violator cenſuræ, & ſic diſpenſationem à Papa obtinere debet ſecundùm dicenda *nu.* 15. Imò ita promotus Irregularitatem incurrit, ſi miniſtret etiam in Ordine prætermiſſo; idque verum eſt, ſive in eo miniſtret ante eum ſuſceptum, ſive poſt ſuſceptum, ſi hoc faciat abſque legitima Diſpenſatione. Si enim miniſtravit antè, fit Irregularis tanquam miniſtrans in Ordine, quem non habet juxta dicta *Tit. præc. num.* 4. Si poſt illum ſuſceptum, itidem fit Irregularis; quia cùm ſuſpenſus ſit à receptione Ordinis prætermiſſi, poſtquam illum ſine Diſpenſatione ſuſcipit, manet adhuc ſuſpenſus ab ejus executione; ergo ſi in illa cenſura miniſtret, fit Irregularis juxta dicta *Tit.* 27. *num.* 4. 5

Quæritur 3 an dicta Suſpenſio prohibeat etiam uſum Ordinum ritè ſuſceptorum? Affirmant Majol. *lib.* 4. *de Irregul. cap.* 12. & inclinare videtur Navar. *Man. cap.* 27. *nu.* 242. ubi indefinitè dicit, eum, qui per ſaltum promotus eſt, manere ſuſpenſum, non declarans, an Suſpenſio illa totalis ſit. Conſentit Gonzalez *in c. un. hoc tit. num.* 6. Sed meliùs negant Sylv. *V. Irregularitas quæſt.* 11. Diaz *pract. crim. can. c.* 29. Suarez *de Cenſ. D.* 31. *ſect.* 1. *num.* 48. Avil. *dub.* 2. *cit. concl.* 2. *fin.* Riccius *Deciſ.* 216. *num.* 2. Barboſa *in c. un. hoc tit. num.* 3. *v. non eſt.* Pirhing *hic n.* 5. *not.* 1. Vvieſtner *n.* 4. Reiffenſtuel *n.* 4. & alii, ex quorum doctrina ſic promotus diſpenſatione non indiget, ut miniſtrare poſſit in Ordinibus ritè ſuſceptis; quia diſpoſitio *cap. un. cit.* & Trid. *loc. citat.* pœnalis eſt; conſ. ſtrictè interpretanda. 6

Triplex tamen hujus ſuſpenſionis effectus eſt. Nam 1. inducit impedimentum reſpectu Ordinis, ad quem per ſaltum promotus, omiſſo Ordine inferiore, aſcendit, 2. impedit, ne aſcendere poſſit ad ſuperiores Ordines; nam Suſpenſio à quolibet Ordine, durante illa, conſequenter impedit aſcenſum ad ſuperiorem; hæc autem eſt vera ſuſpenſio, 3. ſpeciale impedimentum inducit reſpectu Ordinis prætermiſſi, ne ſuſcipere illum ſine diſpenſatione poſſit; nam hoc etiam Jura adducta probant, Suarez *n.* 48. *cit.* 7

Quæritur 4 an promotus per ſaltum ad Ordinem aliquem ipſo Jure ab hoc Ordine ſuſpenſus ſit? Archidiaconus *in can. un. diſt.* 52 Turrecr. *ibid. art.* 4. Diaz *pract. c.* 24 & alii, etſi concedant, ſic promotum non poſſe licitè miniſtrare in Ordine per ſaltum ſuſcepto, vel aſcendere ad ſuperiorem, donec Ordinem, quem prætermiſit, accipiat; negant tamen hoc fieri propter ſuſpenſionem ipſo Jure latam, ſed hoc refundunt in ſpecialem pro- 8

prohibitionem Ecclesiæ, ex qua receptio inferioris Ordinis est dispositio prærequisita ad convenientem usum superioris. *Fundantur in can. un. cit.* ubi solùm dicitur, *A Sacerdotali officio illum prohibeas*, quæ verba vel significant executionem prædictæ prohibitionis, vel ad summum suspensionem ferendam. *Confirmant ex c. un. h. tit.* ubi solùm dicitur, ut imponatur pœnitentia, & sic ordinetur in prætermisso Ordine; & tunc permittatur ministrare in superiore jam suscepto.

9 *Sed dicendum*, hanc suspensionem ipso facto incurri, saltem quando scienter ita quis ordinatus est. Ita Sylv. *V. Irregularitas qu.* 11. Host. *Summ. hic §.* 1. Sot. *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 3. Navar. *Man. c.* 27. *num.* 242. Suar. *de Censur. D.* 31. *sect.* 1. *num.* 45. *& seqq.* qui hoc colligit ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *de reform.* ubi permittitur Episcopo potestas cum eo, qui per saltum promotus est, si non ministraverit in eo Ordine, dispensandi ex causa legitima; non autem permittitur ipsi potestas dispensandi, ut ascendat ad superiores Ordines, vel in eo, quem ita per saltum suscepit, ministret, antequam prætermissum recipiat; quia utrumque prohibitum est ex natura rei, supposita institutione talium Ordinum: ergo potestas dispensandi Episcopo data solùm terminari potest ad hoc, ut possit Ordinem prætermissum ita ordinatus recipere, & sic in suscepto ministrare, atque ascendere ad superiorem Ordinem; conf. supponit Concilium hoc ipsi prohibitum esse ipso facto: quod non est, nisi per Censuram suspensionis.

10 Quæritur 5. an Suspensionem istam incurrat etiam is, qui omissa prima Tonsura, ascendit ad minores Ordines? Videtur non incurrere; quia prima Tonsura secundùm dicta *Libr.* 1. *Tit.* 11. *num.* 3. non est Ordo. Sed etsi Ordo non sit, est tamen primus gradus, & quasi fundamentum Ordinum, ad quos disponit, & capaces fideles efficit.

11 *Quare dicendum* à sic ordinato Suspensionem incurri, ut exequi Officium Ordinum sic susceptorum nequeat, donec primam Tonsuram recipiat. Ita Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 47. *n.* 7. *& in c. un. tit. n.* 5. Sperell. *decis.* 114. *à n.* 17. Pirhing *hic n.* 7. Vviestner *n.* 5. Reiffenstuel *nu.* 6. & declaratum est à *S. Congr. Cardd. Trid. Interpp.* teste Gallemart. *ad Trid. c.* 14. *cit. n.* 4.

12 Quæritur 6. an suspensus etiam sit, qui ad minores Ordines promotus est ante receptum Sacramentum Confirmationis? Videtur suspensionem incurrere, ob paritatem cum Baptismo, ante cujus susceptionem siquis susceperit Ordinem, in eodem ministrare nequit.

Sed lata inter Baptismum, & confirmationem disparitas est: nam ille, cùm omnium Sacramentorum janua sit, ad valorem Ordinis suscepti requiritur; non ita requiritur Confirmatio: igitur cùm nullo Jure expressum sit, quòd Suspensionem incurrat, qui Confirmatione non suscepta est ordinatus.

13 Dicendum, non incurrere. Ita Ugolin. *de Irregul. c.* 38. §. 1. Henriquez *l.* 14. *cap.* 6. *num.* 3. Sayr. *l.* 7. *c.* 9. *fin. num.* 42. Suar. *tom.* 3. *de Sacram. p.* 3. *D.* 38. *sect.* 3. Filliuc. *tr.* 20. *num.* 205. Avil. *de Censur. p.* 7. *D.* 9. *sect.* 1. *dub.* 3. Bonac. *de Irregul. D.* 7. *quæst.* 3. *p.* 4. *num.* 8. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 17. *num.* 2. Zoes. *hic num.* 5. Pirhing *n.* 10. Vviestner *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 7. Imò Navar. *Man. cap.* 22. *num.* 9. Henriq. *num.* 3. *cit.* cùm aliis modo allegatis satis probabiliter existimant non peccare mortaliter eum, qui non suscepto Sacramento Confirmationis, suscipit Ordinem, vel in suscepto ministrat; quia licèt Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. *de reform.* velit, ut priùs suscipiatur Sacramentum Confirmationis, non tamen hoc, saltem sub gravi præcipit.

14 Quæritur 6. quis dispensare possit in pœnis, ob Ordines per saltum susceptos contractis? Resp. si per saltum ordinatus in Ordine ita suscepto, vel prætermisso non ministravit, potest dispensare Episcopus in Suspensione, quatenus in Ordine per saltum suscepto ministrare valeat, ita tamen, ut priùs Ordinem omissum recipiat *cap. un. h. tit.* & Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *de reformat. fin.* Engl. *hic vers. præterea.* Pirhing *num.* 4. *coroll.* 2. Reiffenstuel *numer.* 8.

15 Contrà non potest dispensare Episcopus cum sic promoto per saltum 1. ut ascendat ad superiores Ordines, antequam inferiorem prætermissum receperit; quia id repugnat primæ institutioni Ordinum, adeoque Juri Divino adeò, ut nec Pontifex in eo videatur dispensare posse. Suar. *de Censur. D.* 31. *sect.* 1. *n.* 4. Pirhing *hic n.* 5. *not.* 3. 2. ut ante susceptum Ordinem prætermissum possit ministrare in Ordine per saltum suscepto; quia hoc est per se malum, & prohibitum quasi ex natura rei, supposita institutione talium Ordinum. Suar. Pirhing *l. citt.* 3. denique dispensare Episcopus nequit cum eo, qui in Ordine per saltum suscepto, vel prætermisso ministravit; quia Trid. potestatem dispensandi Episcopo concedit sub conditione, *Si non ministraverit.*

Quare solum Episcopus cum ita per saltum promoto dispensare potest ad hunc effectum ut recipiat Ordinem prætermissum, & deinde in illo ministret, & ad superiorem ascendat, modò stante ista suspensione non ministraverit in Ordine per saltum suscepto, vel in prætermisso, vel hunc sine dispensatione receperit; tunc enim, saltem quando delictum publicum, & notorium est, pro Dispensatione recurri ad Papam debet. *Ratio est*, quia incurrit novum genus Suspensionis, & præterea Irregularis efficitur ob violationem Censuræ, à qua, saltem quando delictum est publicum, dispensare alius præter Papam non potest. Barbos. *alleg.* 47. *cit. num.* 11. Vvagnereck *in Exeg. cap. un. h. tit.* Pirhing *hic num.* 5. *not.* 2. 16

Quæritur 7. an Episcopus dispensare possit etiam cum scienter promotis per saltum, si non ministraverunt? Negat Fagnan. *in cap. un. h. tit. num.* 24. *&* 25. cum ita promotis etiam hodie dispensare Episcopum posse; quia cùm Jus commune antiquum distinguat inter promotum per saltum scienter, vel ignoranter, ut patet ex *c. un. h. tit.* quod loquitur de ordinato per saltum ignoranter, & ante annos discretionis; & ex *can. un. dist.* 52. ubi sermo est de eo, qui ex negligentia seu ignorantia potiùs quàm ex superbia, Subdiaconatu postposito, ad Diaconatum, & Presbyteratum cognoscitur ascendisse, idcirco idem Fagnanus putat eodem modo distingui debere Decretum Trid. quòd juxta commune axioma Lex nova, disponens in materia antiqua, omnes interpretationes, & limitationes recipiat, quas illa materia recipiebat à Legibus antiquis, quamvis Lex nova loquatur generaliter. 17

Contrà Suar. *de Censur. D.* 31. *sect.* 1. *nu.* 47. *fin.* Barbos. *alleg.* 47. *cit. n.* 6. Pirhing *hic num.* 6. docent, potestatem hanc dispensandi post Trid. competere Episcopo, sive scienter, sive ignoranter promotus aliquis per saltum fuerit, modò Suspensionem per ministrationem in Ordine ita suscepto vel prætermisso non violaverit; quia Concilium non distinguit, utrùm scienter, & ex ambitione, aut malitia, an verò ex negligentia, vel ignorantia sic aliquis ordinatus fuerit: sed simpliciter, & indistinctè dicit posse dispensare Episcopum. Neque obest, quamvis delictum sit publicum; quia Concilium facultatem dispensandi non limitavit ad delictum occultum. Gonzal. *in c. un. h. tit. n.* 6. Konig *hic n.* 2. 18

Ex quo sequitur discrimen inter sic promotum, qui ministravit, & inter eum, qui non ministravit in Ordine per saltum suscepto; nam prior dispensari non potest ab Episcopo, sive scienter, & dolosè, sive ex ignorantia sic ordinatus fuerit; quia Concilium hoc casu potestatem dispensandi Episcopo indistinctè negat. Suar. Barbos. Pirhing *l. citt. Excipitur*, nisi delictum occultum sit; nam si occultum sit, tam in Irregularitate, quàm in Suspensione à sic ordinato contracta dispensare valet Episcopus vi Concil. Triden. *sess.* 24. *c.* 6. *de Reform.* ibi, *Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, --- dispensare.* Gonzal. *l. cit. n.* 6. Engl *hic vers. præterea.* Pirh. *n.* 6. Konig. *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 10. 19

TITULUS XXX.

De eo, qui furtive Ordinem suscepit.

SUMMARIUM.

1 *Quinam dicantur furtivè suscipere Ordines?*
2 *An valeant ita furtivè suscepti?*
3 4 5 *Quid si præmissa est ab Episcopo protestatio tales non ordinandi?*
6 &c. *Pœna suscipientis furtivè Ordines.*
10 &c. *Causæ à pœnis his excusantes.*
12 &c. *Quis relaxare has pœnas possit?*

Deni-

DEnique circa Ordines delinquunt Clerici, qui illos suscipiunt furtivè.

1 Quæritur 1. quinam dicantur *furtivè suscipere Ordines*? Resp. ita suscipere Ordines dicitur 1. qui absque licentia, & consensu Episcopi vel sine prævio Examine, & approbatione dolosè, & Ordinatore ignorante se ordinandis immisceat *can. quando* 5. *dist.* 24. *can. extra* 5. *dist.*64. *& c. veniens* 1. junct. Gloss. *V. furtivè h. tit.* Abb. *ad Rubr. h. tit.* Host. *Summ. eod. n.* 1. Barbos. *in cap.* 1. *cit. num.* 6. Gonzal. *in c. fin. eod. n.* 2. Vallens. *hic nu.* 1. Pirh. *num.* 1. Konig *num.* 1. 2. qui ad Ordines minores admissus, eadem die recipit, Subdiaconatum *cap. cùm H.* 2. *h. tit.* Vallens. Pirhing, Konig. *l. citt. Excipitur*, nisi alicubi consuetudine obtentum sit, ut eadem die Minores Ordines cum Subdiaconatu conferatur, quæ consuetudo in pluribus locis viget, & à DD. communiter approbatur apud Barbos. in Trident. *sess.* 23. *cap.* 12. *de reform.* 3. qui contra Superioris inhibitionem eodem tempore dolosè recipit duos Majores Ordines *cap. fin. h. tit.* Engl *hic pr.* Vallens. *num.* 1. Vviestner *nu.* 1. Reiffenst. *num.* 2.

2 Quæritur 2. an valeant Ordines furtivè, præsertim primo modo suscepti? *Rationem dubitandi* faciunt verba, quæ in collatione Ordinum ab Episcopis, vel eorum nomine ab Officialibus præmitti solent, quibus is protestatur, se *non intendere ordinare non examinatos, aut approbatos*. Sed Argumentum hoc ad summum probat, quòd Ordo ita susceptus valore careat, quando Ordinans protestationem ejusmodi præmisit. Secus dicendum, si non præmisit; tum enim habendus est pro valido, cùm nusquam constet esse irritum. Abb. *in cap. veniens* 1. *h. tit. n.* 1. *not.* 2. Pirhing. *hic n.* 5. *not.* 5. Reiffenstuel *n.* 3. & sumitur ex *c. veniens cit.* ubi furtivè ordinatus non ampliùs jubetur reordinari, & sublata Censura, quam incurrit, permittitur ministrare, manifesto argumento, Ordinem furtivè collatum valere. Dixi *ad summum*; nam ulterius.

3 Quæritur 3. an Ordo furtivè susceptus valeat, quando Ordinans protestationem ejusmodi præmisit? *Certum est*, valore destitui, si revera Ordinans habeat intentionem tales non ordinandi, nisi hanc intentionem postea corrigat. Rebuff. *prax. Benef. tit. de Cler. ad Ord. mal. promot. Gloss.* 4. *n.* 19. Pirh. *hic num.* 5. Vviestn. *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 4. nam si postea nihilominus habeat intentionem ordinandi omnes præsentes, vel faciat intentionem generalem faciendi circa personas sibi præsentes, quod facit Ecclesia, talis intentio priori prævalet, & collationem Ordinis etiam furtivè suscepti validam reddit. Et talem intentionem ab Ordinante subjungi communiter docent Heriq. *l.* 2. *c.* 8. *num.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 5. *c.* 4. *num.* 6. Bonacin. *de Sacram. D.* 2. *q.* 2. *p.* 4. *num.* 6. Lugo *de Sacram. D.* 8. *num.* 119. Imò aliqui apud eundem Lug. *l. cit.* putant, hujusmodi protestationes ab Ordinariis adjectas præsumi potiùs animo absterrendi sic volentes furtivè ordinari, quàm animo non ordinandi, quòd habere præsumantur intentionem absolutam ordinandi omnes præsentes.

4 Verùm hoc dicere non audet Reiffenstuel *hic nu.* 6. quia Episcopus, si revera vult, omnino potest habere intentionem seriam non ordinandi: conf. si contrarium non manifestat verbis, censetur eam in dubio seriò habuisse, *arg. l. Labeo* 7. *§. Servius* 2. *ff. de Supell. legat.* ibi: *Nemo existimandus est dixisse, quod mente non agitaverit*; *& l. generaliter* 13. *Cod. de non num. pecun.* ibi, *Nimis enim indignum judicamus, quod sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere*. Quare subsequens intentio ordinandi præsentes non censebitur afficere, nisi eos, qui prævia seria voluntate non fuerunt exclusi. Hinc idem Reiffenstuel *n.* 7. putat, non solùm tutius, sed etiam probabilius, conf. amplectendum, casu, quo Episcopus veram, & seriam intentionem præmittit, & notificat non ordinandi certas personas, illos, qui furtivè se ingerunt, validè non ordinari: ac proinde Ordinem sic susceptum repetendum.

5 Quidquid sit, consultum, prout DD. notant, nequaquam est, ut Episcopi intentionem, & protestationem præmittant tales, vel tales non ordinandi; tum quia hoc est difforme ritibus, & praxi universalis Ecclesiæ; tum quia secum trahit gravissima incommoda, & pericula, quæ ex dubia, & irrita Ordinatione oriuntur: quamvis consultum, & Juri conforme sit, ut sub Excommunicatione prohibeatur, ne se ingerant non approbati, vel ne aliqui plures Ordines eadem die furtivè recipiant *arg. c. veniens* 1. *& seqq. h. tit.* Reiffenstuel *n.* 8.

Quæritur 4. quas pœnas incurrant furtivè suscipientes Ordinem? Resp. 1. incurrunt Suspensionem ab executione Ordinum sic susceptorum. Engl *hic vers. pœna*. Konig *n.* 2. Reiffenst. *n.* 9. & patet ex *c. fin. h. tit.* ubi sic ordinatus prohibetur ministrare in Ordinibus sic susceptis. 6

2. Si susceptionem hujusmodi Episcopus prohibuit sub Excommunicatione, tanquam excommunicati suspenduntur ab executione etiam cæterorum Ordinum rite susceptorum. Abb. *in c. fin. cit. n.* 4. Pirhing *hic nu.* 2. 4. *&* 9. Vviestner *num.* 4. Reiffenstuel *num.* 9. & patet ex *Tit.* 27. *supra*. 7

3. Ex sententia Abb. *in c.* 2. *h tit. not.* 2. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 241. Engl *vers. pœna h. tit.* Reiffenstuel *ibid. num.* 10. & aliorum, contrahunt Irregularitatem, quod Ordinem suscipiant ligati Censura: cujus suæ doctrinæ fundamentum accipiunt ex *cap. veniens h. tit.* ubi statuitur, quòd ita ordinatus furtivè nequeat etiam dispensativè ad altiores Ordines promoveri: quod est præcipuus effectus Irregularitatis, teste Covar. *in Clem. si furiosus pr. nu.* 1. 8

Ego cum Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 3. *num.* 1. Bonacin. *D.* 7. *de Irreg. q.* 3. *p.* 4. *num.* 6. Barbos. *in c.* 1. *h. tit. num.* 5. Gonzal. *in c. fin. eod. num.* 2. *fin.* Vviestner *hic num.* 4. Irregularitatem incurri credo tunc solùm, quando susceptio furtiva prohibita ab Episcopo antecedenter fuit sub Excommunicatione, non verò, si alio modo; nam Jura *citt.* solùm dicunt, quòd ita ordinatus ministrare nequeat in susceptis, quo modo loquendi Suspensionem significari observat Pirhing *num.* 3. & ex eo Vviestner *nu.* 5. *fin.* Quòd verò durante hac Suspensione, per furtivam susceptionem Ordinum incursa, non possit ascendi ad Superiorem Ordinem, non Irregularitatis, sed Suspensionis etiam effectus est, cùm omnis Censura talem ascensum prohibeat Censurato. 9

Quæritur 5. quænam causa furtivè promotum excuset à suspensione hactenus declarata? Resp. ab ea excusat ignorantia, quæ excusat à peccato mortali; cùm enim Suspensio hæc imponatur tanquam pœna, necessariò supponit culpam, & quidem gravem, cùm gravis pœna sit. Suar. *de Censur. D.* 31. *sect.* 1. *n.* 59. Zoes. *hic nu.* 4. Pirh. *ibid. num.* 4. 10

Ob eandem rationem non incurrit Suspensionem istam per vim, aut metum gravem furtivè ordinatus; quia metus gravis, & justus excusat à culpa. Suar. *num.* 60. Zoes. *num.* 5. Pirhing *l. cit.* modò metus iste incussus non fuerit in contemptum prohibitionis ab Ecclesia factæ. *Conf.* à pari; nam ut *Tit.* 27. *n.* 11. dixi, propter metum mortis, aut gravis infamiæ potest aliquis Censura ligatus, secluso scandalo, & contemptu Religionis, se immiscere Divinis: ergo propter eundem etiam poterit furtivè suscipere Ordinem sine periculo Suspensionis propterea incurrendæ. 11

Quæritur 6. quis possit relaxare pœnas, ob furtivam Ordinum susceptionem incursas? Resp. distinguendo: Vel enim talis susceptio antecedenter prohibita fuit sub Excommunicatione, vel non? *Si hoc posterius*, cum sic ordinato dispensare potest Episcopus *c. veniens* 1. *& c. seq. h. tit.* Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 17. *nu.* 4. Vivian. *in c.* 1. *pr. h. tit.* Vvagnereck *ibid. not.* 2. Barbos. *nu.* 1. Vallens. *hic nu.* 2. Pirhing *num.* 5. *&* 7. *vers. additur*. Konig *nu.* 2. Reiffenstuel *num.* 12. 12

Si prius, interest, an sic ordinatus intret Religionem, an verò maneat in sæculo. *Si primum*, & ibidem aliquamdiu laudabiliter vivat, cum eodem, ut in susceptis ministrare, & ad superiores promoveri valeat, dispensare iterum potest Episcopus, vel etiam Abbas ipsius, juxta *c. cit. Si secundum*, dispensatio soli Papæ competit, ex *textibus allegatis*, nisi delictum esset occultum; hoc enim casu dispensare posset Episcopus ex concessione Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* Palao *nu.* 4. *cit.* Barbos. *nu.* 1. *&* 2. Vallens. *n.* 2. Engl. *vers. competit*. Pirh. *n.* 2. *&* 5. *not.* 5. Konig. *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 13. 13

TITU-

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.

SUMMARIUM.

1 2 3 *Quomodo Episcopi, & his Superiores delinquant in inferiores sibi subjectus?*
4 *Quomodo Prælati inferiores?*
5 *Quomdo subditi in suos Prælatos?*
6 *De unione Ecclesiarum, ædificatione Monasteriorum &c. remissivè.*

HUcusque egimus generaliter de Delictis Clericorum: nunc specialiter agendum de quibusdam, quæ Prælati committunt in Subditos, & isti in suos Prælatos.

Quæritur 1. quomodo Episcopi, & his superiores delinquant in inferiores sibi subditos? Resp. hoc variis modis fieri posse. Et 1. quidem, si eos gravent indebitis oneribus, & exactionibus novis, vel si vexent Censuris, & aliis pœnis indebitè inflictis, aut viliter, & inhonestè tractent, ut aliis, etiam Laicis, sint despicatui *c. pervenit* 1. *h. tit.* 2. si eorum Jura, immunitates & Jurisdictionem, privilegio, vel consuetudine legitimè præscripta ipsis competentem, diminuant, aut tollant, vel Ecclesias ipsis subjectas iisdem eripiant *c. adhæc* 2. *eod.* 3. si Ecclesias, vel Beneficia, quorum ordinatio, vel collatio ad eos spectat, sibi retineant, vel sibi ipsis conferant *c. ad aures* 3. *eod.* 4. si beneficia conferant indignis *cap. inter dilectos* 11. *eodem* de qua materia vide *Libr.* 1. *Tit.* 6. *num.* 19. *cum duob. seqq. & Tit.* 14. *à num.* 36. 5. si directè, vel indirectè causam præstent homicidio; eo enim commisso, fiunt Irregulares, ita, ut privari debeant Officio Pontificali, & Sacerdotali, & ab Episcopatus administratione amoveri *cap. ex litteris* 10. *h. tit.* 6. si Sacerdotes sibi subjectos cogant ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in Confessione Sacramentali *c. dilectus* 13. *eod.*

2 7. Si sub dictis suis privilegiatis aliquid præcipiant, aut interdicant contra tenorem Privilegiorum Apostolicorum *cap. sanè* 5. *h. tit.* ubi etiam conceditur, quòd hujusmodi indebito Episcopi mandato gravati Prælati Regulares authoritate Apostolica obedientiam denegare possint; item *c. cum ad quorundam* 7. *eod.* ubi declaratur, Excommunicationem latam contra subditum, quia non paret contra privilegium, esse ipso Jure nullam; & denique *c. nimis* 16. & 17. junct. *Clem. un. eod.* ubi plures excessus, & gravamina, Monasteriis, & Regularibus, præsertim FF. Prædicatoribus, & Minoribus illata, summatim referuntur. Ratio decisionis est, quia etiam Episcopi aliique Prælati, seu Superiores tenentur libertates, seu immunitates inferioribus Ecclesiis, vel Clericis Sæcularibus, aut Regularibus à Papa concessas, conservare, cùm inferior tollere legem Superioris nequeat *cap. cum inferior* 16. *de major. & obed.*

3 Fatendum tamen, quòd in nonnullis casibus Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, non obstantibus Regularium privilegiis, possint procedere contra illos vi Concilii Trid. per quod, uti etiam per aliquot Constitutiones Pontificias quædam illorum privilegia fuerunt revocata: quænam autem illa sint, dictum est *Lib.* 1. *Tit.* 31. *de Offic. Judic. Ordin. n.* 30.

4 Quæritur 2. quibus modis excedant Prælati Episcopis inferiores? duplex hoc *Tit.* maximè eorum excessus refertur, quibus ex iis, quæ dicta sunt *Lib.* 3. *Tit.* 35. *à n.* 38. accedit tertius, specialis Prælatorum Regularium. 1. cùm Ecclesias sibi subjectas uniunt, authoritate propria *cap. sicut unire* 8. *h. tit.* de qua Unione, quomodo, & à quo, quaque ex causa fieri possit, dictum *Libr.* 3. *Tit.* 5. *à num.* 150. 2. cùm sibi vendicant concessionem Indulgentiarum, publicarum Pœnitentiarum impositionem, & cognitionem causarum Matrimonialium, si hoc faciant, secluso privilegio, & consuetudine legitimè præscripta *cap. accedentibus* 12. *hoc tit.* 3. cùm Prælati Regulares contra formam, à Jure, & Constitutionibus Pontificiis præscriptam, ædificant Monasteria: de qua materia vide *Libr.* 3. *Tit.* 36. *à numer.* 28.

5 Quæritur 3. quot modis subditi peccent in suos Prælatos? Resp. 1. quando Festivitates ab Episcopo indictas, aut Censuras, & Interdicta ab iisdem promulgata non observant; nam in his etiam Regulares Exempti parere debent Episcopo *c. fin. h. tit.* Trid. *sess.* 25. *c.* 12. *de Regular.* & dictum est *Libr.* 1. *Tit.* 31. *num.* 30. *vers. quintò tenentur cum seqq.* 2. si contra fidem Episcopo datam eundem negent esse dominum suum, illumque trahant ad Judicium Sæculare, aut invadant; id enim agens deponendus, seu Officio, & Beneficio privandus est *c. gravem* 15. 3. quando Beneficiati sibi in Beneficio mutant causam possidendi, sicut fieret, si Vicarius sibi arrogaret personam, & titulum Rectoris principalis: quod faciens tanquam perjurus, & infamis ab Officii sui executione est amovendus *cap. illud* 6. 4. quando plures Clerici sine consensu Prælati sibi faciunt, & usurpant commune Sigillum, aliaque Collegiorum jura *c. dilecta* 14. quia licèt sint ejusdem Ecclesiæ Beneficiati, non tamen constituunt unum Corpus, sive Collegium, vel Capitulum, nisi ita ordinatum sit in prima fundatione, vel postea privilegio, aut præscriptione obtentum. 5. quando violantur Clausuræ Monialium, & Monasteriorum per ingressum, vel egressum sine licentia: de quo vide *Lib.* 3. *Tit.* 35. *de Stat. Monachor. à numer.* 98.

Disputant hìc aliquid de Unione Ecclesiarum, & Be- 6
neficiorum, de Monasteriorum ædificatione, de Religiosorum, & Monialium è Monasteriis suis egressu, & aliorum in ea ingressu. Sed de primo, ut *nu.* 4. monui, jam dictum est *Lib.* 3. *Tit.* 5. *à n.* 150. de Secundo *Libr. eod. Tit.* 36. *à n.* 28. de tertio, & quarto *Lib. cit. tit.* 35. *à n.* 98. Unde opus non est de his plura disserere.

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione.

SUMMARIUM.

1 *Quid sit Nuntiatio Novi operis?*
2 &c. *Quis nuntiare illud possit?*
8 &c. *Cui?*
12 *Quo tempore?*
13 *Quo loco?*
14 *Ex quibus causis?*
15 &c. *Quot modis fieri nuntiatio possit?*
19 &c. *Requisita, ut ritè fiat.*
22 &c. *Effectus nuntiationis ritè factæ.*
29 &c. *Quibus casibus vim non habeat.*
36 &c. *An quilibet in fundo suo ædificare valeat, quidquid, & quo modo ipsi placuerit?*

DElinquere aliquando tam Prælati, quàm subditi solent Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca, aut domos ædificando in damnum, vel præjudicium vicinarum vel aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum &c. quod facientibus occurritur per *Novi operis nuntiationem*.

Quæritur 1. quid sit *novi Operis Nuntiatio*? Resp. est 1
legitima prohibitio, ne Ecclesia, Monasterium, vel aliud novum opus extruatur aut extructum, fenestra alicubi aperta, nova malè imposita &c. immutetur, vel in cœpta constructione, aut mutatione pergatur, donec constiterit de ædificantis jure, aut præstita sit eo nomine satisdatio *l. hoc Edicto* 1. §. *opus novum* 11. *ff. h. tit.* Host. *Summ. hic num.* 1. Wesenbec. *ff. eod. num.* 6. Zoes. *ff. ibid. n.* 2. Gonzal. *in c.* 4. *hic num.* 3. Pirhing *num.* 1. Wiestner *num.* 1. De hac agitur etiam in Jure Civil. *ff. & Codic.* cujus Leges Papa quoad hoc observari vult etiam in Ecclesiis, aliisque piis locis, post novi operis nuntiationem ædificatis *c. intelleximus* 1. *h. tit.* ubi inter alia dicitur, quòd, *sicut Leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita & SS. Statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuventur.* Ex quo desumitur illud axioma Juris receptum, quòd Jus Canonicum, & Civile sibi invicem succurrant, & quæ in uno desiderantur, ex altero suppleri possint, ac debeant. Engl *hic n.* 2.

Quæritur 2. quis nuntiare novum opus possit? Resp. 2
distinguendo; nam nuntiari novum opus potest vel circa res publicas, vel circa privatas. *Circa res publicas*, & quando ædificium fit in præjudicium boni publici, nuntiare novum opus possunt omnes de populo *l. in provinciali* 3. §. *fin. & l. seq. ff. h. tit.* quo casu si multi nuntient idem

idem opus novum, Judex ex iis seligit magis idoneum, ut causam hanc prosequatur, ut notat Gloss. *in §. fin. cit.* & habetur *l. si plures 2. ff. de popular. act.* Non admittitur tamen 1. Pupillus, nisi simul sua intersit *l. de pupillo 5. pr. ff. h. tit. & l. mulieri 6. ff. de popul. act.* 2. Mulier *l. mulieri cit.* juxta quam mulier universim à populari actione excluditur, nisi cùm ad eam res pertinet. 3. infamis; quia, ut *l. popularis 4. ff. de popul. act.* dicitur, *Popularis actio integra personæ permittitur, hoc est, cui per edictum postulare licet.*

3 *Circa res privatas*, & ad commodum privatum nuntiare novum opus potest 1. is, ad quem pertinet res illa, cui damnum imminet *l. hoc edicto 1. §. Juris nostri 19. ff. h. tit.* vel qui prætendit, eam ad se pertinere, esto, verè ad ipsum non pertineat *l. hoc edicto cit. pr.* nuntiatio enim per ipsum facta non minùs impedit, ne opus fiat, donec pronuntietur, nuntiantem ad hoc nullum jus habere, ac si verè res illa ad ipsum pertineret. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 706. nu. 23.* ubi tamen addit, casu, quo nuntians scit, se verè jus nullum habere ad impediendum opus, cùm tali casu nuntiatio operis fit materialiter, & formaliter injusta, nuntiantem teneri ad omnia damna, cum lucri cessantis, ex ea nuntiatione secuta. Non autem interest, an nuntians sit, vel prætendat dominium proprietatis in re, an verò dominium duntaxat utile; nam etiam, nuntiare potest, qui utile tantùm dominium habet, ut Feudatarius, Emphyteuta, quin & Superficiarius *l. in provinciali 3. §. si ego 3. ff. hoc tit.* imò etiam Creditor, cui prædium nomine Hypothecæ subjectum est *l. creditori 9. ff. eod.* Molin. *nu. 24. & 26.* cum aliis.

4 2. Nuntiare novum opus potest habens servitutem realem in fundo, in quo de novo ædificatur *§. si ego cit. l. de pupillo 5. §. sed & si 8. & §. seq. ff. eod.* saltem Urbanam; imò & Rusticam *l. non solùm 8. pr. ff. tit. cit.* cùm utriusque juri ædificando noceatur. Host. *Summ. hic n. 5.* Molin. *l. cit. n. 24.* Zoes. *hic n. 6.* Pirhing *nu. 5.* Secus est de eo, qui merum Usumfructum, aut aliam servitutem merè personalem habet in tali re; nam iste nuntiare non potest novum opus adversus dominum ejusdem prædii, si aliquid ædificare attentet, in quo præjudicet Usufructui, neque nomine proprio, neque procuratorio alicujus alterius: sed solùm potest agere actione confessoria adversùs eum ad vindicandum Usumfructum, & simul ad interesse si quod ei nocumentum secutum est in suo Usufructu ex tali ædificio *l. si autem 2. junct. l. hoc edicto 1. §. fin. ff. h. tit.* Molin. *n. 25.* Pirhing *n. 5.* Konig *n. 3.*

5 3. Nuntiare potest validè novum opus ad suum privatum commodum Pupillus, etiam sine authoritate Tutoris, quando non est in possessione rei, ob quam nuntiat; quia id in suum commodum cedere potest, & in nullum ejus detrimentum. Si autem sit in possessione rei, ob quam nuntiat; validè quidem nuntiat per Judicem, aut jactu lapilli quia id similiter cedere potest in ejus commodum, & in nullum ipsius incommodum: valent autem, quæ agit Minor in suum commodum sine Tutoris authoritate. Solis autem verbis tunc nuntiare sine authoritate sui Tutoris nequit; quia eo ipso amitteret possessionem, prout dicetur *infrà nu. 18.* ac proinde talis nuntiatio cederet in ipsius detrimentum *l. de pupillo 5. pr. ff. h. tit.* Molin. *n. 28.*

6 4. Nuntiare potest filius, mancipium, mercenarius, negotiorum gestor, qui negotiis ejus, cujus nomine nuntiatur, fit expositus; item Procurator, & amicus, non tamen proprio nomine, sed alieno illius, qui authoritate sua propria posset *l. hoc edicto §. nuntiationem 3. ff. h. tit.* modò caveant de rato, h. e. eum, cujus nomine nuntiant, ratam eam nuntiationem habiturum *l. de pupillo 5. §. qui procuratorio 18. ff. eod. Excipitur*, si Procurator haberet speciale mandatum ab eo, cujus nomine nuntiat; tunc enim non esset necesse, ut de rato caveat, cùm hoc ipso constet ratum id habere illum, cujus nomine nuntiat. In cæteris relatis nullum mandatum requiritur; nam si mandatum haberent, personam Procuratoris induerent: sufficiet ergo, si de rato caveant. Molin. *n. 29.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 6.*

7 5. Denique nuntiari opus novum potest à quovis, cujus interest, ne hujusmodi opus novum fiat. Gonzal. *in c. 4. cit. num. 6.* Vallens. *hic num. 3.* Konig *num. 3.* Reiffenstuel *num. 8.* argum. *l. hoc edicto cit. §. nuntiatio 10.* Neque necesse est, ut is, qui ita nuntiat propter suum interesse, habeat mandatum ab alio, vel adhibeat authoritatem Judicis, juxta, *l. citat. §. nuntiatio 2.* ibi, *Nuntiatio ex hoc edicto non habet necessariam Prætoris aditionem; potest enim nuntiare quis, etsi eum non adierit.* Reiffenst. *n. 8.*

8 Quæritur 3. cui nuntiari novum opus possit? Resp. potest nuntiari cuivis, seu contra quemcunque, etiam proprium Superiorem suum, in præjudicium alterius novum opus molientem facere *l. non solum 8. pr. ff. hoc. tit.* ibi, *Non solum proximo vicino, sed etiam Superiori opus facienti nuntiare opus novum potero:* idque vel mediatè, vel immediatè; adeoque non solum ipsi domino, opus novum inchoanti, sed etiam isto absente, & ignorante, in loco novi operis præsentibus v. g. fabris, opificibus, servis, vel aliis quibuscunque tandem, etiam mulieribus, qui domino referre valent nuntiationem factam, nuntiatio fieri potest, dummodo in, vel prope locum novi operis fiat, ut per hoc dominus rescire possit, per textum expressum *l. de pupillo 3. §. nuntiari 3. ff. h. tit.*

9 *Neque refert* 1. quis sit iste, qui in re præsenti fuerit, & cui nuntiatum est, ut *§. nuntiari citat.* dicitur; quia nuntiatio fit in rem, sive rei, non personæ *l. operis 10. ff. eod.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. n. 2.* Engl *hic nu. 2. vers. hæc nuntiatio.* Pirh. *nu. 6.* Reiffenstuel *n. 13.* adeo, ut etiam fieri possit infanti, & furioso, rationis usum non habentibus; nam contra istos vim habet, etsi non adsit Tutor, vel Curator illorum: modò tamen facta sit in præsentia fabri aut alterius intelligentis, qui operi insistant, agentes rem ita carentium usu rationis; alioquin contra carentes usu rationis vim non habebit. Molin. *D. 706. n. 19.*

10 *Non refert* 2. quale sit ædificium, an profanum, an verò pium, aut sacrum v. g. Ecclesia: item in quo loco id fiat, an in publico, vel privato, sacro, aut religioso, an profano &c. nam etiam contra ædificantem Ecclesiam, aut molientem opus in via publica nuntiatio fieri potest *c. cum ex injuncto 2. h. tit.* & *l. hoc edicto 1. §. hoc autem 1. ff. eod.* ibi, *in loco sacro, religiosove, & -- in flumine publico, ripave publica.* Et hinc *capit. intelleximus 1. hoc. titul.* conceditur novi operis nuntiatio contra ædificantem Capellam in præjudicium Parochialis Ecclesiæ: imò contra ædificantes quamcunque Ecclesiam in præjudicium alterius; *quia*, ut *ibi* dicitur *nulla Ecclesia in præjudicium est alterius construenda.* Intellige, nisi id fiat ex justa causa per Episcopum cognita, & approbata, eoque permittente, v. g. ob numerositatem populi, amplitudinem Parochiæ &c. Vivian. *in capit. intelleximus citat. pr.* Barbos. *ibid. num. 1.* Fagnan. *in capit. cum ex injuncto cit. num. 1.* Wagnereck *ad Rubr. h. tit. n. 2.* Pirh. *hic n. 3.* Konig *nu. 8.* Reiffenst. *num. 15. & seqq.*

11 *Non refert* 3. utrum Jure, vel injuria, seu injustè nuntiatio fiat; nam locum nuntiatio habet etiam contra eum, qui jus ædificandi habet, quando istud non est notorium. Molin *tr. 2. de J. & J. D. 706. nu. 1. & 2.* Gonzal. *in c. 4. h. tit. n. 7.* Barbos. *in c. 1. n. 1.* & *in c. 3. n. 2.* Engl *hic num. 3.* Pirh. *num. 8.* Reiffenst. *nu. 19.* Sumitur ex *cap. intelleximus cit.* Ratio datur *l. Prætor ait. 20. §. interdictum 1. ff. h. tit.* ibi: *Qui igitur facit, etsi jus faciendi habuit tamen contra Interdictum Prætoris facere videtur, & ideo hoc destruere cogitur. Conf.* 1. quia is, cui facta est nuntiatio operis, potest se tueri via juris adeundo Judicem, & petendo ab eo remissionem operis: si ergo istud non fecerit, sed processerit via facti, ac perrexerit ædificare, contemnere videtur authoritatem Prætoris, & ideo, etiamsi jus ædificandi habuerit, meritò opus postea factum demoliri cogitur. *Conf.* 2. quia si post novi operis nuntiationem licitum esset ædificanti excipere, se jus ædificandi habere, idque probare paratum esse, denuntians verò hoc negaret, orirentur rixæ, & facilè deveniretur ad arma.

12 Quæritur 4. quo tempore, quo loco, & ex quibus causis fieri novi operis nuntiatio possit? Resp. potest fieri quavis die *l. hoc edicto 1. §. item nuntiatio 4. ff. hoc tit.* adeoque etiam tempore sacro, & feriato. Gloss. *in §. cit. vers. omnibus diebus.* Molin. *tr. 2. D. 706. num. 18.* Pirhing. *hic num. 7. Resp.* 2. Reiffenstuel. *ibid. num. 12.* Ratio est, quia extra jus, sive Judicium fieri potest: & quamvis interdum adeatur Prætor, seu Judex, non tamen proceditur per causæ cognitionem, Judice sedente pro

pro Tribunali, sed de plano tantùm. Zœs. *ff. h. tit. num.* 21.

13 *Locum* quod attinet, necesse est, ut nuntiatio fiat, vel prope locum, ubi fit, vel intenditur novum opus *l. de pupillo* 5. §. *nuntiationem* 2. *ff. tit.* ibi, *Nuntiationem autem in re præsenti faciendam meminisse oportebit, i. e. eo loci, ubi opus fiat, sive quis ædificet, sive inchoet ædificare.* Molin. *n.* 20. Gonzal. *in c.* 4. *hoc. tit. n.* 3. Pirhing. *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 12.

14 Causæ, ex quibus novi operis nuntiatio fieri potest, tres enumerantur; potest enim fieri vel ad conservandum jus nostrum, quod novo opere violari cernimus; vel ad avertendum præjudicium, aut damnum, quod nuntians ex eo opere sibi oriturum timet; vel ad tuendum Jus publicum, textu expresso *l. hoc statuto* 1. §. *nuntiatio* 16. *ff. h. tit.* ibi *Nuntiatio fit aut juris nostri conservandi causa, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratia.* Molin. *n.* 13. Reiffenstuel *n.* 17.

15 Quæritur 5. quot modis novi operis nuntiatio fieri soleat? Resp. fieri solet tribus modis, prout habetur *l. de pupillo* 5. §. *meminisse* 10. *h. tit.* 1. solo verbo extra judicium adversario id molienti denuntiando, ne quid novi operis moliatur, aut cœptum prosequatur. Neque ad hoc requiritur certa verborum forma, sed sufficiunt quævis verba, intentionem prohibentis, seu nuntiantis satis exprimentia Reinffenstuel *hic n.* 11.

16 2. Per Magistratum, sive Judicem, petendo ab isto, ut novum opus fieri prohibeat. Si Judex sit absens, isque qui coram eo vult novum opus nuntiare, protestetur, quod coram ipso velit id nuntiare, postea que aut Judex adveniat, aut ipse nuntians, cùm primùm nactus opportunitatem fuerit, ad illum accedat, & coram eo id nuntiet, perinde reputabitur, acsi in puncto protestationis coram Judice id nuntiasset, ad effectum, ut nuntiatus destruere teneatur, quod à protestatione usque ad nuntiationem coram Judice factam ædificavit. Molin. *tr.* 2. *D.* 706. *n.* 17. & habetur *l. de pupillo cit.* §. *si quis ipsis* 7.

17 3. Per appositionem manus, sive lapidum, aut materiæ ad ædificandum paratæ dispersionem: imò per jactum unius lapidis in locum, ubi opus fit, aut per lapidis ex opere cœpto amotionem *l. de pupillo cit.* §. *meminisse* 10. intervenientibus tamen verbis, aut nutu, vel alio signo æquivalente, & prohibitionem significante; non enim omnis, qui lapillum projicit, intendit novum opus nuntiare. Host. *Summ. n.* 8. *h. tit.* Sylv. *V. Nuntiatio novi operis q.* 4. Molin. *D.* 706. *cit. n.* 15. Zœs. *ff. h. tit. n.* 12. Perez *Cod. eod. n.* 11. Gonzal. *in c.* 4. *hic n.* 4. Pirh. *n.* 7. Konig *n.* 5. Vviestner *n.* 4. Reiffenstuel *n.* 9. imò aliqui putant, projectionem lapilli, ut vim nuntiationis habeat, ter fieri debere.

18 Porro circa istos tres nuntiandi modos duo insuper notanda sunt. 1. quocunque modo fiat nuntiatio, consultum est, ut coram testibus fiat, pro faciliori probatione, quòd facta sit. Molin. *l. cit. n.* 15. *pr.* 2. etsi quilibet ex his nuntiandi modis sufficiens sit; tamen casu, quo quis in nostro ædificare, aut novum opus inchoare vult, melius est per lapilli jactum, vel per Prætorem, quàm per simplicem verbalem nuntiationem opus prohibere; quia hanc in tali casu qui facit, amittit possessionem, & eam acquirit adversarius §. *meminisse cit.* Sylv. *q.* 4. *cit.* Molin. *n.* 16. Vvagnereck *ad Rubr. h. tit. n.* 3. Vallens. *n.* 3. Pirhing *n.* 7. Konig *n.* 3. Reiffenstuel *n.* 10. Ratio est, quia qui solo verbo opus novum nuntiat, videtur meticulosus, & relinquere possessionem alteri, Konig *n.* 5.

19 Quæritur 6. quid requiratur, ut novi operis nuntiatio locum habeat? Resp. tria requiruntur. 1: ut sit nuntiatio operis solo conjuncti, vel conjungendi, ut in eo permaneat; nam siquis messem colligat, arbores succidat, vineam putet, etiamsi opus faciat, contra eum tamen novi operis nuntiatio non habet locum *l. hoc edicto* 2. §. *hoc autem* 12. *ff. h. tit.* Gloss. *ibid. V. in solo.* Molin. *D.* 706. *cit. n.* 8. Zœs. *ad eand. Rubr. ff. n.* 3. Perez. *Cod. eod. n.* 2. Vvagnereck *ad Rubr. h. tit. n.* 2. & *ad c.* 4. *not.* 3. Gonzal. *ibid. n.* 3. Pirhing *n.* 2. Konig *n.* 4. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 5.

20 2. Ut sit nuntiatio operis novi. *Novum* autem *opus facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahendo pristinam faciem operis mutat,* ut dicitur, *l. hoc edicto cit.* §. *opus novum* 11. Et hinc siquis vetus ædificium fulciat, vel reficiat, non habet locum hæc nuntiatio; quia non opus novum facit, sed veteri sustinendo remedium adhibet, ut habetur *l. cit.* §. *siquis ædificium* 13. modò in reficiendo pristina forma ædificii servetur, & reficiens nihil addat, vel detrahat ædificio antiquo. Molin. *n.* 10. Gonzal. *in c.* 4. *cit. n.* 5. Vvagnereck *ad Rubr. n.* 1. Vallens. *hic n.* 1. Pirhing *n.* 2.

3. Ut sit nuntiatio operis novi inchoati, & nondum perfecti; quia *hoc edictum,* ut *l. cit.* §. *hoc autem* 1. dicitur, *adversùs futura opera inducium est, non adversùs præterita h. e. adversùs ea, quæ nondum facta sunt, ne fiant.* Duar. *in c.* 3. *h. tit.* Molin. *n.* 3. Zœs. *ff. h. tit. n.* 4. Perez *Cod. eod. n.* 2. Barbos. *in c.* 3. *cit. n.* 4. Vallens. *hic. n.* 1. *fin.* Pirhing *n.* 2. Vviestner *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 3. Ratio est, quia edictum de novi operis nuntiatione prohibitorium est, quæ autem jam facta, & perfecta sunt, prohiberi nequeunt: & hinc adversùs opus jam factum, & perfectum recurrendum est ad Interdictum *Quod vi, aut clàm,* ut quod illicitè factum est, restituatur §. *hoc autem cit.* Præterea necesse est, ut opus, quod nuntiatur, defacto sit inchoatum, ita, ut is, cui nuntiatur, actu processerit ad actum aliquem præparatorium operis; nam si animo solùm destinavit opus facere, opus novum ipsi nuntiari non potest. Konig *n.* 4. 21

Quæritur 7. quem effectum habeat novi operis nuntiatio? Resp. facit; ut is, qui struere illud incepit, ab eo debeat desistere, donec re examinata de ædificationis jure constet *l. non solùm* 8. §. *sciendum* 4. *ff. h. tit.* Host. *Summ. h. tit. n.* 12. Zœs. *ff. eod. n.* 13. Perez. *Cod. eod. n.* 13. Gonzal. *in c.* 4. *hic n.* 7. Vallens. *n.* 4. Engl *n.* 3. Konig *n.* 7. Reiffenstuel *n.* 18. 22

Si secus fecerit, & post nuntiationem pergat, quidquid postea ædificatum est, expensis ipsius ædificantis demoliendum est, ante omnem cognitionem Judicialem, an jus habeat, vel non, ita quidem, ut non sit audiendus ædificans, quantumvis cautionem præstare voluerit de eo, quod post nuntiationem ædificatum est, demoliendo, ubi probatum fuerit, contra nuntiantis jus ædificatum esse *l. hoc edicto* 1. & *l. Prætor* 20. §. *interdictum* 1. *ff. h. tit.* Molin. *tr.* 2. *D.* 706. *n.* 1. & 2. Fagnan. *in c. cùm ex injuncto* 2. *h. tit. n.* 2. Barbos. *ibid. n.* 1. Gonzal. *in c.* 4. *eod. n.* 1. Vallens. *hic n.* 4. Engl *n.* 3. Pirhing *n.* 8. Konig *n.* 7. Vviestner *num.* 6. Reiffenstuel *num.* 18. 20. & 21. 23

Habetque hæc Juris Imperialis dispositio locum etiam in foro Ecclesiastico, & quoad Ecclesias, aliaque ædificia pia, aut religiosa, in præjudicium alterius post nuntiationem constructa, prout notant Fagn. *l. cit. n.* 1. Barbos. *in c.* 1. *n.* 1. Vivian. *ibid. pr.* Vvagnereck *ad Rubr. n.* 2. Konig *n.* 8. Reiffenstuel *n.* 18. & patet ex *c.* 2. & *c. fin. h. tit.* idque meritò, quia nuntiatio ista habetur instar Appellationis extrajudicialis, qua pendente nihil est attentandum, & attentata omnia revocanda, Gonzal. *l. c. n.* 7. Konig *n.* 7. Viestner *n.* 6. Reiffenst. *n.* 20. 24

Imò opus à vicino in eo, quod possidemus, factum propria authoritate destrui potest, dummodo id non ex intervallo, sed in continenti fiat; quia in continenti vis vi repelli videtur: quod Jure permissum patet ex *l. sed si* 27. *ff. de servit. urban. præd.* & *l. quod est* 3. §. *eum igitur* 9. *ff. de vi armat.* Zœs. *ff. h. tit. n.* 16. Pirhing *n.* 24. Vviestner *n.* 6. *fin.* Reiffenstuel *num.* 23. 25

Dixi, *In eo, quod possidemus*; nam siquis in suo novum opus in tuum præjudicium faciat, non poteris propria authoritate statim illud in continenti violenter impedire, aut destruere, sed debet priùs adhibere novi operis nuntiationem *arg. l. de pupillo* 5. §. *meminisse* 10. *ff. h. tit.* ibi, *Si in suo quid faciat, quod nobis noceat, tunc operis novi nuntiatio erit necessaria.* Ratio est, quia in suo ædificans ante nuntiationem vim alteri inferre non censetur *l. altiùs* 8. *C. de Servit. cons.* non intrat illud Juris axioma *vim vi &c. n. pr.* allegatum Reiffenst. *n.* 24. & 28. 26

Post nuntiationem autem, si ædificans pergat ædificare in præjudicium alterius, quamvis in fundo suo, potest nuntians in continenti talem propria authoritate, etiam vi adhibita, impedire, & ædificatum post nuntiationem in continenti destruere *arg. tot. tit. ff. quod vi, aut clàm.* Ratio est, quia ita ædificare pergens post nuntiationem injustam vim infert nuntianti, ac vi ædificare censetur, prout patet ex *l. prætor* 1. §. *sed & si* 6. & §. *seq.* 27

item *l. vi facit 20. ʃ. prohibitus 1. ff. quod vi, aut clam.* Reiffenſtuel *n.* 24. *&* 28.

28 Neque refert, quòd ædificans poſt nuntiationem ad tempus ceſſaverit, ſicque paruerit nuntiationi, ſi deinde iterum incipiat; quia hujuſmodi ceſſatio ab ædificio, ad tempus duntaxat facta, non relevat, quo minùs adhuc dicatur vi ædificaſſe, qui tale ædificium ſine permiſſione nuntiantis rurſus aſſumit, prout expreſsè iterum deciſum eſt *l. prætor 1. §. item Labeo 9. ff. quod vi, aut clam.* ibi: *ſi quem facientem prohibuero, iſque deſtiterit in præſentiam, rurſuſque poſtea facere cœperit, vi eum videri feciſſe, niſi permiſſu meo facere cœperit, vel qua alia juſta cauſa accedente.*

29 Quæritur 8. quibus caſibus novi operis nuntiatio vim hactenus declaratam non habeat? Reſp. 1. quando jus ædificandi notorium eſt, & nuntiatio notoriè injuſta; cùm enim nuntiatio tali caſu remittatur *l. prætor* 20. *pr. ff. h. tit.* meritò etiam contemnitur; quia fruſtra Juris certi liquidatio exſpectatur. Abb. *in c. 1. h. tit. n.* 10. Molin. *tr.* 1. *D.* 706. *n.* 2. Gaill. *l.* 1. *obſ.* 16. *nu.* 4. Zoeſ. *ff. h. tit. n.* 15. Perez *Cod. eod. nu.* 15. Vvagnereck *in c.* 1. *V. ſive jure not.* 2. Barboſ. *in c.* 2. *num.* 2. Gonzal. *in cap.* 4. *num.* 8. Pirhing *hic n.* 24. Konig *num.* 4. Vvieſtner *num.* 7. Reiffenſtuel *num.* 29. contra Fachineum, qui *l.* 8. *contr. cap.* 44. contrarium ſuſtinet ex Regula, quòd privatis concedendum non ſit, quod Magiſtratus publica authoritate fieri poteſt *l. factum* 170. *ff. de R. J.* Sed videtur adhuc retinenda prior ſententia; nam authoritas Magiſtratus hìc neceſſaria non videtur, cùm Jus ſupponatur liquidum eſſe. *Neque obſtant* textus *c. intelleximus* 1. *& concordantes h. tit.* ubi habetur, quòd ad nuntiationem novi operis alter ab opere ceſſare debeat, ſive Jure, ſive injuria aliquid conſtruatur, conſ. ſive juſta, ſive injuſta ſit denuntiatio; quia textus iſti intelligi ſolùm debent de ea, quæ vel dubia eſt, vel injuſta apparet: non verò de illa, quam injuſtam eſſe manifeſtum, atque notorium eſt, cùm Leges manifeſtas injurias nequaquam foveant *arg. l. placuit* 8. *C. de Judic.* Molin. *D.* 706. *n.* 2. *fin.* Pirhing *n.* 24. Reiffenſtuel *n.* 30.

30 2. Si nuntians re adhuc integra, ſive antequam aliquid ædificatum ſit, moriatur *l. non ſolùm* 8. *§. morte* 6. *ff. h. tit.* Gloſſ. *in cap. 2. V. remiſſionem h. tit.* Contrà non extinguitur nuntiatio morte ejus, cui opus nuntiatum eſt *l. non ſolùm cit. ʃ. fin.* Ratio diverſitatis eſt, quia ut advertit Gloſſ. *in l. cit. V. etiam hæredis*, junct. Gloſſ. *marg. lit. H.* nuntiatio ex parte perſonæ nuntiantis eſt perſonalis, adeòque ad hæredes iſtius non tranſit, niſi quis ſuo, & hæredum nomine nuntiaverit: ex parte verò perſonæ nuntiatæ eſt realis; quia fit in rem *l. operis* 10. *ff. h. tit.* conſ. ad ſucceſſorem tranſit in id, quod ad ipſum pervenit, vel ſi dolo ipſius factum eſt, quo minùs veniret *l. prætor* 20. *ʃ. planè* 8. *ff. eod.* Idque verum eſt non tantùm de Succeſſore univerſali, ſed etiam de particulari; nam etiam in Emptorem nuntiatio tranſit *l. fin. ff. eod. Ex quo ſequitur*, ſi opus novum denuntiatum fuerit anteceſſori ædificantis, & ſucceſſor id ratum habuit, vel poſt denuntiationem factam proſecutus eſt opus ab anteceſſore inchoatum, ſciens nuntiationem eſſe factam, id, quod poſt nuntiationem conſtructum eſt, deſtruendum ſumptibus Succeſſoris. Gloſſ. *in c. 2. V. expenſis h. tit.* junct. Gloſſ. *marg. lit. G.* Contrà ſi opus ab anteceſſore cœptum non proſequatur, vel ignoret, nuntiationem eſſe factam; hic enim ſolùm tenetur ad præſtandam patientiam deſtruendi opus, non autem ad pœnam impenſarum, ut ſuis ſumptibus deſtruat. Molin. *D.* 706. *num.* 19. Fagnan. *in cap. cùm ex injuncto 2. h. tit. num.* 3. *& ſeqq.* Pirhing. *hic num.* 9.

31 3. Si nuntians ædificanti nuntiationem remittat *cap. cùm ex eo injuncto 2. h. tit.* ibi, *Ante remiſſionem ædificaverit l. non ſolùm 8. §. ſciendum 4. ff. eod. l. un. pr. ff. de remiſſion.* Item ſi nuntians novum opus cautionem ab ædificante ſibi oblatam acceptet de opere deſtruendo, ubi injuſtè cœptum eſſe conſtiterit *cap. ſignificantibus* 3. *h. tit. & l. prætor* 20. *§. deinde* 9. *ff. h. tit.* quia favori, pro ſe principaliter introducto renuntiare quilibet poteſt. Vvagnereck *ad Rubr. h. tit. n.* 4. Pirhing *n.* 15. Reiffenſt. *n.* 6. *& n.* 33. Non tamen talem cautionem nuntiator accipere cogitur *c. ſignificantibus cit. & cap. fin. h. tit.* quia ubi ſemel ædificatum eſt, durior cauſa redditur, ac poſtea difficiliùs ad demolitionem devenitur: meliùs autem eſt intacta jura ſervare, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere *l. fin. C. ex quib. cauſ. reſtitut.* Vivian. *in c.* 3. *h. tit. prop. fin.* Gonzal. *in cap.* 4. *eod. num.* 8. Pirhing *n.* 16. Engl *n.* 3. Konig *n.* 9. Reiffenſtuel *num.* 6. *Neque obſtat*, quòd *l. prætor* 20. *cit. §. & ſi* 14. & alibi dicatur, quòd præſtita cautione de demoliendo, vel oblata, & non recepta, poſſit quis licitè ædificare; nam, ut Gloſſ. *in c. fin. V. non obſtante h. tit.* notat, id intelligendum eſt de caſu, quo nuntians intra trimeſtre non probaverit prohibendi jus ſibi competiiſſe: quem caſum excipiam *infrà n.* 33.

4. Si nuntians ad inſtantiam ædificantis jurare noluit de calumnia, ſive quòd exiſtimet, ſe juſtam cauſam habere prohibendi operis incepti perfectionem *l. de pupillos* 5. *§. qui opus* 14. *ff. h. tit.* quia malitiosè nuntiaſſe præſumitur, & ideo nuntiatio ædificanti remittitur, & pro non facta habetur. Hoſt. *Summ. hic nu.* 11. *fin.* Molin. *D.* 706. *n.* 32. Pithing *n.* 22. Vvieſtner *n.* 8. Reiffenſtuel *n.* 34. 32

5. Si idem nuntians intra trimeſtre non probaverit prohibendi jus ſibi competiiſſe *c. ſignificantibus* 3. *& cap. fin. h. tit. l. un. Cod. eod.* nam hoc caſu ædificans, præſtita, vel oblata cautione de demoliendo cœptum opus proſequi permittitur, ne inanibus nuntiationibus ædificia nimis longo tempore prohibeantur Gloſſ. *in cap fin. cit. V. non obſtante*, Abb. *ibid. not.* 1. Gonzal. *n.* 8. Barboſ. *nu.* 4. Vvagnereck *ad Rubr. n.* 4. Zoeſ. *ff. h. tit. n.* 17. Vallenſ. *hic n.* 4. *verſ. ne tamen.* Engl *n.* 4. Pirh. *nu.* 16. *& ſeqq.* Konig *n.* 9. Vvieſtner *n.* 9. Reiffenſtuel *n.* 35. 33

6. Si periculum ſit in mora, & dilatio ædificii ceſſura eſſet in grave damnum volentis ædificare *l. de pupillo cit. §. præterea* 12. quia ubi periculum eſt in mora, recedere licet à Regulis Juris communis, & prohibitiva iſtius diſpoſitio remittitur: debet tamen hoc caſu nuntiatus præſtare cautionem de deſtruendo, ſi jure ædificatum non fuerit, & eam debet acceptare nuntians. Abb. *in c. 2. h. tit. n.* 9. Molin. *D.* 706. *n.* 11. Barboſ. *in cap. fin. hic n.* 2. Pirhing. *n.* 23. Konig *n.* 9. Vvieſtner *num.* 10. Reiffenſtuel *n.* 32. 34

7. Si Judex nuntiationem, quam fieri juſſit, iterum revocavit *l. ſi opus* 16. *h. tit.* ſicut etiam, quando ab alio factam, conſiderata æquitate naturali, pro arbitrio ſuo ante elapſum tempus remittit, ut ſi ex inſpectione oculari, vel aliunde ſaltem ſummariter apparet de injuria nuntiationis vel periculo damni ex dilatione orituri. Barboſ. *in c. fin. h. tit. n.* 2. Engl *n.* 5. Pirhing *nu.* 24. Reiffenſtuel *num.* 36. dummodo Judex interea petat, ut ædificans præſtet cautionem de opere deſtruendo, quando injuſtè ædificatum conſtiterit. Reiffenſtuel *l. cit.* Imò hac cautione omnino opus non eſt, quando Judex cauſa cognita pronuntiavit, nuntiatum habere jus ad ita ædificandum, ac proinde nuntiationem fuiſſe nullam. Molin. *n.* 1. 35

Quæritur 9. an quilibet in fundo ſuo ædificare valeat, quidquid, & quomodo ipſi placuerit? Reſp. regulariter loquendo id fieri poſſe, adeò, ut non poſſit quis propterea à vicino prohiberi, licèt ex tali ædificio vicinus quandam incommoditatem ſentiat, quia v. g. domus ejus per hoc fit obſcurior, vel quia liberior ex ea proſpectus adimitur. Barboſ. *in c. fin. h. tit. num.* 6. Engl. *hic n.* 6. Reiffenſtuel *n.* 37. Deſumitur ex *l. altiùs* 8. *C. de Servit.* ibi, *Altiùs quidem ædificia tollere, ſi domus ſervitutem non debeat, dominus ejus minimè prohibetur* (adde cum Summario ibidem) *etiam uſque ad cœlum*; nam ut DD. loquuntur, ſi domus eſt mea, tunc mea eſt uſque ad cælum, & infernum. 36

Dixi *Regulariter*; nam 1. excipitur, ſi vicinus habeat in domo ædificantis ſervitutem urbanam ex pacto, teſtamento, vel præſcriptione acquiſitam, ut ſunt ſervitus altiùs non tollendi, non officiendi luminibus, vel proſpectui. Engl *n.* 6. *cit. except.* 1. Reiffenſtuel *num.* 38. qui tamen rectè addit, per hòc, quòd quis longo tempore non ædificarit, non hoc ipſo acquiſitam cenſeri vicino ſervitutem altiùs non tollendi &c. quia ædificare in ſuo eſt actus meræ facultatis, contra quem præſcriptio non inducitur. 37

2. Si ex novo ædificio vicini ædibus immineat periculum damni, vel ruinæ, rectè tunc ædificanti nuntiatur novum opus, ut cautionem, damni infecti præſtet *arg. l. hoc edicto 1. §. nuntiatio 16. ff. h. tit.* junct. *tot. tit. ff. de damn. infect.* Porro *damnum infectum* dicitur damnum, quod 38

quod nondum factum est, sed futurum timetur *l. damnum 2. ff. de damn. infect.* Et hinc præstare cautionem de damno infecto idem est, ac se obligare ad compensandum omne damnum, si quid ex ædificio novo alteri obventurum est. Engl *except.* 2. Reiffenst. *n.* 39.

39 3. Rectè nuntiatur novum opus, siquis tantum ad vicini æmulationem ipsius ædes obscurare, aut novas fenestras contra domum, vel hortum ejus aperire velit; *neque* enim *malitiis indulgendum est*, ut dicitur *l. in fundo* 38. *ff. de R. V.* præsertim si id agatur, ut nocumentum vicino fiat, vel eidem creentur molestiæ. Menoch. *de arbitr. cas.* 156. *& l.* 6. *præsumpt.* 29. *nu.* 28. Engl *Except.* 3. Reiffenstuel *n.* 40. Præsumitur autem novum opus ad æmulationem vicini facere, si talis structura ipsi ædificandi nullam afferat utilitatem. Barbos. *in c. fin. h. tit.* cum *citt.*

40 4. Quandoque prohibetur quis novum opus facere favore Religionis, ac boni publici; nam etsi cuilibet per se liceat altiùs tollere ædificium suum *l. altius cit.* tamen Jure prohibitum est privatum ædificium ita altè attollere, ut ex eo videri possint Religiosi, aut Religiosæ personæ intra proprias domus religiosè habitantes: quæ ratio etiam probat, ex domo privata versùs Monasterium non posse aperiri fenestram, ut hujusmodi prospectus detur, quòd favor Religionis eo casu prohibeat, ne privatus Jure suo utatur. Reiffenstuel *n.* 41. cum *citt.* post Cynum, Salicetum, Covarruviam &c. Videantur etiam Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. *num.* 34. Sperell. *Decis.* 58. Donat. *prax. Reg. tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 2. *q.* 12.

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

AD delicta etiam pertinet abuti Privilegiis sibi datis: cùm verò Delicti species non satis percipi possit, nisi sciatur, quid Juris sit de Privilegiis, idcirco hic etiam agitur de ipsis Privilegiis.

§. I.

De Natura Privilegii.

SUMMARIUM.

1 *Privilegii diversa acceptio.*
2 *Hujus Definitio.*
3 *Definitionis explicatio.*
4 *Differentia Privilegii à Lege.*
5 *Dispensatione.*
6 *A Gratia, vel Beneficio Principis.*
7 *A Rescripto.*
8 &c. *An per Privilegium debeat concedi aliquid speciale?*
12 &c. *An ad valorem illius requiratur scriptura.*
16 &c. *Et justa causa?*
20 &c. *Quid requiratur, ut valeat, & effectum habeat Privilegium derogatorium Juris communis, vel tertii?*
23 &c. *An, & quomodo Promulgatio, seu notitia Privilegii ad Privilegium requiratur?*
29 &c. *Quando concessio Privilegii effectum habeat.*

1 QUæritur 1. quid sit *Privilegium*? Resp. *Privilegii* nomen dupliciter accipi potest; nam interdum accipitur pro Rescripto, seu Instrumento, in quo gratia, beneficium, seu indulgentia Principis continetur, ut *in c. cùm dilectæ* 4. *de Conf. util. & inut. & in c. ex parte* 13. *h. tit.* Verùm de eo sic accepto agitur in *Lib.* 1. *Decret. Tit.* 3. Frequentiùs, & prout ad locum præsentem pertinet, sumitur pro ipso jure, beneficio, seu gratia concessa à Principe. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 1. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 1. In hoc secundo sensu acceptum.

2 *Privilegium* definitur, quòd sit *Lex privata, speciale aliquod beneficium, aut favorem contra, vel præter Jus concedens.* Ita S. Anton. *p.* 1. *tit.* 19. *cap.* 1. Suar. *c.* 1. *cit. n.* 3. Palao *p.* 1. *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 1. *n.* 1. Engl. *hic n.* 1. Pirh. *n.* 2. Konig *n.* 3. Vviestner *num.* 1. Reiffenstuel *n.* 3. cum Summistis *V. Privilegium*, & DD. *ad hanc Rubricam.* Sensus est, quòd Privilegium sit favor, seu gratia, qua à legitimo Superiore uni, vel pluribus personis particularibus, aut etiam Collegio, Universitati, vel ejus parti, aut loco, v. g. Ecclesiæ, oppido, Castro cum aliqua duratione, & stabilitate conceditur facultas aliquid præter, vel contra Legem, seu Jus commune agendi, aut omittendi. Vviestn. *l. cit.*

Dicitur 1. *Lex*, scilicet per Analogiam aliquam, & 3
impropriè; quia dum durat, aliis necessitatem imponit, ne privilegiato usum ejus impediant. 2. additur, *Lex privata*; quia privatum aliquod beneficium privilegiato concedit, & regulariter pertinet ad personam privatam, vel si Communitati conceditur, hæc consideratur tanquam pars Communitatis superioris, quæ obligatur communi Lege. 3. dicitur, *speciale aliquod Beneficium, aut favorem concedens*, ut excludantur à ratione Privilegii Leges Pœnales, quæ licèt in defensionem aliquarum personarum, vel Immunitatis Ecclesiasticæ latæ sint, Privilegii tamen naturam non obtinent; quia non per se concedunt beneficium, licèt istud ex impositione pœnæ, & delinquentis punitione aliquo modo resultet.

Quæritur 2. qua ratione Privilegium differat à Lege, 4
Dispensatione, Gratia, seu beneficio Principis, & ab hujus Rescripto? Resp. 1. à *Lege* differt 1. quia privilegium immediatè spectat bonum personæ, aut loci, Collegii, seu Universitatis privatæ; Lex immediatè intendit bonum totius Reip. 2. Lex semper adstringit ad sui observationem eos, in quos fertur; non ita obligat ad sui usum Privilegium illos, quibus collatum est, cùm *invito beneficium non detur* juxta *Reg. invito* 69. *ff.* 3. per Legem constituitur Jus; per Privilegium privilegiatus eximitur à Jure. Vasq. *D.* 115. *c.* 1. *num.* 2. & 3. Laym. *in c.* 1. *de Constit. n.* 5. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 1. *nu.* 5. Vviestner *hic n.* 2. Reiffenst. *n.* 4.

Resp. 2. *à Dispensatione* differt 1. quia Dispensatio sem- 5
per est adversa Legi, in qua dispensat; Privilegium verò, etsi aliquando sit contra Legem, aliquando tamen etiam est præter Legem. 2. Dispensatio, ferè sine duratione, aut notabili stabilitate conceditur; Privilegium contrà datur cum stabilitate aliqua, ad modum Legis. 3. Dispensatio plerumque ad unum duntaxat actum e. g. ad Matrimonium contrahendum, ad Ordinem suscipiendum &c. datur; Privilegium autem ad actus plures. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 2. *nu.* 10. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 5. Vviestn. *hic n.* 3.

Resp. 3. *à Gratia*, vel *Beneficio Principis* differt; quia 6
respectu hujus se habetur inferius ad superius, & ut species ad genus: nam omne Privilegium gratiam, & beneficium Principis in se continet, & ex hujus favore descendit; non tamen omnis gratia, favor, aut beneficium Principis vicissim est Privilegium. Ratio est, quia de ratione Privilegii, ut paulò antea monui, est, ut ad omnem actum generis privilegiati immunitatem concedat illi, cui datum est Privilegium, quasi Legis permissionem obtinuisset, at Beneficia, Gratiæ &c. etiam ad unum solummodo, *num. præc.* de Dispensatione dictum est, se possunt extendere: sic absolutio ab Excommunicatione incursa est gratia, & beneficium, non tamen Privilegii rationem habet, cùm per se nullum jus, vel facultatem tribuat. Suar. *in c.* 2. *cit. n.* 11. Palao *p.* 1. *n.* 5. Vviestn. *n.* 4.

Resp. 4. *à Rescripto* denique differt 1. quia Rescriptum 7
propriè dictum est Responsum Principis scriptum; Privilegium autem, ut *infra num.* 68. dicetur, conceditur etiam viva voce. 2. Rescriptum præcipuè tendit ad decisionem Juris dubii; Privilegium autem à Jure communi eximit. 3. Rescriptum, etsi subinde gratiam conferat, & conf. appelletur *Rescriptum Gratiæ*, sæpe tamen etiam est *Rescriptum Justitiæ*; Privilegium verò tantùm est gratia respectu illius, cui ipsum confertur.

Quæritur 3. an Privilegii nomine venire possit, quo 8
nihil speciale conceditur, sed id tantùm, quod Jure communi concessum jam antè fuerat? Rationem dubitandi facit duplex maximè textus, ubi tanquam Privilegia conceduntur, quæ aliàs jam à Jure communi concessa erant. Et 1. quidem *c. quia in causis* 7. *de Procurat.* ubi Universitati Parisiensi datur facultas constituendi Procuratorem: quod tamen per Jus commune concessum est cuivis Communitati, prout constat ex *c. cit. & c. un. de Syndic.* 2. *cap. etsi Christus* 26. *vers. fin. de Jurejur.* Religiosis facultas datur præstandi Juramentum suppletorium in causis propriis, si alia legitima probatio desit: quæ facultas tamen ipsis competit per Jus non solùm humanum, sed etiam naturale.

9 Sed dicendum, esse de ratione Privilegii, ut concedat aliquid speciale, quod Jure communi concessum non erat. Ita Felin. *in c.* 1. *de Rescript. n.* 4. Abb. *ibid. n.* 11. Navar. *conf.* 5. *de stat. Monach. n.* 5. Azor. *p.* 1. *l.* 5. *cap.* 23. *q.* 3. Salas *D.* 17. *sect.* 1. *n.* 4. Suar. *l.* 8. *de LL. cap.* 1. *n.* 4. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 1. *n.* 2. Pirh. *hic nu.* 2. Vviestner *ibid. n.* 2. Reiffenst. *n.* 5. Sumitur ex *cap. Abbate* 25. *de V. S.* ubi circa finem dicitur, *Cùm privilegium sit lex privata &c.* non esset autem privata Lex, nisi aliquid speciale indulgeret. Et clariùs ex *can. fin. §. si ergo* : *vers. neque enim caus.* 25. *qu.* 1. ibi, *neque enim privilegia aliquibus concederentur, si præter generalem Legem nulli aliquid speciale indulgeretur.* Concordat *l. nemo* 1. *C. de Thesaur.* ubi *superfluum* dicitur *hoc precibus postulare, quod jam Lege permissum est.* Ratio est, quia aliàs privilegium planè inutile foret.

10 Neque obstant textus in contrarium allegati; nam ut eosdem explicant Suar. *l. cit. n.* 7. Gonzal. *in c. etsi Christus cit. n.* 2. Konig *n.* 18. iis textibus speciale aliquid concessum fuit: licèt enim utrumque, quod ibi conceditur, aliàs Jure communi liceat omnibus, Francis tamen non licebat per Leges proprias experiri in Judicio sine Rescripto Principis; & Religiosis S. Benedicti per propriam Regulam prohibitum fuit jurare. Igitur dum Universitati Parisiensi concessum fuit, ut constituere possent Procuratorem in Judicio, & Religiosis, ut possent deponere Juramentum suppletorium, concessum utriusque fuit aliquid, quod ipsis aliàs fuit Jure prohibitum. Si quæ aliæ concessiones reperiantur, quibus speciale nihil conceditur, verè, & propriè privilegia, non sunt, quo nomine solum veniunt *Concessiva*; sed impropriè solùm, & declarativa Juris communis: vocantur tamen Privilegia, quia dantur ad majorem securitatem, tollendamque dubitationem, & scrupulos, quod ipsum favorem specialem, & Principis beneficium continet.

11 *Dubitatur*, an, quando dubium est, an Privilegium sit concessivum, an verò declarativum tantùm, id intelligendum sit de concessivo, an solùm de declarativo? Resp. intelligendum de Concessivo. Ita Abb. *in cap.* 1. *de Rescript.* Felin. *eod.* Azor. *q.* 3. *cit.* Salas *n.* 4. Suar. *num.* 9. Hinc 1. si Episcopo concedatur facultas, & privilegium, ut testari possit, intelligi illud debet non de bonis Patrimonialibus, de quibus Jure communi testari potest, sed de Ecclesiasticis, quæ acquisivit ratione Ecclesiæ, cui præest. Palao *l. cit. nu.* 3. & apud hunc Azor, Salas &c. 2. si detur privilegium, ut procedatur in causa, appellatione remota, intelligitur de justa appellatione; nam si injusta sit appellatio, ea semota, procedere quilibet Judex potest. Palao *l. cit.* & apud hunc Rodriquez *tom.* 1. *Regul. q.* 18. *art.* 3. 3. si facultas creandi novam Dignitatem in Ecclesia data Episcopo sit, censetur ita data, ut ad hoc faciendum non indigeat consensu Capituli; nam cum hujus consensu sine privilegio potest. 4. Si Princeps concedat alicui jus inquirendi, & animadvertendi in aliquos homines, intelligitur de his, in quos inquirere, & animadvertere sine privilegio non potuisset. 5. si concedatur alicui Judici potestas cognoscendi de certis delictis, de quibus cognoscere aliàs potuit, intelligitur, quòd in his etiam possit procedere, licèt fama publica non præcesserit. 6. si Pontifex mandatum dedit de conferendo Beneficio in certa Ecclesia, id protenditur usque ad Canonicatum, si in ea Ecclesia non sint alia Beneficia. Idem dicendum de aliis casibus. Et ratio horum omnium est; quia aliàs Privilegium nihil speciale concederet, & verba gratiam continentia cæteris paribus continent tantum, quantum possunt.

12 Quæritur 4. utrum ad valorem Privilegii requiratur scriptura? Affirmat non obscurè Glossa, dum illud accenset iis, quæ in scriptis redigi debent *c. Romana* 1. *V. in scriptis de Censib. in* 6. & *Rationem dubitandi* facit 1. *can. contra morem* 8. *dist.* 100. ibi, *aut in scriptis Privilegiis se tueri.* 2. *Reg.* 25. *Cancell.* ubi dicitur: Ne judicetur juxta formam supplicationum signatarum super quibusdam impetrationibus, & concessionibus, subscripto verbo *Placet*, vel *Fiat*; quia Gratia Apostolica informis censetur, & imperfecta, sed informis, & imperfecta non est ex alio defectu, quam quòd nondum scripto sit consignata. 3. *Reg.* 53. aliàs apud Rebuffum 56. ubi cavetur, Dispensationem (idem multo magis procedere debet de Privilegio) non prodesse impetranti, nisi Litteris super ea re confectis. 4. Gregorius XIII. in *Reg.* 56. *Cancell.* sic disponit: *Nulla talis Dispensatio cuiquam in Judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea Litteræ Apostolicæ sint confectæ.* 5. quia Officiales Pontificis possunt expeditionem Litterarum impedire: ergo signum est, gratiam nondum esse plenè consummatam ante earum expeditionem.

Sed his non obstantibus, omnino tenendum, ad Privilegii substantiam, & valorem regulariter non exigi Scripturam. Ita Sylv. *V. Privilegium n.* 14. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 2. *n.* 2. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 599. *n.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *num.* 15. Engl *hic nu.* 6. Vviestner *num.* 8. Reiffenstuel *n.* 28. & unanimis cæterorum. Patet in eo, quod per Consuetudinem, vel Præscriptionem inducitur; hoc enim Scripturam habere non potest. De reliquis Privilegiis concessis à Principe sumitur ex *can. institutionis* 7. *caus.* 25. *q.* 2. *Clem.* 2. *vers. nos etenim de Sepult.* ibi, *Universa privilegia --- verbo, seu scripto -- concessa*: item *Extrav.* 5. *post pr. int. comm. de Pœnit. & Remiss.* ibi, *Tam verbo, quàm in scriptis confectis inde Litteris, vel non &c.* Ratio est manifesta. 1. quia totus valor Privilegii pendet ex voluntate concedentis; hanc autem iste manifestare non minùs verbo, quàm scripto potest. 2. nemo potest arctari Lege lata à Principe contra Principis voluntatem: ergo si Princeps vult aliquem non arctare, sive verbo, sive scripto, sive alio modo id exprimat, is, quem arctare non vult, hoc ipso erit solutus à Lege. 3. Privilegium est quædam donatio; donatio autem perfecta est, etiamsi Litteræ non expediantur: ergo &c. 13

Dixi autem *Regulariter*; nam excipi 1. debent Collationes, Confirmationes, Uniones Beneficiorum, à Sede Apostolica factæ, quæ irritæ sunt, si istorum possessio apprehendatur ante Litteras expeditas, adeò, ut Beneficiatus, tanquam intrusus, & violentus possessor, fructus non faciat suos, & privetur ipsis Beneficiis obtentis. *Extrav. injuctæ* 1. *int. comm. de Elect.* junct. *Const. Pauli III.* incipit *Cum nobis*, & *Julii II.* incipit *Romani Pontificis.* Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 2. *q.* 5. Haun. *tr. proœm. nu.* 178. Vviestner *hic num.* 10. 2. Facultas non residendi in Beneficiis Curatis; nam hæc, ut valeat, ab Ordinario dari in scriptis debet, ex Decreto Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de Reform.* 3. Facultas ingrediendi Monasterium Monialium, ubi iterum opus est licentia Episcopi, vel Superioris in scriptis obtenta, ex Decreto ejusdem Concil. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* 4. designatio Judicum Delegatorum à Papa; hi enim Judicium valdè inchoare non possunt, antequam Litteræ, Jurisdictionem concedentes, expediantur, per *Reg.* 24. *Cancellar.* 5. secundùm aliquos non valet gratia facta alicui, ut aliquid operetur, quod aliàs facere non poterat, quousque expediantur Litteræ. Dixi *secundùm aliquos*; nam Palao *tr.* 3. *D.* 4. *part.* 2. *nu.* 8. putat, probabiliùs hoc casu scripturam ad valorem non requiri. Addidi, *ut aliquid operetur*; nam gratia, quæ consistit in facto solùm, & non in Jure ad agendum, e. g. Irregularitatis Dispensatio, aut inhabilitatis remissio, valida est etiam sine Litteris. 14

Neque contrarium probant textus, & Ratio *num.* 12. allegata in contrarium. *Ad* 1. in eo textu scriptura solum requiritur ad probationem, non verò ad usum licitum privilegii, ut patet ex verbo *tueri*. *Ad* 2. dum *Reg.* 25. *Cancell.* dicit, gratiam, à Pont. sine scripto concessam, esse informem, & imperfectam, intelligendum est tantùm in ordine ad Judicium, ut ex illa Judicetur, non autem in foro conscientiæ, ubi valida est, & jus impetranti dat; nam gratia quoad substantiam perfecta est per solam signaturam. *Ad* 3. & 4. eadem est explicatio. *Neque obstat*, quòd in *Reg.* 50. addantur verba, *In Judicio, vel extra*; quia hoc intelligi potest, quòd ex tali Signatura, nondum expeditis Litteris, Episcopus v. g. vel Parochus procedere nequeat etiam extrajudicialiter: ex quo non sequitur, quòd is, qui tali privilegio utitur, non etiam tutus sit in conscientia. *Ad* 5. ex eo, quòd Officiales possit impedire expeditionem Litterarum, solùm sequitur, gratiam sine scripto non esse perfectam in ordine ad probationem; nam gratiæ tales Apostolicæ per Litteras probari debent, ut in Judicio externo suffragentur: quod discrimen est inter ipsas, & inter eas, quæ ab aliis inferioribus Prælatis datæ sunt; nam istæ, si per testes sufficienter probentur, etiam sine scriptura in foro externo suffragari possunt, cùm nullo Jure oppositum cautum sit. Palao *p.* 3. §. 1. *n.* 2. 15

Quæ-

16 Quæritur 5 utrum ad valorem privilegii requiratur justa causa? *Rationem dubitandi* facit paritas cum Indulgentiis, quæ absque causa invalidè conceduntur, ex doctrina S. Thom. *in supplem. q.25. art.6.* S. Bonav. *in 4. dist. 20. p. 2. art. 1. q. 6.* & aliorum TT. ferè omnium, rectè P. Vviestner *hic n.12.* Sed revera non est paritas; nam Papa Indulgentias concedit, non tanquam dominus, sed tanquam dispensator meritorum Christi, qui non censetur consentire in istius dispensationem, nisi salubriter h. e. ex rationabili causa facta sit. *Extrav. Unigenitus 2. int. comm. de Pœn. & Remiss.* Palao *tr.3. D. 4. p. 5. n. 2.* Gobar. *tr. de Indulg. n. 86.* Vviestner *n. 12. cit.*

17 Hinc dicendum, concessionem privilegii, etiam sine causa factam, validam esse, modò nil aliud obstet. Ita Suar. *l. 8. de LL. c. 21. n. 4.* Palao *n. 2. cit.* Pirhing *hic n. 12.* Konig *n. 20.* Vviestner *n. 12.* Reiffenstuel *n. 36.* & alii communiter. *Ratio est*, quia Lex unicè à voluntate Legislatoris pendet. Igitur sicut tolli etiam sine causa potest respectu omnium, ita ab ejus obligatione certa persona, & locus eximi. *Conf.* concessio privilegii est quædam species donationis, atqui donatio, etiam sine causa, & prodigè facta, valet, ergo &c.

18 Dixi 1 *valere privilegia*; nam, ut licitè conferantur, semper requiritur justa causa Suar. *l. cit. n. 2.* Palao *n. 1* Pirhing *n. 12.* Vviestner *n. 11.* Reiffenstuel *n. 35.* Ratio est; quia privilegium ita concessum vel est contra Jus, vel præter jus concessum. *Si primum*, repugnat justitiæ Distributivæ, imò & Legali, quæ exigunt, ut à communi obligatione sine causa nemo eximatur. *Si secundum*, concessio talis sapit prodigalitatem, acceptionem personarum, & introducit improportionem inter membra communitatis, sicque aliis non privilegiatis dat occasionem invidiæ, & perturbationis.

19 Dixi 2 *modò nil aliud obstet*. Requiritur enim, ut privilegium sit de tali materia, ut usus illius, saltem supposito privilegio, licitus sit, & respectu aliorum vel nullum, vel moderatum gravamen contineat. Hinc 1. non valet privilegium, datum contra Jus Naturale, vel Divinum *can. lege 1. dist. 10.* quidquid enim bonis moribus adversatur, invalidum est, etsi pactum juratum accesserit *l. non dubium 5. C. de LL.* 2. etiam non valet datum in magnum Reip. damnum, vel contra manifestam ejus utilitatem *l. jubemus 16. C. de SS. Eccl.* quia potestas dandi privilegia Principi data est, non in destructionem, sed in conservationem Reip. Et hinc Pontifex non solet concedere privilegia adversùs se, quatenus imminuunt ejus dignitatem, utpote quam non potest dividere, vel diminuere: neque illa, quæ sunt Ecclesiasticæ gubernationi contraria: quia foret abusus suæ potestatis, & prodigalitas, quæ in Pontifice non præsumitur. 3. etiam non valent data in grave damnum tertii, nisi bonum, quod ex privilegio dato spectatur eliciendum, multò sit meliùs; semper enim bonorum Reip. & privatorum etiam debet curam habere Princeps.

20 *Dubitatur*, quid requiratur, ut valeat, & effectum habeat privilegium derogatorium juris communis, vel tertii? Resp. aliter discurrendum de privilegio, quod derogat juri communi, & aliter de eo, quod derogat juri tertii, vel consuetudini, aut statuto speciali. *Si privilegium sit contrarium juri tertii, vel statuto, & consuetudini speciali*, ut vim habeat, addi debet clausula derogatoria hujus juris, consuetudinis, vel statuti, etiam tum, quando Princeps illud concedit motu proprio. Suar. *l. 8. de LL. c. 14. num. 8.* & *cap. 22. num. 14* Sà *V. Gratia num. 14.* Palao *tract. 3. D. 4. part. 10. nu. 4* & sumitur ex *cap. licèt 1. de Constit. in 6.* Ratio est, quia Princeps nunquam præsumitur specialibus juribus derogare, nisi illorum mentionem faciat, eò quòd præsumatur illa ignorare.

21 At *si privilegium juri communi deroget*, etsi probabile quidem sit, etiam ibi requiri clausulam derogatoriam juris communis, cui opponitur, probabiliùs tamen sufficit ipsa concessio privilegii, sine adjecta tali clausula. Gloss. *in cap. licèt cit. vers. noscatur.* Felin. *in c. nonnulli de Rescript. regul. 2. fallent. 2. numer. 11.* Bald. *in l. item lapidis ff. de rer. divis. num. 8.* Suar. *c. 14. cit. n. 4. & 5.* Palao *p. 10. cit. n. 9.* Ratio est; quia Princeps non præsumitur ignorare jus commune, sed potiùs illud scire *c. licèt cit.* ergo dum privilegium concedit, quod derogat juri communi, præsumitur per privilegium velle eidem derogare; aliàs nihil omninò concederet, & efficeret actionem inutilem. *Conf.* ex *cap. in his 30. h. tit.* ubi privilegium datum FF. Prædicatoribus, & Minoribus, ut celebrare possint in Altari portatili, vim habet absque clausula derogatoria juris communis, cui privilegium istud opponitur. *Procedit* hoc etiam de privilegio concesso adversùs aliud privilegium insertum Corpori juris communis, ob similem rationem; hoc ipso enim, quòd juri communi insertum sit, præsumitur non ignorari à Principe, cons. dum privilegium adversùs illud concedit, velle illi derogare.

Bene tamen huic doctrinæ limitationem addit Palao 22 *l. cit. n. 10. dummodo Jus commune non resistat*: nam si jus commune resistit derogando, vel revocando hujusmodi privilegia, debet privilegio tali, ut effectum habeat, addi clausula derogatoria juris communis; aliàs nullius valoris erit: & ratio est; quia Lex sic fortificata derogat omni privilegio, non munito clausula illius Legis derogatoria. igitur nisi efficacia clausulæ sic fortificantis tollatur per aliam ejus derogatoriam, privilegium, adversùs jus commune datum, habere effectum nequit. *Conf.* quia si privilegium absque clausula derogatoria valeret derogare Legi sic fortificatæ, nullius utilitatis esset ista roboratio; eodem enim modo derogaretur Legi sic roboratæ, quo modo, si roborata non fuisset. *Neque obstat*, quòd Princeps præsumatur non ignorare illam resistentiam juris communis; nam esto, præsumatur non ignorare, quia tamen verbis communibus sine clausula derogatoria concedit privilegium, præsumi simul potest, nolle derogare Legi sic roboratæ, sed tantùm satisfacere importunitati petentium.

Quæritur 6 an, & quomodo promulgatio, seu notitia privilegii ad privilegium requiratur? *Et 1. quidem dubitatur*, an requiratur notitia privilegii respectu ipsius privilegiati? *Ratio dubitandi* sumitur 1. ex *l. consensisse 2. §. convenire 1. ff. de Judic.* ubi ignorans, sibi prorogatam esse jurisdictionem, illam de facto habet. Sed prorogatio est quoddam privilegium, ergo &c. 2. Privilegium æquiparatur Legato. Sed Legatum relictum à Testatore acquiritur Legatario etiam ignoranti statim à morte ipsius testatoris *lib. cùm pater 77. §. surdo & muto 3. ff. de Legat. 1.* ergo & privilegium. 23

Sed dicendum, etsi Princeps supremus privilegium possit concedere, quin privilegiatus de hoc notitiam habeat, nisi tamen hoc exprimat, nunquam illum ita censeri concedere, sed concessionem habere imbibitam conditionem, *Si privilegiarius concessionem sibi factam acceptet*; & sic ante notitiam, & acceptationem privilegii communiter non valet privilegium, eò quòd conditio, sub qua confertur, nondum sit impleta. Palao *tract. 3. D. 4. part. 3. §. 2. numer. 2. & 3.* cum aliis. Et quidem quòd Princeps de plenitudine potestatis alicui privilegium etiam invito, & nolenti concedere possit, res indubitata est; quæ enim est repugnantia, ut Pontifex habilitet Clericum ad Matrimonium contrahendum, si causa communis id postulet; aut quæ impossibilitas, ut dispenset cum illegitimo ad Ordines, etiam nolente dispensationem &c. Sicut enim hæc impedimenta Pontificis potestate inducta sunt, ita etiam ab illo auferri possunt, neque consensus, aut scientia subditi requiri ad istud debet. 24

Quòd verò communiter Princeps privilegium concedens non soleat ista conferre, nisi volenti, & acceptanti, ratio est, quia hoc expedit ad rectam gubernationem, ne Beneficia, & mercedes Principis exprobrentur, & contemnantur, neve dentur, nisi indigentibus, & petentibus. *Conf.* nam privilegium est quædam donatio quæ absque acceptatione Donatarii non censetur habere effectum, acceptari autem non potest sine notitia. Igitur requiritur notitia privilegii accepti. Intellige, *in privilegiato directo*; nam in privilegiato indirecto, & per accidens non requiritur scientia, & acceptatio, ut rectè advertit Palao *l. cit. num. 9.* Unde casu, quo privilegium concessum est alicui communitati pro omnibus ejus sociis e. g. lucrandi Indulgentias, absolvendi à peccatis &c. quilibet ex illa Communitate privilegio illo gaudet, etsi ignoret, se per privilegium hoc habere: & sic de cæteris similibus casibus. *Ratio est*, quia per quandam consequentiam, & necessariam illationem hoc privilegium in personis ignorantibus sequitur. 25

26 Neque obstant Rationes dubitandi allatæ. Ad 1. dico mirum non esse, quòd ad prorogationem Jurisdictionis non requiratur scientia specialis, & acceptatio; quia jurisdictio prorogata est eadem cum principali: secus aliquid contingit in privilegio de novo concesso. *Ad* 2. privilegium æquiparatur Legato in eo, quòd utrumque, scilicet tam privilegium, quàm Testamentum, quo Legatum relictum est, servandum sit: interim quodlibet ad valorem sui diversas conditiones postulat; nam Testamentum morte Testatoris firmatur, privilegium verò acceptatione privilegiatii.

27 Dub. 2. an aliis quibusdam extra privilegiatium debeat insinuari privilegium datum? Resp. distinguendum esse inter privilegium merè favorabile, & inter privilegium, quod est odiosum. *Si privilegium sit odiosum*, & in præjudicium juris communis, aut alicujus tertii, opus est, ut etiam huic fiat insinuatio privilegii dati. Deciditur expresse *c. pastoralis* 19. *h. tit. c. cùm personæ* 7. *eod. in* 6. & *c. si duobus* 7. *de Appell.* Ratio est, quia non debet præsumi Princeps velle aliquem inscium privare jure suo, sed bonum commune, & suavis gubernatio exigit damnificatum monere, ut possit, si velit, se opponere. Neque obstat *c. quia cunctis* 1. *de concess. Præb. in* 6. ubi ignorante Episcopo eximitur quis ab ejus Censura; nam ut bene Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 25. *n.* 30. *fin.* Palao *p.* 3. §. 2. *n.* 8. & alii explicant, hoc intelligendum est, quando Judex non petit ostensionem privilegii, & sufficiens tempus lapsum est, in quo potuisset illius notitiam consequi, & per illum stetit, vel casu accidit, ut non haberet.

28 *Si merè gratiosum sit privilegium*, uti quidem illo privilegiarius potest, quin insinuetur aliis; sed his etiam insinuari debet, ut teneantur privilegiarium à privilegii usu non impedire. *Ratio est*, quia respectu illorum privilegium habet vim Legis, quæ ut obliget, debet esse manifestata *can. erit autem* 2. *dist.* 4. Non tamen requiritur notitia per publicationem solemnem, nisi privilegium universali Lege sit constitutum; sed sufficit publicatio singularis: manifestandum tamen est ostensione publici Instrumenti, vel saltem per testes omni exceptione majores, qui de concessione facta, & litteris expedita testantur, vel saltem testentur, publicè & coram omnibus privilegiatum, nemine prohibente, hactenus usum fuisse privilegio; aliàs fidem perfectam non facient in judicio. Palao *l. cit. num.* 1. post *Sylv. Suar. Mascard. &c.*

29 Dub. 3. quando concessio privilegii effectum habeat? Resp. cum distinctione; vel enim privilegium concessum est motu proprio concedentis, vel ad instantiam privilegiati per Litteras, vel Procuratorem facta. *Si motu proprio* (idem dicendum, si ad instantiam alicujus tertii, sine mandato tamen privilegiatii) concessum est privilegium, regulariter effectum non habet ante acceptationem, & consf. ante notitiam sufficientem privilegii dati. *At si privilegiatus ipse per Litteras, aut Procuratorem pro eo antea supplicavit*, effectum per se habet à die concessionis illius, & expeditionis, seu à die *datæ*, ut ajunt, & non primùm à die *præsentatæ*. Ratio est, quia privilegium, ut suprà dixi, se habet instar donationis, ad quam requiritur consensus utriusque, donantis, & donatatii, atqui consensus hic mutuus non adest *in primo casu*, cum motu proprio Princeps concedit privilegium, nisi illud insinuetur privilegiario, & hic illud acceptet: adest autem in *casu secundo*, cùm privilegiarius pro eo supplicavit, & Princeps concessit. ergo &c.

30 *Ex quo sequitur*, privilegiarium in primo casu regulariter ante notitiam privilegii sibi dati nec validè, nec licitè illo uti. Dixi *regulariter*; nam excipitur casus, quando Princeps per se, ac motu proprio concedens privilegium, vult illud statim habere effectum suum à die concessionis; quia hoc non excedit potestatem Principis, cùm etiam Leges, sive constitutiones possint trahi ad præterita, vel ad pendentia negotia, dummodo nominatim in iis de præteritis caveatur *c. fin. de Const.* Accedit, quia nonnulla privilegia à privilegiato tantùm auferunt onus aliquod, v. g. solvendi pœnam, Decimas &c. ergo non est ratio, cur ea non possint habere effectum suum illico à die concessionis, dummodo ex postfacto acceptentur à privilegiato, sicut à pari Legatum in Testamento relictum, secuta ex postfacto acceptatione, cedit, seu debetur Legatario à die mortis testatoris *l. si tibi* 86. §. *cùm servus* 2. *ff. de Legat.* 1. Reiffenstuel *hic n.* 45.

Contrà *in casu secundo*, licèt privilegiatus ignoret, privilegium sibi actu concessum fuisse, si tamen juxta privilegium operetur, validè operatur: idem dic de Dispensatione: & ratio est, quia jam accepit jus plenum. Dixi, *Validè operari:* regulariter enim non licet uti privilegio ante habitam concessionis notitiam; quia aliàs exponeret se periculo faciendi actum illicitum, vel omnino nullum. *Excipe*, nisi probabile sit, concessum jam esse privilegium; tunc enim, urgente necessitate licitus esse potest privilegii usus absque certiore ejusdem notitia. 31

Quæres, quæ scientia, notitia, & acceptatio privilegii sufficiat, ut verè privilegium tibi concessum valorem, & effectum habeat? Resp. sufficere, si acceptes per te, vel per tuum Nuntium, & Procuratorem, aut per Epistolam à te missam, qua beneficium, & privilegium petis, vel ultro datum acceptas. *Salas*, *Suarez*, *Sanchez*, *Bonacina*, quos citat, & sequitur Palao §. 2. *cit. n.* 10. Ratio est; quia talis acceptatio sufficit ad constituendam validam, & firmam quamlibet aliam donationem. ergo & privilegium, quod, ut dixi, est quædam donatio. 32

§. II.

De Privilegiorum Varietate.

SUMMARIUM.

PRivilegii, cujus natura hactenus explicita est, sunt variæ species; nam

1 Dividitur in Reale, & Personale, sumitur divisio hæc ex *c. mandata* 6. *de præsumpt.* ibi, *Quas non loco tribuimus, sed personæ*; & *l. privilegia* 196. *ff. de R. J.* ibi, *privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ. Personale* dicitur, quod proximè, seu immediatè, & directè ipsi personæ confertur in favorem illius, sive ratione ipsius personæ. *Reale*, quod proximè, immediatè, & directè confertur rei à persona distinctæ. *Neque obstat*, quòd utilitas privilegii etiam Realis ultimatè redundet in personam; nam cùm res inanimatæ utilitatis capaces non sint, necessarium hoc omnino est, ne inutile pror- 33

prorsus sit privilegium Reale. Porro res, quibus privilegium reale annecti solet, sunt duplicis generis; aliæ enim sunt *Corporea* ut Ecclesia, Monasterium, Castrum, fundus &c. aliæ *Incorporea*, ut Collegium, Universitas, vel alia Communitas, Episcopatus, Dignitas, Clericatus, status Religiosus, Doctoratus, vel alia qualitas à persona separabilis. Et hinc Realia sunt privilegium Asyliæ concessum Locis sacris, Canonis, & Fori concessum personis Ecclesiasticis, S. C. Macedoniani concessum filiisf. S. C. Vellejani concessum fœminis, Restitutionis in integrum concessum Minoribus &c. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 22. *q.* 2. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 3. *à n.* 3. Wiestner *hic n.* 17. Reiffenstuel *ibid. n.* 15.

34 Dub. 1. in quo privilegium personale differat à Reali? Resp. differunt inter se privilegia ista, quod privilegium personale sequatur personam, & cum ea extinguatur *Reg. in omnibus* 68. *ff.* & *Reg. privilegium* 7. *in* 6. Reale verò adhæreat rei, & propterea tamdiu duret, quamdiu durat res, cui annexum est privilegium. Porro hæc ipsa differentia causam dedit, ut DD. inter ipsa personalia, & realia privilegia aliquam diversitatem agnoscerent; nam aliqua ita communicantur personæ singulari, ut cum eadem etiam extinguantur; & hæc dicunt esse *Privilegia singulariter personalia*: alia ita adhærent rei, ut cum re ad hæredem transeant; & hæc appellant *Strictè realia*: alia, quia videntur participare aliquid de Reali, & aliquid de personali, vocant idcirco *mixta*. Porro inter ipsa etiam Mixta diversitatem aliquam distinguunt; nam aliqua ita conceduntur personæ, ut fiat etiam respectus ad statum, Dignitatem, Officium, munus, conditionem &c. ipsis adhærentem; & hæc appellant *Communiter personalia*. Alia sunt, quæ conceduntur certo Corpori, sive Communitati, e. g. Religioni, Universitati, Collegio, Monasterio &c. & hæc quia adhærent Corpori, neque cum singularibus personis extinguuntur, *Corporalia* dicunt. Sed meo judicio non videtur necesse tot distinctiones facere; nam omnia cætera, quæ cum persona non finiuntur, privilegii realis nomine venire possunt, sive deinde adhæreant Corpori, seu communitati, sive statui, & conditioni, sive, loco, aut fundo.

35 Dub. 2. quale privilegium, Reale, an personale sit, quod conceditur Religioni, Civitati, Monasterio, communitati &c. ita, ut non tantùm communitas quà talis illo uti possit, sed etiam singuli, ut sunt plurima privilegia Ordinum Religiosorum, status clericalis &c. Resp. esse Reale; quia licèt descendat ad personas singulas, non tamen iis communicatur, quà tales sunt, sed ob qualitatem communem sibi adhærentem, nempe quia sunt membra talis communitatis. Palao *tract.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 1. *n.* 2. Porro ut cognoscatur, an privilegium communitati concessum sit ita, ut singuli uti eodem possint, an verò ita duntaxat, ut eo uti possit tantùm communitas, considerandum est, an ejusmodi privilegium concessum sit sub nomine collectivo, & expresso ipsius communitatis, e. g. Collegii, Universitatis &c. & huic directè, ac immediatè; an verò concessum sit personis singularibus, ex quibus tale Corpus componitur. *Si primum*, censetur concessum communitati, quatenus hæc facit unum corpus, ita, ut non possint eo uti personæ singulares quà tales, sed tunc solùm, quando corpus suum collegialiter repræsentant. *Si secundum*, singulis separatim competit, illoque uti possunt singulares personæ, una independenter ab altera, & sufficit incorporatas esse tali Collegio, modò exerceant artem, studium, professionem &c. ad quam tale Collegium fuit institutum. Hinc privilegiis scholarium non gaudet studiosus, qui non studet, ut post *Abbatem*, advertit Konig *hic num.* 17. nec privilegiis Regularium, aut sui Ordinis Religiosus factus Episcopus, ut docet Pottel *Summ. Q. Q. Regul. V. Episcopus n.* 4.

36 Dub. 3 an Reale, vel personale censendum sit privilegium, quod conceditur personæ ob aliquam illius excellentiam, e. g. ob labores in bello exantlatos, ob ingentem victoriam reportatam, ob singularem scientiam &c. Resp. cum Palao *tract.* 3. *D.* 4. §. 1. *num.* 3. distinguendo: Vel enim privilegium hoc de tali materia est, ut ad hæredes, vel successores transmitti possit, vel ob incapacitatem materiæ non potest. *Si secundum*, personale est, quantumcunque verba aliud indicent; quia verba debent rebus accommodari. *Si primum*, attendenda sunt verba privilegii; nam si hæc diriganrur immediate in rem, officium, conditionem &c. ut si dicatur, *Concedimus Præpositura, vel Præposito Ecclesiæ Eystettensi &c.* censendum est Reale: nisi addatur aliquid, quod ad personam verba generalia revocet, ut si adderetur verbis suprà relatis, *ob ejus prudentiam, scientiam, vel sanctitatem singularem &c.* tunc enim concessio personalis censeri debet; quia non omnibus ejus Successoribus prærogativæ istæ necessariò competunt. *Contra* pro personali habendum est, si verba privilegii immediatè dirigantur in personam, eam exprimendo nomine proprio, vel etiam appellativo, *Concedimus tibi, Semproni, vel tibi Præposito Eystettensi pro tempore existenti*. *Excipitur*, nisi addantur verba, quæ perpetuitatem, & transmissionem privilegii ad successores denotent, ut si dicatur: *Tibi, & Successoribus tuis &c.* Idem est, si addatur, *Tibi in perpetuum concedo hanc facultatem*; nam vi hujus particulæ *in perpetuum*, ne frustra dicatur poni, ad successores extenditur. *Neque obstat*, quod etsi Contractus societatis dicatur factus esse in perpetuum, tamen ultra vitam contrahentis ille non extendatur; nam disparitas est, quia Socii non possunt hæredes obligare ad societatem *l. cum duobus* 52. §. *idem respondit* 9. *& l. ideo* 59. *ff. pro socio*.

Dub. 4. quid si neque ex materia Privilegii, neque ex forma, seu verbis ejusdem solvi dubium potest, reputandumne est esse reale, an personale? Exemplum sit formula, qua diceretur, *Tibi Eystettensi Episcopo concedo facultatem dispensandi &c.* nam cum verba hæc ad Dignitatem simul, & personam dirigantur, dubium meritò est, an ad personam ratione personæ, an vero ratione Dignitatis dirigantur. Putant nonnulli reputandum esse Privilegium personale; nam duplici præsumptione concurrente, una speciali, altera generali, prævalet specialis; sed personalis præsumptio magis specialis est; ergo pro personali in hoc dubio standum est. Sed rectius distinguunt Suar *l.* 8. *de LL. cap.* 3. *num.* 18. *&* 19. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 1. *n.* 6. Donat. *Prax. Regul. tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 4. *q.* 3. *num.* 2. Haun. *tr. proœm. num.* 160. Pirhing *hic num.* 7. Engl *n.* 4. Wiestner *n.* 18. Reiffenstuel *n.* 16. Vel enim privilegium omnino est favorabile, & continens merum beneficium Principis sine ullius onere, & præjudicio, & tunc censendum est esse reale, & extendi debet; quia beneficium concessum à Principe decet esse mansurum *Reg. decet* 16. *in* 6. & beneficium Principis plenissime interpretari debemus *l. fin. de Constit. Princip.* Vel privilegium est odiosum, quia est contra Jus commune, vel cedit in aliorum præjudicium, & tunc in dubio censendum est personale; quia odia sunt restringenda, & quę à Jure exorbitant, non debent trahi in consequentiam. *Reg. odia* 15. *& R. quæ à Jure* 28. *in* 6. ac proinde strictè interpretandum est, ut potius temporale præjudicium inferat, quàm perpetuum. Debet tamen hoc præjudicium grave esse; alias in considerationem non adducitur. *Neque obstat* Regula initio Dubii allegata; quia ut bene advertit Palao *loc. cit.* hoc solum intelligitur, quando præsumptio specialis generali opponitur: secus, si in generalem transeat. 37

2 Dividitur privilegium in merè gratiosum, & remuneratorium. *Remuneratorium* est, quod alicui conceditur in prœmium meritorum vel à se, vel à parentibus, & consanguineis ejus positorum; & talia sunt pleraque privilegia data Regularibus; quia his Summi Pont. præclara illorum merita in conversione Infidelium, defensione Fidei, administratione Sacramentorum &c. exhibita remunerari volebant. *Gratiosum* est, quod procedit ex mera liberalitate concedentis, & non ex merito, ut merito; quæ ultima verba addo: quia, ut bene advertit Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 3. *n.* 1. non obstat Privilegio gratioso, etiamsi in ejus concessione respiciantur merita privilegiati, modo non respiciantur ut merita, & ita, ut dans privilegium per hujus concessionem illa velit remunerari, & quodammodo satisfacere. Porrò facilè DD. conveniunt in hoc, quod privilegium merè Gratiosum possit esse reale, vel personale. 38

Dubium est, an Reale possit esse privilegium remuneratorium? Barbosa *in l. quia tale* 14. *ff. solut. matr. nu.* 14. putat illud semper ex natura sua esse personale; quod videtur etiam probare ratio; nam privilegium reale debet transire ad hæredes. Sed remuneratorium ad hæredes transire non potest; quia in his deficiunt merita, ob quæ conceditur privilegium. *Conf. ex Reg.* 68. *ff.* ibi, 39

In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat: & *l. quod Princip.* 1. *§. fin. ff. de Const. Princ.* ubi Ulpianus, *Quæ*, inquit, Princeps *ob merita indulsit --- personam non egrediuntur*.

40 *Sed dicendum*, privilegium remuneratorium in dubio quidem præsumi personale, posse tamen, & sæpe etiam esse reale. Ita Suar. *l.* 8. *de LL. cap.* 4. *n.* 8. Palao §. 3. *cit. num.* 2. *& seqq.* Haun. *tract. Proœm. nu.* 164. Vviestner *hic n.* 20. Reiffenstuel *ibidem n.* 17. Et quidem quòd in dubio præsumendum sit esse personale, patet ex eo, quia merita, in quibus fundatur, personalia sunt. Quòd verò possit esse reale, sumitur ex natura remunerationis; licèt enim de ratione istius sit, ut eam præcesserint merita, non tamen requiritur, ut hæc merita privilegiatus ipse posuerit; potest enim privilegium concedi filiis ob merita parentum & successoribus ob merita antecessorum.

41 Hinc cadit *Ratio dubitandi* in contrarium allata; quia sæpe Princeps, remunerans merita per privilegium, tantùm considerat relationem, quam habet is, cui conceditur privilegium, cum eo, qui posuit merita. *Ad Conf.* dico privilegium cum persona, quæ locum beneficio fecit, tunc solùm deficere, quando istud ab hac dependet tam in esse, quàm in conservari. atqui ostensum est, quòd sæpe non dependeat in conservari à conditione personæ, quæ locum beneficio fecit. Ad id, quod additur ex *l. quod Princip. cit.* dico, beneficium, quod Princeps concessit ob merita; personam non egredi per consequentiam, ut in exemplum trahi possit, prout habetur *Reg.* 74. *in* 6. posse tamen egredi personam, quæ posuit meritum, per intentionem ipsius concedentis privilegium, si scilicet iste ob unius merita beneficium illud velit concedere toti familiæ, communitati &c.

42 3 Dividitur Privilegium in purum, & Conventionale. *Purum* dicitur, quod conceditur, nulla interveniente pactione, vel conventione, ratione cujus ipsum privilegium, quodammodo emi, & compensari censetur; *Conventionale* autem, quando talis pactio, vel conventio intercedit, Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 4. *n.* 9. Palao *tract.* 3 *D.* 4. *p.* 2. §. 3. *n.* 1. *vers. quarto*. Konig *hic n.* 4. Reiffenstuel *ibidem n.* 19.

43 *Dubitant* aliqui, an detur revera aliquod privilegium Conventionale? Negat Bald. *in l. fin. C. unde liberi n.* 33 quia privilegium est gratia. Conventio autem inducit debitum, igitur sicut gratia non stat cum debito, ita nec privilegium cum conventione. *Sed hoc non obstante*, retinenda est sententia affirmativa, quam cum communi defendunt Suar. *n.* 9. *cit.* Palao *l. cit. n.* 2. Vviestner *hic n.* 21. quia licèt de natura privilegii sit, ut sit gratia, non tamen de natura ejus est, ut concedatur merè gratiosè; potest enim concedi vel merè liberalitatis, vel remunerationis etiam, sive debiti tribuendi gratia. *Ex quo patet ad Rationem dubitandi* oppositam; quia ad privilegium sufficit, si concedat aliquid ultra id, quod jure cautum est: & hoc per se gratia est, etsi per accidens aliquando proficiscatur ex debito.

44 *Majus dubium est*, an Privilegium Conventionale possit etiam esse personale? *Et ratio dubitandi est*, quia fundatur in pacto, & non in persona, & propterea neque ab ipso concedente revocari potest, ergo videtur esse privilegium reale, & per se perpetuum. Sed tenenda iterum est affirmativa sententia cum Palao *n.* 2. *cit.* & ratio est, quia concedi privilegium Conventionale potest personæ, vel officio, limitato tempore, vel in perpetuum. *Ad Rationem dubitandi* dico, privilegium hoc fundari in pacto, tanquam in occasione, & causa, ob quam concessum est privilegium; non verò tanquam in fundamento, cui annectatur ipsa concessio.

45 Quare, ut cognoscatur, an reale, vel personale hoc privilegium sit, attendenda sunt verba privilegii, & materia, circa quam versatur. Quodsi ponderatis omnibus, dubium sit adhuc, an reale, vel personale sit, præsumendum est esse reale. Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 103. *n.* 22. Barbosa *in l. quia tale ff. solut. matr. n.* 6. *fin.* Palao §. 3 *cit. n.* 5. & ratio est, quia hujusmodi privilegium sortitur rationem contractus, qui regulariter ad hæredes transit *l. juris gentium* 7. §. *pactorum* 8. *ff. de pact.*

46 4 Dividitur privilegium in id, quod concessum est ad preces, vel instantiam partis, & in id, quod concessum est motu proprio. *Primum* est, quod concessum est propter instantiam privilegiati, vel alterius qui ejus partes gerit, aliàs non concedendum. *Alterum* est, in cujus concessione Princeps à se ipso movetur independenter à qualibet alia intercessione.

Ubi tria notanda sunt, 1. non repugnat privilegio 47
concesso ex Motu proprio, quòd petitum sit hujusmodi privilegium, modò Princeps illud non dederit, ob petitionem hujusmodi, tanquam ob causam finalem. Menoch. *de arbitr. cas.* 201. *n.* 79. Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 1 *n.* 6. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 12. *n.* 6. *&* 7. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 6. *n.* 1. 2. Non censetur Motu proprio concessum privilegium, nisi in ipsa concessione sic exprimatur *c. si motu* 23. *de Præb. in* 6. & ratio est, quia moraliter impossibile est aliter probare, sic esse concessum. 3. Privilegium motu proprio concessum plenissimæ interpretationis est *c. quamvis* 4. cùm *ibi* notatis per Gloss. *V. plenissimè de Præb. in* 6. & plerumque saltem non potest argui Sub vel Obreptionis *cap. si motu cit.* Contrà illud, quod sine dicta clausula simpliciter ad preces concessum est, corruit propter falsa narrata, vel tacitam veritatem, quæ de jure ac stylo curiæ exprimi debuisset; subintelligitur enim semper illa tacita conditio, *si preces veritate nitatur c. ex parte* 2. *& alibi passim de Rescript.*

Dixi *Plerumque saltem*; non enim semper clausulæ 48
motus proprii in privilegio vitium Ob- vel subreptionis tollit: sed, ut bene advertit Palao *l. cit. num.* 4. *& seqq.* examinandum est, an à privilegiato pro privilegio impetrando sit facta aliqua supplicatio, vel non. *Si facta est, supplicatio*, disquirendum, an integra illa fuerit, vel diminuta, ita, ut si Princeps rescivisset veritatem, non fuisset concessurus privilegium. *Si integra fuit supplicatio*, clarum est, non posse dari subreptionem. *Si diminuta*, videndum, an tacita, à supplicante fuerit veritas aliqua intrinseca, quæ substantiam rei mutat, an verò solùm extrinseca aliqua, quæ rem non mutat. *Si taceatur veritas aliqua* intrinseca, v. g. si petens beneficium Ecclesiasticum taceat illud esse Regulare, vel unitum alteri Beneficio, aut Ecclesiæ, concessio nulla est, etsi fiat motu proprio; quia intentio concedentis fuit concedere Beneficium commune, quale fuit repræsentatum in supplicatione, & non affectum tali qualitate, cons. ex defectu intentionis invalidum est privilegium. *Si verò taceatur veritas aliqua extrinseca, & rem non mutans*, valida erit concessio, etsi Princeps fortè illud non fuisset concessurus, si veritatem integrè cognovisset; quia juxta communem DD. clausula *Motus proprii* vim istam habet, ut taciturnitas veritatis non vitiet gratiam, quæ motu proprio concedi dicitur, atqui si in nostro hoc casu taciturnitas supplicantis officeret, nullus dari casus alius posset, in quo valeret gratia ex taciturnitate veritatis facta. ergo &c.

Quodsi autem pro impetrando Privilegio nulla facta est, 49
supplicatio, videndum, an in concessione Princeps falsitatem exprimat, vel non. *Si falsitatem exprimit*, videndum, an status, qualitas, circumstantia falsò expressa talis sit, ut ea non extante, non soleat concedi privilegium: & tunc tale privilegium, & gratia irrita est, etsi addatur clausula *Motu proprio*; quia tunc Princeps non censetur aliter concedere privilegium, nisi quatenus intelligit rem sic se habere. Si verò nullam Princeps in Rescripto suo falsitatem exprimat, etsi fortè aliqua, aliàs exprimenda, taceat, firma est gratia, & per se loquendo nullum vitium subreptionis habet. Dixi *per se loquendo*; potest enim ex aliis causis irritari: & 1. quidem, si cedat in præjudicium tertii; quia non censetur concedens juri alteri acquisito derogare, nisi illius mentionem faciat. 2. Si sit adversùs constitutum municipale, & consuetudinem receptam, ob eandem rationem. 3. Si concedatur alioquin inhabili, e. g. Beneficium Ecclesiasticum illegitimo, irregulari, excommunicato, non impetrata priùs dispensatione illius impedimenti; quia clausula Motus proprii solùm significat concedentem moveri à se ad privilegii concessionem, non verò significat se dispensare in hujusmodi impedimentis, & inhabilitatibus.

5 Aliud dicitur privilegium absolutè concessum, aliud 50
sub conditione, & modo. *Absolutè concessum* dicitur, quod conceditur sine onere privilegiarii; *sub conditione, & modo*, quod conceditur sub conditione, vel sub onere alicujus operis efficiendi. Palao *tract.* 3. *D.* 4. *p.* 3 §. 7. *num.* 1.

Du-

51 *Dubitatur*, quando omissio operis, sub cujus onere conceditur Privilegium, irritet ejus usum? Resp. cum distinctione: Vel enim opus injunctum debet antecedere usum privilegii, vel fieri id potest etiam post illius usum. *Si hoc secundum*, omissio illius non facit irritum privilegii usum; quia jam supponitur usus legitimus privilegii: sic valida est absolutio à reservatis, quam obtinuisti cum obligatione comparendi, etsi obligationi huic postea non satisfacias, quamvis omittendo pecces.

52 *Si primum*, irritus est privilegii usus, si opus ejusmodi omittatur; censetur enim privilegium concedi sub conditione illius operis, quæ cùm non impleatur, privilegium ex intentione concedentis nullum est, Palao *loc.cit. num.* 2. qui *n.* 3. infert, si detur privilegium dispensandi absolvendi, puniendi aliquem cum consilio alterius, nullam esse absolutionem, dispensationem &c. si consilium omittas petere: nam consilium ex natura sua antecedit actum. Igitur cùm secundùm dicta omissio operis, sub cujus onere concessum est privilegium, irritet ejus usum, quando illud antecedere deberet usum, pariter irritus erit in nostro casu usus Privilegii, si non antea ad hoc petitum fuit consilium.

53 Dixi, *Si consilium omittas petere*; quia sequi non teneris, nisi addatur, *Cum consensu illius, à quo consilium petitur*. Ratio est, quia non semper juberis consilium sequi, quando juberis illud postulare: atque hinc si in casu posito petas quidem consilium, sed consilium datum non sequeris, adhuc valebit actus.

54 6 Aliud Privilegium dicitur *Clausum in corpore Juris communis* aliud *Datum per Rescriptum speciale*. *Prius* est, quod inter alias Leges Corpori Juris insertum est; & talia sunt Privilegia Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, quæ passim habentur tam in Corpore Juris Canonici, quàm Juris Civilis, præsertim *C. de SS. Eccl.* item *C. de Episc. & Cler.* *Neque obstat* quod privilegium sit Lex privata, ut dictum est *n.* 2. & propterea distinguatur à Lege communi, quòd hæc pro omnibus lata sit, cùm privilegium certarum solùm personarum favorem respiciat; hoc enim nihil impedit, quo minùs Lege communi contineatur, sed aliquando etiam valde utile est, ut sic ejusmodi privilegium sciatur ab omnibus, & privilegiati ab ejus usu non impediantur. *Alterum* privilegii genus, scilicet *datum per speciale Rescriptum* est, quod extra corpus Juris certæ alicui personæ communitati, vel loco, specialiter per Litteras, Diploma, Bullam, vel Indultum concessum est.

55 *Differunt inter se* 1. quòd Privilegium clausum in Corpore Juris Judex ignorare non debeat, vel saltem non præsumatur: & idcirco si contra tale privilegium ipse privilegiato injungat comparitionem in Judicio, vel quid aliud, privilegiatus non tenetur obedire, vel comparere, aut de comparitione se excusare *c. sanè* 5. *& c. cum ad quorundam* 7. *de Excess. Prælat.* At si Judex mandet, vel aliquem citet contra privilegium specialiter datum, & positum extra Corpus Juris, privilegiatus tenetur comparere saltem pro reverentia Judicis, & privilegium suum exhibere *c. cùm persona* 7. *hoc tit. in* 6. *& l. siquis* 5. *ff. de Judic.* quia cùm sit facti, ignorari potest à Judice.

56 *Differunt* 2 quia Privilegia extrà Corpus Juris plerumque sunt temporalia, & strictæ interpretationis, nec extenduntur extra personas, quibus concessa sunt; clausa verò in Corpore Juris ordinariè sunt perpetua, & recipiunt interpretationem, & aliquando ex paritate rationis extensionem, sicut ipsæ Leges communes. Engl *hic n.* 2. *v. deinde*, Konig *ibid. n.* 8.

57 7 Dividitur privilegium in id, quod est contra Jus, & in id, quod est præter Jus. *Contra Jus* dicitur illud, quod derogat Juri communi, ut est exemptio à solvendis Decimis, à Jurisdictione Ordinarii &c. *Ultrà*, vel *præter Jus* dicitur esse, quod concedit favores peculiares in Jure non expresso, veluti est potestas absolvendi à reservatis, dispensandi &c. Sannig *hic c.* 1. *nu.* 4. Engl *num.* 5. Reiffenstuel *n.* 7.

58 *Differunt* 1; quia privilegium contra Jus dicitur propriè Privilegium *arg. l. Jus singulare* 16, *ff. de LL.* ibi, *Jus singulare* (quo nomine intelligitur Privilegium) *est, quod contra tenorem rationis* (scilicet contra rationem Juris communis, seu Legis) *propter aliquam utilitatem authoritate constituentium introductum est*. Contrà privilegium præter Jus non est ita strictè privilegium, sed potiùs dicitur beneficium Principis, seu gratia ab isto concessa præter Jus. Reiffenstuel *n.* 8. 2. differunt, quia privilegium contra Jus commune est strictæ interpretationis *arg. c. porro* 7. & *c. sanè* 9. *hoc tit.* Privilegium verò præter Jus, cùm sit mera gratia, & beneficium, latè interpretari debet, Reiffenstuel *n.* 9.

Dividitur in privilegium Commune, & Privatum, seu singulare. *Commune* dicitur, quod primò, & per se respicit bonum communitatis, cui conceditur, licèt in istius membra etiam redundet, ut sunt privilegia Canonis, & Fori, & Competentiæ, concessa toti Ordini Ecclesiastico. *Privatum*, seu *Singulare*, quod primò, & per se respicit bonum personarum particularium, licèt mediatè etiam ipsum spectet bonum commune, cujus interest v. g. imbecilles defendi, bene meritos remunerari &c. & tale privilegium est beneficium restitutionis in integrum concessum minoribus &c. Abb. *in c. si diligenti* 12. *de for. compet.* Suarez *lib.* 8. *de LL. c.* 6. *num.* 1. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 4. *n.* 2. Haun. *tr. proœm. n.* 168. Vviestner *n c n.* 24. Reiffenstuel *n.* 22. 59

Differunt præcipuè in hoc, quòd privilegio communi à privatis renuntiari nequeat; possit autem privilegio singulari, regulariter loquendo; cujus discriminis ratio hæc est, quia favori pro se principaliter introducto quilibet renuntiare potest; talis favor est privilegium singulare, non autem commune: ergo &c. Addidi autem *Regulariter*; nam si renuntiatio Privilegii singularis cederet in præjudicium alterius, neque ipsi renuntiare posset. Suarez *num.* 4. *cum citt.* 60

9 Dividitur in Perpetuum, & Temporale. *Perpetuum* dicitur, non quasi amitti non possit, sed quia ex se, & nisi revocetur, durat perpetuò: & talia sunt, quæ vel absolutè, & sine limitatione temporis alicui conceduntur, vel adhærent rei ex se perpetuæ, ut est privilegium concessum Ecclesiæ, Ordini Religioso, Statui, vel Dignitati certæ &c. 61

Temporale verò est, quod de se tempore limitato finitur. Hoc tripliciter fieri potest, 1. Ex parte ejus, cui conceditur, si scilicet concedatur personæ tantum, etiam ad tempus vitæ; nam comparatione facta ad privilegium reale perpetuum, temporale est, & finitur cum persona, 2. Ex parte concedentis, quando conceditur pro sola concedenti vita, vel pro limitato aliquo tempore, 3. Ex parte ipsius Privilegii, si concedatur sub aliqua conditione, quæ lapsu temporis finitur, Suarez, *l.* 8. *de LL. c.* 5. *n.* 1. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 2. *n.* 1. *&* 2. Sannig *hic c.* 1. *n.* 5. Pirhing *num.* 8. Reiffenstuel *n.* 18. 62

10 Dividitur in Favorabile, & Odiosum. *Favorabile* est, quod ita favorem continet, ut nemini incommodum afferat; tale est privilegium audiendi Missam tempore Interdicti, vescendi lacticiniis, & carnibus in Quadragesima faciendi Testamentum sine Juris solemnitate &c. 63

Odiosum dicitur, quod ita favet privilegiato, ut simul alteri afferat præjudicium; & tale est privilegium, quo eximitur aliquis solvendis Decimis: nocet enim illi, cui aliàs debebantur Decimæ; etsi prosit habenti hanc exemptionem, Azor *p.* 1. *l.* 6. *c.* 23. *q.* Suarez *l.* 8. *de LL. c.* 6. *n.* 5. Bonacina *D.* 1. *q.* 3. *p.* 1. *n.* 21. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *part.* 2. §. 4. *num.* 3. Konig *hic num.* 5. post *Bald. Abb. Tiraquell. &c.* 64

11 Dividitur in Affirmativum, & Negativum: *Affirmativum* est, quod facultatem concedit, ad aliquid efficiendum. *Negativum*, quod concedit facultatem ad omittendum. 65

Differunt inter se, 1, quia Negativum semper est contra Jus certum, vel dubium, dum potestatem dat omittendi, ad ponendum obligatur de Jure cæteri: Affirmativum verò aliquando est contra Jus, aliquando præter Jus; consistit enim in actione, quæ potest esse Juri communi adversa, vel saltem ab illo non concessa, 2. *Differunt*, quia negativum semper est oppositum præcepto affirmativo; Affirmativum non semper oppositum est præcepto, & cùm opponitur, negativo opponitur. Suarez *c.* 6. *n.* 9. Palao §. 4. *n.* 1. 66

12 Dividitur in Privilegium pro foro conscientiæ tantùm, & in Privilegium pro foro etiam externo. *Primum* prodest habenti solùm in foro interno; nam in externo se gerere debet, acsi privilegium non haberet. *Alterum* prodest in foro utroque, externo, & interno, ita, ut qui secundùm id operatur, in utroque foro securè operetur, Suarez *cap.* 6. *num.* 11. Palao §. 5. *num.* 4. 67

Et

Et hinc sequitur, prout bene *cit. Palao* notat, quò privilegium datum pro foro externo concedat publicum usum sui; datum verò pro interno duntaxat foro concedat solummodo usum sui occultum, minimè inservientem pro foro Judiciali externo.

68 13 Dividitur in Scriptum, & non scriptum. *Non scriptum* est, quod verbotenus à Principe concessum, vel præscriptione, aut legitima consuetudine est introductum *Scriptum* est, quod per Scripturam conceditur. Porrò hæc Scriptura debet esse authentica, & obsignata Sigillo Principis, ut fidem faciat in foro externo. Ut verò Privilegium in Transumpto fidem faciat, olim necesse erat citari partem, cujus interest, ut compareat ad contradicendum, quemadmodum advertit Covar. *qq. pract. cap.* 2. *circ. fin.* Rodriq. *qq. Reg.* 8. *art.* 16 Palao §. 5. *num.* 1. de facto tamen, *ut citat. Palao* notat, post *Clem. V.* ferè semper in omnibus Privilegiis, specialiter quæ Religionibus conceduntur, solet apponi clausula, ut transumptis etiam impressis habeatur fides integra, modò sint manu Notarii publici subscripta, & Sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munita.

69 14 Denique aliud est privilegium cuipiam per se primò specialiter concessum, aliud concessum ad instar. *Illud* est, quod cuipiam conceditur sine ordine, ac respectu Privilegii prius alteri concessi. *Istud* verò, quod conceditur ad instar Privilegii priùs alteri concessi i. e. eo modo, ac forma, sub qua illud alteri convenit: qualia privilegia complura conveniunt Religionibus, communicationem Privilegiorum habentibus, Reiffenstuel *hic num.* 20.

§. III.

De Modis acquirendi Privilegia.

SUMMARIUM.

TRibus modis acquiri privilegia possunt, 1. Per ipsam actualem concessionem Superioris, 2. per communicationem, 3. per præscriptionem, aut consuetudinem legitimam.

70 Quæritur 1. quid intelligatur nomine concessionis? Resp. per concessionem intelligi actum, quo simpliciter, & sine respectu ad aliud privilegium præexistens jus singulare conceditur, Konig *hic n.* 11.

Dub. 1 quis concedere privilegium possit? Resp. omnis, & solus ille, qui Legem potest condere, Sylvest. *V. Privilegium q.* 2. Suarez *l.* 8. *de LL. c.* 8. *n.* 2. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 22. *q.* 3. Sala *D.* 17. *sect.* 3. *à num.* 17. Bonacina *D.* 1. *q.* 3. *p.* 3. *n.* 1. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 1 Begnud. *V. Privilegium n.* 10. Gonzalez *in c. si de terra* 6. *hoc tit. num.* 4. Engl *hic nu.* 9. Konig *num.* 10. Vviestner *nu.* 5. Reiffenstuel *num.* 25. Ratio est, quia privilegium est Lex privata, & privilegiatum sæpe ab observatione Legis communis eximit, cæteros verò obstringit, ne ipsum impediant ab usu privilegii. Atqui obligationem præcipiendo, vel prohibendo imponere, & à Juris communis observatione aliquem eximere Legislatore, inferior nequit *arg. can. inferior* 4. *dist.* 21. *& c. cùm inferior* 16. *de major. & obed.*

71 Dub. 2. Quis in specie conferre Privilegium possit? Resp. 1 concedere privilegium potest Summus Pontifex; & quidem in materia spirituali indistinctè in toto terrarum Orbe; circa temporalia verò directè, & per se in suo territorio tantùm, ubi dominium habet temporale; in Laicorum autem ditionibus solùm indirectè, quatenus videlicet opus est per ordinem ad Spiritualia, Palao *n.* 1. *citat. Vers. quocirca*, Pirhing *hic n.* 9. Konig *nu.* 10 Reiffenstuel *num.* 26. Et hoc verum est non tantùm de privilegio concessivo ultra Jus commune, sed etiam de dispensativo in Jure communi; nam Pontifex Legem Ecclesiasticam sibi subjectam habet simpliciter: Civilem vero eatenus, quatenus opus est ad bonum commune Ecclesiæ.

2 Privilegia conferre possunt Episcopi, & alii Prælati Papa inferiores *per c. cum olim* 14. *hoc tit.* sed magis limitatè; nam dispensare solùm possunt in Legibus à se conditis, vel à suo antecessore, non verò contra Jus commune, nisi quatenus hoc illis, vel de Jure, vel de consuetudine concessum est, Suarez *c.* 8. *cit. n.* 9. *cum reliquis suprà.* 72

3 Dubium non est, Privilegia conferre posse Imperatores, Reges, & Principes temporales in sua materia, & ditione; cùm enim habeant supremam potestatem ferendi Leges, etiam privilegia possunt concedere,

Alii inferiores Magistratus autem, qui superiorem in temporalibus recognoscunt, privilegia, sicut & Leges dare possunt solùm in iis, in quibus hoc ipsis conceditur à superiore, Suarez *n.* 11. Pirhing *n.* 9.

Dub. 3 quibus concedi privilegia possint? Putant aliqui, non posse privilegia concedi, nisi subdito concedentis, ex ratione; quia privilegium est quædam Lex, quæ non fertur nisi pro subditis: item sæpe eximit ab obligatione Legis, quæ non afficit, nisi subditos. 73

Sed distinguendum est inter privilegia, quæ sunt contra Jus, & dispensativa Legis, & inter ea, quæ sunt præter Jus, & merè, concessiva gratiæ. *Primi generis* privilegia dari non possunt, nisi subditis, qui Lege arctantur; & ratio est, quia dispensatio est actus Jurisdictionis voluntariæ, quæ non nisi erga subditos exerceri potest; supponit enim potestatem ferendi Legem, & præceptum obligans illum, quem eximit dispensando, Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 4. *n.* 2. Vviest. *hic n.* 7. Reiffenstuel *n.* 27. *Excipitur*, nisi Lex illa, contra quam privilegium datur, talis sit, ut ea obligentur etiam extranei, qui in tali territorio versantur, qualis est Lex imponens vectigal, prohibens exportationem mercium, vel usum certorum armorum, præscribens certam formam contractui &c. nam contra ejusmodi Leges privilegia concedi possunt etiam extraneis, & si indigenis tale privilegium concessum sit, eo uti etiam non subditi possunt. 74

Secundi generis privilegia concedi possunt etiam non subditis, Suarez *l.* 8. *de LL. c.* 9. *n.* 4. Palao *n.* 2. *cit.* Engl *n.* 9. Pirhing *n.* 10. *cum citt.* Ratio est, quia talis privilegii concessio est actus meræ liberalitatis. Sicut ergo quivis, etiam non subditus, capax est donationis, ita & privilegii hujusmodi gratiosi. Debet tamen privilegium ita datum esse de materia subjecta Principi danti privilegium, & circa quam subditos ille potest cogere, ne privilegiatum ab usu privilegii impediant. Et talia privilegia frequentissimè conferuntur non subditis; nam ita Imperator Theodosius, ut refertur *canon. quicunque* 35. *caus.* 11. *quæst.* 1. concessit Judicibus Ecclesiasticis, ut possint cognoscere, & directè judicare causas temporales Laicorum, quod Jure communi ipsis non est concessum; ita ab Imperatore sæpe conceditur, & concedi potest externis privilegium scribendi militem in terris Imperii, invehendi merces in Provinciam &c. ita Ecclesiis, & Ecclesiasticis tum Jure communi, tum speciali Diplomate concessa sunt multa privilegia &c. 75

Ad rationem in contrarium allatam privilegium est Lex, non respectu privilegiati (nam huic per privilegii concessionem obligatio nulla imponitur) sed respectu cæterorum Legislatori subditorum, quos obligat, ne illum impediant ab usu privilegii sui. *Ad Conf.* patet ex dictis; nam ab iis Legibus, quibus obligantur etiam extranei, per privilegium ipsi eximi possunt. 76

Quæritur 2 quomodo communicentur privilegia? Resp. communicari possunt dupliciter, per extensionem ejusdem privilegii, & per concessionem similis, quod idcirco *privilegium ad instar* dicitur. *Primo modo* communicatio privilegii fit, quando unum privilegium, & idem, quod aliquibus personis antea concessum erat, ad alios æquè extenditur, illos quasi aggregando cæteris, qui antea gaudebant eo privilegio; & tunc si augeatur, vel minuatur privilegium in his, quibus fuit primò concessum, augetur, & diminuitur 77

in

in omnibus aliis; quia omnes æquè primariò privilegio illo gaudent.

78 *Secundo modo* communicatio privilegii, & *ad instar* dicitur; cùm ad exemplum, & similitudinem alterius concessum est, ut Princeps dicat: *Concedo tibi privilegium idem, quod concessi Sempronio*. Hoc iterum fieri duplici modo potest, 1. non per se, & non æquè principaliter, sed quasi accessoriè, & dependenter ab eo, cui concessum fuit primò, & principaliter, quo modo privilegia Religionum sæpe communicantur earum familiaribus, Dominorum servis, Religiosorum Monialibus; quo casu si augetur, restringitur, vel revocatur privilegium in persona eorum, quibus concessum est principaliter, necessariò augetur, restringitur, aut revocatur etiam in persona eorum, quibus communicatum est minùs principaliter; non autem vicissim: & ratio est, quia accessorium sequitur principale. *Reg. accessorium* 42. *in* 6. 2 concedi privilegium *ad instar* potest directè, per se & æqualiter, ita, ut is, cui communicatur, eo uti possit eodem modo, quo prior poterat, & ipsum privilegium fiat ejus proprium, nonminùs, quàm si tali personæ, vel loco fuisset primò concessum; & tùnc si augeatur, restringatur, aut revocetur privilegium illi, cui priùs datum fuit, non augetur, restringitur, vel minuitur illud aliis, quibus deinde *ad instar* concessum est; quia tali casu utrumque stat per se, ut re ipsa distinctum, & licèt sit ad instar priùs concessi, ab hoc tamen non dependet, sed istud tantùm fuit adductum in exemplum, & similitudinem ad determinandam voluntatem concedentis.

79 Dub. 1 quid requiratur, ut privilegium concessum *ad instar* valeat? Resp. præter ea, quæ §. 1. dixi, requiri ad valorem cujuscunque privilegii, ad valorem privilegii *ad instar* requiritur necessariò ut privilegium illud, ad cujus similitudinem concessum est, valorem, atque effectum habeat, & verè sit privilegium; aliàs concessio erit nulla, Suarez *l.* 8. *de LL. c.* 15. *n.* 6. Bonacina *D.* 1. *q.* 3. *p.* 7. *n.* 10. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 8. *n.* 2. Ratio est, quia cùm privilegii ad instar totum esse sit illud aliud, sequitur, si illud effectu careat, etiam privilegium ad instar effectu cariturum.

80 Sufficit autem, si effectum, & valorem habeat eo tempore, quo confertur beneficium, seu privilegium ad instar illius: & hinc etsi deinde per non usum, vel revocationem Superioris aboleatur privilegium illud prius, non id circo cessat privilegium ad instar, nisi accessoriè duntaxat concessum sit; cons. etsi Religio, cui primò concessum est privilegium aliquod, per non usum fortè illud amiserit, adhuc tamen aliæ Religiones, quæ communicant in eo privilegio, uti eodem poterunt. Ant. à S. Spirit. *Direct. Reg. tr.* 1. *D.* 1. *sect.* 3. *n.* 51. Engl *hic n.* 11. Pirhing *n.* 26. Reiffenstuel *n.* 69.

81 Imò existimat Palao, §. 8. *cit. n.* 4. valiturum probabiliter privilegium tuum, si hoc tibi concessit princeps ad instar illius quod habet Petrus, etsi illud Petrus non usu, vel renuntiatione amiserit, modò privilegium Petri fuerit aliquando validum, & firmum; *Rationem* dat, quia videtur facta concessio privilegii ad similitudinem illius, quod Petro aliquando concessum est, neque censetur princeps alligare velle valorem recens concessi privilegii valori præsenti, quem habet privilegium Petri, sed præterito.

82 Addit idem *Palao* cum *Felino Mandoso*, *Suarez*, *Bonacina*, etsi privilegium, ad instar cujus princeps concedit aliud, nunquam fuerit validum, & firmum, quia reipsa concessum non est, si tamen Princeps in concessione sufficienter exprimat, quid concedat, e. g. *Concedo tibi hanc, vel illam potestatem dispensandi in Votis &c. sicut habet Petrus*, probabiliùs privilegium ad instar concessum non fore nullum; quia illud, *Sicut habet Petrus*, non videtur apponi ut conditio, sed solùm ut exemplum. Atque hinc disparitas est inter datum ad instar, quando simul explicatur, quid concedatur in privilegio, & inter datum ad instar, non expresso modo communicationis; nam hoc secundum necessariò nullum est, cùm nesciat privilegiarius, quid ipsi concedat dans privilegium, nisi privilegium, ad instar cujus datur, existat.

83 Dub. 2 quænam privilegia participentur per *communicationem*? Resp. considerandum, an communicatio fiat absolutè, & pariformiter, an solùm limitatè, & ex parte. *Si hoc secundum*, quantum communicetur ex privilegio priùs concesso alteri, id desumendum est ex tenore privilegii cum tali limitatione concessi. *Si primum*, is, cui facta est talis communicatio, participat omnia privilegia & eodem modo, quæ, & quo modo defacto alter habet, vel habuit ille, cujus privilegia participantur. *Excipi* tamen debent 1. privilegia quæ post communicationem acquiruntur ab eo, cujus privilegia communicantur, nisi communicatio expresè extendatur etiam ad futura, Konig *hic n.* 12. cum aliis, 2. privilegia omnia extraordinaria, quæ Princeps non videtur in specie concessurus, ut ex Ant. de Burr. *cons.* 19. notat Fagnan. *in c. tuarum* 11. *hoc tit. n.* 24. 3 privilegia localia, ut quæ censentur ad certum locum restricta; item illa, quæ ob certam, & specialem causam, seu respectum data sunt; aut quæ in eos, quibus fit communicatio, propter defectum certæ qualitatis non quadrant. Donat. *privil. Reg. p.* 1. *tr.* 7. *q.* 14. *&* 15.

Dub. 3 Si concedatur alicui Beneficium, Canonicatus, Cathedræ &c. his terminis *Concedo tibi, sicut habuit tuus antecessor*, an succedat ille non solùm in iis, quæ Jure Ordinario Beneficio, vel Canonicatui annexa sunt, sed etiam in privilegiis personalibus, si fortè illa habebant antecessor. *Ratio dubitandi est*, quia in privilegiis personalibus non datur successio, sed illa cum persona extinguuntur. 84

Sed dicendum, si modus concessionis novus sit, & antea non usitatus, credi debere, quòd Princeps concedere voluerit Canonicatum, & præbendam, non tantùm cum his, quæ Jure ordinario ei erant annexa, sed etiam, quæ ex particulari privilegio eidem annectebantur; quia aliàs ille specialis modus, & forma concessionis frustra esset appositus. Et ita contra Barbosa *in l. quia tale ff. solut. matr. n.* 1. docet Suarez *l.* 8. *de LL. c.* 15. *n.* 11. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 8. *n.* 5. qui ita decisum narrat in casu Cantoriæ Compostellanæ Ecclesiæ, quam Ludovicus Henriquez obtinuit simul cum alio quodam Canonicatu. Post hujus mortem frater ejus Antonius de Castro petiit à Pontifice utramque præbendam, eo modo, quo frater ejus obtinuerat. Cùm annuisset Pontifex sub clausula, *Sicut prædecessor suus obtinuit*, dubitatum fuit, an vi istius clausulæ fuerit dispensatum tantùm super utraque præbenda, simul super Cantoria uni earum annexa, & decisum fuit secundum in favorem supplicantis. 85

Ad rationem dubitandi dico, per se loquendo quidem non dari successionem in privilegiis personalibus, posse tamen voluntate Principis etiam ipsa transferri in Successorem; si enim de novo dare privilegium potest, cur non datum ad Successorem extendere? 86

Dub. 4 an, & qualis communicatio privilegiorum defacto detur inter Regulares? Resp. hoc pendere ex mente, & voluntate Pontificis. Defacto Mendicantes per Bullam Leonis X. generalem inter se communicationem privilegiorum habent, & per alias Bullas etiam cum non Mendicantibus, ut videre est apud Tambur. *D.* 17. *q.* 2. *n.* 8. De non Mendicantibus videnda sunt specialia Decreta Pont. 87

Universim circa communicationem privilegiorum datam Ordinibus Religiosis notandum 1. non communicari privilegia unius Religionis alteri, si ex ejusmodi communicatione observantia Regularis labefactaretur. Rodriq. *tom.* 1. *Reg. q.* 55. *art.* 2. Suarez *l.* 8. *de LL. c.* 17. *n.* 3. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 9. *n.* 2. Ratio est, quia Pontifex per concessionem hujusmodi communicationum non intendit Religionem destruere, sed fovere. Hinc Privilegia Ordinum militarium habendi proprium, testandi &c. non communicantur cœteris non militaribus. 88

2 Ut privilegia, de quibus cavetur, ne aliis communicentur (sicut fit in *Bulla Gregorii XIII.* incipit *Satis, superque*, & in *Bulla Gregorii XIV.* quoad aliqua privilegia Societatis Jesu) concessa per communicationem censeantur aliis, necessaria est specialis clausula, quæ deroget huic prohibitioni; alias non censebuntur communicata, Suarez *loc. cit. n.* 8. Palao *n.* 3. 89

3 Religiosi aliorum Ordinum, quibus communicantur privilegia Societatis Jesu, privilegiis sibi communicatis uti possunt, quamvis per suos Præpositos non fuerint ipsis communicata; quia licèt hoc non possint Religiosi Societatis per *Bullam Gregorii XIII.* incipit *Ad futurum*, restrictio tamen illa solùm adjecta est ob specialem modum, quem habet Societas in suo Regimine, & cons. non urget in Religiosis aliorum Ordinum, in quibus non est hic specialis modus. Rodriq. *q.* 55. *cit.* 17. *v. secundum dubium*, Suarez *n.* 6. Palao *n.* 4. Reiffenstuel *hic n.* 68. *Exci-* 90

cipi-

cipitur, nisi talis restrictio addatur ipsi privilegio ad coarctandum ejus favorem; hæ enim limitationes procul dubio communicantur aliis Ordinibus, cùm non communiecent majorem favorem, quàm sit datus à principali concessione, Herinx *D.* 4. *de LL. quæst.* 6. *num.*28. Reiffenstuel *loc. cit.*

91 4 Privilegia, gratiæ, & Indulgentiæ, concessæ alicui Religioni in honorem aliquorum SS. sui Ordinis, transferuntur ad omnes Religiones, quæ cum illa Religione in privilegiis communicant, hac proportione servata, ut sicut prima Religio in Festo e. g. sui Fundatoris proponere fidelibus Indulgentias potest, ita etiam cæteræ proponere Indulgentias similes possint in Festivitate suorum Fundatorum &c. hoc enim operatur illa communicatio privilegiorum, Rodriq. *l. cit. art.* 20. adducens *Bullam Julii II.* in qua id fuit declaratum, Suarez *n.* 7. Palao *n.* 5.

92 5 Communicantur tantùm privilegia communia toti Ordini, stabilia, & quæ huic concessa non sunt ob rationem aliquam specialem. Hinc 1. privilegium concessum uni Religioso non communicatur aliis Religiosis; quia talia privilegia sunt personalia, & in aliis plerumque cessat ratio concessionis v. g. prærogativa meritorum, personæ habilitas &c. Reiffenstuel *n.* 60. 2. non communicantur privilegia concessa aliquibus Ecclesiis ad tempus determinatum, ut sunt Indulgentiæ per tot, & tot annos concessæ in honorem alicujus Sancti, Ant. de S. Spir. *Direct. Reg. tr.* 1. *sect.* 3. *n.* 42. Donat. *p.* 1. *tom.* 1. *D.* 7. *q.* 14. & 15. Reiffenstuel *n.* 61. 3. id ipsum juxta *cit.* & alios DD. asserendum est de privilegiis, quæ concessa sunt ob aliquam specialem rationem, ut quando Indulgentia concessa est uni loco speciali, quia ibi est Imago B. V. Mariæ in magna veneratione fidelium. Et ob hanc causam communiter tenent DD. vix uno, vel altero excepto, Indulgentiæ portiunculæ non communicantur Ecclesiis aliorum Ordinum præter Ordinem S. Francisci. Idem asserendum de Altaribus privilegiatis ob specialem rationem talis Altaris, Reiffenstuel *n.* 62.

93 6 Si communicationi addantur nova quædam privilegia, non propterea iisdem gaudebit Religio, aut privatus, cujus privilegia communicata sunt; quia dari possunt secundo privilegiato sine respectu ad primum; unde ad hunc effectum necesse est, ut communicatio sit mutua; alias tenebit Regula generalis, quod privilegia ultra personas, vel res expressas extendi non debeant. Engl *hic num.* 11.

94 Quæritur 3. an per consuetudinem, vel præscriptionem acquiri privilegium possit? Resp. affirmativè. Colligitur ex *c. novit* 13. junct. Glossa *V. consuetudinem de Judic.* ubi Innoc. III. consuetudinem æquiparat privilegio; idem habetur *can. conquæstus* 8. *caus.* 9. *q.* 3. & *c. super quibusdam* 26. *vers. præterea de V. S.* estque teste Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 5. *n.* 2. doctrina communis omnium. *Probatur ratione*: nam privilegium vel est contra Legem, vel præter Legem, *primum* acquiri potest per consuetudinem communem, & legitime introductam; quia hæc abrogare Legem in totum potest: igitur multò magis ex parte illi derogare, seu specialem facultatem concedere aliquid agendi contra communem Legem. *Alterum* obtineri potest etiam per consuetudinem privatorum, seu præscriptionem legitimam; nam per ejusmodi consuetudinem, quæ inducitur via præscriptionis, acquiri potest Jurisdictio *c. duo simul* 9. & *ibi* Glossa *V. consuetudo de Offic. Jud. Ordin.* item jus exigendi Tributa, & Pedagia *c. super quibusdam cit.* & *ibi* Glossa *V. non extat memoria*; cur non alia privilegia?

95 Neque ad hujusmodi consuetudinem, vel præscriptionem requiritur consensus Principis alius, quàm qui datus est *c. fin. de consuet.* & *l. de quibus* 32. *ff. de LL.* Requiritur tamen certum tempus, in quo designando non conveniunt DD. Aliqui immemoriale assignant: sed hi denotasse videntur tempus sufficiens universim; nam minori etiam tempore induci per consuetudinem, vel præscriptionem privilegia possunt: quod varium est pro qualitate rei præscribendæ, & illius, contra cujus Jura præscribitur. Contra Ecclesiam 40. annorum spatio privilegium, vel exemptio aliqua præscribi potest, contra privatos 30. imò contra hos aliquando sufficit decennium. Videantur ea, quæ dicta sunt *ad lib.* 1. *tit.* 4. *de Consuetud.* & *ad lib.* 2. *tit.* 26. *de præscrip.*

96 *Dubium est*, an, quando revocantur alicui privilegia, etiam revocentur ea, quæ consuetudine, vel præscriptione comparata sunt? Resp. negativè. Ita Salas *D.* 17. *sect.* 2. *n.* 22. Suarez *l.* 8. *de LL. c.* 7. *n.* 15. Bonacina *D.* 1. *q.* 3. *p.* 1: *num.* 3. Palao §. 5. *citat. num.* 3. Ratio est, quia licèt etiam ipsa sint verè privilegia, quia tamen nomen privilegii communiter sumitur pro privilegio specialiter dato à Principe, idcirco ea, quæ consuetudine, vel præscriptione acquiruntur in materia odiosa, qualis est revocatio, hoc nomine venire non debent, sed solùm tunc, sermo est de aliqua extensione favorabili.

§. IV.

De Privilegii Usu, Interpretatione, & Extensione:

SUMMARIUM.

97 *&c. Utrum Privilegiatus teneatur uti privilegio suo?*
100 *&c. Utrum possit illo uti contra alium pariter privilegiatum?*
106 *&c. In quo loco possit privilegiatus uti privilegio suo?*
114 *&c. Quam vim, & efficaciam in ordine ad usum privilegii habeant verba* Ex certa scientia?
117 *&c. Quænam Regulæ servandæ sint in privilegiorum interpretatione?*
124 *Quomodo interpretandum sit privilegium merum favorem continens;*
125 *&c. Quomodo derogans Juri communi, aut consuetudini secundum, vel præter istud inducta?*
127 *Quomodo illud, quod derogat Statuto, vel consuetudini speciali?*
128 *&c. Aut quod cedit in præjudicium tertii?*
130 *Quid sit Extensio privilegii?*
131 *&c. An, & quale privilegium, & quibus casibus, item ad quos possit extendi?*
141 *&c. Quid si eadem sit ratio quoad casus expressos, & non expressos?*

Ut omnis potentia ad actum, ita privilegium ad usum potestatis, per id concessæ ordinatur: in quo usu ne excedatur, sed sciatur, quid potestatis per privilegium datum sit, idcirco addendum, quomodo interpretandum, & extendendum sit privilegium. Hinc.

Quæritur 1. de *usu* privilegii. *Et* 1. *quidem dubitatur*, 97
utrum privilegiatus teneatur uti privilegio suo? Resp. distinguendo inter privilegium commune, & singulare. *Privilegio communi* tenetur uti quilibet, qui est de communitate, cui concessum est privilegium: quia si non uteretur, saltem pro illo actu, quo ipse non utitur, censeretur eidem renuntiare; atqui privilegio communi secundùm dicta *numer.* 62. renuntiare privatus non potest.

Contrà *Privato privilegio*, & quod ipsi privilegiato 98
proprium, ac specialiter concessum est, per se loquendo nemo tenetur uti, Suarez *l.* 8. *de LL. c.* 23. *n.* 7. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 7. *n.* 1. Sannig *hic c.* 2. *n.* 8. Pirhing *n.* 25. Wiestner *n.* 26. & sumitur ex *c. si de terra* 6. *hoc tit.* Ratio est, quia quod in favorem alicujus factum est, non debet in gravamen ejus retorqueri *Reg.* 61. *in* 6. esset autem magnum gravamen, si privilegiatus teneretur uti privilegio suo, etiam contra voluntatem suam: ergo &c.

Dixi autem, *per se loquendo*: nam per accidens po- 99
test privilegiatus aliquando obligari ad privilegii sui usum; quia potest contingere, ut privilegium removeat obicem, quo remoto, privilegiatum deprehendit obligatio Juris communis; & sic fit in eo, qui privilegium habet audiendi Missam tempore Interdicti; nam hic die festo tenetur audire Missam ex præcepto Ecclesiæ, quod obligat omnes non impeditos. Suarez *l. cit. n.* 8. Palao *num.* 2. Wiestner *num.* 26. Ratio est, quia per privilegium fit licitum, quod antea non erat licitum, qua mutatione facta, præceptum Ecclesiæ obligat ad actum concessum per privilegium.

Dub. 2 utrum privilegiatus uti possit privilegio suo 100
adversus alium pariter privilegiatum? Duobus modis dici possunt duo pariter privilegiati, 1. quia æqualia privilegia habent, & in re simili, ut si tu exemptus es à Decimis solvendis, & alter similiter exemptus, 2. respectivè, & cum mutua oppositione in or-

ordine ad usum ejusdem privilegii, ita, ut si concurrant, sibi invicem opponantur, ut si exemptus es a solvendis Decimis, alter privilegium habeat percipiendi Decimas à quocunque, qui in territorio suo existit; item si tu habes privilegium, ne ob debita tua possis vinculis alligari, alter privilegium habeat comprehendendi quemcunque sibi debitorem.

01 *Si primum*, est affirmativa responsio, quòd scilicet privilegiatus possit uti privilegio suo contra alium pariter privilegiatum. Covar. *Reg. possessor. p.* 2. §. 2. *n.* 4. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 23. *n.* 3. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 8. *n.* 1. Zoes. *hic n.* 28. Pirh. *n.* 123. Vviestner *num.* 32. & sumitur ex *l. final. ff. ex quib. caus. major.* junct. Gloss. *marg. ibid.* ubi absens Reip. causa restituendus dicitur contra alium pariter absentem Reip. causa. *Ratio est*, quia in hoc casu nullius privilegium derogat alteri, neque per hoc, quod unus habeat simile privilegium, potest illum alter impedire ab usu.

02 *Si secundum*, videndum est, an unum ex his privilegiis sit generale, alterum speciale, vel an utrumque sit æquè generale, aut æquè speciale. Nam in *primo casu* præferendus est ille, qui habet privilegium speciale, quia species derogat generi *Reg.* 34. *in* 6. Covar. *l. c.* Suar. *n.* 6. Palao *n.* 2. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 186. Vviest. *n.* 32. *citat.* In *secundo casu* considerandum, an privilegia illa inter se verè contraria, ita, ut non appareat via, quo modo in concordiam possint redigi, ut utrumque valere possit; an verò sint solum contraria quoad externam verborum speciem, quia unum cedit alteri, aut inhibitam conditionem habet, nisi altera pars exempta sit.

03 *Si verè contraria inter se sint*, prævalebit id, quod fortius, scilicet antiquius, vel à potestate superiore concessum est. Suar. *n.* 6. Palao *n.* 2. Haun. *nu.* 187. Vviest. *num.* 32. *cit.* Sic enim si unus Ordo Religiosus gaudeat privilegio prohibendi alterius ædificationem prope sua Monasteria inter certas cannas, id, quod antiquius, vel à Papa concessum est, prævalebit ei, quod recentius, aut ab Episcopo impetratum est. Rodriq. *tom.* 1. *regul. q.* 9. *art.* 11.

04 Si verò non verè, sed quoad speciem solum contraria sunt privilegia prævalebit id, quod magis est absolutum, illud autem, quod conditionem inhibitam habet, respectu prioris manebit suspensum. Et hinc 1. si una Ecclesia habeat privilegium non solvendi Decimas, altera exigendi, non potest hæc priorem cogere, ut Decimas sibi solvat; quia privilegium illius censetur conditionatum, nisi alter habeat exemptionem à Decimis persolvendis. 2. si unus privilegium habet, ut intra certum tempus cogi non possit ad solvendum debitum, alter verò, ut cogere quemlibet debitorem possit, non potest creditor contra ejusmodi debitorem uti privilegio suo; quia censetur ipsi permissa coactio tantum illius, qui privilegio non est exemptus. 3. si filiusf. mutuum accepit à Minore, non potest uti S. C. Macedoniano, quia magis habetur ratio ætatis, quam SCti *l. verum* 11. §. *fin. ff. de minor.* & sic de cæteris.

05 Ex quo patet, quis sit sensus communis Regulæ, qua dicitur; quòd privilegiatus non possit uti privilegio suo contra alium privilegiatum; intelligendum enim hoc est sub conditione, si iste, adversus quem vult uti privilegio suo, habeat privilegium fortius, & magis absolutum.

06 Dub. 3. in quo loco possit privilegiatus uti privilegio suo? Respond. distinguendo, an concessum sit pro certo loco, & tempore, an verò absolutè, & sine limitatione temporis, vel loci. *Si primum*, usus privilegii extra illum locum, vel tempus illicitus est. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 6. *numer.* 2. Ratio est, quia extendi non potest ultra intentionem concedentis, cum ex ejus voluntate totus valor privilegii pendeat. Colligi autem hoc debet vel ex verbis, quibus privilegium datum continetur, vel si hæc indifferentia sint, ex fine, & materia concessionis.

07 *Si secundum*, privilegium valet pro omni loco, & territorio concedentis; quia non est major ratio pro uno loco, quam pro altero. ergo ne inutile, aut ambiguum reddatur privilegium, pro omni loco intelligi debet. Accedit, quia si concedens privilegium illud voluisset pro aliquo determinato loco territorii sui non valere, debuisset locum illum exprimere in privilegio; igitur cum nullum expresserit, prudenter præsumitur concessisse pro omni loco, juxta *Reg.* 57. *in* 6. ibi, *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 26. *n.* 2. Bonacin. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 5. *n.* 1. Palao *l. cit. n.* 1. Vviestner *hic n.* 29.

Ut verò privilegiatus uti privilegio, vel gratia sibi concessa possit etiam extra territorium concedentis, videre debet an solum per ejusmodi gratiam tollatur inhabilitas, & impedimentum ad functiones, e. g. Irregularitas, Censura &c. an verò immediatè det potestatem aliquid agendi vel omittendi. *Si gratia solum tollit inhabilitatem, & impedimentum ad functiones*, is, cui concessa est gratia dispensans in ejusmodi impedimento, functiones has exercere potest ubilibet, etiam extra territorium dispensantis. e. g. dispensatus in Voto Castitatis ubilibet contrahere matrimonium, absolutus ab Irregularitate, & Censura, ubivis suscipere Ordines &c. Palao *l. cit. n.* 3. post Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 31. *n.* 17. 108

Si verò immediatè det potestatem aliquid agendi, vel omittendi, attendendum est, an actus, vel omissio, ad quem privilegium vel dispensatio datur, repugnet alicui Juri, actum illum, vel omissionem prohibenti, an verò nulli repugnet Juri. *Si nulli repugnat Juri*, potest privilegiatus uti privilegio suo; nam ab usu privilegii sui privilegiatus impediri non potest, nisi actus, ad quem exercendum privilegium datur, per Legem aliquam, quæ in loco, ubi ipse subsistit, prohibitus sit. ergo si nulla Lex hujusmodi prohibens ibi existat, non apparet, unde illicitus sit privilegii usus. Palao *n.* 4. *Excipitur*, nisi ad ejusmodi actum licitè, & validè exercendum requiratur facultas Principis, Episcopi, vel Parochi loci, per quem transit privilegiatus, uti est privilegium concionandi, celebrandi Missas, excipiendi Confessiones, populo publicè benedicendi &c. tunc enim absque istorum licentia privilegio suo uti privilegiatus non potest; quia concedens privilegium per hoc non censetur præjudicare velle juri alterius, sed ipsum potius privilegium censetur imbibitam habere conditionem, si Princeps, Episcopus, Parochus loci facultatem concedat Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 184. 109

Si verò actus ille sit prohibitus aliquo Jure, interest, an prohibitus sit Jure communi, an privato. *Si Jure communi prohibitus est*, videndum, an Dispensatio, vel privilegium datum sit generale pro tota Diœcesi, v. g. dispensando ad esum carnium in Quadragesima; vel utrum sit personale ob specialem, & personalem causam, quæ datur in ipso privilegiario. *Si primum*, uti privilegio isto privilegiatus extra territorium Episcopi dispensantis nequit in aliena Diœcesi, ubi Lex communis Ecclesiastica viget. Suar. *c.* 26. *cit. n.* 14. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 16. Pirh. *hic n.* 128. & certa omnium sententia. *Ratio est*, quia tale privilegium censetur locale, & adhætere loco, pro quo conceditur; conf. extra illum extendi non potest. 110

Si secundum, uti privilegio suo privilegiatus potest etiam extra territorium Episcopi concedentis. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 23. *q.* 6. Suar. *c.* 26. *cit. num.* 15. & *seqq.* Salas *D.* 17. *sect.* 10. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 31. *n.* 17. Bonac. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 6. *n.* 4. Palao *p.* 6. *n.* 6. Laym. *c.* 23. *n.* 16. Haun. *n.* 182. Pirhing *n.* 128. Vviestner. *num.* 30. Ratio est, quia privilegium merè personale cohæret personæ, & ideo eam comitatur, quocunque perrexerit. *Conf.* quia in Jure, seu Lege communi non dispensat Episcopus, nisi ex commissione Pontificis. Sed si Pontifex dispensaret, valeret Dispensatio, & privilegium pro omni loco, ergo etiam valet, quando dispensat Episcopus. Atque hinc si a tuo Episcopo accepisti privilegium comedendi carnes diebus prohibitis, potes illo uti etiam extra Diœcesin tui Episcopi. Potest tamen Episcopus illius loci eo casu a te petere manifestationem privilegii tui; sed si examinaverit, riteque datum invenerit, liberum tibi usum illius debet relinquere. 111

Quodsi vero privilegium solum repugnet Legi, & Statuto speciali illius loci, quem transit privilegiatus, putat Palao *n.* 6. *cit.* non esse ibi licitum privilegii usum. Sed melius adhibetur distinctio; vel enim talis Lex, & Statutum concernit specialiter bonum commune illius loci, uti sunt, quæ præscribunt certam formam contractibus, prohibent usum certorum armorum &c. vel non. *Si prius*, privilegio suo contra tale Statutum, vel Legem specialem talis loci privilegiatus uti non potest; quia his Legi- 112

Legibus, & Statutis obligantur etiam peregrini, neque superior, qui privilegium tale concessit, nisi simul sit superior illius, qui præest loco, quem privilegiarius transit, obligatione ista liberare eundem potest. Palao *numer. 6. cit.*

113 *Si posterius*, per se loquendo, uti privilegio suo in tali loco privilegiarius potest, ut verius docent *Azor*, *Layman*, *Pirhing l. citt.* conf. si Episcopus e. g. det subdito suo privilegium legendi Libros prohibitos, poterit iste vi hujus privilegii eos legere, etiamsi existat in aliena Diœcesi, ubi talium Librorum lectio est speciali Lege prohibita. *Ratio est*, quia privilegium dare est actus Jurisdictionis non coactivæ, sed voluntariæ, quæ potest exerceri, & habere effectum etiam extra territorium concedentis, præsertim si careat publica solemnitate. *Conf.* nam si peregrinus, qui ab Episcopo suo habet privilegium legendi Libros prohibitos, non posset illos legere extra territorium Episcopi concedentis, prohiberetur ab hoc vel lege communi vetante lectionem talium Librorum, vel speciali, & propria illius Diœcesis, quam transit. non prima; quia in hoc, ut ponitur, cum ipso jam est dispensatum. non secunda; quia hac non tenetur, cum Jurisdictioni illius Episcopi, cujus territorium transit, non sit subjectus. Imò si actus, ad quem privilegium datur, sit prohibitus tantùm lege speciali loci, quem transit peregrinus, ad eum actum ibi exercendum non opus est privilegio; quia peregrini non obligantur legibus loci, per quem transeunt, juxta dict. *Lib. 1. Tit. 2. num. 42.* Addidi *per se loquendo*; quia per accidens ob scandalum, & alia incommoda sæpe etiam peregrini tenentur observare Leges loci, per quem transeunt, prout dictum est *n. 42. cit.*

114 Dub. 4. quam vim, & efficaciam in ordine ad usum privilegii habeant verba *Ex certa scientia*, quæ sæpe in confirmatione privilegiorum adduntur? Resp. confirmationem ejusmodi habere vim, & efficaciam renovandi privilegium, si fortè usu, vel alia via amissum fuisset. Ita Tusch. *V. Confirmatio ex certa scientia per tot.* Suar. *l. 8. de LL. c. 18. n. 12.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 10. n. 3.* Vel enim Princeps confirmans sic privilegium cognoscit defectum, & nullitatem privilegii confirmandi, & tamen illud confirmat; & tunc ne frustra videatur agere, talis confirmatio censeri debet æquivalere novæ concessioni; vel nullitatem privilegii non cognovit; & adhuc censendus est vim dare privilegio, ne cogamur dicere, inutiliter ipsum addidisse ea verba *Ex certa scientia*.

115 Duæ tamen faciendæ sunt Exceptiones, in quibus privilegia, his verbis additis, non confirmantur. 1. enim excipiuntur privilegia subreptitia; quia hæc nulla sunt. Princeps autem vult confirmare jam concessa. Abb. *in c. inter dilectos de fid. instrum. nu. 8.* Felin. *ibid. num. 6. & in c. 2. de Rescript. n. 42.* Suar. *l. 8. cit. c. 19. num. 3.* Palao *n. 4. adv. 1.* 2. ea, quæ Generali Concilio revocata sunt; quia non præsumitur Princeps velle Legi, à Concilio stabilitæ, derogare ob concessionem ita generaliter factam: quod enim multorum consensu stabilitum est, majori authoritate est firmatum; ac proinde majori, & speciali revocatione indiget. Rodriq. *tom. 1. Regul. quæst. 8. art. 10. in med.* Suar. *l. cit. n. 5.* Palao *advert. 2.*

116 Quod si privilegium aliunde sit revocatum, & verba *Ex certa scientia* non addantur, non censetur confirmatum, nisi tenor privilegii jam revocati inseratur confirmationi; tunc enim confirmatum censeri debet, non obstante revocatione aut renuntiatione ipsius privilegiati. Palao *numer. 5.* & ratio est, quia tenor privilegii, insertus confirmationi, æquivalet verbis *Ex certa scientia*.

117 Quæritur 2. quænam Regulæ servandæ sint in Privilegiorum *Interpretatione*? Resp. plures, eæque admodum utiles, afferuntur à DD. 1. si privilegium feratur verbis claris, & intentionem concedentis sufficienter exprimant, interpretatione non indiget, sed tenor, & forma privilegii inspicienda, & observanda est, prout statuitur *c. porro 7. h. tit.* Ratio est, quia interpretatio est ad investigandam voluntatem concedentis, quæ si ex verbis ipsis apparet, frustra per interpretationem quæritur; intellige, nisi manifestæ sint conjecturæ, quod in forma privilegii aliud sonent verba, quam mens concedentis intenderit; tunc enim menti potius, quam verbis inhærendum est. Sylv. *V. Privilegium q. 3.* Suar. *l. 8. de LL. c. 28. n. 9.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 9. nu. 1.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 1. n. 188.* Pirhing *hic nu. 17.* quia & habetur *c. in his 15. de V. S. non intentio verbis, sed verba intentioni debent deservire*.

2. Si in forma privilegii adhibeantur verba indifferentia, obscura, & incerta, attendenda 1. est Supplicatio; nam Princeps precibus sibi factis se accomodare consuevit *c. inter dilectos 6. vers. cæterum de fid. Instrum.* 2. initium ipsius Indulti; quia juxta illud cætera solent adjungi *l. fin. ff. de Hæred. instit.* 3. materia, circa quam versatur privilegium, quia ex re, & materia subjecta optimè intentio principis investigatur. 4. ipsum genus privilegii, an favorabile, vel odiosum sit, an contra Jus, vel solum præter Jus; nam ex hoc, ut ex dicendis patebit, maxima ex parte privilegii interpretatio pendet. 5. Spectari potest aliud simile privilegium, & ex illo interpretatio sumi. 118

3. Si adhuc res dubia est, & periculum in mora, licebit uti, quod secundum prudentiam visum fuerit pro loco, & tempore convenire. Si verò dilationem res patiatur, consuli debet Princeps. Sylv. *V. Privilegium q. 3.* Palao *p. 9. cit. num. 1.* Pirhing *num. 16.* Sannig *cap. 2. n. 3.* & apud hos *Salas*, *Suar. Bonacin.* Notant tamen hic DD. solum Pontificem, & nullum alium inferiorem Judicem de dubiis, ortis circa privilegia ab Apostolica Sede concessa, posse cognoscere. Habetur *c. cum venissent 12. de Judic.* Ratio est, quia ejusdem est interpretari Legem, & Privilegium, cujus est concedere; nam & privilegium, ut *num. 2.* dictum est, Lex quædam privata est. 119

4. In Interpretatione Privilegii servanda est verborum proprietas, quantum fieri potest. Salas *D. 17. sect. 8. n. 47. & 49.* Suar. *c. 28. cit. num. 3.* Laym. *l. 1. tr. 4. cap. 23. num. 7.* Palao *p. 9. cit. n. 3.* Haun. *n. 188. cit.* Pirh. *n. 19.* Reiffenst. *num. 104.* Ratio est, quia etiam Leges secundum propriam verborum significationem, & acceptionem intelligendæ, & observandæ sunt. ergo & privilegia, quæ, ut paulò antea, & sæpius dixi, sunt quædam privatæ Leges. *Conf.* quia si ad improprias significationes liceret recurrere, nihil in privilegiis esset firmum, quod non facilè eludi posset. Dixi, *quantum fieri potest*; excipitur enim 1. si necessitas contrarium suadeat; quia ipsum Jus præcipit privilegia ita interpretari, ut non injusta sint, aut inutilia, & frustra data. Suar. *l. c. n. 15.* 2. si ex aliis conjecturis verosimilius præsumi possit Principem velle, ut verba Privilegii accipiantur in significatione impropria. Suar. *nu. 3. & 9.* 3. si privilegium Juri alieno deroget, & alteri præjudiciale sit; tunc enim, nisi constet, quod Princeps huic derogare noluerit, verba potius impropriè accipienda, & explicanda sunt, quam per illud lædatur Jus tertii. Suar. *n. 3. & 10.* 120

5. Proprietas verborum, secundum quam interpretanda sunt privilegia, desumenda est ex usitata significatione, vel usu communi, vel secundum Jus privilegio proportionatum, nempe ut, si sit Privilegium Principis Sæcularis, secundum Jus Civile; si Pontificium, secundum Jus Canonicum interpretatio fiat. Sylv. *V. privilegium q. 3.* Azor *p. 1. l. 5. c. 23. q. 2.* Suar. *c. 28. nu. 16.* Palao *p. 9. n. 3.* Pirhing *num. 25.* Reiffenstuel *n. 105.* Et sic intelligendæ sunt Regulæ, quæ passim traduntur à DD. e. g. quod privilegia non plus operentur, quam verba exprimant, sumpta nim. in ea significatione, quam juxta stylum cujusque Curiæ habent. Item Privilegium merè favorabile extendendum est, privilegium verò odiosum restringendum, ut quam minimum operetur, nempe, ut dixi, secundum proprietatem verborum, & usum, quem habent in Curiis. Suar. *n. 17.* Pirh. *n. 25.* Reiffenstuel *num. 106.* 121

6. Nunquam facienda est interpretatio Privilegii ita strictè, ut privilegium reddat inutile, & inefficax. Sylv. *q. 3. cit.* Suar. *c. 28. num. 2.* Palao *nu. 4.* Haun. *nu. 188.* Pirh. *n. 18.* Reiffenstuel *n. 101.* Proceditque hoc, quantumvis alias grave videatur, & odiosum, nisi etiam sit injustum. Sumitur ex *cap. in his 30. h. tit.* & *l. non dubium 5. C. de LL.* Ratio est, quia inutilem, & frustraneam actionem efficere non decet Principem. cum igitur privilegium tendat ad aliquid concedendum privilegiato, quod alias ipsi non liceret, sequitur semper ita interpretandum esse privilegium, quantum fieri potest, ut effectum hunc operetur; neque contenti esse debemus, ut confirmet, quod alias privilegiato jam licebat, 122

bat, nisi ad hoc cogat manifesta ratio. Atque hinc fit, privilegium, & dispensationem quamvis etiam odiosam, extendendam ad ea, quæ illius usui necessariò sunt connexa, & sine quibus effectum habere non posset: & ratio est, quia dans formam, dant consequenter etiam ea, quæ illam requiruntur.

13 Denique interpretandum est privilegium, ut non sit onerosum privilegiato, sive ut aliquid potius tribuat, quàm auferat, juxta *Reg.* 61. *in* 6. ibi, *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*. Hinc probabiliter concedunt multi, quòd ob privilegium Exemptionis non impediantur Regulares, quo minus ipsi cum Prælati consensu subjicere se possint Episcopo, ut ab eo absolvantur a peccatis & Censuris, vel dispensentur cum eis in Voto, Juramento, Irregularitate &c. casu quo Episcopus, non verò Prælatus tali facultate ex privilegio est præditus. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 7. & apud hunc *Henriq. Avil. Molin.* Idem multo magis dicendum est, si manifestò appareat, quod Prælatus Ordinis consensum subdito irrationabiliter neget, cum non videatur esse mens Pontificis, Exemptionis privilegium ad talem casum extendere, quo cedere in animæ perniciem illud posset. His Regulis positis, facilè solvi dubia reliqua de Privilegiorum interpretatione possunt.

14 Dub. 1. quomodo interpretandum sit Privilegium, quod merum favorem continet, & nec Juri communi derogat, nec in præjudicium alicujus tertii cedit? Resp. esse latè interpretandum. Ita Sylv. *V. privilegium quæst.* 3. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 27. *nu.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 5. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 10. *nu.* 2. Haunold. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 189. Pirh. *hic n.* 13. Vviestner *ibid. n.* 33. Ratio est, quia sunt purum beneficium Principis, & purus favor, & gratia. atqui beneficium, gratia, & favor Principis latam interpretationem habet juxta *Reg. odia* 15. *in* 6. imò latissimam juxta *c. olim* 16. *de V. S.* ibi, *Cum beneficia Principum sint interpretanda largissimè*, &c. *quia circa* 22. *h. tit.* ibi, *Cum --- in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda*; & *l. beneficium* 3. *ff. de Constit. Princip.* ibi, *Beneficium Imperatoris --- quam plenissimè interpretari debemus*. Et hoc verum est etiam, quando ampla interpretatio cedit in præjudicium concedentis privilegium *c. quia circa cit.* ubi *Glossa* addit rationem, *Ne excogitata fraude suæ obviet liberalitati*.

15 Dub. 2. quomodo interpretandum sit Privilegium Juri communi vel consuetudini, secundum, aut præter illud introductæ, derogans? Resp. regulariter esse strictæ interpretationis. Ita Sylv. *V. privilegium q.* 3. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 27. *n.* 5. Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 1. *n.* 1. & 5. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *nu.* 5. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 10. *n.* 2. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 200. Pirh. *hic num.* 14. Sannig. *c.* 2. *n.* 3. Vviestner *n.* 35. & apud hos *Abb. Sal. Bonacin. &c.* Colligitur ex *c. porro* 7. *c. sanè* 9. *h. tit.* & *c. cum dilectus* 8. *de consuet.* Ratio est, quia Jus commune, & ejusmodi consuetudo, hoc ipso, quòd ob bonum, & utilitatem publicam introductum sit, favorabile, & quidquid ei derogat, odiosum, ac proinde juxta *Reg. odia* 15. *in* 6. restringendum est.

16 Addidi *regulariter*; nam excipi 1. debet privilegium, quod concessum est in favorem Religionis, & causæ piæ: hoc enim, etsi aliquo modo deroget Juri communi, latè est interpretandum; nam summa est ratio, quæ pro Religione facit, ut ait Papinianus *l. sunt personæ* 43. *fin. ff. de relig. & sumpt. funer.* Suar. *l. cit. nu.* 7. Laym. *nu.* 5. Palao *num.* 5. Haun. *num.* 201. Vviestner *num.* 36. Hinc latè interpretandum est privilegium, quo eximuntur Clerici à Jurisdictione Principum Sæcularium, & Regulares à Jurisdictione Episcoporum. 2. privilegium cedens in bonum commune Reip. qualia sunt privilegia militum, & his similia. Suar. Pal. Haun. *l. citt.* Ratio est, quia favor, his personis concessus, allicit plures ad hujusmodi arduas functiones, & sic compensatur sufficienter vulneratio Juris Communis, quæ fit per privilegii extensionem. 3. privilegium motu proprio, & ex certa scientia concessum *arg. cap. si motu* 23. *de Præb. in* 6. Suar. *num.* 8. Laym. *num.* 5. Palao *num.* 7. Haun. *num.* 203. Pirhing. *num.* 14. Vviestner *num.* 36. quia sic concessum est singularis favor, & beneficium Principis, ac proinde ob ejus honorem latam interpretationem accipit. 4. privilegia inserta Corpori Juris communis, ut sunt multa privilegia, in perpetuum concessa Ecclesiis, Clericis, ac Religiosis; talia enim propriè non censentur esse contra Jus commune, cum eo ipso, quòd istius Corpore claudantur, pars Juris communis, & istius instar favorabilia sint. Suar. *n.* 8. *fin.* Laym. *num.* 5. Palao *num.* 6. Haun. *num.* 202. Pirhing. *num.* 14. Vviest. *numer.* 37.

127 Dub. 3. quomodo interpretandum sit privilegium, quod derogat statuto, vel consuetudini speciali, aut cedit in præjudicium tertii, ejusque juri jam quæsito derogat? Resp. *ad* 1. probabilius non debere extendi, modò tale statutum, vel consuetudo non contrarietur Juri communi. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 28. *num.* 16. Bonac. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 7. §. 1. *n.* 8. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 10. *n.* 4. licèt contrarium teneant Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 23. *q.* 2. Salas *D.* 17. *sect.* 8. *n.* 52. Ratio clara est, quia statutum, & consuetudo est inter Juris communis. ergo præferendum est Juri speciali privilegii.

128 *Ad* 2. dico, tale privilegium, quod cedit in notabile præjudicium tertii, & huic jus quæsitum aufert, vel diminuit, esse restringendum, quantùm patitur proprietas verborum. Abb. *in c. certificari* 9. *de sepult. num.* 9. Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 7. *tr.* 6. Suar. *c.* 27. *n.* 9. & *cap.* 28. *num.* 10. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 6. Palao *p.* 10. *cit. n.* 8. Haun. *tom.* 1. *tr.* 1. *n.* 203. Sannig *hic c.* 2. *n.* 3. Pirh. *num.* 15. Vviestner *nu.* 34. Ratio est, quia Papa, vel Princeps privilegium concedens non præsumitur velle derogare, vel tollere jus alteri quæsitum, nisi hoc exprimat *arg. c. licèt* 12. *de Offic. Ord. cap. ex tuarum* 5. *de auth. & us. pall. & l. nec avus* 4. *C. de emancip. liber.*

129 *Procedit hoc*, etsi tale privilegium derogans Juri alterius, concessum sit motu proprio; quia licèt Princeps ex gravi causa, & ob urgentem necessitatem possit alicui auferre jus suum, non tamen facilè præsumi debet idipsum velle, cum jus positivum, & naturale postulet, ut cuique suum jus illæsum servetur, nisi publica utilitas, aut necessitas aliud postulet. Suar. *capit.* 27. *citat. numer.* 9.

Eadem ratio est, si beneficium scandali, aut litium occasionem præbeat; nam eatenus odiosum censeri debet *arg. c. quod dilecto* 3. *fin. de Consang. & affic.* Laym. *num.* 6. *citat.*

Quomodo vero interpretandæ sint Dispensationes, & privilegia, seu facultates dispensandi, dictum est *Libr.* 1. *Tit.* 2. *n.* 30. & 31.

130 Quæritur 3. an privilegium patiatur *Extensionem*? Antequam respondeam, noto, magnam esse differentiam inter Interpretationem hactenus explicatam, & inter Extensionem privilegii: nam interpretatio est de mente Legislatoris, prout hæc per verba ambigua significatur; cum enim hæc sæpe latiorem, sæpe strictiorem significationem habeant, hinc contingit, ut quandoque strictius, quandoque latius privilegia interpretemur. Contrà *Extensio* privilegii tunc fieret, quando constaret quidem, Legislatorem privilegia concedentem per verba privilegii non intendisse alias personas, vel casus eximere, quàm quæ personæ, & casus per verba privilegii clarè exprimuntur, quia tamen similis casus, & ratio esset, privilegium sic concessum etiam ad istum porrigeretur. His notatis

131 Dub. 1. an, & quale privilegium, & quibus casibus, item ad quos possit extendi: Resp. cum distinctione: si privilegium odiosum sit, extendi illud non debet, nec potest; quia odia sunt restringenda *reg. odia* 15. *in* 6. Si favorabile sit, extendi potest ad personas, & casus virtualiter saltem in privilegii forma comprehensos. Sed hæc non est vera extensio, qualem *num. præc.* descripsi, sed tantum Interpretatio *Comprehensiva*. Ita communiter omnes DD. qui proinde varias inde Illationes faciunt. Nam

132 1. Privilegium concessum Religiosis, etiam sub nomine masculino, extendi debet etiam ad fœminas Religiosas ejusdem Ordinis, modò hæ privilegii capaces sint. Rodriq. *tom.* 1. *regul. q.* 13. *num.* 22. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 10. *n.* 7. Bonac. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 7. *ʃ.* 2. *num.* 2. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 12. *n.* 1. Ratio est, quia in illo privilegio jam satis exprimuntur, cum ibi potius attendatur qualitas, quam sexus. *Excipitur*, nisi in privilegio adderetur *Viris Religiosis*; tunc enim ad fœminas non extenderetur, ut DD. *citt.* notant nec immeritò; nam ea adjectione censeri debent fœminæ potius exclusæ, quam inclusæ in privilegio.

2. Pri-

133 2. Privilegium concessum Filiis potest extendi etiam ad fœminas. *Suar. Bonac. Palao l. citt.* quia nomine *Filii* etiam Filiæ intelligendæ sunt *l. cognoscere 56 l. filii 84. l. justa 201. ff. de V. S.* Contrarium tenet Pirhing *hic num.* 23. & apud hunc Joan. Monach. *in cap. authoritate* 4. *in addit. h. tit. in* 6. eo quod in privilegiis masculinum non concipiat fœmininum, & filia in propria & stricta significatione *Filii* nomine non veniat. Quod ego intellexero, cum privilegium odiosum est, vel cum dicitur. *Filiis Masculinis*; tunc enim fœminæ excludi debent, juxta DD. *citt.*

134 3. Privilegium, concessum fratribus, etiam commune est sororibus, nisi aliunde appareat restrictio; quia sub nomine *Fratrum* etiam Sorores intelligendæ veniunt *l. tres fratres* 35. *ff. de pact.* & *l. Lucius* 93. §. *quæsitum* 3. *ff. de Legat.* 3. Tiraquell. *l.* 1. *de retract. lignag.* §. 1. *gloss.* 9. *n.* 200. Suar. *n.* 7. Bonac. *n.* 4. Palao *nu.* 1. *cit.*

135 4. Non tamen privilegium concessum filiis etiam extendendum est ad Nepotes. Rebuff. *in l. liberorum* 220. *ff. de V. S.* Barbos. *in l. maritum n.* 80. *ff. solut. Matr.* Ratio est, quia etsi benigna Juris interpretatione *Filiorum* sæpe etiam nepotes veniant *l. justa cit.* regulariter tamen, & juxta verborum proprietatem non continentur §. *fin. Inst. qui testam. tutor. dar. l. quid si nepotes* 6. *ff. de testam. tutel.* Unde aliter de mente concedentis constare, debet, ut etiam ad istos privilegium extendi possit, alias procedet Regula communis, quod privilegia personalia non egrediantur personas, ad quas diriguntur, nec extendantur ultra verborum proprietatem. Suar. *c.* 11. *n.* 6. Pal. *n.* 1. *cit.*

136 5. Nec socius privilegiati gaudet privilegio socii, nisi huic privilegium aut inutile, aut grave fieret, si socius eo uti non posset *arg. c. quidam* 32. *h. tit.* Abb. *in c.* 10. *de Judæis n.* 1. Sylv. *V. privilegium q.* 6. Suar. *c.* 11. *cit. n.* 7. *&* 8. Pirh. *hic n.* 23. Reiffenstuel *ibid. n.* 101. Dixi, *nisi inutile, aut grave fieret.* Hinc si quis ob debilitatem oculorum privilegium habeat una, vel altera hora post prandium recitandi Matutinum pro crastino, posset illud etiam cum eo recitare Socius, nec tenebitur hic dein repetere: & ratio est, quia intelligitur datum eo modo, quo communiter recitari potest, & solet, potest autem recitari cum socio, quem tamen non facilè inveniret sic privilegiatus, si socius sic recitando non etiam ipse satisfaceret. ne igitur cum magno suo incommodo cogatur solus recitare, aut privilegium fiat inutile, dicendum est, hoc casu illud etiam extendi ad Socium.

137 Dub. 2. an privilegium extendi possit etiam ad personas non expressas in forma privilegii? *Ratio dubitandi est* 1. quia privilegium celebrandi tempore Interdicti, concessum Sacerdoti, extenditur etiam ad ministrum, & privilegium audiendi Sacrum eodem tempore Interdicti, concessum domino, communicatur etiam ejusdem servis. *c. licèt* 11. *V. cum conceditur h. tit. in* 6. at nec minister sub nomine Sacerdotis. nec Servi sub nomine Domini exprimuntur. ergo privilegium extendi potest ad alias personas non expressas. 2. eodem modo privilegium Notabilitatis concessum marito extenditur ad uxorem, & concessum Patri ad filios. *l. fœminæ* 8. *ff. de Senator.* & *l. si ut proponitis* 1. *C. de Dignit.* sed æquè parum filius sub nomine Patris, aut uxor sub nomine mariti expressa censetur, quam sub nomine Domini Servus, aut sub nomine Sacerdotis minister venit. ergo &c. 3. quod uni conceditur, aliis denegari non debet *can. fin.* §. *si igitur dist.* 5.

138 Sed his non obstantibus, dicendum, non extendi, nisi ad personas vel formaliter, vel virtualiter saltem expressas in privilegio. Ita Rodriq. *to.* 1. *Reg. q.* 13. *art.* 22. Suar. *c.* 8. *de LL. c.* 10. *n.* 5. *& c.* 28. *n.* 11. Bonac. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 7. §. 2. *n.* 2. Pal. *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 12. *nu.* 1. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 1. *n.* 206. Pirh. *hic n.* 20. Sannig *c.* 2. *nu.* 4. Vviestn. 39. Reiffenst. *n.* 98. & apud hos Everh. *Leg. arg. loc. a Speciali n.* 1. Bald. *in c. inter cæteras* 4. *de Rescript. nu.* 9. Berojus *in c.* 1. *de Probat. n.* 20. Fagn. *in c. quia nonnulli h. tit. n.* 2. *&* 25. sumitur ex *c. sanè* 9. *h. tit.*

139 *Ratio est* 1. quia tota efficacia privilegii pendet ex intentione concedentis, quæ intentio significatur verbis. ergo ultra expressionem verborum non debet fieri extensio: & hinc est, quod communiter dicitur, *Privilegia valere tantum, quantum* sonant. 2. quia quæ per privilegium conceduntur, non debent trahi ab aliis authoritate, vel potius temeritate propria in exemplum; *non enim, quod uni sigillatim conceditur, statim omnibus convenit*, prout habetur *can. hinc est* 39. *caus.* 16. *q.* 1. ubi Gloss. *V. sigillatim* ait, quòd privilegium concessum uni non extendatur ad alios, & privilegia singulorum communem Legem facere non possint. 3. privilegium est jus singulare, & sequitur personam privilegiatam, cumque illa extinguitur, & propterea ab una persona non transit ad aliam, juxta *reg. in omnibus* 68. *ff.* & *reg. privilegium* 7. *in* 6. Abb. *in c. sanè cit. n.* 1.

Neque aliud probant Argumenta contraria. *Ad* 1. dico, ibi relatos jam esse virtualiter expressos in privilegio; nam privilegium concedens intendit concedere commodum ejus usum, & conf. concedere censetur omnia, quæ vel ex præcepto, vel ex consuetudine annexa sunt usui talis privilegii. atqui ex præcepto Ecclesiæ connexum est, ut Sacerdos non celebret sine ministro, & ex consuetudine, ut dominus non audiat Sacrum sine famulorum comitatu. ergo &c. *Ad* 2. nobilitas illa, quam maritus, aut pater ex officio, habet solum tamdiu, quamdiu officio illo fungitur, ad uxorem, & filios non transmittitur: sed solum illa, quæ marito, vel patri conceditur in perpetuum; hæc autem ad uxorem, & filios transit, non ex vi privilegii, quo maritus, & pater nobilitantur sed, ex Juris dispositione per *l. c.* unde potius confirmatur nostra sententia; nam exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis. 140

Dub. 3. an privilegium ad casus, loca, & personas, in privilegii forma non expressas, extendatur saltem tunc, quando similis, vel efficacior pro his est ratio? Videtur extendi sic posse. Nam 1. id videtur pluribus exemplis constare; sic enim privilegium concessum ad dispensandum in Votis extenditur etiam ad jurata; & qui dispensare potest in Votis, potest etiam illa commutare; qui testamentum potest condere, potest etiam facere Codicillum, & donare mortis causa; item Clericus, qui ex privilegio percipere potest fructus Beneficii sui, dum absens est causa audiendi Theologiam, eosdem percipere potest etiam, cum audit Jus Pontificium &c. 2. Leges ob similitudinem rationis extendi possunt. ergo etiam privilegia, quæ sunt Leges privatæ. 3. ipse Pontifex, æquitatis similitudine provocatus, *c. cum dilecta* 4. *de conf. util. & inutil.* extensionem privilegiorum fecit. 4. *c. ex p.* 27. *de Decim.* privilegium percipiendi Decimas de laboribus terræ Parochiarum suarum concessum Religiosis extenditur ad Novalia, ex ratione; *quia*, ut ibi Pontifex loquitur, *ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.* 5. *c. per venerabilem* 13. *pr. qui pr. qui fil. legit.* Pontifex probat, dispensationem illegitimo concessam ad actus Spirituales etiam extendi ad temporales; quia *quod in maiori conceditur, licitum esse videtur & in minori.* 141

Ob aliqua ex his Argumentis Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 1. *n.* 33. *& seqq.* admittit, in favorabilibus admitti Argumentum a majori, saltem quando casus, in quo dispensatur, rationem expressam concessionis continet. Liberalior adhuc est Emm. Sa *V. gratia n.* 18. ubi absolutè dicit, privilegia extendi ad actus similes. *Sed non est discedendum* a communi Sententia, quam expresse tenent Salas *D.* 20. *de LL. sect.* 11. *nu.* 110. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 28. *n.* 11. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 7. Bonacin. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 7. §. 1. *nu.* 15. *&* §. 2. *nu.* 11. *&* 12. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 13. *n.* 1. Haun. *tom.* 1. *tr.* 1. *n.* 206. Sannig *hic c.* 2. *n.* 4. Pirh. *n.* 20. Reiffenst. *n.* 98. 142

Ratio est manifesta; quia tota efficacia privilegii non ex ratione, sed ex voluntate concedentis, per verba privilegii concessi significata, pendet. igitur licet fortasse eadem sit utrobique ratio, si tamen verba casum, vel personam similem non comprehendant, ad illos privilegium extendi non debet. *Conf.* 1. nam privilegium est Lex quædam privata, quam Princeps alicui concedit ob specialem rationem. ergo etiamsi eadem, vel etiam efficacior ratio sit in alio, non propterea inferri potest, Principem illi concessisse privilegium, sed solum, quod dignus sit privilegio. *Conf.* 2. si ob similitudinem rationis liceret extendere privilegia, nihil esset in privilegiis firmum, & plures frui privilegio possent, quàm Princeps intenderet. 143

Et hæ rationes probant non tantum in odiosis, ubi jus ipsum jubet restrictionem, sed etiam in favorabilibus: imò etiam si sit causa pia; alioquin privilegia, concessa uni Religioni, possent extendi ad aliam æqualem, vel strictiorem, ob solam paritatem rationis: quod est falsum, cum nemo possit talem extensionem facere, nisi Papa communicationem privilegiorum concesserit. *Neque obstat*, quod ratio in his expressa reperiatur etiam in aliis perso- 144

personis, vel casibus; quia si hoc sufficeret ad privilegii extensionem, sequeretur, quòd casu, quo dispensatum est cum Titio ad plura Beneficia ob ejus merita, hoc ipso etiam dispensatum esset cum Cajo, habente similia, vel majora merita.

145 Neque contrarium efficaciter probant Rationes, & Argumenta *n.* 141. allata. *Ad* 1. ibi non fit extensio privilegii propriè dicta, & *n.* 130. descripta, sed potius Interpretatio, qua declarantur facultates istæ contentæ in verbis privilegii, servata adhuc propria verborum significatione; nam sub facultate dispensandi in Votis continetur etiam facultas eá commutandi, & sub licentia testandi comprehenditur facultas condendi Codicillos, & donandi mortis causa tanquam accessorium, sub principali. *Ad* 2. nunquam Lex extenditur ad casum non comprehensum Lege; si verò juxta casum decisum in Lege alius à Judice decidatur ob similem rationem, id non ex necessitate fit, sed ex quadam æquitate, & convenientia. *Ad* 3. extensio ibi facta est voluntate Pontificis, non tam declarando, quam constituendo novum Jus; secus est de personis privatis, quæ privilegiis utuntur; nam istæ hujusmodi extensionem privata authoritate non possunt facere. *Ad* 4. eo textu non fit extensio de uno casu ad alium, sed declaratur, quòd privilegium, Abbati concessum ad percipiendas Decimas, sed etiam extendat ad Novalia. *Ad* 5. Discursus ille, ut notat Haun. *l. cit. n.* 207. non est Pontificis, sed supplicantis, & in Rescripto solum refertur per modum causæ dubitandi, ut patet legenti. Deinde in illo discursu non dicitur, quod potestas legitimandi ad spiritualia ob rationis paritatem extendi possit ad legitimandum quoad temporalia; sed potius, quòd per interpretationem una, & minor sit inclusa in altera, in qua eminenter continetur, sicut in privilegio dispensandi in Votis diximus contineri potestatem, ea commutandi.

§. V.

De Privilegiorum Amissione.

SUMMARIUM.

146 OCto præcipuè modis amitti Privilegia possunt. 1. pereunte, vel destructo ipsorum subjecto, cui inhærent *Reg. in omnibus* 68. *ff. & Reg. privilegium* 7. *in* 6: 2. lapsu temporis, pro quo concessum est *arg. c. de causis* 4. *de Offic. Deleg. & l. quoties* 2. *Cod. de Precib. Imper. offer.* 3. cessante causa *c. cum cessante* 60. *de Appell.* 4. libera renuntiatione ipsius privilegiati *c. si terra* 6. *fin. hoc tit.* 5. non usu *arg. l. nundinis* 1. *C. de nundin.* 6. usu, vel actu contrario. DD. *in c. cum accessissent de Const. c. si de terra cit. & c. accedentibus* 15. *hoc tit.* 7. abusu *can. ubi ista* 7. *dist.* 74. *can. privilegium* 63. *caus.* 11. *q.* 3. *c. tuarum* 11. *vers. verum, c. ut privilegia* 24. *pr. &c. hoc tit.* 8. denique revocatione concedentis. Vviest. *hic n.* 58.

147 Quæritur 1. quomodo privilegia amittantur interitu subjecti, scilicet personæ, aut rei privilegiatæ? Resp. cum distinctione: Vel enim privilegium est *personale*; & tunc dum persona extinguitur: vel est *reale*; & tunc manet, manente re, ea intereunte, & ipsum interit. *Ratio primi membri* est, quia privilegium personale cohæret personæ, eamque sequitur; *Reg. in omnibus* 68. *ff. & Reg. privilegium* 7. *in* 6. ac proin ad hæredes, vel successores non transit. *Reg.* 196. *ff. Ratio secundi*; quia sicut privilegium personale adhæret personæ, ita reale adhæret rei; & hinc necesse est, re intereunte, etiam ipsum perire.

Secundum tamen hoc membrum non accipiendum indistinctè; potest enim res privilegiata, e. g. Templum, Monasterium, Domus &c. destrui vel Superioris authoritate, vel casu solum, aut subita ruina, aut per belli injurias; *Si primum*, despiciendum est, an destructio facta sit authoritate Superioris cum spe reædificationis; & tunc privilegium manet; vel sine reædificationis spe; & eo casu cum re destructa etiam ipsum amittitur, quia tollitur ipsius fundamentum. 148

Si secundum, iterum distingui debet; nam si privilegium hujusmodi concessum sit ipsi solo, seu pavimento; & tunc cum isto etiam manet privilegium; Si vero directè respiciat ædificium e.g. Domum, Monasterium &c. & tunc per destructionem ædificii suspenditur quidem privilegii usus reviviscit tamen eo reparato *arg. l. cum loca* 36. *ff. de Reg. & sumpt. fun.* Si autem concessum sit Communitati, quæ hic, & nunc est in tali loco, tunc illa privilegium suum, quocunque devenerit, transfert; & sic quando Superioris authoritate Ecclesia, Academia, Civitas, &c. de uno loco transfertur in alium, privilegia per hujusmodi mutationem non amittit, sed secum transfert *can. & temporis* 48. *& can. seq. caus.* 16. *q.* 1. *c. quia Monasterium* 2. *de Relig. Domib.* Gloss. *in Reg. privilegium cit. V. eod.* Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 22. *q.* 11. Suar. *l.* 6. *de LL. c.* 5. *n.* 4. *& seqq.* Zoes. *hic n.* 43. Engl *n.* 14. Pirhing *n.* 198. Konig *n.* 26. Vviestner *n.* 41. Reiffenst. *n.* 171. *& seqq.* Ratio est, quia hæc privilegia sunt perpetua, & tamdiu durant, quamdium durat fundamentum illorum; ergo si fundamentum privilegii sit solum, seu pavimentum, cum hoc manet; si ædificium, cum hoc destructo suspenditur; si communitas, cum hac transit, quocunque illa transierit. 149

Dub. 1. an privilegium finiatur morte concedentis? Resp. regulariter non amitti. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 31. *n.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 18. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 4. Engl *n.* 15. Pirhing *n.* 171. Konig *n.* 27. Reiffenstuel *n.* 167. Ratio est, quia Regula generalis est, quod gratia semel rite obtenta non cesset, vel finiatur per mortem concedentis, per *c. si super* 9. *de Offic. Deleg. in* 6. *& c. si cui* 36. *de Præb. eod.* atqui privilegium est quædam gratia; quia continet favorem ejus, cui datur; ergo &c. *Conf.* privilegium est quædam liberalis donatio; atqui donatio semel facta non exspirat per mortem donantis; ergo nec privilegium. 150

Procedit hoc 1. non tantum de privilegio perpetuo, sed etiam de eo, quod concessum est pro limitato aliquo tempore; hoc enim non perit, quousque finiatur tempus. Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 28. *à n.* 50. Suar. *l.* 8. *c.* 32. *n.* 10. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 16. §. 5. *n.* 1. & alii ab his *citt.* Ratio est, quia est gratia facta pro illo tempore, e.g. anno. 151

Procedit 2. non solum in privilegio mere favorabili, sed etiam in odioso, per quod derogatur Juri communi, vel præjudicatur Juri alterius privati. Suar. *c.* 31. *n.* 2. Pirh. *n.* 171. Ratio est, quia Jura absoluta loquuntur de gratia, nec distinguunt, num alteri præjudicet, nec ne. 152

Procedit 3. etiamsi Superior privilegium concedens decesserit, re adhuc integra, i. e. antequam privilegiarius cœperit uti privilegio suo. Suar. *c.* 31. *n.* 5. Engl *n.* 15. Pirhing *n.* 171. *cit.* Ratio est, quia in *citt.* Juribus, quæ loquuntur de gratia, non additur limitatio ergo neque à nobis addenda est, præsertim cum gratias potius ampliare oporteat. 153

Neque obstat, quod Rescriptum Justitiæ, sive ad lites, quo delegatur Juridictio contentiosa fori externi, exspiret morte delegantis casu, quo res adhuc est integra; nam hoc de Rescriptis Justitiæ specialiter in Jure decisum est *c. gratum* 20. *& c. licet.* 30. *de Offic. Deleg.* quod proinde ad gratias, & privilegia, quæ favorem continent, extendi non debet, ut rectè notant Suar. & Pirhing *loc. citt.* 154

Dixi autem in Responsione, privilegium non finiri regulariter per mortem concedentis; nam absolute amitti potest; Et hinc ulterius

155 Dub. 2, quibus casibus finiatur privilegium per mortem concedentis? Resp. 1. amittitur, cum expresse hæc conditio privilegio concesso addita est, *Quamdiu vixero*, seu *pro tempore vitæ meæ*; si enim Privilegium concedere Princeps potest absolute, illud etiam concedere potest sub quacunque conditione. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 32. *n.* 1.

156 2 Expirat per se loquendo morte concedentis, quando Princeps illud concessit sub terminis, *usque ad beneplacitum nostrum*. Suar. *c.* 32. *cit. n.* 2. Laym. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 17. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *c.* 16. §. 5. *n.* 3. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 4. Pirh. *n.* 172. Konig *n.* 27. Reiffenst. *n.* 169. Ratio est, quia per talia verba limitatur privilegium ad vitam concedentis; significant enim perseverare Privilegium, quamdiu perseverat voluntas concedentis, ista autem cum vita finitur; ergo & privilegium. Aliud dicendum, quando Princeps privilegium concessit sub terminis, *Quamdiu non revocavero*; nam sic concessum si concedens in vita illud non revocavit etiam post mortem durat. Suar. *loc. cit. n.* 6. Pirh. *n.* 172. Reiffenstuel *n.* 170. Ratio est, quia actus revocationis est positivus, & affirmativus; igitur si à concedente, dum viveret, non est exercitus, Privilegium manet; semper enim verum est, quod nondum data sit revocatio, sub cujus unius existentia ex mente dantis tolleretur privilegium. Dixi autem, *per se loquendo*; nam ut Gaill. *l.* 2. *obs.* 60. *n.* 16. Laym. *in cap.* 5. *fin. de rescript. in* 6. Palao §. 5. *cit. n.* 5. Pirh. *n.* 172. observant, usu hodie observatur, ut privilegia etiam illa, quæ Princeps *ad beneplacitum suum* concessit, morte concedentis non extinguantur: cujus rei Laym. *loc. cit.* non aliam rationem reddi posse existimat, quàm quòd verba hæc, *Concedimus ad beneplacitum nostrum*, benignè explicari possint, ita, ut Princeps intendat solum cavere, & admonere, quod Privilegium non transeat in contractum, seu pactum, & per talem concessionem nullam sibi, aut successoribus suis obligationem imponat, sed liberam sibi privilegium revocandi potestatem reservet: quæ conditio, etsi privilegiis, & gratiis suapte natura insit, obesse tamen non potest, imò plurimum quandoque prodest ad omnem dubitationem tollendam, juxta illud vulgatum: *Abundans cautela non nocet*, *& reg. non solent* 94.

157 3 Expirat privilegium, seu gratia morte concedentis; re adhuc integra, si sit gratia non facta, sed facienda per executores. Gloss. *fin. in c.* 36. *de Præb. in* 6. Laym. *c.* 23. *citat. num.* 18. Palao *p.* 16. §. 2. *num.* 1. Engl *hic num.* 15. Pirhing *num.* 171. Konig *num.* 27. Ratio est, quia tunc Princeps nihil adhuc concessit, sed solum potestatem dedit concedendi; igitur mirum non est, quod re integra talis gratia morte concedentis exspiret, cum etiam exspiret commissio facta executori ad gratiam concedendam. Idem dicendum, quando concedens quidem non moritur, sed Jurisdictio in ipso cessat. Suar. *l.* 8. *de LL. cap.* 31. *num.* 1. Sanch. *lib.* 8. *de Matr. D.* 28. *n.* 64. Palao *p.* 16. §. 4. *num.* 1. & alii apud istos. *Excipitur*, nisi commissio hæc facta sit in favorem ipsius Commissarii, vel Delegati; tum enim potestas concedendi gratiam in Commissario non exspirat morte concedentis, ut colligitur ex *cap. si cui* 36. *de præb. in* 6. & notat *ibi* Barbosa *num.* 1. Ratio est, quia respectu Commissarii est gratia facta.

158 Ex his DD. plurimos casus inferunt, in quibus Privilegium & gratia concessa, etiam re integra, post mortem concedentis manet. Sic enim 1. non perit morte concedentium licentia audiendi Confessiones pœnitentium, data à Pont. Episcopo, Parocho &c. quia est gratia facta Sacerdoti præcipuè. *Sanch. Suar. Sal. Sà, Coninck*, quos citat, & sequitur Palao *loc. cit. num.* 3. 2. Non perit ullo modo gratia tibi concessa, ut possis eligere Confessarium, qui te absolvat à reservatis, tecum dispenset &c. quia est beneficium jam possessum à te legitimè. Suar. *cap.* 31. *num.* 3. *&* 19. Sanch. *num.* 72. *&* 75. Palao *n.* 7. 3. idem dicendum de Dispensationibus, quæ à Pont. committuntur cum clausula, *Si preces veritate nitantur*; quia sunt gratia facti ipsi dispensando. Suar. *l.* 6. *de LL. cap.* 17. *num.* 9. Sanch. *loc. cit. num.* 87. Palao *num.* 8. 4. Probabile, & in foro conscientiæ tutum est, si tibi detur indultum, ut absolvas aliquas personas determinatas, vel cum illis dispenses in illarum favorem, non perire indultum morte concedentis; quia hæc potestas non solum est gratia illius, cui absolutio, vel dispensatio est concedenda, sed etiam tua, siquidem tu ut magis idoneus ad hoc electus es, ut absolutionem, vel dispensationem concedas. Palao *num.* 5. qui tamen addit, contrariam sententiam esse communem, & in praxi consulendam. 5. non expirat probabilius morte Pontificis mandatum, quod ab hoc datum est, ut provideaaris in aliquo Beneficio tunc vacante; quia eo ipso acquisivisti jus ad rem ad suprà dictum Beneficium, quod jus maxima gratia reputari debet, ac proinde morte concedentis non cessat. Gutier. *lib.* 2. *can. qq. cap.* 17. *num.* 5. Sanch. *num.* 87. Palao *n.* 10. Plures alii casus videri possunt apud eundem *Palao*, & alios DD.

Quæritur 2. an, & quomodo privilegium cesset temporis lapsu, Resp. tempus privilegii durationi à concedente assignari potest vel determinatum, e. g. ad decennium, vel indeterminatum e. g. ad tempus vitæ concedentis, vel ipsius privilegiati: quomodocunque autem tempus à concedente privilegii durationi datum sit, eo lapso extinguitur: & ratio est manifesta; quia privilegium vim suam omnem à concedentis voluntate accipit; igitur si iste ultra tempus à se statutum Privilegium durare non vult, privilegium ultra illud durare non poterit. 159

Idem dici debet de privilegio concesso dependenter ab aliqua conditione; quia tale privilegium virtualiter in se continet tempus, non quidem certum, & determinatum, sed indeterminatum, ita, ut tamdiu duret, quamdiu duraverit ipsa conditio, atque ideo sublata conditione, etiam perditur privilegium, cum tempus finitum sit; pro quo concessum est. Suar. *lib.* 8. *de LL. c.* 29. *n.* 5. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 16. Palao *tract.* 3. *D.* 4. *p.* 14. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 167. Vviestner *num.* 42. Reiffenstuel *num.* 182. Hinc fit, ut quando Clericus, vel Monachus statum mutat, non amplius gaudeat privilegiis Status Clericalis, vel Monasterii; quia hæc ipsi concessa sunt, quamdiu manserit in eo Statu. 160

Faciendum tamen est necessariò discrimen inter conditiones, adjectas; nam aliquæ earum sese tenent ex parte concessionis, aliæ ex parte privilegii, aliæ ex parte usus privilegii. *Si ex parte concessionis* se teneat conditio, privilegium, ea sublata, manet; quia solum requiritur conditionis existentia, ut daretur, non autem, ut datum conservaretur. Et hinc si Pontifex Monasterio concedat privilegium, quo eximitur à solvendis Decimis, sub conditione, si Episcopus consentiat, consentiente semel Episcopo, privilegium manet firmum, etsi is postea voluntatem mutet, & dissentiat. Palao *loc. cit.* *Si ex parte privilegii* conditio se tenet, quia e. g. Pontifex concedit privilegium, quamdiu existit conditio, pereunte conditione, privilegium perit, nisi conditio sit ex iis, quæ semel sublatæ facilè redire possunt; tunc enim suspenditur solum quoad usum, ut fit, quando Clericus statum mutat, & Matrimonium init; nam si soluto per mortem conjugis Matrimonio, iterum faciat, quæ sunt Clerici, iterum recuperat privilegia Clerici. Si denique conditio solum apposita est *usui privilegii*, privilegium quidem manet, conditione illa cessante, sed usus illius illicitus redditur. Palao *loc. cit.* 161

Dubitatur, an, sicut lapsu temporis finitur privilegium ad tale tempus concessum, ita etiam finiatur privilegium, vel gratia, absolutè concessa ad aliquid agendum, vel omittendum, per exercitium talis actus, an verò se ad plures extendat? Non potest hic esse quæstio de casu, quo clara sunt verba concedentis de unico actu; neque etiam de casu, quo clarè datur potestas de pluribus actibus: nam in primo casu certum est, privilegium, vel gratiam finiri unico actu; altero casu autem extendi ad plures. 162

Difficultas solum est de casu, quo verba sunt ambigua, ita, ut ad unum actum limitari, vel extendi ad plures possint. Non conveniunt DD. Nam 1. aliqui cum Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 31. *num.* 8. Salas *D.* 20. *de LL. sect.* 19. *num.* 127. Suar. *l.* 8. *de LL. cap.* 29. *n.* 8. Bonacin. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 2. *n.* 2. putant, privilegium, seu gratiam non finiri unico actu per se loquendo, nisi cesset omnino causa, ob quam fuit concessum. *Ratio* ipsorum est, quia quando dispensatio, gratia vel privilegium pro unico solum actu datur, significari hoc clarè in privilegii verbis solet; additur enim, *per hoc tantum vice, semel in vita, vel in morte &c.* igitur cum significatio dubia est, privilegium ad unicum actum limitari non debet. 163

Secunda

164 *Secunda* sententia distinguit, & concedit, eo casu privilegium, aut gratiam finiri unico actu in odiosis, non autem favorabilibus. Ita Felin. *in c.2. de Treug.& Pac.* Navar. *in can. placuit de pœnit. dist.6. n.166.* Henriq. *l.12. de Matr. c.5. à n.7. in comment. lit.U.* Azor *p.1. l.5. cap. 23. q.5.* & favet Bartol. *in l.fin. ff. de Const. Princip. n. 6.* estque sententia hæc teste Palao *tr.3. D.4. p.14. n.6.* communis.

165 Sed ipse Palao *loc. cit. n. 7.* init tertiam viam, &, ut ego quidem existimo, rectè; dicit enim totam perseverantiam privilegii, & hujus dubii decisionem pendere ex intentione, qua fuit concessum. Putat autem, hanc intentionem investigari posse ex motivo, & causa, ob quam fuit concessa gratia, vel privilegium; nam si causa, ob quam concessum est Privilegium, speciali alicui usui privilegii annexa, nec aliis communis est, privilegium, usu eo finito, cessat; quia solum pro illo usu concessum præsumitur. At si concedatur ob finem, qui pluribus actibus communis esse potest, quantumvis odiosum sit, non limitandum, sed ad plures actus extendendum est, nisi contrarium expressè constet ex verbis Principis privilegium concedentis; & ratio est, quia privilegia non sunt restringenda extra proprietatem verborum, & materiam subjectam. Limitatio autem ad unum actum extra proprietatem verborum est, quando verba plures comprehendunt; ergo &c. Videatur Palao *loc. cit.*

166 Quæritur 3. quando privilegium cesset, cessante causa, ob quam concessum est? Resp. distinguendo; Vel enim privilegium hoc favorabile, vel odiosum est, quia Juri communi, vel alterius privati derogat. *Si favorabile est*, & continet merum favorem Principis, illud manet, etiam cessante causa; quia ut rite, & licitè concedatur, vel non requiritur causa, vel si requiratur, requiritur solum, ut honestè, & prudenter concedatur, non vero, ut conservetur; nam ut *reg.16. in 6.* habet, *decet concessum à Principe beneficium esse mansurum*. Suar. *l.8. de LL. c. 30. n. 2.* Pirhing *hic n. 169.* Vviestner *n.44.* Reiffenstuel *n. 185.*

167 *Si odiosum est*, videndum, an jam sit integrè concessum, vel non. *Si nondum integre concessum est*, tunc quando causa finalis omnino cessat, nulla sit privilegii ipsius concessio *arg. c. cum cessante 60. de Appell.* Abb. *in c.9. n. 5. de Decim.* Menoch. *l.4. præsumpt. 189. circa fin. n. 196. & 197.* Sanch. *l.8. de Matr. D. 30. n. 8. & 9.* Suar. *loc. cit. n. 1.* Palao *tr.3. D.4. p.15. n.1.* Pirhing *n.168.* Ratio est, quia cessat intentio concedentis, quæ est concedere privilegium ob finem illum. Intelligi autem hoc debet, si causa illa non sit *impulsiva* tantum, quæ secundario solum movet, sed *principalis*, sine qua Princeps privilegium nullo modo concessisset; nam intentio concedentis alligatur causæ finali principaliter intentæ; ergo quidquid sit de impulsiva, & secundaria, illa subsistent, subsistet gratia. Reiffenst. *n. 184.*

168 *Si privilegium sit plenè, integrè & perfectè concessum*, considerandum an unico actu consummetur, an vero tractum successivum habeat. *Si unico actu consummetur*, eo consummato, non cessat privilegium, vel gratia, etiam quoad effectum; quia *factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari*, ut habet *Reg. 73. in 6.* Tiraquell. *tr. cessant, caus. p. 1. limit. 12.* Menoch. *l.4. præsumpt.189. n.166.* Sà *V. gratia n.6.* Sanch. *n.10.* Suar. *n.4.* Gutier *l. 2. qq. can. c.15. n. 30.* Pirhing *n. 169.* Konig *n. 29.* Vviest. *n.45.* Reiffenst. *n. 186.* Et hinc fit, ut casu, quo cum Irregulari v. g. dispensatur ob ejus paupertatem ad Beneficium, & Ordines, etsi is postea Beneficio acquisito, dives fiat, Dispensatio tamen maneat; quia scilicet jam habuit consummatum effectum; item ob similem rationem, si quis dispensationem obtinuit in Voto Castitatis ad contrahendum Matrimonium ob tentationes, si eæ tentationes, contracto Matrimonio, deinde cessent, non obinde fit illicitus illius usus.

169 *Si vero privilegium tractum successivum habeat*, iterum distinguendum est, an scilicet causa, quæ principaliter concedentem movit ad concedendam gratiam, vel privilegium, cesset contrariè, an solum negativè. *Contrariè* tunc cessare causa finalis dicitur, quando privilegii usus propter materiæ, vel circumstantiarum mutationem factus est iniquus, vel injustus, ita, ut vere incipiat in grave detrimentum aliorum, vel communitatis cedere. *Negative* cessat, quando non existit quidem amplius concedendi ratio, privilegii tamen concessi usus iniquus, aut inhonestus non est.

170 *Si contrarie cessat causa*, etiam privilegium quoad actus futuros amittitur. Et sic cessat privilegium non residendi in Ecclesia Beneficii, quando ob absentiam privilegiatorum Ecclesia pateretur defectum Ministrorum; item cessat privilegium colligendi Decimas ex districtu alicujus Parochiæ, si inde Ecclesia Parochialis necessariis destitueretur proventibus *arg. c. cum ad hoc 16. de Cler. non resid. c. suggestum 9. de Decim. c. quanto 6. de Censib. c. quid per novale 21. fin. de V. S. & l. ex facto 43. pr. ff. de vulg. & pupill. substit.* Palao *loc. cit. n.8.* Gonzal. *in c. suggestum cit. n.4.* Vviestner *n. 46.* Ratio est, quia privilegium concessum de re illicita, nullum est; ergo etiam, si usus illius fiat illicitus, cum eadem sit ratio in conservatione, quæ est in inceptione, seu prima concessione, cum nunquam dari facultas ad illicitum faciendum possit. Idem est, quando privilegium vergere incipit in majus detrimentum ipsius privilegiati; quia, ut *Reg.61. in 6.* habet, *quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*.

Si negative duntaxat causa finali cesset, non cessat propterea privilegium. Et sic perseverat privilegium colligendi Decimas ex certo districtu, concessum Monasterio ob paupertatem, etiamsi illud cum tempore locupletatum habeat redditus abundantes; item Clericus, ex dispensatione obtinens, plura Beneficia ob tenuitatem illorum, licitè ea retinet, etiamsi successu temporis singula sustentationem congruam Beneficiato præbeant. Suar. *loc. cit. num. 7.* Engl *n. 20.* Pirh. *n.169.* Vviest. *n. 46.* Reiffenst. *n.187.* 171

Dubitatur, an privilegium, gratia, vel dispensatio exspiret, quando causa dispensationis, aut gratiæ integrè cessat, antequam illa producatur ad effectum integrum? Sanch. *l.8. de Matr. D.30. n.14.* plures referens, existimat, Dispensationem, & gratiam eo casu cessare, vel saltem suspendi, usque dum causa redeat, ob quam fuit concessa. Movetur 1. *can. generaliter 40. caus. 16. q.1. c. tua 12. de Cler. non resid. c. Abbatis 25. fin. de V. S.* ubi revocatur gratia, & privilegium, cessante causa, absque discrimine. 2. *l. Granius Antoninus 72. vers. sed cum duo ff. de Fidejuss.* ubi quædam fidejussoris obligationes extinguuntur, & redditur ratio his verbis, *ut, quemadmodum incipere alias non possunt, ita nec remaneant*; ex quo Gloss. *V. remaneant* infert, *quod impedit faciendum, destruere quoque factum.* Id autem, quo impedit gratiam faciendam, est defectus causæ; ergo illius defectus etiam destruit factam. 3. facilius tollitur Jus speciale, i. e. privilegium, quàm Jus commune, sed Jus commune, cessante causa finali, cessat, ut apud omnes compertum est; ergo à fortiori etiam privilegium. 4. actus non operantur ultra intentionem agentium *c. quemadmodum 25. de Jurej.* atqui in omni Dispensatione subintelligitur conditio, *si causa permaneat*; alias iniquus dispensator esset, si permanere gratiam vellet casu, quo prorsus cessaret causa. 172

Sed melius, ut inter privilegia *nu.169.* ita nunc inter causas gratiæ, vel dispensationis concessæ distinguitur; nam aliquæ integræ existunt, quando conceditur gratia; aliæ tractum successivum habent, ut ipsa Dispensatio. *Si tractum successivum causa habeat*, ut in dispensatione de esu carnium in Quadragesima ob infirmitatem, recitationis Horarum ob debilitatem oculorum &c. cessante causa, cessat Dispensatio; & cons. qui rursum convaluit, debet iterum abstinere à carnibus, qui restitutos habet oculos, tenetur iterum recitare Breviarium &c. & ratio est, quia dispensatur in obligatione solum tamdiu, quamdiu fuerit causa, infirmitas, oculorum debilitas &c. 173

At si tractum successivum non habet, sed tota existit tum, quando conceditur gratia dispensatio, vel privilegium, nullo modo hoc cessat ob causæ cessationem. Sylv. *V. Dispensatio quæst. 6.* Tiraquell. *tract. cessant. caus. pr. n. 92. & 94.* Sà *V. Gratia n.6.* Suar. *l.8. de LL. cap.30. num. 12.* Salas *D. 20. sect.6. n. 67.* Gutier. *l.1. qq. can. c. 15. num. 22.* Palao *tract.3. D.4. p.15. num.7.* Ratio est, quia privilegium tale, ut ponitur, fuit absolutè concessum; igitur non dependet à causa futura, sed ab existente concessionis tempore; nam per hoc privilegium absolutè concessum distinguitur à conditionato, quòd hujus duratio commensuretur durationi conditionis, sub qua conceditur. *Conf.* quia per hoc, quòd Princeps legitimè dederit privilegium, privilegiarius acquisivit jus utendi privilegio: sed jus semel quæsitum non revocatur ex cessatione causæ, ob quam fuit prius concessum, ut optimè aliis relatis docet Menoch. *l. 4. præsumpt. 189. num. 197.* ergo &c. 174

Neque contrarium evincunt Rationes *n. 172.* oppositæ. *Ad 1.* in textibus *citt.* clarè agitur de causa habente tractum successivum; nam *can. generaliter* agitur de immunitate Clericorum ab omni Tutela, & Curatela, *c. tua* de privilegio Cle- 175

gio Clericorum absentium à loco Beneficii tempore studiorum, *c. Abbatis* potestas eligendi Abbatem conceditur, donec ibi viguerit disciplina Regularis; atqui clarum est, has causas habere tractum successivum; nam fructus Præbendarum indulgentur absentibus causa studiorum, quamdiu his occupantur, & Clerici à Tutela, & Curatela immunes sunt tantum, quamdiu Officiis Divinis vacant, nec divagantur. *Ad* 2. obligatio ibi extinguitur, quia pervenit ad statum, à quo incipere non potuit, non propter cessationem causæ finalis, sed propter circumstantiam advenientem, vi cujus obligationis usus iniquus redditur; dixi autem *n.*170. ex tali circumstantia tolli privilegium, cum licere non possit, quod illicitum est. Et sic etiam intelligenda est *Glossa*, dum dicit, quod impedit faciendum, destruere jam factum, nempe quando impedimentum est honestati contrarium; non vero quando est impedimentum præcisè ob cessationem causæ. *Ad* 3. etsi facilius sit mutari privilegium, quam legem, non tamen sequitur, quod privilegium cessare debeat, quando Lex cessat: Lex enim cessat, cessante causa ejus finali; quia tunc inutilis redditur: privilegium verò, etsi causa cesset, ob quam fuit concessum, adhuc est utile privilegiato. *Ad* 4. si privilegium concedatur absolutè, mens concedentis est, ut privilegiatus eo utatur, etiam cessante causa, ob quam fuit concessum. Neque idcirco peccat, qui sic concedit privilegium; quia etiam causa transiens, & tamporalis honestare potest concessionem, & privilegium perpetuum.

176 Quæritur 4. quot modis renuntiari privilegio possit? Resp. dupliciter; nam duplex esse potest Renuntiatio privilegii, Expressa, & Tacita. *Expressa* est, quæ fit per pactum, aut verbis expressis; *Tacita*, quæ Juris interpretatione censetur fieri per non usum privilegii, aut usum contrarium. De hac sermo erit duabus sequentibus Quæstionibus. De priore

177 Dub. 1. an privilegium amittatur per Renuntiationem expressam, à privilegiario factam? Resp. distinguendo; nam si privilegium alicui personæ particulari in ipsius solius favorem concessum sit, per renuntiationem liberam, & expressam amittitur; quia liberum est unicuique juri suo renunriare *c. si de terra 6. fin. hoc tit. l. si quis 29. Cod. de Pact.* Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 20. Palao *tr.* 3. *D.*4. *p.* 17. *n.* 1. Engl *hic n.*17. Konig *n.*29. Riffenstuel *n.* 188.

178 At si privilegium principaliter concessum sit in favorem Communitatis, Dignitatis, vel loci, e. g. Civitatis, Ecclesiæ, vel Monasterii, non possunt personæ particulares cum ejusdem præjudicio privilegio renuntiare, ne Juramento quidem. Laym. Palao *l. cit.* Reiffenst. *n.* 190. & communis aliorum: & ratio est, quia non sunt bona propria cujusque *l. Jus publicum* 38. *ff. de Pact.* Ad hæc reducitur, si privilegium sit pluribus pro indiviso concessum; tunc enim, quia unus non potest Juri alterius præjudicare, nullus eorum in particulari potest renuntiare privilegio, quod cum cæteris ita commune habet. Palao *n.* 1. *cit.*

179 Atque hinc 1. non potest ullus Clericus etiam pro se renuntiare privilegio Canonis, & Fori *c. si diligenti* 12. *de for. compet. c. contingit* 36. *de Sent. Excomm.* quia hæc privilegia concessa sunt in favorem totius Ordinis, seu status Clericalis. Palao *l. cit. n.* 2. & alii omnes. 2. nec Religiosi renuntiare possunt privilegiis suæ Religioni concessis, ut privilegio exemptionis, sine consensu Papæ, qui eos ab Ordinariorum Jurisdictione exemit, & suæ gubernationi, ac protectioni immediatè subjecit, per *c. cum tempore* 5. *de Arbitr.* & urget ratio; quæ in priore exemplo. 3. etiam filiusf. renuntiare nequit privilegio, quod ipsi concessum est per S.C. Macedonianum, ut non possit ex mutuo pecuniæ obligari, ut dictum est *Lib.* 1. *Tit.* 35. *num.* 16. & ratio est, quia non in favorem ipsius tantum, sed præcipuè in favorem parentum concessum est, quorum indemnitas per privilegium istud intenditur. 4. idem dicendum de Minoribus; nam neque isti renuntiare possunt beneficio restitutionis in integrum, nisi aut veniam ætatis petant à Principe, aut juramentum addant, se non usuros hoc privilegio, quod Juramentum tamen relaxari potest. Videantur dicta *Lib.* 1. *Tit.* 41. *de in integr. restit.*

180 Dub. 2. quid requiratur, ut privilegium tollatur per renuntiationem expressam? Resp. 1. requiritur, ut fiat voluntate libera h. e. non coacta, ipsius renuntiantis, qua sponte, & volens velit abdicare à se privilegium, & jus per hoc sibi quæsitum, vel in totum, si sit totius privilegii, vel in parte, si sit renuntiatio alicujus partis privilegii. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 17. *num.* 5.

2 Accedere debet potestas renuntiandi; nam si potestatem renuntiandi non habet, voluntas renuntians nulla est, & nullum habet effectum, ut in casibus *num. præcedent.* allatis vidimus:

3 Si renuntiatio cedit in aliorum utilitatem, quia scilicet renuntiatione jus aliis confertur, vel remittitur, ut contingit in privilegio non solvendi Tributa, exigendi Decimas &c. tunc requiritur etiam acceptatio ejus, cujus interest, quæ nisi accedat, revocabilis est renuntiatio, sicut quævis alia donatio, usque dum à donatario acceptetur. Gloss. *in c.* 3. *V. obtulit, de eo, qui mittitur in possess.* Bald. *ibid. n.* 8. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 33. *n.* 14. *& seqq.* Palao *p.* 18. *cit. n.* 6. 181

4 Si vero privilegium sit ex illis, quæ solum spectant privilegiatium, nec alteri damnum inferunt, ut sunt privilegium eligendi Confessarium, recitandi Breviarium ante horas consuetas, comedendi carnes diebus prohibitis &c. probabilius non amittitur privilegium, nisi accedat consensus illius, qui dedit privilegium; & hinc donec acceptata ab hoc sit renuntiatio, privilegiatus à se factam revocare, & privilegio suo, ut antè, uti potest *arg. c. licet 7. de Procurat. in 6.* Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.*32. *n.*2. Salas *D.*20. *de LL. sect.* 19. *n.*128. Bonac. *D.* 1. *q.*3. *p.*8. §.4. *n.*3. Suar. *c.*33. *n.*18. Palao *n.*6. Zoes. *hic n.* 34. Pirh. *n.* 173. Vviest. *n.* 47. Reiffenstuel *n.*189. Ratio est, quia jus privilegii pendet à voluntate concedentis, & acceptatione ejus, cui conceditur; ergo quamdiu voluntas concedentis manet, & renuntiationem privilegii nondum acceptavit, potest is, cui conceditur privilegium, non obstante sua renuntiatione, se resolvere ad illud retinendum. 182

Dub. 3. an, & quando Prælatus cum Capitulo, vel Conventu renuntiare privilegio possit? Resp. distinguendo; Vel enim privilegium, de cujus renuntiatione agitur, est utile Communitati, vel indifferens, aut inutile, aut etiam noxium. *Si noxium communitati fiat*, renuntiatione non indiget, sed per seipsum cessat; quia, ut *in Reg.* 61. *in* 6. dicitur, *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Reiffenst. *hic n.* 197. 183

Si inutile, vel indifferens sit, renuntiare illi Prælatus cum Capitulo potest, juxta *c. cum accessissent* 8. *de Constit. cap. pro illorum* 22. *de Præb.* modò talis renuntiatio non cedat in Ecclesiæ, vel aliorum præjudicium; nam privilegio Ecclesiæ nemo potest renuntiare *arg. c. contingit* 1. *de sent. excom.* Fagn. *in c. inter alia n.* 88. *de Immun.* Reiffenst. *n.* 196. 184

Si utile sit, & honorificum, etiam unus solus aliis de Capitulo contradicere, & renuntiationem impedire potest. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 20. Pirh. *n.* 174. Reiffenst. *n.* 196. post *Innoc. Abb. Alex. de Nevo &c.* Requiritur ergo, ut renuntiatio fiat de communi omnium consensu, qui si accedant, tenebit renuntiatio; quia & hic Regula locum habet, quòd favori suo ii, quibus competit, renuntiare possint *arg. c. pro illorum cit.* & docet Laym. *in c. cum accessissent cit. n.* 12. *de Const.* 185

Quæritur 5. an privilegium tollatur per non usum? *Ratio dubitandi* est, quia si per non usum privilegium tolleretur, tolleretur ideo, quia talis non usus vel indicat tacitam renuntiationem, vel quia occasionem dat, ut gravatus privilegio adversus privilegiatum præscribat. *Primum* dici non potest; quia potest privilegiatus privilegio suo non velle uti ob alios fines; igitur non statim præsumi potest, quod eo non utatur animo renuntiandi. Deinde etsi præsumeretur ejusmodi voluntas renuntiandi, tamen, ut *n.* 182. dictum est de renuntiatione expressa, non statim per ejusmodi renuntiationem tolleretur privilegium, sed opus foret acceptatione ejus, qui privilegium dedit; tacita enim non habet majorem vim, quam expressa. *Sed neque alterum dici potest*, quòd scilicet non usus sit occasio præscriptionis; nam imprimis in privilegiis, quæ in aliorum gravamen non cedunt, non datur præscriptio, hoc ipso, quia uti iis privilegiatus potest, quando libet; in aliis verò, quæ in gravamen aliorum cedunt, præscriptio videtur tolli à concedente privilegium; nam in privilegiarii voluntate constituit usum privilegii. Sed quoties usus privilegii remittitur privilegiarii voluntati, plures non contemnendi DD. putant, non posse adversus privilegiatum præscribi; ergo &c. *Conf.* non usus rei propriæ non tollit hujus dominium; ergo nec privilegium. *Ant.* patet; alias, qui non utitur pecunia, aut veste sua, hoc ipso dominium illarum perderet; quod est falsum; requiritur enim, ut, si vestem, aut pecuniam velis non amplius tuam esse, illam à te abjicias, & quasi pro derelicta habere velis *l. si res* 1. *& l. seq. ff. pro derelict.* igitur quamdiu privilegium à re non abjicis, quod renuntiatione debebat fieri, non poteris illud per non usum amittere. 186

Sed

187 Sed his non obstantibus, dicendum, privilegium per non usum amitti posse. Ita post *Abb. Felin. Decium* docet Azor *l.5. c.4. q.8. & c. 42. q.* 8. Salas *D.17. de LL. sect.* 13. *à n.63. & D.19. sect.20. n.*115. Suar. *l.8. c.34. n.* 2. Bonacin. *D.*1. *q.*3. *p.8. §.5. n.* 3. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 18. *n.* 1. Engl *hic n.* 19. & hoc teste omnes. Poteftque hoc fieri aut vi tacitæ renuntiationis, aut vi præscriptionis. *Vi tacitæ renuntiationis* quidem; quia is, qui sciens, & volens non utitur privilegio, dum uti deberet, & posset, meritò censetur abdicasse illud: neque hìc opus est alia acceptatione dantis privilegium, quam quæ dispositione Juris habetur; in id enim; quod Juris est, consentire omnes videntur. *Vi præscriptionis* autem; quia si contra Leges, cur non etiam contra privilegia præscribi possit, cum etiam ipsæ sint Leges privatæ?

188 Ex quo patet Responsio ad *Rationem dubitandi*. Quod additur, quasi privilegiario ad ipsius voluntatem remittatur privilegii usus, universaliter verum non est; certum enim est, quod concedens privilegium sæpe addat expresse verba, quibus usum privilegii relinquit liberum voluntati privilegiati, & quod hæc verba non addantur frustra. Essent autem frustra, & sine effectu apposita, si in omni privilegio subintelligerentur, & subintellecta haberent vim excludendi præscriptionem, igitur dicendum, quòd tum solum excludant præscriptionem adversus privilegium pro vita privilegiati, quando expresse addantur; at quando conditio illa subintelligitur tantum, liber quidem est usus privilegii per se loquendo (quia nemo cogitur uti gratia specialiter sibi concessa) sed si tempus, ad præscriptionem requisitum, transierit, privilegium per ejusmodi non usum cessabit. *Ad Conf.* dico, non usum privilegii, quando deberet, & posset eo uti privilegiatius, esse abjectionem illius interpretativam, quæ causam dedit, ut Leges præscriptionem inducerent. Videtur igitur omnino certum, quod privilegia per non usum amitti possint. *Difficultas* solum est, quænam sic amitti possint: atque hinc,

189 Dub. 1. quænam privilegia amittantur per non usum? Resp. distinguendo inter ea, quæ in aliorum gravamen redundant, & inter illa, quæ non redundant in aliorum gravamen, sed in mera facultate aliquid agendi consistunt, uti est privilegium dicendi Missam ante auroram, comedendi carnes in Quadragesima, pro Horis Canonicis recitandi Officium B. V. *Posteriora* solo non usu, quantocunque tempore continuato, non amittuntur. Gloss. *in c.* 24. *V. semel in anno h. tit.* Rodriq. *tom.2. Reg. q.49. art.*3. Suar. *l.8. de LL. c.34. n.*17. Laym. *l.1. tr.4. c.23. n.*22. Palao *tr.*3. *D.*4. *p.*18. *n.*3. Engl *hic n.* 19. Pirhing *n.*176. Konig *num.*29. Vviestner *n.*49. Reiffenstuel *n.*209. Ratio est, quia si amitterentur per purum non usum, amitterentur vel per viam præscriptionis, vel per viam tacitæ renuntiationis, non primo modo; quia nemo contra hujusmodi privilegia potest præscribere, cum nemini onerosa sint, & alios non respiciant: non secundo modo; quia quilibet potest uti, vel non uti privilegio suo pro libitu, & solus non usus non est sufficiens signum volentis renuntiare privilegio. Neque obstat *l. nundinis* 1. *ff. de nundin.* ubi privilegium nundinarum spatio decennii per non usum amittitur; nam hoc fit ideo, quia vel inter onerosa privilegia reputatur, ut habet Glossa *in cap.* 24. *hoc tit.* vel quia tali conditione à Principe concessum est, ut per non usum intra decennium amitteretur. Cæteræ Leges, & Jura, quæ amissionem privilegii propter non usum statuunt, loquuntur solum de privilegiis, quæ in gravamen aliorum cedunt, ut legenti constabit: ex his autem, cum restrictio privilegiorum sit odiosa, ad privilegia merè gratiosa non debet fieri extensio: sed & diversa est horum ratio; nam privilegia merè gratiosa, ut *supra* dixi, præscriptioni non subjacent:

190 Aliter discurrendum est *de Priori genere* privilegiorum, seu de iis, quæ onus, & gravamen afferunt alteri; nam ista amittuntur per non usum privatorum voluntarium, & liberum, oblata scilicet occasione utendi privilegio: & hoc tum per viam tacitæ renuntiationis, tum per viam præscriptionis. Gaill. *l.2. obs.60. n.2.* Azor *p.1. l.5. c.* 22. *q.* 8. Suar. *l.8. de LL. c.34. n.5. 6. &* 16. Laym. *l.1. tr.4. c.23. num.*21. Palao *tr.*3. *D.*4. *p.*18. *n.*4. Pirh. *hic n.*175. Konig *n.*29. Reiffenstuel *nu.* 204. & sumitur ex *l. nundinis* 1. junct. Gloss. *V. tempore ff. de nundin.* Ratio est, quia etiam illæ obligationes, & servitutes, tam reales, quam personales ita amittuntur per non usum; nam sic amittit jus eundi, vel currum agendi, per alienum fundum, qui longo tempore, occasione oblata, hoc suo jure non utitur; item Dominus Feudi amittit jus exigendi obsequia à Vasallo, si longo tempore, etiam cum posset, & occasio se offerret, illa non exigat &c.

Dub. 2. quid requiratur, ut per non usum tollatur privilegium, alteri gravamen, vel onus afferens? Resp. duo requiruntur 1. ut iste non usus sit voluntarius, & liber, ac proinde, ut privilegiatus eo usus non sit, cum utendi occasio fuit; nam si aut occasio utendi nulla se obtulit, aut privilegiatius oblata uti non potuit, sive propter absentiam, aut ignorantiam inculpabilem, sive propter infirmitatem, aut alterius violentiam, per ejusmodi non usum merè negativum, etsi longissimi temporis, privilegiarius privilegium non amittit; quia non usus iste liber non est, & consf. nequit præsumi, quòd procedat ex animo renuntiandi privilegio. Et hinc, qui jus gladii ex Principis privilegio habet, illud non amittit, etsi longissimo tempore ex defectu occasionis non fuerit usus privilegio: sic pariter non perdit privilegium, & jus exigendi obsequia à Vasallo Dominus directus Feudi, si illa non exegit, quia iis non indigebat; Item manet Universitati privilegium promovendi ad Gradus Doctorales, etsi longissimo tempore, eo, quod nullus esset, qui promoveri vellet, aut dignè posset, in eadem ad Gradus istos promotus fuerit. Gaill. *l. cit. n.*4. *& seqq.* Azor *q.* 8. Laym. *n.*21. Palao *n.*2. Pirh. *n.* 175. Konig *n.* 29. Reiffenst. *n.* 205. *& duob. seqq.* Monent tamen hìc DD. absentiam occasionis non debere esse voluntariam; nam si Judex habens jus gladii maleficos capitis reos studiosè non capiat, ne eos afficere debeat extremo supplicio, aut Universitas causam Scholasticis dederit, quare nolint promoveri, amittunt privilegia; quia tunc idem est, ac si nollent privilegiis suis uti, & sic fit iste non usus interpretativa abdicatio privilegii. 191

2 Requiritur lapsus temporis; & quidem, ut per non usum via tacitæ renuntiationis sublatum censeatur privilegium, requiritur, ut tantum tempus lapsum sit, ex quo præsumatur animus se abdicandi privilegio: ut vero via præscriptionis, opus est, ut iste non usus continuatus libere fuerit per tempus ad præscriptionem requisitum, scilicet inter præsentes per decennium, inter absentes per vicennium, & aliquando per tempus longius, prout dictum est *ad Lib.* 2. *Tit.*26. *à n.*100. Menoch. *l. 6. præsumpt.* 41. *fin.* Suar. *c.* 34. *cit. n.*20. Pont. *l.8. de Matr. c.*18. *n.*23. Vviest. *hic n.*49. 192

Quæritur 6. quando privilegium negativum amittatur usu, vel actu contrario? Resp. etiam hìc distinguendum esse inter privilegia merè gratiosa, & inter onerosa aliis. privilegia, quæ *merè gratiosa* sunt, & nemini præjudicium afferunt, ut est privilegium non jejunandi in Quadragesima, non recitandi Horas Canonicas &c. non tolluntur solo usu contrario; & hoc verum est, sive deinde unus solum, sive plures ponantur actus contrarii. Ita Suar. *l. 8. de LL. c.* 35. *n.* 22. Laym. *l.1. tr.4. c.23. n.*23. Bonacin. *D.*1. *q.* 3. *p.8. §.6. n.*5. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 19. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 183. Vviestner *n.* 50. Reiffenstuel *num.* 213. Ratio est, quia ex non usu, seu usu contrario non potest præsumi renuntiatio istorum privilegiorum; potest enim habens privilegium non jejunandi, vel non dicendi Horas Canonicas jejunare, vel orare, non quasi obligatus Lege, aut animo renuntiandi privilegio, sed ex devotione tantum, vel ob alios fines, adeoque sine præjudicio privilegii sui. Adde, etsi præsumi posset renuntiatio facta, ex illa tamen non adimeretur privilegium, sed mutare voluntatem suam renuntians posset, quamdiu renuntiatio nondum est acceptata à concedente, ut *suprà n.* 182. dictum est de Renuntiatione expressa. 193

Aliter sentiendum est de privilegiis negativis, quæ *aliis onerosa* sunt, & præjudicium afferunt, uti sunt immunitas à solvendis Decimis, vel Tributis, exemptio à Jurisdictione Ordinarii &c. nam hæc amittuntur per usum contrarium privilegio; fierique hoc potest vel via præscriptionis, si nimirum post actum contrarium, sine protestatione factum, decurrat legitimum tempus ad præscriptionem sufficiens, & necessarium; vel per tacitam renuntiationem; qui enim sciens, & volens exercet actum contrarium privilegio, præsumitur in foro externo renuntiare velle privilegio suo. Suar. *l. cit. n.*7. Laym. *n.*23. Palao *n.* 3. Pirh. *n.*178. Riffenstuel *n.* 213. 194

Porro ut per hujusmodi actum contrarium inducatur tacita renuntiatio, requiritur 1. ut actus iste sit factus ab ipsomet privilegiato; nam si ab alio fieret, non tolleretur privilegium. Suar. *loc. citat. num.* 3. Pirhing *num.* 179. Reiffenstuel *num.* 216. 2. actus iste debet esse Voluntarius, & quidem fieri animo renuntiandi privilegio; hinc si quis expresse protestetur, quod per ejus- 195

modi actum privilegio renuntiare non velit, aut si ignorei? illum contrarium privilegio esse, per eundem non amittitur privilegium. Reiffenst. *n.* 224. *& seqq.* 3. actus, qui exercetur contra privilegium, debet esse directè contrarius toti privilegio quoad totam facultatem; & hinc privilegium habens tractum successivum non statim tollitur unico actu etiam quoad usum illius imposterum, nisi completa sit præscriptio. Abb. *in c.* 8. *de Const. n.* 8. Felin. *ibid. n.* 9. Laym. *ibid. n.* 11. Suar. *loc. cit. n.* 10. Pont. *l.* 8. *de Matr. c.* 18. *n.* 27. Vviestner *hic n.* 53. Aliud est, si privilegium tale sit, quod unico actu perficitur, & effectum non iterabilem habet; nam hoc via renuntiationis tacitæ per unicum actum contrarium tollitur, ut communiter docent DD. *in c. cum accessissent* 8. *de Const. c. si de terra* 6. *&c. accedentibus* 15. *hoc tit.* & ratio est manifesta; quia in tali casu renuntiatio pro uno actu est renuntiatio privilegii simpliciter, & absolute cum totum privilegium in uno actu consistat; 4. Privilegium tale debet esse, cui contra privilegium operas derogare, & renuntiare etiam expresse possit; aliàs etsi plures etiam actus illi contrarios faciat, privilegium per eos actus non tolletur. Abb. *n.* 8. *cit.* Felin. *n.* 28. Laym. *n.* 12. Suar. *n.* 5. *&* 8. Pirh. *n.* 181. Ratio est, quia is, qui non potest per expressam renuntiationem tollere privilegium, neque per tacitam illud potest, exercendo actus illi contrarios; nam expressi, & taciti est eadem vis; immo major efficacia est expressæ renuntiationis, quam tacitæ, cum verbis illa hæc factis duntaxat fiat.

196 Ut præscribatur adversus privilegium negativum, requiritur decennium inter præsentes, vicennium inter absentes, nisi privilegiatus sit Ecclesia, Monasterium &c. *Quod si privilegiatus sit Ecclesia, Monasterium &c.* requiritur tempus longius: quantum vero illud esse debeat, dubium est; Et *rationem dubitandi* facit *c. si de terra* 6. *h. tit.* ubi dicitur, quod privilegium non solvendi Decimas, competens Cisterciensium Ordini *per c. ex parte* 10. *& c. nuper* 34. *de Decim.* amissum sit solutione earum, per annos 30. ab istius Ordinis Monasterio continuata. Sed dicendum, requiri annos 40. Ita Suar. *c.* 36. *cit. n.* 21. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 26. *n.* 18. Gonzal. *in c. si de terra cit. n.* 7. Vviest. *hic n.* 53. *& duob. seqq.* ex Regula generali *c. de quarta* 5. *c. ad aures* 6. *& c. illud* 8. *de præscript.* & præcipuè *c. accedentibus* 15. *h. tit.* ubi allegandi præscriptionem adversus privilegium tale imponitur onus probandi temporis quadragenarii; Neque obstat *c. si de terra* in contrarium allegatum; quia ibi solum agitur de amissione privilegii via renuntiationis, quæ ex Decimarum solutione, à privilegiatis, Juris sui ignorantiam non habentibus, triginta, immo paucioribus, & secundum multos decem duntaxat annis sine ulla interruptione, & protestatione continuata, præsumitur, cum tam supinus non facile quisquam sit, ut solutionem, à qua se privilegio esse immunem novit, tot annis sine ulla protestatione præstet.

197 Quæritur 7. quomodo amittatur privilegium per abusum? Resp. cum distinctione; potest enim abusus privilegii, sive culpa in usu illius triplici modo contingere: 1. per excessum, si quis utatur privilegio contra intentionem concedentis, illud ultra illius limites extendendo ad tempus, locum, materiam, vel personam non concessam; 2. sumendo ex illo occasionem delinquendi, sicut contingeret, si exemptus liberius delinqueret, aut alteri injuriam inferret spe immunitatis, vel difficilioris conventionis concepta ex privilegio. 3. contra ejus Indulti finem agendo, sicut ageret Canonicus, vel alius Beneficiatus, obtinens privilegium non residendi in sua Ecclesia ad prosequendum litterarum studium, si hoc insuper habito, tempus otio tereret, & inutilibus, atque à privilegii fine alienis exercitiis insumeret.

198 Quocunque ex his tribus modis privilegiatus privilegio suo abutatur, meretur illud amittere, ut habetur *can. ubi* 7. *dist.* 74. *c. licet* 18. *de Regul. c. ut privilegia* 24. *hoc tit. c. contingit* 45. *de sent. Excomm.* & alibi passim, docentque Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 36. *à n.* 4. Salas *D.* 17. *sect.* 13. *n.* 67. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 24. Bonac. *D.* 1. *q.* 3. *p. ult. n.* 2. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 20. *n.* 3. Engl *hic n.* 16. Riffenst. *n.* 176. *& seqq.*

199 *Si primo modo* per excessum privilegiatus abutatur privilegio suo meretur illo privari, & de facto aliquando privatur vel ex toto, vel ex parte, prout Lex disposuerit; & sic eligens indignum, pro illa vice privatur potestate eligendi, ut habetur *c. gratus* 3. *de postulat. Prælat. c. cum in cunctis* 7. *§. fin. & c. cum Vvintonensis* 25. *de Elect.*

Si secundo modo, accipiendo occasionem delinquendi, meretur privari quidem privilegio suo; at non est privatus ipso facto, saltem ante sententiam declaratoriam criminis, ut colligitur ex *c. contingit cit.* ubi Clericus incedens sine habitu, & tonsura ut occasionem liberius vivendi habeat, non amittit privilegium Clericale, quousque ter monitus sit. 200

Si tertio modo, privilegium eo modo cessat, quomodo cessat finis; & fundamentum privilegii. Si finis solum cessat quoad aliquem actum, privilegium solum cessabit pro illo actu; si in totum cessat, privilegium quoque cessabit in totum. Sed hæc cessatio non est in pœnam abusus, sed ob defectum finis à privilegio intenti, atque adeo ex natura rei; & sic ipsa natura rei amittit privilegium Clericale Clericus, qui ad Statum Matrimonialem transit, & Laicè vivit; item perdit privilegium lucrandi fructus Beneficii sui absens studiorum causa, si ille non vacet Studiis &c. 201

Porro Excessuum, quos privilegiati in usu privilegiorum suorum committunt, exempla varia referuntur in Jure Pontificio; potissimi verò Religiosorum sunt; cum enim hi pluribus privilegiis à Sede Pontificia præ cæteris instructi sint, pronum est, eos magis in usu eorum excedere. Occasionem prohibitionum sequentium maximè dederunt Templarii, & Hospitalarii, qui in multis excedebant. Præcipua afferam capita. 202

1. Igitur excedere Religiosi possunt, si Ecclesias, vel Decimas de manu Laicorum sine Episcopi consensu recipiant *c. cum & plantare* 3. *hoc tit.* jubenturque sic receptas dimittere, nisi legitimè præscripserint, vel postea consensum Episcopi obtinuerint *c. cura* 11. *de Jur. Patron.* Gloss. *in c.* 3. *cit. V. aliquo tempore.* Host. *ibid.* Fagnan. *n.* 2. Pirh. *hic n.* 131. Quod tamen quoad Decimas non absque discrimine intelligendum, sed distinguendum est an Laici justè, & cum consensu Pontificis eas Decimas obtinuerint, an vero injustè. *Si justè*, consensu Episcopi eo casu opus non est; cum enim per ejusmodi concessionem separentur omnino à bonis Ecclesiasticis, & Laicales fiant, sicut alia sua bona. ita & Decimas ejusmodi donare Religiosis possunt, vel etiam vendere propria authoritate, & non requisito consensu Episcopi: *Si vero injustè*, interest, an Laicus Decimas injustè detineat sine titulo, vel cum titulo ab inferioribus Prælatis habito; *Si ex titulo aliquo*, Religiosi eas à Laicis possunt accipere, accedente consensu Episcopi, idque ex permissione Ecclesiæ, & Juris Canonici *c. cum Apostolica* 7. *de his, quæ à Prælat.* sic enim utilitati Ecclesiæ consulitur, dum ejusmodi Decimæ ad usus Ecclesiasticos revocantur *can. fin. caus.* 16. *q.* 1. junct. *c. statuto* 2. *§. sane de Decim. in* 6. *Si sine titulo*, nullo modo illas etiam sponte oblatas Religiosi à Laicis possunt accipere, sed hi debent illas dimittere & restituere illi, ad quem de Jure pertinent: & ratio est, quia nulla potestas Laicis competit disponendi de rebus Ecclesiasticis *c. fin. de reb. Eccl. non alien.* & pro non dato habetur, quod datur ab illo, qui non potest donare *c. quod autem* 5. *de Jur. Patron.* Et hoc procedit, etiamsi talis donatio facta sit cum consensu Episcopi; quia consensus Episcopi nihil novi dare potest, sed datum ab alio, qui dare potest, confirmat, juxta Regulam traditam *c. inter dilectos* 6. *vers. cæterum de fid. Instrum.* 203

2 Excedunt Religiosi, & privilegiati, si Excommunicatos, & nominatim interdictos ab Episcopis non evitent, sed ad Divina recipiant; nam Excommunicatus, & Interdictus in una Ecclesia, vel Diœcesi, censetur ubique Excommunicatus, & Interdictus, ita, ut vitari debeat tanquam Excommunicatus etiam à non subditis, & privilegiatis *c. cum & plantare cit. §. excommunicatos.* Host. *ibid.* Abb. *n.* 1. Fagnan. *n.* 4. Pirh. *n.* 133. *Neque obest*, quod exempti sint à Jurisdictione Ordinariorum, qui tulerunt Excommunicationis sententiam; quia privil. Exemptionis, etsi faciat, ut excommunicari nequeant ab Ordinariis, non tamen facit, ut non debeant alios Excommunicatos vitare; & ratio est, quia obligatio eo vitandi non ex Jurisdictione Ordinarii excommunicantis, sed ex dispositione Juris communis provenit, cui etiam Exempti subjacent. Suar. *D.* 18. *de Censur. sect.* 1. *n.* 8. Barbos. *in c. cum & plantare cit. n.* 14. Pirh. *n.* 133. *cit.* 204

3 Excedunt, si in Ecclesiis suis, quæ pleno jure, i. e. quoad temporalia, & Spiritualia ad ipsos non pertinent, cum vacaverint, Presbyteros Parochiales constituant, & eos Episcopis non præsentent instituendos *c. cum & plantare cit. §. in Ecclesiis*, Fagnan. *n.* 5. nam etsi rationem 205

rationem rerum temporalium ab hujusmodi Presbyteris Religiosi ejusmodi possint exigere, præsentare tamen eos Episcopo debent, ut ab hoc instituantur, & curam accipiant, sicque institutos, inconsultis iisdem Episcopis, removere non possunt. Quoad Ecclesias, quæ pleno jure, scilicet quoad temporalia simul, & spiritualia subjectæ ipsis Religiosis sunt, facienda est distinctio; Vel enim populus etiam est illis subjectus, ita, ut quasi Episcopalem Jurisdictionem in eum exerceant; vel contra ipsæ quidem Ecclesiæ exemptæ sunt, non tamen populus à Jurisdictione Episcopi Diœcesani. *Si primum*, liberam tales Religiosi potestatem habent instituendi, & destituendi Clericos in illis Ecclesiis, etiam sine consensu Episcopi loci, ut colligitur arg. à sensu contrario ex *cit.* §. *in Ecclesiis*, & notat *ibi* Gloss. *V. pleno jure*. *Si secundum*. Religiosi exempti habent quidem liberum jus conferendi, vel instituendi Rectorem in illis Ecclesiis, debent tamen institutum præsentare Episcopo, ut ab eo curam accipiat.

6 4 Excedunt, si scienter in locis interdictis Divina celebrent, vel celebrari faciant, nisi secundum permissionem Juris, scilicet submissa voce, & januis clausis; item si ibi alios, quam Confratres suos sepeliant *cap. cum & plantare cit.* §. *quodsi*. Multo magis excedunt, si publicè ad Divina Officia, Sacramenta, & Sepulturam admittant Excommunicatos, & personaliter interdictos *cap. ad hæc* 5. *hoc tit. cap. Episcoporum* 8. *eod. in* 6. Jubetque Alexander III. sic sepultos extra Cœmeteria ejici, modo possit ossa eorum ab aliorum fidelium ossibus discerni *cap. sacris* 12. *de sepult.* & nisi fortè petierint absolvi, & per eos non steterit, quo minus fuerint absoluti. Gloss. *in cap. adhæc cit. V. ejiciant*. Ratio est, quia quibus non communicamus vivis, nec defunctis communicare debemus, *c. adhæc, & cap. sacris citt.* Exempti autem, qui contra hanc prohibitionem fecerint, præter alias pœnas Jure statutas, interdicuntur ingressu Ecclesiæ, donec competenter satisfecerint, ad arbitrium illius, cujus sententiam contempserunt. Dixi autem, *Exempti*, nam hæc pœna non est extendenda ad non exemptos, ut Pirhing *n.* 144. notat, quamvis Gloss. *in cap. Episcoporum cit. V. ingressum* contrarium teneat.

7 5 Excedunt, si in Oratoriis suis privatis campanas habeant, easque publicè pulsent, prout habetur *in cap. patentibus* 10. *hoc tit.* nam habere campanam publicam, eamque pulsare publicè est signum loci publici, & sacrati. Dixi. *In Oratoriis privatis*, nam in Ecclesiis, & Oratoriis publicis licet, & constat ex *c. nimis* 16. *de Excess. Prælat.*

8 6 Si in Ecclesia polluta celebrent, antequam reconcilietur. Et hi suspenduntur, non quidem ipso Jure, sed per sententiam *cap. tuarum* 11. *hoc tit. cap. is qui* 18. *de Sent. Excomm. in* 6. Abb. *hic n.* 5. Unde discrimen est cum eo, qui celebrat in Ecclesia interdicta; nam hic ipso Jure suspensus est ab Officio, & Beneficio *cap. fin. de Excess. Prælat.* Pirhing *n.* 139.

9 7 Si Presbyteros, ab officio per Episcopum suspensos, ad Divina Officia restituant, seu à suspensione absolvant *cap. tuarum citat.* Ratio est, quia ab hac, & aliis Censuris ab homine latis non potest absolvere, nisi, qui eas tulit, vel legitimus ejus superior *cap. pastoralis* 11. §. *præterea de Offic. Ord.* unde nulla est hujusmodi absolutio.

10 8 Si Laicos, qui cum uxoribus suis in domibus propriis comorantur, eo quod eis ex bonis suis annuatim aliquid solvant, ita eximere à potestate Episcoporum contendant, ut aliis secundum consuetudinem terræ, seu Regionis ad sibi objecta respondere non teneantur. Hos Innocentius III. *in cap. cum & plantare citat.* decernit compellendos ad respondendum aliis, remota Appellatione.

1 9 Si Ecclesias, vel Capellas ædificent in locis non exemptis sine licentia Ordinarii loci, vel in exemptis sine licentia Papæ *cap. authoritate* 4. *hoc tit. in* 6. & dictum est *Lib.* 3. *Tit.* 48. *n.* 1. *& seqq.* Si in hoc casu deliquerint Exempti, puniri à locorum Ordinariis possunt. Gloss. *in cap. cit. V. compescantur*, & Joan. Monach. *V. eodem*; & Ecclesiæ sic ædificatæ in loco non exempto cedunt Juri Episcopi *c. cum olim* 14. *hoc tit.*

2 10 Si causas, & lites proprias suorum liberorum hominum ut actores, vel defensores assumant; nam hoc prohibetur *cap. authoritate cit.* etiam casu, quo tales liberi homines ipsi sunt Censuales, & Censum annuum iisdem præstare obligati. *Ratio* prohibitionis est, quia sic redderent duriorem causam eorum, qui in lite ejusmodi liberis hominibus adversantur; hoc autem non licet; quia non debet alicujus causa fieri deterior ex alieno facto *l. omnibus* 1. *ff. de alien. J. d. mut. caus.*

11 Si Religiosi aliis, quam familiaribus suis Sacramentum extremæ Unctionis, & Eucharistiæ per modum Viatici ministrare, aut Matrimonia solemnizare, i. e. solemniter benedicere sine speciali licentia Presbyteri Parochialis super his obtenta præsumpserint. *Clem. Religiosi* 1. *hoc tit.* hi enim ipso facto Sententiam Excommunicationis incurrunt, per sedem Apostolicam duntaxat absolvendi, excepto mortis articulo. Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* in Religiosos, sine licentia Parochi solemniter benedicentes nuptias, addidit etiam pœnam suspensionis. 213

12 Si excommunicatos à Canone exceptis casibus Jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis, aut à sententiis per statuta Provincialia, vel Synodalia promulgatis absolvant. *Clem. Religiosi cit.* Hi incurrunt pœnam Excommunicationis reservatæ Sedi Apostolicæ; & hæc pœna currit, etiamsi unus Religiosus absolvat alium Religiosum; quia textus nihil excipit, & sub verbis generalibus comprehenduntur etiam Religiosi in materia pœnali. Pirhing *n.* 149. 214

13 Si in Conventibus detrahant Prælatis Ecclesiasticis; quod intelligendum, si nominatim eos perstringant, vel per talem circumlocutionem, quæ vicem habeat proprii nominis. *Clem.* 1. *cit.* §. *quibus etiam*. 215

14 Si Laicos ab Ecclesiarum aliarum ingressu, aut frequentia retrahant; si Indulgentias indiscretas, i. e. falsas & suppositititias promulgent; si quando inteisunt Testamentis conficiendis, Testatores à debitis restitutionibus, aut Legatis, Matricibus, i. e. Cathedralibus Ecclesiis faciendis, abstrahant. *Clem. cit.*

15 Si à Casibus, Sedi Apostolicæ, aut locorum Ordinario reservatis absolvant; nam, ut declaravit *S. Congr. Conc.* apud Barbosa *in Clem.* 1. §. *quibus cit. num.* 19. Religiosi, etiam Exempti, sine authoritate, & licentia superioris absolvere nequeunt à Casibus, Papæ, aut etiam Episcopo reservatis. 216

16 Si personas Ecclesiasticas, præsertim coram Judicibus Delegatis à Papa, suam contra eos Justitiam prosequentes, indebitè vexare, aut ad loca plura, præsertim multum remota, conveniendi causa trahere præsumant. *Clem. cit.*

Omnibus his, qui à *n.* 213. positi sunt, per eandem *Clem.* imponitur pœnitentia duorum mensium, & Prælati illorum, si occasione horum excessuum acceperint aliquid, & requisiti fuerint ab iis, in quorum præjudicium ea ad Prælatos sic pervenerunt, nec satisfecerint intra mensem partibus læsis, suspensionem incurrunt ab Officio, & omni administratione. 217

Denique, quemadmodum non decet, privilegiatos in privilegiorum suorum usu excedere, ita etiam non oportet, ut alii privilegia Exemptorum violent: & hi, qui privilegiis alienis derogant, merito suis privandi sunt, ut statuitur *cap. dilecti* 4. *hoc tit.* Ratio est, quia non sunt ei sua Jura servanda, qui non metuit aliena violare *can. si decet* 22. *caus.* 25. *q.* 2. Abb. *in cap.* 4. *cit. n.* 1. Barbosa *ibidem n.* 2. ubi *n.* 3. addit, per hoc non excludi alias pœnas Jure præscriptas contra Judices negligentes in administratione Justitiæ, vel qui per dolum, aut imperitiam male judicant; de quibus dictum est *Lib.* 3. *Tit.* 27. *num.* 110. *& seqq.* 218

§. VI.

De Revocatione Privilegiorum.

SUMMARIUM.

 240 *&c.*

240 &c. *Quid, & cujus valoris sint vivæ vocis Oraculo concessa?*

244 &c. *Quando revocatio privilegii vim suam, & effectum habeat?*

ULtimus hic modus est, quo tolli privilegium potest, præ cæteris tamen loco speciali dignus, quia majores, quam circa alios, difficultates quoad eum moveri possunt.

219 Quæritur 1. qualia privilegia revocari possint? *Et 1. quidem dubitatur*, an revocari à concedente, vel hujus Successore possit privilegium concessum non subdito, & ab hoc acceptatum? Resp. non posse, nisi ex causa publica. Ita Abb. *in cap. novit.* 13. *de Judic. n.* 23. Felin. *ibidem à num.*8. Decius *n.*4. Suarez *l.*8. *de LL. cap.* 37. *n.* 2. Layman *l.*1. *tract.* 4. *c.* 23. *num.* 24. Pontius *l.* 8. *de Matr. c.* 19. *num.* 12. Palao *tract.* 3. *D.*4. *p.* 31. §. 1. *nu.* 2. Pirhing *hic num.*186. Engl *n.* 21. Konig *num.* 28. Wiestner *num.* 59. Reiffenstuel *num.* 121. Begnud. *V. privilegium num.* 5. Ratio est, quia tale privilegium, postquam acceptatum est, transit in pactum, seu contractum, quo privilegiato acquiritur jus propriè dictum, hoc autem non subdito auferri non potest, nisi ex causa publica.

220 Dixi, *nisi ex causa publica*; nam si privilegium vergere incipiat in damnum Reip. vel etiam Principis concedentis valde notabile, ita, ut si à principio damnum id accidisset, privilegium censeretur injustum, & iniquum, Successor privilegium illud revocare potest, vel etiam ipse Princeps concedens non servare, ut Felin. *loc. citat.* Suar. *n.* 3. Palao *n.*4. Pirhing *n.* 187. Reiffenstuel *num.* 121. docent; & ratio est, quia conditio illa, sive exceptio ex natura rei intelligitur inclusa in prima concessione privilegii. Imò eo casu privilegium non revocatur propriè, sed per seipsum cessat; quia concedi videtur sub hac tacita conditione, dummodo damnosum non sit concedenti, & Reipublicæ; alias concessio irrationabilis foret.

221 Dub. 2. utrum à Principe, vel hujus successore possit revocari privilegium gratis concessum subdito? Resp. distinguendum inter privilegium merè gratiosum, & remuneratorium. *Si merè gratiosum sit*, & nullius meriti respectu datum, revocari quidem validè potest, non tamen decenter, & licitè, nisi urgeat justa causa. Ita Felin. *in cap.* 12. *de Jud. num.*8. *& seqq.* Sylv. *V. privilegium n.*10. *dict.*7. Suar. *l.*8. *de LL. cap.*37. *num.*10. Sanch. *de Matrim. l.*8. *D.* 33. *num.* 1. Salas *D.*17. *de LL. sect.* 14. *num.*70. *& D.*20. *sect.* 18. *num.*126. Layman *l.*1. *tr.*4. *cap.*23. *n.* 25. Bonacin. *D.*1. *q.*3. *p.*8. §.3. *n.*1. Palao *tr.*3. *D.*4. *p.*21. §. 1. *num.* 1. Pirh. *hic n.* 187. Wiestner *n.* 59. *& 61.* Reiffenstuel *n.* 120. Quod validè revocari possit, patet, quia jus, quod per tale privilegium conceditur, non transit in dominium subditi, cui conceditur, & ita semper pendet à mera voluntate Principis. Quod vero sine culpa saltem veniali revocari nequeat, ex eo colligitur; quia beneficium Principis decet esse mansurum; estque inconstantiæ, & levitatis voluntatem mutare sine causa.

222 Quoad alteram de *Remuneratorio*, dico, remunerationem posse debeti ex Justitia, vel solum ex gratitudine. *Si ex Justitia debeitur*, certum est, privilegium sic datum revocari non posse; sed tunc non est gratis concessum. *Si ex gratitudine solum*, etsi non tam irrevocabile sit, sicut illud, quod ex Justitia datum est (nam hujus fortius est vinculum) est tamen adhuc irrevocabile, nisi remuneratio sit excessiva. Ita Suar. *loc. cit. n.* 6. Sanch. *n.* 5. Laym. *n.* 25. Bonac. *n.* 2. Palao §.2. *n.*4. Pirh. *n.* 187. Konig *n.*28. Ratio est, quia quocunque modo debita sit, cedit privilegiatus illius debito ob privilegium sibi concessum.

223 An vero casu, quo revocatur ejusmodi privilegium remuneratorium, opus sit compensatione, controversia moveri potest. Et *ratio dubitandi* est, quia revocans ejusmodi privilegium reducit rem in pristinum statum, & conf. reddit privilegiato sua merita, quorum cessionem fecerat ob privilegium; cum autem illa merita, non expostulent ex Justitia compensationem, non videtur illi compensatio debita esse. Sed obligatio compensandi distingui potest, ut illam distinguit Palao *loc. cit. n.* 5. juxta quem etsi compensatio non debeatur ex Justitia propter merita, probabiliter tamen debetur ex Justitia cessionem, quam fecerat privilegiatus ob privilegii consecutionem; nam hæc cessio est pretio æstimabilis, cum sit actio damnosa cedenti, & utilis cessionario; quæ tamen nunquam redit, etsi redeant merita.

Dub. 3. an Princeps, vel hujus Successor revocare possit privilegium concessum subdito per contractum? 224
Resp. concedi posse vel per pactum, aut contractum onerosum, vel per lucrativum tantum sive per donationem. Neutro modo Princeps revocare privilegium sic datum potest sine justa causa. Ita Suar. *cap.* 37. *citat. num.* 5. *& seqq.* Sanch. *D.* 33. *n.* 2. *&* 3. Laym. *num.* 25. Bonac. *n.* 5. Pont. *n.* 13. Palao §. 1. *cit. n.* 2. Engl *num.*22. Pirhing *n.* 187. Wiestner *n.*60. Reiffenst. *n.*122. Begnudell. *num.* 6. Et quidem quòd privilegium, concessum subdito per contractum, Princeps revocare nequeat, patet, quia etiam Princeps tenetur pacta, cum subditis inita, servare; nam ex his oritur obligatio Justitiæ. Quod vero etiam revocare nequeat privilegia per contractum merè lucrativum, seu donationem concessa, pariter constat; nam privilegium, concessum subdito per donationem, post hujus acceptionem in dominium transit subditi atqui Princeps non potest sine causa rem suam auferre subdito, cujus ille dominium habet? ergo &c.

Dixi *Sine justa causa*; nam ex causa justa potest revocare privilegia à se, vel antecessoribus data; Est autem causa ad revocationem sufficiens omnis illa, quæ sufficit, ut revocetur donatio subdito facta, & in quibus Princeps spoliare bonis suis subditos potest; imo eo casu non tam est revocatio, quam cessatio privilegii, cum ut *n.* 220. *supra* dictum est, privilegia videantur sub tacita hac conditione data, ut durent tamdiu, quamdiu ad publicam utilitatem cessatio illorum non pertinuerit; Ita Palao *n.* 5. qui putat, Principem teneri probare causam, alias nihil esset firmum, sed facillimo negotio posset Princeps jus tertio acquisitum auferre. 225

Si Princeps ob publicam necessitatem, vel aliam causam urgentem rescindat contractum onerosum, & revocet privilegium subdito ex tali contractu datum, compensationem illi tenetur facere, si commodè fieri potest: & ratio est, quia Princeps non est absolutus Dominus rerum subditi, & hic non tenetur gratis remittere jus suum. *Contrà*, si revocet privilegium datum subdito ex contractu, vel pacto merè lucrativo, seu per donationem; tunc enim non est necessarium, ut ab eo compensatio ulla fiat subdito, prout Suar. *n.* 9. Palao *n.* 6. Pirhing *n.* 187. & alii communiter docent; nam in hoc ratio cessat, ob quam compensari debet in privilegio per contractum onerosum concesso, cum nulla fiat commutatio rei ad rem. Adde, quod non satis credibile sit, quod concedens tale privilegium voluerit sibi imponere obligationem non revocandi illud justa causa intercedente, nisi facta compensatione: imo potius præsumitur contrarium. 226

Quæritur 2. quis revocare privilegia possit gratis concessa subdito? Resp. 1. id potest concedens: & hoc verum est non tantum, quando concedens privilegium est supremus Princeps, sed procedit etiam de inferioribus Magistratibus, qui Superiorem recognoscunt. Suar. *l.* 8. *de LL. cap.* 37. *num.* 12. *&* 13. Pont. *l.* 8. *de Matrim. c.* 19. *num.* 15. Laym. *l.* 1. *tract.* 3 *c.* 23. *num.*25. Palao *tract.* 3. *D.* 4. *p.* 21. §. 3. *num.* 1. Pirhing *hic num.* 188. *Excipitur*, nisi privilegium ab inferiore datum sit confirmatum à superiore; quia ratione confirmationis pendet à voluntate confirmantis: conf. sine hujus consensu ab inferiore amplius revocari non potest; Idem dicendum ait *Palao*, & ab hoc *citt.* de quacunque Dispensatione, quam inferior in Lege superioris potestate ab hoc accepta fecit; quia pro toto illo tempore Legem superioris abstulit ex voluntate superioris; igitur obligationem sine hujus voluntate revocare non potest, & legem restituere; nam ad hoc non minus, quam ad prius superioris consensu opus est, cum sit in re, quæ potestatem illius ordinariam excedit. 227

2 Non tantum concedens privilegium, sed etiam hujus successor revocare potest privilegium, ab Antecessore concessum. Suarez *num.* 11. Palao *num.* 1. Pirhing *num.* 188. Ratio est, quia succedit in æquali potestate, & est una, eademque persona per fictionem Juris cum Antecessore. Adde, quod Antecessor ligare manum successoris non possit. 228

3 Privilegium concessum ab inferiore revocari potest à superiore illius; requiritur tamen causa, sine qua etiam Princeps supremus non revocat licitè; quia talis revocatio cedit in injuriam inferioris Prælati, & in detrimentum subditorum. Si non sit supremus Princeps, probabiliter neque valida est hujusmodi revocatio; quia jura subditorum non potest tollere.

9 Dub. 1, quibus modis revocari privilegia possint? Resp. revocari posse duobus modis, expresse, vel tacite; *Expressa revocatio* fit non solum verbis expressis in specie, & in particulari, sed etiam per clausulam generalem, scilicet *non obstantibus quibuscunque privilegiis*; nam hæc clausula regulariter sufficit, licèt generica sit; quia sub genere comprehenduntur species. Dixi *regulariter*: nam ut Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 38. *n.* 1. *& seq.* Sanch. *l.* 8. *de Matr. D.* 33. *n.* 8. Laym. *in c. cum ordinem 6. de Rescript. in 6. n.* 7. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 21. §. 4. *n.* 3. Engl *hic n.* 21. Pirhing *n.* 189. Reiffenst. *n.* 124. *& seqq.* advertunt, per ejusmodi clausulam generalem non revocantur. 1. privilegia in Corpore Juris contenta; 2. eo tenore expressa, ut revocari non possint, nisi de iis expressa, & specialis mentio fiat; 3. per modum Contractus, vel in remunerationem meritorum concessa. Quodsi tamen aliunde & clare constaret, quod Princeps sub verbis generalibus etiam hæc privilegia comprehensa velit, etiam his derogatum erit; quia non mens verbis, sed verba menti sunt conformanda.

30 *Tacita revocatio* fit per actum Principis directè contrarium privilegio, qui non potest subsistere, nec habere effectum intentum, saltem adæquatum, sine derogatione privilegii prius concessi, dummodo possit præsumi, eum scire, vel recordari privilegii antea concessi, nam si adsit, vel præsumi possint ignorantia, per ejusmodi actum non derogatur privilegio; & ratio est, quia hæc derogatio debet esse libera, & voluntaria; talis autem esse non potest, nisi ex cognitione saltem virtuali derogantis procedat. Colligitur aperte ex *c. nulli* 28. *de Rescript. cap. licet* 1. *de Const. in* 6. *& l. idem Ulpianus* 12. §. *sunt & alii* 1. *ff. de Excusat.* ubi facultas mutandi domicilium concessa Tutori censeatur virtualis facultas dimittendi munus, & sollicitudinem Tutoris, si data fuerit ex Rescripto Imperatoris, scientis illum Tutorem esse.

31 Dub. 2, quando derogetur privilegio per actum contrarium? Resp. pro hoc communiter has tradi Regulas, 1. per Legem universalem, etsi non abroget expresse privilegia, censentur tamen revocata privilegia in Jure communi contenta; non vero specialia, & extra commune Jus. Salas *de LL. D.* 17, *sect.* 14. *n.* 74. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 39. *n.* 2. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23, *n.* 27, Bonac. *D.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 3. *n.* 15. Palao *tr.* 3. *D.* 4. *p.* 21. §. 4. *n.* 10. Pirh. *hic n.* 191. Reiffenst. *n.* 128. *&* 129. Ratio est, quia illa censetur Princeps scire, ista probabiliter ignorare potest; igitur dum Legem fert contrariam privilegio, quod Juri communi insertum est, præsumitur velle eidem derogare; non verò censetur vere derogare privilegio speciali, nisi expresse mentionem illius faciat. Adde, quia hujusmodi privilegium insertum Juri communi est Jus commune. Sed Lex communis alia communi Lege abrogatur, neque necesse est, ut præcedentis fiat mentio.

32 2 Privilegium prius obtentum non tollitur, nec tacitè revocatur nec privilegium posterius, quod contrarium est priori, nisi illius prioris mentio specialis fiat, juxta *c. veniens* 19. & ibi Gloss. V. nullum de Præscript. Salas *loc. cit.* Suar. *n.* 5. Bonac. *n.* 17. *circ. fin.* Palao *n.* 13. Pirhing *n.* 193. Reiffenstuel *n.* 130. Ratio est, quia cum privilegium sit Jus privatum, & particulare, ideo præsumitur Princeps secundum privilegium concessisse ex ignorantia primi, si de illo nullam mentionem faciat in concessione secundi *c. licet.* 1. *de Const. in 6. & c. ex parte* 12. *de Offic. deleg.* Imo posterius privilegium in quo nulla facta est mentio prioris, subreptitiè impetratum censetur, tacita veritate, quæ exprimi debuisset, ac proinde non valet. *Excipitur* 1. nisi prius privilegium sit insertum Corpori Juris communis; nam hoc privilegium non censetur Princeps ignorare, ac proinde in hoc cessat allatio. Salas *n.* 75. Suar. *n.* 5. Bonacin. *n.* 17. Palao *n.* 11. *Excipitur* 2. si priivlegium prius sit generale, posterius speciale; nam concedendo alicui gratiam generalem non censetur Princeps sibi velle adimere potestatem concedendi gratiam specialem; conf. posterius privilegium non erit propriè derogatio prioris generalis, sed quædam quasi exceptio. Suar. *n.* 7. *cum citt.*

33 3 Si sententiam Judex in Judicio tulerit contrariam privilegio, qua scilicet reus condemnatur, non obstante privilegio, non revocatur privilegium, sed sententia potius supponit nullitatem privilegii; unde si privilegiatus valorem privilegi sui sufficienter probet, perget validum esse etiam non obstante sententia Judicis. Suar. *num.* 4. Palao *num* 17. Pirh. *num.* 196. Reiffenstuel *n.* 132.

Quæritur 3. an, & quænam privilegia Regularium 234 à *Conc. Trid.* sint revocata? *Certum est* 1. plurima eorum privilegia non esse revocata, sed adhuc persistere in pleno suo vigore, imo ab ipso Trid. fuisse confirmata. Constat ex *sess.* 25. *de Regul. c.* 20. *fin.* ibi; *In cæteris Omnibus Præfatorum Ordinum* (Regularium) *privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & illæsa. Conf.* universali praxi omnium Ordinum, utentium privilegiis suis plurimis. Sed & ipsi Summi Pontt. eadem privilegia passim confirmant, & nonnulla tantum excipiunt.

Certum est 2. revocata esse omnia, & singula privi- 235 legia Regularium ante *Trid.* concessa, quæ adversantur Decretis contentis *in Sess.* 25. *cit. de Regular.* conf. Regulares omnes exactè debent observare illa Decreta, nisi post *Trid.* contra illa, vel illorum aliqua haberent concessum novum privilegium. Patet ex *sess. cit. de regul. c.* 22.

Certum est 3. revocata etiam censeri illa privilegia, quæ ante *Trid.* concessa sunt, & adversantur cuicunque ejusdem Decreto, quod habet adjectam clausulam revocatoriam illorum, ita quidem, ut Regulares privilegiis sic revocatis uti amplius nequeant etiam in foro conscientiæ; nam contraria sententia hodie damnata est ab *Alexandro VII.* his terminis: *Regulares possunt uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata à Conc. Trid.*

Dubium est, an per *Trid.* revocata censeantur etiam 236 privilegia Regularium, ante istud concessa, quæ alicui ex Decretis ejusdem *sess.* 25. vel priorum Sessionum adversantur, non addita clausula revocatoria illorum? Affirmant Peyrin. *Declar. Privil. tom.* 2. *in Constit.* 1. *Gregorii XIII. num.* 3. Donat *tom.* 1. *p.* 1. *tract.* 11. *q.* 15. *à. n.* 4. Fundantur 1. quia Trid. *sess.* 25. *de regul. c.* 22. præcipit cuncta sua Decreta etiam à Regularibus observari, *non obstantibus eorumque quibuscunque privilegiis &c.* ergo per hanc clausulam derogavit omnibus Regularium Privilegiis, quæ alicui cuicunque tandem Decreto illius adversantur. 2. quia *Pius IV.* per *Bullam*, incipit, *In Principis Apostolorum Sede*, quæ *refertur tom.* 2. *Bullar. fol.* 135. estque inter ejusdem Pontificis Constitutiones 94. omnia, & singula, etiam Regularium quorumcunque, privilegia, sub quacunque excogitabili forma, & ex quacunque causa concessa, universaliter, & indistinctè revocat & annullat in omnibus, & singulis, in quibus illa Statutis, & Decretis *Trid.* contrariantur.

Contra alii cum Rodriq. *tom.* 1. *regul. q.* 8. *art.* 7. 237 Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 18. *n.* 18. Mirand. *Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 42. *art.* 3. *vers. sed alii* Reiffenstuel *hic n.* 139. *& seqq.* non improbabiliter docent, hæc ultima privilegia; quæ contraria sunt Decretis *Trid.* si ista clausulam horum privilegiorum Derogatoriam nullam sibi adjectam habeant, ab eodem *Trid.* non censeri revocata, nec contineri in clausula, *Dummodo SS. Canonibus, & Decretis Conc. Trid. non adversentur*; conf. his privilegiis valide, & licite utuntur Regulares non tantum in foro interno, sed etiam in externo. *Ratio est*, quia nulla Lex, Constitutio, vel Decretum, quamvis generaliter, vel universaliter latum, derogat particularibus locorum, aut personarum Statutis, Consuetudinibus, aut Privilegiis, nisi hoc exprimat; quia hæc probabiliter Legislator ignorare potest *cap. licet* 1. *in Constitut. in* 6.

Conf. 1. *Trid.* in aliquibus suis Decretis addit clau- 238 sulam derogatoriam consuetudinum, vel privilegiorum contrariorum, in aliis eam clausulam omittit; atqui frustra adderetur hæc clausula, si revocata essent omnia, illa, respectu quorum clausula talis non apponitur; ergo &c. 2. communis, & indubitata doctrina est apud omnes fere DD. & ipsos etiam Adversarios, quod *Trid.* per sua Decreta generalia, quæ posita sunt sine ulla clausula derogatoria, non deroget specialibus Statutis, vel Consuetudinibus Locorum, aut personarum; ergo nec privilegiis, quæ extra Corpus Juris communis habentur; nam de his eadem, quæ de illis, habetur ratio, conf. eadem est Juris dispositio.

3. alias

3. alias *Trid.* derogaffet omnibus omnino privilegiis Regularium; nam omnia ista sunt contra Jus commune, & SS. Canones concessa; *Trid.* autem *seſſ.* 25. *citat. de regul.* vult SS. Canones, & Leges Ecclesiasticas omnes indistinctè observari; ergo &c. 4. consuetudo est optima interpres Legum; atqui videmus passim vigere consuetudinem, quod Regulares liberè utantur suis privilegiis, quæ per *Trid.* expresse revocata non sunt, etsi alioquin contra aliquod ejusdem Concilii Decretum, sine derogatione privilegiorum positum, militent; ergo &c.

239 . Ad Argumenta contra non difficilis est responsio; *Ad* 1. Trid. *seſſ.* 24. *c.* 22. *cit.* tantum derogat privilegiis Regularium, adversantur alicui ex Decretis *cit. seſſ.* positis de ipsis Regularibus; non vero per clausulam illam derogat privilegiis, quæ militant contra aliquod Decretum, in præcedentibus Sessionibus absque derogatione privilegiorum positum; quod constat ex ipso textu; nam *c.* 22. *cit.* præcipit observari *omnia, & singula* NB. *in superioribus Decretis*, scilicet *seſſ.* 25. *cit.* de Regularibus specialiter habitæ, *contenta*. Igitur per alia Decreta, in aliis Sessionibus sine derogatione posita, privilegiis Regularium non voluit derogare. *Ad* 2. Bulla per suam clausulam vult quidem, ut non obstantibus privilegiis, omnia, Decreta *Conc. Trid.* exactè observentur, sed non in alio sensu, quam in quo observari ea vult ipsum *Trid.* quia Bulla hæc est confirmatoria Decretorum *Trid.* atqui Bullæ Confirmatoriæ alicujus Legis necessario intelligi debent juxta sensum, & mentem Legis, quæ corroborat, ita ut easdem limitationes, & extensiones, quas habet, vel recipit corroborata, recipere etiam debeat corroborans, ut cum *Gloſſ. & Felin.* bene advertit Reiffenstuel *numer.* 146. ergo &c.

240 Quæritur 4. quid, & cujus valoris sint privilegia vivæ vocis Oraculo concessa? Resp. 1. vivæ Vocis Oraculo concessa privilegia dicuntur illa, quæ Princeps v. g. Pontifex sola voce seu oretenus duntaxat concessit, quamvis subinde, ut etiam pro foro externo probari possint, postea in scripturam redigantur, & testimonio authentico ab iis, quibus ex officio hoc incumbit, fide digna reddantur. Reiffenstuel *hic n.* 194.

241 2 Pro foro interno sunt ejusdem valoris, cujus sunt privilegia in scriptis concessa nam ut *n.* 13. dictum est ad essentiam, & substantiam privilegii scriptura non requiritur. Ut vero etiam in foro externo practicari valeant; non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut testimonio authentico concessio illorum probetur. Donat. *tom.* 1. *p.* 1. *tr.* 5. *q.* 5. *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 151. & patet ex *Conſt. Julii II.* incipit *Romani*, ac *Reg. Cancell.* 52. Ratio est, quia alias quivis dicere posset, se habere privilegium vivæ vocis oraculo concessum, sicque prætextu oraculi vivæ vocis eludere Leges, & Canones in foro externo, non sine perturbatione boni communis.

242 Hodie omnia, & singula privilegia, vivæ vocis oraculo concessa quibuscunque Capitulis, Ordinibus, vel personis eorum à quocunque tandem Pont. usque ad Urbanum Papam VIII. pro foro utroque sunt revocata, ita, ut nec in foro externo, nec in interno hujusmodi privilegii amplius uti liceat, etsi ad supplicationem Regum sint concessa, ac de iisdem verè concessis Cardinales ferant testimonium propria manu scriptum, nisi per Officiales, & ministros illos, quibus imcumbit ratione officii gratiis, privilegiis, & favoribus per Pont. oretenus concessis, aut in futurum concedendis fidem facere, authentizata sint, ut patet ex *Conſt. Gregorii XV.* incipit *Romanus*; *& Urbani VIII.* incipit *alias*, quæ in *Bullario Cherubini* inter Constitutiones dicti Pontificis est 21. Secus, si ut dictum est, authentizata sint; tunc enim etiamnum valent, etiam pro foro externo, prout expresse declaravit laudatus *Urbanus VIII. Conſt.* quæ etiam incipit *alias*, & existit in *Bullar. Cherub.* inter Bullas hujus Pont. 141. Similiter valent pro foro conscientiæ vivæ vocis oraculo concessa privilegia, si postea sint confirmata per specialem Bullam *ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine*; nam Confirmatio talis novum jus novamque concessionem efficit. Reiffenstuel *hic n.* 160.

243 4 Privilegia, quæ post Urbanum VIII. à Successoribus Pontt. vivæ vocis oraculo concessa sunt, Constitutiones istius, & Gregorii XV. non afficiunt. Hinc valent saltem pro foro conscientiæ, etiamsi dicto modo authentizata non sint; quia memorati Pontifices suis Constitutionibus non voluerunt, nec potuerunt successoribus suis ligare manus, cum par in parem potestatem non habeat. Ut vero etiam pro foro externo valeant, non sufficit quodvis testimonium de eorum concessione cæteroquin fide dignum, sed debet esse tale, quod ad probandum in foro externo alias requiritur: & sufficit; non tamen necesse est testimonium Officialium *n. præced.* relatorum, quia hoc solum ab Urbano VIII. requiritur ad probanda Oracula præcedentia, non vero ad futura se extendit. Reiffenst. *n.* 164.

Quæritur 5. quando revocatio privilegii vim suam, & effectum habeat? Resp. cum fuerit sufficienter promulgata. Si per Legem contrariam revocatio fiat, sufficit hanc promulgari in Curia, vel loco ad id constituto; quo facto non quidem statim à die promulgationis, sed post tempus necessarium ad ejus obligationem, quod in Legibus Civilibus regulariter est duorum mensium, in Canonicis juxta stylum Curiæ Romanæ brevius, aut longius, revocatio sic facta effectum sortitur, ita, ut etsi aliqui adhuc in particulari invincibiliter ignorent revocationem factam, tamen privilegia elapso illo tempore non amplius prosint, nec uti iisdem privilegiati valide possint. Suar. *l.* 8. *de LL. c.* 40. *n.* 1. *& seqq.* Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n. ult.* Pirhing *n.* 197. Reiffenst. *n.* 133. Ratio est, quia in Legibus communiter attenditur ad id, quod per se, & regulariter fieri solet, non vero ad ea, quæ raro, & per accidens fiunt; talis autem est in præsenti ignorantia Legis revocatoriæ; ergo &c. 244

Quod revocatio privilegii fiat ab homine, seu privatim, ea non habet effectum, priusquam privilegiato specialiter intimetur. Suar. *n.* 6. Layman *n.* 28. Palao *p.* 21. §. 5. *num.* 2. qui cum pluribus aliis addit, non sufficere casualem notitiam, sed opus esse, ut ad privilegiatum sit aliquo modo destinata per Rescriptum, Epistolam, vel Nuntium ad id constitutum. Quod specialis intimatio fieri debeat, ratio est, quia ad rectam Reip. & Ecclesiæ gubernationem pertinet, ut Princeps velit privilegiatos privilegiis suis uti tamdiu, usque dum agnoscant esse revocata; alias vellet plures actus invalidos fieri, quod non est credendum de Christiano Principe. Quod verò non sufficiat casualis notitia, inde videtur probari; quia per quas causas aliquid nascitur, per easdem etiam dissolvitur, privilegium autem vim suam contra absentem obtinere incipit per destinationem Nuntii, Epistolæ &c. ergo simili modo revocati, & tolli debet. 245

§. VII.

De Privilegio Exemptionis.

SUMMARIUM.

273 &c. *Quis sit Judex litis motæ super Exemptione?*
275 &c. *An lite, super Exemptione mota, & pendente, Ordinarius contra partem, ea se tuentem, possit uti Jurisdictione sua?*
280 &c. *An Exemptio rectè colligatur ex administratione concessa?*

FRequentissima privilegii istius fit mentio, & crebræ sunt Exemptos inter, & Ordinarios lites. Unde non abs re erit, ea, quæ magis necessaria de hoc sunt, Appendicis loco annectere.

246 Quæritur 1. quid, & quotuplex sit *Exemptio*? Resp. est liberatio à Jurisdictione Ordinarii, sive est privilegium, quo persona, vel locus ab Episcopi, vel alterius superioris, Ordinariam Jurisdictionem habentis, potestate subtrahitur, & immediate subjicitur Papæ. Cockier *de Jurisd. Ord. in Exempt. p. 1. q. 1. à n. 3.* Engl *hic n. 22.* Vviestner *ibid. num. 62.*

247 Triplex communiter dividitur, personalis, Localis, & Mixta. *Personalis* est, quæ adhæret personæ, eamque sequitur, quocunque veniat *Reg. privilegium 7. in 6.* Franc. *in cap. 1. §. in eos hoc tit. in 6.* Engl *nu. 22.* Vviest. *num. 63.* *Localis*, qua locus verb. grat. Ecclesia, Capella, Monasterium, territorium subtrahitur Jurisdictioni Ordinarii, ita, ut licèt in Diœcesi sit, non tamen sit de illius Diœcesi, sed loco extra eam sito æquipararetur *cap. cum Capella 16. hoc tit.* Gloss. *in Clem. 1. V. primo anno de Excess. Prælat.* Barbosa *in cap. cum Episcopus 7. de Offic. Ord. in 6. num. 8.* Engl, Vviestner, *loc. citt.* *Mixta*, qua personæ, & loca, eorumque res ab Ordinarii potestate eximuntur, ita, ut iste neque in locum, neque in personas illius Jurisdictionem suam exercere, vel Tribunal ibidem pro Jurisdictione in alios exercenda erigere sine licentia proprii Prælati possit *cap. cum Episcopus cit.* Donat. *tom. 1. prax. Regul. p. 2. tr. 13. quæst. 1. n. 4.* Engl, Vviestner *loc. citt.*

248 Hinc duplex genus Exemptorum est; nam aliqui dicuntur *nullius Diœcesis*, qui habent speciale territorium, ac populum exemptum, ubi Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, ac *Ordinarii* nomine veniunt, quamvis ipsi Episcopi non sint, sed tantùm Prælati, vel Præpositi, aut similes. Alii vero dicuntur esse *in Diœcesi, non tamen de Diœcesi*, qui quidem quoad suas personas, vel particularem aliquem locum v. g. Monasterium exempti sunt, certum autem populum, aut territorium exemptum non habent, sed intra fines certæ Diœcesis, sive Episcopatus existunt. Engl *numer. 23.*

249 Item alia est Exemptio *tam in capite, quam in membris*, quando scilicet non tantum locus principalis sive Monasterium, aut Collegium exemptum est, sed etiam omnes Capellæ, Beneficia, & Parochiæ annexæ. Alia *in capite tantum*, quando tantum ipse locus principalis exemptus est, non autem annexæ Parochiæ, vel Beneficia *cap. ex ore 17. hoc tit.* Quo posteriori casu illud notandum est, quod Abbas v. g. exemptus pro talibus locis non exemptis Episcopo reverentiam exhibere, ad Synodum Diœcesanam venire, ejusque mandata super illis membris suscipere teneatur, ita tamen, ut in Synodo Diœcesana prærogativam, & primum post Episcopum locum obtineat *cap. ex ore cit.*

250 Dub. 1. quo Jure introducta sit Exemptio, communi, an speciali? Resp. distinguendo inter Legem Diœcesanam, & Jurisdictionalem Episcopi. A *Lege Diœcesana* Religiosi, & horum Monasteria, seu Conventus exempti sunt ex dispositione Juris communis, prout patet ex *can. inter cætera 8. vers. ne ergo caus. 10. quæst. 3. & can. cum pro utilitate 34. vers. ea vero caus. 16. quæst. 1.* *A Lege Jurisdictionali* Exemptio eis competere cœpit Jure speciali: quamvis deinde aliqua hujusmodi privilegia eximentia à Jurisdictione Ordinarii cum tempore inserta sint Corpori Juris communis *cap. nimis 15. & 16. de Excess. Prælat. Clem. 1. eod. Clem. 2. de Censib. &c.*

251 Dub. 2. coram quo Judice conveniendi sint Clerici, & Religiosi exempti? Resp. conveniri debent coram proprio Prælato, qui in illos Jurisdictionem quasi Episcopalem habet, ac propterea in eos potest, quod Episcopus in Diœcesanos suos; vel apud Papam, aut ejus Legatum à Latere; nam etiam huic Jurisdictio in personas, & loca exempta competit, ut patet ex *cap. veniens 1. de V. S. in 6. & cap. si Abbatem 36. de Elect. in 6.* Et hinc, quando Papa aliquem eximit à Jurisdictione cujuscunque Ordinarii, eum non censetur eximere à potestate Legati à Latere. Cockier *p. 2. q. 2. n. 7.* Barbosa *in cap. 4. de Offic. Legat. nu. 10.* Vviestner *hic nu. 65.* cum aliis. Cæteri vero Legati tam ii, qui *Nati* dicuntur, quam qui *Nuntii Apostolici*, in causis Exemptorum intromittere sese nequeunt, nisi, ut aliquando Nuntii cum potestate Legati à Latere missi muniti sint speciali ad hoc mandato, seu commissione. Gloss. *in cap. Abbatem cit. V. commissum*, Donat. *prax. Regul. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 9. n. 2.* Vviestner *hic n. 65.*

Dub. 3. an per privilegium Exemptionis Exempti omnino subducantur à Jurisdictione Episcopi? Resp. negativè; habet enim in certis casibus Jurisdictionem erga illos, aliquando Delegatam, & aliquando Ordinariam. *Delegatam* tunc habere censetur, quando in Jure dicitur, ut contra Exemptos authoritate Apostolica, vel tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus procedat. *Ordinariam* verò tunc datur Episcopo in Exemptos, quando ei in illos simpliciter conceditur Jurisdictio, vel illa clausula additur, *non obstantibus privilegiis, & Exemptionibus quibuscunque*; tunc enim remoto Exemptionis privilegio, procedit Episcopus tanquam Ordinarius. Si Episcopus adversùs Exemptos procedat, ut Apostolicæ Sedis Delegatus, ab eo ad Summum Pont. si ut Ordinarius, ad Metropolitanum appellandum erit, ut cum *Barbosa* notat Engl *hic n. 34.* qui addit, etiam hoc casu ab Exemptis ad Pontificem appellari posse, & aliquando etiam expedire, ne successu temporis inferiores Judices majores sibi adversus istos Jurisdictionem quærant. Et ratio universalis est, quia Pontifex cum omnibus inferioribus Judicibus concurrentem potestatem habet, & quilibet, omisso suo Ordinario, immediate agere apud Sedem Apostolicam potest. 252

Dub. 4. quibus casibus Regulares Exempti subsint Episcopo, tanquam Ordinario? Resp. 1. subsunt eidem in omnibus, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut est susceptio Ordinum, consecratio Ecclesiarum, petitio Chrismatis *c. veniens 19. de Præscription.* 2. in observatione Festorum, quæ ab Episcopo indicuntur, & Censuratum ab eo promulgatarum; Trid. *sess. 25. c. 12. de Regul.* 3. in Censura Librorum. Trid. *sess. 4. de Edit. Libr.* 4. in vocatione ad Processiones publicas, & controversiis de præcedentia in iis, & funerum deductione exortis; *sess. 25. cit. c. 13. de Regul.* 5. in approbatione ad Confessiones Sæcularium audiendas. *sess. 23. c. 15. de Reform.* 6. in erectione Monasteriorum, Ecclesiarum &c. *sess. 25. c. 3. de Regul.* 7. in promulgatione Indulgentiarum, à Papa impetratarum. *Sess. 21. cap. 9. de Reform. vers. Indulgentias vero.* 8. quoad prædicationem Verbi Divini in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt. *sess. 5. c. 2. vers. si vero de reform.* 9. quoad executionem ultimarum Voluntatum. *Clem. un. de Testam. &c.* 253

Dub. 5. quibus Casibus Regulares Exempti subsint Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato? Resp. 1. quoad Lectionem S. Scripturæ, in Monasteriis habendam. *Trid. sess. 6. c. 1. vers. in Monasteriis de reform.* & declaratum est à *S. Congr. Card. Trid. Interpp.* teste Fagn. *in c. quia in nullis 4. de Magist. n. 30.* 2. quoad Clausuram Monialium. *sess. 25. c. 5. de Regul.* 3. quod Electiones Abbatissarum ex *Decret. Sacr. Congr. & Const. Gregor. XV.* apud Fagnan. *in c. grave 19. de Offic. Ord. n. 39.* 4. in causis Hæreseos, & aliis spectantibus Officium S. Inquisitionis *cap. ad abolendam 9. vers. fin. de Hæret.* 5. si Religiosi Exempti extra Monasterium, & Conventum Regularem degant, & vagentur. Trid. *sess. 6. cap. 3. de Reformat.* Alios casus, quibus Exempti subsunt Episcopo vel tanquam Ordinario, vel tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, retuli *Libr. 1. Tit. 31. num. 30.* & videri possunt apud Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 105.* Pirh. *ad Libr. 1. Tit. 31. à n. 110.* Vviestner *hic à num. 85.* maximè vero apud Cochier *de Jurisd. in Exempt. p. 2. qu. 45.* ubi enumerat ejusmodi Casus omnino 116. 254

Dub. 6. an, & quatenus Exempti à Jurisdictione Episcopi, non obstante privilegio Exemptionis, conveniri coram eodem possint ratione delicti, vel contractus? Resp. distinguendo, an privilegium illud sit personale, an locale, vel mixtum? *Si exemptus habeat* 255

beat privilegium personale, etsi extra locum exemptum deliquerit, vel contraxerit, ratione tamen illius delicti, vel contractus non sortitur forum in illo loco, sed exemptus manet à Jurisdictione Ordinarii, & conveniri solum potest apud Prælatum suum; & ratio est, quia alias privilegium Exemptionis esset omnino inutile, & elusorium *arg. l. quoties* 3. *Cod. ubi Senator. & Clariss. &c.* Pirh. *hic n.* 50. Vviestner *n.* 75. *Excipitur*, nisi sint vagi; nam tunc, ut *n. præc.* dictum est, subsunt Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, & ab hoc puniri, si deliquerint, possunt.

Si vero Exemptus sit tantum ob privilegium locale ratione loci exempti, Exemptio non egreditur locum, ratione cujus exemptus est, & hinc solum conveniri, vel puniri ab Ordinario nequit, quando deliquit, vel contraxit in loco exempto; si vero deliquit, vel contraxit extra locum exemptum, Exemptio illi non proderit, sed respondere Ordinario citanti debet, & subire Sententiam, vel pœnam ab hoc taxatam, ut habetur *cap. volentes* 1. *hoc tit. in* 6. & notat Gloss. *in c. tuarum* 11. *hoc tit. V. privilegii beneficio*, Abb. *ibid. n.* 8. Pirhing *n.* 50. Vviestner *n.* 76. *Excipitur*, nisi Exemtio sit specialiter concessa etiam ratione delicti commissi, contractus initi, aut rei sitæ extra locum exemptum; tunc enim, ubicunque deliquerit, aut contraxerit Exemptus, vel res sita sit, coram Ordinario loci conveniri non potest; ut fusè probat Fagnan. *in cap. tuarum cit. num.* 9. *& seqq.* Addidi *specialiter concessa*, scilicet cum expressione specifica delicti commissi, vel contractus initi, aut rei litigiosæ sitæ in loco non exempto, nam si generaliter solum, & indefinite Exemptio fiat, ut si dicatur, *Tales eximimus à Jurisdictione, & potestate*, sive etiam *ab omnimoda potestate Ordinarii*, probabilius non gaudent exemptione in tribus prædicti commissi, contractus initi, & rei sitæ, si extra locum exemptum fiant *c. postulasti* 14. *& c. fin. de for. compet. c. Romana* 1. §. *contrahentes*, *&* §. *seq. eod. in* 6. *c. cum & plantare* 3. *hoc tit.* Gloss. *in c. tuarum cit. V. privilegium beneficio*. Pirh. *n.* 5.

256 Quæritur 2. quomodo acquiratur Exemptio? Resp. acquiri quatuor fere modis; 1. *Privilegio Apostolico*; & hoc modo plurima Monasteria, & integri Religiosi Ordines ab Ordinariorum potestate exempti, & immediate soli Papæ subjecti sunt. Dantur autem hujusmodi privilegia sæpe à Summis Pontt. ad instantiam Principum, & Magnatum, Ecclesias, & Monasteria extruentium, dotantium ea lege, ut ab Ordinariis essent exempta; aliquando etiam ex mera indulgentia, & benignitate Pontt. sic amplificantium authoritatem Sedis Apostolicæ, cujus interest habere multos sibi immediatè subjectos, & consulentium quieti, & tranquillitati Religionum, & Monasteriorum variis gravaminibus oppressorum, ut videre est *c. nimis* 15. *&* 16. item *Clem.* 1. *de Excess. Prælat.* Lomedeus *de Exempt. Ecclesiast. c.* 4. *à n.* 1. Vviestner *hic n.* 68. Aliam datæ exemptionis causam affert Petrus Blessensis *l.* 3. *Epist.* 28. quod cum Episcopi, non, ut olim, ex Monachis, & Canonicis disciplina Regulari diu excultis, sed ex Sæculari Clero modo assumi soleant, & Regularem observantiam debito modo promovendam cum tempore minus idonei esse cœperint, & propterea Regularium Congregationes eorum Jurisdictioni subtractæ fuerint.

257 2 Acquiri Exemptio potest *concessione Episcopi*, saltem in limine fundationis Ecclesiæ, vel Monasterii &c. cum enim in illa jus superioritatis tunc nondum absolute quæsitum sit Episcopo, ei cedendo non censetur alienare aliquid sui Juris Episcopalis. Cockier *de Jurisd. in Exempt. part.* 1. *quæst.* 3. *num.* 5. Dixi, *saltem in limine fundationis &c.* nam utrum etiam hoc possit post fundationem factam, controversia est inter DD. quorum pugnantes sententias in concordiam reducens Barbos. *Episc. alleg.* 89. *n.* 5. ait, exemptionem Ecclesiæ, vel Monasterio jam subjecti concedi quidem ab Episcopo posse, sed non nisi ex justa causa, & accedente consensu Capituli, juxta Regulam sumptam ex *can. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *quæst.* 2. *c. nulli* 5. *& tot. tit. de reb. Eccl. non alien.* Addit Barbos. *loc. cit. n.* 6. exemptionem hanc ab Episcopo dotam non ita plenam esse, ut ea est, quam dedit Pontifex; nam sic exempti ad jus reverentiale Episcopo tenentur non tantum ratione Dignitatis, sed etiam ratione Jurisdictionis: iis Privilegio Apostolico Exemptionem habent, etiam exemptio à reverentiali Jure concessa censetur.

3 *Sententia* contra Episcopum pro Monasterii vel Ecclesiæ exemptione lata, si ab ea intra decennium appellatum non fuit, & sic illa transiit in rem judicatam *c. cum inter* 13. *de sent. & re judic.* quia sententia lata contra jus litigatoris, si ab ea intra decennium non appelletur, ob transitum in rem judicatam jus facit inter partes, & pro veritate habetur *c. cum inter cit. l. ingenuum* 25. *de stat. homin. l. res judicata* 207. *ff. de R. J.* Abb. *in c. cit. n.* 4. Felin. *ibid. n.* 4. Barbos. *alleg. cit. n.* 3. Cockier *q.* 3. *cit. n.* 8. Vviest. *hic n.* 70. 258

4 *Præscriptione*, ut habetur *c. cum olim* 14. *vers. quia vero hoc tit. c. cum persona* 7. *vers. si autem eod. in* 6. *c. auditis* 15. *& c. cum olim* 18. *de præscript.* qui enim usucapi patitur, alienare non videtur Balb. *de præscript. p.* 5. *pr. p.* 1. *q.* 12. *n.* 1. Cockier *q.* 3. *cit. n.* 7. Barbos. *n.* 7. Vviestner *n.* 71. Et sufficiunt ad hujusmodi Præscriptionem anni 40. maxime quoad membra non exempta, si caput exemptum sit *c. olim cit. de præscript. c. ex ore* 17. *hoc tit.* & cum aliis docet Abb. *in c. cum non liceat* 12. *circ. fin. de præscript.* Neque obstat, quod juxta *c. cum non liceat cit.* contra obedientiam præscribi non possit; nam hoc solum intelligi debet de præscriptione, qua, manente subjectione, tolleretur obligatio obediendi Prælato, vel qua fieret, ut Ecclesia, vel Monasterium nemini esset subjectum. Balb. *loc. cit. n.* 2. Cockier *q.* 6. *n.* 14. Barbos. *in c. cit. n.* 3. *fin.* 259

260 Dub. 1. an si exempti sint Clerici alicujus Ecclesiæ, etiam exempta sit ipsa Ecclesia; Resp. negative; & hinc Episcopus per exemptionem datam Clericis alicujus Ecclesiæ nihil Juris perdit in Ecclesiam, præter Jurisdictionem in Clericos. Franc. *in c per exemptionem* 9. *n.* 3. *hoc tit. in* 6. Cockier *q.* 13. *fin.* Pirhing *n.* 48. qui hoc extendunt etiam ad casum, quo populus exemptus est; tunc enim non hoc ipso censetur exempta Ecclesia, Ratio est, quia verba privilegii exemptionis, cum odiosa hæc sit, strictè sumuntur, *per regul. Odia* 15. *in* 6.

261 Dub. 2. an, cùm exemptum est Monasterium, vel Ecclesia, etiam exemptæ sint Capellæ ipsi subjectæ; Resp. non esse exemptas, nisi Monasterio pleno jure subjectæ sint *c. ex ore* 17. *hoc tit.* Ratio est, quia hoc privilegium, ut *n. præc.* dictum est, odiosum est, & consf. non extendendum. Gloss. *in c. cit. V. quæ non probantur*, Abb. *ibid. n.* 4. Gozal. *n.* 3. Pirhing *n.* 42. Adeoque in hujusmodi Capellis Episcopus retinet omnia Jura Episcopalia. *Neque obstat*, quòd de connexis sit idem judicium *c. translato* 3. *de Const.* item quod totum, & pars debeant eodem jure censeri; quia hoc non procedit in odiosis, & exorbitantibus, quæ non sunt connexa necessariò, & irreparabiliter. Barbosa *in cap. ex ore cit. n.* 6. Aliud est, si hujusmodi Capellæ pleno jure subsint Monasterio exempto; nam tunc etiam ipsæ exemptæ erunt *c. quoniam* 21. *hoc tit.*

262 Dub. 3. an quando Abbas ratione sui exemptus est, etiam exempta sint Monasterii membra, quibus ille præest; vel quando exempta est Ecclesia, exemptus sit etiam populus, & Vicarius illius Ecclesiæ? Resp. ad 1. negativè: sed Episcopo subsunt, & ipse Abbas ratione horum conveniri coram Episcopo loci potest, & coram hoc tenebitur ille comparere. Item ejusmodi Abbas cogeretur interesse Synodo Diœcesanæ, & hujus mandata super illis suis membris suscipere, ita tamen, ut in eadem Synodo prærogativam, & primum post Episcopum locum habeat. *Ad* 2. exempta Ecclesia, non hoc ipso exemptus est populus; quia, ut sæpe dictum est exemptio est odiosa, & præjudicat potestati Episcopi: unde non est extendenda ad populum. Gloss. *in c. per exemptionem cit.* Joan. Andr. *num.* 2. Franc. *num.* 3. *not.* 5. Pirhing *num.* 46. *Ad* 3. distinctio est adhibenda; nam quoad ea, quæ ad curam populi spectant, Exemptionem non habet *cap. per exemptionem cit.* quoad personam vero tum exemptus erit; cum est de corpore illius Ecclesiæ. Cockier *p.* 4. *quæst.* 37. quem citat, & sequitur Pirh. *num.* 46. *cit.*

263 Dub. 4. an exempta Ecclesia, vel Monasterio, exempti sint etiam ejus Clerici, vel Religiosi? *Rationem dubitandi* faciunt hactenus dicta; nam 1. exemptio, ut præjudicans potestati ordinariæ, est odiosa, & strictæ interpretationis. 2. exempta Ecclesia, non hoc ipso exemptæ sunt Capellæ ei subjectæ, vel Parochiani illius, aut Presbyteri curam illorum gerentes.

Secun-

Secundum dicta *num.* 261. *&* 262. 3. exemptis Clericis, vel Canonicis, non hoc ipso etiam Ecclesia est exempta, ut dictum est *num.* 260. *Sed dicendum*, exempta Ecclesia, vel Monasterio, non solum exemptum esse eorum ædificium cum cœmeteriis, atriis, hortis, & aliis eo inclusis, vel annexis, sed ipsum etiam Prælatum cum Canonicis, & aliis ejus ministris, & Abbatem cum Religiosis, etiam Conversis, & perpetuò oblatis. Franc. *in c. per exemptionem cit. n.* 1. Pirhing *n.* 46. Vviestner *n.* 72. & apertè decisum est *c. cit.* Ratio est, quia appellatione Ecclesiæ, vel Monasterii veniunt etiam Canonici, Monachi, & alii ejus ministri, sive personæ ad cultum Divinum deputatæ, & omnium maximè Abbas, seu Prælatus *cap. relatum* 22. *de Testam. Atque hinc cadit Argumentum* 1. in contrarium allatum; negatur enim quòd hoc casu fiat aliqua extensio, cum Prælatus, & Clerici, vel Religiosi subditi nomine Ecclesiæ, & Monasterii comprehendantur. *Ad* 2. negatur paritas; nec enim ita, ut Clerici cum Ecclesia sua, & Religiosi cum Monasterio, connexionem cum Ecclesia exempta habent, Capellæ, & populus ei subjectus, cui cum adhæreant Presbyteri curam ejusdem habentes, mirum non est, quod etiam ipsi, saltem quoad curam, subjecti Ordinario maneant. *Ad* 3. iterum negatur paritas, quia dispositio relata ad rem contentam non includit continentem. Vviestner *n.* 74. *vers. neque contra*, & ab eo *citt.*

264 Dub. 5. an exemptus respectu certi loci, seu rei, sit etiam exemptus respectu alterius loci, vel rei? Resp. negativè. Constat ex *cap. cum Capella* 16. *hoc tit.* Ratio est, quia privilegium datum personis respectu certi loci censetur potius esse reale, quàm personale; cum enim cedat in præjudicium potestatis, & Jurisdictionis Ordinarii, strictè est interpretandum, & restringendum ad locum, respectu cujus datum est. Et hinc si Canonicus e. g. qui in loco exempto possidet aliquod Beneficium, possideat aliud Beneficium in loco non exempto, & ibi delinquat, ab Episcopo etiam per Ecclesiasticam Censuram coerceri, atque puniri potest: & ratio est, quia tantum est privilegiatus, quamdiu moratur in loco exempto.

265 Dub. 6. an exemptioni renuntiari valeat? Angelus *in* §. 2. *Inst. de except. n.* 42. distinguit, & negat, renuntiari posse exemptioni concessę toti Ordini Religioso à privatis Religiosis; concedit autem posse renuntiari exemptioni concessæ suæ tantum personæ, ex ratione, quia favori suo cuilibet permissum est renuntiare *cap. si de terra* 6. *hoc tit. Sed melius negatur*, renuntiari posse exemptioni concessæ etiam pro sua tantum persona, sine licentia Summi Pontificis, exemptionem hanc concedentis. Abb. *in cap.* 5. *de arbitr. num.* 2. *&* 7. Sylv. *V. Exemptio num.* 11. Cockier *p.* 3. *q.* 34. Barbosa *alleg.* 105. *num.* 76. Vviestner *hic n.* 84. Sumitur ex *c. cùm de tempore* 5. *de arbitr.* ibi, *Cum et si spontè volueris, de Jure tamen nequiveris, sine licentia Romani Pont. renuntiare privilegiis, vel indulgentiis libertatis*; cui consonat *cap. cum venissent* 2. *vers. igitur de in integr. restit. & cap. cum olim* 14. *vers. nos igitur hoc tit.* quibus exemptio nuncupatur non tam jus ipsorum exemptorum, quam Papæ, & Ecclesiæ Romanæ. *Ratio est*, quia privilegium exemptionis introductum est favore non tam exemptorum quam Sedis Apostolicæ, & Papæ, cujus interest subditos suos ab aliis non judicari, præsertim ab Episcopo alieno. *Ex quo* cadit ratio allata in contrarium.

266 Quæritur 3. an, & quomodo probari debeat privilegium exemptionis? Resp. si privilegium hoc insertum sit Corpori Juris communis aut alias notorium, allegans privilegium non tenetur illud probare; imò si ad exemptionem probandam citetur, non tenetur comparere, sed tutus est exceptione fori declinatoria *arg. c. cum ordinem* 6. *de rescript. & ibi* Abb. *n.* 6. Layman *n.* 8. Vviestner *n.* 77. Si autem non sit notorium, probari ab allegante exemptio debet; quia est quid facti, quod regulariter non præsumitur, præsertim in nostro casu, ubi Ordinarii præsumptionem in contrarium in Jure communi fundatam habent; ac proinde probandi onus rejiciunt in Adversarium *arg. cap. fin. de restit. spoliat. in* 6. *l. cum de indebito* 25. *ff. de probat.* Pacian. *l.* 1. *de probat. cap.* 8. *num.* 1. Cockier *de Jurisd. in exempt. p.* 1. *quæst.* 8. *à nu.* 1. Donat. *tom.* 1. *prax. regul. p.* 2. *tract.* 13. *quæst.* 11. *n.* 1. Vviestner *hic num.* 77.

Probatur autem exemptio 1. exhibitione Instrumenti, quo illa concessa est, quod fieri debet vel ipsi Judici, vel viris aliis prudentibus, non suspectis ab Ordinario deputandis *c. cum personæ* 7. *hoc tit. in* 6. 2. si exemptio fundetur in sententia Judiciali, quæ in rem judicatam transiit, probari potest ex actis, vel Scriptura authentica, continente sententiam latam pro exemptione, aut his deficientibus, ex testium depositionibus, fama, præsumptionibus. Vviestner *n.* 79. 3 si fundetur in præscriptione, probanda est per possessionem exemptionis 40. annis cum titulo, vel sine hoc tempore immemoriali continuatam, & nunquam interruptam *arg. c. Episcopum* 1. *de præscript. in* 6. Balb. *de præscript. p.* 5. *pr. p.* 1. *q.* 12. *n.* 4. Cockier *p.* 1. *cit. q.* 8. *n.* 8. Barbos. *in c. cum personæ cit. n.* 6. Vviestner *n.* 80. *hic.* 267

Dub. 1. quis tenor debeat esse Litterarum Apostolicarum, ut ex iis Exemptio colligi, & probari possit? Resp. plures esse ejusmodi formulas; neque necesse est, ut expressè, in Rescripto, continente tenorem privilegii, dicatur, quod Pontifex talem personam, Ecclesiam, vel Monasterium &c. à potestate Ordinarii eximat, sed sufficiunt verba æquivalentia; Talia sunt 1. si in ejusmodi Rescripto dicatur Ecclesia aliqua, vel Monasterium existere Juris B. Petri, vel ad proprietatem Rom. Ecclesiæ, ad Sedem Apostolicam, aut Ecclesiam Romanam specialiter, vel nullo mediante, aut etiam simpliciter pertinere *c. in tempore* 5. *fin. de Arbitr. cum venissent* 2. *vers. nos igitur de in integr. restit. c. si Papa* 10. *hoc tit. in* 6. & ratio est, quia cum verba hæc specialem aliquam gratiam conferre velint, intelligi nequeunt de generali illa subjectione, qua omnes per Orbem totum Ecclesiæ ad Romanam Ecclesiam pertinent, sed de speciali intelligi debent, quæ est Exemptio. 268

2 Si dicatur in privilegio, quòd Ecclesia talis Ecclesiæ Romanæ annuum Censum solvat, in signum, & indicium libertatis ab ea perceptæ; nam libertas, & exemptio idem sonant. Dixi autem, *in signum Libertatis*? ex sola enim Census annui solutione, facta Romanæ Ecclesiæ, non probatur Exemptio *c. recepimus* 8. *hoc tit.* Ratio est, quia solutio Census plura significare potest, scilicet subjectionem, protectionem, vel Exempionem; igitur ex ea non bene concluditur exemptio; Accedit, quia non omnes Ecclesiæ exemptæ solvunt Censum, nec omnes, quæ solvunt sunt exemptæ. 269

3 Si aliqui à Papa recipiantur in proprios, & speciales subjectos; quia Papa non recipit aliquos in proprios, & specialiter sibi subjectos, si adhuc subjecti essent alii. Pirh. *n.* 32. *hic*; Dixi, *in proprios, & specialiter sibi subjectos*; non enim sufficit, si dicat, se eos recipere in proprios, & speciales filios Romanæ Ecclesiæ; nam hi non idcirco exempti sunt; *c. si Papa cit.* & ratio est, quia recipiendo in filios solum videtur illos recipere in amorem fidelem: neque sequitur, quod receptus in filium sit specialiter subjectus; quia filius subjectus patriæ potestati, potest insuper esse subjectus potestati alterius. *Neque obstat*, quod, si dominus servum suum apud Acta filium nominet, is servitute eximatur *l. un.* §. *finilique* 10. *C. de Latin. libert. tollend.* Ratio disparitatis est, quia dominus concedendo Libertatem servo sibi soli præjudicat; at verò per Exemptionem fieret præjudicium ordinariæ Jurisdictioni Episcopi, quæ est favorabilis. 270

4 Si Ecclesia dicatur esse libera plena libertate, libertate Romanæ Ecclesiæ, vel ejus prærogativa speciali gaudere *c. si Papa cit. vers. & est idem.* Dixi, *prærogativa speciali*; nam ex Litteris protectionis, quibus personæ, etiam expresso nomine, cum omnibus rebus suis sub Apostolica Sede existere declarantur, non probatur sufficienter Exemptio *c. ex parte* 18. *hoc tit.* Ratio est, quia licèt Pontifex, aut alius Prælatus aliquos recipiat sub sua protectione, non tamen ideo Jurisdictioni Ordinarii eos subtrahit, sed tantùm significat promptam assistentiam; qua, si sic receptus in persona, vel rebus suis injustè graveretur, contra sic gravantem ita recipiens eum velit defendere, & ipsum gravantem per Censuras ad plenam restitutionem, & satisfactionem compellere. 271

5 Si caveatur, ne Episcopus ibi Cathedram suam collocare, vel quamlibet potestatem exercere, aut ordinationem aliquam facere audeat *vers. & est idem cit.* Omitto plures alias formulas, quibus probari Exemptio potest; ubi noto, plurimum valere, attendique debere mentem Papæ; nam, ut sæpe dictum, verba menti, non 272

ti, non mens verbis est conformanda; Ex eadem ratione non probatur Exemptio, si in Litteris Pontificis solum incidenter narretur, personam aliquam, vel Ecclesiam esse immediate subjectam Papæ; nam etsi in potestate Pontificis sit eximere, tamen præcise narrando non videtur concedere velle privilegium Exemptionis, sed potius aliunde datum supponit. Debent igitur verba, quibus conceditur privilegium, esse assertiva, sive dispositiva; nam hæc sola plenam probationem Exemptionis pariunt.

273 Dub. 2. quis sit Judex litis motæ super Exemptione? Videtur de hac posse cognoscere Episcopus; quia in ea quæstio est, an Episcopo competat Jurisdictio; atqui Judicis est cognoscere, & decernere, an sua sit Jurisdictio *l. ex quacunque 2. ff. siquis in jus vocatus &c. Conf.* Exempti requisiti privilegium suum, quando illud Corpore Juris communis clausum, vel notorium non est, tenentur Ordinario exhibere, & tradere transumptum cum articulis, de quibus controversia est *c. cum personæ 7. vers. nos volentes hoc tit.*

274 Sed dicendum, cognitionem, & definitionem litis, inter Episcopum Diœcesanum, & Prælatum inferiorem agitatæ super exemptione istius, non ad Episcopum, sed ad Romanum Pont. pertinere. Felin. *in c. 20. de Rescript. n. 24.* Abb. *in c. 14. de Censib. n. 4.* Cockier *de Jurisd. in Exempt. p. 2. q. 12.* Vviestner *hic n. 83.* cum aliis. Sumitur ex *c. cum venissent 12. de Judic.* quo privilegii Apostolici interpretatio Papali judicio reservatur; *Ratio est* 1. quia Legem & privilegium authentice, & judicialiter interpretari ejus est, cujus est illam condere, & hoc concedere *c. inter 31. vers. ut igitur de Sent. Excomm. l. fin. §. cum igitur 1. C. de LL.* Gloss. *in c. cum venissent cit. V. judicari*; 2. in hac quæstione agitur de toto fundamento Jurisdictionis, & de ipsius proprietate, spectante honorem, & commodum Ordinarii; ac proinde de causa ipsius propria, de hac autem judicialiter cognoscere, & pronuntiare Judex Summo Principe inferior nequit *l. qui Jurisdictioni 10. ff. de Jurisdict. l. un C. nequis in sua causa &c. can. inter 27.* junct. Gloss. *V. propriæ caus. 23. q. 4.* 3. exemptio magis ipsius Papæ, & Ecclesiæ Romanæ jus est, quam ipsorum exemptorum *c. cum venissent 2. §. fin. de in integr. restit. c. cum olim 14. vers. nos igitur hoc tit.* non potest autem inferior judicialiter cognoscere de jure Superioris; ergo &c.

275 Atque hinc patet responsio ad Rationem dubitandi; *An Conf.* privilegium Exemptionis Ordinario exhibendum est, non ut de illo judicialiter cognoscat, ac pronuntiet, sed ut extrajudicialiter ex eo se informet, ut cum *Felin. Abb.* & aliis notat P. Vviestner *hic numer. 83.*

276 Dub. 3. an lite, super Exemptione mota, & pendente, Ordinarius contra partem, ea se tuentem, possit uti Jurisdictione sua? Resp. distinguendo; vel enim Exemptionem allegans præscriptionis duntaxat obtentu se defendit, vel se fundat in privilegio. *Si primum*, Ordinarius Jurisdictione sua uti propter assistentiam Jurisdictionis potest, donec præscriptio legitimè probata sit. Gloss. *fin. in c. 7. hoc tit. in 6.* Sylv. *V. privilegium n. 7.* Cockier *p. 2. q. 29. fin.* Vviest. *n. 81.*

277 *Si secundum*, videndum, an aliquis sit in possessione, vel neuter. *Si neuter*, iterum ob eandem assistentiam Juris uti Jurisdictione sua Ordinarius potest *c. cum personæ 7. hoc tit. in 6. Si unus est in possessione, alter non*, attendendum, an in possessione sit Ordinarius, an pars allegans exemptionem. *Si Ordinarius*, iterum continuare possessionem, & exercere actus illius potest contra allegantes exemptionem, etiamsi se offerant ad exhibendum privilegium, vel alias probationes; neque eo casu Appellationem tenetur recipere; quia tunc procedit ut pars pro conservatione Juris sui, & non ut Judex: atque oblatio probationis non justificat appellationem *c. interposita 70. de Appell.*

278 *Si vero non Ordinarius* in possessione Jurisdictionis suæ adversus allegantes exemptionem, sed isti in possessione exemptionis sint, tunc supersedere Ordinarius exercitio Jurisdictionis in personam, vel locum controversum lite pendente debet, nec procedere adversus istos potest, aut Censuras minari &c. quia non potest eos privare possessione, vel quasi possessione Juris sui Abb. *in c 1. ut lit. pend. n. 4. & 8.* Barbos. *in c. cum personæ cit. numer. 7.* Vviestner *hic numer. 81.* cum aliis. Potest tamen eo casu petere, ut privilegium exemptionis exhibeant, vel legitimam præscriptionem probent: nisi exemptio sit notoria, aut inserta Juri communi; tunc enim citati ad edendum privilegium, vel alia ratione probandam exemptionem suam non tenentur comparere, cum citatio sit ipso Jure irrita, quippe facta à Judice non competente, & contra privilegium.

Quodsi dubium sit, quis sit in possessione, Ordinarius Jurisdictioni, an Regulares e. g. exemptionis, Ordinarius extrajudicialiter procedere contra eosdem potest etiam comminando Censuras; sed hi appellare ad Pontificem possunt: & tunc si post appellationem sit lata Censura, ea pendebit ex futuro eventu, & invalida erit, si constiterit de exemptione, valida, si de contrario. 279

Dub. 5. an casu, quo per privilegium concessum alicui Monasterio exempto est, ut fructus Ecclesiæ sibi subjectæ suos faciat, & in usus suos convertat, Ecclesia illa hoc ipso censeatur eximi à Jurisdictione Ordinarii? Resp. negative. Sumitur ex *c. Pastoralis 19. hoc tit.* Ratio est, quia nunquam censetur Pontifex derogare Juri Ordinariorum, nisi id exprimat; & privilegium Papæ semper intelligitur concessum sine gravi læsione alterius. Gloss. *in c. cit. V. expressum.* 280

Intelligitur ergo solum Monasterio illi concessa administratio in rebus Spiritualibus, & temporalibus, ita tamen, ut Ecclesia maneat in pristino statu: atque hinc si Rector in illa fuit antea institutus, hoc decedente ab eo Monasterio præsentari Episcopo debet alius Clericus, qui instituatur in Vicarium perpetuum illius Ecclesiæ, cui etiam alendo relinquenda est portio ex fructibus sustentationi sufficiens, reliquos autem fructus Monasterium vi talis privilegii potest percipere, & in usus suos convertere *c. avaritiæ 10. c. de Monachis 12. de Præb.* Innoc. *in c. Pastoralis cit. n. 1.* Abb. *n. 7.* Pith. *n. 36.* 281

Aliud est, si alicui Monasterio, vel alteri pio loco concessa sit aliqua Ecclesia pleno jure; tunc enim illa fit exempta à Jurisdictione Ordinarii, & Monasterium exemptum acquirit Jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos Ecclesiæ unitæ, ita, ut præsentatio, institutio, & destitutio Clericorum ad illud Monasterium deinceps spectet. Ex quo tamen iterum non sequitur, quod, nisi expressè addatur; fructus illius Ecclesiæ possit in utilitatem suam convertere; quia, cum ea concessio cedat in præjudicium Ecclesiæ concessæ, concessio strictè interpretari debet. 282

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

SUMMARIUM.

Post enarrationem Criminum Fori Ecclesiastici sequitur *Purgatio*, quæ tendit vel ad pœnam infligendam illi, qui diffamatus fuit de crimine, si in Purgatione deficiat; vel ad declarandam illius innocentiam, si ritè eandem præstitit; idque jure meritissimo; cum enim delicta manere impunita non debeant, sæpe autem hoc fieret ob defectum probationum, si Purgatio indici non posset, ideo salubriter inventum hoc medium est, ut vel per confessionem propriam veniat Judex in Delicti notitiam, vel si innocens sit infamatus de crimine, à suspicione hujus absolvatur. 1

Quæritur 1. quid, & quotuplex sit *Purgatio*? Resp. *Purgatio in genere* est *ostensio innocentiæ ab objecto crimine.* 2

mine. Sylv. *V. Purgatio pr.* Duplex est, Canonica, & Vulgaris; Hæc *Tit. seq.* declarabitur. Prior *Canonica* dicitur, quia à Jure Canonico est adinventa, & ab hoc proin vim & efficaciam suam habet; nam de Jure Civili minus videtur esse cognita, nisi fortasse quoad personas Illustres, vel alias, quæ à tortura immunes sunt; & sic Reginam Sophiam de adulterio accusatam, suo, & septem Matronarum, ac Nobilium fœminarum juramento se purgasse, ait Barbos. *in c.* 3. *hoc tit. n.* 2.

3 In quibusdam tamen locis etiam in foro Civili recepta est, teste Damhoud. *prax. crim. c.* 43. & in crimine fractæ Pacis præscribitur usurpanda, per *Ordin. Cam. p.* 2. *art.* 10. *fin.* Gaill. *l.* 2. *de Pac. public. cap.* 7. Vvagnereck *in cap.* 3. *hoc tit. fin.* Vallens. *hic n.* 7. Imò etiam in Jure Civili indicia quædam illius extant *l. fin. in fin. Cod. de Abolit. l. eos* 26. *fin. Cod. de Usur. & Novell.* 124. *cap.* 2. In gravibus tamen delictis, ubi de pœna vitæ, aut membrorum agitur, adhiberi purgatio in foro Civili non debet, ob periculum perjurii, cum quilibet præsumatur facturus quidlibet pro redimendo suo sanguine; sed tunc reus per plenissimas probationes convinci debet *l. fin. C. de Probat.* vel si tales probationes haberi nequeant, illæ, quæ habentur, & semiplene duntaxat sunt integrari debent per confessionem propria in tormentis factam, & in banco Juris confirmatam, prout dictum est; *Lib.* 2. *Tit.* 18. *n.* 71.

4 Quæritur 2. quid sit *Purgatio Canonica*, & quis ejus fuerit olim modus? Resp. definiri *Purgatio Canonica* potest, quod sit *ostensio innocentiæ de objecto crimine, juxta præscriptum SS. Canonum facta*. Host. *Summ. hic n.* 1. Sylv. *V. Purgatio pr.* Vallens. *hic n.* 1. Pirh. *n.* 1. Konig *num.* 1. Sannig. *num.* 2. Reiffenst. *num.* 1. Olim triplici fiebat modo.

5 1 Per Judicium S. Crucis; quod iterum tripliciter contingebat; 1. per Sortes, sive tesseras ad illam jaci, vel altari, in quo Crux proponebatur, imponi, & post varias precationes inde extrahi solitas; 2. per nocturnas, & sine lapsu diu continuatas ad illam stationes. 3. & frequentius per Juramentum, ad S. Crucem, vel per eam, aut ea contracta præstitum. Gretser. *l.* 2. *de Cruce c.* 16. Raynaud. *de Calumn. sect.* 3. *c.* 2. *quæst.* 2. Vviest. *hic n.* 3.

6 2 Per Juramentum, tam ab Accusatore quam à Reo præstitum ad Sepulchra, vel Reliquias SS. Martyrum *can. habet* 6. *can. Mennam* 7. *can. quanto* S. *&c. caus.* 2. *q.* 5. eorum præsertim, qui miraculorum editione claruerunt; horum enim præsenti virtute reorum crimina, vel innocentiam detectam, & perjuria celeri ultione palam vindicata, SS. PP. testantur apud Baronium *ad annum Christi* 412. *à n.* 29. & Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 6.

7 3 Per susceptionem Sacramenti Eucharistiæ, aut celebrationem Missæ in testimonium innocentiæ *can. sæpe* 23. *& can. fin. q. cit.* quod nemo, sibi objecti criminis conscius, SS. Christi Corpus, & sanguinem in Judicium, & condemnationem suam præsumeretur sumpturus, præsertim si, ut aliquando fiebat, adhiberentur imprecationes repentini interitus, secuturi ex temeraria sumptione. Et hoc modo Grægorius VII. simoniæ per calumniam insimulatus, publicè se purgavit coram Henrico III. Imp. & vicissim apud hunc instirit, ut, si innocentem se crederet, etiam ipse de probris sibi objectis se purgaret SS. Sacramenti sumptione, quod tamen non obtinuit ab Imp. quippe quem deterrebant exempla aliorum, ut ex Sigeberti Chronico *anno* 870. & Baronio *ad annum* 1077. refert Raynaud. *quæst.* 3. *pr.* Vviestner *hic n.* 5. Reiffenstuel *n.* 3.

8 Quæritur 3. quis sit hodie Purgationis Canonicæ modus? Resp. Hodie sublatis recensitis Purgationum modis, quòd deficeret sensim fidelium in Deum, & Sanctos fiducia, & Religio in superstitionem degeneraret, suffecta per SS. Canones Purgatio per Juramentum, quod tactis Evangeliis in sui purgationem præstat is, qui de crimine per viam accusationis, vel denuntiationis insimulatus, aut de eo publicè diffamatus, vel suspectus est; quæ tamen etiam ipsa multis in locis in desuetudinem abiit, & ferè vix amplius locum habet, nisi fortè in crimine Hæresis iis in partibus, ubi viget Inquisitio. Quia tamen in Regularibus etiamnum viget, & etiam in foro Sæculari, ut *n.* 3. dictum est, quibusdam in locis recepta est, hinc non erit inutile modum ejus facienda explicare.

Modus autem istius Purgationis est, qui sequitur. 1. 9 qui se purgare de crimine objecto vult, jurare de innocentia sua debet super sancta Dei Evangelia, etsi sit Episcopus, si gravitas causæ exigat *c. quoties* 5. *hoc tit.* Vallens. *hic numer.* 2. Zoes. *numer.* 3. Engl *numer.* 3. Pirhing *num.* 15. Konig *num.* 5. Sannig *num.* 3. Vviest. *n.* 6. Reiffenst. *n.* 4.

2 Cum accusatus, vel diffamatus deposuerit Juramentum hoc pro sua innocentia, eandem innocentiam juramento pariter Evangelia facto testantur Compurgatores, à Reo ad hoc assumpti *c. quoties cit.* Vivian. *ibid. in Ration.* Vallens. *n.* 3. Zoes. *n.* 4. Sannig *n.* 3. Vviest. *n.* 6. Reiffenst. *n.* 5.

3 Inter Juramentum purgandi, & Compurgatorum 10 hoc interest, quod Juramentum purgandi, ut Canonicam Purgationem faciat, debet esse Veritatis, Compurgatorum verò sufficit, si credulitatis sit. Gloss. *in c. de testibus* 13. *V. credant hoc tit.* Abb. *in c. quoties cit. n* 2. Begnud. *V. purgatio n.* 3. Engl *n.* 30. Vviest. *n.* 13. Reiffenst. *numer.* 5. Ratio est, quia conscientiam nostram videre possumus, aliorum minimè. August. *in Joan. tract.* 74. *&* 75. *tom.* 9. & hinc si Compurgatores præstarent Juramentum Veritatis, subirent periculum ancipitis perjurii. Et hinc

4 in Compurgatoribus, sufficit si jurent, se credere, 11 quod purgandus verum juraverit, & proinde crimen, de quo infamatus est, non commisetir *c. quoties cit.* & DD. *qui supra*. Purgandus vero jurare debet, se innocentem esse ab imputato sibi crimine, & hoc nec per se, nec per alium commisisse, adeoque quod illud nec mandaverit, nec consuluerit; nec favorem, authoritatem, vel auxilium ad hoc dederit, nec suo nomine factum ratum habuerit. Vivian. *loc. citat.* Vallens. *n.* 2. Zoes. *n.* 3. Sannig *n.* 3. Konig *n.* 5. Quare non sufficit, si reus simpliciter juret, quod sit immunis à crimine sibi objecto; hoc enim verificaretur, si de crimine illo egisset pœnitentiam, utpote per quam peccata commissa dimittuntur. Reiffenst *n.* 4. Potest ergo etiam illi, qui in foro conscientiæ à crimine absolutus est, indici Purgatio propter infamiam, quæ sæpe in eo, pœnitentia peracta, remanet, & Purgationis remedio tolli debet *can. Euphemium* 7. §. *hinc colligitur caus.* 2. *q.* 3.

5 Antequam purgandus se hoc modo purget, si cri- 12 men, de quo infamatus est, tale sit, ut mereatur depositionem, suspendi ab Officio debet, donec se purget legitimè. *c. siquis* 2. & *ibi* Vivian. *hoc tit.* Vallens. *n.* 5. imò ut *c. inter* 10. *hoc tit.* statuitur, si crimen grave sit, & tertio monitus non vitaverit occasionem, quæ eum infamem reddit, suspendi etiam à Beneficio potest: & ratio est, quia opinio Ecclesiasticæ personæ in nullo debet vacillare *can. Laici* 6. *dist.* 33. Accedit, quia si de gravi crimine infamatus interim Ecclesiasticis Officiis, & administrationibus se immisceret, grave scandalum in populo fidelium generaretur. Dixi, *Tertio monitus*; hinc oritur quæstio, an moneri purgandus debeat, antequam procedatur ad suspensionem, vel Purgationem Canonicam indicendam? Resp. distinguendum esse, an Delictum, de quo purgandus infamatus est, sit successivum, & permanens, an vero momentaneum, & transiens; *Si successivum, & permanens sit*, v. g. quia detinet mulierem suspectam in domo, aut versatur in loco minus honesto, præcedere necessario admonitiones *cap. si quis citat.* præscriptæ debent; quia potest se emendare abstinendo ab actibus suspectis. *Si momentaneum, & transiens sit*, e. g. quia infamatus est de homicidio, furto, aut Simonia commissa necessarium non est, ut procedant admonitiones; quia frustra illæ fierent, cum purgandus non possit se corrigere quoad delictum jam præteritum, & peractum; & idcirco Judex eo casu statim indicere purgationem potest, imò etiam suspensionem ab Officio, & beneficio, si gravitas criminis, & necessitas scandali tollendi poscat, decernere, dum se purgaverit.

Quæritur 4. an rectè accusato, qui criminis, de 13 quo diffamatus est, convinci non potest, indicatur Purgatio Canonica; *Ratio dubitandi est*. Quia si indicitur hæc Purgatio, indicitur vel quia accusator legitimus non est; & tunc fatigandus non est accusatus, cum in Jure talis accusatio attendi non debeat; vel legitimus quidem est accusator, sed crimina objecta non probat, & tunc certum est, accusatore non probante, reum debere absolvi,

quamvis

quamvis iste nihil præstiterit *l. fin. Cod. de R.V. & l. negantes 9. Cod. de O. & A.* ergo nullo casu Purgatio Canonica potest injungi Reo. 2. Si indici Purgatio Canonica posset, posset ideo, quia reus postulatus laborat infamia; hoc nihil probat; nam famæ, & rumori temerè credendum non est *c. super eo 5. de eo, qui cognov. consang.* & hinc *c. tua nos 8. de cohab. Cler.* ait Pontifex, non testimoniis, quæ rumor spargit, atque circumfert, sed testibus tantum in Judicium productis esse credendum; ergo etsi infamia contra reum postulatum absit, non tamen ideo cogendus est subire Purgationem Canonicam. 3. fallax valde est hoc Purgationis genus; nam Compurgatores, ut *num.* 10. dictum est, tantum deponunt de credulitate; atqui testi deponenti de credulitate in facto alieno fidem non adhiberi post *Glossam* docent omnes *in l. testium 18. C. de testib.* 4. Facilè colludere Compurgatores cum reo possunt, & sic probare innocentem, qui vel maximè reus est.

14 Sed nihilominus dicendum, quod infamatus de delicto, quod plenè probari non potest, compelli queat ad purgandum se Juramento proprio, & Compurgatorum. Ita Gonzal. *in c. fin. hoc tit. n. 2.* & ibi DD. sumitur ex *can. Presbyter 5. & seqq. caus. 2. q. 5.* Ratio est, quia satius est purgatos esse, quàm suspectos; meritò igitur Ecclesia, quæ in suis Ministris nec criminum suspicionem sustinet, statuit, ut cum aliquis laborat infamia criminis, quod probari non potest, se purget Juramento, ut sic immunis reddatur ab objecto crimine.

15 Neque obstant Rationes dubitandi oppositæ. *Ad* 1. id, quod dicitur, reum actore non probante, absolvendum, procedit in Civilibus; in Criminalibus, cùm adest infamia, in suo foro Ecclesia vult, ut reus probet innocentiam suam, quamvis contrarium fiat in foro sæculari. *Ad* 2. non cuivis rumori creditur, sed debet esse suspicio fundata, ut *infrà* dicetur. *Ad* 3. Compurgatores debent esse vicini, & rationem depositionis suæ reddunt, videlicet quia, cum vicini sint, si alias delictum fuisset commissum, non ignorarent; & ideo illorum depositiones plenam probationem faciunt. *Ad* 4. quod colludere possint, non est attendendum, cum nemo credatur esse immemor suæ salutis.

16 Quæritur 5. à quo indici Purgatio Canonica possit? Resp. indici potest à solo Judice competente, qui de crimine alias cognoscere potest, aut debet, adeò, ut si à non Judice, vel à Judice incompetente indicta sit, minimè valeat, effectuque careat, perinde, acsi facta non fuisset *arg. cap. licèt 5. de Offic. Legat. cap. nos inter 6. cap. inter 10. & c. cum dilectis 15. fin. hoc tit.* Begnud. *V. Purgatio num. 2.* Reiffenst. *hic n. 7.* Zoes. *n. 2.* Pirh. *n. 2.* Sannig *n. 3.*

17 Et hinc, quamvis, ut *n. 19.* dicetur, Purgatio Canonica possit ab Episcopo indici etiam Laicis subditis suis Diœcesanis, debet tamen crimen, ob quod indicitur, esse tale, quod spectet ad cognitionem Ecclesiæ, vel Episcopi, uti sunt crimen Hæresis. Adulterii, Simoniæ, & alia, quæ vel sunt fori Ecclesiastici tantum, vel mixti. *Ratio est*, quia Purgatio nunquam inducitur, nisi in defectum probationum; igitur si ad Episcopum non spectet cognitio delicti contra Laicum, coram eo non fient probationes, & conf. nec Purgatio illius Delicti.

18 *Neque obstat*, quod textus *cap. nos inter cit.* dicat indistinctè *de aliquo crimine*; nam de cæteris criminibus, quæ ad cognitionem Episcopi non spectant, textus ille solum intelligendus est in ordine ad imponendam pœnitentiam in foro animæ, non verò in foro Judiciali, ubi Judex non potest pœnam infligere, nisi delictis spectantibus ad suum Tribunal, & forum. In iis tamen locis, ubi Jurisdictionem etiam temporalem Episcopus habet, sicut de omnibus criminibus potest cognoscere, ita de iis etiam potest purgationem indicere Laicis.

19 Quæritur 6. cui Purgatio Canonica indici possit? Resp. indicenda non est, nisi personis, quarum famæ, & existimationis integritas Christiano populo est valde necessaria, ut sunt Episcopi, & alii Prælati, Prædicatores Verbi Divini, Sacerdotes, & alii Viri alias honesti, ac fide digni, etiam Laici *arg. cap. nobilis 1. hoc tit.* quamvis, si altioris sint gradus, & personæ illustres, ab iis exigi non debeat Juramentum, nisi causæ gravitas istud exigat *c. nobilis cit.*

20 Neque faciendum est discrimen, an Regulares sint, vel Sæculares; nam etiam Regularibus cujuscunque sint sexus, si publicè diffamati fuerint de crimine, vel graviter suspecti, & testes, vel aliæ probationes deficiant, Purgatio Canonica rectè indicitur, prout constat ex *cap. Moniales 3. hoc tit.* & docet Vivian. *ibid. in Ration.* Pirh. *hic num. 4.* Ratio est, quia in Regularibus præcipuè est integritas, & bona fama custodienda; *can. nolo 10. caus. 12. quæst. 1.* & multo majori pœna sunt digni, si illi, quibus plurimum honoris per jussiones Principum est delatum, reperiuntur in crimine *can. Presbyteri 5. q. 6.*

Contrà viles, & plebeii homines, si de criminibus, quorum plena probatio haberi nequit, accusati, diffamati, aut graviter suspecti sint, ad Purgationem Canonicam admitti non debent, sed quæstionibus per torturam subjiciendi sunt; tum quia non facilè inveniunt Compurgatores, tum quia apud hos est periculum perjurii. Farin. *prax. crim. q. 96. n. 64.* Engl *n. 4. hic* Vviestner *ibid. n. 7.* 21

Dubium est, an, cui purgatio indicta est ab Episcopo, appellare ad Superiorem possit? Resp. posse, si justam appellandi causam habeat. Gloss. *fin. in cap. 6. hoc tit.* Host. *ibid. V. appellandum*, Abb. *in fin.* Vivian. *in Ration.* Pirhing *num.* 3. & tunc appellans parebit judicio ejus, ad cujus examen causam per appellationem transtulit. Causæ autem hujusmodi esse possunt, si purgare se jussus dicat, se non esse diffamatum, si Episcopus non velit admittere testes, inter quos conversatus est Reus, sed extraneos, ignotos, vel inimicos illius, si excedat modum in purgatione, vel alio modo eundem gravet &c. 22

Quæritur 7. quando purgatio Canonica indici possit? Resp. indici potest super quocunque crimine, vel delicto non plenè probato; imò non solum super crimine, sed etiam quandoque super macula, defectu, aut impedimento, e. g. defectu natalium, quod promotioni ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica obstat; nam antequam de tali macula diffamatus ad hos promoveatur, prius purgare Canonicè sese debet, prout factum est *cap. accedens 14. hoc tit.* ubi Innocentius III. præcepit, ut à Diacono, qui ad Presbyteratum aspirabat, & ab æmulis super defectu natalium divulgabatur, purgatio reciperetur super ista infamia. Gloss. *in cap. cit. V. purgatione*, Host. *ibid. V. promoveri*, Abb. *n. 1.* Vivian. *in Ration.* Pirhing *hic n. 5.* Vviest. *n. 2.* Reiffenst. *n. 15.* Ratio est, quia defectus natalium, etsi non sit nota delicti, est tamen nota defectus, impedientis promotionem ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica. Ut tamen rectè indicatur, requiruntur sequentes circumstantiæ. 23

1 Purgandus debet prius esse publicè diffamatus de crimine apud bonos, & graves viros *cap. cùm dilectis 15. V. si vero hoc tit.* Innoc. *in c. 6. eod.* Sylv. *V. purgatio n. 2.* Begnud. *V. eod. n. 2.* Zoes. *hic n. 2.* Pirh. *n. 7.* Engl *n. 2.* Konig *n. 3. & 4.* Sannig *n. 7.* Vviest. *n. 12.* Reiffenst. *num. 8.* Et hic est casus exceptus, ut in eo admittatur Juramentum ab infamato: & hoc necessario; quia non infamato purgatio non indicitur. Intellige autem de infamato infamia facti; nam infamatus infamia Juris non potest se purgare per Juramentum. Pirhing *num. 20.* Addidi, apud bonos, & graves viros; nam ob infamiam solum ab æmulis, & inimicis ortam non est alicui indicenda purgatio, uti patet ex *c. cum in juventute 12. hoc tit.* & notat Host. *Summ. n. 3.* Sylv. *n. 2. cit.* Vivian. *in c. 12. cit. in Ration.* Pirh. *n. 7.* Reiffenst. *n. 10.* *Excipe*, nisi tamen ex infamia orta etiam à malevolis scandalum publicum generaretur in populo; tunc enim, si illud sedari, seu tolli per purgationem potest, indicenda est; & ratio est, quia causa vitandi scandali à Jure positivo receditur *cap. cum ex injuncto 2. de nov. oper. nunt. c. cum teneamur 6. de Præb. cap. nihil 2. de Præscript.* Abb. *in c. qualiter 24. de accus. num. 29.* 24

2 Suspiciones, præsumptiones, & indicia criminis debent esse verisimilia, non levia tantum, non ita gravia, ut ad torturam sufficiant, multo minus talia, quibus crimen, vel innocentia plenè probetur *cap. siquis 4.* ibi, *verisimilibus suspicionibus, & cap. inter 10. V. attendentes* ibi, *Vehementem suspicionem hoc tit.* quibus textibus dicitur indicenda purgatio propter vulgatam infamiam, grave scandalum, vehementem suspicionem, & verisimiles suspiciones. Vallens. *n. 6.* Pirhing *n. 9.* Konig *n. 4.* Sannig *num. 7.* Ratio est, quia si levis solum sit suspicio, locum habet tritum illud, *Vanæ voces populi non sunt audiendæ*. Si ad torturam sufficiant, hæc adhibenda est, non purgatio, nisi persona sit, quæ torqueri non debeat; si planè probent crimen, reus condemnari debet sine Juramenti delatione *cap. cum dilectis cit.* si innocentiam, etiam sine purgatione absolvi 25

l. qui

l. qui accusare 4. *C. de edend. l. actor* 23. *C. de probat.* Clar. *§. fin. q.* 63. *nu.* 4. Pirh. *n.* 21. Quodsi tamen pars instet, & positis etiam levibus solum indiciis, petat induci sibi Purgationem ad innocentiam suam demonstrandam, indici poterit, non juris necessitate, sed importunitate petentis ut dicitur *c. cum in juventute cit.*

26 3. Crimen non debet esse notorium *c. cum dilectis* 15. *h. tit.* Abb. *ibid. n.* 4. Menoch. *de arbitr. cas.* 166. *num.* 4. Farin. *prax. crim. q.* 21. *num.* 11. Vivian. *in cap. cit. in Ration.* Vallens. *hic num.* 6. Engl *n.* 2. Konig *n.* 4. Sannig *n.* 7. Vvieftner *n.* 10. Reiffenstuel *n.* 12. Begnudell. *V. Purgatio n.* 2. Ratio est, quia notorium nulla potest tergiversatione celari *c. fin. de cohabitat. Cler. & mul.* nec indiget probatione, nec accusatione *can. manifesta* 15. *caus.* 2. *q.* 1. *c. evidentia* 9. *de Accusat.* cum ob solam notorietatem sine alia inquisitione Judex procedere ad pœnæ impositionem possit. igitur nec Purgatione indiget; nam hæc locum habet solummodo, cum factum est dubium, & accusatores, ac testes deficiunt. Interdum tamen etiam in notoriis recipiuntur probationes ex abundanti, & ad majorem cautelam *can. pudenda* 33. *final. caus.* 24. *q.* 1. *c. bonæ* 23. *vers. licet autem de Elect. l. causam* 20. *pr. ff. de manumiss.* cum *nihil sit ita indubitatum, quod non recipiat quandam sollicitam dubitationem*, ut loquitur Imperator *Novell.* 44. *c.* 1. §. 3.

27 4. Indicenda non est Purgatio, quando infamatus, aut graviter suspectus convinci de crimine per idoneos accusatores, aut alias probationes potest *c. si quis* 2. *cap. quotiens* 5. *c. ex tuarum* 8. *c. inter* 10. ibi, *Accusatore, & testibus deficientibus h. t.* Innoc. *in c.* 6. *h. t.* Sylv. *V. Purgatio n.* 2. Decian. *tr. crim. l.* 5. *c.* 48. *n.* 10. Vivian. *ib c. si quis cit. in Ration.* Vallens. *hic n.* 6. Pirh. *n.* 8. Konig. *n.* 4. Sannig *n.* 7. Vvieftner *n.* 11. Reiffenst. *nu.* 11. Begnudell. *n.* 4. Ratio est, quia rebus debemus uti eo modo, quo sunt institutæ *can. is autem* 4. *caus.* 22. *q.* 2. sed Purgatio inducta est in subsidium aliarum Probationum. ergo &c.

28 Quæritur 8. quid advertendum circa Compurgatores? Resp. Compurgatores dicuntur testes eorum, qui se purgant ab infamia criminis. 1. Debent esse tolerati ab Ecclesia, non condemnati in Judicio proter crimen, uti sumitur ex *c. constitutus* 9. *h. tit.* & notat Vivian. *ibid. in Ration.* Vallens. *hic n.* 4. Zoes. *n.* 4. Pirh. *nu.* 31. Sannig *n.* 4. nam si in Judicio condemnati sunt propter crimen, per sententiam hoc eorum crimen factum est notorium, & sic tanquam criminosi repelli à testimonio ferendo debent *c. testimonium* 54. *de testib.* quin etiamsi solum per modum exceptionis crimen ipsis objectum sit, & probatum, repelli possunt, ut notat Pirhing *nu.* 32. & hoc propter infamiam, quæ secuta est ex hac repulsione.

29 2. Debent esse honestæ personæ, h. e. bonæ existimationis, & fide dignæ *c. cum P.* 7. *h. tit.* Vivian. *ibid. in ration.* Sylv. *V. Purgatio n.* 5. Begnud. *V. eod. nu.* 3. Vallens. *n.* 4. Zoes. *n.* 4. Engl *n.* 3. Pirhing *n.* 27. Konig *n.* 4. Sannig *n.* 4. Vvieft. *n.* 6. Reiffenstuel *num.* 5. Ratio est, quia tales esse debent, ut verisimile sit, eos nolle amore, vel odio, vel spe pecuniæ obtinendæ pejerare.

30 3. Debent esse personæ vicinæ illi cujus purgatio petitur, ut habetur *cap. cum dilectus* 11. *h. t.* & notat *ibid.* Gloss. *V. vicinæ*, Abb. *in c.* 14. *h. tit.* Sylv. *l. c. num.* 5. Vallens. *num.* 4. Pirhing *num.* 29. Sannig *n.* 4. Vvieftn. *num.* 8. Reiffenstuel *n.* 5. Ratio est, quia vicini præsumuntur melius scire, & nosse conditionem, & qualitatem, adeoque etiam vitam, & mores purgandi. Si tamen non possent haberi Compurgatores vicini, quia e. g. sunt exosi purgando, aut ejus inimici, possent assumi alii, qui tamen

31 4. Debent notam sibi habere vitam purgandi, ut DD. *citt.* tradunt; quia debent deponere de credulitate super vita, & moribus purgandi. hoc autem non possent rite facere, si notam sibi vitam, & mores purgandi non habeant. ergo &c. Procedit hoc non tantum de præsenti, sed etiam de præterito *c. inter* 10. *vers. attendentes h. t.* nisi purgandus solum esset super crimine, quod commisisse fertur moderno tempore; nam tunc notitia præsentis temporis sufficit: prout etiam sufficit, si crimen jam sit pridem commissum; quia purgandus potuit interea se emendasse.

32 5. De Jure communi debent esse ejusdem Ordinis cum purgando, ita, ut si hic sit Episcopus, Compurgatores sint etiam Episcopi, si Presbyter, Presbyteri *c. inter*, & *V. attendentes citt.* Sylv. *V. Purgatorio n.* 5. Engl *n.* 3. Pirh. *n.* 28. Konig *n.* 5. Quodsi tales haberi nequeant, vel qui haberi possunt, ejus, qui purgare se debet, inimici sint, admitti alii possunt etiam inferioris Ordinis Clerici *c. ex tuarum* 8. & *c. cum in juventute* 12. *h. tit.* & his deficientibus, etiam Laici, imò & fœminæ. Gloss. *fin. in c.* 12. *cit.* Host. *in Summ. n.* 5. Zoes. *n.* 4. Vvieftner *nu.* 9. cum *citt.* Qodsi purgandus sit advena, seu extraneus, & quia notos non habet, Compurgatores non potest acquirere, tunc, deficiente criminis probatione, credendum est soli Juramento purgandi. Gloss. *fin. in c. cum P.* 7. *h. tit.* Abb. *in c. inter cit. n.* 7. Decian. *tr. crim. c.* 48. *n.* 26. cum *citt.* Sed hic jurare debet, non solum se innoxium esse, sed etiam Compurgatores habere non posse, ut cum *Abb. Zoes. l. citt.* advertit Reiffenstuel *hic n.* 6.

33 6. Olim secundum antiquos Canones Episcopus se purgabat, adhibitis 12. Episcopis, Sacerdos, adhibitis 5. vel 7. Sacerdotibus, Diaconus coram tribus aliis Diaconis, hodie verò compurgatores adhibendi sunt plures, vel pauciores ad arbitrium Judicis, spectata qualitate personæ, gravitate criminis, & infamiæ *cap. Presbyter* 13. *can. omnibus* 19. *caus.* 2. *q.* 5. Abb. *in c. inter cit. num.* 4. Host. *in Summ. n.* 4. *h. tit.* Sylv. *V. Purgatio num.* 5. Vallens. *n.* 3. Zoes. *n.* 4. Pirhing *n.* 33. Sannig *n.* 3. Sic *c. inter cit.* indicta Purgatio fuit Decano alicui, adhibitis 14. sui Ordinis, *c. cum in juventute* 12. *h. tit.* cuidam Episcopo, adhibitis tantum duobus Abbatibus, & *c. cum P.* 10. *de accus.* cuidam Sacerdoti, adhibitis tantum tribus Sacerdotibus; ut proinde numerus Compurgatorum hodie sit arbitrarius. Sylv. *l. cit.* Imò ut Vallens. *n.* 3. *cit.* testatur, Compurgatores à Judice, si ita videbitur, omnino omitti possunt. Quandoque etiam, si levior sit diffamatio, Judex potest ipsius Rei simplici negatione contentus esse.

34 7. Denique Compurgatores non sunt ita strictè examinandi, sicut alii testes, vel etiam sicut Ordinandi *c. constitutus* 9. *h. tit.* Gloss. *ibid. in notat.* Pirh. *n.* 32. Ratio Disparitatis est, quia Compurgatores sunt testes voluntarii, nec possunt compelli ad compurgandum, sicut alii testes compelli possunt ad ferendum testimonium. Accedit, quia Compurgatores jurati deponunt secundum conscientiam, & opinionem suam, ideoque possunt timere, ne perjurium incurrant; alii verò testes deponunt de his, quæ sunt acta ipsis præsentibus, & videntibus, vel audientibus. Abb. *in cap. cum dilectus* 11. *fin. h. tit.* Pirh. *l. cit.*

35 Quæritur 9. quis sit Effectus Purgationis Canonicæ? Resp. si ritè peracta sit, tres præcipuè effectus operatur. 1. absolvendus est is, qui se purgavit, à Suspensione, si hæc propter objecti criminis, vel infamiæ, aut scandali, ex eo orti gravitatem ipsi ab initio inflicta fuit *cap. ex tuarum* 8. *c. inter* 10. *h. tit.* Sylv. *V. Purgatio n.* 7. Begnud. *V. eod. n.* 8. Vallens. *hic n.* 8. Zoes. *nu.* 7. Pirhing *n.* 34. Konig *n.* 9. Sannig *n.* 6. Vvieftner *num.* 16. Reiffenstuel *num.* 17. cum aliis. 2. Idem ab objecto crimine sine ulteriori mora absolvendus, declarandus innocens, & in pristinum statum restituendus est *can. habet* 6. *can. mennam* 7. *can. omnibus* 19. *caus.* 2. *q.* 5. & DD. *citatt.* 3. idem declaratur vir boni testimonii *c. ex tuarum cit.* atque ita tollitur infamia, & redintegratur honor, atque existimatio apud homines, præsertim (in crimine successivo) si vitam bonis moribus adornet, ut omnis ab eo suspicio ex proborum, & honestorum hominum mentibus deleatur *c. inter cit. fin.* Farin. *prax. crim. q.* 194. *n.* 44. cum reliquis *supra*.

36 *Dubium est*, an is, qui rite peracta Purgatione absolutus est, super eodem crimine possit denuo accusari? Affirmant nonnulli, nixi *can. Mennam cit.* ubi permissum est, ut Episcopo, coram Papa Purgato, nova indiceretur Purgatio.

Sed distinctio est adhibenda: Vel enim post absolutionem, vigore Purgationis præstitæ factam, secuta est nova criminis infamia, vel non secuta est. *Si primum*, purgatus potest iterum accusari, & alia innocentiæ probatione deficiente, nova ipsi induci Purgatio, ut rectè Abb. *in c.* 8. *h. t. n.* 5. Zoes. *hinc n.* 8. Pirh. *n.* 36. Vvieft. *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 19. advertunt. *Ratio est*, quia absolutio, post hujusmodi Purgationem secuta, facta est per probationes non integras, cum Compurgatores tantum jurarint de credulitate. atqui quando absolutio facta est per probationes non integras, nova accusatio locum habet, *per l. admonendi* 31. *ff. de Jurejur.*

37 *Si secundum*, intereſt, an accuſatio præceſſerit, an verò non? *Si præceſſit accuſatio*, regulariter loquendo novæ accuſationi non amplius locus eſt. Gloſſ. *in can. Mennam cit.* Hoſt. *hic nu.* 6. Vvieſtner *num.* 17. Reiffenſtuel *num.* 18. tum quia de ejuſdem hominis delicto ſæpius quærendum non eſt *l. licet 6. fin. ff. naut. caupon. &c.* tum etiam, quia Jusjurandum non minoris eſt authoritatis, quàm res judicata *l. jusjurandum 2. ff. de Jurejur.* quæ habetur pro veritate *Reg.* 207. *ff.* Dixi *regulariter*; nam in quibuſdam caſibus nova Accuſatio eſt permittenda. 1. quando accuſator ſuam, aut ſuorum injuriam perſequitur *l. ſi cui* 7. §. *iiſdem* 2. *ff. de Accuſ.* 2. ſi doceret, priorem Accuſatorem prævaricatum *l. prævaricationis* 1. §. *namſi* 1. *ff. de Prævarication.* 3. ſi probaret, ad ſui purgationem pejeraſſe *l. admonendi cit.* Goffred. *in l. fin. C. de reb. credit.* Vvieſtner *num.* 19. Reiffenſtuel *numer.* 19.

38 *Si verò Accuſatio non præceſſit*, ſed tantum infamia, iterum diſtingueudum eſt: Vel enim terminus fuit aſſignatus, intra quem omnes, qui volunt accuſare, hoc poſſunt, cum clauſula, *deinceps non audiendos*; & tunc caſu, quo intra terminum aſſignatum nullus comparuit accuſator, accuſatio admitti non debet *arg. c. fin. qui Matr. accuſ. poſſ.* vel non fuit aſſignatus terminus, ſed abſente accuſatore, non tamen per contumaciam, purgatio, & abſolutio facta eſt; & tunc ea non obſtante, admitti adhuc accuſatio poteſt, modò accuſator in ſe velit ſuſcipere onus probandi, ut rectè monet Pirh. *nu.* 36. urget enim hìc ratio allata *num.* 36. quia abſolutio videlicet facta eſt per probationes non integras.

39 Neque obſtat textus *can. Mennam* in contrarium allegatus; nam ut *ibi* Gloſſa *fin.* notat. Mennas à Papa abſolutus fuit ſub conditione, niſi poſtea appareat accuſator, vel nova infamia oriatur: vel dici poteſt, quod à Papa abſolutus fuerit ob quandam neceſſitatem, ea conditione, ut ſe purgaret etiam apud Reginam, quod apud hanc quoque, & prius eſſet diffamatus. Turrecr. *in can. cit.* §. *tertia quæſtio*.

40 Quæritur 10. quæ ſit pœna deficientis in Purgatione? Reſp. Deficere in Purgatione reus dicitur, cum vel jurare recuſat, vel Compurgatores, qui pro ipſius innocentia jurare velint, nullos invenit. Hoc ſi fiat, pro convicto habetur, ut pœna etiam criminis ordinaria à Judice Eccleſiaſtico puniri poſſit. Sumitur ex *c. cum P.* 7. *verſ. deficientem h. tit.* & notat Gloſſ. *ibid. V. privare.* Sylv. *V. Purgatio* 7. Menoch. *l.* 5. *præſ.* 41. *num.* 3. Farin. *prax. crim. q.* 86. *n.* 5. Vivian. *in cap. cit. in Ration.* Vallenſ. *hic num.* 5. Zoeſ. *n.* 9. Pirhing. *n.* 37. Konig *num.* 8. Vvieſtner *num.* 20. Reiffenſtuel *num.* 16. Mitius tamen aliquando cum eo agitur, & pœna arbitrio Judicis temperatur, præſertim ſi crimen per viam Denuntiationis, vel Inquiſitionis in Judicium deductum ſit. Hoſt. *n.* 7. *fin.* Sylv. Vvieſtner *l. citt.* Ratio horum eſt, quia præſumptio veriſimilis, quæ orta eſt ex infamia, reo in purgatione deficiente, tranſit in violentam, ex hac autem ad condemnationem procedi aliquando poſſe, dictum eſt *Libr.* 2. *Tit.* 23. *à n.* 15.

41 Dixi *à Judice Eccleſiaſtico*; nam pœna, quæ ab hoc infligitur, non eſt pœna mortis, vel mutilationis, ſed Suſpenſio ab Officio, & Beneficio, Excommunicatio, Degradatio &c. Aliter loquendum de Judice Sæculari, qui gravioribus pœnis in reum animadvertit: atque hinc Diaz *pract. Canon. c.* 152. *n.* 4. docet, Clericum propter defectum Purgationis degradatum, & traditum Curiæ Sæculari, non poſſe à Judice Sæculari puniri pœna ordinaria criminis, qua Laicus convictus de illo crimine puniretur. *Rationem* dat, quia non eſt verè, ſed interpretativè ſolum convictus, pro quo Jure Civili non imponitur pœna ordinaria, ſed tantum, ſi claris probationibus, vel propria confeſſione convictus ſit.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Purgationis Vulgaris.*
2 *&c. Hujus modus olim adhibitus.*
6 *&c. An ſit licita?*
9 *&c. An rectè prohibeatur?*
13 *&c. An ſententia, lata ex Purgatione Vulgari, à qua non fuit appellatum, poſſit retractari?*
17 *&c. An licitus ſit ille purgandi modus, qui olim fiebat per celebrationem Miſſæ, & ſumptionem SS. Euchariſtiæ?*
19 *An liceat provocare ad Judicium Divinum in finem innocentiæ oſtendendæ?*

Quæritur 1. quid ſit *Purgatio Vulgaris*, & quis olim fuerit ejus inſtituendæ modus? Reſp. *Purgatio Vulgaris*, ſic dicta, quia vulgus eam invenit, & uſu induxit, definitur, quòd ſit *demonſtratio innocentiæ, vel criminis, vulgo tantum, & temere uſurpata, & nullo modo approbata.* Olim pro temporum, & gentium varietate varia rituum ſolemnitate fieri conſuevit; præcipuè quatuor modi præ cæteris in uſu erant. 1

1. Per *Monomachiam*, qua criminum falsò accuſati cum adverſario, ſive accuſatoribus congreſſi, quantumvis ætate, viribus, & tractandorum armorum peritia inferiores eſſent, ſolius innocentiæ præſidio victores, calumniam depulerunt, ut Raynaud. *de calumn. ſect.* 3. *c.* 2. *q.* 4. & alii referunt. 2

2. Per *judicium ferri candentis*. Quæ Purgatio olim fiebat hoc modo: primò dicebantur Litaniæ; ſequebantur certæ aliæ preces, & orationes: his peractis aqua benedicta dabatur ad deguſtandum; denique proferebatur ferrum candens, & culpato dabatur in manus, qui illud per ſpatium decem pedum portare debebat: & ſiquidem poſt tres noctes illæſa manus apparuiſſet, abſolvebatur culpatus; ſin, culpabilis reputabatur. Aliquando verò, præmiſſis ritibus prædictis, inſimulatus criminis, vel aliàs de eo diffamatus, ſubibat rogum, prunas, aut vomerem ignitum, & calcabat pedibus: & ſimiliter, ſi illæſus manſiſſet, pro innocente, ſi lædebatur, pro convicto habitus eſt. Raynaud. *l. cit. q.* 5. Gonzal. *in c. fin. h. tit. n.* 5. Engl *hic n.* 6. Vvieſtn. *n.* 2. 3

3. Per *Aquam ferventem*, ſive bullientem: quæ ſic fiebat. Poſt adhibitos certos exorciſmos, & Orationes, accuſatus, vel diffamatus de crimine in eam immittere debebat brachium uſque ad cubitum, & ſiquidem iſtud illæſum indè extraheret, innoxius reputabatur; ſi verò ambuſtum, delictum illud, de quo accuſabatur, perpetraſſe credebatur. Delrio *Diſquiſ. Magic. l.* 4. *q.* 5. *ſect.* 1. & 2. Gonzal. *l. c. n.* 6. Engl *num.* 6. *hic*, Vvieſtner *ibid. numer.* 3. 4

4. Per *Aquam frigidam*. Per hanc iſtum in modum fiebat Purgatio. Colligabantur infamato manus dextra cum pede ſiniſtro & manus ſiniſtra cum pede dextro, & ſic colligatus projiciebatur in aquam conſecratam certò ritu: & quidem ſi corpus mergeretur, credebatur reus innocens; ſi autem ſuperferretur aquæ, quaſi eum tanquam ſontem reſpuiſſet aqua, cenſebatur convictus, cadebatque cauſa, ut colligitur ex adjuratione aquæ D. Dunſtani apud *cit. Gonzal. l. c. fin.* Raynaud *q.* 96. Engl *n.* 6. Vvieſtner *n.* 3. Adhibebatur hoc genus Purgationis præcipue, cum de Veneficio fœmina aliqua ſuſpecta erat. 5

Quæritur 2. an licitæ ſint iſtæ ſe purgandi rationes? Fuerunt olim, qui honeſtas, & Chriſtianis valde congruentes exiſtimabant, & propugnabant; ſed modò unanimi TT. & Canoniſtarum conſenſu rejiciuntur, propter claros textus SS. Canonum. Et quidem 1. per Monomachiam rejicitur apertè *can. Monomachiam* 22. *fin. cauſ.* 2. *q.* 5. *cura* 1. & *c. ſignificantibus* 2. *h. tit.* Ratio eſt, quia per hanc Purgationis ſpeciem non detegitur veritas, ſed ſæpe ex DEI permiſſione prævalet fortior, vel dexterior, ut bene advertunt Abb. *hic n.* 2. Sylv. *V. Duellum q.* 1. *n.* 2. Pirhing. *n.* 2. & 7. Konig *nu.* 5. *Neque obſtat*, quòd David cum Goliath ſic pugnarit 1. *Reg.* 17. quia id inſtinctu Spiritus Sancti factum eſt, & publica ſalus exigebat. 6

Reliqua per Judicium ferri candentis, aquæ ferventis, aut frigidæ reprobantur *c. Mennam* 7. & *c. conſuluiſti* 20. *cauſ.* 2. *q.* 5. item *cap. fin. h. tit.* Ratio eſt, quia ferrum candens, & aqua fervens debet naturaliter lædere, ſive adurere tangentes illud: item corpus, quod natare non poteſt, naturaliter mergitur: unde per hujuſmodi purgandi modos id intenditur, ut per miraculum DEUS impediat, ne, qui tangit ferrum ignitum, aduratur, & in aquam projectus, ſi reus ſit, ſubmergatur: quod eſt tentare DEUM. 7

Idem

8 Idem dicendum de aliis similibus Purgationum generibus, cujusmodi est fluxus sanguinis ex cadavere occisi, præsente occisore. Ex hac multi hodiedum arguunt præsentiam occisoris: sed perperam; nam hic sanguinis fluxus incertissimum indicium præbet, cùm ex caussis incognitis descendat, & sæpius fefellit, dum interdum sanguis non effluit, etsi verus interfector adfuerit, aliquando verò effluxit, accedente innocentissimo.

9 Quæritur 3. an enumerata Purgationis Vulgaris genera rectè prohibeantur? *Ratio dubitandi est* 1. quia in Veteri Testamento *num.* 5. *v.* 18. simile genus Purgationis præceptum fuit à DEO per aquas amarissimas ad probandum, utrum mulier commiserit adulterium: quod caput insertum est Decreto Gratiani *can.* 21. *causs.* 2. *q.* 1. 2. apud Gentiles quoque hoc examen per ignem, & aquam usitatum fuisse constat ex *Sophocle in Antigono*, & narrat *Varro*, Vestalem Virginem, cùm periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum implesse aqua de Tiberi, & ad suos Judices, nulla ejus parte stillante, portasse. Similiter Achilles Tacius *l.* 8. *de amorib. Clitoph. pag.* 206. refert, prope Ephesum fuisse fontem, in quem, cùm violatæ pudicitiæ aliqua arguebatur, cogebatur descendere, juramento priùs deposito, se non fuisse violatam: ferebat autem illa hoc juramentum, in tabella collo appensa descriptum secum, & siquidem innocens erat, aqua omnino immota manebat; sin minùs, licèt vix medias tibias unda aliàs attingebat, intumescere quamprimum cœpit, atque ad collum usque se attollens tabellam contigit. 3. DEUS in Lege nova hujusmodi Purgationem criminum sæpe per miracula confirmavit. Notum est illud S. Cunegundis Imperatricis, & exempla alia habentur passim: sic Brigita Virgo in Scotia cùm lignum Altaris in testimonium Virginitatis tetigisset, viride factum fuit; Briccius Episcopus Turonensis, cùm falsò accusaretur de crimine, ad satisfaciendum populo, ardentes prunas veste inclusas stringens, usque ad sepulchrum S. Martini veste illæsa tulit; & B. Hildegundis, cùm furti accusaretur, ferro candente innocentiam suam ostendit. 4. confirmari videtur ex *Concil. Mogunt. can.* 24. ubi is, qui Presbyterum occidisse fertur, si servus sit, super duodecim vomeres ardentes se expurgare jubetur, prout refert *can. qui Presbyterum* 24. *causs.* 17. *q.* 4. 5. talis species Vulgaris Purgationis videtur esse tortura, quæ tamen juxta omnes licitè adhibetur.

10 *Sed dicendum*, rectè ejusmodi Purgationes ab Ecclesia fuisse reprobatas. Caussa reprobandi multiplex fuit. 1. enim pugnant cum usu SS. PP. & redolent ritum Gentilitatis. 2. continent Tentationem DEI, ad cujus extraordinariam Providentiam, & miraculum per eas temere recurritur, cùm tamen plura alia supersint inquirendæ veritatis, & innocentiæ tuendæ media. 3. hic modus Purgationis præstigiis, & magiæ dat locum, cùm per eas petatur effectus, quem caussæ ejusmodi neque ex natura sua, neque ex promissione Divina habent. 4. incertissimum est hoc Judicium, cùm compertum sit, occulto DEI judicio per ejusmodi purgationes multos nocentes liberatos, multos innocentes damnatos fuisse: sic refert Author Mallei, famosam maleficam, provocantem ad purgationem ferri candentis, cùm adjudicata fuisset ad illud ferendum per tres duntaxat passus, per sex passus gestasse indemnem, & ad ulteriùs gestandum se obtulisse, cùm tamen certò esset nocens.

11 *Ex quo sequitur*, graviter peccare Judicem, qui contra personam aliquam, quasi signo hujusmodi proditam, vel ad condemnationem; aut si prodita non videatur, idcirco ad absolutionem procedit: & ratio est, quia in processu contra reum indiciis, & probationibus uti oportet, quæ humano, & naturali modo deprehendi possunt, quales non sunt effectus illi, quorum origo superstitiosa, vel saltem nobis incognita est. Laym. *l.* 4. *tr.* 10. *c.* 5. *n.* 5. Konig *hic n.* 10. & alii omnes.

12 Neque obstant Rationes dubitandi oppositæ. *Ad* 1. imprimis præceptum illud, tanquam ceremoniale, morte Christi exspiravit *c. translato* 3. *de Const.* deinde negatur paritas; nam hoc ipso, quòd haustus illius aquæ præscriptus à DEO fuerit, ob promissionem Divinæ assistentiæ fuit medium licitum, & infallibile detegendæ veritatis: circa usum autem Purgationum, de quibus hic agimus, nulla extat Divina institutio, aut universalis Ecclesiæ approbatio. *Ad* 2. hoc ipso, quòd examen hoc apud Gentiles usitatum fuerit, superstitionem redolet; consf. à Christianis usurpandum non est. *Ad* 3. cùm DEUS miraculis Purgationem hujusmodi confirmavit, instinctu suo speciali ad usurpationem illius propulit, ut veritas eluceret, & calumnia convinceretur: vel si aliqui ex ignorantia invincibili, aut etiam crassa à DEO postularunt miraculosam ostensionem veritatis, DEUS in favorem innocentiæ petitioni ipsorum annuit; quia bona intentione illud fecerunt: unde regulariter Judicium hoc est illicitum. *Ad* 4. is erat usus antiquus Gallicanæ Ecclesiæ, sed postea per Cælestinum, Innocentium, Gregorium Pontt. in præsenti *Titulo* relatos, prohibitum fuit: & hinc Gratianus *can. qui Presbyterum cit.* & Raymundus *c. qui Presbyterum* 2. *de Pœnit. & Remiss.* etsi referant reliqua verba textus, verba tamen *super duodecim vomeres se expurget* omittunt; quia eorum tempore Purgatio ista jam erat vetita. *Ad* 5. imprimis tortura potest sufferri naturaliter sine miraculo, aliter, quàm Purgatio vulgaris, quæ fit per ferrum candens &c. deinde tortura non adhibetur ad probationem criminis, sed ad eliciendam veritatem, urgente dolore: & hinc quamvis tortus per torturam læsus fuerit, vel dixerit, se eam sustinere non posse, non tamen pro convicto habebitur, nisi insuper, crimen confessus fuerit, & hanc suam confessionem extra tormenta, & horum conspectum positus confirmaverit. Engl *hic n.* 7.

Quæritur 4. an sententia, lata ex Purgatione vulgari, & Jure reprobata, à qua non fuit appellatum, possit retractari? *Ratio dubitandi est*; quia alias regulariter sententia, à qua non fuit appellatum, elapsis decem diebus, transit in rem judicatam, nec retractatur, etsi res aliter se habeat, & instrumenta nova postea reperiantur. 13

Sed respondendum est affirmativè. Ita Vivian. *in c.* 8. *de Purgat. Canon.* Pirhing *hic n.* 6. & passim DD. Sumitur ex *c. significantibus* 2. *h. tit.* ubi cùm quidam de furto accusati, coacti essent cum accusatore in purgationem innocentiæ suæ decertare duello, & in eo cecidissent, furtum verò apud alios deinde inventum fuisset, Pontifex contra sententiam datam mandavit Spoletanis, ut bona, quibus illos spoliarunt, restituerent universa. 14

Ratio responsionis est. 1. Quia duellum (idem dic de cæteris Purgationis Vulgaris generibus) est probatio fallax, & consf. sententia, ex eo lata, lata est ex probationibus fallacibus, atqui sententia, lata ex probationibus fallacibus, reperta contraria veritate, retractari debet *c. cùm venerabilis* 6. *vers. intelleximus de except.* & *tot. tit. C. si ex fals. instrum.* ergo &c. 2. Duellum in casu *c. cit.* oblatum, indictum fuit ex consuetudine loci, adeòque sententia lata ex probatione non integra, igitur sicut sententia lata ex delatione Juramenti, parti facta per Judicem, comperta veritate, retractari potest, ita etiam ista sententia retractari debuit. 3. Sententia hæc lata fuit contra Ordinem Judiciarium *l. prolatam* 4. *C. de sent. & interl.* igitur nulla fuit: imò injusta; quia deinde de injustitia illius constabat. Sed sententia injusta, comperta injustitia, revocari debet, quia tunc cessat præsumptio, ex qua unicè valere potest. 15

Ex his cadit *Ratio dubitandi* allata superiùs; quia solùm illa sententia transire potest in rem judicatam, quæ non est lata contra Leges. Sententia autem, lata ex Purgatione vulgari contra Leges lata est, quæ cùm non teneat, in rem judicatam transire non potest. Neque opus est ad impediendum hunc effectum, ut appelletur à tali sententia *c. sententia* 1. *de sent. & re judic.* igitur sententia ejusmodi impedire non potest, quin possit rursus contra illum diffamatum procedi, &, si deficit plena probatio, ei Canonica Purgatio indici. 16

Quæritur 5. an licitus sit ille purgandi modus, qui olim frequenter fuit usitatus, per celebrationem Missæ, & sumptionem SS. Eucharistiæ, de quo memini *Tit. præc. n.* 7. *Rationem dubitandi* facit *S. Thomas*, qui apud Suar. *tom.* 1. *l.* 1. *de Irreligios. c.* 3. *n.* 8. censet, talem Purgationem esse per se malam, & illicitam, ac proinde Concilium Vvormatiense, relatum *can. sæpe* 23. *causs.* 2. *q.* 5. dum statuit, ut si fiant furta in Monasteriis, & qui hæc committunt, ignorentur. Missa ab Abbate, vel ejus jussu ab alio celebretur, qua finita, omnes Fratres communicent dicentes, *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*, errasse, & Decretum ejus per nova Jura, seu Canones revocatum fuisse. Idem dicendum esset de eo, quod dicitur *can. fin. q. cit.* ubi jubetur Episcopus, vel Presbyter, cui maleficium, vel crimen im- 17

imputatum est, per Missæ celebrationem innocentem se ostendere.

18 Sed etsi iste purgandi modus, ut bene Pirh. *hic nu.* 5. monet periculosus sit, cum credere possit in irreverentiam Sacramenti Eucharistiæ, ne ab indignis sumatur, atque ideo rectè abierit in desuetudinem: per se tamen licitus est; neque enim uspiam in SS. Canonibus prohibitus reperitur, aut intrinsecam aliquam malitiam continet, sicut modi Purgationis Vulgaris *n.2.& tribus seqq.* relati. Ratio disparitatis est, quia cum iste purgandi modus non fiat ad Virtutem Divinam per miraculum demonstrandam, Tentationem DEI non continet, sed solum testimonium quoddam est, & confirmatio innocentiæ.

19 *Disputant* hic aliqui, an liceat provocare ad Divinum Judicium, in finem innocentiæ suæ ostendendæ? Ad quod ego breviter respondeo, & dico, provocationem istam, si fiat extra vindictæ cupiditatem, desperationem, vanitatem, aut aliam vitiosam affectionem, per se sine peccato fieri posse, cum nihil superstitionis habeat, neque species sit Tentationis DEI, sed signum tantum confidentis in conscientia sua animi: addo tamen, provocationem istam esse rem plenam periculi, ac propterea non facilè attentandam. Spectandum etiam, quo fine fiat; nam si fiat bono fine, quia scilicet ita provocans per notoriam injustitiam oppressus est, ut scilicet appareat ipsius innocentia, & Judex iniquus, terrore perculsus, ab oppressione desinat, per se licita est. Mortaliter verò peccat, si provocet injustè; quia graviter sugillat famam eorum, quos citat.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & Damno dato.

CRimina sæpe conjuncta sunt cum Injuria, & Damno proximi, ut adeò Reus, qui de ipsis legitimè convictus est, non tantum condemnandus sit ad pœnam, ob crimen commissum luendam, sed etiam ad reparationem Injuriæ, & Damni dati. Hinc meritò post recensita Crimina Fori Ecclesiastici, subnectitur *de Injuriis, & damno dato*.

§. I.

De Injuria.

SUMMARIUM.

1 *Diversa acceptio nominis Injuriæ.*
2 *Definitio istius.*
3 *&c. Quinam actioni injuriarum non sint obnoxii?*
8 *&c. Quando præsumatur aliquid factum, vel dictum animo injuriandi?*
10 *&c. Quot modis Injuria inferri soleat?*
14 *&c. Divisio Injuriæ in suas species.*
17 *&c. Personæ, quæ injuriam inferre, aut pati possunt.*
21 *An pro injuria illata Novitio agere possit Prælatus?*
22 *Pro illata marito uxor?*
23 *Pro illata fratri, aut cognato, frater, vel cognatus?*
24 *&c. Quæ actio oriatur ex injuria, & quæ sit ejus pœna?*
30 *&c. Quid sit Actio ad Palinodiam, & quibus, ac quando competat?*
34 *&c. Quæ pœna inferatur pro Libellis famosis?*
37 *&c. An is, qui verum crimen alicui objecit, teneatur Actione injuriarum?*
41 *&c. An immunis à pœna sit qui retorsione utitur, & quando?*
45 *&c. An de injuria conveniri possit qui alteri convitium dixit cum præfatione honoris?*
48 *&c. Modi, quibus Actio injuriarum tollitur.*

1 QUæritur 1. quid sit *Injuria*, Resp. *Injuriæ* nomen dupliciter posse accipi, generaliter, & specialiter. *Injuria generaliter accepta* dicitur omne id, quod non jure fit, sive deinde cum culpa fiat, sive sine culpa. *Injuria specialiter accepta* requirit culpam, saltem Juridicam: & rursum sumitur tripliciter. 1. pro damno culpa, non jure dato; & sic comprehendit etiam damnum contra Legem Aquiliam. 2. pro iniquitate, & injustitia; & in hoc sensu, quando Judex iniquam, vel injustam fert sententiam, dicitur injuriam facere. 3. denique pro Contumelia, quæ à *contemnendo* dicitur; quia vel contemptim fit (nemo enim nisi eum, quem contemnit, contumelia afficit) vel contemptum, ac dedecus ei accersit, qui injuriam patitur. Germanicè *ein Schmach, oder Berleumbdung*. In hoc tertio sensu hic accipitur, &

Definitur, quòd sit *delictum privatum, dolo malo in contumeliam alterius admissum*; vel ut alii: *Est contumelia alicui dicta, vel facta dolo malo*. Ita Host. *in Summ. h. tit. n.* 1. Sylv. *V. injuria n.* 1. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 2. Pirh. *n.* 1. Konig *n.* 2. Sannig. *c.* 1. *nu.* 1. *&* 2. & communiter DD. cæteri. Additur in utraque Definitione *Dolo malo*; nam, ut committatur Injuria, requiritur dolus, & animus injuriandi: ratio est: quia injuria in affectu facientis consistit *l. illud* 3. *§. sanè* 1. *ff. & l. si non convitii* 5. *C. h. tit.* Pirhing *num.* 2. Engl *num.* 1. Konig *num.* 9. Reiffenstuel *num.* 3. 2

Et hinc Actioni injuriarum obnoxii non sunt 1. infantes, & infantiæ proximi, furiosi, mente capti, etsi injuriosi quid dicant, aut faciant *l. illud* 3. *§. sanè v. ff. h. tit.* Manz. *ad* §. 1. *Inst. h. tit. n.* 19. Item nec dormientes, & noctambulones, si fortè in somno aliquem verberent, vel injuriosis verbis proscindant *arg. Clem. un. de Homicid.* & *l. coram Titio rog. ff. de V. S.* & ratio est, quia isti omnes doli capaces non sunt. 3

2. Ebrius: sed tunc tantum, quando præter propositum tanta ebrietate fuerit oppressus, ut rationis usum amiserit, & sobrius factus pœnitentia ducatur *arg. can. sanè* 7. *caus.* 15. *q.* 1. Quodsi tamen perversos suos mores non ignoravit, & ab experientia habet, in ebrietate se consuevisse molestum, & injuriosum esse aliis, non excusatur ab injuria. Konig *hic n.* 6. debuisset enim abstinere à nimio potu, & cum hunc causam injuriarum fore præviderit, nec tamen vitaverit, meritò hæ ipsæ voluntariæ fuisse censentur. 4

3. Ludimoderator, si corrigendi, & castigandi animo quidpiam in aliqualem despectum discipuli sui protulerit, aut egerit *l. sed & si* 5. §. *fin. ff. ad Leg. Aquil. & l. item apud* 15. §. *adiicitur* 38. *ff. h. tit.* multoque magis hoc verum est de Patre, si eodem animo increpet, vel percutiat filium. Vvieft. *n.* 2. de marito, si probroso verbo, aut etiam moderato verbere castiget uxoris socordiam, ejusque petulantiam, & oris improbitatem compescat; de Concionatore, si depravatos sæculi mores, & invalescentia hominum vitia pro concione paulò acrius, in genere tamen, nulla persona nominata, aut indicata, perstringat. 5

4. Magistratus, si necessitate officii in delinquentem severius aliquid statuerit, vel quidpiam aliud præceperit, aut ordinaverit, quod pertinet ad Juris, & Justitiæ administrationem, licèt dispendium honoris, & existimationis inde cuipiam consequatur, quod enim Reip. causa fit, licèt reo probrosum sit, si modus non excedatur, injuriosum non censetur *l. injuriam* 13. §. *is, qui* 1. *&* §. *quæ jure* 6. *l. quod Reipublicæ* 33. *ff. h. tit.* 6

5. Astrologi, & Physiognomici, qui consulti ex astris, lineamentis manuum, aut figura corporis respondent, aliquem esse furem e. g. qui talis non est *l. item apud* 15. §. *si quis Astrologus* 13. *ff. eod.* nam volenti non fit injuria.

6. Qui contra testem in Judicio, tanquam infamem, & suspectum excipit, si exceptionem suam probet *arg. l. eum, qui* 18. *ff.* & *l. si non convitii* 5. *C. eod.* quia, quod quisque facit ad defensionem juris sui, nemini debet injuriosum reputari, per *l. nullus* 55. *ff. de R. J.* 7

7. Qui per jocum, aut inconsiderantiam injuriosi aliquid dixerunt, aut fecerunt aliis *l. illud* 3. §. *itaque* 3. *ff. h. tit.* Sed quia præsumptio Juris est adversus ipsos, probare debent, quod ex joco, vel inconsiderantia hoc fecerit, ut notat Gloss. *in l. si non convitii cit. vers. probare potes*. Sed hinc nascitur.

Dubium, quando præsumatur aliquid dictum, vel factum animo injuriandi alios? Resp. hoc, si non aliunde, ex verbis, aut factis colligi; hæc enim si suapte natura injuriosa sint, animus injuriandi præsumitur *l. si non convitii cit.* Harppr. *pr. Inst. h. tit. n.* 7. *&* 10. Manz. *ad* §. 1. *tit. eod. nu.* 35. Engl *hic. num.* 2. Pirhing *num.* 2. Konig *numer.* 9. & tunc, si is, qui talia verba protulit, aut facta patravit, si dicat se joci tantum causa dixisse, aut fecisse, probare hoc debet; quia contra eum, ut *nu. præc.* dictum est, stat Juris præsumptio, cum talis quisque 8

præ-

præsumatur, qualis apparet, & dolo censeatur factum, quoties quid natura sua turpe, & Legibus, aut moribus prohibitum committitur, vel profertur, Clarus §. *injuria num.* 12 Menoch *l.* 5. *præsump.* 3. *n.*47. Magnif. D. Clingensperg *inst. hoc tit. q.* 2. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 1. *n.* 113 Reiffenstuel *hic num.* 5. Nec requiruntur tamen probationes valde exactæ, sed sufficiunt etiam conjecturæ, ex circumstantiis concurrentibus desumptæ, vel Juramentum, per quod probantur ea, quæ in animo mere consistunt, Harppr. *cit. n.* 10. *& seqq.*

9 Contrà si dictum, aut factum, ut apparet, injuriosum non est, is, qui dicit illud injuriandi animo dictum, aut factum esse, probare hoc debet, & si non probet, succumbet, reusque absolvetur *arg. l. ei incumbit.* 2. *ff. & l. actor* 23. *Cod. de prob.* Farinac. *prax. crimin. quæst.* 150. *à num.* 115. *&* 117. Zoes. *ff. hoc titul. num.* 4. Vviestner *hic num.* 3. *cum citt.* Probatio autem ista iterum fieri per conjecturas debet.

Quodsi verò omnibus consideratis, dubium maneat, an animus injuriandi adfuerit, vel non adfuerit, cùm delicta in dubio non præsumantur, optimum erit, si tota res ex officio Judicis tollatur, prout suadet Mag. D. Clingensperg *loc. cit.* & innuunt Statuta Bavarica *Land-Recht tit.* 46. *art.* 5.

10 Quæritur 2 quot modis Injuria inferri soleat? Resp. solet, & potest inferri tribus modis, scilicet verbo, scripto, & facto, *Verbo* infertur, quoties alicui sive præsenti, sive absenti convitium fit, ei defectum sive moris, sive naturæ objiciendo: v. g. appellando furem, mendacem falsarium, spurium &c. § *injuria* 1. *inst. l. item apud* 15. § *convitium* 7. *& seqq. ff. l. siquidem* 10. *C. de injur.* Sylv. *V. injuria n.*2. Clarus § *injuria n.* 1. Farin. *prax. crim. q.* 150. *n.* 21. *&* 24. Begnudell. *V. injuria n.*1. Engl *hic n.* 4. Vviestner *n.*4. Reiffenstuel *nu.* 6. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de delict. c.*1. *n.* 115.

11 *Scripto* infertur, cùm libellus, carmen, vel historia, ad ludibrium, contemptum, infamiam pertigens, composita editur, vel vulgatur *l. lex Cornelia* 5. §. *siquis* 9. *l. item apud* 15. § *generaliter* 27. *&* § *siquis* 29. *ff. hoc titul.* Host. *in Summ. hic n.*3. Sylv. *V. injuria n.*2. Harppr. *in* § 1. *inst. hoc tit. num.* 149. cum *citt.* Et quidem si hujusmodi Scriptura, omisso nomine authoris, in vulgus spargatur, *Libellus famosus*, dicitur *l. un. C. de Libell. famos.* Reiffenstuel *num.* 7.

12 *Facto* denique infertur injuria, cùm quis alterum pulsat, ejus domum vi ingreditur, aut aliud quidpiam in ejus probrum, contemptum, famæ diminutionem agit *l. lex Cornelia cit. l. item apud cit.* § *generaliter* 27 Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.*2. *n.* 569. cum *citt.* Addunt aliqui quartum injuriæ inferendæ modum, videlicet gestu, ut ostendendo medium digitum, vel affigendo cornua in porta domus &c. Sylv. *n.* 2. *cit.* Pirhing *num.* 1. Sannig *c.* 1. *n.* 3. Sed hic modus facilè ad tertium supradictum reduci potest.

13 Porro injuriam his modis pati aliquis potest non solùm directè, & in seipso, sed etiam indirectè, & in personis, quæ ejus potestati; & aliquando affectui sunt subjectæ: sic injuria facta filio redundat in patrem, & facta uxori in maritum § *patitur* 2. *inst. & l. injuria* 1. § *fin. in fin. ff. de injur.* Similiter injuria facta Clerico, vel Religioso dicitur redundare in Collegium, vel Conventum, ejusque Prælatum, ut proinde actio injuriarum his competat etiam nomine proprio *l. Pater* 41 *ff. eod.*

14 Ex his injuriandi modis diversis diversæ patent Divisiones, quibus injuriæ dividuntur. Nam 1. alia est injuria directè facta alicui; alia facta indirectè, ratione modi, quo fit.

2 Ratione circumstantiarum, & objecti, in quo fit injuria, aliæ pertinent ad læsionem corporis, ut cùm quis pulsatur, aut verberatur; quædam ad læsionem Dignitatis; ut cùm Matronæ honestæ comes abducitur; aliæ ad infamiam, ut cùm pudicitia alicujus attentatur; aliæ denique ad læsionem rerum, quæ sunt sub alicujus dominio, & potestate.

15 3 Ratione excessus, quo fit injuria, alia est levis, alia atrox. *Atrox* autem censetur vel ratione facti, ut cùm etiam plebejus aliquis cæditur, fustibus aut vulneratur § *atrox* 9. *ff. hoc tit. & l. sed est* 9. *ff. eod.* vel ratione personæ tam injuriantis, ut filii offendentis Patrem, Vasalli injuriantis Dominum Feudi *l. sed si* 17 § *quadam* 3. *ff. hoc tit.* quàm etiam injuriatæ *l. atrocem* 4. *C. eod.* vel ratione loci, tam ubi fit injuria, veluti si fiat in templo, in loco Judicii &c. quàm partis corporis læsæ, ut si in facie fiat § *atrox cit.* vel ratione temporis, veluti si fiat tempore convivii, aut ludorum *l. Prætor* 7. § *fin. ff. hoc tit.*

4 Denique ratione modi, quo fit dividitur in Realem, & Verbalem *Realis* est, qua quis facto alterius læditur. *Verbalis*, qua læditur verbis vel ore prolatis; & tunc *injuria dicta*, seu *Convitium* dicitur; vel scripto comprehensis, quæ *injuria scripta* appellatur. Hujus species est *libellus famosus*; quo certum, & famosum crimen alicui objicitur, & in publicum spargitur, prout dictum est *supra n.* 11. *Const. crim. Carol. V. art.* 110. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 2. Konig *ibid. num.* 3. 16

Quæritur 3 quænam personæ injuriam inferre, aut pati possint? Resp. Injuriam inferre potest omnis, & solus ille, qui doli capax est *l. illud* 3. § *sanè* 1 *ff. hoc tit.* Non autem interest, an inferior sit, vel Superior; nam etiam Judex, & Magistratus, si Juris ordine non servato, quidpiam decreverint; vel statuerint, injuriæ illatæ reos se faciunt *l. nec Magistratibus* 32. *ff. eod.* Quin & Orator Ecclesiasticus, si talia ex suggestu dixerit, quæ in unius, vel alterius hominis in particulari infamiam redundant, non vacat injuria *argum. loc. cit.* quamvis eidem, ut *num.* 5. dictum est, permissum sit, in genere perversos hominum mores perstringere. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de delict. cap.* 1. *nu.* 120. *&* 121. 17

Injuriam verò pati possunt homines cujuscunque generis, & conditionis, etiam rationis usu destituti *l. illud* §. *sanè cit.* etiam mortui *l. injuria* 1. § *& si fortè* 4. *ff. hoc tit.* quia scilicet jus ad famam, & honorem non perdunt. P. Schmier *loc. cit. n.*122. Nec interest, utrum quis injuriam patiatur in persona propria, vel in persona sibi conjuncta; quia ratione affectus, aut conjunctionis injuria, uni facta, facta etiam censetur alteri. Host. *Summ. n.*5. *hoc tit.* Farin. *prax. crim. q.*105. *n.*25. Pirhing *hic numer.* 8. Konig *ibid. numer.* 7. cum reliquis passim. 18

Quare injuriarum agere potest 1. pater ob injuriam factam filio; quia illa censetur facta patri, in cujus est potestate *l. injuria* 1. § *item* 3. *ff. hoc tit.* 2. Dominus ob injuriam illatam servo, quando iste in illius negotio, aut servitio est occupatus § *sed si* 7. *inst. & l. item apud* 15. § *item si* 48. *ff. eod.* 4. Episcopus ob injuriam illatam Ecclesiæ suæ, vel Clerico sibi subjecto, & Abbas, seu Prælatus Regularis ob injuriam factam Monasterio, vel Monacho, aut Religioso. *Sylv. V. injuria n.* 8. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 6. *n.* 6. Farin. *prax. crim. q.* 150. *n.* 291. *&c.* Engl *hic n.* 7. Pirhing *n.* 8. Konig *n.* 7. Vviestner *n.* 6. Reiffenstuel *n.* 10. Magnif. P. Schmier *p.*3. *de delict. cap.* 1. *n.* 124. 19

Ut tamen pro injuria subdito, vel Religioso illata Domino vel Prælato Actio injuriarum competat, debet illa aliquo modo redundare in contemptum Religionis, vel potestatis Dominicæ. Unde si v. g. injuria tantùm indirectè pertineat ad Monasterium, vel uti si parentes Religiosi, aut Liberi in sæculo relicti offendantur, ex communiori sententia non videtur jus agendi competere Monasterio. Lauret. de Franch. *Contr. int. Episc. & regul. part.* 2. *var. quæst.* 56. Engl *num.* 8. Schmier *loc. cit.* 20

Dub. 1. Utrum injuria etiam Novitio illata, & jus agendi, componendi, vel transigendi desuper ad Monasterium, vel Abbatem pertineat? Negat Lauret. de Franch. *loc. cit. q.* 52 quia Monasterium nondum habet jus in Novitium. Melius affirmat Pasqual. *in addit. ad Lauret. de Franch. l. cit.* Engl *n.* 9 *hic* Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de delict. c.* 1. *n.* 125. licèt enim Monasterium non habeat jus irrevocabile in Novitium, quamdiu tamen in Novitiatu est, censetur esse subditus, & de Jurisdictione Prælati sui. Quòd apertiùs confirmatur ex *c. Religioso* 21. *de sentent. Excommun. in* 6. ubi injuria realis, seu percussio, in Novitium attentata punitur Excommunicatione Canonis, non alio ex capite, quàm quòd reputetur cedere in contemptum Monasterii, & Religionis; igitur meritò hujus Prælato conceditur actio pro eadem. 21

Dub. 2. an sicut ob injuriam illatam uxori agere potest maritus, ita etiam uxor ob injuriam illatam marito? Videtur 22

par esse ratio; quia si uxoris injuria censetur etiam esse mariti, vice versa etiam injuria, in viro facta, censebitur facta uxori. *Sed respondendum* est negativè. Ita habetur §. *patitur* 2. *Inst.* & *l. quodsi* 2. *ff. hoc tit.* ubi ratio redditur; *quia defendi uxores à viris non viros ab uxoribus æquum est.* Farin. *quæst.* 150. *n.* 274. Pirhing *hic num.* 8. Vviestner *ibid. num.* 5. *Excipitur*, nisi injuria esset communis, & concernat etiam honorem uxoris, ut si marito objiciatur, quòd uxorem habeat meretricem, hoc enim casu uxor injuriam, sibi non minùs, quàm marito factam, persequi proprio nomine potest. Farin. *num.* 275.

23 Dub. 3. an etiam frater agere possit propter injuriam illatam fratri, cognatus propter injuriam illatam cognato? Affirmativam defendunt non pauci, quos refert Harppr. *in §. patitur 2. Inst. hoc tit. num.* 22. ob rationem; quia propter affectionem istius injuria ad ipsum pertinere videtur. *Conf. ex l. Lex Cornelia* 4. *pr. ff. hoc tit.* ubi cavetur, ne judicandi munere fungatur, qui Actori cognatione, vel affinitate propinquiore conjunctus est. Sed tenenda est negativa Sententia cum Perez *in Cod. hoc tit. num.* 12. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. eod. quæst.* 9. P. Vviestner *hic num.* 7. & aliis passim. *Ratio est*, quia Jus specialiter exprimit personas, quibus ob injuriam conjuncto illatam agere permissum est, & inter has non meminit fratrum, & aliorum consanguineorum collateralium, ut adeò videatur procedere principium generale, quòd inclusio unius sit exclusio alterius *l. cum Prætor* 12. *pr. ff. de Jud. Excipitur* nisi injuria sit communis, ita, ut in totam redundet familiam. Vviestner *loc. citat. Ad Argumentum contrarium* dico, affectionem hoc loco non sufficere; nam maxima affectio est Liberorum erga suos Parentes, & tamen si illi emancipati sint, per injuriam ipsis illatam non censetur injuriam pati Pater, argumento ducto à sensu contrario ex §. *patitur citat.* ubi Pater injuriam pati dicitur per Liberos, quos in potestate habet. *Ad Conf.* ad hoc, ut persona conjuncta non possit esse Judex, sufficit affectio; hæc non sufficit, ut injuria unius censeatur esse injuria alterius.

24 Quæritur 4. qualis Actio oriatur ex injuria, & quæ sit ejus pœna? Resp. ex injuria duplex oritur Actio, Civilis, & Criminalis; liberum enim est injuriato agere, qua ex his voluerit: una tamen ex his Actionibus intentata, non potest recurrere ad alteram; quia utrumque Judicium ad pœnam, & supplicium comparatum est, & unum, idemque delictum vindicari iterum non debet *leg. Senatus* 14. *ff. de Accusat.* Reiffenstuel *hic num.* 14. *Civiliter* agitur ob injuriam, quando Actor petit satisfactionem suam privatam; *criminaliter*, quando petit vindictam publicam.

25 *In Actione criminali* pœna arbitraria est, & de *Jure Civili* quidem vel corporalis, vel pecuniaria fisco applicanda; *de Jure Canonico* autem pro delicti gravitate subinde etiam Censura in reum fertur; sic qui per injuriam in Clericum, vel Religiosum violentas manus injecerit, est ipso facto excommunicatus *canon. siquis suadente* 29. *caus.* 17. *quæst.* 4. in eum, qui S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter persecutus, vel percusserit, veluti in reum læsæ Majestatis animadvertitur *cap. felicis* 5. *de Pœnit. in* 6. qui in Episcopum hæc perpetraverit, iisdem ferè pœnis coercetur. *Clem.* 1. *eod.* Clarus §. *injuria num.* 7. Mynsin. *cent.* 4. *obs.* 4. *nu.* 5. Begnudell. *V. injuria n.* 8. Engl *hic n.* 10. Reiffenstuel *n.* 13. *ibid.*

26 *Actio Civilis* ob injuriam duplex conceditur, penalis scilicet, & rei persecutoria. Pœnalis iterum duplex est, & una quidem descendit ex Jure Civili in specie sic dicto, altera ex Jure Prætorio. *Ex Jure Civili in specie ita dicto* nascitur Actio Civilis *ex Lege Cornelia*, qua reales quædam injuriæ, veluti si aliquis pulsetur, verberetur, aut domus ejus, in qua habitat, vi introeatur, vindicantur §. *sed* & 8. *Inst.* & *leg. Lex Cornelia* 5. *pr.* & §. *seqq. ff. hoc tit.* Agitur per hanc Actionem ad æstimationem injuriæ à Judice faciendam, & adjudicandam, vel ad pœnam pecuniariam fisco inferendum vel ad pœnam corporis afflictivam. Lauterbach *ad titul. citat.* §. 48. Non datur Patri, si filius injuriam passus sit *leg. Lex Cornelia citat.* §. *illud* 6. & est perpetua, ut cum *citat.* Lauterbach rectius docent. Fachin. *lib.* 9. *controv. cap.* 7. Hatt. Pistor. *part.* 4. *quæst.* 20. Reinhard. *Bachov. in Treutl. vol.* 2. *D.* 30. *thes. ult.* Bruneman. *ad loc. cit.* Magnif. P. Schmier *de Præscipt. cap.* 5. *num.* 268. Magnif. D. Verlohner *de action. Injur. n.* 7.

Ex Jure Prætorio oritur *Actio æstimatoria*, qua injuriam passus adversùs injuriantem agit, ut in pœnam pecuniariam à se signatam injurians condemnetur §. *pœna* 7. *Inst. hoc tit.* Estque hæc Actio personalis, utpote dimanans ex delicto §. *in summa* 10. *Instit. eod.* famosa; quia facit eum, qui condemnatur ex injuria, infamem *leg. prætor.* 7. *pr. ff. eod.* & annalis, tanquam Prætoria, & pœnalis *leg. si non convitii* 5. *Cod. eod.* Datur injuriato, qui passus est injuriam sive directè in semetipso, sive in persona suæ potestati subjecta §. *injuria* 2. *Instit. leg. injuria* 1. §. *item* 3. & *seq. ff. hoc tit.* Hæredibus verò injuriati non datur, cùm meram sapiat vindictam, quam moriens remisisse præsumitur *leg. injuriarum* 13. *pr.* & *leg. item apud* 15 §. *injuriarum* 14. *ff. eod.* nec contra hæredes injuriantis per *loc. citt.* & rationem, quia pœnalis est. 27

In hac Actione injuriam passus æstimare primùm debet injuriam suam; & ponamus, quòd eam æstimet 30. aureis, quorum jacturam maluisset facere, quàm probrum ferre; tunc petit à Judice, ut qui eam intulit, in tantùm sibi adjudicetur, & condemnetur; sed Judex petitionem plerumque moderari debet, & ad minorem summam verb. grat. 10. vel 20. aureos redigit, neque istos adjudicare solet actori priùs, quàm is juraverit, injuriam se tanti, quanti est ejus facta à Judice moderatio, æstimare; quod si fecerit, in eos condemnatur ipse reus *cap. olim* 7. junct. Glossa *V. taxationem hoc tit.* §. *pœna* 7. junct. Glossa *V. æstimaverit Inst.* & *leg. constitutionibus* 37. §. *etiam* 1. *ff. eod.* Clarus §. *injuria num.* 6. Sylvest. *V. eod. num.* 9. Gaill. *lib.* 2. *obs.* 102. *num.* 9. Haun. *tom.* 1. *de J.* & *J. tract.* 2. *numer.* 573. Engl *hic numer.* 10. Vviestner *tit. eod.* Reiffenstuel *ibid. num.* 12. Begnudell. *V. injuria num.* 5. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 1. *n.* 134. Magnif. D. Verlohner *de act. injur. n.* 25. 28

Sed standum in hoc est Curiarum praxi, in quarum aliquibus obtinuit, ut æstimatio à Judice taxata Actori sine ejusmodi Juramento adjudicetur *Haun. Vviestner, Reiffenstuel loc. cit.* Idem dicendum etiam quoad Actionem injuriarum criminalem; nam ut Mynsing. *centur.* 4. *obs.* 4. *num.* 5. monet, hodie ex consuetudine passim recepta, & per *Ord. Camer. Imp. p.* 2. *tit.* 28. & Jus Provinciale Bavaricum *Land-Recht titul.* 46 *art.* 2. approbata ex injuriis verbalibus falsis non ad vindictam publicam, sed ad restitutionem honoris per Palinodiam, sive injuriosorum verborum recantationem in Judicio agitur; quæ actio propterea *Actio ad Pallinodiam*, *sive Recantatoria* dicitur. 29

Dub. 1. quid sit *Actio ad Palinodiam*? Resp. est actio personalis, Civilis, rei persecutoria, perpetua, qua injuriam verbalem passus agit adversus injuriantem, ut dicta, seu dicteria famosa reclamet, atque injustè à se prolata judicialiter fateatur. Lauterbach *hoc titul.* §. 47. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 1. *nu.* 137. Magnif. D. Verlohner *de act. recantat. num.* 1. Dicitur 1. *Actio personalis*; quia ex delicto, adeoque ex obligatione descendit, 2. *Civilis*, tum quia ad effectum Civilem tendit, nempe ad satisfactionem privatam, tum verò quia inventum est Juris Civilis, non quidem scripti, sed consuetudinarii. nam inducta est moribus, & consuetudine, quæ pars Juris Civilis est *l. de quibus* 32. & *l. seq. ff. de Leg.* 3. *Rei persecutoria*; quia persequitur id, quod abesse videtur, videlicet læsam existimationem, Gaill. *l.* 1. *obs.* 65. Carpz. *pract. crim. p.* 2. 94. 4. Lauterbach §. 47. *cit.* & *Disp. de Act. recant. thes.* 4. 30

Causa Actionis istius est injuria verbalis, non qualiscumque, sed talis, qua fama, & bona existimatio injuriati sit læsa; nam si non famæ, & existimationis læsionem, sed corporis, duntaxat, seu sensuum vitium respiciat, adeòque ad contemptum solummodo collineet, ut siquis alterum gibbosum, claudum, cæcum &c. nominet, sive tales defectus sint veri, sive falsi, non ad Recantationem, sed ad *Christianam* solummodo *Deprecationem*, & Reconciliationem injurians compelli debet. Carpzov. *prax. crim. q.* 97. *nu. ult.* Non tamen refert, utrum talis verbalis injuria sit scripto, aut viva voce effusa, modo doloso injuriandi animo facta. Magnif. Dom. Verlohner *loc. citat. numer.* 2. Dolus autem regulariter præsumitur, si verba aut scripta per se sint injuriosa; secus, si dubia; tunc enim in 31

par-

partem meliorem interpretanda sunt, prout dictum est *suprà num.* 8. *& 9.*

32 Datur Actio ista injuriato, & hæredibus illius (quia est rei persecutoria) adversus injuriantem, non autem adversus hæredes istius, cùm nascatur ex Delicto sterili. Objectum illius est fama, seu bona existimatio, quæ vulgi opinione per verba contumeliosa læditur. Lauterbach *D. de Act. recant. thes.* 28. cujus proinde reparatio ab injuriato petitur. Recantare jussus quidem non contrahit infamiam Juris, tum quia nuspiam id est expressum, tum quia est mera Conditio, de qua ex *l. cessat* 36. *ff. de A. & A.* constat, quod etsi ex causa famosa consurgat, infamiam tamen secum non trahat; nihilominus tamen post se trahit quandam infamiam facti, utpote cùm apud honestos, & graves viros non bene audiat, qui seipsum mendacii arguere debuit. Harppr. *ad* §. 10. *Inst. hoc tit. num.* 109. *& seqq.* Carpz. *prax. crim. quæst.* 94. *num.* 65. Lauterbach *ad hoc tit. ff.* §. 53. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. capit.* 1. *numer.* 183. *& seq.* Magnif. D. Verlohner *de Act. recant.* 7.

33 Intentata semel hæc actio recantatoria non excludit aliam actionem, & pœnam injuriarum, sed cumulari potest, sicut in simili condictio furtiva ad restitutionem rei ablatæ cumulari potest cum Actione furti ad pœnam quadrupli §. *fin. Inst. de furt.* Mynsing *cent.* 2. *obs.* 98. *num.* 10. Gaill. *lib.* 1. *obs.* 65. *num.* 5. Engl *num.* 11. Reiffenstuel *ibid. nu.* 16. Magnif. D. Christoph de Chlingensperg *Inst. hoc tit. quæst.* 13. Ratio est, quia Actio ad Palinodiam est rei persecutoria, actio autem injuriarum ad æstimationem est pœnalis, cons. ad fines diversos tendunt, actiones autem, ad finem diversum tendentes, cumulari possunt §. *cæterum* 1. *Inst. si quadrup. pauper.*

34 Dub. 2 quæ pœna inferatur pro *Libellis famosis*? Resp. hæc injuria, quia in plurium notitiam devenit, & hominem magis, quàm aliæ injuriæ verbales, diffamat, in Jure severius castigatur; & quidem, si criminaliter agatur, ejus reo inferri jubetur pœna capitalis *l. un. C. de famos. libell.* quam tamen pœnam capitalem non de ultimo supplicio, sed pœna exilii, vel deportationis intelligendum cum aliis statuit Harppr. *in* §. *Inst. nu.* 161. nisi crimen, per Libellum famosum alicui imputatum, esset capitale; tunc enim pœnam talionis imponendam vult *Const. crim. Carol. V. art.* 110. Reiffenstuel *hic num.* 15. Si civiliter solùm agatur, condemnatus jubetur esse intestabilis *l. Lex Cornelia* 5. §. *si quis* 9. *ff. hoc tit.*

35 Neque interest, an verum crimen quod etiam expediat. Reip. scire, vel falsum in Libello objectum sit, juxta *Const. crim. art.* 110. *cit.* idque singulariter in odium, & extirpationem famosorum Libellorum, quamvis in simplicibus injuriis non scriptis circa veritatem objectam aliter res sese habeat. Engl *n.* 5. Item non refert, an quis ipse talis Libelli sit author, an verò vulgationem ejus promoverit. Cons. eandem pœnam incurrunt etiam, qui Libellum ejusmodi famosum, ab alio compositum, scripserunt, divulgarunt, aut inventum in publicum projecerunt, ut à quovis legeretur; talis enim utroque Jure pro Authore Delicti habetur, & ut talis est puniendus *can. qui in alterius* 1. *caus.* 5. *quæst.* 1. *lib. un. C. de famos. libell.* Secus est de iis, qui Libellum, ab alio acceptum, descripserunt, non animo divulgandi, sed penes se privatim retinendi; tales enim impunes declarat Menoch. *de arbitr. cas.* 263. *num.* 48.

36 Typographi quoque, qui talem Librum imprimunt, amittunt impressa Exemplaria, in suis Officinis reperta; privantur etiam potestate imprimendi Libros, & arbitrariè etiam alias puniuntur, ut ex variis Recessibus Imperii, demonstrat Carpzov. *prax. crim. q.* 98. *n.* 11. Plura de Libellis famosis videri possunt apud Harppr. *ad* §. 1. *à num.* 149. *Inst. hoc tit.* ubi *num.* 210. ex diversis Recessibus Imperii probat, pœnam famosorum Libellorum hodie plerumque esse arbitrariam, ita tamen, ut consideratis circumstantiis maximè ob frequentiam hujus delicti in aliquo loco *arg. lib.* 1. *ff. de abig.* vel qualitatem injuriæ (si crimen capitale objectum sit *Const. Carol cit.*) vel injuriantis, & præsertim injuriati, pœna meritò exasperetur. Harppr. *ad* §. 10. *Inst. hoc tit. n.* 14. Engl *n.* 5. *hic.*

37 Dub. 3. an is, qui verum crimen alicui objecit, teneatur actione injuriarum? Dissentiunt DD. ex quibus aliqui generaliter defendunt negativam, inducti textu *l. eum qui* 18. *pr. ff. hoc tit.* ubi Jurisconsultus ait, *æquum non esse, eum, qui nocentem infamavit, ob eam rem condemnari*; & additur ratio, *quia peccata nocentium nota esse oportet, & expedit.*

Sed melius distinguitur: Vel enim Reip. interest, 38 crimen, vel defectum detegi, vel ejus non interest. *Si non interest Reip.* ob veritatem convitii non excusatur injurians, Clarus §. *injuria num.* 17. Covar. *l.* 1. *var. cap.* 11. *nu.* 6. Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 4. Gaill. *lib.* 2. *obs.* 99. *num.* 1. *& seqq.* Fachin. *lib.* 9. *controv. cap.* 10. Vivian. *in cap. fin. hoc tit. pr.* Begnudell. *V. injuria num.* 2. Zoes. *hic num.* 1. Engl *num.* 4. Pirhing *num.* 4. Wiestner *n.* 12. Reiffenstuel *n.* 17. Ratio est, quia in actione injuriarum non tam veritas convitii, quàm animus injuriandi; in quo substantia delicti sita est, consideratur; nam sine causa detegere aliorum delicta inhumanum est, imò injustum, cùm læsus ad integritatem famæ suæ jus adhuc habeat, quamdiu crimen occultum est, nec illud detegi necessitas, aut utilitas publica postulat.

Si verò interest Reip. ut tale crimen, vel macula 39 detegatur, verb. grat. quia est homicida, falsarius, fur, adulter, spurius &c. altera distinctio est adhibenda, an fiat in Judicio, an extra illud. *Si in Judicio* tale crimen, vel maculam objiciatur, & probetur legitimè, nulla actio ei, contra quem oppositum est, competit, cùm utique à pœna immunis esse debeat, qui commodum publico studet. Magnif. D. Chlingensperg *Inst. hoc tit. quæst.* 3. Wiestner *n.* 13. *cum citt.* & in hoc sensu intelligenda est *leg. eum qui* in contrarium allegata. De Jure tamen Canonico, si fructus speretur, præmittenda est admonitio secreta ex Lege Charitatis, quæ exigit, ut damna tam publica, quàm privata minimo proximi damno avertantur. Wiestner *n.* 14.

Si autem extra Judicium objiciatur, plerique ex *citt.* 40 existimant, illud objicientem, si appareat, quòd potiùs libidine nocendi, & vindictæ privatæ, quàm boni publici studio motus hoc fecerit, à pœna immunem non esse, quòd pravus revelantis animus manifestationem iniquam reddat. Wiestner *n.* 13.

Dub. 4 an immunis à pœna sit, qui retorsione utitur, & postquam injuriam passus ab aliquo est, hunc vocat mendacem, aut eum pro tali habendum protestatur, donec objectum crimen probaverit? Resp. distinguendo, an retorsionem ejusmodi faciat ad sui defensionem, an non. *Si hoc secundum,* & objiciatur injuria inferenti crimen diversum, & injuriam acceptam nihil diminuens, retorquens ab injuria non excusatur. Abb. *in capit.* 23. *de Sentent. & re judic. numer.* 22. Gaill *lib.* 2. *observ.* 100. *numer.* 9. Begnudell *V. injuria num.* 20. Pirhing *hic nu.* 6. Wiestner *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 35. & habetur etiam in Jure Bavarico *Landr: richt tit.* 4. *art.* 6. 41

Si primum, retorquens impunis est. Engl *n.* 15. Reiffenstuel *n.* 33. cum *citt.* & communi cæterorum. *Ratio est*, quia vim vi repellere in continenti ipso naturæ Jure permissum est; ergo etiam injuriam retorquere; honor enim, & fama hominis præponenda est omni pecuniæ *l. si in duabus* 104. *ff. R. J.* & gravior est ejus jactura amissione oculorum *l. infamia* 8. *C. de Decur.* in ò honor, & vita pari passu procedunt, & non minore studio, & cura, quàm vita servanda est. Gaill. *lib.* 2. *obs.* 100. *n.* 1. 42

Neque obstat, quòd defensionis jus tantùm detur adversùs futuram, vel præsentem injuriam, non autem adversùs præteritam, quæ apud Judicem, non verò apud privatum judicanda est; sicut non licet post moram longiorem repercutere eum, qui priùs percussit &c. nam responderi potest, hæc quidem ordinariè ita se habere in injuria reali, injuriam verbalem autem semel prolatam, licèt quoad sonum verborum, & in sensu physico jam prætererit, in sensu tamen morali, & quoad apprehensionem hominum, & suspicionem ex ea ortam contra injuriatum durare, & semper præsentem censeri, donec per Retorsionem, vel Judicium acceptum tollatur. Engl *n.* 15. 43

Ut verò rectè fiat Retorsio, tria requiruntur, 1. 44 ut fiat animo se defendendi: hinc si objicienti exemp. grat. mendacium, non mendacium, sed aliud crimen à mendacio diversum, & injuriam nihil dimi-

nuens retorqueretur, quia talis retorsio ad defensionem nihil conferret, torquens ab injuria non excusaretur, ut dictum est *num.* 41. 2. ut fiat in continenti, ne si ex intervallo contingat, vindictæ involvat speciem. *Excipitur*, nisi illata injuria esset absenti, vel si scripto, aut adhibito Notario, & testibus retorsio fieret; tunc enim exigeret intervallum temporis, quo commodè fieri posset *arg. sive ingenua* 2. §. *confestim* 43. *ff. ad S. C. Tertyll.* Vviestner *num.* 17. 3: ut observetur moderamen justæ, & inculpatæ tutelæ; neque enim ab injuria excusaretur, qui moderamen istud excederet, & verbalem e. g. injuriam intra privatos parietes passus, mendacium injurianti palam, & affixa scheda impingeret, vel si in minori crimine injuriatus injurianti objiceret majus; unde ex tali retorsione mala daretur æquè injurianti Actio contra retorquentem, ut bene norat Abb. in *cap.* 23. *de Sentent. & re judic. num.* 22. quamvis retorquentem mitiùs puniri deceat, quòd justum animi dolorem compescere, & temperare sit difficillimum *l. si adulterium* 38. §. *imperator* 8. *ff. ad leg. Jul. de Adult.*

45 Dub. 5 An de injuria conveniri valeat, qui alteri convitium dixit, v. g. eum mendacem, aut furem appellando, cum præfatione honoris, sive cum protestatione, quòd sine animo injuriandi, & *salvo ipsius honore, & reverentia* ea verba protulerit? *Ratio dubitandi* est, quia protestatio conservare dicitur jus protestantis, quod maximè locum habet in casu præsenti, cùm ad injuriam secundùm dicta *num.* 2. exigatur, ut adsit injuriandi animus.

46 *Sed dicendum*, si verba, aut facta ex se injuriosa sint, uti est, si quis tergum alterius pulset, in faciem colaphum ipsi impingat, capillos, aut barbam evellat, protestationem nihil ipsum juvare: quia talis protestatio est contraria facto, Clarus §. *injuria num.* 13. Covar. *lib.* 1. *var. cap.* 11. *num.* 13. Fachin. *lib.* 9. *contr. cap.* 11. Gaill. *lib.* 2. *obs.* 101. *à num.* 2. Farin. *prax. crim. quæst.* 150. *num.* 311. & 313. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 2. Pirhing *num.* 3. Konig *num.* 9. Sannig *cap.* 1. *num.* 3. Vviestner *num.* 11. Et hoc verum est, sive protestatio præcedat injuriam, sive sequatur. *Excipitur*, nisi ex conjecturis appareret, injuriam non fuisse illatam animo injurianti; tunc enim talis protestatio excusaret, Clarus *loc. citat.* Farin. *num.* 314. Pirhing *num.* 3. imò iste etiam sine protestatione non teneretur.

47 *Ad Rationem dubitandi* dico, id verum esse, quando objicitur aliquid, quod de se probrosum non est, trahi tamen in sensum contumeliosum potest; nam si is, qui ea verba protulerit, protestetur, quòd in sensu bono illa protulerit, ab Actione injuriarum liberat protestatio.

48 Quæritur 5 quot modis tollatur Actio injuriarum? Resp. 1. tollitur *satisfactione*, quando injurians injuriato satisfecit pro injuria illata *l. sed si* 17. §. *si ante* 6. *ff. hoc tit.* quæ satisfactio fieri potest aut jurejurando, si reus juret, se nihil animo injuriandi dixisse, vel fecisse *l. Lex Cornelia* 5. §. *hac Lege* 8. *ff. hoc tit. l. ait Prætor.* 3. §. *quacunque* 1. *ff. de Jurjur.* aut pacto, vel transactione *l. non solum* 11. §. *injuriarum* 1. *fin. ff. hoc tit.* ibi, *Si pater de injuria interessit, & si transactum, & si Jusjurandum exactum erit, actio injuriarum non tenebit.* Vultejus, Schneidevvin, Harppr. *in* §. 12. *inst. de injur.* Gaill. *lib.* 2. *obs.* 106. Speckhan *cent.* 2. *class.* 3. *quæst.* 4. *nu.* 37. Magnif. D. Verlohner *de Act. Recant. n.* 13.

49 2 *Retorsione*; non quidem si injuria realis sit (etenim qui accipit unam alapam, non potest reddere aliam, nisi plures adhuc timendas habeat, utpote cùm aliàs solam vindictam quærere censeatur) sed si verbalis, prout fieret, si, qui ab altero appellatus est fur, falsarius, nequam &c. ei dicat, *Tu mentiris*, aut, *tu ipse talis es, donec probes*; nam per ejusmodi retorsionem injuriam passo censetur satisfactum; satisfactione autem injuria tollitur, prout dictum est *num. præc.* Harpprecht *in* §. *hæc actio* 12. *inst. hoc tit. à num.* 9. Reiffenstuel *hic num.* 27. Manif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. cap.* 1. *num.* 145.

50 3 *Remissione* vel expressa, vel etiam tacita injuriæ, quæ fieri tunc censebitur, quando injuriam passus eam non statim revocat ad animum, h. e. non statim, quando potest, ostendit signa ægrè, ac graviter ferentis animi, ut si fortasse subridendo illam accipiat, aut si initio se offensum ostendit, deinde cum offendente instaurat antiquam amicitiam, ad convivium eum invitat &c. sic enim vulnus animi, quod injuria aperuerat, videtur esse obductum, §. *fin. inst. & lege non solum* 11. §. *injuriarum* 1. *ff. hoc tit.* Clar. §. *injuria num.* 10. Sylvest. *V. eod. num.* 10. Vivian. *in cap. fin. hoc tit. in ration.* Engl *hic num.* 12. Pirhing *num.* 9. Konig *num.* 15. & 16. Reiffenstuel *num.* 22. Begnudell. *num.* 12. Ubi tamen notandum, quòd illi, qui in aliena sunt potestate, ut filii, Religiosi &c. injuriam sibi illatam, invitis illis, in quorum sunt potestate, & quibus actio injuriarum concessa est, remittere injuriam non valeant. Contrà verò Pater, vel Prælatus, injuriam illatam filio, vel Religioso, etiam hoc reclamante, condonare non prohibetur *lege sed si* 17. §. *planè* 12. *ff. hoc tit.* Engl *num.* 13. Reiffenstuel *numer.* 23. Magnif. P. Schmier *loc. citat. numer.* 144. nisi filius sit eminentioris conditionis, quàm pater.

4 *Præscriptione annua*; nam lapsu unius anni actio criminalis super injuria verbali extinguitur, ita, ut non amplius intentari possit, *lege si non convicii* 5. *C. hoc tit.* Aliud est de Actione injuriarum Civili; nam hæc perpetua est, & ad 30. annos durat, ut rectè advertunt Sylvest. *V. injuria num.* 10. Clarus *num.* 10. Vivian. *loc. cit.* Pirhing *num.* 9. Konig *num.* 17. Reiffenstuel *nu.* 25. Vviestner *num.* 19. Et hinc per lapsum anni non tollitur actio ad recantationem, & Palinodiam; quia non Criminalis, sed Civilis est, ut monui *num.* 30. Harppr. *ad* §. *fin. inst. hoc tit. num.* 17. Reiffenstuel *num.* 26. Similiter perpetua est actio injuriarum realium descendens ex Lege Cornelia, quæ datur, cùm quis alium verberat, pulsat, vel domum illius vi ingreditur. Mynsing. *cent.* 5. *obs.* 7. *nn.* 7. Engl *num.* 12. Konig *num.* 17. Reiffenstuel *num.* 26. Imò nec omnis actio injuriarum verbalium criminalis lapsu anni extinguitur; nam actio injuriæ scriptæ, seu libelli famosi etiam criminalis perpetua est, ut teste Konig *loc. cit.* inter omnes convenit. Ubi verò actio extinguitur præscriptione annua, per hoc injuriato non tollitur potestas etiam post annum agendi ad compensationem damnorum, & expensarum: quas propter injuriam alterius passus est, imò etiamsi injuriatus non ageret, teneretur tamen injurians ad interesse, & damna, nisi injuriatus ea velit ipsi remittere, Sylvest. *n.* 10. *cit.* 51

5 *Morte* tam injuriantis, quàm injuriati ante litem contestatam; quia Actio injuriarum, utpote ex delicto descendens, & pœnalis, neque hæredi, neque in hæredem datur *lege injuriarum* 13. *ff. hoc tit.* quod intellige, quando injuriatus contra hæredes injuriantis pœnam prosequi vellet; nam si prosequi velit damnum, quod per realem injuriam in corpore, vel bonis suis accepit, rectè eo nomine tam ipse, quàm ejus hæredes civiliter agere poterit ad eorum damnorum resarcitionem tam contra damnificantem, quàm contra hujus hæredes, ut pro iis secundùm vires hæreditatis satisfaciant: & hoc verum, etiamsi lis cum defuncto non fuerit antea contestata, saltem de Jure Canonico *cap. fin. de sepult. cap. in litteris* 5. *de Raptor.* 52

6 Ut aliqui volunt, Injuriarum actio tollitur *susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ*, quòd ista suscipiens vindictam ponere videatur, & jubeatur. Sed hæc ratio levis est; etsi enim hæc Sacramenta suscipiens, ut dignè illa suscipiat, animum vindictæ privatæ ponere debeat, non tamen ponere debet animum petendi satisfactionem pro injuria sibi, vel Reip. illata, cum Jure debita sit. Abb. *in c.* 1. *de Maledic. n.* 6. Covar. *l.* 2. *var. cap.* 10. *num.* 17. Palao *tr.* 6. *D.* 1. *p.* 6. *n.* 8. Vviestner *hic nu.* 20. 53

§. II.

De Damno dato.

SUMMARIUM.

54 &c. *Damni duplex acceptio.*
56 &c. *Fieri potest dolo, culpa, & casu fortuito.*
58 &c. *Vindicatur per Civilem Actionem Legis Aquiliæ: ubi discrimen inter hanc Actionem, & eam quæ competit ex damno lucroso.*
61 &c. *Actio Legis Aquiliæ est partim rei persecutoria, partim pœnalis.*

64 &c.

54 QUæritur 1. quid sit *Damnum*, & quot modis illud possit contingere? Resp. Damnum, ita dictum à diminutione patrimonii *l. damnum* 3. *ff. de damn. infect.* dupliciter accipitur; nam aliquando damnificans ex bonis alterius lucrum facit, prout fieri solet per furtum, rapinam &c. aliquando autem fit sine lucro, cùm alius in corpore, vel rebus illius contra jus læditur, corrumpendo, vel deteriorando illas. Prius *lucrosum* dicitur, posterius *non lucrosum*: & dumtaxat ad Titulum præsentem spectat. Delictum istud Aquilius Tribunus per suum plebiscitum vindicavit, Justinianus verò inter Delicta privata tertio loco retulit. Definiri potest, quòd sit *Delictum, quo patrimonium, vel res aliena dolo, vel culpa, sine ullo damnificantis lucro, vel emolumento diminuitur*, ut siquis domum alienam succendat, animalia occidat, vestes laceret &c. Host. *in Summ. hic num.* 1 Manz. *ad Rubr. Inst. de Leg. Aquil. n.* 2. & 8. Engl *n.* 23 Vviestner *n.* 21. Reiffenstuel *nu.* 38. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 1. *n.* 61. Causa efficiens hujus damni est solus homo; nam si à Bruto datum sit, non damnum, sed *Pauperies* appellatur. Objectum ejus sunt res tam animatæ, quàm inanimatæ.

55 Potest autem damnum in destructione, vel corruptione rei alienæ fieri tripliciter, scilicet Dolo, Culpa, & casu fortuito. *Dolo* datur, quando fit, vel omittitur aliquid animo nocendi, sive ea intentione, ut damnum sequatur *l. hoc edicto* 1. §. *dolum* 2. *ff. de Dol.* Estque hic dolus aliquando verus, aliquando præsumptus. *Verus*, seu *Apertus* tum esse dicitur, quando animus damnificandi ipsius damnificantis confessione, vel certis, & omnino indubitatis indiciis declaratur. *Præsumptus* vocari solet, si colligatur ex indiciis non quidem indubitatis, sed tamen verisimilibus, & multùm urgentibus. Bartol. *in l. quod Nerve* 32. *ff. deposit. n.* 14. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 293. *n.* 4 Vviestner *hic n.* 22.

56 *Culpa* datur, quando omittitur diligentia, qua adhibita damnum potuisset evitari Bartol. *l. cit. n.* 7. Vviestner *n.* 23. Hæc vel est Theologica, vel Juridica. *Theologica* est, quæ continet peccatum contra justitiam, quod mortale est, si culpa sit gravis; veniale, si culpa sit levis. Molin. *l. cit. num.* 2. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tract.* 2. *num.* 184. Vviestner *num.* 24. *Juridica* triplex est, videlicet Lata, Levis, & Levissima. *Lata* committitur, quando omittitur diligentia, quam passim omnes hujus conditionis homines ad evitandum adhibere solent, v. g. siquis librum sibi commodatum extra domum deponat foris in publico. *Levis*, quando omittitur diligentia, quam adhibere solent prudentiores, & rerum suarum magis studiosi, e. g. si liber quidem intra cubiculum, sed non clausum relinquatur. *Levissima*, quando omittitur diligentia, quæ non nisi ab exactissimis, & qui extraordinario studio damna præcavent, adhibetur, v. g. si liber in cubiculo quidem clauso reponatur, sed discedens indè non exploret, an sera rite obducta sit. Molin. *l. cit. n.* 4. Haun. *n.* 185. Vviestner *n.* 23.

57 *Casu fortuito* damnum datur quando res perit, aut deterioratur eventu omnino inopinato, & qui nullo humano consilio, vel diligentia evitari potuit, aut prævideri juxta *c. fin. de Homicid. l. non utique* 2. §. *si eo tempore* 7. *de administr. rer. ad civit.* v. g. si pereat naufragio, aut fulmine de cœlo lapso absumatur. Molin. *num.* 3. Vviestner *num.* 25.

Quæritur 2. qua actione vindicetur Damnum non lucrosum, dolo, vel culpa datum? Resp. vindicatur per civilem Actionem *Legis Aquiliæ*: ubi adverte duas notabiles differentias inter Actionem, qua persequimur damnum lucrosum, v. g. furtum, aut rapinam, & inter actionem Legis Aquiliæ pro damno non lucroso. Nam 1. condemnatus de furto, rapina, usuris perdit honorem, & fit infamis, ita, ut deinceps nequeat esse testis in Testamento, vel judicio, nec Advocatus, nec Dignitatem aliquam, vel Ordinem Ecclesiasticum assequi, prout propriis locis dictum est. *Contrà* condemnatus de damno non lucroso honorem retinet. Engl *n.* 24. *h. tit.* Reiffenstuel *ibidem num.* 19. cum aliis. *Ratio est*, quia, cùm quæritur augmentum proprium mediis illicitis ex alterius jactura, adest facti turpitudo, quæ abest, quando damnum sine lucro damnificantis infertur, præsertim si hoc fiat per culpam merè Juridicam. 58

2 Conventus de furto, rapina &c. tenetur pro diversitate casus, an fur occultus, vel manifestus fuerit, in duplum, vel quadruplum, secundùm ea, quæ dicta sunt *Tit.* 17. *n.* 61. & *Tit.* 18. *n.* 79. 86. Sed actione Legis Aquiliæ tantùm restituitur simplex æstimatio damni, & quanti interest damnificantis, damnum datum non fuisse *pr.* & §. *illud* 10. *Instit. de Leg. Aquil. Excipiuntur* tamen tres casus, qui graviori pœna coercentur. 1. siquis alterius arbores clàm exciderit; nam hic in duplum ejus, quanti arbor virens prudentum judicio valuit, condemnatur, deducta tamen ligni apud dominum manentis æstimatione, prout dictum est *Tit.* 18. *cit. n.* 160. cùm enim arbores tardiùs succrescant, & præsertim frugiferæ multis usibus deserviant, earum destructio punienda graviùs visa est Legibus. 59

Excipitur 2 si damnum illatum sit dolo, sive ex proposito hominibus per vim coactis; nam talis damnum inferens civiliter convenitur in quadruplum, criminaliter verò punitur aliquando publicatione bonorum, & deportatione, banno, vel relegatione; quia æquiparantur Raptoribus, de quibus dictum *Tit.* 17. *cit. n.* 61. & *seqq.* 60

Excipitur 3 si quis tempore calamitoso, videlicet incendii, tumultus, ruinæ, aut naufragii dolo malo, & ex proposito damnum aliis dederit; nam hic intra annum in quadruplum condemnatur *l. prætor ait* 1. *pr.* & *l. quo naufragium fit* 3. §. *non solùm* 4. *ff. de incend. ruin.* Engl *hic n.* 28. Reiffenstuel *n.* 51.

Addi potest *Exceptio quarta* circa ejicientes, vel effundentes in plateam publicam, qui, ut dicetur *infrà*, ob damnum indè consecutum in duplum conveniuntur Engl *n.* 29. Reiffenstuel *n.* 52.

Quæritur 3 An actio Legis Aquiliæ sit rei persecutoria, vel an sit pœnalis? Resp. esse ex parte rei persecutoriam, & ex parte pœnalem. *Rei persecutoria* est, quatenus persequimur nostrum interesse, sive id, quod nobis abest: unde si servus hæres institutus est occisus, hæreditatis quoque æstimatio venit *l. inde* 23. *ff. ad Leg. Aquil. Pœnalis* verò est, quatenus persequimur id, quod nobis non abest; nam licèt actio Legis Aquiliæ in simplum regulariter dumtaxat detur, æstimatio tamen damni non fit præcisè secundùm id tempus, quo datum est, sed quanti plurimi res perdita valuit retro intra annum, vel 30. dies proximos. 61

Intra annum quidem, si ex *primo capite* Legis Aquiliæ agatur, nim. pro occasione servi, vel animalium, quæ pecudum in numero sunt, & gregarim pasci consueverunt; intra 30. dies verò, si agatur ex tertio capite pro vulneratione servi, aut animalis pecudum numero contenti, vel pro occisione animalis pecudum numero non contenti, aut pro combustione, corruptione, aut fractione rei inanimatæ §. *hic autem* 9. §. *capite tertio* 13. §. *illud* 14. *instit. de Leg. Aquil.* Manz. *ad pr. inst. tit. eodem num.* 1. & *seqq.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *ibidem num.* 11. Magnif. D. Vetlohner *de Act. Leg. Aquil. n.* 1. Engl *n.* 30. Reiffenstuel *nu.* 50. cum aliis. *Secundum caput* Legis Aquiliæ non ampliùs est in usu §. *caput secundum* 12. *instit. de Leg. Aquil.* & *l. servus* 27. §. *hujus* 4. *ff. eodem* Volunt autem, hoc secundo capite olim cautum fuisse de servitutibus, quarum usu contra consuetum modum damnum est datum. 62

Imò ex approbata hodie à DD. quoad usum fori sententia non multùm refert, an ex primo, vel tertio etiam capite Actio Legis Aquiliæ intendatur; quia, ut Brunnem. *ad l. si servus citat. numer.* 7. Lauterbach. *ff.* 63

ad Leg. Aquil. §. 24. Stryck. *Us. mod. Pand. ad tit. cit.* §. 2. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict.* *c.* 1. *n.* 64. testantur, hodie damnum non amplius æstimatur secundum bonitatem, quam res antecedenter habebat, sed juxta statum præsentem, in quo illa fuit tempore damni dati: adeoque qui equum claudum occidit, ex Lege Aquilia conventus, debet tantum refundere æstimationem equi, quanti iste tunc temporis vendi potuit, quamvis ante septimanam unam, vel alteram, recto pede incesserit, majorique pretio constiterit. Hinc etiam, ut idem Stryckius *l. cit.* notat, nihil interest, qualis sit res quæ per dolum, vel culpam est diminuta.

64 Quæritur 4 quotuplex sit Actio Legis Aquiliæ? Resp. triplex, Directa, Utilis, & in factum. *Directa* est, quæ directè provenit ex verbis, & sententia Legis Aquiliæ, quando scilicet damnum datum est corpore in corpus, uti contingit, quando quis quadrupedem manu occidit.

65 *Utilis* est, quæ oritur ex mente, & ratione Legis Aquiliæ, quando nimirum liber homo damnum est passus, aut alias damnum corpori, non autem corpore datum est, ut si jumentum per alterius exagitationem, vel territionem in præceps est actum, aut equus stabulo inclusus, subtracto pabulo, interiit.

66 *Subsidiaria in factum*, quæ neque ex sententia, neque mente Legis Aquiliæ pullulat, sed ex interpretatione prudentum ob singularem æquitatem à Prætore fuit recepta, quando videlicet damnum nec corpore, nec in corpus est datum, veluti siquis canem, aut pecus inclusum solveret, ut fugam capesseret §. *fin. inst. de Leg. Aquil.*

67 Hodie tamen, quia, ut *n.* 63. annotavi, non amplius attenditur ad æstimationem damni per retrotractionem ad tempus præteritum, nihil interest, qualis instituatur Actio, ut cum Stryckius *l. citat.* §. 6. notat Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 1. *n.* 97. & idipsum fermè sentit Brunem. *ad l. qua actione* 7. *ff. ad Leg. Aquil. n. ult.*

68 Quæritur 5 cui, & contra quem detur Actio Legis Aquiliæ? Resp. hæc Actio solùm conceditur illi, cujus interest propter jus in re v. g. dominium, vel Usumfructum, damnum non fuisse datum *l. item Mela* 11. §. *Legis* 6. & §. *fin. ff. ad Leg. Aquil. Ex quo sequitur*, non dari hanc actionem ei, cujus interest propter jus ad rem, fortè quòd res corrupta, aut deteriorata ipsi fuerit locata, vel commodata *l. cit.* §. *eum, cui* 9. *Neque obstat*, quòd *l. hæc actio* 2. *ff. si quadrup. pauper. fec.* commodatario concedatur actio de pauperie; non enim propterea eidem concedenda est actio Legis Aquiliæ: & ratio disparitatis est, quia homo faciliùs potest damnum inferre, quàm bruta, quod, si culpam præstet levissimam, facilè avertere potest. Imò nec creditori, licèt jus reale habeat in pignore, ratione istius actio Legis Aquiliæ datur, sed domino, seu debitori, si tamen iste solvendo sit; nam si solvendo non sit, permittenda est creditori, ad quantitatem debiti, quod tamen hic consequitur, debitori prodest ad diminuendam debiti quantitatem *l. qui occidit* 30. §. *pignori* 1. *ff. ad Leg. Aquil.* Magnif. D. Verlohner *de act. Leg. Aquil. n.* 4. & 5

69 Datur actio hæc contra damnificantem, sive deinde is damnum dederit per seipsum, sive mandato ejus alius *l. liber homo* 37. *ff. tit. cit.* In Mandatario tamen distinguendum est: nam si mandans habuit jus imperandi, cum solo mandante agendum est; quia in iis, quæ atrocitatem facinoris non complectuntur, ignoscitur servis, & filiisf. qui dominis, & Patribus suis obtemperant *l. is damnum* 169. *ff. de R. J.* Si verò extraneus sit, cui imperari non potuit, agi quoque cum mandatario potest *l. liber homo cit.* Si plures ad indivisibile damnum concurrerunt, de jure Romano hac actione, in quantum pœnalis est, i. e. quatenus ultra modum damni dati lis æstimatur, omnes tenentur in solidum, nec uno solvente, cæteri liberantur; quia tot sunt pœnæ, quot delicta *l. item Mela cit.* §. *sed si plures* 2. & §. *si plures* 4. Hodierno autem jure, quia secundùm dicta *n.* 63. tantùm agitur ad æstimationem pro tempore damni illati, qui suum consecutus est ab uno, non habet ulteriorem actionem adversùs alios. Stryckius *Us. Mod. Pand. ad tit. cit.* §. 21. Magnif. D. Verlohner *l. cit. n.* 15. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 1. *n.* 99.

70 Utrum verò actio hæc etiam in hæredes damnificantis detur, controversum est inter DD. Et quidem P. Engl *hic n.* 31. defendit, affirmativam saltem de jure Canonico veram esse ob *c. fin. de sepult.* & *c. litteris* 5. *de Raptor.* ubi ad exonerandam conscientiam defunctorum hæredes jubentur compelli, ut pro viribus hæreditatis solvant damna, quæ defunctus in vita sua aliis sciens dedit. *Sed videtur distinguendum*; nam si defunctus damnum dedit per dolum, aut culpam Theologicam, omnino fateor, etiam hæredes teneri damnum hoc resarcire, etiamsi ratione damni istius nihil ad eos pervenerit; tunc enim jure naturæ defunctus ad compensationem illius tenebatur, & pro hac obligantur omnia illius bona, quæ proinde cum onere hoc suo transeunt ad hæredes. At si damnum solummodo datum sit per culpam Juridicam, obligatio illud compensandi in hæredes non transit, conf. ad hoc conveniri non possunt actione Legis Aquiliæ, nisi lis cum defuncto sit contestata, aut hæres ex damno per defunctum dato locupletior effectus sit *l. his autem* 9. *inst. de Leg. Aquil.* Et hoc verum est non tantùm eatenus, quatenus actio ista pœnalis est, sed etiam quatenus rei persecutoria; quia juxta generalem Regulam actiones rei persecutoriæ, ex delicto descendentes, tunc solùm in hæredes transmittuntur, quando ad eos aliquid pervenit. ergo, si nihil ad eos pervenit, non transmittuntur.

Quæritur 6 quid per actionem Aquiliam petatur. Resp. 71 1. petitur reparatio damni, & quidem de jure communi secundùm æstimationem quanti plurimi; de jure moderno autem secundùm æstimationem in statu præsenti, juxta dicta *n.* 63. Si reus inficietur, damnum à se datum esse, & mendacii convictus sit, ad alterum quoque tantum, i. e. duplum conveniri potest *l. lege* 2. §. & *infra* 1. & *l. inde* 23. §. *hæc actio* 10. *ff. ad Leg. Aquil.*

2 Peti potest etiam damnum emergens, & lucrum cessans *c. si rixati* 1. *h. tit.* Farin *prax. crim. q.* 119. *n.* 110. Sayr. *Clav. reg. l.* 10. *c.* 1. *n.* 20. Zoes. *hic n.* 3. & 11. Pirhing *n.* 17. conf. repeti à damnificato possunt expensæ, quas facere debuit in curationem vulneris, & æstimatio operarum, quibus privatur ob læsionem. Vivian *in c.* 1. *citat.* Gonzal. *ibidem n.* 3. Vallens. §. 2. *n.* 2. Zoes. *n.* 11. Sannig *c.* 2. *n.* 2. Ratio est, quia omnium horum damnorum, & lucrorum cessantium damnificans causa est. Nihil tamen restituendum est ratione deformitatis relictæ in corpore ex vulnere accepto; quia liberum corpus æstimationem non recipit *l. ex hac lege* 3. *ff. si quadrup. pauper. fec.* Excipitur, si per cicatricem inducta deformitas Virginem à nuptiis cum divite averteret: tunc enim damni compensatio est præstanda. Magnif. D. Verlohner *de Act. Leg. Aquil. num.* 18. Similiter de jure communi non æstimatur dolor, ex vulnere, vel percussione contingens *l. arg. ex hac lege citat.* Besold. *Thes. pract. V. Ilbtrag*, nisi contraria praxis alicubi vigeat; hanc enim non iniquam esse, defendit Stryckius *Us. mod. Pand. h. tit.* §. 10 eaque fundamentum habet in *Carolin. crim. art.* 20. ubi æstimatur dolor torturæ.

3 Inter damna, quæ repeti possunt, enumerantur etiam expensæ litis, & si quæ aliæ ob læsionem injustam factæ sunt: possuntque hujusmodi expensæ repeti, etiamsi læsus per statutum juramentum præstiterit de non repetendis damnis acceptis *c. in nostra* 8. *h. tit.* & ratio est, quia juramentum non extenditur ad ea, de quibus non fuit actum, nec cogitatum *c. Quintavallis* 23. *de Jurejur.* & quoniam in statutis debet fieri stricta interpretatio, ita, ut verba capiantur in propria, & stricta interpretatione *l. aut prætor.* 3. §. *hæc verba* 6. *ff. de negot. gest.* atqui in propria, & stricta significatione damnorum non veniunt expensæ *c. in nostra cit.* quia damnum in stricta interpretatione est diminutio proprii patrimonii, seu bonorum ad aliquem spectantium per alium facta; expensæ verò fiunt propria voluntate illas facientis, etsi fortè coacta, uti advertunt Abb. *in c. cit. n.* 3. Vallens. §. 2. *num.* 2 Pirhing *n.* 20. igitur juramentum præstitum super articulo damnorum non debet intelligi, ut comprehendat expensas; accipiendum enim est strictè, ut minimùm noceat. Atqui hinc vulgaris est Practicorum formula, ut petant sigillatim damna, expensas, & interesse. 73

Quæritur 7 quid requiratur, ut competat damnificato actio ex Lege Aquilia? Resp. 1. requiritur, ut res alterius deterioretur, aut omnino destruatur; nam hoc significat damnum, de quo hoc loco sermo est, prout constat ex dictis *num.* 54. Hinc si damnum acciderit in re salva, & integra, fortè quia aliquis vinum nostrum ebibit, uvas maturas decerpsit, vestimentum alienum induit, actio Legis Aquiliæ non consurgit *l. si servus* 27 §. *si olivam* 25. & *l. qui occidit* 30. §. *si quis* 2. *ff. ad Leg. Aquil.* quia res non corrupta, vel diminuta, sed ad usum naturalem adhibita est. Contrà oritur Delictum & actio 74

Legis

Legis Aquiliæ, si quis vinum nostrum effuderit, uvas immaturas decerpserit, vestimentum laceraverit, vel conspurcaverit *l. si servus cit. §. cum eo* 15. *& §. si olivam citat.* quia res ad usum alium, quam sibi connaturalem, destinata videtur, Magnif. P. Schmier *p. 3. de delict. cap. 1. n. 70. & 71.*

75 2 Requiritur, ut res corrupta, vel deteriorata sit dolo, vel culpa. Dolus enim determinatè non requiritur, sed culpa sufficit, etiam levissima *l. in lege* 44. *pr. ff. ad Legem Aquil.* Et hinc, qui per negligentiam, incuriam, aut imperitiam qualemcunque læsit alterum, hujus delicti reus est; *c. fin. hoc tit. sed et si* 5. §. *injuriam* 1. *& §. fin. l. idem juris* 8. *pr. & §. mulionem* 1. *l. si putator* 31. *ff. eod.* Neque opus est, ut sit culpa commissionis, sed etiam sufficit culpa omissionis, ut contra Zoes. *ff. ad leg. Aquil. n.* 7. malitiis docent Molin. *tr. 2. de J. & J. D.* 698. Stuv. *syntagm. Jur. Civ. exercit.* 14. *thes.* 20. Mag. D. Verlohner *de act. Leg. Aquil. nu.* 13 Mag. P. Schmier *p. 3. de delict. c. 1. n. 66.* Et hinc ex Lege Aquilia tenetur Medicus, qui medicinam ab initio præscripsit, & curationem postea dereliquit *l. idem Juris* 8. *cit. pr.* item famulus, qui ad ignem obdormivit, & per hoc incendio causam dedit *l. si servus cit. § si fornicarius* 9.

76 *Dubium est*, utrum Actione Legis Aquiliæ conveniri possit ille, qui culpa levissima damnum dedit, quem natura contractus à præstatione culpæ levissimæ eximit e. g. si conductor in re locata, vel depositarius in re deposita damnum dedit per culpam levissimam, ad quam præstandam ex natura Contractus non obstringitur? Affirmant nonnulli etiam graves DD. & nituntur *l. sed et si* 5. § *fin. ff. ad Leg. Aquil.* ubi Magister Discipulum elusisse ponitur, & Jurisconsultus dubitat, an locati actio moveri possit, non verò dubitat de actione Legis Aquiliæ: igitur poterit dari actio Legis Aquiliæ, quin detur actio locati, *Conf.* si conductor, & extraneus culpa levissima damnum darent, sequeretur, posteriorem obstringi, non priorem; quod videtur absurdum, cùm prior magis peccet, quàm posterior.

77 Sed tenenda videtur sententia negativa, quam etiam defendunt Covar. *p. 2. de matr. c. 6. §. 8. n.* 14 Molin. *tr. 2. de J. & J. D.* 687 Struv. *synt. Jur. Civil. exercit.* 14 *thes.* 20 Eckolt *ff. ad Leg. Aquil.* § 1. Lauterbach *ad tit. cit.* § 9. Stryck. *us. mod. Pand. ibid.* § 14 Glett *Jurisp. territ. p. 2. c. 4. § 3. n.* 23 Magnif. D. Verlohner *de Act. Leg. Aquil. n.* 10 Magnif. P. Schmier *p. 3. de delict. c. 1. n. 67 & seqq.* Engl *hic n. ult.* Ratio est, quia tali casu culpam levissimam remittunt Leges, ita, ut eam committens avertere ipsam non debuerit; aliàs in vanum disputaremus; qualis culpa præstetur in singulis contractibus, si deficiente actione ex contractu, ad Actionem Legis Aquiliæ convolare liceret.

78 Neque obstat *l. sed et si* in contrarium allegata; nam ibi JCtus dubitavit, an oriatur Actio Locati, non ob gradum culpæ, sed ob defectum subjecti, quòd damnum in corpore libero datum directè pecuniarum dici, & ideò in actionem locati deduci nequeat. Cœterùm etiam actionem locati hoc casu dari idem JCtus decidit alibi, nempe *l. item quæritur* 13. § *item Julianus* 4. *ff. locat.* ubi similem casum refert. *Ad Conf.* non apparet, quomodò magis delinquat conductor, quàm extraneus, cùm illi culpam levissimam remittant Leges, non verò isti.

79 Quæritur 8 an, & qualis obligatio nascatur ex damno ad illud compensandum? *Certum est* 1. restitutione damni dati immunes esse, in quos dolus, vel culpa ob defectum rationis cadere non potest, ut sunt furiosi, amentes, infantes *l. sed et si* 5. § *ideo* 2. *ff. ad Leg. Aquil.* Engl *hic n.* 32.

Certum est 2 neminem obligari ad compensandum damnum, casu merè fortuito datum, nisi ita conventum fuerit *c. un. de commodat. & l. obligatione* 1. §. *& ille* 4. *ff. de O. & A.* ut proinde res, quæ tali casu fortuito perit, domino suo pereat *l. Pignus* 9. *C. de Pignor.* Ratio est, quia Jus naturale dictat, quòd pœna sit infligenda propter culpam, nullusque sine culpa puniri debeat, atqui, ubi damnum casu merè fortuito datur, non adest culpa; ergo &c. Ob eandem rationem etiam.

80 *Certum est* 3 per se neminem obligari ad refusionem damni, quando priùs omnis diligentia in eo præcavendo adhibita est, ut si quis ex arbore, vel tecto ligna projiciens proclamavit, & transeuntes monuit, monito autem insuper habito, alius temere præteriit, & obtritus est; item si in loco, ubi aliàs consuetum est jaculorum, & sclopetorum exercitium, jaculando se exercens, ibi incautè ambulantem, quem non prævidit, vulneravit §. *ac ne is* 3. *& §. seq. inst. de Leg. Aquil.* Engl *n.* 32. Reiffenstuel *n.* 45. Idem dicendum in omni casu, in quo ex actione alterius, absque hujus culpa omni etiam levissima, sequitur; quia tale damnum tum censetur casu merè fortuito evenisse. Potest tamen aliquis aliquando obligari etiam in conscientia ad resarciendum damnum casu fortuito, & sine omni culpa datum, si scilicet de compensatione in hoc casu facienda conventum est, vel is, apud quem damnum contigit, fuit in culpabili mora rem domino suo restituendi *c. un. de Commod. l. ea quidem* 1. *C. eodem Reg. mora* 25. *in* 6

Certum est 4 non esse obligationem compensandi damnum, quod in bello justo, vel necessariæ defensionis causa adversario infertur, dummodo justæ defensionis, & moderaminis inculpatæ tutelæ termini non excedantur; quia tale damnum non injuria, sed jure datum est, cùm vim vi repellere omnia jura permittant. Reiffenstuel *n.* 46 Ad necessariam defensionem etiam refertur, si quis incendii arcendi causa, ne ignis ad se perveniat, vicini ædes incensas demoliatur, & destruat; nam si morale periculum fuit, propterea actione Legis Aquiliæ pulsari non potest *l. si quis* 49. §. *quod dicitur* 1. *ff. ad Leg. Aquil.* Aliud est, si prudentem judicio periculum morale non fuit; nam tunc ad refusionem æstimationis adstringitur *l. si alius* 7 §. *est & alia* 4. *ff. quod vi, aut clàm.* Imò Bartol. *in l. 1. ff. ad Leg. Rhod. de jact.* Duar. *ibidem c.* 2. Gaill. *l. 2. observ.* 22. *nu. 4. & 5.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. D.* 18 *thes. 8. lit. B.* Struvius *Synt. Jur. Civil. exercit.* 20. *thes.* 20 advertunt, casu, quo aliquorum ædes tempore incendii, ne ignis latiùs serpat, fuerunt dirutæ, id damnum à tota vicinia, quæ per destructionem talium ædium ab incendio præservata est, compensandum, sicut in simili in Lege Rhodia de jactu constitutum est, ut si in periculo naufragii levandæ navis causa quorundam res, aut merces in mare projiciuntur, omnium navigantium contributione resarciatur, quod pro salute omnium ejectum est; argumentum autem à simili, quando subest eadem æquitatis ratio, in jure plurimum valere probat *l. non possunt* 12. & *l. seq. ff. de LL.* Gaill. *l. cit.* Engl *hic nu.* 33. Begnud. *V. damnum n.* 13. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. de Leg. Aquil. q.* 4. 81

Certum est 5 per se loquendo in foro tam interno, quàm externo dari obligationem reparandi damnum, quod dolo, vel culpa lata Juridica datum est: Innoc. *in c. sicut 6. de homicid.* Sylv. *V. culpa n. 5. & 6.* Molin. *tract. 2. de J. & J. D.* 293. *n. 7. fin.* Palao *tr.* 32. *D. 3. p. 1. n.* 7. Haun. *tom. 1. de Just. tr. 2. n.* 186. Wiestner *hic n.* 28. Et quidem quoad damnum dolo datum per se constat; quia talis est culpa Theologica contra justitiam commutativam. De damno autem dato per culpam latam juridicam ratio est; quia etiam ista per se continet culpam Theologicam gravem: & ratio est, quia in re gravis momenti e. g. ubi periculum est incendii, vel homicidii, diligentia ad hæc evitanda communis, & quam homines communiter in similibus circumstantiis adhibere solent, omitti non potest sine peccato lethali contra justitiam. Dixi *per se loquendo*; quia etiam culpa lata Juridica, imò & dolus; cùm is est merè præsumptus, quod culpam Juridicam latiorem aliqui vocant, aliquando per ignorantiam, vel inadvertentiam, adeoque sine culpa Theologica committi potest: & tunc de hac, sicut de culpa Juridica levi, & levissima quæri potest, an, & quidem obligationem inducat? in qua quæstione punctum totius controversiæ tandem consistit. Quare 82

Dub. 1 utrum detur obligatio reparandi damnum, per culpam merè Juridicam datum? Resp. in foro externo reparationem ejus imponi. Patet ex textibus utriusque juris; sic enim ex constitutione *Juris Civilis* ad damni reparationem tenetur 1. qui jaculando, vel bombardam explodendo alienum servum, vel animal trajecit in loco, ubi ei jaculari non licebat §. *itaque* 4. *inst. ad Leg. Aquil.* 2 Medicus, vel Chirurgus, qui ægrum, cujus curam susceperit, deseruit, aut imperitè secuit, si is moriatur §. *præterea* 6. & §. *imperitia* 7. *inst. eodem* 3 putator, qui ex arbore dejecto ramo transeuntem occidit, si prope viam publicam hoc fecit, nec proclamavit, ut casus evitari posset §. *item putator* 5. 4 Mulio, si impetu mularum, quas ipse propter imperitiam, vel etiam infirmi- 83

mitatem, cùm alius firmior eas retinere potuisset, servus tuus oppressus fuerit §. *impetu* 8. ubi id extenditur etiam ad eum, qui cùm equo veheretur, impetum ejus propter infirmitatem, aut imperitiam retinere non potuit. Plura exempla passim afferuntur *Inst. & ff. tit. cit.*

84 *Jure Canonico* 1 pretium animalis, in cisternam lapsi, reddere obligatur, qui hanc effodit, & non cooperuit *c. siquis* 2. *h. tit.* 2 damnum à bove cornupeta, vel alio jumento, animalibus, agro, vineæ illatum, resarcire debet dominus ejusdem, qui illam non custodivit, aut hoc dimisit, cùm scire potuerit, & debuerit periculum esse, ne depasceret aliena *c. si bos* 3. & *c. si læserit* 4. *tit. eodem* 3 compensare debet alienas segetes, qui excitavit ignem, quo dein illæ absumptæ sunt *c. si egressus* 5. 4 & universim quicunque culpa, imperitia, negligentia, ignorantia damnum dedit; id reparare tenetur *c. fin.*

85 *Ratio sic statuendi* fuit, quia SS. Canonum, Legumque conditores voluerunt, potiorem esse causam ejus, qui damnum absque sua culpa, & facto passus est, quàm alterius, qui id facto, aut culpa quacunque intulit alteri, cui proinde, ne illius factum, & culpa esset nociva, ab ipso illatum damnum resarciri voluerunt. Et quidem hæc obligatio.

86 *Extenditur* 1 etiam ad eum, qui etsi damnum ipse non dederit, tamen ut hoc daretur, mandavit; quod enim quis per alium facit, perinde est, acsi per seipsum fecisset *Reg. qui facit* 72. *in* 6. Aliud est, si non mandavit, sed consilium dumtaxat dedit; quia ex consilio, nisi malitiosum hoc fit, aut ab alio datum, qui attenta personæ, aut muneris qualitate peritiam, artem, vel scientiam profitetur in re, circa quam dat consilium, nemo regulariter obligatur, cùm alteri liberum sit consilio uti, vel non *Reg. nullus* 62. *in* 6.

87 *Extenditur* 2 ad eum, qui opem vel auxilium, ut damnum tale daretur, tulit, ut qui jaculanti, ubi non oportebat, supposuit humerum, si ea explosione lædatur, vel occidatur alterius servus, vel animal *c. fin. h. tit.* & *ibi* Gloss. *V. tulisti*. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 1. Zoes. *n.* 2. Engl *n.* 37. Pirhing *n.* 11. Sannig *c.* 2. *n.* 1. Ratio est, quia quæ alterius auxilio fiunt, ab ipso facta censentur. Aliud est, siquis damnum ab alio in sui gratiam datum ex post facto ratum habuit: nam hic non tenetur id compensare; quia ratihabitio subsequens non est causa damni, quod ponitur jam perfectum esse, & licèt aliquando retrotrahatur, & æquipareretur mandato, tamen hoc solùm fit in contractibus, & aliis causis nondum perfectis, & quæ ad sui perfectionem alicujus, consensum, & ratihabitionem desiderant. Engl *hic n.* 39.

88 *Extenditur* 3 ad eum, qui causam dedit propinquam damni, ut siquis stipulam in agro suo incendit, & ignis egressus combussit acervos frugum alterius, vel segetes stantes in agris alienis; quia qui dat causam damni, damnum dedisse censetur *c. fin. h. tit.* & *l. videamus* 11 *ff. locat.* & qui non prævidet, quod prævidere potuit, ac debuit, est in culpa *l. qui occidit* 30. §. *in hac* 3. *ff. ad Leg. Aquil.* poterat autem talem causam dans prævidere periculum, si majorem diligentiam adhibuisset, ergo &c.

89 *Extenditur* 4 etiam, cùm per servum alicujus, vel animal est damnum alteri factum; nam si in culpa dominus fuit, quòd animal natura ferox, e. g. ursum, leonem &c. in publico tenuit, nec bene custodivit, ne læderet: vel si animal, natura quidem non ferox e. g. bos, qui solitus sit cornibus impetere, damnum intulerit, dominus animalis, siquidem per tale animal liber homo vulneratus, vel occisus fuerit, arbitrio Judicis in ducentos solidos condemnabitur, si verò in aliis rebus, ut laceratione vestis, vel fractione ejus, quod portatur, damnum contigerit, in duplum condemnatio fiet 6. *fin. inst. si quadrup. paup.* Aliud est, quando culpa domini nulla intervenit; tunc enim oritur actio de *Pauperie*, de qua *infrà n.* 103.

90 Dub. 2 utrum obligatio resarciendi damnum, ex culpa merè Juridica datum, contrahatur etiam in foro interno, & conscientiæ? Affirmant Covar. *p.* 2. *de Spons. cap.* 6. §. 8. *num.* 15. Zoes. *ff. ad Leg. Aquil. num.* 6. Arnold. Rath. *tr. de Damno numer.* 34. & plures alii, cum quibus etiam sentire videtur. Barbosa *in c. fin. h. tit. n.* 2 Fundantur 1 quia Leges istæ, quæ reparationem damni per culpam merè Juridicam dari decernunt, sunt justæ, communiter receptæ, & approbatæ, non nimis rigidæ, & intolerabiles, sed fini, & bono communi proportionatæ, sed tales Leges obligant in conscientia, ergo & istæ obligant. 2 potuit Legislator humanus ad ejusmodi damni refusionem obligare damnificantem in conscientia, ut apud omnes est indubitatum; quia ipsi competit potestas disponendi de subditorum suorum rebus in bonum totius Reip. & quòd ita obligare voluerit, conjicitur ex eo, quòd Legis Aquiliæ textibus damnum culpa datum reparandum statuatur absolutè, non distinguendo inter culpam Theologicam, & Juridicam, ac proin locus videtur esse *arg. l. de pretio* 8. *ff. de Publ. in rem act.* 3. eandem obligationem asserere videtur Jus Canonicum; nam *c. fin. h. tit.* Gregorius IX asserit, eum non excusari (utique in foro conscientiæ de quo etiam agit Jus Canonicum) cujus imperitia, aut negligentia damnum illatum est, sed tantùm illum, qui ne occideret, nihil de contingentibus omisit, ergo etiam ex culpa merè Juridica nascitur in conscientia obligatio compensandi damnum. *Conf.* ex *can. consuluisti* 20. *caus.* 2. *q.* 5. ubi Stephanus V. ita scribit: *Monendi sunt, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet interveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur*. multò magis igitur quævis negligentia reos faciet alterius minoris injuriæ, & inducet obligationem restitutionis, & reparationis damni illati.

Sed, etsi sententia ista sit valde probabilis, in praxi 91 tamen prior, & in jure etiam probabilior videtur esse sententia negativa, quam etiam defendunt Innoc. *in c.* 6 *de homicid.* Sylv. *V. Culpa à num.* 5. Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 698. *n.* 6. Less. *l.* 2. *de just. capit.* 7. *num.* 24. Tann. *tom.* 3. *D.* 4. *q.* 6. *dub.* 2. *num.* 40. Layman *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 1 *c.* 6. *n.* 2. Lugo *D.* 7. *de just. sect.* 3. & 4. Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 2. *n.* 178. Pirhing *hic n.* 11. Konig *n.* 27. Wiestner *n.* 33. Reiffenstuel *nu.* 43. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. ad Leg. Aquil. quæst.* 9. Magnif. P. Schmier *p.* 3. *de Delict. c.* 1. *n.* 77. estque communior TT. præsertim RR.

Ratio est 1 quia damnum, ex culpa merè Juridica da- 92 tum, datum est absque omni advertentia, & cons. omnino involuntarium est, haberque se respectu nostri instar casus fortuiti, sed damnum involuntarium penitus, & fortuitò datum reparandi obligatio in conscientia, absque speciali contractu, nulla datur, prout dictum est. *n.* 79. ergo nec datur obligatio in conscientia reparandi damnum culpa Juridica datum: quod magis etiam urget casu, quo commissa est tantùm culpa Juridica levis; & levissima; nam secluso speciali pacto, nemo tenetur majori diligentia cavere damnum alterius, quàm soleant ordinariè homines ejusdem conditionis in simili materia, cùm nemo debeat esse prudentior, aut circumspectior in negotiis, quàm alii homines similis conditionis, igitur damnum, quod ex omissione hujus majoris diligentiæ evenit, ad culpam, & compensationem per se imputari non debet, sed sufficit adhiberi diligentiam communem, ad quam, seclusa ignorantia, & inadvertentia quivis tenetur.

2 Obligatio resarciendi damnum ita datum ante om- 93 nem judicis sententiam, si spectetur fragilitas humana, quæ sæpe ex inconsiderantia, & inadvertentia in hujusmodi damna facienda prolabitur, est nimis gravis, & ignota fidelibus; nam horum communis sensus, & persuasio est, se in conscientia tutos esse, & ab obligatione restituendi immunes, quando damnum ipsis innocentibus, & non advertentibus datum est: quod confirmari potest; nam damnum ab infante, vel amente datum compensandum est solùm ideo, quia tale damnum non censetur factum humano modo, & voluntariè, sed solùm fortuitò, ita autem se habere videtur damnum datum ex culpa merè Juridica; nam nec ipsum datum est humano modo, & voluntariè, cum injuria propriè dicta, sed quasi fortuitò, ergo &c.

3 Si hæc obligatio daretur, fuisset imposita vel jure 94 naturali, vel jure positivo, vel ex conventione partium, aut judicis præcepto. Non ex *Judicis præcepto*; quia ponitur tale nullum adesse. Non ex *conventione partium*; quia supponitur nulla præcessisse talis conventio. Non ex *Jure positivo*; quia *citt.* & similes Leges obligationem istam non clarè imponunt, cùm hoc à multis, & gravissimis JCtis negetur, & ferè ab omnibus etiam Adversariis in dubium revocetur, ut proinde locus sit Regulæ, quòd in re dubia, & obscura, benignior pars præferenda sit *l. semper* 56. & *l. ea quæ* 192. §. *in re* 1. *ff. de R. J.*

R. J. & videatur standum pro immunitate ab obligatione, sive libertate, in cujus possessione homo à natura constitutus, & in dubio conservandus est juxta *Reg. in pari 65. in 6.* Non denique ex *Jure Naturali*; quia hoc Jure duplex solummodo est radix restitutionis, ex re accepta, & ex injusta acceptione. Ex *re accepta* oriri obligatio compensandi damnum in nostro casu non potest; quia ponitur, quòd damnificanti indè nullum lucrum, vel emolumentum consurgat. Sed neque ex *injusta acceptione*; quia cùm læso facta sit omnino inadvertenter injusta dici non potest.

95 Neque contrarium probant Argumenta *nu.* 90. allata. *Ad* 1. esto, Leges illæ, quatenus decernunt reparationem damni culpa Juridica dati, sint justæ, & non merè pœnales, obligationem tamen in conscientia propterea non inducunt, propter defectum sufficienter manifestatæ voluntatis obligandi in conscientia eum, qui damnum omnino inadvertenter, & involuntariæ intulit. *Ad* 2. etsi Legislator humanus potuerit hanc obligationem imponere, tamen dubium est, an illam revera imposuerit; in dubio autem præferendum est, quod est benignùs, & favendum libertati, cui in dubio non est imponenda obligatio *arg. l. Arrianus* 47. *ff. de O. & A. Ad* 3. ibi, ut Lessius explicat, Pontifex loquitur de damno dato ex culpa Theologica, cùm agat de culpa lata, quæ nunquam, aut rarissimè est sine culpa Theologica. Sumitur ex textu *c. fin. cit.* ibi, *nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam. Ad Conf.* eadem est responsio; culpa enim in re tam periculosa, & magni momenti, est culpa lata, atque ad eam vitandam gravis est obligatio. Eodem modo explicandi sunt reliqui Canones, & Jura, quæ in contrarium esse videntur: quia loquuntur vel de culpa lata vera; & tunc habet illa sibi conjunctam culpam Theologicam, sicque etiam obligationem in conscientia: vel de præsumpta in foro externo, quæ præsumptio non habet locum in conscientia, ubi veritas stat contra præsumptionem, Si neutrum sit, dici debet, quòd sint pœnales, adeoque iterum non obligant in conscientia ante sententiam.

96 Dub. 3. an saltem detur post sententiam Judicis obligatio in conscientia ad compensandum damnum ex culpa merè Juridica datum. Negat Haun. *tom.* 1. *de J. & J. tr.* 2. *nu.* 178. cum Rebello, & aliis. Fundantur 1. quia Leges illæ, quæ imperant reparationem damni sic dati, & sententia secundum eas lata, fundantur in præsumptione culpæ Theologicæ; Sed Lex humana fundata in præsumptione, si hæc falsa sit, non obligat in conscientia, ubi præsumptio veritati cedit: ergo &c. 2. eædem Leges vindicant damnum injuria datum *pr. Inst. & l. si servus* 3. *ff. ad Leg. Aquil.* sed injuria involvit culpam Theologicam. 3. damnum culpa merè Juridica datum reputatur instar illati per casum merè fortuitum. Sed hoc reparandi obligatio in conscientia nec ante, nec post sententiam datur. 4. ex communi Juristarum doli incapaces hac Lege conveniri non possunt, & hoc non alio ex capite, quàm quia non sunt capaces culpæ Theologicæ: ergo ubi culpa Theologica non est commissa, non est obligatio ex ista Lege. 5. Lex humana non potest disponere contra Legem naturalem; sed Lege naturali non est obligatio reparandi damnum sine culpa Theologica datum: ergo nec dispositione Legis humanæ ejusmodi obligatio in conscientia induci potest etiam post sententiam.

97 Sed his non obstantibus, dicendum adhuc, quòd post sententiam Judicis detur obligatio etiam in conscientia ad compensandum damnum etiam datum culpa merè Juridica. Est communior DD. cum Molin. *tr.* 2. *de J. & J. D.* 698. *n.* 5. Vviestner *hic nu.* 34. Reiffenstuel *ibid. num.* 44. Ratio est, quia nisi obligarent ejusmodi Leges saltem post sententiam Judicis in conscientia, fere inutiles essent, & carerent suo fine, cùm seclusa tali obligatione, posset quis nihilominus post latam sententiam damnum non compensare, aut postquam compulsus esset ad hoc resarciendum, occultam compensationem quærere: quæ licentia præberet ansam plurimis, & maximis dissidiis, neque satis cautum esset privatorum Juribus, atque etiam communi bono; oportet igitur saltem post sententiam esse obligationem in conscientia ad resarciendum damnum, proximo datum etiam per culpam merè Juridicam.

98 *Atque hinc sequitur*, eum, qui damnum, ex ejusmodi culpam datum, per Judicis sententiam coactus solvit, non posse id, quod in damni reparationem solvit, repetere, vel occulta compensatione uti; quia solvit, quod in conscientia obligabatur solvere. Ante sententiam autem, sicut qui damnum ejusmodi dedit, ad reparationem illius non obligatur, ita nec ei, qui damnum passus est, jus compensationis occultæ competit, ut colligitur ex *l. Legis* 2. *C. ad Leg. Aquil.* qua dicitur, eum, qui passus damnum est, resarcitionem damni consequi debere *competentis Judicis authoritate*.

Neque contrarium evincunt Argumenta *n.* 96. in contrarium allata. *Ad* 1. Leges illæ non fundantur in præsumptione culpæ Theologicæ; nam Lege Aquilia obligatur etiam, qui culpa Juridica solummodo levissima damnum dedit, ut colligitur ex *l. idem Juris* 8. *§. mulionem* 1. *& l. in lege* 44. *ff. ad Leg. Aquil.* culpa autem Juridica levissima non solet esse Theologica. Colligitur idipsum etiam ex fine; nam Leges istæ actionem adversus damnificantem concedunt, & damnum resarciendum imperant non tam in pœnam damnificantis, quàm ad excitandam curam in adhibenda cautela, ne quis alteri vel per se, vel per res suas sit damno, ut ita magis consulatur Juribus privatorum, & paci, atque concordiæ Reipublicæ. *Ad* 2. Injuria in his LL. ut habetur *l. sed etsi* 5. *§. injuriam* 1. *ff. eod.* nihil est aliud, quàm quod nullo Jure fit; potest autem aliquid fieri nullo Jure, & vel citra, vel contra Jus alterius absque culpa Theologica per meram culpam Juridicam. *Ad* 3. distinguendum est inter casum merè fortuitum, seu illum, qui tam Theologicè, quàm Juridicè fortuitus est, & inter eum, qui solùm fortuitus est Theologicè; nam quamvis ad casum mere fortuitum præstandum obligari aliquis, præciso speciali contractu, nequeat, vel ante, vel post sententiam, obligari tamen post sententiam potest ad præstandum casum, qui fortuitus est Theologice, non autem Juridice: & talis casus est damnum culpa mere Juridica datum. *Ad* 4. soli illi, qui doli capaces sunt, Lege hac conveniri possunt; quia qui conveniri hac Lege possunt, debent esse capaces diligentiæ, & providentiæ humano modo adhibendæ: ad præcavenda, & providenda damna aliis oritura, in cujus diligentiæ, & providentiæ omissione stat culpa Juridica; atqui qui doli capaces non sunt, non sunt capaces hujusmodi diligentiæ, & providentiæ: ergo mirum non est, quòd conveniri hac Lege nequeant, cùm etiam conveniri nequeant de culpa Juridica. *Ad* 5. Lex humana non potest disponere contra Legem naturalem illi pugnando, aut adversando, potest tamen disponere contra illam inducendo obligationem aliquam, quæ determinate per Legem naturalem non est inducta, si hoc bonum commune exigat: & talis est obligatio Legum istarum inducentium obligationem in conscientia ad compensandum damnum culpa Juridica datum post sententiam; plurimum enim obligatio ista prodest ad accurandam hominum industriam, & præcavendam damnificationem aliorum. Et hinc Lex naturæ deobligans à reparatione damni cum culpa Juridica dati, sine Theologica, solùm est conditionata, nisi scilicet legitimus Magistratus propter exigentiam boni communis Legem de compensatione etiam talis damni, per culpam mere Juridicam dati, post sententiam facienda tulerit, qua conditione posita deobligatio ab hujus compensatione facienda cessat, cùm etiam Lex naturæ jubeat servare Leges humanas justas, utiles, & necessarias bono Reip. 99

Dub. 4. an conveniri etiam possit aliquis ex damno sine vera, & propria culpa dato? Resp. affirmative. Patet ex Legibus, quæ obligationem inducunt ex quasi delicto, & ex nocumento per servum, vel animal sine propria domini culpa dato. *Primum* exemplum est *Judex* per errorem, aut imprudentiam male judicans; nam iste, licet non supponatur versari dolose, aut culpam admittere credatur à Jure, adeoque Delictum verum non committat, ita judicando tamen committit quasi Delictum *pr. inst. de Oblig. quæ ex quas. delict.* quia præsumitur, aut magis fingitur in eo esse culpabilis, quòd vel ipse rem non sufficienter discusserit, vel, cùm potuisset, prudentiores, & peritiores non consulerit. Contra hunc ergo ei, qui per imperitiam ipsius læsus est, datur Actio in factum, qua petit, ut Judex male judicans tantum illi præstet, quantum religioni Judicis Superioris æquum fuerit visum 100

pr. instit. cit. & l. fin. Cod. de pœn. Jud. mal. jud. Magnif. P. Schmier *part.* 3. *de Delict. cap.* 1. *numer.* 148. *& duob. seqq.*

101 2. *Paterf.* vel alius habitator, ex cujus ædibus projectum, vel effusum aliquid est, quod transeuntium personis, vestibus, aut rebus damnum intulit; nam hic, etiamsi nihil sciverit de effusione, vel dejectione ab alio facta, eatenus præsumitur, aut potiùs fingitur delinquere, quatenus non magis vigilavit, aut cavit, ne quid cum alterius detrimento dejiciatur, vel effundatur *§. item is* 1. *Inst. de oblig. ex quas. delict.* Quare contra ipsum ei, qui læsus est, datur actio dejecti, vel effusi, & quidem si læsio contigerit in rebus pecunia æstimabilibus, veluti in vestibus, per ipsam petit, ut duplum damni illati præster §. *item is cit. l. Prætor ait* 1. *& §§. seqq. ff. de his, qui effud. vel deject.* si verò læsus sit homo liber in sua persona, actio dejecti, vel effusi est popularis, daturque ad 5. aureos in casu mortis actori solvendos *l. prætor ait cit. §. sed cùm* 5. in casu autem vulneris ad impensas curationis, & operas cessantes solvendas §. *item is cit. & l. fin. ff. tit. cit.* Myller. *in Struv. Exercit.* 14. *thes.* 31. Magnif. D. Verlohner *act. de ex Edict. de his, qui effud. n.* 3. Magnif. P. Schmier *c.* 1. *cit. n.* 151. *& seqq.* Simile quid est in casu, quo aliquid positum, vel suspensum est in loco, ubi vulgò fit iter; nam si hoc ceciderit, & lapsu suo prætereuntibus, aut ponè consistentibus damnum intulerit, contra eum, qui author est talis positionis, vel suspensionis, quia debitam cautelam adhibuisse censetur, datur actio in factum, seu actio positi, vel suspensi, ut pro damno solvat 10. solidos seu aureos *l. si verò §. prætor ait 6. ff. tit. cit.*

102 3. *Caupo* vel *Rector navis*, nam hic, si in navi ejusdem, caupona, vel stabulo per famulos, aut inquilinos vectoribus, & viatoribus per furtum, vel aliud maleficium damnum illatum sit, quanquam conscius, aut particeps nullo modo sit, in eo tamen delinquere creditur, quòd famulorum, & inquilinorum fidem accuratius non exploraverit §. *fin. Instit. de oblig. ex quas. delict.* ac propterea convenitur actione in factum, ut præstet duplum ejus, quòd actori ex damno in navi, caupona, aut stabulo à suis ministris famulis &c. causato abest *l. fin. §. hæc actio* 1. *& §. seq. ff. naut. caup.* Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Instit. de oblig. ex. quas.* Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 159. *& seqq.*

103 4. *Dominus*, cujus Servus alteri damnum, vel quadrupe pauperiem, h. e. nocumentum intulit; nam contra hunc, quia ipsi imputatur in culpam, quòd servum suum, vel animal non ampliùs custodierit, vel cautelam sufficientem non adhibuerit, si quidem per servum ejus damnum illatum sit, ita læso datur actio noxalis, si verò per animal, Quadrupedaria, Directa quidem, si animal fuerit quadrupes, & mansuetum, Utilis verò, si bipes, vel bestia cicurata, & custodia hominis coercita *l. si quadrupes* 1. *pr. & l. hæc actio* 4. *ff. si quadrup. paup.* Stryck. *tr. de Action. sect.* 1. *membr.* 10. §. 66. Petitur per hanc Actionem, ut dominus tali servi, vel animalis, vel æstimationem damni solvat, vel servum ipsum, aut animal, per quod nocitum est, noxæ dedat, h. e. in damni compensationem actori relinquat *pr. Instit. & l. si quadrupes cit. pr. ff. si quadrup. paup. l. noxales* 1. *& tot. tit. ff. de noxal. act.* ita, ut in electione rei conventi sit, an velit servum, vel animal noxæ dare, vel damnum aliter resarcire *l. si quadrupes cit. pr.* nisi per mendacium negaverit, animal damnificans esse suum; tunc enim amittit alternationem, damnumque resarcire adstringitur *l. cit. §. interdum* 15. Plura de his Civilistæ.

104 Quoad obligationem in conscientia ex Legibus noxalibus de pauperie, & ex quasi delictis dicendum idem, quod à *n.* 90. dictum est de obligatione ex damno per culpam merè Juridicam dato; nempe post sententiam datur obligatio etiam in conscientia damna hæc reparandi, non autem ante. *Ratio primi* est, quia Leges istæ, quæ resarcitionem damni sic dati imperant, sunt justæ, & inductæ ex fine boni publici, ut homines tantò accuratiores reddantur ad damna aliorum impedienda: igitur ne elusoriæ omnino sint saltem debent post sententiam obligare. *Ratio secundi*, quia major obligatio vix à quoquam mortalium agnoscitur, cùm Leges ejusmodi nullam supponant culpam etiam Juridicam, nisi ad summum præsumptam: unde erunt quasi pœnales, quæ ante sententiam nullam inducunt obligationem in conscientiam ad pœnam solvendam. *Excipitur*, nisi natua, caupo &c. promisisset pacto, se omne damnum quovis modo per homines, vel animalia sua inferendum compensaturum; tunc enim ex pacto etiam in conscientia obligatio nasceretur. Engl *hic n.* 45. *fin.*

Porro ex his *sequitur* 1. eum qui per sententiam condemnatur, damnum per homines, vel animalia sua datum resarciit, non posse solutum repetere, vel occulta compensatione uti; quia solvit, quod in conscientia obligabatur solvere: Si tamen damnum hoc per hominem darum fuit, potest is, qui condemnatus solvit, id, quod solvit, ab eo, qui damnum dedit repetere *l. prætor ait* 1. *& tot. tit. ff. de his qui effuder.* *Sequitur* 2. ita damnificatum non posse ante sententiam, & extra viam Juris sibi ipsi ex rebus ejus, per cujus homines, vel animalia damnum passus est, resarcitionem damni illati quærere; quia ante sententiam nihil adhuc eidem debetur. *Sequitur* 3. non esse licitum aliena animalia, in agris, vel segete deprehensa, interficere, includere, vel aliud eis damnum inferre; tum quia hoc modo dominus eorum innocens pateretur damnum; tum verò, quia damnificato contra ipsum pro damno dato ordinarium Juris remedium competit. Abigi proinde debent sine damno, vel dominus admoneri, ut recipiat *l. Quintus* 39. *& l. seq. ff. ad Leg. Aquil.* Si tamen inclusio non fieret animo celandi, seu subtrahendi, sed ut deveniatur in cognitionem domini, quia animalia fortassis ignota sunt; vel si consuetudo permittat talem inclusionem quasi pro pignore, usque dum dominus satisfaciat, tolerari hoc posse censet Molin. *tr. D.* 697. *n.* 23. Engl. *n.* 34. *vers. si tamen* & talem consuetudinem passim inductam, testantur Christoph. Richter. *decis.* 5. David Mævius *ad Jus Lubec. l.* 3. *art.* 3. *tit.* 11. *à n.* 9. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. si quadrup. paup. fec. q.* 3. Magnif. D. Verlohner *act. de past. pecor. & de paupert. nu.* 3. & consentit Jus provinciale Bavaricum *Land Recht tit.* 27. *art.* 7. *&* 8. 105

Dub. 5. cui facienda sit restitutio ex Lege Aquilia, vel noxalibus, aut de paupere, & quænam causæ excusent à restitutione? Resp. restitutio facienda est ipsi læso, vel ejus hæredi, si notus sit, pro læsionis modo, & ordine Juris. Excusat autem 106

1. Impossibilitas physica, vel moralis, ut si restitutio fieri nequeat salva vita, si nequeat fieri sine damno boni ordinis superioris, si ob paupertatem, restitutione facta, ad hanc condemnatus, deberet carere necessariis sibi ad vitam: quibus casibus tamen obligatio compensandi damnum, præcepto Judicis imposita, non cessat absolutè, sed tantùm suspenditur, ut solùm tamdiu duret excusatio, quamdiu ratio excusans durat. Engl. *hic n.* 44.

2. Excusatur condemnatus, si condonatio obligationis facta ipsa à læso est; cùm enim sententia hæc prolata sit in favorem læsi, & favoribus sibi factis quilibet renuntiare possit, non apparet, ex quo capite prohibeatur læsus obligationem istam arbitrio suo lædenti remittere. 107

3. Excusatur, si læsus jam aliunde sibi compensavit damnum, quod passus est, ex bonis lædentis; tunc enim nihil ipsi debetur ampliùs, & sententia tantùm procedit ex suppositione nondum factæ compensationis. Idem dic, si lædens ipse ante sententiam damnum jam compensavit.

§. III.

De Repressaliis, seu Pignorationibus.

SUMMARIUM.

108 *Definitio Repressalium.*
109 *Generaliter sunt illicitæ.*
110 *Nec per consuetudinem licitæ fieri possunt.*
111 112 *Conditiones, cum quibus licitè inducuntur.*
113 &c. *An possint admitti etiam contra innocentes?*
116 &c. *An contra Ecclesiasticos, & horum bona?*
118 *An contra Scholares?*

QUæritur 1. quid sint *Repressaliæ*? Resp. *Repressaliæ*, barbaro nomine, Latinè *Pignorationes*, sunt, quando una persona, vel res ejus pro delicto, aut debito alterius capitur. Si fiant à Principe, vel Rep. concedi plerumque solent per Litteras, per quas subditis, 108

dictis, aut militibus suis, damnum injustum passis Princeps, aut Resp. dat potestatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, in compensationem damnorum, quæ ipsis illata sunt. Sylv. *V. Repressaliæ n.* 1. Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 12. *n.* 13. *vers. atque huc* Pirhing. *hic n.* 2. Sannig *ibid. c.* 2. *n.* 3.

109 Quæritur 2. an licitæ Repressaliæ sint? Respond. generaliter loquendo sunt illicitæ; nam *cap. un. h. tit. in* 6. & *Novell.* 52. *c.* 1. injuriis annumerantur: & merito; quia non est æquum ob culpam, & crimen alterius innocenti infligi pœnam, quæ tantùm suum sequitur authorem *l. sancimus* 22. *C. de pœn.* Et hinc *in Novell. cit.* Imperator seriò mandavit Judicibus tales pignorationes punire, simulque statuit, ut in Civili causa faciens pignorationem reddat quadruplum, & insuper causam amittat.

110 Estque hoc ita verum, ut nec consuetudine induci possit, ut Repressaliæ privatis hominibus indifferenter permittantur; quia cùm *c. un. cit.* declarentur Juri naturali contrariæ, consuetudine, quæ contra Jus naturale nihil operatur, licitæ fieri non possunt §. *sed naturalia* 12. & ibi DD. *Inst. de I. N. G. & C.* unde talis consuetudo *cap. cit.* non consuetudo, sed abusus nominatur. Dixi autem *generaliter loquendo*; nam in certis casibus, & certis conditionibus concurrentibus, contra certas personas, & universitates, quæ requisitæ Justitiam non ministrant, & iis foventes, Repressaliæ non sunt illicitæ. Ancharan. *in cap. cit. not.* 2. Franc. *ibid. not.* 1. Zoes. *hic num.* 19. Pirhing *numer.* 21. Engl. *numer.* 22. Sannig. *cap.* 2. *num.* 3.

111 Quæritur 3. quæ conditiones requirantur, ut Repressaliæ fiant licitæ? Resp. 1. requiritur Authoritas Principis; nam indici debent à Principe, & quidem tali, qui bellum possit indicere. Covar. *Reg. peccatum part.* 2. §. 9. *numer.* 5. *vers. hinc denique*, & alii passim; quia sunt quædam species belli, & bellum saltem particulare.

2. Justa causa concedendi, talis scilicet, ob quam bellum indici, possit: qualis est, si Resp. contra quam inducuntur Repressaliæ, neglexerit vindicare, quod à suis, vel subditis ipsius improbè factum fuit; vel si recuset reddere, quod per injuriam ablatum est *can. Dominus* 2. *caus.* 23. *q.* 2. Covar. *l. cit.*

3. Recta intentio illius, cui conceduntur Repressaliæ, scilicet compensandi damni, non privatæ vindictæ. Pirhing *l. cit.*

112 4. Ut Repressaliæ non excedant damnum illatum, & interesse datum. Pirhing, Sannig *l. citt.* Item ut non fiant in personis, quæ damnum non intulerunt; quia iniquum est alium pro alio; sive pro culpa alterius prægravari *c. un. cit. pr.* Zoes. Pirh. Sannig. *l. citt.*

5. Ut Princeps, vel Resp. adversùs quem Repressaliæ inducuntur, priùs moneatur, & post monitionem neglexerit compensationem facere, vel imperare *can. dominus*, & *DD. citt.* nec enim videtur omnino extra culpam esse, qui negligit vindicare suorum improbitatem, vel Justitiam super debito facere recusat, aut differt, & sceleris authorem apud se lanitantem non tradit.

113 Quæritur 4. an Repressaliæ possint admitti etiam contra innocentes, qui inter nocentes commixti degunt? Respond. in personas eorum non posse, ut patet ex *num. præced.* & ratio ulterior est, quia ut nemo specialiter ad pœnam corporalem pro alio se obligat, aut obligare se potest, cùm non sit dominus membrorum suorum; ita nec obligari potest per istam obligationem generalem: igitur ad innocentium offensionem in persona per se loquendo Pignorationum, & Repressaliarum consuetudo non permittitur.

114 Dixi *in persona*; nam in rebus etiam innocentium licent Repressaliæ, si aliunde adsint conditiones cæteræ, ita, ut bona eorum diripi, & occupari possint. Covar. *in Reg. peccatum part.* 2. §. 8. *num.* 5. *vers. hinc ni fallor*, Zoes. *hic nu.* 19. Pirhing *num.* 21. nam bonorum suorum damno potest quilibet se subjicere, & Legi, vel Statuto nomine alterius alterum subjicienti consentire, debitumque alienum, licèt sine culpa sua, ex causa tamen civiliter luere. Quodsi tamen innocentes in hujusmodi Repressaliis patiantur damnum in rebus suis, salvus manet eis regressus adversùs eum, qui criminis, aut debiti author fuit. Zoes. *l. cit.*

115 Addidi *per se loquendo*; ex accidenti enim permissum est etiam innocentes occidere, & lædere in suis personis, si Repressalias exequentibus repugnent, & se, suaque defendant. Covarruv. Pirhing *l. citt.* Ratio est, quia aliter Repressaliæ, legitimè indictæ, exerceri non possunt.

Quæritur 5. an contra Ecclesiasticos, vel bona eorum, concedi Repressaliæ possint? Respond. negativè. 116
Ita habetur *c. un. h. tit. in* 6. ubi damnatur omnis contraria consuetudo, & contra transgressores hujus Decreti, si personæ singulares fuerint, sententia Excommunicationis; si verò Universitates, Ecclesiasticum Interdictum decernitur, nisi intra mensem hujusmodi concessionem, vel extensionem revocaverint. Zoes. *hic num.* 19. Pirhing *n.* 22. Engl *n.* 20. *fin.*

Unde sequitur, quòd, si Repressaliæ simpliciter, & 117
generaliter concedantur in aliqua Provincia, illæ non extendantur ad Clericos, & Religiosos, nec ad propria illorum bona, quippe quæ gaudent eodem privilegio, quo ipsæ personæ. Franc. *in cap. un. h. tit. in numer.* 7. Ratio est, quia cùm Repressaliæ sint odiosæ, non sunt extendendæ, sed restringendæ. Accedit, quia expressa, & specialis concessio adversùs hos, & bona illorum non valeret: ergo nec generalis; hæc enim comprehendere nequit, quæ specie prohibentur.

Similiter generali Repressalium Decreto non compre- 118
henduntur Scholares juxta *Auth. habita Cod. ne filius pro patre &c.* quæ licèt loquatùr de studentibus Juri Civili, tamen eadem ratio est de iis, qui student in aliis Facultatibus, maximè Juri Canonico. Gloss. *hic post casum in notatis.*

PARS IV.

De Pœnis Delictorum.

EXaminavimus hactenus Delicta Fori Ecclesiastici, & plerisque subjunximus pœnas à Jure taxatas, quarum aliæ, quæ in Judiciali foro externo, aliæ interno seu Pœnitentiali imponuntur: utrarumque natura in Parte hac quarta Libri præsentis est explicanda.

TITULUS XXXVII.

De Pœnis.

POenarum, quas Ecclesia injungit delinquentibus, aliquæ Vindicativæ, aliquæ Medicinales sunt: de posterioribus agetur *Tit.* 39. de prioribus, in quantum pertinet ad forum externum, in *Titulo* præsenti sermo præcipuus: priùs tamen aliquid dicetur de Pœnis in genere.

§. I.

De Pœnis in genere.

SUMMARIUM.

1 *Definitio Pœnæ.*
2 3 *Requisita, ut justè imponatur.*
4 *Ejus diversa acceptio.*
5 *Et divisio.*
6 *Conventionalis à quo solvi debeat?*
7 &c. *An tota pœna Conventionalis solvi debeat ab eo, qui contractum observavit ex parte tantùm?*
11 &c. *Variæ Subdivisiones Pœnæ Vindicativæ.*
15 &c. *Quodnam sit Subjectum pœnæ?*
23 &c. *Quoties delinquens puniendus?*
26 &c. *Quid Judici in infligenda pœna sit attendendum?*
31 *An Judex loco pœnæ ordinariæ possit imponere extraordinariam, vel eam omnino remittere?*
32 &c. *Quid circa remissionem, vel mitigationem pœnæ possit Supremus Princeps, aut Status Imperii, jus aggratiandi habens?*
35 &c. *Quid Judex inferior, cui jus aggratiandi non competit?*
44 *An debeatur à reo pœna in conscientia ante sententiam?*
45 *Quando debeatur pœna Conventionalis?*
46 &c. *Quando pœna ipso Jure lata?*
54 &c. *An quando Lex ipso Jure imponit publicationem*

nem bonorum, *reus ante sententiam declaratoriam statim amittat illorum dominium*?

60. &c. *Quid operentur verba* absque alia declaratione, *vel* nulla monitione prævia, *addi non rarò solita in Legibus*, *quæ Jure*, *& facto ipso privant rerebus ante possessis*?

63. &c. *Quas pœnas teneatur exequi delinquens post la-t am sententiam*?

1 QUæritur 1. quid sit *Pœna* in genere? Respondeo juxta *S. Aug.* relatum *can. pœnitentia* 4. *vers. pœna de Pœnit. dist.* 3. est, *læsio*, *quæ punit*, *& vindicat*, *quod quisque commisit*: vel ut eam ex *Cujacio* definit, Zœs. *ff. h. tit. n.* 1. est *Delictorum*, *sive Criminum coercitio, sive vindicta, inducta ad disciplinæ publicæ emendationem*.

2 Ut justa sit hæc coercitio, requiritur 1. *honestus finis*: talem habebit: si non quiescat in nudo malo alterius, sed eò tendat, ut vel reus emendetur, vel, si noluerit se emendare, reddatur inhabilis ad peccandum, vel ut scandalum scelere datum exemplo pœnæ reparetur. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 15. 2. *authoritas publica*: cùm enim ex una parte coercitio tendat ad utilitatem publicam, ex altera verò non expediat cuilibet privato potestatem coercendi concedere, necessum est, ut pœna ab eo dictetur, qui publica ad hoc authoritate instructus est, Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 16. 3. *Proportio*, & *æqualitas*; ut in eo gradu se contineat, in quo malitia delinquentis erat posita: conf. propositio ista debet esse non Geometrica, sed Arithmetica; cùm enim gravitas pœnæ debeat correspondere gravitati culpæ, non minùs in pœnarum qualitate observari debet proportio Arithmetica, & æqualitas rei ad rem, quàm in Contractibus, & cæteris actibus Justitiæ commutativæ. P. Schmier *l. cit. n.* 18.

3 *Neque obstat*, quòd *l. in servorum* 10. *pr.* & *l. capitalium* 28. *§. fin. ff. h. tit.* jubeantur graviùs castigari Servi, quàm homines ingenui; sicque habeatur respectus ad personas, & observari videatur proportio Geometrica, ut arguit Ant. Matth. *de crimin. ad l.* 48. *t.* 18. *c.* 4. *n.* 7. Nam hoc ideo fit, quia vel Delicta servorum atrociora sunt Delictis ingenuorum, vel quia pœnæ, quæ respectu hominum liberorum sunt graves, respectu vilium sunt leves, cùm isti cruciatu corporis, illi infamia, & aliis animi doloribus acerbiùs crucientur. P. Schmier *l. cit. n.* 19. & 20.

4 Quæritur 2. quotupliciter possit accipi Pœna? Resp. accipi potest tripliciter. 1. latè, prout includit etiam Medicinales. 2. strictè, prout Medicinales quidem excludit, includit tamen Pœnas Civiles. 3. strictissimè, prout includit solam Vindicativam: & huic tanquam illi, quæ propriè pœna solùm est, convenit Definitio *n.* 1. data; nam Pœnæ illæ, quæ Civiles merè sunt, propriè pœnæ non sunt, utpote quæ non publicæ disciplinæ emendationem, sed privatam satisfactionem spectant.

5 Pœna ergo *Vindicativa* est, quæ ad vindictam publicam, *Civilis*? quæ ad satisfactionem privatam tendit. Et hæc posterior triplex est, *Legalis*, quæ à Lege, *Judicialis*, quæ à Judice, *Conventionalis*, quæ mutuo partium consensu imponitur, & apponitur Contractui, ut is firmiùs observetur. Et quidem, quod hujusmodi pœna *Conventionalis* apponi possit Contractui, eaque exigi, certum est ex *c. constitutus* 7. *h. tit.* & docet *ibid.* Abb. *n.* 2. & 3. Zœs. *hic n.* 2. Piring *n.* 12. & alii passim.

6 Incumbit obligatio solvendi pœnam Conventionalem illi, qui contractui contravenit *c. dilecti* 4. *de arbitr.* & *l. si pacto* 14. *C. de pact.* nisi & alter eidem Contractui contravenerit; tunc enim obligatio solvendi pœnam in utroque cessat *c. constitutus cit.* Gloss. *ibid. utramque*, Host. *V. eod.* Pirhing *hic n.* 12. Engl *ibid. n.* 1. quia paria delicta quoad pœnam privatam mutua compensatione tolluntur *c. fin. de adult.* & *l. si ambo* 10. *ff. de Compensat.*

7 *Difficultas* est, an is, qui Contractum observavit ex parte tantùm, satisfaciat, si partem pœnæ solvat, an verò obligetur ad totam pœnam solvendam, tanquam si nulla ex parte stetisset contractui? Casus est: Titius mutuos accepit 200. fl. à Cajo, cum pacto, ut intra annum restituat summam integram, vel si non solverit, in pœnam moræ Cajo pendat 10. fl. transacto anno, Titius solvit 100. duntaxat, quæstio est, utrum pœnæ nomine teneatur solvere 10. tanquam si nihil solvisset; an verò satisfaciat, si solvat quinque?

Rationem dubitandi faciunt ex una parte *l. stipulationum* 5. §. *fin. ff. de V. O. l. in executione* 85. §. *item si* 6. *ff. eod.* & *l. hæredes* 25. *§. idem juris* 13. *ff. famil. hercisc.* ubi jubetur totam pœnam solvere, qui sortem non solvit integrè. Ex altera verò parte *c. suam* 9. *h. tit.* ex cujus textu tali casu solùm manet obligatio solvendi pœnam cum proportione ad partem debiti, statuto tempore non exsoluti, & Episcopo, pœnam integram petenti, silentium imponitur. Ob hunc posteriorem textum nonnulli cum Gloss. *ibid. V. persolutis*, Innoc. *in c. cit.* Abb. *n.* 6. Berojo *in c. dilecti cit. n.* 82. putant Jure Canonico correctum rigorem Legum Civilium *citt.* Sed quia *in c. cit.* Pontifex ne verbo quidem meminit de ulla correctione Juris Civilis, neque hujus dispositionem improbat, hinc meritò factam aliquam hujus Juris correctionem negant Sarmient. *l.* 5. *select. c.* 6. *n.* 11. Fachin. *l.* 10. *contr. c.* 63. Zœs. *in l. stipulationum cit. n.* 5. Barbos. *in c. cit. n.* 13. Wiestner *hic n.* 6. Hinc meliùs cum his 8

Distinctio fit inter pœnas, utrum individua sit, an verò dividua. *Si individua* est, solvi debebit integra, etiamsi contractus ex parte sit observatus. *Si verò dividua sit*, videndum, an Contractus non sit observatus ex parte notabili, an solùm in minima *Si primum*, & pœna secundùm Leges sit moderata, alter, qui observavit Contractum, petere potest integram. *Si secundum*, æquitas postulat, ut integra pœna non exigatur, præsertim à Clericis, & Episcopis, quos Ecclesia ab omni avaritiæ, & sorditiei specie vult esse remotos. 9

Quæritur 3. quotuplex sit Pœna Vindicativa? Resp. 10 variæ sunt istius Divisiones; nam 1. dividitur in Personalem, Realem, & Mixtam. *Personalis* est, quæ tantùm personam afficit: & talis pœna est incarceratio, detrusio in Monasterium, Depositio, verberatio, relegatio ad triremes &c. *Realis* est, quæ in odium personæ rebus imponitur, ut cùm reus privatur Beneficio, cùm mulcta pecuniaria ei imponitur, aut omnino confiscantur illius bona &c. *Mixta* denique est, quæ partim est personalis, partim realis, ut Interdictum, Relegatio, Proscriptio in exilium &c.

2. In Ordinariam & Extraordinariam, seu Arbitrariam. *Ordinaria* est, quæ Lege, Canone, vel Consuetudine præscripta est. *Extraordinaria*, sive *Arbitraria*, quæ nulla Lege, Canone, vel Consuetudine definita est, sed Judicis arbitrio, secundùm personarum, & delictorum qualitatem imponitur. Tiraquell. *in l. si unquam* 8. *V. revertatur. C. de revocand. Donat. n.* 5. Suar. *l.* 5. *de LL. c.* 7. *n.* 1. Wiestner *hic n.* 8. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 21. & alii passim. Ex Ordinariis aliquæ infliguntur *ipso Jure*, ita, ut ipso facto, quo crimen patratur contrahantur etiam ante sententiam condemnatoriam Judicis; aliæ *sententia Judicis*, qui reum ad eam secundùm Leges, Statuta, vel Consuetudinem condemnet, indigent. 11

3. In Positivam, & Negativam. *Positiva* est, quæ ad sui executionem exigit actionem, sive dein actio ista facienda sit ab ipso delinquente, sive ab alio tertio, uti est flagellatio, exilium, solutio Pœnæ, mutilatio membri, privatio vitæ &c. *Negativa*, quæ in negatione, vel amissione consistit, quales sunt privatio beneficii, officii, usùs Ordinis, fructuum; item omnes inhabilitates, irritationes, & annullationes actuum &c. in pœnam delicti decretæ. Palao *tr.* 3. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 3. Wiestn. *ibid. n.* 9. 12

4. In Capitales, & non Capitales. *Capitalis* pœna est, quæ infert reo mortem aut naturalem per ablationem vitæ, aut civilem per ademptionem libertatis, vel Patriæ: hujus species sunt ultimum supplicium, quo duntaxat intelligitur pœna mortis naturalis *l. ultimum* 22. *ff. h. tit.* damnatio ad metallum, deportatio: quibus æquiparatur perpetuum exilium, & Bannus Imperialis. *Non Capitales* sunt, quæ non ad capitis periculum, sed ad existimationem pertinent *l. capitalium* 28. *§. cæteræ* 1. *ff. h. tit.* sive qua quis, salva vita naturali, & civili, i. e. libertate, & civitate, coercetur: & hoc modis diversis fieri potest in bonis, in corpore, vel in statu delinquentis: & hinc 13

5. Pœnæ non Capitales aliæ sunt, quæ afficiunt animum; & tales sunt illæ, quibus delinquentis status diminuitur, aut infamiam eidem irrogatur per Dignitatis, aut publicæ existimationis ademptionem. Aliæ, quibus affligitur corpus, ut fit per incarcerationem, abstinentiam fusti-

fuſtigationem, reſciſſionem narium &c. & hæ *Corporales* dicuntur. Aliæ reſpiciunt bona delinquentis externa: & quidem ſi pecunia illius, *Pecuniariæ* appellantur: qualis eſt mulcta, non parti, ſed fiſco applicanda; ſi verò res, & Jura alia, ab iſtis nomen ſortiuntur: & hinc aliquæ ex iſtis *Spirituales* vocantur, quibus nempe delinquens Officio Spirituali, vel ipſius, aut SS. Ordinum uſu, & exercitio vel in perpetuum, vel ad tempus privatur, vel ad ea inhabilis redditur, uti ſunt Degradatio, Depoſitio, privatio Beneficii ſepulturæ Eccleſiaſticæ, Vocis activæ, & paſſivæ in Electione ad Beneficia &c.

15 Quæritur 4. quodnam ſit Subjectum pœnæ? Reſp. eſt homo vivens, & delinquens. Dixi 1. *Homo*; nam bruta, ſicut ob rationis defectum Juris, obligationis, & culpæ ſunt incapacia, ita pœnam propriè dictam pati non poſſunt. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 26. Neque obſtat*, quòd aliquando flammis exuſta, vel alio mortis genere perempta legantur; nam id factum eſt in deteſtationem criminis, cujus homines complices ſe fecerunt, vel in confuſionem, & afflictionem Dominorum, qui animalia ſua meliùs non cuſtodierunt. P. Schmier *l. cit. n.* 27. Addi poteſt tertia ratio, ut hujuſmodi animalia ceſſarent eſſe noxia.

16 Dixi 1. *Vivens*; nam crimina cum morte nocentium extinguuntur *can. quorundam* 14. *diſt.* 23. *l. defuncto 6. ff. de Publ. Judic. & l. fin. C. ſi reus, vel accuſator &c.* conſ. cadavera mortuorum ad ſupplicium rapi nequeunt, neque pœna de defunctis repeti P. Schmier *n.* 28.

Excipitur 1. ſi pœna pecuniaria, vivente adhuc delinquente, lata eſt, nec per appellationem ſuſpenſa; tunc enim ſolvi illa ab hæredibus debet, cùm jus ad illam per ipſam ſententiam quæſitum ſit fiſco; *l. ex Judiciorum 20. ff. de Accuſat.*

Excipitur 2. crimen repetundarum, & perduellionis; nam ob iſta delinquentium bona etiam poſt mortem eorum confiſcantur *l. ex Judiciorum cit. l. ff. & fin. pr. C. ad Leg. Jul. Majeſt.* ubi ſtatuitur, quòd *etiam poſt mortem nocentium hoc crimen inchoari poſſit, ut convicto mortuo, memoria ejus damnetur; & ejus bona ſucceſſori ejus eripiantur.*

17 *Excipiuntur* 3. Hæretici, Excommunicati, & aliorum quorundam delictorum rei, quibus mortuis, niſi ſe DEO, & Eccleſiæ antea reconciliaverint, negatur Sepultura Eccleſiaſtica, prout dictum eſt *Libr. 3. Tit. 28. à n.* 40. quibus adde alia quædam delicta, ob quæ ultimo ſupplicio affectorum, licèt pœnitentes deceſſerint, corpora ad majorem aliis terrorem incutiendum in loco publico ſuſpenſa, & inhumata ex conſuetudine paſſim recepta relinquuntur: quam conſuetudinem non improbandam dicti *l. cit. n.* 69. Imò aliquando nocentes terræ mandati rurſus exhumantur, & ſuſpenduntur è patibulo, implicantur rotæ, aut igne conſumuntur; vel ubi cadavera eorum haberi non poſſunt, in deteſtationem criminis ea executio fit in eorum effigie, ſi primùm poſt mortem de enormi illorum facinore conſtare cœperit. Carpzov. *pr. crim. q.* 131. *n.* 28. *& ſeqq.* P. Schmier *l. cit. n.* 33.

18 Dixi 3. *delinquens*; quia pœna ſequitur ad culpam. Atque hinc ſequitur, quòd alius pro alio per ſe loquendo puniri non poſſit; quia pœna ſuos tenet authores, neque ulteriùs contra eos progreditur, qui procul ſunt à delicto *l. ſancimus 22. C. de Pœn.* Covar. *l. 2. var. c. 8. n.* 7. Farin. *prax. crim. q.* 24. *nu.* 1. Palao *tr. 3. D. 4. p. 6. n.* 1. Magnif. P. Schmier *c. 3. cit. n.* 34.

Dixi *per ſe loquendo*; nam ſi ſubſit ſpecialis cauſa, vel bonum commune hoc exigat, poteſt innocens ſecundùm ſe, ob connexionem, quam cum nocente habet, pœna affici, & gravamen ſuſtinere. *Et ratio eſt*, quia etſi pœna nunquam inferatur ſine culpa, & ordinariè requiratur culpa propria, juxta regulam, *ſine culpa non eſt aliquis puniendus c. ſine culpa 23. de R. J. in 6.* id tamen intelligendum duntaxat eſt, *niſi ſubſit cauſa*, ut in *Reg. cit.* additur; nam aliquando inferri poteſt ſine culpa puniti, ſed tamen non ſine cauſa. Sylv. *V. Pœna n.* 1.

19 Eſtque hoc receptum utroque Jure, etiam Canonico; ſic enim qui Epiſcopum ſuum occiderit, non tantùm ipſe omnia, quæ ab Eccleſia obtinet, amittit, ſed etiam liberi illius uſque ad quartum gradum ab Eccleſia, & illius Beneficiis arcentur *c. ad aures 10. & cap. in quibuſdam 12. h. tit.* Eodem modo pœnæ, in Hæreticos, & læſæ Majeſtatis reos ſtatutæ, à parentibus ad filios tranſeunt, ut ſtatuitur *cap. vergentis 10. de Hæret. c. ſtatutum 15. eod. in 6. l. quiſquis 5. §. filii 1. C. ad Leg. Jul. Majeſt.* & tradunt *ibi* DD. *Ratio* autem, quòd ad filios etiam pœnæ parentum extendi poſſint, eſt multiplex, præcipuè verò duæ iſtæ, partim quia filii ſunt aliquid Patris, & commune bonum exigit, ut ad terrorem aliorum in atrocioribus hujuſmodi delictis parentes non tantùm in ſe, ſed etiam in filiis puniantur; partim quia timetur, ne filii indolem parentum, & peccata imitentur, & ſic illis remanet præſumptio paternæ malitiæ.

Si delinquat Univerſitas, ſeu Communitas, refert, 20 an omnes ſint culpabiles, an major pars, an aliqui tantùm. *Si primum*, omnes puniri poſſunt, plerumque tamen pæna eorum non debet eſſe æqualis; quia nec æquale omnium ſolet eſſe delictum, cùm delinquere non ſoleat multitudo, niſi à ſeditioſis capitibus, & ſceleratis coryphæis fuerit impulſa, atque commota. Accedit, quia in tali Communitate plerumque continentur etiam pueri, mulieres, plebeii &c. qui cùm conſiliorum publicorum expertes ſint, non eandem, quàm viri Senatores, Conſules, docti &c. malitiam contrahunt. Quare hoc caſu potiùs in Authores, & primiores ſceleris ultore gladio ſæviendum erit, cæteri verò etſi puniri poſſint, & debeant in bonis fortunæ, non tamen in vita, vel membris, quia ut *can. ordinationes 5. cauſ. 9. q. 1.* loquitur Pontifex, *ubi multorum ſtrages jacet, ibi ſubtrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut addatur amplius charitati:* P. Schmier *l. cit. n. 35. & duob. ſeqq.*

Si ſecundum, non minùs, quàm in primo caſu, puniri tota Communitas poteſt; & ſi delictum ſit unum ex atrocioribus, tota Civitas, vel Provincia, quamvis multi in ea ſint innocentes, devaſtari, velut exempla habemus in S. Script. *Deut. 13. v. 12. & ſeqq.* ſi enim ob Hæreſin, aut perduellionem parentum innocentes Liberi fama, fortuniſque ſpoliantur ſecundùm dicta *n.* 19. multo magis innocui Cives bonis privari poterunt, ſi major Civitatis pars exceſſerit, eò quòd major pars partem minorem quoad commoda, & incommoda repræſentet. Dixi *bonis privari poterunt*; nam in vita, vel corpore ſola delinquentium capita ſunt coercenda, cum non æqualem poteſtatem Reſp. in vitam, & membra, qualem in res, & fortunas, ſubditorum ſuorum habeat, & intrinſecè malum ſit innocentem, qui talis eſſe cognoſcitur, privare vita, vel integritate membrorum ſuorum. P. Schmier *n. 38. & 39.* 21

Si tertium, ſinguli delinquentes, abſque præjudicio 22 Communitatis ſingulari pæna plectendi ſunt *l. ſi quis 7. §. fin. ff. de Juriſd. l. ita vulneratus 51. ff. ad Leg. Aquil. l. vulgaris 21. §. ſi duo 9. ff. de furt. Conſt. crim. Carol. V. art.* 148. Ant. Matth. *de criminib. ad Libr.* 48. *tit.* 18. *nu.* 30. Braun. *de Imper. mer. c. 1. §. 6. n.* 28. Gletle *Juriſpr. terribil. p. 1. c. un. §. 3. n.* 30. P. Schmier *l. cit. n.* 40. Quandoque tamen inter ejuſdem delicti reos, quis ultimi ſupplicii pæna afficiendus ſit, ſortitione determinatur, prout fieri ſolet inter plures milites tumultuantes, aut ordinem, vel ſigna deſerentes, ubi plures, vel pauciores, quos ſors infauſta tetigerit, rapiuntur ad furcam, vel aliud ſupplicium capitis. Lauterbach. *h. tit. ff. §.* 16. nam, ut Imperator *Novell. 30. c. 12. pr.* monet, *ſumma quædam humanitas eſt, cùm multi paucorum animadverſione ſalvantur.* P. Schmier *l. cit. n.* 41.

Quæritur 5. quoties delinquens puniendus ſit? Reſp. 23 toties, quoties iterat delictum. Ita Covar. *l. 2. var. c. 10. n. 8. verſ. quot verò*, Vallenſ. *hic §. 1. nu.* 3. Pirhing. *nu.* 4. Konig. *n.* 10. Sumitur ex *c. ea, quæ h. tit.* ubi dicitur: *Ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti ſententia condemnentur.* Et ratio eſt, quia, quoties iteratur idem crimen, non in continenti, ſed ex intervallo, eſt novum, & diſtinctum delictum; adeoque puniri iterum debet.

Dixi, *non in continenti, ſed ex intervallo*, nam textus 24 ille, & noſtra aſſertio ſolum intelligenda eſt, ut bene monet Covar. *l. cit.* cum iteratur crimen momentaneum ex intervallo. Unde in criminibus ſucceſſivis, ubi delictum iteratur contra eandem perſonam, ut fit in adulterio, fornicatione, concubinatu &c. niſi interruptio interveniat; aut crimen jam ſemel deductum ad judicem, & ab hoc punitum ſit, in ordine ad pænam cenſetur eſſe unum peccatum, & conſ. una pæna, licèt graviori, eſt puniendum, Gloſſ. *in l. vulgaris V. fuerit ff. de Furt.* cujus opinio, teſte Konig. *l. cit.* omnium calculis commu-

communiter recipitur, five deinde pœna fit capitalis, five alia iterabilis.

25 Addidi, *idem crimen;* nam fi aut per unum actum, aut in uno continuo actu diversa committantur crimina, ut fiquis rem fuam alteri furripiat, & eadem occafione percutiat, injuriam inferat, vulneret, aut occidat proximum, DEUM blafphemet &c. pœna non tantùm furti, fed etiam injuriarum, homicidii, & blafphemiæ tenebitur *l. nunquam 2. ff. de privat. delict. l. illud 32. §. fi idem 1. ff. ad Leg. Aquil.*

26 Quæritur 6. quid Judici in infligenda pœna fit attendendum? Resp. maximè confiderabit circumftantias: & 1. quidem qualitatem Delicti; nam aliter punitur vis publica, alter vis privata *l. de vi privata 1. ff. ad Leg. Jul. de vi privat. & tot. tit. ff. ad Leg. Jul. de vi privat.* item aliter animadvertitur in reum furti manifefti, aliter in eum, qui reus eft furti non manifefti *§. pœna 5. inftit. de oblig. quæ ex delict.*

2. Tempus, locum, & eventum; nam tempus delicti commiffi facit, ut aliter puniendus fit fur nocturnus, quàm fur diurnus *l. itaque 4. §. lex 1. ff. ad Leg. Aquil.* locus facit, ut idem furtum, vel Sacrilegium aliquando fit puniendum capite, aliquando minore fupplicio *can. quifquis 21. §. Sacrilegium cauf. 17. q. 4.* Eventus facit, ut aliter puniatur crimen factum, aliter crimen folùm intentum; intentio enim criminis, etiamfi in actum propinquum exierit, non habetur pro facto, nifi in quibufdam valde enormibus.

27 3. Qualitatem perfonæ delinquentis; nam ut Decius *in c. 1. de leg.* Bald. *in l. un. C. de Rapt. Virg.* Covar. *l. 2. var. c. 9. num. 4.* Konig *hic num. 12.* advertunt, deferendum eft Dignitati, aut nobilitati ejus, qui deliquit: & ratio eft, quia aliquando eadem pœna refpectu Nobilis major, refpectu ignobilis minor eft, & viciffim. Hinc pœna pecuniaria graviùs puniendus eft, Nobilis, aut in Dignitate conftitutus, quàm plebejus; è contrario pœna corporali idem Nobilis eft coercendus mitiùs *l. aut facta 16. §. perfona 4. ff. h. tit. l. facrilegii 6. ff. ad Leg. Jul. peculat.* quia à Nobili, cùm ditiores hi fint plerumque, pecuniaria pœna minùs fentitur, magis verò corporalis: igitur hæc moderanda, illa verò eft aggravanda fupra id, quod aliàs in plebejos decerni folet.

28 4. Quantitatem damni illati, & deliberationem, qua delictum commiffum eft; nam ob defectum deliberationis, aut perfectæ deliberationis fæpe evitatur omnino pœna, cùm maleficia tum folùm puniantur, cùm ex corde committuntur *can. illa 6. cauf. 15. q. 1.* Gloff. *in c. 1. de Converf. Conjug.* fæpe pœna, quæ aliàs gravior fecundùm Leges imponi deberet, diminuitur, prout dicetur *infrà n. 41.* Ob quantitatem autem diverfam, qui ovem furripit, fur tantummodo; qui gregem, Abigeus dicitur, & diverfa pœna, quàm fur, afficitur *l. aut facta cit. l. de abigeis 1. & l. fin. ff. de abig.*

29 5. Qualitatem certitudinis qua delinquentem pœnæ obnoxium effe conftat; nam fi in Jure, vel in facto occurrat dubium, an crimen commiffum, vel qua pœna puniendum fit, Judex regulariter femper in partem mitiorem inclinare debet, nifi concurrentes circumftantiæ aliud fuadeant *l. perfpiciendum 11. l. interpretatione 42. ff. h. tit.* Ex quibus ducitur Regula generalis, quòd in Legibus pœnalibus ea interpretatio fit adhibenda, ex qua pœnæ potiùs mitigentur, quàm exafperentur. Hinc fi de Jure Canonico pœna Depofitionis ftatuatur cuidam crimini, id non Degradatione, fed de fimplici tantùm Depofitione accipiendum eft. Item quando in Jure Civili pœna capitalis decernitur, hoc aliquando non de vitæ naturalis amiffione, fed Civilis tantùm, i. e. deportationis, vel exilii intelligi debet, tefte Harppr. *tit. de injur. §. 1. n. 161.* Begnudell. *V. pœna nu. 5.* Engl *hic nu. 18.* Reiffenftuel *ibid. n. 13.*

30 6. Denique fuam ipfe perfonam fpectare Judex in pœna inferenda debet; nam aliæ pœnæ decernuntur à Judice Laico, aliæ ab Ecclefiaftico, qui nunquam irrogare pœnam fanguinis reo poteft *cap. clerici 5. & cap. fententiam 9. ne Cler. vel Monach.* Et hinc quando ipfi vel ex delegatione Principis, vel alio jure competit cognitio criminis, quod pœnam fanguinis petat, eam remittere debet vel ad ipfum Principem, vel alicui Judici Laico illam demandare *cap. in Archiepifcopatu 4. de Raptor.*

31 Quæritur 7. an Judex teneatur imponere Pœnam Ordinariam, quæ Jure ftatuta eft, vel utrum illius loco poffit fubftituere aliam, & decernere extraordinariam, vel omnino ipfam remittere? *Certum eft.;* pœnam ordinaria minorem imponi Delicto poffe à Principe fupremo, cujus Lege pœna ordinaria fancita eft; hic enim cùm Lege fua fuperior fit, eamque à propria voluntate pendentem habeat, relaxare eandem poteft; conf. illam Pœnam, quam Legibus fuis delicto fanxit, vel omnino remittere, vel eidem fubftituere arbitrariam, ut communiter docent DD. *in l. nulla 25. ff. de LL.* Idem dic de inferiore Judice, qui jus aggratiandi, vel remittendi pœnas ex privilegio, vel confuetudine habet, prout hodierno tempore habent Principes, & Status Imperii; cùm enim vi Superioritatis territorialis Leges communes immutare poffint, poffunt etiam reis veniam pœnæ concedere, vel eam in minorem convertere. Carpzov. *pract. crim. q. 150. n. 19. & feqq.* Engl *hic n. 3.* Reiffenftuel *ibid. num. 8.* Magnif. P. Schmier *part. 1. de delict. cap. 3. num. 66.*

Dub. 1. eft, utrum Supremus Princeps, aut Status 32 Imperii jus aggratiandi poffint exercere in Delictis etiam illis, quibus in Lege Divina Veteris Teftamenti pœna capitalis præfixa eft, quale eft Homicidium, quod *Gen. 9. v. 6. Levit. 24. v. 17. Exod. 21. v. 12.* morte puniri jubetur? Negant Petr. Heig. *p. 2. q. 24. n. 42.* Carpzov. *pract. crim. qu. 150. nu. 31. & feqq.* Reinking *l. 1. claff. 5. cap. 6. num. 206.* Vittiar. *Inftit. jur. Publ. l. 3. tit. 17. nu. 114. & feqq.* Pfeffinger *ibid. ad n. 112. lit. A* & plerique JCti Acatholici. Rationem dant, quia Princeps inferior (qualis refpectu Legis Divinæ eft quicunque Legislator, & Judex humanus) non poteft abolere Legem fuperioris prohibentis v.g. mifericordiam cum homicidis, & fanguinem pro fanguine repofcentis. *Conf.* quia aliàs poffet Princeps etiam abfolvere nocentem, quod eft abfurdum.

Sed tenenda eft fententia affirmativa, quam poft S. 33 Thom. Major. Felin. Alphonf. de Caftro etiam tenet Covar. *l. 1. var. c. ult. n. 8.* perperam à Carpzovio in contrarium allegatus, & plures alii, quos fequitur Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 73.* Ratio eft, quia pœnæ criminum, à DEO in veteri Lege conftitutæ, non pertinebant ad Leges morales, feu naturales; quantumvis enim Lex naturæ jubeat, ut fontes puniantur, genus tamen, quantitatem, & qualitatem pœnæ non determinat: fed pertinebant folùm ad Leges pofitivas, & Judiciales, pro commodo, & ftatu Reip. Judaicæ fancitas; atqui Leges Judiciales veteris Teftamenti amiferunt vim fuam in novo Teftamento *c. un. de Purif. poft part.* igitur quando Princeps pœnam mortis Homicidæ condonat, nihil agit adversùs Legem Divinam, fed in Lege tantùm humana difpenfat.

Poteft igitur Princeps etiam in Delictis, quibus Lex 34 Divina antiqui Teftamenti pœnas certas fancivit, & in quibufcumque aliis fui fori jure aggratiandi uti, non tamen pro libitu, fed cum ratione, & difcretione, ut cùm Svveder. *Introduct. ad Jus Publ. part. fpec. fect. 2. c. 14. n. 957.* advertit Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n. 79.* Hinc ut rectè utatur Princeps hoc Jure, notare tria hæc debet. 1. In condonandis fuppliciis non debet effe nimiùm facilis, & frequens, ne crimina faciliora, & frequentiora reddat. 2. rariùs ex integro debet pœnam remittere, quàm in aliam, & mitiorem commutare; quia obligatio puniendi refultat ex Jure naturali, quamvis modus puniendi dependeat ex norma Legis humanæ. Et hinc 3. nunquam relaxabit pœnam à Lege ftatutam, aut eam in arbitrariam commutabit fine caufa, quamvis ad commutationem hujufmodi fufficiat levior, quàm ad relaxationem omnimodam faciendam; imò ut valida fit difpenfatio, fufficit arbitrium illius, & voluntas, etfi nullam habeat difpenfandi caufam: in quo tamen cavendum eft, ne vel Jus publicum, vel alicujus privatum fic indulgendo lædat. Ut verò licitè difpenfet. 4. pro Regula, ad cujus adamuffim gratiæ quantitatem, & qualitatem examinare poterit, confiderabit caufas, ex quibus Magiftratus inferior pœnam temperare poteft; nam ex iifdem caufis poterit Princeps Jure aggratiandi uti. P. Schmier *l. cit. n. 80. & 81.*

Ad Argumentum contrarium *n. 29.* allatum patet ex di- 35 ctis *n. 30.* Deinde retorqueri poteft in ipfos Adverfarios; nam ipfi concedunt Jus aggratiandi fupremo Principi faltem in Delictis, quibus pœna ftatuta eft per Jus pofitivum humanum; atqui fi argumentum allatum probaret

ret aliquid, non posset eo Jure uti Princeps; cum enim Lex naturalis, & Divina sine distinctione præcipiat *Deut.* 21. *maleficum non patieris vivere*, *& Rom.* 13. dicatur de Judice, *Non sine causa gladium portat*, *vindex in iram illi, qui malè agit*, sequeretur, quòd Princeps relaxando pœnam etiam pro his delictis, solveret Jus Divinum, & Naturale. *Ad Conf.* aliud est absolvere à pœna delicto debita, aliud absolvere à delicto, & declarare innocentem, qui revera nocens est: hoc posterius absurdum est, non verò prius, cùm à suprema Principis potestate dimanet.

36 Dub. 2. an etiam Judex inferior, cui Jus aggratiandi non competit, pro Ordinaria pœna infligere arbitrariam possit? *Rationem dubitandi* facit 1. authoritas S. Augustini *Epist.* 158. ubi, *soleo*, inquit, *audire*, *in potestate esse Judicis mollire sententiam*, *& mitiùs vindicare*, *quàm Leges jubent*. 2. praxis; videmus enim, quòd aliquando Judices etiam inferiores pœnam minuant, aliquando verò augeant ultra taxam Legis: ergo signum est, quòd non teneantur servare Leges in hac parte. 3. ratio; si enim Judex inferior pro Ordinaria non potest substituere pœnam mitiorem, inutilis, & vana, imò illicita foret interpellatio, qua apud Judicem sæpe insistitur pro reo ad pœnæ remissionem, vel ad ejus mitigationem.

37 Sed his non obstantibus, dicendum à Judice inferiore, per se loquendo, reis legitimè convictis de crimine, infligendam pœnam Ordinariam. Ita S. Thom. 2. 2. q. 67. *art.* 84. Suar. *l.* 5. *de LL. c.* 11. *n.* 2. Palao *tr.* 3. *D.* 2. *p.* 5. *n.* 2. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 8. Zoes. *nu.* 15. Pirh. *nu.* 3. Engl *n.* 3. Konig *n.* 13. Vviestner *n.* 11. Reiffenstuel *nu.* 7. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *nu.* 23. & constat ex *l. accusatorum* 1. §. *quorum* 4. *ff. ad S. C. Turpill.* ubi Martianus, *Facti quidem*, inquit, *quæstio in arbitrio judicantis est*, *sed pœnæ persecutio Legis authoritati reservatur*, adeò ut, si Judex inferior *crimen apud se probatum distulerit*, *seu omiserit*, *vel impunitate donaverit*, *aut molliorem*, *quam præstituta sit*, *pœnam protulerit*, *gravi infamia sit notandus*, quemadmodum dicitur *l. Servos* 8. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de vi publ. vel privat.*

38 *Ratio est* 1. quia inferior potestas immutare, & corrigere nequit Legem superioris *l. cùm inferior* 16. *de major.* & Judici non licet judicare de Legibus, sed secundum illas *can. in istis* 3. *dist.* 4. *c. canonum* 1. *de Constit.* Leges enim pœnam jam commensurarunt delictis. 2. si Judex infligeret pœnam aliam, tunc vel illa esset major, quàm Leges statuant, vel minor illa, si major est, injuriam facit reo, plus ab ipso exigendo, quàm ille per Leges debeat, si minor, tunc vel est pœna pecuniaria applicanda parti læsæ, & conf. diminutio pœnæ fieret in præjudicium partis læsæ; vel est mera vindicta, & tunc etsi injustitia adversùs personam singularem committatur nulla, committitur tamen adversùs Remp. contra cujus commune bonum est delicta manere impunita, vel minùs punita, quàm oporteret. 3. Leges, quibus decernuntur pœnæ, non feruntur tantùm, ut instruant Judicem, verùm etiam ut obligent ad imponendam pœnam, cujus signum est, quia conceptæ sunt verbis imperativis, & ratio etiam probat, quia aliàs efficaciam, à Legislatore intentam, non haberent; nam reus ante sententiam non tenetur ad pœnam, Judex autem observare illam non obligaretur: igitur nemo esset, qui Lege illa stringeretur.

39 Dixi autem, *per se loquendo;* nam si per accidens circumstantiæ tales concurrant, ut Judicis arbitrio ad aliorum terrorem infligenda sit pœna major ordinaria, potest illam eo casu Judex infligere, & pœnam augere. Tales circumstantiæ aggravantes præ cæteris sunt 1. *locus* delicti, ut si quis in templo, theatro, foro, vel conspectu Superioris deliquit; nam hic gravius puniri meretur quàm ille, qui scelus in loco privato, & clàm commisit *l. aut facta* 16. §. *locus* 4. *ff. h. tit.* 2. *tempus*, delicti; nam delicta noctu patrata, quia difficiliùs caventur, plusque terroris habent, atque periculi, severiùs puniuntur *l. aut facta cit.* §. *tempus* 5. 3. *persona*, contra quam delinquitur; nam atrocius crimen est, quod contra dominum, patronum, parentem, Sacerdotem, aut Principem attentatum est, conf. atrociori pœna dignum *l. cit.* *persona* 3. 4. *iteratio*, & frequentatio delicti *l. capitalium* 28. §. *solent* 3. *&* §. *grassatores* 10. *ff. h. tit.* nam relapsus in idem scelus frequentior incorrigibilitatem arguit. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 60. qui *n.* 61. cum Anton. Matth. *ad Lib.* 48. *tit.* 18. *c.* 4. *n.* 28. addit, non hoc ipso pro incorrigibili habendum illum, qui tertia vice delinquit; nam neque Medicus illico pro abjecto, & desperato habet eum, cui tertia portio, vel medicamentum non profuit. Hinc Judex non numerum duntaxat Delictorum, sed qualitatem Delicti admissi, & animum, ætatem, consuetudinem Rei explorare debebit, ut omnibus collatis judicare possit, quid spei reliquum sit.

Similiter potest Judex inferior aliquando pœnam Lege constitutam minuere, si circumstantiæ crimen minuant, aut diminutionem pœnæ suadeant. Tales circumstantiæ sunt 1. si Delictum non ex proposito, sed ex ira, subitanea rixa, ebrietate, justo dolore &c. commissum est *l. perspiciendum* 11. §. *delinquitur* 2. *ff. h. tit.* 2. quando aliquis deliquit ex instinctu, & jussu alterius magis, quam motu proprio. P. Schmier *l. cit. nu.* 44. 3. infirmitas animi, quæ colligitur vel ex sexu, si fœmina, vel ex ætate, si impubes, aut minorennis deliquit. Begnud. *V. pœna n.* 17. Engl *hic nu.* 4. Schmier *n.* 45. 4. Infirmitas corporis: ob hanc mutare pœnam potest Judex, si pœna criminis sit amputatio membri, reus verò sit adeò infirmus, ut amputato membro credatur omnino decessurus: idem dic, si manus ex Lege sit præcidenda, & reus sit unanimus, si oculus eruendus, & reus sit monoculus. Ant. Matth. *c.* 4. *cit. n.* 21. Schmier *num.* 46. *&* 47. 5. Spontanea Rei confessio: ob quam mitigare Judex supplicium juxta Carpzov. *pract. crim. q.* 149. *n.* 23. *& seqq.* & apud istum *citt.* potest, sive delinquens confessus sit sponte, ultro se Judici sistendo, sive citatus à Judice ex metu probationum; quamvis contrarium teneant Ant. Matth. *tit.* 18. *cit. c.* 5. *n.* 3. Haun. *tom.* 6. *de J. & J. tr.* 3. *n.* 550. Quidquid sit, illud, apud omnes receptum est, quòd in Proditionis, & Majestatis crimine is, qui proditionem excitatam, vel excitandam detegit, non tantùm mitigationem, sed plenissimam pœnæ condonationem mereatur, etsi ejusdem criminis complex fuerit *l. quisquis* 5. §. *fin. Cod. ad Leg. Jul. Majest.* 6. Diuturnitas temporis *l. si diutino* 25. *pr. ff. h. tit.* quod tum saltem verum est, quando delinquens se penitus emendavit, & ab omni alio delicto abstinuit. Farin. *prax. crim. q.* 10. *nn.* 84. *& seqq.* Carpz. q. 141. *à n.* 70. Begnudell. *V. pœna n.* 6. *&* 17. Schmier *nu.* 52. *&* 53. 7. Prolongatio Carceris; qui enim carceris pudorem, & molestias diu sustinuerunt, partem commeriti supplicii jam sustinuisse censentur *l. omnes* 23. *C. h. tit.* quod tamen intelligendum duntaxat, quando reus præter culpam suam, & ex sola Judicis mora in carcere diuturniore detentus fuit; nam si ipsemet tergiversatione propria, & malitiosa Processus inquisitorii, ac defensionis protractione carceris angustias sibi protraxit, habet, quod sibi imputet, nec pertinacia sua tueri se potuerit. 40

Causæ plures panduntur ab aliis, ob quas pœna, & supplicium etiam ab inferiore Judice mitigari potest, veluti est nobilitas sanguinis, honestas vitæ anteactæ, meritorum in Rempublicam decus, & gloria liberorum copia &c. de quibus consuli possunt Ant. Matth. *c.* 5. *cit. nu.* 5. *& seqq.* Carpzovius *q.* 142. *& seqq. usque ad* 149. *inclusivè*: adeò ut in communem hodie Regulam transiisse videatur, quòd pœnæ criminum nostro tempore arbitrariæ sint. Guazzin. *defens. reor.* 33. *c.* 16. *n.* 2. Vallens. *hic* §. 4. *n.* 3. Engl *n.* 5. Reiffenstuel *n.* 12. Quod intelligendum juxta explicationem hactenus datam, si scilicet concurrat circumstantia aliqua aggravans, vel diminuens delictum, ut bene advertit Reiffenstuel *l. cit.* Et hoc maximè verum est in Jure Canonico, præsertim circa Censuras Ecclesiasticas, circa quas Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de Reform.* mandavit, ne Judices Ecclesiastici faciles sint in illis ferendis, nisi omni alio modo destituantur, cùm experientia doceat, Censuras Ecclesiasticas, levibus de causis latas, contemni potiùs, quàm observari. Engl *hic n.* 5. *&* 6. 41

Præcipuè in mitigandis, vel aggravandis pœnis, considerare Judex consuetudinem delinquendi debet; nam si adverterit, quòd reus malam contraxerit consuetudinem, adeò ut exiguam, vel nullam spem emendationis ostendat, non nimis clemens esse debet juxta illud *Exod.* 22. *vers.* 18. *Maleficos non patieris vivere*, & illud *Isaiæ* 26. *v.* 10. *Misereamur impio*, *& non discet Justitiam*; quia 42

quia periculum erit, ne paulatim Civitas, vel Provincia malis hominibus repleatur, & tales Rei, per nimiam lenitatem Judicis liberati, perpetrent graviora crimina, quæ ipsi Judici tali casu non minima ex parte imputari poterunt. Quare insculptum cordi suo Judex habebit monitum Marciani *l. perspiciendum* 11. *pr. ff. h. tit.* ubi, *Perspiciendum*, inquit, *est judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quàm causâ deposcit; nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est.*

43 Neque contrarium probant Argumenta *n.* 36. allata. *Ad* 1. textus ille *S. Aug.* intelligendus est in sensu hactenus explicato, scilicet in potestate Judicis esse mollire sententiam, & mitiùs vindicare, cùm circumstantiæ istud suadent. *Ad* 2. Judices sæpe augent, vel minuunt pœnas ultra taxam Legis in particulari, non tamen ultra taxam Legis absolutè; Lex enim specialis imponit pœnam delicto, ut frequenter committi solet: at si specialem gravitatem, & deformitatem habeat, ob illam pœna augeri potest; quia id aliis Legibus præscriptum est, prout sumitur ex *l. quid ergo* 13. §. *pœna* 8. *ff. de his, qui not. infam.* Contrà verò, si delictum non attingat gravitatem communiter contingentem, prout fit in casibus *n.* 40. relatis, poterit pœna temperari. *Ad* 3. bene interpellatur Judex pro mitigando, vel remittendo etiam delinquenti supplicio, in iis circumstantiis, in quibus hoc in ejus est potestate, non verò in iis, in quibus illud in ejus potestate situm non est.

44 Quæritur 8. an debeatur à reo pœna in conscientia antè sententiam? Resp. Distinguendum inter pœnas ferendæ sententiæ, & inter eas, quæ ipso facto incurrunt. *De primis* certum est, non deberi illas ante sententiam; quia tunc Lex ponit potiùs pœnam designandam à Judice, quàm designatam: igitur antequam designetur, ad eam reus non obligatur. Et procedit hoc in omni pœna Legali, quæ est ferendæ sententiæ.

45 Idem dicunt aliqui etiam de *Pœna Conventionali*, nisi pars altera petat; quia si non petit, videtur condonare. Pendet tamen res hæc ex partium conventione: unde videndum, qua mente convenerint partes in pœnam Contractui appositam. Quando de mente contrahentium non satis constat, diffident inter se DD. nam Felinus, Decius, Paludanus &c. volunt, eam deberi in conscientia, etiam parte non petente, ante omnem sententiam Judicis. Covar. Menoch. Molin. Gutier. Suar. Bonacin. &c. contendunt; eam tum solùm deberi ante sententiam, quando petitur. Palao autem *tract.* 3. *D.* 2. *part.* 3. *n.* 4. cum Navarro, Beja, Less. Sanch. Vasq. &c. probabiliùs putat, non deberi hanc pœnam, quousque à Judice declaretur. *Rationem* dat, quia mens contrahentium, nisi aliud verbis exprimatur, videtur esse, ut solùm obligare ad pœnam se velint, condemnatione ad istam per Judicem facta. Quod *confirmat*, quia in dubio contrahentes intelligi debent apposuisse pœnam juxta Regulam pœnarum Juris communis, quæ non obligant ante latam sententiam saltem declaratoriam. Quare

46 *Dubium* præcipuè, & 1. est, an pœnæ ipso Jure latæ subeundæ sint ante omnem Judicis sententiam? In quo iterum inter DD. convenit 1. ita contrahi Censuras: & hinc, qui delictum commisit, cui ipso Jure inflicta est pœna Excommunicationis, Suspensionis, vel interdicti, statim à communione fidelium, administratione Beneficii, vel Officii, & Divinorum participatione abstinere tenetur, ut colligitur ex *can. siquis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. *& tot. tit. de sent. Excomm. & de Homicid.* Sot. *l.* 1. *de just. q.* 6. *art.* 6. *concl.* 2. Salas *de Legib. D.* 15. *sect.* 2. *n.* 29. *vers. inhabilitas.* Sanch. *l.* 9. *de matr. D.* 30. *n.* 1. *&* 2. Suar. *de LL. l.* 5. *c.* 5. *n.* 5. Vviestner *hic n.* 13.

47 *Convenit inter eosdem* 2. ante omnem sententiam observandas esse varias Irregularitates, & inhabilitates ad suscipiendos, vel exercendos SS. Ordines, ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica, ad Suffragium in Electione ferendum, ad contrahendum Matrimonium &c. Suar. *l.* 5. *cit. c.* 9. *à n.* 2. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 15. *n.* 5. Vviestner *hic n.* 14. Ratio hujus, & prioris *Numeri* est, quia ita est usu receptum, & quia conveniens erat, ut Ecclesia, quæ Spiritualem subditorum profectum spectat, aliquas haberet pœnas, quibus à committendis delictis, quantumcunque occultis, arceret.

48 *Convenit* 3. inter plerosque, potuisse Legislatores obligare ad subeundas etiam alias, & propriè dictas pœnas tam positivas, quam privatas, si moderatæ sint, ante omnem Sententiam; quia ejusmodi pœnæ, nisi mortis, mutilationis, exilii, vel alia similis foret, executio à Reo facienda rationabiliter potuisset sperari. Castro *de leg. Pœnal. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 15. Vviestner *n.* 14. *vers. convenit inter plerosque* contrà Sot. *l.* 1. *de Just. qu.* 6. *art.* 6. & Cajet. 2. 2. *q.* 6. *n.* 3. quorum prior generaliter, posterior quoad pœnas positivas dissentit.

Difficultas est, an hujusmodi pœnæ non adeò graves defacto ita latæ sint, ut subiri debeant ante omnem Sententiam? Resp. distinguendo; nam si pœna sit *positiva* de facto non constat, quòd ulla ex illis in Jure Canonico, vel Civili sic lata sit, ut ad eam, sic exequendam in se, reus ante omnem Sententiam Judicis obligetur. Salas *de LL. D.* 15. *sect.* 3. *n.* 49. Suar. *de LL. l.* 5. *c.* 7. *n.* 6. Palao *tr.* 3. *D.* 2. *p.* 2. *n.* 6. Vviestner *hic n.* 15. 49

At si *Privativa* sit, videndum, an privet jure primùm quærendo, an verò jam plenè quæsito. *Si privet jure primùm quærendo*, aut *nondum plenè quæsito*, pœna hujusmodi Jure lata delinquentem ante omnem Judicis sententiam afficit. Et hinc ante omnem Judicis sententiam dimittere tenetur Beneficium Parochiale, qui intra annum sua culpa non ordinatur Sacerdos *c. licèt* 14. *de Elect. in* 6. & Episcopus Episcopatum, si intra sex menses à die Confirmationis obtentæ non consecretur. Trident. *Sess.* 23. *c.* 2. *de Reform.* Similiter pro ratione temporis dimittere tenetur fructus Beneficii sui, qui Horas Canonicas recitare negligit, ex *Motu proprio S. Pii V.* incipit *Ex proximo* 12. *Calend. Oct.* 1571. Navar. *Man. c.* 25. *num.* 122. Palao *p.* 2. *cit. n.* 7. 50

Si verò pœna sit privativa Juris jam plenè quæsiti, præter Censuras, Irregularitates, & privationem Juris petendi debitum in conjuge incestuoso, nulla alia regulariter hodie ante Sententiam omnem Judicis ita afficit delinquentem, ut iste jus istud suum teneatur dimittere. Covar. *p.* 2. *de Sponsal. c.* 6. *§.* 8. *nu.* 8. *&* 10. Castro *l.* 2. *de just. Hæret. punit. c.* 9. Less. *l.* 2. *de J. & J. cap.* 29. *à n.* 63. Salas *de LL. D.* 15. *à n.* 46. Vasq. *de LL. D.* 178. *cap.* 4. *n.* 25. Sanch. *l.* 2. *de Matrim. D.* 53. *à n.* 5. *& l.* 7. *D.* 89. *n.* 11. Palao *p.* 2. *cit. n.* 8. Vviestner *hic n.* 18. & hoc teste communis aliorum. *Ratio est*, quia in pœnis benignior interpretatio est facienda. *Reg. in pœnis* 49. *in* 6. *Conf.* quia ita obtinuit usus, & consuetudo, ut ad hujusmodi pœnarum, & privationis plenarium effectum sententia, saltem criminis declaratoria requiratur *arg. c. cùm secundùm* 19. *de Hæret. in* 6. ex cujus dispositione Hæreticorum bona, quibus à die commissi criminis ipso Jure privantur, ante talem sententiam fisco tradi non debent, neque ab isto possunt occupari. 51

Et hinc usque ad Sententiam declaratoriam criminis retinere possessionem Beneficii sui potest Canonicus, qui occidit Prælatum, vel alium Clericum suæ Ecclesiæ, etsi isto ipso Jure privatus sit *cap. in quibusdam* 12. *vers. Sacri h. tit* Item Clericus alius, qui Beneficiis suis privatus ipso Jure est ob percussionem Clerici *c. felicis* 5. *eod. in* 6. & verisimiliùs etiam Clericus, qui propter commissum Assassinium Beneficium, vel Officium *c. pro humani* 1. *de Homicid. in* 6. & Prælatus, qui ob malè factam rerum Ecclesiasticarum alienationem *Extrav. un. int. comm. de reb. Eccl. non alien.* vel aliud Delictum commissum Prælaturæ suæ Dignitatem ipso Jure amiserunt. Suar. *de Simon. c.* 43. *n.* 13. *fin.* Barbos. *in c. cùm secundùm cit. n.* 8 Vviestner *hic n.* 18. *&* 19. cum aliis. 52

Neque obstat, quòd *c. pro humani cit.* Clericus Assassinus Beneficium suum, & *Extrav. cit.* Prælatus Dignitatem amittere dicatur absque alia declaratione, & ita, ut liberè aliis possit conferri; nam in primo textu additur, *Postquam* de crimine *probabilibus constiterit argumentis*, quo innuitur, opus ad hoc esse notitia publica; & posterior textus in tanto rigore non est usu rceptus, ut observant Navar. *Man. c.* 27. *n.* 15. Suar. *l.* 5. *de LL. c.* 8. *n.* 14. *&* 15. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 53. *à n.* 5. Salas *D.* 15. *de Legib. à n.* 46. Vviestner *hic n.* 19. *fin.* 53

Dub. 2. utrum casu, quo Lex ipso Jure imponit Publicationem bonorum, reus ante Sententiam declaratoriam statim amittat bonorum illorum dominium? Negant aliqui; amitti etiam per Legem, quæ ipso Jure sine facto hominis publicationem bonorum decernit ob crimen commissum. *Moventur* textu *l. quæsitum* 15. *pr. ff. qui, & à quib. manumiss. liber. non fiunt &c.* ibi, *Quoniam ante damnationem dominus est*, in casu scilicet læsæ Majestatis, 54

, ob

ob induci publicationem bonorum ipso jure extra dubium est. *Conf.* nam verba *ipso jure*, *ipso facto* habent conditionem sibi adjectam, si videlicet sequatur sententia declaratoria.

55 Sed his non obstantibus, videtur adhærendum sententiæ affirmativæ, scilicet dominium hoc ipso amitti. Ita Suar. *l.* 5. *de LL. c.* 8. Less. *l.* 2. *de just. c.* 29. *n.* 64. Sayr. *Clav. Reg. l.* 3. *c.* 9. *n.* 30. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 7. *q.* 2. & *l.* 8 *c.* 12. *q.* 2. & plures alii apud Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 22. *nu.* 3 quamvis ipse contrarium sentiat. Eandem sententiam etiam tenet Zoes. *hic n.* 21. & hoc recte communior DD. *Ratio* est, quia *ipso Jure* non sunt frustranea, essent autem, si, ut operarentur aliquid, opus esset sententia, cùm igitur, ut operentur effectum, non sit necessaria sententia condemnatoria, dicendum est ipso jure induci privationem dominii. *Conf.* sententia declaratoria non inducit pœnam, sed declarat jam incursam, igitur extenditur, & retrotrahitur usque ad diem commissi delicti, cui jure, & facto ipso alligata est ea pœna, quasi jam tum lata fuisset sententia condemnatoria, hoc autem non fieret, si primùm per sententiam declaratoriam induceretur bonorum privatio, ergo &c.

56 *Ad Argumentum in contrarium allatum* dico, verba illa *Dominus est*, intelligi debere de possessione, & usu rerum, quem rectè obtinet reus usque ad sententiam declaratoriam: cæterùm dominium amitti sat claré patet ex *l. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest.* quæ post mortem Rei, nisi crimen purgetur à successoribus, & hæredibus, permittit hæreditatem fisco vindicari. *Ad Conf.* malè intelligitur illa conditio adjecta; nam *c. cùm secundùm* 19. *de Haeret. in* 6. in similibus casibus dicitur dominium ipso jure amitti, & tantùm additur, occupationem bonorum differendam ad sententiam declaratoriam.

57 Idem, quod modò dictum est de confiscatione bonorum, pariter dicendum, cùm delicto jure ipso imposita est pœna privationis Beneficii jam obtenti: nam ut hoc dimittere teneatur Clericus, opus est sententia judicis declaratoria; ante hanc autem licitè Beneficium adhuc retinere potest, quamvis secuta postea sententia declaratoria, restituere teneatur fructus, post crimen admissum perceptos.

58 Discrimen ergo inter privationem per sententiam condemnatoriam, & inter eam, quæ fit ipso jure, est, quòd licèt utrimque retineatur possessio usque ad sententiam, in primo tamen casu retineatur post crimen commissum etiam dominium, & proprietas rei, qua delinquens propter crimen privandus venit, in secundo autem statim à tempore commissi delicti illam amittat.

59 Imò, ut Vallens. *hic* §. 3. *num.* 1. advertit, si quis per sententiam privatus Beneficio, à sententia privationis appellavit, durante Appellationis judicio, nondum censeri debet privatus Beneficio: ac proinde, si interim resignet Beneficium, valida erit Resignatio, licèt illud jam antè ob privationem fuerit obtentum ab alio: & hoc pro indubitato practicari in Curia Romana ex *Piasecio* testatur Vallens. *l. cit.*

60 Dub. 3 quid operentur verba *absque alia declaratione*, vel *nulla monitione prævia*, addi non rarò solita in Legibus, quæ jure, & facto ipso privant rebus antè possessis? Aliqui cum *Covarruvia* putant, adhuc opus esse sententia declaratoria criminis. Meliùs tamen negatur cum Zoesio *hic n.* 22. sed ubi verba hæc in Lege, pœnam dictante, sunt addita, nisi aliter consuetudo receperit, continuò, commisso crimine, pœna dari executioni potest: & ratio est, quia verba *absque alia declaratione*, debent aliquid operari, ne frustra dicantur posita, & quidem aliquid ultra verba *ipso jure*, *ipso facto*, atqui verba *ipso jure* jam operantur hoc, ut prout dictum est *num.* 55 tollant reo dominium rerum suarum, & occupationem solùm differant ad sententiam declaratoriam, igitur verba illa adjecta dici debent etiam hanc tollere, & permittere executionem, nulla præmissa declaratione.

61 Adverto tamen cum eodem Zoes. *nu.* 23. etiam hoc casu reum bona sua non teneri ante sententiam deferre ad fiscum, sed uti iisdem posse, donec declaratio sequatur: & ita habet communis praxis, teste Zoes. *l. cit.* & ratio est, quia rationi non videtur consentaneum esse, ut reus gravissimæ suæ pœnæ, qualis est confiscatio bonorum, ipse sit executor. Verùm etsi usum rerum illarum obtineat, antequam occupentur, occultare tamen justitiæ Ministris bona illa non potest; quia jam aliena sunt. Quod si tamen negligentia fisci absque suo facto aliqua non fuerint occupata, indicare non tenebitur; sic enim teneretur ad oblationem: sed satis erit, si permittat ea sibi auferri.

Idem dicendum casu, quo per sententiam addicta fisco sunt alicujus bona. *Excipitur*, si sententia justa solum fuerit in foro externo, quòd judex secundum allegata, & probata processerit; tunc enim, si reus revera sit innocens, non obligatur in conscientia ad sententiam, sed subterfugere pœnam, clanculùm subtrahendo, potest: executioni tamen Judicis, si evitare illam sine violentia, & scandalosa resistentia nequeat, parere tenebitur; quia quando Judex secundùm allegata, & probata procedit, Judex utitur potestate sua, cui resistere subdito nunquam est licitum. Palao *tr.* 3. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 1. 62

Dub. 4 quas pœnas teneatur exequi delinquens post latam sententiam? Resp. cum discrimine inter pœnas. Nam 1 si pœna sit supplicium capitis, mutilatione, aut verberationis gravis, nemo per Legem, aut sententiam condemnatoriam obligari potest ad eam sibi ipsi inferendam, e. g. ad abstinendum à cibo, ut fame, vel sumendum venenum, ut veneno moriatur, licèt aliàs mortem sit meritus, *Suar. l.* 5. *de LL. cap.* 7. *fin.* & *cap.* 10. *n.* 12 Vasq. *D.* 173. Bonac. *D.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 2. *n.* 29. Palao *p.* 4 *cit. num.* 2. quia bono communi non expedit delinquenti obligationem istam imponere, ut ipse sui ipsius vindex sit, cùm satis sit, si delinquens, quando pœna talis ab alio imponitur, patienter illam sustineat. 63

2 Si pœna sit carcer diuturnus, vel exilium, tenetur reus ad eam condemnatus illam in seipso exequi, si ad illam executionem condemnetur sententia ultima, quam appellatione, vel alio remedio juris infirmare non possit: unde non potest à carcere fugere, vel ab exilio exire; quia est justa sententia, & præcepto justo parendum est. S. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. Tiraquell. *in l. si unquam C. de revoc. donat. V. revertatur n.* 291. Navar. *Man. c.* 23. *n.* 66 Sayr. *Clav. Reg. l.* 3. *c.* 9. *n.* 4. Salas *D.* 15. *de LL. sect.* 3 *n.* 32. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 8. *q.* 6. Suar. *c.* 10. *cit. à nu.* 5. Bonac. *n.* 33. Palao *n.* 4. & ab his *citt. Excipitur*, nisi carcer sit durus, & tristis; nam in hoc, ut cum *Suarez* existimat Palao *n.* 5. non tenetur reus persistere, præsertim si ibi malè tractetur. Et idem dicendum, si condemnetur ad exilium in terra insalubri, vel longo tempore ad triremes, aut ad quamlibet aliam actionem de se nimis molestam; quia nimis inhumanum videtur esse, ut obligetur reus esse minister pœnæ adeò molestæ contra se ipsum. Palao *l. cit.* 64

3 Si pœna sit pecuniaria, ex communi sententia obligatur reus illam solvere, postquam ad hoc per sententiam condemnatus est, vel si talis sit, ut ipso facto incurratur, postquam Judex tulit sententiam criminis declaratoriam, & quod ita pronuntiatum est, nec appellatione, nec alio juris remedio suspendi, aut infirmari potest. Salas *n.* 82. & 106. Suar. *c.* 7. *n.* 7. Bonac. *n.* 39. Palao *n.* 6 Requiritur tamen, ut petatur ab eo, cui est solvenda; quia ita habet praxis, & usus communis: hinc quando non petitur, retinere eam reus potest, & prudenter præsumere eam sibi condonari. Palao *l. cit.* 65

§. II.

De Pœnis Ecclesiæ Spiritualibus, & in Specie, de Irregularitate.

SUMMARIUM.

66 QUæritur 1 quid sit *Irregularitas*? Resp. *Irregularitas*, sic dicta, quòd deviatio sit à *Regula*, à priscis Ecclesiæ PP. constituta pro iis, qui ad Sacra ministeria admittuntur, communiter definiri solet, quòd sit *impedimentum Canonicum*, *primò*, *& per se impediens Ordinis susceptionem*, *& secundariò illius usum*. Ita Sylv. *V. Irregularitas n.* 1. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 191. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 1. Suar. *de Censur. D.* 40. *sect.* 1. *n.* 1. *&* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 1. *n.* 2. Vviestner *hic n.* 34. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *c.* 5. *n.* 429.

Dicitur 1 *Impedimentum*: quod ponitur loco generis; quia quælibet censura, & quilibet defectus naturalis, Ordines impediens, est impedimentum, quamvis non omne tale impedimentum sit Irregularitas.

67 Dicitur 2 *Canonicum*; quia non ab homine, sive per Judicis sententiam, sed à solo jure infligitur *c. is, qui igitur* 18. *pr. de sent. excomm. in* 6. & quidem non à jure aliquo particulari, v. g. statuto Diœcesano, sed communi. Covar. *l. cit. n.* 3. Suar. *D.* 40. *citat. sect.* 4. *n.* 8. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 5. Vviestner *n.* 34. *vers. dico*, eoque, non civili; quia istius conditores de SS. Ordinum susceptione, usuque, tanquam spiritualibus disponendi non habent potestatem *c. decernimus* 2. *cap. quando* 3. *de Judic. c. si Judex* 12. ibi, *Quia de re Ecclesiastica, & spirituali de sent. excomm. in* 6. sed jure Ecclesiastico positivo inducta est. *Neque obstat*, quòd jure etiam naturæ incapacem Ordinum faciat amentia, & defectus quorundam membrorum, Divino autem defectus Baptismi, & sexus virilis; nam defectus isti potiùs incapacitates sunt, quàm Irregularitas, utpote quæ in sensu proprio accepta capacitatem in Irregulari supponit. Vviestner *n.* 35. *&* 36.

68 Dicitur 3 *directè impediens Ordinis susceptionem*: quo differt à censuris; quia Irregularitas propriè pœna non est. Layman *c.* 1. *cit. n.* 2. Bonac. *D.* 7. *quæst.* 1. *part.* 1 La Croix *num.* 429. *cit.* & licèt aliquando imponatur per modum pœnæ in vindicationem delicti; non tamen est pœna medicinalis, quæ recedente contumacia, tolli debet, sed est pœna de se perpetua: Præterea ipsa non tam in pœnam delicti imponitur, quàm ob honorem Ecclesiastici status, in quem dedecet assumi illum, qui tale delictum commisit. Layman *l. cit.* Palao *n.* 2. Vviestner *n.* 37.

69 Dub. 1 quomodo Irregularitas differat ab excommunicatione, suspensione, Interdicto, Depositione, Degradatione? Resp. 1 ab *Excommunicatione* differt; quia ipsa directè impedit susceptionem Ordinis, quatenus talis est, cùm excommunicatio major illius susceptionem tantùm impediat, quatenus est quædam cum fidelibus communicatio, & excommunicatio minor, quatenus Ordo est quoddam Ecclesiæ Sacramentum. 2 à *suspensione*; quia suspensio per se non privat Ordinis susceptione, sed illius usu, ideoque solis Clericis aptatur, cùm tamen Irregularitas tam Clericis, quàm Laicis communis sit. 3 ab *Interdicto*; quia esto, Interdictum aliquando impediat Ordinis susceptionem, non tamen, quatenus Ordo est, sed quatenus est quoddam Sacramentum, & Divinum ministerium. 4 à *Depositione*, & *Degradatione*; quia Depositio, & Degradatio per sententiam feruntur ab homine, Irregularitas autem nunquam ab homine, sed solùm à jure, licèt quandoque non scripto, lata est: deinde illæ semper sunt pœnæ; hæc prout dictum, ex se pœna non est: denique illæ directè non privant Ordinum susceptione, sed potiùs illorum usu; secus Irregularitas.

70 Dub. 2 quotuplex sit Irregularitas? Resp. tripliciter communiter solet dividi. 1 in eam, quæ provenit ex delicto, & in eam, quæ provenit ex alio defectu. 2 in Totalem, & Partialem. *Totalis* est, quæ cujusque Ordinis susceptione, & susceptorum usu quocumque privat; *Partialis*, quæ Ordinum usu, seu ministerio aliquo, vel solo ascensu ad superiores privat, licèt in jam susceptis ministrare non prohibeat. 3 in perpetuam, & temporalem. *Perpetua* est, quæ sola dispensatione tollitur; *Temporalis*; quæ lapsu temporis cessat, uti est Irregularitas ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate, tollitur.

Dub. 3 quis Irregularitatem indicere, & in quem cadere illa possit? Resp. infligere eam solus Pontifex potest. Suar. *de Censur. D.* 40. *sect.* 4. *à n.* 7. Avil. *p.* 7. *D.* 1 *fin.* Bonac. *D.* 7. *q.* 1. *p.* 2. *n.* 1. *&* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 2. *n.* 1. Ratio est, quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis, atqui nullus alius præter Pont. in Hierarchia Ecclesiastica habet potestatem condendi jus, ergo &c. *Subjectum* autem, quod affici per Irregularitatem potest, solùm potest esse 1 vir; nam fæmina nunquam habuit capacitatem ad suscipiendos Ordines, quæ per Irregularitatem tollatur. 2 Baptizatus; nam non baptizati jure Divino ab Ordinibus excluduntur. 3 Subjectus alicujus jurisdictioni: hinc incapax Irregularitatis est Summus Pontifex; quia non subditur suis Legibus quoad vim coercitivam. Palao *n.* 3. *&* 4. la Croix *tom.* 8 *l.* 7. *n.* 444. *& seqq.* 71

Quæritur 2 propter quam causam contrahatur Irregularitas? Resp. cùm Irregularitas juxta dicta *n.* 70. oriatur ex duplici capite, ex delicto scilicet, & ex defectu, hinc duplicis generis causæ sunt, ex quibus incurritur Irregularitas. *Ex delicto* Irregulares sunt 1 iterantes Baptismum. 2 suscipientes furtivè Ordinem. 3 ministrantes in Ordine non suscepto. 4 violantes censuram Ecclesiasticam per susceptionem Ordinis, vel ministrationem in illo in excommunicatione, suspensione &c. 5 occidentes, vel mutilantes injustè alterum, si hoc voluntariè fiat, & cum intentione expressa occidendi, vel mutilandi, quod extenditur etiam ad mandantem, consulentem &c. 6 Hæretici, & de Hæresi suspecti, dum non purgant suspicionem. 7 infames infamia juris, & facti &c. 72

Defectus, ex quibus induci Irregularitas potest, varii sunt. Et 1 quidem ex defectu animi irregulares sunt amentes, infantes, phrenetici &c. 2 ex defectu corporis Hermaphroditi, carentes requisita ætate ad Ordines, & quemcunque alium habentes defectum, qui congruentem Ordinis usum impedit, vel notabilem horrorem seu deformitatem causat. 3 ex defectu natalium illegitimi. 4 ex defectu Sacramenti bigami. 5 ex defectu Libertatis servi. 6 ex defectu lenitatis concurrentes ad supplicium capitis, vel mutilationem etiam justam, milites occidentes in bello etiam justo, si offensivum hoc sit &c. de quo *suprà Titul.* 12. de reliquis verò sparsim per cæteros Libros, maximè *Libr.* 1. *à Titul.* 17. 73

Dub. 1 quale delictum debeat esse illud, ob quod incurritur irregularitas? Resp. non debet esse commissum solo actu interno; nam hos actus *Dominus suo reservavit judicio*, ac proinde *non possunt humano condemnari examine*, ut traditur *can. si quandoque* 1. *caus.* 15. *q.* 6. & *cogitationis pœnam nemo patiatur*; juxta *can. cogitationis* 4. *de pœnit. dist.* 1. S. Thom. 1. 2. *qu.* 20. *art.* 5. Sot. *l.* 5 *de just. q.* 1. *art.* 9. Covar. *in Clem. si furiosus p.* 1. *pr. n.* 4 Suar. *de Censur. D.* 40. *sect.* 3. *num.* 6. Sayr. *l.* 6. *c.* 2. *n.* 17 Palao *tract.* 29. *D.* 6. *p.* 3. *num.* 1. Vviestner *hic num.* 40 la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *num.* 443. *Neque obstat*, quòd in aliquibus Bullis concessum fuerit privilegium dispensandi in irregularitate mentali; nam ut bene Palao *l. cit.* notat, id intelligendum est de irregularitate omnino occulta, vel concessum est ad sedandos scrupulos, non autem ex necessitate. 74

2 Actus ille externus debet esse consummatus, & perfectus secundùm proprietatem verborum Canonis irregularitatem inducentis. Vviestner *nu.* 40. *cùm citt.* Sufficit tamen, etsi sit occultus, ut colligitur ex Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* ubi conceditur Episcopis potestas dispensandi in omnibus irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 194. Covar. *in Clem. cit. p.* 2. §. 3. *n.* 4. Suar. *sect.* 3. *cit. nu.* 21. Vviestner *hic n.* 38. Reiffenstuel *ibidem n.* 75. Ratio est, quia delicta externa, quantumvis occulta, Ecclesiæ aliquid decernentis, & pœnam ipso facto imponentis judicio subjiciuntur. Ex 75

quo

quo patet disparitas cum actibus merè internis; nam horum cognitionem, & punitionem sibi soli, ut dictum est, reservavit Judex Divinus.

76 3 Actus iste debet esse delictum saltem ex objecto, & materia grave. An verò si ex circumstantia aliqua excusetur à peccato mortali, eo ipso excusetur delinquens ab Irregularitate, non est constans sententia. Negant Cajet. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. & Armill. *V. Irregularitas nu.* 14 Oppositum tenent Navar. *l. cit. n.* 252. Suar. *sect.* 3. *cit. n.* 17. Palao *tr.* 3. *cit. n.* 2. Vviestner *num.* 30. & alii apud istos. *Rationem* dant, quia Irregularitas est malum gravissimum, utpote privaos Ordinis susceptione, & illius usu in perpetuum, & absque spe dispensationis, ergo necessariò exigit culpam, vel defectum gravem; aliàs pœna culpæ gravitatem excederet. Quæ ratio probat, non posse à Pont. Irregularitatem pœnalem indici alicui ob culpam merè venialem: imò non desunt DD. affirmantes, ad quamlibet Irregularitatem, ex delicto provenientem, requiri dolum, seu contemptum.

77 Dub. 2 an ob causam dubiam censendus sit aliquis Irregularis. Potest dubium hoc esse duplicis generis, juris nempe, & facti. *Dubium Juris* est, an in jure ob tale factum imposita sit Irregularitas; *Dubium facti*, cùm certum est tali facto impositam esse à jure Irregularitatem, dubitat autem quispiam num tale factum commiserit, la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 449.

78 *Certum est* 1 quodcunque sit dubium, sive juris, sive facti, debitam diligentiam imprimis adhibendam esse ad investigandam veritatem, neque sic dubitantem interea absque gravi peccato præstare posse quæ Irregulari prohibentur, ut colligitur apertè ex *c. illud* 5. *de Cler. excomm. minist.* quia manifesto periculo se exponeret violandæ Irregularitatis. *Excipitur*, nisi interim, dum dubium istud examinatur, dubitans pateretur incommoditatem gravem se Irregularem reputando, ut quia præterit occasio Ordinum suscipiendorum, Beneficii vel alterius lucri comparandi; nam eo casu non videtur Lex in dubio ita rigidè obligare, ut ob illius obligationem quis teneatur grave damnum sustinere Palào *l. cit. n.* 3. post *Salas Sanch. &c.*

79 *Certum est* 2 si post adhibitam debitam diligentiam rationibus probabilibus quis ducatur ad existimandum, quòd vel facto tali Irregularitas non sit annexa, aut quòd ipse non commiserit factum, cui aliàs de jure annexa Irregularitas est, posse ipsum se reputare immunem esse ab Irregularitate; quia prudenter se gerit opinioni probabili adhærendo, neque in ea probabilitate æquum erat quemquam tam gravi pœnæ subjicere.

80 *Difficultas* igitur solùm est, an si post adhibitam diligentiam debitam adhuc quis hæreat, neque valeat judicium probabile efformare, Irregularitatem se non incurrisse (quod rarò fiet) reputare se Irregularem debeat? Qua in re variæ sunt sententiæ. *Prima* cum Henriq. *l.* 14. *de Irreg. c.* 3. *n.* 3. & 4. & *c.* 14. *n.* 3. & *c.* 15. *n.* 3. & aliis vult, eo casu neminem debere se reputare Irregularem, quousque sententia Judicis accedat. *Rationem* dant, quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis, atqui in jure expressum non est, quòd aliquis in casu dubio in foro conscientiæ se reputare pro Irregulari debeat ergo &c.

81 *Secunda sententia* cum Navar. *Man. c.* 27. *num.* 193 Philiarch *de Offic. Sacerd. tom* 1. *p.* 1. *l.* 4. *c.* 6. *not.* 2. & aliis relatis à Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 10. *n.* 39. & 41. contendit, eo casu quemlibet reputandum Irregularem in foro conscientiæ, non tamen in foro externo, ut talem condemnandum. *Priorem partem* probant; quia in foro conscientiæ semper quis videtur obligatus in dubiis tutiorem partem sequi, cùm in ea sequenda nullum sit periculum. At in foro externo, dum delictum non probatur, reus absolvendus est, maximè cùm jure constitutum sit, quòd *cùm sunt partium jura obscura, reo favendum sit potius, quam actori*, *Reg.* 11. *in* 6

82 *Tertia* cum Covar. *in Clem. si furiosus pr. nu.* 3. Suar. *D.* 40. *de Censur. sect.* 6. *n.* 1. Avil. *p.* 7. *D.* 2. *dub.* 5. *concl.* 1 & aliis asserit, eo casu reputandum quemlibet Irregularem esse non tantùm in foro conscientiæ, sed etiam in externo, & talem non tantùm obligari dispensationem quærere, & interea abstinere à celebratione, sed etiam ut Irregularem à Judice condemnari posse; tum quia textus, decidentes Homicidam in casu dubio reputandum esse Irregularem, loquuntur de utroque foro, ut patet ex *cap. ad audientiam* 12. & *cap. significasti* 18. *de homicid.* tum quia forum internum ab externo non discrepat, quando istud præsumptioni falsæ non innititur *arg. c. fin: de Const. in* 6. & *c. contingit* 1. *de Jurjur. eod.* igitur si in foro externo judicandus est irregularis in casu dubio, etiam in foro conscientiæ ut tali habendus est.

Quarta denique, & meo judicio probabilior Sententia cùm Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 3. *n.* 7. & *seqq.* distinguit inter dubium Juris, & facti; nam *si dubium Juris sit*, ita dubitans nullo modo irregularem reputare se debet. Ita *Sayr. Sanchez*, *Coninck* apud eundem *Palao*, & sumitur ex *c. is, qui* 18. *de Sent. Excom. in* 6. ubi dicitur, ob nullum factum irregularitatem incurri, nisi id Jure expressum sit; atqui nullatenus in Jure expressum est, quod pro irregulari se habere debeat ille, qui post diligentem inquisitionem dubitat, an tali facto irregularitas annexa sit; ergo non tenetur judicare, tali facto impositam esse irregularitatem. *Conf.* nemo tenetur ad Legis alicujus observationem, nisi ea Lex illi fuerit sufficienter promulgata; atqui sic dubitanti Lex irregularitatis non est sufficienter promulgata; quia ipsi non constat, quod Jure expressa sit; ergo &c. 83

Si vero sit dubium facti, iterum distinguendum est inter dubium facti homicidii, & inter dubium circa alia facta, quibus constat irregularitatem de Jure annexam esse. Nam *in dubio facti homicidii*: cùm scilicet dubitatu, an tu patraveris homicidium tua actione, consilio, vel favore, te judicare debes irregularem, & ut talis in foro externo habendus, & judicandus es, non quidem absolutè, sed quoad effectum abstinendi à celebratione, quærendique dispensationem. Ita Palao *l. cit.* pro se allegans *Navar. Covar. Az. Sayr. Suar. Sal. Rebell. Valent. Sanch. Avil. Molin. Coninck*. Consentiunt Layman *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 37. Dicast. *D.* 7. *dub.* 2. & 3. Sperell. *Decis.* 77. *à n.* 31. & *Decis.* 119. *n.* 48. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *Ref.* 72. Vviestner *hic n.* 42. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *nu.* 451. Ratio est, quia textus *c. ad audientiam*, & *c. significasti citt.* expressè decidunt, in dubio facti homicidii obligationem esse abstinendi à celebratione, & sic dubitantem tanquam irregularem habendum; idque non tantum tanquam rem consilii, ut prima Sententia vult, sed tanquam ex obligatione, ut expendenti textus manifestum erit. Additur autem, *Quod effectum abstinendi à celebratione, & petendi dispensationem*; quia in his tantùm periculum animæ imminet, & de his relati textus loquuntur: nullo autem modo ita dubitans censendus est irregularis quoad privationem beneficiorum, aliasque pœnas irregularibus impositas, ut bene cum aliis *suprà citt.* advertit Abb. *in c. significasti cit. n.* 4. 84

Si verò dubium facti incidat in aliis materiis, *extra causam homicidii*, major est controversia. *Et rationem dubitandi* faciunt, 1. textus allegati, ubi dum Pontifex declarat, in dubio homicidii facti reputandum quemlibet irregularem, nititur hoc principio, quòd in dubio tutior pars sit eligenda, atqui principium hoc procedit etiam in aliis materiis; ergo &c. 2. Pontifex non videtur novum Jus condere, sed quod æquitati conforme est, declarare; declarat autem, tutiorem partem esse eligendam: ergo in omnibus materiis eligenda est: 3. Lex pœnalis extendi debet ad casus similes, quando ratio decidendi æquè in omnibus procedit. 85

Sed dicendum, extra dubium homicidii neminem esse irregularem censendum. Ita Palao *n.* 9. pro se citans *Navar. Suar. Sal. Sanch. Coninck*, *Avil. Bonacin.* Consentiunt Layman *l.* 1. *tr.* 1. *c.* 6. § 4. *n.* 39. Dicast. *D.* 7. *dub.* 2. & 3. Sperell. *Decis.* 77. *à n.* 31. & *decis.* 119. *n.* 48 Schild. *tr.* 5. *n.* 67. Bardi *discept.* 6. *c.* 7. § 2 la Croix *tom.* 8. *lib.* 7. *n.* 450. Sumitur ex *cap. is, qui* 18. *de sentent. excomm. in* 6. ubi deciditur non contrahi irregularitatem, nisi in casibus à Jure expressis; atqui in jure expressum non est, in dubio facti ultra casum homicidii irregularitatem incurri: ergo &c. *Conf.* nam in casu dubio nemo tenetur se sua libertate privare, nisi aliqua Lege cogatur ad hanc privationem sustinendam; atqui nulla adest Lex privans libertate suscipiendi ordines dubium delinquentem, nisi in casu homicidii: ergo &c. 86

Atque hinc irregularis non est 1. qui celebrat in dubio de contracta excommunicatione; quia tali celebratione irregularitatem incurri non est jure expressum; imò *c. Apostolicæ* 9. *de Cler. excom. minist.* Clericus ob celebrationem irregularis solum efficitur, si ejus de illa contracta igno- 87

ignorantia crassa sit, & supina, minimè obscuro argumento, eum, qui post adhibitam debitam diligentiam de Censura contracta hæret dubius, eamque inculpabiliter ignorat, celebratione non fieri Irregularem. Avil. *p.* 7. *D.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. Suar. *D.* 40. *sect.* 5. *numer.* 13 *&* 19. Sanch. *l.* 1. *mor. cap.* 10. *num.* 48. Palao *p.* 3. *citat. num.* 10. *vers. ex hac doctrina*. Vviestner *hic num.* 43. *vers. Irregularem.* 2 celebrans in dubio de facta mutilatione: quia *c. citt.* decisio exprimit solùm homicidium, ad quod mutilatio quidem via, sed revera homicidium non est. Sanch. *c.* 10. *cit. n.* 49. Palao *n.* 10. *vers. secundo*, Pirhing *hic num.* 60. *fin.* Vviestner *ibidem num.* 44. 3 celebrans in dubio, an aliquis sit occisus; quia textus *citt.* loquuntur tantùm de eo casu, quo hominem interfectum esse constat, & dubium est, an ejus mors ex vulnere ab ipso dubitante, an ab alio inflicta, vel alia ex causa secuta sit. Dian. *p.* 11. *tr.* 6. *res.* 24. *pr. &* §. *itaque*, Mendo *de Jure Acad. l.* 3. *n.* 321. Gibalin. *de Irregul. c.* 4. *q.* 1. *à n.* 17 Vviestner *hic n.* 45. 4 is, qui dubitat, an homicidium ex vulnere à se, vel alio inflicto, aliave causa secutum sit, solùm tenetur abstinere à celebratione Missarum. Vviestner *n.* 45.

88 Neque obstant Argumenta *n.* 85. proposita; *Ad* 1. etsi Principium illud commune sit omnibus aliis materiis, & propterea consilium prudentissimum sit tutiorem sequi partem; quia tamen ut cum *Sanchez* rectè advertit Palao *n.* 10. *cit.* in Irregularitate Homicidii efficaciùs procedit ob indecentiam specialem, quam secum affert Homicidium in Clerico, ea de causa disposuit Pontifex, ut in dubio Homicidii censeatur quis Irregularis, quam dispositionem ad alias materias non extendit. *Ad* 2 ibi Pontifex condit novum jus, quia ex ratione, quòd tutior pars sit eligenda, statuit, eum, qui dubius est de Homicidio, censendum esse Irregularem. *Ad* 3. verius est, Legem maximè pœnalem ob similitudinem rationis extendendam non esse ad casum, sublata verborum forma non comprehensum.

89 Quæritur 3 qui sint Effectus Irregularitatis? Imprimis noto, quòd nulla Irregularitas privet actionibus, quæ & Laicis, & Clericis communes sunt, nempe recipere Sacramenta, præter Ordinem, audire Officia Divina, sepeliri in loco sacro, communicare cum fidelibus, baptizare absque solemnitate. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 5. *num.* 4 quia Irregularitas solum excludit à gremio, & Regula Clericorum, & consl. ab actionibus, quæ Clericorum sunt propriæ: quo prænotato ad quæstionem propositam dico, tres præcipuè Irregularitatis effectus recenseri, 1. est privatio Ordinis suscipiendi licitè. 2. privatio Beneficiorum consequendorum. 3. privatio Beneficiorum ante Irregularitatem acquisitorum.

90 Dub. 1 quomodo Irregularitas privet Ordine suscipiendo? Resp. facit, ne licitè suscipi Ordo ab Irregulari possit. Dixi 1. *ne licitè*; nam validè potest, quia valor receptionis non pendet à dispositione Ecclesiæ, & consl. ipsa eundem impedire non potest, modò adsint alia requisita. Circa *Primam Tonsuram* diversa est ratio; nam hæc ab institutione Ecclesiæ pendet: unde Ecclesia illius susceptionem posset irritam reddere in Irregulari. *Posset*, inquam; de facto enim non constat, quòd irritationem hanc apposuerit: imò sunt DD. qui etiam negant, quòd susceptio Primæ Tonsuræ Irregularibus sit prohibita, eo nixi fundamento, quia Irregularitas est impedimentum Ordinis suscipiendi; prima autem Tonsura non est Ordo, sed tantùm dispositio ad Ordines. Verùm hæc sententia nullatenus est admittenda: & ratio est, quia Irregularitas tendit ad constituendum Irregularem extra Clericorum statum, & Regulam, quod est effectus Tonsuræ oppositus, quæ tonsuratum ad statum Clericorum adoptat. Palao *p.* 5. *cit. n.* 2. & ab eo relati. *Neque obstat*, quòd prima Tonsura propriè non sit Ordo; quia satis est, quòd sub Ordine latè dicto comprehendatur juxta *c. cùm contingat* 11. *de ætat. & qualit.* Accedit, quia per Irregularitatem fit quis incapax Ordinis suscipiendi, igitur etiam primæ Tonsuræ; malè enim quis se disponit ad aliquod, quod habere non potest.

91 Dixi 2 *ne suscipi Ordo &c.* nam quando Irregularitas supervenit Ordini jam suscepto, videndum est, an sit Irregularitas ex delicto, an ex defectu, *si ex delicto*, puta ex homicidio, ex iniqua Ordinum susceptione, vel administratione &c. privat ordinatum quolibet exercitio Ordinis suscepti, & inhabilem reddit ad alium suscipiendum; quia præstat omnem effectum, quem præstare potest, ut colligitur ex *c. fin. de temp. ordin.* & *c. inquisitionis* 21. *de Accus.* & cum communi notant Covar. *in Clem. si furiosus p.* 1. §. 1. *n.* 3. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 144. Suar. *D.* 40. *sect.* 2. *n.* 4. Avil. *p.* 7. *D.* 2. *dub.* 6. Palao *p.* 5. *cit. n.* 3. Vviestner *hic n.* 47. *Si verò ex defectu descendat Irregularitas*, privat solùm exercitio Ordinis suscepti, & potestate suscipiendi, ad quem per ejusmodi defectum inhabilis factus est: ut si duo digiti cum mediatæ palmæ abscissi fuerunt, si Sacerdoti, Irregularis ille fit ad celebrandum; si Diacono, ad Sacerdotium suscipiendum: nequaquam tamen impediet aut Diaconum à ministerio Ordinis rite suscepti, neque Sacerdotem à reliquis muniis Sacerdotalibus, qualia sunt Matrimonio assistere, absolvere à peccatis, vel alia Sacramenta ministrare. Navar. *l. cit. n.* 191. Suar. *sect.* 3. *n.* 25. Avil. *dub.* 6 *cit.* §. *circa*, Palao *n.* 3. Neque refert, an talis defectus culpabiliter sit contractus, necne; quomodocunque enim supervenerit ordinato, solùm impedit usum illius Ordinis, quem defectuosus præstare nequit, prout dictum est *Lib.* 1. *Tit.* 30. *n.* 14. Quare talis defectus inducet Irregularitatem solummodo partialem.

Dub. 2. quomodo Irregularitas privet Beneficiorum consecutione? *Certum est*, quòd Irregularis non possit licitè accipere Beneficium *c. fin. de Cler. pugn. in duell.* & Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Reform.* saltem si Irregularitas sit absoluta, & totalis, nam hæc Clericum à statu, & Ordine Clericali omnino dejicit: consl. dejicit etiam ab iis, quæ Clericalem Ordinem requirunt, & quæ illius sunt propria. Aliud est, si Irregularitas sit partialis duntaxat, & ordinato supervenerit non ex delicto, sed ex defectu, sicut est Irregularitas, quæ refertur *c. Presbyterum* 2. *de Cler. ægrot.* nam huic validè, & licitè potest conferri Beneficium, saltem si tale illud sit, ut non requirat usum repugnantem defectui. Valent. *tom.* 4. *D.* 7. *q.* 19. *part.* 2 *vers. & dicendum* Sayr. *l.* 6. *Thesaur. c.* 3. *n.* 13. Garc. *de Benef. p.* 7. *c.* 12. *n.* 19. Bonac. *D.* 7. *de Irregul. p.* 4. *num.* 3 Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 5. *n.* 5. 92

Difficultas est, an valida sit collatio Beneficii, quæ facta est Irregulari absolutè, vel tali, qui functiones Beneficii exercere licitè non potest. *Negat* communis sententia ex ratione, quia Irregularis exclusus est ab Ordine, & ejus exercitio, ergo exclusus est etiam à Beneficio, quod Ordinem necessariò requirit; etenim inhabilis ad unum inhabilis censeri debet ad omnia illa, quæ ex eo uno consequuntur *arg. c. translato* 3. *de Const.* junct. Gloss. *in can. studeat* 39. *V. ut tale Beneficium dist.* 50. *Conf.* ex *c. cùm bonæ* 8. *de ætat. & qualit. c. postulastis* 7. & *c. fin. de Cler. excomm. minist. c. fin. de Cler. pugn. in duell.* 93

Verùm his non obstantibus, adhuc probabilis est sententia, quæ negat hujusmodi collationem esse irritam, Ita Sylv. *V. Excommunicatio* 4. *n.* 4. Felin. *in c. inquisitionis* 21. *n.* 6. *&* 8. *de Accus.* Suar. *D.* 40. *sect.* 2. *à num.* 30 Coninck *D.* 18. *dub.* 1. *n.* 4. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 2 *&* 3. Casp. Horrad. *de Irreg. diffic.* 5. *à n.* 20. Palao *l. citat. n.* 6. *& seqq. arg. c. si soli* 6. *de conc. ess. Præb. in* 6. ubi dicitur, prohibitionem Pontificis non irritare collationem, nisi ei adjungatur Decretum irritans, quòd Decretum cùm non reperiatur respectu collationis Beneficii Irregulari factæ, plus non sequitur, quàm quòd talis collatio, & receptio Beneficii sit illicita, & per sententiam irritanda, non verò quòd sit irrita ipso jure. *Conf.* quia Irregularitati non sunt tribuendi plures effectus, nec plures pœnæ, quàm sint jure expressæ, atqui in jure nullus est textus, exprimens, collationem Beneficii Irregulari factam esse irritam, sed ad summum illicitam. 94

Neque aliud probat Argumentum contrarium; neque enim ex eo, quòd Irregularis exclusus sit ab Ordine suscipiendo, & illius exercitio, sequitur susceptionem Beneficii esse invalidam: patet in eo, qui incurrit excommunicationem minorem, & propterea non potest licitè eligi, quamvis electio ejus sit valida. Accedit, quia Irregularis potest procurare dispensationem, & interim Beneficio per alium inservire, ejusque muneri satisfacere. Non plus probant textus in *Conf.* allati, nam *c. cum bona* non loquitur de Irregulari, sed de suspensis, & in suspensione per triennium perseverantibus, neque hos reddit inhabiles ad Beneficia, sed decernit spoliandos esse Beneficiis ante possessis, & eo tempore acquisitis, *c. postulastis*, iterum non de Irregulari, sed de excommunicato loquitur, *c. fin. eod.* de ligato excommunicatione minori, *c. fin.* 95

de

de Cler. pugn. in duell. dicitur cum Clerico, qui homicidium commisit, posse misericorditer dispensari, ut Beneficium obtineat, non quia invalida esset Beneficii collatio, sed quia illicita.

96 Dub. 3 an Irregularitas Jure ipso privet Beneficiis ante Irregularitatem obtentis? *Rationem dubitandi* facit 1. Trid. quod *sess.* 14. *c.* 7. *de reform.* loquens specialiter de Irregularitate homicidii voluntarii inquit: *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit --- omni ordine, ac Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat*, sed caret Ordine ipso Jure, & absque Sententia condemnatoria: ergo etiam carere debet Beneficio, & Officio, 2. *can. siquis Episcopus* 8. *caus.* 1. *q.* 1. ubi Simoniacus, *c. cum secundum* 19. *de heret. in 6.* ubi hæreticus, & *c. pro humani* 1. *de homic. in 6.* ubi Assassinus ipso Jure videtur privari Beneficio suo, 3. quia Irregularis incapax plerumque est exercendi officium, ratione cujus Beneficium conceditur: ergo ipso Jure videtur illud amittere, cùm satisfacere ejus obligationi non possit.

97 Sed standum negativa sententia, quam cum communi defendunt. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 249 *dict.* 5. Henriq. *l.* 14. *c.* 2. *n.* 6. Valens. *tom.* 4. D. 7. *q.* 19. *p.* 2 § *quinto*, Suarez *D.* 40. *sect.* 2. *n.* 15. & *D.* 44. *sect.* 4. *n.* 2. Bonacina *D.* 7. *p.* 4. *n.* 8. Conick *D.* 18. *dub.* 1. *n.* 5. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 1. *coroll.* 3. Hurt. *Diffic.* 5. *n.* 20. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 5. *n.* 9. Vviestner *hic n.* 48. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 439. Colligitur ex *c. Clericis* 5. *ne Cler. vel Monach. cap. fraternitati* 6. & *c. seq.* § *quæsivistis de Cler. excomm. ministr. c. ex litteris* 10. *de Excess. Prælat.* in quibus textibus ad Beneficiorum privationem requiritur Officium Judicis, *Conf.* quia nemo ipso facto ante sententiam privatur bonis suis, vel juribus actu possessis, nisi id clare exprimant Leges, nullus autem extat textus hanc pœnam ipso Jure inducens: ergo &c.

98 Addo tamen, etsi Beneficiatus, in Irregularitatem incidens ob delictum, retinere possit Beneficium, usque dum per sententiam eo privetur, ipsum tamen debere procurare Dispensationem, & interim Beneficii muneri per alium satisfacere in iis actionibus, quæ ratione Irregularitatis illi sunt prohibitæ. Quodsi autem Dispensationem impetrare aut nolit, aut non possit, retinere illud non poterit; quia sic Ecclesia in perpetuum spoliaretur servitio suo, Poterit tamen illud resignare, etiam in favorem, ac si nullam Irregularitatem incurrisset, etiam pendente lite, & accusatione facta de Irregularitate; quia usqueque accedat sententia, & condemnetur, retinet Jus in Beneficio, Sayr. *l.* 6. *c.* 2. *n.* 14 Suarez *D.* 40. *sect.* 2. *n.* 19 Palao *p.* 5. *cit. num.* 15. la Croix *num.* 439. *cit.* Et hoc verum est etiam casu, quo durante accusatione Irregularitatis, Beneficium ipsius impetravit alius sub conditione, si privetur Irregularis; quia ita renuntians usus est suo Jure. Molin. *tr.* 4. *de J. & J. D.* 78. *n.* 2.

99 Argumenta in contrarium *n.* 96. allata non sunt efficacia. *Ad* 1. Clericus, ob homicidium voluntarium Irregularis factus, tantùm privandus venit Beneficio suo, sicut etiam in aliis; nam in his *Trid.* nihil innovavit; neque sequitur, quòd si Irregularis ipso Jure privetur Ordine suscepto, ipso Jure, & ante sententiam etiam carere debeat, & privari Beneficio, & Officio; nam prius clarè decisum est in Jure, non autem posterius; quare Concilii verba intelligenda sunt juxta ipsarum rerum naturam, & dispositionem Juris antecedentem, ut evitetur Juris correctio. *Ad* 2. similiter etiam de Simonia, Hæresi &c. dicendum; quod ob hæc, & similia delicta Irregularis factus solùm privandus veniat. *Ad* 3. *N. Conf.* quia talis Beneficiatus, usque dum Dispensationem impetret, Beneficio satisfacere per alium potest.

100 Dub. 4 an, & quomodo Irregularis privetur pensionibus, fructibus Beneficii, Jurisdictione pertinente ad forum contentiosum? Resp. *Ad* 1. in Jure pensionum privatio Irregulari indicta non est, sed decernenda relinquitur arbitrio Judicis, spectata delicti qualitate, ut decisum à *Sac. Congr. Cardd.* referunt Ricc. *Dec.* 524 Barbosa *ad sess.* 14. *Trid. cap.* 7. *de reform.* Suarez *D.* 44. *sect.* 5. *n.* 34 Bonacina *D.* 7. *part.* 4. *n.* 11. Palao *p.* 5. *cit. n.* 12.

101 *Ad* 2 Si ejusmodi Irregularis munera benefici sui per se, vel per alium exercuit, non privatur beneficii fructibus, nec venit privandus per sententiam; quia titulum beneficii retinet, & jus habet percipiendi illius fructus, posito muneris exercitio, Suarez, *D.* 40. *sect.* 2. *num.* 20. Coninck *D.* 18. *dub.* 1. *num.* 5. Filliuc. *tract.* 19. *num.* 69 Bonacina *part.* 4. *cit. num.* 10. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 1. *coroll.* 3. Palao *p.* 5. *cit. n.* 13.

Ad 3 dico, Jurisdictionem fori externi, & alias functiones, quæ Irregulari specialiter non prohibentur ab eodem exerceri posse Palao *nu.* 14. & ab hoc *citt.* Ratio est, quia Irregularitas non dejicit à beneficio, & officio: ergo nec ab illius usu. Poterit igitur ejusmodi Irregularis excommunicare, eligere, conferre beneficia, sicut poterat, antequam in Irregularitatem incideret. Item Parochus Irregularis licitè poterit assistere matrimonio, & assistendi licentiam dare, immo licitè poterit dare licentiam administrandi Sacramenta. *Neque obest*, quod per Irregularitatem sit dejectus à Statu Clericali, cui Jurisdictio Ecclesiastica alligatur; nam Clericatus tantum requiritur tanquam conditio, ut subjectum sit capax Jurisdictionis, illa tamen concessa, ejus usus non est actus ordinis, ac proinde per Irregularitatem non prohibetur. 102

103 Quæritur 4. quæ causa excuset ab Irregularitate, *Certum est*, Irregularitatem ex delicto non incurri per actum, qui non est peccatum mortale: conf. ab Irregularitate excusatur omnis ille, qui excusatur à peccato mortali: quia, ut *num.* 76. dictum est, est pena gravissima; igitur peccatum grave ad sui incursionem requirit, ut sit proportio inter pœnam, & culpam.

104 Dub. 1 an excusetur ab Irregularitate, qui ignoravit, quòd delictum, quod commisit, Lege Ecclesiastica specialiter sit prohibitum? *Ratio dubitandi* est, quia Irregularitas non tam in pœnam delicti, quam ob decentiam Status Ecclesiastici indicitur, cui decentiæ obstat delictum, etsi ignoretur speciali Lege Ecclesiastica illud esse prohibitum.

105 Sed dicendum, probabilius excusari. Ita Coninck *D.* 18. *de Irreg. dub.* 4. *concl.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 6. *n.* 1. & alii, *Probari potest* 1. ex *c. fin. de Const. in* 6. ubi deciditur, Constitutionibus ordinariorum, quoad penas in his sancitas, non ligari illos, qui has ignorant; quia æquum non est æquali pena punire transgressorem Legis ex ignorantia, qua punitur transgressor ejus malitiosus, cùm ignorantia à transgressione culpabili Legis excuset; quæ decisio à fortiori procedit in constitutionibus Pontificiis, 2. ex *can. proposuisti* 2. *dist.* 82 ubi Clerici luxuriosi; ignorantes sibi delictum illud per Legem Ecclesiasticam sub pœna Depositionis prohibitum esse, venia digni, pronuntiatur, & afficiuntur pœna mitiori arbitrio Judicis; ergo ignorantia Legis Ecclesiasticæ excusat à transgressione, & à pœna ei annexa, 3. ex *ratione*: quia pœnalis Irregularitas plerumque ab Ecclesia indicitur in pœnam inobedientiæ, & contumaciæ adversùs Ecclesiam, siquidem superraditur violationi Censurarum, quæ inobedientiam, & contumaciam requirunt; atqui inobedientia, & contumacia stare non potest cum ignorantia Legis Ecclesiasticæ: ergo &c.

106 *Ad Rationem dubitandi* dico, Irregularitatem non esse inductam solum ob decentiam status Ecclesiastici, sed simul etiam in pœnam obedientiæ Ecclesiasticæ violatæ, quæ cum, posita Legis ignorantia, cesset, necesse est, ut eo casu cesset etiam Irregularitas.

107 Dub. 2 an incurrat Irregularitatem, qui quidem sciat, delictum suum esse speciali Lege Ecclesiastica prohibitum, probabiliter tamen ignorat Irregularitatem eidem annexam? Communis sententia cum Carden. *Cris. diss.* 75. *nu.* 37 Vvex *Ariad. part.* 5. *tract.* 2. *contr.* 5. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 482. Vviestner *hic nu.* 46. & aliis affirmat incurrere, *Moventur* 1. quia ignorantia pœnæ non videtur excusare ab illius incursione; aliàs plurimi delinquentes à penis per Legem statutis excusarentur, 2. si esset aliqua ratio, quare non incurreretur, esset ista, quia etiam excommunicatio, & aliæ Censuræ Ecclesiasticæ probabiliùs non incurruntur, nisi delinquens sciat, illas esse delicto suo annexas; atqui inter Irregularitatem, & Censuras non est paritas; nam Censuræ sunt pœnæ Medicinales, quæ, ut incurrantur, cognitionem requirunt, 3. Si ad incurrendam Irregularitatem necessarium foret cognoscere eam pœnam delicto annecti, homicida ignorans hanc pœnam Irregularitatem non incurreret, sed liberè posset ad ordines pro-

promoveri; hoc autem est falsum; nam etiam Judex, justè reum condemnans ad mortem, etsi nesciat facto suo annexam esse Irregularitatem, Irregularis efficitur, ergo multo magis, qui iniquè occidit alterum.

108 Hæc sententia ut communis, & in praxi recepta tenenda omnino est, ut bene notat Palao p. 6. cit. n. 3. contraria tamen, quæ vult, eo casu Irregularitatem non incurri, adhuc probabilis est, ut cum eodem *Palao* docent Sanchez *l. 9. de matr. D.* 32. *n.* 21. Suarez *D.* 4. *de Censur. sect.* 9. *n.* 22. Coninck *D.* 8. *dub.* 4. *n.* 31. Bonacina *D.* 1. *de Censur. q.* 2. *p.* 1. *n.* 13. Diana *p.* 3. *tr.* 5. *res.* 66. Dicast. *D.* 7. *n.* 91. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 482. *Ratio est*, quia etsi consensus delinquentis in pœnam non requiratur ad sustinendam illam, requiritur tamen illius consensus in culpam, prout est causa talis pœnæ, quod fieri nequit absque notitia pœnæ, quando pæna est extraordinaria. Talis autem est Irregularitas delicto annexa, quia obligat delinquentem, ut eam in se exequatur; ergo censeri non debet incurri ab ignorante; Legem sub tali pena esse latam.

109 Argumenta *n.* 107. in contrarium allata videntur posse dissolvi *Ad* 1. non est inconveniens, quòd multi ab hac pœna in foro conscientiæ excusentur, sicut excusantur, à Censuris, cùm in eodem foro adversùs Legem Ecclesiasticam completè non delinquant, ignorando pænam extraordinariam, sub qua Lex lata est. *Ad* 2. licèt Censuræ, & Irregularitas in hoc differant, quòd Censuræ sint penæ Medicinales, Irregularitas autem, quæ ex delicto oritur, rationem pœnæ vindicativæ habeat, tamen in hoc paritas adhuc maner, quòd tam illæ, quàm ista sint penæ extraordinariæ: est autem instar Regulæ, quod committens aliquod delictum subjaceat quidem pœnis tali delicto proportionatis, non autem aliis extraordinariis, quæ imponuntur ad vitandum frequentem delicti usum, vel ob aliam causam, nisi delinquens sciverit, delictum sub ea pœna prohibitum esse. *Ad* 3. negatur paritas; nam Judici Irregularitas non in pœnam, sed ob decentiam posita est; at homicidæ tum ob decentiam tum in pænam delicti indicitur Irregularitas; quæ cùm gravior pæna, & difficilioris dispensationis sit, mirum non est, quòd cognitio Legis eam indicentis expostuletur.

110 Quæritur 5 quomodo Irregularitas tolli possit? *Et* 1. *quidem dubitatur*, an aliqua Irregularitas tollatur per Baptismum? Resp. si rectè res consideretur, nulla Irregularitas Baptismo tollitur; quia nulla est, quæ Baptismum præcedat, cùm Ecclesia nullam Jurisdictionem habeat in eos, qui sunt extra Ecclesiam. Sunt tamen aliqui defectus, qui post Baptismum remanent in Baptizato, & ratione quorum Baptizatus constituitur Irregularis, uti est, 1. si ante Baptismum bigamus fuerit, 2. si claudus, cæcus, vel aliam corporis deformitatem habeat, 3. si sit illegitimus, 4. si infamis infamia Juris, quæ est ex sententia condemnatoria in Judicio, nam infamia facti etiam ex homicidio per Baptismum aboletur; & eatenus aliquo modo Baptismus dici potest tollere Irregularitatem; quia hominem quasi in alium virum murat. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 7. *n.* 1. & apud hunc *Henriq. Sayr. Layman*.

111 Dub. 2. an, & quam Irregularitatem relaxet Professio Religiosa, aut emissio Votorum in aliqua Religione approbata? Resp. tolli Irregularitatem, quæ oritur ex defectu natalium, in ordine ad suscipiendos ordines. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 101. Sayr. *l.* 7. *c.* 13. *n.* 9. Sanchez *l.* 7. *de Matr. D.* 86. *nu.* 4. Suarez *D.* 41. *sect.* 1. *nu.* 3. Coninck *D.* 18. *dub.* 14. *concl.* 2. Bonacina *D.* 7. *q.* 5. *p.* 2. *n.* 3 Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *c. ult. circa fin.* Palao *p.* 7. *cit. n.* 2. & habetur *cap. filii* 1. *de fil. Præsbyter.* quæ tamen Irregularitas perseverat in ita professo quoad dignitates, & Prælaturas *cap. fin. tit. citat.* nisi Religio, quam profitetur, hoc privilegium habeat, sicut habent, *Palao* teste, omnes ferè Religiones, ut earum Religiosi, etiamsi natalium defectu laborent, in Prælatos possint eligi.

112 Reliquæ Irregularitates, si Jus commune spectetur, per professionem Religiosam non tolluntur; quia nullum est fundamentum hujus relaxationis. At si privilegia Religioni concessa spectentur, etsi illas professio Religiosa non relaxat, potestatem tamen concedunt eas relaxandi: & ita in Societate Jesu Præposito Generali pro foro conscientiæ conceditur facultas relaxandi quamlibet Irregularitatem, etiam Bigamiæ, & homicidii, ut constat ex *Compend. privileg. Societ. V. Dispensatione à* § 1. *usque ad* 6. & notat Palao *loc. cit. n.* 2. Vviestner *hic nu.* 50. Quin imò, ut idem *Palao* notat, omnibus Religionibus Mendicantibus concessum est privilegium relaxandi Irregularitatem homicidii etiam voluntarii, dummodo notoria non sit, ex privilegio *Martini V.*

113 Dub. 3. quis relaxare Irregularitatem possit dispensando? *Certum est*, posse illam relaxari à Summo Pontifice cùm enim illa ortum ab ipso habeat, necesse est, ut etiam per eundem tolli possit; in aliquibus tamen difficiliùs dispensat, ut in Irregularitate Bigamiæ; quia ab Apostolica traditione descendit; & in illa, quæ oritur ex homicidio voluntario; quia gravem continet indecentiam.

114 *Difficultas* est, utrum dispensare in Irregularitate etiam possit Episcopus? *Ratio dubitandi* est, quia Episcopus potest absolvere ab excommunicatione, si eam sibi Pontifex non reservavit *capit. nuper* 29. *de Sentent. Excommun.* ergo potest etiam relaxare Irregularitatem. Sed hoc argumentum nihil probat; imprimis enim retorquetur argumentum: sequeretur enim, quòd etiam Parochus possit relaxare Irregularitatem, sicut absolvere potest ab excommunicatione non reservata, 2. excommunicatio est pæna medicinalis, quæ cùm ex natura sua tolli exigat, quando delinquens correctus est, ab ea absolvens facit id, quod à Jure præcipitur at Irregularitas est impedimentum de se perpetuum; igitur illud auferens, nisi specialem ad hoc potestatem habeat, vulnerat Jus volens illam durare perpetuò, 3. absolutio ab excommunicatione est maximè necessaria saluti spirituali fidelium, cùm impediat Sacramentorum receptionem, privet Ecclesiæ suffragiis &c. at per Irregularitatem solùm impeditur susceptio ordinis, vel suscepti usus, qui minùs necessarius est ad salutem propriam Irregularitatem affecti.

115 *Quare dicendum*, Episcopum tum solum posse dispensare in Irregularitate, quando hoc ipsi concessum est; aliàs, quoties dispensatio circa irregularitatem eidem concessa non est, censebitur Pontifici reservata. Suarez. *D.* 41. *sect.* 2. *n.* 3 Palao *tr.* 19. *D.* 6. *p.* 1. *num.* 4. cum communi. Conceditur autem ei per Trid. *sess.* 24 *cap.* 6. *de reform.* potestas in illa dispensandi, quando provenit ex delicto occulto, & ad forum contentiosum nondum deducto, excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario.

116 Dub. 4. quæ conditiones requirantur, ut Episcopus dispensare in irregularitate possit? Resp. 1. requiritur, ut irregularitas proveniat ex delicto occulto, & nondum deducto ad forum contentiosum, ut patet ex *c.* 6. *cit. Occultum* tunc dicitur delictum esse, quando, etsi per testes probari possit, ignoratur tamen à majori parte populi, seu communitatis, in qua ad minus decem resident, ubi delictum commissum est; ideòque occultum notorio opponitur. Quodsi Delictum in uno loco est publicum, in alio nec scitur, nec timetur probabiliter sciendum, putant aliqui cum Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 11. *n.* 21. posse Episcopum talis loci vi *Decreti Conc. cit.* in ea dispensare. Sed Palao *p.* 7. *cit. num.* 10. existimat contrarium; quia hoc modo nulla ferè inveniretur irregularitas, in qua Episcopus dispensare non posset, quia nulla esset, quæ alicubi ignota non est. *Ad forum contentiosum deductum* censetur delictum, quando delatum est Judici, & insuper delatio parti intimata. Unde si delatum quidem sit Judici, non tamen intimatum parti, dici nequit deductum ad forum contentiosum. Imò quia juxta communem sententiam Judicium primùm incipit à contestatione litis, poterit Episcopus, usque dum lis contestetur, in irregularitate dispensare. Idem potest, si reus, postquam delictum ad forum contentiosum deductum est, ex defectu plenæ probationis, aut falsis probationibus absolutus fuit ab instantia, & observatione Judicii, & multò magis si per sententiam definitivam; quia tunc delictum illud se habet, ac si ad forum contentiosum deductum non fuisset. Palao *loc. cit. n.* 11. & 12.

117 2 Requiritur, ut is, quocum in irregularitate dispensare Episcopus, sit ejus subditus, prout habetur in Trid.

Trid. *cap. 6. cit.* ibi, *Quoscunque sibi subditos*. Veniunt autem hic nomine Subditorum, qui in Diœcesi talis Episcopi domicilium habent, vel per majorem anni partem in ea commorantur: non verò peregrini, scholastici, & mercatores, qui non commorantur in Diœcesi per majorem anni partem; nam hi, etsi possint à peccatis absolvi, non tamen in Irregularitatibus, & Votis dispensari. Suarez *D.* 41. *de Cens. sect.* 2. *num.* 10. *&* 12. Sanchez *l.* 2. *mor. cap.* 11. *nu.* 9. Palao *part.* 7. *cit. num.* 8. Vagi tamen, qui nullibi habent certam sedem, absolvi, & dispensari possunt ab Episcopo loci, in quo reperiuntur; quia alicui debent subjici. Sanchez *loc. cit. n.* 8. Palao *l. cit. fin.*

118 3 Requiritur, ut dispenset Episcopus in sua Diœcesi juxta Trid. *loc. cit.* ibi: *in Diœcesi sua*: quorum verborum, ut Sanchez *loc. cit. à n.* 16. & Palao *n.* 9. notant, legitimus sensus non est, ut per ea limitetur ullo modo Jurisdictio Episcopi, quasi non posset subditis relaxare irregularitatem, existens extra Diœcesim suam; cùm enim relaxatio hæc sit actus Jurisdictionis voluntariæ, subditis impertiri ab Episcopo potest, etiam existente extra Diœcesim suam: sed potiùs per ea verba extenditur Jurisdictio; præstant enim hunc sensum: *Potest Episcopus quoscunque sibi subditos, vel qui propriè, & per se subditi sunt, eò quòd in Diœcesi illius domicilium habeant, vel qui ei subduntur ratione existentiæ in sua Diœcesi, tametsi domicilium non obtinuerint, absolvere à quibuscunque casibus &c.* Ex quo Episcopum absolvere, & dispensare cum subdito posse, etiamsi tam iste, quàm ipse extra Diœcesin existant Sanchez *loc. cit. num.* 17. Palao *n.* 9. *cit.*

119 4 Requiri vi verborum Trid. *loc. citat.* ibi *In foro conscientiæ* videtur, ut detur Dispensatio, & prosit pro foro conscientiæ tantùm. Sed ut bene advertit Sanchez, *loc. cit. n.* 12. & Palao *n.* 14. verba illa non sunt apposita, cùm de dispensationibus sermo est, sed cum agitur de absolutione à casibus reservatis; igitur cùm hæc potestas concedatur absolutè, non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo prodesse debet.

120 Dub. 5. quinam hic veniant nomine Episcopi? Resp. hoc nomine hic veniunt principaliter illi Episcopi, qui ordinariam in subditos Jurisdictionem habent. Et conf. eo nomine intelligendus non venit 1. *Archiepiscopus* respectu subditorum Suffraganei sui; quia non est illorum Superior absolutè, nisi in causis ad ipsum per Appellationem devolutis *c. cùm non* 1. *de Offic. Legat. cap. duo* 9. *& cap. pastoralis* 11. *de Offic. Ordin.* 2. *Vicarius Generalis*, nisi specialiter facultas hæc ipsi concessa sit; nam ex vi Vicariatus eam non habet, ut multis allegatis docet Sanchez *lib.* 2. *de Matr. D.* 40 *num.* 12. *& lib.* 4. *mor. capit.* 38. *num.* 18. & ratio est, quia dispensatio reputatur quasi restitutio in integrum, quæ in generali mandato non continetur *leg. illud* 25 *fin. ff. de minor.* 3. *Prælati Regulares* respectu Religiosorum sibi subditorum; quia non habent Diœcesin, quod videtur necessariò requisitum, ut gaudeant privilegio *Trid.* ibi *in Diœcesi sua*. Extendit tamen hanc potestatem pro foro conscientiæ S. Pius V. *Motu proprio* ad Prælatos etiam locales Religionum exemptarum erga Religiosos sibi subjectos.

121 Venit tamen hic nomine Episcopi 1. *Capitulum Sede vacante*; quia succedit in iis, quæ competunt Episcopo jure ordinario speciali, licèt non succedat in illis, quæ eidem competunt jure speciali delegato; atqui hæc potestas dispensandi in irregularitatibus per *Trid.* Episcopis competit jure ordinario; ergo &c. 2. *Abbates, & alii Prælati habentes propriam Diœcesin*, & in ea Jurisdictionem quasi Episcopalem independenter ab Episcopo exercentes; nam hæc potestas est beneficium Principis Juri communi insertum; ergo latæ est interpretationis; conf. extendi debet etiam ad hos Prælatos. Accedit, quia hi Prælati ab Episcopis solùm differunt in consecratione; atqui ad hanc potestatem exercendam non opus est consecratione; nam etiam non consecrati Episcopi hanc potestatem habent, 3. competit hæc facultas iis, quibus Episcopi potestatem hanc delegaverint; nam quia est Jurisdictionis voluntariæ, sicut absolutio, ita & dispensatio hæc delegari alteri ab Episcopo potest.

122 Dub. 6. Quænam alia advertenda sint circa relaxationem irregularitatis? Resp. 1. si plures sint irregularitates, de quibus impetranda sit dispensatio, necessarium est mentionem facere illarum, quæ sunt ob diversa delicta contractæ; quia auferri potest una sine alia. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 32. Sanchez *lib.* 8. *de Matr. D.* 24. *num.* 7. Avil. *part.* 7. *de Irregul. D.* 10. *n.* 8. Palao *tract.* 29. *D.* 6. *part.* 7. *numer.* 16. At si contractæ sint ob delictum ejusdem generis sæpius iteratum verb. grat. quia sæpius celebrasti in excommunicatione, pluresoccidisti &c. non est opus exprimere vices in particulari, in quibus irregularitas contracta est; necessarium tamen est saltem in genere eas exprimere, ut pro omnibus dispensatio concedatur. Suarez *D.* 44. *sect.* 3. *n.* 28. Coninck *dist.* 18. *dub.* 14 *fin.* Palao *loc. cit.* la Croix *tom.* 8. *lib.* 7. *n.* 463

2 Quando in privilegio, vel potestate dispensandi 123 in irregularitatibus, data Religionibus, vel Episcopis, sit aliqua exceptio, ea strictè est interpretanda: Et hinc si alicui concedatur potestas dispensandi, præterquam in Bigamia, intelligendum hoc est de bigamia vera non similitudinaria; si excipiatur homicidium voluntarium, intelligendum de injusto, & directè volito, non de eo, quod commissum est ad sui defensionem, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, aut quod ex subita ira commissum est, Coninck *dub.* 14 *cit. concl.* 5. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 9. *fin.* Palao *n.* 17. la Croix *n.* 472.

3 Si Episcopus vel Prælatus conscius irregularitatis, 124 in qua dispensare potest, admittat irregularem ad ordines, vel beneficium, censendus est cum illo dispensasse; quia non debet præsumi voluisse peccare, ut ex communiori sententia docet Sylv. *V. dispensatio quæst.* 15. *& V. irregularitas quæst.* 28. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 17. *num.* 4. Suarez *dist.* 41. *sect.* 3. *num.* 4. Bonacina *dist.* 7. *q.* 5. *part.* 1. *fin.* Palao *num.* 18. Verùm hæc dispensatio tantum valebit pro foro conscientiæ; nam in foro externo nullatenus admittitur hæc tacita dispensatio à Prælato inferiore Pontifice; quia in Jure communi inferior Pontifice dispensationem concedere nequit non præmissa cognitione causæ, Palao *loc. cit.*

4 Dispensatus ad Ordines etiam à Pontifice non hoc 125 ipso censetur dispensatus ad beneficia Curata, Dignitates, & Prælaturas, Palao *n.* 19. & ab hoc *citt.* Quoad Beneficia simplicia distinguendum est; nam si dispensatus sit ad majores Ordines, hoc ipso etiam censetur dispensatus ad beneficia simplicia; quia nullum decet Sacris initiari, qui beneficium non habet, ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* nam esto, aliquando aliquis initietur titulo patrimonii vel pensionis, id quasi ex dispensatione fit ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. *Contra* si dispensatus sit tantùm ad Ordines minores, nam hic non hoc ipso reputabitur dispensatus ad beneficium simplex, utpote qui adhuc redire ad vota Sæcularia potest. Sanchez *lib.* 2. *de Matr. dist.* 1. *num.* 27.

5 Dispensatus ad Ordines, si Minores nondum ha- 126 bet, censeri debet dispensatus ad istos solos: si verò Minoribus susceptis, dispensatio hæc superveniat, intelligi debet facta pro Majoribus. Sanchez *dist.* 1. *citat. num.* 26. Palao *num.* 20. *Ratio primi* est, quia Dispensatio strictè interpretanda est, & sufficienter effectum suum sortitur dispensatione pro minoribus Ordinibus concessa. *Ratio secundi*, quia alias frustranea, & inutilis esset dispensatio.

6 Si Episcopus, sciens aliquem esse irregularem, 127 ipsi tamen concedat Litteras Dimissorias ad Ordines, eo ipso concedere censetur facultatem, ut ab ordinante dispensetur in irregularitate, vel alio impedimento, quod susceptionem Ordinum impedit; ne concessio Dimissoriarum sit sine effectu. *Secus est*, si ignarus fuit irregularitatis, vel impedimenti, censebitur enim tunc concessio dimissoriarum facta ob vel subreptitiè, & esto, valida sit, cum ipsa tamen Dispensatio in irregularitate non connectitur necessariò. Sanchez *num.* 25. Palao *num.* 21.

§. III.

§. III.

De aliis Pœnis Ecclesiæ Spiritualibus.

S U M M A R I U M.

128 *Privatio beneficii induci potest dupliciter, se ipso Jure, & per Sententiam condemnatoriam.*
129 *Effectus privationis ipso Jure inductæ.*
130 *Effectus inductæ per Sententiam condemnatoriam.*
131 *Quando pœnæ huic sit locus?*
132 *Depositio alia est simplex, alia Solemnis.*
133 *Differentia simplicis à privatione Beneficii.*
134 *Et à Suspensione.*
135 *An depositus retineat privilegia Canonis, & fori?*
136 *Ob quæ crimina à Jure imposita sit pœna depositionis perpetuæ.*
137 *An Episcopus dispensando tollere eandem possit?*
138 *Definitio degradationis, & divisio in Verbalem, & Realem.*
139 *&c. Differentia unius ab altera?*
142 *A quo fieri degradatio Verbalis debeat?*
143 *Ob quæ crimina?*
144 *In quorum præsentia?*
145 *An præsentes habeant Votum decisivum?*
146 *In quo numero consentire isti in degradationem debeant?*
147 *&c. A quo, & quomodo fieri debeat degradatio Actualis?*
151 *&c. Quando Judex Ecclesiasticus degradatum valeat tradere Curiæ Sæculari?*
159 *&c. An Judex Sæcularis adversus Clericum degradatum novum Processum formare valeat?*
162 *&c. An Clericus realiter degradatus à Sæculari Judice torqueri possit?*

128 POst irregularitatem inter pœnas Ecclesiæ Spirituales *Primo loco* occurrit *inhabilitas* ad dignitates, beneficia, & officia Ecclesiastica obtinenda *cap. quicunque 2. §. Hæretici, & c. Statutum 15. de Hæret. in 6.* uti & privatio legitimè obtentorum, *c. citt.* & alibi passim. Potest privatio hæc induci duobus modis scilicet ipso Jure, & per sententiam condemnatoriam Judicis. *Ipso Jure* incurritur tunc, quando annexa est perpetrationi criminis, ita, ut alia sententia condemnatoria non requiratur: & tale crimen est cædes Rectoris, vel beneficiati Ecclesiæ, in qua beneficium obtinetur *cap. in quibusdam 12. hoc tit.* hostilis persecutio, aut captivatio; alicujus S. R. E. Cardinalis, vel ad eam cooperatio *cap. felicis 5. eod. in 6.* percussio, persecutio Episcopi &c. *Clem. 1. eod.* violenta detentio personæ Ecclesiasticæ ad effectum extorquendæ ab ea renuntiationis beneficii, vel impediendæ comparitionis apud Sedem Apostolicam *Clem. 2. eod.* & permulta alia, de quibus proprio loco dictum est, & videri possunt apud Azor *part. 2. lib. 7. cap. 17. quæst. 1.* Corras. *part. 1. de Benef. tit. 23. à num. 16. & tit. 24. à num. 1.* Vviestner *hic num. 65.* *Per sententiam condemnatoriam* incurritur tunc; quando, ut incurratur, opus est sententia non tantum declaratoria criminis, sed etiam injungens pœnam ademptionis Beneficii. Innoc. *in cap. qualiter 18. de Accusat.*

129 Dub. 1. quis sit effectus privationis ipso Jure inductæ? Resp. quatuor maximè effectus habet, 1. ipso facto criminis perpetrati amittitur titulus, seu proprietas beneficii, ita ut hoc ab eo tempore vacare incipiat, & ante omnem sententiam Judicis impetrari ab alio possit *arg. c. licèt 28. de Præb. in 6.* 2. ita privatus non facit suos, sed restituere tenetur fructus, à die commissi criminis ex beneficio provenientes *Extrav. 2. int. comm. de Simon.* 3. beneficium illud permutare, & in favorem alterius resignare non potest. Rebuff. *de pacif. possess. à num. 261.* 4. si moriatur, impetrari beneficium illius ab alio potest, non tanquam vacans per mortem, sed tanquam vacans ex delicto; quia titulus & proprietas beneficii jam ante obitum fuerunt amissa. Azor *part. 3. lib. 7. cap. 17. quæst. 2.* Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57. à num. 153.* Vviestner *hic num. 66.* Videantur dicta *n. 57. & 58.*

130 Dub. 2. quis sit effectus privationis per sententiam condemnatoriam Judicis? Resp. per hanc solùm inducitur privatio tituli à tempore latæ talis sententiæ. *Ex quo sequitur* 1. quod ante talem sententiam beneficium talis criminosi non possit impetrari, 2. quòd beneficium tale ante ejusmodi sententiam possit ex causa permutationis, vel alio modo resignari, 3. quod fructus antè sententiam perceptos faciat suos, & restituere eos non teneatur, licèt dudum ante commiserit crimen. Covar. *part. 2. de spons. c. 6. §. 8. n. 8.* Layman *l. 4. tract. 2. c. 17. n. 2.* Pirhing *tit. de concess. Præb. n. 27.* Engl *hic n. 9.* Vviestner *ibid. n. 68.*

Dub. 3 quando sit locus pœnæ privationis beneficii ante crimen obtenti? Resp. locus ei duntaxat est in casibus Jure expressis, Azor *loc. cit. cap. 18.* Vallens. *lib. 3. tit. 11. à n. 2.* Casus autem isti, & crimina, quæ eam merentur, in specie referri, aut sub una Regula comprehendi non omnia possunt. Imò in hac pœna dictanda locum esse argumento à simili, eamque imponi posse propter expressis similia, existimant. Abb. *in cap. at si Clerici 4. de Judic. num. 38.* Silva *part. 3. de Benef. q. 3. num. 2.* Garc. *part. 11. de Benef. cap. 10. num. 3.* qui tamen cum P. Vviestner *hic num. 69.* monent recentiora potiùs Jura, & Curiarum praxin in pœna ista dictanda, quàm veteres Canones à Judice attendendos, quòd hi ad privationis, & Depositionis pœnas multò, quàm nostrorum temporum corruptio, proniores sint. 131

Secunda est Depositio. Potest autem hoc nomen dupliciter accipi, 1. *magis genericè*, & eatenus continet sub se etiam Degradationem, de qua *num. 138. & seqq.* 2. *magis specificè*, ut significat pœnam quandam Ecclesiasticam, à Degradatione, & suspensione distinctam, & sic accepta *Depositio simplex* dicitur ad distinctionem à Degradatione, quæ est solemnis Depositio, quando Clericus perpetuò removetur vel ab Ordine e. gr. Episcopali, Sacerdotali &c. scilicet quoad exercitium ejus; nam Character, & Ordo manet; vel à beneficio e. g. Parochia, Dignitate &c. vel ab officio e. g. Sacramentorum administratione, & Jurisdictionis usu; vel ab officio, & beneficio simul; vel denique ab ordine, officio, & beneficio. *Ex quo patet*, pœnam istam esse Clericorum propriam; quia respectum dicit ad Beneficia, & munera Ecclesiastica. Extenditur tamen etiam ad Religiosos, etsi Clerici non sint, quatenus sunt personæ Ecclesiasticæ; & ad Abbatissas: nam & istæ suspendi & deponi solent. 132

Dub. 1. quomodo Depositio simplex à Beneficio differat à privatione beneficii? Resp. simillima quidem huic est, cùm per utramque beneficii titulus auferatur, & hanc ob causam *Abbas* quandoque illam ejusdem privationem nominat apud Suarez *D. 30. de Censur. sect. 1. n. 4.* differt tamen in hoc, quòd Depositio simplex ultra privationem beneficii possessi ad idem, & alia Beneficia obtinenda inhabilitatem inducat, ut cum *cit.* Suarez *num. 5.* notat Vviestner *hic num. 71.* Reiffenstuel *ibid. n. 27.* 133

Dub. 2. quomodò differat à suspensione? Resp. huic quidem affinis est depositio simplex; adeò, ut aliquando cum ista à DD. confundatur, propriè tamen spectata differt in hoc, quòd Depositio ex natura sua sit perpetua, cùm tamen Suspensio vel non sit perpetua, vel si perpetua est, non ab Officio, & beneficio ipsomet, prout facit Depositio; sed à Beneficii fructibus duntaxat, officii administratione, & Jurisdictionis usu removeat, Suarez *D. 30. sect. 1. num. 4. & 7.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. num. 2.* Gonzalez *in cap. 2. de Cleric. excomm. ministr. num. 7.* Vviestner *hic num. 72.* Reiffenstuel *num. 27. ibid.* *Neque obstat*, quòd à beneficio perpetuò suspensus id etiam amittat, cùm beneficium habere non debeat, qui ejus fructuum perceptione perpetuò est interdictus; quia hæc amissio non inducitur ex vi suspensionis: & hinc suspensione relaxata, suspensus beneficium retinet sine nova collatione, quæ tamen necessaria est deposito ad ejus retentionem. Suarez *num. 4. cit.* Vviestner *num. 72. fin.* 134

Dub. 3 an depositus retineat privilegia Canonis, & fori? Resp. affirmativè, nisi horum privilegiorum ademptio in sententia exprimatur, ut colligitur ex *c. cum non ab homine 10. de Judic.* Et hinc curiæ Sæculari tradi non potest, nisi crescente contumacia, propter incorrigibilitatem degradetur. Abb. *in cap. at si Clerici 4.* 135

ci 4. §. *de Adulteriis de Judic. n.* 2. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 81. Suar. *D.* 30. *sect.* 1. *n.* 8. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 110. *n.* 3. Engl *hic n.* 11. Vviestner *n.* 73. Ut autem non privatur privilegio, ita nec liberatur onere Clericali: obligatur proin Depositus non minus ac suspensus, si in Sacris sit, ad persolvendum Pensum Canonicum, ut bene notant DD. & ratio probat: nam obligatio ista comitatur Ordinem Sacrum, etiamsi obligatus nullum Beneficium habeat. Ordo autem, ut jam dictum est, manet.

136 Dub. 4. ob quæ crimina à Jure imposita sit pœna Depositionis perpetuæ: Resp. plura referuntur a DD. sed cum Abb. *in c. at si Clerici cit. a nu.* 33. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 5. *n.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 4. *p. ult. nu.* 4. Vviestner *hic n.* 75. distinguendum est inter tempora. Antiquo Jure Depositionis pœna vindicabantur Homicidium, furtum, perjurium, adulterium, & his majora; imò & minora *arg. cap. at si Clerici cit.* §. *de adulteriis*. Nostro autem tempore hæc pœna infligi non solet, nisi reis criminum valde enormium, sive talium, quæ non solum natura, & objecto, sed circumstantiis etiam, & adjunctis qualitatibus consideratis, publicè valde scandalosa, & atrocia prudentis arbitrio reputantur, ut sunt Homicidium voluntarium, ac præmeditatum, adulterium, vel stuprum violentum, furtum sacrilegium rei prætiosæ, fornicationes notoriæ, & insuper habitis monitionibus continuatæ, ut bene advertunt Abb. *n.* 33. *cit.* Laym. *n.* 2. Reiffenst. *n.* 30. & colligitur ex *c. si autem* 6. *de cohabit. Cler. & mulier.* Trid. *sess.* 22. *in Decret. de observ. in celebr. Miss.* & *sess.* 25. *c.* 14. *de Reform.*

137 Dub. 5. utrum Episcopus cum Clericis, ob adulterium, & crimina eo non graviora depositis, post peractam pœnitentiam dispensare, eosque in pristinum statum restituere possit? *Videtur non posse;* nam ita depositus sit infamis *can. infames* 17. ibi, *Pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos caus.* 6. *q.* 1. atqui Clericos infamia notatos famæ restituere solus Papa, non autem Episcopus potest *arg. c. cum J. & A.* 23. *de sent. & re judic.* & *l. hunc titulum* 1. §. *de qua* 10. *ff. de postuland.* ergo &c. Sed tenenda est affirmativa sententia ob textum *c. at si Clerici* 4. §. *de adulteriis de Judic.* Abb. *ibid. n.* 1. Laym. *n.* 5. Barbos. *n.* 8. Gonzal. *num.* 1. Engl *nu.* 11. Vviestner *nu.* 74. Reiffenstuel *n.* 28. atque hanc potestatem restituendi depositos ob tale crimen Abb. *l. cit. nu.* 17. & Gonzal. *n.* 1. *cit.* adstruunt etiam Capitulo, Sede vacante. *Ad Rationem dubitandi* dico *citt.* textibus Principi solum reservatam esse directam famæ restitutionem; nam indirecta, & quæ per consequentiam quandam fit, *ff. de qua cit.* Prætori permittitur.

138 *Tertia* est *Degradatio*, qua Clericus ob criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem solemniter, & authenticè privatur Ordine, Beneficio, Officio, & Statu Clericali, ita, ut transeat in potestatem Sæcularem, & ab ista instar Laici incarcerari, condemnari, ac puniri secundum Leges Civiles possit. Engl *hic nu.* 12. Vviest. *nu.* 76. Reiffenst. *n.* 32. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *De Delict. c.* 3. *nu.* 268. Duplex est, una Verbalis, altera Realis. *Verbalis*, sive, ut etiam nuncupatur *Sententialis* est, qua ejusmodi privationis sententia authentica solemniter promulgatur. *Realis*, quæ etiam *Actualis*, & *Solemnis*, dicitur est, qua sententiæ ita latæ fit executio. Vviestn. *n.* 82. Sola posterior privilegium Canonis, & fori aufert; nam si degradatus sit aliquis solum verbaliter, adhuc privilegium illud retinet, dum executioni mandetur sententia: & in hoc Degradatio verbalis convenit cum Depositione. Differt autem ab illa, quod ordinetur ad Degradationem actualem, ad quam a Degradatione verbali sine nova Sententia transiri potest; in Depositione autem, ut ab hac transiri ad Degradationem realem possit, opus est nova sententia.

139 Dub. 1. quod sit discrimen inter Degradationem verbalem, & realem? Resp. est maximè triplex. 1. enim Degradatio Verbalis, ut *nu. præc.* dictum est, non privat Clericum privilegio Canonis, & fori, privat autem Degradatio realis. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 110. Pirh. *hic num.* 19.

2. Degradatio verbalis fieri potest ab Episcopo solum confirmato, nondum consecrato, & quidem vel per se, vel per alium, conf. etiam per Vicarium Generalem; solemnis verò à solo Episcopo consecrato; & ratio est, quia hæc est actus Ordinis Episcopalis, eidem ex institutione Ecclesiæ annexus: & hinc delegari non potest alteri, nisi Episcopo consecrato. at verbalis Degradatio est actus Jurisdictionis tantum, quam etiam Episcopus confirmatus, nondum consecratus in Ecclesia sua habet. Barbos. *alleg. cit. n.* 24. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 5. *nu.* 5. Engl *hic n.* 13. Zoes. *n.* 13. Pirh. *n.* 19. Vviestner *n.* 82. Reiffenst. *n.* 40. *Neque obstat*, quod exequi sententiam Degradationis Episcopus non consecratus nequeat; quia novum non est quod Judex judicare de causa possit, sententiam tamen non possit exequi, uti contingit, cum executio facienda est in alterius territorio.

140 3. Actualiter depositus per solum Papam restitui potest; verbaliter autem depositus per Episcopum, sed non per alium inferiorem. Sylv. *V. Degradatio fin.* Barbos. *l. cit. n. ult.* Est igitur Verbalis Degradatio minor pœna, quam Realis, & hinc quando in Jure, & Constitutione aliqua reperitur crimini alicui imposita pœna Degradationis, id intelligi debet de Verbali Degradatione, quippe leviori, non autem de actuali, quæ est pœna gravissima. Barbos. *l. c. n.* 9. Pirh. *n.* 19. *cit.*

141 Conveniunt autem Degradatio Verbalis, & Realis, quod per neutram tollatur Clerico potestas Ordinis. Unde Sacerdos etiam actualiter Degradatus, si debita materia, & forma utatur, validè adhuc conficit Sacramentum Eucharistiæ: & hinc si restitueretur per Papam, non deberet de novo ordinari, sed insignia tantum restitui; nam Character impressus manet, neque per hominem auferri potest, sed solum impediatur, ne licitè uti Degradatus potestate Ordinis possit.

142 Dub. 2. a quo fieri Degradatio Verbalis debeat, quas ob causas, & quomodo? Resp. *Ad* 1. si degradandus sit Episcopus, vel Religiosus exemptus, secluso privilegio, vel consuetudine id quoad Religiosos sibi subjectos permittente propriis Prælatis Regularibus, Degradatio Verbalis fieri potest à solo Papa *can. accusatus* 5. *can. quamvis* 7. *&c. caus.* 3. *q.* 6. *Compend. Privil. Societ. JESU V. Prælatus* §. 4. Navar. *l.* 3. *cons.* 58. *n.* 3. Vviestner *hic n.* 78. Si verò inferior quidam Clericus, ab Episcopo proprio, vel Sede vacante, à Capitulo, aut horum Vicario Generali, vel alio ex speciali commissione Episcopi, aut Capituli, Sede Vacante, ut colligitur ex Trid. *sess.* 13. *c.* 4. *de reform.* Engl *n.* 13. Vviest. *n.* 79. Reiffenst. *n.* 39.

143 *Ad* 2. Crimina, propter quæ infligi Degradatio Verbalis potest, sunt 1. Hæresis manifesta, & multo magis Apostasia à Fide, saltem cum quis in illam relapsus, vel in ea contumax est *c. ad abolendam* 9. *de Hæret.* & *c. super eo* 4. *eod. in* 6. 2. falsificatio Litterarum Apostolicarum *c. ad falsariorum* 7. *de crim. fals.* & *c. novimus* 27. *de V. S.* 3. contumelia gravis, calumnia, crimen insidiarum, & conspirationis in Episcopum *can. si quis* 18. *caus.* 11. *q.* 1. 4. Assassinium *c. pro humani* 1. *de Homicid. in* 6. ubi reus illius criminis, etiamsi nulla Excommunicationis, vel Depositionis sententia præcesserit, ab omnibus, dicitur diffidatus, & quasi morti traditus. 5. Sodomia frequentata, h. e. non semel duntaxat, sed sæpius commissa, ex *Const. S. Pii V.* incipit *Horrendum edita Calend. Septem.* 1568. 6. Celebratio Missarum, & auditio Confessionum Sacramentalium temere præsumpta ab eo, qui Sacro Presbyteratus Ordine non est initiatus, ex *Const. Clem. VIII.* incipit *Etsi alias edita* 1. *Dec.* 1601. 7. fabricatio & adulteratio Monetæ aureæ, vel argenteæ, aut ejus adulteratæ erogatio, vel expositio in Regnis, Provinciis, & Civitatibus Italiæ, ex *Const. Urbani VIII.* incipit *In suprema; edita Ibid. Nov.* 1627. 8. Adulterium, Concubinatus perseverans post monitionem, Simonia notoria, stuprum, incestus, furtum, perjurium, homicidium, & alia crimina gravia, quæ Irregularitatem inducunt. Barbos. *alleg.* 110. *num.* 10. Pirh. *hic n.* 19.

144 *Ad* 3. de Jure antiquo Degradatio Verbalis Episcopi fieri debuit præsentibus aliis 12. Episcopis, Presbyteri præsentibus sex Episcopis, Diaconi verò, vel Subdiaconi præsentibus tribus: cum verò degradandus erat aliquis in minoribus constitutus, sufficiebat præsentia solius Episcopi proprii, & Capituli Cathedralis, vel duorum saltem, aut trium Canonicorum, qui repræsentant Capitulum, ut habetur *can. Felix* 4. *can. si autem* 5. & *can. Episcopus* 6. *caus.* 15. *q.* 7. *c. degradatio* 2. *h. tit. in* 6. & docet *ibid.* Gloss. *V. præsentia*, Sylv. *V. degradatio n.* 1. Zoes. *hic n.* 10. Pirhing *n.* 17. Reiffenst. *n.* 41. Jure autem novo Trid. *Sess.* 13. *c.* 4. *de reform.* contra Clericum, etiam in Sacris, & ipso Presbyteratus Ordine constitu-

ſtitutum, non ſolum ad condemnationem illius, & Depoſitionem Verbalem, ſed etiam ad Realem, & ſolemnem degradationem procedi poteſt abſque Epiſcoporum præſentia, *adhibitis tamen, & aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum Mitræ, & baculi habentibus, ſi in civitatate, aut Diœceſi reperiri, & commodè intereſſe poſſunt; alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac Juris ſcientia commendabiles exiſtant.*

145 Et hi quidem in tali Judicio, non conſultivum duntaxat, ſed deciſivum etiam ſuffragium habent: idque verum eſt non ſolum ante *Trid.* prout patet ex *cap. non poteſt* 13. *de ſent. & re judic.* ubi eos Judices fuiſſe obſervat *Gloſſa;* ſed etiam poſt illud, prout ex communiori docet Suar. D. 30. *de Cenſur. ſect.* 1. *nu.* 20. Barboſ. *de Offic. Epiſc. alleg.* 110. *n.* 26. Vvieſtner *hic n.* 80. Reiffenſtuel *n.* 42. Et quidem ſi degradandus ſit Clericus minor, apud DD. ſatis receptum eſt, quòd ſufficiat, ſi Degradatio iſtius decernatur per majora ſuffragia; quia generaliter, quod à majore parte fit, ab omnibus factum cenſetur, niſi ſpecialiter numerus major, vel unanimis omnium conſenſus Jure exigatur *c. cum in cunctis* 1. *de his, quæ à major.* & *l. quod major* 18. *ff. ad municip.* Abb. *in c. non poteſt cit. n.* 14. Barboſ. *alleg.* 110. *cit. num.* 29. Vvieſtner *n.* 81. Reiffenſt. *n.* 43.

146 An verò ad decernendam Degradationem Clerici in Sacris conſtituti, & Epiſcopo inferioris, numerus major ſufficiat, controverſia eſt inter DD. Eum ſufficere putant Gloſſ. *in c. non poteſt cit.* Sylv. *V. degradatio nu.* 1. & 3. ob rationem allatam. Et confirmatur ex *can. ſi quis* 1. *cauſ.* 6. *q.* 6. ubi adverſus Epiſcopos requiritur unanimis judicantium conſenſus, quo ſatis innuitur, eam concordiam non requiri ad condemnandos Clericos his inferiores. *Sed verius* omnium ſuffragantium conſenſum requiri docent Marant. *de Ord. Jud. p.* 4. *diſt.* 11. *a nu.* 71. Barboſ. *alleg. cit. n.* 28. Vvieſtner *nu.* 81. Reiffenſt. *num.* 44. & ſumitur ex *cap. non poteſt cit.* ubi de Depoſitione Clerici à Gradu Sacerdotali agitur, & diſertè requiritur *ſacerdotum ſententia concors*: quo nomine, ſaltem cum agitur de pœna, ſignificari videtur Judicium, quo ſententia, nemine diſcrepante, fertur *arg. c. in cauſis* 30. *de Elect.* ubi *factum concorditer* opponitur *facto à majori parte. Ex quo ſequitur,* quòd in hoc caſu vim non habeat Argumentum ductum à ſenſu contrario ex *can. ſi quis cit.* tum quia contrarium eſt Jure expreſſum, tum quia verſamur in materia pœnali, in qua ejuſmodi argumento non eſt locus, per tradita a Barb. *commun. Jur. argum. loc.* 27. *n.* 39. Vvieſtn. *n.* 81. *fin.*

147 Dub. 3. à quo, & quomodo fieri debeat Degradatio Actualis? Reſp. 1. fieri debet à proprio Epiſcopo, eoque conſecrato, ut *nu.* 139. dictum eſt; vel ex hujus commiſſione ab alio Epiſcopo, qui pariter debet conſecratus eſſe. non autem à Prælato Regulari, etiamſi Degradandus ſit hujus ſubditus: quia ſicut collatio Ordinis eſt actus ſpiritualis pendens ab Epiſcopali Dignitate, ita & Ordinis ablatio; cujus enim ordinis eſt actus, ejus etiam eſt diſtractus, ut ait Zoeſ. *hic n.* 7. niſi conſuetudine, aut privilegio aliud conceſſum ſit.

148 2. Fieri debent in Eccleſia, vel alio loco ſacro, aſſiſtentibus aliis Epiſcopis, vel Abbatibus, aut aliis, prout dictum eſt *n.* 144. & adhibita etiam ſolemnitate in *cap. degradatio* 2. *h. tit. in Pontificali Romano* præſcripta, videlicet 1. Degradandus indutus Sacris veſtibus, in manu habens librum, calicem, vel aliud inſtrumentum ad Ordinem ſuum ſpectans, acſi celebrare, ſi Sacerdos ſit, vel ſi infra Sacerdotium ſit conſtitutus, alium Ordinis ſui actum exercere deberet, adducitur ad Epiſcopum. 2. adducto, & coram ſe ſtante Epiſcopus, præſente Judice Sæculari, ſingula Ordinis inſignia gradatim incipiendo ab illo, quod eidem in Ordinatione ultimo loco traditum eſt, uſque ad id, quod cum prima Tonſura accepit, aufert: poteſtque Epiſcopus, dum hæc ita fiunt, ad terrorem uti verbis oppoſitis illis, quæ in Ordinatione prolata ſunt, v. g. dum aufert Sacerdotalia inſignia: *Auferimus tibi veſtem Sacerdotalem, & honore Sacerdotali privamus &c.* 3. ablatis omnibus Inſigniis Clericalibus, tondetur, & raditur caput, ut nullum appareat ſignum Clericatus, & dicit Epiſcopus: *Authoritate DEI Omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & noſtra auferimus tibi Habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni Ordine, Beneficio, & privilegio Clericali.*

3. Sic degradatus traditur Curiæ Sæculari puniendus 149
ſecundum Leges Laicorum, quorum forum ſortitur poſt Degradationem: Judex tamen Eccleſiaſticus, dum illum Judici Sæculari tradit, efficaciter, h. e. ſeriò, & ex animo intercedit pro reo, ut citra mortis periculum ſententiam circa eum moderari vellit, ne ejus necem expetere, vel procurare videatur *c. novimus* 27. *de V. S. An verò hæc interceſſio pro degradato neceſſaria ſit ad evitandam Irregularitatem,* non conveniunt DD. Affirmant Covar. *in Clem. ſi furioſus p.* 2. §. 5. *n.* 6. Oliva *p.* 2. *de For. Eccleſ. q.* 11. *nu.* 37. & communis DD. teſte Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 14. *q.* 1. *n.* 1. ex ratione, quia traditio hæc eſt quædam cooperatio ad perſonæ degradatæ apprehenſionem, & ad ſupplicium capitale, quod ſequetur in Judicio Sæculari. ergo ſicut per *c. Prælatis* 2. *de Homicid. in* 6. ad hoc, ne mutilatio, aut mors Rei intenta videatur, Clericus civiliter contra ipſum agens debet facere expreſſam proteſtationem, & ita & Judex Eccleſiaſticus, tradens Clericum Judici Sæculari, debet pro ipſo intercedere. *Sed etſi ſecurius* ſit, ut talis interceſſio præmittatur, præſertim qui ea, quamvis non ſub Irregularitate, tamen expreſsè præſcribitur *c. novimus cit.* veriſimilius tamen Judex Eccleſiaſticus, interceſſionem tali caſu omittens, per hoc Irregularis non efficitur. Ita Vvieſt. *hic n.* 85. Reiffenſt. *ibid. n.* 46. & inclinat Suar. *D.* 47. *de Cenſur. ſect.* 1. *n.* 12. *Ratio eſt* 1. quia hanc interceſſionem ad evitandam Irregularitatem requiri, non eſt ullo Jure cautum. igitur cum Irregularitas non incurratur, niſi in caſibus Jure expreſſis, eam interceſſionem omittens ab Irregularitate immunis erit. 2. in dubio Juris Irregularitas non contrahitur, ut dictum eſt *nu.* 83. atqui in caſu præſenti eſt dubium Juris; dubitatur enim, an Jus Irregularitatem decreverit in Judicem Eccleſiaſticum, qui interceſſionem omiſerit. 3. non magis cooperatur pœnæ Sanguinis Judex Eccleſiaſticus interceſſionem hoc caſu omittens, quàm cooperetur Prælatus cauſam ſanguinis particularem delegans cum expreſſo mandato, ut delegatus Juſtitiæ debitum exequatur. atqui iſte ſic delegando non incurrit Irregularitatem, ut dictum eſt *Tit.* 12. *nu.* 103. *Ex quo patet ad Argumentum contrarium:* dico enim, omiſſionem hanc non poſſe haberi pro cooperatione propriè dicta; neque enim Judex Eccleſiaſticus Clericum degradatum tradit ad pœnam ſanguinis, ſed ſolum declarat, illum non amplius gaudere privilegio Clericali, & Curiæ Sæculari ſubjectum eſſe, qua declaratione facta, deinde miniſter Curiæ Sæcularis eundem apprehendit. *Ad id, quod additur* ex *c. Prælatis cit.* dico ibi proponi caſum diverſum ab eo, qui proponitur *c. novimus cit.* à diverſis autem ad diverſa non fit illatio *l. inter ſtipulantem* 83. §. *ſacram.* 5. ibi, *ſed hæc diſſimilia ſunt ff. de V. O.*

4. Denique ſequitur pœna taxata à Judice ſæculari, & 150
hæc quidem ordinaria, ſi reus ſit convictus verè de crimine, & remiſſionem à Summo Pontifice non conſecutus fuerit, aut Judex Judicis Eccleſiaſtici interceſſioni deferre voluerit. Gratiæ tamen Pontificiæ in hoc caſu hodie vix locus eſt, cùm in hunc finem præſentes eſſe Judices ſæculares, iique, cum jam ante Degradationem inſtructi ſint ſuper Proceſſu, in continenti Degradatum ſibi traditum ad pœnam ordinariam condemnare, & ad executionem procedere ſoleant, ut cum majori exemplo coram omni populo, qui ad actum Degradationis acceſſit, pœna infligatur. Diaz *pract. crim. can. c.* 141. Zoeſ. *hic n.* 12. Quod ſi tamen reus appellare voluerit, ſecundùm Diaz *l. cit.* eſt audiendus, & ſi probet innocentiam ſuam, reſtituendus ad priſtinum Ordinem: quod fiet ab Epiſcopo, aſſiſtentibus, ſi fieri queat, aliis Epiſcopis, Prælatis, & Viris in dignitate conſtitutis, qui ſuffragiis ſuis ad Degradationis ſententiam ſunt cooperati, & adhibita ſolemnitate ibi preſcripta, ſcilicet traditione rerum, ſeu inſtrumentorum, ac veſtium, quæ in Clericorum ordinatione adhiberi ſolent, & per Degradationem erepta eidem ſunt, juxta *Decretum Conc. Tolet. IV.* relatum *can. Epiſcopus* 65. *cauſ.* 11. *q.* 3. Abb. *in c. at ſi Clerici* 4. §. *de adulteriis n.* 14. *de Judic.* Suar. *D.* 30. *de Cenſur. ſect.* 2. *n.* 10. Bonac. *D.* 4. *p. un. n.* 20. Pirh. *hic n.* 97. Et hic eſt caſus, quo Epiſcopus Degradatum poteſt reſtituere: proceditque, quandocunque alias Degradatio injuſta fuerit, ut ſi ſententia lata eſt in Reum non auditum, vel non confeſſum, aut legitimè convictum, vel ex depoſitionibus, aut inſtrumentis falſis;

alio-

alioquin si justa degradatio fuerit, ita degradatus, restitui non amplius potest, nisi a solo Pont. prout dictum est *n.* 140. & notat Suar. *n.* 10. *cit.* Bonac. *n.* 1. Barbos. *alleg.* 110. *n.* 32.

151 Dub. 4. quando Judex Ecclesiasticus degradatum valeat tradere Curiæ Sæculari? Occasionem dubio huic præbet *c. cum non ab homine* 10. *de Judic.* ubi Clericus, si furti, homicidii, perjurii, vel alterius cujuscunque gravis delicti reus sit, jubetur primum deponi: deinde si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari: si creverit contumacia, anathematis mucrone feriri: & demum, si in profundum malorum veniens contempserit, degradari, & Curiæ Sæculari tradi. Hinc plurimum controvertunt DD. an Clericus, si parricidii, homicidii proditorii vel sacrilegii, aut alterius criminis valde enormis reus sit, statim, dictis pœnarum gradibus non observatis, tradi Curiæ sæculari possit?

152 Affirmant Anchar. *in c.* 10. *cit. à n.* 10. Abb. *in c.* 4. *de Judic. n.* 38. & alii plures relati à Farin. *prax. crim. q.* 8. *n.* 81. qui proinde putant *c. cum non ab homine cit.* dum observari ordinem pœnarum præcipit, intelligendum de simplici solum homicidio, & furto, non de qualificato, aut aliis criminibus valde enormibus. *Moventur* 1. quia *c. si quis* 1. *de Homic.* Clericus, qui per industriam, aut per insidias homicidium fecit, jubetur ab Altari avelli, ut moriatur. 2. *c. novimus* 27. *de V. S.* dicitur propter admissum falsi, vel aliud damnabile crimen Clericum degradatum esse tradendum Curiæ Sæculari. 3. *can. sunt quædam* 30. *caus.* 23. *q.* 5. dicuntur quædam enormia flagitia potius per Mundi Judices, quam Ecclesiarum Antistites corrigenda esse. 4. pœnæ delictis ita commensurari debent, ut, quod gravius est, graviori pœna vindicetur. hoc autem non fieret, si in homicidio qualificato, & aliis atrocissimis criminibus idem observaretur pœnarum ordo, qui observatur in furto, & homicidio simplici. 5. pro hujusmodi delictis excessivis Ecclesia non habet, quod faciat, cùm non habeat pœnam pro his condignam. 6. crimen falsi, commissi circa Litteras Apostolicas, minus est crimen, quàm parricidium, homicidium sacrilegium &c. ergo cum ob illud, non exspectata incorrigibilitate, reus degradatus statim Curiæ Sæculari tradendus sit *c. novimus citt.* ita tradendus erit ob ista per argumentum a minori ad majus.

153 Sed dicendum, spectato Jure communi, non posse Clericum ob crimen quantumcunque grave, nisi in casibus Jure expressis, Curiæ Sæculari tradi, quamdiu incorrigibilis declaratus non est. Ita Host. *in c.* 1. *de Homicid. n.* 2. Aretin *in c. cum non ab homine cit. a n.* 51. Berojus *in c. at si Clerici cit. n.* 181. *vers. mihi autem.* Placha *Epitom. Delict. l.* 1. *c.* 22. *n.* 43. Covar. *l.* 2. *var. c.* 20. *n.* 7. Farin. *prax. crim. q.* 8. *n.* 81. Fagn. *in c. cum non ab homine cit. n.* 6. Pignat. *t.* 7. *consult.* 33. *a n.* 25. Vviestner *hic nu.* 88. Sumitur ex *c. cum non ab homine cit.* ubi generaliter statuitur, tunc primum Clericos tradendos Curiæ Sæculari, cum Ecclesia non amplius habet, quod faciat ad eorum correctionem. atqui si pœnarum ordinem ibi assignatum nondum adhibuit Judex, Ecclesia adhuc habet, quod faciat ad eorum correctionem, antequam descendat ad gradum ultimum, videlicet traditionem Curiæ Sæculari. ergo &c.

154 *Conf.* 1. ex *c. Clerici* 4. *de Excess. Prælat.* ubi ob crimen Sodomiæ, utique gravissimum, Clerici istius rei excommunicari, & *c. tuæ* 6. *h. tit.* ubi ob latrocinium, aliaque gravissima crimina Clerici deprehensi a suis Ordinibus deponi, & in arctum Monasterium jubentur detrudi ad agendam pœnitentiam: & denique *c. felicis h. tit. in* 6. ubi occisor Cardinalis cogitur ita vivere (in carcere) ut mors ei non sit gravior vita, & non statim traditur Curiæ Sæculari. igitur non ob quodcunque etiam gravissimum crimen, nisi Jure expressum sit, Clericus Curiæ Sæculari tradi debet, sed observandus est Juris ordo, atque pœnarum gradus.

155 *Conf.* 2. quia in Jure expressi sunt casus speciales, quibus statim degradari, & Curiæ Sæculari tradi Clerici jubentur: unde cum Exceptio firmet Regulam in casibus non exceptis, dicendum erit, quòd extra casus Jure exceptos per se loquendo, & spectato communi Jure Clericus nequeat, ob quodcunque crimen statim Curiæ Sæculari tradi, sed observandus erit ordo pœnarum in Jure statutus.

Dixi autem, *spectato Jure communi*; nam de consuetudine possunt, non exspectata incorrigibilitate, statim Curiæ Sæculari tradi Clerici, antè tamen degradati, si rei sint criminum valde enormium, e. g. parricidii, fratricidii, occisionis Prælati sui, homicidii proditorii, vel per insidias, sacrilegæ expilationis Ecclesiæ, Magiæ, præsertim si iterata sint: & ita aliquando traditos testis est *Diaz*, *Decianus*, & alii apud Fagn. *loc. cit. n.* 31. qui tamen *n.* 105. salubriter consulit, ut, cùm hujusmodi Degradationem, ac traditionem exigere videtur Criminis à Clerico perpetrati enormitas, ad eam, consulto Summo Pont. procedatur. Vviestn. *hic n.* 90. 156

Addidi, *nisi in casibus Jure expressis*: Tales sunt septem priores *nu.* 143. relati, in quibus non observandus est pœnarum ordo, sed statim post Degradationem reus tradi Curiæ Sæculari potest. In reliquis criminibus, quantumcunque enormibus, nisi contrarium habeat consuetudo, exspectanda est incorrigibilitas ut teste Zoes. *nu.* 13. communis habet sententia: & hinc si spes emendationis appareat, deponendus quidem erit reus, non tamen tradendus Curiæ Sæculari, sed damnandus ad perpetuos carceres. Incorrigibilis autem ut dici Clericus possit, videtur requiri sententia Judicis declarativa incorrigibilitatis, & quòd non habeat aliud, quod facere ad correctionem illius possit, quàm ut eum tradat brachio Sæculari. 157

Neque obstant argumenta *n.* 152. in contrarium allata. *Ad* 1. sensus *c. cit.* est valde incertus, ut propter nimiam interpretum ejus variationem utile vix esse possit ad controversam aliquam quæstionem ex eo decidendam. *Ad* 2. per *aliud damnabile crimen* denotatur crimen aliud, cui Degradatio Jure specialiter imposita est; cùm enim Dictio *aliud* plerumque sit repetitiva similium, aliud flagitium intelligitur simile ejusmodi falsificationi, ac proinde expressum, exceptumque in Jure, ut notat Fagnan. *in cap. cum non ab homine cit. num.* 50. Oliva *p.* 2. *for. Eccl. q.* 12. *n.* 4. Vviestner *hic num.* 87. *Ad* 3. ibi sermo est de Laicis, Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum occidentibus, & non de Clericis id præsumentibus. *Ad* 4. Ecclesiæ non desunt pœnæ delicto commensuratæ; nam pœnæ ærumnosi carceris, triremium, aliæque similes ita exasperari possunt, ut, qui gravius delinquit, etiam gravius, & jure merito castigetur. *Ad* 5. jam ostensus est, quid Ecclesia habeat adhuc ad correctionem Rei, scilicet pœnarum ordinem, usque dum pateat, eum incorrigibilem esse. *Ad* 6. argumento à minori ad majus in pœnis locus non est; nam istæ ad casus expressis similes, & ad majores etiam propter identitatem, vel majoritatem rationis non porriguntur *arg. Reg. factum* 155. *§. fin. ff.* & *Reg. in pœnis* 49. *in* 6. 158

Dub. 5. an Judex Sæcularis adversus Clericum degradatum novum Processum formare valeat, aut stare teneatur formato à Curia Ecclesiastica? *Certum est* non posse eum cognoscere de actu Degradationis, sive de justitia condemnationis ad Degradationem, & ipsius actus, quo omni privilegio Clericali exutus, & Curiæ Sæculari traditus est; quia talis Sententiæ prolatio est actus Jurisdictionis Spiritualis, & executio Ordinis Episcopalis. igitur de iis cognoscere Judicialiter Judex Sæcularis nequit *c. decernimus* 2. *cap. quanto* 3. *de Judic. cap. si Judex* 12. ibi *Quia de re spirituali, & Ecclesiastica est*, *de Sent. Excomm. in* 6. Vviestner *num.* 91. Reiffenstuel *num.* 49. 159

Controversia solùm est, an cognoscere possit de crimine, ob quod talis Clericus est degradatus, & Curiæ Sæculari traditus? Respond. distinguendo, utrum scilicet crimen hoc sit mixti fori, an Ecclesiastici tantum. *Si primum*, ut est Assassinium, Sodomia, adulteratio monetæ &c. Judex Sæcularis non tenetur stare Processu Judicis Ecclesiastici, sed in arbitrio ipsius est, utrum Clericum sibi traditum secundum Processum Judicis Ecclesiastici sibi porrectum velit condemnare ad pœnam Legibus definitam, postquam eum de crimine confessum, aut legitimè convictum invenerit, an verò novum super hoc Processum instituere, juxta *Novell.* 123. *cap.* 21. *§.* 1. Abb. *in cap.* 1. *de Offic. Ord. num.* 12. Felin. *in cap.* 9. *de Hæret. nu.* 5. Clar. *§. fin. q.* 96. *num.* 7. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c. n.* 6. Oliva *p.* 2. *For. Eccl. q.* 13. *a num.* 13. Engl *num.* 15. Reiffenstuel *n.* 51. Ratio est, quia cum tali casu crimen mixti fori sit, & Judex de 160

valo-

valore Processus à Judice Ecclesiastico facti non indaget, sed absolutè novum juxta Leges instituat, nullo modo materiæ, aut Jurisdictioni Ecclesiasticæ se immiscet.

161 *Si secundum*, & crimen ob quod degradatus est Clericus, sit fori Ecclesiastici tantum, ut est Hæresis, Apostasia, sacrilega celebratio Missæ, auditio Confessionis Sacramentalis &c. tenetur Judex Sæcularis stare Processus, & sententiæ Judicis Ecclesiastici, eamque executioni mandare. Abb. *in c. 9. de Haret. nu. 12.* Felin. *ibid. n. 5.* Franc. *in c. 18. de Haret. in 6. num. 3.* Clar. §. *fin. q. 97. nu. 7.* Diaz *pract. crim. c. 141. num. 2.* Castro *de Haret. punit. c. 13.* Layni. *cit. n. 6. fin.* Oliva *q. 13. cit. n. 1.* Engl *num. 15.* Vviestner *num. 93.* Reiffenstuel *nu. 90.* sumitur ex *cap. decernimus*, *c. quanto*, *c. si Judex citt.* item ex *c. ut inquisitionis 18. de Haretic. in 6.* ibi, *Prohibemus quoque districtius potestatibus, dominis temporalibus, & rectoribus, eorundemque officialibus supra dictis, ne ipsi de hoc Hæreseos crimine (cum mere sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel judicent &c.* Ratio est, quia hujusmodi criminum cognitio Judicialis, cùm involvat quæstionem Juris, atque ex SS. Litteris, & SS. Canonibus petenda sit, Jurisdictionem spiritualem, & Ecclesiasticam exigit, cujus Laici, seclusa Delegatione Apostolica, incapaces sunt: conf. in tali casu Judex Laicus est merus executor. sicque exequi sententiam, à Judice Ecclesiastico latam debebit, nisi ista notoriè nulla, vel injusta sit; nam tunc, ut alii executores, sententiam exequi non tenebitur *c. inter cæteras 9. de sent. & re jud.*

162 Dub. 6. an Clericus realiter degradatus à Sæculari Judice torqueri valeat? Negat Marta *part. 4. de Jurisd. cas. 132. n. 1.* cum nonnullis aliis VV. Rationem dat, quia Clericus degradatus retinet Ordinis Characterem; & si initiatus aliquando Sacerdotio fuit, validè SS. Christi Corpus, & sanguinem conficit, atque ad Horas Canonicas manet obligatus.

163 Sed dicendum, posse talem Clericum à Judice Sæculari sine ullo Excommunicationis periculo torqueri. Gloss. *fin. in cap. 2. h. tit. in 6.* Franc. *ibid. num. 4.* Navar. *Man. c. 27. num. 81.* Suar. *D. 30. de Censur. sect. 2. n. 7.* Vviestner *hic num. 94.* & patet ex verbis in Degradatione adhiberi solitis, *Exuimus te omni privilegio Clericali*. Quia Sylv. *V. Degradatio nu. 8.* putat, privilegium Canonis absque alia declaratione amitti a Clerico, si post verbalem Depositionem incorrigibilis sit, idque desumit ex *c. cùm non ab homine cit.* Sed malè; quia contrarium planè liquet ex ipso textu, ubi exigitur, ut depositus, si incorrigibilis appareat, Excommunicationis, ac dein Anathematis, sive solemnis execrationis mucrone feriatur: & demum, sive sic quidem resipiscat, omni privilegio per sententiam nudatus relinquatur Curiæ Sæculari, ut adeò Excommunicationem incurrat, qui in eum, etiam incorrigibilem, ante ejusmodi sententiam violentas manus injicit *can. si quis suadente 29. caus. 17. q. 4.*

164 *Ad Rationem in contrarium allatam* dico, privilegium Canonis non competere Clerico vi Characteris, sed ex Jure Ecclesiastico, quo privilegium istud conceditur personis Ecclesiasticis, etiam nullo Ordine initiatis: conf. per eidem Jus etiam auferri potest. Quod additur, talem Clericum adhuc manere obligatum ad Horas Canonicas, id indè fit, ne ita degradatus ex malitia sua reportet commodum, contra Regulam *c. intelleximus 7. de Judic.* & *c. contingit. 9. de Dolo.*

§. IV.

De Pœnis Ecclesiæ Temporalibus.

SUMMARIUM.

165 *Definitio Infamiæ, & divisio in Infamiam Juris; & facti.*
166 *Quot modis contrahatur infamia Juris?*
167 *Quinam infames fiant Sententia Judicis?*
168 *Pœnæ genere quando infamia irrogetur?*
169 *Quando infamia oriatur ex delicto alieno?*
170 *Vel ex Officio?*
171 *&c. Qui sint Effectus Infamiæ sive Juris, sive facti?*
174 *&c. Quomodo tollatur Infamia?*
177 *Quomodo declinare illam possit actione injuriarum civiliter conventus?*
178 *&c. An Judex Ecclesiasticus infligere possit pœnam pecuniariam?*
182 *&c. Quibus usibus applicanda sit pœna ista ab eo imposita?*
185 *&c. Quid observandum, cum victus victori condemnatur in Expensas?*
191 *Quando Incarceratio decerni in Clericos possit?*
192 *&c. An etiam pœnæ causa?*
196 *&c. An Clerici Torturæ subjici possint?*
200 *&c. Cui cedant bona Clericorum fisco addicta?*
202 *Ob quæ delicta olim decreta fuerit detrusio in Monasterium?*
203 *An pœna hæc hodie sit in usu?*
204 *Quando à Judice Ecclesiastico decerni possit Verberatio?*
205 *Et exilium?*

INter pœnas Ecclesiæ Temporales, quia animum afficit, præcipua est *Infamia*: de hac 165

Dub. 1. quid sit *Infamia*? Resp. est privatio bonæ famæ; quæ cum dignitatis, & existimationis illæsæ status, & Legibus, ac moribus comprobatur, & in nullo diminutus sit *l. cognitionum 5. §. existimatio 1. ff. de extraord. cognit.* hinc Infamia ei opposita definiri poterit, quòd sit *status ejusmodi, Legibus, ac moribus comprobati, læsio, seu diminutio ob publicam, sinistramque de persona opinionem, ortam ex vitio.* Tholos. *l. 31. synt. c. 29. n. 5.* Suar. *D. 48. de Censur. sect. 1. n. 1.* Vviestner *hic nu. 52.* Reiffenst. *n. 52.* Duplex autem infamia est, alia facti, alia Juris. *Facti infamia* nascitur ex ipsa, solaque inhonesti operis, vel defectus, apud probos, & honestos viros notam afferentis, & boni nominis existimationem diminuentis, turpitudine manifesta *l. neque famosis 2. C. de Dignit.* *Juris infamia* dicitur, quæ authoritate Legis, vel Canonis ob turpe factum decernitur. Hæc sola pœnæ rationem habet: ac proinde ista.

Dub. 2. quot modis contrahatur infamia Juris? Respond. tribus, ipso Jure, sententia Judicis, & genere pœnæ. *Ipso Jure* contrahitur, cùm tale quid perpetratum est, quod ante Judicis sententiam Leges, vel Canones probro, & ignominia dignum judicant, cujusmodi facta, & crimina sunt Lenocinium exercitum prostitutione quæstionaria fœminæ, aut maris, quæstus usurarius, & alia passim, quibus infamiam vel Jus Canonicum, vel etiam Civile decrevit; nam Jure Civili infames, etiam Jure Canonico pro talibus habentur *can. omnes 2. caus. 6. q. 1.* nisi hoc Jus infamiam expresse tollat. Felin. *in c. testimonium 54. de testib. n. 15.* Tholos. *l. 31. Synt. c. 29. n. 9.* Garc. *p. 7. de Benef. c. 8. n. 11.* Suar. *D. 48. sect. 1. n. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. nu. 1.* Barbos. *in can. omnes cit. num. 1. & de Offic. Episc. alleg. 43. num. 2.* Antonell. *de Regim. Eccl. Episc. l. 2. c. 6. n. 6.* Vviestner *hic n. 54.* Reiffenstuel *ibid. n. 54.* Magnif. P. Schmier *tr. de Potest. Ord. c. 6. n. 502. & 503.* Ut tamen hujusmodi crimen actu infamet, necesse est, ut illud sit publicatum; quia Infamia secundum dicta *n. præc.* est diminutio famæ, seu bonæ existimationis, quæ actu non diminuitur, quamdiu delictum occultum manet. Abb. *in c. 4. de temp. ordin. n. 4.* Navarr. *Man. c. 27. n. 248.* Covar. *l. 3. var. c. 3. n. 2.* Sanch. *l. 2. mor. c. 26. n. 1.* Vviest. *hic n. 55.* Reiffenst. *n. 57.* Non tamen opus est ulla sententia etiam declaratoria criminis: imò qui ejusmodi criminis evulgationem prævidet, ab actibus Irregulari ex infamia interdictis abstinere debet etiam ante evulgationem. Laym. *c. 4. cit. n. 9.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 20. n. 3.* Vviestn. *n. 55.* 166

Judicis sententia infames fiunt 1. qui ex accusatione condemnati sunt de delicto publico, h. e. tali, cujus accusatio cuilibet de populo permissa est §. *publica 1. Inst.* & *l. infamem 7. ff. de Publ. Jud.* qualia sunt crimen læsæ Majestatis, proditionis, falsi &c. 2. condemnati de rapina, furto, expilata hæreditate, & de injuria, etiam non atrociori; quantumvis enim hæc delicta privata sint, subsecuta tamen Judicis condemnatione, infamiam & ipsa irrogant *l. infamem cit. l. Decuriones 5. l. si furti 8. l. si te expilasse 12. C. ex quib. caus. infam. irrog.* 3. qui ne de his criminibus accusarentur, dato pretio pacti sunt *l. Athletas 4. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* 4. qui doli mali in contractu societatis, in tutela, mandato, 167

depo-

deposito, in alicujus criminis accusatione commissi, item qui calumniæ, aut prævaricationis, in publico Judicio perpetratæ, damnati sunt *l. fustibus 6. Cod. ex quib. caus. infam. irrog.* Neque necesse est, ut in sententia infamiæ expressa fiat mentio, dummodo in ea expressum sit crimen. Perez *in C. tit. cit. num.* 12. Vviestner *hic n.* 56. Reiffenstuel *num.* 58. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. c. 6. n.* 514. Ipsa tamen sententia debuit fuisse valida, & transiisse in rem judicatam *l. furti 6. §. sed si furti* 1. *ff. de his, qui not. infam.* Sylv. *V. infamia n.* 12. Molin. *tr.* 4. *de J. & J. D.* 9. *nu.* 4. Suar. *D.* 48. *sect.* 1. *numer.* 6. Perez *loc. citat. num.* 9. Vviestner *num.* 56. Reiffenstuel *n.* 58. Schmier *n.* 513.

168 *Pœnæ genere* infamia irrogatur ei, qui ignominiæ causa exauthoratur militia, ordine movetur, vel honoribus interdicitur *l. Prætoris* 1. *& l. quod ait* 2. *pr. ff. de his, qui not. infam. l. etsi* 3. *ex quib. caus. infam. irrog.* Item deportato, vel ad tempus in opus publicum damnato *l. ad tempus 6. Cod. eod.* Item fustibus cæso, ex justa tamen causa; quia non tam fustigatio, quam causa, propter quam fustium ictus quis meruit, infamat. *l. ictus* 22. *ff. tit. citat. l. fustibus citat.* Perez *loc. citat. n.* 10. Vviestner *n.* 57. cum aliis. Neque obstat *l. nullam* 14. *Cod. eod.* ubi definitur, per fustigationem publicam non incurri infamiam; nam ut recte Molin. *D.* 9. *citat. n.* 19. & Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 20. *n.* 4. explicant, hæc Lex loquitur, quando pœna ista infligitur causa indagandæ veritatis: quo casu infamiam fustigatio publica post se non trahit.

169 Oritur etiam quædam Juris infamia aliquando ex delicto alieno. Et sic infames sunt filii, ac nepotes parentum, qui violentas manus injecerunt in S. R. E. Cardinalem *cap. felicis* 5. *vers. quod si quis hoc tit. in* 6. filii perduellium, & proditorum, qui commiserunt crimen læsæ Majestatis *l. quisquis* 5. *C. ad Leg. Jul. Majest.* uti & illegitimè nati. Sed hi pro talibus solum habentur respectu aliquorum tantum effectuum Jure expressorum; nam licèt Ecclesiastico Jure ab Ordinibus, & Beneficiis repellantur, ad testimonium tamen in Judicio dicendum, ad Tabellionatus, & alia munera admittuntur. Molin. *D.* 7. *n.* 5. Laym. *c.* 4. *cit. n.* 1. *vers. altera*, Vviest. *n.* 58.

170 Item nascitur quandoque etiam Infamia ex officio; sunt enim aliqua Officia ita vilia in Rep. ut ea exercentibus infamiam irrogare videantur. Hujusmodi est officium Histrionum, qui olim se pretio conducebant ad spectaculum sui corporis exhibendum, sive qui obscœna publicè repræsentabat *l. Prætoris* 1. *l. quod ait* 1. *§. fin. cum duab. seqq. ff. de his, qui not. infam.* Iisdem alicubi accensetur officium Carnificum, lictorum quorundam, & similium. Et extenditur in Germania hæc parentum infamia etiam ad illorum filios, cum non solum à dignitatibus, & officiis publicis, sed ab opificiis quoque, & mechanicis muneribus arceantur. Laym. *n.* 1. *cit. in fin.*

171 Dub. 3. qui sint effectus Infamiæ sive Juris, sive facti? Resp. 1. excluduntur à Dignitatibus, & honoribus *l. neque famosis* 2. *Cod. de Dignit. Reg. infamibus* 87. *in* 6. ibi *Infamibus portæ non pateant Dignitatum*, præsertim Ecclesiarum; quia hæ, sicut & cætera Beneficia Ecclesiastica non nisi à probatis, & integræ existimationis personis administrari debent *cap. inter dilectos* 11. *de excess. Prælat.* Abb. *in c.* 10. *de Jurejur. n.* 3. Covar. *l.* 3. *var. c.* 3. *num.* 3. Molin. *tr.* 4. *de J. & J. D.* 11. *n.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *part.* 5. *cap.* 4. *num.* 5. Palao *tr.* 29. *D.* 6. *p.* 20. *n.* 10. Vviest. *hic num.* 59. Reiffenstuel *ibid. num.* 60. Magnif. P. Schmier *de potest. Ord. c.* 6. *n.* 487. estque collatio talibus facta ipso Jure irrita, saltem pro foro externo. Abb. *in c. inter cit. n.* 8. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 207. Selva *p.* 3. *de Benef. quæst.* 5. *num.* 31. Molin. *loc. cit.* nam in foro interno, & conscientiæ provisionem hujusmodi subsistere putant Garz. *p.* 7. *de Benef. c.* 8. *n.* 47. & Palao *n.* 10. *cit. vers. cæterum*; quòd nullo Jure pro hoc foro sit irritata.

172 2 Removentur ab actibus legitimis, & publicis muneribus, ut sunt Officia Judicis, Assessoris, Advocati, Tabellionis, Accusatoris adeò, ut neque ad testimonium dicendum sint admittendi *cap. testimonium* 54. *de testib. l. testium* 3. *§. ideoque* 1. *ff. eod.* Idem si deliquerint, severiore, quam alii pœna coercentur, & repelluntur ab hæreditate testamento relicta, non solum si parentes, sed etiam si fratres, aut sorores de inofficioso agant *l. fratres* 27. *C. de inoffic. testam.* Perez *in C. ex quib. caus. infam. irrog. num.* 6. Vviest. *n.* 60. Reiffenst. *n.* 61. Schmier *n.* 479.

3 Sunt Irregulares, ut neque promoveri ad Ordines, neque in susceptis ministrare possint *can. fin. dist.* 51. *can. infames* 17. *caus.* 6. *quæst.* 1. quia in sortem Domini, & ad ministerium Sacrum puri tantum, & immaculati nominis homines debent cooptari. Navar. *cap.* 27. *cit. n.* 204. Suar. *D.* 48. *sect.* 2. *n.* 1. Avil. *p.* 7. *D.* 4. *dub.* 5. Coninck *D.* 18. *dub.* 7. *circ. fin.* Bonac. *D.* 7. *de Irregul. q.* 3. *p.* 1. *pr.* Layman *cap.* 4. *citat. num.* 8. Vviestner *n.* 61. Reiffenst. *num.* 59. Est tamen discrimen inter prædictos infames; nam infames infamia Juris simpliciter sunt Irregulares, quia Irregularitas eorum perpetua est: at infames infamia facti sunt tantum Irregulares secundum quid; quia Irregularitas illorum vitæ emendatione cessat. Palao *p.* 20. *cit. n.* 9. 173

Dub. 4. quomodo tollatur Infamia? Resp. *Infamia solius facti*, ut primum dictum est, tollitur facto contrario, sive publica, & constanti emendatione, saltem si hæc per triennium continuata sit. Abb. *in cap.* 21. *n.* 2. *de accusat.* Sylv. *V. infamia n.* 11. Clar. *§. fin. q.* 21. *n.* 1. Henriq. *l.* 14. *c.* 5. *n.* 3. Suar. *D.* 48. *sect.* 2. *n.* 6. Molin. *tract.* 4. *D.* 10. *nu.* 1. Garz. *p.* 7. *de Benef. c.* 8. *n.* 64. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 43. *num.* 21. *& seqq.* Palao *tract.* 29. *D.* 6. *p.* 20. *num.* 14. Antonell. *de Regim. Eccl. Cathol. cap.* 6. *num.* 17. Pirhing *de temp. Ordin. num.* 19. Vviestner *hic n.* 64. Magnif. P. Schmier *de Potest. Ord. c.* 6. *n.* 549. & colligitur ex *can. si duo* 4. *caus.* 35. *q.* 6. ibi, *Infames effectos, donec ab incesti facinore desistant*; aperteque traditur *can. nunquam* 4. *dist.* 56. ubi relatus S. Chrysostomus, *ad meliora*, inquit, *conversum nequaquam prior vita commaculat*. Ratio est, quia Infamia facti adhæret facto, consf. hoc per vitæ emendationem abolito, hoc ipso cessat tam infamia, quam Irregularitas ex ea orta. *Ex quo sequitur*, quòd Irregularitas hæc non sit propriè dicta; nam propriè dicta Irregularitas solum tolli per dispensationem potest. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 5. *cap.* 4. *num.* 10. *fin.* 174

Contra *Infamia Juris* durat perpetuò *l. ad tempus 6. C. ex quib. caus. infam. irrog.* nisi à Principe, cujus authoritate imposita est, aboleatur *can. Euphemium* 7. *§. hinc colligitur caus.* 2. *quæst.* 3. Vviestner *num.* 62. Tollere autem Irregularitatem hanc potest respectu Clerici Pontifex, undecunque sit orta, utpote cujus supremæ Jurisdictioni subjectus est Clericus. Palao *p.* 20. *cit. num.* 13. Vviestner *n.* 63. Schmier *n.* 540. Circa Laicos distinguendum est inter subditos Jurisdictioni temporali Papæ, & inter non ita subditos. Circa *priores* Irregularitatem tollere potest Pontifex; circa *posteriores* non potest quoad effectus indictos infamibus Jure Civili, potest autem quoad indictos Jure Canonico: quia vero non expedit, ut tales promoveantur ad Ordines, & Beneficia antequam in pristinum bonæ famæ statum restituantur à Principe, vel alio supremo Magistratu Sæculari, idcirco Papa non solet Irregularitatem istorum tollere, antequam à Principe Sæculari restituantur famæ. Molin. *D.* 12. *nu.* 3. Palao *n.* 13. *cit.* Vviestner *n.* 63. 175

Si Princeps, vel Magistratus Sæcularis aboleat infamiam, Jure Civili, etiam a SS. Canonibus generaliter recepto, indictam, Irregularitas in ea fundata omnino cessat, adeo, ut persona famæ, sic restituta ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica, sine alia Dispensatione valeat promoveri. Secus est, si infamia sit specialiter inducta per Jus Canonicum, qualis est, quam incurrunt Hæretici, Usurarii manifesti, binas nuptias simul habentes &c. nam ista quoad effectus Canonicos per restitutionem famæ, à Principe Sæculari factam, non aboletur; consf. ut ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica ea laborantes promoveri possint, opus habent Dispensatione Apostolica. Sylv. *V. infamia num.* 17. *& seqq.* Suar. *D.* 48. *sect.* 2. *n.* 10. Laym. *cap.* 4. *cit. n.* 10. Antonell. *de Regim. Eccl. Cathol. l.* 2. *c.* 6. *num.* 13. Vviestner *hic num.* 63. Schmier *n.* 546. *& seqq.* 176

Dub. 5. quomodo declinare Infamiam possit actione Injuriarum civiliter conventus? Resp. hanc declinare potest tribus maximè casibus. 1. si authoritate Judicis ante sententiam transigat cum injuriam passo *l. furti* 6. *§. pactusque* 3. *ff. de his, qui not. infam.* 2. si per Procuratorem stet in Judicio, & in Procuratorem feratur sententia *l. furti cit. §. siquis alieno* 1. *& l. Lucius* 21. *ff. eod.* Secus est, si criminaliter conveniatur; quia criminaliter convento non licet per Procuratorem respondere *l. fin. Cod. hoc tit.* 3. si Judex in sententia famam, & honorem reservet; quod ex causa rationabili non tantum 177

potest *arg. l. quid ergo* 13. §. *pœna* 8. *ff. eod.* sed etiam ex consuetudine, & Statutis particularibus quorundam locorum debet. Harppr. §. *in summa* 10. *n.* 118. *Inst. de injur.* Reiffenst. *ibid. n.* 21.

178 *Secunda* pœna temporalis in Ecclesia usitata est *mulcta pecuniaria*: de qua

Dub. 1. an Judex Ecclesiasticus infligere possit pœnam pecuniariam? *Rationem dubitandi* facit *c. irrefragabili* 13. §. *fin. de Offic. Ordin. c. ut Clericorum* 13. *de Vit. & Honest. & c. licet* 3. *hoc tit.* ubi ejusmodi pœnarum exactio Judicibus Ecclesiasticis prohibetur, ex ratione, ne in pœnis irrogandis turpem quæstum consectari videantur; & quia, ut ait *Isidorus*, relatus *can. pauper* 72. *caus.* 11. *q.* 3. *cito violatur auro Justitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat.* *Conf.* quia jus Fisci ad Principes Sæculares, non ad Ecclesiam pertinet.

179 *Sed dicendum*, per se loquendo, etiam pœnam pecuniariam infligi posse à Judicibus Ecclesiasticis, hancque irrogari posse non Clericis tantum, sed etiam Laicis, quando crimen est mixti fori: Ita Abb. *in c. licet cit. n.* 8. Covar. *l.* 2. *var. c.* 9. *n.* 8. Clar. §. *fin. q.* 8. *n.* 5. Farin. *prax. crim. q.* 19. *n.* 51. Fagn. *in c. licet cit. n.* 97. Barbos. *ibid. n.* 2. Gonzal. *n.* 2. Oliva *p.* 2. *For. Eccl. q.* 9. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 1. *n.* 11. Zœs. *n.* 4. Pirh. *n.* 7. Konig *n.* 8. Vviest. *n.* 22. Reiffenst. *n.* 99. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. c.* 3. *n.* 308. & sumitur ex *can. statuimus* 55. *caus.* 16 *q.* 1. *c. dilectus* 18. *de Offic. Ordin. c. postulasti* 14. *de Judæis*, *c. in Archiepiscopatu* 4. *de Raptor. c. Presbyteri* 2. *hoc tit.* & novissime ex Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* habetque sic praxis ubivis locorum recepta; imo pecuniariam aliquando præ aliis eligendam suadet ratio, quod à delinquentibus sæpe ista magis, quàm aliæ, timeatur.

180 *Proceditque* non tantum in iis casibus, ubi pœna pecuniaria Jure, vel Statuto Synodali decreta, aut praxi Curiæ legitime præscripta recepta est; sed etiam cum pœnæ definitio arbitrio Judicis permissa est *arg. c. cum causa* 4. *de Offic. Deleg.* Fagn. *l. cit. n.* 11. & 12. Oliva *n.* 2. Vviest. *n.* 22. *cir. fin.* Aliud est, quando pœna alia statuta delinquenti est per SS. Canones; tunc enim Judex Ecclesiasticus cavere debet, ne pœnam pœcuniariam loco pœnæ per *SS.* Canones statutæ dictet, utpote cum secundum Canones, non contra illos judicare debeat.

181 Ex quo patet *ad Rationem dubitandi*; nam textus illi intelligendi sunt in iis casibus, in quibus aliæ pœnæ de Jure statutæ, vel statuendæ sunt; nam hæ in pœnas pecuniarias, præsertim ab inferioribus Judicibus converti non debent, cum ejusmodi conversio avaritiæ speciem præferat, & facile delictis frenum laxare posset; nam quivis confideret, pœnam sibi dictandam auro se redempturum. Et hanc esse *c. licet cit.* mentem, patet ex ipso textu; agitur enim ibi contra Archidiaconos quosdam, qui cum debuissent pœnam spiritualem imponere, eam absque sufficienti authoritate covertebant in pecuniariam. *Ad Conf.* etiam Judices Ecclesiastici habent jus fisci, ut docet Gloss. & DD. *in cap. quia diversitatem* 5. *V. præter de concess. Præb.* Pœnæ tamen huic fisco illatæ non in Episcopi, vel Prælati usus, sed in utilitatem Ecclesiæ expendi debent, ut bene monet Fagn. *in cap.* 2. *hoc tit.* & statim dicetur.

182 Dub. 2. quibus usibus applicanda sit pœna pecuniania, & an aliquando Episcopus, aut Judex Ecclesiasticus alius applicare illam sibimetipsi possit? Olim distinguebant inter casum, quo statura delicto est pœna pecuniaria, & inter eum, quo illa imponitur arbitrio Judicis; in primo casu concedebant quod eam Judex sibi ipsi applicare possit, nisi certus applicandi modus sit definitus; in secundo negabant; ex ratione, quod posterior solum, non prior in proprios usus conversio avaritiæ suspicionem præbeat.

183 Sed huic distinctioni hodie locus non est amplius post *Trid.* quod, ut tolleret omnem suspicionem avaritiæ, *sess.* 25. *cap.* 3. *de reform.* ejusmodi mulctas pecuniarias indistincte non Episcopo, aut mensæ, vel Cameræ Episcopali, imo ne quidem fabricæ Ecclesiæ Cathedralis aut Domus Episcopalis, sed tantum piis locis, & causis ibi, ubi commissum delictum est, existentibus applicari voluit, adeo, ut ne quidem merces Vicarii; aut Officialium inde desumi debeat, prout declarasse *S. Congregationem* post. *Ant. Gennensem* refert Riccius *in prax. pœnit. decis.* 340. Videantur Quarant. *Summ. Bullar. V. pœna*, Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 107. *n.* 19. Dian. *p.* 10. *tr.* 8. *res.* 2. §. *at hæc omnia*, Engl *hic n.* 6. Vviest. *n.* 23. *vers. verum*, Reiffenst. *n.* 99. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 309.

Neque obstat contraria consuetudo; quia, ut taceam, 184
quod de hac non sufficienter constat, *Tridentini* Decretum observatur à majori, & meliore parte Episcoporum, à quibus mulctas, & pœnas pecuniarias in pios usus converti, testis est Dian. *loc. cit. Excipitur*, si Episcopus esset valde pauper, ita, ut, nisi mulctas ejusmodi sibi applicaret, non haberet, unde congrue ad statum suum viveret; tunc enim ejusmodi pœnas pecuniarias, sive deinde per statutum, sive per sententiam, & arbitrium Judicis dictatæ sint, propriis usibus applicari ab ipso posse docet, & *S. Congr. Card. Trid. Interpp. Declarationibus* firmat Barbos. *in c.* 3. *cit. Trid. n.* 25. Oliva *p.* 2. *for. Eccl. q.* 9. *n.* 16. Dian. *resol.* 5. *fin.* qui tamen advertunt, hoc in Hispaniæ, Lusitaniæ, Siciliæ (addi potest, in plerisque Germaniæ nostræ) Episcopis, quòd redditibus abundent, non procedere.

Dub. 3. quid observandum, cum victus victori condemnatur in Expensas? Condemnatio hæc ad pœnas pecuniarias revocari potest, quamvis Vindicativa non sit, cum compenset damnum victori. Ceterum victum victori ad expensas condemnari debere, patet ex *c. calumniam* 4. *hoc tit. & l. properandum* 13. §. *sive autem* 6. *C. de Judic.* Ad quod tamen plura requiruntur. 185

1 Si victor petit; nam si istud non petit, non debet condemnari victus ad expensas. Covar. *pract. qq. c.* 27. *n.* 5. Barbos. *in c. cit. n.* 3. Pirh. *hic n.* 10. Si tamen Actor in Libello petiit sibi jus ministrari, & Justitiam, Judex victum ad expensas condemnare potest; quia vi hujus Clausulæ victor tacite jam hoc petiit. 186

2 Si convictus fuerit is, qui causa in Judicio cecidit; 187
nam victus non condemnatur in expensas, si pars adversa, seu victor solum ex semiplena probatione, & ob delatum suppletorum Juramentum causam obtinuit, nisi is, cui Juramenrum delatum est, plusquam semiplenè probaverit, & pars adversa nihil. Barbos. *loc. cit. n.* 9. Pirh. *n.* 10.

3 Calumniose, & per dolum, vel etiam temere, 188
& sine dolo litigavit *l. eum quem* 79. *ff. de Judic.* Abb. *in c. cit. n.* 1. *not.* 1. Covar. *loc. cit. n.* 1. Pirh. *n.* 9. Neque obstat, etsi victus Juramentum calumniæ præstiterit? quia hoc Juramentum, licet excusare videatur à calumnia, non tamen excusat à temeritate. Abb. *l. cit. n.* 4. Covar. *loc. cit. vers. secundo.* Ex hoc à contrario sequitur, eum, qui justam litigandi causam habuit, in expensas condemnari non debere *l. qui solidum* 78. §. *etiam* 2. *ff. de Legat.* 2. Proceditque hoc, ut *Covar. & Pirh. loc. cit.* advertunt, non tantum in prima instantia, sed etiam in secunda, seu in Judicio appellationis; major tamen requiritur, causa excusans in Judicio appellationis, quam in prima instantia. In dubio, an litigans justam causam litigandi habuerit, præsumprio est adversus victum; nam hoc ipso, quod succumbat, præsumitur calumniose, vel saltem temere litigasse. Gloss. *in c.* 4. *V. victori hoc tit.* Abb. *ibid. n.* 2. Covar. Pirh. *loc. cit.*

4 Condemnatio in expensas maxime procedit in Cau- 189
sis pecuniariis. An etiam in criminalibus locum habeat, controvertunt DD. Affirmant Covar. *loc. cit. num.* 2. & plures alii. Negat Fachin. *l.* 1. *contr. c.* 42. & probat hoc ex *c. calumniam cit.* ibi, *Præcipimus, ut de cætero in causis pecuniariis victus victori in expensas condemnetur, nisi sententia pro absente feratur* quod si enim Pontifex etiam causas criminales voluisset comprehensas, non dixisset *in causis pecuniariis*, sed generaliter præcepisset, ut victus victori condemnetur in expensas.

5 Expensæ, in quas victus victori condemnatur, ta- 190
xari debent à Judice secundum qualitatem litigantium, & post taxationem victor Juramentum præstare debet, se vere tantum expendisse, quantum Judex definivit *arg. cap. olim* 7. *de injur.* & docet Covar. *loc. citat. numer.* 6. Pirhing *n.* 10.

Tertia pœna est *Incarceratio*; Et quidem quod cu- 191
stodiæ causa decerni possit à Judicibus Ecclesiasticis contra Clericos quando de fuga suspecti sunt, patet ex *c. si Clericos* 15. *de sent. Excomm. in* 6. potestque carcer ejusmodi & solet protrahi, quousque Judicium durat. Strein. *Summ. Jur. Can. quæstio* 3. *tit.* 16. §. 2. *dub.* 14. *num.* 2. Vviestner *hic numer.* 50. Non tamen debet

debet hic carcer esse squalidus, aut sordidus, vel corporis afflictivus, sed decens; & conveniens qualitati criminis, & personæ, secundum Trid. *sess.* 25. *c.* 6. *de reform.* & ut ad hunc procedatur, necesse est præmittere informationem de infamia, & indiciis criminis; quia incarceratio etiam sola infamiam, & non facile reparabile præjudicium solet afferre. Felin. *in c. cum super* 17. *de sent. & re jud.* Jason. *in l. si se* 4. §. 6. *ff. de re judic.* Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *c.* 4. *art.* 14. *n.* 2. Vviestner *hic n.* 50. Reiffenstuel *ibid. n.* 107. Secus si faciat Judex Ecclesiasticus, & Clericum carceri injuste mancipet, pœnam Excommunicationis non effugit *arg. c. si Clericos cit.*

192 *Dubitatur*, an Clericus incarcerari etiam pœnæ causa possit? *Rationem dubitandi* facit. *l. aut damnum* 8. §. *solent* 9. *ff. hoc tit.* ubi dicitur, quod *carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debeat*. Item *l. incredibile* 6. *C. eod.* ubi decernitur, vinculis, & carcere puniri quidem posse in perpetuum servos, sed non liberos homines delinquentes. Et denique *l. de his C. de custod. reor.* ubi *de his, quos tenet carcer inclusos*, sancitur, *ut aut convictos velox pœna subducat*, i. e. cito condemnentur, & puniantur, *aut liberandos custodia diuturna non maceret*, i. e. citò absolvantur, & liberentur, si innoxii reperiantur; igitur carcer non institutus est ad pœnam, sed tantum ad custodiam: consf. eo mitti Clericus in pœnam, præsertim perpetuo, nequit.

193 Sed etsi hoc verum sit de Jure Civili, de Jure tamen Ecclesiastico standum est pro affirmativa, & probat hanc Tribunalium usus: accedit expressa de hoc decisio *c. quamvis* 3. *hoc tit. in* 6. Ratio est, quia cum SS. Canones non infligant pœnam mortis *c. in Archiepiscopatu* 4. *de Raptor*, ideo, ne crimina maneant impunita, necessarium fuit pro gravioribus criminibus statuere pœnam carceris etiam perpetui. Et hanc carceris pœnam Judices Ecclesiastici irrogare possunt non tantum Clericis, sed etiam Laicis, si criminum Ecclesiastici fori rei agantur, præsertim Hæresis *c. excommunicamus* 15. §. *fiquis de Hæret. Clem.* 1. *eod.* Sayr. *Clav. Reg. l.* 12. *c.* 18. *n.* 6. Perpetui tamen Carceris pœna puniri Clericus nequit, nisi in casibus Jure expressis *c. pen. & ult. de Hæret.* quibus scilicet de Jure Civili infligenda esset pœna mortis non simplex, sed atrocior, videlicet ignis, rotę, damnationis ad bestias, lacerationis membrorum &c. Diaz *pract. crim. c.* 137. Strein. *cit. dub.* 14. *n.* 4. Engl *n.* 7. *vers. secunda pœna*, Vviest. *n.* 31. Reiffenst. *n.* 108.

194 Potest autem hæc pœna carceris exasperari inclusis pro delicti qualitate, & aliquando ita, ut non nisi *pane doloris, & aqua angustiæ* sustententur *c. novimus* 27. *fin. de V. S. & contra vitæ subsidium mortis solatium invocent* juxta *c. fælicis* 5. *vers. siquis eod. in* 6. nunquam tamen ita, ut incarcerato alimenta subtrahantur, aut alia vitæ necessaria: unde si ex horum defectu mors contingeret, Episcopus ita severe procedens Irregularitatem incurreret. Zabatell. *in Clem.* 1. *de Pœn. & remiss. q.* 7. Abb. *in c.* 5. *de Apostat. n.* 1. Tholos. *Synt. l.* 31. *c.* 33. *n.* 5. Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *c.* 4. *art.* 14. *n.* 2. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 2. Vviest. *ibid. n.* 31 *fin.*

195 Carceris pœnæ affinis olim erat *Ergastulum*, quod erat carcer affinis tabernis, destinatis ad opus, & labores mancipiorum deteriorum. In hoc personæ Deo dicatæ, præsertim Moniales turpiter, & impudice viventes, olim detrudebantur *can. cum beatus* 8. §. *Salomon. dist.* 45. *can. impudicas* 11. *caus.* 27. *q.* 1. Tholos. *Paratit. Canon. l.* 4. *tit.* 25. *n.* 8. Vviest. *hic n.* 32.

196 Quarta est *Tortura*. *Dubitari* potest, an Clerici torturæ subjici possint? *Negant* aliqui, & probant à pari cum iis, qui profanæ militiæ adscripti sunt, quos Jura negant torqueri posse *l. milites* 8. *C. de quæstion.* igitur neque iis obnoxii sunt Clerici, tanquam Sacræ militiæ adscripti, quippe quæ non minus privilegiata est secundum Gloss. *in loc. cit. V. pœnis*, & Everrard. *Leg. Arg. loc.* 56. *n.* 4.

197 Sed etsi hoc Juri Imperiali *arg. loc. cit.* & veteri disciplinæ satis conforme sit, prout constat ex *Conc. Matiscon.* 1. *can.* 19. & *Altisiodor. can.* 33. & *Epist.* 13. *Innoc. I.* contrarium tamen praxis Curiarum demonstrat, juxta quam etiam Clerici in majoribus constituti, & Sacerdote subiici torturæ, & quæstionibus possunt, si de enormibus criminibus diffamati, aut graviter suspecti sint. Farin. *prax. crim. q.* 41. *n.* 7. Guazzin *defens. reor.* 33. *c.* 10. *num.* 3. Vallens. *hic* §. 2. *num.* 5. Vviestner *num.* 26. Reiffenstuel *n.* 105.

Ut tamen Tortura adhiberi Clerico possit, opus est, 198
ut magna, & violenta adversus ipsum indicia urgeant: imo, ut Farin. *loc. cit.* monet, graviora, & urgentiora requiruntur, quam quæ sufficiant ad torquendos Laicos, aut si talia solum sunt, quæ ad Laicos torquendos sufficiunt, ex parte Clerici requiritur, ut his accedat aliqua delicti, aut personæ infamia; & hoc ob præsumptionem integritatis, ac innocentiæ, fundatam in SS. Ordinum, & Status dignitate, quæ proinde delicti præsumptionem excludit. Atque hinc neque testimonium unius testis, etiam bonæ famæ, sufficit, si item reus ex sua parte habeat adminicula integræ conversationis. Multo minus torquendus est Clericus ob testimonium unius, qui dicit se fuisse participem criminis, sed alia accedere debent indicia. Si extra Judicium crimen confessus est Clericus, regulariter ex hoc solo torqueri non potest; contrarium tamen usu servari cum *Bernando Diaz* testatur Vallens. *hic* §. 2. *n.* 5.

Præterea mitius torquendi sunt Clerici, quam Laici, 199
tum propter Ordinis Clericalis dignitatem, tum propter periculum Excommunicationis, si modus excedatur. Clar. §. *fin. q.* 64. *n.* 24. *fin.* Diaz *pract. crim. can. c.* 117. *post n.* 5. Vviestner *hic n.* 26. Reiffenst. *n.* 105. Et antiquo Jure non potuerunt torqueri à Laico: sed modo de consuetudine etiam Laicis tortura Clerici ab Episcopis demandatur. Farin. *loc. cit. num.* 14. Guazzin *n.* 4. Vviestner *n.* 26. ex ea fortassis ratione, ex qua Laicis hodie committitur Clericorum captura, incarceratio, verberatio &c. quia scilicet difficulter invenirentur Clerici, qui hoc præstarent.

Quinta *Confiscatio bonorum* juxta *c. vergentis* 10. *de* 200
Hæret. cap. cum secundum 19. *eod. in* 6. & *cap. super* 26. *de V. S.*

Dubitatur, cui cedant bona Clericorum fisco addicta vel per sententiam, vel per Legem, certo crimini ipso facto imponentem hanc pœnam? Resp. cum distinctione; nam si Clericus ita condemnatus Beneficium habeat, bona confiscata cedunt Ecclesiæ, à qua recepit stipendia *c. excommunicamus* 13. §. *damnati de Hæret.* Si diversis Ecclesiis servivit, inter has dividuntur *arg. c. relatum* 12. *de Testam.* Si vero nulli Ecclesiæ servivit, bona illius perveniunt ad fiscum Ecclesiæ, sive Episcopi, in pios usus distribuenda. Farin. *prax. crim. q.* 190. *a n.* 154. Vviest. *hic n.* 33.

Verum etsi hæc de Jure ita se habeant, & quoad Be- 201
neficialia, sive intuitu Ecclesiæ quæsita, indubitata sint, cum ista à Clericis in pios tantum usus expendi possint, & post eorum obitum Ecclesiis cedant *c. quorundam* 1. *c. cum in officiis* 7. & *c. relatum cit. de Testam.* quoad bona tamen patrimonialia Ecclesiis ægre cedet fiscus Sæcularis; imo ubi Clerici vel ex privilegio, vel ex immemoriali consuetudine de Beneficialis libere disponunt; ac testantur, etiam ista bona fisco Sæculari cedere præter alios docet Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 20. *n.* 25. Oliva *de For. Eccl. p.* 2. *q.* 8. *n.* 21. Vviest. *hic n.* 33. Reiffenst. *n.* 112. ex ratione, quod ejusmodi bona iis in locis instar patrimonialium censeantur.

Sexta *Detrusio in arctum Monasterium*; quæ pœna 202
olim frequenter decernebatur in Clericos valde gravium delictorum reos, prius depositos, imo & in Laicos mares, aliquando etiam in fæminas, præsertim in adulterium, vel stuprum lapsas *can. si qua Monacharum* 28. *caus.* 27. *q.* 1. *c. pervenit* 2. *de Adult. c. inter* 10. *de Purg. can. c. tua* 6. *hoc. tit. &c.* non quidem, ut editis Votis Paupertatis Castitatis & Obedientiæ profiterentur Religionem, sed ut in eo inclusi, & ab omni mundana societate, delinquendique occasione remoti, sub disciplinæ Monasticæ, & pœnitentiæ oneribus vel perpetuo, vel ad tempus peccata sua lugerent, & quæ ad salutem animæ pertinent, cogitarent. *can. si Episcopus* 7. *dist.* 50. *can. siquis Clericus* 10. *dist.* 81. *c. sicut* 6. §. *fin. de Homicid. c. omnis* 12. *fin. de pœn. & remiss.* Engl *n.* 8. *hic*.

Hodie tamen pœna ista abiit in desuetudinem, tum 203
quia Monasteria hujusmodi facinorosos homines ad pœnitentiam, intra claustra sua agendam, nolebant recipere, tum quia ne compelli possent ad eos recipiendos à Diœcesium Ordinariis, per privilegia Apostolica erant exempta, ut notat Diaz *pract. crim. can. c.* 55. Huic pœnæ Romæ, & in reliqua Italia substituta est transmissio ad triremes, teste Farin. *prax. crim. q.* 119. *n.* 55. & Fagnan. *in c. cum non ab homine* 10. *de Judic. n.* 104. alibi successit

eidem ferè pœna perpetui carceris. Vviestner *num. 89.* Ad triremes perpetuo condemnati prius degradantur; ad tempus verò tantum, verbaliter deponuntur; & utroque casu licitè verberantur à ministris triremium. Vallens. *hic* §. 2. *num. 6.*

204 Septima *Verberatio*, seu *flagellatio* juxta *can. fin. dist.* 35. *can. qui in alterius* 1. *caus.* 5. *q.* 1. *cap. cum fortius* 1. *de calumn. cap. in archiepiscopatu* 4. *de raptor.* Cavendum tamen, ut citra mortis, aut mutilationis periculum verbera infligantur, & ne in vindictam sanguinis transire videantur. Engl *num.* 8. *vers. tertio*, Reiffenstuel *n.* 104. Quodsi tamen casu, & ex post facto sanguinis sequeretur effusio, non per hoc incurreretur Irregularitas; quia ista tantum contrahitur morte, vel membri mutilatione. Vallens. §. 2. *num.* 4. ubi monet, abstinere Judicem Ecclesiasticum quam maximè oportere ab hujusmodi corporalibus pœnis, iisque non utendum, nisi in atrocioribus culpis, & contra Minorum Ordinum Clericos magis, quam Sacerdotes; rationem dat, quia verbis potius, quam verberibus corripiendi Clerici sunt. Imò usus istius castigationis in multis locis recessit à Curia, prout de Curiis Episcopalibus Hispaniæ, Franciæ, & Lusitaniæ testantur. Clar. §. *fin. q.* 70. *n.* 2. & Oliva *p.* 2. *for. Eccl. q.* 10. *n.* 8. Addi possunt Curiæ Episcopales Germaniæ; neque enim constat, pœnam istam nostris temporibus infligi Clericis. Vviest. *n.* 25.

205 Octava *Exilium*, sive *Relegatio*, quam decernere Judex Ecclesiasticus potest *can. cum beatus* 8. *fin. dist.* 45. *can. quicunque* 13. *fin. caus.* 26. *quæst.* 5. Et quidem Episcopus relegare in exilium potest extra suam Diœcesin, Archiepiscopus verò ex tota sua Provincia. Piasec. *prax. Episc. p.* 2. *c.* 4. *art.* 14. *num.* 14. Vallens. §. 4. *n.* 2. Engl *n.* 10. Vviestner *n.* 27. Reiffenstuel *n.* 106. & cum idem ferè in Religiosos sibi subjectos permissum sit Prælatis Regularibus, quod permissum est Episcopis in Clericos sibi subditos, etiam isti mittere Religiosos delinquentes in exilium poterunt, cum id ad correctionem, aliorum exemplum & monasterii tranquillitatem expedire videbitur. Rodriq. *tom.* 2. *Reg. q.* 24. *art.* 1. Quodsi tamen insuper perfectum exilium decernere, & civitatis, ac patriæ Jura adimere consultum videatur, super hoc implorandum erit brachium Sæculare juxta *c. siquis* 2. *fin.* junct. Gloss. *V. Regis judicio de Cler. excomm.* quia perfecti exilii pœna non est penes Ecclesiam. Decius *in cap.* 10. *de Judic. num.* 13. Barbosa *in cap. siquis cit. num.* 4. Vviestner *n.* 27. Reiffenstuel *n.* 106.

§. V.

De Pœnis Fori Sæcularis.

SUMMARIUM.

206 *&c. Pœnæ in foro Civili usitatæ aliæ sunt Capitales; ubi quænam hoc nomine veniant?*

209 *&c. Aliæ non Capitales; quarum aliquæ sunt Corporales, ut inustio Stigmatum, Exoculatio &c.*

216 *Aliæ ad pœnas animi pertinent, ut Infamia.*

217 *Aliæ pecuniariæ.*

218 *Quo etiam pertinet Confiscatio bonorum.*

219 220 *Quando damnatorum bona à fisco vindicari possint?*

206 POenæ in foro Civili usitatæ aliæ sunt Capitales, aliæ non Capitales. Inter eas, quæ *Capitales* dicuntur, primo loco est *Ultimum supplicium*, seu pœna mortis; nam ut *l. ultimum* 21. *ff. hoc tit.* Celsus perhibet, *ultimum supplicium esse mortem solam interpretamur*. Porro mortis supplicium variè de Reis sumitur, gladio, fune, rota, igne, sectione in partes, submersione in aquis, & olim crucifixione, qua afficiebantur famosi Latrones, transfugæ ad hostes, consiliorum proditores *l. capitalium* 28. §. *famosos* 15. *l. siquis* 38. §. *transfugæ* 1. & §. *seq. ff. hoc tit.* Hodie, ut ex *Lipsio* refert D. Braun *de Imper. mer. cap.* 1. §. 4. *num.* 8. *postquam Crux Vitam ipsam interfecit, non diu illi vita: sustulit illam ex Romanis rebus Constantinus, nam ille, jam serio Christianus, noluit salutare signum ultra servire ad perniciem; & colendum illud, atque eximium pœnis vilescere damnatorum.* Videatur Carpzov. *pract. crim. q.* 128. *à n.* 14.

207 2 *Proscriptio*, seu *Bannum Imperiale*, Germanicè *des Deß Remischen Reichs Acht, und Bann*, quod est Imperii Judicialis censura, qua delinquentibus aqua, & igni interdicitur, ita, ut à nemine in Clientelam, fidem, aut amicitiam recipi, ab omnibus vero impune tam in persona, quam in rebus offendi possint, *Ordin. Camer. p.* 2. *tit.* 9. §. 10. *jemands.* Hocque Bannum nemo, nisi solus Imperator, eoque absente, Rex Romanorum irrogare potest. Matth. Vvehn. *V. Acht*, Carpzov. *pract. crim. q.* 140. *num.* 18. Hodie præter declarationem Banni ab ipso Imp. factam adhuc tres modi banniendi ordinarii sunt. 1. in Camera Imp. ubi siquis bannitur, perinde est, ac si banniretur ab Imperatore & ideo sic bannitus perdit omnia Jura Civilia ubicunque locorum. 2. in Judicio Imperiali Rottvvilano, quod tamen Jurisdictionem limitatam, & usque ad Rhenum duntaxat extensam habet; & hinc si bannitus à Rottvvilensibus Moguntiæ, vel in Hassia instituereiur hæres, ille capere hæreditatem posset. Carpzov. *q.* 140. *cit. n.* 20. 3. in Judicio Imperiali Vvestphaliæ, quod & ipsum habet certos fines; & ideo pro finium ratione, & qualitate Bannum ibi inflictum operatur quemadmodum dictum est de Bannis Rottvvilensibus. Sichard. *ad l.* 1. *C. de hæred. instit. n.* 17. Vvehner. *V. Acht*, Carpz. *loc. cit. n.* 21. apud quem vide cœtera de Banno.

3 *Privatio vitæ Civilis*, quæ consistit in jure libertatis naturalis, & civitatis, quod olim fiebat coercitione metalli, damnatione ad opus publicum, interdictione ignis, & aquæ; hodie verò damnatione ad triremes, ut notat Besold. *Thes. pract. V. Auf die Valeen schmiden*; & si fiat in perpetuum, æquivalet pœnæ mortis naturalis. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. cap.* 3. *n.* 294. Reiffenst. *hic num.* 4. 208

Pœnæ non capitales, in foro Sæculari usitatæ, aliæ sunt corporales, aliæ animi, aliæ pecuniariæ. Inter *corporales*, quæ corpus, salva manente vita naturali, & civili, affligunt, est, *inustio stigmatum*: quæ tamen hodie sublata est per Constantinum Imp. *l. siquis* 17. *Cod. hoc tit.* ne, *facies*, *quæ ad similitudinem pulchritudinis est cælestis figurata*, *maculetur*. Clar. §. *fin. q.* 70. *n.* 1. Carpz. *q.* 119. *n.* 10. Magnif. P. Schmier *loc. cit. n.* 295. 209

2 *Exoculatio*, qua fures tum sacrilegi, tum effractores quondam afficiebantur *l. qui perforavit* 11. §. 1. *ff. ad Leg. Jul. Peculat. Constitut. crim. Carol. V. art.* 159. An autem in Imperio Romano pœna hæc etiamnum vigeat, dubitat D. Braun *de Imp. mer. c.* 1. §. 4. *n.* 21. 210

3 *Amputatio manus*, digitorum, aurium, linguæ, labiorum &c. de qua pœna. Carpz. *q.* 129. *cit. n.* 28. & *seqq.* D. Frolich *ad Const. Carol. lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 2. & *seqq.* D. Braun. *loc. cit. n.* 22. 211

4 *Fustigatio*, vulgo *mit Ruthen aushauen*; quod genus pœnæ sæpius dictatur, præsertim furibus minoribus, falsis mensoribus, proxenetis illicitæ libidinis. Videatur *Const. Carol. cit. art.* 113. & 123. cum *notis* D. Blumlacher, Besold. *Thes. pract. V. Ruthen Aushauung*, Carpz. *loc. cit. à n.* 14. D. Frolich *n.* 1. 212

5 *Expositio ad pastellum*, seu *numellas*, Germanicè *auf den Pranger, und Valß-Eisen stellen*, quæ passim practicatur pro qualitate delicti, & delinquentis. Besold. *V. Pranger*, Carpzov. *loc. cit. n.* 50. & *seqq.* 213

6 *Relegatio* ad certum, vel incertum tempus, ad certum, vel incertum locum; quæ, si per sententiam indefinitè, & nulla temporis facta mentio expressa dictata sit, pro perpetua habenda est. Hartm. Pistor. *obs.* 139. Carpz. *q.* 130. *n.* 17. apud quem vide plura. 214

7 *Incarceratio*, quæ licèt etiam in causis Civilibus ad perfringendam contumaciam, & inobedientiam imponatur; tamen in causis capitalibus peculiariter adhiberi solet ad custodiendum, & puniendum criminaliter delinquentem. Carpzov. *q.* 130. *cit. n.* 8. Braun *loc. citat. n.* 35. Schmier *n.* 301. 215

Ad *Pœnas animi* pertinet *Infamia*, qua fama, & bona existimatio apud homines auferiur. Hæc id singulare præ cæteris pœnis habet, quod cùm aliæ pœnæ crebrius à Judice per sententiam inferantur, infamia tamen nonnunquam ab ipsa dictetur Lege, & absque Judicis sententia incurratur; de quo vide *supra n.* 165. &c. 216

Pœnæ pecuniariæ, seu *mulctæ* præ omnibus aliis hodie usitatissimæ sunt. Farin. *prax. crim. quæst.* 19. *num.* 51. maximè in delictis arbitrariis, & illis, in quibus à pœna ordinaria recessum qualitas delinquentis, & circumstantiatum suadet. Carpz. *q.* 130. *n.* 4. Vitandus autem Judicibus 217

cibus eſt abuſus, & exemplum illorum Judicum, qui quæſtum ex delictis faciunt, & omnia ferè ſupplicia in mulctas pecuniarias mutant, ut dum patrimonium alienum atterunt, proprium augeant. Præterea in mulctis hujuſmodi imponendis conſideranda venit non ſolum qualitas criminis, ſed potiſſimum facultates Rei delinquentis, cum pauper mulcta unius taleri gravius puniatur, quam ſi is, qui bonis abundat, in mulctam 20. talerorum condemnetur. Carpz. q. 120. *cit. n.* 5.

218 Spectat huc *Confiſcatio*, ſeu *Publicatio bonorum*, quæ pœna veteri Jure communiſſima, omnique delicto capitali, licèt in ſententia illius mentio facta non fuerit, tacitè annexa erat *l. damnatione* 1. *pr. & l. ſeq. ff. de bon. damnat.* Sed Jure noviſſimo rarior eſt ejus uſus, propter *Novell.* 134. *c.* 13. ubi ſancitum eſt, *in criminibus, in quibus Leges mortem, aut præſcriptionem definiunt, ſubſtantias* damnatorum *non fieri debere lucrum Judicibus, aut eorum officiis, neque ſecundum veteres Leges fiſco eas applicari; ſed ſiquidem habeant deſcendentes, vel aſcendentes uſque ad tertium gradum, eos habere.*

219 *Ex quo ſequitur*, caſu, quo tertii gradus deſcendentes, vel aſcendentes adſunt, damnatorum bona à fiſco vindicari non poſſe. *Excipitur* 1. crimen læſæ Majeſtatis; nam *in majeſtatis crimine condemnatis*, ut Imperator *cap.* 13. *citat. fin.* decernit, *veteres Leges ſervandæ ſunt*. 2. Si in aliis *Novellis* pro ſpecialibus delictis, ut in *Novell.* 12. pro inceſtis nuptiis, confiſcatio bonorum ſpecialiter ſit conſtituta; quia Imperator *cap.* 13. *cit.* ſolum meminit Legum veterum. Matth. Stephan. *ad Novell. cit. n.* 22. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de delict. cap.* 3. *num.* 313. 3. Si reus citatus poſt annum contumaciter non compareat; quia alias contra hujuſmodi reos abſentes, & contumaces ademptum foret omne coercitionis remedium, cum ingenti Reip. damno: conſ. per *Novell. cit.* non videtur derogatum *l. Divi* 1. §. *fin. & l. fin. ff. de requir. vel abſent damnand.* quibus hoc caſu confiſcatio bonorum ſpecialiter ſancita eſt. Ant. Matth. *loc. cit. num.* 5. Schmier *num.* 314. 4. Si confiſcatio bonorum non per ſe, & principaliter, ſed in conſequentiam tantum determinata per Leges ſit; tunc enim adhuc locum eidem eſſe contra communiorem docet *Rittershuſius, Clarus, Farinacius* apud Brunnem. *ad Auth. bona damnatorum Cod. de bon. proſcript. num.* 1. 5. In aliis caſibus, ubi confiſcationis pœna ſpecialiter eſt conſtituta; nam ita expreſsè *in Conſtitut. crim. Carol. V. art.* 218. ibi. *Item an etlichen Orthen, ſo ein Ubeltheter auſſerhalb des laſters unſer beleydigten Majeſtet, oder ſonſt in andern Fellen, ſo der Ubeltheter leib, und Gut nit vervverchet, vom leben zum Todt geſtraffet, Vveib, und Reinder an Bettel-Stab, und das Gut dem Derrn zugevvieſen vverden &c.*

220 Præterea bene advertendum eſt, quod *in Novell. citat. cap.* 13. *citat.* mentio fiat solorum aſcendentium, & deſcendentium uſque ad tertium gradum; nam ſi tales nulli adſint, ſed collaterales tantum, eos, quantumcunque propinqui ſint, omnes fiſcus excludit; & hinc erravit, *Irnerius*, dum in *Auth. bona damnatorum citat.* voluit bona damnatorum etiam reſervari hæredibus ex latere. Brunnem. *ad Auth. cit. num.* 3. Matth. Stephan. *loc. cit. num.* 25. Ant. Matth. *de crimin. ad Libr.* 48. *tit.* 18. *num.* 2. Schmier *loc. cit. n.* 312.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remiſſionibus.

POſt pœnas, quæ imponuntur in foro externo, tractandum nunc de pœnis, quæ imponuntur in foro interno ſeu Pœnitentiali. De his agit prima Rubricæ præſentis pars. At quia Pœnæ iſtæ ſeu Pœnitentiæ ſæpe relaxantur, in altera Rubricæ parte agitur de Remiſſionibus. Porro *Pœnitentiæ* nomen variæ ſolet accipi. 1. pro Punitione, ſeu pœnæ ſententia, ſecundum Aug. *l. de ver. & falſ. pœnit. cap.* 19. & Iſidor. *l.* 3. *Etymol. c. ult.* 2. pro converſione, ſeu mutatione mentis in homine, præterita peccata ſua plangente *can. pœnitentia* 1. *de Pœnit. diſt.* 3. in quo ſenſu ad mentem S. Thom. *p.* 3. *q.* 85. *art.* 1. & 3. dicitur *deteſtatio, & dolor animi de peccato commiſſo, quatenus eſt offenſa, ſive injuria illata Deo, ex intentione eam compenſandi*. 3. pro Habitu ſpeciali, ad hujuſmodi dolorem, & deteſtationem peccati inclinante; & hic definiri poteſt, quod ſit *habitus inclinans ad actum, quo deteſtamur peccatum commiſſum, & de eo dolemus, quatenus eo Deus à nobis offenſus eſt, ex intenſione offenſam hanc abolendi, & compenſandi, ſive pro ea ſatisfaciendi.* 4. pro uno ex ſeptem novæ Legis Sacramentis; in quo ſenſu Pœnitentia dicitur *Sacramentum reconciliationis cum Deo poſt lapſum perſonalem, inſtitutum per modum Judicii*, ſive *Sacramentum, quo peccata poſt Baptiſmum commiſſa, & legitimo Miniſtro cum deteſtatione, & dolore debito manifeſtata, virtute clavium, ſeu abſolutionis Sacerdotalis delentur.* 5. pro ſatisfactione pro peccatis impoſita, & exhibita; & tunc ex communi dicitur *Operatio exterior laborioſa, & pœnalis, voluntariè aſſumpta ad vindicandum, & puniendum peccatum commiſſum, & ad placandam Divinam offenſam.* Omiſſis tribus prioribus acceptionibus ſolum hic agetur de Pœnitentia quarto, & quinto modo accepta. Quare ſit.

§. I.

De Pœnitentia, prout eſt Sacramentum.

SUMMARIUM.

1 *Pœnitentia eſt Sacramentum:*
2 *A Chriſto inſtitutum,*
3 *Hujus forma.*
4 *Materia.*
5 *Miniſter.*
6 *Neceſſitas.*
7 *&c. Quando urgeat ejus præceptum?*
12 *&c. An ſæpius in anno?*
14 *&c. Quinam teneantur præcepto Confeſſionis annuæ?*
18 *&c. Quo anni tempore?*
21 *&c. An eidem præcepto ſatisfiat per Confeſſionem invalidam.*
24 *&c. Quæ ſint pœnæ neglectæ Confeſſionis annuæ?*
27 *Quid ſit Approbatio, & quæ ejus neceſſitas?*
28 29 *Quis approbare poſſit?*
30 *An neceſſaria illa ſit etiam Graduatis?*
31 *A quonam Epiſcopo danda ſit Approbatio?*
32 *Quando, & quomodo concedi ſoleat, & poſſit ab Epiſcopo?*
33 *An Epiſcopus negare Approbationem poſſit, non præmiſſo Examine.*
34 *An ſufficiat Approbatio petita, & ab Epiſcopo negata?*
35 *An reſtringi illa poſſit ad certum tempus, locum, vel perſonas?*
36 *An valeat Abſolutio collata à Sacerdote, quam Epiſcopus idoneum judicavit, cum reipſa non eſſet?*
37 *An ſemel data ab Epiſcopo, vel ejus Succeſſore revocari poſſit?*
38 *Quid ſit Juriſdictio Confeſſarii, & quæ ejus neceſſitas?*
39 *Quotuplex ſit Juriſdictio fori conſcientiæ?*
40 *Quomodo acquiratur Juriſdictio, ſeu poteſtas abſolvendi delegata?*
41 *An in mortis articulo abſolvere poſſit Sacerdos ſimplex, præſente proprio, & privilegiato, & excommunicatus vitandus, præſente non excommunicato?*
42 *An à reſervatis abſolutus in articulo mortis, hoc ceſſante, ſe ſiſtere ſuperiori debeat?*
43 *Quomodo in foro Pœnitentiali interno exercenda Juriſdictio tacitè commiſſa intelligatur?*
44 *Quæ ſit praxis Privilegii, Ordinibus Religioſis conceſſi ad audiendas Confeſſiones quorumcunque fidelium.*
45 *Quinam habeant facultatem eligendi ſibi Confeſſarium?*
46 *Utrum hæc facultas acquiri poſſit conſuetudine?*
47 *Quid ſit Caſuum Reſervatio?*
48 *Quæ peccata Reſervationi obnoxia ſint?*
49 *Cui competat poteſtas reſervandi peccata?*
50 *Quinam caſus Epiſcopis ſint reſervati?*
51 *Quinam reſervari à Prælatis Regularibus poſſint?*
52 *Caſus reſervati in Societate Jeſu.*
53 *An reſervationem incurrant etiam ignorantes?*
54 *Quis abſolvere poſſit à Caſibus reſervatis?*
55 *Quis ab Epiſcopalibus?*
56 *Quis Religioſos ab iis, quos reſervavit eorum Superior?*
57 58 *Quid dicendum de peregrinis habentibus Caſum reſervatum?*

2 QUæritur 1. an Pœnitentia sit Sacramentum, an, & quando à Christo institutum, & quæ sit ejus materia, forma, & Minister? Resp. 1. Pœnitentia est Sacramentum novæ Legis, distinctum ab aliis. Est Catholica veritas contra Montanistas, & Novatianos, ad quos postea accesserunt Lutherus, Calvinus, aliique asseclæ. Patet ex Conc. Flor. *sess. ult. in Decret. Unior.* & Trid. *sess.* 14. *can.* 1. *&* 2.

3 2 Hoc Sacramentum est institutum à Christo post Resurrectionem, uti tunc tenent omnes contra *Armacan.* apud Dicastill. *D.* 4. *dub.* 2. qui putavit esse institutum à Christo sub initium prædicationis; item contra alios apud Tann. *q.* 1. *n.* 6. qui dixerunt institutum esse à Deo in Paradiso sub mundi initium. Responsio patet ex Trid. *sess. cit. c.* 1. *de Sacr. Pœnit.* ibi, *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit cum à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt*: quibus verbis iisdem suis Apostolis dedit potestatem in Corpus suum Mysticum, quod fideles constituunt.

4 3 *Forma* hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis Sacerdotalis, *Ego te absolvo à peccatis tuis*: ex quibus licet essentialia tantum sint *Absolvo te*, reliqua tamen addi debent, præsertim in articulo mortis, secundum quosdam sub mortali, secundum alios sub veniali. Debet autem absolutio fieri per verba formalia, & hæc verba dirigi debent in pœnitentiam præsentem, prout decrevit *Clemens VIII.* Hinc invalidum est absolvere nutu, signo, aut scripto; item absolvere absentem, quod docuit *Alens. Medin.* & alii. Sufficiunt tamen verba prædictis æquivalentia, quibus sensus non immutatur, ut siquis reverentiæ causa dicat: *Absolvo Dominationem, Excellentiam, vel Majestatem vestram.* Contra non valet, si dicas, *Absolvat te Deus*, vel *absolvat te Christus*.

5 4 *Materia* alia est remota, alia proxima; *Materia remota*, & circa quam actus pœnitentis, & Sacerdotalis absolutio versatur, sunt peccata omnia actualia commissa post Baptismum; mortalia quidem nondum subjecta clavibus necessaria, venialia vero, & mortalia, à quibus absolutio jam semel rite est impetrata, sufficiens, & idonea, ut colligitur ex *Extrav.* 1. *int. comm. de Privileg.* & docet praxis fidelium, ad majorem sui confusionem, & consequendam uberiorem gratiam, pœnarumque remissionem instituentium Confessiones annuas, & generales à tota vita de peccatis, quæ jam aliquando clavibus rite subjecerunt. *Materia proxima* sunt actus pœnitentis tres, scilicet Contritio, Confessio, & Satisfactio; quæ ultima Sacramentum integraliter perficit; priores autem duæ ad essentiam pertinent, ut communiter notant DD. contra *Scotum*, qui totam essentiam ponit in absolutione.

6 5 *Minister* hujus Sacramenti est solus Sacerdos: prout patet 1. ex Scriptura *Joan.* 20. ubi Christus ad solos Apostolos, ac Discipulos Sacerdotes, & in his ad eos, quibus eadem potestas legitime communicabitur: dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* 2. Ex Flor. *in Decret. de Sacram.* & Trid. *sess.* 14. *c.* 6. *& can.* 10. *de Sacr. Pœnit.* 3. ex Bulla *Martini V. in Concil. Constant.* contra errorem *Vvickleffi*, & *Leonis X.* contra *Lutherum*, affirmantem; omnes fideles, etiam pueros, & mulieres habere potestatem remittendi pœnitentibus peccata. 4. ex traditione, & perpetuo usu Ecclesiæ. Neque obstat *c. fures* 2. *de furt.* ubi potestas absolvendi videtur tribui etiam Diacono; ibi, *Si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, Communicationem eis non negamus*; nam textus iste videtur mendosus esse; quod patet ex eo; quia in *Concil. Tribur. can.* 31. unde desumitur, non habentur hæc verba *Vel Diacono*, sed ista *Deoque, & Sacerdoti.*

7 Quæritur 2. an, & quomodo Sacramentum Pœnitentiæ necessarium sit post Baptismum in peccatum mortale lapsis? Resp. his necessarium est in re, vel in voto necessitate medii, non quidem ex natura rei; poterat enim Christus Dominus hoc Sacramentum instituere, ut utile, & conveniens ad sanitatem animæ recuperandam, non ut necessarium, & obligationem; sed ex præcepto Divino, quod nobis exposuit Trid. *sess.* 14. *c.* 4. & *can.* 10. *de Sacr. Pœnit.* Votum Sacramenti Pœnitentiæ continetur in dilectione Dei super omnia, & in Contritione Charitate formata; & hinc qui peccata sua actu confiteri inculpabiliter non valet, ejusmodi actus virtute consequi salutem nihilominus potest; habent enim hi actus, antecedenter ad actualem hujus Sacramenti receptionem, vim delendi peccatum mortale, & recuperandi gratiam per peccatum amissam. Trid. *c.* 4. *cit. & sess.* 6. *c.* 14.

8 Dub. 1. quando peccati mortalis reus ex præcepto Divino obligetur ad Sacramenti istius usum? *Certum est* obligari saltem in articulo, seu probabili periculo mortis, undecunque, etiam ex sententia Judicis imminentis. Suar. *D.* 15. *sect.* 6. *n.* 1. Palao *D. un. p.* 3. *n.* 7. Stoz *Trib. Pœnit. p.* 3. *q.* 1. *art.* 3. *n.* 12. Vallens. *hic* §. 7. *n.* 4. Konig *n.* 11. Vviest. *n.* 12. & plerique melioris notæ TT. sunt enim tunc adhibenda media necessaria ad salutem, tale medium autem Christus esse voluit Confessionem Sacramentalem, si copia habeatur Confessarii; ergo &c. *Conf.* quia hoc præceptum impleri debet in hac vita; ergo ad minimum in articulo mortis, vel ante si tunc probabiliter timeatur non futura copia Confessarii.

9 *Difficultas* est, an extra mortis discrimen ex vi solius præcepti Divini detur obligatio confitendi; Negant non pauci maximi in S. Theologia nominis DD. quod non satis constet de aliquo præcepto, quod obligationem istam injungat aut de tempore, quod hujus obligationis executioni extra periculum mortis determinatum à Christo sit; Verum hæc ratio nihil probat; nam nec actibus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendis certum tempus determinatum est, & tamen hos actus eliciendi obligatio Jure naturali datur.

10 Dicendum igitur, susceptionem hujus Sacramenti ab eo, qui se reum peccati mortalis agnoscit etiam seclusa Lege Ecclesiastica, & Divino solum præcepto spectato, sine peccato non posse diu v. g. ultra tres, aut quatuor annos differri; *Ratio est*, quia tenetur peccator redire in gratiam cum Deo, eique satisfacere, ita quidem, ut graviter peccet pœnitentiam procrastinando, prout patet *Eccl.* 5. *v.* 8. *Prov.* 1. *v.* 28. *Rom.* 2. *v.* 4. ubi Deus peccatores non solum à pœnitentiæ procrastinatione dehortatur, sed ejus dilationem etiam, præsertim usque ad articulum mortis, tanquam vocationis gratiæque, & amicitiæ Divinæ vilipensionem, contemptumque severe reprehendit; ergo tenetur etiam ad medium in hunc finem à Christo institutum. Tale unicum est Confessio Sacramentalis in casu, quo copia est Confessoris; ergo &c. *Conf.* voluit Christus fideles per distinctam peccatorum Confessionem non solum absterreri à frequentia peccandi, sed etiam à Confessario juvari, ne toties relabantur. hunc autem finem non obtineret, si semel tantum sub exitum vitæ tenerentur confiteri; ergo ipsa intentio finis fuit simul voluntas instituendi Sacramentum pœnitentiæ hoc ritu, & obligandi ad Confessionem sæpius peragendam.

11 Neque obstat argumentum in Contrarium allatum: nam Pœnitentiæ agendæ tempus, quod Jure Divino determinatum non est, determinavit Ecclesia in *Conc. Later. c.* 21. & confirmavit Trid. *sess.* 14. *c.* 5. *& can.* 8. *de Sacr. Pœnit.* quorum Conciliorum priore *c. omnis* 12. *hoc tit.* relato statutum est, ut omnes Christi fideles, usu rationis præditi, cujuscunque sexus, saltem semel in anno confiteantur proprio Sacerdoti peccata sua. Quare sicut post determinationem Sabbati ad cultum Divinum in Decalo-

Decalogo, ea dies Jure naturali cultui huic conſecranda erat in Veteri Teſtamento & in novo dies Dominica, ita poſt determinationem Eccleſiæ Jus Divinum obligabit ad ſemel in anno confitendum. Vallenſ. *hic* §.7. *n.* 1. Vvieſt. *ibid. n.* 14. *& duob. ſeqq.*

12 Dub. 2. Utrum dari aliquando poſſit obligatio etiam ſæpius, quàm ſemel in anno confitendi? Reſp. per accidens dari poſſe. Sic enim ad confeſſionem Sacramentalem obligatur 1. qui vult ſumere S. Euchariſtiam, vel celebrare Miſſam, ſi peccati mortalis ſe reum novit, & copia Confeſſoris non deſit. Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 7. *& can.* 11. *de Sanct. Euchar. Sacr.* ubi addit, *quòd ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.* 2. qui exiſtimat, ſe à peccato aliquo abſtinere non poſſe, aut vincere gravem aliquam tentationem, niſi confiteatur; quia quilibet Jure Divino tenetur adhibere media neceſſaria ad vincendum peccatum. Vallenſ. *hic* §.7. *n.* 4. *verſ. ſecundo.* 3. Ratione Juramenti, aut Voti *arg. c. magnæ* 7. *de Vot.* vel ratione pœnitentiæ à Confeſſario injunctæ, vel ratione Statuti, Religionis, aut præcepti Superioris. Vallenſ. *loc. cit. verſ. quarto.* 4. Ratione conſcientiæ erroneæ, dum putat quis ſe ad Confeſſionem teneri, quamvis ſufficiat illam deponere. Navar. *Man. c.* 2. *n.* 20. Vallenſ. *l. cit. verſ. quinto.*

13 Inter quos caſus, & inter obligationem Confeſſionis annuæ id eſt diſcriminis, quod præceptum confeſſionis annuæ peccati mortalis reum per ſe obliget, & non tantum per accidens, prout voluerunt aliqui, & ratione Communionis. Patet ex *c. omnis* 12. *hoc tit.* ubi præcipitur Confeſſio, & deinde Communio, nec verbum ponitur, ex quo poſſit colligi, unam ſolum propter alteram mandari. *Conf.* ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *& can.* 8. *de Sacr. Pœnit.* ubi nulla facta mentione communionis, abſolute dicit eſſe in Eccleſia præceptum annuæ Confeſſionis. Et hinc qui à Communione ob cauſam aliquam excuſantur, aut ob immaturitatem Judicii differuntur, nihilominus tenentur confiteri. Nec unius tantum, ſed duplicis peccati rei habentur, qui communionis, & Confeſſionis Sacræ præceptum violarunt.

14 Dub. 3. quinam Confeſſionis annuæ præcepto teneatur? *Certum eſt* 1. teneri hoc præcepto fideles omnes, etiam pueros, ſi peccati mortalis ſibi, ſint conſcii, ex communi DD. judicio, contra *Sotum*, qui *in* 4. *diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 11. *fin.* cum *Hoſt. & Anchar.* negat pueros teneri ante annum 12. ætatis. Fundamentum ſumitur ex *cap. omnis citat.* ubi *Concil. Later.* ad annuam Confeſſionem obligat omnes, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint, h. e. doli capaces extiterint, & diſcernere inter bonum, & malum noverint; atqui talem diſcretionem, & doli capacitatem ſupponit peccatum mortale; ergo &c.

15 *Certum eſt* 2. ad confeſſionem annuam teneri etiam eum, qui conſcius ſibi eſt peccati mortalis ſolum interni, tum propter univerſalitatem *c. omnis cit.* tum vero propter communem ſenſum, & uſum Eccleſiæ, ac fidelium *cap. citat.* etiam de peccatis internis intelligentium, ut adeo Suar. *D.* 36. *ſect.* 2. *n.* 2. temeritatis non immeritò arguat ſingularem opinionem Margarit. Confeſſor. *V. Confeſſio*, negantis obligationem Confeſſionis annuæ in eo, qui peccati ſolum interni reus eſt. Neque aliud probat ratio, quam pro hoc ſuo aſſerto *Margarita* affert, quia ſcilicet Eccleſia caret poteſtate in actus merè internos; nam ut *num.* 11. dictum eſt, præceptum Confeſſionis annuæ non eſt præceptum merè Eccleſiaſticum, ſed determinatio præcepti Divini.

16 *Controverſia* eſt de eo, qui ſibi conſcius eſt peccati venialis tantum; etiam hunc præcepto Confeſſionis annuæ adſtringi cum *Bonav. Rich. Alenſi* exiſtimat. Fagn. *in cap. omnis cit. à n.* 14. pro ſe allegans S. Thom. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 3. *Sed dicendum* præcepto Confeſſionis annuæ ſolum adſtringi reos peccati mortalis. Ita Sylv. *V. Confeſſio* 1. *nu.* 14. Sot. *diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. Suar. *D.* 36. *ſect.* 2. *n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 5. *num.* 12. & communiter cæteri, allegantes pro ſe S. Thom. *in* 4. *diſt.* 16. *art.* 2. *q.* 3. Ratio eſt, quia mens Conc. Later. *in cap. omnis cit.* non fuit imponere novam obligationem confitendi peccata, ſed ei, quæ præcepto Divino jam erat impoſita, determinandi certum tempus, ultra quod non liceret differre Confeſſionem, prout declarat Trid. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. atqui præcepto Divino ad Pœnitentiæ Sacramentum tantum adſtringitur peccati mortalis conſcii, ergo &c. *Conf.* nam Trid. *cap.* 5. *citat.* & *can.* 7. diſertè aſſerit, peccata venialia taceri in Confeſſione citra culpam poſſe, hoc autem verum non eſſet, ſi ad Confeſſionem annuam adſtringeretur ille, qui unius tantum peccati venialis ſibi eſt conſcius.

Verùm eſto, à præcepto Confeſſionis annuæ excuſetur, qui nullius peccati mortalis ſibi eſt conſcius, conſtans tamen fidelium ſenſus, & uſus ad Confeſſionem annuam indiſcriminatim omnes vel obligat, vel ſeriò hortatur, nec immeritò: non enim leve iniquæ ſuſpicionis fundamentum præberet ille, qui integro anno Confeſſionem omitteret ſub prætextu carentiæ peccati mortali; tum quia vix reperiuntur, qui ſine iſtius Sacramenti uſu toto anno à peccato mortali abſtinent; tum verò quia negligens expiare peccata venialia, facilè prolabitur in mortalia. Accedit ſcandali ratio, quod ex tali omiſſione fideles capiunt: hinc ad iſtud evitandum talis, qui mortalis noxæ ſe reum non agnoſceret, tempore Paſchali, quo annuæ Confeſſionis præceptum urgenti ſolet, proprio Paſtori, vel ejus Delegato ſe ſiſtere, & ei conſcientiæ ſuæ ſtatum in genere declarare deberet, ut monent Suar. *D.* 36. *ſect.* 2. *n.* 9. Vaſq. *q.* 90. *artic.* 2. *dub.* 2. *n.* 19. Coninck *D.* 5. *dub.* 5. *n.* 52. Fagund. *Eccl. Præcept.* 2. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 9. Bonac. *D.* 5. *q.* 5. *ſect.* 2. *p.* 4. *n.* 8. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 20. *n.* 5. Vvieſtner *hic n.* 19. 17

Dub. 4 quo anni tempore Confeſſio annua ſit peragenda? Reſp. Jure ſcripto ſatisfacit huic præcepto, quocunque tempore Confeſſio illa fiat; nam Conc. Later. *c. omnis cit.* nullum determinavit tempus Confeſſioni, licèt Paſchale determinaverit Communioni. Navar. *Man. c.* 2. *num.* 9. Sot. *in* 4. *diſt.* 18. *qu.* 1. *art.* 4. *concl.* 1. Sà *V. Confeſſio n.* 4. Suar. *D.* 36. *ſect.* 3. *num.* 2. Layman *cap.* 5. *cit. n.* 8. Engl *hic n.* 8. Vvieſtner *ibidem n.* 22. Neque obſtat *Extrav.* 2. *de Treug. & Pac.* ubi Sixtus IV. dicit, Parochianos ad Peccatorum Confeſſionem in Paſchate obligari; nam in textus hoc non imponitur novum Confeſſionis præceptum, ſed à Conc. Later. *cap. omnis cit.* impoſitum refertur: unde ſicut iſtud ſolum annuam, non autem Paſchalem Confeſſionem præcipit, ita & in *Extr. citat.* Pontifex; facit autem mentionem Paſchatis; quia Confeſſio tanquam diſpoſitio Communioni Paſchali præmitti ſolet, & debet. 18

Jure autem non ſcripto per Conſuetudinem perantiquam, & univerſalem in Eccleſia, de qua mentio fit *in can. in capite* 64. *diſt.* 50. & approbat Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5 *de Sacr. Pœnit. fin.* videtur Confeſſioni annuæ determinatum tempus Paſchale, quo accedendum eſt ad S. Communionem: quam conſuetudinem pro Lege receptam eſſe, ex eo colligitur, quòd eo tempore Rectores Parochiarum Parochianos ſuos illius peragendæ admoneant, ejus peractæ poſt illud tempus teſtimonium exigant, & qui convicti fuerint illius negligenter omiſſæ, à Magiſtratibus graviter puniri ſoleant. Engl *hic n.* 9. Vvieſtner *ibid. n.* 23. 19

Qui legitimè impeditus, vel ex negligentia præceptum Confeſſionis annuæ, & Communionis in Paſchate non implevit, tenetur id facere, quamprimum commodè poteſt; quia Paſchale tempus Communioni jure ſcripto, & Confeſſioni jure non ſcripto definitum eſt tanquam terminus implendæ, non finiendæ obligationis. Navar. *Man. cap.* 21. *num.* 45. Medin. *de pœnit. quæſt.* 18. Suar. *D.* 36. *ſect.* 4. *num.* 2. Coninck *D.* 5. *dub.* 8. Layman *l.* 5 *tr.* 6. *c.* 5. *n.* 9. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 20. §. 2. *n.* 13. Vvieſtner *nu.* 23. *cit. verſ. qui à ſacra.* Si verò quis præviderit, ſe in Paſchate impediendum, tenebitur Confeſſionem, & Communionem anticipare, ſicut anticipare debet auditionem Miſſæ die feſto, qui prævidet, quòd hora conſueta non poſſit eidem intereſſe. Suar. *ſect.* 5. *n.* 2. Coninck *dub.* 7. *n.* 58. Layman *n.* 9. *cit. coroll.* 2. Palao *n.* 11. Vallenſ. *hic* §. 7. *fin.* Vvieſtner *l. cit.* 20

Dub. 5 an Confeſſionis annuæ præcepto ſatisfiat per Confeſſionem invalidam? Affirmant Sylv. *V. Confeſſio* 4 *num.* 3. *fin.* Palud. *in* 4. *diſt.* 17. *qu.* 7. & alii relati à Fagund. *Eccl. præc.* 2. *l.* 1. *capit.* 4. *numer.* 4. ſaltem tunc, quando pænitens eſt extra culpam, quia ſcilicet peccata ſua fideliter, & cum debita diſpoſitione confeſſus eſt, Sacerdos verò vel ex ignorantia, vel ex malitia abſolutionem non impertivit: ad quod dicendum moventur duplici ratione. 1 quia Eccleſia videtur ſolùm præcipere Confeſſionem externam, & illius omiſſionem punire. 2 quia eadem Eccleſia ad pænitentiam, & peccatorum Con- 21

fessionem recipit peccatores etiam illos; qui propter defectum veri propositi nequeunt absolvi.

22 Sed standum pro negativa, quam etiam defendunt Navar. *Man. c.* 10. *n.* 4. Sot. *dist.* 18. *q.* 3. *art.* 3. Suar. *D.* 36. *sect.* 7. *n.* 3. Coninck *D.* 5. *dub.* 9. *n.* 70. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 5. *n.* 11. Fagund. *c.* 4. *cit. n.* 5. Palao *p.* 20. §. 3. *n.* 4. & 7. Vviest. *n.* 25. Ratio est, quia per talem Confessionem non satisfacit præcepto Divino, nam hoc obligatur peccator ad recuperandum statum gratiæ, in quem finem talis Confessio invalida non servit; ergo nec satisfacit præcepto Ecclesiæ; quia ista non ponit novum præceptum præcipiendo Confessionem annuam, sed tantum obligationi jam antea per præceptum Divinum inductæ tempus determinat.

23 Neque obstat Argumenta opposita. *Ad* 1. Ecclesia præcipit illam Confessionem, ad quam incerto tempore obligat præceptum Divinum; hæc autem non est Confessio tantum externa, utpote sufficiens ad procurandum statum gratiæ, per peccatum mortale amissum, sed vera. Accedit, quia nomini actus regulariter non venit actus qualiscunque, sed validus; nam invalidè fieri, & omnino non fieri paria reputantur. *Ad* 2. confessionem peccatoris, qui propter defectum veri propositi absolvi nequit, Ecclesia admittit non tanquam sufficientem ad implendum præceptum, sed ut de peccatorum gravitate, & animæ suæ periculo admoneantur, & piis exortationibus ad veram Pœnitentiam, & conversionem facilius inducantur.

24 Dub. 6. quæ sint pœnæ neglectæ Confessionis annuæ? Resp. hanc negligentes *cap. omnis* 12. *hoc tit.* arceantur ab ingressu Ecclesiæ vivi, & mortui à Sepultura Ecclesiastica: neque requiritur, ut neglexerint utrumque præceptum Confessionis, & Communionis, sed satis est, si quis alterutrum non impleverit; la Croix *tom.* 7. *n.* 2053. Sed hæc pœna solum est ferendæ sententiæ nam Jure communi in istos nulla lata est pœna, quæ ipsa Confessionis malitiosa: omissione incurratur. Suar. *D.* 36. *sect.* 8. *n.* 2. Fagund. *de* 2. *Eccl. Præc. l.* 1. *c.* 4. *n.* 12. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 20. §. 3. *n.* 5. Vviestner *hic n.* 26. Hinc pœna ista in casu, quo delictum omnino occultum est, executioni dari non potest, ob defectum probationis.

25 Aliud est de Excommunicatione, quæ Jure speciali Statutorum Provincialium, & Diœcesanorum à negligentibus Confessionem Paschalem ipso facto incurritur; cum enim ista non delicto probato, sed delicto externo annexa sit, locum habet etiam, quando delictum est occultissimum. Fagund. *num.* 12. *cit.* Palao *num.* 5. Vviestner *n.* 27. cum aliis. Eandem Excommunicationis pœnam incurrit etiam, qui ficte, h. e. non integre, vel sine dolore, aut proposito emendationis requisito confessus est; nam licet de actibus mere internis cognoscere non possit Ecclesia, potest tamen indirectè illos præcipere, quatenus pertinent ad actum externum rite peragendum: conf. si talem actum internum quis omiserit, incurret pœnam facto ipso impositam ab Ecclesia, non quidem propter omissionem actus interni, sed propter actum externum ex defectu interni ad eum requisiti non rite positum. Vviestner *n.* 28.

26 Ab hac doctrina Vivald. *Candel. aur. de Confess. n.* 60. Rodr. *Addit. ad Bull. Cruc.* §. 11. *alias* 9. *n.* 133. Zerol. *Prax. Episc. p.* 1. *V. Lupanaria* §. 3. excipiunt meretrices, usurarios, aliosque peccatores publicos, quos neque Episcopi, & Parochi Excommunicatos declarant quamvis prædicto Confessionis præcepto legitime, ut dictum est, non satisfaciant, manifesto, ut putant, indicio, quod hac Excommunicationis pœna non adstringantur. Sed nullatenus admittenda est Exceptio; quia nec fundamentum habet in *c. omnis* 12. *hoc tit.* quippe quod fideles comprehendit omnes: nec publici peccatores digniores sunt Indulgentia, quam alii; Quod vero non soleant declarari, id fit, non quia peccatores ejusmodi Excommunicatione affecti non sunt, sed in favorem aliorum fidelium, ne cum ipsis communicantes peccet; Fagund. *l.* 1. *cit. c.* 3. *n.* 11. Palao *n.* 6. Vviest. *n.* 28. *cit.*

27 Quæritur 3. quid sit *Approbatio*, & quæ ejus necessitas? Resp. *Approbationis* nomine venit Judicium, sive testimonium authenticum de habilitate; sive idoneitate Sacerdotis ad excipiendas Confessiones fidelium pœnitentium. Ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem est necessaria, ita, ut absolutio, saltem à peccatis mortalibus, extra mortis articulum, à Sacerdote non approbato attentata, valore careat, ex communi, & certa sententia DD. qui id desumunt ex Trid. *sess.* 23. *c.* 15. *de Reform.* ubi decernitur, nullum posse audire Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, nisi aut Beneficium Parochiale habeat, aut alias Approbationem obtineat, verbis autem *non posse* negatur potentia, & actus contra gestus invalidus declaratur, ut cum *Gloss. Bartol. Tiraquell. Covar.* notat P. Vviestner *hic n.* 31. *Neque obstat*, quod potestas absolvendi à peccatis jam confeeratur in ipsa ordinatione Sacerdotis; quia potestas ista solum est incompleta, quæ primum completur per collationem Jurisdictionis, & Approbationis. Dixi *saltem à peccatis mortalibus*, nam absolutionem à venialibus à Sacerdote non approbato datam, probabilius validam esse affirmant Carden. *D.* 2. *c.* 6. *art.* 9. & 10. Sporer *n.* 667. la Croix *tom.* 6. *n.* 1489. non obstante *Decreto Innoc. XI. edito* 12. *Febr.* 1679. quia in hoc Decreto Pontifex solum præcipit Ordinariis, *ne permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato*, non vero irritat absolutionem ab eo factam.

Dub. 1. cui competat potestas approbandi Sacerdotes ad excipiendas Confessiones pœnitentium? Resp. cum distinctione: Nam ad Confessiones Sæcularium audiendas approbandi potestas de jure competit Episcopo, aliisque Prælatis in certo territorio exercentibus Jurisdictionem quasi Episcopalem, item Capitulo Sede vacante, & utriusque Vicario Generali; quia non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis ordinariæ. Suar. *D.* 28. *sect.* 5. *à n.* 1. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 25. *à n.* 8. Konig *hic num.* 5. Vviestner *num.* 32. & sumitur ex Trid. *c.* 15. *cit.* ibi, *Confessiones Sæcularium.* 28

Contrà ad Confessiones Regularium excipiendas Sacerdoti Regulari, vel etiam Sæculari sufficit Approbatio, & licentia superioris confitentium Regularis *arg. cap.* 15. *cit.* nam cum solum exprimat Confessiones Sæcularium, Confessiones Regularium hoc ipso videntur exceptæ. Mirand. *tom.* 1. *Man. Prælat. quæst.* 45. *art.* 11. *concl.* 2. Suar. *sect.* 4. *n.* 4. Barbosa *alleg. cit. n.* 64. *fin.* Vviestner *n.* 33. & patet ex Decreto *Clement. VIII.* relato apud Quarant. *V. Confessor.* Ratio est, quia cum Regulares peculiarem, & multo perfectiorem, quam Sæculares, modum vivendi teneant, convenientius est ipsis Confessores dari, & approbari potius à propriis, quibus modus vivendi illorum compertus est, quàm ab aliis hujus inexpertis Prælatis. Quoad Moniales tamen aliud videtur statutum à *Gregorio XV. in Bull.* incipit *Inscrutabilis edita* 1622. ubi cavetur, ne quis sive Religiosus, sive Sæcularis earum Confessiones audiat, nisi ab Ordinario approbatus. 29

Dub. 2. an Episcopalis Approbatio necessaria sit etiam Sacerdotibus, qui Gradu Doctoratus, vel Licentiæ in SS. Theologia, vel Jure Canonico insigniti sunt? Negant aliqui apud Henriq. *lib.* 3. *de Pœnit. cap.* 6. *num.* 2. *comment. lit. O.* ex ratione, quia tales habent testimonium publicum suæ idoneitatis ad Sacramentorum administrationem, & de hac aliquando constat per ipsam facti evidentiam, & doctrinæ notorietatem: Sed etiam his necessariam esse approbationem Episcopalem ad Confessiones Sæcularium audiendas docent Suar. *D.* 28. *sect.* 4. *n.* 3. Fagund. *l.* 7. *c.* 1. *n.* 68. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 11. *n.* 2. Barbos. *alleg.* 25. *n.* 6. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 17. §. 2. *n.* 2. Vviestner *n.* 34. la Croix *tom.* 6. *n.* 1485. *Resp. coroll.* 1. & patet ex *Bulla S. Pii V. edita* 1571. *Declaratione Cardd. & Trid.* verbis, quod *c.* 15. *cit.* generaliter, & absolute decernit, *nullum, etiam Regularem* Presbyterum *posse Confessiones Sæcularium audire &c.* conf. omnem exceptionem, vel restrinctionem excludit; Decet tamen, ut hujusmodi Doctores, & Licentiati, sicut etiam celebriores Verbi Divini Præcones, aliique similes, quando de eorum doctrina palam constat, approbentur sine scientiæ examine, prout DD. *citt.* notant. 30

Dub. 3. à quonam Episcopo danda sit Approbatio? Resp. ex communiore, & probabiliore sententia, quam tenent Suar. *D.* 28. *sect.* 6. *n.* 6. Coninck *de Pœnit. D.* 8. *dub.* 7. *n.* 50. Bonac. *D.* 5. *de Pœnit. q.* 7. *p.* 4. *n.* 15. Fagund. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 92. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 17. §. 3. *n.* 4. Vviest. *n.* 36. approbatio hæc facienda est ab Episcopo, cui subest Confessarius exposcens approbationem, idque tum propter geminas *Declarationes Cardd. Trid. Interpp.* tum vero ex ratione, quia approbatio est 31

tio est actus Jurisdictionis, quæ non potest exerceri, nisi in subditum. Ut tamen Responsio hæc ritè intelligatur, & accommodatè ad praxin, per Episcopum Confessarius intelligendus est non solum ille, qui absolutè, & simpliciter ejus est Ordinarius ratione stabilis domicilii, quod Confessarius approbationem petens in Diœcesi ipsius habet; sed etiam ille, qui est respectivè talis, & per accidens, nempe in ordine ad functiones in sua Diœcesi, h. e. apud subditos suæ Diœcesis obeundas. Palao *loc. cit.*

32 Dub. 4. quando, & quomodo concedi ab Episcopo soleat, & possit Approbatio ad audiendas Confessiones? Resp. potest, & solet concedi tripliciter. 1. Actuali collatione Beneficii Parochialis, sive annexam sibi curam animarum habentis. 2. authentica declaratione idoneitatis, facto prævio examine. 3. deputatione Sacerdotis vel in genere ad Sacramentorum, vel in specie ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem ab Episcopo etiam sine prævio examine facta; nam hoc ipso censetur illum ad hoc munus idoneum judicare. Quocunque autem modo Approbatio fiat, concedenda est gratis; aliàs Simoniaca foret. An verò per hoc etiam reddatur invalida, dubitari potest. Verius est non esse irritam. Suar. *D.* 28. *sect.*5. *n.*19. Reginald. *l.*1. *n.*180. Bonac. *D.* 5. *de Pœnit. q.*7. *p.*4. §. 1. *fin.* Palao *tr.*23. *D. un. p.*17. §. 1. *n.* 6. Vviestner *n.* 38. la Croix *tom.*6. *num.* 1488. quia nullo Jure cautum est, collationem Approbationis pretio factam esse irritam.

33 Dub. 5. an Episcopus Approbationem, nulla ad examen admissione facta, sacerdoti serio eam petenti negare possit? *Certum* est negare eam posse ex justa causa, v. g. ob notorium aliquem defectum doctrinæ, probitatis &c. *Difficultas* est, an denegare eandem possit, seclusa ejusmodi causa? Videtur posse; quia non apparet, ex quo capite obligetur Episcopus ad explorandam cujuscunque Sacerdotis suæ Diœcesis aptitudinem, præcipuè quando illo pro Confessionibus excipiendis non indiget. *Sed dicendum*, si Sacerdos aliquis Regularis, vel Sæcularis serio, & juridice Approbationem expostulet, eum sine justa causa repelli non posse, sed necessario admittendum ad examen, & si in hoc idoneus repertus fuerit, approbationem eidem concedendam. Ita Suar. *D.*28. *sect.*5. *n.* 15. Vasq. *q.*93. *art.*3. *dub.*5. *num.*5. Coninck *D.* 8. *dub.*7. *n.* 50. Laym. *lib.* 5. *tr.*6. *c.*11. *n.*3. Palao *tr.*23. *D. un. p.*17. §. 3. *n.* 7. Lugo *de Pœnit. D.* 21. *n.* 49. Vviestner *hic num.* 39. Ratio est, quia Regularis Sacerdos jus habet procurandi, ne sibi impediatur usus privilegii Apostolici, vi cujus audire possunt Confessiones ad se recurrentium, & sæcularis jus habet se taliter disponendi, ut Jurisdictio eidem ad excipiendas Confessiones meritò committi possit. Atqui hunc finem obtinere nequeunt, nisi Episcopus eos ad examen admittat, & si in hoc reperiantur idonei, approbationem eis concedat; igitur ne jus hoc ipsorum Episcopus lædat, tenebitur ipsos ad examen petitum admittere, & idoneos repertos approbare.

34 Dub. 6. an sufficiat approbatio petita, si ab Episcopo injustè denegetur? *Certum est* non sufficere, si injustitia denegationis non sit manifesta; quia tunc præsumitur pro Judice, & ab eo actis *c. in præsentia 6. de renunt. & l. fin.* ibi, *Quod non arbitramur C. de Offic. Civil. Judic. Difficultas* est, an id etiam dicendum sit, quando idoneitas personæ approbationem petentis est manifesta. Ubi non pauci cum Navar. *Man. cap.*27. *n.* 265. Mirand. *Man. Prœl. tom.*1. *q.* 45. *art.* 6. *&* 8. Laym. *l.*5. *tr.*6. *cap.* 11. *n.* 4. Fagund. *lib.*8. *c.*2. *n.*15. *&* 58. Palao *tr.*23. *D. un. p.*17. §. 3. *num.*8. *&* 9. distinguunt inter Sacerdotes Sæculares, & Regulares, & licèt admittant, in prioribus non sufficere, Approbationem ab ipsis fuisse petitam, si hæc ab Episcopo ipsis quamvis injuste, negata est; de posterioribus tamen existimant, eos, si debito modo Approbationem ab Episcopis postulaverint, hi vero eandem ipsis injuste denegarint, ipso Jure approbatos censeri, & ad Confessiones etiam Sæcularium audiendas exponi posse. Moventur *Clem. dudum* 2. *& Extr.* 2. *int. comm. de Sepult.* ubi Mendicantibus indultum est privilegium, vi cujus Confessarii ab illorum Generali, vel Provinciali Episcopo præsentati, si isti eos admittere renuant, pro admissis haberi possunt, Papa eos tali casu admittente. *Sed dicendum*, neque istos tali casu pro approbatis habendos. Suar. *D.* 28. *sect.* 5. *n.* 6. *&* 15. Vasq. *D.* 93. *art.* 3. *dub.* 3. Coninck *D.* 8. *de Pœnit. dub.* 7. *n.* 58. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 25. *n.* 47. Lugo *D.*21. *n.*52. Vviest. *n.* 41. Reiffenstuel *tit.* 39. *infrà num.* 259. Ratio est, quia *Trid. sess.* 14. *cap.* 15. *de reform.* ad hoc, ut quis audire Confessiones Sæcularium possit, absolute, & diserte, tanquam conditionem, requirit approbationem ab Episcopo obtentam: neque distinguit inter Sacerdotes Sæculares, & Regulares; imò istos hac sua dispositione exprese includit, ibi, *Nullum etiam Regularem*, derogando privilegiis antea habitis, ibi, *Privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus*; consf. derogatum censetur favori per *Extrav. cit.* concesso Religiosis: *Neque obstat*, quod idem favor deinceps *Clem. V. in Conc. Vienn. Clement. cit.* sit confirmatus, & sic videatur concessus dispositione Concilii Generalis, cui sine speciali mentione non derogatur *c. nonnulli* 28. *pr. de Rescript. & cap. ex parte* 3. *de Capell. Monach.* nam imprimis *Clem. cit.* utpote non à Concilio, sed in hoc à Clem. V. edita, non Conciliaris, sed Apostolica est; deinde quando mentio Constitutionis Conciliaris in *cap. citt.* requiritur, id intelligendum de derogatione, quæ per Rescriptum, non verò de ea, quæ per Constitutionem fit.

Dub. 7. an Approbatio ab Episcopo restringi valeat ad certum tempus, locum, vel personas? Satis clarum est, posse restringi ad certum locum, & personas, cum utrique respectu rudium possit aliquis esse idoneus, qui non est respectu Civitatensium, & respectu virorum, qui non est respectu fæminarum. Navar. *Man. c.* 4. *n.* 11. Suar. *D.*28. *sect.*7. *n.* 19. Vviestner *n.* 42. *Controversia* est de restrictione ad tempus certum. *Negativam* cum nonnullis tenet Portell. *Dub. Regul. V. Confessor n.* 13. quia non apparet ratio, cur, qui uno die, mense, vel anno aptus ad excipiendas Confessiones, non etiam sit aptus alio tempore. *Sed affirmativam* melius tenent Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 15. *num.* 42. Lugo *D.* 21. *n.* 58. Vviestner *n.* 43. la Croix *tom.* 6. *n.* 1492. quia possunt esse justæ causæ hujusmodi restrictionem faciendi e. g. propter necessitatem, & concursum pœnitentium, aliorumque Sacerdotum defectum, ut adeò approbatio tamdiu duret, quamdiu durat hæc necessitas, & defectus; item propter levitatem morum, & tenuitatem scientiæ ipsius Sacerdotis, & ad istius conservandæ, & augendæ studium; imò etiam ad experimentum capiendum de probitate, discretione, & doctrina ejusdem, an sufficiat pro Approbatione perpetuâ. *Ad Argumentum contrarium* experientia passim docet, scientiam rerum Moralium, quam Sacerdotes de præsenti habent, sæpe numero in illis, præsertim quando aliis curis, & studiis distenduntur, exolescere, ut ad pristinam ignorantiam videantur rediisse, atque adeo novum non sit, aliquem uno tempore idoneum esse, qui postea per oblivionem eorum, quæ didicit, fit inidoneus. 35

Dub. 8. an valeat absolutio collata à Sacerdote, quem Episcopus idoneum judicavit, cum reipsa non esset? Resp. affirmativè, si pœnitenti rite disposito cum debita intentione, & adhibita absolutionis forma collata est; quia per Trid. *sess.*14. *cap.* 15. *de reform.* irritata non est; imo non oportebat eam irritari; cum enim ejusmodi error sæpe occultus sit, sæpe dubium esse posset de valore approbationis, & consf. etiam absolutionis cum gravi periculo animarum. Suar. *D.*28. *sect.*5. *n.*7. Reginald. *l.* 1. *n.* 197. Bonac. *D.* 5. *de Pœnit. q.* 7. *p.* 4. §. 1. *n.* 30. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 25. *n.*40. Palao *tr.*23. *D. un. p.* 17. §. 1. *num.* 1. Vviestner *num.* 44. Imò juxta eundem Barbosa *n.*40. & Palao *n.* 2. valida est approbatio Sacerdotis, & ab hoc data absolutio, quem Episcopus fictè duntaxat, h. e. verbis externis sine intentione interna approbationem concedendi, approbavit; quia cum Ecclesia non judicet de occultis, & quæ in actum externum non prodeunt, *Tridentinum* approbationem exigens solum loqui censendum est de approbatione externa, & visibili. Similiter juxta Suar. *loc. cit.* valida est absolutio, facta à Sacerdote, quem Episcopus non judicavit aptum, & tamen approbavit; nam licet approbatio talis injusta, & illicita sit, non tamen videtur nulla; alioquin multæ confessiones redderentur dubiæ; quia sæpe hujusmodi approbatio datur per favorem, & vel contra judicium, vel certe sine judicio de sufficientia Sacerdotis. Contrà invalida est absolutio data à Sacerdote quam Episcopus in animo idoneum judicat, absque ulla manifestatione hujus sui judicii, ob defectum declarationis externæ, in qua 36

maximè

maximè essentia approbationis consistit. Suar. *loc. cit.* Coninck *n.* 49. Barbosa *n.* 41. Vviest. *n.* 44. *fin.*

37 Dub. 9. an Approbatio semel data ab Episcopo, vel ejus Successore revocari possit? *Negant* aliqui revocari posse saltem ab Episcopo, à quo obtenta est, ex ratione, quia approbatio non est gratia, vel favor, sed sententia quædam, & judicium authenticum, Sacerdotibus, si apti ad Confessiones audiendas reperiantur, ex Justitia debitum; atqui sententia semel prolata, postquam in rem judicatam transiit, à Judice, à quo prolata est, amplius revocari non potest *c. quod ad consultationem* 15. *de Sent. & re jud. & Auth. hodie C. de Appell.* Verum, quia textus *citt.* tantum loquuntur de Sententia Judiciali, à qua ad judicium de idoneitate extrajudiciale, utpote diversum quid, male ducitur argumentum, ideò dicendum, revocari Approbationem semel concessam posse; ubi tamen est distinguendum, an approbatio concessa sit solitarie, an cum Beneficio Parochiali, vel Curato. *Si hoc secundum*, revocari Approbatio nequit, nisi Sacerdos, tale Beneficium obtinens, ex justa causa ipso privetur, vel ab Officio ex simili causa removeatur, aut suspendatur; Reginald. *l.* 1. *n.* 201. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 25. *n.* 23. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 17. §. 4. *n.* 1. Vviestner *n.* 47. *vers. & primo. Si primum*, videndum est, an Approbatio sit data ad arbitrium, & beneplacitum, an vero absolute, & sine limitatione. *Si prius*, revocari potest, saltem interveniente causa; imo morte concedentis sine revocatione exspirat; Barbos. *numer.* 55. Vviestner *vers. secundo. Si posterius*; revocari potest, interveniente justa causa, e. g. propter mutatos mores, scientiæ moralis oblivionem &c. hac vero cessante, non potest, quòd jus per approbationem Sacerdoti jam sit quæsitum. Suar. *D.* 28. *sect.* 8. *n.* 7. Barbos. *n.* 47. Palao *n.* 6. Vviest. *vers. tertio, & quarto.*

38 Quæritur 4. quid sit *Jurisdictio Confessarii*, & quæ sit ejus necessitas? Resp. est *potestas Judicialis ligandi, & solvendi pœnitentem subditum sibi confessum.* Herzig *Man. Confess. n.* 211. nam quamvis in ipsa Ordinatione potestas aliqua absolvendi, conferatur Sacerdoti, tamen ista duntaxat remota, & incompleta est, quæ deinde per collationem, Jurisdictionis completa, & proximè expedita efficitur cum subditorum designatione; Vallens. *hic* §. 6. *n.* 3. Herzig *loc. cit. n.* 212. Ex quo sequitur Jurisdictionis in personam, & peccata pœnitentis defectum facere absolutionem nullam. Vviestner *hic n.* 50. *Excipiuntur* tres casus, in quibus ex Ecclesiæ benignitate, & perpetua consuetudine fideles indiscriminatim omnes cujusvis Sacerdotis Jurisdictioni subjiciuntur; 1. si habeant peccata solum venialia; 2. si mortalia quidem habeant, sed à quibus jam semel legitime sunt absoluti; 3. instante articulo mortis. Inter hunc tamen, & duos priores casus id est discriminis, quod in isto absolvere possit valide etiam Excommunicatus vitandus, depositus, & degradatus; non vero in duobus prioribus. Suar. *D.* 26. *de Pœnit. sect.* 5. *n.* 5. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *n.* 2. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 13. *n.* 5. Vviest. *n.* 53. la Croix *tom.* 7. *n.* 1548. *pr. item n.* 1559. *&c.* Ratio est, quia Jurisdictionis actualis usus, quo ejusmodi Censuratus caret, pro solo articulo mortis concessus est. Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Sacr. Pœnit.*

39 Dub. 1. quotuplex sit Jurisdictio fori conscientiæ? Resp. duplex Ordinaria scilicet, & Delegata; *Ordinariam* habet Papa respectu totius Ecclesiæ, Episcopus, hujusque, & Capituli Sede vacante Vicarius respectu suæ Diœcesis, & Prælati Regulares respectu sui Ordinis, vel Monasterii, Parochi respectu suæ Parochiæ. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 13. *n.* 9. Vallens. *hic* §. 6. *n.* 4. Konig *n.* 6. Vviest. *n.* 50. la Croix *n.* 1548. *cit. Delegatam* habent, quibus potestas audiendi Confessiones subditorum fidelium à Papa, Episcopo, Parocho, vel alio Curato, ordinariam Jurisdictionem obtinente, commissa est *c. cum Episcopus* 7. ibi *Vel per alium de Offic. Ordin. c. omnis* 12. *hoc tit.* ibi *Sacerdoti proprio*, i. e. Parocho, vel alteri Ordinario, *vel alio* i. e. non ordinario cum proprii licentia, vel ejus commissione. Abb. *in c.* 12. *cit. n.* 7. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *n.* 11. Palao *p.* 13. *cit. n.* 14. Konig *n.* 6. Vviest. *n.* 57. la Croix *loc. cit.* Ex his Delegatis autem illi duntaxat subdelegare possunt, quibus causarum fori interni universitas commissa, & hæc commissio officio, seu muneri eorum ordinario annexa est, adeo, ut ratione illius potestas absolvendi competat, ac per modum muneris commissa sit. Palao *loc. cit. n.* 16. Et hinc quia Confessariis Regularibus, & Parochorum Cooperatoribus potestas absolvendi non competit ratione muneris, & officii ordinarii, facultatem subdelegandi ejusmodi potestatem non habent. Vviest. *n.* 58.

Dub. 2. quomodo acquiratur Jurisdictio, sive potestas absolvendi delegata; Resp. acquiri potest multipliciter. Et 1. quidem Jure communi; & sic potestatem Delegatam absolvendi quosvis fideles habet quivis Sacerdos in casibus *n.* 38. exceptis; Item Confessarii, electi ab Episcopis, aliisque Prælatis exemptis vi *c. fin. hoc tit.* & ipsi etiam Episcopi in casibus variis, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati Vviest. *n.* 59. 2. commissione hominis, sive tacito, vel expresso consensu alicujus eorum, quibus juxta dicta *n. præc.* potestas Jurisdictionem hanc delegandi competit; Vviestner *n.* 60. 3. privilegio Apostolico; & vi talis privilegii Religiosis, præsertim Mendicantibus concessum est, ut Confessiones quorumcunque fidelium, ad eos accedentium audite, eos absolvere possunt à quibuscunque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quæ ex illis resultant, exceptis iis, quæ comprehendunrur in Bulla Cœnæ. *Const. Pauli III.* incipit *Cum inter* 3. *Jun.* 1545. *& Gregor. XIII.* allegata *in Compend. Privil. Societ. Jesu V. Absolutio* §. 1. Vviestner *n.* 65. & alii passim. 4. consuetudine legitime præscripta, saltem quando Jurisdictionis istius possessio vel quasi bona fide 40. annis cum titulo, vel sine hoc per tempus immemoriale continuata est *arg. c. Episcopum* 1. *de præscript. in* 6. Navar. *in can. placuit* 3. *dist.* 6. *de Pœnit. n.* 40. Sylv. *V. Confessor.* 1. *n.* 8. *fin.* Laym. *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 4. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 36. *not.* 3. Vviest. *ibid. n.* 68. 5. eandem Jurisdictionem tribuit, vel ipsius alio titulo non acquisitæ defectum supplet Ecclesia casu, quo Sacerdos potestatem absolvendi ordinariam, vel delegatam habere communi errore existimatur, ita exigente bono publico animarum, ne ab aliena malitia, & communi, atque inculpata ignorantia patiantur detrimentum; *arg. l. Barbarius* 3. *ff. de Offic. Prætor.* Vviest. *n.* 69. 40

Dub. 3. an in mortis articulo absolvere possit Sacerdos simplex, præsente proprio, vel privilegiato, & Excommunicatus vitandus, præsente non excommunicato? Affirmant aliqui magni nominis DD. persuasi generalitate verborum Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Sacr. Pœnit.* ibi, *Omnes Sacerdotes.* Sed negativa communis, & verior est, quam etiam defendit Molin. *tr.* 4. *de J. & J. D.* 13. *n.* 1. afferens, id à *Gregorio XIII.* declaratum. Suar. *D.* 26. *de Pœnit. sect.* 4. *n.* 4. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 3. *n.* 7. Vasq. *q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *nu.* 18. Coninck *D.* 8. *de Pœnit. dub.* 12. *concl.* 2. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 12. *n.* 14. Bonac. *D.* 5. *de Pœnit. q.* 7. *p.* 1. *n.* 10. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 13. *n.* 8. Carden. 2. *Cris. D.* 2. *n.* 424. Vviestner *hic n.* 53. la Croix *tom.* 7. *n.* 1562. Et ratio est quia Trid. *c.* 7. *cit.* voluit subvenire necessitati fidelium, in eo articulo constitutorum, *ne hac ipsa occasione* reservationis *aliquis pereat*; is autem, qui proprium, vel non Censuratum Sacerdotem habet, in tali necessitate constitutus non est; quia ab hoc absolutionem Sacramentalem obtinere potest; ergo &c. *Ex quo patet*; generalitatem verborum *Trid.* non obstare huic responsioni: imò ista ex eo textu manifestè confirmatur; nam Sacra Synodus *loc. citat.* ait, ita *in Ecclesia Dei custoditum semper fuisse*, ut indicaret, quoad hanc rem non condi novum Jus, sed declarari, & approbari Jus jam receptum in Ecclesia Dei; atqui in Ecclesia Dei antehac moribundi à peccatis absolvi consueverunt ab aliis, absente solum proprio Sacerdote, vel ex ejus commissione, ut colligitur ex *can. Presbyteri* 4. *can. aurelius* 5. *& can. fin. caus.* 26. *q.* 6. ergo &c. 41

Dub. 4. an qui in articulo mortis proprio, vel privilegiato, aut non censurato Sacerdote absente, absolutus est à Sacerdote simplici, vel Excommunicato, illo periculo præter exspectationem cessante, iterum confiteri Sacerdoti proprio, vel pro reservatis sistere se Superiori debeat? *Rationem dubitandi* facit *cap. ea noscitur* 13. *vers. si vero de Sent. Excomm. cap. eos qui* 22. *eod. in* 6. *Extrav.* 1. *vers. incendiariis de Privil.* ubi tali casu absolutus ab Excommunicatione, cum primum potest, jubetur se præsentare superiori; videtur autem idem dicendum de peccatis saltem reservatis, Censuræ non obnoxiis. *Sed tenenda* est Sententia negativa, quam etiam defendunt Sylv. *V. Confessor* 1. *num.* 16. Navar. *Man. c.* 26. *num.* 26. 42

Suar.

Suar. *D.* 26. *sect.* 4. *n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *cap.* 12. *num.* 15. Bonac. *p.* 1. *cit. n.* 13. Vviestner *n.* 54. Ratio est, quia moribundum à talibus peccatis, quibus Censura annexa non est, directè, & absolutè absolvendi facultatem quilibet Sacerdos habet, peccata autem directè, & absolutè remissa iterum confitendi obligatio nulla datur; ergo &c. *Ad Rationem dubitandi* dico, *citt.* textibus solum sermonem esse de Reservatis, Censuram annexam habentibus, à quibus, ad cætera peccata etiam reservata malè ducitur argumentum, cum reservatio sit odiosa.

43 Dub. 5. quomodo in foro Pœnitentiali interno exercenda Jurisdictio tacitè commissa intelligatur? Resp. tunc ea intelligitur tacitè commissa, quando is, qui delegare eandem valet, verè habet animum consentientem in exercitium Jurisdictionis ab alio faciendam, & hunc suum animum signo, vel indicio aliquo externo sufficienter manifestavit. Suar. *D.* 27. *sect.* 4. *num.* 17. Coninck *D.* 8. *dub.* 5. Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 10. *num.* 15. Vviestner *hic num.* 64. Herzig *Man. Confess. n.* 224. Atque hinc 1. non sufficit, licentiam fuisse petitam tantum, quia ex sola petitione facta nondum satis colligitur animus concedendi Jurisdictionem. Suar. *D.* 27. *sect.* 4. *n.* 20. 2. non sufficit, si is, qui delegare valet, e. g. Parochus præsens sciat, aut videat ab alio audiri Confessiones suorum Parochianorum, & taceat; quia cum Parochus tacere possit ex alia ratione, e. g. quòd judicet subditum suum confiteri tantum venialia, vel quòd ille habeat facultatem Confessarium eligendi, aut Confessarius audiendi quoscunque pœnitentes, ex hac taciturnitate sola nondum satis colligitur animus committendi Jurisdictionem. Suar. *num.* 17. *cit.* Coninck *dub.* 5. *cit. n.* 35. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 14. *n.* 3. Vviestner *n.* 62. *Neque obstat*, quòd taciturnitas Parochi, videntis coram extraneo Sacerdote celebrari Matrimonium, sufficiat, ut assistentia Matrimonialis censeatur ab eo tali Sacerdoti commissa; nam cum ferè certus sit Parochus, licentiam assistendi Matrimoniis Parochianorum suorum aliunde non haberi, taciturnitas illius in casu, quo facilè potuisset contradicere, pro consensu habetur. Vviestner *loc. cit.* 3. non sufficit, quòd delegare potens Jurisdictionem exercere volenti sit bene affectus, & eam concederet, si peteretur. Suar. *loc. cit. n.* 16. Lugo *D.* 19. *num.* 22. Vviestner *n.* 63. Herzing *n.* 224. Ratio est, quia actus voluntatis, ut DD. *citt.* notant debet de præsenti actu existere; nam actu operari Jurisdictionem delegatam debet, & ea, quæ non existunt actu operari non possunt. Et ex hoc capite. 4. non sufficit, quod delegare potens factum præsumatur ratihabiturus, vel etiam ex post facto ratum habeat. Sylv. *V. Confessor* 1. *quæst.* 6. *dict.* 8. Navar. *Man. cap.* 9. *num.* 6. Suar. *D.* 26. *sect.* 1. *num.* 14. Laym. *cap.* 10. *cit. num.* 16. Palao *p.* 14. *n.* 4. Lug. *num.* 1. Vviestner *n.* 61. *Neque obstat*, quòd pro licita administratione Sacramenti Eucharistiæ, vel extremæ Unctionis sufficiat ratihabitio de futuro præsumpta; quia ad horum Sacramentorum validam administrationem nullus requiritur consensus delegantis actualis, sed tantum ad licitam, ne jus alterius violetur, quod jam non violatur, si prudenter præsumatur alter ratihabiturus factum.

44 Dub. 6. quæ sit praxis privilegii, Ordinibus Religiosis concessi à Pontt. ad audiendas Confessiones quorumcunque fidelium ad Confessarios Regulares accedentium? Resp. hoc privilegium immediatè non Religiosis particularibus, sed ipsis Ordinibus Religiosis, horumque Superioribus, & quidem ita concessum est, ut per illud non derogetur laudabilibus illorum Statutis, & consuetudinibus. Mirand. *tom.* 1. *Man. Præl. quæst.* 45. *art.* 12. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *l.* 9. *c.* 2. *à n.* 3. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 10. *n.* 19. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 14. *n.* 7. Vviestner *num.* 66. Et hinc 1. non possunt Religiosi particulares muneri audiendi Confessiones fidelium sese sponte sua ingerere, sed debent ad hoc habere consensum Superiorum suorum: alias collatæ ab ipsis absolutiones (secluso communi errore) erunt invalidæ; quia hoc privilegium datum est ipsis dependenter à voluntate Superiorum, ut hi communicare hoc possint iis, quos ad Sacramentum istud administrandum idoneos judicarint: consf. antequam communicetur, Religiosi particulares carent Jurisdictione. DD. *citt.* 2. iisdem Religiosis particularibus facultas audiendi Confessiones à Superioribus suis restringi potest ad certos tantum fideles, v. g. ad viros tantum, & non ad fæminas audiendas. Imò ex justa causa, etiam non notoria, e. g. ob se prodentem scientiæ defectum, ob timorem indebitæ administrationis Sacramenti, vel in pœnam alicujus delicti commissi, potest facultas illa ab iisdem superioribus iterum auferri, ita, ut Sacramentum sine nova licentia invalidè administrent; quod tamen in simplici prohibitione, nisi exprimatur, non præsumitur. Mirand. *art.* 13. Suar. *n.* 27. Laym. *n.* 19. Palao *nu.* 9. Vviestner *n.* 66. 3. Religiosi, ad audiendas Confessiones fidelium à Superioribus suis expositi, non possunt audire Confessiones Religiosorum Ordinis diversi, sed hi adire pro absolutione peccatorum suorum obtinenda debent Sacerdotem sui Ordinis, ab istius Superiore deputatum, nisi potestatem habeant eligendi sibi alium confessarium, vel itinerantes sint, & Sacerdotem sui Ordinis habere nequeant; quia privilegio illo generali non censetur derogatum Statuto, consuetudini, vel privilegio speciali, quo plerique Ordines Religiosi muniti sunt, ut Religiosi illorum contra superiorum suorum voluntatem aliis confiteri nequeant. Rodriq. *tom.* 1. *reg. q.* 60. *art.* 6. *& q.* 62. *art.* 5. Suar. *tr.* 8. *l.* 2. *c.* 16. *à n.* 12. Layman *c.* 10. *cit. n.* 20. Palao *p.* 14. *n.* 11. Vviestner *n.* 67. Reiffenst. *tit.* 39. *infra n.* 260.

Dub. 7. quinam habeant facultatem, seu privilegium eligendi sibi Confessarium? Resp. de Jure communi nullus Episcopus, vel Prælatus etiam Superior Episcopo eligere sibi Confessarium potest, sed Episcopus deberet confiteri suo Archiepiscopo, hic Patriarchæ suo, & Patriarcha Papæ. Patet ex *cap. omnis* 12. *hoc tit.* & ratio est, quia nemo potest absolvi, vel ligari, nisi à suo Judice, aut Prælato proprio, qui in illum Jurisdictionem ordinariam habet. Quia vero in Ecclesia sic diffusa hoc moraliter inobservabile est, idcirco moderatus rigorem hunc est Pontifex Gregorius IX. & per privilegium *cap. fin. hoc tit.* concessum eligere sibi Confessarium possunt. 1. Episcopi; quo nomine hìc intelliguntur etiam non consecrati, sed confirmati tantum; imò etiam Episcopi, qui Diœcesim, vel Episcopatum non habent, ut sunt Titulares, & qui renuntiarunt Episcopatui; & extenditur concessio hæc etiam ad non exemptos; neque his opus est licentia sui Archiepiscopi, ut notat Host. *hic V. Episcopi* §. *sed nunquid*, Abb. *ibidem numer.* 3. *vers. sed quæro*, Joan. Andr. *V. eodem* Vivian. *ibid. in Ration.* Vallens. *hic* §. 6. *n.* 4. Pirhing *n.* 33. la Croix *tom.* 7. *n.* 1548. *pr.* 2. Prælati alii superiores Episcopis, ut Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates *c. fin. cit.* ibi, *Et aliis superioribus.* Item Cardinales, quibus communicatur privilegium concessum Episcopis, & Prælatis exemptis, saltem si sint Episcopi, vel Legati à Latere. Azor *p.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *q.* 16. Fagnan. *in c. fin. cit. n.* 32. *& seqq.* Vall. la Croix *loc. citt.* 3. Prælati minores, exempti, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecti. Host. *loc. cit. V. minoribus*, Abb. *ibid. n.* 2. imò probabiliter etiam illi, qui immediatè subjiciuntur Provinciali, vel Generali suo, ut sunt Prælati Regulares locales, si exempti sint à Jurisdictione Episcopi, & Jurisdictionem spiritualem fori contentiosi, seu externi habeant. Sylv. *V. Confessor* 1. *q.* 8. Tambur. *tom.* 2. *de Jur. Abb. D.* 6. *q.* 10. *n.* 3. Pirhing *num.* 34. 4. Reges, & Principes (quorum tamen privilegium ad familiam non extenditur) item domestici Pontificis ex consuetudine; la Croix *loc. citat.* & omnes illi, qui gaudent privilegiis Bullæ Cruciatæ. Herzig *Man. Confess. num.* 237. 5. ii, quibus sive Pontifex, sive Episcopus, sive Parochus licentiam, eligendi sibi Confessarium, quem voluerit, dedit; debet tamen Confessarius talis, qui virtute talis concessionis eligitur, esse idoneus, & approbatus ab Ordinario. Fagn. *in cap. fin. cit. n.* 11. *& seqq.* ita autem electus non hoc ipso potest absolvere à reservatis; quia facultas ab his absolvendi indiget speciali mentione, *c. si Episcopus* 2. *hoc tit. in* 6. 45

Dub. 8. utrum consuetudine acquiri possit facultas eligendi Sacerdotem non suum pro Confessione apud ipsum deponenda? Videtur non posse ob textum *cap. si Episcopus* 2. *hoc tit. in* 6. ubi reprobatur consuetudo hæc eligendi sine licentia Pastoris proprii. Verum hic textus non obstat, quin locum habere possit consuetudo saltem immemorialis; quia hanc non afficit reprobatio consuetudinis solum generalis, ut dictum est, *Libr.* 1. *Tit.* 4. *num.* 31. & ratio est, quia talis consuetudo æquiparatur privilegio, ex certa scientia concesso à Principe *cap. super quibusdam* 26. *vers. præterea de V. S. & l. hoc jure* 3. §. *ductus aquæ* 4. *ff. de aqu. quotid. & æstiv.* Quare verisimilius est, hujusmodi potestatem eligendi sibi Confessarium à Communitate aliqua vi consuetudinis immemorialis, 46

rialis, vel huic æquivalentis acquiri posse; vel si nequeat saltem, via hac acquiri potest fori interni Jurisdictio, quod consuetudo istam conferens minus suspecta sit de irrationabilitate, nec ullo Jure reprobata. Vvieft. *hic n.68.*

47 Quæritur 5. quid sit *Casuum Reservatio*? Resp. *est actus, quo Superior alicui inferiori vel non concedit Jurisdictionem in aliqua peccata, vel jam antea concessam eidem iterum aufert.* Stoz *Trib. Pœn. l.* 2. *q.* 2. *art.* 3. §. 1. *n.* 57. la Croix *tom.* 7. *num.* 1599. *pr.* Herzig *Man. Confess. num.* 149. Hinc *Casus reservati* vocantur graviora quædam peccata, à quibus inferior Confessarius pœnitentes, in quo alias ordinariam, vel delegatam Jurisdictionem habet, absolvere nequit propter defectum Jurisdictionis ab illa sibi non concessæ, vel ablatæ. Vvieft. *hic n.* 70. Herzig *loc. cit.* ut proinde pro absolutione istorum obtinenda recurrendum sit ad Superiorem, qui potestatem ab his absolvendi inferiori denegatam, vel ablatam reservando sibi appropriavit. Introducta autem reservatio ista est Ecclesiæ, & animarum bono, ut innuit Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *& can.* 11. *de Sacr. Pœnit.* tum quia ad regimen animarum internum spectat, non quævis peccata à quovis Confessore remitti, cum illorum aliqua exactius judicium exigant, & majorem peritiam Judici, qui severitatem cum benignitate temperare, & corrigere pariter, atque mederi noverit; tum etiam ut hac necessitate adeundi Superiorem, & absolutionis obtinendæ difficultate, quasi freno, fideles coerceantur in officio, & à graviorum criminum perpetratione retrahantur. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 1. Vvieft. *loc. cit.*

48 Dub. 1. quænam peccata reservationi obnoxia sint? Resp. ad hoc requiruntur sequentes conditiones; 1. ut sit peccatum mortale; nam venialia vel nequeunt, vel certe non solent reservari, cum nemo teneatur illa confiteri. Suar. *D.* 29. *de Pœnit. sect.* 3. *n.* 2. Coninck. *D.* 8. *de Pœnit. dub.* 11. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 12. *n.* 3. *concl.* 2. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 15. §. 1. *n.* 4. Lugo de *Pœnit. D.* 20. *n.* 14. Vvieft. *n.* 73. la Croix *loc. cit.* Herzig *n.* 153. & alii passim. 2. ut sit mortale, quod nondum clavibus subjectum, & directè remissum est; nam peccata jam semel subjecta clavibus, & remissa, non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Vvieft. *n.* 73. 3. ut sit peccatum externum; nam licèt etiam peccata interna reservari possint, defacto tamen non solent, nisi in aliquem actum externum prodeant, ut notat la Croix *tom.* 7. *cit. n.* 1605. & ratio est, quia interna minus pertinent ad externam gubernationem Ecclesiæ, quæ tamen in Casuum reservatione maximè spectatur. 4. ut sit in genere suo consummatum, nisi aliud exprimatur: & quidem non quomodocunque, sed eo modo, quo ipsa Lege reservante exprimitur v. g. *temere, scienter, præsumptuose* commissum, ac perfectum; quia verba Legum accipienda sunt cum effectu *c. relatum* 4. *de Cler. non resid. & l. hoc edictum* 1. §. *hæc autem, ff. quod quisque Juris &c.* Hinc reservatum non est, in quo actus externus quoad circumstantias externas mortalis non est, licet mortalis sit ratione affectus interni, à quo procedit, e. g. si furtum factum sit rei levis cum animo auferendi summam gravem. Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 12. Lugo *D.* 20. *de Pœnit. n.* 15. Vvieft. *n.* 76. 5. non debet esse dubium, an tale peccatum sit reservatum, vel mortale; nam in dubio, an tale sit, reservatum non censetur, partim quia ob ejusmodi dubiorum frequentiam Sacramentum Pœnitentiæ pœnitentibus, & ejus administratio Confessariis nimis onerosa, & exosa foret, si Reservatio in omni dubio esset observanda; partim vero quia Reservatio odiosa, ac proinde restringenda potius est, quam amplianda *Reg. odia* 15. *in* 6. Suar. *de Censur. D.* 40. *sect.* 6. *n.* 5. Dian. *p.* 4. *tr.* 3. *res.* 4. Lugo *loc. cit. n.* 18. Vvieft. *n.* 74. Herzig *loc. cit.*

49 Dub. 2. cui competat potestas reservandi peccata? Resp. competit solis illis, qui potestatem habent conferendi Jurisdictionem Ordinariam, vel Delegatam: ac propterea reservare peccata potest Papa respectu totius Ecclesiæ, Episcopus respectu suæ Diœcesis, Prælatus Regularis respectu sui Ordinis, vel Domus, Parochus respectu suæ Parochiæ. Suar. *D.* 29. *de Pœnit. sect.* 1. *n.* 4. Lugo *D.* 20. *cit. n.* 2. Stoz *l.* 2. *q.* 2. *art.* 3. §. 4. *n.* 62. Vvieft. *n.* 77. & docet Magister usus de prioribus; de Parochis vero ratio, quamvis enim non soleant, nec etiam expediat eorum reservatione Parochianos gravari, tamen nullo Jure prohibentur Cooperatoribus suis, & aliis Sacerdotibus Jurisdictionem, quam ipsis dant, restringere, & certos casus excipere. Et quidem Summus Pontifex amplissimam habet potestatem reservandi peccata, ita, ut reservare possit quæcunque peccata gravia, prout ipsi visum fuerit utile ad rectam gubernationem Ecclesiæ: defacto tamen nulla peccata eidem reservata sunt, nisi quibus annectitur Censura reservata; quæ enumerantur partim in Bulla Cœnæ, partim in aliis *Constit. Apost.* apud *Filiuc. Palao*, & alios, qui de Censuris scripserunt; unde si propter ignorantiam censura non incurritur, aut ea à Pont. relaxatur, cessat reservatio. Episcopus vero Trid. *sess.* 14. *c.* 7. *de Sacr. Pœnit.* monet, sic uti potestate hac sua, ut Reservatio, quam faciunt, *non in destructionem, sed in ædificationem* cedat, itaque moderata sit, ut fidelibus summè necessarium Sacramentum non reddat nimis onerosum, & ansam præbeat sacrilegè confitendi. Sed & Prælatis Regularibus reservandi potestatem *Clemens VIII. Mot. propr.* 1593. restrinxit ad casus undecim, qui ab iisdem, si velint, & judicent consultum esse, reservari possunt, simulque statuit, ut si ultra hos casus Superiores Regulares pro conservatione Religiosæ observantiæ, & puritate conscientiæ existiment aliquos reservandos, non aliter istud faciant, quam cum matura discussione, & consensu Capituli Generalis pro toto Ordine, & Capituli Provincialis pro tota Provincia.

Dub. 3. quinam casuum Episcopis sint reservati? Resp. 50
circa hoc cujusque Diœcesis Statuta, & consuetudines spectandæ sunt, ut cum *Cajetano* monet Palao *tr.* 3. *D. un. p.* 15. §. 2. *n.* 2. nam ipso Jure iisdem probabilius nulla peccata sunt reservata. Ex consuetudine in Episcopatibus reservari potissimum solet. 1. Homicidium voluntarium, quantumvis occultum sit. 2. crimen incendiariorum, hisque auxilium præstantium. 3. Sacrilegium per loci Sacri effractionem, dispoliationem, aut voluntariam, illique injuriosam humani sanguinis, vel seminis effusionem commissum. 4. perjurium, & falsum testimonium dictum in Judicio. 5. falsificatio Litterarum. 6. violenta manus injectio in parentes. 7. sortilegium, sive Magiæ exercitium. 8. peccata, quibus annexa est Irregularitas. 9. adulterium notorium, eoque graviora carnis, aliaque delicta valde enormia, & publice scandalosa. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *c.* 12. *n.* 4. Barbos. *de Offic. Episc. alleg.* 50. Palao §. 2. *n.* 2. Vvieftner *hic n.* 78.

Dub. 4. quinam casus juxta *Motum proprium Clem.* 51
VIII. cit. reservari possint à Prælatis Regularibus? Resp. 1. Veneficia, incantationes, sortilegia; 2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus egressio fiat. 3. nocturna, ac furtiva è Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. proprietas contra Votum Paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in Judicio Regulari, seu legitimo. 6. procuratio abortus, & auxilium, seu consilium ad hunc faciendum post fœtum animatum, etiam effectu non secuto. 7. falsificatio manus, seu Sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus. 8. furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. occisio, vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ. 11. malitiosum impedimentum, aut retardatio, vel apertio Litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores. Laym. *c.* 12. *cit. n.* 6. Palao §. 2. *n.* 15. *& seqq.*

Dub. 5. quinam casus sint reservati in Societate Jesu 52
Resp. in hac 11. relatis authoritate *Congregationis Generalis V.* additi sunt casus alii decem, videlicet 1. perjurium, & falsum testimonium in Judicio, & extra. 2. furtum, & usurpatio alicujus rei contra votum Paupertatis in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale. 3. lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra Votum Castitatis, quod in actum externum prodeat. 4. inobedientia expressa, qua quis affirmat se nolle parere. 5. Seditio in Superiorem, & divisio à capite in grave nocumentum Societatis. 6. detractio famæ, bonæque existimationis aliorum, & discordiarum seminatio inter fratres. 7. Impedimentum excludens à Societate reticuisse in Examine, vel in eo mentitum esse, unde grave aliquod incommodum oriri possit. 8. acceptatio, seu

omissio

missio litterarum absque licentia expressa, quæ scilicet acceptatio, vel Missio contineat rationem peccati mortalis. 9. transgressio Votorum simplicium, quæ Professi emittunt post Professionem. 10. Censuræ Societatis nostræ, seu peccata, quæ in Constitutionibus, Bullis, vel Decretis annexam habent Excommunicationem; de quibus plura Palao *p.* 15. *cit.* §. 3. *per totum.*

53 Dub. 6. an reservationem incurrant etiam ignorantes? Resp. distinguendo; nam duplex est Reservatio; pœnalis, & non pœnalis; *Pœnalis* dicitur, quæ delicto in ejus odium, & pœnam imponitur; & hoc modo imposita censetur, quando Lege specialiter ipsum delictum prohibetur simul, & punitur, quales sunt reservationes peccatorum, quibus Lege aliqua Ecclesiastica annectitur Censura, vel alia pœna. *Non pœnalis, & mere medicinalis* est, quæ delicto solum imponitur in bonum fidelium, & Ecclesiæ, vel Religiosæ familiæ rectam gubernationem; quo modo facta censetur, cum imponitur simpliciter, sive Lege delictum non simul specialiter prohibente. A *pœnali* ignorantia, saltem invincibilis, delinquentem excusat, non vero à non pœnali. Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 33. *n.* 18. Palao *tr.* 2. *D.* 1. *p.* 17. *n.* 8. Stoz *Trib. Pœnit. p.* 2. *q.* 2. *n.* 59. Vvieštner *hic n.* 81. la Croix *tom.* 7. *n.* 1607. *&* 1608. Herzig *Man. Confess. n.* 154. Ratio de *reservatione hac posteriore*, seu *non pœnali* est, quia est absoluta ablatio Jurisdictionis; sine qua pœnitentis absolutio non subsistit, sive delictum scienter, sive ignoranter perpetratit. De *Pœnali* vero, quia sequitur naturam Legis pœnalis, à qua taxata pœna non incurritur ab eo, qui pœnam impositam invincibiliter ignoravit. *Neque obstat*, quòd Pœnali etiam Reservatione Jurisdictio Confessario inferiori denegetur, vel auferatur; quia hoc non fit omnino absolute, sed sub tacita conditione, *Nisi delinquens Legem, eaque proditam reservationem invincibiliter ignorarit.*

54 Dub. 7. quis absolvere possit à Casibus reservatis? Resp. in articulo mortis absolvere ab iis quivis Sacerdos potest; quia in hoc reservatio omnis, cessat juxta Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de Sacr. Pœnit.* Neque sic absolutus, postquam convaluit, sistere se superiori tenetur, nisi peccato annexa sit Excommunicatio, vel alia Censura reservata; nam à tali peccato absolutus, postquam convaluit, sistere se Superiori debet, idque sub pœna reincidentiæ injungendum, ut patet ex *c. de cætero* 11. *de Sent. Excomm. & cap. eos qui* 22. *eod. in* 6. Extra hunc articulum absolvere potest is, qui sibi absolutionem reservavit, hujus Superior, & ab istis delegatus ad finem absolvendi à reservatis. Et ita delegatam potestatem habent Episcopi in peccata Pontifici reservata, si sint occulta, & ad forum contentiosum nondum deducta, vi Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* uti etiam, si propter impedimentum stabile, e. g. senium, infirmitatem, itineris longitudinem &c. adiri non possit Pontifex, vel istius Legatus. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 5. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 15. §. 4. *n.* 2. Dicast. *de Pœnit. D.* 11. *n.* 268. Vviest. *hic n.* 84. la Croix *tom.* 7. *n.* 1624. Quam potestatem communior sententia etiam Parocho concedit, quando etiam Episcopus, vel alius privilegiatus adiri nequit. Tambur *de Casib. reserv. c.* 12. §. 2. *n.* 28. Regulares tantum possunt, quantum ipsis conceditur per privilegia. Religiosi Mendicantes ex vi privilegiorum suorum, quæ à Sede Apostolica sibi indulta habent, absolvere quosvis fideles ad ipsos accedentes possunt à casibus Papalibus, exceptis iis, qui in Bulla Cœnæ comprehenduntur: & hoc de Confessariis Societatis Jesu cum aliis testatur la Croix *tom.* 7. *n.* 1611.

55 Dub. 8. quis absolvere possit à Casibus Episcopalibus? Resp. ordinaria potestas absolvendi ab istis committi ab Episcopo solet Vicario ipsius in Spiritualibus Generali, & Pœnitentiario, frequenter etiam Decanis ruralibus, & Parochis. Konig *hic n.* 15. Vviest. *ibid. n.* 88. Regulares autem, etiam Mendicantes, ab istis vi privilegiorum suorum, non requisita, vel obtenta Episcoporum licentia, non possunt absolvere, prout statutum est ab *Urbano VIII.* 1628. *& Clem. X. in Bulla* incipit *Superna magni Patrisf.* ut adeo *Alexander VII.* in *Decreto suo edito* 24. *Sept.* 1665. inter alias prohibitas merito damnaverit etiam istam; *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Extendit Decretum hoc Viva *ad Prop.* 12. *Alexandri VII.* etiam ad casus, quos Papa, vel Jus commune, aut consuetudo reservat Episcopo; sed in hoc valde probabiliter contradicunt *Aversa*, & alii plusquam triginta Authores apud Thom. Hurtad. *tom.* 1. *tract.* 5. *res.* 17. nam videtur esse sermo de casibus, quos ipsimet Episcopi sibi reservant. Hinc aliqui cum Pellizar. *tr.* 6. *cap.* 2. *n.* 29. dicunt, Mendicantes posse absolvere à casibus, quos non Episcopus, sed Synodus reservat Episcopo; sed in hoc melius contradicit *Viva*; quod enim reservat Synodus, cui præest Episcopus, reservat ipse Episcopus. la Croix *tom.* 7. *num.* 1628. & alii passim. Dixi autem, *Regulares Confessarios non posse absolvere à Casibus Episcopalibus, non obtenta ad id Episcoporum facultate*; nam absque hac Jurisdictionem in illos casus non habent; Unde hodie Regularium Superiores ab Episcopis petere solent facultatem à casibus illis absolvendi per subditos suos, quos Episcopali authoritate jam antea approbatos, ad excipiendas Sæcularium Confessiones exposuerint, exercendam. Vviest. *hic n.* 88.

Dub. 9. quis absolvere possit à casibus, quos pro Religiosis sibi subditis reservavit Generalis, vel Provincialis? Resp. si reservatio non est specialiter facta, expressè denegando potestatem quibuscunque aliis, ab his casibus præter Generalem, & Provincialem Ordinis, absolvere possunt Superiores Locales, & immediati, eamque potestatem delegare aliis inferioribus. Suar. *tom.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 19. *n.* 16. Palao *tract.* 23. *D. un. p.* 15. §. 4. *num.* 5. Vviest. *hic num.* 90. Ratio est, quia peccata ita generaliter reservata censentur reservata Superiori Religiosorum immediato, cum ea ordinariè non expediat reservari absolutioni absentis; sic enim sæpe diu nimis Religiosus, in talem casum incidens, carere cogeretur absolutione directa à tali casu, quod durum foret Religioso delinquenti. Ab alio autem vel sui, vel alieni Ordinis Confessario, nisi potestatem ad hoc sibi commissam habeat, etiamsi alias iste vi privilegii Apostolici à peccatis, & casibus, Bulla Cœnæ non comprehensis, possit absolvere, ipsi non possunt absolvi, ut dictum est *supra num.* 44. *Excipitur*, nisi talis Religiosus privilegium speciale habeat; & tale habent FF. Minores concessum à *Sixto IV.* ut possint semel in vita, & articulo mortis eligere Confessarium ex Ordine suo, ab istius Prælato approbatum, & ab isto absolvi ab omnibus criminibus, excessibus, & Censuris, etiam reservatis; quo privilegio etiam uti possunt quicunque Mendicantes, qui cum ipsis communicant in privilegiis, exceptis Religiosis Societatis Jesu; quia hi ab alio Confessario, quàm per Superiorem designato absolvi per Constitutiones Apostolicas prohibentur. Palao *loc. cit. n.* 6. Item simile privilegium habent FF. Prædicatores, concessum ab *Innoc. VIII.* vi cujus ex sui Superioris licentia iter agentes absolvi à quocunque crimine, quantumcunque reservato, possunt per quemvis Confessarium Sæcularem, vel Regularem, sicut absolvere eos potest proprii Ordinis Confessarius, ad hoc facultatem à Superiore obtinens, ut referunt Rodriq. *tom.* 1. *regul. quæst.* 62. *art.* 5. Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *lib.* 2. *c.* 19. *n.* 3. Palao §. *cit. n.* 10. qui tamen hoc ab aliis Religionibus acceptatum negant, & dubitant, an sub ea generalitate in praxin deductum sit in ipso Ordine Prædicatorum. 56

Dub. 10. an qui in Diœcesi habet potestatem absolvendi à reservatis, eam exercere valeat in advenas, & peregrinos? Negant Navar. *in can. placuit* 3. *dist.* 6. *de Pœnit. n.* 63. & Sot. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Melius affirmant D. Anton. 3. *p. tit.* 17. *c.* 4. Palud. *dist.* 17. *q.* 3. Cajet. *Summ. V. Absolutio* 2. Suar. *D.* 30. *de Pœnit. sect.* 1. *num.* 4. Lugo *D.* 20. *n.* 71. Vviest. *num.* 89. quia ex tacito consensu Prælatorum, & consuetudine generali peregrini perinde, ut incolæ à Diœcesium Confessariis absolvuntur; conf. qui in Diœcesanos absolvendi potestatem habent, habere etiam censentur erga peregrinos. Estque perinde, ut DD. *citt.* cum aliis RR. notant sive peccatum tale sit reservatum in ipsa Peregrinorum, ubi domicilium habent, Diœcesi tantum, sive in utraque, & etiam absolventis; si tamen bona fide in talem Diœcesim transierint; nam si mala fide, i. e. eo præcisè animo in alienam Diœcesim transissent, ut absolutionem à casibus reservatis consequerentur, non possent ab istis absolvi per talem Confessarium. Vviest. *loc. citat.* la Croix *tom.* 7. *num.* 1631. Ratio est, quia tali casu, ne elusoria fiat reservatio, Jurisdictio ad absolvendum ab istis casibus consuetudine, vel tacito consensu 57

sensu Episcoporum extraneis Confessariis non videtur delegata.

58 Dub. II. quid dicendum, si peregrinus, habens Casum reservatum, confiteatur Confessario non instructo potestate absolvendi à reservatis? Resp. cum Suar. *D.* 33. *de Pœnit. sect.* I. *num.* 5. *vers. at vero* cum distinctione: Vel enim peccatum reservatum est in Diœcesi tam pœnitentis, quàm Confessarii, vel in Diœcesi pœnitentis tantum, non verò in Diœcesi Confessarii, vel contrà in hac, & non in illa. *Si primum*, fatentur omnes, si reservata non posse remitti à tali Confessore; quia à neutro Episcopo habet Jurisdictionem delegatam, ut constat. *Si secundum*, contra *Sotum*, & alios existimat *Suarez* hujusmodi peregrinum ab ita reservatis per hujusmodi ordinarios Confessarios posse absolvi; quia talis pœnitens judicandus est ut incola illius Diœcesis, & juxta forum illius. *Si tertium*, putant quidem nonnulli, etiam hoc casu absolvi pœnitentem peregrinum ab ordinariis Confessariis posse; quòd cum non sit subditus illi Episcopo, reservatio ab illo facta non videatur hujusmodi peregrinum tangere. Sed ipse *Suarez* cum *Cajetano*, & aliis negat absolvi ab istis posse; quia licèt aliàs non sit subditus, tamen tunc judicatur ut subditus, & ut incola illius loci. Addo, quia reservatio non tam pœnitentem, quàm Confessarium tangit, cui tollit Jurisdictionem in casum reservatum; ergo sufficit, quòd iste sit subditus, etiamsi non sit subditus pœnitens.

59 Quæritur 6. quid sit Sigillum Sacramentale? Resp. hoc nomine venit obligatio non revelandi peccata, quorum notitia habetur, ex sola Confessione Sacramentali, nisi hoc pœnitens ipse concedat. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 19. §. I. *n.* I. & alii passim. Obligatio hæc inducta est Jure non tantum Ecclesiastico, sed etiam Naturali, & Divino. *Ecclesiastico* quidem *can. Sacerdos* 2. *de Pœnit. dist.* 6. *cap. dilectus* 13. *de Excess. Prælat. c. omnis* 12. *vers. caveat hoc tit. Naturali* autem tum ob tacitam promissionem, & pactionem inter confitentem, & Confessarium, tum propter Legem Charitatis, quæ dictat non faciendum alteri, quod nolumus fieri nobis; quilibet autem celari vult aliis secreta, præsertim peccata, propria confessione alicui commissa. *Divino* denique, quatenus ex perpetua praxi, & traditione Ecclesiæ Christus præsumitur ita instituisse, ut quam fieri potest, salva legitima forma Judicii, Sacramentum hoc minimè redderetur odiosum. Atque ex hoc tertio capite oritur maximus ille rigor hujus Secreti, adeò, ut ex nulla, etiam gravissima, & publicæ necessitatis, vel utilitatis causa liceat Sacerdoti prodere peccata, quæ ipsi pro obtinenda Sacramentali absolutione in secreta Confessione detecta sunt, quo modo nullum Sigillum naturale obligat. Innoc. *in c. omnis cit. n.* 7. Abb. *ibidem num.* 25. Sylv. *V. Confessio* 3. *q.* 5. *dict.* 4. Navar. *Man. c.* 18. *n.* 55. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 13. *n.* 6. Suar. *D.* 33. *de Pœnit. sect.* 2. *nu.* 2. Palao §. *cit. n.* 3. Vallens. *hic* §. 13. *n.* 3. Konig *n.* 21. Vviest. *n.* 93. la Croix *tom.* 7. *n.* 1934.

60 Dixi I. *ex Confessione Sacramentali*: talis erit, si fiat animo se accusandi, & peccata sua Ecclesiæ clavibus subjiciendi; nam ex hac sola oritur Sigillum hoc. Hinc casu, quo quis Sacerdoti peccata sua aperit sub specie Confessionis, animo ipsum decipiendi, seducendi; aut trahendi in partem delicti, iste Sigillo Sacramentali non obligatur, ut post alios antiquiores notat Navar. *c.* 18. *cit. n.* 53. Sanch. *n.* 6. *cit.* Suar. *n.* 6. Vasq. *q.* 93. *art.* 4. *dub.* 3. *n.* 8. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *cap.* 14. *n.* 2. *vers. ex his*, Bonac. *D.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *p.* 2. *n.* 3. Palao *tr.* 2. *n.* 2. Stoz *Trib. Pœnit. l.* 2. *q.* 4. *n.* 229. *&* 232. Vviest. *hic num.* 100. la Croix *tom.* 7. *num.* 1942. quia talis Confessio, quæ solum instituitur animo Sacerdotem decipiendi, vel seducendi, Sacramentalis non est. Debet autem certum esse, quod Confessio tali præcisè animo facta sit; nam si dubium est de intentione confitentis, tenebitur Sacerdos sigillo, ut Suar. *loc. cit.* cum aliis addit: & ratio est; quia ad removendum omne periculum irreverentiæ Sacramento inferendæ, in tali dubio præsumendus est accedere bono animo ad Tribunal Sacrum. Idem à fortiori dicendum, siquis accedat Confessionale tantum ad simulandum se confiteri, cum tamen de nullo peccato se accuset, sed tantum petat schedam Confessionis. la Croix *loc. cit.* & apud hunc *Laym. Lugo*, *Stoz*, ex quorum doctrina tali non potest dari testimonium Confessionis; quia revera confessus non est. Salubriter tamen his casibus Confessarium monet laudatus *Navarrus*, ut iste tali animo confitentem peccata sua moneat, quod ex sacrilega ipsius peccatorum revelatione obligatio sigilli non oriatur.

Dixi 2. *ex sola Confessione Sacramentali*; nam si notitiam peccati, in Confessione sibi detecti à pœnitente, aliunde ante, vel post confessionem accepit, ab usu hujus notitiæ non impeditur; conf. Sacerdos, cui furtum factum est, absque Sigilli violatione potest actionem furti adversus furem jam ante institutam prosequi, aut etiam inchoare, licèt fur furtum hoc suum ei in confessione detexerit, si ipse Sacerdos aliunde notitiam hac de re habeat, dummodo utatur solis indiciis aliunde acceptis. S. Thom. *Supplem. quæst.* II. *num.* 5. Sot. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 6. *concl.* 2. Laym. *c.* 14. *cit. num.* 3. Vviest. *num.* 94. qui tamen monet, in hac re caute agendum, & si fieri potest, pœnitentem potius ad alium confessarium ablegandum. 61

Dixi 3. *nisi hoc pœnitens ipse concedat*; nam ex hujus concessione, & licentia potest uti notitia, etiam ex sola confessione hausta. S. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 2. *& in supplem. quæst.* 10. *art.* 4. Navar. *c.* 8. *num.* 2. Sanch. *l.* 6. *mor. cap.* 18. *num.* 43. Suar. *D.* 33. *cit. sect.* 5. *num.* 6. Vasq. *D.* 93. *art.* 4. *dub.* 5. Laym. *c.* 14. *n.* 14. Bonac. *D.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *p.* 4. *à n.* 8. Palao *p.* 19. §. I. *n.* 6. Vviestner *num.* 95. cum enim Sigilli obligatio principaliter pœnitentis favore sit introducta, ejus voluntate cessabit. Debet tamen licentia ista esse expressa, & formalis, voluntaria item, & libera, non vi dolo, aut metu extorta. Palao *loc. cit. n.* 7. *&* 8. cum aliis. Potestque semel data pro libitu revocari à pœnitente, cum ipsius usus ex voluntate ejusdem pendeat; unde non licet Sacerdoti neque in personis, neque in tempore, neque in aliqua circumstantia excedere modum in licentia præscriptum. Henriq. *l.* 6. *de Pœnit. c.* 23. *n.* 2. Suar. *sect.* 5. *cit. n.* 7. Fagund. *de* 2. *Eccl. Præc. l.* 6. *c.* I. *n.* 18. Laym. *c.* 14. *n.* 15. Palao *n.* 9. 62

Dub. I. quis obligetur Sigillo Sacramentali? Resp. principaliter obligatur ipse Sacerdos, cui in Confessione Sacramentali peccata sua detexit pœnitens: secundariò omnes alii, ad quos notitia confessionis quoque modo, mediatè, vel immediatè, justè, vel injustè pervenit. S. Thom. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* I. *quæst.* 3. Scot. *dist. cit. quæst.* 2. Navar. *in can. Sacerdos* 2. *de Pœnit. dist.* 6. *num.* 42. Suar. *D.* 33. *sect.* 4. *n.* 8. Vasq. *q.* 93. *art.* 4. *dub.* I. *& seqq.* Fagund. *l.* 6. *cit. c.* 6. *nu.* 26. Dian. *p.* 2. *tract.* 15. *res.* 14. Laym. *cap.* 14. *n.* 17. Palao *p.* 19. §. 4. *n.* I. Vviest. *hic n.* 96. la Croix *tom.* 7. *num.* 1951. *&c.* Ratio est, quia alias non satis cautum foret fidelibus, peccata sua confitentibus, si Sigillo Sacramentali non etiam adstringerentur illi, ad quos notitia dicto modo pervenit. 63

Quare ad sigillum Sacramentale tenetur I. confessarius, cui quis manifestat sua peccata: quod non solum verum est de confessario legitimo, sed etiam de eo, qui à pœnitente bona fide existimatur talis; quia saltem ex intentione pœnitentis confessio ei facta Sacramentalis fuit. 2. internuntius, & interpres confitentis. 3. huic adstantes, siquid ex confessione præter voluntatem suam, vel de industria audiant. 4. ii quibus Sacerdos vel de licentia pœnitentis, vel sine hujus licentia peccatum ipsius revelavit. 5. Superior, à quo Confessarius petit facultatem absolvendi à reservato. 6. qui ante actualem Confessionem à pœnitente consulitur de modo peccata sua Sacerdoti debite exponendi. 7. is, cui pœnitens peccata sua pro confessione rite peragenda dictavit ad calamum. 8. qui confessionem alterius, in charta descriptam, legit. 9. omnes illi, qui in casu imminentis naufragii, prælii, vel alio simili peccata sua publice confitentem audierunt. Suar. *D.* 33. *sect.* 4. Laym. *c.* 14. *n.* 17. *& seqq.* Palao §. 4. *cit. à n.* 5. Vviestner *n.* 97. Reiffenst. *n.* 2. & alii *supra*. 64

Ipse pœnitens per se Sacramentali Sigillo non obligatur, ut contra Navar. *in can. Sacerdos cit. num.* 115. melius docet Major *in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *arg.* 11. Sot. *de Secret. tegend. membr.* 3. *q.* 4. *concl.* 4. Toler. *l.* 3. *cap.* 20. Suar. *sect.* 4. *cit. num.* 2. Coninck *D.* 9. *dub.* 3. Laym. *cap.* 14. *cit. num.* 20. Vviest. *num.* 98. la Croix *n.* 1955. *&* 1956. quia obligatio Sigilli, ut *num.* 62. dictum est, introducta est in favorem pœnitentis; quilibet autem favore pro se principaliter introducto renuntiare potest. Dixi *per se*; per accidens enim obligari potest, non quidem Sigillo Sacramentali, sed naturali ad occultanda ea, quæ in confessione gesta, vel dicta sunt, si ipsorum manifestatione istius 65

istius existimatio notabiliter læderetur; quo casu hæc revelantes graviter peccant, nisi Lex Charitatis, vel præceptum Juris revelationem eorum exigeret, ut fit in casu sollicitationis ad Venerea. Vviest. *loc. cit.* cum reliquis *suprà*.

66 Dub. 2. quænam sub sigillum Sacramentale cadant? Resp. 1. sub hoc sigillum cadunt omnia peccata tam venialia, quàm mortalia pœnitentis, quæ ipse in confessione aperuit Sacerdoti, etsi publica sint, aut absque omni dolore confessa; quin imo quæ committenda narrantur, si ex intentione se disponendi ad absolutionem mediis Sacerdotis exhortationibus dicta fuerant, quia ea confessio iniqui propositi saltem ex intentione Sacramentalis extitit. Suar. *D.*33. *sect.*2. *n.*8. Coninck *D.*9. *dub.* 1. *n.*3. Bonac. *D.*5. *q.*6. *sect.*5. *p.*2. *n.* 7. Laym. *c.* 14. *cit. nu.* 5. Palao *p.* 19. §. 2. *num.* 4. 2. peccata complicis, & aliæ circumstantiæ, quæ ad explicandum peccatum narratæ sunt, ut si confitens homicidium, dicat Titium sibi socium in hoc delicto fuisse, si declarans se suscepisse Ordines fateatur, se esse illegitimum, si accusans se de jactatione Nobilitatis, confiteatur se ignobilem esse &c. nam hoc casu sub sigillum cadit etiam peccatum Titii, natalium illegitimitas, defectus nobilitatis &c. quia licet ista non sint materia Confessionis, conducunt tamen, saltem ex opinione pœnitentis, ad materiæ explicationem. Secus est de iis, quæ ad explicationem peccatorum dicta non fuerunt. Palao *n.* 5. *&* 6.

67 *Proceditque* hoc, etsi ex aliquo defectu sive pœnitentis, sive confessarii absolutio non sequatur. Et verum est, ita, ut neque cum ipso pœnitente, hoc invito, de peccatis, vel aliis in confessionem ad explicanda peccata detectis, aut etiam de errore in Confessione interveniente extra Confessionem loqui liceat. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.*16. *n.*3. *&* 15. Suar. *D.* 33. *sect.* 5. *pr.* Fagund. *l.* 6. *cap.* 4. *num.* 33. Bonac. *sect.* 5. *cit. p.*4. *n.*8. *&* 11. Laym. *c.* 14. *n.* 9. *fin.* Dian. *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 87. *& p.* 5. *tr.* 11. *res.* 18. Palao *p.* 19. §. 3. *num.* 14. *&* 15. Vviestner *num.* 101. Ratio est, quia id cederet in quandam confusionem, & pudorem pœnitentis, & Sacramentum redderet onerosum, atque exosum. Accedit, quia ipso pœnitentis post absolutionem benè, vel malè indultam recessu à Sacro Tribunali Judicium Sacramentale finitur, & cessat Officium Judicis in foro interno. Hinc arctius est Sigillum Sacramentale, quàm naturale, quod ejusmodi locutione cum eo, qui illud concredidit, non violatur.

68 Dixi *extra Confessionem*; nam antequam Judicium Sacramentale plenè finitum sit, etiam statim post absolutionem datam, loqui, cum pœnitente de peccatis in Confessione apertis, restitutionis modum præscribere, aliquid interrogare, errorem corrigere sine sigilli violatione Sacerdos potest. Lugo *D.* 23. *n.* 70. Stoz *n.* 194. Vviestner *num.* 102. la Croix *tom.* 7. *num.* 1980. Item potest de peccatis in confessione detectis, si ita necessarium, aut utile videatur, cum pœnitente loqui in sequentibus confessionibus, quando iterum sustinet personam Christi, eundem pœnitentem admonere de defectu in confessione priori commisso, repræsentare gravitatem relapsus &c. ut communis DD. admittit.

69 Dub. 3. an notitia peccati, in confessione accepta, uti liceat in gubernatione, aliisque actibus externis, concernentibus pœnitentem v. g. aliquid ei negando? Affirmant hoc quidem non pauci magni nominis DD. quòd talis usus in pœnitentis commodum cedat, quin ullo modo diffametur, aut suspectus reddatur, sive peccatum exprobretur. Sed esto, ex usu isto notitiæ nullum pœnitenti sequatur detrimentum, vel nota apud alios, est tamen hic usus tacita quædam exprobratio peccati in confessione aperti, ita, ut fideles, si intelligerent, talem usum notitiæ esse licitum facilè ab usu hujus Sacramenti absterrerentur. Hinc meritò negativam tenent Sylv. *V. Eucharistia* 3. *n.*7. Navar. *Man. c.*21. *n.*55. Sanch. *l.*3. *de Matr. D.*16. *n.*3. Coninck *D.*9. *dub.*4. *num.*6. *&* 69. Delrio *l.*6. *Disquis. Mag. sect.*2. Bonac. *D.*5. *q.*6. *sect.*5. *p.*4. *à n.* 14. Laym. *l.*5. *tr.*6. *c.*14. *n.*22. Dian. *tr.*4. *res.*46. Palao *p.*19. §. 3. *n.* 20. Lugo *D.*23. *n.* 126. Stoz *n.* 254. Vviestner *hic num.* 103. la Croix *tom.* 7. *num.* 1977. ob Decretum *Clementis VIII. editum* 26. *Maii* 1594. quo serio cavetur, ne Superiores Regularium, vel Confessarii, ad istorum gubernationem promoti; notitia ex confessione accepta ad externam gubernationem ullo modo utantur. Ante quod Decretum Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Societatis Jesu *Instruct.* 5. *& Ordin. comm. cap.* 21. severè prohibuit introductionem, & praxin doctrinę, permittentis usum notitiæ ex confessione acceptę.

Et hinc violati sigilli reus est 1. Episcopus auferens alicui Officium à nutu suo pendens, Collator non conferens Beneficium, Patronus non præsentans, Elector non eligens ad Prælaturam, cujus administrationem Ecclesiæ, vel Monasterio damnosam, aut animabus periculosam ex qualitate peccatorum, sibi in S. Tribunali expositorum, fore cognoscit. 2. Superior ad impediendam continuationem peccati alicujus sibi subditi Regularis seris muniens fores, obstruens fenestram, diligentius visitans locum, per quem illum ex Monasterio furtive egredi consuevisse ex sola ejus confessione novit. 3. Parochus S. Eucharistiam, vel assistentiam, aut benedictionem nuptialem etiam privatim negans ei, quem ex confessione novit ad Sacramentum illud indispositum, vel propter obstans impedimentum Canonicum ad Matrimonium contrahendum inhabilem esse. 4. Sacerdos dimittens furacem famulum, peccandi materiam, vel occasionem eidem subtrahens, vel etiam ad timorem Dei, vitiorum fugam, Virtutis studium ferventius exhortans eum, quem vitiis deditum novit ex sola ipsius confessione. Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.*16. *n.*3. *&* 4. Laym. *c.*14. *à n.*14. Bonac. *p.*4. *à n.* 14. Palao §. 3. *cit.* Stoz *à n.* 250. Vviest. *n.* 104. la Croix *tom.* 7. *n.* 1963. 1976. *&* 1977. 70

Contrà notitia ex confessione hausta confessarius moveri potest ad fundendas preces, & pia opera peragenda pro conversione, & salute animæ pœnitentis, ad investiganda media, & modos eum juvandi, ad legendos libros, & consulendos viros doctos, seque in scientia perficiendum, ad rigorem suum corrigendum, seque pœnitentis genio magis conformandum, ad complicem melius examinandum, ita tamen cautè, ut nullatenus iste possit advertere, quòd confessarius ipsius examinandi ansam ex alterius confessione sumpserit. Imò si confessarius novit ex confessione Titii, sibi à Sempronio parari insidias, poterit non exire domo, etsi alias exiturus esset; & si cognoscat sibi præparatum venenum, poterit non accipere poculum, in quo illud sibi novit præparatum esse. Sanch. *loc. cit. nu.* 4. Laym. *num.* 21. Palao *n.* 18. Lugo *D.* 23. *n.* 101. Stoz *n.* 248. Vviestner *n.* 105. Ratio est, quia his actionibus nullum incommodum, molestia, aut pudor affertur pœnitenti, ut ex earum licito usu Sacramentum Pœnitentiæ difficilius, aut exosum reddatur. 71

Dub. 4. an violati sigilli reus sit confessarius, revelans peccatum sibi in confessione detectum, si peccatorem non nominet, & absit periculum omne ipsius manifestandi? Affirmat Abb. *in c. omnis* 12. *hoc tit. num.* 7. ductus textu *cap. cit.* ubi non solum prohibetur, ne Sacerdos verbo, aut signo, aut quovis alio modo prodat peccatorem, sed etiam additur, quod si peccatum in Pœnitentiali Judicio sibi detectum præsumpserit revelare, plectendus sit pœnis ibi præscriptis. 72

Sed oppositum melius tenent S. Thom. *dist.* 21. *citat. quæst.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. Sylv. *V. Confessio* 3. *nu.* 2. Navar. *in can. Sacerdos* 2. *de Pœnit. dist.* 6. *n.* 75. *&* 78. Fagnan. *in cap. officii* 9. *hoc tit. n.* 26. Vviestner *nu.* 107. Ratio est, quia cessante causa, cessat effectus, ut habet communis Regula; atqui causa finalis, cur prohibitum sit revelare peccatum in Confessione detectum, est, ne prodatur peccator, & sic fideles absterreantur à confessione Sacramentali, ut patet ex *cap. cit. vers. caveat;* & hæc causa cessat, si ita cautè confessor revelet peccatum, ut inde in peccatoris notitiam veniri non possit; ergo tunc cessat prohibitio revelationis peccati. 73

Conf. quia peccata ipsa sine expressione personæ non cadunt sub Sigillum confessionis; nam Sigillum confessionis est Juris Divini, ita, ut nemo præter pœnitentem in illo dispensare possit, ut docent communiter TT. & Canonistæ; atqui circa revelationem peccati dispensat Concilium Generale *c. cit.* & statuit, licere Sacerdoti consilii causa revelare alteri peccatum; quod in confessione audiit; igitur dicto *cap.* solum prohibetur revelatio peccati in confessione auditi per ordinem, & relationem ad confitentem, quando scilicet ita revelatur peccatum, ut exinde etiam is, qui peccavit, noscatur; talis autem non est, cum e. g. aliquis dicit: *Tale, vel tale peccatum mortale audivi in Confessione:* imò etiam viri graves talia solent dicere absque scrupulo, teste Navar. *loc. cit.* 74

Salu-

75 Salubriter tamen monent citt. DD. cautè admodum, & rarissimè utendum hac manifestatione, tum quia in Jure unicus casus necessitatis consilii approbatus invenitur; tum vero quia quantacunque adhibeatur cautela, & nullum adesse videatur periculum manifestandi pœnitentis, aliquando tamen circumstantiæ eundem aperiunt: proinde expedit etiam à manifestatione solius peccati abstinere extra necessitatem petendi consilium.

76 Dub. 5. cui Virtuti adversetur violatio Sigilli Sacramentalis? Resp. adversatur Religioni simul, & Justitiæ: Religioni quidem; quia injuriosa est ipsi Sacramento Pœnitentiæ, illud fidelibus onerosum reddendo; Justitiæ autem; quia injuriosa, & damnosa est ipsi pœnitenti, ad cujus famæ, & existimationis læsionem tendit, & obligationem inducit ita sacrilegè læsam reparandi. Suar. *D.* 33. *de Pœnit. sect.* 1. *num.* 13. Coninck *D.* 9. *dub.* 1. *pr.* Fagund. *de* 2. *Præc. Eccl. l.* 6. *cap.* 1. *n.* 2. *&* 6. Bonacin. *D.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *p.* 1. *n.* 4. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 19. §. 1. *n.* 2. Lugo *D.* 23. *n.* 4. Vviestner *hic n.* 108. *&* 109. Et hoc verum probabilius est etiam casu, quo alias, seclusa ratione Sacramenti, ad Secretum naturale pœnitenti servandum Confessarius non teneretur; quia confessio implicitè involvit pactum inter pœnitentem, & Confessarium de Secreto servando omni casu, quo id servandum est ex Institutione Divina hujus Sacramenti, quod pactum tali casu violatur. Suar. *loc. cit. n.* 14. Lugo *n.* 16. Vviest. *n.* 109.

77 Estque violatio hæc peccatum ex genere suo mortale, quamvis ex imperfectione actus, sive ob defectum deliberationis, & advertentiæ rationis possit esse veniale, imò aliquando vacare omni culpa. Vviestner *n.* 110. An vero veniale esse possit ob parvitatem materiæ, dubitari potest, si scilicet veniale tantum peccatum pœnitentis revelatur, & nullo signo manifestatur, quod notitia ejus habeatur ex Confessione; nam tali casu propter levitatem rei non infertur grave nocumentum pœnitenti. Verum hæc ratio bene quidem probat, violationem Sigilli posse reddi peccatum veniale quoad malitiam injustitiæ, interim tamen manebit peccatum grave adversus Religionem, ut bene notant Navar. *in can. Sacerdos cit. n.* 39. Henriq. *l.* 6. *c.* 19. *nu.* 3. Suar. *sect. cit. num.* 12. *& sect.* 3. *num.* 1. Coninck *D.* 9. *n.* 24. Laym. *l.* 5. *tr.* 6. *cap.* 14. *num.* 1. Bonac. *p.* 1. *num.* 4. Palao §. 1. *num.* 12. Lugo *n.* 7. Gobat *Exper. tr.* 7. *nu.* 834. Vviest. *hic n.* 111. *&* 112. la Croix *tom.* 7. *num.* 1937. Ratio est, quia fractio Sigilli etiam per revelationem alicujus levissimi peccati in gravissimam Sacramenti Pœnitentiæ irreverentiam cedit, quod illud odiosum reddat, & homines ab ejus usu retrahat.

78 Neque ad hoc, ut peccatum alterius, in Confessione rescitum, cum manifestatione peccatoris aperiri aliis possit, ullo casu, & pro quocunque bono, totaque Rep. ab ingenti malo temporali, vel spirituali liberanda dispensari potest ab ipso etiam Summo Pont. ut contra Altissiodor. *l.* 4. *Summ. tr.* 6. *c.* 3. *q.* 7. teste P. Vviestner *num.* 113. habet unanimis sententia omnium alicujus nominis TT. id desumentium ex communi Ecclesiæ sensu, & perpetua traditione. *Ratio est*, quia si ad peccati alicujus, ex sola Sacramentali Confessione cogniti, revelationem dispensari posset, hoc ipso homines multis casibus absterreri possent ab usu, & integritate Sacramenti sibi tam necessarii, cum timere possent, ne Confessarius habeat, vel impetraturus sit dispensationem ad manifestationem alicujus sui peccati.

79 Dub. 6. quæ sit pœna Sacerdotis violantis Sigillum? Resp. est depositio ab omni Officio Sacerdotali, & veteri quidem rigore præterea patria, & alia stabili mansione interdictus, cogebatur perpetuò peregrinari *can. Sacerdos* 2. *de Pœnit. dist.* 6. Quia verò hæc vagandi necessitas cedere videbatur in opprobrium Ordinis Ecclesiastici, cum tempore ei suffecta est perpetua pœnitentia, in arcto Monasterio peragenda *c. omnis* 12. *hoc tit. vers. caveat*. Nunc verò, postquam etiam detrusio in Monasterium à Curiarum Ecclesiasticarum usu recessit, Sigillum Sacramentale violantes condemnantur ad perpetuos carceres, triremes &c. Pœna autem, quæ facto ipso incurratur, huic crimini sancita in Jure reperitur nulla, ut putant Fagund. *Præc. Eccl.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *n.* 2. Palao *tract.* 23. *D. un. p.* 19. §. 1. *n.* 13. Lugo *de Pœnit. D.* 23. *n.* 147. Vviest. *num.* 116. Reiffenstuel *num.* 4. Putarunt quidem aliqui relati à Suar. *D.* 33. *de Pœnit. sect.* 8. *n.* 2. fractione Sigilli Irregularitatem contrahi. Sed melius cum eodem Suar. *loc. cit.* id negant Fagund. *loc. cit. n.* 3. Lugo *n.* 146. Vviest. *n.* 117. la Croix *tom.* 7. *n.* 1999. quia hoc Jure expressum non reperitur.

Ut verò pœnis prædictis locus sit, DD. exigunt. 1. ut Sacri Sigilli violator sit Sacerdos; nam pœnæ *n. præc.* relatæ *can. Sacerdos*, *& c. omnis vers. caveat citt.* tantum statuuntur violationi Sigilli, à Sacerdote attentatæ; & hinc si alius Clericus, vel Laicus Sigillum violet, non ordinariæ, sed arbitrariæ pœnæ, quæ tamen secundum qualitatem excessus exasperari potest, obnoxius est. Suar. *D.* 33. *sect.* 8. *num.* 2. Lugo *n.* 147. Vallens. *hic* §. 13. *n.* 6. Vviestner *num.* 318. Reiffenstuel *num.* 5. 2. ut revelet peccatum; nam si aliud quidpiam, quod sub Sigillum cadit, in Confessione defectum revelet, e. g. defectum natalium, vel aliud quidpiam pœnitenti ignominiosum, arbitraria solum, multo tamen graviori pœna, quam violans Secretum naturale, puniri debet. Dian. *p.* 5. *tr.* 11. *res.* 51. Vviestner *num.* 119. Reiffenstuel *num.* 6. 3. ut peccatum revelet alteri; nam si ipsi pœnitenti objiciatur, cùm hæc objectio propriè revelatio non sit, iterum locus erit extraordinariæ duntaxat pœnæ. Granad. *de Sacram. contr.* 11. *tr.* 11. *D.* 8. *n.* 3. Vviestner *n.* 120. Reiffenstuel *num.* 8. 4. ut peccatum revelet præsumptuosè *vers. caveat cit.* ibi, *Qui præsumpserit revelare*; nam si ex ignorantia, vel inadvertentia, hoc faciat ut fere solent, qui animi secreta produnt in delirio, somno, vel ebrietate, cum talis locutio humana plerumque non sit, non erit ulli, vel saltem non ordinariæ fracti Sigilli pœnæ obnoxius. Stoz *Trib. Pœnit. l.* 2. *qu.* 4. *nu.* 277. Vviestner *n.* 121. Reiffenstuel *n.* 7. 80

Dub. 7. quis sit Judex in causa fractionis Sigilli? Videtur de hac cognoscere posse Judex Sæcularis exemplo Jacobi I. Arragonum Regis, qui Episcopo Gerundensi sacrilegè linguato linguam à tergo extrahi, & Senatus Tholosani, qui Sacerdotem hujus criminis reum in furcam agi, & cadaver ejus igne cremari jussit, ut de priore testis est Aldrete *l.* 2. *Eccl. Discip. cap.* 19. *nu.* 2. de posteriore Raynaud. *Frat. Spirit. Hist.* 13. *Sed dicendum*, communi Jure spectato, Judex competens in causa fracti Sigilli est tantum Ecclesiasticus. Fagund. *de* 2. *Præc. Eccl. l.* 6. *c.* 7. *n.* 1. Lugo *D.* 23. *n.* 148. Gobat *Quinar. tr.* 5. *n.* 200. Vviestner *n.* 122. Reiffenst. *n.* 9. quia hoc casu tam reus, quam ipsa ratio causæ, quæ natura sua Spiritualis, & Ecclesiastica est, à Jurisdictione Judicum Sæcularium omnino eximitur. Unde ad exempla in contrarium allata dicendum, id factum fuisse; vel quod hi Judices delegatam à Pontifice authoritatem habuerint, vel quia Clericus reus antea degradatus ipsis pro supplicio exequendo est traditus; alias id factum fuisset eum violatione Libertatis Ecclesiasticæ. 81

An vero causa violati Sigilli deferenda sit ad Inquisitores, controversia est? Affirmant aliqui, quod enormitas irreverentiæ Sacramento illatæ delinquentem de Hæresi suspectum reddat. Sed melius Molfes. *tr.* 7. *c.* 23. *a n.* 68. Bonac. *D.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *p.* 1. *fin.* Palao *tract.* 23. *D. un. p.* 19. §. 1. *nu.* 14. Dian. *p.* 4. *tract.* 8. *res.* 92. Lugo *D.* 23. *n.* 148. Pignatell. *tom.* 7. *Consult.* 54. *n.* 6. discussionem causæ istius judicialem adstruunt judici Ecclesiastico, cui tanquam Ordinario suo reus subjectus est; neque enim S. Inquisitionis Officium in hujusmodi causis se intromittere solet, testibus *Dian. Lug. Pignatel. citt. Excipitur*, si revelatio qualificata, ejusque præsumptioni Hæresis admixta sit. Qualificata autem ad hunc effectum censetur, quando non præcisè ex malitioso Sacerdotis affectu, sed ex pravo ejus sensu in rebus fidei provenit, ut si is negaret, Pœnitentiam esse Sacramentum, vel huic annexam silentii obligationem; si verbo, aut facto ostenderet, eam obligationem esse parvi pendendam; si crimen istud admisisset sæpius, aut alias esset improbæ, & de Hæresi suspectæ conversationis &c. DD. citt. 82

Dub. 8. quando judex adversus Sacerdotem Sigilli violati reum possit procedere? *Certum est*, procedere adversus eundem posse, si licentiam ad hoc ipsi concedat pœnitens, cujus peccatum, in Sacro Tribunali cognitum, sacrilegè proditum est, alias enim tolleretur omnis processus judicialis circa hoc crimen, & pœnæ adversus istud statutæ, utpote per sententiam infligendæ, locum non haberent, nisi in eo, qui ultro confiteretur hoc crimen à se commissum. 83

Controversia est, an adversus violatorem Sacri 84

Sigilli

Sigilli procedere Judex Ecclesiasticus possit etiam sine pænitentis licentia? In negativam inclinat P. Gobat *tr.* 5. *Quinar. a n.* 182. & *in Append. ad hunc num.* 182. & *seqq.* & videtur sequi ex *n.* 63. ubi dixi, omnes illos obligati Sigillo Sacramentali, ad quos notitia peccati, à Confessario præsumptuosè revelati, pervenit, ita, ut sine pœnitentis, cujus peccatum revelatum est, licentia non possit uti illa notitia, uteretur autem ista notitia delator, qui denuntiaret hoc crimen, testes, qui de Sigillo fracto deponerent, Judex deferentem examinans, ipse Sacerdos sponte, vel ad interrogationem Judicis delictum suum confessus &c. ergo &c.

85 Sed etsi sententia ista verisimilis sit, vera tamen videtur affirmativa, quam sequitur Stoz *Trib. Pœnit. l.* 2. *q.* 4. *à n.* 288. Vviestn. *hic n.* 128. Reiffenstuel *ibid. num.* 11. Ratio est 1. quia necessitas licentiæ à pœnitente obtentæ ad instituendum Processum neque ex institutione Divina, neque ex definitione Ecclesiæ, vel traditione PP probatur, imò eam licentiam non requiri, satis constat ex *can. Sacerdos* 2. *de Pœnit. dist.* 6. & *c. omnis* 11. *V. caveat h. tit.* ubi pœna Depositionis, & perpetuæ Pænitentiæ statuitur, absque ulla mentione de pænitentium licentia requirenda. 2. B. Petro, & Successoribus à Christo tradita est omnis potestas necessaria, & valde conducens ad rectam fidelium in utroque foro gubernationem, ac proinde etiam facultas independens à licentia cujuscunque privati, procedendi adversus criminosos, delictorum publicè scandalosorum, Spirituali animarum bono, & Sacramentorum reverentiæ adversantium reos: tale delictum autem est violatio Sigilli Sacri, ergo &c. 3. violatio Sigilli est crimen publicum, utpote Sacrilegium, conf. infert non tantùm injuriam privatam pænitenti, sed publicam Sacramento, & Ecclesiæ, atqui privatus, licèt injuriam sibi illatam possit remittere, non tamen potest impedire voluntate sua Judicium, & punitionem publicam, ergo &c. 4. per delationem, inquisitionem, & processum adversus reum violati Sigilli promovetur potiùs reverentia Sacramenti, & observantia illius, tanquam per medium aptissimum ad finem hunc obtinendum. atqui nulla Lex excludit media, quibus ferè unicè obtineri observantia ipsius potest, vel illorum mediorum usum in arbitrium subditorum refert. 5. denique si opus esset licentia pænitentis ad instituendum processum adversus violatorem Sigilli, sequeretur impunem, tutumque fore ab omni pæna illum, qui defuncti alicujus peccata, quantumcunque gravissima, à se in Confessione rescita, coram pluribus, & tota communitate propalaret; nam tali casu adversus ipsum ex defectu licentiæ, à pænitente non amplius obtinibilis, nullus amplius institui posset processus, vel quæstio. Sequela ista per se videtur absurda esse. ergo &c.

86 Ex quo patet ad Argumentum contrarium; dicendum enim, quòd dogmatis illius generalitas non comprehendat casum, quo notitia, ex Sacramentalis Sigilli fractione profecta, unicè adhibetur, tanquam medium ad tuitionem reverentiæ Sacramento debitæ, & ad conservationem illius, ac redintegrationem, atque ad potestatem Ecclesiæ in violatores pro aliorum exemplo necessarium, & ordinarium.

87 Dub. 9. an, & qualis probatio sit necessaria, ut procedi possit adversus violatorem Sigilli? Resp. si Sacerdos delictum hoc suum ultro confitetur in Judicio, Denuntiator, vel Accusator relevatur à probandi onere *arg. l. generaliter* 13. *C. de non nu. pecun.* & dictum est *Lib.* 2. *Tit.* 18. *n.* 20. Si verò Sacerdos id negat, probatio incumbit accusanti, vel denunrianti: quæ propter Sacrilegii istius, natura sua ferè secreti, enormitatem, fieri potest etiam per testes singulares, ita, ut, sufficienter probatus intelligatur, si unus testis deponat, hoc tempore, vel loco peccatum, aliquod à Confessario revelatum, alius alio, aut si unus dicat, ab ipso revelatum hoc peccatum, alius aliud. Tann. *tom.* 4. *D.* 6. *quæst.* 9. *num.* 122. Stoz *Trib. Pœn. l.* 2. *q.* 4. *numer.* 281. Vviest. *hic num.* 133. Reiffenstuel *ibid. num.* 18. Conf. si per hujusmodi testes, vel aliter probatum sit crimen istud, & reus pro sui defensione nihil opposuerit, perinde ut confessus, obnoxius erit pænis violati Sigili. Vviestner *num.* 130.

88 Dixi, *Si nihil opposuit;* nam si Exceptionem aliquam Sacerdos, de crimine hoc incusatus fecerit, spectanda est qualitas hujus Exceptionis; potest enim pro sui defensione allegare, sibi peccatum hoc in Confessione non apertum, sed alia via innotuisse, & potest dicere, se revelationem istam fecisse cum pænitentis licentia. *Si primum*, Sacerdos incusatus tenetur ostendere, qua via, & modo id cognoverit; in qua probatione si defecerit, ob revelationis, quæ explorata est, temere factæ præsumptionem, quæ tali casu contra ipsum militat, plectendus erit, sed quia de Sacrilegio non est convictus, extraordinaria duntaxat pæna. Abb. *in c. omnis* 12. *h. tit. n.* 26. Sylv. *V. Confessio* 3. *n.* 5. Palao *tr.* 23. *D. un. p.* 19. §. 1. *num.* 11. Lugo *D.* 23. *n.* 151. Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 54. *nu.* 12. Vviestner *num.* 131. Reiffenstuel *n.* 7. & 13.

Si secundum, cum Lug. *loc. cit.* Vviestner *numer.* 132. 89
Reiffenstuel *n.* 14. & 15. distinguendum est, an accusator sit ipse pœnitens, vel alius tertius. *Si ipse pœnitens*, licentiam ab hoc sibi datam probare debet Confessarius; quia est facti quæstio, quæ ab allegante probari debet: unde hoc casu ad licentiæ sibi datæ probationem, suique purgationem Confessario deferendum Juramentum, & huic præstito acquiescendum est: imò, ut Dian. *p.* 5. *tr.* 11. *res.* 52. Vviestner *nu.* 132. *vers. non malè*, Reiffenst. *num.* 16. notant, si revelatio pœnitenti, aut ejus complici parum, aut nihil damni afferat, & Confessarius sit vir prudens, vitæque, & famæ integræ, standum est ejus assertioni simplici, & non juratæ, contra inficiationem pœnitentis. Secus, si pœnitens sit probatæ vitæ, eique, vel tertio revelatio graviter damnosa sit. Vviestner, Reiffenstuel *l. citt.* Cæteris tamen paribus in dubio potius Confessario, quàm pœnitenti credendum; quia in factis, quæ ad Officium ejus spectant, & aliter sciri non possunt, præsumptio est pro Judice. Vviestn. *l. cit.* Reiffenst. *n.* 17. la Croix *tom.* 7. *n.* 1989.

Si verò accuset aliquis tertius, accusatori incumbit pro- 90
bare, licentiam non esse datam à pœnitente, propter præsumptionem militantem pro Confessario, qui tamdiu præsumitur vir bonus, & nihil deliquisse contra Sigillum, quamdiu contrarium non probatur *capit. un. de Scrutin. capit. final. de Præsumpt.* & *l. meritò* 51. *ff. pro Socio.*

§. II.

De Pœnitentia, prout est Satisfactio pro peccato.

SUMMARIUM.

91 *Pœnitentia alia est Publica, alia Privata.*
92 *Publica alia Solemnis, alia non solemnis.*
93 *Differentia inter istas.*
94 &c. *Qualis Pœnitentia imponenda sit pro peccatis publicis?*
98 &c. *Qua pœna plectatur occisor Presbyteri?*
101 &c. *Quæ sit pœna Medici, non monentis ægrotum de Confessione facienda?*
103 &c. *Quid sentiendum de muliere, quæ prolem ex adulterio suscepit, vel alienum partum inscio marito supposuit?*
108 &c. *An ista crimen manifestare teneatur saltem proli spuriæ, vel supposititiæ?*
112 &c. *Ad quid teneatur adulter?*

Quæritur 1. quotuplex sit Pœnitentia hoc sensu ac- 91
cepta: Resp. duplex est, Publica, & Privata. *Publica* est, quæ imponitur, & peragitur pro manifestis peccatis juxta *c. manifesta* 1. *h. tit. Privata* est, quæ imponitur peccatis arcanis in actu Sacramentalis Confessionis, & privatim etiam peragitur.

Publica alia est Solemnis, alia non solemnis. *Publi- 92
ca, & solemnis* est, quæ olim injuncta fuit initio Quadragesimæ, servatis certis ritibus, & solemnitatibus, quæ exprimuntur *can. in capite* 64. *dist.* 50. *Non solemnis* dicitur illa, quæ fit publicè, & in facie Ecclesiæ, non tamen cum prædictis solemnitatibus Jure præscriptis, veluti cum injungitur alicui peregrinatio cum pera, & baculo benedictis. Prior non amplius in usu est hodie; sed nec olim imponi poterat Clericis, nisi depositis, & quidem sine spe restitutionis *can. Sacerdos* 2. *de Pœnit. dist.* 6. & *ibi* Gloss. *V. peregrinando*, *can. confirmandum* 65. *dist.* 50. *can. Presbyter* 12. *dist.* 81.

Differunt inter se Pænitentia publica solemnis, & 93
non

non solemnis. 1. quia solemnis tantum ob graviora peccata, quæ Communitati, & Reip. toti scandalosa, & perniciosa erant, imponebatur *can. placuit 68. dist.* 50. non solemnis imponebatur pro peccatis gravioribus quidem publicè admissis, sed talibus tamen, ex quibus non ita grave scandalum ortum fuerat *can. de pœnitentibus* 17. *de Consecr. dist.* 3. 2. Pœnitentiam Solemnem tantùm Episcopus injungere poterat *c. accedentibus* 15. *de Privil.* non solemnem verò etiam simplex Sacerdos *c. ministerium* 2. *de Offic. Archipresbyt.* 3. Solemnis, ut dictum est *n. præc.* initio solùm Quadragesimæ, non solemnis quovis anni tempore fiebat. 4. prior semel tantum in vita peragi poterat *canon. si quis* 61. *dist.* 50. ad non solemnem verò sæpius quis admittebatur. 5. non solemnis indistinctè Laicis omnibus imponi poterat; solemnis verò conjugatis non nisi consensu conjugis *can. fin. caus.* 33. *q.* 4. 6. solemniter pœnitentes fiebant infames; non ita fiebant infames, qui publicam, sed non solemnem agebant pœnitentiam. Porro hæc infamia incurrebatur non ratione pœnitentiæ, quæ infamiæ causa esse non poterat, sed ratione propalati, & promulgati criminis. Et hujus Infamiæ effectus erat, ut sic pœnitentes nec ad Ordines promoveri, nec in susceptis ministrare potuerint *can. illud* 66. *dist.* 50.

94 Quæritur 2. qualis Pœnitentia imponenda sit pro peccatis manifestis, & publicis? Publicam imponi præcipit *c. manifesta* 1. *h. tit.* ibi, *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.* Ex altera verò parte non videtur hoc bene statutum in universali; nam peccatorum correctio ex eorum gravitate, non autem ex eo est æstimanda, an publicè, an privatim commissa sint; sic enim pro peccatis venialibus, etsi palam admissis, nunquam tamen Pœnitentia publica imponitur; & sæpe gravius crimen est, quod occultè committitur. igitur videtur non rectè in præsenti statutum esse absolutè, ut peccata manifesta sine discrimine corrigantur per pœnitentiam publicam.

95 Sed defendenda tamen est assertio *c. manifesta citat.* & dicendum, extra Confessionem Sacramentalem saltem, si publica peccata corrigenda occurrant, imponendam pro iis Pœnitentiam publicam. Probant assertionem hanc etiam alii textus Juris Canonici *can. si peccaverit* 19. *caus.* 2. *q.* 1. *can. si quis* 31. *caus.* 23. *q.* 4. *canon. fin. caus.* 15. *q.* 5. *can. ego* 42. *de Consecr. dist.* 2. Confirmant etiam complura Concilia, Rhemens. 2. *can.* 31. Arelat. 2. *can.* 26. Carth. *can.* 45. & maximè Trid. *sess.* 24. *c.* 8. *de Reform.* Assentiuntur DD. Covar. *l.* 2. *var. c.* 10. Bellarmin. *tom.* 2. *contr. l.* 1. *de Pœnit. c.* 21. & 22. Cellotius *l.* 2. *de Hierarch. c.* 18. Gonzal. *in cap. manifesta cit. n.* 2. Pirhing *hic num.* 2. Engl *ibid. n.* 1. Nec ratione caret decisio; nam præcipuus finis pœnarum est, ut ipsi rei emendentur, & alii exemplo terreantur. ad hunc finem autem plurimum conducit Pœnitentia publica, si peccatum fuit publico omnibus scandalo. igitur rectè statuitur, ut peccata publica, publica correctione emendentur, ut ita populus, qui ob peccatum scandalum passus est, videat illud non impunitum manere, & in eo, in quo scandalum passus est, pœnitentiæ agnoscat exemplum.

96 Dixi autem in Responsione, *Extra Confessionem Sacramentalem saltem*; nam pro peccatis, in Confessione Sacramentali auditis, etiam publicis, nisi pœnitens tacitè, vel expressè consentiat, non potest injungi à Confessario Pœnitentia publica. Ita Navar. *in can.* 1. *de Pœnit. dist.* 6. *n.* 87. & *seq.* & *in Man. c.* 8. *n.* 10. Ratio est, quia tali facto Confessarius significaret, pœnitentem sibi gravia peccata confessum esse, & sic indirectè revelaret confessionem. Unde cùm *c. manifesta cit.* & in *Trid.* dicitur, manifestis peccatis publicam Pœnitentiam imponendam, id intelligendum est non de Sacramentali Pœnitentia, sed de ea, quæ in foro externo imponitur. Interim tamen Confessarius etiam in foro conscientiæ obligare potest, & debet publicum peccatorem, ut etiam publicè se ostendat emendatum: imò aliquando oportebit, absolutionem eò usque differre, ut ita tollatur scandalum. Porro quæ in hoc foro Conscientiæ imponenda sit Pœnitentia; quæ ejus imponendæ obligatio in Confessario, exequendæ in pœnitente, item quis sit ejus effectus, à quo, & quomodo commutari possit, ad alia properans, Theologis tractandum relinquo.

97 *Ad rationem dubitandi* allatam *n.* 94. licèt atrocitas, & gravitas delicti attendatur ad pœnam injungendam, tamen quoad modum Pœnitentiæ publicæ, seu privatæ tantùm inspicitur scandalum, seu notorietas peccati: unde primis Ecclesiæ temporibus non tantùm, qui graviora peccata commiserant, verùm etiam, qui minora fecerant, si publica illa erant, Pœnitentiam publicam peragebant, ut testis est Cyprian. *Epist.* 47. Quod de peccatis venialibus additur, nihil obest; semper enim Ecclesia ea peccata ut levia excutiebat, & ita ob illa Pœnitentiam publicam nunquam indixit.

Quæritur 3. qua pœna plectatur occisor Presbyteri? 98
Resp. hæc præscribitur *c. qui Presbyterum* 2. *h. tit.* & est triplex. 1. ut pœnitentiam agat duodecim annis v. g. jejunando certis diebus in hebdomada, peregrinando, vel aliud opus Pœnitentiæ exercendo arbitrio prudentis Confessarii.

2. Ut privetur in perpetuum cingulo militari: quibus 99
verbis Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 6. Gibalin. *de Censur. in Synops. V. Homicidium*, & alii putant: significari, occidenti Presbyterum juberi, ut arma non ferat, nec inter milites numeretur. Gonzalez verò *in c. qui Presbyterum cit. n.* 3. putat, majorem pœnam his verbis contineri, & hujusmodi Homicidæ non tantùm prohiberi delationem armorum, sed potius, ne ulla deinceps munera Reip. seu Sæcularia obeat: & dat rationem; quia militare in SS. Canonibus sæpe pro negotio, curationeque Reip. usurpatur, & militiæ cingulum suscipere, vel deponere significat munera seu officia Reip. suscipere, vel deserere.

3. Præterea is, qui occidit Presbyterum, privabatur 100
facultate contrahendi Matrimonium, & cogebatur ducere vitam solitariam, ut sic ne nomen quidem suum per hæredes, & sobolem à se susceptam ad posteritatem transmitteret. Sed hoc impedimentum Matrimonii, & tota pœna ista jam consuetudine abrogata est: cui nunc successit Excommunicatio major, & Irregularitas, quæ per ejusmodi occisionem facto ipso incurritur. Imò etiam, cùm adhuc vigebat hic pœnitentiæ modus, Sacerdos, ut Vivian. *in c. manifesta cit.* notat, mitigare pœnam hanc poterat, & imponere leviorem, vel si peccatoris contritio tanta fuisset, eundem absolvere absque injunctione alicujus Pœnitentiæ exterioris.

Quæritur 4. quæ sit pœna Medici, non monentis ægro- 101
tum de Confessione facienda? Medicis corporum præcipitur *cap. cùm infirmitas* 13. *h. tit.* ut cùm ad infirmos in lecto jacentes vocantur, ante omnia ipsos moneant, & inducant, ut Medicos animarum advocent, iisque confiteantur: & ibidem sancitur, ut si quis Medicus hanc Constitutionem post publicationem illius transgressus fuerit, tamdiu ab Ecclesiæ ingressu arceatur, donec satisfecerit competenter. Decretum hoc innovavit *S. Pius V. Mot. propr.* incipit *Super Gregem Dominicum edito* 8. *Mart.* 1566. & addidit, ne Medicus ultra tertium diem ægros visitet, nisi Confessarius ex justa causa longius tempus concedendum infirmo judicet. 2. ad infirmum non redeat, nisi eidem per fidem Confessarii in scriptis factam constiterit, infirmum peccata sua confessum fuisse. 3. præcipit idem Pontifex Universitatibus, & Collegiis, ut cum licentiam medendi alicui concesserint, aut ad Doctoris Gradum promoverint, exigant ab eo Juramentum hæc servandi; alioquin perpetuam infamiam incurrant, & è Medicorum Collegio ejiciantur, Graduque Doctoratus priventur, addita pœna arbitraria à Judice imponenda. Verum hæc Bulla in Provinciis nostris vel nunquam fuit usu recepta, vel jam per desuetudinem est abolita, ut notant Vvagnereck *Exeg. c. cum infirmitas cit.* Vviest. *n.* 13. *hic*, & *alii*.

Ubi viget Constitutio hæc, notandum 1. locum il- 102
lam habere solum, quando morbus est periculosus, vel ubi dubium est, ne sit periculum mortis. Navar. *Man. c.* 25. *n.* 61. Neque obest, quòd *c. cum infirmitas cit.* morbi in genere, non periculosi tantùm mentionem faciat; nam etsi fortè explicatio hæc textui sit conformior, tamen, ut Pirhing *hic n.* 17. advertit, contrarium receptum in praxi est. 2. monitio hæc fieri debet vel per ipsum Medicum, antequam medicinas applicet, vel per alium e. g. Parochum, aut aliquem ex domesticis, aut qui ei inservit: & ita Constitutionem illam receptam, & observatam esse testatur Navar. *l. c.* 3. si infirmus post monitionem factam confiteri nolit, non ideo deserendus est à Medico; quia videtur esse contra ordinem Charitatis, non subvenire ægro in ea necessitate, qui fortè desperans

obibit,

obibit, vel si Medicus eum non deserat, fortè convalescet, & resipiscet, obstinatione deposita.

103 Quæritur 5. quid sentiendum de muliere, quæ prolem ex adulterio suscepit, vel alienum partum inscio marito sibi supposuit? De hac celebris est decisio Innocentii III. *c. officii 9. h. tit.* ubi Legato suo consulenti rescribit, tali mulieri, etsi factum hoc ex metu gravis mali, quod à marito sibi imminet, manifestare nolit. Pœnitentiam tamen non esse denegandam. *Sed hinc oritur dubium.* an ergo uxor teneatur marito manifestare, quod prolem ex adulterio susceperit, vel alienam per fraudem supposuerit? *Ratio dubitandi* est, quia nisi factum manifestet, proles spuria, vel supposititia, simul cum veris prolibus adibit hæreditatem patris putatitii, sicque pars, quæ huic cedet, decet reliquis. Atqui istud ne fiat, cavere uxor tenetur; alias censebitur ad damnum eorum concurrisse. igitur tenebitur prodere. 2. si esset aliqua ratio, ob quam excusaretur ejusmodi uxor à manifestanda fraude sua, vel delicto, esset, quia timeretur scandalum inde oriturum. atqui, ut *reg.* 3. *de R. J.* dicitur, *utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* 3. testis, qui falsum deposuit adversus innocentem, juxta communem DD. tenetur retractare mendacium, & famam innocenti restituere, etsi hoc facto periculum gravissimæ infamiæ, imò etiam Talionis incurrat, si aliter famam alterius reparare nequeat. ergo nec mulierem hanc excusabit infamiæ, & vitæ periculum.

104 Sed his non obstantibus, dicendum, quòd ejusmodi uxor regulariter non teneatur ad manifestandam prolem spuriam, vel supposititiam, cum vitæ, aut etiam infamiæ gravis periculo. Ita Scot. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. Sylv. *V. adulterium n.* 2. Abb. *in c. officii 9. h. tit. n.* 5. Navar. *Man. c.* 17. *à n.* 88. Covar. *reg. peccatum p.* 1. *pr. nu.* 3. *& 6.* Gutier *qq. can. l.* 1. *c.* 38. *n.* 9. Molin. *D.* 102. *n.* 9. Vivian. *in c. officii cit.* Fagnan. *ibid. n.* 7. *&* 8. Pirh. *hic n.* 21. Vviest. *ibid. n.* 137. Sumitur ex *c. officii cit.* ubi Innocentius III. mulieri, adulterinam, vel supposititiam pro mariti prole alenti, pœnitentiam, & absolutionem Sacramentalem non denegat ex eo, quòd viro suo crimen suum recuset detegere, licèt eo non detecto, marito in bonis aliena proles succedat. debuisset autem ipsi negari absolutio, si obligaretur ad criminis sui revelationem cum vitæ, aut famæ gravi periculo faciendam; nam ei, qui facere renuit, ad quod in conscientia tenetur, tanquam non rite disposito, Sacramentalis absolutio impertienda non est. ergo &c.

105 *Ratio* autem est 1. quia ex duobus malis minus est eligendum *can. duo* 1. *dist.* 13. atqui non revelando minus causatur malum, quàm revelando scelus, & fraudem; quodsi enim sileat, & non manifestet, liberi legitimi patiuntur periculum rerum; si revelet, ipsa subit periculum aut vitæ, aut famæ, quod utrumque est nobilius bonis externis. ergo &c. 2. si quis habeat rem alienam, & hanc restituere nequeat, nisi cum damno, vel periculo bonorum ordinis superioris, non tenetur restituere, ut habet communis doctrina, & teste Gutier. *l. c. c.* 38. *n.* 10. passim recepta. atqui bonum famæ, & vitæ sunt bona superioris ordinis, quàm sint bona fortunæ juxta illud: *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Prov. 22. ergo cum periculo famæ, aut vitæ non tenetur uxor manifestare fraudem, & sic damnum arcere ab aliis. 3. in extrema necessitate vitæ constitutus, pro ejus conservatione potest retinere, imò & accipere, & absumere alienum; nam in tali casu necessitas facit omnia communia. atqui eadem est ratio famæ, quæ vitæ, cùm ignominiæ metus major, quam mortis sit *l. isti* 8. *ff. quodsi* 2. *ff. quod met. caus.* igitur & mulier hæc jacturam, & periculum fortunarum alienarum permittere poterit, neque cum gravissimo aut vitæ, aut famæ periculo manifestare tenebitur crimen, aut fraudem suam. 4. obligatio manifestandi crimen hoc, vel fraudem esset nimis difficilis, & valde noxia; nam adultera incurreret gravissimum odium apud maritum suum, & infamaret non tantùm se, sed etiam adulterum, & ipsam prolem, quæ publicè habetur pro legitima. igitur prudenter creditur obligatio ejusmodi non esse imposita. 5. manifestatio hæc, præter hoc, quòd causa esset ad perpetuas vexationes, exprobrationes, dissensiones, rixas, domesticorum odia, aliaque incommoda, quæ sæpe faciunt vitam morte ipsa acerbiorem, ferè nihil afferret commodi; quia non facilè uxori etiam hoc afferenti crederetur, cùm præsumptio Matrimonii stet pro filio *l. filium* 6. *ff. de his, qui sui, vel alien. Jur.*

106 Dixi *Regulariter;* quia non desunt casus, quibus obligatur ad manifestationem criminis. 1. si uxor aliàs sit malæ famæ, & de adulteriis graviter infamata; tunc enim, si sine periculo corporis, aut vitæ manifestare crimen potest, tenebitur illud manifestare. Gutier. *l. cit. n.* 28. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 10. *n.* 57. Vviestner *hic num.* 139. & alii post Innoc. *in c. officii cit.* 2. si maritus sit vir prudens, & probus, ut ab eo delicti venia facilè impetranda prævideretur. Gutier. *n.* 26. Less. *n.* 58. Vviest. *l. cit.* 3. si ageretur de successione in Regno, vel Ducatu, cui spuria, vel supposititia proles propter Hæresin, vel perditos mores grave damnum allatura meritò timeretur: tunc enim uxor crimen suum, si fidem illius possit facere, manifestare tenebitur, etiam cum periculo famæ, aut vitæ suæ; quia horum jactura est damnum privatum, quod cedere bono communi debet. Less. *n.* 54. Molin. *tr.* 3. *de Just. D.* 101. Laym. *l.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 14. *num.* 1. cum aliis. 4. quandocunque damna, quæ ex adulterio, vel partus suppositione legitimus mariti hæres est accepturus, prudentis arbitrio multò majora sunt iis, quæ ex criminis detectione uxorem manerent, v. g. si hæredi maximæ æstimationis patrimonium, aut majoratus ex suppositione, vel adulterio, ex istorum autem manifestatione uxori solius famæ, non etiam vitæ jactura timenda esset: nam tali casu ad criminis sui revelationem tenebitur, si fidem ejusdem legitimè possit facere; quia licèt fama sit altioris ordinis bonum, quàm res fortunæ, seu temporales, jactura tamen maximæ æstimationis bonorum temporalium in communi hominum æstimatione multò gravior, & acerbior est, quàm famæ, quæ ex adulterii manifestatione uxorem manet, sicut gravior est jactura maximæ quantitatis argenti, quàm exigua auri, etsi aurum secundùm se multò pretiosius sit argento. Covar. *l. cit. num.* 6. *§. sed si.* Sot. *l.* 4. *de Just. q.* 7. *art.* 2. Molin. *n.* 12. Contrarium tamen hoc casu sustinet Navar. *Man. c.* 27. *n.* 89. Gutier. *l. cit. n.* 27. tum propter *c. officii cit.* indistinctè loquentis generalitatem, tum propter rationes allatas pro sententia communi.

107 Sic limitatæ assertioni non obstant argumenta *numer.* 103. opposita. *Ad* 1. non tenetur uxor successionem prolis spuriæ, aut supposititiæ impedire cum tanto suo damno; nam damnum vitæ, & famæ, ut dictum est, est bonum altioris ordinis. *Ad* 2. Regula *ibi* allegata intelligenda est de scandalo passivo, præsertim Pharisaico, h. e. non dato, sed accepto ex opere bono, quod potiùs permittendum est, quàm relinquatur veritas. Deinde non procedit de omni veritate, sed de ea tantùm, quæ est necessaria ad salutem, qualis respectu uxoris non est revelatio criminis occulti. Potest etiam, ut benè ex *Innoc.* explicat Pirh. *num.* 21. intelligi de veritate Justitiæ; nam Judex, vel testis in Judicio, ad quos pertinet veritatem dicere, propter nullum scandalum possunt illam dimittere, ita, ut non rectè Judex judicet, & testis juret. atqui ex ejusmodi taciturnitate adulterii, vel suppositionis non periret veritas Justitiæ; nam talis mulier solùm esset accusatrix vel denuntiatrix criminis, non autem Judex, vel testis: constat autem aliunde, quòd cum gravi suo damno nemo teneatur ad accusandum, vel denuntiandum. *Ad* 3. non est paritas cum teste, quia huic retractatio non graviorem, nec in altioris ordinis bonis constitutam jacturam affert, quàm falsa depositio innocenti.

108 Quæritur 6. an crimen adultera, vel quæ partum alienum supposuit, manifestare debeat saltem proli spuriæ, vel supposititiæ? *Ratio dubitandi est*, quia tenetur compensare, aut impedire damnum, quod inde maritus, & hæredes illius legitimi patiuntur, si hoc compensare, vel impedire absque graviori, & majori bonorum suorum jactura possit. atqui potest, si in secreto proli spuriæ, vel supposititiæ manifestet, eique suadeat, ut à putatitii patris hæreditate abstineat, & hoc quidem potest absque periculo vitæ, aut famæ suæ; nam proles spuria crimen maternum, eò, quòd illud in suam etiam infamiam redundet, potius silentio celatura, quàm vulgatura creditur. ergo &c.

109 Sed distinguendum est: Vel enim uxor hujusmodi habet bona propria, ex quibus marito, & aliis ejus liberis, vel hæredibus damnum compensare valet, vel non habet talia bona, quæ ad damni compensationem sufficient,

Si primum, eo casu sufficiet, si tantum de suo legitimis hæredibus donet, vel relinquat, quantum spuriæ, vel suppositiitiæ proli ex bonis mariti accedit; nec tenebitur revelare suum crimen Fagn. *in c. officii cit. n.* 28. Vvieftner *hic num.* 141. Ratio est, quia si manifestare suum crimen teneretur, teneretur ob eum finem, ut impediret damnum mariti, vel hæredum illius. atqui tantum dando, vel relinquendo jam sufficienter cavetur horum indemnitati. ergo &c. Casu autem, quo marito mortuo filius Spurius, aut Suppositiitius jam adiit hæreditatem patris putatitii, & adultera nescit, ad quem bona mariti alias fuissent perventura, eò, quòd filios maritus ex ea non susceperit, ipsa tantundem debitor erogare in pauperes, quantum Spurius, vel suppositiitius ex hæreditate accepit; quia tunc sunt bona incerta ex delicto, quæ secundùm communem in pauperes, vel alias causas pias erogari debent. Pirh. *n.* 21.

110 *Si secundum*, videndum, an possit proli spuriæ, aut suppositiitiæ probare suum crimen, & speret, se ab hac obtenturam fidem, & secretum, an verò non. *Si prius*, tenetur proli spuriæ, vel suppositiitiæ crimen aperire, & suadere, ut hæreditati renunciet, vel Clericalem, aut Religiosum, præsertim Mendicantium Statum suscipiat; hoc enim suadet ratio *suprà* allata, & ex communi docet Less. *c.* 10. *cit. nu.* 47. Fagnan. *nu.* 27. Vvieftner *numer.* 141. *Excipe*, si revelatio hujusmodi sine gravi periculo revelantis fieri non possit; nam si timerentur inde oritura gravia scandala, & damna corporis, vel animæ, tacere deberet, & procederet ratio *suprà* allata, quòd ex duobus malis minus sit eligendum.

111 *Si posterius*, & mulieri nec facultates suppetant, ex quibus damnum compensare occulta possit, nec argumenta habeat, quibus Spurio, aut suppositiitio crimen suum satis probare possit, vel si probare id quidem eidem possit, sed ab hoc sperare secretum nequeat, rectius silebit, & dolebit de peccato cum proposito satisfaciendi, cùm primùm poterit: & ratio est, quia tali casu frustra crimen revelaret, cùm ei, præsertim turpitudinem suam alleganti, filius credere, & hæreditate abstinere non teneatur, utpote existens in possessione filiationis tamdiu, donec ipsi probetur contrarium *cap. per tuas* 10. *de Probat.* Neque fidem mater faciet, etiamsi crimen Juramento testetur filio, nisi alia simul argumenta afferat, quæ dubium tollant; quia nemo unius tantùm, etiam fide digni, & minimè suspecti testimonio, etiam jurato, in sui præjudicium tenetur credere. Accedit, quia si simplex, aut etiam jurata matris assertio liberos posset à possessione filiationis dejicere, periculum foret, ne subinde ob amorem in unam, & odium in aliam prolem proles etiam legitimè procreata arceretur à successione. Abb. *in c. per tuas cit. n.* 9. Felin. *n.* 16. Gonzal. *num.* 8. Vvieftner *num.* 142. Unde etiam sequitur, quòd si ejusmodi fœmina, aliunde ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè disposita, accederet Confessionale, & confiteretur hoc crimen, absolvi debeat, imposita ei competente Satisfactione, seu Pœnitentia, etiamsi crimen marito, aut filio revelare nollet; nam ita decernitur *c. officii cit.* & docent Host. *hic V. tenetur*, Navar. *c.* 16. *n.* 47. Fagn. *n.* 17. Pirhing *n.* 22. Suadebit tamen eo casu Confessarius ejusmodi fœminæ, ut emolumenta mariti, & filiorum legitimorum, quibus modis potest, promoveat, sumptus consuetos minuat, labori, si talis conditionis sit, ut labore manuum vitam toleret, instet vigilantius &c.

112 Quæritur 7. ad quid teneatur adulter? Resp. cum distinctione: Vel enim hic ex assertione adulteræ, aliisque sufficientibus argumentis rationabiliter persuadet sibi, aut persuadere debet, prolem ex se esse genitam, vel in utramque partem probabiliter dubius est, utrùm ex se sit genita, vel ex marito adulteræ. *Si primum*, in conscientia obligatur ex Justitia, cùm hoc potest, restitutionem imprimis facere patri putatitio pro expensis, quas ille fecit ad alendam, vel dotandam prolem non suam: deinde compensare tenetur damnum, quod per hoc factum est reliquis ejusdem Liberis, aut hæredibus legitimis per intrusi illegitimi successionem. Sylv. *V. adulterium n.* 7. Navar. *c.* 16. *cit. n.* 43. Less. *l.* 2. *de Just. c.* 10. *n.* 42. & 45. Molin. *tr.* 3. *D.* 10. *n.* 3. Laym. *lib.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 14. *n.* 2. Gutier. *c.* 38. *n.* 38. Vvieftn. *n.* 146. Ratio est, quia adulter damnorum istorum causa moralis fuit eo ipso, quòd voluntariè exercuerit actum, ex quo suapte natura prolis generatio sequi solet, ut plurimum conjuncta cum damno mariti, & legitimorum ejusdem Liberorum. Rectè tamen monet Laym. *l. cit.* adulterum sæpe excusari ab obligatione ista compensationis damnorum, & 1. quidem, si deficiant ipsi media ad compensandum *l. nam is* 6. *ff. de dol. mal.* 2. si compensatio ab eo fieri nequeat sine gravi aut vitæ, aut famæ periculo. 3. si facta sit compensatio ab adultera, aut credatur facienda &c.

Si secundum sit, & adulter dubitet, an proles ex se, an ex marito sit genita, variant DD. Sot. *l.* 4. *de Just. q.* 7. *art.* 2. Navar. *c.* 16. *cit. n.* 49. Less. *c.* 10. *n.* 19. Gutier. *n.* 36. eo casu absolvunt adulterum ab obligatione aliquid restituendi, vel compensandi. *Rationem* dant, quia nemo tenetur solvere, & re sua se spoliare, priusquam ostendatur debitor. *Confirmat* doctrinam hanc Sententia Medicorum, qui testantur, casu, quo concurrunt diversa semina, generationem fieri ex semine consueto, atque adeo ex mariti. *Contrarium* defendunt Molin. *D.* 103. *cit.* Laym. *num.* 3. & alii, qui putant, saltem pro ratione dubii resarciendum damnum esse: & probant ex naturali æquitate, quæ suadet, ut cùm dubium sit inter maritum adulteræ, & adulterum, uter eorum sit pater prolis, uterque contribuat secundùm proportionem probabilitatis, & non unus eorum omnia alimenta præstare teneatur, & alter nihil. *Conf.* quia si constet delictum admissum esse, & dubium sit, an damnum, quod postea ortum est, secutum sit ex delicto, vel non, præsumptio esse solet contra nocentem, seu delinquentem, ita, ut ipsi incumbat probatio, quòd ex actione sua damnum non sit secutum, si actio illa talis fuit, ut sequi ex illa damnum tale consueverit: & ratio est, quia in dubia causa potiùs favendum est innocenti, quàm nocenti. 113

Ego judico, utramque sententiam in praxi esse probabilem: probabilior, sistendo saltem in foro conscientiæ, videtur altera ex allatis rationibus. Dixi, *sistendo in foro conscientiæ*; nam in foro externo, nisi probari legitimè possit, quòd proles sit suscepta ex adulterio, præsumitur legitima, & hoc in favorem prolis, & Matrimonii: atque hinc eo casu adulter ad alimenta præstanda hujusmodi proli cogi non potest à Judice. 114

Ad Argumentum contrariæ sententiæ dici potest, neminem teneri spoliare se re sua, & debitum solvere, si ipse sit in possessione immunitatis à solutione; non verò si adversùs ipsum sit præsumptio, ita, ut eidem incumbat onus probandi, se immunem esse, uti contingit in casu nostro. *Ad Conf.* testimonium Medicorum solùm probat, quòd filius in dubio se legitimum reputare possit, non autem, quòd etiam adulter ab obligatione compensandi saltem ex parte damnum se possit excipere; nam innocentia, & favor filii omni jure id meretur, ut legitimus censeatur, donec demonstretur esse illegitimus, ac proinde à possessione legitimatis ob dubium dejici non debet *arg. Reg.* 65. *in* 6. at verò adulterum constat causam injustam fuisse, ut maritus alimenta præbeat filio, tanquam certo, & indubitato, qui tamen reipsa dubius est: quod damnum, cùm pretio æstimabile sit, marito compensari debet. 115

§. III.

De Indulgentiis.

S U M M A R I U M.

Indul-

INdulgentiæ ad *Remissiones* pertinent, de quibus alteta Rubricæ pars; nam duplex Remissionum genus in Ecclesia est, unum culpæ, quod maximè fit per Absolutionem Sacramentalem; alterum pœnæ, quod extra Sacramentum fit per Indulgentias. De priori extra ea, quæ hactenus dicta sunt, nihil attinet ulteriùs addere; de posteriori.

116 Quæritur 1. quid sint indulgentiæ, & quàm antiquus earum usus? Resp. *Indulgentia*, ut hoc loco, & ex communi fidelium usu nomen istud accipitur, est *relaxatio pœnæ temporalis, pro peccatis actualibus remissis debitæ, per applicationem meritorum Christi, & Sanctorum*. Læl. Zecch. *tr. de Indulg. cap.* 1. *num.* 7. Layman *lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 1. *num.* 1. Pirhing *hic n.* 37. Konig *nu.* 22 Vviestner *ibid. n.* 147. la Croix *tom.* 6. *num.* 1301. *Resp.* 1. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de delict. cap.* 3. *n.* 274. Usus Indulgentiarum in Ecclesia antiquissimus est, prout Bonifacius VIII. *Extrav.* 1. *in cap. comm. hoc tit.* & Conc. Trid. *sess.* 25. *in Decret. de Indulg.* declarat, & ex traditione, ac continuo usu Ecclesiæ, priscorumque PP. & Conciliorum testimoniis ostendunt Bellarm. *lib.* 4. *de Pœnit. cap.* 3. Suarez *D.* 49. *sect.* 2. *de Pœnit. &c.* Imò indulgentiarum usum ab ipsis Apostolis derivatum verisimiliter colligit idem Suarez *loc. cit. num.* 3. ex 2. *Corinth.* 2. *v.* 10. ubi Apostolus incestuosum, quem corpore quidem absens, præsens autem Spiritu 1. *Corinth.* 5. *v.* 3. excommunicatum pœnis Ecclesiasticis subjecerat, Spirituali clavium potestate absolvit, pœna etiam temporali, quæ remanserat remissa, prout indicant verba, ibi, *Sufficit illi, qui hujusmodi est, objurgatio hæc*, & infra, *Nam & ego, quod donavi, siquid donavi, propter vos in persona Christi*, ubi *Chrysost. Theophylact. Theodor. Oecumen. Ambros.* & alii expositores advertunt, Paulum usum fuisse verbo significante liberalem remissionem, & condonationem, hancque veram, Indulgentiam & per potestatem à Christo datam fuisse, Suarez colligit ex verbis, *In persona Christi*.

117 Quæritur 2. quotuplex sit Indulgentia? Resp. variæ sunt ejus partitiones, 1. enim ratione effectus dividitur in Totalem, & Partialem. *Totalis*, quæ etiam *Plenaria* dicitur, est per quam simpliciter tota pœna, in Purgatorio pro peccatis luenda, remittitur. *Partialis*, seu *non plenaria*, per quam solùm remittitur aliqua pars pœnæ in hac, vel in altera vita exsolvendæ. Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 3. *num.* 1. Engl *hic num.* 13. Konig *n.* 23. Vviestner *n.* 151. la Croix *tom.* 6. *n.* 1391. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. c.* 3. *n.* 281. *Posterior*, seu *Partialis* alia est indeterminata, alia determinata. *Indeterminata* est, quando conceditur remissio tertiæ, vel quartæ partis pœnarum debitarum; nam cùm in diversis subjectis debita sint inæqualia, pro qualitate illorum effectus remissionis inæqualis erit, & respectu unius major, respectu alterius minor. *Determinata* verò, quando conceditur remissio pęnæ in determinata aliqua quantitate, e. gr. decem, aut centum annorum, unius, aut plurium Carenarum, Quadragenarum &c. Dicitur autem *Carena* à *Carentia*, & erat olim pœnitentia sustinenda per jejunium in pane, & aqua per 40. dies; *Quadragena* autem erat pęna, quæ per Quadragesimam subiri debebat; unde, quando in Bullis Pontificum dicitur, quòd detur Indulgentia Carenæ, Quadragenæ &c. sensus est, remitti tantam pœnam, quanta deletur per pęnitentiam 40. dierum &c. Palao *loc. cit. num.* 2.

118 2 Dividitur indulgentia ratione eorum, pro quibus indulgentiæ conceduntur; nam aliæ dantur *pro vivis*, & per modum absolutionis, aliæ *pro defunctis*, & per modum suffragii, seu solutionis. Nam Papa, cùm in animas Defunctorum Jurisdictionem non habeat, non potest dare illis indulgentias per modum Jurisdictionis eas absolvendo à pęnis; sed solùm hæ ipsis applicantur per modum Suffragii, dum ab alio vivo præstantur opera pro Indulgentia requisita, & hæc offeruntur Deo tanquam solutio pretii adjunctis precibus, ut illam misericorditer acceptet, & pęnam temporalem animabus, in Purgatorio detentis, remittat. Suarez *disp.* 53. *sect.* 2. *n.* 4. & *sect.* 3. *n.* 15. Coninck *disp.* 12. *dub.* 10. Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 5. *n.* 3. Palao *loc. cit. p.* 10. *num.* 2. Vallens. *hic* § 20. *n.* 1. *v. longè*. Vviestner *ibid. n.* 154. la Croix *tom.* 6. *n.* 1315. Magnif. P. Schmier *c.* 3. *cit. n.* 283 *Quærunt* hic aliqui, an indulgentiæ, pro defunctis concessæ, habeant effectum certum, & infallibilem, an verò tantum prosint secundùm liberalem, & congruam Dei acceptantis voluntatem? Infallibilem esse negant *Richard. Durand. Cajet. Cordub. Can. Petr. de Sot. Henriq. Laym. Bonacina &c.* Affirmant *S. Thom. Dom. Sot. Navar. Suar. Valent. Coninck, Benzon.* quorum sententiam veriorem existimat Palao *loc. cit. num.* 4. & deducitur ex Bulla *Leonis X. ad Cajetan.* in qua æqualiter, & absolutè tum vivis, tum defunctis promitti videtur liberatio à pœnis.

3 Dividitur indulgentia in Personalem, Localem, 119
& Realem. *Personalis est*, quæ per se, ac directè personis conceditur sine determinatione ad certum locum, vel rem materialem. *Localis*, quæ certo loco affixa est v. g. Ecclesiæ, Altari &c. *Realis*, quæ rei certæ, ut rosario, numismati, crucibus, &c. Palao *loc. cit. p.* 3. *n.* 13. Konig *hic nu.* 25. Vviestner *nu.* 152. la Croix *n.* 1313. Schmier *n.* 282. cum aliis.

4 Dividitur in Perpetuam, & Temporalem. *Prior* durat, donec revocetur, vel intereat res, aut sine spe reædificationis destruatur locus, cui directè concessa est. *Posterior* datur ad certum tempus, eoque exacto finitur. Vviestner *n.* 153. Schmier *n.* 284.

Quæritur 3. quis possit concedere indulgentias? Resp. 120
1. ex plenitudine potestatis *Summus Pontifex* concedere potest indulgentias cujuscunque generis. *Extravag. unigenitus* 2. *int. comm. hoc tit.* nam à Christo generalem accepit potestatem dispensandi Thesaurum Ecclesiæ. Palao *tr.* 24. *disp. un. part.* 5. *nu.* 1. Vallens. *hic* § 21. *num.* 1. Engl *nu.* 16. Konig *num.* 27. Vviestner *num.* 150. & 156. la Croix *tom.* 6. *n.* 1317. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de delict. cap.* 3. *num.* 277. 2. *S. R. E. Cardinales* concedere indulgentias in Ecclesiis sui Tituli possunt ad 100. dies; sed hoc non Jure communi, sed speciali, scilicet ex privilegio, ut Bolognet. *de Indulg. n.* 21. vel ex Jure non scripto, & consuetudinario, ut Zoes. *hic n.* 10 Gobat *de Indulg. num.* 55. la Croix *nu.* 1321. advertunt; 3. *Legati Sedis Apostolicæ*; quanta verò circa hoc potestas iisdem comperat, quia Jure communi expressum non est, ex usu, & commissione, sive Litteris Legationis desumi debet. Communiter dare possunt indulgentias ad 100. dies. Vallens. § 21. *num.* 3. Konig *num.* 27 Vviestner *num.* 158. *v. non minorem*, la Croix *n.* 1322. 4. *Episcopi* in sua Diœcesi: & quidem isti in Dedicationibus Ecclesiarum possunt dare indulgentias unius anni, in earum anniversariis 40. dierum *cap. cùm ex eo* 14. *hoc titul.* Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 88. *num.* 14. Vallens. *loc. cit. nu.* 2. Engl *nu.* 16. Konig *n.* 27. Vviestner *n.* 157. Schmier *n.* 278. & 279. Et hæc indulgentias concedendi potestas competit Episcopis etiam non consecratis, modò confirmati sint; quia indulgentiarum concessio non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis Episcopalis. Vallens. *v.* 4. Engl *n.* 19. 5. *Archiepiscopi* tam pro sua Diœcesi (quia in hac possunt, quod Episcopi) quàm pro sua Provincia, seu pro Ecclesiis Suffraganeorum suorum, etiam extra visitationis tempus, & dum extra Diœceses ipsorum existunt; quia indulgentiarum datio est actus Jurisdictionis voluntariæ) & quidem in his concedere possunt 40. alios dies præter concessos à proprio Episcopo, ita, ut Ecclesias has visitantes 80 dierum indulgentias simul lucrentur. Suarez *disp.* 55 *sect.* 3. *num.* 7. Palao *part.* 5. *cit. n.* 8. Vviestner *num.* 158 la Croix *n.* 1321.

Contra exploratum est, quòd indulgentias dare non 121
possint, 1. *Parochi*; quia carent Jurisdictione fori externi, 2. *Capitulum Cathedrale*, *Sede vacante*; quia ad hoc tantùm devolvitur Jurisdictio necessaria, 3. *Vicarius Generalis* Episcopi, vel Capituli, Sede vacante; quia indulgentiarum concessio reservatur Dignitati Episcopali, 4. Prælati Sæculares inferiores Episcopo, nisi ex speciali privilegio, consuetudine, vel præscriptione hæc potestas sit ipsis concessa; quia de Jure communi potestas hæc ipsis concessa nusquam probari potest, 5. Prælati, Abbates, & alii Superiores Regulares, nisi similiter privilegio à Papa concesso muniti sint: quale tamen privilegium permulti illorum habent respectu subditorum suorum, ex cujus proin tenore, quanta cujusque potestas sit, desumendum est. Navar. *de Indulgent. notab.* 30. *numer.* 14. Palao *tract.* 24. *disp. unic. part.* 6. *numer.* 4. Vviestner *num.* 159.

122 Quæritur 4 quomodo Indulgentiæ concedi possint? Resp. Summus Pontifex habet quoad hoc potestatem prorsus illimitatam: unde valebunt Indulgentiæ ab ipso concessæ, cujuscunque generis illæ sint, & quibuscunque concessæ, modò ex causa justa, & rationabili concessæ sint; nam sine hac concessæ non valent, prout dicetur *infra nu.* 130. Præterea publicari non debent primò sine licentia, & approbatione Ordinarii, ut habet *textus*, *& declarat. Cardd. in Trid. sess.* 21. *cap.* 9. *de reform.* Dixi *primò*; nam Indulgentias, jam olim sibi concessas à Summo Pont. publicare Religiosi, & alii, quibus concessæ sunt, possunt, nullo verbo cum ordinariis facto. Joan. Gallemart *ad Trid. loc. citat. V. Indulgentias.*

123 Episcopis verò, & Archiepiscopis variè potestas hæc limitata est. Et 1. quidem quoad quantitatem Indulgentiæ; nullus enim inferior Pontifice, seclusa Papæ delegatione, dare potest Indulgentias plenarias, sed tantùm partiales, & limitatas ad certum tempus, e. gr. 100. aut 40. dierum. Estque concessio, si ultra limites statutos sit, ipso Jure nulla quoad excessum *cap. Romana* 1. *& cap. fin. hoc tit. in* 6. Dixi *quoad excessum*; nam quoad eam partem, quæ numerum præscriptum non excedit, valet concessio; & ratio ducitur ex Regula universali, quòd utile per inutile vitiari non debeat. *Reg.* 37. *in* 6. quando pars utilis separari potest ab inutili, ut in proposito nostro est numerus dierum. Accedit, quia concessio Indulgentiarum est quædam liberalis donatio, quæ tenet pro parte, quæ quantitatem Lege statutam non excedit, licèt quoad excessum invalida sit. Glossa *in cap. fin. cit. V. non obtineant*, Joan. Andr. *ibid.* Navar. *de Indulg. notab.* 31. *num.* 16. Azor *part.* 2. *cap.* 55. *quæst.* 6. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 33. *num.* 4. Suarez *dist.* 55 *sect.* 3. *num.* 14. Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 88. *num.* 22 Layman *lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 4. *n.* 2. *fin.* Bonacina *dist.* 6. *de Indulg. qu.* 1. *p.* 3. *n.* 4. Palao *tr.* 24. *dist. un. p.* 5. *n.* 13. Vviestner *hic n.* 157. la Croix *tom.* 6. *n.* 1310.

124 2 Quoad personam, quibus concedere Episcopus Indulgentias potest; nam concedere illas tantùm subditis suis possunt. Sumitur ex *cap. quod autem* 4. *hoc tit.* Ratio est, quia *ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt*, ut dicitur *reg.* 26. *in* 6. atqui dare Indulgentias spectat ad officium proprii Episcopi; nam fungitur ibi Episcopus officio Judicis absolventis à pœna; atqui sicut ligari, ita, & absolvi nullus valet à Judice non suo, ut *cap. quod autem cit.* memorat; ergo &c. *Ex quo sequitur* 1. quòd Indulgentias in Ecclesiarum Dedicationibus &c. ab Episcopis concessas non possint lucrari extranei, qui in Diœcesi Episcopi dantis Indulgentias nec domicilium, nec quasi domicilium habent, nisi proprius Episcopus specialiter consentiat. Abb. *in cap. cit. num.* 7. Navar. *de Indulg. notab.* 31. *num.* 12. Barbos. *alleg. citat. num.* 25 Vallens. *hic* § 21. *num.* 4. Engl *num.* 17. Konig *num.* 28 Vviestner *num.* 162. Possunt tamen eas lucrari Exempti, qui intra Diœcesim Episcopi Indulgentias concedentis habitant, ne exemptio, quæ in favorem illorum est introducta, in eorum odium, & dispendium detorqueatur, contra *reg.* 61. *in* 6. *& leg. quod favore* 6. *C. de LL.* Navar. *loc. cit. n.* 13. Cockier *de Jurisd. in Exempt. quæst.* 58. *num.* 5. Palao *part.* 3. *num.* 14. Barbosa *loc. cit. num.* 27. Pirhing *num.* 47. Engl *num.* 18. Konig *num.* 28 Vviestner *num.* 164. *Sequitur* 2. nullum Episcopum, vel alium Ordinis Episcopalis Prælatum potestate ordinaria, & quæ eidem ratione Dignitatis competit, concedere Indulgentias posse pro Defunctis. Navar. *not.* 23. *num.* 4. Suarez *dist.* 55. *sect.* 3. *num.* 9. Barbosa *num.* 24. Palao *p.* 5. *num.* 9. Vallens. *num.* 3. Vviestner *num.* 157. *v. ex Papa* la Croix *tom.* 6. *num.* 1320. *&c.* & sumitur ex *c. quod autem cit.* ubi solum conceditur Episcopis quasdam Indulgentias dare subditis suis degentibus in hac vita; igitur ad defunctos hæc facultas non debet extendi. *Sequi videtur* 3. quod Indulgentias non possit lucrari is ipse, qui eas concessit; quia Jurisdictionem nemo in seipsum exercere potest. *Sed contrarium* est verissimum: S. Thom. *addit. ad* 3. *p. q.* 27. *art.* 4. Suarez *l.* 6. *de LL. c.* 12 *num.* 8 Layman *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 27. *n.* 31. Barbosa *alleg.* 88 *num.* 28. Vviestner *num.* 163. & hoc teste communiter DD. Ratio est, quia concedens Indulgentias deterioris conditionis esse non debet, quàm subditi ipsius fideles. *Conf.* nam etiam Voti relaxatio est actus Jurisdictionis, & tamen qui dispensare cum aliis in Voto potest, potest etiam secum ipso; & ratio utriusque est, quia actus Jurisdictionis voluntariæ non semper exigit distinctionem personarum.

3 Eadem potestas concedendi Indulgentias Episcopis, 125
& Archiepiscopis limitata est quoad locum; nam Episcopus dare Indulgentias solùm potest pro sua Diœcesi, Archiepiscopus per totam suam Provinciam, Sumitur *ex c. nostro* 15. *hoc tit.* Et ratio est, quia licèt Metropolitanus non habeat Jurisdictionem contentiosam in Subditos Suffraganeorum suorum, habet tamen ea, quæ sunt Jurisdictionis voluntariæ, inter quæ etiam est concessio Indulgentiarum. Idque verum est, etiamsi actu non visitet Provinciam, modò statutum *Concil. Lateran.* quoad numerum dierum pro indulgentiis concedendarum non excedat, ut dictum est *num.* 120. *fin.* Ex eadem ratione potest Episcopus concedere indulgentias pro sua Diœcesi, etiamsi in hac non actu existat; quia actus Jurisdictionis voluntariæ exerceri possunt etiam ab existente extra territorium suum. Palao *part.* 5. *num.* 17. Patriarcha, vel Primas, licèt in Episcopatu, & Archiepiscopatu, cui ipse præsidet ut Episcopus vel Archiepiscopus, possit ea, quæ possunt Episcopi, & Archiepiscopi alii, indulgentias tamen pro reto Regno, cui ipse ut Primas, vel Patriarcha præest, non potest concedere; quia extra Diœcesim, & Provinciam suam in subditos cœterarum Diœcesium extra casum Appellationis Jurisdictionem non habet. *Conf.* ex *cap. nostro cit.* ubi pro solo Archiepiscopatu legitur concessio facta.

Quæritur 5. an facultas concedendi indulgentias pos- 126
sit obtineri consuetudine. Negant Turrecr. *in* §. *item in Levitico post can. qui aliquando* 87. *dist.* 1. *de Pœnit.* Navar. *de Indulg. notab.* 31. *num.* 7. Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 4. Cordub. *de Indulg. quæst.* 10. *propos.* 11. *dub.* 1. Suarez *D.* 55. *sect.* 4. *num.* 3. *Rationem* dant, quia cùm potestas hæc se extendat ad tollendas pœnas Deo debitas, acquiri nequit sine voluntate ipsius Dei aut supremi ejusdem in terris Vicarii; vel igitur Summus Pontifex scit, & tacitè approbat, ejusmodi consuetudinem; & tunc non ex vi consuetudinis tantùm, sed potius ex vi taciti consensus potestas illa acquiritur; vel nescit Papa; & tunc actualiter consentire non potest, cùm ignorantis nullus sit consensus. *Conf.* à paritate cum consuetudine, qua à subdito acquiratur libera electio Confessarii sine licentia proprii Episcopi, quæ consuetudo reprobatur *c. si Episcopus* 2. *hoc tit in* 6.

Sed melius affirmativam tenent Glossa *fin. in c. acce-* 127
dentibus 12. *de Excess. Prælat.* Abb. *ibid. nu.* 2. Palud. *in* 4. *dist.* 38. *qu.* 4. *art.* 4. *concl.* 4. Sanchez *l.* 4. *mor. c.* 38. *n.* 21 Layman *lib.* 5. *tr.* 7. *c.* 4. *n.* 4. Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 6. *n.* 6. Gobat *de Indulg. n.* 79. Vviestner *hic n.* 160. Nam & potestas dispensandi in Votis, ac Juramentis per consuetudinem ab inferioribus Prælatis acquiri potest, cùm tamen Dispensatio ista etiam solvat animas in foro Dei, ac proin competere possit nemini sine voluntate Christi, aut ejus in terris Vicarii.

Neque obstat, quòd Papa nesciat in specie, & in 128
particulari talem consuetudinem; quia sufficit, quòd id velit, & consentiat vi generalis Legis, per quam approbantur consuetudines bona fide præscriptæ. *Ad Conf.* illatio ad diversa non est legitima, præsertim quando ratio est diversa, prout est in proposito; nam facultate eligendi Confessarium sine licentia Episcopi frangitur, aut relaxatur nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ, & subditus subtrahitur obedientiæ sui Pastoris; quod non fit potestate concedendi indulgentias.

Quæritur 6. an ad indulgentias concedendas requi- 129
ratur causa justa, & rationabilis? *Certum* est causam justam requiri saltem ab honestatem concessionis. Patet ex *Extrav. Unigenitus* 2. *inter comm. hoc tit. vers. quem quidem* ibi, *Ex proprii & rationabilibus causis.* An verò justa causa requiratur etiam ad valorem concessionis, dubitari potest. Et *ratio dubitandi* est, quia multa prohibentur, quæ tamen si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem *c. ad Apostolicam* 16. *de Regular. Conf.* paritate cum dispensatione in Lege Jejunii, absolutione ab excommunicatione, & remissione aliarum pœnarum, quæ si factæ sint sine justa, & rationabili causa, licèt illicitè, validè tamen fiunt.

Sed dicendum, esse invalidam concessionem indulgen- 130
tiæ

tiæ sine causa factam etiam à Papa. Ita contra Palud. in 4. dist. 21. q. 4. art. 1. ferè omnes DD. & inter hos S. Thom. in Supplem. q. 23. art. 2. S. Bonav. in 4. dist. 20. p. 2. artic. 1. q. 6. Sot. dist. 21. q. 2. art. 2. Cajet. de Indulg. tr. 9. q. 1. & tr. 15. c. 4. q. 1. Navar. de Indulg. notab. 15. n. 17. Valent. tom. 4. D. 7. q. 20. p. 4. pr. Suarez D. 54. sect. 2. nu. 3. Coninck D. 12. dub. 6. Layman l. 5. tr. 7. c. 5 n. 1. Bonacina D. 6. de Indulg. q. 1. p. 4. n. 1. Palao tr. 24. D. un. p. 7. n. 1. Vallens. hic §. 23. n. 1. la Croix tom. 6. n. 1316 Magnif. P. Schmier p. 1. de Delict. c. 3. nu. 286 & 287. Ratio est, quia Papa non est dominus, sed dispensator thesauri Ecclesiæ, unde sumuntur Indulgentiæ; dispensator autem non potest sine causa disponere de rebus domini; alias esset dissipator. Conf. ex c. cum ex eo 14 hoc tit. ubi Innocentius III. reprobat Indulgentias indiscretas, & superfluas. Ex quo patet ad Rationem dubitandi, & Confirmationem adjectam, nam Dispensatio in jejunio &c. est relaxatio obligationis, vel pœnæ pendentis à voluntate Papæ.

131 Porro causa hæc debet esse à generali illa liberationis à pœna temporali distincta; nam alias semper adesset causa sufficiens concedendi quasvis Indulgentias, cuivis, & quovis momento, quod communi fidelium & Orthodoxorum DD. sensui adversatur: Palao loc. cit. n. 1. v. quod si dicas la Croix tom. 6. n. 1305 Resp. 2. In specie causæ dandi Indulgentias sunt exaltatio Ecclesiæ, conversio infidelium, hæresum extirpatio, propagatio Fidei Christianæ, Concordia Principum Christianorum, reformatio vitæ, morumque emendatio, excitatio ad studium devotionis, & virtutis obsequiorum, & meritorum remuneratio, Spirituale solatium animarum, & similes aliæ, non solum publicum, sed privatum etiam bonum spectantes. Palao n. 8. Debet autem hæc causa esse proportionata Indulgentiæ juxta prudentis arbitrium; aliàs ex ea parte, qua Indulgentia causam excedit, concessio censeretur facta absque causa rationabili, & sic ipsa Indulgentia quoad excessum evaderet indiscreta, & superflua. Cajet. de Indulg. q. 1. & 2. Bellarm. l. 1. de Indulg. c. 12. Suarez D. 54. sect. 3. n. 5. Coninck D. 12. dub. 6. concl. 2. n. 31. Layman l. 5. tr. 7. c. 5. nu. 1. Palao nu. 3. Vviestner num. 166 la Croix loc. citat. & num. 1316.

132 Quæritur 7. quid requiratur ad lucrandas Indulgentias? Resp. 1. requiritur, ut lucrans sit baptizatus. Suar. D. 52. sect. 2. pr. Coninck D. 12. dub. 7. pr. Layman lib. 5. tr. 7. c. 6. n. 1. Bonacina D. 6. q. 1. p. 5. n. 1. & 2. Palao tr. 24. D. un. p. 8. n. 1. Vallens. hic § 24. n. 1. la Croix tom. 6. n. 1301. Resp. 3. & hinc earum capax etiam non est Catechumenus ante baptismum susceptum. Ratio est, quia Indulgentiarum concessio, si concedantur per modum absolutionis, est actus Jurisdictionis, cons. requiritur, ut is, cui conceduntur, sit subjectus potestati Spirituali Ecclesiæ, non ita autem subjiciuntur, qui Ecclesiam per baptismum nunquam ingressi sunt; ergo &c. 2. ut non sit ligatus excommunicatione majori; quia hæc privat hominem communicatione bonorum Ecclesiæ spiritualium can. omnis Christianus 32 can. canonica 107. &c. caus. 11. q. 3. Suarez D. 52. sect. 2. n. 3. & de Censur. D. 12. sect. 3. n. 7. Layman c. 6. cit. n. 2. Palao n. 5. Vviestner num. 167. 3. ut in gratia Dei sit constitutus tempore consecutionis; quia Indulgentiæ auferunt solum reatum pœnæ, & hic non aufertur sine reatu culpæ. Porro licèt consultum sit omnia opera in gratia Dei peragere, per se tamen loquendo, & nisi aliud constet de mente Indulgentias concedentis, sufficit: si opera præscripta in statu gratiæ compleantur; quia status hic potius exigitur propter Indulgentiæ effectum, quàm propter opus præscriptum. Navar. de Indulg. notab. 19. n. 17. & not. 32. n. 47. Suar. sect. 2. cit. n. 7. Layman n. 3. Palao n. 3. Gobat n. 152. Vviestner n. 168. la Croix n. 1410. 4. ut impleatur totum opus, pro Indulgentiis lucrandis præscriptum; hinc non omnia præscripta implens, easdem non lucrabitur; quia non servat formam, nec implet conditionem, sub qua concessæ sunt. Navar. not. 19. n. 17. Coninck D. 12. dub. 7. n. 38. Suarez sect. 3. n. 3. Layman n. 3. Palao p. 9. num. 1. Vallens. § 24. num. 3. Konig num. 30. Vviestner num. 169. la Croix loc. citat. Rectè tamen DD. cit. excipiunt casum, quo Indulgentiæ concessæ sunt implenti opus præscriptum, in quantum potest, sicut Extravag. Unigenitus 2. hoc tit. Jubilæi Indulgentiæ concessæ sunt arripientibus iter ad visitanda Limina Apostolorum, quamvis impediti eò nequeant pervenire.

133 An verò opera illa peragenda sint intentione lucrandi Indulgentias, dissensio est inter DD. Mihi satis certum est, & Ecclesiæ praxis docet, non exigi intentionem formalem; tum quia hanc requiri neque ex natura rei, neque ex voluntate Pontificis Indulgentiam concedentis constat; tum verò quia Indulgentiæ concedi moribundis animam agentibus, & omni sensu destitutis, iisdemque administrari Sacramentum Extremæ Unctionis solet. Palao part. 9. cit. nu. 8. Vviestner num. 170. Imò iidem DD. cum Suarez D. 56. sect. 1. num. 7. Salas D. 17. de LL. cap. 5. pr. Coninck de Sacram. D. 83. num. 166. Layman cap. 6. citat. num. 5. Card. de Lugo de Sacram. D. 27. num. 82. la Croix num. 1325. existimant, si alia intentio specialis non præscribatur, sufficere intentionem habitualem, & interpretativam, quam quilibet Christianus de salutis suæ remediis habere, & generatim velle præsumitur, ut bona opera sua prosint, quantum possunt. Ratio est, quia subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. Indulgentia autem subrogatur operibus satisfactoriis, habentibus vim satisfaciendi, & solvendi debitum, licèt quis debitum illud solvere nec formaliter nec virtualiter intendat.

134 Quæritur 8. quamdiu durent Indulgentiæ? Resp. hac in re regulare, & perpetuum dogma est, quòd earum sicut concessio, & inchoatio, ita & duratio, ac cessatio à voluntate concedentis pendeat, argum. Reg. omnis 1. de R. J. Et hinc 1. concessæ ad certum tempus, aut sub conditione, illo demum finito, & hac deficiente cessant. Navar. de Indulg. notab. 31. num. 25. Suarez D. 57. sect. 2. num. 2. Coninck D. 12. dub. ult. Palao tract. 24. D. un. part. 11. num. 1. Vviestner hic num. 872. 2. concessæ ad Beneplacitum finiuntur morte concedentis; quia beneplacitum cum vita exspirat, cap. si gratiosè 5. de Rescript. in 6. Gobat de Indulg. num. 643 Vviestner num. 173. 3. annexæ certæ rei, vel loco cessant interitu rei, cui annexæ, vel destructione loci, cui concessæ sunt, si destructio talis fiat sine spe reædificationis. Secus est, si cum spe reædificationis; nam tunc, maximè, si post destructionem non longum tempus reædificationis intercessit, eadem Indulgentia resurgit, quæ tempore destructionis suspensa est. Suarez D. 52. sect. 1. num. 8. & 9. Bonacina D. 6. quæst. 1. part. ult. num. 4. Palao loc. cit. num. 3. la Croix tom. 6. nu. 1315 4. quæcunque Indulgentiæ cessant, si à concedente, hujus Successore, vel utriusque Superiore revocentur Extrav. quemadmodum 4. & seq. int. comm. hoc tit. & docet praxis Summorum Pontt. à quibus multæ sunt revocatæ. Sylv. V. Indulgentia num. 17. Suarez dist. 57 sect. 2. num. 8. Bonacina part. ult. cit. num. 8. Palao num. 3. la Croix num. 1382. qui tamen notant, ex voluntate Papæ rationabiliter præsumpta Bullas Indulgentiarum revocatorias, publicatas Romæ, effectum in Provinciis non statim sortiri, neque Indulgentias cessare, antequam notitia revocationis factæ ad has moraliter potuerit pervenire; quia si ante ejusmodi notitiam cessarent, inde oririentur gravia incommoda, & fidelium deceptiones.

135 Extra hos modos nullus est alius, quo Indulgentiæ concessio propriè cesset, ut bene expendit Suarez dist. 52. sect. 2. Palao num. 4. Conf. 1. Indulgentia simpliciter, & absolutè concessa non perit morte concedentis; cap. si super gratia 9. de Offic. deleg. in 6. cùm sit gratia, & Beneficium Principis, quod decet esse mansurum Reg. 16. in 6. V. Sylv. Indulgentia num. 16. Navar. not. 31 num. 25. Suarez dist. 57. sect. 2. num. 6. Palao num. 4. cit. la Croix n. 1301. Resp. 3. coroll. 2. & n. 1385. Vviestner n. 174 Et hoc verum est etiam de Indulgentiis datis ab Episcopo, Archiepiscopo, & Legato Apostolico; nam ab his datæ, etiam ipsis decedentibus; vel officio cedentibus perseverant arg. cap. fin. de Offic. Legat. & ratio est, quia potestas eorum in Indulgentiis concedendis à Jure restricta est non quoad durationem, sed solùm quoad quantitatem. Suarez dist. 52. sect. 2. num. 4. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. glossa 12. num. 38. Palao part. 11. num. 4. 2. non cessat Indulgentia, cessante causa, ob quam concessa est, modò hæc à principio proportionata fuerit concessioni; quia Indulgentiæ duratio non pendet ex duratione causæ, sed propter causam tem-

pora eam Indulgentia perpetua concedi potest, sicuti Indulgentia unius anni conceditur propter dedicationem Ecclesiæ, quæ uno die finitur, Palao *num. 4. cit. vers. denique*, 3 non cessat Indulgentia, ex eo, quòd eidem loco similis concessa fuerit, nulla mentione prioris facta im impetratione; quia ob hunc defectum posterior concessio nullius est valoris juxta *Reg. 57. Cancell.* prior verò concessio perseverat salva, Suarez *num. 12*, Palao *loc. cit. v. neque etiam*.

136 Quæritur 9. quando incipiant, & cessent Indulgentiæ concessæ ad certum diem, vel certos annos, e.g. ad septennium? Resp. 1. si datæ sunt pro aliqua Festivitate, ex hodierno Stylo Curiæ Apostolicæ, incipiunt à primis Vesperis, & durant usque ad occasum Solis, seu donec Sol sub Horizonte abditus planè occubuerit, Gobat *de Indulg. num. 655.* Vviestner *hic num. 172.* 2. pro die non festo, seu feria aliqua data idem Gobat *num. 658.* existimat incipere ab in tempesta, & media nocte usque ad mediam noctem alteram; nam ita dies accipitur usu populi, & in Legibus etiam Romanis *l. more 8. ff. de Feriis*, *& cap. consuluit 24. de offic. deleg.* 3. ad certos verb. grat. vicennium, aut septennium concessis idem *num. 662.* ait inchoari à die publicationis in loco factæ, quantumvis publicatio ex justa causa ad unum, vel alterum annum post Apostolicum Breve exhibitum differatur; nisi tamen in isto exprimatur, Indulgentias ad septennium e. g. proximum valituras; tales enim ipso, quo Breve exhibitum est, anno inchoari, atque etiam, ne unus, vel alter annus intereat, publicandas monuit idem Gobat *num. 667.*

§. IV.

De Jubilæo.

SUMMARIUM.

137 *Jubilæi origo.*
138 *Tempus, quo celebratur.*
139 *Definitio.*
140 *&c. Facultates tempore Jubilæi concedi solitæ.*
143 *Ordinarium conceditur à solo Pontifice in anno Sancto.*
144 *Et incipit à Vigilia Nativitatis, duratque usque ad eandem Vigiliam anni sequentis.*
145 *Impediti Romam accedere lucrari possunt indulgentias, si peragant opera præscripta.*
146 *Quod etiam fit in extensione Jubilæi.*
147 *&c. Quænam opera præscripta sint?*
153 *&c. An Indulgentias Jubilæi sæpius lucretur, qui præscripta opera sæpius repetit?*
156 *&c. An hæc peragenda sint omnia in una, eademque hebdomada?*
159 *&c. An qui prima hebdomada omnia opera præscripta rite peregit, si in secunda commisit peccatum reservatum, aut Votum aliquod edidit, in hac secunda hebdomada ab illo absolvi, & in hoc dispensari possit?*
162 *&c. An absolvi à reservatis, & in Votis dispensari possit ille, qui opera præscripta in Jubilæo nondum peregit?*
166 *&c. Quæ Indulgentiæ suspendantur tempore Jubilæi?*
172 *&c. Quæ aliæ facultates?*
174 *Quando incipiat, & quandiu duret hæc Indulgentiarum, & facultatum suspensio?*
175 *Quid consulendum illi, qui Jubilæo ferè transacto, nondum peregit opera omnia?*

137 QUæritur 1. quid sit *Jubilæum*? Resp. *Jubilæi*, *sive Jobolæi* nomine hebræi denotabant annum quinquagesimum remissionis, quo in Lege veteri populus vacabat ab agricultura, & possessiones, seu prædia, agri, vineæ venditæ, Hypothecæ subjectæ &c. ad pristinos dominos sine pretio revertebantur, remittebantur debita, & delicta, exules in patriam, & servi in pristinam libertatem sine pretio redibant. *Lev. 15. av. 10. & Num. 36. vers. 4.* In nova Lege ad veteris imitationem eo significatur annus gratiæ, visitantibus Limina Apostolorum Petri, & Pauli concessus cum plenissima peccatorum, & pœnæ pro his promeritæ remissione, aliisque favoribus, Palao *tr. 24. dist. un. p. 12. §. 1. n. 1.* Vviestner *hic n. 177.*

Olim Jubilæum concedebatur centesimo quoque anno *Extrav. antiquorum 1. int. comm. hoc tit.* Clemens VI. autem *Extrav. 2. eod.* revocavit ad annum quinquagesimum; & denique Paulus II. ac post illum Sixtus IV. *Extrav. quemadmodum 4. eod.* reduxit ad annum vigesimum quintum; atque ita hodie servatur, ita, ut recurrente quovis anno vigesimo quinto à primis Vesperis Nativitatis Christi usque ad Vesperas primas ejusdem Festi anni sequentis per totum annum Romæ celebretur Jubilæum, omnibusque Romam ad Limina Apostolorum venientibus tribuatur plenissima remissio omnium pœnarum Divinæ Justitiæ debitarum. Atque ut affluxus iste ad Urbem fidelis populi major sit, eo anno, quo Romæ durat Jubilæum, suspenduntur omnes Indulgentiæ plenariæ per totum Orbem, ut constat ex *Extrav. quemadmodum cit. Const. Greg. XIII.* incipit. *Quoniam Sancti* apud Navar. *de Indulg. notab. 33. & Const. Innoc. X.* incipit *Cum nos nuper edita pridie Non. Maii 1649.* apud Gobat *de Jubil. in Præf.* 138

139 Definiri Jubilæum cum Lezan. *Summ. QQ. Regul. tom. 1. V. Jubilæum num. 1.* Vviestner *hic num. 178.* la Croix *tom. 6. num. 1393.* & aliis potest, quòd sit Indulgentia plenaria, à Summo Pont. concessa visitantibus certas Ecclesias, vel certa pia opera peragentibus cum facultate absolvendi à casibus reservatis, & à Censuris, vota commutandi &c. In quo differt ab aliis Indulgentiis; nam ultra remissionem pœnæ pro peccatis debitæ continet alias præterea gratias, scilicet facultatem eligendi Confessarium, approbatum ab Episcopo quemcunque, dispensandi in Votis, absolvendi à Censuris &c. Navar. *notab. 8. & 10.* Suarez *disp. 50. sect. 4. n. 8.* Palao *§. 1. cit. n. 3.* Vviestner *n. 178. cit.*

Quæritur 2. quænam facultates concedi tempore Jubilæi soleant Confessario à pœnitente electo? Resp. 1. potest absolvere à Censuris, & peccatis omnibus, etiam ordinario, & ipsi Papæ reservatis. *Excipitur* 1. si is, qui absolutionem petit, sit excommunicatus à Judice, 2. si sit excommunicatus, suspensus, aut interdictus publicè, & nominatim denuntiatus, 3. si casus sit reservatus in Bulla Cœnæ; nam nisi in Bulla Jubilæi hoc exprimatur, potestas ab his absolvendi Confessario electo non competit, ut vult Gobat *de Jubil. num. 149.* quamvis verisimiliter eam ipsi competere cum aliis affirmiter Palao *tr. 24. dist. un. p. 12. § 2. n. 9.* 140

2 Potest commutare Vota, etiam Juramento roborata, in aliud opus bonum etiam valoris aliquanto minoris, quàm sit actio Voto promissa. *Excipi* solent quinque reservata Pontifici, Castitatis perpetuæ, Religionis, & trium peregrinationum, scilicet ad limina Apostolorum Petri, & Pauli Romam, Compostellam ad S. Jacobum, & in Terram Sanctam, 2. excipitur Votum in favorem alterius factum, & ab hoc acceptatum; quia potestas tale Votum relaxandi in generali concessione non venit, sed tacitè exceptum intelligitur. Suarez *de Vot. cap. 15. n. 10.* Gobat *num. 290.* Vviestner *n. 179.* 141

3 Potest etiam opera, quæ in Jubilæo præscripta sunt, commutare in alia pia opera, saltem si hæc sint aliunde indebita, & æqualis valoris cum istis: non tamen respectu omnium, sed eorum duntaxat, qui claustro perpetuo, carcere, captivitate, infirmitate, aut alio quoque impedimento detinentur, & propterea ipsa opera in Jubilæi Bulla expressa, vel eorum aliquod peragere moraliter, h. e. sine notabili, aut magna difficultate non valent. Layman *lib. 5. tract. 7. capit. 8. numer. 12.* Gobat *de Jubil. à numer. 99.* Vviestner *num. 179.* 142

Quæritur 3 quis concedere Jubilæum possit, & quo tempore concedi soleat? Resp. Jubilæum concedi solus Pontifex, prout constat tum ex perpetua praxi Ecclesiæ, tum etiam inde, quia solus ipse concedere Indulgentias plenarias, ut dictum est *num. 123.* & cæteros favores de Jure largiri potest *capit. dilectus 15. de temp. ordin.* Glossa *ibid. V. permissa*, Innoc. *n. 2.* Abb. *num. 3.* Sanctarell. *de Jubil. cap. 3. dub. 2.* Vviestner *n. 180.* Ordinariè concedi solet in anno Sancto; extraordinariè, & extra annum Sanctum ob graves & publicas causas, & plerumque non multo post evectionem 143

ad

ad apicem Summi Pontificatus. Palao *p.* 12. *cit.* §. 3. *n.* 1. Vviestner *n.* 180.

144 Jubilæum ordinarium, sive anni Sancti, ut *num.* 138 innui, inchoatur à Vigilia Nativitatis Domini, sive apertione Portæ Sanctæ, quæ eo die fit ad initium primarum ejus festi Vesperarum, & durat usque ad finem anni sequentis, sive ad Vigiliam, primas Vesperas ejusdem Festivitatis anni sequentis, & ipsam Portæ Sanctæ reclusionem, quæ fit ad finem Vesperarum. Navar. *de Indulg. notab.* 24. Filliuc. *tract.* 8. *num.* 250. Vviestner *n.* 181. *Neque obstat*, quòd in Bullis Apostolicis indictionis diserté asseratur, id duraturum usque ad finem anni; quia secundùm *Dionysium*, cognomento *Exiguum*, annus Ecclesiasticus non à Calendis Januarii, sed à Vigilia Nativitatis Domini inchoatur; quod etiam insinuatur in ipsa Bulla Indictionis, dum vigilia Nativitatis, quæ Jubilæum sequitur, dicitur vigilia anni proximè venturi. Baron. *Martyrol. Cal. Jan.* Navar. *not. cit.* Gobat *n.* 17. Vviestn. *n.* 181 *Ex quo sequitur*, eum, qui Confessionem, & Communionem, pro lucrando Jubilæo requisitam, differret usque ad reclusionem Portæ Sanctæ, non amplius id lucraturum. Vviestner *loc. cit.*

145 Quia verò multi, ut maximè vellent, justa causa impediente ad Limina BB. Apostolorum non possunt accedere, ut sunt Sanctimoniales, Anachoretæ, Eremitæ, carcerati, infirmi, idcirco Pontifex, ipsorum etiam animabus paternè consulere volens, iisdem, qui seclusis, & cessantibus his impedimentis, eò accessuri essent, concedere solet, ut & ipsi participes fieri possint Indulgentiarum Jubilæi, & cæterarum gratiarum, juxta *Bullam Innoc. X.* 12. *Febr.* 1650. apud Gobat *à n.* 29. si verè pœnitentes, & confessi pia opera cujusvis status, & conditioni cum Romæ injunctis proportionata, Romæ à Vicario de Urbe, extra eam à locorum Ordinariis, & Superioribus Regularibus præscribenda peragant.

146 Extra Urbem pro lucrandis Indulgentiis Jubilæi tempus determinari solet ab Ordinariis post annum Jubilæi lapsum pro quo aliquando dantur duo menses, aliquando tres, aliquando unus, communiter, præsertim in Jubilæis extraordinariis, duæ hebdomadæ, h. e. quatuordecim, imò quindecim dies, ut notant Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *n.* 7. Cottonius *l.* 2. *contr.* 12. *à n.* 16. Vviestner *n.* 183.

147 Quæritur 4. quæ opera requirantur pro lucrandis Indulgentiis Jubilæi? Resp. in Jubilæi Bullis communiter præscribuntur sex, 1. Visitatio Ecclesiarum præscriptarum: Romæ quidem pro hac visitatione designantur Basilica S. Petri, S. Pauli, S. Joannis in Laterano, & S. Mariæ Majoris: & quidem Romani Cives, & incolæ, per longum tempus, v. g per annum ibi degentes, visitare templa ista debent per dies 30. continuos, vel interpolatos; forenses autem, & peregrini, per breve tempus ibi moraturi, per dies quindecim. Extra Urbem visitandæ sunt Ecclesiæ, vel Capellæ quatuor, vel tres, aut etiam una, si Papæ mens, & tenor Bullæ hoc patiatur; & hæ designantur ab Ordinario, qui si plures, quàm quatuor præscripserit, non sunt visitandæ necessariò omnes, sed tot obire sufficit, quot præscriptæ sunt Romanis; quia locorum Ordinarii conditionibus, pro lucrando Jubilæo à Papa præscriptis, non possunt aliàs addere. Gobat *n.* 126. Vviestn. *n.* 184. la Croix *tom.* 6. *n.* 1407.

148 2 Oratio vocalis, & devota ad intentionem Papæ v. g. pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, extirpatione hæresum concordia Principum Christianorum, pro salute populi Christiani, pro impetranda Summo Pontifici gratia ad rectè gubernandam Ecclesiam universalem. Diana *p.* 1. *tr.* 11. *res.* 33. Card. de Lugo *de pæn. D.* 27. *n.* 85. Vviest. *n.* 185 cum aliis. Si exigatur in Bulla Oratio *per aliquod temporis spatium*, sufficiunt quinquies Pater, & Ave; si præscribatur omnino indeterminatè, brevior, imò minima, unius v. g. Pater, & Ave, ut volunt. Suarez *D.* 52. *sect.* 8. *nu.* 5. Gobat *de Jubil. n.* 140. Vviestner *n.* 185. *cit.* quamvis meritò suadeant longiorem.

149 3 Confessio juxta *Extrav. cit. & Bullas* alias, ibi *si fuerint verè pœnitentes, & confessi*. Ubi tamen est distinguendum, an qui lucrari vult Indulgentias, sibi nullius peccati mortalis sit conscius, an verò talis peccati sibi conscius sit. *Si primum*, absque Confessione lucrari easdem poterit; quia Ecclesia, cùm præscribit Confessionem, eam, exigere solet à consciis peccati mortalis *c. omnis* 12. *hoc tit.* Diana *p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 126. Avers. *q.* 10. *sect.* 2. Bellag. *p.* 3. *sect.* 7. *q.* 1. Viva *q.* 8. *art.* 3. Vviestn. *n.* 186 & probabile ait la Croix *tom.* 6. *num.* 1414. quamvis addat contrariam tutiorem, & tenendam. *Si secundum*, ad lucrandas Indulgentias Jubilæi omnino necessaria est Confessio actualis, ita, ut non sufficiat contritio etiam charitate perfecta. Navar. *not.* 18. Bellarm. *l.* 1. *de Indulg. c.* 13. Sanctarell. *de Jubil. c.* 14. *dub.* 2. Vviestner *n.* 186. *cit.* & patet ex *Bullis Pontificiis*, ubi particula *Et* pœnitentiam cum Confessione conjungit, & utramque copulativè requirit. Sufficit tamen Confessio semel peracta in finem lucrandi Jubilæi: & hinc si ita confessus, antequam cætera opera perficiat, incidat iterum in peccatum mortale, Indulgentias Jubilæi lucrari poterit modò prævia contritione perfecta, cætera opera compleat in statu gratiæ Dei; quia Bulla Confessionem ut Summum unam præscribit. Lugo *l. cit. num.* 100. Gobat *num.* 137 Vviestner *l. cit.*

4 Sacra Communio. Hæc necessaria est etiam ad lucrandas Indulgentias Jubilæi, quamvis in Bullis Jubilæi anni Sancti non exprimatur, ut post *Filliuc.* supponit Gobat *n.* 178 conf. qui propter periculum vomitus, vel aliud impedimentum non potest Eucharistiam sumere, non potest Indulgentias istas lucrari, nisi hæc sumptio Eucharistiæ in aliud opus pium commutetur. Idem dicendum de pueris: & hinc isti tempore Jubilæi faciliùs, quàm alio tempore ad S. Communionem admitti possunt, & debent. Layman *l.* 5. *tr.* 4. *c.* 4. *num.* 3. Vviestner *n.* 187. Potest autem Sacra Communio obiri quavis die intra hebdomadas designatas, quamvis consultum omnino sit, ut illa peragatur post alia opera jam perfecta, prævia Confessione, & in statu Gratiæ. Vviestner *l. citat.* 150

5 Jejunium tribus diebus, videlicet feria 4. 6. & Sabbato eodem modo obeundum, quo exigi solet à fidelibus observatio jejuniorum præscriptorum ab Ecclesia: unde si Jubilæi Indulgentias lucrari velint, etiam pueri, & alii, qui aliàs ab observatione jejuniorum præscriptorum ab Ecclesia quacunque ex causa liberati sunt, triduanum istud jejunium obire debent: quamvis in aliud opus pium ex causa notabilis difficultatis, vel detrimenti mutari possit. Layman *c.* 8. *cit. num.* 12. Lezan. *V. Jubilæum num.* 12. Gobat *num.* 210. Vviestner *num.* 188. la Croix *n.* 1424. 151

6 Largitio Eleemosynæ: quo nomine venit præstatio cujuscunque operis ex septem Misericordiæ corporalis; cùm enim quodlibet sit vera Eleemosyna, & Bullæ Jubilæi Eleemosynam generatim præscribant, cujusvis illorum exhibitione conditioni de facienda Eleemosyna satisfiet, ex mente S. Thom. 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. Non refert autem, an Eleemosynam sua, vel aliena manu quis eroget, dummodo eam eroget de suo, & is, cui danda committitur, reverà eandem det; nam si famulus e. g. cui mandatum est, ut det Eleemosynam heri nomine, eam non det, herus mandans Indulgentiam non lucratur, etiamsi ipse in hoc vacet omni culpa la Croix *tom.* 6. *num.* 1301. *resp.* 3. *coroll.* 13. Circa quantitatem Eleemosynæ attendenda sunt verba Bullæ; nam si in hac Eleemosyna simpliciter, vel *pro arbitrio*, aut *prout singulis charitas suggesserit*, præscripta est, sufficiet dare quamvis etiam minimam, utilem tamen *arg. c. ex parte* 18 *de Censib. & reg. in obscuris* 30. *in* 6. Gobat *n.* 219. la Croix *n.* 1427. Quod si verò Bulla exprimat, dandam *pro cujusque facultate*, danda erit pro cujusque conditione: ac proin largiori dari debet à Principibus, Magistratibus, & divitibus, quàm à pauperibus, sive iis, qui mendicando, aut propriis manibus laborando victum quærunt. Gobat, Vviestner *l. cit.* 152

Quæritur 5 an Indulgentias Jubilæi sæpius lucretur, qui præscripta opera sæpius repetit? Affirmant Henriq. *libr.* 6. *de pœnitent. capit.* 16. *numer.* 3. & *libr.* 7. *de Indulg. c.* 11. *pr.* Rodriq. *tom.* 2. *Summ. quæst.* 184. *num.* 14 quia sunt beneficium Principis, sine ullo cujusquam præjudicio Indulgentiam plenariam largientis ei, qui præscripta opera quovis mense, vel hebdomada est peracturus: cujusmodi Beneficia cùm largissimam interpretationem admittant, sequitur toties quemvis Indulgentias lucrari posse, quoties præscripta opera iteraverit. 153

Sed etsi fortè discursus iste locum habeat in Indulgentiis perpetuis, sive absolutè, & sine temporis determinatione concessis, id tamen meritò negatur de Indulgentiis Jubilæi, & aliis Plenariis temporaneis, sive cum temporis, præsertim brevis, determinatione concessis. 154

Na-

Navar. *de Indulg. not.* 31. *n.* 36. Suar. *D.* 57. *sect.* 1. *n.* 7. Sanch. *l.* 4. *de Vot. cap.* 54. *num.* 30. Bonac. *D.* 5. *de pœnit. q.* 7. *p.* 5. §. 2. *n.* 17. & *D.* 6. *de Indulg. q.* 1. *p.* 5. *n.* 32 Layman *l.* 5. *tr.* 7. *cap.* 8. *num.* 8. Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 12 §. 3. *n.* 4. Vviestner *n.* 190. Ratio est, quia ipsa certi hujusmodi temporis determinatione satis indicatur, Indulgentiam semel dumtaxat concedi, & verba Bullæ satis insinuant, determinationem duorum, vel plurium mensium, aut hebdomadarum tantùm spectare commodum fidelium, ut qui uno tempore præscripta opera commodè non possunt peragere, ea implere alio possint; utitur enim in Bulla Pontifex verbis disjunctivis *in prima, vel sequenti hebdomada.*

155 Ex quo cadit Argumentum contrarium. Interim tamen laudabiliter, & providè agunt, qui omnia præscripta iterant, & mense, vel hebdomada utraque peragunt, non ut bis, sed ut semel Indulgentiam certiùs consequantur.

156 Quæritur 6 an præscripta opera peragenda sint omnia in una, eademque hebdomada? Affirmant Henriq. *l.* 7. *c.* 11. *n.* 2. Sanctarell. *l. de Jubil. cap.* 7. *dub.* 1. Lug. *D.* 27 *n.* 205. Gobar *n.* 212. Vviestner *n.* 191. cum aliis. Fundantur, quia concessio etiam liberalis jure non prodest, nisi observetur forma, & impleatur conditio per eam requisita *l. si cùm filius* 2. & *l. generaliter* 3. *ff. de Donat.* atqui Jubilæi Indulgentia disertè conceditur omnia opera peragentibus una ex duabus hebdomadis assignatis, ut patet ex Bullis communiter edi solitis. *Confirmat* sententiam istam consuetudo, seu praxis fidelium, opera præscripta sollicitè omnia peragentium in una hebdomada, ita, ut credant, se aliter indulgentiam non lucraturos.

157 Verùm etsi securius sit, & conformius praxi, una hebdomada opera omnia absolvere, probabilis tamen etiam est sententia, quæ cum Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *n.* 10 Bonac. *de Indulg. D.* 6. *q.* 1. *p.* 5. *n.* 34. Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 12. §. 3. *num.* 19. Bellag. *p.* 3. *sect.* 3. *q.* 3. & aliis apud la Croix *tom.* 6. *n.* 1409. dixit, quòd ex causa rationabili opera possint dividi, ita, ut una septimana Indulgentiam lucrari volens visitet Ecclesias, altera communicet, vel jejunet. De Confessione, & Communione certum est, illas, factis in hebdomada priori operibus cæteris, peragi posse in Dominica immediatè sequente, ut declaravit *Gregorius XIII.* apud la Croix *n.* 1417. imò sic consultum est facere, ut ita opus ultimum sit Communio, quæ cum vim delendi peccata venialia habeat, hoc modo disponit certiùs ad Indulgentiam plenariam consequendam. Quòd verò etiam alia opera sic dividi in duas hebdomadas possint, Palao *l. cit.* colligit ex modo, quo Romani obtinere Jubilæum solent, qui mos est norma cæteris partibus extra Urbem; nam Romanos Pontifex non adstringit, ut in eadem hebdomada omnia opera præstent, ergo idem possunt alii.

158 Quæritur 7 an omnia opera peragi debeant in uno, eodemque loco? Resp. quamvis securius agat, qui in loco domicilii sui, vel alio publicati Jubilæi omnia opera exequitur, verius tamen est, etiam illum Indulgentias lucrari, qui operum partem e. g. visitationem Ecclesiarum in tali loco peragit, reliqua implet in alio, ad quem negotiorum causa se contulit, Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *n.* 11. Palao §. 3. *cit. n.* 12. Lugo *D.* 27. *num.* 124. Gobar *num.* 89 Vviestner *n.* 92. Ratio est, quia per ipsam præsentiam in loco publicati Jubilæi quilibet in eo existens, & ad eum veniens acquirit jus percipiendi Indulgentiam plenariam, hoc ipso, quòd omnibus, qui Jubilæi durantis tempore præsentes sunt, conceditur: quo jure semel quæsito non privatur per egressum, sed id secum fert *arg. reg. privilegium* 7. *in* 6. dummodo tamen in loco jubilæi publicati visitet Ecclesias designatas, vel si ad eas accedere nequeat, & in loco, ad quem transiit, nullæ sint designatæ, à Confessario petat commutationem Visitationis in aliud pium opus.

159 Quæritur 8 an is, qui in prima hebdomada omnia opera præscripta ritè peregit, si in secunda commisit peccatum reservatum, aut Votum aliquod edidit, in hac secunda hebdomada ab illo absolvi, & in hoc dispensari possit? Negant Suar. *D.* 57. *sect.* 1. *nu.* 7. Sanch. *l.* 4. *de Vot. c.* 64. *n.* 28. Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *n.* 8. Bonac. *D.* 5 *q.* 7. *p.* 5. §. 2. *n.* 17. & *D.* 6. *de Indulg. q.* 1. *p.* 5. *n.* 32. ex ratione, quia respectu talis jubilæum finitum, & Indulgentia obtenta jam est; consequenter respectu ejusdem etiam cessat facultas absolvendi à peccatis, & dispensandi in Votis, occasione jubilæi indulta.

Sed respondendum est affirmativè. Ita tenent omnes, 160
qui putant posse aliquem bis, vel pluries lucrari easdem Indulgentias, & consentiunt ex cæteris Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 12. §. 3. *n.* 6. Vallens. *hic* §. 26. *n.* 4. Vviestner *hic n.* 193. la Croix *tom.* 6. *nu.* 1450. Rationem dant, quia licèt facultas hæc occasione Indulgentiæ concessa sit, non tamen restricta ad illam est, imò non erat expediens ad hanc eam restringi, quòd Indulgentiæ consecutio soli DEO sit nota, ac propterea ob incertitudinem istam præscripta opera in secunda hebdomada rectè repetantur.

Imò Henriq. *l.* 7. *de Indulg. c.* 11. *n.* 4. Sà *V. Indulgentia n.* 14. Sayr. *Clav. Reg. l.* 6. *c.* 12. *n.* 17. Sanch. *l.* 8. *de matr. D.* 15. *n.* 17. & *l.* 4. *de Vot. cap.* 54. *n.* 19. Palao §. 3 *cit. n.* 9. Gobat *à n.* 263. & 308. Vviestner *num.* 194. docent, eum, qui tempore jubilæi peregit præscripta opera animo lucrandi Indulgentias, posse absolvi à reservatis, & dispensationem à Votis à Confessario à se electo impetrare, etiam post tempus jubilæi exactum; quia determinatio temporis tantùm statuta est executioni operum præscriptorum, non verò etiam gratiarum perceptioni, utpote ad quas consequendas exequenti opera præscripta intra tempus præfixum sine temporis mentione indulta est. 161

Quæritur 9 an à reservatis absolvi, & in Votis dispensari possit ille, qui opera præscripta in jubilæo nondum peregit? Resp. si habeat animum lucrandi Indulgentias jubilæi, posse. Suar. *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *de Vot. cap.* 16 *n.* 6. Sanch. *l.* 4. *de Vot. c.* 54. *n.* 42. Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 12. §. 3. *n.* 10. estque hoc reste certa sententia. *Difficultas* est, si ita absolutus, vel dispensatus postea intentionem mutet, & indulgentias non curet lucrari. In quo iterum certum est, non redire posse peccata semel remissa; quia in peccatis conditionatæ remissioni locus non est. Palao *l. cit. n.* 11. 162

Dubium est de eo, qui habet peccatum reservatum non- 163
dum subjectum clavibus, quia dum tempore jubilæi confessus est, ejusdem recordatus non est? Sed etiam hunc, transacto jubilæo, à Sacerdote, qui aliàs jurisdictionem absolvendi eum à mortalibus habet, absolvi posse, quin teneatur se Superiori sistere, modò Confessionem fecerit animo lucrandi jubilæum, docet Sanch. *c.* 54. *cit. n.* 45 & Palao *l. cit. n.* 11. quia Sacerdos virtute jubilæi absolvens, intendit absolvere, quantùm potest, potest autem quoad peccata invincibiliter ignorata absolvere ab illorum reservatione; hæc enim absolutio non pendet ex absolutione directa quoad culpam, ergo &c. Aliud est, si habens peccatum reservatum invincibiliter ignoratum, Confessionem tempore jubilæi non fecisset; nam talis, si jubilæum neglexit acquirere, non acquisivit jus eligendi Confessarium, qui ipsum absolvat ab hoc reservato, ut bene advertit Palao *l. cit.* Rationem dat, quia reservatio non tollitur ipso facto per jubilæum, sed per absolutionem Sacramentalem.

Similiter siquis tempore jubilæi absolutus est à censu- 164
ris, per hoc non reincidit in illas, quòd deinde mutata intentione negligat acquirere jubilæum; nam licèt redire censuræ possint, quando earum absolutio concessa est ad reincidentiam, quia tamen is modus concedendi absolutionem in Bullis jubilæi non exprimitur, nullum est fundamentum asserendi talem reincidentiam. Navar. *Miscell. de Orat.* 93. *num.* 2. Henriq. *l.* 6. *de Pœnit. c.* 19 *n.* 6. & *l.* 7. *de Indulg. c.* 11. *num.* 4. Suar. *de pœnit. D.* 11 *sect.* 4. *num.* 5. Sanch. *l.* 4. *de Vot. c.* 54. *n.* 44. Palao §. 3 *cit. num.* 11.

Idem ferè dicendum de eo, cui Confessarius tempore 165
jubilæi Vota sua commutavit; nam horum obligatio non revivicit, etiamsi postmodum, mutata intentione pœnitens Indulgentias jubilæi non curet consequi. Henriq. *l. cit.* Sà *V. absolutio n.* 19. Suar. *l.* 6. *de Vot. c.* 16. *num.* 9 Sanch. *l. cit. n.* 49. & 50. Palao *n.* 11. *cit. vers. quoad Votorum commutationem.* Ratio est, quia esto, potuerit Confessarius vota commutare ea conditione, ut commutatio vim obtineat, peractis operibus pro jubilæo præscriptis, & non aliter; at ex vi privilegii non cogitur hoc modo commutationem facere, imò nec expedit, censebitur ergo absolutè eam fecisse, & sine conditione, ut reviviscant, si opera illa non fuerint peracta.

Quæritur 10 quænam Indulgentiæ suspendantur tem- 166
pore jubilæi? Resp. tempore jubilæi suspenduntur tantum Indulgentiæ Plenariæ; non autem partiales, prout liquet

liquet ex *Extrav. quemadmodum* 4. *int. comm. h. tit.* & aliis Veteribus Bullis. *Neque obstat*, quòd in Bullis recentioribus dicantur suspendi *Indulgentiæ omnes, & singulæ*; quia intelligendæ sunt ad sensum veterum Bullarum, ex generali principio, juxta quod, quidquid in posteriori Lege non fuit expressum specialiter, id veterum Legum, Constitutionumque Regulis relictum intelligitur *l. præcipimus* 32. *fin. C. de Appell.* Sanctarell. *c.* 5. *dub.* 7 Lezan. *V. Jubilæum n.* 5. Vviestner *hic n.* 195. la Croix *tom.* 6 *n.* 1391. *Resp.* 2. & *n.* 1401.

167 Ex Plenariis excipiuntur, & non sunt suspensæ. 1. Indulgentiæ concessæ Ecclesiis, & Basilicis Urbis Romanæ, etiam extra illius mœnia sitis; quia in his cessat finis intentus per suspensionem, ne scilicet fideles à peregrinatione Romana retrahantur, si Indulgentias Romæ propositas consequi possent domi: ubi notandum, hoc non procedere de Ecclesiis, extra Romam existentibus, & habentibus communicationem Indulgentiarum, indultarum uni, vel pluribus Ecclesiis Romanis, nam respectu istarum finis suspensionis manet. Zerol. *prax. Episc. V. Annus Sanctus n.* 3. Gobat *n.* 41. Vviestner *n.* 195.

168 2 Indulgentiæ S. Domus Lauretanæ, la Croix *tom.* 6 *num.* 1401. & secundùm *Gobat* B. V. Einsidlensis, Item Compostellæ, ut habet Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 12. §. 1. *n.* 8 & Portiunculæ assisii. Suspenditur tamen Indulgentia Portiunculæ alibi per Orbem. Viva *de Jubil. q.* 4. *artic.* 1 la Croix *l. cit.*

169 3 Indulgentiæ concessæ per Bullam Cruciatæ; quia istius privilegia dantur per modum contractus, cùm pro iis pendi debeant duo Regales, privilegia autem ita concessa revocata non intelliguntur per clausulam generalem, nec revocari valent, nisi facta aliqua compensatione. Lezan. *V. Jubilæum num.* 5. Palao §. 1. *cit. num.* 10. Dian. *p.* 1 *tract.* 11. *ref.* 97. Vviestner *numer.* 195. *vers. secundò* la Croix *l. cit.*

170 4 Indulgentiæ concessæ pro defunctis, saltem quæ extra jubilæum applicari nequeunt vivis. An verò etiam illæ, quæ vivis applicari possunt, uti sunt, quæ proponuntur in Communione Generali Menstrua in Templis societatis Jesu, suspensæ intelligantur, dubitatum est sæpius. Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *n.* 3. Palao §. 1. *cit. num.* 7 Gobat *n.* 47. putarunt eas non suspendi; sed contrarium patuit in jubilæo, quod egimus initio præsentis sæculi, ubi etiam istas suspensas declaravit Innocentius XII.

171 5 Concessæ in articulo mortis; nam licèt aliqui dicant, etiam has suspendi, veriùs tamen negant Gobat *num.* 44 Vviestner *n.* 195. la Croix *n.* 1401. tum propter declarationem duorum Summorum Pontt. tum verò, quòd suspensionis ratio, ac finis in moribundis omnino cesset. Et procedit hoc non tantùm de articulo mortis vero, sed etiam de probabili, & prudenter præsumpto, licèt mors non consequatur, la Croix *l. cit.*

172 Quæritur 11 quænam aliæ facultates revocentur tempore jubilæi? Resp. revocantur, seu suspenduntur omnes facultates, & indulta quæcunque, quæ causa indulgentiæ plenariæ quærendæ concessa sunt: qualia reputantur ulla tantùm quorum mentio fit in *Extr. Quemadmodum* 4. *int. comm. h. tit.* scilicet facultas eligendi Confessarium cum potestate absolvendi à reservatis, censuris, & aliis pœnis commutandi Vota, & in eis dispensandi, remittendi, seu componendi malè ablata; hæc enim frequenter concedi solent gratia consequendi jubilæum, & ut fideles ad Indulgentias illius lucrandas magis invitentur. Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 12. §. 1. *n.* 9.

173 *Contrà* non censentur suspensæ facultates eligendi Confessarium absque qualitate absolvendi à reservatis, vel etiam cum hac qualitate, si illa non à Pontifice, sed ab Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis, ordinaria potestate utentibus concessa sit; aut si talis facultas absolvendi à reservatis, commutandi, & dispensandi in Votis concessa quidem sit à Pontifice, non tamen intuitu Indulgentiarum consequendarum, qualem habent Regulares, & alii per privilegia Apostolica; nam his facultatibus etiam tempore Anni Sancti Romæ durantis uti possunt, ut ex communi DD. sententia docent Lugo *D.* 20. *num.* 145. Palao *l. cit.* Vviestner *n.* 196. la Croix *num.* 1403.

174 Quæritur 12 quando incipiat, & quamdiu duret hæc Indulgentiarum, & facultatum suspensio? Resp. inchoatur ab ipsa apertione Portæ Sanctæ, & duratque ad ejus reclusionem, quarum illa initiò, ista in fine Vesperarum primarum Vigiliæ Nativitatis Domini fit: qua proinde reclusione facta, Indulgentiæ, quæ erant suspensæ, omnes statim, & sine ulla Papæ innovatione, vel confirmatione reviviscunt, ut contrà Navar. *notab.* 28. *à n.* 27. & *notab.* 33. *fin.* Zerol. *V. Annus S.* §. *ad* 3. Rodriq. *in Expl. Cruciat.* §. 10. *dub.* 6. melius, & verius docent Layman *l.* 5. *tr.* 7. *c.* 8. *n.* 2. Palao *tr.* 24. *D. un. p.* 12. §. 1. *n.* 13. Gobat *de Jubil. num.* 50. & *seqq.* Konig *hic nu.* 24. Vviestner *ibidem num.* 197. la Croix *n.* 1404. & monstrat praxis, usque receptus publicandi Indulgentias finito anno absque ulla Pontificis renovatione, quod nullatenus facerent viri alioquin Religiosi, & docti, si crederent suspensionem perseverare.

Quæritur 13 quid consulendum illi, qui jubilæo ferè transacto, ex mera ignorantia opera facienda omisit, nec tantum ampliùs temporis habet, ut jubilæo durante ea peragat omnia? Resp. is posset confiteri ultimo die, & communicare; reliqua verò opera, quæ durante jubilæo non potest perficere, posset ipsi Confessarius prorogare in sequentem septimanam post jubilæum transactum; quia talis haberetur pro impedito. Similiter si quis opera omnia explesset præter Communionem, & ultimo die, quoad S. Synaxin accedere cogitabat, inadvertenter aliquid cibi assumeret, posset illi Communio commutari in aliud opus pium, vel differri in proximum diem, & sic ille lucrari Indulgentias. 175

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.

SUpersunt Pœnæ Medicinales fori Ecclesiastici externi, sive censuræ: de quibus antequam agamus in specie, aliqua de illis sunt præmittenda in genere.

§. I.

De Censuris in genere.

SUMMARIUM.

1 *Censuræ Definitio.*
2 &c. *Explicatio Definitionis.*
6 &c. *Divisio.*
12 *Potestas ferendi Censuras est penes Ecclesiam.*
13 *Quinam censurare possint potestate Ordinaria?*
14 *Qui delegata?*
15 &c. *Utrum potestas ista delegari etiam fœminæ possit?*
18 &c. *An competat Parocho?*
21 *Utrum acquiri consuetudine possit?*
22 &c. *Conditiones ad ferendam censuram requisita &c.*
27 &c. *An, & qualis monitio pracedere debeat?*
30 &c. *Quando speciali monitione non sit opus?*
35 &c. *In quos censura ferri possit, vel non possit?*
41 &c. *An etiam in Impuberes?*
44 &c. *Vel in integram communitatem?*
47 &c. *Utrum Episcopus Censuram ferre possit in peregrinum?*
49 &c. *Vel in subditum extra Diœcesim ipsius commorantem?*
51 &c. *An possit aliquis affici duplici Censura?*
56 &c. *An etiam ob culpam venialem?*
61 &c. *Aut ob actum merè internum?*
66 &c. *Vel ob peccatum merè præteritum?*
69 &c. *An Censura imposita contra facientes comprehendat etiam mandantes, & consulentes?*
72 &c. *An casu, quo expressè contra mandantes, consulentes &c. lata est, eam incurrat etiam, qui mandatum, vel consilium revocavit?*
75 &c. *Quæ causæ excusent ab incurrenda Censura?*
85 &c. *Quis absolvere possit à Censura?*
98 &c. *Qua forma, ritu, & conditionibus absolutio censuræ sit concedenda?*
103 &c. *Quot modis contingat absolutionem à Censura fieri?*
107 &c. *An Censura semel incursa non possit alia via tolli, quàm absolutione?*

Quæ-

1 QUæritur 1 quid sit *Censura*? Resp. *Censura à censendo* dicta, in Rep. Rom. Veteri denotabat Officium, & Dignitatem censorum, quæ morum correctionem, & coercitionem, spectabat, juxta illud Plinii *l.* 14 *c.* 4. *Catonum ille primus triumpho, & Censura super cætera insignis*. Aliquando significabat ipsam correctionem, & Decreta illam spectantia, juxta illud Juvenalis: *Vexat Censura Columbas. Satyr.* 2. Hodie dupliciter accipitur: primò *latiùs*, in quo sensu quamcunque pœnam, imò quodcunque judicium, sive sententiam Ecclesiæ correctoriam, quin etiam approbationem significat. Secundò *strictè*, & *propriè*: & tunc censuræ nomine tantùm veniunt pœnæ Ecclesiæ spirituales, & medicinales. Definitur in isto sensu *Censura*, quòd sit *Pœna spiritualis, seu Ecclesiastica, qua potestas Ecclesiastica, exterior fideles suos delinquentes, & contumaces bonorum quorundam Spiritualium usu privat ad eorum correctionem*. Ita quod sensum plerique DD. & in his Suar. *D.* 1. *de Censur. sect.* 1 *num.* 5. Palao *tr.* 29. *D.* 1. *p.* 1. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 1 *num.* 2 Engl *num.* 1. Pithing *n.* 1. Konig *n.* 1. & 2. Vviestner *n.* 2 Reiffenstuel *n.* 2. & 3. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 1. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. c.* 3. *n.* 83

2 Dicitur 1 *Pœna*; quia est privatio pœnalis bonorum spiritualium, quorum, seclusa censura, fidelis particeps erat. Sunt autem Bona, in quibus fideles communicant inter se, triplicis generis. Et quædam quidem *Interna* sunt, ut Fides, Charitas, Gratia, per quam ipsi inter se, & cum Christo mysticè copulantur juxta Apostolum 1. *Cor.* 12. *v.* 11. & *Ephes.* 4. *v.* 2. &c. Alia *merè externa*, sive *Civilia*, & *Politica*, quæ in convictu colloquiis, & salutationibus, in contractibus, commerciis, Judiciis &c. consistunt. Alia *Mixta*, quæ consistunt in actionibus, & ceremoniis exterioribus interiorem, & spiritualem fructum ex sua institutione operantibus, ut sunt communia Ecclesiæ Sacramenta, sacrificia, & Officia Divina, Ecclesiæ suffragia, satisfactio Christi, & Sanctorum, quæ ex communi Ecclesiæ thesauro per Indulgentias fidelibus justis applicantur. Covar. *in c. alma pr. n.* 2. Suar. *l.* 1 *cit. n.* 6. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 2. Pithing *n.* 4. Vviestner *n.* 30. Reiffenstuel *n.* 54. &c.

3 Dicitur 2 *Spiritualis*, & *Ecclesiastica*: Hinc solùm à potestate Ecclesiastica provenire censura potest, & nullo modo à Laicali *can. cùm adverùm* 6. *dist.* 96. *cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ* 10. *de Constitut. cap. sollicitæ* 6. *de major. Excipitur*, nisi potestatem censurandi Summus Pontifex deleget Laico; nam ex delegatione Pontificis communicari Laico potestas hæc potest, sicut delegatione ejusdem Pontificis cognoscere potest de causis spiritualibus: ita omnium sententia teste Palao *D.* 1. *cit. p.* 4. *n.* 3.

4 Dicitur 3 *Bonorum quorundam Spiritualium*; nam quamvis censura etiam bonis temporalibus quandoque privet, ut patet in excommunicatione, quæ privat politico, & civili contractu; & in suspensione à Beneficio, quæ privat Beneficiorum fructibus: primariò tamen semper censura privat actionibus spiritualibus, secundariò verò solùm, & indirectè usu corporalium, & temporalium. Avil. *p.* 1. *de Censur. dub.* 4. *num.* 2. Suar. *D.* 1. *sect.* 1. *n.* 5 Palao *D.* 1. *cit. p.* 1. *num.* 2. Layman *tr.* 5. *cit. p.* 1. *cap.* 1 *num.* 1. Vallens. §. 1. *num.* 2. Pithing *nu.* 1. Vviestner *n.* 2 la Croix *l. cit.* Magnif. P. Schmier *cap.* 3. *citat. num.* 84 Porro ex bonis cæteris, quæ *num.* 2. retuli, solum censura fidelem privat Bonis ultimo loco positis, nempe *Mixtis*; nam donis Gratiæ, & Virtutibus infusis, cùm Ecclesiæ Jurisdictioni non subdantur, neminem privat Ecclesia. Layman *l. cit. n.* 2. Engl *nu.* 16. Konig *num.* 30 Schmier *n.* 92. cum *citt.*

5 Dixi 4 *ad eorum correctionem*: hinc fit, ut emendatione posita, statim censura sit auferenda, ut cum Suar. Coninck, Avila, & aliis notat Palao *n.* 2. *citat.* Neque tamen hinc sequitur, in neminem ferri eandem posse, nisi in eum, qui reputatur corrigendus; quia esto, finis ejusdem sit principaliter emendare delicta, simul tamen per eam Ecclesia intendit punire: unde cessante uno fine correctionis, non cessat hoc ipso finis punitionis. Coninck *D.* 13. *dub.* 1. *n.* 11.

6 Quæritur 2 quotuplex sit censura? Resp. ex omnium sententia censura triplex est, excommunicatio, suspensio, & Interdictum. Constat ex *cap. quærenti* 20. *de V. S. c. cum Medicinalis* 1. *c. statutum* 13. & *c. si cui* 20. *h. tit. in* 6. His Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *artic.* 1. *pr.* addit cessationem à Divinis, & Irregularitatem; quæ ex Delicto oritur; alii insuper adjungunt Depositionem, & Degradationem. *Sed dicendum*, tantùm esse tres species censuræ, quas enarravi. Ita Navar. *Man. c.* 27. *nu.* 1. Ugolin. *de Censur. tab.* 1. *c.* 26. Suar. *D.* 1. *sect.* 3. *n.* 1. Avil. *p.* 1. *de Censur. dub.* 5. Garc. *p.* 7. *de Benef. c.* 13. *num.* 2. Coninck *D.* 13. *dub.* 1. *n.* 3. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 1. *p.* 1. *n.* 4. Vallens. §. 1. *hic n.* 3. Engl *num.* 26 Vviestner *n.* 28. Reiffenstuel *n.* 44. & colligitur manifestè ex *c. quærenti cit.* ubi Pontifex interrogatus de censuris, tres tantùm species enumeravit: quod manifestè indicat, alias non esse, cùm illa responsio, utpote in materia doctrinali, æquivaleat universali.

Ratio est, quia nulli alteri speciei, præter tres assignatas, Definitio Censuræ convenit. Nam imprimis *Cessatio à Divinis* non est prohibitio usus Divinorum, ut censuræ, sed potiùs illorum omissio: deinde non fertur in contumaciam, ut censuræ, sed in signum tristitiæ, & mœroris Ecclesiæ, ex injuria gravissima sibi illata concepti: item transgressio censuræ inducit Irregularitatem; hanc non inducit celebratio Divinorum contra cessationem indictam: denique censura sæpe fertur à jure; cessatio à Divinis semper ab homine. Similiter à censura essentialiter differunt *Depositio*, *Degradatio*, & *Irregularitas*; nam 1 Censuræ, ut dictum est, sunt pœnæ Medicinales, & delinquente emendato, atque à contumacia recedente, auferri debent; contrà Depositio, Degradatio, & Irregularitas, si ex delicto descendant, sunt pœnæ Vindicativæ, & ex se perpetuæ. 2 Depositio, Degradatio, Irregularitas dispensatione tolluntur; censuræ absolutione. 3 denique Irregularitas sæpe ex defectu descendit, & propterea pœna omnino non est, cùm tamen censura semper sit pœna. 7

Porro censura sic explicata, & in species suas divisa subdividitur diversimodè. Et 1 in validam, justam, & injustam. *Valida*, & *Justa* est, quæ nullo laborat defectu. *Injusta valida*, quæ laborat defectu aliquo accidentali, e. g. si ad eam procederet Judex ex odio, aut in propria causa, & verbotenus, nec præmissa Canonica monitione, ubi ista præmitti debet, *Censura injusta*, & *invalida* verò, quæ substantialem defectum habet, videlicet si eam inferens non habeat potestatem sufficientem, si ferat ob causam non legitimam, si non servato ordine judiciario &c. 8

2 Alia dicitur à jure, alia ab homine inflicta. *A Jure* quidem inflicta dicitur illa, quæ per SS. Canones, constitutiones, & statuta Ecclesiastica fertur; ab homine autem, quæ à Judice, vel Prælato fertur per modum mandati, vel sententiæ Judicialis. Differunt à se invicem dupliciter; nam primò censura, lata à jure authore, qui eam tulit, mortuo, perseverat; quia nomine Dei, seu Communitatis nunquam deficientis fertur: lata autem ab homine cùm ab hujus Jurisdictione, & authoritate pendeat, & hæc cessent eo mortuo, vel ab officio remoto, etiam ipsa cessat: quod intellige, antequam incurratur, ad effectum, ut non ampliùs incurratur; nam postquam incursa est, perseverat, Layman *c.* 2 *cit. n.* 2. Palao *p.* 2. *n* 2. Vviestner *hic n.* 24. *Alterum* discrimen est, quia censura lata à jure nunquam ferri potest pro peccatis præteritis, sed semper pro futuris; censura verò lata ab homine non solùm pro futuris, sed etiam pro præteritis in eorum satisfactionem, & emendationem fertur, Palao *l. cit.* 9

3 Alia dicitur ferendæ, alia latæ sententiæ. *Ferendæ Sententiæ* Censura est, quæ licèt jure statuta sit, à delinquente tamen non facto ipso statim incurritur, sed per sententiam à Judice est infligenda: cujusmodi censura ferè denotatur per verba habentia significationem futuri temporis v. g. *Excommunicabitur*, *suspendetur*; vel *excommunicetur*, *prohibemus sub Excommunicatione*, *sub pœna Excommunicationis*, *volumus excommunicari* &c. *Latæ sententiæ* autem, quam delinquens ipso facto, sive criminis perpetratione sine alia sententia condemnatoria incurrit: & hinc *c. Pastoralis* 53. §. *verùm de Appell.* dicitur secum trahere executionem. Ista denotatur per verba habentia significationem præteriti, vel etiam præsentis temporis, v. g. *Excommunicamus*, *Anathematizamus*, *Suspendimus*, *Qui hoc fecerit*, *se noverit excommunicatum*; *excommunicationi subjaceat*, vel *in eam incidat*, *prohibemus sub excommunicatione ipso jure*, *vel facto*, *aut sine alia sententia incurrenda* &c. Sylv. *V. excommunicatio* 1. *n.* 22. Castro 10

de

de Leg. Pœnal. l. 2. c. 1. Suar. *D. 3. de Censur. sect. 3. à n. 1.* Laym. *c. 2. cit. n. 3.* Vallens. *hic §. 2. nu. 4.* Engl. *nu. 18.* Konig *n. 5.* Viestner *n. 25.* Reiffenstuel *n. 79. & seqq.* la Croix *l. 7. n. 9.*

11 *Dubitatur*, qualis censeatur esse Censura, quando dubitatur, an ferendæ, aut latæ sententiæ sit? *Ratio dubitandi* sumitur ex *c. siquem 59. h. tit.* ubi Gregorius IX. declarat, sub nomine Excommunicationis simpliciter prolato, nisi contextus aliud suadeat, semper intelligi Majorem, nunquam verò Minorem: igitur à pari sub eodem nomine simpliciter prolato in dubio veniet latæ, non ferendæ sententiæ Censura. *Sed dicendum*, in dubio censeri decretam esse Censuram ferendæ, non latæ sententiæ. Sylv. *V. cit. n. 21.* Suar. *sect. 3. cit. n. 6.* Avil. *p. 2. D. un. dub. 2.* Laym. *c. 2. n. 3.* Konig *hic nu. 5.* Vviestner *ibid. num. 26.* & hoc teste communis aliorum sententia. *Ratio est*, quia in dubiis, & in pœnis præsertim benignior interpretatio facienda est juxta *Reg. 155. §. fin. ff. & Reg. 49. in 6. Ad Argumentum contrarium* dico, Constitutionem *c. siquem cit.* esse correctoriam Juris antiqui, juxta quod sub nomine Excommunicationis simpliciter prolato aliquando intellecta fuit Excommunicatio minor, teste Palao *tr. 29. D. 2. p. 2. num. 2.* igitur extensionem non admittit.

12 Quæritur 3. penes quem sit potestas ferendi Censuras? Resp. datur in Ecclesia potestas ferendi Censuras. Ita Catholici omnes, constatque ex *Concil. Constant. sess. 8. error. 30. & sess. 15. error. 19.* Confirmat hoc ipsum usus, & praxis totius Ecclesiæ. Colligitur ex verbis *Matth. 16. & 18.* ubi generaliter Christus Petro, ejusque Successoribus concedit potestatem ligandi, atque solvendi; ligat autem Ecclesia per Censuras. *Ratio est*, quia in omni bene constituta Rep. debet esse potestas quosdam sibi noxios excludendi à suo corpore, alios malè administrantes suspendendi à quibusdam Officiis, aliis interdicendi certos actus, & functiones. ergo id etiam debet esse in Ecclesia: hæc autem est ipsa potestas ferendi Censuras, nempe Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti: ergo &c. Usus potestate ista est. *S. Petrus* adversùs Simonem Magnum per verba, *Non est tibi pars, vel sors in sermone. Act. 8. v. 21. & S. Paulus*, dum *1. Corinth. 5. v. 5.* hominem incestuosum, *& Timoth. 12. v. 20.* Hymenæum, & Alexandrum, circa Fidem naufragantes, Sathanæ tradidit; nam hac traditione eos excommunicatos fuisse cum S. Chrysostomo, & Theophylacto observat Cornelius. Potestque potestas ista esse vel ordinaria, vel delegata. Hinc

13 Dub. 1. penes quos sit potestas ordinaria ferendi Censuras? Resp. potestate ordinaria ferre Censuras potest. 1. Summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ, ut fatentur omnes Catholici, & patet ex *Extr. unam Sanctam 1. de major int. comm.* 2. Episcopus, & Archiepiscopus in sua Diœcesi quoad sibi subditos *cap. perniciosa 1. c. conquerente 16. de Offic. Ordin. c. cùm Episcopus 7. eod. in 6. & c. à nobis 21. h. tit.* 3. Cardinales in Ecclesiis sui Tituli *c. his, quæ 11. de Major. & ibi* DD. communiter. 4. Legati à Latere in Provincia suæ Legationis *cap. novit 7. de Offic. Legat. & c. Legatos 2. eod. in 6.* 5. Capitulum Sede Episcopali vacante, hujusque, vel Episcopi, aut Archiepiscopi Vicarius Generalis *arg. c. un. de major. in 6. c. venerabilibus 7. h. tit. in 6. c. non putamus 2. de Consuet. in 6.* ac Trid. *sess. 24. c. 16. de Reform.* 6. Prælati, & Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum, & alii obtinentes Jurisdictionem in foro Ecclesiæ externo *c. quærenti 20. de V. S. & c. cùm medicinalis 1. h. tit. in 6.* 7. Abbates, Priores, & similes Præpositi, ac Superiores Regularium, non solùm Generales, & Provinciales, sed etiam Locales, ex Privilegio Pontificis Officio, & muneri eorum perpetuò annexo *c. cùm in Ecclesiis 10. de Major. c. fin. de Stat. Monach. & c. sicut tuis 33.* junct. Gloss. *V. Anathematis de Simon.* 8. Concilia Generalia, & Provincialia in sua Provincia, aut Natione, uti & Congregationes, & Capitula Generalia, ac Provincialia quarundam Religionum. Navar. *Man. c. 27. n. 5.* Suar. *D. 2. de Censur. sect. 2. per totam*, Palao *tr. 29. D. 1. p. 4. num. 2.* Engl *hic num. 13.* Konig *num. 8.* Pirhing *n. 24.* Vviestner *num. 4.* Reiffenstuel *num. 7.* la Croix *tom. 8. lib. 7. num. 17.*

14 Dub. 2. quinam Censuram ferre possint ex potestate Delegata? Resp. potestate Delegata Censuras ferre possunt omnes illi, quibus prædicti *n. præc.* potestatem Ordinariam habentes illud commiserint; quia Potestas Ordinaria, hoc ipso, quòd Ordinaria est, delegari potest, ut constat ex *tot. tit. de Offic. Ord. & c. cum Episcopus 7. eod. in 6.* Ut verò delegari alicui potestas hæc possit, debet is, cui hæc mandatur Jurisdictio, & capax illius existere. Et quidem 1. debet habere usum rationis, cùm illam accipit; aliàs nulla erit acceptatio, quæ ad accipiendam Jurisdictionem requiritur ex communi sententia. 2. debet esse baptizatus; quia non potest exercere munera Ecclesiæ, qui intra illam nondum existit. 3. debet esse insignis saltem prima tonsura; nam Laicus hujus Jurisdictionis est incapax, quæ proin ab alio, quàm Summo Pont. delegari eidem non potest, ut dictum est *n. 3.* 4. non debet esse conjugatus; nam etsi iste, si Minores Ordines habeat, habitum deferat, & alicui Ecclesiæ deserviat, privilegio Canonis, & Fori gaudeat, Ecclesiasticæ tamen Jurisdictionis existit incapax, ut proin ab alio, quàm Pont. de plenitudine potestatis committi illa ipsi non possit *cap. un. de Cleric. conjug. in 6.* nisi separatus ab uxore vivat, edito utrinque voto Castitatis: la Croix *tom. 8. lib. 7. num. 26.*

Dub. 3. utrum potestas ferendi Censuras saltem de plenitudine potestatis Pontificiæ possit delegari fœminæ. Negat Engl *hic num. 15.* cum Avila, Coninck &c. quia putant fœminas hujus Jurisdictionis esse incapaces Jure Divino, quòd Christus claves Ecclesiæ nulli fœminæ, sed soli Petro, Apostolis, & eorum Successoribus concesserit. *Conf. 1.* ex illo Apostoli *1. Corinth. 14. v. 34.* ubi prohibetur mulieribus, ne in Ecclesia doceant; quia id indecens est: ergo à fortiori indecens erit eas uti Jurisdictione Ecclesiastica, superiores se Clericis ostendere. *Conf. 2.* si fœminæ Jure Divino non essent incapaces hujus potestatis, aliquando illis à Pontifice fuisset commissa; nunquam autem commissa legitur: ergo &c. 15

Sed probabiliùs fœmina potestatis istius solùm incapax est Jure positivo humano: conf. Pontifex ex plenitudine Jurisdictionis suæ Papalis posset ei potestatem concedere ferendi Censuras. Sayr. *l. 1. de Censur. cap. 5.* Suar. *D. 2. de Censur. sect. 3. n. 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. par. 1. c. 3. n. 4.* Palao *tr. 29. D. 1. p. 4. n. 5.* Pirhing *hic n. 24.* la Croix *tom. 8. lib. 7. nu. 19.* Ratio est, quia potestas hæc ferendi Censuras, etsi Spiritualis sit, non tamen est potestas Ordinis, sed Jurisdictionis tantùm: & hinc, ut *n. 3.* dictum est, absolutè etiam Laico conferri potest; atqui fœmina non videtur Jure Divino esse incapax Jurisdictionis Spiritualis; quia ex privilegio Pontificis potest conferre Beneficia Clericis, in Ecclesia illos instituere, ac tandem præcepta ponere, ut deciditur *cap. dilecta 12. de major.* quæ omnia sunt munera Jurisdictionis Spiritualis. 16

Atque hinc patet argumentum oppositum; fateor enim claves Ecclesiæ, prout potestatem Ordinis, & Jurisdictionis continent, non posse communicari fœminis, imò nec clavem Jurisdictionis per se, & directè, bene tamen indirectè, & per accidens, in uno, vel alio casu. *Neque obstat*, quòd fœminæ non sint successores Apostolorum; nam etiam Laicus, dum extra Clerum existit, Successor Apostolorum non est, & tamen ipsi à Pontifice committi potestas ferendi Censuras pro una, vel altera vice potest. *Ad Conf. 1.* concedo non posse fœminæ ob indecentiam per se, & communiter committi potestatem ferendi Censuras, sicut nec potestatem docendi: at sicut urgente aliqua gravi causa potest Pontifex fœminæ aliàs eruditæ permittere docere populum, ita potest eidem permittere, ut ferat Censuras. *Ad Conf. 2.* eo argumento solùm probatur, raro, vel nunquam posse evenire casum, qui Pontificis concessionem honestet, ideoque Pontifices ab ea concessione abstinent. 17

Dub. 4. utrum Potestas censurandi competat Parocho? 18
Affirmativa videtur supponi *can. nemo 11. caus. 8. q. 1.* ubi asseritur cognitio causæ præmittenda Excommunicationi ab Episcopis, & Presbyteris. *Conf.* ex *c. si Sacerdos 2. de Offic. Ordin.* ubi potestas excommunicandi clarè tribuitur Sacerdoti; & *c. cùm ab Ecclesiarum 3. eod.* ubi sententia Excommunicationis, & Interdicti, à Plebano S. Pancratii lata in suos subditos habetur pro rata, & jubetur inviolabiliter observari.

Sed

19 Sed dicendum, potestatem censurandi Parocho non competere. Navar. *Man. c.* 27. *nu.* 5. Suar. *D.* 2. *de Censur. sect.* 2. *n.* 8. Palao *tr.* 29. *D.* 1. *p.* 4. *nu.* 2. Vallens. *hic* §. 5. *n.* 4. Konig *nu.* 8. Vviestn. *nu.* 5. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 21. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. c.* 3. *n.* 102. Ratio est, quia Censura ferri nequit, nisi ab habente Jurisdictionem fori externi, ut colligitur ex *c. quærenti* 20. *de V. S. & c. cùm medicinalis* 1. *h. tit. in* 6. Parochus autem Jurisdictionem fori externi, nisi specialiter hæc ipsi committatur, nullam exercet *can. de persona* 38. junct. Gloss. *V. non ab alio caus.* 21. *q.* 1. ergo &c.

20 Ad *can. nemo* in contrarium allegatum, Presbyter, de quo ibi est sermo, Jurisdictionem fori externi privilegio, vel consuetudine legitimè præscripta obtinuit. *Ad Conf.* is, qui sententiam Excommunicationis, & Interdicti in textibus *citt.* tulit, non fuit simplex Plebanus, sed in priori quidem casu Episcopus, in posteriori Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ, ut notat Avil. *p.* 2. *c.* 3. *dub.* 2. vel si hoc negans, pariter dicendum, ipsos potestatem hanc obtinuisse via præscriptionis, vel consuetudinis, ut notant Abb. *in c.* 3. *cit. n.* 3. Barbos. *n.* 2. Gonzal. *num.* 2.

21 Dub. 5. utrum potestas censurandi acquiri possit consuetudine, vel præscriptione? Resp. affirmativè. Ita communiter DD. & constat de consuetudine ex *c. dudum* 54. *vers. sed cùm in Jure de Elect.* de Prescriptione ex *c. auditis* 15. *& c. cùm olim* 18. *de Præscript.* Ratio est, quia potestas censurandi potest acquiri privilegio Summi Pontificis: ergo etiam præscriptione, vel consuetudine modò persona præscribens sit capax possessionis.

22 Quæritur 4. quæ conditiones requirantur ex parte ferentis Censuram, ut ferre eandem possit? Resp. 1. requiritur potestas Ordinaria, vel Delegata: unde si tempore, quo delinquens Censura ligandus erat, tu careas potestate, nulla erit Censuræ impositio. Palao *tract.* 29. *D.* 1. *p.* 5. *num.* 1. Estque perinde, sive Jurisdictio ex parte ferentis Censuram cesset per remotionem ejus ab officio, sive alio modo. Ita cessat potestas Judicis primæ instantiæ in causa, in qua legitimè appellatum est; tunc enim ea causa, in qua legitimè appellatum est, à Judice, à quo est appellatum, eximitur, & ad Superiorem illius devolvitur, ita ut si ante incursionem Censuræ appelletur, Judex *à quo* Censura ligare appellantem non ampliùs possit. Ut tamen Appellatio ita suspendere Jurisdictionem Judicis *à quo* possit, duo requiruntur. 1. ut sit legitima, seu ex causa rationabili facta. 2. ut incursionem præcedat; nam Censura incursa sola absolutione tolli potest. Palao *D.* 1. *cit. p.* 8. *n.* 4. Engl *hic nu.* 104. Reiffenst. *ibid. n.* 36.

23 2. Requiritur, ut Censura imponatur voluntariè, & humano modo *c. cùm voluntate* 54. *h. tit.* quæ voluntas aut verbis, aut signis aliis indicari debet. Dixi *voluntariè*; nam, an voluntas ista debeat esse libera, ita, ut interveniente gravi metu, nulla sit, difficultate non caret. *Ratio dubitandi* est, quia absolutio à Censura, ex hujusmodi metu facta, irrita, & nulla est, ut expressè deciditur *c. un. de his, quæ vi, metusve causa &c.* atqui idem est judicium faciendum de impositione Censuræ, quod de absolutione *can. verbum* 51. *de Pœnit. dist.* 1. ibi: *Dominus par jus & solvendi esse voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permisit*: ergo &c. *Sed dicendum*, quòd metus non impediat valorem Censuræ. Abb. *in c.* 2. *de his, quæ vi metusve causa &c. nu.* 11. Huttad. *de Censur. difficult.* 6. *n.* 24. Coninck *D.* 13. *dub.* 5. *n.* 36. Palao *p.* 5. *cit. n.* 2. Ratio est, quia gesta per metum jure naturæ valida sunt, nisi aliunde Jure positivo irritentur; metus enim, etsi minuat, non tamen tollit voluntarium; atqui Jure positivo latio Censuræ metu facta non reperitur irritata: ergo &c. *Ad Rationem dubitandi* nego paritatem; nam absolutio Censuræ, ex metu concessa, declaratur irrita ob favorem Ecclesiasticæ potestatis, ne scilicet Prælati vexarentur; at impositionem Censuræ irritam esse, non est favor Ecclesiasticæ potestatis, sed ejus, in quem fertur. Accedit, quòd non tam frequenter timeri potest, vexandos Prælatos, ut Censuras imponant, quàm ut ab iis absolvant: ergo irritatio absolutionis non est extendenda ad Censuræ impositionem. Quod additur ex *can. Verbum cit.* intelligendum est per se, & nisi per accidens impediatur; fit autem sæpe, ut habeat Prælatus potestatem ferendi Censuram, & impeditus sit ab absolutione concedenda, prout patet in Incendiario, quem si Episcopus nominatim excommunicavit, non tamen potest absolvere, sed solus Papa:

3. Ferens Censuram debet existere intra proprium territorium; nam extra illud existens etiam sibi aliàs subditum Censura ligare non potest. Abb. *in c. novit* 7. *n.* 3. *de Offic. Legat.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 6. Sayr. *l.* 1. *c.* 14. *n.* 4. Hurtad. *de Censur. diffic.* 6. *n.* 25. Coninck *D.* 13. *dub.* 5. *num.* 39. Palao *p.* 5. *cit. num.* 3. Vallens. *hic* §. 5. *numer.* 2. Pirhing *ibid. n.* 28. & colligitur ex *can. Episcopum* 7. *caus.* 9. *q.* 2. & *Clem. un. de for. compet.* Ratio est, quia extra territorium nemini datum est Jurisdictionem contentiosam exercere, ne Judici illius loci injuriam inferat *c. novit. cit.* & *l. omnes* 2. *ff. de Offic. Proconf.* at ferre Censuram est actus Jurisdictionis contentiosæ, utpote quæ feruntur in invitum, & cum cognitione causæ; ergo &c. *Excipitur* 1. si notoria, & manifesta sit contumacia, ita, ut fieri sententia Excommunicationis possit absque cognitione causæ; vel si præmissa jam sit cognitio causæ in territorio proprio: tunc enim ferri Censura potest extra territorium proprium. Sayr. *l. cit. n.* 6. Palao *n.* 3. *Excipitur* 2. si Episcopus à suis expulsus sit; quia eo casu, petita licentia à loci Ordinario, licèt non obtenta, poterit in sibi subditos Censuram ferre, ut habetur *Clem. un. cit.* & tradunt *Navar. Hurt. Coninck Pal. & alii suprà.* 24

4. Ut justè & licitè quis ferat Censuras, non debet esse ligatus Censura la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 27. neque debet aliqua Lege, aut Superioris præcepto esse interdictus. Palao *n.* 4. Item non debet ex pravo affectu odii, aut vindictæ duci. Palao *l. cit.* & hoc teste omnes. Et hinc nemo potest Censuram per modum Judicii ferre in causa propria; quia judicans in causa propria præsumitur sinistro affectu duci la Croix *l. cit. num.* 20. Dixi *per modum judicii*; nam per modum justæ defensionis ferri Censura potest in causa propria, ut cum *Diana* advertit la Croix *l. cit.* sicut enim vis vi repelli potest, ita licitum est injustum invasorem per Censuram ab injuria arcere. Imò si causa est ita manifesta, ut nec negari posset, nec opus esset examinari, in causa propria Censura ferri posset etiam per modum Judicii. la Croix *loc. citat.* 25

5. Censuram debet præcedere monitio, saltem quoad ligamen. Ita de Censura Excommunicationis expressè traditur. *c. sacro* 48. *h. tit. c. cum medicinalis* 1. & *c. constitutionem* 9. *eod. in* 6. de Suspensione *c. reprehensibilis* 26. *de Appellat.* de Interdicto *c. statutum* 13. *h. tit. in* 6. & universaliter pro omnibus ex omnium sententia tradunt Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 4. *&* 5. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 10. Suar. *D.* 3. *de Censur. sect.* 8. *n.* 8. Coninck *D.* 10. *dub.* 9. *concl.* 3. *n.* 82. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 6. Palaò *p.* 5. *cit. n.* 5. Pirhing *nu.* 34. *&* 37. *hic*. Ratio est, quia Censura fertur ob contumaciam, & inobedientiam actualem. at, qui monitus non est à ferente Censuram, non est illi rebellis, & inobediens. ergo &c. 26

Dub. 1. qualis debeat esse ista monitio, ut licitè feratur censura? Resp. non sufficit, ut sit qualiscunque, sed 1. debet esse trina, vel una tribus æquivalens, sive complectens intervalla temporis, inter tres monitiones interponi solita, *nisi facti necessitas aliter suaserit*, ut loquitur Gregorius IX. *c. constitutionem cit.* Ex defectu tamen trinæ monitionis (modò monitio adsit) Censura non redditur nulla; sed injusta, prout colligitur ex *c. Romana* 5. *h. tit. in* 6. ubi cavetur, ne Judices ferant Sententiam Excommunicationis, vel Suspensionis *absque competenti monitione præmissa, & si contrà præsumpserint, injustas noverint esse illas:* ubi *Glossa* ponderat dictionem *injustas*, & advertit non dixisse *nullas*. *Excipitur*, nisi lata sit contra participantes, & communicantes cum excommunicato ab eodem Judice; hæc enim, ut valida sit, requirit trinam monitionem, ut expressè cavetur *c. statuimus* 3. & *c. statutum* 13. *h. t. in* 6. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 3. Engl *n.* 111. Pirhing *n.* 35. *not.* 2. & *num.* 135. *not.* 1. Konig *n.* 16. Reiffenstuel *n.* 24. 27

2. Hæc monitio debet fieri in scriptis, quæ continere debent causam, pro qua censura imponitur, & tradi reo, cui illa imponitur: quod si verò Judex (nisi fuerit Episcopus) absque urgenti causa solo verbo, & non scripto Excommunicationem intulerit, ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis Officiis ipso Jure suspenditur per mensem, 28

sem', & sic illo tempore Divinis ingesserit, fit Irregularis, prout habetur *c. cùm medicinalis 1. h. tit. in 6.* Palao *p. 5. cit. n. 9.* Vallens. §. 2. *n. 5.* Vviestn. *n.* 23. Reiffenstuel *n.* 25. cum aliis. Dixi, *Nisi fuerit Episcopus*; nam Episcopus sub prædicto Decreto non continetur, cùm illius non fuerit mentio expressè facta, juxta textum *cap. quia periculosum 4. h. tit. in 6.* Vallens. *l. cit.* Addidi *absque urgente causa*; nam ea stante, non solùm validè, sed etiam licitè verbotenus Excommunicatio proferri potest, ut colligitur ex *cap. cùm medicinalis cit.* quod requirit temeritatem; atqui si justa adsit causa, abest temeritas: ergo &c. Imò etsi scriptura omittatur absque legitima causa, & prolatio censuræ verbotenus fiat, propterea tamen probabiliùs valorem suum non perdet, ut contra Sayr. *l. 1. Thesaur. c. 7. num. 16.* docent Coninck *D.* 13. *dub. 9. concl. 5. n.* 89. Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. cap. 6. num.* 1. Palao *l. cit. n.* 10. Ratio est, quia Jure naturæ Scriptura non est necessaria; Jure autem positivo, etsi scriptura requiratur *c. cùm medicinalis cit.* non tamen sic necessariò requiritur, ut aliter prolata censura irritetur.

29 3. Fieri monitio debet coram testibus, qui de illa testati possint, ut traditur *c. sacro 48. pr. h. tit.* ibi, *personis præsentibus idoneis, per quas (si necesse fuerit) possit probari monitio*: item fieri debet ad Rei personam, nisi iste malitiosè latitet; tunc enim citatio ejus fieri posset ad ejus domum, aut valvas Ecclesiæ, vel in alio loco publico, ex quo in Rei notitiam venire possit *c. quoniam 5. §. porro ut lit. non contest. Clem. causam 3. de Elect.* & docent Covar. *in c. alma p. 1. §. 9. num.* 4. Suar. *D. 3. de Censur. sect.* 11. *num.* 2. Coninck *D.* 13. *dub. 9. concl.* 1. Laym. *p. 1. cit. c. 5. n. 4. fin.* Palao *n.* 11. Vallens. *hìc* §. 2. *n.* 3. Pirhing *n.* 35. *not.* 3. Konig *n.* 16. Vviestner *n.* 23. Reiffenstuel *n.* 25.

30 Dub. 2. quando ad Censuræ legitimam prolationem exigatur monitio prævia? Resp. tunc solùm exigitur, quando infligitur per sententiam specialem, & ut vera censura. Atque hinc 1. monitione prævia opus non est, quando non infligitur, ut vera censura, sed magis ut pœna vindicativa, sicut infligitur *c. cum in cunctis 7. §. fin. de Elect. c. sacro cit. pr. c. cum medicinalis. 1. vers. Exemplum h. tit. in 6.* Palao *tr. 5. cit. n.* 5. Vviestner *num.* 20. Reiffenstuel *num.* 28. Porrò suspensio, & Interdictum aliquando sic infliguntur, ut patet ex textibus *citt.* Excommunicatio autem nunquam infligitur, nisi ut vera censura: ac proinde cùm ab homine per sententiam specialem ferenda est, & causa ejus notoria non est, monitio ipsi præmitti debet *c. reprehensibilis 16. de Appellat.*

31 2. Non est opus monitione speciali, quando censura à Jure, vel per sententiam generalem pro futuris culpis lata est; tunc enim ipso facto incurritur; *textus*, & Gloss. *in c. reprehensibilis cit. V. ipso suo genere.* Ratio est, quia ipsum Jus, seu Canon continua quædam admonitio est, & omnibus non ignorantibus loquitur, & inobedientibus pœnam minitari censetur: conf. alia non est opus publicatione, vel monitione, quàm quæ ad constituendam Legem, vel Statutum requiritur. Covar. §. 9. *cit. n.* 5. Suar. *D.* 3. *sect.* 8. *n.* 3. Laym. *c.* 5. *num.* 5. Palao *n.* 11. Pirh. *n.* 36. Vviestner *n.* 21. Reiffenst. *n.* 21. *Excipitur*, nisi aliam admonitionem accedere Jus ipsum in casu aliquo particulari velit, sicut voluisse videtur *Clem. 1. de Decim. & Clem. fin. vers. fin. de Stat. Monach.*

32 3. Non requiritur monitio, si delictum, & ipsa etiam delinquentis non resipiscentis contumacia publica, & notoria foret; cùm enim excessus notorius excusatione, examinatione, & probatione non indigeat *can. manifesta 15. &c. caus. 2. q. 1. c. bonæ 23. vers. porro de Elect. c. evidentia 9. de Accusat.* casu, quo delictum, & contumacia publica, & notoria est, sententia Excommunicationis &c. præviam monitionem necessariò non exposcit. Suar. *D.* 3. *sect.* 10. *n.* 18. Laym. *c.* 5. *cit. n. 6. fin.* Palao *n.* 12. Vviestner *n.* 22.

33 Dub. 3. an siquis commisit delictum, cui ipso Jure annexa censura est latæ sententiæ, Judex eundem absque prævia monitione declarare, & denuntiare possit, tanquam ligatum Censura? Resp. posse, modò delictum publicum sit, & notorium, neque delinquens ejusdem pœnituerit. Ita Navar. *l. 5. cons. 20. de Hæret. n. 5. edit.* 2. Suar. *sect.* 10. *cit. n.* 18. Laym. *n.* 6. Palao *n.* 12. colligitur ex *can. manifesta c. bonæ, & c. evidentia citt.* & apertius ex *c. reprehensibilis 26. de Appell.* ibi, *Præsenti Decreto statuimus, ut nec Prælati, nisi Canonica monitione præmissa, suspensionis, vel Excommunicationis sententiam ferant in subjectos, nisi fortè talis sit culpa, quæ ipso suo genere Suspensionis, vel Excommunicationis pœnam inducat.* Ratio est manifesta, quia denuntiatio non est novum vinculum, & Censura, ut dicitur *c. Pastoralis 53. §. verum de Appell.* ergo non adest causa, ob quam monitio prærequiratur.

Debet tamen delictum notorium esse vel præsentia, 34 vel ipso facto, ita, ut nulla tergiversatione celari possit, aut excusationem admittere; alias ea declaratio illicita esset contra Jus naturæ, & Juridicum ordinem procedendi. Prætereà requiritur, ut reus non pœnituerit; nam si absolutionem à Censura postulaverit reus, vel satisfactionem obtulerit, non est denuntiandus, sed potius absolvendus juxta textum *c. qua fronte 21. de Appell.* cùm finis censuræ obtentus sit, qui est delinquentis correctio & emendatio. Palao *n.* 12. *cit.*

Quæritur 5. in quos ferri Censura possit? Resp. ferri 35 solum potest in fideles baptizatos, rationis, & doli capaces, viatores, sive deinde sint Laici, sive Clerici, modo subjecti sint Jurisdictioni ferentis censuram. Atque hinc censuræ incapaces sunt.

1. Creaturæ irrationales, utpote quæ nec potestati 36 Ecclesiasticæ subduntur, nec culpam committere possunt, ob quam censura fertur. Neque refert, quòd aliquando hujusmodi creaturas irrationales, si fidelibus noceant, Ecclesia suis precibus anathematizet; quia Anathema illud non punitionem, quæ culpam supponit, sed execrationem duntaxat, & detestationem quandam spectat Palao *tr. 29. D. 1. p. 6. num.* 1. Vviestner *num. 6. hìc vers. primò.*

2. Pagani, & Judæi, etiamsi Cathecumeni jam sint, 37 juxta illud Apostoli: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare 1. Corinth. 5. v.* 12. quia, ut Trid. *sess.* 14. *c. 2. de Pœn. Sacr.* ait, *Ecclesia in neminem Judicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.* Secus est de Hæreticis Apostatis, & Schismaticis; quia hi per Baptismum; quem susceperunt potestati Ecclesiæ subjecti sunt, à qua per lapsum in crimen Hæresis, vel Apostasiæ eximuntur *can. de Judæis 5. dist. 45. c. majores 3. §. item quæritur de Bapt.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n.* 1. Palao *p. 6. cit. n. 1. vers. secundò.* Vallens. *hìc* §. 6. *n.* 1. Engl *n.* 3. Pirh. *n.* 26. Konig *n.* 10. Reiffenstuel 15. & 16.

3. Infantes, furiosi, & alii usu rationis carentes; quia 38 sine isto neque delicti, & contumaciæ, neque correctionis, & emendationis capaces sunt. Quodsi tamen hujusmodi furiosus, vel amens, antequam in furorem, vel amentiam incidit, causam censuræ dedit, haud dubiè ligatus maneret censura etiam, postquam furiosus, vel amens effectus est; quia usus rationis, & libera voluntas solùm requiritur ad causam censuræ apponendam, non verò ad ipsam censuram contrahendam. Suar. *D. 5. de Censur. sect. 1. n.* 20. Laym. *c.* 4. *cit. num.* 3. Palao *n. 1. cit. vers. quartò*, la Croix *tom.* 8. *l. 6. n.* 39. Si tamen amentia esset perpetua, à Censura antea contracta absolvi deberet, ut notat Suar. *sect. 1. cit. n.* 21. Laym. *n. 3. cit.* Palao *l. cit.* la Croix *n.* 40. *& seqq.* quia Censura est pœna medicinalis: & propterea non expedit ea ligatum esse, qui per ipsam emendari non potest.

4. Mortui, ut contra Tabien. *V. Excommunicatio nu.* 39 4. notat Sylv. *V. eod. 1. n.* 7. Navar. *Man. c. 27. nu.* 13. Covar. *in c. alma p. 1. §. 11. n.* 8. Azor *p. 2. l. 5. c. 26. q.* 2. Suar. *sect. 1. cit. n.* 3. Laym. *n.* 2. Palao *l. cit. vers. tertiò.* Vallens. §. 6. *n.* 3. Engl *n.* 3. & 4. Pirh. *nu.* 26. Konig *n.* 10. Vviestn. *n.* 8. Magnif. P. Schmier *p. 1. de delict. c. 3. n.* 108. & constat ex *can. de communione 1. can. legatur 2. can. nec quisquam 4. caus. 24. q. 2.* Ratio est, quia si ligari Censura mortui possent, hoc fieret, vel quoad animam, vel quoad corpus: non ratione corporis; quia est quid inanimatum incapax subjectionis: non ratione animæ; quia hæc est quid Spirituale, invisibile, & subjici nequit Ecclesiæ visibili. *Conf.* vel enim hujusmodi mortui anima est in cœlo, vel in purgatorio, vel in inferno. Si in cœlo, vel in purgatorio, non est in eo statu, quo affici Censura possit, utpote grata Deo: si in inferno, corrigibilis non est: ergo &c. *Neque obstat*, quòd *canon. fin. caus. & q. cit.* Hæretici etiam post mortem anathemate feriri, & *cap. à nobis 28. h. tit.* exco-

coma-

communicati, qui cum signis Pœnitentiæ decesserunt, absolvi jubeantur. Nam quod Hæreticos attinet, ii post mortem non tam excommunicantur, quàm ut tales declarantur, ad terrorem fidelibus incutiendum, ne cum mortuis in sepultura, vel precibus publicis communicent, quibus viventibus communicare non poterant. Absolutio verò, quæ impertitur Excommunicatis, qui cum pœnitentiæ signis decesserunt, directè non ad ipsos, sed ad vivos porrigitur, quatenus isti solvuntur obligatione, ne in Excommunicatione defuncti cadaver sepeliant in loco sacro.

40 5. Qui Jurisdictioni Ordinariæ, vel Delegatæ ferentis Censuram subjecti non sunt *c. à nobis* 21. *h. tit. & c. cùm inferior* 16. *de major.* quia Superior Jurisdictionem, & Superioritatem in alium, quàm sibi subditum exercere non potest. Palao *num.* 3. & hoc teste omnes. Et hinc Censura nullatenus ligari potest 1. Summus Pontifex; quia Superiorem in terris non habet, & Leges ab ipso latæ eundem quoad vim saltem coactivam non obligant. Laym. *c.* 4. *cit. n.* 4. Palao *p.* 6. *n.*3. Pirhing *n.*26. Vvиestner *num.* 9. Reiffenstuel *num.* 18. *Excipitur*, si Papa deprehendatur devius à Fide; tunc enim Concilium posset eum per censuras cogere, ut pareat: *can. si Papa* 6. *dist.* 40. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 22. Videatur Bellarm. *de Pontifice l.* 2. *quæst.* 30. quæstionem istam fusè pertractans. 2. Archiepiscopus ferre censuram non potest in subditum Episcopi Suffraganei, nisi visitet actu, vel ad ipsum devolvatur causa per Appellationem *c. venerabilibus* 7. *h. tit. in* 6. la Croix *l. cit. num.* 29. 3. Episcopi ex speciali privilegio Juris non ligantur censura Suspensionis, & Interdicti generaliter lata, nisi mentio ipsorum expressa fiat *c. quia periculosum* 4. *h. tit. in* 6. ne, ut *ibidem* dicitur, impediantur in exercitio Officii sui. Vviestn. *num.* 9. Reiffenstuel *num.* 19. Secus videtur dicendum de Censura Excommunicationis; quia de hac *in cap. cit.* non fit mentio, nec in positivis valet Argumentum à pari: la Croix *n.* 34. & apud hunc Suar. Dicast. Gibalin. 4. Rex, & Imperator ob eorum supremam dignitatem hodie censurari non possunt ab Episcopis, sed id sibi reservat Summus Pontifex Avil. *p.* 2. *de Censur. c.* 4. *D. un. dub.* 4. Palao *p.* 6. *cit. n.* 3. Vviestner *num.* 9. *fin.* Reiffenstuel *num.* 20. la Croix *num.* 33. 5. nemo incurrit censuram à se latam; quia nemo tenetur suis Legibus: la Croix *num.* 35. Potest tamen quis occasione censuræ à se latæ incurrere censuram ab alio latam, ut siquis conversetur cum alio à se excommunicato; nam talis incurret Excommunicationem minorem, à Papa in communicantes cum Excommunicato latam, sicut qui celebrat in Ecclesia à se interdicta, probabilius fit Irregularis: la Croix *l. cit.*

41 Dub. 1. an ultra usum rationis ad incurrendam censuram etiam requiratur pubertas? Non conveniunt satis DD. Ugolin. *de Censur. c.* 17. §. 3. *n.* 5. affirmant requiri pubertatem, eò, quòd ante illam ætatem non satis percipiant Ordinem Judiciarium, neque impubes in Judicio admittatur ad se defendendum, vel agendum, juxta *c. fin. de Judic. in* 6.

42 Sed respondendum videtur cum distinctione; nam censuræ latæ à Jure impuberes rationis compotes capaces sunt. Suar. *D.* 5. *de Censur. sect.* 1. *num.* 17. Coninck *D.* 13. *dub.* 6. *num.* 45. Hurtad. *de Censur. diffic.* 7. *nu.* 30. Palao *p.* 6. *cit. n.* 2. & hoc supponit *cap. super eo* 1. *& cap. fin. h. tit.* quoad Excommunicationem Canonis ob percussionem Clerici. Ratio est, quia nullo Jure eximuntur, & cùm culpam committere possint, cui annexa censura est, non est, cur à censura excusentur. Idem videtur dicendum de censura lata per Statutum, nisi contrarium constet ex consuetudine. Censuræ ab homine ferri quidem, & ipsæ adversùs impuberem possunt, non tamen conveniens est in eos ferri: quod etiam usus, & consuetudo satis recepta probat; nunquam enim directè Censura solet in impuberes ferri. Dixi *directè*: nam indirectè, & consequenter, non est dubium impuberes Censura ligari, ut contingit in Interdicto generali populi, quod impuberes rationis usum habentes comprehendit.

43 Neque obstat ratio Ugolini; etsi enim impubes Ordinem Judiciarium ignoret, de illo tamen instrui potest, sicut alii puberes, Ordinem Judiciarium ignorantes, instruuntur. Accedit, quia respondere per Procuratorem potest.

Dub. 2. utrum tota aliqua Communitas Censura ligari possit? Resp. cum distinctione; nam Censura Excommunicationis Communitas ligari nequit, sed tantùm illi de Communitate, qui specialiter sunt culpabiles *c. Romana* 5. *vers. in universitatem h. tit. in* 6. sunt enim plerumque in Communitate nonnulli, qui vel planè sunt innocentes, vel minus, quàm cœteri, nocentes: ut adeò nimis asperum, & acerbum foret, si pœnam æqualem, & æquè severam cum nocentibus sustinere deberent *can. satis perversum* 7. *dist.* 56. *can. si habes* 1. *caus.* 24. *q.* 3. Navar. *Man. c.* 17. *nu.* 13. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 1. *num.* 6. Palao *p.* 6. *cit. n.* 3. Vallens. §. 6. *num.* 2. Engl *num.* 37. Pirhing *num.* 27. Reiffenstuel *num.* 89. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *num.* 113. *Excipitur*, nisi constaret, omnes & singulas personas alicujus Collegii, aut Universitatis esse reas, aut participes alicujus delicti, & in eo contumaciter persistere; tunc enim omnes sive totum Collegium, aut Universitas excommunicari poterit. Pirhing *l. cit.* 44

Quoad Censuram Suspensionis dicendum, eam quidem in Communitatem ferri posse, & tenere, licèt in hac aliqui sint innocentes: quoad effectum tamen est distinguendum; nam talis Suspensio in Communitatem lata membra innocua quidem afficit quoad functiones & jura Communitati qua tali collectivè competentia, non verò quoad functiones, & jura, quæ singulis sigillatim competunt. Pal. *D.* 4. *p.* 3. *n.* 3. Vviestn. *n.* 11. Magnif. P. Schmier *l. cit. n.* 115. 45

Interdictum autem id habet singulare, quòd integram Communitatem, & in hac etiam innocentes obstringat, si generale sit *c. si Civitas* 17. *h. tit. in* 6. Neque per hoc Censuram ferens ullius injustitiæ valet argui; quia per tale Interdictum innocentes propriè loquendo non puniuntur, sed Ecclesia justas ob causas sua beneficia, & officia subtrahit tam nocentibus, quàm innocentibus. P. Schmier *num.* 116. 46

Dub. 3. an Episcopus ferre possit Censuram in peregrinum in sua Diœcesi commorantem? Lugo *l.* 6. *Respons. mor. D.* 22. & alii putant, non posse; quia non habet potestatem in personam, in quam deberet ferri sententia. Alii tamen cum Engl *num.* 35. & la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 32. contradicunt; quia sicuti possunt ferri Leges, quibus obligantur peregrini, v. g. de non gestandis armis, ita illis Legibus potest addi Censura, & talis peregrinus ratione delicti fit subditus tali Episcopo *cap. fin. de for. Comp.* 47

Hinc ut idem la Croix *l. cit.* cum Gibalino docet, & *Declaratione Cardd.* confirmat Pignat. *tom.* 1. *consult.* 170. *n.* 8. Episcopus potest ferre Censuram in alium Episcopum, imò etiam in Archiepiscopum in territorio sui Episcopi Suffraganei commorantem, & delinquentem; quia quamvis sint pares, aut etiam superiores Dignitate, tamen ratione delicti sint subditi illius territorii. 48

Dub. 4. an Censuram incurrat, qui commisit delictum extra Diœcesim, vel territorium Superioris sui statuentis Censuram? Respond. distinguendo; nam si prohibitio facta sit per Statutum territoriale, Censura in delinquentes lata non afficit existentem extra territorium statuentis Censuram, ut expresse deciditur *cap. fin. de Const. in* 6. Secus est, si Episcopus per sententiam, vel speciale præceptum alicui sub tali Censura prohibuit delictum; hanc enim incurreret absens, quamvis contra eum extra Diœcesim non posset cum strepitu forensi institui actio: la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 43. 49

Debet tamen ad hoc considerari non tam præsentia physica, quàm moralis; contingit enim aliquando subditum esse corporaliter extra territorium Excommunicantis, & tamen delinquere in territorio excommunicantis, ut si lata esset Excommunicatio in Diœcesi Augustana adversùs Parochos ultra duos menses absentes à suis Parochiis: & hoc casu ligarentur Parochi dictæ diœcesis, etsi morarentur in alia Diœcesi; quia moraliter in Diœcesi Augustana reputantur existere, siquidem ibi committunt delictum non residendo, ut optime notant Coninck *D.* 13. *dub.* 7. *concl.* 6. *&* 7. *n.* 6. *&* 62. Palao *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 3. *num.* 3. 50

Dub. 5. an possit quis duplici Censura affici, quæ ejusdem sit rationis? *Ratio dubitandi* est, quia privatio non suscipit magis, & minus; igitur cùm quælibet ex his Censuris sit privatio Spiritualium bonorum, nequit, posita una Censura, alia ejusdem rationis succedere, aliàs succe- 51

derent

derent duæ privationes ejusdem numero formæ in eodem subjecto, quod est impossibile.

52 Sed his non obstantibus, dicendum, ob diversas causas posse aliquem diversis Censuris ejusdem rationis ligari. Ita Sylv. *V. Excomunicatio* 1. *nu.* 10. Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *concl.* 3. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 11. *nu.* 13. Suar. *D.* 5. *de Censur. sect.* 3. *nu.* 1. *& seqq.* Molin. *tr.* 3. *D.* 31. *nu.* 3. *&* 7. Garc. *p.* 8. *de Benefic. c.* 3. *n.* 86. Dicast. *D.* 1. *à num.* 267. Palao *D.* 1. *p.* 6. *n.* 5. Pellizar. *tr.* 7. *c.* 1. *n.* 67. Reiffenstuel. *hic n.* 85. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *nu.* 87. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 117. & colligitur ex *c. cum pro causa* 27. *h. tit. Clem. gravis* 2. *eod.*

53 Ratio est, quia Excommunicatio, & quævis alia censura non tam est privatio, quàm vinculum morale causans privationem; atqui vinculum morale multiplicari potest, tametsi privatio non multiplicetur, uti manifestè patet in peccatis mortalibus, quorum quodlibet ita hominem privat gratia, ut etiam aliud, quantum est in se, privet. *Hinc cadit ratio dubitandi in oppositum*; quamvis enim privatio non suscipiat magis, & minus in se, bene tamen in ordine ad causam. Manifestum hoc etiam est in naturalibus; nam cubiculum privari luce potest ex multiplici ratione impediente, tametsi existat unica privatio lucis.

54 Imò probabile est, quòd possit aliquis ob eandem causam, & idem delictum ligari censura duplici ejusdem rationis, una à Jure, altera ab homine, item una ab hoc Superiore, vel Judice, altera ab alio, si adsit respectu cujuscunque Judicis specialis contumacia, & inobedientia. Suar. *D.* 5. *cit. sect.* 2. *num.* 13. Dicast. *nu.* 271. Palao *n.* 6. la Croix *num.* 88. Ratio est, quia esto, quòd eadem sit causa materialis est tamen diversa causa formalis scilicet diversa contumacia, & inobedientia. Addit Palao *l. cit.* toties multiplicari censuras, quoties multiplicantur transgressiones, quibus annexa censura est.

55 Quæritur 6. quam ob causam ferri in aliquem censura possit? Satis conveniunt DD. 1. censuram non posse ferri, nisi ob culpam; quia est pœna medicinalis, quæ necessariò supponit culpam corrigendam. 2. hanc culpam debere esse proportionatam censuræ; aliàs committetur injustitia, ut colligitur ex *c. felicis* 5. *de Pœnis in* 6. ibi, *Judex pœnam metietur ex culpa*. 3. culpæ isti debere accedere contumaciam in Ecclesiam aliquid præcipientem, vel prohibentem sub censura; quia ad hanc maximè puniendam, & corrigendam infligitur *c. parte* 23. *de V. ex S. & c. cùm medicinalis* 1. *h. tit. in* 6. Hinc censuræ obnoxium non est peccatum, prohibitum solo Jure naturali, vel Divino. Abb. *in c. qua fronte* 25. *de Appell. n.* 10. Suar. *D.* 4. *de Censur. sect.* 5. *nu.* 6. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *num.* 2. Vviestn. *hic n.* 14. Reiffenst. *ibid. nu.* 11. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 47. quia tale peccatum, nisi simul Lege Ecclesiastica prohibitum sit, inobedientiam, contemptum, aut contumaciam contra potestatem Ecclesiasticam nullam continet.

56 Dub. 1. an ob culpam venialem censura infligi possit? *Rationem dubitandi* faciunt textus aliqui, præsertim *can. si quis* 22. *dist.* 23. *c. si quis* 4. *de Vit. & honest.* quibus videtur ob causam levem, scilicet nutritionem comæ, ferri Excommunicatio. *Conf.* in casu vulgari devastatorum vineæ, in quos, licèt singuli quantitatem levem duntaxat diripuerint, neque unus in alterius damnificationem consenserit, Judices Ecclesiastici ad instantiam damnificati solent promulgare Excommunicationem, nisi damnum à se datum reparent, & ablatum restituant.

57 Sed dicendum, Excommunicationem majorem, Suspensionem, & Interdictum, prout communiter feruntur, ob culpam venialem injungi non posse. Ita ex omnium sententia tradunt Navar. *Man. c.* 27. *nu.* 9. Covar. *in c. alma p.* 1. *§.* 9. *n.* 1. Avil. *p.* 2. *de Censur. c.* 5. *D.* 1. *dub.* 2. Suar. *D.* 4. *de Censur. sect.* 4. *n.* 2. Sanch. *l.* 6. *mor. c.* 4. *n.* 56. Vasq. *tom.* 2. *D.* 158. *cap.* 5. Hurtad. *de Censur. diffic.* 10. *n.* 43. Coninck *D.* 13. *dub.* 8. *concl.* 2. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 1. *p.* 7. *n.* 2. Engl *hic n.* 6. Pirh. *n.* 30. Konig *n.* 12. Vviestner *n.* 10. Reiffenst. *n.* 8. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 47. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 123. & colligitur ex *can. nemo* 41. *can. nullus* 42. *& c. caus.* 11. *q.* 3. & Trid. *sess.* 24. *c.* 3. *de Reform.* Ratio est, quia sunt pœnæ gravissimæ, ac proinde improportionatæ ad culpam levem.

58 Atque hinc etiam sequitur, casu, quo quis per ignorantiam, inadvertentiam, vel aliam causam excusatur à culpa gravi, cui Excommunicatio, Suspensio, vel Interdictum annexum est, eum etiam excusari ab his pœnis, ne illas incurrat, ut bene advertit Laym. *nu.* 1. *cit.* & Palao *nu.* 2. consonum namque est non privare subsidiis Regni Cœlestis, qui per peccatum se non privavit, ut dixit S. Thom. *in addit. p.* 3. *q.* 21. *art.* 3.

Dixi, *Excommunicationem majorem, Suspensionem, & Interdictum, prout communiter feruntur*; nam Excommunicatio minor lata à Jure in omnium sententia propter peccatum veniale incurritur: & ratio est, quia etsi maximis bonis privet, scilicet Sacramentorum receptione, facile tamen tolli potest, cùm quilibet Sacerdos Jurisdictionem habens, ut *n.* 265. dicetur, ab ea possit absolvere. Palao *n.* 7. Eodem modo potest aliqua Suspensio, vel Interdictum personale purum à Judice generaliter ferri ob peccatum veniale, si talis Suspensio, vel Interdictum, quod in pœnam ejusdem fertur, reservatum non sit, & minoribus commodis privet, quàm Excommunicatio minor. Palao *l. cit.* Konig *n.* 12. Reiffenst. *n.* 9. la Croix *n.* 47. Schmier *n.* 126. 59

Neque obstat Ratio dubitandi allata; nam etsi causa, in se spectata, sit levis, ex circumstantiis tamen potest fieri gravis, atque adeò capax harum pœnarum. *Ad Conf.* quamvis non pauci cum Navar. Covar. Petr. Navar. censeant Excommunicationem prædictam nullo modo ligare eos, qui solùm levem quantitatem restituere tenentur, communior tamen cum Sot. Cord. Sayr. Henriq. Less. Suar. Barbos. &c. quos citat, & sequitur Palao *D.* 2 *de Censur. p.* 3. *n.* 7. docet, singulos obligari suam quantitatem levem restituere; alias Excommunicationem incursuros: in qua sententia respondendum, quod dictum est ad Rationem dubitandi; nam impossibile est damnum grave, domino vineæ minutis singulorum furtis illatum, reparare, nisi singuli ea minuta furta restituant: ergo singulorum restitutio, etsi levis quantitatis subreptæ, graviter conducit ad damni illati reparationem; at quoties finis præcepti gravis est, & res, quæ præcipitur, prædicti finis consecutioni est necessaria, gravis est obligatio illam exequendi; quia gravitas præcepti non desumitur tantùm ex gravitate materiæ in se spectata, sed ex gravi, vel levi convenientia, quam habet cum fine intento. 60

Dub. 2. an ad censuram incurrendam sufficiat actus internus? Affirmat Gloss. *in Clem.* 1. *de Hæret.* & alii apud Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 8. *n.* 2. quibus novissimè accedit Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. cap.* 3. *num.* 134. *& seqq.* Fundantur 1. *Clem.* 1. *cit.* ubi *§. verùm* excommunicantur Inquisitores, qui odio, vel amore ducti aliquid contra muneris sui obligationem omittunt, vel faciunt. Sed hic est actus internus: ergo &c. 2. Judex obligatus defendere Clericum à percussione, si id nolit, incidit in Excommunicationem Canonis; at hæc nolitio internum quid est: ergo &c. 3. Ecclesia actus internos præmiare potest, concedendo v. g. Indulgentias Orationi mentali. ergo poterit iisdem etiam statuere pœnam per censuram. 4. si actus internos Ecclesia afficere censura non posset, id proveniret ex defectu Jurisdictionis; atqui Ecclesia habet Jurisdictionem in actus merè internos, cùm ejus potestas Spiritualis sit: ergo &c. 5. imò potestatem istam Ecclesia quoad actus internos de facto exercet; sic enim dispensat, & irritat Votum purè mentale, absolvit, & reservat peccata interius consummata, obligat ad actum Fidei supernaturalem, quando res Fidei proponit, aut de Fide quis examinatur &c. ergo potest etiam actus merè internos punire. 61

Sed verior videtur negativa, scilicet actum purè internum ad censuram incurrendam non sufficere. Ita Navar. *Man. c.* 23. *n.* 38. *& c.* 27. *n.* 56. Covar. *Reg. peccatum p.* 2. *n.* 7. Suar. *D.* 4. *de Censur. sect.* 2. *nu.* 1. Vasq. 1. 2. *D.* 160. Coninck. *D.* 13. *dub.* 8. *concl.* 4. *n.* 71. Hurtad. *de Censur. diffic.* 11. *n.* 49. Laym *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *nu.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 1. *p.* 7. *n.* 4. Engl. *hic n.* 6. Pirh. *n.* 31. Konig. *n.* 13. Vviestner. *n.* 13. Reiffenst. *nu.* 25. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 47. id desumentes ex *can. cogitationis* 14. *de Pœnit. dist.* 1. ubi Glossa dicit, cogitationis pœnam neminem pati ab homine, sed à DEO. *Ratio est*, quia Ecclesiæ potestas anterior, sicut præcipere, & prohibere, sic etiam judicare, & punire nequit actus merè internos, utpote non cadentes sub sensum & cognitionem humanam *c. sicut* 33. *fin. & c. seq. vers. fin. de Simon.* 62

Neque dicas, saltem ab Ecclesia posse censuram ferri in actus 63

in actus merè internos in forma Legis, aut Constitutionis, ita, ut qui actum prohibitum sola mente commiserint, ipso facto, & jure, citra Judicium, & processum, Censuram incurrant. *Nam contra est*; quia ut S. Thom. 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. docet, de his potest homo legem ferre, de quibus potest judicare. igitur cùm Ecclesia de actibus merè internis judicare nequeat, nec Legem ferre de iis potest. Confirmari hæc possunt ex dictis *Libr.* 1. *Tit.* 1. *n.* 21. ubi negavi, actus merè internos directè cadere sub Legem humanam posse.

64 Imò ut incurratur censura, peccatum illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundùm proprietatem verborum, quæ in præcepto, seu Lege infligente censuram continentur. Navar. *l.* 5. *cons.* 37. *numer.* 2. *h. tit.* Suar. *D.* 4. *sect.* 3. *n.* 4. Avil. *p.* 1. *dub.* 11. & *p.* 2. *c.* 5. *D.* 3. *dub.* 5. Sanch. *l.* 3. *de matr. D.* 2. *n.* 5. *sub fin.* Coninck *D.* 13. *dub.* 8. *concl.* 7. Palao *p.* 7. *cit. n.* 10. Colligitur apertè ex *c. perpetuo* 7. *de Elect. in* 6. ubi dicitur eligentes indignum non incurrere Juris pœnas, *nisi adeò in eo perstiterint, quòd ex votis eorum communis electio subsequatur*. Ratio est, quia Leges pœnales strictè, & propriè accipiendæ sint.

65 Neque obstant Argumenta *n.* 61. in contrarium allata. *Ad* 1. allegatus ibidem textus intelligi debet de amore, vel odio prodeunte in actum externum vitiosum; & indicem pravi affectus interni. *Ad* 2. non defendere Clericum est omissio externa, & sensibus cognoscibilis. *Ad* 3. dum Ecclesia concessione Indulgentiarum præmiat actus internos, directè circa illos Jurisdictionem externam nullam exercet, sed eos solùm ponit pro conditione, qua posita indulgentias vult obtineri. *Ad* 4. etsi potestas exterior Ecclesiæ Spiritualis sit, quia tamen hominibus inest, qui corporales sunt, idcirco non extenditur ad res purè Spirituales, sed quatenus per corporales manifestantur. *Ad* 5. in exemplis allatis Ecclesia nulla utitur Jurisdictione in actus merè internos; nam *primò* dispensatio, & irritatio Voti propriè non versatur circa actum internum voti, qui transiit, sed circa obligationem moralem inde resultantem, & moraliter perseverantem, quam Ecclesia nunquam solvit, nisi postquam exterius manifestata eidem est. Similiter non solvit peccata interna, nisi manifestata in Confessione; dum verò illa reservat, non tam in ipsa, quàm in Confessarium, cui potestatem absolvendi restringit, Jurisdictionem exercet. Denique dum res Fidei proponit Ecclesia, non tam Ecclesia, quàm Lex Divina, & naturalis obligat ad actum Fidei, exercendum circa rem propositam ut credendam.

66 Dub. 3. an censura ferri possit propter peccatum merè præteritum in ejus punitionem? *Rationem dubitandi* faciunt complures textus, in quibus videtur censura ferri pro peccato præterito. Nam 1. *canon. quidam* 2. *caus.* 5. *q.* 1. Gregorius excommunicavit libelli cujusdam authorem, nisi se proderet, & malitiam fateretur, aut libelli veritatem probaret. 2. *canon. inter querelas* 27. *caus.* 23. *q.* 4. idem Gregorius reprehendit quidem Episcopum, qui in sua communicationis sententiam tulit pro vindicanda injuria sibi illata, non tamen censet, sententiam istam fuisse nullam. 3. *can. duo sunt* 10. *dist.* 96. refertur Innocentius excommunicasse Arcadium, & Ambrosius Theodosium ob factum absolutè præteritum. 4. *can. Guillisarius* 30. *q.* 4. *cit.* Sylverius Papa anathematizavit eos, qui eum comprehenderunt, & miserunt in exilium. 5. *can. fin. caus.* 2. *q.* 1. Nicolaus Papa absque ulla monitione excommunicat duos Episcopos, eò quòd Lothario in suis sceleribus faverent.

67 Sed nihilominus dicendum, non posse infligi censuram propter peccatum merè præteritum, sive quod omnino cessat, & cum inobedientia, vel contumacia præsente non est conjunctum. Ita Navar. *Man. c.* 27. *n.* 9. Covar. *in c. alma p.* 1. *§.* 9. *n.* 4. & *§.* 10. *nu.* 1. & *seqq.* Suar. *D.* 4. *sect.* 5. *nu.* 6. Coninck *D.* 13. *dub.* 9. *num.* 78. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *n.* 3. Palao *D.* 1. *p.* 7. *n.* 8. Pirh. *hic n.* 32. Konig *n.* 15. Vviestner *num.* 15. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *num.* 47. & sumitur ex *cap. ex parte* 23. *de V. S. c. per tuas* 40. *c. sacro* 48. *h. tit. c. cum medicinalis* 1. *c. Romana* 5. *vers. porro c. constitutionem* 9. *eod. in* 6. Ratio est, quia censuræ, tanquam pœnæ medicinales, præcisè introductæ sunt, ut suæ gravitatis horrore à peccato committendo, & inobedientia continenda absterreant delinquentes; tales autem non forent, si in solius delicti perpetrati pœnam resipiscenti, & satisfactionem debitam præstare parato infligerentur: ergo &c.

Neque obstant Argumenta proposita. *Ad* 1. Gregorius ibi non excommunicavit libelli authorem, sed usum Eucharistiæ sub Excommunicatione eidem interdixit, donec se manifestaret. *Ad* 2. Episcopus ille Excommunicationem tulit non pro injuria sibi facta, sed ut sibi fieret competens satisfactio: reprehenditur tamen à Pontifice; quia alienum est à Pastore Ecclesiæ in propria causa per modum sententiæ Censuram ferre. *Ad* 3. Innocentius Arcadium, & Ambrosius Theodosium excommunicarunt, nisi resipiscerent, & pro tanto facinore satisfactionem exhiberent: hinc illa posita, sunt absoluti. *Ad* 4. Sylverius illos excommunicavit, quia in exilio ipsum detinebant, ut constat ex textu *can. cit.* *Ad* 5. Episcopi non excommunicantur illo textu, sed deponuntur ab Officio Sacerdotali: quod ob culpam præteritam fieri potest, cùm depositio censura non sit. 68

Dub. 4. an censura imposita contra facientes, seu committentes aliquod delictum comprehendat etiam mandantes, & consulentes committi? Affirmant aliqui cum Sylv. *V. Excommunicatio* 9. *num.* 79. & Rosell. *V. eod.* 1. *cas.* 43. *nu. ult.* Fundantur; quia mandans, & consulens delictum, etsi physicè illud non committant, committunt tamen illud moraliter, & secundùm communem æstimationem. *Conf.* variis textibus; nam 1. *cap. mulieres* 6. *§. illi vero h. tit.* deciditur mandantes Clericum percutere eadem Excommunicatione ligari, qua ligantur percutientes: redditur ibi ratio; *cùm is committat verè, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur*. 2. *cap. nuper* 29. *vers. in primo eod.* inquit textus: *Cùm facientem, & consentientem par pœna constringat*: & confirmatur ex *Reg. is damnum* 169. *ff.* ibi, *is damnum dat, qui jubet dare*. 3. *l. nihil interest* 15. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* ait textus: *Nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat*. 4. *c. ita quorundam* 6. *de Judæis* excommunicantur deferentes prohibita ad Sarracenos, & *cap. significavit* 11. *eod.* declarantur eadem Excommunicationem incurrere, sive propria persona, sive per nuntios deferant. 5. *cap. nuper* 29. & *cap. si concubinæ* 55. *h. tit.* excommunicantur participantes in crimine criminoso cum excommunicato; at mandans, & consulens delictum, cui annexa est Excommunicatio, participat in crimine, ob quod Excommunicationem incurrit illud committens: ergo &c. 69

Sed longè probabilius est, censuram, quæ lata est adversùs committentem aliquod crimen, non afficere mandantem, vel consulentem, nisi in Lege, vel præcepto hoc exprimatur. Ita Armill. *V. Excommunicatio n.* 2. Tabien. *V. eod.* 5. *cas.* 49. *nu. ult.* Cajet. *V. eod. paulò post pr.* Navar. *Man. c.* 27. *nu.* 51. Sanchez *l.* 3. *de Matr. D.* 49. *n.* 2. Hurtad. *de Censur. Diffic.* 14. *nu.* 53. Palao *p.* 7. *cit. n.* 12. Pignat. *tom.* 9. *consult.* 11. *nu.* 2. Pirhing *hic nu.* 33. Konig *ibid. n.* 14. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *num.* 57. Ratio est, quia Leges imponentes censuram, utpote odiosæ, & pœnales strictè sumendæ sunt; atqui mandans, & consulens delictum, propriè, & in rigore dici nequit illud delictum facere, ut docet Bartol. *in l. sed si unus, §. servus n.* 2. *ff. de Injur. Conf.* quia mandatum, & consilium præcedunt factum, & ad ipsum perpetrandum dirigunt, illiusque causa moralis sunt; non igitur sub facto comprehendi debent. *Excipitur*, casus, quo Lex, nisi etiam mandantes, & consulentes comprehendantur sub censura, redderetur inutilis ferme, & frustratoria; tunc enim etiam ad hos extendi deberet, ut colligitur ex *cap. si civitas* 17. *h. tit. in* 6. 70

Neque obstant Argumenta opposita; etsi enim mandans, & consulens absolutè dici possint delictum committere, non tamen in sensu proprio, & rigoroso; nam delictum committere in sensu rigoroso non moralem, sed physicam actionem significat, prout colligitur ex *c. fin. de Cler. pugn. in duell.* ubi pugil verè homicida dicitur, non autem mandans. Neque aliud probant textus allegati. *Ad* 1. etsi mandans committat in Legem, quæ percussionem prohibet, non tamen verè percutit: & hinc ut comprehenderetur sub Lege statuente percutientibus censuram, opus fuit nova Lege, & Decreto *c. mulieres cit.* *Ad* 2. id intelligendum est non de eadem pœna secundum proprietatem, sed secundùm similitudinem, cùm consentientes verè delinquant in Legem. Idem respondendum ad *Reg. is damnum* 71

damnum cit. Ad 3. fit quidem delictum à mandante, & consulente moraliter, non autem physicè, & propriè, ut dictum est. *Ad* 4. ibi extensio censuræ fit etiam ad eos, qui deferunt arma ad Sarracenos per interpositam personam, ne Lex pœnalis censuram itrogans frustratoria redderetur. *Ad* 5. excommunicantur, qui participant cum Excommunicato, postquam ut talis denuntiatus est, non verò, qui cum eo participant, antequam Excommunicationem incurreret.

72 Dub. 5. an casu, quo expresse censura lata est etiam contra mandantes, consulentes &c. Excommunicationem incurrat mandans, consulens &c. si hic mandatum, vel consilium revocavit, antequam mandatarius, vel consiliarius illud exequatur? *Certum est* 1. si mandans, vel consulens mandatum, vel consilium suum revocavit efficaciter, ita, ut mandatum, vel consilium causa moralis operis prudenter præsumi nequeat, mandantem, & consulentem liberum à censura esse; quia non aliter mandatum, vel consilium punitur censura, quàm quia influit in delictum. *Certum est* 2. si mandans, vel consulens solùm fictè revocavit mandatum, aut consilium suum, cum censuram non effugere; quia verè adhuc in delictum influit.

73 *Difficultas* est, an incurrat censuram, qui quidem revocat mandatum, vel consilium suum, quantùm potest, sed hanc revocationem mandatario, vel consiliario notam non potest facere, vel si ei notificat, rationes ad consilium à se datum revocandum inefficaces fuerunt? Affirmant Coninck *D.* 14. *dub.* 15. *concl.* 3. *nu.* 183. Dicast. *D.* 1. *à n.* 290. *&* *D.* 2. *nn.* 344. & alii relati à Suar. *D.* 44. *de Censur. sect.* 3. *n.* 7. Moventur; quia hæ censuræ latæ sunt adversùs eos, quorum consilio, vel mandato facinus est perpetratum: quod in præsenti contingit. *Neque obest*, quòd mandati, vel consilii pœnituerit; quia pœnitentia efficaciam mandati, vel consilii non sustulit.

74 Sed melius contrarium docuerunt Innoc. *in c. mulieres* 6. *h. tit.* Tabien. *V. Excommunicatio* 5. *cas.* 1. *n.* 35. Avil. *p.* 2. *de Censur. D.* 3. *dub.* 7. Hurtad. *de Censur. diffic.* 15. *n.* 68. Palao *p.* 7. *cit. n.* 15. Rationem dant, quia post revocationem consilii, vel mandati, si delictum sequitur, mandans, vel consulens illud solùm causat inculpabiliter, cùm culpa per pœnitentiam sit deleta; igitur non incurrit censuram, quæ, utpote pœna medicinalis, solùm afficere potest actu delinquentes, inobedientes, & rebelles, non verò eos, qui ab inobedientia, rebellione, & delicto recesserunt.

75 Quæritur 7. quæ causæ excusent ab incurrenda censura? Resp. *prima*, & præcipua, si ex parte ferentis censuram ante incursionem deficiat Jurisdictio, eo quòd e. g. remotus sit ab officio, vel à sententia ejus appellatum: de quo dictum est *n.* 22. *suprà*.

76 2. Si actus, sive peccatum, sub censura prohibitum, in suo genere consummatum, seu completum non sit; requiritur enim actus consummatus, sive peccatum in suo genere completum, ita, ut effectus lege, & præcepto prohibitus reipsa consequatur. Hinc si homicida excommunicetur, non incurrit censuram, qui solùm percussit, vel vulneravit; si vulnerans, non incurrit, qui conatus fuit percutere, sed erravit, vel impeditus fuit: quia qui non est perfecta causa illius actus, propter quem decreta est Excommunicatio; non incurrit illam. Tann. *D.* 6. *q.* 10. *dub.* 3. *num.* 55. *Reg.* 5. Pirhing *hic num.* 33.

77 3. Si consentiat is, in cujus favorem lata censura est. E. g. lata in debitorem ad instantiam Creditoris est Excommunicatio, nisi intra tres dies debitum solvat excusatur hoc casu à censura debitor, si Creditor ei proroget terminum. Henriq. *l.* 13. *c.* 20. Suar. *D.* 3. *sect.* 6. *nu.* 8. Hurtad. *de Censur. diffic.* 26. Palao *D.* 1. *p.* 8. *num.* 5. neque eo casu opus est consensu Judicis. *Ratio est*, quia non censetur Judex eo casu habere voluntatem ligandi debitorem, creditore volente oppositum. Accedit, quia censuram in debitorem ferre Judex non potest, nisi quia debitor est in mora: atqui hoc casu non est in mora, nec differendo solutionem peccat: ergo ne censura dicatur contrahi absque omni peccato, dicendum est, eam incurri solùm, cùm transactus est terminus à creditore prorogatus.

78 4. Si ignorantiam censuræ habeat, modò hæc non fuerit crassa, & supina. Azor. *p.* 1. *l.* 1. *c.* 15. *q.* 3. Suar. *D.* 4. *sect.* 8. *n.* 20. Sanch. *l.* 9. *de matr. D.* 32. *n.* 9. Palao *p.* 8. *cit. n.* 7. Engl *hic n.* 10. Reiffenst. *ibid. nu.* 29. *& seqq.* la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 47. *&* 93. & habetur apertè *cap. fin. de Const. in* 6. Ratio est, quia censuræ sunt pœnæ, quæ contemptum Legis virtualiter requirunt. Idem dicendum, quando dubitas, an censura adversùs aliquod delictum lata sit, vel an factum tale sub censura comprehendatur, & facta aliquali diligentia, dubium vincere non potuisti; nam tunc dubitans est in possessione sui juris, quod per Baptismum acquisivit ad bona Spiritualia. Aliud dicendum, cùm quis dubitat, an à censura, quam incurrit, sit absolutus; tunc enim pro censura, seu ligamine est possessio, prout apertè colligitur ex *c. sicut* 39. *h. tit.*

5. Si rem sub censura prohibitam gravi metu inductus 79 efficis; quia regulariter timor, & periculum gravis damni à præceptorum transgressione excusat. Suar. *D.* 4. *sect.* 3. *n.* 14. *&* *D.* 6. *sect.* 3. *n.* 7. Coninck *D.* 13. *dub.* 12. *nu.* 99. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 5. *fin.* Palao *p.* 8. *cit. num.* 10. Pith. *hic n.* 47. Wiest. *n.* 16. Reiffenst. *n.* 33. la Croix *nu.* 47. *&* 98. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. cap.* 3. *num.* 527. *& seqq.* Ratio est partim, quòd sic delinquens haberi nequeat pro contumace, & Ecclesiasticæ potestatis contemptore, cùm naturæ potiùs infirmitate, quàm obstinatæ voluntatis malitia peccet; partim verò, quia ejusmodi metus plerumque excusat ab observatione Legis Ecclesiasticæ: cur non etiam à censura, Jure solùm Ecclesiastico introducta? Neque obstat *c. sacris* 3. *de his, quæ vi, met. caus.* ubi Innocentius III. obnoxium Excommunicationi minori pronuntiat, qui Excommunicato vitando metu inductus communicat; & ab ista tantùm absolvit illum, qui illi communicat per coactionem, & invitus. Nam hoc procedit tum solùm, quando metus non excusat à peccato; tunc enim etiam non excusat à censura, ut explicant Coninck *num.* 97. Laym. *n.* 9. Gonzal. *in c. cit. num.* 9. *&* 10. Wiestner *n.* 17. Atque hinc 1. *excipitur*, nisi præceptum Ecclesiasticum tanti momenti sit, ut etiam cum periculo mortis observandum sit; nam eo casu non excusatis à censura tali delicto annexa, cùm non excuseris à peccato inobedientiæ, & contumaciæ. Reiffenstuel *nu.* 34. *Excipitur* 2. si Ecclesia sub censura prohibeat, quod alias Jure naturali prohibitum est v. g. fornicationem, furtum, homicidium &c. tunc enim probabiliùs censuram contrahit, qui tale peccatum committit, etsi metu coactus. Hurtad. *diffic.* 23. *n.* 10. Palao *p.* 8. *cit. n.* 11. cum enim præceptum Ecclesiæ, prohibens tale peccatum sub censura, non adstringat ad aliquid faciendum, vel omittendum, quod non, secluso eo præcepto, debebat fieri, vel omitti, non est ratio, cur dicamus illud Ecclesiæ præceptum tali casu cessare. Aliud dicendum, si Præceptum Ecclesiasticum naturali adderet aliquam circumstantiam, cui censuram adjungeret, e. g. si furtum fiat in templo; tunc enim Palao *l. cit.* censet, furem non incurrere censuram, si metu gravi coactus furtum faceret; quia censeretur solùm peccare contra Jus naturale, non autem Ecclesiasticum.

6. Denique excusatur à culpa, qui verè innocens est, 80 cùm enim censura nemini imponi possit absque culpa, qui ab hac liber est, erit etiam à censura liber. *Dubium est*, quando innocentia excuset; potest enim contingere, ut aliquis non tantùm in foro interno conscientiæ quoad DEUM, sed etiam in externo excusetur à culpa. 2. potest contingere, ut culpam quidem habeat, illa tamen exteriùs non sit probata. 3. potest contingere, ut culpa quidem non adsit, probetur tamen adesse. *In primo casu* conveniunt omnes, sic innocentem censura ligari non posse; quia eo casu Judex sua potestate abutitur, & consf. sententia illius nulla est, & non timenda *c. solet* 2. *& c. venerabilibus* 7. §. *potest h. tit. in* 6. *In secundo casu* iterum affici censura non potest, esto crimen Judici privatim notum sit; quia censuram Judex ferre non potest ob scientiam privatam, sed publicam, utpote quæ est actus publici, & forensis Judicii; aliàs nulla erit sententia. Palao *part.* 8. *cit. num.* 12. Intelligi autem hoc debet de censura hominis, seu ab homine per sententiam particularem lata. Aliud est, si Episcopus, vel Summus Pontifex, tanquam Pastor communis per Legem, Statutum, vel Sententiam generalem ad eradicandum aliquod vitium censuram ferat, quæ ipso Jure incurratur; tunc enim in foro conscientiæ ea afficietur, qui de-

lictum patravit; etiamsi hoc in foro externo probari nequeat. Engl *hic n.* 109.

81 *Quoad tertium casum* non conveniunt DD. Affirmant hoc casu innocentem ligari censura Gloss. *in cap.* 1. *V. propter quam h. tit. in* 6. Durand. *in* 4. *dist.* 18. *qu.* 4. Cordub. *l.* 1. *q.* 43. Moventur 1. *can. sententia* 1. *caus.* 11. *q.* 3. ubi Gregorius, *Sententia Pastoris*, inquit, *sive justa, sive injusta fuerit, timenda est*. 2. Judex procedens secundùm allegata, & probata justè procedit: ergo ejus sententia valet. 3. bona, quibus fideles per censuram privantur, dispositioni Ecclesiæ subduntur: ergo potest Ecclesia fidelem innocentem, qui nocens esse probatur, illis bonis privare. 4. præcepto lato à Judice, secundùm Juris ordinem procedente, subditus nequit resistere, sed tenetur eidem obedire saltem in facie Ecclesiæ, ut communiter notant DD. cum S. Thom. aliàs authoritas Judicis contemneretur, & disciplina corrueret; atqui transgressioni prædicti præcepti Judex annectit censuram: ergo validè annectit, & conf. ligat.

82 Sed dicendum, probabiliùs hoc casu innocentem censura non ligari. Ita Cajet. Sot. Cov. Nav. Tolet Suar. Avil. Laym. apud Palao *part.* 8. *cit. nu.* 14. quos etiam ipse sequitur *num.* 15. & post eum Engl *n.* 107. Konig *nu.* 11. Reiffenstuel *n.* 40. *& seqq.* Ratio est, quia præceptum illud Judicis nititur falsa præsumptione obligationis, & errore aperto: igitur cum alienum sit à benignitate Ecclesiæ cogere, & obligare sub Censura ad solvendum tanquam debitum, quod nullo modo est debitum, non est credendum ullam sic condemnato obligationem induci ex hoc præcepto.

83 Tria tamen cum Palao *l. cit.* hìc adverto. 1. sic condemnatum obligatum esse Judicis præceptum exequi, quando illud absque scandalo non potest subterfugere: hòc autem non vi præcepti, quod nullum est, sed vi juris naturalis, quod obligat, ne potestati publicæ, justè, & Juridicè præcipienti, resistatur, etsi, quod præcipit, minùs justum sit. Qui tamen eo casu inobediens fuerit etiam publicè, per hoc non incurret censuram; quia non delinquit adversùs præceptum, cui Judex censuram annexuit, sed contra præceptum Juris naturalis non resistendi potestati justè, etiam non justum, judicanti. 2. is, quem Judex hunc in modum censura affecit, in foro animæ, & coram DEO ob ejusmodi censuram non est privatus communione fidelium, Ecclesiæ suffragiis, Jurisdictione Spirituali &c. quia hi effectus censuræ veræ annectuntur, & non existimationi illius: in foro tamen externo his omnibus bonis privatus est; quia in eo foro verè censura ligatus reputatur. Et hinc 3. ita censura percussus obligatur in publico abstinere ab omnibus actibus, qui per censuram prohibentur: sed hoc ex vi præcepti naturalis, quia, ut dixi, quisque obligatur parere Judici suo, ne authoritatem ejus videatur contemnere; non tamen vi censuræ; quia illa censura est nulla, conf. nullum ponit impedimentum.

84 Argumenta *num.* 81. opposita facilè dissolvi possunt. *Ad* 1. Gregorius non dixit, sententiam injustè latam servandam, sed timendam, i. e. non ex superbia contemnendam, uti contemneretur, si cum scandalo illam violares. *Ad* 2. ad sententiam validam non sufficit, quòd Judex justè, præcipiat, sed requiritur, quòd justum præcipiat. *Ad* 3. jam dixi, privationem actualem non esse necessariam ad tuendam authoritatem Ecclesiæ; quia satis est, si ita Censuratus pro tali se gerat in facie Ecclesiæ. Eadem responsio est *ad* 4.

85 Quæritur 8. quis possit absolvere à censura? Distinguendum est inter censuram latam ab homine, & inter eam, quæ lata à Jure est. Et hinc

Dub. 1. quis possit absolvere à censuris specialiter latis ab homine? Resp. ab his absolvere solùm potest ille, qui tulit illam, & ejus Successor, Superior, vel Delegatus, & nullus alius. Avil. *p.* 2. *c.* 7. *D.* 1. *dub.* 9. Palao *tr.* 29. *D.* 1. *p.* 11. §. 4. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 7. *n.* 3. Engl *n.* 114. Pirh. *n.* 143. Konig *n.* 22. Reiffen. *n.* 242. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 126. *&* 131. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 171. *& seqq.*

86 Dixi 1. *absolvere potest ille, qui tulit.* Ita S. Thom. *in addit. p.* 3. *q.* 24. *art.* 1. S. Bonav. *in* 4. *dist.* 18. *ult. part. dist. quæst.* 6. Suar. *D.* 7. *de censur. sect.* 2. *nu.* 2. Coninck *D.* 14. *dub.* 16. *num.* 254. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 7. *num.* 2. Palao *l. cit.* & colligitur ex *can. verbum* 51. *de Pœnit. dist.* 1. *cap. pastoralis* 11. §. *præterea de Offic. Ordin.* & favet *Reg. Jur.* 1. ibi: *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*; item *Reg.* 35. *ff.* ibi, *Nihil tam naturale est, quàm eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est.*

Extenditur 1. etiamsi reus domicilium mutet; adhuc enim absolvendus est ab eo, qui tulit sententiam *arg. c. proposuisti* 19. *de for. compet.* Angel. *V. absolutio* 1. *n.* 7. Sayr. *l. Thesaur. c.* 20. *num.* 4. Suar. *sect.* 2. *cit. nu.* 26. Palao *l. cit. num.* 2. Ratio est, quia mutatione domicilii subterfugere non potest Jurisdictionem authoris censuræ, *Extenditur* 2. etiamsi Appellationem interposuerit; nam adhuc absolvi debet à ferente censuram, siquidem iste sit Ordinarius. *Sayr. l. cit. num.* 3. Suar. *nu.* 32. Palao *num.* 3. & colligitur apertè *ex cap. si à Judice* 10. *de Appellat. in* 6. Ratio est, quia per Appellationem interpositam Judex *à quo* non privatùr Jurisdictione quoad ea, quæ Appellationi non obstant; at absolutio à censura non obstat; sed potiùs juvat Appellationem, cùm sit id, quod per Appellationem intenditur. Addidi autem, *si quidem sit Judex Ordinarius*; nam Delegatus, etsi ante admissam Appellationem impendere absolutionem possit, non tamen ea admissa; quia eo ipso privatur jurisdictione. 87

Ut verò Author censuræ à se censuratum possit absolvere à censura, requiritur, ut absolutio non sit ipsi specialiter prohibita; nam plures sunt casus, in quibus authori Censuræ non permittitur absolutio. 1. si fiat Excommunicatus vitandus; tunc enim privatur omni jurisdictione, quam habuit, ut *infra n.* 163. dicetur. 2. si censurandi potestas ipsi commissa est absque cognitione causæ *c. fin.* §. *fin. de Offic. Deleg.* quia nudum ministerium, & executio ipsi commissa censetur. 3. si Pontifex ex certa scientia censuram, ab Ordinario latam, confirmet: nam eo ipso absolutionem sibi reservat; quia ex confirmatione Ordinarii sententiam suam facit *arg. c. si quis* 1. *de confirm. util. & inut. & c. si Apostolicæ* 22. *de Præb. in* 6. 4. si lata ab Ordinario sit in incendiarium; quia reservatur Papæ *c. tua nos* 19. *h. tit.* 5. si Papæ Delegatus excommunicarit aliquem; nam hic ab eodem Delegato post annum ab incursa Excommunicatione absolvi nequit *cap. quærenti* 26. *de Offic. Deleg.* 88

Dixi 2. *ejus successor*; nam quòd iste censuras, ab Antecessore suo latas, possit per absolutionem tollere, deciditur *can. si Episcopus* 40. *caus.* 11. *q.* 3. quia eandem cum Antecessore potestatem habet, & eadem cum ipso persona censetur. Et hoc verum est etiam in Successore Judicis Delegati *c. pastoralis* 28. §. *præterea de Offic. deleg.* Item etsi tantùm sit Successor ad tempus: & hinc Capitulum Sede vacante, medio Vicario à se electo, absolvere potest excommunicatos ab Episcopo *capit. un. de major. in* 6. *Excipitur* ii casus, in quibus Antecessor non potest absolvere à censura à se lata; quia successor non majorem, sed æqualem cum Antecessore potestatem habet. Conf. Successor non potest absolvere à censura in casibus *n. præc.* relatis. 89

Dixi 3. *Superior*, intellige, si pleno jure Superior sit; nam hujus potestas ab inferiore limitari, vel circumscribi non potest *Clem.* 2. *de Elect.* conf. dum absolvit à censura, per inferiorem lata, jure proprio utitur, & ideo eidem injuriam nullam irrogat. *Excipitur*, nisi consuetudine habeatur contrarium, sicut contingit in Regularibus subjectis Episcopo; nam hi si excommunicati, vel suspensi fuerint à Prælato suo Regulari ex causa Religiosam disciplinam spectante, ab Episcopo absolvi nequeunt, nisi media Appellatione interposita; quia prima instantia Regulari Prælato competit, juxta Gloss. *in cap. quanto V. si Prælati de Offic. Ordin.* Nunquam tamen Superior absolvere debet Censuratos ab inferiore, etsi validè possit, quin priùs satisfactionem plenam exigat, & inferiorem Prælatum moneat, ne ejus authoritas contemni videatur. Palao §. 4. *cit. n.* 6. 90

Addidi, *Si pleno jure Superior sit*: Hinc Archiepiscopus absolvere pro libitu non potest à censuris Suffraganeorum suorum, sed tantùm tempore Visitationis *c. cum ex officii* 16. *de Præscript.* vel causa ad ipsum per Appellationem devoluta *c. Romana* 5. *& c. venerabilibus* 7. *h. tit. in* 6. quia non est Superior Suffraganeorum suorum pleno jure, sed tantùm in certis casibus. Idem est de Patriarcha, vel Primate respectu Archiepiscoporum *c. venerabilibus cit.* Imò nec Legatus à Latere, quamvis omnium 91

omnium Prælatorum Provinciæ suæ Judex sit, & superior, potest absolvere censuratos ab inferioribus Prælatis extra casum Appellationis, Abb. *in c. pastoralis cit. §. præterea n.* 1. Navar. *Man. c.* 27. *nu.* 40. Suar. *sect.* 2. *cit. à n.* 2. Layman *c.* 7. *n.* 2. Palao *n.* 7. Engl *n.* 117. Pirhing *n.* 154. *& seqq.* Vviestner *n.* 53. Reiffenstuel *n.* 244. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 137.

92 Dixi 4 *Vel Delegatus*: ubi tamen est distinguendum; nam absolvere potest à censura lata à Delegante, si delegatus sit cum cognitione causæ: non potest, si absque cognitione causæ potestas ferendi censuras ipsi concessa est; quia tunc nudum ministerium ipsi delegatum est, Navar. *n.* 40. *cit.* Ugolin. *tab.* 1. *c.* 4. §. 4. Sayr. *c.* 20. *n.* 24 Avila *p.* 2. *c.* 7. *D.* 1. *dub.* 9. *cas.* 4. Suar. *D.* 7. *sect.* 7. *nu.* 8 Layman *c.* 7. *cit. n.* 2. *vers. denique*, Palao *n.* 8.

93 Dixi 5 *Et nullus alius*; nam præter hactenus enarratos nulli alii potestas absolvendi à censura specialiter lata competit. Ratio est manifesta; nemini enim alteri reperitur concessa hujus vinculi dissolutio: & meritò, ne judicum jurisdictio turbetur, vel eorum authoritas contemnatur. *Excipitur*, si reus paratus sit satisfactionem præstare, sed ob infirmitatem, vel aliud impedimentum adire non possit censuræ authorem, ut absolvatur; tunc enim ab æquali judice, vel inferiore absolvi potest, præstito juramento, quòd, quam primum poterit, se præsentabit rei, cui de jure competit absolutio, juxta *c. ea noscitur* 13. *quod de his* 26. & *c. quamvis* 58. *h. tit.* Ratio est, quia cum censura sit pœna medicinalis, multis spiritualibus commodis privans, expediebat eam, posita correctione, auferri.

94 Addidi *à censura specialiter lata*; nam si generaliter lata sit, omnes possunt absolvere, qui possunt absolvere à censura, lata à jure. Avila *D.* 1. *cit. dub.* 9. Layman *n.* 3 Palao *num.* 10. Vallens. §. 7. *num.* 3. Pirhing *numer.* 143 Reiffenstuel *n.* 246. la Croix *n.* 126. & colligitur ex *c. ex frequentibus* 3. *de Instit.* Ratio est, quia ex absolutione hujus censuræ, ab aliis Prælatis facta, non perturbatur Tribunal judicis ferentis censuram, cum reus non fuerit nominatim citatus. Neque obstat *c. nuper* 29. *h. tit.* ubi dicitur, quod solum à censura juris non reservata possint alii à ferente censuram absolvere; nam intelligendum hoc est casu, quo specialis sententia in speciales personas lata est cum earum citatione, non verò, cum per sententiam generalem; nam censura lata per sententiam generalem censuræ juris æquiparatur: unde qui à juris censura potest absolvere, etiam ab hac potest absolvere.

95 Dub. 2 quis possit absolvere à censura juris? ab hac, si non sit reservata, à quocunque lata sit, possunt absolvere sibi subditos omnes illi, qui jurisdictionem in foro externo habent: atque adeò non tantum Episcopi, sed etiam Abbates, Guardiani, Rectores, Priores &c. respectu sibi subditorum. Ita post *Gloss. Abb. Felin.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 39. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 12. *n.* 4 Ugolin. *de censur. tab.* 1. *c.* 10. *n.* 1. Henriq. *l.* 13. *c.* 27 *n.* 3. Suar. *D.* 7. *de censur. sect.* 3. *n.* 2. *&* 10. Palao *tr.* 29 *D.* 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 1. Vall. *hic* §. 7. *nu.* 3. Vviestner *n.* 49 Reiffenstuel *nu.* 246. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 174.

96 *Controversia* est de Parocho, aliove sacerdote, potente absolvere à peccatis mortalibus, an etiam absolvere possit à censura non reservata? Negant Gloss. *in c. si Episcopus V. reservantur de pœnit. & Remiss.* Abb. *in c.* 2. *n.* 3 & *in c. nuper* 29. *n.* 6. *h. tit.* Covar. *in c. alma* §. 12. *citat. num.* 5. Sayr. *l.* 2. *Thesaur. c.* 19. *fin.* Moventur, quia ad censuræ absolutionem, sicut ad ejus lationem requiritur jurisdictio fori externi, qua Parochi, & alii simplices sacerdotes carent. *Sed hoc non obstante*, dicendum, posse Parochum, & alium sacerdotem proprium absolvere à censura juris non reservata. Ita Innoc. *in c. nuper cit. n.* 6. Sylv. *V. absolutio* 1. *num.* 4. Navar. *num.* 39 *cit.* Suar. *num.* 2. *&* 10. *citt.* Avila *p.* 2. *de Censur. cap.* 7 *dub.* 4. Coninck *D.* 14. *dub.* 6. *concl.* 2. *num.* 130. Palao §. 5. *cit. n.* 3. Engl *hic n.* 124. Pirhing *n.* 141. Konig *n.* 22 Vviestner *n.* 49. Reiffenstuel *n.* 246. la Croix *tom.* 8. *l.* 7 *n.* 126. *&* 128. P. Schmier *n.* 174. *cit.* & communiter TT. cum S. Thoma *addit. p.* 3. *q.* 23. *art.* 2. Colligitur ex *c. nuper citat.* ubi quidem sermo est de excommunicatione minori tantum, ratio tamen subjuncta generalis est, & militat pro absolutione à quacunque censura; *quia nimirum Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Ad Argumentum contrarium* hic vel nulla requiritur jurisdictio fori externi, cum absolutio talis tantum pro foro conscientiæ, vel si aliqua requiritur, hæc erit extraordinaria, vel delegata à jure, Palao *num.* 4 Suar. *n.* 29. *&c.*

97 Dixi autem *n.* 95. in Responsione: *Si non sit specialiter reservata*; nam si reservata sit, nullus alius ab authore censuræ, vel ejus successore, superiore, aut Delegato potest absolvere, Suar. *D.* 7. *sect.* 5. *n.* 1. Avila *cap.* 7 *cit. dub.* 5. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *c.* 6. *num.* 1. *concl.* 2 Palao §. 5. *cit. n.* 5. Engl *n.* 119. Pirhing *n.* 142. Reiffenstuel *n.* 249. la Croix *n.* 126. Schmier *n.* 177. & rectè *Palao* tradunt omnes, sumitur expressè ex *c. nuper cit.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus Conditor Canonis hanc potestatem concedit alii. Sic enim 1 ab excommunicatione Canonis ob percussionem Clerici absolvere potest Episcopus mulieres, & impuberes, etiam post pubertatem prout dicetur *infrà num.* 249. 2 idem Episcopus absolvere potest ab omnibus censuris, & pœnis, Sedi Apostolicæ reservatis, modò non fuerint publicæ, neque ad forum contentiosum deductæ, vi Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* excepto Homicidio voluntario. Vallens. *hic* §. 7 *num.* 6. Engl *n.* 120. la Croix *n.* 126. *&* 141. 3 Religiosi mendicantes, & alii, qui cum iis communicant in privilegiis, absolvere possunt ab omnibus censuris sedi Apostolicæ reservatis, exceptis iis, quæ continentur in Bulla Cœnæ, ut habetur in *Compend. Privil. Societ. JESU V. Absolutio* §. 1. Engl *l. cit.* Konig *n.* 22. Vviestner *n.* 51 *fin.* la Croix *nu.* 126. 4 pro articulo mortis Trid. *sess.* 14 *c.* 7. *de Sacr. Pœn.* cuilibet sacerdoti etiam excommunicato concedit potestatem absolvendi ab omni censura sive juris, sive hominis, præstito priùs juramento, quod, quamprimum poterit, evanescente periculo, se absolutus præsentare velit superiori, à quo de jure absolvendus erat; alioquin, si contra Sacramentum superiori se non præsentaverit, in eandem censuram reincidet; *cap. eos qui* 22 *h. tit. in* 6. Suar. *D.* 22. *sect.* 1. *num.* 62. Barbosa *in c. nuper citat. num.* 2. Vallens. §. 7. *num.* 2. *&* 4. Engl *num.* 115 Pirhing *nu.* 142. *vers. excipitur* la Croix *num.* 126. *&* 130 Schmier *num.* 178. *&* 179. cum reliquis *suprà*. 5 similiter cum obligatione comparendi coram censuræ authore conceditur facultas Episcopis, imò sacerdoti proprio absolvendi quoslibet impeditos adire Pontificem, ex quacunque causa nascatur hoc impedimentum; *cap. ea noscitur* 13 *& c. quamvis* 58. *h. tit.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 81. Sayr. *thes. l.* 3. *c.* 20. *n.* 25. Coninck *D.* 14. *dub.* 16. *n.* 240. Palao *p.* 5 *cit. n.* 6. Pirhing *n.* 141. *vers. ad Parochos*, Vviestner *n.* 50

98 Quæritur 9 qua forma, ritu, & conditionibus absolutiò censuræ sit concedenda? Resp. 1 forma in jure nulla præscripta est, sed ea sufficit, quæ voluntatem absolvendi declarat, ut si diceres, Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, suspensionis, & Interdicti: potestque fieri aut verbis, aut etiam scripturis: consuetudo tamen est observanda. Neque opus est exprimi causam, ob quam est incursa censura, tametsi expediens sit, Palao *tr.* 29. *D.* 1. *p.* 11. §. 3. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 7. *nu.* 8. Pirhing *ibidem n.* 161. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 155. 2 Ritus servandus in Absolutione judiciali à censura excommunicationis præscribitur *c. à nobis* 28. *h. tit.* & habetur in Pontificali Romano: omissio tamen illius absolutionem non reddit invalidam, ut omnes fatentur, neque illicitam graviter, etsi expediat regulariter prædictas ceremonias observari, Hurtad. *D.* 14. *de excomm. diffic.* 4. Palao *n.* 4. 3 conditiones aliæ requiruntur ex parte absolventis, aliæ ex parte absolvendi.

99 *Ex parte absolventis* requiritur 1 potestas absolvendi; nam sine hac nulla est absolutio. 2 libertas à coactione, & metu; nam coactè, & metu facta invalida; est *capit. un. de his, quæ vi met. caus.* & procedit hoc, sive justè, sive injustè, validè tamen lata censura sit; quia textus non distinguit, Suar. *D.* 7. *sect.* 6. *n.* 13. *& seqq.* Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *num.* 9. *dist.* 6. Avila *p.* 2. *cap.* 7. *D.* 2 *dub.* 5. Palao §. 3. *cit. n.* 7. Pirhing *n.* 165. la Croix *n.* 153 3 ne absolvens in causa principali decipiatur. *Excipitur*, si constaret (quod præsumi non debet) ipsum judicem, aliàs potestate absolvendi gaudentem, velle, non obstante fraude, absolvere; tunc enim tenebit Absolutio, Navar. *Man. c.* 27. *n.* 38. Ugolin. *tab.* 1. *de Cens. c.* 19. §. 4. *n.* 4. Sayr. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 26. Avila *D.* 2. *cit. dub.* 4. Palao *n.* 8.

100 *Ex parte absolvendi* regulariter requiritur 1 absolutionis petitio; cùm enim censura imposita sit ad delinquentis correctionem, expedit postulatione humili demonstrare se correctum esse. Hæc tamen conditio non requiritur necessariò, sed ut convenienter concedatur absolutio, hinc etiam concedi invito potest; non tamen expedit, nisi ex causa rationabili, Sayr. *c.* 21. *cit. n.* 6. Suar. *sect.* 7. *n.* 5. Palao *n.* 9. 2 requiritur, ut priùs satisfecerit parti læsæ, nisi sit impotens; tunc enim, præstita cautione pignoratitia, vel fidejussoria, aut si hanc non possit, juratoria absolvi potest, Navar. *c.* 27. *cit. n.* 48. Avila *c.* 7. *cit. D.* 3. *dub.* 5. *concl.* 1. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 13. Coninck *D.* 14. *dub.* 16. *n.* 106. Layman *p.* 2. *cit. c.* 2. *num.* 8 Palao *n.* 6. Pirhing *n.* 163.

101 Si Judex absolvat eum, qui non satisfecerit parti, & potuisset satisfacere, graviter peccat, tum ob injuriam parti factam, tum quia violat juris ordinem, præscribentis, realem satisfactionem præmitti absolutioni, si fieri potest: absolutio tamen erit valida, saltem si detur à Judice Ordinario, aliàs potente absolvere. An autem sit valida facta à Judice Delegato gravis est controversia inter DD. Communior sententia negat esse validam; quia non est censendus delegans dare potestatem absolvendi contra juris præscriptum, & in tertii præjudicium. Validum tamen esse probabiliter affirmant, Sanch. *l.* 2 *de matr. D.* 33. *n.* 1. Hurtad. *D.* 14. *diffic.* 5. *n.* 22. Avila *D.* 3. *cit. dub.* 1. Layman *num.* 8. *vers. duo insuper*, Palao *n.* 6. Pirhing *n.* 163. *cit. vers. prædictis*. Rationem dant, quia conditio illa parti satisfaciendi non alia cautela additur in Delegatione, quàm à jure communi sit apposita, sed à jure communi non apponitur ut conditio, cujus defectus irritet absolutionem, ergo &c. Neque inde fit, peccare delegantem concedendo facultatem absolvendi validè, parte non satisfacta; nam sicut Ecclesia non peccat concedens Ordinario hanc potestatem, ita nec Ordinarius peccabit, si eo modo deleget illam, quo ipse habet: satis enim juri tertii cautum est, dum absolutio hujusmodi prohibetur.

102 Præsentia rei, dum absolvitur, absolutè necessaria non est; quia sicut absens per litteras excommunicari potest, ita & absolvi: regulariter tamen expedit, eum esse præsentem, tum ad reverentiam censurarum, tum ad majorem humilitatem, & cautionem ipsius censurati, Sylv. *V. absolutio* 3. *n.* 9. Navar. *Man. c.* 26. *num.* 14. Sayr. *c.* 21 *cit. n.* 12. Sanch. *l.* 2. *mor. c.* 11. *num.* 14. Avila *D.* 2. *dub.* 1 Layman *c.* 6. *n.* 9. Palao *n.* 10. Pirhing *n.* 164. la Croix *n.* 155. & 161. Idem dicendum de absolutione medio Procuratore, scilicet regulariter non expedire, ut fiat, causa tamen urgente, concedi posse. Hic tamen Procurator speciale mandatum habere debet petendo Absolutionem, ut sic constet, censuratum recessisse à contumacia: item jurare debet, & præstare ea omnia, quæ absolvendus præstaret, si præsens adesset.

103 Quæritur 10 quot modis contingat, absolutionem à censura fieri? Resp. *primus*, & præcipuus modus absolvendi à censura est simplex, & absolutus, nempe cùm absolutè, & simpliciter reo emendato, & à contumacia recedenti conceditur absolutio.

2 Absolutionis modus est conditionatus, cùm absolutio sub aliqua conditione datur, ita, ut ea conditione deficiente, corruat absolutio. Et quidem, quòd absolutio à censura dari possit sub conditione de præterito, vel de præsenti, exploratum est apud omnes. An verò dari etiam possit sub conditione de futuro, controversum est inter DD. Negant S. Antonin. 3. *part. titul.* 24. *c.* 77 §. 1. *prop. fin.* Angel. *V. Absolutio* 3. *pr.* Sylv. *V. eodem num.* 1. ea ducti ratione; quia absolutio à peccatis non potest sub conditione in futurum pendente, si illa contingens sit, dari, ergo neque absolutio à censura. Deinde actus legitimi non recipiunt conditionem *Reg. actus legitimi* 77. *ff.* & *Reg.* 60. *in* 6 talis autem actus est absolutio à censura, ergo &c. Sed standum est pro sententia affirmativa, quam etiam defendunt Covar. *in cap. alma p.* 1. §. 11. *n.* 6. Navar. *c.* 26. *n.* 12. Suar. *D.* 7. *sect.* 8. *n.* 7 Hurtad. *D.* 14. *diffic.* 2. Coninch *D.* 14. *dub.* 16. *nu.* 218 Layman *l.* 1. *tr.* 5. *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 1 *p.* 11. §. 2. *n.* 2. Pirhing *hic n.* 166. la Croix *tom.* 8. *libr.* 7 *n.* 155. & 157. Ratio est, quia nec jure naturali, nec positivo irritatur hic modus absolvendi. Seclusa tamen causa necessitatis, non est expediens, absolutionem sub conditione de futuro præstare, tum quia hoc alienum est à praxi, & usu recepto concedendi absolutionem, tum quia non decet ut Judex absolutionis suæ judicem constituat ipsummet reum, prout constituitur, quando sub conditione ab ipso præstanda conceditur. *Ad argumentum contrarium* nego paritatem: nam absolutio à censuris immediatè pendet à voluntate absolventis exteriùs expressa; absolutio autem à peccatis à voluntate Christi, qui noluit ipsam pendere à conditione de futuro contingente. *Ad Conf.* illi actus vitiantur die, vel tempore apposito, quia à die, vel tempore absolvuntur; at Censuræ absolutio, licèt respicere nequeat diem, vel tempus determinatum, indeterminatum tamen respicere potest scilicet illud, in quo reus cessaverit à contumacia.

3 Modus absolvendi à Censura vocatur *ad cautelam*; 104
quia eo cavetur damnum, quod ex Censura ignota tum Censurato, tum aliis provenire poterat, & ideo frequenter præmittitur tum absolutioni Sacramentali ob Sacramenti reverentiam, tum Ordinum receptioni, tum Beneficiorum, aliorumque privilegiorum collationi ad vitandam eorum invaliditatem: cujus exempla proponuntur *cap. super eo* 51. & *cap. seq. h. tit.* Hinc modus absolvendi præsupponit, Censuratum vel ignarum esse suæ Censuræ, vel certè solum suspicionem illius habere, non autem certitudinem. In foro conscientiæ concedenda est solo testimonio absolvendi, facta promissione, quòd satisfacere velit, si constiterit de censura, Sayr. *l.* 2. *Thesaur. c.* 16. *num.* 19. Palao §. 2. *cit. num.* 5 In foro externo distinguendum est: nam si generatim solum petitur absolutio à censura, ita, ut nullius in particulari suspicionem absolvendus habeat, conceditur absolutio, nulla præmissa causæ cognitione, vel data cautione. At si specialis alicujus censuræ absolutio petitur, probare absolvendus saltem semiplenè debet, se illa censura ligatum non esse, vel quia continet errorem, vel quia lata fuit post appellationem legitimè interpositam. Insuper citandus est is, ad cujus instantiam lata est, vel Judex, qui eam tulit, si ex officio processit: qui si opponant manifestam contumaciam, concedendus est iis terminus octo dierum, ut id probent, & interim ab absolutione supersedetur. Quodsi in probatione defecerint, condemnandi sunt ad expensas factas, & censuratus erit absolvendus; secus verò, si intentionem probaverint: quæ omnia colliguntur ex *cap. solet* 2 *h. tit. in* 6. Porro absolutio hæc ad cautelam præstari potest ab eo, qui potest ab ea censura absolutè absolvere. An verò cuilibet Judici delegato potestas hæc competat, variant DD. *Covar.* & *Sayr.* apud Palao *num.* 6. distinguunt, & negant de judicibus delegatis ad causas cognoscendas in Curia Romana, excepto casu referendi testimonium, nisi specialiter ea potestas commissa fuerit; contrà de judicibus delegatis ad causas cognoscendas extra Curiam concedunt, & hoc per potestatem ex usu acceptam.

4 Modus absolvendi, & satis frequens est *ad Reincidentiam*, eò quòd absolutus in eam iterum incidat, si 105
opus sub censura præceptum non exequitur, Palao *nu.* 7 la Croix *numer.* 158. Hoc absolvendi modo frequenter utuntur Judices in debitis pecuniariis; absolvunt namque debitorem, consentiente creditore, ab excommunicatione incursa ob debitum non solutum, imposito præcepto, ut intra certum tempus fiat solutio, sin minus, eadem censura ligetur. Potest autem absolutio hæc præstari tripliciter. 1 conditionatè, scilicet adjecta conditione, ut si mandato non pareat absolutus, in eandem reincidat. 2 pro aliquo tempore absolutè, pro reliquo sub conditione certi operis præstandi intra certum tempus, ut si hoc intra illud tempus præstiterit absolutus, in perpetuum absolutus sit. 3 ad certum effectum dumtaxat, v. g. ut excommunicatus testimonium perhibere in judicio, vel alium actum, aliàs censurato non permissum, exercere possit; quo tamen modo absolutus, non ab ipsa censura, sed ab aliquo effectu v. g. impedimento per eam inducto liberatur, Palao *numer.* 12. la Croix *numer.* 158. & aliis ab his *citat.*

Porro omnes isti modi absolvendi à censuris præstari 106
possunt in foro interno, & externo. Si in foro interno tantum fiat absolutio, non potest sic absolutus publicè se immiscere actibus per censuram prohibitis, & si contrà faciat, à Judice, quamvis huic constet de absolutione, puniri poterit, tanquam transgressor censuræ, mitiùs ta-

tamen, quam si verè transgressor esset: imò si velit, poterit prædictam absolutionem Judex pro foro externo admittere, & à punitione supersedere, nisi à parte urgeatur. Avil. *p.* 2. *cap.* 7. *D.* 3. *dub.* 12. Sayr. *l.* 2. *Thesaur. cap.* 20. *num.* 31. Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 7. Palao *num.* 13.

207 Quæritur II. an censura semel incursa non possit tolli alia via, quam absolutione? Resp. negativè. Covar. *in cap. alma p.* 1. §. 11. *num.* 5. Palao *tract.* 29. *D.* 1. *p.* 11. §. 1. *num.* 2. Pirhing *hic num.* 179. *vers. hinc colligitur*. Engl *n.* 17. Reiffenstuel *n.* 240. Ratio est, quia censura auferri nequit, nisi à potestate concessa Petro solvendi ligatos; sed hujus potestatis actus est absolutio, sicut potestatis actus est ligatio; ergo censura absolutione duntaxat tolli potest: & hinc

108 *Colligitur* 1. non cessare illam ob mortem authoris; nam esto, ab eo pendeat in fieri, non tamen in conservari. Accedit, quia censura est pœna, sed pœna, Jure sic disponente, durat, usque dum tollatur legitimè *can. si Episcopus* 40. *caus.* 11. *quæst.* 3. *cap. pastoralis* 11. §. *præterea de Offic. Ord.* Coninck *D.* 14. *dub.* 16. *n.* 198. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 1. Palao §. 1. *cit. n.* 2. Vviest. *hic num.* 47. Reiffenst. *n.* 240. la Croix *n.* 127.

109 2 Non tollitur plenè, & perfectè morte censurati. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 171. Covar. §. 11. *cit. n.* 8. Suar. *D.* 7. *de Censur. sect.* 1. *n.* 5. *&* 6. Coninck *n.* 201. Laym. *num.* 7. *pr.* Palao *num.* 3. Reiffenstuel *loc. cit.* la Croix *n.* 159. & dicatur satis *c. à nobis* 28. *cap. sacris* 38. *hoc tit. & c. is, cui* 20. *eod. in* 6. & ratio est, quia censura non tantum afficit delinquentem, sed aliis fidelibus obligationem imponit abstinendi à censurati communione; ex hac autem parte morte censurati non perit, siquidem eo mortuo nequeunt vivi ejus corpus sepulturæ Ecclesiasticæ, tradere, pro ejus anima Sacrificium offerre, & preces publicas fundere.

110 3 Non tollitur sola satisfactione, parti læsæ facta, & emendatione delinquentis, si censura absolutè sit lata. Palao *num.* 4. cum cæteris *supra* allegatis. Ratio est, quia esto, quòd imponatur, ut parti fiat satisfactio, & delinquens corrigatur, id solum probat, posita satisfactione, & correctione, debere à Judice auferri, non tamen, quod ipsa ex se cesset *c. desideres* 15. *hoc tit. cap. qua fronte* 25. *de Appell. cap. ex litteris* 11. *de constit.* Hinc Alexander VII. damnavit hanc 44. Propositionem: *Quoad forum conscientiæ correctio, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

111 Dixi, *Si censura absolute sit lata*; nam si feratur Censura, quousque satisfecerit reus verius est, posita satisfactione ipsum pro absoluto habendum. Covar. *n.* 5. *cit.* Suar. *sect.* 1. *cit. nu.* 11. Coninck *n.* 228. Laym. *n.* 1. Palao *n.* 4. Vviestner *n.* 48. Reiffenstuel *num.* 241. Sed tunc verba ipsa, quibus Censura sub tali conditione illata est absolutionem ab illa posita conditione, continent in se implicitè, præstantque hunc sensum: *Si intra tres dies non satisfeceris, Excommunicationem incurras, à qua sis absolutus, præstita satisfactione.*

§. II.

De Excommunicationis Censura.

S U M M A R I U M.

Quæritur 1. quid sit *Excommunicatio*? Resp. communiter à DD. definiri, quod sit *Censura ab Ecclesia instituta, separans Excommunicatum à communione fidelium*. Ita quoad sensum Covar. *in cap. alma p.* 1. *num.* 2. Suar. *D.* 8. *de Censur. sect.* 1. *n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 2. Vallens. *hic* §. 1. *num.* 5. Engl *num.* 27. Pirhing *num.* 4. Konig *num.* 23. Vviestner *n.* 30. Reiffenstuel *n.* 48. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *num.* 176. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. c.* 3. *n.* 185. & colligitur ex *can. omnis Christianus* 32. *& can. canonica* 107. *caus.* 11. *q.* 3. 112

Dicitur 1. *Censura*; quia censurat, & corrigit rebelles, & contumaces privatione bonorum Ecclesiasticorum: & licèt aliquando feratur etiam in eum, qui non præsumitur emendandus, id eam ob causam fit, ne alii ejus communicatione inficiantur *can. resecandæ* 16. *& can. seq. caus.* 24. *quæst.* 3. Dicitur 2. *ab Ecclesia instituta*; quia pœna Ecclesiastica est, & ex institutione Ecclesiæ originem trahit, ut pluribus probat Sayr. *l.* 1. *Thesaur. cap.* 4. *num.* 8. Dicitur 3. *separans excommunicatum à communione fidelium*; quo distinguitur Excommunicatio ab aliis Censuris Ecclesiasticis; nam suspensio solum privat Beneficii, & Officii Ecclesiastici usu, Interdictum Divinis Officiis secundum eorum naturam; Excommunicatio verò directè, & per se & illis, & aliis adhuc bonis privat. 113

Porro bona, in quibus fideles communicant inter se, ut *num.* 2. dixi, sunt triplicis generis, videlicet, Interna, merè externa, & mixta; ex his Ecclesia solum privat Excommunicatos communicatione in bonis secundi, & tertii generis ut *infra* fusius explicabitur à *n.* 126. Hinc patet, Excommunicationem esse omnium pœnarum Ecclesiasticarum gravissimam, utpote quæ privat maximis bonis Spiritualibus; quæ causa fuit, ut Cœlestinus III. *cap. cum non ab homine* 14. *hoc tit.* dicat, Ecclesiam post pœnam istam non habere, quid ultra faciat; & Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* monet, ne Ecclesiastici Judices hac Censura utantur, nisi quando jam nullum aliud remedium superest; & ob eandem rationem nunquam fertur in Communitatem *c. Romana* 5. *hoc tit. in* 6 ne contingat innocentem aliquem ligari. Pirh. *hic n.* 8. *not.* 2. 114

Quæritur 2. quotuplex sit Excommunicatio? Resp. alia est justa, alia injusta. *Justa* est, quæ infertur à legitimo Judice, propter peccatum contumaciæ, & servato Juris ordine. *Injusta* est, cui aliquid horum deficit. Injusta rursum duplex est, quædam *Valida*, quædam *Invalida*, ac nulla. *Valida*, quamvis injusta, Excommunicatio est, cui tantum deest circumstantia debiti finis, vel quædam solemnitas accidentalis, ad substantiam Excommunicationis non pertinens. *Invalida* verò nullum effectum habet, nec obligat, nisi aliquando ratione scandali, ut quia fertur à non habente potestatem, vel contra alicujus privilegium, vel post legitimam Appellationem, vel quando continet errorem intollerabilem. Avil. *de Censur. p.* 2. *cap.* 6. *D.* 1. *dub.* 1. Tann. *tom.* 4. *D.* 6. *q.* 10. *dub.* 1. *num.* 21. Pirh. *hic num.* 9. 115

Celeberrima Divisio Excommunicationis est in Majorem, & Minorem, *Major* est, quæ Excommunicatum privat simpliciter omnium bonorum, inter fideles communium, 116

nium, participatione; *Minor* verò tantum privat usu Sacramentorum passivo, i.e. eorum receptione. Ex quo sequitur, quis sit effectus utriusque excommunicationis; nam effectus directus excommunicationis minoris est unicus, scilicet privatio passiva Sacramentorum; majoris verò duodecim enumerantur, qui tamen ad quatuor Classes deduci possunt, *Prima* concernit suffragia fidelium Sacramentorum usum, & alias actiones spirituales. 2 Beneficia, & Officia Ecclesiastica, quibus privat. 3 Officia civilia. 4 Communicationem politicam cum excommunicato.

117 *Dubitatur* 1 quid intelligatur nomine *Anathematis*? Resp. *Anathema* maledictionem, seu execrationem significat. In usu Ecclesiæ significatur hac voce excommunicatio major. Usurpatur vox ista in SS. Canonibus in triplici sensu. 1 ad significandam excommunicationem, incursam ob hæresim, vel illius suspicionem, utpote omnimodam, & præcipuam ab Ecclesia separationem *c. cum non ab homine* 14. *h. tit.* & Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* 2 ad significandas quasdam excommunicationis solemnitates, videlicet cum excommunicatio denuntiatur accensis candelis, & postmodum extinctis, aliisque ceremoniis ab Ecclesia institutis. 3 denique sumitur Anathema ad distinctionem minoris excommunicationis, ut in *can. Engeltrudam* 12. *caus.* 3. *q.* 4. ubi prius lata sunt excommunicatio minor, & postea major. Palao *tr.* 29 *D.* 2. *p.* 1. *n.* 3.

118 Dub. 2 de qua excommunicatione intelligenda sit vox *Excommunicatio* absolutè prolata, de majori, vel minori? *Rationem dubitandi* facit *cap. pia* 1. *de Except. in* 6 ubi statuitur, eum, qui in judicio excommunicationem opponit, illius speciem declarare debere, *quod dictum est* (inquit *Glossa*) *propter species majoris, & minoris*, ergo si nomine excommunicationis absolutè prolato non venit excommunicatio major intelligenda; aliàs excommunicationis species declaranda non foret, cum satis declarata esset.

119 Sed dicendum, etsi ante Gregorium IX. excommunicatio simpliciter sumpta sæpe pro minori intelligebatur, ut constat ex *can. Engeltrudam cit.* & aliis textibus, post Gregorium tamen nunquam pro minori, sed majori sumitur, Covar. *in c. alma p.* 1. §. 8. *n.* 5. Henriq. *l.* 13. *c.* 2. *n.* 2. Sayr. *l.* 1. *Thes. c.* 4. *n.* 19. Coninck *D.* 14. *dub.* 1. *circa fin.* Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 1. *n.* 1. Palao *D.* 2. *cit. p.* 2 *n.* 3. Vallens. *hic* §. 2. *n.* 1. Pirhing *n.* 7. & 8. Konig *n.* 24 Vviestner *n.* 32. Reiffenstuel *num.* 53. la Croix *tom.* 8. *l.* 7 *n.* 176. & 177. & hoc ipsum declarat consuetudo, ac definivit expressè citatus Pontifex *c. si quem h. tit.*

120 *Ad Rationem dubitandi* Covar. & Avil. *p.* 2. *c.* 1. *dub. un.* dicitur, decisionem illius textus esse specialem in favorem causarum judicialium, & judicum, ne lites in infinitum his exceptionibus protrahantur, Suar. *D.* 8. *sect.* 3. *n.* 6. & Coninck *l. cit.* ajunt, speciem excommunicationis exprimendam, non quidem, an major, vel minor sit; quia jam supponitur majorem esse: sed ex quo delicto contracta sit, videlicet, an violatione Ecclesiæ, percussione Clerici &c. Colligitur ex verbis textus, maximè *vers. si verò*; probanda enim erat exceptio apertissimis documentis, quod nullatenus fieri posset, allegata excommunicatione in genere, nisi illius causæ, & circumstantiæ exponerentur.

121 Quæritur 3 quinam sint excommunicati vitandi? Resp. Jure antiquo tales fuere quicunque majori excommunicatione, à jure, vel homine lata, ligati, eo solum discrimine, quòd ii, quorum excommunicatio publica, & notoria erat, publicè; ii verò, quorum excommunicatio publicè nota non fuit, à cæteris fidelibus ejus conscii privatim tantum vitandi essent *c. cum non ab homine* 14. *h. tit.* Pirhing *n.* 111. Vviestner *n.* 62. *vers. dubium nascitur.* Postea tamen ad excludenda varia scandala, & peccata, quæ conscii timoratis accidere posse animadversum est, in *Conc. Constant.* à Martino V. *Const. Extr.* incipit *Ad evitanda* Christi fidelibus indultum fuit, ut nemo deinceps à Communione alicujus, quacunque censura, sive à jure, sive ab homine lata, ligati abstinere, eumque vitare teneretur, nisi sententia contra personam &c. certam à Judice specialiter, & expressè publicata fuerit, vel nisi eum per sacrilegam injectionem manuum in Clericum excommunicationem à Canone latam adeò notoriè incurrisse constiterit, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, aut aliquo suffragio excusari. S. Anton. 3. *p. tit.* 26. *c.* 3. Sot. *in* 4. *dist.* 22. *qu.* 1. *art.* 4. Gutier. QQ. *Can. l.* 1. *c.* 1. Vallens. *hic* §. 2. *nu.* 1. *vers. notandum*, Pirhing *n.* 113. Konig *n.* 32. Vviestner *n.* 62. *vers. cit.* Reiffenstuel *n.* 135. & 136. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 174

Dub. 1 an hac *Constit. Extrav.* non obstante, hodie vitandi sint saltem ii, de quibus notorium est, quòd in excommunicationem quacunque de causa inciderint? Affirmant Felin. *in c. Rodulphus* 35. *de rescript. n.* 39. Sylv. *V. excommunicatio* 5. *n.* 9. Navar. *in can.* 1. §. *laboret de pænit. dist.* 6. *n.* 10. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 2. *n.* 27. propter *Concilium Basileense*, quod *sess.* 20. *fin.* affirmat, vitandos non solum eos, in quorum personas censura per sententiam à Judice publicata, & denuntiata est specialiter, & expressè, sed generaliter, quoscunque ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incurrisse, ut nulla tergiversatione celari, nulloque juris suffragio excusari possint, cùm igitur Concilium istud sit posterius constantiensi, huic prævalebit *arg. l. sed & posteriores* 28. *ff. de LL.* & *c. licèt* 1. *de Const. in* 6. 122

Sed adhuc standum est Decreto *Concil. Const.* ut notant Henriq. *l.* 13. *c.* 5. *n.* 1. Suar. *D.* 9. *sect.* 2. *n.* 5. Avila *p.* 2. *D.* 2. *dub.* 2. Coninck *D.* 13. *dub.* 2. Layman *l.* 1. *tr.* 5 *p.* 2. *c.* 4. *n.* 1. Engl *hic n.* 56. Pirbing *n.* 13. Vviestner *n.* 63 Reiffenstuel *nu.* 138. & confirmat consuetudo passim recepta, præsertim in partibus septentrionalibus, in quibus Hæretici notorii, & alii excommunicati, exceptis dumtaxat notoriis Clericorum percussoribus, & dicto modo denuntiatis, nequaquam vitantur. *Neque obstat* Concilium Basileense; nam hoc, tanquam Acephalum, ab Eugenio IV revocatum, à Nicolao V autem approbatum est, quoad pauca dumtaxat Decreta, spectantia Beneficiorum collationes, Dispensationes, & censurarum absolutiones, igitur quoad cætera vim juris non habet. 123

Dub. 2 utrum teneantur non censurati cum censuratis vitandis communicare? Resp. negativè; sed possunt, si velint, à communione cum ipsis privatim, imò publicè casu, quo excommunicatio illorum publicè notoria est, abstinere: ac proinde possunt recusare imperium Prælati excommunicati, recedere à Missa Parochi censurati, opposita exceptione declinare Judices, repellere actorem, Procuratorem, testem excommunicatum, absque istorum injuria, Layman *c.* 4. *cit. n.* 2. *vers. tertium*, Engl *n.* 54. Pirhing *n.* 115. Konig *n.* 32. Vviestner *num.* 65 Reiffenstuel *n.* 139. la Croix *n.* 184. quia favore sibi indulto nemo cogitur uti *arg. Reg. invito* 69. *ff.* ne quod concessum est ob gratiam, in eorum dispendium detorqueatur *Reg. quod ob gratiam* 61. *in* 6. *Excipitur*, nisi alicujus Regionis consuetudo, aut fœdera publica cum ejusmodi censuratis communicationem postularent: ex qua causa in Germania nostra Hæretici à muneribus publicis, à contractibus, Judiciis, & similibus actibus aliis excludi non possunt ab Orthodoxis, Pithing *numer.* 115 la Croix *l. cit.* 124

Dub. 3 an excommunicati tolerati communioni fidelium se possint ultro ingerere? Resp. non posse, nisi à fidelibus non excommunicatis requirantur; quia à laudato *Concil. Constitut.* directè nullus favor censuratis, sed aliis dumtaxat indultus est, prout patet ex *cit. extr.* verbis, ibi *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos --- non intendit in aliquo relevare nec eis quomodolibet suffragari*, Vallens. §. 2. *n.* 1. §. *notandum*, Pithing *nu.* 115 Vviestner *n.* 164 125

Quæritur 4 quibus rebus Divinis, & Sacris excommunicatum privet excommunicatio? Resp. 1 privat *communibus Ecclesiæ Suffragiis*, quæ ex publicis Ministrorum Officiis, & sacrificiis fidelibus provenire solent, item fructu satisfactionum, qui ex communi Ecclesiæ thesauro per Indulgentias, Prælatorum authoritate, applicatur. Constat ex variis textibus relatis *caus.* 11. *q.* 3 *c. à nobis* 28. *c. sacris* 38. *h. tit.* & ipso Ecclesiæ usu. Et hoc ita verum est, ut licèt Minister Ecclesiæ velit Indulgentias Ecclesiæ applicare excommunicatis, publicas Ecclesiæ Orationes pro iis fundere, Missæ sacrificium offerre, secundum valorem ab Ecclesia provenientem, applicatio nullius sit valoris, sicut nullius valoris est distributio pecuniæ à servo facta contra domini voluntatem, & in personas ab eo exclusas. Dixi *Suffragiis communibus Ecclesiæ*, seu quæ præstantur nomine Ecclesiæ; nam quæ præstantur nomine singulorum fidelium, & ab ipsis Ecclesiæ Ministris, ut particulares personæ sunt, iis Ecclesiæ 126

clesia excommunicatos non intendit privare, cùm Ecclesiæ bona non sint, nec ejusdem dispositioni subjaceant: & hinc pro excommunicatis, etiam denuntiatis, possumus proprio nomine, & privata intentione orare, bona opera pro ipsis exercere, & Sacrificii actum offerre. Sylv. *V. Excommunicatio* 1. *num.* 2. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 36. Covar. *in cap. alma part.* 1. § 6. *nu.* 4. Suarez *dist.* 9. *de Censur. sect.* 4. *nu.* 3. Avil. *part.* 2. *de censur. cap.* 6. *dist.* 4. *dub.* 1. *concl.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 4. Palao *tr.* 29 *D.* 2. *p.* 1. *nu.* 3. Pirhing *hic num.* 4. *& seq.* Vviestner *ibid n.* 31. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. c.* 3. *n.* 189.

127 2 Privat *Sepultura Ecclesiastica*; ubi aliter discurrendum est de excommunicatis denuntiatis, & non toleratis, aliter de non denuntiatis. *Posteriores*, siquidem decedentes signa Contritionis dederint, sepeliri in loco Sacro possunt, quamvis deceat eos priùs absolvi ab excommunicatione, ut omnis dubitatio tollatur, an Officia Divina iis prosint. *Priores*, etsi pœnitentes obierint, sepultura tamen Ecclesiastica gaudere non possunt, sed necessariò, antequam in loco Sacro sepeliantur, absolvi debent *cap. sacris* 12. *de Sepultur.* ubi ratio redditur, *Ut quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis*. Plura videri possunt *lib.* 3. *tit.* 28. *n.* 49. *& seq.*

128 3 Privat *usu passivo Sacramentorum*, quatenus dum in excommunicatione sunt, Sacramenta ipsis non licet recipere. Extenditur pœna hæc etiam ad excommunicatum non denuntiatum *capit. cum illorum* 32 *& cap. siquem* 59. *hoc tit. cap. fin. de Cler. excomm. ministr.* & ratio est, quia qui contumax est Ecclesiæ præceptis, meritò repellitur ab ipsius maximorum bonorum participatione. *Excipitur* periculum mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum: quia Lex Ecclesiastica non censetur ita rigidè obligare. Si extra hos casus necessitatis Sacramenta excommunicatus recipit, graviter peccat, non tamen ex tali illicita receptione pœnam incurrit, ut ex communi docet Palao *D.* 2. *cit. part.* 7. *num.* 6. excepto Sacramento Ordinis, quem qui excommunicatione ligatus recipit ab executione Ordinis suscepti suspenditur *cap. illorum cit.* Ministri tamen Ecclesiæ, si excommunicatis vitandis aliquod Sacramentum ministrent, antequam absolvantur, præter peccatum mortale incurrunt excommunicationem, & interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ *capit. Episcoporum* 8. *de Privil. in* 6. & quidem, si à Pontifice nominatim excommunicati, & denuntiati fuerint incurrunt excommunicationem reservatam Papæ *cap. significavit* 18. *hoc tit. & Clem.* 3. *eod.* Accedet Suspensio ab Officio, si excommunicatus fuit ob hæresim, aut quia fautor istorum fuit: nec restituendus est Officio absque Papæ dispensatione *cap. excommunicamus* 13. § *credentes de hæret.*

129 4 Privat *usu etiam activo Sacramentorum*, seu potestate illa conferendi, & celebrandi Missam *cap. latores* 4. *& cap. fin. de Cler. excomm. minist.* Quodsi prohibitione hac insuper habita, Sacramenta administret excommunicatus, licèt ea valida sint (excepto Sacramento Pœnitentiæ, ob defectum Jurisdictionis, quam Ministro excommunicato adimit Ecclesia, extra casum extremæ necessitatis) in pœnam tamen temerariæ administrationis Irregularitatem incurrit *cap. fin. cit.* Et hoc verum est, etiam cùm administrat in excommunicatione Sacramentum Pœnitentiæ; nam etsi tunc ob defectum Jurisdictionis, ut dixi, non conficiat Sacramentum, in communi tamen modo loquendi Sacramentum absolutè ministrat, & hoc debet sufficere; alias, si ad incurrendam Irregularitatem requireretur, ut validè administraretur Sacramentum, etiam illam non incurreret Sacerdos excommunicatus, administrans Pænitentiam indisposito, utpote qui verum Sacramentum non administrat; quod non admittunt Doctores.

130 5 Privat *Sacrificio Missæ*, ita, ut nisi ob ignorantiam, vel necessitatem vitandi scandali, aut alicujus gravis damni excusetur, peccet mortaliter excommunicatus, etiam toleratus, assistens sacrificio Missæ, vel notabili ejus parti. Suarez *D.* 12. *de Censur. sect.* 1. *num.* 3. Bonacina *de Censur. D.* 2. *quæst.* 2. *part.* 3. § 1. *num.* 3. Palao *part.* 9. *num.* 2. Vviestner *hic nu.* 36. Quodsi denuntiatus etiam sit, vel manifestus percussor Clerici, monendus est, ut exeat: quodsi noluerit, incurret novam excommunicationem Pontifici reservatam, & expellendus est etiam vi, si opus fuerit. Si verò nulla ratione expelli possit, Missæ sacrificium, si Canon nondum inceperit, abrumpendum, vel si facta sit consecratio, subjungenda sumptio, & tum recedendum ad Sacristiam non dictis Orationibus solitis, & aliis, quæ post sumptionem dici solent *cap. in cui* 20. *hoc tit. in* 6. *Clem.* 2. *v. nonnulli eod.* Slyv. *V. excommunicatio* 5. *num.* 3. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 33. Suarez *sect.* 1. *cit. num.* 11. *& seqq.* Layman *part.* 2. *cap.* 2. *nu.* 6. Vviestner *num.* 36. *cit.* la Croix *num.* 196. Quodsi autem Sacerdos coram excommunicato scienter celebraverit, ultra peccatum, & excommunicationem minorem interdicitur ab ingressu Ecclesiæ *cap. Episcoporum* 8. *de Privil. in* 6. Fideles verò cæteri, Sacrificio assistentes, si videant excommunicatum vitandum velle interesse eidem Missæ, coguntur recedere, ne cum ipso in eadem oblatione conveniant: si tamen non recedant, culpa ista, ut Palao *part.* 9. *cit. n.* 3. existimat, probabiliter venialem non excedit.

6 Prohibetur excommunicatus vitandus assistere aliis *Divinis Officiis*, uti sunt Horarum Canonicarum publica recitatio, Processio publica, Benedictio Chrismatis Olei sancti, olivarum, aquæ benedictæ &c. *Ex quo sequitur*, eundem esse deobligatum à publica recitatione Horarum, si fortè ea obligatione teneatur, sicut deobligatus est audire Sacrum ob Censuræ observationem, ne cum aliis communicet. A privata tamen recitatione Horarum non eximitur, si fortè titulo Ordinis Sacri, Professionis Religiosæ, aut Beneficii obligetur. Navar. *cap.* 27. *cit. num.* 103. Suarez *D.* 12. *sect.* 2. *n.* 13. *& seqq.* Layman *num.* 6. Palao *part.* 9. *num.* 7. Engl *num.* 59. Pirhing *num.* 17. Vviestner *num.* 36. la Croix *num.* 196. *&* 224. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de delict. cap.* 3. *num.* 193. Poteftque ad secum orandum ex aliqua necessitate, vel utilitate etiam vocare socium, præsertim si hic ei subditus sit, ut Episcopus Capellanum, Servum Dominus &c. nam hic non privatur communione Domini sui, in quibus inservire eidem tenebatur, ut *infrà num.* 188. dicetur. Quodsi tamen alius quispiam absque justa causa cum excommunicato privatim recitaret Officium, is peccaret, sed probabiliter culpa hæc non excederet venialem, ut pluribus *citt.* docet Palao *loc. cit. num.* 9. & rationem dat, quia eo casu excommunicatus non se gerit ut persona publica, & Minister Ecclesiæ, cùm Ecclesia nolit medio illo Orationes fundere. 131

7 Privatur excommunicatus, saltem si vitandus sit, *facultate concionandi, legendi in Theologia, interpretandi Jus Canonicum publicè*. Suarez *sect.* 2. *cit. num.* 5. Palao *num.* 10. la Croix *num.* 281. Ratio est, quia etsi Divinis Officiis hæc non comprebendantur, proximè tamen accedunt ad communicationem in Divinis. Dixi, *saltem si vitandus sit*; nam excommunicatus toleratus, si ex Officio ei competat concionari, aut Theologiam, vel Jus Canonicum explicare, & non sit alius, qui vices ejusdem suppleat, munia ista obire potest; quia censendus est ab Auditoribus requiri; quilibet enim censetur velle, & petere, quæ sibi necessaria sunt. Addidi *concionandi, legendi &c.* Secus dicendum de auditore, si is sit excommunicatus; nam hic etsi probabiliter assistere Lectioni Theologicæ nequeat, permitti tamen potest, etsi excommunicatus vitandus sit, assistere Concioni, ut colligitur ex *capit. responso* 43. *hoc tit.* Suarez *num.* 3. Palao *num.* 11. Engl *n.* 58. Pirhing *num.* 17. Vviestner *num.* 36. Reiffenstuel *nu.* 63. la Croix. *num.* 281. Magnif. P. Schmier *num.* 190. & ratio disparitatis est, quia Concio dirigitur ad ejus salutem, ad hanc verò Lectio Theologica non ita directè est necessaria. An verò, eo casu, excommunicato non recedente, teneantur Auditores cæteri à Lectione Theologiæ recedere, & ipse Lector ab ea cessare, dubium est inter DD. & in utramque partem stat authoritas. Palao *loc. cit. num.* 13. putat, per se loquendo Lectorem teneri desistere, & auditores recedere eo casu ob rationem datam; quia est communicatio in re proximè accedente ad Divina: addit tamen, frequenter excusari ob bonum publicum, cujus interest, ne Auditores re tantopere utili priventur, maximè cum hæc communicatio levis sit. 132

8 Pro-

133 8 Prohibetur excommunicatus ab *ingressu templi* tempore, quo Divina ibidem celebrantur; tunc enim per Ostiarios debet expelli. Aliis tamen temporibus optimè potest ibidem assistere, & privatim, ac separatus ab aliis fidelibus preces ibidem fundere, ut cum communi docet Covar. *cap. alma part.* 1. § 3. *num.* 7. Navar. *cap.* 27. *num.* 17. Suarez *D.* 12. *sect.* 4. *nu.* 7. Coninck *D.* 14. *dub.* 7. *num.* 58. Bonacina *D.* 2. *de Cens. quæst.* 2. *p.* 3. § 2. *num.* 8. Palao *part.* 9. *cit. num.* 14. Vviestner *num.* 36 la Croix *num.* 210. Similiter permittitur excommunicato, & conveniens est usus SS. Imaginum, Reliquiarum, aquæ benedictæ, & reliquorum Sacramentalium. Palao *loc. citat.* la Croix *numer.* 211. *Neque obstat*, quòd aqua benedicta, & similia habeant valorem ex Orationibus Ecclesiæ, quibus privatur excommunicatus; nam esto, quòd iis uti non possit, ut effectus provenientes ex Orationibus Ecclesiæ ipsi applicentur, uti tamen illis potest in illarum venerationem, & honorem, & ut se illatum memoria, & fructus recordatione, quo per excommunicationem privatur, ad pœnitentiam excitet.

134 Dub. 1. an, & quomodo Ministri Ecclesiæ possint Orationes Ecclesiæ publicas, & Sacrificia applicare, & offerre pro excommunicatis? *Certum est*, illicitè eos agere, saltem si in particulari publicas preces pro excommunicato fundant. Palao *dist.* 2. *part.* 6. *num.* 4. Ratio est, quia Ecclesia, privans ipsos his spiritualibus bonis, consequenter fidelibus interdicit ne ea ipsis applicent, maximè cùm hæc applicatio inutilis sit, atque frustranea.

135 *Difficultas* est, an in genere, & in communi licitum sit, pro his Orationes publicas, & Missæ Sacrificium offerre? Variant DD. in suis Sententiis. Solvi difficultas potest ope distinctionis inter excommunicatos vitandos, & non vitandos. Pro *Vitandis* Orationes publicæ, & Missæ sacrificium etiam in genere, & in communi licitè offerri nequeunt, ut contra Sylvest. *V. excommunicatio* 1. *num.* 2. Marian. Socin. Senior. *in cap. sacris num.* 242. *hoc tit.* Covar. *in capit. alma part.* 1. § 6. *num.* 3. melius docent Sayr. *lib.* 2. *Thesaur. cap.* 4. *num.* 4. Vasq. *de Excomm. dub.* 2. Avil. *part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 9. *dub.* 3. Palao *dist. cit. part.* 6. *num.* 6. Ratio est, quia Ecclesia bona sua propriis membris dispensare intendit, non verò iis, quos à se abjecit. *Conf.* nam si subsidia Ecclesiæ excommunicatis prodessent saltem in genere, non magis essent exclusis à suffragiis Ecclesiæ, quàm alii fideles non excommunicati; nam etiam pro his speciali intentione non offeruntur. *Neque obstat*, quòd Ecclesia in die Parasceves publicè oret pro Hæreticis, & Schismaticis; nam id facit eo die, ut significet, Christi Passionem tunc repræsentatam, quantum ex se est, ad omnes se extendere; imò quòd eo die pro illis oret publicè, & nullo alio, clarè indicat, se aliis temporibus nolle pro ipsis preces directè fieri. Interim tamen pro Hæreticis, & quibuscunque excommunicatis preces fieri possunt indirectè, dum Orationes publicæ instituuntur ad extirpationem Hæresum, Fidei dilationem, unionem Ecclesiæ. Palao *n.* 6. *cit.*

136 Extenditur Responsio data etiam ad casum, quo hujusmodi excommunicatus contritus est, & per ipsum non stat absolvi, ut contra Sayr. *capit.* 4. *citat. num.* 5. & alios rectius docent Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. § *attamen*, Suarez *dist.* 9. *sect.* 3. *num.* 2. Coninck *dist.* 14. *dub.* 7. *diffic.* 2. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. Palao *part.* 6. *cit. num.* 8. Pithing *num.* 16. la Croix *num.* 205. & sumitur ex *cap. a nobis* 28 & *cap. sacro* 48 *hoc tit.* Ratio est manifesta; quia excommunicatio non pœnitentia, sed absolutione tollitur; atqui excommunicatione manente, manet etiam illius effectus; ergo &c. Neque hoc est contra Ecclesiæ benignitatem, cum cedat ad majorem Censuræ reverentiam, & timorem, ut non cesset aliter, quàm authentica absolutione. *Neque obest*, quòd excommunicatus per contritionem fiat membrum vivum Ecclesiæ, hoc enim solùm probat, quòd communicet cum aliis fidelibus in orationibus, & suffragiis particularibus, ob quam communionem orationes ejus redduntur gratiores Deo, & facilius exaudiuntur.

137 Quoad *excommunicatos non vitandos* non pauci cum Sot. *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. *concl.* 2. §. *hoc supposito*. Bellarm. *lib.* 2. *de Miss. cap.* 6. Suarez *dist.* 9. *sect.* 2. *num.* 16. Vasq. *de excomm. dub.* 2. Avil. *part.* 2. *cap.* 6. *dist.* 9. *dub.* 3. putant, nec pro ipsis offerri sacrificium Missæ, aut publicas preces posse. *Rationem* dant 1. quia *Concilium Constant.* communicationem cum excommunicatis non denuntiatis indulsit, quæ cedere in fidelium utilitatem posset; atqui offerre Orationes publicas, & Sacrificium pro excommunicatis in horum, & non aliorum fidelium utilitatem cedit: 2. idem *Concilium* expressit, nolle se ob dictam communicationem à se permissam favere excommunicatis, faveret autem, si Orationes publicas, & sacrificium pro ipsis offerri permitteret: 3. ipsa excommunicatione excluduntur excommunicati à communibus Ecclesiæ suffragiis, Oblationibus, & sacrificio: ergo contra Ecclesiæ intentionem facit, qui in his illos participes facit. Hæc sententia licet admodum probabilis sit, & recte Suarez *loc. cit.* vera loquendo defacto, quidquid sit de absoluta Ecclesiæ potestate.

Nihilominus non improbabiliter alii cum Henriq. 138
lib. 13. *cap.* 11. *num.* 2. Ugolin. 1. *de cens. tab.* 2. § 2. *num.* 3. Coninck *D.* 14. *dub.* 6. *n.* 10. Hurtad. *D.* 2. *de excomm. diffic.* 4. *num.* 10. Palao *part.* 6. *cit. num.* 10. Vviestner *hic num.* 34. docent, permissum esse fidelibus pro excommunicatis toleratis Orationes publicas, & sacrificium offerre. *Probant* 1. ex *Concil. Constit. cit.* quòd permittit fidelibus communicationem cum excommunicatis non denuntiatis tam intus, quàm extra h. e. tam in communione externa humana, & Divina, quàm in communicatione interiori Orationum, & oblationum: & hoc ad tollendos scrupulos ob dubium, an hi, vel illi excommunicati sint: 2. excommunicatis occultis Jure antiquo denegari non poterant suffragia publica, ut colligitur ex *c. cum non ab homine* 14. *hoc tit.* & fatetur Suarez *loc. cit. n.* 19. & Jure novo à communicatione publica, & secreta fidelium solum exclusus est excommunicatus denuntiatus & manifestus percussor Clerici: 3. sic facilius salvatur usus, & consuetudo piorum virorum, offerentium Missæ sacrificium pro reductione Hæreticorum, & excommunicatorum pœnitentia.

Neque obstant Rationes allatæ in oppositum. *Ad* 139
1. *&* 2. nego, hanc in suffragiis communicationem non cedere in favorem fidelium; cedit enim ad sedandas eorum conscientias, ad gratiæ augmentum, ad commodum illorum etiam temporale, dum pro sacrificiis, in hunc finem oblatis, stipendia Sacerdotes accipiunt. *Ad* 3. dico excommunicatum toleratum excludi ab Ecclesiæ communibus Suffragiis, quamdiu fideles nolunt cum ipso communicare; secus verò, si velint, non ob favorem excommunicati, sed suum.

Dub. 2. an Sacramenta, quæ excommunicatus extra 140
casus *n.* 128. relatos recipit, valida sint? Resp. esse valida; quia Sacramentorum valor non ex Ecclesiæ voluntate, sed Christi institutione pendet. *Excipitur* Sacramentum pœnitentiæ; nam cum valor istius Sacramenti à dispositione suscipientis pendeat, is verò, qui absque gravi causa contra prohibitionem Ecclesiæ absolvi à peccatis vellet, antequam absolveretur à censura, non sit dispositus, sequitur Sacramentum invalidum esse.

Controversia est, an casu, quo excommunicatus ex 141
ignorantia, vel oblivione non manifestaret censuram, nec Sacerdos ab ea absolveret, valida sit absolutio, si nullus in alio sit defectus? Negant validam esse Sylv. *V. Confessio* 1. *quæst.* 3. *cas.* 5. *& V. Confessor* 3. *num.* 12. Sot. *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 1. *fin.* Vasq. *de excomm. dub.* 4. Hurtad. *de excomm. D.* 4. *diffic.* 3. *num.* 28. Fundantur 1. *c. fin. de Cler. excomm. minist.* ubi de Clerico excommunicato excommunicatione minori dicitur, si Sacramenta conferat, *non carere virtus effectu, cum non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus*; atqui ligatus majori, excommunicatione à receptione, & collatione Sacramentorum remotus est; ergo Sacramenta ab ipso recepta, & collata virtutis effectu carent: 2. Ecclesia per excommunicationem excommunicatum separat à participatione Sacramentorum, quantum potest; potest autem separare à Sacramento pœnitentiæ, ita, ut quamvis illud recipiat, nullius effectus sit, sicut faceret, si excommunicatum à Jurisdictione Sacerdo-

cerdotis excluderet: 3. Ecclesia vult, ut ab excommunicati, maximè denuntiati, communione abstineamus, sicut si Ethnicus esset, vel Publicanus; ergo intendit, ut bona Ecclesiæ ipsi denegentur, sicut denegantur Ethnico, & Puplicano; at Ethnicus, & Publicanus est incapax recipere Sacramentum pænitentiæ: ergo &c. 4. absolutio data ab excommunicato est omnino irrita; ergo & absolutionis receptio.

142 Sed his non obstantibus, dicendum, eo casu probabilius valere absolutionem. Ita Covar. *in cap. alma p.* 1. § 6. *n.* 7. Navar. *Man. c.* 9. *n.* 7. Henriq. *l.* 13. *c.* 12. *n.* 2. Suarez *D.* 10. *de Cens. sect.* 3. *nu.* 9. Coninck *D.* 4. *dub.* 3. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 7. *n.* 4. Pirhing *hic n.* 15 la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 196 *&* 200. Ratio est, quia nullo Jure cavetur, irritum, & inane reddi Sacramentum ab excommunicato susceptum, si nil aliud desit, quòd enim Jura excommunicatum excludant à Sacramentis, solùm probat eum indebitè illa recipere, si sit Censuræ memor, & ab hac antea non absolvantur. *Conf.* quia nihil est, quod absolutionem irritet, & nihil deest, quod ad valorem ejus requiratur: adest enim sufficiens dispositio ex parte pænitentis, ut ponitur; & adest Jurisdictio ex parte absolventis; hac enim nullo Juris textu privatur absolvens, cederetque privatio hæc in pænam innocentum Prælatorum, si ob excommunicationem subditorum privarentur Jurisdictione antè in ipsos habita. Et esto, daretur hujusmodi privatio in Prælatis inferioribus, quod Jura Jurisdictionem eorum quoad absolutionem excommunicatorum suspenderent, certè doctrina Adversariorum non procederet in Pontifice, si is aliquem excommunicatum, non præmissa absolutione ab excommunicatione, absolveret; nam hujus Jurisdictio excommunicatione pænitentis suspendi non potest.

143 Neque Argumenta in oppositum allata sunt efficacia. *Ad* 1. dico, eo Argumento probari nimium; probaretur enim, excommunicatum minori excommunicatione, si Sacramentum pœnitentiæ inculpabilitet ab excommunicatione sua non absolutus, reciperet, invalidè illud recipere; quia per censuram Sacramentorum receptione privatur, sequela autem est falsa. *Ad* 2. Ecclesia per excommunicationem separat, quantum potest; aliàs non permitteret communicare cum non denuntiato, & pro denuntiato preces privatas dicere. *Ad* 3. illud consilii est, non præcepti, & intelligi debet, quantum fieri commodè potest. *Ad* 4. absolutio data ab excommunicato vitando, extra articulum mortis, invalida est ex defectu Jurisdictionis; hæc non deest in nostro casu, ut est ostensum.

144 Dub. 3. quando excommunicatus licitè, & validè administrare possit Sacramenta? Resp. imprimis hoc potest in casu extremæ necessitatis, cum absolvendus est moribundus, & copia alterius Confessarii deest. Extra hunc casum distinguendum est inter excommunicatum toleratum; & non toleratum. Ut toleratus licitè administret, sufficit sola fidelium petitio, quando ille in statu gratiæ est, & absolutionem à censura prius obtinere non potest. Rarius excusatur non toleratus, & tum solum, quando si Sacramentum non ministraret, incurreret periculum mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum: tum enim, nisi in contemptum censuræ comminatio ista fiat, potest Sacramenta ministrare licitè, quæ validè ministrare potest; quia non præsumitur Ecclesia, quæ est pia Mater, velle suis Legibus cum tanto dispendio obligare.

145 Idem excommunicatus in eadem extrema necessitate potest periclitanti conferre Sacramentum Baptismi; quia hic omnibus necessarius est. De cæteris Sacramentis, præsertim Eucharistiæ, & Extremæ unctionis controveriunt DD. Satis convenit inter eosdem, Eucharistiam, vel extremam unctionem posse, & debere conferri etiam ab excommunicato in eo articulo, quando moribundus Sacramentum pœnitentiæ non potest suscipere; quia cùm quodlibet Sacramentum ex attrito facere possit contritum, continget aliquando, ob receptionem Eucharistiæ, vel extremæ unctionis obtineri salutem, quæ non obtineretur, prædicti Sacramentis non receptis.

146 *Difficultas* est, cùm Sacramentum pœnitentiæ ægroto ministratum est. Negant, eo casu aliud Sacramentum ægroto ab excommunicato vitando posse conferri, Avil. *part.* 2. *de censur. cap.* 6. *D.* 3. *dub.* 3. *concl.* 4. Hurtad. *D.* 4. *de censur. diffic.* 2. *nu.* 22. Rationem dant, quia hæc Sacramenta per se non sunt necessaria ad salutem, cum non sint per se instituta ad peccati mortalis remissionem. Alii cum Suarez *D.* 11. *sect.* 1. *nu.* 17. *&* 23. & Palao *tract.* 29. *D.* 2. *part.* 8. *num.* 7. *&* 8. distinguunt, & concedunt, ab excommunicato vitando eo casu ministrari ægroto posse Eucharistiam; quia licèt non sit necessaria necessitate medii, est tamen maximè necessaria, ut adjuvetur ægrotus, & vires recipiat ad suggestiones Dœmonis in illo articulo superandas; quo Beneficio meritò præsumitur Ecclesia non velle privare ægrotum; si enim ab excommunicato vitando licet sibi cibum corporalem sumere, cùm is vitæ corporali est necessarius, cur non licebit ab eodem sumere cibum spiritualem? Accedit, quia contingere potest ægrotum in Confessione non accepisse gratiam, sed hanc accipere per Eucharistiam bona fide acceptam. At Sacramenta extremæ Unctionis, & confirmationis ægroto, qui Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ jam recepit, nequaquam ab excommunicato vitando conferri debent; quia non reputantur Sacramenta necessitatis.

Quæritur 5. quomodo excommunicatio privet Beneficiis 147
& officiis Ecclesiasticis? *Et quidem* 1. *dubium est*, quomodo privet Beneficiis? Resp. per excommunicationem excommunicatus fit incapax consequendi aliquod Beneficium Ecclesiasticum, & consf. Electio, Præsentatio, Nominatio, qua excommunicatus ad Beneficium tale promovetur, omnino nulla, & irrita est. Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 21. Covar. *in cap. alma part.* 1. § 7. *num.* 1. Garc. *part.* 7. *de benef. cap.* 13. *num.* 1. Suarez *D.* 13. *de censur. sect.* 1. *nu.* 2. Coninck *D.* 14. *dub.* 9. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *c.* 2. *n.* 8. Palao *tract.* 29. *D.* 2. *part.* 10. *num.* 1. Vallens. *hic* § 3. *num.* 3. *&* 4. Engl *num.* 60. Reiffenstuel *n.* 65. la Croix *tom.* 8. *lib.* 7. *num.* 196. *&* 218. & deciditur *cap. postulastis* 7. *de Cler. excomm. minist.* ibi, *Nec illi valent ea* (Beneficia) *retinere licitè, --- cum ea non fuerint licitè consecuti.* Ratio est, quia excommunicato prohibitum est Officium Ecclesiasticum exercere, & cum fidelibus communicare meritò igitur à Beneficio Ecclesiastico excluditur, utpote quod exigit Officii Ecclesiastici usum, & communicationem.

Extenditur 1. etiam ad excommunicatum toleratum, 148
nam etsi hunc fideles vitare non teneantur, ideòque quantum ex parte sua, possent illi Beneficium conferre, ipse tamen excommunicatus nequit se fidelium communioni ingerere, & consf. nec Beneficium sibi collatum, quamdiu excommunicatus est, acceptare. Palao *loc. cit. num.* 3. cum DD. relatis. *Extenditur* 2. quamvis excommunicatus sit ignarus censuræ. Glossa *in cap. pen. de cler. excomm. minist.* Covar. *loc. cit. num.* 3. Suarez *num.* 3. Palao *num.* 4. la Croix *num.* 219. cum reliquis *supra*; quia ignorantia, etsi excuset à culpa, inhabilitatem tamen, à censura provenientem, non tollit, cùm nec censuram tollat. *Extenditur* 3. ut excommunicatus sit incapax cujusque Officii, muneris, seu Dignitatis Ecclesiasticæ, & Regularis. Henriq. *l.* 13. *cap.* 13. *num.* 1. Garc. *loc. cit. num.* 22. Suarez *nu.* 6. Layman *num.* 8. Palao *num.* 9. quia cùm exclusus sit ab exercitio horum Officiorum, consequenter censendus est exclusus ab ipsis Officiis. *Extenditur* 4. ut vera sit Responsio *num. præced.* data, etsi Beneficium, tempore excommunicationis tibi collatum, acceptes postea, cùm ab excommunicatione liber es. Garc. *cap.* 13. *cit. num.* 43. Less. *lib.* 2. *de Just. cap.* 34. *num.* 119 Bonacina *de censur. disp.* 2. *quæst.* 2. *p.* 4. § 1. *num.* 10. Hurtad. *de excomm. disp.* 6. *diffic.* 3. *fin.* Palao *part.* 10. *citat. num.* 20. Ratio est, quia collatio, quæ ob incapacitatem subjecti nulla est, nequit, sublata incapacitate, convalescere ex eo solum, quòd collator in pristina voluntate perseveret: unde opus erit nova collatione, ut validè Beneficiarius acceptet Beneficium. Contrarium tamen non improbabiliter docent Navar. *cons.* 53. *hoc tit. num.* 3. *&* 4. Henriq. *cap.* 13. *citat. num.* 3.

Dub. 2. an valida sit acceptatio Beneficii, collati 149
excommunicato tempore habili, seu quo liber ipse erat ab excommunicatione, si ipsa acceptatio fiat tempore inhabili, seu quo acceptans ligatus fuit excommunicatione? Negant validam hoc casu acceptationem esse

esse Suarez *dist.* 13. *sect.* 1. *num.* 17. Vasquez *de Benef. cap.* 4. § 2. *dub.* 2. *num.* 245. Coninck *dist.* 14. *dub.* 9. *num.* 78. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 9. Hurtad. *D.* 6. *de excomm. diffic.* 3. *num.* 8. Fundantur 1. quia *cap. postulastis* 7. *de cler. excomm. ministr.* intenditur, ne excommunicatus Beneficium acquirat, tanquam indignus; at Beneficium immediatius acquiritur acceptatione, quàm collatione; & hinc si cui Beneficium à Curia Romana collatum est, & ille moriatur ante acceptationem, non dicitur Beneficium vacare denuo; 2. si Episcopus electus, & confirmatus, antequam consecretur, inhabilis fiat, repellendus est à consecratione, ut docent Abb. *in c. ex parte de cler. ægrot.* Navar. *in cap. si quando de Rescript. c.* 10. *n.* 18. ergo similiter inhabilis factus ad acceptandum, repelli debet, 3. excommunicatio reddit excommunicatum inhabilem ad Beneficium; ergo ad acceptandum Beneficium, cùm sit acceptatio personæ indignæ, & de persona indigna.

150 Fateor hanc sententiam admodum probabilem esse, nihilominus probabilius credo ejusmodi acceptationem valere. Ita Covar. *in c. alma p.* 1. § 7. *n.* 4. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *q.* 9. Garc. *p.* 7. *de benef. c.* 13. *n.* 35. Vasq. *de excomm. dub.* 6. *sibi contrarius*, Sayr. *l.* 2. *Thesaur. cap.* 5. *n.* 11. Bonacina *D.* 2. *de cens. quæst.* 2. *part.* 5. § 1. *numer.* 9. Palao *part.* 10. *cit. num.* 27. Reiffenstuel *hic nu.* 65. Magnif. P. Schimier *part.* 1. *de delict. cap.* 3. *num.* 202. & teste Palao magis communis DD. & quia benignior, meritò amplectenda. *Ratio est*, quia jura solum irritant id, per quod jus in Beneficium acquiritur; atqui acceptatione non acquiritur jus in beneficium; quia nemo sibi ipsi beneficium confert; sed est conditio, ut in beneficium sibi collatum Collatarius jus perfectum habeat; ergo &c. *Conf.* à pari; nam si beneficii rite sibi collati possessionem excommunicatus accipiat, vel alium mittat in possessionem possessio, & in possessionem missio valida est, ut ex communi testatur Azor *loc. cit. q.* 10. quia tam possessio, quàm in possessionem missio est quid facti, non juris.

151 Neque obstant Argumenta contraria: *Ad* 1. beneficium per collationem acquiritur primò, & per se, per acceptationem verò minus principaliter, & quasi de facto: ad primum inhabilitant Jura, non ad secundum. Beneficium collatum, si Collatarius moriatur ante acceptationem, non vacat denuo; quia nondum plenè, & perfectè illud acquisivit. *Ad* 2. Episcopus eo casu repellitur, quia per Consecrationem confertur jus; at per acceptationem beneficii aliunde oblatum acceptatur. *Ad* 3. Excommunicatus est persona indigna ad acceptandum beneficium tempore excommunicationis collatum, non verò ad acceptandum beneficium, collatum tempore, quo nondum erat excommunicatus; aliàs etiam non posset retinere beneficium, quod habuit ante excommunicationem.

152 Dub. 3. utrum excommunicato validè possit conferri Pensio? *Certum est*, non valere collationem pensionis Ecclesiasticæ, quæ datur Clerico ob aliquod munus Spirituale exercendum, uti est, quæ designatur Vice-Rectori, Vicario Episcopi &c. Palao *p.* 10. *cit. n.* 6. estque eadem ratio, quæ de beneficio; nam ob excommunicationem est incapax exercere munus illud, ob quod datur Pensio; igitur etiam est incapax pensionis.

153 *Major difficultas* est de pensione, quæ datur Clerico resignanti beneficium, permutanti illud, lite cedenti, sustentationem non habenti. Communis sententia teste Palao *n.* 7. docet, collationem hujusmodi pensionis, excommunicato factam, esse irritam, 1. quia naturam beneficii imitatur, & loco illius succedit, cùm non detur, nisi Clericis, 2. quia Clericus excommunicatus est incapax cujusvis Clericalis privilegii, 3. quia in collatione hujus pensionis solet Pontifex absolutionem à Censuris præmittere: quod frustraneum esset, si Censuræ prædictam collationem non impedirent.

154 Sed probabilitate non caret, ejusmodi pensionis collationem excommunicato factam validam esse. Ita Sà Suarez *D.* 44. *de censur. sect.* 3. *n.* 7. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *n.* 8. Palao *loc. cit. num.* 8. Wiestner *hic num.* 38. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 220. & facit *Declaratio S. Congr. ad sess.* 14. *cap.* 7. dicens, hoc Decretum de incapacitate Homicidæ ad beneficia, non extendi ad pensionem. *Ratio est*, quia nullibi habetur, pensionem excommunicato collatam nullam esse.

Neque urgent Argumenta in oppositum. *Ad* 1. sola pensio, quæ præstimonium est, vel quæ ob exercitium Spirituale conceditur, perfectè naturam beneficii imitatur; unde satis est, Decretum pœnale, & irritativum beneficii ad hanc extendere, quæ purè spiritualis est, talis autem non est, de qua hic est sermo. *Ad* 2. pensio hæc non est privilegium merè Clericale; cùm sit temporalis duntaxat. *Ad* 3. absolutionem concedit Pontifex, tum ne illius rescriptum invalidum sit *c. ipso Jure* 1. *de Rescript. in* 6. tum ne repellatur excommunicatus in Judicio à petenda pensione. 155

Dub. 4. quomodo excommunicatio privet fructibus, & proventibus beneficii excommunicatum? Resp. distinguendum, quo tempore beneficium acquisierit excommunicatus, an tempore excommunicationis, an ante illam. *Si tempore excommunicationis*, cùm acquisitio beneficii nulla fuerit juxta dicta *n.* 147. etiam nullum acquiretur jus ad fructus ejusdem nisi excuset bona fides; tunc enim, si putet, se vero titulo beneficium possidere, fructus, tali bona fide consumptos, non tenetur restituere, nisi in quantum factus est ditior, ut tenent Suarez *D.* 13 *sect.* 1. *n.* 3. Coninck *D.* 14. *dub.* 9. *n.* 71. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 8. Palao *D.* 2. *cit. p.* 11. *n.* 1. cum aliis. At si beneficium legitimè obtinuit, & postea in excommunicationem incidit, difficultas est, an ante Judicis sententiam ipso jure excommunicatus privetur fructibus beneficii. 156

Ipso Jure beneficii sic obtenti fructibus privatum esse docuerunt post *Imolam*, *Decium*, *Francum*, *Covarruviam* Sayr. *de Censur. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 24. & 30. Suarez *D.* 13. *sect.* 2. *n.* 2. Guttier. *l.* 1. *qq. can. c.* 1. *n.* 70. Garc. *p.* 7. *de Benef. cap.* 13. *n.* 90. Monet. *de Distrib. part.* 2. *qu.* 15. *conclus.* 1. *n.* 18. Moventur 1. per textum *c. pastoralis* 53. § *verùm de Appellat.* ubi subtractio fructuum denuntiationi æquiparatur; igitur sicut excommunicatio post se trahit denuntiationem, ita etiam subtractionem fructuum. 2. per *cap. citat.* sicut non obstante Appellatione interposita, excommunicatus denuntiari potest, ita etiam privari fructibus. Priùs autem ideo, quia *excommunicatus per Denuntiationem amplius non ligatur*, ut ibidem dicitur; ergo nec per privationem fructuum; ligaretur autem denuo, si sententia ad hanc inducendam foret opus: ergo &c. 3. in eodem *cap.* dicitur, *Illi proventus Ecclesiæ merito subtrahantur*: quod verbum *Subtrahantur* indicat sententiam latam, non ferendam; nam explicari potest, *Subtrahuntur per Legem*, *non per Judicem*, cùm nullius judicis fiat mentio, 4. idem textus subtractionem fructuum comparat privationi communicationis cum fidelibus; atqui hæc privatio ipso jure inducitur per excommunicationem, ergo & fructuum subtractio. 157

Sed veriùs excommunicatum ipso jure & ante sententiam privatum esse fructibus, & proventibus beneficii rite acquisiti, negant Glossa *in c. cit. V. subtrahuntur*. Navar. *de Restit. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 243. Vasq. *de Benef. cap.* 3. § 3. *dub.* 4. Coninck *D.* 14. *dub.* 9. *diffic.* 3. *concl.* 2. Hurtad. *D.* 6. *de excomm. diffic.* 1. Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 2. *num.* 9. Bonacina *p.* 4. § 2. *num.* 2. Palao *D.* 2. *cit. p.* 11. *n.* 4. Engl *hic n.* 61. Wiestner *num.* 40. Reiffenstuel *num.* 67. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. cap.* 3. *num.* 206. Ratio est, quia pœna privationis fructuum, utpote gravissima, adstruenda non est absque expresso textu; atqui textus *cap. pastoralis cit.* eam pœnam non infert, sed verbum *subtrahuntur* potiùs actionem spoliationis significat, quæ fit ab homine, non à Lege. *Conf.* quia excommunicatio non affert secum denuntiationem, sed constituit excommunicatum dignum, ut denuntietur, appellatione remota; ergo similiter non inducet secum ipso Jure privationem Ecclesiasticorum proventuum, sed constituet excommunicatum dignum, ut ei fructus subtrahantur. 158

Dixi 1. *fructibus Beneficii*; nam ipso beneficio, ante excommunicationem obtento, ob excommunicationem non privatur excommunicatus, licèt privari possit, si fortè in excommunicatione insordescat, & contumacia gravis sit. Engl *num.* 60. *hic*, Wiestner *ibid. num.* 37. *Fructuum* autem nomen hic accipi debet specificè, & prout fructus contradistinguuntur à Distributionibus quotidianis; nam Distributionibus quotidianis ipso jure privat excommunicatio. Ratio est, quia dantur pro præsen- 159

sen-

sentia, ita, ut absentes à Divinis Officiis eas non percipiant. atqui excommunicatus nequit interesse Divinis Officiis. ergo &c. Garc. *p.* 7. *de Benef. c.* 13. *n.* 8. Monet. *de distrib. q.* 15. *num.* 18. Vviestner *num.* 39. Reiffenstuel *num.* 66.

160 Dixi 2. *ipso Jure*, *& ante sententiam*; nam post sententiam condemnatoriam ad restituendos fructus obligatur fructibus cedere. *Excipitur* 1. si pauper sit? nam cùm prædicti fructus Ecclesiæ, vel pauperibus sint applicandi, excommunicatus potest etiam eos applicare sibi, nisi fortè certo operi pio jussus sit applicare. *Excipitur* 2. si injuste, & invalidè sit excommunicatus, & condemnatus; nam eo casu nulla est excommunicatio. atqui, ut Regula communis ait, quod nullum est, nullum producit effectum. Idem dicendum probabiliter putat Palao *p.* 11. *cit. num.* 9. casu quo excommunicatio est injusta, sed tamen valida, dicitque eo casu excommunicatum posse recuperare fructus non solum à Judice, sed ab iis, quibus applicati sunt; quia esto, validè sint applicati: & ratio est, quia Lex Justitiæ obligat revocare sententiam injustam, & ejus effectus, atque in statum pristinum omnia, quoad fieri potest, reducere. *Excipitur* 3. casu, quo excommunicato petenti absolutio negatur injustè. Palao *numer.* 12. ratio est, quia eo casu injustè impeditur, ne Choro assistat, vel officium suum præstet.

161 Si justè negetur absolutio, *Decius*, *Ugolinus*, *Sayrus*, *Henriquez*, *Layman*, & alii putant, fructus correspondentes Officio, eo tempore exhibendo, excommunicatum obtinere; quia tunc non præstat Officium, eò quòd sit impeditus, sicut si ob infirmitatem, cujus tu causa fuisti, impediaris; nam obinde non amittis Beneficii tui fructus. *Sed melius* id negant Suar. *D.* 13. *sect.* 2. *n.* 17. Bonac. *D.* 2. *de Censur. q.* 2. *p.* 4. §. 2. Palao *l. cit. n.* 14. Ratio est, quia pænitentia non tollit excommunicationem, neque sententiam justam infirmat, tametsi moveat Judicem, ut absolutionem præstet. Unde disparitas est cum infirmitate; nam infirmitas ex se non est impedimentum culpabile Officii Ecclesiastici exequendi, neque ex se est impedimentum: secus verò excommunicatio quæ ex se est culpabile impedimentum.

162 Ad Argumenta *n.* 157. allata responderi facilè potest. *Ad* 1. ut denuntiatio indiget Officio Judicis, ita etiam subtractio fructuum. *Ad* 2. Pontifex diversa ratione *in c. pastoralis citat.* movetur, ut possit excommunicatus, non obstante Appellatione, denuntiari, & ut possit privari fructibus: ad primum movetur, quia denuntiatio non est novum vinculum; ad alterum, quia excommunicatione communio Ecclesiæ subtrahitur. *Ad* 3. jam dictum est, verbum *subtrahuntur* significare actionem spoliationis, quæ fit ab homine. *Ad* 4. subtractio fructuum ex privatione communionis oritur, sed non ipso Jure, sicut nec denuntiatio.

163 Dub. 5. quomodo excommunicatio privet jurisdictione Ecclesiastica? *Certum est*, quemlibet excommunicatum privatum esse Jurisdictione Ecclesiastica, ita, ut licitè eam exercere non possit. Colligitur ex *can. audivimus* 4. *caus.* 24. *q.* 1. *c. ad probandum* 24. *de Sent. & re jud. c. Romana* 1. *de suppl. negl. Prælat. in* 6. *c. Romanà* 1. *de Offic. Vicar. in* 6. *c. si is cui* 10. *de Offic. Deleg. in* 6. Ratio est, quia Jurisdictionis Exercitium est præcipua cum fidelibus communicatio. Et id verum est etiam de excommunicato tolerato; nam hic mortaliter peccat, si exerceat actum Jurisdictionis Ecclesiasticæ, nisi fuerit à fidelibus ad hoc requisitus.

164 *Difficultas est*, utrum excommunicato, durante excommunicatione, Jurisdictio sit omnino adempta, an solum prohibitus illius usus? Conveniunt DD. omnes, Jurisdictionem Ecclesiasticam excommunicato vitando esse omnino ademptam. Atque hinc invalida 1. est Sententia ab eo lata *c. ad probandum cit.* 2. Absolutio dispensatio, facultatis concessio pro Sacramentis administrandis; quia sunt actus Jurisdictionis. 3. Delegatio Jurisdictionis pro foro externo alteri non excommunicato facta: secus est de Jurisdictione fori interni; hæc enim, quia est gratia facta, ob excommunicationem postmodum incursam à Delegante non suspenditur etiam re integra. Palao *D.* 2. *p.* 13. *n.* 10. & ab hoc *citt.* 4. collatio Beneficii *c. un. ne sed. vac. in* 6. sub quo nomine etiam venit Electio ad Beneficia, Præsentatio, Nominatio, Postulatio, Institutio, possessionis concessio, si hæc fieri debeat per actum aliquem Jurisdictionis; quia si hunc non requirit, ut plerùmque contingit, valida est possessionis concessio, tametsi ab excommunicato vitando fiat, cùm non sit aliquid Juris, sed facti tantùm. Palao *l. cit. nu.* 11. *& seqq.* & apud hunc *citi.* 5. Resignatio Beneficii facta in favorem tertii, ut volunt Covar. *in c. alma p.* 1. §. 7. *nu.* 9. Suar. *D.* 14. *de Censur. sect.* 2. *n.* 35. Filliuc. *de excomm. c.* 6. *q.* 9. *nu.* 163. quia ita resignans videtur actum Jurisdictionis exercere, & Beneficium aliquo modo Resignatario conferre, sicut eligens, & præsentans. Sed Bonac. *D.* 2. *de Censur. q.* 2. *p.* 9. *n.* 7. Palao *l. cit. n.* 26. & alii existimant, hujusmodi resignationem esse validam; quia ultra Beneficii cessionem solum continet designationem personæ in Beneficium providendæ, ex cujus designationis vi nullum jus designato conceditur, cùm integrum jus in Beneficium retineat designans, quousque designatus provisus sit à Pontifice. ergo &c.

Controversia moveri posset quoad Excommunicatum 165 toleratum, an iste Jurisdictionem Ecclesiasticam exerceat validè, quando à fidelibus contra ipsum exceptio non opponitur. *Ratio dubitandi est*, quia in Concil. Constant. *Extrav. ad evitanda* excommunicato tolerato tantùm factus est favor, quatenus fideles eorum communicationi volunt uti. *Sed dicendum*, excommunicato tolerato nullatenus ademptam esse Jurisdictionem, sed illius actus ipsum validè exercere, quamdiu à fidelibus contra ipsum non excipitur. Navar. *Man. c.* 27. *nu.* 22. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 7. *n.* 9. Suar. *D.* 11. *sect.* 4. *n.* 9. & *D.* 14. *sect.* 2. *n.* 3. Gutier. *l.* 1. *can. qq. c.* 1. *nu.* 82. Less. *l.* 2. *Just. cap.* 29. *dub.* 7. *nu.* 17. Coninck *D.* 14. *dub.* 10. *pr.* Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *num.* 13. Bonac. *D.* 2. *de censur. q.* 2. *p.* 5. *n.* 3. Palao *p.* 13. *cit. n.* 3. Vallens. *hic* §. 3. *n.* 4. Pirhing *n.* 18. Reiffenstuel *nu.* 70. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 196. & *n.* 217. & sumitur ex *c. exceptionem* 12. *de except.* & *c. piæ* 1. *eod. in* 6. Ratio est, quia cum Ecclesia permittat fidelibus communicationem cum Excommunicatis toleratis tum in Divinis, tum in humanis, acsi excommunicati non essent, conservare in illis Jurisdictionem debet, ut apti, & expediti sint ad hanc cum fidelibus communicationem.

Ex quo sequitur, si fideles excommunicationem obji- 166 ciant, & ob illius causam contra excommunicatum excipiant, eumque à se repellant, nullius valoris esse actus ab excommunicato factos. Ut verò exceptio hujusmodi teneat, excipiens excommunicationis speciem, & ejus authorem manifestè debet probare intra octo dies *c. piæ cit.* Si non probet excipiens, vel si nullus excipiat, excommunicatus toleratus Officium tam Judicis, quam Parochi validè exercere potest, atque adeò lites decidere, causas judicare, absolvere, dispensare &c. Et extenditur probabiliter hoc etiam ad exercitium Jurisdictionis coactivæ, ita, ut possit præcepta dare, & excommunicationem ferre in subditos. Gutier. *c.* 1. *cit. n.* 81. Coninck *dub.* 10. *cit. n.* 11. Bonac. *n.* 4. Palao *num.* 6. Idque verum est, non tantùm, quando excommunicatio est occulta, sed etiam, quando non est occulta; quia post *extrav. ad evitanda cit.* quilibet excommunicatus toleratus eodem jure censetur, quo jure censebatur jure antiquo occultus. isto autem jure excommunicatus occultus retinebat jurisdictionem, quousque per exceptionem elideretur *c. exceptionem*, & *capit. piæ citt.* ergo &c.

Quæritur 6. quot modis excommunicatio fidelium 167 communicatione privet in Civilibus? Resp. modi sunt tres. 1. privat excommunicatum communicatione forensi. 2. usu quocunque Officii politici. 3. quacunque obligatione Civili, & Contractu.

Dub. 1. quomodo excommunicatio privet communicatione forensi? Resp. exploratum est apud omnes excommunicatum privari omni actu pertinente ad judicium. Quapropter 1. nequit esse Judex, de quo dictum est *Libr.* 1. *Tit.* 32. *n.* 3. *vers. Lege prohibeatur*: quod extenditur etiam ad Arbitros, secundùm dicta *Libr.* 1. *cit. Tit.* 43. *n.* 12. 2. nequit esse actor, prout dictum est *Libr.* 2. *Tit.* 1. *n.* 32. *& seqq.* 3. prohibetur ab advocando. *Libr.* 1. *Tit.* 38. *n.* 7. 4. non potest constitui Procurator. *Libr.* 1. *Tit.* 38. *n.* 9. 5. non admittitur ad testimonium dicendum in judicio. *Libr.* 2. *Tit.* 20. *n.* 26. *&* 27. 6. interdicitur Officio Tabellionis. *Libr.* 2. *Tit.* 22. *n.* 5. *vers. quartò.*

Qua

168 Quæ omnia intelligenda sunt de Excommunicato vitando; nam si toleratus sit, acta, quæ fiunt à tali Judice, valorem habent, licèt excipi contra ejusmodi Judicem possit. 2. potest esse actor, nisi pars adversa ab agendo eundem repellat opposita Exceptione. 3. si à fidelibus ad postulandum pro se invitetur, nec a Judice repellatur, licitè, & validè exercet Officium Advocati. 4. constitui Procurator potest: imò etsi vitandus sit, constitutio ejus illicita quidem, valida tamen est probabilius, cùm nullibi reperiatur irritata. 5. si pars adversa contra eum non excipiat, aut Judex ipsum non repellat, licitè, & validè testis est in Judicio; quia actus testificandi ex natura rei in favorem alterius ordinatur. 6. Si sit Tabellio, ad petitionem aliorum validè & licitè conficit Instrumenta, & Scripturas sui Officii. *Excipitur*, quando ad valorem actus, & obligationem inducendam Scriptura requiritur, ut in Testamento contingit, in Sententia definitiva Judicis, & similibus; quia actus ille firmitatem, & perpetuitatem expostulat irrefragabiliter, quam tamen dare eidem excommunicatus non potest, cùm possit contra eundem excipi. Laym. *l.* 1. *tr.* 6. *p.* 6. *c.* 2. *n.* 15. Palao *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 14. §. 2. *n.* 20. Pirh. *hìc n.* 20. *vers. præterea*.

169 Reus non arcetur à Judicio, esto, sit Excommunicatus vitandus, prout dictum est *Libr.* 2. *Tit.* 1. *num.* 33. Unde 1. trahi ad Judicium potest *c. intelleximus* 7. *de Judic. ne*, ut ibi dicitur, *videatur de sua malitia commodum reportare*. 2. posita præsentia in Judicio, potest respondere ad omnia sibi objecta, testes, & instrumenta in sui defensionem producere, Judicem, Advocatum, Scribam, & Procuratorem eligere: quin imò etiam Exceptionibus Dilatoriis uti, si hæ ad defensionem illius dirigantur. Item potest appellare; nam Appellatio est quædam Juris defensio ad gravamen removendum. est autem Excommunicato Jure naturæ permissa omnis defensio *c. dilecti* 8. *cap. dilecta* 10. & *cap. seq. de except.* 3. etsi convenientissimum sit causam suam agere per Procuratorem, ut hoc modo Excommunicationis effectus rectius observetur, nihil tamen impedit, quo minùs citatus ad Judicium per seipsum ibi comparere possit. Palao *n.* 26. Vallens. §. 3. *n.* 6. la Croix *n.* 278. & dictum est *Libr.* 2. *Tit.* 1. *n.* 36. Ratio est, quia *c. dilecti cit.* & *cap. fin. eod.* permittitur Excommunicato absolutè potestas respondendi in judicio. non igitur permissio ista restringi debet.

170 Dub. 2. quomodo excommunicatio privet Officiis publicis? *Certum est* his privari excommunicatum, utpote qui à communione fidelium separatus est. Difficultas tamen quadruplex moveri potest. Et 1. quidem, an excommunicatus prohibeatur etiam exercere Officium Tutoris, Curatoris, Hospitalarii, & similium? Putant aliqui, non solùm illicitè, sed etiam invalidè hæc Officia exerceri; quia Officia ista, etsi Jurisdictionem non habeant, tamen authoritate publica constituuntur. Rectius tamen Suar. *D.* 16. *de censur. sect.* 8. *per totam*, Palao *D.* 2. *cit. p.* 15. *nu.* 1. & alii tenent contrarium; nam esto, Tutor, Curator, Hospitalarius authoritate publica constituantur, non tamen in utilitatem publicam, sed privatam. quæ autem in utilitatem privatam constituuntur, etsi authoritate publica, irrita non sunt, nisi excipiantur; aliàs etiam irrita essent acta à Procuratore, Actore, Advocato &c. excommunicatis, contra communem sententiam, quippe cùm etiam istorum Officia authoritate publica sint constituta.

171 *Difficultas* 2. est, an valida sit assistentia Parochi excommunicati in contractu Matrimoniali? Ad quam difficultatem *Libr.* 4. *Tit.* 3. *num.* 173. *& duob. seqq.* respondi, validam esse, etiamsi Parochus talis sit excommunicatus non toleratus; qua hæc assistentia, etsi fiat authoritate publica, non tamen est actus Jurisdictionis, cùm etiam ab invito sufficienter præstetur: sed est executio cujusdam conditionis à *Trid.* requisitæ pro valore matrimonii.

172 *Difficultas* 3. an valida sit licentia à Parocho excommunicato data alteri Sacerdoti ad assistendum Matrimonio? Ad hanc *Tit.* 3. *cit. num.* 184. respondi affirmativè: quod procedit, etiamsi talem licentiam dans sit excommunicatus non toleratus; quia concessio hujus facultatis non est actus Jurisdictionis, sed dominii, sicut est quelibet Procuratoris constitutio, cùm Parochus dans hanc licentiam nihil faciat, quàm quòd potestatem assistendi, quam habet, in alterum subroget. atqui hæc potestas, in Parocho residens, non est Jurisdictio. ergo nec illius in alterum subrogatio.

Difficultas 4. an admissio, seu receptio Professionis Religiosæ, facta à Prælato excommunicato, sit valida? 173
Resp. valere. Sanch. *l.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 78. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 13. *fin.* Palao *p.* 15. *cit. n.* 4. la Croix *nu.* 214. Ratio est, quia admissio hæc non est actus Jurisdictionis propriæ, sed cujusdam Superioritatis usus, competens Prælato ratione sui Officii; aliàs fœmina, & Laicus, qui Jurisdictionis Ecclesiasticæ incapaces sunt, non possent admittere Professionem. Ob eandem rationem etiam valida est commissio admittendi Professionem facta à Prælato excommunicato.

Dub. 3. quomodo excommunicatio privet potestate contrahendi, & obligandi civiliter? *Certum est*, interdictum excommunicato quemlibet cum fidelibus contractum inire; quia contrahendo cum illis communicat. *Difficultas* est, an casu, quo contractum init excommunicatus cum non excommunicato, contractus iste sit firmus, & obligationem utrinque inducat? *Hostiensis*, & alii quidam relati à Socin. *in cap. sacris n.* 458. *h. tit.* censent esse validos, si facti sint in favorem aliorum contrahentium non excommunicandorum; secus verò, si in favorem excommunicati. *Rationem* dant 1. quia Legibus prohibentur. atqui quod Legibus pugnat, æquum non est, ut Legibus ipsis subveniatur: & hinc *l. non dubium* 5. *C. de LL.* Imperatores, *Generaliter*, inquiunt, *imperamus--ut ea, quæ Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur.* 2. si excommunicatus petat in Judicio executionem Contractus in excommunicatione initi, non auditur, sed repellitur, ii verò, qui cum ipso contraxerunt, audiuntur, & agere contra ipsum possunt *c. piæ* 1. *de except. in* 6. ergo signum est, contractum in excommunicati favorem non tenere, bene tamen in aliorum commodum. 3. specialiter videtur irritus esse contractus Matrimonii ab excommunicato initi; nam per hunc contractum obligant se conjuges ad mutuam communicationem. atqui excommunicatus non potest se obligare ad communicandum alteri; quia omnis communicatio est ipsi prohibita. ergo &c. 174

Sed meliùs validos esse Contractus, ab excommunicato tempore excommunicationis initos, docent Abb. *in c. ad probandum num.* 8. *de sent. & re jud.* Covar. *in c. alma p.* 1. §. 1. *num.* 9. Sayr. *l.* 2. *de excomm. c.* 9. *num.* 11. Vasq. *de excomm. dub.* 8. Coninck *D.* 14. *dub.* 12. *num.* 119. Palao *D.* 2. *cit. p.* 16. *n.* 3. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *num.* 280. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delict. c.* 3. *n.* 208. Ratio est, quia nullus reperitur textus, ex quo hæc irritatio possit colligi; nam esto, interdicatur Legibus, non tamen hoc ipso irritatur. Atque hinc 1. valet Emptio Venditio, Locatio Conductio &c. ab excommunicato facta, ut colligitur ex *can. quoniam multos* 103. *caus.* 11. *q.* 3. & *c. si verè* 34. *h. tit.* 2. valet donatio tum ab excommunicato, tum ipsi excommunicato facta *c. inter dilectos* 8. *de Donat.* 3. quamvis excommunicatus vitandus illicitè conficiat testamentum vocando testes, & cum illis, ac Notario communicando, ita tamen confectum valet, cum nullo Jure sit irritatum, aut excommunicato adempta factio Testamenti. 4. à fortiori sequitur, excommunicatum vitandum hæredem institui posse; minus enim requiritur ad capiendum ex Testamento, quàm ad Testamentum conficiendum, cùm plurimi incapaces sint testandi, non tamen, ut hæredes instituantur. 175

Neque contrarium evincunt Argumenta opposita. *Ad* 1. Lex illa intelligi debet, quòd pro infectis, & irritis haberi debeant, quæ fiunt contra Jus irritans, & annullans, non verò illa, quæ fiunt duntaxat contra Jus prohibens. *Ad* 2. Excommunicatus non repellitur eò, quòd contractus, quem in excommunicatione iniit, invalidus sit, sed quia, donec absolvatur à Censura personam standi in Judicio non habet: hinc ubi ab ea est absolutus, agere in Judicio potest pro obligatione sibi excommunicato facta, ut aliis *citt.* notat Palao *num.* 3. *cit. Ad* 3. Excommunicati, contrahentes Matrimonium, obligari possunt ad mutuam cohabitationem absolutè, quod sufficit, ut Matrimonium subsistat, quamvis fortè obligare se nequeant ad cohabitationem, stante Excommunicatione. Accedit, quia excommunicatio non impedit conjugalem convictum, postquam contractum est 176

Matri-

Matrimonium. igitur etsi excommunicati contrahendo peccent, contractus tamen validus, & firmus est.

177 Quæritur 7. quibus actionibus privetur excommunicatus, dum privatur communicatione Politica? Resp. ista Versu hoc comprehenduntur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Oris nomine intelligitur osculum pacis, & inde DD. extendunt ad amplexus, missionem, & receptionem munerum, & generaliter ad quodlibet benevolentiæ signum maximè verò ad collocutionem cum Excommunicato, sive deinde illa fiat palam, sive clam, sive verbis, sive scripto, seu litteris, nutibus, vel aliis signis. Per verbum *Orare* intelligitur prohibita quælibet participatio cum excommunicato tum in Sacramentis, tum in Sacrificio Missæ, tum in Officiis Divinis, tum in aliis precibus, & Orationibus: de quo *supra à num.* 126. Per verbum *Vale* prohibetur quælibet honorifica salutatio, utpote qua Excommunicatus indignus est. Probabile tamen est licitum esse assurgere excommunicato, caput illi aperire, locum concedere; licèt enim hæc sint quædam exterior salutatio, consuetudine tamen videntur habere rationem salutationis non tam voluntariæ, quàm necessariæ, non ut per ista excommunicatus honoretur, sed ne inhonoretur, & contemni videatur: quod à fortiori procedit, si excommunicatus te prius salutet; tunc enim resalutatio videtur debita ob priorem excommunicati salutationem. Nomine *Communio* & *Mensa* prohibetur quælibet Societas, & communicatio in negotiis peragendis, in habitatione, in convictu, in itinere, in mensa, & similibus. Debet autem participatio ista esse formalis, i. e. per modum unius; secus, si casu in eadem domo, itinere, vel mensa excommunicatus cum non excommunicato incidat. Suar. *D.* 15. *sect.* 1. *nu.* 6. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *q.* 2. *n.* 16. Palao *D.* 2. *cit. p.* 17. *n.* 5. Pirhing *hic n.* 21. *not.* 3. Engl *n.* 47. Reiffenstuel *nu.* 142. *& seqq.*

178 Dub. 1. sub qua culpa fidelibus communicatio cum excommunicato, & excommunicato cum fidelibus non excommunicatis prohibita sit? Resp. mortaliter peccari in sequentibus casibus. 1. si cum Excommunicato non excommunicatus, aut vicissim communicet in rebus Divinis, & Officio Divino saltem publicè dicto. Palao *D.* 2. *cit. p.* 18. *num.* 1. Vviestner *hic num.* 62. Reiffenstuel *num.* 148. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 196. Ratio est, quia hæc communicatio, utpote maxima, directè prohibetur ex vi Excommunicationis. Dixi *saltem publicè dicto;* nam communicatio in Officio Divino privatim dicto probabiliter per se non est culpa mortalis, utpote quæ non primò, & per se ex vi Excommunicationis, sed secundario solum prohibita est, & propterea in materia communicationis non videtur esse res gravis. Palao *n.* 2. & apud hunc *Covar. Vasq. &c.*

179 2. Si communicetur cum excommunicato à Summo Pontifice; tunc enim communicans, præter peccatum mortale, incurrit etiam Excommunicationem majorem, ut colligitur ex *c. significavit* 18. *h. tit.* & notant Sylv. *V. Excommunicatio* 5. *num.* 22. Navar. *Man. c.* 27. *num.* 98. Henriq. *l.* 13. *cap.* 8. *n.* 2. Avil. *p.* 1. *de censur. c.* 6. *D.* 10. *dub.* 2. Palao *p.* 18. *cit. n.* 4. Pirhing *num.* 96. Vviestner *num.* 62. Reiffenstuel *numer.* 148. Requiruntur tamen ad hanc excommunicationem, & peccatum mortale incurrendum plures conditiones, ut cum *Henriq. Avil. Palao, Pirhing l. citt.* advertit la Croix *n.* 192. nam communicans debet esse Clericus, & debet communicare in Divinis non utcunque, sed admittendo excommunicatum spontè, liberè, & voluntariè sciensque, à Papa esse excommunicatum nominatim, & insuper denuntiatum.

180 3. Si quis cum excommunicato communicet in crimine criminoso *c. nuper* 29. *vers. in secunda*, *c. si concubinæ* 55. *h. tit.* & *capit. statuimus* 3. *eod. in* 6. Censetur autem communicare in crimine criminoso, seu in crimine, ob cujus causam aliquis excommunicatione perculsus est, si consilium, auxilium, vel favorem præstet, ne ab eo delicto resipiscat. Talis præter peccatum mortale incurrit etiam excommunicationem majorem, si sciat hanc pœnam communicantibus esse impositam, & is, cum quo communicat, sit excommunicatus nominatim; non enim sufficit, etsi sit Clerici percussor manifestus: imò nec sufficit esse excommunicatum nominatim, nisi etiam sit denuntiatus; nam post *Extrav. ad evitanda cit.* solos denuntiatos vitare tenemur. Palao *p.* 18. *cit. n.* 5. Barbos. *in c. nuper cit. n.* 3. *&* 5. Pirh. *hic n.* 128. *not.* 1. *& num.* 129. *not.* 2. Reiffenst. *numer.* 149. la Croix *numer.* 283.

4. Si communicet aliquis cum Excommunicato post 181
latam sententiam contra participantes; nam hic, præterquam quòd peccet mortaliter, etiam incurrit excommunicationem majorem, uti constat ex *cap. quod in dubiis* 30. *vers. secus autem h. tit.* Abb. *ibid. nu.* 3. Barbos. *n.* 4. *&* 5. Pirh. *n.* 133. *not.* 2. & *num.* 136. *not.* 5. Ut tamen hanc excommunicationem communicans incurrat, debet 1. moneri, non quomodocunque, sed monitione trina *c. statuimus cit.* 2. moneri debet speciatim, & sigillatim; nam ex sola generali relatione contra participantes, ut solent judices frequenter uti, nullo modo communicans ligatur excommunicatione majori; quia *c. statuimus cit. c. constitutionem* 9. & *c. statutum* 13. *h. tit. in* 6. expressè deciditur, ferendam esse excommunicationem hanc adversus personas singulares, & expressas.

Extra hos casus solum sub culpa veniali prohibetur 182
communicatio cum excommunicato, incurritque communicans tantùm excommunicationem minorem. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 29. Bonac. *tom.* 1. *D.* 2. *de excomm. p.* 6. *nu.* 5. Vviestn. *hic nu.* 62. Reiffenstuel *ibid. num.* 148. Neque obstat *can. Excommunicatos* 17. *caus.* 11. *q.* 3. ubi asseritur, communicantem cum excommunicato *simili Excommunicationi subjacere.* si igitur simili excommunicationi. ergo majori. conf. peccat mortaliter. Nam, ut bene advertit Covar. *in c. alma p.* 1. *§.* 3. *num.* 3. textus ille non est intelligendus de similitudine omnimoda, & æquali, sed secundum proportionem, ita, ut sensus sit, sicut ille est excommunicatus excommunicatione majori, sic communicans cum illo innodatur excommunicatione minori.

Dub. 2. quibus casibus licita sit communicatio cum 183
excommunicato denuntiato? Resp. hos sequenti versu comprehendi.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Igitur 1. excusat *Utilitas* tam Spiritualis, quàm corporalis. Ob Spiritualem utilitatem excommunicati licet Excommunicato consilia salutaria præbere, concionem coram illo facere *arg. c. responsio* 43. *h. tit.* ob spiritualem utilitatem fidelium autem licet istis consilium ab Excommunicato petere, si alius non adsit, qui æquè bene dare possit. Similiter ob utilitatem temporalem licet Excommunicato Eleemosynam facere, & ab ipso recipere, debitum ei solvere, & ab ipso exigere. Suar. *D.* 15. *de censur. sect.* 4. *n.* 8. Avil. *p.* 2. *c.* 6. *D.* 11. *dub.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 16. Palao *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 19. *n.* 2. Vallens. *hic §.* 2. *n.* 1. *vers. dixi.* Engl *n.* 48. Pirh. *n.* 116. *& seqq.* Reiffenstuel *n.* 151. la Croix *n.* 196. Ratio est, quia Lex Ecclesiastica benigna est, ideoque illius obligatio cessat, si gravis jactura ex ejusdem observatione sequatur.

1. Excusat *Lex* Matrimonii, seu Conjugii, ob quam 184
conjux communicare cum marito excommunicato potest non tantùm in debito, sed etiam in mensa, gubernatione domus, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis *c. inter alia* 31. *h. tit.* Lex enim absolutè concedit uxori facultatem communicandi cum marito excommunicato, ut patet ex *can. quoniam multos* 103. *caus.* 11. *q.* 3. hæc facultas est favorabilis. igitur ad solum debitum conjugale restringi non debet. Idem dicendum de marito non excommunicato, ut possit communicare cum uxore sua excommunicata, ut bene advertunt S. Thom. *p.* 3. *q.* 23. *art.* 22. Sylv. *V. excommunicatio* 5. *n.* 4. Covar. *in c. alma p.* 1. §. 1. *num.* 8. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 26. Suar. *D.* 15. *sect.* 4. *nu.* 14. Sanch. *l.* 9. *de matr. D.* 14. *n.* 16. Avil. *p.* 2. *c.* 6. *D.* 11. *dub.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *n.* 16. Palao *p.* 19. *n.* 5. Pirh. *num.* 120. Engl *num.* 48. Vviest. *num.* 70. Reiffenst. *num.* 152. la Croix *numer.* 196.

Ratio est, quia dispositum de uno correlativo censetur 185
dispositum etiam esse de alio, ubi eadem est ratio. at in præsenti est eadem ratio; nam uxori conceditur ob periculum animarum, quod periculum æquè procedit in viro. *Conf.* 1. quia licet communicare cum Socio in contractu Societatis, ante Excommunicationem inito *arg. capit. si verè* 35. *h. tit.* ergo à fortiori licebit communicare marito cum uxore excommunicata in Contractu Matrimonii. *Conf.* 2. Vir Excommunicatus melioris

lioris conditionis esset, quàm non excommunicatus; quia ille posset obsequiis uxoris frui, quod non posset vir non excommunicatus. *Neque obstat*, quòd *can. quoniam cit.* solùm excipiantur uxores; nam id factum est, quia frequentius viri, quàm uxores in excommunicationem incidunt.

186 *Dubitant* hic aliqui, an pars excommunicata possit à non excommunicato etiam debitum petere? *Ratio dubitandi est*, quia excommunicatis nunquam intendit favere Jus. *Sed respondendum* est affirmativè. Ita Cajet. *V. excommunicatio c.* 81. *§. illicita*. Sayr. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 4. Avil. *p.* 2. *de censur. c.* 6. *D.* 11. *dub.* 5. *concl.* 1. Suar. *D.* 15. *sect.* 4. *n.* 2. Coninck *D.* 14. *dub.* 12. *n.* 123. Palao *p.* 19. *cit. n.* 7. Ratio est, quia communicatio inter conjuges excommunicatos permissa est ad vitandum periculum incontinentiæ *can. quoniam cit.* atqui hoc periculum nullo modo vitaretur, si conjux excommunicatus obligatus esset à communione alterius conjugis se separare. ergo &c. *Conf.* juxta *n.* 183. potest excommunicatus exigere debitum pecuniarium, igitur & debitum conjugale.

187 *Excipitur*, si excommunicatio lata fuisset in causa Matrimonii, de cujus valore lis pendet; cùm enim hoc casu Matrimonii usus viro, & mulieri interdictus sit ob periculum fornicationis, debiti petitio, & redditio, tanquam communicatio in crimine criminoso, & utriusque animæ periculosa, neutri permissa foret *c. inter alia cit. fin.* Sylv. *V. excommunicatio* 5. *n.* 4. Sanch. *D.* 4. *cit. n.* 9. Vviestner *n.* 70.

188 3. Excusat *Humile*, i. e. humilitas subjectionis *can. quoniam cit.* & *capit. si vere* 34. *h. tit.* Proceditque hoc, etsi post excommunicationem contracta fuerit hujusmodi subjectio, si contracta fuerit sine culpa excommunicati *can. quoniam*, & *capit. inter alia citt.* Ex quo capite eximuntur 1. filii comparatione parentum, etiam naturales, & adoptivi, & probabiliter, etiamsi sint emancipati; nam etiam filius emancipatus verè filius est, ac proinde gaudere debet favore concesso filiis. 2. Nepotes, Pronepotes, Affines, uti Gener, Nurus, Privignus, & privigna, pupilli, & minores comparatione Tutoris, & Curatoris; hi enim omnes nomine filii in hac concessione favorabili veniunt intelligendi *l. filii* 84. & *l. liberorum* 220. *ff. de V. S.* 3. Servi, & ancillæ: & ex his non tantùm illi, qui propriè servi, & mancipia sunt, sed etiam illi, qui vel gratis, vel pro pretio excommunicato serviunt *can. quoniam cit.* 4. tota familia ejusdem; quia regulariter nequeunt absque gravi jactura ab ejus consortio discedere *c. si verè cit.* 5. Clerici, si communicent cum Episcopo excommunicato, in cujus sunt famulatu. Sylv. *V. Excommunicatio* 5. *num.* 4. 6. Religiosi communicantes cum suis Superioribus excommunicatis; quia strictius, quàm famuli subjecti sunt, neque ab ea subjectione recedere possunt. 7. milites, si communicent cum suo Duce excommunicato, eumque in bello justo sequantur. Sylv. *l. cit.* Sayr. *l.* 2. *de Excomm. c.* 14. *num.* 19. 8. Addunt aliqui Vasallos, si communicent cum suis dominis excommunicatis. Sed rectius contrarium tenet. Bonac. *D.* 2. *de excomm. q.* 2. *p.* 6. *§.* 2. *n.* 40. Hurtad. *D.* 9. *diffic.* 4. *n.* 15. Palao *p.* 19. *cit. num.* 20. quia Vasalli nec sunt famuli, nec de familia domini, ut ad ejus communicationem adstricti videantur.

189 Porro quod dictum est de filiis, servis, subditis respectu parentum, dominorum, Superiorum excommunicatorum, à paritate rationis etiam extendendum est ad parentes, dominos, Superiores, ut communicare possint cum suis filiis, servis, subditis excommunicatis. Navar. *Man. c.* 27. *num.* 27. Suar. *D.* 15. *sect.* 5. *num.* 21. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. *nu.* 16. Avil. *p.* 2. *c.* 6. *D.* 11. *dub.* 6. Palao *p.* 19. *cit. n.* 21. Pirh. *hic n.* 123. *extens.* 1. Vviest. *n.* 71. Reiffenst. *n.* 153. Ratio enim, cur hoc permittatur inferioribus respectu Superiorum excommunicatorum est periculum animæ, quod adesset, si ipsis prohibita esset hæc communicatio cum suis Superioribus, quorum societatem vitare moraliter nequeunt. atqui hæc ratio æquè procedit in Superioribus comparatione subditorum. ergo etiam ad hos facultas concessa extendi debet.

190 4. Excusat *Ignorantia*: estque perinde, sive sit ignorantia Juris, sive facti, h. e. sive quis ignoraverit Legem prohibentem ejusmodi communicationem cum excommunicato, sive ignoraverit illos, quibus cum communicat, Excommunicatos denuntiatos esse; nam cum textus *can. quoniam cit.* generaliter ignorantes exceperit, intelligi debet de qualiber ignorantia. Engl *hic numer.* 48. Pirhing. *num.* 125. Vviestner *num.* 67. Reiffenst. *numer.* 154.

An verò excuset Ignorantia solùm invincibilis, vel 191 etiam vincibilis controversum est inter DD. Aliqui volunt, necessariò debere esse invincibilem. Sed Suar. *D.* 15. *sect.* 3. *nu.* 3. Coninck *D.* 13. *dub.* 11. & *D.* 14. *dub.* 12. *n.* 124. Hurt. *D.* 9. *de excomm. diffic.* 4. *n.* 26. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 8. Palao *D.* 2. *cit. p.* 19. *n.* 24. Engl *n.* 48. Pirhing *nu.* 118. Vviestn. *nu.* 67. rectius existimant, excusare etiam ignorantiam vincibilem, modò non sit affectata, quippe quæ scientiæ æquiparatur. Colligitur ex *can. quoniam cit.* ubi Pontifex intendit, ignorantibus aliquem favorem concedere. atqui nullus concessus est favor, si solum exciperet ignorantes invincibiliter excommunicationem, seu Legem excommunicationis; nam hi per ipsum Jus naturale à culpa, & pœna exempti sunt. *Conf.* 1. ex eodem *can.* nam ibi dicit Pontifex, se moveri ad prædictam indulgentiam concedendam, quia multi occasione excommunicationis perirent tum ignorantia, tum nimia simplicitate. atqui ignorantia invincibili nemo perit. *Conf.* 2. quia ignorantia vincibilis vera est ignorantia. atqui Pontifex absolutè ignorantibus indulgere vult;

Quare ut quis teneatur abstinere à communicatione 192 cum excommunicato, debet ipsi certò moraliter constare, quòd ille excommunicatus vitandus sit; quia stante dubio de excommunicatione, & Denuntiatione, iniquè judicaretur esse excommunicatus. Porro moralem hanc certitudinem præstare potest 1. fama publica, à viris fide dignis orta. 2. testimonium duorum, vel trium asserentium, ipsum excommunicatum denuntiatum esse. 3. Parochi idipsum attestantis litteræ: secus si oretenus tantum affirmaret; nam uni testi, quantumcunque fide digno, non teneor credere, etsi possim *arg. c. cum à nobis* 28. *h. tit.*

Postquam verò quis agnitus est ut Excommunicatus 193 vitandus, in dubio non debet præsumi esse absolutus; nam juxta vulgatam Regulam *Semel malus semper præsumitur malus*, & absolutio est quid facti, quod non præsumitur, nisi probetur. Probatur autem absolutio sufficienter tum fama publica, tum testimonio alicujus viri fide digni, vel ipsius excommunicati confessione, si talis ille sit, ut spectata conditione personæ, & negotii, prudenter credi eidem possit: & sufficiet aliquando confessio tacita, quæ inducitur, quando aliquis longo tempore pro Excommunicato se gessit; præsumitur enim ex hoc talis esse, si aliàs conscientiæ timoratæ sit. Palao *l. cit. nu.* 27. & apud hunc *Navar. Suar. Bonac. Hurt. Laym. Avila.*

5. Denique excusat necessitas significata per vocem 194 *necesse can. quoniam*, *c. inter alia*, *cap. si verè citt.* Perinde autem est, sive necessitas hæc Spiritualis, sive temporalis, sive ipsius Excommunicati, sive aliorum, modò sit gravis, & ab alio non excommunicato non æquè bene auferri possit. Sayr. *l.* 2. *de excomm. c.* 14. *n.* 29. & *seqq.* Henriq. *l.* 13. *c.* 23. Suar. *D.* 15. *sect.* 3. *nu.* 8. Bonac. *D.* 2. *de excomm. q.* 2. *p.* 6. *§.* 2. *num.* 57. Palao *p.* 19. *cit. n.* 28. Engl *num.* 48. Pirhing *num.* 126. Reiffenstuel *num.* 155. Ab hac doctrina Sayr. *l. cit. n.* 30. Bonac. *num.* 59. excipiunt Prædicatores, & Confessores, qui Eleemosynam ab excommunicatis vitandis petere possunt, tametsi æquè bene, & commodè ab aliis possint has obtinere; quia illorum curam gerunt, & favet *c. cum voluntate* 54. *h. tit.*

Quæritur 8. quinam sint Effectus remoti excommuni- 195 cationis? Resp. triplex est; nam 1. Excommunicatus, si per annum perseveret in excommunicatione, specialiter lata ab homine, fit suspectus de Hæresi, eò quòd præsumatur malè sentire de potestate Ecclesiæ. Trid. *sess.* 25. *c.* 3. *de reform.* Vallens. *hic §.* 7. *nu.* 9. Hæc tamen suspicio levis est; sufficit tamen ad indicendam Purgationem: quam si subire noluerit, citari iterum debet sub pœna excommunicationis; si verò post hujusmodi citationem adhuc parere neglexerit, & in contumacia per annum perseveraverit, nullo allegato impedimento, ut Hæreticus condemnari debet *c. cum contumacia* 7. *de Hæret. in* 6.

Secundus effectus est probatio delicti, seu causæ, ob 196 quam

quam lata est excommunicatio; nam qui ob causam civilem, vel criminalem à Judice excommunicatus est, & in ea excommunicatione per annum perseverat, nullo ostenso impedimento, aut satisfactionis signo, pro convicto, & confesso haberi debet *can. rursus* 36 *& can. seq. caus.* 11. *q.* 3. quia ea contumacia Juris fictione reputatur confessio. Permittitur tamen ipsi, ut allegare & probare innocentiam suam possit. Palao *part.* 20. *num.* 3.

197 *Tertius* est privatio beneficiorum; nam excommunicatus triennio perseverans in excommunicatione indurato animo, à Judice privari debet beneficiis omnibus; quia indignus est, ut fructibus Ecclesiæ gaudeat, qui adversus illam ita rebellis existit, & ita fecit Pontifex *c. cum bonæ* 8. *de ætat. & qualit.* Ob annalem perseverantiam, etsi possint Judices hanc pœnam privationis beneficiorum irrogare, non tamen tenentur; quia nuspiam in Jure cavetur hæc obligatio. Palao *loc. cit. n.* 4.

198 Quæritur 9. quis sit effectus excommunicationis minoris? Resp. effectus directus excommunicationis minoris unicus est, scilicet privatio passiva Sacramentorum *c. à nobis* 2. *de except. c. fin. de Cler. excomm. minist. c. si quem* 59. *hoc tit.* Hinc graviter peccat, qui excommunicatione minori innodatus Sacramentum suscipit. Suarez *D.* 24. *sect.* 3. *n.* 3. Coninck *D.* 14. *dub.* 17. *n.* 260 Laymam *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 4. Palao *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 21 *n.* 5. Vallens. *hic* § 4. *n.* 1. Pirhing *ibid. n.* 23. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 189.

199 Sacramenta tamen à tali excommunicato suscepta valida sunt secundùm omnes DD. excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod secundùm aliquos ab excommunicato minori excommunicatione susceptum invalidum est. Sed longè verius etiam ipsum est validum, si nullam ille in ejus receptione commisit culpam, quia v. g. nescivit, se hac censura ligatum esse, vel si scivit, postulavit prius ab ea absolvi, quàm à peccato, quod tamen Sacerdos vel ex malitia, vel ex ignorantia non præstitit. Ugol. *tab.* 2. *de cens. c.* 7. § 2. *n.* 6. Herinq. *l.* 13. *de excomm. c.* 3. *n.* 3. Sayr. *l.* 2. *de excomm. c.* 22. *n.* 14. Bonac. *D.* 2. *q.* 3. *n.* 3. Palao *n.* 7. Ratio est 1. quia Ecclesia talem excommunicatum solum removet à Sacramentis Ecclesiæ, illorum perceptionem prohibendo, non tamen irritando, 2. hujus irritationis nullum in Jure est fundamentum, 3. etiam expediens non fuit hanc irritationem facere, utpote cùm fidelibus maximè necessarium sit hoc Sacramentum.

200 Dixi *Privatio passiva Sacramentorum*; nam activam Sacramentorum privationem post se excommunicatio minor non trahit; unde poterit hujusmodi excommunicatus administrare Sacramenta, licèt indecens sit, ut is conferat aliis Sacramenta, quibus ipse tanquam indignus privatus est. Indecentia tamen hæc probabilius non attingit peccatum mortale *arg. c. fin. de Cler. excomm. minist.* ubi Pontifex de eo, qui in excommunicatione minori celebrat, dicit eum graviter peccare; de illo autem, qui confert in ea excommunicatione Ecclesiastica Sacramenta, tantùm dicit eum peccare, omittens adverbium *graviter*, quasi manifestè indicans, in collatione Sacramentorum grave peccatum non esse. Vallens. § 4. *n.* 3. la Croix *n.* 190.

201 Quæritur 10. quisnam sit effectus indirectus excommunicationis minoris? Resp. est privatio electionis ad beneficia *c. fin. de Cler. excomm. minist.* quod communiter DD. extendunt etiam ad præsentationem, & collationem, utpote quæ electiones vocari possunt. Pirhing *hic n.* 23. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 193. Ratio est, quia beneficium ex intentione Ecclesiæ confertur beneficiato, ut Ordines Sacros suscipiat, & Missæ sacrificium, celebret: quod cùm stante minori excommunicatione non possit, sequitur, indirectè etiam tali excommunicato prohibitam esse electionem, collationem, præsentationem ad beneficium.

202 Atque hinc sequitur, eum, qui beneficium tali excommunicato confert, vel ad illud præsentat, aut eligit, graviter peccaturum; quia in re gravi violat præceptum Ecclesiæ. Pœna tamen sic eligentibus in Jure nulla statuta est; nam etsi Glossa *in c. fin. cit.* videatur affirmare, sic eligentes suspensos esse per triennium, & inhabiles factos ad electionem juxta *c. cùm in cunctis* 7. *& c. scriptum* 40. *de elect.* verius tamen est, eum prædicta pœna non affici; quia textus *citt.* tantum loquuntur de eligentibus indignum ob defectum scientiæ, honestatis morum, ætatis; quæ dispositio extendi non debet ad eligentes indignum ob minorem excommunicationem, cùm hæc indignitas facilè auferri possit, & beneficii collationem non reddat ipso Jure nullam.

An verò hujusmodi electio, præsentatio, collatio sit irrita ipso Jure, vel per sententiam irritanda veniat, controvertunt DD. Host. *in c. fin. cit.* Covar. *in c. alma p.* 1. § 8. *n.* 3. Ugol. *tab.* 3. *de cens. c.* 6. § 3. *n.* 2. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 24. censent irritam esse ipso Jure, utpote factam personæ indignæ, & inhabili. *Sed rectius* contrarium docent Glossa *in c. fin. cit. V. eligere.* Sayr. *l.* 2. *de excomm. c.* 22. *n.* 23. Suarez *D.* 14. *sect.* 2. *n.* 22. Coninck *D.* 14. *dub.* 17. *n.* 63. Bonacina *disp.* 2. *de excomm. q.* 3. *n.* 7. Filliuc. *tr.* 13. *c.* 2. *q.* 8. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 5. Hurtad. *disp.* 16. *diffic.* 1. *fin.* Palao *tr.* 29. *disp.* 2. *p.* 21. *n.* 15. Barbosa *in c. fin. cit. nu.* 3. Gonzalez *ibid. n.* 7. Vallens. *hic* § 4. *n.* 2. Pirhing *n.* 23. Wiestner *n.* 60. & colligitur ex *c. fin. cit.* ubi dicitur, ejusmodi electionem esse irritandam; quæ verba etsi Adversarii explicent de declaratione irritationis Jure inductæ, intellectio tamen ista impropria est, cons. vitanda, quoad fieri potest, præsertim cùm hic versemur in materia pœnali. 203

Porro ut irritatio hæc locum habeat, requirunt aliqui scientiam in electoribus, & colligunt hoc ex textu *c. cit.* ibi, *Si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Sed meo judicio vox *scienter* malè applicatur ad electores; nam quando electores ignari ad beneficium eligunt excommunicatum excommunicatione minori, electio aliàs irritanda venit ob subreptionem: igitur nihil speciale constituisset hic textus, si constituisset irritandam electionem factam ab electoribus scientibus. Quare melius Palao *l. cit. n.* 19. la Croix *n.* 195. vocem *scienter* applicant ad electum, ita, ut sensus sit, irritandam electionem, si facta sit de excommunicato suæ excommunicationis conscio; secus, si facta sit de ignaro excommunicationis suæ: & Ratio est, quia stante ignorantia excommunicationis in electo, iste, licèt in re privatus sit Sacramentorum participatione, ab hujus prohibitione ob ignorantiam excusatur, meritò igitur electio ejus sustinetur. 204

Quæritur 11. quis possit absolvere ab excommunicatione minori? Resp. absolvere ab ea in foro externo potest, qui Jurisdictionem in eo habet. In foro interno pœnitentiæ absolvere ab ea potest Episcopus, vel proprius ipsius excommunicati Sacerdos *c. nuper* 29. *v. in secundo vero casu hoc tit.* Nomine *proprii Sacerdotis* autem hic intelligitur non solum, qui ordinariam potestatem habet, ut Parochus, sed etiam, qui delegatam *c. omnis* 12. *de pæn. & remiss.* Et hinc fit, ut cum delegatur alicui potestas absolvendi à peccatis, hoc ipso ei videatur concessa facultas absolvendi ab excommunicatione minori, utpote quæ absolutioni peccatorum est præmittenda; concesso enim uno, concessum censetur etiam alterum, sine quo commodè illud unum præstari non potest. Palao *tr.* 29. *disp.* 2. *p.* 21. *n.* 21. Quin imò ab hac excommunicatione absolvere etiam potest Parochus etiamsi Sacerdos non sit; quia hæc absolutio non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis, quæ Parocho non Sacerdoti competit. *Neque obstat*, quòd *in c. nuper cit.* dicat, hanc absolutionem præstandam esse à proprio Sacerdote, quia id dictum est, non quia necessarium, sed quia frequentius Parochus Sacerdos est, sicut etiam sub nomine Episcopi non solùm consecratus, sed etiam non consecratus, & qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habet, intelligitur. 205

Dubitatur, utrum ab excommunicatione ista absolvere possit etiam Sacerdos simplex, qui solùm absolvere potest à venialibus? Affirmant Navar. *Man. c.* 27 *n.* 25. *&* 39. Vivald. *Candel. p.* 2. *tr. de excomm. n.* 12. Tolet. *l.* 1. *Summ. c.* 17. *nu.* 7. Vallens. *hic* § 7. *nu.* 1. Moventur, quia hæc excommunicatio regulariter incurritur ob culpam venialem: ergo qui potest absolvere à venialibus, videtur hoc ipso posse absolvere ab hac excommunicatione, cum hæc absolutio absolutioni peccatorum sit præmittenda. 206

Sed potestatem istam simplici ejusmodi Sacerdoti probabilius negant Cajet. *V. absolutio fin. & V. Excommunicatio minor.* Covar. *in c. alma p.* 1. § 12. *nu.* 7. Sot. *in* 4. *dist.* 22 *q.* 2. *art.* 3. *vers. secundum membrum*, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 18. *num.* 5. Sayr. *lib.* 2. *de excomm. c.* 23. *nu.* 9. Suar. *disp.* 7. 207

de Censur. sect. 4. *n.* 27. Coninck *D.* 14. *dub.* 17. *fin.* Avil. *p.* 2. *c.* 7. *D.* 1. *dub.* 2. Filliuc. *tr.* 13. *c.* 7. *q.* 3. Bonacina *D.* 2. *de excomm. q.* 3. *n.* 15. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 3. *fin.* Palao *p.* 21. *cit. n.* 23. Pirhing *hic n.* 144. la Croix *n.* 189. Colligitur ex *c. nuper cit.* ubi Pontifex interrogatus, an simplex Sacerdos ab hac censura possit absolvere, respondit absolvere posse proprium Episcopum, vel Sacerdotem proprium; atqui simplex Sacerdos quicunque haberet potestatem absolvendi ab hac censura, non expressisset proprium Episcopum, vel Sacerdotem proprium; quia etiam alienus Episcopus, vel Sacerdos impertiri posset absolutionem istam: ergo &c. *Conf.* ex ratione; quia hæc potestas absolvendi ab excommunicatione minori est distincta à potestate absolvendi à peccatis, & per se pertinet ad Jurisdictionem contentiosam; igitur nemini competit, nisi cui vel à Jure, vel ab homine fuit concessa; non invenitur autem concessa Sacerdoti simplici, sed proprio, seu illi, qui absolvere pœnitentem potest etiam à mortalibus; ergo &c.

208 Ad Argumentum allatum in oppositum negatur *Conf.* quia, ut dixi, hæc absolutio censuræ ab absolutione à peccatis venialibus latè differt. Deinde si ex eo, quòd quis potest absolvere à venialibus, sequeretur, quòd etiam absolvere possit à minori excommunicatione, alius inferet, eum, qui absolvere potest à mortalibus, absolvere etiam posse ab excommunicatione majori; sicut enim excommunicatio minor incurritur ob peccatum veniale, ita major ob mortale.

209 Quæritur 12. ex qua causa incurratur excommunicatio minor? Resp. olim fuerunt plures: hodie solum est unica, propter communicationem cum excommunicato vitando, sivè deinde is vivus sit, sive mortuus, ut si e.g. talis excommunicati funus comiteris ad sepulchrum; nam quibus in vita communicare non possumus, neque in morte permissum est communicare *c. sacris* 12 *de Sepult.* Vallens. *hic* § 2. *n.* 1. *v. excommunicatio*, Konig *ibid. n.* 25. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 189.

210 Et quamvis ferri possit ab homine Jurisdictionem habente in foro contentioso, usu tamen receptum est, ut feratur solùm à Jure ob dictam communicationem cum excomunicato vitando. Ob hanc incurritur ipso Jure sive communicetur cum illo in Divinis, & Spiritualibus, sive in aliis rebus merè Politicis, puta in contractibus, Judiciis, conviviis, conversatione. Excipiendi sunt tres casus relati à *num.* 179. in quibus ob communicationem incurritur excommunicatio major.

211 Excommunicatio hæc minor dicitur, non quòd res levis sit, sed comparatione majoris tantùm, seu gravioris excommunicationis, partim quòd ob minorem, quàm ista, & aliquando ob venialem duntaxat culpam incurratur, partim quia, licèt non paucis, minoribus tamen bonis, quàm major privat, & faciliùs quàm ista, tollitur, cùm ab ea in foro interno absolvere quivis Parochus, & ab isto delegatus possit, ut dictum est *n.* 205.

§. III.

De excommunicatione in particulari, & præcipuè de excommunicatione Canonis.

SUMMARIUM.

Excommunicationes in particulari variæ sunt: reduci tamen commodè in quatuor classes possunt; nam aliæ nulli, aliæ Episcopo, aliæ Pontifici per Bullam Cęnæ, aliæ eidem extra Bullam Cenæ reservantur. De non reservatis nihil hic attinet dicere; quia passim in decursu sunt explicatæ. Hinc.

Quæritur 1. quæ excomunicationes sint reservatæ Episcopis? Resp. *P. Busenbaum*, & ex hoc P. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 296. sequentes refert, 1. quæ contrahitur ex levi percussione Clerici, vel gravi si sit mulier; de quo *n.* 249 2. lata in eos, qui postquam in articulo mortis à censura, vel peccato habente censuram annexam ab aliquo, qui alias non poterat, absoluti sunt; postquam convaluerunt, Superiori se non præsentant, 3. lata in Fratres minores, si admittant in suis Ecclesiis ad Officia Divina Fratres tertii Ordinis, 4. in procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto, 5. in eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo, 6. eæ omnes; quas ferunt Episcopi per statuta propria, & sibi reservant: de quibus videnda statuta cujuslibet Diœcesis. 212

Quæritur 2. quæ excommunicationes sint Papæ reservatæ in Bulla Cœnæ? Resp. in hac excommunicationem reservatam incurrunt 1. hæretici, & Schismatici, illorumque credentes, defensores, receptatores legentes libros hæreticos, 2. qui ab ordinationibus, seu mandatis Papæ appellant ad futurum Concilium universale, vel appellationi hujusmodi auxilium, vel favorem præstiterint, 3. Piratæ, seu qui ex intentione deprædandi discurrunt per mare Pontificium, & horum receptatores, ac fautores, 4. surripientes bona naufragorum, 5. imponentes in terris suis nova pedagia, vel antiqua augentes, præterquam in casibus permissis, 6. Falsarii Litterarum Apostolicarum, 7. deferentes arma, & alia usui bellico idonea ad infideles, 8. impedientes, ne Romanæ Curiæ deferantur victualia, vel alia necessaria, 9. qui offendunt accedentes, vel recedentes à Romana Sede, vel in Curia commorantes, 10. qui Offendunt Romipetas, & peregrinos accedentes ad Urbem, vel in ea commorantes, aut ab ipsa recedentes, 11. qui interficiunt, mutilant, vulnerant, percutiunt, capiunt, carcerant, detinent S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, 12 qui offendunt recurrentes ad Curiam Romanam pro suis negotiis, 13. appellantes à gravamine, & executione Litterarum Apostolicarum ad potestatem Laicam, 14. qui causas à Judicibus Ecclesiasticis avocant, vel earum cursum, & executionem Litterarum Apostolicarum impediunt, 15. qui trahunt, vel procurant trahi personas Ecclesiasticas ad Tribunal sæculare, & qui condunt statuta libertati Ecclesiasticæ præjudicantia, eisque utuntur, 16. qui impediunt, ne Prælati Ecclesiastici sua Jurisdictione utantur, 17. usurpatores, & sequestratores reddituum, fructuum, & proventuum, ad Pontificem, Sedemque Apostolicam, vel alias personas Ecclesiasticas pertinentium, si hoc fiat sine legitima superiorum licentia, 18. imponentes Decimas, Collecta, & alia onera personis Ecclesiasticis, 19. Judices Sæculares, qui causis capitalibus, seu criminalibus clericorum se interponunt, 20. occupantes bona, & terras Ecclesiæ Romanæ, ejusque supremam Jurisdictionem usurpantes. De quibus latè Palao *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 2. *& seq.* 213

Quæritur 3. quæ excommunicationes sint Papæ reservatæ extra Bullam Cœnæ? Resp. harum aliquæ specialiter latæ sunt contra Clericos, & Religiosos; aliæ contra omnes. *Prioris generis* præcipuè sunt septem, 1. lata in participantes in Sacris cum excommunicato à Papa, 2. in procurantes alienationem Ecclesiarum, 3. in Concionatores, qui Scripturæ sensum, à Doctorum interpretatione alienum, circa tempus Antichristi, & ex- 214

& extremi Judicii, aliaque similia revelata prædicant. 4. in Parochos non implentes Juramentum de residentia factum. 5. in Mendicantes transeuntes ad alium Ordinem, præter Carthusiam. 6. in Moniales exeuntes ex claustro sine licentia. 7. in Religiosos, qui sine Privilegio, vel speciali licentia Parochi Clericis, aut Laicis Sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis ministrare, vel Matrimonia solemnizare præsumunt.

215 Contra omnes latæ magis obviæ apud *Busenbaum*, & la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 298. referuntur viginti, & una. Et in specie Excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt 1. Incendiarii. 2. habentes Litteras Apostolicas falsas, & non destruentes. 3. effringentes, & spoliantes Ecclesias. 4. communicantes in eodem crimine cum excommunicato à Papa. 5. vexantes eos, qui Censuram tulerunt in alios. 6. absoluti ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. 7. violantes Interdictum Papale. 8. dantes, & recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad Religionem. 9. simoniaci reales circa Ordinem, vel Beneficium. 10. committentes simoniam confidentialem. 11. impedientes executionem Litterarum sacræ Pœnitentiariæ. 12. dantes, & recipientes aliquid pro gratia, aut justitia apud sedem Apostolicam. 13. committentes Duellum, atque ad id cooperantes suadendo &c. 14. mulieres ingredientes Monasteria Regularium. 15. impugnantes Institutum societatis Jesu. 16. facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ. 17. rapientes bona Ecclesiastica: item exigentes Tributa ab Ecclesiasticis. 18. violantes libertatem Ecclesiasticam quoad fugientes ad Ecclesiam. 19. docentes posse fieri Confessionem in absentia. 20. damnantes peccati mortalis, vel Hæresis alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis: item ii, qui in Concionibus, aliisque publicis actibus, ut Lectionibus, Conclusionibus, asserunt B. Virginem conceptam in Originali. 21. percussores Clericorum, Hæc ultima cæteris est celebrior, & Antonomasticè *Excommunicatio Canonis* appellatur: de qua ulterius.

216 Quæritur 4. quo textu Juris introducta sit excommunicatio Canonis? Resp. introducta est *can. si quis suadente* 29. *caus.* 17. *q.* 4. cujus tenor est, *si quis suadente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrerit, ut in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, Anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

217 Dub. 1. quinam hic veniant nomine *Clerici*? Resp. nomine *Clerici* veniunt, & hujus Canonis privilegio gaudent, quicunque aliquo, etiam minori Ordine, & prima solum tonsura sunt initiati *can. cleros* 1. *dist.* 21. *& c. cum contingat* 11. *de ætat. & qual. Proceditque hoc* 1. etiamsi Beneficium Ecclesiasticum nullum habeant, neque conditiones pro privilegio fori à *Trid.* requisitas impleant, gestando habitum, & tonsuram &c. prout dictum *Libr.* 3. *Tit.* 1. *n.* 39. *Procedit* 2. etsi Censura aliqua irretiti, Irregulares, aut verbaliter depositi sint. Tolet. *l.* 1. *Summ. c.* 35. *n.* 5. Sayr. *thesaur. l.* 3. *c.* 26. *n.* 8. *&* 9. Suar. *D.* 22. *de Censur. sect.* 1. *n.* 6. Coninck *D.* 14. *dub.* 15. *n.* 157. Palao *tr.* 29. *D.* 2. *p.* 23. §. 1. *n.* 1. Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 266. Engl *hic n.* 126. *&* 127. Pirhing *n.* 49. Vviest. *n.* 72. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 300. cum aliis. *Procedit* 3. quamvis sint conjugati, si cum unica, eaque virgine contraxerunt, & deferant habitum, ac tonsuram Clericalem *c. un. de Cleric. conjug. in* 6. & dictum est *Libr.* 3. *cit. Tit.* 3. *num.* 39. *& seqq.*

218 *Excipiuntur* tamen, & canonis privilegio non gaudent 1. Clerici degradati realiter *c. degradatio* 2. *de Pœn. in* 6. 2. conjugati non deferentes habitum, & tonsuram *c. un. cit.* & dictum est. *Tit.* 3. *cit. n.* 40. 3. Bigami bigamia vera, aut interpretativa in Minoribus constituti *c. cit. & c. un.* junct. Gloss. *V. bigamos de Bigam. in* 6. 4. Clerici in minoribus constituti, si dimisso habitu, & tonsura, arma militaria portent, aut aliis negotiis sæcularibus se immisceant, & ter specialiter, ac nominatim moniti non resipiscant *c. in audientia* 25. *& cap. contingit* 45. *hoc tit.* & dictum est *Libr.* 3. *cit. Tit.* 1. *n.* 45. 5. Clerici quicunque, si habitu Clericali dimisso enormitatibus, h. e. tyrannidis, seditionibus, latrociniis, assassiniis, aliisque enormibus criminibus se immisceant *cap. cum non ab homine* 14. *c. perpendimus* 23. *hoc tit. & c. pro humani* 1. *de Homic. in* 6. Clerici joculatores, Goliardi, Buffones, post trinam Episcopi admonitionem non resipiscentes *c. un. de Vit. & Honest.* & dictum est *Tit.* 1. *cit. n.* 45. 7. publice exercentes Officia lanionum, macellariorum, cauponum, si tertio moniti non desistant, aut ea reassumant: conjugati quidem, etiamsi habitum ferant; non conjugati vero, si eo dimisso, ut Laici, incedant. *Clem.* 1. *de Vit. & Honest.* quo tamen, uti & *c. un. cit.* textu de Clericis solum minoribus agi, aliqui volunt apud Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 3. *fin.* Videantur dicta *n.* 45. *cit.*

Dub. 2. quinam intelligantur nomine *Monachi*? Resp. 219
Monachi nomine hic intelliguntur, & propterea privilegio Canonis gaudent. 1. quicunque utriusque sexus Religiosi, Conversi, & Novitii *cap. ex tenore* 10. *c. de monialibus* 33. *& c. hoc tit. & c. Religioso* 21. §. *fin. eod. in* 6. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 79. Clar. §. *fin. q.* 77. *n.* 5. Molin. *tr.* 3. *de J. & J. D.* 50. *n.* 4. Tolet. *l.* 1. *summ. c.* 31. *n.* 5. Illsung *tr.* 5. *D.* 2. *n.* 267. Engl *hic n.* 129. la Croix *n.* 300. 2. FF. Tertiarii S. Dominici, & S. Francisci, si voto aliquo edito, gerant habitum Religionis & in commune vivant, sicut & Eremitæ, qui edito, Voto Paupertatis, vel alia suscepta obligatione, sub aliqua Regula, & superiore vivunt, vel Ecclesiæ alicujus servitio specialiter sunt addicti. Suar. *D.* 22. *sect.* 1. *n.* 20. *&* 22. Bonac. *D.* 2. *de excommun. q.* 4. *p.* 3. *n.* 8. *& p.* 4. *fin.* Palao *D.* 3. *p.* 23. §. 1. *n.* 14. cum *citt.* Aliter res se habet cum Eremitis non adstrictis Voto, vel alia obligatione, & de FF. Tertiariis, qui habitant in propriis suis domibus, nam hi Canonis privilegio non defenduntur, ut cum *citt.* advertit Rodriq. *tom.* 2. *Regul. q.* 65. *art.* 5. 3. denique Equites Melitenses *c. canonica* 50. *hoc tit.* uti & Equites S. Mariæ Teutonicorum, quia sunt veri Religiosi. De Equitibus S. Jacobi, S. Lazari, & aliis, an Canonis privilegio gaudeant, ut eorum percussione Excommunicatio reservata incurratur, controversia est inter DD. in qua particularibus privilegiis, & consuetudine standum erit, ut monent Molin. *D.* 50. *cit. n.* 5. & Palao §. 1. *num.* 16.

Quæritur 4. quænam personæ comprehendantur hac 220
Lege, ut incurrant Excommunicationem Pontifici reservatam? Resp. comprehenduntur omnes, & singuli fideles utriusque sexus, quavis authoritate fulgentes; si suadente Diabolo manus violentas injecerint in Clericum, vel Monachum. Patet ex ipso textu, ubi adhibetur vox *si quis*, quæ universalis est, & omnes comprehendit: Adeoque Excommunicationem istam incurrunt 1. etiam pueri, & in minori ætate constituti, modo rationis usum perfectum habeant, ut colligitur ex *c. mulieres* 6. *& can. fin. hoc tit.* 2. qui percutit Clericum, hoc commeritum; quia Clerico, si delinquat, pœna ab Ecclesiastico, suoque Magistratu est infligenda. Barbos. *in can. si quis suadente cit. n.* 47. Vviest. *hic n.* 79. Reiffenst. *num.* 115. la Croix *nu.* 300. 3. qui talem Clericum, vel Religiosum percutit, etiam consentientem in sui percussionem; quia privilegium hoc non tam personæ privatæ Clerici, quam ipsi Ordini Clericali datum, cons. favor publicus est, cui à privatis renuntiari nequit *c. contingit* 36. *hoc tit.* Pirh. *n.* 52. Engl *n.* 134. Vviest. *n.* 80. *&* 81. la Croix *n.* 300. & alii passim. 4. qui ejusmodi actionem graviter injuriosam exercet in defunctum; quia injuria etiam defuncto, & Clericali Statui in ipso fieri potest. Felin. *in c. à nobis* 4. *hoc tit.* Graff. *de Effect. Cleric.* 9. *n.* 40. Barbos. *loc. cit. n.* 47. Vviest. *loc. cit.* la Croix *n.* 319. 4. qui actionem injuriosam in Clericum alii mandat, vel propositis rationibus suadendo consulit, si inde sequatur percussio *c. mulieres cit.* §. *fin.* item qui percutienti favet, & consentit *c. quanta* 47. *hoc tit.* vel etiam in gratiam sui factam aliquo signo externo ratam habet *c. cum quis* 23. *eod. in* 6. uti etiam, qui cum sine gravi incommodo posset, & ex officio, sive Justitia teneretur, non impedit, *cap. quantæ citat.* ibi *Eos delinquentibus favere.* Navar. *c.* 27. *n.* 78. Molin. *D.* 53. *à n.* 27. Palao *p.* 23. §. 2. *à n.* 5. Pirh. *n.* 53. *& seqq.* Engl *n.* 135. Vviest. *n.* 78. Reiffenst. *à n.* 111. la Croix *à numer.* 303.

Dub. 1. an omnes ejusmodi consentientes, mandantes, consulentes &c. incurrant semper hanc Excommunicationem? Resp. negative. Sed 1. ut sub Excommunicatione hac comprehendantur, opus est, ut percussio 221

ipsa subsequatur, & quidem, ut subsequatur ex vi mandati, consilii, vel favoris ad scelus dati; nam si vel actio ipsa subsecuta non fuerit vel subsecuta non fuerit ex vi mandati, consilii &c. immunis est mandans, consulens &c. ab Excommunicatione. Molin. *tr.* 3. *d.* 52. *n.* 2. 8. *&* 9. Coninck *d.* 14. *n.* 175. Palao §. 2. *cit. n.* 6. & colligitur ex *c. mulieres cit.* ibi, *Cum is committat vere, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur*: ex quo patet, requiri, ut mandatum, consilium &c. sit causa delicti.

222 2 Pariter non obstringitur Excommunicatione hac, qui consilium, vel mandatum, quod scelus patranri dedit, ante delictum patratum sufficienter revocat, & hanc revocationem notam facit mandatario, vel consiliario, licet iste dein peragat destinatum scelus: & ratio est, quia tum non amplius vi, consilii, aut mandati, sed ex propria agentis malitia scelus patratur. Dixi autem, *si hanc revocationem notam faciat &c.* nam si nota non sit mandatario, aut consiliario revocatio consilii, vel mandati, consilium, & mandatum adhuc erit causa delicti, & conf. obstringetur mandans, vel consulens non aliter, acsi revocationem non posuisset. Molin. *loc. cit. n.* 3. Coninck *n.* 176. *&* 183. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 7. Palao §. 2. *cit. n.* 7. *Neque obest*, quod revocato per pœnitentiam veram consilio, aut mandato, consulens, & mandans existat forte jam in gratia, cum scelus peragitur à mandatario; nam ut contrahatur Excommunicationis pœna, sicut etiam Irregularitatis, non requiritur delictum formaliter committi tempore contractionis, sed sufficit commissum fuisse antea; quia pœnæ istæ stare simul possunt cum gratia.

223 3 Notandum, quod ad evitandam hanc Excommunicationis pœnam non sufficiat, ut consilium, vel mandatum revocetur quomodocunque, sed requiritur, ut revocatio sit efficax, & mandati, seu consilii positi virtutem influendi in actum alterius tollat; in quo ipso diversa est ratio inter mandantem, & consulentem, nam mandatum tum censetur sufficienter revocatum, cum verbo, Epistola, aut per internuntium mandans revocationem suam mandatatario significat serio; imo ut post *Innoc. Abb. &c.* notat Tolet. *l.* 1. *Summ. c.* 24. *n.* 1. si mandans facit pacem, amicitiam, aut patentelam contrahit cum eo, cui per mandatum suum damnum parabat, modo hoc mandatario innotescat sufficienter; tunc enim jam virtualiter revocat. Plus requiritur in consulente; nam hic, ut sufficienter revocet suum consilium, præter significationem mutatæ voluntatis, tenetur etiam proponere rationes suadentes contrarium; etsi hæ quidem prudentis judicio existimentur sufficientes ad consilium iniquum removendum, non amplius consulens censebitur esse delicti causa; erit autem adhuc delicti causa, si rationes hæ novæ tales non sint, ut consiliarium amovere à delicto sufficienter possent. *Ratio* autem, quod hoc requiratur, est, quia in consilio non tantum authoritas consulentis, sed etiam rationes ab ipso allatæ influunt; unde si posita hac revocatione, consiliarius adhuc pergat in scelere, eo quod putet consulentem, non serio revocare, vel rationes non æque efficaces esse ad contrarium persuadendum, probabilius consulens adhuc Excommunicationem, & alias pœnas incurret, ut Palao *loc. cit. n.* 9. putat, quamvis ibidem existimet etiam probabile esse contrarium.

224 Dub. 2. quid requiratur, ut Excommunicationem Canonis incurrat etiam ille, qui percussionem, suo nomine factam, ratam habet? Resp. juxta Tolet. *lib.* 1. *cap.* 31. *num.* 6. *&* 7. quinque hæc requiruntur. 1. ut delictum nomine illius factum sit. 2. ut sit tale delictum quod per alterum possit committi; secus, si non potest 3. ut ratum habeatur; nam qui dicit, *Doleo quod factum sit meo nomine, sed gaudens, quod sit factum*, non videtur ratum habere factum alterius. 4. ut percussio fiat eo tempore, quo posset illam mandare; & hinc si eo tempore, quo fit percussio, rationis usum non habeas ob infamiam, vel amentiam, etsi deinde percussionem, in gratiam tui factam, ratihabeas, in Excommunicationem per hoc non incidis. Qui tamen eo tempore, quo delictum in gratiam sui factam est, somno, aut ebrietate detentus est, non excusatur ab Excommunicatione, si postea ratihabeat; quia somnus, & ebrietas rationis usum non tollit permanenter; quod sufficit, ut retrotrahi possit ratihabitio. 5. denique requiritur, ut rata habeatur percussio per aliquod signum externum: quia actus mere internus non subjacet potestati Ecclesiæ, & conf. etiam puniri Censura nequit.

Dub. 3. an Excommunicationem Canonis incurrat etiam Clericus, qui seipsum occidit, mutilat, vulnerat, aut qui, ut ab alio occidatur, percutiatur &c. mandat, vel consentit? Resp. probabilius neutro casu excommunicationem incurrere. Etquidem *quoad* 2. *Casum* satis conveniunt DD. & colligi videtur ex *c. contingit* 36. *hoc tit.* nam ibi Pontifex solum decernit, quod Clericus consentiens in percussionem sui excommunicandus sit, *si post prohibitionem hujusmodi sponte se subjecerit*; igitur supponi videtur, ipso Jure excommunicatum non esse. *Neque obstat*, quod agentes, & consentientes pari pœna plectantur, quia hoc verum est solum, ubi aliud ex Jure fundamentum habetur nullum. Suar. *D.* 22. *de Censur. sect.* 1. *n.* 57. *Quoad priorem casum* contrarium affirmat Abb. *in c. contingit cit.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 78. Sayr. *Thesaur. l.* 3. *c.* 26. *n.* 20. Molin. *D.* 51. *n.* 4. Suar. *sect.* 1. *cit. n.* 59. Coninck *D.* 14. *dub.* 15. *n.* 170. Bonac. *D.* 2. *de excomm. q.* 4. *p.* 2. *fin.* Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 5. Pirh. *n.* 52. Reiffenst. *n.* 116. Negativam tamen defendit Barbos. *in c. contingit cit. n.* 7. & probabile censent *Suar. Bonac. Palao &c.* quia Pontifex *can. siquis suadente* videtur requirere distinstionem personarum inter eum, qui violentas manus iniicit, & eum, cui istæ injiciuntur. Neque obstat *can. si non licet* 9. *caus.* 23. *q.* 5. quia in isto tantum dicitur, quod suicidio non minus committatur homicidium, quam alterius violenta interemptione; non tamen dicitur, quod Excommunicationem Canonis incurrat Clericus sibi manus violentas inferens. 225

Quæritur 5. quid requiratur, ut quis incurrat Excommunicationem *can. siquis suadente cit.* Resp. quatuor *vi cit. can.* requiruntur. 1. ut sit manuum injectio; hinc Excommunicationem istam non incurrit, qui solum verbis contumeliosis Clericum, vel Religiosum afficit; vel qui citra manuum injectionem, aut detentionem corporalem Clericum cogit, ut se redimat, vel aliquid ei tribuat; item qui vibrat hastam, baculum, gladium, volens eum percutere, non tamen percutit, quia v. g. Clericus ictum, sibi intentatum declinavit, aut lædere volens ab eo aberravit. Suar. *D.* 22. *sect.* 1. *n.* 23. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *n.* 6. Barbos. *in c. siquis cit. n.* 30. Engl *hic n.* 133. Vviest. *ibid. n.* 83. Per *manuum injectionem* autem intelligitur quæcunque actio, & effectus violentus in personam, vel adhærentia personæ, ut si per injuriam aquam, salivam, pulverem in Clericum projicias, si violente illum detineas, etiam sine læsione, si aliquid ei per vim æripias è manu, vel corpore, si ad frenos equi manum adhibeas, aut præscindas Ephippii cingulum, si cibum, vel potum veneno infectum porrigas, quo moriatur, si furiose eundem persequaris, ut cogatur se præcipitare in flumen, aut aliud discrimen ad se liberandum pati &c. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 77. Molin. *D.* 51. *n.* 8. Suar. *sect.* 1. *cit. n.* 27. Laym. *n.* 6. Engl *n.* 133. Pirhing *numer.* 51. Vviestner *num.* 76. la Croix *tom.* 8. *lib.* 7. *n.* 300. 226

2 Debet esse manuum injectio violenta; nam quando casualis est, etsi sit homicidium, & hoc peccaminosum mortaliter, Excommunicatio non incurritur. Ex eodem capite non incurrit Excommunicationem, qui Clerico nummos tollit ex loculo penes se gestato, aut qui cingulum, quo actu incingitur, eidem aufert, etsi præcisio interveniat; quia actiones istæ violentæ non sunt. Sayr. *l.* 3. *Thesaur. c.* 26. *n.* 16. qui addit, neque eum excommunicatum esse, qui exilium præcipit Clerico, aut confinia, intra quæ se contineat; quia *can. siquis suadente* sub Excommunicatione prohibetur sola violentia exterioris manus, quæ tali casu non intervenit, sed sola vis præcepti. 227

3 Debet fieri *suadente Diabolo*, sive ex affectione animi interna lædendi Clericum injectione manus sacrilega, & graviter peccaminosa quia Excommunicatio major quæcunque, tanquam pœna gravissima, ut delicto improportionata non sit, gravem, & lethalem culpam præsupponit. Hinc si percussio sit tum secundum se, tum respective levis, & talis, ut peccatum veniale non superet, percutiens immunis ab Excommunicatione est. 228

4 Debet esse facta in Clericum, vel Monachum. Unde 229
non suffi-

non sufficit violentas manus inferre personis conjunctis, familiaribus &c. E contrario ab excommunicatione non liberat error, quo quis volens percutere Titium Clericum, percutiat Caium Clericum, putans esse Titium; quia sufficit voluntas percutiendi, secuta percussione, licèt non secuta fuerit in persona existimata, seu proposita. Sayr. *l.* 3. *Thes. c.* 27. *n.* 4.

230 Dub. I. quænam causæ excusent ab hac excommunicatione incurrenda? Resp. varias esse causas, præcipuè verò duas considerari in hoc circumstantias oportere, personæ percussæ scilicet, & modi percussionis, ratione quarum excusatur ab excommunicatione, uti etiam à peccato mortali plerumque percutiens, si his consideratis, non censeatur esse graviter injuriosa Statui Clericali.

231 *Ex circumstantia personæ percussæ* excusatur 1. qui percutit Clericum realiter degradatum, aut alias exutum privilegio Canonis, juxta dicta *num.* 218. 2. excusantur plerumque pueri Clerici rixantes, & se invicem percutientes pugno, etiam in templo, quamvis etiam sanguis effluat è naribus; quia plerumque injuria hæc inter ipsos levis censetur. Dixi *plerumque*; potest enim etiam inter ipsos percussio, & injuria gravis esse: unde, ut bene Palao *p.* 23. § 3. *n.* 2. cum aliis notat, ex circumstantiis colligendum hoc est. 3. excusatur, qui ex mandato Prælati mittit violentas manus in Clericum eum capiendo, nisi modum excedat; nam, ut Sayr. *l.* 3. *Thes. cap.* 27. *num.* 25. notat, si Clericus quiete se permittit capi, aut duci, capiens, vel ducens, eundem non resistentem calce, pugno, vel alio modo percutiens, excommunicatur: imò si Clericus cautionem fidejussoriam daret Episcopo de parendo Juri, capi, aut detineri non posset, nisi aut delicti enormitas, aut alia rationabilis causa hoc suaderet. 4. excusantur Officiales, qui reperientes Clericum de nocte, quem probabiliter timent commissurum delictum, eundem capiunt, ut præsentent Prælato; quia hic non potest notari Diabolica persuasio, cum id fiat ad obviandum delicto, & præsumptio mala sit contra incedentes de nocte. Sayr. *loc. cit. n.* 18. 5. excusatur, qui Clericum excommunicatum, nolentem ab Ecclesia egredi, dum ibi Sacra peraguntur, leviter percutit. Victorell. *in not. ad Tolet. lib.* 1. *c.* 33. citans *Philiarc. Sayr.*

232 *Ex modo percussionis* à Censura excusatur 1. qui ex subita passione, animo non plenè advertente, e. g. in ludo socium suum Clericum percutit, maximè si ab hoc prius percussus fuerit. Tolet. *l.* 1. *Summ. cap.* 33. *nu.* 1. Suar. *D.* 22. *sect.* 1. *n.* 50. Molin. *tr.* 3. *D.* 51. *n.* 7. & 8. Coninck *D.* 14. *dub.* 15. *num.* 150. Bonac. *d.* 2. *de Censur. in partic. quæst.* 3. *part.* 6. *num.* 4. Laym. *l.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. Palao *tract.* 29. *d.* 3. *p.* 23. § 3. *num.* 3. Engl *num.* 136. Pirhing *num.* 42. Wiestner *n.* 83. Reiffenstuel *num.* 117. la Croix *num.* 300. Ratio est, quia inconsultus calor calumniæ vitio caret. Et hoc modo, ut benè Sayr *loc. cit. num.* 34. notat, excusari possunt percussiones tum defensivæ, tum correctivæ, quando modicum excessivæ sunt; quia excessus ille non ex deliberatione, sed passione contingit.

233 2 Excusatur, qui Clericum percutit, probabiliter ignorans esse Clericum, e. g. quia habitum, & tonsuram non detulit, vel etsi hunc deferret, noctu deprehensus fuit ab ignorante, quod esset Clericus, quia signa Clericatus non vidit. Et hoc verum est, etsi percussio gravis sit contra Justitiam; quia non propter percussionem injustam, sed propter percussionem sacrilegam, & statui Clericali injuriosam Excommunicationis pœna statuitur; atqui stante ignorantia probabili status clericalis, cessat injuria, ut manifeste colligitur ex *cap. si vero* 4. *hoc tit.* ubi excusatur ab excommunicatione percussor Clerici comam nutrientis, quia probabiliter existimare poterat non esse Clericum. Sanch. *lib.* 9. *de Matr. d.* 32. *n.* 41. Palao *loc. citat. numer.* 4. Dixi *probabiliter ignorans*; nam si crassa ignorantia foret, ut si tonsuram videns tamen putaret, non esse Clericum, ab excommunicatione non excusaret. Quodsi dubitetur, an percutiens probabiliter ignoraverit, proprio Juramento purgare se potest: si jurare noluerit, contra eum præsumitur, & ideo tanquam excommunicatus vitandus est, donec per sedem Apostolicam absolvatur Sayr. *l.* 3. *Thesaur. c.* 27. *n.* 2.

3 Excusatur, si quis volens percutere Titium Clericum, aberret ab illo, & casu, sive præter intentionem percutiat alium Clericum ponè adstantem. Suar. *sect.* 1. *citat. num.* 54. Coninck *num.* 197. Layman *numer.* 8. Ratio est, quia talis non percutit voluntariè hominem, quem scit esse Clericum; ponitur enim, quod à Clerici intenta percussione aberraverit, & alterum hominem, qui fortè adstabat, & Clericus erat, involuntariè, & præter intentionem percusserit. Unde discrimen est cum eo, qui Cajum Clericum percussit, putans esse Titium Clericum; nam iste ex destinato percutit hominem, quem scit esse Clericum, in quo tota consistit ratio, ob quam excommunicatio lata est. Palao *num.* 4. *cit.* 234

4 Excusatur Prælatus, qui Clericum, vel Monachum subditum, & Magister, qui discipulum correctionis, aut disciplinæ causa percutit, quamvis iste in Sacris sit constitutus *cap. ex tenore* 10. *cap. universitatis* 24. *cap. cum voluntate* 54. §. *fin. hoc tit. Magistri* autem nomine, ut *Molina*, & ex hoc Palao *loc. cit. n.* 6. advertunt, venit etiam Pædagogus, & quicunque alius, qui ad honestum aliquid docendum, vel in officio continendos Clericos assumitur. Debet autem 1. verberatio, quæ pro correctione adhibetur, exerceri erga Clericum subditum tali Prælato; nam si erga non subditum exerceretur, non evitaretur censura, quippe quæ solum evitatur, cum percussio est actus Jurisdictionis. 2. debet esse proportionata delicto, & personæ Ecclesiasticæ; nam si notabilis excessus esset, Prælatus eam infligens incurreret Excommunicationem, quippe cum talis percussio jam non esset Ecclesiastica disciplina, sed violenta manuum injectio. 3. talis castigatio fieri debet, servato ordine Juris, si sit pœna Juridica, vel saltem debito correctionis modo, si sit paterna, & religiosa correctio: atque hinc si Superior temere irruat in subditum sine proportionata causæ cognitione, non censebitur agere ut Superior, neque evitabit censuram Canonis. Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. *numer.* 41. Plura vide *supra Tit.* 24. *de Cler. Percussor.* 235

5 Excusantur, qui in defensionem sui, vel alieni honoris, corporis, famæ, bonorum fortunæ Clericum aggressorem detinent, vel percutiunt, si tamen in continenti hoc fiat, & moderamen inculpatæ tutelæ observetur; quia hæc percussio non vis, sed defensio est, quæ cuivis licèt, sive se, sive alium innocentem defendat *cap. si vero* 3. *vers. si verò Clericum, cap. ex tenore* 10. *hoc tit.* Molin. *d.* 55. *à num.* 3. Suar. *sect.* 1. *cit. à num.* 33. Avil. *p.* 2. *cap.* 5. *d.* 33. *dub.* 12. Laym. *cap.* 5. *num.* 8. Palao §. 3. *cit. n.* 15. Engl *hic n.* 137. Wiestner *num.* 84. & 85. Reiffenstuel *num.* 118. la Croix *num.* 300. Ex hoc capite *Bonacina* cum communi excusat Creditorem, qui Clericum debitorem fugientem, vel fugam parantem detinet, ut cum Superiori præsentet, & creditum suum acquirat; item illum, qui Clericum furem in continenti insequitur (nam hujusmodi insecutio licita est, cum fiat ad res suas recuperandas, & defendendas) similiter mulierem, quæ Clericum de stupro illam tentantem percutit, modo tentatio non fiat solo verbo, sed facto; quodsi tamen valde molestus esset, & mulier se aliter ab eo liberare non posset, quam fuste, & verbere, etiam tentatio verbo facta sufficeret, ut ex communi docent *Avil. Suar. Conin. Laym.* 236

6 Excusatur ab excommunicatione, qui percutit Clericum turpiter inventum cum uxore, matre, sorore, filia percutientis, quam amplexibus, tactibus, osculis, præsertim in loco secreto, aut suspecto, tractat; nam etsi talis percutiendo, vel occidendo lethale committat peccatum, Jus Canonicum tamen in detestatiune nullius criminis, & ob difficultatem cohibendi vindictæ impetum, noluit percussorem excommunicatione punire, ut habetur *cap. si verò* 3. *vers. nec illa hoc tit.* & tradit *ibidem* Gloss. *V. turpiter*, Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 84. Molin. *d.* 55. *cit. nu.* 5. Suar. *n.* 37. Layman. *n.* 8. Palao *n.* 13. Engl *n.* 126. Pirhing *num.* 69. & 70. Wiestner *num.* 88. Reiffenstuel *n.* 126. la Croix *num.* 300. & 307. Permissionem hanc *Innocentius* extendit etiam ad Aviam, neptem, & omnes ascendentes, & descendentes: sed, ut ex communi *Suarez*, *Molin. Coninck Laym. Pal. Bonac.* Docent ad alias 237

ad alias personas propinquas privilegium hoc extendi non debet; & ratio est, quia hæc exceptio odiosa est Statui Clericali, cum restringat eorum privilegium; sed quæ odiosa sunt, ultra personas Jure expressas extendi non debent; ergo &c. Dicendum igitur, non evitare censuram eum, qui Clericum cum aliis personis extraneis, vel remotioribus gradu, præter nominatos, deprehensum percutit. Engl *n.* 126. *cit. fin.*

238 Dub. 2. an in continenti debeat fieri hæc percussio, ut percussor ab excommunicatione immunis sit? *Ratio dubitandi* est, quia etiam transacto actu, difficile est temperare tristitiam, & dolorem in tali casu ex injuria conceptum, & cohibere vindictam; atqui ob hanc difficultatem concessum est hoc privilegium; ergo cum manente causa, maneat idem effectus, dicendum est, non minus ab excommunicatione excusari illum, qui post moram temporis Clericum sic inventum percutit, quam qui eum percutit in continenti. *Sed dicendum*, percussionem faciendam in continenti, ut evitetur excommunicatio. Ita Sayr. *lib.* 3. *Thesaur. cap.* 27. *num.* 23. Suar. *D.* 22. *sect.* 1. *num.* 35. Molin. *tr.* 3. *D.* 7. *ad* 1. *& D.* 55. *num.* 5. *fin.* Laym. *c.* 5. *cit. num.* 8. *vers. quarta*, Bonac. *D.* 2. *de Excomm. q.* 4. *p.* 6. *num.* 6. Palao §. 3. *citat. num.* 14. & communis DD. Colligitur ex *cap. si vero* 3. *hoc tit.* ubi textus excusat tantum illum, qui percutit Ecclesiasticum turpiter inventum cum uxore, matre, filia, sorore percutientis; at, qui percutit post finitum delictum, non percutit formaliter inventum, seu quem actu invenit, sed percutit alio tempore in delicto repertum. Ex quo cadit etiam ratio dubitandi allata in contrarium.

239 *Major difficultas* est de eo, qui delinquentem ex industria exspectat, & secreto observat, ut venientem percutiat, an excommunicationem incurrat? Layman *loc. citat.* putat hanc non effugere; quia occasionem præsentis doloris facile removere poterat, & debebat. Jus autem *cap. citat.* ad censuram vitandam exigit, ut quis percutiat turpiter inventum seu casu, & præter intentionem deprehensum; ergo &c. Sed contrarium cum communi docet Navar. *Man. cap.* 27. *num.* 84. Molin. *D.* 55. *fin.* Coninck *D.* 14. *dub.* 15. *num.* 196. Bonac. *D.* 2. *quæstio* 3. *p.* 6. *sect.* 4. *numer.* 6. Palao §. 3. *citat. num.* 15. qui putant, si absit dolus, talem non incurrere excommunicationis Censuram. *Ratio est*, quia secreta hæc, & occulta observatio, aut exspectatio non impedit, quin turpiter agentem invenias, etsi invenias, quæsitum, & exspectatum; ergo nisi fraudi, vel dolo alterum inducas in delictum, ut in delicto deprehensum percutias, observatio hæc, & exspectatio occulta nihil obest. Dixi autem, *Nisi fraude, vel dolo alterum inducas in delictum*? nam si hoc facias, ut *Navar. Laym. Molin. Bonac. Palao &c.* docent, censuram non effugies; neque enim æquum est, ut deceptionibus iniquis per privilegia sua faveat Ecclesia.

240 Dub. 3. an pater, aut alii propinqui, vel consanguinei Ecclesiasticos sibi subditos punire possint? *Certum est*, punire posse, si in minoribus solum sint constituti, & percussio sit moderata, nam sic expresse habetur *cap. cum voluntate* 54. *hoc tit.*

De iis, qui Sacris initiati sunt, bifariam dividuntur DD. S. Antonin. *p.* 3. *tit.* 24. *cap.* 1. §. 2. *cas.* 12. Sylv. *V. Excommunicatio* 6. *cas.* 8. Navar. *Manual. cap.* 27. *num.* 82. Suar. *D.* 22. *sect.* 1. *num.* 49. Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 1. *quæst.* 1. *&* 6. Coninck *D.* 14. *dub.* 15. *num.* 192. Valent. 2. 2. *quæst.* 9. *p. un.* Bonac. *D.* 2. *de Excommun. extr. Bull. quæst.* 3. *p.* 6. *sect.* 4. *num.* 4. *& tom.* 1. *D.* 2. *q.* 4. *part.* 4. *num.* 4. existimant licere Patri corrigere filium, etsi is, qui percutitur, in Majoribus Ordinibus constitutus sit. Colligunt hoc ex *cap. cum voluntate citat.* ubi nulla fit distinctio inter clericum constitutum in majoribus Ordinibus, vel in minoribus. Ratione utuntur triplici. 1. quia per susceptionem Ordinis Sacri filius non eximitur à disciplina patris; sed ante susceptionem Ordinis Sacri pater potuit pro qualitate personæ, & culpæ moderatè punire filium; ergo idem poterit post Ordines Sacros susceptos. 2. Patrifam. Jure naturali concessum est corrigere delinquentes ex sua familia, sed propter id, quod Jure naturali concessum est, excommunicationis pœna imponi non potest; ergo &c. 3. Magister potest discipulum, in Sacris constitutum, moderatè punire, ut dictum est *n.* 235. sed Pater majorem habet potestatem in filium, quam Magister in Discipulum.

Contra non posse filium in Sacris constitutum ad correctionem à Patre percuti, contendunt Molin. *tract.* 3. *de Just. D.* 228. *V. hic tamen effectus*, *& D.* 56. *n.* 6. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *cap.* 5. *num.* 9. Palao *D.* 3. *p.* 23. §. 3. *num.* 8. Barbosa *in cap.* 54. *cit. n.* 6. Engl *hic num.* 139. Pirhing *num.* 75. Wiestner *num.* 87. post *Felin. Host. Abb. Anton. de Butrio*, *Zabarellam*, *Angelum &c.* quorum Sententia, quia favorabilior Dignitati Clericali, videtur amplectenda, ex triplici fundamento. 1. quia *can. siquis suadente* omnibus generaliter prohibitum est in Clericum violentas manus injicere; ergo cum nusquam concessum sit patri privilegium, ut correctionis causa violentas manus possit injicere in filium, qui in Sacris jam constitutus est, censendum est id non licere patri. 2. ex eo, quod seniores Clerici, & alii ex officio deputati percutere possint pueros in minoribus constitutos, Sacra turbantes, communis sententia teste *Molina* infert, nullatenus id permissum esse ipsis erga Clericos in Sacris constitutos; ergo pariter, etsi Jus Patri tribuat potestatem castigandi filium in minoribus constitutum, non tamen hoc sequitur etiam de filio in Sacris constituto. 3. quando Prælatus Episcopo inferior corrigere peccantem Clericum vult per alium, id ex rigore Juris, ut *Tit.* 25. *n.* 6. dictum est, fieri debet per alium Clericum, & non per Laicum; quia indecens est, Laicum etiam correctionis causa manus violentas injicere in Clericum; atqui Paterf. ordinariè saltem est Laicus; ergo saltem eos, qui in Sacris constituti sunt, non potest percutiendo corrigere.

Neque efficaciter contrarium probant Rationes allatæ. 242 *Ad* 1. dico, etsi filii per susceptionem Ordinis Sacri non extrahantur ex potestate patria absolutè, extrahuntur tamen ab illa quoad effectum correctivæ percussionis. *Ad* 2. Jure naturali parentibus concessa est potestas corrigendi filios, sed correctione accommodata ipsorum filiorum qualitati, & statui. *Ad* 3. negatur paritas; nam Magister plerumque est Clericus, etsi quandoque sit Laicus, at Paterf. ordinarie est Laicus, licèt aliquando sit Clericus. Lex autem spectavit id, quod contingit frequentius. Unde ratio fuit, quòd indiscriminatim potestatem corrigenti quosvis Clericos concesserit Magistris, Patri vero eam limitarit solum ad eos, qui sunt in minoribus. Imò, ut Felin. *in cap. cum voluntate citat.* & Molin. *D.* 56. *n.* 7. tradunt, probabile est, etiam Magistrum, in gradu Ecclesiastico inferiore constitutum, punire non posse discipulum constitutum in altiore gradu; quia indecens est, ut inferior in gradu Ecclesiastico superiorem puniat.

Quæritur 6. quis absolvere possit ab excommunicatione Canonis? Resp. distinguendum esse inter percussiones; nam alia est percussio enormis, seu atrox, alia gravis, seu mediocris, alia levis, sic dicta, non quod culpam mortalem non attingat; nam excommunicatio hæc necessario requirit culpam mortalem: sed comparatione aliarum percussionum, quæ graves, aut etiam atroces sunt. *Atrox*, seu *enormis* censetur, quando processum est ad mutilationem membri, aut vulnus inflictum est, unde inhabilitatur membrum, vel effusio sanguinis facta cum abundantia, non tamen è naribus, unde facilè egreditur, sed aliunde. *Levis* est, quæ fit pugno, palma, manu, pede, ligno, lapide non facientibus vulnus, nec relinquentibus maculam, vel sugillationem carnium, vel quæ fit absque abscissione membri, sine effractione dentis, sine avulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis, ut patet *Extrav. Joan. XXII.* quam refert Navar. *Man. c.* 27. *n.* 92. *Media*, seu *gravis* illa dicitur, quæ est media inter enormem, & levem, qualis est, qua dens extrahitur, vel capillorum copia evellitur, aut sugillatio carnis relinquitur, aut sanguinis copia effunditur, absque gravi læsione, vel injuria. 243

Hoc tamen solum verum est regulariter loquendo; nam sæpe percussio, quæ respectu unius levis est, ex circumstantiis apud alium gravis, imo quandoque etiam enormis fit. Tales autem circumstantiæ sunt 1. *pars corporis*, in qua fit percussio, ut si percutias in ore, oculo, facie graviter; nam in his censetur percussio gravior esse, quam in aliis corporis partibus, & cons. minor percussio in his sufficiet ad injuriam gravem 244

gravem. 2. *locus*, ut si percutias in platea, theatro, aut consessu publico, si Sacris indutum vestibus, vel paratum ad Divina celebranda, aut coram Rege, Prælato, vel alia persona in magna dignitate constituta &c. 3. & maximè *Status* personæ offensæ, & offendentis, ut si percutias Episcopum, Abbatem, Superiorem, Judicem, Patronum, Herum, aut alium in Dignitate constitutum; item si Sæcularis percutiat Religiosum, aut homo infimæ sortis nobilem Ecclesiasticum; nam hæ percussiones, etsi leves ex se forent, grave scandalum generant, & graves injuriæ reputantur. Unde, ut bene *Toletus* notat, Regula universalis dari non potest, sed an gravius, aut levis, vel etiam enormis percussio sit, ex judicio prudentum definiri debet. In dubio, cum absolutio in foro externo petitur, committitur judicium Diœcesano; si in foro interno tantum, decisio ad eum pertinet, qui potestatem absolvendi in foro interno habet.

245 Habet autem potestatem absolvendi ab hac censura, spectato Jure communi, & seclusis specialibus privilegiis, ac consuetudine, solus Pontifex; nam, ut ex *can. siquis suadente sæpius cit.* constat, hanc absolutionem sibi extra articulum mortis reservavit Pontifex. Et hoc procedit, etiamsi delictum occultum sit, spectato Jure communi; quod tamen relaxavit Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* Pirhing *hic num.* 88. *coroll.* 2. Dixi *spectato Jure communi, & seclusis privilegiis, ac consuetudine*; nam ex speciali Jure, & privilegio extra articulum mortis etiam aliis quibusdam potestas ista concessa est. Atque hinc in particulari.

246 Dubitatur 1. de Legato Pontificis, à qua percussione possit absolvere? Resp. distinguendum esse inter Legatos. *Legatus à Latere* absolvere potest ab omni percussione in utroque foro, neque eos solum, qui sunt de Provincia, ad quam destinatur, sed etiam quosvis alios ad ipsum concurrentes; incipit hæc ejus potestas à die, quo curiam Romanam egreditur, usque ad diem, quo ipsam regrediens ingreditur. Ita cum communi Gloss. & Abb. *in c. excommunicatis* 9. *de Offic. Legat.* Ratio est, quia hic Pontificia gaudet authoritate *c. ad eminentiam* 20. *hoc tit.* Neque hæc est propriè extensio *can. siquis suadente*, sed declaratio; quia sub Judice Ordinario semper comprehenditur, qui ejus vices gerit, sive Legatus illius. Engl *hic n.* 143. *Legatus Nuntius*, seu *missus*, quos *Nuntios Apostolicos* appellamus, eandem habet facultatem, sed magis restrictam; nam absolvere potest tantum eos, qui de sua sunt provincia, & quamdiu in provincia existit, non vero alios, vel alibi, ut colligitur ex *cap. communicatis cit. Legatus natus* ratione Legationis suæ in ordine ad absolvendum ab Excommunicatione nullam specialem potestatem habet, sed ea solum gaudet, qua reliqui Ordinarii, nisi major à Sede Apostolica specialiter iisdem concedatur, ut constat ex *cap. citat.* & tradit Molin. *d.* 58. *per totam*, Suar. *d.* 22. *sect.* 1. *num.* 60. Vviest. *hic num.* 90. & communiter DD. Videantur dicta *Lib.* 1. *Tit.* 30. *à n.* 4.

247 Dub. 2. quam potestatem absolvendi ab hac censura habeant Episcopi, & Archiepiscopi? Resp. ab Excommunicatione contracta ob levem percussionem absolvere possunt Episcopi, cæterique Ordinis Episcopalis, & verisimilius quicunque Prælati alii, Jurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio, & in ejus populum exercentes *cap. pervenit* 17. *hoc tit. & Extrav. perlectis Joan. XXII.* allegata à Covar. *in cap. alma p.* 1. §. 9. *n.* 2. Engl *hic n.* 146. Pirhing *n.* 48. Vviestner *n.* 92. la Croix *tom.* 8. *lib.* 7. *n.* 300. Potestque potestatem istam Episcopus committere etiam alteri; quia hæc ipsi competit Jure ordinario. Imò etiam Vicarius Generalis Episcopi ab iisdem casibus non solum ipse potest absolvere, sed etiam dare aliis facultatem absolvendi; quia ipse est Judex Ordinarius, & facit unum Tribunal cum Episcopo.

248 Si percussio sit gravis, & enormis, interest, an occulta illa sit, & ad forum contentiosum nondum deducta, an verò notoria, vel deducta ad forum contentiosum. *Si primum*, ut ob alia delicta (excepto homicidio voluntario) ita etiam ob percussionem Clerici quamcunque excommunicatos absolvere possunt Episcopi vi Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* Eadem potestas ibidem datur etiam iis, qui Jurisdictionem Episcopalem habent, etsi characterem non habeant.

249 *Si secundum*, neque Episcopus, neque ejus Vicarius per se potest ab hac censura absolvere; quia potestatem istam sibi soli servavit Pontifex, præter casus Jure expressos. *Excipiuntur* autem speciali Jure, ut ab Episcopo etiam ob percussionem gravem, & enormem absolvi possint. 1. Impuberes *cap. super eo* 1. *cap. quamvis* 58. *& cap. fin. hoc tit.* Et hoc verum est, etsi post pubertatem primum absolutionem petant *cap. fin. citat.* quia beneficium, à Jure semel ipsis indultum, pubertatis anni supervenientes non extinguunt. Abb. *in c. fin. citat. n.* 1. Sayr. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 20. Molin. *D.* 59. *n.* 3. Suar. *D.* 22. *sect.* 1. *n.* 69. Bonac. *tom.* 3. *D.* 2. *q.* 3. *p.* 6. *sect.* 5. *n.* 12. Palao *D.* 3. *p.* 23. §. 4. *n.* 6. Engl *hic n.* 30. *& n.* 144. Pirhing *n.* 74. *&* 87. Vviestner *n.* 95. la Croix *n.* 300.

2 Moniales *cap. de monialibus* 33. *hoc tit.* & mulieres alıæ, cujuscunque ætatis, & conditionis sint *cap. mulieres* 6. *& cap. ea noscitur* 13. *eod.* Et hoc verum est, etsi Pontificem adire possent; quia periculosa harum peregrinatio à Jure censetur. Abb. *in cap. cit.* Palao *num.* 7. Vallens. §. 7. *n.* 4. *&* 5. Engl *n.* 130. *&* 144. Pirhing *num.* 77. *&c.* Vviestner *loc. cit.* 250

3 Clerici in eadem domo commorantes, ut in Seminariis, Convictoriis, Collegiis Universitatum, saltem si non sit enormis percussio *cap. quoniam* 9. *de Vit. & honest.* quia cum ratione communis vitæ, & assiduæ cohabitationis facilè irascantur, conveniens non fuit, ipsos pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam, vel istius Legatum mitti. Abb. *in c. cit. n.* 3. Palao *n.* 15. Engl *n.* 131. *&* 144. Vviestner *loc. cit.* 251

4 Janitor Principis, Prælati, vel alterius potestatis, si prætextu Officii sui, non tamen arrogandi sibi potestatem, vel Jurisdictionem in Clericos, percutiat Clericum, modo percussio non sit enormis *cap. si vero* 3. *pr. hoc tit. & ibi* Glossa cum communi DD. Quod Palao *num.* 16. extendit etiam ad Apparitores publicos, qui arcendo turbam, ex negligentia, non tamen ex proposito percutiunt Clericum. 252

5 Servi: nam hi, nisi percussio tam enormis fuerit, ut ad vitandum scandalum, & tollendum exemplum oporteat percutientem mittere ad Sedem Apostolicam, ab Episcopo absolvi possunt, si absentia eorum in magnum detrimentum domini cederet, & Dominus in culpa læsionis non fuit particeps cum suo servo *cap. relatum* 37. *hoc tit.* quod tamen non est intelligendum de famulis conductitiis liberis, ut rectè notat. Toler. *lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 4. 253

6 Quicunque alii, etiam viri, habentes necessitatem aliquam gravem, quæ difficilem ipsis reddat recursum ad Sedem Apostolicam, vel ejus Legatum, ut siquis laboret febri tertiana, vel alio morbo, si debilis sit, aut ob defectum alicujus membri laborem itineris sustinere non valeat, si ad perficiendum iter cogeretur mendicare, quod alias non fuit solitus, si senex sit, etiam fortis viribus, si periculum sit in itinere ob bellum, pestem &c. Eadem ratione excusantur, qui sine damno alieno non possunt iter Romanum facere, ut maritus, Parochus, Gubernator urbis, aut alii publico officio illigati, nisi tamen hi idoneum Vicarium habere possint *cap. ea noscitur cit. cap. quamvis* 58. *eod.* Palao *num.* 18. Vallens. §. 7. *n.* 4. Engl *n.* 144. Pirhing *loc. cit.* la Croix *n.* 300. Ii, qui non habent impedimentum perpetuum, antequam sic absolvantur ab Episcopo, nisi pueri, vel mulieres sint, præstito Juramento, promittere debent, quod si viribus suis restituti fuerint, vel aliud impedimentum cessaverit, ad Sedem Apostolicam, vel Legatum ejus velint accedere *cap. citt. fin.* 254

Dub. 3. quam potestatem absolvendi ab excommunicatione Canonis respectu subditorum suorum Regularium habeant Abbates, Præpositi, Priores, Guardiani, Rectores, & similes eorum Superiores? Resp. distinguendum esse, non tantum inter actiones, sed etiam inter personas, quibus violentas manus injecerunt. Vel enim ab ipsorum subdito percussus est alius ejusdem Monasterii Religiosus, vel alius diversi Monasterii, aut Clericus Sæcularis. 255

Si Religiosus ejusdem Monasterii percussus est, percussor absolvi potest à Superiore suo locali, & multo magis à Provinciali, & Generali *cap. Monachi* 2. *hoc tit.* nisi percussio sit enormis; tunc enim de Jure pro absolutione recurrendum est ad Sedem Apostolicam, vel ejus Legatum *cap. canonica* 50. *hoc tit.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 92. Suar. *D.* 22. *sect.* 2. *num.* 73. Tolet. *lib.* 1. *c.* 32. *n.* 8. *&* 9. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 3. *& cap.* 28. *n.* 10. *& seqq.* Molin. *tract.* 3. *D.* 60. 256

D. 60. *n.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 5. *circ. fi.* Palao *tr.* 29. *D.* 3. *p.* 23. §. 4. *n.* 8. Pirhing *n.* 60. Vvieftner *n.* 97. la Croix *n.* 321. Dixi *de Jure*; nam ex fpecialibus privilegiis Regulares plerique ab Excommunicatione, ob quamcunque percuffionem contracta, abfolvi à Superioribus fuis poffunt, ut conftat ex *Compend. Privil. Societ. Jefu V. Abfolutio*, *& Privil. FF. Min. V. eod.* §. 13. *&* 30. Molin. *loc. cit. n.* 6. Laym. *n. ult.* Palao *n.* 10. Engl *n.* 132. *&* 134. Pirh. *n.* 65. *not.* 7. Vvieft. *n.* 97. *fin.* la Croix *num.* 321.

257 *Si vero percuffus eft Religiofus diverfi Monafterii, vel Domus*, percuffor quidem abfolvendus eft à fuo Superiore, fed præfente Superiore percuffi, ut utriufque confenfu fatisfactio imponatur *c. cum illorum* 32. *hoc tit.* nifi ifte vices fuas Superiori percufforis commiferit, Abb. *in cap. cit. n.* 13. Sylv. *V. Abfolutio* 5. *n.* 5. Suar. *fect.* 1. *cit. num.* 73. Molin. *n.* 5. Layman *num.* 10. Palao *n.* 9. Engl *n.* 132. Pirhing *n.* 63. *not.* 4. Vvieftner *n.* 97. la Croix *n.* 321. Quodfi hi duo Prælati difcordaverint in fatisfactione imponenda, quia Prælatus offenfi acerbiorem exigit ea, quam Prælatus offendentis defignat, eligendus eft tertius arbiter, qui cum ipfis Judicium ferat; femper tamen abfolutio, impofitio, & executio pœnæ ad Prælatum offendentis, utpote verum ejus Superiorem, fpectabit, Palao *loc. cit.* cum *Sylv. Molin. Laym. citt.*

258 *Si denique percuffus fit Clericus fæcularis*, diftinguendum eft imprimis inter percuffionis modum; nam fi percuffio fit *gravis*, aut *enormis*, non à fuo Prælato, fed à Summo Pontifice folo abfolvi debet. Si vero *levis*, videndum eft, an percuffor Religiofus fit exemptus, an non. *Si exemptus non eft*, abfolvi debebit ab Epifcopo; *fi verò exemptus*, abfolvi ab ifto poterit, faltem cum confenfu fui Prælati Regularis *c. cum illorum cit. & c. Religiofo* 21. *eod. in* 6. Sylv. *loc. cit. n.* 2. *&* 5. Suar. *n.* 73. Palao *num.* 10. *&* 11. Engl *n.* 132. Vvieftner *n.* 97. la Croix *n.* 321. Quodfi confentire Superior regularis nolit, & fimul ipfe, cum poffet, abfolvere percufforem neget, Palao *num.* 14. diftinguit, vel enim hujufmodi abfolutionem, vel licentiam jufte denegat, eo, quod ob enormitatem criminis omnino oporteat eum mittere pro abfolutione ad Sedem Apoftolicam; & tunc Religiofus ejufmodi nequaquam poterit ab Epifcopo Diœcefano abfolvi, vel negat eam manifeftè injuftè; & tunc abfolvi poterit ab Epifcopo, quippe cui tunc Religio, vel Pontifex cenfetur Jurifdictionem dare. Dixi autem *manifeftè injufte*; quod rarò, vel nunquam contingit. Unde nifi manifefta fit injuftitia, dum Superior abfolutionem negat abfque ejus licentia Religiofus exemptus ab Epifcopo abfolvi non poteft. *Neque obftat*, quod Exemptio fit privilegium; eft enim privilegium in favorem non fingulorum fed totius Religionis datum, & conf. privatus eo non poteft cedere.

259 Porro, quod de Religiofis dictum eft, etiam dicendum de Novitiis; quia in favorabilibus hi nomine Religiofi continentur, ut adnotatur *c. cum illorum cit.* idque verum eft, five percuffio ab ipfo facta fit ante, vel poft ingreffum; nam abfolvi poterunt ab eodem Prælato, à quo poffunt abfolvi alii Religiofi ejufdem Domus; hoc tamen difcrimine, quod Novitius, fi ante Profeffionem è Monafterio egrediatur, obligatus fit Sedi Apoftolicæ fe præfentare; alioquin in fimilem Excommunicationem incidet *c. eos qui* 22. *hoc tit. in* 6. quia abfolutio ipfi conceffa eft ob impedimentum temporale, fcilicet ne vagaretur. Sayr. *l.* 3. *c.* 28. *n.* 13. Molin. *D.* 60. *cit. n.* 3. Laym. *cap.* 5. *fin.* Palao *n.* 10.

260 Dub. 4. quinam alii abfolvere ab Excommunicatione, ob percuffionem Clerici contracta, poffint? Refp. in mortis articulo abfolvere poteft quivis à quavis cenfura, ut ex *can. fiquis fuadente fæpius cit.* patet. Intelligitur autem periculum mortis non tantum, cum quis laborat gravi infirmitate, fed etiam, quando aliquis eft in quocunque periculo vicino morti, ut fi timeat hoftes, fi longinquam, & periculofam navigationem aditurus, fi tranfiturus per loca infefta latronibus &c. Quodfi quis morte præventus abfolvi non potuit à cenfura, ob eadem abfolvi poft mortem poteft per eum, qui abfolvere vivum potuit, fi tamen figna contritionis dedit. Et talis abfolutio ad id valet, ut talis fepeliri in loco Sacro, & fuffragia fieri pro eo poffint.

261 Extra articulum mortis, præter Legatum, Epifcopum, vel Prælatum Religiofum per fe loquendo nemo alius abfolvere poteft, nifi ex fpeciali privilegio: quod per Indultum fpeciale Religiofis mendicantibus ferè æquale cum Epifcopis pro foro confcientiæ in ordine ad hunc finem conceffum eft. Utrum verò ab his, vel ab Epifcopo abfoluti, adire adhuc Sedem Pontificiam debeant, controverfia eft. In qua *certum eft*, non debere hanc adire, qui abfolutus fic fuit ob impedimentum perpetuum, cum ad impoffibile nulla fit obligatio. *Difficultas* igitur tantum eft circa eos, qui laborant impedimento non perpetuo: & rationem dubitandi facit, quod juxta dicta *n.* 254. ifti promittere jurato debeant, fe, ceffante impedimento, acceffuros Sedem Apoftolicam. Verum iftud intelligi debet cafu, quo abfolutio fit à non habente poteftatem; unde cum juxta dicta *n. præfent.* Mendicantes, & juxta dicta *n.* 248. Epifcopi ab omnibus ferè cafibus, & cenfuris occultis, & ad forum contentiofum non deductis poffint abfolvere, ab his abfoluti ulterius ad Sedem Apoftolicam remitti non debent, fed ab iis, antequam abfolvantur, tantum peti, ut fatisfaciant Clerico injuriam paffo.

Patet igitur, defacto poft *Trid.* onus præfentandi fe Sedi Apoftolicæ imponi tantum debere illi, qui abfolvitur ab alio, quam qui privilegium fic abfolvendi habet, vel cum quidem abfolvitur ab Epifcopo, fed poftquam cenfura non amplius occulta, fed ad forum contentiofum deducta eft; tunc enim, fi ob impedimentum occurrens abfolvatur ab Epifcopo, impedimento ceffante, adire Sedem Apoftolicam debet. Addit Sayr. *l.* 3. *Thefaur. c.* 28. *num.* 38. ex *Navarro*, juftum impedimentum habere, qui ire non poteft pro abfolutione, etfi mittere pro ea poffit; quia Jus eum ad hoc non videtur obftringere, fed folum vult, ut, fi poffit, vadat. Siquis adire Pontificem nequit, poteft autem adire ejus Legatum, vel alium habentem facultatem abfolveldi ab ejufmodi Excommunicatione refervata, debet hos adire. 262

§. IV.

De Sufpenfione.

SUMMARIUM.

263 *Sufpenfionis definito.*
264 265 *Differentia ab aliis Cenfuris.*
266 *&c. Varietas.*
270 *&c. Quis poffit fufpendere?*
273 *&c. In quem ferri Sufpenfionis Cenfura poffit?*
277 *&c. Quinam Clerici fufpendi poffint?*
282 *&c. Ob quam caufam fufpendi aliquis poffit?*
285 *&c. An etiam ob culpam alienam?*
288 *&c. Forma fervanda in ferenda Sufpenfione.*
290 *&c. Effectus Sufpenfionis ab Officio.*
299 *&c. Effectus Sufpenfionis à Beneficio.*
306 *Quod peccatum committat Violans Sufpenfionem?*
307 *&c. Et quam pœnam incurrat?*
310 *&c. Quomodo tolli Sufpenfio poffit?*
320 *&c. Quæ fit forma ab ea abfolvendi?*

Quæritur 1. quid fit *Sufpenfio*, quotuplex, & quæ ejus caufæ? Refp. *Sufpenfio*, prout hic fumitur, eft *Cenfura Ecclefiaftica, qua Minifter Ecclefiæ formaliter impeditur, ne functiones Ecclefiafticas exerceat, aliquaque poteftate utatur*. Ita Navar. *Man. cap.* 27. *nu.* 151. Suar. *de Cenfur. d.* 25. *fect.* 1. *n.* 2. Sayr. *l.* 4. *Thefaur. cap.* 1. *num.* 13. Avil. *de Cenfur. p.* 3. *d.* 1. *dub.* 1. Coninck *d.* 15. *dub.* 1. Bonac. *tr.* 1. *d.* 3. *de Sufpenf. p.* 1. *num.* 2. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. Hurtad. *de Sufpenf. diffic.* 1. Palao *tract.* 29. *d.* 4. *p.* 1. *num.* 1. Vallenf. *hic* §. 8. *n.* 2. Pirhing *num.* 197. Vvieftner *num.* 98. Reiffenftuel *num.* 159. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 305. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de delictis cap.* 3. *num.* 234. 263

Dub. 1. quomodo fufpenfio differat ab aliis cenfuris, nempe Excommunicatione, & Interdicto? Refp. differre in modo, quo privat functionibus Ecclefiafticis. Et ab *Excommunicatione* quidem differt, quia hæc privat functionibus Ecclefiafticis, quatenus hæ funt quædam cum fidelibus communicationes, à qua communicatione exclufus eft excommunicatus; fufpenfio vero his functionibus privat, quatenus funt ufus alicujus pote- 264

potestatis Ecclesiasticæ provenientis ab Officio, vel Beneficio: deinde prior ad personas Laicas etiam se extendit? posterior solum ad Clericos. Palao *loc. cit.* Magnif. P. Schmier *n.* 236.

265 Ab *Interdicto* differt imprimis, quia Interdictum privat receptione aliquorum Sacramentorum, Ecclesiastica Sepultura, & Officii Divinis, quibus suspensus non est privatus; deinde Interdictum afficit quamlibet personam fidelem. Suspensio vero personam Ecclesiasticam, quippe cum soli Clerici capaces sint Officii, & Beneficii Ecclesiastici. Suar. *sect.* 1. *cit. n.* 5. Palao *n.* 1. *cit.* Pirh. *n.* 197. Vviest. *n.* 99. *&* 100. Unde cum Abbatissæ suspenduntur ab Officio, non est Suspensio proprie dicta, cum Jurisdictionem Ecclesiasticam nullam habeant; alias si propriè suspenderentur, incurrerent Irregularitatem per hoc, quod violarenr hujusmodi Suspensionem. Valens. *tom.* 4. *D.* 7. *q.* 18. *p.* 1. *concl.* 1. Sayr. *c.* 1. *cit. n.* 16. Coninck *dub.* 1. *n.* 2. *& dub.* 3. *n.* 18. *&* 21. Palao *n.* 2. Pirh. *n.* 206. Vviest. *n.* 100.

266 Dub. 2. quotuplex sit Suspensio? Resp. esse triplicem, quarum prima est *à solo Officio*, qua Minister Ecclesiæ removetur ab exercitio Jurisdictionis, vel Ordinis: altera *à solo Beneficio*, qua Clericus, intacta Ordinis, & Jurisdictionis potestate, jure percipiendi fructus privatur. Tertia *ab Officio simul, & Beneficio*, qua personæ Ecclesiasticæ adimitur exercitium potestatis Ordinis, & Jurisdictionis, & perceptio fructuum Beneficialium. Si Suspensio sit absolute lata, ita, ut ex contextu colligi nequear, an Suspensio sit ab Officio tantum, an tantum à Beneficio, intelligitur lata tam à Beneficio, quam ab Officio. Henriq. *l.* 13. *c.* 33. Tolet. *l.* 1. *c.* 43. *n.* 7. Suar. *D.* 25. *sect.* 2. *n.* 9. Avil. *p.* 3. *D.* 2. *dub.* 1. *concl.* 2. Coninck *dub.* 1. *cit. n.* 4. Laym. *c.* 1. *cit. n.* 2. Palao *p.* 1. *n.* 3. Vviest. *n.* 107.

267 Dividitur 2. in Totalem, & Partialem. Et quidem Totalis iterum duplex est, scilicet *Totalis simpliciter*, quæ est simul ab Officio, & Beneficio; de qua dictum est *n. præc.* Et *Totalis secundum quid*, nimirum ab Officio tantum, vel tantum à Beneficio. *Suspensio totalis ab Officio.* dicitur, per quam aliquis ab omni Officio Spirituali tum Ordinis, tum Jurisdictionis, & administrationis Ecclesiasticæ removetur. *Totalis à Beneficio*, per quam aliquis suspenditur ab omni Beneficio Ecclesiastico quoad ejus administrationem, & fructuum perceptionem. Pirh. *n.* 198.

268 *Partialis Suspensio* fit, vel à certo tantum Officio, aut parte illius, v. g. ab Ordine tantum, per quam prohibetur omne exercitium Ordinis, vel à certo Ordine, per quam prohibetur exercitium Ordinis illius v. g. Sacerdotalis, vel à certa functione, sive actu Ordinis v. g. ab audiendis Confessionibus, vel celebratione. Missarum. Item quando aliquis suspenditur à Jurisdictione tantum, ita, ut vel nullum Jurisdictionis actum exercere suspensus possit, vel certum tantum aliquem actum Jurisdictionis, vel quasi Jurisdictionis, ut quando suspenditur quis à collatione Beneficii, aut voce Suffragii in Electione. Et denique quando fit suspensio à Beneficio non omni, quod habet Suspensus, sed certo tantum, vel aliqua parte Beneficii v. g. dimidia parte fructuum, aut distributionibus quotidianis. Pirh. *n.* 199.

269 3 Alia *est absoluta*, quæ fertur absque ulla temporis determinatione; alia *Determinata*, quæ lata est pro determinato tempore: sed hæc posterior propriè Censura non est, sed potius delicti pœna: & ideo elapso termino, pro quo imposita est, cessat absque alia absolutione. 4. Alia est *à Jure*, alia *ab homine*.

270 Dub. 3. quis possit suspendere? Resp. Suspensionem *à Jure* latam solus Conditor Juris fert. Suspensionem vero *ab homine* is, qui potestatem habet excommunicandi, ferrè plerumque potest. Sylv. *V. Suspensio* 1. *n.* 2. Navar. *c.* 27. *n.* 159. Sayr. *l.* 4. *Thesaur. c.* 2. *n.* 1. Suar. *D.* 28. *sect.* 1. *n.* 2. Tolet. *l.* 1. *c.* 13. Henriq. *l.* 13. *c.* 35. *n.* 1. Laym. *p.* 3. *cit. c.* 2. *n.* 1. Palao *D.* 4. *p.* 2. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 9. *n.* 1. Pirh. *n.* 205. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 395. Nulla tamen est repugnantia, quin sola potestas excommunicandi, & vicissim alicui conferatur, cum sint Censuræ diversæ. *Suar. Palao loc. citt.*

271 Olim Episcopus sine Capituli Consensu non poterat censuram ferre, in Presbyteros præsertim *cap. pervenit* 1. *de Excess. Prælat.* putantque non pauci, Jure antiquiore *can. Episcopus* 6. *caus.* 15. *quæstio* 7. sententiam Suspensionis, aliter latam non tantum illicitam, sed etiam invalidam fuisse. Sed ut bene notat Palao *loc. cit. n.* 2. textus *can. cit.* vim juris communis nunquam obtinuit; qui desumptus fuit ex *Conc. Carthag.* 4. quod Provinciale solum fuit, & nunquam receptum ab Ecclesia. Dispositio autem *c. pervenit cit.* consuetudine abrogata est; videmus enim passim Episcopos, non requisito consensu Capituli, pœnam Suspensionis ferre in Clericos.

Controversia moveri potest, an nullus alius ferre sententiam Suspensionis possit, nisi Clericus? Sylv. *V. Abbatissa*, *& V. Suspensio n.* 1. cum quibusdam aliis censet, Abbatissam posse suspendere Clericos Ecclesiarum sibi subditarum; *arg. c. dilecta* 12. *de Major.* Sed standum est pro communi, quæ negat Suspensionem ab alio, quam Clerico fieri posse. Ita Gloss. *in c. dilecta cit. V. Jurisdictionem*, Innoc. & Abb. *ibid.* Vivald. *de Suspens. n.* 151. Sayr. *l.* 4. *Thesaur. c.* 2. *n.* 9. Palao *p.* 2. *cit. n.* 3. Engl *hic n.* 15. Ratio est, quia est actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ solum Clericis potest competere. *Ad Rationem dubitandi* Suspensio lata ab Abbatissa *in c. dilecta cit.* non fuit proprie Suspensio, sed prohibitio, prout colligitur ex textu *cit.* ubi Pontifex Episcopo, cui rescripsit, non præcipit, ut Suspensionem Abbatissæ latam servare faciat, sed ut per censuram compellat subditos Abbatissæ præceptis obedire; igitur signum est, Suspensionem ab Abbatissa latam prohibitionis duntaxat, non vero censuræ habuisse rationem. 272

Dub. 4. in quem ferri Suspensionis censura possit? 273 *Ratio dubitandi* est, quia Suspensio ab Officio non solum privat Exercitio Ordinis jam obtenti, sed etiam obtinendi; & idem est de Suspensione à Beneficio, cujus effectus est, ut ita suspensus non solum privetur fructibus Beneficii, à quo suspensus est, & quod actu obtinet, sed etiam, durante hac Suspensione, incapax est ad quodcunque Beneficium aliud obtinendum, fructusque ex illo percipiendos; ergo quoad affectum, scilicet Beneficii consecutionem, & Ordinis receptionem poterit Laicus suspendi, siquidem privari potest, ne Beneficium consequatur, neve Ordinem recipiat. *Conf.* quia *Extr. un. int. comm. de Censib.* & alibi suspenduntur Laici à communione Eucharistiæ.

Sed verior est affirmativa sententia, scilicet Suspensionem proprie dictam non posse cadere, nisi in Clericos. Ita Gloss. *in c. quicunque* 11. *V. ministros hoc tit. in* 6. Innoc. *in c. fin. de Excess. Prælat.* Abb. *in c. dura* 4. *n.* 10. *de crim. fals.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 150. *& seqq.* Suar. *D.* 28. *sect.* 2. *n.* 1. Avil. *p.* 3. *D.* 4. *dub.* 2. *concl.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 2. *n.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 4. *p.* 2. *n.* 4. Pirh. *hic n.* 197. *& n.* 206. Konig *n.* 36. Reiffenst. *n.* 163. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 395. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. n.* 235. Ratio est, quia Suspensio necessario versari debet circa Officium, & Beneficium Ecclesiasticum, cujus incapaces sunt Laici. 274

Excipiunt aliqui Abbatissas, & alias hujusmodi Superiores Monialium, quas cum Tann. *tom.* 4. *D.* 6. *q.* 10. *dub.* 7. *n.* 140. Laym. *n.* 2. *cit.* Pirh. *n.* 206. putant, probabile esse suspensionem quandam posse incurrere, quia sunt personæ Ecclesiasticæ, & capaces Spiritualis Officii, ac Jurisdictionis cujusdam Spiritualis, saltem ex commissione. Sed uti bene advertit Reiffenst. *hic n.* 164. hæc potius est Suspensio ab Officio suæ Oeconomiæ, ejusque actibus, quam ab actibus Ecclesiasticis, ratione Ordinis Clericalis cuipiam competentibus, utpote cum fœmina sit incapax omnis tum Ordinis Clericalis, tum veræ Jurisdictionis Ecclesiasticæ. 275

Ad Rationem dubitandi dico, Suspensionem non per se, sed consecutive solum privare Ordine, vel Beneficio acquirendo; ex eo enim, quod suspensus privetur usu Ordinis habiti, sequitur privatio facultatis in ulteriorem Ordinem ascendendi. Deinde Suspensio dicit in Suspenso capacitatem Ordinis, aut Beneficii, à quo vel à cujus consecutione suspenditur; atqui Laicus, & qui primam Tonsuram non habet, Ordinis, & Beneficii Ecclesiastici capax non est; ergo &c. *Ad Conf.* non fertur ibi Suspensio propria, sed Suspensio ibi lata est quædam pars Excommunicationis majoris, quæ privat usu passivo Sacramentorum. 276

Dub. 5. quinam Clerici affici Suspensionis censura possint? Resp. quilibet, quacunque Dignitate fulgeat, suspendi potest, excepto Summo Pont. Adeoque feriri 277

riri censura hac possunt 1. Episcopi: Sed hi quando Decretum suspensionis est universale, illo non comprehenduntur, nisi de ipsis fiat expressa mentio *cap. quia periculosum* 4. *hoc tit. in 6.* & idem cavetur de interdicto. Porro privilegio isto probabilius gaudent etiam Episcopi solum confirmati, non consecrati. Suar. *D.* 28. *sect.* 1, *n.* 7. Laym. *cap.* 2. *cit. num.* 2. Palao *part.* 2. *num.* 5. quia Episcopali Dignitate jam sunt præditi, quæ præcipua causa fuit privilegium istud concedendi Episcopis.

278 2 Feriri censura hac possunt Religiosi, si Clerici sint, & primam saltem Tonsuram habeant; nam si istam non habeant, licet aliquo modo personæ Ecclesiasticæ nuncupentur, quia tamen Clerici verè non sunt, hujus censuræ capaces non sunt. Porro suspensio, generaliter lata in Clericos, etiam Clericos Religiosos afficit; quia nomen Clerici indifferens est ad Sæculares, & Religiosos Suar. *D.* 28. *cit. sect.* 2. *num.* 9. Palao *numer.* 6

279 3 Suspendi potest communitas Clericalis: & hoc verum est, sive spectetur, ut est talis communitas, sive quoad personas singulares. Suar. *loc. cit. sect.* 3. *n.* 1. Palao *num.* 7. Pirhing *num.* 206. Konig *num.* 36. Reiffenst. *num.* 165. extantque plures ejusmodi suspensiones in Jure.

280 4 Semel suspensus iterum potest suspendi, non solum, quando suspensiones sunt diversæ, sed etiam quando sunt ejusdem rationis, si multiplicentur causæ, & tituli, sicut de Excommunicatione dictum est Palao *num.* 8.

281 5 Mortuus tamen hujus censuræ est incapax, sicut etiam Excommunicationis: privari tamen potest fructibus Beneficii, quibus post mortem frui deberet, ob suspensionem in vita contractam, quod non est suspensionem, sed hujus effectum extendi in mortuos. Palao *numer.* 9.

282 Dub. 6. ob quam causam suspensio in aliquem ferri possit? Cajet. *in Summ. V. Suspensio*, Armill. *ibid. pr.* Navar. *Man. c.* 27. *n.* 151. Henriq. *l.* 13. *c.* 34. *n.* 1. & alii quidam putant, sufficere culpam venialem; quia hæc sufficit ad Excommunicationem minorem; quæ, cum privet majoribus bonis, nempe usu, & receptione Sacramentorum, videtur esse gravior pœna, quam suspensio.

283 Verum si loquamur de suspensione, ut communiter fertur, neque à Judice ob culpam levem infligitur, neque in Jure ob eandem solam imposita est. Ita Sot. *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *col.* 2. Suar. *D.* 29. *sect.* 4. *n.* 6. Vasq. 1. 2. *D.* 158. *n.* 49. Sanch. *l.* 9. *de Matr. D.* 32. *n.* 9. Coninck *D.* 15. *dub.* 3. *concl.* 2. *n.* 24. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 2. Hurtad. *Diffic.* 7. *n.* 19. Palao *D.* 4. *cit. p.* 3. *n.* 4. Vallens. *hic* §. 9. *n.* 2. Pirh. *n.* 207. Konig *n.* 37. Vviest. *n.* 108. Ratio est, quia suspensio ex se grave malum est, & cons. gravem culpam supponere debet.

284 *Neque obest*, Excommunicationem minorem majoribus bonis privare; quia hæc facile tolli potest, cum quilibet, qui à mortalibus, etiam ab hac possit absolvere; quod in suspensione non procedit. Præterea suspensio sæpe inducit damnum irreparabile, & nonnullam infamiam secum affert.

Dixi autem, *ut communiter fertur*; nam aliquam suspensionem ad breve tempus probabile est à Judice infligi posse ob culpam levem, ut cum *Sanch. Hurt. Coninck. Laym. Palao*, & aliis notant Pirhing *num.* 207. Vviestner *n.* 108.

285 Dub. 7. an suspensio in aliquem ferri possit ob culpam alienam? Affirmant aliqui 1. quia cum communitas aliqua suspenditur ab Officio, vel Beneficio, etiam suspenduntur, qui in ea communitate sunt inculpabiles, prout interdicuntur, interdicta communitate. 2. *cap. vel non est compos* 14. *de temp. Ordin.* puer ordinatus Diaconatu anno ætatis suæ decimo tertio, ab Officio Diaconi, non ob propriam culpam, sed *in injuriam ordinantis* usque ad legitimam ætatem suspenditur. 3. *c. requisivit* 1. *de Ordinat. ab Episc. qui renunt.* cavetur, suspensos esse debere ab Officio, quousque legitimus Pontifex, seu Episcopus dispenset, tametsi ignoranter prædictos Ordines susceperint.

286 Sed dicendum cum communi, suspensionem, quæ proprie pœna est, privans jure quæsito proprio, nullatenus contrahi ob culpam alienam, sed ob propriam tantum. Ita Navar. *Man. c.* 27. *n.* 151. Henriq. *l.* 13. *c.* 34. *n.* 1. Suar. *D.* 28. *sect.* 4. *n.* 3. Sanch. *l.* 9. *de matr. D.* 32. *n.* 9. Coninck *dist.* 15. *dub.* 3. Hurt. *de Suspens. diffic.* 9. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 1. Palao *dist.* 4. *p.* 3. *n.* 2. Vallens. §. 9. *n.* 2. Pirh. *n.* 207. Vviest. *n.* 109. la Croix *n.* 396. Colligitur ex *can. satis perversum* 7. *dist.* 56. *& c. cognoscentes* 2. *de Const.* ibi, *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit*. Item ex *c. quæsivit* 2. *de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* ibi, *Cum peccata suos authores temere debeant, nec pœna sit ullius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum*. Ratio est, quia iniquum est, innocentem pœnas nocenti debitas substinere.

Neque obstant opposita in contrarium. *Ad.* 1. quando suspenditur Communitas, innocentes etiam suspenduntur, non tamen quoad actiones, & munus, quod singuli exercere possunt, ut personæ singulares, sed tantum quoad actiones totius Communitatis, quæ deliquit: unde tali casu punitur communitas, non personæ ejusdem particulares, qua tales sunt. In Interdicto iterum non puniuntur proprie innocentes, sed Ecclesia justis de causis subtrahit favores suos, & officia tam nocentibus, quam innocentibus. *Ad* 2. duplex est suspensio, ut bene Abb. *in c. vel non est compos cit. n.* 4. notat, una ob defectum, altera ob crimen: prima non est proprie Censura, neque ob illius violationem Irregularitas incurritur; sed est quædam prohibitio, quæ ad Irregularitatem reducitur ob improportionem, & inhabilitatem, quam quis habet ad Officium Ordinis ante legitimam ætatem exercendum. *Ad* 3. etiam ibi non incurritur censura proprie dicta, quod colligitur ex textu; nam ad hanc suspensionem tollendam sufficit, si Episcopus declaret, ordinatum à tali Episcopo, qui renuntiavit, ignoranter suscepisse Ordines; si vera censura, opus esset absolutione. 287

Dub. 8. quæ forma servanda sit in ferenda suspensione? Resp. non esse certam verborum formam præscriptam, sed ea requiruntur, quæ sufficienter declarent hunc effectum. Vall. *hic* §. 9. *n.* 2. Ut rite feratur, præcedere 1. debet monitio; quia Ecclesiæ constare nequit de contumacia, & inobedientia alicujus, nisi prius illum moneat. Intellige, si inferatur ad correctionem delinquentis; nam si feratur in puram pœnam delicti commissi, monitione non indiget, uti constat ex *c. tam litteris* 33. *de testib. & Attest.* & colligitur ex *c. Romana* 5. *hoc tit. in* 6. ubi post factam mentionem Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, subditur de sola Excommunicatione, eam nunquam ferri sine monitione; ergo tacite indicatur suspensionem, & interdictum aliquando sine monitione ferri posse. 288

2 Debet ferri in scriptis, & exprimi ibi causa, ob quam imponitur, insuperque Instrumentum debet dari suspenso, si illud expostulet *arg. c. cum medicinalis* 1. *hoc tit. in* 6. Quodsi Judex hanc Constitutionem temere violet, per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & Officiis Divinis suspenditur superior vero, ad quem recurritur; sententiam sine difficultate relaxare debet, & latorem suspensionis ad expensas, & omne interesse condemnare, atque alias animadversione condigno punire. Vallens. §. 9. *n.* 3. 289

Quæritur 2. quos effectus habeat suspensio? Alios effectus habet suspensio ab Officio, alios suspensio à Beneficio, & alios suspensio ab utroque, Hinc 290

Dub. 1. quos effectus habeat suspensio ab Officio? Resp. distinguendo; potest enim suspensio ab Officio absolute ferri, & potest ferri non absolute, sed determinate ad aliquam materiam. *Si hoc secundo modo feratur*, extra illam materiam non extenditur; quia pœnæ non sunt extendendæ ultra verborum proprietatem. Et hinc 1. suspensus ab Ordine sine alia limitatione non est suspensus à Jurisdictione, ac proinde exercere potest omnes actus Jurisdictionis, qui actualem usum Ordinis non requirunt; cons. Episcopus, suspensus ab Ordine tantum, potest delegare alteri potestatem absolvendi, quamvis ipse audire Confessiones, & à peccatis absolvere nequeat. Suar. *dist.* 29. *sect.* 4. *n.* 2. & 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 5. *coroll.* 3. Avil. *de Censur. p.* 3. *dist.* 2. *dub.* 1. *concl.* 3. Pirh. *hic n.* 202. *coroll.* 3. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 400.

2 Episcopus suspensus ab Ordine Episcopali tantum, 291

tum, vel à Pontificalibus, licet non possit exercere actus Ordinis Episcopalis, potest tamen exercere actus, qui jure ordinario Sacerdotibus competere, vel sine Pontificalibus exerceri possunt; ut celebrare Missam sine Pontificalibus, audire Confessiones &c. Pirh. *loc. cit. coroll.* 4.

292 3 Suspensus ab Ordine superiore non ideo suspensus est ab Ordine inferiore: & hinc suspensus ab Officio sacerdotali, non prohibetur solemniter cantare Epistolam, vel Evangelium, ut subdiaconus, vel Diaconus; nam qui prohibet majus, non censetur prohibere minus. Suar. *sect.* 4. *cit. num.* 9. Pirhing *coroll.* 5. la Croix *numer.* 398.

293 4 Suspensus ab Ordine inferiore, non obinde prohibetur ab exercitio Ordinis superioris, nisi actus istius actum Ordinis inferioris, à quo suspensus est, includat, prout actus celebrandi Missam in se includit actum canendi Epistolam, vel Evangelium: cons. suspensus ab Ordine Diaconatus, vel Subdiaconatus non potest celebrare Missam, ne, quod ei una via prohibetur, ad illud alia admittatur contra *Reg.* 84. *in* 6. Contra Sacerdos suspensus ab Ordine Diaconatus poterit solemniter baptizare, Confessiones audire, benedicere &c. quia hi actus actum Ordinis inferioris, à quo suspensus est, non includunt, & pœnæ restringendæ potius, quam ampliandæ sunt *arg. Reg. odia* 15. *in* 6. Suar. *sect.* 4. *cit.* Laym. *cap.* 1. *numer* 6. Palao *part.* 5. §. 1. *n.* 15. Pirg. *n.* 203. Vviest *n.* 111.

294 Quodsi autem *primo modo*, seu absolute suspensio feratur ab Officio, & nulla interponatur restrictio; suspendit ab omni Officio tam Ordinis, quam Jurisdictionis Suar. *D.* 26. *sect.* 1. *n.* 4. Coninck *D.* 15. *dub.* 2. *n.* 5. Laym. *c.* 1. *cit. n.* 3. Palao §. 1. *cit. n.* 1. la Croix *n.* 395. Ratio est, quia hæc omnia nomine Officii veniunt. Et hinc

295 1 Ita suspensus non potest administrare Sacramenta, nec celebrare Missam, neque Indulgentias concedere, neque eligere; quia hæc omnia pertinet ad Officium Clericale. Contra talis poterit recipere Sacramenta, ingredi Ecclesiam, assistere Divinis Officiis, canere in Choro more Laicorum, ac denique uti qualibet Jurisdictione temporali, si illam habeat. Palao *numer.* 1. *citat.*

296 2 Ita suspensus non potest eligi ad Beneficium Ecclesiasticum. Henriq. *l.* 13. *c.* 32. *n.* 3. Laym. *c.* 1. *cit. n.* 3. Palao *n.* 2. la Croix *n.* 399. & communiter cæteri contra Hurt. *de suspens. diffic.* 4. *n.* 8. Ratio est, quia Beneficium datur propter Officium *c. fin. de Rescrip. in* 6. ergo qui impeditus est Officium exercere, eidem merito denegatur etiam Beneficium *arg. c. fin. de Cler. excomm. minist.* Estque ejusmodi Electio probabilius irrita ipso Jure Navar. *Man. c.* 27. *n.* 133. Flamin. *de Resign. l.* 5. *q.* 6. *n.* 84. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 7. *q.* 2. Garz. *p.* 7. *de Benefic. c.* 14. *à n.* 1. allegans varias Decisiones Rotæ, Palao *n.* 3. Vviest. *n.* 107. & colligitur ex *c. cum bonæ* 8. *de ætat. & qual.* ubi Pontifex de his, qui durante suspensione Beneficia consecuti sunt, ait, non licere ea retinere, præcipitque illos prædictis Beneficiis spoliare; ergo signum est collationem fuisse irritam; alias licite illa Beneficia retinerent: & hoc indicat verbum *Spoliare*, quod solum convenit ei, qui rem usurpatam habet.

297 3 Juxta aliquos suspensus ab Officio eo ipso suspensus est à Beneficio, quod Beneficium sit accessorium Officio? accessorium autem sequitur naturam principalis. Sed verius hoc cum communi negant Ugolin. *tab.* 4. *de Censur. c.* 6. §. 6. Henriq. *l.* 13. *c.* 32. *n.* 3. Suar. *D.* 26. *sect.* 3. *n.* 4. Sanchez *l.* 3. *de Matr. D.* 51. *n.* 12. Avil. *p.* 3. *D.* 2. *dub.* 1. *concl.* 6. Coninck *D.* 15. *dub.* 2. *concl.* 3. Laym. *c.* 1. *cit. n.* 2. Palao *n.* 5. Engl *hic n.* 75. Pirhing *n.* 200. Vviestner *n.* 105. Reiffenst. *num.* 168. la Crox *n.* 395. & 396. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de Delict. c.* 3. *num.* 239. Ratio est manifesta; quia aliquando fertur suspensio ab Officio, aliquando à Beneficio, aliquando ab utroque; quæ distinctio superfluè fieret, si suspensus ab Officio hoc ipso suspensus esset à Beneficio. *Ex quo sequitur*, si suspensus ab Officio satisfaciat obligationibus Beneficii, quantum est in se, per se, vel per substitutum, eum fructus Beneficii posse percipere. *Palao Vviestner loc. citt.* Imo ut idem Palao *n.* 7. aliis *citt.* docet, retineri fructus à suspenso possunt, quos percipit ex Officio, quo per suspensionem privatus est, inique exercito; & rationem dat, quia nullibi habetur, quod suspensus exercens Officium, à quo suspensus est, fructibus tali Officio respondentibus ipso Jure privetur. Neque aliud probat Argumentum opinionis contrariæ; esto enim, quod Beneficium detur propter Officium, & conferri nequeat, nisi idoneo, semel tamen obtento canonicè illius titulo, fructus ejus non amittuntur hoc ipso, quod Beneficiatius officium ipsi annexum ad tempus præstare nequeat, prout patet in Clerico ægrotante, imo etiam ad istud obeundum perpetuo inhabili reddito, cui fructus Beneficii relinquuntur, pensione duntaxat ex his pro Coadjutore decerpta, per textum, & DD. *c. cum percussio* 1. & *c. de Rectoribus* 3. *de Cler. ægrot.*

3 Juxta Gloss. *in c.* 8. *V. à suspensis de consuet.* Abb. 298 *ibid. n.* 20. & alios suspensus ab Officio etiam vocem non habet in Capitulo; quia vocem habere in Capitulo est usus, & exercitium Officii Ecclesiastici: Accedit, quia vox in Capitulo solis Clericis, Subdiaconatu insignitis competit *Clem. ut ii* 2. *de ætat. & qual.* Probabilius tamen est non privari; neque enim vocem habere in Capitulo per se est exercitium Ordinis, vel Jurisdictionis Ecclesiasticæ, cum etiam fœminæ, & Laici conversi vocem quandoque habeant. Palao *n.* 9.

Dub. 2. quos effectus habeat suspensio à Beneficio? 299 Resp. suspensio à Beneficio non privat Beneficio, sed tantum illius fructibus. Abb. *in c. cum dilectus n.* 20. *de consuet.* Ugolin. *tab.* 5. *de Censur. c.* 8. §. 1. Henriq. *l.* 13. *c.* 32. *n.* 4. Sayr. *l.* 4. *Thesaur. c.* 6. *n.* 2. Palao *D.* 4. *p.* 5. §. 2. *n.* 1. Pirhing *hic n.* 197. Hinc onera Beneficii apud suspensum manet, non obstante suspensione; quia illa non ex fructibus præceptis, sed ex Beneficio consequuntur. Suar. *D.* 27. *sect.* 1. *n.* 3. & *seqq.* Coninck *D.* 15. *dub.* 2. *n.* 12. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 1. *n.* 4. Palao *n.* 1. *cit.* la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 395. cum *citt.*

Si suspensio à Beneficio sit absolute lata, suspendit 300 Beneficiarium ab omnibus Beneficiis, quæ actu possidet, nisi ex intentione ferentis, vel alia circumstantia contrarium colligatur; quia non est ratio, cur ad unum potius, quam ad aliud dispositio se extendat. Ugolin. *n.* 8. *cit.* §. 5. Sayr. *c.* 6. *n.* 24. Palao *n.* 2. la Croix *n.* 395. *cit.* Ex circumstantia autem, & intentione ferentis censetur restrictionem accipere suspensionis sententia, quando delictum, ob quod fertur, commissum est adversus particularem aliquam Ecclesiam; tunc enim credendum est comprehendere tantum Beneficia illius Ecclesiæ ex textu *c. cupientes* 16. *vers. cæterum*, *c. si compromissarius* 37. *de Elect. in* 6. *c. fin. vers. & nihilominus de reb. Eccl. non alien. in* 6. Et licet restrinctio in his *cap.* facta videatur esse specialis, & propterea ad alios casus non extendenda, probabilius tamen est Regulam ibi generalem constitui, ut in similibus causis suspensio restricta esse intelligatur. Palao *loc. cit.*

Difficultas est, quid veniat nomine fructuum, qui- 301 bus privat suspensio? Et fieri dubium potest 1. de Distributionibus quotidianis, quæ conceduntur iis, qui intersunt Divinis Officiis. 2. an suspensus à Beneficio privetur illius administratione? 3. an privetur potestate conferendi, vel eligendi ad Beneficium titulo Beneficii, à quo suspensus est, competente? 4. an privetur etiam fructibus, qui ad sui, & suorum congruam sustentationem sunt necessarii.

Resp. *ad* 1. cum distinctione; nam si Distributiones 302 extractæ sunt ex fructibus Beneficii, iis privatur suspensus; quia tum non tam sunt distributiones, quam Beneficii fructus, cum etiam ab infirmis, & legitime absentibus obtineantur, à quibus alias distributiones quotidianæ non obtinentur, juxta dicta *Libr.* 3. *Tit.* 4. *n.* 70. si vero non ex fructibus Beneficii extractæ fuerint, sed ex particulari fidelium fundatione, sub suspensione à Beneficio non comprehenduntur; quia esto, solis Beneficiariis applicentur, non tamen intuitu Beneficii, sed in stipendium Officii conceduntur, & Beneficium solum conditio est, ut concedantur, non causa concessionis. Covar. *l.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. Hurt. *de Suspens. diffic.* 4. *n.* 10. Palao §. 2. *cit. n.* 4.

Ad 2. teste Palao *n.* 4. *cit. vers. inter fructus*, om- 303 nium sententia est, suspensum à Beneficio privari administratione illius. Colligitur ex *c. statuimus* 1. §. *fin.* & *c. cu-*

& c. cupientes 16. vers. cæterum de Elect. in 6. Atque hinc suspensus nequit locare Beneficium, seu illius bona, fructus vendere per se, vel per alium, in Judicio agere, vel aliam actionem præstare, quæ ad temporalem administrationem pertinet; Item nec commutare, aut in favorem tertii resignare Beneficium? hæc enim omnia sunt quidam Beneficii usus, & administratio. Sayr. *l.* 4. *Thesaur. c.* 6. *n.* 4. *& seqq.* Suar. *D.* 27. *sect.* 1. *n.* 41. Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 3. *c.* 1. *n.* 3. Palao *loc. cit.* Pirhing *numer.* 201.

304 *Ad* 3. aliqui cum Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 260. Henriq. *l.* 13. *c.* 32. *n.* 4. Sayr. *c.* 6. *cit. n.* 7. putant collationem, & electionem ad Beneficium, titulo Beneficii competentem, venire sub nomine fructus, consf. suspenso tolli hanc potestatem eligendi, vel conferendi. Sed verius contrarium docent Suar. *sect.* 1. *cit. numer.* 34. Filliuc. *tr.* 17. *cap.* 3. *quæst.* 5. *numer.* 46. Coninck *D.* 15. *dub.* 2. *n.* 11. Laym. *c.* 1. *n.* 4. Palao *n.* 5. la Croix *n.* 395. *&* 401. & colligitur aperte ex *c. cum in cunctis* 7. §. *fin. de Elect.* ubi ultra suspensionem à Beneficiis iudicitur privatio potestatis eligendi; igitur signum est, hanc privationem nomine suspensionis à Beneficio non comprehendi. *Ratio est*, quia potestas eligendi, & conferendi Beneficia, licet à Beneficio proveniat, non tamen est usus Beneficii, sed Officii ex Beneficio competentis.

305 *Ad* 4. respondendum est cum distinctione; privabitur iis fructibus suspensus, si suspensio lata sit in contumaciam, & ipse suspensus delicti pœnitens possit ab ea liberari; tunc enim voluntarie privationem eam sustinet. Non privabitur, si suspensio non in contumaciam, sed in pœnam delicti commissi imposita sit, nec in voluntate suspensi sit positum ab ea liberari; tunc enim Ecclesia, ut Status Clericalis honori, & decori consulat, hanc in suspensum benignitatem exercet, ut penes Judicem sit, qui suspensionem fert, eam partem ex fructibus designare, quæ necessaria sit suspenso ad sustentationem. Sayr. *loc. cit. n.* 12. Suar. *sect.* 2. *n.* 3. Coninck *dub.* 2. *concl.* 6. Laym. *n.* 4. Palao *n.* 6.

306 Dub. 3. quod peccatum committat violans suspensionem, & quam pœnam incurrat? *Quoad primum* certum est committere peccatum ex genere suo mortale; quia contemnit Ecclesiæ præceptum, & gravem illius Censuram. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 168. Henriq. *l.* 13. *c.* 33. *n.* 1. Suar. *D.* 26. *sect.* 2. *n.* 1. Avil. *p.* 3. *D.* 3. *dub.* 12. Coninck *D.* 15. *dub.* 2. *n.* 17. Bonac. *D.* 3. *de suspens. p.* 4. *n.* 1. Palao *D.* 4. *p.* 6. *n.* 1. Pirh. *hic n.* 209. Vviest. *n.* 112. la Croix *n.* 395.

307 Dixi *ex genere suo*; nam 1. aliquando ex parvitate materiæ transgressio suspensionis potest esse peccatum veniale, ut si suspensus à Jurisdictione recipiat unum testem, aut si suspensus ab Ordine exerceat officium Ordinum minorum; cum enim frequenter istud præstetur etiam à Laicis, non videtur grave delictum esse, si fiat à suspenso *Navar. Suar. Bonac. Pal. l. citt.* 2. eximitur à peccato suspensus ab Officio non denuntiatus, si ad petitionem aliorum fidelium exerceat Officium, à quo suspensus est; nam eo casu, si à suspensione prius absolvi nequit, licite potest ea officia ministrare petentibus ob *Extrav. ad evitanda Martini V. in Conc. Constant.* Aliter se habet cum suspenso denuntiato; nam iste extra urgentissimam causam, etsi à fidelibus postuletur, ea Officia, à quibus suspensus est, exercere nequit, cum petitio talis iniqua sit utpote inductiva ad peccatum. Suar. *sect.* 5. *n.* 6. Avil. *D.* 2. *dub.* 3. *concl.* 1. Palao *n.* 3. Pirh. *n.* 211. Vviest. *n.* 114.

308 *Quoad secundum* dicendum, ob solam violationem suspensionis ab Ordine, ejus Officium solemniter exercendo incurri Irregularitatem; quia non habetur in Jure, quod incurratur ob violationem suspensionis à Beneficio, Jurisdictione &c. & irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis. Atque hinc Irregularis non fit 1. suspensus à Jurisdictione, si hanc exerceat, si Beneficium conferat, ad illud eligat, sententiam in causa proferat: si Parochus Matrimonio assistat &c. quia hæc omnia sunt actus Jurisdictionis, vel quasi Jurisdictionis, non Ordinis Exercitium. 2. Irregularis non est, qui violat suspensionem à Beneficio, quamvis istius violator aliter puniatur, scilicet privatione Beneficii, ut deciditur *c. statuimus* 1. §. *fin. de Elect. in* 6. Quare cum Beneficiatius ita suspensus per seipsum administrare Beneficium nequeat, solet eidem dare Oeconomus, qui redditus colligat, & eosdem jussu Episcopi piis causis applicet, reservatis suspensio alimentis necessariis, ut dictum est *n.* 305. Plura de suspenso ministrante in Ordine, à quo suspensus est, vide *supra Tit.* 27. *à n.* 1.

309 Præter Irregularitatem violantibus suspensionem statutum est, ut actus à suspenso præstitus sit nullus, & irritus. Pœna autem hæc locum duntaxat habet in iis, quæ ab Ecclesia pendent, uti est Jurisdictio, & Beneficium; in his ergo suspensus, si Beneficium administret, & Jurisdictionem exerceat, invalidum actum facit, modo denuntiatus sit tanquam suspensus; quia facta denuntiatione, privatur potestate omnimoda actus illos exercendi. Ante denuntiationem solum impeditur ab illorum exercitio, dum à fidelibus non requiritur; quando autem à fidelibus requiritur, valide, & licite illos actus exercet, ideoque necessarium est, ut Jurisdictionem retineat. Henriq. *l.* 13. *c.* 33. *n.* 2. *& seqq.* Suar. *D.* 27. *sect.* 2. *n.* 2. Bonac. *D.* 3. *p.* 4. *n.* 7. Palao *p.* 6. *cit. n.* 7. Pirh. *hic n.* 210. Vviest. *ibid. n.* 113.

310 Quæritur 3. quomodo tolli suspensio possit? Distinguendum hic est inter suspensionem latam pro tempore determinato, vel sub aliqua conditione, & inter eam, quæ lata est, absolute: iterum quoad latas absolute discrimen faciendum est inter latas à Jure, & inter latas ab homine. Quare sit

311 Dubium 1. quomodo tollatur suspensio lata pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione? Resp. si lapsum sit tempus, aut impleta conditio, cessat absque ulla absolutione: quia ultra intentionem ferentis progredi nequit. Gloss. *in Clem.* 1. *V. donec de Decim.* Abb. *in c.* 1. *de Judic. n.* 6. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 161. Henriq. *l.* 13. *c.* 35. *n.* 2. Suar. *D.* 29. *sect.* 1. *n.* 1. Avil. *p.* 3. *D.* 6. *dub.* 1. Tann. *tom* 4. *D.* 6. *q.* 10. *dub.* 7. *n.* 142. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 3. *c.* 4. *n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 4. *p.* 9. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 10. *n.* 5. Pirh. *n.* 142. Reiffenst. *n.* 253. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 395. *&* 402.

312 Intermedio autem tempore, seu ante impletam conditionem tolli suspensio talis per Dispensationem potest ab eo, qui eam tulit, vel ab hujus Superiore, aut successore, non autem ab inferiore. Adeoque si lata sit à Jure communi ad certum tempus, tollere illam, aut relaxare solus Pontifex potest ante tempus finitum. Sylv. *V. Suspensio q.* 8. *vers. tertium*, Sanch. *l.* 3. *de Matr. D.* 52. Sayr. *l.* 4. *c.* 17. *n.* 10. Suar. *loc. cit. n.* 20. Laym. *n.* 3. Palao *n.* 2. Vviestner *n.* 117. Ratio est, quia alias intentio Pontificis frustraretur.

313 Dub. 2. à quo relaxari possit suspensio à Jure absolute lata? Resp. distinguendo inter eam, quæ à Jure lata est in puram pœnam delicti, & inter illam, quæ lata est ad conprimendam alicujus contumaciam, seu in illius correctionem. *Posterior* relaxari, seu absolvi potest ab Episcopo, vel ejus vicem gerente, modo Pontifex absolutionem sibi non reservaverit, & suspensus recesserit à contumacia. Gloss. *in Clem.* 1. §. *verum V. Excommunicationis de Hæret.* Sylv. *V. suspensio q.* 8. *vers. tertium*. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 162. Suar. *D.* 29. *sect.* 2. *n.* 15. Avil. *p.* 3. *D.* 6. *dub.* 1. *concl.* 3. Laym. *c.* 4. *cit. n.* 3. Palao. *n.* 4. Vallens. §. 10. *n.* 5. Pirh. *n.* 208. Vviest. *n.* 115. la Croix *n.* 403. *fin.* Constat *ex c. nuper* 29. *hoc tit.* ibi, *Quia tamen conditor Canonicis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alii relaxandi*. Et apertius ex *c. ex litteris* 11. *de Constit.* ubi deciditur, pœnam, alicui inflictam ob contumaciam, si non exprimatur, quod sit perpetua, esse temporalem, & cessante contumacia, debere tolli.

314 *De priore* seu illa, quæ lata est in puram delicti pœnam, absque temporis determinatione. Abb. *in c. tam litteris n.* 3. *de test. & attest.* Angel. *V. suspensio* 4. *n.* 1. Sylv *V. eod. q.* 8. *vers. tertium*. Navar. *c.* 27. *n.* 162. Philiarc. *de Offic. Sacerd. c.* 1. Hautad. *de suspens. diffic.* 12. *n.* 32. Bonac. *D.* 3. *p. ult. fin.* & alii gravissimi DD. putant, ab Episcopo eam tolli non posse, eo quod hæc suspensio, absque ulla temporis determinatione apposita, censenda sit esse perpetua *arg. l. Servus* 10. *C. de Pœnis*, ubi dicitur, pœnam carceris simpliciter latam debere durare in perpetuum, at in pœnis à Jure perpetuis solus Conditor Juris dispensare potest, eo quod nemini alteri hoc videatur esse concessum.

315 Benignior tamen, & forte probabilior est contraria, quam

quam etiam docuit Glossa *in Clem.* 1. §. *verum V. Excommunicationis de hæret. & in c. cupientes v. cæterum V. suspensos de elect. in* 6. Covar. *l.* 4. *decret. p.* 2. *c.* 5. *pr. n.* 15. Sayr. *l.* 4. *Thes. c.* 17. *n.* 15. Suarez *D.* 29. *sect.* 1. *n.* 19. Avil. *p.* 3. *D.* 6. *dub.* 1. *concl.* 4. Layman *c.* 4. *cit. n.* 4. *v. verum* Palao *n.* 6. Ratio est, quia hæc suspensio absolutè lata differt ab ea, quæ expressè fertur in perpetuum: aliàs frustra *in perpetuum* adderetur; sed nulla alia differentia inter eas intervenire potest, nisi quòd suspensio, quæ in perpetuum fertur, ex intentione ferentis debeat durare in perpetuum, non verò illa, quæ absque illa expressione perpetuitatis fertur; quia hæc ex intentione ferentis remissibilis est, & auferenda, præstita sufficienti pœnitentia, & satisfactione. *Conf.* sæpe Jura hanc suspensionem, absolutè latam in penam delicti commissi, reservant, aliquando verò nullam reservationem apponunt; ergo tacitè indicant, nullam reservationem apponendo, inferioribus facultatem absolvendi, vel dispensandi concedi; aliàs frustanea esset reservatio.

316 Poterit igitur Episcopus ab hac suspensione absolvere. Imò de Jure novo Trid. *sess.* 24. *c.* 5. *de refor.* possunt Episcopi per se, vel per suos Vicarios à qualibet suspensione à Jure, vel ab homine generaliter lata absolvere, vel dispensare, modò ex delicto occulto proveniat, neque ad forum contentiosum deducta sit. Henriq. *lib.* 13. *c.* 35. *n.* 3. Sayr. *l.* 4. *Thesaur. c.* 17. *nu.* 19. Avil. *p.* 3. *D.* 6. *dub.* 1. *concl.* 7. Layman *cap.* 4. *cit. num.* 4. Palao *nu.* 7. Pirhing *num.* 208. *v. porro.* Wiestner *num.* 118. Similem facultatem habent ex privilegio Confessarii Societatis Jesu, & aliarum quarundam Religionum, vi cujus pro foro conscientiæ absolvere possunt à quibuscunque censuris, sententiis, & pœnis ex delicto provenientibus. *Compend. Privil. ejusd. Societ. V. Absolutio* §. 1. Palao *n.* 7. *cit.* Wiestner *n.* 116. Alii verò Sacerdotes, qui in foro externo Jurisdictionem non habent, neque privilegio ad hoc instructi sunt, non possunt absolvere à suspensione, etiam per modum censuræ lata; quia hujus absolutio non est necessariò præmittenda peccatorum absolutioni, sicut præmittenda est absolutio ab excommunicatione. Henriq. *loc. cit. n.* 1. Avil. *dub.* 1. *concl.* 4. Layman *n.* 2. Palao *n.* 8. Pirhing *n.* 208. *cit. v. secundo specialiter.*

317 Dub. 3. quis absolvere possit à suspensione lata ab homine? Resp. regulariter solus ille, qui eam tulit, vel ejus Successor, aut Delegatus, ne ejus authoritas contemnatur. Quod adeò verum est, ut quamvis superior ipsius possit validè sententiam ab inferiore latam relaxare, illicitè tamen procedat eam relaxationem concedens, ut apertè probat Gloss. *in c.* 3. *V. non relaxares de Offic. Ord.* Palao *p.* 9. *n.* 9. Wiestner *n.* 116. *hic.* Riffenst. *ibid. n.* 250.

318 *Excipiuntur* duo casus. Et 1. quidem, si inferior sententiam tulit absque solemnitate requisita *c. cum medicinalis* 1. *hoc tit. in* 6. quia eo casu potest superior prædictam sententiam relaxare, si ad ipsum recursus fiat. 2. si Appellatio facta sit ab inferioris sententia; ob hanc enim defertur superiori Jurisdictio in illa causa *c. ad reprimendam* 8. *de Ordin. c. per tuas* 40. *hoc tit. cap. venerabilibus* 7. §. *porro &* §. *fin. eod. in* 6. Sayr. *l.* 4. *Thesaur. c.* 17. *n.* 26. Palao *n.* 9. *cit.* cum aliis.

319 Dixi *regulariter*: sunt enim aliqui casus extraordinarii, quibus hæc potestas ferenti Censuram denegatur, prout referunt Angel. *V. suspensio* 4. *n.* 3. Sylv. *ibid. q.* 8. *fin.* Vivald. *de suspens. n.* 181. Henriq. *l.* 13. *c.* 35. *n.* 2. Sayr. *l.* 4. *Thesaur. c.* 13. *nu.* 27. Hurtad. *de Suspens. diffic.* 12. *n.* 30. Et 1. quidem, si Clerici sæculares, aut Regulares à suis Ordinariis officio privati sunt, eo quod Hæreticis denuntiatis sacramenta ministraverint, aut ab eis Oblationes, vel Eleemosynas receperint, aut Ecclesiasticam sepulturam tradiderint; nam his privati non ab Episcopo privante, sed à Pontifice restitui possunt *cap. excommunicamus* 13. §. *credentes de Hæret.* Sed ut bene advertunt Navar. *c.* 27. *n.* 162. Sayr. *n.* 27. *cit.* Palao *loc. cit. vers. dixi*, hic textus non loquitur de privatis officio per Suspensionem, sed per Depositionem; ideoque mirum non est, quod nemini alteri, quam Pontifici, sit potestas restituendi. 2. si quis à proprio Episcopo sit degradatus *cap. ex tua* 11. *de Cler. resid.* Sed neque hic textus, ut iidem DD. notant, ad suspensionem pertinet. 3. si quis, quod indignis vita, moribus, & doctrina beneficia conferat, post unam, & alteram monitionem, à Concilio Provinciali factam, & emendationem non secutam, ab eodem Concilio à Beneficiorum collatione suspensus sit; nam iste nequit restitui, nisi à Pontifice, vel Patriarcha suo *c. grave nimis* 29. *de Præb.*

Dub. 4. quæ sit forma absolvendi à suspensione? Resp. 320
ex necessitate, seu præcepto nulla est determinata, sed illa sufficiens erit, quæ sufficienter absolventis intentionem exprimit. Communiter usitata est; *Ego te absolvo à vinculo Suspensionis, quam incurristi ob talem causam, & restituo te executioni Ordinis, Officio, vel Beneficio in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Navar. *cap.* 27. *numer.* 161. Sayr. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 34. Palao *loc. citat. num.* 10. Vallens. *hic* §. 10. *num.* 5.

Si pluribus suspensionis ligatus est aliquis, ab iis 321
absolvi potest ex eo tantum, quod absolvens dicat; *Absolvo te ab omni vinculo suspensionis*, & intentionem habeat ab omnibus absolvendi. Suar. *D.* 29. *sect.* 3. *num.* 2. Si dubia sit suspensio, præstanda absolutio non absolutè est, sed hac conditione præmissa. *Si teneris vinculo suspensionis, absolvo te &c.* Et hæc absolutio, *ad cautelam*, nuncupata, necessaria omnino est, ut officium exercere, & Beneficium administrare absolvendus possit, cum quæstio suboritur de valore suspensionis.

§. V.

De Interdicto.

SUMMARIUM.

322 *Interdicti definitio?*
323 *&c. Varietas.*
326 *&c. Quænam loca comprehendantur in Interdicto locali generali?*
334 *&c. Quæ comprehendantur persona, quando Interdicto subjicitur Universitas?*
340 *&c. Quis possit interdicere?*
343 *&c. Quod sit Interdicti Subjectum?*
345 *&c. Et finis?*
347 *&c. An Interdictum ferri possit pro delicto commisso in retinendo ære alieno?*
349 *Quæ sit forma servanda in hoc indicendo?*
350 *Ejus Effectus.*
351 *&c. Quorum Sacramentorum administratione, & receptione privet?*
361 *&c. Quomodo, & quibus Divinis Officiis privet?*
369 *&c. Quomodo privet sepultura Ecclesiastica?*
379 *&c. Et ingressu Ecclesiæ?*
389 *Quid requiratur, ut obliget Interdictum?*
390 *&c. Quale peccatum committatur violatione Interdicti?*
394 *&c. Quæ violantium pœna?*
398 *&c. Quomodo Interdictum cesset?*

QUæritur 1. quid, & quotuplex sit *Interdictum*? 322
Resp. *Interdictum*, prout huc spectat, est *Censura Ecclesiastica, prohibens usum Divinorum, quatenus à fidelibus haberi possunt.* Sylv. *V. Interdictum* 1. *n.* 2. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 164. Covar. *in c. alma p.* 2. §. 1. *n.* 2. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 7. Suar. *D.* 32. *sect.* 1. *nu.* 3. Coninck *D.* 17. *dub.* 1. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *cap.* 1. *n.* 1. Palao *tract.* 29. *D.* 5. *p.* 1. *n.* 2. Vallens. *hic* §. 11. *n.* 1. Pirh. *n.* 215. Konig *n.* 42. Wiestner *n.* 119. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 410. Magnif. P. Schmier. *p.* 1. *de delict. c.* 3. *n.* 247.

Aliud est Locale, aliud Personale, aliud Mixtum. 323
Locale directè & immediatè afficit locum, & indirectè, ac mediatè personas; quia in eo loco interdicuntur Divina celebrari ob alicujus culpam. *Personale* immediatè, & directè afficit personam, cui interdicta est participatio Divinorum. *Mixtum* vero est, quod ex Locali, & Personali coalescit; & hoc etiam *Deambulatorium* appellatur; quia afficit non tantum personam, sed quemcunque locum, quem illa persona fuerit ingressa, ut habetur *cap. non est vobis* 11. *de Sponsal. c. dilecti* 1. *de Appell.* Navar. *c.* 27. *cit. n.* 166. Henriq. *l.* 13. *c.* 41. *n.* 3. Sayr. *cap.* 1. *cit. n.* 10. Coninck *dub.* 1. *concl.* 2. Palao *n.* 3. Wiest. *n.* 122. Reiffenst. *n.* 183. *& seqq.*

Porro tam Locale, quam Personale subdividitur in 324
Generale, & Speciale. *Locale generale* est, quod plura loca sub se continet e. g. Regnum integrum, Provinciam, Diœcesim, Civitatem &c. *Speciale locale*,

quod

quod fertur in locum determinatum, ut si una, vel plures Ecclesiæ alicujus Civitatis supponantur Interdicto. *Personale generale* est, quod fertur in corpus aliquod politicum, quod propriis Legibus gubernari potest, verb. grat. si incolæ alicujus Provinciæ, Civitatis, Parochiæ, Collegii, vel alterius Communitatis, & probabilius etiam familiæ interdicantur. *Speciale personale*, quod in personas particulares fertur, ut in Petrum, Paulum &c. Neque opus est, ut hæ personæ propriis nominibus designentur, sed satis est, si exprimantur sub aliqua ratione communi ut si feratur in personas, quæ tale delictum commiserint. Palao *n.* 4. & 5. cum aliis ab ipso *citt.*

325 Personale ulterius subdividitur in Totale, & Partiale. *Totale* est, quod omnes effectus Interdicti personalis comprehendit; *Partiale*, quod aliquibus, vel uno tantum privat, ut si interdicaris à celebratione Missæ, à receptione Sacramentorum, ab ingressu Ecclesiæ &c. Navar. *c.* 27. *cit. à n.* 164. Suar. *D.* 32. *sect.* 2. *nu.* 37. Laym. *c.* 1. *cit. n.* 4. Palao *n.* 5.

326 Dub. 1. quænam loca comprehendantur Interdicto generali locali? Resp. circa hoc dubium tenendæ sunt sequentes Regulæ. 1. Si interdicatur Civitas, interdicuntur etiam suburbia illius, & ædificia continentia. Suar. *sect.* 2. *cit. num.* 23. Palao *D.* 5. *p.* 2. §. 1. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 11. *num.* 3. Engl *nu.* 83. Pirh. *num.* 224. & 225. *not.* 1. Konig *n.* 44. Vviestner *n.* 124. Reiffenstuel *n.* 186. & 190. la Croix *n.* 410. Magnif. P. Schmier *part.* 1. *de delict. cap.* 3. *num.* 256. & habetur expressè *cap. si Civitas* 17. *hoc tit. in* 6. Neque refert, etsi suburbia sint alterius dominii, & potestatis, ut rectè advertit Palao *loc. cit.* quia alias Interdictum facilè eludi posset; possent enim interdicti ad hæc loca confugere, & ibi Divina celebrare, aut iisdem interesse. Porro per *Suburbia* intelliguntur ædificia extra muros civitati interdictæ contigua, vel prope illam existentia, ad quæ incolæ Civitatis commodè pro Divinis audiendis, & celebrandis se conferre possunt; per *ædificia continentia* autem intelliguntur, quæ non contigua quidem urbi, sed propinqua tamen sunt. Franc. *in cap. si civitas cit. n.* 6. Palao *num.* 2. Pirh. *n.* 225. *not.* 1. Vviestner *loc. cit.* Quantam autem propinquitatem habere debeant, ut censeri debeant inclusa Interdicto, pro Regula communiter assignatur, tunc censeri inclusa, quando ita propinqua sunt, ut pro audiendis Divinis absque gravi difficultate populus eo se recipere possit, prout antea dictum de Suburbiis. Palao *loc. cit.*

327 2 Interdicta Civitate, vel Diœcesi interdicta etiam censetur Ecclesia Cathedralis. Sayr. *lib.* 5. *Thesaur. cap.* 30. *num.* 10. Suar. *sect.* 2. *citat. num.* 22. Palao *nu.* 3. Vviest. *n.* 126. Reiffenstuel *num.* 194. Magnif. P. Schmier *n.* 257. contra Covar. *in c. alma p.* 2. §. 1. *n.* 4. Ratio est, quia alias enervaretur vis Interdicti generalis contra textum *cap. si civitas cit.* Neque obest *c. quamvis* 4. *de Præb. in* 6. ubi nomine Ecclesiarum non comprehenditur Ecclesia Cathedralis in casu odioso, nisi exprimatur; quia ibi tantum quæstio erat, an sub nomine Ecclesiæ, ad cujus aliquod Beneficium quispiam impetravit Litteras provisorias intelligatur Ecclesia Cathedralis; hic autem quæstio est, an sub interdicto lato in totam Diœcesim, vel Civitatem Episcopalem comprehendatur Ecclesia Cathedralis, qui casus est prorsus diversus; nemo enim ambigit, sub toto corpore etiam includi caput.

328 3 Interdicta Diœcesi, censentur interdictæ Civitates, & omnia loca Diœcesis. Palao *n.* 4. Vviestner *loc. cit.* contra Bonac. *tom.* 1. *de Censur. D.* 5. *part.* 1. *num.* 11. Ratio est, quia Diœcesis coalescit ex Civitatibus, villis, & pagis; ergo interdicta Diœcesi, censentur interdictæ omnes illius partes, si ut interdicta Civitate, censentur interdictæ omnes Ecclesiæ, in illa Civitate contentæ.

329 4 Interdicta aliqua Ecclesia interdictæ censentur Capellæ illius, & Cæmeterium contiguum Sayr. *l.* 5. *cap.* 2. *num.* 15. Suar. *sect.* 2. *cit. n.* 25. & 27. Palao *n.* 5. Vallens. §. 11. *n.* 3. Engl *n.* 83. Pirhing *n.* 225. Konig *n.* 44. Vviestner *n.* 125. Reiffenstuel *n.* 191. la Croix *n.* 410. Schmier *n.* 410. & habetur *cap. si civitas cit. vers. ratione quoque*. Ratio est, quia eodem accedunt, & censentur illius partes. Unde Argumento à sensu contrario infertur, interdicto cœmeterio, vel capella per speciale aliquod Interdictum, nullatenus censeri interdictam Ecclesiam.

5 Quando terræ alicujus Domini Interdicto locali generali subjiciuntur, comprehenduntur sub illo omnes terræ, in quas dominium absolutum, & plenum habet. Palao *num.* 6. Manetque hoc Interdictum, etiamsi Dominus terras ejusmodi vendat, vel alio modo alienet, & non incolæ, sed ipse dominus causam dederit Interdicto; quia etsi tunc cesset causa, ob quam latum est Interdictum, non tamen hoc ipso sequitur ipsum etiam Interdictum cessare, sed tantum sequitur auferendum. Ratio est, quia cum absolutè latum sit, secum terra ejusmodi Interdictum defert, ad quemcunque transeat. Ugolin. *tab.* 5. *c.* 12. *n.* 3. Suar. *sect.* 2. *cit. nu.* 30. Palao *n.* 6. *vers. sed rectius.* Porro ut hujusmodi extensio locum habeat, requiritur 1. ut ejusmodi terram talis dominus tempore Interdicti lati possederit; nam ad terras, post Interdictum latum de novo acquisitas, Interdictum se non extendit, nisi in Sententia Interdicti ita expressum fuerit; quia Sententia ex se non respicit futura *arg. cap. fin. de Rescript.* ubi cavetur, quod gratia ad futura non extendatur; igitur à fortiori nec pœnæ sic extendendæ sunt. Palao *loc. cit. vers. ad terras*. 2. ut terræ ejusmodi sint sub talis domini proprietate, & dominio; & hinc Interdicto tali non subjiciuntur terræ, in quas solum habet Jurisdictionem, administrationem, Usumfructum; item in quas dominium directum duntaxat habet, quia illas dedit in Hypothecam, Emphyteusin; Feudum, nisi aliud exprimatur. Palao *loc. cit. vers. Quodsi*. Ratio est, quia illud Interdictum potius in damnum Feudatarii, vel Hypothecarii cederet. 3. ut talis dominus ejusmodi terræ plenum dominium habeat, nam si partiale duntaxat, distinguendum est; Vel enim terra talis pro indiviso est alicujus innocentis; & tunc, ne absque culpa puniatur aliquis innocens, tenendum est, terram illam non subjici Interdicto; vel contra illa divisim est nocentis, & innocentis, ita, ut pars ejus uni competat, altera pars distincta alteri; & tunc Interdicto subjicitur pars utraque, pars nocentis quidem directè, pars innocentis verò indirectè, & per consequentiam; & hoc ob rationem assignatam *numer.* 326. ne scilicet Interdictum generale latum in terram Domini nocentis eludatur, quod fieret, si populus, habitans in terra directè interdicta, posset ad Divina audienda, & celebranda ad partem terræ contiguam accedere. Palao *n.* 6. *cit.* 330

6 Interdicta terra alicujus domini, interdicta censentur non solum templa, Ecclesiæ, & Oratoria, ibi existentia tempore Interdicti, sed etiam ea, quæ postmodum fuerint erecta; non quia Sententia Interdicti futura respiciat, sed quia respicit locum, cui Ecclesia denuo constructa inhæret, atque insistit. Sayr. *l.* 5. *c.* 3. *n.* 13. Coninck *D.* 17. *dub.* 1. *n.* 16. Palao *n.* 6. *vers. deinde*. Idem dicendum, si Ecclesiæ interdictæ pars aliqua adderetur; nam eo ipso etiam pars illa debet censeri interdicta; quia eandem cum partibus præexistentibus Ecclesiam facit, vel saltem accessoria est; accessorium autem sequitur principale. Secus foret, si Ecclesia interdicta funditus interiret, & in eo loco alia de novo construeretur; quia hæc nova Ecclesia non est Ecclesia, quæ Interdicto fuit subjecta, neque illius pars. Palao *l. cit. vers. idem existimo*. 331

7 Interdictum Locale omnes tam Sæculares, quam Regulares, tam incolæ, quam exteri, tam exempti, quam non exempti observare tenentur, si speciali privilegio super eo non sint muniti, *cap. authoritate* 4. & *cap. licet* 10. *de privil. in* 6. imo illud observare debet etiam is, qui Interdictum locale apposuit. Navar. *cap.* 27. *n.* 161. Sayr. *cap.* 3. *cit. n.* 28. Coninck *nu.* 25. Palo *num.* 7. Vviestner *n.* 127. Reiffenstuel *num.* 196. la Croix *n.* 414. Schmier *num.* 259. Ratio est, quia hæc prohibitio non tam personæ facta est, quam loco, ut in eo non celebrentur Divina; & cum obligatio Interdicti nascatur ex Jure communi, ille, qui Interdictum apposuit, eidem derogare non potest. 332

8 Interdictum locale semper secum fert Interdictum personale, illorum scilicet, qui causam Interdicto dederunt; nam hi specialiter sunt interdicti, ita, ut neque in loco illo interdicto, neque alibi Divina participare possint, cum tamen alii, qui Interdicto locali causam non dederunt, interesse Divinis extra locum interdictum possint, ut habetur *cap. si sententia* 16. *hoc tit. in* 6. & notant Sylv. *V. Interdictum* 2. *numer.* 7. Suarez *disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 15. Coninck *disp.* 17. *dub.* 1. *n.* 5. 333

Palao

Palao *n.* 8. Barbosa *in c. cit. num.* 3. Engl *nu.* 84. Pirhing *n.* 223. Vviestner *n.* 127. Reiffenstuel *n.* 197.

334 Dub. 2 quæ personæ comprehendantur, quando Interdicto subiicitur populus, Collegium, aut alia quævis Universitas? Resp. comprehenduntur omnia ipsius membra; adeoque 1 etiam, qui absentes fuerunt, quando latum est Interdictum; quia absentia non impedit eos esse membra communitatis interdictæ. 2 innocentes; quia non interdicuntur, quatenus innocentes sunt, sed quatenus sunt partes communitatis nocentis. 3 illi, qui post latum Interdictum partes illius communitatis fiunt; quia verè ad communitatem interdictam pertinent. 4 Clerici, & Religiosi, si partes communitatis, e. g. familiæ interdictæ sint. 5 Concives habitantes in Suburbiis, & locis continentibus; quia reputantur concives illius populi interdicti. *Excipe*, si sint sui juris, suaque onera, & honores distinctos habeant. 6 denique etiam Magnates Marchiones, Duces, nisi ab hac obligatione privilegio, vel consuetudine eximantur, Suar. *D.* 36. *sect.* 3. *à n.* 2. Palao *D.* 5. *p.* 2. §. 2. *nu.* 1 *&* 2. Vviestner *hic n.* 127. *vers. tertiò*.

335 Excipiuntur autem ab Interdicto generali personaliter lato 1 Episcopi, nisi de ipsis fiat expressa mentio *c. quia periculosum* 4. *h. tit. in* 6. Palao §. 2. *cit. num.* 3. Vviestner *n.* 128. Reiffenstuel *n.* 188. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 262. & teste Palao omnes.

2 Infantes doli nondum capaces, & amentes; quia ob defectum usus rationis capaces non sunt prohibitionis per censuram Interdicti appositæ: bene tamen prohibentur tradi sepulturæ Ecclesiasticæ; quia hæc prohibitio non tam ipsos, quam Clericos sepulturos afficit. Sylv. *V. Interdictum* 2. *num.* 18. Covar. *in cap. alma p.* 2 §. 4. *num.* 5. Henriq. *l.* 13. *cap.* 42. *num.* 3. Sayr. *l.* 5. *cap.* 4 *num.* 21. Avila *part.* 5. *D.* 1. *dub.* 4. *concl.* 1. Bonac. *D.* 5 *p.* 1. *num.* 21. Hurt. *de Interdict. diffic.* 4. *numer.* 9. Palao *l. cit. num.* 4. Pirhing *nu.* 240. *vers. prædictis*, Vviestner *n.* 128. Reiffenstuel *n.* 188.

336 3 Excipiuntur, qui à populo recedunt, alibi domicilium constituturi; nam eo ipso desinunt esse pars illius populi, ob quam rationem Interdicto subiiciebantur, Suar. *D.* 32. *sect.* 2. *num.* 34. Sayr. *c.* 4. *cit. n.* 5. *&* 6. Avila *D.* 1. *cit. dub.* 2. *concl.* 1. Palao *n.* 5. Engl *n.* 83. Vviestner *l. cit.* Circa illos, qui duplex domicilium habent, anceps DD. sententia est. Nam Interdicto, saltem quamdiu cum populo interdicto degunt, ipsos subjectos esse contendunt Calderin. *de Interdict. membr.* 2. *nu.* 39. Angel. *V. Interdictum* 1. *num.* 4. Tabien. *V. eodem* §. 10. Rosell. *ibidem num.* 8. Suar. *sect.* 2. *cit. num.* 16. Palao *nu.* 7 quia verè sunt de populo interdicto, & illius honoribus fruuntur, debent ergo illius onera subire. Negant interdictos esse Sylv. *V. Interdictum* 2. *num.* 13. Henriq. *c.* 42 *citat. num.* 2. Sayr. *num* 18. la Croix *numer.* 416. quia cum æquè pars populi Interdicti, & non Interdicti sint, nulla est ratio, ob quam populi Interdicti onus subire debeant potius, quàm frui libertate populi non interdicti.

337 4 Excipiuntur probabiliter exteri, etsi diu in populo habitent, ut scholastici, & Mercatores; quia esto, quod plerumque Legibus populi adstringantur, non tamen illis, quæ singulares personas, quatenus sunt partes talis populi, afficiunt, uti est Lex Interdicti; quia exteri ad populum non pertinent, nec sunt pars illius, Navar. *Man. c.* 27. *n.* 167. Henriq. *c.* 42. *cit. n.* 3. Sayr. *n.* 19. Avila *dub.* 4. *cit. concl.* 10. Coninck *D.* 17. *dub.* 1. *n.* 12. Bonac. *D.* 5. *p.* 2. *num.* 20. Palao *l. cit. num.* 6. Vviestner *n.* 128 la Croix *n.* 410.

338 5 Interdicto populo, Clerus non censetur Interdictus, nec contra Interdicto Clero, populus; quia nomine populi sæculares tantum veniunt intelligendi, & nomine Cleri soli Ecclesiastici, Sayr. *l. cit. nu.* 25. Suar. *D.* 32 *sect.* 2. *num.* 24. *&* 25. Avila *concl.* 6. Coninck *num.* 8 Palao *n.* 8. Pirhing *n.* 220. *not.* 2. Engl *n.* 85. Vviestner *n.* 128. Reiffenstuel *n.* 186. la Croix *n.* 411. Schmier *n.* 261 An verò populo interdicto, loca illius populi interdicta sint, controversia est apud DD. Affirmant aliqui cum Covar. *in c. alma p.* 2. §. 1. *n.* 7. ne interdictum populi frustraneum sit, si Clerici possent apertis januis, & campanis pulsatis in Ecclesiis illius populi Divina peragere. Sed meritò negant Navar. *c.* 27. *cit. num.* 167. Sayr. *num.* 16 Coninck *num.* 20. Palao *num.* 11. Vviestner *n.* 129. Ratio est; quia Interdictum personale à locali distinguitur, nec unum aliud infert. Neque est inconveniens, interdicto populo, posse Clericos Divina in Ecclesiis illius populi celebrare, cum Ecclesiæ non sint interdictæ. Quod si autem ex populo Interdicto aliquis assistere divinis vellet, expelli debet: si expelli non possit, cessare debebunt Clerici ab illorum celebratione, non ex lege Interdicti, sed ad vitandum scandalum, & cooperationem ad peccatum, Palao *n.* 11. *cit.*

339 6 Interdicto Clero alicujus Ecclesiæ, non hoc ipso talis Ecclesia Interdicta censetur: ut proinde id non obstet, quo minus in tali Ecclesia divina celebrare alii Clerici, eaque audire Laici possint: Gloss. *in cap.* 16. *V. in clerum h. tit. in* 6. Covar. §. 1. *cit. num.* 7. Barbosa *in cap. cit. n.* 7. Pirhing *n.* 222. *not.* 5. Engl *n.* 83. Vviestner *n.* 130 *vers. quinto*. An vero Interdicto Clero alicujus loci, sub nomine Cleri contineantur etiam Religiosi, dissident inter se DD. Covar. §. 1. *cit. num.* 8. Navar. *n.* 167 Suar. *num.* 13. & alii apud *Palao* volunt contineri, ex ratione; quia communitas dividitur in Clerum, & populum, at Religiosi etiam Laici sive mares, sive fœminæ, non sunt de populo, ergo sunt de Clero, ergo interdicto Clero, etiam ipsi Interdicti censendi sunt. Sed probabilius non continentur hujusmodi Interdicto, licet istud latum sit à Pontifice, vel alio, cui in sæculares, & Regulares Jurisdictionem habet, Sylv. *V. Interdictum* 2. *n.* 19. Henriq. *c.* 42. *cit. n.* 3. Sayr. *num.* 29. Coninck *n.* 8 Palao *num.* 9. Engl *n.* 85. Pirhing *num.* 220. *not.* 2. *vers. porro*, Vviestner *n.* 130. Reiffenstuel *num.* 187. la Croix *num.* 410. Ratio est, quia esto, Religiosi sub nomine Cleri comprehendantur in favorabilibus, non tamen in pœnalibus, & odiosis, utpote qui diversis Legibus, & constitutionibus reguntur. *Excipiuntur* 1 Religiosi, qui Beneficium sæculare possident; nam hi cum Clericis sæcularibus unum corpus constituunt: cons. sub Interdicto Cleri intelliguntur. *Excipitur* 2 nisi Interdictum latum sit sub nomine personarum Ecclesiasticarum: nam tali Interdicto comprehenduntur etiam Religiosi quicunque utriusque sexus; quia verè sunt personæ Ecclesiasticæ, ad Ecclesiam, & illius Jurisdictionem directè pertinentes. *Pirhing Vviestner l. cit.*

Quæritur 2 de Causis Interdicti. *Et* 1. *quidem dubitatur*, quæ sit causa efficiens, seu Minister Interdicti? Resp. Ministrum, & causam efficientem Interdicti esse, qui Jurisdictionem in foro contentioso habet: & regulariter, qui sententiam excommunicationis, & suspensionis ferre potest, etiam interdicere potest, Suar. *D.* 36 *sect.* 1. *n.* 2. Palao *tr.* 29. *D.* 5. *p.* 3. §. 1. *n.* 1. Vallens. *hic* §. 12. *n.* 1. Pirhing *ibidem num.* 249. & colligitur ex *c. cum Ecclesiarum* 3. *de Offic. Ord.* 340

In specie interdicere possunt. 1 Pontifex, ejus Legatus, Nuntius, Delegatus, Subdelegatus. 2 Episcopus, etiam non consecratus, & quicunque alii, qui jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos suos habent. 3 Capitulum sede vacante, medio Vicario à se electo juxta Trid. *sess.* 24. *cap.* 16. *de Reform.* 4 Prælati Religiosorum, cum limitatione tamen; nam etsi Religiosos sibi subditos ligare possint Interdicto personali, non tamen locali loca sibi subjecta; quia hæc potestas, etsi de juris rigore ipsis conveniat, eis adempta est per consuetudinem, ut pluribus *citt.* testatur Palao §. 1. *citat. num.* 4. 341

Isti tamen omnes, ut ferre Interdictum possint, non debent esse suspensi, vel excommunicati; nam si suspensi, vel excommunicati sint, non denuntiati quidem illicitè, denuntiati verò etiam invalidè sententiam Interdicti ferunt, eo, quod post denuntiationem careant Jurisdictione, Palao *num.* 5. Præterea, ut Episcopus Clericos sibi subjectos Interdicto subiicere possit, de juris rigore debet habere consensum capituli, ut colligitur ex *c. pervenit* 1. *de Excess. Prælat. c. novit* 4. & *c. seq. de his, quæ à Prælat. cap. cum in cunctis* 1. *de his, quæ à major. part. cap.* Consuetudine tamen ubique recepta nunc capituli consensus etiam ad interdicendos Clericos non requiritur, Suar. *D.* 36. *sect.* 1. *num.* 6. Palao *l. cit. n.* 2. 342

Dub. 2 quod sit subjectum, & finis Interdicti, & quam ob culpam ferri possit? Resp. *Interdicti localis* subjectum est locus: sed hic, ut directè subiici interdicto possit, debet esse subjectus Jurisdictioni interdicentis; per accidens tamen sæpe contingit, ut Interdictum se extendat ad loca etiam non subjecta Jurisdictioni interdicentis, quando scilicet alias Interdictum 343

à Ju-

à Judice positum esset frustraneum, prout notavi *supra num.* 326.

344 *Interdicti personali* subjectum est persona, vel communitas: quo differt Interdictum ab excommunicatione, quæ nunquam fertur in communitatem. Ut verò persona aliqua subiici Interdicto possit, debet 1 esse subjecta Jurisdictioni interdicentis; alias ejus præceptis, & sententiis ligari non potest. 2 debet esse rationis compos; aliàs incapax est præcepti, & pœnæ præcepto annexæ.

345 *Finis Interdicti* est culpæ emendatio, seu punitio: Culpa autem ista debet esse peccatum mortale, quia Interdictum est pœna gravissima, & cum etiam innocentes quandoque feriat, gravior aliquo modo, quam excommunicatio: & hinc ob solum peccatum veniale ferri non potest. Imo si Generale, personale, vel locale sit, nullo modo in jure fertur, nec ferri ab alio potest, quam à Pontifice, ob culpam quantumvis gravem alicujus privatæ personæ, nisi ea culpa sit culpa capitis, vel communitatis *arg. cap. non est vobis* 11. *de Sponsal.* & deciditur *in Conc. Basil. sess.* 20. Navar. *Man. c.* 27. *num.* 168 Sot. *in* 3. *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. Covar. *in cap. alma p.* 2. §. 1 *n.* 4. *&* 5. Sayr. *l.* 9. *c.* 11. *à n.* 7. Henriq. *l.* 13. *c.* 50. *n.* 1 Suar. *D.* 36. *sect.* 3. *num.* 5. 6. *&* 9. Avila *p.* 5. *D.* 3. *dub.* 1 *concl.* 5. Coninck *D.* 17. *dub.* 1. *fin.* Layman *lib.* 1. *tr.* 5 *p.* 4. *c.* 4. *n.* 4. Hurt. *de Interd. diffic.* 13. *n.* 38. Palao *D.* 5 *p.* 3. §. 2. *n.* 3. Ratio est, quia pœna debet proportionari culpæ, & cum hæc sit pœna communis, culpam communem requirit.

346 Intelligi autem hoc debet, si Interdictum sit absolutum, & integrum; nam si partiale, & ad breve tempus, ut pluribus *citt.* docet Palao *n.* 9. ob culpam venialem injungi potest; quia est levis pœna, & facilè amovibilis. Non autem, si interdictum sit absolutum, & integrum. *Neque obstat*, quod ob peccatum veniale incurratur excommunicatio minor; nam Interdictum, præterquam quod pluribus bonis spiritualibus privet, quam excommunicatio minor, difficilius prætcrea tolli, quam excommunicatio minor, potest, cum ab hac absolvere possit quivis Sacerdos, qui absolvere à mortalibus potest. Konig *hic n.* 47.

347 Dub. 3 an pro delicto à capite, vel communitate commisso in retinendo ære alieno possit interdictum ferri? *Certum est* pro tali delicto absque speciali Summi Pont. licentia non posse ferri *Interdictum locale generale*; quia ita expresè cautum est *in Extr.* 2. *int. comm. h. tit.* quam confirmavit *Clemens VII. in Bulla* incipit *Licet ea edita* 1530. 9. *Cal. Jun.* & est 35. ejusdem in Bullario. Quoad *interdictum locale speciale* e. g. unius, vel alterius Ecclesiæ, an pro debito pecuniario imponi possit, controvertunt DD. Affirmant Navar. *c.* 27. *cit. n.* 168. Sayr. *c.* 11 *num.* 19. Suar. *sect.* 3. *num.* 8. ex ratione, quia prædicta *Extravagans* solum loquitur de Interdicto Generali. Sed verius contrarium docent Covar. *in c. alma part.* 2. § 1 *num.* 5. Avila *p.* 5. *D.* 3. *dub.* 3. *concl.* 2. Palao *D.* 5. *p.* 3 §. 2. *num.* 5. Ratio est 1. quia in prædicta *Extrav.* prohibetur, ne supponatur Interdicto provincia, civitas, castrum, locus, territorium; atqui locus tam de Interdicto locali generali, quam de speciali intelligitur. 2 solutio debiti pecuniarii facile aliis viis obtineri potest absque innocentum periculo. 3 Interdictum locale generale ideo ob causam pecuniariam ferri non potest à potestate ordinaria, ne ob temporalem causam, & quæ alia via emendari potest, innocentes detrimentum patiantur, hæc autem ratio procedit etiam in interdicto locali speciali, ergo nec istud imponi potest ob debitum pecuniarium.

348 Quoad Interdictum personale distinguendum est inter speciale, & generale. *Generale personale* probabilius nec ipsum ob æris alieni retentionem, à capite communitatis factam, imponi potest, Henriq. *l.* 13. *cap.* 50. *num.* 3 Avila *dub.* 3. *cit. concl.* 4. Sayr. *c.* 11. *à n.* 19. Palao *num.* 6 *Neque obstat*, quod *cit. Extrav.* tantum loquatur de Interdicto locali; non enim idcirco statim dicendum est, quod concedat ferri Interdictum personale, cum ratio prohibendi Interdictum locale se extendat etiam ad Interdictum personale generale, ne scilicet innocentes graventur ob talem causam temporalem. *Speciale personale* pro debito pecuniario ferri quidem potestate ordinaria potest in personam, quæ est in culpa; nam contrarium nullibi cautum est: non tamen ob culpam alienam; quia cum tale Interdictum propriam personam ubique afficiat, culpam in ipsa supponit Sayr. *c.* 11. *n.* 5. Suar. *D.* 36. *sect.* 3 *à n.* 2. Hurt. *diffic.* 13. *n.* 19. Palao *l. cit. n.* 7.

Dub. 4 quæ sit Forma servanda in impositione interdicti? Resp. nullam esse præscriptam: cons. ea sufficiet, quæ voluntatem imponentis exprimat, Palao §. 2. *citat. n.* 10. Vallens. *hic* §. 13. *nu.* 3. Ut vero licite imponatur, debet ferri in scriptis, & ibi exprimi causa, ob quam fertur, & exemplar tradi parti intra mensem, si petierit; alioquin interdicens ab ingressu Ecclesiæ per mensem erit ipso jure suspensus. 349

Quæritur 3 qui sint effectus Interdicti? Resp. quatuor enumerari. 1 Privatio activa, & passiva Sacramentorum *cap. responso* 43. *h. tit.* & *cap. si sententia* 16. *eodem in* 6. 2 Privatio activa divinorum Officiorum *c. permittimus* 57 *eodem* 3 Privatio activa, & passiva Ecclesiasticæ sepulturæ *c. quod in te* 11. *de pœn. & remiss. cap. cum & plantare* 3 §. *quod si*, *de privileg.* & *cap. Episcoporum* 8. *eodem in* 6. 4 Privatio ab ingressu Ecclesiæ *cap. sacro* 48. *h. tit.* & *cap. is cui* 20. *eodem in* 6. Hos omnes effectus post se trahit interdictum, si absolutè sit latum; si verò ex voluntate imponentis restrictum sit, eum effectum tantum comprehendet, quem interdicens voluerit, Palao *tr.* 29. *D.* 5 *p.* 4. *pr.* & ab hoc *citt.* 350

Dub. 1 quorum Sacramentorum administratio, & receptio prohibeatur tempore Interdicti? Discurrendum est per singula Sacramenta. Primum est *Baptismus*. Hic tempore cujuscunque interdicti concedendus est parvulis, ob ejus necessitatem *cap. non est vobis* 11. *de Sponsal.* quæ concessio postmodum extensa fuit etiam ad Baptismum cujuscunque adulti, sive sani, sive infirmi *c. quoniam* 19. *h. titul. in* 6. nam quamvis isti sola contritione salvari possint, quia tamen contritio difficulter haberi potest, ideo Ecclesia beneficium hoc ipsis denegare non voluit. Potestque administratio ista, & debet, non obstante quocunque Interdicto, fieri solemniter, ritibus consuetis, & apertis etiam januis templi; quia cum permittitur Baptismus, non censendus est permitti aliter, quam quo modo de jure faciendus est. Navar. *Man. c.* 27 *num.* 177. Henriq. *l.* 13. *cap.* 45. *num.* 1. *& cap.* 53. *num.* 4 Sayr. *l.* 5. *Thesaur. c.* 7. *num.* 3. Suar. *D.* 33. *sect.* 1. *nu.* 2 Avila *p.* 5. *D.* 4. *sect.* 1. *dub.* 4. *concl.* 1. Bonacina *D.* 5. *p.* 3 *num.* 2. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 1. Palao *p.* 4. *cit.* §. 1 *num.* 2. Pirhing *num.* 228. *hic*, Wiestner *ibidem num.* 132 Et hoc ita verum est, ut si Fons non sit benedictus, benedici etiam tempore Interdicti possit, *Suar. Bonac. Pal. l. citt.* & alii communiter. Idem dicendum, quando Minister est Interdicto generali personali subjectus; nam Interdictum personale generale non ligat arctius, quam generale loci, quo non obstante, permittitur ministratio Baptismi, Filliuc. *tr.* 18. *c.* 2. *numer.* 33. Bonacina *p.* 3. *cit.* §. 1. *num.* 5. Palao *l. cit. n.* 5. Aliud dicendum de Ministro specialiter Interdicto: nam iste, quamvis in casu necessitatis privatim baptizare possit, non tamen hoc potest extra hunc casum; quia his personis, sicut, & excommunicatis nullus est favor concessus, qui tamen concessus esset, si seclusa necessitate baptizandi, possent ministrare hoc Sacramentum, Sayr. *cap.* 7. *citat. num.* 6 Suar. *sect.* 1. *cit. num.* 8. Filliuc. *n.* 33. *cit.* Bonacina *nu.* 5 Palao *num.* 5 351

Secundum est *Confirmatio*. De hoc idem dicendum, quod de Baptismo, nam, quamvis ista non sit Sacramentum necessitatis, est tamen Baptismo accessorium, & illius quasi complementum, ideoque concesso hoc, etiam illud concessum videtur, non utcunque, sed cum omni sua solemnitate, apertis januis, sicut si Interdictum non esset, Sylv. *V. Interdictum* 5. *num.* 9. Covar. *p.* 2. §. 2. *n.* 7 Sayr. *cap.* 7. *cit. num.* 6. Suar. *sect.* 1. *n.* 7. Bonacina *nu.* 4 Barbosa *de Offic. Episc. alleg.* 31. *num.* 23. Layman *cap.* 2. *cit. n.* 1. Palao *n.* 6. Pirhing *n.* 229. *&* 230. *not.* 2. Wiestner *nu.* 133. Reiffenstuel *num.* 199. *&* 200. la Croix *tom.* 8. *l.* 7 *n.* 418. & sumitur ex *cap. quoniam* 19. *h. tit. in* 6. ubi additur, posse etiam in loco specialiter Interdicto confici Chrisma; quia est necessarium Confirmationi, & hac concessa, concedi debent, quæ ad illam conficiendam sunt necessaria, Palao *num.* 6. *citat. Dubitatio* esse potest de Ministro, & suscipiente: quæ dirimi distinctione potest; nam si Interdictum sit generale, ministrare sic Interdictus, & recipere hoc Sacramentum potest, non vero si specialiter persona sit Interdicta: & quidem sic Interdictus ministrare licitè non potest; quia *cap. Clerici* 3. *c. la-*

e. latores 4. *de Cler. excomm. ministr.* & *cap. si sententia* 16. *h. tit. in* 6. tam Excommunicati, quàm Interdicti prohibentur ministrare Divina: recipere verò hoc Sacramentum nequit; quia ut licitè illud recipiat, priùs satisfactionem exhibere, vel si hoc nequeat, cautionem præstare debet *arg. c. alma* 24. *h. tit. in* 6. Suar. *num.* 9. Bonac. *n.* 4. Palao *n.* 7. Vvieſtner *n.* 133.

353 Tertium est *Sacramentum Pœnitentiæ*. Hoc Jure antiquo solis moribundis, & peregrinis concedebatur *cap. quod in te* 11. *de Pœn. & remiss.* Jure recentiore conceditur omnibus, duplici conditione apposita *c. alma cit. Prima* est, ne pœnitens Sacramentum hoc recepturus sit excommunicatus Excommunicatione reservata, & imposita, quòd Interdicto pertinaciter causam dederit. Suar. *D.* 33. *sect.* 1. *num.* 15. Avil. *p.* 5. *D.* 4. *sect.* 1. *dub.* 3. *concl.* 4. Bonac. *D.* 5. *p.* 3. *§.* 3. *n.* 1. Palao *l. cit. n.* 8. Pirhing *n.* 231. Reiffenstuel *n.* 201. *Secunda* est, ne absolvendus causam culpabilem interdicto dederit; nam eo casu debet prius satisfactionem condignam exhibere, vel de satisfaciendo cautionem idoneam præstare, aut si neutram possit, jurare debet se satisfacturum, cùm primùm poterit, uti cavetur *c. alma cit.* Suar. *l. c. n.* 20. Bonac. *n.* 2. Palao *n.* 8. *cit.* Barbos. *in c. alma cit. nu.* 4. Engl *n.* 93. Pirh. Reiffenst. *l. citt.* Quod dictum est de receptione hujus Sacramenti, etiam dicendum de ejus administratione; potest enim administrari in loco interdicto, & à persona generaliter interdicta non verò à persona specialiter; quia huic quælibet Sacramentorum ministratio extra casum necessitatis prohibita est: si tamen ab interdicto specialiter etiam denuntiato administretur; probabilius Sacramentum validum erit; quia interdictum non Jurisdictionem, sed usum Divinorum tollit. Bonac. *l. cit. n.* 2. Palao *n.* 8. *cit. fin.*

354 Quartum est *Sacramentum Eucharistiæ*. Hoc tempore Interdicti localis, aut personalis generalis potest, & debet administrari his, qui constituti sunt in probabili mortis periculo vel ob infirmitatem, vel ob aliam causam extrinsecam, qualis est navigatio diuturna, prælatio, partus difficilis, condemnatio ad mortem, dummodo Interdicto causam non dederint, aut fuerint aliunde specialiter interdicti; nam hi, ut ministrari eisdem Eucharistia hoc casu possit, debent antè præstare satisfactionem condignam, vel si hanc præstare nequeant, cautionem pignoratitiam, fidejussoriam, vel saltem juratoriam *c. quod in te* 11. *de Pœn. & remiss. c. permittimus* 57. *h. tit.* & *c. alma* 24. *eod. in* 6. Potestque hoc casu ac debet SS. Sacramentum ad domum ægroti deportari solita cum solemnitate, comitantibus Clericis, candelis accensis, pulsatis cymbalis *c. sanè* 10. *de celebr. Missar.* Delato Sacramento etiam licitum est Sacerdoti populo illud ostendere ad adorandum, & cum ipso eidem benedicere; quia per interdictum non prohibetur visus, ostensio, & adoratio, nisi in Missæ Sacrificio. Sayr. *l.* 5. *c.* 7. *n.* 28. Suar. *D.* 33. *sect.* 1. *n.* 7. Palao *p.* 4. *cit.* §. 1. *n.* 10. Pirh. *n.* 232. Vvieſtn. *n.* 135. Extra mortis articulum nec ministrare, nec recipere Eucharistiam licet in loco interdicto, etiam personis innocentibus *c. quod in te c. permittimus*, & *c. alma citt. Excipitur*, nisi super ejus receptione speciali privilegio muniti sint, sicut ferè sunt Religiosi, & Moniales. *Compend. Privil. Societ. JESU Interdictum*, & *V. communicare*. Vvieſt. *nu.* 135.

355 Quintum est *Extrema Unctio*. Hoc Sacramentum ex constanti omnium Sententia in nullo Interdicto locali, aut personali ministrari potest, etiam illis diebus, quibus juxta *infrà n.* 365. dicenda celebrare Divina, & interesse iisdem permissum est *c. quod in te cit.* & *c. non est vobis* 11. *de Sponsal.* Et extenditur prohibitio hæc etiam ad Clericos, & ex his ad illos quoque, quibus aliàs concessum est tempore Interdicti Sacrificium Missæ, & Divina Officia celebrare, ut colligitur ex *c. quod in te cit.* ubi postquam Pontifex dixit, omnibus tempore interdicti prohibitam esse extremam Unctionem, & Ecclesiasticam Sepulturam, subdit, Sepulturam Ecclesiasticam Clericis servantibus Interdictum concedendam esse. tacitè ergo prohibitionem Extremæ Unctionis in vigore suo relinquit *arg. c. nonne* 5. *de Præsumpt. Excipiuntur* 1. qui privilegium speciale circa hoc sibi concessum habent, quale habent Religiosi mendicantes, & qui cum iis in privilegiis communicant; nam hi ministrare, & recipere hoc Sacramentum tempore interdicti possunt, ex privilegio relato in *Compend. Min. V. Unctio extrema*, & in *Compend. Privil. Societ. V. eod. Excipitur* 2. si infirmus nullum aliud Sacramentum possit recipere; tunc enim potest illi Extrema Unctio ministrari ex præsumpta Ecclesiæ voluntate; quia non est credendum, Ecclesiam suis fidelibus, & maximè morituris, subsidium Sacramentorum denegare velle maximè cum salus æterna infirmi, Sacramento non recepto, non leviter periclitetur, cujus periculum maxima ex parte temperatur, Sacramento Extremæ Unctionis recepto. Chapeauvill. *de mod. ministr. Sacr. temp. pest. post c.* 4. *q.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 1. *vers. de Sacramento Extremæ Unctionis*. Palao *D.* 5. *p.* 4. §. 1. *n.* 20. Pirhing *n.* 234. Konig. *n.* 50. Vvieſtn. *n.* 136. Reiffenst. *n.* 203.

Sextum est *Ordo*. De quo certa sententia est, in loco interdicto, & personis specialiter interdictis nullo modo conferri posse; bene tamen generaliter interdictis in loco non interdicto. Covar. *in c. alma p.* 2. *§.* 3. *n.* 4. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 179. Henriq. *l.* 13. *c.* 45. *nu.* 1. Suar. *D.* 33. *sect.* 1. *n.* 45. Laym. *nu.* 1. *cit. vers. de Sacram. Ord.* Palao *n.* 21. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *nu.* 251. Ratio est, quia quælibet Sacramentorum receptio, & administratio in loco interdicto, & personis specialiter interdictis est prohibita; secus verò iis, qui generaliter interdicti sunt, in loco non interdicto *cap. responso* 43. *h. tit.* & Sacramentum Ordinis nullibi reperitur exceptum. ergo etiam de hoc intelligenda est procedere prohibitio generalis. *Excipitur*, si contingeret, in aliqua Provincia esse tantam Sacerdotum penuriam, ut Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ commodè infirmis ministari non posset; tunc enim probabilius licita esset Ordinatio in loco interdicto, ut contra *Sylv. Covar. Ugolin.* rectius docent Abb. *in c.* 11. *de Sponsal. nu.* 8. Henriq. *c.* 45. *cit. n.* 4. Sayr. *l.* 5. *c.* 7. *nu.* 38. Bonac. *D.* 6. *part.* 3. *§.* 3. *numer.* 3. Laym. *cap.* 2. *cit. num.* 1. Palao *n.* 23. Pirhing *n.* 235. Vvieſt. *num.* 136. Ratio est, quia *c. alma cit.* permittuntur aliqua Sacramenta administrari, & confici tempore Interdicti. consequenter ergo permittenda est Ordinatio Ministrorum, qui ad id fuerint necessarii; aliàs inutilis esset ista concessio. *Conf.* à pari: ex eo, quòd tempore Interdicti concessa sit ministratio Baptismi, & Confirmationis, concessa etiam censetur Benedictio fontis, & confectio Chrismatis, sine quibus ministrari illa Sacramenta non possunt. ergo cùm neque sine Ministris ministrari Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ possit, ex horum concessione rectè infertur concessa illorum Ordinatio. Sed ut bene *Sayr.* & Palao *l. citt.* notant, hic casus rarò, vel nunquam contingere potest; quia cùm Episcopus ad locum non interdictum accedere, vel initiandos ad Episcopos propinquiores mittere possit, non facilè contingere potest talis necessitas. 356

Septimum est *Matrimonium*. De hoc satis convenit inter DD. quòd ab eo contrahendo removeantur specialiter interdicti, si contumaces existant; quia obicem ponunt gratiæ per Sacramentum Matrimonii recipiendæ. An verò illud contrahi tempore Interdicti localis, & à personis generaliter interdictis possit, controversia est inter DD. Negant Ugol. *tab.* 5. *c.* 7. §. 3. *nu.* 1. & *c.* 10. §. 1. *n.* 1. Suar. *D.* 33. *sect.* 1. *n.* 51. Bonac. *D.* 5. *p.* 3. §. 3. *n.* 8. cum aliis ex ratione, quòd Sacramentorum receptio generalis Interdicti tempore sit prohibita, Matrimonium autem non sit exceptum. 357

Sed verius potest contrahi in loco interdicto, & à personis generaliter interdictis. Ita Abb. *in c.* 11. *nu.* 8. *de Sponsal.* Sylv. *V. Interdictum* 5. *n.* 9. Covar. *in c. alma p.* 2. §. 2. *n.* 7. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 179. Henriq. *l.* 13. *c.* 45. *n.* 3. Tolet. *l.* 1. *c.* 20. *nu.* 9. Avil. *p.* 5. *D.* 4. *sect.* 1. *dub.* 6. Sanch. *l.* 7. *de Matr. D.* 8. *n.* 2. Tann. *tom.* 4. *q.* 10. *dub.* 8. *n.* 150. Coninck *D.* 17. *dub.* 2. *n.* 48. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 5. *p.* 4. §. 1. *n.* 25. Vallens. *hic* §. 12. *n.* 4. Engl *n.* 94. Pirh. *n.* 236. Vvieſtn. *n.* 136. *fin.* la Croix *n.* 418. & 420. Ratio est, quia Matrimonium principaliter est contractus humanus, & politicus, cui ratio Sacramenti ex Christi institutione annexa est. atqui contractus humani tempore interdicti non prohibentur. ergo neque contractus Matrimonii ob Sacramenti rationem adjunctam censeri debet prohibitus, cùm accessorium sequatur naturam principalis. Imò etiam specialiter interdicti, si pœnitentes, & contriti sint, nullatenus ab eo contrahendo excluduntur; quia non prohibentur ex vi Censuræ, sed ex vi obicis, 358

qui per pœnitentiam removetur. Sylv. Navar. Henriq. Tolet. *l. citt.* Sanch. *n.* 5. Palao *n.* 27.

359 Benedici tamen nuptiæ tempore interdicti non possunt, ut contra *Rosell. Angel.* & alios docent Navar. *n.* 178. Henriq. *c.* 44. *n.* 8. Sayr. *l.* 5. *c.* 7. *n.* 41. Sanchez *D.* 8. *cit. n.* 10. Palao *nu.* 28. Pirhing *num.* 236. la Croix *n.* 420. Ratio est, quia licèt Benedictio sit accessorium ad nuptias, tamen non ita necessaria est, ut confectio Chrismatis ad Confirmationem: & præterea Benedictio est diversæ rationis à nuptiis; Matrimonium enim ad contrahentes spectat, Benedictio ad Clericos, & sub Officio Divino continetur: unde sicut istud, ita & Benedictio Interdicti tempore prohibita erit. *Excipitur*, nisi conjuges privilegium haberent assistendi Officiis Divinis tempore Interdicti; tunc enim possent eorum nuptiæ benedici, servato moderamine *c. alma* præscripto. Idem dicendum, cùm ob Festivitates *n.* 365. recensendas Divina Officia permittuntur. Palao *num.* 29. & apud hunc *Sylv. Covar. Henriq. Sanch. Sayr. Bonacin.*

360 Ad Argumentum contrarium *n.* 357. allatum dico, illam prohibitionem intelligendam esse de Sacramentis purè Spiritualibus, & quæ Ecclesiæ Ministris dispensanda relinquuntur, quale Matrimonium non est, cùm contractu humano, & politico nitatur, & ab ipsis contrahentibus ministretur: eaque de causa non fuit necesse illud à prohibitione generali excipi; quia sub ipsa non comprehendebatur.

361 Dub. 2. quid veniat nomine *Officii Divini*, dum hoc prohibetur tempore Interdicti? Resp. sub nomine Officii Divini veniunt, quæ primò, & per se annexa sunt alicui Ordini Sacro, & quæ à solis Clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiæ fieri permittuntur, uti sunt Sacrificium Missæ, benedictio olei, chismatis, fontis pro Baptismo conficiendo, Ramorum in Dominica Palmarum, Cereorum in die Purificationis, Nuptiarum; item benedictio templi, vestium, aut vasorum Sacrorum, aquæ benedictæ, consecratio Altaris. Denique Horæ Canonicæ, & Officium B. V. cum Psalmis, & Litaniis, si in communi dicantur, & in loco ad id specialiter deputato, & cum ordinaria solemnitate. Ista omnia tempore interdicti, secluso privilegio, fieri nequeunt. Palao *tr.* 29. *D.* 5. *p.* 4. §. 2. *n.* 1. Reiffenst. *hic num.* 204. Magnif. P. Schmier *p.* 1. *de Delict. c.* 3. *n.* 248.

362 Dixi 1. *quæ primò, & per se annexa sunt alicui Ordini Sacro:* Unde sub Officiis Divinis non comprehenditur Concio; quia non ad DEUM, sed ad populum instruent dum ordinatur: neque Benedictio mensæ, recitatio itinerarii Clericorum, aliorum Psalmorum absque Ordine Divini Officii, Litaniarum, adoratio Crucis in die Veneris Sancto &c. modò omittatur solemnitas, cum qua ista fiunt à Clericis. Navar. *Man. c.* 27. *nu.* 176. Henriq. *l.* 13. *c.* 44. *n.* 2. Sayr. *l.* 5. *c.* 3. *à n.* 38. Suar. *D.* 34. *sect.* 3. *à n.* 1. Palao *n.* 1. *citt.* Vallens. *hic* §. 12. *num.* 4. Pirh. *n.* 230. Reiffenst. *n.* 205.

363 Dixi 2. *& quæ à solis Clericis &c.* Ubi comprehenditur etiam recitatio publica, & solemnis Horarum Canonicarum facta à Monialibus: nam licèt illa recitatio, ut à Monialibus fit, non sit Ordini Sacra annexa; quia tamen per se, & ex institutione sua recitatio solemnis Horarum Canonicarum à Ministris ordinis peragitur, & in ordine ad prædictum munus peragendum Ministri consecrantur, ea de causa Monialibus, quibus hæc solemnis recitatio indulgetur, censenda est tempore interdicti prohibita. Suar. *l.* 3. *cit. n.* 8. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 2. Pal. *l. cit.*

364 Dixi 3. *cum ordinaria solemnitate*: nam si Horæ Canonicæ recitentur in domo privata, vel etiam in aperto campo absque ulla solemnitate, talis recitatio tempore interdicti non foret prohibita; quia peragitur non ut à Ministris Ecclesiæ, sed tanquam à privatis fidelibus. Imò per *c. quod in te* 11. *de Pœn. & remiss.* Horas dicere non cantando, sed legendo Clerici possunt bini, vel terni etiam in Ecclesia. Similiter non prohibetur tempore interdicti privata recitatio Psalmorum Gradualium, ac Pœnitentialium, Officii B. V. Salutationis Angelicæ, & similium precationum ad pulsum campanarum &c. Navar. *n.* 176. Laym. *n.* 2. Vviest. *n.* 138.

365 Dixi 4. *secluso privilegio*. Talia privilegia complura sunt sive Corpore Juris communis clausa, sive extra illud. Et 1. quidem hoc privilegium datum est in *c. alma cit.* Festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. V. in quibus interdictum suspenditur: quam suspensionem postmodum *Martinus V. Const. incipit Ineffabile*, & *Eugenius IV. Const.* incipit *Excellentissimum* extendit ad Festum Corporis Christi, & totam illius Octavam: deinde *Leo X.* ad Festum Immaculatæ Conceptionis pro tota Hispania. In his ergo solemnitatibus licet apertis janius, & cum omni solemnitate Sacerdotibus celebrare Missam, & alia Divina Officia, & fidelibus, modò interdicto causam non dederint, aut aliunde sint specialiter interdicti, Sacrificio Missæ interesse: & probabilius etiam Eucharistiam recipere. Suar. *D.* 33. *cit. sect.* 1. *n.* 37. Coninck *D.* 17. *dub.* 2. *nu.* 36. Filliuc. *tr.* 28. *c.* 2. *n.* 32. Pal. *l. c.* §. 1. *n.* 13. Ratio est, quia Jure antiquo omnibus assistentibus Missæ Sacrificio concessum erat de ipso Sacrificio communicando participare. ergo cùm his diebus possint fideles assistere Sacrificio, etiam concessum censetur, ut sub eo communicent. Et fortè hanc ob causam textus non fuit usus verbo *assistere* sed *participare*, ut ex eo colligeretur, non solùm illos Sacrificio Missæ, & Divinis Officiis assistere, sed etiam SS. Christi Corpus communicando participare posse. Idem dicendum videtur de Religiosis, & aliis omnibus, quibus datum est privilegium, ut interdicti tempore possint assistere Sacrificio Missæ. Suar. *l.* 6. *n.* 35. & 36. Filliuc. *n.* 42. Palao *n.* 25. contra non paucos alios.

2. Per *c. permittimus* 47. *h. tit.* tempore Interdicti semel in hebdomade celebrari Missa potest ad conficiendam Eucharistiam pro infirmis: quæ facultas postea *in c. alma cit.* extensa est, ut jam non semel in hebdomade, sed singulis diebus Missæ celebrari possint, & Officia Divina peragi in quibuscunque Ecclesiis & monasteriis. modò observentur conditiones *in c. alma cit.* præscriptæ. 1. ut Divina fiant submissa voce, h. e. absque solemni cantu, & taliter, ut ab iis, qui extra Ecclesiam fuerint, audiri non possint, bene tamen ab iis, qui sunt intra Ecclesiam, percipi. 2. ut januæ omnes sint clausæ, per quas aditus ad Ecclesiam patet: debentque portæ sic esse clausæ, ut ab existentibus extra Ecclesiam videri non possint Divina Officia, ideoque perforatæ esse non debent *arg. Clem. h. tit.* ubi arguuntur Religiosi, quòd in portis Ecclesiarum tempore interdicti fecerint foramina. 3. ne pulsentur campanæ ad Missam, & divina Officia; nam cùm populus convocandus non sit, sed potiùs à Divinis arcendus, non erat expediens signo usitato ad illius convocationem uti: quod adeò verum est, ut nec usus illius tintinnabuli parvi ad *Sanctus*, & elevationem Hostiæ liceat. Pulsari tamen campanæ possunt ad ea, quæ non sunt Officia divina, e. g. ad convocandum populum pro Concione, ad Salutationem Angelicam, ostensionem Reliquiarum, delationem Eucharistiæ, illiusque comitatum. Sylv. *V. interdictum* 5. *n.* 7. Covar. *p.* 2. §. 4. *n.* 5. Suar. *D.* 34. *sect.* 2. *n.* 19. Pal. *p.* 4. §. 2. *n.* 14. Vviest. *n.* 139. 4. ut Excommunicati, & interdicti excludantur, intellige, denuntiati; quia hos tantùm tenemur vitare *Extrav. ad evitanda sæpius cit.* Quodsi interdictus nollet exire post monitionem, & expelli non posset, cessandum erit è celebratione, sicut suprà dictum est de Excommunicato. Hoc autem intelligendum est tantùm, quando celebratio Missæ fit in loco interdicto; nam si fiat in loco non interdicto, & interdictus nolit exire, non tenetur Sacerdos desistere à celebratione Missæ: & ratio est, quia Jura probibentia celebrationem coram interdicto loquuntur de loco interdicto, in quo non permittunt celebrari divina, nisi interdictis, & Excommunicatis exclusis. Suar. *l. c. n.* 10. Pal. *n.* 15. 5. ut ad divina in loco interdicto ex privilegio hoc celebranda non admittantur Laici; quia privilegium concessum est tantùm Clericis: quorum tamen nomine veniunt omnes personæ Ecclesiasticæ, quæ privilegio Canonis, & fori gaudent, & probabiliter etiam Clerici conjugati, neque excludi Clerici exteri debent. Pal. *n.* 3. & alii ab hoc *citt.* Sunt tamen aliqui casus, in quibus etiam tempore interdicti Laici non interdicti admitti ad divina possunt, ut cum Laico confertur prima Tonsura, aut Virgo Monialis benedicenda est; quia licèt hæ actiones incipiant à persona Laica, finiuntur tamen in Ecclesiastica. Item ex necessitate Sacrificii, cùm Sacerdos Ministro ad aram indiget, nec Clericum habet. Et denique per consequentiam ad privilegium, ut cùm Dominus, qui tempore interdicti Divinis potest assistere, secum ducit comitatum famulorum. Palao §. 2. *n.* 16. 366

Circa Privilegium *n. præc.* explicatum duplex occurrit 367 diffi-

difficultas ulterius explicanda. 1. quidnam veniat nomine Ecclesiæ, & Monasterii, quibus per *c. alma* tempore interdicti conceditur celebratio divinorum? 2. in quonam interdicto locum habeat hoc Privilegium? *Ad* 1. nomine Ecclesiæ hic veniunt etiam Hospitalia authoritate Episcopi erecta, & nomine Monasterii tam virorum, quàm fœminarum Conventus: quia cùm hoc sit Privilegium, & Corpori Juris communis insertum, latè interpretandum est. Covar. *in c. alma p. 2. §. 4. n. 2.* Sanch. *l. 7. de matr. D. 8. n. 13. fin.* Sayr. *l. 5. c. 5. n. 21.* Palao §. 2. *n.* 5. Probabilius autem excluduntur Oratoria privata, & alia loca, quæ communiter nomine Ecclesiæ, vel Monasterii non veniunt. Calder. *tr. de Interd. membr. 6.* Franc. *in c. alma §. adjicimus n.* 1. Covar. §. 4. *cit. n.* 1. Sanch. *n.* 13. Palao *n.* 7. contra *Navar. Ugolin. Henriq.* & plures alios probabiliter asserentes contrarium. *Ratio est*, quia prohibitio divinorum Officiorum, vi interdicti facta, servanda est, nisi in casibus Jure expressis *c. si sententia 16. h. tit. in 6.* at solùm invenitur excepta celebratio in Ecclesiis, & Monasteriis. ergo extra Ecclesias, & Monasteria prohibitio servanda est. *Conf.* finis cur Pontifex Officia Divina fieri permittat in Ecclesiis, est, ne populi devotio tepescat, pullulent Hæreses, & Ecclesiæ debitis obsequiis priventur. atqui hic finis non procedit in Oratoriis privatis, & aliis locis; etsi enim in illis non peragantur divina, nullum simile est periculum. ergo &c.

368 *Ad* 2. Concessio hæc *c. alma* solum intelligenda est de Interdicto locali generali, non speciali; quia textus in principio fecit sermonem de locis interdicto subjectis, & dispositio Legis ex illius principio interpretationem sumit. *Conf.* quia privilegium in *c. alma cit.* datum, est extensio privilegii antea dati Episcopis per *c. quod nonnullis 25. de Privil.* nam iisdem prope verbis conceptum est. atqui privilegium Episcoporum expressè loquitur de interdicto generali loci, neque ad speciale extenditur, ut patet ex textu ibi *Cùm nomine terræ interdictum fuerit.* ergo &c. Unde quando fuerit Interdictum locale speciale, id solùm licebit, quod licitum fuit Jure antiquo per *c. permittimus 47. h. tit.* scilicet, ut semel tantùm in hebdomada legi Missa possit ad renovandam Eucharistiam pro infirmis. Quod interdictum sit generale personale populi, nihil impedit quotidie celebrari in Ecclesiis Divina, modò serventur conditiones *n.* 366. relatæ: & ratio est, quia ex vi hujus interdicti non sunt interdictæ Ecclesiæ, neque Clerici, ut dictum est *supra n.* 338.

369 Dub. 3. quomodo interdictum privet Sepultura Ecclesiastica? Resp. distinguendo inter species interdicti; nam 1. Si interdictum est generale loci, ejus durantis tempore sepeliri fideles prohibentur *c. quod in te 11. de Pœn. & remiss.* Et extenditur prohitio hæc non solum ad adultos, sed etiam ad infantes; quia prohibitio ista viventes respicit, quos obligat, ne fidelibus concedant Sepulturam Ecclesiasticam Navar. *Man. c. 27. n. 168.* Henriq. *l. 13. c. 42. n. 3. & c. 49. n. 2.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 4. c. 2. nu. 3.* Bonac. *D. 1. p. 5. n. 9.* Palao *tr. 29. D. 5. p. 4. §. 3. nu. 1.* Pirhing *hic n. 241. not. 3.* Vviestner *n.* 140. Reiffenstuel *n.* 212. la Croix *tom. 8. l. 7. n.* 421. Interdicto tamen sublato, corpora tumulatorum in loco profano exhumanda, & ad Sacrum locum transferenda sunt. Engl *n.* 97. Reiffenst. *n.* 214. cum aliis *citt.*

370 *Excipiuntur* 1. Clerici, quibus decedentibus conceditur Sepultura Ecclesiastica *c. quod in te cit.* modò Interdicto speciali personali non sint ligati, vel causam culpabilem interdicto dederint. Suar. *D. 35. sect. 1. n. 4.* Palao §. 3. *cit. n.* 2. Pirhing *n. 241. not.* 3. Vviestn. *n.* 140. Magnif. P. Schmier *p. 1. de Delict. c. 3. n.* 253. Intelliguntur nomine Clericorum omnes personæ Ecclesiasticæ, sive Sæculares, sive Regulares, viri, & fœminæ, etiam Religionum Novitii: imò & conjugati, si habitum, & tonsuram deferant, & ab Episcopo designati sint alicui Ecclesiæ in illius Ecclesiasticum obsequium. Palao *l. c.* Pirh. *n.* 229. In usu tamen privilegii istius observandæ sunt conditiones *c. quod in te cit.* præscriptæ. 1. ut Sepultura detur his Clericis in Cœmeterio Ecclesiæ: per quam conditionem videtur excludi Ecclesia, quæ nomine Cœmeterii non venit; nam concesso accessorio, non conceditur principale, imò tacitè denegatur. Hodie tamen usus obtinuit, ut nomine Cœmeterii comprehendatur quilibet locus Sacer, sepulturæ fidelium destinatus. Palao *n.* 3. & hoc teste communis. 2. ut fiat sine compulsatione campanarum: quæ conditio explicanda est juxta dicta *n.* 366. 3. ut non fiat cum solemnitate, Ecclesiastica scilicet; nam quæ pertinent ad humanum honorem, non prohibentur. 4. ut fiat cum silentio, hoc est, absque Officiis Divinis more Ecclesiastico dicendis. Vviest. *n.* 141.

Excipiunt aliqui 2. Festivitates *n. 366. cit.* relatas, ubi putant, quorumlibet defunctorum corpora sepeliri publicè, & ritu solemni posse. Fundantur 1. quia, quibus communicamus vivis, defunctis communicare possumus *can. sanè 1. caus. 22. q. 2.* sed in his Festivitatibus licitè Clerici cum omnibus fidelibus in Officiis Divinis communicant. ergo etiam cum illis jam defunctis communicare poterunt. 2. Sepultura Sacra non tam ratione sui, quàm ob Divina Officia ei adjuncta prohibetur. ergo concessis Divinis Officiis, Sepultura etiam concedi censebitur. 3. *c. alma cit.* est favorabile, & nemini nocivum, estque Corporis Juris communis insertum. ergo est amplè interpretandum, ut comprehendat non solum Officium Divinum, quod pro vivis peragitur, sed etiam quod peragitur pro Defunctis. 371

Hæc Sententia etsi sit valde probabilis; probabilior tamen est negativa, quam tenet Gloss. *in Clem. 1. V. à Jure de Sepult.* Covar. *in c. alma p. 2. §. 5. n. 6.* Suar. *D. 35. sect. 1. n. 13.* Coninck *D. 17. dub. 2. n.* 55. Avil. *D. 4. sect. 3. dub. 3.* Fill. *tr. 18. n.* 99. Hurtad. *de Interd. diffic. 9.* Palao §. 3. *cit. n.* 5. la Croix *n.* 421. Ratio est, quia privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ est effectus distinctus à privatione Divinorum Officiorum. ergo istis concessis, non hoc ipso videtur concessa Sepultura. *Ex quo sequitur*, neque illum, qui habet privilegium assistendi Officiis Divinis, aut recipiendi Sacramenta tempore interdicti, ex vi hujus privilegii tantùm, in loco Sacro interdicto sepeliri posse. Palao *l. cit. n.* 7. qui tamen addit, si privilegium alicui concederetur sub hac generalitate, ut ad Divina admitteretur, talem posse ex vi illius Ecclesiasticæ Sepulturæ tradi; quia ex illa generali concessione videntur omnes effectus interdicti suspendi. 372

Neque obstant Argumenta allata in contrarium. *Ad* 1. Axioma illud procedit, ut in ea re, in qua communicamus vivis, etiam communicare defunctis possimus, non autem in diversa: unde cùm non communicemus vivis in Ecclesiastica Sepultura, sed solum in Officiis Divinis, infertur solùm in Officiis Divinis cum defunctis communicare nos posse. *Ad* 2. negatur, Ecclesiasticam Sepulturam prohiberi ratione Divinorum Officiorum tantùm, siquidem verè ratione sui prohibetur. *Ad* 3. *c. alma* est latè interpretandum, sed non ultra verborum proprietatem: unde cùm privilegium illud solùm sit de Divinis Officiis, efficitur sola Divina Officia, non verò Ecclesiasticam Sepulturam permitti. 373

2. Si Interdictum sit Locale speciale, nemini dubium est Ecclesiasticam Sepulturam prohiberi. Solum est controversia, an exemptio, & privilegium Clericis concessum; & *n.* 370. explicatum etiam extendatur ad interdictum Locale speciale? *Ratio dubitandi* est, quia *c. quod in te cit.* ubi Sepultura Ecclesiastica conceditur Clericis decedentibus, sermo est de interdicto generali locali. non igitur extendi concessio ista debet ad interdictum locale speciale. 374

Sed dicendum, Clericum, saltem si illiusmet Ecclesiæ sit, sepeliri in ea posse: nam esto, quòd expediens sit, ut si fieri commodè possit, sepeliatur in Ecclesia non interdicta, nulla tamen hujus est obligatio, cùm nullibi inveniatur Clericus à Sepultura loci specialiter interdicti exclusus; textus enim *c. quod in te* interdicti generalis duntaxat mentionem facit, non ut excluderet interdictum speciale, sed quia Generale frequentius est. Palao §. 3. *n.* 8. Vviestn. *n.* 141. Schmier *n.* 253. 375

Dixi, *saltem si illiusmet Ecclesiæ sit;* nam gravior est dubitatio, an in loco specialiter interdicto sepeliri alii possint? Negant *Sylv. Covar. Henriq.* quia cùm habeant Ecclesias non interdictas, in quibus sepeliri possunt, non debet Ecclesia interdicta ipsis concedi. *Sed etsi hoc* convenientius sit, probabilius tamen potest sepeliri Clericus extraneus etiam in Ecclesia interdicta non sua. Sayr. *l. 5. c. 8. n. 13.* Suar. *D. 35. sect. 2. n. 4.* Avil. *p. 5. D. 4. sect. 3. dub. 3. v. secundò*, Palao *n. 8. cit. v. si verò.* Ratio est, quia nullus textus concessam Clericis Sepulturam tempore interdicti localis restringit ad propriam Ecclesiam. 376

3. Si interdictum sit personale, iterum constat sic inter- 377

interdictum privatum esse Sepultura Ecclesiastica, sive deinde generale illud sit, sive speciale *c. Episcoporum* 8. *de Privil. in 6.* & *Clem.* 1. *de Sepult.* Et idem est, si causam culpabilem interdicto dederit; quia his habetur ut personaliter interdictus. Neque in hac parte alicui etiam Clerico favor ullus conceditur. Palao *l. cit. n.* 10. Debet tamen esse denuntiatus; nam post *Extrav. ad evitanda* nemini neganda est Sepultura Ecclesiastica ex vi alicujus Censuræ, vel Sententiæ, nisi prius fuerit ea persona, vel sententia denuntiata, ut colligitur ex ipsa *Extrav. c. Episcoporum cit.* & *c. ut privilegia* 24. *de Privil.* Navar. *c.* 27. *n.* 187. Suar. *D.* 33. *sect.* 3. *à n.* 2. Palao *nu.* 10. *cit.* Pirhing *n.* 242. Wiestner *n.* 141. *fin.*

378 Nominatim denuntiatus interdictus, si decedat absque absolutione, & nullum pœnitentiæ signum dederit, aut talis signi ab ipso dati probabilis nulla sit opinio, extra locum Sacrum sepeliendus est. At si constet tale signum dedisse, poterit, præstita indirecta absolutione ab Interdicto, Ecclesiasticæ Sepulturæ tradi. Sayr. *l.* 5. *c.* 8. *n.* 22. Avil. *p.* 3. *D.* 4. *sect.* 3. *dub.* 1. *fin.* Palao *l. cit. n.* 11. la Croix *tom.* 8. *l.* 7. *n.* 421. *fin.*

379 Dub. 4. quomodo Interdictum privet Ingressu Ecclesiæ? Ut interdictum post se trahat hunc effectum, requiritur specialis Sententia; quia non est annexus interdicto absolutè, sed est quasi novum interdictum. Palao *tr.* 29. *D.* 5. *p.* 4. §. 4. *n.* 1. Nomine *Ecclesiæ* autem hic venit quodlibet templum authoritate Episcopi deputatum ad Sacra peragenda *c. Ecclesiæ* 9. *de Immun. Eccl.* Privatus ergo ab ingressu Ecclesiæ non potest Ordinem Sacrum exercere in Ecclesia, neque ibi Officia Divina audire: bene tamen hoc potest in Oratorio privato, aut agro, nisi simul sit simpliciter interdictus; quia non est privatio absoluta, sed limitata, scilicet in loco illo. Sylv. *V. interdictum* 6. *q.* 5. & *V. Suspensio n.* 5. Navar. *Man. c.* 27. *n.* 175. Covar. *in c. alma p.* 2. §. 1. *n.* 3. Suar. *D.* 35. *sect.* 4. *n.* 6. Avil. *p.* 5. *D.* 4. *sect.* 3. *dub.* 5. *concl.* 4. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 4. Palao §. 4. *cit. n.* 2. Circa hoc interdictum Partiale.

380 *Difficultas* 1. est, an in Cœmeterio possit sic interdictus Divina celebrare, vel audire? *Ratio dubitandi est*, quia Sepultura in Cœmeterio sic interdicto prohibetur, ergo etiam censenda est prohibita celebratio, & auditio Divinorum. *Conf.* nam Cœmeterium contiguum Ecclesiæ, tanquam accessorium Ecclesiæ, sub Ecclesia videtur comprehensum: & hinc interdicta Ecclesia, etiam ipsum interdicitur *c. si civitas* 17. *h. tit. in* 6.

381 Sed dicendum, posse sic interdictum in Cœmeterio Divina celebrare, & audire, non tamen sepeliri. Covar. §. 1. *cit. n.* 3. Suar. *n.* 12. *& seqq.* Palao *n.* 5. & alii ab hoc *citt.* Colligitur ex *c. is cui* 20. *h. tit. in* 6. ubi Pontifex loquens de Sepultura dixit, sic interdicto eam prohibitam esse tam in Ecclesia, quàm in Cœmeterio: cum verò de Officiis divinis loqueretur, solùm Ecclesiam expressit, subdens ibi celebrantem fieri Irregularem. ergo satis indicavit, Officia divina in Cœmeterio non esse illi prohibita.

382 Ad Rationem dubitandi *Neg. Conf.* nam accessorium sequitur principale in favorabilibus, non autem in odiosis. *Ad Conf.* interdicta Ecclesia, interdicitur etiam Cœmeterium, non quia accessorium hoc est Ecclesiæ, sed ne Interdictum eludatur, quod in præsenti non procedit, quia hoc interdictum non afficit Ecclesiam, sed personam in ordine ad Ecclesiam.

383 *Difficultas* 2. an ita interdictus Ecclesiam ingredi, & ibi preces fundere possit tempore, quo ibi divina non celebrantur? *Ratio dubitandi* sumitur ex *can. latorem* 15. *caus.* 33. *q.* 2. ubi cuidam Matricidæ prohibetur ingressus Ecclesiæ per annum integrum, & subditur, ut ante fores Ecclesiæ stans, orans, & deprecans DEUM perseveret. ergo nequit intra Ecclesiam orare, & DEUM deprecari.

384 Sed dicendum, considerata Ecclesia intentione, quam habet tum in ædificandis Ecclesiis, tum in imponendo hoc partiali interdicto, veriorem esse affirmativam. Navar. *c.* 27. *n.* 170. Sayr. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 15. & *l.* 5. *c.* 9. *n.* 22. Avil. *p.* 5. *D.* 4. *dub.* 5. *concl.* 7. Laym. *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 1. *n.* 4. *vers. per hoc.* Palao §. 4. *cit. n.* 5. Engl *hic n.* 99. Ratio est, quia templa deputata præcipuè sunt, ut ibi Sacra solemniter peragantur, & populus ad ea audienda congregetur; ergo ingrediens Ecclesiam, quando Sacra non peraguntur, non videtur illam ingredi formaliter, ac proinde nec violare præceptum impositum, ne Ecclesiam ingrediatur, utpote quod intelligi debet de ingressu Ecclesiæ formali, & secundùm suam institutionem.

Ad Rationem dubitandi in *can. cit.* non fertur interdictum, sed præceptum prohibitivum in pœnam delicti: 385
vel si contendas, ibi imponi interdictum ab ingressu Ecclesiæ verum, dicendum est, eo textu Matricidam privari oratione in templo cum aliis, quando divina celebrantur: quod indicat textus ipse, quia post primum annum Matricida iste jubetur duobus sequentibus stare, & orare in Ecclesia inter audientes. signum igitur est, tantùm loqui de tempore, quo Divina fiunt.

Difficultas 3. an ex vi hujus interdicti sic interdictus 386
ab ingressu Ecclesiæ prohibeatur etiam à recipiendis in Ecclesia Sacramentis? *Ratio dubitandi* sumitur ex argumento *n.* 384. allato; nam ideo sic interdictus prohibetur Ecclesiam ingredi, quando celebrantur divina, quia Ecclesia ad id est præcipuè deputata. atqui etiam deputata est ad receptionem Sacramentorum. ergo etiam hæc censetur esse prohibita. *Conf.* receptio Sacramentorum est aliquid nobilius, quàm Divinorum Officiorum assistentia. ergo à fortiori excludendus est à Sacramentorum receptione.

Sed etsi hæc Sententia sit satis probabilis, probabilior 387
tamen, spectato Juris rigore, videtur negativa, quam etiam tenent Henriq. *l.* 13. *c.* 32. *nu.* 2. Avil. *p.* 5. *D.* 4. *dub.* 5. *concl.* 6. Bonac. *D.* 5. *de Interd. p.* 5. *n.* 12. Palao §. 4. *cit. n.* 7. Ratio est, quia pœnæ non sunt extendendæ absque manifesto textu, vel ratione. atqui nullus est textus, ex quo colligatur huic partiali interdicto prohibitam esse Sacramentorum receptionem: imò ex *c. sacro* 48. *h. tit.* & *c. is cui* 20. *eod. &c.* non leviter infertur, eam concessam esse, cùm ibi solùm dicatur huic interdicto prohibita Divinorum celebratio, & auditio cum Ecclesiastica Sepultura. igitur cùm mentionem non faciant de Sacramentorum receptione, hæc intelligetur permissa.

Neque obstat ratio dubitandi in contrarium; respondeo enim, quamvis Ecclesia deputata sit etiam ad Sacramenta ibi percipienda, non tamen vi interdicti hujus partialis sic interdicto prohiberi omnia, ad quæ Ecclesia deputatur, sed illa tantùm, quæ ex aliquo textu colliguntur. *Ad Conf.* licèt Sacramentorum receptio sit excellentior, quàm assistentia Divinorum, non tamen inde probatur, etiam ipsam prohibitam esse, sed solùm, quòd prohiberi potuerit. 388

Quæritur 4. quid requiratur, ut obliget interdictum? 389
Resp. ut liget interdictum, duo requiruntur. 1. ut interdictum denuntiatum sit; aliàs post *Extrav. ad evitanda* nec interdictum locale observare, nec personaliter interdictum vitare tenemur, esto, ipse personaliter interdictus abstinere à Divinis debeat, cùm primùm censura ista ligatur; quia ipsi, sicut excommunicatis, per *Extrav. cit.* nullus factus est favor. 2. ut passim observetur interdictum locale ab iis, in quorum gratiam appositum est; aliàs si ipsi interdictum non observent, censetur Ecclesia illud remittere *c. petistis* 20. *de Privil.*

Dub. 1. quomodo peccet Clericus violans interdictum? 390
Resp. omnes conveniunt peccare mortaliter violando interdictum locale, vel personale ministrando Sacramentum, vel recipiendo; quia contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi delinquit. Palao *tr.* 29. *D.* 5. *p.* 5. *nu.* 1. Quoad Officia Divina in loco interdicto dubitat Cajet. *V. Interdicti violatio.* Sed reliqui omnes constanter affirmant, ex se, & ex genere suo esse peccatum mortale, nisi ex ignorantia, vel materiæ levitate excusetur. Talis materia levis esset, si interdictus assisteret parti Officii Divini arbitrio prudentis non notabili Palao *l. cit. n.* 2. qui *n.* 3. addit, Exercitio minorum Ordinum vix unquam à Clericis peccari mortaliter; quia horum Ordinum ministeria non exercentur à Clericis tanquam propria Ordinis, sed qualiter ab aliis Laicis exerceri solent.

Dub. 2. quomodo peccent Laici violantes Interdictum? 391
Resp. si personaliter interdicti Sacramentum aliquod sibi prohibitum recipiant, sine dubio peccant mortaliter; quia directè ab eorum receptione vi personalis interdicti excluduntur, & cùm materia gravis sit, non est, unde à peccato mortali excusentur. Idem est, si in loco interdicto illud recipiant; quia hoc ipso, quòd Sacerdotibus prohibita sit talis Sacramenti ministratio, conf. Laicis prohibita est ejus receptio.

Ratione assistentiæ in Divinis *Clem. gravis* 2. *h. tit.* 392
quatuor referuntur casus, in quibus omnium sententia Laici violantes, vel violare facientes interdictum peccant mor-

mortaliter, 1. si compellant Clericum loco interdicto publicè, & solemniter celebrare, 2. si pulsatis campanis, vel publico præconio præsumant convocare populum ad audienda Divina in loco interdicto, 3. si præsumant impedire, ne excommunicati, vel interdicti nominatim exeant ex loco Sacro, quando sunt à Clero admoniti, 4. si ipsimet moniti recusent exire.

393 His addi solent quatuor alii, 1. si violenter se Divinis ingerant; quia gravem injuriam irrogant Ecclesiæ, & ejus Ministris, 2. si dolo, & fraude fingentes se Clericos esse, vel privilegium habere, Divinis assistant; quia decipiunt Ministros Ecclesiæ in re gravi, 3. si more Ecclesiasticorum Divina Officia solemniter peragant; quia Ordinis usum usurpant, & gravem injuriam Ordini Clericali irrogant, 4. si personaliter sint interdicti, & Divinis assistant, à quibus vi interdicti per se, & directè excluduntur. Et hoc verum est probabilius, etsi nullus contemptus, vis, aut fraus interveniat; quia assistentia Divinis Officiis materia gravis est, ad quam si ex Voto quis obligaretur, non est dubium, mortaliter in illius transgressione peccaturum; cum ergo ex vi interdicti hæc assistentia sit prohibita Laicis, efficitur ipsos transgredientes hanc Legem graviter peccaturos. Suarez *D.* 34. *sect.* 5. *n.* 4. Filliuc. *tr.* 18. *n.* 54. *&* 81. Coninck *D.* 17. *dub.* 3. *n.* 64. *&* 67 Bonacina *D.* 5. *de interdict. p.* 7. *n.* 1. Palao *tract.* 29. *D.* 5. *part.* 5. *num.* 7.

394 Dub. 3. quæ sit pœna violantium interdictum? Laicis violantibus interdictum nulla certa pœna ipso Jure posita est, præter quatuor casus ex *Clem. gravis* relatos *num.* 392. his enim casibus incurrunt excommunicationem reservatam Pontifici, ut constat ex *Clem. cit.* Dubium ergo solum procedit de Clericis; circa hos statutum est 1. ut si personaliter, vel generaliter interdicti, vel in loco interdicto celebrent, vel alium actum Ordini Sacro annexum exerceant, Irregularitatem ipso facto incurrant *cap. cum æterni* 1. *de Sent. & re jud. cap. cum medicinalis* 1. *cap. is qui* 18. §. *is verò, & cap. is cui* 20. *hoc tit. in* 6. Mitiùs agitur cum non interdicto, si in loco non interdicto celebret, & ad Divina Sacramenta, & Sepulturam admittat interdictos; nam hic ab ingressu Ecclesiæ arcetur, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, satisfaciat competenter *cap. Episcoporum* 8. *de Privil. in* 6. Irregularitatem tamen non incurrit; quia nullibi constet, hanc pœnam ob delictum istud esse impositam. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 34. Suarez *D.* 34. *sect.* 3. *num.* 8. Palao *D.* 5. *part.* 6. *num.* 2.

395 2 Juxta complures DD. teste Palao *loc. cit. num.* 4, violatores interdicti Localis suspensi sunt ab Officio, & Beneficio, cons. à Jurisdictione, quod colligunt *c. fin. de excess. Prælat.* ubi Sententia temere violantis interdictum, & omnia illius acta irrita declarantur. Verùm quia Sententia, & acta illa notoriè iniqua, & ejus Episcopi fuerunt, qui non solùm interdictus ipse erat, sed insuper ad interdicti Apostolici violationem alios inducere, imò compellere maxima temeritate præsumebat, ex ejus actorum irritatione non infertur legitimè quòd Jure lata sit Suspensio in quoscunque interdicti violatores. Quare meliùs dicitur, eos ab Officio, ac beneficio suspendendos; quod colligitur ex *cap. cit.* dispositione altera, quæ alios interdicti violatores spectat, & in eos hanc pœnam decernit. Bonacina *D.* 5. *de Interdict. part.* 7. *nu.* 4. Gonzalez *in c. cit. num.* 2. Vviestner *hic n.* 143. *&* 144. la Croix *tom.* 8. *lib.* 7. *num.* 422.

396 3 Iidem Clerici interdicti violatores non gaudent privilegio, vi cujus in loco Sacro sepeliri possunt tempore Interdicti per textum *c. is cui cit.* & argumento à contrario *c. quod in te* 11. *de Pœnit. & remiss.* Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 3. *n.* 3. Vviestner *n.* 144.

4 Clericus, vel Religiosus, etiam Monialis, violans interdictum Locale redditur inhabilis ad electionem tam activam, quàm passivam *c. is, qui* § *is verò cit.* Glossa *ibid. V. ineligibilis*; Sylv. *V. Interdictum* 6. *n.* 2. Suarez *sect.* 4. *num.* 16. Palao *num.* 3. Vviestner *num.* 144. Reiffenstuel *num.* 220. Extenditur pœna hæc à plerisque DD. etiam ad violatores interdicti personalis.

5 Religiosi, qui interdictum generale loci, quod ab Ecclesia Matrice observatur, in suis Ecclesiis non observaverint vel celebrando, vel admittendo alios ad Divina Officia, ultra prædictas pœnas excommunicationem incurrunt. Navar. *c.* 27. *n.* 146. Sylv. *loc. cit. n.* 3. Suarez *n.* 18. Layman *n.* 3. Palao *n.* 5. Vviestner *n.* 144. *fin.* Reiffenstuel *n.* 218. la Croix *n.* 422.

Qui verò violant interdictum admittendo aliquem ad Sepulturam Ecclesiasticam in loco interdicto, vel interdictum in loco non interdicto, extra casus Jure permissos, incurrunt excommunicationem majorem. *Clem.* 1. *de Sepult.* Requiritur tamen, ut interdictus sit denuntiatus. Estque hæc eadem excommunicatio, quæ lata est adversùs sepelientes excommunicatos in loco sacro; cum hoc tamen discrimine, quòd interdictus sic sepultus non sit exhumandus, nisi fortè impœnitentem constiterit decessisse. Suarez *D.* 35. *sect.* 1. *nu.* 20. Sayr. *l.* 5. *c.* 8. *n.* 22. Palao *p.* 6. *cit. n.* 8. 397

Quæritur 5. quomodo interdictum cesset? Resp. distinguendo inter interdicta, & modum, quo latum illud est. Nam si pro certo tempore, vel sub conditione aliqua appositum est, eo tempore finito, vel conditione posita, cessat, absque alia absolutione. Gloss. *in cap. non est vobis* 11. *V. donec de Sponsal.* Abb. *ibid. num.* 7. Sylv. *V. Interdictum* 3. *num.* 13. Covar. *in cap. alma p.* 1. §. 11. *numer.* 8. Sayr. *lib.* 5. *Thesaur. cap.* 15. *num.* 2. Suar. *D.* 38. *sect.* 1. *n.* 3. Coninck *D.* 17. *dub.* 6. *concl.* 1. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 5. *num.* 1. Palao *tract.* 29. *D.* 5. *part.* 7. §. 2. *num.* 1. Pithing *hic num.* 252. Vviestner *ibidem num.* 146. Ante finitum tempus vel conditionem positam absolutione, vel dispensatione indiget, quàm præstare nemo alius potest, præter illum, qui interdictum tulit, vel ejus Superior, Palao *num.* 2. cum allegatis. Idem dicendum de interdicto lato in puram pœnam; quia est sententia Judicis, quam inferior mutare nequit. Suar. *D.* 38. *citat. sect.* 2. *num.* 2. Palao *num.* 2. *citat.* Ex facultate autem, per Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* concessa poterit ab hoc personali interdicto absolvere Episcopus, si delictum, ob cujus causam appositum est, occultum fuerit. Henriq. *l.* 13. *c.* 35. *num.* 2. Avil. *part.* 5. *D.* 6. *dub.* 6. *concl.* 1. *fin.* Palao *numer.* 2. *citat.* 398

Quodsi interdictum latum sit absolutè, interest an sit locale, vel personale. Si *locale* est, ut si latum sit in Ecclesiam, illa destructa, cessat, nisi tamen locus Ecclesiæ interdictus sit; tunc enim interdictum manebit affixum solo, seu pavimento. Suar. *D.* 38. *citat. sect.* 1. *num.* 13. Bonac. *D.* 5. *de interdict. p. ult. num.* 2. Laym. *cap.* 5. *cit. num.* 4. Palao *nu.* 3. Vviestner *num.* 147. la Croix *tom.* 8. *lib.* 7. *num.* 412. *Si personale* est in Communitatem latum, cessat, extincta Communitate, quæ interdicta est: quod verum est, etiamsi aliquis ex ipsa Communitate subsistat; quia interdictum Communitatis ligat personas privatas, quatenus pars Communitatis illius sunt. *Excipitur*, nisi persona, quæ sublata communitate subsistit, interdicto causam dederit; nam hujus interdictum non solum commune est, sed speciale personale. *Suar. Pal. Vviest. loc. citt.* 399

Quodlibet autem Interdictum cessare potest absolutione, vel dispensatione facta ab eo, qui potestatem ad istud habet. Et quidem si Interdictum sit *Locale*, sive generale, sive speciale, non reservatum, relaxare illud nullus alius potest, præter eum, qui Jurisdictionem Episcopalem habet in eum locum. Pithing *nu.* 252 Vviestner *num.* 147. *v. Interdictum*, la Croix *num.* 424. Idem dicendum de interdicto *personali Generali*; quia ab hoc absolvere tantum potest, qui habet Jurisdictionem in illam Communitatem; aliàs enervari posset efficacia interdicti, & concessa facultate singulis, interdictum cessare contra voluntatem imponentis. Et hoc verum est, ut etiam Religiosi ex privilegio, ipsis concesso in ordine ad absolutionem à censuris, Interdictum locale, aut personale generale tollere nequeant; quia absolvere tantùm possunt in Sacramento pœnitentiæ, cui nec locus, nec communitas subjiciuntur. la Croix *loc. cit.* 400

Si interdictum sit personale *Speciale*, interest, an reservatum illud sit, vel non. *Si primum*, absolvere ab illo nullus alius potest, præter ipsum, cui est facta reservatio, vel illius Superior. *Si secundum*, relaxare illud potest Episcopus, & Religiosi habentes privilegium absolvendi à censuris; & probabiliter etiam Parochus, vel alius proprius Sacerdos; quia etiam ab excommunicatione non reservata potest absolvere, 401

Suarez *D.* 38. *sect.* 8. *num.* 9. Coninck *D.* 17. *dub.* 6. *num.* 77. Filliuc. *tract.* 5. *part.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. Bonacina *D.* 5. *p. ult. nu.* 6. Palao *loc. cit. num.* 7. Pirhing *n.* 252. Vviestner *num.* 147. la Croix *n.* 424.

§. VI.

De Cessatione à Divinis.

SUMMARIUM.

402 ANnexa est interdicto *Cessatio à Divinis*, eique ex parte similis: alio nomine *Suspensio Organorum Ecclesiastica*, sive *laudis Divinæ* vocatur. Definitur, quòd *sit prohibitio Ecclesiastica Clericis imposita abstinendi ab Officiis divinis in aliquo loco.* Navar. *Man. c.* 27 *n.* 188. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 1. Palao *tr.* 29. *D.* 5. *p.* 9. § 1. *n.* 1. Pirhing *n.* 262. *hic*. Hæc prohibitio, etsi ob culpam gravissimam alicujus apponatur, non tamen censura est; quia non magis nocentes, quàm innocentes afficit: sed est quædam Divinorum Officiorum negatio, quam Ecclesia Clericis sub præcepto injungit in signum doloris, & tristitiæ conceptæ ob gravissimam injuriam sibi, & honori divino illatam, & in illius reparationem, ut hac ratione delinquens cogatur desistere ab injuria, & exhibere satisfactionem. Sylv. *V. Interdictum* 1. *num.* 1. Navar. *cap.* 27. *cit. num.* 188. Suarez *D.* 39. *sect.* 1. *n.* 3. Layman *n.* 1. *cit.* Palao *n.* 1. *cit.* Pirhing *num.* 262. Konig *num.* 52. Vviestner *num.* 121. & colligitur ex *c. quamvis* 8. *de offic. ordin. in* 6. *Clem.* 1. *pr. v. in cessationibus hoc tit.*

403 Differt ab interdicto 1. quia non est censura, cùm non in pœnam alicujus delicti, sed ad significandam Ecclesiæ tristitiam indicatur, prout dictum est *num. præc.* 2. quia non à Jure, sed semper ab homine imponitur, & immediatè afficit locum, personas autem solum mediatè, & nunquam determinatè, contrà quàm interdictum; hoc enim semper afficit unam, vel plures determinatas personas, saltem eam, cujus gratia latum est, 3. quia violans cessationem à Divinis indictam, licèt graviter peccet, non tamen incurrit Irregularitatem, cui tamen obnoxius est temerarius violator interdicti. Vviestner *nu.* 121.

404 Duplex autem est cessatio, alia *Generalis*, quæ respicit Provinciam, Civitatem, Castrum, Villam &c. altera *Specialis*, quæ determinato loco apposita est, scilicet Ecclesiæ, Cœmeterio, Oratorio &c.

405 Quæritur 1. quos effectus habeat cessatio à Divinis? Resp. triplex communiter eidem tribuitur, nempe privatio divinorum Officiorum, Sacramentorum, & Ecclesiasticæ Sepulturæ *c. non est vobis* 11. *de Sponsal.*

406 Dub. 2. an omnes hi effectus cuilibet cessationi annexi sint, vel utrum à Judice Ecclesiastico limitari cessatio possit ad unum solùm, vel duos effectus? Non est dubium de Pontifice. De reliquis controvertunt DD. Affirmant partialem à quolibet Ecclesiastico Judice imponi posse Suarez *D.* 39. *sect.* 2. *num.* 15. *& sect.* 4. *num.* 4. & Filliuc. *tr.* 18. *c.* 9. *n.* 172 *&* 187. ex ratione; quia potestas nullibi videtur restricta Judicibus inferioribus Pontifice. Negat Palao *tract.* 29. *D.* 5. *part.* 9. § 2. *num.* 3. Rationem dat, quia hi effectus annexi sunt cessationi ex Jure communi per *cap. non est vobis cit.* ibi, *Nulla divina Officia - - - celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari.* Jus commune autem mutare inferior nequit.

Dub. 2. an privilegium concessum in *cap. alma hoc tit. in* 6. ut scilicet Clerici Officia divina in loco interdicto celebrare submissa voce, januis clausis, & non pulsatis campanis possint, extendatur etiam ad cessationem à divinis? *Ratio dubitandi* est, quia cessatio hæc, spectato Jure antiquo, sub interdicto continebatur. Accedit, quia rationes, quibus motus fuit Pontifex, ad concedendum, ut tempore interdicti generalis cum dicta moderatione divina celebrarentur, scilicet ne fidelium devotio tepesceret, ne Hæreses pullularent &c. procedunt etiam in cessatione à divinis; ergo privilegium Interdicto concessum ad cessationem extendi debet. 407

Sed standum est pro negativa quam etiam defendunt Navar *cap.* 27. *num.* 188. Suarez *dist.* 30. *sect.* 2. *num.* 21. Avil. *part.* 6. *disp.* 1. *dub.* 3. Palao *part.* 9. *cit.* § 2. *num.* 6. Vviestner *hic num.* 121. 1. quia Cessatio à Divinis sub interdicto non comprehenditur, sed ab ipso distinguitur, ut ostensum est *num.* 403. à diversis autem illegitima est illatio *leg. inter* 83. § *sacram.* 5. ibi, *Sed hæc dissimilia sunt ff. de V. O.* ergo &c. 2. si liceret Canonicis Horas Canonicas tempore cessationis generalis publicè dicere, sicut licèt tempore Interdicti, possent, & deberent eas in Choro dicere, nec privari possent distributionibus, sed necessariò eas lucrarentur; quo posito, non obligaretur illas iisdem solvere, qui causam Cessationi dedit, sicut defacto obligatur *cap. si Canonici* 2. *Vers. si autem de Offic. Ordin. in* 6. 3. non est eadem ratio in Cessatione, quæ in interdicto; nam Cessatio à divinis rarissimè, & ob urgentissimam causam imponitur & tentatis aliis pluribus mediis, & semper imponitur ob contumaciam alicujus infringendam; secus contingit in interdicto, 4. si limitationes, quæ in interdicto licent, licerent etiam in cessatione, cessatio non esset gravamen speciale supra interdictum; quod est contra Ecclesiæ usum. 408

Eadem est ratio, quando quis privilegium habet audiendi Divina, vel celebrandi tempore interdicti; nam vi talis privilegii non potest privilegiatus ea audire, vel celebrare tempore cessationis. Navar. *c.* 27 *num.* 189. Suarez *num.* 11. *cit.* Bonacina *dist.* 6. *part.* 1. *fin.* Palao *part.* 9. § 2. *num.* 8. Quod procedit maximè, si privilegium concessum sit singularibus personis: nam si communitati concessum sit, vel personis in dignitate constitutis, non est improbabile extendi ad cessationem: Palao *loc. cit.* 409

Possunt autem tempore cessationis celebrari Divina 1. in festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes &c. *n.* 365. enarratis; nam in his permittuntur Divina Officia non vi permissionis, sed constitutionis, & ordinationis, ut patet ex *c. alma cit.* ibi, *in illis Festivitatibus - - campanæ pulsentur, & januis apertis, & alta voce Divina officia celebrentur:* ergo adversus hanc constitutionem non potest cessatio; quæ indicitur ab inferiori Pontifice, habere vim. Suarez *sect.* 2. *cit. n.* 12 Layman *c.* 6. *cit. n.* 1. Palao *n.* 7. 2. potest celebrari Missa semel in hebdomada in qualibet Ecclesia pro renovanda Eucharistia; debet tamen unus solus Minister, vel ad summum duo tunc adesse juxta Decretum Soteris Pontificis *can. hoc quoque* 61. *de Consecr. dist.* 1. Imò ut Suarez *sect.* 2. *cit. num.* 20. notat, quolibet die fieri Sacrum potest, si necesse sit conferri Viaticum, nec adsit Eucharistia, modò istud non fiat in fraudem cessationis; ideòque in Missa, quæ semel in hebdomada permittitur, consecrandæ sunt tot formulæ, quot pro tota hebdomada necessariæ reputantur. 410

Dub. 3. an tempore cessationis Clerici horas dicere bini, & bini in Ecclesia possint? *Ratio dubitandi* sumitur ex *cap. non est vobis* 11. *de Sponsal.* ibi, *Nulla divina officia - - permittatis aliquatenus celebrari. Conf.* quia ejusmodi recitatio *cap. quod in te* 11. *de Pæn. & remiss.* conceditur tempore interdicti; igitur facultas ista ad cessationem trahenda non est. Sed verius affirmativam docent Henriq. *lib.* 13. *cap.* 53. *n.* 2. Suarez *dist.* 39 *sect.* 2. *n.* 14. Bonacina *dist.* 6. *p.* 3. *n.* 3. Layman *l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 6. *n.* 2. Palao *p.* 9. *cit.* § 2. *n.* 10. quia hæc recitatio non est publica, & solemnis, sed privata, quæ nec Interdicto, nec cessatione tollitur. Item extra Ecclesiam 411

hæc

hæc Recitatio licet; ergo etiam in Ecclesia permissa erit. Neque obstat *cap. non est cit.* quia intelligendum est de Offitio publico. Ad 1. *quod in te* dico, ibi non concedi facultatem, sed quod aliàs licitum erat, declarari.

412 Dub. 4. quæ Sacramenta ministrari, & recipi tempore Cessationis possint? Resp. etsi videatur dicendum, quòd spectato Juris rigore, solus Baptismus, & Pœnitentia morienribus, & Viaticum ministrari possit *arg. c. non est vobis cit.* ex benignitate tamen Ecclesiæ, & gravissimorum DD. authoritate ea Sacramenta ministrari, ac recipi possunt, quæ tempore interdicti possunt. Covar. *in cap. alma part.* 2. § 4. *num.* 7. Suarez *dist.* 39. *sect.* 2. *num*: 18. Layman *cap.* 6. *cit. num.* 2. *&* 3. Palao *num.* 11. Pithing *num.* 262. Igitur cessationis tempore ministrari poterit baptismus tam parvulis, quàm adultis, etiam sanis; quia hoc Sacramentum est necessarium ob vitæ periculum, 2. Confirmatio; quia est quædam baptismi perfectio, 3. Pœnitentia, etiam sanis, quia non est credibile, quòd pia mater Ecclesia velit fideles suos tam salutari, & ad justificarionem necessario remedio privare, 4. Matrimonium absque solemnitate nuptiali; quia etsi Sacramentum sit, fundatur tamen in humano Contractu. Solum igitur ministrari prohibentur Ordo, Eucharistia sanis, & extrema Unctio infirmis, cum limitationibus tamen *num.* 355. *&* 356 positis.

413 Dub. 5. an revera cessatio à Divinis privet Sepultura Ecclesiastica? *Certum est* privare, si cessatio Interdictum supponat. At si cessatio per se sumatur, valde probabile est hunc effectum non habere; quia Officii Divini, quod tempore cessationis prohibetur, nomen sepulturam in loco Sacro non comprehendit, nec ullibi cautum est, hanc sepulturæ privationem illi convenire: igitur afferenda non est: sed dicendum, cessationis tempore non solum Clericos, sed etiam Laicos in cœmeterio, & Ecclesia sepeliri posse, sine tamen Divinorum Officiorum solemnitate. Suarez *sect.* 2. *cit. n.* 31. Layman *c.* 6. *n.* 4. Palao *n.* 12. Engl *num.* 101 Pirhing *n.* 202. Vviestner *n.* 121.

414 Quæritur 2. quæ sint causæ cessationis? *Et* 1. *quidem dubitatur*? quæ sit causa efficiens, seu quis possit cessationem indicere? Resp. indici posse ab eo solo qui habet Jurisdictionem in foro externo, *ut supra* dictum est de excommunicatione suspensione, & interdicto. Covar. *in cap. alma part.* 2. § 2. *num.* 6. Suarez *D.* 36. *sect.* 3. *num.* 2. Palao *tract.* 29. *D.* 5. *part.* 9. § 3. *num.* 1. Engl *hic num.* 102. Pirhing *num.* 263. In specie indicere illam potest 1. Pontifex, 2. Episcopus, & alii Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, 3. Capitulum Sede vacante. Palao *loc. cit.*

415 Sede non vacante, capitulum indicere illam nequit, nisi hoc obtinuerit ex privilegio, vel consuetudine; & tunc non nisi cum his conditionibus, 1. ut accedat consensus Episcopi, 2. ut convocentur ad eam decernendam omnes, qui aliàs pro electione quavis vocari debent, 3. ut simul inter se conferant, an expediat cessationem imponi, qua consultatione facta, ex majori suffragiorum parte est decernenda cessatio, alias sicut electio, sic cessationis Decretum irritum erit *c. quamvis* 8. *de Offic. Ord. in* 6.

416 *Difficultas* est, an duas ultimas conditiones in ferenda cessationis sententia observare debeat etiam capitulum Sede vacante? Affirmat Avil. *part.* 6. *dist.* 2. *dub.* 2. § *circa quas conditiones*, quia textus *cap. quamvis cit.* has conditiones præscribit observandas à capitulo, seu Conventu. Sed melius distinguit Palao *nu.* 4. dicens, observari has conditiones debere à capitulo, si cessationem per seipsum indicat; non verò, si per Vicarium à se electum vi Trid. *sess.* 24. *cap.* 16 *de reform.*

417 Dub. 2. ob quale Delictum & qua forma ferri possit cessatio? Resp. 1. Delictum hoc debet esse ejus qualitatis, ut adæquet damna ex cessatione provenientia, quæ cum gravissima sint, gravissimum delictum exigunt, 2. Delictum istud debet esse notorium, & manifestum notorietate facti, ut ejus scandalo possit cessatione occurri, 3. causa, propter quam imponitur, exprimi debet Instrumento publico per Tabellionem, seu aliis patentibus Litteris, sigillo authentico munitis, quæ debent tradi ei, contra quem cessatio indicitur, 4. debet prius delinquens moneri, an satisfactionem, & emendationem præstare velit; quia non indicitur, nisi in contumaciam.

Ex defectu cujuscunque conditionis ex enumeratis 418 invalida est cessationis indictio. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 18. *nu.* 16. Avil. *part.* 6. *D.* 2. *dub.* 2. § *circa* juncto § *secundo notandum*, Suarez *D.* 39. *sect.* 3. *num.* 13. Coninck *D.* 17. *dub.* 7. *n.* 90. Palao *part.* 9. *cit.* § 3. *num.* 3. sumitur ex *cap. quamvis cit. fin.* ubi dicitur: *Parte cessante, & supra scripta* (nempe quæ in illo *cap.* continentur, & quæ lata erant *cap. si Canonici* 2. *eod. & cap. irrefragabili* 13. *de Offic. Ord.* & quæ in *cap. quamvis cit.* renovantur) *non servante, non servetur cessatio*; si igitur non servanda est, conditionibus illis in ejus impositione non servatis; ergo conditiones illæ ad valorem cessationis necessariæ sunt.

Ex quo sequitur, si capitulum, his conditionibus o- 419 missis, indicat cessationem, ipsum non lucrari proventus, & Distributiones, quæ alias conceduntur propter interessentiam in Divinis; ideòque omnes proventus, & emolumenta, eo tempore percepta restituere debet, & insuper parti, contra quam cessationem indixit, resarcire damna. Proceditque hoc, ut notat Palao *num.* 7. etiamsi adesset causa legitima imponendi cessationem. Idem dicendum de Prælato, nulliter imponente cessationem; debet enim hic restituere canonicis ea, quæ ob cessationem impositam amiserunt, & aliis Clericis stipendia, quæ ex Missis, & aliis Officiis Divinis acquisivissent, & insuper reparare damna alia, quæ pars adversùs quam cessatur, sustinet.

Si justè, & validè sit imposita cessatio, is, qui cau- 420 sam dedit, reparare debet omnia damna, quæ innocentibus personis inde proveniunt, & insuper arbitrio superioris condemnandus est in aliqua quantitate, convertenda in augmentum Cultus Divini, ut colligitur ex *c. quamvis, & c. si Canonici citt.* Henriq. *l.* 13. *c.* 52. *n.* 3. Sayr. *l.* 5. *c.* 19. *n.* 19. Suarez *D.* 39. *sect.* 3. *n.* 16. Coninck *D.* 17. *dub.* 7. *n.* 91. Avil. *p.* 6. *D.* 2. *dub.* 3. *concl.* 3. Bonacina *D.* 6. *p.* 3. *circa fin.* Palao § 3. *cit. num.* 9.

Quæritur 3. de obligatione servandi cessationem, 421 pœna transgredientium, & relaxatione illius? *Certum est*, obligationem servandi cessationem obstringere ad peccatum mortale; quia violans illam transgreditur Legem Ecclesiasticam, ex gravissima causa impositam. Palao *tract.* 29. *D.* 5. *p.* 9. § 4. *n.* 2.

Dub. 1. an Religiosi exempti teneantur servare, & pu- 422 blicare in suis Conventibus cessationem impositam ab Episcopo, vel capitulo, & observatam ab Ecclesia Matrice? *Ratio dubitandi* est, quia Trid. *sess.* 25. *c.* 14. *de Regular.* solùm præcipit ab his servari censuras, & Interdicta; atqui cessatio à Divinis, ut dictum est *n.* 402. *&* 403 neque est censura, neque interdictum etiam pœnale; ergo &c. *Sed tenenda* est affirmativa. Ita Bonacina *D.* 6. *p.* 3. *n.* 10. Palao *loc. cit. n.* 2. Ratio est, quia in cessatione magis urgent rationes obligantes, ut Religiosorum Conventus cum Ecclesia Matrice se conforment. *Ad Rationem dubitandi* dico; Decretum illud Concilii expeditum fuisse in confirmationem *Clem.* 1. *hoc tit.* ubi Regulares exempti, & non exempti obligantur observare interdicta, & cessationes à Divinis, observatas ab Ecclesia Matrice.

Dub. 2. quæ sit pœna imposita violantibus cessatio- 423 nem? Resp. Laicis ipso Jure nulla est imposita, sed arbitrio Judicis puniri debent. Clericis verò Religiosis tam exemptis, quam non exemptis imposita est excommunicatio ipso facto *Clem.* 1. *hoc tit.* prout *suprà num.* 396. dictum est de Interdicto. Debet tamen cessatio esse generalis, & observari ab Ecclesia Matrice; nam ex violatione cessationis specialis nulla pœna ipso Jure contrahitur; quia nullibi habetur de hac Lex aliqua. Putant aliqui præterea incurri Irregularitatem per exercitium Ordinis tempore cessationis: sed verius est non contrahi; quia nullibi est expressa, & Irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à Jure expressis. Navar. *Man. cap.* 27. *n.* 189. Suarez *D.* 39. *sect.* 1. *n.* 8. Palao *n.* 4.

Dub. 3. quis cessationem relaxare possit? Resp. so- 424 lus ille, qui cessationem imposuit, vel ejus Superior, aut æqualis, vel qui ab imponente potestatem acceperit. Palao *part.* 9. *cit.* § 5. *n.* 1. Aliquando etiam cessat cessatio sine relaxatione expressa, si scilicet, post quam

quam intra mensem circa cessationem partes inter se non composuere, eam imponens noluerit Romam mittere *cap. quamvis* 8. *fin. de Offic. Ord. in* 6. nam juxta hoc *cap.* si posita Cessatione, partes intra mensem non composuerint inter se, debet tam imponens Cessationem, quàm is, ob cujus culpam imponitur, Romam petere vel per se, vel per Procuratorem cum actis ad negotium spectantibus, ut Romana Sedes provideat de remedio, ne Ecclesia diu à divinis in grave fidelium detrimentum cessare debeat.

425 Dixi autem, *si Cessationem imponens noluerit Romam mittere*; nam si is, ob cujus culpam cessatio est imposita, non mittat Romam, per hoc non tollitur Cessatio, ne alioquin ex iniquitate sua commodum reportaret, & pœnam eluderet. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 18. *n.* 17 Suarez *D.* 39. *sect.* 3. *n.* 14. Palao *p.* 9. *cit.* § 3. *n.* 4. Unde necesse erit, ut posita contumacia relaxationem petat ab imponente cessationem; cujus faciendæ potestatem hic retinet etiam pars utraque Romam misit; quia eo accessu ad Romanam Curiam Jurisdictionem non amisit; accessus namque ille in eum finem duntaxat fit, ut ibi discutiatur, quid sit agendum casu, quo partes inter se non composuerint; atqui si posita contumacia, is, ob cujus delictum Cessatio est imposita, pœniteat, & componat cum parte altera, cessat occasio exspectandi Responsum Pontificis. Sayr. *cap.* 18. *cit. fin.* Suarez *n.* 12. Palao *num.* 4. *cit.*

P A R S V.

Appendix pro toto Jure Canonico.

Appendix ista duos duntaxat Titulos comprehendit, qui non tam huic *Libro V.* proprii, sed præcedentibus etiam communes sunt. Unus Titulus *de Verborum Significatione* tractat; alter certas *Juris Regulas* ponit. Imitata in hoc Compilatio Gregoriana est Jus Civile; sicut enim istud Digesta sua, ita illa Libros Decretalium per Titulos generales *de Verborum significatione*, *& de Regulis Juris* claudit. Breviter de his differam; quia potissima passim per decursum hujus Operis jam explicata sunt. Regulas Juris in particulari non attingam; quia earum explicatio, & limitationes integrum Tractatum novum exigerent, cui fortè, si Superi faveant, suo tempore applicabo manus.

T I T U L U S XL.

De Verborum Significatione.

S U M M A R I U M.

1 *&c. In Jure quæstiones de nomine sæpe sunt maximi momenti.*
3 *&c. Verbi partitiones diversæ sunt.*
5 *Significatio nominis varia.*
6 *Accipienda sunt secundùm mentem proferentis.*
7 *Significatio propria prævalet impropriæ.*
8 *Spectanda etiam ratio, & causa dispositioni addita.*
9 *Simpliciter prolata simpliciter intelligenda.*
10 *Sensus naturalis eorum regulariter præferendus Civili.*
11 *Eadem intelligenda secundùm significationem communem.*
12 *Verba dubia interpretanda contra proferentem.*
13 *Intelligenda cum effectu, ne sint superflua.*
14 *Ex duplici sensu præferendus, qui à Regulis Juris non recedit.*
15 *Verba intelligenda sunt secundùm subjectam materiam &c.*
15 *Ut excludatur delictum.*
17 *Et Juri quæsito tertii non derogetur.*
18 *Ille sensus præhabendus, qui rei gerendæ est aptior.*
19 *Ita interpretanda verba, ut excludatur correctio, & contradictio.*
20 *Et dispositio non pereat.*
21 *Verba affirmativa, & negativa non ex sono, sed ex vi æstimantur.*
22 *Affirmativa digniora negativis, hæc tamen illis potentiora sunt.*
23 *Geminata negatio inducit affirmationem.*
24 *Verba generalia generaliter intelligi debent.*
25 *Specialia plus, quàm generalia operantur.*
26 *Indefinita generalibus æquipollent.*
27 *Enuntiativa per se nec probant, nec disponunt.*
28 *Geminata potentiora sunt simplicibus.*
29 *Sequentia ab antecedentibus, & vicissim interpretationem recipiunt.*

Præmittitur *de significatione Verborum*; nam etiam in materiis Juridicis quæstiones de nomine sæpe maximi momenti sunt, & ex earum resolutione nonnunquam gravissimæ aliæ decisiones pendent, ut post alios notant Vvex *de Sponsal. p.* 1. § 1. *n.* 2. Konig *hic n.* 3. Ei propterea Jurium interpretibus familiare est, non priùs ad rerum manifestationem progredi, quàm verborum, & nominum, quibus illæ explicantur, significationem investigaverint. 1

Sumitur autem hic *Verbum* pro omni dictione significativa, quæcunque pars Orationis sit; adeoque præter Verbum specificè acceptum etiam includit Nomen, Pronomen, & Adverbium. Vallens. *hic num.* 1. Vviestner *ibid. nu.* 1. Tres hujus sunt partitiones, quæ huc spectant. Nam 1. Verbum, seu potiùs Oratio alia dicitur *Affirmativa*, alia *Negativa*. *Illa* positionem significat, *ista* privationem, prout scilicet prædicatum subjecto aliquid tribuit, vel ab illo tollit, aut removet. Bartol. *in l. actor.* 23. *C. de Probat. n.* 4. Bald. *ibid. n.* 22. Vviestner *hic n.* 3. 2

2 Verbum aliud est *Singulare*, quod denotat personam, rem, vel causam certam, & determinatam, ut *Titius*, *Bucephalus*, *hic homo*, *hic equus &c.* Aliud *Particulare*, quod est verbum commune significans unam, vel plures personas, res, causas indeterminatas, adjuncto signo particulari, ut *aliquis homo*, *aliquis equus*, *aliquis fundus*. Aliud *Indefinitum*; tale dicitur Verbum commune, cui nec signum particulare, nec universale adjectum est, ut *homo*, *equus*, *fundus*. Aliud *Generale*, quando termino communi additur, vel subintelligitur signum universale, & sic denotantur omnia contenta sub certo genere, ut *omnis homo omnis equus*, vel *Collegium*, *pleps grex*. Aliud *Universale*, quod ejusmodi signo ferè adjecto, denotat, vel includit Universitatem, plura genera sub se continentem, ut *Omnia bona*, *totum Patrimonium Hæreditas*, *Populus*: cons. Verbum universale per hoc distinguitur à Generali, quòd illud plura genera, istud verò plures duntaxat species, sive, ut Philosophi loquuntur, Individua comprehendat. Menoch. *lib.* 1. *cons.* 16. *num.* 16. *fin.* Zas. *in l. Prætor* 7. *ff. de Jurisdict.* Vviestner *hic num.* 4. 3

3 Verbum, vel Oratio alia est *Dispositiva*, qua exprimitur rei, sive actus gesti substantia, seu id, quod de præsenti, & principaliter actum est à disponente uno, vel pluribus, à quorum voluntate pendet. Alia *Enuntiativa*, seu *Narrativa*, qua aliquid refertur incidenter solum, sive exprimitur, quod non de præsenti ab ipso disponente, sed ab alio, vel de præterito actum est. In exemplo ponatur, quòd Notarius in Instrumento publico exprimat, quòd Titius, domum, vel prædium, sibi à Principe donatum, & intra certæ alicujus Parochiæ fines situm, Cajo vendiderit, & tradiderit; in hoc Instrumento dispositivè solum refertur venditio, & traditio domus, vel prædii Cajo facta à Titio, narrativè verè donatio Principis, & situs descriptus; quia sola venditio, & traditio exprimitur tanquam de præsenti acta, donatio verò tantùm refertur, ut acta de præterito. Gaill. *l.* 2. *obs.* 37 *num.* 14. 4

Non minus etiam significatio verborum varia est; nam alia est *Propria*, quam verba habent ex instituentium placito, & primævo eorum usu. Alia *Usualis*, seu *Consuetudinaria*, quam verba non ex primævo, sed moderno, & communi usu nunc obtinent: Alia *Abusiva*, quam verba obtinent ex usu, & acceptione vulgi, seu rudium, contra usum commune, ad quem illa sunt instituta, ut cùm famuli Servorum, nati ex fratre, vel sorore Nepotum, patrimonium mulieris quodcunque Dotis nomine appellatur. Alia *Civilis*, sive 5

five *Juridica*, quam vocabulo confert jus, five Lex, aut Canon, ut cum Religiosus, aut Deportatus dicitur Mortuus, filii naturales, per subsequens Matrimonium legitimati, appellantur filii legitimi, ii, qui statum mutarunt, vocantur capite minuti. In qua verò significatione ex his tribus accipienda sint verba, sequentes ponuntur Regulæ.

6 *Regula* 1 Verba accipienda sunt secundum mentem, & intentionem proferentis *c. intelligentia 6. h. tit.* & *l. non aliter 69. pr. ff. de Legat.* 3. Vallenf. *hic num.* 2. Engl *num.* 3. Konig *num.* 5. Vviestner *n.* 10. Hinc quoties cum mente disponentis verba conveniunt, non est opus interpretatione: Sed ad hanc tum demum confugiendum est, cum mens, & verba in speciem discrepant: quo casu ea interpretatio est præferenda, quæ menti proferentis conformior est; quia *non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*, ut dicitur *can. humanæ 11. caus. 22. quæst.* 5. Quod adeò verum est, ut ad observandam intentionem proferentis etiam verba aliquo modo sint improprianda; *quia plerumque, dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur*; *cap. propterea* 8. *h. tit.* Intelligendum autem hoc est, quando de mente loquentis ex subjecta materia, aut ex fine, & ratione principali constat; aliàs enim in dubio à verbis recedendum non est; *l. non aliter cit.* Konig *n.* 5. *cit.* Hinc tali casu locum habebit.

7 *Regula* 2 Nisi aliud de mente disponentis constet, verba cujusque dispositionis accipienda sunt in sensu proprio, & secundum communem hominum usum *l. non aliter cit.* Idque verum est, etiamsi materia sit strictæ interpretationis, ac præjudicialis alteri, Honor. *hic n.* 1 Engl *ibidem num.* 1. *Excipitur*, nisi ex verbis ita acceptis sequeretur aliquod absurdum, vel dispositio redderetur inutilis; tunc enim verba potiùs improprianda essent, quàm ut dispositio pereat *c. Abbati* 25. *h. tit.* Honor. *n.* 2. Engl *n.* 1. *cit.* Reiffenstuel *n.* 7. Item impropria verborum significatio admittitur ad evitandam juris correctionem, & ad tollendum præjudicium juris jam quæsiti tertio. Decian. *l.* 1. *conf.* 11. *n.* 59. & *l.* 2. *conf.* 103. *n.* 36 Tusch. *concl.* 102. *à n.* 31.

8 *Regula* 3 Verba dispositionis interpretationem plerumque accipiunt ex ratione, & causa eidem addita; quia cum prudenter disponentis voluntas moveatur, & regatur ductu rationis *arg. can. erit autem* 2. *dist.* 4. huic ejus dispositio accommodatur, ita, ut ratio dispositionis, & ejus mens idem quodammodo esse intelligantur, & ferè secundum limites, modumque rationis dispositio extendatur, vel restringatur *arg. l. mulier* 53. *ff. solut. matr.* Cephal. *l.* 1. *conf.* 16. *num.* 17. Everhard. *legal. arg. loc.* 34 *à num.* 1. Vviestner *num.* 11. Dixi *plerumque* aliquando enim in Legibus, & statutis latius patet ratio, quam constitutio, prout patet ex *cap. fin. de Immun.* ubi occidens, & mutilans in Ecclesia privantur Asylo, ex ratione, quòd *in eo, in quo quis deliquit, puniri quis debeat*, cum tamen Asylo gaudeat, qui alia graviora etiam crimina in his commisit. Item ex *Clem.* 1. *de Elect.* ubi prohibetur Religiosus eligi in Prælatum diversæ Professionis, & Habitus, quòd *rationi non congruat, ut homines dispares Habitus, & Professionis simul in iisdem Monasteriis socientur*, cum tamen eligi possit in Prælatum Ecclesiæ sæcularis Cathedralis.

9 *Regula* 4 Verba simpliciter prolata in dubio intelligenda sunt simpliciter, & non tantum secundum quid *l. non aliter cit. l. hoc legatum* 45. *ff. de Legat.* 3. *l. stipulatio* 1. §. *siquis* 3 *ff. de V. O.* Ratio est, quia quod tale secundùm quid tantum est, tale propriè non est; verba autem, si possint, in sensu proprio accipienda sunt secundum dicta *num.* 7. Et hinc Canone præcipiens Beneficiatis residentiam in Ecclesia, & præsentiam in Officiis Divinis, accipi debet de residentia, & præsentia personali *cap. quia nonnulli* 3. *de Cleric. non resid.* & *cap. un. eodem in* 6 Similiter provisio Apostolica de Beneficio per mortem Titii vacaturo, exaudiri debet de vacaturo per mortem naturalem, & non per civilem, quæ depositione, privatione &c. inducitur *arg. libr. ex ea* 121. §. *in insulam* 2 *ff. de V. O.*

10 *Regula* 5 Si verba dispositionis habere possint sensum civilem, & naturalem, civili præferendus est naturalis *l. ex ea*, & §. *in insulam citat. l. fin. C. de his qui ven. ætat. l. fideicommissum* 76. *ff. de condit. & demonstr.* Ratio est, quia significatio verborum naturalis magis est propria. Quod intelligi debet regulariter; nam plures sunt casus, in quibus significatio civilis æquivalet naturali. Et sic dispositio, filios legitimos vocans ad feuda, majoratus, primogenituras, etiam porrigitur ad filios legitimatos per subsequens matrimonium, prout dictum est *Libr.* 4. *Tit.* 17. *num.* 84. quòd ita legitimati legitimè natis quoad omnes effectus æquiparentur *cap. tanta* 6. *qui filii legit.* Item bona Professi Religionem successionis incapacem, si de iis non antè disposuit, statim à Professione edita devolvuntur ad proximos consanguineos, quod professio, in tali Religione edita, quoad successionem eosdem, quos mors naturalis effectus habeat, secundum dicta *Libr.* 3. *Tit.* 27 *numer.* 67.

Regula 6 Verba intelligenda sunt secundum sensum communem, & modernum loquendi usum, adeò, ut propterea aliquando recedendum sit à significatione propria, & primæva, Bartol. *in l. Labeo 7. pr. de Supell. legat.* Mantic. *de conject. ultim. vol. l.* 11. *titul.* 8. *numer.* 2 Vviestner *hic num.* 15. Ratio est, quia per usum, & intellectum communem Verborum significationes, sicut natæ sunt, sic exolescere, & mutari solent. Vel maximè autem communi Religionis usu recepta verborum vis, & intellectus attenditur in Testamentis, ac Legatis *arg. lib. si servus* 50. §. *si numerus* 3. *ff. de Legat.* 1. In sanctionibus tamen Legalibus, in sententiis, & interlocutionibus judicum, in responsis prudentum, & Instrumentis, publica tabellionis, vel privata etiam, sed docta manu exaratis, vulgari, & communi verborum significationi præfertur civilis, & jure prodita, Bald. *in libr. lege* 14. *C. de legit. hæred. num.* 3. Mantic. *numer.* 2 *citat.* Vviestner *num.* 16. quia non secundum communem vulgi, sed specialem, ac propriam ejus, quam quisque profitetur, artis, seu Facultatis acceptionem locuti præsumuntur. 11

Regula 7 Verba dubia contra proferentem sunt interpretanda, utpote in cujus potestate sunt mentem suam apertius declarare, *Reg. contra eum* 57. *de R. J. in* 6. & *l. in contrahenda* 172. *ff. eodem* Quæ Regula præcipuè obtinet in contractibus; nam sibi imputare debet pactum concipiens, siquid obscurum, & inexplicatum reliquerit. Item in probationibus; quia in his, si testes obscurè deponant, aut verba privilegii, vel instrumenti producti duplicem sensum habeant, contra producentem fit interpretatio *cap. in præsentia* 8. §. *quare de probat. l. quidquid* 99. *pr. ff. de V. O.* Contra Regula hæc non procedit in sententiis judicum, & aliis actibus judicialibus *l. siquis* 66. *ff. de Judic.* Imò etiam in contractibus, quamvis contra eum, qui pactum concepit, interpretatio fieri debeat, semper tamen ista sic fieri debet, ut inter contrahentes servetur æqualitas *l. si major* 4. *C. commun. divid.* & ut ratio æquitatis habeatur *l. si id* 7. *ff. de rescind. vend. l. placuit* 8. *C. de Judic.* 12

Regula 8 Verba intelligenda sunt cum effectu, & ita, ut aliquid operentur, nec sint superflua *can. hæc autem* 17 *de pœnit. dist.* 1. *c. relatum* 4. *de Cler. non resid. l. hoc edictum* 1. §. *hæc autem* 2. *ff. quod quisque juris &c.* Et procedit hoc tam in Legibus interpretandis, quàm in Testamentis, Instrumentis, & attestationibus: item procedit tam in odiosis, & pœnalibus, quam in sententiis, privilegiis, & Rescriptis Principum Imò in his verba sunt etiam improprianda, si accepta in sensu proprio carerent effectu, Barbosa *axiom.* 222. *num.* 17. Konig *num.* 7. *Excipitur*, si ita impropria inducerent aliquid contrarium compertæ disponentis intentioni, vel si absurdum aliquid, aut cum gravi alterius læsione, aliave iniquitate conjunctum inferrent; tunc enim retineri deberet sensus proprius, & verba illa adjecta censebuntur majoris expressionis, & dubitationis tollendæ gratia. Crovetta *conf.* 79. *n.* 29. Tusch. *concl.* 85. *nu.* 84. Mantica *tit.* 6. *num.* 7 Konig *l. cit.* Vviestner *n.* 19. quia utique tolerabilius est verba alio effectu carere, quàm hujusmodi incommodorum aliquod induci. 13

Regula 9 Verba ambigua à jure interpretationem recipiunt, ita, ut ex variis interpretationem quia recipiunt, illa censenda sit aptior, quæ à communibus Juris Regulis minimè recedit *l. quæro* 54. §. *inter* 1. *ff. locat. l. fin.* §. *fin. verò* 6. *C. de Jur. delib.* Ratio est, quia Jus commune, utpote publicæ utilitatis intuitu elaboratum, favorabile, & recessus ab illo odiosus, ac propterea in dubio, qua commodè potest, ratione vitandus est. Et hinc 14

hinc non privatorum tantum dispositiones, sed instrumenta quoque Tabellionum, Judicum sententiæ, compromissariorum arbitria, & Principis jussa, seu mandata ad juris communis sensum reducuntur *arg. c. super eo 15 de Offic. Deleg.* Ex eadem ratione, quando mens Legislatoris hoc patitur, Leges posteriores debent trahi ad priores *l. sed & posteriores* 28. *ff. de LL.* & statutorum is solet intellectus præferri, qui jus commune minimum lædit, Castro *in l. Leges* 9. *C. de LL. num.* 7. Alberic. *de statut. pr. quæst.* 2. *& 9.* Quin etiam ipsa privilegia, licèt Lex merè privata sit, cum eodem jure conferuntur, ut huic plus non derogent, quàm ipsis expressum sit *argum. Reg. odia* 15. & *Reg. quæ à jure* 28. *in* 6. Sylv. *V. privilegium quæst.* 3. Suar. *lib.* 8. *de LL. cap.* 27. *numer.* 5 Vvieftner *n.* 20.

15 *Regula* 10 Verba ambigua semper intelligenda sunt secundum subjectam materiam, & naturam actus, vel contractus, de quo actum est, & secundum qualitatem personæ, ad quam sunt relata; quia verba proferens his præsumitur illa accommodare; *cap. intelligentia* 6. *h. tit. l. non aliter* 69. *ff. de Legat.* 3. Eberh. *Leg. argum. loc.* 46 Menoch. *libr.* 3. *præsumpt.* 104. *num.* 29. Tusch. *concl.* 95 *& 96.* Vallens. *hic num.* 2. Engl *num.* 5. Vvieftner *nu.* 21 Reiffenstuel *numer.* 3. Hinc juramentum additum actui, hujus naturam, & conditiones induit; mandatum de providendo alicui de Beneficio proximè vacaturo exaudiendum est pro qualitate personæ Clerici, ita ut conferendum illi sit Beneficium Regulare, si Regularis, sæculare, si sæcularis sit.

16 *Regula* 11 quando dubius est verborum sensus, ita, ut in bonam, vel malam partem possint accipi, is præferendus est, qui excludit delictum, adeo, ut potius interpretatio, & significatio verborum impropria admittatur, quàm delictum *capit. estote* 2. *de R. J. l. merito* 31 *ff. pro Socio.* Ratio est, quia in dubio nemo præsumitur deliquisse, & factum cujusque in meliorem partem interpretandum est. Dixi *quando dubius est verborum sensus*; nam si verba de Delicto sunt clara, vel certè longè majorem turpitudinis, quàm honestatis speciem præferunt, & excusandi causa non apparet, hæc Regula non procedit, sed subintrat generalis alia, quod scilicet verba clara non admittant interpretationem, neque voluntatis conjecturam, Menoch. *l.* 5. *præsumpt.* 2. *n.* 34. Vvieftner *num.* 22. Reiffenstuel *num.* 4. *& 5.* Idem est, quando versamur in genere prohibitorum, ut cum constat homicidium à Titio, instrumento ad necem inferendam ex se apto, commissum esse; nam hoc in dubio præsumitur dolo perpetratum *l. frater* 1. *C. ad Leg. Corn. de Sicar.* quantumvis ad sui defensionem, & servato moderamine inculpatæ tutelæ, committi potuerit, Menoc. *l. cit. præsumpt.* 3. *n.* 45. Brunnem. *in l. cit. n.* 8. Vvieftner *n.* 22. *cit.*

17 *Regula* 12 In dubio illa significatio est præferenda, quæ non derogat juri tertii jam quæsito *can. denique* 10 *caus.* 14. *quæst.* 5. *cap. super eo* 15. *de Offic. Deleg. l. nec avus* 4 *C. de emancip. liber.* adeo ut ad avertendum præjudicium juris tertio quæsiti verba etiam impropriandasint, Oldrad. *Cons.* 268. *num.* 5. Tusch. *concl.* 128. *n.* 1. Vvieftner *num.* 23. Reiffenstuel *num.* 6. Quæ Regula locum habet non tantum in privatorum actibus, & dispositionibus, v. g. in contractibus, Testamentis, sed etiam in Decretis, ac Beneficiis Principum *l. nec avus citat. l. Prætor ait* 2. §. *merito* 10. *ff. ne quid in loc. Publ.* sicut & in quibusvis privilegiis, & Rescriptis Pontt. etiamsi cum clausula *ex certa scientia*, vel *motu proprio* sint emanata; nam omnia tacitè continent clausulam *Salvo jure tertii*, & *sine tertii præjudicio*, ita, ut nemini præjudicium creent, sed jus suum cuilibet illæsum, & integrum servent *cap. licet* 12. *de Offic. Ord. c. dudum* 31. *de privil. c. quamvis* 8 *de rescript.* Ratio est, quia jus tertio jam quæsitum etiam publica authoritate auferri non potest, nisi ex causa necessitatis, vel utilitatis publicæ; & etiam hac urgente, supremus Princeps, vel Papa auferre illud non censetur, nisi hoc exprimat, Innoc. *in c. innotuit* 20. *de Elect. à n.* 5 Gaill. *l.* 2. *obs.* 58. *num.* 7. Pirhing *tit. de constit. numer.* 20 Vvieftner *n.* 23. Reiffenstuel *n.* 6

18 *Regula* 13 Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea præhabenda est, quæ rei gerendæ est aptior *reg. quotiens* 67. *ff. & reg. inspicimus* 45. *in* 6. Et hinc si Legatum sit relictum Ecclesiæ, & dubitetur, quam Ecclesiam intellexerit Testator, censetur illud relinquere voluisse Ecclesiæ domicilii; quia patria propria omnibus dulcis est, Tusch. *concl.* 94. *n.* 10. Konig *n.* 8.

Regula 14 In omni dispositione verba sunt concilianda 19
verbis, itaque explicanda, ut eorum correctio, & contradictio excludatur *capit. inter dilectos* 6. *vers. cæterum de fid. Instrum. cap. cum expediat* 29. *de Elect. in* 6. *l. un. C. de inoffic. dot.* Ratio est, quia nemo idem simul velle, & nolle, vel à sua dispositione illico recedere, & se in continenti corrigere præsumitur, Gratian. *Discept. forens. cap.* 554. *num.* 31. Crovett. *Cons.* 870. *nu.* 9. Barbosa *l.* 3. *axiom. cap.* 87. *& cap.* 97. *num.* 6. Vvieftner *num.* 25 Reiffenstuel *n.* 8.

Regula 15 In omni dispositione is verborum intellectus 20
capiendus est, ut potius illa valeat, quam pereat *l. quoties* 12. *ff. de reb. credit.* & *l. quoties* 80. *ff. de V. O.* quia proferens in dubio præsumitur voluisse, ut actus, & dispositio sua valeat omni meliori modo, quo potest. *In dubio*, inquam; nam si clarus verborum tenor pugnet cum interpretatione, qua actus conservatur, frustra laboratur pro ejus valore. Idem dic, quando actus patitur defectum formæ substantialis; quando valori ejusdem resistit Lex; quando verisimile est disponentem non fuisse sanæ mentis; vel quando constat, ex proposito electam viam, qua actus nullus redderetur, Menoch. *l.* 6. *præsumpt.* 4. *à num.* 39. Tusch. *V. actus concl.* 139. *à num.* 73 Vvieftner *n.* 26.

Regula 16 Verba, sive Oratio affirmativa, aut nega- 21
tiva non ex phrasi, & conceptione externa, sed ex vi, & effectu æstimantur, ita, ut licèt affirmare aliquid videantur, negativa tamen sint, si eorum vis tendat in negationem; contrà pro affirmativis haberi debeant, si tendant in affirmationem, licèt negare videantur, Gloss. *in Clem. fin. V. creatum de rescript.* Bartol. *in l.* 1. *ff. de vulg. & pupill. substit. num.* 17. Zoes. *in l.* 2. §. 3. *& 4. ff. de V. O. n.* 18. Vvieftner *n.* 27. Hinc affirmativa est exceptio, qua quis negat se Beneficium spontè resignasse; quia affirmat eam renuntiationem sibi vi, metuque extortam: contrà negativa est oratio, qua quis dicit Titium esse pauperem; quia negat ipsum habere patrimonium.

Regula 17 Affirmativa Oratio magis digna est, quàm 22
negativa; negativa autem potentior est, quàm affirmativa. *Pars prior* patet, quia affirmativa magis se offert sensui, quàm negativa, illaque est entis, ista non entis, cum nihil sonet, & ponat; ens autem non ente dignus est. *Pars posterior*; quia affirmativa, ut negativæ prævaleat, probari debet; negativa verò, ut affirmativæ, sufficit, si contra eam probari nihil potuerit. Specialem efficaciam habent præcepta negativa; nam ista semper, & pro semper obligant, affirmativa autem non pro semper, sed pro certis dumtaxat circumstantiis. Vvieftner *num.* 29.

Regula 18 Verba negativa, in eadem oratione gemi- 23
nata, inducunt affirmationem *l. duobus* 237. *ff. de V. S. Excipitur* 1. quando ad idem fortius negandum, & excludendum adhibentur, ut factum est *capit. tua nos* 19 §. *fin. de Homicid.* ibi, *Constanter negavit, quod præmissa minimè perpetravit.* 2 quando inducta affirmatione absurdus, aut proferentis intentioni, vel juri contrarius intellectus resultaret. 3 si ex alicujus linguæ natura, vel communi usu geminetur negatio ad solum ornatum, aut inficiationis vehementia demonstrandam, ut fit in Lingua Græca, & quandoque in Germanica, Barbosa *Axiom. libr.* 12. *capit.* 6. *axiom.* 4. *fin.* Vvieftner *numer.* 32.

Regula 19 Verba generalia generaliter intelligenda sunt 24
l. hic titulus 1. §. *generaliter* 1. *ff. de Legat. præstand.* Hinc illud juris axioma: *Ubi Jus non distinguit, neque nos debemus distinguere. Excipitur*, nisi generalitatem verborum coarctari suaderet subjecta materia *l. statu liberos* 3 §. *si quis hæredi* 11. *ff. de stat. Liber.* Et hanc ob causam restringi verba generalia debent, si alioquin tollerent gratiam jam datam, vel alius indebitè damnum pateretur, vel dispositio redderetur nulla, & actus periret *can. paratus* 2. *caus.* 23. *quæst.* 1. *cap. fin. h. tit. in* 6 Oldrad. *cons.* 288. *per totum*, Konig *hic n.* 6. Vvieftner *numer.* 35.

Regula 20 Verba specialia plus operantur, quàm ge- 25
neralia: cons. in omni dispositione magis id, quod specialiter, quàm quod generaliter expressum est, inspici debet *l. item apud Labeonem* 15. §. *hoc edictum* 26. *ff. de*

de injur. l. sanctio 41. *ff. de pœn.* Ratio est, quia specialis, & nominatim facta expressio magis determinat, & disponentis mentem declarat, quam generalis: & hinc nata est Regula, quod generi derogetur per speciem *Reg. in toto* 80. *ff. & Reg. generi* 34. *in* 6. Vviestner *numer.* 39.

26 *Regula* 21 Verba indefinita æquipollent, & vim obtinent locutionis generalis *cap. quia circa* 22. *de Privil. l. quoties* 2. *C. si plur. una sentent. & l. omnia* 1. §. *initio* 4 *ff. de Offic. Præf. urb.* Quod maximè procedit in dispositione Legali; nam hujus verba, licèt in numero singulari concepta, de omnibus sub tali voce contentis, nisi specialiter excepta sint, exaudiri debent *c. canonum* 1 *de Constit. l. jura* 8. *ff. de LL.* & *l. leges* 3. *C. eodem* Bartol. *in l. omnes* 9. *ff. de J. & J. num.* 57. Covar. *l.* 1. *var. capit.* 13. *num.* 2. Tusch. *V. indefinita concl.* 86. *numer.* 17 Vviestner *num.* 37. *Excipitur*, nisi universalitatem competenta mens disponentis, subjectæ materiæ qualitas, aut ratio alia excludat, prout fit 1 dispositio universaliter intellecta fieret correctiva juris communis, aut præjudiciosa tertio quoad jus ipsi quæsitum; quia est odiosa. 2 si sit pœnalis; nam pœnæ sunt restringendæ. 3 si ab homine facta in materia contingenti, & non necessariò vera. 4 in probationibus; quia hæ debent esse concludentes, & talem non constituit conjectura, ex qua locutio indefinita æquipollet universali. 5 quando universalis intellectio induceret pravum sensum, Vviestner *num.* 38.

27 *Regula* 22 Verba enunciativa, seu narrativa per se dispositionem nec inducunt, nec probant *capit. si Papa* 10 *de privil. in* 6. & *Auth. siquis C. de edend.* præsertim in iis, quæ non pendent ex voluntate proferentis, & ab illo ad alium finem sunt prolata, quamvis aliqualem præsumptionem faciant. *Excipitur* 1 quod narrativè dicitur in Instrumentis antiquis, præsertim confectis tempore, excedente memoriam hominum; nam ita dicta probationem faciunt, præsertim si alleganti suffragetur possessio, Crovetr. *de antiq. temp. part.* 1. §. *ampliatur à num.* 17. 2 si verba enunciativa sint geminata, vel roborata juramento; quia tunc in dispositiva transeunt *Auth. quod obtinet C. de probat.* 3 si per modum causæ finalis, & rationis principaliter moventis prolata sint ab eo, in cujus potestate fuit factum enunciatum; tunc enim pariter dispositionem videntur inducere, Balb. *in l. Celsus* 27. *ff. de Usucap.* 4 verba enunciativa plenè probant contra proferentem, & eum, qui ea passus est inseri Instrumento, Mascard. *de probat. concl.* 621. 5 favore dotis, & causæ piæ. Vide Menoch. *l.* 3. *præsumpt.* 134 *à num.* 2.

28 *Regula* 23 Verba geminata plus, quàm simplicia operantur; quia majori studio, & deliberatione effusa præsumuntur, enixamque, & seriam disponentis voluntatem demonstrant *l. ballista* 32. *ff. ad S. C. Trebell.* omnemque fraudis, ac simulationis suspicionem errorisque, & metus præsumptionem tollunt, ita, ut contra dispositionem sic factam opponi nil possit, sed ea confirmata ex ipsa iteratione intelligatur, Tusch. *V. verba concl.* 158 *à n.* 7. Everh. *Legal. arg. loc. à Geminatione n.* 1. Vviestner *n.* 42. *Excipitur*, nisi dispositio sit ultra agentis potestatem, vel contra actus, aut rei in contractum deductæ naturam, vel in præjudicium tertii; nam his casibus geminatio nihil operatur, Tusch. *concl.* 28. *à n.* 102. Barbosa *Axiom. l.* 7. *c.* 4. *axiom.* 1. *fin.* Vviestner *l. cit.*

29 *Regula* 24 Verba præcedentia declarantur per subsequentia, & vicissim *l. utrum* 23. *ff. de Hæred. petit. l. si servus* 50. *fin. ff. de Legat.* 1. quia mens disponentis sæpe ex contextu cognoscitur, quæ in parte est dubia. Imò sæpe Rubrica Legis sensum ostendit, prout *Libr.* 1. *tit.* 2 *n.* 27. factum dixi in *Novell.* 66. quæ licet in contextu loquatur solum de Legibus Testamentariis, quia tamen Rubrica generalis est, exinde colligitur, solemnitates ibi requisitas in promulgatione cujusvis Legis civilis observari debere. Concordat *l. incivile* 24. *ff. de LL.* ubi *incivile* dicitur, *nisi tota Lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare, vel respondere.*

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIUM.

1 *Regula Definitio.*
2 *Numerus Regularum Juris.*
3 *Divisio in Generales, & Particulares.*
4 *In Authenticas, & merè Doctrinales, seu Brocardicas.*
5 *Brocardicæ non faciunt Jus.*
6 *Quod etiam Authenticæ non inducunt, sed supponunt.*
7 *Utilitas istarum magna est.*
8 *Nisi perperam allegentur.*
9 *Exceptionem patiuntur.*
10 *Vis istarum Exceptionem.*
11 *Conclusio totius Operis.*

Regula à *regendo* dicta, quod regat, aut rectitudinis normam præbeat, à Paulo JCto *regula* 1. *ff. h. tit.* definitur, *regula est, quæ rem quæ est, breviter enarrat*, i. e. quæ jus, quod in singulis rebus est constitutum, generalibus verbis, & brevi sententia complectitur, ac demonstrat, Vallens. *hic n.* 2. Konig *n.* 2. Vviestner *n.* 2. Reiffenstuel *n.* 1 1

Juris Regulæ tam in Digestis, quàm in Decretalibus 2 inveniuntur: & in Digestis quidem ad finem Libri quinquagesimi ponuntur Regulæ omnino ducentæ, & undecim. In Decretalibus duplicem locum habent: & undecim quidem ponuntur ad finem Libri Decretalium quinti; octoginta octo autem Librum sextum Decretalium claudunt.

Duplicis generis sunt Regulæ, Generales scilicet, & 3 Particulares. *Generales* sunt, quæ nullo certo loco, aut argumento comprehensæ per universum jus diffunduntur, prout est Regula 1. Libr. 5. Decretalium: *Omnes res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*; & Regula 48. in 6. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*; & plures aliæ. *Particulares* vero, quæ certo loco, vel materiæ adaptantur: qualis est Regula prima in sexto: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri*; & 58. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.*

Item Regulæ aliæ dicuntur Authenticæ, aliæ merè 4 Doctrinales, quæ communiter *Brocardicæ* appellari solent. *Authenticæ* sunt, quæ authoritate Apostolica, vel Imperiali juri Canonico, vel civili, & præsertim sub hac Rubrica insertæ sunt. *Brocardicæ*, quæ à JCtis, vel aliis DD. ex variis juris textibus, ac dispositionibus, vel etiam ex Philosophorum dictis depromptæ, per modum Axiomatum habentur, & applicantur quidem, Jus tamen non faciunt, nec juris authoritatem habent, cum in nullo jure clausæ supponantur, Vviestner *numer.* 5 Reiffenstuel *n.* 2.

Brocardicas alii laudant, passim tamen alii reprehendunt: nec immeritò; nam aliquæ, ut dixi, ex Philosophorum dictis depromptæ sunt: consequenter vim in jure habere non possunt, cum ex principiis unius scientiæ ad aliam argumentum ducere, itaque mutare genus scientiæ absurdum sit teste Aristotele *lib.* 1. *posterior.* Deinde Brocardicarum multæ tot casus exceptos habent, quot alii comprehenduntur sub dispositione Regulæ, ita, ut earum contradictoriæ non minus, quàm ipsæ veræ esse videantur: patet in tribus istis, *Spoliatus est ante omnia restituendus*: *In omni actu Judiciali requiritur citatio*: *sine litis contestatione Processus non valet*: quarum primæ *Gabrielus* 70. secundæ *Portius* 124. postremæ *Socinus* 802 limitationes opponit. Addo tamen, etiam ipsas utiliter allegari, si Legum, vel Canonum auxilio suffultæ, vel Scholarum, & Curiarum stabili, & uniformi usu receptæ, approbatæque sint. 5

Authenticæ Regulæ natæ sunt ex reflexione eorum, 6 quæ particulariter circa personas, res, & actiones à jure passim sunt constituta. Et hinc quia alibi traditum est, quòd per alium liceat contrahere Matrimonium *cap. fin. de Procurat. in* 6. subire Judicium *l. Procurator* 1. §. *usus* 2. *ff. eodem* exercere Jurisdictionem ordinariam *c. Romana* 1. *de Offic. Ord. in* 6. inde nata est Regula universalis.

Potest

Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum: quæ est 68. *in 6.* Item quia diversis juribus constitutum est, quod fœminæ non possint esse judices gerere Magistratum &c. facta est Regula jura ista complectens: *Fœminæ ab omnibus Officiis Civilibus, vel publicis remotæ sint*: quæ est 2. *ff. de R. J.* Adeoque Regulæ juris etiam Authenticæ novum jus non producunt, sed antè constitutum supponunt, ut rectè advertit Gloss. *ad hanc Rubr.* ut proinde *Reg.* 1. *ff.* meritò JCtus dixerit, *Non ex Regula Jus sumi, sed ex jure, quod est, Regulam fieri.*

7 Sed esto, quod Regulæ juris jus novum non faciant, magna tamen earum pro decisione Causarum utilitas est; nam pro eo, pro quo stat Regula, semper est pronuntiandum, nisi adversarius doceat, quod illud, de quo est quæstio, specialiter sit exceptum à Regula *l. ab ea* 5 *ff. de prob.* Bart. *ibidem n.* 1. Bald. *in c.* 1. *de alien. jud. mut. caus.* Decius *in l.* 1. *ff. h. tit. num.* 6. *&* 7. Tusch. *pract. V. Regula concl.* 94. *à n.* 13. Konig *hic n.* 10. Vviestner *n.* 1 Reiffenstuel *n.* 5. Hinc in eum, qui limitationem pro se adducit, onus probandi transferr *arg. l. ab ea cit.* & *cap. fin. de restit. spol. in 6.* Quod procedit etiam contra personam privilegiatam; nam etiam huic Regula præjudicat, nisi illa se specialiter exempta probaverit, Decius *l. cit. n.* 9. Masc. *de prob. concl.* 1268. *n.* 3. *&* 5. Konig *n.* 10. *cit.*

8 *Excipitur*, si Regula Perperam allegetur, quod duobus modis contingere solet. 1 Quando Regula, certam materiam spectans, ad quamvis aliam, perinde, acsi communis omnibus esset, trahitur, & allegatur, prout fieret, si ex Regula, *Invito beneficium non datur* 69. *ff.* quam de liberto conceptam Inscriptio docet, aliquis probare vellet, quod Servus, si à domino hæres instituatur; liber, & hæres invitus non evadat, cum tamen talem fieri constet ex §. *necessarius* 1. *Inst. de Hæred. qual. & differ.* licet in ejus arbitrio sit, utrum libertate data frui, vel ad servitutem redire velit *l. cum constitutio* 15. §. *fin. autem* 2. *C. de testam. manumiss.* 2 quando in citatione Regulæ non attenduntur circumstantiæ personarum, loci, temporis &c. ut si quis ex Regula, quod *vim vi repellere liceat*, quæ procedit de repulsione facta in continenti, defendere vellet repulsionem à se factam post intervallum; vel si quis Regulam, quod *par in parem imperium non habeat*, vellet porrigere ad parem delinquentem in territorio paris, vel ei spontè se subiicientem. Abb. *in c. cum inferior* 17. *de majorit. n.* 1.

Regulæ autem ritè allegatæ tamdiu vim suam habent, adversus quem allegantur, quamdiu iste exceptionem non probat à Regula; sæpe enim Exceptionem hujusmodi patiuntur: & hinc *Reg.* 202. *ff. h. tit.* dicitur: *Omnis definitio in jure periculosa est; parum est enim, ut non subverti posset*, inde etiam tritum illud. *Nulla Regula sine exceptione. Neque obstat*, quod hujusmodi Regulæ sint sententiæ generales; quia non in absoluto, sed in accomodo sensu exaudiendæ sunt, ut illud, *Cœlum tegit omnia*, scilicet præter se. 9

Vim Exceptionis à Regula tria usu trita declarant axiomata. *Primum est*: *Exceptio declarat Regulam*; hoc ipso enim, quòd Exceptio de Regula fit, ex qualitate Exceptionis apparet, de quo genere Regula intelligenda sit. 2 *Exceptio firmat Regulam in contrarium in casibus non exceptis*, ita ut comprehensi censeantur, quos Exceptio inde non subtrahit: ex cujus Axiomatis tamen generalitate meritò excipiuntur casus exceptis omnino similes, & quicunque alii, de quibus aliqua ratione verisimile est, disponentem de ipsis idem, quod de aliis expresse exceptis sensisse. 3 *Exceptio non ampliat Regulam*, h. e. non facit, ut ejus dispositio comprehendat aliqua, quæ exceptione non facta, Regulæ verba ex proprietate sermonis non comprehendissent. Ratio clara est, quia exceptio ex natura sua Regulæ detrahit, non addit; ab ea aliquid, eximit, non includit aliquid, quod illa, exceptione cessante, non inclusisset, Decius *in l.* 1. *ff. h. tit. num.* 43. 10

Qui plura de Regulis juris habere desiderat, consulat *Dynum*, & *Petrum Peckium*, qui integros Tractatus de Regulis his edidere: item Augustinum Barbosam *in collect. lib.* 6. *Decret.* & Henricum Canisium *in Summ. jur. can.* Ego hic calamum sisto, & Operi huic Canonico finem impono. Laboris quem in eo conscribendo sat magnum posui, mercedem aliam non desidero, nisi DEUM, qui proinde, ut de piissima ejus Misericordia spero merces erit mea magna nimis. Huic igitur, & Magnæ ejus Matri, & Divis Cœlitibus totum hunc meum conatum dico, dedico. Quidquid verò in explanatione hac Quinque Librorum Decretalium, scripsi, & dixi, Sanctæ Matris Catholicæ Romanæ Ecclesiæ judicio, & correctioni humillima veneratione submitto, probaturus ea, quæ ipsa probaverit; quæ verò reprobaverit; reprobaturus. 11

Finis Libri V. Decretalium.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

Numerus major Titulum, minor numerum Tituli indicat.

Insa-

Cle-

Coope-

An

F

An

An

An

Ele-

N

P

Pactum.

Non


Præ-

Reges

Quo-

Stu-

T



ADMO-

ADMONITIO AD LECTOREM.

Singulis Libris, horumque Tomis singulos subjeci Indices: in quo iis maximè commodare volui, qui ignari sunt ordinis, quem Compilator Gregorianus in Corpore Juris observat. Quia verò non omnibus, in quorum manus fortasse hi Libri mei venturi sunt, ita compertum est, quo quævis materia in Libro tractetur, ut etiam istis satisfaciam, & laborem, tœdiumque tollam, quod paterentur in percurrendis Indicibus singulis, & per hos investiganda quæsita materia, brevissimum quemdam Indicem Generalem particularibus præcedentibus subjungere volui.

INDEX GENERALIS

Rerum, & Verborum, quæ in toto Opere Canonico per quinque præcedentes Tomos discussa sunt.

Primus Numerus, isque Major Librum, secundus istius Titulum; Tertius Tituli numerum denotat.

A

B

C

Quan-

An

An

Judex

Medi-

Possunt

Ad

Qua-

Can-

Obser-

Volun-

Omnia ad Majorem Dei, Deiparæque Virginis Gloriam, & Honorem.